[illegible]

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM

EMINENTISS. CARDINALIS

CÆSARIS BARONII

CONTINVATIO,

AB ANNO M. C. XCVII.

QVO IS DESIIT,

AD FINEM M. DC. XLVI.

Per HENRICVM SPONDANVM, Mauleosolensem Appamiarum, in Gallia Narbonnensi Episcopum.

TOMVS SECVNDVS



LVGDVNI,

Sumptibus fratrum ANISSONIORVM, & IOAN. POSVEL, in vico Mercatorio.

M. DC. LXXVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ANNALIUM ECCLESIASTICORUM CONTINUATIONIS

TOMUS II.

IESU CHRISTI Annus 1447.

NICOLAI V. An. 1.

FRIDERICI III. Annus 8.

CONSTANTINI XV. An. 3.

I. THOMAS SARSANEN. ELIGITUR PONT.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, Indictione decimâ Eugenij exequiis per novem dies de more actis, ingressi conclave octodecim Cardinales qui Romæ erant, biduo pòst, nimirùm Nonis Martij, unum ex suo numero in Summum Pontificem elegerunt, *Thomam* Sarzanâ oppido Lucensis agri, exiguis parentibus Bartholomæo medico & Andreolâ (quam ova pullósque vendidisse, Baptista Fulgosius [a] tradit) ortum; paulóque antè ob egregiè navatam in tollendâ Neutralitate Germaniæ operam, ab Eugenio Cardinalem creatum tituli Sanctæ Susannæ: virum doctrinâ & omni fermè scientiarum genere insignem; pietate, liberalitate, & aliis præclaris animi corporísque ornamentis clarissimum; tantâ etiam modestiâ, ut se hâc dignitate indignum prædicans, supplex Cardinales rogaverit Ecclesiæ Dei maturiùs consulere. Coactus verò omnium consensu onus subire, & vocationi divinæ non resistere, nomen suscepit NICOLAI V. ob memoriam Nicolai Albergati Cardinalis S. Crucis; in cujus obsequio domestico fuisse, & ab eo prædictionem Summi Pontificatûs accepisse, vidimus in ejusdem Albergati obitu. Coronatúsque est decimoquarto Calendas Aprilis. Uti hæc omnia pluribus narrant qui ejus initia, electionémque, ac Vitam descripserunt [b]. Quod verò Platina habet, & post eum alij multi, Nicolaum uno eodémque anno & Episcopatum Bononiensem, & Cardinalis dignitatem, & Pontificatum adeptum esse; longiorem paulò annum fecisse dignoscitur; cùm à literis Eugenij, quibus eum creavit Episcopum, datis 5. Cal. Decembris anni 1445. quas Sigonius [c] recitat, usque ad electionem Pontificatûs, intercesserint quindecim menses & octo dies: nisi fortè non tam citò possessionem Episcopatûs adierit, & ab eâ Platina rationem computi sui inierit, aut modicum trium mensium tempus pro nihilo computaverit. Quod antiquum Confusionis annum Romanum ante correctionem Iulianam, ferè nobis repræsentaverit, quem Censorinus quadringentorum quadraginta quinque dierum fuisse scribit.

NICOLAI V. NOMEN ACCIPIT.

[a] *Fulgos. de dict. & fact. memorab. lib.3. cap.4.*

[b] *Ant. tit. 22. c. 12. in pr. Platin. in Nicol. V. & ibi Onuphr. Ciac. & Addit. Æn. comment. l.1. & de Europ. cap. 58. & alij.*

[c] *Sigon. de Episc. Bonon. lib. 4.*

II. PRÆDICTIONES MUTUÆ NICOLAI PP. ET FRIDERICI IMP.

Illud magis mirum, quod in Commentariis Pij II. narratur, de somniis quæ tam de ejusdem Nicolai Pontificatu, quàm de coronatione Friderici Cæsaris per eundem faciendâ præcesserunt. Nempè post eam coronationem (quæ nonnisi quinto abhinc anno contigit) primùm Imperatorem retulisse Pontifici, cùm idem Pontifex, tunc dumtaxat Episcopus Bononiensis, ultimò ex Viennâ Austriæ ab ipso Friderico recessisset, vidisse illum nocte proximâ per quietem, se Romam venisse, ipsiúsque Thomæ manibus suo capiti coronam imponi. Eique vicissim Pontificem narrâsse, se nocte quæ mortem Eugenij præcessit, sopori deditum, in cubiculo Pontificio esse sibi visum, Eugeniúmque pallio ac tunicâ sibi detractis Thomam induere, mitrámque suo capiti demptam ejus capiti imponere: postremò ostensâ sellâ quâ sedebat, dicere, *Sede hic, ego ad S. Petrum pergam.* Parùm tamen abfuit quin ea electio turbaretur; quoniam Stephanus Porcarius Eques Romanus, vir in dicendo acerrimus & elegans, ut nominat Pla-

tina, sive ut Antoninus, eloquentissimus; sed præsumptuosissimus, cives in Ecclesiâ Aræcæli congregatos, ad capessendam libertatem cohortari cœpit, quòd diceret parvum quodque oppidum mortuo loci domino, de libertate; vel saltem de moderandâ regentium cupiditate verba facere. Verùm reclamante Archiepiscopo Beneventano Vicecamerario, de re ipsâ nihil deliberatum est.

III. NICOLAUS PROCLAMATUR PONTIFEX PER UNIVERSAM GERMANIAM. [d] Cochla. l. 9. in fin.

Post Nicolai electionem, indicto per Fridericum apud Asciasburgium oppidum diœcesis Moguntinensis conventu Principum Imperij tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium, ad festum B. Margaritæ 20. Iulij; approbata in eo est obedientia primùm Eugenio, deinde ipsi Nicolao ab oratoribus Romam missis exhibita: abrogatáque penitùs Neutralitas, & omnis cum Felice ac Basileensibus communicatio. Eâque de re edictum Fridericus promulgavit secundâ feriâ ante festum Bartholomæi Apostoli (nempè 21. Augusti) quod recitat Cochlæus [d]: quo mandavit, Nicolaum pro vero & indubitato Papâ, Vicario Christi, & vero successore S. Petri, sine dolo & fraude ab omnibus recognosci & firmiter teneri, atque ipsius mandatis plenariè obedire: aliáque cuncta vel nomine Felicis qui Papatum usurpaverat, vel communitatis Basileæ emanantia spernere, & penitùs rejicere. Vnde factum est ut brevî exaruerit schismaticorum Basileæ ægrè jam à multo tempore spiritum ducentium evanida auctoritas; ipséque Felix de abdicatione seriò cogitare cœperit: eóque maximè quòd à Carolo Francorum Rege continuis hortationibus sollicitaretur pacem dare Ecclesiæ.

IV. CONVENTUS LUGDUN. PRO REBUS FELICIS. [e] Monstrel. vol. 3. cap. 4.

Cùm verò auditâ à Rege Nicolai creatione, ei mox adhærere decrevisset; ut jam de Felicis compositione ageretur, de ejus ac Ludovici Ducis Sabaudiæ Felicis filij consensu, conventum indixit Lugduni (*Concilium* multi vocant, *colloquium* magis dicendum) mense Iulij præsentis anni, (ut Monstreletus [e] habet:) cui etiam interfuerunt Archiepiscopus Treverensis Elector Imperij, & Coloniensis atque Ducis Saxoniæ item Electorum oratores; Cardinalis item Arelatensis, aliíque ex parte Felicis & Basileensium denique legati Regum Angliæ & Siciliæ. Quibus omnibus cùm visum fuisset Felicem ipsum convenire Gebennæ ubi tunc morabatur; mense Novembri fuerunt inter eos nonnulli articuli compositi, quibus si Nicolaus consentiret, Felix abdicaturus esset. Missi igitur Romam regij oratores: sed de eorum negotiatione dicetur anno sequente. Hæc autem pluribus narrat idem qui suprà Monstreletus; necnon auctor commentarij Amedei Pacifici.

V. AGITUR DE PACE ITALIÆ.

Quo tempore Eugenius mortuus est, erat Alfonsus Rex Aragoniæ & Siciliæ Tibure propinquâ Romæ civitate, dubius animi retróne cederet, an Florentinos bello persequeretur, quemadmodùm antè cum eodem Eugenio & Philippo Mediolanensi institutum fuerat. At Nicolaus pacis & quietis amator, Cardinalem Morinensem Ioannem Iuvenem Gallum Picardum Presbyterum tituli S. Praxedis Ferrarium misit, componendæ pacis commune domicilium: Missi enim eò properè Alfonsi, Philippi, Venetorum Florentinorúmque Legati. Qui post longam disceptationem, certas conditiones Philippo proponere decernentes, haud fortè illi adeò gratas futuras, sed tamen ob miserum statum in quem Venetorum armis redactus erat minimè aspernandas; cùm misissent qui eas illi significaret, ipsum ille diem obiisse reperit; unde Venetis majorum spe commodorum concordiam detrectantibus, cæteri quique re infectâ ad sua se receperunt. Hæc pluribus Platina.

PHILIPPI DUCIS MEDIOL. OBITUS INFELIX. [f] Ant. tit. 22. c. 11. §. 17.

Mortem autem Philippi (quam omnes quidem mense Augusti, sed diversis diebus ponunt, plures tamen 13. cùm nondum annum ætatis quinquagesimum septimum explesset) referens Antoninus [f], nunquam non in eum commotus propter odium quo ille semper Florentinos prosecutus fuerat, & turbas quas in Italiâ concitare continuè consueverat; ait diem clausisse extremum serpentem illum antiquum non dierum sed astutiarum, apoplexiâ correptum: (ex ventris profluvio & dysenteriâ dicunt alij:) Et sicut in vitâ suâ & conversatione incivilis & inordinatus fuerat, nec Deum timens, nec homines verens; ita in morte sine Sacramentis decessisse ut animal brutum: quinimmò cùm & medicus ejus hortaretur eum ad confessionem, ut ex medelâ spirituali magis proficeret corpori materiali, illum torvo oculo respicientem omninò tacuisse, recedentíque per alium ei significâsse ne ampliùs ipsum visitaret: itaque rem medicum multis retulisse, virum venerabilem & fide dignum.

VI. QUALIS PHILIPPUS FUERIT. [g] Æn. de Europ. cap. 49.

Sed nemo meliùs Philippum animo & corpore descripserit Æneâ, qui sæpè vidit: cùm illum depingit [g] ingenti corpore, in juventute macrum, in senectute pinguissimum, deformi facie ac terribili, instabilibus ac prægrandibus oculis: ingenio peracri & callido, in largiendo profusum, in parcendo facilem, in audiendo difficilem, at ubi in colloquium venisset mitem ac placidum; cultûs corporis ac munditiarum omnísque lenocinij negligentem, venandi cupidum, equorum studiosum: cæterum quietis impatientem, atque imperitandi avidum: in pace bellum, in bello pacem quærentem; simulandi atque dissimulandi egregium artificem; in milites quàm in cives indulgentiorem, delatoribus credulum, in suspiciones adeò pronum ut sæpè fidissimos à se amicos levissimis de caussis alienaret: sermonem de morte audisse invitum, tonitrua ac fulmina mirum in modum expavisse: Ei, cùm vitâ decessisset, funus nec tanto Principe dignum, nec suis majoribus, ductum esse, nec sepulchri decus additum. Hæc Æneas. Pluráque Iovius in Vitâ & Elogio Philippi; ubi etiam attestatur, fuisse adeò hebetibus oculis, ut factus senex obversantium ante se vultus non planè discerneret, atque assiduo & secreto monitore in responsis dandis uteretur, ne pupillæ vitium detegeret. Denique in eo finivit dominatio Mediolani Vicecomitum; quæ ampliùs centum & sexaginta annos duravit diversis titulis.

VII. DE JURE SUCCESSIONIS AD PRINCIPATUM MEDIOL.

Post cujus mortem, ad principatum Mediolanensem multi aspiravêre; sed qui coloratis uterentur titulis quatuor fuêre: Fridericus Cæsar devolutum ad se principatum, Philippo sine liberis legitimis vitâ functo: (nam Blanca ejus filia, quam Franciscus Sfortia uxorem habebat, ex illegitimo concubitu nata erat:) Alfonsus Rex testamento Philippi hæredem se institutum: Carolus Dux Aurelianensis jure

proximitatis, utpotè natus ex Valentinâ Philippi sorore, ac filiâ Ioannis Galeatij primi Ducis Mediolanensis: (cui etiam in auxilium evocato Philippus ante obitum urbem Astensem tradiderat, quæ olim matri ejus Valentinæ cum toto Astensi Comitatu in dotem promissa fuerat) Franciscus Sfortia, ut gener & in filium adoptatus, cui Philippus dotis nomine olim Cremonam dumtaxat assignaverat. Corius [h] verò Mediolanensis longè veriùs existimavit quod ab aliis asserebatur, cùm morti proximus Philippus rogaretur cui imperium relinqueret, respondisse percupere se ut omnia post suam mortem in præceps irent, ruerént que: Quosdam nihilominùs nomen Alfonsi acclamâsse: sed cives libertatem recuperare aventes, in id totis viribus incubuisse, statum civitatis reformando, novámque Reipublicæ formam instituendo per electionem Magistratuum popularium, & institutionem consilij publici: idque ipsum tentâsse alias civitates Philippo olim subjectas. Quod tamen faciliùs omnes aggressas esse, quàm feliciter exequi potuerint, exitus demonstravit, cùm partim à Venetis cæteris potentioribus, partim ab Sfortiâ, aliisque Principibus occupatæ illæ brevì fuere: ipsáque demùm Mediolanensis metropolis cum plerisque aliis in manus incidit Sfortiæ, ut videbitur. Alfonsum enim insigni ac planè insuetâ moderatione, ne videretur imperium Italiæ affectare, nec minori prudentiâ, ne contra se universam Germaniam, Galliam, ipsósque Summos Pontifices, reliquósque Italiæ Principes concitaret, cessâsse à persecutione juris sui in Statum Mediolanensem, Surita [i] scribit: eóque maximè quòd interim novo suscepto bello in Florentinos, specie quidem pacis Italiæ & protectionis Mediolani, re, ut Florentini crediderunt, occupandæ Etruriæ; haud res ei pro voto successisset; quæ pluribus tractant multi auctores [k].

[h] *Cor. par. 5.*

[i] *Sur. lib. 15. cap. 48.*
[k] *Æn. Europ. c. 49. Ant. tit. 22. c. 12. Pogg. lib. 8. Fac. l. 9. Platin. in Nicol. V. Cor. par. 5. Marian. lib. 22. c. 15. Surit. d. l. 15. &c.*

VIII.
ALFONSUS ARAGON. REPELLITUR AB HÆREDITATE MEDIOLANI.

Sed quod jus successionis Philippi attinet; scribit idem qui suprà Iovius in ejus Vitâ, famam fuisse eum justo odio contra Venetos æstuantem diù agitâsse animo, an Alfonsum Regem genero præferret Imperiíque hæredem relinqueret, ut eo inclyti opulentissimíque nominis propugnatore ambitiosæ & præpotentis Venetæ gentis audacia frangeretur; sed amore Blancæ filiæ, quæ jam filium ad spem imperij pepererat, generum, eundémque solemni adoptione filium prætulisse: póstque ejus mortem: eos qui pro Alfonso contendebant, victos suffragiis discessisse, multis civium indignantibus externi sanguinis ignotæque linguæ, suspecti denique ingenij virum, stultissimo paucorum consilio ad patriæ dominatum vocari, qui brevì colonis Hispanis urbem totámque regionem ad non dubiæ calamitatis eventum repleturus esset: Famam tamen in vulgus manâsse, exaratum fuisse codicillum quod priori testamento subderetur, sed expirante Philippo priusquàm testibus adhibitis obsignaretur, fuisse discerptum: idque usque adeò graviter Alfonsum tulisse, ut ea suppressi codicilli jura Alfonsus nepos posteà respiciens, ut sibi totique Italiæ clades pararet, intemperanter aspirâsse. Ita ibi Iovius: quæ, ut diximus, Corius eo antiquior, & civis Mediolanensis, ficta ab utrisque credidit, nemine à Philippo hærede constituto. Itémque Iovius in subjuncto tractatu de hæreditate Philippi, validis argumentis demonstrat, rejectâ spuriâ conjuge Sfortiæ, quamquam adscititio jure legitimam pater fecisset; totam hæreditatem directo jure Valentiniam Philippi sororem prædicti Caroli Ducis Aurelianensis matrem omninò respicere, cùm & insuper, præter dotem civitatis Astensis, pater conditionem superaddidisset, ut si fratres Valentinæ sine liberis decederent, uti contigit, ipsius Valentinæ filij legitimíque successores toto principatu potirentur. Cæterùm quòd hujusmodi controversiæ non in foro, sed in castris, Marte judice, dirimi consuescant; cedente demùm post multa certamina principatu Mediolanensi Francisco Sfortiæ; hinc novorum Principum stirps, novorúmque ac gravissimorum motuum materia exurrexit: de quibus posteà pleniùs.

DUX AURELIAN. LEGITIMUS EJUS HERES.

IX.
[l] *Vide suprà an. 1445. II.*
[m] *Michov. l. 4. c. 65. Cromer. lib. 22.*
CAZIMIRUS CORONATUR REX POLONIÆ.

Hoc anno Cazimirus, post longas [l] procrastinationes, coronatus [m] est Cracoviæ Rex Poloniæ, die vigesimâ sextâ Iunij. Postridie in publico consessu pro recipiendo ab oppidanis jurejurando, orta inter Episcopos & Duces Masoviorum, de loco, utri dextrum Regis latus tenerent, controversia, reverti Regem re infectâ coëgit. Cessêre tamen posteà Duces Episcopis. Consultatione post hæc factâ, cui obedientia præstanda esset, Nicolaóne an Felici, Nicolaum agnoscere placuit. Missique ad eum fuêre legati: qui in bellum Tartaricum decem millia florenorum Ecclesiasticis imponenda impetrârunt. Petentes autem insuper decimam decimæ, & jus omnium sacerdotiorum in totâ Poloniâ conferendorum, ac pensionem sive denarium S. Petri, repulsam passi sunt; nisi quoad collationem nonaginta sacerdotiorum vacandorum in provinciâ Gnesnensi, quæ ad jus Summi Pontificis pertinerent. Perstitit tamen adhuc nihilominùs Academia Cracoviensis in fide Basileensium, usque ad abdicationem Felicis.

X.
LAURENTIUS VALLA DAMNATUR UTI HÆRETICUS.

Eodem tempore *Laurentius Valla* Romanus, elegantis quidem pro sæculo, sed pro quolibet tempore virulentissimæ linguæ homo; Neapoli existens, cùm quasdam propositiones hæreticas asseruisset, delatus ad Inquisitores, & in carcerem trusus, damnatúsque pro hæretico, beneficio Alfonsi Regis pœnam ignis evasit; propositionibus tamen publicè ejuratis, virgis, privatim per claustra monasterij Prædicatorum manibus revinctis cæsus. Quod prolixiùs narrans Poggius secundâ in eum invectivâ, errâsse innuit in articulis Personæ in Deo, Trinitatis, Liberi Arbitrij, & Virginitatis sanctimonialium. Cui & objicit, quòd non solùm illustres Ecclesiæ Doctores, Augustinum, Hieronymum, Boëthium, aliósque reprehendere, damnaréque non erubuisset; verùm etiam effutire impiissimè ausus fuisset, sibi etiam adversus Christum spicula reservâsse.

Iesu Christi Annus 1448.

Nicolai V. An. 2.

Friderici III. An. 9.

Constantini XV. An. 4.

I. Anno Christi 1448. Indictione undecimâ, cùm Nicolaus Papa V. post suam electionem Legatum misisset in Germaniam, Ioannem Carvajalem tituli S. Angeli Diaconum Cardinalem natione Hispanum, ad componendam provinciam longâ Neutralitate dissipatam; & audienda nationis gravamina, quibus se supra modum circa beneficia Ecclesiastica læsam conquerebatur: ab eo re cum Friderico Cæsare Principibúsque tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus tractatâ, convenerunt demùm in quædam capita, quæ *Concordata* vocata sunt; quæque à Nicolao [a] Pontifice confirmata fuêre constitutione eâ de re factâ Romæ Cal. Aprilis præsentis anni; quâ imprimis Ecclesias quascumque majores, & dignitates, ac beneficia omnia & qualiacumque majora & minora, sæcularia & regularia, cum curâ & sine curâ, electiva vel collativa, vacantia in Curiâ Romanâ vel intra duas dietas legales vacatura, necnon Cardinalium, omniúmque & quorumcunque Romanæ Ecclesiæ Officialium ubicumque decedere contigerit, dispositioni suæ reservans; in Metropolitanis & Cathedralibus, ac monasteriis, electiones Canonicas fieri concessit, quæ posteà ad Sedem Apostolicam intra tempora à Nicolao [b] III. constituta deferendæ essent, nec ulteriùs expectandæ: ac de cæteris dignitatibus & beneficiis quibuscumque (majoribus dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis exceptis) jure ordinario provideri: ita ut sex mensibus, videlicèt Februario, Aprili, Iunio, Augusto, Octobri, & Decembri libera omninò esset eorum dispositio Ordinariis: in sex reliquis ita vacantiæ ad Sedem Apostolicam pertinerent, ut tamen nisi infra tres menses à die vacationis innotesceret ejusdem Sedis provisio, dispositio ad ipsos Ordinarios pertineret: Annatæ de Cathedralibus & monasteriis virorum solverentur secundùm receptam Cameræ Apostolicæ taxationem: de cæteris verò beneficiis ac dignitatibus quæ auctoritate dictæ Sedis conferri contingeret, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri non excederent, nihil solveretur.

Concordata Sedis Apostolicæ cum natione Germanica.

[a] Bullar. to. 1. Nicol. V. const. 1.

[b] Cap. cupientes 16. de elect. in 6.

II. Cùm verò etiam sub Mainardo Gubernatore, Boëmiâ planè dispositâ creditâ ad perfectam Ecclesiæ unitatem, institissent aliqui apud Nicolaum Pontificem ut Legatum ad hoc mitteret, dedit ipse in mandatis prædicto Ioanni Carvajal ut pariter Boëmiam adiret. Qui post prædicta cum Germanis stabilita Pragam accedens, ubi comitia regni celebrabantur ad tractandum de Rege, déque reformatione regni, admodúmque honorificè à Gubernatore ac regni primoribus, nec non à Clero, ac Studij Vniversitate, & populi multitudine, Cal. Maij in Vigiliâ Ascensionis exceptus, (ut narrat Cochlæus [c]) auditâ deinde oratione Boëmorum, quam idem auctor recitat, quâ magnificis verbis in honorem Sedis Apostolicæ ejúsque Pontificum Eugenij & Nicolai, necnon Sigismundi Imp. ipsiúsque Ioannis Legati usi, expositísque breviter quæ circa communionem sub utráque specie cum Concilio Basileensi & delegatis ab eo gesta fuissent, duo petierunt quæ sibi concessa promisśaque asserebant: nimirùm ut Compactata tunc confecta confirmarentur, & Ioannes Rockysana (perfidus ille Presbyter Hussita, de quo aliàs, qui à Sigismundo Imp. exulare coactus, post Alberti Regis obitum restitutus fuerat per Gyrzikonem de Cunstat; aliàs Georgium Podiebracium) Archiepiscopus Pragensis consecraretur. Ad quæ respondens Cardinalis, de Compactatis acturum se postmodùm dixit: de Rockysanâ verò, antequàm is consecrari posset, reddenda esse bona Ecclesiæ Pragensis, ne in tantâ dignitate constitutus cogeretur cum dedecore Ordinis victum ab aliis mendicare. Demúmque hortatus est exemplo Hungarorum, Ladislaum puerum in regem suum legitimum agnoscere, ad pacem regni conservandam. Vrgentibus verò rursùm Boëmis, & difficilem nimis fore bonorum Ecclesiæ restitutionem, sed provisuros se cumulatè Rockysanæ necessitatibus, asserentibus: demùm re infectâ propter nonnullorum injecta impedimenta, Cardinalis ægrè ereptus periculis sibi ab Hussitis creatis, inde recessit. Qui sanè nec poterat Boëmis de Compactatis acquiescere, quibus ipsi longè aliter uterentur, quàm fuerant à Concilio Basileensi admissa: nec Rockysanam publicum Ecclesiæ hostem in Archiepiscopum consecrare, ac tam dirum ac ferum lupum Christi ovibus præficere. Hæc Cochlæus.

Quid cū Boemis actum.

[c] Cochla. Hist. Hussit. l. 10.

III. Quo tempore putamus accidisse, quod Cardinalis Papiensis in fine suorum commentariorum obitum prædicti Ioannis Cardinalis recensens, narrat: nimirùm ut cùm is à Rockysanâ in publicam de fide disputationem vocatus, ne diffidere in tantâ expectatione Romano dogmati videretur, assensisset, prior Rockysana ab his verbis disputationem orsus, *Æternum Patris Verbum*; offundente statim Deo magnæ menti tenebras, progredi ultrà non valuerit, ac statim obticuerit: resuménsque iterùm ac tertiò ex longis semper intervallis idem orationis initium, semper coactus sit obmutescere. Cùm verò stuperet jam consessus omnis, provocatórque ob confusionem ægrè consisteret, læto vultu Ioannem Legatum silentium ejus excipientem, idémque initium repetentem, tantâ memoriâ spiritúque disserendo peregisse reliqua, ut plurimi divinum opus mirati posito errore ad sanitatem redierint.

Rockysana Hussita disputando obmutescit.

IV. Post recessum autem Legati, solutúmque regni conventum, murmurantibus Hussitis Pragensibus in Mainardum regni Gubernatorem quòd ipsis adversaretur, facta est in eum conjuratio de urbe Podiebracio tradendâ, viro rei militaris peritiâ rebúsque strenuè gestis insigni. Constitutâque die conjuratis incendium in parte urbis admodùm remotâ excitantibus, dum concurreretur ad restinguendum ignem, Podiebracius ex adversâ parte cum copiis muros invadens, à proditoribus per portas introductus est: resistentes passim trucidati sunt: Mainardus captivus abductus, brevi obiit, sive

Hussitæ potiuntur urbe Praga.

tædio carceris vir jam grandævus, sive ut plerique putaverunt exhausto veneno: ex illóque tempore sine controversiâ Praga in potestate Podiebracij fuit. Ita Æneas [d]: & ex alio vetusto temporum breviario Cochlæus, qui & pergit narrare quomodò post hæc Rockysana Archiepiscopum egerit, & Podiebracius Gubernatorem regni; opponentibus quidem se eorum conatibus Vlrico Mainardi filio, & altero Vlrico de Rosis Barone Catholico, sed minimè prævalere potentibus: in quorum dissidiis, & in tractandâ inter eos concordiâ duo sequentes anni transacti fuerint; post quos dicentur quæ porrò secuta sunt.

[d] Æn. Boëm cap. 58.

V. HUNIADIS EXPEDITIO IN TURCOS.

In Hungaria interim Ioannes Huniades regni Gubernator ignominiam prælij Varnensis abolere maximè cupiens, delectu Hungarorum facto, accersitisque Boëmorum auxiliis, ac mercenariorum manu non parvâ collectâ, exercitum duorum ac viginti millium armatorum in Turcos duxit; comitante Bartholomæo Lapatio Florentino ex Ordine Prædicatorum Episcopo Coronensi Sedis Apostolicæ Legato, & plerisque regni proceribus, atque universâ ferè nobilitate. Istro seu Danubio transito, cùm Mysiæ seu Rasciæ vel Serviæ (tot enim nominibus ab auctoribus nuncupatur) Despotam Georgium, quem olim in Hungariâ exulâsse vidimus, in belli societatem vocaret; ille initam cum Amurate Turcorum Rege concordiam, cujus munere principatum recuperaverat, excusante, per ejus regnum haud aliter atque per infestam regionem Huniades iter in Bulgariam intendit. Georgius celeribus internunciis ejus consilia, viréisque, Turcorum Imperatori Amurati, modúmque quo facilè superandus foret, significavit. Ita ut cùm expectaret Huniades Scanderbegum Albaniæ Principem, prout inter eos convenerat, ab Illyrico eodem tempore Amuratis exercitum aggressurum; summâ diligentiâ occupante itinera Amurate (cujus exercitum octoginta millium armatorum fuisse tradunt) Huniades immaturâ pugnæ festinatione recti consilij finem intercepit. Concurrentibus igitur Turcis Hungarísque in planicie longè latéque in Rasciæ & Bulgariæ finibus passuum viginti millium longitudine, quinque latitudine spatiante, cui nomen ab Hungaris Rigomezoviæ, à Rascianis Cosovæ, hoc est Campo merulæ: feriâ quintâ præcedente festum sancti Lucæ Evangelistæ ingentibus animis utrimque pugnatum est; prælióque noctis adventu majori Turcorum clade dirempto, postero die, qui fuit S. Lucæ, à summo manè iterùm haud minore ferociâ impetúque ad noctem usque, sed longè majore Christianorum cæde, dimicatum est: Donec die Sabbati primâ luce redintegrato certamine, post multam ubique cædem, immissis ab Amurate in Christianos triduano labore confectos cunctis uno impetu agminibus suis, ij demùm in fugam versi sunt; cæso in primis Ioanne Zechele Huniadis sororis filio Walachorum præfecto; Episcopo Coronensi Legato Apostolico, magnâque procerum parte, & universâ fermè nobilitate, præter gregariorum multitudinem: sed longè majori Turcorum internecione, è quibus triginta quatuor millia cecidisse volunt, octo millibus Christianorum in campo desideratis; præter ingentem lixarum, calonúmque & ejusmodi hominum multitudinem; qui in castris invasi, cùm sese quousque minima sagitta telúmque superfuit, defendissent, ad unum omnes occisi sunt unà cum sauciis relictis; & captivis, quos Amurates universos obtruncari jussit. Ex his qui evaserunt, quicumque per Illyricum effugere, per Dalmatiam incolumes redierunt: qui per Rasciam, quà venerant, reverti contenderunt, sic infestam ubique latrociniis provinciam invênere, ut pauci evaserint, quin aut spoliati aut cæsi fuerint. Huniades, ut aliàs, ad melioris fortunæ spem se reservans, ubi Zechelem occisum & signa quædam capta animadvertit, fugam solus equo velocissimo præripiens, abjectis armis & dimisso equo tres dies per avia loca impastus devectus, quarto incidit in duos latrones: à quibus spoliatus, cùm iidem inter se de cruce aureâ è collo ejus pendente altercarentur, ipse rapto unius gladio, eum lethali vulnere confecit, alterum in fugam convertit. Sinderoviam inde à quodam rustico, à quo se in aliud castrum deduci rogaverat, perductus; ibi ingratissimi Georgij Despotæ jussu retentus, non aliter valuit dimitti quàm obsidione certorum pactorum dato juniori filio Ladislao; quem tamen idem Huniades paulò pòst quàm in Hungariam ad finem anni rediit (non sine honore & laude acceptus) invasâ armis Despotæ ditione sibi restitui coëgit. Narrat hæc omnia fusè Bonfinius [e]; ac ferè ex Ioanne Thwrosio [f], ut alia pleraque; concisiorem ejus Historiam ipse uberiori juxtà & elegantiori stylo dilatare solitus: haud tamen adeò solidâ fide cùm ab eo divertit, aut quid aliunde seu de suo addit. Meminit etiam Æneas [g]; nec non Historici Poloni [h]: sed Michovius magnâ copiarum licitatione, dum exercitum Turcorum trecentorum millium equitum & sexaginta peditum fuisse ait, occisa quindecim Christianorum millia, duodecim capta. Chalcondyles [i] quindecim myriades, hoc est centum quinquaginta millia Turcorum fuisse; Christianorum quadraginta millia peditum, septem equitum, duo curruum: occisa septemdecim millia Christianorum, & quatuor tantùm Turcorum.

HUNIADIS FUGA.

PRÆLIŨ COSOVENSE CHRISTIANIS INFAUSTUM.

[e] Bonfin. 3. dec. 7.
[f] Thurof. Chron. Hungar. cap. 46. & 47.
[g] Æn. Europ. cap. 6.
[h] Michov. l. 4. cap. 65. Crom. lib. 22.
[i] Chalcond. lib. 7.

VI.

Leunclavius [k] ex Historiis Turcorum ait, fuisse Amuratem tunc cùm Huniades ingressus est ditionem Turcorum, in Albaniâ bellum gerentem contra Scanderbegum cujus aliquot arces occupaverat: Accepto autem nuncio adventûs Huniadis cum ingentibus variarum nationum copiis, exercitum collegisse sexaginta vel octuaginta millium tam equitum quàm peditum, ac secum filium Mahometem adduxisse: concursu facto in campis Cosovanis, post longissimum & acerrimum certamen, quo penè victi Turci fuêre, eosdem victoriam tandem de Christianis, quamvis longè longè numerosioribus, ingenti utriusque partis cæde retulisse. In medio prælio cùm Huniades inclinatas suas acies cerneret, simulatâ in Turcorum terga impressione, suos in certamine deseruisse, & cum familiaribus suis aufugisse. Sed hanc turpitudinem magis Turcos Huniadi impegisse ex odio acceptarum alias ab eo gravissimarum cladium (quarum etiam causâ vocatum ab eis fuisse Iancum Lain, hoc

[k] Leunclav. lib. 14.

HUNIADIS LABS.

est Ioannem nefarium, Leunclavius observat) quàm ex regestâ putâssem; nisi eandem à Chalcondyle pariter assertam reperissem, non parvâ nominis Huniadici labe: quâ nec caruisse videtur in abjectâ illâ solitariâ pedestri fugâ à Bonfinio descriptâ, quam æquè Chalcondyles habet. Vt nihil dubitem quin multa etiam ab auctoribus Rerum Hungaricarum in laudem Huniadis encomiasticè prolata fuerint in gratiam Matthiæ Corvini ipsius filij, qui posteà in Hungaria regnavit, sub quo iidem auctores Historias suas conscripsêre. Quippe ferè commune est malum eorum qui res gestas Principum aut populorum in gratiam eorundem scribendas suscipiunt, quæ minuant laudem aut omninò tacere, aut favorabili acceptione interpretari. Cùm nihilominùs magnum proculdubiò fuisse re bellicâ Huniadem, nullatenùs sit dubitandum. Ita ut etiam scribat Æneas [l], adeò terrificum apud hostes extitisse nomen ejus, ut plorantibus pueris matres familias taciturnitatem non aliter imperarent quàm ejus præsentiam minitantes. Sed de prædictâ Turcorum victoriâ subdit præterea Leunclavius unum alterúmque notatione dignum: nimirùm, post illam proceres eorum ab Amurate petiisse ut pascha ipsorum eodem loco in gratiarum actionem toto triduo celebraretur; sicuti & factum est: Et cùm Amurates ad locum pugnæ se conferens, miraretur neminem Christianorum occisorum canum esse, dixisse ei peditum stipendiariorum quos Azapos vocabant, tribunum, virum ætatis provectioris, hâc ipsâ de causâ eam eis cladem accidisse: si enim fuissent inter eos aliqui senes, & rerum experti, non tantam in calamitatem casuros fore. Nec minùs illud notandum, quod habet Chalcondyles singularis in Amurate severitatis, ac justitiæ exemplum; videlicèt cùm Daci, seu Walachi, quorum erant cum Huniade octo millia, conjuratione factâ omnes ad Amuratem transîssent, eum defectionem illorum perhorrescentem, cunctos in ipso cæterorum Christianorum conspectu à suis circumdatos trucidari ad unum jussisse.

[l] Æn. Europ. cap. 5.

SINGULARIA DE AMURATE.

VII. ITALIA TURBATUR BELLIS.

Italia quoque, ac præcipuè Lombardia, bellis civilibus agitata, mortem Philippi Mediolanensis, quam viventis concupierat, defuncti dolebat, ob dilaniationem Statûs ejus, per Venetos præcipuè ac Sfortiam, Alfonsúmque Regem, & Sabaudiæ Ducem, atque Aurelianensem. Cùm has turbas, aliásque in Etruriâ ab eodem Alfonso motas, pacis amator Nicolaus Papa componere frustra conatus; ad rem divinam animum applicans, publicas supplicationes instituit ad placandam iram Dei; quibus ipse cum omni Clero sacratissimam Eucharistiam [m] gestans interfuit. Verùm neque ita quidem, exigentibus hominum meritis, eâ placatâ, toto biennio adeò in Italiâ peste laboratum est, ut pauci de multis superfuerint. Quod quidem malum, & frequens terræ-motus, & solis eclipsis quæ facta est 29. Augusti, indicâsse putantur. Minantibus etiam viris sanctitate præstantibus futuram calamitatem: maximéque Roberto Ordinis S. Francisci professo prædicatore insigni; qui concionibus suis adeò Populum Romanum movit, ut pueri passim feminæque per Vrbem incederent, misericordiam à Deo exposcentes. Ita de his Platina [n].

[m] Ciaccon. in Nicol. V.

ET VEXATUR PESTE.

[n] Plat. in Nicol. V.

VIII.

Hoc anno (ut Monstreletus [o] narrat, & ex eo alij) missi legati à Carolo VII. Francorum Rege, nec non à Ludovico Delphino ejusdem primogenito, & à Renato Siciliæ Rege, ad Nicolaum Papam, tum ad obedientiam ei ut vero Pontifici præstandam, tum ad exponenda quæ cum Felice Sabaudo tractata fuissent anno superiori pro unione Ecclesiæ (ad quod etiã præcesserant legati Regis Angliæ) honorificétissimè quidẽ ac benignissimè à Pontifice excepti; (quorum princeps Iacobus Iuvenalis Vrsinus Archiepiscopus Remensis, factus etiam Patriarcha Antiochenus, & à Remensi Ecclesiâ, quam fratri suo Ioanni Iuvenali, de quo aliàs, dimisit, ad Pictaviensem anno sequenti translatus; qui magnam in his sacræ causæ sedandis controversiis, religionis, prudentiæ, ac solertiæ laudem tulisse reperitur) haud tamen omnia impetrârunt quę Felix peteret; multa nihilominùs, quæ posteà Felici relata facilitatem unionis induxerunt; quæ tandem, ut dicetur, anno proximo perfecta est: laborante in his præ cæteris, magnâ diligentiâ, immensis sumptibus, & summâ curâ Carolo Francorum, ac cooperante egregiè Friderico Romanorum Rege: instantéque adeò Ludovico Sabaudiæ Duce Felicis primogenito, ut cùm Bolomerius quidam Felicis gratiâ potens abdicationẽ ei dissuadere conaretur, Ludovicus eum multorum criminum reum ingenti lapide ad collum suspenso in Lacum Lemanum præcipitem egerit: Cùm intereà residui illi Basileensium Patrum qui Concilium jactabant, sive, ut Wanderburchius [p] habet, tunc metu dilapsi, cùm venit in eas oras Delphinus; seu potiùs, ut Gobellinus [q], pulsi à civibus Basileensibus jussu Friderici Cæsaris, Lausannam se transtulissent.

[o] Monstrel. vol. 3. cap. 6. Bellefor. lib. 5. cap. 107. & alij.

TRACTATUR CUM NICOLAO PONTIF. DE REDUCTIONE FELICIS.

[p] Vanderburch. Hist. Sabaud. in Amed. VIII.

[q] Comment. Pij II. lib. 7.

IX.

Quo eodem anno celebratum est in Galliâ *Concilium* [r] provinciæ Turonensis *Andegavi*, Ioanne Bernardi Archiepiscopo præside, & Ioanne de Bellavalle Ecclesiam Andegavensem regente. Conditi sunt Canones decem & septem ad disciplinam stabiliendam, & abusus tollendos. Quorum primo injunctum est omnibus sacerdotibus, ut singulis diebus non solemnibus dicerent Officium mortuorum ad minus cum tribus lectionibus. Duodecimo prohibita sunt matrimonia clandestina sub pœnâ excommunicationis. Decimotertio sub eâdem pœnâ, & aliâ arbitrariâ, prohibentur item insultationes, clamores, soni, & alij tumultus fieri soliti in secundis vel tertiis quorundam nuptiis, quos Charivarium vulgò appellabant, propter multa & gravia inconvenientia (ut loquuntur) gravésque casus qui inde sequebantur.

CONCIL. ANDEGAVENSE PRO DISCIPLINA.

[r] Possevin. Appar. to. 2. ex Feuard.

X.

Mortuo ad principium hujus anni, nempè die Epiphaniæ *Christophoro* Danorum, Suecorum & Norvegiorum Rege; iidem Sueci cæterorum regnorum unionis, uti sibi valdè damnosæ & incommodæ, tædio affecti, proprium sibi Regem adsciverunt *Carolum Canuti*, ex antiquis Gothorum Regibus originem ducentem, quem jam anteà regni gubernacula tenuisse vidimus; virum valdè Ioanni [s] Magno laudatum, non solùm de justitiâ, æquitate, ac rerum gerendarum prudentiâ, verùm etiam de philosophicarum disciplinarum, ac præsertim

DIVIDŨTUR REGNA AQUILONARIA.

[s] Io Magn. Hist. Sueon. lib. 22. & 23.

[t] Krantz. 5. Suec. 39. & 8. Dan. 26.

mathematicæ scientiâ. De quo Krantzius [t] agens, ait fuisse opulentissimum, & in bonis regni notissimum militem; sed ex infimo nobilitatis gradu. Dani verò & Norvegij Regem acceperunt *Christianum* (quem ipsi more suo Christiernum appellavêre) de Aldenburg & Delmenshort Comitem; cum avunculus ejus Adolphus Dux Slewicensis oblata regna pertinaciter recusâsset. Fuit mox inter duos Reges bellum de possessione Gotlandiæ insulæ, quam adhuc tenebat Ericus antiquus ille trium regnorum Rex, quem illis privatum vidimus: factúmque demùm est ut secedente Erico in Pomeraniam patrium solum anno proximo, Gotlandia Danis cesserit, quod uti gestum sit iidem auctores describunt. Subdit verò Ioannes, Carolum post amissam Gotlandiam adeptum esse regnum Norvegiæ: sed nihil de eo Krantzius. Consentiunt verò in eo, quòd Carolus post octo circiter regni annos regno excedere compulsus sit, & Christiernus in ejus locum receptus: de quo dicetur suo loco. Habet verò de his Æneas [u] utroque prædicto auctore antiquior, résque sui temporis describens: post Christophori Regis obitum, Daniæ (quam Daciam vocat) ac Norvegiæ coronam Christiernum accepisse: Suecos verò in electione Regis discordantes, alios Carolum equestri dignitate insignem, alios Canutum ejus fratrem natu minorem regno præfecisse: bello inter fratres orto, post multam occisionem eâ lege inducias pactas ut potestas eligendi Regem, exclusâ nobilitate, plebi fieret: electo Carolo, Canutum ad privatam vitam redactum esse. Ita ille, quæ cæteri tacent: nisi hallucinatum quis velit Æneam ex eo quòd Rex ille Carolus, Canutus diceretur, unúmque in duos secuerit: vel cæteros, duos fratres in unum conflantes.

[u] Æn. de Europ. c. 33.

XI.

[x] Samm. Hist. Franc. lib. 11. c. 4. in addit.

ORDO MILITARIS CRESCENTIS LUNÆ.

Hoc item anno [x] Renatus Rex Siciliæ Dux Andegavensis Ordinem militarem instituit ibidem Andegavis in Ecclesiâ S. Mauritij, quem *Crescentis Lunæ* vocavit: quem nonnulli in annum 1464. referunt, quo ejus statuta condita sunt. Debuêre esse milites numero quinquaginta; & sub brachio dextro Lunam crescentem deferre, cum hoc lemmate *Los en croissant*; hoc est Laus, sive præconium, crescendo: quo milites excitaret ad fortitudinis & commendationis augmentum. Cujus Ordinis patronum esse voluit S. Mauritium militem & martyrem, nolens seipsum caput ejus constituere præ modestiâ. De quo plura alij [y].

[y] Menen. de Ordin. Milit. Favin. Theatr. Ord. equestr. lib. 3.

XII.

CHRONICON PALMERII.

[z] Trith. de Script. Eccl.

In hunc usque annum produxit Chronicum suum *Matthæus Palmerius* Florentinus; quod per mille annos post S. Prosperum continuavit. Scripsisse inter alia plenum erroris de Angelis librum, Trithemius [z] asserit; cúmque illum pertinaciter defenderet, tanquàm hæreticum condemnatum, apud Cornam civitatem exustum esse. Quod tamen magis de ejus libri quàm ipsiusmet combustione; unà cum Iovio accipimus: cùm alioqui nec de libro cremato, nec de Palmerij hæresi ullam apud alium quemquam memoriam repererimus; sed contrà multi [a] ejus cum honore & laude meminerint. Ejus verò Chronicum *Matthias Palmerius* Pisanus continuavit usque ad annum 1481. Factúmque est similitudine nominum, ut ab aliquibus pro uno eodémque uterque citatus reperiatur.

[a] Volater. lib. 21. Bergom. sub an. 1435. Bellar. de Script. Eccles. &c.

XIII.

NICOL. CUSANUS FIT CARDINALIS.

Longè insignior doctrinâ, pietate, vitæ integritate, linguarum peritiâ, omnísque ferè facultatum & scientiarum generis eruditione præstans *Nicolaus Cusanus*, è villâ Cusâ ad Mosellæ ripas in diœcesi Treverensi ortus: qui ex Canonico Regulari & Archidiacono Leodiensi hoc eodem anno decimo-tertio Calendas Ianuarij creatus est unà cum aliis quinque à Nicolao Papâ S.R.E. Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula, tituli S. Eudoxiæ. Cùm esset junior adhærens unà cum Iuliano Cardinale Cæsarino, aliísque magni nominis viris, Concilio Basileensi, cujus tunc magna erat fama; ejusdem etiam auctoritatem supra Pontificem extulit: ubi verò vidit schisma excitari, imitatus eumdem Iulianum Eugenio adhæsit, & gravissimis epistolis cœpit Basileenses detestari, & pro extinctione schismatis plurimùm laborare; multis eâ de re functus pro Eugenio in Germaniâ & Galliâ legationibus, quarum nonnullas attigimus superiùs. De aliis quas Cardinalis gessit, agunt item auctores. Ipsóque mox suæ promotionis initio missum esse in Germaniam ad reformandas Ecclesias, monachorúmque ac monialium instituta, ex Trithemio [b], Meyero, & aliis constat. Extántque duo grandes tomi ejus Operum: ex quibus quantus eo sæculo fuerit colligere liceat.

[b] Trith. de Script. Eccl. Meyer. lib. 16. hoc an.

XIV.

[c] Sur. 4. Dec. post Vit. S. Barb.

MIRUM EXEMPLŪ PROTECTIONIS S. BARBARÆ.

Rem ingentem pro corollario hujus anni addimus, quæ apud Surium [c] legitur ex relatione Theodorici Pauli Gorcomensis presbyteri qui interfuit. Scilicèt Henricum quemdam Kock Trajectensem lanium virum pium apud Gorcum existentem fermè septuagenarium, cùm in domûs conflagratione nocturnâ nudus flammis correptus fuisset, tametsi illis graviter torqueretur, majori tamen dolore affectum quòd sacramentis Ecclesiasticis non esset præmunitus, ad B. Barbaram quâ potuit devotione preces emisisse, ut fieret sibi ejus intercessione quod olim ipsi pro Christo morienti cælitùs fuisset promissum (nimirùm ut quicumque piè ac devotè ejus implorarent opem, à morte subitaneâ liberarentur; & Sacramenta Ecclesiæ participarent; ut in ejus Vitâ narratur:) vixque oratione finitâ adstantem Sanctam pallio flammarum globos restinguentem, miserum adduxisse in locum tutum, monitum ad auroram usque sibi divinitùs vitam prorogari, ad confessionem & viaticum, cùm alioqui lacerum ac deforme corpus ab imo pedum usque ad capitis verticem adustum, nec minùs intra quàm extra corpus torridum esset, ut assati cadaveris speciem magis quàm hominis præseferret, & pendentibus à capite, aliísque universis membris; undique frustis ac segmentis, hiantibúsque vulneribus etiam exta nudarentur cremata, vix ossibus modicâ adhærente carne nigrâ, & ferri instar rigidâ; denique præter oculos, linguam, & cor, nihil reliqui existente non solùm integri, sed nec alicujus formæ; his solis Sanctæ interventu à Deo sanis ad effectum supradictum servatis, nullóque in reliquis, utpotè præmortuis doloris sensu: Ivisse nihilominùs tale monstrum magis quàm hominem per seipsum in domum filiæ inde longè distantem; rem cunctis ad miraculum concurrentibus annunciasse, laudes divinas ac Beatissimæ Virginis matris, Sanctæque Barbaræ magnificâsse, peccata eidem ipsi Theodorico sacerdoti confessum esse, atque ab eodem

cætera Sacramenta suscepisse, ac piè in Domino obdormîsse ad auroram, ad quam inducias à S. Barbarâ acceperat. Cujus quidem Sanctæ non rarò similia protectionis exempla apud auctores reperire est: sicuti nec desunt ex ejus contemptu horrendi secuti exitus: qualem & Nider [d] exhibet ejusdem temporis scriptor.

[d] Nid. lib. 2. Formic. & ap. Bzov. hoc an.

Iesu Christi Annus 1449.
Nicolai V. An. 3.
Friderici III. An. 10.
Constantini XV. Ann. 5.

I. Annus Christi millesimus quadringentesimus quadragesimus nonus Indictionis duodecimæ, felicissimus Ecclesiæ extitit Felicis Sabaudi feliciori abdicatione, quàm infelici susceptione Pontificatus umbratilis; quem cùm per injuriam invitus accepisset, ex æquo volens dimisit. Fecisse id eum instantibus hortationibus Friderici Cæsaris, cæterorúmque Regum ac Principum, & jam superiori anno diximus, & multi auctores post Platinam insinuant: quamvis non solùm Franci, verùm etiam plerique alij, id laudis Carolo Francorum Regi potissimùm tribuant: ipséque Æneas Pius II. seu ejus notarius Gobellinus [a], ejusdem solius Regis interventui præclaram hanc operam adscribat: (quem videlicèt plus cæteris omnibus in id laboris, impendij, & sollicitudinis insumpsisse in confesso sit; ut decebat Regem Christianissimum, Ecclesiæ Catholicæ Filium primogenitum, ac Defensorem:) quam Nicolaus ipse Pontifex in constitutione de concordiâ assignat tractatibus oratorum ejusdem Regis, nec non Angli atque Renati Siculi, & Delphini Viennensis: de quorum legatione dictum est superiori anno.

Præstans opera Regis Franc. in abdicatione Felicis.

[a] Comment. Pij II. lib. 7.

II. Statutâ igitur abdicatione, Patres Basileenses Lausannam, ut vidimus, translati, Synagogam cum honore sepelire quærentes, decreto facto septimo Calendas Maij (quod recitat Wanderburchius [b], & auctor Amedei Pacifici) auctoritatem ei impertire, conditionésque apponere voluerunt: eas scilicèt quæ priùs cum ipso Felice constabilitæ fuerant. Cùm videlicèt pro sacrosanctâ Lausannensi Synodo in Spiritu Sancto legitimè congregatâ (ut fert titulus) se gerentes, ac Felicem pridem, ut loquuntur, Papam Quintum, magnis meritísque laudibus extollentes, quòd cùm olim ad Ecclesiæ persecutione vexatæ subsidium evocatus, profusâ liberalitate, summâ industriâ, exactâ diligentiâ, opitulatus ei esset; tandem tranquillam populo Christiano per suæ humilitatis excellum medium concordiam reddidisset pariter & pacem: eumdem propterea Zelatorem Concordiæ, Pacísque auctorem nominandum censentes, promeritísque honoribus personam ejus prosequi cupientes: Sabinensem Episcopum S. R. E. Cardinalem, Sedis Apostolicæ in terris & jurisdictionibus Ducis Sabaudiæ, aliísque circumvicinis eodem decreto designatis, Legatum Vicariúmque perpetuum declarârunt: eidémque in sanctâ Dei Ecclesiâ primum post Romanum Pontificem locum pro tempore constituerunt: ita ut ipsi ad suam præsentiam accedenti Pontifex assurgere teneretur, oris dumtaxat osculum exhibendo: Indulgentes præterea, ut habitum & insignia Papalia (demptis delatione Corporis Christi, annulo Piscatoris, Cruce in pedibus, ac Vmbraculo) deferre posset, atque insignibus & potestate Legati, quoties extra terminos suæ legationis egrederetur: denique ut in Curiâ Romanâ; vel Generali Concilio, personaliter comparere minimè teneretur. Ita illi: quæ quamquam ab invitis extorta, ipsi nihilominùs decrevisse videri voluêre: eadémque pòst Nicolaus, ut mox dicetur, constitutionibus suis confirmavit.

[b] Vvanderd in Hist. Sabaud.

Conditiones abdicationis Felicis.

III. Vbi verò hæc concordia audita est (inquit Platina [c]) adeò lætatus est non modò Clerus omnis, verùm etiam Populus Romanus, ut in sequenti nocte ejus diei cum faculis per Vrbem in equis incederent clamantes, *Vivat Nicolaus*. Pontifex autem, ne ingratus erga Deum tanti beneficij videretur, supplicationes admodùm celebres cum populo & clero in Vaticano habuit. Idem fecêre & reliqui Italiæ populi, tam perniciosâ seditione liberatam Ecclesiam Dei cernentes. Denique decantatus tunc ubique versiculus ille fuit, quem multi referunt:

Fulsit lux mundo, cessit Felix Nicolao.

Súntque nonnulli [d] qui admirandum non immeritò moneant, quòd vir humillimæ originis Nicolaus sic prævaluerit contra Ducem Sabaudiæ; qui vel consanguinitate vel affinitate cunctis fermè Christianis Principibus conjunctus esset, à quibus nihilominùs omnibus desertus fuerit. At mirari desinent, qui consideraverint non hæc carnis & sanguinis esse; sed Dei opus curantis sua, & infirma [e] atque abjecta mundi eligentis ut fortia quæque & illicitè elata conterat ac confundat. Omnis enim plantatio quam Pater cælestis non plantaverit, eradicabitur, inquit Dominus [f]. Denique quò potentior apud homines Felix videri poterat, eò gratior Deo quæsivit esse, perpetuo & eximio veræ humilitatis exemplo. Quod & Deus adeò acceptum habuit, ut ejus solo fortè merito concesserit, númquam hactenùs ab eo tempore ullum succrescere in Ecclesiâ Romanâ Christi sponsâ Schisma, quibus anteà frequentissimè concutiebatur.

[c] Plat. in Nicol. V.

Quantû ubique inde gaudiû.

[d] Vverner. in Fascic. temp. & alij.

[e] 1. Cor. 1.

[f] Matt. 15.

IV. Cæterùm ne intra verba tantummodò hæreret Nicolai Pontificis facta ei gratia; idem tribus constitutionibus, sive bullis, unâ eâdémque die, nempè decima-quartâ Calendas Iulij, suam voluntatem universo orbi testatam esse voluit. Quarum primâ [g] cæteris prolixiori considerans, ex ineffabili Dei providentiâ, interpositione tractatuque oratorum Regum Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ, atque Delphini Viennensis, pacem Ecclesiæ redditam, ex eo quòd Amedeus primus Cardinalis, Episcopus Sabinensis, in nonnullis provinciis Apostolicæ Sedis Legatus, Vicariúsque perpetuus, Felix Papa V. tunc in suâ obedientiâ nuncupatus, juri quod in Papatu asserebat se habere ad ejusmodi Ecclesiæ pacem obtinendam cessisset; atque illi qui Basileæ, post modùm Lausannæ, sub nomine generalis Concilij eatenùs congregati permanserant, ordinâssent & publicâssent, ipsi Nicolao tanquam unico &

Nicolai PP. constitutiones super receptione Felicis.

[g] Ext. in Tom. Concil. post. ult. sess. Conc. Basil. edit. Bin.

indubitato Summo Pontifici obediendum esse à cunctis fidelibus, ac præfatum Lausanensem dissolvissent Congregationem, desiderántque toto affectu ea perficere, quibus Christi fideles extinctis dissensionum seminariis communi fruerentur concordiâ, cunctas promotiones, electiones, confirmationes, provisiones, & alias quascumque & qualescumque dispositiones quarumcumque Ecclesiarum ac beneficiorum, &c. consecrationes, benedictiones, absolutiones, dispensationes, bonorum ac jurium & subventionum Sedis Apostolicæ administrationes, &c. omnia & singula tam justitiam quàm gratiam concernentia sive in foro contentioso aut conscientiæ, &c. in personis & locis quæ tempore concessionis obediebant Felici, aut congregatis Basileæ & Lausanæ: itémque omnia & singula per Ordinarios in dictis locis eorumdem auctoritate facta: pro bono pacis & unionis Ecclesiæ, de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac de consilio & assensu S.R.E. Cardinalium, approbavit, confirmavit, ratáque & firma haberi voluit; additis prolixis rerum singularium expressionibus, & confirmationis suæ cautionibus. Secundâ [h] verò constitutione omnes personas cujuscumque dignitatis, ordinis, & conditionis; quæ ratione adhæsionis Felici seu Concilio præstitæ, beneficiis, jurisdictionibus, &c. per literas Eugenij privatæ fuissent, restituit in integrum. Tertiâ [i] denique, quæcumque fuissent contra eosdem Felicem ac Congregatos, vel eis adhærentes, odiose dicta vel scripta, nulla & irrita declaravit, perindéque haberi ac si nullatenùs emanâssent; eáque omnia in Regestis Eugenij & aliis locis quibuscumque aboleri & deleri voluit.

[h] *Ext. ap. Amed. Pacif.*

[i] *Ibid.*

V. CARDINALES FELICIS RECEPTI A NICOLAO.

Speciatim verò aliquos ex Cardinalibus ab eodem Felice creatis, unà cum ipso, & Ludovico Alemano Arelatensi dicto, quem ab Eugenio depositum restituit, in numerum cæterorum assumpsit: videlicèt Ioannem Arsium de Artus Archiepiscopum Tarentasiensem, Ludovicum de Werambone Episcopum Maurianensem, & Guillelmum Hugonis de Stagno Archidiaconum Metensem, omnes Gallos. Cæteri ab eodem Felice creati, aut jam mortui erant, aut dignitatem abdicârant. Inter quos Ioannes Segobiensis Hispanus, de quo non semel superiùs, vir (ut Æneas [k] ait) moribus & doctrinâ illustris, Cardinalatûs dimisso titulo Cæsariensi Ecclesiæ præfectus, in altissimis reconditus montibus parvo monasterio contentus vixit. Cujus sunt duo illi libri de Actis Concilij Basileensis, ex quibus Acta sua Patritium excerpsisse, ejus initio diximus: quémque ad extremum vitæ in Schismatis pertinaciâ permansisse, idem Patritius scripsit; cùm nihilominùs Æneas asserere videatur eum unioni consensisse. Qui & vocatis ex Hispaniâ legis Arabicæ magistris, librum Alcoranum in linguam Latinam de novo convertit, & ineptias ejus veris ac vivis rationibus & argumentis explosit. Amedeus autem post suam abdicationem, pristini secessûs amore Ripalliam regressus, ibi divinis meditationibus piísque operibus totus intentus reliquum vitæ transegit: de cujus sancto obitu dicitur altero post hunc anno.

[k] *Æn. in Europ. c. 43.*

DE IOANNE SEGOBIENSI.

VI. IUBILEUS PUBLICATUR IN ANNUM SEQ.

Nicolaus autem Pontifex totam Italiam, occasione præcipuè urbis Mediolanensis, concitatam conspiciens, auctoritatem suam sæpiùs interposuit quò pax componeretur, ac sequenti anno liberè omnibus Romam ad celebrationem Iubilei venire liceret: quem, habitâ ratione Constitutionis Clementis VI. de anno quinquagesimo, in annum sequentem indixit, promulgato eâ de re edicto [l] decimoquarto Calendas Februarij præsentis anni: quo omnibus Christi Fidelibus, qui verè pœnitentes & confessi (ut habent ejus verba) in anno Nativitatis Domini nostri Iesu Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo proximo secuturo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli basilicas, & Lateranensem ac B. Mariæ Majoris Ecclesias visitarent, omnium peccatorum suorum plenissimam indulgentiam consequi concessit: Hortans omnes, præparare corda sua Domino, & mores in melius commutare, à malefactis abstinere, satisfacere Domino per pœnitentiæ dolorem, & ut Sanctorum templa visitantes, eosdem intercessores habere mererentur.

[l] *Reg. Vatic. & Victorel. de Iubil. par. 2.*

VII. SFORTIA POTITUR DUCATU MEDIOLANENSI.

Haud tamen potuit dissidium illud Mediolanense, quod jam inter Venetos Sfortiámque potissimùm vertebatur (reliqui enim contendentes aut minorum virium, aut longinquiorum erant auxiliorum: Fridericus Cæsar nonnisi verbis ac suasionibus rem agebat, ipsi verò Mediolanenses servandæ per se libertatis impotentes erant; & ut in his fieri mos erat civitatum Italicarum, illam tueri quærentes, mutuis dissensionibus, ac diversis regiminis mutationibus, crudelitatibúsque faciliorem servituti viam sternebant:) aliter sopiri, quàm traditione civitatis ipsi Francisco Sfortiæ: qui ex defensore Mediolanensium in hostem conversus, & ex amico Venetorum iisdem inimicus factus, post multa cum utriusque certamina, cinctam demùm arctissimâ obsidione civitatem eò necessitatis ac famis compulit, ut occiso à plebe per tumultum legato Venetorum, qui ex fœdere cum civitate icto auxilia & commeatum pollicentes rem in dies trahendo camdem sibi subigere studebant; coacta fuerit eidem Sfortiæ sese dedere, uni ex omnibus opportuniori existimato ad ipsam à miseriis quibus intùs opprimebatur, liberandam, & ab externis hostibus atque invasoribus contuendam. Qui sic ab iis in urbem primò receptus die vigesimo sexto Februarij anni proximi, subinde in festo Annunciationis Beatissimæ Virginis vigesimo-quinto Martij vestem principalem suscipiens, quartus Dux Mediolanensis creatus est: vir arte militari eximius, & clementiâ, prudentiâ, multísque aliis virtutibus insignis: receptis etiam brevi tempore reliquis urbibus ac locis ad Ducatum spectantibus. Quæ omnia uti sese habuerint, plurimi narrant historici [m], omniúmque copiosissimè Corius [n], in laudes item Sfortiæ profusissimus: qui etiam observat, fuisse eum post hæc ab omnibus Principibus ac nationibus Ducem Mediolani nominatum; præterquàm à Friderico Cæsare, quòd principatum per mortem Philippi ad Imperium recidisse assereret; & Carolo Rege Francorum, quòd eumdem ad Ducem Aurelianensem patruelem suum spectare contenderet: de quorum juribus dictum est in ejusdem Philippi obitu.

[m] *Anton. tit. 22. c. 2. §. 2. Æn. in Europ. cap. 49. & Comment. lib. 1. Philelph. Epist. lib. 7. Simonet. lib. 21. &c.*

[n] *Cor. Hist. Mediol. par. 5.*

VIII. HISPANIA TURBATA SEDITIONIBUS.

Erat pariter turbata à pluribus annis Hispania, occasione potentiæ Alvari Lunæ, facilitate Regis abutentis ad eam sustentandam cum expulsione cæterorum omnium magnatum: adeò ut non solùm Principes Aragonij, impatientiâ ereptæ sibi malè usurpatæ dominationis, arma contra Regem imperandi libidine iniquè sumpserint; verùm etiam heres ipse regni Princeps Henricus Ioannis Regis filius à malè satis in partes tractus, magnum dissidiis pondus segregatus à patre intulerit. Sed hæc civilia bellicaque eorum historici pluribus. Quod res Ecclesiasticas spectat; cùm hoc anno ob modicam trium millium aureorum summam Toleto amplæ opulentæque civitati in bellum Aragonicum imperatam, cives ab eo initio urbis immunitatem violari querentes, gravissimam seditionem movissent (quæ ad fœdam processit quamplurimorum cædem, direptionem bonorum, supplicia repugnantium; denique Regismet ipsius ad incendium accurrentis mortis periculum, cùm aditu urbis prohibitus, etiam tormentorum diplosione retrò cedere coactus est; nefandâque audaciâ renunciata ei omnium urbium nomine, nisi Alvarus amoveretur, ac civitatibus sua immunitas staret, mutatio imperij, per filij ejus in ipsius locum substitutionem: quæ tamen posteà per eumdem ipsum Henricum principem, præcipuorum tumultûs concitatorum supplicio, sopita sunt:) intérque alia plebiscitum fecissent, quo Iudæorum ex gente prognati honoribus, muneribúsque publicis arcebantur; ac nominatim expressum erat, ne tabelliones essent, néve actores causarum, juxta Alfonsi Sapientis legem; quâ datum Toletanis affirmabant, ne in eâ urbe aut agro cuiquam ex eâ gente aut munus publicum, aut sacerdotium esset: Decanus Toletanus fretus opibus atque eruditione, urbe egressus, id edictum temeritatis atque impietatis de scripto accusavit: septémque theses disputandas obtulit; longiori disputatione, præter cætera, nobilissimas Hispaniæ familias cum eâdem natione sanguinem miscuisse, designatis etiam singularum nominibus, notans. Neque eo subsistens, etiam Nicolao Pontifici auctor extit condendi diplomatis, quo Toletani edicti capita omnia reprobavit, dato illo Fabriani Camerinæ diœcesis octavo Calendas Octobris anno Pontificatûs tertio, Christique 1449. nempè eodem ipso præsenti quo turbæ Toletanæ excitatæ fuêre. Recitat illud verbatim Mariana [o] solertissimus rerum Hispanicarum scriptor; depromptum (ut ait) ex schedis amici, cùm hæc ferè ab annalium auctoribus prætermissa fuerint, ad invidiam declinandam: quamvis etiam post biennium (ut subdit) aliud de eodem argumento priori consonum idem Pontifex tertio Calendas Decembris promulgaverit. Quibus quidem Pontifex ex divinâ Scripturâ docens non esse apud Deum distinctionem gentium, aut personarum acceptionem; reprehensis illis qui auderent asserere eos qui ex Gentilitate aut Iudaismo, aut ex alio quovis errore, Christianæ fidei veritatem agnoscerent, & baptizati essent, eorúmque filios, propter novam assumptionem fidei non debere ad honores, dignitates, officia, tabellionatus, vel ad testimonium in Christianorum causis perhibendum admitti: confirmavit decreta a nonnullis Hispaniæ Regibus contra pravas hujusmodi asserttiones sancita; sub excommunicationis pœnâ statuens, omnes & singulos ad Christianam fidem conversos, aut in futurum convertendos, seu ex Gentilitate vel Iudaismo, aut ex quâvis sectâ venerint, aut venire contigerit, ac eorum posteros, tam Ecclesiasticos quàm sæculares, Catholicè & secundùm quod Christianos decet viventes, ad omnes dignitates, honores, officia, tabellionatus, testium depositiones, & ad omnia alia ad quæ alij Christiani quantumcumque antiqui admitti solent, admittendos esse: nec propter fidei novam receptionem, inter eos & alios Christianos discretionem fieri debere: Siqui verò ex iis post baptisma reperirentur Christianorum fidem non sapere, aut priores errores sectari; eos ad honores minimè admittendos esse.

TOLETANORUM REBELLIO.

[o] *Mar. lib. 22. cap. 8.*

IUDÆOS CONVERSOS IISDEM IURIBUS GAUDERE DEBERE QUIBUS ANTIQUI CHRISTIANI.

IX.

Tractans prætereà Mariana de conspirationibus procerum, & belli agitatione, docet retardatam rem esse cùm aliis de causis, tum quòd Ioannes Rex Navarræ Aragonij frater, quem Hispanicarum turbarum principem superiùs vidimus, rebus etiam Gallicis districtus esset. Quippe audito quòd Maulisonium munita in Aquitaniâ arx, quæ ejus præsidio tenebatur magistro equitum præfecto, Angli Regis beneficium, à Gastone Fuxensi Comite Regis Francorum nomine validis copiis, vallo & fossâ circundata, castris maximis septa, aggere, vineis, turribus oppugnaretur; delectu habito ad periculum accurrit. Verùm colloquio cum eodem Gastone, cujus socer erat, (duxerat enim Gasto filiam ejus Eleonoram) habito, cùm ut obsidionem solveret nec verbis persuadere potuisset, nec armis cogere valeret; re infectâ in Hispaniam revertit, obsessis mox deditionem facientibus. Quod ne ut nullius ad nostram historiam momenti à nobis adductum lector existimet; duplici id de causâ factum sciat velim: videlicèt quòd sit oppidum istud Maulisonium, natale solum patriaque mea charissima, & quòd ejus obsidio facta sit in consequentiam belli hoc ipso anno inter Francos & Anglos renovati, quo Angli totâ Galliâ pulsi fuêre.

OBSIDIO ARCIS MAULISONII.

X. MAULEO PATRIA AUCTORIS.

Cùm enim plerique Gallici Hispanicique scriptores hujus obsidionis ut memorabilis meminerint, non potuimus nec nos eam intactam præterire; vel uno eo nomine quòd liberata tunc patria fuerit à diuturno Anglorum jugo, & occupatione Aragonij, qui ius déque omnia miscens tam regnum Castellæ injustè, quàm Gallicum specie auxilij Anglici in rem suam iniquè inquietare non desinebat. Est autem oppidum, Maulisonium Marianæ dictum, Maulisso Gaguino, aliis Maloleo, vulgò *Mauleo*, nobis *Moleosolense*, ad discrimen nonnullorum aliorum ejusdem Mauleonis nominis Galliæ locorum; quòd situm sit in medio regiunculæ vulgò dictæ *Solæ*, antiquitùs Seulæ, & Sobolæ: seu Subolæ: quæ in extremitate Aquitaniæ ad radices montis Pyrenæi, Aragoniæ & Navarræ contermina est: sub diœcesi *Olorensi*, sive Oloronensi: ut alij vocant, quæ Antonino in Itinerario, *Iluro*, & in Civitatum Gallicarum Indiculo *Elloronum*.

Alluitúrque Mauleo Sasone amne, truttarum saporis optimi fœcundissimo: ad quem cùm domus SPONDANÆ familiæ haud in patriâ postremæ sita esset, inde & insignia contraxit duarum truttarum. De prædictâ porrò obsidione habet Gaguinus [p], ex antiquiore Monstreleto [q], Gastonem Fuxi Comitem, (ultimùm ejus nominis) cùm à Rege Carolo Vasconiæ regionis ad Pyrenæum usque administrationem recepisset, Maulissonem tribus equitum & decem peditum millibus obsedisse. Ejus exercitûs repentino conspectu permotos oppidanos, nuncios de deditione misisse: Anglos, ubi id cognoverunt, in arcem quæ in editâ rupe est, profugisse. Cùm verò Comes oppido recepto arcem quoque penuriâ frumenti & commeatûs laborantem, quæ alioqui inexpugnabilis videbatur, circumvallâsset; Regem Navarræ obsistendi animo sex varij generis hominum millibus contractis, cùm Comitis generi sui militum ordinem robúrque explorâsset, ad ejus colloquium admissum, mirari se dixisse quòd neglectâ veteri amicitiâ, non solùm Maulissonem, quam tuendam ipsi Anglus commiserat, vindicâsset; verùm etiam arcem capere conaretur, qui ipsius Regis Conestabilis ejusdem & Anglorum nomine præsideret: Ad hæc respondisse Comitem, se quidem ex vinculo affinitatis ipsi & benevolum & obsequentem esse debere: verùm cùm Regi Carolo subjectione & fide esset imprimis obnoxius, tum ob id maximè quòd Vasconiam suæ tutelæ supposuisset, Maulissonem cepisse, neque abcessurum donec aut alter fortior extruderet, aut arcem ad Caroli ditionem redire compulisset: Comitis voluntate cognitâ, Navarrum copias ad se reduxisse; obsessos impetratâ discedendi securitate, arcem dedisse. Egregium exemplum Principis, amicitiæ & affinitati fidem præferentis: quæ semper in ejus illustrissimæ familiæ viris cum fortitudine & magnanimitate conjuncta apparuit.

[p] Gaguin. Hist. Franc. lib. 10.
[q] Monstrel. vol. 3. c. 19.

EGREGIŪ COMITIS FUXI FIDEI ERGA SUUM REGEM EXEMPLUM.

XI. RENOVATIO BELLI INTER FRANCOS ET ANGLOS.

Facta autem hæc fuêre, ut diximus, post renovationem belli inter Francos & Anglos; quæ unius hominis temeritate contigit: Francisci videlicèt Surieni cognomento Aragoniensis; sed natione Normanni, equestris Ordinis periscelidis Angliæ militis, ducísque strenui partium Anglicarum: qui in vigiliâ Annunciationis B. Virginis, die vigesimâ quartâ Martij, dum induciæ adhuc procederent urbem opulentam Feugeras, quæ Ducis Britanniæ erat in finibus Normanniæ, repentinâ irruptione cepit ac populatus est. Eâ de re Dux Britanniæ Franciscus ejus nominis Primus apud Carolum Regem supremum suum dominum questus, fecit ut miserit Rex ad Regem Angliæ, ac Ducem Somersetum sive Sombressetum ejus in Normanniâ Vicarium, qui & oppidum reddi peterent, & de damnis satisfieri. Responso dato id injussu ipsorum factum, cùm tamen restitutio non fieret, ab assectatoribus Ducis Britanniæ Pons-arcæ, aliaque nonnulla oppida ab Anglis detenta intercepta fuêre. Quâ de re expostulantibus Anglis apud Regem Carolum, cùm hic offerret facturum se ut omnia restituerentur, dum priùs ipsi Feugeras cum damnis redderent; pernegantibus id eis, & in antiquo suo tumore perstantibus; ruptæ apertè sunt induciæ, plurimæque passim urbes & arces à Francis qui quà vi, quà arte, quà deditione receptæ, populis avidissimè ad eos certatim transeuntibus: ipsaque demùm Normanniæ metropolis Rotomagus, Archiepiscopo auctore dedentibus se civibus, ac Sombresseto cum suis certis conditionibus abire permisso, retentóque in obsidium conditionum Talboto fortissimo totius Anglicanæ militiæ duce; ad principium Novembris ejusdem præsentis anni in potestatem Regis venit, qui eam die decimâ ingressus est, solemnissimâ pompâ, quam descripsêre Monstreletus [r] & Charterius [s]. Apud quos pariter initium progressúmque totius hujus novi belli diligentiùs expressum videre est; Æmilio, Gaguino, Bellefostio, cæterísque ejusdem tractatoribus præeuntes: quæ pariter Polydorus [t] habet. Ea verò ab irâ divinâ Anglis contigisse, Meyerus [u] observans, ait omnia infeliciter cessisse Anglis, postquam virginem Ioannam [x] divinitùs missam tam fœdo supplicio necâssent. Ipsumque Regem, in tanti divini muneris acceptæque gratiæ memoriam, cœnobium Cælestinorum ad honorem Deiparæ Virginis, cui apprimè devotus erat, construxisse Rotomagi, atque dotâsse, legitur in ipsorum Chronico.

CAROLUS REX POTITUR NORMANNIA.

[r] Monstrel. vol. 3.
[s] Chart. in Vit. Car. VII.
[t] Polyd. lib. 23.
[u] Meyer. lib. 16.
[x] Supr. an. 1429. V. 1430. II.

XII. TURBÆ CIVILES ANGLOR.

Favêre etiam Francis turbæ Anglicæ, ne inde suppetiæ suis in Galliâ laborantibus mitti possent. Hoc namque eodem anno ad finem Quadragesimæ gravi excitatâ Londini à Majore urbis populi seditione, bellum in Francos percupientis, quod sibi semper suísque maximè commodum quæstuosúmque sensisset; Adam Episcopus Glocestrensis custos sigilli regij, vir probus & doctus, inhumanissimè occisus est, quòd olim inducias inter Reges conciliâsset. Eâdémque de causâ, quamvis aliorum criminum nomine, Comes sive Dux Suffolcius in carcerem conjectus; cùm liberatus à Rege suo Henrico, & nihilominùs regno abire jussus, Galliam securitatis causâ peteret; fortè in aliquos Sombresseti milites incurrens, ab iis, ob clades recens à Francis acceptas in desperationem actis, tanquam malorum omnium causa capite cæsus est: quod unà cum trunco ad Londinenses in Angliam miserunt: Londinenses verò minimè in cadaver sævire contenti, Regem prætereà coëgêre nonnullos etiam è suis intimis sibi odiosos tradere qui ab iisdem cæsi fuêre. Rem narrat idem Monstreletus [y]: cujus Polydorus [z] tenuiùs, & in dedecus Suffolcij meminit: cùm nihilominùs cæteri eum de Angliâ optimè meritum fuisse velint, iniquissiméque cæsum. Ne verò uno tantùm loco manus Domini Anglos tangeret, cùm etiam ausi essent Scotiam contra induciarum fœdera ingredi, binas à Scotis clades hoc eodem anno acceperunt; quas idem Monstreletus [a] refert; describúntque Scoti [b], sed vel anno præcedenti vel sequenti magis tribuentes.

[y] Monstrel. vol. 3. cap. 8. & adde Bellefor. lib. 5. c. 10. 9. ad fi.
[z] Polyb. lib. 23.
[a] Monstrel. cap. 13.
[b] Boëth. lib. 18. Buchan. lib. 11.

XIII. HORRENDŪ EXITIUM EPISCOPI AVARI

Narrant iidem horrendum paulò antè in Ioannem Cameronum Glascuensem Episcopum exertum divinitùs vindictæ exemplum. Impulerat is regni gubernatores ad innocentium quorumdam injustam necem; & in suæ diœcesis agricolas multa avaritiæ & crudeli-

ET CRUDELIS.

tatis exempla ediderat. Pridie natalem Christi de nocte cùm in castro suo quiesceret, vox è cœlo ad ejus aures insonuit, ad tribunal Christi ut causam diceret citans. Ex eâ repentinâ perturbatione somno excitus, famulos vocat, illatóque lumine assidere jussit. Libro in manum sumpto cùm legere occœpisset, eadem iterùm audita vox omnium animos stupore defixit. Deinde cùm longè vehementiùs atque horribiliùs insonuisset, Episcopus ingenti gemitu edito, linguâque in immensum fœdissimè exertâ, animum ad divini judicij subsellia emisit.

XIV. [c] Crom. lib. 22.

In Polonia [c] publicis sub novo Rege Casimiro comitiis Petricoviensibus, magna exorta est de prærogativâ loci & sententiæ dicendæ controversiâ, propter Sbigneum Episcopum Cracoviensem & S. R. E. Cardinalem: (qui olim, ut vidimus [d], tam ab Eugenio Pontifice quàm à Felice in Cardinalium numerum ascitus, etiam denuò à Nicolao insignia ejus honoris accepit: (dum illo in Senatum adveniente, Wladislaus Archiepiscopus Gnesnensis regni Primas, ne principem locum amitteret, discessit. Vrgentibus majoris Poloniæ proceribus pro Archiepiscopi prærogativâ, negavit Rex id sibi in manu esse; quandoquidem sic visum sit summo Pontifici, auctoritati illius stare oportere. (Cardinalem enim etiam presbyterum & diaconum majore esse dignatione quàm Episcopum, vel Archiepiscopum, atque etiam Patriarcham, ab Eugenio in re simili adversus Archiepiscopum Cantuariensem Angliæ primatem demonstratum superiùs [e] vidimus.) Ad extremum tamen, ne quo obstaculo controversia illa esset Reipublicæ, exoratus Sbigneus Petricoviâ discessit, Archiepiscopo quoque discedente: liberiúsque deinde habita sunt consilia. In quibus cùm peterent proceres à Rege solemne jusjurandum, quòd ritè & secundùm leges regnum administraturus esset, & Regum superiorum acta, constitutiones, & beneficia quævis publicè & privatim concessa, rata haberet; recusante illo, nequid Lituanis, quorum totus erat, detraheret; convenit inter proceres, ne pro justo Rege eum haberent, quoad is jusjurandum præstitisset. Tolerârunt tamen eum, ne discordiâ gliscente regnum pessum iret, quod & hostibus externis, & prædonibus domesticis affligebatur. Dilatúmque subinde illud est usque ad annum 1453. quo factâ à proceribus in eum confœderatione, jusjurandum quale petebatur dare compulsus est. Quod verò dissidium Ecclesiasticum attinet: cùm biennio pòst in eâdem urbe Petricoviâ rursùm Comitia regni haberentur, Sbignei negotio retractato, ipso absente (nam eum Rex ne veniret rogârat) sancitum est, ut is quidem (cujus erat summa apud omnes auctoritas & existimatio) principem locum in Senatu obtineret; deinceps verò, nequis eum, aut etiam legationis Apostolicæ perpetuum honorem, Rege ac Senatu inconsultis, peteret aut usurparet.

[d] Supr. an. 1439. L.

DISPUTATIO IN POLONIA DE PRÆROGATIVA CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPI.

[e] An. 1440. XXX. XXXI.

XV. BELLUM GERMANICUM.

Atrocius bellum ac sanguinolentius, quod interim in Germaniâ gerebatur inter Albertum Marchionem Brandeburgensem & Nurembergenses, ob jus quoddam ab eo prætentum, quod illi negare videbantur. Ponit illud præsenti anno Trithemius [f], atque annum & menses sex igne, ferro, prædâ, actum esse ait; Albertóque nonnullos Principes tam Ecclesiasticos quàm sæculares adstitisse, Nurembergensibus civitates & oppida Imperij. Krantzius [g], etiam nonnullos ex Bavariæ Principibus ex veteri contra Marchiones simultate Nurembergensibus auxilia tulisse, sæpiúsque conflixisse scribit: variam fuisse belli fortunam, alternantibus victis victoribúsque. Æneas [h], novem toto bello prælia commissa, ex quibus octo victor Albertus confecerit, in uno tantùm victus succubuerit. Quò sanè accepto, (ut Krantzius habet) nisi celeritate sibi succurrisset, consuluisétque, diù sensisset detrimenta accepta. Sed dum nemo hostilium partium hoc suspicaretur, dum omnes viribus exhaustis quieturum arbitrarentur; ille præter omnium opinionem armatum agmen produxit; repentinúsque superveniens adeò hostes terruit ut vinceret. Nec denique (pergit Æneas) de pace convenit, nisi postquàm exustis agris, attritis villis, abactis pecoribus, ruricolis interfectis, commeatus ac pecuniæ contendentibus defuêre. Hic *Albertus* ab ipsâ pueritiâ educatus in armis, pluribus interfuit præliis, quàm alij sui temporis duces aut viderint aut legerint. Militavit namque in Poloniâ, pugnavit in Silesiâ, castra posuit in Prussiâ, hostes in Boëmiâ fugavit: nullus in Germania terræ angulus, quem non calcârit armatus: duxit exercitus innumerabiles, prostravit ferocissimos hostes, expugnauit munitissimas urbes. In congressibus pugnam prior iniit, victor à prælio excessit ultimus, in oppugnationibus oppidorum sæpè murum primus ascendit. Ad singulare certamen crebriùs invitatus, numquam detrectavit, nec umquam non stravit hostem: in hastiludiis numquam equo dejectus est, omnes in se currentes dejecit: ex torneamentis numquam non victor exivit: septies ac decies solo tectus clypeo ac galeâ, cætera nudus (ut est apud Teutonicos duelli quædam species) in provocatores pariter armatos acutâ lanceâ cucurrit, nullo umquam damno affectus, cùm adversarios numquam ipse non equo deturbaverit. Quibus ex rebus (inquit Æneas) *Theutonicus Achilles* non injuriâ appellatus est. At sanè meâ sententiâ injuriosissimè, cùm si vera sint quæ de ipso retulit, & alij confirmant, hic longissimè rebus gestis Achilli antecelluerit, quem nec fabulæ ullâ fere ex parte tali heroï æquare possint; nisi fortè cum eo nullus umquam Hector colluctatus sit. Vidit eum adhuc Campanus anno 1471. in conventu Ratisponensi, de quo suo loco; describítque [i] virum alacrem, eloquentem vafrum, & quem non solùm Achillem, verùm etiam *Vulpem Germaniæ* vocarent: cicatricibus totum manibus, pedibus, vultu, collo, excavatum.

[f] Trith. in Chron. Sponheim.

[g] Krantz. 11. Metrop. 48.

[h] Æn. Europ. cap. 39.

ALBERT. MARCHIO BRANDEBURG. ACHILLES GERMANIÆ.

[i] Campan. epist. lib. 6.

IESU CHRISTI Annus 1450.
NICOLAI V. An. 4.
FRIDERICI III. An. 11.
CONSTATINI XV. Ann. 6.

I. IUBILEI CELEBRATIO ROMÆ.

ANNO Christi 1450. Indictione decimatertiâ, ipsis Cal. Ianuarij (seu potiùs de more, præcedente Natali Domini) celebrari cœpit Iubileus Romæ, anno superiori, ut vidimus, promulgatus; cum Indulgentiâ plenariâ visitantibus Ecclesias Vrbis Sanctorum Petri & Pauli, S. Ioannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris, diebus designatis olim à Clemente VI. in reductione Iubilei ad annum quinquagesimum; quam Nicolaus ratam habuit & confirmavit. Ad quam Indulgentiam consequendam ait Antoninus [a], qui vidit, convenisse ex omni natione quæ sub cœlo est fidelium plurimos, mares & feminas. Platina [b], tantam subitò multitudinem Romam venisse, quantam nunquam anteà: cavisséque diligentissimè Pontificem, ne commeatus & omnia ad victum necessaria in Vrbe deessent; ac curâsse execrationibus & satellitibus ne grassatores in peregrinos ad Vrbem accedentes sævirent. Ex multitudine verò illud funesti accidisse uterque idem auctor narrat, confirmatque Æneas [c] Silvius ejusdem & ipse temporis scriptor, aliíque pòst multi; ut cùm semel ab Ecclesiâ S. Petri in Vaticano visâ Salvatoris Imagine Veronicâ dictâ in urbem redirent, in ponte S. Angeli occurrentes aliis turbis innumeris quæ ad eamdem Ecclesiam itabant; occasione cujusdam mulæ factâ hominum compressione, cùm neque venientes neque redeuntes ob insequentem multitudinem cedere possent, ad ducentos & ampliùs homines (quadringentos Antonninus habet) aut conculcati, aut in Tyberim lapsi perierint: quorum corpora collecta & sepulta fuêre: eámque ob rem Nicolaus casulas quasdam, quæ viam angustiorem ad pontem faciebant, omninò sustulit. Plurimos item alios propter laborem longi itineris, & incommoda, atque etiam ob pestem per Italiam grassantem, defecisse, Antonninus & alij tradunt. Rursúmque Platina, Pontificem totum ferè annum illum in celebritatibus consumpsisse, stationes quotidie invisentem cum cœtu Cardinalium. Qui etiam ob immensam hominum multitudinem, sæpè habuit tempus quindecim dierum extraneis ad visitationem Ecclesiarum constitutum breviare.

[a] Ant. tit. 22. cap. 12. §. 3.
[b] Plat. in Nicol. V.
[c] Æn. Europ. cap. 58.

INGENS CONCURSUS POPULORŨ.

II. VIRI ILLUSTRES ROMAM PEREGRINATI.

Inter illustres autem viros, qui Romam Iubilei causâ peregrinati sunt, numerat Trithemius [d], Iacobum Archiepiscopum Treverensem & Conradum Episcopum Metensem: qui honorificè suscepti, impetravit etiam Archiepiscopus à Pontifice facultatem instituendi Treveris Gymmasium generale, in quo omnium facultatum præceptores haberentur. Petiit item Romam Guillelmus Comes Douglassius, potentissimus Scotorum dynasta: sed quòd non tam religionis studio, quàm potentiæ suæ & copiosissimi comitatûs ostentatione peregrinationem illam suscepisset; non alium etiam inde fructum tulit, quàm quòd in absentiâ apud Regem de multis criminibus accusatus, & quòd regnum sibi asciscere quæreret, festinè redire coactus; dum insolentiùs erga Regem se gereret, pœnas gladio luit, sive propriâ Regis manu confossus, ut nonnulli habent; sive, ut alij capite plexus. Vnde ingens civile bellum secutum est, quo penè Rex oppressus est; sed virtute ac prudentiâ Iacobi Kennedij Episcopi S. Andreæ & vicit obstinatos, & cæteros sibi conciliavit. Quæ ad aliquot annos producta, fusè tractant ejus gentis [e] historici.

[d] Trith. in Chron. Sponheim.
[e] Boëth. lib. 18. Lesla. lib. 8. Buchan. lib. 11.

III. COMITIS CILIÆ TURPISSIMA VITA.

Petiit item Romam Iubilei causâ (ut Æneas [f] refert) Princeps, seu Principis potiùs monstrum, Fridericus Comes Ciliæ in Stiriâ, Valeriâ olim dictâ: qui cùm esset in libidinem pronissimus, & occisâ propriâ manu uxore greges puellarum raperet, uxores passim maritis auferret, Ecclesiarum bona diriperet, perditissimos quosque ad se consciceret; Romam indulgentiarum causâ jam nonagenarius petens, adeò nihil profecit, ut cùm reversus nihilo melior appareret, interrogatus quid sibi Roma profuisset in pristinos mores relapso, *Et calceator meus*, inquit, *ad consuendas ocreas post Romam visam rediit.* Quem cùm aliquis ex amicissimis monuisset sciret se moriturum, ac de sepulchro cogitaret: *Istud*, inquit [g], *ago. Nam sepulcrali marmori hoc epigramma insculpendum statui: Hæc mihi porta est ad inferos. Quid illic reperiam nescio. Scio quæ reliqui: abundavi bonis omnibus, ex quibus nihil fero mecum, nec quod bibi atque edi, quódque inexhausta voluptas exhausit.* Sic qui ut Sardanapalus vixerat, voluit & mori.

[f] Æn. Europ. cap. 21.
[g] Æn. de dict. Alfons. Reg. lib. 1.

IV. PRESBYTERI GALLI PRODIGIOSA INEDIA.

Fortè & hâc Iubilei occasione contigerit, quod idem Æneas [h] pariter narrat; sub Nicolao V. venisse Romam ex ultimis Galliarum finibus presbyterum, qui se toto quadriennio nullo usum cibo assereret, nisi cùm aliquando ab Episcopis invitatus paululum quid degustâsset: inediæque suæ in multos dies, si quis optâsset, periculum faciebat. Dum Senis esset, cuidam dixisse se curiam petiturum, scandalúmque ibi passurum, non tamen periturum. Cùm igitur venit Romam, admirationem sui turbis fecisse, quasi sanctum & Deo charum: postremò captum, virgísque cæsum, in exilium esse actum. Suspectum enim esse quicquid prodigiosum. Ita Æneas.

[h] Ibid lib. 1.

V. XXII. S. BERNARDINI CANONIZATIO.

Celebrior quoque Iubileus redditus est canonizatione *S. Bernardini* Senensis, quæ facta [i] est nono Calendas Iunij, ut etiam diximus in ejus obitu: eamdémque præcipuè promotam innuimus ab ejus discipulo *B. Ioanne de Capistrano*, insigni ejusdem Ordinis professore ac Vicario generali, qui interfuit unà cum 3800. ejusdem Congregationis de Observantiâ Religiosis: præter ingentem Conventualium numerum, qui pariter convenerant ad celebrationem Capituli ipsorum generalis ad festum Pentecostes; uti habent eorum Annales.

[i] Bull. to. 1. Nicol. V. const. 2. Vid. supr. ann. 1444.

DIDACI HISPANI RELIGIOSISS. VITA.

Adfuítque inter Observantes *Didacus* Hispanus laïcus: qui ex insulis Canariis (ubi præfecturam Conventûs Minorum, quamquam tantummodò laïcus existens, gesserat, & quamplurimos incolas ab idolorum cultu ad fidem CHRISTI singulari vitæ sanctimoniâ, & frequentium sermonum ardore incredibili converterat) anno superiori in Hispaniam reversus, præsenti ad Vrbem Iubilei causâ venerat:

ibique acceptâ à Guardiano curâ infirmorum, quorum erat ingens numerus, mirâ charitate, ut ubique solebat, eam exercuit: aliísque in vitâ sanctis operibus, ardentis in Deum & proximos amoris indicibus, adeò excelluit, ut eorum merito post mortem meruerit demùm à Sixto V. [k] Pontifice in numerum Sanctorum anno 1588. referri. Ioannem autem Capistranum Ænæa Sylvij suasu missum à Pontifice in Germaniam esse, exactam totâ Germaniâ B. Francisci Regulam denuò plantaturum; traditur in Commentariis [l] ejusdem Æneæ Pij II. posteà Pontificis: Cùm scilicèt idem Æneas hoc Iubilei anno à Friderico Cæsare legatus fuisset ad Alfonsum Siciliæ Regem pro matrimonio inter eumdem Cæsarem & Leonoram Regis Portugalliæ sororem, ipsiúsque Alfonsi sororis filiam contrahendo, cujus causâ legati Portugallenses eò convenerant, quod & conclusum fuit; & ab Æneâ inde circa finem Iubilei redeunte Pontifici Romæ in publico consistorio manifestatum: simúlque declaratum, sequenti anno Cæsarem ad coronationem venturum: ac denique Concilium generale, quod Galli apud se fieri petebant, intra Germaniam celebrari nomine Cæsaris postulavit. Cujus iis de rebus extat [m] tunc habita oratio: fitque ejus mentio in iisdem Commentariis: simúlque de eodem Æneâ ex Episcopo Tergestino facto à Pontifice Episcopo Senensi patriæ suæ.

[k] Bull. to. 2. Sixt. V. const. 82.

IOAN. CAPISTRANUS MITTITUR IN GERMANIAM AD RESTITUTIONEM REGULÆ.

[l] Comment. Pij II. lib. 1.

[m] Rec. Bzov. an. 1452.

VI.

Cùm item ageretur de mittendis Demetrio Palæologo Principi Peloponnesi, fratri Constantini Imp. Constantinopolitani, necnon Scanderbego Epiri sive Albaniæ Principi, auxiliis quæ [n] adversùs Turcos petiissent, ac præcipuè à Nicolao Pontifice, Alfonso Siciliæ Rege, ac Venetis: idem Nicolaus ante omnia, promulgata jam olim à diversis Pontificibus contra deferentes arma, ferrum, ligna conficiendis navibus, equos, commeatum, aliáque quibus incommodare Christianis possent, aut iis consilium vel favorem impendentes, decreta innovavit 10. Calendas Septembris, ne ullum eâ ex parte impedimentum esset bello sacro conficiendo. Obsederat enim rursùm cum immensis copiis Amurates Turcorum Imperator Croiam Albaniæ & Scanderbegi præcipuum ac munitissimum oppidum: quod nihilominùs tantâ fortitudine defensum est (prout describitur in Vitâ illius heroïs) ut ab hoc irrito conatu in ægritudinem animi & corporis incidens, paucis pòst diebus indignantem animam emiserit; quemadmodùm dicetur anno sequenti quo id contigit.

[n] Mariann. lib. 22. c. 10. Surit. lib. 15. cap. 60.

NICOLAUS PONT. RESCRIBIT CONTRA TURCOS.

VII.

Interim in Galliâ novus dux Anglus Thomas Kirielus cum modicis copiis in Normanniam appellens, deperdita recuperandi, vel quæ adhuc in fide perstiterant conservandi gratiâ, post oppidum Valognas deditione acceptum, à Comite Claromontano filio primogenito Ducis Borbonij, & Richemontio Connestabili ad vicum Forminiacum Carentum inter & Baiocas acerrimo certamine, quamvis militum numero duplo potentior (erant enim ejus copiæ sex septémve millium, Francorum tantummodo trium die decimo-octavo, seu ut nonnulli habent decimo-quinto Aprilis, devictus est, captúsque cum cæteris ferè superstitibus exercitûs ducibus, aliísque ad numerum circiter 1360. cæsis verò fermè quatuor millibus, è Francis octo dumtaxat hominibus desideratis, ut patentissimè apparuerit, digitum Dei hunc fuisse pro Francis militantis. Quare auditâ Parisiis victoriâ, ut etiam secundùm Prophetiam [o] ex ore infantium & lactentium perficeretur ejus laus, Guillelmus Carterius Episcopus urbis supplicationem planè memorabilem decrevit ab Ecclesiâ S. Innocentis ad S. Mariæ, quâ duodecim millia puerorum ætatis septem usque ad undecim annorum, singuli facem ceream accensam manu gestantes, bini procedere visi sunt. Post eam victoriam circumlatis armis, ne quid in Normannia reliquum Anglis esset, captis oppugnatione & deditione Baiocis (in quorum obsidione S. Regnobertus eorum olim Comes, posteà Episcopus & patronus, per quietem Comiti Dunensi regij exercitûs ductori apparens, vetuit omninò ne pateretur urbem à militibus, sicuti invitis ducibus decreverat, oppugnari; alioquin rem malè cessuram, quòd essent in urbe nongenti longo armorum usu bellaces Angli: quòd cùm præstitisset Comes, turpiter Angli urbem dedidêre) Cadomo, (quod Dux ipse Sombressetus cum quatuor Anglorum millibus, tuendum susceperat) Falleisiâ, (cujus permutatione redditus est Talbotus, qui obses adhuc detinebatur post Rothomagi deditionem) aliísque omnibus locis Anglorum præsidiis detentis; ultimò receptum est Chereburgum, sive Cæsaroburgum, die duodecimâ Augusti. In cujus obsidione res ante illam ætatem inaudita gesta est, cujus auctor Ioannes Bureus, qui unà cum fratre Gaspare præfecturam tormentorum ac bombardarum gerebat: cùm videlicèt sitâ Chereburgi arce ad maris æstuarium loco arenoso & instabili, ipse nihilominùs tormenta quibus arcem inde concuteret, ita lapidibus stabilivit, & contra pelagi injurias tegumentis coriaciis multâ pinguedine deunctis munivit, ut pulvis tormentorum nullo maris humore vitiari posset; restagnante verò pelago tormenta facilè ad jactum erigerentur. Post obtentam autem Normanniam, placuit in Aquitaniam movere, ut omni ex continenti Anglus exigeretur. Sed quoniam vis belli in sequentem annum incidit, remittimus eò provinciæ subactionem. Quæ verò hactenùs diximus, levissimè uti adversa à Polydoro tacta, solidiùs narrantur à Monstreleto [p], Charterio [q], Gaguino [r], & aliis [s] historicis Francicis. Ex quibus etiam intelligimus, Carolum Regem in gratiarum actionem de receptâ tam brevi tempore, tantâque facilitate Normanniâ, provinciâ amplissimâ, quam tot viribus ac certaminibus Angli per triginta & ampliùs annos summâ sollicitudine omníque nisu detinuerant, ac munierant; jussisse per universum regnum fieri hoc anno pridie Idus Octobris, ac sequentibus annis in perpetuum pridie Idus Augusti, quo Chereburgum ultimum Anglorum possessionis oppidum in potestatem Regis venit, supplicationes publicas.

ILLUSTRIS VICTORIA FRANCORUM DE ANGLIS.

[o] Psalm. 8.

EGREGIA SUPPLICATIO PUERORUM PARIS.

[p] Monstrel. vol. 3.
[q] Charter. in Vit. Carol. VII.
[r] Gaguin. lib. 10.
[s] Gill. in Annal. Bellefor. lib. 5. cap. 110.

VIII.

Illud porrò funestum inter hæc in Armoricis accidit, quòd [t] Ægidius Francisci Ducis frater, toto quadriennio in vinculis à fratre detentus per calumnias Arturi de Montalbano nobilis Britonis; hoc denique anno ad finem Aprilis, Duce absente, ab ejusdem Arturi satel-

[t] Monstrel. vol. 3. Bellefor. cap. 106. 108. & 110. Argentr. lib. 12. cap. 3.

Funesta mors fratris Ducis Britanniæ.

litibus, quibus ejus custodia tradita fuerat, cùm venena quæcumque cibis immixta, constitutione suâ, seu speciali cælesti gratiâ, vinceret, contortâ mappâ strangulatus est. Quem Britones scribunt; cùm paulò antè sacramentalem peccatorum confessionem cuidam religioso Franciscano fecisset, ei injunxisse ut quandocumque se mortuum audiret, Ducem fratrem suum adiret, citarétque intra quadragesimum diem, experturum secum de injustitiâ coram tremendo Iesu Christi tribunali: fecisse religiosum quod jussum fuerat; ac Ducem timore correptum in morbum incidisse, quo mortuus est, ineunte quadragesimo citationis die. Meminit facinoris Æneas [u] in suâ Europâ, sed paulò diversè. Ægidij peremptores, quos Dux persequi neglexerat, gravibus posteà suppliciis sublati sunt. Arturus, ut pœnam effugeret, habitum Cælestinorum Lutetiæ suscepit; factus posteà per Ludovicum XI. qui ejusmodi vafris subdolisque ingeniis delectabatur, seu in gratiam fratris ejus Ioannis de Montalbano præfecti maris Galliæ, Archiepiscopus Burdegalensis: qui [x] fuit item avunculus Ludovici Gravilij pariter præfecti maris, insignis benefactoris collegij Montisacuti in Academiâ Parisiensi; nec non & successoris sui in Ecclesiâ Burdegalensi Andreæ de Spinaco posteà Archiepiscopi Lugdunensis & Cardinalis.

[u] *Æn. Europ. cap. 43.*

[x] *Gall. Chr. in Archiep. Burdegal.*

IX. *Ordinis Spicæ sive Arminii institutio.*

Prædictus autem Franciscus Dux, excepto fraterno odio, quod aliorum malitiâ magis quam suâ sponte contraxit, cætera egregius Princeps, & multis virtutibus præditus, in memoriam avi sui Ioannis Conquestoris dicti, & ad nobilitatem Britonicam decorandam, *Ordinem* [y] equestrem instituit, sub nuncupatione *Spicæ*, sive etiam *Arminij*: cujus scilicet torques ex spicis frumenti, in modum crucis in orbem ac veluti in coronam intertextis constaret: ac præterea in basi Mus Ponticus, sive Alpinus candidus, quem vulgò Armenium vocant, colliculo viridi & floribus consito impositus, duabus catenulis aureis adhæreret: addito prædicti Ioannis Gallico emblemate, *A ma vie*, hoc est *Ad vitam meam*: quo significare volebat generosum incontaminati & sinceri animi propositum; ut potiùs vitam amitteret, quàm quid ignavi aut indigni committeret: quippe hoc candidissimum animal adeò puritatis amans esse dicitur, ut si in fugâ viam lutosam inveniat, se potiùs à venatoribus capi patiatur, quàm vel tantillum fœdari.

[y] *Favin. in Theatr. Honor. lib. 3. Menen. de Ord. milit.*

X. Hoc anno ponit Aventinus [z] obitum Henrici Landshutensis Bavariæ Ducis cognomento Divitis, & successionem Ludovici ipsius filij eodem cognomento Divitis. De quo illud egregium refert, quòd cùm sub duro atque illiberali patre usque ad annum ætatis trigesimum multam perpessus penuriam vestium, pecuniæ, equorum, obsequentissimus tamen ei esset; suadentibus amicis ut clàm in Austriam ad Albertum Ducem avunculum suum abiret, responderit, auctorem vitæ suæ nequaquàm se deserturum, nec quoad mentis compos foret offensurum. Non verò adeò prudens, cùm, ut narrat Trithemius [a], post bellum adversùs Marchionem Brandeburgensem gestum, concordiâ inter ipsos certis conditionibus initâ, in quibus erat quòd Marchio Duci traderet quædam decreta contra ipsum ab Imperatore facta; ea ut accepit, publicè in conspectu omnium laceravit. Ex eo namque Imperator gravissimè iratus, Ducem læsæ majestatis reum declaravit, & concordiam irritam faciens, cæteros Principes ac civitates in eum commovit: unde plurima mala secuta sunt, quæ idem auctor prosequitur.

[z] *Avent. lib. 7.*

Egregiū dictum Bavariæ Ducis.

[a] *Trith. Chr. Sponheim. an. 1458.*

XI. Acceptior concordia hoc eodem anno in eâdem Germaniâ facta inter duos fratres Fridericum & Guillelmum Saxoniæ Duces, quam Æneas [b] recitat. Inter quos cùm bella crudelia diù exarsissent hæreditatis paternæ causâ, discordiam plerisque potentibus, quibus ea quæstui erat, alentibus; interim dum præcipuus ejus incensor occasione Iubilei Romam petiisset, rogavit Fridericus germanum suum ad se venire acturos ipsos de pace. Annuente Guillelmo, cùm iter ingresso dicerent consiliarij, paratas esse ipsi & qui cum eo irent, insidias; ad eos ille, *At ego*, inquit, *libens morior si vos priùs necatos videro, qui fraternas contentiones alitis.* Ac sequi jussis qui se amarent, calcaribus equum urgens festino cursu fratrem adiit: quocum semotis arbitris evestigiò pacem composuit. Magnus vir, qui se tam liberaliter in potestatem dederit hostis: magnus & alter, qui hostem ex fratre factum, rursùs fratrem atque amicum reddiderit. Discordiarum auctores & altores ex utrâque parte exterminati sunt.

[b] *Æn. Europ. cap. 32.*

Pia concordia duorum fratrū Saxon. ducum.

Iesu Christi Annus 1451.

Nicolai V. An. 5.

Friderici III. An. 12.

Constantini XV. Ann. 7.

I. Anno Christi 1451. Indictione decimaquartâ, urgentibus Fridericum Romanorum Regem tum Hungaris, tum Boëmis, tum etiam Austriacis, ut Regem suum ac dominum, Ladislaum puerum jam duodennem, quem in tutelæ specie, sive ipsi ab iis, sive ipse sibi ab eo timens, aut alio demùm quocumque consilio, apud se detinebat, sæpè petitum, semperque denegatum, dimitteret, qui suis liberè dominaretur; vimque omnibus facere minitantibus, ipsóque etiam Huniade Hungariæ Gubernatore armis propterea Austriam incursante: hâc ad extremum arte frustratus est omnes, ut decreverit secum illum ducere in Italiam, quam Coronæ Imperialis sumendæ causâ adire parabat. Boëmis verò ferociùs agere visis, cùm etiam generalem regni conventum indixissent quo alium sibi Regem eligere jactabant; Fridericus his motus legatos ad illos misit Æneam Episcopum Senensem, Procopium Rabensteinum equitem Boëmum, ac nonnullos alios: quorum orationibus (Æneâ Latinè perorante, Procopio patriâ linguâ interpretante) ij persuasi, non solùm consenserunt puerum adhuc gubernationis egentem in potestate Cæsaris permanere, verum etiam decreverunt ex suâ nobilitate primarios juvenes dare qui Cæsarem in Italiam comitarentur. Narrat hæc, propriámque orationem re-

Frider. Cæsar Regem Hung. et Boem. puerum detinet apud se.

[a] Æn. Boëm. cap. 58.

citat idem ipse Æneas [a] in suâ Historiâ Boëmicâ.

II. ÆNEÆ HOSPITIŪ APUD TABORITAS.

[b] Æn. ep. 130.

Quid verò ipsi ac collegis ad prædictum conventum euntibus in itinere apud Taboritas contigerit, quoniam & relatu jucundum est, & ad mores hæreticorum dignoscendos utile, breviter hîc referendum censuimus, ex ejusdem ipsius epistolâ [b] ad Ioannem Carvajal Cardinalem, quem legatione Apostolicâ apud Boëmos functum superiùs vidimus. Ait igitur; cùm ipse cum sociis raptores & insidias aliquando timerent, ad vicinos Taboritas potiùs quàm in apertis villis pernoctare, ac luporum magis quàm leporum sequi fidem visum esse: (Quinam essent Taboritæ, & quale ipsorum oppidum, jam dictum aliàs.) Accepisse hæc lætis animis Taboritas; dedisse fidem, atque obviam îsse. Res, inquit, spectaculo digna fuit, rusticanum & incompositum vulgus, quamvis urbani videri vellent. Frigus erat, pluviale tempus: (Nam Boëmia sæpè miscet æstati hiemem:) Ex illis aliqui nudi erant, solis tecti camisiis; alij pelliceas tunicas induerant: alij sellâ carebant, alij freno, alij calcaribus: alteri crus ocreatum fuit, alteri nudum: Huic oculus defuit, illi manus, & ut Virgilianis utamur verbis,

TABORITARUM DESCRIPTIO.

Fœdum videre fuit, populatáque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Incedendi nullus ordo, loquendi nulla modestia, barbaro & rusticano ritu nos exceperunt. Obtulerunt tamen xenia, pisces, vinum, cervisiam. Sic oppidum ingressi, locum vidimus: quem nisi hæreticorum arcem aut asylum vocem, nescio quo appellem nomine. Nam quæcumque detegunt inter Christianos impietatis ac blasphemiarum monstra, huc confugiunt, tutamentúmque habent; ubi tot sunt hæreses quot capita, & libertas est quæ velis credere. In exteriori civitatis portâ duo fuerunt scuta: in altero pictura erat Angeli calicem tenentis, quasi communionem sub specie vini suaderet populo: in altero Zischa pictus fuit homo senex, & utroque lumine cassus: quem olim Taboritæ non solùm monoculum, sed cæcum quoque secuti fuerant ducem. Neque absurdè; nam tali populo, qui nihil divinitatis intelligit, nihil religionis tenet, nihil æqui rectique videt, quis ducatum præbere debuit nisi cæcus? Hunc autem veluti numen habent: & quamvis picturas omnes abominentur, hujus tamen picturam religiosè colunt, & honorem quem Christo negant, contendunt Zischæ. Pergit Æneas & res Zischæ, & Taboritarum hæreses, de quibus nos aliàs, nec non situm urbis ac munitiones, numerum, morésque incolarum describere: carpens etiam Sigismundum olim Imperatorem, quòd quos exterminare aut relegare decuerat, non solùm liberos fecisset minimo tributo contentus, verùm etiam prædia ac villas nobilium & monasteriorum perpetuo jure eis possidenda adscripsisset. Addit; cùm omnia quæ de iis dixit ab hospite suo didicisset, qui non adeo à fide alienus videbatur; sicque intellexisset, non solius populi dogmate eos à Catholicis, sicuti persuasum habebat, secerni, sed hæreticos esse & infideles; mane facto, antequàm abirent voluisse, ne ij gloriarentur legatos Romani Regis sibi communicâsse, aliqua iis loqui quibus scirent non ipsorum facta sibi placere: verùm nonnullis suis collegis terrore inter gentem pravam plenis hoc persuaderi non potuisse: abiisse tamen, cùm dies Dominicus esset, neglectis divinis officiis, ne cum iis communicarent.

III. ALIA ÆNEÆ GESTA CUM HUSSIT.

Post conventum tamen Boëmorum, de quo suprà, Æneas cupiens in aliquo religioni prodesse, colloquium habere quæsivit cum Gyrzikone, hoc est Georgio Podiebracio, regni Gubernatore Hussitâ; sperans, si magnum illum & potentem virum concordiæ cupidum invenisset, adduci cæteros facilè posse. Habuit igitur, Procopio inter ipsos interprete, de communione sub alterâ vel utrâque specie, de Compactatis, de Archiepiscopatu Rockysanæ, déque aliis ad religionem & discrimina inter Catholicos & Hussitas vertentia spectantibus: in quibus Gyrziko viam concordiæ & unitatis Ecclesiæ minimè aspernari visus est: quod colloquium in formam Dialogi idem Æneas eâ quam diximus ad Ioannem Cardinalem epistolâ scriptâ retulit lectu dignum. Subdidítque prolixiorem aliam accuratiorémque, quam in reditu habuit, sicut in itu concupierat, cum doctoribus Taboritarum in ipsâ eorum urbe, de auctoritate & infallibilitate Romanæ Ecclesiæ, déque eadem communione sub unâ & utrâque specie, disputationem, habitam interim dum socij ejus legationis prandebant, cùm nullum cibum eâ vice ipse ibi gustare voluisset. Adeò autem nihil profecit apud eos, ut testetur visum tunc sibi fuisse inter barbaros, inter anthropophagos aut inter monstrosas Indiæ Libyæque gentes: à quibus dum exîsset, ex inferno reversum se putaret. Et fuisse hoc tempore miserè afflictos Pragæ Catholicos, Cochlæus [c] narrat; cùm sæviente ibi pestilentiâ, morbo correpti petentes venerabile Sacramentum Corporis Christi sibi afferri, compellebantur per sacerdotes Hussitas ad communionem utriusque speciei: qui verò nolebant de calice communicare, quando moriebantur, non dabatur illis sepultura Ecclesiastica, nec permittebantur sepeliri circa Ecclesias parrochiales vel in monasteriis, sed efferebantur extra civitatem in locum calvariæ, ut ibi sepelirentur sepulturâ asini: cùm nihilominùs nihil tam Hussitæ, quàm Compactatorum observationem, quibus hæc prohibebantur, desiderare præseferrent.

[c] Cochlæ. Hist. Hussit. lib. 10.

AFFLICTIO CATHOLICORUM AB HUSSITIS.

IV. IOAN. DE CAPISTRANO LABORES PRO FIDE PROPAGANDA.

Hoc eodem anno venit in Germaniam missus à Nicolao Papâ *Ioannes de Capistrano* (de quo superiùs) Ordinis S. Francisci, patriâ Aprutinus non longè ab Aquilâ, Magister in Theologiâ, & Iuris utriusque Doctor: qui ad prædicandum Dei Verbum singulari gratiâ præditus, magno fructu tum in patriâ ac vicinis provinciis (ubi inter alia, sex & octoginta Fratricellorum hæreticorum loca in Piceno & Campaniâ combussisse dicitur) tum in reliquâ Italiâ, & per plurima regna & regiones, populis verba salutis annunciaverat, extra Italiam ubique interprete usus. Mirúmque visum est in Germaniâ, ut vir sexaginta sex annorum tantum itineris facere, tantum laboris ferre, tantum vocis & spiritûs in pusillo, debili, macilento, & exhausto corpusculo habere posset; sine intermissione singulis diebus prædicans, atque

altas materias profundáſque ſententias declarans: infirmos quoque viſitans, quibus birretum S.Bernardini, & in linteo cruorem (quem illi mortuo è naribus fluxiſſe ferunt) ſingulis eorum admovebat, manúſque imponebat. Cujus & talis erat in concionando & exhortando pronunciatio, ut etiam non intelligentes ad lacrymas & vitæ emendationem provocaret. Miſſus itaque à Pontifice in Germaniam, ut Nuncius ac Commiſſarius Apoſtolicus, generaliſque hæreticorum Inquiſitor; tantâ populi reverentiâ & veneratione exceptus eſt, ut ſacerdotes cum plebe ei ut Legato Sedis Apoſtolicæ cum Sanctorum Reliquiis obviam procederent. Quem & magnus vir Cardinalis Cuſanus [d] Germaniæ Legatus egregie laudâſſe, & Æneas [e] Epiſcopus Senenſis poſteà Pius II. (cujus impulſu vidimus eum in Germaniam deſtinatum) magnificis præconiis extuliſſe, & Vniverſitates [f] Lipſenſis & Viennenſis honorificis teſtimoniis decorâſſe, & Rex Cazimirus [g] Poloniæ ſummis precibus ad ſe & ad reductionem Ruthenorum à ſchiſmate Græcorum invitâſſe, alij Principes videre ſummoperè deſiderâſſe, reperiuntur: referente hæc de illo, & prædictas auctoritates producente Cochlæo [h]; paritérque diploma Nicolai Pontificis recitante, quo omnibus qui ejus prædicationibus aut celebrationi Miſſarum intereſſent, pœnitentibus & confeſſis tres annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxare; nec non ei redeuntes ab hæreſi abſolvere, & cum Eccleſiaſticis ſuper irregularitate diſpenſare conceſſit de cujus etiam miraculis in curandis à quâcumque infirmitate ægrotis per Reliquiarum capitibus eorum admotionem, grandia legas apud auctorem Magni Chronici Belgici. Apud Krantzium [i] autem, commoviſſe eum uſque adeò per Germaniam populum, ut omnia vana ludorum genera conferrent in forum, feminæ toralia & ſtructuras capitis, ac alia redimicula, igne publicè concremarent.

QUANTA FUERIT EJUS APUD OMNES EXISTIMATIO.

[d] Cuſan. ep. ult. ad Boëm. [e] Æn. ep. 405. ad Io. Capiſtr. [f] Cochlæ. lib. 10. [g] Michov. lib. 4. c. 59.

[h] Cochl. d. lib. 10.

[i] Krantz. 11. Metrop. 39.

V. QUOMODO CUM ROCKYSANA EGERIT.

Cùm autem præcipuè invigilaret reducendis Boëmis à ſuis erroribus, & damnatione communionis ſub unicâ ſpecie panis; Ioannes Rockyſana, qui Pragenſem Archiepiſcopum agebat, metuens ne ſecta ſua tota ad Eccleſiæ unitatem per eum reduceretur (nam in ſolâ Moraviâ ultra quatuor millia converterat) quærens adversùs eum occaſiones criminandi, primùm per literas invitavit ad collationem de communione Calicis: cúmque Capiſtranus eam ſe percupere reſpondiſſet, ac locum, tempus, modum, & perſonas interventuras ſibi indicari poſtulâſſet; Rockyſana verò locum indicâſſet, ad quem nihilominùs Gyrzicho regni Gubernator Capiſtranum admitti interdixerat; hanc ipſorum colluſionem querente Capiſtrano, triumphabundus Rockyſana inſultavit abſenti per convitioſas literas, quibus famam & exiſtimationem illius deprimeret: idque ipſum & alij Rockyſanæ complices fecerunt. Quibus Capiſtranus copioſè pariter & acutè reſpondit, eorum diluens argumenta, quæ ex Scripturis pro defenſione utriuſque ſpeciei objecerunt. Scripſit & ad Gyrzichonem, rogans ut res tranquillè agi poſſet. Rurſúmque ad Barones regni, accuſans Rockyſanam de violatione Compactatorum, & de calumniis ab eo in ſe diſſeminatis, tanquam in profugum, ſeductorem, ſacrilegum, antichriſtum. Quarum occaſione compulſus (quod olim fecerat ad Corinthios Apoſtolus) ſua geſta recenſere; provincias enumeravit quibus per totam Europam cum ingenti fructu, laude, & honore evangelizâſſet, populis, Principibus, Vniverſitatibus, omnibus denique & ubique acceptiſſimus; quæ ſatis eſſent ad refellenda Rockyſanæ aliorúmque quorumcumque in ſe maledicta. Sed quòd longe acriori ſtylo quàm Apoſtolus, maledicta maledictis rependens, Rockyſanam exagitâſſet; nihil aliud ſuis ſcriptis apud Gubernatorem & Concilium Pragenſe lucratus eſt, quam ut nova improperia retulerit. Quæ omnia præſenti anno geſta uti ſe habuerint, diligenter Cochlæus enarrat; qui in Hiſtoriâ Huſſitarum elucidandâ non parùm laboris utiliter inſumpſit.

ACERBIUS REM AGIT.

VI. ANGLI TOTA AQUITANIA PELLUNTUR.

Hoc anno ineunte Maio miſſus in Aquitaniam à Carolo Rege cum valido exercitu Comes Dunenſis; eo in quatuor partes ſub diverſis ducibus ad obſidenda invadendáque uno tempore plura oppida diviſo, non ſolido bimeſtri tempore totam occupavit aut vi aut deditione, ipſâ quoque Burdegalâ provinciæ metropoli cum privilegiorum conſervatione in poteſtatem acceptâ. Vltima quæ ſuperfuit Baiona, quam tuendam ſuſceperat Ioannes Belmontius frater Coneſtabilis Navarræ eques Rhodius, per Comites Fuxenſem & Dunenſem circumvallata, poſt acrem oppugnationem propugnationémque, tradito in manus Comitum Belmontio, & mulctæ nomine promiſſis quadraginta aureorum millibus, deditionem fecit. In cujus confirmationem, ſimul & totius Aquitaniæ reductionis ad ſupremum ſuum dominum, Anglorúmque totâ Galliâ (unico excepto Caleto, cum attributis ei anguſtis finibus) expulſionis comprobationem, voluit Deus ſignum cœleſte conſpicuum cunctis apparere; cùm Baiona dedita die Veneris vigeſimâ Auguſti, quâ celebrat Eccleſia commemorationem ſanctiſſimi *Bernardi*, præclari Francorum Doctoris, & ſchiſmatum atque diſſidiorum extinctoris, oriente ſole ſudo tempore viſa palàm eſt in cœlo mediæ horæ ſpatio CRUX candida, quod Francorum inſigne bellicum erat, ſicuti Anglorum rubrum & ſanguineum. Quæ omnia ſub hoc ipſo anno deſcripsêre accuratè Monſtreletus [k] & Charterius, atque ex iis Gaguinus [l], præter alios qui eadem tractârunt. E quibus rem fuſiùs egit Belleforeſtius [m]: in eo tamen errans quòd anno ſequenti geſtam ponat; cùm præter antiquiorum illorum aſſertionem, etiam omnes confirmationes tractatuum, aut abolitiones rebellionum, aut conceſſiones privilegiorum, urbium hoc bello Aquitanico receptarum, quas diligentiſſimus harum rerum indagator & collector Tilius exhibet, conſignatæ reperiantur præſentis anni 1451. appoſitione; ipſiúſque Baionæ, quæ ultimò recepta eſt, abolitio adhæſionis Anglicæ, & unio coronæ Franciæ, factæ à Rege ponantur menſe Septembris ejuſdem hujus anni 1451. Quomodo verò ſequenti rurſùm Talbotus præcipuus Anglorum dux aliquid in Aquitaniâ ſuo damno moverit, dicetur ibi.

[k] Monſtrel. vol. 3. Charter. in Vit. Carol. VII. [l] Gaguin. lib. 10. [m] Bellefor. lib. 5. c. 111. & ſeqq.

VII.

Hoc eodem anno ponitur à nonnullis [n] præ-

[n] Marian. lib. 22. c. 11.

DISSIDIUM DE REGNO NAVARRÆ INTER PATREM ET FILIUM.

lium in Hispaniâ inter patrem Regem Navarræ Ioannem Aragonium rerum Castellanarum perturbatorem, & Carolum Vianæ Principem ipsius filium ex Blancâ Navarræ hærede priori conjuge à multis annis defunctâ : quo prælio prævaluit pater, sive Deo filij contra parentem etiam arma justa improbante, sive occulto alio ejus judicio. Conventum fuisse in pactis matrimonij Ioannis & Blancæ anno 1419. si Blanca ante virum decederet, cum prole seu sine prole, ille nihilominùs reliquo vitæ tempore regnum obtineret; tradunt qui Ioannis causam defendunt. Sed in hoc eos nullâ veritate niti, ex ipsismet pactorum tabulis alij [o] demonstrant. Nato verò Carolo ex eo matrimonio anno 1421. decessit mater 1441. relictis pariter duabus filiabus, quarum altera nupsit Gastoni Comiti Fuxensi, altera Henrico Infanti seu Principi Castellæ : ac post matris obitum Carolus Vianæ Princeps (qui titulus erat primogenitorum Navarræ) materni regni successor, regio nomine abstinuit, seu à patre coactus, seu ut erat modestus, sponte. Ingenium igitur studiis dedit, non quidem ut otio marcesceret, sed ut præceptis sapientiæ instructior ad Rempublicam accederet. Extaréque dicuntur [p] ingenij monimenta, libri Aristotelis de moribus vulgari Hispanorum linguâ donati; brevis de Regibus Navarræ Historia; & versus non inelegantes. Tædio tamen vitæ privatæ processu temporis affectus, eò maximè quòd pater ejus alteris nuptiis duxisset Ioannam Friderici præfecti maris Castellæ filiam, quæ pro libito regnum administrabat; fuisse etiam dicitur hoc tempore ad regnum sibi vindicandum incitatus à Belmontiis, qui ejus periculo res suas agere quærebant contra Agramontios qui patri obsequebantur. Quippe erant hæ duæ totius Navarræ nobilissimæ familiæ, odiis & invidiis adeò inter se divisæ, ut præ potentiâ totum penè regnum in mutua dissidia traxerint; non secùs ac olim Guelfi & Gibellini Italiam in partes distraxerunt: & ut hæ factiones Italiam, ita illæ Navarram pessumdederunt. Quarum Belmontia (quæ & Luxetana à castro ejus nominis in inferiori Navarrâ constituto dicta est) jam penè saltem quoad mares desiit; Agramontia adhuc claret in Galliâ. Rebus igitur ad arma inter patrem filiúmque redactis, cùm à viris sanctis reconciliatio tentaretur, Carolus qui miti erat ingenio, faciles aures præbebat his modò conditionibus, ut venia omnibus à patre esset; Vianæ principatus quem pater occupaverat, restitueretur; regni vectigalium dimidium ipsi cederet, unde vitam aulæque cultum sustentaret; fœdus illud consensu Regis Castellæ sanciretur, uti jurejurando Carolus ei pactus fuerat, cùm suppetias ab eo petiisset. At ex his capitibus patre quædam tolerante, cætera rejiciente; concursum inter eos est, filio numero collectitiorum, patre veteranorum robore superiore. Vnde & prævalens filium captivum habuit; qui circumfusus omni ex parte hostibus, periculo proximus, gladio & chirothecâ militari Alfonso fratri ex aliâ matre traditis, deditionem fecit : adeò sibi à truce patre in custodiâ ex veneno timens, ut attingere bellaria detrectaret, antequam frater gustu exploràsset: juvenis (ut Mariana agnoscit) meliori fortunâ, patréque benigniore dignissimus. Qui Cæsaraugustam deductus, agentibus Aragoniis, libertati post biennium redditus est; ita tamen ut in patris potestate esset : sed brevi lætitiâ, ob motus renovatos ex paternâ aviditate & filij impatientiâ; ut pòst vibitur.

FACTIONES BELMONTIORUM ET AGRAMONTIORUM IN NAVARRA.

o Oihenart. *Not. Vascon. lib.2. c.15.*

p *Mar. lib. 21. cap.16.*

VIII. CARD. CUSANI LEGATIO IN GERMANIAM.

Hoc interim anno Nicolaus Pontifex de subsidio Græcis ferendo sollicitus, cùm ad illud Principes variis legationibus & literis hortari non desineret; ut etiam præmiis spiritualibus populos ad idipsum alliceret, in Germaniam Legatum de latere Nicolaum misit Cusanum Cardinalem S. Petri ad Vincula, natione Germanum, & Episcopum Brixinensem; qui & monasticam disciplinam in cœnobiis restitueret (ut fecit in multis) & pacem inter dissidentes Principes conciliaret; nec non Indulgentias Iubilei anni præteriti publicaret, hortaretúrque fideles (sicuti & præstitit tam per se quàm per alios viros eruditos) ad subventionem Christianæ fidei periclitantis à Turcis. Ita Trithemius [q] benigniùs animum Pontificis interpretatus; quàm Meyerus [r] optima quæque in pravum detorquere plerumque solitus; dum ait, Nicolaum consensu Philippi Belgarum Principis Indulgentias anni Iubilei præteriti constituisse Mechliniæ : persuasúmque voluisse simplici vulgo pecuniam ex veniis illis collectam conversum iri in bellum Turcicum: quam tamen (inquit) consumpsisse dicitur in seditionibus Italicis contra Mediolanenses & Comitem Carniolæ & Alfonsum Regem Neapolis. Ita præclarus ille presbyter curio: cujus opus levissimis ejusmodi, ne quid acerbius dicam, accusationibus, & detorsionibus, tam in Pontifices quàm Principes (suis plerumque exceptis, quibus parcere probè novit) injuriosis refertissimum est : cùm tamen non negemus multa habere utilia, nec indiligenter res patrias *tractàsse* : Intra quarum limites si se continuisset, proculdubiò majorem laudem apud suos meruisset, cùm in exteris frequenter hallucinari convincatur. De Cusani porrò per Germaniam optimè administratâ legatione tam in reformatione monasteriorum diversorum Ordinum, plurimorúmque abusuum in diversis Ecclesiis eradicatione, quam in purâ & omnis vitij experte distributione Indulgentiarum : multa legas apud auctorem Magni Chronici Belgici. Habétque Krantzius [s], inter multa salubria constituisse de venerabili Eucharistiâ, cujus erat tunc usus ut publicè circumferretur singulis diebus Iovis per anni circulum, ut non fieret ampliùs nisi infra octavas festivitatis institutæ : eò quòd etsi hebdomadaria illa gestatio devotioni parata esset, ut tamen evidenter apparuit, per crebram ejus ostentationem vilesceret.

q *Trith. in Cron. Sponheim.*
r *Meyer. lib.16.*

MEYERI ACULEATUS STYLUS.

s *Krantz. 11. Metrop. 39.*

HEBDOMADARIA SACRÆ EUCHAR. GESTATIO PROHIBETUR A CUSANO LEGATO.

IX.

Tradunt quoque auctores Polonici [t], concessisse Pontificem Iubileum Poloniæ & Lituaniæ intercessione Sbignei Episcopi Cracoviensis & Cardinalis: Eâ tamen lege, ut quisque dimidium ejus quod in itinere Romano impensurus esse videretur, in capsam reponeret: ex eâ verò pecuniâ, ut dimidium Regi in sumptus belli contra Turcos gerendi cederet; de reliquo dimidio mediam partem Sophia Regina in dotem egentium puellarum acciperet, altera Pontifici pro reparandis Vrbis Romæ templis mitteretur : Sed cùm gravis vulgo esset ea æsti-

t *Michov. lib.4. c.59. Crom. lib. 22.*

[u] Michov. c. 65. Crom. ibid.

DE QUODAM TURCORŪ PRINCIPE CHRISTIANO.

matio, ad quartam redactam esse. Addunt [u], eodem tempore Davidem Mustaphæ, Amuratis Turcorum Imperatoris non ita pridem defuncti fratris filium, qui pulsus olim à patruo in Hungariâ complures annos exulaverat, & religionem Christianam susceperat; auditâ patrui morte, præreptum imperium repetere in animo habentem, Poloniam versùs properâsse, & à Cazimiro Rege petiisse ut sibi per ejus ditiones transire liceret: Annuisse Cazimirum, atque insuper splendida ei munera contulisse: Sed cùm is ad Istri ostia perveniens audisset Mahometem Amuratis filium apud Turcos sine controversiâ imperare; per Poloniam in Hungariam rediisse, & ibi consenuisse. At de hoc Davide miramur nihil apud historicos Hungaros reperiri: de quo nec quicquam alibi nisi [x] confusè legimus. Nam quem olim vidimus Christianam fidem amplexum esse Constantinopoli, filius is erat Bajazetis quem Tamberlanes cepit, & Iesu sive Iosephi nomen accepit [y]. Qui sanè sive Iesus, sive Ioseph, sive David, si in Hungariâ fuisset, multùm conferre potuisset Ladislao Regi & Huniadi in suis adversùs Turcos expeditionibus, ad motus aliquos inter eos concitandos; cujus tamen nulla ratio, nullàque in iis memoria habita reperitur. Meminit quidem Leunclavius [z] in Annalibus Turcorum, cujusdam Vrchanis ex Osmaneâ stirpe, quem Turci Dusmen, hoc est suppositītium cognominarent, Græci genuinum esse traderent, Suleimanis ex Vrchane filio nepotem, prædicti Bajazetis I. pronepotem; qui cum Græcis Constantinopolis obsidionem sustinuit, & in ejus expugnatione cæsus est. Sed quid huic cum prædicto Davide? Fides igitur de illo sit penes auctores.

[x] Agit de eo Leunclav. in Pandect. Turc. num. 1. Vide infrà an. 1481. in fi. regni Mahom. II.

[y] Suprà an. 1402. XIX.

[z] Leuncla. in Annal. l. 15.

X. AMURATIS TURC. IMP. EXITUS.

[a] Phranz. l. 3. cap. 2.

[b] Ap. Leunclav. l. 14. & in Annal. Beckan.

Amuratem autem Turcorum Imperatorem hoc anno mense Februarij mortem obiisse, tam Græci [a] quàm plerique Latini consentiunt. Nam quòd sunt ex istis qui præcedenti ponant, vel annos numerant à Paschate, vel decepti sunt ab iis qui ita numerant. Turci [b] quoque Februarij diei decimæ adscribunt anni Hegiræ 855. qui cœpit tertio Februarij, ut nullum videatur de eo dubium: quantumvis Barletius in Vitâ Scanderbegi extinctum ferat circa autumni dimidium. Mortuum autem esse ex dolore irritæ suæ expeditionis adversus Scanderbegum, de quâ diximus anno superiori, scribit idem, & ut ait, in ipsâ obsidione Croiæ. Cæteri extinctum Adrianopoli post turpem Croianæ obsidionis solutionem; & ut Græci [c] habent, ex apoplexiâ, cùm nimiâ vini copiâ in convivio se obruisset: Turcis de more fabulantibus, ex levi capitis dolore eum divinitùs post sancti cujusdam viri prædictionem evocatum fuisse. De annis item regni cùm dissentiant auctores; illud omnium consensu certum est excessisse trigesimum. Quod totum propè tempus bellis in Christianos, superstitionis suæ (cui addictissimus erat, quámque inter suos Religiosis operibus & sacris ædificiis coluit auxitque plurimùm) dilatandæ causâ insumpsit; interim dum eorundem Christianorum plurimi nihil pensi religionem habentes inter se digladiarentur, & quod mireris etiam ipsi magis qui proximiores Turcis erant; quem & in cæteris justi æquíque eximium cultorem Græci prædicant: Genitzarísque magnas prærogativas impertiisse, ac novam militiæ artem docuisse (phalangem videlicèt peditum veteris exemplo Macedonicæ, quorum operâ hostium equitatum reprimeret, & audentiùs oppidorum oppugnationes aggrederetur:) cùm priùs aliud esset eorum institutum, munus, & genus vestis. Prohibuisse item uxores ducere, ne illarum liberorúmque curâ distinerentur, sed in militia soluto semper animo versarentur: eos etiam filios suos vocari volens. Corpus defuncti delatum est Prusam Bithyniæ ad sepulcra majorum.

[c] Phranz. l. 1. c. 32. in fin. Chalcond. l. 7. ante fin.

XI. MAHOMETES II. PATRI SUCCEDIT.

Cùm verò plures filios ex uxoribus suscepisset, unus superstes ei fuit successórque *Mahometes* (sive ut gnari linguæ scribi debere tradunt, Muchemetes) ejus nominis Secundus: qui cùm tunc absens esset in Asia (ita enim Annales Turcorum; cùm Barletius eum in obsidione Croiæ cum patre fuisse velit) totis tredecim diebus occultata fuit à ministris aulæ mors Amuratis, donec ipse accersitus advenisset. Rescitam tamen priùs ejus mortem Barletius & Chalcondyles scribunt, & à Ianissariis tumultuatum Adrianopoli esse, antequàm Mahometes eò pervenisset; quem unius & viginti circiter annorum adolescentem tunc fuisse, plerique volunt, ingentium spirituum, & implacabilissimi in Christianos odij: adeò ut scripserit Isidorus Cardinalis Ruthenus in epistolâ de expugnatione Constantinopolis, cum Christiano sibi obviante, tanquam inde fœdaretur, oculos & os abluere solitum; quæ tamen de Imperij initiis intelligenda putamus; cùm posteà sæpiùs etiam benignè cum eis egisse, saltem postquàm cepit Constantinopolim, certum sit.

QUALIS FUERIT.

[d] Geuffr Rei. nec. Iov. &c.

[e] Vide Leunclav. Pand. Turc. num. 1. & 90.

Quòd verò matre Christianâ natum esse nonnulli [d] volunt, Mariâ scilicèt, sive ut alij vocant, Irene filiâ Georgij Despotis Serviæ, quæ puerum Christianis præceptis & moribus imbuerit: non recipitur ab aliis [e], docentibus ex Chalcondyle Georgij Despotæ filiam non matrem, sed novercam fuisse Mahometis; & ex Spandugino, Amuratem nullam ex Mariâ suscepisse sobolem. Cæterùm haud literarum fuisse Mahometem expertem, & astrologiæ peritum, Phranzes [f] enarrat; ita ut referat Marinus Barletius [g], cum omnia quæ agere vellet ad astrorum cursum instituisse; tum figuram nativitatis ejus, insignem felicitatem & multiplices victorias designâsse. Tradúntque eundem assiduâ lectione gestorum veterum imperatorum & ducum rationes indagâsse, quibus illorum gloriam superaret, imperiíque fines quàm latissimè proferret: sicuti & præstitit. De cujus horrendis magis quàm stupendis adversùs Christianos progressibus (quos interim ut incautos redderet & securos, fœdus cum Imperatore Constantinopolitano, ejúsque fratribus, & Militibus Rhodiis firmum icere simulavit) dicetur suis locis pro ratione temporum: cæteris ejus bellis, quæ in Asiâ gessit adversùs alios Infideles, apud eorum scriptores legendis dimissis. Quale fuit quod ipso Imperij initio contra Caramanum frequentibus rebellionibus famosum gessit; quem ad veniam petendam, ut semper aliàs, compulit. Totum autem se bellicis curis dare deliberans, expensas multas superfluas resecavit: putà quòd septem millia virorum essent qui accipitres regios curarent, ingénsque eorum numerus qui canes; eos milites esse jussit, sufficere sibi dicens centum viros qui canes, &

[f] Phranz. l. 1. cap. 33.

[g] Barlet. in Vit. Scanderb.

quingentos qui accipitres curarent; nec se eo dementiæ processurum, ut tantam multitudinem propter rem vanam aleret.

XII. ALII AMURATIS FILII A FRATRE EXTINCTI.

Quod verò diximus unum illum superstitem fuisse ex Amuratis liberis, ita intelligendum est, ut nulla fuerit habita ratio infantuli Chialapini, sive Calepini nomine, quem ex recens acceptâ conjuge susceperat: qui sex tantummodò mensium in patris obitu existens, & Chalili Bassæ (quem uno vocabulo Calibassam sive Halimbassam alij dicunt) à patre commendatus, ab eo gratiam apud Mahometem inituro, proditus est; ac verè ipse idem esse per matronas agnitus; fratris jussu, spiritu aquâ infusâ intercluso, sublatus est, ac nihilominùs regiè tumulatus. Cujus necis meminit Chalcondyles; rem distinctiùs descripsit Æneas[h]: addens insuper, existimatum à nonnullis esse, pro Chialapino alium à Chalile suppositum fuisse: ac Chialapinum primò Constantinopoli clàm educatum, post urbis expugnationem delatum esse Venetias, atque inde Romam ad Callistum Papam. Tradit denique Cuspinianus[i] hunc factum esse Christianum, accepto nomine Callisti Othomani; ac posteà in Germaniam ad Fridericum Imperatorem venisse, & apud eum honorificè habitum, in Austriâ consenuisse; eúmque jam senem se juvenem cognovisse, ejúsque colloquio sæpiùs usum esse. Præter quem, meminit etiam idem auctor, aliique, de alio Amuratis infantulo octodecim mensium, nomine Thursine, quem Mahometes æquè extinxerit.

[h] *Æn. Europ cap. 6.*

[i] *Cuspin. de Cæsar. in Mahom. II.*

XIII. NICOLAI PP. COMMONITIONES ET COMMINATIONES AD GRÆCOS.

Nicolaus autem Pontifex ad rem Christianam attentus, ut audivit Amuratis obitum; sive etiam legatione Constantini Imperatoris Græcorum, suppetias postulantis adversus minas Mahometis motus, obicem tolleret, quem Græci apponebant ne descenderet in eos auxilium cœleste, absque quo in vanum laboraretur, eósque ad pœnitentiam & receptionem decretorum in Florentinâ Synodo juratorum, comminatione etiam judicij divini proximè in eos adfuturi adduceret: literas dedit (inquit auctor Gennadius[k] Patriarcha assertus, obstinatum eorundem Græcorum animum exprobrans post cladem Constantinopolitanam) plenas timoris & horroris, quibus apertè cum execratione vaticinatus est excidium & internecionem extremâ infelicium Græcorum: cùm probè gnarus conviciorum & probrorum, quæ à Græcis quotidie impudentissimè in Occidentalem Ecclesiam & Romanum Pontificem jactabantur; scripsit tolerare se illa, exemplo Iesu Domini sempiterni Sacerdotis, qui sterilem ficum usque ad annum tertium jussit asservari, agricola jam ad eam excidendam se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruinam! (exclamat auctor) Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo hanc Nicolaus conscripsit epistolam, & millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta est Constantinopolis. Tres, inquiebat, annos expectabimus, si vos fortè à schismate converteritis, & vos verè decreto Synodi adjunxeritis secundùm Salvatoris de ficu præceptum: sin minùs exscindemini, ne terram otiosam & inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximum; quòd ut in epistolâ ipsâ scribit Nicolaus Papa, Græcorum gens illa magna & formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina, ob divinam ultionem, ita in barbarorum servitutem abducta est. Ita rem deplorat auctor. Tantúmque absfuit ut miseri illi auscultare Pontifici voluerint, ut contrà epistolam hoc ipso anno scripserint nomine Ecclesiæ Constantinopolitanæ, matris (ut vocant) omnium orthodoxorum & magistræ, ad Boëmos Hussitas; quâ eos laudantes quòd non attenderent ullis Romanis innovationibus, sed in fundamento fidei persisterent, hortati sunt in eâ perdurare & secum uniri non secundùm simulatam unionem Florentinam à recto aberrantem, sed secundùm immutabile decretum à Patribus traditum quod ipsi Græci servarent; quæ illorum epistola extat Græcè & Latinè in collectione auctorum Rerum Boëmicarum, reperta in Bibliothecâ Collegij Pragensis Caroli IV.

[k] *Gennad. in Defens. V. Capp. lib. 5. cap. 14.*

GRÆCORUM OBSTINATIO.

EORUM EPISTOLA A BOEMOS.

XIV. ISIDORUS CARD. MITTITUR CONSTANTINOPOLIM.

Misisse verò insuper Nicolaum Pontificem ad eosdem Græcos Constantinopolim Isidorum Cardinalem Ruthenum, ex Æneâ[l] & aliis constat; quòd ut ait, Constantinus Imp. sive deceptus, sive sponte suâ insaniens, haud quaquàm unioni fraternæ consentiret; quinimmò Gregorium Patriarcham ei suffectum qui Florentiæ obierat, quòd ad veritatem fidei ambularet, domo pepulisset, Ecclesiastica bona invadens. (Hunc spontè se abdicâsse, & in Italiam secessisse, post prænunciatam Constantinopolitanam cladem, ex Zygomalâ aliàs[m] meminimus.) Missus itaque, ut Æneas pergit, Isidorus percontatum, quânam ratione Græcanica natio legatorum suorum conventa rejiceret cum Latinis Florentiæ habitâ? satis ex voto ille Imperatorem ejúsque Senatum in rectam viam pellexerat, cùm repentina Turcorum tempestas in Constantinopolitanos emersit. Quod Æneas ex epistolâ Leonardi Chiensis de excidio Constantinopolitano desumpsisse videtur; qui unà cum Isidoro Cardinale Constantinopolim petiit, & recentem hanc unionem, seu fictam, seu veram, Isidori operâ factam esse pridie Idus Decembris (proximi utique anni) scribit.

[l] *Æn. Europ. cap. 3. ad fin.*

[m] *Suprà an. 1440. XIV.*

IESU CHRISTI Annus 1452.

NICOLAI V. An. 6.

FRIDERICI III. An. 13.

CONSTANTINI XV. An. 8.

I. FRIDER. CÆSAR ITALIAM PETIT AD CORONAM IMPERII.

ANNO Christi 1452. Indictione decimâquartâ, ipsis Calendis[a] Ianuarij, Fridericus Cæsar Romam petiturus ad Coronam Imperialem de manu Pontificis accipiendam, Italiam intravit, secum ducens Ladislaum pupillum Hungariæ & Boëmiæ Regem, atque Albertum fratrem suum, splendidúmque nobilitatis Comitatum: sed pacatum & inermem, ne quid formidinis inferret, cùm multi exemplis territi antecedentium Imperatorum suspectum ejus adventum habuissent: adeò ut etiam Nicolaus[b] ipse Pontifex portas Vrbis ac turres, Capitolium, arcem S. Ange-

[a] *Naucler. gen. 49.*

[b] *Platin. in Nicol. V.*

li, muris firmissimis munierit, tam ab eo sibi quàm ejus occasione à populo, cùm esset naturâ formidolosus, timens; eámque ob rem milites omnes suos cum collectitiis copiis Romam acciverit. Honorificentissimè ubique atque lautissimè Fridericus exceptus, subministrato etiam omnibus copiis abundanti commeatu; Venetiis [c] cùm discessuro abacus ex vitro elegantissimo ei offerendus paratus fuisset, annuit ille morioni suo, ut mensam quâ repositus erat commovens vitra everteret: quibus sic confractis arridens Fridericus, dicénsque nunquam aurea vel argentea vasa ad tam levem casum comminuta fore, pro vitreis aurea à Venetis munera extorsit. Inde Ferrariâ Bononiam petens, ibi à Bessarione Cardinale illius civitatis Legato, Apostolico pari magnificentiâ receptus, & Nicolai Perotti oratione laudatus (quem propterea Fridericus, laureâ coronâ donavit) Francisci quoque Sfortiæ oratores audivit [d], invitantes ad coronam ferream de more Mediolani suscipiendam. Qui renuens, (infensum enim ei jam aliàs vidimus; & alioqui prætexuit ipse apud Pontificem [e] pestilitatis tunc ibi grassationem) Florentiâ transiens Senas profectus, sponsam ibi Leonoram è Lusitaniâ deductam excepit: cúmque ipsâ Romam pergens, duobus comitatus Cardinalibus, quos Florentiæ nomine Pontificis obvios habuit; die nonâ Martij (ut Platina habet, cùm Nauclerus decimam-quartam designet) obviam prodeuntibus tredecim Cardinalibus, omníque Vrbis clero & magistratu, ac honorato quoque, eam ingressus est, Marescalco nudum illi ensem præferente; & sub aureo umbraculo ad gradus Sancti Petri deductus, ubi eum Pontifex sede eburneâ sedens Pontificalibus indutus præstolabatur. Cujus pedes osculatus, auri massam de more obtulit: atque Æneas Episcopus Senensis qui eum comitabatur, ejus nomine sermonem [f] ad Pontificem habuit. Sicuti & Ladislaus Rex puer elegantissimus, exosculatis item Pontificis pedibus, orationem Latinam proprio ore, compositam tamen ab ejus præceptore, recitavit de laudibus Pontificis, déque majestate & auctoritate Sedis Apostolicæ, cujus obsequio séque regnáque sua obtulit & commendavit; quam verbatim Historiæ Hussitarum Cochlæus [g] inseruit.

[c] ... rav. lib. ...
[d] Naucler. ibid.
[e] Vid. Victorel. in Addit. ad Ciaccon. in Nic. V.
ROMAM INGREDITUR.
[f] Comment. Pij II. lib. 1.
[g] Cochlæ. lib. 11.

II.
CORONATUR, UNA CUM CONIUGE.

Rogatus deinde Pontifex à Friderico, ut ante omnia de plenitudine potestatis ipsi coronam impertiret regni Longobardorum, quam moris erat accipere Mediolani seu Modoëtiæ; præstitit id Pontifex Idibus Martij apud summum altare basilicæ sancti Petri (confirmatis nihilominùs juribus & consuetudine regni Lombardiæ, & Archiepiscopi Mediolanensis; quæ firma permanere voluit.) Eodémque tempore Leonora per oratores jam anteà desponsata, inter Missarum solemnia denuò ei devincta fuit. Ac decimo-quarto Calendas Aprilis quæ fuit dies Dominica (eo namque die signatur Nicolai Pontificis constitutio [h] de Friderici coronatione, cùm de illâ varient auctores) idem Rex Fridericus, post jusjurandum in jure [i] contentum Pontifici præstitum, albâ indutus, & in canonicum sancti Petri receptus, unctus & solemni ritu coronatus est in Imperatorem Romanorum; usus pallio, ense, sceptro, pomo, coronáque Caroli Magni, ex Nurembergâ ubi asservabantur delatis. Ac post eum Leonora coronam, quæ fuerat conjugis Sigismundi Imp. de manibus pariter Summi Pontificis accepit. Dein Pontifici ad proximam Ecclesiam sanctæ Mariæ, quam Transpontinam vocant, equitanti Imperator stratoris officium exhibuit: indéque Pontifice ad palatium redeunte, Imperator ad pontem Sancti Angeli pergens, ibi Albertum fratrem, plurésque Duces ac Comites ad militiæ provexit honorem: demúmque Lateranum se conferens, splendido ibi convivio exceptus est. Qui sunt ritus observari soliti in coronatione Imperatoris: quos omnes distinctiùs prosecutus est Nauclerus [k]; attigerúntque per partes cæteri auctores: qui plerique omnes hoc præsenti anno rem gestam absque ullâ dubitatione ponunt; quamvis Onuphrius, non rarò sui sensûs homo, sub præcedenti collocet.

[h] Bullar. to. 1. Nicol. V. const. 4.
[i] Dist. 63. cap. 33. tibi. Dom. Patrit. lib. 1. ... S. R. E.
[k] Naucler. gen. 49.

III.

Abiens post hæc Imperator unà cum uxore Neapolim ad Alfonsum Regem uxoris avunculum invisendum; ingenti magnificentiâ [l] ab eo habitus est totâ hebdomadâ sanctâ, & sequenti Paschali. Romámque deinde rediens, per Æneam [m] duas orationes habuit auditorio publico: quarum alterâ gratias egit Summo Pontifici & Cardinalibus de maximis acceptis ab eis beneficiis: altera [n] eosdem hortatus est ad generale Passagium, hoc est expeditionem militarem, adversùs Turcos indicendam atque instruendam in auxilium Græcorum. Iter dehinc in patriam arripiens, apud Ferrariam Borsium Marchionem Estensem, virum ingenio divino (inquit Nauclerus [o]) & moribus supra hominem, in quo nihil non excellens aut admirandum erat, cujus verbâ sapientiâ plena, opera grauissima: cognitâ hominis celsitudine, civitatum Mutinæ & Rhegij-Ledipi, quæ sunt juris Imperij, Ducem creavit. Ibidémque Galeatium Francisci Ducis Mediolanensis filium, cum ingenti apparatu obvium ejus suavi oratione allectus, susceptis ejus muneribus, auratum equitem creavit. Ac Venetiis magnificentissimè iterùm receptus, pluribúsque muneribus donatus, in Germaniam redut; parvâ suî æstimatione in Italiâ relictâ, quòd ut aliàs diximus, pacis studiosior quàm belli esset; faciléque fit ejusmodi Principibus in contemptum populorum martiorum incidere. Sic enim & Collenutius [p] scribit, eum nullam Neapoli, ubi tanto apparatu receptus fuisset, reliquisse virtutis Imperialis aut Regalis famam. Et ne putes hanc esse prædicti auctoris criminari solentissimi calumniam; virum sanctum exhibeo Antoninum, qui Fridericum Florentiâ, cujus ipse erat Archiepiscopus, transeuntem cum clero processionaliter excepit, atque eumdem redeuntem vidit; scribentem [q] nil Imperialis majestatis visum esse in eo, nec liberalitatem, nec sapientiam, cùm quasi semper per alium loqueretur: sed multam cupiditatem, cùm munera honestè quæreret, & libenter acciperet: demùm reversum esse in domum suam cum modicâ opinione virtutis suæ. Ita Antoninus. Cujus verba recitans quoque in suo Chronico Citizensi Langius, ait citasse se

[l] Describit Fac. de Gest. Alfons. lib. 9. ad fi.
[m] Comment. lib. 1.
[n] Ext. ap. Æn. ep. 399.
[o] Naucl. sub an. 1449.
MARCHIO ESTENSIS CREATUR DUX MUTINÆ.
[p] Collen. lib. 6.
FRIDERICUS PARVI ÆSTIMATUS.
[q] Ant. tit. 22. cap. 12. §. 3. in fin.

illum adversùs suos Germanos, qui hunc Fridericum adhuc in humanis agentem supra modum beatificaverunt, & veluti omnigenâ virtute suffultum ad astra usque encomiis (ne dicam, inquit, adulatoriis suis næniis) tulerunt: Quamvis enim fuerit bonus, nihil tamen ejus bonitatem Reipublicæ Christianæ profuisse. In eo tamen Æneas [r] multa fuisse scripsit quæ laudari possent; Corpus egregium, & speciem Imperatore dignam, animum sedatum & tranquillum, ingenium perspicax, memoriam tenaciorem, religionis ardentem zelum, ingentem cupiditatem pacis & otij: Singularem virtutem in quovis homine dilexisse; ædificâsse splendidè; hortos tamen ac gemmas plus æquo amâsse, & in rebus gerendis tardiorem ac remissiorem extitisse; tenacem, & ad rem nimis attentum. Ita ille: Quæ utrum magis convenerint Imperatori Romanorum quàm privato cuipiam, aut modico Principi, judicent Politici.

[r] *Æn. Europ. c.22. ad fin.*

IV. LADISLAUS REX HUNGARIÆ, &c. DIMITTITUR A FRIDERICO.

Quantî sanè fuerit apud suosmet Austrios, ex eo intelligitur quòd ubi ex Italiâ revertit, cùm petitum Ladislaum dimittere nollet, obsederint eum intra novam civitatem; & prælio victum compulerint parùm pro ipsius decoro invitissimè illum iis tradere: quem quidem invitum adeò apud se retinebat, ut etiam in Italiâ, auctore pædagogo suo, fugam sæpiùs tentaverit: Liber autem factus, cùm præ ætate nondum aptus esset administrandis suis regnis, alieno arbitrio ea commendare necesse habuit; Hungariam scilicèt Huniadi, Boëmiam Podiebracio, Austriam Vlrico Ciliæ Comiti avunculo suo. Ex quibus hic postremus turpiter paulò pòst ejectus est cæterorum conjuratione, quòd Regem in potestate habens cuncta pro voluntate gerere diceretur: paulò pòst nihilominùs eidem auctoritati restitutus. Nullâ in his habitâ Friderici Imp. ratione: quinimmò nec ipsius Nicolai Pontificis, qui omninò prohibuerat ne quis tutelam Cæsaris impediret: insipienter sentiente Scholâ Viennensi Austriæ, per appellationem ad futurum Concilium suspendi posse Romani Pontificis mandata. Quomodò & ipsum Ladislaum Regem ad eundem Pontificem post discessum Româ scribere ipsius pædagogus Gaspar docuerat, his penè verbis: Accepi Sanctitatem tuam adversus eos qui pro meâ in Austriâ liberatione laborant nonnullos processus decrevisse. Precor ut eos revoces. Id enim erit officij tui, cùm scriptum sit, pupillo & orphano adstabis. Ac nisi feceris, compelles me majores Iudices appellare. Quæ cuncta ubertim tractata videre est apud Æneam [s]; ex quo Nauclerus [t] plurima descripsit, Cochlæus [u] & Dubravius [x] multa; Bonfinius [y] prætereà quæ Huniadem in his tangunt, egregiè amplificavit; cùm Ciliæ Comiti visum esset, post res Austriales compositas, Regem priùs Hungaris, apud quos natus & coronatus fuerat, exhibere, quàm Boëmis, ad quos anno sequenti deduxit. Denique de Friderico egregium id non omittimus, quod idem Æneas observat; fuisse cum vini parcissimum (non tamen, ut quidam scripsêre, penitùs abstemium) cúmque suaderent medici Leonoræ ejus conjugi, quæ paternâ in domo vinum nunquam gustâsset, in Germaniâ regione frigidâ, si mater fieri vellet, vinum bibere; cùm id accepisset Fridericus, per ipsummet Æneam ei denunciâsse, sterilem se conjugem quàm vinosam malle; proinde si ipsum amaret, vinum odio haberet: Quæ non propterea cessavit à puerperiis, cùm plures liberos Friderico genuisse reperiatur.

LADISLAI CRUDUM EPISTOLIUM AD PONTIFICEM.

[s] *Æn. Boëm. c.60. & 61. & Europ. cap. 22. & ep.409.*
[t] *Naucler. gener.49.*
[u] *Cochl. l.11.*
[x] *Dubrav. lib. 28.*
[y] *Bonfin. 3. dec. 7.*

V. NICOLAI DE CUSA CARD. LABORES INGRATI.

Cùm autem interim plerisque Boëmis in votis habere præseferentibus perfectè uniri Sedi Apostolicæ, Nicolaum de Cusâ Cardinalem Legatum Germaniæ Nicolaus Pontifex prædictis turbis Austrialibus componendis, & paci inter Imp. & Regem procurandæ, unioníque in Boëmiâ conficiendæ, intendere jussisset; repulsam is utrobique passus, re infectâ abiit; ab Austrialibus qui jus in armis habebant rejectus, & à Boëmis non admissus: quibuscum per epistolas dumtaxat agere datum est; quæ inter ejus opera continentur, de vanâ confidentiâ Compactatorum ipsorum, ac de Communione sub unâ vel utrâque specie.

VI. ANGLI ULTIMÒ AQUITANIA PELLUNTUR.

[z] *Monstrel. vol.3. Charter. in Vit. Car. VII. Æn. Europ. cap.43. Polyd. l.23. Gaguin. l.10. Gill. in Annal. &c.*

In Aquitaniâ agentibus [z] quibusdam nobilibus (quamvis fidem Regi jurâssent) de reducendis Anglis Burdegalam; Talbotus veteranus eorum dux cum exercitu adveniens ad mensem Octobris, civitatem dedentibus se civibus recepit, multáque alia circùm oppida & castra. Adversùs quem missis à Rege insignibus belli ducibus cum validis copiis, dum uno eodémque tempore diversis locis Angli impeterentur, contigit mense Iulio anni sequentis (rem namque uno ductu absolvemus) in gravi supremáque cum Anglis pugnâ apud Castellionum Petragoricensis agri Talbotum occidi (cujus filius suasus à patre dum facultas esset in tutum se recipere, egregius juvenis mortem, occumbente patre, vitæ fugæque prætulit:) & sequenti Octobri Burdegalam Regi, qui & ipse advenerat, ab Anglis deditam, mulctatis nihilominùs variis pœnis, illis qui eos revocaverant; & ad Burdegalenses, gravioribus aliquantò quàm priùs conditionibus receptos, in officio continendos, constructis in urbe duabus arcibus. Angli sine noxâ dimissi, universâ penitus Aquitaniâ cesserunt, postquàm illam aut totam aut maximâ parte trecentis circiter annis possedissent: quam sicut per unum Henricum ipsorum Regem obtinuerant, ita sub alio Henrico eam amiserunt. Adeóque tunc ejecti sunt ex Galliâ, ut nihil eis reliquum fuerit; præter Caletum cum ei contributis angustis finibus. Quod visum est ad aliquod adhuc tempus eis dimissum in spem recuperationis deperditorum. Sic enim cùm paulò antè misisset Nicolaus Pontifex Guillelmum Cardinalem Estotavillam tituli Sancti Martini in montibus, Archiepiscopum Rotomagensem, in Galliam ad Carolum Regem, & Bartholomæum Roverellam Archiepiscopum Ravennatem in Angliam ad Henricum, qui eos ad pacem, & Turcorum bellum hortarentur; Carolo æquum se in his promptúmque exhibente (ad quem etiam extat egregia atque prolixa eâ de re scripta à Francisco Philelpho [a] epistola hortatoria) Henricus respondit, cùm tantum terræ à Francis Angli sustulissent quantum Carolus ab eis, tum opportunum fore ut de pace conventio haberetur. Narrant hæc, résque prædicti belli, Monstreletus, Gaguinus, & alij Rerum Francicarum auctores. Qui nec de prædicto Cardinale Estotavillâ silent; eum hâc legatione auctoritate

[a] *Philel. Epist. lib.9.*

b Masson. in Nicol. V.

CARD. ESTOTAVILLA ACADEMIAM PARIS. INSTAURAT.

Pontificiâ Academiam Parisiensem optimis constitutis legibus instauràsse Calendis [b] Iunij præsentis anni, excommunicationis mucrone feriendo eos qui positarum à se legum prævaricatores forent. De quo item reperimus in Chronico Ecclesiæ Burdegalensis, quod sæpè aliàs citavimus; sub eo factum esse de mandato Regis conventum Prælatorum Ecclesiæ Gallicanæ in civitate Bituricensi Calendis Iunij hujus ipsius anni; in quo fuit disputatum de Pragmaticâ Sanctione; ac visum plerisque omnibus, eam debere servari: exceptis oratoribus Petri Archiepiscopi & Ecclesiæ Burdegalensis, asserentibus Pontifici Romano & Sedi Apostolicæ dimittendam esse plenam potestatem: quibus solus Elias Episcopus Petragoricensis adhæserit.

VII. NUMISMATA DE ANGLOR. PULSIONE.

Post pulsos verò Galliâ Anglos, in laudem Caroli Regis, & Iustitiæ ac Literarum postliminiò restitutionem, Pacísque redditionem, inter cætera publicæ gratulationis signa, cusa fuêre aliquot grandia numismata, quorum figuras videre est in Opere Franciæ metallicæ, non ita pridem in lucem edito. In quibus unum est repræsentans parte anticâ Regem in solio suo sedentem habitu regio, gladium dextrâ, crucem sinistrâ tenentem: posticâ eundem armatum equo insidentem, gladióque exerto velut in hostes insilientem. Alterum parte anticâ literam K; (nomen Karoli denotantem) coronatam, & liliis circumdatam habens: posticâ regni insignia; tria scilicèt Lilia coronata. Et in utriusque numi circuitu; in antico quidem hanc insculptam inscriptionem, *Regna patris possidens, in pacéque Lilia tenens, hostibus fugatis, Rex vivas Septime regnans Karole, ferox rebellibus, subditis æquus, erga tuos justus, in hostes fortis & verax.* In postico, *Ferro pacem quæsitam Iustitiâ magnâ conservas Christo devotus, milites disciplinâ coërcens. In ævum regnes, hos insignes peragens actus, Tempora de Literis hic & retro respice sciens.* Tertium ejusdem figuræ cum prædicto secundo: Sed in antico habens hæc verba: *Gallia perdita, nunc tibi reddita, laude fruatur: Hostes jam dubitent cùm tota tibi famuletur, cui vis inest tanta, & ipsos non suscipit ultrà: militia lata clarescunt Lilia trina.* In postico: *Gloria pax tibi sit Rex Carole laúsque perennis: Regnum Francorum tanto discrimine labens, hostili rabie victa virtute reornans, Christi consilio Legis & auxilio.*

VIII. AMEDEI, OLIM FELICIS PP. OBITUS.

c Pingon. in Arbor. gentil. Sabaud. Princip.
d In Amed. Pacif.

Hoc item anno mense Ianuario mortuum esse *Amedeum* Cardinalem Sabinensem & Apostolicum Legatum, olim Felicem in suâ obedientiâ Papam, scribit Vanderburchius in Historiâ Sabaudicâ, ex plerorumque sententia; cùm, ut ait, alij in quinquagesimum nonum annum referant. Pingonius [c] etiam præcedenti 1451. ponit. Ac Monotus [d] ex quâdam Nicolai Pontificis constitutione datâ post ejus obitum in gratiam Ludovici Sabaudiæ Ducis ejus filij successoris, pro confirmatione emptionum omnium dominiorum, terrarum, possessionum, &c. necnon jocalium & bonorum mobilium, per Amedeum tempore Papatûs, & Legationis factarum & contractarum: quæ consignatur anno 1450. pridie Cal. Mart. Pontificatûs Nicolai 4. si nullum in hos numeros vitium irrepsit, eodem anno Amedei obitum constituendum censet. Eum autem cum opinione sanctitatis decessisse, multi tradunt: & dissertè Bergomensis [e], post obitum miraculis effulsisse. Quem idem Pingonius ait vixisse annos sexaginta septem, menses quatuor, diem unum: obiisse Genevæ Idibus Ianuarij; ac Ripaliæ sepultum esse; ossa posteà Taurinum translata in Ecclesiam S. Ioannis. Adversùs cujus filium prædictum Ludovicum præsenti anno Carolum Francorum Regem aliquâ de causâ arma movisse, sed opera Cardinalis Estotevillani, cùm à legatione quam diximus ad Pontificem reverteretur, Carolum placatum esse satisfactione Ludovici Franci auctores referunt, causam tamen certam indignationis Regis non exprimentes; quam & Vanderburchius quæritando defecit. Fuisse porrò Ludovicum virum mansuetum & amantem otij, ac parere quàm imperare aptiorem, & propterea uxorem ejus, Regis Cypri sororem, audacem feminam, ejus abusam ingenio regimen omne ad se traxisse; Gobellinus [f] seu Æneas Silvius scribit.

e Bergom. lib. 15.

f Comment. Pij II. lib. 7

IX. IUDÆORUM SCELUS PUNITUR IN SILESIA.

g Annal. Siles.

Eodem anno [g] totâ penè Silesiâ ditionis Boëmicæ (Slesiam nonnulli, Sclesiam alij vocant) Iudæorum pervicacissima natio viri, mulieres, pueri, ob affectam contumeliâ sacratissimam Eucharistiam, ingenti numero capti sunt, & flammis consumpti. Et Ioannes Capistranus Fratres Observantes S. Francisci ex reformatione S. Bernardini pluribus locis ejusdem provinciæ invexit.

IESU CHRISTI Annus 1453.

NICOLAI V. An. 7.

FRIDERICI III. An. 14.

CONSTANTINI XV. An. 9.

I. IUSTA DEI IN GRÆCOS ANIMADVERSIO.

a Suprà an. 1451. X.

ANNO Christi 1453. Indictione primâ, adimpleta est prophetia [a], quam vidimus, Nicolai Romani Pontificis super obdurratione Græcorum in schismatis & hæresis suæ defensione. Ploratus & ululatus auditus est per universum terrarum orbem ex urbis Constantinopolitanæ, secundæ Romæ, alterius oculi mundi, expugnatione per Mahometem perfidissimum ac crudelissimum Turcorum Imperatorem: *prævaricatione & inobedientiâ accipiente* secundùm Apostolum [b] *justam retributionem mercedis.* Dicente Græcis Deo, *Despexistis* [c] *omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.* Et Propheta [d], *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? cum fatigatus desieris contemnere, contemnêris.* Et Sancto Stephano [e] appositissimè improperante, *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Inde enim eis potissimè malum: ad quod curandum quantum egerint Romani Pontifices Conciliis, consiliis, literis, legationibus, hortationibus, comminationibus, expensis, auxiliis; arguentes, obsecrantes, increpantes; instantes opportunè importunè; nihil denique omittentes quo possent eos in viam

b Hebr. 2.

c Proverb. 1.

d Isai. 33.

e Act. 7.

veritatis reducere; superiùs vidimus cunctis eorum conatibus apud obstinatissimam gentem, & si quando resipiscere visa est, in relapsum pronissimam, incassùm impensis. Cùm & præterea quantò plus Turci provinciis eos & urbibus spoliarent, tantò acriùs & animosiùs inter se digladiarentur: ita videbantur dolere de tarditate suæ ruinæ.

II. RATIO TEMPORIS DE AMISSIONE URBIS CŌSTANTINOP.

Captam verò esse hoc anno Constantinopolim, communis est omnium antiquorum sententia; ut non sint audiendi recentiores qui præcedenti ponunt [f] quantumvis magni nominis viri. Nam quod apud Æneam, qui tunc vivebat, in ejus Europâ [g] ita scriptum reperitur; vel lapsus est memoriæ, vel error librarij: cùm idem ipse Æneas epistolis [h] quamplurimis tunc quando urbs capta est scriptis ad diversos annum præsentem 1453. disertè consignet. Sicuti & suâ de eâdem clade ad Fridericum Imp. scriptâ Foscarus [i] Dux Venetiarum; addens insuper Indictionem primam, quæ præsentem non præcedentem annum designat. Accedúntque ipsorummet qui Constantinopoli tunc interfuerunt, testimonia: Leonardi Chiensis Archiepiscopi Mitylenensis, qui unà cum Isidoro Cardinali Rutheno interfuit, captúsque fuit, Historiâ de urbis jacturâ ad Nicolaum Pontificem mox exaratâ, quæ pariter eodem anno inscribitur: & Phranzis [k] qui æquè in manus hostium incidit, cùm annum Mundi 6961. numerat. Quibus & adstipulatur Chalcondyles [l], dum annum tertium Imperij Mahometis signat: & Annales [m] Turcorum, cùm annum Hegiræ ipsorum 857. Gennadius [n] electus post captam urbem Patriarcha, disertissimè. Imperator item Fridericus, cùm de his scribens [o] ad Nicolaum Pontificem docet ea contigisse anno subsequenti post ipsius Romanum & Neapolitanum iter, quod anno præterito contigisse vidimus. S. Antoninus [p] qui tunc pariter scribebat, Spanduginus [q], Auctores Turcogræciæ [r]; Monstreletus [s] tunc quoque vivens, Nauclerus [t], Trithemius [u], Krantzius [x], Bergomensis [y], Magnum Chronicon Belgicum, Fortalitium [z] Fidei, Barletius [a], Bonfinius [b], Boëthius [c], Michovius [d], Palmerius [e], Genebrardus [f], Bossius [g], Drechslerus [h], ac cæterorum ingens turba. Ac denique cùm concors sit omnium sententia, captam esse Constantinopolim feriâ tertiâ sive die Martis vigesimâ nonâ Maij; cadit hic character in præsentem annum quo Pascha fuit die primâ Aprilis; non in præcedentem, quo nonâ. Vt jam pudor sit de eo ampliùs dubitare. Putamúsque illos alios deceptos fuisse ex procemio Epistolæ Isidori Cardinalis de Expugnatione urbis, editæ in Farragine tractatuum de Rebus Turcicis post Chalcondylem Clauseri, ubi annus millesimus quadringentesimus quinquagesimus secundus consignatur. Qui si ad obsidionem, & non magis ad legationem à Græcis ad Nicolaum Pontificem missam pro auxiliis, de quâ simul ibi agitur, referatur; manifestus error esse intelligitur, cùm ex cæterorum consensu; tum ex eo quòd S. Antoninus [i], cujus illud procemium esse dignoscitur, disertè ponat annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum tertium. At de tempore plus quàm satis. Rem autem gestam Græci, ut propriam, diligentiùs descripserunt; maximéque idem Phranzes, qui pars quædam ejus fuit, adhærens, semper Imperatori Constantino, utpotè Protovestiarius ejus ac Magnus Logotheta; & Leonardus Archiepiscopus, qui pariter consiliis interfuit. De quâ etiam paulò distinctiùs agere nobis visum, tanquam de præcelsissimo Turcorum hactenùs facinore, & funestissimâ omnium quæ ab iis acciderunt Christianis clade, ad Historiam Ecclesiasticam maximè pertinente.

[f] *Sabell. 10. En. 6. Onuph in Chron. Eccl. (at in Impp. ponit hoc an.) Iof. Scalig. &c.*
[g] *Æn. Europ c. 7. in fin.*
[h] *Id. ep. 135. 136. 138. 139. 141. 147. 155. 156. 162. & 164.*
[i] *Ap. Æn. ep. 159.*
[k] *Phranz. l. 3. c. 7. & 17.*
[l] *Chalcond. lib. 8.*
[m] *Ap. Leuncl. Hist. l. 15. & Pandect. num. 129.*
[n] *Defens. V. Capp. lib. 5. cap. 14.*
[o] *Ap. Æn. ep. 163.*
[p] *Ant. tit. 22. c. 13. in pr. & §. 14.*
[q] *Spandug. in Hist. Turc.*
[r] *Turcog. l. 1. & 2. in pr.*
[s] *Monstrel. vol. 3.*
[t] *Naucler. gener. 49.*
[u] *Trith. in Chron. Sponheim.*
[x] *Krantz. 11. Saxon. 34. & 12. Vvandal. 18.*
[y] *Bergom. in Supplem.*
[z] *Fortal. bell. 156.*
[a] *Barlet. in Reb. gest. Scanderb.*
[b] *Bonf. 3. dec. 8.*
[c] *Boëth. Hist. Scot. lib. 18.*
[d] *Michov. lib. 4. c. 65.*
[e] *Palerm. in Chron.*
[f] *Genebr. in Chronol.*
[g] *Boss in Chr. Mediol.*
[h] *Drechsler. de Reb. Turc.*
[i] *Ant. d. §. 14.*

III. MAHOMETES PARAT OBSIDIONEM URBIS.

Cùm igitur ardentissimus juvenis Mahometes inito regno volvere animo cœpisset quomodò progenitorum suorum laudes rerum gestarum gloriâ superare posset; id cumulatè factum iri si Constantinopolim expugnaret, quam ipsi sæpiùs aggressi turpiter defecissent, existimans, eam invadendam suscepit: Ac re cum paucis è suis communicatâ, primùm omnium munitionem ad angustias Bosphori non longè à Constantinopoli construere deliberavit; ad quam & tutum perfugium haberet, eâdémque navium appulsum è Ponto Euxino ad regiam urbem impediret, & Turcis ex Asiâ in Europam facilem transmissionem pararet. Confecítque eam mirâ celeritate jam anno superiori, unà cum arce tribus constante firmissimis turribus, quas Phranzes [k] & Chalcondyles [l] describunt, atque uberiùs Leunclavius in Pandectis [m] Historiæ Turcicæ. Quod opus cùm armis disturbare vellet Constantinus Imp. calliditatem Mahometis non ignorans; adeò tamen à suis, nihil periculi inde timentibus, non permissus est, ne videretur fœdus infringere, virésque Turcorum in perniciem urbis & Imperij commovere; ut etiam scribat Zygomalas [n], cives Constantinopolitanos quæ usui erant constructioni arcis, alimentáque subministrâsse, metu ejus armorum, & vanâ persuasione posse se facilè eam arcem ut in propinquo sitam disjicere. Qui nihilominùs diffidentes suis viribus, ad Nicolaum Pontificem ac Latinos confugerunt pro auxiliis & pecuniis. Sed eos non exaudivit Nicolaus (inquit Antoninus [o] in supradicto procemio Epistolæ Isidori Cardinalis) indignum ducens Italiam exhaustam pecuniis, propter expensas bellorum novis gravare exactionibus: cùm ipsi Græci suis se possent juvare pecuniis ad conducendos milites; nisi avaritiâ excæcati maluissent thesauros suos ac divitias abscondere, quæ posteà in manus inciderunt hostium, quàm postulanti Imperatori in stipendia militum pro suâ conservatione exhibere. Fuisse nihilominùs Pontifici in animo classe & milite Græcos juvare, scribit Platina; sed repentinam adeò fuisse Turcorum invasionem, ut res frustrà tentata sit. Et Æneas [p], structam ei rei classem ab eo simul & Venetis ac Genuensibus & Catalanis.

[k] *Phrantz. lib. 3. cap. 7.*
[l] *Chalcond. lib. 8. in pr.*
[m] *Pand. num. 128.*
[n] *Turcogr. l. 1.*
[o] *Ant. d. §. 14.*
[p] *Æn. ep. 155.*

IV.

Cæterùm munitâ Mahometes prædictâ arce præsidio & armis, Adrianopolim concessit: misítque inde nonnullos è suis ducibus cum copiis in Peloponnesum, ad distinendos fratres Imperatoris, ne possent ei suppetias ire. Totâque hieme laboratum ab eo est congerendis & construendis omnis generis navibus, & bombardis atque tormentis immensæ magnitudinis: in quibus una fuisse dicitur, cui trahendæ adhiberi debuerint septuaginta juga boum, & viri bis mille; ejúsque tonitru fini-

BOMBARDÆ INGENTIS MAGNITUDINIS.

tima

tima regio usque ad quadraginta stadia concuteretur: quibus tamen nonnisi lapides emittebantur, cùm nondum, ut putamus [q], globorum ferreorum nec tormentorum æneorum Turcis usus esset; lapidem autem quem fulgur illud duodecim spithamas ore patens vibrabat, pondo 1200. fuisse tradunt; alterius verò bombardæ paulò minoris 1000. aliæque 800. præter infinitum propè minorum omnis generis numerum.

[q] *Vide infrà an. 1494. de Bell. Neapol.*

V.

Adveniente igitur vere præsentis anni, collectis immensis copiis tam ex Europâ quàm Asiâ, omnibúsque ad obsidionem urbis necessariis abundantissimè paratis; certúsque nihil sibi timendum esse à Principibus Occidentalibus, quos sciret malle inter se ad internecionem cum neglectu fidei quam publicè profiterentur concertare, quàm Deo contra ipsius hostes militare: præmisit crudelis ac perfidus tyrannus partem exercitûs, quo turres omnes ac munitiones quæ extra urbem erant, everteret. Ipséque ad principium Aprilis cum innumerabilibus equestribus pedestribúsque copiis adveniens castra posuit: quorum situm Phranzes & Chalcondyles describunt. Affuit & classis, in quâ triremes circiter centum, dromones sive celoces ac naves minores centum triginta. (Ita enim Phranzes, cùm Chalcondyles triremes triginta, minores naves ducentas ponat; in numero pares, in navium formâ dispares: sed ubi discordant, potior videtur fides Phranzis, qui videbat, nisi nos interpres deceperit, quàm Chalcondylis qui nonnisi auditu pòst accepit.) Sícque circumvallata urbs est, cujus ambitum Phranzes & Leonardus decem & octo milliarium, Chalcondyles centum & undecim stadiorum facit: quæ cùm non adeò videantur convenire, propiùs ad Chalcondylem accedit Petrus Gyllius [r] in urbis descriptione, dum tredecim circiter milliaria ejus ambitui tribuit, quæ communi æstimatione conficiunt centum & quatuor stadia. Cùm autem portum, extentâ ad angustias sinûs inter Galatam sive Peram & Constantinopolim, eximiæ longitudinis & crassitudinis catenâ ferreâ, Græci occlusissent, ne classis hostium eum occupare posset; ac præterea intra catenam aliquot essent armatæ naves, quæ hostilium incursum prohiberent, tres Ligures, una Catalanica, tres Cretenses, séxque Venetæ partim mercatoriæ, partim armatæ: postquàm urbs terrâ, quâ duplici muro firmissimo fossísque profundis cingebatur, per dies multos tormentorum impetu, cuniculis, aggeribus, turribus, scalis, omnium ramorum genere, omni oppugnationis machinamento, die ac nocte appetita ac tentata fuisset; civibus se pro numero egregiè defendentibus: Vbi alia ingens classis Turcica advenit, quò etiam mari urbs oppugnaretur, quâ parte mœnia infirmiora erant; ingens facinus Turci aggressi sunt, quale olim Venetos in bello Lombardico Græculi Cretensis arte usos vidimus [s]; (quâ etiam de causâ existimavit Leonardus, auctorem hujus apud Constantinopolim Turcorum industriæ Turcis fuisse quendam infidum Christianum, qui eam tunc apud Venetos didicisset:) ut septuaginta naves ad terram velis expansis appulsas, à tergo urbis Galatæ, viâ trabibus asseribúsque adipe ac sevo

OBSIDETUR URBS A MAHOMETE.

AMPLITUDO URBIS.

[r] *Gyl. in descript. urb. Constãtinop. lib. 1. c. 3.*

TURCI NAVES TERRA DUCUNT.

[s] *An. 1438. XXXVII.*

perunctis stratâ, aliisque adhibitis diversi generis instrumentis, magnâ hominum manu in collem adduxerint, ac per declivia in portum deduxerint, unicâ nocte tanto opere per septuaginta fermè stadia confecto; stupentibus déque rebus suis desperare incipientibus Græcis; túncque maximè, cum mox pontem ex doliis aliáque materia firmissimum constructum viderunt latum cubitos quinquaginta, qui ad muros pertingeret, ex quo tormentis urbs concuteretur.

VI. PAUCITAS PROPUGNATORUM.

Sícque urbe omni ex parte cinctâ, cùm milites in plures locos ad eam propugnandam distribui necesse esset, facta est longè debilior; quando quidem non plures intùs erant (ut numerum per singulas regiones ac decurias Imperatoris jussu tacitè se collegisse, Phranzes asserit) quàm quater mille nongenti septuaginta viri tam Laïci quàm Monachi qui tolerare militiam possent, præter extraneorum duo millia. Quod sanè in tantâ urbe permirum: nisi contigerit multos ante obsidionem abscessisse, aut cæteram multitudinem deliciis & socordiæ deditam, ineptam fuisse gestandis armis. Nam quadraginta hominum millia in civitate à Turcis necata esse traduntur, & sexaginta millia vincta & vendita: adhuc nihilominùs etiam si triplo major numerus fuisset, deserta ferè dicenda, si amplitudinem consideres, sed hanc vastitatem in urbe vastissimâ schisma religionis, & dissidia Imperij effecêre. Leonardus autem numerum militum augens, sex millia Græcorum, tria exterorum, Venetorum scilicèt ac Genuensium, extitisse scribit. Sed quid demùm hoc ad tantam urbem adversùs tantam Turcorum coactionem? quam multi trecentorum millium, Chalcondyles quadraginta myriadum, hoc est quadringentorum millium fuisse scribit; Phranzes confidentiùs, terrestres copias ducentorum quinquaginta octo millium, maritimas trecentarum viginti navium omnis generis quas nihilominùs Annales Turcici quadringentas fuisse ponunt.

NUMERUS OBSIDENTIUM.

VII.

Tradunt, cùm magnâ illa bombarda, quòd non esset metalli adeò puri, & propter continentem jaculationem, dum aliquando exploderetur in frusta dissiliens multos necâsset, ejus diruptione commotum Mahometem edixisse ne quid illo die ampliùs in Christianos moveretur; aliâ nihilominùs majore fieri jussâ: & cùm multas præterea machinas muris diruendis ingenti adnisu admoveret; nihil non agens quo Græcos continuâ fatigatione opprimeret, adeò de eorum fortissimâ ac ferè plusquàm humanâ propugnatione; & murorum quos tormenta disjicerent, reparatione obstupuisse, ut aliquando exclamaverit, etiamsi multæ Chiliades Prophetarum prænunciâssent facturos unâ nocte Græcos quod fecisse videbat, fidem illis minimè habiturum fuisse. Qui autem hæc præcipuè apud Græcos operabatur, *Ioannes Iustinianus* erat cognomine *Longus* patriâ Genuensis; navium Ligusticarum quæ in portu erant, præfectus: qui Græcorum ignaviam miseratus, ut (Zygomalas ipse Græcus ingenuè fatetur) acceptâ ab Imperatore rerum inter civitatem summâ, itâ suâ dexteritate, constantiâ, ac fortitudine Turcorum conatus elusit, ut quamdiù is stetit, steterit etiam civitas;

STUPET MAHOMETES AD FORTITUDINEM PROPUGNATORUM.

Io. IUSTINIANUS COLUMEN URBIS.

ubi cecidit, ceciderit & ipsa: habens etiam secum Ioannem quendam hominem Germanum, machinarum bellicarum, reíque tormentariæ, cuniculorum, ignis Græci, aliorúmque ejusmodi Castrensium operum insignem Architectum. Visis interim tribus navibus Ligusticis, quæ ex Chio insulâ in subsidium urbis armis, militibus, commeatu instructæ ferebantur, ducentes secum aliam Imperatoris frumentum è Siciliâ advehentem:

INGENS FACINUS IV. NAVIUM SUPPETIAS URBI FERENTIŪ.

(Tot enim fuisse & Phranzes & Leonardus Chiensis, qui intuebantur, disertè tradunt; cùm Chalcondyles nonnisi duas habeat, Imperatoriam & unam Genuensem:) classis Turcica (inspectante Mahomete, ingenti clamore illas propè littus adorta; quæ nullo negotio eas intercipere putabat, post longam & acerrimam pugnam turpiter fugata est, grandi hominum & navium clade: adeò ad hæc Mahomete iram, minas, furorem spirante, & blasphemias, atque in suos maledicta evomente, ut etiam subditis equo calcaribus præ rabie pelagus tanquam ad pugnam unà cum multis è suis ingressus sit, & tantùm non undis absorptus. Verùm tam ipse hoc vanè, quàm ejus classis navium illarum aggressionem; quæ demùm salvæ portum subierunt, nullo penitùs ex suis amisso, sed tantùm nonnullis vulneratis qui pòst decesserunt: cùm essent Turcicæ quæ pugnam inierunt, centum & quinquaginta, ut Phranzes, sive circiter ducentæ, ut Leonardus habet: cæsique ex Turcis fuerint secundùm Phranzem supra duodecim mille, secundùm Leonardum decem propè mille. Mahometes autem præfectum classis cùm palo transadigere cogitaret, primorum aulæ precibus dignitate & bonis privatum vitæ servavit.

VIII. DISSENSIONES INTERNÆ.

His igitur paululùm recreati obsessi, cùm nihilominùs bellum ingravesceret in dies, quòd ad hostes milites recentes quotidie adventarent Græcorum autem res assiduis interitionibus acciderentur; contigit insuper ut divisionibus agitari cœperint, tam Veneti & Genuenses inter se invicem sibi sinistros aliquos eventus improperantes; quàm Iustinianus præfectus cum Notarâ Græco Magno Duce ipsi invidente: necnon & murmurationibus plebis de penuriâ conquerentis. Quæ incommoda in tanto omnium discrimine sedare adnisus Constantinus Imperator, dissidentes in mutuam gratiam hortationibus suis reduxit: ut autem indigentibus subveniret, ac stipendia militibus extraneis numeraret, cùm ditiores cives inopiam causarentur, nec eos Imperator irritare auderet; coactus est ad vasa Ecclesiæ recurrere, quæ conflavit cum promissione restituendi quadruplum, si urbs liberaretur.

IX. MAHOMETES RECURRIT AD ARTES.

Perspiciens autem Mahometes parùm se proficere, eò quòd murorum civitatis ruinæ confestim redintegrarentur, fossæ à suis repletæ mox exinanirentur arte ac virtute Iustiniani: animi anxius, & Iustinianum auro corrumpere clàm quæsivit; & cùm non succederet, pacem cupere simulavit, sed iis conditionibus, quas Græcos haud accepturos sciret; qui & illis rejectis decreverunt potiùs aleam subire certaminis. Quare & existimat Chalcondyles pacem illum obtulisse, ut Græcorum animos tentaret, utrùm adhuc satis roboris haberent ad ultimum quod parabat certaminis discrimen sustinendum: Leonardus, quòd moris esset Turcorum, antequàm certamen generale committerent, hostibus optionem pacis offerre; ut sic excusabiles viderentur, si eâ non acceptâ eos ultimo exterminio invaderent. Cùm autem interim rumores ejus exercitum pervasissent, classem ex Italiâ ad opem Græcis ferendam advenire, & Ioannem Huniadem ex Hungariâ cum terrestribus copiis; indéque Turci timore perculsi in ipsum Mahometem maledicta jacere cœpissent, quò impossibilia cum certâ ipsorum pernicie tentaret; sed & territi omnes essent ex quodam portento, quo vis corusca luminis è cœlo supra urbem demissa visa est Turcis (Christianis nihil videntibus) eam totâ nocte tegere: mœrore & ipse Mahometes ex his oppressus, penè & contabuit cùm coacto procerum suorum consilio audivit Halimbassam Consilij principem, qui olim obsidionem dissuasisset, jam ejus solutionem omninò suadere. Verùm ab aliis, rumores auxiliorum falsos esse asserentibus; & ostentum luminis, quod nocte sequenti ita procul apparuit ut repentè discussum evanuerit, sic interpretantibus ut videretur Deus urbem deseruisse: ad ultimum conatum animatus, omninò statuit urbem totis viribus terrâ maríque die vigesimâ nonâ Maij oppugnare.

OSTENTUM DE DIVINA URBIS DESERTIONE.

APPARATUS PIUS ULTIMÆ OPPUGNATIONIS.

Et concessâ militibus prædâ, promissâque ei qui primus in supremum murum evaderet nobilissimâ præfecturâ, jussit toto antè triduo exercitum jejunare usque ad noctem, lumina facésque Deo accendere, sæpiùs lavare, & preces ad Deum pro victoriâ fundere. Quâ de re Imperator ab Halibassa, qui benè Græcis volebat, secretò certior redditus, & forti animo rem agere monitus, quò hoc repulso insultu obsidio solvenda foret; præcepit pariter, solemnes supplicationes cum sacrarum Imaginum & Reliquiarum delatione ab Episcopis, sacerdotibus, Monachis, viris, feminis, pueris, cum lacrymis nudísque pedibus per urbem fieri. Omnésque hinc inde tam Christiani quàm Turci, inter se ipsos osculantes, & mutuam offensarum dimissionem impertientes, tanquam postridie morituri, mutuò ad rem strenuè agendam hortabantur. Imperator in augustissimo Sapientiæ templo Sacrosanctam Eucharistiam cum pluribus aliis percepit.

X. OPPUGNATIO EXTREMA URBIS.

Die igitur Martis vigesimâ nonâ Maij, cœptâ longè ante lucem per inutiliores Turcos oppugnatione, ut eis debellandis Christiani lassati faciliùs à recentibus supervenientibus militibus superarentur: cùm per aliquot horas strenuissimè pugnatum esset ingenti Turcorum cæde, accidit ut Iustinianus, qui solus videbatur rem Christianorum sustinere, sagittâ dextrum crus ictus (Chalcondyles manum globulo bombardæ ait) ubi fluitare sanguinem suum animadvertit, quamvis haud lethale vulnus esset, demisso animo, loco suæ stationis abscesserit, nullo vice suî substituto quo milites ejus conturbati dum remissiùs pugnant, urgentibus acriùs Turcis, casu eò Imperator qui quaquaversùm cum paucis cursitabat opem singulis laturus, veniens; ubi perturbationis causam intellexit, Iustinianum insecutus reducere tentavit. Sed is nihilomagis flexus,

IUSTINIANI TURPIS DESERTIO.

jussâ aperiri portâ ad vulnus curandum (pugnabatur enim inter muros urbis qui altiores erant, & antemuralia quæ humiliora, obseratis urbis januis, ne quis pedem referre posset, fortiúsque hosti resisteret) urbe relictâ Peram trajecit, atque inde Chium navigavit; ubi aut dolore vulneris, aut pudore fugæ inglorius periit; quem felicissimum omnes prædicâssent, si in ipsis urbis Constantinopolitanæ mœnibus animam exhalâsset. In Chio namque eum obiisse Leonardus Chiensis tradit: cùm Phranzes apud Galatam. Observátque Chalcondyles; cùm Imperator eum ad prælium revocans percontaretur quò abiret, respondisse, eà quà Turcis Deus ipse iter aperiret. Vti sanè visus est fatali, si dicere liceat, casu potiùs animo fractus, quàm vulnere debilitatus aufugisse. Portâ autem urbis semel apertâ, cùm confertim & cæteri, cernentes Turcos jam antemurale occupâsse, ad eam concurrerent ad muros internos defendendos (hoc enim potiùs cum antiquioribus putamus, quàm cum aliis, ut fuga fieret ex urbe foras; cùm nondum Turci ingressi essent interiora urbis mœnia) adeò sese invicem in eâ compresserunt, ut perierint circiter octingenti. In quibus & ipse Imperator manu propriâ fortissimè dimicans, à multitudine abreptus, cadens resurgénsque relapsus cæterorum conculcatione oppressus periit. Sic enim eum obiisse Leonardus disertè scribit; cùm ejus mortis genus Phranzes non exprimat, nisi quòd magis pugnando occubuisse innuere videtur. Chalcondyles utrumque habet, & periisse ex vulnere in humero accepto, & in portâ expirâsse. Quod autem ait Leonardus, ipsum cùm rem desperatam cerneret, exclamâsse ut quispiam è suis proprio ipsius Imp. gladio ipsum confoderet, ne majestas Imperialis irrisui & ludibrio Turcorum exponeretur: potiùs hoc dictum putamus ad suos in hostes animandos tanti periculi objectu, aut denique ex animi in tali rerum confusione perturbatione; quàm ut manus sibi ipse inferre (uti Sabellicus [ss] interpretatur) cogitaverit. De cujus animâ nos econtrà benè sentiendum existimamus, eò quòd cùm paulò ante obsidionem, ut diximus, hortatu Isidori Cardinalis unioni Ecclesiæ Romanæ consensisset; obsidionis tempore multa Christianæ pietatis opera exercuerit, sacramentorum perceptione ad felicem exitum se præparaverit, ac demùm pro fidei defensione gloriosam mortem oppetierit: cùm vixisset, ut Phranzes ejus familiaris ait, annos omninò undequinquaginta, menses tres, dies viginti; regnâsset ex ejusdem computo (de quo nos in ejus ingressu) annos quatuor & menses totidem; ex nostro, octo.

VRBS EXPUGNATUR.

IMPER. CŌSTANTINUS NECATUR.

ss Sabell. 3. dec. 7.

XI.

Cætera quæ ad urbis expugnationem, & Turcorum in eam impressionem spectant, referunt iidem auctores qui interfuerunt Phranzes & Leonardus, quíque tunc pariter vixerunt Chalcondyles & Æneas [t], atque ex iis plurimi posteriores: qui æquè omnes unà cum Isidoro [u] Cardinale, in adeò acerbâ clade, & miseriis ac calamitatibus quibus afflictissima civitas effecta est, deplorandis stylum exercuêre; longè tamen illum, ut putamus, quantumvis luculentum, & ad lacrymas eliciendas ac commiserationem commovendam exquisitissimum (etiamsi & versus Virgilianos, & quoscumque alios lugubriores ad dolorem exprimendum, uti solent, addideris) infra rem ipsam; quam talem dixerimus, ut, quod aliquando à Paulo [x] Apostolo de gloriâ paradisi pronunciatum est, neque oculus similem unquam viderit, neque auris audiverit, neque cor hominis apprehenderit: dignam, quæ à Ieremiâ, qui solus, ut Nazianzenus alicubi ait, novit lamentationes exæquare calamitatibus, Ierosolymitanæ assimiletur. Illud verò etiam cunctis ipsius threnis longè lugubrius; quod impij Turci Sacrosanctum Corpus & Sanguinem Christi in terram projicere atque infundere non dubitaverint; & sacram Crucifixi Imaginem per derisum, tubis ac tympanis præeuntibus, ex urbe ad tentoria sua deferentes, & pileo Turcico capiti imposito, iterùm Cruci affixerint, & sputo, luto, sordibus inquinatum, hunc esse Christianorum Deum conclamârint. Vt omittamus cæterarum Imaginum aut confractionem aut combustionem; sacrarum Reliquiarum canibus ac suibus objectionem; templorum turpissimam profanationem, dilapidationem, vasorum direptionem, altarium diruptionem; virginum sacrarum, matronarum, adolescentum libidinosa ludibria; virorum Ecclesiasticorum ac Monachorum, cæterorúmque omnis generis, sexûs, ætatis hominum tractionem, distractionem, venditionem, truncationem: thesaurorum erutionem, quos ipso belli principio infelices suffoderant; quibus si pro defensione urbis usi fuissent, suam fortassè vitam & patriæ libertatem servâssent: denique ut nihil intactum remaneret, Augustalium sepulcrorum effossionem ad aurea inde ornamenta auferenda, & cadaverum dissipationem.

t Æn. de Europ. c. 7. epist. 131. 155. 162.
u Isid. ep. de Expugn. Constantinopol.

x 1. Cor. 2.

HORRENDA CALAMITAS URBIS.

XII. QUO DIE CAPTA FUERIT.

Capta autem est urbs, ut diximus, feriâ tertiâ sive Martis, vigesimâ nonâ Maij, seu quartâ Calendas Iunij, ut omnes consentiunt. Quod verò nonnulli recentiores addunt, fuisse tunc tempus Pentecostes; dixerunt id ipsi, sive persuasi cladem contigisse anno 1452. quo dies Pentecostes incidit in diem vigesimum octavum Maij; ut sic argumentarentur illatam Græcis illam esse in pœnam eorum hæresis de Spiritu Sancto: sive absque ullo temporis examine, etiamsi cladem ponant anno 1453. noluerint argumentationem illam de Spiritu Sancto prætermittere: cùm cæteroqui dies Pentecostes præsenti anno 1453. quo Pascha contigit primâ Aprilis, inciderit in vigesimam Maij; ac proinde clades biduo post illius festi octavas, & altero biduo ante celebrationem Corporis Christi. In quibus habent satis qui mysteria quærunt quæ philosophentur. Nos quamvis non abnuamus cum aliis asserere præcipuam miseriarum Græcorum causam fuisse schisma ab Ecclesiâ Romanâ, & hæresim de processione Spiritûs Sancti à solo Patre; haud tamen alligatum volumus Deum ullis diebus ad faciendam vindictam in nationibus: cùm habeat ipsius providentia suos numeros & terminos, quibus res convenientiùs peragat quàm quod homines cogitare aut philosophari possint. Denique antiquiores illius temporis auctores diem prædictum annúmque consignantes, de feriis Pentecostes nihil

penitùs meminerunt. Captam verò esse urbem die quinquagesimo octavo cœptæ obsidionis, Phranzes [y] auctor est, dum initium ponit secundo Aprilis & finem vigesimo Nono Maij; disertéque pridie expugnationis numerat quinquagesimum septimum obsidionis. Leonardus tamen à Nonis Aprilis orsus, quinquaginta tres intermedios denotat: alij quinquaginta, initio facto à die nonâ Aprilis secundùm varias rerum gestarum considerationes, ac Turcici Annales quinquagesimo primo expugnatam volunt; cùm stetisset urbs ab ejus conditu, seu dedicatione per Constantinum Magnum factâ, annos solidos mille centum viginti tres ac dies octodecim; uti ex ejus institutione [z] intelligitur; cùm alioqui varient in iis recensendis auctores. Atque ut omnes memorant, & observatione dignum censent, sicut Imperium ejus urbis sub Constantino cœpit Helenæ filio, ita sub alio Constantino Helenæ itidem filio desiit. Quemadmodùm & vidimus Romanum sub Augusto fundatum, sub alio Augusto corruisse: constátque Persicum sub Dario cœptum, sub altero Dario finîsse; Macedonicum regnum sub Philippis crevisse & interiisse: ut interim ab inquirendis recensendísque aliis ejusmodi exemplis abstineamus. Denique manserat hæc urbs (ut dolentissimè Æneas [a] luget) ad hoc usque tempus vetustæ sapientiæ monumentum, ac velut literarum domicilium, & arx philosophiæ: nemo Latinorum satis doctus videri poterat, nisi Constantinopoli aliquamdiù studuisset: quódque florente Româ doctrinarum nomen habuerunt Athenæ, hoc tempestate posteriori Constantinopolis obtinebat, unde & multa veterum sapientum nomina suscepta fuerant, & in futurum suscipienda sperabantur: nunc magnorum virorum nomina peritura, Philosophorum ac Poëtarum ingenia in oblivionem abitura, extinctum esse fontem Musarum: & alia plura ejusmodi, quæ cladis clamitatem augeant. At quoniam non jam oratorem agimus, sed historicum; ut ad cæterarum rerum gestarum seriem redeamus.

QUAMDIÙ STETERIT AB EJUS CONDITU.

A CONSTANTINO COEPTA IN CŌSTANTINO DESIIT.

[y] Phranz. l. 3. c. 8. & 14.

[z] Epit. an. 330. I.

[a] Æn. ep. 131. 155. 156.

XIII. Cùm primùm Mahometes introivit in urbem, (ut Phranzes [b] pergit) studiosissimè de Imperatore sciscitatus est: cúmque nihil certi reperiretur, alicujus tandem investigatione inventum est inter cadavera corpus exanime, quod ex calceamentis, in quibus aquilæ aureæ de more pictæ erant, ejus esse agnitum est. Vnde confirmetur quod multi scribunt, eum cùm hostes videret irrumpere, ne majestas ludibrio esset, deposuisse cætera Imperij insignia. De ejus autem corporis inventione summoperè gavisus Mahometes (metuebat enim, ut observat Zygomalas, ne si adhuc viveret, novis auxiliis urbem recuperare moliretur) mandavit his qui supererant Christianis, corpus ejus cum honore Imperatorio sepeliri. Ita namque Phranzes. Cui nec contradicit Chalcondyles, cùm scribit caput Imperatoris ad Mahometem ab aliquo delatum esse, cui ipse in præmium præfecturam & dona contulerit. Potuit enim caput à cadavere abscindi. (Nam & Isidorus Cardinalis qui interfuit, Imperatorem capite truncatum fuisse tradit, & confirmant Annales ipsi Turcorum:) etiámque tum sepulturæ tradi. Cùm sint tamen non pauci, qui caput Imperatoris hastæ infixum per totam urbem & castra circumlatum esse scribant. Quod fortè ad securitatem Turcis insinuandam, & omnem spem Christianis adimendam factum sit: túncque demùm unà cum reliquo corpore honorificæ sepulturæ traditum. Minùs enim credimus quod nonnulli habent, caput missum esse in victoriæ jactationem ad Soldanum Ægypti. Oculatis enim testibus magis credimus, quàm auritis res semper pro libito augentibus. Adeò ut etiam, quamvis nihil crudelitatis omissum dubitemus à Turcis in Christianos, existimemus tamen multa referri à diversis magis ad augendum Turcorum horrorem (qui nec satis à quoquam augeri possit) quàm ut res ita gestæ fuerint.

[b] Phranz. cap. 18.

CORPUS IMPERATORIS HONORIFICE SEPULTUM.

XIV. Inter cæteros autem illustres viros, in quos variè sævitum est, *Notaras* fuit Magnus Dux: (dignitas hæc erat inter primas aulæ Constantinopolitanæ) qui cùm Mahometem adiens, opulentum thesaurum ei obtulisset, quem servâsse ei asserebat, confidens se eo munere libertatem consecuturum: econtrà contumeliis ab eo acceptus, quòd eo thesauro Imperatori suo & patriæ non succurrisset, & quòd Imperatori suasor non fuisset accipiendæ conditionis de honestâ & spontaneâ urbis deditione, jámque ipsummet Mahometem fallere quæreret; idem cum duobus filiis publicè capite plecti jussus est. Sic namque rem narrat Phranzes: cùm Notaram Chalcondyles, à Mahomete in gratiam receptum, posteà ob denegatum ei filium duodennem, neci cum filiis datum scribat: Leonardus (qui Chirlucam, hoc est dominum Lucam, sicuti & Annales Turcorum, vocat) ob non suasam Imperatori deditionem vel pacem: Cúmque is culpam in Venetos & Genuenses rejiceret (quod etiam tradit Phranzes) præterea Mahometi detexisse Halimbassæ cum Græcis amicitiam; ideóque Mahometem non solùm Halimbassam, cui jam olim infensum vidimus ob suasam patri suo Amurati resumptionem Imperij (addunt alij, quòd datus à patre ipsi in rectorem, sæpiùs eum de multis reprehenderet quæ juvenili petulantiâ patraret) in vincula conjectum posteà vitâ privâsse; verùm etiam ipsummet Chirlucam (priùs coram ipsius oculis uno filio cæso, alteróque impubere luxui regali reservato) cum multis aliis proceribus decollâsse, nec Venetis parcentem, nec aliis exteris alicujus nominis; nisi qui aut fugâ, aut simulato habitu, aut gravi ære, manus ejus evadere potuerunt. Inter quos non pauci fuêre viri docti; qui in Italiam & alias partes Occidentis (quamquam plures ante urbis obsidionem, cùm eam prævidérent) profugerunt; de quorum præcipuis erit inferiùs dicendi occasio. Scribítque Spanduginus, ad dignoscendos nobiles à plebeiis Mahometem hoc dolo usum esse; ut publicaverit nihil mali aut incommodi iis inferri qui nobilitatem suam probâssent; non enim convenire ut mancipia fierent; cùm verò multi nomina sua dedissent, tunc eos capite plecti jussisse.

NOTARÆ MAGNI DUCIS EXITIUM.

XV. In captivis verò potissimus fuit *Isidorus* Cardinalis Ruthenus: qui missus, ut vidimus, à Pontifice ad rem unionis, eâ confectâ noluit Imperatorem deserere, sed Constantinopoli remansit usque ad expugnationem:

ISIDORI CARD. CAPTIVITAS, ET

GRAVES ÆRUMNÆ.

[c] *Ant. tit. 22. c. 13. §. 14.*

quando mutato habitu, & vestibus vilibus indutus inter fugientes se immiscuit incognitus, & Peram se duci curavit: ut traditur breviter ab Antonino [c] in procemio Epistolæ quam ipse Isidorus de tantæ cladis acerbitate lugubriter scripsit ac promulgavit, ad cunctos adversus Turcos animandos; quorum patrata scelera, profanatáque sacra, & nova in Christianos conamina apprimè describit. Ait Chalcondyles, eum in illâ rerum turbâ incognitum, captum esse, & ductum Galatam venditum ibi esse, ac conscensâ navi profugisse in Peloponnesum: quem si Rex Turcorum novisset, proculdubiò interfecturus fuisset; verùm inter cæteros necatum existimâsse. Quod expressiùs in commentariis Pij Papæ II. ita describitur; ut ipse jacenti cadaveri hominis qui sibi fuisset similis, vestimenta subtraxerit, & cum suis permutaverit, cucullâ & rubenti pileo supra mortuum dimissis; deinde tanquam unus de plebe captus parvo pretio redemptus fuerit: cadaveris super quo insigne Cardinalatûs repertum fuit, caput abscissum hastæ suffixum sit cum pileo, ac per urbem castráque Turcorum per ignominiam contemptúmque Sedis Apostolicæ vectatum, clamitante præcone esse Rutheni Cardinalis verticem; ipséque paulò pòst ad Nicolaum Pontificem redierit. At de illius casibus pleniùs in Magno Chronico Belgico, ex scriptis, ut auctor ait, magni Henrici Zomerer eximij sacræ Theologiæ professoris; ex quo multa refert de urbis expugnatione, & nequitiis Turcorum in eâ pòst patratis, quæ nihilominùs desumpta videntur ex Isidori & Leonardi scriptis. Isidori autem evasionem sic refert, ut cùm captâ urbe prope Ecclesiam S. Sophiæ accessisset, putans ibi aliquos reperire qui Turcis obsisterent, nullos verò reperisset, sed omnes fugientes; voluerit Turcis obviam ire, ac pro Christi fide sanguinem effundere. Verùm per unum ex famulis coactum fugisse in Ecclesiam, captúmque mansisse tribus diebus in castris Turcorum, sed incognitum quòd vulgò crederetur occisus: Deinde redemptum quinquaginta ducatis, delatum esse Peram, atque ibi occultum remansisse octo diebus; & cùm detegi timeret, ingressum esse triremes Turcorum obvolutâ facie, eò quòd eâ vulneratus fuisset sagittâ: Petiisse ergo Persas cum triremibus Turcorum: atque ibi finxisse se pauperem captivum, & quærere ut filios suos redimeret captivos Constantinopoli: Cùm iter inde ageret, à quibusdam Genuensibus agnitum, & manifestatum, metu in parvam navim ingressum pervenisse Chium, & inde Cretam, ac demùm Romam. Hæc ibi: Quæ si vera sint, noluit ipse Isidorus suis literis prædicare, ne præmium iteratæ hujus confessionis (aliam enim haud ferè istâ minùs gravem apud Ruthenos post Concilium Florentinum certâsse, vidimus olim) ejus buccinatione amitteret. Nec potuit illa suo commentario de clade Constantinopolitanâ ad Nicolaum Pontificem Leonardus Archiepiscopus Mitylenensis, qui cum eo Constantinopoli erat, inserere; eò fortè quòd & ipse captus, & ab eo separatus, citiùs liberatus fuerit, scripseritque (videlicèt ex Chio, die decimo-sexto Augusti hujus ipsius anni) priùs quàm Isidorus tantam peregrinationem peregisset: quem prædictam suam ad Principes & Christianos omnes exhortationem tardiùs promulgâsse, cùm jam Mahometes alia in Christianos moliretur, ex ejus verbis intelligi datur.

XVI.

Subdit idem auctor Chronici Belgici, ex Alfonso Spinâ olim Judæo & ad Christum converso, factoque religioso Franciscano, qui his temporibus vixit in Hispaniâ, & scripsit contra Judæos & Saracenos egregium commentarium inscriptum voce barbara *Fortalitium Fidei*; tria [d] singularia quæ cladem Constantinopolitanam præsignârunt; quæ pariter habentur apud Chalcondylem & Leonardum: videlicèt de lumine cœlesti super civitatem apparente, & posteà elabente; déque civitatis desolatione sub Constantino, quæ fundata fuerat à Constantino (de quibus jam dictum superiùs) ac tertium de columnâ marmoreâ, (tabulam cæteri dicunt) in quâ laterculi, sive cellulæ quadratæ, insculptæ olim fuissent quodam Spiritu prophetico à Leone Sapiente Imper. qui physices & astronomiæ peritissimus fuerat, excipiendis singulorum Imperatorum & Patriarcharum ejus urbis nominibus, quæ in eis inscribi consueverant: tótque fuisse numero, quot sufficerent usque ad Constantinum hunc novissimum, & Gregorium Patriarcham; in quibus desinebant, tanquam tunc delenda fuisset civitas. Ita enim rem significant cæteri; ac vero, ut videtur, similiùs quàm quod Chalcondyles indicat, non laterculos nudos à Leone positos, sed ipsamet Imperatorum & Patriarcharum nomina (quod longè mirabilius fuisset) inscripta iis fuisse usque ad prædictos Constantinum & Gregorium. His verò prædictionibus addit & alias Leonardus, tam ex libris Sibyllinis, quàm ex Ioachimo aliísque vatibus; adversùs Græcos, qui hanc urbis cladem Latinis imputabant, quasi eam Deus in pœnam unionis cum Latinis factæ, ac nominis Summi Pontificis in Diptycha recepti, Græcis immisisset: improperans eis, non unionem factam, sed unionem fictam, ad fatale urbem perduxisse excidium: Celebrasse quippe unionem Græcos voce, sed opere negâsse: censuiséque eorum magnates, dari Summo Pontifici commemorationis honorem, sed decretum Florentinæ Synodi non esse legendum: Et quamquam Imperator planè acquiescere unioni visus fuisset, haud tamen ut par erat cæteros compescuisse: Sícque miseros Græcos, qui Latinos prohibebant sacra in suis Ecclesiis & altaribus agere, jam profanis ac turpibus usibus eas cessisse: & qui unionem fidei contempserant, aut de medio sublatos esse, aut dispersos & ab invicem separatos.

[d] *Fortal. fid. l. 4. Bell. 156.*

PRÆSIGNIFICATIONES EXCIDII URBIS.

XVII.

[e] *Phranz. cap. 2?*

De quibus agens etiam Phranzes [e], non ex animo sed ex necessitate Græcos unioni consensisse, apertè declarat: dum referens quæ ante obsidionem, cùm ad illam se Mahometes pararet, fecisset Constantinus Imp. (cujus consiliorum omnium erat ipse Phranzes particeps, ferè & auctor) ait etiam tunc externos Principes ad opem ferendam se accinxisse: verùm Mahometem per legatos cũ Georgio Despotâ Serviæ egisse, ut pacificatorem se inter Turcos & Hungaros interponeret: Venetos à Duce suo Francisco Foscaro aversos fuisse à ferendis auxiliis, ex eo quòd Constantinus

FICTIONES GRÆCORUM IN FIDE.

IMPEDIMENTA FATA-

LIA AUXILIORŪ URBIS.

recusâsset accipere in uxorem ipsius filiam; cùm novum civitatis illustribus viris feminísque videretur, pro dominâ suâ pati filiam Veneti, honorati quidem fortâsse Ducis, sed temporanei, quòd dignitas ad successores non transiret. Ecclesiam quoque Romanam non parùm in his laborâsse: Quóque Pontifex induceretur ad suppetias mittendas; voluisse Imperatorem in Patriarcham asciscere Cardinalem Russiæ; sed ipsum recusâsse eâ ratione quòd si fieret Patriarcha, nolléntque aliqui ipsi obedire, dissidia orirentur interna pejora externis: Quare visum esse Imperatori memoriam Papæ in sacris hâc necessitate propter spem auxilij fieri in Ecclesiâ S. Sophiæ: ita tamen ut qui eam omitterent, non inquirerentur. De cæteris quoque auxiliis subdit, Sultanum Ægypti multa de iis mittendis verba fecisse, sed non adimplêsse: Despotam Serviæ non solùm nihil præstitisse, verùm contrà pecuniam multam & milites Turcis subministrâsse. Hungaros misisse legatos, qui Mahometi significarent, fecisse se quidem pacem cum illo, sed quia pacta non servarentur, se quoque pacem non servaturos, nisi & ipse desisteret ab urbis oppugnatione; Venisse enim ipsos eâ hebdomade quâ erat impressio facienda; ac Mahometem eos bonis verbis detinuisse, quousque impressio facta esset: tunc, si urbem occuparet dicturum se illam occupâsse, ipsi proinde abirent, & quicquid liberet, agerent (quod & responsum posteà iis est) si non occuparet, abstinuisse se in eorum gratiam, & obsidionem velle solvere. Sicuti & rumor erat, si tunc urbem non occupâsset, facturum pacem quam in omni vitâ servaret. Ita Phranzes, subdens & de sedulitate ac solicitudine Imperatoris in conquirendis auxiliis ab Huniade Hungariæ gubernatore, & Alfonso Aragoniæ Rege; etiámque cum traditione Selybriæ aut Mesembriæ Huniadi, & Lemni Alfonso, quas in pretium petierant: déque aliis ejusdem Imperatoris ad conservandam urbem conatibus, quæ tamen omnia despexerit Deus, cujus erant judicia jam pridem justificata & rata ut Imperium ad extremas miserias devolveretur. Facetus verò est Chalcondyles, dum ait Romanos seu Latinos constanter asseverare, hanc cladem contigisse Græcis in ultionem eorum quæ olim fecissent barbaris in destructione Ilij: quòd videlicèt dicantur Romani à Trojanis descendisse. Sed nos nec fabulis innitimur; nec hujus auctoris ineptiis, quibus frequentissimè scripta sua infarcit, immoramur.

CHALCONDYLIS INEPTIA.

XVIII. GENUENSIUM INFAME NOMEN.

Eodem die quo capta est Constantinopolis, Genuenses qui Galatam sive Peram è regione illius situm oppidum egregiè munitum à multo tempore possidebant, priusquàm rogarentur, Mahometi resignârunt; cum quo, durante etiam urbis regiæ obsidione, pacem tenebant. Qui nihilominùs ex fœderatis servi facti sunt ac tributarij: profugorum substantia fisco addicta, multorum aliorum direpta; feminæ puerique ludibrio habiti; turres ac muri diruti; ex campanis bombardæ conflatæ: Turcus rector ibi constitutus; turris in cujus summitate signum Crucis Christi eminebat ad fundamenta eversa: ingenti hæc eorumdem Genuensium Galatæorum infamiâ ac propudio, qui si viriliter Constantinopolitanis, ut poterant succurrissent, forsitan eorum cladem avertissent: & si per vim capti, ut illi, fuissent, vix potuissent graviora perpeti, quàm quæ in suâ illorum desertione passi sunt, nullo suo merito, quinimmò & grandi demerito; qui si pro fide Christi tanta sustinuissent, inter ejus confessores & martyres connumerandi fuissent. Exprobrat hæc eis Leonardus acriùs. Cùm tamen habeamus nos præ manibus scriptum quoddam tunc confectum gratiarum à Mahomete Perensibus in urbis deditione concessarum; quæ valdè amplæ extiterunt tam pro conservatione personarum ac bonorum, quàm pro libertate suo jure vivendi, solitum tributum solvendo, & cum exteris commercia agendi; excepto dumtaxat campanarum usu, & novarum Ecclesiarum constructione. Genuenses nihilominùs adeò malè de rebus Orientalibus apud plerosque omnes, nec immeritò, audierunt, ut etiam scripserint [f] nonnulli, Constantinopolim captam fuisse proditione cujusdam Genuensis; qui juxta promissum per Turcum constitutus Rex per triduum, quarto die ejusdem jussu decollatus fuerit. Quod licèt commentitium esse (haustum, ut puto, ex turpi desertione Iustiniani) nihil dubitemus, satis tamen inde quâ famâ esset per orbem gens Genuensis, quisque intelligat.

[f] Ap. Lang. in Chron. Citiz. & alibi.

XIX.

[g] Phranz. c. 18. ad fi.

PHRANZIS FORTUNA.

Phranzes [g] Perensia leviter tangens, inter publicas calamitates nec suas proprias obliviscitur, scribens se quoque in potestatem hostium venisse, omnesque difficultates servitutis expertum, postremò venditum, Spartam esse perductum; ac redemptum, inter Thomæ Despotæ defuncti Constantini Imp. fratris domesticos cooptatum esse, accepto ab eo quodam oppidulo; ejúsque nomine varias deinde legationes obivisse. Captam item uxorem suam, ac liberos, venditósque uni ex præfectis stabuli Regis Turcorum; à quo Rex liberos, filium & filiam, ob formæ & morum præstantiam grandi pecuniâ abduxerit: filium agentem annum decimumquintum, quòd eum se turpiter abuti non permitteret, propriâ ejusdem manu jugulatum esse; filiam in palatio mortuam ex pestilentiâ; uxorem tandem pecuniâ redemptam.

XX.

Postquàm autem totis tribus diebus, quibus direptio & expilatio urbis concessa militibus fuerat, prædâ ditati omnes fuêre usque ad satietatem (adeò quidem ut testentur Annales Turcorum, inde natum esse proverbium, ut qui ditesceret direptioni Constantinopoleos interfuisse perhiberetur) Mahometes Turcorum Imperator triumphum duxit, ut Phranzes [h] narrat: jussitque prodire omnes minores juxtà ac majores qui se occuluerant, & esse liberos, nec à quoquam vexari: similiter & qui ex urbe profugissent, redire, & juxta suæ religionis ritum sicut anteà vivere. Cùm enim urbem propemodùm vacuam hominibus cerneret, cives undique accersere voluit: qui singuli pro dignitate suâ, ut Zygomalas scribit, acceptis domibus, eam incoluerunt; multis etiam agris in eos divisis, & mancipio datis. Nec verò Christianis tantùm, verùm etiam Mahometanis denunciatum esse, patere cunctis Constantinopolim qui suum do-

[h] Phranz. cap. 19.

CHRISTIANI REVOCANTUR CŌSTANTINOPOLIM.

micilium ibi constituere vellent; quinimmò multos undique eò migrare pristinis suis relictis sedibus compulsos è civitatibus & provinciis quas subjugaret, Annales Turcorum tradunt: Iisque cùm census ratione ædium impositus fuisset, tumultuantibus ex hoc illis sublatum eum fuisse: donec repletâ incolis urbe, rursùm impositus est cujusdam Veziris patriâ Constantinopolitani suasione, qui ægrè ferebat absque ullo Mahometanos onere domos patriæ suæ occupare. Quomodò verò præterea idem Mahometes civitatem, quam Imperij sui sedem constituit, multis egregiis ædificiis, palatiis, gymnasiis, arcibus, ornaverit, referunt Annales Turcorum; meminerúntque Christiani.

XXI. Quò autem Christiani libentiùs ad urbem incolendam allicerentur, voluit novum Patriarcham eligi (cùm qui post Synodum Florentinam electus fuerat Gregorius Orthodoxus sedem, ut vidimus, deseruisset) & Constantinopoli residere. Quare Episcopi qui fortè aderant (inquit Phranzes) paucique de clero & laïci sapientissimum & doctissimum *Georgium Scholarium* adhuc laïcum, Iudicémque olim Imperialem (de cujus fide orthodoxâ, & scriptis contra Schismaticos actum superiùs [i] occasione Synodi Florentinæ, cui interfuit) elegerunt, mutato de more nomine in *Gennadium*. Cúmque pristinæ consuetudinis fuisset, ut electo Patriarchæ Imperator pedum sive virgam pastoralem auream lapillis & margaritis distinctam donaret, hæc pronuncians verba, *Sancta Trinitas quæ mihi Imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ deligit;* & electum equum de regio stabulo, albo & aureo stratorio ornatum, cui Patriarcha insidens toto procerum comitante cœtu, cum faustis acclamationibus in Patriarchium ducebatur: præstitit omninò eadem ipsa Mahometes Gennadio; quinimmò & ampliùs ad extremum usque palatij ipsum quantumvis reluctantem deduxit, ac per suos nobiles ad ædes templi Apostolorum, quas ei in habitationem concessit: (quam tamen paulò pòst spontè Patriarcha, eodem Rege consentiente, ad aliud Pammacharistæ Beatissimæ Virginis monasterium transtulit, ubi & hactenùs retineri dicitur) usurpato suis sacris sacrilegis agendis, admirabili, & cunctis auctoribus atque temporibus famosissimo, & nongentis aliquando sacerdotibus celebrato, S. Sophiæ templo, quod fuerat antiquitùs Patriarcharum domicilium. Hoc enim Phranzes, urbis expugnationis narrationi subtexuit sub hoc eodem anno: quod tamen Zygomalas [k] libro primo Turcogræciæ, nonnisi post diversas Mahometis expeditiones, quibus in reliquâ Græciâ, atque etiam in Asiâ, multas urbes, insulas, atque provincias subegit, magnâ colonorum multitudine Constantinopolim translatâ, collocat: túncque reversum Regem in urbem, cùm nullos sacros conventus celebrari à Christianis videret, & causam intelligeret esse defectum Patriarchæ, jussisse unum eligi, ut hâc famâ ad Græcos perlatâ, in urbem congregarentur. Sed Zygomalam post narrâsse quæ priùs facta essent, intelligitur etiam ex libro [l] secundo ejusdem operis, qui est de Patriarchis: ubi ratio injunctæ electionis designatur, quòd cùm post captam urbem miraretur Mahometes quid causæ esset cur Patriarcha non veniret ad exhibendam sibi tanquam Regi debitam reverentiam, accepisset sedem vacare per spontaneam abdicationem nuperi Patriarchæ: dedisse igitur facultatem alterius eligendi; ac clericos qui aderant proximos Episcopos convocâsse, & communi consensu Georgium elegisse, ac Gennadium vocâsse; cui Rex consueta quæque officia exhibuerit, ac posteà semper in veneratione habuerit, ac muneribus prosecutus sit.

Georgius Scholarius eligitur Patriarcha Cōstantinop.

[i] Æn. 1439. VII. 1440. XVI. 1451. X.

Ei Mahometes consueta officia exhibet.

[k] Turcogr. lib. 1.

[l] Ibid. lib. 2.

XXII. Cum verò & aliquando in Patriarchium introisset, colloquio blando cum illo per interpretem habito, de Religionis Christianæ dogmatibus eum interrogaret, & cum omni fiduciâ respondere compelleret; præstitit id ipse graviter, ac præcipue de Sanctissimâ Trinitate, & Verbi incarnatione & salute per eum operatâ. Quæ adeò libenter Mahometes accepit, ut non solùm ab eo tempore Patriarcham majori veneratione coluerit, & Græcis benevolentiorem se exhibuerit; verùm etiam ipsam Patriarchæ de articulis fidei dissertationem sibi dari voluerit: quæ extat [m] Græcè & Latinè, necnon Turcarabicè, viginti capitulis distincta, egregium fidei Christianæ monumentum. Vixisse porrò tunc adhuc Romæ Gregorium illum alium, quem diximus sedem abdicâsse, nec nisi anno 1459. decessisse sanctitatis opinione, in commentariis [n] Pij Papæ II. declaratur: eique ab eodem Pio tunc suffectum fuisse inter Latinos *Isidorum* Cardinalem Ruthenum, de quo suprà; huícque decedenti anno 1463. successorem dedisse *Bessarionem* Cardinalem Nicænum. Ex quorum commentariorum auctore, qui quæ videbat scribebat, corrigere licet quæ secùs de his nonnulli scripsisse reperiuntur. De successione verò eorum qui Constantinopoli post hæc sederunt, dicetur suis locis pro ratione temporis.

Mahometes tractat de fide cum Patriarcha.

[m] Turcogr. lib. 2.

[n] Comment. Pij II. l. 11.

XXIII. Pertinet quoque ad Historiam cladis Constantinopolitanæ, delatio Camberium Sabaudiæ sacræ *Sindonis*, quâ CHRISTUS in sepulcro involutus, parte anticâ & posticâ totius corporis sui imaginem sanguine & unguentis ad vivum impressit, quam videlicèt Margarita Carna à Regibus Ierosolymitanis orta, detulisse dicitur in Sabaudiam, cùm eò confugisset ad Ludovicum Ducem & Annam Cypriam ejus conjugem affinem suam: & quamvis retinens, miraculo compulsa est iis relinquere. Cui dignè recondendæ Dux sacellum marmoreum in arce suâ construxit: unde posteà ad majorem securitatem translata est Taurinum, utrobique ingentibus coruscans miraculis, & peregrinatione Fidelium, magnorúmque etiam Principum frequentata: cui diem sacrum Iulius Papa II. statuit quartum Maij, & in ejus sacello officium ejus ritu peculiari celebrari concessit. De quâ Pingonius Commentarium scripsit; cujus breviarium Gaulterius [o] Chronologiæ suæ inseruit. Sed quòd variæ admodùm reperiantur de hujus Sindonis translatione auctorum sententiæ; qui eas scire cupierit (ne nos diutiùs in re incertâ aut controversâ immoremur) habet Io. Iac. Chiffletium quem consulat, diligenter de his disserentem in nobili suâ Crisi Historicâ de Linteis sepulcralibus Christi.

Sindon Christi defertur in Sabaudiam.

[o] Gaulter. Chronol. sæc. 15.

XXIV.

Fabulosa quædam de serpente et equo aheneo.

Denique ut nihil aliquâ memoriâ digni nobis visi, quod ad cladem Constantinopolitanam attineat, etiámque fabulosum, omittamus; referunt Annales Turcorum Beckani à Leunclavio editi; Mahometem, cùm urbem ingressus hinc inde obequitaret, obstupescentem ad insolitas ædificiorum & extructionum atque simulacrorum formas, inter alias vidisse columnam lapideam, cui triplex impositus erat serpens aheneus, (sic [p] videlicèt ab imo convolutis inter se spiris, ut in parte superiori tria sese capita separarent in formam triquetram) quodnámque hoc simulacrum esset inquirentem, simul in eum contortâ magnâ vi clavâ ferreâ, unius de tribus serpentibus capiti labrum inferius comminuisse: eo facto mox serpentes in urbe magno conspici cœpisse numero: eáque propter rogatum esse ut missos serpentes illos faceret, quando per id simulacrum fieret uti serpens nullus in urbe esset: hincque eam columnam in hodiernum adhuc durare diem: & quamquam ob labrum unius ex illis aheneis dejectum serpentes in urbem veniant, nocere tamen nemini posse. Addunt, fuisse pariter quemdam equum aheneum, cui statua equestris insidebat; & utrumque à Mahomete disjectum esse, quo ferebatur pesti perclusus fuisse aditus in urbem. Ita ibi. Quæ meras Græcorum nugas fuisse nullus dubito, ab aliquibus forsan Mahometi suggestas ad amoliendam præclarorum ejusmodi veterum monumentorum demolitionem. Nam quod ad pestem attinet; quàm frequenter ac sævè eam passa fuerit omni tempore eatenùs civitas Constantinopolitana, testes sunt singulorum sæculorum historiæ. Et ut tandem hæc claudamus, fabulis pariter adnumeramus Epistolam Turci nomine ad Papam scriptam, quam Monstreletus [q] suæ de clade Constantinopolitanâ narrationi subjecit; ab aliquo satis insipidè compositam, & ab eo facilè creditam.

[p] *Leunclav. Pandect.* 130.

[q] *Monstrel. vol.* 3.

XXV.

Principes Peloponnesii benignè habentur à Mahomete.

Auditâ porrò hâc clade, Principes Peloponnesiacos Demetrium & Thomam Constantini Imper. germanos, fugere voluisse in Italiam cum Græcorum clarissimis, Chalcondyles scribit; sed à Mahomete in fœdus & amicitiam acceptos substitisse. In eos autem rebellâsse Albanitas Peloponnesios, constituto sibi principe Manuele quodam Cantacuzeno: contra quem iidem fratres implorare habuerint auxilium Mahometis, cujus ope Albanitæ subjugati, & Manuel pulsus fuerit. Hæc ille pluribus: quæ Phranzes breviùs attigit, & duobus sequentibus annis peracta distinctiùs docet. Quomodò verò & idem ipsi Principes divisionibus suis etiam Peloponnesum amiserint, dicetur posteà.

XXVI.

In Occidente ingemuêre cuncti ad Constantinopolis amissionem: atque illi præcipuè, quos propiùs res tangebat; sive ob solicitudinem universalis Ecclesiæ, ut Nicolaus Romanus Pontifex, qui cùm hactenùs auctoritatem suam sæpiùs interposuisset quò pax inter Principes componeretur, nunc id instantiùs urgere cœpit; sive ob curam Imperij, ut Fridericus Augustus qui ejus monitu diversos eâ de re habuit variis locis conventus. Ad quæ peragenda eos imprimis hortatum esse reperimus Æneam Episcopum Senensem: dum mox auditâ urbis amissione, ex Gretio Stiriæ ubi cum Imperatore agebat, duodecimo Calendas Augusti scribens [r] Brixinum ad Cardinalem S. Petri Nicolaum Cusanum illius civitatis Episcopum, monuit Summo Pontifici ac sacro Collegio literas dare, ut in tantâ rerum asperitate totis assurgerent animis, neque pecuniis neque personis ignoscentes: dum nova essent mala remedium quærerent: vocarent Reges ac Principes in certum aliquem locum; exponerent mala quæ passa esset modò Christiana Respublica; monstrarent quæ futura timerentur pericula; providendi modos aperirent; inter Christianos aut pacem aut inducias belli componerent: Crucem prædicarent, remissionem peccatorum pollicerentur: intonaret Apostolica tuba, nihil negligeret, nihil hoc tempore omitteret: Egisse jam se de hâc ipsâ re cum Imperatore, atque ejus mentem apprimè ardentem invenisse, ac nobiles ejus manus suas in hanc expeditionem prompto corde obtulisse: Arbitrari se in aliorum Principum curiis itidem inveniri: *neque Rhenensium nobilitatem, neque Gallorum magnanimitatem, neque prudentiam Italorum, neque Hispanorum fortitudinem, aut Anglorum audaciam, in tali necessitate defuturam*: Boëmos, Hungaros, Polonos ipsam loci ac periculi propinquitatem admonituram: sive viros, sive equos, sive arma requiras, superiores Christianos esse Turcis; nihil esse quod obesset, nisi vel negligentiam, vel dissensionem: præterquàm quòd si bonis animis Christianus populus, non tetræ avaritiæ causâ, non inanis gloriæ cupiditate, sed Dei solùm zelo, pro salute fratrum, pro lege Christi, pro augmento Catholicæ fidei sumpserit arma; respecturus sit ex alto Dominus plebem suam, lætúsque super filiis hominum hæreditatem suam tuiturus; ac non solùm de Turcis, si Christiani perseverantes fuerint, sed de Saracenis quoque, cæterísque barbaris gentibus, victoriæ dexterâ suâ triumphum elargiturus. Hæc & alia ejusmodi magno animi fervore Æneas ad Cardinalem.

[r] *Æn. ep.* 155.

Æneæ hortatio adversùs Turcos.

XXVII.

Scribit idem ad Pontif.

Eodémque die ad ipsummet Pontificem Nicolaum de iisdem scribens; ut eum urgentiori incitamento ad rem naviter suscipiendam commoveret, proposuit ei ob oculos, neminem esse cui magis tanta mali fama obfutura esset; quòd omnes scriptores qui Romanorum Pontificum gesta referenda susciperent, cùm ad ejus tempus ventum foret, post gloriosa plurima ejus gesta narrata, additurí in fine essent quod ea funestaret, ejus tempore urbem regiam Constantinopolim à Turcis captam dirutámque esse; quamvis ipse totis conatibus opem ferre miseræ civitati studuisset; sícque luituram ipsius famam sine ipsius culpâ. Hortabatur igitur eadem illa præstare, quæ Cardinalem S. Petri monuerat ei insinuare; ac præcipuè conventum Principum indicere. Quem pariter eodem tempore Fridericus Imp. privatis suis literis [s] fieri petiit; offerens se paratum ad mandata Pontificis exequenda: cùm alioqui non lateret Imperatorem, cæteros Reges sibi talia mandanti haud fore obsequentes. De conventibus verò eâ de re celebratis ab eodem Imperatore dicetur anne sequenti. Hìc non omittimus, quod ad

[s] *Ap. Æn. ep.* 163.

DIONYS. CARTH. IN EODEM LABORAT.

hæc pertinens legimus in Vitâ Dionysii Carthusiani tunc agentis in conventu Ruremundensi: nempè cùm ipse revelationem cælestem de hâc clade habuisset, eámque ob peccata Christianorum contigisse; divino monitu scripsisse epistolas plurimas ad Pontificem, Principes, Ecclesiæ Rectores, atque magnates, ut sese corrigerent, collectáque militari manu, Ecclesiæ injuriam vindicarent. Sed jam ad alia.

XXVIII. SCHANDERBEGI ALIQUA GESTA CÔTRA TURCOS.

Antequàm tamen à Turcis abeamus, narrant eorum Annales Beckani, Mahometem post captam Constantinopolim, hoc ipso anno exercitum in Albaniam adversùs Scanderbegum duxisse, & urbem Siurigen, quam Leunclavius Sfetigradum Barletii interpretatur, in potestatem suam redegisse. Verùm hanc urbem jam ab Amurate Mahometis patre captam fuisse, idem Barletius testatur, nec ad Scanderbegum hoc tempore rediisse docet. Qui nec item habet, Mahometem ipsum ad Albaniam adiisse; sed varios exercitus sub diversis ducibus tam ante quàm post captam Constantinopolim subinde misisse; quos strenuissimè Scanderbegus profligaverit: adjutus aliquando à cæteris Principibus Christianis, ac præcipuè ab Alfonso Neapolitano, cum quo arctam amicitiam per legatos contraxerat. Haud tamen ita victor semper existens, ut non etiam aliquando clades nonnullas senserit: qui & præcipui sui ducis Mosis nomine defectionem passus, nihilominùs & eum fudit, & pòst pœnitentem in strictiorem amicitiam recepit.

XXIX.

De rebus Occidentalibus, ut omittamus quæ per anticipationem diximus anno superiori depulsis Aquitaniâ, totáque Galliâ, Caleto excepto, Anglis: quæque de bellicis Italicis inter Venetos & Sfortiam Ducem Mediolanensem, Alfonsum Regem Aragoniæ & Florentinos, quos Alfonsus per nothum suum Ferdinandum invasit; déque Renati Regis olim Siciliæ per Florentinos & Sfortiam in spem recuperandi regni evocatione, adventúque ejus ac prompto sine ullo operæpretio reditu; frustrà in his componendis motibus desudante Nicolao Pontifice; habent scriptores [t] Itali: casus Romæ occurrit, quo penè Pontifex dum pacem aliorum quæreret, obrutus est: conjuratione videlicet Stephani Porcarii, quem vidimus tempore creationis ejusdem Nicolai Rempublicam turbare quæsisse. Fuerat is ab ipso Nicolao ob res novas sæpè tentatas, cùm esset maternâ linguâ eloquentissimus atque ad persuadendum potentissimus, Bononiam relegatus, hâc conditione ut singulis quibusque diebus Bessarioni Cardinali urbis gubernatori sese offerret. Sed eum simulatâ ægritudine decipiens, Romam admonentibus conjuratis properè rediit; hâc mente ut sumptis armis populum ad libertatem convocando, Pontificem & Cardinales caperent, solemni Epiphaniæ die in æde B. Pauli sacra facturos; paratâ ad Pontificem colligandum catenâ aureâ: neque enim mox occidendum dicebat, sed servandum, donec arcem S. Angeli recuperâssent. Verùm audito ejus è Bononiâ recessu, & Romam adventu, diligentissimè perquiri jussus, & in capsâ absconditus inventus, tortúsque & confessus, ad muros arcis S. Angeli suspensus est. Conscii sceleris in domo quâ convenerant expugnati sunt: è quibus unus Baptista Sciarra manu promptus & animo intrepido, per medias Pontificis cohortes viam gladio sibi aperiens effugit: reliqui in prædictâ partim arce, partim in Capitolio suspensi fuêre. Atque ita Pontifex ingenti periculo liberatus, Romanæ Sedis dignitatem imperiúmque servavit. Rem verò narrant Sanctus Antoninus [u], Æneas & Platina.

[t] *Anton. tit. 22. cap. 12. §. 4. Æn. Europ. c. 54. Fac. in Vit. Alfons. lib. 10. Platin. in Nicol. V. & alii.*

CONJURATIO IN NICOL. PONTIF.

[u] *Ant. ib. §. 5. Æn. ib. cap. 58. Plat. ibid.*

XXX. ALVARI LUNÆ E SUMMA FORTUNA PRÆCIPITIŨ.

In Hispaniâ graviori casu ruit *Alvarus Luna*, potentissimus ille dominus magis quàm amicus Ioannis Castellæ Regis, de quo sæpè aliàs. Cujus præcipitem ruinam, non quidem in ejus generis hominibus raram, sed tamen ad instructionem fortè quorumdam memorabilem, apponere visum ex Marianâ [x], qui præ cæteris eam videtur elegantiùs descripsisse. Imprimis igitur virum describens, ait fuisse in eo ardens ingenium, perspicax judicium, aptum sermonem & cum aculeo facetum, profundam calliditatem, atque simulationem, audaciam, superbiam, ambitionem, ex quibus atque ex fraude compositus videbatur: accessisse contemptum hominum, commune potentium malum, & aditus difficiles: ætatis flexu iram pervicaciorem, quâ ingentes inimicorum suorum strages dedit vindictæ studio ardens. His moribus non corruisse mirum esse, sed tamdiù perstitisse pudendum; cùm ex quinque & quadraginta annis quos in aulâ duxit, triginta circiter ita dominatus sit, ut nihil neque majoris neque minoris rei, nisi eo arbitro gereretur: adeò ut ne vestes quidem Rex, aut cibi genus, aut aulæ ministeria nisi ejus voluntate mutaret. Cùm sæpè anteà occultis criminationibus de majestate postulatus fuisset, tanquam ingentes opes supra fortunam supráque conditionem nactus augere non desisteret, eversáque nobilitate grave etiam imperium in Regem exerceret; nihil illi ad regnum præter nomen deesset, studia civium haberet, ac munitissimas arces, aurique & argenti immensam vim, exhausto publico ærario: hæc vera esse Regem non ignorantem, liberâ tamen etiam gemitûs sublatâ facultate cum nemine communicare ausum esse. Donec incauti opprimendi hominis opportunitate ex quodam casu, quem auctor describit, in civitate Burgensi sese offerente; cùm nec Regi monenti uti in ditionem se reciperet (sive jam Regem consilii illius perdendi pœnitentia subiisset, sive rei exitum formidaret) obtemperaret; nec uni è suis periculum denuncianti fidem haberet; quippe qui sibi confidens contemneret hostes; Nonis Aprilis in ædibus suis obsessum ab armatis, vim inferre vetitis; internunciis commeantibus, ac syngraphâ à Rege missâ, nihil eum per injuriam passurum, deditionem fecisse. Regis conveniendi potestate vincto denegatâ, codicillum misisse, quo modestè questus de injuriâ, séque accusans quòd magnorum virorum exemplo otium non quæsîsset; ac nihilominùs abstinuisse excusans quòd se Regi necessarium existimaret, pro cujus libertate & obsequio non semel magnis periculis vitam & fortunas objecisset: demùm obtestatum esse, ut quoniam ærarii inopiâ inductus, unde mi-

[x] *Mar. lib. 22. c. 12. 13.*

nimè debuisse, decem aut duodecim millia aureorum redegisset, quæ in loculis servabantur, ea reddi quibus fuerant ablata cum fide faceret. Mirum fuisse in tanto numero eorum qui Alvari beneficiis obstricti erant, nullum in periculo ad præsidium accurrisse: sic enim miseros studia distituere, cùm aulæ gratia in contrarium circumagitur. Datos judices majestatis eum damnâsse: & Vallisoletum delatum, pœnitentiâque & Eucharistiâ procuratum, tertio Nonas Iunij ad supplicij locum mulâ vectum esse: præcone per plateas sententiæ summam inclamante, hoc supplicium huic crudeli tyranno abs Rege esse ob contemptum divinæ regiæque majestatis, fœdam judiciorum perturbationem, peculatum, aliáque crimina, flagitia, maleficia. Adfuisse ei morienti Alfonsum Spinam religiosum Franciscanum, auctorem Fortalitij Fidei (de quo nos superiùs.) In medio foro suggestum fuisse amplum, Crucémque in eo, & geminas faces accensas, tapete substrato. Cùm ex suggestu vidisset præfectum stabulo Henrici Principis filij Regis, jussisse ex se Principi dicere, famulis gratificandis ne Regis hoc exemplum sequeretur. Subjecisse intrepidè securi caput; gementibus circumstantibus, etiámque inimicis, ex proximæ felicitatis cum præsenti calamitate comparatione. Caput unco ferreo sublimi ligno impositum esse: truncum tribus diebus in suggestu relictum, pelvi juxtà positâ ad stipem colligendam, quâ sepeliretur homo paulò ante Regibus potentiâ exæquandus. In D. Andreæ, ubi cæteri supplicio affecti, sepultum, inde in S. Francisci intrà idem oppidum translatum esse; annísque consequentibus in templum Toletanum, instaurato ab amicis funere Regum permissu. Vulgatum fuisse, consulenti aliquando vatem prædictum esse, Cadahalsum exitio fore, quæ vox Hispanica cùm suggestum significet, ipsum eam interpretatum de oppido hujus nominis, quod ipsius erat, per totam vitam illud vitâsse. Scalonæ oppidum, quod uxor ejus tenebat, eâ conditione Regi deditum esse, ut viri thesauri æquis partibus ipsa & Rex partirentur: cætera omnia fisco addicta, nisi quoad Ioannes Luna ejus filius S. Stephani oppidum à patre datum retinuit. Hæc paulò pluribus de Alvari exitu Mariana. De quo pariter memoriam agens Æneas [y] Silvius, virum fuisse ait alti spiritûs, non minùs domi quàm belli clarum, & cui magna semper in mente sederint. Et idem Mariana, virum verè magnum; ipsâque fortunæ varietate admirandum. In cujus casu habent quod discant potentes aulici, ut paucis dicam, non altum sapere, sed sapere ad sobrietatem, si modò quis sobrius esse possit in tantâ mentis vertigine, si quis sapiens in adeò tenebricosâ animi cæcitate. Sed frequententur exempla, multiplicentúrque monita; sicuti nullibi fuit umquam aliquis, sic husquam modò est, aut uspiam futurus aliquando est, qui hæc seriò recogitet, quémque faciant aliena pericula cautum: ut non sit mirandum, si omnes ad has Syrtes naufragium patiantur, ô cæca pectora! ô mentes Cimmeriis umbris atriores! Egregiè alicubi idem Æneas [z] de hujusmodi hominibus: *Potentiam qui consecutus fuerit, nemo tam facilè deponit quàm damnat. Retinent amici, implicat gloriæ cupido, obstat inimicorum metus, semper est quod crastinare compellit. Faciliùs Gordij famosum in Asiâ nodum quis solverit, quàm potentiæ blanditiis sese explicaverit.*

Ejus supplicium.

[y] Æn. Europ. cap. 47.

[z] Id. Boëm. cap. 63.

XXXI. IACOBI CUERI BITURICIS CASUS.

Ac ne esset Gallia nostra hujusmodi exemplis eodem tempore penitùs immunis, quæ frequentissima omni seculo proferre consuevit; contigit præsenti item anno, ut *Iacobus Cuerus*, sive Cordius Biturix, homo ditissimus, Regísque argentarius, seu thesaurarius, nec parvâ apud eum gratiâ pollens; accusatus de illicito cum Sultano Ægypti armorum ac monetæ commercio, & quòd adolescentem Christianum è Saracenorum servitute elapsum domino suo captivum remisisset; ingentémque pecuniam per regnum indebitè exegisset, ac thesauros regios expiâsset: in carcerem trusus, (frustrà eum, uti clericum, vendicante Iacobo Patriarchâ Antiocheno Episcopo Pictaviensi, cùm in eâ civitate detineretur) condonatâ ei vitâ ob plurima alia bona ejus opera, & in gratiam Pontificis, qui pro eo intercessit; grandi ære mulctatus est, ac publicâ ignominiâ affectus, & in exilium deportatus, reliquis bonis fisco addictis. Cujus casum multi [a] auctores narrant; sed plerique anno superiori malè collocantes: nisi fortè principium accusationis intellexerint, cùm alioqui tam expostulatio quam diximus Episcopi Pictaviensis, quàm sententia condemnationis in Cuerum lata, quas nos vidimus unà cum actis inquisitionis in eum factæ, disertè habeant mensem Maij præsentis anni 1453. Vidimus & restitutionem partis bonorum à Rege factam filiis ejus & ministris mense Augusti 1458. quâ dicitur, Iacobum, cùm è carceribus regiis quibus usque ad satisfactionem pecuniarum detinebatur, elapsus profugisset in Orientem, vitam exposuisse adversùs hostes fidei Catholicæ, recénsque tunc mortuum fuisse. Fuit autem ex filiis unus, Ioannes Archiepiscopus Bituricensis, vir insigni pietate & doctrinâ, atque in Ecclesias suæ diœcesis munificentiâ. Cujus pater Iacobus, quòd extruxisset sacristiam Ecclesiæ Bituricensis, adscriptus reperitur [b] cum hoc elogio: 25. *Novembris obiit D. Iacobus Cordis miles, Ecclesiæ Capitaneus generalis contra Infideles.* Ac de illo modò hactenùs.

[a] Monstrel. vol. 3. Gaguin. lib. 10. Gill. in Annal. Bellefor. lib. 5. c. 114. 115.

[b] Gall. Christ. in Archiep. Bituric. num. 87.

XXXII. THEOLOGI DÆMONUM CULTORIS PUNITIO.

Ejus verò condemnationi aliam adnectimus, ad finem [c] hujus ipsius anni factam in eâdem Galliâ, *Guillelmi Edelini* Doctoris Theologi Prioris S. Germani de Laiâ: qui apud Ebroicas ad perpetuum carcerem damnatus est, ob id quòd ut cujusdam illustris feminæ consuetudine abuteretur, dæmonem sibi patronum adhibens, eum in arietis specie adorâsset, turpem corporis partem osculando; & scopâ inter femora velocissimè ad locum diabolicorum conventuum ferri consuevisset.

[c] Monstrel. ibid.

XXXIII. LADISLAUS CORONATUR REX BOEMIÆ.

Hoc item anno Ladislaus Rex adolescentulus tredecim circiter annorum Boëmiam petens, Pragæ summos consecutus honores, regni coronam & unctionem accepit in festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ à Ioanne Episcopo Olomucensi; (Ita enim Cochlæus [d], cùm cæteri [e] velint id officij præstitum per Dionysium Cardinalem & Archiepiscopum Strigoniensem) omnibus sacris Catholico ritu

[d] Cochlæ. Hist. Hussit. lib. 11.

[e] Dubrav. lib. 29. Michov. lib. 4. c. 65. in fi.

peractis; quamvis & Gubernator Podiebracius Hussita esset, & Rockysana hæreticorum patriarcha Archiepiscopum ageret, cujus nullam rationem Rex habuit. Mansit autem Rex ibi non parvo tempore; nec tamen umquam hæreticorum Ecclesias quamvis rogatus intravit, nec sacris eorum interfuit. Quinimmò cùm aliquando à Rockysanâ quidam sacerdos immissus in arcem esset ut coram Rege Missam celebraret; Rex ubi accepit hæreticum esse, nec velle alteri Catholico locum facere; misso Magistro militum, profanum sacerdotem nisi abiret rapi extra sacellum, & de proximâ rupe præcepitari præcepit. Et Rockysanam in celebritate Corporis Christi sacram Eucharistiam per urbem deferentem ex fenestrâ conspicatus, nihil reverentiæ signum præbuit: percunctantibúsque amicis ut quid Sacramentum inhonestâsset; *Non me latet*, inquit egregiè, *divinissimum Christi Corpus dignius esse, quàm per me satis honorari possit; nec mea reverentia gloriam ejus auget, neque dehonestatio decus imminuit. Verùm mihi cavendum, ne dum Christum honoro, sacrilegum presbyterum popularibus approbâsse videar, quorum plerumque mores ex Principe pendent. Nec illi me Deum contempsisse putabunt, cujus sacratissimum Corpus in Catholici presbyteri manu summis semper honoribus prosecutum vidêre.* Cùm igitur cernerent hæretici sua sacra à Rege despici, plurimósque ejus causâ ad Ecclesiam reverti, cupientem illum Austriam repetere nullus remorari contendit: cujus è Pragâ abitio contigit ad finem anni proximi. Hæcque narrant Æneas [f], Cochlæus, Dubravius.

DESPICIT SACRA HÆRETICORUM.

[f] *Æn. Boëm. cap.62. Cochlæ. lib.11. Dubrav. lib. 28. & 29.*

XXXV.

Insigne miraculum hoc eodem anno in Hispaniâ circa sacratissimam Eucharistiam contigisse narrat unus quidam scriptor [g] Hispanus: in villâ scilicèt Fromestæ diæcesis Placentinæ. Vbi cùm quidam domûs hospitalis illius loci præfectus, ob pecuniam à quodam Iudæo pro necessitatibus hospitalis mutuò acceptam die dictâ non solutam, sententiâ Iudicis Ecclesiastici, ad quem Iudæus recurrit, anathemate perculsus, eam quidem restituisset, sed à sententiâ absolvi minimè curâsset: dum posteà ex morbo moriturus sacerdotem & viaticum flagitavit, factum est ut porrecturus illud ei sacerdos, ita sacras hostias patenæ adhæsisse comperit ut nequaquàm divelli possent. Sic Deo misericordiarum non tam miraculum, quàm miraculo salutem infirmi quærente. Stupentibus omnibus, cùm sacerdos conscientiam infirmi examinans, ab immemore confessionem censuræ extorsisset; statim atque eum censuræ exemit, manum uni ex tribus hostiis quæ patenæ tenaciter adhæserant admovens, eam facilè avulsam infirmo porrexit: cæteræ duæ ad perpetuam rei memoriam etiamnum integerrimæ visuntur patenæ, ita tamen ut de earum alterâ difficilè sit judicare utrùm stet in aëre, vel altari inhæreat: Rem valdè mirabilem fusiùs narrat auctor. Sed quis miretur in miraculorum vertice miracula? Adeò frequentia sunt apud auctores, ut etiam vilescant apud impios: quæ Deus vel in eorum conversionem vel in fidei credentium confirmationem edere non cessat.

[g] *Illesc. Hist. Pontif. lib.6. in Nicol. V.*

INSIGNE MIRACULUM DE SACRA EUCHARISTIA.

IESU CHRISTI Annus 1454.

NICOLAI V. An. 8.

FRIDERICI III. An. 15.

I. CONVENTUS RATISPON. PRO REB. TURCICIS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, Indictione secundâ, mense Martij mandato Friderici Imper. ad tractandum de bello contra Turcos convenerunt aliquot Principes Germaniæ, Ratisponæ Bavariæ urbis quæ Danubio adjacet. Adfuítque vocatus Philippus Dux Burgundiæ, jam à bello vacans, quod [a] contra rebelles Gandenses ob tributum salis eis impositum, & alias quasdam libertates imminutas aliquot annis gesserat, eósque gravissimis cladibus attritos ad obsequium anno præcedenti reduxerat. Imperator tamen, quamquam spem fecerat sui adventûs, in Austriâ commoratus est, veritus ne vicina Hungariæ flamma suam domum incenderet; cùm in armis essent hinc latrones [b] potentissimi, qui multis millibus Hungariam incursabant, illinc Huniades regni gubernator qui cum eis propediem conflicturus existimabatur; ut victor quisquis esset, Imperatori timendus videretur: unde more hominum res proprias per se ipsum, communes per legatos curare statuit. Misit itaque egregios ex curiâ suá oratores, Barones duos, Episcopos duos Viricum Gurgensem & Æneam Senensem: hísque adjunctus est Nicolaus S.Petri Cardinalis Cusanus, qui tum apud Ecclesiam suam Brixinensem morabatur; & à Nicolao Pontifice missus Ioannes Episcopus Papiensis, qui tuitionem Catholicæ fidei commendaret, & opem suam offerret. Cùm nomine Imperatoris perorâsset Æneas, & alij singuli pro captu suo ac Principum dignitate; nemo fuit qui non expeditionem in Turcos ducendam censeret: ipseque Burgundus laudatâ Æneæ oratione, nec corpus, nec facultates negaturum se promisit, modò Princeps alius ad eam rem idoneus sese accingeret, cui posset comes ire. Placuit verò auxilia Francorum exquirere, qui equites expeditioni adjungerent: & Italorum, qui classem validam in Græciam Asiámque traducerent. Germanorum autem alium conventum esse cogendum apud Francofordiam ad 3. Calendas Octobris, ut ibi delectus militum fieret, & pecuniæ perquirerentur. Ita de his ipse Æneas [c] in commentariis suis.

[a] *Monstrel vol. 3. Olivar. Marchan. lib.1. Meyer. lib. 16.*

[b] *Vid. Æn. ep. 162.*

[c] *Comment. Pij II. lib.1.*

II.

Sed pro suâ morositate Meyerus [d] (iratior fortè in Imperatorem, quòd Principi suo minùs se comem aut urbanum exhibuerit) ait Philippum Ducem hâc peregrinatione honorificè exceptum esse multis locis à Germanis, sed Imperatorem cui cordi non erat expeditio in Turcos, misisse in occursum ejus qui dicerent illum ægrotare, nihilque esse ut se tanto labore vexaret ut ipsum inviseret: (Haud igitur honestum existimabat Philippus, qui longissimo itinere Ratisponam, petierat, non salutato Imperatore ad sua reverti: sed Imperator, quem plerique omnes, ipséque Æneas prodigus alioqui ejus laudator, nimiæ rei familiaris tenacitatis insimulant, excusatione morbi expensis receptionis Philippi, tanti

[d] *Meyer lib. 16. ad fi.*

BUGUND. DUX PARÙM LIBERALITER HABITUS AB IMPERATORE.

Principis, támque liberalis atque magnifici, parsum voluit) spem tamen fecisse conventûs agendi intra sex menses, ubi de omnibus tractaretur rebus. Quòd si quantum Philippus erat, & reliqui fuissent animati, non dubium esse quin Turcum procul repulissent, totámque Græciam liberâssent: sed eos, atque imprimis Fridericum tantâ ignaviâ socordiáque obsessos fuisse, ut veluti lethargo aut Endimionis sepulti somno expergisci non potuerint: qui primus postremúsque esse debebat, nihil animi Fridericum habuisse, nihil magni, nihil gloriosi cogitari potuisse. Ipse verò Philippus antequàm iter Germanicum susciperet, a Nicolao Pontifice certior factus de clade Constantinopolitanâ, simúlque rogatus nomini Christiano succurrere; zelo fidei ac religionis evestigiò quatuor triremes ad Pontificem miserat cum promissione majorum auxiliorum. Ac deinde in convivio proceribus suis exhibito, ad oblatum solemni apparatu Phasianum assum, conceptis verbis juraverat, voverátque, se cum bonâ veniâ Regis Francorum domini sui, & dummodò ditiones suæ quietæ forent, iturum cum omnibus suis viribus contra Turcum, & singulari certamine cum eo, aut integris copiis cum ejus exercitu pugnaturum. Quod convivium, celebratum die decimo-septimo Februarij ante Quadragesimam, ejúsque insignem apparatum, & actus scenicos in eo splendidissime exhibitos, unà cum votis singulorum Principum ac procerum, minutissimè Olivarius [e] Marchanus, qui interfuit, descripsit, habétque id ipsum breviùs Monstreletus [f]: nec omisit Meyerus [g]. Fuisse namque Philippum, Principem, tam re quàm cognomine Bonum, & religionis amantissimum, certissimum est: quem & propterea plurimis ac dignis laudibus ornavit Æneas [h] scribens ad Leonardum de prædicto conventu Ratisponensi, ejúsque operâ factum esse, ut in eo nonnulli articuli conciperentur. Quamquam an id omninò religionis amore præstaret, subdubitaverit idem ipse in suis Commentariis, dum scribit, unum illum fuisse Christianorum Principum, qui Turcorum nomini infensissimum sese ostenderet; sive patrem ulturus, quem Turci olim captum multo auro vendiderant; sive religionis amore, quòd hâc potissimùm viâ æternam vitam quæreret; sive rumores hinc populi venaretur, cui mortalium pars maxima inservit. Excusabilis tamen ipse etiam in hoc ultimo vitio, si fortè adfuit, præ illis aliis Principibus, qui proximos malunt per fas nefásque inquietare, ac sua quoque jure quàque injuriâ adaugere & amplificare; (ut jurium cujusque suorum legitimam defensionem excipiam, aut etiam æquam iniquè occupatorum repetitionem:) quàm longinquis auxilio esse, etiamsi de fide Christi agatur, quam ejusmodi homines ore magis & jactantiâ, quàm corde & opere retinent.

Ipsius pro religione zelus.

[e] *Olivar. lib. 2. c. 29. & 30.*
[f] *Monstrel. vol. 3.*
[g] *Meyer. d. lib. 16.*
[h] *Æn. ep. 127.*

III. *Æneæ epistola de rerum ac regnorum statu*

Quare nec mirum si prædictâ ad Leonardum epistolâ Æneas, post narrata quæ in conventu Ratisponensi gesta fuissent, omnem spem de futuro Francofordiensi, cui ipse unà cum Imperatore (apud quem jam fungebatur & Consiliarij Augustalis & Nuncij Apostolici munere) aut nomine Imperatoris interesse habebat, desponderit. Quæ Epistola scripta die 5. Iulij, quod totius penè Christiani orbis ut tunc erat, statum repræsentet, percurrenda nobis visa est ad cæterorum quoque notitiam; additis non paucis, quæ ad ejus illustrationem pertinere videbuntur.

Hujus temporis.

IV.

Imprimis ergo quod hortabatur Leonardus Æneam, operam suam impendere suasioni Expeditionis in Turcos; exemplo humilis cujusdam monacelli, qui pacem in Italiâ composuerat: sciendum est, cùm multùm laborâsset Nicolaus Papa in componendâ pace inter Principes Italiæ, de quorum dissensionibus sæpè dictum est superiùs, nec valuisset ad concordiam articulorum trahere; demùm (ut narrant Antoninus [i], Æneas, Platina, Facius, & alij) cùm omnes essent fessi, & consumpti penè expensis magnis absque multo operæpretio; inventum esse Simonetum (Fratrem Leonem Corius [k] vocat; fuit enim fortè binominis) Ordinis Eremitarum S. Augustini, patriâ Camertem, virum prudentem magis quàm eruditum, qui ultrò citróque commeans, Venetos, Sfortiam, & Florentinos ad concordiam sæpiùs adhortans, eos tandem pepulerit ut pacem inter se ad principium Aprilis firmarent. Visúmque est monstri simile, obscuri anteà nominis & prorsùs ignoti homuncionem, vitæ tamen integritate probatum, rem perficere potuisse, quam Pontifex cum universo Senatu Apostolico frustrà conatus esset. Cùm autem ita concordiæ leges dictæ essent, ut dies præstitueretur intra quam socij eam ratam haberent; recusante Alfonso Rege, eò quòd regiâ contemptâ dignitate se inscio facta esset, missi à singulis partibus legati sunt ad eum; necnon à Nicolao Pontifice Dominicus Capranicus Cardinalis S. Crucis ac Major Pœnitentiarius, prudentiâ singulari & vitæ integritate conspicuus. Cujus diligentiâ post longas discrepationes factum est ut differentiis omnibus tanquam ex integro discussis, prædicta pax, paucis quibusdam in Regis honorem in eâ moderatis, confirmata fuerit; fœdúsque in annos viginti quinque inter omnes Italiæ potentatus percussum, cujus Romanus Pontifex & conservator & judex dictus est. Omnes enim in eam sententiam venêre; præter Genuenses, de quibus dicetur paulò post. Relictáque est etiam legatorum negligentiâ, vel industriâ, ansa quædam ad bellum, quâ Alfonsus posteà Sigismundum Malatestam bello persecutus est, eò quòd receptis anteà à se mercedis nomine pecuniis, transitione factâ ad Florentinos hostes suos contra se militâsset: paritérque Senenses, in auxilium Picinini, qui prætextu cujusdam pecuniæ debitæ eos armis appetiit.

[i] *Ant. tit. 22. cap. 12. §. 5. Æn. de Europ. cap. 49. in fi. & 58. Plat. in Nic. V. Fac. in Reb. gest. Alfons. lib. 10.*
[k] *Cor. par. 6.*

Simonetus eremita pacem in Italia conciliat.

V. *Non eadem facilitate bellum contra Turcos fieri posse.*

De hâc igitur pace Simoneti operâ procurata respondens Æneas Leonardo, ait rem in Conventu Francofordiensi tractandam minimè esse ejusdem naturæ. Illam enim pacem, antequàm à monacho susciperetur, adeò in alto illo Summi Præsulis igne consistoriali decoctam fuisse, ut parvo postmodùm sole potuerit maturescere: fuisse & partes quæ contendebant longo defessas bello, contritas atque exhaustas, intelligentes nisi concordiam amplecterentur utrimque funditùs esse pereundum. At negotium gerendi contra Turcos belli, rude adhuc, indigestum,

&

& penè intactum esse. Nec Germaniæ aut Galliæ Principes, quorum potissimè mentes excitandæ essent, satis intelligere posse quid sua interesset contra Turcos arma movere, qui essent ab eis remotissimi.

VI.

Nihil boni sperari posse a conventu celebrando.

De ipso verò futuro conventu disserere post hæc incipiens, ait vocatos ad eum esse ex Italiâ Regem Aragonum, Venetos, Genuenses, Florentinos, Senenses, Lucenses: Comitem quoque Franciscum Sfortiam, quamvis non esset investitus de ducatu Mediolanensi: Ducem Mutinæ, Marchiones Mantuæ, Montisferrati, & Saluciarum: Regibus quoque Franciæ, Angliæ, Boëmiæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ, Scotiæ, literas datas esse, ut ad conventum mitterent: Principes Alemaniæ adesse, Communitates mittere legatos jussas esse. Cùm tanta deberet esse conventio, nihil tamen boni inde se sperare. Primùm quia Christianitas nullum haberet caput, cui parere omnes vellent. Neque Summo Sacerdoti, neque Imperatori quæ sua essent dari: nullam reverentiam, nullam obedientiam esse: tanquam ficta nomina, picta capita esse, ita Papam Imperatorémque respici: suam quamque civitatem Regem habere: tot esse Principes quot domus. Quomodò tot capitibus, quot regerent Christianum orbem, arma sumere suasum iri? Concurrerent in bellum cuncti Reges, cui ducatus daretur? quis ordo in exercitu futurus? quæ disciplinâ militaris? quæ obedientiâ? quis pasceret tantum populum? quis intelligeret varias linguas? quis regeret diversos mores? quis Anglicos amicaret Gallicis? quis Genuenses conjungeret Aragoniensibus? quis Teutones Hungaris Boëmisque conciliaret? Si pauci contra Turcos ducerentur, facilè succubituros, si multi, confusum iri.

VII.

Genuenses non fuere comprehensi in pace Italiæ.

Præterea talem esse Christianitatis vultum ut nihil boni menti suæ persuadere posset. Nec dum Italiam quietam esse; quòd adhuc inter Regem Aragonum & Genuenses belli reliquiæ manerent. Quod enim jam innuimus, minimè comprehensi fuêre in pace & fœdere Italorum Genuenses, quamvis multùm in eis cum Alphonso conciliandis Cardinalis Sanctæ Crucis ac Principum & civitatum legati laborâssent, eò quòd inter Italiæ civitates quæ mari pollerent, Genua non in postremis haberetur: adeò ut ejus videretur necessaria cum cæteris unio ad maritimam in Turcos expeditionem. Quibus tamen se difficilem Rege præbente, nisi Genuenses à quarumdam navium interceptarum repetitiones desisterent; ac promissam olim ad dissidia inter ipsos componenda annuam pelvim auream, quam ab aliquot annis pendere intermiserant, eò quòd non eam Rex privatim ut munus, sed ut tributum publicè in frequenti aulâ accipere vellet, ad se deferrent, aut si damnis acceptis satisfieri vellent, & ipsi damnis quæ Regi ac populis ejus intulissent satisfacerent: res effectu caruit. Scilicèt inhæserant Regis animo, & captivitas sua, & Corsicanæ clades ab armis Genuensium acceptæ, de quibus dictum suis locis. Adeò ut non cessârit usque ad obitum terrâ marique eos vexare; etiam postquàm ipsi, ut se ab eo tuerentur coacti sunt Regi Francorum sese denuò submittere, ut dicetur item suo loco.

VIII.

Veneti pacem cum Turcis faciunt.

Hoc igitur impedimentum expeditionis adstruens Æneas, aliud addit de Venetis; quos cum Turcis fœdus percussisse ait. Idque ipsum testantur eorum historici [l], cùm scribunt confestim ac Venetis auditum est de occupatione Constantinopolis, Patres de suorum civium salute sollicitos, Bartholomæum Marcellum ad Mahometem misisse, qui publico nomine suos cives captivos eorúmque res bello captas repeteret; omniáque benignè impetrata esse. Reversum Marcellum sancitam novam cum Mahomete pacem nunciâsse; quàm nec probare nec rejicere Patres voluerint, sed tamdiù differre statuisse quoad pax fœdûsve inter Christianos Principes ictum esset. Quò facit quòd addit Æneas, eos quamvis fœdus cum Turcis percussissent, asseruisse tamen sumpturos se arma pro fide, si cæteri Christiani bellum Turcis indicerent. Sed quis (inquit) hanc conditionem implebit? Vocare, rogare, atque excitare Venetos oportebit, qui cæteros imitati essent si pax eis cum Turco non esset. Indéque redit ad desperationem expeditionis: quoniam cùm necesse esset eam terrâ maríque fieri, ac deficientibus Italis nihil esset quod de maritimo bello sperari posset; jam duabus sublatis majoribus potentiis, Venetorum qui fœdus pepigissent, ac Genuensium qui præter Alfonsi impedimentum etiam tributum Turcis pendere dicerentur; deficeret omninò altera belli pars: Regem Aragonum, quamvis esset potentissimus, & ad commune bonum ardens, haudquaquàm solum bellum navale agitaturum: Summi verò Pontificis classem invalidam esse.

[l] Iustin. l.8.

IX.

De rebus Hispan.

Quieto igitur Turcis Hellesponto, si terrâ bellum geratur, infinitas eos ex Asia copias in Græciam traducturos. In Hispaniâ multos esse Reges potentiâ, regimine, voluntate, & opinione dispares: videlicèt Castellæ, Aragoniæ, Navarræ, & Lusitaniæ. De quorum rebus cùm nihil præter eà referat Æneas; est quòd hic de singulis aliqua narremus, ac præcipue ex Marianâ accuratissimo rerum Hispanicarum scriptore, qui ex antiquioribus exscripsit. Atque imprimis de *Ioanne* [m] Castellæ, cum post sublatum anno præcedenti Alvarum Lunam, cùm propositum haberet publicam rem per se gerere, qui tot lustris sub potestate Alvari desedisset, adhibitis in consilium viris quibusdam integerrimis; ac summæ diligentiæ summam imperij severitatem addere, quæ sæpè inani specie clementiæ salubrior est: ex lento, sed diuturno morbo, obiisse Vallisoleti, ubi Alvarus perierat, ad tertium decimum Calendas Augusti anno ætatis quinquagesimo non solido, regni quadragesimo octavo; electâ sepulturâ in cœnobio Burgensi, quod à patre extructum Carthusianis ipse monachis dederat. Successit ei *Henricus* filius eo nomine Quartus annum ducens ætatis trigesimum, cùm paulò ante parentis obitum, Blancam uxorem suam filiam Regis Navarræ, post decimumquartum conjugij annum repudiâsset, eo prætextu quasi maleficio veneris usu prohibita esset; re tamen verâ quòd is præposteræ libidinis avidus, concessæ neque cupidus neque potens

[m] Mar. lib 22. cap. 14. & 15.

Ioannis Regis Castel. obitus.

Henrici IV. successoris pravi mores.

[n] *Nebriss. lib. 1. cap. 1.*

præsertim in virginibus esset: (ita enim omninò Mariana, plerisque cæteris præ pudore mitiùs cum Henrico agentibus, ejus tamen impotentiam non abnuentibus: cui nec adeò honestè illudit Nebrissensis [n]:) divortij sententiâ ab administratore Segobiensis Ecclesiæ pronunciatâ primùm, confirmatáque deinde ab Archiepiscopo Toletano Nicolai Pontificis permissu, non sine admiratione orbis terrarum. Senserat eum pater sæpè adversarium ac rebellem; ideóque, & propter pravos mores, cogitaverat successorem renunciare Alfonsum nondum anniculum, quem ei septem ante obitum mensibus uxor pepererat: sed tenuit imbecilla ejus ætas, & majorum motuum metus. Fuit autem Henricus patri socordiâ persimilis; ardenti animo sed pusillo, oppletóque fœditate, moribus dissolutis, atque omnibus turpitudinum maculis vitâ deformi. Cui *Impotentis* atque etiam *Liberalis* cognomina vulgo affiĉta sunt: alterum naturæ vitio, alterum ex profusâ ac sine judicio liberalitate. Ejúsque cæterorum morum varietate factum est, nulla ut tempora turbulentiora extiterint, quàm ejus regno, quod annorum viginti fuit; cùm prudentia non magis ad cives in pace regendos deesset, quàm intestinis regni motibus pacandis.

X.

[o] *Mar. d. c. 15. & 17.*

CONTENTIONES DE REGNO NAVAR. INTER PATREM ET FILIUM.

[p] *Id. c. 18.*

Cùm autem essent, ut aliàs visum, res illius regni atque Aragonij & Navarri admodùm turbatæ, ac diuturnis bellis provinciæ fessæ, exhaustæque; fuerunt quidem illæ inter [o] Castellam & Aragoniam compositæ: sed quæ inter Ioannem Regem Navarræ & Carolum Vianæ Principem ejus filium simultas erat, cò difficilior fuit quò major necessitudo. Carolo tamen passim favebatur, quippe jure potior; favebátque pro virili parte Blanca soror, tantâ patris molestiâ, ut fœdere cum Comite Fuxensi genero juncto, regnum Navarræ in eum transferre cogitaret: Navarris econtrà adeo in Carolum pronis, ut abeuntem [p] post hæc in Italiam ad patruum Alfonsum, absentem Pampelone contra patrem Regem proclamaverint. Quæ sanè non præparamenta erant ad Bellum Turcicum, sed præpedimenta, ne quid auxilij ex iis regnis sperari posset. Cùm & prætereà legitima videretur excusatio belli Maurici in ipsâ Hispaniâ: quod ab Henrico Rege susceptum, ingentibus copiis, quibus & totam Africam debellare posse videbatur, agrorum vastatione & incensione dumtaxat gestum est: tanto procerum militúmque dolore ac pudore, ut etiam de Rege capiendo, & aliâ ratione bello administrando, consilia inita sint; quæ Rex festino in tutiora loca recessu elusit.

[q] *Id. c. 10.*

REX ARAGON. DELICIIS ITALIÆ DETINETUR.

Alfonso [q] autem Aragonum Regi res Hispaniæ eatenùs curæ erant, ut missis legationibus hortaretur ad pacem: si bellum esset, in Ioannem fratrem gentémque suam propensior. Alioqui oblivio patriæ adeò eum ceperat, ut numquam in Hispaniam redire adduci potuerit, de eâ re quamvis itemtidem appellatus; quem illecebræ omnis amœnitatis maritimæ terrestrísque in Italiâ detinebant: atque in nobilissimâ provinciâ primum potentiæ & auctoritatis locum nactus inter Hispanos in secundis, quod necessarium fore providebat (primas obtinente sine controversiâ Castellano) numerari recusabat.

XI.

REX LUSITANIÆ CÆTERIS PROMPTIOR AD AUXILIA CHRISTIANORUM.

[r] *Id. cap. 17.*
[s] *Id. cap. 14.*

EJUS LONGINQUÆ NAVIGATIONES.

Rex Lusitaniæ Alfonsus, ut fuêre plerumque ij Principes ad Apostolicæ Sedis obsequium, & religionis Christianæ propagationem cæteris Hispanis proniores, & quò à cæteris loco & naturâ segregatiores, ita à turbis & machinamentis eorum remotiores: minimè decretæ sacræ expeditioni defuit; sed validâ classe [r] instructâ destinavit eam in Italiam sociali classi auxilium: etsi apparatu inani, ob refrigescentem ardorem Italiæ Principum, novósque motus Senarum & Genuæ. Cœperant [s], ut vidimus, Lusitani extima Africæ littora anniversariis navigationibus tentare aperiréque longissimo tractu usque ad bonæ spei promontorium, quod littoribus utrimque in cuspidem extenuatis, ultra mediam cæli plagam triginta quinque gradibus porrectum est: primo per ejusmodi navigationes Christianæ Religionis amplificandæ auctore Henrico prædicti Alfonsi Regis patruo, viro religiosissimo & siderum cursûs peritissimo; de cujus in hâc re operâ dictum est superiùs. Quorum præstantissimorum conatuum cursum Ioannes Castellæ Rex sub obitum remorari, aut interturbare motus, eo prætextu quòd illa Africæ littora ad suum jus pertinere existimaret, minas etiam addiderat, nî mutarent, bellum sævissimum finibus illaturum. Sic enim in medio tumultuum domesticorum solicitus erat de fidei propagatione, ut eam nec vellet per se nec per alios procurari. A Lusitano vero mite responsum datum, putare se nihil contrà jus factum esse; atque fidere, nisi re dijudicatâ Castellæ Regem haud moturum arma. Cessavitque tunc hæc quæstio per Regis Castellæ obitum, & matrimonium Henrici ejus filij cum Ioannâ Regis Lusitaniæ sorore: quæ suis posteà temporibus acriùs erupit. Hoc verò tempore [t] in Lusitaniâ nummi aurei percussi fuêre cum primis probi, Cruciati ex eo dicti, quòd per idem tempus à Nicolao Papâ venia concessa Lusitanis esset, quicumque Cruce insigniti adversùs Christiani nominis hostes pro religione arma sumerent, paratúsque Rex exercitum contra eos ducere, vellet hujus sui propositi signum ejusmodi superesse. Atque hæc de Hispaniâ modò satis quantùm ad difficultatem auxilij Orientalis.

[t] *Id. cap. 13. ad fi.*

XII.

IMPEDIMENTA GALL. ET ANGL. AD BELLUM TURCIC.

Quam & in aliis regnis Æneas, prævidens, Rex Franciæ (inquit) etsi toto regno pepulit hostem, maritimas tamen oras inquietas habet; nec militem extra regnum audebit mittere, dum classes ex Angliâ repentinas timet. De pulsione Anglorum dictum est suprà: cujus pars ad hunc annum pertinet. De classibus eorum parùm aut nihil hoc tempore reperitur: nec de conatibus, quorum memoriam Æneas subdit, ut repulsam suam vindicarent: cùm è contrà essent adeò ipsimet in patriâ divisi, ut non possent rebus exteris vacare, ob Regis incuriam. Hócque tempore [u] regni gubernationem usurpans Richardus Dux Eboracensis, totísque votis & nisibus regnum affectans, Duces Sombressetum & Clocestrensem, suos & Regis propinquos, Londinensium favore in vincula conjecit. Sed liberatis illis Regis operâ, cùm Sombresseto Rex administrationem regni credidisset, (quem de illo optimè administrato Polydorus laudat) abiens ad sua Eboracensis timore insidiarum, manu armatâ pòst rediit: & pugnâ factâ, quâ Sombressetus

[u] *Monstrel. vol. 3. Polyd. lib. 23. Bellefor. lib. 5. cap. 115.*

TURBÆ ANGLIC.

occisus est; & Rex collum sagittâ saucius, captúsque, atque veluti triumpho Londinum ductus; permansit penes Eboracensem absoluta Regis regníque administratio. Quæ fuit ingens illa duarum familiarum de regno dissensio, quâ penè totum concedit: videlicèt Eboracensis ac Rosæ Albæ, cujus hoc tempore caput erat Richardus iste Dux; & Lancastrensis ac Rosæ Rubræ, ex quâ Rex originem trahebat. De quarum juribus dictum est aliàs; de prosecutione eorum dicetur posteà suis locis. Quamvis autem ita res se haberent in Angliâ, haud tamen adeò securus ab iis Carolus Francorum Rex extitit, ut non provinciis vindicatis diligentissimè providerit. Qui etiam misso [x] ad novum Regem Castellæ Archiepiscopo Turonensi antiquum fœdus cum eo renovavit, veritus etiam fortè, ne Rex Navarræ gubernator Aragoniæ, ut olim fecerat, Anglis eâ parte faveret.

DISSENSIO FAMIL. ROSÆ ALBÆ ET RUBRÆ.

[x] *Monstrel. & Bellefor. ibid.*

XIII. EX REGNIS SEPTENTR. NULLA SPES AUXILIORŪ.

Addit Æneas, nihil esse quod Scoti, Dani, Sueci Norvegij, in ultimis oris orbis siti, extra domum quirent. Qui verumtamen non semel etiam cum gloriâ, religionis studio, uti ex illorum Historiis intelligitur. Sed non ij erant hoc tempore, qui magnas copias in Orientem mitterent, divisionibus & ipsi inter se agitati, aut bellis externis occupati. Rex enim Scotus [y] magnam rebellionem à suis passus, eis domandis occupatus erat. Quorum caput Comes Douglasius, qui tandem captus pœnas luit. Cæteri [z] occasione unionis trium regnorum: quam Sueci aspernabantur electo sibi proprio Rege, in armis erant. Extátque apud Æneam [a] Christierni Regis Epistola ad Fridericum Imp. quâ respondens invitatoriæ ab eo receptæ ad conventum Germanicum, imprimis testatur nihil sibi gratius accidere posse, quàm si regnorum suorum rebus compositis, quæ variis adversitatum detinerentur anfractibus, cum proceribus suis Imperatori adhæreret contra hostes Christi. Quòd autem literas ejus seriùs recepisset, regnúmque Daniæ ubi residebat pluribus insulis interfecaretur, ac propterea Parlamentum regni, cujus consultatione in rebus gravioribus opus esset, absque prolixi temporis intervallis congregare minimè posset; tum etiam quia erat in procinctu expeditionis ad regnum Norvegiæ contra hostium incursus quos frequenter sustinebat: idcircò haud posse jam se desiderio Cæsaris satisfacere. Si verò in præfato conventu Germanico aliqua salubria ad expeditionem Turcicam concluderentur, non defuturum se pro parte suâ; salvis tamen regnorum suorum negotiis. Apud Ioannem [b] autem Magnum legimus Carolum Regem Sueciæ, qui etiam Norvegiam occupaverat, & cum Christierno contendebat, grandi collecto exercitu totam ferè Daniam in solitudinem penè redegisse. Et auctoritate Laurentij Arosiensis historici subdit, Carolum numerâsse ex Gothis, Suecis, & Finnis, decies octies cententa millia ad bellum cùm opus foret idonea. Ex quibus sanè si vel decima pars missa in Græciam fuisset, pellendis ex eâ Turcis vel sola suffecisset. Addit verò, adeò in arctum à Carolo Christiernum redactum esse, ut coactus fuerit auxilia Principum inferioris Germaniæ asciscere, sed non magno operæpretio.

[y] *Boëth. lib. 18. Lesla.lib. 8. Buchan. lib. 11.*
[z] *Io. Mag. lib. 13. Krantz. lib. 8. Dan. & 5. Suec.*
[a] *Æn. ep. 128.*
[b] *Io. Mag. lib. 23. c. 5.*

REGIS SUECIÆ POTENTIA.

XIV. TEUTONUM DIVISIONES.

Pergit Æneas, Teutones inter se divisos nullâ in parte cohærere: civitates cum Principibus dissidere & ipsos inter se Principes nullo concordiæ vinculo teneri: Suitenses cum Ducibus Austriæ vetus odium exercere. De his porrò jam dictum est aliàs. Verùm quod nunc occurrit, in confirmationem dictorum Æneæ narrat Felix [c] Fabri de illorum temporum inter duces Austrios & Suitenses, sive ut vocat Suicetos, internecino odio; adeò amaricatos fuisse, ut loquitur, eos in domum Austriæ ut non possent nec nomine audire: & si quis bonum quid locutus esset de eâ, aut signo aliquo monstrâsset ei favere fuisset sine judicio occisus: in tantum ut non solùm insignia ejus, sive scutarios typos, quæ arma vulgò dicuntur, ex omnibus locis sacris, & profanis abrasissent; verùm etiam quoniam Duces Austriæ ferrent in galeâ pavonis caudam, nullum ipsi in totâ terrâ sua pavonem sustinerent; & si quis in pileo gestâsset pavonis pennam, sine interrogatione interficerent.

[c] *Fel. Hist. Suevor. lib. 1. cap. 16. ante fi.*

IMMENSUM ODIŪ HELVETIORUM IN DOMUM AUSTRIACAM.

XV.

Comes Palatinus (inquit Æneas) Archiepiscopo Moguntino infestus est. Quâ de re legimus apud Munsterum [d], prædictum Archiepiscopum Theodoricum nomine cum sociis aggressum esse anno præcedenti Fridericum Palatinum: sed illum eos ex insidiis invasos devicisse. In quibus non immoramur. Sicuti nec in eo quod subdit Æneas, Ducatum Lutzemburgensem inter Regem Boëmiæ & Ducem Burgundiæ litigiosum pendere: (Descendebat Rex à Sigismundo Imperatore, verâ stirpe Lutzemburgicâ: possidebat Dux jure Elisabethæ neptis ex fratre ejusdem Sigismundi, cui Wenceslaus frater major Sigismundi Ducatum Lutzemburgensem dederat:) Duces Saxoniæ de sexaginta castellis cum finitimis Boëmis litem habere: Vratislavienses Silesiæ requisitos per Boëmiæ Regem homagium facere recusâsse, nisi ad se Rex proficisceretur: Lignicenses, quos Ladislaus Rex gubernatori Boëmiæ dederat, & Pudwicenses domino de Rosis, jugum subire recusare. Hæc enim, & leviora sunt, quàm ut diligentiùs perquirantur; nec adeò expeditioni Orientali statuendæ impedimento esse poterant.

[d] *Munster. Cosmogr. lib. 3.*

XVI. PRUTENI AD REG. POLONIÆ DEFICIUNT.

Quod habet de Prutenis, qui Religionis S. Mariæ Teutonicorum, cui subjecti fuerant, excusso jugo, ad Regem Poloniæ defecerant, hoc quidem, uti majoris momenti, excutiendum videtur. Cùm igitur præteritis annis regente Ordinem Teutonicorum, quos Cruciferos dicebant, Ludovico Herlihusio, qui ejus administrationem susceperat anno 1450. Pruteni grave jugum Fratrum causantes, adversùs eos insurrexissent; Nicolaus Pontifex legatum miserat qui provinciam Prusiæ inspiceret; cognitóque rerum statu, quantum legatus retulit, anathematis interminatione in priori obsequio perseverare jusserat. Iis nihilominus in suâ pertinaciâ permanentibus, & ex consensu partium lite ad Fridericum Imp. delata; is non modò non Prutenos oppressionibus Cruciferorum exemit, verum etiam sexcentorum millium florenorum multam eis irrogaverat, jussis ad obedientiam Fratrum redire, qui eam provinciam è manibus infidelium suis armis vindicâssent, multoque sanguine coëmissent. Quâ re Prutenis nunciatâ, in tantum

furorem exarserunt, ut armis populariter in Fratres arreptis, plures ex iis ceperint, & occiderint, castella everterint, arces disjecerint; quinquaginta quinque oppida in potestatem suam redegerint. Sed cùm non satis rem suam contra Religionem sine externa ope tutam putarent; Casimirum Poloniæ Regem hoc præsenti anno adeuntes; séque & omnem Prussiam, Pomeraniam, Culmensem, & Michaloviensem, ei dediderunt. Variantibus in Senatu de acceptandâ deditione sententiis, eámque præcipuè Sbigneo Cardinale Episcopo Cracoviensi dissuadente: cùm tamen minarentur Pruteni, nî à Polonis reciperentur, alios sibi patronos quæsituros; (& recepturum se illos Ladislaus Hungariæ & Boëmiæ Rex significabat) ne tam & luculentam & insperatam occasionem recuperandi ea quæ majores sui olim amiserant, sibi Poloni elabi paterentur, deditionem Prutenorum accepêre; tametsi prævidèrent motus bellorum, qui inde consecuturi Poloniam atque Germaniam inter ipsas collisuri essent. Interim Rex Casimirus Prussiam ingressus, sacramenta fidelitatis accepit, & pleraque tributa quibus se gravari Pruteni conquerebantur, remisit. Sed mense Septembri hujus ipsius anni inito cum Cruciferis prælio apud Choiniciam Prussiæ oppidum, post grande certamen fugatus; reparato confestim exercitu bellum restauravit: quod in multos annos vario marte, sed prosperiori Polonorum cursu, continuatum est. Hæc autem narrantur ab Æneâ [e] in Europâ, & Krantzio in Wandaliâ utroque in fratres propensiore; necnon à Michovio [f] & Cromero in rebus Polonorum, suis non parùm faventibus.

[e] Æn. Europ. 29. Krantz. 12. Vvand. 17. & 20.
[f] Michov. lib. 4. cap. 60. Crom. lib. 22. & 23.

XVII. MINÆ DIVINÆ CASIMIRO REGI POLONIÆ.

Ex quorum postremo, priusquàm hinc abeamus, duo quædam adnotare visum. Vnum quòd cùm cladem prædictam Casimiro Regi ob ejus prava facinora obvenisse, cuidam canonico Gnesnensi homini pio & religioso divinitùs revelatum esset: hic Regem adiens, eúmque assurgere staréque jubens dum Dei mandata audiret, semotis arbitris, magna Dei beneficia, & ipsius ingratitudinem, peccatáque exprobraverit, & ni mutaret mentem graviora comminatus sit. Alterum; quòd cùm idem Casimirus mense Februarij ejusdem præsentis anni Cracoviæ uxorem ducturus esset Elisabetham sororem Ladislai Hungariæ & Boëmiæ Regis; contentione inter Archiepiscopum Gnesnensem & Sbigneum Cardinalem Episcopum Cracoviensem ortâ de nuptiali cæremoniâ, uter ejus administer esse deberet quòd ille Archiepiscopus & Primas, hic Cardinalis & Cracoviensis Episcopus, ubi res agebatur, esset: re diù agitatâ, convenerit tandem, ut Ioanni Capistrano Franciscano, de quo suprà, (qui à Sbigneo anno superiori Cracoviam accitus, effusâ obviam omni penè civitate, cum Clero, ipsóque etiam Rege ac Reginâ ejus matre, advenerat) is honor deferretur: sed cùm is nec Polonicam nec Germanicam linguam calleret, ac Sbigneo muneris ejus functionem adjudicaret, Sbigneus utriúsque linguæ peritus, cedente Archiepisc. id peregerit: Archiepiscopus verò sacris operatus, novam Reginam inunxerit, ac diademate cinxerit.

CONTROVERSIA INTER ARCHIEPISC. ET CARD.

XVIII.

Iam verò quæ subdit Æneas obstacula; in Austriâ nihil quieti esse: Baronem Eyzingerum dominantem sperni, seditiones frequentes agi: in Hungariâ prælatos & Barones infensos esse Ioanni Huniadi; qui quondam Gubernator, nunc Capitanei nomen obtinebat: Giscram Boëmum à possessione Sepusij per eum impediri: horum interpretationem ipsemet aliis locis habet. Fuit enim hic Eyzingerus, qui conjuratione in Comitem [g] Ciliæ factâ, eum pellendum curaverat. In cujus auctoritatem apud Regem Ladislaum succedens, non potuit diù eam retinere, quin sive potentiæ hujusmodi ascitiæ volubili naturâ, sive suâpte ipsius Eyzingeri culpâ, sex etiam æmulorum invidiâ, & clandestinis Comitis consiliis, præreptâ per alterius injuriam gratiâ exciderit; revocatóque cum ingenti honore Comite, ipse spontaneum exilium elegit, laudante etiam Comite qui turpissimam ei mortem meditatus fuerat. Quod idem in Huniadem quoque machinatus, (qui jam non ei solùm, sed & aliis, quinimmò & ipsi Regi gravis esse cœperat, eò quòd magis Rex ipse quàm Ladislaus esse videretur, habens in manu suâ universam Hungariæ potestatem, vectigalia, regales arces, præsidia, exercitúsque omnes,) defecit tamen in suo conatu, ferè ipse in foveam quam ei paraverat incidens: donec tamen post obitum Huniadis in expeditione Turcicâ, de quâ dicetur post biennium, idem Comes Ciliæ, ab ejus filio Ladislao in vindictam structarum patri insidiarum occisus est; ipséque Ladislaus jussu Regis hoc facinus capite luit: atque insuper Eyzingerus, qui ad Fridericum Imp. recurrerat, ab Alberto Austriæ duce, post Ladislai Regis obitum in vincula conjectus est, sic fortunâ in his de more ludente. Quæ omnia describit idem Æneas [h], & eo Bonfinius [i].

[g] Supr. an. 1452. IV.

MUTATIONES HUNGARICÆ.

[h] Æn. Boëm. cap. 61. 63. 64. 66. Europ. 22. ep. 162.
[i] Bonfin. 3. dec. 7. & 8.

XIX.

De Giscrâ Boëmo sunt alia quæ memoremus ex iisdem auctoribus [k] & Dubravio [l], quem quidem Æneas fuisse nomen Georgium, Dubravius Ioannem à Brandesio cognomine Giscram scribit. Hic igitur armorum gloriâ clarissimus, cùm partes Ladislai Regis infantuli inter primos, unúsque ferè in Hungariâ defendisset quando Rex Poloniæ Ladislaus regnum invasit, (de quo dictum suo loco) Polonos crebris præliis fudisset, ipsum Huniadem Polono inhærentem castris bis exuisset, rebellantes Hungaros magnis cladibus affecisset, in conspectum Ladislai adhuc sexennis pueri, qui à Friderico Cæsare asservabatur, aliquando admissus, ipsomet qui narrat Æneâ præsente, illacrymans pueri manum exosculatus, Video (inquit) te tandem tenéoque mi Rex; si scires quæ pericula propter te obivi, quibus me laboribus implicui, quot adversa corpore vulnera accepi, &c. & subridens, Quod, inquit, mihi præmium fidei ac laboris erit? & quod militi tuo das stipendium? Ad quæ tacitus puer huc atque illuc oculos circumvolvens, loculos magistri cameræ suspiciens ex phylacteriâ pendentes; quâ ille nummos pauperibus erogandos asservabat; eâ arreptâ, æra sex tantùm, neque enim plura invenit, illinc deprompta Giscræ dono dedit. Admirati omnes pueri factum, providum ac liberalem futurum judicavêre. Giscra verò innexo postmodùm auro nummos è collo suspendit, regiæ gratitudinis monimentum. Semper autem Regi fidus, simultates cum Huniade exercuit: ac post

[k] Æn. Boëm. cap. 58. Bonfin. lib. 5.
[l] Dubrav. lib. 28. & 31.

GISCRA BOEMI VIRTUS AC FIDES ERGA REGEM SUũ.

ejus obitum, à Rege evocans filios Huniadis captivos fecit, & cum Matthiâ demùm concordavit; ut apud Bonfinium pleniùs tractatur.

XX. [m] Æn.ep.162.

SEPUSII TERRITORII FERACITAS.

Quod autem de Sepusio Æneas habet; agens de his idem ipse epistolâ ad [m] Nicolaum Pontificem anno superiori scriptâ, imprimis regionem describens, ait territorium Sepusium pro Gepudio dictum, situm videlicèt in eâ parte Hungariæ quæ Gepidarum fuit, rivum habere, in quo mersa ferri materia in cuprum vertitur: itémque auri & argenti divites venas: glebam frumenti feracem, multum pecoris, aërem salubrem; terram optimis comparandam, nisi suâ se ubertate corrumperet, dum latrones ex omnibus provinciis per circuitum depulsos ipsa soli invitabat fœcunditas, censualésque sibi accolas reddebat: Giscram multâ vi animi & corporis eam provinciam magnâ sibi ex parte subegisse, multa ibi prælia, variâ fortunâ confecisse, sæpè cum paucis magnas hostium suorum copias fudisse, sæpè victorem, raro victum: tandem Hungariæ proceres, ipsúmque regni Gubernatorem Huniadem, pacem ex se petere compulisse. De quo longè plura Bonfinius diversis Historiæ suæ Hungaricæ libris. Quod verò inter impedimenta expeditionis Turcicæ in eâdem Hungariâ Æneas adnumerat etiam Wanchi Boëmi famosi latronis grassationes; describit idem illas pleniùs in prædictâ ad Pontificem epistolâ, ubi Wachum illum à furto villosi serici cognomine Axamit dictum; (unum enim eundémque esse putamus) in tantam potentiam crevisse ait ut nec ipse Huniades ejus impetum compescere posset, nec ejus conatibus obviare auderet: Cui & nonnulli regni Barones clàm manus porrigere perhiberentur, quibus gubernatio Huniadis diuturnior graviórque videretur. Eámque ob rem interpellatum fuisse Regem, ut in Hungariam adversus latrones proficisceretur, nisi regni magnos motus, subditorúmque varias clades audire vellet.

AXAMITI LATRONIS POTENTIA.

XI. DE RASCIA.

Vltimum impedimentum ab Æneâ allatum de expeditione Turcicâ est, quòd quamvis Despota Rasciæ adversùs Turcos auxilia ab Hungaris peteret, & Turcos assereret bello paratos; nihil tamen ad hæc Hungari moverentur, sed habituri potiùs inducias sive concordiam cum hoste, quàm moturi bellum crederentur. Invasisse porrò hoc anno Mahometem Rasciam sive Serviam, ac Novogradum (Neopyrgum Chalcondyli) urbem metallorum fodinis insignem, ab Amurate olim captam, sed à Christianis post receptam, occupâsse, Annales Beckani tradunt; narrátque pluribus Chalcondyles: addens Despotam cognito Mahometis contra se hostili adventu, abiisse in Hungariam ad Huniadem auxilia petiturum de quo quidem Despotâ Georgio dicto, déque ejus receptu in Hungariam, & reditu ad Turcos, & in Huniadem perfidiâ, cùm jam dictum sit superiùs, quid post captam Constantinopolim egerit tractans alibi Æneas [n], ait cùm audisset Turcos in Serviam ducere exercitum, secundò pro auxiliis ad Hungaros transîsse, & in Austriam usque profectum, Ladislaum adiisse Regem; grandævum jam ipsum senem dignum veneratu, si recta de religione sensisset, magnâ sermonis auctoritate,

[n] Æn. Europ. cap. 5.

DE GEORGIO DESPOTA RASCIÆ.

& corporis majestate. Accessisse ad eum Ioannem Capistranum Franciscanum, & quæsiisse an audire se vellet: Annuenti, quod Romana Ecclesia credit & docet exposuisse; diù cum eo de sacris eloquiis per interpretem disputâsse; ut errorem suæ gentis relinqueret (addictus quippe erat Græcorum opinionibus) magnoperè hortatum esse: Illum hoc denique responsum dedisse, annis se nonaginta vitam produxisse, nec aliam religionem quàm suscepisset à patribus nosse: sapientem ipsum cives suos, quamvis infelicem, hactenùs putavisse: Capistranum jam ipsum senem delirum efficere cupere: laqueo vitam finire malle, quàm patrum traditiones relinquere: atque his dictis è conspectu abiisse, Domum reversum, cùm Michaëlem Zilagium Huniadis avunculum, qui fines Hungariæ contra Turcos tutabatur, penè intercepisset, interempto fratre ejus Ladislao, paucis pòst diebus ab eodem Michaële ad ripam Danubij captum; cùm se gladio defendens suos digitos dextræ manûs amisisset, redemptum magno auri pondere non tamen diù supervixisse, quòd truncæ manûs fluor sisti numquam potuisset. Quæ tacens Chalcondyles, de ejus fine ait tantùm, eum à Mahomete pacem obtinuisse, nec multò pòst expirâsse, successore Principatûs relicto Lazaro juniori filio, quòd majores excæcati ab Amurate fuissent, ut aliàs vidimus. Non autem expirâsse ante finem anni 1456. ex pluribus Æneæ epistolis intelligitur: quibus & traditur, filios ejus ad Turcos defecisse.

XII. IN CONVENTU FRANCOFORDIÆ ÆNEÆ SUASIONIBUS BELLUM CONTRA TURCOS DECERNITUR.

Hæc sunt quæ de statu reipublicæ Christianæ hujus temporis ad elucidationem historiæ, & difficultatum Æneanarum, adducere visum. Quibus tamen non obstantibus, celebratoquem indictum ad tertium Calendas Octobris vidimus Conventu Francofordiensi; (cui interfuerunt pro Imperatore Æneas ipse & Gurgensis Episcopus, unà cum Marchionibus Brandeburgensi & Badensi; Theodoricus Moguntinus & Iacobus Treverensis Archiepiscopi, & legati ex totâ ferè Germaniâ; ex Italiâ Pontificij, & Marchionum Estensis & Mantuani; Alfonsinis & Venetis non nisi dimisso conventu Germaniam ingressis: Hungari & Burgundi, illi petentes auxilium, isti offerentes: & Ioannes Capistranus [, quem populi velut Prophetam habebant:) quamvis initio minimè audirentur qui expeditionem suadebant, nec ulla spes reliqua esset rei benè gerendæ, cùm decretum Ratisponense, quo decreta expeditio fuerat, penitùs rejiceretur: nihilominùs ut in concionem itum est, locuto Æneâ, omnium repentè animi in priorem belli gerendi ardorem rediêre: quippe orans ille duabus fermè horis, ita intentis animis auditus est ut nemo non brevem ejus orationem existimaverit: & secundum eam Ratisponense decretum de bello gerendo innovatum est, & Hungaris auxilium promissum equitum decem millium, peditum triginta duorum: Statutúmque, ut ad Cæsarem Electores Imperij cæterique Germaniæ Principes sese conferrent, ut quæ reliqua essent ad expeditionem maturandam ibi absolverent. Ita magnificè de rebus suis ipse Æneas in commentariis [o] nomine Gobellini scriptis. Extátque inter ipsius opera [p] oratio tunc habita; planè tanto viro digna, & quam quemcumque

[o] Comment. Pij II. lib. 1.
[p] Æn. ep. 131.

legerit & intellexerit, facilè sibi persuaserit difficile fuisse ejus suasionibus non acquiescere, bellum justum, utile, & facile fore grandi eloquio demonstrantis, quod Imperator suscipere admoneret, Papa peteret, Christus juberet. Quemnam verò affectum tanti conatus sortiti sint, dicetur inferiùs suis locis.

IESU CHRISTI Annus 1455.
CALLISTI III. An. 1.
FRIDERICI III. An. 16.

I. B. LAURENTII PRIMI PATRIARCH. VENET. OBITUS. [a] *Ante opera ejus.* [b] *Palmer. in Chron.*

ANNO Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertiâ, sexto Idus Ianuarij, ex hâc vitâ ad cælestem abiit *B. Laurentius Iustinianus* primus Venetiarum Patriarcha. Id enim diserte traditur in ejus Officio [a], & apud Palmerium [b], & alios; (cùm à nonnullis sus dèque tempora perturbare habentibus, ante biennium ponatur.) Fuit patriâ Venetus nobili prosapiâ ex utroque parente ortus, patre Bernardo, matre domo Quirinâ: (quam Iustinianorum familiam volunt à Iustiani Imp. posteris defluxisse:) qui Congregationem Canonicorum Collegiatorum S.Georgij in Algâ nuncupatorum, ex quâ Eugenium Papam IV. assumptum vidimus, ingressus anno ætatis vigesimo-primo; tot ac tantis virtutibus Christianis in eâ claruit, ut idem Eugenius apprimè earum conscius Episcopum Venetiarum creaverit, & diù reluctantem accipere dignitatem & tantæ urbis curam spiritualem compulerit, annum jam ætatis unum & quinquagesimum agentem. In quâ talem se exemplo & doctrinâ præbuit ut etiam adveniens aliquando ad Pontificem, præsentibus Cardinalibus exceptus his verbis fuerit, *Salve decus & gloria Præsulum.* Mortuo post hæc Patriarchâ Gradensi, Nicolaus V. Eugenij in Pontificatu successor *Patriarchatum* à Grado [c], nobili quondam urbe, translatum *Venetias* eidem contulit, anno ipsius Episcopatûs duodevigesimo. Quod cùm Nicolaus tam inscio Iustiniano, quàm non exploratâ aut postulatâ Senatûs Veneti voluntate, intuitu solùm præstantiæ Episcopi ac nobilitatis urbis, ad utriusque illustrationem præstitisset; allatáque nihilominùs res haud satis placuisset Senatui, verenti ne spiritualis & Ecclesiasticâ dignitas aucta opibus & auctoritate veteres quas cum superioribus Episcopis discordias habuerat, revocaret: adiens Senatum Iustinianus, sese dixit invitum Episcopum factum, & à quiete suâ in eos turbines injectum, nunc iterùm quietem cupere, & minui magis quàm augeri præsulatus onus: ideóque illud quibuscumque modis deprecaturum, nisi Senatus, ad quem civitatis dignitas pertineret, fortè aliud sentiret, pro cujus honore, quoniam ita de se merita civitas esset, nullum laborem recusare deberet. Quâ charitati mixtâ humilitate adeò Dux Senatúsque universus commotus est, ut qui rem hanc ab Eugenio & ipso patriâ Veneto jam olim tentatam omninò impugnaverat, statim mutatâ sententiâ enixè eum rogare cœperit, ut libenti animo id muneris susciperet. Quod per quinquennium usque ad obitum se gessit, ut veluti Angelus de cælo demissus haberetur, & omnes felices se existimarent qui benedictionem ejus adipisci possent; denique ut putatus fuerit precibus suis atque lacrymis ruinam Venetorum, in bello quod cum Philippo Mediolani Duce gesserunt de statu valdè periclitantium, avertisse.

PATRIARCHATÛS GRADEN. TRANSLATIO VENETIAS. [c] *De Patr. Grad. vid. Epit. par. 2. Indic. verb. Grad.*

II. LAURENTII VITA ET MORS SANCTA.

Fulsit verò etiam miraculis, & spiritu prophetiæ. Cùm omnia distribuere pauperibus consuevisset, receptis persæpè etiam ab aliis plurimis, etiámque à militaribus viris multis pecuniis, nihil penitùs auri & argenti, víxque aliquid vilis supellectilis post se reliquit. Illúdque admirabiliùs, quòd cùm quotidie legeret aut scriberet, numquam tamen librum ullum possederit. Testamentúmque omne quod condidit fuit, quòd efferri se jussit nullâ pompâ ad monasterium suum, distans bis mille passus à civitate, ibíque in sepulchris fratrum reponi. Qui ingenti omnium desiderio atque dolore animam Deo reddidit sexto Idus Ianuarij, ætatis suæ anno septuagesimo-quarto. De cujus corporis sepulturâ certantibus Canonicis Patriarchalibus, & Fratribus S.Georgij, his ultimam ejus voluntatem, illis sacros canones ut Prælati in propriis Ecclesiis sepeliantur, neque semper defunctorum ordinationibus parendum, objicientibus dum res controverteretur, corpus in Ecclesiæ sacrario repositum, non solùm nihil corruptionis sensit, quamvis ex putridâ febri decessisset; verùm etiam suavem odorem spirabat, & post aliquot dies rubescere genæ & vividus per venas sanguis conspici cœpit; accurrentibus undique ad miraculum populis non solùm ex Italiâ, sed etiam ex Epyro & Illyrico. Donec septimo demùm supra sexagesimum die incorruptum & integrum permanens sepulturæ traditum est in Ecclesiâ Patriarchali, officiis & honoribus Sanctis debitis decimo-sexto Calendas Aprilis: claruítque postinde miraculis infinitis. Cujus Vitam descriptam à Bernardo Iustiniano ipsius nepote, habet Surius inter alias Sanctorum, quibus (seu Beatis) adnumeratus [d] est à Clemente Papâ VII. anno 1524. Extántque ejus scripta complura, quibus singularis ejus religio, devotióque spectatur, unà cum non vulgari elegantiâ & eruditione: ut cùm vix ille ob corporis imbecillitatem prima literarum rudimenta à præceptore perdidicisset, infusam è cœlo propè doctrinam sapientiámque hausisse credatur.

[d] *Ext. Bulla ante oper. Laur. & ap. Sur. unà cum Vitâ 8. Ianuarij.*

III. AGITUR APUD IMPERATOREM DE BELLO TURCICO.

Hoc eodem anno ex decreto Conventûs Francofordiensis, de quo anno superiori, venerunt ad Imperatorem in Novam civitatem Austriæ, aliquot ex Electoribus & aliis Principibus Germaniæ, ac cæterorum legati: & ex Hungariâ Episcopi & Barones præcipui auxilia petentes. Adfuítque ex Italiâ Legatus Apostolicus Ioannes Episcopus Papiensis, qui pariter Ratisponæ & Francofordiæ fuerat: quem sequebatur Michaël Pitius Alfonsi Regis Siciliæ & Aragonum. Nec Ioannes Capistranus defuit, assiduis prædicationibus populum contra Turcos ad arma excitans. Cúmque omnia propemodum conclusa essent, & spes esset æstate proximâ ingentes copias in hostes eductum iri; nunciata mors Nicolai Papæ, telam longo jam tempore ordiri cœptam uno

[e] Comment. Pij II. l. 1.

momento interrupit. Ita in Commentariis [e] Æneæ Pij II.

IV. NICOLAI PP. OBITUS.

Mortuus est autem *Nicolaus* Romæ nono Cal. Aprilis anno Pontificatûs octavo die decimo-nono, ex febre & doloribus articularibus, quibus toto ferè Pontificatu graviter laboravit; nec non ex tædio animi, quo post captam Constantinopolim continuè cruciatus est, eâ solâ clade infelix, cùm & pace Ecclesiæ & Italiæ partâ, ac multis aliis operæpretiis, omnium judicio beatissimus sit habitus. Scripserat de vitâ & moribus illius Franciscus Philelphus libellum, quem à Blasio Ghiglino Abbate S. Ambrosij, cui commodato illum dederat avidè repetiisse reperitur [f]; nec tamen extat inter ejus opera; quem non nemo illum fuisse existimavit versibus ab eo ad infamandum Nicolai nomen scriptum; quem Poggius tribus Invectivis vehementissimè exagitavit in defensionem innocentissimæ vitæ Nicolai; Philelphi ortum, mores, dicta, facta, detegens, & pari acerbitate ac derisione objiciens & exprobrans. Cùm nihilominùs tum eadem epistolâ Philelphus Nicolaum sanctissimum, ac sapientissimum, pientissimúmque vocet: tum aliâ prolixiori ad Callistum Nicolai successorem, permulta egregia de Nicolao complexus fuerit. Qualia etiam præter eundem Poggium, alij ejus temporis auctores.

[f] Philel. epist. lib. 13.

V. Ejus ingentes laudes.

Inter quæ sunt; quòd Vrbem Romam multis ac maximis ædificiis mirum in modum adeò exornavit, ut si ejus opera compleri potuissent, nulli veterum Imperatorum magnificentiæ cessura viderentur. Quos ullâ vel ingenij vel doctrinæ præstantiâ insignes esse audiret, ad se accersebat, omnibus benè faciebat. Libros totâ Græciâ perquisitos, Philosophos, Historicos, Oratores, Theologos, Mathematicos, omnium facultatum, omnium artium, ingentibus sumptibus ad se adferri, & in Latinam linguam converti curavit, grandia præmia traductoribus præbens, ut optimo jure dici possit, unius illius munificentiâ non periisse in suo excidio doctam Græciam, sed in Italiam commigrâsse. Quinimmò & de Latinis auctoribus indagandis adeò fuit sollicitus, ut missis quoquoversùm per Europam qui odorarent siquid Latiniæ gravitatis & eloquentiæ usquam lateret, etiam in Irlandiam & Daniam, aliásque Septemtrionales oras, missus ab eo reperiatur Enochus Asculanus. Evangelium S. Matthæi Hebraïcum qui sibi attulisset, quinque Ducatorum millia pollicitus fuerat. Adeò denique ingenia excitavit fovitque, ut vix ævum inveniri possit, quo magis humanitatis & eloquentiæ, cæterarúmque bonarum artium studia, quàm suo tempore floruerint. Illúdque nemo negaverit, tot ei à doctissimis viris inscripta esse volumina, quot neque suorum decessorum, neque Imperatorum cujuspiam nomini dicata comperiantur. Bibliothecam veteribus & novis codicibus ornatissimam instruxit, Sacrarium Apostolicum vasis aureis atque argenteis sacerdotalibúsque indumentis mirificè decoravit: altaris ornamenta, aulæa quoque ex auro contexta mirandi operis coëmit: suppellectilem toto palatio, quod in Vaticano sumptuosis operis mirificè ampliavit, necessariam magnificentissimè comparavit. In cæteras quoque sacras Vrbis ædes plurima dona contulit; nec paucas restauravit; quasdam à fundamentis erexit. Legationibus quas publicè audivit ita respondit, ut dubium esset, sapientiam ejus aut eloquentiam magis admirari liceret. Siquos esse in Vrbe peregrinos existimatione dignos accepit, confestim eos missis xeniis honoravit. Nobiles domo suâ extorres benignè confovit: pauperibus Christi largas eleemosynas dedit: Religiosis mendicantibus nihil ad necessitatem deesse sustinuit: virgines inopes suâ pecuniâ maritis collocavit. In patrimonio S. Petri plurimas ac munitissimas arces opportunis locis erexit. Avaritiæ adeò expers, ut nullum officium vendiderit unquam. Hæc de illo, aliáque plurima ad dignas ejus laudes pertinentia, Æneas, Poggius, Philelphus, Platina, Antoninus, aliique [g]. Quem denique Poggius talem fuisse testatur, qualem ipse Nicolaus oratione ad Cardinales post Eugenij exequias graviter, sanctè, sapientérque habitâ Pontificem exoptaverat. Vnum ei objicit Platina, facilem ad iram fuisse; quippe qui biliosus erat. Fuit igitur vitium naturæ corruptæ: sed vide remedium Christianæ virtutis: facilis etiam (inquit) reditu ad benevolentiam. Piè verò, post sacramenta Ecclesiæ ritè suscepta, defunctus, sepultus est in Basilicâ Vaticanâ Sancti Petri honorificentissimâ pompâ: atque in ejus sepulcro hoc epitaphium inscriptum, rerum ipsius gestarum index.

[g] Vide Addit. ad Ciaccon.

EPITAPHIUM NICOLAI V.

Hic sita sunt Quinti Nicolai Antistitis ossa,
Aurea qui dederat sæcula Roma tibi.
Consilio illustris, virtute illustrior omni,
Excoluit doctos doctior ipse viros,
Abstulit errorem quo schisma infecerat Vrbem,
Restituit mores, mœnia, templa, domos.
Tum Bernardino statuit sua sacra Senensi,
Sancta Iubilei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Friderici, & conjugis auro:
Res Italas icto fœdere composuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit. En tumulo fundite thura sacro.

Refert id Platina; quod auctor Magni Chronici Belgici putavit tunc compositum fuisse ab Æneâ Silvio. Sed non adeò parcus Æneas suarum laudum, seu Gobellinus, ut id omissurus fuisset: aut Platina taciturus, qui sub Pio vixit. Cujuscumque sit, etsi egregium, longè tamen Nicolai meritis inferius esse existimamus. Apud Cochlæ. [h] verò legimus, Philippum Cardinalem ipsius fratrem ex matre, Episcopum Portuensem & Majorem Pœnitentiarium, ei monumentum extruxisse eo adjecto epitaphio.

[h] Cochla. Hist. Hussit. lib. 11.

VI. BESSARION ELIGENDUS REPELLITUR.

Peracto ejus funere Cardinales quindecim qui in Vrbe erant conclave ingressi, plerique Bessarionem Cardinalem Nicænum eligere decreverunt, (ut Æneas, sive ejus amanuensis Gobellinus [i] narrat) quòd is omnium aptior ad Rempublicam gubernandam videretur; conveniebátque numerus in eum sufficiens, adeò ut jam ad eum supplicationes deferrentur: cùm Alanus Coëtivius Brito Archiepiscopus Avenionensis illos Cardinales arguens, quòd neophytum eligere, & Ecclesiæ Latinæ Græcum Pontificem dare vellent, contestánsque se & qui sibi crederent in Græcum Præsulem nunquam consensuros: movit adeò cæterorum nonnullos, ut facto scrutinio Bessario numero

[i] Comment. Pij II. l. 1.

exciderit. Quod Platina in Panegyrico Bessarionis ab adversariis factum ait, quòd leves ac voluptuosi existentes ejus integritatem & modestiam vererentur. Electúsque deinde est, de quo minor erat expectatio, *Alfonsus* Cardinalis Presbyter SS. Quatuor Coronatorum, natione Hispanus, patriâ oppido Setabensi Valentinæ diœcesis, nobili familiâ Borgiâ patre Ioanne, matre Franciscâ; jam propemodùm decrepitus, qui natus postremo die anni 1378. præsenti, quo electus est sexto Idus Aprilis, nonum jam ac nonagesimum diem in septuagesimo septimo agebat. Qui etsi ante aliquot annos, & vacante tum Sede Apostolicâ suam assumptionem ferè omnibus prædixisset, séque proculdubiò futurum Pontificem affirmâsset; nemo tamen ei credens, delirare potiùs more senum existimabat. Fuit tamen ejus vaticinium verax; quod à B. Vincentio Ferrerio conterraneo suo se habuisse narrabat; quem & forsan propterea, etiamsi multis aliis nominibus longè dignissimum, hoc ipso anno in festo Apostolorum Petri & Pauli solemni ritu inter sanctos Christi Confessores retulit: literas verò ejusmodi relationis, cùm vivente Callisto publicatæ non fuissent, promulgavit Pius [k] ejus successor.

ALFONSUS BORGIA ELIGITUR PONTIFEX.

[k] Bullar. to. 1. Pij II. Const. 1.

VII. Mirandum verò ait Ciacconius Hispanus in Vitâ Callisti, Hispanos, nationem (ut sibi videtur) natam imperio, ante hoc tempus nullum protulisse Romanum Pontificem, nisi Damasum, & Ioannem Hadriani V. successorem, & utrumque Lusitanum. Quibus tertius hic accedens, non absonè eâ etiam ex parte Tertius dictus est nomine Callistus; duodecimo Cal. Maij suæ coronationis insignia suscipiens. Vidimus eum olim in extinguendo schismate. Ægidij successoris Petri de Lunâ egregiam operam contribuisse, Alfonsi Regis tunc sanæ ad id mentis jussu, cui à consilio & secretis erat cùm adhuc Canonicus esset Ilerdensis, atque utriusque Iuris insignis Doctor. Factus inde à Martino V. Pontifice Episcopus Valentinus, & in Italiam posteà profectus, Eugenio IV. innotuit ex occasione dissidiorum quæ inter illum & Alfonsum vigebant ob regnum Neapolitanum, atque ab eodem Cardinalis creatus est. Quâ in dignitate non minori modestiâ usus est quàm anteà in Episcopatu; ab omni pompâ & inani gloriâ semper alienus: atque in dicendis in Senatu sententiis ita gravis, ut nihil unquam per adulationem, & gratiam locutus sit: prout de illo refert Platina. Additque præclarum de illo Ciacconius; dum Episcopus esset aut Cardinalis, beneficium aliquod in commendationem nunquam voluisse, dicentem se unâ sponsâ & quidem virgine contentum esse, (hoc est Ecclesiâ Valentinâ) ut jus Pontificium mandat.

SUMIT NOMEN CALLISTI III.

VIII. Eum inito Pontificatu votum publicum fecisse contra Turcos, Antoninus [l] & Æneas [m] tradunt. Quod Platina jam ante Pontificatum ac si fuisset Pontifex concepisse, & in quodam libro scripsisse ait his verbis: *Ego Callistus Pontifex Deo omnipotenti voveo, & sanctæ individuæ Trinitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demum quibuscumque rebus potero Turcos Christiani nominis hostes sævissimos persecuturum*; tanta fiducia erat ejus honoris adipiscendi. Formam autem jurisjurandi votique ampliorem recitat Cochlæus [n] ex vetusto quodam chronographiæ codice; illam fortè quam post initium Pontificatum emisit. Vt autem quod promiserat reipsâ præstare posset, solemnes misit in Galliam & Hungariam, primarios Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; videlicèt dictum nuper Alanum Britonem Presbyterum Cardinalem S. Praxedis in Galliam, & Ioannem Carvaialem Hispanum S. Angeli Cardinalem Diaconum in Hungariam: ac prædicatores per totâ Europam, qui omnes Christianos in Turcos animarent, ac facultatum aliquid opúmque suarum ad tantam expeditionem conferre suaderent: decimámque Papalem universo Clero ac personis Ecclesiasticis imposuit. Paritérque ad Vsumcassanum Persarum & Armeniæ Regem, & ad Regem Tartarorum, Ludovicum Bononiensem Ordinis S. Francisci Fratrem misit cum multis & magnis muneribus, eos in Turcum excitans; (qui persuasu hominis & magnas Turcis calamitates intulêre, & oratores suos, quos ad Callistum destinaverant, ad Pium posteà Pontificem demùm misêre.) Ipséque interim Romæ, quod anteà inauditum fuerat, navalia constituit: & ex collectis pecuniis sexdecim triremes ibidem ædificatas in hostem misit, Ludovico Cardinale & Patriarchâ Aquileiensi præfecto: qui triennio maritima hostium vexavit, insulas quasdam cepit, ac magnas calamitates hostibus intulit: ut hæc sic gesta testantur qui videbant iidem Antonius, Æneas, Platina. De quorum etiam nonnullis pleniùs posteà. Alfonsus autem Rex & Burgundiæ Dux Crucis signum suscipientes, ituros se quoque in hostes profitebantur, vel armatos milites eò missuros. Verùm ut res uno impetu mota est, (inquit Platina) ita etiam facilè resedit; Principibus ipsis ob voluptatem rem tantam, & magnam gloriam parituram omittentibus.

[l] Anton. tit. 22. cap. 14.
[m] Æn. Europ. c. 58. & Comment. lib. 1.

VOTUM EMITTIT DE INSEQUANDIS TURCIS.

[n] Cochla. lib. 11.

IN OMNI NISU CONATUR.

IX. Cùm autem scribat Antonius [o]; hanc Callisti sollicitudinem, votúmque contra Turcos emissum valdè lætificâsse Principes & Communitates Christianorum; omnésque non solùm Italicos, verùm etiam ultramontanos penè omnes per oratores promotionem congratulantes, debitámque obedientiam offerentes, hortatos etiam esse ad pacem Italiæ conservandam, & fideles adversus hostes Christianitatis excitandos: habuit idem ipse Antoninus, missus cum aliis oratoribus à Republicâ Florentinâ, egregiam ad eundem Pontificem eo sensu orationem; quam tacito nomine recitat [p], & ab auditoribus commendatam fuisse (nec immeritò) scribit. Qualis etiam, nisi & luculentior illa, quam Æneas [q] Imperatoris Friderici nomine, legatus ab eo unà cum claro Iurisconsulto Ioanne Hinderbachio ad obedientiam præstandam, cùm fuissent qui Cæsari suaderent non priùs obediendum ei esse, quàm conventiones quæ cum Eugenio IV. factæ fuissent revocarentur, & libertatem natio Germanica quam optabat, ac potissimùm circa beneficiorum Ecclesiasticorum collationes consequeretur; quorum conatus idem Æneas retulit, & obedientiam de more præstare persuasit:) coram eodem Pontifice & Apostolico Senatu habuit. Quâ etiam inter cætera observat, solum Callistum esse, qui post Gregorium XI. sine competitore certus & indubitatus

[o] Ant. d. c. 14.

AD ID AB OMNIBUS ANIMATUR.

[p] Id. tit. 22. cap. 16.
[q] Æn. ep. 398.

ÆNEÆ IMPERATORIS LEGATI ORATIO

AD PONTIFICEM.

B. Petri successor inveniretur. Defensionis verò necessitatem ab invasionibus Turcorum qui Hungariæ instabant describens, insinuat, cùm viribus Christiani Turcis præstarent, ordinem dumtaxat deesse, qui per Sanctitatem suam procurandus esset: Imperatorem operam suam polliceri: Alfonsum Aragoniæ Regem potentiâ & sapientiâ incomparabilem in hoc opus paratum esse: Philippo Duci Burgundiæ nobilissimo & piissimo nihil magis cordis esse: in Germaniâ multos Principes corpora sua adversus hos hostes devovisse: Carolum Regem Francorũ & re & nomine Christianissimum suorum progenitorum vestigia non deserturum, quorum fortia facta omnis decantat Ecclesia: neque fortes defuturas Anglorum manus: Castellanis & Portugallensibus rerum gestarum clarissimis innatum esse pro fide certare: voluntarios esse ac promptos omnes populos pro Christi fide arma suscipere. Sed omnes in ipsum Pontificem oculos direxisse; omnes ex eo modum atque ordinem expectare. Exurgeret igitur, aperirétque Ecclesiæ thesaurum, ac cœli portas; promitteret dignam labore mercedem, mitteret operarios in messem; hoc ejus esse opus in quo Deo posset & hominibus complacere. Hoc verò affatim Callistum, nec tantùm spiritualia, verùm etiam temporalia præstitisse, & jam diximus, & videbitur posteà, cùm cæterorum ferè omnium ampullosæ promissiones, & affectatæ exhortationes in suis fervoribus evanuerint.

X. ALFONSI ARAGONII IN CALLISTUM PRÆSUMPTIO.

Quarum temerator omnium primus visus est plurimis, qui cunctis prudentiâ & sapientiâ præstare, pacisque Italicæ cupientissimus videri volebat, & prædicabatur a suis laudatoribus; an omninò ex vero, gesta declarârunt, juxta Dominicam sententiam. Ex fructibus eorum cognoscetis eos: Alfonsus nempè Aragoniæ Rex, & Neapolitani possessor. Qui tanquam cum socio aut collegâ (ne quid deterius existimemus) acturus, post Callisti creationem quæri ex eo curavit, quo pacto invicem victuri essent. Quibus sanctè Pontifex, *Regna sua*, respondit, *ipse regat, mihi Summi Apostolatûs gubernationem relinquat.* Narrat hæc Æneas[r]: subditque veras eorum multis de rebus dissensiones, magnum partem Italiæ simultates confictas esse credidisse; qui fidem dedêre contentioni, alios Callistum, alios Alfonsum, alios utrumque accusâsse; quorum alter Regem, sub quo natus esset; alter suum sacerdotem, cui tanquam Vicario Dei parendum est, ferre non posset. At verò quis eâ in re jure meliori fuerit, facile est intelligere considerantibus, quantum sit discriminis inter ortum naturalem & debitam divinitùs obedientiam. Quod verò causas contentionum attinet; cùm si occultæ quædam fuerint, eas ignoremus, in iis quæ publicè patuêre hæc imprimis fuit, quam idem ipse Æneas (sive qui sub eo res ejus gestas descripsit Gobellinus[s]) refert; videlicèt quòd cùm Alfonsus à Callisto, qui sibi aliquando servîsset, & suo favore Cardinalatum adeptus esset, nihil se frustrà petiturum putaret, eâ fiduciâ ductus, non solùm regni Neapolitani feudum, tam sibi, quàm filio suo notho Ferdinando, quem ad id idoneum jam antè Eugenius IV. & Nicolaus V. Pontifices reddidissent, confirmari, sed Marchiam quoque Anconitanam, & alia pleraque Ecclesiæ loca tradi sibi efflagitâsset: Callistus se jam Christi Vicarium esse cernens, nec Regi cedendum, nec jura Ecclesiæ alienanda censuerit: hincque exortas esse graves inter eos inimicitias, quæ ad finem vitæ utriusque perdurârunt. Ita ille: sed quamvis abundè ad condemnationem Alfonsi; parcè tamen; quippe addunt alij, irritatum Regem fuisse, quòd Callistus multa quæ Sedi Apostolicæ ac Romanis Pontificibus ex pacto & de jure in utroque regno Siciliæ, & præsertim circa dispositionem Ecclesiarum, & exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ deberentur, repetiisset. Denique habet Platina[t] aliam simultatum causam, quòd Alfonsus peteret Episcopatus iis dari, quibus vel propter ætatem, vel ignorationem tum literarum, tum rerum humanarum committi nequaquàm debebant. Quem etiam narrat Antoninus[u], adeò gravibus extorsionibus Ecclesiasticos regni sui onerare consuevisse, ut beneficia quæcumque nullus obtinere valeret, nisi priùs manus Regis implêsset. Quæ verò prætereà contentiones inter eos fuerint, dicetur annis sequentibus.

[r] *Æn. Europ. cap. 58.*

[s] *Commentar. lib. 2.*

OCCASIONES SIMULTATUM INTER CALLIST. ET ALFONS.

[t] *Plat. in Callist. in fin.*

[u] *Ant tit. 22. cap. 16. §. 1.*

XI. PUELLÆ IOANNÆ PURGATIO.

Idem porrò Callistus paulò pòst suam electionem acceptâ supplicatione matris & fratrum Ioannæ Puellæ Aurelianensis de redintegrandâ cognitione judicij contra eam olim iniquè lati; rem commisit Archiepiscopo Remensi & Episcopis Parisiensi & Constantiensi Normanniæ, per literas datas tertio Idus Iunij anno Pontificatûs primo: quarum auctoritate illi causâ diligentissimè examinatâ, secundùm eam pronunciârunt septimo Iulij anni proximi, ut dictum[x] est pluribus in Anglicâ ejus condemnatione. Rex verò Carolus adversus Comitem Armaniaci commotus, tum quòd præsumpsisset Archiepiscopum in civitate Auxitanâ constituere alium quàm quem Rex nominaverat, & Romanus Pontifex comprobaverat; tùm quòd incesto germanæ sororis amore perculsus, nuptias ejus apud Sedem Apostolicam tentare ausus, quamvis repulsam passus sub excommunicationis interminatione, nihilominùs impiissimè egisset; misso in eum exercitu, cum totâ ditione spoliavit priorem enim prædictam Regis iræ causam, Monstreletus[y], posteriorem Æneas[z] Silvius refert; utramque Belleforestius[a] dilucidiùs explicat.

[x] *Suprà an. 1430. I V. Adde Bellefor. Hist. Franc. lib. 5. cap. 116 & in additi ad Annal. Gill. an. 1455.*

COMITIS ARMANIACI PROTERVIA PUNITUR.

[y] *Monstrel. vol 3.*

[z] *Æn. Europ. 43. in pr.*

[a] *Bellef. d. cap. 116.*

XII. CONCIL. SUESSION.

Hócque item anno celebratum reperitur *Suessione Concilium* provinciale, à *Ioanne-Iuvenale de Vrsinis* Archiepiscopo Remensi, pro disciplinâ restituendâ, & abusibus tollendis; nimirùm mense Iulij Indictione tertiâ Pontificatûs Callisti anno primo. In cujus Concilij exordio orationem habuit Thomas de Courcellis clarus eo tempore Theologus Archidiaconus Gandensis: quæ Actis inserta est.

IESU CHRISTI Annus 1456.

CALLISTI III. An. 2.

FRIDERICI III. An. 17.

I. PRECUM INSTITUTIONES CONTRA TURCOS. [a] *Anton. tit. 22. cap. 14. in pr.*

ANNO Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, Indictione quartâ, Callistus Pontifex de bello contra Turcos solicitus, ad implorandam in eos divinam opem instituit [a] per universum Christianum orbem, singulis diebus inter Nonas & Vesperas pulsari in omnibus Ecclesiis campanas ad trinam recitationem Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ; concessâ recitantibus indulgentiâ trium annorum & trium quadragenarum. Itémque singulis primis mensium Dominicis processiones generales fieri cum Missâ & prædicatione ad rem aptâ; datâ iis qui afforent pœnitentes & confessi, septem annorum & septem quadragenarum indulgentiâ. Et celebrantibus qui adderent orationem pro victoriâ contra Turcos, tres item annos trésque quadragenas. Cúmque apparuisset [b] per aliquot dies cometa crinitus & ruber, (quem duplicem fuisse Annales Turcici scribunt.) idem Callistus ad avertendam iram Dei adversùs Turcos, aliquot dierum supplicationes instituit.

[b] *Platin. in Callist.*

II. CLADES TURCICA A CHRISTIANIS. [c] *Ant. ibid. §. 1.* [d] *Æn. Europ. cap. 8. Boëm. cap. 65.* [e] *Thuros. Chron. Hungar. in Ladisl. cap. 55.* [f] *Naucler. gener. 49.* [g] *Bonfin 3. dec. 8.* [h] *Chalcond. lib. 8.* [i] *Monstrel. vol. 3.* [k] *Meyer. l. 16.*

Audivit Dominus de cœlo preces piorum; & exaudivit; insigni concessâ victoriâ, quam describunt Sanctus Antoninus [c] & Æneas [d]; atque ex iisdem, & ut putamus ex Thurosio [e], Nauclerus [f], Bonfinio [g] de more Thurosij orationem dilatante: præter Græcum Chalcondylem [h], qui eandem victoriam non paucis explicavit. Quæ verò de iis habet Monstreletus [i], déque Guillelmo quodam Albo strenuissimo Christianorum duce, alio ab Huniade, multis sunt aspersa fabulis; quibus nihilominùs facilè Meyerus [k] credidit. Turci parcissimè rem attingunt; dum memorare contenti sunt Mahometem hoc anno obsedisse Belgradum, sed illud expugnare non potuisse. Contigit enim gloriosum hoc factum in obsidione illius civitatis, quam Taurunum priscis dictam, recentiores Belgradum nuncupârunt, quod Serviorum linguâ arcem albam significare dicunt; unde & Alba Græca pluribus, nonnullis Nandoralba indigitatur. Eam cùm olim Amurates, ut vidimus, septem mensibus obsedisset, & turpiter obsidionem solvere coactus fuisset, jam Mahometes ejus filius repetebat ab Hungaris, ut membrum Serviæ nunc sui juris effectæ: Christiani autem, uti Hungariæ, totiúsque Christianitatis eâ parte momentosissimum propugnaculum, defendendam susceperunt.

BELGRADUM OBSIDETUR A TURCIS.

Centum quinquaginta millia armatorum Mahometem in castris habuisse, plures tradunt; multi tertiam partem subtrahunt; Thurosius etiam usque ad quadringenta auget: cum quibus Thraciæ montibus superatis, usque ad Savum flumen Danubiúmque penetravit, ad quorum confluentes Belgradum positum est naturâ & ope munitissimum; eo capto sperans non solùm Hungariam, sed totam Germaniam Italiámque in suam potestatem redigere. Tres ejus conatibus sese Ioannes opposuêre, fide magis quàm armis instructi: videlicèt Cardinalis *Carvajal* in Germaniâ & Hungariâ Legatus Apostolicus, vir industrius & magnanimus; *Capistranus* insigni zelo ac pietate prædicator Franciscanus; & *Huniades* fortissimus dux bellis Turcicis assuetus, qui & priorem Belgradi obsidionem sustinuerat. Legatus promissâ peccatorum indulgentiâ, adjuvante Capistrano Crucesignatorum quadraginta circiter millium congregavit exercitum, sed inopis atque incompositi levitérque armati vulgi: divites enim ac nobiles surdas habuêre aures Evangelio, præsentíque rerum statu contenti domi mansêre: sicuti ferè potentum mos est, futurum Christi regnum nonnisi morientes inquirere, credulâ paupertate facilè prædicatoribus obediente. Huniades quoque non parvas raptim collegit copias, quas Albam duxit, Crucesignatis Capistranum ducem sequentibus. Rex juvenis Ladislaus, qui Budæ erat cum Comite Ciliæ avunculo suo & directore, haud istas vires Turcis resistendo esse ratus, mobilésque gentis Hungaricæ animos veritus, sub specie venationis urbem egressus, Viennam Austriæ properè se recepit.

III. HUNIADIS ET CAPISTRANI INCLYTA IN HIS OPERA.

Circumdatâ à Turcis urbe aquâ terrâque mense Iunij, & vehementissimè interdiu noctúque tormentis horrendissimis, omníque aliorum armorum genere oppugnatâ, & à Christianis præsidiariis strenuè propugnatâ; accedentibus post multum temporis cum auxiliis Huniade & Capistrano, primùm aquâ pugnandum fuit in Danubio; tantâque id utrimque strage factum est, ut cruore fluvius totus infectus cerneretur, Huniade armis, Capistrano Crucifixo erecto hortationibus rem impigerrimè agente; donec fugatis hostibus urbem Christiani ingressi sunt jam penè ad extremum redactam. Die vigesimo secundo Iulij in festo Beatæ Magdalenæ, (hunc enim disertè exprimunt Antoninus & Nauclerùs ex literis Callisti Papæ de institutione festi Transfigurationis; cùm sint qui eo die quo festum institutum est, nempè sexto Augusti rem gestam aut obsidionem solutam scribant:) cùm totis viribus Mahometes expugnationem decrevisset, tantâ vi Turci in urbem irrupêre, ut parùm fuerit quin integram occuparent; cruentissimâ intra eam pugnâ, quâ nunc hi nunc illi fugientes fugantésque, victi victorésque diù extitêre: Huniade ducis militísque officium eximiâ fortitudine adimplente; Capistrano è turri Crucifixum ostentante, & magnis clamoribus ac lacrymis Deum invocante, & cunctos adhortante; aliâque ex parte Mahomete suos animante: donec tandem ope divinâ pulsi omninò urbe sunt Turci. Quos cùm longiùs ab eâ Christiani insequerentur, ingenti eorum periculo prælium redintegratum est; cùm victoriâ feroces minùs quæ fierent advertentes, penè undique inter innumeram hostium multitudinem intercepti sunt: delendi omninò, nisi Capistranus animadverso periculo, cùm è turri non audiretur suos revocans, præceps in pugnam dilapsus, inter tela volantia clamoribus ac signis Crucesignatos redire coëgit; apud quos nulla erat Huniadis vel fides

vel auctoritas, quorum magna pars Germanorum esset Hungarico infensorum generi. Frustrati magnâ spe Turci in castra rediêre, cùm totis quatuor & viginti horis die noctéque sine intermissione pugnatum fuisset. Vulnus denique Mahometis, quod in pectore sub papillâ accepit, salute desperatâ, finem obsidioni dedit: quam sequenti nocte Turci, incensis castris ac machinis ligneis, relictis magnis tormentis æneis ferè ducentis, & quicquid ferro grave fuit, solverunt, timidiùs abeuntes quàm audacter venissent. Occisa fuisse dicuntur quadraginta eorum millia (nonnullis tamen pauciora numerantibus) ac cuncti ferè proceres, unà cum Bassâ Europæo omnium ipsorum ducum præstantissimo. Habétque ampliùs Antoninus, divinitùs factum esse ut Turci in fugâ sese mutuò ingenti numero cæciderint: & Bonfinius, Turcos ipsos fassos esse, plures ex suis divinâ manu quàm humanâ cecidisse, quòd multorum cadavera sine vulnere reperta essent. Thurosius; cùm vulneratus Mahometes à suis longè à castris semimortuús nihílque sentiens deductus fuisset; ubi ad se rediit, de belli exitu percontatum, cùm audîsset suorum stragem ac fugam, procerum necem, munitionum ac tormentorum omnium amissionem, intimâ cordis amaritudine affectum, sibi venenum afferri postulâsse, ut moreretur potius quam cum tanto dedecore reverteretur ad sua. Bonfinius item; cùm in Turcorum in urbem irruptione, unus eorum vexillum sui Regis pinnaculo cujusdam turris imponere vellet, ad excitandos suorum animos qui nondum intrò penetrârant, & terrendos Christianos quasi jam urbs in Turcorum potestate esset; Hungarum quemdam id prohibere volentem, cùm alio modo non posset, se cum Turco quem apprehensaverat, ex altissimâ turre præcipitem dedisse, mortéque hostis & suâ vitam sociis incolumem reliquisse. Æneas, Mahometem ab eo tempore numquam posteà ejus cladis meminisse, quin mentum barbámque manu demulcens, quassánsque caput, ei diei maledixerit quâ pugnam ad Albam conseruit. Observat insuper, tam Huniadem quàm Capistranum literis de victoriâ sive ad Callistum Pontificem sive ad amicos scriptis, nequaquàm alterius mentionem fecisse, sed alterutrum solidam sibi rei gestæ laudem usurpâsse: sic gloriæ dulcedinem faciliùs contemnendam dici, quàm contemnatur: Capistranum sæculi pompam sprevisse, delicias fugisse, avaritiam calcâsse, libidinem subegisse, contemnere gloriam non potuisse: quamvis Deum imprimis victoriæ confessus fuerit auctorem: sicuti & Huniades ministrum se victoriæ non auctorem dixit. Verùm cùm duo duces, alter oratione; manu alter strenuè dimicârit; idcircò hoc magis Capistrano plerique tribuunt, quòd in eo prælio divinæ potiùs quàm humanæ vires enituisse viderentur. Actúmque fuisset de crudelissimâ gente, si Christiani Principes omissis intestinis bellis & odiis, terrâ ac mari tantam victoriam prosecuti fuissent; quemadmodùm Papa Callistus prædicabat & monebat. Sed verba dare prompti, cùm manus admovendæ essent, hebetatas sentiebant adeò, ut præ stupore extendere non posset; cùm tamen ad ea quæ sua essent diligentissimos se & expeditissimos exhiberent.

Turci magna clade repelluntur.

Zelotypia Ducũ Christianorum.

IV. Transfigurationis festi celebritas.

In memoriam autem hujus victoriæ, festum TRANSFIGURATIONIS à Papâ Callisto anno sequenti per universum orbem sub officio duplici die sextâ Augusti celebrandum jussum esse, plerique volunt. Verùm longe antiquius illud fuisse tam apud Latinos quam Græcos, certum [l] est. Officium autem ejus composuisse Callistum, Antoninus & Platina tradunt, concessásque easdem indulgentias quæ Officio Corporis Christi. Partemque illam constitutionis Callisti, quâ prædicta victoria describitur, Fortalitio suo Fidei inseruit Alfonsus [m] Spina.

[l] *Vid. Baron. Not. in Martyrol. 6. Aug. Suar. de Relig. lib. 2. c. 5.*
[m] *Fortal. Fid. lib. 4. Bel. Saracen. 157.*

V. Huniadis obitus.

Post abscessum Turcorum, & redditas de tanto beneficio Deo gratias; nequid utriusque ducis Christianorum felicitati posset adjici, divina utrumque benignitas haud multis pòst diebus, non modò mortali, sed cælesti quoque gloriâ donavit. Sed prior vocatus Huniades: qui longo intolerabilique belli labore defatigatus, in æstuantissimam febrim incidit, quâ absumptus est in oppido Zemplen quarto Idus Septembris, Sacramentis Ecclesiæ ritè procuratus; (ad sacram tamen Eucharistiam sumendam in Ecclesiam se deferri jubens, quòd indignum diceret Dominum ad servum venire:) & Capistrani, qui numquam ab ejus latere discessit, hortationibus ad pium transitum roboratus, ac post obitum lugubri carmine lamentatus. Corpus sicuti legârat, in Transilvaniam delatum, ad ædem quam in Albâ Iuliâ fundârat. Mahometem aiunt, ad nuncium ejus mortis oculis in terram defixis condoluisse, dixisséque neminem umquam à mundi principio illi sub aliquo Principe parem fuisse, sibique meritò indolendum, cui tantam ex acceptâ clade turpitudinem ampliùs ulcisci non liceret. Ejus porrò obitum universa deploravit Europa. Et Callistus Papa non paucis fusis lacrymis, solemnia justa in basilicâ sancti Petri Christianæ fidei ac reipublicæ fortissimo defensori persolvit. Duos reliquit generosos filios, haúdque parenti absimiles; Ladislaum jam armis aptum & assuetum, & Matthiam adhuc impuberem; de quibus posteà. Hæc interim Bonfinius pluribus ex Thurosio.

VI. Itemque Capistrani.

Capistranus defuncto Huniade numquam ampliùs ridere visus, veluti qui triumphante jam victoriæ collegâ, ipse debitâ laureâ privaretur; demùm ut qui in vitâ dilexerant se, in morte non separarentur, & ipse in languorem incidens, coronâ donatus est decimo Calendas Novembris; septuagenario major mortuus ad Villachium diœcesis Bambergensis in agro Sirmiensi, atque in sancti Francisci æde sepultus. Cujus corpus [n] centum circiter pòst annis, cùm capto per Turcos Sirmio in Zolozianum monasterium delatum fuisset, ab impio hæretico Francisco Perenio direpto monasterio, pulsísque monachis aut cæsis, confractum & indignis modis profanatum, in profundum puteum projectum est: non sine divinâ in Perenium vindictâ. Capistrani Vitam, præclaris ejus gestis, sanctis documentis, miraculis quamplurimis, necnon multis illius temporis rebus ad historiam per-

[n] *Isthuanff. Hist. Hungar. lib. 20.*

tinentibus ornatam, ex variis auctoribus Henricus Sedulius Franciscanus collegit & edidit [o]. Cujus annuam celebritatem in territorio Capistrani Aprutij oppidi prope Aquilam Marsorum urbem, unde nobile genus ac cognomen ordinis ducebat, servandam Leo X. Pontifex decrevit; licèt nondum publicæ canonizationis honor ei exhibitus fuerit. Extant verò ejus scripta, cùm esset doctissimus omnísque juris divini & humani consultissimus; quæ enumerant alij [p]. Fuit ei laborum socius *Iacobus* Picens; multis & ipse aliis speciatim peregrinationibus, prædicationibus, conversionibus, præclarisque gestis illustris: qui post ejus obitum in Italiam reversus, Neapoli decessit 28. Novembris 1476. vivus & mortuus miraculis clarissimus: ut ex ejus Vitâ à Venantio Fabrianensi ejus sodali scriptis commendatâ intelligitur. Illud egregium sancti utriusque viri fuit, quòd cùm in sacrâ peregrinatione Padum aliquando trajicere vellent, & à portitore repellerentur quòd ex suæ Regulæ instituto pecuniam quam pro naulo darent non haberent; in diffusum super undas pallium cum Comitibus consedêre, & in ripam alteram, non sine avari portitoris stupore, divinâ ope translati sunt.

[o] Rec. etiam Bzov. hoc an.

[p] Trithem. & Bellarm. de Script. Eccl. Possevin. in Appar.

IACOBI PICENTIS PIA OPERA.

VII. ÆNEAS QUID DE PRÆDICTO BELLO CUM ALFONSO.

De prædicto bello Belgradico agens insuper idem Æneas in Commentariis de rebus suis Gobellini nomine editis, narrat fuisse se apud Alfonsum Regem Aragoniæ cùm rumor exortus est de Turcorum expeditione adversus Belgradum: Anxium eo nuncio Alfonsum, percontatum esse quonam pacto subveniri posset obsessis: At Æneam, frustrà de auxilio eum cogitare dixisse: neque enim Hungarica atque Turcica bella sicut Italica esse, in quibus perrarò confligebatur, & quæ milites pulchrè negotiationes appellabant, sed jam tunc aut hostes aut Hungaros profligatos esse: atque intra octiduum auditum esse de victoriâ Christianorum. Agebat quippe tūc Æneas apud Alfonsum pro suis Senensibus: quos cū Iacobus Picininus in generali pace Ecclesiæ armis infestandos suscepisset, & Callistus Pontifex, Sfortia Dux Mediolanensis, Veneti, Florentini, aliique pacis conservationis studiosi ad Picinini nefarios conatus contundendos arma parâssent, Alfonsus rixarum & dissensionum studio eum terrâ maríque defendendum susceperat. Quâ de re præter Gobellinum [q] agunt idem ipse Æneas [r] alibi, Antoninus [s], Platina [t], & alij.

[q] Comment. Pij II. lib. I.
[r] Æn. Europ. cap. 55.
[s] Ant. tit. 22. cap. 15. §. 2.
[t] Plat. in Callist. III.

VIII. ALFONSUS FIT SERVUS MULIERCULÆ.

Quâ verò re occuparetur tunc maximè Alfonsus, describens idem auctor, narrat totum fuisse in conciliandâ sibi gratiâ cujusdam Lucretiæ speciosæ mulieris seu virginis Neapolitanæ; quam adeò perditè amabat, ut in conspectu ejus extra se fieret, neque videret quicquam, neque audiret quemquam nisi Lucretiam; oculos semper in eam haberet intentos, laudaret verba ejus, sapiētiam admiraretur, probaret gestus, excellentiam formæ raram esse judicaret: Et cùm multa ei donâsset, & quasi Reginam honorari jussisset, ad extremum sese illi permisisse neque exaudiri quemquam eâ nolente potuisse. Nec tamen eam cognovisse: quæ solita esset dicere, virginitatem aut pudicitiam volenti sibi nunquam Regem ablaturum: & si vim inferre tentaret, non imitaturam se Lucretiam Romanam Collatini conjugem, quæ admisso scelere mortem sibi conscivit, sed facinus morte præventuram. Pellicem tamen ejus alij [u] faciunt; quæsivisséque potestatem eam ducendi, dimissâ Mariâ Reginâ legitimâ conjuge prætextu sterilitatis tradunt: extaréque Callisti Pontificis literas ad Reginam ejus rei testes.

[u] Marian. lib. 22. c. 18. & alij.

IX.

Qualis autem in Vicarium Christi esset, qui talem se in pellicem habebat; præter multa illa quæ superiùs diximus, declarat Rerum Aragonicarum scriptor sincerus Hieronymus [x] Surita; cùm hoc ipso anno scribit, quòd recusaret Callistus regnum Siciliæ tam ipsimet Alfonso quàm Ferdinando spurio asserere, & Vicariatus Beneventi & Tarracinæ confirmare, istud adeò impatienter tulisse Alfonsum, ut non satis habens Callisto per suum oratorem natalium obscuritatem, & beneficiorum quibus illum ornaverat multitudinem, studiúmque impensissimum ipsiusmet Pontificis in suis propinquis evehendis [y], exprobrare, & etiam Castellæ Regem ad defectionem à Callisto sollicitaverit: sed exhorruisse ad execrandum facinus Castellanum. Conatum esse id ipsum olim Alfonsum contra Martinum V. & Eugenium IV. apud omnes Principes, quòd votis suis minùs audientes hos Pontifices experiretur, suis locis vidimus. An & hæc ad Magni cognomen quod ei tribuitur pertinent? In talem tamen, adeóque sibi benevolum amicum, contulit hoc ipso anno Callistus, ut ad finem anni novos Cardinales creaturus, imprimis Raynaldum Piscicellum Archiepiscopum Neapolitanum promoverit, prædictæ Lucretiæ patruum, quem ut illi morem gereret (sicut Gobellinus scribit) enixissimè Alfonsus petebat. Quod quidem non adeò laudabiliter à Callisto factum videri posset, nisi fuisset aliunde Raynaldus, ut fuisse asseritur, eo honore dignus. Fuêre omninò tunc sex creati; quorum elogia habes apud Ciacconium & ejus Additionarios. In quibus & idem ipse *Æneas Silvius* vir doctissimus civis & Episcopus Senensis; quem Fridericus Imp. Ladislaus Rex Hungariæ, & cuncti ferè Germaniæ Principes, inter quos diù versatus fuerat, efflagitaverant. De cujus initiis, & ad dignitates gressibus, est egregia ipsiusmet epistola [z] ad Noxetanum equitem amicum suum. Breviterque Iacobus Cardinalis Papiensis [a] ab eo se audivisse testatur, quinque supra viginti annos serviendo se consumpsisse cùm nondum census esset unde parari soleæ possent; & tamen orbem ferè Christianum ærumnis suis implêsse, agitatum mari, vexatum procellis, à latronibus spoliatum, captum, carceri inclusum, ad limen propemodùm mortis adductum: quorum patientiâ virtuti conjunctâ non modò Episcopatum, & Cardinalatum, sed mox quoque uno ferè contextu Papatum paraverit. Sed de Papatu posteà. De suâ verò conversatione in rebus fidei & Sedis Apostolicæ, prolixiùs idem ipse in Retractatione ad Academias quam Pontifex scripsit: præter cætera quæ in ejus Rebus gestis sive ipsemet sive ejus amanuensis Gobellinus narrat, & quæ nos variis locis superiùs recensuimus. De ejusdem verò ad Cardinalatum promotione extant [b] quamplurimæ ipsiusmet ad Imperatorem ac Principes, & amicos, atque ab eis ad ipsum gratulatoriæ epistolæ.

[x] Sur. lib. 6. cap. 39.

INSULTAT CALLISTO PONTIFICI.

[y] Vide infrà an. 1457. XIII.

ÆNEAS SILVIUS FIT CARDINALIS.

[z] Æn. ep. 188.

[a] Pap. ep. 365.

[b] Æn. ep. 189. & seqq.

X.
TERRÆMOTUS INGENTES, ALIÆQUE TEMPESTATES HORRENDÆ.

Eodem ferè tempore (nempè, ut adnotat Antoninus [c], die quintâ & trigesimâ Decembris) terræmotus regnum Neapolitanum agitavére, quales patrum memoriâ neque visi essent, neque auditi. Fuerunt & pluribus aliis diebus, sed minores, & ferè absque damno. Illis autem duobus diebus Neapoli multa & præclara ædificia tam sacra quàm profana corruerunt: plurimæ aliæ civitates & oppida per totum ferè regnum aut penitùs prostratæ, aut fœdè deformatæ fuerunt. Ex Boiana lacus factus, æternum tantæ cladis monumentum. Enumerátque distinctiùs Antoninus, ex fideli relatione, singula pene loca eâ clade affecta, mortalésque absumptos: quos sunt alij qui ad sexaginta millia ascendisse scribant; Æneas [d] in solâ Neapoli plusquàm triginta millia oppressa. Addit Gobellinus, in Ægeo Pelago insulam tunc emersisse nunquam anteà visam, parvam sed aquis sublimem quadraginta cubitis; arsisséque diebus aliquot, donec flammæ defuit bitumen. Platina, Alfonsum Regem hâc clade attonitum, tertio quoque verbo quod in Turcos fecerat votum repetiisse, brevíque adimpleturum promisisse: verùm nec sic quoque impelli ad sanctam militiam potuisse, adeò erat illecebris regni Neapolitani irretitus. Visas quoque apud oppidum Cassiam inter Florentiam & Senas scribit Æneas [e], nubes viginti cubitis à terrâ sublimes, inter se mirabili ventorum impetu agitatas depugnare, & pellere pellíque vicissim: domorum tecta per inane jactari, muros dejici, & saxa ingentia loco moveri, vetustissima quercuum robora radicitùs evelli, homines & jumenta non parvis spatiis per cœlum ferri ac raptari. Denique Matthias Palmerius [f] & Bonfinius [g] scribunt, in Sabinis vitulum bicipitem natum; Romæ sanguinem, carnes in Liguriâ pluisse; & in Piceno agro infantem cum sex dentibus editum, ac facie insolentis plane magnitudinis. At moneat Deus prodigiis & pœnis; hortetur Natura multiplicibus conatibus: sciunt homines eludere dictum illud philosophorum, Deum & Naturam nihil frustrà agere. Verùm non certè hæc frustrà facta videbitur ultimò, cùm vel saltem ad inexcusabilem eorum condemnationem præstita esse manifestabitur.

[c] Ant. tit. 22. cap. 14. §. 3.
[d] Æn. ep. 207.
[e] Id. Europ. 54. in fin.
[f] Palmer. in Chron.
[g] Bonfin. dec. 8.

ALIA PRODIGIA.

XI.
DE REBUS SUETICIS.

Per idem tempus (ut idem Gobellinus ait) Carolus Rex Sueciæ, cùm sæviret in Christi sacerdotes, & avaritiæ libidinique serviret, adnitente Ioanne Benedicti Vpsalensi Archiepiscopo, qui duxit exercitum, regno dejectus est, & Christiernus Rex Daniæ ei suffectus. Rem pleniùs narrat Ioannes [h] Magnus, ægrè Carolum damnans, quamquam culpæ reum non abnuat. Archiepiscopum verò temeritatis arguit, quòd pulso Carolo, sive spontè abire compulso, Christiernum in Sueciam, sine aliquo Senatûs aut populi decreto vocaverit, ac in Regem coronaverit. Iustéque factum scribit, ut in suspicionem apud Christiernum incidens ab eo in Daniam captivus abductus fuerit; quod è contrà magnâ injuriâ factum, dolet auctor innominatus Historiæ Regum Daniæ à Lindenbrochio editæ. Quem etiam honorificè à Christierno, postquam dolos calumniatorum animadvertit, restitutum esse ait; Christiernum de multis virtutibus & egregiis animi dotibus laudans. Receptum autem Christiernum in Sueciam anno tantum proximo, Krantzius [i] narrat, longè in Christiernum Ioanne Magno æquior. Qui tamen parum pacificè ibi egit: Rexque Carolus rursum advenit Polonorum ope, & aliquot rursum annis regnum nequicquam obnitente Christierno administravit, usque ad obitum qui contigit anno 1470.

[h] Io. Magn. Hist. Suecor. lib. 23. cap. 6. & seqq.
[i] Krantz in Dan. 28. & 31. & 5. Suec. 39. & seqq.

XII.
LUDOVICUS DELPHINUS FUGIT A PATRE.

In Galliâ Ludovicus Delphinus filius primogenitus Caroli Francorum Regis, quem semel olim vidimus a patre abscessisse, pauló que pòst reversum expeditionem in Helvetios duxisse; cùm deinde impetratâ à patre in quartum tantummodò mensem absentiæ veniâ, Delphinatum petens, ibi alterâ quasi regiâ sibi erectâ jam ferè decennium exegisset, frustrà sæpè à patre revocatus: hoc demùm anno Rege contumaciam ejus compescere in animum inducente, qui hactenus bellis Anglicis occupatus id haud adeò facilè præstare potuerat; veritus Delphinus exercitum regium adversus se paratum, fugâ sibi maturè consulens, ad Philippum Burgundiæ Ducem in Brabantiam se contulit, occupato interim à Rege universo Delphinatu. Causæ simultatis traduntur plures: & qui Delphinum excusant, secessionem ejus interpretati sunt, quòd senex pater parciùs pecuniam filio in sumptus suggereret, nec ejus operâ tametsi ætate jam maturâ in administrandis rebus uteretur. Iram verò paternam nonnulli assignant, quòd filius specie necessariæ impensæ Delphinates gravissimis vectigalibus & exactionibus, maximéque Episcopos & Ecclesiasticos premeret. Alij, quòd Delphinus pellicem regiam Agnetem, quam propter ejus excellentissimem formam; *Bellam Agnetem*, quinimmò & *Dominam Pulchritudinis* (non tamen ob formam tantùm, sed & quòd habitaret in regia domo cui nomen Pulchritudinis inditum erat) vocabant, veneno sustulisse crederetur. Nam quod Meyerus calumniari semper solitus, Delphinum nisum esse patrem solio dejicere scribit non recipitur ab aliis. Gobellinus [k] etiam aliam causam addit; nimirùm quòd Delphinus priori conjuge Scotâ mortuâ, inconsulto patre, vel etiam spreto, secundas nuptias pepigisset cum Carolâ sive Carlotâ Ducis Sabaudiæ filiâ.

[k] Comment. Pij II. lib. 6.

XIII.
DE BELLA ANGETE REGIS AMASIA.

Et de Agnete ait, Regem illam, quòd esset facie pulcherrimâ & sermone blando amare cœpisse, brevíque tempore adeò perditè arsisse, ut nec ad horam eâ carere posset; in mensâ, in cubiculo, in consilio lateri ejus semper adhæsisse: Siquis aliquando vel confessor vel alius auctoritate potens, Regem de adulterio coargueret, negâsse consuetudinem stupri se habere, verùm oblectari facetiis & blandimentis feminæ: licere sibi ut cæteris Regibus fatuum aliquem penes se habere, cum quo laxandi animi gratiâ versaretur, nec distare femina an masculus esset: Haud tamen illam ut fatuam habuisse, cui & optima prædia & dona multa concessit, atque in palatio post Reginam secundo loco honoravit; & duas ex illâ filias sustulit, quas posteà Ludovicus regnum adeptus tanquam sorores complexus est, & mox alteram nuptui tradidit: Ita Gobellinus; Monstreletus tamen & Gaguinus magis ob facetias & lepôres à Rege

amatam volunt; quòd verò luxu & vestium culpa supra mulieris modestiam esset, ejus pompæ impensam ad amorum mercedem Regem facere creditum esse: Accessisse ad stupri suspicionem propinquorum Agnetis ad dignitates Ecclesiasticas repentinam promotionem: Denique peperisse filiam, quam tamen Rex ex se prognatam omninò diffiteretur. Verùm non de hâc tantum, sed de aliis pluribus concubinis Regem valdè diffamatum fuisse, ex ipsorummet etiam Francorum historiis intelligitur; ut nec de Agnete videatur excusationi locus. Sed ita solent Principes excusationes excusare in peccatis. Qualiscumque verò in his Agnes fuerit, fuisse in cæteris eam in pauperes & Ecclesias valdè beneficam, ac testamento sexaginta aureorum millia in opera pia & familiam reliquisse, admodúmque contritam & pœnitentem susceptis piissimè sacramentis, atque invocatâ frequenter sanctâ Mariâ Magdalenâ, decessisse; Monstreletus qui tunc vivebat est auctor.

XIV. DELPHINUS REVOCATUS RENUIT REDIRE.

Receptus honorificè Delphinus à Duce Burgundiæ, repetente eum patre, abnuit redire quamdiù inimicos haberet in curiâ; & expeditionem in Turcos, si copias & stipendium pater suppeditaret, obtulit. Dux quoque Burgundiæ receptionem ejus, ut filij Regis, & futuri olim domini sui, excusavit. Rege verò & filij objectorum ac postulatorum vanitatem responsis suis exprobrante, & Ducis in eum obsequiosum officium non tam comprobante, quàm non damnante; diù res in dubio fuit an bello tanta discordia finiretur: sed dissimulata res est, quousque demùm Rex Carolus obiit; qui interim Duci aliquando rescripsit, alere se vulpem quæ gallinas, vel ut alij habent, lupum qui oves ejus devoraturus esset; aut denique, ut alij, (fortè diversis vicibus diversa præsagita) nutrire canem qui in faciem ejus involaturus esset. Contigit [l] verò eodem fermè tempore ipsimet Burgundiæ Duci, ut filium suum Carolum Comitem Carolesium rebellem quâdam re domesticâ experiretur; tantâ in eum irâ, ut juberet filium omnibus suis excedere ditionibus: qui tamen paulò pòst, deprecatore præcipuo Delphino, ei reconciliatus est. Hoc item anno jussu ejusdem Caroli Regis conjectus in vincula Ioannes Alenconij Dux regij sanguinis Princeps, quòd temporum tranquillitati invidens Anglos in regnum invitaret; post biennium & testibus & propriâ confessione convictus, Parium ac procerum judicio mortis supplicio damnatus est, bonáque ejus fisco addicta: cujus damnationis sententiam Monstreletus suæ Historiæ inseruit, pronunciatam die decimâ Octobris anni 1458. Eam tamen Rege moderante, non ultra carcerem pœna sævit, quæ ei post Regis obitum à Ludovico remissa est. Otho quoque Catellanus Florentinus Regis argentarius, & Guillelmus Gouferus primus cubicularius, accusari quosdam characteres arte magicâ confecisse, quibus præcipuam apud Regem inter aulicos auctoritatem consequi sperabant, in carcerem pariter conjecti sunt, & diversis pœnis extra mortem mulctati.

[l] *Olivar. Marian. l. 1. Monstrel. vol 3. Meyer. l. 16. & alij.*

REX ALIOS MULCTAT.

XV. Hoc anno ad cœlum abiisse traditur [m] *Beatus Nicolaus* natione Prutenus, professione Monachus Sancti Benedicti in Cœnobio Sanctæ Iustinæ Patavij, vitæ sanctitate & miraculorum splendore coruscus. In cujus rebus gestis insigne valdè est quod earum scriptor narrat de quodam juvene Genuensi qui se dæmoni devoverat: quod breviter referemus ad gloriam Dei, & confusionem diaboli. Erat quidam adolescens Genuæ, qui de grandi scelere capitali sententiâ damnatus, invocato diabolo, atque eo veniente, Christo & Sacramentis renunciavit si liber è carcere educeretur. Eductus, miserrimè cœpit de nefando pacto discruciari: & audita Nicolai famâ, ad eum pro remedio recurrit; ejúsque de conversione ad Deum & pœnitentiâ agendâ hortationibus commotus, monachismum amplexus est. Receptus inter tirones, quorum curam Nicolaus agebat, à dæmone visibili infectatione affligi cœpit, clamante contra fas retineri juvenem spontè sibi deditum in præmium redditæ libertatis. Quare Nicolaus etiam humano judicio eversurus jura, quæ hostis ob restitutam libertatem repetebat, Prætore adito, judicium adolescentis restitui postulavit, quale fuerat antequàm pactum cum dæmone iniret, diémque ipsi etiam dæmoni dici, siquid contrà agere vellet. Dictâ die ductus in carcerem adolescens, & antiquum scelus fassus, libertati sibi per dæmonem datæ renunciavit, & de utroque scelere pœnas dare paratum se dixit. Damnatur igitur capite à Prætore: sed supremi Senatûs sententiâ mortis supplicio in perpetuam religionis monasticæ servitutem commutato, restitutus ille monasterio etiam à dæmonis infestationibus liber deinceps vixit; & Nicolaus majori ad pellendos dæmones gratiâ valuit.

[m] *Iac. Cavac. Hist. Cœnob. S. Iust. lib. 5.*

B. NICOLAI PRUTENI OBITUS.

LIS CUM DÆMONE CORAM PRÆTORE.

IESU CHRISTI Annus 1457.

CALLISTI III. An. 3.

FRIDERICI III. An. 18.

I. ANNO Christi 1457. Indictione quintâ, multa per orbem gesta sunt, quæ Æneas suis epistolis ad diversos tunc scriptis memorat: ex quibus certam de tempore historiam, magnum de rebus ipsis lumen hauriamus; aliunde suppleturi quæ deesse videbuntur. Imprimis igitur quod literis [a] sexto Calendas Aprilis ad Alfonsum Regem Aragonum & Siciliæ scribit, Vlricum Ciliæ Comitem apud Albam Græcam seu Belgradum occisum jampridem esse; id quidem, & quæ inde secuta sunt, tam ipsemet [b] alibi, quàm Thurosius [c] & Bonfinius [d] jam superiori anno facta diligentiùs describunt. Nimirùm, cùm Ladislaus Rex Hungariæ auditâ Huniadis morte ex Austriâ in Hungariam rediisset; suadente Ciliæ Comite ipsius avunculo, qui jam tanto sublato æmulo solum se Hungariæ administratione potiri sperabat, Albam quoque accessisse, Turcorum spolia & castrorum vestigia recogniturum, quæ à Ladislao filio Huniadis valido præsidio detinebatur: Ibi cùm Vlricus (non minùs liberis Huniadis quàm patri fuerat infensus) eos apud Regem

[a] *Æn. ep. 253*
[b] *Id Boëm. c. 66. & seqq.*
[c] *Thuros. cap. 58. & seqq.*
[d] *Bonfin. 3. dec. 8.*

TRAGOEDIÆ HŨGARIÆ.

calumniis oneraret; factâ in eum à proceribus Hungaris conspiratione, dum rem divinam festo Sancti Martini Rex spectaret, vocatum à proceribus in abditum conclave, post quædam inter ipsum & Ladislaum Huniadensem amara verba gladiis conjuratorum concisum esse: Regem audito facinore, quamquam vehementer commotum, suprà tamen quàm ferebat ætas, qui vix decimum-septimum annum attigerat, dolorem compressisse, ac jure cæsum Comitem professum esse. Cùm verò etiam patratæ cædis crimen disertiùs, ac cum juramento, & omni specie honoris ac benevolentiæ remisisset; nihilominùs mediâ Quadragesimâ præsentis anni Budæ existentem, tum prædictum Ladislaum Comitis occisorem, quàm fratrem ejus Matthiam, aliósque nonnullos eorum factionis, intra regiam captos carceri mancipâsse, ac post triduum Ladislaum capite damnatum, publicè plecti jussisse, formosissimum juvenem annorum quatuor & viginti. Tradunt, cùm lictor commiseratione ac metu vix suî compos, ictibus tribus cervici illatis necdum caput abscidisset, quinimmò nec lethali vulnere læsisset, generosum juvenem erigentem sese, non ultrà se à lictore petendum exclamâsse, quarto ictu ex lege interdicto, ac nihilominùs lictorem ictum repetentem cervicem abscidisse. Rex inde Viennam Austriæ repetens, Matthiam secum abduxit, & sub firmâ custodiâ abduxit.

II. Interim aliis literis [e] ad Alfonsum Regem septimo die Aprilis Romà scriptis, idem Æneas monuit, eâdem illâ die allatas esse literas ex Hungariâ ad Callistum Pontificem; quibus referebatur, Mahometem Turcorum Imperatorem cum Soldano Ægypti, Caramano Ciliciæ, & Tartaro Scithiæ inito fœdere, coactis ingentibus copiis rursùm properare ad Belgradum obsidendum; juratum, etiamsi Asiæ majorem partem amissam audiret, non sese retrò abiturum nisi Belgrado capto. Quapropter hortabatur Regem ut sese ad ferenda auxilia accingeret. Sed surdo canebat: quem triduo antè scripserat [f] Friderico Imperatori, suo more venationibus operam dare; fuisséque in periculo proximis diebus, ne per aprum interficeretur cùm cecidisset ejus equus. Et ad eundem Imperatorem necnon ad Cardinalem Sancti Angeli Legatum in Germaniâ posteà scribens [g], Alfonsum magnam & potentem habere in mari classem, galearum sive triremium supra triginta, magnarum onerariarum septem, minorum navigiorum quamplurium, insinuavit: Dicere se iturum in Cataloniam, ut inde potentior rediret contra Turcos: At Genuenses hanc contra se armatam classem putare, simúlque cum eis Florentinos & Senenses timere. Nec sanè immeritò; cùm aliis epistolis [h] denunciet, Regem Genuensibus acerrimum bellum inferre, & plura oppida vi & tractatu cepisse. De cujus imperiosis, simul & insultatoriis atque injuriosis ad Genuenses scriptis literis, horúmque ad ipsum modestis ac nihilominùs generosis literis, anno superiori ultrò citróque scriptis, déque subsecutis ejus in eosdem insultibus, ac missâ ad ipsorum urbis obsidium grandi classe, distinctè agit Nebiensis [i] in patriæ Historiâ: quas etiam videre est in Gollectione [k] Reusneri Epistolarum Turcicarum.

[e] Æn. ep. 266.

[f] Id. ep. 263.

[g] Id. ep. 278. & 282.

ALFONSUS ARAGON. GENUENSIBUS BELLUM INFERT.

[h] Id. ep. 296. & 368.

[i] Neb. lib. 5.

[k] Reusn. l. 4.

III. Callistus autem Pontifex cùm urgeretur motibus Italicis Picinini, de quibus alias; & Vrsinorum cum Anguillariæ Comite Everso, de quibus meminit multis epistolis idem Æneas, & Platina in Vitâ Callisti, & alij; nihilominùs res Orientales summæ curæ habens, etiam hoc anno [l] duas alias triremes cum pecuniis misit ad Cardinalem Aquileiensem S. R. E. Camerarium, quem cum sexdecim jam anteà legâsse vidimus. De cujus gestis agens alibi Æneas [m], ait plures Turcorum naves prælio superatas demersisse, & corpora hominum palo suffixisse: nonnullas insulas eorum imperio ademisse: nec Ægyptios quiescere permisisse, nec Syros, nec Cilicas: Sed mortuo Callisto dissolutâ classe Romam rediisse; Rhodo, & omni Oriente nostræ Religionis cultore, in discrimine summâque desperatione relicto: acquisitásque insulas ad hostes rediisse, cùm Italia intestinis motibus occupata esset, ipsáque Roma in periculo ex molitionibus Baronum ac civium in Ecclesiasticam auctoritatem. Quantâ autem justitiâ, æquè ac fortitudine, ageret in Legatione suâ Orientali Aquileiensis, ex eodem auctore intelligitur, dum scribit [n], eum duos ipsiusmet Papæ nepotes, qui eum secuti fuerant, in vincula conjecisse, quòd Cyprum Christianorum insulam populati essent: qui Romam reversi, ut se crimine purgarent Cardinalem criminati, haud tamen auditi sint, quòd & Pontifici & toti collegio cognita esset Legati integritas atque constantia.

[l] Æn. ep. 282.

[m] Id. Asia cap. 88.

CARDIN. AQUILEI. PRÆCLARÆ RES GESTÆ IN ORIENTE.

[n] Id. ep. 269. in fin.

[o] Id. ep. 371.

IV. Sed cùm optimus Pontifex in rebus adversùs hostes fidei promovendis nihil non ageret, domesticos ipsos Fidei sibi in eo ipso negotio Turcis ipsis adversiores sensit; tanta fuit diaboli malitia in avertendis Principibus ab eo Christiano officio! tanta Principum facilitas in ejus admittendis suasionibus! Quid enim imprimis in Germaniâ contigerit, narrat ipsemet Pontifex scribens pridie Calendas Septembris ad Fridericum Imper. Æneâ dictante [o]. Nimirùm, Principes ac Prælatos quamplurimos questos esse quòd Pontifex diversis modis nationem Germanicam aggravans, Concordata cum anterioribus Pontificibus multis modis infringeret, & aurum ex eâ suprà quàm deceret extorqueret. Quibus ipse imprimis quoad aurum respondit, nihil unquam suo nomine exactum, nihil petitum, præter annatam de beneficiis vetusto jure debitam: Si qui verò contra Turcos pecuniaria subsidia obtulerunt, non recusâsse, nec recusare debuisse pro tantâ Christianæ Religionis necessitate: Pecunias ejusmodi, & alias undecumque venientes, non usurpare sibi, non recondere in arcâ, non exponere in jocalibus, non consumere in deliciis; sed in defensionem fidei convertere, & in oppressionem perfidæ Turcorum gentis ad Christianorum exterminium semper intentæ: Innumerabiles esse, & intolerabiles sibi, quas in dies subiret expensas; nunc in Orientem Legato classis Apostolicæ, nunc in Albaniam Scanderbego fortissimo Christi athletæ, nunc Legatis & Oratoribus in diversas mundi partes emissis, nunc istis nunc illis per Græciam & Asiam labo-

CALLISTI DEFENSIO CONTRA GERMANORUM QUERELAS DE PECUNIARUM EXTORSIONIBUS.

rantibus ne destitui periclitarentur, pecunias mittere: Nec fuisse inanes hujusmodi sumptus: Licere enim sibi in Domino gloriari; qui per ministros Pontificios, torpentibus ac penè dormientibus cunctis fermè Christianis Principibus, ipso tantummodò Pontifice instante atque urgente, Turcorum superbissima cornua & insolentissimas acies apud Hungariam confregit; magnúmque illum & potentissimum exercitum, qui sibi non Hungariam modò, sed Germaniam totam, Galliam atque Italiam proterere, Legémque Christi funditùs evertere promittebat, prostravit: Nunc quoque classem Pontificiam Rhodum tueri, Cyprum, Mitylenen, Chium, & omnes in Oriente Christiani nominis Insulas, quæ sine tali præsidio haud quoque Turcorum navibus in dies incursantibus resistere potuissent: quódque laudabilius esset, Legatum suâ prudentiâ & armorum robore non solùm has tutatum esse, sed alias plerasque Turcorum domino servientes, ad Apostolicæ Sedis devotionem obedientiámque redegisse; ac novissimè multa Turcorum navigia expugnâsse atque in potestatem recepisse; (quod etiam Antoninus [p], ac Rhodiensium historiæ [q] confirmant.) Nec Albaniam ingruentes barbarorum impetus proximis diebus declinaturam fuisse, nisi ipsius Pontificis intervenissent pecuniaria auxilia quæ Scanderbego misit. In hos igitur usus pecunias se quas undecumque corradere posset profundere, curaréque ne suo tempore Christianum nomen spurcissimi Turcorum pedes conculcare possent. Sed non esse hæc onera, quæ solus ipse portare quiret; quantumvis etiam necessaria sibi detraheret, ut quiescentibus aliis qui auxilio esse deberent, incumbenti necessitati impenderet.

[p] *Ant. tit. 22. c. 14. in fin.*
[q] *Bos. tom 2. lib. 7.*

V. ET DE CONCORDATORŨ VIOLATIONE.

Quod verò ad Concordata, quæ violari in electionibus Episcoporum aliorúmque Prælatorum, & reservationibus beneficiorum, alíisque, Germani querebantur; respondit, se ex Concordatis omnes passim electiones confirmare non teneri, sed illas tantummodò quæ canonicè fierent: nullas autem Canonicas se unquam abjecisse; & siquis rejecti fuerint, id contigisse quia nec Canonica erat eorum electio, nec Ecclesiis ad quas vocabantur utiles. Potestate autem illâ, quæ sibi ex divino atque humano jure, simúlque ex Concordatis competebat, providendis Ecclesiis de personâ magis idoneâ, etiamsi Canonica in illis electio facta reperiretur, adhuc usum se non esse, nec uti proponere, nisi ex magnâ & urgentissimâ causâ. Super reservationibus autem, cæterísque beneficiorum provisionibus, haud scire se aliquid contra Concordata concessum esse: siquid tamen in tantâ multitudine literarum ac negotiorum factum esset, contra suam mentem accidisse. Quinimmò quamvis liberrima esse Apostolicæ Sedis auctoritas, nullísque deberet pactionum vinculis coërceri; ex merâ tamen suâ liberalitate, ex zelo quem gerebat ad pacem, & ex charitate quâ ipsum Imperatorem ejúsque nationem prosequebatur, non passurum se Concordata suo tempore in aliquibus violari. Siquid verò ex iis quæ à Sede Apostolicâ promanarent, dignum emendatione censeretur; non decere Episcopos, aut alios quosvis mortales super Sedem Apostolicam auctoritatem sibi vendicare, aut ejus mandata contemnere, in perniciem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, confusionem mystici corporis Christi, & animarum suarum ruinam: sed recurrere ad eam debere, & gravamina sua exponere, ac remedium petere: nunquam enim piam matrem filiorum desiderio defuturam, quod videret ad salutem eorum pertinere. Hæc ibi.

VI. ÆNEÆ SCRIPTA PRO DEFENSIONE JURIŨ APOSTOL. SEDIS.

De quibus item sunt aliæ multæ epistolæ [r] tam ejusdem ipsius Pontificis quàm Æneæ ad diversos, ac præcipuè ab isto ad [s] Martinum Mayer Iurisconsultum & Archiepiscopi Moguntini Cancellarium, quibus accuratiùs exprimuntur quæ essent Concordatorum conditiones, & quàm iniquæ de eorum violatione adversùs Callistum Pontificem accusationes. Nec non ejusdem Æneæ prolixior earundem accusationum confutatio in tractatu sequenti anno ad eundem Mayer scripto de Moribus & conditione Germaniæ: quo multa continentur de divinâ auctoritate Sedis Apostolicæ; de beneficiis ab eâ in Germaniam collatis; déque ejusdem Germaniæ potentiâ ac Principibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus; de vanitate objectionum ex Conciliis Constantiensi & Basileensi; de iniquitate Pragmaticæ cujusdam Sanctionis, à nonnullis Principibus & Prælatis Germaniæ excogitatæ contra mentem majoris partis cæterorum, ipsiúsque Imperatoris, in depressionem Sedis Apostolicæ: cujus summa erat, ne Germanica Natio jussionibus Apostolicæ Sedis obedire cogeretur, ac nequid pecuniarum ad Romanam Curiam deferretur. Huc enim tendere querelas omnes, ac postulationes de causis in partibus retinendis, de Prælatorum electionibus ad Metropolitas referendis, de beneficiorum collationibus ordinariis reservandis, de annatarum exactionibus prohibendis. Quæ quantum à ratione abhorrerent, his præcipuè rationibus & argumentis prolixè ac dilucidè explicare conatus est: quòd scilicèt ingratitudinem detestabilem à filiâ in matrem saperent; quòd non Sedi Apostolicæ tantùm, sed universæ Reipublicæ Christianæ damnosa essent, & universum Religionis Catholicæ statum confunderent ac perverterent; quòd Sedi Apostolicæ Pastoralis officij plenitudinem eriperent; quòd pauperem esse vellent, abjectam & impotentem primam Sedem: quam propterea, ejúsque singulos ordines, ministros, & officiales distinctè descripsit; & quæ in eos, ac Cardinales, ipsúmque Pontificem, ac eorum vivendi modum solerent objici, examinavit ac refellit: denique quàm non solùm irrationabilis, verùm etiam absurda ac delusoria esset ab eâ Sede ad Concilium appellatio, demonstravit. Contra quæ tamen rursùm Iacobus Wimphelingus aliam responsionem [t] pro defensione Germaniæ addidit: ut non facile fuerit eorum querelis satisfacere.

[r] *Ap. Æn. ep. 305. 334. 335. 337. 356.*
[s] *Ibid. ep. 288. 338. 369.*
[t] *Ext. tom. 2. Rer. Germ. edit. Freher.*

VII. HERBIPOL. EPISCOPI INJURIÆ IN PONTIFICEM.

Senserat autem Pontifex inter alios Germaniæ Prælatos valdè contumacem Ioannem Episcopum Herbipolensem; cùm aliis in nonnullos injuriis, tum quòd grandi temeritate pecunias auctoritate Apostolicâ collectas, & apud fideles manus reconditas, violenter eripuerat, & in suos usus convertere non erube-

rat: adeo etiam insolenti audaciâ, ut cùm à Pontifice per nuncios de restitutione moneretur, non solùm recusâsset, verùm etiam in ipsum Pontificem probra jacere & maledicta conferre non dubitâsset, ac nuncios ex suo territorio non tam recedere quàm fugere compulisset. Vti conquestus est ipse Pontifex Theodorico [u] Archiepiscopo Moguntinensi, qui pro Ioanne deprecatorem egerat: cujus tamen intuitu mandavit causam ejus non urgeri, quamvis jam septem mensibus contumaciam ejus sustinuisset, si fortè valeret interim Theodoricus eum ad debitam satisfactionem inducere.

[u] Ap. Æn. ep. 327.

VIII. Quomodò Principes de pecuniis sacris disposuerint.

Quod autem pecunias auctoritate Pontificis ad negotium Turcicum per orbem collectas attinet; narrat Æneas [x], Regem Castellæ medietatem pecuniarum inde in suis regnis provenientium, sibi in bellum Granatense recepisse, (quos [y] ad tributum ignominiosis conditionibus pendendum hoc anno compulit) alteram contra Turcos Papæ largitum esse. Nec secùs cæteri aliis prætextibus. Nam & scribit Krantzius [z], Christiernum Regem Daniæ à Marino nuncio Apostolico ex ejusmodi pecuniis partem sibi retinuisse, quòd & sibi pugnandum foret in schismaticos regnis suis conterminos. Idque ipsum in Poloniâ Cazimirum Regem præstitisse tradit [a] alibi. Turpius verò quod S. Antoninus [b] de Rege Francorum refert: nimirùm maximam pecuniæ quantitatem ex prædicatione Crucis per Cardinalem Avenionensem collectam fuisse: (erat is Alanus Coëtivius Brito, de quo supra: quem pariter Francorum historiæ, tam ad elevandum de terra sacrum corpus S. Vincentij Ferrerij nuper in Sanctorum numerum solemni ritu à Pontifice relati, quod apud Venetos in Armoricis jacebat, ubi eâ de causâ celebratus est insignis Antistitum ac procerum conventus; quàm pro colligendis per Franciam pecuniis, missum à Callisto testantur:) verùm Regem non permisisse pecuniam de regno asportari, sed deponi penes quasdam fideles personas, quousque expeditio contra Turcos fieret, túncque Francis militibus traderetur in stipendium: Classe autem paratâ, Francos se longiùs ire fingentes, Angliam ingressos civitatem Sanduicum deprædatos esse ac cum ingenti prædâ domum rediisse. Quæ si calumnia non fuit in Italiam delata, turpis proculdubiò extitit sacræ pecuniæ perversio, indignáque prorsùs Rege ac gente Christianissimâ. Verùm agens de hâc Francorum excursione in Angliam, & Sanduici subitâ expilatione Monstreletus [c] tunc vivens & propè videns; nihil penitùs de sacrâ pecuniâ, vel expeditione Turcicâ; sed Normanniæ Senescallum cum quibusdam aliis nobilibus, & quatuor armatorum millibus, simulantem Regi Scotiæ suppetias ire, ferè improvisò Sanduicum invasisse, ac post magnum certamen subegisse, direptúmque continuò deseruisse ob Anglos undique ad eos circumsedendos accursantes. Et quod Francos ab omni suspicione expilatæ sacræ pecuniæ, aut fictionis expeditionis Turcicæ liberare possit, est quod Meyerus [d] perpetuus eorum insidiator, dum hanc eorum excursionem recitat, nihil eis criminis inde impingit, qui auro redemisset occasionem tantæ turpitudinis eis improperandæ. Denique quàm res nutet; inde etiam intelligitur, quòd Gobellinus Æneæ amanuensis insectator & ipse egregius Francorum, sive ipsemet Æneas Pius II. qui parùm benè ob res Neapolitanas iis volebat, scribat [e] ex pecuniâ illâ sacrâ Alanum Cardinalem viginti quatuor triremes construxisse apud Avenionem, ubi Episcopum agebat, ad bellum Turcicum; sed Ioannem Renati Regis Siciliæ filium illas adversus Ferdinandum Regem Neapolitanum in Italiam abduxisse. Quod quidem ad posteriora tempora referri deberet; sed quandocumque factum voluerint, si hujusmodi auctoribus credendum sit nulla fuerint arma in regno Galliæ collecta, nulli exercitus conscripti, nulli sumptus facti, quin ex sacrâ hâc pecuniâ provenerint. Ingentem sanè fuisse oportuit, & magnam Francorum liberalitatem. Denique ut rem absolvam, auctor anonymus Meyero in pretio habitus, nec parcere sciens Carolo Regi, de his tantummodò ait; cùm Alanus decimam à Clero per Gallias, non secundùm taxationem, sed secundùm valorem veterum beneficiorum, exigere vellet; non permisisse id Regem, sed colligi tantùm permisisse per taxam non utique veterem, sed reductam. Habet insuper, quod prædictas omnes fictiones omninò excludat, tantâ fuisse Regem erga Ecclesiæ ministros continentiâ & reverentiâ, ut cum fisco ob regni depauperationem per maxima bella exhausto, Episcopus quidam suasisset ut decimam à toto Clero exigeret; recusaverit facere, dicens non benè cessisse Principibus qui id aliquandò fecissent. Refértque pariter Charterius [f] in prædictæ Sanduicanæ expilationis narratione, Senescallum prohibuisse pœnâ mortis, nequis bona Ecclesiarum attingere, aut feminas violare, vel aliquem extra pugnam occidere auderet: idque inviolabiliter servatum fuisse.

[x] Æn. ep. 239.
[y] Marian. lib. 22. c. 18.
[z] Krantz. 8. Dan. 30. & 33.
[a] Id. 12. Vvandal. 33.
[b] Ant. tit. 22. cap. 16. §. 1.

Calumnia in Regem Franc.

[c] Monstrel. vol. 3.
[d] Meyer. lib. 16. hoc an.
[e] Comment. Pij II. lib. 4. in pr.
[f] Chart. in V. t. Car. VII.

IX. Callistus procurat pacem inter Imper. et Reg. Hung.

Quòd verò ad res Hungaricas adversus novos Turcorum conatus protegendas, maximi momenti esse concordiam inter Fridericum Imp. & Ladislaum Hungariæ ac Boëmiæ Regem, inter quos vetustæ contentiones etiam usque ad apertum bellum revixerant, Callistus Pontifex intelligeret; (Nam & Æneas [g] non minùs esse componere illas, quàm Turcum delevisse, putavit; quòd videlicèt si junctis animis & armis contra Turcum incederent, facile foret eum debellare) tam utrumque Principem gravibus literis [h] ad mutuam concordiam hortatus est; quàm Legatum Apostolicum Ioannem [i] Cardinalem S. Angeli, ut diligenter ei rei intenderet, unà cum Ludovico Bavariæ Duce, qui tanquam mediator eam curaturus dicebatur. Mandavítque insuper eidem Legato, quamprimùm ad eundem Regem se conferre in Boëmiam, ut Pontificis & Apostolicæ Sedis nomine interesset nuptiis, quas Rex Pragæ celebraturus erat cum Magdalenâ Regis Francorum filiâ, quam per splendidissimam legationem petitam ibi excepturus erat. De cujus matrimonij tractatu, amplè idem Æneas [k], Monstrel. Bonfinius, & alij. De loco verò ubi celebrandum foret, cùm inter Hungaros, Boëmos, & Austrios contentio fuisset, singulis sibi eum honorem vendicantibus; evicerat tandem Podiebracius Boëmus, & minis propemodùm à nutante Rege extorserat, ut Pragæ celebritas perageretur.

[g] Æn. ep. 287.
[h] Ap. Æn. ep. 331. & 371.
[i] Id ep. 329. & 339.
[k] Æn. Boëm. cap 69 Monstrel. vol. 3. Bonf. 3. dec. 8.

X. Ladislaus Hungar. Rex Pragam accedit.

Cùm appropinquaret ingenti apparatu, die festo S. Michaelis fine Septembris egregius ac generosus adolescens Pragam, (annos tantùm natus decem & octo) occursante ipsi longiùs Rockysanâ, qui Archiepiscopum agebat, cum frequenti hæretico Hussitarum clero, & de felici reditu congratulante; vix nec nisi admonente Podiebracio gratias egit, hæreticum clerum torvis oculis inspiciens. Vbi verò sacerdotes Catholici sacra deferentes occurrêre, lætabundus hos se Dei ministros agnoscere testatus, equo prosiliens consalutatis omnibus sacram Crucem osculatus est; non sine gravi hæreticorum offensione. Missæ inde legationes, ad Imperatorem de pace; ad Carolum Francorum Regem pro filiâ ejus adducendâ; ad Callistum Papam, pro controversiis de religione dirimendis regnóque Boëmiæ Romanæ Ecclesiæ ex integro conjungendo: erátque quarta cura de comparando contra Turcos valido exercitu: Cùm hos tantos cogitatus, has pulcherrimas institutiones, tantum rerum ordinem & apparatum, immatura & repentina mors Regis interrupit: quæ seu ex ulcere pestifero in inguine; seu ex intempestivo rapularum, quæ apud Boëmos dulcissimæ sunt, multâ nocte esu, ut nonnulli jactârunt; seu ut communior fuit opinio, veneno ei à Podiebracio & Rockysanâ præbito, vel etiam, ut apud Michovium [l] reperimus, ab Vlrico Eyzingero de quo aliàs; contigit 9. Cal. Decembris triginta & sex horis postquàm ægrotare cœpisset: multis interim in ipsâ mali vehementiâ Christianæ patientiæ & Catholicæ pietatis signis exhibitis: rogatóque Podiebracio, ut quandoquidem is sibi successurus esset, subditos justè regeret, pupillis, viduis, imbecillis rectum judicium patrociniúmque ne subtraheret, atque interim qui secum in Boëmiam venissent in patriam suam inviolatos remitteret; susceptísque deinde ritè sanctis Ecclesiæ sacramentis, demùm sacram candelam manu tenens, & Imaginem Crucifixi intuens, oratione Dominicâ recitatâ, nihil ampliùs locutus, non extrema pati, sed quietem arripere visus, obdormivit in Domino, ingenti suorum ac Catholicorum omnium mœrore. In [m] quo suarum miseriarum unicum solamen & Hungari, & Boëmi, & Australes, & Silesitæ, & Moravi ejus subditi posuerant: nec Christianus erat, qui Fidelium Reipublicæ non multa & magna de tanto Rege promitteret. Sepultus est autem in monumento proavi sui Caroli IV. Imperatoris in choro Ecclesiæ metropolitanæ. Atque auctor [n] Boëmiæ Piæ, se vidisse (edidit autem cõmentarium suum anno 1607.) corpus Ladislai integrum, & ex omni parte incorruptum, etiam quoad sacra quibus indutus erat, caligas item & calceos; atque ungues excrevisse; fuisséque corpus flexibile per singula membra. Eodem verò ipso ejus obitûs die, Matthiam minorem filium Huniadis, de cujus detentione dictum superiùs, è Viennâ Pragam captivum perductum fuisse tradunt, & in potestate Podiebracij Gubernatoris regni Boëmiæ permansisse. De utriusque regno dicetur anno sequenti. Quæ autem de Ladislai Pragam adventu, & obitu dicta sunt, tractant uberiùs Æneas [o], (qui olim ad eum scripserat tractatum de Puerorum institutione, & præceptis Grammaticæ, qui extat) Bonfinius [p], Cochlæus [q], Dubravius [r], & siqui alij: quorum nonnulli cùm mortem Ladislai in annum sequentem referunt, falli eos certissimum est.

Ibique moritur.

[l] Michov. lib. 4. c. 67.

[m] Æn. de moribus & cond. Germ.

[n] To. Rer. Boëm. lib. 2.

[o] Æn. Boëm. 69. 70. 71.
[p] Bonf. 3. dec. 8.
[q] Cochl. l. 11.
[r] Dubrav. lib. 29.

XI.

Nec demùm in his omittimus iniquam mentem Thurosij memorare: qui sub Matthiâ posteà Rege, & in ejus gratiam scribens, persuasum voluit, Ladislaum divinitùs percussum esse in pœnam injuriæ Matthiæ ejúsque fratri illatæ. Nam ut daremus fuisse injuriam, quam cæteri debitam punitionem necis Ciliæ Comitis vocant, nunquid Thurosius consiliarius Dei fuit, aut in abyssum judiciorum ejus penetravit? Non potuit tamen universalis censor orbis Meyerus in suis Annalibus non & hoc ulcus refricare, scribens Regem dignum tali fortunâ à plerisque existimatum fuisse, tum ob filios Huniadis fœdè tractatos, tum etiam ob Vlricum avunculum suum turpiter & impiè necatum. Bellulus historicus; qui avunculum à Rege necatum esse vult; in cujus è contrà necis vindictam, Huniadis filium ab eo capite damnatum omnium testimonio constat. Nec sanè religiosior, Presbyter licèt ac curio, cùm etiam habet, Regem adversarios maximos habuisse Podiebracium præsidem Boëmiæ, & Rockysanam *antesignanum illorum qui Ecclesiam reformatam volebant, antiquitatem sanctitatémque primitivæ Ecclesiæ revocare conantes, contra totum ferè mundum in contrarium nitentem.* Quid est enim approbatio hæc conatuum Rockysanæ coryphæi Hussitarum, nisi approbatio eorum hæresum, quas de more hæreticorum pulchris velamentis contegebant? Attendant librorum censores; qui non pauca alia in istius hominis commentariis severissimâ censurâ digna reperturi erunt. Quod verò opinationes Hussitarum attinet; invenimus alicubi [s] sub præsenti anno notatum, hoc tempore à reliquis Hussitis, sive Calixtinis, secessisse eos qui Ecclesias *Picardorum* fundârunt; & omissis bellis, tantùm intenti fuerunt doctrinæ suæ propagandæ, & disciplinæ arctioribus vinculis adstringendæ. Sed de turpissimâ Picardorum in Boëmiâ hæresi jam dictum superiùs ex Æneâ [t] Silvio. Ex quo [u] denique de studio religionis prædicti Ladislai Regis addimus, famâ vulgatum fuisse, idcircò eum apud Pragam nuptiarum celebrationem decrevisse, ut concurrentibus eò Catholicis Principibus potenti manu hæreticos comprehenderet, finémque tandem Hussitarum impietati daret: Idque præsentientes Rockysanam & Georgium, necem Regi pro suâ salute machinatos. Quod tamen sicuti non facilè credidit Æneas, ita nos planè inficiari malimus; cùm eundem nonnisi à Georgio coactum Pragam nuptiis elegisse constet; fortè (ut sunt omnes hæreticorum molitiones suspectæ) ut innocentis adolescentis vitæ faciliùs ibi insidiaretur. Sed de illo modò satis.

Meyeri irreligio.

[s] Ap. Bucholcer. in Indic. Chronol.

[t] Æn. Boëm. cap. 41.
[u] Ibid. c. 71.

XII. De rebus Cypriis et Sabaudicis.

Insignis igitur hic annus fuit ex Ladislai, quem Delicias orbis vocabant, interitu. Cui & aliud jungendum funus: *Ioannis* nempè, alterius Ioannis Regis Lusitaniæ patruelis, ac fratris Iacobi Diaconi Cardinalis S. Mariæ in porticu à Callisto creati; qui cùm in Cyprum ad nuptias Carlotæ unicæ Ioannis illius insulæ Regis filiæ, in spemque regni accersitus, ante biennium navigâsset; susceptâque rerum administratione, divina & humana reformâsset

[x] An. 1432. XIX.

negotia, quæ ab Helenâ Regis conjuge Græcâ subversa olim [x] vidimus; ac præcipue Romanum ritum in Ecclesiis restituisset, quem Helena Græco introducto eliminaverat: hoc anno nobilissimus Princeps ab Helenæ nutrice, (cujus filius anteà potentissimus, per Principem à rerum gestione submotus fuerat) consentiente ipsâmet ejus socru Helenâ, veneno extinctus est: atque ita damnata Helenæ imperia rediêre. Multæque successêre in regno turbæ abs Iacobo Regis notho, cui arte Helenæ Archiepiscopatus Nicosiensis collatus fuerat, ne ad regnum perveniret quod ambiebat. Carlota verò post viri obitum nupsit Ludovico, alterius Ludovici Sabaudiæ Ducis filio, Felicis quondam Papæ à suis dicti nepoti: cujus pater Ludovicus Annam duxerat prædicti Ioannis Regis Cyprij sororem, feminam imperiosissimam: quæ pro tempore Helena Græca, viro neglecto fratre Annæ, Cypro supremâ potestate dominabatur, ipsa Anna Cypria in Sabaudiâ miti Ducis viri sui ingenio æquè abusa regimen ad se trahens, magistratus pro arbitrio instituit atque destituit, sacerdotia quibus voluit impetravit, Cyprios in rerum culmine collocavit; cæterùm sobole & pulchrâ & generosâ felix, novem mares & septem feminas enixa. Cùm autem in prædictâ Carlotâ Lusignanum vetus stemma Cypri ex rectâ Regum lineâ desineret; & proximiores nulli Sabaudis ipsis Ducibus, prædictæ Annæ, ipsius Carlotæ amitæ filiis, ad successionem vocarentur: sic duplici nomine Ludovicus iste legitimus ejus Insulæ Rex videri potuit. Sed quæ turbæ Cyprum concusserint ex invasione regni per prædictum Iacobum nothum hominem perversissimum: rem notatu dignam videbimus posteà ex iisdem auctoribus: quæque hactenùs de iis narrata breviter fuêre, pluribus prosecutus est Æneas [y] in Asiâ & Commentariis. Prædicta namque Sabaudica minùs tangunt proprij historici: Cypriâ prolixè Georgius quidam Bustronius nobilis Cyprius apud Stephanum Lusignanum describit.

[y] Æn. Asi. cap. 97. & Comment. lib. 7.

XIII. Callistus Pôt. suorum provehendorum studiosus.

Qui quod Carlotæ nuptias attinet, tradit post Ioannis Lusitani ipsius viri auditum obitum, Callistum Pontificem misisse legatum in Cyprum Helponem quemdam religiosum Augustinianum patriâ Cyprium, ad tractandum matrimonium inter Carlotam viduam & Valentinum Borgiam nepotem ipsius Pontificis. Sed putamus erràsse in nomine nepotis. Erat is quidem Valentinus natione, at non nomine. Nempè creaverat Callistus post initum Pontificatum eodem die duos sororum suarum filios Cardinales, Ioannem Ludovicum Milam; & Rodericum Lenzolium, quem gentilitiis insignibus & cognomine Borgiæ donavit, eumdem ipsum qui posteà Papa Alexander VI. evasit. Fuit huic frater Petrus eodem adoptatitio cognomine Borgia, qui imperio Pontificio præfectus pessimè in ejus administratione audivit. Huícque putamus quæsîsse Pontificem nuptias Carlotæ, spe regni adipiscendi: quem propinquis augendi vehementiùs quàm ea ætas, & sacrosanctæ personæ quam gerebat dignitas paterentur, incubuisse constat: non sine magnâ sui nominis labe, quæ sub prædicti Roderici Pontificatu longè fœdior apparuit. Cùm nihilominùs etiam sub eodem isto Callisto gemeret urbs adeò à tyrannide Catalanorum, ut & aliquando Cardinalis Firmanus pauperi qui in petendâ eleemosynâ è manibus se Catalanorum elapsum dicebat, arguté responderit, Quid verò nobis debetur, qui in eorum manibus sumus?

XIV.

Prædictis duorum Principum mortibus tertiam addimus *Francisci Foscari* Venetiarum Ducis: sed quæ non possit absque illius Reipublicæ crimine referri. Rem narrat Æneas [z] fidelis testis. Nempè cùm rexisset ille annos triginta quinque summa cum laude Principatum, Philippo Mediolanensium Duci Brixiam Bergomúmque ademisset, copias ejus pluribus locis fudisset, aliáque quæ enumerat in utilitatem Reipublicæ præstitisset, Imperium Venetum terrâ maríque longè ampliâsset; gubernationi tamen cedere compulsum esse, tanquam præ senio Reipublicæ inutilem (quippe non longè ab anno suæ ætatis nonagesimo) cùm tamen venerabilis senex, præcipuâ corporis majestate decorus, memor omnium quæ post infantiam aut vidisset, aut audivisset, facundiâ copiosus, & ingenio prompto ac dexterrimo, adhuc moderari frena Senatûs optimè nôsset. Sed fructus hi sunt imperitantis ingratæ multitudinis; tribuendi magis nonnullorum æmulationi aut ambitioni, quàm æquitati aut justitiæ Senatûs. Relicto cum indignatione palatio, ad domesticos lares se recipiens, ægram paulò pòst animam emisit. Cujus casum Baptista Blasius Cremonensis Astronomus pluribus antè mensibus prædixerat: sicuti olim ejus patri alius quidam in Ægypto filij principatum prænunciaverat. Ejus filius veluti quippiam in Rempublicam molitus, crudelissime tortus cùm nihil mali confiteretur, relegatus in Peloponnesum miseram ibi vitam finivit. Gener dum Cretam pro Republicâ gubernaret, dux insulæ appellatus, revocatus domum magnâ mulctatus pecuniâ in exilium missus est. Quot patrata peccata, ne semel peccâsse viderentur! Francisco suffectus est Paschalis Maripetrus: qui pacem ab eo partam sanctè custodivit toto quadriennio quo vixit.

[z] Æn. Europ. cap. 50.

Venetorum ingratus animus in suum Ducem ejúsque familiam.

XV. Turci conteruntur.

Libera fuit hoc anno Hungaria ab invasione Turcorum, quæ ejus initio timebatur. In Albaniam enim copias terrestres immiserunt: quas egregiè repulsas à Scanderbego, ex epistolâ Callisti superiùs vidimus, & Æneas [a] confirmat, describitúrque in ejus Vitâ. Navales adversùs Rhodios & Ægeum mare: ubi eas pariter magnâ clade à Cardinale Aquileiensi affectas vidimus. Sed minimè tacendum egregium facinus feminæ Lesbiæ, insignis ea insula est maris Ægei, Mitylene etiam à primariâ ejus urbe nuncupata) quod refert idem Æneas [b], ex relatione Callisto Papæ ipso præsente factâ ab Episcopo Caphensi qui Mitylene fuerat. Oppugnaverat Turcorum exercitus insulæ oppidum non contemnendum, muríque partem machinâ dejecerat, & factâ clypeatorum testitudine irrumpere properabat, nec oppidanis animus erat ad ferendum impetum, aliis deditionem, aliis fugam meditantibus. Sed affuit virgo virilibus armis induta, quæ salutem patriæ peperit. Adhortata enim cives ne hostem metuerent, primam se Turcis objecit, & nonnullos obtruncavit. Cujus audaciam

[a] Æn. ep. 182.

[b] Id. Asi. cap. 74.

admirati oppidani, & ipsi animum resumentes tantam hostium stragem ediderunt, quantam vix credere quispiam posset.

XVI. VSUMCASSANUS REX PERS. BELLUM INFERT TURCIS.

Nec autem hoc tempore majores progressus Turci adversùs Christianos agerent, non solùm obstitit classis Pontificia; verùm & maximè *Vsumcassanus*, sive Vsumcassanes Persarum Rex, quem à Callisto contra illos sollicitatum esse, diximus ejus Pontificatûs initio. Ortum is duxit ex familiâ Assembeiâ unâ ex septem Turcicis quæ Imperium Ottomanicum præcesserunt: cui cùm in sortitione provinciarum obtigisset Cappadocia & Armenia, hic prætereà Persidem pulsis Tartaris obtinuit; & cum Davide Comneno Imperatore Trapezuntio affinitatem contrahens, filiam ejus Mahometanus licèt religione uxorem duxit. Chalcondyles Chasanem Longum vocat; quòd Vsum Turcis longum ac procerum significet, quod alij ad animi ejus magnitudinem ac rerum gestarum præstantiam referunt. Phranzi autem Zuchasanes dicitur: nonnulli etiam Latinis Suncassan, vel etiam Huscasan ac denique Ioannes Cassanus: multísque rursùm à familiâ Assembeius. Hic igitur cùm occupatâ Perside, proferendi cupidine imperij Syriam & Ægyptum invadere constituisset, Callisti Pontificis & Venetorum hortationibus bellum in Turcos vertere deliberavit: missísque in Italiam legatis fœdus confirmavit; atque interim per suos duces Mahometis Turcorum Imperatoris ditionem aggressus, nonnulla oppida cepit; ac duobus præliis copias ejus attrivit. Quod quidem præsenti anno contigisse, Bizarus [c] in Historiâ Persicâ tradit. Quem verò tertium addit conflictum, cujus infelici exitu superiores victorias corruperit; eum quidem refert ille in annum Domini 1473. ex Annalibus Turcicis: verùm & fuisse eumdem fugatum à Mahomete etiam anno 1461. apprimè intelligitur ex commonitione Pij Pontificis ad Mahometem, quæ est inter ejus Epistolas [d]; dum scribit, eodem anno quo Mahometes Sinopem & Trapezontem cepit, (quod eo anno 1461. contigisse constat) etiam Cassanum prælio congredi ausum superâsse. Ex quibus apertè eos refellas quicumque initia rerum Vsumcassani cum Turcis gestarum in posteriora longè tempora referunt. Nam & Platina in Callisto scribit, legatos Vsumcassani ad Callistum destinatos, ad Pium ejus successorem venisse, séque eos vidisse: scripsisséque eum ad Pontificem, se victorias ex Turcis reportâsse ob preces ab eo ad Deum habitas, ejúsque beneficij divini potiùs quàm humani se aliquando memorem futurum. Quæ ostendunt missos eos fuisse post duplicem illam victoriam, ante cladem insecutam. Et apertè Chalcondyles [e] scribit, Chasanem progressus fecisse in Asiâ antequàm Sparta cum Demetrio Palæologo caperetur, quod anno 1459. vel omninò sequenti contigisse, intelligitur ex Phranze.

[c] Bizar. lib. 9. & 10.

[d] Ap. Æn. ep. 396.

[e] Chalcond. lib. 9.

XVII. S. OSMŪDI CANONIZATIO.

Quod superest hujus anni rerum gestarum Callisti memoriâ dignarum, narrat Antoninus, [f] eum præter S. Vincentium jam anteà in Sanctos relatum, eidem catalogo adscripsisse alium sanctum virum. Cujus nomen cùm non exprimat, exprimit Platina; nempè *B. Emundum* natione Anglum: quem nonnulli interpretantur Eadmundum Regem martyrem: alij Archiepiscopum ejusdem nominis Cantuariensem: sed hi jam olim fuerant id honoris consecuti. Hic autem Calixtinus, ut ex Palmerio [g] in Chronico, & Polydoro [h] in Historiâ Anglicanâ intelligitur, *Osmundus* fuit, olim Episcopus Sarisberiensis; qui die quarto Decembris continetur in Martyrologio Romano. Fuisséque dicitur [i] ortu Normannus, & in Angliam cum Guillelmo Seniore trajecisse, factúsque ab eo primùm Comes Dorsecìæ, & Cancellarius regni, demúmque Episcopus Sarisberiensis, vitæ sanctitate, doctrinâ, & scriptis, miraculísque claruisse.

[f] Ant. tit. 22. c. 14.

[g] Palm. an. 1456.
[h] Polyd. lib. 23.

[i] Goduin. in Præf. Angl.

XVIII. CONCIL. AVENIONENSE.

Reperimus [k] etiam celebratum hoc anno *Avenione Concilium* provinciale Episcoporum Provinciæ, pro restitutione disciplinæ, à *Petro* Cardinale Fuxensi Archiepiscopo Arelatensi & Legato Avenionensi; cui unà cum ipso interfuit Robertus Archiepiscopus Aquensis, & alij duodecim Episcopi; absente Alano Cardinale Coëtivio ejus urbis Episcopo, quem vidimus in Gallicâ legatione occupatum. Ipsius autem Concilij extare dicitur autographum in Bibliothecâ Iosephi-mariæ Soares nunc Episcopi Vaisionensis, accurati rerum Ecclesiasticarum indagatoris.

[k] Ap. Sax. in Hist. Eccl. Arelat.

XIX. PEREGRINATIO AD S. MICHAELEM.

Ad finem item hujus anni [l] ex omni Germaniâ, Belgio, & Galliâ factus est ingens hominum omnis sexûs & ætatis, sed præcipuè infantium ac juvenum, concursus ad memoriam S. Michaëlis Archangeli in littore Normannico, dictam S. Michaëlis in periculo maris, seu in monte Tumbæ, diœcesis Abrincensis, ubi est illustre cœnobium monachorum S. Benedicti: locum jam quidem à multo tempore peregrinationibus celebrem, verùm hoc anno adeò præter solitum frequentatum, ut dubitarent multi ne spiritu nequam agitarentur; incedentes cum vexillis depictis imagine S. Michaëlis, & cantantes quoddam carmen de eodem Sancto: disjuncti tamen masculi à feminis. Verùm cessavit tunc citò ea peregrinatio, ob tædium itineris, & famem quam patiebantur.

[l] Monstrel. vol 3. Magn. Chron. Belg.

XX. SPINÆ CORONÆ DOMINI REVIRESCENTES.

Quibus pro nobili præsentis anni corollario addimus ex Historiâ Rhodiensium [m]: sacram Spinam Coronæ Capitis Christi, quæ in sacello Magni Magistri unà cum aliis sanctis Reliquiis asservari, & singulis annis die Veneris sanctâ à meridie (quidam habent ab aurorâ) ad horam nonam quâ Christus expiravit florescere consueverat, rursúmque arescere; cùm aliquot annis desiisset, præsenti tempus solitum trium horarum spatio prævenientem, rursùm flores suos effudisse coram Magistro, (qui tunc erat Frater Iacobus Millius Gallus) ac proceribus & militibus Religionis, frequentíque populo qui ad miraculum concurrerat. Iussítque Magister (confirmante Sede Apostolicâ) in honorem prædictæ sacræ Spinæ in Ecclesiâ conventuali Ordinis festum solemne cum officio celebrari quotannis die 11. Augusti. Cæterùm meminit jam olim S. Gregorius [n] Turonensis ejusmodi Spinarum revirescentium. Et in Historiâ [o] Gallicâ memoratur Carolus Magnus quasdam accepisse ab Imperatore Constantinopolitano, quæ pariter coram eo mirificè floruerunt. De ipsâ verò Coronâ Spineâ receptâ à Ludovico sancto, dictum est ejus tempore.

[m] Bos. Hist. par. 2. lib. 7. & lib. 1. de Conc. c. 14.

[n] Greg. Tur. 1. de glor. Mart. 7. Vid. Epit. Bar. an. 34. XXVII.
[o] Nic. Gill. sub Car. Magn.

IESU CHRISTI Annus 1458.
CALLISTI III. Ann. 4.
PII II. Ann. 1.
FRIDERICI III. An. 19.

I. DISPUTATUR DE SUCCESSIONE REGNORUM HUNGAR. ET BOEM.

ANNO Christi 1458. Indictione sextâ, tam in Austriâ & Hungariâ quàm Boëmiâ laboratum est in successore dando Regi Ladislao ad finem anni præteriti defuncto. De Austriâ disputatum est inter Fridericum Imperator, & Albertum ac Sigismundum fratres ac patrueles; eóque modo res composita, quem Æneas [a], & ex eo Nauclerus [b] descripsit. De regnis provisum primò esse successioni Hungariæ, ex eodem Æneâ intelligitur: qui die nono Martij ad Cardinalem Vrsinum scribens [c], refert Matthiam Huniadis filium annos decem & octo natum in Regem Hungariæ electum fuisse, quamvis in Boemiâ esset captivus: Boëmiæ autem regnum adhuc pendere. Cui magis credimus, res sui temporis sibi notissimas scribenti, quàm Bonfinio [d] recentiori, priùs electum fuisse Georgium Boëmiæ Regem quàm Matthiam Hungariæ asserenti, nec rarò in tempore falli consueto. Denique idem Æneas alibi [e] disertè asserit, Hungaros ad eligendum Ladislao successorem ad Calendas Ianuarias diem constituisse; & nono Calendas Februarij *Matthiam* Regem acclamâsse: cùm Georgius non ante sextum Nonas Martij, ut pòst videbitur, electus fuerit. Rem autem in Hungariâ pro Matthiâ, manu armatâ egit Michaël Zilagius ipsius avunculus; dissidentes quosdam proceres reconciliante Ioanne Cardinale S. Angeli Legato Apostolico. Quod prolixè admodum, ut solet, prosequitur Bonfinius: atque interim dum Matthias veniret, & cresceret eumdem Michaëlem in quinquennium regni gubernatorem constitutum tradit: Podiebracio, præter pactas filiæ ejus cum Matthiâ nuptias, pro liberationis Matthiæ præmio sexaginta aureorum millia persoluta fuisse. Singulare prorsùs) inquit Æneas) humanæ inconstantiæ documentum; ex duobus adolescentulis ætate moribúsque penè paribus, alterum ex regio solio, dum novæ nuptæ thalamum exornat, deferri ad tumulum, alterum, dum capitale judicium trepidus manet, ex carcere vocari ad regnum.

[a] Æn. Europ. cap. 22.
[b] Naucler. gener. 49.
[c] Æn. ep. 323.
[d] Bonf. 3. dec. 9.
[e] Æn. Europ. cap. 1.

MATTH. ELIGITUR REX HUNGAR. EXISTENS IN CARCERE.

II. RECIPITUR IN REGNUM.

Cùm Matthias in Hungariam à Podiebracio magno honore & comitatu deductus fuisset, & ab Hungaris nullo non officij & gaudij signo exceptus: de sacrâ regni coronâ à Friderico Imp. qui eam adhuc, nec sine spe regni potiundi detinebat, repetendâ actum est, quando absque eâ regno legitimè potiri haudquaquàm posse putabatur. Quod tamen non nisi post sex annos, multáque certamina, & magnum persolutum auri pondus, obtineri potuit; Matthiæ coronatione in id tempus dilatâ: cujus interim genus longis fabulis Bonfinius à Corvinis & Valeriis ac Volusiis priscorum Romanorum deducere conatur. De rebus autem præclarissimè à Matthiâ gestis, quibus excellentissimis quibusque omnium ætatum Regibus atque Imperatoribus comparari solet à plurimis, dicetur inferiùs pro ratione temporum, qui & ipsa regni initia turbata habuit tum à nonnullis proceribus Hungaris, qui ægrè ferentes ejus electionem adhæserunt Friderico Imperatori, regni subigendi cupido; tum etiam à prædonibus, qui multorum millium numero regnum deprædabantur; tum denique à Turcis confinia invadentibus. Adversùs quos omnes hostes totidem collecti sunt exercitus, varióque marte pugnatum, sed majori Hungarorum decore, ut apud eumdem auctorem copiosè narratur.

III. MULTI COMPETITONES REGNI BOEMIÆ.

In Boëmiâ major fuit regni prensatio, & competitorum numerus Fridericus Imp. regni ordinationem suam esse affirmabat, eò quòd feudi solemnia neglecta fuissent, cùm non præstitisset sibi homagium, uti debuerat, Rex Ladislaus. Carolus Rex Francorum, qui filiam suam Ladislao desponderat, regnum vel alteri ex filiis suis, vel ei cui filiam tradere non dedignaretur, petebat. Casimirus Rex Poloniæ, qui sororem Ladislai uxorem habebat, jure successionis sibi id deberi contendebat. Paríque, quin & potiori jure Guillelmus Dux Saxoniæ, cui alia soror natu major nupsisset. Nec sine spe Sigismundus & Albertus Austriæ Duces erant; ex antiquo fœdere inter Boëmos & Austrios, ut alteri alteris sine virili sobole decedentibus succederent. Affuerunt & aliorum quorumdam Principum oratores; putà Ludovici Bavariæ Ducis, Alberti Marchionis Brandeburgensis, Friderici Marchionis Misnensis, &c. sive pro se, sive pro amicis solicitorum. Quos omnes contra Rockysana venenorum sator crebris sermonibus agens, aut Regem suæ Hussiticæ professionis & patriæ Boëmicæ eligendum esse, aut si nemo tanto fastigio dignus videretur, Hebraico more Iudices assumendos contestabatur; maximéque Gyrzikonem, seu Georgium Podiebracium, regni & multis annis Gubernatorem eligendum censebat. Qui & ipse pro potestate quâ pollebat, ad diem electionis, pro stationibus publicis & locis privatis milites armatos specie securitatis disposuit, quibus terrorem iis qui electionem suam impedire possent incurreret. Vbi igitur dies constituta illuxit, videlicèt feria quinta ante Dominicam Oculi, (quæ tertia est Quadragesimæ; inciditque eo anno in diem quintum Martij, præcedens autem feria quinta, in diem secundam ejusdem Martij) auditis legationibus in conventu procerum & consulum civitatum, atque utilitate regni discussâ, cùm nemini tutum esset contradicere; idem *Georgius* omnium consensu Rex pronunciatus est: Et quòd vacaret sedes Pragensis per vim hæreticorum, & Olomucenses hunc Regem agnoscere recusarent, (à quorum altero Episcopo Reges inungi mos erat) evocatis ex Hungariâ Iaurinensi & Watzoviensi, ab ipsis unctus & coronatus est Dominicâ ante Ascensionem: vir quidem quoad sanguinem, de Baronum genere natus, sed longe infra nobilitatem decessorum Regum: militiæ tamen domíque apprimè clarus, qui ad res gerendas nec consilium nec ætas deesset; & si una defuisset Hussitica labes, quâ infectus à puero fuerat, inter optimos Reges haud immeritò cônumerandus: qui nec Catholicos imperio suo subjectos à ritibus Ecclesiæ arcuit, nec in suam sectam coëgit:

GEORG. PODIEBRACIUS HUSSITA ELIGITUR.

quin etiam Sedi Apostolicæ obedientiam & in coronatione suâ juravit, & in literis legationibúsque publicis exhibere non destitit. Cùm tamen à Moravis, Silesitis, & Lusatis, ad regnum Boëmiæ pertinentibus populis, necnon a multis ipsius Boëmiæ civitatibus, fidei Catholicæ zelo æstuantibus, non reciperetur in Regem; fuerunt ei plurima cum iis certamina ineunda, & tractatus agendi: de quibus Cochlæus [f] agit post alia prædicta narrata, quorum magnam partem ab Æneâ desumpsit: qui in his Historiam suam Boëmicam finivit, quam Alfonso Regi dicavit: qui tamen absolutam videre vix potuit, cùm eodem fermè tempore obierit, ut mox dicetur. Tractat etiam Dubravius [g]; sed quædam pleniùs, alia nonnihil diversè: dicens Episcopum Olomucensem non potuisse coronationem Regis peragere, quòd Protasius electus nondum confirmatus à Romano Pontifice esset: Episcopos Germanos rogatos recusâsse falcem in alienum agrum, ac præsertim zizaniâ Hussitarum infestum mittere: postquàm autem omninò constitit, Georgium præseferre nolle, nisi per ostium, more videlicèt aliorum Regum, in aulam regiam ingredi; præstito priùs jurejurando à Callisto Pontifice sibi oblato, missos ex Hungariâ esse ab ejus genero duos illos Episcopos qui eum coronaverint: Iuramentum Latinè primùm, deinde vernaculâ linguâ recitatum esse: quo juravit obedientiam Ecclesiæ Romanæ in unitate fidei quam illa profiteretur custodire, ac propugnare, & populum sibi subjectum ab omnibus erroribus & hæresibus eidem fidei & Ecclesiæ Romanæ contrariis revocare: Hæcque ab eo peracta, magnam ei gratiam apud optimum quemque conciliâsse: ac plerasque civitates Catholicas eum suscepisse, nonnullis exceptis, cum quibus agendum fuit armis. Ita de his Dubravius. De quibus item agens Cardinalis Papiensis [h] in suis commentariis, detegit technas & fallacias, quibus ad captandam Callisti benevolentiam, & Catholicorum obedientiam, Georgius usus est, cùm reverà totus Hussita esset. At de illo modò hactenus; non ita pòst, sæpiúsque inferiùs conveniendo.

f Cochlæ. Hist Hussit. lib. 12.

g Dubrav. lib. 30.

CATHOLICUM FINGIT.

h Papiens. lib. 6.

IV.

Editis in lucem duobus Principibus, totidem, sed longè præstantiores letho dabimus, Alfonsum Magnum Regem Aragoniæ & Siciliæ, ac Summum Christianorum Caput, Callistum Romanum Pontificem; qui hoc eodem anno inter mortales esse desierunt: prænunciâ stellâ crinitâ cancrum inter & leonem, caudâ duorum signorum longitudine. Prior abiit, qui minor & junior, *Alfonsus* ad quintum Calendas Iulij, sive ut quidam habent ipsis Calendis, in civitate Neapolitanâ, ætatis anno sexagesimo sexto. Princeps sanè suâ ætate armorum peritiâ, literarum amore, virorum literatorum honore, (inter quos & Georgius Trapezuntius, Græcus, & Laurentius Valla Romanus) dictorum elegantiâ ac gravitate, magnificentiâ, aliarúmque plurium virtutum cultu, clarissimus: sed regnandi cupidini omne jus divinum atque humanum subjicere solens; Sedi Apostolicæ ejúsque Pontificibus plerumque injuriis, religionis Catholicæ, ac fidei humanæ, ad commodum & utilitatem observator, Venereæ intemperantiæ impatientissimus. Laudes ejus qui avent; præter Vitas ejus encomiasticas ferè magis quàm historicas Bartholomæi Faccij, (qui decem libris eam complexus, morte Alfonsum præveniens, aliquot annis imperfectam reliquit) & Antonij Panormitæ ejusdem Alfonsi familiaris; (qui dicta & facta quatuor libris conscripsit, atque Æneas Silvius commentario illustravit; (necnon Iovij, Collenutij, Fazelli, & aliorum plurimorum merita præconia; eumdem Æneam habent ei addictissimum; qui cumulatissimè pluribus locis satisfaciat: quamquam non cum omnium satisfactione; quandoquidem existimavit Nauclerus [i], fortè eum cùm Alfonsum in astra levavit, defectus ejus ignorâsse. (Benigna pij hominis interpretatio.) Sed magis puto occultare voluisse, cùm & virtutes insigniter eminerent; nec inter laudes vitiis locus pateat. In quibus & Fazellus Siculus ponit vectigalium acerbitatem; nimium venationis studium, etiam cum rerum gerendarum detrimento; iracundiam indecoram; simulationis studium; expostulantium improbitatis tolerantiam Denique S. Antoninus [k] scribit, monita dedisse filio suo spurio Ferdinando, quem regni Siculi hæredem constituit, in tribus præcipuè à viâ sui regiminis recedere, & oppositam tenere, quò posset quietius regnare: primò, ut omnes Aragonenses & Catalanos, tanquam exosos hominibus à se abjiceret, & Italos eorum loco substitueret; secundò, ut intolerabiles à se impositas regni exactiones removeret tertiò, ut pacem cum Ecclesiâ & aliis communitatibus & potentatibus Italiæ servaret. Sacramentis Ecclesiæ ritè procuratus decessit: corpúsque ad Populeti, ubi majorum sepulcra sunt, sepeliri mandavit nullo excitato tumulo, modestiæ argumentum singulare, quod tamen supervenientibus bellis Neapoli remansisse dicitur.

ALFONSI REGIS ARAGON. OBITUS.

Ejus VIRTUTES ET VITIA.

i Naucler. gen. 49.

k Ant. tit. 22. c. 16. §. 1.

V.

Testamento condito, cùm prolem legitimam non haberet, aviti regni Aragonij hæredem reliquit *Ioannem* fratrem suum, Navarrici detentorem, de quo sæpè superiùs Neapolitani, quasi armis parti, prædictum *Ferdinandum* ex feminâ [l] conjugatâ per duplex adulterium susceptum, sed multarum virtutum hominem, & literis ac armis non parùm excultum. At Callistus Pontifex auditâ Alfonsi morte, subitò contulit (inquit Antoninus) quædam magna beneficia Episcopatuum, quæ priùs conferre Alfonso contradicente non valuerat: regnúmque Apuliæ per ejus mortem vacare declaravit, & ad Sedem Apostolicam feudi dominam devolutum esse: mandans Ferdinando sub pœnâ anathematis, ut nequaquàm se ei immisceret, vel Regem se nominaret; eâdémque pœnâ regni Principes ac civitates ne ei adhærerent monuit. A quâ sententiâ Ferdinandum appellâsse ad futurum Concilium, & nihilominùs se Regem appellâsse, idem auctor subdit. Ioannes Iovianus Pontanus, qui historiam belli quod Ferdinandus gessit toto sexennio contra Ioannem Andegavensem sex libris scripsit; pro immoderato affectu in dominum suum, immodestissimè in Summum Pontif. delatus, ait Callistum, cùm esset fluxâ fide, pervicaci ingenio, variis consiliis, præcipiti ambitione; (si fuisset Callistus amicus Alfonsi & Ferdinandi, proculdubiò omninò alium Pontanus depinxisset:) perversa

IOANNES REX ARAGON.

FERDINANDUS NEAPOL.

l Comment. Pij II. lib. 2.

FERDINANDI IN CALLIST. PP. PROTERVIA.

consilia & perfidiæ plena adversùs Ferdinandum agitare cœpisse; clámque cum primoribus civitatum ac regulis agere de rebellione, divulgatis etiam epistolis, quibus Ferdinandum suppositititium Alfonsi filium diceret; denique aquâ & igni interdiceret quicumque ejus imperata facerent: cùm ipse ingentem dominatum in regno, Borgiæ sororis filio destinâsset. Quod quidem de Petro Borgiâ nepote, etiam alij Callisto attribuunt: nempe creatum Spoleti in Vmbriâ Ducem, ad majorem dignitatem provehere cogitâsse; virum alioqui multis vitiis inquinatissimum, quem contumeliosus Meyerus maluit dubitare utrum spurius, an verò nepos Callisti esset; cùm nullus aliorum non nepotem ex sorore, fratrem Roderici Cardinalis postea Papæ Alexandri Sexti asseruerit. Sed Meyerus, quòd Alfonsus hostis esset Callisti, amicus autem Ducis Burgundiæ, quæsivit & ipse in quibus potuit Callisti famam lacerare: quod sanè non fecisset, si jam tunc Hispani dominati fuissent Belgio. Cæterùm proterviam Ferdinandi in Pontificem Surita [m] describens, ait, Callistum multis de causis commotum vehementiùs fuisse; videlicèt quòd Ferdinandus propriâ auctoritate se Regem dixisset; quòd adversùs Pontificia edicta exercitum conscripsisset Romam petiturus; quòd provocationem interposuisset, cum præfatione, se dignitatem non personam Callisti revereri: addens, se regni jura, Dei gratiâ, patris beneficio, Pontificum Eugenij & Nicolai concessione, procerum, civitatum, ac populorum consensione obtinere: rationes devolutionis ad Sedem Apostolicam quas Callistus fingeret, frivolas esse: minas, censuras, arma illius nihil se timere. Ad quæ tamen non videtur prorupisse, nisi postquàm Ferdinandus Callisti ægrum animum lenire per literas & oratores quæsîsset, nec valuisset.

[m] Sur. lib. 16. cap. 48. & seqq.

VI. Alii Ferdinandi adversarii.

Nec verò solùm à Callisto facessitum fuit Ferdinando negotium; verùm etiam à nonnullis proceribus regni: qui tum Carolum Vianæ Principem regnique Navarrici hæredem Neapoli agentem ad capessendum regnum quasi legibus debitum, qui filius legitimus fratris Alfonsi esset, inducere conati sunt: (qui faciles aures accommodans, cùm facultas deesset, in suspicionem adductus in insulam Siciliam abscessit, quorsùm res commotæ evaderent expectatum:) tum Ioannem Regem Aragoniæ fratrem Alfonsi evocârunt: (sed ille cautior Hispaniæ opibus contentus, longinquas haud magnoperè curavit:) tum denique Ioannem Andegavensem, Renati olim Alfonsi competitoris filium accersserant. Qui cùm paulò antè dedentibus se Genuensibus Carolo Francorum Regi, quò ejus potentiâ tuti essent à pertinacissimâ Alfonsi persecutione, (quâ in re nescio an magis miter facilitatem Francorum, mobilissimis Genuensibus post tot deceptiones ab eis passas adhuc fidentium; aut Genuensium securitatem, deceptis à se toties sese submittentium. Sed sanè longè excusabiliores in suâ fide Genuenses, qui expertæ Francorum simplicitati illudere maluerunt, quos scirent facilè se expulsuros; quàm aliorum jugum subire, quod non ignorarent si semel susciperetur numquam excussum iri,) missus à Rege fuisset Genuam, inde cum validâ classe ad littus Neapolitanum venit. At illud non ante finem sequentis anni, cùm interim pacandis rebus ac motibus Genuensibus (quod egregiè ac fortiter præstitit) occupatus fuisset. Variâ deinde in regno repetendo fortunâ usus, cùm læta habuisset initia, ac magnam partem recuperâsset; exitum demùm tristem habuit, sexto post anno quàm in Italiam venerat omninò pulsus. Genuâ item à Francis altero postquàm acceperant anno amissâ. De quarum rerum præcipuis eventibus dicetur distinctiùs suis locis.

VII. Callisti PP. obitus.

Pontificis autem *Callisti* molitiones in Ferdinandum, ejus obitu dissipatæ sunt: qui contigit Romæ octavo Idus Augusti, extremo propè ipsius senio, nempè ætatis anno octogesimo; cùm sedisset annos tres, menses quatuor, minùs tribus diebus; ac morbum quadraginta dies pertulisset. In cujus funere Campanus orationem habuit, quæ extat in ejus operibus. Sepultus est autem in sacrario S. Petri marmoreo tumulo: relictis centum & quindecim (ut Platina, seu, ut Antoninus, centum & quinquaginta) millibus nummûm aureorum in usus bellicos contra Turcos. Quem cùm omnes de studio literarum, etiam dum Pontifex esset, magnoperè laudent; scribit nihilominùs Philelphus [n] ad Æneam Cardinalem Senensem, Bessarionem Cardinalem Nicænum queri apud Callistum solitum, quòd Nicolai ipsius decessoris ornatissimam librorum supellectilem temerè dissipari pateretur. Estque de eâdem re egregia ejusdem Philelphi [o] ad ipsummet Callistum monitoria & hortatoria epistola. De vitâ ejus cùm desperaretur [p], Cardinales procurârunt castrum S. Angeli de manibus Catalanorum redimi, datis aliquot millibus aureorum ejus præfecto. Ac post ejus mortem fuerunt [q] iidem Catalani, qui superbè nimis ac violenter eo vivente se gesserant, invasi, capti, spoliati, nonnullique cæsi. Petrus Callisti nepos [r] in civitatem veterem ad Vrsinæ familiæ declinanda odia confugiens, non multò pòst mortuus est.

[n] Phil. Epist. lib. 14.
[o] Id. lib. 13.
[p] Anton. tit. 22. c. 16. §. 1.
[q] Ciac. in Callist.
[r] Platin. in Callist.

VIII. Dominici Capr. Cardin. obitus, et laudes.

Dum autem celebrarentur exequiæ Callisti, contigit *Dominicum Capranicam* Romanum Cardinalem Firmanum ac Summum Pœnitentiarium, virum virtute, doctrinâ, vitæ integritate, consilio, & rerum experientiâ valdè insignem, cunctísque dilectum, ex hâc vitâ decedere, qui putabatur Callisto successurus. Multa sunt de tanto viro egregia, quæ alij [s] collegerunt: quorum etiam nonnulla suis locis retulimus [ss]. Obitum luxit S. Antoninus [t]. Et Platina [u] lacrymas excussisse bonis omnibus tradit. Gobellinus [x], sive Æneas, virum extitisse vitæ mundissimæ, & nisi iracundiæ succubuisset, exemplarem, & optimum. Sed sunt etiam iræ sine peccato.

[s] Vid. Addit. ad Ciac. in Mart. V.
[ss] Supr. an. 1431. XV.
[t] Ant. tit. 22. c. 16. ad fi.
[u] Plat. in Callist. in fi.
[x] Comment. Pij II. lib. 1.

IX. Æneas Silvius eligitur Pontif. nomine Pii II.

Finitis Callisti exequiis, decimâ die post ejus obitum de more octodecim Cardinalibus tunc Romæ existentibus conclave ingressis; tertiâ pòst die, nempè decimo-quarto Calendas Septembris, electus est ei successor frequentissimè superiùs nominatus *Æneas Silvius Bartholomæus* (trinominis enim fuit) patriâ Senensis è pago Corsiniano duo & viginti circiter millibus Senis distante ubi fundi gentilitij erant; patre Silvio Piccolomineo, matre Victo-

ria Fortiguerrâ, nobili sed tenuiori prosapiâ; Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ, per omnium dignitatum gradus ad munus Apostolicum evectus; literis, eloquentiâ, dexteritate, & prudentiâ nulli secundus: de cujus initiis & progressibus satis dictum superiùs suis locis. Qui nominè PII II. suscepto, & symbolo, *Protector* [y] *noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui*; coronationis insignia suscepit tertio Nonas Septembris, annos natus quinquaginta tres. De cujus matre tradunt [z]; cùm per quietem visa sibi esset infantem cum mitra parere, veritam ne somnium illud puero & familiæ ignominiam portenderet, (quòd solerent mitræ chartaceæ supplicio afficiendis imponi) numquam potuisse hujusmodi suspicionem deponere, quousque intellexit filium Tergestinum Episcopum designatum fuisse. Confestim verò post coronationem scribens de suâ assumptione literas, orationes omnium Christianorum humiliter flagitavit: ut videre est ex iis quæ datæ reperiuntur pridie Nonas Septembris ad [a] Vniversitatem Parisiensem.

[y] *Psal. 83.*

[z] *Platin. in Pio II.*

[a] *Æn. ep. 384.*

X. INDICIT CONVENTUM AD RES TURCICAS.

Totus autem in promovendo bello Turcico existens, ad quod vidimus omni conatu hortatum esse olim Pontifices ac Principes Christianos; confestim ac de negotiis tractare potuit, considerans vincere Turcos non unius aut alterius regni opus esse, sed totius Christianæ Reipublicæ, ac propterea eorum consilia necessaria esse quorum auxilia requirenda forent; concilium Principum omnium & liberorum populorum convocare decrevit loco aliquo omnibus commodo: electis ad hoc Vtino in Foro-Iulij subjecto Venetis, aut Mantuâ Galliæ Cisalpinæ civitate amplissimâ in solo fertili, & vicina montibus qui Gallos atque Germanos ab Italiâ disterminant, lacui adjacente quem Mincius efficit amnis: ac per literas publicas conventum indixit ad Calendas Iunias anni proximi. E quibus extant inter ejus Epistolas [b] quæ scriptæ sunt ad Carolum Francorum Regem tertio Idus Octobris. Quibus uti devotissimum (ut loquitur) Principem Fidei, & Religionis Christianæ Præcipuum; qui non immeritò, ob Christianum nomen egregiè a progenitoribus ejus defensum, nomẽ CHRISTIANISSIMI ab illis hæreditarium haberet; quémque potentiâ singulari ideò Omnipotens Deus insigniri voluisset, ut esset qui tempore necessario, quale nunc immineret, illam ad protectionem sui gregis conferret: hortatus est ad diem & locum præscriptum personaliter interesse. Fore namque ejus accessum maximæ ad hoc salutare opus utilitatis; non eo solùm quòd sapienti suo consilio dirigere tantam molem gloriosissimè posset, sed quia gentes & regna audientes Christianissimum Regem Francorum relictis sedibus suis ad tuendam & augendam communem causam Altissimi cum Romano Pontifice convenisse, erubescerent exemplum ejus non sectari; ut penè ob hoc ipsum plus momenti cæteris omnibus allaturus videretur. Quòd si fortè venire non posset, saltem oratores mitteret cum plenâ potestate, non ad decernenda solùm ea quorum causâ conventus hic indiceretur, sed etiam ad componendam pacem vel inducias cum iis cum quibus ei esset forsan contentio; ut demùm placatis ubique fidelibus concordiùs cœptùm opus promoveri posset. Ideò autem Mantuanam civitatem ejus potissimùm causâ se delegisse, ut vel ipse, vel saltem Principes aliqui de latere ejus illuc accedere faciliùs valerent. Rogans denique, ut per eumdem nuncium per quem eas literas mitteret, responsum optatum redderet. Qui mox rescribens [c], post laudes de sancto Pij proposito, promisit convocaturum se Prælatos ac Principes, aliásque notabiliores personas regni sui, ad rem maturiùs ac salubriùs tractandam; & quæ deliberata eo cœtu forent, per suos oratores debitâ potestate suffultos Pontifici significaturum.

[b] *Id. ep. 385.*

LITERÆ AD REG. FRANC.

[c] *Ap. Æn. ep. 389.*

RESPONSIO REGIS.

XI. QUALITER SCRIPSERIT AD REGEM BOEMIÆ HUSSIT.

Eodem verò argumento Pium ad alios Principes, prout quemque decebat, scripsisse constat. Vtrùm verò ad Georgium Boemiæ scripturus, Regem eum nominaret, aliquamdiù hæsisse Gobellinus, sive ipsemet Pius in suis Commentariis [d] narrat: quòd tamen jam eum Callistus Regem vocâsset, & ipse abjurâsset hæresim, quamvis simulatè id egisse putaretur, placuisse Regem appellari: eo tamen temperamento, ut literæ Imperatori transmitterentur, quòd regnum Boemiæ Imperij feudum esset, & vacante eo ad Imperatorem pertineret Regem ibi constituere: & si ipsi videretur, eas Georgio traderet; quod & ipse præstitit. Eas verò ingenti gaudio receptas Georgius ubique promulgavit, ut intelligerent omnes Apostolicam Sedem nomen regium sibi tanquam Catholico detulisse. Recitat illas Cochlæus [e] in Historiâ Hussitarum, haud absimiles quoad rerum tractationem iis quas ad Regem Francorum scriptas diximus. Aitque, rescripsisse eum Summo Pontifici, se in propriâ personâ venire ad conventum non posse, maximè propter Silesitas sibi adhuc rebelles, missurum verò oratores. Meminit item Gobellinus responsi Imperatoris, excusantis turbas Austriæ, & quòd vocatus in unum ex duobus locis alternatim nominatis, ad veniendum minimè astringeretur. Quod ultimum cavillatorium esse Pontifex mox eidem significavit: de primo item dicens negotia fidei præferenda esse mundanis. Quod verò locum attinet, cùm, ut idem auctor ait, Veneti multa priùs per legatos adversus Turcos promisissent, electionem tamen Vtini pro conventu celebrando respuerunt; ut qui Turcorum animos, cum quibus post expugnationem Constantinopolis diffisi suis viribus, & aliorum Christianorum auxilia desperantes, pacem fecissent, irritare vererentur. Quare Pius repetitis ad Principes literis, Mantuam solam conventui indixit.

[d] *Comment. Pij II. lib. 2.*

[e] *Cochlæ. lib. 12.*

XII. CONFIRMAT REGNŨ FERDINANDO SPURIO.

Interim autem, quò omnia impedimenta bellorum tolleret, imprimis turbas Italicas ab Alfonso olim per Picininum & alios concitatas componere studuit: & Ferdinando, spurio licèt ex duplici adulterio viri & fœminæ alteris conjugatorum, Apuliæ sive Neapolis regnum cõfirmavit, misso Latino Cardinale Vrsino qui eum coronaret: nequicquàm contrà obnitentibus Renato olim Rege, ejúsque filio Ioanne qui Genuæ tunc agebat: nisi quòd in gratiam eorum addita hæc exceptio est, (præter cæteras [f] censûs & libertatis Ecclesiasticæ, atque alias in ejus regni infeudatione apponi solitas conditiones; necnon restitutionem Beneventi ac Tarracinæ urbium ab Alfonso occupatarum:) ut sine præjudicio esset juris alterius.

Nec

Nec tamen constiterunt semel commotæ procerum Neapolitanorum voluntates, quin per plures annos bellatum sit inter Ferdinandum & Ioannem; ut jam innuimus, & videbitur nonnumquam inferiùs. Scribunt autem Neapolitani [g] auctores, Ferdinandum in recognitionem hujus beneficij à Pio accepti, dedisse in uxorem Antonio Picolomineo Pij nepoti filiam suam notham Mariam cum dote Ducatûs Amalfitani, & dignitatis Magni Iustitiarij regni. Ita ut ferè videatur fuisse tacitus contractus innominatus, Do ut des. Quibus & alij addunt, magnam vim auri datam Pio esse a Ferdinando; cui pater Alfonsus sex auri milliones reliquisse dicitur [h].

[g] Collenut. lib. 6. & ibi Cost.

[h] Ap. Meyer. ex Monstrel.

XIII. De Comment. Pii II.

Res autem Pij post susceptum Pontificatum gestas, per singula penè momenta Ioannes Gobellinus sæpe citatus, Vicarius Bonnensis ejus familiaris, conscripsit duodecim libris; quorum primus in describendis breviter anterioribus insumptus est: reliquis autem complexus est etiam quæcumque memoriâ digna temporibus ejus toto orbe acciderunt, quæ ad Pium delata fuêre. Quos tamen ut sæpiùs diximus, plures existimant ab eodem ipso Pio compositos esse: idque Platina (quem eos vidisse, ac multa de Pio inde transcripsisse apparet) disertè affirmasse videtur, cum ejus scripta recenset. Sed quòd permulta in iis contineantur de quorumdam locorum descriptionibus & rebus in iis gestis, quæ desumpta intelligantur ex aliis ejusdem Pontificis scriptis: id fortasse Gobellinus præstiterit, multis etiam oratoriè superadditis: nisi demum & ipsemet id egerit Pontifex, quò gratiorem rerum suarum lectionem faceret: quem etiam post adeptum Apostolatum descriptiones Asiæ & Europæ conscripsisse, ipsemet significat: adeò videlicèt scribendo delectatus, ut nec perpeti morbi articularis dolore, nec multitudine negotiorum oppressus, ab eo cessare potuerit.

XIV. S. Antonini historiæ finis.

Quæ porrò diximus de initiis ejus Pontificatûs, cùm pleniùs in dictis suis commentariis contineantur, tangit eadem breviùs S. Antoninus; qui mentionem habens de legationibus undique à Principibus & Rebuspublicis missis ad eum pro consuetâ gratulatione & obedientiâ: ait se missum etiam civem & Archiepiscopum Florentinum, unà cum aliis Reipublicæ oratoribus, qui id officij exhiberent, recitâtque orationem tunc à se in consistorio publico habitam: ac cum eâ finem imponit Historiæ suæ, seu Chronico, vel etiam Summæ Historiali nuncupatæ, in tres partes distinctæ, rerum per orbem gestarum, cujus auctoritate hactenùs frequentissimè usi sumus. Nam qui supersunt tituli 23. & 24. de Ordinibus religiosis SS. Dominici & Francisci sunt, déque præcipuis eorum professoribus, aliísque nonnullis aliorum Ordinum Sanctis utriusque sexûs; de quibus diximus suis locis. Scripsit & alia [i], ac præcipuè laudatissimam Summam Theologiæ in quatuor partes distinctam, insignis ipse Theologus, & in cæteris scientiis commendabilis. De cujus obitu dicetur anno sequenti, quo contigit.

[i] Trithem. Bellar. Possev. & alij de Script. Eccles.

XV.

Hoc anno (inquit Matthias Palmerius in Chronico) Mahometes Turcorum Imp. Corinthum expugnat, atque in omni Peloponneso tributa imponit: Demetrio & Thomâ fratribus Palæologis inter se de regionis imperio discordantibus, sic breviter narrans, quæ prolixè Chalcondyles [k] describit; Phranzes [l], qui videbat, amarè luget, ac dissensiones fratrum, pusillanimitatémque Græcorum acriter arguit & detestatur. Quas sanè quis non miretur in tantâ rerum eorum angustiâ, & urbium ac locorum tam arte quàm naturâ munitissimorum ferè sine pugnâ desertione? Ibant Latinos pro auxiliis continuè solicitatum, & ipsi interim invicem sese destruebant. Verè ira Dei super eos, & super filios eorum. Hæc autem Peloponnesiaca non præsentem dumtaxat, sed & subsequentes aliquot annos tenuerunt: de quibus etiam agendum inferiùs, Athenæ verò jam tribus antehàc annis in potestatem Mahometis venerant. Sed singulis ejus in Christianos expeditionibus non immoramur, cùm nullum ferè prætermiserit annum, quin eos vel per se ipsum, vel per suos duces diversis locis invaserit, afflixerit, attriverit: ita ut sicut olim Attila *Ira Dei*, & Tamerlanes *Flagellum mundi*, dicti fuêre; sic & iste *Vindicta peccatorum & impietatum Christianorum*, sive ut Phranzes vocat, *Carnifex Dei* nuncupari possit: qui Christianis duo Imperia, duodecim regna, plurimas provincias, ducentas insignes urbes eripuisse dicitur: ac nisi Deus dies ejus breviâsset, longè plura ac peiora præstitisset, qui jam in Italia pedem fixerat. Sed de his posteâ.

Mahometis progressus in extirpationem Græcorum.

[k] Chalcond. lib. 9.

[l] Phranz. lib. 3. c. 22. & seqq.

XVI. Gennadius Patriar. Costantinop. sponte abdicat.

Ad finem verò præsentis anni, vel fortè ad principium sequentis, *Gennadius* Patriarcha Constantinopolitanus, quem post illius urbis expugnationem Mahometis jussu sive assensu electum vidimus, postquàm annos quinque & aliquot menses eam Ecclesiam optimè orthodoxus ipse rexisset; non ferens multa magnáque dissidia exorta, convocatis Episcopis, clericis, ac primoribus Christianorum, coram eis se munere abdicavit, invitis licèt ipsis, & retinere eum studentibus. Qui rectà se ad monasterium S. Ioannis Prodromi in montem Menœcei Macedoniæ propè Serras conferens, ibi quietè vitam egit, ac demùm placidè in Domino obdormivit, uti narratur libro secundo Turcogræciæ. Vbique recensentur dissidia exorta, putamus de religione fuisse, cùm nec cladibus divinitùs immissis possent Græci ab hæresi averti. Suffectus verò ei est *Isidorus* hieromonachus pneumaticus, vir simplex & candidus; qui tempus quo sedit in pace ac sine dissensione transegisse dicitur. Nempè quòd brevì diem obierit. Alioquin enim qui ei successor datus est *Ioasaphus* cognomento *Cusas*, homo pacificus & contentionum osor, adeò à clericis rixis & jurgiis exagitatus est, ut cùm eis ferendis non esset, præ desperatione in puteum se præcipitaverit: è quo tamen eductus, sanatúsque aliquamdiù superfuit. Ita enim dicto libro secundo Malaxus: quem nihilominùs Zygomalas epistolâ ad Crusium præmisâ, monuit injurium esse Ioasapho, viro sancto, & calumniam passo: De cujus abdicatione dicetur post triennium.

Alii Patriarchæ.

IESU CHRISTI Annus 1459.
PII II. Ann. 2.
FRIDERICI III. An. 20.

I. PIUS PÕTIF. ITER MANT. VERSÙS CAPIT.

ANNO Christi 1459. Indictione septimâ, Pius Pontifex Mantuam petiturus ad Conventum pro rebus Turcicis ad Cal. Iunias indictum, decimo-quinto Calendas Februarij Româ excessit; relicto [a] in Vrbe Legato Nicolao de Cusâ Germano Cardinale S. Petri ad Vinculâ, & Vrbis præfecto Principe Columnensi, ac decreto facto, annuentibus Cardinalibus; ut si extra Vrbem claudere se diem extremum contingeret, successoris electio alibi quàm Romæ fieri non posset: relictisque insuper nonnullis Cardinalibus & Auditoribus Rotæ atque Advocatis, apud quos Romanam Curiam non minùs quàm secum esse declaravit. Cujus iter resque eo gestæ per singulos dies & locos diligentissimè ejus commentariis [b] relèguntur: ut non ferè sit nobis alios auctores de iis inquirere: quamvis non desituri simus, si quid alibi notatione dignum repererimus, ejus meminisse; nec verò adstringi velimus ad singula quæ iisdem Commentariis comprehenduntur commemoranda, sed tantùm quæ ad rem nostram facere videbuntur.

[a] Platin. in Pio II.

[b] Comment. Pij II. lib. 2.

II. SENÆ IN METROPOLIM ERECTÆ.

Parvis igitur itineribus; ac longioribus in quibusdam locis pro rerum necessitate mansionibus, Corsiniani loco natali festum Cathedræ S. Petri Antiochenæ vigesimo-secundo Februarij celebravit, (quem locum posteà in civitatem erexit, & de suo nomine Pontificali Pientiam dixit.) Indéque Senas petens, unde ipsi origo, eam civitatem in metropolim erexit, dato diplomate decimo Calendas Maij, quo quatuor ei viciniores Episcopatus submisit: primúsque Archiepiscopus ei datus Antonius Picolomineus, quem sibi Pius ut primùm Petri cathedram ascendit, successorem in eâdem Ecclesiâ designaverat. Ibidem receptis Friderici Imperatoris, Regúmque Henrici Castellæ, Matthiæ Hungariæ, Alfonsi Portugalliæ, & Georgij Boëmiæ, necnon Ducum Philippi Burgundiæ, & Alberti Austriæ, ac Marchionum Brandeburgensium Friderici & Alberti oratoribus, qui Christi Vicarium pro veteri more adoraturi advenerunt: indignè ferentibus Imperialibus Matthiam Hungariæ Regem à Pontifice appellatum fuisse, cùm ipsum Imperatorem Barones Regem suprà se elegissent; Pontifex injustam querelam esse dixit, quando mos esset Apostolicæ Sedis eum Regem appellare qui regnum teneret, & prior ante se Callistus Matthiam Regem appellâsset.

III. QUOMODÒ CUM BOEMIS ACTUM.

Cùm verò tam iidem quàm cæterorum legati publicè in Ecclesiâ præstitissent obedientiam, legatus Boëmiæ Regis nonnisi in consistorio secreto idem egit, veritus ne domino suo regni partem, (nempè Hussitarum) alienaret, si eum Apostolicæ Sedi palam submitteret. Abjuraverat ille quidem anno præterito (ut vidimus) hæresim, & Romani Pontificis obedientiæ se subjecerat: sed simulatè, ut putabatur. Quare & aderant ibi Senis Wratislaviensium Silesitarum oratores, nullo pacto se eum suscepturos contestantes quem de fide suspectum haberent; querentésque quòd eum suis literis Sedes Apostolica Regem appellâsset. Quibus cùm Pius facti rationes, quas superiori anno distinctè recensuimus, aperuisset; iidem subveniri sibi petentes, ne vel fraudibus Georgij vel armis Christianam fidem perdere cogerentur; consilium ab eo acceperunt, potentis Regis uti furorem declinarent; scripturum se illi armis abstineret, & quas haberet adversùs eos controversias Apostolicæ Sedis arbitrio dimitteret: nisi pareret, aliis se remediis usurum. Ita illis commentariis: nec de iis ultrà. Quæ Cochlæus [c] prosecutus, literas à Pontifice tam ad Regem quàm Wratislavienses de concordiâ è Mantuâ scriptas recitat: missósque narrat nuncios ad rem peragendam Hieronymum Archiepiscopum Cretensem, & Franciscum de Toleto Archidiaconum Hispalensem; quorum demùm operâ, concordia confirmata sit certis articulis; quos æquè recitat principio anni sequentis. Quibus cùm Rex se devotissimum Sedis Apostolicæ filium, & Catholicæ fidei defensorem profiteretur; ait idem Cochlæus, felicissimam futuram fuisse sub eo Rege Boëmiam, si non fuisset Pragæ Ioannes Rockysana nequissimus veterator & hæresiarcha, qui ita eum in hæresi quam à pueritiâ imbibisset firmavit, & contra Romanam Ecclesiam falsis detractionibus & abusuum objectione commovit, ut vir fortissimus cuncta maluerit subire pericula, quàm eam hæresim deserere; à Rockysanâ persuasus, eam à Concilio Basileensi per Compactata approbatam esse velut Catholicam; cùm tamen neque ipse Rockysana, neque ullus Hussitarum ea Compactata servâsset umquam, aut servare intenderet.

[c] Cochlæ. lib. 12.

IV. DUO RERUM SACRAR. ADMINISTRATORES PRAGÆ.

Interim verò dum prædicta fierent cùm venisset è Româ Pragam Wenceslaus Decanus Ecclesiæ Catholicæ Pragensis Decretorum Doctor, cum literis Apostolicis, quibus declarabatur ejus Ecclesiæ administrator: ubi eæ literæ in publicâ Congregatione lectæ fuerunt, Proconsul Pragensis aliique Rockysanæ fautores contradixerunt, tanquam si Rockysanæ à tempore Sigismundi Imperatoris promissus fuisset Archiepiscopatus. Quibus cum econtra Catholici acriter resisterent, vocatus Rex ab utrâque parte, in angustum redactus, cùm utrisque se defensionem debere profiteretur, rem indecisam reliquit. Sícque inde multo tempore factum est, ut divisis partibus alius esset legitimus & Catholicus administrator Ecclesiæ Sedis Apostolicæ auctoritate constitutus, alius apostaticus auctoritatem sibi usurpans, quâ in Hussitas uteretur. Cùm nihilominùs impius ille Rockysana Thaboritarum pessimæ sectæ hostis, quò Catholicis minùs reprehensibilis videretur, prolixum tractatum ediderit, qui extat [d], de Sacramentis Ecclesiæ secundùm Catholicam fidem: quem si legant Hussitæ hodierni, vel Lutherani, aut Calvinistæ, proculdubio visuri sint quàm longè in his absint ab ejus fide; & à veteris Ecclesiæ ac sanctorum Patrum, quorum testimoniis utitur, doctrinâ, & traditione.

[d] Ap Cochlæ. post Hist. Hussit.

V.

Vt verò ad Pij iter redeamus; pergens illud describere Gobellinus in Commentariis, nonnulla de ejus Florentiam accessu notanda

COSMI MEDICIS CIVIS FLORENTINI SPLENDOR.

habet. Atque imprimis de potentiâ ac divitiis *Cosmæ* sive *Cosmi* cognomento ex familiâ *Medicis*; qui aliquando exul, deinde restitutus, æmulis pulsis, pro suo arbitrio Rempublicam administrabat; easque opes accumulaverat, per omnem Europam & Ægyptum negotiando, quales vix Crœsus possedisse putaretur: (Habuisse tamen præcipuas à Ioanne Papâ XXIII. vidimus [e] in ejus obitu,) Ædificâsse in eâ urbe palatium Rege dignum: Ecclesias alias instaurâsse, alias à fundamentis erexisse: Monasterium S. Marci miro construxisse opere; in quo Bibliothecam Græcis & Latinis voluminibus refersit, literis ipse Latinis præclarè excultus, & Græcarum non prorsus ignarus: in tantam denique potentiam ascendisse, ut belli pacisque judex, & legum moderator, non tam civis quàm civitatis dominus haberetur, cui nihil ad regnum nonnisi nomen & pompa deesset: Cujus etiam consilio magna pars urbium & regulorum Italiæ duceretur: nihilque ferè exterorum eum lateret, quippe cui ex orbe ferè toto mercatores responderent, & quæ apud eos fierent crebris epistolis indicarent: Annum tunc egisse supra septuagesimum. Hæc & alia de eo Gobellinus: de quo etiam plura Iovius [f] in Elogiis: quorum meminisse voluimus, quòd ex hoc Cosmo orti sint Principes, qui hodiéque rerum ibi potiuntur, nuptiarum fœderibus cum Regibus Francorum & Principibus Austriacis non semel conjuncti.

[e] *Supr. an. 1419. III.*

[f] *Iov. lib. 7.*

VI. S. ANTONINI FLORENTINI OBITUS.

Addit Gobellinus; per idem tempus quo Pius Florentiæ agebat, migrâsse in Domino *Antoninum* illius Ecclesiæ Archiepiscopum: eum scilicèt de cujus scriptis dictum est anno superiori, & ex quibus passim allata sunt in his Annalibus fidelissima testimonia. Qui mortuus ex lentâ & longâ febre quinto Nonas Maij anno ætatis septuagesimo, sepultus est honorificentissimè in Ecclesiâ S. Marci conventûs sui Ordinis Prædicatorum: & post annos sexaginta quatuor nempè Christi 1523. prid. Cal. Iunij, ob grandia miracula tam in vitâ quàm post mortem edita, ab Adriano Sexto in Sanctorum numerum ritu solemni relatus; diplomate, quod Adrianus morte præventus publicare non potuit, per Clementem VII. ejus successorem promulgato. Ejus vitam oratione solutâ scripsêre Fr. Vincentius Mainardus ejusdem Ordinis, quam Surius habet; & Franciscus Castellionensis, quam Leander: aliámque carmine Vgolinus Verinus Petri Criniti præceptor. Nobis satis sit ejus elogium ex eodem Gobellino, seu potiùs Pio ipso, referre: qui virum vocat memoriâ dignum, qui domuit avaritiam, conculcavit superbiam, libidinem prorsùs ignoravit; potu ciboque parcissimè usus est: non iræ, non invidiæ, non alteri passioni succubuit: doctrinâ Theologicâ emicuit: scripsit plura volumina, quæ docti laudant: prædicator acceptus in populo, quamvis scelerum insectator vehemens: correxit cleri & populi mores; lites diligenter composuit; inimicitias quoad potuit ex urbe pepulit; proventus Ecclesiæ inter Christi pauperes distribuit; in cognatos & affines suos, nisi admodùm inopes essent, nihil contulit: vitreis ac fictilibus tantùm vasis est usus: familiam quæ parva illi fuit, contentari modico voluit, & ad philosophiæ leges vivere. Mortuo nobile funus ex publico ductum, in domo, nihil repertum est, præter mulum quo insidere solitus erat & vilem supellectilem: cætera manus pauperum asportavêre. Hæc ille totidem verbis: quæ virum sanctissimum demonstrent, confirméntque quod Nicolaus V. Pont. ejus vitæ formam suspiciens, cùm S. Bernardinum canonizaturus esset dixisse fertur, non minùs se Antoninum SS. catalogo adhuc vivum adscribendum censere, quàm Bernardinum mortuum.

EJUS VITÆ PRÆCLARA FORMA.

VII. SIGISM. MALATESTÆ PERVERSI MORES.

Dum Florentiæ Pontifex ageret, à Sigismundo Malatestâ multis precibus oratus est, sibi ut pacem daret cum Ferdinando Siciliæ Rege, cujus patrem Alfonsum occasione defectionis ab eo ad Florentinos in se concitaverat. Erat hic extra matrimonium natus, multâ vi animi & corporis præditus, eloquentiâ & militari arte insignis, historiarum & philosophiæ peritus: sed malis planè moribus, pauperum oppressor, & bonorum divitum direptor, nec viduis nec pupillis parcens nemine sub ejus imperio securo, cùm reos nunc opes, nunc uxores, aut liberi formâ præstantes facerent. Sacerdotes odio habuit, de venturo sæculo nihil credidit, & animas cum corpore perire existimavit. Cúmque nihilominùs nobile templum Arimini in honorem S. Francisci ædificâsset, ita Gentilibus operibus implevit, ut non tam Christianorum quàm Infidelium dæmones adorantium templum esse videretur. Rogatus aliquando à subditis ut quieti tandem se traderet, parcerétque patriæ quæ suâ causâ sæpè rapinis exposita fuisset, bono animo esse jussit, numquam se vivo pacem habituros. Cùm adnixus esset Pontifex hunc cum Ferdinando conciliare; postquàm non successit ex partium contumaciâ, tractatus Mantuæ resumptus meliorem exitum habuit; sed non diuturnum, ob pravos mores & affectus Sigismundi: qui etiam post hæc Statum Ecclesiæ Romanæ turbare, ejúsque oppida occupare præsumpsit: quæ, aliaque plurima ejus scelera & impietates, longis narrationibus Gobellinus sequentibus libris prosequitur.

VIII.

Recedens Florentiâ Pontifex, Bononiam pervenit civitatem Romanæ Ecclesiæ juri subjectam, sed plerúmque rebellem, nec dum tunc satis obedientem. Indéque Ferrariam delatus, à Borsio Estensi ex concubinâ quidem nato, sed viro prudente, eloquente, magnifico & liberali, justitiæ absque severitate amantissimo, quíque uxorem numquam ducere voluit, ut quod occupaverat legitimis hæredibus tunc pueris, imperium eisdem relinqueret; honorificentissimè licèt exceptus, haud tamen petenti se ducem Ferrariæ absque tributo aut censu creari, (quem Mutinæ creatum à Friderico Imp. vidimus olim) annuere voluit, quod posteà Paulus II. concessit. Ibi *Guarinus* Veronensis grandævus & venerabilis senex; Ferrariensis à nonnullis dictus, quòd ibi literas humaniores Græcas & Latinas magno cum auditorum applausu doceret; Emmanuelis olim Chrysoloræ Byzantini in Græcis auditor, magistérque ferè omnium qui eo tempore in humanitatis studio floruerunt; Pium adiit, dignámque suo nomine suísque moribus orationem habuit. Adiit & *Ioannes Aurispa* Siculus, Græcæ ac Latinæ linguæ peritissimus, annum propè

GUARINUS VERONENS.

IO. AURISPA.

nonagesimum agens: qui paulò post mortem obiit. Guarinus autem ad finem anni proximi Ferrariæ: de quo, ejúsque scriptis, Bergomensis, Trithemius, & alij. Eundémque filium virtutis paternæ æmulum reliquisse, Iovius in elogiis testatur. Fuisse verò præsentem annum trium eloquentissimorum virorum dormitionibus insignem, idem Gobellinus scribit prædicti videlicèt Aurispæ *Ianotij Manetti* Florentini, qui Neapoli decessit, vir admodùm doctus, qui cum Latinis Græcísque literis conjunxit Hebræas: & *Poggij* item Florentini, de quo sæpè superiùs: quem qui alio tempore mortuum ponunt, hinc evidenter refelluntur. De eo verò plura Bergomensis, Iovius, & alij. Ex quibus & intelligas, sicuti fuit doctrinâ conspicuus, ita & maledicum & intemperantem objurgatorem extitisse: Cujus facetiarum liber, spurcis magis quàm hilaris placeat. Obiit autem ferè octogenarius; qui cùm penè omnem ætatem in Romanâ Curiâ consumpsisset, anno septuagesimo-secundo Florentiam accitus, reliquum vitæ in Reipublicæ suæ cancellariæ præfecturâ vir gravis consilij inter cognatos vitam finivit.

Ianotius Manettus. Poggius Florentinus.

IX.

Mantuam Pontifex sexto Calendas Iunij illustri apparatu ingressus est; cui urbi Marchionis appellatione Ludovicus Gonzaga tunc dominabatur, (eam dignitatem patre ejus Aloizio, ut olim vidimus, à Sigismundo Imp. cùm Romà rediret in Germaniam adepto) armorum & literarum peritiâ clarus. Calendis [g] Iunij, quæ dies statuta conventui initiando fuerat. Pontifex ex palatio cum Cardinalibus, Episcopis, & omni clero ad Ecclesiam descendit. Vbi re divinâ solemni apparatu peractâ, & à Coronensi Episcopo sermone habito de Pontificis proposito, & conventûs causâ, ac necessitate rei gerendæ; Pontifex ipse ex solio suo brevem orationem habuit: quâ imprimis conquestus de paucitate eorum qui ad Conventum hactenùs venissent, & cæterorum negligentiam arguens, contestatus demùm est se tamdiu ibi mansurum donec animos Principum exploraret: qui si venirent, simul cum iis Reipublicæ consulturum, sin minùs, necessarium foret domum repetere: defendendæ verò religionis propositum numquam se deserturum, nec durum existimaturum, si res peteret, pro suis ovibus animam ponere.

[g] Comment. Pij II. lib. 3.

Initium Conventûs Mantuani.

Oratio Pontif.

X.

Græci postulant auxilia.

Venerunt interim ad Pontificem Legati Thomæ Despotæ Moreæ sive Peloponnesi, unius ex fratribus superstitibus Constantini Imp. de quibus dictum anno superiori, qui cùm fratrem Demetrium natu majorem magnâ parte portionis spoliâsset, & Turcos qui arma in se verterant fudisset; auxilium secundis rebus efflagitavit, Italorum parvam manum sufficere dictitans ad ejiciendos Isthmo Turcos. Quâ in re facilius exauditus est, quàm si magnam postulâsset. Missi enim sunt trecenti tantummodò pedites: qui post assertam Thomæ Patracensem urbem, & ipsi inter se dissidentes, dispersi cum dedecore fuêre: infaustum (inquit Gobellinus [h]) rebus gerendis omen. Annon verò ludus fuit, cùm trecentis peditibus voluisse Turcos Peloponneso pellere? Nec ipse virorum fortissimus Gedeon [i] absque auxilio Angelico hoc suscepisset; quo carebant omninò Græci, cætera etiam & ignavi & socordes. Demetrius autem alter Despota à fratre sic fermè spoliatus, supervenienti adversùs utrumque Mahometi Turcorum Imperatori, sese Spartámque ubi commorabatur dedere compulsus est, ac vel invitus filiam suam eidem Mahometi in uxorem tradere; & ab ejus misericordiâ pendere, qui secum illum abduxit. Thomásque ipse brevi pariter spoliatus, in Corcyram confugit: quousque ad Pium Pontificem navigavit, ut dicetur suo loco. Híque fructus fuêre dissensionum fraternarum; ut maluerint Turcis turpiter subjici, & extorres victum mendicare, quàm concorditer inter se ac splendidè regnare. Sed quem [k] Deus despexit, quis potest corrigere? Narrant verò hæc uberiùs Phranzes [l] & Chalcondyles Græci; quæ Gobellinus tantùm attingit.

[h] Comment. Pij II. lib. 3.

[i] Iudic. 7.

Spoliantur à Turcis.

[k] Eccl. 7.

[l] Phranz. lib. 3. c. 22. usque 26. Chalcond. lib. 9.

XI.

Advenerunt pariter Mantuam ad Conventum legati ex Cypro, Rhodo, Lesbo, ac nonnulli ex Asiâ: tum verò Albani, Epirotæ, Bosnenses, & omnis ora Illyrici: sed omnes auxilia efflagitantes: præter Raguseos ad littus Adriatici maris jacentes, qui pro suis facultatibus auxilia in Turcos promisêre. Rex Bosnæ Stephanus (sic Bosnenses, quorum regio in montibus sita Rascianis Hungarísque ac Dalmatis conjungitur, suos Reges vocare consueverunt; sicut Romani quondam suos Cæsares vel Augustos, Ægyptij Pharaones vel Ptolomæos:) quamquam Turcis clam reconciliatus esset, legatos tamen misit adversùs illos opem postulans: homo vafer & inconstantis animi, qui cùm paulo antè ad Matthiam Hungariæ Regem profectus, fœdus cum eo inîsset, multa in Turcos pollicitus, eam ob rem passus est Matthias ut Synderoviam oppidum apprimè munitum ad ripam Danubij, Stephani filius defendendum susciperet. Is verò paucis pòst mensibus, accersitis Turcis magno auri pondere oppidum vendidit. Quæ res non minùs Hungarorum animos fregit, quàm perdita olim Constantinopolis, quòd sit porta quædam ex Rasciâ in Walachiam, ad bellum Hungaris inferendum valdè opportuna. Ita quidem Gobellinus. Sed Turcici Annales [m] Synderoviam quam ipsi Semendrem vocant, obsessam à Mahomete, cedente Stephano occupatam esse tradunt. Vidimus eam olim sub Alberto Imperatore captam item ab Amurate Mahometis patre. Sed fuerat posteà restituta Georgio Despotæ Serviæ priori ejus domino, cùm ipse relictis Hungaris Turcis adhæsit: post cujus, ac Lazari filij ejus obitum, eam obtinuerat prædictus Rex Stephanus Lazari gener: uti ex iisdem Annalibus, & notis ad eam Leunclavij, nec non ex Bonfinio [n] intelligitur.

Regis Bosnæ fraudes.

[m] Leunclav. lib. 15.

[n] Bonfin. 3. dec. 10.

XII.

Cùm jam legati Regum Principúmque convenire cœpissent, ait Gobellinus [o] magnam de sedibus ortam contentionem esse: nec Reges Regibus, (hoc est legatos eorum; nullus enim Rex adfuit) nec Duces Ducibus cedere. Sed ne rebus gerendis id officeret, Pontificem decrevisse ne vel postpositi detrimentum, vel prælati lucrum honoris jurísve aliquod ferrent nec tamen hoc pacto pacari omnes potuisse, quin & posteà, ut videbimus, renovarentur contentiones. Episcopos quoque contra Romanæ Curiæ consuetudinem, quæ Notarios Apo-

[o] Comment. Pij II. lib. 3.

Pius prælationem Episcopis adjudicat supra Notar. Apost.

[p] *Ext. Bull. to. 1. Pij II. const. 4.*

stolicos iis anteponebat, insurrexisse: adeò ut Pius altitudinem Episcopalis eminentiæ, quâ nihil est in Ecclesiâ sublimius, considerans; & quòd ipse Romanus Præsul Iesu Christi Vicarius Episcopi nomine contentatur, Notarios corruptelâ quâdam non consuetudine prælatos Episcopis judicaverit. Idque deinceps prohibuit editâ lege [p] ibidem Mantuæ pridie Idibus Iunij; quam totus orbis collaudavit. Cum tamen non tanti fuerit mox apud eundem Pium eadem Episcopalis eminentia, quâ nihil esse in Ecclesiâ sublimius dixerat; quin vehementiùs per literas succensuerit (quod idem Gobellinus narrat) Friderico Imperatori, quòd nonnisi Episcopum Tergestinum, unà cum duobus aliis Ecclesiasticis viris, præstabiles licèt essent, & Pontifici accepti, & mandatum plenum haberent [l], ad conventum misisset: adeò ut improperaverit, hoc eum vel per avaritiam, quòd majoribus sumptibus legati illustri loco nati mittendi fuissent, vel per orthodoxæ fidei contemptum præstitisse. Qui & propterea digniorem postea legationem mittere compulsus est.

XIII.

Philippus Dux Burgundiæ, qui se venturum scripserat, mutato consilio domi remanere statuit, prætextu rerum novarum à Rege Francorum suboriendarum occasione Ludovici Delphini, quem ut vidimus, Dux invito patre receperat. Misit tamen Ioannem Ducem Clivensem sororis suæ filium, cum nobili comitatu. In cujus occursum cùm Pontifex duos Cardinales mittendos censeret, illi suæ dignitatis amantes indignum esse dixerunt, atque insolitum minori dignitati majorem occurrere, cùm ipsi pares Regibus haberentur. Vicit tamen Pontifex, ut duo Ducem paulò extra urbem exciperent; asserens vidisse se Cæsarem, qui non minor esset Cardinalibus, sæpè Ducibus ac Marchionibus ad se venientibus occurrisse. Cùm autem de re ad quam venerat unà cum eo & collegis agi cœptum est, dixerunt Philippum existimare, quamvis Pontificis propositum sanctum esset, difficile tamen & penè impossibile videri: gerendum enim in Turcos bellum maximas vires exposcere: majores quoties in Orientales duxêre, ex Galliâ, Germaniâ, & Angliâ copias quæsivisse: has nunc provincias aut domesticis agitari discordiis, aut cum finitimis de agri possessione certare: pacandas priùs esse, bellum deinde Turcis indicendum. Ad quæ respondens Pius, fateri se dixit raras in Orientem pro tutelâ religionis expeditiones sine Francis ductas: propriúmque Francorum videri bellare pro fide: Daturum se quidem operam ut lites inter Francos & Anglos componantur, ac Germanorum quieti consulturum: Verùm hæc longum exposcere tempus; intereáque Hungaros propemodum exhaustos bello perituros: Si cederet Hungaria Turcis, & in Germaniam & Italiam patere eis januam; quæ deinde in Gallias & Hispanias iter præberet, sicut sæpè aliàs factum fuerat aliis barbaris: Non ut exhaurirentur regna ac provinciæ viris peti, sed ut quælibet tot præberent, quibus exercitus quinquaginta vel sexaginta millium cogi posset, quem qui res Turcorum noscerent ad id bellum sufficere existimarent, quòd majores copiæ neque regi, neque ali facilè possent, neque in acie explicari: hunc numerum citò colligi posse, si quælibet provincia vel paucos milites daret: Posse & Reges aurum conferre, quo milites ex Hungariâ, Germaniâ, Boëmiâ & Poloniâ conducerentur; qui duce Legato Apostolico & Hungariam tuerentur, & proximas provincias, donec viribus unitis, si tandem placeret, majores pararentur. Hæc & alia plura cùm Pontifex ad rem apta generatim dixisset, speciatim de Philippo addidit, debere illa ipsum animo volvere, qui quantò potentior esset, tantò servire Deo magis teneretur; eóque potissimùm quòd & pater ejus olim à Turcis bello captus fuisset, ipséque ducere in eos voto promisisset. Legatis nihilominùs in eo persistentibus, ut nihil promitterent, sed dumtaxat Philippo proposita referrent: demùm tamen Pij instantiis victi, promiserunt Philippum, quando Pontificis nomine requireretur missurum in Hungariam, aut ibi suo ære conducturum equitum duo millia, peditum bis totidem, qui tamdiù contra Turcos militarent, quamdiù reliquus Christianorum exercitus in bello perseveraret. Ita Gobellinus. Quæ si tanto labore à Philippo vi ferè extorquendâ fuerunt, qui unus omnium (ut idem auctor ait) ardentissimus judicabatur qui Turcorum genus perdere cuperent; quid de cæteris tepidioribus sperandum fuit?

Duces excipiútur occursu Cardinalium.

Disceptatur de virib. necessariis adversùs Turcum.

Burgundi tepiditas ad bellū Turc.

XIV.

Paucis pòst diebus, reverso jam ad sua Duce Clivensi, Mantuæ affuit Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis, belli domíque clarissimus, sexagesimum tunc annum agens, (matre tamen adhuc vivente, quæ biennio pòst decessit) majestate corporis eximia, conversatione benignus, moribus Principe dignis. Cui venienti duo Cardinales occurrerunt. Eóque in publicum Consistorium admisso, *Franciscus Philelphus*, quem sæpe nominavimus, scriptor insignis, poëta. Latinis ac Græcis literis ornatus, (ut eum describit Gobellinus: sed multa sunt alia, quæ de hoc doctissimo viro, patriâ Tolentinate, Emmanuelis Chrysoloræ viri Græci genero; equite aurato, & poëtâ laureato, ab aliis [q] dicta sunt: cujus etiam extant quamplurima scriptorum monumenta, & libri sedecim Epistolarum: unáque [r] de suâ quondam apud Ioannem Imperatorem Constantinopolitanum occupatione, legationibus, & peregrinationibus:) orationem pro illo habuit, & de auxiliis adversùs Turcos subministrandis, quem eâ auditâ Pontifex *Musam Atticam* nuncupavit: ipsúmque Ducem de ejus magnitudine animi, & promptitudine ad defensionem Ecclesiæ ac fidei laudavit. Borsius Dux Mutinæ morbum excusans, fratrem misit qui ejus nomine ad expeditionem auri tercenta millia nummûm cunctis admirantibus pollicitus est. Adfuêre item Florentinorum, Senensium, Lucensium, & Bononiensium legati, suas partes oblaturi. Genuenses quoque clàm non defuturos se promiserunt, publicè non audentes injussu Regis Franciæ, cujus paulò ante dominatum subierant. Ferdinandi Siciliæ Regis mandatum legatis suis traditum, plenius cæteris omnibus visum est, quippe quod votum & juramentum contineret de gerendo in Turcos bello. Ad quod cùm se accingere statuisset, Tarentini principis agitatus

Franc. Philelphi laudes.

[q] *Iac. Papiens. ep. 25. & seqq. Bergom. lib. 15. Trithem. de Script. Eccl. Iovi. in Elog. Voss. de Hist. Lat.*
[r] *Ap. Papiens. ep. 27.*

Principum et Oratorum adventus Mantuam.

insidiis, in magnas incidit calamitates, de quibus posteà. Adfuêre & Casimiri Poloniæ Regis legati splendido comitatu: necnon Sabaudiæ Ducis, & alij domi nobiles ac disert viri. Vltimíque ex Italiâ advenêre Veneti: qui cùm magnoperè vererentur, ne soli cum Turcis in bello remanerent, si cæteri non satis voluntarios ad tuendam religionem sese præberent; ubi tamen audierunt tot alios Principes aut venisse aut misisse, atque oratores Francos propediem adfuturos, nobilem & ipsi legationem miserunt, offerentes se pro parte sua magna præstaturos, si unitis Christianorum viribus bellum geri posset.

XV. Contentio de præcedentia inter Venetos et Sabaudos.

Cùm verò plenum Concilium esset, (ut Gobellinus pergit) quamvis nondum Franci venissent; placuit Pio Pontifici, priusquam Dux Mediolani abiret qui diù retineri non poterat, simul omnes alloqui qui præsentes aderant, in Ecclesiâ cathedrali post factam rem divinam. Sed multæ ibi de sessione contentiones fuêre: nulla tamen major quàm Venetorum & Sabaudiensium; illis potentiam & antiquitatem sui imperij præferentibus; his nobilitatem sanguinis, & consuetudinem. Quam cùm non alio modo sopire Pontifex posset, Venetis post oratores Ducis Burgundiæ collocatis, Sabaudienses ad scabellum sui solij sedere jussit.

Oratio Pontif. de bello gerendo.

Deinde horis circiter tribus de bello in Turcos gerendo locutus, id non modò utile, verùm etiam justum, facillimum, ac necessarium demonstravit; tantâ toto eo tempore auditorum attentione, ut nullum exciderit non intellectum verbum, quæ ejus oratio inter ejus epistolas [s] edita est. In cujus fine obtulit sese suáque omnia ad eam expeditionem: metirentur qui aderant vires Apostolicas; æstimarent quid temporalia simul conferre possent, & quod ipsis videretur humeris ejus onus imponerent, nihílque se recusaturum: Nihil aliud modò se petere, nisi ut bellum gerendum decernerent: de pecuniis conquirendis, de ducibus eligendis, de classibus instruendis, de sede belli, de tempore expeditionis fore posteà disserendum.

[s] Æn.ep.397.

XVI.

Cùm peroràsset, Bessarion Cardinalis Nicænus pro Collegio locutus, non pauciora quàm Pontifex verba fecit, ostendens quantam passi jacturam Christiani essent perditâ Constantinopoli, & quæ instarent mala nisi Turcorum conatibus obviam iretur. Postque inde Regum ac Principum civitatúmque oratores concordibus votis in sententiam Pontificis ierunt.

Decernitur bellum, ejúsque gerendi modus.

Dux Mediolanensis militari eloquentiâ ac verbis patriis id ipsum suadens, se & sua in eam rem obtulit. Oratores Hungariæ Imperatorem criminati sunt, quòd laborantibus sibi Turcorum bello molestias adderet, novis tumultibus regnum involvens. Sed respondente Pontifice, non eum locum esse in quo jurgia jactare conveniret, promittentéque se de concordiâ inter eos ineundâ laboraturum; omnes demùm unitis animis bellum esse gerendum decreverunt. De modo posteà agendi belli, ac de pecuniis consultatione factâ; plurium fuit sententia, terrâ maríque rem gerendam: mari quadraginta triremes & octo ceteras naves, terra quinquaginta millia armatorum potiori parte equitum satis fore. Iis ex aliis gentibus conducendis & alendis, Italiæ clericos suorum proventuum triennio decimam daturos, laïcos trigesimam, Iudæos omnium quæ possiderent vigesimam. Ad quæ nihilominùs Veneti multas difficultates intulerunt; quibus Pontifex commotus non parùm eis succensuit.

XVII. Regis Franc. legatio ad conventum.

Advenientibus post hæc oratoribus Caroli Francorum Regis, Archiepiscopo Turonensi, Episcopo Parisiensi, & Thomâ Courcello insigni Theologo, & Ballivio Rotomagensi; unà cum oratoribus Renati Siciliæ Regis, Episcopo Massiliensi, & militiæ suæ magistro; necnon Ducis Britanniæ, nepote ejus & Episcopo Macloviensi: cùm inter ipsos disceptatum esset, obedientiam priùs Pontifici præstarent, an de rebus Siculis agerent; Britones quidem spontè primò, deindè & cæteri, quòd Pontifex inobedientibus audientiam negaret, coacti sunt obedientiam præmittere: (filialem scilicèt, ut disertè Gobellinus, sive Pius ipse memorat, ad servilem excludendam,) posteaque de favore à Pontifice contra Renatum verum Regem Ferdinando spurio, quem Callistus quamvis Aragonensis, negaverat, præstito, coram oratorious Imperatoris, Regumque Castellæ & Lusitaniæ, nonnullísque aliis, questi, responsum ab eo audierunt, quæ in his facta fuissent nec jure nec ratione carere: injurios verò esse Francos, qui legem in regno suo promulgâssent (videlicèt Pragmaticam Sanctionem) Apostolicæ Sedi adversam, quæ multas animas in gehennam raperet.

Pius parum benevolus Gallis.

Hæc tunc, & alia posteà in eos commotiùs Pius; quæ Gobellinus refert: & causas fuisse superiùs [ss] vidimus, cur facilem se Pius erga Ferdinandum licet spurium præbuisset: quibus & ipse in excusationem addidit, coactum se fuisse ita agere ad conservandum Ecclesiæ patrimonium, quod expositum patebat hosti potenti ad portas ferè existenti, cùm Galli longiùs abessent, nec ei sustinendo essent: ac denique excipiendo jus alterius, sicuti fecit, nequaquàm censeri posse aliquid se contulisse Ferdinando in præjudicium Francorum, quibus integrum jus reservaverit, si quod eis competeret. Quod verò de Pragmaticâ damnabili objecit; potuissent Franci excusare, (fortè & fecerunt; quid enim irata jure vel injuriâ corda non eructent? sed Gobellinus nonnisi quæ honori Pontifici fuerunt, ut decuit, retulit:) se ab ipsomet illam accepisse; quippe à decretis Concilij Basileensis, cujus ipse pars magna tunc erat. Sicut porrò ille quæ priùs senserat, meritò retractavit atque damnavit; ita & Franci Pragmaticam, quamquam difficiliùs abjecerunt, ut pòst videbitur. Legatos autem post auditum Pontificem palàm se victos professos esse, idem auctor tradit: Sed quòd expeditionem Turcicam attinebat, vanum esse dixisse de eà cogitare nisi res Gallicæ atque Anglicæ componerentur, quia nemo vellet indefensam patriam hosti relinquere: mandatúmque sibi esse, ut nihil promitterent nisi venientibus Anglis, & pacem accipientibus: cum illi non venissent, silendum sibi esse.

[ss] An.1458. XII.

XVIII. De legatione Regis

Miserat Pius priùs quàm Româ recederet Franciscum Interamnensem Episcopum in Angliam, qui Regis Henrici auxilia adversùs Turcos exquireret, regníque lites componeret,

Angl. ad Conventum.

Designaveratque Rex praeclaram legationem aliquot Episcoporum & procerum, qui Mantuam suo nomine peterent. Sed contemnentibus omnibus jussionem ejus, (jam enim vidimus in quantum suorum contemptum, penè ut captivus detineretur, incidisset) ille duos Presbyteros modici nominis ad Pium transmisit, qui & obedientiam offerrent, & cur legati majores non venissent causas redderent. In literis mandati non erant testes nominati, aut tabelliones subscripti, sed adnotata erat Regis manu hujusmodi subscriptio, *Henricus, teste me ipso*, & sigillum regni appensum. Quare contempsit Pius, derisitque tanti Regis tam vilem legationem; nec ultrà ad conspectum suum admisit. Ita Gobellinus: Qui imprimis ignorâsse videtur consuetudinem Regum Angliae subscribendi eo modo; ut ex quamplurimis eorum diplomatibus quae in diversis Historiis reperiuntur, intelligitur. Deinde vix inducimur ut credamus Pium modicam illam legationem adeò contempsisse. Quid enim Rex ultrà facere potuit? Designavit splendidam; nec auditus est. Maluit modicam mittere, quàm nullam, ne non Pontifici obtemperaret. An non majori laude in hoc dignus, quàm si splendidissimam prospero tempore transmisisset? Ita quidem censemus nos.

XIX. Legati Apostolici turpe facinus.

Qui nec praedictum Episcopum Interamnensem non gravissimi criminis reum constituere possumus, (cùm ut narrat Gobellinus) favens Regis hostibus, quantumvis injustè fortè malè habitis, (Diximus aliàs [t] de his dissidiis, quibus semel Rex captus à Duce Eboracensi, posteà in libertatem assertus, Eboracensem pepulit unà cum ejus asseclis Comitibus Salisberiensi & Warwicensi: qui rursùm arma in Regem sumpserunt, valde propterea Polydoro [u] meritóque infamati) vexilla erexit Ecclesiae Romanae; & quasi adversùs hostes fidei praeliandum esset, plenariam peccatorum remissionem indulsit iis qui contra Regem pugnarent, adversúsque regios anathema promulgavit; literis Apostolicis pro castris ostensis, quae licèt aliud haberent, id ipsum credebantur habere. Adeò ut commissâ apud Northantonum non longè à Londino pugnâ ingens occisio facta, nonnulli proceres occisi, Réxque iterùm captus sit; Reginâ, quae filia erat Renati Andegavensis, cum filio, & plerisque suae factionis proceribus, aufugiente. Hoccine est Episcopum, & Legatum Apostolicum agere? ô scelus! ô nefas! Nunquam sanè rebellionem aliquam, aut conjurationem in quemcunque legitimum seméque admissum Principem aut superiorem legimus, quin sanguis commoveatur prae irâ, & malam crucem ejusmodi turbatoribus imprecemur. Sed ut caetera prosequamur, cùm post haec Dux Eboracensis factiosorum princeps regnum ad se spectare asserens, multos ex Praelatis & proceribus sibi annuentes reperiret, obstaréntque nihilominùs alij ob jusjurandum Regi praestitum, & longam plurium Regum ex familiâ Lancastrensi possessionem, patrísque hujus Henrici beneficium, qui Francos Anglorum hostes compressisset; jámque propè ad arma inter ipsosmet invasores ventum esset: ejusdem Legati suasione discordia in hunc modum composita est, ut Henricus quoad viveret Rex esset; cùm obiisset, Eboracensis, aut ejus filius succederet. Sicque rem gestam esse usque ad Calendas Novembres praesentis anni 1459. idem Gobellinus ait. Ex quo Monstreletum, Polydorum, & alios corrigas, qui praedictum praelium in annum sequentem remittunt. Sicuti ipsum Gobellinum ex illis; dum non Reginam tunc in Galliam fugisse, quod ipse existimavit, sed ad Septemtrionales Angliae partes se contulisse, ibíque exercitum reparâsse scribunt. Non enim nisi post cladem aliam apud Eboracum acceptam, de quâ pòst dicetur transmisit in Galliam. Cùm interim ipsa plusquàm virili animo resumptis viribus Calendis Ianuarij, sive proximis, ut ex eodem Gobellino dicendum videretur, sive anni subsequentis, ut magis placet aliis, praelio cum Eboracensi non longè ab ipso Eboraco ad pagum Polydoro Wakefild dictum confligens, non solùm eum superavit, verùm etiam caesum, ut Polydorus habet, vel ut Monstreletus, captum unà cum Edmundo Comite Rotlandiae minori ejus filio, & Comite Salisberiensi capite truncavit; appositâ per derisum coronâ papyraceâ, sive ut quidam habent, stramineâ, capiti Ducis, quòd regnum affectâsset. Progrediensque mox Regina Londinum ad Regem liberandum, obvium cum exercitu ad S. Albanum Comitem Warwicensem pari fortunâ profligavit; ac virum recepit. Quando Legatus Interamnensis, ut Gobellinus ait, non tam in adversis audax quàm cautus in secundis rebus, mortem veritus in Flandriam propere navigavit, cùm prius multum auri in regno corrasisset. Quid verò post inde successerit, videbitur aliàs; cùm haec per anticipationem dicta sint magis Legati causâ quàm ordinis necessitate.

Turbae Anglicae de Regno.

Reginae Angliae ingens animus.

XX.

Legimus verò, quod ad haec pertinet, in Historiâ [x] Scoticâ, Regem Scotiae Iacobum ab hostibus Henrici Angli, antequàm ab iis caperetur, solicitatum amplis conditionibus sibi adversus illum adhaerere, acquievisse: cùm verò in Angliam cum exercitu ingressurus esset, factum ei obviam Anglum impostorem ab Henricianis subornatum; qui quòd diù Romae fuisset, Italorúmque mores & sermonem didicisset cultu omni comitatúque peregrino, literísque Pontificis confictis, se facilè hominibus minimè callidis pro legato Romano probavit: Hunc ad Iacobum Regem perductum, Pontificis nomine vetuisse ne ulteriùs progrederetur, diras comminatum nî pareret: Pontificem enim quò commodiùs commune bellum in communem Christianorum hostem gereretur, per totam Europam compositis dissidiis in id unum intendere animum. Se praemissum qui haec praemoneret, sed ampliorem legationem propediem venturam, quae discordias Anglorum civiles finiret, & Scotis de acceptis injuriis satisfieri curaret; Regem, ut qui fraudem nullam subesse suspicaretur orationi, quíque honestam pacem cuperet, legato paruisse, atque exercitum dimisisse. Haec ille: qui de praedicto Interamnensi intelligenda esse haud dubitamus; qui ab Anglis eum non recipientibus pro impostore diffamatus fuerit: cujus apud Polydorum aut

Regi Scotiae illuditur.

[t] Vide suprà an. 1454. XII.

[u] Polyd. Hist. Angl. lib. 23.

[x] Boëth lib. 18. Buchan. lib. 11.

Monſtreletum nulla penitùs mentio. Eſt verò in principio Hiſtoriæ Scandaloſæ, ut vocant, Ludovici Francorum Regis, qui poſt biennium ſucceſſit patri Carolo VII. ubi traditur, eum Londinenſes vehementer in Regem Henricum commoviſſe: Regémque proditoriè captum longè alio modo quàm cæteri deſcripſerunt: unde Gaguinus quæ de iis habet accepiſſe noſcitur.

XXI.

LEGATI APOSTOL. TURBATORIS ET SORDIDI PUNITIO.

Cùm verò hæc in Epiſcopum illum amaro animo ſcripſiſſemus; ſatis nobis abundè factum à Pontifice eſſe, non parvâ cordis lætitiâ apud Gobellinum [y], confirmante Papienſi [z], legimus; dum narrat, conquerentibus Gallis de prædicto Epiſcopo, cui omnes regni Anglici mutationes imputabant, Pontificem ſe apud Regem Carolum excusâſſe, quòd hæc ſe inſcio, & invito, & dolente geſta eſſent; & ut ad ſe quamproperè Interamnenſis reverteretur literas dediſſe: Ipſum ſibi conſcium ac timentem, Eduardi tunc Regis, qui pulſo Henrico regnum occupavit; & aliorum Principum commendationes emendicâſſe, & tanquam procuratorem Anglorum, ac Franciſci Mediolanenſium Ducis conſiliarium, ad Curiam remeâſſe: cúmque auri vaſcula & gemmas pretioſas ex Angliâ attuliſſet, quamplures ex mammonâ iniquitatis amicos ſibi parâſſe, quorum præſidio Pontificis aures ſibi conciliaret: verumtamen Pium, eundem captum, & abſque tormentis de vexillo, de anathemate, de cæteris objectis ampliúſque de ſimoniâ in beneficiorum, ordinum, indulgentiarum, & abſolutionum collationibus commiſsâ confeſſum; de ſententiâ Auditorum Rotæ Eccleſiâ ſuâ privâſſe, & ab Ordine depoſuiſſe; qui poſteà de licentiâ Pontificis habitum Benedictinorum in monaſterio S. Pauli ſuſcepit; longè ſanè ſeveriori pœnâ dignus, qui nobiliſſimum regnum ſus déque poſuit. Sed de his modò ſatis: jam Mantuam redeundum.

[y] Comment. Pij II. lib. 11.
[z] Pap. ep. 162.

XXII. QUID CŪ GERMANIS PONTIFEX.

Cùm igitur nihil eſſet quod ad bellum Turcicum Pontifex, quod ſperaverat, ex Franciâ vel Angliâ haurire poſſet; convertens ſe ad Germanos, non minorem ferè difficultatem apud eos invenit quàm apud cæteros: quandoquidem Imperatoris ac Principum oratores inter ſe aliis de cauſis diſcordes, vix inducere Pius ſingulos ad ſe vocitans potuerit, ut tandem eum exercitum promitterent, qui pridem Francofordiæ ſub Nicolao Pontifice promiſſus fuerat, peditum triginta duorum, equitum decem millium: ad quod tamen duo conventus neceſſarij eſſent, alter Norimbergæ, alter apud Cæſarem; legatúmque de latere mittendum qui conventa proſequeretur. Quibus annuens Pontifex Beſſarionem Cardinalem Nicænum ei provinciæ præfecit: ducem verò exercitûs Fridericum ipſum Imper. dixit, datâ poteſtate ut ſi per ſeſe id muneris obire non poſſet, alium quem vellet Principem ſubſtitueret. Advenienti inter hæc Sigiſmundo Auſtriæ Duci obviam iêre duo Cardinales. Alberto verò Marchioni Brandeburgenſi, Achilli Germanico dicto, de quo alias, poſt Sigiſmundi receſſum venienti Cardinalis S. Petri extra ordinem occurrit; cui Pontifex ſua opera contra Turcos ſpondenti decem mille aureos, & in feſto Epiphaniæ enſem & pileum de more benedictum inter ſolemnia dedit. Vt pluribus narrat Gobellinus; in hoc terminans res hujus anni Conventûs Mantuani. Ad quas item pertinet inſtitutio *Baſileenſis* omnium ſcientiarum *Academiæ*: facta, ut ex ejus diplomate conſtat, Mantuæ pridie Calendas Ianuarij anno Pij ſecundo, iiſdem privilegiis, quibus Bononienſis, Colonienſis, cæteræque antiquiores Germaniæ Vniverſitates exornatæ eſſent. Paucula verò quæ ſuperſunt manſionis Mantuanæ, dicentur anno ſequenti quo contigerunt. Hic verò interim alia quædam præſentis recenſenda veniunt.

SCHOLÆ BASILEENSIS INSTITUTIO.

XXIII.

POLONORUM POSTULATA A' PONTIFICE.

Diximus ex eodem auctore ſuperiùs, petiiſſe Mantuam legatos Regis Caſimiri: de quibus nihil aliud ille præter eorum ornatûs deſcriptionem. Quid verò in mandatis haberent, quidque egerint narrans Cromerus [a], ait imprimis miſſos eſſe ut novo Pontifici de more gratularentur, & in poteſtate ejus Regem fore profiterentur. Impetrâſſe autem ut remitteret Pontifex Pruſſis diras atque excommunicationes, quibus eos ad parendum Cruciferis, quorum vidimus jugum excuſſiſſe, adigebat. Petiiſſe item de transferendis ex Pruſſiâ in Tenedon inſulam Cruciferis: in quo eos omnium ferè Principum oratores diligenter adjuvabant, propterea quòd Mahometes Turcorum Imperator Corinthum paulò antè ceperat, & Peloponneſo imminebat: Verùm id impetratum non eſſe, impenſiùs indulgente Cruciferis & Germanis Pontifice jam inde ex quo in aulâ & miniſterio Friderici Imp. fuerat; quorum fortaſſis operâ, & odio in Polonos, perfectum ſit, ut is nunquam de Polonis bene ſentiret: quod è ſcriptis ejus cuiquam deprehendere liceat.

[a] Crom. l. 24.

XXIV.

CARLOTA REGINA CYPRI.

Graviora ſunt quæ de rebus Cypriis contigerunt. Vidimus ſuperiùs [b] quo ſtatu res ibi eſſent poſt obitum Ioannis Luſitani; atque ejus viduam Carlotam ſecundò nupſiſſe Ludovico Sabaudo diximus. Cùm antequam hic in eam inſulam veniret, diem obiiſſet Regina Helena Carlotæ mater menſe Aprilis anni ſuperioris; tribuſque poſt menſibus vir ejus Rex Ioannes: *Carlota* unica eorum proles in regnum ſucceſſit, coronata de more trium regnorum Regina, Cypri, Ieruſalem, & Armeniæ, Dominicâ primâ Septembris ejuſdem anni; Iacobo Archiepiſcopo Nicoſienſi fratre ejus notho (juvene viginti circiter annorum perditiſſimo & audaciſſimo, ſacris initiato) non tam repugnante apertè, cùm nihilominùs regnum toto niſu appeteret, quàm offenſionem præſeferente quòd datum ei non fuiſſet Reginam coronare. Quare quòd non ceſſaret regnum turbare, deliberantibus proceribus eum apprehendere, ipſe cum paucis evadens, Ægyptum petiit auxilium à Soldano petiturus. Ita enim rem narrat Georgius quidam Buſtronius comes ejus peregrinationis, apud Stephanum Luſignanum in Hiſtoria Cypriâ: quam nonnihil in quibuſdam pauci momenti ſecùs deſcribit Æneas [c] Pius Pontifex in ſua Aſia, & ex eo in Commentariis [d] Gobellinus, & Nauclerus in Chronico [e]; in præcipuis tamen ſeu præcedentibus ſeu ſubſequentibus ita conformes exiſtentes, ut nihilominùs appareat plurima Cyprium ab Æneâ

[b] An. 1457. XII.
[c] Æn. Aſi. cap. 97.
[d] Comment. Pij II. lib. 7.
[e] Naucler. gen. 49.

desumpsisse; præter specialia quæ addit de singulorum temporum, hominum, ac locorum designatione, quæ apud Æneam desiderantur. Eadémque etiam narrantur in Historiâ [f] Hospitalariorum.

[f] Boss. to. 2. lib. 7.

XXV. Iacobi nothi Cyprii conatus cum Infidelibus pro Regni obtentione.

His igitur usque ad finem superioris anni gestis, cum ad præsentis initium (ut Cyprius notat) appulisset in Cyprum Ludovicus maritus Carlotæ Reginæ; confestim post acceptam coronam oratores misit cum muneribus & tributo ordinario ad Soldanum Ægypti, (cui jam olim regnum Cypri tributarium factum ab avo Carlotæ vidimus, cùm captivus ductus fuisset in Ægyptum) cum mandatis ut jus Carlotæ defenderent contra suasiones Iacobi; quem audierat penè Soldanum in partes suas pertraxisse, parùm pensantem utrùm spurius an legitimus esset, sed magis sexum respicientem, qui Iacobum masculum Carlotæ feminæ præferebat, existentem insuper formâ egregiâ & staturâ rectâ, animâque dotibus & eloquentiâ conspicuum. Appellentibus tamen Ludovici & Carlotæ oratoribus, cùm eorum rationes Soldanus audîsset, quamvis jam anteà regnum promisisset Iacobo, substitit nihilominus adeò, ut etiam decreverit eo rejecto regnum aliis confirmare. Fecissétque omninò, nisi supervenientes legati à Mahomete Turcorum Imperatore (cum nihil intentatum reliquisset Iacobus, quo posset per fas vel nefas ad regnum pervenire) verba detulissent minacia ad Soldanum, si Iacobum, quem semel Regem statuisset, desereret, & cum Gallicis pacta iniret, quos non ignoraret quanto odio prosequerentur gentem Saracenorum & Mahometanorum, quantísque sæpè illam cladibus afflixissent: Videret igitur quid ageret; si pax ipsi cum Gallico genere cordi esset, cum Mahometanico bellum expectaret: nec ipsi cum solis Turcis inimicitias futuras, quin etiam Ægyptios, Syros, & Arabes quibus præerat summo ipsum odio prosecuturos; adeò ut nec ipse ejus filius adhæsurus ei foret qui religionem Mahometanam Gallicano sanguini prodidisset (Quæ gens aut natio Christiana, præcellens istiusmodi testimonium ab hostibus fidei, de fidei Christianæ defensione ac propagatione omni pretioso thesauro non contra mercaretur? Sed privilegium hoc Francorum est, quod alteris non dabitur; nec omnibus concessum est esse Christianissimis. Vtinam non hoc præclarissimum nomen juventus eorum suis inconsiderantiis, levitatibus, & ferocitatibus obscuraret.) Si verò promissa Iacobo servaret, clasémque pararet in Cyprios, Mahometem quoque aliam paraturum in Rhodios, & utriusque Insulæ spolia Soldani futura, solùm tantùm Rhodiæ Mahometem sibi servare cupere. (Vt enim hæc obiter attingamus, Soldanus suam esse Cyprum dicebat: & Rhodum, propter Ierusalem quam possidebat, de cujus regno has insulas esse putabat: Turcorum Imperator de Cypro nihil adversans, Rhodum sui juris esse contendebat, qui vicina in continenti littora obtineret.) Placuerunt igitur Soldano Mahometis oblata: apparatâque e vestigio classe Iacobum regno investitum cum magnâ militum manu in Cyprum remisit; accepto tamen priùs ab illo hoc turpissimo & horrendissimo juramento, quod Æneas [g] Pius refert; *Per Deum magnum & altum,* (inquit quadragies adjurato Deo) *misericordem & benignum, formatorem cœli & terræ & omnium quæ in eis sunt, & per sancta hæc Evangelia, per sanctum Baptisma, per S. Ioannem Baptistam, atque omnes Sanctos, & per fidem Christianam, promitto & juro, quod omnia quæ novero aperta erunt domino meo altissimo Soldano Ægypti & totius Arabiæ Imperatori Alesserapho Asnali, cujus regnum Deus fortificet. Ero amicus amicorum suorum, & inimicus inimicorum. Nihil cum celabo neque piratas in regno meo patiar, neque iis victum aut auxilium dabo. Ægyptios qui in regno meo serviunt, emam, & libertate donabo. Auri quinque millia nummûm in Calendis Septembris aut Octobris tributi nomine in templis altissimi Ierusalem & Lamech singulis annis offeram. Colosseos prohibebo, ne piratis arma ministrent. Quæcumque digna cognitu noviter emerserint, Soldano renunciabo: in justitiâ & veritate procedam: nihil meâ in parte fraudulentum erit. Quod si aliquod horum neglexerim, ero apostata & mandatorum sancti Evangelij Christianæque fidei prævaricator. Dicam Evangelium falsum esse, negabo Christum vivere, & Matrem ejus Mariam virginem fuisse: super fonte baptismatis camelum interficiam; & altaris presbyteris maledicam: divinitatem negabo, & Iesu nuncij humanitatem adorabo: super altari cum Iudæa fornicabor: & sanctorum Patrum maledictiones in me omnes recipiam.* Hoc enim execrandissimum juramentum in scripta redactum, & ex Arabicâ linguâ in Latinam traductum, Legatos Rhodiorum ad Pium detulisse, asserentes certissimum esse ita Iacobum apud Cairum Soldano jurasse; idem ipse Pius affirmat, cùm priùs narrâsset quomodo Rhodij partes Ludovici & Carlotæ apud Soldanum adjuvissent. Hæc autem totum præsentem annum occupâsse, ac Iacobum non nisi annò proximo regni coronam in Cypro suscepisse, integrúmque in eo armis occupando consumpsisse, prædictus Cyprius auctor scribit; cætera post biennium.

Gloria gentis Gallicæ.

[g] Æn. d. cap. 97.

Horrendum Iacobi juramentum.

XXVI. Ioannis Andegavensis progressus contra Ferdinandū.

Hoc interim eodem anno [h] ad principium Octobris Ioannes Andegavensis Renati Regis filius occupationibus Genuensium rerum defunctus, inde solvens cum validâ classe Neapolim versus navigavit contra Ferdinandum Regem à Pio Pontifice declaratum; in cujus pulsionem, ejusdem Ioannis adventûs spe plerique proceres conjuraverant; eíque venienti adhæserunt cum permultis civitatibus; tantâ rerum Ioannis felicitate, ut post levia alia certamina, Ferdinando anno sequenti apud Sarnum ingenti clade fugato, creditum sit potuisse finem bello imponi, si Ioannes Ferdinandum in grandi rerum desperatione constitutum, Neapoli quò confugerat, obsedisset: à quo proposito aversus fuit à Principe Tarentino qui omnia in ejus parte poterat, satius ducente ut priùs quæ reliqua essent loca in potestatem redigerentur, quò deinde nullo periculo obsidio Neapolis fieret. Quæ salus fuit Ferdinandi, animum intereà resumentis, & novis auxiliis à Pio Pontifice & Francisco Duce Mediolanensi adjuti, cùm hi soli totâ Italiâ reperti sint qui ei adversùs

[h] Cor. par. 6. Collen. lib. 6. Nebiens. lib. 5. Foliet. lib. 11.

Francos auxilio eſſe voluerint. Res autem tunc geſtas multi breviter attigerunt; uberiùs Mambrinus continuator Collenutij; ſed prolixè tractavit in Rebus geſtis Pij Pontificis Gobellinus, ex ejus animo toto affectu & ſtylo in Gallos invectus; & in Rebus Ferdinandi Pontanus, geſtorum dumtaxat narrationi ferè intentus, quamquam non ſine præcipuâ, ut debuit, ejus laude cui ſtylum locaverat. Quis verò deinceps belli progreſſus, quíſque demùm exitus, dicetur ſubinde.

XXVII. VNDE PII AFFECTUS PRO FERDINANDO.

In his porrò mirari equidem non deſino, (abſque tamen ullâ accuſatione, & ſervatâ omni in Pontificem reverentiâ) quomodo Pius, qui tantâ diligentiâ & ſollicitudine mutuam pacem & concordiam cæteris extra Italiam Principibus prædicare non ceſſabat, etiam uſque ad denunciationem iræ atque vindictæ divinæ, niſi à rixis & contentionibus ceſſarent; in hoc tamen bello Italico adeò facilè arma & prælia civerit; quinimmò & Scanderbegum, qui murum pro Iſraël adversùs Turcos in Albaniâ ſe exhibebat, in Italiam ad hoc, ut pòſt videbitur, evocaverit. An fecit hoc amicitia arctiſſima, quâ Alfonſo Ferdinandi parenti colligatus fuerat; cujus etiam ſe mancipium aliquando Cardinalis [i] profitebatur? an verò cæteræ illæ rationes, propter quas eidem Ferdinando regnum contuliſſe & confirmâſſe vidimus? an etiam odium ſuperbiæ & ferocitatis Francorum, in quas non ſemel, haúdque adeò immeritò, invectus eſt? & quod cerneret arma Renati ejúſque filij Ioannis conatus ſuos contra Turcos turbare, cùm non poſſet aliter illa intervertere, adnixus ſit eum penitùs conterere, ne quietem externis quærens, agitari interim domeſtica ſineret? an denique patiuntur & præſtantiſſimi ac religioſiſſimi viri ſuos quíque manes etiam inviti; atque ut dixit quidam [k] de inteſtinis hujuſmodi diſſidiis hoc tempore in Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ vigentibus, quæ tollere Pontifex ſatagebat, præ iis communis Chriſtiani nominis cauſa poſthabetur, communíſque religionis injuria parùm ſentitur aliqua ſi cupiditas privatim ſtimulet? Alioquin enim quin legitimè jus ſuum Renatus Andegavenſis verus ac legitimus Apuliæ ſive Siciliæ Rex per ſedem Apoſtolicam, ut ſuis locis vidimus, declaratus, ejúſque filius Ioannes, æquis ac juſtis modis adversùs ſpurium filium hominis qui non ſemel per eamdem Sedem injuſtus invaſor denunciatus fuiſſet, nec niſi vi ac neceſſitate cogente umquam approbatus, proſequi potuerint, nullus ut puto jure inficiari poterit: eò maximè quòd cùm etiam apud ipſummet Pium de eo egerint, quantumvis ipſe Ferdinandum uti poſſeſſorem præferendum judicaverit, nihilominùs id ita factum eſſe voluerit, ut ſine præjudicio cujuſquam eſſet.

[i] *Æn. ep.* 194.

[k] *Marian. lib.* 23. *c.* 1.

XXVIII. RATIONES ODII PII PP. IN GALLOS.

Sed ecce dum hæc apud me quæro, opportunè occurrit Gobellinus, qui rationes ipſas Pontificis (ſi tamen ejus fuêre, & non ab ipſo Gobellino adinventæ:) ſuis Commentariis inſerere non omiſit. Refert [l] enim, cùm Pontifex Mantuâ relictâ Romam revertens, Florentiæ viſitaretur à ſapientiſſimo illo Coſmo Medice, de quo dictum eſt in priori Pontificis ad eamdem civitatem acceſſu; ac inter loquendum admirari Coſmus viſus eſſet de bello à Pontifice Ferdinandi cauſâ adversùs Gallos ſuſcepto: reſpondiſſe Pontificem, haud ferendum fuiſſe, Regem à ſe conſtitutum armis ejici; neque id Italiæ libertati conducere: Gallos, ſi regnum obtinuiſſent, Senas haud dubiè ſubacturos: (erat hæc patria Pontificis:) Florentinos adversùs Lilia nihil acturos: (hoc eſt contra Francorum regnum, cujus ferè ſemper Florentini partes ſtudioſè ſuſtinuerunt:) Borſium Mutinæ Ducem Gallis galliorem videri: (egregius ſcilicèt loquendi modus, ad exprimendam Ducis in Gallos propenſionem: cùm tamen nihil haberet à Gallis; ſed Ducatum Mutinenſem ab Imperatore, urbis Ferrariæ Vicariatum à ſede Apoſtolicâ:) Flaminiæ regulos ad Francos inclinare: (quidni, ſi nihil mali, multa bona ab iis acceperunt?) Genuam Francis ſubeſſe: (an ſubeſſe dici poteſt, quæ promptior ſemper fuit jugum excutere, quàm ſubire? ejus omninò fides & conſtantia hæc fuit jugiter, ut tunc propior eſſet ſolutioni cùm conſtrictior putaretur. Annon jam à Francis hâc nuperâ vocatione illa obtinuerant, ad quæ vocati fuerant? Suſtine paululùm: videbis eos anno proximo pulſos; tanta eſt utriuſque gentis levitas! ſed Genuenſium turpior quidem in frangendâ fide, at ſibi utilior; Francorum autem & ſtolidior in adhibendâ fide iis à quibus ſæpè decepti fuêre, & ſibi ſuiſque perniciosior.) Si Pontifex Romanus aliquando Francorum amicus aſſumeretur, nihil reliqui in Italiâ remanſurum, quod non tranſiret in Gallorum nomen: (Apage Gobelline: non tibi etiam jurатiſſimo credam, hæc fuiſſe verba Pij Pontificis impia enim eſſe quis non cenſeat? Numquam igitur Romanus Pontifex aſſumendus, quin inimicus ſit Francorum? Non patrem Chriſtianorum nobis depingis; ſed Turcorum aut Saracenorum tyrannum: quales vidimus nuper Mahometem & Aleſſeraphum hoſtes ſe Francorum infenſiſſimos profiteri, quòd ab iis atrociores clades quàm à cunctis reliquis Chriſtianis ipſorum perfida ſuperſtitio ſuſtinuiſſet. Et inimicos habere debebunt Franci Romanos Pontifices, quorum permulti abſque fuiſſent Franci, miſerè periiſſent, ac ſæpiſſimè Sedes Apoſtolica periclitata eſſet? Sed non jam hæc agimus. Tantùm rursùm dicimus, hæc tua Gobelline commenta eſſe, non Pij effata, qui non ignorabat merita Francorum in Eccleſiam Romanam, & quæ eſſent partes optimi & Pij Pontificis.) Tueri ſe Italiam dum Ferdinandum tueretur; quaſi verò Regina provinciarum Italia abſque uno ſpurio ſtare non poſſet!) atque id honeſtatem expoſcere per fœdera quæ cum Alfonſo inita fuiſſent, non ſanè à deceſſore Pij, quamvis Catalano; nec ab aliis niſi invitis & omninò neceſſitate coactis.) Addit demùm Gobellinus, Coſmum his auditis, Pontificis animum laudâſſe. Cui & in hoc tam credo quàm in dictis Pij. Non enim potuit Coſmus vir conſultiſſimus conſiderâſſe quæ Gobellinus refert, & laudâſſe. Non magis quàm nos diſtinctionem illam, quàm poſteà Pontificem de his ad Romanos perorantem, cùm illi bellum pro Ferdinando ſuſceptum ſiniſtrè interpretarentur, in ſuî excuſationem protuliſſe inducit [m]: videlicèt miſiſſe auxilia ſe Ferdinando, non quæ Renatum regno privarent, ſed quæ Ferdinandum in poſſeſſione ipſi à ſe traditâ tueren-

GOBELLINI IMPOSTURÆ.

[l] *Comment. Pij II. lib.* 4.

[m] *Comment. lib.* 5.

tur. Quid enim cavillari est, si hoc non est: quod absit omninò ut Romano Pontifici impingamus: sed Gobellinus oratoriè res tractans, quæ sibi dicenda viderentur, non quæ Pio, effutiit. Sed jam eo dimisso, ad certiora transeamus.

XXIX. Hoc anno narrat Monstreletus [n], & ex eo Meyerus [o], Atrebati in Belgio horrendum quid contigisse: complures videlicèt igne fuisse crematos, quòd de nocte occultas coitiones habere dicerentur cum diabolo: viros primarios mulierésque complures indiciis crematorum deprehensos, nonnullos sævissimis tormentis admotos esse, alios auro vitam redemisse, multos solum vertisse, quosdam in tormentis nihil confessos esse: Fuisse ex Iudicibus adeò detestabiles, ut quosdam sibi inimicos deferri curaverint ut conscios, quamquam innocentes: Nocturnis illis conventibus desertis locis habitis, ex omni ordine sexúque mortalium interfuisse, ac diabolum humanâ formâ, facie tamen velatâ, quam nunquam videbant, adorâsse, atque in illius verba mandatáque jurâsse, natesque osculari consuevisse; deinde pecuniâ modicâ ab eo donatos, & convivio largiter epulatos, extincto omni lumine quemque cum sibi proxime oblatâ promiscue concubuisse: hincque ope diabolica in sua quosque loca restitutos esse. Habétque idem Monstreletus, hujusmodi sectam fuisse Waldensium nuncupatam: sicuti & de iis antiquis hæreticis (ex quibus, ut alias vidimus, Albigenses prodierunt, necnon, ut pòst videbimus, Hugonoti Gallici) graves scriptores testantur, non fuisse a fascinariorum hæresi & commixtionis promiscuæ crimine immunes. Addit aliud teterrimum idem auctor, sed sub anno proximo, de quodam parocho agri Suessionensis; qui vindictæ cupidine in virum quem odio habebat, à sagâ edoctus, bufonem iisdem ritibus baptizârit quibus solent infantes Christianorum, ac Ioanni vocato sacram Eucharistiam consumendam præbuerit: ex eo deinde membratim discerpto, admixtis aliis quibusdam rebus, sagam veneficium aliquod composuisse; quo parochi inimicus cum uxore & filio miserè extinctus fuerit: Re detectâ, sagam igne combustam esse, parochum amicis & auro evasisse. Cùm verò fœda ubique esset omnium gentium ordinúmque licentia, in Hispaniâ [p] infans triennis impendentes calamitates, nisi pœnitentiâ mutarent, denunciâsse fertur; moribus tamen nihilo melioribus factis.

Margin: [n] Monstrel. vol. 3. [o] Meyer. l. 16.

Margin: Multi in Belgio ob crimen fascinationis puniti.

Margin: [p] Marian. lib. 22. c. ult.

Iesu Christi Annus 1460.

Pii II. Annus 3.

Friderici III. An. 21.

I. Anno Christi 1460. Indictione octavâ, Pius Pontifex adhuc Mantuæ degens, considerânsque grandem abusum qui jampridem irrepserat, ut ad futurum Concilium à judiciis Apostolicæ Sedis appellaretur, consultis super eâ re Patribus qui aderant in conventu, de concordi eorum ac Cardinalium sententiâ decretum [a] promulgavit decimo-quinto Calendas Februarij; quo ejusmodi Appellationes, uti sacris Canonibus contrarias, & Reipublicæ Christianæ noxias, eóque etiam ridiculas quòd fiant ad id quod nusquam est, neque scitur quòd futurum sit, quibus denique adversus primam Sedem rebellio nutritur, libertas delinquendi conceditur, & omnis Ecclesiastica disciplina & Hierarchicus ordo confunditur; damnavit, & tanquam erroneas ac detestabiles, inanes ac pestiferas reprobavit, nulliúsque momenti esse decrevit ac declaravit: pœnâ execrationis in omnes statutâ, quicumque etiam imperiali aut regali vel pontificali dignitate fulgentes, eâ deinceps uti ausi forent, & interdicti in communitates; præter censuras in reos majestatis & hæreticæ pravitatis inflictas.

Margin: I. Decretum Pii Pont. contra appellationes à Sede Apostolica.

Margin: [a] Rec. Gobell. Comment. Pij II. lib. 3. ad fin. Estque Bullar. tom. 1. Pij II. cōst. 5.

II. Paucis deinde diebus (ut Gobellinus pergit) idem Pius congregatis Patribus, & universis Principum legatis, summam rerum in conventu Mantuano octo jam mensibus celebrato confectarum, & quid esset ex eis spei exposuit: Nempè Hungaros, si adjuvarentur, universis viribus suis Turcos invasuros. Germanos exercitum polliceri duorum & quadraginta millium bellatorum; Burgundum sex millium: Italos (exceptis Venetis ac Genuensibus) cleri decimas, populi trigesimas annuorum redditurum, ac vigesimas Iudaicæ substantiæ, ex quibus navales copiæ sustentari quirent; idem facere Ioannem Regem Aragonum: Raguseos duas triremes offerre, Rhodios quatuor: hæc tanquam certa solemni stipulatione per Principes ac legatos promissa esse: Venetos, quamvis publicè nihil promisissent, cùm tamen expeditionem paratam viderent, haudquaquàm defuturos; nec item Francos, Castellanos, Portugallenses: Angliam civilibus agitatam motibus spem nullam polliceri, neque Scotiam in intimo absconditam Oceano: Daciam quoque, (hoc est Daniam) Sueciam, ac Norvegiam, remotiores provincias esse, quàm milites possent mittere; nec solis contentas piscibus pecuniam ministrare posse: Polonos Turcis per Moldaviam conterminos, suam causam deserere non ausuros: Boëmos mercede licitum fore conducere, suo ære extra regnum non militaturos. Sic res Christianas se habere. Iis accessurum Georgium Scanderbegum cum Albanorum fortissimâ manu: & multos per Græciam ab hoste defecturos. In Asiâ Caramanum, & Armenorum populos Turcos à tergo ferituros. Et quis non his copiis & auxiliis superatum iri Turcos arbitraretur? Post quæ impertitâ per Pontificem adstantibus solemni benedictione, finis conventui impositus est. Sed finis item cunctis designatis ibi consiliis & decretis: quæ longè facilius fuit concludere, quàm exequi. Laudandus sanè quam maximè Pontifex, qui nullis difficultatibus territus, ingenti animo tentavit omnia, quò præclarum hoc opus perficeretur. Verùm & ipsemet turbatam vidit Italiam, nec componere studuit; & alij Principes sua magis curare sategerunt quàm aliena; cùm præter locorum longinquitatem plerique inter aliena constituant quæ Religionem tangunt, & plus æstiment vicinis ac proximis nocere quàm remotis & longinquis prodesse. Vt non sit mirum si tantus conatus evanuerit; nec cœpta Deus secundaverit, cùm nullus esset, qui non eum propriis suis desideriis & cupiditatibus postponeret.

Margin: II. Grandia, sed inania promissa pro bello Turcico.

Margin: Finis conventûs Mantuani.

III. Cardinalium creatio.

Recedens posteà Pius Mantuâ cùm Senas pervenisset, tempore Iejunij Quadragesimalis novos Cardinales creaturus; consultis privatim antiquorum singulis ut eorum præsentiret animos, postquàm magnâ ex parte sibi satisfacturum iri cognovit, vocato consistorio secreto feriâ quartâ in quâ de creandis Cardinalibus sermo fieri solebat, proposuit qui peterentur, & cogitare jussit quinam ex iis idonei essent. Cùm consensissent quinque assumi, (in quibus fuit *Franciscus Picolomineus* Pij nepos, posteà Pius III. qui tunc literis dabat operam Perusij) sextum ipse addi petiit nondum propositum, *Fr. Alexandrum Oliva* de Saxoferrato Ordinis S. Augustini Generalem Ministrum, virum Theologicâ doctrinâ celebrem, & vitæ sanctitate illustrem; atque admitti obtinuit. Iisque sic electis, non expectavit sextam feriam, in quâ pronunciari Cardinales & publicari consueverant; sed ipsâ die præter omnium opinionem, pronunciationem & publicationem fecit.

Ritus creationis Cardinalium.

Quæ res non parvam molestiam antiquis Cardinalibus abstulit, quibus ante ora competitorum nulla quies dabatur. Sabbato deinde indicto consistorio in Ecclesiâ Cathedrali, Pontifex jussit Cardinales novos qui aderant accersiri; & priusquàm venirent, de singulorum meritis pleraque locutus, adventantes ad cancellos stare præcepit, & brevi sermone ad eos habito de excellentissimâ dignitate quâ donati erant, ad Collegium Apostolicum vocati, factique consiliarij sui & conjudices orbis terrarum; cogitare animo hortatus est, quos viros, quæ ingenia, quam integritatem hæc dignitas requireret, & ut tales essent, quales esse debere Cardinales dijudicassent ipsimet antequàm hoc culmen ascenderent. Deinde vocavit eos ad osculum pedis, manùs, & oris: & antiqui Cardinales eosdem pariter ad osculum exceperunt, locúmque sedentibus præbuerunt. Mox advocati causas aliquas perorârunt: quibus decisis, Cardinales antiqui stantes coram Papâ fecere coronam: novi genibus flexis votum pro veteri formula voverunt: exindéque Pontifex uniuscujusque capiti insigne Cardinalatûs rubrum galerum imposuit: chorus hymnum cantavit, gratias Deo reddens. Cardinales antiqui pompam ducentes (exceptis duobus qui cum Pontifice remanserunt) novos ad altare B. Virginis deduxerunt: ibíque senior orationem super capita illorum fudit, bona eis & Ecclesiæ sanctæ multa precatus: atque ita rebus peractis, ad Pontificem reversi sunt, qui dissoluto consistorio in palatium abiit. Par quoque solemnitas paucis post diebus in adventu absentium servata est. Hæc pluribus Gobellinus descripsit: quæ voluimus hîc inserere, ut intelligatur qui tunc esset ritus creationis Cardinalium: in quorum Collegium non assumebantur, nisi qui priùs antiquis propositi & probati fuissent, qui postea sensim mutatus est; adeò ut non ampliùs antiquis priùs proponantur, & eorum judicium aut consensus requiratur, sed tantùm propositis proprio motu à Pontifice assensus præbeatur, sive antiquis noti sint, sive ignoti. Sed hæc ad Magistros Cæremoniarum pertinent.

IV. Nicol.

Inter hæc Sigismundus Austriæ Dux, quem vidimus ad Conventum Mantuanum accessisse, cùm graves simultates gereret cum Nicolao Cusano Cardinale S. Petri ad Vincula, & Episcopo Brixinensi in Germaniæ Alpibus, (de quo sæpè superiùs) de feudis & jurisdictione Ecclesiæ; nec potuisset Mantuæ à cæteris Cardinalibus ipsóque Pontifice ad concordiam flecti: eum ipso Resurrectionis Dominicæ sacratissimo die in quodam ipsius Ecclesiæ castro manu armatâ aggressus, dedentem se in custodiâ retinuit; tandémque juratum absolutionem Sigismundo de his procurare, injuriásque nullo unquam tempore vindicare, dimisit; ut hæc Gobellinus refert.

Cusani vexatio à Sigism. Aust. Duce.

Quæ pleniùs enarrans Nauclerus [b] ex Pij edicto contra Sigismundum edito, ait Ecclesiam Brixinensem Nicolao Cardinali commendatam fuisse à Nicolao V. Papâ, ac licèt initio reluctante Sigismundo illius Ecclesiæ advocato, seu protectore, uti Tirolis Comite, (haud patiente, ut addit Krantzius [c], eam in Germaniam tendi consuetudinem, quòd Romani Cardinales Ecclesias Germaniæ haberent in commendis, quo modo Abbatias & monasteria Italiæ, Galliarum, Hispaniæ, Angliæ: quæ una causa est in iis provinciis creari Cardinales, non in Germaniâ;) quietam tamen possessionem posteà obtinuisse.

Vnde eorum contentiones.

Verùm cum monasterium quoddam monialium reformare voluisset, restitisse illi Sigismundum. Cumque insuper invenisset Cardinalis eum quædam feuda ab Ecclesiâ Brixinenti tenere quæ non recognovisset, hortatum illum esse ne jurisdictionem suam spiritualem perturbaret, ac novam investituram de illis feudis acciperet, jusque jurandum præstaret: Ex eo dissensiones ortas esse, auctas à malignis Clericis & Laïcis, ipsisque etiam monialibus reformationem impedientibus: Adeòque invaluisse odia, ut Cardinalis in Episcopatu manere non posset. Quapropter adiisse Callistum Papam qui monitione præmissâ Sigismundum & sequaces execrari, & interdictum in terram ipsius ferri mandavit. Mortuo Callisto Pium voluisse Sigismundum cum Cardinale concordare, sed incassùm. Cardinalem nihilominùs ad Ecclesiam rediisse; fretum maximè literis Sigismundi, quibus promiserat Ecclesiam Brixinensem & Cardinalem quoad viveret se protecturum. Verùm è contra ipsâ die Paschæ oppidum in quo Cardinalis erat vi cepisse, & arcem ad quam se Cardinalis receperat oppugnare aggressum, factâ quâdam concordiâ, nihilominùs Cardinalem arctissimâ custodiâ cum summâ ignominiâ servari jussisse; nec libertatem concedere voluisse, nisi remissis injuriis, quodam Ecclesiæ castro tradito, magno auri pondere soluto, aliísque pluribus superadditis conditionibus, ac denique omnibus Ecclesiæ privilegiis & juribus ereptis: Nec his contentum Sigismundum, cùm sacerdotes à divinis cessarent, non veritum esse necem Cardinali denunciare, nisi ad profanationem sacrorum illos compelleret: His auditis à Pio Pontifice postquàm Ducem iterùm admonuisset resipiscere, ísque contemneret, tunc illum dirissimo anathemate damnâsse. Ita Nauclerus; ex priori Bullâ Pij contra Sigismundum contortâ, quâ hæc pleniùs enarrantur. Quem cùm etiam ob contumaciam, & constitutionum Pontificiarum irrisionem, ad respondendum de fide, cujus se temeratorem demonstra-

[b] *Naucl. gener. 49.*

[c] *Krantz. 12. Vvandal. 24.*

bat,

bat, unà cum aliis ei inhærentibus, citâsset; atque ab eâ citatione rursùm Sigismundus ad futurum Concilium, & ad futurum Romanum Pontificem appellâsset: tunc demùm Pius Senis existens 6. Idus Augusti præsentis anni damnationem in Sigismundum promulgavit, cujus Gobellinus meminit; quâ Sigismundum juris scripti pœnas in ejusmodi sacrilegos statutas incurrisse declaravit.

V. GREGOR. HEIMBURGII IN PONTIF. PROCACITAS.

Adversùs quem audacissimè insurgens *Gregorius Heimburgius* (quem Gobellinus in Conventu Mantuano oratorem Alberti Austriæ item Ducis & Friderici Imp. germani egisse, ac Sigismundo adveniente orationem pariter ejus nomine coram Pontifice in auditorio publico habuisse narrat; Iuris interpretem celebratum, atque eloquentiâ Teutonicâ insignem depingens: quem & insuper Pio ipsi familiarem olim fuisse, & in pretio doctrinæ & elegantiæ, ex quâdam ad ipsum scriptâ ab eo epistolâ [d] intelligitur) ejusdem Sigismundi nomine eodem mense Augusti ab ejusmodi declaratoriâ Pontificis sententiâ ad futurum Concilium appellationem dictavit, sese in ejus originalis instrumento Florentiæ ad valvas Ecclesiæ affixo testem inscribens. Contra quem Pius edictum ad Germanos promulgavit: cujus exemplar, ut ad Magistratus Nurembergenses scriptum est, reperitur inter ejus epistolas [e], datum Romæ die decimo-octavo Octobris; cùm jam illo tempore eò pervenisset: quo vehementer in eum invectus quòd sprevisset ipsius decretum de non appellando à Pontificis sententiis ad futurum Concilium; declaravit eum propterea excommunicatum, in crimina & pœnas incidisse læsæ majestatis atque hæresis, adeò ut ultra execrationem esset etiam honore omni & bonis jure privatus: mandans ipsum non solùm vitandum esse, verùm etiam procul undique ejiciendum, ac bona ejus fisco addicenda. Erat enim Nurembergensis civitatis Syndicus: sed post excommunicationem in Boëmiam ad Hussitas abiit: unde evocatus à Diethero Moguntino excommunicato, de quo dicetur anno sequenti, ei adhæsit. Priùs tamen adversus Pij sententiam ac literas aliud longè virulentissimum scriptum opposuit, mense Ianuarij anni consequentis; quod auctor Paralipomenon Vrspergensis, ut præclarum emblema suæ farragini illustrandæ inseruit. Carpit autem inter cætera Pium; quòd pecunias collectas specie belli Turcici, in damnatum & scelestum usum converteret; videlicet in subsidium Ferdinandi ex damnato complexu quondam Alfonsi Aragonum connixi, contra Renatum regni Siciliæ hæredem legitimum, & inclytum Ioannem Calabriæ Principem, Christianæ nobilitatis ac militaris gloriæ decus & ornamentum. Qui tamen non eò procacitatis delatus est, ut auctoritatem Ecclesiæ Romanæ aut Pontificis negaverit: sed ita appellationem suam temperavit; ut primùm ab irato Papâ ad eundem mitem factum; deinde ab eo sibi inimico ad eundem juxta arbitrium boni viri judicantem, tum si causam delegare mallet, ad delegatum, demúmque si nihil homo Papa admitteret, ad Vniversalem Ecclesiam in Concilio congregatam appellaverit. Adversus autem ejus criminationes apologiam pro Pio & Ecclesiæ Romanæ auctoritate, conscripsit satis prolixam Theodorus Lælius Episcopus Feltrensis: quam rursùm Gregorius confutare contrario scripto conatus est: idémque acerrimam invectivam (ut mos est schismaticorum & hæreticorum, nunquam non criminari, & perstrepere) contra Cardinalem Cusanum edidit. Quæ omnia Goldastus in suam Monarchiam, seu veriùs Morarchiam invexit & Freherus in Compilationem Rerum in Germaniâ sub Frederico III. Imperatore gestarum. Quòd verò non unius anni hæ controversiæ fuerint, agetur rursùm de iis quæ porrò secuta sunt, suis locis.

[d] Æn. ep. 120.

[e] Id. ep. 400.

DAMNATUR À PONTIFICE.

SED RECALCITRAT.

VI. CONTENTIONES REGUM CŪ PONT. DE COLLATIONE NONNULLARUM ECCLESIARUM.

Nunc ut Gobellinum in suis relationibus pedatim sequamur; scribit idem, dum adhuc Pius Senis esset, venisse ad eum ab Henrico Rege Castellæ Legionensem Episcopum, pulchra & magnifica verba deferentem, sed inania, eò quòd nihil habuit quod pro tutelâ fidei adversus Turcos offerret. Cùm autem paulò pòst idem Episcopus ibidem Senis obiisset, Pium ei Ioannem de Turrecrematâ Ordinis Dominicani ejusdem nationis Cardinalem S. Sixti. Theologicâ scientiâ illustrem, & multis scriptis voluminibus clarum (de quo nos aliàs) suffecisse: Sed Rege possessionem non concedente, multas & magnas contentiones inde inter Regem & Pontificem emersisse. Non autem meminit Gobellinus grandis alterius contentionis, quæ inter eundem Pontificem fuit hoc eodem anno & Casimirum Poloniæ Regem, de Ecclesiâ Cracoviensi; cui vacanti Pontifex Iacobum Sennenium præfecerat, nepotem Cardinalis quondam Sbignei, quem Rex ad Conventum Mantuanum miserat, Rex verò Cancellarium suum à nonnullis Canonicis eligi obtinuerat; quæ contentio eò usque processit, ut etiamsi Pontifex acerrimum & pœnale mandatum dedisset, quo diris devovebantur ij qui Sennenium pro Episcopo Cracoviensi non reciperent; nihilominùs tantâ pertinaciâ Rex Sennenio restiterit, ut post diram in eum & fautores ejus persecutionem, contestans se regnum priùs amissurum, quàm Episcopum quemquam in suis ditionibus se invito esse passurum, coëgerit tandem illum juri suo cedere; & quem Rex promoverat, in ejus Ecclesiæ possessione permanserit. Quæ uti se habuerint pluribus narrat Cromerus [f], breviùs Michovius [g].

[f] Crom. l. 24.
[g] Michov. lib. 4. c. 60.

VII.

Fuit & alia item ejusdem Pontificis cum Carolo Francorum Rege de Ecclesiâ Tornacensi gravis controversia; cui Rex Cardinalem Constantiensem præfici petierat, at Pius transferre in eam Episcopum Tullensem in gratiam Ducis Burgundiæ maluerat, quamquam esset Tornacum in potestate Regis. Extant [h] de his binæ Pij Pontificis ad Carolum Regem literæ, quibus status controversiæ intelligatur. Et quamquam non deessent rationes idoneæ, Regi, vicit tamen Pontifex in Galliâ, qui repulsam passus est in Hispaniâ & Poloniâ. Malâ mente sanè oportet esse, qui hanc gentem Sedi Apostolicæ odiosam reddere satagunt. Fidentissimè dicimus, & quandocumque probandum fuerit, cumulatissimè demonstrabimus; demonstrabit & quicumque vel minimam rerum antiquarum & singulorum regnorum ac populorum cognitionem habuerit; nunquam extitisse nationem, nec ipsam Italiam, nec ipsam Vr-

[h] Ap. Æn. ep. 374. & 375.

NATIONIS GALLIC. VENERATIO ERGA SED. APOSTOL.

bem Romam, ut jam exteras longè inferiores taceamus, quæ obedientiâ erga Sedem Apostolicam Gallicæ longissimo intervallo comparari possit. Qui autem à Tullo Leucorum per Pium translatus est Tornacum Merviorum, fuit Guillelmus Fillatre Monachus Benedictinus, vir insignis, & Cancellarius Velleris aurei, de quo & librum Gallicè scripsit.

VIII. Legatio Patriarcharum Oriental. ad Pontif.

His expositis, quæ omitti non debuêre, ut ad Gobellinum redeamus, ait, circa idem tempus adiisse Senas Pontificem, Moysen Archidiaconum Antiochenum, virum Græcis ac Syris literis eruditum, & magni apud Orientales nominis. Hunc à tribus Patriarchis missum fuisse, Antiocheno, Alexandrino, & Ierosolymitano, ac plurimis aliis Principibus Christi cultoribus: Summam legationis extitisse, ut significarent, cùm tres illi Patriarchæ non recepissent anteà decretum Concilij Florentini de communione utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, satore zizaniarum impediente; posteà illos bonos commotos spiritu, conventu subditorum habito, suscepto decreto velle se deinceps Romano Pontifici tanquam Iesu Christi Vicario obtemperare. Auditâ legatione Pontifex, collaudatis Patriarchis, scripta quæ Moyses detulerat in Latinum translata, in archivis Romanæ Ecclesiæ recondi jussit; ipsúmque donatum ad propria remisit.

IX. Monembasia civitas se dat Pontifici.

Paucis deinde secutis diebus legati ex Monobassiâ Pontificem adiêre, se atque urbem ei dedentes; quæ est Peloponnesi civitas ad mare in monte jacens munitissima, & recuperandæ Græciæ commodissima; narrantes Demetrium Palæologum eorum dominum fuisse, sed ad Turcum defecisse, voluisséque unà secum ipsos ad Turcos trahere: Restitisse ipsos, & urbem Thomæ Demetrij fratri obtulisse: at ipsum negâsse eas sibi vires esse, quibus eam defendere posset; hortatúmque esse ut vel Pontificem vel alium dominum assumerent. Suscepit igitur illam Pontifex Ecclesiæ Romanæ nomine: misitque præfectum qui populo jus diceret, & annonam quâ egebat ministraret. Ita Gobellinus. Meminitque earumdem rerum Phranzes [l], pleniùs eandem civitatem describens; quæ una est è tribus Epidauris antiquis, dicta posterioribus Græcis Monembasia, (ut Cedreno, Gregoræ, eidémque Phranzi) & Monobasia, ab unico tantùm ingressu quem habet, cùm sit aliàs rupibus undique abruptis tutissima. Malvasiam hodie nominari dicunt. Commendátque illam valdè Phranzes ab antiquitate, magistratuum ab omni ævo sapientiâ, civium ac populi virtutibus, peritiâ navigationis, scientiâ & fortitudine militari, supérque omnia fide in Deum & Imperium: Vnde cùm esset antiquitùs in eâ Episcopus subjectus metropoli Corinthi, Mauritius Tiberius Imp. primùm eam metropolis dignitate illustraverit, trigesimo-quarto ei throno inter subjectas Patriarchatui Constantinopolitano constituto: posteà verò Senior Andronicus Palæologus de consensu Synodi Episcoporum ad decimum locum provexerit, multáque alia privilegia eidem contulerit: quæ deinde Andronicus Iunior rata habuerit, atque etiam adauxerit. Hæc pluribus Phranzes; cùm nihilominùs in Provinciali Romano, ex dispositione Leonis Imp. cognomento Philosophi, sive Sapientis, qui trecentis annis posterior fuit Mauritio, Monembasia adhuc constituatur sub metropoli Corinthi: & ex Andronici Senioris expositione, ponatur quidem inter metropoles, sed tantùm trigesimo quarto loco, decimo Philadelphiæ tributo: fortè ignoratione eorum quæ in ejus decus pòst facta fuerunt. Cæterùm venit illa post aliquot annos in manus Venetorum; tandémque in Turcorum, unà cum reliquo Peloponneso.

[l] Phranz. lib. 3. cap. 24.

X. Turbæ Romanæ.

Auditis post hæc à Pontifice Romanis turbis, à Tiburtio quodam filio (ut Platina [k] docet) Angeli Massiani, quem Nicolaus Pontifex ob conjurationem cum Stephano Porcario factam laqueo ad fenestras Capitolij suspendi fecerat, concitatis, quibus magna pars Romanæ juventutis eo ductore totâ Vrbe rapinis, cædibus, stupris impunè grassabatur, occupato etiam Pantheo templo, & Vrbem à sacerdotum jugo liberare velle præseferente, Magistratibus non ausis se iis opponere: deliberavit Pontifex in Vrbem redire, ut his aliísque ejus necessitatibus remedium afferret. Multáque valdè utilia in itinere diversis locis operatus, Romam pervenit Nonis Octobris, ingenti gaudio à civibus receptus. Vbi paulò pòst interceptum Tiburtium cum præcipuis factionis sociis suspendio necavit. Quam rem fusè describit Gobellinus [l]; paucissimis verbis expedit Platina, aliáque ab eodem Pontifice contra alios Ecclesiæ adversarios præstita; quæ per sua quæque tempora Gobellinus distribuit.

[k] Platin. in Pio II.

[l] Comment. Pij II. lib. 5.

XI. Iacobi II. Reg. Scotor. obitus.

Quo item auctore habemus, hoc eodem anno Iacobum II. Scotorum Regem, dum castellum quoddam ab Anglis sibi ereptum oppugnaret, fractæ bombardæ ad quam stabat fragmento percussum interiisse: Pium Pontificem audito infelici casu exequias defuncto duxisse. Quam rem diligentiùs describentes auctores Scotici [m], aiunt id contigisse tertio Nonas Augusti in obsidione arcis Roxburgensis munitissimæ: Eo occiso Reginam ejus conjugem nomine Mariam (quæ filia erat Ducis Gueldriæ ex sorore Philippi Ducis Burgundiæ) mulierem cordatam, quæ eo ipso die in castra venerat, haud viri casu dejectam animo, rem tantâ fortitudine prosecutam esse, ut Anglos qui in arce erant, laboribus & vigiliis confectos, ad deditionem compulerit; arcemque, ne iterùm causa belli foret, solo æquavit. Maximum Rex suî desiderium apud omnes ordines reliquit, quòd à pueritiâ bellis domesticis & externis agitatus, magnâ animi moderatione res adversas & prosperas tulisset, egregiâ in hostes fortitudine, in deditos clementiâ. Eóque est visa mors acerbior, quòd in juventæ flore tot malis defunctus, cùm summa de virtutibus ejus esset expectatio, repentè decessit anno ætatis undetrigesimo, regni vigesimo-quarto.

Iacobi III. successio.

Cui successit ex tribus filiis natu major, sed è geminis minor fratri superstes, *Iacobus* ejus nominis III. septem dumtaxat annorum puer. De cujus tutelâ, & regni in ejus minori ætate administratione, postquàm validè disceptatum est inter Reginam, quæ utramque ambiebat, eíque non pauci è proceribus adhærebant: & majores alios proceres, qui secundùm leges patrias non feminis sed viris eas deberi contendebant: demùm ita res composita est, ut bini è singulis factionibus adhibiti ad Regis custodiam, qui

[m] *Boëth. lib. 18. (qui tamen malè ad an. 1463. refert) Lesla. lib. 8. Buchan. lib. 11.*

publica negotia tractarent, vectigalia dispensarent, familiæ regiæ curam gererent, unà cum duobus aliis Episcopis: Regina educationi Regis adesset, reliquorum liberorum præesset, nullam tamen partem curæ publicæ attingeret. Ad quam curam sex illi, tantisper dum Iacobus Kennethus, sive Kennedius eorum unus atque præcipuus, S. Andreæ Episcopus, vir civili prudentiâ excellens, morum elegantiâ & propinquâ cum Regibus cognatione, atque in superiorem Regem officiis, cunctis venerabilis, vixit, summâ concordiâ conspirârunt, ad sextum fermè annum: (Reginâ interim tertio viduitatis anno defunctâ:) eo verò mortuo dissutæ cæterorum voluntates ingens Reipublicæ malum conflârunt; quamquam nec defuerint interim turbæ aliquæ in regno, ut fit in minori Regum ætate; quæ feliciter à regni procuratoribus sopitæ sunt.

XII. [n] Suprà an. 1459. XI. MANICHÆI EXAGITANTUR.

Rex Bosnæ hoc eodem anno (ut Gobellinus pergit) quò piaculum traditæ Turcis Synderoviæ [n] purgaret, ac suæ religionis fidem faceret, sive quod multi crediderunt avaritiæ obtentu, Manichæos, qui erant in regno suo quamplurimi, nisi Christi baptismum acciperent, è regno migrare coëgit substantiâ relictâ. Duo circiter millia baptizati sunt: quadraginta aut paulò plures pertinaciter errantes ad Stephanum Bosnæ Ducem (alium à Rege, de quo posteà) perfidiæ socium confugêre. Tres principes hæreseos Episcopus Nonensis vinctos ad Pontificem duxit, quos Pius per monasteria relegatos edoceri Christianum dogma curavit, ac reconciliatos ad Regem remisit.

XIII. REX BOEMIÆ TURBAS CIET.

Bessarion Cardinalis Nicænus, qui Mantuâ Legatus in Germaniam perrexerat, cùm venisset ad Imperatorem in Austriam, bellis flagrare omnia reperit; inde Hungaris Imperatori minantibus, hinc Alberto ipsius germano & Ludovico Baioariæ principe: quinimmò & Rege Boëmiæ Podiebracio occultè Imperium sibi quærente, tanquam Fridericus inutilis esset, corruptis promissis ingentibus Electoribus Moguntino & Palatino: sed Brandeburgensi resistente dissoluta conventio est. Réxque deinceps apertè hæreticis favere, lites inter Germanos nutrire, Imperatori magis ac magis insidiari. Ita Gobellinus. In cujus rei confirmationem scribit Cochlæus [o], quantumvis Rex in suì coronatione promisisset (quod vidimus) Romanæ Ecclesiæ obedientiam, qualem præstare decet Reges Catholicos; & Imperatori, in regni confirmatione & feudi acceptione, fidem & obsequium Sedi Apostolicæ, cujus advocatus est Imperator; necnon sæpissimè ipsi Summo Pontifici per literas & oratores reverentiam & observantiam; ac denique spem dedisset reducendi totum regnum ad Ecclesiæ unitatem, súbque eâ spe benignè & honorificè tractaretur tum à Pontifice, tum ab Imperatore, & quosdam alios Principes in affinitatem suam pellexisset: nihilominùs ubi à spe ad rem, à verbis ad facta, à promissis ad præstationem progrediendum fuit, omnium expectationem miserè delusisse, fraudulentis usum deceptionibus.

[o] Cochl. Hist. Hussit. lib. 12.

XIV. BESSARIONIS LEGATIO IN GERM. INUTILIS.

Cæterùm Bessarione tam à Germaniæ Principibus, quàm populis promissa Mantuæ facta exigente, obturaverunt cuncti (inquit Gobellinus) aures suas, verba ejus quasi fabulas exceperunt: nemo inventus est qui operam suam religioni promitteret. Quinimmò & accusationem factam ex hâc legatione, tam in Pontificem quòd decimam Clero indixisset, quàm in Nicænum Legatum quòd literas reservationum passim concederet, fuisséque propterea apologiam ab ipso Pontifice conscribendam; intelligitur ex quâdam ejus epistolâ apud Cardinalem Papiensem [p].

[p] Ap. Papiens. ep. 28.

XV. CULPA VOVENTIUM, NEC REDDENTIŪ.

Quod verò habet Gobellinus de Germanorum retractatione promissorum; inde fit ut longè minùs culpabiles existimemus qui nihil apud Mantuam promiserunt, scientes se non posse quæ ab eis postulabantur adimplere, quàm qui multa polliciti, nihil servârunt. Vsúque venire plerumque cernimus, quod & in hâc omni Turcicâ negotiatione apparuit, ut qui promptiores sunt ad promittendum, segniores sint ad exequendum. Apprimè divinè Spiritus Sanctus. *Siquid [q] vovisti Deo, ne moreris reddere: Displicet enim ei infidelis & stulta promissio: Sed quodcumque voveris, redde. Multóque melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.* Satius quidem fuisset Francis hæc & promittere & reddere; quàm apud Genuam cladem, quamvis absque ullâ eorum culpâ, perpeti ab infidis civibus, scientissimis promittere & fallere. Scribit enim Gobellinus, cùm Genuæ dominio Franci potirentur non sine magno Ferdinandi Regis damno, quorum classis armatæ Genuæ mare inferum infestarent; Prosperum Adornium missis ad Pontificem legatis, significâsse posse se Francos Genuâ ejicere: & constitutâ die cum conjuratis palatium occupâsse: Confugientibus Francis in arcem, oppugnari eam cœpisse: Carolum Regem de his monitum, subsidium obsessis terrâ marique misisse: terrestres à Paulo Archiepiscopo gente Fulgosiâ, non armis S. Pauli, sed Bellonæ munito, repulsas magnâ strage fuisse, occisis propriâ ipsius manu quindecim audacibus viris qui cedere nollent: maritimas, quas Renatus ipse olim Siciliæ Rex bellicis rebus egregius sed infortunatus ductabat pariter fugatas: & qui in arce erant deditionem fecisse. Scriptores Itali rem distinctiùs describunt, nec tantâ in Francos amaritudine; quâ sibi plerumque Gobellinus in gratiam domini sui complacet. Id sanè omni culpâ hoc casu Francos liberat, quòd nec ipse nec illi ullam adferant causam, propter quam meruissent pelli, præter Genuensium infamem tumultuandi & mutandi regiminis libidinem. Fuisséque in his potissimùm Genuenses à Francisco Duce Mediolanensi adjutos consilio, pecuniâ, & milite, iidem auctores tradunt. Qui & addunt, confestim ac Galli exacti fuêre, etiam Adornios exactionis auctores urbe exterminatos esse, solis Fulgosiis rerum potientibus: móxque ipsosmet Fulgosios cupidinem principatûs inter se commisisse: donec & ipse Paulus Archiepiscopus illum invadens, post simulata æqua & quieta principia, suo ingenio vivere incipiens, omnem principatûs sui vim in inimicos insectandos, bonos ac quietos cives vexandos contulit, ingentibus gregibus satellitum ad vim, facinus, rapinas, cædes conductis. Sed sinamus modò illos tali infausto duce pro consuetudine vesanè agere, quousque rursùm invisamus: atque

[q] Eccles. 5.

GENUENSIUM VOLUBILITAS IN FRANCOS, ET INTER SE.

interim ad alia pia Pij geſta animum convertamus.

XVI. Orientalium Principum legationes ad Pontif. contra Turcos.

Miſerat is initio Pontificatûs in Orientem *Ludovicum* quendam Ordinis Minorum profeſſorem patriâ Bononienſem, ut Reges Chriſtianos Iberiæ, Armeniæ, & Meſopotamiæ adverſus Turcos armaret in Aſiâ, ſi expeditionem in Europâ parari contingeret. Is paulò pòſt reditum Pontificis ex Mantuâ Romam appellens, plures Orientalium Principum oratores ſecum duxit; nimirùm Davidis Imperatoris Trapezuntij, Georgij Regis Perſarum, & majoris Armeniæ ac minoris Iberiæ; Aſami generi Imperatoris, ac Meſopotamiæ Regis, non Chriſtiani ſed Chriſtianorum amici; Gorgoræ in majori Iberiâ ducatum obtinentis; Vrtebeci Armeniæ minoris domini: quorum ſicut diverſi fuêre mores, ita & habitus. Fuerátque iis per Colchidem & Scythiam, transmiſſo Tanai ac Danubio, in Hungariam iter; deinde in Germaniam, ubi Fridericum Imp. ſalutavêre; ac poſteà Venetias, ubi magnis honoribus excepti ſunt; demúmque Romam, ubi non minorem gratiam invenerunt, occurrente Prælatorum ordine. Auditi in Conſiſtorio, mira magnáque dixerunt, promiſerúntque: cùm gererent ipſorum Principes gravia inter ſe odia belláque, nihilominùs ad mandatum Pontificis ea depoſuiſſe, paratos adverſus Turcos reſumere: centum viginti millia pugnatorum præſtò adfuturos in Aſiâ uſque ad Helleſpontum, & Thracium Boſphorum, Mahometis Imperium invaſuros, dum Europæi pariter aggrederentur illud: ad id ſe miſſos eſſe, ſimúlque ut Pontificis oſcularentur pedes tanquam vices Dei tenentis in terrâ: Ipſis fœderatos eſſe Bendiam Mengreliæ & Arabiæ Regem, & Pancratium Iberorum qui Georgiani vocantur, & Maniam Marchionem Goriæ, & Iſmaëlem Sinopis dominum & Caſatimenæ, & Fabiam Ducem Anogoliæ, & Caramanum Ciliciæ dominum, quorum maxima futura eſſent præſidia. Illud tantùm modò ſe petere, ut Ludovicum qui ipſos Romam adduxerat, ſuper Catholicæ fidei in Oriente cultores Patriarcham Pontifex conſtitueret. Quibus auditis Pontifex Principum deſideria & oblata laudavit: utiléque videri dixit legatos trans Alpes in Galliam proficiſci, eadémque Regi Franciæ ac Duci Burgundiæ exponere: ſine Francis expeditiones quæ dignæ ſunt difficilè fieri poſſe: eam eſſe nationem quæ ſæpè adverſus Infideles terrâ maríque glorioſè certaverit, & nunc eam Turcis præcipuè timendam fore. Aſſentientibus legatis expenſæ itineris præbitæ ſunt, & in eorundem gratiam Patriarchatus Ludovico conceſſus, eâ tamen moderatione adjectâ, ne ſe Patriarcham aut diceret aut ſcriberet antequàm reverteretur. Sed quoniam non niſi anno ſequenti in Galliam legati pervenerunt, non antè dicetur de illis. Nam quæ per eos ſcriptæ ſunt à Pontifice literæ [r] ad Ducem Burgundiæ, datæ ponuntur Idibus Ianuarij anni Pontificatûs tertij.

[r] Æn. ep. 376.

XVII. B. Antonini Martyrium.

Hoc interim anno Tuneti in Africâ nobile martyrium pro Chriſti fide paſſus [s] eſt *B. Antoninus* de Ripolis Ordinis Prædicatorum. Qui cùm habitum & nomen olim à S. Antonino Florentino ſuſcepiſſet, viſendæ Siciliæ curioſitate tentatus, cùm nequicquàm diſſuadente Sancto eò navigâſſet, in reditu Neapolim trajiciens captus à piratis & Tunetum ductus; multis incommodis ſervitutis fractus, fidem coram Rege ejuravit, uxorémque duxit. Sed quatuor pòſt menſibus cœleſti lumine illuſtratus, uxore repudiatâ, habitum priſtinum reſumpſit, caput de more Ordinis raſit, Regémque adiens ſe perfidum fidei Chriſtianæ proditorem accuſavit; pro cujus confeſſione velle ſe mori conteſtatus eſt. Cùm nec blanditiis nec minis moveretur, morte damnatus, & lapidibus gladiíſque impetitus, in Chriſti confeſſione & Mahometanæ ſectæ deteſtatione conſtantiſſimè animam Deo reddidit. Corpus exanime igni injectum, illæſum adeò permanſit, ut nec capilli violati fuerint. Tractum demùm per vicos in cloacam conjectum eſt; & à Chriſtianis redemptum, ſuaviſſimum odorem ſpirans multis miraculis claruit.

[s] Leand. lib 2. de Vir. ill. Ord. Præd.

XVIII. Peſtilentia inſolita.

Legimus quoque in quâdam Compilatione [t] Chronologicâ, hoc anno ſtatim poſt feſtum Nativitatis Chriſti cœpiſſe in quibuſdam Germaniæ locis peſtilentiam inſolitam, quâ viri robuſti moriebantur, paucæ mulieres, pueri rariſſimi: Eâ de causâ in civitate Brunſvicenſi proximâ Quadrageſimâ Miſſam per ſingulas Eccleſias decantari juſſam eſſe, cui omnes nudis pedibus aſtabant, jejunantes, & quartâ die in pane & aquâ: Atque inde Dominum placatum miſericorditer & mirabiliter populum exaudiſſe, vindictâ hâc ceſſante.

[t] To. uno Rer. Germ. Piſtor.

IESU CHRISTI Annus 1461.

PII II. Annus 4.

FRIDERICI III. An. 22.

I. Bella Anglica.

ANNO Chriſti 1461. Indictione nonâ, ipſis Calendis Ianuarij pugnatum eſt prælium in Angliâ inter Margaritam Reginam & rebellium principem Richardum Ducem Eboracenſem, quo Dux concidit, ut jam dictum anno ſuperiori: ubi & dubitavimus, num potiùs, ut multa ſuadent, intelligendum ſit de Ianuario illius. Nec tamen diu lætari de hâc, aliáque mox ſecutâ de Comite Warwicenſi victoriâ, Reginæ licuit, Regíque Henrico ejus viro per eam in libertatem aſſerto. Siquidem reparato exercitu ab Eduardo Marchiæ Comite Richardi filio, conſertáque non longè ab Eboraco ad locum Touton Polydoro [a], Faribugum Monſtreleto [b] hæc narrantibus dictum, ferociſſimâ pugnâ, in quâ de rerum ſummâ agebatur, dubia diù victoria ad rebelles inclinavit; poſtquàm, ut Monſtreletus habet, tribus diebus continuis pugnatum fuiſſet, ſeu ut Polydorus ampliùs horis decem: tantâ utrimque cæde, ut Monſtreletus triginta millia præter captivos deſiderata fuiſſe, Polydorus viginti millia virorum fortium cæſa, decem capta, Scoti [c] de his etiam agentes ſupra triginta ſex millia cecidiſſe ſcribant: facto prælio ipſo die ſacro Palmarum quarto Calendas Aprilis: quo quidem, ut Polydorus ait, Rex, ut erat valdè pius, orandum potiùs ſibi quàm pugnandum ſtatuerat, ſed à militibus moræ impatientibus primâ luce ſignum cer-

[a] Polyd. l. 23. [b] Monſtrel. vol. 3.

Rex et Regina vincuntur.

[c] Buchan. lib. 12.

taminis dare compulſus eſt. Victus, unà cum Reginâ & parvulo filio Eduardo fugit in Scotiam. Vbi humaniſſimè à Reginâ & procuratoribus regni (Rege tantùm ſeptenni exiſtente) ſuſceptus: ut eis gratificaretur, & inſigni aliquo beneficio eos ſibi magis devinciret, Bervico oppido, quod in finibus utriuſque regni amplum & munitum eſt, in perpetuum Scotis ceſſit. Pactúmque inſuper matrimonium eſt inter filium Regis Angli & ſororem Scoti adhuc puerulos.

II. Eduardus IV. Rex Angliæ.

Eduardus verò poſt victoriam Londinum Angliæ metropolim petens, ad tertium Calendas Iulij Rex declaratus eſt. Quartus eo nomine poſt primum Guillelmum Normannum: atque ex ejus ſententiâ cuncta Henrico Rege conſtituta in conciliis olim habitis, reſciſſa ſunt & antiquata. Regina verò Margarita, viro in Scotiâ relicto, in Galliam navigans pro auxilio, cùm aliquam militum manum reduxiſſet, validiori Scotorum additâ, ſemel iterúmque excurrens in Angliam, ſemper fugata eſt unà cum viro Henrico. Qui etiam poſt aliquod tempus, ſive ſpe ab amicis injectâ, vel exilij tædio compulſus, ſtatuens ad ſuos in Angliam occultus redire; eâdem fortunæ ad extremum durante in miſerum Principem violentiâ, ſeu potiùs divinâ Providentiâ virum pium per multiplices calamitates quibus continenter afficiebatur ad cœleſte regnum evocante, agnitus captuſque, Londinum deductus eſt, & in cuſtodiam traditus. Margarita uxor rurſum in Galliam una cum filio navigavit. Quæ uno contextu dicta ſunto, ne toties refricandæ ſint miſeri Principis calamitates: quas diligentius proſecutus Monſtreletus, eum interceptum ponit menſe Auguſti anni 1465. ac per civitatem Londinenſem Eduardi juſſu circumductum, prohibitis cunctis pœnâ capitis nequis eum ſalutaret, aut honoris aliquod ei ſignum exhiberet, demùm ter circum probroſum cippum ante turrim Londini antequàm ei includeretur actum fuiſſe. Fœdum omninò facinus; quod Angli tacent ſcriptores. Quomodò verò Henricus rursùs regnum recuperaverit, iterúmque amiſerit, & quem poſtremò finem ſortitus ſit, dicetur ſuis locis.

Henric. Rex Antiquus in cuſtodiam traditur.

III. [d] Comment. Pij II. lib. 5.

Intereà ad principium hujus anni (ut ex Gobellino [d] conſtat) Thomas Palæologus, de quo ſæpè ſuperiùs; è Corcyrâ, quò vidimus à Mahomete Turcorum Imperatore confugiſſe, Romam venit; dimiſſo Anconæ, ubi excenſionem fecit, Capite S. Andreæ Apoſtoli, quod pretioſiſſimum munus ab urbe Patracenſi ubi aſſervabatur Pontifici attulit; uti etiam Phranzes [e] auctor Græcus teſtatur. Illum Pontifex benignè excepit, & in ſumptus menſtruos trecentos aureos conſtituit: quibus Cardinales ducentos addidêre. Eidémque Pontifex Roſam auream Dominicâ Lætare quartâ Quadrageſimæ benedici ſolitam dono dedit. Caput autem ſanctiſſimi Apoſtoli anno proximo celeberrimâ pompâ, quam diligentiſſimè idem Gobellinus [f] deſcripſit, Romæ excepit, & in Eccleſia S. Petri collocavit. Rogatus verò à ſuis civibus, B. Catharinam Senenſem, de cujus pietate ac rebus geſtis & miraculis dictum aliàs, ſolemni ritu in Sanctarum Virginum catalogum retulit [g] tertio Calendas Iulij.

S. Andr. Apoſtoli caput Romam defertur.

[e] Phranz. lib. 3. cap. 26.
[f] Comm. Pij II. lib. 8.

S. Cath. Senenſis canonizatio.

[g] Bullar. tom. 1. Pij II. conſt. 6.

IV.

Anteà verò, nempè feriâ quintâ Majoris Hebdomadis idem Pontifex publicè duos *Sigiſmundos* excommunicavit: Auſtrium, propter vim Cardinali S. Petri illatam [h]; & Malateſtam [i] qui cenſus Eccleſiæ Romanæ debitos diſſolvere neglexiſſet. Quòd verò & *Dietherum* Iſenburgium electum Archiepiſcopum Moguntinum pariter extra Eccleſiam feciſſet; majores inde per Germaniam excitatæ ſunt turbæ, quas idem Gobellinus [k] deſcribit. Ex quo intelligimus, Dietheri cauſam ita ſe habuiſſe: Cùm fuiſſet anno 1459. electus in locum defuncti Archiepiſcopi, Mantuam ubi tūc Pius erat, oratores miſit, qui confirmationem de more poſtularent. Annuit Pontifex, dum is ad Curiam pro conſuetudine accederet, ſolverétque ſummam pro illâ Eccleſiâ in Camerâ prætaxatam. Iuravit electus, antequàm annus elaberetur ad præſentiam Pontificis ſe conferre: & à quibuſdam mercatoribus mutuam pecuniam accepit pro ſolvendâ annatâ, cum obligatione in formâ Cameræ ſatisfaciendi eis præfixo termino. Cùm non ſatisfeciſſet, per Auditorem Cameræ excommunicatus publicè denunciatus eſt: ipſe verò tanquam injuriâ affectus ad futurum Concilium appellavit: convocatiſque propriâ auctoritate plurimis Germanorum conventibus, proceres ut appellationi ſuæ adhærerent, magnis precibus invitavit; ac per contemptum clavium divinis ſe immiſcuit. Convenientibus igitur eâ de re hoc anno Moguntiæ oratoribus Principum Germanorum, cùm & adeſſent Pontificis nuncij Rodulphus Decanus Wormatienſis & Franciſcus Canonicus Toletanus; Dietherus valdè conqueſtus eſt de perſecutione Romani Pontificis, déque magnâ vi auri pro confirmatione electionis ſuæ petitâ, de juramenti inſoliti, & decimarum atque indulgentiarum aſſenſus poſtulatione, aliiſque nationi Germanicæ graviſſimis, quæ quamquam ſpecie belli contra Turcos gerendi peterentur, inſidiæ tamen eſſent ad pecunias corradendas. Ad quæ reſpondens Rodulphus pro Pontifice, dixit juſſum eſſe Dietherum ad Curiam accedere pro veteri conſuetudine: nihil ab eo pecuniæ quæſitum quàm quod in Camerâ prætaxatum eſſet, videlicet decem millia nummûm pro principali taxatione, & quatuor millia pro minutis ſervitiis, literarum expeditione & oratorum ſumptibus. De Decimis atque Indulgentiis ſponte ipſummet obtuliſſe, daturum ſe illis curſum in ſuâ provinciâ, verùm partem cupere: ſed Pontificem deſtinatam in opus fidei pecuniam partiri cum ipſo nefas exiſtimâſſe, & ſacrilegium duxiſſe quod Deo dandum eſſet, ad privatos uſus transferre: Iniquè ab eo Iudice appellâſſe, qui non habet in terrâ ſuperiorem: & ad eum qui nullibi eſt: Pulchram eſſe inventionem, ut impunita ſint ſcelera; ut liceat ſine metu judicij quicquid libuerit facere, eum Iudicem appellari qui nuſquam reperitur: In Conventu Mantuano adverſus hanc nequitiam legem editam eſſe. Quis verò Epiſcopus, quis Iudex ſuo ſatis officio facturus ſit, ſi liceat ad futurum Concilium appellare? quæ manſura ſit obedientia? quia ſententia executionem habitura? Pro Decimis & Indulgentiis nihil ab invitis requiri: ſed de communi omnium conſenſu in Conventu Mantuano decretas eſſe, ex quibus pecuniæ ad bellum Turcicum neceſſariæ colligerentur. Si non placeret

Duo Sigiſmundi excōmunicantur.

[h] Suprà an. 1460. IV.
[i] Suprà an. 1459. VII.
[k] Comm. Pij II. lib. 6. & Naucler. gen. 49.

Dietheri electi Moguntini cauſa cum Pontif.

Rationes Pontificis contra eum.

Germanis Religioni opem ferre, liberos esse consulerent sibi contra Turcorum pericula quibus melioribus modis judicarent. Hæc liberè Rodulphus cùm peroràsset, Conventus ejus oratione persuasus, nihil eorum fecit quæ Dietherus efflagitabat.

V. DIETHERUS RUIT IN PEJUS.

Conventu igitur dissoluto fractus animo Dietherus, Apostolicis nunciis futurum se deinceps alium virùm promittens, appellationi, quàm publicè interposuerat, paucis testibus & tabellione accersitis occultè renunciavit; ut quem non tam appellàsse, quàm & appellationem revocàsse pudebat. Idemque fecerat paucis antè diebus Fridericus Comes Palatinus Rheni, qui Diethero adhæserat, vir multis vitiis inquinatus. Neutro tamen in viâ permanente, Dietherus nullâ excommunicationis absolutione obtentâ, divina profanavit officia; infra tempus à jure statutum Episcopalem ordinem neglexit accipere, creditoribus nunquam satisfecit; juramentum quo se Curiam petiturum adstrinxerat violavit; novas adversus Pontificem excitare turbas procuravit; Canonicos Ecclesiæ suæ per contumeliam ejecit; bellis cruentissimis se immiscuit; villas & Ecclesias incendit, subditis gravia imposuit onera; aliis uxores, aliis substantiam abstulit, sacerdotia pretio vendidit; reddendi juris nullum adhibuit studium. Quibus Pontifici renunciatis, misso in Germaniam uno ex suis cubiculariis qui facta Dietheri inspiceret, & utrùm inter Canonicos Moguntinos quispiam esset inquireret, qui se Diethero auderet opponere si ei successor daretur: inventus est ex antiquâ & nobili domo Adolphus Nassovius, in cujus familiâ fuit [l] aliquando Imperium, vir doctrinâ & moribus conspicuus, cunctisque gratus, qui etiam in electione concurrerat cum Diethero, prævaluisśetque nisi Dietherus pecuniâ quendam ex electoribus corrupisset. Huic igitur Pontifex (Diethero deposito) Ecclesiam contulit: cúmque Canonici summo gaudio in throno Pontificali collocàrunt: ac Dietherus appellare se dixit à Pontifice non benè instructo ad eundem benè instruendum. Secuto verò inter partes bello, cùm pars Adolphi superior esset, actum est de concordiâ; quâ Ecclesia Adolpho, quædam castella cum honestis redditibus ad vitam sustentandam Diethero relicta fuêre. Sed Friderico Comite Dietherum rursùm in transversum impellente, factum est ut æquatis ferè utrimque viribus cruentæ pugnæ, vastationes agrorum, oppidorum destructiones, Principum captivitates, omnium divinorum humanorúmque violationes secutæ sint. Donec anno 1463. Dietherus longis bellorum calamitatibus afflictus, sive divinitùs ab antiquo proposito retractus, considerans Fridericum nihil aliud quærere quàm Moguntinæ Ecclesiæ desolationem, jure suo penitùs Adolpho cessit, reservatis ad vitam aliquot oppidis; & absolutionem à Nuncio Pontificis accepit. Hæc pluribus Gobellinus [m], & Nauclerus [n]. Estque de iisdem epistola [o] Pii Pontificis ad Ducem Burgundiæ contra Fridericum Palatinum: aliaque [p] ad ipsummet Fridericum, quâ omnem salutationem uti excommunicato negans, hortatur ad resipiscentiam, & Sedis Apostolicæ obedientiam. Habent verò prætereà Trithemius [q] & Krantzius [r]; defuncto in pace Adolpho anno 1475. eundem Dietherum communi Canonicorum consensu, quò in unum proventus Ecclesiæ reducerentur, denuò in Archiepiscopum electum esse; rexisséque utiliter Ecclesiam sex annis & totidem mensibus usque ad annum 1482. confirmante id Serario [s] in commentariis Rerum Moguntinarum.

ADOLPH. NASSOV. CONTRA EUM ELIGITUR.

[l] Suprà an. 1247. II. 1248. IV.

CEDIT TANDEM.

[m] Comment. lib. 6. 11. 12.
[n] Naucler. gener. 49.
[o] Æn. ep. 381.
[p] Id. ep. 383.
[q] Trithem. in Chron. Sponheim.
[r] Krantz. Saxon. lib. 12.

AC RURSUM ELIGITUR.

[s] Ser. lib. 5.

VI.

[t] Monstrel. vol. 3. Meyer. lib. 16.

LEGATORUM ORIENTAL. ACCESSUS AD REG. FRANC.

Hoc anno ad mensem Maij (ut Monstreletus [t] notat) pervenerunt ad Regem Francorum Carolum VII. legati Orientalium, de quibus dictum superiori: unà cum Prælato (inquit) habitu Minorum, qui se Patriarcham Antiochenum nominabat. Addit, fuisse etiam inter illos legatum Presbyteri-Ioannis, quem dicebant esse virum admodùm literatum. Admissos ad Regem, *Christianissimum* Regem vocàsse, ac postulàsse exercitum ad resistendum Turco; plúsque profuturum, ac majorem timorem incussurum, vexillum Regis & ducem ejus nomine missum, quàm centum millia pugnatorum aliarum nationum. Quæ referens ex Monstreleto Meyerus, ringitur, ac vehementissimè angitur quòd vocaverint legati Regem *Christianissimum*: Olim quidem Carolo Magno Imp. Francorúmque Regi hoc nomen ob singularia ejus merita attributum memorari: at cur hoc nunc Gallici usurpent Reges, non videre se: non enim à Carolo Magno, sed ab Hugone Capeto originem ducere: nec Francorum Reges, sed Gallorum propriè vocari. Sequentia omitto, quia planè Megæricæ sunt; & in iis quæ protulimus, plures omninò sunt ineptiæ, & inscitiæ, & ut planè dicam fatuitates aut puerilitates, quam verba aut syllabæ. Sed apologias non agimus. Est Sedes Apostolica, quæ agat; quæque præcellentissimum CHRISTIANISSIMI titulum, etiámque ante Carolum Magnum, Francorum & Gallorum Regibus, etiamque deinde in progenie Capeticâ (quam iste tanto ubique odio insectatur) ob insignia singularum trium stirpium in eam obsequia, merita & beneficia, speciali ac planè cœlesti privilegio, nemini alteri in titulum communicando, & contulit, & continuè hactenùs servavit; servabítque, ut confidimus, in æternum. Nec improba [u] unquam surget tristi de sede Megæra, quæ suis livoribus & invidentiis illud tollere aut denigrare possit. Cæterùm quid Rex legatis responderit, incompertum se habere Monstreletus scribit; nisi quòd benè eos habuit: Inde verò Ducem Burgundiæ adiisse; húncque præter egregia munera iis collata, promisisse suam operam, dummodò aliquâ ratione posset suas ditiones apud Regem securas reddere.

MEYERI VIRULENTIA IN REGES FRANC. DE TITULO CHRISTIANISS.

[u] Claud. l. 1. in Rufin.

VII.

[x] Ap. Æn. ep. 376. & seqq.

Sunt [x] de hac legatione literæ Pij Pontificis ad eundem Philippum Ducem, unà cum aliis nomine Davidis Imperatoris Trapezundarum, & Gorgoræ Ducis Georgianæ, & Georgij Regis Persarum, datis ad finem anni 1459. quando legati illi ex Oriente missi fuêre; magna illa ac mira quæ superiori anno retulimus, atque etiam majora promittentibus, & ad suppetias ferendas fœdúsque ineundum invitantibus unà cum oratione exhortatoriâ ad eundem Principem. De quibus narrat demum Gobellinus, eos neque apud Regem neque apud Ducem aliquid invenisse præsidij: omnes ejus rei curam pro quâ verba

fecerunt, ad Pontificem remisisse, tanquam ejus esset etiam sine ope Regum Turcos evincere: Corrasisse tamen mendicantes non parvam pecuniam: Interfuisse Caroli Regis exequiis, qui per idem tempus obiit; & coronationem filij ejus Ludovici vidisse; nec plus ab eo quàm à patre obtinuisse: Medio tempore multa ad Pontificem delata esse, quæ Ludovicum Franciscanum qui eos duxerat mendacem & impostorem esse, quæstúsque causâ hos qui se Regum oratores assimulâssent, falsásque literas attulissent, duxisse significarent; idéoque reversis ex Franciâ non eumdem favorem qui priùs ostensum esse. Cùm ad sua remissi Venetias appulissent, Ludovicum ab ignaris quibusdam Episcopis & in sacerdotem & in Patriarcham, quamquam literas Pontificias obtinere non potuisset, consecrari obtinuisse: Eóque audito Pontificem Patriarchæ Veneto scripsisse, ut deceptorem in vincula conjiceret: Illum præmonitum à Duce Veneto propere fugam arripuisse; nec posteà quo pervenerint, aut quid egerint vel ipse vel comites ejus auditum esse: Orientalia deinceps & transmarina Pontifici suspecta fuisse; ea præsertim quæ viri egentes & famæ obscurioris offerrent. Ita ibi. At de prædicto impostore Ludovico est post quadriennium apud Cromerum [y] in Historiâ Polonicâ mentio; dum scribit illum à legatione Summi Pontificis & Imperatoris apud Ezigerem Tartarorum Principem ad eum in Turcos commovendum obita (quam scilicet fingebat) revertentem, convenisse Cazimirum Regem Poloniæ, ac nunciâsse Ezigerem decrevisse in bello Turcis inferendo consilium & voluntatem Cazimiri fœderati & amici sui sequi, ac propterea hortatum esse Regem ut ipse Christianos adjutos vellet: Regem dilatâ re ad regni comitia, hominem sine certo responso dimisisse. Quem rursùm Ambrosius Contarenus patricius Venetus in suo Itinerario [z] Persico ait, se in Perside vidisse apud Vsumcassanum Regem anno 1475. à Burgundiæ Duce missum se profitentem, ejúsque nomine præclarissima quæque verbis magnificis Regi offerentem, eáque pollicentem quæ (inquit Contarenus, qui aderat, & audiebat) tacere potiùs quàm referre honestius mihi visum est: quæ & ipse Rex ludibrio habere visus est. Dimissos ambos à Rege, uno itinere aliquamdiù processisse, sed posteà divisos ab invicem, eumdem invenisse detentum à Duce Moscovitarum, eique libertatem impetrâsse principio anni 1477. Nec quid amplius de eo reperimus: hæc verò satis superque sunt ad fraudes nebulonis arguendas, & omnia ejusmodi longinqua pro valdè dubiis habenda.

LEGATIO DETECTA FALSA.

[y] *Crom. lib. 26. an. 1465.*

[z] *Itiner. Contar. to. Rer. Pers.*

VIII. CAROLI VII. FRANC. REGIS OBITUS.

Quod verò dixit Gobellinus interfuisse eum exequiis Regis Caroli, (quod & Franci scriptores testantur:) quomodò Regis obitus contigerit, narrantes Monstreletus & Charterius, aiunt rumorem spargi cœpisse ad principium mensis Iulij à quibusdam malevolis, paratum Regi esse venenum. Idque cùm Regi apud Magdunum Biturigum nunciatum esset, eâ suspicione adeò commotum eum fuisse, ut totis septem diebus cibo omni abstinuerit, quòd nemini è suis fideret: donec à medicis monitus se certò inediâ moriturum nisi comederet, dum edendo vitæ consulere voluit, interclusis jam vitalibus cùm nihil sibi stomachus reciperet, quam fugiebat mortem certam intuentem, receptis pie Ecclesiæ sacramentis decessisse die festo S. Mariæ Magdalenæ 22. Iulij: gratias Deo agentem (ut Æmilius ait) quòd die pœnitentis peccatricis ex hâc vitâ evocaretur. Cujus obitum pridie ingens ac prælucidus cometa toto cælo visus discurrere portendere creditus est: seu ut quidam volunt, postridie id contigerit supra civitatem Parisiensem, quæ ardere videbatur. Vixit annos quinquaginta novem, menses sex; regnavit triginta novem ac menses novem qui ex durissimis principiis, admirabili patientiâ, & auxilio divino, ac pace cum Burgundiæ Duce, adeptus est quod ampliùs trecentis annis tot Reges ejus decessores quæsierant, etiamsi sub eo regnum ad ultimum penè exterminium redactum fuisset, vasti deserti faciem potiùs quàm regni præseferens. Vnde & cognomen meruit *Victoriosi*. Laudatus ab omnibus de fortitudine, justitiâ, æquitate, benignitate, & disciplinâ politicâ. Quem & Polydorus in Historiâ Anglicâ vocat *Gloriam Francorum, & restauratorem regni*. Iacobus Cardinalis Papiensis *Pium & Iustum*. Gobellinus [a] parùm ei cæterà amicus, *Regem suo ævo & magnum & memorabilem, cujus in utramque partem admirari fortunam liceat*. Et auctor anonymus Meyeri, hostis illius implacabilis, *reverentiam* ejus *erga Ecclesiæ ministros, & continentiam* ab exigendis pecuniis valdè commendat. Qui & leges plurimas tulisse reperitur, quibus disciplinam militarem tam exactè restitueret, ut miles agricolæ formidabilis imposterùm esse non posset: primúsque [b] jus municipale anteà vagum colligi, scribíque jussit, lege posteris admodum utili. Fuisse tamen turpi mulierum amori plus nimio deditum, jam aliàs [c] diximus. Quod nec excusare volumus; nec Meyero succensere possumus, dum hoc spurcissimum, & exemplo perniciosissimum, ut jure vocat, vitium graviter ei exprobrat [d]: nisi quòd dum nothos & spurios Principis sui Philippi Burgundi, quos novem numero ei superstites ex variis feminis per adulterium procreatos recenset, (quibus Heuterus & ipse Belga quinque alios, ut essent quatuordecim utriusque sexûs) hoc veluti in eo leve peccatum pertransiens, per brevem dumtaxat parenthesim, turpe hoc Principi Christiano fuisse scribit, quasi & quæcumque alia gravia peccata non etiam turpia censeri debeant Principibus Christianis; qui norma esse debent rectè vivendi subditis suis, quandoquidem verissimum plerumque est Regis ad exemplum totum componi orbem.

EJUS ENCOMIA.

[a] *Comment. Pij II. lib. 6.*

[b] *Masson. in Car. VII.*

[c] *Supr. an. 1456. XIII.*

[d] *Meyer. lib. 16. in fin.*

IX.

Ait porrò idem auctor, mortuum esse magnâ suspicione toxici Delphini ipsius filij jussu dati. Sed homini calumniari solito vix credam; etiamsi incertum atque innominatum nescio quem ipso etiam loquaciorem, similísque ingenij auctorem testem proferat; quod cæteri & certi & nominatissimi tacent. Corporis ab omnibus ferè ministris regiis derelicti, tum metu Ludovici ejus filij, tum quòd plerique mox ab obitu Caroli ad eumdem Ludovicum accurrissent, curam unus suscepit [e] *Tanneguius Castellus* nobilis Armoricus, summus olim regiorum equorum magister, seu ut alij habent, nobilium cubiculariorum princeps: qui cùm

[e] *Belcar. Hist. Franc. lib. 1. num. 1. Thuan. lib. 26.*

TANNEGUII CASTELLI EGREGIŨ FACINUS.

optimè de eodem Rege Carolo ac regno meritus, domum tamen relegatus fuisset; morte nihilominùs heri auditâ, statim accurrit, ac corpus grandi suo sumptu Lutetiam quâ potuit majori pompâ deferri curavit. Vnde sexto Augusti delatum est Sandionysium ad sepulcra majorum, solitis cæremoniis, ac celebri funere, quod Monstreletus & Charterius describunt: perorante in eo Thomâ de Courcellis ingentis tunc nominis Theologo. Aitque Gobellinus, Pium Pontificem auditâ ejus morte apud Tibur, exequias ei non sine lacrymis duxisse. Ejus conjux Maria filia Ludovici II. Regis Siciliæ & Ducis Andegavensis, superstes ei biennio fuit; quæ multas tulit insigni patientiâ sub eo amaritudines ob dissolutam illius vitam: pia ipsa valdè femina, quæ Biturigibus construxit ac fundavit domum hospitalem recipiendis pauperibus ægrotis, aliámque peregrinis, & collegium pro orphanis. Rex denique idem considerans Septimaniam sive Occitaniam, Delphinatum, & Aquitaniam remotiores esse quàm ut Lutetiam adirent litium causâ, in singulis eis provinciis nova Parlamenta erexit, videlicèt *Tolosæ*, (quamquam istud jam antè erectum, sedentarium tantùm fecisse, quidam velint) *Gratianopoli*, quod tertium ordine à Parisiensi esse nonnulli asserunt; aliis id *Burdegalensi* ab ipso pariter erecto tribuentibus, quòd Gratianopolitanum non ab ipso, sed ab ejus filio Delphino institutum fuerit.

TRIUM PARLAMENTORUM ERECTIO.

X.

LUDOVICUS XI. PATRI SUCCEDIT IN REGNO.

Successit ei in regnum *Ludovicus* Delphinus, de quo sæpè superiùs, ejus primogenitus, qui tunc ab eo alienus apud Philippum Burgundiæ Ducem agebat, annos natus triginta novem, ejúsque nominis Francorum Regum XIV. [f] dictus XI homo longè patri dissimilis; ingenio quidem perspicaci & acuto, sed callido, suspicioso, pervicaci, vario, & incerto, vixque intimis suis domesticis perspecto; ut eum auctores ipsi Franci describunt: qui olim in patrem contumax, posteà fratri Carolo non satis æquus; Burgundo propemodum ingratum se exhibuit, regni proceres quadam veluti invidiâ perosus. Adeò ut scribat Gaguinus [g], haud dubiam fidem fuisse, Carolum patrem, si commodè potuisset, Carolo juniori suo filio regnum relicturum; sed belli seminaria execratum, Ludovici mores atque absentiam longanimiter toleràsse. Habetque item Meyerus, prorsùs id facturum fuisse Carolum patrem, nisi Pius Romanus Pontifex ejus consilium improbàsset. Quæ si vera sint, consilium fuit commoti justè patris in filium rebellem: & prudentia Pij Pontificis, scientis hujusmodi consiliis adversari statuta Francica, quæ regnum necessariò deferunt primogenitis; nec esse in parentum potestate id ad alios pro libito transferre, quin unà operâ subverteretur regnum. Profectus Ludovicus Remos, ibi inauguratus est de more à Ioanne Iuvenale Vrsino Archiepiscopo, 15. Augusti in solemnitate Assumptionis Beatissimæ Virginis; præsente Duce Burgundiæ primo sex Parium Franciæ laicorum qui ei celebritati interesse tenentur, cum totidem Ecclesiasticis, quorum princeps Remensis Archiepiscopus: interfuerúntque multi alij Principes procerésque tam Ecclesiastici quàm sæculares, atque immensa cæteræ

[f] Vid. sup an. 1223. VI.

SEQUIORES EJUS MORES.

[g] Gaguin. lib. 10. in Ludov. XI. in pr.

nobilitatis multitudo. Voluítque tunc Rex) ut Monstreletus observat) ab eodem Duce Miles creari; quamvis, ut ait, omnes Regum Francorum filij ab ipso eorum Baptismo Milites censeantur esse. Post convivium deinde pro consuetudine Paribus exhibitum, Philippus Burgundus pro sua bonitate, cujus causâ Boni cognomen gerebat, ad novi Regis pedes procumbens, per Christi passionem obtestatus est, ut omnem iram deponeret quam adversùs eos concepisset qui auctores vel fautores fuissent discordiæ inter ipsum & patrem ejus; atque ut omnes patris sui ministros in officiis suis conservaret, nisi qui in iis deliquisse convincerentur. Simúlque in ejus verba juravit, fidémque præstitit de Burgundia, Flandriâ, Atrebasio, aliísque ditionibus quæ à regno pendebant. Post hæc Rex Parisios delatus unà cum Burgundo magnificentissimè ibi exceptus est: parúmque memor monitionum Burgundi, ut erat implacabilis animi, multos patris ministros, honorabiles alioqui viros deposuit, putà Guillelmum Iuvenalem Vrsinum Cancellarium, Marescallum & Admiralium regni primum Parlamenti Præsidem, Præpositum Parisiensem, plurimósque omnium ordinum alios, novis in eorum locum substitutis. Ducem Alenconium e carcere, in quem à patre conjectum vidimus, liberavit. Fratri suo Carolo Bituricensem Ducatum in patrimonij portionem concessit. Comiti Carolesio filio Philippi Burgundi administrationem sive gubernationem Normanniæ credidit, cum annuâ pensione viginti millium aureorum. Hæcque satis de ejus ingressu.

DUCIS BURGUNDIÆ OBTESTATIO PIA AD EUM.

Cujus res gestas, præter cæteros auctores hactenùs in descriptione rerum Francicarum nominari consuetos, speciatim conscripsêre linguâ Gallicâ omnium clarissimus ac prudentissimus *Philippus Comminius* nobilis Flander ejus familiaris: & qui eodem tempore vixit auctor anonymus Historiæ, cui nescio quâ de causâ *Scandalosæ* titulum fecerunt, cùm nihil in eâ contineatur quod non potuerit sine crimine scribi, nisi fortè quòd multa scandalosa in Regis vitâ reperiantur, quæ auctor candidè descripsit: eadémque ferè in omnibus est cum Additionibus appositis ad Historiam Monstreleti. Nec ita pridem edita est ampla Rerum Gallicarum Historia Latinè satis eleganter conscripta à *Francisco Belcario Peguilione* Barone S. Desiderati, ex illustri apud Boios familiâ, & Metensi Episcopo, qui Concilio Tridentino interfuit, quæ non tantùm res sub hoc Ludovico, verùm etiam sub Regibus subsequentibus à præsenti anno 1461. usque ad 1567. tam in Galliâ, quàm etiam ex occasione variis locis Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ, Hungariæ, & Turciæ, gestas contineat: compilata ex Comminio, Guicciardino, Bellaiis, & aliis ejusmodi commentariis vulgaribus linguis conscriptis, usque ad tempora quibus vixit. Præter quos, sunt & alij plures auctores, quos suggeret diligens omnium collector Duchesnius in Bibliothecâ auctorum qui de rebus Gallicis scripserunt.

XI.

AUCTORES QUI EJUS RES GESTAS DESCRIPSERÛT.

Ad Ludovicum novum Regem cùm undique gratulationis ergo legationes à Principibus & Rebuspublicis mitterentur, Pius quoque Pontifex (inquit Gobellinus [h]) Ioannem

XII.

[h] Comment. Pij II. lib. 6.

Episcopum Atrebatensem legatum misit, qui ei benediceret, & religionem Christianam commendaret; suaderetque Pragmaticam [l] Sanctionem è regno auferre, & ad ferendum Christianis auxilium adversùs Turcos se accingere. Verùm haud opus monitore Atrebatensi fuit; cùm de eliminandâ Sanctione jampridem Ludovicus votum emisisset, si paternum solium aliquando conscenderet. Cùm sint tamen qui scripserint, non aliâ de causâ cum illam auferre cogitâsse, nisi quòd omnia patris instituta abrogata vellet, à quo fuerat illa recepta. At satius est, æquiùs de illo sentire. Et alioqui, quid, ut ait Apostolus [k], dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur? Qui rursum tactis [l] sacrosanctis Evangeliis, palam promisit eam sese propediem abdicaturum. Quo accepto Pontifex literas ad eum scripsit præcipui amoris testes, quæ extant [m] datæ Romæ 16. Octobris præsentis anni. Quibus benedicens Dominum, quòd spiritum Regis erexisset ut cogitaret quæ pia & omni laude digna essent; addidit sic magnum Constantinum, sic duos Theodosios, sic Carolum Magnum, & plures ex ipsius Regis progenitoribus, immortale nomen, & inextinguibilem consecutos esse gloriam, quia Romanam Ecclesiam matrem suam debito essent honore prosecuti; quorum vestigiis inhærentem & diligeret ipse totis præcordiis, & laudaret, & omnis eum posteritas celebratura esset: Quòd verò absque conventu & consultatione multorum Pragmaticam auferre constituisset; sapere in hoc ipsum, & Regem se magnum ostendere, qui non regeretur, sed regeret: Quòd si Prælati ejus, & Vniversitas aliquid ab ipso Pontifice desiderarent, Rege mediatore ad ipsum recurrerent, quippe siquis umquam Pontifex fuit Gallicæ nationi affectus, ut multi fuerunt, se certè inter primos repertum iri, qui nomen & gentem hujusmodi honoraret & diligeret, nec umquam postulatis honestis adversaturus esset.

[l] *De quâ supr. an. 1438. XXI. & seq.*

PIUS PP. APUD EU AGIT DE ABROGATIONE PRAGMATICÆ SANCTIONIS.

[k] *Philip. 1.*
[l] *Gobell.comment.lib.7.*
[m] *Ap. Æn. ep. 387.*

XIII.

REGIS AD PIUM RESPONSIO DE PRAGMATICA.

[n] *Ib.ep.388.*

Ad quem rescribens [n] Rex Turonis 29. Novembris, obedientiámque ei filialem ac plenos devotionis affectus offerens; significavit se omnibus victimis potiorem obedientiam agnoscentem, assensum præbuisse his quæ Pontificis nomine Atrebatensis proposuisset de Pragmaticæ abrogatione, quæ contra Sedis Apostolicæ auctoritatem schismatis & seditionis temporibus introducta fuisset: licèt plerique docti homines adversarentur, multáque ipsum dehortarentur ab ejusdem abolitione: Sed tamen ipsi Pontifici, quem ut Principem totius Ecclesiæ & Dominici gregis pastorem profitebatur, & Beatissimi Petri cathedræ consentire & jungi: Ac propotereà per eas literas Pragmaticam à suo regno & Delphinatu, atque universâ suâ ditione, pellere, dejicere, penitúsque abrogare: Et quam qualémve ante Pragmaticæ editionem, circa Ecclesiarum beneficiorum, aliarúmque rerum spiritualium dispositionem, censuram, moderationem, in regno suo omníque ditione, Pij prædecessores Martinus V. & Eugenius IV. habebant & exercebant, talem eamdémque adjutori suo B[mo] Petro, ipsíque Pio Pontifici ejus successori reddere, præstare, & restituere cum summo imperio, cum judicio libero, cum potestate non coarctata: Quòd si fortè obniterentur aliqui aut reclamarent, se in verbo regio polliceri, daturum se operam ut mandata Pontificis executioni darentur, omnis appellationis obstaculo prorsùs excluso, & qui contumaces forent pro jussu Pontificis compressurum. Hæc & alia ibi.

XIV. CONTRADICITUR EJUS ABROGATIONI.

[o] *Bellef. lib. 5. c. 119.*
[oo] *Ap. Boch. in Decret. Eccl. Gallic. lib. 4. tit. 21. ap. 10. & alibi.*

Quibus qui dicuntur de contradictione plurimorum doctorum virorum, intelligenda sunt de Vniversitate Parisiensi [o]; quæ non dubitavit tam à Rege quàm à Pontifice adfuturum Concilium appellare. Extantque [oo] insuper sæpiùs excusa gravissima monita octoginta quinque articulis comprehensa, quæ Parlamentum Parisiense aliâ occasione super his à Rege post Pij obitum consultum obtulit. Adeò ut haud facile fuerit, Pragmaticæ usum jam à multo tempore stabilitum tollere; pro quâ fuit deinceps non semel contendendum, ut videbitur suis locis. Cùm & talem fuisse in multis, ut ejus beneficio disciplina Ecclesiastica staret, plerique etiam alij pij viri existimaverint. Sed deerat auctoritas Apostolica, quæ totiùs disciplinæ anima censeri debet. Quantum verò illius sic per Ludovicum Regem sublatæ nuncius Romano Pontifici & universo collegio Cardinalium lætitiæ attulerit; præter illa quæ Gobellinus habet, ostendit etiam epistola [p] Cardinalis Papiensis aliâ posteà occasione pro eodem collegio ad Ludovicum Regem scripta. Putamúsque Pium tanto ardore ejus abrogationi incubuisse, potissimùm quidem quòd depressioni esset auctoritatis Sedis Apostolicæ, & receptæ œconomiæ extinctioni; deinde verò nequid ex reprobatis actibus Concilij Basileensis, cujus partus Pragmatica erat, cuíque ipse Pius Pontifex tunc Æneas Silvius toto corde & stylo eo tempore adhærebat, superesset quod ei exprobrari posset: cùm & quæ tunc juvenis incautè dixerat aut scripserat, non solùm paulò pòst verbis & operibus apud Eugenium Pontificem & ubique retractâsset, ut suis locis vidimus; verùm etiam sanctus Pontifex prudentissimè, nequid inde offendiculi in Ecclesiâ Dei remaneret, scripto publico damnaverit, quod nos aliàs [pp] in ejus excusationem percurrimus; extátque [q] datum 6. Cal. Maij anno Domini 1463. Sicuti & quæ pariter juvenis de turpi duorum amore scripserat [r], meliori scripto abolenda voluit; hortans omnes ut Æneam in iis malè sentientem abjicientes, Pium rectè suadentem susciperent.

[p] *Pap.ep.18.*

[pp] *Sup. an. 1439. XLVI. XLVII.*
[q] *In Tom. Concil. post Concil. Basil. & ap. Masson. lib. 6. de Rom. Pont. in Pio II. & Bull. to. 1. Pij II. const. 10.*
[r] *Æn. ep. 113. 114. & 395.*

XV. ILLUSTR. CARDINALIUM CREATIO.

Cæterùm Ioannes ille Atrebatensis Pragmaticæ destructionis suasor, in præmium egregiæ navatæ operæ ab ipso Rege postulatus ad Cardinalatum, illum à Pio adeptus est; vir quidem humili progenie apud Luxovium diœcesis Bisuntinæ cœnobium monachus Benedictinus, Decretorum & Theologiæ Doctor; sed ut Gobellinus ait, doctrinâ, ingenio, & divinâ quâdam memoriâ præstans, quem malè Onuphrius Ioannem Lofredi vocat, qui *Ioannes Ioffredi* dicendus; uti etiam probè apud Matthiam Palmerium appellatur. Cujus humilia natalitia compensavit eâdem Cardinalium promotione mense Decembri præsentis anni factâ nobilissimus *Ludovicus Alebretus* regio Francorum sanguine natus, Episcopus Cadurcensis, presbyter Cardinalis creatus titt. SS. Petri & Marcellini, qui ex honestissimâ vitâ & candidis mo-

ribus illustrissimo generi convenientibus, adeò gratus cæteris omnibus extitit, ut eum Cardinalis Papiensis [s] in suis commentariis *Amorem & Delicias Collegij*, puri admodùm cordis, & ad charitatem hominum facti, fuisse testetur: in epistolis [t] piissimum ejus obitum referens, laudare & lamentari non sufficiat. Nec indigni reliqui tunc creati prædictorum consortio: qui fuêre *Bartholomæus Roverella* Archiepiscopus Ravennas, multis egregiè obitis legationibus insignis: *Iacobus de Cardona* Episcopus Vrgelensis, cujus majores, ut Gobellinus ait, ad regni quondam fastigium pervenerant, ipséque literis & moribus ornatus: *Franciscus Gonzaga* filius Marchionis Mantuani, nondum quidem viginti annos natus, verùm qui corpore longè majorem præseferret ætatem, & gravitate ac prudentiâ propè senilem; designatus jam Episcopus Mantuanus, primusque ex illustri illâ familiâ ad decus sacræ purpuræ evectus: & *Iacobus Mensbona* seu *Amanatus* patriâ Lucensis, Episcopus verò Papiensis, & à Pio Pontifice, qui dexteritatem ingenij dilexisset Picolomineâ donatus familiâ: is ipse cujus nuper meminimus, cujúsque extant septem commentariorum libri, & totidem elegantium Epistolarum centuriæ; è quibus plurima sint inferiùs de rebus eo tempore gestis in nostros Annales traducenda sub nomine Cardinalis Papiensis: pluráque fuissent, si Vitas Pontificum Romanorum ab eo scriptis mandatas haberemus, quæ hactenùs reperiri non potuêre. Cujus pietatem & sapientiam vel ex unâ epistolâ ad se ipsum Cardinalem factum conscriptâ, quæ prima omnium ponitur, optimámque vivendi formam purpuratis Patribus præscribit, necnon ex testamento quod in fine voluminis reperitur, abundè intelligere quis possit.

[s] Pap. lib. 2.
[t] Id. ep. 133. 134. 136 Vid. Addit. ad Ciat. in Pio II.

CARDIN. PAPIENSIS SCRIPTA.

XVI.

Quod cæteras hujus anni res gestas spectaret; sunt quædam in recensitâ nuper Pij Pontificis ad Ludovicum Regem epistolâ, quæ securiùs nos ad earum certitudinem perducant. Atque imprimis quod breviter significat, Reginam Cypri ad ipsum Pontificem ex regno suo dejectam venisse, venturámque ad Regem pro consilio & auxilio petendo: hoc uberius explicans ipsemet in Commentariis [u] nomine Gobellini conscriptis, narrat primo oratores venisse ex Cypro à Iacobo regni occupatore [x], ut Regis Christiani apud Sedem Apostolicam nomen obtineret: sed Pontificem indignos eos censuisse, qui tanquam Regis nuncij, exciperentur: auditos tantùm esse privatim, & increpatos quòd ejus legationem accepissent qui adulterinus Rex esset, & inimico Principi Christianæ Religionis juratus, vacuos remissos esse. Post hæc Carlotam Reginam, virili animo resistere conatam suis & Rhodiorum Militum viribus Iacobo & Ægyptiis, demùm universâ insulâ amissâ, præter castellum Gerinen, in quo Ludovicus vir ejus obsidebatur, & Famagostam quæ à Genuensibus detinebatur, Romam accessisse, rebus afflictis auxilium petituram: benignè & lautè habitam à Pontifice, ad socerum in Sabaudiam appulisse: sed ingratissimè exceptam, omni auxilij spe positâ retiò per Mantuam & Venetias Rhodum navigâsse: nec ausam esse in Galliam proficisci, jam pergustatâ apud Sabaudienses Vltramontanorum liberalitate. Nec plura de his Gobellinus, aut ipse Pius, qui eadem in suâ Asiâ [y] attingit. Auctor verò Cyprius ait, Ludovicum Carlotæ virum, cùm demùm res planè desperatas vidisset, ut erat pietati ac religioni deditior quàm armis, regressum in patriam, ingressum esse in quoddam monasterium, ac piè ibi quievisse nempè, ut Pingonius ait, Ripaliæ, qui fuerat Amedei avi secessus. At Carlota animosior, postquàm iterùm frustrà tentâsset Soldanum & Mahometem placare, amissâ postremò per proditoriam deditionem Cerine, omni ampliùs spe desolata permansit: & Iacobus universo regno potitus, etiam Famagostam anno 1464. per arctissimam obsidionem ad deditionem compulit, pulsis inde Genuensibus qui nonaginta circiter annis eam possederant: uti pluribus idem Cyprius auctor narrat. De quibus, deque novis Carlotæ conatibus, erit rursùm aliàs agendi occasio.

[u] Comment. Pij II. lib. 6. & 7.
[x] Supr. an. 1459. XXV

IACOBUS NOTHUS INTEGRŨ CYPRI REGNUM POSSIDET.

[y] Æn. Asi. cap. 97.

XVII.

IMPERII TRAPEZUNTINI EXITIUM.

Addit prætereà suâ ad Ludovicum Regem epistolâ Pius, accepisse se Turcorum dominum Mahometem Sinopem & Trapezuntem celeberrimas Colchidis urbes, aliasque plurimas, & provincias integras de novo sibi subjecisse. Accepit autem eas deditione ignavissimâ, abductis earum Principibus in Græciam, & quibusdam aliis oppidis ad victum attributis. Hicque finis fuit *Imperij Trapezuntini*, quod a Comnenis initium [z] cepisse post captam à Francis Constantinopolim annis antehac 257. vidimus. Erat autem hoc tempore Imperator David Comnenus, qui non ita pridem fratri suo Ioanni successerat, & affinitatem contraxerat cum Vsumcassane Persarum Rege, datâ ei in uxorem filiâ fratris sui Ioannis Abductus autem David in Græciam, paulò pòst falsâ suspicione cujusdam intentatæ proditionis, occisus est à Mahomete unà cum filiis ejus, quamvis unum eorum ad ritus Turcorum induxisset, ac filiam in uxorem accepisset. Quæ uti se habuerint, prolixè narrat Chalcondyles [a], breviter attingit Phranzes [b]. Narrat & auctor Turcogræciæ [c]: sed addens rem notatu dignam de Ioasapho Patriarchâ Constantinopolitano. Nempè, cùm Protovestiarius Imperij Trapezuntini religione Christianus, sed sanguinis propinquitate cuidam Bassæ Turco junctus, indeque, & quòd esset formâ dignitatéque præstans, ac sagittandi peritissimus, Mahometi Regi acceptus; Constantinopoli existens, feminam deperiret viduam Athenarum Principis formâ longè excellentissimam, eámque in uxorem ducere percuperet, quamvis aliam legitimam haberet: egisse eum apud Regem, ut Patriarchæ præciperet potestatem ei facere viduam illam ducendi: Negâsse verò omninò Patriarcham, tum quod contra legem Christianam esset, tum etiam quòd uxor legitima reclamaret: Eaque de causâ Regem jussisse barbam Patriarchæ radi; (quod summæ ignominiæ genus Græcis monachis & Episcopis erat:) & magno Ecclesiarchæ Manueli [d] nares ab utrâque parte findi, eò quòd recusâsset scelus illud Patriarchæ suadere; apud quem magna ejus erat & in Ecclesiâ auctoritas, utpote inspectoris & distributoris Ecclesiarum: Deinde sine morâ Patriarcham throno pulsum fuisse: clamantem cùm barba ei traderetur, se non tantùm bar-

[z] Sup. an. 1204. XI.
[a] Chalcond. lib. 9.
[b] Phranz. lib. 3. c. 27.
[c] Turcogr. lib. 1. & 2.
[d] Vid. inf. an. 1476. XX.

IOASAPHUS PATRIARCHA CŌSTANTIN. PERSECUTIONEM PATITUR PROPTER IUSTITIAM.

bam veritatis causâ, sed ipsas etiam manus, pedésque, atque adeò & caput libenter amputandum daturum. (Quod quidem diligenter notandum venit, contra illos qui scribunt Græcos permittere divortium quo novæ quærantur nuptiæ: ut saltem non ita indiscriminatim omnibus permittant.) Cæterùm Protovestiarium nihilominùs uxore abdicatâ duxisse illam mulierem: verùm non diù impunè tulisse, qui paulò pòst cum aleâ & tesseris cum quibusdam primoribus luderet, extendens manum ut tesseras jaceret, repentinò expiravit ingenti colludentium & circumstantium terrore.

Divortium nō cuilibet permissum.

XVIII.

In locum Ioasaphi electus Patriarcha *Marcus* Hieromonachus cognomento *Nylocarabes* patriâ Byzantinus; vir quidem moribus & doctrinâ præstans, sed cæteris Ecclesiasticis odio habitus: ideóque accusatus quòd pecuniam Mahometi dedisset ut fieret Patriarcha, quamquam id falsum esset, tamen depositus est, ac penè tam à clericis, quàm laicis lapidibus obrutus, in odium ejusmodi introducti moris, cujus per calumniam à malevolis infamatus fuerat. Electúsque est in ejus locum *Symeon* Trapezuntius, hospitalitate conspicuus; oblatis re ipsâ pro ejus intrusione mille aureis Mahometi à Trapezuntiis qui Constantinopoli in honore apud eum erant: qui stultitiam illorum ridens, & invidiæ malitiam detestans, cepit nihilominùs munus in pignus perennitatis hujus Græcorum turpitudinis: cùm nihil tale anteà meditatus, sivisset eos suo more liberè Patriarchas eligere. Sed parum erat Græcis Imperium Turcis subdidisse, nisi & Ecclesiam iisdem vectigalem facerent. Hócque fuit initium tributi, quod *Pescesium* vocant: quódque primùm in ingressu tantummodò Patriarcharum pendi cœptum, deinde in singulos annos statutum fuit, auctis etiam summis ad Sultanorum libitum. Nec quidem diù perstitit oblatio in mille aureis primùm oblatis. Nam cùm post quoddam à depositione Marci tempus convenientibus multis Episcopis Constantinopoli facta esset frequens Synodus, in quâ Marcus suas injurias quereretur; ortâ ingenti inter partes dissensione, Maria noverca Mahometis Christiana promovere cupiens Dionysium Philippopolitanum in Thraciâ Archiepiscopum, oblatis Mahometi bis mille aureis, petiit illum dejectis cæteris intrudi, obtinuitque: recessitque Symeon in monasterium Stenimachi; Marchus factus est Archiepiscopus Achridanus: ac *Dionysius* sic introductus octo annis Patriarcham egit; patria Peloponnesius, discipulúsque olim Marci illius Ephesij hostis Ecclesiæ Latinæ implacabilis; qui in captione Constantinopolis venditus, & posteà libertatem consecutus, à Patriarchâ Scholario creatus fuerat Archiepiscopus Philippopoleos. Quomodò verò sede abdicatâ, rursùm Symeon, iterúmque & Dionysius restitutus fuerit, dicetur posteà. Sic enim ludebatur apud Græculos, levitatibus & perfidiis assuetos. Cæterùm Onuphrius diligens chronographus, hanc seriem Patriarcharum ignotam habuit: qui post Gennadium Scholarium, nescio quem Sophronium ponit anno superiori 1460. quem & Zygomalas & Malaxus in prædictâ serie ignorârunt; ab occupatione urbis per Turcos, ponentes sub Mahomete Gennadium, Isidorum, Ioasaphum, Marcum, Symeonem, Dionysium, iterúmque Symeonem, Raphaëlem, & Maximum: quorum Onuphrius nonnisi Gennadium, Symeonem semel, & Maximum, cujus tempore Mahometes obiit, habet cùm intereà Patriarcham inter Latinos ageret Cardinalis Ruthenus, & post eum, ut alibi [e] exposuimus, Bessarion, qui vitam produxit usque ad annum Domini 1472.

Symeon pecunia intruditur.

Initium infamis tributi Turcorum Regi pendi soliti.

Dionysius aucto tributo intruditur.

[e] Supr. an. 1453. XXII.

XIX.

Vt autem his explicatis ad epistolam Pij Pontificis ad Ludovicum Regem, cujus occasione ad hæc divertimus, redeamus; postquàm miserum Christianorum statum sub Turcis & Saracenis ubique gementium aut periclitantium ob oculos posuit, se non esse dixit qui posset iis succurrere: volvere oculos suos huc & illuc, & lustratis omnibus Christianorum provinciis, neminem Regum, neminem Principum sibi occurrere qui tantæ rei subvenire posset; nisi ipsum Ludovicum Regem, quem Deus sui populi salvatorem salvâsset incolumem à manibus persequentium eum, & collocâsset in aucto regno excelsum præ Regibus terræ: Ostenderet igitur se gratum divinæ pietati: & post sublatam Pragmaticam, erigeret se totum in auxilium Christianæ religionis contra Turcos: Ipsi enim hanc gloriam servatam esse: hæreditariam hanc ipsi provinciam esse: Quippe pugnare contra Turcos, & vincere, & Terram Sanctam recuperare, & Fidem salvare, & Romanam Ecclesiam honestare, Francorum Regum proprium esse: & hæc Ludovicum commodissimè præstare posse, veram Francorum sobolem, sapientiâ & rerum experientiâ præditum, in opulento & pacifico & potentissimo regno sublimatum: Omnium oculos in ipsum respicere: omnes afflictos eum invocare: ideóque se ad eum unum recurrere Christianæ fidei defensorem. Hæc & alia Pius: sed surdo, sicut aliis, canens; sive Regem non affecerint verissima, & ad persuadendum potentissima argumenta Pontificis; sive Rex jam factus re ipsâ agnoverit, quantò facilius esset desiderium præferre cùm a patre abesset expeditionem contra Turcos ducendi, quàm cùm regni habenas tenuit illud adimplendi. Dum autem eâ spe Pontifex esset, ut etiam magis eum ad rem excitaret, benedictum de more sacrâ Dominicæ Nativitatis nocte Ensem vaginâ inclusum ornatâ gemmis & auro dono misit, his versibus inscriptum, qui ejus Commentariis continentur:

Eximia Francorū gloria de Fidei et Ecclesiæ defensione et propagatione.

Exerat in Turcos tua me Ludovice furentes
Dextera: Graiorum sanguinis ultor ero.
Corruet imperium Maumetis, & inclyta rursùs
Gallorum virtus te petet astra duce.

Quomodò verò res inter Pium & Ludovicum mutatæ fuerint, dicetur annis insequentibus.

XX.

Scanderbegus suppetias venit Ferdinando Neapolit.

Interim cùm in regno Neapolitano diversis utrimque successibus res agerentur, & vario marte certaretur; evocatus in auxilium à Pontifice & Ferdinando ac Duce Mediolanensi Georgius Scanderbegus Albaniæ Princeps: fulmen illud belli, & Turcorum terror: accepto Pontificis mandato, (prout in ejus Vitâ Barletius [f] narrat) ut ei obsequeretur pactis cum Mahomete Turcorum Imperatore induciis, cùm paulò antè non parvam suorum ma-

[f] Vit. Scanderb. lib. 10.

num suppetias Ferdinando misisset, cujus patri Alfonso se devinctissimum, ob auxilia ab eo olim accepta, & arctam inter eos amicitiam, profitebatur; non satis amico factum existimans, (inquit sub nomine Gobellini [g] Pius) nisi per se ipsum illi militaret, novo delectu habito in Italiam navigavit: inventísque prioribus copiis, in agrum Tarentini Principis qui Ioannis Andegavensis partes fovebat, longè latéque terram populatus est. Equitatus enim ejus levis armaturæ erat, equi veloces, aptissima furtis ac rapinis acies, bello inutilis quod more Italico geritur, adversùs enses ac tela eorum inermis. Præfectum arcis Tranensis, occulta cum hostibus consilia ineuntem, quasi amicum ad se vocatum, venientemque cepit, & arcem novis custodibus implevit. Cùm aliquando à Iacobo Picinino copiarum Ioannis ductore ad privatum colloquium inter adversas turmas invitatus fuisset, dum inter loquendum ad suos illum Iacobus paulatim duceret ut ab iis interciperetur, sentiens Georgius dolos ad suos celeri se cursu recepit. Ampullosis literis à Principe Tarentino receptis cùm ampullosiores remisisset; haud sinentibus Turcis magni aliquid producere, qui rupto induciarum fœdere crebris excursionibus vexare Albanos cœpêre, ea res Georgium ex Italiâ quamprimùm revocavit, ne dum aliena tueretur perderet sua. Ita de hâc Scanderbegi in Italiam expeditione Gobellinus: qui siquid ampliùs Scanderbegus peregisset, haud omissurus proculdubiò fuisset. Nec alia de illo Pontanus [h], qui Ferdinandi res gestas quas videbat conscripsit, quàm quòd adveniens Georgius commodissimè in auxilium Ferdinandi, eum liberaverit ab obsidione quâ premebatur adeò intra urbem Berletam, ut aut mari fugere turpiter, aut tentatâ pugnâ in postrema séque résque suas pericula conjicere cogeretur: Adventu autem Scanderbegi tantæ famæ viri hostes recessisse, eorúmque turbata esse consilia, totam verò Italiam opinionis ejus famâ impletam: Eumdem, cum pluribus congressionibus hostem ludificatus esset, etiam sub specie colloquij præfectum Tranensem delusisse atque cepisse. Nec quid aliud tunc ab eo in Italiâ gestum ponit, aut alibi reperimus: præterquàm in ejus Vitâ, ubi dicitur post levia quædam certamina cum hostibus inita, junctis in unum copiis suis, ac Pontificis, Ferdinandi, & Ducis Mediolanensis, acerrimo prælio pugnatum esse Troiam inter & Nuceriam contra Ioannem & Picininum: quo victus Ioannes cum cæde omnium fermè suorum turpiter fugerit in Franciam, Picininus & Barones regni magno lucro duxerint per montes & asperas vias ad sua se recipere: ac deinde Georgium universum regnum peragrantem, cunctas urbes & oppida in potestatem Ferdinandi reduxisse, obtentâ tamen rebellibus veniâ: Demum in Albaniam rediisse antequàm Mahometes rescisset ipsum ex Albaniâ abiisse in Apuliam. Ita ibi fusissimè: quæ nemo credat, nisi qui fabulis delectatur: cùm res se aliter omninò habuisse, Pontanus, Gobellinus [i], historicíque Italici res suas describentes evidenter demonstrent. Neque enim Scanderbegum prælio Troiano interfuisse ullus omninò illorum meminit, cum tamen ei interfuerit ipsemet Pontanus accuratissimus ejus descriptor, & Gobellinus ab ipso Pontifice hauserit: quibus potiùs fides adhibenda, quàm absentibus & longinquis, aut pòst scribentibus: tametsi maluerit Mariana [k] Marino Barletio credere. Neque eo prælio factum fuisse finem bello, quamquam pars Andegavensis valdè attrita fuerit, certissimum est. Sed sic solent scriptores Vitarum Heroum multa oratoriè in eorum laudem fingere, quæ etiam fidem nonnullis veris detrahant. Quod aliàs de Ioanne Huniade observâsse meminimus; & nunc indubitanter de Scanderbego asserimus; cùm tamen utrumque ob res præclarissimè contra hostes Christianorum gestas, inter primos horum temporum heroas annumerare non dubitemus.

[g] Comment. lib. 6.

Revocatur ad sua.

[h] Pont. lib. 2.

Fabulosa de illo cōscripta.

[i] Comment. lib. 10.

[k] Mar. lib. 23. cap. 2.

XXI. Ioannis Arag. Regis sævitia in liberos.

In Hispaniâ interim patrem inter filiúmque, Ioannem Aragoniæ Regem & Carolum Vianæ Principem, de quorum dissidiis occasione regni Navarræ dictum superiùs, fœdiora hoc anno gesta sunt, quàm quæ sine magnâ patris infamiâ recitari possint. Redierat ad patrem filius ab eo evocatus ad conventus Catalaniæ: sed osculo à patre exceptus, continuò in custodiam duci jussus est. Frementes Catalani ad violationem fidei publicæ, & arma in Regem Principi libertatem denegantem assumentes, compulêre illum dimittere, ac Cataloniâ ei cedere. Sed alia inventa via Regi satisfaciendi, homini alieno à naturæ & humanitatis legibus, cùm miser filius nono Calendas Octobris extinctus est morbo, ut nonnulli crediderunt animi ægritudine contracta; seu ut plurimorum constanti opinione vulgatum fuit, lento veneno, fortuitus morbus putaretur, vitalibus in custodiâ corruptis. Veniam nihilominùs à patre sub mortem precatus est; mortuus anno ætatis quadragesimo & quarto ferè mense expleto; perpetuis ærumnis quàm re aliâ nobilior, nisi quòd à sævo magis quàm severo patre repulsus à negotiis, ne otio marcesceret, literis [l] operam dedit: cujus extant ingenij monimenta, quorum & alias meminimus, libri Aristotelis de Moribus vulgari Hispanorum linguâ donati; brevis de Navarræorum Regibus historia; & versus non inelegantes, quos ad lyram pangere solitus erat. Ejus soror Blanca, ad quam regni Navarræ jura devoluta erant, quæ & fuerat aliquando uxor Henrici Castellæ Regis, paulò pòst & ipsa veneno sublata est. Per hujusmodi namque scelestissima parricidia perveniendum erat ad turpissimam occupationem ditionis alienæ.

[l] Marian. lib. 21. c. 16.

Caroli Navar. studia literarum.

XXII.

Nec tamen his mortibus sublata dissidia; quinimmò & aucta, tantâ Catalanorum in Regem, Reginámque Caroli novercam invidiâ, cujus præcipuè dolis innocentem privignum oppressum conclamabant; (cujus etiam flagitij memoria animum ejus dum moriendum fuit, adeò solicitum habuisse dicitur [m], ut conscientiæ stimulis sedandis nullum fatis remedium solatiúmque invenire potuerit:) ut Regi fuerit pro auxiliis ad Ludovicum Francorum Regem recurrendum. In quorum stipendium, pro ducentis aureorum millibus (trecenta habent plerique, sed quorum pars repræsentata in numerato fuerit) Ceretania sive Cerdania in Pyreneis, & Ruscino unà

[m] Mart. lib. 23. cap. 10. in fin.

cum

RUSCINONIS ET CERDANIÆ OPPIGNERATIO REGI FRANC.

cum Perpiniano, pignoris loco in ejus potestatem traditæ fuêre, Catalani verò Henrico Castellæ Regi sese dedentes, ejus pariter auxilia advocarunt. Donec rerum arbitrium Francorum Regi permissum est; de cujus sententiâ dicetur anno post sequentem, cùm eatenùs bella & contentiones perseverâssent. Hæc autem à Marianâ [n] sumpsimus, qui ubertim tractat: longéque uberiùs, sed eodem sensu, Garivaius [o]. Eadem & describuntur in Commentariis [p] Pij Pont. sicut ad ipsum delata sunt: Inter quæ, duo sunt quæ Mariana tacuit, sed Surita [q] æquè attigit. Vnum, accusatum fuisse Carolum quòd post benevolam à patre acceptionem, novam rebellionem in eum meditaretur. (Sed contra hanc calumniam satis sit, quòd ait amicos Regis id dixisse. Contegenda namque erat immanissimi patris aliquo prætextu sævitia) Alterum, Catalanos in odium Regis finxisse miracula ad sepulchrum filij fieri cœpisse; & ad hanc vocem per circuitum sparsam, concurrisse undique terrâ maríque ægrotantes ad sanitatem ibi recuperandam adeò ut Cosmas Vicensis Episcopus epistolam per orbem divulgârit, quâ miracula Caroli, exploratámque viri sanctitatem prædicaret: Eò denique ventum esse, ut jubente Catalanorum Senatu ad Pium Pontificem pro defuncti canonizatione sit scriptum. Idque Pontificem irrisisse, ipsámque deinde per sese fictionem elanguisse. At fuerint fortè hæ fictiones dolentium trucem mortem innocentissimi Principis; non tamen diluere valent culpam, sceleris paterni & novercalis; quam diligentiùs idem Garivaius & Surita prosequuntur in Historiis suis Hispanicis.

[n] Id.lib.23. c.2.& seqq.
[o] Gariva. lib.28.
[p] Comment. Pij II. lib.7.
[q] Sur.lib.17.

MIRACULA PRÆDICANTUR DE CAROLO.

XXIII. Hoc ipso anno, quo Synopem & Trapezuntem captas vidimus, idem Pius Pontifex, nequid quod ad rem quam animo continuò volvebat, de fidei adversùs Turcos defensione, facere existimaret, omittere videretur: commonendum etiam Mahometem putavit, si fortè (ut sunt judicia Dei mirabilia & incomprehensibilia) desisteret à persecutione Christianorum, & relictis superstitionis suæ impietatibus ac vanitatibus, ad sanctam & solidam Christianæ fidei veritatem converteretur. Quâ de re valdè prolixam ad eum paræneticam & catecheticam epistolam scripsit, quæ extat in cæterarum volumine [r], tantò cæteris dignior quantò & longior. Eam enim exaratam esse eodem anno quo Mahometes Synopem & Trapezuntem cepit, disertè ipse post initium ejus significat. A bello autem Christianorum dehortatus est, objectione fortitudinis nationum adhuc ipsi intactarum: quæ etsi divisæ ferè inter se essent, tamen ubi de fidei defensione agendum foret, futuræ essent omnes unitissimæ: Ex baptismi susceptione ingentem illi gloriam obventuram, imperium securum futurum; quemadmodùm accidisset diversis temporibus & regnis, pluribus magnis Principibus qui fidem Christianam relictis idolis aut superstitionibus suscepissent: Ipsum à se Græcorum & Orientis Imperatorem appellatum iri, itaut quod modò vi occuparet, & cum injuriâ teneret, jure possessurus esset: Denique vitam æternam consecuturum, quæ præcipuè quærenda sit, nec inveniri detur nisi in fide Christianâ, quæ pura, constans, & sancta est; non ut Mahometana, turpis, vana, & impia; uti ex utriusque per multos singularum articulos expositione demonstrat. Vtrùm verò hæc commonitio aut missa sit, aut accepta, & quid inde secutum sit, nullibi reperimus.

PII PÔT. EPISTOLA AD MAHOMET. TURCOR. REGEM.

[r] Ap. Æn. ep.396.

IESU CHRISTI Annus 1462.

PII II. Ann. 5.

FRIDERICI III. An. 23.

I. LEGATIO REGIS FRANC. LUDOV. XI. AD PIUM PONTIF.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, Indictione decimâ, Ludovicus Rex Francorum, post abrogationis Pragmaticæ literas ad Pium Pontificem scriptas, de quibus anno superiori, splendidissimam ad eum legationem [a] misit duorum Cardinalium Constantiensis & Atrebatensis, totidémque Episcoporum Andegavensis & Santonensis, Abbatum aliquot, & procerum nobilissimorum, quorum princeps Petrus Comes Calvimontis moribus & ætate gravis, qui tertio Idus Maij Romam ingressi sunt, honorificentissimè recepti. Atrebatensis orationem habuit; quâ Regis nomine obedientiam obtulit, Pragmaticæ abrogationem confirmavit; & si regnum Siciliæ familiæ Andegavensi pateret, & Genua, ut par esset in potestatem Regis rediret, copiosum exercitum adversùs Turcos mittere promisit. Quibus publicè peractis, privatim multùm legati questi apud Pontificem de favore ab eo præstito Ferdinando & Aragonensibus in regno Siciliæ contra Francos, quorum erga Sedem Apostolicam merita longè ampliora essent; responsum acceperunt, auxilia se præbuisse Ferdinando, quòd cum à Sede Apostolicâ approbatum Renatus Andegavensis inconsultâ illâ, cujus esset de his decernere, pellere tentâsset: subtracturúmque auxilia, si cessantibus armis res ad judicium redigeretur. Nonnulláque addita, quæ potiùs Gobellino tribuantur hæc narranti, quàm Pio Pontifici, promissis regiis parùm appositè ac decorè illudenti. Propositæ demùm nonnullæ conditiones, quibus induciæ fierent; ut illis durantibus aut amicabili tractatu, aut judicio lis sopiretur.

[a] Comment. Pij II. lib.7.

II. REX LIBERIÙS SCRIBIT AD PÔT.

Cùm nihilominùs pergeret interim Pontifex Ferdinando opitulari, & ex curiâ scriptæ essent ad Regem literæ, quæ Pium dicerent ardentiùs bello instare postquàm Pragmaticæ abrogatæ literas accepisset; quasi videlicèt jam liberior eo vinculo, plures pecunias è Galliâ haurire posset ad bellum: Ludovicus his turbatus literas ad Pontificem scripsit; existimâsse se ipsum beneficiis vincere; abrogâsse Pragmaticam, liberam obedientiam misisse, auxilia contra Turcos obtulisse, Concilium & res novas adversùs Sedem Apostolicam petentibus durè respondisse: ac nihilominùs Pium non solùm his mitiorem in sanguinem suum non fieri, verùm etiam duriorem. Quid igitur faceret, si nequiret benefaciendo inquietum spiritum mitigare? an experiri deberet viam contrariam? Nolle se id agere, nec ferre animum Christi Vicarium persequi: Fortasse pœnituru aliquando Pium suscepti odij, & assiduo tan-

dem victum iri obſequio. Tolerabilia hæc, (inquit ea referens Gobellinus [b]) & quæ Pontifex reſcribendo facilè confutavit. Duriora legatus attulit à Rege miſſus; & minatus eſt Gallos omnes ex curiâ Romanâ abducere. Quæ Pontifex parùm curans, in antiquâ propoſitione perſtitit, ut auferret Ludovicus Andegavenſis arma, & litem de regno ad judicium referret, aut Regem ſe hoſtem experturum: Gallis liberum eſſe cùm vellent curiâ recedere. Hæc magno animo Pius: ſed ut putamus, quòd optimè noſſet Francorum ingenium facile iraſci, ſed facilius mitigari. Ideóque cùm timeretur in curiâ ab irâ Regis, ille verba hæc eſſe dixit; non facturos Francos quod minabantur; manſuros, quamvis abituros ſimularent. Alioqui haud exiſtimamus voluiſſe eum ſeriò minari Regi, cujus armorum potentiæ ſuam longè inferiorem eſſe non ignorabat. Nec ſanè hoc fuiſſet viam parare ad bellum Turcicum, quod tantoperè promovere præſeferebat. Denique & voluit Collegium Cardinalium literas excuſatorias pro ipſo ad Regem ſcribere, quas Papienſis [c] dictavit; quibus eum enixè rogârunt ne delatoribus crederet: Pium enim longè ab his accuſationibus abeſſe, nec niſi cum ſummo honore de Rege Ludovico ſentire & loqui: coleret igitur eum Rex à quo coleretur, & amaret eum à quo paternè amaretur: hanc quippe ſocietatem & conjunctionem utrique fore perutilem: & alia ejuſmodi, quæ apertè demonſtrent, ferocia verba quæ Gobellinus Pio tribuit, aut non fuiſſe à Pio palàm prolata, aut ſi fortè commoto exciderint, quæſîſſe mox excuſare, quàm Regem exacerbatum dimittere.

[b] *Comment. lib. 8.*

DURIÚSQUE PONTIFEX AD REGEM.

[c] *Pap. ep. 18.*

III.

[d] *Comment. Pij II. lib. 7. in fi.*

PIUS AGIT RURSÙM CUM REGE DE BELLO TURCICO.

Cùm verò jam anteà veniſſet [d] in mentem Pio, ut quoniam videbat omnes retrocedere in propoſito de bello Turcico, expeditionem illam per ſe ipſum ſuſciperet; invitare deliberaverat ad opus Regem Ludovicum, qui decem millia bellatorum mitteret; & Ducem Burgundiæ, qui votum de itinere faciendo publicè voverat; cum certâ ſpe fore ut Aſiani Turcorum inimici, & Europæi Orientales arma pariter corriperent. Quódque exiſtimaret fruſtrà Burgundis & Gallis hanc expeditionem ſuaſum iri, niſi concurrerent Veneti quibus maria paterent; miſſis primò ad illos qui eorum voluntatem explorarent, poſtquàm facturos eos accepit quæcumque ipſe cuperet, legavit in Galliam Laurentium Epiſcopum Ferrarienſem. Qui [e] Regem adhuc commotum reperiens, nihil aliud reſponſi accipere potuit, quam miſſurum Regem brevî ad Pontificem legatos ſuos, qui de eâ re déque Siculâ tractarent: cùm interim opem ferre decreviſſet reſtitutioni Henrici Regis Angliæ regno pulſi; (cujus uxor Margarita tunc apud ipſum exiſtens, auxilia obtinuit, quæ in Scotiam duxit ubi virum reliquerat: de quibus ſatis dictum anno ſuperiori:) & alioqui rem fictam à Pio exiſtimaret, ut eo pacto res Siculæ obdormiſcerent. Inde Ferrarienſis Philippum Burgundum adiens, cùm illum à graviſſimo morbo conſaneſcentem reperiſſet, longè gratius reſponſum retulit; ubi convaluiſſet, non ſolùm voto ſuo ſatisfacturum ſe, verùm etiam omnia conaturum exequi quæ Pius mandaret. Pulchra verba ſæpiſſimè repetita; ſed nulli demùm effectus, ut poſt videbitur: cùm interim cuncta impedimenta de more in Francos rejiceret ad excuſandas excuſationes in deſide voluntate. Cujus interim promptum erga ſe animum Pontifex, ut decebat, magnifaciens; cùm hoc ipſo anno inſtigaret etiam eum contra Fridericum Palatinum Rheni Dietheri Moguntini defenſorem, (de quo diſſidio dictum eſt anno ſuperiori) obtulit quoque Capitaneatum, ut vocat, belli contra eum ſuſcipiendi, tam ſuo quàm Imperatoris nomine: iiſdémque literis [f] gratulatur de ejuſdem Imperatoris deliberatione, ipſius præſertim Pontificis ſuaſione ſuſceptâ, concedendi Philippo regalem inveſtituram. Quod tamen impletum non fuiſſe conſtat; etiamſi tot auctus eſſet Philippus ditionibus & Principatibus, ut multos Reges potentiâ, amplitudine, & divitiis ſuperaret.

[e] *Ibid lib. 9.*

ET CUM DUCE BURGUNDIÆ.

[f] *Æn. ep. 381.*

IV.

FERDINANDUS POTITUR REGNO NEAPOL.

[g] *Deſcribit qui adfuit Pont. lib 4. & Gobell. lib. 10.*

Poſt hæc miſſis à Ludovico Rege legatis, ſicut conſtitutum fuerat, de induciis ſuper bello regni Siciliæ à Pontifice oblatis tractaturis: nihilominùs quòd interim Ioannes Andegavenſis ingenti prælio [g] apud Troiam Apuliæ magnâ clade fugatus fuiſſet menſe Auguſti; indéque & multi proceres ac populi, & Princeps ipſe Tarentinus qui Ioannem in regnum evocaverat, (nec tamen voluerat umquàm, quò ſemper ipſe rerum arbiter eſſet, illum eo potiri; quod facile non ſemel fuiſſe, ipſimet ejus hoſtes minimè diffitentur:) ad Ferdinandum defeciſſent; non ſolùm, ut fit, ob partam à Ferdinando tantam victoriam, verùm & potiſſimùm pro pudendâ mobilitate nationis, quæ numquam à motibus ſcivit conquieſcere, aut à rebellionibus deſiſtere, niſi cùm neminem reperit qui ſe dedentem recipere voluerit: Quòd igitur jam ſuperior facta eſſet pars Ferdinandi, quam Pontifex totis niſibus fovebat: multis jam difficultatibus ad inducias ab eodem ipſo Pontifice interpoſitis, haud utile exiſtimante victoriæ fructum interturbari, quamvis plerique inducias ſuaderent, ipſéque dubius aliquando hæſiſſet; a Ferdinando demum perſuaſus, eas omninò excluſit: ut pluribus narrat Pontanus, qui rem minori partis ſuæ affectu quam Gobellinus tractare videtur. Nec tamen hic finis belli; quin adhuc reſurgens pars Andegavenſis Picinini ductu multas clades hoſtibus intulerit, plura oppida ceperit, Ferdinandum aliquando fugarit; uti videre eſt apud eoſdem auctores [h]: adeò ut etiam Pontanus ad ea excuſanda magicis artibus perditorum ſacerdotum tribuere habuerit: & Gobellinus narret, pœnituiſſe Pium, cùm ea audiret, induciarum recuſatarum. Qui ultimam manum appoſuit, idem Picininus fuit; cùm icto demùm ad finem anni ſequentis fœdere cum Ferdinando ampliſſimis conditionibus, ſimul & ei regnum aſſeruit, & Ioannem eò adegit, ut jam derelictus ab omnibus ſecedere habuerit in inſulam Ænariam, ſive Iſclam dictam, paucis continentis munitionibus per Gallos adhuc retentis. Cujus tamen defectionis præmium aliquo poſt tempore ab eodem ipſo Ferdinando turpiſſima proditione Picininus, bellator totâ Italia præſtantiſſimus, carcerem, & in eo mactationem bovis ferè inſtar tulit; ut Platina [i], Iovius [k], & alij ſcelus deteſtantes referunt. Sicuti & Tarentinum miſerè periiſſe, videbimus poſteà. Hi enim exitus decebant ejuſmodi euripos,

[h] *Gobell. lib. 11. Pont. lib. 5.*

[i] *Plat. in Paul. II.*

[k] *Iov. in Elog.*

qui fidem pro tempore mutantes, primùm Ferdinando, deinde Ioanni eam fefellerunt. Etenim, ut ait ille non alioqui optimus poëta,

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

V.

[l] *Cochla. Hist. Hussit. lib.12.*

REGIS BOEMIÆ LEGATIO AD PONTIF.

Ad principium hujus anni (ut Cochlæus [l] refert) Georgius Rex Boëmiæ celebrem legationem Romam misit ad Pium Pontificem, nonnullorum Baronum regni, & quorumdam Magistrorum ac sacerdotum tam Catholicorum quàm Hussitarum; cujus princeps fuit Procopius de Rabestein Cancellarius regni apprimè Catholicus, & Pontifici olim familiarissimè notus, & in pluribus legationibus socius. Quâ legatione volebat, Rex ut circa fidem Ecclesiæ minùs suspectus esset Catholicis, Sedi Apostolicæ uti Princeps Catholicus obedientiam præstare, & acceptare Ecclesiæ unitatem, eâ tamen lege ut Compactata Boëmorum approbaret Pontifex. Quod ubi Pontifex denegavit, oratores re infectâ domum reversi sunt sub festo Pentecostes. Ita Cochlæus breviter. Quæ uberiùs tractans Pius [m] ipse nomine Gobellini, imprimis ait Procopium Regis nomine obedientiam præbuisse: deinde unum ex presbyteris Hussitis oratione habitâ conventa Boëmorum cum Basileensi Concilio, quæ vocabant Compactata, confirmari auctoritate Apostolicâ petiisse, absque quo pax in Boëmiâ esse non posset: Pontificem de rebus Boëmicis, corruptáque ibi doctrinâ multa locutum, explicasse quomodò Compactata quibusque conditionibus indulta fuissent, quarum nullæ observatæ a Boëmis extitissent, quinimmò mille modis violata: ideóque nec vocari posse compactata, quæ vim habere desiissent, nec posse indulgeri sine magno periculo: denique Regem, qui in suâ coronatione obediturum se Romano Pontifici juràsset, debere abjectâ opinione de necessitate communionis utriusque speciei, Romanæ Ecclesiæ se coaptare: nisi faceret, regnum ejus stare non posse: Sic dimissis oratoribus additum esse Fantinum de Valle præstabilem Iurisconsultum natione Dalmatam, qui Regis Boëmiæ procuratorem aliquando egerat, ut quæ acta essent Romæ non Regi solùm, sed Baronibus quoque fidelibus nota faceret, siqua fortasse legati subtraherent.

[m] *Comment. lib.7.*

DIMITTITUR VACUA.

VI.

REX BOEMIÆ INOBEDIENTEM SE DECLARAT SEDI APOSTOL.

Pragam reversi, atque in generali regni conventu à Rege ad festum S. Laurentij indicto auditi cùm fuissent; Rex in Pontificem invectus, quòd quæ Synodus Basileensis; quæ majoris ipso auctoritatis esset, & antecessor ejus Eugenius concessissent, denegaret; quod de juramento à se præstito opponebatur, contestatus est, se quidem juràsse hæreticam pravitatem è regno abjicere, verùm communionem utriusque speciei numquam hæresim existimàsse; quinimmò & omninò velle, sicut in eâ educatus fuisset, ita & vivere ac mori. Deinde interrogatis primò Hussitis, siquis propter Compactata ipsi bellum indiceret, quo animo futuri essent; ubi ab iis audivit, se non res tantùm sed & corpora devoturos; factâ eâdem interrogatione Catholicis, responsum accepit, se nihil habuisse hactenùs commune cum ejusmodi Compactatis, neque deinceps ea velle curare, sed in unitate & obedientiâ Ecclesiæ Romanæ, sicut in eam diem vixissent, sic & imposterùm vivere & mori esse animum: ita tamen ut ubi honor Dei & justitia non læderetur, & Regi & regno haud defuturi essent. Post hæc auditus Fantinus à Pontifice missus, cùm intrepidè commissa sibi proposuisset, & Regem ad unionem Ecclesiæ & obedientiam Sedis Apostolicæ vehementissimè adhortatus esset; exasperatus Rex vehementiùs, multa in Sedem Apostolicam ore impuro oblocutus, illum magnâ constantiâ ejus calumniis & minis obnitentem, non ut nuncium Pontificis, sicut aiebat, sed ut suum olim procuratorem, in arctissimum carcerem conjecit; Procopiúmque pariter custodiæ dedit, & officio Cancellariæ privavit: quos tamen post tres ferè menses, intercessione Imperatoris Friderici & Ludovici Ducis Bavariæ libertate donavit: & Fantinus Romam rediit, Procopius officio restitutus est. Quæ uti se habuerint, iidem Gobellinus [n] & Cochlæus pluribus describunt; nec non Papiensis [o] in suis Commentariis; & Dubravius [p] (sed hic de more perturbatiùs) in suâ Historiâ Boëmicâ. Nec ab eo die festo S. Laurentij, quo se publicè declaravit Georgius Ecclesiæ Romanæ in obedientem, in gratiam Sedis Apostolicæ umquam rediit; multa propterea gravissimáque mala passus, de quibus sub Paulo Pij successore.

[n] *Comment. Pij II. lib.10.*
[o] *Pap. lib.6.*
[p] *Dubrav. lib.30.*

VII.

QUID DEINCEPS CUM EO ET AB EO ACTUM.

Intereà namque cùm ad Fridericum Imp. à proprio fratre Alberto in arce Viennensi Austriæ obsessum (erat enim, ut aliàs vidimus, magna inter eos contentio de Austriæ possessione) in auxilium evocatus properè accurrisset; Imperator, sive solâ ejus operâ, ut Cochlæus innuit, sive etiam certâ cum fratre compositione, ut Gobellinus [q] hanc obsidionem pleniùs describens tradit, liber abire permissus; in gratiam hujus beneficij mense Novemb. sibi præstiti, & apud Pium Pontific. pro eo intercessit, ne quod decreverat censuris contra eum ageret, propositâ emendationis spe; & filios ejus Victorinum (qui pro Imperatore fortiter apud Viennam pugnaverat) & Henricum auctoritate Imperiali Principes creavit anno proximo. Quo etiam Rex Georgius ad illa excusanda quæ in prædicto conventu Pragensi gesta fuissent, ac præveniendam Pontificis indignationem, legatos alios misit cum literis humilitatis & obedientiæ plenis; quas recitat Cochlæus scriptas die tertiâ Martij anni 1463. quibus etiam referens præceptum sibi à Pontifice factum, nequid in Wratislavienses moliretur, rogavit ut eos ad suam ipsius obedientiam (quam videlicet ij ob illius hæresim detrectabant) compelleret. Quippe extat [r] edictum Pij de iisdem Wratislaviensibus, quo narratis quæ hactenùs cum Georgio Rege, & ab ipso gesta essent in opprobrium Sedis Apost. & contra juramenta ab eo præstita; revocavit planè certam concordiam olim inter ipsum & Wratislavienses conclusam, quâ intra præscriptum tempus ei se submittere obligaverant, eósque ab ejus observatione penitùs absolvit: Georgio, cæterísque cunctis sub pœnâ excommunicationis inhibens iis in aliquo nocere, aut ad Georgij obedientiam compellere: ac Catholicos quoscumque Principes hortans, iis contra invasores succurrere. Scribénsque [s] eâdem de re ad suos in Germaniâ nuncios, præcepit illud edictum ubique publicari. Atque Imperatorem [t], qui pro Georgio intercessorem egerat, monuit ut eum ad unionem Ecclesiæ reducere conare-

[q] *Comment. lib.10.*

[r] *Ap. Cochl. lib. 12.*

[s] *Ap. Æn. ep. 401.*
[t] *Ap. Cochl. ib. d.*

tur, nihilque interim se ulteriùs in ipsum decreturum, quousque res planè desperata foret. Sicque res permansit usque ad proximum obitum Pij, biennio in eâ expectatione consumpto.

VIII. [u] Comment. Pij II. lib. 8. ANATHEMA IN TRES REBELLES ECCLES. [x] Vid. supr. an. 1460. IV. [y] Ibid. V. [z] Supr. an. 1459. VII.

Hoc anno [u] feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ idem Pius Pontifex publicè promulgavit anathema in tres filios perditionis, jam aliàs prædamnatos, de quibus suprà: *Sigismundum* [x] ex Austriæ Principibus, qui violentas manus in Cardinalem S. Petri Episcopum suum Brixinensem injecerat: *Gregorium* [y] *Heimburgium*, quèm *Errorium* nominabant quòd damnatos dogmatizaret errores, & ut hæreticus fuerat condemnatus: & alterum [z] *Sigismundum Malatestam* Ariminensem, unà cum fratre *Malatestâ*, utrumque nothum, illúmque Arimini, hunc Cæsenæ tyrannum, qui sæpiùs requisiti debitum Ecclesiæ Rom. censum solvere contempserant. Et Sigismundus quidem totius malitiæ caput, ac venenata mens sine religione, sine fide, sine Deo, qui resurrectionem mortuorum inficiabatur, & animas hominum mortales esse testabatur, nulliúsque sceleris non reus erat, paulò pòst de hæresi convictus, condemnatúsque est, ejúsque simulacrum publicè pro gradibus basilicæ S. Petri combustum.

SIGISMŪDI MALAT. HÆRESES ET CORRECTIO.

Qui hoc eodem anno mense Augusti à copiis Pontificalibus apud Senogalliam in Pio profligatus, vagus cirumiens multorum Principum imploravit ad Pontificem intercessionem, nec tamen pacem ab eo obtinere potuit: donec in Arimino clausus, castelláque jam pauca possidens, qui magnam olim Statûs Ecclesiastici partem occupaverat, illam humiliter per legatos petens; his conditionibus impetravit; ut procuratores ejus in basilicâ S. Petri die festo, dum res divina ageretur, errores fidei super quibus accusatus erat, ab eo assertos esse faterentur, eósque illius nomine abjurarent; ídque ipsum Sigismundus per sese Arimini ageret: pro crimine majestatis atque hæresis omni se privatum imperio cæterísque fortunæ bonis intelligeret: Ariminum ex benignitate Apostolicâ Vicariatûs nomine de novo acciperet sub censu annuo mille aureorum. Quibus impletis, Venetis deinde in bello Peloponnesiaco contra Turcos utiliter militavit; ac demùm Arimini valetudine assiduâ fatigatus vitâ excessit.

IX. [a] Comment. Pij II. lib. 10.

In Hungariâ [a] sæpè hoc anno cum Turcis levia commissa sunt prælia, & raró Hungaros victoria secuta est. In Walachiâ res Turcorum superiores fuêre; qui Transilvanam ingressi provinciam non parvam inde prædam asportavêre. Circa Savum quoque populati sunt agros, & multa intulêre Dalmatis incommoda. Numquam verò totis viribus tentare fortunam præsumpsêre, quamvis Matthias Rex Hungariæ pugnandi copiam facere præstò esset. In Asiâ Mahometes Lesbon Ægei maris insulam famâ notissimam cepit: ejúsque principem origine Genuensem, & omnes Italici generis viros palo suffixit. Hæc breviter in Pij Commentariis.

TURCORŪ IN CHRISTIANOS PROGRESSUS.

[b] Bonf. 3. dec. 10.

[c] Chalcond. lib. 9.

Hungarica Bonfinius [b] uberiùs, nec sine Matthiæ præconiis; quamvis satis confusè, ut plerumque solet. Et Mahometis Valachicam, seu Dacicam expeditionem uberrimè Chalcondyles [c], ingenti apparatu factam; cum expulsione Principis Bladi: (ita enim vocat, quem scriptores Latini Vladum, seu Wladislaum, vel etiam Draculam a patris nomine; Turci in Annalibus Bekanis Dracolem Vaivodam, in Leunclavianis Casiclum filium Draculæ:) qui cùm semel ausus esset intempestâ nocte invadere castra Mahometis, ingenti Turcorum terrore, licèt parvo damno, fugatus ipse posteà, principatu quoque spoliatus est, quem Mahometes contulit fratri ejus juniori Draculi: ipse verò Bladus in Hungariam profugiens, in carcerem à Matthiâ Rege conjectus est. Cujus rei causam cùm ignotam fuisse Bonfinius scribat, Chalcondyles declarat contigisse instigatione eorum, quorum propinquos & consanguineos in Daciâ crudeliter peremisset. Ipsum enim ut se in principatu, quem à Turco accepisset, firmaret, brevi tempore usque ad viginti hominum omnis sexûs, ætatis, & conditionis millia occidisse, & ad cæterorum terrorem palis adfixos alitibus exposuisse: Occasionem autem belli Mahometem accepisse, ex eo quòd eum res novas moliri intellexisset, & missos ad eundem legatos proditionis compertos palis adfixisset, manibus & pedibus priùs amputatis.

BLADI VALACHI HORRENDÆ CRUDELITATES.

Fuisse enim ipsum crudelissimum, non solùm quæ diximus significant; verùm & magis quod de eo refert Bonfinius, aliis Turcorum legatis in præveneratione pilea Phrygia ex patriæ instituto deponere recusantibus, confirmandi moris gratiâ tres capiti clavos affixisse ne amplius amoveri possent: innumeros palis Turcos præfixisse, & inter eos cum amicis lautè discubuisse: aliis sæpè captivis cute pedes exuisse, contusóque sale perfricuisse, mox lingentes salsis plantis capras adhibuisse, quæ linguæ asperitate cruciatum augerent: Mendicos omnes deperditæ ignaviæ, miserabilisque valetudinis & fortunæ, lautissimo convivio excepisse, deinde cibo vinóque completos injecto igne absumpsisse. Verùm & hæc parva sunt, præ iis quæ de eodem Gobellinus [d] post refert, Ioannem Vaivodam eum vocans filium Draculæ; quæ ejusmodi sunt, ut nullâ queant tragœdia æquari; dum supra triginta hominum millia aut palis affixisse, aut igne cremasse, vivos suffodisse, cute spoliasse, lebetibus decoxisse, ad saxa allisisse, aliisque crudelissimarum mortium generibus interfecisse, præter alia scelera narrat.

[d] Comment. Pij II. lib. 11.

Captum autem esse a Matthia, quòd ut is ad Pium Pont. scripsit, per literas quæ interceptæ fuêre veniam suæ in Mahometem rebellionis efflagitans; promitteret ei Transilvaniam prodere, unde facilè foret Hungariam sibi subjicere. Quem decennali carcere mulctatum Bonfinius tradit, ac deinde fuisse à Matthiâ in pristinam dignitatem restitutum: in Turcico demùm bello cæsum, capútque ad Mahometem dono missum. Habet item Chalcondyles fuisse ei apud Mahometem fratrem adolescentulum: quo cùm Mahometes turpiter abuti tentasset, puer educto gladio femur ejus graviter vulneravit, continuò aufugiens: sed non multò pòst spontè redeuntem sese ei prostituisse.

X. [e] Chalcond. lib. 10.

Lesbiam expeditionē, post illam Dacicā hoc eodem anno factam, diligenter descripsit idem Chalcondyles [e]; susceptam, ut ait, duplici prætextu, & quòd princeps insulæ Dominicus Catelusius origine Genuensis, quem Græci Kyriacon vocabant, Aragonenses piratas exciperet, & prædam cum iis partiretur; & quòd fratrem suum majorem obtruncasset ut solus insulâ potiretur. Obsessa urbs Mitylene, (quæ totius insulæ primaria, nomen etiam ei indidit ut æquè

LESBOS INSULA OCCUPATUR A TURCIS.

Mitylene dicatur) post acrem oppugnationem in deditionem accepta est primoribus Constantinopolim abductis: sicut & de aliis ubique captis consuetum fuisse Mahometi aliàs diximus, tum ut eos velut obsides haberet, tum ut urbem Imperij principem incolis impleret. Piratas trecentos ibidem repertos occidit, corporibus mediis dissectis gladio diaphragmati adacto: quod genus mortis ei adversùs hostes multùm placuit, quò crudeliùs perirent. Abductum Dominicum haud multò pòst ob turpe quoddam crimen in carcerem conjecit, una cum ejus consobrino Lucio Æni principe. Qui in summo vitæ discrimine fidem abjurantes, circumcisi libertati restituti sunt; ac nihilominùs haud diù pòst iterùm capti, ac demùm capitali supplicio affecti fuêre. Ita de his Chalcondyles. Quorum & Phranzes [f], & Turcorum [g] historiæ meminerunt.

[f] *Phranz. lib. 3. cap. 27.*
[g] *Ap. Leunclav. lib. 15.*

XI.

[h] *Marian. lib. 23. cap. 4. in fin. Comment. Pij II. lib. 10.*

GIBRALTAR ERIPITUR MAURIS.

Hoc item anno ponuntur Hispani [h] captam à Ioanne Gusmanio Assidoniæ Duce urbem Heracleam de Mauris: hoc est Gibraltarem, olim Calpe à monte cui arx imposita est ad freti Gaditani fauces, & ab Hercule Heracleam dictam, quem fabulantur erexisse ibi columnas; ob duo videlicèt promontoria, quæ procul visentibus columnarum speciem præseferunt. Vetus hæc Saracenorum [i] possessio, & ad commercium Africæ & transmittendis inde in Hispaniam exercitibus commodissima, cùm fretum ibi non ampliùs septem millibus passuum latitudine pateat. De quà & legitur [ii], haudquaquàm tot lapides Gibraltaris mœnia continuisse, quot pro illis evertendis Christiani cecidissent, cùm illam recuperare tentarent. Tantî autem æstimata fuit ejus acquisitio, ut ad [k] alia regnorum nomina publicis tabulis Heracleam sive Gibraltarem adjici placuerit, Maurorum exemplo. Opportunum inventum, ad conciliandam titulorum multiplicitate majestatem, singulas alicujus nominis civitates in regna evehere.

[i] *Vid. supr. an. 1333. IX.*
[ii] *Comment. Pij lib. 20.]*
[k] *Mar. ibid.*

XII.

[l] *Vid. supr. an. 1352. IX.*

Hoc eodem anno [l] magna mota est quæstio inter Fratres Minores & Prædicatores, de *Sanguine Christi* in triduo Passionis à corpore separato, utrùm divinitati unitus perseveraverit. Cùm enim apud Brixiam Iacobus Marchianus [m] Ordinis Minorum professor, S. Bernardini Senensis quondam socius, Verbi Dei prædicator in populis acceptus, ætate jam decrepitâ die Paschæ sermonem pro suâ consuetudine ad populum habens, inter cætera asseruisset, pretiosum Christi Sanguinem, dum triduo illo jacuit in terrâ sparsus, indignum fuisse latriæ cultu, quoniam fusus & à corpore Dominico separatus hypostaticam Verbi unionem protinùs amisisset: hoc audiens Inquisitor hæreticæ pravitatis Ordinis Prædicatorum, illicò Iacobo præcepit revocare tanquam erronea quæ dixerat, & interim contrariam sententiam per unum è suis prædicari fecit. Crescente contentione, & schismate in populo facto, nec valente Episcopo loci tumultum sedare, res ad Apost. Sedem remissa est. Quâ de re Pius Præfectis Ordinum mandans doctissimos eorum Theologos ad Curiam mittere; convenientibus frequentibus in festo Natalis Domini, audivit eos disputantes tribus diebus in Palatio Apostolico, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, ac divini & humani

[m] [Hunc Marchianũ *Beati* titulo honestavit, dum nos Romæ essemus anno 1624. Vrbanus Papa VIII. indulsitque ut officiũ de eo tanquam de Confessore non Pontifice, Neapoli in Ecclesiâ S. Mariæ de Novâ celebrari posset: quod & inde toti Ordini S. Francisci de Observantiâ cõcessit.]

QUÆSTIO DE SANGUINE CHRISTI TRIDUO PASSIONIS AGITATUR CORAM PONTIF.

Iuris doctoribus qui in curiâ erant. Prædicatoribus conclusionem suam in hunc modum proponentibus, Pretiosum Domini Sanguinem in Passione fusum, qui demùm ad glorificatum corpus rediit, hypostatica Verbi unione numquam fuisse privatum: Minoribus, in triduò Passionis cessâsse unionem affirmantibus. Addito nihilominùs à Prædicatoribus, haud se asserturos totum Christi Sanguinem in Passione fusum resurrexisse cum Christo; quæ res altiùs indaganda videretur: ídque ne literis Pij adversari putarentur, in quibus antè declaraverat, assertionem, quæ aliquid de Christi Sanguine in terris remansisse proderet, Religioni Christianæ non esse contrariam. Narrat ista Gobellinus, seu Pius ipse in suis Comment. [n]: & pulchrum ac delectabile fuisse ait audire doctissimorum virorum præclara ingenia inter se contendere verbis, & nunc istum nunc illum superiorem cernere: certâsse, ut decuit, coram tantâ majestate, non sine modestiâ, ac trepidatione: verùm adeò durum & acre certamen habuisse, ut mediâ hieme cùm rigerent omnia gelu, in sudorem resolverentur; tantus erat vincendi ardor. Subdit post hæc, quibus rationibus, quibúsque auctoritatibus tam Scripturæ quàm Patrum & Doctorum quæstio fuerit agitata; summos argumentationum locos & partium fundamenta attingens, quæ patent legere volentibus. Denique post triduum, cùm partes quæcumque voluissent in medium produxissent, dissoluto auditorio, Pium cum Cardinalibus plerisque diebus rem tractâsse, majorem partem sententiam Prædicatorum approbâsse, paucos cum Minoribus sensisse: Pium quoque in majori parte fuisse: sed non esse visum eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcos prædicatio necessaria, offenderetur: ac propterea in aliud tempus decisionem referri placuisse. Quam tamen numquam placuit plenè decidere: sed biennio pòst, Anconæ dum esset navigaturus in Turcos, Calendis Augusti anno 1464. die ante obitum 15. constitutionem [o] edidit, quâ ad pacem inter illos Ordines & in universâ Ecclesiâ super hâc quæstione conservandam statuit, nulli Fratrum prædictorum, aut aliorum quorumcumque Ordinum, deinceps licere de supradictâ dubietate disputare, prædicare, vel publicè aut privatè verbum facere; seu aliis suadere, quòd hæreticum vel peccatum esset, tenere vel credere sacratiss. Christi Sanguinem triduo illo ab ipsâ divinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse, divisum vel separatum: donec super dubietate hujusmodi quid tenendum esset, foret per ipsum & Sedem Apostol. definitum: pœnâ excommunicationis, & inhabilitatis ad quoscumque actus legitimos, hujus decreti violatoribus irrogatâ. Quam ejus constitutionem non videntur Suares [p], Vasquez, & quidam alij qui de his in contrarium disputarunt, adeò notam habuisse. De quo alij [q] pluribus.

[n] *Comment. Pij II. lib. 11.*

PII CONSTITUTIO DE EA QUÆST.

[o] *Ext. Bull. to. 1. Pij II. const. 11.*

[p] *Suar. in 3. p. S. Th. to. 1. disp. 15. q. 5. a. 4. sect. 6. Vasq. disp. 36. q. 5. art. 2. cap. 4. & 5.*
[q] *Vid. Vvad. Annal. Minor. to. 4. an. 1351.*

IESU CHRISTI Annus 1463.
PII II. Ann. 6.
FRIDERICI III. An. 24.

I.

Cógressus Regũ Franc. et Castel. pro rebus Aragon.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo-tertio, Indictione undecimâ, mense Aprili factus est congressus duorum Regum, Ludovici Franciæ & Henrici Castellæ, de dissidio quod vidimus [a] Catalanorum cum Rege Aragonio; cùm Castellanus Catalanis, Francus Regi socia arma junxisset, nec tamen inter se ipsos priscum fœdus violare vellent. Ludovicus ad insignem pagum S. Ioannis de Luzio constitit, Henricus ad oppidum Fontarabiam, singuli ad fines suorum regnorum. Quæ cùm dirimat flumen modicum quod Vidassium, seu Vidassonam vocant, illud Rex Castellæ multis cimbis trajecit in Galliam. Id enim Gallicæ majestati datum, etiam Mariana [b] scribit; cùm nonnulli alij auctores Hispanici factum velint, quoniam id flumen ad Hispanorum ditionem totum pertinet. Quam causam frivolam esse, etiamsi flumen totum eorum esset, (quod tamen abnuunt Franci, qui commune esse contendunt, nec Hispani [c] negant:) inde evidenter patet, quòd collocutio non ad fluminis ripam, sed ne ad pagum Handaye, qui proximus est in Franciâ situs, verùm duobus saltem milliaribus ulteriùs ad castellum Vrtubiam, ubi Ludovicus Henricum opperiebatur, facta est, ut disertè testatur Philippus Comminius [d] hunc congressum describens. Et quæ tunc comparatio Regis Castellæ cum Franco? Satius tamen omninò fuisse ne umquam isti intersese vidissent, observavit idem Philippus Comminius; multis exemplis docens quàm imprudenter agant Principes pari aut non adeò dissimili potentiâ, cùm in colloquium conveniunt ipsimet; longéque utilius esse negotia Principum per legatos viros prudentes tractari. Ex mutuis enim colloquiis & congressibus odiorum & rixarum causas etiam inter nolentes oriri, cùm singulorum facta, dicta, gestus, forma, vestitus omnia denique observantur, & plerumque, cùm sint diversa, vel ab ipsismet Principibus, vel ab eorum comitibus irridentur, & contemptum generant; & cùm ab alios deferuntur, odia & bella suscitant. Si enim (inquit) cùm nulli inter Christianos essent Principes, qui arctiori fœdere interse divincerentur quàm Francus & Castellanus, quippe quod esset Regis cum Rege, regni cum regno, viri cum viro, cum obligatione illud servandi sub magnis execrationibus (heu! quantum posteà mutati ab illis! quid non potest livor? quid non ambitio?) nihilominùs postquam hi Reges semel bisve congressi sunt simul & collocuti, quamvis nihil inter eos anteà controversiæ aut discordiæ intercessisset, numquam tamen deinceps amici fuêre: conventúsque aculeis & derisionibus confectus, nullo alio operæpretio solutus est, quàm quòd inter proceres Regis Castellæ seminatæ sunt conspirationes, quibus Regem suum ad miserrimam conditionem redegerunt. Erat Henricus fœdâ facie; vestium formâ Gallis ingratâ, quamvis splendidâ Ludovicus vili cultu, perbrevi veste, galero à cæteris diverso, sed vili, plumbeà imagine assutâ. Indéque utrimque dicteria sannæque, cum & pariter cæterorum Hispanorum splendidus esset apparatus, Gallorum tenuis.

Quam is noxius ipsis Regibus.

[a] *Supr. an. 1461. XXII.*
[b] *Mar. lib. 23. cap. 5.*
[c] *Surit. lib 9. cap. 6. Hist. Ferd. Cathol. Marian. lib. 29. c. 23. in fi.*
[d] *Commin. lib. 2. c. 8.*

II.

Regis Ludovici sententia ingrata partibus.

Quod verò ad rem controversam, cujus judicium arbitrio Regis Ludovici permissum fuerat, cum sententiam ante congressum Rex Baionæ pronunciâsset, recitata denuò illa est in ipso congressu, cujus capita uberiùs quàm à Marianâ referuntur in Comment. [e] Pij Pont. prout ad eum delata fuêre; nonnulláque de more oratoriè. Tractántque hæc eadem pluribus cæteri auctores Hispanici [f]. Cùm verò Regis sententia minimè placuisset iis quorum intererat, singulis se læsos conquerentibus; nullo majori fructu ex eo conventu discessum est. Ipsíque Catalani cæterorum omnium præsidio nudati, Petrum [g] Lusitanum Magistrum equitum, juribus quibusdam obsoletis renovatis, tanquam verum regni Aragonici hæredem evocatum, Barcinonensem Principem, Regemque Aragoniæ proclamârunt: qui ad principium anni 1465, prælio victus, subsequenti ex morbo periit: haud tamen inde bello fine imposito, ut dicetur ibi,

[e] *Comment. lib. 11.*
[f] *Surit. lib. 17. c. 49. & seqq. Gariva. lib. 17. cap. 9. lib. 28. c. 32. 33.*
[g] *Mar. c. 6. 7. 10.*

III.

Rex Ludovic. recipit, oppida Picardiæ.

Galliis autem ab Occidente Comitatûs Ruscinonensis & Cerdaniæ accessione firmatis, easdem à Septemtrione quoque munire Ludovicus Rex destinans oppida Picardiæ ad Somonam fluvium sita, & Comitatum Pontiviensem, aliáque Burgundiæ Duci pace [h] Atrebatensi à Carolo VII. Ludovici patre pretio quadringentorum millium aureorum oppignerata, corrasâ undique tam ab Ecclesiasticis quàm ditioribus sæcularibus pecuniâ, eâque Philippo Duci restitutâ, hoc ipso anno mense Octobri recepit, ingenti Caroli Comitis Carolesij filij Philippi ambitiosi ferocísque juvenis, amaritudine animi. Quæ & in apertum odium conversa est, eo justo prætextu, quòd rogatus à Philippo Ludovicus, ut paci Atrebatensi, cujus capita quædam conditionésque impletæ nondum erant, omni ex parte satisfaceret & nequem ex magistratibus a se in iis urbis institutis munere suo moveret; Rex utrumque promisisset, nec tamen servaverit, Rem narrat cæteris antiquior Monstreletus [i]; ex quo recentiores desumpserunt.

[h] *Supr. an. 1435. VIII.*
[i] *Monstrel. vol. 3.*

IV.

Novæ rixæ inter Regem Ludovicum et Pium Pontif.

Novam verò ab eo offensionem accepisse Pium Pontificem, traditur in ejus [k] Commentariis, cùm rursùm exprobrans, Pium suis consanguineis hostem esse, nec pacem velle neque inducias; arguere etiam præsumpsit quòd Ecclesiam Moguntinam diris calamitatibus subjecisset, Comitem Rheni Palatinum Ducem Austriæ Sigismundum durioribus edictis urgeret; Regem Boëmiæ hæreticum compellaret; (dictum de his omnibus superiùs, & quàm juridicè in iis Pontifex egisset demonstratum:) nullum denique quiete frui sineret: facturum meliùs si paci Christianorum studens contra Turcos consilia verteret: peteréque ut Cardinales de mente Pontificis sibi quamprimùm responderent. Nec hic solus error ejus: (subditur ibidem) tria decreta edidit sacrilega: primum, quo se solum competentem judicem declaravit omnium litium quas super Regaliis (hoc est juribus, quibus

[k] *Comment. Pij II. lib. 12.*

Reges Francorum uti consueverunt in recipiendis redditibus, & conferendis beneficiis Ecclesiarum Cathedralium vacantium, quæ ejusmodi regaliæ obnoxiæ sunt, donec novi Episcopi investituram acceperint) oriri contingeret. Alterum, quo sancivit, Præsides Parlamenti, cunctósque ministros suos in causis etiam beneficialibus iisdem privilegiis gaudere quibus Apostolica Sedes Parisiensem Scholam donâsse perhibebatur. (Sunt hæc Indulta, quæ vocant.) Tertium, quo judicium super possessorio cujuscumque beneficij Ecclesiastici suum esse constituit. Acriùs hæc ibi tractantur: pro more scilicèt Romanæ Curiæ, quæ omnia ubique per orbem sicut in Vrbe fieri optaret, & quæ secùs fiunt sacrilegiis adnumerat; ô quotusquisque Rex ac Princeps, magistratus ac privatus, sacrilegus non sit? Additur porrò, Pium irato Regi haudquaquàm literis respondendum censuisse, quæ semel lectæ, quod ampliùs dicant nihil habent, nec respondent interrogatæ: Duos autem legatos missos esse, alterum ab ipso, alterum à Collegio, cum instructione quibus modis objecta Pontifici crimina diluerent, quibúsve Regem placarent: De bello quoque Turcico locuturos, cum oblatione quinquennalium triennaliúmve induciarum in regno Siciliæ, si Regi contra Turcos animus esset arma sumere. Quid verò hi legati apud Regem operati sint, nec ibi refertur, nec alibi invenimus. Tantum invenimus nonnulla alia edicta a Rege promulgata contra exactores spoliorum virorum Ecclesiasticorum, & contra expectativas. Adeò quippè continuis suis exactionibus curia materiam quiritationibus suppeditabat; ut nihil frequentiùs in Galliæ, Angliæ, Germaniæ, adeóque Hispaniæ monumentis reperiatur.

V. GOBELLINI HALLUCINATIO DE MINORI BRITANNIA.

Sed asperior in Regem invectiva subditur in iisdem Pij commentariis; quod legatum Apostolicum Ioannem Cæsarinum sacri Palatij Auditorem in Britanniam proficiscentem comprehendi, scripturásque cunctas ei auferri jussisset: Alanóque Cardinali, qui mittendi legati causa fuisset, fructus beneficiorum omnium, sive, ut aiunt, temporalitatem ademisset: crimini dans, quòd Cæsarinus iret in Britanniam judicaturus de feudo inter Episcopum Nannetensem & gentis Ducem, quos suos esse subditos aiebat, sibíque judicium feudi pertinere non Papæ. Tyrannica vox (exclamat auctor) & mendax: Neque enim Dux, neque Episcopus Regis Franciæ se subditum confitetur, quamvis uterque magni Regis potentiam vereatur: Quemadmodum Imperatorem in suo regno Ludovicus se diceret, ita & Regem in suo principatu Britanniæ Ducem se asserere; Episcopúmque Nannetensem priùs fundatam esse suam Ecclesiam, temporaliáque dominia, & quæ vocant regalia jura habuisse contendere, quàm regnum Franciæ constitueretur. Commotus animo sive Pius, sive Gobellinus, ut plerumque cùm de Regibus Francorum agitur, nonnulla in his minus sibi nota incogitanter emisit. Cui ne disputando bilem ulteriùs moveam, remitto utrumque tranquillè ad rerum Britannicarum scriptores [l]; qui eos & quoscumque alios doceant, quæ fuerit & tunc, & ab antiquo auctoritas Regum Francorum in Minorem Britanniam; fuisséque Duces ejus clientes ac fiduciarios regni, & homagium præstare solitos Regibus: (hâc dumtaxat de homagio aliquando contentione, utrùm ligium, sicut Reges asserebant, quod gravius & astrictius est, an verò ut Duces voluissent, simplex, quod levius & mitius, æstimaretur:) interim dum nos cæteras auctoris narrationes, quarum certiorem cognitionem habuit, prosequamur.

[l] Vide Vign. tract. de Minor. Brit. Argent. Hist. Briton. lib. 3. & 4. Suprà an. 1227. X.

VI. BOSNÆ PROVINCIA OCCUPATUR A' TURCIS.

In quibus sese imprimis [m] offert Stephani Bosnæ Regis, qui paulò antè genitori suo item Stephano dicto, de quo suprà [n], defuncto successerat, legatio ad Pium Pontificem, auxilia contra Turcos expeditionem in se parantes petens; & regalem coronam unà cum Episcopis ad instructionem & regimen illius populi recèns ab hæresi Manichæorum ad fidem Catholicam reducti. Quibus Pontifex auxilium pro facultatibus suis pollicitus, scripturum se etiam ad Regem Hungariæ & Venetos pro illorum subsidio promisit: mandaturúmque Ecclesias Cathedrales in Bosnâ erigi, & erectis constituturum Episcopos. Coronam autem mittere se non posse dixit, sine præjudicio Regis Hungariæ, cujus Rex Bosnæ vassallus esset, & ad eum pertineret coronare Regem. Sciscitaturum se ejus animum, & si æquo animo ferret, coronam per legatum missurum. Quippe fuisse in Bosnâ & Regnum, & Ducatum, tam ex Historiis Turcorum quàm ex Chalcondile & Bonfinio, aliisque, explicat Leunclavius [o] in Pandectis Turcicis: atque utrique finem impositum esse hoc præsenti anno, Rege primùm per deditionem capto, & contra fidem datam necato, atque ut volunt cute vivo exuto, sive ut alij, sagittis militum ad palum confixo, deinde Duce spoliato. Sicque miseri legati, qui ad Pium venerant tam ex Bosnâ, quàm etiam eodem propè tempore ex Hungariâ adventum Mahometis pariter nunciaturi, cùm fiduciæ pleni domum redirent, res multò deteriores invenêre quàm dimisissent, Bosnâ universâ interim à Turcis subactâ. Quæ quidem præsenti anno contigisse, tam Gobellinus in Pij commentariis, quàm Bonfinius in suis Decadibus, & alij tradunt: Annalibus tamen Turcicis magis sub sequenti collocantibus, quoniam ut Leunclavius observat, observandúmque diligenter videtur ad temporum conciliationem, Annales Turcici numeros annorum ad finem rerum gestarum apponere consueverunt, Christiani ferè ad initium: & quamquam hoc anno Regem Turcus ceperit ac necaverit, tamen nonnisi sequenti Ducatu potitus sit, continuato eatenùs bello: quod Chalcondyles [p] prolixè admodùm describit. Matthias verò Rex Hungariæ; dum Turci aliis vacarent, Iayzam urbem ab iis occupatam, regni Bosnensis caput, obsidione acerrimâ oppugnans, eam recepit cum septem & viginti circùm finitimis oppidis: tanto, ut aiunt, Mahometis de amissa Iayzâ angore, ut parùm abfuerit quin corde disrumperetur. Qui confestim exercitum eò ducens, totis nisibus conatus eam expugnare, murorum quassatione, copiarum omnium irruptione, nullo non oppugnationis genere; auditâ Hungarorum suppetias venientium appropinquatione, ad extremum projectis in aquam submersísque tormentis bellicis, obsidionem

DE IAYZÆ OPPUGNATIONE.

[m] Com. Pij II. lib. 11.
[n] An. 1459. XI. 1460. XII.
[o] Pandect. num. 141. & 162.
[p] Chalcond. lib. 10.

noctu solvit; non minori Iayziensium lætitiâ quàm gloriâ, qui fortissimè viri, feminæ, pueri, pro communi salute militaria munia die noctéque obire non cessârunt. Rem anno proximo gestam descripsit pleniùs Bonfinius [q], fatentúrque Annales [r] Turcici.

[q] Bonfin. 3. dec. 10.
[r] Ap. Leunclav. lib. 5.

VII. DISPUTATIO DE CORPORE S. LUCÆ.

In Iayzæ occupatione primùm à Turcis factâ, Franciscani Patres corpus sacrum ibi à multo tempore summâ veneratione habitum, quod S. Lucæ Evangelistæ esse dicebant, subtraxerunt; & Venetias delatum Mauro Duci obtulerunt: qui illud in Ecclesiâ B. Iob collocavit. Sed cùm idem S. Evangelistæ corpus jam anteà Patavij in monasterio S. Iustinæ assereretur esse; motâ inde grandi controversiâ, quódnam illorum verum corpus S. Evangelistæ esset, judicióque à Pio Pontif. ad Bessarionem Cardinalem tunc Venetiis existentem, remisso, cùm ille pro recèns allato pronunciâsset, nihilominùs Monachi S. Iustinæ rem apud Sedem Apostolicam per provocationem prosequentes, maximum momentum causæ suæ compererunt, Caput sancti Evangelistæ in Basilicâ S. Petri asservari, delatum illuc olim à S. Gregorio Magno Constantinopoli, ubi Apocrisiarium egerat Pelagij decessoris sui: ac proinde cùm corpus Iayziâ delatum integrum esset capite & corpore, Patavinum autem capite careret, longè similius vero esse Patavinum Evangelistæ, aliud cujusdam alterius Lucæ esse. Perstitit tamen res tunc injudicata, forsitan ob gravissimam auctoritatem Bessarionis secùs sentientis: donec ultimis temporibus Gregorius XIII. Papa in restitutione Martyrologij Romani, pro Patavino visus est sententiam ferre, cùm ad diem 15. Calendas Novembris, qui S. Lucæ Evangelistæ sacer est, jussit fieri mentionem translationis sacri ejus corporis Patavium ex urbe Constantinopoli: haud tamen propterea Franciscanis à sententiâ Bessarionis abire consentientibus. Narrantur autem isthæc prolixè in Historiâ Cœnobij S. Iustinæ à Iacobo Cavacio.

VIII. VENETORUM CONSILIUM DE BELLO TURCIS INFERENDO.

Antè verò quàm hæc gererentur, quámque Rex Bosnæ caperetur; Veneti accepto nullum esse in Græciâ Turcorum exercitum, quòd omnes ferè copias Mahometes ad eam expeditionem duxisset; tempus advenisse rati, quo Peloponnesum, arcem Græciæ, aptissimámque ad totius orbis commercium regionem, verámque mercatorum sedem, vino, tritico, & omnibus quæ vitæ humanæ requirit usus abundantem occuparent: ingentem classem instituerant, præfecto Aloysio Lauredano, quem sub specie Eubœæ defendendæ in Orientem navigare jusserant; potestate concessâ ut si sibi è Republicâ videretur, bellum Turcis inferret, Peloponnesúmque illis ac cæteris possessoribus quocumque posset modo eriperet. Aderant Albanensium, & insularum auxilia: Bellíque causæ, injuriarum propulsatio, & Christianæ religionis defensio prætendebantur: Argolica expugnatio, & Naupacti direptio contra fœdera Turcis objiciebantur. Cùm nunciato Bosnensi excidio, trepidare incipientes, ad consilium Pontificis accurrêre: qui per Bessarionem Cardinalem Venetias ire confestim jussum, spem auxilij præbuit, metúmque hostis auferre curavit. Adeóque Bessarion eos ad rem faciles invenit, ut nullo negotio suaserit bellum in Turcos publicè decernere: cùm sic priùs præfecto classis liberum belligerandi arbitrium permisissent, ut tamen non antè vulgaturi essent quàm magno aliquo damno hostes affecissent. Iam verò bello indicto, ad classem quæ priùs navigaverat plures triremes & suppleméta militum addidêre. Factúmque est ut Lauredanus Isthmum à Turcis destructum muro, turribus, & duplici fossâ interiùs exteriúsque communierit: ac Lemnos, & complures insulæ Ægei maris, quas vocant Cycladas, abjecto Turcorum jugo ad Venetos defecerint. Vti hæc præsenti anno gesta apud Gobellinum [s] recitantur: meminerúntque Græci [t]; ac describunt Sabellicus [u] & Iustinianus [x] auctores Veneti, quamquam non sine aliquâ temporum ac rerum gestarum, ut aliàs non rarò, perturbatione.

[s] Comment. Pij II. l. 12.
[t] Chalcond. l. 10. ad fin. Phranz. l. 3. cap. 27.
[u] Sabell. 3. dec. 8.
[x] Iustin. Hist. Ven. lib. 8.

IX. SCANDERBEG. PREMITUR À TURCIS.

Accepit quoque inter hæc Pius legationem à Georgio Scanderbego; quæ narravit venisse Mahometem Scopiam cum innumerabilibus copiis, improvisúmque Scanderbegum opprimere voluisse: cúmque nullum pateret ad muniendam provinciam tempus; unicum ei salutis remedium fuisse, pacem ab hoste petere: id se fecisse provinciæ conservandæ causâ; at cùm vellet Pontifex, rursùs in bellum iturum: optare ipsum in terris Ecclesiæ refugium, si regno pelleretur à Turcis. Pontifex necessariam pacem non improbavit, si quod aiebat Scanderbegus, imperium Apostolicæ Sedis salvum esset: refugium pulso in agris Ecclesiæ non defuturum, si pro religione pugnans ab hoste fidei ejiceretur. Ita in Pij ipsius [y] Commentariis. Quibus magis credimus, quàm encomiasticis scriptoribus vitæ Scanderbegi; qui illum per plurimas clades Turcis illatas, ac plures & diversos eorum exercitus post reditum ab Italiâ deletos, Mahometem ad pacem hoc eodem anno instantissimè petendam compulisse tradunt: eámque ipsum accepisse & publicâsse; sed paulò pòst suasionibus Venetorum & Archiepiscopi Dyrrachiensis eamdem rupisse, ac bellum rursùs Mahometi denunciâsse.

[y] Comment. Pij lib. 12.

X. PII PÓT. CONSULTATIO DE BELLO TURCICO.

Pius autem totis animi & corporis viribus iisdem rebus Turcicis intentus, cùm de novo ad Ducem Burgundiæ misisset qui eum ut voto suo faceret satis hortarentur; ubi accepit promptam ejus voluntatem propositum adimplendi, de ejus monitu universis Italiæ potentatibus legatos ad certam diem Romam mittere præcepit. Qui cùm advenissent mense Septembri, (ut Commentarij prosequuntur) auditi primum sunt in consistorio publico legati à Burgundo missi, qui nunciârunt statuisse illum proximo verno tempore classem in Turcos ipsummet ducere, bellúmque totis conatibus pro sacrâ religione suscipere: neque corpori suo parsurum, quamvis senex esset: ac non solùm ducis, sed militis quoque munera subiturum, nisi malâ valetudine impediretur: eóque casu missurum qui suas vices implerent. Quibus auditis Pontifex, collaudato amplissimis meritisque præconiis Duce, percontatus Italorum legatos quis esset illorum animus; responsum à pluribus accepit, venisse se ad audienda ipsius Pontificis proposita, quæ suis dominis referrent. Veneti verò

jam se bellum inchoâsse significârunt, & partem Peloponensi Turcis eripuisse, séque nullâ in parte Pontifici defuturos. Florentini, quibus suspecta erant omnia quæ Venetorum æstimationem augere viderentur, clàm Pontifici persuadere conati sunt, sineret Venetos solos cum Turcis, uti cœperant agere: sic enim Italiam tam à Turcis quàm à Venetis qui eam sibi subdere quærebant, quietam fore, cùm diù inter eos trahendum esset bellum, & utrique fortè corruturi. Sed hoc consilium detestatus Pontifex, longo sermone ostendit & quàm illud impium esset, & quàm longè ab omni expectatione ut Veneti soli Turcos debellarent; cùm tamen non possent ipsi perire quin simul tota Italia periret: longè porrò satius esse Venetos Christianos vincere, quàm Turcos infideles: nec denique quamvis de Turcis Veneti triumpharent, propterea jugum Italiæ imposituros; quod multis modis facile foret impedire.

XI. COLLOCUTIO DE EODEM CŪ CARDINALIBUS.

Post hæc convocatis in consistorium secretum Cardinalibus, repetito summo quo semper flagrâsset desiderio defendendæ Religionis contra Turcos; & ingentibus commemoratis objectaculis quæ sese ei opposuissent, bellorum Siculi contra Gallos, & Piceni contra Malatestam, quibus necesse omninò erat attendere in defensionem Ecclesiæ Romanæ ejúsque jurium: quippe pro Christo pugnare esset, cùm Ferdinandus defenderetur; Turcis bellum inferre, cùm Malatestæ concuterentur agri: jam utrumque profligatum esse beneficio divino: atque ideò cùm nullum superesset urgens impedimentum, quò minùs posset ipse quod semper optaverat pro fide pugnare; quando aliter non posset Christianæ religioni, ne Turcorum viribus conculcaretur, subvenire, decrevisse armare classem quantam pro facultatibus Ecclesiæ instruere posset: ascendere navem, quamvis senex esset morbísque conquassatus, atque in Græciam & Asiam navigare: Christianos Principes ad id pariter agendum, facto simul & verbis invitare. Hæc nisi via Christianos ad bellum excitaret, nescire se aliam: Fortè cùm viderent magistrum & patrem suum Romanum Pontificem Iesu Christi Vicarium, senem & ægrotum, in bella vadentem, puditurum eos manere domi: Denique non solùm se in hostes perrecturum: Venetorum validam classem & maris dominam ipsum comitaturam: Adfuturos & alios potentatus Italiæ: Ducem Burgundiæ secum attracturum Occidentem: A Septemtrione ursurum Hungarum & Sarmatam: Rebellaturos per Græciam Christianos, atque in castra Pontificis procursuros: Albanos, Servios, Epirotas, libertatis tempus advenisse gavisuros: nec defuturos in Asiâ motus Caramanni, & aliorum qui Ottomanos oderant.

XII. DELIBERATUR EXPEDITIO.

Cùm hæc & alia prolixè & eleganter perorâsset, sententias Cardinalium percontatus, nullum invenit, qui non magnoperè profectionem & laudaret & suaderet; résque simul & corpus offerret; excepto Atrebatensi, qui subalienato animo Pontifici erat. Italorúmque legati, acceptis à dominis suis responsis, decretum Mantuanum de decimis, vigesimis, ac trigesimis adimpleturos se retulerunt: præterquàm Genuenses, qui licèt rogati nullum ad conventum misêre: sicuti nec Dux Sabaudiæ, quamvis in Italiâ multum agri obtineret; nec Marchio Montisferrati. Florentini quamquam legatum miserunt, nihil tamen nisi verba dederunt: & Senenses decem tantùm millia aureorum obtulerunt. Hortatus Pontifex Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanensem, secum in expeditionem ire, totiùs exercitûs Apostolici ducem futurum; excusationes tantùm procul quæsitas retulit. Ita enim de his Pius ipse in suis Commentariis. De Genuensibus tamen habent eorum historici [a]; cùm misisset ad eos Pontifex Fabianum Iurisconsultum à Montepolitiano, qui hortaretur ut majorum suorum & veteris gloriæ memores sacrum bellum omnibus civitatis viribus amplecterentur: illos respondisse, se à majorum pietate haud unquam deflexuros, cùm suâ sponte, tum Pontificis adhortationibus incitatos: duodecímque cives ex primariis electos esse, qui ea quæ ad expeditionem pertinerent procurarent. Nec plura de iis. Quid verò illi decreverint, intelligitur ex literis Pontificis nomine ad eos redditis, quas Papiensis [b] dictavit: nempè promisisse armare octo vel decem naves: velle tamen priùs scire, quas conditiones civitas in hoc bello ac victoriâ esset habitura, quorum cupiditati, & hortationibus & promissionibus satisfacere quæsivit Pontifex. Ducis verò Mediolanensis extat [c] pariter responsio ad Pontificem, oratoriis pigmentis ornata: sed quæ promittens iturum ipsum omninò, tot tamen ingerit expeditionis difficultates, ut satis ostendat haud ipsi eam probari. Quin nihilominùs ne omninò communi saluti, justissimóque Pij desiderio deesse videretur, missurum se dixit [d] cum equestribus copiis Ludovicum filium, qui ei bello interesset, & Pontificis lateri adesset.

XIII. DECRETŪ PII DE BELLO.

Pius autem nihil his retardatus, in adjutorio confisus Altissimi, ad undecimum Calendas Novembris convocato publico consistorio, Decretum communi Cardinalium consilio & assensu ad universos Antistites, Principes, & populos Christianos editum; legi & publicari jussit; quod extat [e] inter ejus opera: quo & de necessitate belli contra Turcos gerendi, & de profectionis suæ, (quam circa Nonas Iunias anni insequentis Anconæ futuram significavit) ac sperandæ victoriæ causis, & præmiis bellatorum, atque impedientium ultionibus, latè disseruit. Scribens verò privatim paucis pòst diebus ad Ducem Venetiarum Christophorum Maurum, (quas ejus literas recitat Petrus Iustinianus [f] in Historiâ Venetâ ob illarum splendorem & gravitatem) totam expeditionis spem in eo constituens, & in Duce Burgundiæ qui venturus erat, hortatus est accingere se huic bello, & sibi mare ingredienti apud Anconam præstò adesse. Neque se diceret senem, tanquam propter ætatem deberet excusari: Philippum quoque Burgundum senem esse; ac se pariter Pontificem senectutem invasisse annos duos & sexaginta [ff] natum: tres futuros in hoc bello senes: in Trinitate Deum gaudere: Trinitatem hanc, cœlestem Trinitatem adjuturam: juvenes brachia exercituros, sed ductu & consilio senum. Hæc & alia plura ibi Pontifex magno ardore. Cùm interim au-

[a] Nebiens. lib. 5. Foliet. l. 11.

[b] Ap. Pap. ep. 33.

[c] Ap. Æn. ep. 392.

[d] Simonet. in Vit. Sfort. Cor. part. 6.

[e] Ap. Æn. ep. 412.

[f] Iust. lib. 8.

[ff] Vide infrà ad an. 1464. IX. in marg.

ditæ sunt clades Venetis illatæ ad Corinthum & Mitylenem à Turcis, cum grandi cæde, & Isthmi quem reparaverant desertione; quas idem Petrus refert, & ante illum Sabellicus [g]: attigit Phranzes [h] Græcus; ac pleniùs describit Chalcondyles [i], in his terminans intricatissimam suam Historiam de Rebus Turcicis: quamvis ætatem ad tringinta fermè ulteriùs annos perduxisse dicatur.

[g] *Sabell. 3. dec. 8.*
[h] *Phranz. lib. 3. cap. 27.*
[i] *Chalcond. lib. 10.*

XIV. BELLI NEAPOLITNI FINIS.

Restabat adhuc Princeps Tarentinus in regno Siciliæ, qui profectionem Pontificis in Turcos perturbare videbatur, nova incendia in Ferdinandum excitaturus: cui etsi anno superiori post victoriam Trojanam reconciliatus fuerat, memor tamen perfidiæ suæ bellum sibi salubrius quàm pacem arbitrabatur. Verùm & is, cùm Ioanni Andegavensi, (qui jam per ejusdem Principis, cæterorúmque ducum ac procerum oppidorúmque ad Ferdinandum defectionem, ab omnibus derelictus, in insulâ Ænariâ, sive Isclâ agebat expectans auxilia à patre:) suppetias promittere, hortarique ne regnum dimitteret, ac nonnulla oppida sollicitare compertus esset; morbo, quo jam detinebatur, præ mœrore & timore magis oppressus, decimo-septimo Calendas Decembris extinctus est sine confessione & sacramentis Ecclesiæ; ut qualis vita præcessisset, talem consequeretur exitum, sine religione vivens & moriens: cujus opes, quæ supra decies centena millia auri nummum æstimatæ sunt, sine diminutione in Ferdinandi manus pervenére. Ita Pius in Commentariis, in ejus obitu constituens & belli finem, & Ferdinandi felicitatem; cùm jam in regni continenti cuncta ei parerent, præter quædam oppida, quæ adhuc in fide Ioannis perstabant, una cum arce Ovi Neapoli. Hicque iidem Commentarij finem accipiunt pridie Calendas Ianuarij præsentis anni 1463. cùm Pius hactenùs aut scribens ipse aut dictans quæcumque per orbem agebantur, aut ad ipsum referebantur, ipséque publicè sciri utile existimabat, jam negotiorum mole & morbis oppressus ab ulteriori scriptione substitit: ad condictam expeditionem festinans, séque quotidie necessariis instruens: de cujus Anconam profectione dicetur anno sequenti.

XV.

[k] *Cor. par. 6. Mambrin. contin. Collen. lib. 7.*
[l] *Pont. lib. 6.*

Sed quod finem belli Neapolitani spectat; imprimis sunt [k] qui scribant, mortem Tarentino illatâ vi acceleratam fuisse. Quippe ut Pontanus [l] ait, nî secuta brevî mors ejus fuisset, transmisso in Brutios Ioanne Andegavensi cum triremibus, (quas decem numero optimè instructas à patre acceperat, plurésque aliunde habuerat) insequenti anno bellum priori longè infestius calamitosiúsque instauratum iri apparebat. Morte verò Tarentini tum Ferdinandus potitus ejus thesauro, ex summâ inopiâ (ut Corius ait) in magnas divitias & possessionem regni venit: tum Ioannes omni ejus recuperandi spe abjectâ, post quosdam adhuc in Isclâ adversus Ferdinandum repugnantes conatus, anno sequenti insulam derelinquere compulsus, Massiliam enavigavit: relinquens in regni Neapolitani populis, (inquit Pontanus) atque apud nobilitatem præcipuè, permagnum sui desiderium, cùm esset maximè compositis moribus, integrâ fide, incredibili continentiâ, summâ constantiâ, magno in Deum metu, in homines liberalitate ac gratitudine, justi honestíque apprimè colens, ac supra Gallorum ingenia gravis, severus, circumspectus. Æstimandum magnoperè ab hoste procedens adeò eximium hujus Principis elogium. Quas ejus virtutes si notas habuisset Pius Pontifex, haud putamus illum ita acerbè toties in eum invectum fuisse: aut si notas habuit, invectivas ejus malignitati magis Gobellini eas referentis attribuere decet, quàm Pij pietati. Post abitum Ioannis, cuncta loca quæ ab eo stabant in manus Ferdinandi deditione pervenerunt. Notatúque dignum quod Pontanus [m] de custodibus arcis Ovi refert; Ferdinandum multis usum artibus corrumpendis illis, & admotis ingentis crassitudinis tormentis concutiendæ arci, cùm incassùm omnia fuissent, longo pòst tempore cogente dirâ fame, deditione recepisse: Eàque undique perquisitâ, præter salis pusillum in ollulâ, fasciculúmque salitæ brassicæ, nihil omninò esui quod esset repertum esse; adeò fortibus atque obstinatis animis præfectus defensorésque extitere. Finito demùm bello, quod sexennio duravit, idem quoque *Pontanus* suis de Ferdinandi rebus gestis commentariis terminum posuit; quamvis multis pòst annis Ferdinandus regnaverit, cui ipse in magisterio scrinij inservivit: Cereti in Vmbriâ natus, vir planè insignis, multisque aliis scriptis clarus: tantâ habilis ingenij fœcunditate, (inquit Iovius in ejus elogio) ut neque poëtis, neque oratoribus, qui tum maximè florerent, dignum secundæ famæ locum relinqueret; produxítque vitam usque ad annum Christi 1505. ætatis suæ 78.

[m] *Pont. lib. 5.*

PONTANI ELOGIUM.

XVI.

[n] *Comment. Pij II. lib. 11. & 12.*

ISIDORI CARD. RUTHENI OBITUS.

Postremò huic anno corollarium addimus ex eisdem Pij [n] Commentariis, obitum nonnullorum clarorum virorum, qui eo contigerunt; atque imprimis *Isidori* Rutheni Cardinalis Episcopi Sabinensis, & Collegij Decani: de cujus pro Ecclesiâ exantlatis laboribus, & obitis periculis, sæpè superiùs; qui Romæ decessit ex longâ apoplexiâ 8. Idus Martij, sepultúsque est ad Sanctum Petrum. Qui cum etiam titulum gereret Patriarchæ Constantinopolitani, ei fatis functo Pius Pontifex *Bessarionem* illum magnum Cardinalem Tusculanum suffecit. Mortuus & *Prosper* Sancti Georgij ad Velabrum sive Velum aureum Diaconus Cardinalis, Columnensis Romanæ familiæ princeps, Martini quondam Quinti nepos, miti vir ingenio, literarum cultor; & quem nemo potuisset non amare, nisi plus æquo Gibellinarum partium studiosis auscultâsset. Itémque *Alexander Oliva* Cardinalis S. Susannæ, Pio Pontifici valdè charus; de quo etiam suprà: qui etsi dies quamplures cum morte animam agens luctatus est, nunquam tamen intermisit de fide disputare, symbolum exponere, abstrusos Scripturarum sensus aperire; adstantes ad cœlestis patriæ desiderium accendere. In cujus funere Antonius Campanus historicam de ejus vitâ orationem habuit: ex quâ nonnulla in Additionibus ad Ciacconium legas; aliàque in Chronico Augustinianorum, quorum Regulæ professor erat.

BESSARION FIT PATRIAR. CONSTANTIN.

XVII.

His Cardinalibus virum sæcularem ex iisdem Commentariis addimus, sed longè celebrioris

Flavii Blondi obitus.

inter eruditos nominis; *Flavium Blondum* Foroliviensem, historiarum Romanarum egregium scriptorem: cui satis laudis esse debet, quòd ejus scripta in epitomem contrahere voluerit Æneas Pius Pontifex. Ejus tamen incuria in scribendo à multis, ipsóque Pio carpitur, quòd non satis diligenter quæ scripsit examinaverit, non quàm vera sed quàm multa scriberet curam habens. Diù secretarium Apostolicum egit, & Eugenio Papæ IV. acceptissimus fuit. Mortuus est autem Romæ pridie Nonas Iunias, ætatis anno septuagesimo [o]; pauper ut Philosophum decuit, familiam benè institutam relinquens utriusque sexûs.

[o] *Palmer. in Chron.*

XVIII. B. Didaci obitus.

Obiit item hoc eodem anno Compluti in Hispaniâ pridie Idus Novembris *B. Didacus* (sive Iacobus) Laïcus ex oppido S.Nicolai de Portu ditionis Hispalensis, Ordinis S.Francisci Professor; de quo etiam aliàs [p] dictum, miraculis vivus & mortuus clarissimus: quorum permulta unà cum ejus Vitæ gestis, memoriæ mandavit Petrus Galesinius Protonotarius Apostolicus, jussu Sixti V.Pontificis: qui etiam in numerum Sanctorum Confessorum ritu solemni eundem retulit [q] anno Domini 1588. Nonis Iulij Pontificatûs 4. Eundem verò hoc ipso anno in cœlum præcesserat 7. Idus Martij *B. Catharina* virgo Bononiensis, ex numero Clarissarum ejusdem Ordinis S.Francisci; visionibus cœlestibus, spiritu prophetiæ, virtutúmque exercitio clarissima, & ingentibus miraculis post mortem illustris; quæ Ioannes Antoninus Flaminius Forocorneliensis in ejus Vitâ à se conscriptâ retulit. Cujus corpus suavem odorem spirans adhuc integrum visitur ibidem Bononiæ, ita tractabile ac flexibile, ut non mortuum sed quasi somno oppressum appareat.

[p] *Suprà an. 1405. V.*

[q] *Bullar. tom. 2. Sixt. V. const. 81.*

Itemque B. Catharinæ Bonon.

Iesu Christi Annus 1464.

Pii II. An. ult.

Pauli II. Annus 1.

Friderici III. An. 25.

I. Corona sacra Hungaris restituitur duris conditionibus.

Anno Christi 1464. Indictione duodecimâ, Matthias Rex Hungariæ sexto demum electionis suæ anno coronatus est sacrâ regni Coronâ, quæ in potestate Friderici Imp. viginti quatuor circiter annos manserat; nec ut restitueretur ullis precibus, aut pretio, aut armis impetrari unquam potuerat. Diximus de his aliquando superiùs. Cùm verò ob ejus defectum Matthias, quamvis aliàs acceptissimus Hungaris, despectior nonnihil tractu temporis fieret; pluresque Friderico quem etiam olim elegissent in Regem, auscultarent: exorabilior is factus periculo Viennensi, de quo ante biennium, consensit tandem Coronam reddere gravibus quibusdam conditionibus, quæ leviores Hungaris visæ fuêre, præ vehementissimo desiderio eam recipiendi, à quâ regni incolumitatem ipsúmque regnum pendere existimabant. Fuêre autem istæ, (uti habentur in concordiæ literis, quæ insertæ reperiuntur Historiæ [a] Bonfinij, datæ in Novâ civitate feriâ tertiâ ante festum Mariæ Magdalenæ decimo-nono Iulij, anno præterito 1463.) ut Imperator Matthiam filij adoptivi loco haberet, cúmque Matthias patris, sicque inter sese nominarent. Si Matthias absque filiis seu nepotibus legitimis decederet, regnum Imperatoris esset, aut unius ex filiis ejus quem regnum eligeret, interímque etiam nonnulla intra regni fines oppida cum titulo regio retineret: veteres injuriæ abolerentur, & firma concordia inter Principes populósque esset; ac sine ullo discrimine utriusque subditi ab utroque Principe tractarentur. Nulla verò fit in iis mentio sexaginta aureorum millium, quæ præterea pro ejusdem Coronæ restitutione soluta fuisse, idem Bonfinius tradit; aliique septuaginta, vel etiam octoginta numerant. Turpe enim nimis fuisset, hanc nundinationem, quæ & aliunde satis iniqua plerisque videbatur, publicis actis apponere. Ad Coronam autem pro dignitate deferendam, equitum circiter tria millia cum legatis missa fuêre: Eáque singulari pompâ advecta, haud aliter atque res de cœlo demissa ab Hungaris præreverenter adorata est, & in arce Budensi collocata. Quibus, ut diximus, anno superiori gestis, eâ Matthias præsenti, post reditum à bello Turcico, quo Iayzam cepit, apud Albam celeberrimo regni conventu coronatus est in die Cœnæ Domini, ut Thurosius [b] & Nauclerus [c] habent; sive die Parasceves, ut Bonfinius [d].

[a] *Ap. Bonfin. post. lib. 8. dec. 4. & 3.*

[r] *dec. 10. & in Comment. Pij II. lib. 12.*

Ea Matthias coronatur.

[b] *Thuros. cp. 66.*

[c] *Naucler. ge. 49.*

[d] *Bonfin. 4. dec. 1.*

II. Turpis ejus terror panicus.

Cùm verò transactâ tranquillè æstate, idem Rex appropinquante autumno collecto exercitu, in Mysiam Superiorem cum auxilio Crucesignatorum duxisset; idem ei in obsidione Zoynichi Rasciæ oppidi contigit, quod Mahometi anno superiori in Iayzensi: ut scilicèt ad famam appropinquantis numerosi Turcorum exercitûs terrore percitus, relictis tormentis æneis, & plerisq; impedimentis, in Syrmiensem agrum trepidus redierit; turpiori tamen ipsius quàm Mahometis fugâ, quòd verè tunc Hungari in hostes pergerent ad subveniendum obsessis, nunc Mahometes nusquam comparuerit. Rem verò Bonfinius describit; quod ei præter consuetudinem excidit; cùm locatâ Matthiæ suâ operâ ad ejus laudes, & facinora prædicanda, (quæ sanè ingentia fuêre) vix adversa, aut quæ dedecori esse possent, attingere solitus sit. Cùm ex aliâ parte non omnia etiam laudabilia retulerit. Quale est, quod inter Dicta factáque ejus egregia à Galeoto Martio collecta [e] reperimus, ab eodem Matthiâ factum in Nicolaum Madrusiensem Episcopum Pij Pontificis in Pannonia nuncium. Nempè; cùm is allectus beneficentiâ Regis totâ hieme in aulâ commoratus, ut majorem gratiam iniret, præcipuos ejus proceres proditionis accusare cœpisset, eámque cantilenam sæpiùs repeteret; quantumlibet ab eo desistere Rex hortaretur, qui & calumnias ejusmodi ac susurrationes odio prosequebatur, & suorum procerum fidem perspectam habebat; ac nihilominùs is perseveraret: Regem dissimulatâ inquisitione, in conventum Principum eum nihil tale cogitantem produxisse; & interrogâsse palam, quinam essent illi quos vitæ suæ insidiari comperisset. Ibi cùm Episcopus obmutesceret, subtexuisse Regem, nisi moveret ipsum auctoritas Pontificis, ostensurum

[e] *Ext. in tom. Rer. Hungar. cap. 13.*

Egregiũ ejus factum in Nũcium Apostolicum.

se illi non decere Legatos in alio regno sementem dissidiorum jacere, & principibus honestis vitæ periculum creare. Regno igitur excederet intra biduum: nisi faceret, reipsâ ostensurum se, Matthiæ Regi sceleratas tales artes semper displicuisse.

III. LUDOVICUS REX FRANC. CEDIT DUCI MEDIOL. jura GENUÆ.

Hoc eodem anno Ludovicus Rex Francorum, sive domestici belli metu, cùm inciperent primores regni ab eo contempti in eum conspirare; sive in odium, ut nonnulli crediderunt, Ducis Aurelianensis, Franciscum Sfortiam sibi conciliare studens, operâ ejus aliquando usurus; non solùm eum in Ducem Mediolanensem agnovit, contra jura Aurelianensis, de quibus suprà; verùm etiam ut beneficium cumulatius esset, eidem Saonam, quam præsidio tenebat, attribuit; simúlque omnia jura, quæcumque Gallorum imperium in urbe Genuâ totâque ditione habebat, in eum transtulit. Ejúsque rei omnes Italiæ Principes per literas suas certiores fecit; denunciationem inimicitiarum addens, siquis Genuensibus adversus Ducem Franciscum opem tulisset. Qui hoc modo non solùm Saonam, cæteráque Ligusticæ oræ oppida recepit, sed etiam ipsam Genuam dedentibus se civibus in potestate habuit. Quâ de re gratulatum ei per literas Pium Pontificem, in ejus epistolarum [f] volumine reperimus. Ejúsque moderatus principatus (ut loquitur historicus Genuensis [g], hæc post Corium [h] narrans) finem tandem imposuit seditionibus, tumultibus, bellis civilibus, rapinis, cædibus, exiliis, cæterisque calamitatibus, quæ per multos annos miseram civitatem privatim & publicè lacerârant; ac pro illis pax, & tranquillitas civitatis domi & foris, otium, justitia, cæteráque felicium civitatum dona successerunt. Quæ sanè non exigua hujus Principis gloria, ejúsque ministrorum, in populo inquietissimo.

[f] Ap. Æn. ep. 390.
[g] Foliet. l. 11.
[h] Cor. part. 6.

IV. CONSPIRATIO DYNASTARUM GALLOR. IN REGEM.

Quod verò de conspiratione Principum Gallorum in Regem innuimus; manifestavit se illa hoc item anno, præcipuis auctoribus Francisco Duce Britanniæ & Carolo Comite Carolesij filio Ducis Burgundiæ: quem utrumque Rex jam satis à se alienatos, diversis accusationibus & petitionibus acriùs exacerbavit: Dum imprimis Carolesium per Cancellarium Morvillerium hominem contumeliosum accusavit, quòd is falsos de Rege sparsisset rumores, misisse ipsum quendam piratam Rubipratensem ad Comitem comprehendendum, & quòd tacitum cum Britanno Anglorum socio fœdus iniisset in Regis & regni perniciem. A Britanno verò quatuor postulavit: videlicèt ne in publicis diplomatibus se *gratiâ Dei* Ducem indigitaret, eò quòd hisce verbis se Regis beneficiarium tacitè inficiari videretur: ne aureæ monetæ cudendæ jus sibi vendicaret: ut Rex per totam Britanniam annuum vectigal cogeret: & ut sacerdotia omnia Britannica non ampliùs Britannum, sed ipsum Regem patronum agnoscerent. Qui legatis bonæ spei plenis remissis, per fidos atque industrios viros simulato habitu passim circummissos, cunctos proceres & principes sollicitare cœpit, Carolesiúmque imprimis; ac promptos ad arma contra Regem reperit, eo prætextu quòd is novorum hominum suasionibus principes omnes, nî maturè providerent, pessumdaturus esset. Sicque cœpta sunt ubique parari clanculùm arma: [d] de quorum gestione dicetur anno sequenti. Hæc [c] autem tractant Monstreletus [i], Comminius [k], (hinc historiam suam occipiens, hoc ipso anno primùm receptus in aulam Carolesij anno ætatis octavo-decimo) Marchianus [l], Belcarius [ll], Meyerus [m], & alij rerum Gallicanarum scriptores. Apud quorum nonnullos reperimus, tesseram, quâ sese internoscerent quicumque huic in Regem conspirationi nomen dabant, statutam esse ligulam sericam zonæ adnexam: eâque arte factum esse, ut cùm hoc minùs adverterent cæteri, res contecta permanserit quousque Principes apertè rem egerint. Cujusmodi omninò vafrамentum cùm nos postremâ Occitaniæ commotione Monmorenciacâ usurpatum viderimus; & de aliis ejusmodi tesseris atque signis internoscitoriis aliarum omnium temporum factionum, putà Guelfæ & Gibellinæ, Albæ & Nigræ, Belmontensis & Gramontensis, cæterarúmque ejusmodi, apud eorum temporum auctores legatur: (præter hæreticales nostri temporis & antiquiorum:) est omninò ut magistratus & gubernatores locorum, cùm quid insoliti ferri cernunt, diligenter inquirant, ne forte alicujus motionis aut coitionis sit signum.

[i] Monstrel. vol. 3.
[k] Commin. lib. 1.
[l] March. l. 1. cap. 35.
[ll] Belcar. l. 1.
[m] Meyer. lib. 16.

TESSERÆ CONSPIRATIONUM.

V. CONSPIRATIO PROCERUM CONTRA REGEM CASTELL.

Ne verò sola Gallia hoc tempore insaniret, Hispania quoque tota in armis existente ob turbas Catalanas & Aragonias de quibus suprà; proceres etiam Castellæ in suum Regem Henricum conspirârunt, (fratre ejus Alfonso in partes attracto) his obtentis causis, quòd Mauros apud se versari permitteret; magistratus venales exponeret, Bertrandum conjugis suæ adulterum dignitatibus augeret; filiam adulterio natam, contra fas, jusque Alfonsi fratris, regni hæredem renunciasset. Regem tanta socordia invaserat, ut vix his moveri posset ad vindictam aut defensionem; adeò præposteris voluptatibus vires enervatæ erant corporis animique atque judicij. Cúmque induci non posset ad arma capienda, concordia tentata ita pacta est, ut Alfonsus frater regni hæres jure suo esset filia spuria uxore; & Bertrandus Magisterio S. Iacobi abdicaret. Quæ tamen concordia pauci temporis fuit, ut videbitur anno proximo: cùm interim hæc fusiùs tractata videre sit apud Marianam [n], qui ex antiquioribus monumentis desumpsit. Aítque, visa hæc mala fuisse portendi ingenti ventorum procellâ Hispali, quantam nunquam anteà meminerant; quâ inter cætera par boum cum aratro per aëra suspensum visum est, & è S. Augustini turri decussa campana procul projecta fuit: Conspectásque insuper tres aquilas rostris & unguibus diù in aëre cruentâ pugnâ dimicantes, exanimatas exanguésque ad terram decidere.

[n] Marian. lib. 23. c. 7.

VI. PIUS PP. PARAT SE AD EXPEDITIONEM.

Intereà Pius Pontifex toto animo totísque viribus expeditioni Turcicæ intentus, cùm ad condictam apud Anconam ad Nonas Iunias navium conscensionem se accingeret, (ut scribit Papiensis [o], qui adstabat) suprà ætatem laborans imminuit ægram alioquin valetudinem suam. Pedum enim quibus toto ferè Pontificatu graviter laboravit, & totius corporis acres surrexerunt dolores, doloribúsque adjuncta est febris: quibus leniendis de consilio medicorum balnea Petriolana Senensis diœcesis ex-

[o] Pap. ep. 50.

tremâ hieme petiit, tempus eorum consuetum anticipans, ne per hoc incœptum opus vel paululùm tardaretur. Quem & insuper pro sanitate obtinendâ, ex voto donum misisse ad Beatissimæ Virginis Lauretanam ædem, calicem aureum opere ac pondere insignem, auxiliúmque cœleste sensisse, testantur monumenta [p] illius Ecclesiæ.

[p] Tursel. l. 1. cap. 26.

VII. DUX BURG. EXCUSAT PROFECTIONEM.

Senis verò cùm esset, gravissimum nuncium accepit, quo longè magis quàm ipsis doloribus afflictatus est: nempè Philippum Ducem Burgundiæ, post toties repetitum votum, tot literis ac legationibus iteratas promissiones, de suscipiendâ per se ipsum hâc expeditione, nisi morte præoccuparetur, quibus præcipue fretus ipse Pontifex ei sese oppigneraverat; jam mutato consilio profectionem excusare, domíque remanere statuisse, ac certum tantummodò bellatorum numerum qui ejus vicem implerent mittere. Ad quem scribens [q] Senis Pontifex octavo Calendas Aprilis, de prædictis eum seriò admonens, & quanta inde incommoda in Turcorum erectionem & Christianorum dejectionem, ipsiúsque Philippi nominis dedecus proventura essent, graviter repræsentans; rursùm enixissimè hortatus est ne tantum opus desereret, sed honori suo & animæ consulens illud fortissimè exequeretur. Se quidem, etiamsi profectionem non promisisset nisi eo veniente, iturum nihilominùs, nec fraudaturum suâ spe populum Christianum: non gravem ætatem; non impedita morbis arthriticis membra, non parsimoniæ curam, non pericula maris, non mortis metum detenturum. Illud tamen his motus Philippus (qui idoneas excusationes, cùm divisionum domesticarum ob filij Caroli subitas morosi ingenij commotiones, tum maximè diffidentiæ Ludovici Regis potentissimi vicini consiliorum habebat) profectionem instituit, sed misit duos filios nothos Antonium & Balduinum cum duobus millibus bellatorum: promittens nihilominùs semetipsum anno insequenti, nisi morbo aut morte impediretur, cum totis ditionum suarum viribus profecturum: ut narrat Monstreletus.

[q] Ap. Æn. ep. 382.

VIII. PIUS PETIT ANCONAM AD NAVIGATIONEM.

[r] Pap. Comment. lib. 1.

[s] Id. ep. 34.

Pontifex autem expletâ balneorum lavatione Romam reversus, (ut scribit Papiensis [r], commentarios suos hinc auspicatus) paucis ibi diebus ad componenda necessaria datis, inde exiens decimo-quinto Calendas Iulij Anconam contendit. Quò cùm præcessisset [s] Hieronymus Archiepiscopus Cretensis missus à Pontifice unà cum Priore Pisarum militum Hospitalariorum, qui navigia conducerent ad transvectionem confluentis multitudinis: præmisit mox etiam Pius, qui eam ad locum opportunum confestim trajiceret, Ioannem Carvaial Cardinalem Portuensem S. Angeli dictum natione Hispanum, venerabilem senem septuagenarium, sed ingentis animi virum, multis difficillimis legationibus etiam adversus Turcos obitis insignem; qui vehemens sancti propositi Pontificis suasor, eos sedulò increpare solebat qui ei dissuadere navigationem contendebant. Parvis itineribus eum subsecutus Pontifex, Lauretum [t] accedens, persolutis ibi votis, Anconam ad medium ferè Iulij pervenit. Confluxerat turba multa ex variis gentibus, non satis consideratè domo egressa. Etenim cùm eos solos evocâsset Pius, peccatorum propositâ veniâ, qui vel annum vel anni dimidium suo stipendio in exercitu militarent; illi tamen venerunt credentes stipendium ac victum ministrante Pontifice non defuturum. Cùm autem non invenirent quod sibi animis finxerant, (neque enim Pius unus alere tantum concursum equitum ac peditum poterat) venditis armis regrediebantur in patriam. Quos nihilominùs ne omninò frustrà se venisse angerentur, decreti sui de peccatorum veniâ participes fecit. Quæ cùm prosequatur Papiensis [u]; Krantzius [x] etiam de Germanis graphicè describit in Wandaliâ & Saxoniâ, dicens imperitos prædicatores inerme vulgus excitâsse, quasi omnia illis in promptu futura viderentur in terris ad quas properabant: somnia & visiones sibi plerosque fingentes, venisse pannosos, inermes, inopes, emendicantes cibum; quos Itali de simplicitate ridebant: petiisse multos Venetias, quasi illicò navibus evehendos; alios Anconam, quò audierant venturum Pontificem; majorem numerum Romam: Pontificem remittentem inutilem bello turbam, benedictionem ei ac plenariam remissionem indulsisse: multos in itinere fatigatos inediâ exhaustos defecisse; alios ex itinere, cùm quid ageretur audirent, rediisse.

[t] Tursel. d. c. 26.

PLEBIS INUTILIS CONCURSUS.

[u] Pap. d. l. 1. & ep. 41.

[x] Krantz. 12. Vvandal. 30. & 12. Sax. 3.

IX.

Nuncio interim allato, Turcum non longè à Ragusiâ consedisse, quasi eam civitatem obsessurus; voluit Pontifex, quamquam duplici febre consumeretur, quarum altera concepta in venis cessabat nunquam, & magnis membrorum doloribus detineretur, cum classe quæ aderat ad obsidionem repellendam accurrere; sperans si res succederet; re in omnem partem vulgatâ, incitatum iri Principes ad eum sequendum. Verùm quatriduo pòst nunciato recessu hostium, parcendum consilio fuit. Recreatúsque Pontifex adventu Mauri Venetiarum Ducis cum instructâ classe ad expeditionem, ingravescente nihilominùs morbo, cùm venisse jam horam suam intelligeret, vocatis ad se Cardinalibus qui aderant, commendavit eis prosecutionem sancti propositi: & petitâ, dataque invicem offensarum veniâ, post recepta piissimè sacramenta Ecclesiæ consueta, (acerrimè tunc quidem, ut scribit Platina, disputans cum Laurentio Roverellâ Episcopo Ferrariensi Theologo doctissimo, liceretne extremam Vnctionem iterare, quâ semel inunctus fuerat dum Basileæ pestilentiâ gravissimè ægrotaret:) expiravit placidè in Domino decimo-nono Calendas Septembris, ipsâ nocte Vigiliæ Assumptionis Beatissimæ Virginis; anno ætatis quinquagesimo-octavo,* mense nono, die vigesimo-septimo, Sedis sexto minùs quinque diebus. Visceribus ibidem Anconæ in Ecclesiâ S. Cyriaci humatis, corpus Romam relatum conditum est sepulchro marmoreo in basilicæ S. Petri sacello ubi ipse Caput S. Andreæ Apostoli deposuerat.

PII II. OBITUS.

* [Ita in ejus epitaphio: & concordat tempus nativitatis, quod ab omnibus ponitur 14. Cal. Novēb. ann. 1405. cùm nihilominùs dixerit ipsemet suprà anno 1465. XIII. se tunc attigisse annum 62. fortè ut faciliùs persuaderet quod agitabat; nisi mēdum dixerimus irrepsisse in epistolam ibi citatam.]

X. QUALIS FUERIT IN VITA.

Fuit porrò vir verè magnus; cujus meritissimas laudes cuncti celebrant. Et siquis plura de eo quæsierit quàm quæ nos retulimus, sunt multæ epistolæ Cardinalis Papiensis; oratióque funebris ac Vita per Campanum conscripta, eadem ferè continens breviter, quæ prolixè apud Gobellinum & Papiensem leguntur, aliáque per Platinam exarata; & ad-

ditiones Victorelii ad Ciacconium; quæ abunde subministrent: unà cùm pluribus gravibus sententiis, in proverbiorum modum ab eo pronunciatis, quæ ad institutionem vitæ, & sapientiæ cultum, religionísque observantiam apprimè sunt utiles. Satis porrò Pium laudâsse putamus Cardinalem Papiensem, cùm brevem ad collegas de digno ei successore eligendo sermonem [y] habens, ait præclaræ virtutis Antistitem fuisse: enituisse in eo summam religionem, summam vitæ integritatem, singulare ingenium, doctrinam ingentem, humanitatem eximiam. Scriptorum ejus quamplurimorum meminimus variis locis pro rerum occasione: cùm etiam alia quædam extent in ejus operibus excusis; aliaque referant in eorum enumeratione Platina, Bergomensis, Trithemius; aliáque rursùm Senis conservari dicantur. Quamvis autem literatissimus esset, ac studiis continuò etiámque inter tot occupationes vacaret; accusatus tamen à nonnullis reperitur, quòd per avaritiam fovere ingenia suorum temporum non sit visus. At tribuit hoc Platina non avaritiæ, sed quòd tria gravissima bella ab eo suscepta ærarium Pontificium ita continuò exhaurirent, ut ære alieno ac magno quidem sæpè premeretur: multos tamen muneribus aulicis & beneficiis Ecclesiasticis juvisse. Philelphum autem præcipuè in eum mortuum inde invectum esse, ex epistolis Papiensis [z] intelligitur, quibus ea calumnia diluitur. Sicuti ad illam aliam pariter diluendam, quâ æquè accusatus est quòd præter dignitatem huc ac illuc vagaretur frequentiùs, ab eodem Papiensi itinera ejus singula enarranda fuêre, ac necessitas eorum demonstranda. Denique quod multiplices ejus laudes unum tantùm ambitionis vitium commaculâsse, Volaterranus [a] scribit; apud eundem diversis locis dilutum invenies. Quæ verò præterea à nonnullis posterioribus hæreticis in ejus famam evomita fuêre, ab aliis Catholicis [b] examinata simul & exanimata reperias.

[y] *Pap. ep.* 40.

DE QUIBUS ACCUSATUS FUERIT.

[z] *Pap. ep.* 43. 47. & 49. *Sed correxit Philelphus, ibid. ep.*273.

[a] *Volat. l.*22.

[b] *Gretf. in Exam. myst. iniq cap.*64. *Coqu. antid.*63.

XI.

[c] *Pap. Com. l.*1. & *ep* 41.

PII DELIBERATIO DE PROFECTIONE IN RERUM ANGUSTIIS.

Cùm autem infirmo corpori mortem accelerârint (ut diximus, & Papiensis [c] affirmat) consternatio animi de Burgundiæ Ducis defectione à proposito expeditionis, necnon tarditas ac tepiditas eorum qui vel pecuniam pendere, vel armatum militem mittere, vel triremes ad bellum instruere stipendiis suis promiserant; denique catervæ regredientium Cruce signatorum qui culpaturi ipsum videbantur: hinc facile est creditu quod Simoneta in Rebus gestis Francisci Ducis Mediolanensis, ex relatione oratoris Ducis qui apud Pontificem erat scribit: cùm animadverteret Pius suos in irritum conatus casuros, séque ludibrio futurum, constituisse Brundusium usque tantummodò si vixisset navigare, & ibi subeuntem hiemem consumere, Romam posteà irritâ profectione Christianis Principibus culpam injiciendo redire. Felix igitur ejus mors, quæ ipsum in tanto Religionis Christianæ subveniendæ studio evocaverit. Eo [d] porrò vitâ functo, omnes qui Anconam venerant, statim unde discesserant reverterunt. Duci verò Venetiarum Senatu Cardinalium dato, (in quo inter duos postremos Diaconos Cardinales sedit) cùm laudato amplissimè Pij proposito, hortatus esset eum legere successorem, qui vel prosequeretur inceptum, vel se ac Venetos jam Ecclesiæ incitationibus bellum ingressos collatis opibus adjuvaret; decretæ illi sunt triremes à Pio instructæ quæ Anconæ erant, receptâ reddendarum fide, si aut decretum non probaret suffectus Pontifex, aut Pij exemplo proficiscendum statueret. Regíque Hungarorum Matthiæ, cujus operâ in præsenti bello maximè Veneti fidebant, quémque adjutum pecuniâ cupiebant, ipsique aliquando adjuverant, duodequinquaginta nummûm auri millia, quæ apud Pium inventa tunc sunt, concordibus sententiis data fuêre.

[d] *Id. d. lib.*1.

Post hæc (ut subdit Papiensis; qui deinceps magno nobis usui quamdiù in vivis substitit futurus est) Patres ad legendi curam Pastoris conversi, Romæ legendum esse constituerunt; non modò quia collegæ nonnulli propter senium venire Anconam ipsi non poterant, sed magis quia legibus [e] ad id cogebantur, electionem fieri oportere dictantibus ubi Romana esset Curia: Curiam porrò Romanam, causarum tribunal appellari, quod Pius ad leniendos de abitu suo Romanorum animos apud eos reliquerat. Cùm Romam pervenissent Cardinales, convenientes in ædibus Ludovici Cardinalis Aquileiensis S. R. Ecclesiæ Camerarij, de loco ad conclave eligendo controversia agitata, eò quòd timerent multi ab arce Sancti Angeli, quæ ab Antonio Pij nepote genero Ferdinandi Regis Neapolitani detinebatur; pars tamen major nullum esse timendi locum demonstrantes evicerunt ut fieret in Vaticano antiquâ Pontificum Sede: Ubi recluserunt se omnes sexto Calendas Septembris numero decem & novem, appositis custodiæ primæ quæ proxima Patribus fuit decem Episcopis, qui scrutarentur singula quæ vel cibi vel alterius rei causâ inferrentur ad eos: secundæ oratoribus Regum Principumque qui Romæ inventi sunt, tertiæ quæ ultima erat prætorianis militibus. Diem, quæ secuta ingressum est totam formandis legibus impendêre ad sanam Pontificum administrationem maximè necessariis: quibus Patrum quisque subscribens jurejurando votóque promisit, obtemperaturum se illis si ad Pontificatum assumeretur. Sequenti verò die, ipsâ primâ conventione, primoque ut vocant scrutinio, cum nonnullorum accessu qui videbantur deesse ad complendam electionem, creatus est *Petrus Barbus* tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis, nobilis Venetus, patre Nicolao, matre Polyxenâ Eugenij IV. sorore, annos octo & quadraginta natus, & ab eodem Eugenio avunculo Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ Novæ à Nicolao V. Presbyter Sancti Marci factus. Cui etiam paulò antè, cùm pestilentiâ tactus ædem Lauretanam pro sanitate adiisset, fuisse à Beatissimâ Virgine non solùm eam restitutam, verùm etiam Pontificatum prænunciatum, Ecclesiæ illius monumenta [f] testantur: eundémque in beneficij accepti memoriam, amplo ædificio & sacris muneribus illam adornâsse.

XII.

DE LOCO ELECTIONIS PONTIFICIS.

[e] *Vide suprà an.* 1459. 1.

ORDO CONCLAVIS PRO SUCCESSORE DELIGENDO.

PETRUS BARBUS RENUNCIATUR.

[f] *Tursel. l.*2. *cap.* 1.

XIII.

Antequàm verò ejus electio significaretur populo, oblatæ ei juxta condictum leges sunt,

de quibus antè meminimus; quibus ille sine cunctatione subscripsit, servaturúmque se eas juravit ac vovit. Cùm autem indidisset sibi *Formosi* Pontificis nomen: (sicut mos est mutare) quòd tamen ea res ad ejus speciem videretur alludere, quæ formosissima erat, proceritatéque ac majestate conspicua; necnon ob casus Formosi [g] olim Pontificis, suasus à Patribus ab eo abstinere, in *Marcum* mutavit. Cúmque & id minùs idoneum videretur, quòd Veneti hâc invocatione uterentur in præliis, ipséque patriæ affectibus studuisse nimiùm videri potuisset; rursùm in PAULUM convertit, ejus nominis Secundum. Nec multos post electionem dies solemnia consecrationis & coronationis suæ peregit. Ita enim hæc gesta esse, narrat qui interfuit unus è Cardinalibus idem qui Iacobus Papiensis in suis Commentariis [h]: cæteros etiam qui æquè interfuerunt recensens, & singulos suis dignis elogiis insigniens. Paulum autem in symbolum proprium, accepisse Psalmistæ versum *Benefac* [i] *Domine bonis & rectis corde*; ex ejus signo sive sigillo constat. Extititque [k] modicæ literaturæ, quòd adolescens mercaturam exercere decrevisset; quæ apud nobiles Italos non improbatur, vel etiam in pretio est.

[g] Vide Epit. Baron. in Indic. verb. Formos.

NOMEN ACCIPIT PAULI II.

[h] Pap. Com. lib. 2.

[i] Psal. 124.
[k] Platin. in Paul. II.

XIV. LEGES IN CONCLAVI, ET A' PAULO JURATÆ.

Quæ autem leges constitutæ à Cardinalibus & Paulo juratæ sunt, hæ præcipuè fuêre: Inchoatam expeditionem in Turcos continuare: Lapsos curialium mores ad veterem disciplinam restringere: Concilium Generale intra triennium cogere, de bello pro religione, & morum reformatione: Cardinalium numerum ultra viginti quatuor non augere; nec quem ante trigesimum annum assumere, & qui non professus esset vel Pontificium jus, vel civile, vel sacras literas; nec nisi unum, eúmque hujus generis, de cognatione suâ fas esset Pontifici eligere: De majoribus sacerdotiis committendis non nisi in consistorio decernere; nec jus ad ea nominandi ulli omninò permittere, aut promittere: Episcopum aut Abbatem postulatione ullâ Principum non deponere: nec Cardinalem remve suam apprehendere aut damnare; nisi ex formâ juris, & sacrarum constitutionum: Patrimonium Ecclesiæ non distrahere, bellum nullum decernere, aut fœdus ferire, nisi de consensu Patrum: Testamenta defunctorum curialium libera sinere: Vectigalia non nova inducere, nec vetera augere: Principi potentatuive tributum de Clericis sine ratione nullum concedere: Præsidibus Provinciâ decedentibus administrationis judices dare: Et aliæ quædam ad restringendos Pontificum erga sui generis & cognationis viros affectus: cum hujusmodi additione, ut bis quotannis Patres seorsùm convenientes cognoscerent inter se an illæ servarentur, idque si minùs factum esset, Pontificem transgressionis & perjurij monerent, ad servandúmque precarentur.

XV.
[l] Pap. Comment. lib. 2.
PAULUS EAS MUTAT.

Has leges (inquit Papiensis [l], post illas recitatas) cùm Paulus antè Cardinalis, móxque Pontifex factus subscriptionibus duabus jurejurando votóque firmâsset, delere nihilominùs paulò pòst aggressus est; alienâ magis instigatione, quam suo proposito. Cùm enim essent inter Præsules ejus domesticos Stephanus Archiepiscopus Mediolanensis & Theodorus Episcopus Tarvisinus, qui Cardinalatum magnoperè ambirent; hi videntes desideria sua his legibus longiùs differri, viri alioqui insignes & summæ doctrinæ, cœperunt Pontifici cùm literis non multis imbuto, tum sui juris admodùm retinenti, suadere indignum esse illum ullis conditionibus constringi, & non tam sui arbitrij, quàm alienæ moderationis ministrum videri: persuaserúntque novas quasdam leges quasi ex personâ Patrum præscribere, eo obtentu quòd priores illæ inutiles essent, his autem tantummodò obnoxius Pontifex esse vellet. Oblatus Cardinalibus libellus quo illæ continerentur ad subscriptionem, nonnulli manum statim etiam non lecto apposuerunt: detrectantes minis, vi, maledictis, & anathemate coacti, omnes demùm subscripserunt: uno excepto Ioanne Carvaial Hispano jam septuagenario, qui quod juvenem se nunquam fecisse meminerat; ut aliquando mutaret sententiam, id jam ætatis non commissurum constanter respondit. Libellum autem illum Pontifex in suas arculas condens, nec protulit postmodùm, nec cuiquam esse ejus exemplum est passus. Vltionis tamen in auctores mali argumenta statim manifesta visa sunt: cùm Mediolanensis spe Cardinalatûs sæpè frustratus, abstinere etiam curiâ necessariò coactus est: Tarvisinus secretò Cardinalis factus, in languorem miserrimum incidens, hora supremâ vitæ ad levandam vim morbi, judicante Pontifice, quod factum erat agnovit; eóque accessit acerbiùs, quòd dignitatem tantâ anxietate quæsitam, auditam tantùm nec visam se intellexit dimittere. Ita de his Papiensis, non parùm de hâc Pontificis mutatione turbatus. Ad quem est etiam ejusdem epistola [m] increpatoria de tam subitâ voti ejus mutatione, & vi Cardinalibus adhibitâ, atque dedecore inde exorituro: aliæque [n] ad nonnullos Cardinales de iisdem excessibus conquestoriæ; simul & suî & ipsorum atque omnium collegarum accusatoriæ quòd talem virum in Pontificem elegissent, hortatoriæque ut imposterùm cautiores essent: non enim credendum fronti hominum aut verbis, sed recurrendum ad disciplinam domesticam, & ex institutione vitæ privatæ faciendum judicium de publicâ; secundùm Apostoli sententiam, *Siquis* [o] *domi suæ præesse nesciat, Ecclesiæ Dei diligentiam non habiturum*; quem & prætereà gravissimè accusat [p], quòd & olim in Cardinalatu, & adhuc in Pontificatu in consulendis ariolis & astrologis totus esset.

INCREPATUR A' PAPIENSI.
[m] Pap. ep. 181.

[n] Id. ep. 180. & 182.

[o] 1. Tim. 2.

[p] Ep. 156.

XVI. PLATINÆ IN EUM QUERIMONIÆ.

Vt his visis à tanto Cardinale, minùs damnandus videri possit Platina, si multas querelas in Paulum ingeminet; tum ob Abbreviatores, quorum ipse unus erat, homines omnibus scientiis excultos, indictâ causâ, ut ipse causatur, depositos & spoliatos; tum ob ipsummet Platinam longo carcere & variis tormentis cruciatum, obtentu quarundam suspicionum, ac criminum, quorum ipse immunem se prædicat. In eo tamen excusationem ejus nullatenùs admiserim, quòd irâ ob depositionem percitus, scripto sit Pontifici minatus, se & collegas dilapsuros ad Reges ac Principes, & adhortaturos ut Pontifici Concilium indicerent, in quo rationem red-

dere cogeretur spoliationis ipsorum. In cæteris ei objectis criminibus si innocens fuit, ut post ex ejus liberatione constitisse videtur, quis non ei ignoscat si sit iratus? ut de illo scripsit Campanus [q]. Cùm nihilominùs haud adeò culpandus Paulus in iis, quæ contra ipsum ejúsque socios egit, multis videatur, cùm eos hæresis (præter conjurationis crimen) accusavit: quippe qui erexissent Romæ qui aliis scientiâ præstare videri volebant, Academiam quandam, in quâ Platonicorum & Academicorum veterum more de re quâlibet in utramque partem disputantes, animarum immortalitatem, aliáque Religionis Christianæ dogmata, in dubium adducere visi essent, & non paucos Gentilium ritus in usum revocare, cum grandi infirmiorum periculo. Non tamen propterea desivit, quantumvis malè habitus Platina, multa proba Pauli gesta enumerare, ac naturâ justum & clementem prædicare, necnon etiam à nonnullis cæterorum calumniis defendere. Sicuti & ipse Papiensis, quamvis non paucas habuerit privatas causas de illo conquerendi, (ut ex diversis ejus epistolis constat) non solùm non propterea unquam destitit ei obsequentissimus permanere, atque etiam non semel in scribendis ejus nomine majoris momenti epistolis usui esse; laudaréque sæpissimè de multis virtutibus, & de curâ Pontificatus: Verùm etiam quod duos illos Antistites prædictorum excessuum accusatos attinet, idem ipse de Tarvisini obitu ad Cardinalem Bessarionem scribens [r], ingentibus eum præconiis extulit, & ob plures pro Sede Apostolicâ obitas prudentissimè legationes, & doctrinam, atque orationis elegantiam, necnon timorem Domini, & conscientiam rectam, dignissimum prædicavit qui in Collegium Cardinalium adsciscí debuisset. Súntque apud eundem non paucæ epistolæ invicem inter ipsos scriptæ, testes mutuæ amicitiæ. Extaréque insuper dicuntur egregiæ Tarvisini orationes in legationibus suis habitæ, & alia præclara scriptorum monumenta. Mediolanensis autem Stephanus Nardinus factus sub Sixto IV. Pauli successore Cardinalis, & Flaminiæ Legatus, non illaudabiliter munus suum exercuit: fundavítque Romæ Collegium Nardinum, in quo pauperes studiosi gratis enutrirentur.

[q] *Ap. Pap. ep. 397.*

PLATINÆ ET SOCIORŨ CRIMINA.

PAPIENSIS ÆQUANIMITAS.

[r] *Id ep. 179.*

XVII.

BIRETA RUBRA CONCESSA CARDINALIBUS.

Benignè item Paulus cum Cardinalibus in aliis agens; iisdem, qui sacris induti vestibus à Prælatis inferiorum ordinum præterquàm loco non noscebantur, usum Mitræ sericeæ Damasceni operis, rubráque capitia indulsit, quibus soli Romani Pontifices anteà utebantur. Ita enim Papiensis [s], qui eorum fuit particeps: cùm Platina de biretis, ut vocat, dicat Pontificem publico edicto prohibuisse nequis ea rubra deferret præter Cardinales: eis denique pannum ejusdem coloris dono dedisse, quo equos vel mulas sternerent dum equitarent: Voluisséque prætereà decernere, ut galeri Cardinalium ex serico item rubro sive coccineo fierent: sed ne fieret vetuisse illos, qui diminuendam esse Ecclesiæ pompam, non augendam prædicabant. Et quod capitia sive bireta spectat, ait Victorellus in Additionibus [t] ad Ciacconium, vidisse se numisma Pauli Pontificis, referens Cardinales in consistorio cum Pontifice galeris tectos: unde & colligit, eos antequàm bireta rubra à Paulo accepissent, galeris ejusmodi quibus hodiéque in celebri equitatione utuntur, etiam in congregationibus & consistoriis uti solitos; quales scilicèt olim accepissent in Concilio Lugdunensi ab Innocentio IV. non etiam bireta. Addit verò Papiensis, eundem Paulum subsellia Cardinalium tam ad Senatûs, quàm ad sacrificiorum consessum altiùs elevâsse; atque illis quibus annui aurei quater mille ex sacerdotiis non essent, centenos singulis mensibus statuisse: Ipsúmque gemmis lapillísque admodùm delectatum, conquisitis undique pretiosissimis, Mitram quæ tribus eductа coronis Regnum appellatur, atque à Pontificibus multis antè sæculis desita erat gestari, novam confecisse, quæ ampliùs centum & viginti millibus æstimabatur.

[s] *Id. Comm. lib. 2.*

[t] *Addit. ad Paul. II. in fin.*

ALIA ITEM INDULTA.

XVIII.

Quod publicas res spectat; idem Pontifex mox ut assumptus est, ad fidei Catholicæ adversus Turcos defensionem animum intendens, tres primos ex Cardinalibus delegit, quorum hæc cura esset continua. Qui [u] cum Principum Italorum oratoribus qui aderant de ratione belli agendi conferentes; consideratâ propositione Pontificis, ut quisque ex potentatibus Italiæ certam ac definitam pecuniam annis singulis penderet quamdiù bellum Turco apertum fieret; quæ Regi Hungariæ traderetur, soli ad conterendos hostes idoneo, & jam malorum assiduitate exhausto; & propriâ ejusdem oblatione, quâ centena millia aureorum annua repromisit: opportunum judicârunt, ut prætereà Ferdinandus Rex octoginta millia, Veneti centum, Dux Mediolanensium septuaginta, Florentini quinquaginta, Dux Mutinæ viginti, Marchio Mantuanus decem, Senenses quindecim, Lucenses octo, Marchio Montisferrati quinque penderent. A nullis tamen ex dictis oratoribus recepta est distributio, facultatem publicam se non habere causantibus: sed scripturos quæ consultata essent dixerunt. Expectato totos sex menses dominorum responso, ea deliberatio missa est à singulis, quæ parùm animis satisfecit, Rex sexaginta millia, quingentosque equites ac totidem pedites per Epirum ituros, obtulit; dummodò census in eam diem Romanæ Ecclesiæ debiti, qui ad longè majorem summam ascendebant remitterentur. Veneti etsi dicerent se solos cum Hungaris adversus Turcos implicitos, & in annos singulos septingenta millia in classe & exercitibus pendere; missuros tamen se ad Hungaros annua quinquaginta millia promisêre; hâc conditione si decimæ Ecclesiarum, vigesimæ Iudæorum, trigesimæ civium indulgerentur. Mediolanensis eâdem conditione equitum duo millia & pedites mille, cum regiis ituros: ac Florentini equites mille pedites quingentos, seu bina aureorum millia menstrua polliciti sunt. Reliqui nihil rescripserunt: neque hi quicquam ampliùs præstiterunt; cùm ex iis quæ offerrent commoda sua procurarent, non Ecclesiæ, aut Religionis. Pontifex autem pecunias non destitit in Hungariam mittere. Et Veneti bellum prosecuti sunt, cum Rege Hungariæ fœdere juncti: quorum [x] tamen hoc tempore res maritimæ Græciæ improsperè se adversus Turcos

[u] *Papiens. ep. 54. & 95.*

TRACTATUR DE CONTRIBUTIONE AD BELLŨ TURCICUM.

[x] *Sabell. 3. dec. 8. Iustin. lib. 8.*

[y] Bos. Hist. Rhod. tom. 2. Boissat. lib. 5.

habuêre. Hospitalariorum [y] è contrà nonnihil prosperiùs: adeò ut Mahometem majoris momenti negotiis occupatum inducias secum pacisci compulerint: cùm quæsisset priùs eos sibi tributarios reddere, huícque ejus postulationi ipsos succubuisse delatum esset ad Sedem Apostolicam, apud quam de hâc calumniâ habuerunt se excusare.

XIX. De rebus cum Georgio Boemiæ Rege actis.

[z] Pap. Comment. lib. 9.

Ad continuandum item de Georgio Boëmorum Rege inchoatum à Pio Pontifice judicium, cura intendi cœpta est. Cujus initium ut grave propter regium nomen est habitum, ita exitum ejus magnæ bellorum contentiones sunt consecutæ. De quo agens Papiensis [z]; post repetita quæ cum Hussitis & Georgio gesta fuissent usque ad proximum finem vitæ Pij Pontificis, scribit Pium, cùm animadvertisset delusum se esse expectatione emendationis Georgij, quam Imperatori commendatam vidimus; damna autem publica ex ejus perseverantiâ in hæresi quotidie crescere: advocâsse Concilium, atque in solio residentem longâ oratione Hussitarum deflevisse errores; altúmque inde Georgij, maleficia assidua, Catholicorum ærumnas, manifestum perjurium, relapsum in hæresim, intercessorum elusionem, patientiam suam, magnis lamentationibus protulisse: & quòd vindictæ nimiùm tardatæ jam tempus advenisset, diem dicendæ ante se causæ centesimum octogesimúmque ab illo constituisse: intra verò eundem terminum decessisse: In ejus locum suffectum Paulum, initio existimantem non tam desiderio communionis sub utrâque specie, quam Pij odio pertinacem mansisse Georgium, benigniùs de rebus ejus loqui cœpisse; ut hoc is intelligens, voluntate faceret quod non facturus contentionibus credebatur: Ipsum quoque Georgium, audito Pij obitu, palàm exultâsse suffectum ei esse hominem Venetum, à quo ideò nihil sibi timendum esset, quòd levis ei nationi de anathematibus cura esse soleret: At dubium nihilominùs animi cognitâ Cæsaris legatione, quam ad profitendam Paulo obedientiam Romam mittebat; cum illo egisse, ut dilatio mittendæ suæ excusaretur: etenim timere se, ob diem judicio dictam; nec putare suæ dignitatis esse eam ignominiam suscipi: si suspendere vocationem vellet Paulus, missurum se quoque ad eum, & facturum quæ imperâsset. Susceptâ re Cæsar, atque impetratâ, quieturum inde videbatur judicium, nisi peccato ad interitum trahente, novi facinoris infamia necessitatem ultionis attulisset: de quo dicetur posteà. Atque intereà Georgius eâ animi moderatione (ut Cochlæus [a] refert) usus est, ut non sæviret in Clerum Catholicum, qui palàm Rockysanæ sectæ & doctrinæ contradicebat, & cum Ecclesiâ Romanâ quæ ipsum Regem diris persequebatur, consentiebat in fide; quemadmodùm (inquit) ex eo constat Tractatu, qui inter Capitulum Ecclesiæ Catholicæ Pragensis & Rockysanam in Regis præsentiâ habitus fuit anno millesimo quadringentesimo sexagesimo-quinto. Quem, seu Disputationem dixeris, edidit posteà Canisius [b], & notis illustravit; habitam illam per quinque dies coram ipso Rege: nullo alio fructu, quàm quòd Rockysana rem multis mendaciis, calumniis, depravationibus, ambagibus agere convictus, nihilominùs se vicisse jactaverit: de more scilicèt hæreticorum, tunc maximè insultantium, cùm aut manus dare, aut saltem erubescere deberent.

[a] Cochle. lib. 12.

[b] Canis. Antiq. Lect. tom. 3. in fin.

XX. De Expectativis beneficiorum.

[c] Pap. ep. 92.

Ipso quoque primulo initio [c] Pauli, solicitus tam ille, quàm Cardinales de suis commodis rebúsque familiaribus, tractârunt in consistorio de Gratiis quas Expectativas appellant, concedendæ, vel non essent. Ac variantibus sententiis, in eam Ioannis Carvaial Cardinalis Portuensis itum est, dicentis diù laborâsse Sedem Romanam antequàm posset assequi ut paterentur Ordinarij eas in suis diœcesibus dari, & ideò negligendam prærogativam non esse: differendam tamen menses aliquot, donec novus Pontificatus ubique notus esset, ne priùs ex gratiis expectantium nunciaretur quàm ex literis Pontificis.

XXI. Contra commendationes Cœnobiorum.

[d] Id. ep. 13.

Sequenti [d] Consistorio, quod habitum fuit postridie ejus diei quo Paulus coronatus est, cùm retulisset Cardinalis Ostiensis de Cœnobio Gallicano insigni opibus & religione, quod quidam Episcopus cessione Abbatis grandævi & effœti viribus, sibi commendari petebat: dixit idem Portuensis, vereri se ne propediem omnia Galliarum Cœnobia commendata essent, & nullum reliquum fieri quod Abbatem suum haberet: ita quicquid in curiâ de iis decernebatur, commendatio erat. Surrecturum Pontifice & Cardinalibus non expectantibus aliquando regnum illud in ipsos ferre ultrà non valens inutile ipsorum ministerium, & grande aliquod negotium Sedi Apostolicæ exhibiturum. Quod judicium approbans Paulus, adjecit, credere se à Pontificatu Callisti in eam diem amplius quàm quingenta monasteria esse jam commendata, atque adeò timere se ne corruptela hæc maturiùs opinione in scandalum grave erumperet. Sententiam autem Portuensis laudans Papiensis hæc referens, dignam fuisse ait non solùm viro Deum timente, sed summæ sapientiæ Cardinali, attendente quid ministerium deceat Sedis Apostolicæ, unde in omnem partem perfectum opus debet manare: Commendandorum ab initio Cœnobiorum non eam fuisse rationem ut saginationi Ecclesiasticorum illæ darentur; sed ut fide & studio majoris alicujus ea quæ occupata à sæcularibus essent, redimerentur, & neglectus divinus cultus in pristinum revocaretur: Deflexisse rem, & in abusum hunc venisse odibilem Deo, & curiæ Romanæ infamem. Ita Papiensis. Qui si infamiam erubescebat commendationum Ecclesiasticis factarum, quid dixisset de infamissimo subsecuto abusu concedendi illas non solùm sæcularibus, verùm & persæpè turpibus & vitâ indignis personis? Sed quoniam in hæc frequentissimè conclamatum est, sempérque incassùm; ne & nos inutili labore stylum in eadem acuamus, Papirij tantùm pij viri de his agentis [e] in suis Pontificum ac Regum Francorum Historiis, verba referre liceat, exclamantis, O incestuosas beneficiorum perpetuas commendationes! quo errore Gallia in funestum penè morbum incidit. Absentibus enim Episcopis, & monasteriorum legitimis verísque patribus, oves deglubi necesse est, templa dirui, disciplinam ruere, plurimos ab

[e] Masson. Hist. Franc. l. 4. in Ludov. XI. & de Rom. Episc. lib. 6. in Paul. II.

Ecclesiâ abigi, literarum studia deseri; quæ mala quotidie in Galliâ videmus, (loquebatur Gallus de malis patriæ; sed quæ natio his cladibus immunis? an verò Italia ipsa?) & aulicos corruptissimum hominum genus pinguedine Ecclesiasticâ inflatos intumescere, vendique & emi passim sacerdotia: quod cùm olim simonia esset, hodie industria censetur. Sed hujusmodi homines immortalis Deus, etsi serò, graviter tamen ulciscetur. Nec intelligunt cæci Reges, cæcique Pontifices, irato Deo fieri hoc impium commercij genus; quod patiare, an facias perinde est. Hæc ille sancto zelo; quem Deus magis agnoverit quàm homines. Paulus tamen hoc ipso anno mense Novembris constitutionem severissimam contra simoniacos edidit; quæ relata est in Corpus Iuris [f] Canonici: quâ renovantur in eos, omnes & singulæ excommunicationis, suspensionis, privationis, & interdicti sententiæ, censuræ, & pœnæ, quomodolibèt latæ; aliæque adjiciuntur.

[f] *Extravag Commun. l.5.tit.1. c.2*

XXII.

[g] *Vide Pennot. de cler. canon. lib. 3. cap.30. §.1.*

DE CANONICIS LATERANENSIBUS.

Quo eodem tempore idem Pontifex in Ecclesiam Lateranensem [g], primam Romanorum Pontificum Sedem, Canonicos regulares ab Eugenio IV. ibi collocatos, & à Callisto III. pulsos, denuò induxit; ita ut seorsùm à Canonicis sæcularibus divina officia celebrarent, quousque his aut morte, aut aliorum beneficiorum provisione sublatis, Ecclesia integrè regularibus cederet. Quam ob rem non parùm Romanorum animos à se alienâsse, Platina scribit, quòd hæc beneficia à majoribus suis instituta, pulsis civibus, inquilinis daret. Quare iidem confestim [h] post Pauli obitum, regulares cum vulneribus & cæde aliquorum expulerunt, sæcularibus reductis.

[h] *Onuphr. in Sixt.IV.Ciac. in Paul. II. in fin. Vide infrà an. 1471.XIII.*

XXIII.

[i] *Pap.ep.94.*

QUANTÆ UTILITATIS SIT AVENIO ROMANIS PONTIF.

Multa alia nobis suggerit egregius Cardinalis Papiensis accuratâ diligentiâ suâ in describendis rebus & publicis & privatis sui temporis. Inter eas prætereundum non putavimus, quod quâdam epistolâ [i] sub hoc ipso anno narrat de alio prædicti Cardinalis Portuensis insignis prudentiæ judicio. Nempè, cùm à nonnullis, ad componendas contentiones de regno Siciliæ, quæ inter Aragonenses & Andegavenses anteà fuerant, & adhuc essent, & futuræ in perpetuum judicarentur, hæc media pacis proponerentur, ut Andegavenses cedentes regno Avenionem acciperent, Aragonenses Aquilam Marsorum civitatem Ecclesiæ Romanæ traderent: non putâsse sapientissimum virum utilem esse permutationem: quinimmò curandum omni ope esse, ne Romana Sedes id patrimonium trans Alpes perderet: Esse refugium pulsis Pontificibus, & durum Italis frenum ne ad vexandam Ecclesiam licenter currant: Metuentes enim ne tantum ornamentum amittant, perdi dominatum Ecclesiæ & Pontifices non passuros. Quod tanti viri judicium probans Papiensis; contra illos qui hanc illecebram dicant extare transalpinis Pontificibus, eò sine causâ curiam traducendi, prudentissimè argumentatur, vix ullos transalpinos Pontifices repertum iri, quos adeò cœlum Gallicanum capiat, ut velint principatum temporalem Sedis Romanæ atque ipsam Sedem diripiendam prædonibus relinquere: Æstimationem majorem Romæ esse, libertatem majorem: potestatem operandi ut volunt majorem: Pontificem Avenioni conclusum non minùs alienæ quàm suæ ditionis esse: cùm Romæ est orbi imperitare. Æquissimum proculdubiò judicium; quod si non viderent Pontifices, cæci dicendi forent. Sed huic periculo præclarè Cardinales occurrerunt, dum à quo tempore reducta fuit Sedes Romam, hactenùs per ducentos sexaginta annos, nullum elegerunt Gallum, cùm priùs antequam Sedes eò deferretur satis frequens eorum esset ascitio. Vtrùm verò nihilominùs imprudentiùs ab iis quàm à cæterarum nationum Pontificibus Sedes administrata fuerit, ex singulorum gestis intelligi potest.

XXIV. PETRI DE FUXO CARDIN. OBITUS.

Mortuus est in eâdem civitate Avenionensi hoc eodem anno decimo-tertio Decembris, vir magnus *Petrus de Fuxo* Cardinalis Ordinis S. Francisci, de Ecclesiâ Catholicâ & Republicâ Christianâ adeò benè meritus, ut ei debeatur (quod suo loco vidimus) extinctio quinquagenarij illius Schismatis, quo totus ferè orbis concussus & afflictatus fuerat. Post quæ, & alia non pauca pro Ecclesiâ & Sede Apostolicâ gesta, recipiens se Avenionem, quam à Pontifice administrandam accepit, unà cum Legatione totius Galliæ Narbonensis; eam summâ auctoritate simul & integritate gessit. Quo tempore, annóque Domini 1457. Tolosæ, in quâ civitate optimis fuerat olim imbutus disciplinis, ad decorem augendum Academiæ, amplissimum Collegium, Fuxense dictum, magnis sumptibus construxit, & opimis redditibus dotavit, alendis, & bonis literis ac disciplinis instruendis, viginti quinque tenuiorum facultatum adolescentibus: sapientissimis atque sanctissimis conditis statutis, quibus Collegium regi, collegæque duci deberent: locupletissimâ denique additâ omnis generis linguarum & facultatum librorum Bibliothecâ, quæ demùm lapsu temporis, & incuriâ collegarum atque administratorum Collegij neglecta, & furtis exposita, nihil ferè hodie contineat quàm speciosas reliquias ditissimi thesauri: cùm etiam quæ schola erat omnis virtutis, disciplinæ, & eruditionis, unde præclari multi viri prodierunt, societas hæc facta est domicilium vitiorum, ignaviæ, & ignorantiæ; dum non selecti pauperes secundùm statuta, & honesti, sed contra omne fas qui plus favore aut pecuniâ valeat, simoniacè passim in eam intruduntur. Mortuus est autem Petrus Collegij conditor anno ætatis suæ septuagesimo-octavo, Cardinalatûs quinquagesimo-sexto, regiminis Avenionensis trigesimo-secundo; ut ex ejus epitaphio in Ecclesiâ Franciscanorum ubi humatus est intelligitur: ubi etiam dicitur, eum Tiaram S. Silvestri Papæ, Ecclesiæ Lateranensi restituisse: de quo jam dictum superiùs.

COLLEGIUM FUXENSE TOLOSANUM.

Iesu Christi Annus 1465.
Pauli II. An. 2.
Friderici III. An. 26.

I. Anno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, Indictione decima-tertiâ, Februarij decimo-quinto, Romæ in consistorio Pontificis & Cardinalium auditi sunt oratores Ferdinandi Regis Siciliæ: ut Papiensis [a] refert:) qui imprimis exponentes, tempus advenisse nuptiarum inter Alfonsum Regis filium & Hippolytam natam Francisci Ducis Mediolanensis olim pactarum; rogârunt mitti à Sede Apostolicâ legatum, qui solemnitatem ornaret. Deinde retulerunt, appulsum Neapolim oratorem magni Turci comitatu tantùm equorum duodecim, tria missionis suæ capita exposuisse; gratulationem videlicet de pulsis regno hostibus; hortationem ad majora, cum oblatione octingentorum aureorum millium in singulos annos, si in Italiâ movere bellum alicui vellet; postulationem affinitatis inter aliquos ipsorum liberos, aut si hoc fieri non posset propter diversam religionem, matrimonij saltem nobilis Christianæ primi Subassidis sui filiæ, quæ ab Imperatoribus Græcis originem duceret, cujus dos erat millium ducentorum aut ampliùs quot vellet Ferdinandus. Hæc Ferdinandum Pontifici significare voluisse, ut quid respondendum esset ab eo intelligeret, nihil excessurus ipsius decretum; cùm nihilominus promisisset jam oratori, missurum se oratorem ad ipsius dominum qui responderet ad singula. Iussis oratoribus extra Consistorium expectare, rogatus sententiam Bessarion princeps Senatûs Cardinalitij; de nuptiis Italicis primùm dixit, honorandam esse sponsam, unà cum fratre sponsi, qui Româ transituri essent: De mittendo ad nuptias legato, attendenda esse exempla: periculosum esse consuetudinem novam inducere, & id agere ut imposterùm requirantur pro debitis: haud se legisse aut audisse Cardinalem legatum ad tale opus hactenùs missum: Mittendum nihilominùs aliquem: sed Cardinalem, an Prælatum, maturiori consilio opus esse. Quod ad Turcica; laudandum esse Ferdinandum, quòd de re periculosâ nihil voluerit decernere sine decreto Pontificis: minimè porrò sibi probari oratorum hujusmodi ultrò citròque commercia: quærere namque has missiones Turcum, non ad Christianorum quos perdere cuperet, sed in suum tantummodò commodum; cùm odio se haberi vicinis Principibus suæ legis, propter injurias irrogatas, & formidolosam potentiam, eósque quibus imperitaret parùm sibi addictos sentiret; continere eos velle ostentatione fœderis & amicitiæ Christianorum, à quibus illi aliquando expectarent auxilia: nôsse ipsum præterea apud Christianos Turcorum nomen nefandum haberi, proptereáque in bellis validiùs resisti sibi. Hactenùs narratio Papiensis, quæ imperfecta remansit magno rerum detrimento; sive conclusionem sapientissimi senis Bessarionis spectes, sive cæterorum Patrum sententias, aut Pontificis decretum; quorum nihil alibi reperimus. Simile tamen est vero, consuluisse Bessarionem, & in ejus consilium pedibus itum esse, abstinendum Ferdinando ab ejusmodi Turcorum fœdere & commercio; quin potiùs arma ei inferenda pro rei Christianæ defensione, quam ille hujusmodi cuniculis subvertere quærebat. Cùm autem Fridericus Ferdinandi filius, Mediolanum iturus ad ducendam Ducis filiam fratris uxorem Neapolim, Romam venisset, prodeunte obviam honorato quoque (ut Platina scribit) perbenignè à Paulo susceptus est, ac Rosâ donatus, quam Pontifices singulis annis donare alicui ex Principibus Christianis consuevêre.

[a] Pap. ep. 85.

Legatio à Ferdinando Reg. Neapol. ad Pontific. de conditionibus à Turco oblatis.

II. Tractavit quoque præsenti anno Paulus arma in rebelles Ecclesiæ filios Eversi Comitis Anguillarij, cujus sceleratissimam tyrannidem pleniùs descripsêre [b] Gobellinus & Papiensis, meminimúsque nos ejus aliàs. Qui [c] cùm eodem fermè tempore quo Paulus factus est Pontifex decessisset, filij ejus Deiphebus & Franciscus nequitiâ pares, sed industri àlongè impares, cùm Paulo illudere quæsissent; ab eodem clanculùm paratis rebus omnibus ad bellum necessariis, ita per alterius rei speciem dispersas copias statim contraxit, & in eos immisit, ut planè incautos oppresserit; atque intra duodecim dies confecerit, quod quatuor ejus antecessores Eugenius, Nicolaus, Callistus, & Pius totis suis Pontificatibus optare tantummodò potuerant. Cùm autem Rex Ferdinandus ex obligatione feudi regni ei concessi copias aliquas Pontifici misisset, quæ huic bello usui fuêre; hinc ortæ [d] inter ipsos graves fuêre inimicitiæ, quòd Rex tanto merito peteret superiorum annorum tributum sibi relaxari, & quod deinceps soluturus esset diminui, cùm insulæ Siciliæ regnum patruus suus possideret, cujus ipse unà cum regno Neapolitano vectigal penderet: commemorarétque vicissim Pontifex merita Ecclesiæ erga Regem. Hócque modo altercationibus in longum semper res ipsa protracta est, cùm uterque repetendi jus suum tempus quæreret.

[b] Comment. Pij II. lib. 2. & II. Pap. Comment. lib. 2.
[c] Platin. in Paul. II
[d] Platin. in Paul. II.

Paulus Pont. nonnullos tyrannos côterit.

III. Hoc eodem anno patenter erupit in Galliâ, clandestinis anteà consiliis meditata & condicta Principum ac procerum in Regem Ludovicum fœda conjuratio, de cujus initiis dictum anno superiori; cùm Carolus Regis frater Dux Biturigum ab iisdem seductus, adolescens annorum circiter octodecim, ineunte mense Martio clàm à Rege aufugiens in Minorem Britanniam, principem se conjurationis publicè declaravit, eo obtentu quòd tam ipse, quàm cæteri indignè haberentur à Rege, præ infimæ sortis assentatoribus qui omnia apud eum possent, ac regnum pessumdarent: hócque fœdus seu factionem, *Boni publici* vocârunt; sicut fuit semper in more factiosis positum, speciosos titulos iniquis suis consiliis obtendere, & opis specie fatuos credulósque populos ad inopiam redigere. Fuerunt autem præcipui hujus coitionis duces, præter Carolum prædictum, alius Carolus Comes Carolesius, filius Philippi Ducis Burgundiæ, de patris consensu, qui illum ad hoc in gratiam recepit, à quâ is ob simile penè crimen deciderat: Franciscus Dux Britanniæ;

Factio Boni publici in Gallia contra Regem.

Ioannes Andegavensis, Dux Calabriæ dictus, is qui contra Ferdinandum pro regno Neapolitano tamdiù certavit, & quòd Rex ei suppetias ferre distulisset jam adversùs eum cum aliis conspiravit; cùm tamen pater ejus Renatus, longè filio prudentior, Regi hoc bello adstiterit: Ioannes Dux Borbonij, qui Regis sororem in matrimonio habebat; Ioannes Armaniacus Dux Nemorosi; alter Ioannes Comes Armaniacus; Ioannes Comes Dunensis nothus Aurelianensis: Ludovicus Lucemburgius Comes sancti Pauli; Carolus dominus Alebreti; Antonius Comes Dammartini, & alij: solis è principibus à Rege stantibus Renato Duce Andegavensi, quem Regem Siciliæ dicebant; ac fratre ejus Carolo Comite Cenomanensi; (quamquam hic dubiæ fidei fuerit:) Ioanne Borbonio Comite Vindocinensi; & Carolo Artesiensi Comite Vgellano: quorum eò prædicanda magis est virtus, quò nec ipsi cæteris gratiosiùs habiti fuissent à Rege.

IV. Quibus à Rege auditis qui in Pictonibus agebat, cùm urbem Parisiorum regni caput à quâ reliquæ vel pacis vel belli exemplum accepturæ essent, per Ioannem Baluem Cardinalem, electum Episcopum Ebroicensem, aliósque cum eo missos, in fide suâ firmâsset; minùs de conjuratorum defectione solicitus, collecto fortissimo exercitu, partéque illius Renato ac fratri ejus relictâ, quâ Britanni cœptis obsisterent; ipse cum reliquâ contra Borbonium pergens, illum unà cum fratre ejus Carolo Archiepiscopo Lugdunensi, Nemorosio, Armaniaco, & Alebretio qui cum eo erant adeò pressit, ut ad pacem petendam compulerit, (quam tamen obtentam parùm iidem servârunt, ad cæteros paulò pòst seditiosos turpiùs redeuntes.) Inde Lutetiam versùs tendens, quò Carolesius cum magnis copiis accelerabat, passim tam suo, quam Caroli fratris Regis, cujus se vicarium gerebat, nomine ad populos sibi conciliandos, libertatem à servitute quâ opprimerentur, & vectigalium remissionem proponens: ipsum reperit apud Montem Letericum sex leucis Parisiis distantem. Cúmque ei in animo esset pugnam vitare, temeritate tamen, seu vanitate Brezei Senescalli Normanniæ, viri bello clarissimi, (qui cùm primò conjuratis fidem obstrinxisset, iis deinde relictis ad Regem redierat, Réxque eidem primum agmen ducendum dederat) cœptum prælium, quo idem Brezeus egregiè pugnans inter primos concidit, variâ admodùm fortunâ actum est, fugientibus, & vincentibus, captísque ex utrâque parte præcipui nominis viris & magnâ armatorum multitudine: Donec illo noctis interventu dirempto, cùm suspensi utrimque essent quorum victoria esset, Rex in eo oppido paululùm à pugnâ & inediâ ac lassitudine recreatus, Corbolium recessit; Carolesio non habente quò abiret, magnâ solicitudine totâ nocte in eodem campo novos ab eo insultus expectante. Cui tamen haud dubium quin victoria cessisse dicenda sit; cùm Rege abeunte ipse in suâ statione permanserit: eóque gloriosiùs vicerit, quò bis ab hostibus comprehensus, toties à suis de manibus eorum ereptus est, & vulnus in jugulo acceperit. Cæterùm Regem quoque fortissimè in prælio sese gessisse, omnes consentiunt; nec nisi suorum vi campum deseruisse: maximè tamen errâsse, quòd hostes incautos aggredi festinans, suos de viâ fessos eis protinùs objecerit: eíque imprimis obfuisse, quòd victorem equitatum peditatus nullus sequeretur, qui prostratos equitum virtute hostes antequàm sese colligerent, vel jugularet vel captivos duceret: ac nihilominùs tam propè à victoriâ abfuisse, ut nisi Cenomanensis, quòd Regem cæsum putaret, se cum toto postremo agmine quod ductabat absque pugnâ subduxisset, (unde & in suspicionem proditionis incidit) superiorem fore nemo dubitaret. Haud tamen magna fuit cædes, occisis tantummodò ex utrâque parte ad duo vel tria circiter millia. Res autem ut se habuerit descripsêre Philippus Comminius [e], qui interfuit numquam à latere Carolesij recedens: & Olivarius [f] Marchianus, qui eodem prælio factus est à Carolesio Miles: & qui tum etiam vivebant, Gaguinus [g], qui Parisiis se fuisse, & frequentes captivos Burgundos dissolutis armis vulneratos in civitatem deduci vidisse scribit: Monstreletus [h], & auctor Vitæ Ludovici: qui plerique prælium factum ponunt die decimo-sexto Iulij. Et ita omninò debuit esse, si, ùt signant, dies tunc Martis fuit: nam vigesimus-septimus Comminij in Sabbatum incidit, & decimus-septimus Æmilij in diem Mercurij, cùm eo anno Pascha fuerit decimo-quarto Aprilis, & litera Dominicalis F. Cæterùm Carolesio de victoriâ magnoperè exultanti, magno eam stetisse Comminius observat: tantos enim sumpsisse inde spiritus, adeóque magnificè de se ipso sensisse, ut nullius deinceps consilio uteretur, sed cuncta ex cerebro suo ageret: & qui anteà inutilis bello fuisset, ab eóque abhorruisset, mutatis posthàc consiliis plura subinde serens in iis usque ad obitum perseveraverit, cum domûs suæ desolatione, quam tres ejus decessores in tantam extulerant potentiam, ut pauci essent Reges, Francorum excepto, qui eam antecellerent: ipse quidem in bellis laboriosissimus & animosissimus existens, sed victorias & felices rerum successus à Deo dari non agnoscens.

Prælium Montis-Leterici.

Victoria valde victori noxia.

V. Petens è Corbolio Rex Lutetiam, cùm se iterùm in hostes ducturum præseferret, à prudentibus dissuasus (eò maximè quòd Carolesius Stampas profectus, Duces, ibi Bituricensem & Britonem cum novo exercitu excepisset) ibi se continuit: & à Guillelmo Parisiensi Episcopo egregiâ oratione monitus, ut rerum præteritarum memor sequentium rationem haberet, & in consilium boni æquíque amantes viros, qui pacem & tranquillitatem servarent, induceret: deligi sibi viros spectatos jussit, qui unà secum ac cæteris veteribus consiliariis de rebus summis decernerent. Delectíque sunt ex Parlamenti Senatu sex, totidémque ex Scholæ Vniversitate, ac totidem ex civibus. Voluerat etiam anteà (ut Gaguinus narrat) ex Scholâ delectos habere armatos, quibus ad belli necessitates uteretur. At Rector qui tunc erat *Guillelmus Fiscetus* magni animi vir, doctrináque

Consilium selectum Ludovici Regis.

[e] *Commin. lib. 1. c. 2. 3. & 4.*
[f] *Olivar. lib. 1. c. 35.*
[g] *Gaguin. lib. 10.*
[h] *Monstrel. vol. 3.*

& dicendi arte potens, concione generali habitâ disertam habuit orationem, quâ veritus non est repugnantem Regi sententiam dicere; eâque maximè clarus atque probatus factus est. Nam cùm Bessarion Cardinalis post aliquot annos Romanâ apud Regem legatione fungeretur, auditâ Fisceti famâ, eum ad se accersivit, atque in Vrbem duxit commendans illum Sixto IV. tunc Pontifici. Extántque ejusdem Fisceti Rhetoricorum libri, orationes, atque epistolæ.

VI. Cùm Duces factionis apud Stampas convenientes in unum, de summâ rerum consultarent; Biturixque frater Regis admodum adolescens, qui vulneratos in prælio milites vagari conspexerat, incœpti pœnitens, cupere se dixisset numquam hoc facinus susceptum fuisse: ex ejusmodi verbo judicans Carolesius facile fore ut Biturix cum fratre Rege concordaret; ne ipse in majus periculum incideret, constituit fœdus & affinitatem cum Eduardo Anglorum Rege (à quo nihilominus abhorrebat, quòd erga Henricum Eduardi hostem inclinatior esset) contrahere, ut sic eum vel amicum vel non hostem haberet. Atque interim deliberatione factâ Lutetiam petendi, spe eam recipiendi absente Rege, quem in Normanniam profectum ad novas conscribendas copias acceperant, dum irent, Ioannem Andegavensem Calabriæ Ducem exceperunt advenientem cum novis auxiliis ex Burgundiâ & finibus Germaniæ, nonnullisque Italis equitibus, necnon quingentis peditibus Helvetiis: qui primi omnium hâc occasione mercede Gallias ingressi, tantam suæ virtutis famam posteris reliquerunt, ut & Ludovicus, qui eorum olim fortitudinem apud Basileam, ut vidimus, expertus fuerat, inde mox pedites sibi asciverit, cæterique deinceps Galliarum Reges firmissimum in eâ gente peditatûs robur collocârint; eorúmque æmulatione & alij Principes eosdem sibi devincire studuerint. Iunctas omnes simul fœderatorum copias, centum millium equitum fuisse (præter peditatum, cujus numerus non exprimitur) Comminius [i] qui aderat asserit. Quorum præcipui duces Carolesius & Calaber (fratrem namque Regis ipsi ad ostentationem dumtaxat ductabant, abutentes ejus adolescentiâ ad suorum consiliorum obtentum; nec Britonem magnî facientes:) sollicitare Parisienses & clandestinis negotiationibus & publicis interpellationibus aggressi, eò illos tam metu armorum hostilium, quàm spe relaxationis tributorum impulêre, ut nisi Rex his auditis cum validis copiis accurrisset, Principes in urbem admissuri fuissent. Quod si contigisset, scribit Comminius [k] sæpius sibi Regem dixisse, deliberâsse, ut in re planè deperditâ, vel ad Helvetios proficisci; vel ad Franciscum Ducem Mediolanensem, quem sibi intimum reputabat ob factam ei, ut vidimus, ditionis Genuensis cessionem. Nec sanè opinione falsus est, cùm neminem eo amiciorem repererit; qui & Galeatium filium suum primogenitum cum validis copiis, etiam non requisitus (ut Corius [l] ait) in auxilium misit; & consilium dedit, ut conditiones quascumque hostibus daret, dum Regis titulum tantummodò retineret, sed observatâ imposterùm occasione singulos opprimeret; haud enim facile fore tot in unum Principes iterùm conspirare, & eam armorum vim congerere. Vt horum testis est Comminius; & disertè continetur in epistolâ, quam longè postеà Dux Ludovicus prædictorum Francisci filius & Galeatij frater ac successor scripsit ad Carolum VIII. Regis Ludovici pariter filium & hæredem, quam idem Corius [m] recitat.

PRIMI HELVETII MERCEDE GALLIAM INGRESSI.

[i] Comminn. lib. 1. c. 6.

INGENTES CONJURATORUM COPIÆ.

[k] Id. cap 8.

[l] Cor. par. 6.

CONSILIŨ PRUDENS DUCIS MEDIOL. DATŨ REGI.

[m] Cor. par. 7. an. 1493.

VII. Cui amici consilio Rex obtemperandum putans, post multos tractatus, multas habitas consultationes, ita cum Principibus, Bonum publicum in commodum privatum de more factiosorum deducentibus, pactus est mense Octobri, ut frater Carolus dimissis Biturigibus Normanniam haberet; Carolesius oppida illa ad Somonam fluvium; quæ non ita pridem Rex à patre ejus Philippo Duce quadringentis aureorum millibus redemerat; Comes S. Pauli Connestabilatûs dignitatem, alij alia. Ac ne omninò rem deseruisse publicam viderentur, decretum imprimis est triginta & sex selectum iri viros prudentes & negotiis idoneos, duodecim ex unoquoque ordine, Cleri, Nobilitatis, ac Plebis, qui de optimâ regni ordinatione statuerent. Sicuti de singulis videre est in Articulis Pacis Confluentinæ, (uti vocata est, quòd confecta fuerit apud Confluentiam pagum, duabus leucis Gallicis Parisiis distantem ad fluminum Matronæ & Sequanæ confluentem, ubi Carolesius castra habebat,) quos Monstreletus Historiæ suæ inseruit: nisi quòd eum Belleforestius [n] in eo errasse vult, quòd scribit Britanniam beneficiariam factam fuisse Normanniæ, quod sanè nec Comminius habet, nec Æmilius, nec Gaguinus, nec Scandalosa Historia, dum eadem pacta recensent. Sed de ea re tam idem Belleforestius consuli poterit ad harum rerum curiosis, quàm cæteri rerum Britannicarum & Normannicarum scriptores.

PAX CŌFICITUR CUM FACTIOSIS.

[n] Bellefor. lib. 5. c. 124. Vid. supr. an. 1227. X.

VIII. His autem fine Octobris terminatis, singulísque ad sua reversis, cùm Regis frater & Brito simul in Normanniam profecti, non satis invicem convenirent; recedens Brito; cum Rege in itinere congressus, in Britanniam rediit. Rex verò ad omnes occasiones intentus, hâc mox arreptâ, Normanniam, quam fratri admodùm invitus concesserat, brevî in suam potestatem redegit ad principium anni proximi; fratre rursùm ad Britonem confugiente, qui eum humaniter recepit, pœnitens pœnitentem de simultatibus inter ipsos concitatis. Cùm interim Carolesius occupatus esset in oppugnandis Leodiensibus, antiquis Domûs Burgundicæ hostibus, & qui recens à Ludovico Rege sollicitati, Philippum Ducem, dum Carolesius aberat, bello incesserant: præter gravissimas simultates, quas cum Ludovico Borbonio Philippi sororis filio, suo Episcopo ac domino, exercebant, tam eo obtentu quòd sacris initiari, & munia Pontificalia inire differret, quàm ob ministrorum ejus rapinas & vexationes: Vnde contigit plura inter eos prælia fieri, ipsámque urbem auctoritate Apostolicâ interdicto supponi. Quod nihilominùs adeò cives contempsêre, necnon judicium contra ipsos principio hujus anni à Pontifice Paulo pro juribus Episcopi pronuncia-

CAROLESIUS LEODIENSES BELLO IMPETIT.

LEODIENSIŨ PROCACITAS.

tum; ut etiam Marcum Comitem Badensem, tutorem ac defensorem suum contra Burgundum & Borbonium elegerint, eique obedientiam juraverint: nullis valentes suis & oppidorum fœderatorum cladibus & excidiis contineri, quin multa semper indigna, impia, crudelia committerent tam præteritis, quàm subsequentibus annis: quæ non solùm proprij rerum Leodiensium [o] Burgundicarúmque [p] auctores referunt; verùm etiam Cardinalis Papiensis suis commentariis [q] mandanda existimavit, quò (ut ait) Pontificibus esse documento possint, quantum sæculi Principibus oporteat credi; quantúmque adhiberi curæ conveniat ne ij pastores plebibus dentur, quorum vel ætate vel ambitione pro pane lapis & pro ovo scorpius juxta verbum Domini offeratur: Sicuti in hoc Ludovico admittendo & defendendo factum fuerat à Pontificibus Callisto & Pio, artificiosorum spe promissorum Philippi Ducis de auxiliis ad bellum Turcicum; quæ frustrà fuêre. Quomodò verò demùm excisa sit funditùs Leodiensis civitas à Carolesio, dicetur suo [r] loco; cùm interim nonnullæ inter illos malorum induciæ intercesserint.

[o] *Magn. Chron. Belg. an. 1456. & seqq. Suffrid. Petr. in Gest. Pontif. Leodiens.*
[p] *Monstrel. vol. 3 Commin. lib. 2. Meyer. lib. 16. & alij.*
[q] *Pap. lib. 4.*
[r] *Infr. an. 1468. XXI.*

IX. Quod in Ludovicum Francorum Regem conjurati tentaverant, hoc in suum Regem Henricum eodem tempore Hispani reipsâ insigni dedecore & scelestissimo ausu præstiterunt: cum Alfonso ejus fratre duodecim tantummodò annorum puero in factiosorum procerum potestatem, de quorum coïtionibus dictum superiori anno, contradito, quod ad concordiam videbatur excogitatum, majoris mali occasionem attulit: & quod pudendius fuit, Archiepiscopus Toletanus Alfonsus Carrillius, magno vir animo, sed turbido & inquieto, principem se tanti sceleris exhibuit. Nonis Iulij ad Abulam oppidum præ mœnibus in patenti campo suggestu ex materiâ ædificato, imposita est ei Regis Henrici statua regio ornatu: vocéque præconis gravissima ejus crimina publicata. Ad singula sententiæ capita, statuâ sigillatim omnibus regiis insignibus nudatâ, eadem demùm cum verborum contumeliâ in præceps est data. Alfonsus suggestui impositus, atque humeris procerum elatus, Rex proclamatus est Castellæ, regiis Castellis de more explicatis, atque Alfonsi & Castellæ nominibus promiscuo multitudinis clamore ingeminatis. At verò post tantam ignominiam misericordiâ nonnullos proceres appprehendente, Henrici causæ ardentiùs favere cœperunt; atque inter eos Garsias Toletus Albanus Comes. Et obsidentes Septimancas oppidum conjurati, tanto contemptui obsessis fuêre, ut à calonibus per ludibrium sententia in Archiepiscopum Toletanum pronunciata, ejus statua per plateas tracta, atque combusta fuerit, exiguo illatæ ad Abulam contumeliæ levamine. Confluentibus ad Henricum copiis, exercitum habuit octoginta millium peditum, equitum quatuordecim quo tamen nihil præstitum est, torpore eum occupante incredibili pudendóque. Cui etiam persuasum à Marchione Villenæ maris præfecto, è conjuratis uno, ut quoniam tantis sumptibus pares facultates non essent, copiæ dimitterentur: brevi Alfonsum regio nomine abdicato, cum aliis proceribus, in ejus potestate fidéque futurum. Sic militibus ab utrâque parte dimissis, proceribus qui ab Henrico Rege steterunt, quamvis nullo operæ pretio facto, ingentia præmia data. Alfonso autem à conjuratis captivi instar tento, cùm redire ad fratrem cogitaret, minæ intentatæ sunt, periturum veneno, nisi regnaret. Ita de his Mariana [s].

HENRICUS REX CASTELLÆ IGNOMINIOSE DEPONITUR A' SUBDITIS.

ALFONSUS FRATER EJUS ELIGITUR.

MULTI AD HENRICŨ REDEUNT.

[s] *Mar. lib. 23. cap. 9.*

X. Eum autem latuisse putamus, alioqui proculdubiò scripturum, quod Cardinalis Papiensis [t] de his refert. Nempè scriptas novi Regis Alfonsi nomine fuisse literas Paulo Pontifici; quibus post narratas regni calamitates, quas sub Henrico passus erat, referebatur, proceres, ac prælatos post diuturnam patientiam tandem exurgentes; illum adhibitis regni cæremoniis uno consensu privâsse; & Alfonsum elegisse: proinde orare Pontificem, ut auctoritate quoque Sedis Apostolicæ fortuna hæc ejus adjuvaretur; nec audiretur is qui regno & religioni Christianæ pestifer omnium penè judiciis condemnatus esset. Quò verò faciliorem sibi redderent Pontificem, addidisse in literis, omnia hæc indicata jamdudùm Pio esse ventura, & suo nunc consilio facta. Quod cùm apud plerosque fidem invenisset, aientes ad seditionem semper, & ad bella, & ad res novandas Pij animum spectâsse, hoc modestissimè ferens idem Papiensis, ut erat honoris ac nominis Pij studiosissimus, apud Pontificem & Cardinales pro illo sese objiciens, contendit falsissima esse quæ hi criminarentur: Pij namque consilia semper amica pacis fuisse, eam ubicumque potuit per legatos curâsse: bellum nullum nisi coactum, & pro justitiâ ac dignitate Sedis Romanæ suscepisse: Novum hunc Regem id ad tegendam causæ suæ turpitudinem adducere: Nationem mendacissimam esse, semper armatam ad falsas calumnias, semper sic ab omnibus habitam; nec esse illi etiam interpositâ religione juramenti credendum: Proferri posse indicia multa amoris Pij erga Henricum: grandia pecuniaria subsidia ex illo regno permissa: constantiam animi in non audiendis turbulentis consiliis Ludovici Regis Galliæ, in quibus admiscere illum contra Pium tentavit: & complura hujusmodi, quæ idem Papiensis refert. Additque, procuratores Henrici, quibus Cardinalis S. Angeli de Carvaial enixissimè favebat, sibi non defuisse: ostendisse sceleratam conjuratorum rebellionem, fidem apertissimè violatam: rogâsséque declarari per literas, nec consuluisse hæc Romanum Pontificem, nec consensisse ut talia fierent, religioni & justitiæ omni ex parte contraria. Hæc Papiensis. Quid verò inde secutum sit, dicetur posteà.

[t] *Pap. ep. 122.*

CŌJURATI DECIPERE PŌTIFICEM STUDENT.

PAPIENSIS JUDICIUM DE NATIONE HISPANORŨ.

XI. Hic quoque fuit annus, quo alius Henricus legitimus Rex Angliæ ab usurpatore Eduardo turri Londinensi inclusus est: quod olim [u] per anticipationem diximus. Et quo item Petrus [x] Lusitanus, Aragoniæ Rex intrusus, extinctus [y] veneno est; more eâ tempestate nimiùm usitato Principibus perimendis. In cujus locum Catalani Renatum Andegavensem, perpetuum Aragonij nominis hostem, ad regnum vocârunt, de cujus operæpretiis dicetur competenti loco [z].

[u] *Supr. an. 1461. II.*
[x] *Supr. an. 1463. II.*
[y] *Marian. lib. 23. c. 10.*

RENATUS ANDEGAVENSIS VOCATUR AD REGNUM ARAGONIÆ.

[z] *Infr. ann. 1468. XIII.*

XII. Lugubrior Reipublicæ Christianæ clades

quam suis literis Paulus Pontifex orbi notam esse voluit, dictatis ab eodem Cardinale Papiensi [a] mense vigesimo-secundo ejusdem Pauli Pontificatûs; nempè ineunte Iulio præsentis anni. Quibus significavit Scanderbegum fortem Christi athletam, qui magnæ parti Albaniæ imperitans. (Erant [b] enim plures in Albaniâ reguli, qui suas singuli ditiones habebant; quorum tamen præcipuus Scanderbegus:) annos supra viginti pro fide nostrâ pugnâsset, magnis Turcorum oppressum copiis superatum esse prælio, dominatu omni exutum, & ad littora Italiæ inermem nudúmque esse impulsum: Albanenses verò; quos ipse in prælio commilitones habere solitus erat, partim cæsos gladio esse, partim in miseram servitutem abductos: Oppida quæ antehàc Turcorum sustinuerant impetus, in ditionem eorum venisse: Vicinas gentes, quæ Adriaticùm mare attingunt, propinquo metu exterritas tremere. Audire miserum esse, quanta omnium rerum esset conturbatio: lacrymabile inspicere navigia fugientium: ad Italos portus appelli familias egentes & nudas, pulsas sedibus suis; passim sedere per littora, manúsque in cælum tendentes lamentationibus cuncta implere. Ipsum verò Turcorum Ducem victorem, superbum, immanem, majoribus quàm anteà munitum copiis, ad vindicanda proxima quæque præcipitare. Hæc ibi Pontifex; pergens inde Principes, sicut sæpè anteà, ad auxilia sive militum sive pecuniarum ferenda incitare; quibus non ipse solus, quamvis annua centena auri millia Hungaris, & alia ipsi Scanderbege subministraret, sufficiens esset.

[a] Pap. ep. 163.

[b] Leunclav. Pand. Turc. 142.

SCANDERBEGI CLADES A TURCO.

XIII. DUBIA DE EO.

Cùm autem nihil loquatur de adventu Scanderbegi Romam, quem Barletius Vitæ ejus scriptor ponit hoc tempore; vel nondum is contigerat quando eæ literæ scriptæ fuêre; vel, ut propensiores sumus ad credendum, omninò non contigit, quem non putamus Papiensem omissurum fuisse aliquâ epistolâ, vel in commentariis, quibus longè minora inserere consuevit. Ait autem Barletius, Scanderbegum factam cum Mahomete pacem, de quâ ante biennium [c], hortatu Venetorum & Pauli Angeli Archiepiscopi Dyrrachini, viri insigni doctrinâ & vitæ sanctitate, ac spe auxiliorum quæ Pius Pontifex promovebat rupisse, & nonnullos rursùm Turcorum exercitus fugâsse: sed advenientem ipsummet Mahometem in Albaniam, Croiam præcipuam ditionis Scanderbegi munitionem obsidione cinxisse, atque interim Chidnæos populos Chaoniæ deditione accepisse, ac nihilominùs octo millia virorum ibi interfecisse; ingenti rerum Scanderbegi damno: inde Constantinopolim rediisse, relicto tamen exercitu in obsidione Croiæ: Eáque propter Scanderbegum in angustias redactum, Principum Christianorum suppetias implorâsse, Romámque ipsummet petiisse; & nonnulla munera magnámque pecuniam accepisse: reversum in Albaniam, Croiam diuturnâ obsidione vicinorum auxiliis liberâsse. De fugâ ex prælio nihil, nec de totius dominatûs amissione, aut cæteris quæ epistolâ Pauli continentur. Vt inde etiam confirmari posse videtur quod jam aliàs diximus, multa deesse in ejus Vitæ commentariis ex iis quæ sinistrè ei acciderunt; multáque inesse de rebus ejus gestis, quæ augmentum ab auctoribus acceperint, quod tamen absque præjudicio prodigiosæ ejus fortitudinis, atque excellentissimæ rei militaris peritiæ dictum velimus. Phranzes [d] auctor Græcus de Mahometis expeditione adversùs eum hoc tempore ductâ agens longè aliter quam cæteri, non solùm eum afflixisse Scanderbegum scribit, verùm etiam (nisi nos interpres fallat) cepisse, quòd omninò falsum esse constat.

[c] Supr. an. 1463. IX.

[d] Phranz. lib. 3. c. 28.

XIV. RELIQUIÆ FAMILIÆ IMPP. GRÆCORUM.

Narrat verò idem [e], hoc ipso anno Thomam Despotam, quem vidimus Romam venisse sub Pio, liberos suos accersîsse è Corcyrâ, duos videlicet filios Andream & Manuelem, ac Sophiam filiam: cúmque ij appulissent Anconam, ipsum antequàm eos videret, mortuum esse duodecimo Maij, ætatis anno quinquagesimo-sexto: Pontificem curâsse ut diligentiâ Cardinalis Bessarionis Romam venirent; quæque pater ad vitam sustentandam habebat, iis reliquisse, ac primogenitum Andream [f] Palæologum honoribus auxisse. Ad quorum pædagogum, dum adhuc Anconæ subsisterent, est de his ejusdem Bessarionis [g] epistola, & quomodò cùm Romam venerint, in omni pietate ac civilitate morum instituendi essent. Eorum minor Manuel (ut habet Zygomalas [h]) suorum familiarium suasu Româ profugiens Constantinopolim, à Mahomete lautè habitus est: ac moriens duos filios reliquit, quorum alter juvenis decessit, alter abjuratâ Christianâ fide Mahometismum amplexus est. Et ut uno contextu virilem prolem Imperatorum absolvamus, Demetrius Thomæ frater major, quem a Mahomete olim abductum vidimus, post variam valdè sub eo fortunam, quam idem Phranzes & Zygomalas describunt, factus Andrianopoli monachus nomine Davidis, mortuus est circa annum Domini 1470. Reliquam progeniem prosecutus est Spanduginus [i]: qui Demetrij Monachatum ignoravit; & Andream Thomæ filium Romæ periisse in summâ miseriâ scribit.

[e] Id. ep. 27. & 28.

[f] Vid. infr. an. 1495 II.

[g] d. cap. 27. & in Not.

[h] Turcogr. lib. 1. Vid. infr. an. 1476. XX.

[i] Ap. Sansovin. Hist. Turc. par. 2.

XV. INDECENTIA NOMINA MINIME TOLERANDA IN EPISCOPIS.

Non imprudenter (inquit Cardinalis Papiensis [k] ad Senensem) egit hoc tempore Paulus Pontifex, cùm rem aliquando non æstimatam sine animadversione prætereundam non duxit. Præficiendus erat Conversanæ Ecclesiæ novus Præsul, cui nomen erat *Turcus* ex Turculorum familiâ. Cùm cætera probarentur in eo, nomen solum probatum non est. Dixit Pontifex, convenire in nomine Episcopi nihil esse quod fideles aures offendat: Monachos, eos qui à sæculo fugiunt, ut renasci Deo appareant, nomen vetus etiam acceptum ex Sanctis cogere deponere; quantò amplius ad Episcopatum vocato nomen hostile commutandum sit? Igitur pro Turco Paulum ex suo nomine sanxit vocari.

[k] Pap. ep. 128.

XVI. B. ANDREÆ CHIENSIS MARTYRIUM A TURCIS.

Hoc eodem anno contigit Constantinopoli martyrium *Beati Andreæ* Chiensis; cujus descriptio [l] Georgio Trapezuntio tribuitur. Qui falsò accusatus de abnegatâ semel Christianâ religione, eâdémque iterùm resumptâ; post tentatam frustrà promissionibus & minis ejus constantiam, dirissima passus toto

[l] Ap. Sur. 29. Maij.

corpore tormenta, denudatásque sensim ferro singulis diebus singulas ejus carnosas partes, quò sævior ac diuturnior pœna esset, demùm capite truncatus est: & ob summam in tormentis & cruciatibus ostensam fortitudinem, permissus à Turcorum Rege honorificè per Christianos sepeliri. Cujus corpus Trapezuntius aliquot pòst annos incorruptum aspexit, & ejus invocatione à periculo naufragij liberatus, martyrium ejus describendum suscepit.

IESU CHRISTI Annus 1466.
PAULI II. An. 3.
FRIDERICI III. An. 27.

I. AGITUR ROMÆ CAUSA GEORGII REGIS BOEM.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo-sexto, Indictione decima-quartâ, acta est apud Sedem Apostolicam causa Georgij Regis Boëmiæ, annis præteritis cœpta, & continuata. Suspensa illa fuerat, ut vidimus, intuitu Friderici Imperatoris qui Georgij protectionem spe emendationis susceperat. At novo superveniente casu, resumpta illa est, & judicata. Quam rem gestam pluribus describit Cardinalis Papiensis [a], qui interfuit: ex quo breviter eam referemus. Erat inter proceres regni Hynco quidam (Zdenconem vocat Dubravius, alij Stenconem) fide & religione Catholicus. Hunc Georgius, quòd minùs cæteris sibi consensisset, per occasionem criminum bello adortus, cæteris ademptis intra Zarasten oppidum obsidebat. Is noctu per stationes elapsus, Romam implorandæ opis causâ accedens, & à Paulo Pontifice in fidem acceptus; impetravit etiam ut ad Imperatorem de ferendo auxilio scriberetur, & anathema in eos pronunciaretur qui ab obsidione actutùm non abirent. Georgius hoc audito, cæterorum procerum nomine, quantumvis plerisque rem ignorantibus, scribi Romam curavit, & obsidionis causam in crimina Hynconis rejici; petique ut mitteretur noscendorum omnium causâ orator ad Imperatorem, apud quem etiam de reducendâ Boëmia agi necessaria possent. Pontifex fraudem subodoratus; permitit quidem in jussione solvendæ obsidionis, verumtamen Rudolphum Laventinum Episcopum hominem natione Germanum ad Imperatorem misit, cum mandatis, nequid cum Georgio aut suis priùs tractaret, quàm & solutam obsidionem & arma deposita cognovisset. At Georgius contemptis monitis, Zarastenses demùm annali obsidione ad extrema redactos deditione recepit.

[a] Pap. Comment. lib. 6.

II. DAMNATUR UTI HÆRETICUS.

Quo exitu Romæ nunciato, jussus est illicò Laventinus Germaniæ Principes sigillatim adire, rem exponere, rogaréque ne impedimento sint quò minùs judicium de Georgio redintegrari posset. Vna omnium fuit responsio, scire Pontificem quid sui esset officij, facturos se quod Catholicos deceret: non posse tamen se, quoad Georgium Ecclesia hæreticum judicâsset, à fœderibus ejus discedere. Quo eodem tempore cùm omnes regni proceres Catholici Hynconis exemplo suum exitium veriti, summo consensu à Georgio defecissent, peteréntque juramenti ei præstiti religione absolvi; iisque sese Wratislaviensibus, aliísque qui jam anteà ejus jugum detrectaverant jungentibus: liberati ab eâ obligatione sunt; diésque publico decreto Georgio dictus; quâ Romæ se sistere deberet causam dicturus: ac Laventino mandatum, ut auxilia adversùs eum conquireret, ac si opus esset, Crucem, qui summus in Christianis motus est, palàm decerneret. Quod ille impigrè agens, collecto exercitu Crucesignatorum, Georgium ab obsidione alterius oppidi fugavit. Cúmque nihilominùs ille alios proceres populósque Catholicos persequi non desineret, nec ad diem condictam aut îsset, aut misisset; paratis omnibus ad sententiam, datóque ad disquirendum spatio; tandem unâ omnium Cardinalium, atque cæterorum Antistitum, Doctorúmque divinæ legis & pontificiæ, ad judicium vocatorum, consensione, ex actorum commentariis convictus est perjurus, sacrilegus, atque hæreticus.

III. DECLARATUR REGNO PRIVATUS.

Angebat nihilominùs una Pontificem & Patrum nonnullos cura, quòd ultor tanti decreti certus non appareret: de Friderico Imperatore, quòd ad omnia esset præposterus, nullam spem haberi; Polonorum & Hungarorum Reges, quòd domesticis dissidiis laborarent, minùs eo tempore idoneos videri; procerum regni non satis ad tantam contentionem robur existimari, longinquiores operosam oppugnationem & diuturni temporis non suscepturos: jacere autem sententiam, dum ille armis rem ageret, cùm detrimenti, tum ludibrij rem fore. Sed horum ita fluctuantes animos, unius Ioannis Cardinalis Portuensis incitatio confirmavit: qui magni consilij vir, hæresúmque semper oppugnator acerrimus, non metienda omnia humanis judiciis dixit, relinquenda magnis in rebus Deo esse aliqua: si non adfuerit Imperator, aut Polonus, aut Hungarus, spondere se adfuturum de excelso sancto suo Deum, & caput impium contriturum: ipsi justa sui muneris implerent, reliqua Deum actutùm perfecturum. Ad quam vocem, quòd magna hominis esset auctoritas, erectis omnium mentibus, dies Natalis Christi ab illo quintus pronunciandæ damnationi edictus est. Quo die, peracto sacro solemni Pontifex, in magnâ hominum frequentiâ marmoreum suggestum ascendens, quod ante summum altare in basilicâ Petri erat, ex diplomate sententiam recitavit, regnóque malè olim, deteriùs inde parto Boëmum privavit. Ita de his Papiensis. Quæ longè paucioribus verbis, sed sensu plenioribus referens Michovius [b] Polonus; ait Paulum privâsse omni honore Georgium tanquam hæreticum, subditos ab ejus obedientiâ absolvisse, ipsúmque ac filios suos & posteros ad consequendas quaslibet dignitates inhabilitâsse.

[b] Michov. lib. 4. c. 68.

IV. RITE OMNIA IN EJUS JUDICIO PERACTA.

Nihil autem in hâc Georgij damnatione præcipitatum fuisse, ex eodem Papiensi [c] planè intelligitur; dum scribit, nullam solemnitatem; nullum ordinem, nullam expectationem esse prætermissam; ritè peracta esse omnia: In quadriennium à die citati primùm per Pium rei productum judicium esse; non negligentiâ, sed certo semper consilio: Ter flagitante Cæsare, conversionémque Georgij

[c] Ap. ep. 282.

spondente

spondente : semel autem Principibus Germaniæ idipsum petentibus, cursum damnationi suspensum esse, majori semper gratificatione quàm spe : Eâ verò lege continuè esse promissam suspensionem, si interim ille fidelibus pacatis nihil noceret : At illum indulgentia hujusmodi abusum contumaciter esse ; non quietè agentem, non etiam iis parcentem quos propter institutum erat judicium : per has moras sic nequiter eos habuisse, sic durè afflixisse, ut graves ad Sedem Apostolicam perferrentur querelæ : pertulisse tamen patienter omnia, ne aliquando in mali Regis judicio aut præceps aut immisericors existimari posset. Ceterùm memorat quoque Michovius, hoc eodem anno Ioannem Rockysanam Boëmicæ hæresis verticem, & aurigam dolosum, subitâ paralysi percussum, apud Pragam loquendi usum amisisse : justissimo Dei judicio, ut qui linguâ sceleratissimam hæresim extulisset & prædicâsset, linguâ languidatâ puniretur. Haud tamen perfidus iste tunc obiit, sed in aliquot adhuc annos vitam propagavit : de cujus obitu dicetur suo loco ; sicuti & de prosecutione causæ Georgij.

V. PAX INTER POLONOS ET CRUCIFEROS.

Hoc item anno, operâ prædicti Rudolphi Laventini Episcopi legati Apostolici, facta est pax firma inter Polonos & Cruciferos Prussenses, post diuturna, & crudelia bella inter eos multis lustris, propè & sæculis gesta. Is cùm ad Cazimirum Poloniæ Regem ex Wratislaviâ scripsisset, missum se ad hoc esse à Pontifice ; misso Rex ad eum Ioanne Dlugosso secretario suo, significavit pacem non se abnuere, modò ille bonâ fide pacificatorem ageret ; neque imitaretur Hieronymum Cretensem Archiepiscopum, qui Regi suam operam pollicitus, cùm ad Cruciferos profectus esset, redemptus ab iis calice aureo, bellum non modò non restinxisset, verùm etiam ultrò jam ferè conquiescens resuscitâsset. Prolixè omnia pollicitus Rudolphus, qui jam non ita pridem inter Fridericum Imp. & Matthiam Hungariæ Regem invicem dissidentes pacem feliciter confecisset ; cùm venisset in Poloniam, summâ fide, curâ, studióque, rem inter partes tractans, post multorum dierum colloquia, tandem decimanonâ die mensis Octobris præsentis anni optatam diù pacem perpetuam conclusit ; quæ in scriptum redacta, & ab omnibus subscripta est, existente tunc Cruciferorum Magistro Ludovico Herlingshausen. Cujus pacis conditionibus (quæ plures fuêre) Pomerania omnis, Chelmensis & Michaloviensis ditiones ad corpus Poloniæ redierunt, pro quibus recuperandis centum & quinquaginta annis pugnatum fuerat : Culmensis Ecclesia metropoli suæ antiquæ Gnesnensi restituta est, quæ per annos circiter ducentos Livonicæ Rigensi succubuerat : bellum Prutenicum post quatuordecim annos finem accepit : & Magister Prussiæ pro parte quæ illi remanebat, in fide & clientelâ Regis Poloniæ esse debuit : ut patet ex instrumento pacis tunc confectæ, quod extat [d]. Missis deinde oratoribus utrimque Romam, gratiæ actæ sunt ; & Rudolphi industria, fides, integritas, atque diligentia maximè commendatæ, apéxque honoris Cardinalitij pro meritis petitus. Quem tamen non adeptum esse constat. Neque enim omni merenti hæc dignitas conferri potest, nec semper ex merito confertur : satiúsque longè est eam mereri, nec habere, quàm immeritò possidere. Factum autem esse paulò post Episcopum Wratislaviensem, ex Cromero [e] intelligitur, Apud quem etiam videre licet, quæ in confirmatione hujus pacis apud Sedem Apostolicam difficultates subortæ sint, unde illa differri aliquamdiù habuerit.

d To. 1. Rer. Polon. Adde Michov. lib. 4 cap. 62. Cromer. lib. 26.

e Crom. lib. 27.

VI. SFORTIÆ DUCIS MEDIOL. OBITUS.

Obiit hoc anno octavo Idus Martij repentinâ morte, ætatis anno sexagesimo quinto *Franciscus Sfortia* Dux Mediolanensis ; vir utique pace bellóque præstantissimus : quem justâ acie bis & vicies victorem extitisse, numquam victum tradunt ; religione, moderatione, liberalitate, eloquentiâ militari, maximè excelluisse. Addunt & continentiam : verùm quod ad carnalem, non desunt, qui [f] in senectute mulierum ardore deceptum nimiùm prævaricatum esse scribant. Ejus Res gestas oratione solutâ Ioannes Simoneta Calaber, qui ei adstitit, uno & triginta libris, cetera quoque per Italiam eo tempore domi forísque facta comprehendens carmine, Franciscus Philelphus novem libris conscripsit. Nec tacuerunt ejus laudes Corius, Iovius, & alij. Fuítque eò clarior ejus memoria chariórque & cùm vixit & post mortem, quòd hominis turpissimi ac sævissimi successor factus, successorem ipse turpiorem ac sæviorem habuit. Galeatium nempè filium suum primogenitum, vigesimum quintum annum agentem : qui in Galliâ existens, cum exercitu in auxilium Ludovici Regis, auditâ patris morte, continuò Mediolanum mutato habitu, nec sine vitæ periculo revertit, & Ducatus possessionem adeptus est ; longè diverso ingenio, diversisque à patre moribus ; qui longe quoque diversam fortunam illi fecerunt. Ipso denique Principatûs initio, Ecclesiasticos, ipsósque Cardinales opprimere cœpit formâ mutui pecunias extorquens : unde habuit à Paulo [g] Pontifice graviter redargui, ac præ ceteris de illo Cardinalis Papiensis, simúlque de Pontifice, quem postea iniquiorem eâ in re passus esset, multis suis epistolis [h] vehementissimè conqueri. Qui nec ita pòst matrem suam Blancam lectissimam ac sapientissimam feminam, cujus unicæ curæ principatum debebat, quòd ipsum à paterno cursu deflectentem assiduis monitis, necnon & demùm objurgationibus, in rectam morum viam revocare contenderet ; veneno, ut suspicio fuit, de medio sustulit. Sed de illo sæpiùs imposterum agendum.

SUCCEDIT FILIUS GALEATIUS LONGE EI DISSIMILIS.

f Naucler. gen. 49.

g Ap. Pap. p. 173. 174.

h Ibid. ep. 88. 190. 92. 204. 05. 210. &c.

VII. ACADEMIÆ SANTANDREANÆ IN SCOTIA ERECTIO.

In Scotiâ obiit hoc eodem anno *Iacobus Kennethus* Episcopus Santandreanus, illius regni columen, de quo superiùs [i], ætate quidem jam provectâ, sed cujus obitus adeò fuit bonis omnibus luctuosus, ut parente publico viderentur orbati. Erant enim in eo viro præter virtutes antè commemoratas, summa domi frugalitas & continentia, foris splendor & magnificentia : cùm tamen non magnos ecclesiasticos proventus teneret neque enim adhuc ad Scotos pervenerat consuetudo, sacerdotia sacerdotiis cumulandi, & malè per avaritiam quæsita, pejùs per luxuriam profundendi. Reliquit suæ liberalitatis monumentum egregium, Scholas publicas ad S. Andreã, maximis

i Supr. an. 1460. XI.

sumptibus ædificatas, & magnis proventibus ex fructibus ecclesiasticis locupletatas. In quibus cum sepulchrum magnificè sibi extruxisset, id ei privatim de pluribus, publicè de omnibus optimè merito, malignitas hominum invidit. Electus in locum ejus Episcopus *Patritius Graamus* ejus frater uterinus, per factionem aulicam impeditus quominùs cum Regis bonâ veniâ Romam adiret; sine commeatu ad Pontificem profectus, facilè obtinuit confirmari, cùm præter generis nobilitatem, (erat enim ex amitâ magnâ Regis natus) & virtutum commendationem, esset etiam liberaliter eruditus. Dum autem Romæ adversæ factionis opes metuens desidêret, vetus controversia de libertate Ecclesiæ Scotorum agitari cœpta est; quâ Eboracensis in Anglia Archiepiscopus usurpatum per licentiam bellorum jus in Scotorum Episcopos, etiam in pace retinere studebat. Verùm decreto Romæ secundùm Scotos juxta [k] antiqua placita dato. Graamus non modò Scotiæ Primas judicatus est, verùm etiam à Pontifice legatione in triennium, ad sacerdotum prolapsos mores, & disciplinam ecclesiasticam præcipitantem in pristinum statum restituendam, ordinatus est. Nec tamen vir tantus, etiámque tali prærogativâ subnixus, domum redire ausus est usque ad inclinatam Bodiorum nobilium, qui Regis adolescentiam in potestate habentes, regnum pro arbitrio moderabantur, potentiam: quod triennio pòst contigit, iis supplicio publicè à Rege, aut aliis gravissimis calamitatibus affectis. Quæ prosequitur *Georgius Buchananus* [l] in Historiâ Scoticâ; quâ posthàc uti, quamvis hominis hæretici, nonnumquam necesse erit; (cautè tamen, & cum discrimine, ac judicio:) eò quòd nos jam *Boëthius* diligens rerum patriæ suæ ac copiosus scriptor deserat: sicuti & *Ioannes Major* item Scotus in breviore suâ Historiâ: *Lesleus* autem valdè jejunè in multis eam tractaverit. De erectione verò Archiepiscopatûs in Scotiâ, dicetur pleniùs aliàs [m].

ECCLESIA SCOTICA LIBERATUR A SUBJECTIONE EBORACENSIS.

k Vid. Epitom. ann. 1192. II.

BUCHANANI HISTORIA.

l Buchan. lib. 12.

m Infr. an. 1472. XVI. XVIII.

IESU CHRISTI Annus 1467.
PAULI II. An. 4.
FRIDERICI III. An. 28.

I. SCANDERBEGI OBITUS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, Indictione decimaquintâ, Ianuarij vigesimo septimo, fortis ille Christi athleta *Georgius Castriotus Scanderbegus* Albaniæ Princeps, ex hâc vitâ decessit ex febri Lyssi ad Drillum amnem (ubi & sepultus est in ecclesiâ majori S. Nicolai) ætatis suæ anno sexagesimo tertio. Ita namque plures referre invenimus; cùm præcedentem annum nonnulli, aliíque sequentem, atque alium ejusdem mensis diem signent. Vitam ejus, atque admirabiles res gestas, tredecim libris descripsit posteà Marinus Barletius sacerdos Scodrensis in Dalmatiâ: sed qui, ut aliquoties monuimus, atque etiam Iovium [a] existimâsse videmus, amore patriæ, & barbarorum odio, justam egregiè factorum gloriam, dum supra æquum in laudes prorumpit, suspicione mendacij elevâsse videatur. Ex quo, ut putamus: idipsum, sed breviùs præstitit sub Paulo III. Italicâ linguâ incertus auctor, quem publicavit Sansovinus [b] in suâ Vniversali Historiâ Turcica. Tradúntque, Turcos capto posteà oppido Lyssi, eruta è sepulcro ejus ossa, uti sacra veneratos esse; ac religiosè diripuisse, cùm quisque se bello invictum tutúmque fore crederet, si frustulum ex ossibus, quæ auro vel argento inserebant, gestaret. Filium reliquit adhuc puerum nomine Ioannem sub tutelâ Venetorum: qui occupatâ per Turcos Albaniâ, profugit in Apuliam ad paternam ditionem acceptam olim à Regibus Alfonso & Ferdinando; ubi ejus familia diù coaluit. Duravit autem bellum in Albaniâ post Scanderbegi obitum, antequàm Mahometes integram sibi acquisîsset, annis undecim: Scodrâ sive Scutari, ultimo ei à Venetis tractatu pacis relictâ.

a Iov. in Elog.

b Sansf. par. 3. lib. 5.

EJUS OSSIBUS TURCI PRO AMULELO UTUNTUR.

II. PHILIPPI DUCIS BURG. OBITUS.

c Olivar. March. lib. 1. cap. 37.

d Monstrel. par. 3. cap. ult.

Mortuus item est hoc anno, decimoquinto Iunij, (ut disertè Olivarius [c] scribit; necnon testatur Monstreletus [d], diem etiam Lunæ signans; non decimo septimo Calendas Augusti, ut perperam Meyerus) Brugis *Philippus* Dux Burgundiæ, post triduanum morbum, anno ætatis septuagesimo secundo. In cujus funere, & laudibus, Historiam suam Monstreletus terminat, auctor sincerus ac temporum diligens computator. Fuit autem Philippus, sicuti cognomento, ita re *Bonus*; ideóque suis lamentatissimus; adeò autem per universum orbem ob virium potentiam, vitæ splendorem, magnitudinem animi, ac multiplices virtutes celebratus, ut nullus eo magis Christianis admirationi, Turcis terrori esset. Translatitio sepulchro in ecclesiâ S. Donatiani positus, posteà delatus est Divionem Burgundiæ in sepulcra majorum in conventu Carthusianorum ab ipsis fundato. Successit in amplissimas ejus ditiones unicus heres *Carolus* filius Comes Carolesius, de quo sæpè superiùs, dictus cognomento Audax, sive Pugnax, annos tunc natus circiter triginta quatuor, patri longè dissimilis; quippe naturâ turbidus, intractabilis, bella ex bellis serens, quibus tandem obrutus miserè periit: denique, ut eum describit Heuterus Belga in ejus Vitâ, supra modum fastuosus ac cerebrosus; ignominiæ loco habens ab aliis discere; judicans proprio in cerebro se omnia habere recondita; inquietus, sanguinarius, inexplebilis ambitionis, vindictæ supra modum cupidus, sui admirator summus: A mulierositate tamen alienissimus, quòd excelsus durúsque animus à mollitie abhorreret: sine judicio liberalis, ac rursùm illiberalis; in divino cultu inconstans; legum suarum severus vindex: & alia ejusmodi plura, quæ videre est apud auctorem. Francorum autem regno, (ut addit) cui omnes prædecessores, nisi irritati: fidelissimi semper fuerant, hostem sese acerrimum præbuit; quærens Franciam suæ ditionis facere, aut vetus regnum Burgundicum resuscitare. Ipso autem Principatûs sui initio Leodienses hostes suos infensissimos aggressus, (quibus Ludovicus Francorum Rex favebat) prælio vicit apud Centronem: adegítque urbem se ei dedere; solutâ in pœnam ingenti pecuniâ, & mœnibus ac turribus dirutis) & suum Episcopum, cujus causâ bellum cœptum vidimus, jam consecratum suscipere. Quæ diligenter describit

CAROLUS EJUS FILIUS LONGE EI DISSIMILIS.

e Commin. lib. 2.

Comminius e qui aderat cum Burgundo; à quo alij hauserunt. Quomodò verò rebellans denuò civitas, rursùm etiam capta & penitùs excisa sit, dicetur anno sequenti.

III.

Interim in Galliâ contigit, ut cùm Rex omnia moveret contra ipsum Burgundum & Britannum, quos intimo odio prosequebatur; conabatúrque omni nisu alterum ab altero separare, ut faciliùs utrumque opprimeret; paritérque Anglos sollicitaret ad divisiones ibi fovendas, tum ne ipsi hoc rerum Francicarum statu regnum invaderent, tum ut partem Henrici Regis captivi erigeret contra Eduardum invasorem, cujus tunc Burgundus affinitatem in odium quoque Ludovici Regis nundinabatur: (uti hæc ab auctoribus f describuntur:) novus in Galliam advenerit Legatus à Paulo Pontifice Ioannes Cardinalis Atrebatensis, (à nonnullis Albiensis dictus, quòd ab Ecclesiâ Atrebatensi translatus ad Albiensem fuerit) ad procurandum Senatûs Parisiensis consultum de abolitione Pragmaticæ Sanctionis: idem ipse, quem in præmium obtenti à Ludovico Rege initio regni ejus, decreti de illius abrogatione, Cardinalem à Pio Pontifice creatum vidimus g. Verùm quòd non videretur plena abrogatio, nisi etiam Senatûs Parlamenti, cujus est summa in approbandis edictis regiis auctoritas, cujúsque decreto Pragmatica primùm firmata fuerat, accederet consensus: missus ad hoc Ioannes, collegam accepit alterum Ioannē Cardinalem Baluem Regis intimum consiliarium, de quo mox plura. Cujus industriâ, ut putatur, aucupato tempore statarum feriarum Parlamenti mense Octobri, acceptæ à Rege abrogationis literæ primò in Castelleto, ut vocant, hoc est Parisiensis territorij curiâ forensi, quæ Parlamentariæ subest, absque ullius intercessione publicatæ fuère. Vbi verò idipsum in aulâ palatij Parlamenti Balues exequi voluit, Ioannem Romanum, sive à S. Romano, regium in Parlamento procuratorem reperit, qui forti animo intercessit ne literæ publicarētur. Quâ de re irato vehementer Baluē, ac minas ei a Rege atque destitutionem à munere intentante; respondit procurator, in potestate Regis esse privare ipsum officio quod semel contulisset: quamdiù verò illud exerceret, nihil se contra propriam conscientiam facturum, aut quod in damnum regni ac publicæ rei versurum esset; ipsúmque Baluem hujus postulationis pudere debere. Nec mora; Rector Vniversitatis unà cum ceteris ejus præpositis Legatum adiens, ab eo & omni prædictarum literarum effectu provocavit ad sacrum Concilium, & ad alium quemcumque eligendum Iudicem: indéque Castelletum petens, idem præstitit, & suam intercessionem in acta referri curavit. Ita rem gestam narrat auctor Vitæ Ludovici Regis: quam vel ex hoc ipso meritò Scandalosam dici posse, fuerint fortè qui opinari possint. Sed qui res simpliciter ac bonâ fide uti gestæ sunt narrat, nihil judicij sui apponens, prout hic auctor, immunis omninò ab ejusmodi accusatione censendus videtur. Culpæ rei, ubi ea fuit, habendi actores, non narratores. Et vicisse tandem hanc pugnam sæpiùs repetitam Romanos Pontifices, omnes nôrunt. De ipsâ verò Pragmaticâ satis supérque dictum sub h Concilio Basileensi, ex quo illa prodiit; & ad initium regni i Ludovici, quo ipse eam auferre in gratiam Pij Pontificis conatus est. Nunc verò *Helias Burdelius* Archiepiscopus Turonensis, Ordinis Minorum, vir doctus valdéque pius, & auctoritatis Sedis Apostolicæ studiosissimus, (à quâ & posteà factus est Cardinalis per Sixtum IV.) tractatum k edidit contra Pragmaticam, multis rationibus & argumentis demonstrare conatus, quanto ea esset dedecori non solùm Ecclesiæ & Pontifici Romano, verùm etiam Regi ac regno Christianissimo.

f Monstrel. Commin. Vit. Ludov. Bellefor. &c.

LEGATIO SEDIS APOSTOLICÆ IN GALL. PRO ABOLITIONE PRAGM. SANCT.

g Sup. an. 1461. XII. XV.

h Supr. an. 1438. XXI. &c.

i An. 1461. XII. & seqq.

k Ext. ms. in Bibl. Colleg. Navarr. Paris. & impress. Tolos. an. 1518.

IV.

DE CARDINALE ATREB.

l Pap. ep. 48. & 394.

Quod autem prædictos duos Cardinales legatos attinet; nemo eos meliùs novisse videtur Papiensi: qui cum Atrebatensi aliquando rixatus, orationem l adversus illum ad ceteros Cardinales habuit, ubi ejus humilem originē, doctrinæ vanitatem, pravum judicium, indignam obsequiorum regiorum jactantiam, protritam Cardinalatûs dignitatem exprobrat, séque ab ejus accusationibus vendicat; ac præcipuè ab studio venationis, quod quatenùs licitum ipse Ecclesiasticis existimaverit pluribus prosequitur. Fuerat autem hic Cardinalis parùm gratus Pio Pontifici, ob procurata vehementiùs Regis Ludovici postulata, & defensa Andegavensium in regnum Siciliæ jura, quæ Pio minùs sapiebant; ut tam ex Commentariis ejusdem Pij, quàm ex eodem Papiensi intelligitur. Ideóque haud mirum, si non etiam adeò ei convenerit cum Papiensi, acerrimo famæ & affectuum ac rerum Pij defensore. Qui tamen posteà eidem Atrebatensi reconciliatus, amicam ad eum scripsit epistolam.

V.

m Id. Com. lib. 7.

IOANNIS BALUÆ PRIMORDIA, PROGRESSUS, ET ARTES.

Ioannes autem *Balues* (ut idem qui optimè novit Papiensis in suis Commentariis m scribit) obscuris parentibus ortus (filium molitoris Virdunensis nonnulli, sartoris alij faciunt) ingenio clarus, cùm à primâ juventute Ecclesiam auspicatus esset, in contubernium Iuvenalis de Vrsinis Patriarchæ Antiocheni, qui tum Pictaviensi præerat Ecclesiæ, se dedit. Apud quem astu obsequij (nam literis minimùm poterat) tantum gratiæ brevî est consecutus, ut partim pulsis, partim afflictis qui longo servitio primam fidem meruerant, solus jam in familiâ posset: ejus verò mox defuncti ad præstandum testamentum relictus, minùs gratè ac religiosè eam dispensationem administrâsse creditus est. Inde ad novum Episcopi Andegavensis Ioannis de Bellâvalle famulatum translatus, parem tulit accepítque ministerij gratiam. Quo tempore Episcopo illo oratore a Rege Carolo VII. ad Pium misso, Balues cum eo profectus, quotidie negotiorum causâ ad Papiensem mittebatur; cui tum, ut ipse ait, is visus est, quem non ejus actiones modò, sed actionum quoque exitus declarârunt. Ab Andegavensi ad Regem contendens, cooptatus primò in collegium Quæstorum ærarij, inde ad Secretariatum vocatus est. Et occupato facilè Ludovici Regis animo, qui hominum infimæ originis ministerio delectabatur, factus ejus Eleemosynarius, varia sacerdotia obtinuit; ac primus omnium insigne monasterium Beccense in Normanniâ in commendam accepit. Deinde Episcopus Ebroicensis factus, mox summâ Regis instantiâ Cardinalis creatus est tituli S. Susannæ anno 1464. 14. Cal. Oct. ac subinde Episcopatum Andegavensem (pulso per criminationes antiquo suo

domino) administrandum obtinuit: Hâc arte ad conciliandam sibi Pontificis benevolentiam uti solitus, ut cùm gravius aliquid ab eo censeret postulandum, provocaret priùs per calumnias Regem in illum, indéque adjutorem se clàm offerens, in tollendi mali mercedem rem concupitam peteret: tantâ diligentiâ consilium tegens, ut hic solus pro Romanâ Ecclesiâ stare ex Gallis omnibus crederetur. In fastum porrò intolerandum cum dignitate Cardinalatûs evectus, adeò omnia sibi licere putavit, ut jam pro Rege imperare videretur, omniúmque in se odia accenderet. Quem etiam cùm bellica delectarent: eorum nihilominùs planè ignarum, contigit hoc ipso anno ut cùm is regio nomine copias Parisiensium armatas extra urbem veste lineâ ornatus & mulâ vectus recensuisset, eâ re indignatus Comes Danmartini senex & expertus bellator, ad eum sugillandum à Rege petierit, ut sibi concederet Ebroicas ad examen de sacrandis sacerdotibus faciendum proficisci; quandoquidem tam sibi hæc cura, quàm Episcopo militum recognitio conveniret. At de illo modò hactenùs, reliqua posteà suis locis expedituri.

VI. Regnum Boemiæ offertur Casimiro Polono.

Quo tempore cùm in Boëmiâ audita fuisset sententia Romæ contra Georgium Regem lata; proceres ac populorum Catholicorum legati in unum convenientes, decreverunt regnum offerre Cazimiro Poloniæ Regi, qui unum de filiis concederet in Regem, ut potè de stirpe Regum suorum natis. (ex sorore videlicèt ultimi Regis Ladislai, quæ Cazimiro nupserat.) Quos antevertens Georgius, legatos suos in Poloniam misit, qui Cazimirum admonerent fœderis inter ipsos olim icti, quo cautum fuerat ut neuter alterius hostes ullâ ope adjuvaret; (Romano tamen Pontifice à Cazimiro religionis causâ excepto:) ac propterea ne perduellibus suis contra ipsum faveret. Responsum est, à Cazimiro quidem fœdus servatum esse, à Georgio violatum videri; satisfieríque oportere si deinceps fœdus integrum esse vellet. Catholicorum autem legatis postmodùm advenientibus, necnon Pauli Pontificis nunciis missis pariter ad regnum Boëmiæ Cazimiro offerendum, eúmque à fœdere Georgiano avertendum; post multas demùm comperendinationes dictum à Cazimiro, gratias se agere de regni oblatione, quod sibi liberísque suis jure optimo deberetur: sed acceptare id interim non posse, donec maturiori habitâ deliberatione contendisset Georgium in viam reducere, & obedientem Pontifici reddere. Spectabat enim quò fortuna dissidentium inclinatura esset; cùm esset in armis Georgius cum auxiliis nonnullorum Principum Germaniæ, & Catholici pariter hostiliter in eum agerent. Missis verò ad Georgium legatis, (inter quos fuit *Ioannes Dlugossus*, qui & *Longinus* dictus, canonicus Cracoviensis, & liberorum Cazimiri præceptor, posteà etiam designatus Leopoliensis Archiepiscopus; qui scripsit commentarium Rerum Polonicarum, sæpissimè à Baronio in narrationibus ejus regni laudatum, quem manuscriptum habebat in locupletissimâ Bibliothecâ Vallicellanâ:) responsum ab eo est, nihil se adversus Pontificem, & pacta cum antecessore ejus, & Concilio Basileensi admisisse; correcturum autem, siquid fortè ejusmodi esset: componendarum verò rerum arbitrum Cazimirum non recusare. Eum tamen Catholicis negantibus arbitrum accipere posse inconsulto Pontifice, cujus jussu bellum suscepissent; interim factæ sunt quinque mensium induciæ: uti hæc omnia pluribus narrat Cromerus [n]: quem non dubitamus à Dlugosso accepisse, qui commentarium suum ad annum Domini 1480. perduxit, tunc & à scribendo & à vivendo cessans.

[n] Crom. lib. 27.

VII. Matth. Hungar. Regis clades a Moldavis.

Erat porrò in animo Pontifici, nisi demùm Cazimirus, qui morosè cunctari in omnibus consueverat, decerneret Georgium oppugnare, id negotij Matthiæ Hungariæ Regi committere. Qui interim hoc anno expeditione in Transilvanos & Moldavos rebellantes susceptâ, primos quidem levi negotio, postquàm semel ad eos, superatis montium angustiis aditu valdè difficilibus, penetravit, in potestatem redegit. Indéque Moldaviam petens, cui præerat Stephanus Vaivoda; apud Baniam civitatem Episcopatu nobilem noctu invasus, penéque oppressus, post longam pugnam, quâ grave vulnus haud procul à spinâ dorsi sagittâ Geticâ accepit, hostes ingenti cæde fugavit. Ita enim rem gestam non solùm Bonfinius [o], adulari Matthiæ, cujus impulsu scriptionem aggressus est; solentissimus, verùm etiam qui eodem tempore in Hungariâ vixerunt, & Matthiæ pariter familiares fuerunt, Thurosius [p], & Ranzanus [q], testantur; nisi quòd duo isti nihil de vulnere Matthiæ habent. Cùm nihilominùs historici Poloni [r] asserant, Matthiam maximâ clade affectum eâ nocte fuisse; tribúsque acceptis vulneribus, ac decem suorum millibus amissis, cum reliquiis dissipati exercitûs, relictis impedimentis, per ignotos montium tramites, Walacho quodam duce, evasisse. Hæcque est rei veritas, (inquit disertè Michovius) quamvis Hungari, Regi Matthiæ blandientes, aliter factum retulerunt. Pudenda omninò rei gestæ corruptio, quorumcumque tandem Hungarorum, aut Polonorum, ea fuerit. Bonfinij quidem narrationem in multis sibi ipsi adversari non difficile esset demonstrare: adeò se hic auctor in plurimis inaccuratum, & implexum, atque omninò verbositate suâ & manifestis affectibus importunum & molestum exhibet; verborum tamen elegantiâ non malè ejus amatoribus satisfaciens.

[o] Bonfin. 4. dec. 1.
[p] Thuros. cap. 66.
[q] Ranz. Indic. 33.
[r] Michov. lib. 4. cap. 68. Crom. lib. 23.

VIII.

Cùm verò etiam crebris literis inter hæc apud Imperatorem egisset Pontifex de bello Turcico, surdo narrâsse fabulam, Krantzius [s] scribit, quòd nec ille armis delectaretur, nec nervos belli teneret. Indixisse tamen conventum Principum in Nurembergam ad diem S. Iacobi: & quoniam pauci ad eum venerunt, revocatum esse in diem Trium Regum proximè venturum: multáque utrobique de more fuisse instituta, sed sine ullo fructu. Quid verò de rebus Boëmicis de quibus nuper egimus, ex Germaniâ tunc retulisset Ferrariensis Episcopus, qui ad conventum Nurembergensem missus fuerat, narrat Cardinalis Papiensis [t] Episcopo Andriensi: nempe metuendum esse, ne proceres & populi Boëmiæ qui se à Georgio sejunxissent, Germanis non adjuvantibus, insignem aliquam calamitatem ab eo acciperent: Polonorum Regem, quem creditum erat vendicaturum armis id regnum, tradente

[s] Krantz. 12. Vvandal. 37.

Quid de rebus Boemicis censerent Germani.

[t] Pap. ep. 282.

præsertim Pontifice, nec liberè quicquid haberet animi respondere, nec saniorem illo in fide haberi: Imperatorem quoque ad omnia præposterum, innata lentitudine nescire quid potissimùm ageret: Id modò unum flagitare à Pontifice, ne advocaretur Polonus rebus suis in tantâ propinquitate tremendus: Palam etiam ferre, si maximè damnandi Regis Georgij judicium fuit Pontificis, non utique potestatem esse regni tradendi; eam totam Imperatoriam esse: Germanos itidem Principes privatis adductos periculis, de Polono excludendo sentire cum Cæsare: Neminem autem inveniri qui non haberet Georgium odio, & propter ejus iniquitatem regno dejici cuperet: verùm dùm sibi invicem omnes mutuis contentionibus dissiderent, parúmque pacati essent Cæsari, contingere ut metu quisque adversæ factionis, ne illi se Boemus adjungeret, non modò temperaret à bello, sed necessariò quoque blandiretur fortunæ.

IX. Papiensis ex præteritis bene sperat de futuris.

Quibus narratis, animum altiùs attollens Papiensis, & ex actionibus ac formulis in hâc Dei & fidei causâ ritè observatis ostendens nihil in eâ gestum esse, quod iniquitatis, præcipitationis, vel immisericordiæ accusari posset; sperandum in Domino in tam justâ fidei causâ, metúmque omnem sinistri eventûs abjiciendum, Andriensi insinuat, tam auctoritatibus Scripturæ, quàm diversis exemplis rerum à Pio Papâ contra plerorumque dissuasiones susceptarum, de quibus dictum suis locis: videlicet contra Sigismundum Malatestam, & Diotherum Moguntinum, quas gloriosè perfecit: necnon contra Sigismundum ex Principibus Austriæ; qui cùm propter Cardinalem Cusanum in vinculis habitum, pari damnatus judicio, Principatúque omni exutus, propter amplissimam cognationem, Germanorúmque fœdera, ultorem facinoris habiturus non pateretur: vexatus tamen pœnis continuis, atque odio suis habitus, longâ etiam contumaciâ fatigatus, à nullísque interim in sua consortia receptus; divino tandem est humiliatus miraculo; adeò ut Fridericus Imp. consanguinitate illum attingens, cùm summâ Sedis Apostolicæ gloriâ, ante genua Legati Apostolici procidens, non ante surgendum putaverit, vel finem obsecrationibus imponendum, quàm pœnitenti, & satis pro injuriis facienti, pœnarum abolitionem, restitutionémque est consecutus. Eumdem nunc exitum rerum Boëmicarum divinâ gratiâ sperandum, nec omnia humanis ponderibus trutinanda esse. Ita Papiensis, & alia ad hæc plura; exemplo Portuensis, de quo anno [u] superiori.

[u] An. 1466. III.

X. Bellum Italicū occasione Flor.

Inter hæc Italia armis dissentientium invicem Principum commota est, occasione factionum Florentinarum; cùm mortuo Cosmo Medicæo, de cujus in eâ Republicâ auctoritate dictum est aliàs, contentio de eâdem obtinendâ auctoritate orta est inter filium ejus Petrum, virum quidem acris ingenii, sed in colligendâ popularitate patri non similem, & Lucam Pittum hominem facultatis non multæ, sed qui in obsequio Cosmi diutiùs versatus, quotidianis in cives officiis magnoperè in Republicâ gratiosus erat. Concertationibus igitur inter eos suscitari cœptis, eò sensim ventum est, ut quæsita sint utrimque externa subsidia; à Petro quidem Galeatij novi Ducis Mediolanensis, à Lucâ Borsij Mutinæ Ducis. Pactis nihilominùs posteà quibusdam conventionibus, earum metu nonnulli è primoribus civibus Petri inimicis solum vertentes, Bartholomæum Colioneum Bergomensem celebrem rei militaris ducem, copiarúmque Venetorum Imperatorem, impulerunt causam restitutionis suæ ac Petri eversionis suscipere; consentientibus Venetis, expectatum diu tempus res suas in Etruriâ agendi advenisse putantibus. In quos, ne fortè pulso Petro Florentini ad amicitiam eorum adjungerentur, societatem ineuntes Ferdinandus Rex Neapolitanus & Galeatius Dux Mediolanensis, ipsíque Florentini, Fridericum Feretranum summæ providentiæ ducem communibus stipendiis summæ rerum præfecerunt. Ducto totâ æstate levibus quibusdam certaminibus, & aliquot oppidorum occupationibus, gravique prælio in agro Bononiensi ad Ricardinam fluvium, bello; post prælium, quo neutri vicisse dici potuêre, exercitus utrimque in hiberna concesserunt. Quæ quomodò gesta sint, cùm multi [x] narrent, nemo tamen est qui Papiensi [y] sinceriùs, elegantiúsque, vel etiam copiosiùs describat.

[x] Platin. in Paul. II. Sabell. 10. Ennead. 6. & alij.
[y] Pap. Comment. lib. 3. & 4.

XI. Henrici Regis Castel. desolatio.

Hispania quoque motus sensit hoc anno, & quidem gravissimos; cùm in continuatione bellorum civilium Aragoniæ, Navarræ, & Castellæ, præ ceteris variis locis factis certaminibus, inter Henricum Castellæ Regem & rebelles proceres, ad oppidum Olmedeum duodecimo Calendas Septembris acri pugna, sed ancipiti victoriâ concursum est. Quibus motibus frequenti famâ Romam perlatis, & ex Henrici literis ad Paulum Pontificem seditiosos Episcopos loco moveri, proceres anathemate feriri postulantis; Antonius Venerius Legionensis Episcopus cum potestate legati in Castellam, Henricum priorem adiit: à factiosis vix impetratâ colloquij facultate semel & iterùm cum verborum contumelia repulsus est: ac diras denuncianti, Pontificis partes negârunt esse de Republicâ statuere, & ad Concilium proximum ab eâ denuntiatione provocârunt: eò arrogantiores & protervioresfacti; quò magis Rex ex insita ignaviâ ad vilia consilia concordiæ, quibus turpiter illudebatur, delaberetur; & ex aliâ parte Regina impudicissima sese aliis obscenissimè prostitueret. Itaut Rex in tantis malis penè ab omnibus destitutus, mente etiam pererraret, vagaretúrque privati propemodùm habitu decem tantummodò equitibus stipatus. Quo statu Comitis Placentiæ potestati sese permittens, in ejus urbis arce splendidè acceptus, quatuor mensibus hæsit. Vt hæc omnia narrat pluribus Mariana [z].

[z] Mar. lib. 23.

XII. Hæretici Opinionistæ.

Hoc eodem tempore cùm Paulo Pontifici nunciatum esset (inquit Platina in ejus Vitâ) in Poli oppido in Æquicolis posito multos hæreticos inesse; dominum loci cum viris octo & feminis sex comprehensos, & ad se perductos, cognito hominum errore, ignominia notavit, & quidem gravissimâ; eos potissimùm qui pertinaciores fuêre. Nam mitiùs cum his est actum, qui errorem confessi veniam petiere. Erant enim ejus sectæ, qui à perversa mentis *Opinione* dicebatur; quòd dicerent nullum verū Christi Vicarium esse eorum qui post Petrum

fuêre, nisi qui paupertatem Christi imitati essent. Ita ille. Sed de ejusmodi sectâ dictum est pluribus aliàs.

XIII. LAUR. VALLÆ OBITUS.

Obiit item hoc anno Calendis Augusti (ut Iovius in Elogiis scribit) *Laurentius Valla* sacerdos Romanus, & canonicus Ecclesiæ Lateranensis, in quâ & sepultus est: tam Latinæ Elegantiæ præceptis, aliisque opusculis, & quorumdam Græcorum versione nobilis, quàm acerrimâ mordacitate suâ, & aliorum doctorum virorum veterum recentiorúmque satyricâ perstrictione infamis. Vt non illepidè quidam in illum mortuum, apud Trithemium[a] sic luserit.

Nunc postquàm manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Iupiter hunc cæli dignatus parte fuisset,
Censorem linguæ sed timet esse suæ.

Tractatus quem scripsit *de falsa Donatione Constantini*, quamquam processit ex animo & calamo malevolo & criminoso, (ut erat à pietate & religione alienior[b]) nihil tamen ejus rationes & argumenta nocere auctoritati & possessioni Ecclesiæ Romanæ, etiamsi Donatio conficta fuerit: abūdè & luculentissimè docuit Eminentissimus Cardinalis Baronius in suis Annalibus[c] Ecclesiasticis, & nos in ejus Epitome[d].

[a] Trith de Script. Eccl.
[b] Vid. supr. an. 1447. in fi.
[c] Bar. an. to. 12. an. 1191.
[d] Epit. to. 1. an. 324. XXIII. & seqq.

IESU CHRISTI Annus 1468.
PAULI II. An. 5.
FRIDERICI III. An. 29.

I. PAULUS PONTIF. PACEM INTER ITALOS COMPONIT.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo sexagesimooctavo, indictione primâ Pauli Pontif. diligentiâ & operâ, in quærendâ pace Italiæ impensâ, cùm primùm illam auctoritate Apostolicâ Principibus injungere certis conditionibus tentâsset, nec auditus fuisset; propositis aliis, demùm post multas difficultates eam composuit: ut Papiensis[a] & Platina[b] narrant. Et ut ex priori[c] habemus, Paulus post rem perfectam, die Ascensionis Dominicæ, in solemniis Missæ & decantatione versiculi Agnus Dei, ad osculum pacis non proximos tantùm, sed novo more Cardinales omnes, omnésque oratores Principum ac potentatuum qui aderant admisit: & Dominicus Episcopus Brixiensis egregium sermonem de pace habuit. Quorum utrique iis de rebus gratulatus est literis ex solito secessu suo Pientino idem Papiensis. Extátque insuper alia de hâc Pace oratio Platinæ in ejus opusculis, ad Paulum habita: quâ etiam ad bellum Turcicum maximè hortatus est, cujus promovendi causâ hæc præcipuè pax quæsita ab eo fuerat.

[a] Pap. Comment. lib. 4.
[b] Platin. in Paul. II.
[c] Pap. ep. 295. 299. 300.

II. LUDI PUBLICI AB EODEM CELEBRATI.

Post quæ Pontifex ad imitationem veterum, ludos magnificentissimos, & epulum lautissimum instituit; ut idem Platina narrat: Ludósque fuisse ait pallia octo, cursum senum, adolescentum, juvenum Iudæorum, equorum, equarum, asinorum, bubalorum, seorsùm, ab arcu Domitiani viâ publicâ usque ad ædes S. Marci, quas Pontifex à se splendidè, ædificatas habitabat. Qui iidem hactenùs retenti sunt ad oblectationem populi in carnisprivio. Illi tamen minùs accepti fuêre Cardinali Papiensi: qui tum de illis, tum de numismatibus imaginis suæ cusis, & in fundamentis ædificiorum parietibúsque admixtis ut illis vetustate ruentibus exilirent nominis Pauli monimenta, ad ejus prædicationem in sequentia sæcula; necnon de titulis jussis incidi operibus tam publicis quàm domesticis; epistolam[d] ad eum scripsit; quâ liberè harum omnium rerum vanitatem arguit, & quæ vera sint opera æternitatis in Pontifice insinuat: illa, ut putamus: præcipuè ingerens, in quibus Paulus plus peccaret, aut quæ minùs exequeretur. Nec inter alia omittens, partiri noctem & diem ad opus vicissim & quietem; naturam non invertere; velle ut suo potiùs incommodo omnium consulatur commodis, quàm ut unius quies aliorum paretur inquietudine. Idque ideò, quòd (ut idem Papiensis in suis commentariis[e] tradit) Paulus, quod in Cardinalatu familiare habuerat, etiam Pontifex retinuerit, vigilare noctes totas usque in primam lucem; itaut diebus dumtaxat Senatûs exceptis, in quibus tanti officii causâ remittebat somnum, pranderet ad vesperum, paulóque ante albescentem diem cœnaret: audiri nemo ante noctem facilè posset, & perpetim vigilare quibus negotium esset necessariò cogerentur.

[d] Pap. ep. 281.

PAULUS DIEM NOCTEMQUE INVERTEBAT.

[e] Id. Com. lib. 2.

III. EGREGIA PAPIENSIS MONITA DE OFFICIO PONTIF. ET CARDIN.

Quo eodem tempore idem Papiensis, ut erat sanè vir sapiens, & adeò eminenti dignitate planè dignus, è suo Pientino secessu aliam egregiam valdè epistolam[f] ad Cardinalem Mantuanum scripsit, de officio Pontificum & Cardinalium in Republicâ Christianâ administrandâ, & in consilij de ejus necessitatibus à Pontificibus exquirendis, & à Cardinalibus impendendis: dignam omninò, quæ ab iis & legatur & observetur. Illud etiam in fine monens, Cardinales Pontificis consultores esse, non magistros; dicíque ab eis vota, non voluntates: ideóque nec agendum vehementer, nec indignè habendum si non accipiantur ipsorum consilia: *Votorum* nomen inditum esse eorum sententiis ut videlicèt optare videantur, non velle; & servire, non imperare: itaque cùm placidè quod est sui iudicij semel dixerim, eo contentos ferre debere modicè quod decernetur, laudandúmque & adjuvandum putare. Cùm verò de constantiâ agit, quâ Pontifices utuntur erga Principes qui nonnūquam indigna exigunt; minantur cùm postulant & cùm non impetrant irascuntur; monet his honorem ut magnis habendum esse, non ut justis præstandum assensum: Accidere enim sæpè, ut illa maximè rogent, quæ minimum cupiant: Sic enim Francorum Regem Carolum VII. cùm contenderet ab Eugenio IV. juvenem ante annos legitimos metropoli Ecclesiæ præfici, id assecutum, factum damnâsse: cúmque diceret ei quidam, ipsum intercessisse, Regem respondisse, intercessisse se quidem rogatum, sed non credidisse concessum hoc iri: se videlicèt Postulationis extortæ, Eugenium nimiæ facilitatis damnando. Quærendum ergo semper quod rectum, & conscientiam gratiæ præferendam.

[f] Id. ep. 280.

IV.

Cunctante inter hæc Rege Poloniæ in bello Boemico adversùs Georgium prædamnatum suscipiendo; (ut anno superiori vidimus, & rursùm præsenti Cromerus[g] prosequitur:) Matthias Rex Hungariæ, ex conventu, ut putamus, Germanico, de quo anno præcedenti, à Paulo Pontifice & Friderico Im-

[g] Crom. lib. 27.

MATTHIAS REX HUNGARIÆ SUSCIPIT BELLUM CONTRA GEORGIŪ BOEMUM.

peratore literis & legationibus, atque auxiliorum promissionibus, ad illud excitatus; difficilem sibi valdè provinciam, cùm ob egregiam Georgij rei militaris peritiam & validas vires, tum ob affinitatem quæ olim inter eos intercesserat, pro fidei tamen Catholicæ defensione, tantorum promotorum auctoritate persuasus, viriliter magnóque animo suscepit: eò maximè quòd qui velut murus oppositus esset Turcorum impressionibus, liber ab eâ curâ hoc tempore videretur, quo Mahometes arma in Asiam vertisse sciebatur; & qui inferioris Pannoniæ pro ipso præfecturam gerebat, ejus nomine inducias postulabat. Quapropter auctoritate Legati Pontificij, videlicet Laurentij Rovarellæ Episcopi Ferrariensis, edicto Pontificio in Moravos regni Boëmiæ populos, quo illos unà cum Boëmis & Silesitis qui se hæreticorum partibus acclinarent, anathemate mulctabat, promulgato; in Moraviam ducens, obvium habuit Georgium cum forti exercitu; paribus, ut apparebat, utrimque viribus, ducibus pari virtute & prudentiâ, sed longè impari ætate, cùm septimum vix Matthias & vigesimum clauderet annum, Georgius sexagenarius jam fortassis esset. Sejunctis post quasdam velitationes exercitibus, Matthias nonnulla oppida quà obsidione, quà spontaneâ deditione recepit. Rursúmque ad Brunam, quæ Moraviæ caput est, exercitibus rursùm propè admotis, cùm Georgius objectâ Matthiæ affinitate filiali, obtulisset etiam singulare certamen in angusto loco; respondit Matthias potiorem sibi esse causam fidei: resipisceret pater, & de fide sacrosancta rectè sentire studeret: quoad verò certamen, non se rusticum esse, qui in angustâ fornace tribulis frumentum tereret, sed Principem, cujus sit armatum in campo decertare: proinde si princeps Georgius esset, equestri certamine depugnarent. Non accipiente illo conditionem, cùm ad mutuum colloquium de pace, quinimmò & post nonnullas contentiones ad convivium inter media castra descendissent, intérque prandendum duo histriones regij jocis suis seria solverent; proponente quodam ex proceribus Boëmis Catholicis, ut in histrionibus fidei periculum fieret, & qui in palæstræ certamine victor esset, ejus fides præstantior haberetur: approbantibus sententiam Regibus, nequicquàm reluctante Legato qui aderat, (numquam à latere Matthiæ discedens, ne in suscepto titubaret) commissi inter se histriones, quorum Catholicus Hungarus staturâ longè minor erat, post longam colluctationem, Hungarus tandem insanam Boëmi molem in aëra sustulit, humum continuò inversurum, nî Boëmus quidam dextram objecisset. Exacto convivio, rebus infectis, singuli in castra redière: & Matthias post quædam capta oppida, appropinquante hieme, relicto exercitu in Moraviâ, in Hungariam rediit, ut hæc prolixè Bonfinius [h] refert. De quibus est etiam Cardinalis Papiensis [i] epistola ad Paulum Pontificem ex secessu Pientino scriptâ, quâ ei congratulatur de indicto à Matthiâ bello Georgio: hortatúrque ad indicendas preces pro felici susceptæ rei successu. Aliáque [k] ad Rovarellam legatum, de præclarâ navatâ ab eo in his operâ.

[h] Bonf. 4. dec. 1. ad fi. & 2.
[i] Pap. ep. 265.
[k] Id. ep. 313.

V. INDUCIÆ INTER EOS FACTÆ.

Verùm quod Bonfinius omisit, habent alij Matthiam cum Georgio inducias pepigisse in prædicto ipsorum congressu usque ad finem anni. Sed Bonfinius, qui non nisi laudes Matthiæ quæsivit, nihil ferè umquam quod vitio aut dedecori verti ei possit, historiæ suæ inseri passus est. Id verò de induciis habent disertè auctores Poloni [l]: ac distinctiùs Cromerus, postulante Georgio de pace inter eos agi cœptum esse; & fortassè conventuram fuisse sine arbitris, nisi legati Pontificij & Proceres Hungari & Boëmi pio zelo incitati Matthiam avertissent: Inducias igitur dumtaxat inter Reges factas esse ad finem usque anni. Quas tamen Nauclerus [m] pacem vocavit, cùm scripsit, abeunte Imperatore ex Germaniâ (quem paulò pòst videbimus Romam accessisse ad finem anni) statim Matthiam pacem cum Boemo percussisse, contra pacta cum Imperatore inita: quæ fecit irrita, inquit, quòd hâc ratione confirmari vires & adversùs Turcum & contra ipsum Imperatorem putaret. At verò restauratum esse bellum anno proximo, dicetur ibi.

[l] Michov. lib. 4. cap. 68. Crom. lib. 27.
[m] Naucler. gen. 49.

VI. LEODIENSIS URBIS DESTRUCTIO.

Intereà lacrymabile nuncium Romam præsenti anno allatum est, quo, ut Papiensis [n] inquit, animi omnium non mediocriter sunt contristati. Significatum est enim civitatem Leodiensem magnitudine atque opibus claram, quæ in omni casu Ecclesiæ fidem Romanæ Sedis erat secuta, ferro atque igni ad internecionem deletam; nullâ ætatis, sexûs, vel sacrorum habitâ ratione: eam verò cladem unico Caroli Burgundorum Ducis, & Ludovici Gallorum Regis impetu irrogatam, qui ad tantum facinus animos & armâ junxissent. Hæc ille: quæ quod Regem spectat, distinctionem requirunt, quam ille non satis explicat. A nemine verò fideliùs, quàm à Comminio [o] qui interfuit, & consiliorum particeps fuit, scire possumus: à quo & multi exceperunt. Nisi quod Meyerus solemni suo more, animo & stylo perversissimo omnia corrumpit; cùm totus Megæris agitatus, vix verbum umquam modestum de Francis, etiam ubi à cæteris auctoribus vel laudantur vel excusantur, loqui potuerit: hîc verò singulare nobis imposturarum suarum fulcimentum obtrudit Lexoviensem Episcopum, meritò unà cum ipso ejurandum: Thomam nempè Basinum, quem alibi [p] reperimus à Rege Ludovico proscriptum exulem tunc egisse Lovanij, quòd hostibus Regis favorem contra ipsum præstitisset: ortum ex oppido Caletiseco, vulgò Caudebec, (non Caleto, ut quidam ponunt) totúmque Burgundi existentem, & Caroli Ducis Normanniæ fratris Ludovici Regis: virum cætera doctum, qui Lovanij Iuris interpretationem post hæc professus esse dicitur, & titulum accepisse Archiepiscopi Cæsariensis in Palæstinâ, quòd numquam ampliùs permissus fuerit ad Ecclesiam Lexoviensem redire. Cæterùm de rebus Leodiensium quæ præcesserunt, satis pro instituto dictum superiùs suis diversis locis. Quæ verò ultimum excidium attulêre, hæc fuerunt.

[n] Pap. Comment. lib. 4.
[o] Commin. lib. 2.

DE THOMA BASINO EPISC. LEXOV.

[p] Ap. Magn. Chron Belg. in consecrat. Ludov. Episc. Leodien.

VII. LUDOVICI REGIS CÓSILIA CONTRA

Conabatur totis nisibus Rex Ducem Burgundiæ à fratris sui & Ducis Britanniæ societate divellere: ídque sedulò ipsi vitabant; ne si ab invicem sejungerentur, facile Regi esset divisos opprimere, unde Rex graves, sed clan-

PRINCIPES FOEDERATOS.

destinas adversùs Burgundum fœderis atque societatis coryphæum, inimicitias concoquebat, tum quòd hostem Britannum, tum quòd Leodiensium amicorum suorum injurias ulcisci nequiret. Nec se continere potuit, quin copias in Britannum mitteret; quæ nonnullas firmas arces vi ceperunt. Certior horum factus Burgundus, Regem per legatos rogavit, copias revocare; ipséque interim suas magnâ diligentiâ ad Peronam Picardiæ oppidum à se tunc possessum convocavit, non, sicut excusabat, ut Regi bellum inferret, sed ut fœderatis opitularetur. Inter quæ cùm Rex comitiis regni, fratris instantiâ, se eorum judicio staturum pollicentis, apud Turones ineunte Aprili celebratis; ex eorum deliberatione pactus cum fratre fuisset, ut dimissâ Normanniâ, quæ eâ lege ad regnum pertinebat, ut in alterum transferri non posset, aliam ditionem acciperet, cum annuâ pensione sexaginta millium librarum: de his commonitus Burgundus, &. vehementer perturbatus, ac præterea clàm solicitatus à Rege ut vicissim ipse fratris ac Britanni societati renunciaret, qui eo inscio cum Rege concordaverant; assensit exercitum dimittere, quem eorum causâ collegerat, acceptis à Rege centum viginti millibus aureorum pro expensis ei colligendo factis. Et ut pax firmior inter ipsos esset, petiit etiam Rex magnâ instantiâ ut inter se colloquerentur. Quod quamvis parùm Duci gratum esset, eò quòd Leodienses iterùm rebellionem meditari videbantur, instigantibus duobus legatis, quos ad illos ad hoc ante inducias cum Duce factas Rex miserat: consensit nihilominùs ut Peronæ, sicuti Rex postulabat, congressus fieret, datis amplissimis securitatis & commeatûs literis. Idque tantâ festinatione factum, ut Rex omiserit prædictos illos legatos monere nequid interim novi à Leodiensibus tentaretur; qui & alioqui tot præliis fracti, monitíque insuper de conventione inter Regem Ducémque factâ, haud quicquam ausuri existimabantur.

CŌGRESSUS CUM BURGUNDO.

VIII.

Secùs tamen accidit. Cùm enim legati illi diligenter mandata executi, Leodienses impulissent urbem Tungronsem, ubi tunc ipsorum Episcopus erat cum valido præsidio, intercipere; iidémque captum in eâ Episcopum, occisis nonnullis ejus canonicis aliísque domesticis, Leodium duxissent: re ad Ducem delatâ, cùm longè major vero clades renunciaretur, vehementissimè Dux iratus, Regem proditionis insimulare cœpit, qui pacem palàm ostentans, clàm bellum moliretur: & ut erat Rex in arce Peronæ cum paucis suorum; (accesserat enim penè incomitatus, nequid suspicionis Burgundo ingereret) eum ibi conclusum tenuit, appositis & in urbe & in arce præsidiis ac custodiis; ingenti Regis timore: qui & inde augebatur, quòd propè esset turris, in quam Carolum Regem cognomento Simplicem Heribertus Comes Veromanduus olim concluserat, & usque ad obitum captivum asservaverat; quasi hæc Regem similis casûs admoneret. Consultatione a Duce cum suis factâ quid de Rege fieret, cùm quidam in custodiâ omninò detinendum, alij Carolum Regis fratrem accersendum, pacémque firmam coram eo pro cunctis regni principibus ac proceribus sanciendam, opinarentur; abiit nihilominùs Dux tandem in mitiorem sententiam, (cujus auctorem fuisse Antonium fratrem nothum Ducis, Gaguinus [q] tradit) ut fides Regi data, præsertim à pace non alieno, & capita libello scripta rata habenti, servaretur: his tamen conditionibus, ut pacem jurejurando confirmaret & in Leodienses secum arma ferret; alioquin duriori illi sententiæ, aut etiam severiori subjiceretur. Cui utrique conditioni Rex, ut vitam servaret, ac libertatem consequeretur, annuit. Hæcque omninò causa fuit, ut Comminius disertè explicat, cur Rex Leodienses, quos in Burgundum inconsultè concitaverat, non spontè sed coactè deseruerit. Valdè nihilominùs in utroque damnandus; eóque maximè quòd hunc cum Burgundo congressum, non pro benevolentiâ erga illum, cui semper infestus fuit, sed pertinaci adversùs Britannum, vel etiam in proprium fratrem odio quæsierit: quo justo Dei judicio factum est, ut non solùm penè ipsemet perierit, verùm etiam dignitatem regiam insigni nominis sui infamiâ subdito suo abjectissimè subjecerit, militem ferè gregarium sub illo agens: Delatus nihilominùs ad hæc, ut plerique constanter asserunt, pravis consiliis Cardinalis Baluæ; qui & ipse non ita pòst dignas iis pœnas luit, ut videbitur: ipséque etiam tandem Dux Carolus de audacissimâ (ut fuit etiam cognomine Audax) majestatis supremi domini sui violatione.

DETINETUR AB EO IN ARCE PERONÆ.

[q] Gaguin. lib. 10.

LIBERATUR IGNOMINIOSIS CONDITIONIBUS.

IX.

Cùm Leodium itum est, quamquam erat urbs mœnibus nudata, obsistere tamen cives decreverunt: & nonnullis factis eruptionibus, earum ultimâ penè tam Regem quam Ducem noctu incautos oppresserunt; adeò ut si rectâ ad eorum diversoria accessissent, nec semel atque iterùm inter eundum inutiliter substitissent, utroque vel capto vel cæso absque difficultate potiti fuissent. Ait Comminius [r], Ludovicum urbis Episcopum jam antehàc sese surripuisse: (quem tamen Historia Ludovici Regis, & ex illâ alij tradunt, placandi Burgundi causâ urbe exisse, fide civibus datâ de reditu si nihil impetraret; sed à Burgundo, cui omninò deliberatum erat urbem destruere, retentum esse:) Legatum Romanum, qui uti Leodienses suo Episcopo conciliaret missus fuerat, quíque tunc in urbe unà cum illo erat, spe hujus opulenti Episcopatûs obtinendi, ut verum Episcopum extruderet, seditiones in urbe auxisse, & stolidum populum ut armis decertaret induxisse: Perspecto autem periculo urbis, exisse cum suis: sed comprehensum à Burgundis, & ad Ducem perductum, ob Sedis Apostolicæ reverentiam honorificè habitum ab eo esse, & dimissum cum rebus suis omnibus. Fuit hic Onuphrius Tricaricensis Episcopus, homo Romanus, in familiâ locupleti, quæ S. Crucis dicitur, natus: ut illum describit Papiensis, pleraque de illo laudabilia narrans, nec quicquam de illius sordidâ Episcopatûs concupiscentiâ habens; sed illum pro illo populo in rectum tramitem reducendo, & postquàm pœnitentem à diuturnis censuris absolvisset, sacráque urbi reddidisset, pro eodem Duci reconciliando, toto animo totísque ingenij viribus laborantem; ultimò unà cum Episcopo, & præcipuis urbis magistratibus, ad Ducem supplicem recurrentem, ab ipso fuisse missum Trajectum; Episcopum apud se retentum ut armatus

LEODIUM OBSIDETUR A REGE ET DUCE.

[r] Commin. lib. 2. c. 10.

urbem impeteret; magistratus catenis vinctos fuisse posteà strangulatos. Quæ ille sive ex vero aliunde rescito, sive etiam ex solâ Tricaricensis, rebus suis minimè iniqui, relatione, memoriæ mandavit, maluítque ei fidem adhibere Æmilius ita rem narranti, quàm Comminio qui secùs.

X. VRBS CAPITUR.

Mane sequenti noctem quâ ex eruptione Leodiensium Principes periclitati sunt, irruptione in urbem diversis partibus à Burgundis factâ, ea nullo negotio capta est; quoniam dies Dominica erat, & existimabant Leodienses, Burgundis pariter sibíque sacrosanctam fore, nec mutuis cædibus pollutum iri. Quapropter paucissimi in ingressu occisi sunt, quòd ad prandium quisque secessisset; & cùm irruptio animadversa est, omnes vel in sacras ædes sese receperint, vel in Arduennam silvam fugerint, aut denique sese domi occultârint: qui tamen posteà penè omnes sive in domibus, sive in Ecclesiis, sive in silvis ad internecionem deleti sunt; aut qui aciem gladij fugerunt, fame, frigore, aliisque calamitatibus perierunt. Erat illa Dominica dies, trigesima Octobris, ut disertè Comminius [s] tradit, necnon Historia Ludovici Regis, & plerique alij auctores. Quam Dominicam cùm dicat Meyerus fuisse illam, quâ Ecclesia canit, *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi, &c.* error est in supputatione Dominicarum secundùm Ordinem Romanum. Cùm enim eo anno, ut ipsemet posuit, & verum est, Pascha fuerit 17. Aprilis, ac proinde Pentecostes quinto Iunij; dies trigesima Octobris, non in Dominicam vigesimam post Pentecostem, quâ illum Introitum Ecclesia ad Missam canit, incidit; sed in vigesimam primam, quâ ex capite tertio libri Estheris introïtus ponitur haud adeò à præcedenti abludens, *In voluntate tuâ Domine, universa sunt posita; & non est qui possit resistere voluntati tuæ: &c.*

[s] Commin. cap. 11.

XI. MISERANDA EJUS CLADES.

Cladem autem Leodiensem, quâ omnes cives quocumque loco haberi potuerunt, variis mortium generibus extincti sunt; domus omnes & ædificia quælibet post direptionem exusta ac diruta; solùm penitùs complanatum, plerique omnes prosequuntur, quà lugubriùs, quà cum aliquâ excusatione immanissimæ sævitiæ Caroli Ducis ob gentis obstinatissimum in eum odium. Rem describens eleganter qui tum vivebat Iovianus Pontanus in libello de Immanitate, omnium quæ umquam fuerunt Immanitatis exemplorum instar istud Caroli esse voluit; quo (ut ait) qualis sit Immanitas docuit in urbe opulétissimâ exscindendâ, omni sævitiæ genere & calamitatis adhibito: nullo pietati, nullo misericordiæ, nullo denique religioni, divorúmque aris ac precibus hominum relicto loco. Cùm Princeps ipse ad omnem Immanitatis exuperantiam fureret; rapetúrque in scelus quodcumque, volens, libens, plenus cruoris, inter cadavera versatus concisorum hominum, inter raptus ac deflorationes virginum, incendiáque tum domorum, tum sacrarum ædium; ac nunc funiculationes trecentorum ac quingentorum hominum ejici in flumen jubens, vicinias ipsas ferro meti ad unum imperitans; ut nescires omninò, furórne is major esset, an voluptas; rabiésve, an ingluvies: Illud tamen affirmare posses, in cædem illum ac sanguinem tantùm incumbere; nulliusque rei curam inesse, præterquam excarnificationis ac gemitus jugulum præbentium executoribus, aut in flumen fossasque religatis post terga manibus projectorum. Ita ille. Deflétque eadem, ac præcipue quæ in personas sacras utriusque sexus, infantes, & Ecclesias sceleratissimè patrata sunt, Papiensis, quæ & Trithemius aliique adeò crudelia fui.. e tradunt, ut nullis verbis nullis scriptis explicari possint. Prosequitur autem illa expressiùs per singula auctor Magni Chronici Belgici: Asserens tamen (quod & Comminius refert) Ecclesias plures & monasteria solicitudine Ducis servata fuisse; non quidem à direptione, præter paucissimas, sed à dirutione, ac plerosque sacerdotes à nece, quamvis non omnes, nec ullos à spoliatione præservatos: Indéque factum esse, ut brevì civitas reædificari cœperit. Fuisse autem dicuntur in eâ triginta duæ Ecclesiæ parochiales, collegia canonicorum octo, præter monasteria virorum feminarúmque, plures alias minores Ecclesias, ac domos hospitales, animas intra muros urbis centum & viginti mille. Haud porrò tacendum quod auctores [t] tradunt, dum sic in Leodienses sæviretur, in Holandiâ, Zelandiâ, & Flandriâ, quæ Burgundi ditionis erant, aggeres continendo mari extructos ruptos aut laxatos esse, effusúmque mare multa oppida, vicósque cum infinitis mortalibus absorbuisse, ut longè major visa sit ea clades, quàm quæ illata est Leodiensi civitati ac populo. Capto autem Leodio, Rex Ludovicus ad sua se recepit, & pacis articulos promulgari per regnum; atque in Parlamento Parisiensi recipi curavit. De quo, nequis decipiatur imposturis Meyeri, videndus, cui hæc cordi fuerint, Belleforestius [u], qui eas detegit & refellit.

[t] Hist. Scandal. Meyer. & alij.

[u] Bellefor. lib. 5. c. 130.

XII.

In Hispaniâ [x] inter hæc novâ à Romano Pontifice legatione rebelles proceres ad sanitatem invitati, quoniam non paruerunt, gravi decreto piorum numero sunt exempti. Nec tamen his territi, legatos Romam amandàrunt. Quibus non priùs facta est ad urbem accedendi potestas, quam jurâssent haud se Alfonso Henrici Regis fratri regium titulum adscripturos. Admissis tandem in præsentiam Pontificis, gravissiméque increpitis, mandatum est à Pontifice, ut ipsius nomine diras omnes conjuratis denunciarent, nisi propositum mutarent; Vindicatura numina impios illorum ausus, si homines cessarent: Iuvenémque Principem alienæ culpæ reum immatura morte daturum pœnas. Quod oraculum inane non fuit. Siquidem cùm receptâ à Rege urbe Toleto deditione præfecti, conjurati ad eam obsidendam festinarent; idem Alfonsus in ipso itinere repentinâ vi morbi oppressus, atque extinctus est ad tertium Nonas Iulij, seu peste, seu veneno, (ut varia fuit opinio) annos vix sedecim natus. Ejus obitus multorum animos ad Henricum convertit. Reliqui, ut esset cujus nomine ipsi regnarent, Isabellæ Henrici sorori, quam in potestate habebant, regni nomen & insignia deferenda censuerunt. Verùm illâ recipere recusante, ventum est ad aliquam cum Rege concordiam; quâ inter alia cautum, ut Isabella regni hæres renunciaretur; jurata tamen ne cuiquam nubendi fas esset, nisi Regis consensu: Regina verò, filiáque ejus

[x] Marian. lib. 23. c. 11. & 13.

DE REB. HISPAN. APUD PÓTIFICEM.

ALFONSI REGIS INTRUSI MORS.

y Marian. lib. 25. c. 4.

Ioanna y furto genita, in cujus ab ipsâ ejus nativitate verba a cunctis regni ordinibus juratum fuerat, in Lusitaniam amandarentur, permissu Romani Pontificis repudij libello dato: Conjuratis venia esset, bonis omnibus restitutis & honoribus quæ dissidij tempore fuerant ablata. Quæ tamen leges cùm adhuc nonnullis proceribus minimè placerent, ij Ioannam quam in potestate habebant, præferendam statuerunt: confirmatúmque id studium est Reginæ fugâ è custodiâ quâ detinebatur. Ita ludebatur à turbatoribus illis, Dei & Ecclesiæ Regísque sui perduellibus. Qui verò tandem horum finis, videbitur posteà.

XIII.
z Id. cap. 12.

IOANNIS LOTHARINGII RES GESTÆ IN CATALONIA.
a Supr. an. 1465. XI.

Nec quietior Catalonia z eâdem propemodùm vertigine laborans; aut fortunatior Ioannes Lotharingius, dux Calabriæ dictus, filiúsque Renati quem vidimus a à Catalanis Regem electum adversùs Ioannem Aragonium: qui exercitu eò ducto, cùm post læta principia, quibus & aliquot oppida cepit, & nonnullis certaminibus Aragonios fugavit, Gerundam urbem munitam & opulentam, quâ captâ cætera prona fore existimabat, frustrà bis obsedisset, totiens obsidionem solvere coactus est. Ferdinandus Aragonij filius, quòd pater ejus cæcus esset, ut cum auctoritate res administraret, Rex Siciliæ renunciatus est, annum tunc agens decimum-sextum. Paterque ejus septuagenarius amissum à biennio utrumque lumen recepit arte Abiabaris Iudæi Illerdiensis artis medicæ & astrologiæ peritissimi, qui ad certam consideratam à se astrorum positionem, albuginem oculorum acu detersit. At nihilominùs perduxit Lotharingius virtute suâ res in periculum majoris eorum solicitudinis, nisi post biennium diem ex morbo obiisset Barchinone, quamvis nec propterea factiosi animos remiserint.

XIV.
IOANNIS CARDIN. DE TURRECREM. OBITUS.

SOCIET. VIRGINIS ANNUNCIATÆ ROMÆ INSTITUTA.

Hoc anno, vigesimo-sexto Septembris, ut in epitaphio ponitur, mortuus est Romæ *Ioannes* Cardinalis *de Turrecremata* natione Hispanus, professione Dominicanus; de cujus doctrinâ & scriptis, ac laboribus pro Ecclesiâ tempore Schismatis impensis, dictum suis locis. Obiisse dicitur major octogenario: sepultúsque est in Ecclesiâ Dominicanorum supra Minervam; quam & ornavit, & in eâ erexit *Societatem* sub nomine Virginis *Annunciatæ*, maritandis vel domino consecrandis virginibus inopibus: quæ posteà valdè aucta est, procedente quotannis in die Annunciationis ad eam Ecclesiam ipsomet Summo Pontifice ad dotes distribuendas.

XV.
b Pap. Comment. lib. 7.

FRIDERICI IMP. ADVENTUS ROMAM AD VOTUM SOLVENDUM.

Calendis Decembribus (ut Papiensis b narrat) cùm nunciatum esset Romæ Fridericum Imp. in Italiam descendisse voti solvendi causâ, quod ad Ecclesiam Apostolorum ex Germaniâ fecerat, conversus Pontifex ad ejus suscipiendi curam, unum ex Secretariorum ordine quàm longissimè ire obviam jussit; negotio injuncto, ut crebris nunciis de ratione viæ, & cæteris quæ cognovisset sine morâ significaret. Inde quatuor ex diversis nationibus Episcopos designavit, Iudicésque Rotæ duos, & consistoriales Advocatos totidem, qui Secretario succedentes secunda salutationis officia exhiberent. Denique delegit Cardinales, Guillelmum de Estotavillâ Gallum Rotomagensem dictum, Episcopum Ostiensem, & Franciscum Picolominuum Pij II. nepotem Diaconum tituli S. Eustachij, qui præstarent tertia, non tamen ultra bidui viam progrederentur. Ingressum deinde in Vrbem describit speciatim idem Papiensis; quòd, ut ait, ejusmodi solemnitas neque ex cæremonialibus libris, neque ex omni historiâ reperiri tunc posset; quippe aliter cùm coronam petit, aliter cùm privatæ rei causâ venit, accipi debeat Imperator. Qui ergo singula cupierit, legat apud illum; nos solidiora videamus. Ingressus est igitur provectâ jam nocte Natalis Domini, cùm jam Pontifex in Ecclesiâ sacrum matutinum inchoâsset; ibíque à Pontifice ad osculum pedis, manûs, & oris exceptus, in propinquâ sede collocatus inter Pontificem & Cardinales, donec completum est sacrum: eóque absoluto Diaconi, Cardinales duo ad altare eum deduxerunt; ad cujus ille primum gradum in genua procidens, tamdiù perseveravit orans, donec & votum absolveret, & divinæ preces super eum à Pontifice recitarentur. Inde in cubiculum & quietem ductus: paulò ante diluculum rediens in Ecclesiam ad secundum sacrum, quod solemniùs celebratum est, quia primum ferè tumultuarium fuerat; ense tunc de more benedicto à Pontifice donatus, quem ille ut nudus erat armigero adstanti tradidit; camiseo, stolâ, & pluviali ornatus inter duos Diaconos Cardinales Evangelium lectionis septimæ cantavit, lectionem ipsam eorum alteri prosequendam relinquens. Mane tertij officij tempore, Missam Pontifex celebravit: in qua post communicationem suam, Eucharistiæ partem in hoc ipsum servatam Imperatori porrexit. Finito sacro, & ostenso ad venerationem sancto Sudario, Pontifex benedicens plebi, quæ innumera convenerat, summam peccatorum veniam impertiit. Et admonitæ turbæ à Diacono Cardinali, ut acceptæ hujus gratiæ memores pro Romanâ Ecclesiâ & Pontifice suo orarent; additum est, & pro Friderico Imperatore nostro, ut contra infideles gentémque hæreticam divinum illi semper subsidium assit. Atque hactenùs de celebritatibus.

CÆREMONIÆ CUM EO SERVATÆ.

XVI.
CONSULTATIO DE BELLO TURCICO.

Quarto pòst die in consistorium veniens, quod dari sibi ob publicam causam poposcerat, cùm unà cum Cardinalibus quidam Germani proceres, & Regis Hungarorum, & Cypri, & Venetorum legati frequentes adessent; per Laventinum Episcopum itineris sui causam proposuit; tam videlicèt ad reddendum Deo votum, quàm ad inquirendum modum providendi saluti Christianorum adversùs Turcos; sæpè à se pluribus in Germaniâ conventibus quæsitum, nec inventum. Cùm Pontifex ad hoc respondisset, tam se quàm antecessores multùm in eo laborâsse, nec quid modò aliquid consilij habere, rogaréque ut si quod Imperator attulisset, promeret; is post consultationem cum proceribus suis & prædictis legatis habitam, exposuit in tantâ consiliorum inopiâ nihil melius invenisse, quâ ut Constantiæ, quæ Germaniæ civitas esset Italiæ propinqua, Conventus Principum indiceretur, ad quem Pontifex & Imperator accederent, & reliquos omni diligentiâ convocarent. Quod cùm Pontifex præteritorum exemplo inutile futurum ostendisset; post alias subsequentes

consultationes, duo communi animo sunt constituta: videlicèt ut literæ ad Principes utriusque nomine scriberentur, quibus ad Calendas Novembris anni venientis legatos suos Romam mittere rogarentur, de ratione tuendæ fidei cum Pontifice acturos: & ut Venetis diutino Turcorum bello exhaustis decimæ clericorum, Hebræorum vigesimæ, & sæcularium trigesimæ in ditione suâ concederentur; quales decreto Mantuano Pius olim Italis quibusque indixerat. Nec multò pòst cùm totos septemdecim dies Romæ Imperator fuisset, in Germaniam reversus est, multis interim a Pontifice officiis, & muneribus, gratiisque spiritualibus honestatus: adeò ut etiam quandiu Romæ, atque in reditu intra Statum Ecclesiasticum fuit, victum sibi, & comitatui, qui sexcentorum ampliùs equitum extitit, largissimum acceperit. Quæ omnia eò studiosiùs illi collata fuêre, quod notissimum erat, propugnatorem se eum ostendisse Romanorum Pontificum, & nec abiisse umquam in eorum consilia, quibus transalpinæ nationes sæpè in Romanam Curiam tumultuari consueverant. Hæc Papiensis pluribus, qui omnium fuit particeps. Meminítque eorum Platina, qui æquè tunc fuit Romæ; sed in ærumnis, ex falsis, ut profitetur, accusationibus. Aitque Pontificem ad Imperatoris adventum equitum & peditum suorum magnam partem in Urbem vocâsse, veritum nequid tumultûs à populo Romano excitaretur præsente Imperatore. Cùm is alioqui (ut loquitur Krantzius [c]) parvo comitatu ingressus esset Italiam, nemini formidabilis, paucis etiam fortè venerabilis. Vivere tamen tunc viderunt, (inquit in sugillationem Imperatoris) quòd anteà difficulter credebant, qui nullâ insigni operâ se vivere declararet.

[c] *Krantz. 13. Vvandal. 1.*

IESU CHRISTI Annus 1469.
PAULI II. Annus 6.
FRIDERICI III. Ann. 30.

I. LUDOVIC. REX FR. AQUITANIAM FRATRI CÕFERT.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, Indictione secundâ, Ludovicus Rex Francorum impatienter ferens societatem fratris sui Caroli cum Carolo Burgundiæ Duce, quamprimùm in regnum à turpi obsequio Duci in expugnatione Leodij præstito rediit, ut eos ab invicem divelleret, (ut narrat Comminius [a]) fratri per quosdam ex ejus familiaribus persuasit, pro Briâ & Campaniâ, quas Burgundus in pace Peronensi, quòd unitiores ac proximiores essent, cùm sit Campania confinis Burgundiæ, à Rege ei dari extorserat, Aquitaniam longè nobiliorem & ampliorem provinciam acciperet: magnâ Burgundi animi ægritudine, qui per suos legatos huic permutationi obsistere conatus est, quòd Aquitania ab ipso remotissima esset.

[a] *Commin. lib. 2. cap. ult.*

II. CARDIN. BALUÆ TURPISSIMA IN REGEM MACHINATIO.

Id verò etiam valdè odiosum & molestum Ioannes Cardinalis Balues habens, quòd qui solus omnia apud Regem posset, immo & supra Regem in regno posse videretur, considerarct, si Rex & frater inter se convenirent, sublatam sibi fore occasionem, vel saltem admodùm diminutam, immiscendi se negotiis & collocutionibus, cum illo ac Ducibus Burgundiæ & Britanniæ, ex quorum cum Rege dissidiis ejus maximè auctoritas creverat: antequam fieret concordia, clàm & fratrem ab hoc proposito deterrere insinuatione fraudum regiarum; & Burgundum ad arma movenda hortari obiectu propositi Regis de ipso post fraternam reconciliationem bello impetendo, per literas instituerat: adscito in proditionis consortium Episcopo Virdunensi Guillelmo Haraucurtio; qui cùm fuisset olim princeps Consilij Ioannis Ducis Lotharingiæ & Calabriæ, audissétque Rex ejus consiliis fratrem suum agi; eum multis pollicitationibus, ut erat hujus artis peritissimus, ad se allexerat. Mense Aprili missus ab iis ad Ducem nuncius cùm ad vicum Claiam agri Dumensis venisset, in medio loci consistens equus, (res mira! quam ne fictam putemus, fidelissimum ac locupletissimum testem habemus Cardinalem Papiensem [b], qui seriatim ac diligentissimè descripsit, nec ignorare potuit, quæ ipso præsente ad iudicium Sedis Apostolicæ perducta fuêre: quamvis nihil de hoc singulari casu apud auctores Gallicos repererimus:) progressum detrectare pertinaciùs cœpit, adeò ut nec calcaribus, nec fustibus, nec manuductione moveri umquam voluerit. Concurrente ad colluctationem illam populo, & clamoribus sessorem eludente; provocati quoque ad videndum duo milites regij, qui fortè ad proximam cauponam diverterant, animadvertentes territum illum, qui rem jam in religionem vertere cœperat, pallentibus oculis viam effugij prospectare; comprehensum illum quis esset quóve iter haberet interrogârunt: ac trepidantem, & scorsùm pertentatum, literas in intimo thoracis lanei sinu gerere invenerunt, atque ad Regem tacite perduxerunt. Qui obstupefactus tam ingratâ rerum imagine, Cardinalem & Episcopum rei adhuc ignaros accitos, exprobratâ perfidiâ, captivos ad duas diversas arces fidâ custodiâ misit; catenis Virdunensi injectis, Cardinali propter dignitatem liberiori carceri apud Montem-basonem, non longè à Turone ubi tunc Rex agebat, tradito. Interrogati per missos à Rege, omnia fassi sunt: causámque suæ machinationis Cardinalis protulit, dolorem dignitatis apud eum diminutæ, potestatísque appetitæ studium, quâ semper & regias dissensiones in regno nutrisset, & cum Romano Pontifice ad procuranda privata non multû conveniri voluisset. Impensiùs autem quæsîsse, ut Dux Burgundiæ, cui iurâsset fidem, & secreta omnia in eum diem indicâsset, plurimùm ex consensu Principum posset, quo & in metu contineretur Rex, & ipse illius suffragio moderator omnium fieret. Protinùs namque ea fuit in peccatis detegendis simplicitas, ut moriendum sibi omninò putaret, ac verâ confessione invenire Dei misericordiam crederet. Dignus certè omnibus hìc suppliciis, non solùm ob nefandissimum istud scelus, verùm etiam quòd Regem Duci Burgundiæ hosti capitalissimo apud Peronam, gratiâ & auro corruptus, armato inermem in manus ignominiosissimè tradidisset, & in eas pactiones induxisset, quæ turpissimæ captivo etiam Regi potetant judicari; nec solùm de vitâ graviter periclitari coëgisset, sed etiam miseros Leodienses turpiter deserere, quinimmò & excidiû eorum

MIRO CASU DETEGITUR.

[b] *Pap. Comment. lib. 7.*

SCELERIS CONFESSIO.

Præsentiâ suâ & auctoritate comprobare: denique in reditu eumdem ab accessu in civitatem Parisiensem avertisset, vt ei, cujus erat in publicis rebus totâ Galliâ ingens momentum, odiosum redderet. Hoc enim ultimum disertè habet Historia Regis Ludovici; cùm reliqua omnia etiam Papiensis uberiùs describat.

III. Rex fratrem ad se allicit.

Qui quæ secuta sunt pergens narrare, Regi (inquit) ut renunciatæ confessiones Cardinalis & Episcopi fuere; illicò literarum exempla, mandatorúmque, & omnem habitam quæstionem mittens in Britanniam ad fratrem, admonuit iam tandem videret quibus esset consultoribus antehàc usus, & quámnam ob causam in dissidium fraternum Principes illum adduxissent: proinde rediret aliquando ad fratrem, nec se chariorem externis quàm sibi esse existimaret: Aquitaniam ipsi non ideò à se oblatam, quòd circumventum eum quæreret teneri, sed ut à malorum consiliis abduceret. Quibus motus Carolus frater, ac naturæ etiam suasione adiutus, & Aquitaniam accipere, & mutuo etiam colloquio redintegrationem amoris confirmari consensit. Quod tamen eius intimi regiis adhuc promissis diffiderent; ut sine periculo congressus fieret, ad flumen quod Britonum fines alluebat, vadum eâ in parte nullibi habens, factus est lintribus pons, & ad ejus medium firmus paries ex asseribus, cum fenestellâ cancellis instructâ, quibus contingi dexteræ possent, & mutuus præberetur aspectus. Cùm illuc ab utrâque parte accessissent, Carolus Regem posito genu adoravit: & mox jussus assurgere, datam per cancellos Regis manū lacrymantibus oculis est osculatus. Eóque in loco vim naturæ, quanta sit, licuit intueri. Iterùm enim in genua procidens, errata in eum sua cœpit deflere: eáque ignosci continentibus lacrymis precabatur; admissa, ut excusabat, non tam volunrate, quàm juventutis errore, & consultorum fallaciâ: se, si mereri veniam posset; & ad gratiam ejus reditum invenire, futurum in regiâ potestate, & ab imperiis non abiturum, quorum supremo vitæ discrimine seruator cuperet inveniri.

Insignis Fratrū reconciliatio.

Hanc orationem pœnitentiæ plenam fletu etiam excipiens Rex, post multa in eos prolata qui ipsos antè conjunctos tam miserè disjunxissent, & in tot pericula & damna præcipitâssent; veniam, quam dare jamdudum optabat, toto animo, interprete Deo, dare se dixit, hortatus denuò summis amoris affectibus ad mutuam unionem. Quæ cùm magnâ doloris significatione defleret, concitationem animi retinere non valens Carolus, mediâ interruptâ oratione dissolvi subito tigna parietis imperat, & ad Regem transiliens genibus se ejus advolvit, gemensque pietatis omne genus profundit. Eúmque illicò allevatum Ludovicus non absimili affectu complexus est. Nec fuit ex turbâ comitantium quisquam, qui non eodem exemplo mutuis inter se osculis & complexibus lætaretur. Postinde Carolus à Rege Dux Aquitaniæ appellatus, ob quam in verba regis de more aliorum juravit, relictis penitus Britonibus, tantâ celebritate receptus est in regno, ut & festi passim omnibus locis facti sint dies. Hæc pluribus Papiensis: cui soli notitiam debemus. congressûs fratrum ad pontem illum habiti; quem auctores Gallici reticent, satis habentes amantissimam Caroli receptionem tam à Rege quàm in regno, & Pacificam Aquitaniæ possessionis adeptionem describere.

IV. Rex de proditione Baluæ petit iudiciū à Pontif.

De carcere Cardinalis & Episcopi habet idem auctor; cùm res nunciata primùm Romæ est, tam illam mirandam omnibus visam esse, quàm eo in regno ante illum diem insolita fuerat. Veritum autem Regem, ne magnì ab Apostolicâ Sede hæc exempli novitas in re nondum cognitâ putaretur; majoris autem fieret, si de iis aut eorum altero sumptum diceretur supplicium, præveniendum putâsse: ac duos ex Senatu Iurisconsultos viros delegisse, quos Romam ad Pontificem, non excusandæ modò captivitatis, sed petendi imprimis judicij causâ, evestigiò mitteret, interímque omni supplicio abstineret: Appulsos illos Romam, post rem commemoratam; postulâsse ut judicium de iis Pontificis delegatione haberetur in regno, ubi & probationum major vis esset, & certior Regi fieret juris dicundi fides. Ne etenim Romam traduci possent, certissima obstare pericula; quòd ita Gallorum omnium animos inflammatos cognoscerent, ut prohiberi nullâ vi possent, quin membratim malorum auctores à se abeuntes discerperent. His de rebus multâ disceptatione inter Cardinales coram Pontifice habitâ; cùm legibus habendum Romæ judicium quidam dicerent, quòd inter majora imprimis hoc referretur; nec videretur institui posse judcium in regno ex Gallis Episcopis, quod non veniret in dubium propter Regem: alij, magnum Regem per summam observationem legum irritari non oportere; de Cardinali judicium Romæ fieri, suspectum futurum, tamquam ceteri Cardinales communem spectaturi forent magis dignitatem quàm causam: justitiam à Rege peti; in quâ præstandâ nemo dissentiret: judices modò, & locum, & libertatem in disceptationem adduci: Demùm omnibus diligenter pensatis, factum esse decretum, constituendos Iudices delectu Pontificis, qui in Galliam euntes ante omnia contenderent à Rege, Avenionem permitteret dicendæ causæ sedem institui: id si minus impetrare valerent, civitates in Galliâ tres proponerent summo imperio Episcopis subditas, quarum delectâ per Regem unâ, ad eandem judicandi concederent, & in liberam prælati captivi custodiam permitterentur; fide primùm acceptâ, acquieturos eos judicio quamcumque in partem accidisset; omnibus auditis commentarios actorum ritè conficerent, clausósque Romam mitterent, aperiendos in senatu Cardinalium, ac judicandos: ipsíque interim in Galliâ præstolarentur, eam tantùm laturi sententiam, quam præsignatam accepissent. Delectíque ad opus sunt Alfonsus Civitensis Ecclesiæ ab Hispaniâ Præsul, multos annos Romæ patrocinandis causis versatus; Nicolaus Vbaldus patriâ Perusinus Auditor Rotæ juris scientiâ illustris; Paulus Tuscanella Advocatus Consistorialis; & Ludovicus Ieminianensis in procuratione causarum industrius; unà cum duobus scriptoribus: adjuncto omnibus tamquam aurigâ fidissimo, Falcone Romano ex Sinibaldâ familiâ, clerico Cameræ Apostolicę,

Quid Romæ de iis deliberatum.

qui

qui difficillimis duabus in Galliâ legationibus functus, magnam apud Regem inierat gratiam; cujus dexteritate modò etiam leniri posset impetus Regis, siquando inclementiùs aliquid agitaret. Hæc uberiùs Papiensis: nec quid ampliùs de iis. In quibus etiam mutæ ferè sunt historiæ Francicæ; nihil præter Baluæ abusionem potestatis, carcerem, & post undecim annorum captivitatem, liberationem habentes: Belleforestio [c] diligentiùs de iis agente: qui etiam ait, Virdunensem conjectum fuisse in Bastillam arcem Parisiensem, ac demùm & ipsum libertate donatum. Sed memoria dignum quod de illo habet Comminius [d]; auctorem fuisse Regi ferrearum quarumdam cavearum altitudinis staturæ humanæ, & octonûm pedum latitudinis, includendis iis quos invisos haberet: ipsummetque Virdunensem in omnium primam conjectum fuisse, & totos quatuordecim annos ibi detentum. Iustissimo sanè in eum sævi inventi supplicio; qualia multi post Perillum Atheniensem gravi suo damno experti reperiuntur.

[c] Bellef. lib. 5. cap. 130. & 147.

[d] Commin. lib. 6. c. 12.

V.

Ordinis S. Mich. institutio.

Interim cùm Rex, ut vidimus, fratrem suum à Burgundo & Britanno divulsisset, volens etiam Britannum à Burgundo divellere; benevolentiæ obtentu misit [e] ad eum per illustres nuncios torquem aureum Ordinis S. Michaelis recèns à se instituti, invitans eum ad præstandum idem sacramentum, quod frater suus Carolus Dux Aquitaniæ, & alij Principes qui in Ordinem recepti fuerant, jam præstitissent. Instituit enim illum Ludovicus hoc anno Ambasiæ in Turonibus Calendis Augusti, in honorem Sancti Michaëlis Archangeli; cujus patrocinio multa sæpè Regibus Francorum atque universo regno bona faustáque obvenisse constat: ut hoc vinculo, quo Milites qui in Ordinem recipiebantur jurabant in verba ipsius Ordinis Regísque supremi illius Magistri, uniret sibi Rex arctiùs voluntates Principum ac procerum de quibus diffidebat. Voluit autem eos triginta sex numero esse; quorum quindecim tantummodò tunc adscripti fuêre, reliquis primorum comitiorum tempore adscribendis: præter cancellarium, thesaurarium, cæterósque ministros seu officiales Ordinis. Fuítque insigne Ordinis, præter solemnis vestis ornamenta, torques aureus, cochleis inter se hærentibus, appensâ S. Michaëlis, cacodæmonem è cælo deturbantis imagine: addito emblemate *Immensi tremor Oceani*. Et qui accipiebant, obligabantur quodcumque aliud cujuscumque Ordinis cui fortè adscripti essent, insigne deserere: nisi essent Imperatores, Reges, aut Duces; quibus datum fuit, hoc S. Michaëlis unà cum illis, quorum ipsi Magistri essent deferre. Ejus constitutiones, seu statuta, capitulis quinque & sexaginta comprehensa, multis locis descripta linguâ ipsâ Gallicâ quâ condita sunt leguntur [f]: edidítque Italicè Sansouinus, & aliis idiomatibus alij. Cæremoniarum verò in comitiis servari consuetarum solemnia etiam Franciscus Modius [g] Pandectis suis Triumphalibus inseruit, prout observata fuêre in comitiis Ordinis ab Henrico Rege II. anno 1548. Cæterùm insigne hujus Ordinis missum, ut diximus, ad Ducem Britanniæ, cùm ille recusâsset, (idque, ut creditum est, quòd non ita pridem Vellus aureum Burgundi Ordinis suscepisset, ei arctissimè confœderatus) eâ re maximè Rex indignatus, quòd ejusmodi honorem sibi à supremo suo domino delatum contemnere videretur, exercitum suum Britanniæ appropinquare jussit; dato Duci decem dierum spatio, intra quod suum in Regem animum sive ad pacem sive ad bellum patefaceret. De quo dicetur anno sequenti.

[e] Hist. Ludovic. Reg. Gaguin. & alij.

[f] In Magn. Const. Franc. & ap. Bellefor. lib. 5. cap. 132. & in Addit. ad Nicol. Gill. & ap. Fav. in Theatr. Honor. lib. 3.

[g] Mod. to. 1. lib. 2.

Recusat illum Britannus accipere.

VI.

Isabella Castellana nubit incestuose Ferdin. Aragonio.

Præsenti interim misso à Rege Cardinale Atrebatensi (malè quidam auctores Franci Ludovicum Alebretensem ponunt, qui jam obierat Romæ anno 1465.) in Hispaniam, ad postulandam fratri Carolo uxorem Isabellam sororem Henrici Castellæ Regis, futuram regni hæredem, cùm eamdem eodem tempore procarent etiam Rex Lusitaniæ & Ferdinandus Regis Aragoniæ filius: illa à fratre Rege jam anteà avulsa per factiones procerum; quamvis semel iterúmque jurata de suis nuptiis nisi fratre conscio nihil se constituturam, Vallisoletum tamen à Toletano Archiepiscopo conjuratorum in Regem principe deducta, advenienti clàm Ferdinando adolescentulo annorum sexdecim, biennio circiter ipsa ætate major nupsit; nullâ præhabitâ propinquitatis impedimenti dispensatione, quamvis eam à Pio Pontif. olim habitam Toletanus mentitus sit; confectis nuptiis ad decimum-quartum Calendas Novembris. Literæque ad Pontificem, Henricum Regem, cæteros Reges, aliósque Principes & proceres datæ, quibus festinatæ nuptiæ excusabantur. Iratus tamen Rex Henricus, in Ioannam filiam convertens animum petentibus eam legatis Francis post Isabellæ repulsam, demùm concessit; Isabellâ publicis tabulis abdicatâ septimo Calendas Novembris anni proximi: proceribúsque novo sacramento adactis non aliam regni hæredem fore quàm Ioannam, quam Rex & Regina justam prolem esse jurârunt. Vnde gravissimi belli parata materia videbatur, nisi Carolus Aquitaniæ Dux priùs è vivis decessisset, quàm matrimonium consummari potuerit. Quæ omnia quomodò se habuerint, Mariana [h] sigillatim explicat, uberiúsque Surita [i].

[h] Mar. lib. 23. cap. 13. 14. 15.

[i] Surit. lib. 18.

VII.

Bellum Italicum Pontif.

Qualis autem esset rerum Italicarum hoc anno status, Papiensis [k] Falconi Sinibaldo in Galliis agenti significans, scribit Paulum Pontificem ad Ariminum castra habere, & magnis eam civitatem obsidere viribus, ac Robertum Malatestam intra muros continere: Dolere eam rem multùm fœderatis tribus, Ferdinando Apuliæ Regi, Duci Mediolanensium, & Florentinis, qui Roberto à Pontificis stipendiis ad sua traducto, fidem illius tuendi jurejurando dederant: Pontifici Venetos junctos fœdere esse: utrimque duces fortes, & militem egregium: quid verò futurum esset, ambigi: Iustam causam Ecclesiæ esse, hostium injustam: Miram rem; Domum Malatestarum Andegavensis belli in Ferdinandum excitâsse incendium; eam pro Ferdinando oppressisse Ecclesiam: pro ejus nunc reliquiis, in Ecclesiam pugnare Ferdinandum: adeò rara est fides, & meritorum recordatio: Licèt mutatus esset Pontifex, (quippe sub Pio ea gesta) non tamen mutatam esse Ecclesiam: opibus Ecclesiæ Pium, non suis juvisse Ferdinandum: Quinimmò & hunc Pontificem Paulum multa beneficia in Ferdinandum contulisse: audire numquam

[k] Pap. ep. 276.

passum esse hostium de illo consilia: remisisse censum pro regno Siciliæ debitum: dedisse sacerdotia, prælatus contulisse quos & quibus ipse voluit; Cardinalem suâ voluntate creâsse; (Oliverium videlicèt Caraffam civem & Archiepiscopum Neapolitanum, magni utique meriti virum, ac vitâ & religione præstantem:) denique & pacem restituisse: Quod autem rem Soranam non restituisset petenti Ferdinando; eam reddi non debuisse, quæ cum dominum nolebat, & in eum pugnabat, & ad matrem suam Romanam Ecclesiam de ipsiusmet Ferdinandi consensu reducta fuerat. Hæc Papiensis illâ epistolâ.

VIII.

[l] Id. Comm. lib.4. & 5.

Quæ ex ejusdem commentariis [l] majorem lucem accipiunt: quibus imprimis de Sorano toparchatu docet, cùm ejus olim toparcha infensissimus hostis esset Ferdinandi, multúmque impedimenti victoriæ ejus de Andegavensibus afferret; ab exercitu Ecclesiæ invasum eâ conditione deditionem fecisse, ut ejus ditio nominis Ecclesiæ facta, nullo Regi tempore redderetur: consentiente his Rege; & omnem illam ditionem arbitrio Pontificis permittente: unde occasio certissima Regi facta esset, hostes faciliori negotio regno pellendi. Sed Ferdinandum omni recuperato regno, (ut est natura hominum, qui in timore magis benigni sunt quàm in victoriâ grati) repetere ab ipsomet Pio ditionem illam cœpisse; eóque mortuo, à Paulo, primò suasionibus, deinde etiam armis. Interim Roberti Malatestæ perfidiam consilia Pauli super his capienda aliò vertisse. Eum enim Sigismundi illius, de quo aliàs, ex concubinâ filium, cùm post nuperum patris obitum dolosè insinuans se Paulo Pontifici, etiam Ariminensem civitatem, quæ Ecclesiæ Romanæ erat, & relicta ad tempus patri fuerat; arte contra novercam occupasset; Ferdinandum Regem, Ecclesiæ Romanæ, à quâ in amissum bis regnum bis reductus fuerat, ingratissimum ac perjurum, in sui protectionem pellexisse: (spurium videlicèt alium spurium, sic enim similis simili gaudet:) & intra Ariminum ab exercitu Pontificio obsessum esse. Qui erat hujus rei status, cùm prædictam epistolam Papiensis scribebat, admodùm prolixè ab eo per singulas partes in commentariis descriptus. Quid verò pòst contigerit, narrare eâdem verborum ubertate pergens, ait junctis in unum copiis socialibus, non solùm obsidionem Arimini solutam esse, verùm etiam exercitum Pontificium incuriâ & negligentiâ ducum cæsum: non tantâ tamen clade, quin reparatis confestim viribus, rem potuissent restituere, si tardè venientium auxiliorum Venetorum præfectus cunctationibus suis non satius duxisset, secretis Reipublicæ suæ consiliis, quàm Pontificiorum generosis impulsibus obsequi: quibus Legati auctoritate præerat Laurentius Archiepiscopus Spalatensis, Quæstor ærarij Pontificij, vir strenuus [m] & ingentis animi.

FERDIN. REGIS NEAPOL. INGRATUS ANIMUS ERGA ECCL. ROMAN.

[m] De ejus præstanti eo bello virtute, ap. Pap. ep. 324.331. usque 340.

IX.

[n] Bonf. 4. dec.

MATTH. HUNGAR. REGIS BELLUM

Matthias Rex Hungariæ Idibus Februariis (ut Bonfinius [n] ait) iter iniens in Moraviam adversus Georgium Boemiæ Regem hæreticum & ab Apostolicâ Sede depositum; Olomutium insignem Moraviæ urbem accedens, ibi à Catholicis Boëmis, & Moravis Rex Boëmiæ & Marchio Moraviæ declaratus est, quò honestiùs ac justiùs pro addictis sibi ditionibus dimicare videretur. Inde Wratislaviam Silesiæ petens, ibi quoque in Silesiæ Principem receptus est. Mittens verò ad Imperatorem in Austriam, qui pecunias quas in eam expeditionem promiserat, reciperent; hi verba pro nummis habuerunt, adeò parùm aut nihil exigere potuerunt. Ex quo discordiarum quæ Matthiæ cum Imperatore intercesserunt, bellíque Australis semina profluxêre. Interim verò in Moraviam rediens, Victorinum Georgij Boëmi filium ad quoddam oppidum obsidione cepit, & honestâ custodiâ detinuit. Indéque in Hungariam ad hiberna rediit, & ad supplementa legionum conquirenda. Hæcque secundo belli Boëmici anno) quod septennium duravit) gesta esse, Bonfinius describit. Dubravius [o] autem Victorinum, dum iter ageret ad sororis suæ virum, interceptum ab Hungaris ait, Budámque perductum, & omnibus miseris modis ab iis habitum: projectum videlicèt in quamdam turrim tecto carentem, ut die ac nocte nivibus ac pluviis complueretur, ac cæteris aëris tempestatibus vexaretur, quasi parùm esset famem & sitim eum siccissimam tolerare. Michovius [p] tamen de captione Victorini Bonfinio consentit: quem denique Cromerus [q] per proditionem captum scribit. Cætera verò idem uberiùs tractans, ait Cazimirum Regem Poloniæ, cùm ab utrâque parte legationibus sollicitaretur; Boëmorum scilicèt petentium ne Georgium audiret, hujúsque ut sibi opitularetur: consuetis suis cunctationibus & dilationibus rem egisse, quòd non placeret ei utramvis partem sententiam suam aperire: Non dissimulâsse tamen lætitiam, cùm ei renunciatum esset, filium suum natu maximum Wladislaum acclamatione Boëmorum qui cum Georgio sentiebant, successorem Georgio destinatum esse: Cùm autem eâ de re ad consilium regni relatum esset, plures regnum armis & sanguine parandum, societatémque & affinitatem hominis hæretici non probâsse: hujus sententiæ principibus Episcopis, quibus etiam sacrorum interdicto uti placebat propter legatos hæreticos præsentes: verùm de hâc sententiâ contentione aliorum facilè se deduci passos esse: In eo verò constantius fuisse collegium basilicæ Cracoviensis, cùm iidem legati redeuntes Cracoviam divertissent: Quippe totâ urbe à sacris cessatum esse, quoad ij decesserunt. Denique ita se gessit in his Cazimirus, ut in suspicionem venerit apud Romanum Pontificem de religionis etiam cum Georgio conniventiâ: cùm nihilominùs contenderit semper ille, nihil se citra consensum Sedis Apostolicæ, nec etiam regnum acceptaturum; missis etiam eâ de re legatis ad eum.

CONTRA BOEMUM HÆRET.

[o] Dubrav. lib.30.

[p] Michov. lib.4. c.68.

[q] Crom. lib.27.

QUOMODÒ IN IIS SE GESSERIT REX POLON.

X.

MATTH. ALIQUOT CLADES.

De Matthiâ addit idem Cromerus; post captum Victorinum, fuisse eum ab Henrico Victorini fratre insigni clade in Moraviâ profligatum; & plerorumque Boëmorum animos à se abalienâsse. Innuunt aliquid ejusmodi Nauclerus, & Dubravius: sed iste ita de more confusè narrationes suas explicans, ut nec de rebus nec de tempore vix quid certi hauriri possit. De cladibus autem Matthiæ nihil aut parùm à Bonfinio expectandum; qui ejus gesta encomiasticè magis quàm historicè describen-

da suscepisse videtur: Cùm nihilominùs nec abnuamus, Cromerum non adeò affectum videri erga Matthiam, ob bella quæ cum Polonis gessit, quamvis non dubitemus de ejus fide. Qui etiam addit, Stephani Walachorum Palatini geminatâ excursione in Transilvaniam, Matthiam non modò ignominiam & calamitatem, sed cladem quoque duplicem accepisse: Incurrentibus autem in Valachiam Tartaris, eos à Walachis eodem Stephano duce profligatos esse, filio ducis amisso: (Michovius ait fuisse hunc filium Mamachi Imperatoris Tartarorum Vltravolhanorum. Cromerus Maniaci ducis Zavolgensium, hoc est Tartarorum qui ultra Volgam sive Rha fluvium habitant.) Quem cum pater superbâ ac minaci centum virorum legatione repetiisset; Stephanum ingentis virum spiritûs eâ legatione irritatum, eumdem filium præsentibus legatis in partes dissecari, ipsósque mox legatos palis suffigi jussisse: uno excepto, quem truncato naso & auribus nuncium rei gestæ ad Maniacum remisit.

Ingens animus Stephani Walachi.

XI. Mahometes autem Turcorum Imperator, de Æno oppido in Thraciæ littoribus posito, divitiis, frequentiâ incolarum & rei nauticæ peritiâ, firmóque Turcorum præsidio, insigni, non ita pridem à duce classis Venetæ Nicolao Canalio, capto, direpto, atque incenso, (quam rem præclarè gestam Cardinalis Papiensis [r] in commentariis suis descripsit) vehementissimè iratus, totúsque in vindictæ cogitatione positus; votum vovit dirum & immane (anno videlicèt ejus regni vigesimo-quinto, nempè præsenti, qui vigesimus-quintus numeratur à patris abdicatione, quâ primùm ei regno cesserat anno 1444.) quod in epistolis [s] ejusdem Papiensis legitur hujusmodi verbis conceptum: *Mahometes ego Muratis filius, idem Soldanus, & Barasma ac Rachmael Præses, à summo Deo in altum levatus, in solari circulo positus, super Imperatores gloriâ affectus, omni ex parte felix, tremendus mortalibus, cælestium magnique Prophetæ Mahometis precibus, armis potens, Imperatorum Imperator, & Principum Princeps qui ab Oriente in Occidentem sint; voto & jurejurando hoc spondeo unico Deo omnium creatori; non visurum me somnum oculis, non epulaturum dulcia, non petiturum amœna, non tractaturum speciosa, non ab oriente in occidentem versurum faciem, donec dejecerim, conculcaverímque equi mei ungulis deos gentium ex ligno, ære, argento, auro, picturâque, & manibus cultorum Christi factos, omnem etiam eorum iniquitatem, à facie terræ, quantum pertinet ab oriente in occidentem; ad laudem veri Dei Sabaoth, & magni Prophetæ Mahometis exterminaverim. Hanc ob causam omni genti circumcisæ, Mahometem credenti, mihi subditæ; ejúsque ducibus, sociis quoque in bello, sub metu magni Dei conditoris cæli & terræ, sub metu etiam invictæ nostræ potestatis edico, ut in venientem annum ad diem undecimam Martij armati ad me omnes conveniant, impleturi præceptum Dei, & Mahometis magni quorum alter numine, alter precatione in gerendis rebus haud dubiè est adjuturus. Scriptum Constantinopoli ad quartum Nonas Augusti anno vigesimo-quinto.* Vnde Ragusium à non levi auctore delatum, eóque loci in Italicum versum, atque ad Venetos missum, hi notum Pontifici esse voluerunt. Quod blasphemum votum atque propositum, quomodò anno sequenti adimplere conatus sit, dicetur ibi.

[r] Pap. lib. 7.

Mahometis Turc. Imp. truculentũ votum.

[s] Id. ep. 380.

Iesu Christi Annus 1470.
Pauli II. An. 7.
Friderici III. An. 31.

I. Anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo, Indictione tertiâ, missus à Paulo Pontifice Alexander Episcopus Foroliviensis ad Regem Poloniæ Cazimirum, excusavit quòd Boëmiam ei attribuere non posset propter Matthiam Hungariæ Regem, cujus insignia extarent merita in Sedem Apostolicam & Rempublicam Christianam, arcendis Turcis, & oppugnandis hæreticis: Sed jungeret cum eo Cazimirus affinitatem filiæ matrimonio, paritérque contra Georgium Boëmum Ecclesiæ hostem arma sumeret. Econtrà verò Fridericus Imp. missis eodem tempore ad eumdem Cazimirum legatis, multùm de Matthiâ questus, quòd quem ipse compluribus officiis & beneficiis sibi devincire studuisset, atque etiam regnum Boëmiæ ipsi à Pontifice conferri curâsset, nihilominùs dum ipse Italiam obiret, Austrios ad rebellionem sollicitâsset; Cazimirum monuit, ut ab eo sibi caveret, utpotè vafro homine, fraudulento, & cupido. Pactáque inter eos est liberorum conjunctio matrimonialis, & ut regnum Boëmiæ Cazimiri primogenito daretur. Atque insuper hortatus est Cazimirus Boëmos partis Matthiæ, agere de reconciliatione cum Georgio; cujus jam partes meliori loco esse viderentur, cùm factâ in Hungariam excursione, etiam Matthiam intra montes Boëmiæ circumclusum, raptim sese non sine ignominiâ recipere compulerat. Denique & Georgium monuit, resipiscere ab hæresi, & in potestate Pontificis esse. Quæ pluribus Cromerus [a]: Bonfinius autem penitùs intacta reliquit. Dubravius [b] verò habet, deliberâsse Georgium Pontificis voluntati sese submittere: sed obstitisse veteratorem Rockysanam, bono firmóque animo esse hortantem. Quem cùm ille nihilominùs infesto sermone à se abegisset, serò damnans insolens atque impotens illius magisterium; rursùm tamen illi obsequentem, monasteria quædam thesauris magni pretij expoliâsse, partim ut illos suis donaret, partim ut ipse frueretur, qui omni pecuniâ exhaustus erat. Quomodò verò tandem, & quo statu mortuus fuerit anno sequenti, dicetur ibi. Errat enim planè Bonfinius, cùm præsenti mortuum ponit.

Cazimiri Reg. Poloniæ animus de rebus Boem.

[a] Crom. lib. 27.
[b] Dubrav. lib. 30.

II. Præsenti verò Ricardus Comes Warwicensis in Angliâ, is quo præcipuo adjutore Eduardus, Henrico legitimo Rege pulso, intrusus in regnum [c] fuerat; cùm jam triennio antè ab Eduardo alienatus animo, sive quòd ab eo minùs quàm pro ejus in se meritis haberetur; sive quòd misso in Galliam ad petendam ipsi uxorem sororem Reginæ Francorum, ipse interim viduam cujusdam equitis Angli longissimè dispari conditione, haud monito Ricardo duxisset; sive etiam quòd Eduardus tentâsset nescio quid in domo Ricardi, quod ab honestate

[c] Supr. ann. 1459. XIX.

Turbæ Anglicanæ.

[d] *Polyd. lib. 24.*

abesset, cùm facilè puellas deperiret; (has enim omnes causas Polydorus [d] recenset:) conjuratione factâ cum Archiepiscopo Eboracensi fratre suo, aliisque proceribus, (ipsóque etiam Duce Clarentiæ Eduardi fratre in conspirationis participationem attracto) de Henrico, qui captivus in turri Londinensi detinebatur, restituendo in regnum occasione cujusdam popularis seditionis apud Eboracum excitatæ arma assumens, Eduardi exercitu fugato, eumdem ipsum paulò post incautum cepisset, isque è custodiâ elapsus vicissim Ricardi copias profligâsset: Demùm Ricardus unà cum Duce Clarentiæ, quem generum suum fecerat, in Galliam ad Ludovicum Regem hoc anno mense Maij confugiens; mox validis auxiliis ab eo receptis in Angliam reversus, concurrentibus ad eum per multis armatorum hominum millibus. Quando Eduardus minimè ausus cum eo congredi, ad Carolum Burgundiæ Ducem qui sororem ejus uxorem habebat, in Flandriam navigavit: Ricardus autem Henricum carcere liberatum, applaudente universo populo, regno restituit mense Octobris hujus ipsius anni, ut plerique omnes ponunt; quamvis Polydorus frequentissimè in temporum positione errare solitus, sequenti ponat. Concilio procerum & civitatum Londini habito 6. Cal. Decembris, Eduardus patriæ hostis declaratus est, ejúsque fortunæ omnes publicatæ; eadémque sententia in omnes lata, qui ejus partes secuti essent; & in omnes captivos ejusdem factionis supplicium decretum: acta omnia Eduardi rescissa: & Warvicensis unà cum Duce Clarentiæ regni gubernatores instituti. Quæ pluribus narrat idem Polydorus, Historia Ludovici Regis, & alij. Sed nemo certiùs Comminio [e], qui vidit, & secreta Warwicensis & Eduardi scivit; ac quæ fuerint in his omnibus Ludovici Regis & Ducis Burgundiæ partes & consilia, apprimè & sapienter explicat: utiliáque inde documenta, & ut solet, elicita proponit.

HENRIC. REX ANTIQUUS CARCERE LIBERATUR, EDUARDUS ABDICATUR.

[e] *Commin. lib. 3.*

III.

De rebus autem Gallicis habet, coactos fuisse à Rege tres regni Ordines mensibus Martij & Aprilis Turonis: quos nec priùs nec posteà Regem convocâsse scribit. Hujus tamen convocationis præsentis anni nulla apud cæteros antiquos historicos mentio; sed illius tantùm, quam ante biennium [f] factam vidimus in gratiam Caroli ejus fratris. Ait autem ad hanc eos dumtaxat vocatos esse, quos in omnibus sibi obsecuturos Rex existimabat. Accusatum ibi Ducem Burgundiæ fuisse læsæ majestatis, quòd multa in Regem regnúmque molitus esset: ac speciatim à Comite Vgelitano, (d'Eu) quòd ipsum spoliâsset aliquot fundis, & ad juramentum fidelitatis contra quoscumque adigere voluisset: Eáque propter decretum fuisse, Burgundo uti Regis subdito diem dici, quo se in Parlamento Parisiensi purgandum sisteret: Missum ad hoc accensum, qui ei Gandavi ad Ecclesiam eunti diem dixit: Hunc ab eo comprehendi jussum, paulò pòst dimissum esse: Hæc autem non tam ex partium odio, (quamquam id maximum erat) facta esse, quàm ex secretâ conspiratione Ducum Aquitaniæ fratris Regis, & Britanniæ, (hic enim etiam renunciato tandem fœdere Burgundi, Regi palàm adhærebat) atque Comitis S. Pauli Connestabilis regni; quærentium Regem & Burgundum invicem committere, quò interim & ipsi res suas agerent, & Burgundum adigerent filiam suam prædicto Aquitano in matrimonium dare: Inde Ambianum & Sanctum Quintinum, quæ à Burgundo in Picardia ex priori fœdere possidebantur, Regi se dedidisse, hostilia facta: Burgundum armis regiis pressum, & nonnullis suorum defectionibus in cæterorum suspicionem adductum, apud Regem suppliciter egisse de induciis; quæ illi annuæ concessæ sunt, magno Connestabilis dolore, qui nonnisi rixas & jurgia quærebat. Hæc ita gesta esse tutius est credere Comminio, homini fide digno, & consiliorum participi, in ministerio existenti Ducis Caroli; quàm certis nugatoribus omnia venenosis suis interpretationibus corrumpentibus.

[f] *An. 1468. VII.*

REX LUDOVIC. DIEM DICIT DUCI BURGUNDIÆ.

IV.

[g] *Io. Magn. lib. 23. c. 9.* [h] *Vid. supr. an. 1456. XI.*

Hoc eodem anno [g] mense Maij, *Carolus* Sueciæ Rex [h] diem obiit; à Ioanne Magno commendatus de re publicâ utiliter post reditum ab exilio administratâ: quamquam non destiterit Episcopis infestus esse. Qui paulò ante obitum, Stenonem Sture ex sorore nepotem, quem sibi successurum non dubitabat, admonuit, ne coronam aut regium nomen sibi imponi pateretur; quòd Gothi ac Sueci regium nomen odio haberent: sed optimum Principem se sine regio nomine præberet. Quod ipse diligenter executus, post avunculi obitum communi omnium consensu ad Principatum titulo Gubernatoris evectus, totis triginta annis subjecta regna tantâ moderatione, & in Episcopos ac sacerdotes universúmque ordinem Ecclesiasticum observantiâ, in populos facilitate & benevolentiâ, in exteros & hostes humanitate, administravit, ut Traiano melior, Augusto felicior dici potuerit: recusato semper oblato sibi aliquoties nomine & titulo regio. Eum ipso ejus principatûs initio adortus Christiernus Danorum Rex, (quem etiam à nonnullis Sueciæ Regem electum vidimus) atroci prælio ab eo victus est, & ad sua redire compulsus: hanc cladem Danis non tam viribus Suecorum, quàm magicis artibus cujusdam doctoris Ryttingy proconsulis Stokolmensis (quæ Sueciæ urbis regia est) obvenisse jactantibus. Ita de his Ioannes. Magnus in suæ gentis Historiâ. Nec abnuit Krantzius [i], & virtutes Stenonis Gubernatoris, & cladem Christierni agnoscens: quam etsi leviorem facit, ait tamen Christiernum rem in reliquum tempus dimisisse intentatam, integram servaturum hæredibus si quando volventibus annis sua in regna jura recuperarent. Huic autem felicitati regni Gothiæ & Sueciæ conservandæ plurimùm attulisse prudentiâ suâ Iacobum Vlfonis Archiepiscopum Vpsalensem regni Primatem, idem Ioannes, seu ejus frater Olaus Magnus in Vitis Pontificum Vpsalensium describit: adeò ut sæculum aureum Gothicis terris totis illis triginta annis illuxisse tradat. Nonnullas tamen intercessisse interim aliquando inter eos simultates, & in regno turbas, videbitur aliàs.

CAROLI REGIS SUECIÆ OBITUS.

[i] *Krantz. 8. Dan. 35. & 5. Suec. 41.*

FELIX STATUS GOTHIÆ.

V.

Hoc anno impleturus Mahometes Turcorum Imperator votum anno superiori emissum contra Christianos; instructâ potentissimâ classe centum & ampliùs triremium, ac longè majoris aliarum navium numeri, Eubœam insulam Ægei maris maximam & opulentissimam, quæ à longo tempore Venetorum erat, aggredi constituens; huic classi Machmutem Vezi-

MAHOMETIS EXPEDITIO CONTRA CHRISTIANOS.

rem (ut Turcorum Annales Leunclavij habent) præfecit: qui dum exercitus terrestris centum viginti millium, quem ipse Mahometes ductabat, eò perveniret, Lemnum currit & vastavit, Imbrúmque cepit; ut Phranzes [k] Græcus scribit. Appulsis in insulam copiis navalibus & terrestribus, obsessa est præcipua ac munitissima insulæ urbs Chalcis ad Euripum sita, qui ponte junctus transcensum ad insulam ex continenti præbet. Vrbem autem ipsam, & ex illâ totam insulam Itali ac Græci hodierni Negropontum. Turci Egribon vocant. Cujus obsidionis fama Venetias delata, ingentem [l] curam & metum Senatui injiciens, instruere impulit quotquot triremes potuit ad eas classi Canalij jungendas in subsidium obsessorũ. Et Romæ [m] Paulus Pont. supplicationes publicas ad Ecclesias Lateranensem & S. Petri habuit, ad implorandum divinum auxilium. Fecerunt peccata Christianorum, ut omnia frustrà fuerint; cùm post acerrimam & continuam 30. dierum oppugnationem, & fortissimâ obsessorum propugnationem, amissa est civitas, tum proditione cujusdam Thomæ Liburni natione Illyrici loca debiliora Turcis indicantis, (qui de scelere convictus meritas perfidiæ suæ pœnas dedit) tum verò maximè pusillanimi socordiâ Canalij præfecti Venetorum; qui cùm facilè potuisset pontem disjicere, & Mahometem intra insulam inclusum omni subsidio privare; (quod periculum veritus Mahometes dicitur de fugâ cogitâsse) maluit, instantibus licèt hortantibúsque triremium ducibus, & obsessis ex mœnibus supplices manus tendentibus, immobilis permanere, quàm se alicui periculo objicere. Capta igitur in ejus oculis civitas, fœdissimâ omnium armatorum inermiúmque cæde polluta est, in ultionẽ cædis suorum, quorum quadraginta circiter millia eâ obsidione cecidisse traduntur. Prætor urbis Paulus Erizus Venetus e munitiori loco ubi se tenebat Mahometis fide digressus, crudelissimo nihilominus mortis genere interemptus est: cùm cavillatus immanis tyrannus pollicitum se fuisse cervici, non lateribus parsurum, hominem medium secari jussit. Filia ejus virgo castissima atque formosissima, Mahometi adducta, cùm turpitudini ejus consentire nollet, protinùs jugulata est, duplici coronâ virgnitatis & martyrij donata. Post quæ, Mahometes validissimo ad Chalcidem præsidio relicto, cum reliquis copiis Constantinopolim rediit. Canalius à Petro Mocenico ei successore dato in vincula conjectus, & Venetias missus, perpetuâ est in Carnis relegatione damnatus. Quæ omnia pluribus prosecuti sunt, incertus auctor de Nigroponti expugnatione, qui post Chalcondylam editionis Clauseri reperitur; Marcus Antonius Sabellicus [n], ac Petrus Iustinianus in Historiâ Venetâ: Bosiúsque [o] in Ierosolymitanâ Hospitalariorum: præter alios plurimos, qui eorum meminerunt; ponúntque plerique præsenti anno, cùm nihilominùs & incertus ille auctor & qui ab eo acceperunt, putà Nauclerus, & quidam alij, nec-non Annales Turcici sequenti collocent. Palmerius etiam præsenti anno ponens, addit, Pontificem Paulum, ubi impetum Turcorum audivit, ad Dei pacem impetrandam, liberandósque obsessos, indictâ ad omnes aras solemni supplicatione, ipsummet pedibus sacrum deferentem Imaginis Christi Matris simulacrum, longo ambitu ad Lateranesem Ecclesiam incessisse. Meminit & Phranzes Chalcidensis cladis, captámque urbem scribit duodecimo Iulij præsentis anni. Qui Phranzes jam biennio ante egestate & catarrho oppressus, monachismum induerat, pro Georgio Gregorius nuncupatus: ejúsque uxor Helena pariter in ordinem monacharum cooptata, Eupraxia dicta est.

Obsidet Negropontum.

Et expugnat.

Phranzis monachatus.

VI. Interea Romæ Paulus Pontifex constitutionem [p] edidit 13. Calendas Maij: quâ providâ consideratione, aut ait, attendens humanæ conditionis statum fragilem ad peccandum proclivem, & ampliùs solito in dies labi pauciores, brevissimum vitæ spatium, crebras pestilentias, varios morbos lethiferos, gravissimas Turcorum & Infidelium adversùs Christianos persecutiones assiduas, aliásque plurimas ærumnas adeò invalescere, ut admodùm pauci Indulgentiarum Iubilei participes fieri mererentur: statuit Iubileum, à Bonifacio Papâ VIII. primùm centesimo quoquo anno institutum, & à Clemente VI. ad quinquagesimum, ab Vrbano V. ad trigesimum tertium reductum, à Nicolao verò V. juxta Clementis constitutionem quinquagesimo anno celebratum; deinceps singulis vicenis quinis annis in perpetuum, cum omnibus & singulis Indulgentiis & peccatorum remissionibus in cæteris concessis, celebrari; incipiendo a proximo septuagesimo-quinto, quem tamen ipse non vidit, mortuus, ut dicemus, anno proximo.

Iubilei reductio ad annum XXV.

VII. Exemplum hoc tempore produxit Geldria, Germaniæ inferioris provincia, sceleratissimæ impietatis filij in parentem. Erat Arnoldo Duci filius unigenitus Adolphus: qui diuturnum paternum imperium ægrè ferens, bellum palàm patri intulerat: sed patre viribus & causa meliori, Principum vicinorum interventu pax certis legibus coïerat. Post aliquod tempus cùm filius parentem invisens, humanissime ab eo acceptus esset; perfidus patrem concubiâ nocte in lecto proditoriè capiens, nudum pedibus & toto corpore equitans ipse in tetrum carcerem longè abduxit, & totos sex menses ibi detinuit. Pro cujus liberatione Ioannes Dux Clivensis ipsius perfidi avunculus, arma in eum assumens, à se parùm validus, auctoritatem & auxilia à Paulo Pontifice & Friderico Imp. petiit. Illi statim annuentes, ad Adolphum acres minacésque literas scripserunt. Extátque eâ de re in Magno Chronico [q] Belgico ipsius Pauli epistola ad eum scripta die nono Septembris præsentis anni: quamvis utrùm verè ea scripta fuerit, auctor subdubitet; Sed scripsisse tam Pontificem quàm Imperatorem, dubitare non sinit Comminius [r], cujus operâ in his usus est Carolus Dux Burgundiæ; cùm ridente Adolpho minas Pontificis & Imperatoris, totam ei rem iidem commisissent. Iubente Duce utrumque coram se sistere, ductus à filio pater, & causam suam agens, eò amaritudinis & impatientiæ prorupit, ut impiissimum filium senex licèt admodum ad singulare certamen provocaret. Favens Dux filio, pro sententiâ dixit, patrem solo Ducis Geldriæ titulo usurum, retento uno oppidulo cum certâ annuâ pensione, reliqua omnia filium habiturum. Sed impiissimus filius, ubi hæc sibi ex

Ingens scelus filii Ducis Geldriæ in parentem.

[k] Phranz. lib. 3. c. 30.
[l] Pet. Iustin. Hist. Ven. lib. 8.
[m] Ciaccon. in Paul. II.
[n] Sabell. 10. Ennead. 6. in fi. 3. dec. 8. & 9.
[o] Bos. tom. 2. lib. 6.
[p] Ex. Bullar. tom. 1. Paul. II. const. 7.
[q] Magn. Chron Belg. sub Paul. II.
[r] Commin. lib. 4. c. 1.

parte Ducis relata fuêre à viris primariis, inter quos Comminius fuit, qui hæc scripsit, respondit malle se præcipitem dare parentem in puteum, séque deinde superjicere, quàm ut has conditiones acciperet: patrem totos quadraginta quatuor annos præfuisse; tempus esse ut jam filio cederet, & totâ Geldriâ excederet, ut ipse solus integram possideret. Cùm post hæc mutato vestitu abscessisset, agnitus in itinere, reductúsque, honestâ custodiâ asservari jussus est: mansítque ad Caroli Ducis obitum, cùm pater ejus jam ante Carolum obiisset, Ducatu Geldriæ ipsi Carolo testamento relicto ob filij ingratitudinem. Carolo mortuo Adolphus carcere liberatus à Gandensibus, ac bello in Tornacenses præfectus, miserè cæsus est. Ita namque rem gestam narrat, ut putamus, sincerè Comminius: cùm auctor prædicti Magni Chronici persuadere velit, Carolum in his fraudulenter in Adolphum egisse, non tam zelo liberationis paternæ, quàm ut Geldriam occuparet; imposito falso crimine filio per fictitias literas, quasi fœdus cum Rege Francorum contra ipsum Carolum fecisset.

IESU CHRISTI Annus 1471.

PAULI II. An. ult.

FRIDERICI III. An. 32.

I. CONVENTUS RATISPONEN. DE BELLO TURCIS INFERENDO.

ANNO Christi 1471. Indictione quartâ, Paulus Papa de bello contra Turcos, quos audiebat ubique de Christianis triumphare, sollicitus, obtinuit ab Imperatore ut Ratisponæ conventus Principum Germanorum indiceretur, ad tranctandum de bello iis inferendo: ad quem misit Pontifex Cardinalem Senensem Franciscum Picolomineum Pij olim Pontificis ex sorore nepotem, Diaconum tituli S. Eustachij, qui linguam callebat Germanorum; & cum eo Ioannem-Antonium Campanum (sic à patriâ Campaniâ Italiæ dictum) Teramensem Episcopum. Meminit horum Krantzius[a]; sed dolens eumdem fuisse exitum hujus conventûs, qui inter Germanos soleret: Audivisse Principes Summi Pontificis sanctum propositum: audivisse Christianismi multiplices ab Turcis pressuras & calamitates, quoties illi hostilibus excursionibus millia multa de provinciis Imperatoris abduxissent: sed lethargum consoporatorum nullâ vi potuisse excuti. Ita ille. At res eo conventu gestas ex parte descripsit idem ipse Campanus qui interfuit, nonnullis inde scriptis[b] ad Cardinalem Papiensem sibi amicissimum epistolis; multo lepôre (quippe qui facetissimus esset) simul & judicio scriptis: pleniùs Augustinus Patricius ejusdem Francisci Cardinalis secretarius, eidem Papiensi dicans.

[a] Krantz. 13. Vvandal. 5.

[b] Camp. Epist. lib. 6. & ap. Pap. ep 375. 376. 386. & 387.

II. RELATIO CAMPANI DE EO CONVENTU.

Ait autem Campanus, amplissimum fuisse conventum, & quantum grandissimi natu Germanorum non recordarentur vidisse: Ad octavum Calendas Iulij, Tridentinum Episcopum nomine Cæsaris oratione Germanica, quam evestigiò, ut externi quoque oratores, qui frequentes aderant, intelligerent, Latinè est interpretatus, causam aperuisse indicendi conventûs, præteritas vicelicèt Christianorum calamitates, & recentem Carniolæ (quæ provincia erat patrimonij Imperatoris) funestissimam à Turcis cladem: ac post exaltatam nationis Germanicæ fortitudinem, résque præclarè pro Ecclesiâ & Imperio gestas enarratas, hortatum esse ad partæ à majoribus gloriæ conservationem, imminentium periculorum propulsationem, & religionis Christianæ defensionem. Post Tridentinum, Legatum Cardinalem Senensem gravi oratione propositum Cæsaris, & Principum adventum commendâsse; egisséque gratias Pontificis nomine universis, hortatum ut quam spem Christianis ex conventu porrexissent, eam sumendis armis exhiberent. Ad quos vehementiùs impellendos, habuit & ipse Campanus Episcopus elegantissimam juxtà ac longissimam orationem, plenam (ut brevissimè describit Krantzius) laudibus Germanorum, plenam antiquitatibus, unde acceptis incertum. Talem fortè, qualem ipsemet[c] Papiensi referebat parare se; quam scilicèt Italia legeret, Germania non caperet, propter incredibilem ingeniorum barbariem, cùm rarissimi nossent literas, nulli elegantiam. Extat ipsa inter cætera ejus operâ; digna omninò auctore: qui[d] (ut hâc occasione eum breviter describamus) rusticâ matre, opere fessâ, in agro sub lauro partus, primúmque ovibus pascendis à patre destinatus, posteà loquaculus æditui sacerdoti in famulatum datus, Latinis se exercuit literis; evasítque poëta & orator egregius, adeò ut Perusinæ Scholæ præfecturam adeptus posteà fuerit, atque eâ civitate donatus. Pióque deinde Pontifici gratus ob similitudinem studiorum, Episcopatum primùm Crotoniensem in Calabriâ, deinde Teramensem in Præcutinis sive Aprutio, uberiorem accepit. Cætera de illo fortè in ejus obitu, qui contigisse dicitur anno 1477.

[c] Ap. Pap. ep. 377.

[d] Volat. anthropol. lib. 21. Iovi. in Elog. Mich. Fernus in Vit. Camp. quæ ext. in pr. ejus oper.

CUJAS ET QUIS FUERIT CAMPANUS.

III. Auditis orationibus (ut pergit ille) Principes paulùm segressi atque inter se locuti, gratias Imperatori egerunt, quòd aliquando Germanicæ libertatis & publicæ salutis curam suscepisset: se paratos per omnia vitæ fortunarúmque discrimina illius imperium sequi: ituros in expeditionem, si ipse aut iret, aut juberet iri; missuros, si juberet mitti. Postridie pari frequentiâ convenientibus omnibus, oratores Ducis Burgundiæ, cùm post legatos Electorum collocati, atque ideò despecti priori consessu visi sibi fuissent, redire in subsellia recusârunt. Electores qui aderant absentibus collegis, quamquam summâ cum modestiâ, dignitatem tamen communem tuebantur. Burgundi potentiam sui Principis & in Galliâ & in Germaniâ maximam; Electores parem nobilitatem, ac vetustum morem objiciebant, séque è corpore Imperatoris cùm essent, ne Regibus quidem, siqui adessent, cedere oportere contendebant. Quæ contentio cùm tres penè horas consumpsisset, non anteà est sublata, quàm Burgundi alteris subselliis ad frontem Cæsaris inter oratores regios locarentur. Túmque demùm & ipsi auxisse Principis sui dignitatem, quòd in ordine absentium Regum sederent; & Electores servâsse æstimationem suam, quòd exclusi à primis subselliis Burgundi essent, videbantur. Vbi omnes consedêre, primi Burgundi surrexerunt: quorum

CONTENTIO DE PRÆCEDENTIA INTER ORATORES ELECTORUM ET BURGUNDI.

unus locutus est oratione ideò parùm accommodatâ quòd plus in criminando Rege Gallorum, quàm in proposito juvandi belli visus est occupari: pauca tantùm adjiciens ad rationem belli, quæ tunc ibi potiùs excogitata, quàm domo adducta viderentur.

IV. VENETORUM ORATIO.

Altera fuit oratio Pauli Morecini Venetorum oratoris, brevis & collecta: certâsse cum Turcis Venetos annos jam ducentos, eorúmque vires atque impetus solos & in Thraciâ & Illyrio sustinuisse: crevisse nunc hostem, factúmque ex alienâ somnolentia magnum: nec tamen desperandum esse, modò eo sint animo Germani, quo quisque esse debeat ad vitam suam, libertatémque suorum defendendam: Habere se permagnam classem, & præsidia per Illyrium Græciámque disposita: juvari & à Ferdinando Apuliæ Rege maritimo bello; si juventur terrestri à Germanis, brevi & futuros ipsos in tuto, & cæteros extra periculum posituros: Misisse Ferdinandum tres & viginti triremes, quatuórque naves onerarias in augmentum classis, & alias propediem esse missurum: ipsos triremes sexaginta, navesque aliquot instruxisse, centum triremibus ac duodeviginti rostratis navibus bellum maritimum aggressuros: si terrâ quoque distraheretur hostis, utrobique laboraturum; postulata post hæc aliqua subsidia ab Imperatore fuêre, sed valdè præpostera, & quæ (ut Campanus ea proponens ait) ostenderent remissiorem futurum eum ad hanc expeditionem; ac de præsentibus privatis suis periculis solicitum, parùm de futuris cogitare. Subdit Campanus nonnullas aliquot Principum Germanorum contentiones in Conventu agitatas Et quod præcipuam ejus cogendi causam spectat, ait decimâ-nonâ Iulij post multam consultationem, demùm consensu omnium decretum esse, ut quisquis proventus annuos mille aureorum haberet, is equitem unum conduceret, peditem qui quingentos; cæteri proportione fortunarum ad eam summam: ubi verò de proventibus ea ratio haberi nequiret, de capite haberetur, ut cui mille essent aurei, quinquaginta habere in proventibus censeretur, atque eâ computatione contribueret. Fieri posse hoc modo ingentem exercitum, & facillimè sustineri etiam longissimum bellum. Fuisséque qui affirmarent, si ad unguem res exigeretur, ducenta propè hominum millia cogi posse. Post hæc dormitum egregiè esse: Imperatorem clausis oculis optimo permansisse proposito: nihil tam sonorum, tam strepens, quo ille excitaretur: nihil tam magnum atque arduum, quod se facturum non prædicaret: si tam benè pugnaturus olim foret, quàm nunc sterteret, victurum omninò esse. Ita ludit ille seriò.

DELIBERATIO CONVENTŪS.

V. GEORGII BOEM. REGIS OBITUS.

Dum igitur dormiunt illi eo modo atque stertunt, nobis ad alia quæ intereà contigerunt stilum convertentibus, imprimis sese offert obitus *Georgij* Boëmorum Regis hæretici, atque à Sede Apostolicâ depositi. Qui cùm de successore sollicitus, postquàm animadvertit impossibile sibi esse uni ex filiis regnum dimittere, (cujus rei gratiâ, & ut à tot afflictionibus quibus obruebatur liberaretur, præ se pluries tulit desiderium eidem Sedi reconciliari: quod & paulò ante obitum verè & ex animo quæsîsse, Cochlæus [e] existimavit; in ejus obitu Historiam suam de Hussitarum hæresi finiens:) nunc in Polonum ex promisso, nunc in Hungarum spe recuperandi Victorini filij quem is captivum detinebat, & regnum quoad viveret retinendi, inclinaret: demùm ex insperato tumore pedum in reliquum corpus pervadente, extinctus hydrope est die vigesimo-secundo Martij: cum illum diebus quindecim omnium ejus malorum auctor Ioannes Rockysana perfidus hæreticus morte præcessisset. Scribitque Michovius [f], in felle Georgij repertum esse lapillum ovo columbino similem, & abdomen quantitatis palmæ, mediámque hepatis partem corruptam. Sepultus est autem Pragæ in conditorio Regum, levi pompâ. Post cujus obitum cùm in regni Comitiis dissedissent Boëmi de successore ei dando, vicit tandem pars *Wladislai* primogeniti Regis Poloniæ, quindecim tantummodò annorum adolescentuli, sed egregiâ virtute & magnâ expectatione, filij sororis Ladislai Regis; qui Georgium præcesserat. Qui missus à patre cum validis copiis, ne interciperetur à Matthiâ Rege Hungariæ, ægerrimè ejus electionem ferente, coronatus & unctus est Pragæ 21. Augusti, & ab Episcopis Catholicis. Hæc pluribus auctores Poloni [g]. Attingit & Boëmicus [h], sed de more confusè: subjungens continuò confirmationem regni ab Imperatore concessam Wladislao, quæ non nisi post plures annos facta est. Bonfinius [i], qui male obitum Georgij anno præcedenti posuit, ait Matthiam prædictam Boëmorum repulsam impatientiùs ferentem, quòd jam olim auctoribus Pontifice & Imperatore Rex à Catholicis Boëmiæ vivente Georgio acceptus fuisset; quamvis sævum de Turco nuncium accepisset nova in Hungariam moliente, nihil tamen de irâ & ultione in Boëmos remisisse, quin eos vastationibus & populationibus afficeret. Cùm ex aliâ parte factâ in eum à plurimis Antistitibus & proceribus Hungariæ conjuratione ob nimiam tributorum exactionem, & sævitiam in subditos, ac belli Turcici præ Boëmico desertionem; iidem Casimirum secundum Regis Poloniæ filium sibi in Regem poposcerunt. Qui à patre cum potenti exercitu missus in Hungariam, cùm non promissa auxilia, fidémque reperisset, progrediente adversus eum Matthiâ, turpiter coactus est retrocedere fine præsentis anni: ut videre est in commentariis prædictorum scriptorum.

WLADISLAUS REX BOEM. ELIGITUR.

MATTH. HŪGARI INDE AMARITUDO ANIMI.

VI. EDUARDUS RURSÙM OCCUPAT REGNUM ANGLIÆ.

Hoc eodem anno mense Martij Eduardus pulsus Angliæ Rex, clandestinis suorum literis in regnum revocatus, & nonnullis Caroli Ducis Burgundiæ sororij sui auxiliis munitus, in patriam reversus, primò appulit ad littus Eboracensis agri, qui avitus erat principatus ejus. In urbem autem recipi petens, non priùs auditus est à civibus, quàm ad sacratissimam hostiam jurâsset se cives benignè habiturum, & Henrico Regi imposterùm fidelem fore. Qui tamen tantum aberat, ut illud de Henrico servare in animo haberet, ut etiam nihil priùs sibi curandum statuerit quàm illum persequendum, ac de regni possessione deturbandum. Sic enim perfidiâ partum semel regnum, perjurio recuperari debuit. Existimátque Polydorus [k] qui hæc scribit, hujus demùm perjurij vindictam etiam in istius Eduardi progeniem cecidisse. Copiis igitur mox auctis, cùm adversarij segniùs initio age-

[e] *Cochla. lib. 12. in fin.*

[f] *Michov. l. 4. cap. 62.*

[g] *Michov. ibid. Crom. lib. 27.*
[h] *Dubrav. l. 30. & 31.*
[i] *Bonfin. 4. dec. 2.*

[k] *Polyd. l. 24.*

rent, multique ad eum concurrerent, atque imprimis Dux Clarentiæ frater ejus, qui cum exercitu apud Londinum erat: receptus item à Londinensibus, ibi Henricum Regem in ædibus Episcopi solum relictum cepit, rursúsque in custodiam tradidit tertio Idus Aprilis. Accurrentem deinde WarWicensem prælio vicit; necavítque. Demúmque Margarita Regina Henrici uxor, quæ audito Eduardi in Angliam reditu, cum non mediocri exercitu ex Galliâ in insulam cum Eduardo filio quàm citissimè transmittere voluerat, adversâ maris tempestate tardata; ubi appulsa audivit & viri captivitatem, & WarWicensis necem, copiásque aut deletas aut dissipatas; de meliori fortunâ desperans, Ducis tamen Somersetensis & aliorum nonnullorum procerum amicorum suasionibus eam denuò tentare invita consensit: sed pugnâ factâ, tam ipsa quàm filius & Somersetensis capti sunt cum pluribus proceribus; qui omnes, præter Margaritam & filium, mox capite cæsi sunt: Ipséque Eduardus filius adolescens præstantissimus, cùm interrogatus ab Eduardo Rege cur ejus regnum ingressus esset cum armis, præsenti animo respondisset se avitum regnum recuperaturum venisse; submotus ab eo manu, evestigiò à Ducibus Clarentiæ & Glocestriæ Eduardi fratribus crudeliter trucidatus est, ut quidem Polydorus scribit: cùm tamen Comminius [l] dicat, ipsum in prælio occisum fuisse. Margarita non multò pòst pretio redempta in Galliam reversa, in perpetuo mœrore jacuit. *Henricus* Rex in Turri Londinensi ab eodem sicario Duce Glocestrensi gladio pariter percussus fuit; Princeps piissimus ac Deo charus, miraculis tam in vitâ quàm præcipuè post mortem illustratus: martyrio affectus decimo Calendas Iunias, anno à suscepto primùm regno trigesimo octavo, vitæ quinquagesimo-secundo; ut Polydorus ait, egregias ejus virtutes pietatémque pluribus prosecutus: diligentiúsque Harpsfeldius [m], inter miracula etiam mortuorum quorundam ad vitam revocationem recensens: & cùm primò sepultus fuisset ad Chartesiam Benedictinorum Cœnobium, inde posteà translatum Windesoram, ubi natus erat, in Ecclesiam S.Gergij, longè crebrioribus ac celebrioribus ibi coruscâsse signis. Ex quo & factum esse tradunt, ut Henricus VII. Rex Angliæ eum inter Sanctos referendum apud Alexandrum VI. & Iulium II. Pontifices curare cœperit: sed morte antequàm debita inquisitio perfecta fuisset ab eo obita, id officium præstare nequiverit. Fuit Henricus inter alia pia opera auctor Collegij Regij Cantabrigiensis, quod disciplinarum cultu florentissimum fuit quamdiù fides Catholica in Angliâ viguit. Percussor ejus ac parricida, parricidiique auctores, cùm deinde non habuissent inimicos, in quos sævitiam explerent, in se ipsos, ut suis locis declarabitur, conversi, proprio sanguine suas polluêre manus. Atque interim quoscumque ex adversariis intercipere potuerunt, aut morte, aut vinculis, aut aliis suppliciis & vexationibus affecerunt: solis ex Henrici propinquis manus Eduardi effugientibus Gaspare Comite Penbruchij, & Henrico Comite Richemundiæ adhuc puero: qui cùm ad Regem Ludovicum in Galliam navigarent, vento in minorem Britanniam delati, humanitérque à Duce excepti, à petente illos enixè Eduardo servati sunt; ipséque Henricus postmodùm Rex fuit ejus nominis VII.

[l] Commin. lib 3.cap 7.

HENRICI ANTIQUI REGIS MARTYRIUM, ET MIRACULA.

[m] Harpsfeld. Hist. Eccles. Angl. sac. 15. cap. 4. & 5.

VII.

In Hispania [n] novâ tentatâ viâ factiosos Præsules sanandi, atque Henrico Regi conciliandi, cui erant vel maximè infensi; factum est apud Pontificem, ut Ariæ Segobiensi Romam dies dictus sit, ex eo quo denunciatio facta esset nonagesimus: Toletani cognitio quatuor sacerdotibus data, quam Romam mitterent; verùm ne quod jussi erant præstarent, ab aliis factiosis impediti sunt. Prævaricatio namque eâ tempestate ibi ignominiosa non erat; inter proceres maximè, nullâ honesti curâ, præ ambitione malâ, cupiditatéque: Felicior verò Aragoniis [o] annus fuit, Gerundâ recuperatâ, fusis hostibus. Necnon Lusitanis: quorum Rex Alfonsus instructâ numerosâ classe, omninò navigiorum majorum minorúmque trecentorum, cum triginta armatorum millibus, in Africam trajiciens mense Augusto, brevi Arzillam & Tingin nobiles urbes cepit; atque impositis eis præfectis, classem incolumem in patriam revexit.

[n] Marian. lib.23.c.16.

DE REBUS HISPAN.

[o] Id.cap.17.

VIII.

Romæ hoc eodem anno (malè Trithemius [p] sub præcedenti ponit) Borsius Atestinus sive Estensis Marchio, Dux Mutinensis, de Ecclesia optimè meritus, splendidissimo apparatu, qualem nullum eo sæculo visum tradunt [q], Vrbem ingressus, medius [r] inter Cardinales Aquileiensem, (Marcum Barbum Pauli Pontificis patruelem, Presbyterum tituli S.Marci) & Mantuanum (Franciscum Gonzagam, Diaconum tituli S.Mariæ Novæ) à portâ Flaminiâ in palatium Pontificis traductus; post alios ei honores exhibitos, postridie Iduum Aprilis, ipsâ die Paschatis inter Missæ solemnia coronatus est à Pontifice Dux Ferrariensis, cujus anteà ditionis Vicarius erat Sedis Apostolicæ. Ritus eâ in re observatos, ac cæteram pompam diligenter descripsit Ioannes Baptista Pigna in Historiâ de Principibus Atestinis. Quod autem ait Trithemius, visum tunc multis fuisse creationem Ducis non ad Papam sed ad Imperatorem pertinere; alioquin si Papæ liceret creare Duces, licere & Imperatori instituere, ut quondam, Episcopos & Abbates: ut paucis dicam, frustrà est tota hæc ratiocinatio. Non enim Pontifex Ducem creavit in ditione Imperiali; sed in patrimonio Ecclesiæ Romanæ, ad quod nihil juris Imperatori à multis sæculis competebat. Creaverat autem Borsium Imperator, ut vidimus [s], primo suo in Italiam itinere Ducem Mutinæ & Rhegij, quæ urbes erant juris Imperij: id ipsum haud dubium de Ferraria facturus, quam æquè Borsius possidebat, si sui juris fuisset. Nec licuit unquam Imperatoribus Episcopos & Abbates ullibi instituere, nisi fortè uti defensoribus, & ut vocabant advocatis Ecclesiarum ditionum Imperij; ratione scilicèt bonorum temporalium, ad quæ sola jura Imperialia ut quàm maximè extendi dici possunt. Cæterùm Borsius hanc dignitatem minimè visus suscepisse, nisi ut eam in familiam Estensem introduceret; quatuor circiter pòst mensibus mortuus est ex morbo decimo-tertio Calendas Septembris: conditus ingenti pompâ in Cœnobio Carthusiensium, quod apud Ferrariam magnifi-

[p] Trithem. in Chron. Sponheim.

[q] Pign. hist. de Princ. Atest. Ciac. in Paul. II.

[r] Papiens. ep.382.

BORSIUS CREATUR I. DUX FERRAR.

[s] Suprà an. 1452. III.

cè constructum opimis fundis dotaverat. Cui successit Hercules frater ipsius naturalis, cùm is liberis careret.

IX. Pauli II. PP. obitus.

Præcessit eum obitu *Paulus* ipse Pontifex; qui ad sextum, ut quidam, seu ad octavum, ut plures, Calendas Augusti noctu apoplexiâ extinctus est, nemine adstante, cùm eo die Consistorium lætus habuisset, hilariterque cœnâsset. Ita namque Platina, ac cæteri quique: Vt diabolicum planè sit, quod à quibusdam hæreticis [t] assertum reperimus, fuisse eum in ipso actu venereo à diabolo strangulatum. Quid facias cum hujusmodi impuris morionibus? Referunt & alia, quæ jam à piis viris [u] diluta fuêre. Quod verò Paulum tangit; si de cæteris ejus rebus (præter illas, quas pro Ecclesiâ & Republicâ Christianâ gestas singulis propè annis retulimus) eos qui de illo egerunt consulas, (nec Platinam quidem excipiens, quamvis dolore plenus non pauca in eum amaro animo scripserit) talem fuisse reperies, ut nec valdè laudandus nec vituperandus dici possit. Laudabilia sunt quæ in ejus Epitaphio apud Onuphrium in additionibus ad Platinam leguntur. Quæ verò in eo desideraverit Cardinalis Papiensis magnus vir, & rigidus morum censor, continentur epistolâ quâdam ad eum [x] scriptâ. Vixit annos quinquaginta tres, menses quinque, dies tres: sedit annos sex, menses decem, dies viginti sex. In quo desiit *Bartholomæus* (ita namque planè nomen ei fuit, ut ex epistolis [y] Papiensis, & Volaterrano [z] intelligitur, non ut multi voluêre *Baptista*) *Platina* Vitas Pontificum describere. Cui succenturiatus accessit *Onuphrius Panvinius* Veronensis Augustinianus, vir diligentissimus, & rerum antiquarum indagator solertissimus. Platina verò à Paulo dirè exagitatus, à Sixto ejus successore Bibliothecæ Vaticanæ præfectus est, & opibus auctus. Quem Volaterranus ait virum fuisse gravem, & procul à mendacio: eóque præsertim admiratione digniorem, quòd jam provectâ ætate, ac tirocinio posito quod totum militiæ priùs tradiderat, literas didicerit. Vitam autem propagavit usque ad annum 1481. quo ex pestilentiâ obiit sexagenarius.

De Bartholom. Platina.

[t] Plessæ. in Myst. iniq.
[u] Gretſ. in Exam. c. 64.
[x] Pap. ep. 281.
[y] Pap. ep. 230. 231. 330.
[z] Volat. l. 21.

X.

Finitis Pauli Pontificis exequiis, ingressi conclave 8. Idus Augusti Cardinales octodecim cùm inter cæteros præcipuè candidati essent Bessarion, Rotomagensis, Vrsinus, & Papiensis; tribus posterioribus à potentioribus exclusis; ab iisdémque Pontificatu certis conditionibus Bessarioni Senatûs principi oblato, negavit ille pacto aliquo eum obtinere velle. Quare illi severitatem ejus stomachati, ad *Franciscum Ruvereum* Presbyterum Cardinalem S. Petri ad Vincula vota sua convertentes, cùm ab eo omnia quæ postularent obtinuissent, mane ad quintum Idus Augusti scrutinio facto curârunt eum in Pontificem eligi: patriâ Savonensem Ligurem, patre Leonardo de Ruvere, matre Luchinâ Munlionâ, natum Cellis pago maritimo, quinque passuum millibus distante à Savonâ, cùm eò parentes fugissent vitandæ pestis causâ: sive fuerit familiâ nobili, ut Onuphrius in ejus Vitâ contendit; seu potiùs ut alij obscurâ, cujus & patrem, ipsummétque piscatorem [a] fuisse velint: Baptista Fulgosius [b], nauticam exercuisse. Denique Bernardus Iustinianus vir gravis & disertus, Senatúsque Veneti ad ipsum pro obedientiâ præstandâ legatus, oratione ad ipsum habitâ de laudibus ejus, apertissimè declarat, non eum à majoribus nobilem, sed à seipso ob propriam virtutem & scientiam fuisse. Vt in his quod & in plurimis aliis accidere potuerit: ut scilicèt nobilis familia Roborea cernens Pontificem Romanum eodem cognomine, gloriosum duxerit stirpe suæ eum adsciscere; aut verò qui familiæ fuere Pontificis, gloriam suam à nobilis stemmatis origine augendam sibi duxerint. Illud omninò constat, extitisse eum religione Franciscanum, Philosophum & Theologum doctissimum, atque egregiis scriptis [c] illustrem; ex Ministro generali sui Ordinis factum a Paulo Pontifice absentem, annittente maximè Bessarione qui ejus virtutem & doctrinam perspectissimam habebat, Cardinalem. Factus Pontifex nomen Sixti ejus nuncupationis IV. assumpsit, quòd die festo Sixti Papæ & Martyris Patres conclave ingressi fuissent: symbolúmque ex Psalmis [d] Davidis cœpit, *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Coronatus apud S. Petrum octavo Calendas Septembris, cum ad basilicam Lateranensem de more ad possessionem adeundam lecticâ veheretur, maximum vitæ periculum adiit; dum Romanis quibusdam civibus ab equitibus Pontificiis pressis, saxis seu casu seu ex composito appetitus est. Fuit autem cùm electus est annorum quinquaginta septem; natus videlicèt anno 1414. 12. Cal. Aug. Est verò de hoc conclavi epistola quædam Cardinalis Papiensis [e], qui interfuit; & quæ fuerint ejus in eo partes, aliorúmque nonnullorum, explicans.

Franc. Ruvereus eligitur in Pont.

Nomen accipit Sixti IV.

[a] Masson. de Vit. Pontif.
[b] Fulgos. de dict. & fact. lib. 3. cap. 4.
[c] Vide infrà an. 1484. in obitu Sixti.
[d] Psal. 120.
[e] Pap. ep. 395.

XI.

Ad [f] rem Ecclesiasticam Christianámque componendam post hæc Sixtus animum adjiciens; ante omnia Concilium Laterani se indicturum ostendit, in quo & res Ecclesiasticæ corrigerentur, & de bello Turcico tractaretur, quemadmodùm Pius Papa II. instituerat. Verùm dum Fridericus Imp. illud Vtini in Carnis indici contendit, Pontifex verò jure id facere recusaret; re in longum protractâ, alia remedia quæri placuit. Patrum igitur consensu, quatuor Legatos summâ cum potestate creavit; Bessarionem Nicænum in Galliam, Rodericum Borgiam Vicecancellarium in Hispaniam, Marcum Barbum Aquileiensem dictum in Germaniam & Pannoniam, qui dissidentes iis partibus inter se Principes ad concordiam revocarent: atque Oliverium Carafam Neapolitanum, qui classi in Turcos paratæ præficeretur. Missique pariter per omnia regna, qui ad bellum Turcicum ex decreto conventus Mantuani decimas Cleri, vigesimas Iudæorum, & trigesimas Christianorum Laïcorum colligerent; indulgentiásque ac privilegia, sive ad id bellum proficiscentibus, sive largientibus, sive quempiam pro se mittentibus concederent: rogatis per literas Imperatore, Regibus, ac Principibus omnibus, ne tam sanctum opus impedirent, quin potiùs modis omnibus adjuvarent: ut de his patet ex literis [g] ad eos à Sixto scriptis. Quatuor verò prædictis Cardinalium legationibus ab Onuphrio recensitis, quintam addit Papiensis [h]: sed quæ fuerit, non exprimit. Aberat tunc ille Româ, missus & ipse statim post Sixti electionem Legatus ad provinciam Vmbriæ seditio-

Sixtus sollicitus de bello Turcor. promovendo.

[f] Onuphr. in Vit. Sixt.
[g] Reg. Vatic. Sixt. IV. & inde ap. Bzov to. 18. in. 1471. 1472.
[h] Pap. ep. 407.

[i] *Id. ep.* 407. 408. 414. 416. 417. 421. 423. 425.

nibus turbatam componendam. Vnde scribens [i] tam ad eosdem Legatos, quàm alios amicos de iis legationibus, déque duorum juvenum Cardinalium creatione ad finem anni factâ; (videlicèt Petri Riarij Franciscani Presbyteri Cardinalis tituli S. Sixti, & Iuliani de Ruvere S. Petri ad Vincula:) & vereri se declaravit ut ambitiosæ eæ legationes aliquid profuturæ essent, (quod etiam exitus demonstravit,) & vehementer conquestus est quòd prætextu levandi Pontificatûs onera, duo illi juvenes contra leges creati essent, quasi in cæteris Cardinalibus ritè olim creatis non reperirentur qui sublevare Pontificem possent: vehementiúsque quòd certas leges in conclavi factas, quas observare deberet futurus Pontifex, mox idem ipse Sixtus, qui plus cæteris institerat ut fierent, tollere quæreret, negans ullis ligari posse Pontificem legibus.

XII. NEPOTES SIXTI QUALES.

Quod verò duos illos juvenes Cardinales attinet, fuit *Iulianus* fratris Sixti Pontificis filius, annorum tunc viginti septem; de quo sæpè inferiùs: fuit enim posteà Iulius Papa Secundus. *Petrus Riarius* Sixti sororis filius extitit, ejúsque alumnus, atque ejusdem Ordinis Franciscani professor; cujus & maximè hortationibus avunculum Romam petiisse certâ spe futuri Pontificatûs tradunt [k]. Qui tantâ auctoritate fuit apud avunculum, ut non solùm ingentibus plurimorum beneficiorum Ecclesiasticorum redditibus auctus fuerit, verùm etiam amplissimâ totius Italiæ legatione honestatus: adeò verò in victu splendidus, ut scribat Onuphrius, eum pecuniæ perdendæ natum esse visum, ac biennio quo tantùm supervixit, ducenta aureorum millia in victu absumpserit, præter sexaginta millia æris alieni: obiiséque voluptatibus confectum annorum dumtaxat viginti octo. De cujus profusâ liberalitate, ludis publicis quibus populum recreabat, conviviis splendidissimis, aliísque ejusmodi excessibus, extat epistola Papiensis [l] post ejus obitum scripta: cùm tamen non destiterit eum viventem de magnanimitate & beneficentiâ laudare [m]. Nam & in eximiâ suâ potestate vim attulisse nemini, omnibus beneficum se exhibuisse, asserit Nicolaus Episcopus Modrusiensis in oratione [n] ejus funebri: ubi inter alia habet, quingentos ferè aluisse domesticos, Antistites, Equites, Doctores, Oratores, Poëtas, aut alicujus alius honestæ artis studiosos: diceréque solitum, se omnium honestorum virorum hospitem esse.

[k] *Addit. Victorel. ad Ciaccon.*

[l] *Pap. ep.* 548.

[m] *Id. ep.* 528. & 529.

[n] *Ap. Victorel. ubi suprà.*

XIII.

Ex his autem intelligas, (quod etiam observat Onuphrius [o]) fuisse Sixtum suorum amantissimum atque indulgentissimum; quorum etiam causâ, multa præter fas júsque egisse & concessisse ait; dum fratrum sororúmque filios, quos multos habuit, ad magnos honores divitiásque atque Principatus provexit; uti eos singulatim enumerat.

[o] *Onuphr. in Vit. Sixt. IV. Vide suprà an.* 1464. XXII.

CANONICOS SÆCULARES IN LATERANUM RESTITUIT.

Initio Pontificatûs in Lateranum [o] Canonicos sæculares reduxit, ejectis inde à Romanis statim post Pauli mortem regularibus: hísque posteà templum S. Mariæ de Pace, à se mediâ Vrbe ex voto ob pacem in Italiâ confectam [p] constructum, concessit: monasterium autem iisdem regularibus apud idem templum posteà Oliverius Carafa Cardinalis Neapolitanus extruxit, & Bibliothecam suam legavit. Eosdémque licèt Laterano pulsos, decrevit [q] nihilominùs Sixtus semper nomen ac titulum & privilegia Canonicorum Regularium Lateranensium habere. Quòd verò admodùm liberalis esset, nec ulli prorsùs negare quicquam sciret; plurimis easdem gratias importunè rogantibus sæpè indulsit. Quâ de causâ, ut litium & discordiarum initia & occasiones tolleret, subsignandis libellis Ioannem Montemirabilem, virum in aulâ exercitatum, & industrium, severiorisque ingenij præfecit, qui non rectè concessa inducere posset. Ac de ejus primordiis modò satis.

[p] *Vide infrà an.* 1483. VII.

[q] *Bull. tom.* 1. *Sixt. IV. constit.* 10. *Pennot. de Cler. can. l.* 3. *cap.* 30. §. 1.

XIV. DIONYSII CARTHUS. OBITUS.

Hoc eodem anno die duodecimo Martij ex hâc vita in cœlestem transiit magnus planè vir, & hujus temporis sanctitatis & doctrinæ fax lucidissima, *Dionysius Rikel* Ordinis Carthusiani domûs Bethleem Ruremundensis in Geldriâ, natus autem in Hasbaniâ & Rikelo Leodiensis diœceseos ignobili vico. Qui Ordinem ingressus anno ætatis vigesimo-primo; quando ipse catalogum commentariorum suorum scribebat, qui intextus est Vitæ [r] ipsius, quadraginta sex annos in eo egerat, ut ipsemet testatur; qui erat annus Christi 1469. Scripta ejus innumerabilia propemodùm sunt; cùm tamen in contemplatione & oratione ita sedulus esset, ut & inde, & quòd multis revelationibus divinis illustratus fuerit, *Extatici* cognomen retulerit. Adeò ut miraculi propè loco haberi possit, aliquid eum potuisse scribere; sicuti & qui tanta scripserit, orationi potuisse unquam vacare: qui etiam veris aliis miraculis tam in vitâ quàm post mortem claruisse dicitur. Sed laudes ejus multi texuerunt: nobis pro corollario modò satis Eugenij Papæ IV. sententiam de illo proferre; quâ cùm ex libris ejus nescio quem sibi oblatum legisset, dixisse fertur *Lætetur mater Ecclesia, quæ talem habet filium.* Quid verò dixisset, si omnes & singulos vidisset? Cùm tamen nemo ferè sine aliquo nævo reperiatur, observat pientissimus & doctissimus Bellarminus [s], cautè eum legendum esse in commentario *de Quatuor novissimis*, circa statum animarum in Purgatorio degentium.

[r] *In fin. commentar. in lib.* 4. *Sent.*

[s] *Bellar. de Script. Eccl.*

XV. THOMÆ A KEMPIS OBITUS.

Eodem quoque anno octavo Calendas Augusti ex hâc item mortali vitâ decessit *Thomas de Kempis*, (quod permodicum est in agro & diœcesi Coloniensi oppidum, unde cognomen ei adhæsit) Canonicus regularis Ordinis S. Augustini, anno ætatis suæ nonagesimo-secundo, susceptionis habitûs sexagesimo-tertio, sacerdotij quinquagesimo-octavo. Qui tantum sibi nomen, tum ex vitæ sanctitate etiam miraculis illustratâ, tum ex pluribus piis libellis ab eo scriptis, tum verò maximè ex aureo illo ac planè divino, notissimóque commentario *de Imitatione Christi*, quem universæ nationes, ipsæque barbaræ, adeò suspexerunt ut linguâ suâ loquentem habere gestierint: ut frustrà fuerit, aliquid ampliùs in ejus commendationem addere. Sicuti & inutili labore fatigârunt sese, ac porrò fatigare pergunt, qui prædictum commentarium alicui alij quàm ipsissimo ipsi adscribere voluêre.

XVI. AMADEI LUSITANI APOCALYPS.

Longè alius Revelationum promulgator hoc tempore Romæ vixisse dicitur, *Amadeus* natione Lusitanus, Ordine Franciscanus, ex nobilibus familiis Gomesiâ & Menesiâ ortum ducens: qui cùm turpibus amoribus deditus, unà cum [t] Eleonorâ Friderici Imp. sponsâ Romam

[t] *Suprà an.* 1452. *I.*

profectus, cœlestíque lumine illustratus, mondo renuncians, Ordinem Minorum ingressus esset; magnâ sanctitatis opinione claruerit, tam Pontifici, quàm Cardinalibus, cæterísque omnibus charus atque venerabilis: & ex divinis colloquiis atque revelationibus Apocalypsim de Statu Romanæ Ecclesiæ, de Pontifice Angelico, (quem Sixtum hoc anno electum volunt indicari) de mutatione Religionis, Regnorum, & Principum, composuerit; quæ tunc acceptissima, posteà à diversis adulterata primam illam auctoritatem amiserit. Ita enim Lusitani [u], qui in ejus favorem scripserunt. Sed ejusmodi Apocalypsis, sive illam ita verè Amadeus conscripserit, sive alij corruperint, sunt [x] qui per plurimas nugas, fabulas, figmenta, blasphemias, errores, hæresésque revelârunt, ac non solùm irridendas, verùm etiam execrandas proposuerunt. De quibus expectandum erit judicium solertissimi Annalium Minorum compositoris, & accuratissimi scriptorum illorum examinatoris, Fr. Lucæ Wadinghi cùm ad ea tempora pervenerit.

[u] Marc. Vlyssippon. Hist. Seraph. part. 3. lib. 6. c. 30. Vasconcel. de script. Lusit.
[x] Ap. Bzov. Annal. tom. 18. hoc an.

XVII. Hoc item circiter tempore contigit voluntaria abdicatio Dionysij Patriarchæ Constantinopolitani Græci, post sedis annos octo, de cujus ingressu dictum superius [y]. Cui cum malevoli quidam Clerici objectarent, circumcisum fuisse à Turcis quando Constantinopoli captus venditus fuerat: hujus criminationis causâ convocatâ frequentissimâ Synodo, cùm accusatores instarent, ac Patriarcha rem pernegaret, nec tamen omnibus fidem faceret: demùm ut honori suo consuleret, cùm nullum aliud remedium superesset, sublatâ in medio Synodo veste, genitale palàm monstravit, nullum habens circumcisionis signum, sed potiùs virginalis castitatis testimonium. Quare calumniatores probris à Synodo proscissi, ad pedes ejus prostrati veniam postulantes, non solùm ab eo auditi non fuerunt, quamquam Synodi deprecante, verùm anathemate percussi. Ipséque Dionysius Ecclesiam ulteriùs administrare abhorrens, Patriarchatu relicto in monasterium S. Dei-genitricis Cosinissæ se contulit. Atque in ejus locum restitutus est *Symeon* ille Trapezuntius, qui ante eum sederat: cujus sedem etiam hoc anno Onuphrius [z] ponit. Pro quo pescesium cùm solvendum esset, quod in ipsius Symeonis gratiam introductum vidimus; noluit quæstor oblatos mille aureos suscipere; sed dandi fuêre bis mille, quot anteà pro Dionysio soluti fuerant. Egit autem Symeon ampliùs triennium in Patriarchatu: cùm adhuc in Ecclesiâ Latinâ eo munere fungeretur Bessarion Cardinalis. Has autem Constantinopolitanas turbas Ecclesiasticas describunt Zygomalas & Malaxus in Turcogræciâ.

[y] Suprà an. 1461. XVIII.

DIONYSIUS PATRIARCHATUM CŌSTANTINOP. DIMITTIT.

SYMEON RESTITUITUR.

[z] Onuph. in Chron. Eccl.

XVIII. Ingens cometa mense Decembri, & sequenti Ianuario, ac deinceps per octoginta fermè dies horribiliter apparuit igneo colore, in principio Libræ rutilans, ac caudam in longum protendens, & in Septemtrionem paulatim circumflectens. Ita enim eum describit Trithemius [o]. Meminerúntque ejusdem cæterarum etiam nationum historici [p], ac nonnulli distinctiori descriptione: prænuncium autem siccitatis, pestis, bellorum, ac diversarum ejusmodi cladium fuisse, quæ posteà contigerunt. Michovius [q] autem duplicem illum facit, utrumque à se visum alterum nempè in fine autumni præsentis anni diversum ab eo qui sequentis Ianuario apparuit: quos & describit.

COMETÆ APPARITIO.

[o] Trith. in Chron. Sponheim.
[p] Papiens. ep. 425. ad fin. Cor. par. 6. Naucler. gen. 50. Krantz. 13. Vvand. 6. Vverner. at. 6. Crom. lib. 17. Meyer. lib. 16. Bellefor. l. 5. c. 135. & alij.
[q] Michov. l. 4. cap. 62. in fin.

IESU CHRISTI Annus 1472.

SIXTI IV. An. 2.

FRIDERICI III. An. 33.

I. ANNO Christi 1472. Indictione quintâ, emissi Legati Sedis Apostolicæ, de quibus anno præcedenti, primus viam ingressus *Marcus* Cardinalis Aquileiensis, (de cujus vigesimo-secundo Februarij Româ discessu sunt epistolæ [a] Papiensis:) mandata à Pontifice accepit ad Fridericum Imp. ut Advocatum se Ecclesiæ Romanæ atque Defensorem Reipublicæ Christianæ meminisset: ac propterea arma contra Turcum assumeret, inhiantem Hungariæ & Germaniæ. Ad Reges Poloniæ & Hungariæ, de regno Boëmiæ contendentes, ut eos ad concordiam, quantum cum Romanæ Ecclesiæ & Imperialis Majestatis dignitate posset, revocare contenderet, ac Boëmorum hæreticorum audaciam reprimeret. Ad Matthiam Hungariæ Regem; ne timeret desertum se iri à Sede Apostolicâ & Imperatore, à quibus ad bellum contra Boëmos excitatus fuerat: Neque enim Sedem Apostolicam electionem Boëmorum de Polono approbare voluisse: Et quoniam procliviores viderentur Boëmi ad Polonum, fanciendam esse cum illo aliquam pacem; quam arbitrio Pontificis & Imperatoris permittere deberet: Curaturum utrumque ut intestini quoque Hungariæ contra eum motus conquiescerent. Ad Casimirum Poloniæ Regem; haud probè factum, ut qui à Sede Apostolicâ ad capessendum regnum Boëmiæ olim invitatus, recusâsset illud accipere, posteà hæreticis postulantibus filium suum Regem dederit, armáque pro Boëmis contra Matthiam Hungariæ & Boëmiæ Regem sumpserit: Satius fore, pacem & affinitatem inter eos contrahi, datâ Matthiæ unâ ex filiabus suis, ad cujus liberos regnum Boëmiæ devolveretur; vel si liberi nulli suscipe-rentur, defuncto Matthiâ, ad Polonos: Quòd si hanc æquam Pontificis postulationem Polonus negligeret; tum verò Marcus Legatus diploma confirmationis regni Boëmiæ in gratiam Matthiæ promulgaret, cum minis censurarum in Polonos. Hæc enim ita in mandatis ei data esse à Sixto Pontifice, constat ex codice Expeditionum ejus, qui extat in Archivo [b] Vaticano. Cæterùm profectus Marcus in Poloniam, valdè quidem honorificè à Rege exceptus est: at parùm vel nihil pro pace profecit; difficiliorem se ad eam Matthiâ præbente, ob pactam cum Imperatore, quamquam non adeò firmam, pacem. Cum Matthia autem Legatus non nisi per internuncios tunc egit: adeò ut nec minimum de eo verbum apud Bonfinium reperiatur in tractatibus qui inter eum & Polonos habiti de pace fuêre. Diligentiores Poloni [c] in iis recensendis, quoniam Legatum penes se habuerunt. Res autem in sequentes annos per varios induciarum tractatus dilata, quem demùm exi-

MARCI CARD. AQUIL. LEGATIO IN GERM. &c.

[a] Papiens. ep. 436. & 440
[b] Et inde ap. Bzov. hoc an.
[c] Michov. lib. 4. cap. 63. Crom. l. 17.

tum sortita sit, dicetur ibi. Interimque de cæteris legationibus agendum.

II. BESSARIONIS IN GALLIAM.

Bessarion Cardinalis, qui ad Gallicam destinatus fuerat, cùm post eam petitam & acceptam diù hæsisset ob grandem ætatem & invalitudinem, quinimmò eam semel deposuisset; humanissimis deinde acceptis à Rege Francorum literis, quibus gratulabatur ei, & hortabatur ad maturandam profectionem, quam sibi & regno lætam futuram affirmabat: denuò eam resumpsit; sed infelici exitu. Mox enim ut regnum ingressus est, artificiis malignorum Regi cœpit esse suspectus, & ad eum progredi est vetitus. Menses duos ludibrio habitus, tertio ad Regem accedere, & liberè allatam potestatem exercere permissus; cùm plenus spei esset, mox ut illum convenisset, eum cogniturum odij non rationis fuisse suspiciones injectas: admissus tamen, uno atque eodem ingrato colloquio legationem finivit; nullo ad explicandas facultates, quas amplissimas detulerat, loco aut tempore dato. Vnde bonus senex, ob falsam de fide suâ suspicionem videns incassùm isse labores susceptos, relictum in armis regnum, perditam spem magnorum pro bello Turcico & Religione Christianâ subsidiorum; supra urgentem valetudinem etiam animo consternatus, Ravennam à Taurino devectus Pado, ibi decessit. Cujus legationis historiam ita expressam non haberemus, nisi eam Cardinalis Papiensis suis epistolis [d] tractâsset; cùm nullam ejus mentionem apud illius temporis Francos invenerimus, recentiores non nisi ex illo sumpserint. Meminit tamen etiam Phranzes [e] Græcus; sed anno proximo; ut plerumque ejus computus, uti nobis eum Interpres ejus exhibet, uno anno Latinorum chronologiam subsequitur. Quam tamen legationem haud absque aliquâ suâ culpâ Bessarionem suscepisse, idem Papiensis existimavit; cùm ad Decanum Toletanum scribens [f], ait illum, ut in Galliam proficisceretur ad legationem quæstûs & nominis plenam, vendidisse libertatem sententiæ, Pontifici non acquievisse modò in quibus voluit, sed adjutorem etiam fuisse ut juramenta ab eo in conclavi præstita violarentur; & ut crearentur indigni Cardinales magnâ bonorum mœstitiâ, & gravi omnium querelâ. Ita ille: Ad quæ tamen nô dubitamus, quin habiturus fuisset Bessarion suas excusationes; cùm non unus is esset, qui Pontificis voluntati resistere posset. Sed rigidus Papiensis neminem unquam voluisset quâcumque de causâ ab eo quod rectum judicaretur deflectere; & discedere quemque maluisset quàm cedere.

MORITUR RAVENNÆ.

[d] Pap.ep.437. 455.459.488. & 534.

[e] Phranz.l.3. cap.30.

[f] Pap.ep.534.

III. Ejus EXIMIÆ LAUDES.

Fuit Bessarion utrâque linguâ Græcâ & Latinâ eloquentissimus, omnium scientiarum peritissimus, philosophiæ Platonicæ summus defensor contra sequaces Aristotelis. Multáque alia scripsit Theologica, Philosophica, philologica; quæ recensentur ab aliis [g]. Plures alias obivit legationes pro Republicâ Christianâ & Sede Apostolicâ, de quibus dictum suis locis. Et sicuti erat à multis annis Senatûs Cardinalium antiquitate princeps, ita & proculdubiò sapientissimus omnium. De cujus meritissimis laudibus extat panegyricus Platinæ ad Romanos, & præclara Papiensis [h] epistola ad Cardinalem Senensem; cùm nec quam plurimis aliis eas unquam cessaverit extollere: nec quis denique alius ejus unquam meminerit, quin summis præconiis prosecutus fuerit. Quem mortuum lugens amarissimè amicissimum sibi idem Papiensis [i], inter alia plurima, nihil ampliùs habere Romanam Sedem ait, quo gloriari posset; nihil quod ad suum ministerium efficacius inveniret: Ad eum referri solita consilia Patrum, & legationes undecumque advenientes: Sine illo nec operum initia fuisse, nec exitus: totam operum molem illius unius humeris institisse: Singulari fuisse religione, pietate, munificentiâ, animi magnitudine: qui nil humile, nil quod non dignitati conjunctum esset, poterat cogitare: Flendum tantæ jacturæ obitum esse, flendas vices Ecclesiæ, flendam bonorum omnium orbitatem. Duram, duram Galliam, (exclamat post hæc) & impatientem sani consilij, auctricem quoque tanti doloris, & obitûs; quo unquam merito tuo, aut quo sacrificio tanti peccati culpam poteris expiare? Mortuum ait Phranzes decimo-quinto Novembris: alij decimo-octavo, ætatis anno septuagesimo-septimo. Corpus Romam honorificè delatum ad sepulchrum, quod sibi ipse antè paraverat in Ecclesiâ Sanctorum Apostolorum, addito epitaphio. Ad cujus etiam laudem maximè confert, quòd viros doctissimos non solum habuit familiares, verùm etiam in famulatu. Vnde & scribit Iovius in ejus Elogio; cùm habitaret sub Quirinali ad SS. Apostolos, deduci solitum manè in Vaticanum, non exculto quidem & numeroso, sed uno virtutis nomine maximè decoro comitatu, præclarorum Græcæ Latinæque linguæ luminum; putà Georgij Trapezuntij, Ioannis Argyropili, Græcorum, Francisci Philelphi, Flavij Blondi, Leonardi Aretini, Poggij Florentini, Laurentij Vallæ, Antonij Campani, Bartholomæi Platinæ, Italorum: præter Theodorum Gazam, Gemistum Plethonem, Andronicum Thessalonicensem, Domitium Calderinum, Nicolaum Perotum, Valerium Viterbiensem, quos in domestico famulatu habuit: quorum omnium elogia apud Iovium, scriptorum judices apud Trithemium, ipsáque in eruditorum manibus reperire est. Locupletissimam, & librorum Græcorum præcipuè refertissimam Bibliothecam, Reipublicæ Venetæ dono dedit: quam à se triginta millibus nummûm aureorum comparatam, Platina ait. Extátque [k] ejus de hâc donatione epistola ad Christophorum Maurum tunc Ducem & Senatum; necnon hujus ad illum amplissima gratiarum actio. Cùm autem esset etiam Bessarion Patriarcha Constantinopolitanus; ei defuncto subrogatus est à Pontifice *Petrus Riarius* Cardinalis ex sorore nepos; sedente Constantinopoli Symeone Græco: de quo utroque dictum est superiori anno.

[g] Nomencl. Card. sub Eugen. IV. & ap. Ciaccon.

[h] Pap.ep.127.

[i] Id.ep.488.

VIRI DOCTISS. IN COMITATU BESSARIONIS.

[k] Pet. Iustin. Hist. Venet. lib.8. in fin.

IV. REGIS FRANC. ET DUCIS BURGÚD. MUTUÆ INSIDIÆ.

Gallia, quam adierat Bessarion, adeò desperata erat in suis malis, ut non mirum si ejus, quamvis præstantissimi medici, sanari operâ non valuerit. Cùm enim sibi invicem insidiarentur Rex & Dux Burgundiæ, & fallaciis rem agentes, de induciis & pace nonnisi dolosè tractarent ambiente rursùm Carolo Aquitaniæ Duce Regis fratre nuptias filiæ Burgundi, (quam iste tam ei, quàm nonnullis aliis magnis Principibus eam ob tantæ hæreditatis

spem

spem procantibus, non tam promittebat, quàm non negabat, ut harum nuptiarum expectatione eos in amicitiâ contineret:) facta est iterùm conspiratio in Regem à Ducibus Aquitaniæ, Burgundiæ & Britanniæ, & fœdus armorum initum. Quo cùm se valdè periclitari Rex animadvertisset, ad solitas artes conversus, dissociare illos studuit: ac Burgundum, immenso desiderio æstuantem recuperandi Ambianum & S. Quintinum, pollicitatione restitutionis eorum induxit ad mutuum fœdus ineundum, quo Burgundus renunciabat fœderi ceterorum duorum Ducum: eo tamen animo ut quamprimùm oppida illa habuisset, apud Regem instaret pro pace cum ceteris; quam si denegaret, tum is fœdus cum iisdem contra Regem innovaret. Sicque juravit pacta Burgundus, animo non servandi: Rex verò; quamvis ejus legati jurâssent, ipse tamen ea confirmare de die in diem distulit, donec videret quorsùm gravissimus fratris morbus evaderet, ut si moreretur, pollicitis nequaquàm staret; sin convalesceret, Burgundo satisfaceret. Mortuo verò interim fratre Burdegalæ quarto Idus Maij, (veneno ab Abbate Angeliaco ipsius eleemosynario, & ut plerique existimârunt, impulsore Rege, sublato; qui Abbas [l] ductus captivus Nannetes, in turri quadâ justo Dei judicio fulmine ictus periisse dicitur; non solùm totam Aquitaniam Rex iterùm recepit, verùm etiam duo illa oppido à Burgundo concupita retinuit: denique & Britannum donis & pensionibus sibi ascivit; Burgundo tantùm non ex his insaniente: qui furore agitatus, nonnulla oppidula Regis cepit, infames & infidas in iis sævitias, etiamque intra ecclesias exercens: ab obsidione verò Belvacensi cum dedecore & magnâ suorum cæde repulsus, post quædam alia levia gesta, & consuetos tractatus, magnâ confusione ad sua se recepit; ac demùm ab omnibus Francis derelictus, Anglos in Galliam adversus Regem evocavit: de quibus dicetur posteà. Hæc autem præter Historiam Ludovici Regis, & Gaguinum [m], dilucidè tractat Comminius [n] qui iis interfuit, & hoc anno, dimisso & ipse Burgundo, ad Regem se contulit, ab eo accersitus cùm ob hominis prudentiam; tum ob præstitam ipsi operam dum Peronæ penè captivus detineretur: quem & divitiis auxit, & honorificis muneribus ornavit, ac plerisque legationibus exercuit. Ita enim callidissimus Rex, quos prudētes & industrios, fortésque viros, quâvis ex regione, & ex quorumcumque servitio, eósque præcipuè qui apud ceteros Principes auctoritate & consilio pollebant, quantalibet mercede sibi comparare consueverat; aut saltem benevolos reddere, per quos secreta Principum scire posset.

CAROLI FRATRIS REGIS OBITUS.

[l] Meyer. lib. 17. Bellefor. lib. 5. c. 136.

[m] Gaguin. lib. 11.
[n] Commin. lib. 3.

V.

Qui etiam hoc eodem anno [o] Calendis Maij, ut se quoque pium declararet, publicâ supplicatione Parisiis fieri jussâ, instituit item præcepit, ut campana ad meridiem pulsaretur, ac populus poplite humi deflexo Angelicam Salutationem obtinendæ publicæ pacis gratiâ devotè recitaret. Quamvis enim dicatur à nonnullis hoc instituisse ad fingendam pietatem, (ut erat in omnibus solertissimus) re tamen verâ pium ac religiosum in obsequium Beatissimæ Virginis animum gessisse, nec fuisse à pietate in Deum & cultu Sanctorum alienum, plures consentiunt, súntque plurima ejus opera quæ confirment. Quòd verò eodem die post supplicationem peractam, *Guillelmus Quadrigarius* sive *Charterius*, Episcopus Parisiensis vir pius & doctus, repentinâ morte obierit, & Rex infensus ei, quoniam in conjuratione Boni publici visus fuisset favere Regis inimicis, jusserit in ejus tumbâ memoriam ejus rei incidi, (quod tamen licèt incisum fuerit, haud eam tumbam sepulchro impositam esse, metu seditionis populi qui Episcopum penè ut sanctum colebat, tradunt:) inde non levis conjectura sumpta est, fuisse eum arte Regis veneno sublatum. Fratrem autem hic Guillelmus habuit [p] *Ioannem* monachum scriptorem Chronicorum tribus voluminibus, quæ vulgò dicuntur *Magna Chronica Dionysiana*: aliúmque *Alanum*, secretarium & scriptorem rerum Caroli VII. Regis patris Ludovici.

[o] Hist. Ludov. XI. Gaguin. l. 11.

[p] Gall. Christ. Episc. Paris. num. 98.

Ceterùm ne putaretur Rex, Bessarionem non audiendo malevolo esse in Pontificem animo, aut defensionem fidei contra majorum suorum consuetudinem negligere; legationem misit ad Sedem Apostolicam, cujus princeps extitit Theobaldus Lucemburgius Episcopus Cenomanensis monachus Ordinis Cisterciensis. Auditum eum fuisse in Senatu Pontificis & Cardinalium die octavâ Iunij præsentis anni, Papiensis [q] qui aderat scribit: sed quid attulerit, non apponit; nisi verba utrimque à Pontifice & Episcopo nonnulla dicta esse, plena tamen modestiæ. Rex verò ex libro Expeditionum Sixti referant alij [r] nempè Concilium petiisse Lugduni celebrandum, ad quod Principes Christiani convenirent, vel depositis omnibus simultatibus auxilia communia religioni decernerentur: Rogâsse, Archiepiscopum Lugdunensem Carolum Borbonium regio sanguine ortum, cœtui Cardinalium annumerari: neminem Gallum invito vel inscio Rege eo honore affici: Ecclesiis Gallicanis non nisi viros Regi gratos præfici; minorum beneficiorum collationem Ordinariis saltem alternis mensibus relinqui: taxas eorum vacantium ad præscriptum Concilij Constantiensis reduci: causarum cognitionem in primâ instantiâ ad Curiam non evocari: Clerum penè exhaustum ad sacram contributionem non cogi: leges quasdam Sanctionem pragmaticam concernentes, ad petitionem trium Ordinum regni moderari, vel explicari. Ad quæ respondisse Pontifex dicitur; de Concilio intempestivam esse petitionem, quippe rem longissimi temporis, cùm præsentes Turcici motus præsens auxilium deposcerent: ceteros Principes operam suam aut jam exhibuisse, aut in procinctu esse: ne igitur differret ipse suā in adeò sancto opere, nec decimas à clericis regni sui, & eleemosynas à fidelibus colligi prohiberet; benignitatis Apostolicæ testimonia in ceteris quæ ex æquo postularet experturus. Quam & mox exhibuit constitutione editâ septimo Idus Augusti de beneficiis & gratiis, ac causis vertentibus, & taxis beneficiorū; quæ extat inter Extravagantes [s] cōmunes. Quam tamen minimè effectū sortitam esse volunt, quòd juri communi & decretis Conciliorū Cōstantiensis & Basileensis contraria esset. Archiep. autem Lugdunensis quarto abhinc anno Cardinalis creatus est, quinimmò & factū esse hoc ipso anno Avenio-

VI. LUDOVICI REGIS LEGATIO AD PONTIF.

[q] Pap. ep. 450.

[r] Bzov. hoc an.

[s] Extravag. com. lib. 1. tit. 9. cap. 1.

[t] In Reg. Vat. & inde apud Bzov. ibid.

nensem Legatum, ex epistolâ [t] Sixti intelligitur.

VII. Roderici Borgiæ legatio in Hisp.

Inter hæc alius Legatus Sedis Apostolicæ in Hispaniam destinatus *Rodericus Borgia* Cardinalis Vicecancellarius, genere & natione Hispanus Valentinus, ejusdémque civitatis Episcopus; ad 12. Calendas Iunij patrium littus tenens, (ut Mariana [u] refert) omnibus officiis, ut par erat, cultus est. Orationémque ad clerum Ecclesiæ suæ habuit: quam à Cardinale Papiensi compositam, quòd fortè Rodericus minùs aptus ad id esset) intelligimus ex eodem Papiensi, inter cujus epistolas [x] illa inserta est. Quid eâ legatione egerit, pauca Mariana, præter honores ei exhibitos: in Castellâ subsidium ægrè obtinuisse in bellum Turcicum à Clero apud Madritum convocato: Componendis verò dissidiis magnâ contentione adhibitâ, parùm profecisse, quòd in Ferdinandum Aragonium, quem Rex Henricus ob ductam se invito sororem, persequebatur, ex arcano propensior, ad confirmandam ejus causam omnes nervos contenderet, etiam proceres à Rege deducendo, ingenio fretus ad simulandum dissimulandúmque idoneo. Addit Surita [y] diploma dispensationis Apostolicæ prædicti incesti matrimonij, Archiepiscopo Toletano, qui seditiosorum princeps erat, contulisse, quo & illud ratum (si ita videretur) denunciaret, & unà cum sorore ad regnum Castellæ idoneum declararet: cum Rege Aragoniæ, & oratoribus Eduardi Regis Angliæ & Caroli Ducis Burgundiæ, qui commodum ibi adfuêre, tractâsse de rationibus sacri belli & fœdere contra Ludovicum Galliæ Regem: (quod certè non habebat in mandatis; sed jam tunc habuisse in corde, quòd posteà factus Papa Alexander VI. eructavit in Gallos hinc intelligi datur:) Denique his operæpretiis peractis, Regéque Henrico adeò irritato, ut oratorem ad Sedem Apostolicam destinârit, qui de ejus in se injuriis expostularet ac quereretur, Romam revertisse.

[u] Mar. lib. 23. cap. 18.

[x] Ap. Pap. ep. 441.

[y] Sur. Annal. lib. 18. c. 40. & seqq.

VIII. Infamis ejus descriptio.

At nemo est, qui ejus integram legationem meliùs noverit, & disertiùs descripserit, Papiensi, qui eum intùs & in cute novit, amicitiamque cum eo coluit, & quæ vidit literis ad utilem posterorum memoriam sincerè mandavit. Qui scribens [z] ad Franciscum Decanum Toletanum, de prædictis ambitiosis legationibus Gallicâ & Hispanicâ, quas semper ipse improbaverat; post illa de Gallicâ Bessarionis dicta, quæ superiùs retulimus, de Hispanicâ ista ait; Vicecancellarium nactum Pontificem artibus & corruptelis suis creatum, concupitam diù in patriam profectionem facilè impetrâsse, ut honoratus iret, ut populis se visendum præberet, ut ex tribus regnis (Castellæ, Aragoniæ, Lusitaniæ) omnifariam messem commeteret. Aditum legationi pecuniâ redimentē primò Valentiam navigâsse, inde in ulteriorem Hispaniam transiisse: utrobique multa vanitatis, & luxûs, & ambitionis, & avaritiæ documenta relinquentem, nullo eorum perfecto, quod sibi ad nomen legationis prætenderat, odio Principum & populorum renavigâsse Romam. Ante ostium Auserici fluminis Octobris die decimâ (anni scilicet proximi) ingenti ortâ tempestate, conflictatis diù quatriremibus duabus, in quibus ipse & familiâ cum omni prædâ Hispanica vehebatur; alteram lacrymabili damno ante oculos ejus depressam esse: alteram, quæ sua erat, disfractâ jam puppe, cùm haud procul exitio esset, remissis paululùm ventis ægrè in portum Liburnum laceram ac vexatam protrusam esse. Præter ceteram turbam, quinque & septuaginta ex familiâ periisse: inque iis Episcopos tres, Iureconsultos ampliùs duodecim, equestris ordinis sex.

[z] Pap. ep. 534.

IX. Expeditio maritima Cardin. Caraffæ.

Quarta restat Legatio maritima *Oliverij Caraffæ* Cardinalis Neapolitani; quam pariter ex Papiensi habebimus. Quinto Calendas Iunij die solemni Corporis Domini (ut narrat) manè adstante Pontifice in basilicâ S. Petri, ipse operatus sacris, vexilla triremium ex more benedicta in magnâ frequentiâ hominum de manu Pontificis sumpsit, & pransus est apud eum. Ad horam vigesimam (Romano computo; quæ ea anni tempestate respondet circiter tertiæ pomeridianæ) idem Pontifex comitantibus Cardinalibus Legatum duxit ad classem, quæ paulò infrà eamdem basilicam in medio Tiberi subsederat. Ascendit prætoriam, & à puppi ex loco edito benedixit item triremibus, & Legato, & familiæ, & omni nauticæ turbæ: iisdem sive in prælio, sive alio casu vitâ migrantibus, plenam peccatorum remissionem indulgens. Complexus inde Legatum in triremi eum dimisit, & ad Vaticanum occidente jam sole reversus est. Ita Papiensis. Fuit autem classis, ut Onuphrius [a] habet, quatuor & viginti triremium, quæ juncta est Venetæ quinquaginta triremium, & regiæ Ferdinandi item viginti quatuor quamvis Iustinianus [b]. Pontificalem viginti, regiam decem & septem, Venetam sex & quadraginta, duasque Rhodias additas scribat; ut essent omnes simul quinque & octoginta. Sicuti & Coriolanus Cepio Dalmata, qui aderat triremis præfectus cum Petro Mocenico classis Venetæ imperatore, in rebus [c] ejus hoc bello gestis, quas memoriæ mandavit, pariter scribit fuisse omninò cùm in unum convenerunt in Ægeo mari, quinque & octoginta; sed Pontificis novemdecim, Regis septemdecim, Rhodiorum duas, Venetas quadraginta septem. Ne tamen gratis putemus Ferdinandum suam classem instruxisse, aut à persecutione Ecclesiæ Romanæ, cujus subditus erat, destitisse; fuerunt ei ad principium huius anni multa præstita, quæ nobis Papiensis [d] referat. Siquidem (præter investituræ quam Pius II. concesserat confirmationem, de quâ est ejus [e] diploma;) redditus est ei Ducatus Soranus, de cujus controversiâ dictum aliàs, & condonatus regni census, tam qui à quamplurimis annis jam à tempore Alfonsi patris ejus debebatur, quàm qui vivo illo poterat in futurum deberi. Pro quibus tamen triremes duas ad custodiam Romani littoris continuè exhibere, & Romanam Ecclesiam suis temporibus tueri suis sumptibus spopondit. Et ut denique videas haud defuisse carnem & sanguinem ad hæc Ferdinando præstanda, neptis Regis desponsa est in matrimonium nepoti Pontificis Præfecto Vrbis, cum dote prædicti Ducatûs Sorani.

[a] Onuph. in Sixt. IV.

[b] Pet. Iustin. lib. 9.

[c] Ext. post Chalcond. edit. Clauser.

[d] Pap. ep. 439. 440.

[e] Vid. Epit. Bar. an. 1097. XXXVI.

X. Quid ea expeditione

Quid autē præstiterit prædicta tanta classis, tantâ sollicitudine parata & instructa, & præclaris ducibus recta; paucis verbis Onuphrius expedivit, dicens nihil præclarè gestum esse

PRÆSTITUM FUERIT.

nusquam prodeuntibus ex Bosphoro in Ægeũ hostibus. Coriolanus rem in longum extendens, docet in summâ unà cum eodem Onuphrio, adortos nostros Attaliam, vulgò Sataliam dictam Pamphyliæ urbem, occupato per vim portu, defendentibus eam acriter Turcis, re infectâ abiisse: regium ducem autumni ultimo tempore cum suâ classe domum recessisse: Legatum Pontificium unà cum Venetorum imperatore, priusquàm hiems ingrueret, aliquod egregium facinus edere statuentes, Smyrnam Ioniæ urbem opulentam, sed muris penè destitutam, qui longâ pace corruerant, ex inopinato aggressos, eam facili negotio occupâsse, magnâ prædâ partâ, & incolis abactis, accurrentem in subsidium præfectum urbis, qui tum aberat, consertâ pugnâ prostratum esse: Hisque peractis Legatum revertisse Romam. Mocenicum in Peloponneso ad hiberna substitisse; qui excursionibus dumtaxat & prædis, ignibúsque littora insulásque infestans, nihil in reliquis potiùs quàm aliquid præstiterit. Denique ait Onuphrius, creditum esse, si Christiani hoc anno mari Turcos, quemadmodùm Vsumcassanus Persarum Rex terrâ vexassent, magnam Asiæ partem occupaturos fuisse. Oliverius [f] Legatus ad finem Ianuarij sequentis Romam ovans revertit, duodecim camelos prædâ onustos, & viginti quinque Turcos nobiles captivos totidem generosis equis insidentes in triumpho duxit, vexilla & signa non pauca de hostibus capta circumtulit, partémque catenæ ferreæ refractæ in portu Attaliæ ante fores basilicæ Vaticanæ suspendit.

[f] *Insix. in Not. Diar. & ap. Bzov. an. 1473.*

XI. VSUMCASSANI GESTA CONTRA TURCOS.

Quod verò Onuphrius innuit de Vsumcassani progressibus adversus Turcos; de ejus initiis jam diximus [ff] aliàs: de præsenti verò tempore, scribit è Româ Papiensis [g] ad Theanensem absentem decimoseptimo Iulij præsentis anni recitatas fuisse eo die in Collegio Pontificis & Cardinalium literas ex Græciâ, quibus significabatur Vsumcassanum expugnâsse Trapezundam: exercitum ejus esse plusquàm sexcentorum millium: pervagaturum mox reliquam Asiam: Turcum non eo animo se expedire ad id bellum, quo aliquando Christianos invasit; metueréque multùm: ægrâ animâ esse & corpore, ac plurimùm pedibus laborare. Quibus consentientia sunt quæ Michovius [h] scribit de captâ Trapezundâ & toto eo Imperio, cum auxiliis Caramani & Cæsaris Tartarorum; déque mirabili strage Turcorum, cùm haberet in exercitu quadringenta millia equitum & magnam multitudinem peditum: Misiséque legatos ad Casimirum Poloniæ Regem ut eum contra Turcos excitaret. Nihil tamen de Trapezundâ Annales Turcici Leunclavij, nec Persici Bizari: sed tantùm captam Tocatam ab Vsumcassano, quam vel Neocæsariam [i] Cappadociæ, vel aliam Armeniæ urbem esse volunt. Inierant jam antehàc Veneti fœdus cum Vsumcassano, legatúmque apud eum habebant Catarinum Zenum ex Senatorio ordine virum facundum atque solertem: & dum classis quam diximus apud Rhodum esset, narrat Coriolanus appulisse eò legatum ejus, qui Regis sui gesta adversus Turcos commemoravit: minorem scilicèt Armeniam per suos duces invasisse, opulentissimam & validissimam urbem Tocatam, ac nonnulla alia oppida cepisse: egere solum se tormentis æneis & bellicis instrumentis ad quatienda mœnia, & submovendos eminùs hostes: quæ mitti petebat, unà cum viris ad ea dirigenda idoneis: & ad hoc missum se esse ad Romanum Pontificem, Venetos, atque alios Principes Christianos: Eum benè sperare jussum, a Mocenico Venetias dimissum esse. In Historiâ verò Philippi Callimachi [k] de his quæ à Venetis tentata sunt Persis ac Tartaris contra Turcos movendis, rem legimus minimè omittendam, insignis aut vanitatis, aut magnanimitatis aut denique prudentiæ Venetorum: dum narrat ingentem sub hujus Persici legati adventum plebis simul & Patrum animos lætitiam incessisse: sed ubi cognitum est, venisse cum mandatis non solùm ad Venetos, verùm etiam ad alios Christianos Principes; penè omnium indignationem subsecutam esse, multáque in Catarinum ipsorum apud Vsumcassanum legatum, cujus paulò antè nomen in cælum usque laudibus extulerant, cum probro & querelâ jactata, quasi temerè aut postulâsset, aut consensisset, alium quempiam simul cum Venetis implorari. Si quidem præter id quod Veneti nominis majestatem, de quâ omnia maxima credi volebant, minui apparebat, si plures ad rem gerendam complices desiderarentur; experti etiam quàm non seriò ejus belli mentio & Romæ & alibi in Italiâ audiri consuevisset, verebantur, ne si idem quoque barbarus animadvertisset, ab instituto consociandi arma absterreretur.

[ff] *Supr. an. 1457. XVI.*

[g] *Pap. ep. 455.*

[h] *Michov. lib. 4. c. 69.*

[i] *Leunclav. Pandect. Turc. n. 76.*

[k] *Callim. to Rer. Persic.*

VENETI DE GLORIA SUA SOLLICITI.

XII. VARIÆ LEGATIONES VENETORUM AD VSUMCASSANUM.

Ceterùm missa à Senatu quæ petebantur fuêre; additis egregiis muneribus ad Regem. Iussúsque Mocenicus classis præfectus ad omnia Vsumcassani mandata semper paratus esse. Muneribus verò & apparatui ducendo, cetérisque quæ agenda forent procurandis, delectus est Iosephus Barbarus patricius, Persicæ linguæ gnarus: cujus extat [l] legationis suæ Itinerarium, unà cum aliâ præcedenti ab eodem susceptâ ad Tanaim peregrinatione: utroque opere descriptiones magis locorum, ac populorum mores, quàm res gestas continente; nec id quidem adeò continuè. Quibus longè ordinatior alia relatio [m] Ambrosij Contareni, item patricij Veneti, ad eumdem Persarum Regem post biennium legati, Itineris à se terrâ semper ingenti labore & incommodo, eundo redeundóque quadriennio confecti. Ex quâ inter cetera intelligitur, non tantam extitisse Vsumcassani potentiam, quanta prædicabatur: nec potuisse vires ejus excedere numerum quinquaginta millium equitum, quorum etiam plurimi ad bellum minimè essent idonei; quamvis ejus Imperium magnum & vastum esset, quod breviter describit: nec in bello nuper cum Turco gesto, plus quàm millia quadraginta habuisse: nec denique belli illius movendi causam aliam fuisse, quàm restituendi causâ Regis Caramaniæ, quem Mahometes expulerat. Quæ si vera sint, videas quantum ejus fama virium acquisierit eundo, cùm Romam pervenit. Vera autem illa esse, præter Contarenum, qui studiosissimè inquisisse ait, (nec de ejus fide dubitandi locus dari videtur: nisi fortè, quòd non parùm ab Vsumcassano offensus, ob præcipitatam & coactam ab eo acceptam missionem, abierit, ejus vires extenuare

[l] *Tom. Rer. Pers.*

[m] *Ibid.*

voluisse quis dicat; cùm alioqui vix possibile sit, tanta Vsumcassanum præstitisse cum tam modicis copiis, quanta auctores de illo referunt[u]:) testatur æquè Ioannes-Maria Angiolellus Vicentinus, qui multa Vsumcassani gesta descripsit existens tunc in famulatu Mustaphæ filij Mahometis Turcorum Imperatoris: cujus extat commentariolus in Collectione auctorum qui de Tartaris & Persis atque Armenis scripserunt.

[u] Vid. infr. an. 1474. VIII.

XIII. Pertinet tamen ad Vsumcassani cum Christianis societatem, quod alibi[nn] memoriæ proditum reperimus, Mahometem Turcum ubi primùm accepisset de fœdere ab Vsumcassano cum Christianis icto, missâ legatione plurimùm obtestatum esse, ne novo bello ipsum Mahometem impediret quò minùs Christianos persequeretur, cùm communis utrique esset fidei necessitudo. At Vsumcassanum respondisse, Mahometem prophetam id imprimis lege sanxisse, ut quæ semel promissa essent ex fide servarentur: se cum Romano Pontifice ac Venetis in id fœdus sanxisse, ut Turcos terrâ marique persequerentur: non posse igitur omittere, quin totis suis viribus anniteretur pomissa exequi. Quæ verò post hæc inter eos gesta sint, dicetur annis consequentibus.

[nn] Ap. Bizar. Rer. Pers. lib. 10.

VSUMCASSANI RESPONSUM AD MAHOMETEM.

XIV. Præsenti ponit Sigonius[o] ex Chronicis Bononiensibus, Calendis Decembris hominem quemdam laicum asello insidentem, atque ingentem Crucem ligneam manu ferentem, Bononiam introîsse, ac quotidie extra ecclesias concionari instituisse, fœda hominum flagitia increpando, iram Dei impendentem prænunciando, ac mortales ad pœnitentiam agendam adhortando: Hominis admiratione ingentem virorum ac mulierum numerum ei se applicuisse: Vilem & agrestem habitum gerentem, nihil à quoquam præter victum necessarium cepisse: Septimo Idus inde discessisse, cùm pridie malum ingens imminere civibus ostendisset: Idque evenisse, familiâ Caccianimicorum quinto Idus propè ab inimicis suis deletâ. Eum Sigonius putavit esse *Ludovicum Morbiolum*; cujus simillimam vitam Bapt. Mantuanus Carmelita versibus prosecutus est ad Innocentium VIII. atque vitam produxisse ad annum usque ætatis quinquagesimum secundum; ac post sex menses ab obitu miraculis clarere cœpisse.

[o] Sigon. de Episc. Bonon. lib. 4.

VIRI PII SERMONES BONONIÆ.

XV. Interim Sixtus Pontifex inter alia quæ præstitit, cùm per regna & provincias misisset qui decimas in usum sacri belli colligerent; in eos qui aliquid ex iisdem subtraherent, anathema & alias gravissimas pœnas tulit. Eas verò Germani[p], sicuti & alij plerique, dare recusârunt, etiam appellationis objectu parati occurrere. Thomæ[q] item Archiepiscopo Cantuariensi in Angliâ Cardinali S. Cyriaci Sixtus committit, ut Robertum Episcopum Bathoniensem unà cum complicibus & fautoribus excommunicatos publicè denunciaret; diémque ei diceret coram Pontifice, eò quòd Prosperum de Camoniâ Protonotarium & Nuncium Apostolicum ad exigenda debita Cameræ Apostolicæ in Angliâ, conjecisset in carcerem. Quem quidem Robertum cognomento Stillington reperimus in Historiâ Anglicanâ, fuisse plurium turbarum auctorem; adeò ut fuerit ei perduellionis crimen intentatum; & cùm latitandi causâ ad Academiam Oxoniensem se contulisset, inde extractum in custodiâ esse detentum usque ad obitum. Præterea Sixtus pro reformatione monasteriorum regni Siciliæ nonnullos Visitatores destinavit: ac privilegia monasterij S. Salvatoris linguæ Phari extra muros Messanæ Ordinis S. Basilij à Regibus concessa, & à Romanis Pontificibus cõfirmata, ipse pariter rata habuit & confirmavit.

NONNULLA SIXTI PP. GESTA.

[p] Krantz. 13. Vvand. 7.
[q] Reg. Sixt. ap. Bzov. hoc an.

XVI. Hoc anno ponit quidam auctor[r] Scotus, Patricium Graamum creatum jam anteà Romæ primum Archiepiscopum S. Andreæ (de quo dictum superiùs[s]) cùm in Scotiam rediisset; & legationem à Sede Apostolicâ acceptam promulgare voluisset; adversarios sensisse eos qui redemerant in aulâ dignitates ecclesiasticas, metuentes ne prædam & pretium simul amitterent; necnon qui spem crescendi ex aulicâ nundinatione conceperant, quòd esset Patricius vir integer, & qui præcipitantem Ecclesiam unus velut sufflaminare poterat. Quare hos omnes apud Regem adolescentem questos vetusta majorum jura hujusmodi Pontificiis legationibus corrumpi ac violari, egisse ut vetaretur ne ullam sui muneris partem attingeret, donec de querimoniis adversùs eum delatis cognosceretur, quarum causâ adversarij Pontificem Romanum appellaverant: & dum lis dijudicaretur, vetitum esse Archiepiscopi insignia usurpare, aut quicquam præter consueta ceteris Episcopis munia attentare. Quousque aliis rursùm malignis adversariorum machinationibus agitatus, ac falsis accusationibus apud Romanum Pontificem appetitus; ejus etiam judicio Episcopatum ejurare coactus est; & in custodiâ positus, post longas miserias decessit: vir inquit is auctor, nullius sceleris compertus, doctrinâ & virtute nemini sui temporis inferior. Quod tamen præconium non parùm nobis suspectum quòd ab homine sit hæretico: eóque maximè quòd auctores Catholici[t] ejusdem regni non adeò innocentem Patricium tunc faciant, quamvis nec apertè damnent, cùm tradunt à Pontifice simoniæ, schismatis, atque hæresis, damnatum, perpetuò carceri addictum fuisse. Potuit enim hæc sententia per calumniam & falsos testes elici à Sede Apostolicâ; quàm in rebus facti decipi posse nec ipsa negat. Vtcumque sit, ab hoc *Patricio* cœpisse Archiepiscopatum Santandreanum, plerique volunt; quamvis non potuerit ipse ejus auctoritate uti: sed tantum *Guillelmus Schevves*, ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus ardentissimus Patricij seu falsus seu verus accusator; qui demùm anno 1478. dicitur pallio accepto Primas & Legatus regni declaratus, nihil repugnantibus iis qui Patricij auctoritatem violaverant.

[r] Buchan. lib. 12.
[s] An. 1466. VII.

DE GRAAMO ARCHIEP. SCOTO.

[t] Lesl. lib. 8. Ferrer. in Append. ad Boeth.

PRIMUS SCOTIÆ ARCHIEPISC.

XVII. Queruntur porrò iidem auctores Scoti, eodem tempore pravum abusum in ipsorum Ecclesiam irrepsisse, ut Ecclesiæ majores atque monasteria laicis concrederentur. Cùm enim quamvis luxu & avaritia jam multos annos Ecclesiæ ministri laborâssent, remansisset tamen species antiquæ gravitatis, quæ stimulos literas discentibus adderet, cùm eligerentur Episcopi à collegiis canonicorum, & Abbates à monachis: jam aulicos, qui Regis octodecim circiter annorum adolescentis, factione Bodiorum[u]

CORRUPTIO SCOTIÆ CIRCA BENEFICIA ECCLESIASTICA.

[u] Supr an. 1466. VII.

extinctâ, animum & aures obsederant, lucri ostentatâ magnitudine rem eò facilè perduxisse, ut Regi suaderent; ne rem tanti emolumenti penes homines, ut dicebant, Reipublicæ gerendæ inidoneos esse fineret, sed potestatem designandi quos vellet ad se revocaret. Inde namque non defuturum, unde rebelles & contumaces reprimeret, dubios retineret, & benè meritis gratiam referret: His & similibus blandimentis Regis animo labefactato, continuò novam rerum faciem per totum regnum ortam esse; rebus omnibus tam sacris quam profanis in aulam velut ad publicam nundinationem propositis: quæ vacabant per mortem majora sacerdotia, non nisi præsentante Rege de Papâ obtineri potuisse: negligi cœpisse in monasteriis Dei cultum; debitum hospitalitatis jus sperni; pias eleemosynarum contributiones in aulicorum delicias converti: nec ampliùs Abbates qui pietate præstarent electos esse, sed qui gratiâ valerent à Regibus intrusos: indéque vitio atque odio sæcularium, in monasteriis impiè helluantium Ecclesiasticos in populi offensiones maximè incurrisse.

XVIII. Disputatio de Archiepiscopatu Scotiæ.

Quod verò erectionem Archiepiscopatûs spectat; fuisse ab antiquo omnes Scotiæ, Orcadum, ceterarumque ejus tractûs insularum, Episcopos subjectos Archiepiscopo Eboracensi in Anglia, Angli contendunt: cúmque ij subinde propter frequentia bella quæ inter eos populos gesta sunt, ab Eboracensis auctoritate recederent, utpotè quòd bellis impedirentur illum liberè adire, & semel ab officio discedentes ægrè redire induci possent; fuisse quamplurimas de his Eboracensium ad Sedem Apostolicam querimonias, & Pontificum jussiones Scotis factas pro veterum consuetudinum observatione; quas se vidisse in archivis Ecclesiæ Eboracensis, Polydorus [x] asserit. Quæ tamen sunt ex Scotis [y] qui omninò negent, ac numquam Scoticam Ecclesiam jugum subisse Anglicanæ contendant. De quo etiam actum alias [z] his Annalibus. Quod cùm non omnes æquè notum habuêre, consentiunt alij cum Polydoro [a], hoc tempore sub Sixto Pontifice, sive prædicto Patricio apud Sedem Apostolicam Romæ agente, sive missâ à Rege legatione, ut ad veteres controversias tollendas, ac ne turbatis ferè semper inter Anglos Scotósque rebus, tam Episcoporum confirmationes, quàm appellationes, ceteráque quotidiana negotia ecclesiastica, fictis plerumque dilationibus cum gravi disciplinæ ecclesiasticæ detrimento expectanda forent; deligeretur in Scotiâ Primas qui Episcopis præesset: post multam consultationem, reclamante nequicquàm Georgio Archiepiscopo Eboracensi, decretum esse, liberam imposterùm fore Ecclesiam Scoticam à jurisdictione Anglorum; & Ecclesiam Episcopalem Santandreanam, regni primariam, (colunt enim Scoti Andream Apostolum ut patronum, cujus sacras Reliquias multis antè sæculis in eum locum delatas ferunt) fore Eboracensis loco Metropolitanam & Archiepiscopalem, cui duodecim qui in regno erant subessent Episcopi. At hoc illi alij Scoti ita interpretantur, ut Sixtus Pontifex non instituerit, sed restituerit Archiepiscopatum S. Andreæ, ac duodecim Episcopos suffraganeos. Quòd monuisse hîc sufficiat, disputationem iis quorum interest relinquentes.

[x] *Polyd. lib. 13.*
[y] *David. Camer. tract. de Piet. Scot. append. ad lib. 3. dissert. 2. contr. Angl.*
[z] *Supr. an. 1192. II. 1466. VII.*
[a] *Polyd. lib. 13 & 24.*

XIX. Amadei Sabaudiæ Ducis pius obitus.

Hoc anno mortuus dicitur *Amadeus* ejus nominis Princeps Sabaudiæ nonus, sed Dux tertius, sanctitate vitæ illustrissimus. Fuit ægro semper corpore, & morbo epileptico seu comitiali obnoxius: tam autem miti animo, ut non solùm fratres senserit adversarios, verùm etiam contemptui subditis factus sit, quòd nec arma tractaret, nec venationi aliísque sæculi vanitatibus deditus esset; adeò ut de alio sibi præficiendo cogitaverint. Sed his magnâ patientiâ & prudentiâ superatis, ceteris quoque Principibus venerationi extitit; ac præcipuè Ludovico Francorum Regi, qui ejus sororem Carlotam uxorem habuit, vicéque versâ ipse Ludovici sororem Iolandam. Nec defuit, quando justa causa belli se obtulit, etiam arma generosè tractare. Vnâ autem re planè excellens, videlicèt misericordiâ erga pauperes, meruit tam in vitâ, quàm præcipuè post mortem, (quam à se prævisam, prædictámque, piissimè obivit Vercellis die trigesimâ Martij anno ætatis trigesimo septimo) miraculis clarescere. Cujus sanctam vitam uberiùs describsêre Italicâ linguâ Petrus Franciscus Maletus canonicus regularis Lateranensis, & Boterus [b]: eamdémque Latinè conscriptam Bellarminus [c] dignam judicavit, quam Principibus Christianis imitandam proponeret.

[b] *Boter. in Hist. de Princip. Sabaud. qui obitum Amad. ponit an. 1477. unà cum Pingonio; ceteri præsenti; Vvanderbuch. superiori.*
[c] *Bellar. lib. de Offic. Princip.*

XX. Mulier data in uxorem ad convertendum virum, pervertitur ab eo.

Scribit Krantzius [d], hoc anno Constantinopolitani Imp. filiam, nobilem puellam, venisse Româ Lubicam Germaniæ civitatem cum nobili comitatu, à Summo Pontifice Ecclesiæ opibus dotatam, desponsatámque Ioanni Moscoviæ ac Russorum Principi, eâ spe quòd inclinatura esset maritum ad suscipiendos ritus Ecclesiæ Romanæ, in quibus ea fuerat educata apud Sedem Apostolicam. At contrà accidisse: nimirùm compulsam eam fuisse Russorum ritus (qui erant iidem qui Græcorum schismaticorum) volentem nolentem amplecti. Non autem ea fuit Imperatoris Constantinopolitani filia, sed Thomæ Despotæ fratris Constantini postremi Imperatoris, nomine Sophia, quam vidimus [e] unà cum fratribus Romam adductam.

[d] *Krantz. 13. Vvandal 8.*
[e] *An. 1465. XIV.*

Iesu Christi Annus 1473.

Sixti IV. Ann. 3.

Friderici III. An. 34.

I. Egregius ausum adolescentis Christiani.

Annum Christi millesimum quadringentesimum septuagesimum tertium Indictionis sextæ à rebus Turcicis orsuri, egregium ausum adolescentis Siculi præmittemus; quamquam effectu irritum, conatu tamen memorabile, quo & vitam pro Christo tradidit. Fuit is *Antonius* quidam natione Siculus: qui ad Mocenicum classis Venetæ contra Turcos præfectum, tunc in hibernis apud Naupliam Peloponnesi subsidentem, accedens, narravit se Chalcide à Turcis captum, exinde Callipoli servîsse, perspexisséque classem Mahometis ibi absque custodiis degere; juxtáque domum amplam, in quâ omnis generis armamenta nautica ad centum triremes instruendas

pariter incustodita asservarentur: paratum se tam classem quàm armamentarium incendere, si præfectus annueret. Laudante animum Mocenico, & quæ necessaria erant suppeditante, adolescens assumptâ scaphâ pomis refertâ, superatisque mercatorio simulato negotio. Dardanellis, (hoc est duabus arcibus, quæ ad angustias Hellesponti in adversis Asiæ & Europæ littoribus sitæ sunt) Calipolim pervenit, ac venalia poma exposuit. Sequenti nocte igne armamentario injecto, cum navibus etiam supponere vellet, accurrens fragore ignis accita turba eum restinxit. Adolescens re non ex voto succedente, Hellespontum trajicere studuit; ac naviculâ mari demersâ, in proximâ silvâ se abscondit: sed pomis passim fluitantibus detectus fuisse facinoris auctor, diligenter quæsitus, & inventus, missúsque ad Mahometem; cùm ab eo interrogaretur, quâ suâ injuriâ tantum facinus committere ausus fuisset; intrepidè respondit, communi omnium gentium pesti, & Christiani nominis crudelissimo hosti nocere voluisse, optaréque quammaximè ut idem in proprium ipsius caput exequi licuisset. Admiratus tyrannus adolescentis constantiam, medium secari jussit. Senatus Venetus, ob tantum ausum, quod ei non licuit, fratri puero & sorori virgini retribuens, fratri censum annuum, sorori dotem ex publico constituit. Narrat hanc historiam Coriolanus [a] Cepio in Rebus gestis Mocenici; & ex eo Sabellicus [b], & Iustinianus [c] in Historiâ Venetâ.

[a] *Coriol. lib 2.* [b] *Sabell. 3. Dec. 9.* [c] *Iust. lib. 9.*

II. Classis Venetæ progressus contra Turcos.

Quod autem bellum Turcorum attinet; addunt Mocenicum suppetias ferentem Caramaniæ hoc est Ciliciæ Principi, Vsumcassani Persarum Regis amico, quem Mahometes magnâ regni parte privaverat; recuperatis tribus, totidem obsidionibus, Ciliciæ præcipuis civitatibus, eísque Caramano restitutis, reliquarum mox deditione subsecutâ, regnum ei firmâsse; adjutum parte expeditionis à classe Ferdinandi Regis, quæ decem dumtaxat triremibus constabat: Pontificiâ totidem triremium, ductore Laurentio Archiepiscopo Spalatensi, apud Rhodum agente, paratâ ubi opus foret adesse. Mocenicus autem ne nihil post hæc ageret, totam Lyciam grassationibus ac deprædationibus infestavit.

III. Tractatus Matth. Hung. Regis cum Mahomete.

Interim cùm nunciatum esset Sixto Pontifici, Matthiam Hungariæ Regem à Mahomete, qui ab Vsumcassano premebatur, sollicitatum de pace, misisse ad eum Constantinopolim oratores, qui eam paciscerentur, si Turcus Regi Bosnam & Serviam, aut earum provinciarum alteram traderet; quinimmò & auxilia adversus Vsumcassanum offerrent, si Turcus pecuniis Regem juvaret: scripsit protinùs ad Regem Pontifex, ut illum à tam gravi facinore dehortaretur: & ad Ludovicum Episcopum Ferrariensem, nuncium Apostolicum apud eum agentem, ut diligenter inquireret, res veráne esset an falsa, & ad expiscandam à Pontifice pecuniam simulata. Extant enim de his epistolæ illæ apud Papiensem [d], à quo compositæ fuêre. Nec aliquid de his apud quemquam alium reperimus; nec quidem apud antiquiores Polonos, nescios alioqui Matthiæ parcere. Vnde colligimus, aut rem fuisse fictam, aut adeò secretam ut clàm tentata fuerit, nec adimpleta: fortè quòd his Pontificiis monitionibus à proposito destiterit Matthias; aut verò quòd Mahometes post devictum Vsumcassanum parùm de Matthiâ curaverit.

[d] *Pap. ep. 516. 517.*

IV. Vsumcassanus Turcum profligat; ac vicissim ab eo profligatur.

Siquidem cùm rursùm hoc anno Vsumcassanus ingenti clade exercitum Mahometis in Asiâ prostravisset, quâ Bassa seu Beglerbegus, hoc est summus præfectus Europæ, cum multis aliis principibus ac ducibus occisus est: repetito postmodùm graviori prælio, victor Mahometes vi & fragore bombardarum, quibus abundabat & Persæ carebant, (necdum enim acceperant quas Venetiis ad eorum Regem missas diximus, moram ductore in Ciliciâ trahente) Vsumcassanum recedere coëgit: longè tamen funestiori numero occisorum victoriâ Turcis, è quibus quadraginta millia cæsa dicuntur, Persarum tantummodò decem: sed eò lugubriori Vsumcassano, quòd in prælio filium amiserit, plumbeâ glande trajectum, adolescentem generosissimum, cujus ductu primum prælium pugnatum fuerat. Constitisse porrò exercitum Turcorum trecentis & viginti millibus armatorum, Persicum trecentis & quinquaginta; tradit Coriolanus hæc præsenti anno describens ex literis, ut ait, Catarini Zeni, legatum Venetorum tunc apud Vsumcassanum agentis, ad Mocenicum scriptis. Quæ Annales [e] Turcici in sequentem referunt, (quòd, ut aliàs monuimus, in annis numerandis finem expeditionum attendere consueverint) & numerum copiarum longè minorem faciunt. Sicuti & mortuorum prælio Turcorum minimum Angiolellus, qui interfuit, & mille dumtaxat cæsos ait: sic quisque suæ parti favens. Rem verò descripsêre item ex Coriolano Sabellicus, Iustinianus & Bizarus: meminerúntque quamplurimi alij. In quibus etiam Phranzes [f] Græcus: qui Beglerbegum illum Europæ priori prælio occisum, ait filium fuisse Thomæ Palæologi Guidonis, consanguinei olim Imperatoris Constantinopolitani, qui ad superstitionem Turcorum transierat. Ceterùm fugatus Vsumcassanus, sed nihil animo fractus, in montes Armeniæ unà cum alio filio se recepit: Mahometes post regiones illas pro libito devastatas, Constantinopolim cum prædâ & captivis iter repetens, in singulis locis ubi stativa habuit, quingenos captivos solitâ crudelitate per medium secari jussit, & insepultos abjici, totam regionem horribili terrore implens.

[e] *Ap. Leunclav. lib. 11.* [f] *Phran. lib. 3. cap. 30.*

V. Iacobi Reg. Cypri obitus.

Narrat idem Coriolanus [g] contigisse intereà obitum *Iacobi* Regis Cypri, de cujus occupatione regni dictum alias [h]: quémque anno ætatis trigesimo tertio obiisse, & veneno sublatum, auctores Cyprij tradunt. Qui cùm æger existens, uxorem Catarinam Venetam, Marci Cornelij clarissimi Senatoris legitimam filiam, ac Senatûs adoptivam, gravidam existentem, unà cum ventre Mocenico præsenti, ac Senatui commendâsset: post ejus obitum Mocenicus curam regni suscipiens, imprimis rejecit postulata Carlotæ legitimæ olim Reginæ, quæ à Iacobo fratre spurio per vim pulsa, hactenùs apud Rhodios recuperandi regni spem vanè aluerat, petentis sibi illud restitui; his mundanæ doctrinæ atque justitiæ funda-

[g] *Coriol. lib. 2. & 3.* [h] *An. 1457. 1459. 1461.*

Carlota legitima heres rejicitur.

mentis innixus, quòd non legum formulis, aut litium contestatione, sed armis atque virtute regna in ius Principum cederent; quódque Regina Catarina per adoptionem Senatûs Veneti filia, heres cum prole à Rege ex testamento instituta esset. Ita enim rem narrant Coriolanus, Sabellicus, & Iustinianus. Cùm tamen regis testamento, quod auctor Cyprius, de genere ac prosapiâ regiâ oriundus, ex antiquiore scriptore Georgio Bustrone Iacobi Regis familiari, recitat, contineretur, gubernatores regni qui ibi nominantur, agnituros Reginam in dominam principalem; prolem autem, quam paritura esset, in legitimam regni heredem: & si decederet, regnum haberet Ianus filius suus spurius; eóque absque liberis decedente, Ioannes alius spurius; huicque pariter Carlota filia spuria succederet: omnibúsque sine liberis decedentibus, regnum transiret ad proximum familiæ Lusinianæ. Ceterum peperit Catarina puerum, cui nomen impositum *Iacobo* ejus nominis Tertio; qui paucis pòst mensibus coronatus, biennio tantùm vixit, nesciens quid adeptus esset, nec quid moriens perderet. Eo tamen felicior, quòd infelicitates regni terreni, priusquàm gustaret, cœlestis fruitione commutavit.

VI. Agunt Catalani de occupanda Cypro.

Interim rebus, ut videbatur, à Mocenico in Cypro ad obsequium Reginæ Catarinæ firmatis, novi accessêre motus ab Archiepiscopo Cypri concitati. Qui natione Catalanus, cùm in obitu Iacobi Regis, oratoris munere apud Ferdinandum Neapolitanum Regem fungeretur de occupando regno cogitans, ope ceterorum Catalanorum, qui magno numero insulam incolebant, & multas arces occupabant; (cùm videlicet olim piraticam exercentes, à Iacobo fuissent in sui ac regni tuitionem recepti:) cœpit cum Ferdinando agere de spurio ejus cum spuriâ Iacobi matrimonio locando. (Non enim, præter aucupandi regni cupidinem, dedecuit Archiepiscopum tot spuriorum commercium, quo spurius filius Ferdinandi spurij, spuriæ filiæ Iacobi spurij conjungeretur. Non poterant tot spurcitiæ purgari, quàm benedictione tanti Antistitis.) Cui aures continuò præbens Ferdinandus usurpationibus regnorum assuetus, unum è suis cum Archiepiscopo misit. Factâque ab iis conjuratione, aliquos ex Reginæ intimis, unà cum Andreâ Cornelio patruo & Marco Bembo consobrino ejusdem obtruncârunt: ac Iacobi filiam sex annorum puellulam Ferdinandi filio æquè impuberi despondêre, indito Principis Galilæi titulo, quo apud Cyprios (qui & regni Ierosolymitani titulum adsciscebant) regni successores gaudere consueverant: denique occupatis munitionibus, insulæ imperium sibi arrogârunt: tam apud Venetos rem excusantes, quàm apud reginam; eámque scribere compellentes, Andream patruum ob insolens & superbum ingenium, sordidámque avaritiam, à militibus cæsum, se autem cum filio liberam dominandi habere potestatem. Sed accedente eò confestim Mocenico cum magnâ classe & validis copiis, perterriti conjurati plerique ex insulâ excesserunt: Mocenicus autem acerbissimâ quæstione habitâ de iis qui Cornelium & Bembum obtruncaverant, capitali supplicio, aliósque conjurationis conscios qui haberi potuerunt diversis aliis pœnis affecit: ac demùm cunctis arcibus & munitionibus receptis, ac fido præsidio eis imposito, universam insulam quietam Reginæ reliquit: abiens inde in Macedoniam in auxilium Scodræ sive Scutari civitatis, quam Turci obsederant; quæque egregiâ propugnatione civium, & Antonij Lauredani præfecti Veneti conservata tunc est: nempè anno insequenti, quo id contigisse noscitur. Ita Coriolanus, qui rei gestæ præsens, & non postrema pars ejus fuit: ex quo Sabellicus, & Iustinianus desumpsêre. Quò etiam spectat quod Matthias Palmerius[1] scribit, Ferdinandum, non succedentibus his quæ cum filio notho, ac Reginâ Carlotâ apud Soldanum Syriæ agere tentaverat; sacro die Veneris, quo Christi Passio à nostris celebratur, Catarinam Corneliam Cypri Reginam, Venetósque magistratus trucidare constituisse: iisque cognitis, ipsum spe frustratum esse, proditores verò malè affectos. Auctor verò Cyprius innuit, neces illas Cyprias factas fuisse occasione literarum Sixti Papæ scriptarum ad proceres Cyprios in favorem Carlotæ olim Reginæ, quæ ad eum post repulsam à Mocenico acceptam confugerat: quas cùm ij accepissent, & ex iis cognovissent nomina eorum qui veneni Iacobo propinati suspecti habebantur, absque morâ in eos irruerint: Sicque factum esse, ut regni proceres trifariam divisi, alij Catarinæ Reginæ adhærerent; alij à Iacobo olim bonis spoliati, faverent Carlotæ; alij denique Hispanis, qui unà cum Archiepiscopo quærebant Catarinam Ferdinando Regi, hujúsque notho Iacobi notam matrimonio conjungere, ut hoc pacto regnum in manus Hispanorum incideret: prævaluisse tamen ope Venetorum Catarinæ partes.

[1] Palmer. in Chron. ann. 1479.

VII. Carlotæ Cypriæ finis.

Neverò ulteriùs misera Carlota Regina in nostris Annalibus vagari sinatur; quæ fuerit ejus fabulæ catastrophe, hîc aponere visum. Ait enim idem auctor Cyprius, cùm Romam se recepisset, ibíque ex pensione sibi à Pontifice assignatâ victitaret, omnis tandem spei destitutione languentem, coram Pontifice & Cardinalibus renunciâsse omni juri regni Cyprij, in favorem tunc adhuc viventis Amedei Sabaudiæ Ducis, fratris Ludovici olim viri sui: háncque donationem examinatam posteà fuisse a Papâ Clemente VII. & Carolo V. Imperatore Bononiæ tempore coronationis Caroli; existimatúmque ab iis, regnum ad Duces Sabaudiæ pertinere, qui propterea ejus titulum & insignia conservârint hactenùs. Verum nec deessent aliæ rationes, quibus id regnum ipsi sibi vendicare possent, nec Venetis, qui illud post hæc adepti sunt, (de quo dicetur suo loco) jura quæ opponere valerent, si res esset integra. Sed composuit has controversias quoad possessionem Selimus Turcorum Imperator, cùm utrosque & totam Christianitatem eo privavit. Dicitur[11] autem Carlota mortem obiisse Romæ 16. Iulij anno 1487. sepulturámque accepisse apud S. Petrum, ubi legebatur ejus epitaphium in monumento marmoreo his verbis, *Carlota Ierusalem Cypri & Armeniæ Regina.* cùm nihilominùs sint qui dicant sepultam fuisse Assisij in templo S. Francisci.

[11] Rom. Subser. lib. 2. cap. 7.

VIII.
[k] *Mar. lib. 23. cap. 18.*
CONCILIA HISPANICA PRO REFORMATIONE, ET LITERARUM CULTURA.

In Hispaniæ sacerdotes (inquit Mariana[k]) invaserat pudenda literarum inscitia; usque eò ut pauci Latinè scirent, ventri gulæque servientes: Avaritia rapaces in Ecclesia Dei manus injecerat: & quod olim emere sacerdotia simonia erat, tunc industria censebatur: Neque intelligebant cæci Principes, cæcioresque Pontifices, irato Deo fieri hoc commercij genus: quod facias, an patiaris, perinde est. Habito *Madriti* ad principium anni conventu Episcoporum ac Sacerdotum evocatorum à Roderico Cardinale Vicecancellario, quem in Hispaniam missum vidimus pro negotio belli Turcici, & pace inter Reges conciliandâ; prædicto inscitiæ malo medicinæ faciendæ ratio excogitata est, ut impetraretur à Pontifice Romano vti singulis Ecclesiis cathedralibus bini canonicatus, suffragiis Episcopi & collegij, Theologo unus, alter Iureconsulto obveniret. Cujus impetrati Pontificij diplomatis præcipuam partem idem Mariana hujusmodi narrationi suæ inseruit. Pertinétque ad hanc Cleri ignaviam, quod ad finem anni in opido *Arandæ* ab Alfonso Carrillo Toletano Archiepiscopo *Concilio* provinciæ celebrato, statutum inter cetera fuit, ne cura Ecclesiarum, aut dignitates ullis crederentur qui Latinè nescirent: ut Episcopi minimum ter, minores presbyteri quater singulis annis Missam celebrarent. Addito etiam salubriter, ut Episcopi semper in publico linteati viserentur: & ut viris sacri ordinis nefas esset sese obsequiis procerum addicere, aut eorum stipendia facere, præterquàm Regis.

IX.
[l] *Id. cap. 19.*
MOTUS HISP. CONTRA VENIENTES EX IUDÆIS.

Habet idem auctor[l], hoc eodem anno uno tempore tumultus per urbes & oppida concitatos esse in eos qui ex Iudæorum sanguine prognati erant, profundâ homines avaritiâ fraudéque: Eámque numinum iram prudentes interpretatos esse, ob abdicata passim ab iis ex arcano quæ antè susceperant Christiana sacra. Initium factum esse Cordubæ ferro, rapinis, incendiisque: ejusque exemplum alia oppida & urbes Bæticæ secutas esse: cùm Giemnij Irantius Magister equitum gentem calamitosam ab iniuriâ vindicare voluisset, conspiratione in eum factâ, ad aras sacris operantem crudeliter obtruncatum esse. Intereà Perpiniano à Gallis ad Aragonios deficiente, Ioannes Rex ibi ab exercitu Gallorum obsessus, magno animo tam grandi ætate ejus impetum sustinuit à mense Aprilis ad Iunium; quo virtute Ferdinandi ejus filij suppetias patris venientis obsidio soluta est: donec anno insequenti reversi Galli eam denuò receperunt. Quæ prolixè tractata videre est in utriusque gentis historiis.

X.
[m] *Bellefor. lib. 1. cap. 131. 135. 137.*
ARMANIACI COMITIS SCELERA ET VINDICTA.

In Galliâ Ioannes Comes Armaniacus, numquam Regi fidus, quem[m] Rex totâ ditione ob gravissima crimina privaverat, Carolus autem Dux Aquitaniæ in odium Regis restituerat; cùm post Ducis obitum pulsus iterùm, collectis in finibus Aragonum nonnullis copiis, & clandestinis popularium suorum commerciis apud Lectorium munitissimam illius regionis civitatem, Petrum Borbonium Aquitaniæ præfectum à suis proditum intercepisset: paulò pòst arctè ibi obsessus ab exercitu Regis, quem Cardinalis Atrebatensis ductabat; demùm hujus anni mense Martio ad deditionem compulsus, contra fidem datam peremptus est, úrbíque direpta, ingenti Cardinalis opprobrio: cui longe satius fuisset rebus Ecclesiasticis vacare, quam bellicis. Ita enim plerique rem contigisse tradunt: cùm nihilominùs Historia Ludovici Regis asserat, Comitem post conventa deditionis, regios quosdam urbem ingressos perimere voluisse, indéque ortam occasionem ejus necis, & direptionis urbis. Fuit tamen cædes ejus minori invidiâ audita, quòd homo nefarius, allato vitio sorori germanæ, falsum diploma nomine Callisti Pontificis ediderat, quo sibi ius fásque esset vxorem eam ducere; confictum[n] à quodam Ambrosio Cambraio Callisti Referendario, post acceptam à Comite ad illud obtinendum magnam vim auri: (qui propterea conjectus sub Pio Callisti successore in carcerem, nocte elapsus in Galliam se recepit; & profugo similis diù vagatus, demumque Regi Ludovico cognitus, qui ejusmodi hominibus ad artes suas delectabatur, honoribus ab eo auctus est: ex eâque sic ductâ, & pro vxore palàm habitâ, liberos susceperat, nec monitus, ac denique excommunicatus, ad eam dimittendam induci potuerat: ut fuerit vesana libido, & impia contumacia, quibus nullum ab hominibus remedium erat, ultore numine vindicanda.

[n] *Gaguin. lib. 10. Meyer. suban. 1471.*

XI.
CAROLUS DUX BURGUN. AFFECTAT DIADEMA REGIUM.

Rebus autem inter Ludovicum Regem & Carolum Burgundiæ Ducem dubiis semper existentibus, hoc est nec infirmâ pace, nec in aperto bello, cùm alter alteri insidiari non cessaret, ac variis tractatibus tempus consumeretur; hoc maximè concordiæ obstitit, quòd Dux obfirmatè vellet aut sibi capta Picardiæ oppida restitui, aut se immunem ab omni Regis clientelâ declarari; Rex verò neutri acquiescere vellet. Cùm autem manentibus inter eos induciis, Dux interim Geldriam, sive ex donatione defuncti Ducis, siue ex emptione sibi debitam, armis subegisset; inde in superbiam elatus, ad regium aspirans diadema, procuravit congressum cum Friderico Imperatore: qui principio Octobris factus est Treveris magno vtrimque apparatu, sub specie tractatûs matrimonij Maximiliani filij Imperatoris cum Mariâ filiâ & hærede Ducis; quam etiam Carolus Dux ei tunc despondit: petens econtrà ab Imperatore Rex creari, quales fuerant olim Burgundiones Reges, necnon Legatus & Vicarius Imperij. Quod adeò obtentu facile sibi ambitiosissimus Princeps finxerat, ut etiam vestes regias, ceteráque omnia ad vnctionem & coronationem necessaria, paratissima haberet, quinimmò & thronos, ac sedilia, aliáque ad pompam requisita, in Ecclesiâ præparari curâsset. Sed quòd Imperator priùs vellet nuptias fieri quàm Regem eum constitueret, & ex adverso Carolus Rex ante nuptias coronari: frustratus expectatione suâ permansit. Quippe Imperator post sumptuosissimum convivium ab eo ingenti profusione & splendore acceptum, receptúmque de Geldriâ & aliis terris intra fines Imperij consistentibus fidelitatis sacramentum; quâ die pompa coronationis expectabatur, Imperator summo diluculo, ne Carolo quidem valere jusso, discessit Coloniam, obtentu cujusdam sedandæ discordiæ, quæ inter Archiepiscopum & civita-

DELUDITUR AB IMPERATORE.

tem orta fuerat: relicto Carolo summo dolore & opprobrio oppleto, cujus senserat immodicam & penè ineffabilem (ut ipse Meyerus hæc narrans, dolenter fateri non dubitavit) hominis ambitionem, quâ sibi non solùm regnum petere videbatur, verùm etiam Imperium, excluso genero suo futuro. Hanc verò confusionem ille non ferens, Nussiensem expeditionem in odium Imperatoris (ut Comminius [o], & auctor Magni Chronici Belgici scribunt) suscepit; de quâ dicetur anno subsequenti.

[o] *Commin. lib. 2. c. 8.*

XII. PROFUSIO CONVIVIORUM CARDINALIS S. SIXTI.

Potuit in tanto Principe sæculari profusiò hæc immensa conviviorum tolerari. At in homine Ecclesiastico, Cardinale S. R. Ecclesiæ, presbytero, religioso, ac Romæ quis ferat? Narrat Papiensis [p], Cardinalem sancti Sixti Ordinis Minorum, de quo superiùs [q], bis hoc tempore eâ in re supra modum excessisse: Semel in excipiendis oratoribus Regis Galliæ, quo convivio solemnius aliquid vetustas tota, nec gentilitas quidem audiverit umquam: Molimen dirum plurimorum fuisse: totam Etruscorum industriam conquisitam, atque adhibitam: vacuefacta raris pretiosisque omnia: idque actum, ut evincendo conatui, nulli imposterùm superesset facultas: Denique apparatuum magnitudinem & varietatem, ministrorum ordines, epularum numerum, rerum pretia appositis speculatoribus adnotata esse literis, descripta versibus, nec per Vrbem modò vulgata passim, sed per Italiam quoque & trans Alpes singulari studio missa. Iterùm non multos ab eo convivio dies, cùm virgo regia filia Ferdinandi Regis Neapolitani ad sponsum Herc[illegible] Ducem Ferrariensem duceretur, tantam admirationem solemnis hospitij, quo ad Cardinalem Romæ divertit, fuisse, ut excesserit honor non modò credendi fidem, sed facultatem narrandi: in mensarum autem splendore, ut Gallicanus nuperus excederetur, peritorum convivatorum conatum esse totum consumptum. Munera demùm abeunti sponsæ superadjecta non tam illa quidem ad conditionem puellæ, quàm ad indicium profusioris animi comparata. Hæc Papiensis; non laudans, sed post mortem sancti Sixti, quæ contigit anno sequenti, in his inutilibus & superfluis expensis miseras hominum conditiones expendens. Receptionem autem prædictæ sponsæ Leonoræ filiæ Ferdinandi, apparatum domûs ubi hospitata est, pompam comitatûs per Vrbem sumptuositatem convivij, ludos exhibitos, accuratiùs descripsit Corius [r], eáque ad festa Pentecostes peracta tradit.

[p] *Pap. ep. 548.*
[q] *An. 1471. XII.*
[r] *Cor. pat. 6.*

XIII.

Sixtus verò Pontifex, cùm audisset esse quosdam Ordinis Carmelitani fratres tantæ temeritatis in civitate Bononiensi, ut veriti non essent disputando & prædicando asserere, non esse hæreticum & à veritate fidei alienum, dæmonum expectare responsa: scripsit [s] decimo-septimo Iunij ad Vicarium Episcopi, ut de re diligenter inquireret, & ad Sedem Apostolicam referret. Quarto autem Calendas Septembris constitutionem [t] edidit de reductione Iubilei ad vigesimum-quintum annum, in confirmationem illius quam vidimus [u] à Paulo ejus decessore promulgatam: inchoaturúmque illum anno proximo millesimo quadringentesimo septuagesimo-quarto à vigiliâ Nativitatis Domini. Nec verò fortè occasione Indulgentiarum ab ipsis Pontificibus concessarum diversis Orbis Christiani Ecclesiis, retardaretur concursus ad Vrbis Ecclesias tempore Iubilei visitandas, & anni celebritas minueretur; omnes illas externas Indulgentias & peccatorum remissiones, ubicumque, quomodocumque, & quibuscumque concessas, suspendit, nec quamdiù suspensæ forent alicui suffragari voluit: præterquam Ecclesiarum Vrbis, quas in suo robore persistere decrevit.

[s] *Post Director. Inquis. Eymer. & Peniæ.*
[t] *Extravag. com. lib. 5. tit. 9. c. 4.*
[u] *An. 1470. VI.*

SUSPENSIO INDULGENTIARUM PER ORBEM TEMPORE IUBILEI.

XIV. DISSENSIO DE CREATIONE CARDINALIU.

Nec parvam intereà vexationem passus tam idem Pontifex est, quàm sacer Cardinalium Senatus, de creatione Cardinalium. Cùm enim mense Maio octo creatis Cardinalibus, reservatus fuisset Imperatori, Regi Francorum & Ferdinando Neapolitano locus uni creando, quem sibi quisque deposceret: petitum mox est, ut sequenti Iunio nova fieret creatio: urgente maximè tantâ instantiâ Ferdinando pro nescio quo penitùs indigno, ut minas etiam intentaret obliterationis omnium in se meritorum Ecclesiæ, & remissionis singulorum Cardinalium amicitiæ. Vnde & multæ ortæ inter ipsos etiam Cardinales, necnon Pontificem, contentiones, penè usque ad seditionem. Dilata tandem creatio usque ad Natale Domini, (ingenti præcipuè mœrore Ferdinandi, qui per plures literas Senatûs Cardinalium suadendus fuit immoderatam suam cupidinem temperare) posteà evanuit prudentiorum Cardinalium arte. De quibus sunt plurimæ Cardinalis Papiensis [x], qui aderat, ad diversos epistolæ; quæ & rem doceant, & planè ostendant haud fuisse tunc solius Pontificis facultatis, nisi pleno & summo jure agere voluisset, Cardinales quos vellet creare. Quales etiam extant plures [y] de simili controversiâ anno 1476. Est & alia [z] hoc item anno nomine Pontificis ad Regem Aragoniæ scripta, quâ excusat haud se posse sine gravi offensione Dei, & animæ suæ ipsiúsque Regis, Ecclesiæ Cæsaraugustanæ præficere (quod Rex vehementi nisu cupiebat, postulabatque) nepotem ejus in puerili nimium ætate agentem. Expectationem quoque supervacaneam futuram, & illi Ecclesiæ nocituram. Sed si utilitatem ex illâ quæreret nepoti præstare, hanc se posse & quantam, & quâ ratione Rex cuperet. Erat autem, ut Mariana docet, puer ille nomine Alfonsus, filius nothus Ferdinandi filij Ioannis Regis, vix dum sexennis: cui quidem vitium natalium facilè Sixtus supplebat, ætatis veniam ut daret induci non poterat. Inter quas contentiones cùm vacua diù Ecclesia data demùm à Pontifice fuisset Auxiæ Delpuchio Cardinali Valentino, (qui hoc ipso anno in prædictorum octo numero ex Vicecamerario Romanæ Ecclesiæ & Archiepiscopo Montisregalis in Siciliâ adnumeratus fuerat:) non ferens Rex dolorem, adjunctis minis, atque in Cardinalis bona & cognatos grassatus, pervicit tandem, annitente præsertim Ferdinando Neapolitano, cui multùm Sixtus tribuere erat solitus, ut ea Ecclesia Alfonso puero jure perpetuæ administrationis daretur: novo sic damnato inducto exemplo, quo & Reges Catholici & Summi Pontifices in Ec-

[x] *Ap. ep. 510. 11 513 514. 15., 20. 525 526. 538. 540.*
[y] *Id. ep. 657. 658. 659 6'.*
[z] *Id. ep. 512*

PUER SEXENNIS ET SPURIUS INTRUDITUR IN ECCLES. CÆSARAUGUST.

clesiæ damnum & legum sacrarum subversionem quà conspirarent, quà consentirent; longè tamen graviori Pontificum culpâ, ut cuique patet, quam Regum; ac nihilominùs satis utrisque ad damnationem idoneâ.

XV. [a] Bull. to. 1. Sixt. IV. Const. 5. CONFIRMATIO ORDINIS MINIMORUM.

Hoc anno, sexto Calendas Iunij, primùm confirmata [a] est à Sixto Regula & Religio, sive Ordo Fratrum MINIMORUM, auctore *S. Francisco de Paula* Calabriæ oppido: qui post longam matris sterilitatem, ex voto facto Deo & S. Francisco Assisiati natus, parentibus Iacobo Martotillâ & Viennâ à Castrofoscaldo, post actam in summâ puritate pueritiam, & in solitudine asperrimo victu adolescentiam, rediens in patriam, oratorium extruxit in fundo paterno: & adjunctis sibi aliquot sociis, ibi prima sui Ordinis fundamenta jecit, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto sub Eugenio IV. Romano Pontifice, & sub nomine *Eremitarum S. Francisci*: Assisiatis videlicèt, ut haberent quem sibi proponerent in exemplum vitæ & religiosæ conversationis. Cujus institutum Sixtus primò, ac subinde subsequentes Pontifices confirmârunt: præcipuéque Alexander VI. qui voluit eos *Eremitas Ordinis Minimorum Fratrum Eremitarum Fratris Francisci de Paula* imposterùm nuncupari. Tantæ namque fuit vir sanctus humilitatis & charitatis, ut & alumnos suos *Minimos* vocari, & pro insigni nomen *Charitatis* gerere voluerit; quos & præthereà quarto voto adstrinxit, cibis Quadragesimalibus (exceptâ gravi infirmitate & seorsùm à ceteris) vesci toto anni tempore. Claruit item stupendis miraculis: quorum illud in primis celebre, quòd à nautis rejectus, Siciliæ fretum strato super fluctibus pallio cum socio transmisit. Trésque Regulas instituit, Fratrum, Sororum & Tertij Ordinis utriusque sexûs: quæ omnes à Sede Apostolicâ confirmatæ fuêre, & multis privilegiis ornatæ; ac præcipuè à Iulio II. pluribus constitutionibus paulò ante S. Francisci obitum, & posteà ab ejus successoribus. Quomodò verò sparsâ per orbem ejus sanctitatis famâ, à Ludovico XI. Francorum Rege in Galliam vocatus fuerit, ibíque piè decesserit, ac demùm in catalogum Sanctorum relatus fuerit, dicetur suis locis. Extántque præclari Ordinis Annales; ex quibus prædicta omnia, & tam ipsius Francisci quàm ceterorum Fratrum, totiúsque Ordinis egregia pietatis, necnon doctrinæ exempla & documenta haurire licet.

XVI. ROSARIJ RESTITUTIO. [b] Trith. in Catal. Vir. illustr. [c] In Hist. Rosar.

Hoc quoque tempore sanctissimi *Rosarij* atque *Psalterij Beatissimæ Virginis* pietas ac devotio à Sancto Dominico olim feliciter introducta, sed variis locis intermissa ac neglecta; per *B. Alanum* Rupensem Ordinis Prædicatorum religiosum, (cujus præclarum est elogium apud Trithemium [b]) cælestibus visionibus atque hortationibus ipsiusmet Beatissimæ Virginis ad id commotum, & specialibus ejusdem auxiliis contra gravissimas dæmonum hominúmque oppugnationes & vexationes roboratum, atque defensum; per Saxoniam præcipuè, Belgiúmque & Britanniam Armoricam, sacris prædicationibus, non sine signis & miraculis, ingenti Fidelium fructu restituta dicitur [c]. Quam & paulò pòst Alexander Episcopus Foroliviensis Legatum à latere agens in Germaniâ, auctoritate Apostolicâ confirmavit, cum Indulgentiarum concessione; ipséque deinceps Sixtus [d] Pontifex: ut pleniùs hæc recensentur in Historiâ Rosarij.

[d] Bullar. to. 1. Sixt. IV. const. 18.

XVII. [e] Michov. lib 4. cap. 69. IOAN. CANTHIJ OBITUS.

Hoc verò item anno Michovius [e] celeberrimi Doctoris Cracoviensis *Ioannis Canthij* obitum ponit; ac multis & stupendis sanitatum miraculis, necnon mortuorum resurrectionibus coruscare cœpisse, & ad sua tempora perseverâsse scribit.

IESU CHRISTI Annus 1474.
SIXTI IV. Ann. 4.
FRIDERICI III. An. 35.

I. PETRI RIARIJ CARD. OBITUS. [a] Ciaccon. in Sixt. IV. [b] Pap. ep. 548. [c] Ib. ep. 549. [d] Onuph. in Chron.

ANNI Christi millesimi quadringentesimi septuagesimi quarti Indictionis septimæ, initium occupet mors, quæ finem præcedentis conclusit. Obiit enim Romæ tertio Nonas Ianuarij *Petrus Riarius* stupendæ ille fortunæ Cardinalis S. Sixti, de cujus divitiis, luxu atque potentiâ satis superiùs. Veneno sublatum quidam scripsêre. Sepultum in Ecclesiâ SS. XII. Apostolorum, Pontifex [a] trecentis vestibus luctuosis adhibitis, visitans, super tumulum ejus amarè flevit, filiorum & spem suam inclamans: quem & mausoleo marmoreo, & egregio elogio exornavit. Ex ejus verò obitu Papiensis [b] epistolâ ad Mantuanum, quâ ejus luxum descripsit, præclara benè, non vanè vivendi exempla elicuit ac proposuit: necnon apud eumdem [c] Celsus Veronensis Canonicus regularis Augustinianus. Fratrem habuit Hieronymum: qui in ejus potentiæ locum succedens, & Foricornelij ac Forilivij Princeps factus, post eum rem omnem Ecclesiasticam administravit, ingenio magis severo, ac voluptatibus minimùm, præter unam venationem, deditus: Vxorémque duxit Catharinam Galeatij Ducis Mediolanensis filiam notham: cujus rei causâ Ascanium Ducis fratrem Pontifex Cardinalem creavit. Ceterùm cum esset Riarius etiam Patriarcha Constantinopolitanus Latinus; eo defuncto in locum ejus suffectus [d] est à Sixto Pontifice *Hieronymus Landus* Venetus Archiepiscopus Cretensis, de Ecclesiâ benemeritus: cum in Græciâ sederet Symeon, de cujus abdicatione dicetur inferiùs.

II. REGIS DANIÆ PEREGRINATIO ROMAM. [e] Pap. ep. 624. [f] Id. ep. 556.

Scripserat Christiernus Rex Daniæ (quam & Daciam recentiores dixêre, cùm longè absit, ut aliàs observavimus, ab antiquâ Daciâ) Sixto Pontifici, habere se in animo Romam petere ad visitanda Limina Apostolorum, & benedictionem Pontificiam recipiendam. Rescripserat Pontifex, dictante Cardinale Papiensi [e] rem sibi gratissimam futuram; recepturúmque ipsum honores sibi debitos, & ad fines ecclesiasticos missurum se homines qui illum exciperent, & ad Vrbem prosequerentur. Nec fefellit, ut intelligitur ex quâdam epistolâ ejusdem Papiensis [f], qui aderat, & qui ei honores, quíque ab eo Pontifici ac cœtui Cardinalium sint impensi, significat. Inter quos fuêre, quòd lavanti ad sacra manus Pontifici pelvim sustinuit: atque inter duos primos Cardinales sessum receptus, non priùs sedere aut tegi voluit, quàm utrumque ab utroque factum

esset: & cum dies esset Parasceves, petiit non nisi post omnes Cardinales ad osculum Crucis accedere, ut haberetur justus honos summo Senatui. Plura hujusmodi (inquit Papiensis) sunt ab eo præstita Apostolicæ Sedi; in quibus trium magnorum regnorum Rex à Septemtrionibus veniens, nobis Italis quo animo esse in summum sacerdotium debeamus, exemplo suo edocuit. De cujus itinere Krantzius [g] agens, ait eum duxisse secum Ioannem Ducem inferioris Saxoniæ, ac multam nobilitatem peregrini habitu: cùm ejus adventûs fama longè præcessisset, ob trium regnorum titulum, ac præsertim Gothorum, quorum tam celebre nomen ab antiquo fuit per omnes provincias, (gerebat enim titulum regnorum Daniæ, Sueciæ, sive Gothorum, & Norvagiæ) per universam Italiam, in ipsâque Vrbe, magnificè exceptum esse: Miraculo fuisse ejus proceritatem: sed Pontifici, qui eum hospitio excepit, & Cardinalibus miram atque ingratam ejus inscitiam linguæ Latinæ, ut cuncta per interpretem cum illo agere cogerentur: Plurima Pontificem contulisse ei munera: & votum peregrinationis in Terram Sanctam, quod emiserat, commutâsse in eleemosynam hospitali S. Spiritûs de Saxoniâ non longè à basilicâ S. Petri.

[g] Krantz. 8. Dan. 37. & 12. Sax. 12.

III.

[h] Krantz. ibid. & 13. Vvand. 11. meminitque Olivar. Marchian. lib. 2. cap. 3.

DUCIS BURG. IRRITA NUSSIÆ OBSIDIO.

Addit Krantzius [h], in reditu Christiernum divertisse ad Carolum Burgundiæ Ducem; qui tunc Nussiam cum grandi exercitu, quo numquam majorem habuit, gravi obsidione cingebat, (oppidum Archiepiscopatûs Coloniensis ad Rhenum, Novesium olim dictum) in gratiam Ruperti Bavari Archiepiscopi, contra Capitulum & civitatem, inter quos de certis juribus dissidium exortum erat: Nussiam propugnante cum valido præsidio Hermanno Landgravij Hassiæ fratre, & ejusdem Ecclesiæ canonico; quem in suum ducem & rerum administratorem adversarij Archiepiscopi vocaverant, spe factâ assumendi eum in Archiepiscopum; sicuti & posteà fecerunt. Perrexit autem eò Christiernus, conaturus dissidia componere: sed irrito conatu, quòd certò sibi Dux Nussiæ expugnationem aut deditionem promitteret, indéque brevî ipsammet Coloniam, ac paulatim universum Imperium; ut ipsemet etiam importunissimus ejus in aliis defensor Meyerus [i] fateri coactus est, ejus carpens insatiabilem regnandi cupiditatem, & obcæcatam superbiam, quâ sibi prorsùs impossibilia pollicebatur. Fuit autem sicut acerrima oppugnatio, ita & propugnatio, frequentibus irruptionibus & eruptionibus, omnisque generis certaminibus aquâ terrâque; cùm haberet Carolus præter suos Belgas multósque Gallos, etiam Germanos, Anglos, & Longobardos; necnon & Mauros, quâ erat in Religionem Christianam pietate. Durâsse obsidionem quadraginta sex hebdomadis, habetur apud auctorem Magni Chronici Belgici canonicum regularem Ordinis S. Augustini prope eamdem Nussiam: ubi & pars magna obsidionis accuratè, ut ab eo qui intra Nussiam tunc erat, describitur: & cum eâ totum illud opus Historiæ clauditur; quod non parvo labore & fructu ex variis antiquioribus Chronicis collectum ab auctore fuit, qui præ modestia nomen suum reticuit. Denique cœptam quarto

[i] Meyer. lib. 17.

TERMINUS MAGNI CHRONICI.

Calendas Augusti hujus anni, solutam quartò Calendas Iulij anni proximi, Trithemius [k] scribit. Præcipua Meyerus, quamquam non adeò diffusè, narrat; multáque ex Comminio [l] sapienter de his edisserit, & quantum in iis peccaverit Carolus demonstrat. Collegitque pariter quicquid eo bello gestum fuisset Episcopus Caputaquensis qui apud Burgundum erat; in gratiam Cardinalis Papiensis, qui annales rerum suo tempore gestarum parabat: ut intelligitur ex epistolis [m] ad eum de hoc scriptis. Finis demùm obsidionis hic fuit anno insequenti; ut adveniente in subsidium Nussiensium Imp. Friderico, cum plerisque Principibus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, ac potentissimo exercitu; diligentiâ præcipuè Alexandri Forolivienfis Episcopi Sixti Pontificis Legati ad hæc missi, ita transactum fuerit, ut controversia inter Archiepiscopum & civitatem cognitioni & arbitrio traderetur Romani Pontificis, intra annum componenda; & Nussia ejusdem Pontificis commendaretur tutelæ. Ita enim Meyerus ex Comminio. Quantumvis Krantzius, & nonnulli alij, solutam esse velint obsidionem tractatu pacis inter Imperatorem & Carolum, ut Maximilianus Imperatoris filius Mariam Caroli filiam jam anteà sibi desponsam, inde conjugem haberet: quod nec Meyerus abnuit: potuitque remissio illa controversiæ ad Pontificem in speciem fieri. Veram autem solutionis causam tam Comminius quàm Caputaquensis aperiunt, bellum à Ludovico Rege contra Carolum resumptum; & Anglorum instantiam, qui à Carolo in Galliam adversus Ludovicum invitati, cùm omnia parata haberent, desistere à proposito minabantur nî Carolus citò adveniret: ac denique novam denunciationem belli ipsi factam à Duce Lotharingiæ, instigatione Ludovici Regis, & incursiones in ejus ditiones fieri ab eo cœptas: de quibus omnibus dicetur anno proximo, quo ea contigerunt dum adhuc Carolus apud Nussiam esset. Alioquin enim cùm non auderet Imperator rem committere ancipiti prælij fortunæ, tradit Comminius, si vel solos decem dies Carolus obsidionem protraxisset, necesse omninò fuisset obsessis, præ omnium rerum extremâ penuriâ, deditionem cum ingenti Imperatoris ignominiâ facere. Sed consulere voluit Deus honori pacifici Imperatoris, & superbiam turbulentissimi Ducis retundere. Denique sunt [n] qui scribant, obsidionem Nussiensem ope maximè S. Quirini urbis patroni solutam fuisse: ad quem cùm obsessi ad ultima reducti unanimiter confugissent, apparens ille supra murum cum minis adversus Carolum nisi desisteret, adeò illum terruerit, ut solutâ obsidione abierit. Potuerunt omnia simul concurrere tam divina quàm humana.

[k] Trith. in Chr. Sphonheim.
[l] Commin. lib. 4.
[m] Ap. Pap. ep. 591. & 612.
[n] Massæ. Chron. lib. 9.

IV.

BURGUNDUS TENTAT REGEM VENENO OCCIDERE.

Fœdum verò omnino fuit, quòd interim hoc ipso anno idem Carolus, quod vi non poterat in Regem Ludovicum, veneno tentavit eum de medio tollere; pretio ad hoc quinquaginta millium aureorum constituto cuidam Icerio mercatori, qui post Ducis Aquitaniæ mortem ad ipsum Burgundum se contulerat: qui servi sui Ioannis Harditi operâ omninò scelus perfecisset, nisi fides cõstans coqui regij nomine Colineti illud detexisset. Captus Har-

ditus, scelúsque confessus quadratim dissecatus est: caput lanceæ affixum Parisiis, membra ad quatuor regni extremas civitates delata, ac furcis suspensa, cum titulo proditionis: corpus in cineres redactum: ædes solotenùs dirutæ inscriptâ causâ: coquus nobilitate à Rege donatus. Rem describit auctor Vitæ Ludovici, qui tunc vivebat: necnon Gaguinus tunc etiam scribens: extántque acta [o] publica accusationis & confessionis, ac damnationis quæ rem indubiam reddant contra Meyeri dubium.

[o] Vid. Bellefor. lib. 5. cap. 137.

V.

Quod aliàs diximus, Carolum Ducem multos diversósque Principes spe matrimonij filiæ suæ aluisse, quò sibi illos benevolos faceret; fuisse quoque hoc numero Ferdinandum Regem Neapolitanum, intelligitur ex quâdam epistolâ [p] hujus anni Ioannis-Petri Arrivabeni ad Cardinalem Papiensem; inquientis, despondisse Ferdinandum filiam Regi Hungariæ: expectare affinitatem Ducis Burgundiæ, cujus unicam filiam esset accepturus Fridericus filius ipsius secundus, (primogenitus enim Alfonsus jam longè antea Hippolytam Francisci Sfortiæ Ducis Mediolanensis filiam duxerat) à Duce adoptandus: túncque expectari Neapoli Bastardum Burgundiæ cum quatuor triremibus, ut Fridericum secum abduceret. Petiisse quidem Bastardum Romam, Meyerus scribit; sed sub anno sequenti: (Antonium nimirùm fratrem nothum Ducis, egregium cetera virum, & belli peritiâ insignem:) at nihil de affinitate Ferdinandi: quin ècontrà natalibus suis restitutum fuisse à Sixto Papâ, & legitimum appellatum filium Philippi Burgundiæ Ducis; pronunciatúmque idoneum, qui in omnes Caroli fratris principatus succederet, si filiæ unicæ heredi quid fortè accideret: hócque Carolum procurâsse tam propter continuas Ludovici Francorum Regis insidias, quàm quòd Carolus generum eligere gravaretur. Venisse tamen Fridericum Ferdinandi filium Romam præsenti anno principio Novembris, ut inde in Burgundiam proficisceretur; ex epistolâ Papiensis [q] ad Cardinalem S. Theodori, Theodorum Palæologum ex Marchionibus Montisferrati; dignoscitur. Quâ etiam notandum, quod refert, cùm de eo accipiendo disputaretur, nonnullos Cardinales qui vel amicitiâ vel affinitate conjuncti illi erant, cupiisse exire ei obviam; sed sanam partem dignitati retinendæ intentam, unum dumtaxat mittendum censuisse: primogenitis tantùm Regum exiri à Senatu solitum esse. Hæsisse huic sententiæ Pontificem: ceterísque exire obviam vetitis, soli Cardinali S.Petri ad Vincula nepoti suo imperâsse ut ad portam Appiam illum exciperet, atque ad Vaticanum perduceret, Prælatis & Cardinalium familiis ex consuetudine prosequentibus: In Senatum secretum admissum, tamdiù procumbere genibus ad solium Pontificis permissum esse, donec ultrò citróque sermo esset peractus: Inde surrexisse, & ad Cardinales conversum sigillatim unumquemque in subsellio suo complexibus & osculo salutâsse, ultimúmque omnium in consessum receptum: Alterâ die eosdem domi invisisse, idémque officium ab omnibus tulisse: Solum Cardinalem presbyterum Sanctæ Sabinæ, (Berardum Herulum Narniensem) magnæ auctoritatis & integritatis Patrem, officio illo abstinuisse, dignitatis Cardinalitiæ non statuentem secundo genito subditi Ecclesiæ Regis tantum præstari. Ita ille. Abiisse porrò Fridericum ad Ducem; sed sicut plures alios delusum esse, mansisséque apud eum usque ad prælium Moratense, quo Dux ab Helvetiis profligatus fuit mense Iunio anni 1476. ex Comminio [r] intelligitur.

Ferdinandus Rex Neapol. frustratur spe affinitatis Burgundi.

[p] Ap. Pap. ep. 578.

[q] Pap. ep. 590.

[r] Commin. lib. 5. cap. 3.

VI.

Eodem mense Novembri die decimaquintâ (ut idem Papiensis [s] narrat) Marcus Cardinalis S. Marci, sive Aquileiensis dictus, qui triginta mensibus Legatus Apostolicæ Sedis abfuerat in partibus Septemtrionalibus [t], redux de rebus in provinciâ gestis ex consuetudine in Senatu Pontificio retulit: & quod caput Legationis fuerat, conatum esse Reges Hungariæ & Poloniæ ad pacem vel inducias diuturnas inducere: habitos eâ de re conventus nonnullos, tractatus ductos varios: summis tandem laboribus pacem secutam. Ac post alia adjecta, quæ tam apud Imperatorem de diversis negotiis, quàm etiam apud Ducem Burgundiæ pro conciliatione rerum Coloniensium, & cum aliis gessisset, tentâssétve, postremò procumbens in genua veniam poposcit, quòd nec publicis necessitatibus, nec imperio Pontificis, nec Cardinalium expectationi sciret à se satisfactum: nihil tamen omissum, quod vel potestatis, vel diligentiæ vel consilij fuisset. Qui laudatus est à Pontifice; simúlque ab eo & Cardinalibus gratiæ verbis honorificis habitæ. Fuit vir egregiæ literaturæ, ut ex ejus scriptis intelligitur, quæ alibi [u] recensentur.

[s] Pap. ep. 595.

Card. Aquileien. relatio suæ legationis.

[t] Supr. an. 1472. I.

[u] In Nomencl. Card.

VII.

Quomodò verò quæ de pace Hungarorum & Polonorum tetigit gesta sint, narratur in Historiis [x] illorum populorum; Bonfinio quàm maximè res Matthiæ Regis extollente. Quas & ipse Matthias literis ad Pontificem ac Principes Christianos post pacem scriptis efferens, delere se funditùs exercitus Polonorum & Boëmorum potuisse jactavit, nisi Christianus Christianorum misertus esset: uti Poloni referunt; qui sanè, ut non consentiant Matthiæ jactationibus, ita nihilominùs sua tractant, ut ingenuè fateantur malè fuisse & suis Regibus & eorum exercitibus, non quidem virtute Matthiæ aut Hungarorum, sed negligentiâ atque inertiâ suorum, & morbis quibus afflicti sunt; cùm nihilominùs esset sine dubio Matthias (ut nationes non tangam) ceteris Regibus peritior & exercitatior; Casimiro Poloniæ cunctationibus suis nihil penè agente, & Wladislao Boëmiæ adhuc adolescente inexperto existente. Congredientibus autem tribus Regibus semel iterúmque insimul, & proceribus ipsorum pariter separatim consultantibus; his demùm conditionibus pax conclusa dicitur,) inducias tantùm nonnulli habent; & planè cum factâ pace confundunt:) ut quoniam agebatur de regno Boëmiæ, Matthias Moraviam & Silesiam provincias ejus, Wladislaus Boëmiam ipsam atque Lusatiam haberet: & si alter absque liberis decederet, alter universis potiretur; atque interim uterque regni Boëmiæ titulum gereret. Post quæ reverso Wladislao Pragam, primùm à veneficis in ejus caput conspiratū esse,

De Pace inter Hungaros et Polon.

[x] Bonfin. 4. dec. 3. Dubr. lib. 31. Michov. lib. 4. cap. 63. Crem. lib. 28.

suspi

suspicione factâ in Matthiam, deinde etiam ab Hussitis in eundem tumultuatum esse, etiam usque ad probra & maledicta, ac minas de illo pellendo; hæc illo dejectâ magis mollitie, quàm piâ misericordiâ ferente, Dubravius (sed valdè, ut solet, perplexè & confusè) narrat, describitque.

VIII. VSUMCASSANI PROMISSA INANIA.

Hoc eodem anno Catarinus Zenus Venetus, quem vidimus legatum Venetorum agere apud Vsumcassanum Persarum Regem, venit in Europam cum aliis ejusdem Regis legatis, ad excitandos Reges ac Principes Christianos adversus Turcos in ver subsequens; quo ipse cum decem centenis millibus pugnatorum eos oppugnaturus esset: ut in Poloniâ promisisse, scribit Michovius [z]. Addit verò Cromerus [a], hæc legatum publicè in Poloniâ professum esse: secretò filiam Vsumcassani, è Catharinâ filiâ Imperatoris Trapezuntij susceptam, uni de Cazimiri Poloniæ Regis filiis uxorem, dotalémque Græciam cum Constantinopoli ipsius Vsumcassani armis vindicandam, obtulisse. Sed vanam & levem eam legationem Casimiro visam esse: neque aliud ei responsum, quàm Regem per suos legatos Vsumcassano responsurum esse. Ex epistolis verò Papiensis [b] intelligitur, petiisse quoque eundem legatum Vsumcassani Romam, unà cum oratore Hungariæ Regis, ingentem exercitum promittentem, modò Hungaro ad suscipienda quoque arma pecuniæ darentur: nihilque se sibi velle præter dominium, quod uxori debebatur, imperij Trapezuntini. Vtrùm verò aliquid post hæc præstiterit vel profecerit Vsumcassanus contra Turcos nullibi reperimus; nec quidem apud Bizarum, qui res Persarum describendas suscepit: nec item apud Angiolellum in narratione gestorum ejus: nec denique in Itinerario [c] Iosephi Barbari legati Veneti, qui apud ipsum usque ad ejus obitum egit. Quinimmò nihil ampliùs egisse, ex iisdem constat: obstante videlicèt rebellione Vnghermaumet ipsius filij, juvenis præcelsi spiritûs, atque ut paternarum virtutum, sic etiam ejusdem Imperij æmuli, qui falso audito nuncio mortis patris regnum invaserat. Deinde de patris adversus ipsum armati veniâ desperans, ad Mahometem Constantinopolim recurrit, & ab eo auxiliis adjutus, bellum patris ditionibus intulit: donec à Satrapis, simulato ad eum intercipiendum patris obitu ac funere, ad regnum evocatus, in manus patris incidit, & ab eo morte punitus est. Præter autem bella quæ Vsumcassanus gessit cum Turcis, habet idem auctor eum expugnâsse Sacrochum nepotem magni Tamerlanis, Hienselem Babyloniæ Regem superâsse, Sultanum Ægypti juxta Orpham civitatem acerrimo prælio devicisse, eúmque ob formidinem ad fœdus ineundum compulisse: ad hæc Cappadoces, Armenos, Georgianos, Mesopotamios, finitimósque populos omnes subegisse, fuisséque dominum Persarum, Parthorum, ac Medorum, & fermè totius Orientis, ejúsque nomen per universum terrarum orbem longè latéque inclaruisse. De cujus obitu, qui contigit anno 1478. dicetur suo loco.

[z] Michov. an. 1471. XII.
[z] Michov. lib. 4. c. 70.
[a] Crom. l. 28.
[b] Pap. ep. 574. 575. 584.
[c] Vide suprà an. 1472. XII.

IX. NOVA VENETORŨ CLASSIS IN TURCOS.

Intentis autem semper Venetis bello adversus Turcos gerendo; cùm post solutionem durissimæ obsidionis urbis Scodrensis, (de quâ anno præcedenti, cùm tamen ad præsentem pertineat) Petrus Mocenicus classis ipsorum Imperator Venetias tot rebus præclare gestis gloriosus rediisset; factus magno omnium favore Dux in locum demortui Nicolai Marcelli: iidem novam classem instruentes, Antonium Lauredanum, qui Scodram invicto animo à Turcis defenderat, ei cum summâ potestate præfecerunt: qui Naupactum Ætoliæ maritimam urbem à Turcorum oppugnatione servavit: paritérque Coccinum Lemni insulæ oppidum. Vbi ferunt, Lemniacam puellam Marullam nomine, cæso pro portis oppidi parente, statim accurrisse, ac scuto enséque jacentis arrepto, in hostem jam portam occupantem irruisse; femineâque hâc unius audaciâ barbaros cum cæde usque ad naves fugatos esse. Qualem prorsùs historiam de feminâ Lesbiâ, aliàs ex Æneâ [d] Silvio retulimus. Nisi fortè sit eadem; decepto illo, à quo Sabellicus [e] & Iustinianus [f] hæc narrantes eam desumpsêre, nominis insularum Lesbi & Lemni similitudine: quamquam non negamus, potuisse utrumque diversis locis & temporibus pari animo ac fortitudine fieri.

EGREGIŨ FEMINÆ FACINUS.

[d] Æn. de Asi. cap. 74.
[e] [illegible] dec. 10.
[f] Iustin. l. 9.

X. HENRICI REG. CASTEL. OBITUS.

Magna hoc anno rerum immutatio facta est in Hispaniâ: cùm Rege [g] Castellæ Henrico ad principium anni Segobiam, invisendæ sororis Isabellæ quæ ibi degebat gratiâ, ex venatione accurrente, certâ concordiæ spe; quæ & aucta est adventu Ferdinandi Aragonij mariti Isabellæ, & affabilissimâ inter eos conversatione: Rex subito morbo correptus, (quem vulgus venenum inter epulas datum interpretatus est; ut scilicèt novum regnum à parricidio auspicatò exurgeret;) quamvis nonnihil interim ab eo recreatus, mortuus tamen demùm ex eo est ad tertium Idus Decembris, ætatis anno quadragesimo-quinto extremo, regni vigesimo ac mense quinto. In cujus obitu & laudibus *Rodericus Santius* Episcopus Palentinus Hispanus Historiam suam Regum Hispaniæ terminavit qui Paulo Papæ II. acceptus, factus est ab eo Castri S. Angeli Romæ Castellanus.

[g] Marian. lib. 24

RODERICI SANTII HISTORIA.

XI. DISSIDIŨ DE SUCCESSIONE REGNI CAST.

Henricus de successore moriens rogatus, *Ioannam* filiam nominavit. Vnde magnâ ortâ dissensione, multi Ioannæ, plures tamen *Isabellæ* faverunt. Inter quam rursùm & Ferdinandum virum ejus non parva agitata est controversia de potiori jure successionis, quo alter alteri anteire contendebat; Isabella quidem proximitate sanguinis, & antiquis exemplis successionis femineæ; Ferdinandus verò masculinitate, quâ feminas exclusas volebat. Nec tam mota fuit quæstio ob rem præsentem, cùm essent animis concordissimi, quàm intuitu futuri, si fortè alter decederet antequàm nata esset communis proles. Hæreditate verò Isabellæ adjudicatâ, in gratiam nihilominùs Ferdinandi hæc regiminis forma constituta est, ut in regiis tabulis, edictis, monetâ, Ferdinandi priùs deinde Isabellæ nomen exprimeretur; at in communi clypeo Castellæ insignia Aragoniis potiorem locum occuparent: Isabellæ nomine arces Castellæ obtinerentur, ac quæstores vectigalia administrarent: sacerdotia utriusque nomine Reginæ voluntate darentur: ab ambobus, cùm uno loco essent, jura populi peterent: disjuncti, quo loco uterque esset, suo nomine jus diceret. Rege verò Lusitaniæ Al-

fonso Ioannæ ex sorore natæ causam suscipiente, quinimmò eam sibi in uxorem despondente, (ne tamen toro jungerentur, religioni datum est, priusquàm propinquitatis impedimentum per Pontificem remitteretur: cujus facta paulò pòst venia, mox abrogata est in gratiam Ferdinandi Neapolitani, cui nihil Sixtus ob affinitatem denegare poterat:) támque illo quàm aliis obtentis juribus Rege Castellæ proclamato; ortum bellum est, quod aliquot annis æquo & iniquo utrimque marte continuatum est; Ferdinando quoque titulum sibi & insignia Lusitaniæ arrogante: donec abhinc quinquennio pax certis conditionibus facta est; regnúmque integrum in Ferdinandi & Isabellæ potestate perstitit. Quæ omnia fusè tractata videre est apud Marianam, & alios Hispanorum scriptores.

XII. SYMEON PATRIARCHA CŌSTANTINOP. DEPONITUR. [h] *Turcogr. lib. 1.*

Ad finem quoque hujus anni constitui posse videtur abdicatio Symeonis Patriarchæ Constantinopolitani Græci; (nisi fortè magis ad sequentem pertineat: divinare enim plerumque in his opus est:) quem post restitutionem, triennium & paulò ampliùs sedem tenuisse, ex Zygomalâ [h] intelligitur. Abdicationis autem causa, Raphaël quidam extitit Hieromonachus è Serviâ ortus. Qui cùm aliquos è proceribus Turcis amicos haberet, agere cœpit cum eis de Patriarchatu obtinendo; promittens pro pescesio, hoc est ingressu, quingentos aureos, ac pro tributo annuo, quod Charatzium vocabant, duo millia. Acceptâ oblatâ conditione ab Imperatore Mahomete, Symeon iterum dejici jussus est, inque ejus locum *Raphaël* subrogari, quamquam & rudis, & linguæ Græcæ penitùs ignarus, & adeò ebrietati ac crapulæ deditus, ut vix unquam sobrius à vino conspiceretur; etiámque ipsâ sanctissimi Paschatis hebdomadâ pedibus in Ecclesiâ præ ebrietate consistere posset: & Passionis Christi mysteriis in Parasceve temulentus in Ecclesiâ visus fuerit. Quare cùm omnibus propetereà invisus esset, paucissimi Episcopi ejus inaugurationi interesse, & sacerdotes non nisi metu coacti in sacris obeundis ei communicare sustinuerunt. Transacto uno Sedis anno cùm Charatzium persolvendum esset, nec unde haberet, quòd nemo ei vel obolum offerret; conjectus in carcerem, & acceptâ facultate exeundi ad stipem pro solutione corrogandam, cum catenâ ferreâ, & custodiente se Turco milite ostiatim mendicare compulsus, (quàm gloriosum ei fuisset pro religione hæc pati! & quàm contrà ignominiosum pro tam sordidâ culpâ!) brevi miseram vitam reliquit. De cujus successore dicetur anno sequenti. Rem autem narrant Zygomalas & Malaxus.

RAPHAEL TURPISSIMUS SUBROGATUR.

XIII. CŌVENTIO INTER ARCHIEPISCOPOS RHODI. [i] *Bos. tom. 2. lib. 9. & 17.*

Fuerat hactenùs in insulâ Rhodi controversia de jurisdictione spirituali inter Iulianum Vbeldinum Archiepiscopum Latinum, & Metrophanem Metropolitam Græcorum insulæ; quæ demùm hoc anno ita composita est, (prout ex Historia Religionis [i] intelligitur) ut imposterum electio Metropolitæ fieret à Græcis, qui duos aut tres sacerdotes idoneos repræsentarent Magistro Religionis, qui unum ex illis susciperet: huic Archiepiscopus Latinus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus confirmaret; præstarétque ei electus eo nomine juramentum obedientiæ, ac posteà consecraretur à Græcis ipsorum ritu: causæ criminales Cleri Græcanici, & matrimoniales populi, conjunctim ab utroque dijudicarentur: vacantia beneficia præsentarentur à Magistro tanquam patrono, Archiepiscopo, qui reciperet ab eis sacramentum obedientiæ præstandæ Sedi Apostolicæ & ipsi Archiepiscopo. Quæ ita transacta fuêre de communi consensu mense Iulio præsentis anni: confirmatáque posteà à Summo Pontifice. Iuramentum autem ita à Græco concipiebatur, ut ipse se metropolitem Græcorum Rhodiorum, Latinum verò, Archiepiscopum Colossensem vocaret. Quâ de re dictum est in Concilio Florentino [k].

[k] *An. 1438. XXIX.*

IESU CHRISTI Annus 1475.

SIXTI IV. An. 5.

FRIDERICI III. An. 36.

I. IUBILEUS CELEBRATUR ROMÆ.

ANNUS Christi 1475. Indictione octavâ, celebratus est Romæ Iubileus (initio facto à Natali præcedenti) cujus indictionem vidimus à Sixto Pontifice factam, cum reductione imposterùm ad singulos vicenos quinos annos. Magnam mortalium multitudinem ad consequendam peccatorum veniam eò confluxisse, maximè quòd toto eo anno suspensæ per universum orbem essent cæteræ omnes indulgentiæ & peccatorum remissiones, dubium nemini esse potest. Verùm longè minorem extitisse, quàm pacatis temporibus, facile est creditu; cùm universa ferè Germania, Gallia, Anglia, Hispania, Hungaria, Polonia, in armis essent. Adeò ut quidam [a] observent, quòd multi in Vrbe annonam congessissent lucri gratiâ, fuisse eam principio anni caram, deinde vilem; contrà quàm accidisset sub Nicolao V. anno 1450. qui initio abundantissimus, in fine indigentissimus fuerat. Præcipuus qui Romam tunc petiit, Ferdinandus fuit Rex Neapolitanus: cui Onuphrius [b] ait officia omnia præstita à Sixto fuisse: & (ne gratis venisse videretur) annuum censum, quem Ecclesiæ Romanæ debitum pendebat, equo tantùm phalerato tributi nomine retento, eidem remisisse. Ait verò Palmerius [c] venisse Ferdinandum specie quidem Iubilei, sed reverâ ut initum inter Venetos, Mediolanum Ducem, Florentinósque fœdus solveret; sicuti & fecit. Quod verò habent nonnulli, Christiernum quoque Danorum Regem ad Iubileum venisse; jam vidimus ejus adventum ac recessum anno præterito contigisse. Nec desunt, qui ut pompam augeant, diversos Reges faciant Daniæ, Sueciæ, Gottiæ, Norvegiæ: cùm nihilominus unus idémque fuerit Christiernus tot regnorum titulos gerens, quamvis non omnia possidens. De Catharinâ Reginâ Bosnæ certius est, venisse cum quadraginta equitibus. Quæ annis quinquaginta quinque nata, & à Sixto comiter excepta, atque rebus necessariis sublevata; ibi usque ad obitum mansit; de quo dicetur suo loco. Meminit item Onuphrius non solùm Reginæ, sed etiam Regis Bosnæ & Walachiæ, annis gravis & senio confecti, voti

[a] *Ap. Ciaccon. in Sixt. IV.*

[b] *Onuphr. in Sixt.*

PRINCIPES EJUS CAUSA ROMAM ACCEDENTES.

[c] *Palmer. in Chron.*

causâ ad Limina Apostolorum venientis: sed utrùm anno Iubilei, non dicit. Ex Historiâ verò Rhodiensi habemus, Carlotam olim Reginam Cypri hoc anno Romam accessisse: cujus nos iter superiùs ex auctore Cyprio indefinito anno memoravimus. Concessisse verò Sixtum Iubileum Regi ac Reginæ Castellæ, ac Principibus & magnatibus ipsorum prosapiæ utriusque sexûs, à Calendis proximi Decembris usque ad octavam Paschatis, sub visitatione alicujus Ecclesiæ assignatæ, ac certarum precum recitatione, Victorelius [d] asserit ex quodam diplomate manuscripto Sixti à se viso. Concessúmque fuisse eundem multis aliis, præteritorum exemplo facilè credimus; necnon exemplo Bononiensium in eâdem Italiâ. Quippe scribit Sigonius [e], Sixtum, cùm pauci Romam vehementibus armorum terroribus impediti contenderent, ut saluti longinquarum nationum prospiceret, Iubileum Bononiam destinâsse à Calendis Maij usque ad finem anni: eâque de re tantam hominum multitudinem Bononiam confluxisse, ut vulgò creditum sit, nunquam aliàs urbem tantâ peregrinorum copiâ redundâsse.

[d] *Victorel. de Iubil. par. 3.*

[e] *Sigon. de Episc. Bonon. l. 4. hoc an.*

II.

De rebus Germanicis, Gallicis & Hispanicis nonnulla dicta sunt superiori anno, quæ ad præsentem pertinent. Quòd enim pleráque magis ad temporalia spectent, haud ea putamus adeò frequenter resumenda. Liberata autem est hoc tempore Gallia ab ingenti periculo: cui timebat vehementer Papiensis [f] Cardinalis, cùm ad amicos scribebat, videri sibi, nisi Deus subveniret, veterem fortunam Ioannis abavi, & Caroli patris, Ludovico Regi obventuram, qui non esset copiis Regis Angli adversus eum transmittentis, & Ducis Burgundi ei adjuncti, sustinendis. Sed confide, pie Cardinalis: subvenit Deus, tam prudenti astutiâ Regis, ab invicem eos disjungentis, quàm Anglorum facilitate, & excæcatione mentis Caroli; qui tot peccata in Anglorum, quos tantâ instantiâ & contentione evocaverat, exceptione & assistentiâ peccavit, ut visus sit & ipse perire & illos perdere voluisse. Adeò ut hæc describens qui intererat Comminius [g], plus semel stupens coactus sit fateri, nullum esse regnum, cujus ita specialem curam Deus habere consueverit, quàm Gallici. Res autem sic breviter habuit.

[f] *Pap. ep. 615. 618.*

Caroli Ducis Burg. imprudentia.

[g] *Commin. lib. 4.*

III. Angliæ Regis expeditio inanis in Galliam.

Eduardus Rex Angliæ à multo tempore solicitatus à Carolo Burgundo sororio suo in Galliam transmittere, ut junctis viribus regnum invaderent; cùm exercitum paratum haberet, antequàm Anglia excederet, fecialem sive heraldum præmisit, cum literis ad Ludovicum Regem, quibus regnum Galliarum jure, ut asserebat, suum sibi reddi postulabat; sin recusaret, bellum denunciabat. Ait auctor Historiæ Ludovici, ipsum per fecialem Anglo dono misisse bellatorem equum generosissimum; ac subinde per hospitiorum designatorem, asinum, lupum, & aprum. Sed quoniam nihil ejusmodi apud alios reperimus, putamus hæc magis per ironiam à quodam gerrone conficta, (saltem quoad tria illa animalia) quàm verè facta esse; quippe Comminius è contrà asserit, Regem omni solicitudine curâsse, nequid fieret quod Regi Angliæ offensioni esse posset; quem cupiebat amicum sibi reddere, & postquam trajecit in Galliam, remittere cum benevolentiâ in Angliam. Cùm igitur trajecisset Caletum Eduardus cum tanto exercitu, quantum nunquam anteà Rex aliquis Angliæ transmisisset; eum mense Iulio Burgundus conveniens raro comitatu, quòd copias suas longa Nussiæ obsidione attritas in Lotharingiam, (cujus Dux Renatus, veteris illius Renati Siciliæ Regis dicti, qui adhuc vivebat ætate provectissimâ, ex filio nepos bellum ei indixerat) ut reficerentur emisisset: ambo Peronam progressi sunt, spe certâ sibi factâ de adhæsione Ludovici Lucemburgij S. Pauli Comitis ac Franciæ Connestabilis, grandis potentiæ & auctoritatis principis, cujus neptem Rex Angliæ uxorem habebat, ipséque sororem Reginæ Franciæ; quíque medius inter Regem Ludovicum & Burgundum, utrumque sibi asserere, simúlque fallere consueverat, utrique pariter & infensus & invisus. Cùm autem etiam tunc tam Anglus quàm Burgundus ab eo delusi fuissent; recipiente se ad exercitum suum Burgundo, Anglus subalienato jam animo, quòd minùs ipse rerum ac itinerum & locorum Franciæ gnarus, desertum se ab utroque animadverteret, hiemémque imminentem horreret, nec parum sibi à potenti Ludovici Regis exercitu timeret, denique magis quietis, post tot patrios turbines, quàm alienorum bellorum appetens esset; cœpit suasionibus Ludovici, quas interim per diversos frequenter ei insusurrabat, impotentiam Burgundi, & Connestabilis fallacias exaggerans, præbere aures. Ac post multa ultro citróque tractata, demùm his conditionibus fœdus in novem annos inter Reges peractum est, ut Ludovicus in Anglici exercitus stipendium septuaginta duo millia aureorum numeraret: ac Delphinus filius Ludovici filiam natu majorem Eduardi uxorem acciperet; qui post illud novennium Aquitaniâ fruerentur, atque interim quinquaginta millia aureorum quotannis Anglo penderentur; (quod [h] Galli pensionem, Angli tributum vocabant.) De quibus certior factus Burgundus, cùm rursùm Eduardum convenisset, nec potuisset conventa dissolvere, iratus mox recessit cum non parvâ Eduardi offensione. Reges verò 29. August. congressi propè Ambianum ad pontem Somonæ Piquiniacum, cancellis ligneis intermediis, magno honore se invicem prosequentes, pacta juramento confirmârunt. Ac post hæc Eduardus nullo alio omninò operæpretio in Galliâ facto, ad sua se recepit, relictis interim obsidibus quousque mare transmisisset.

Fœdus inter Reges.

[h] *Vide Tili. in Tract. Franc. & Angl.*

IV.

Burgundus cùm noluisset comprehendi fœdere inter Reges icto; post Eduardi discessum, & ipse pariter in novem annos cum Rege inducias alias amplis conditionibus pepigit. Miser Connestabilis, cùm inter hæc à Rege vocatus, asserente se indigere tali capite ad expedienda tanti momenti negotia, (caput scilicèt separatum à trunco, non cerebrum aut ingenium) non ausus esset ei fidere, nisi jurato de securitate ad Crucem S. Laudi, quæ apud Andegaves summâ religione habebatur, & qui eam pejerans tangeret, intra annum malâ mor-

Connestabilis S. Pauli supplicium.

te perire dicebatur, nec Rex sibi à perjurij vindictâ timens jurare voluisset: postquam demùm cæteris cum Rege reconciliatis, quid acturus esset dubius Connestabilis hæreret; cum Burgundo congressus, ab eo turpiter proditus est, ac Regi traditus: convictúsque literis ac sigillis propriis, de clandestinis in Regem factionibus atque consiliis cum Anglis & Burgundis hostibus habitis; ex sententiâ Senatûs Parisiensis capite ibi publicè plexus est die 19. Decembris: sepultus in Ecclesiâ Franciscanorum. A quo tempore vacavit diù Connestabilis dignitas in Franciâ propter summam ejus potentiam, quæ proxima regiæ in armorum administratione noscitur esse. Intereáque Carolus Dux Lotharingiam ingressus, reliquam facilè occupavit, Nancium primarium gentis oppidum longiori obsidione eodem mense Decembri in potestatem redegit. Quæ cuncta cæteris uberiùs Philippus Comminius [i], qui videbat, distinctiúsque exponit; supplicium Connestabilis, ac piè obitam mortem, Auctor Vitæ Ludovici: necnon Meyerus [k], ægerrimè in omnibus ferens Comminij apud Regem gratiam; ejúsque fidem historiæ elevare nitens: cui sanè uni nullus est alicujus vir ingenij, qui non magis credat, pio & candido scriptori, quàm mille Meyeris calumniosissimis & petulantissimis: Dignus hic Philippus (inquit magnus Lipsius [l]) omnibus Alexandris. Tractant eadem Æmilius, Gaguinus, & plures alij. Apud quorum ullum, nec item apud Polydorum aut alios Anglos auctores, cùm nullam invenerimus mentionem Episcopi Mutinensis, quem hominem laudatissimum & sincerissimum Papiensis [m] ait destinatum à Sixto Pontifice fuisse in Galliam ad componendos istos motus; putamus aut omninò non ivisse, quòd priùs auditi sint inter ipsas partes compositi, quàm ipse ad profectionem paratus fuerit; aut minùs ejus interventu opus fuisse. Binæ enim quibus de ejus missione Papiensis meminit literæ, alteræ vigesimo-septimo Iulij, undecimo Augusti alteræ scriptæ fuêre, quando jam propè concordia inita erat.

[i] Commin. lib. 4.

[k] Meyer. l. 17.

[l] Lips. Not ad lib. 1 Polit. cap 9.

[m] Pap. ep. 618. & 623.

V. CAROLI MAGNI FESTUM RESTITUITUR A' REGE.

Paraverat porrò sibi Rex ad avertenda hæc mala auxilium de sancto, & de Sion tuitionem: cùm præter frequentem visitationem Ecclesiarum Beatissimæ Virginis, cui erat vel reverâ, ut satius est credere, vel ut multi existimârunt, simulatione devotus; (sed quid ei prodesse poterant simulationes apud sanctam Virginem?) virtutes & pietatem Magni olim CAROLI Francorum Regis & Romanorum Imperatoris suspiciens, diem ejus natalem quo ad Deum migravit, nempè vigesimum-octavum Ianuarij, festum in regno haberi præcepit, atque ut aliorum Sanctorum solemniter & tunc & imposterùm celebrari: ut ejus Vitæ auctor prosequitur. Quod tamen non tunc primùm cœptum esse, ex iis patet, quæ in Caroli [n] obitu de ejus sanctitate, & antiquiori cultu diximus. Sed desuetudine neglectum restituit Rex magno suo & totius regni commodo & honore.

[n] Epit. Bar. an. 814. V.

VI.

Mensis Ianuarij die decima-septimâ [o], Stephanus Palatinus, sive Vaivoda (ut à diversis indigitatur) Moldaviæ & Walachiæ, vir strenuissimus, ingentem retulit de Turcis victoriam. Cùm enim Mahometes ipsorum Rex Palatinum Transalpinum, contra Stephanum, qui cum pepulerat, in fidem suam accepisset; ipsúmque Stephanum subigere cupiens, ingentem in Moldaviam exercitum centum viginti millium immisisset: is tantus exercitus à Stephano, qui vix quadraginta, vel etiam triginta millia habebat, ex omni suorum hominum, feréque agrestium, multitudine; memorabili clade profligatus est: quâ ex tanto numero pauci evasêre, & qui in potestatem Christianorum vivi venêre, præter paucos insigniores, interfecti sunt: Bassæ quatuor desiderati; signa militaria ampliùs centum capta. Moderatè autem hâc victoriâ usus Stephanus, solíque Deo eam acceptam referens, toto deinceps quatriduo, omni præter panem & aquam cibo abstinuit. Summo Pontifici, Poloniæ & Hungariæ Regibus dona misit de manubiis; opem eorum contra tam potentem hostem qui haud quieturus esset implorans. Quinimmò & ad Mahometem ipsum legationem decrevit cum donis, questum ditiones suas à latronibus ex Turciâ profectis infestatas esse, cámque manum à se profligatam meritas pœnas sibi dedisse: petitúmque ut reliquos ex eo numero qui evasissent sibi Mahometes ad supplicium dederet, quandoquidem credibile esset id eos ipsius injussu ausos esse. Quâ legatione Mahometes magis exasperatus, legatos contra jus gentium captivos aliquamdiù detinuit, posteà que penè nudos ad sua remisit. Matthias autem Rex Hungariæ consuetâ vanitate atque jactantiâ (ut auctores Poloni scribunt) tam apud Summum Pontificem, quàm Imperatorem, Regésque Christianos, hanc sibi victoriam asserere gestivit, scribens à præfecto suo Stephano eam partam esse: cùm nihilominùs non solùm Stephanus nihil ei deberet, verùm etiam non multò antè sex millia Hungarorum ad vastandam Walachiam missos delevisset. De his tamen nihil apud Bonfinium: præterquàm quòd breviter ait [p], hoc anno Turcos superato Istro Walachiam malis auspiciis incursâsse: ab hostibus enim primò defatigatos, deinde circumventos, ad internecionem cæsos esse: & cùm paulò pòst inferiorem Mysiam invasissent, insigni clade stratos esse. Annales Turcici etiam cladem Moldavicam agnoscunt: sed aiunt eam accidisse, quòd ipsorum exercitus ex oppugnatione Scodræ defatigatus vires amisisset, & ingens Moldaviam frigus occupâsset; indéque alacritate animorum extinctâ parùm fortiter pugnârit. Quo eodem anno [q] Matthias munitionem Sabacs, ad ripam Savi fluminis à Turcis constructam, ex quâ non modò Sirmiensem agrum, sed Pannonios & Noricos incursarent, ac propterea valido præsidio firmatam; expugnavit ingenti omnium gratulatione. Ac vice versâ Turci [r] in Hungariam excursionem facientes, magnam ejus partem vastârunt.

[o] Michov. l. 4. cap. 70. Crom. l. 28.

INGENS DE TURCIS VICTORIA PER STEPHANUM MOLDAVUM.

MATTHIÆ REGIS HŪGAR. VANITAS.

[p] Bonfin. 4. dec. 3. in fin.

[q] Bonf. ibid.

[r] Michov. cap. 71.

VII. TURCORŪ PROGRESSUS CULPA GENUENSIUM.

Nihil enim propter adversa de furore suo remittentes, quinimmò majorem audaciam assumentes; etiam in Epiro apud Croiam hoc eodem anno non modicam cladem Venetis intulerunt. Et quod longè acerbius fuit, obtulit sese incogitantibus occasio Caffam occupandi, Theodosiam illam dictam, Tauricæ Chersonesi urbem nobilissimam ac munitissimam, quæ ab aliquot sæculis à Genuensibus posside-

batur : frequénsque erat ac celeberrimum totius Euxini emporium, civitati Genuensi privatim publicéque fructuosissimum. Quod scelere & avaritiâ nonnullorum ipsorummet Genuensium, ac turpi & iniquâ de quodam præfecto Regis Tartarorum, cui latissimè patentes circà regiones parebant, ipsorum amico ac benevolo, controversiâ, amissum est. Rem describunt auctores [s] Genuenses. Missus igitur, petitione pulsi præfecti, Geduc Achmetes Bassa cum classe quingentarum ferè navium, quæ parata erat in Cretam; urbem Caffam, jam à prædicto præfecto cum validâ manu Tartarorum, qui proprium suum Regem Genuensibus adhærentem intra illam concluserant, longâ obsidione fatigatam, acri paucorum dierum oppugnatione, dedentibus se oppidanis, recepit : capto etiam Rege Tartarorum cum duobus suis fratribus, & unà cum nobilibus Genuensibus ac præcipuorum civium multitudine, Constantinopolim traductis; atque inde totâ illâ regione in potestatem Mahometis redactâ. Quod quantam trepidationem etiam Polonis intulerit, narrat Cromerus [t]. De totius verò Orientis inde ortâ perturbatione, est epistola [u] Landivij Lunensis Equitis Ierosolymitani ad Cardinalem Papiensem.

[s] Foliet. l. 11.

[t] Crom. l. 26.

[u] Ap. Pap. ep. 641.

VIII. ACHMETIS BASSÆ POTENTIA ET VIRTUS MILITARIS.

Occupationem item urbis memorant Annales Turcici cum laude Achmetis ducis exercitûs. Qui Albanensis, seu Epirota genere, ex humili sorte ad supremam primi Bassæ dignitatem exaltatus, magni nominis fuit tam apud Mahometem hunc, quàm Bajazetem ejus filium: eúmque Secretarius Sigismundi Malatestæ reguli Ariminensis, qui tunc vixit, & plerisque rebus id temporis in Græciâ & Anatoliâ gestis cum hero suo Venetis militante interfuit, scribit [x] fuisse virtute militari parem antiquis ducibus : adeò quidem, ut solâ nominis sui famâ, quocumque se conferret, omnibus formidinem ac trepidationem injiceret. Ait de illo Spandugius [y], habuisse uxorem formâ præstantem, cujus amore captus Mustapha Mahometis filius eam in balneo violârit. Cùm de indigno facinore Achmetes apud Mahometem quæreretur, respondisse hunc, cur iis querelis uteretur, an nesciret Sultani se mancipium esse? si igitur filius in ejus uxoris complexum venisset, cum mancipio patris rem habuisse : Nihilo tamen minùs patrem de tali injuriâ filium secretò acerrimè increpâsse, & à suo conspectu abegisse; ac post triduum quendam misisse, qui filio injecto nervo fauces eliserit. Quod sanè si verum fuerit, memorabile est paternæ justitiæ in filium apud impiam gentem exemplum. De Achmete verò rursùm inferiùs [z].

[x] Ap. Leunclav. Pand. Turc. c. 147.

[y] Spandug. de orig. Turc.

[z] An. 1480. III. 1481. IV. VI.

IX. MARE NIGRUM ET ALBUM.

Quod autem Caffam ad Mare Nigrum sitam dicunt Turcorum Annales, fiátque in iis sæpè, aliísque antiquioribus recentioribúsque auctoribus, mentio *Maris Nigri & Albi* : illud breviter monemus, Nigrum dici, non quòd aquas habeat nigras, sed à subitis fœdísque tempestatibus, quæ in momento nigris tenebris involvunt : quod & Græcis antiquis *Euxinum* dictum volunt per contrarium sensum, velut Axenum & in hospitale : recentibus *Maurum* hoc est nigrum; quomodò etiam à Luciano adversus indoctum vocatur Niger Pontus. Itali *Mare majus* vocant. Contrà verò Mare Mediterraneum; quòd longè serenius sit & quietius, *Mare Album* vocatur.

X. SIMONIS INFANTIS MARTYRIUM A' IUDAIS.

Hoc anno Tridenti, 10. Calendas Aprilis nocte Parasceven præcedente, Iudæi infantem quendam, cui *Simoni* nomen erat, novem & viginti menses natum, furto sublatum, in opprobrium Passionis Domini, cruciatibus interfecerunt : ac deinde in flumen abjecerunt : sed patefacto divinitus scelere, variis illi suppliciis affecti meritas pœnas luerunt. Puer ex aqua retractus multis miraculis confestim coruscans inter Sanctos connumeratus est. Rem descripsit [a] Ioannes Matthias Tiberinus: quam etiam referunt Sabellicus [b], Palmerius [c], multíque alij : sed malè 8. Calend. Aprilis constituentes, cùm res inciderit in noctem feriæ quintæ Cœnæ Domini, quæ accidit eo anno 10. Calendas Aprilis, adeò ut collocari debeat vel nono vel decimo Calendas. Cui aliud non absimile scelus in oppido Motâ in finibus Tauresij & Forilulij, non ita pòst contigisse, idem Palmerius memorat. Déque hujusmodi pessimæ gentis facinoribus, præter alia multa quæ sæpè sunt à nobis allata superiùs exempla, retulit quamplurima Alfonsus Spina ex Iudæo factus Christianus, & Monachus Franciscanus, in suo Fortalitio Fidei, quod paulò antè hæc sub Callisto Pontifice scribebat in Hispaniâ. Hoc porrò etiam anno miraculis claruisse *S. Stephanum* Diensem in Delphinatu olim Episcopum, Gaulterius memorat in Chronologiâ. Eodémque anno civitas Avenionensis erecta est in Archiepiscopatum Sixti IV. auctoritate, non Iulij II. ut nonnulli existimârunt : Carpentoratensi, Cavallicensi, & Vasionensi Episcopis suffraganeis ei attributis.

[a] Ap. Sur. 24 Mar.

[b] Sabell. 10. En. 7.

[c] Palmer. in Chron.

IESU CHRISTI Annus 1476.

SIXTI IV. An. 6.

FRIDERICI III. An. 37.

I. URBIS CLADES AB INUNDATIONE.

ANNUS Christi 1476. Indictionis nonæ, lugubre dedit initium Urbi Romæ ex gravissima inundatione Tiberis : qui adeò ex nivibus crevit, (sicuti refert qui aderat Cardinalis Papiensis [a]) ut octavo die Ianuarij prata quæ sub Vaticano sunt, æquè ac alveus plana & plena fuerint : portâ Adriani fluctibus in eam delatis, inferri quicquam efferríque non potuerit : viâ ad Pontificem obsessâ, iri in Senatum ad palatium Vaticanum, per Adriani molem oportuerit : intra S. Pauli Ecclesiam ad primum summi altaris gradum aqua conscenderit : planè ut timerentur iterùm ventura tempora Noæ. Serpentum vis ingens delata in mare ex cavernis agrísque excita, ac rapta : ingentia damna foris & intus allata. Subsecuta est (quemadmodum tempore [b] Gregorij Magni) gravissima pestilentia : ob quam Sixtus Pontifex Urbem deserere coactus est.

[a] Pap. ep. 642.

[b] Epit. Bar. an. 589. III. 590. I.

II. IOAN. DE REGIOMONTE OBITUS.

Eâ verò extinctus putatur *Ioannes de Regiomonte* Germanus; qui à Sixto Papâ Romam ad emendandum Paschalem Dionysij computum accitus venerat, & dum pleraque posteritati pararet, maximâ studiorum jacturâ interiit : ut

Palmerius [c], & ex eo Trithemius [d] refert: asserens uterque, fuisse illum non minorem Anaximandro Milesio, aut Syracusano Archimede; Græcâ & Latinâ eloquentiâ clarum, Germanorum decus, ob astronomiam cæterásque Mathematicas disciplinas à Matthiâ Hungariæ Rege, atque à Republica Nuremburgensi perpetuo donatum stipendio. Multa scripsit, quæ ext nt. Fuítque olim discipulus *Georgij Burbachij* Bavari, omnium sui temporis philosophorum & astronomorum facilè principis.

[c] *Palmer. in Chron.* [d] *Trith. Catal.vir.ill.*

III. Sixti PP. decretum de Conceptione Virg.

Ad prædictam autem pestilentiæ calamitatem averruncandàm, & cultum Beatissimæ Virginis solidiùs instituendum, propagandúmque, idem Sixtus Pontifex tertio Calendas Martias constitutionem [e] edidit; quâ omnibus qui immaculatam ejus *Conceptionem* devotè celebrarent, & Missæ atque officio ejus, à Magistro Leonardo de Nogarolis Clerico Veronensi & Sedis Apostolicæ Notario disposito, & ab ipso Sixto instituto, interessent, aut officium privatim recitarent; easdem impertiit indulgentias quæ ab Vrbano IV. & aliis Pontificibus concessæ fuerant in Corporis Christi solemnitate. Post quæ cùm diversorum Ordinum prædicatores in suis sermonibus ac liberis asserere non erubescerent, eos qui crederent B. Virginem absque originalis peccati maculâ fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, & qui officium Immaculatæ Conceptionis celebrarent, peccare graviter: idem Pontifex septimo pòst anno, videlicèt Christi 1483. aliam constitutionem [f] promulgavit; quâ ejusmodi omnes prædicatores ac scriptores & assertores damnavit, & in eisdem suis assertionibus perseverantes excommunicationi subjecit: sicuti & illos qui contrariam sententiam, quousque à Romanâ Ecclesiâ decisa res esset, similiter peccati mortalis aut hæresis accusarent; quam Sixti sententiam comprobavit postea Concilium Tridentinum [g]: aliáque subinde decreta circa hæc fuêre, de quibus dicetur suis locis.

[e] *Extravag. com.lib.3.tit.12. de Reliq. & vener. Sanct.c.1.*

[f] *Ibid. cap.2.*

[g] *Concil. Trid.Sess 5. decr. de pec. orig. §.ult.*

IV. Ludovici Reg. Gall. edicta de resid. Prælator. &c.

In Galliâ ad principium hujus anni, die octavâ mensis Ianuarij, Rex Ludovicus edictum promulgavit: quo significavit, facultatem factam Regibus fuisse in Concilio Constantiensi, & à Summo Pontifice, postulandi singulis quinquenniis, cùm opus foret, convocationem Concilij Vniversalis: cúmque id multo tempore intermissum fuisset, & tamen ob multa schismata & scandala quibus Ecclesia vexaretur, omninò ejusmodi convocatio necessaria videretur; decrevisse se eam quamprimùm postulare: ac propterea injungere omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliísque Prælatis, in suis beneficiis diem & locum expectare, quo essent convocandi. Hoc enim disertè sonat edictum [h] ipsum, ad Senatum Parisiensem promulgandum missum: non autem quod in Vita ejusdem Regis traditur, permissum ab omni ævo fuisse Regibus Francorum, singulis quinquenniis Concilium Nationale omnium totius regni Præsulum convocare, pro reformatione & necessitatibus Ecclesiæ, quamvis & id ipsum inde haustum quidam alij scripserint. Additum autem fuisse dicitur, nisi omnes Prælati intra sex menses ad suas singuli Ecclesias se recepissent ad ejusmodi mandatum expectandum, bona non obedientium sub regiam manum ponerētur. Cui & aliud addidit; ut quicumque Româ venirent, tenerentur in regni ingressu literas, bullas, & scripta quæcumque quæ ferrent exhibere; ut videretur utrùm quid iis contineretur, quod in præjudicium regni ac privilegiorum Ecclesiæ Gallicanæ verteret. Quoniam verò nullus fuit inde Conventus celebratus, existimârunt nonnulli [i], hæc Regem edixisse, (ut erat suspiciosissimus) in eum finem ut cuncti Prælati ad sua se recipientes, (quod etiam alioqui æquissimum erat) minimè possent cernere quæ per regnum fierent, & de iis hostes Regis aut exteros certiores reddere. Eâdémque de causâ mense Septembri statuisse, nequis Abbas, Prior, aut quivis Religiosus, ad Capitula suorum Ordinum extra regnum ullo modo ire auderet, sub pœnâ proscriptionis & exilij, aliísque durioribus; ne videlicèt hâc specie aut cum exteris tractare, aut literas ad eos deferre possent. Quod pariter non semel in Anglia bellorum tempore vetitum, ex Parisio & aliis eorum historicis intelligitur.

[h] *Extat int. Ordinat. Ludov. XI. & ap.Boechel in Decr. Eccl.Gall. lib.5. tit.20.c.38.*

[i] *Bellef.l.5. cap.142.*

V. Iuliani Card. S. Petri Legatio in Galliam.

At potiùs dixerimus, Regem hæc statuisse, ut metum incuteret Legato Pontificio qui in Galliâ tunc erat. Venit enim hoc tempore in Galliam *Iulianus* Cardinalis S. Petri ad Vincula nepos Sixti Pontificis, & aliquam dissensionem cum Carolo Borbonio Archiepiscopo Lugdunensi Legato Avenionensi (qui ad finem anni sequentis factus est Cardinalis, primus ex eâ familiâ) habuit apud Avenionem de juribus seu illius Legationis, seu aliis Ecclesiæ Gallicanæ, vel regni, ut diversi scribunt. Cùm autem Rex à propinquo suo Borbonio staret; ageretúrque insuper de Provinciâ à seniori Renato Siciliæ Rege ejus principe per Regem accipiendâ, (cùm eam Renatus Regi infensus ob occupatum ab eo Ducatum Andegavensem, qui ipsius Renati erat, promisisset Carolo Duci Burgundiæ tradere) ideóque misisset Rex copias in Provinciam, ne Burgundus eam occuparet; ac denique inde suspicio orta esset, Regi in animo esse Avenionem ibi sitam urbem Ecclesiæ Romanæ occupare: His, inquam, motus Legatus, ad Regem accedens, ejus animum in se commotum interventu Renati senioris, qui Regem post cladem à Carolo Duce apud Gransonium acceptam, de quâ mox agetur, convenerat, eíque reconciliatus fuerat, placavit: résque controversa composita est ad votum Regis: ac Renatus, sive jam tum Provinciæ hæredem eum constituit; sive dumtaxat eam ei oppigneravit pro summâ quinquaginta millium aureorum in redemptionem Margaritæ filiæ Renati, viduæ Henrici Regis Angliæ, quæ ab Eduardo captiva detinebatur; cessio verò posteà facta fuerit: ut sunt variæ de his auctorum [k] Gallicorum sententiæ. Meminit porrò prædictæ legationis Iuliani, & quòd diceretur cessioni Renati consensisse, atque Lugdunensi Archiepiscopo perpetuam legationem Galliarum promisisse, ad conservandam aut recipiendam Avenionem, quæ ab armis Regis periclitata, aut intercepta dicebatur; Cardinalis Papiensis [l] in suis Epistolis.

[k] *Vit.Ludov. XI. Bellef. lib.5.c.142.*

[l] *Pap.ep.647. & 648.*

VI.

Meminit & ipsemet Iulianus in responsione ad intercessionem apud eum quarto abhinc anno, nempè 1480. cùm iterùm legatione ad

m Infr. an. 1480. IV.

MODUS RECIPIENDORUM LEGATORŨ IN GALLIA.

Regem fungeretur [m], factam per Guillelmum Dauvet Magistrum libellorum supplicum Regis, de conservatione jurium ac privilegiorum regni & Ecclesiæ Gallicanæ, nequid Iulianus in suâ legatione contra ea attentaret. Cùm scilicèt petente nomine regio Guillelmo, ut antequam Legatus munus suæ Legationis exercere posset, scripto promitteret conservationem omnium jurium, privilegiorum, prærogativarum, & præeminentiarum Regis, regnique, ac subditorum: respondit Legatus (ut habetur in Actis) se non venisse ad derogandum privilegiis & libertatibus Regis aut regni, sed ad illa potiùs augenda; habereque gratas protestationes hujusmodi; ac daturum literas patentes pro conservatione dictorum jurium: Nec se ignarum esse eorum, ac protestationum quæ ab antiquo fieri consueverunt: quinimmò cùm aliàs fuisset simili legatione functus, (quæ est præsens hujus anni) sibi ejusdem modi protestationes fuisse factas, seque literas dedisse pro juribus regiis ac præeminentiis, nec rem istam novam esse, quippe quam observâssent pariter Cardinales Rotomagensis & Avenionensis, cùm aliàs missi fuissent ad regnum Galliæ. Ita ibi.

VII. INCONSIDERATISSIMA CAROLI BURGUNDI EXPEDITIO IN HELVETIOS.

Interim Carolus Dux Burgundiæ citatissimis passibus ad interitum tendens, cùm post occupatam Lotaringiam, Helvetios, durum à stirpe genus, gentem rusticam, omniúmque tunc rerum inopem, quòd ab iis injuriam aliquam tempore obsidionis Mussiensis, & in recuperatione Comitatus Ferretani, quem Sigismundus Austrius ei oppigneraverat, accepisset; aggredi contra omnium suorum, ipsiúsque etiam Ludovici Regis consilium, pervicacissimâ deliberatione constituisset: adeò ut quæcumque ei de his suadebantur, per ludificationem & fallaciam sibi ingeri existimaret, qui jam sibi finxerat non solùm totum antiquum regnum Burgundiæ & Arelatense asserere, verùm etiam subactis Helvetiis in Insubres evadere, (cum Dux Mediolani Galeatius fœdere ei conjunctus esset) atque in Italiam penetrare: denique vanissimâ læsi jam cerebri hallucinatione universam Europam amplecteretur: In eos movens, capto castello Gransonio, quod Helvetij Sabaudiæ Duci, Caroli fœderato abstulerant, & cunctis ejus defensoribus ad unum laqueo necatis; ab aliis qui in auxilium properabant, cùm de suorum nece audierunt, velut rabidis leonibus invasus, quarto Non. Aprilis turpissimè fugatus est. Adeò ut quem hactenùs nulli Imperatores aut Reges vincere potuerant, pauculi ac pauperculi Alpinates propemodùm inermes, omnésque pedites, ingenti ac nobilissimo pollentem exercitu, fuderint: digito Dei hîc manifestè operante, ut unus mille, & duo fugarent decem millia: cùm etiam quod ampliùs mireris, adeò præpropera fuga fuerit, ut eo certamine septem dumtaxat cataphracti desiderati sint. Amissa verò sunt omnia bellica instrumenta, sarcinæ omnes, supellex copiosa, vasa aurea & argentea, monilia, gemmæ, uniones pretiosissimæ: tam parvo hostium commodo, ut quòd nec etiam argentum aut aurum nôssent, cuncta pro nihilo ab iis æstimata sint, & vilissimo, non pretio, sed neglectu distracta. Potioremque curam gerentes Helvetij de suorum vindictâ, qui Gransonij patibulis suspensi fuerant ampliùs quingenti; recepto castello suos sepulturæ mandârunt, præsidiarios autem Burgundos omnes iisdem suorum laqueis suspenderunt. Carolus Lausanam se recipiens, ex ignominiâ fugæ in gravem morbum incidit: & plerique omnes Principes amici ejus ac fœderati, ex hâc unâ fugâ ab eo alienati sunt: Rege interim Ludovico, quamquam inducias cum eo pactas palàm servante, clàm tamen insidias per alios ei tendente, ac de ejus calamitate mirum in modum lætante; hócque tantùm dolente, quòd major non fuisset edita strages.

FUGATUR MAGNA JACTURA.

VIII. ITERÙM VINCITUR MAJORI CLADE.

Sed non diù dilatum plenum ejus gaudium. Obstinatus enim in suo proposito Carolus, (& mente jam nonnihil motus, & apertè à Deo in suum pravum sensum derelictus) reparato copiosiori exercitu, Moratum, oppidulum Helvetiorum in confinio Sabaudiæ obsidens; jam non à parvâ manu, sicut priùs, sed à potenti eorumdem Helvetiorum ac sociorum exercitu, cum valido equitatu, & auxilio Renati Ducis Lotaringiæ, qui hactenùs apud Regem, post ditionis suæ occupationem, fuerat; gravi prælio conserto ad diem vegesimum Iunij, iterùm victus ac fusus est magnâ suorum strage, quâ ex omni hominum genere aut in certamine aut in fugâ ad decem & octo millia cecidisse dicuntur. Post quæ Dux in quodam secessu ad fines Burgundiæ ferè solitarius sex circiter hebdomadibus desidiosus commoratus, cùm interim Renatus Nancium primarium ditionis suæ oppidum, a præsidio Caroli defensum, obsedisset haud magnis viribus & potentiâ, sed leni & lentâ obsidione; illúdque demùm ad principium Octobris deditione accepisset: rursùm Carolus illud recuperare statuens, obsidionem apposuit, Renato haud eum expectare auso, sed post munitum rebus necessariis oppidum, ad Helvetios & Germanos pro novis auxiliis sese proripiente. Eâ obsidione Carolus, & consilia suorum respuens, & monita Ludovici Regis de proditione Nicolai Comitis Campobassij Apuli, (qui ob partes Andegavensium olim contra Ferdinandum Apuliæ sive Neapolis Regem defensas proscriptus, in Provinciâ posteà aut Lotaringiâ multo tempore morâ ductâ, ab aliquot jam annis à Burgundo receptus fuerat, & ab eo nuper in Italiam missus ad quemdam equitatum inde deducendum, Regi significaverat se Ducem in manus ejus traditurum, aut occisurum, si Rex annueret: ac Rege auscultare detrectante, Lotaringio promiserat obsidionem Nancij in longum protrahere, quousque idoneas ad solvendam obsidionem copias contraxisset, atque interim obsessis omnem favorem impendere, quod fuit ei facile, quoniam omnem in exercitu auctoritatem à Carolo habebat,) ut suspecta habens; quinimmò & inde majorem de fide Campobassij securitatem accipiens, adeò ut Suffronium quemdam nobilem, conjurationis conscium, qui captus cùm intrare ad obsessos niteretur, suspendio damnatus fuerat, audiri à Duce petentem, etiam rejecerit: denique & Regis Lusitaniæ cognatione propinqui, qui cùm ad Regem Ludovicum pro auxiliis adversùs Ferdinandum & Isabel-

PRODITUR À CAMPOBASSIO.

lam, (de quorum dissidiis dictum superiùs) inutili, præter ingentes susceptos honores, labore venisset, etiam Carolum invisere, voluit ut cum Germanis pacisci persuaderet, consilia omninò negligens: tametsi quatuor vix millia pugnatorum secum haberet, eósque frigore, & omnium penè rerum inopiâ labor antes: (decem millia alij habent, sed vix duo pugnæ idoneos: & Olivarius [n] Marchianus, qui prælio interfuit, jurejurando affirmat, Ducem non habuisse duo millia pugnatorum) perstitit in proposito, non priùs inde abeundi, quàm Nancium recepisset: perinde ac si inevitabili fato, si ita loqui liceat, in exitium suum rueret. Vinci prælio, (inquit Æmilius) fundi, fugari poterat, cedere animo nisi moriens non poterat.

[n] Olivar. lib. 2. c. 8.

IX. Advenit igitur tandem ad principium anni proximi Lotaringius cum valido exercitu Germanorum & Helvetiorum, quos regiâ pecuniâ conduxerat. Quos cùm Campobassius in propinquo esse cerneret, dolens haud se posse quid pejus in Carolum committere, ad hostes transiit cum parte equitatûs cui ipse præerat; relictis tamen, ut volunt, nonnullis qui Carolum in pugnâ interimerent, quamquam non ab eis cæsus fuerit. Ipse verò à generosâ natione Germanicâ, cognitâ ejus perfidiâ repulsus, nec omninò secum agere permissus, pontem Mosellæ amnis vicinum occupans, carris conclusit, ne qua illàc Burgundis, de quorum clade nullatenùs dubitabat, fuga pateret. Demùm quintâ die Ianuarij proximi in vigiliâ Epiphaniæ nive de cælo cadente congressis exercitibus, nullo negotio Burgundicus fusus fuit, tribus ut ferunt millibus occisis in certamine, aut posteà ad pontem Campobassij cæsis aut submersis. Dux ipse in fugâ equo dejectus, nec cognitus, tribus vulneribus confossus occubuit: fratres ejus nothi capti cum multis aliis proceribus, cæteris occisis, paucis fugâ lapsis. Sícque, ut putavit Philippus Comminius [o], pœnas luit tum proditi olim Connestabilis, eodem loco quo ipsum contra fidem datam Regi prodiderat, cùm esset in priori obsidione Nancij; à quo tempore cuncta ei improsperè successerunt: tum etiam præferocis suæ arrogantiæ, quâ omnem suam potentiam ac felicitatem non Deo, ut decebat, acceptam ferret, sed à suo pendere putaret ingenio & virtute. Quæ autem præterea de his ejus ultimis bellis, atque imprudenti eorum gestione, cùm tamen esset rei militaris peritissimus, déque cæteris ad eum spectantibus superiùs recensuimus; accuratissimè, magnâque sinceritate atque pietate, cum optimorum documentorum inde eliciendorum commemoratione, idem auctor descripsit: qui in omnibus potiùs audiendus: vel etiam Pontus Heuterus Delfius & ipse Belga, qui etiam Res gestas Caroli diligenter memoriæ mandavit; hæcque præsentia, ut ait, excerpsit ex Annalibus Olivarij Marchiani, qui unà cum Carolo huic bello (ut diximus) præsens extitit, ac postremâ istâ pugnâ captus cum cæteris fuit: quàm fellitus Meyerus cum suis Megæricis accusatoribus, & acerbissimis opprobriis; quibus quæcumque recipienda alioqui forent, ita deturpare & fœdare consuevit, ut nauseam magis ingerat, quàm gustum excitet,

Necatur prælio.

[o] Commin. lib. 5.

Hoc quidem uno nunc gratissimus, quòd ad obitum Caroli finem quoque ipse suis Annalibus Rerum Belgicarum imposuerit, qui nihilominùs vitam propagavit ad annum Christi 1552. ætatis suæ sexagesimum supergressus: mortuus Brugis Flandrorum, sepultúsque ad S. Donatiani.

X. Vixit Carolus annos quadraginta quatuor; regnavit novem ac ferè septem menses: Princeps majorum virtutum quam vitiorum, si minùs inquietudinis, cervicositatis, dominandi libidinis, ferociæ, & vindictæ cupidinis habuisset. Tangunt tam vitia, quam virtutes iidem Comminius & Meyerus, aliique. Sed nemo animi habitus ex corporis temperatione resilientes, omni seposito affectu, ut contestatur, delineavit diligentiùs superadicto Heutero post finem Vitæ ejus: dum præter illa, quæ ex eodem annotavimus initio ejus Principatûs de his ultimis scribit, antequàm fortunæ varietatem esset expertus; sine dubio atram in eo bilem exuberasse: quæ cùm curarum indesinenti vexatione augeretur, ac secùs quàm statuerat à fortunâ tractatus planè adureretur, admirabilium affectionum causam fuisse: Ac propterea non mirum si subinde deficiente judicio animus magnus ambitione cæcus, quò non sperârat fuerit redactus: cùm in rebus agendis non ratio ac providentia, sed impotens sui animus, affectuum æstu fervens, temerè omnia fortunæ committeret; quam obedire sibi debere censebat, at quod animo conceperat cum divinâ convenire providentiâ volebat; proinde se dominum Christiani primùm, deinde totius orbis terrarum futurum: Eâque de causâ non sine ratione Galliam, Germaniam, Hispaniam, Italiam, eum timuisse.

Ejus vitia, atque animi habitus.

XI. Corpus ejus exanime tertio die inventum nudum, glacie frigoréque concretum ac tumidum, & ad nonnulla certissima signa cognitum, delatum est Nancium, & in primario urbis templo ante majus altare amplo funere sepultum: unde posteà translatum fuit Brugas Flandrorum, & in templo Beatissimæ Virginis conditum. Scribunt nonnulli [p], Renatum Lotaringium, cùm cadaver Caroli in strato pullis holosericis aulæis atrio more Principum collocatum inviseret ipse pullatus ad preces pro ejus animâ fundendas; gestâsse barbam auream ad pubem probè demissam, veterum, ut aiunt, heroum more, quos barbam ejusmodi partâ aliquâ memorabili victoriâ gestâsse fabulantur. Gaguinus [q] verò narrat, Carolum à vulgo stolido multo tempore creditum fuisse vivere; atque è pugnâ elapsum, septem annorum peregrinationem ex voto per Germaniam instituisse ad pœnitentiam agendam; posteà reversurum ad suos: séque nonnullos novisse, qui in eâ credulitate obstinati, equos, gemmas, aliáque ejusmodi venalia exhiberent, dilatâ solutione donec Carolus rediisset: Eámque credulitatem auxisse quemdam virum horridam vitam agentem inter Suevos, staturâ & voce non absimilem Carolo; qui post aliquot annos nusquam apparuit, quem se vidisse Nauclerus [r] narrat: pluráque de illo Mutius [s] in suo Chronico Germanico. Observántque alij [t], hanc spem de Caroli vitâ in causâ fuisse ut paucissimis locis celebratæ sint ejus exequiæ. Campobassius proditor, (ut Heuterus scribit)

De corporis sepultura.

[p] Vit. Ludovic. XI. Belcar. lib. 3.

[q] Gaguin. lib. 10.

Fabula de ejus vita.

[r] Naucler. gen. 50.
[s] Mut. lib. 29.
[t] Barland. in Chron. Duc. Brabant.

CAMPOBASSII SCELERIS CAUSÆ.

ubi scelus ejus auditum est, cunctis invisus, ab Italis quoque commilitonibus desertus, pauper ac privatus, vitam exul vagúsque finivit. Causam autem proditionis adferebat, non quam Æmilius, Meyerus, & vulgus prætendunt, nimirùm quòd ei aliquando Carolus alapam impegisset; sed ut Heuterus & alij proferunt, quòd pecuniam à Carolo pro stipendiis postulans, superbo & arroganti responso inanis ab ipso dimissus fuisset; jubente fidelem, uti cœperat, sibi operam præstare, nec de suâ liberalitate justâque remuneratione quicquam dubitare: Et quòd qui partes Andegavensium toto animo totisque viribus sustinuisset, haud potuisset æquo animo ferre Renatum jurium illorum hæredem sine causâ a Carolo Lotharingiâ spoliari. Quæ excusationes, ut planè erant inanes, ita & à nemine receptæ fuêre: magísque à pluribus creditum est, eum pecuniâ regiâ corruptum scelus attentâsse.

XII. LUDOV. REX NŌNULLA CAROLI OCCUPAT.

Reliquit Carolus unicam prolem tot & tantarum ditionum hæredem; quæ posteà nupsit Maximiliano Friderici Imp. filio, cui promissam vidimus. Rex autem Ludovicus morte Caroli mirum in modum lætatus, quòd per eam jam potentissimo hoste liberatus, nullus ampliùs superesse videretur, qui potens esset ei obsistere; primùm omnium varias Beatissimæ Virginis, cui se valdè devotum profitebatur, Ecclesias lustrans, & muneribus honestans; deinde negotiis publicis intendens, in eo valdè imprudenter egisse notatur à Comminio, quòd Burgundicas provincias atque ditiones, quibus se facilè potiturum sperabat, quo jure quâque injuriâ invadere in animum induxerit; mutatâ omninò deliberatione, qua priùs proposuerat, post Caroli obitum filiam ejus vel cum Delphino filio suo, vel cum aliquo alio regni Principe collocare. Bellum autem apertum aggressus, & per clandestina commercia plurima tentans, multùm à spe decidit: & Burgundiam dumtaxat, tanquam feudum quod in sexum muliebrem non caderet, unà cum oppidis Picardiæ ad Somonam amnem à Carolo detentis, atque Atrebatum, Tornacum, aliáque nonnulla eorum tractuum oppida, in potestatem accepit. De quibus videndus Comminius, qui plerisque interfuit, ac sincerè prudentérque quæ vidit aut à fide dignis accepit, literis mandavit, & in iis quæ scribit unus instar omnium jure meritóque censendus est.

XIII. GALEATII DUC. MEDIOL. SACRILEGUM PARRICIDIUM.

Mortem *Caroli*, quæ ut diximus contigit die quintâ Ianuarij anni proximi, undecim diebus præcessit parricidium *Galeatij* Ducis Mediolanensis, ipsius olim fœderati; quod factum est die S. Stephani Protomartyris vigesimo-sexto Decembris præsentis anni. Rem diligentissimè descripsit idiomate vulgari Italico, qui videbat Bernardinus Corius [u] in ministerio Ducis existens; ac post eum Latinè Iosephus Ripamontius [x]. Cujus summa hæc est: Hieronymum Olgiatum nobilem Mediolanensem, reputantem libidines & scelera Galeatij, ac de temporum calamitate cum Ioanne-Andreâ Lampugnano alio nobili sæpè colloquentem, interficiendi illius conjurationem simul fecisse, quamvis esset uterque inter ejus domesticos & familiares: Assumpsisse eos in consilij societatem Carolum Vicecomitem præsentis animi virum & magnoperè Galeatio infensum ob cujusdam Abbatiæ possessionem, quam à Pontifice adeptus quidam ejus propinquus fuerat, denegatam: In templo sancti Ambrosij tutelaris urbis oratione factâ pro felici rei successu, ac sæpius sacramento inter sese obstrictis cum execratione ut qui ipsorum à conjurationis fide descivisset, sacrum ejus caput infaméque esset: die sancti Stephani quo Galeatium ad illius sancti Martyris Ecclesiam sacri audiendi gratiâ venturum sciebant, (quamvis, ut tradunt, invitum, & multis signis ac prodigiis territum) ante ipsius adventum summo mane templum ingressos supplicasse sancto Martyri, ut pulcherrimo facinori, quod in ipsius æde patrandum foret, vellet adesse, neve indignaretur contaminari eam cædis illius sanguine, quæ urbem & patriam liberatura esset: Interfuisse post hæc rei divinæ, & advenientem Galeatium cum ingenti comitatu, quæsitâ specie tanquam submovere turbam vellent, propiùs ad eum accedentes, pluribus ictibus eum confecisse, nihil effantem præterquàm ô Domina nostra. Ioannem-Andream fugere quærentem, illicò à quodam Galeatij satellite interemptum fuisse, corpus cœno lapidibúsque incessitum à pueris raptatum per civitatem esse: Reliquos parricidas (erant enim præter illos tres, & alij conscij) comprehensos, & meritis suppliciis affectos: Hieronymum magno animi robore suum finem nobilitâsse: ac sub carnificis manu sese ad constantiam & fortitudinem spe famæ perpetuæ de tam generoso facinore excitâsse, atque etiam carmina quædam effudisse, cùm dedisset operam literis. Cæsus est Galeatius anno ætatis trigesimo-tertio ineunte. Cujus sævitiam & turpitudinem, quibus odium in se incendit, malumus apud prædictos auctores legi, quam iis Annales nostros fœdari.

VIRTUTES EJUS.

Virtutes potiùs Principe dignas adnotabimus, liberalitatem, magnificentiam, studium literarum, eloquentiam, benevolentiam in homines scientiâ & virtutibus instructos, & cum suis familiaritatem. Sepultus est magnâ pompâ in majori Ecclesiâ sanctæ Mariæ. Magnúsque inde in civitate tumultus: & Itali Principes ejus morte auditâ, suas quísque spes agitare cœperunt. Adeò ut Sixtus Pontifex eo mortuo pacem Italiæ concidisse existimaverit, publicéque pronunciaverit. Mox tamen sedato per civitatem tumultu, Ioannes Galeatius filius ejus primogenitus adhuc puer Dux acclamatus est, nemine repugnante: positúsque sub tutelâ matris, & consilij magnatum ad hoc in arce constituti. De cujus rebus dicetur processu temporis.

XIV.

INGENS TURCORUM EXPEDITIO IN MOLDAVIAM.

Rebus Christianorum à Turcis quanta fuerit occasio timendi, Cardinalis Papiensis [y] ad Mantuanum scribens mense Iulio significavit; dicens paratum ab iis fuisse exercitum quingentorum millium in Moldaviam descensurum: Tunc enim timendum exitium cùm terrestribus copiis rem agerent: Quod mari molirentur, in tanto metu non esse: Littora tantùm, & littoribus proxima classe vexari: summam rerum in discrimen non venire. Quod autem expeditionem illam Turcorum attinet; etiamsi non tot fortasse centenis millibus constiterit, amplissimam tamen

[u] Cor. par. 6.
[x] Ripam. Hist. Eccl. Mediol. lib. 13.
[y] Pap. ep. 648.

fuisse non est dubium, quam Mahometes ipse eorum Imperator duxerit. Describunt eam diligentiùs auctores [z] Poloni. Ex quibus intelligitur, Walachiam, seu Moldaviam, (pro iisdem enim ob vicinitatem plerumque ponuntur, cùm sint partes antiquæ Daciæ, seu Mœsiæ) hinc à Tartaris, illinc à Turcis invasam esse: Et dum Stephanus Palatinus, de cujus admirandâ victoriâ dictum est anno superiori, Tartaris obviam iret, (quos & ingenti clade prostravit, fugavítque usque ad Borysthenem, prædâ omni, impedimentis, & vestibus, atque armis etiam spoliatos:) Mahometem transmisso Danubio infesta signa intulisse: & quamvis ex ejus exercitu Stephanus variis congressionibus ad triginta millia cæciderit, vix ducentis suorum amissis; tamen leviculum visum fuisse id detrimentum in tanto exercitu & Walachos sive diffisos viribus suis, sive adversâ prælij majoris fortunâ alienatos à Stephano, sibi quemque privatim consulere cœpisse: ipsúmque Stephanum coactum melioribus rebus servare se: Turcos non solùm eam provinciam; sed & alias Poloniæ finitimas, incursâsse ac diripuisse. Donec Cazimiro Poloniæ Rege adversùs eos movente, Walachiam deseruêre, sive metu Regis adventantis, sive peste pariter & fame afflicti, sive quòd hiems appropinquaret. Nec verò parùm momenti illud Mahometi ad maturandum reditum attulisse, quòd classem quæ supplementum militum & Machinas ad expugnandas munitiones subvehebat, tempestate disjectam amisit. Matthiam Regem Hungariæ, ubi cognovit Mahometem se recepisse, hinc quoque vanam gloriam, compendiúmque apud Italos aucupatum esse. A se enim pulsum Turcum literis divulgâsse, excidiúmque ejus pollicitum esse. Hanc ejus vanitatem aluisse apud exteras gentes viros literatos, munificentiâ ejus delinitos, res gestas ejus scriptis suis in immensum attollentes: Eâque perfecisse, ut Pontifex Maximus cum omnibus Principibus & communitatibus Italiæ, præter Ducem Mediolanensium, qui imponi sibi passus non est, bis centum millia aureorum ipsi in subsidium conferret: In eo Ferdinandi Regis Neapolitani operam & studium maximo ei adjumento fuisse, qui filiam suam notham Beatricem hoc tempore Matthiæ in uxorem tradidit: Verùm non multò pòst Matthiæ vanitatem redargutam esse: quoniam ad medium Octobris Turci factâ ex Bosnâ excursione, Carniolam, Carinthiam, & Stiriæ partem vehementer vastârunt, prædámque ingentem & plurima mortalium millia captiva abduxerunt; móxque munitiones à Matthiâ ad Sinderoviam extructas expugnârunt, ipso Mahomete cum majoribus copiis haud longè successum rei expectante. Ita illi.

[z] *Michov. lib. 4. c. 71. Crom. lib. 28.*

TARTARORUM CLADES.

MATTH. REGIS HUNGAR. VANA JACTANTIA.

XV. Vnusque eorum qui laudes Matthiæ describendas suscepêre, & quidem egregius orator Bonfinius, ab iis non longè abiens, longam hoc anno narrationem [a] ingerit debellatorum à Matthiæ ducibus Turcorum in superiori Mysiâ ad Danubium: háncque victoriam latè diffusam, omnium Christianæ Reipublicæ Principum corda mirâ lætitiâ complevisse: Sed cùm ad nuptiarum Regis celebritatem tota ferè Hungaria convenisset, Turcum tempus consilio suo nactum idoneum, quadraginta clàm bellatorum millia ex Europâ coëgisse, & castella quæ ad Sinderoviam Matthias extruxerat expugnâsse, cunctáque munitionum genera, tormenta, classem, & armamentaria atque impedimenta cepisse: Deinde per Daciam longè latéque vagatum, igni ferróque cuncta vastâsse, & quadraginta hominum millia utriusque sexûs abduxisse: Hæcque damna Regis, totiúsque Pannoniæ mentem usque adeò consternâsse, ut nihil tale posthàc in Turcum audentiùs Matthias molitus sit. Egregiam scilicèt laudem tanti herois à tanto oratore!

[a] *Bonfin. 4. dec. 4.*

MATTH. CLADES A' TURCIS.

XVI. Quâ porrò æstimatione Matthias Romæ esset, non potuit expressiùs Papiensis significare, quàm cùm ad Episcopum Agriensem scripsit [b] ad principium anni sequentis, Matthiam in cælo apud eos esse: gloriam invicti Principis majorem Romæ esse non posse, prædicari omnium linguis facta ingentia, privatímque & publicè pro ejus salute vota suscipi: Si quemadmodùm Pontificis & Cardinalium, aliorum quoque mens esset, durissimam hiemem pro fide tunc patienti, & caput unum objicienti pro omnibus, non defutura fore subsidia. In quibus videas quàm turpiter ei, qui hæc Romæ de illo jactabant, adularentur, & Pontifici imponerent; ut durissimam hiemem dicerent tunc eum pati, quem ipse Bonfinius demonstret illâ hieme à bello Turcico desidem, novæ dumtaxat nuptæ intendisse. Nisi quis durissimam hiemem, uxorem interpretetur; ut esse plerumque dicuntur post extinctos primarum flammarum ardores. Qui idem Bonfinius in suis vanitatibus perseverans, cùm post hæc rationes quærit, cur Matthias dimisso bello Turcico, aliud susceperit contra Fridericum. Imp. hanc inter alias plurimas commentus est, quòd cùm nimis appetens gloriæ esset, atque inter duos orbis Imperatores se situm esse conspicaretur; ex Turco verò comparâsset multum sibi nominis; nec jam cum eo multùm proficere posse cerneret, quando is terrâ marique plurimùm poterat: nunc ad alterum, à quo injuriam accepisset, non invitè arma converterit, quocum se, cùm iste minùs virium haberet, multò plus proficere posse intelligebat. At parce Bonfini: hæc non solùm non Christiana & fortia sunt, sed planè profana & abjecta, gloriæque tui herois omninò contraria. Quod verò causam veram dissidij inter Imperatorem & Matthiam supervenientis, Bonfinius adeò anxiè quærit: detexit eam palàm Papiensis [c] Mantuano; cùm ejus literis de nuptiis Matthiæ agentibus, quibus Mantuanus dixerat eas Imperatori dolere; respondit, Imperatori omnia dolere consuevisse: cani hortulano semper assimili, qui allium ipse horrens, non minus tamen legentem allatrat. In pace inter ipsos ictæ conditionibus fuisse, ne duceret Matthias uxorem: Sed multas alias in pace illâ ejus generis, asperas, indignas, stomachi plenas, per necessitatem metúmque extortas positas esse: Hanc solam causam dissensionum inter utrumque esse, foréque dum viverent: quòd præstari regno incolumi conditiones illæ non possent, præstari eas nihilominùs Imperatorem deposcere, nullâ admissâ moderatione aut æquitate. Quam eamdem rationem tetigit quoque, & in capite cæterarum colloca-

[b] *Pap. ep. 644.*

MAGNUM MATTHIÆ NOMEN ROMÆ.

[c] *Pap. ep. 656.*

[d] Krantz. 12. Vuandal. 16.

vit Bonfinius. Nec tacuit Krantzius [d]; narrans Imperatorem graviter tulisse nuptias Matthiæ, quòd cùm ipsius Imperatoris permissu, qui se ferebat hæredem, (quâ de re dictum alias) quoad viveret teneret Hungariam, nec liberis operam daturus putabatur; jam à pactis discedere videbatur, & hæreditario jure regnum sibi vendicare, quando etiam de hæredibus cœpit cogitare: viso tamen Imperatore ante tempus queri, quòd nondum Rex præferret hæredem; quem nec pòst reliquit. De bello autem inter eos gesto dicetur posteà.

XVII. Venetorũ clades a' Turcis.

[e] Sabell. 3. dec. 10.
[f] Iustin. lib. 9.

Et cùm à se non adeò facilè nos sinant abire Turci, est quòd memorandam Venetorum terrestrem cladem hoc tempore acceptam ab eis in ipsâ Italiâ ad Soncium amnem Forojulij, non omninò taceamus. Descripsit eam prolixè Sabellicus [e]; pressiùs Iustinianus [f]. Ipsorum copiis, equitatu peditatúque potentibus, præerat Hieronymus Novellus Veronensis vir militiâ clarus; aderántque cum eo alij complures illustres genere & bello viri: qui plerique omnes unà cum ipso, atrocissimâ factâ pugnâ periêre; Turcorum duce Marbego, quem alij Asabegum nominat, viro fortissimo, & militaris scientiæ peritissimo qui vulneratus prælio fuit. Ex hâc autem clade Venetam rem depressam jacuisse, atque ingentem terrorem populos invasisse tradunt: fœdámque totius illius regionis vastationem factam esse, & multorum millium captivorum abductionem. Incendium verò villarum tantum, ac tam continuum latéque patens, fuisse Sabellicus, qui vidisse ait tunc Tarcenti agens, testatur, ut nihil medium esse videretur quod non ignis occuparet. Quæ idem copiosiùs in suis poematibus descripsit, quorum alterum Cædem Sontiacam, alterum Incendium Carnicum inscripsit. Horrendúmque est quod refert de temerariis Turcorum in his excursionibus adversùs Alpium difficultates ausis: (Nam & aliam sequenti anno ad eadem loca iterârunt: quæ Caroli Montonij Venetarum copiarum præfecti prudenti cunctatione irrita fuit) nimirùm cùm pluribus locis in abruptas rupes ventum esset, equos restibus alligatos in subjectas crepidines demisisse, & inde in alias, donec in imas valles esset descensum, ut sic incautos populos adorirentur: interdum universum penè equitatum, vel certè magnam partem ejus, præcipitem dedisse per adeò declivia loca, ut per ducentos fermè passus non modò iis locis pedibus quispiam vadere possit, sed non consistere quidem, nisi virgulto sese aliquo applicuerit: Itémque ubi per juga Alpium usque in montanæ Carniæ fines decurrissent, nunciatúmque interim esset, montanos incolas juga montis, qui lanceæ dicitur, quà unicum eis iter in Germaniam patebat, occupâsse; intrepidè ad locum progressos, neque immensâ montis altitudine, qui in ipsa penè nubila verticem erigit, nec ascensùs arduitate deterritos, sed scutis subnixos per adversam rupem ad hostem repsisse veriùs quàm subiisse: Eóque audaci incœpto territos qui præsidio erant, in fugam turpiter dilapsos, ingentis cladis hosti materiam præbuisse.

XVIII.

[g] Phranz. lib. 3. c. 30.

Prædictæ autem expeditionis Moldavicæ seu Walachicæ à Mahomete susceptæ, meminit etiam Georgius Phranzes [g] Græcus; & victum eum magis quam victorem rediisse ait: terminans ibi Chronicon suum, post lamentationem de suis morbis, ac miseriis senectutis & egestatis quas patiebatur, qui multis bonis & commodis olim frui consueverat: cum spe tamen fore ut hæc sibi in pœnitentiam & remissionem peccatorum profutura essent: quem monarchi habitum induisse, jam vidimus alias. Vixit tamen aliquot post hæc annis: quippe qui alibi [h] Mahometis Imp. res gestas breviter complexus, eas usque ad illius obitum perduxerit, qui contigit quinto abhinc anno.

Phranzis historiæ et vitæ terminus.

[h] Id lib. 1. cap. 33.

XIX. Manuelis Despotæ defectio ad Turcos.

[i] Pap. ep. 648.
[k] Supr. an. 1465. XIV.

Hoc item anno abiisse ad Turcos Manuelem Despotam, Thomæ filium minorem, qui hactenùs Romæ constiterat, ex Papiensi [i] intelligitur: qui etiam ait, vaticinatum se id fuisse ex ejus inertiâ, cùm lamentantem illum audiret, quòd ad arbitrium non pasceretur: Suasurum quoque se, pensione ademptâ majorem Andream emitti, ut ubivis locorum esset quàm Romæ: Existimare enim se, quâ inter se erant conjunctione, sine fratris consilio à Christianis fratrem non defecisse: Rursùm futura post hæc inter eos per nuncios ignoratos commercia, plus innatæ perfidiæ quàm commodorum Christianorum habentia. Diximus de illis aliàs [k]; ac de utriusque fine: quos honoribus Cardinalibus paribus, annuâque pecuniâ non levi Romæ altos fuisse, idem Papiensis scribit.

XX.

[l] An. 1474. XII.
[m] Supr. an. 1461. XVII.

Et quod in Græcis sumus, hujus item anni fermè initio (ut putamus) sublato & medio potatore illo Raphaële Patriarchâ Constantinopolitano Græco, de quo superiùs [l], coacta fuit frequens Synodus pro successore eligendo. In quâ post longam consultationem, unanimi omnium consensu electus est *Manuel* Ecclesiæ Constantinopolitanæ Patriarcha, (quod officium ponit Codinus quartum in octavo quinario Officiorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ: erátque commissa ei cura Ecclesiarum:) cui olim nares fissas ob justitiæ defensionem vidimus [m]: eruditione & eloquentiâ conspicuus. Quem factum de more monachum, (non enim apud Græcos Episcopus esse poterat, qui non esset monachus) etiam pro Manuele *Maximum* nominârunt: ritéque in throno collocatum, ad Sultanum deduxerunt, solventes pro pescesio seu ingressu, quingentos aureos; ac deinde in cujusque anni exitu bis mille pro charatzio, seu tributo annuo sub quo Ecclesiam summâ pace fruitam esse, cùm eam in sapientiâ & pietate moderaretur, traditur apud Zygomalam & Malaxum Turcogræciæ [n] auctores, qui de illo pluribus agunt: Adeò ut nominis ejus famâ ad Mahometem Regem perveniente, eum aliquandò acciverit, & Symboli fidei Christianæ explicationem ab eo expetierit, acceperítque luculentissimam; atque in linguam Arabicam à quodam Mahomete Bego Trapezuntino, viro in utrâque linguâ doctissimo conversam (qui & multa alia scripta, tam religionem Christianam, quàm acta publica & Imperium olim Græcanicum tangentia, ejusdem Regis jussu è Græco in Arabicum transtulit;) in pretio habuerit. Tradunt enim Græci illi, Regem Mahometem rerum Fidei Christianæ diligentem sciscitatorem extitisse, sed ut apparuit, per delusionem magis aut vanam curiositatem, quàm pro salute inquirendâ. Græculi autem ad sua venditanda, mul-

Maxim. Patriarcha Cóstantinop.

[n] Turcogr. lib. 1. & 2.

VIS ANATHEMATIS IN CADAVERIBUS DEFUNCTORUM.

ta comminisci consueverunt. Quale putamus, quod iidem auctores subdunt; cùm Mahometes audisset de vi Anathematis, ut quicumque à Pontificibus justâ de causâ per excommunicationem à sacro cœtu pulsus fuisset, si in excommunicatione moreretur, cadaver ejus terrâ conditum, non dissolveretur, sed instar tympani inflatum nigrúmque permaneret: si verò preces Ecclesiæ adhiberentur ad defuncti absolutionem, corpus dissolveretur sicut cæterorum: ipsum Mahometem rei experimentum à Patriarchâ petiisse; repertúmque esse, post anxiam perquisitionem, cujusdam feminæ olim à Gennadio Patriarchâ ob quoddam grave scelus excommunicatæ cadaver ejusmodi inflatum; quod post preces per Maximum ad illud publicè pronunciatas dissolutum fuerit: indéque Mahometem in admirationem raptum, Religionis Christianæ veritatem fateri coactum fuisse. Sed ore, non corde; cùm in suâ adversùs eam feritate usque ad finem pertinacissimè perseveraverit, eumdem porrò effectum excommunicationis etiam in duobus Patriarchis Arsenio & Ioannicio posteà comprobatum, iidem auctores asserunt. Sed illud omninò à fide alienum, ut per illas precationes absolutionis non solùm dissolutionem corporum fieri velint, sed animarum etiam ab inferorum cruciatibus liberationem, atque in paradisum traductionem: cùm fixum sit Theologorum dogma, damnatum absolutè ad pœnas æternas non posse revocari ad beatitudinem celestem.

XXI. TYMPANISTA DAT POENAS ERRORUM.

Vt verò diversis modis locísque illudere hominibus consuevit diabolus, hoc anno opus suum in Germaniâ agens, apud vicum Niclashausem Herbipolensis diœcesis *Tympanistam* quemdam excitavit, hominem rudem, pastorémque pecorum: qui fictâ Beatissimæ Virginis visione, vitam Cleri ignominiosam carpens, & nobilitatem execrans; Episcoporum ac sacerdotum mandata atque sententias negligendas docebat, nec decimas eis solvendas: telonia Principibus non esse pendenda; omnes aquas & nemora communia esse; & alia ejusmodi. Ad cujus fatuitates cùm undique fierent ingenti numero processionaliter concursus populorum, eum ut virum sanctum venerantium; Rudolphus Episcopus Herbipolensis, ne malum ulteriùs serperet providens, missis armatis hominibus eumdem ad se deductum igne combussit: Sícque omnis illa colluvies evanuit, cùm vix duobus mensibus durâsset. Vocatíque in suspicionem fraudis fuêre religiosus quidam, & plebanus loci, quòd ex concursu plebis quæstum nundinarentur. Rem porrò expressiùs narrant Nauclerus [o], Trithemius, & Krantzius.

[o] Naucler. gen. 50. Trith. Chron. Sponheim. Krätz. 12. Metrop. 16.

IESU CHRISTI Annus 1477.
SIXTI IV. An. 7.
FRIDERICI III. An. 38.

I.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo-septimo, Indictione decimâ, rebus in Burgundiâ & Belgio ex morte Caroli Ducis ad principium hujus anni obitâ, quam superiori descripsimus, perturbatissimis; cùm minùs prudenter Rex Francorum Ludovicus erga Mariam Caroli hæredem, satis alioqui ad res Gallicas propensam sese gessisset; nec deessent multi alij tantæ hæreditatis præsentatores: tandem tamen vicit pars Maximiliani Austrij, filij Friderici Imp. cui Maria jussu viventis patris fidem de matrimonio dederat, nequicquàm rem impedire conato Ludovico per missum in Germaniam Robertum Gaguinum historicum, qui suum eâ de re inutile operæpretium describit [a]. Maximilianus enim modico comitatu (parcissimus enim atque avarissimus pater, non modò in bellum, quod necessariò adversùs Ludovicum gerendum erat, sed ne in domesticum quidem sumptum pecuniam suppeditabat:) Gandavum accedens, matrimonium cum Mariâ consummavit ad finem mensis Iulij: (ut disertè Krantzius [b] scribit,) & intra vertentem annum Philippum filium ex eâ suscepit; qui pater fuit Caroli V. & Ferdinandi I. Imperatorum. De occupatione verò Burgundiæ & aliorum oppidorum ditionum Mariæ per Regem factâ, etiam in obitu Caroli meminimus: & tractat eam pleniùs Comminius præ cæteris: nec indiligenter se in his dissidiis describendis Krantzius exercuit.

MAXIMILIANI AUSTRII CUM MARIA FLANDRA NUPTIÆ.

[a] Gaguin. Hist. Franc. lib. 10.

[b] Krantz. 12. Saxon. 19.

II. REGIS LUSITAN. INCONSULTA CONSILIA.

Cùm etiam Hispania ob successionem Castellæ, quæ inter Aragonios & Lusitanos controvertebatur, in armis adhuc esset, atque, ut vidimus, Rex Lusitaniæ Alfonsus ad Ludovicum in Galliam pro auxiliis accessisset: is demùm longiori unius propemodùm anni spe promissæ opis decidens, ac pudore irritæ peregrinationis, quam præter optimatum suorum sententiam susceperat, patriam omninò deserere constituens; Romam primùm, indéque Ierosolymam obire, ac mutatâ veste monachum induere decrevit. Quo fine Lutetiâ noctu secretóque profectus, aliquanto spatio progressus, è tribus comitibus uni clave datâ jussit scrinium quod reliquerat aperire, & in eo geminas inventas literas iis quibus dirigebantur reddere. Erant alteræ ad Regem Ludovicum, quibus consilij sui rationem aperiebat. Alteris filium Ioannem monebat, uti quamprimùm regium nomen capesseret, suî nullâ habitâ curâ, quem superi hominésque destituissent: delictis tamen veniam sperare, propitiáque numina fore, eâ calamitate & ignominiâ placata. Lectis literis filius, cum singultu & lacrymis regium insigne desumpsit tertio Idus Novembris. A fugâ tamen & consilio Alfonsus retractus diligentiâ Ludovici Regis, (pudore rei affecti, quòd id suâ culpâ contigisse videretur) & classe armatâ in Lusitaniam remissus; quinto die à filij inauguratione Cascales oppidum appulit, quem filius magnâ pietate, & ingenti lætitiæ significatione, mœstum, atque insolitâ macie deformem obvius excepit, in regnúmque restituit; quòd adhuc aliquot annis retinuit: abjectâ tamen spe Castellæ, de quâ posteà inter partes conventum est. Putavit tamen Comminius [c], cùm de his egit, si maturè opem Ludovicus ei, ut primùm instituerat, tulisset, facilè eum victoriam obtenturum fuisse, cùm multa jam in Castellâ occupâsset. Rem porrò Hispani [d] diligentiùs narrant.

[c] Commin. lib. 5. c. 7.

[d] Garivai. lib. 35. c. 18. Marian. lib. 24. c. 15.

III. TURCORUM PROGRESSUS IN EPIRO.

Turci Croïam in Epiro post annuam gravissimam obsidionem in deditionem acceperunt. Scodram quoque urbem totius regionis principem, frustrà aliàs oppugnatam, rursùm ingentibus copiis circumcingentes, præsente ipsomet eorum Imperatore Mahomete; defendentibus magno animo præsidiariis Venetis unà cum oppidanis, repulsi quidem à mœnium oppugnatione grandi clade fuêre: sed lentiori & tamen arctissimâ obsidione illam adeò constrixerunt, ut cùm nullam Veneti opem afferre possent, eodémque tempore in ipsâ etiam Italiâ ad Soncium iteratâ Turcorum incursione inquietarentur, jámque solis ipsis diuturni belli Turcici pondus incumberet; (ipso etiam Matthiâ Rege Hungariæ pedem ab eo referente:) pactâ ab illis cum Mahomete pace ad principium anni insequentis, Scodra Mahometi inter pacis conditiones tradita fuerit, unà cum Tenaro Laconio promontorio, & Lemno insulâ; & tributo annuo octo millium nummûm aureorum, ut in Pontum aliáque emporia Græciæ navigatio iis tutò pateret. Scodrenses ferè omnes relictâ patriâ extorres fieri maluerunt, quàm sub tyrannide Turcicâ vivere: qui benignè à Venetis excepti sunt. Hanc verò illius urbis expugnationem luculentissimè descripsit Marinus Barletius Sacerdos Scodrensis; idem qui Vitam Scanderbegi Principis Epiri etiam memoriæ mandavit. Pacem autem à Venetis satis ignominiosè cum Turcis factam, quam multi criminati sunt, defenderunt ipsi [c] ex rerum suarum necessitate.

[c] *Sabell. 10 En. 7. & 3. dec. 10. Iustin. lib. 9.*

IV. MATTH. REGIS BELLUM ET CONCORDIA CUM IMP.

Gravior desertio Matthiæ Regis Hungariæ, qui Reipublicæ Christianæ columen & munimentum videri violebat. Qui post ductam uxorem Beatricem, belli religiosi oblitus, arma in Fridericum Imp. iis de causis, quas multiplices Bonfinius commentus est, verámque nos superiùs [f] adduximus, contra suorummet plurimorum sententiam, qui adversùs Turcos potiùs Hungariam tunc populantes ire cohortabantur, convertit. Ductâque in Austriam expeditione, eam latè vastavit, ac pleraque oppida quà vi, quà deditione in potestatem suam redegit; Viennámque ipsam arctissimâ obsidione cinxit. Sed de pace ab Imperatore, qui, ut erat vir à bello & sumptu alienissimus, vix de defensione cogitabat, rogatus; eam non satis honestis Friderico conditionibus concessit. Inter quas erant, ut Imperator se omni jure ac titulo regni Hungarici abdicaret: Boëmici investituram (quam non ita pridem Wladislao Boëmiæ Regi Casimiri Poloni filio solemni ritu concesserat) eidem Matthiæ conferret: ac pro munitionibus interceptis, centum & octoginta millia florenorum numeraret. Ita enim rem narrant Poloni [g], parùm erga Matthiam affecti: cùm nihil Bonfinius [h] præter antiqui fœderis renovationem, & centum ac quinquaginta millium aureorum pollicitationem, in pacis conditionibus agnoscat. Illud verò utrique consentiunt, Sixtum Pontificem Venetósque ex eo tempore quo Matthias bellum Imperatori indixit, præstituta olim Matthiæ centies mille nummûm aureorum ad bellum Turcicum stipendia, abrogâsse, ne ei adversùs Imperatorem opem ferre viderentur. Quòd autem scientior Fridericus esset nummorum colligendorum quàm spargendorum, fuit post aliquod tempus bellum [i] redintegrandum ob non solutam ab ipso promissam Matthiæ summam.

[f] *Sup. ann. 1476 XVI.*

[g] *Michov. lib. 4. cap. 72. Crom. lib. 28. in fin.*

[h] *Bonfin. 4. dec. 5.*

[i] *Infr. ann. 1479. in fin.*

IESU CHRISTI Annus 1478.
SIXTI IV. An. 8.
FRIDERICI III. An. 39.

I. ANNO Christi 1478. Indictione undecimâ, multa per Orbem Christianum tragica contigerunt: quorum nec immunes divisi toto orbe Britanni; quinimmò & ij fortè cæteris præferendi, dum Rex illorum Eduardus, qui regnum per injustitiam occupaverat, etiam per tyrannidem retinens, duo ejus atrocia hoc tempore exempla partim tentâsse partim edidisse reperitur: alterum contra Henricum Richemondiæ Comitem, alterum contra proprium fratrem. Erat Henricus adolescens, reliquus unus ex sanguine Henrici Sexti Regis quem Eduardus necaverat superstes, servatus (ut aliàs vidimus) apud Franciscum Britanniæ Ducem. Cùm eo superstite Eduardus minùs securum se existimaret, nec tamen hactenùs sibi à Duce dari obtinere potuisset; rursùm largitionibus & fraudibus rem acturus, legatos cum grandi auri pondere ad Ducem misit, qui significarent se Henricum petere ad eum sibi affinitate conjungendum per matrimonium filiæ suæ, ut ita funditùs reliquiæ factionum Eboracensis & Lancastrensis evellerentur. Deceptus his Franciscus, simul & pretio victus, quamquam ægrè, tradidit tamen Henricum legatis, nequaquam ratus ovem se lupo prodere, sed filium patri commendare. At Henrico, qui sciebat se ad mortem trahi, ipso itineris initio ex mœrore animi in febrim incidente; cùm & interim Fanciscus Dux à Ioanne Chenletto uno ex proceribus suis, qui aberat quando Henricus traditus fuerat, de rei indignitate monitus, confestim misisset qui eum interciperet ad portum Maclovienſem unde transmittendus erat in Angliam: factum est in ipso transmissionis procinctu, ut dum qui missus fuit Anglos simulato negotio distineret, Henricus vix semivivus in asylum, quod in eâ urbe est inviolatissimum, sese receperit; ac post recessum Anglorum, de prædâ & pecuniâ amissâ maximè querentium, ad Ducem reductus sit. A quo nihilominùs in gratiam Eduardi Regis in custodiâ detentus est: donec tandem ad coronam Angliæ vocatus fuit, quam ei olim Henricus Sextus spiritu prophetico vaticinatus fuerat: de cujus regno dicetur suo loco. Historiam porrò enarratam ex Polydoro [a] desumpsimus: quam & Franci [b] describunt.

HENRICUS RICHEMONDIÆ EVADIT MANUS REGIS ANGLIÆ.

[a] *Polyd. lib. 24.*

[b] *Argentræ. Hist. Britan. lib. 13. c. 25.*

II. EDUARDUS REX PROPRIUM FRATREM DE MEDIO AUFERT.

Non sic verò manus Eduardi Regis effugere potuit Georgius ipsius Germanus Dux Clarentiæ. Qui in fratris odium incidens; sive ex antiquæ simultatis memoriâ, quam vidimus inter eos intercessisse; sive ex indignatione, quòd Dux Margaritæ sorori, relictæ Caroli Ducis Burgundiæ, præter Regis fratris sententiam opem ferre destinâsset, sive ex invidiâ, quòd Mariæ Burgundæ nuptias

ambîsset, quibus fratri potentiâ par, aut etiam superior futurus esset; sive ex metu, quòd à quodam fatidico Rex accepisset, unum aliquem, cujus nominis prima littera esset G, post Eduardum regnaturum; (quod & aliquo modo impletum fuisse volunt, cùm post ejus obitum Glocestrensis Dux Richardus alter ipsius frater regnum occupavit:) seu ex crimine majestatis, quòd diceretur Georgius regnum pulso Eduardo affectare; seu denique ex occultis prædicti Richardi Ducis, jam tum regnum affectantis, insidiis: (tot enim ab auctoribus [c] variæ recensentur causæ cùm veram præcisè ignorâsse fateantur:) cùm insuper contigisset administrum quemdam Ducis veneficij damnatum supplicio affici, ac Ducem contra id factum vehementer reclamare; ipse quoque in carcerem Regis jussu detrusus est; ac non multò post, jure vel injuriâ, tanquam unus de vulgo ignobili, consueto in Angliâ majestatis supplicio, hanc sententiam accepit, ut ex turri Londinensi extra civitatem ad patibulum traheretur; ibíque exenteratus conspiceret intestina sua in ignem conjici, capite truncaretur, & corpus in quatuor partes discinderetur. Quod tamen adeò dirum supplicium communis utriusque mater avertit. Dátaque generis mortis electione, optavit (mitiori quidem, sed omninò infamiori) in vini Cretici, quod malvaticum vocant, dolio capite demergi, & ibi suffocari. Debuerat vitæ felicitatem in eo potu constituere, ideóque fortè non putavit illam in eo amittere posse, vel saltem eo semel saturari voluit. Extincto nihilominùs caput truncatum est, ne sine supplicio mori visus fuisset. Pœnituisse tamen Eduardum facti tradunt: adeò ut si quando pro cujuspiam damnati vitâ oraretur, solitus esset inclamare; ô infelicem fratrem, pro cujus salute nemo rogavit! ac si innueret illum Principum invidiâ sublatum fuisse. Sed cujus major culpa? Annon poterat Rex etiam nocentissimum liberare? quantò magis innocentem? Sed hæc ita post perpetrata facinora fingi consueverunt ad excusandas excusationes in peccatis. Rem autem gestam nonnulli præsentis, quidam sequentis initio, Polydorus contra cæterorum omnium mentem post biennium constituit.

[c] Polyd. lib. 24. Gaguin. lib. 10. Krätz. 12. Saxon. 19. Vit. Ludov. XI. Thom. Mor. in Hist. Rich. III.

Infamis mortis electio.

III.

Haud ferè absimile quod in aliâ Britannicæ insulæ parte, nempè Scotiâ, hoc eodem propemodùm tempore contigisse, illius historici ponunt, rem expressiùs Buchanano [d] tractante. Nempè Regem Iacobum ejus nominis Secundum juvenem prædictionibus astrologicis & fatidicis valdè deditum, cùm à quodam Andreâ medicinæ professore, earumdémque artium magistro, atque à nonnullis maleficis mulieribus accepisset sibi à suis exitium imminere: è Principe ab initio indolis optimæ, & summæ spei, in immanem tyrannum degenerantem, suspicionibus animo semel occupato, sanguine proximos, ac ferè optimum quemque è nobilitate pro inimico habuisse: iisque contemptis nonnullos infimæ sortis homines in consilio habuisse: De aulâ ab hoc hominum genere purgandâ cùm inter nobiles consilia inirentur, principibus duobus Regis fratribus Alexandro & Ioanne; prodeuntibus rei indiciis, Ioannem Marriæ Comitem minimum Regis fratrem incautiùs de statu regni locutum, à prædictis vilibus aulicis arreptum esse, & à domestico Regis consilio damnatum, venâ rescissâ mori esse coactum; causâ mortis in vulgus editâ, quòd cum feminis veneficis clàm consilia conferret in Regis caput. Alexandrum Albaniæ Ducem alium fratrem in arcem Edimburgensem pariter raptum, clàm evadentem in Franciam ad Ludovicum Regem abiisse: & ab eo comiter exceptum, accepisse etiam in uxorem filiam Comitis Bononiæ maritimæ: sed quòd auxilia adversùs fratrem, ob fœdus quod inter Reges erat, obtinere non potuisset; in Angliam transvexisse ad Eduardum Regem in fratrem commovendum: Interímque cæteros proceres Scotos non ferentes se ita à Rege suo contemni, conjuratione factâ, auctore Arcimbaldo Duglassio Angusiæ Comite, aulicos illos Regi intimos, in ipso Regis cubiculo captos, suspendio affecisse; Regémque ipsum in custodiam apud Edimburgum compegisse; seu ipsummet sese ibi spontè præ metu abdidisse: Venientem Alexandrum cum exercitu Anglorum duce Richardo Glocestriæ Comite fratre Eduardi Regis, in gratiam receptum esse, & fratrem Regem è custodiâ in liberam regni administrationem emisisse: sed novis emergentibus dissidiis, Alexandrum, quò vitæ suæ consuleret, rursùm in Angliam, indéque in Galliam secessisse; ubi & mortuus est. Quæ quidem hoc anno cœpta, in plures subsequentes prorogata fuêre.

[d] Buchan. lib. 12. Ferver. in Append. Boëth. Lesle. lib. 8.

Rex Scotiæ sibi ipsi malum procurat.

IV.

Tetra conjuratio in fratres Mediceos.

Ex insulâ nos in continentem res Italiæ magno clamore vocant, prodigiosiora visuros. Erant Florentiæ duæ familiæ cæteris longè potentiores; altera Pazzorum sive Pactiorum, antiquitate nobilior, nec divitiis inferior; Mediceorum altera, recentior quidem, sed auctoritate præstantior; quæ industriâ Cosmi sapientissimi civis, de quo aliàs dictum est, in tantam creverat auctoritatem, ut non solùm Florentina Respublica ab ejus nutu penderet, verùm etiam ingens ejus esset per universam Italiam consideratio. Filium Cosmus reliquit Petrum: qui licèt non parentiæ æquandus, gratiam tamen in suâ Republicâ retinuit. Nec diù superstes duos reliquit filios Laurentium & Iulianum, quorum pariter hoc tempore arbitrio Respublica administrabatur. Injectâ, ut fit, inter has familias æmulatione, contigit Pazzam à Sixto Pontifice foveri in odium Mediceorum; quibus nonnullis de causis temporalem Statum Ecclesiæ Romanæ ac commoda nepotis sui Hieronymi Riarij spectantibus, eorúmque causâ toti civitati infensus erat. Cùm verò esset tunc quoque Italia in duas partes divisa, hinc Sixto unà cum Ferdinando Neapolitano Rege societate juncto, illinc Venetis, Duce Mediolanensi & Florentinis fœdere colligatis: iniit Sixtus consilium Florentinos aggredi, qui & viciniores & debiliores cæteris fœderatis erant. Existimánsque sublatis fratribus Mediceis, facilè se quod cupiebat obtenturum, Pazzis rem urgentibus consensit ut conspiratio in fratrum necem fieret. Ne verò tam atrox scelestúmque consilium sanctis auribus admisisse videretur, (si tamen verè illum ejus conscium cum plerisque au-

ctoribus existimaverimus, quem rari excusant) illud occultè tractandum perficiendúmque Hieronymo Riario demandavit: egitque cum Ferdinando Rege; ut Alfonsus ejus filius cum exercitu in Etruriam mitteretur, specie quidem nonnulla oppida ditionis Ecclesiasticæ ab aliquibus tyrannis recipiendi, spe verò ut sublatis aut ejectis Mediceis Florentinorum Respublica suî ipsius arbitrio constitueretur.

V. Ejus EXECUTIO.

Conjuratione igitur initâ, in quam plures aut amore Pazzorum aut odio Mediceorum nomina dederunt, præter illos quos ad nefas perpetrandum Hieronymus Româ immiserat; cùm difficile videretur utrumque fratrem unà repertos adoriri, quò commodiùs id fieret, simul ut conjurati tutiùs in unum aliquâ occasione convenire possent: Raphaëlem Riarium Hieronymi sororis filium, Pisis per id temporis Iuri Pontificio operam dantem; quem ad finem superioris anni Sixtus Pontifex Diaconum Cardinalem S. Georgij creaverat, placuit per causam visendæ urbis Florentinæ, & relaxandi animi gratiâ, Florentiam deduci, adolescentem conjurationis penitùs ignarum, sed cujus obsequij causâ, & conjurati sine suspicione coïrent, & fratres Medicei ad eum honorandum facilè convenirent. Rebus igitur omnibus dispositis, post sæpiùs frustrà & in occursibus & in conviviis quæsitam occasionem, demùm in majori Ecclesiâ S. Reparatæ, dum in præsentiâ Cardinalis sacro die Dominico Missa solemniter celebranda foret, constitutum est scelus ad certum versum Missæ committere. Commissúmque est sexto Calendas Maij, quo tamen solus Iulianus minor frater interfectus est: Laurentius jugulo levi vulnere saucius in sacrarium confugit; æditius portas æreas, quas Petrus Laurentij pater extruendas curaverat, occludentibus. Cardinalis in tanto terrore ad aram confugiens, septus coronâ sacerdotum, & Laurentij auctoritate vix servatus, sedato tumultu per civitatis Magistratum est domum reductus, & in custodiâ aliquamdiù detentus. Conjurati plerique omnes capti, debitis suppliciis affecti fuêre. Inter quos Franciscus Salviatus Archiepiscopus Pisanus, qui quasi re in templo confectâ ad palatium publicum, uti convenerat, illud occupaturus, & nisi Magistratum suis faventem rebus comperisset, eumdem interfecturus advolaverat; cùm intromissus, clausis fortuitò foribus, adeóque plerisque suis aditu exclusis, turbatâ facie visus esset, ex suspicione captus, re cognitâ suspensus est laqueo è fenestris unà cum nonnullis aliis: magna Pazzorum pars variis mortibus atque suppliciis sublata, opes direptæ, cadavera tracta: populus nequicquàm ab eis ad recuperandam libertatem invitatus, cùm diuturno usu ita delinitus esset, ut libertatis pretium libertate charius potiusque haberet; in studio & obsequio Laurentij ita quievit, ut etiam ei imposterùm satellites ad corporis custodiam tributi sint. Iulianus solemni pompâ ad sepulturam delatus, uxorem non certam, nec propalàm legitimam prægnantem reliquit; quæ posthumum peperit Clementem VII. Pontificem. Factúmque dicitur, ut cùm ante hujusmodi conjurationem Mediceorum potentia eò jam adducta esset ut per se ipsa nullo impellente concisura videretur; unius hominis cæde erecta stabilitáque fuerit. Tantum enim fuisse æris alieni conflatum, ut nullâ aliâ oblatâ facultate ejus dissolvendi, confugiendum ad publicam pecuniam Laurentio fuerit: quod invitis suis civibus non videbatur facile facturus; jam autem non à volentibus modò, sed ab iis etiam qui studio inter se atque alacritate in eo persolvendo officio certarent, aut gratificandi, aut avertendi criminis occasionem quærentibus, impetravit. Tragœdiam autem descripsit Angelus Politianus summæ doctrinæ vir; qui cunctos ejus actus spectavit, peculiari commentario. Ex quo, & aliis variis auctoribus eamdem Michael Brutus [c] in Historiâ Florentinâ copiosissimè prosecutus est: Breviúsque alij [f]; cùm nemo ferè tanti facinoris non meminerit.

DIRUM SACRILEGIUM.

ARCHIEPISCOPUS PISANUS LAQUEO SUFFOCATUR A' FLORENTINIS.

MEDICEA FA-

MILIA FIRMIÙS STABILITUR.

[c] Brut. lib. 6. & 7.
[f] Volater. Geogr. lib. 5. Machiavel. Hist. Flor. lib. 8. Onuphr. in Sixt. IV. Adde Commin. lib. 6. cap. 5.

VI. FLORENTINI SACRIS INTERDICUNTUR.

Iis autem à Sixto Pontifice auditis, (ut pergunt auctores) quod eâ viâ non potuerat, aperto bello assequi tentavit: ac primùm Florentinis sacris interdixit, tum ob alias injurias olim Sedi Apostolicæ in rebellium civitatum defensione, & sacrorum violatione illatas; tum quòd modò Pisanum Archiepiscopum indictâ causâ ultimo supplicio affecissent, & Cardinalem captivum levi de suspicione fecissent: Laurentium verò anathemate perculit, uti horum auctorem: satis tamen significans, si eum urbe Florentini pellerent, facilè civibus cum Pontifice conventurum. At illi culpam in ipsum Pontificem rejicientes, qui tantum scelus in sanctâ Ecclesiâ, dum sacrum perageretur, per divinæ rei administros intentasset; tam auxilia Regis Francorum, Reipublicæ Venetæ, ac Ducis Mediolanensis implorârunt: quàm cœtu Antistitum Etruscorum coacto, à Pontifice ad proximum totius Ecclesiæ Concilium provocârunt; literísque ac legationibus universos Principes adversùs eum concitare studuerunt: atque interim suæ ditionis sacerdotes ad obeunda sua munia, & sacra administranda adegerunt. Ac nihilominùs ne graviùs Pontificem irritarent, Cardinalem S. Georgij, quem culpâ proditionis carere satis compertum habuerunt, Romam dimisêre.

VII. BELLO IMPETUNTUR.

Quod autem bellum attinet, Venetis non illud publicè, sed privatim in Laurentium geri causantibus, ac propterea se nequaquam ex fœdere ad mittenda auxilia adstringi asserentibus; (qui tamen haud propterea destiterunt iis adesse aliis modis:) Rex Christianissimus, quòd bello Belgico implicatus esset, non alia auxilia subministrare potuit, quàm quòd per Philippum Comminium [g] ad Florentinos missum, Mediolani effecit ut inde primùm trecenti cataphracti, deinde etiam alij Florentiam mitterentur, tam in gratiam Regis, quàm ex vi fœderis. Auxiliantibusque præterea Mantuæ & Ferrariæ Principibus, res Florentina aliquamdiu stetit, intulitque hostibus damna: donec interveniente inter duces divisione, valdè periclitata est à potentiâ Sixti Papæ & Ferdinandi Regis. Quærendáque demùm pax fuit à Ferdinando, quem placabiliorem Pontifice existimârunt: suscipiente hanc legationem ipsomet Lauren-

[g] Commin. lib. 6. c. 5.

tio; ut qui totius belli malorúmque omnium causa fuisset, idem vicissim exoptatæ pacis conciliator existeret. Ad quam etiam vel invitum necessitas, metúsque à Turco Rhodum & Italiam invadente, Sixtum compulit, de quo dicetur post biennium, cùm eò usque res prolata fuerit.

VIII. LUDOVICI REGIS ARTES ADVERSÙS PONTIFICEM.

Sed quod etiam non parùm apud eum Florentinis profuit, terror fuit à Rege Ludovico: qui cùm armis subvenire non valeret, conventu [h] Aureliæ instituto tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium procerum, & delegatorum Vniversitatum, de Pragmaticæ restitutione, & annatis abrogandis; etiam per legatos apud Sixtum agere cœpit de sacris civitati Florentinæ restituendis; & conspirationibus puniendis, vel de Concilij generalis convocatione; cum mandatis de faciendâ protestatione, nî Pontifex annueret, convocaturum se cum aliis Principibus Concilium ad remedia malis quærenda quibus Ecclesia affligebatur. Cunctósque in Romanâ Curiâ existentes qui beneficia Ecclesiastica in Galliâ haberent, ad ea revocavit, nî privari fructibus vellent. Sed Aureliæ nihil prætereà in eo conventu actum est, (ut etiam ex Chronico Ludovici Regis apparet) quàm quòd aliquæ disputationes habitæ sunt de restitutione Pragmaticæ, & de pecuniis haud ampliùs Romam exportandis: nec ulla facta est earum rerum aut aliarum definitio; sed tota res ad alium conventum Lugduni celebrandum remissa, qui tamen nec habitus est, nec quid aliud de his à Rege decretum; quòd videlicèt (ut putatur) non tam hæc seriò ageret, quàm ut scrupulum Pontifici moveret in gratiam Florentinorum: hujusmodi simulationum insignis artifex: Editâ quoque ad hoc constitutione [i] decima-sextâ Augusti præsentis anni, quâ graviter questus de Pontificis in Florentinos exacerbatione, cum grandi Ecclesiæ scandalo, nec non de pecuniarum ex beneficiorum expectativis, & aliis illicitis commerciis, colligi solitarum, in ejusmodi bella, & alios injustos usus, effusione; severè prohibuit nequis Romam pro beneficiis quocumque modo impetrandis ire præsumeret, nec pecunias eò mittere aut deferre.

[h] *Gaguin. lib.10. Æmil. in Ludovic. XI Act.int.Sixt. & Ludov.*

[i] *Ext. in magn. Ordin. Franc. & ap. Bochel. in Decret. Eccles. Gall. lib 4. tit. 22. c. 8.*

IX. DE LEGATIONE REGIA NARRATIO PAPIENSIS.

De prædictâ verò Legatione ad Pontificem destinatâ, est etiam epistola Cardinalis Papiensis [k] ad ipsum Pontificem ante ejus adventum scripta decimo-sexto Iulij præsentis anni ex quodam recessu ubi tunc agebat, quâ res tota declaratur: Nempè decretum esse à Rege oratorem multæ æstimationis in Galliis, (plures erant tam milites quàm togati, qui in literis regiis nominatim recensentur; eorúmque primus Guido de Arpajone Vicecomes Lautreci Cambellanus Regis:) & superba admodùm mandata afferre, nisi revocarentur in Florentinos censuræ, nisi luerent pœnas qui Iuliani cædem patrâssent, vel patratoribus assensissent, nisi etiam actutùm à bello inchoato cessaretur; magno animo præstitam obedientiam tolleret, & ad Concilium vocaret, prælatósque & inferiores quosque ad sacerdotia revocaret: Ad hanc denunciationem conventuros esse oratores Venetum ad Mediolanensem, consensurósque idem ac perituros, & nisi impetrarent jussos esse domum redire. Quid autem respondendum his esset, monens Papiensis Pontificem, imprimis quàm angustiarum plena responsio esset proponit. Si enim postulata repellerentur, sine morâ illos minas impleturos, in tumultúmque spiritualium adducturos Ecclesiam, ac periculum esse ne in idem exemplum complures alios inducerent, partim qui Sedi Apostolicæ satis pacati non essent, partim qui de operibus Pontificis benè non sentirent, partim etiam qui cupiditatibus eorum satisfactum non esse sæpiùs doluissent. Rursùm verò si regiis illorúmque aliorum postulatis consentiretur, si nondum siccato atramento tanta & tam nota ac latè vulgata decreta propter metum delerentur, quid ignominiosius & morti acerbæ similius? Plagam majorem infligi rebus Romanis non posse: nec Apostolicam virgam ad confringenda inutilia vasa suam vim deinceps obtenturam fore: Ad sæcularem potestatem hoc exemplo fore contra censuras refugium; & quod languidè permissum semel esset, restituere fortiter numquam datum iri.

[k] *Pap. 677.*

Post hæc suam sententiam prodens Papiensis consilium obtulit, non tam, ut ait, malum imminens sanans, quàm dilationem aliquam præbens ad parandam aliunde salutem: Vt videlicèt oratore audito dolere se diceret Pontifex, potuisse tantùm apud sapientem & fidelem Regem falsa crimina impiorum, ut contra consuetudinem majorum suorum, tot ac tanta Deo ingrata & Apostolicæ sedi detrimentosa peteret. Descendendum inde paulatim in justificationem vulgatæ sententiæ; monstrandúmque quanta fuisset Florentinorum in sacerdotes Dei crudelitas, quanta sine discrimine cædes, quantus in retinendo Cardinale contemptus facinoris illius experte & ignaro, quanta denique Apostolicæ Sedis ad hæc ulciscenda necessitas: Paratum fuisse nihilominùs Pontificem ad paternam remissionem, si vel mediocre signum pœnitentiæ in peccatoribus cognovisset; sed descendisse illos in profundum malorum, & in sensum reprobum datos: Venetos, Mediolanenses, plurésque alios Reipublicæ illius amicos ad petendam veniam esse illos hortatos, recognoscendúmque Vicarium Christi: sed non modò non assensisse, verùm quòd ita suaderent molestè tulisse; ut jam in apertæ hæresis crimen incidere apparerent: Cum talibus autem etsi regij officij esset communicationem nullam accipere; nec ad patrocinium tam grandis peccati accedere; tamen non negligere Pontificem ejus postulata: Sed quòd gravia illa essent, tempus dandum esse ad deliberandum: quod non tam citò fieri posset, ob grassantem pestilentiam, cujus causâ non solùm ipse Pontifex Romam deserere coactus fuisset, verùm etiam universi Cardinales in diversa loca dispergi. Si huic responso, quod probabile tempora indicabant, acquiesceret orator, habiturum interim Pontificem spatium ad providendum. Sin moræ impatiens non acquiesceret, sui criminis futurum quicquid per impatientiam fieret, cùm nihil ei negatum esset, sed tempus dumtaxat legitimum ad deliberandum petitum. Hæc prudentissimè Papiensis Pontifici.

X. EJUS DE ILLA SENTENTIA CONSILIUM.

XI.

Quæ auscultata ab eo fuisse constat: & se-

[l] *Ext. in cod. Vatic. ex quo Bzov. descripſ. to. 18. hoc an.*

PONTIF. AD REGEM RESPONSIO.

cundùm illa oratoribus in hanc ſententiam manſuetè reſponſum [l], ſi Rex Christianiſſimus æqui & juſti amantiſſimus, atque libertatis Eccleſiaſticæ & totius Religionis Orthodoxæ obſervantiſſimus, ut audivit Laurentij Medicei querelas, aliquem pariter pro parte Pontificis audiviſſet, numquam ejuſmodi legationem miſſurum fuiſſe: Quod fecit Pontifex, de conſenſu & conſilio Senatûs Cardinalium poſt gravem conſultationem feciſſe: Nec conſueviſſe Chriſtianiſſimos Reges facilè ſe committere Iudicio Dei, & pœnis quas Lex divina reſiſtentibus judicio Summi Sacerdotis infligit. Quin potiùs Carolum Magnum, à cujus ſanguine derivantur, imitari: cujus hæc fuit ſententia, ut in memoriam beati Petri Apoſtoli honoretur S. R. Eccleſia & Apoſtolica Sedes, ut quæ ſacerdotalis mater eſt dignitatis, ſit etiam Eccleſiaſticæ magiſtra rationis: ac præterea ſervandam eſſe cum omni manſuetudine humilitatem; & licèt vix ferendum ab illâ ſanctâ Sede imponatur jugum, tamen ferendum eſſe, ac pia devotione tolerandum. Licèt autem Pontifex juxta decreta Patrum de Iudiciis ſuis nulli teneatur exhibere rationem: nihilominùs de ſingulis Regi per nuncium ad eum miſſum, ejuſque oratoribus proprio ore rationem reddere: facturúmque diligentiùs cùm primùm ad Vrbem rediiſſet: (Erat enim tunc, propter peſtem Romæ graſſantem, in oppido Bracciano. (Quod enim illi excuſarent, de juſtitiæ causâ agere ſibi non eſſe à Rege commiſſum, ſed tantùm ut cenſuræ tollerentur, arma deponerentur, alioquin petere hæc & illa: hoc nihil aliud eſſe, quàm dicere, quæ benè ante facta eſſent, ac maturo conſilio digeſta, ſine causâ revocanda eſſe.

XII. RESPONSIO DE CONSILII CONVOCATIONE.

Ad petitionem autem Concilij Generalis reſpondit; ſi facilis ejus convocatio eſſet, nihil ſibi conducibilius in præſenti causâ eſſe. Non enim in iis Reges ac Principes ſæculares præſidere debere, ſed Romanum Pontificem: & quorum eſt iis intereſſe Antiſtites & Sacerdotes, neminem eorum non dicturum libertatem Eccleſiaſticam conſervandam eſſe, & jus fori, quod nec ipſe Romanus Pontifex tollere Sacerdotibus poteſt, illibatum permanere: quod adeò turpiter Laurentius violavit, cùm Archiepiſcopum non legitimè damnatum, non ritè degradatum, turpiſſimâ morte ſuſtulit: Opportuniſſimum igitur futurum Pontifici, ſi Concilium ad hæc congregari poſſet: verùm multo tempore indigere, quoniam conſulendus eſſet Imperator & alij Reges Chriſtiani, vocandique ex univerſo orbe Prælati, cùm & alioqui non ad Regum libitum Concilia convocanda ſint, ſed ſolius ſit Romani Pontificis de neceſſitate Concilij judicare: quæ nullo modò videtur ſatis conveniens. Quod verò repetitionem Pragmaticæ Rex quæreret, mirum valdè videri. Agi enim de ejus honore & conſcientiâ. Si enim juſta erat, cur eam olim tantâ ſolemnitate abrogâſſet? ſi injuſta, quo modo poſſet repetere? Vocationem autem Prælatorum ad judicandum de viris & rebus Eccleſiaſticis, Regum non eſſe. Quod denique illos qui in Curiâ eſſent, revocare Rex vellet, hoc quærere, eſſe à Sede Apoſtolicâ alienari. Quæ quidem omnia ſi Rex ſeriò perpendiſſet, certò credere Pontificem, haud ipſum oratoribus ſuis quæ attulerant commiſſurum fuiſſe, ſed potiùs juſſurum ut Laurentium ad pœnitentiam & reatûs agnitionem inducerent: cùm etiamſi latæ in eum ſententiæ injuſtæ forent, teneretur tamen illas obſervare, & humilem ſatisfactionem ſpondere: Quod ſi fecerit, reliqua compoſitu facilia fore. Hæc fuit reſponſio Pontificis ad poſtulata regia.

XIII.

Quam tamen oratores non ſuſcipientes, Pontifici Concilium in Galliâ intimâſſe, ac Pragmaticam obſervare velle declarâſſe, & Prælatos revocâſſe: idémque eorum exemplo per ſuos oratores, Venetos, Mediolanenſes & Florentinos feciſſe, obedientiam Pontifici auferentes: intelligitur ex Commonitorio [m] à Sixto Pontifice nunciis ſuis ad Fridericum Imp. in Germaniam miſſis tradito, quo rem declaravit, beneficia à ſe in Venetos collata exprobravit, de Regis Ludovici duritie expoſtulavit; ipſúmque Imperatorem rogavit, ad eum ſcribere ut ab his conatibus ceſſaret. Quorum curam [n] ſuſcipiente Imperatore, id demum factum eſt, ut convenientibus Florentiam legatis ab Imperatore, Regibus Galliæ & Hungariæ, & fœderis Italici Principibus, ad rationem inveniendam tollendarum controverſiarum & pacis firmandæ, miſerint Florentini oratores ſuos ad Pontificem. Verùm pacis conditionibus ab eo propoſitis non acquieſcentes, adhuc bellum aliquamdiù ſuſtinuerunt. Donec, quod jam diximus, petens Laurentius Neapolim, Ferdinandum ad pacem induxit: cui & deinde Pontifex certis conditionibus conſenſit, ut dicetur ſuo loco.

[m] *Rec. Bzov. ex cod. Vat. an. 1479.*

[n] *Brut. Hiſt. Flor. lib. 7.*

CONTROVERSIÆ DIRIMŨTUR.

XIV. ALIUD SCELUS DE CAPTIVITATE ARCHIEPISCOPI COLON.

Quo tempore alia ejuſdem ferè generis fuit in Germaniâ diſſenſio ob captivitatem Ruperti Archiepiſcopi Colonienſis, quem Henricus Haſſiæ Landgravius in vincula conjecit: pro cujus liberatione fuit Pontifici deſudandum, mittendæque legationes. Extat [o] enim commonitorium Epiſcopis Forolivienſi & Alerienſi ab eo datum decimo-octavo Aprilis præſentis anni: quo præſcribit eis quæ tam apud Imperatorem, quam apud Landgravium, & alios Principes eâ in causâ agere deberent: prohibens tamen ne quemquam ad arma propterea capienda commoverent; ſed tantùm de omnibus ipſum Pontificem certiorem redderent, ejúſque reſponſum expectarent. Parùm autem profuiſſe operam Pontificis, ex Krantzio [p] & Trithemio [q] intelligitur; dum de captivitate Archiepiſcopi agentes, eam inde contigiſſe tradunt, quòd Rupertus antiquo odio cum Capitulo Eccleſiæ ſuæ decertans, (cujus occaſione vidimus Carolum Burgundum Nuſſiam olim obſediſſe) conventionibus ibidem Nuſſiæ pactis ſtarè recuſaret: ac propterea dum clàm in Weſtphaliam fugere tentaret, captum eſſe Capituli ſuaſu, ne iterum Eccleſiam majoribus implicaret laboribus: Biennio verò arctâ cuſtodiâ detentum, miſeram mortem oppetiiſſe: Suffectúmque ei eſſe Hermannum Henrici Landgravij fratrem, qui Nuſſiam adversùs potentiam Caroli viriliter propugnaverat: ac longo tempore magnâ probitate & manſuetudine ac prudenti conſilio Eccleſiam rexiſſe. Cum autem dicat Trithemius, vulgatum fuiſſe, Rupertum in excommunicatione Papæ deceſſiſſe; oportuit hoc ab ejus

[o] *Int. expedit. Sixt. IV. in Vatic. & ap. Bzov. hoc an.*

[p] *Krantz. 12. Saxon. 22.*

[q] *Trith. in Chron. Sponheim.*

adversariis in captivitatis ipsius excusationem jactatum fuisse; cùm econtra Papam pro ejus liberatione valdè laborâsse, ex prædictis constet. Denique hæc omnia per invidiam & calumniam à Landgravio in fratris promotionem gesta esse, idem auctor satis indicat, dum exclamat: ô fortunâ, ô invidiâ, ô tempora, & mores, quid non præsumit ambitio!

XV. Aliúdque in Archiepiscop. Rigensem. [r] Krantz. 13. Vvandal. 16.

Tantumdem dicas de vexatione à Magistro Teutonicorum illatâ Silvestro Archiepiscopo Rigensi, quam describit Krantzius [r]. Cùm enim fuisset is olim Cancellarius Ordinis, & à Magistro ad Archiepiscopatum provectus, proindéque obnoxius ita Ordini putaretur ut ei ad nutum obsequi deberet: Archiepiscopus autem honorem Ecclesiæ defendens, non satis gratificaretur Magistro: fuit ab eo in arce propriâ captus, tentúsque sub custodiâ. Nec his contenti Fratres, quamvis per totam diœcesim sacris interdictum esset, de capiendis Ecclesiæ arcibus solliciti, etiam reperta ejus privilegia, & alia diplomata concremârunt. Civitate autem pro Ecclesiâ contra Ordinem exurgente, magno & diuturno bello exinde diœcesis concussa est, quod nec morte Silvestri Archiepiscopi cessavit; sed etiam sub ejus successore duravit penè usque ad destructionem Ecclesiæ ac diœcesis: ut ex eodem auctore deinceps intelligi datur. Fuisse porrò hunc Magistrum, Henricum Comitem Rihcerbergensem, habemus ex serie Magistrorum Teutonici Ordinis: ubi dicitur fuisse vir rigidus, furibundúsque; & Episcopum (quem non Silvestrum, sed Theodorum vocat, nisi fortè sit quis alius) in vinculis fame necâsse.

XVI. Constitutiones nonnullæ salubres Sixti Pont.

Alia quoque in eâdem Germaniâ curans hoc anno Sixtus, cùm non parvæ intercederent inter nonnullos Prælatos ac Rectores Ecclesiarum & Religiosos mendicantes, circa obligationem plebium ad Missas in Ecclesiis suis parochialibus audiendas, & confessiones suas sacramentales propriis suis sacerdotibus faciendas, sepulturas fidelium, & prædicationes, controversiæ: eas Pontifex quatuor Cardinalibus committens, qui eas examinarent ac pacem inter partes tractarent; cùm id illi præstitissent; confirmavit eorum decretum Pontifex constitutione editâ decimo-quinto Calendas Iulij, quæ extat [s]. Sed hæc ab ipso ferè initio Mendicantium cœpta, progressu temporum & indulgentiâ Pontificum ita creverunt, ut augescentibus in dies privilegiis novorum hominum, & decrescentibus facultatibus successorum Apostolorum ac Discipulorum Domini; magnæ gratiæ loco habeatur, si vel in aliquam partem administrationis ij admitti possint, quibus solida divinitùs in suis quibusque regionibus (cum humili tamen summissione ad Petri successorem) data est. Sed hæc frustrà canuntur. Viderit ipse Deus Opt. Max. cui reddituri sunt omnes rationem villicationis suæ. Illud salúbrius hoc ipso anno ab eodem Pontifice constitutum [t]; ut quòd per facultates absolvendi à gravioribus delictis concessas multis tam sæcularibus quàm regularibus personis, clavium auctoritas deducebatur in contemptum, & populi ad peccandum procliviores reddebantur; illas omnes revocandas statuerit.

[s] Extravag. commun. lib. 1. tit. 9. de treug. c. 2.

[t] Ibid. lib. 5. tit. 9. de pœnit. & remiss. c. 5.

XVII. [u] Mar. lib. 24. cap. 17.

Meliori item Hispaniæ fato factum religiosus Mariana [u] putavit, ut quod ab antiquo Episcoporum erat, quæstionibus habendis adversùs Religionis desertores, atque hæreticos, aliísque in veram pietatem criminibus vindicandis, certi alij Iudices in Castellâ designati sint Romani Pontificis auctoritate, & Petri Gundissalvi de Mendozâ Cardinalis Hispaniæ operâ: qui *Inquisitores* ab officio dicti, hactenus in Castellâ non fuerant; nunc autem ex more frequenti Italiæ, Galliæ, Germaniæ, ipsiúsque Aragoniæ, necessariò etiam in Castellâ constituendi visi sunt, quod in ea ex licentiâ superiorum temporum multa depravata essent ob Maurorum, Iudæorúmque promiscuam cum Christianis conversationem. Toti administrationi Thomas Turrecremata primùm est præfectus, ex Dominicano Ordine vir prudens doctúsque, præcipuâ apud Reges gratiâ, quorum peccata per pœnitentiam expiare consueverat. A quo edictis propositâ spe veniæ, homines promiscuæ ætatis, sexûs, conditionis, ad decem & septem millia ultrò crimina confessos memorant: duo obstinatiorum millia crematos igne; majori numero in vicinas provincias fugâ dilapsos. Ab hócque initio res in hanc auctoritatem crevit atque potestatem, quâ nulla pravis hominibus toto orbe Christiano formidabilior est, Reipublicæ universæ majori commodo. Ita Mariana: qui & modum inquirendi, quæstionésque habendi, & pœnas pro ratione delictorum imponi tunc solitas, seriatim describit.

Inquisitio in Hispaniam introducta.

XVIII. [x] Id. cap. 16.

Habet [x] etiam de Sardiniæ motibus, deque victoriâ ab Aragoniis de factiosis partâ; quâ ea insula penitùs sub imperio Aragonio quievit, de cujus possessione toties erat tantóque tempore cum externis & cum domesticis, & tantâ animorum contentione dimicatum. Addit item de Albohaceni Granatæ Regis legatis ad Ferdinandum Castellanum missis pro redintegrandis antiquis induciis, quæ nonnullis excursionibus violatæ fuerant. Cúmque negaret Ferdinandus, nisi vectigali repræsentato, quod ab antiquo pendere essent soliti; legatósque de eâ re Granatam misisset; respondit Rex barbarus, Reges qui vectigal pependissent jam pridem esse extinctos; eâ tempestate in ædibus monetariis Granatæ neque aurum neque argentum cudi, sed lanceas, sagittas, acinaces conflari. Quo insolenti responso offensus licèt Ferdinandus, parendum tamen necessitati judicans, inducias concessit; quem turbæ domesticæ, & bellum Lusitanum ad alia consilia avocabant.

Responsum audax Regis Mauri.

XIX. Regis Poloniæ querelæ de Nuncio Pont.

Delatæ quoque ad Sedem Apostolicam querelæ fuêre Casimiri Poloniæ Regis adversùs Balthasarem de Pisciâ nuncium Sixti Pontificis; qui apud Wratislaviam Silesiæ degens, eidem Casimiro ut fautori hæreticorum, ejúsque filio Wladislao Boëmiæ Regi ut hæretico, sacris interdixerat in gratiam Matthiæ Hungariæ Regis: qui ita mentes omnium ex rebus quibusdam prosperè adversùs Turcos gestis occupaverat, ut etiamsi nihil ampliùs de iis curaret, quin potiùs ad insectandos prædictos Reges Poloniæ & Boëmiæ, ipsúmque Imperatorem, arma quo jure quâque injuriâ convertisset; nihilominus in cœlo ad omnes esset, maximéque apud Sedem Apostolicam:

y Suprà an. 1476. XVI.

ut de eo dicere vidimus [y] Papiensem ad Gabrielem Episcopum Agriensem paulò antequàm idem Gabriel crearetur Cardinalis: qui patriâ Mutinensis, familiâ Rangoniâ, Ordinisque Minorum professor, & Ioannis Capistrani olim discipulus, Matthiâ petente, cui gratus erat, fine superioris anni (quamquam, ut volunt [z], furto conceptus) à Sixto inter Cardinales cooptatus est; unà cum Raphaële Riario, de quo suprà; Ioanne Aragonio filio Ferdinandi Regis Neapolitani, puero vix adolescentiam ingresso; Georgio Hesler Herbipolensi, ex infimæ plebis genitore, homine rustici & asperi ingenij, toto reclamante Senatu Cardinalium, importunâ Imperatoris postulatione intruso. Vt videas quales nonnunquam in amplissimum Ordinem admittere cogantur Pontifices, apud quos major est ratio gratificandi Regibus, quàm majestatis & constantiæ. Sed hæc obiter; quæ frustra futura non ignoramus: dicta autem à nobis occasione venditatæ plerumque gratis famæ Matthiæ; & Cardinalis Agriensis, quem Cromerus ait insanientem suâ sponte Matthiam, apud quem agebat, magis concitâsse ad bellum contra Polonos & Boëmos; quamquam & posteà pro eorum reconciliatione egisse reperiatur, Italicarum rerum & Pontificiarum partium in bello Florentino juvandarum studio, redintegratâ anno insequenti inter Matthiam & Wladislaum de contentione regni Boëmici concordiâ; quam pluribus Bonfinius descripsit.

z Addit. ad Ciac. in Sixt. IV. ex Garimb. l. 1. cap. 2.

INDIGNI ALIQUI CARDINALES CREATI.

XX.

Mortua est hoc anno Romæ vigesimâ quintâ Octobris Catharina Regina Bosnæ, Thomæ Regis uxor: de cujus in Vrbem adventu dictum est aliàs [a]: cujus extat hactenùs sepulchrum in Ecclesiâ Aræ Cæli Sixti Pontificis jussu positum. Post cujus obitum, ut narrat Cardinalis Papiensis [b], duo ex ejus familiâ obtulerunt Pontifici testamentum, quo illa regnum suum Ecclesiæ Romanæ legabat: additâ conditione, si filius ex Turcis rediret, defectionis anteactæ pœniteret, & Christianam fidem resumeret, in avita restitueretur. In signum autem legati Regni, ensem dederunt & calcaria, quæ Pontifex benignè accepta prehendi sigillatim à quoque Cardinalium voluit: ipsúmque testamentum, & recepti Regni decretum, in archivis Apostolicis condi imperavit.

a Suprà an. 1475. I.

b Pap. ep. 679.

REGINA BOSNÆ REGNUM LEGAT APOSTOL. SEDI.

XXI.

In Galliâ Rex [c] Ludovicus, tam metu mortis, cujus vel solum nomen vehementissimè horrebat, quàm ex pietate in Beatissimam Virginem & Sanctos, multa & ingentia contulit donaria diversis Ecclesiis ejusdem Virginis sacram corporis S. Fiacrij thecam argento cooperuit: & cancellos ferreos, quibus exterius feretrum S. Martini Turonensis cingebatur, ex solido argento fieri jussit; fueréque ponderis septemdecim ferè millium marcarum argenti.

c Chron. Ludov. XI. Gaguin. l. 10.

LUDOVICI REG. MUNIFICENTIA IN SANCTOS.

XXII.

Eodémque anno [d] mense Octobri in monasterio Benedictinorum Issoriensi in Arverniâ, Monachus quidam hermaphroditus uterum gerere deprehensus, diligenter asservatus est donec peperit. Repertos sæpè Hermaphroditos (qui & Andr ogyni dicti) & olim Romæ inter prodigia habitos legimus [e]: peperisse præter hunc vix alius reperiatur: quem & præterea virili sexu usum esse, Chronicon Ludovici habet. Et in Historiâ Scoticâ [f] legimus circa annum Domini millesimum quadringentesimum sexagesimum secundum, ancillam utrumque sexum habentem, sed virilem latentem, ubi tamen vellet exercendi habentem potestatem, filiam-familiás quâcum communi utebatur lecto prægnantem fecisse: eandemque, quòd cùm sexum femineum prætulisset, nihilominus virilem usurpâsset, vivam in terra defossam esse. Denique legitur in Supplemento Palmerij, anno 1496. fuisse in Italiâ feminam nomine Æmiliam, quæ postquàm duodecim annis vixisset in matrimonio, facta fuit vir, & duxit uxorem. At nullibi reperias, licuisse unquam Monacho, cujuscumque tandem sexûs fuerit, liberis gignendis vacare.

d Id.

HERMAPHRODITUS PARIT.

e Plin. lib. 7. c. 3. l. 11. c. 49. Iul. Obseq. li. de prodig. Vi- de Greg. Tolos. Syntagm. Iur. l. 7. c. 2.

f Boeth. l. 18.

XXIII.

In Perside *Vsumcassanus* Rex, de cujus insignibus rebus gestis dictum suis locis, ad festum Epiphaniæ mense Ianuarij præsentis anni mortuus ponitur [g], anno ætatis circiter septuagesimo-octavo; successorem relinquens *Iacuppum* minorem filium cognomento Chiorzeinal, hoc est unius oculi luce privatum: qui ut solus regnaret, fratrem natu majorem eâdem nocte quâ pater è vitâ migravit, interfecit. Ita enim Petrus Bizarus. At Angiolellus & Iosephus Barbarus, qui apud Vsumcassanum tum erant, aiunt eum quatuor post se reliquisse filios, unum de secundâ, tres de primâ conjuge; eâque ipsâ nocte quâ pater decessit, tres fratres uterinos quartum strangulari curâsse; deinde medium trium occidi majorem jussisse. Qui cùm regnum septem circiter annis haud mediocri virtutis ac moderationis laude tenuisset, veneno ab impudica conjuge extinctus est; ipsâ quoque conjuge eodem modo temporéque una cum communi filiolo pereunte: cùm videlicèt oblatum viro e balneo exeunti venenati vini poculum, jussa est priùs ipsamet gustare, pársque pòst filio tradita est. Post quem alij atque alij non magnæ æstimationis homines per fas & nefas regnârunt in Perside, (quos iidem auctores recensent:) usque ad nominatissimum illum *Ismaëlem Sofum*, de quo dicetur suo loco.

VSUMCASSANI MORS.

g Palmer. in Chron. Angiolel. in Reb. gest. Vsumcass. Bizar. Rer. Pers. l. 10.

DE EJUS SUCCESSORIBUS.

IESU CHRISTI Annus 1479.

SIXTI IV. An. 9.

FRIDERICI III. An. 40.

I.

ANNO Christi 1479. Indictione duodecimâ, ipsis Calendis Ianuarij scriptam reperimus ad Cardinalem Papiensem [a] epistolam à Iacobo Antiquario; quâ de rebus Florentinis agens, narrat legationes de pace Romam ex toto orbe missas infecto negotio domum rediisse: occlusisse aures Pontificem, ad vindictam quàm ad quietem procliviorem: In postulatis ejus illam fuisse præcipuam contentionem, ut Laurentius Medices dederetur. Scelus autem Archiepiscopi Pisani, quo aras cruentare ausus esset, proponens Antiquarius, innuit non esse cur ejus necis vindictam adeò Pontifex urgeret: hortatúrque Papiensem, qui optima & æquissima velle consueverat, dare operam apud Pontificem, ut quoniam sat pu-

a Ap. Pap. ep. 680.

SIXTUS PONTIF. NEGAT PACEM FLORENTINIS.

gnatum esset, nec nisi temerè utrobique, nollet etiamsi posset dolorem ultra ulcisci: Immanissimos Turcos pro foribus esse, quibus Respublica Christiana intestinis discordiis proderetur. Piè quidem & ex fide antiquâ iste Antiquarius. Sed nondum deferbuerat ira Pontificis, quæ etiam toto hoc anno perduravit: cùm nihilominùs non cessaret, sicut Reges & Principes per orbem à Florentinis alienare, ita & per nuncios ac legatos pacem inter dissidentes procurare, & ad bellum Turcicum excitare. Quod sanè mirum videri possit; ut quod ipse ab aliis tantoperè flagitabat, ipse quod nullo negotio dare poterat recusaret, tantus erat zelus vindicandæ libertatis Ecclesiæ! quamvis non sic mentem ejus omnes interpretarentur. Continuationem porrò belli, apud auctores anno superiori designatos videre licet: de pace dicetur anno sequenti.

II. GENUA EXCUTIT JUGUM MEDIOLANENSE.

In quâ eâdem Italiâ mobilis æquè ac nobilis civitas Genuensis, quæsitâ post Galeatij Ducis Mediolanensis necem, per multas seditiones, cædes, pugnas tam contra hostes, quàm inter sese, viâ excutiendi jugum Mediolanense, quod quindecim circiter annis tulerat; sese demùm in libertatem asseruit [b], Baptistâ Fulgosio creato Duce ad Rempublicam administrandam cum octo virorum consilio. Narrátque Comminius [c], sibi in reditu è Florentâ, quò missum à Rege Ludovico vidimus, uti ejusdem Regis legato, Bonam Ioannis Galeatij pupilli matrem, ejúsque nomine, fidem obsequiúmque de principatu Genuensi, quem Regum Francorum beneficium agnoscebat, præstitisse. Quod magis putamus ab eâ præstitum, ad Regem inducendum ad recuperationem Genuæ, quàm quòd si illam adhuc possideret, voluisset jus ejus in Regem transferre, quem etiam hæc contempsisse constat; tum quòd non consuesceret vires suas extra regnum transferre; tum etiam quòd sciret nihil posse certi constitui cum gente nullius fidei, támque propudiosæ volubilitatis. Non equidem damno quòd libertatem amet; sed non possum non damnare, quòd adeò frequenter eam turpiter prostituere consueverit.

[b] Foliet. l. 11.
[c] Commin. l. 6. c. 5. in fin.

III. BELLUM INTER LUDOVICUM REG. ET MAXIMIL. AUSTR.

Viguit item hoc anno bellum vario marte inter Ludovicum Francorum Regem & Maximilianum Austrium. Et quod magis mireris, illusit egregiè adolescens Maximilianus versutissimo seni Regi; cùm oblatis certis pacis conditionibus, quæ Ludovico placuerant, induxit eum quædam restituere quæ ceperat, nec tamen ipse promissis stetit. Vtrùm hæc deceant familiam Austriacam, judicent ipsimet. Nobis certè non videtur locum in his habere posse vulgatam illam sententiam. Dolus an virtus quis in hoste requirat? Cæterùm cùm non parvis cladibus frequenter pars Austria contereretur; hoc anno mense Augusti in pugnâ ad *Guinegatam* vicum non longè à Taruannâ Morinorum oppido quod Maximilianus obsederat, consertâ, cùm fusi pariter fuissent Austrij & Flandri à Philippo Desquerdo regiarum copiarum ductore, ipséque justo longiùs fugientes persequeretur, ac pedites Franci prædæ colligendæ intenti essent; Romontij ac Nassovij Comitum Maximilianensium sese recolligentium & in eos irrumpentium fortitudine iidem gravi occisione fugati sunt; & campus Maximiliano cessit; longè tamen majori suorum cæde quàm Francorum, & grandiori multò captivorum numero: adeò ut nec ad obsidionem Teroannæ post adeptam lugubrem victoriam redire ausus sit. Arcem autem Malanoium non procul distantem expugnans, cùm captum in eâ Remonetum cadetum Vasconem, (*Cadetos* vocant Galli, ac præcipuè Vascones, minores natu filios, fratrésve) qui ei præerat, post tridui vincula contra fidem datam laqueo suspendi jussisset; indignatus rei fœditate Ludovicus Rex, ex omnibus hostibus qui à Francis capti fuerant quinquaginta selectos pari supplicio affici mandavit: Ex quibus septem eodem quo Remonetus loco suspensi fuerunt; deni in conspectu portæ Duaci hostilis oppidi, apud Insulam, S. Andomarum, & Atrebatum: rem exequente tribuno castrensium præfectorum cum præsidio octingentorum equitum cataphractorum & sex millium peditum. Ita nimirùm ludunt Principes in miserorum sanguine. Prælium Guinegatanum describit Comminius [d]: cætera prætereà Chronicon Ludovici, & Gaguinus [e], sed in eo hi errantes, quòd eo prælio captum cum cæteris ponunt filium Regis Poloniæ, qui nullus fuit; sed dominus de Polen [f] nobilis prosapiæ Austrius, quem Franci captivum cum aliis abduxerunt. Addunt verò de octoginta navibus Flandrorum ex Prussiâ cum plurimo commeatu redeuntibus, captis à Columno Normanno, ingenti hostium damno. Post quæ factæ sunt nonnullæ induciæ; demúmque pax, de quâ dicetur suo loco.

PUGNA GUINEGATENSIS.

[d] Commin. lib. 6. cap. 6.
[e] Gaguin. lib. 10.
[f] In fin. Gaguin.

IV. IOANNIS REGIS ARAGONIÆ OBITUS.

Præcessit illam Hispana; quæ post obitum *Ioannis* Aragoniæ Regis, (qui contigit ad 14. Cal. Febr. apud Barcinonem anno ejus ætatis octogesimo primo mense septimo die vigesimo, ut Mariana [g] habet; cùm Marineus [h] annos octoginta quatuor, mensibus quinque minùs & decem diebus, tribuat: sed Marianæ consentit Surita [i], dum octogesimo secundo ætatis anno mortuum scribit: & Marineus nugatorem magis agere consuevit quàm historicum:) hoc eodem anno mense Octobri inter Castellanos & Lusitanos, quos jam diuturni belli tædium ceperat, facta est operâ Beatricis, Isabellæ Reginæ Castellæ materteræ, Ioannis Lusitani Principis socrûs, quæ Visei Duci nupta fuerat, magnâ auctoritate paríque prudentiâ feminæ. In conditionibus fuisse ait Mariana, ut Lusitanus Castellæ Regis appellatione & insignibus abstineret: idémque de Lusitaniæ faceret Ferdinandus: & ut extima Africæ littora navibus explorare, aperiréque Lusitanis Principibus nullo obsistente jus proprium esset. Quâ de re, & de juribus tunc à Sixto Pontifice in confirmatione hujus pacis, concessis Regibus Lusitanis in Novi Orbis exploratione & occupatione, cæterísque anterioribus Pontificibus à Martino V. & deinceps, agunt pluribus alij [k]. Ioanna verò Princeps, cujus causâ bellum ortum fuerat, ludibrio se haberi cernens, Conimbricæ in monasterio S. Claræ sacrum habitum suscepit, & ad multam ætatem egregiè coluit. *Ferdinandus* patri successit in regno Aragonio, cæterísque ab eo pendentibus. Cujus vitam copiosè juxtà & eleganter præ cæteris Latino sermone descripsit *Antonius Nebricensis*: quam tamen mala pla-

PAX IN HISPAN. CONFICITUR.

[g] Marian. lib. 24. c. 18.
[h] Marin. l. 18. in fin.
[i] Sur. lib. 20. cap. 27.
[k] Io. Barros. Asi. dec. 1. lib. 1. cap. 7.

giariorum manus mutilam reddidit: & quòd illam à Ferdinando ipsomet rogatus scripsit, ideò minùs fidei in multis habere suspicio est; cùm soleant hujusmodi emendicatæ historiæ veritati sæpissimè parcere, & mendacio favere, in gratiam eorum quorum præmiis conscribuntur. Nos, ut plerumque hactenùs consuevimus, Marianæ magis adhærebimus, qui anteriores omnes scrutatus, quicquid boni, verique, ac necessarij scitu existimavit, Historiæ suæ inseruit, & tam propriâ conscientiâ, quàm merito Societatis cujus alumnus erat, potiorem fidem meruisse videtur.

V. [l] Marian. cap. 19. De successione Regû Navarræ.

Eleonora [l] Ferdinandi ex patre soror, germanáque Caroli Vianæ Principis, de quo aliàs, & Gastonis Comitis Fuxensis olim conjux, materno jure regnum Navarræ, quod Ioannes pater hactenùs retinuerat, obtinuit. Sed paulò pòst moriens, novenâ prole fecunda, ex eodem Gastone susceptâ (quatuor masculorum & quinque feminarum, ex quibus magnorum Principum stemmata texuntur) in regno Navarræ successorem habuit *Franciscum* nepotem, (filium Gastonis natu maximi qui nonnullis antè annis utroque parente superstite decesserat) cui à formæ venustate *Phœbo* cognomen fuit, undecim tantummodò annos natum; sub tutelâ Magdalenæ matris, filiæ Caroli VII. Francorum Regis, & *Petri* patrui Cardinalis de Fuxo junioris, quem ex Ordinis Minorum professore triennio antè Sixtus Papa ad amplissimam eam dignitatem evexerat titulo Diaconiæ SS. Cosmæ & Damiani: virum placidum & humanum, virtutúmque senioris, ejusdem stemmatis & religionis, (de cujus rebus præclare gestis, & laboribus pro pace Ecclesiæ exantlatis, multa superiùs) imitatorem; quamvis fortè eas meritis æquare non sese occasio obtulerit: cùm nihilominùs & in Galliâ pacificationi turbarum Britannicarum animum intendisse, & ab Innocentio Pontifice Romam vocatum ad concordiam regni Neapolitani destinatum fuisse invenerimus.

VI. [ll] Marian. d. cap. 19. Petri Oxomensis errores.

Quo tempore cùm in eâdem Castellâ PETRUS [ll] quidam *de Osmâ*, sive Oxomensis, qui Salmanticæ Theologicas facultates explicans, audaci ingenio librum vulgâsset multis mendaciis fœdum; quibus præcipuè in Romanæ Ecclesiæ majestatem, & Pœnitentiæ Sacramentum contumeliosus, Romana responsa errori obnoxia affirmabat, nec posse Pontificem Purgatorij pœnam remittere, & super his quæ universalis Ecclesia statuit dispensare: Non à Christo Deo præceptum, sed ab hominibus invectum esse Pœnitentiæ remedium; non incommodum tamen ad hominum pravitatem coërcendam: peccatáque mortalia solâ cordis contritione, pravas verò cogitationes solâ displicentiâ deleri: Hæc impia dogmata Alfonsus Carillius Archiepiscopus Toletanus; Compluti jussu Sixti Pontificis viris doctissimis convocatis, re diù multúmque deliberatâ, reprobavit: auctorémque, nisi mutaret, anahematis ignominia notavit; sententia pronunciatâ ad nonum Calendas Iunij: quam paulò pòst Sixtus, rursùm examinatam Romæ suâ constitutione [m] ratam habuit quinto Idus Augusti: multas alias ejusdem Petri pravas assertiones, propter earum enormitatem (ut ait) subticens; ut ij qui de illis notitiam haberent, obliviscerentur earum, & qui eas ignorarent non instruerentur ex earum propalatione. Ioannes verò Prexanus nobilis eâ ætate Theologus Oxomensem exagitandum suscepit justo volumine. Narrátque Bannes [n], ejus libros simul cum Cathedra in quâ docebat, in mediâ scholâ igni traditos esse comburendos.

[m] Bullar. to. 1. Sixt. IV. const. 17.

[n] Ban. in S. Th. 2. 2. art. 10. q. 1. disp. de Eccl.

VII. Io. Ruchardi errores.

In Germaniâ item apud Moguntiam condemnatus legitur IOANNES RUCHARD de Wesaliâ superiore, sacræ Theologiæ Doctor; & ad revocationem quorundam articulorum, quos in Ecclesiâ Wormatiensi publicè prædicâsse ferebatur, per Inquisitorem coactus: cujus volumina ipso inspectante igne combusta sunt; & ipse ad pœnitentiam in conventum Fratrum Augustinianensium relegatus, mœrore brevî consumptus obiit: ut Trithemius narrat. Recensétque ejus articulos novem, quibus asserebat, Prælatos non habere auctoritatem condendi aliquid, præter illa quæ Christus & Apostoli præceperunt; immò nec Pontificem, nec ipsosmet Apostolos talem potestatem à Christo accepisse: Nulli hominum quantumcumque sancto & erudito licere Evangelium exponere; nec Patres eo spiritu Scripturam interpretatos esse, quo primitùs scripta fuit: Indulgentias nihil aliud esse quàm meras fraudes & deceptiones: Mandata Ecclesiæ non obligare ad peccatum, eò quòd non habeat auctoritatem legis condendæ: Peccatum originale non esse, nec parvulos inde damnari: Omnes Presbyteros esse Episcopos & Papas, solóque nomine & hominum institutione differre; ac sine sacerdotibus homines salvari posse fide, concordiâ, & pace: Iejunium cum non sit à Christo institutum, non esse ullius obligationis: Extremam-Vnctionem non esse Sacramentum, nec à Christo institutam: Spiritûs Sancti processionem à Filio non probari ex Scripturâ, atque ideò potiùs adhærendum sententiæ Græcorum de processione à solo Patre. Alia item contra Horas Canonicas, observationem festorum, continentiam Clericorum, benedictiones rerum inanimatarum, & cætera hujusmodi. Quæ omnia in Dominicâ Quinquagesimæ publicè Richardum revocâsse, idem auctor scribit. Agunt de iisdem, & aliis pluribus superadditis ejusdem erroribus, in Catalogis hæreticorum, Lutzemburgius & Prateolus; sed ad Clementis VII. tempora referentes. Ediditque eosdem, aliósque ejus errores, Orthuinus in suo Fasciculo, sub appellatione Paradoxorum: simúlque Examen eorum, coram Diethero Archiepiscopo Moguntino, & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis habitum: cui & se interfuisse ait; nec parùm Wesalensem excusat; unde intelligas, qualis & ipse fuerit: necnon qui ex illo exscripsit auctor Paralipomenon Vrspergensis.

VIII. Cardinalis Papiensis obitus.

Hoc eodem anno die decimâ Septembris apud S. Laurentium ad Criptas Vulsinienses mortuus est ex levi quartanâ, errore cujusdam imperiti medici elleborum non ritè præparatum præbentis, anno ætatis quinquagesimo-septimo, *Iacobus Amanatus* Piccolomineus Cardinalis Papiensis tunc Episcopu-

Tusculanus; cujus auctoritate horum Annalium historiam certissimâ veritate fulciri frequentissimè contigit. Relatus in Vrbem Sixti Pontificis & Cardinalium decreto, conditus est in Ecclesiâ S. Augustini; cùm ipse propè corpus Pij II. à quo in familiam ascitus, & ad Cardinalatum evectus fuerat, ad S. Petri tumulari maluisset, ut constat ex ejus testamento, quod in fine Epistolarum ejus legitur, rationem tantùm funeris continens. Vitam, seu magis, ut ait, vitæ illius cursum compendio scripsit [o] Iacobus Volaterranus ejus Secretarius, mox ab ejus obitu. Ex quo intelligimus, præter Commentarios & Epistolas quæ habemus, scripsisse Pontificum Vitas: quæ cùm hactenùs non prodierint in lucem, dicendæ potiùs sunt aut casu aliquo, aut æmulorum malignitate, ingenti detrimento deperditæ, quàm ut sperentur aliquando prodituræ. Quem & prolixiores commentarios de cæteris rebus suo tempore per orbem gestis, conscribere statuisse, certum redditur ex pluribus ejus ad diversos epistolis de mittendis ad se eo fine narrationibus fidelibus, quas ipse suo stylo digesturus esset. De ejus autem commentariorum dedicatione ad Georgium Cardinalem Rotomagensem, dicetur opportuniùs alio loco [p].

[o] *Ext. inter oper. Papiens.*

[p] *Infrà an. 1510. IV.*

IX. MOSCORUM NOVUM IMPERIUM.

Hoc item anno novum cœpit crescere in orbe Imperium MOSCORUM, seu Moscovitarum, postquàm Ioannes Basilij eorum Princeps, quem *Magnum Ducem* vocant, magnam *Novogardiam* Russiæ metropolim occupavit. Ait Krantzius [q], hanc adeò potentem fuisse, ut in Proverbio efferrent cives, *Quis potest contra Deum, & magnam Novogardiam?* Potuisse autem hoc tempore (præsentem annum disertè signant auctores [r] Poloni, aliíque) Ioannem; qui cùm optimates urbis per speciem convivij, cùm nihil hostile timeretur, evocans, abduxisset in Moscoviam, (urbem amplissimam, totius Russiæ Albæ caput & metropolim, à fluvio Moskuâ præterlabente nomen sortitam) paratas habens copias, oppugnare urbem & evert re comminatus est, nisi se dederet quod & illa fecit, privata jam principibus suis. Amplum [s] quidem is Principatum à majoribus suis acceperat: verùm Tartaris, qui trans Rha sive Volgam fluvium incolunt, obnoxium, ac tributarium usque adeò, ut legatis Tartaricis, atque etiam veredariis tributum petentibus, vel aliâ quâvis de causâ venientibus, cùm equis veherentur, Dux ipse pedibus obviam prodiret, & lactis equini (qui potus est Tartaris gratissimus) poculum venerabundus porrigeret: si qua gutta inde in jubam equi distillâsset, eam lamberet: interpreti legenti literas Imperatoris selectam vestem sabellinam substerneret; ipse cum proceribus suis eas auditurus genua flecteret: nec ullum imperium detrectaret, etiamsi bellum contra Christianos, fœderatos, aut necessarios suscipere jussus esset. Hanc tam duram servitutem, Ioannes hic vir magni animi cùm ferre non potuisset; uxore Græcâ [t] magis etiam hominem impellente, sumptis armis excusserat; & compluribus arcibus atque castellis finitimæ Russiæ, quæ Alba dicitur, & Magno Lituanorum Duci parebat, in potestatem suam redactis, reliquæ Russiæ & Lituaniæ vehementer imminere cœpit: captâ autem Novogardiâ, adeò se formidolosum præbuit, ut Poloniæ Rex, idémque Magnus Dux Lituaniæ satius duxerit cum eo inducias pacisci, quàm cum adeò potente & continuis bellis exercitato hoste, multísque victoriis insigni congredi. Fuisse autem Novogardiam civitatem amplissimam & opulentissimam totiúsque Septentrionis celeberrimum emporium; quæ Alexandri Vitoudi Lituaniæ Ducis armis adacta, centum millia aureorum nummûm quotannis Magno Lituanorum Duci pendere fuerat solita, quousque à Ioanne intercepta est: qui tam ex civium opibus, quàm præcipuè ex Archiepiscopi ærario tantum auri, argenti, unionum, gemmarum, & omnis generis opum per multos annos congestarum, exportâsse dicitur, ut trecentos currus iis onerârit, præter cæteras supellectilis infinita propemodùm plaustra; ac nihilominùs tertiam partem facultatum singulis civibus reliquisse.

[q] *Krant. 13. Vvandal. 15.*

[r] *Michov. l. 4. c. 72. Cromer. lib. 29.*

[s] *Crom. ibid.*

[t] *Vide infrà an. 1472. in fin.*

GRAVIS SERVITUS MOSCORUM ERGA TARTAROS.

NOVOGARDIÆ URBIS POTENTIA.

X.

Ait Alexander Guaguinus in suâ Moscoviæ descriptione, Ioannem auxilio Theophili Archiepiscopi, qui totam ditionem suâ auctoritate administrabat, Novogardiam ingressum esse obtentu religionis conservandæ, quasi cives quidam à Rutenico ritu ad Romanam Ecclesiam deficere voluissent: ac nihilominùs ipsum quoque Archiepiscopum proventibus omníque auro & argento privâsse; atque alium Episcopum, parvâ dumtaxat reddituum portione concessâ; in locum ejus constituisse. Principatum autem Novogardiensem sese extendisse usque ad Lituaniam, Filandiam, Suetiam, & Norvegiam. Sed in his descriptionibus non immoramur; quas poterit unusquisque apud eum auctorem, aliósque qui de iis egerunt perspicere. Religione porrò, ut diximus, sunt Græci, pendéntque à Patriarchâ Constantinopolitano: quamvis posteà sit etiam Russia hæresibus Lutheranorum & Zuinglianorum infecta. Recitétque idem auctor opiniones eorum de singulis religionis articulis, easdem penè quæ Græcorum: simúlque expeditiones bellicas, & modum belligerandi; mores communes, durissimam quâ premuntur à Principe servitutem, & alia ad ejus Imperij notitiam pertinentia. Nonnullas verò post captam Novogardiam, Ioannes adversus vicinos expeditiones, seu excursiones, Krantzius [u] adjungit. Quem Ambrosius Contarenus patricius Venetus in suo Itinerario Persico [x], tertio antehàc anno se convenisse ait, ac valdè liberaliter ab eo acceptum esse; nato tunc triginta quinque circiter annos, formâque Rege dignâ prædito.

[u] *Krantz. 13. Vvandal. 21.*

[x] *Ext. to. Rer. Pers.*

XI. TURÇORUM CLADES AB HUNGARIS.

Tempore Autumni, Turcorum centum millia cum quinque ducibus, quos Bassas vocant, Transilvaniam ingressa sunt. Præsenserant eorum adventum Hungari, & ad defendenda sua tripartitò cum totidem ducibus accurrerant. Fortè in agmen Stephani Bathorij Turci incidentes, post acerrimam pugnam, quam vix Stephanus sustinere poterat, supervenientibus reliquis duobus agminibus, Turci fusi magnâ occisione fuêre. Quam victoriam valdè insignem Stephanus Matthiæ Hungariæ Regi retulit; qui interim gravi pedum dolore in Hungariâ decumbebat. Rem ita breviter narrat Crome-

[y] Crom. l. 29. [z] Bonfin. 4. dec. 6.

rus [y]: eandémque prolixiùs, ſed nonnihil diverſè Bonfinius [z] deſcribens, ad principium anni inſequentis collocat. Agit etiam uterque de bello eodem tempore renovato inter eundem Matthiam & Fridericum Imp. Cujus cauſam Bonfinius [a] non ſolutæ pecuniæ promiſſæ ultimo tractatu [b] tribuit: Cromerus repetitioni Coronæ Hungaricæ, quam Bernardus Archiepiſcopus Strigonienſis cum theſauro regio in Germaniam tranſtulerat. Aſſentitúrque Krantzius [c], ſcribens Archiepiſcopum cernentem Matthiam non ex fide pactis conventis inter ipſum & Imperatorem ſatisfacere ductâ uxore; cùm fuiſſet Archiepiſcopus compoſitionis arbiter & opifex, inſignia regni coronam & theſaurum detuliſſe Imperatori, volentem quod in ſe eſſet pactis ſatisfacere: Matthiam autem non ferentem injuriam, ea armis repetiiſſe. Verum hoc bellum paulò pòſt induciis interceptum eſt.

[a] Ibid. lib. 5. [b] Suprà an. 1477. in fin. [c] Krantz. l. 13. Vvandal. 17.

Iesu Christi Annus 1480.

Sixti IV. An. 10.

Friderici III. An. 41.

I.

Anno Chriſti 1480. Indictione decimâtertiâ, ob ictam tacitè pacem inter Ferdinandum Regem Neapolitanum, & Laurentium Medicem, quam innuimus [a] initio belli Florentini; Sixtus Pontifex de Rege belli ſocio, Veneti de Florentinis fœderatis, quòd iis ignaris hæc contra pacta conventa geſſiſſent, graviter conqueri cœpêre. Vnde non parvo motu Florentiæ excitato, tam ad Venetos pro rei geſtæ explicatione, quàm ad Pontificem pro ejus irâ placandâ legati mittendi [b] fuêre. Cúmque ij ad præſentiam Pontificis admitti non potuiſſent, niſi poſtquàm oblatas pacis conditiones accepiſſent; factum demùm eſt ut iis acceptis, primùm ſublatum bellum fuerit, publicatâ armorum ſuſpenſione; deinde admiſſi legati pro foribus baſilicæ S. Petri proſtrati de more viritim virgâ converberati, abſoluti, & in baſilicam intromiſſi, ſacro interfuerint: Inter pacis conditiones una fuit, ut Turcico bello Florentini quindecim longas naves Ferdinando Regi mitterent ad propulſandam Turcorum ferocitatem; tamdiù propriis ſumptibus alendas, quamdiù hoſtis in Italiâ maneret, qui jam Italiam aggreſſus fuerat; unde & Sixtus faciliorem ſe paci concedendæ præbuerat. Non enim hæc principio anni cœpta, niſi ad finem perfecta fuêre, cùm jam Turcus, poſt oppugnatam incaſsùm Rhodum, Italiam armis infeſtaret: de quibus modò agendum.

[a] Suprà an. 1478. VII.

[b] Michov. Brut. Hiſt. Flor. l. 7. Volater. lib. 5.

Pax datur Florentinis.

II. Mahometes Turc. Rex ſuſcipit obſidionem Rhodi.

Ægrè admodùm ferens Mahometes, Rhodiam urbem, Equitúmque Ieroſolymitanorum ditionem finitimam, non ſolùm liberam à ſuo jugo eſſe, nec unquam induci potuiſſe ad ſolvendum ei tributum, verùm etiam continuis maritimis excurſionibus mare infeſtiſſimum Turcis reddere; poſtquàm diverſis temporibus immiſſis claſſibus eorum caſtella & agros nunquam non cum gravi ſuorum cæde & ignominiâ adortus eſſet; ſæpè & proditionibus eorum perniciem quæſiſſet, & ut inanium ſuorum conatuum pudorem aliquo modo contegeret, frequentibus ſuaſionibus pacem firmam & perpetuam obtuliſſet, ſi vel leve tributum, vel ſaltem munus aliquod annuum penderent; hâcque etiam in parte repulſam paſſus ſemper eſſet: Demùm tam infeſtiſſimo ex his odio in eos delatus, quàm etiam nonnullorum ad eum deficientium, qui res ejus urbis & inſulæ planè perſpectas habebant, ſollicitationibus perſuaſus, omninò decrevit urbem aggredi. Et poſt longam de his conſultationem, paratâ quàm ſecretò potuit ingenti claſſe, præfecit ei Meſitem, ſive ut alij vocant, Miſacum Vezirem Baſſam Græcum gente Palæologâ; qui decimo Calendas Iunij exſcenſionem in inſulam fecit. Erat tunc Magiſter Ordinis *Petrus Albuſſonius* Gallus Arvernus, magno & excellenti ingenio ac prudentiâ, parique fortitudine: qui mirâ ſollicitudine rebus omnibus providens, non ſolùm apertas eaſdémque horrendas oppugnationes Turcorum, quibus etiam disjectis vi tormentorum mœnibus aliquando intra ipſam urbem irruperunt; verùm etiam clandeſtinas quorundam proditiones ita repulit: ut poſt novem & octoginta dierum obſidionem Meſites novem millibus è ſuis fortiſſimis amiſſis, quindecim millibus ſauciis abductis, inſulam turpiter deſerere coactus fuerit; cùm etiam interim audiſſet de ſuppetiis, quas Sixtus Pontifex & Ferdinandus Rex ad opem Rhodiis ferendam paràſſent: & maximè territi fuiſſent Turci de prodigiis divinis, quibus urbs defenſa eſt ab eorum impetu. Aiunt enim, cùm in ultimâ univerſarum copiarum impreſſione, Magiſter Albuſſonius, vulneribus quinque in corpore ſuſceptis, quorum unum lethale cenſebatur, nihilominùs ſcalam conſcendens, Vexillum Imaginis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Religionis, cum Imaginibus Beatiſſimæ Virginis & Sancti Ioannis Baptiſtæ, expandi & ad dejecta mœnia erigi juſſiſſet, Crucem auream in aëre ſplendidiſſimam Turcis apparuiſſe; inſupérque candidiſſimam virginem, clypeum & haſtam geſtantem, atque hominem vili veſte obſitum, ſplendidiſſimo Comitatu ad defenſionem urbis accurrere: hiſque viſionibus adeò Turcos perculſos eſſe, ut ingenti pavore pedem retulerint, nec amplius auſi ſint quicquam attentare. Hoc enim Guillelmus Cahorſinus Vicecancellarius Ordinis qui Rhodi tum erat, teſtatur in ſuo de hâc obſidione commentario, qui ſub nomine Bernardi Breidenbachij excuſus eſt inter auctores rerum Turcicarum poſt Chalcondylam editionis Clauſeri; unde & plerique alij auctores deſumpſerunt; quamvis Magiſter ipſe in literis de hâc victoriâ ſcriptis ad Fridericum Imp. die decimâtertiâ Septembris, quibus res geſtas compendio complexus eſt, (quæ communes Pontifici Regibuſque fuêre) non adeò ſpeciatim viſiones illas referat; ſed tantum dicat, miſiſſe Deum de cœlo auxilium, ne plebs Chriſtum colens Mahometis ſpurcitiis inficeretur. Poſt abitum autem Turcorum, Magiſter ſolemnibus gratiis Deo de victoriâ actis, & ſuffragiis pro cælis eo bello Militibus Religionis, qui non pauci ceciderunt, celebratis; diverſa inſuper ſacella &

Vrbs divinitùs ſervatur.

oratoria extruxit, & sacerdotia fundavit, aliáque egregia præstitit, quæ videre est in Historiâ Religionis [c]. De cujus aliis gestis, necnon de adepto Cardinalatu dicetur suis locis. Fuit enim vir præstantissimus, & omni laudi dignissimus.

[c] *Bos. tom. 2. lib. 11. & 12.*

III. Eodem propè tempore, quo Mahometes per Vesirem Mesitem Rhodum oppugnabat, ut erat homo vasti animi & immoderatæ cupidinis, alium misit Vesirem Bassam Geducem [d] Achmetem, rei militaris peritissimum ducem, cum æquè valido exercitu in Italiam; sive ad eam tentandam, ut paulatim occupare posset; sive speciatim ad oppugnandum Ferdinandum Regem Neapolitanum; in quem per Venetos impulsus fuisse à nonnullis [e] dicitur, invidiâ tentatæ ab eo contra ipsorum jura regni Cypri occupationis: seu denique proprio Turcorum in Ferdinandum odio, ob suppetias nonnunquam ab eo Christianis in Turcos latas. Quâcumque verò de causâ Achmetes ex Valonâ, quondam Aulone Epiri oppido, sexaginta dumtaxat interjecto mari milliaribus ab Hydrunte Calabriæ maritimâ civitate distante, cùm classe solvens; eò ad quintum Calendas Augusti appulit; eámque obsessam, & diu noctúque tormentorum impetu quassatam, decimo-septimo die expugnavit. Ferunt ad duodecim propè Christianorum millia vel cæsa fuisse, vel in captivitatem abducta; matronis stupratis, virginibus raptis, sanctimonialibus fœdatis, prægnantibus cum semivivis corpusculis dilaniatis, senibus hominum & equorum calcibus conculcatis, sacerdotibus intra Ecclesias jugulatis; Archiepiscopo sene & annoso, Pontificalibus induto, sacratissimam Crucem manibus tremulis tenente, & Christianos ad constantiam fidei exhortante, capto & serrâ ligneâ in duas partes diviso; ut Breidenbachius habet: quem alij vivum excoriatum volunt. Octingenti [f] circiter educti oppido nudi, cùm nollent fidem Christi abnegare, inter se ad constantiam cohortati, in parvâ valle (quæ deinceps Martyrum vallis vocata est) trucidati sunt. Expugnationem verò Hydruntis tantum terrorem universæ Italiæ attulisse tradunt, ut de illâ deserendâ magis quàm defendendâ, cogitatum passim fuerit. Sixtus ipse Pontifex [g] in Galliam se recipere meditatus; ubi animos resumpsit, imprimis ne invidiam Principum in se reciperet, Florentinis (quod jam diximus) æquum se præbuit: deinde Ferdinandum admonuit, filium Alfonsum ab Etruriâ in regnum revocare ad illius defensionem: Imperatorem, ac Reges & Principes ad opem ferendam incitavit: viginti quatuor [h] triremes quas in subsidium Rhodiensium paraverat, cùm audivit obsidionem solutam esse, in Apuliam cursum flectere imperavit: denique cùm apud Imperatorem, Regémque Galliæ, aliósque plerosque Principes, de bello Florentino malè audîsset, quasi damno totius Reipublicæ Christianæ duriùs cum Florentinis ageret, ac propterea illi mentione Concilij ostentatâ, Prælatos tam in Germaniâ, quàm in Galliâ convocare non dubitarent; jam ipse ut eorum conatus præverteret, & ut Reipublicæ Christianæ curam sibi cordi esse demonstraret, Romam Principes ac Prælatos invitavit, ut de communi tutelâ contra hostem communem deliberarent. Cùm interim Turci nonnulla alia loca capientes, & totam oram Adriatici maris incursantes, ad sacram quoque ædem Lauretanam, cujus prædam opulentissimam fore sperabant, (subduxerant tamen illam Recinetenses in loca securiora) animo & viribus anhelarent; ad solum ejus conspectum ingenti repentè terrore [i] correpti, pedem quam citissimè referre compulsi sunt. De recuperatione porrò Hydruntis dicetur anno insequenti: nunc ad alia præsentis.

[d] *Vide suprà an. 1475. VII. VIII.*

DIRA TURCORŨ EXCURSIO IN ITALIAM.

[e] *Krantz. 13. Vvandal. 19. 12. Saxon. 28.*

FOEDA HYDRŨTINORŨ STRAGES.

[f] *Leand. Albert. in descript. Salent. reg. Ital. 9.*

[g] *Bonfin. 4. dec. 6. Brut. Hist Flor. l. 7. Onuphr. in Sixt. IV. lib. MS. Exped. Sixt. in Vatic. & ap. Bzov. hoc an.*

[h] *Foliet Hist. Genuens. l. 11.*

[i] *Turcell. Hist. Lauret. lib. 2. cap. 4.*

IV. Inter Legatos à Pontifice ad Principes missos pro concordiâ inter dissidentes conciliandâ, in Gallias destinatus est (ad quas jam ante quadriennium [k] aliâ legatione functum vidimus) *Iulianus* de Ruvere ipsius fratris filius Presbyter Cardinalis tituli Sancti Petri ad Vincula, qui posteà Iulius II. Papa fuit; ineundæ inter Ludovicum Regem & Maximilianum Ducem quasi pacis sequester. Qui mense [l] Septembri Lutetiam perveniens, honorificè de more receptus, inde Peronam petens; postquàm diù ibi commoratus expectans securum accessum ad Maximilianum, quem per frequentes literas expetiit, nihil se proficere vidit, Lutetiam rediit vigesimâ-primâ Decembris. Indéque Aureliam profectus, ibi aliquamdiù stetit. Quo tempore Rex à gravi morbo recreatus [m], Cardinalem *Baluem*, quem totis undecim annis captivum [n] detinuerat, è custodiâ emisit: quem hactenùs frustrà Pontifices Romani frequentibus petitionibus liberari postulaverant; excusante Rege, haud se illum ut Cardinalem aut Episcopum detinere, sed tanquam ministrum domesticum, & infidum. Quâ tamen de re petiisse Regem à Sixto, & obtinuisse absolutionem, Comminius testatur. Fabulam autem putamus quod Garimbertus [o] scribit, Baluem ferreâ caveâ detentum, morbo non fluentis lotij, quod clàm bibebat, simulato, medicos & Regem decepisse, eâque de causâ postulanti Iuliano Cardinali concessisse. Cæterùm emissus è carcere, haud tamen in conspectum Regis admissus, à Iuliano ductus est Romam; atque à Pontifice & Cardinalibus gratiosè adeò receptus, ut etiam à Sixto creatus fuerit Episcopus Albanus, & post mortem Ludovici Regis etiam in Galliam Legatus missus, ut dicetur posteà [p].

IULIANI CARDIN. S. PETRI LEGATIO IN GALLIAM.

[k] *Suprà an. 1476. V. VI.*

[l] *Chron. Ludov. XI.*

[m] *Ibid. & Commin. l. 6. cap. 7.*

[n] *Vide suprà an. 1469. II.*

CARD. BALUES RESTITUITUR LIBERTATI.

[o] *Garimb. de Card. l. 7 c. 5. Addit. ad Ciaccon.*

[p] *Infrà an. 1485.*

V. Quo etiam tempore idem Rex Ludovicus [q] pedites sagittarios, quorum à multo tempore viguerat in bellis Gallicis usus, penitùs exauctoravit, eò quòd tam miseram plebem suis rapinis exinanirent, quàm etiam in præliis plus sæpè cupiditate prædæ nocerent quàm prodessent, ut etiam nuper contigerat in prælio Guinegatensi: eorúmque loco externum militem stipendiarium accivit. Ac præcipuè Helvetios: cum quibus fœdus ictum est iis conditionibus quas Comminius [r] refert; quarum vi, & pensionum iis quotannis solvendarum, sex suorum millia certo stipendio Regi continuè suppeditare obligati fuêre: ipséque eorum civis, & primus fœderatus esse & dici voluit, literásque eâ de re accepit; quamquam hoc ultimo capite nonnihil se difficiles exhibuerunt, eò quòd hactenùs

[q] *Chron. Ludov. XI.*

HELVETIORUM PRIMUM FOEDUS CŨ REGE GALLIÆ.

[r] *Commin. lib. 6. cap. 4.*

apud eos Dux Sabaudiæ locum primi fœderatorum obtinuisset. Verùm cæterarum conditionum largitas & hoc quoque non magno negotio perfecit. Quantum verò his largitionibus deinceps à subsequentibus Regibus additum fuerit, sciunt plurimorum illorum inde accumulatæ opes, & ærarium regium exinanitum. Quarum invidiâ cæteri quoque Reges alia atque alia certatim offerentes, eò demùm rem adduxerunt, ut divisi ipsimet inter se Helvetij, nisi seriò sibi caveant, ad pristinam inopiam ex tantâ copiâ cum libertatis amissione recasuri sint. Viderint ipsi, si oculos habeant. Quos enim non excæcet auri sacra fames?

VI. [s] *Naucler. gener. 50.* Nicolai Helvetii vita admiranda.

Longè felicior unus eorum incola, cujus hoc anno meminit [s] Nauclerus, *Nicolaus* nomine: qui uxore & liberis relictis ob frugem melioris vitæ, non longè à finibus Lucernensium, in loco vastæ eremi solitariam vitam egit, ac per annos viginti nihil corporalis cibi gustavit: nisi quòd semel ab Episcopo Constantiensi, in cujus diœcesi morabatur, jussus, obedientiæ ergò tres particulas panis comedit, vix eas deglutire valens; corpore aridus & exhaustus, solâ cute nervísque & ossibus cohærens: cæterùm perpetuâ fruens alacritate, quem nemo mœstum unquam vidit, nulli injurius extitit, nullum superbiæ fomitem ostendit, optimè in omnibus de fide sentiens; paucorum verborum, sed apprimè salubrium, & consolatione plenorum, qui justus & sanctus à bonis omnibus semper habitus, non potuit tamen malignorum de vanâ gloriâ calumnias evitare: donec senio & viribus deficiens, felicem animam Deo reddidit, sepultus in Ecclesiâ sui pastoris cum opinione sanctitatis. Hæc enim & alia de illo Nauclerus. Ex quo, ut apparet, Krantzius [t] iisdem penè verbis pleraque retulit; addens, (quod Nauclerus nō habet) prædictum Nicolaum miraculis post mortem claruisse; & dum in vivis esset, vicinis populis nonnulla prędixisse, quæ rerū probavit eventus. Quod ipsum testatur etiam Trithemius [u], qui pleniorem ejus cognitionem habuisse videtur: aítque fuisse quidem omnium literarum penitùs ignarum, sed tamen intellectu Scripturarum mirabili subtilitate viguisse; dedisséque ad interrogata quorumlibet doctorum virorum responsa. Mortuum verò ponit anno 1487. die 25. Martij, & miraculis claruisse.

[t] *Krantz. 12. Metrop. 21.*

[u] *Trithem. Chron. Sponheim. an. 1487.*

VII. [x] *Bellefor. Hist. Franc. l. 5. c. 146. & 147. Nost. ad. Histor. Provinc. par. 6. Sammarth. Geneal. Frāc. lib. 11. cap. 4.* Renati Regis obitus.

Hoc item anno [x] *Renatus* Dux Andegavis, & Comes Provinciæ, Réxque olim Neapolis, atque titulum Aragoniæ, ob res superiùs de illo recitatas, ferens; mortuus est 10. Iulij. Aquis in Provinciâ, ætatis anno 73. Princeps multarum virtutum, sed bellis infortunatus, & adversis rebus constanter toleratis insignis, adeò autem singulis affabilis ac liberalis, ut inde *Boni* titulum tulerit. Fuit etiam amator Historiæ, Poëticæ, & Picturæ; in quâ ultimâ eum excelluisse, docent quæ adhuc extant Aquis, Massiliæ, Lugduni, & aliis locis vestigia Imaginum ab eo depictarum. Corpus sepultum ibidem Aquis, (denegantibus illud Provincialibus Ioannæ ejus viduæ, quæ Andegavim ad majorum sepulchra, ut ipse statuerat, deferre volebat; & tantùm Cor concedentibus, quod in Ecclesiâ Franciscanorum Andegavensium positum fuit:) translatum posteà secretò fuit Andegavim, & pompâ regiâ in Ecclesiâ Cathedrali S. Mauritij tumulatum. Cùm quinque filios vivens amisisset, trésque nepotes ex filiis natos, hæredem omnium regnorum & ditionum reliquit, non ut quidam scripsêre Ludovicum Regem; sed nepotem suum Carolum Ducem Calabriæ dictum, Comitem Cenomanensem, filium alterius Caroli fratris sui itidem Comitis Cenomanensis. Qui deinde moriens ad finem anni proximi, eadem omnia testamento, quod extat [y], reliquit Ludovico Regi, ejúsque successoribus Regibus: qui exinde in possessionem Provinciæ, & aliarum ditionum quæ intra regnum erant, venerunt, atque in regnorum jura successerunt. Quæ oportuit explicâsse, ad fundandas rationes dirarum controversiarum, ac gravissimorum bellorum quæ pòst inde secuta sunt.

[y] *Rec. illud Bellefor. d. c. 147. & Nostrad. ibid.* Ejus ditiones et jura cedunt Regib. Gall.

VIII. [z] *Michov. lib. 4. cap. 72. Crom. lib. 29* Dugloski Poloni obitus.

Ponunt item hoc anno auctores Poloni [z] obitum *Ioannis Duglos͡chi*, sive *Dlugossi* (qui & *Longinus* dictus) Canonici Cracoviensis, non multò antè designati Archiepiscopi Leopoliensis; qui res Polonorum insigniter descripsit, unde Cromerus non pauca excerpsit. Habetur etiam ejus commentarius Romæ in locupletissimâ Bibliothecâ Vallicellanâ Patrum Oratorij; quo frequentissimè usus est Baronius in suis Annalibus. Laudatúrque valdè ab Æneâ Silvio Pio Pontifice literis ad Sbigneum Cardinalem scriptis. Fuit autem familiâ nobili, virtute & constantiâ summâ, eruditione & facundiâ non vulgari, industriâ & dexteritate in rebus gerendis singulari: ita ut quamvis multa à Cazimiro Rege occasione Sbignei passus esset, eidem tamen postmodùm adeò gratus extiterit, ut & liberorum educationem, & gravissimas legationes ei commiserit. Elatus est magnificâ pompâ; cui se interfuisse Michovius asserit, vitam ejus & mores breviter describens, ac multiplicia scriptorum ejus monumenta recensens. Sed vitam ejus copiosius à Philippo Callimacho, sive à quoquam alio, conscriptam fuisse, Cromerus tradit.

IX. De Anulo B. Virginis controversia.

Cùm hoc tempore de *Anulo* nuptiali Beatissimæ Mariæ Virginis, qui Perusiæ religiosissimè asservatur, ingens controversia inter Perusinos, ad quos divino casu delatus fuerat, & Clusinos quibus furto sublatus, ac Senenses Clusinis sociis adversus Perusinos patrocinantes, esset; eam dirimere conatus Sixtus Pontifex, tentavit per literas ad Perusinos scriptas decimo-octavo Decembris præsentis anni, pretiosissimum illum thesaurum Romam attrahere, in aliquâ venerabili basilicâ recondendum: nec tamen obtinere valens, cedere duxit religiosæ Perusinorum pietati, quàm aut censuris aut armis quod pacis causâ petierat extorquere. Nam & secuta divinitùs concordia totam controversiam sopivit, retinentibus Perusinis Anulum; præ cujus amissione, & civitate bonísque carere, & vitam cuncti profundere paratissimos sese esse præferebant. Quibus eundem confirmavit etiam posteà Innocentius Sixti successor, cùm rursùm sub eo hæc controversia revixisset. Tantæ autem rei, Anulique inventionis historiam, miraculis confirmatam, luculenter descripsit vir eruditus Ioannes Baptista Laurus Perusinus Protonotarius Apostolicus egregio commentario [a] Romæ anno 1622. excuso.

[a] *Descripsit etiam Bzov. in Annal. hoc an. & Gonz. in Chron. Deipar.*

IESU CHRISTI Annus 1481.

SIXTI IV. An. 11.

FRIDERICI III. An. 42.

I. APPARATUS ADVERSUS TURCOS.

ANNO Christi 1481. Indictione decimâquartâ, Sixtus Pontifex securitati Christianorum adversus Turcorum progressus providere cupiens, literas publicas ad omnes Reges ac Principes Christianos sexto Idus Aprilis scripsit [a]; quibus inter omnes dissidentes pacem aut saltem inducias triennales indicens, hortatus est paratos esse ad sacram expeditionem contra Infideles, per seipsos, vel per illos agendam. Quibus ipse exemplum præbens subsidij, viginti quatuor triremes [b] armavit Genuæ. Et conati sunt aliquid Reges [c] Hispaniæ; sed cunctationibus suis nihil perfecerunt. Matthia [d] bis mille equites Hungaros ad socerum misit in Apuliam, bellis Turcicis assuetos. Rex Scotiæ [e] memorandâ erga Sedem Apostolicam observantiâ, cùm læsus ab Anglo ingentem in eum comparâsset exercitum, prohibitus à quodam Cardinale Legatione in Angliâ fungente ulteriùs progredi; paruit omninò: quantumvis Anglus, nullâ auctoritatis Apostolicæ habitâ ratione, non cessaverit Scotiam infestare.

[a] Ext. tom. 2. Rer. Germ. sub. Frid. III. edit. Freher pag 161.
[b] Foliet. l. 11.
[c] Marian. lib. 24 c. 21.
[d] Bonfin. 4. dec. 6.
[e] Leslæ. lib. 8.

II. MAHOMETIS TURC. IMP. MORS.

Denique parùm profuissent consilia & monitiones Pontificis; nisi Deus auxilium de cœlo mittens, Mahometem Turcorum Imperatorem, truculentissimum Christianorum persecutorem, in ipso ejus procinctu sæviorum conatuum de medio sustulisset. Qui cùm per se ipsum iterùm Rhodum adoriri decrevisset, (sive ut alij habent, Ægyptum invasurus, quòd Sultanus hostibus suis, ac præcipuè Caramanno favisset, quosdam legatos suos violâsset, & à peregrinantibus Turcis ad Sepulchrum Pseudoprophetæ Mahometis tributum exigeret) transmisso mari in Bithyniam, mortuus est apud Nicomediam die tertiâ Maij, qua Crucis Inventionis solemnitas à Christianis celebratur, cujus memoriam impius sublatam volebat: sive ex veneno à medico Ægyptio ei perrecto; sive (ut plures volunt) ex carcinomate, aut tumore incognitæ medicis originis, quo alterâ tibiâ affectus erat. Relatus Constantinopolim, ibi sepultus est. De cujus immensis vitiis, crudelitate, perfidiâ, libidine, necnon de quarundam virtutum specie, rebúsque gestis, victoriis, & consiliis, frustrà fuerit repetere, quæ pluribus locis sparsim diximus. Notandum tamen in barbaro quod Comminius [f] observat, eum testamento condito, quod se vidisse ait, cavisse de tollendo tributo, quod nuper subditis indixerat. Dicitur à Græco Phranze [g] regnâsse annis triginta duobus, ab aliis vixisse quinquaginta tribus vel quinquaginta septem: ut variare solent auctores: cujus ingressum nos anno Christi 1451. statuimus. Apud Comminium denique legimus, quando cepit Constantinopolim (quod vidimus contigisse anno 1453.) fuisse annorum viginti trium, mortuúmque esse anno ætatis circiter quinquagesimo-secundo. Et Phranzes ait, eum quatuor linguas præter suam Arabicam novisse, Græcam, Latinam, Chaldaicam, Persicam: & cùm addictus esset studio astrologiæ, ex astrorum conversionibus didicisse, regna & provincias subacturum se, quas posteà tantâ felicitate, fortitudine, & calliditate obtinuit. Spanduginus autem, in ejus sepulcri epitaphio appositam fuisse enumerationem omnium Principum ab ipso debellatorum, & provinciarum ac civitatum insignium devictarum: additúmque, mentem fuisse bellare Rhodum, & superare superbam Italiam. Quod sanè haud putamus adeò difficile ei futurum fuisse, in tanta Principum Christianorum divisione, nisi Deus Ecclesiæ suæ misertus hanc pestem avertisset.

[f] Commin. lib. 6. cap. 13.
[g] Phranz. lib. 1. cap. 33.

III. BAJAZETES II. SUCCEDIT.

Duos reliquit filios, *Bajazetem* majorem, & *Zemem*, quem Latini Zizimum, seu Zizimen appellant; eundémque nonnulli majorem natu fuisse volunt, contra aliorum ac præcipuè Turcorum firmam assertionem. Quos cùm pater longè à se, & ab ipsismet invicem disjunctos, diversísque provinciis præfectos, tenuisset, ne aut sibi ipsi, aut alter alteri pro imperio insidias strueret: Bajazetes, sive quòd Amasiæ existens propiùs abesset à Nicomediâ, ubi pater defunctus est, sive suorum fautorum arte ac diligentiâ, citiùs de morte paternâ certior factus, Regis nomen accepit. Antè tamen quàm Constantinopolim accederet, cùm seditio non parva de Regis creatione Constantinopoli suborta fuisset; magnâ procerum parte Zemi favente, eò quòd licèt ætate minor, bellicosior tamen, moribúsque acceptabilior esset; eâque de causâ etiam à patre dignior imperio existimatus fuisset Bajazete, qui tranquillitatis amantior ab armorum strepitu abhorrebat, in libidinémque effusus, ac numero liberorum importunus, minùs aptus tanto imperio continuis bellis & motibus agitato censebatur: adeóque seditio incaluisset, ut etiam ad manus ventum fuerit, & unus Bassarum occisus: Ad tumultum sedandum, à fautoribus Bajazetis Corchutes Bajazetis filius adhuc puer, qui Constantinopoli educabatur, in regio solio collocatus est. Sícque imperio *Bajazeti* stabilito, ejus nominis Regum II. ipsemet confestim Constantinopolim accedens, illud suscepit die decimâ-nonâ Maij; filio in Asiam amandato cum potestate; ne depositionem ægrè ferret; cæterísque pariter filiis per diversas Asiæ provincias præfecturarum specie divisis. Ita enim rem narrans Spanduginus [h], Zygomalas [i], Auctor Historiæ [k] Rhodiorum, & alij.

[h] Spandug. tract. de Turc.
[i] Zygom. l. 1. Turcogr.
[k] Bos. tom. 2. lib. 12.

IV. ZEMIS FRATRIS BAJAZETIS FUGA.

Zemis interim per Bithyniam terrestri itinere incedens, auditis rebus Constantinopoli transactis; nequid sibi deesse videretur, Prusam antiquam Regum Bithyniæ, ipsorúmque Otomanorum regiam, occupavit; quasi qui universo Imperio potiri non posset, saltem Asiatico frueretur, fratérque Europæo. Sed mox à fratre Bajazete invasus, ductu Achmetis Bassæ expugnatoris Hydruntis [l], qui auditâ morte Mahometis, relicto ibi firmissimo præsidio ad Bajazetem accesserat, profligatus apud Neapolim Anatoliæ, profugit in Ægyptum ad Sultanum: indéque peregrinatione Mecham ad sepulcrum Mahometis factâ, rursùm conjunctis cum Caramanno Ciliciæ, quem pater ejus magnâ ditionis parte spoliaverat,

[l] Suprà an. 1480. III.

copiis, magno prælio, quo plurimùm negotij Bajazeti facessivit, conflixit: sed rursùm fugatus, Rhodum demùm confugit. Hæc enim de duplici pugnâ disertè habent Annales [m] Turcorum: quamvis Zigomalas & Rhodiorum Historia nullum videantur certamen agnoscere, eò quod Zemis viribus suis diffidens priùs aufugeret quàm congressus fieret; cùm nihilominùs & alij quoque auctores prælia facta scribant. Delatus [n] est autem Rhodum ad finem mensis Iulij anni proximi, & magnificè ibi receptus, agens tunc ætatis annum vigesimum-octavum: regnúmque Turcicum ad se legitimè pertinere asserens, (exemplo Cyri qui Artaxerxis Persarum Regis frater minor erat) quoniam Bajazetes quamquam major natu esset, genitus tamen fuerat patre nondum Rege, ipse verò Zemis non solùm patre Rege, verùm etiam Imperij Græcorum jam possessore; fratri nihilominùs cessurum se fuisse dicebat, si in aliquam regni portionem admitti potuisset. Vxorem autem habuit è regiâ Dacorum gente; quam cum duobus liberis tenellæ ætatis apud Sultanum Ægypti reliquit. Dicitúrque haud Gentilium literarum imperitus fuisse, ac patris historiam & res gestas non ineleganter suâ linguâ conscripsisse. Vbi verò Bajazetes eum Rhodi esse audivit, amplissimis Magistrum muneribus ac promissis demulcens, uti diligenter asservaretur, nequid novarum turbarum inter Turcos cieret, petiit; simul & quadraginta, seu ut quidam habent, quadraginta quinque millia ducatorum singulis annis in ejus alimoniam, & pacem perpetuam Religioni offerens: quæ & pacta est, & promissa pecunia soluta, atque à Rhodis in ejus alimoniam expensa. Qui tamen, tum plenioris securitatis causâ, cùm propter vicinitatem insidiis fratris pateret; tum ut eum tanto magis in metu perpetuo contineret, aliò duci petens, à Magistro, obtentâ à Ludovico Rege facultate in Galliam unde ipse ortus erat missus est. Vbi aliquot annis in domo Ordinis Rhodiorum Burgonovo in Arverniâ vixit; lautè habitus, & diligenter servatus, nequid ei mali inferretur, ac ne quoquam evadere posset insalutato hospite.

[m] Leunclav. lib. 16.

[n] Bos. lib. 13.

RECIPIT SE RHODUM.

MITTITUR IN GALLIAM.

V.

Memorandúmque valdè, quod Comminius [o] & Æmilius referunt; Bajazetem legationem ad Regem Ludovicum misisse, cum amplâ dinumeratione sacrarum Reliquiarùm quæ Constantinopoli reperiebantur, earúmque, atque etiam magnæ pecuniarum summæ oblatione, modò fratrem diligentissimè custodiendum curaret. Regem verò, ubi hanc legationem in Provinciam appulisse audivit, animo planè Christianissimo vetuisse ne ultrà progrederetur sed Galliâ statim inauditâ excedere jussisse, nihil sibi cum Christiani nominis hostibus societatis aut amicitiæ commune esse professum. Additque auctor [p] rerum gestarum Caroli VII. filij & successoris Ludovici; cùm Zemis expetiisset invisere Ludovicum Regem, de cujus gestis multa audisset, respondisse Regem, libenter se quidem, ob ingens nomen patris ejus, visurum illum, verùm haud se honestè id agere posse, quòd is alterius Legis esset: si verò Christianam amplecti vellet, totis regni sui viribus affuturum se illi ad imperium Turcicum obtinendum: aut si incolatus Galliæ ei gratus esset, daturum se abunde quo statum Principis gerere posset: at Zemen legem suam deserere recusâsse: mansisse autem in Comitatu Marchiæ unde ortus erat Magister Albussonius, in arce Bocalamiâ cujusdam propinqui Magistri, sub custodiâ aliquot militum Rhodiorum usque ad principium anni 1489. quo ductus est Romam, ut tunc videbitur. Quæ singularia capita adeò Ludovico honorifica, uti vera esse non dubitamus; ita ignota fuisse videntur plerisque eorum qui de Zeme scripserunt; iísque ipsis Historiæ Rhodiacæ scriptoribus, qui Regem visitatum fuisse à Zeme scribunt [q].

[o] Commin. lib. 6. cap 10. Æmil. in Ludov. XI.

LUDOVICUS REX LAUDABILITER SE EA IN RE GERIT.

[p] Edit. Theod. Gothofr.

[q] Bos. Hist. Rhod. tom. 2. lib. 13.

VI.

Quo verò tempore inter fratres decertabatur, dicitur [r] quoque fuisse apud Matthiam Hungariæ Regem filius quidam Amuratis patris Mahometis: qui puer à Christianis post amissam Constantinopolim interceptus, & Nicolao V. tunc sedenti oblatus, suscepto baptismo, literis Latinis egregiè instructus, postmodùm apud Fridericum Imperatorem inde apud Matthiam meliora tempora expectârit; asserens se legitimum Amuratis filium, Mahometem verò spurium extitisse; idque variis argumentis demonstrans. Auditâ verò morte Mahometis, & contentionibus Bajazetis & Zemis, scripsisse ad Magistrum Rhodiorum, ut quæ subsidia Zemi pararet, sibi potiùs impertiret, qui legitimus esset regni hæres, non Mahometes aut ejus filij. Qui quidem Amuratis filius, siquis fuit, is esse debuit, cujus meminimus in fine [s] regni Amuratis: sed de quo nulla præterea habita reperiatur ratio, ad res Turcorum ejus obtentu turbandas, quibus maximè tot bellis adversus illos gestis opi esse Christianis videri poterat. Denique de Achmete Bassâ, cujus maximè opera Bajazetes in regno stabilitus fuit, non pereat, eum ab eodem ingrato & crudeli Bajazete, post pulsum omninò Zemen, in quodam convivio, seu propriâ, seu aliâ manu necatum [t] esse: ducem antiquis comparandum. Cujus necis causam afferunt, quòd aliquando in partes Zemis propensior visus fuisset: alij, ex æmulorum calumniis; aut quòd nimia ejus apud Ianizzaros auctoritas timori Bajazeti esset. Sed jam satis de Turcis: ad Christianos migrandum.

[r] Ibid.

DE QUODAM AMURATIS FILIO CHRISTIANO.

[s] Suprà an. 1451. IX.

[t] Leunclav. Pandect. Turc. c. 156.

VII.

Cùm esset novus exercitus Turcorum ex Albaniâ in Italiam ad suppetias iis qui Hydruntem ceperant, quos Alfonsus filius Ferdinandi Regis Neapolitani invadere parabat, ferendas, simul & arma in intimam Italiam importanda transmittendus: audito Mahometis obitu, non solùm ij à cœpto destiterunt, verùm etiam qui Hydruntem detinebant, exercitui Alfonsi, & classi Pontificis, auxiliaríque equitatui Matthiæ Regis Hungariæ ad socerum misso, post quædam certamina cedere compulsi, qui reliqui fuerunt accepto libero commeatu urbem & Italiam penitùs deseruerunt; exceptis mille quingentis, quos Alfonsus retinuit, ut eorum operâ uteretur adversus Florentinos ac Venetos. Cùm eo metu Principes Itali liberati, mox ad ingenium reversi, opportunâ hâc occasione neglectâ Turcico Imperio incommodandi, & magnam partem Græciæ recuperandi in fratrum divisione; mutuis armis inter sese denuò cer-

HYDRUS RECUPERATUR.

tare cœperunt: Ipso quoque Sixto Pontifice, pro Ecclesiæ libertate, ejúsque jurium defensione, ut præsetulit, primò cum Venetis adversus Ferdinandum fœdus contrahente; posteà verò iis derelictis, cæteris ipsorum adversariis Bello Ferrarico, quo Veneti offensos se variis modis ab Estense habentes, ulcisci injurias quæsierunt, quoque universæ penè Italiæ potentatus contra Venetos, quorum potentiam nimis crescere verebantur, conjurârunt, accedente, eósque gravissimis censuris præcellente: quas ipsi parùm curârunt, & per appellationem ad futurum Concilium eluserunt; cum etiam hoc tempore sive fictè, sive seriò, de quodam in Germaniâ celebrando tractaretur. Quæ ut pudenda in pluribus visa sunt nobis, eò quòd nonnisi vanis ferè prætextibus cupiditates suas aut vindictas, aut obliqua studia contegerent; ita & distinctiùs referre piget: patent autem quibuslibet in Historiis [u] earum gentium; gesta ea per biennium & ampliùs, grandibus terrâ maríque utrimque cladibus, atque ingenti Italiæ periculo; terminata autem per pacem invito Pontifice, éxque Reipublicæ Venetæ, quæ penè confusa videbatur, magis quàm è cæterorum dignitate sancitam.

[u] Cori. par. 6. Iustin. lib. 9. Onuphr. in Sixt. IV. Brut. l. 7. 8. 9. Bzov. hoc an. & seqq.

VIII. OFFICIA CURIÆ ROM. VENUM EXPOSITA.

Illud autem ex hujusmodi bellis durum Pontifici accidit [x], duriúsque universæ Curiæ Romanæ; quòd tot præliorum & bellorum sumptibus exhaustus, non solùm vectigalia nova induxit, veteráque auxit, ac plures à sacratis hominibus decimas exegit, verùm etiam nova collegia primus omnium Romanorum Pontificum quæ venirent, excogitavit: cùm imprimis *Breviatores* minoris præsidentiæ, à Pio II. creatos, & ab ejus successore Paulo item II. sublatos, (unde & illæ Platinæ lachrymis, & collegarum) restituit: addiditque *Sollicitatores*; ac deinde certos *Adstipulatores*, sine quibus nullæ possent confici tabulæ: denique & *Ianizzarorum*, *Stradiotarum*, & *Mamaluchorum* officia inducens, penè visus est Turcis & Ægyptiis tributariam Curiam reddere; cùm & alioqui per ejusmodi officiorum, ac variorum *Notariatuum* venditionem, Romanæ aulæ libertatem in compedes quasi conjecerit, omni industrij ac laboriosi ingenij diligentiâ sublatâ; quandoquidem hæc munera anteà gratuitò doctis & probis viris tribui solebant. Quæ tamen seu temporum necessitati, seu veriùs proximis ac ministris Sixti tribuenda putabantur: præsertim cùm nemo ad eam diem Pontificum, nec animo ad munificentiam liberalitatémque propensior, nec in dando hilarior, nec in promerendis hominibus promptior fuisse memoretur: & in operibus publicis tam Religiosis, quàm profanis construendis vel reparandis, æquè maximus fuerit; quæ distinctiùs Onuphrius in ejus Vitâ prosequitur; opúsque omnium præclarissimum, & Summo Pontifice dignum, præcipuè recolit, quo Bibliothecam Palatinam in Vaticano toto terrarum orbe celebrem, Platinâ ei præfecto, advectísque ex omni Europâ libris construxit, certósque proventus, unde custodes & librarij Græci, Latini, & Hebræi menstrua salaria haberent, librique emerentur, assignavit. Qui & insuper ad augendum Sanctorum cultum, multas veteribus solemnitates adjunxit, ut Conceptionis (de quâ suprà) & Oblationis Beatissimæ Virginis, Sanctorúmque Annæ, Iosephi, & Francisci, quas in Ecclesiâ celebrari jussit.

[x] Onuphr. in Sixt. IV.

SIXTUS PONT. BIBLIOTHECAM VATICANAM CŌSTRUIT.

IX.

Cùm verò mortuo Mahomete, & filiis ejus inter sese digladiantibus, præclara sese obtulisset occasio Matthiæ Regi, Mysiam, Illyricum, Daciámque recipiendi; haud cunctanter copias undique contrahunt, dum eò versùs castra moveret, certior factus de vastatione à præfectis Friderici Imperatoris superiori Pannoniæ illatâ; (hoc enim unum, si Bonfinio credimus, Fridericus in animo habere visus est, ut omnes Matthiæ adversus Turcos conatus disturbaret; cùm quoties eum iter contra illos sumere conspiceret, extemplò per suos præfectos, violatis induciis, Hungariam infestaret. Excusatur tam hoc anno à Matthiâ Palmerio, quòd eo inscio hæc ipsius præfecti præstiterint: eáque cùm audivit prohibuisse;) desertâ Turcicâ expeditione, ad ulciscendam Imperatoris pertinaciam, universas animi vires intendit, inito fœdere cum Stephano Vaivodâ Walachiæ. Ingresśusque Austriam, primò Hamburgum totius provinciæ propugnaculum, deinde & alia oppida cepit, varia certamina iniit: demúmque continuato impigrè bello, Viennam Austriæ metropolim obsidione cepit anno Domini 1485. uti pluribus idem Bonfinius [y] describit, æquitatem semper à patre Matthiæ constituens: quem tamen non desunt, qui impatientiæ & ambitionis impotentiâ adversus Imperatorem, & nunc & aliàs sæpè arma movisse ferant. Interim verò religiosiori & justiori proposito, Nicolaus [z] Gingi Dux Macedoniam ingressus, amissam olim ditionem, patratâ magnâ strage Turcorum, planè recuperavit. Idque ipsum præstitit Ioannes Cernoi, seu Cernovicius; qui tandem compositis cum Bajazete rebus, cùm sua præter Sabiacum vi recepisset, in pristino regno remansit, annua tantùm itata Turco tributa rependens. Hunc nonnulli filium Scanderbegi faciunt, confundentes cum Ioanne Castriote; quem & ipsum hoc eodem tempore sua recuperare conatum esse tradunt, sive idem fuerit cum illo, sive alius.

MATTHIAS BELLUM INFERT IMPERATORI.

[y] Bonfin. 4. dec. 6. Vide infrà an. 1485. III.

[z] Ibid.

X.

Hoc anno [a] ad quintum Calendas Septembris *Alfonsus* Rex Lusitaniæ, Sintræ, in quo conclavi erat natus, mortuus est: corpus ad Aliubarrotam tumulo illatum. De cujus rebus gestis, & progressibus in Africâ adversus Mauros dictum non nihil suprà. Quem nec parùm rem Christianam promovisse in Occiduâ Æthiopiâ, quam Guineam vocant, testantur auctores [b] qui de illâ regione tunc recens patefactâ scripserunt. Fuit autem Alfonsus multis virtutibus præditus, atque etiam literis deditus: ita ut primus omnium Lusitanorum Regum, in propriis ædibus, ex optimis quibusque libris insignem Bibliothecam instituerit. In redimendis autem captivis adeò profusus, ut *Captivorum Redemptor* vulgò nominaretur. Successit ei in regno *Ioannes* filius ejus, nominis Rex Secundus, ab animi præstantiâ, & rerum gestarum gloriâ cognomento *Magnus*; multis egregiis virtutibus cæteros suâ ætate

[a] Marian. lib. 24. c. 21.

ALFONSI REGIS LUSIT. OBITUS.

[b] Io. Barros. in Asiâ, dec. 1. lib. 2. Ant. Vasconsel. in Alfons. V. &c.

IOAN. II. SUCCEDIT.

Reges exæquans, plures etiam superans. Qui nihilominùs ipso regni initio magnas passus Principum ac procerum suorum in se conjurationes [c], ob severitatem judiciorum, linguæ procacitatem, & quòd contra majorum morem in ipsorum ditionibus lictores regij sontes plectere non dubitarent; præcipuum eorum Ducem Brigantium, aliósque nonnullos morte affecit, cæteris regno pulsis. Res autem Guineæ, sive Æthiopiæ Occiduæ, prosequens, missâ classe sub ductu Didaci Dasambuio, arcem eo loco ubi fieri cœperat permutatio auri cum aliis mercibus, consentiente Caramansâ regionis principe, condidit sub nuncupatione Sancti Georgij; quæ posteà in civitatem crevit. Fuítque primum sacrum in eâ terrâ, ante arcis constructionem, in ipsâ exscensione sub arbore celebratum die festo Sancti Sebastiani vigesimo Ianuarij anni proximi: uti pluribus describit Ioannes [d] Barrosius in Historiâ Asianâ.

[c] Mar. c. 23.

[d] Barr. lib. 3.

XI. [e] Krantz. 8 Dan. 38. in fi & 12 Sax. 31. CHRISTIERNI REGIS DANIÆ OBITUS.

Mortuus item est hoc anno (ut Krantzius [e] habet in Daniâ; quamvis in Saxonia insequentem 1482. diémque vigesimum-secundum Maij signet: sed Historia Regum Daniæ edita à Lindembrogio, præsenti item collocat.) *Christiernus* Rex Daniæ, anno regni trigesimo-tertio: de cujus sacrâ ad Sedem Apostolicam peregrinatione dictum aliàs: Princeps humanitate & clementiâ illustris: quem sua liberalitas, ut idem auctor ait, sæpè ad indigentiam contrusit: inter clarissimos Aquilonarium Regum numerandus. Post cujus obitum, *Ioannes* ejus major filius, jam Daniæ Rex vivo patre, & in Sueciam electus, in Norvagiam quoque hæreditario jure successit: quod tamen jus etiam minori fratri Friderico titulo tenùs permisit, solus ipse regnans. Quando verò Sueciam, quam interim Stano Gubernatoris titulo à multo tempore distractam à patris obedientiâ administrabat, recuperare conatus sit, dicetur suo loco.

XII. FINIS CHRONICI PALMERII.

Hoc anno desinit *Matthiæ Palmerij* Chronicon; seu continuatio Matthæi Palmerij inchoata anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono. Vertit quoque Historiam Aristeæ de LXXII. Interpretibus.

IESU CHRISTI Annus 1482.

SIXTI IV. An. 12.

FRIDERICI III. An. 43.

I. S. BONAVENTURÆ CANONIZATIO.

ANNO Christi 1482. Indictione decimâquintâ, Sixtus Pontifex in mediis bellis, de quibus anno superiori, haud cessans Ecclesiastica tractare; Dominicâ in Albis, quæ incidit in decimum-octavum Calendas Maij, *B. Bonaventuram*, magnum illud Ordinis Seraphici, Senatúsque Cardinalium, & totius Ecclesiæ Catholicæ lumen, doctrinâ & miraculis clarissimum, ducentis & octo jam antè annis in Concilio Lugdunensi sub Gregorio Papâ X. ex hâc luce subtractum; in Sanctorum Confessorum catalogum solemni ritu retulit. Cujus extat [a] eâ de re constitutio. Quiescebant tunc sacra Bonaventuræ ossa Lugduni in Ecclesiâ Minorum: sed primo civili de Religione bello, quod in Galliâ acerrimum fuit, Calviniani illa in Rhodanum flumen projecêre; cùm tamen pars illorum jam anteà in varias partes ad venerationem delata fuisset.

[a] Bullar. tom. 1. Sixt. IV. const. 21.

II. [b] Commin. l. 2. Krantz. 12. Saxon. 29. Beut. Rer. Belg. lib. 12. &c. MARIÆ BURGUNDÆ OBITUS.

Hoc eodem anno [b] ad finem Martij mortua est Maria Burgunda lapsu ex equo, cùm levandi animi causâ venatum exîsset; magno suorum mœrore, quibus acceptissima erat. Post cujus obitum, Maximilianus Austrius vir ejus, cùm minùs iis populis gratus esset, tum etiam quòd ob paternam sordidam parcitatem precariò ferè victum ab iis emendicare cogeretur; vix obtinere potuit ut tutela liberorum ipsi deferretur; ídque iis demùm legibus, ut non ex ejus, sed civitatum arbitrio res administrarentur: Gandensibus interim eosdem liberos, Philippum & Margaritam, in potestate habentibus, qui plus cæteris omnibus uni poterant; & in odium Maximiliani, ad Ludovicum Francorum Regem inclinabant, magnis donis atque muneribus & promissionibus ab eo redempti. Adeò ut facto cum Flandris fœdere, pactum etiam fuerit, invito Maximiliano, matrimonium Caroli Delphini cum Margaritâ ejus filiâ, amplâ dote Comitatûs Burgundiæ & Artesiæ, nonnullarúmque aliarum urbium; quæ anno sequenti in regnum deducta est necdum trimula; frustrà rem impedire conato Maximiliano ejus patre cui ad recuperandum filium de manibus Gandensium, fuit agendum acre cum iis bellum; quod præ cæteris descripsit Olivarius [c] Marchianus, qui interfuit unà cum Maximiliano.

[c] Olivar. l. 2. cap. 10. & 499.

III. LUDOVICI REG. REMEDIA AD VITAM PROLONGANDAM.

Cùm inter hæc Rex Francorum Ludovicus gravi morbo, ac sæpè recidivo, deliquij animi, & debilitatis corporis, detineretur, cum ipse tum instrumentorum musicorum omnis generis præter morem recreatione, tum alio quocumque quæsito opis genere, quo sanitatem recuperare, & vitam prorogare posset, pellere curavit: præcipuéque auxiliis divinis, putà supplicationum publicarum indictione; plurimorum donorum variis Ecclesiis erogatione; peregrinationum ex voto ad Beatissimam Virginem Cleriacam, & ad Sanctum Claudium susceptione; hominum sanctitudine illustrium evocatione; (inter quos Franciscum de Paulâ, Fundatorem [d] Ordinis Minimorum, miraculorum famâ toto orbe notissimum, ex Calabriâ ad se mitti, à Pontifice impetravit, magnâ spe vitæ prolongationis per eum adipiscendæ: quem venientem summo honore in genua procidens apud Turones excepit: de cujus pietate, & sanctâ ac prudenti conversatione, egregiè Comminius [e] disserit:) denique sacrarum Reliquiarum adductione. Nam inter eas à Sixto Pontifice sacrum Linteum Eucharisticum, quo usus in celebrandâ Liturgiâ Petrus Apostolus dicebatur, accepit; & post piam venerationem ei exhibitam, precésque dictas, cum gratiarum actione ac muneribus remisit: & sacram Ampullam, cujus cœlesti oleo Reges ungi consueverunt, Remi Turones, ubi decumbebat ad septum Plessiacum, in cubiculum suum deferri curavit: mansítque ibi usque ad ejus obitum. Ac denique ex sacro Palatij Parisiensi.

[d] Suprà an. 1471. XV. FRANCISCUM DE PAULA EVOCAT.

[e] Commin. lib. 6. cap. 9.

[f] Gaguin. lib. 10. Gill. in Lud. XI.

sacello [f] Virgam Aaronis, & Victoriæ Crucem, quam Carolo Magno divinitùs fuisse datam plerique asseverant. Præter humanam opem medicorum; quam etiam tantâ anxietate quæsivit, ut Iacobo Cocterio medico, à quo maximè salutem suam pendere sibi persuaserat, singulis mensibus decem aureorum millia numeraret; quinimmò is quinque mensibus quinquaginta quatuor millia acceperit; præter Episcopatum Ambianensem pro nepote, & alia publica munera ac terrarum possessiones tam pro se, quàm pro suis propinquis & amicis. Qui & insuper non ferendis verborum asperitatibus miserum Regem excipiens, exprobrabat scire quidem se intra paucos dies, quemadmodùm factum fuerat cum plerisque aliis domesticis Regis, expulsum iri; sed ipsum haud in octavum diem fore superstitem. Ad quæ ne mutire quidem Rex ausus, quamquam cum aliis seorsùm de ejus petulantiâ conquereretur, minimè tamen eum à se amandare audebat, metu ejus minarum mortis. Narrat hæc omnia pluribus Comminius. Agúntque de multis Chronicon Ludovici, & Gaguinus. Istéque insuper addit, adeò appetentem diuturnioris vitæ fuisse Ludovicum, ut etiam humano sanguine, ex aliquot infantibus sumpto, salutem quæsierit. Quod si verum fuisset, mirum à Comminio prætermissum, qui semper usque ad obitum ei adstitit, & nihil ullarum minutiarum omisisse videtur. Habet verò, quomodò variis modis studuerit morbum suum dissimulare, diversa animalium genera ex variis atque longinquis regionibus magno pretio adduci curando; paucissimos in Plessiacum, vel etiam in urbem Turonis admitti prohibendo; atque etiam nonnullos per regnum suppliciis affici jubendo, muneribus publicis addictos mutando, milites exauctorando; aliáque ejúsmodi præcipiendo, quæ significarent eum vivere & sanum esse: cùm nihil tam vereretur, (morte exceptâ, cujus vel nomen audire maximè horrebat) quàm ut auctoritate caderet, aut in contemptum veniret, vel non timeri inciperet. Qui denique in tantas ferè ab omnibus suspiciones delapsus est, ut apud Plessiacum, locum cæterà amœnum ac salubris aëris, veluti quodam carcere, cum paucis, iisdémque ut plurimùm infimæ conditionis hominibus, conclusus; extimescens ne sibi insidiæ struerentur, validissimo præsidio, & cratibus, verubus, ac spiculis ferreis fossas arcis munierit, & accedentes etiam propinquos probari an armati essent jusserit; denique à proprio filio sibi timuerit, memor suspicionis quã ipse de se patri injecerat. Hæc & alia ejusmodi pluribus Comminius. Quæ tamen non omnia hoc anno gesta noscuntur: sed ab initio morbis Regis cœpta, quæ primùm ipse tactus est mense Martio anni millesimi quadringentesimi octogesimi, producta sunt ad tertium Calendas Septembris anni millesimi quadringentesimi octogesimi tertij, ad quem convalescendo & recidendo pervenit.

MEDICI IPSIUS PETULANTIA.

IV. TURBÆ LEODIENSES.

[g] Chron. Lud. XI. hoc an.

Intereà verò cùm dissidia inter ipsum & Maximilianum non cessarent, contigit hoc ipso anno post mortem Mariæ, ut spe obtinendæ civitatis Leodiensis, seu odio in Ludovicum Borbonium illius Episcopum, qui Maximiliano studebat; Guilielmum [g] Marchianum sive Arembergium, quem Leodienses Aprum Arduennæ vocitabant, quíque olim in ministerio Episcopi potentissimus; sed posteà ab eo ejectus infensissimum in eum odium profitebatur; pecuniâ militéque juverit ad Episcopum invadendum: quem cum incompositâ multitudine urbe egredientem, & à suis derelictum, (quippe plurimis haud adeò gratum, ob clades ejus causâ olim [h] acceptas) propriâ manu (ut quidam habent) necavit; cadaver in urbem tractum præ Ecclesiæ majoris S. Lamberti foribus plebi conspiciendum exhibuit; filium suum in Episcopum eligi per vim obtinuit: sed ab aliis legitimè electo Ioanne Hornensi qui fortiter Episcopo astiterat, captus ab ejus fratre Guillelmus, (qui interim à Sixto Pontifice, ob necem Episcopi, anathemate damnatus fuerat) Trajecti ad Mosam gladio publicè subjectus est. Quòd verò sunt, qui morbum Regis Ludovici processisse ex auxilio Guillelmo adversus Episcopum impenso dicunt, nugas agunt. Quamvis enim non negemus grave fuisse hoc peccatum; præcesserat tamen morbus Regis necem Episcopi toto biennio. Sat affatim habuit aliorum delictorum Rex, quæ lueret, si morbum in eorum pœnam immissum à Deo velimus: sive Principes ac proceres spectes, ab eo levibus plerumque de causis, aut falsis etiam suspicionibus, ingenti numero per diversa supplicia sublatos; sive insidias cæteris structas, ac minas etiam Apostolicæ Sedi non nunquam intentatas; personásque sacras malè habitas; sive populorum oppressionem per continuas tributorum exactiones, & exercituum circumcursationes, reliquáque ejusmodi, quæ vitio ei, quamquam cum nonnullâ temporum ac rerum excusatione, auctores tribuunt. In quorum expiationem, diuturnum hunc morbum, pavorémque immensum mortis, & dira suspicionum tormenta, divinitùs ei misericorditer immissa Comminius existimavit: asserens [i] nihilominùs absque ullâ, ut contestatur, adulatione, plura in eo regio munere digna extitisse, quàm in cunctis aliis illius temporis Principibus, quos ferè omnes optimè se novisse tradit.

Gaguin. l. 10. Barland. Chron. Brabant. c. 159. Suffrid. de Episc. Leodiens.

[h] Suprà an. 1468. X. XI.

LUDOVICI REG. CULPÆ.

[i] Commin. lib. 6. cap. 10. in fin.

V. CAROLO FILIO PROBA DAT MONITA.

Cùm autem ad interitum se tendere sentiret, corpore adeò extenuatus ut vix agnosceretur; Carolum filium, quem à multis annis non viderat, (veluti namque in custodiam traditum in arce Ambasiensi educandum curabat, & vel propter nativam corporeæ pueri compositionis imbecillitatem, vel propter innatam sibi suspicionem, rarò, & à paucis iísque inferioris conditionis hominibus, nec nisi suo mandato aut licentiâ conveniri permittebat; ne fortè à proceribus adversùs patrem raperetur) ante obitum videre cupiens, Ambasiam se deferri curavit ad finem Septembris præsentis anni: (quidam scribunt eum accivisse ad se Delphinum: potuit utrumque diverso tempore fieri;) ac salubria probæ regni administrationis monita eidem impertiens, inter alia hortatus est, ne quemquam ministrorum facilè munere suo moveret: hoc enim sibi propemodùm exitiosum fuisse, cùm principes viros strenuósque duces, quorum forti operâ Carolus pater Normaniam & Aquitaniam ab Anglis receperat, exauctorans, sibi bellum exitiale peperit: & quosdam speciatim è domesticis suis ministris eidem commendavit: Ad eáque observanda filium juramento constrinxit, ac literas publicas

[h] Rec. Bellefor. lib. 5. cap. 148.

Populum tributis levatum vult.

[i] Commin. lib. 6. c. 7.

[k] Ibid. cap. 6.

Alia utilia ejus consilia.

testamenti vice inde fieri voluit, quæ adhuc extant [h]. Addidisse insuper dicitur, ut filius populum, quem ipse ingruentium bellorum necessitate gravioribus vectigalibus oppressisset, quoad fieri posset levaret. Decreverat namque omninò Regem modum exactionibus ejusmodi imponere, & ad morem antiquum reducere: quem pater ejus Carolus propriâ auctoritate ob urgentissima bella excedens, non consultis, ut anteà consuetudinis fuerat, tribus regni Ordinibus, primus omnium imponere præsumpserat. Qui nihilominùs (ut Comminius [i] scribit) tempore mortis suæ non ultra decem & octo librarum Turonensium centena millia toto regno colligebat: Ludovicus ad quadraginta septem centena millia auxerat, hísque utrumque gravissimè animam suam, successorúmque oneràsse tradit. Et tamen hæc quanti illa sunt ad ea quæ pòst aucta fuêre? Habet etiam idem auctor [k], Regem magnoperè affectâsse, modum perplexitati ac prolixitati litium imponere; & ut jura ac consuetudines non ampliùs Latinè, ut tum solebant, sed vulgari sermone, ad tollendas Advocatorum & causidicorum rapinas & fraudes, exponerentur: itémque ut una eadémque esset per totum regnum consuetudo, unum pondus, una mensura. Sed hujusmodi sunt desideria miserorum mortalium, ut tunc maximè bonum velint, cùm præstare non possunt; præstare negligant, cùm facile possunt. Ideóque, ut addit probè Comminius, optimum est tunc bonum exequi, cum per incolumitatem mentis & corporis licet. Illud denique ingenti omnium commodo instituit, ut essent certis ac statis locis per universum regnum equi veredarij & cursores, quibus brevi tempore certior fieret de rebus quæ ubique agerentur. Res quidem antiquis etiam usu recepta; sed non ita certis legibus ac statutis ministeriísque constabilita: unde posteà cæteræ nationes exempla desumpserunt.

VI. Dira lues Galliam vastat.

[l] Chron. Lud. XI. Belcar. lib. 4.

Dum autem ista fierent, & Rex de vitâ cum naturâ colluctaretur, Galliæ magnam partem dira lues hoc eodem anno [l] invasit, pòst ingentem famem quæ superiori præcesserat. Incendebat cerebrum phrenitis ardens, furorémque rabiosum invehebat, quò alij horrendos ululatus edebant; alij in fluvios vel in puteos, aut ex tectis sese præcipites dabant. Periêreque eâ peste non pauperes tantùm aut ignobiles, sed etiam magno numero Prælati Ecclesiarum, Senatores, nobiles viri, omnísque generis ac conditionis homines.

VII. Belli Granatensis initium.

In Hispaniâ secundis avibus cœptum est seriò Bellum Granatense contra Mauros; quod decem annis gestum, per varios casus atrociáque prælia, successum lætum faustúmque sortitum est. Interceperat ineunte anno præcedenti Albohacenus Rex Granatæ improviso adventu Zaharam oppidum. Et quamquam grave id fuisset detrimentum; excusabatur tamen, quòd induciarum tempore latrocinia tam Mauris, quàm Christianis, utriusque in alteros exercere, prædas agere, atque etiam oppida capere, triduano modo conatu, nullísque in obsidionis formam juxtà castris positis liceret. At cùm eâ licentiâ, paríque fiduciâ, principio præsentis anni alia quædam oppida Mauri tentâssent; his Christiani identidem provocati malis, vindicare decernentes, Alhamam Maurorum oppidum pari incursione, sed graviori pugnâ, majorique cæde occupârunt pridie Calendarum Martij. Cruentique belli hæc prima initia fuerunt. Quod præsenti anno & insequenti ita gestum est, ut tentatâ sæpiùs frustrà ab Albohaceno Alhamæ recuperatione, nihilominùs duobus atrocibus certaminibus, altero ad Loxam, altero ad Malacam oppidum Mauri Christianos grandi cæde fugârint: Pensatis tamen iis duplici contrario successu: altero, quo discordia inter ipsos Mauros orta, filium Mahomat Boabdilem contra patrem Albohacenum armavit: altero, quo idem Mohabdiles ad laudem sibi apud suos conciliandam Christianos aggressus, ipsemet captus est apud Lucenam; & cum eo fœdus à Ferdinando Hispaniæ Rege ictum, quo is in fide & obsequio Ferdinandi futurus erat: sicque in patriam dimissus est, quo suis armis patrem debellans, Christianis vinceret. Hæc narrat pluribus diligentior historicus Mariana [m], qui nobis instar omnium erit: cùm hoc bellum Granatense complures alij longè prolixiùs tam Latino, quàm Hispano sermone conscripserint. Habet verò etiam, à Sixto Pontifice ad hoc bellum impetrâsse Ferdinandum, ut centum aureorum millia sacerdotiis Hispaniæ imponerentur: datâ insuper peccatorum veniâ *Cruciatæ* nomine iis qui aut voluntarij arma sumerent aut certam stipem conferrent: Idque tertio anno repetitum, neque intermissum consequenti tempore, ab hoc initio magnam pecuniæ vim jam omnibus annis in regium ærarium conferre. Quæ verò hoc Maurico bello pòst contigerint; attingentur suis locis.

[m] Marian. lib. 25.

Cruciatæ in Hispania origo.

VIII. Niphon Part. Cōstantinop. pellitur.

Hoc interim anno, & ut putamus ad principium ejus, defuncto Maximo Patriarchâ Constantinopolitano Græco post sedis annos sex; creatus est in ejus locum *Niphon* ex Metropolitano Thessalonicensi, non tam scientiâ, quàm eloquentiâ & sententiarum pondere gravis; patriâ Peloponnesius, patre Albanico, matre Græcâ nobilissimi generis: Qui quòd regio quæstori munus aliquod offerre neglexisset, in ejus indignationem incurrens; eam valdè auxit ex eo quòd cùm Symeon olim Patriarcha iisdem diebus moriens nullum hæredem reliquisset, ac proinde ejus substantiam fiscus regius apprehendere vellet, quæ non parvi pretij erat, Niphon quemdam hæredem supponere voluisset qui verè non erat. Quod ut Bajazetes Imper. rescivit; admodùm in Niphonem exacerbatus, eum ab urbe & Patriarchatu pelli, aliúmque in ejus locum suffici jussit. Remansit tamen sedes longo tempore vacua: donec præcepto Regis pro alterius electione urgente, revocatus est in thronum *Dionysius* ille, quem vidimus [n] olim eo se abdicâsse; valdè jam grandævus, & nonnisi jussione Regis sedem recipiens. Quod tamen nonnisi post plures annos contigisse, inde liquidò constat, quòd disertè tradat Malaxus [o] in Patriarcharum Historiâ, ejus sedis tempore incidisse Constantinopoli formidabiles terræmotus: quos Annales Turcorum ad annum Christi millesimum quadringentesimum nonagesimum ponunt; & tamen Græci nonnisi duos annos & sex menses posteriori huic Dionysij sedi tribuant.

Dionys. subrogatur.

[n] Supr. an. 1471. XVII.

[o] Turcog. lib. 2.

Cæterùm fuisse tam Niphonem, quàm Dio-

IX.

FAVERUNT ECCLESIÆ ROM.

[p] *Ap. Bzov. an. 1489.*

nysium Ecclesiæ Romanæ & Synodi Florentinæ sectatores, ex Annalibus Ruthenorum elicuit Leo Creusa [p] Archimandrita Vilnensis in Defensione Ecclesiasticæ Vnionis: Vbi narratur, cum Isidorus Metropolita Russiæ (Cardinalis nempè Ruthenus, de quo aliàs) successorem sibi dari Gregorium quemdam Zeminlachum, à Pio Papâ II. impetrâsset; ac nihilominùs Moschi schismatici Ionam quemdam contra illum elegissent: Dionysium Patriarcham, dum primò sederet omninò jussisse Ionam pelli, & Gregorio obediri, qui Florentinum Concilium & Vnionem Ecclesiæ amplectebatur: factúmque ita esse Niphonem verò posteà interrogatum ab alio sui temporis metropolitâ Russiæ nomine Iosepho, quid de Synodo Florentinâ sentiendum esset, cùm ad ejus acceptionem ab Episcopis Ruthenis & Lituanis Ecclesiæ Romanæ sectatoribus compelleretur: respondisse Synodum illam legitimam fuisse; & ex ejus rejectione facta à Græcis qui non interfuerant, provenisse tot mala quæ miseram Græciam sub barbarorum tyrannide pessumdederunt: Itaque cum Latinis amicè versaretur patriis ritibus servatis: sicut & ipse sacerdotibus in dominio Veneto degentibus injunxisset, ut unà cum iisdem Latinis, servato tamen Ecclesiæ Orientalis ritu, orarent & congregarentur: Ita enim in unionem Florentinam à Græcis consensum esse, dum privilegia Ecclesiæ Græcæ in suo statu permanerent.

IESU CHRISTI Annus 1483.
SIXTI IV. An. 13.
FRIDERICI III. An. 44.

I. EDUARDI REG. ANGL. OBITUS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo octogesimo-tertio, Indictione primâ, *Eduardus* Rex Angliæ auditâ affinitate nuper contractâ Delphini Francici & Margaritæ Burgundæ; eâque irritas cernens pactas fœdere Piquiniaco filiæ suæ natu majoris cum eodem Delphino, concupitásque maximo desiderio nuptias: dolore simul ac pudore, quòd sic à Ludovico Francorum Rege delusus fuisset, confectus; cùm de vindictâ sumendâ consilia cum suis agitaret, derepentè in morbum incidit omnibus medicis incognitum, sed quem tamen ex animi ægritudine processisse, constantem famam fuisse, Comminius [a] ostendit: cùm nihilominùs sint qui ex nimio [b] suavissimi vini haustu, alij apoplexiâ, vel etiam veneno extinctum velint. Mortuus autem à Polydoro [c] dicitur, post recepta ritè Sacramenta Ecclesiæ, quinto Idus Aprilis, ætatis anno circiter quinquagesimo, regni vigesimo-tertio, Londini ad Westmonasterium; corpore ad sepulturam delato Windesorium in Ecclesiam S. Georgij. Quem expressiùs Thomas Morus in Historiâ Richardi ipsius successoris, ait vixisse annos quinquaginta tres menses septem dies sex multis eum præconiis efferens; túncque mortuum dicens, cùm vita ejus maximè optata omnibus & jucunda foret. Duos filios minoris ætatis reliquit, Eduardum principem Walliæ, (id tituli est primogenito) annum ætatis circiter decimum-tertium agentem, & Richardum Ducem Eboracensem biennio minorem. Quibus & tertium addidit Ioannes Major [d], ac duas filias.

[a] *Commin. lib. 6. cap. 9.*
[b] *Chron. Lud. XI.*
[c] *Polyd. lib. 24. in fin.*
[d] *Io. Mat. Hist. Scot. lib 6. c. 20.*

II. RICHARDUS INVADIT REGNUM.

Eos autem cùm pater fratri Richardo Glocestriæ Duci testamento commendâsset; hic majorem natu *Eduardum* Regem (ejus nominis Quintum) proclamans, paulò pòst sceleratissimè, fratrem defunctum ex adulterio natum prædicans, ac proinde ejus filios indignos qui succederent; sive, ut alij habent, non fratrem sed liberos ejus; seu denique, ut alij, & fratrem & liberos nothos esse, impudenter asserens, regnum occupavit, (dictus *Richardus* ejus nominis Regum Anglorum Tertius) pueros occidit, plures è Regis defuncti ministris & amicis de medio sustulit, multáque ejusmodi tyrannica exercuit. In cujus perfidiæ ac superbiæ ultionem suscitavit Deus exulem atque inopem adolescentem, Comitem Richemondiæ, captivum apud Ducem Britanniæ; qui Richardum post duos ab invaso regno annos prælio vicit, occiditque, ut videbitur suo loco. Cùm verò interim idem Richardus legatos ad Ludovicum Francorum Regem adhuc superstitem de amicitiâ & fœdere secum ineundo misisset; horrens Rex ejus parricidia, neque legatos audire, neque literas accipere sustinuit, quinimmò confestim Galliâ excedere compulit. Id enim Comminius [e] testatur, agens obiter de his turbis Anglicis: quas ex professo tractat Polydorus [f]: dilucidiúsque atque extentiùs Thomas Morus proprio commentario usque ad throni invasionem Richardi, antequàm pueri interficerentur.

[e] *Commin. lib. 6. c. 9.*
[f] *Polyd. lib. 25.*

III. LUDOVICI FRANC. REGIS OBITUS.

Ludovicus autem Rex Francorum morbo de integro Plessiaci interceptus die Lunæ 25. Augusti, voce, ut aliis deliquiis interclusâ; eâ paulò pòst recuperatâ, non omninò de vitâ desperavit: donec post aliquot dies à nonnullis familiaribus de proximâ morte (quamvis terrificam *mortis* vocem numquam sibi denunciari præcepisset, timens ne qui eam tantoperè exhorresceret, extra mentem tunc fieret) satis crudè admonitus, constantiùs eam venientem aspexit quàm existimaverat: confortatus ad id maximè B. Francisci de Paulâ qui aderat hortationibus. Receptísque omnibus Ecclesiæ sacramentis, quæ ipsemet petiit, & variis additis appositè ad singula orationibus suscepit, sanus mente & memoriâ, liberâque locutione, placidè in Domino quievit die Sabbati penultimâ Augusti; sicut optaverat, speraverátque, die Beatissimæ Virginis cultui dedicato, cujus specialem servum se profitebatur, ex hâc vitâ decedere. Ex quâ in eam pietate ac devotione, voluit etiam sepeliri in ejus Ecclesiâ oppidi Cleriaci non longè ab Aureliis, quam ipse sumptuosè construxerat & dotaverat. Natus, ut Tilius [g] habet, die sextâ Iulij anno 1622. vixisse dicendus est annos unum & sexaginta, atque ampliùs dies quinquaginta quinque. Cui tamen alij [h] dies viginti quatuor supra annos unum & sexaginta; nonnulli [i] annos sexaginta dies quindecim; alij natum dicentes 4. Iulij anno 1423. dies viginti sex supra annos sexaginta; alij denique alium numerum tribuunt; omnes tamen sexagesimum annum superâsse consentientes: Ad quam ætatem

EJUS ÆTAS.

[g] *Til. in Car. VII.*
[h] *Sanmarth. Geneal. Frãc. lib. 8. c. 9.*
[i] *Æmil. in Lud. XI.*

neminem Francorum Regum post Carolum Magnum & Ludovicum Pium ejus filium pervenisse tradunt. Eaque propter eum annum ut fatalem sibi semper Ludovicum horruisse, Æmilius scribit. Cùm nihilominùs si Rigordo [k] & Britoni [l] credamus, etiam Ludovicus VII. Philippi Augusti pater ad annum septuagesimum ætatis pervenerit; cui alij nonnisi sexaginta tribuunt. Regnavit autem Ludovicus XI. a morte patris annos viginti duos, dies triginta & octo. Cujus vitam ac mores qui breviter referre voluerunt, dicunt fuisse publicè Principem sapientem, felicem, & severum; bonum dominum ac liberalem; diffidentem amicum; crudelem inimicum; terribilem vicinum: privatim malum filium; (ob rebellionem in patrem) malum maritum; (habuit enim uxorem contemptui, quòd quamvis pudica esset, inclinaret tamen in partes Burgundi:) malum patrem; (ob neglectam filij educationem:) malum fratrem, quòd Carolum Aquitaniæ Ducem, post plures variásque ejus versationes, veneno sustulisse accusetur: Denique Reges emancipâsse, sive ex ephebis eduxisse, ob apertum ostium ad absolutissimam dominationem; qui primus pressam nobilitatem servire coëgerit, & populum tributis oppresserit.

[k] Rig. de gest. Philip. Aug.
[l] Brit. lib. 1. Philip.

Ejus qualitates.

IV. Succedit Carolus VIII. adhuc puer.

Rege mortuo, magna de pupilli Regis *Caroli* ejus filij, hujúsque nominis VIII. tutelâ; déque regni administratione controversia fuit inter nonnullos Principes regij sanguinis. Quippe cùm eam Ludovicus paulò ante obitum Petro Borbonio domino Bellijoci genero suo, ejúsque uxori Annæ filiæ suæ feminæ consultissimæ, quæ nec viris animo & audacia cederet, demandâsset; illam nihilominùs Ioannes Dux Borbonius major frater Petri, vir prudens & provectæ ætate; necnon Ludovicus Dux Aurelianensis, ætatis quidem minor, agens tantùm annum ætatis 23. sed Regi gradu proximior, quíque præterea alteram Caroli Regis sororem Ioannem duxerat, egregia animi & corporis dexteritate præstans, sibi potiùs deberi contenderent: eóque magis eam ambirent, quòd Rex Carolus pusillâ adhuc staturâ, exilibúsque membris existens, (etiamsi esset tredecim annorum, & duorum mensium) diuturnioris vitæ spem nemini daret. Quæ etiam causa fuisse putatur, quòd pater ejus Ludovicus, imbecillitati ejus consulens, nullâ eum eruditione Latinâ institui passus fuerit, ne major animi contentio corporis fragilitati incommodaret: sive etiam, ut quidam existimârunt, odio literarum, quas impedimento esse regnantibus arbitrabatur; adeò ut nihil aliud Latini sermonis eum scire voluisse dicatur quàm hoc tantùm *Qui nescit dissimulare, nescit regnare:* (quam etiam sententiam sunt qui Friderico, alij qui Sigismundo Imperatori tribuant: nec illam quidem damnandam in publicâ rerum administratione:) puer alioqui miti ingenio ac docili, disciplinæque appetente. Ob has igitur contentiones, Regis inaugurationem, quæ Remis fieri consuevit, in proximum annum differre visum est, ut jam paulò provectiori major auctoritas inesset. Factáque illa est magno Principum procerúmque conventu anno sequenti mense Maij: sed solidior rerum dispositio remissa ad comitia trium Ordinum indicta Turonis ad principium subsequentis [m] anni: quibus cùm ex decretò Ludovici tutela personæ Caroli, Annæ ejus sorori mandata fuisset; & duodecim optimates designati, qui Regi ad rerum administrationem adessent, (non enim Regente, ut vocant, opus fuit, cùm jam tum Rex ætatem quatuordecim annorum ageret, ex constitutione Caroli Quinti, de quâ aliàs) quibus regij sanguinis Principes, si commodum iis videretur, præessent: minimè his contentus Aurelianensis, eò quòd Regni procuratio ad Annam quæ curam Regis agebat, paulatim inclinabat; cœpit ipse turbas ciere. Vnde bellum exortum est; quo ipse tandem captus, in carcere diù detentus fuit; uti pluribus prosequuntur historici Franci; nec omninò tacebimus nos inferiùs. Monentes interim, post obitum Ludovici Regis, de nonnullis ejus domesticis intimis, ob varia scelera ab iis perpetrata, diligenti factâ inquisitione, supplicium sumptum esse; multásque immodicas donationes rescissas.

Controvertitur de regni administratione.

[m] Ext. Acta ap. Bellefor. lib. 5. c. 150. & seqq.

V. Francisci Reg. Navar. obitus.

Præcesserat Ludovici Regis obitum mors ipsius nepotis *Francisci Phœbi* [n] Regis Navarræ: qui [o] cùm ex Galliâ, ubi se tenuerat ob graves & diuturnos Navarræ motus, tandem matre, patruis, magnâque nobilitate deducentibus, Pompelonem delatus, principio Novembris anni superioris regia insignia suscepisset; Beamontios Agramontiósque, invidiosa exitiosáque ei regno nomina, compellari capite sanxisset; provinciâ lustratâ, maleficia sustulisset, auctoritatem magistratibus restituisset: in Bearniam suam reversus, víxque eò delatus, morte derepentè oppressus obiit tertio Calendas, ut quidam, sive ut alij tertio Nonas Februarij præsentis anni, non sine suspicione veneni: adolescens annorum quindecim ingentis expectationis. Corpus Lascare sepultum. Soror ejus *Catharina* adolescentula regnum Navarræ suscepit: quæ à multis expetita in matrimonium, ac præsertim à Ferdinando Rege Hispaniæ, filio suo Ioanni infantulo, cæteris rejectis, nupsit *Ioanni* Alebreto, amplam ditionem in Galliâ obtinenti, unde Ferdinandus ad vindictam repulsæ, & proferendi imperij occasiones totus conversus; numquam ab opere destitit, quousque per vim & fraudem quod conquirebat adeptus est, ut videbitur suo loco.

[n] Supr. an. 1479. V.
[o] Marian. lib. 24. c. 21. lib. 15. cap 3. & 5. Bellef. lib. 5. c. 149.

Catharina succedit.

VI. Turbæ Genuenses.

Hoc eodem interim anno [p] factâ conspiratione à nobilissimis Genuensibus adversùs Baptistam Fulgosium, sive ut nonnulli vocant Campofulgosum, ipsorum Ducem, ob asperitatem morum, & intolerabilem arrogantiam; cujus princeps fuit Lazarus Auria, assentientibus præcipuis familiæ Fulgosiæ, atque imprimis Paulo Cardinale civitatis Archiepiscopo ipsius patruo, infinitæ ambitionis viro; idem Baptista sine strepitu & alicujus offensione principatum abdicare compulsus est, qui in prædictum Paulum Archiepiscopum & Cardinalem translatus fuit; cùm & eum jam olim sub Pio II. adeptus, confirmationem ab eodem Pontifice postulâsset [q]; Baptista verò, ut exilij dolorem levaret, totum se studiis dedit: scripsítque libros novem Factorum & dictorum memorabilium; eodem servato ordine quem Valerius Maximus iniit: quos ex Italico in Latinum transtulit vir doctus Gilinus Mediolanen-

[p] Nebiens. lib. 5. Bizar. lib. 15. Foiet. lib. 11.
[q] Nebiens. lib. 5. sub an. 1461.

[r] *Fulgos. lib. 9. c. 6. ad fi.*

sis. Eo autem opere [r] Baptista injuriam sibi à Patruo illatam stylo ultus est, asperis adeò verbis in ejus perfidiam invectus, ut nullum sit lutulenti vitij, aut nefarij sceleris, vel obscœni flagitij genus, quod non in eum brevissimè congesserit.

VII. Templũ Pacis à Sixto PP. constructum.

Eodem anno pace Italiæ de bello Ferrarico magnâ ex parte confectâ, Sixtus Romanus Pontifex in ejus memoriam, extructum à se ex voto templum in mediâ Vrbe collocandæ ibi sacræ Beatissimæ Virginis Imagini, quæ anteà eo loco in quodam parvo tabernaculo consistens cœperat de novo coruscare miraculis, & à fidelibus frequentabatur; *Templum Pacis* nuncupari voluit; quomodò & hactenùs nuncupatur. Eâque de re constitutionem edidit decimo-septimo Calendas Octobris præsentis anni; quam unà cum historiâ ejusdem prodigiosæ Imaginis, (quæ à quodam impio aleatore milite pugione pluribus ictibus confossa, copiosum sanguinem ex singulis emiserat) refert Gabriel Pennotus [s] in Historiâ Clericorum Canonicorum.

[s] *Pennot. lib. 3. cap. 33.*

VIII.

Qui idem Pontifex duas alias controversias inter Regulares Dominicanos & Franciscanos exortas, hoc itidem anno sopire conatus est. Alteram de Conceptione Beatissimæ Virginis; de quâ constitutionem edidit, cujus nos aliàs [t] occasione alterius prioris meminimus. Alteram de sacris Stigmatibus [u] B. Catharinæ Senensis; quas Franciscani negabant, id privilegij solo S. Francisco datum fuisse asserentes; Dominicani etiam Catharinæ communicatum defendebant. Adeóque in hâc etiam prævaluerant Franciscani apud Pontificem Franciscanum, ut etiam censuris vetuisset imagines Sanctæ cum Stigmatibus pingi. Vnde non parva in Dominicanos exsuscitata fuit persecutio; donec Pontifex censuris sublatis Franciscanos cohibuit. Denique eâ controversiâ nostris rursùm diebus sub Clemente VIII. renovatâ: dum illa Cardinalibus Congregationis Rituum examinanda ab eo commissa est, interim jussit contendentes ab omni jurgio cessare. Satius longè foret Franciscanis, humilitatem ac paupertatem sui conditoris imitari, quàm hujusmodi disputationibus gratiam Dei restringere velle ad suas æmulationes. Non tamen ut omninò asserere velimus, apparuisse ita in corpore Catharinæ Stigmata ut in Francisci membris. Sed profectò non minor fuisse videtur ejus humilitas & abjectio suî; cùm cernens Christum Cruci affixum magno super se cum lumine descendentem, radiósque sanguineos ex suis quinque sacratissimis cicatricibus emittentem, velle sua Stigmata ipsi affigere, sicut fecerat speciali suo servo Francisco, rogavit ne cicatrices in corpore apparerent exteriùs: quando ex radiis sanguineis in solares immutatis à cicatricibus Crucifixi procedentibus, & ad manus, pedésque, & cor ejus pervenientibus, valdè sensibilis dolor in dictis corporis ejus partibus est relictus. Vnde consuetudo apud multos prodiit, ut Catharinam cum Stigmatibus depingi fecerint, quò per visibilem picturam dolor invisibilis designaretur. Hoc quidem nemo inficiatur, quicquid sit de reliquo, & qui Vitam S. Gertrudis [x] Oëstensis memoriæ mandârunt, apertè tradunt eam Stigmata Christi visibilia gessisse. De hujusmodi autem prærogativarum Sanctorum altercationibus præclarè longè hâc parte sapientior Thomas à Kempis [y], cùm ait, disputare de meritis Sanctorum, generare lites & contentiones inutiles, nutriréque superbiam & vanam gloriam; unde oriuntur invidiæ & dissensiones, dum iste illum Sanctum, & alius alium conatur superbè præferre: magis autem hæc Sanctis displicere, quia non est Christus Deus dissensionis, sed pacis; quæ pax magis in humilitate verâ, quàm in propriâ exaltatione consistit.

[t] *Supr. an. 1476. III.*
[u] *Ioan. Lopez. Episc. Monopol. par. 3. Hist. Domin. Bzov. hoc an.*

Disceptatio de sacris Stigm. S. Cath. Sen.

[x] *Vid. sup. ann. 1340. XIII.*

[y] *Kemp. 3. de Imit. Chr. 58.*

IX. Turbæ Boemicæ.

Recruduit eodem tempore in Boëmiâ, urbe Pragâ, vetus illa hæreticorum ferocia; ita ut impetu facto in Catholicos concives, maxima eorum multitudo oppressa fuerit: pulsi denuò religiosi, excisa vix benè restaurata monasteria. Rex Wladislaus velut idolum sine vitâ, ista intuitus non se commovit. Ita Krantzius [z]: addens cupere quidem se liceret efferre virtutem Polonorum: (erat enim Wladislaus Polonus:) sed usque ad tempus quo illa scribebat, nihil magnum ab eâ promicuisse familiâ. Sanè qui res gestas Casimiri Regis Poloniæ, patrísque Wladislai, apud ipsosmet historicos Polonicos legerit, non adeò memorandas judicaverit. Wladislaus adhuc juvenis non ita potuit in regno Boëmiæ, ex hæresi & factionibus inquieto, ac præthereà à bellicosissimo viro Matthiâ Hungaro armis quæsito, rebus providere ut par fuisset. Si tamen Dubravio [a] credimus, hanc Pragensium audaciam Wladislaus omninò ulcisci voluit: nisi dum viam quæreret, placatus precibus filiorum defuncti Regis Georgij, acceptâ quâdam satisfactione à proposito destitisset. Quod tamen non sine vitæ suæ periculo fecit; cùm ex ejus lenitate audaciores facti Pragenses Hussitæ, etiam unus eo temeritatis prorupit, ut viso in fenestrâ domûs Rege, clamare ausus fuerit, occidendum Polonicum illum porcum, calicis osorem, intentóque arcu in fenestram, declinante jam Rege, telum direxerit. Hujusmodi namque consueverunt esse fructus prætentæ reformationis Evangelicæ. Denique scribit idem Dubravius, numquam tot insidiis vitam cujusquam Boëmiæ Regis, quot Wladislai appetitam fuisse tam veneno quàm ferro; præcipuis, ut ferebant, auctoribus iisdem filiis Georgij, ipsóque Matthiâ Rege, nihil tam cupiente quàm eo regno potiri, quod sibi ad deterrendos quoslibet in orbe hostes deesse dicebat. Sed contrà accidit, ut non ille Boëmiam Hungariæ, sed Wladislaus Hungariam Boëmiæ adjunxerit, uti pòst videbitur.

[z] *Krantz. 13. Vvandal. 38.*

[a] *Dubrav. lib. 31.*

Iesu Christi Annus 1484.

Sixti IV. An. ult.

Friderici III. An. 45.

I.

Anno Christi millesimo quadrigentesimo octogesimo-quarto, Indictione secundâ, Sixtus Pontifex auctoritatem Majoris Pœnitentiarij, quæ multis capitibus à nonnullis convellebatur, definivit, atque stabilivit, constitutione [a] editâ septimo Idus Maij.

[a] *Bullar. to. 1. Sixt. IV. const. 25.*

[b] *Ap. Pennot. in præf. Hist. Cler. Regul. lib. 3. c. 34. Bzov. hoc an.*

DISCEPTATIO INTER CANONICOS ET EREMITAS S. AUGUSTINI.

Et biduo post, nempè quinto Idus aliâ constitutione [b] Canonicos regulares Lateranenses nuncupatos, & Eremitas Ordinis S. Augustini, gravi Ecclesiæ scandalo animosissimè contendentes de ejusdem sancti Patris habitu & picturâ, ac de Ordinis institutione, compescere studens; sub anathemate prohibuit ne ulteriùs in ejusmodi contentionibus persisterent, sed omninò quiescerent, & se mutuâ charitate diligerent. Sed non ij sunt plerique monachi & regulares, ut facile acquiescant jussis Apostolicis. Quare cùm causam præcipuè edicto Pontificio dedissent adversa scripta, ac publicæ conciones invectivæ Dominici Tarvisini canonici regularis, & Bartholomæi Patavini Eremitæ; etiam post evulgatum Pontificium decretum ausus est Ambrosius Coranus, sive Coriolanus Romanus Eremitarum Prior Generalis vir doctus, Apologiam contra Canonicos scribere, eamdémque ipsimet Sixto Pontifici nuncupare. Quam cùm Pontifex tribus Cardinalibus examinandam commisisset; fuit illa, ex eorum sententiâ, ob probra & contumelias quibus scatebat, reprobata, uti narrat Celsus Mapheus Veronensis, qui tunc eam causam pro suis Canonicis apud Sedem Apostolicam agebat, in libro quo ejusdem Coriolani oppositionibus respondit. Nec denique hactenùs cessârunt eæ inter ipsos controversiæ, quin adhuc acerrimè de iis disputetur. Et quod imprimis in hujusmodi omnibus regularium altercationibus observes, est quòd qui de iis acriùs contendunt, ij plerumque minimè omnium solliciti sunt de imitatione Sanctorum de quibus decertant: qui sanè si eo spiritu ducti fuissent, quo istorum plurimi, vix umquam ad patriam Sanctorum pervenissent. Ignoscite Fratres; scitis me vera loqui: & nolite de solo cortice digladiari; sed ad medullam penetrate, quæ in charitate & humilitate reperitur.

II.

[c] *Onuph. in Sixt. IV. Brut. Hist. Flor. lib. 8. alij.*

SIXTI PP. OBITUS.

Post hæc *Sixtus* [c] sive domestico contra Columnenses bello, quos occasione Vrsinorum adversarios patiebatur, fatigatus; seu animi dolore, quòd præter ejus voluntatem, immò se neglecto & inscio, Veneti jam penè contusi bello Ferrarico, fractíque præliis, pacem à sociis obtinuissent: podagrâ insuper aggravante, quâ ultimis annis maximè laboravit, in graviorem morbum incidens: accedente (ut quidam volunt) apoplexiâ, obiit in palatio Vaticano Idibus Augusti, anno ætatis septuagesimo, die vigesimo-secundo, horâ duodecimâ, (ut in ejus epitaphio legitur) Pontificatûs anno decimo-tertio, die quinto. Corpus [d] gutture inflatum ad basilicam S. Petri deductum cum viginti tantummodò facibus, atque aureâ planetâ laceratâ, æreo monumento conditum est, quod in sacello à se constructo Iulianus Cardinalis S. Petri ad Vincula fratris filius, structuræ elegantiâ inter cætera Vrbis ornamenta in primis conspicuum, faciendum curavit. De ejus porrò rebus gestis, satis suprà variis locis.

[d] *Ciac. in Sixt. IV.*

EJUS ÆDIFICIA.

De ædificiis, quæ enumerant alij, tot sunt Romæ publica indicia, ut ex solis lapidibus, quibus ejus nomen & insignia ad singula ædificia insculpta visuntur, ingens palatium confici posse putemus. In iis pons est in Tiberi, urbi utilissimus, quem refici curavit, quíque ejus nomen hodiéque refert, cùm ab Antonino Pio conditore, ut fama est, anteà nomen haberet, & inutilis Vrbi tunc esset. Ac ne his tantummodò operibus nomen suum posteris celebre reddere voluisse existimemus, (præter constitutiones quamplurimas, cæteráque, ad Pontificatus gestionem pertinentia) scripsit [e] ante Pontificatum. De Sanguine Christi; De futuris contingentibus; De Potentiâ Dei; De Conceptione Virginis, & contra errores cujusdam Carmelitæ Bononiensis, qui affirmabat Deum suâ omnipotentiâ damnatum hominem salvare non posse. Aggressus fuerat & aliud opus, in quo validis rationibus ostendere nitebatur, S. Thomam & Scotum in sententiis convenire, quamquam verbis differrent; ad tollendas altercationes inter Prædicatores & Minores. Quos & de aliis contendentes in concordiam reducere tentâsse, aliàs vidimus. In quos etiam adeò liberalem sese exhibuit, ut non rivos tantummodò aut flumina gratiarum & privilegiorum, verùm etiam *Maria magna* contulerit [f], & *Bullas aureas*.

[e] *Onuphr. ibid.*

ET SCRIPTA.

[f] *Bullar. to. 1. Sixt. IV. const. 6, 7. 19.*

III. DE THEODORO GAZA.

Cùm à pluribus laudatus fuerit, tum etiam egregiè de doctrinâ & moribus à *Theodoro Gaza* Thessalonicensi, viro in utrâque linguâ doctissimo, præfatione in libros Aristotelis de Animalibus, quos ei obtulit. Sed ut non solent ferè ejusmodi dedicationes operum, nisi ad proprium commodum fieri; nec laudes quæ eisdem inseruntur, adeò solidæ existimentur, nisi in ipsâ hominum vitâ, & conversatione fundamentum nanciscantur: periisset à Theodoro Sixti fama, nisi firma ac certa aliunde testimonia liberalitatis & literarum amoris habuisset. Dicitur [g] enim cùm præclaras suas lucubrationes in membranis accuratè perscriptas Sixto detulisset, nec pecunia vel ipsius librarij præmio digna redderetur; (ducentos tantùm ducatos datos volunt) nummos omnes præ indignatione projecisse in Tiberim; subdito, Effugere hinc lubet, postquàm optimæ segetes in olfactu prępinguibus asinis sordescunt. Si ubertim satisfecisset Sixtus, generosissimus fuisset equus Theodoro, vel potiùs aquila supervolans in cælis: quia verò non satisfecit ad libitum, inter asinos rudere jussus est. Hoc est enim ingenium istorum literatorum, & insulsorum doctrinæ ostentatorum, qui liberales disciplinas non nisi per avaritiam tractare sciunt. Post hæc autem Theodorus Brutios contendens, ac sacerdotij quod olim à Bessarione acceperat sedem; ibi non multò pòst planè senex fato functus est. Cujus quidem virtuti cum fortunam non parem fuisse Raphaël Volaterranus, qui eodem tempore vixit, retulisset in suâ Anthropologiâ [h]; rationem addidit, quoniam Vrbs Roma quantum antiquitùs hominum extulit ingenia & virtutes, tanto inde ob posterorum qui in eâ dominantur luxuriam atque desidiam contemnit. Vnde & addit, viros multos literis & moribus claros vidisse se Romam magnâ expectatione venire, qui paulò pòst fame coacti fuerint discedere.

[g] *Iovi. in Elog.*

[h] *Volater. lib. 21.*

IV. MANUS S. IOANNIS BAPTISTÆ DATUR HOSPITALI.

Sub finem Pontificatûs Sixti, Albussonius Magister Rhodiorum dono accepit à Bajazete Turcorum Imperatore, cùm fœdus inter eos pactum fuisset, sacram *Manum* dexteram S. Ioannis Baptistæ, miraculis insignibus probatissimam; olim Constantinopolim Antiochiâ delatam, & magnâ veneratione conservatam: quam Magister pluribus testimoniis il-

lam ipsam esse comprobatam, ingenti honore ac pompâ suscepit, & ferculo aureo gemmis ornato inclusit. Cujus rei historiam videre est apud auctores [i] Religionis Hospitalariorum. Denique corollarij loco vitæ Sixti addimus, Hieronymum illum Riarium, cujus augendi & conservandi causâ multa bella gesserat, quique omnia apud eum potuerat; paucis pòst annis in civitate Forolivij, quam ab eo acceperat tyrannidem exercentem, fuisse populari seditione miserè trucidatum, & in forum de palatij fenestrâ projectum.

[i] Bos. tom. 2. lib. 13. & 14

V. Mortuo Sixto, post novemdialia, 7. Calend. Septemb. Cardinales viginti quinque conclave ingressi; Iuliano Ruvereo Episcopo Ostiensi, & Roderico Borgiâ Cancellario maximè annitentibus; ex Presbytero Cardinale tituli S. Laurentij in Lucinâ à Sixto facto, (Melfitensi tamen vulgò dicto ob Episcopatum ejus urbis olim acceptum) creatus est Pontifex *Ioannes Baptista Cybo* ex nobili familiâ Genuensi, ortum ex Græciâ trahente: filius Aaronis, equestris ordinis viri, & virtute militari clari, quique & Vicariatum urbis Neapolis pro Regibus Renato & Alfonso gessit, & Romanæ urbis amplissimam Senatoriam dignitatem laudabiliter exercuit. Ipse verò Ioannes, cùm primò inter Alfonsi Regis Neapolitani, deinde ejus filij ministros egisset, posteáque Romæ longo tempore in contubernio Philippi Calandrini Cardinalis Bononiensis, fratris Nicolai V. Pontificis, commoratus fuisset; per diversarum dignitatum optimè obitarum gradus ad Cardinalatum, ac nonnullis legationibus dignissimè in eo gestis demùm ad Pontificatum pervenit; formâ egregiâ & liberali, staturâ procerâ, humanitate & mansuetudine insignis; parcior tamen de more gentis, præterquàm in pauperes & afflictos. Renunciatus est autem Pontifex die Dominicâ quartâ Calendas Septembris: Et accepto nomine INNOCENTII ejus nominis VIII. in recordationem Innocentij IV. æquè Genuensis; ac sententiâ sive symbolo, *Ego* [k] *in innocentiâ meâ ingressus sum*; coronatus est pridie Idus Septembris, annum agens ætatis unum & quinquagesimum. uti hæc omnia pluribus prosequitur Onuphrius in ejus Vitâ, cum longâ narratione nobilitatis & antiquitatis ejus familiæ: cùm prius in Commentario de Pontificibus & Cardinalibus dixisset, fuisse ex mediocri genere, patréque medico, & pauperem adolescentem inter Alfonsi ministros diù vixisse. Sed pro nobilitate patris familiæque, muneribúsque prædictis ab eo præclarè administratis, facit etiam Leonellus Concordiensis Episcopus oratione [l] in ejus funere habitâ: ex quâ fortè partem Vitæ ejus Onuphrius desumpsit.

IO. BAPT. CYBO CREATUR PONTIF.

ACCIPIT NOMEN INNOCENTII VIII.

[k] Psal. 25.

[l] Rec. Masson. in Innoc. VIII.

VI. Pontificatu inito, nihil potius habuit quàm pacem & tranquillitatem, cujus studiosissimus erat, inter Principes conciliare: legatósque Regum ac Rerumpublicarum, qui vel in Curiâ erant, vel ad eum pro solitâ præstandâ obedientiâ adventabant undique, rogare non destitit, ut ad concordiam solam & pacem amplectandam eos à quibus missi essent impellerent; bellorum incommoda & damna enumerans; dicénsque numquam ad arma veniendum Principibus nisi penitùs coactis; & cunctas Christianorum vires fœdere jungendas ad Turcorum impetus retundendos. Ad quod etiam excitatus fuit ab ipso initio præclarâ oratione [m] Philippi Callimachi Experientis, rerum Turcicarum experientissimi, qui pro Rege Poloniæ multis legationibus ad id functus fuerat. Misítque Innocentius suos de his legatos ad singulos Principes, cum multâ suâ laude. Ac Venetos, ad omnem tollendam ex eâ parte dissensionis occasionem, ob bellum Ferraricum sacris à Sixto interdictos, aliísque gravissimis pœnis suppositos, absolvit, atque in pristinum restituit.

AD PACEM HORTATUR PRINCIPES.

[m] Ext. in Tom. Rer. Pers.

VII. Procedebant interim prosperè res bellicæ in Hispaniâ [n] contra Mauros Granatenses, quamvis enim ex Boabdilis fœdere cum Ferdinando icto, Albohaceni patris ejus potentia crevisset, gente Boabdilem quasi impium & ad Christiana sacra propensum aversante; adeò ut à civibus Almeriæ, apud quos agebat, armis invasus, vix manus eorum effugiens, Cordubam ad Christianos confugere habuerit: nihilominùs multa Christiani oppida de Mauris receperunt tam vi, quàm deditione, insolito terrore universam gentem occupante. Quare cùm in Regibus suis parùm præsidij esse animadverterent, Boabdile profugo, Albohaceno morbis, oculorum caligine & senectute impedito: nova consilia inierunt, Muleyum Abohardillem Albohaceni fratrem ad regnum evocandi, qui magnam virtutis opinionem ex quibusdam prosperis adversùs Christianos successibus nactus erat. Quam & auxit, cùm post regnum acceptum, (fratre Albohaceno impiè juxtà ac crudeliter interfecto) levi primùm ad Nivosos montes, deinde graviori clade ad Moclinum oppidum Granatæ vicinum, Christianos oppressit. Sed ab adversâ Maurorum parte vocato contra illum Boabdile, intra ipsam urbem Granatam pertinaci inter se contentione decertârunt: demúmque Abohardilles abjectus est, cùm apud Malacam infeliciter pugnâsset, quæ urbs Maurorum à Granatâ secundâ, nobilissimâque, capta à Christianis fuit mense Augusti anni 1487. plurimis item aliis à præsenti deinceps anno in potestatem redactis, usque ad principium 1492. quo & ipsa Granata in potestatem Ferdinandi venit, ut tunc dicetur Prædictum autem Albohacenum sunt [o] qui observent, primum fuisse qui *Muleyi* titulum, qui idem sonat quod Rex aut dominus, sibi arrogârit: quem Africani magis retinuerint; sicut Orientales *Sultani*: quam vocem hodiéque linguâ suâ (ut aliàs etiam notâsse meminimus) per *Aphentis*, sive *Megas aphentis* reddunt, corrupto nonnihil ratione pronunciationis antiquo vocabulo αὐθέντης, quem Itali *Il grand Signor*; eâdémque significatione cæteræ Occidentales gentes quæque suâ linguâ appellitant.

[n] Marian. lib. 25.

DISSIDIU INTER REGES MAUROS.

[o] Garivai. lib. 40. c. 28.

MULEYI ET SULTANI.

VIII. Decessit hoc anno die [p] quartâ Martij Vilnæ in Lituaniâ S. *Casimirus* filius secundò genitus Casimiri Poloniæ Regis, anno ætatis suæ vigesimo-quarto mense quinto, tabe consumptus: singularis pietatis Princeps; adeóque castitatis cultor, ut cùm medici sanitatem pollicerentur si usum mulierum adhiberet, mortem elegerit quàm à proposito ejus servandæ resilire. Claruit post obitum miraculis: inter quæ, puellæ cuidâ defunctæ vitam, & Polonis ac Lituanis nobiles de Moschis victorias obtinuit

[p] Martyrol. Rom.

S. CASIMIRI OBITUS.

tinuit

tinuit. Quorum causâ eum Leo Papa X. anno 1521. in numerum Sanctorum adscripsit. Extatque ejus Vita nobiliter scripta à quodam Vilnensi canonico: Aliáque à Zachariâ Ferrerio Vicentino, Episcopo Gardensi, legato Apostolico in Poloniâ: qui etiam auctoritate Romani Pontificis divinas preces, sacros hymnos, ac denique integrum officium Ecclesiasticum in ejus honorem recitandum conscripsit.

IX. CONCEPTIONIS ORDO MONIALIUM.

q Mira. Orig. Monast. lib. 5. cap. 13.

Quo etiam anno q Toleti in Hispaniâ nobilis virgo Lusitana *Beatrix à Silvâ*, in honorem CONCEPTIONIS Beatissimæ Virginis, de quâ frequens erat his temporibus disputatio, Ordinem monialium instituit. Quibus Innocentius Papa anno 1489. rogatu Isabellæ Reginæ concessit, ut sub Regulâ Ordinis Cisterciensis, & obedientiâ Præsulis diœcesani, imposterùm Deo servirent, titulo tamen Conceptionis, & veste primùm acceptâ, videlicèt tunicâ & scapulari albis ac chlamyde cæruleâ. Beatrice verò anno proximè sequenti defunctâ, sodales ejus anno 1494. sanctæ Claræ Regulam, sed semper sub Conceptionis veste & nomine amplexæ sunt. Demúmque Iulius II. anno 1511. exemptas Ordini Cisterciensium, Franciscanorum Observantium curæ commisit.

X. INNOC. RESCRIBIT CONTRA MALEFICOS.

r Ext. in Bullar. Inquisit.

Cùm verò audîsset idem Pontifex, in multis Germaniæ civitatibus & locis complures utriusque sexûs homines cum dæmonibus incubis & succubis abuti, ac suis incantationibus, carminibus & conjurationibus, grandia omnis generis maleficia in viros, mulieres, bruta, fruges, exercere, fidémque abnegare, atque alia nefandissima perpetrare; ac nihilominùs nonnullos clericos laicósque negare Inquisitores in ejusmodi maleficos munus suum exercere posse, eò quòd singula loca & maleficia non essent in literis Apostolicis iis concessis expressa: constitutionem r edidit Nonis Decembris præsentis anni, quâ dubium illud sustulit, & facultates Inquisitorum latissimè extendit.

XI. CONGI REGNI DETECTIO.

s Barros. lib. 3. cap 3.
t Maff. Rer. Indic. lib. 1.

Eodem anno *Iacobus Canus* nobilis Lusitanus, Regis sui Ioannis nomine, regnum *Congi* in Æthiopiâ navigationibus suis detexit. Vnde quatuor præcipuæ indolis homines in Lusitaniam asportans, eosdem posteà reduxit: Regemque Congi ad fidem Christi amplectendam hortatus, accepit ab eo nobiles quosdam pueros, præfecto Cazutâ, sive Zacutâ, uno ex iis qui primò in Lusitaniâ fuerant: per quem Rex Congi à Lusitano petebat, ut illos cælesti lavacro expiatos, & Christianis præceptionibus probè institutos, cum piis aliquot sacerdotibus Congum remitteret, quorum operâ fides prædicari, & recipi posset. Qui in Lusitaniam appellentes, gratè à Rege accepti, cùm maturum visum est, baptizati fuêre, Cazutæ à Rege nomine Ioannis, cæteris à sponsoribus suo cuique imposito. Hæc enim præsenti anno cœpta, & in subsequentes prorogata, narrat Ioannes Barrosius s auctor Lusitanus in suâ Asiâ: ex quo, ut apparet, Maffeius t excerpsit. Extántque alij varij ac prolixiores diversorum de his tractatus in Collectionibus Latinis & Italicis auctorum qui de Rebus Indicis scripserunt. Quid verò hinc secutum sit, dicetur posteà.

IESU CHRISTI Annus 1485.

INNOC. VIII. An. 1.

FRIDERICI III. An. 46.

I. LEOPOLDI DUCIS AUSTRIÆ CANONIZATIO.

a Onuphr. in Innoc. VIII. Bellar. tom. 3. in Append. Bellarm. ib. 3. de Off. Princ. Christ. Et vid. supr. an. 1357. in fi.
b Sur. 15. Novemb.

ANNO Christi 1485. Indictione tertiâ, Innocentius Pontifex octavo Idus Ianuarij ipso sacro die Epiphaniæ, *Leopoldum* a olim Austriæ Principem, Pium Marchionem cognomento appellatum, anno Domini millesimo centesimo trigesimo-sexto, vitâ functum, & innumeris miraculis clarum, Friderici Imperatoris & Principum Germaniæ precibus inter Sanctos retulit; statuens festum ejus die decimo-secundo Calendas Decembris. De cujus laudibus & miraculis est apud Surium b oratio egregia Francisci Patavi. Atque in ejus fine fit insuper mentio alterius libri de ejusdem miraculis & canonizatione per Ioannem Franciscum de Pavinis conscripti. Idem verò Innocentius amissos furto duos Calices aureos magni ponderis, quos Ludovicus XI. Galliarum & Ferdinandus Neapolitanorum Rex Basilicæ Constantinianæ donaverant; itémque Mitram, quam Regnum appellant, quæ S. Silvestri fuisse ferebatur, surreptam: diligentissimè perquiri jussit; nec tamen tanti sceleris auctores umquam inveniri potuerunt.

II.

c Annal. Servor. cont. 3. lib. 4. c. 5.

INNOC. PP. ARMA CONTRA FERDIN. NEAPOL.

Cùm gravi morbo decubuisset, à quo sanatus dicitur c per invocationem Beatissimæ Virginis Annunciatæ Florentinæ, cum medicorum remedia parùm prodessent: indéque Fratribus Servitis, quorum curæ ea Ecclesia commissa est, privilegia omnia decessorum confirmásse, novâ constitutione, quam magnitudine & numero privilegiorum, Mare Magnum vocârunt:) pacis & tranquillitatis studiosissimus, Vrsinos & Columnenses, intestinis bellis & seditionibus se invicem, non sine maximo finitimarum Vrbi regionum damno & clade, lacerantes, ad concordiam reducere conatus; gravius ipse suscipere coactus est bellum contra Ferdinandum Neapolitanum. Qui cùm ob Comitem Montorij levibus ex suspicionibus securi percussum, Aquilanos ac plerosque regni sui proceres contra se concitâsset; vocatus ab iis in auxilium Innocentius, eò libentiùs tuendos illos suscepit, quod in Regem non anteà optimè animatus esset ob annua de regno tributa Ecclesiæ non persoluta. Sed id bellum non adeò per omnia feliciter gestum, postremò nonnullorum Cardinalium interventu, necessariâ potiùs (ut Onuphrius hæc narrans loquitur) quàm decorâ pace finitum est anno insequenti: *Ioanne Balue* Gallo Cardinale Andegavense, ut ait, maximè contradicente, qui Francorum Regem Pontifici auxilio propediem affuturum affirmabat.

III. LEGATIO CARDIN. BALUES IN GALL.

cc Vid. sup. an. 1469. II. 1480. IV.

Et planè id scire poterat Balues, qui recèns ex Galliâ redierat, legatione ibi anno superiori 1484. functus Sixti IV. Quippe auditâ morte Ludovici Regis IX. à quo, dirè, nec quidem immeritò habitus cc fuerat; cupiditate, ut putamus, patriam revisendi, in quâ præpotens aliquando extiterat, & gratiam ostentandi quâ tunc Romæ valebat, Legationem à Sixto obtinuerat quâ primùm minorem Bri-

tanniam petens, inde Lutetiam ad Regem Carolum accessit: ac post aliquas circa ejus receptionem difficultates, receptus est honorificè; eâ tamen conditione, ut Facultatibus Legatis concedi solitis non uteretur nisi Rege consentiente; sicuti cum aliis Legatis consuetum fieri vidimus [d]. Quibus cùm in ipso in regnum ingressu absque prævio ejusmodi consensu usus fuisse diceretur; inde sumptâ occasione Ioannes de Nanterre regius procurator generalis, de conservatione jurium ac privilegiorum Regis & regni pro munere sollicitus, adversus eum protestationem fecisse reperitur die 20. Augusti anni superioris, quo Balues Regem convenerat, cùm nondum sciretur obitus Sixti. De quo pariter idem procurator questus est, quòd quamvis regnum optatâ pace frueretur, nec ulla subesset urgentis necessitatis vel evidentis utilitatis causa, Legatum illuc transmittendi cum plenariâ potestate Legati de latere, nihilominùs ipse Sixtus ejus generis Legatum misisset: qui etiam, si mittendi aliquem causa adfuisset, talem mittere debuisset, qui in semetipso spiritum Dei, & præcepta ejus in conspectu suo haberet, in quo esset sapientia, claritas, & legis scientia; virum pacis & justitiæ zelatorem, non turbatorem; in quo vigeret rectitudo judicij, & cujus conversatio nota esset ac probata in populo. Ita ille, antiquam Baluæ conversationem refricans. Quem cùm pariter Senatus Curiæ Parisiensis prohibuisset decreto publico insignibus Legationis & facultatibus: uti in sanctiori nihilominùs Regis consilio, auditis Baluæ rationibus & submissionibus, decretum est, ipsum cum honore & veneratione Legatis à latere exhiberi solitis recipiendum esse; sicuti & fuit, permissúsque est facultatibus suis, quæ Regis aut regni & Ecclesiæ Gallicanæ juribus & privilegiis contrariæ non essent, uti ad libitum. Qui paucis diebus ibi commoratus, auditâ morte Sixti, confestim Romam repetiit: acceptis etiam à Rege mille aureis, non contemnendâ tunc summâ, in partem sumptuum itineris; prout de his constat ex actis tunc in Consilio Regis & Senatu Parisiensi confectis. Cujus ut reliqua vitæ breviter uno ductu prosequamur, fuit ille ab Innocentio Pontifice legatione Piceni honoratus, & protectione Militum Rhodiorum: vitámque produxit usque ad annum Domini 1491. quo decessit Romæ septuagenarius; & in Ecclesiâ S. Praxedis honorifice sepultus; nobili addito epitaphio, quo etiam titulo *herois* decoratur, & instabilitatis humanæ felicitatis memorabile exemplum, ut verè fuit, prædicatur. Cui longissime dissimile quod 24. versibus conscriptum, in ejus antiquæ assertæ proditionis detestationem Belleforestius Historiæ suæ inseruit.

[d] *Vid. sup. an.* 1476. *VI.*

IV. DE PACE INTER PONT. ET FERDIN.

Vt verò jam ad pacem Innocentij cum Ferdinando pactam redeamus, quamquam illa minùs honesta visa est Onuphrio, fuere nihilominùs admodùm amplæ ejus conditiones: videlicet [e] ut Rex qui à Sixto Pontifice obtinuerat censum ad solum equum album reduci, octo millia unciarum auri quotannis penderet: regni proceres servaret incolumes: Aquilanis sua libertas servaretur cui subesse vellent, Pontifici an Regi: Pontifex pro arbitrio omnia regni sacerdotia distribueret: venientibus Francis ad recuperationem regni, liberum esset Pontifici iis transitum & commeatum præstare: Virginius Vrsinus, qui à Pontifice defecerat, nudus pedes & caput, collum laqueo involutus, genibus flexis coram Pontifice, misericordiam supplex deposceret: reliqui Vrsini Pontificis voluntati se totos dederent. Quæ si indecora Pontifici Onuphrius existimavit, quid ampliùs desiderare potuit, nisi ut Ferdinandus penitùs regno pelleretur? Sed nondum completa erant peccata Amorrhæorum. Nescius autem Ferdinandus fidem servare, (quamvis Regem Hispaniæ, Ducem Mediolanensem, & Laurentium Medicem Florentinum vades dedisset) non solùm opprimere [f] proceres regni, & variis fraudibus ac suppliciis de medio tollere mox cœpit; verùm etiam censum Ecclesiæ solvere detrectavit, quibus de rebus à Pontifice seriò per litteras [ff] & nuncios monitus, nec tamen præter cavillationes & ludicras illusiones aliquid reddens, (quid enim aliud expectare debuisset Pontifex ab adulterinâ sobole?) fuit demùm ab eo anathemate damnatus, ac regno privatus, in gratiam Caroli Francorum Regis, qui id regnum ad se ex legitimâ successione & hereditate pertinere affirmabat. De quo dicetur posteà [g] pleniùs. Prædicto autem bello Neapolitano confecto, ad pacis studia rursùm Innocentius conversus, Vrsinos & Columnenses adhuc discordes summâ diligentiâ conciliavit, cùm nihil antiquius duceret quàm Vrbis quieti copiæque studere. Vnde toto ejus Pontificatu, & annonæ maxima ubertas, & Vrbs à grassatoribus latrociniísque tuta fuit; cùm esset in vindicandis criminibus inexorabilis. Eo autem bello ærario exhausto, Sixti exemplum secutus, quò pecuniam colligeret, *Plumbatores Bullarum, Secretariorum Collegium, præsidentes Ripæ* instituit, quæstûs gratiâ, venditis singulis certo pretio.

[e] *Onuphr. & Ciac. in Innoc. Brut. lib. 8. Bzov. hoc & seq. an.*

[f] *Marian. lib. 25. cap. 7.*

[ff] *Ap. Bzov. an. 1487.*

[g] *Infr. an. 1489. IV.*

NOVA OFFICIA CURIÆ ROM.

V. VIENNA AUSTRIÆ CAPITUR A MATTHIA.

Hoc eodem anno, continuante bellum [h] Matthiâ Rege Hungariæ contra Fridericum Imp. Viennam Austriæ metropolim, post aliquot mensium obsidionem fame ad extremum redactam, deditione recepit Calendis Iunij: haud sine perpetuâ Friderici Imp. ignominiâ, inquit rem describens Bonfinius [i]. Verùm, ut non inficias eamus ingenti fuisse dedecori Imperatori, sic pati Matthiam Austriam circumcursare, & urbes in potestatem redigere, ipso nihil penè quàm otiosum se præbente spectatorem patriæ suæ calamitatis: tamen quod Viennam spectat, potuit impotentiæ subsidij excusationem vindictæ obtendere, quam idem ipse Bonfinius insinuat; cùm ait, rogatum illum auxilium Viennensibus mittere, respondisse, paterentur eam Viennenses inediam, quam suum quondam Principem in arce obsessum perpeti coëgissent. Ipsummet nempè Fridericum; quem aliquando à feroci populo ibi circumsessum aliàs vidimus. Sciebat fortè se brevì eam urbem recuperaturum: alioquin quæ hæc excusatio? aut in cujus maximè detrimentum peribat illa? Scribunt Annales Silesij, cùm Matthias Imperatoris ditiones circumcursaret, Imperatorem peregrinari per Germaniam solitum, atque in parietibus hospitiorum scribere hujusmodi sententiam, *Rerũ*

[h] *Vid. sup. an.* 1481. *IX.*

[i] *Bonf.* 4. *dec.* 6.

irrecuperabilium summa felicitas oblivio. Et Krantzius, profectum esse in Belgium ad filium visitandum, quasi nihil res Austriacæ & Germanicæ eum tangerent. Ceterùm post hæc Matthias Budam Hungariæ regressus, ad principium anni insequentis Comitia regni habuit; & sanctiones plurimas edidit pro optimo ejus statu, quæ extant [k] octoginta septem capitulis scriptæ; quarum proœmio haud omisit magnificè de rebus suis agere. Qui insuper rebus prosperis insolentior factus, cùm Petrum Colociensem Archiepiscopum, virum insignem, qui solus omnia apud eum liberè loquebatur, in carcerem, quòd damnaret insolentia tributa, quæ ter quatérve quotannis exigebantur, conjecisset, sex annos continuos captivum detinuit: nec ullis Pontificis [l], ejúsque Legati Ioannis Cardinalis Aragonij fratris Reginæ Beatricis, aliorúmque eâdem de re missorum hortationibus ac precibus induci potuit eum libertati restituere: quoad demùm post ejus mortem miser, invitâ [m] Reginâ, vinculis ereptus est. Quomodò verò post hæc Matthias reliquam penè omnem Austriam subjugârit, Bonfinius [n] narrare pergit; reliquas res Matthiæ toto quinquennio, quo post captam Viennam supervixit, uno fasce complexus, ne ut ait annorum supputationem toties facere cogeretur. Quo etiam tempore idem ipse *Antonius Bonfinius* patriâ Asculanus è Picenti Italiæ agro, ad eum accessit, varia librorum quæ nuper ediderat volumina deferens. A quo benignè receptus retentúsque, ejusdem impulsu conscripsit Historiam illius gentis, quam ejus successori Wladislao dedicavit.

[k] Post Bonfin. in fi.

[l] Exped. ms. Innoc. VIII. & inde ap. Bzov. an. 1484.

[m] Bonf. 4. dec. 9.

[n] Id. lib. 7. & 8.

BONFIN. ACCEDIT AD MATTHIAM.

VI. PETRI ARBUESIJ MARTYRIUM.

Cæsaraugustæ in Aragoniâ, occasione Officij Inquisitionis grave facinus admissum est; occiso *Petro Arbuesio*, sive *Epila* à loco ortùs dicto, illius Ecclesiæ canonico; viro nobili & maximè pio. Qui cùm pro suscepto munere Inquisitoris, quæstiones de religione habere cœpisset, ac nonnullis ejus desertoribus, & Iudaicos ritus quos abdicârant repetentibus, supplicia irrogâsset, inque Iudæorum causam vehementer inveheretur: eorum demùm insidiis nocte intra ecclesiam ante altare majus orans, Idibus Septembris, seu ut alij habent biduo post decimumseptimum Calendarum Octobris, gravissimè ab immissis sicariis vulneratus, ac pro mortuo derelictus, fermè biduo adhuc superstes nihil eo spatio præter divinas laudes effari auditus est. Defuncti corpus eodem loco ubi vulnera acceperat, conditum est; sparso ad pavimentum sanguine tunc fervere & ebullire viso: eidémque postmodùm debitus Sanctis honor exhibitus. De consceleratis hominibus intra annum supplicia sumpta, cunctis per varios casus ad unum pereuntibus. Rem verò Mariana [o], & prolixiùs describit Hieronymus Blanca [p].

[o] Mar. lib. 25. cap. 8.

[p] Blanc. de Reb. Arag. in Ferdin. II.

VII. HENRICUS RICHEMON. INVADIT ANGL.

Hoc anno Henricus Comes Richemondiæ in Angliâ, quem vidimus in minori Britanniâ apud Ducem Franciscum custoditum, & ab Eduardo IV. Angliæ Rege tantoperè formidatum; cùm etiam Richardo regni Anglici invasori non minori formidini esset, quamvis nullarum virium, vixque ullo jure regnum tangens; nisi quòd natus erat Margaritâ filiâ Ioannis Ducis Summerseti, à longinquo ex familiâ Lancastrensi descendentis; patre verò Edmundo filio Catharinæ Gallæ (Henrici V. conjugis, & Sexti matris) ex Owino occulto posteriori viro: Hic igitur Henricus Richemondius, certior à matre Margarita factus, ita ipsam cum Elisabethâ Eduardi relictâ, quæ in asylo Westmonasteriensi Richardi timore vitam ducebat, convenisse, ut si filiam ejus natu majorem (æquè Elisabetham nominatam, quæ olim desponsa fuerat Carolo Francorum Regi tunc Delphino) Henricus uxorem duceret, omnes Eduardi amici ei ad regnum, pulso Richardo, adipiscendum opitulaturi essent: conditionem libentissimo animo accipiens; habitis primò à Duce Britanniæ nonnullis auxiliis, cùm illa nulli usui fuissent ob supervenientem tempestatem, quæ classem disjecit; deinde post longam aberrationem in Britanniam Armoricam rediens, vix Landosij quæstoris Ducis, qui omnia apud Ducem poterat, proditione, quâ Henricum Richardo tradere donis ac promissionibus corruptus pollicitus fuerat, evitatâ, clàm in Galliam ad Carolum Regem confugit. A quo milite & navigio adjutus, Calendis Augusti ex Sequanæ ostio apud Rotomagum solvens, septimo die Walliam attigit. Quem ferunt [r], ubi primùm in terram descendit; flexis genibus psalmum Davidicum [s] *Iudica me Deus, & discerne causam meam*, &c. magno mentis, pietatis, fiduciæque erga Deum ardore recitâsse. Móxque terram ipsam osculatum, signóque Crucis pectus munientem, jussisse suos bono & forti animo esse. Hinc modicis itineribus ulterius progressus, concurrentibus undique ad eum copiis, ac pro illo agente præcipuè Thoma Stanleio equite ipsius vitrico; demùm prælio ad undecimum Calendas Septembris inito cum Richardo, qui cum longè majori exercitu, sed parùm fido occurrit ad pagum Bosuortum prope Lecestriam, eum superavit; cæso etiam illo inter confertissimos hostes, cùm ab initio prælij à majori suorum parte derelictus, & ab intimis monitus salutem fugâ quærere, respondit se eo die aut bellorum aut vitæ finem facturum: qui propterea certò sciens illum diem vel regnum sibi deinceps pacatum redditurum, vel perpetuò ademptum, coronâ regiâ redimitus in certamen descendit, ut aut initium finémve regnandi ex illâ faceret. Victor Henricus Londinum properans, Elisabetam Eduardi filiam in matrimonium, ut conventum fuerat, duxit; (ad quod opus fuisse dispensatione Apostolicâ, quòd quarto gradu sese attinerent, datámque postea esse, tradunt [t];) ejúsque majus jure quam suo Rex coronatus est pridie Calendas Novembris, *Henrici* nomine Septimus, annum ætatis agens circiter vigesimum octavum. Ex quo jam quietem Anglicano populo partam prædicabant, quod Lancastria & Eboracensis longè perniciosissimæ factiones, post tot bella, tótque Regum ac Principum ex utrâque parte neces, in unam coîsse domum viderentur: Cùm nihilominùs veritus Henricus, ne per Eduardum Comitem Varvicij filium Georgij Ducis Clarentiæ, fratris duorum prædictorum Regum Eduardi & Richardi, quindecim annos natum, sibi aliquando noceretur, eum in arce Londinensi in custodiam tradiderit. Et quòd sibi etiam insidias tali modo

[q] Polyd. lib. 23. Vid. Harpsfeld. Hist. Eccl. Anglic. sect. 15. cap. 7.

[r] Harpsfeld. ibid

[s] Psal. 42.

RICHARDUM TYRANNUM PRÆLIO PERIMIT

[t] Ap Bzov. an. 1486.

HENR. VII. REGNAT.

regnum adepto pertimescendas non sine causâ duceret; primus omnium Angliæ Regum stipatores corporis habere cœpit. Quæ omnia uti se habuerint, prolixè describit Polydorus[u]: sed perperàm in annum consequentem referens, quæ plerique alij præsenti facta volunt. Nec abnuit idem ipse, cùm ait Richardum regnâsse tantummodò duos annos & totidem menses; quem anno 1483. ante obitum Ludovici Francorum Regis jam regnare cœpisse vidimus.

[u] Polyd. lib. 26.

VIII. DIRA LUES ANGLIAM INVADIT.

Addit verò Polydorus, eodem anno (sequentem tamen nonnulli designant: nempè res contigit primo anno Henrici, cujus major pars ad sequentem pertinet:) novum morbi genus pervasisse totam Angliam sub primum Henrici in insulam descensum; diram quamdam luem, & quam nulla ætas anteà perpessa sciretur, (similem fermè illi, quam in Galliâ non ita pridem sævîsse vidimus[x]:) quâ videlicèt subitò sudore fœtido mortiferóque corpus tentante, ac simul dolore caput stomachúmque vehementi caloris ardore afficiente, vix centesimus quisque ex omni ægrotantium numero evadebat, quin intra vigintiquatuor horas moreretur: qui sudorem atque calorem quietè sufferre poterant, multi sanabantur: hócque unicum inventum fuisse remedium ait ex ægrotantium experimento, cùm nulla interim medicorum ars aut scientia quicquam opitularetur. Notum autem hinc orbi factum est hoc morbi genus sub nomine *Sudoris Anglici*; qui deinceps sæpè revixit. Fuisse autem eo tempore Anglis velut prodigio duri Henrici Regis futuri imperij, idem auctor addit: (cujus inter alia exempla, gravissimum paulò pòst præbuit, cùm Reginam Elizabetam matrem, cujus operâ regnabat, ineptâ quæsitâ occasione, omnibus possessionibus mulctatam in ordinem redegit;) cùm tamen malit ipse interpretari de inquieto Henrici regno à seditionibus adversariorum; quibus ab ipso initio vexari cœpto, numquam posteà per illas quietè esse licuit. Illáque imprimis, quâ nomine suppositítij cujusdam Eduardi, Georgij Ducis Clarentiæ filij in Regem in Hiberniâ electi (cùm verus interim is Eduardus, in arce Londinensi, ut vidimus, detineretur) magna facta est in eundem Henricum conjuratio; præcipuo duce Ioanne Comite Lincolniensi, Eduardi Regis sororis filio: qui cum auxiliaribus copiis Germanorum à Margaritâ viduâ Caroli olim Ducis Burgundiæ, prædicti Eduardi Regis sorore, in Flandriâ acceptis, atque Hibernorum suppetiis, cum adulterino suo Rege in Angliam ingressus; prælio cum Henrico decernere non dubitavit, longissimè quamvis impar copiis, ad viculum Stoke prope Newarcum Eboracensis agri. Sex cæsus finem conjurationi fecit: capto etiam Lamberto Simenello, (id enim nominis erat supposititio illi Eduardo) unà cum Richardo Simondo presbytero totius strophæ architecto; sed utroque vitæ servato: Simondo quidem, quòd presbyter esset: (qui tamen æternis tenebris vinculísque demandatus est) Lamberto verò, quòd innocens puer nihil per ætatem peccâsset: qui coquinæ regiæ veru vertendo, aliísque vilioribus muneribus aliquamdiù applicatus; posteà factus est accipitrum domitor: ut Polydorus ait: hæc tertio regni Henrici anno perfecta esse asserens. Quæ Krantzius[y] non adulterini cujuspiam Eduardi occasione contigisse, sed de vero filio Ducis Clarentiæ totam controversiam fuisse putavit.

[x] Supr. an. 1482. VI.

SUDOR ANGLICUS.

CONJURATIONES IN HENR.

[y] Krantz. Saxon. lib. 13.

IX. INNOCENTII PP. CONSTITUTIO DE ASYLIS ECCLESIARUM.

Quòd verò ratione hujusmodi conjurationum multi earum conscij ad certa asyla sacra, quæ temerare nefas existimaretur, confugere soluti essent, unde nihilominùs frequentes eruptiones & incursiones facerent; auctoritate Pontificis Innocentij lata lex dicitur[z], ut azylis inscripti, si homicidia, furta, incendia, sacrilegia, depopulationes agrorum, regni aut Regis proditiones exinde committerent, ejecti ex iis vi laicâ ad supplicium ducerentur.

[z] Ap. Bzov. an. 1487.

X. PRODIGIOSUS NUMERO PARTUS.

Prodigiosum est, quod auctores[a] Historiæ Genuensis referunt hoc anno Bartholomæam Ioannis Antonij Buccanigræ conjugem, septemdecim liberos uno partu edidisse: ac licèt tali essent corporis formæque constitutione, ut diurnâ vitâ frui non daretur, tamen omnes vivos in lucem venisse. Sed de hujusmodi portentosis numero partubus jam sæpiùs dictum: quorum disputationem relinquimus philosophis ac physicis.

[a] Bizar. lib. 15. Nebiens. lib. 5.

IESU CHRISTI Annus 1486.

INNOC. VIII. Ann. 2.

FRIDERICI III. An. 47.

I.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, Indictione quartâ, die vigesimâ mensis Ianuarij (ut Nauclerus[a] habet) Maximilianus Austriæ Archidux cum genitore Friderico Romanorum Imperatore Francofordiam ingressus, exin die decimosexto Februarij, ab Electoribus, observato ordine Bullæ aureæ, in Regem Romanorum electus est. Quâ de re agens Krantzius[b], ait indixisse anteà Imperatorem Principibus Electoribus ibidem Francofordiæ conventum, ut de Rege novo constitueretur: Mutâsse quippe jam sententiam, qui superioribus annis eâ de re à Principibus interpellatus, responderat, filium se suum propiùs agnoscere, sciréque non esse rebus gerendis idoneum. Id sive ex sententiâ diceret, sive simulatione præferret, sive etiam magnum onus administrandi Imperij evisceratì filio averteret, incertum esse: Potuisse tamen illum ad mutandam sententiam inflectere, & maturiorem ætatem filij, & recentes de Francis ac Flandris, sive paternis armis, sine amicorum ope partas victorias. Igitur cunctis annuentibus Rex creatus *Maximilianus*, inde Aquisgranum deductus est; ac nonâ Aprilis (ut in Actis[c] Coronationis habetur, quæ erat Dominica secunda post Pascha: ex quibus corrigas Nauclerum, qui diem decimam signat; & magis Michovium[d], qui vigesimam octavam Martij:) ab Archiepiscopo Coloniensi de more inauguratus est coronâ Caroli Magni ex archivis Nurembergensibus allatâ. Conatum autem esse Matthiam Hungariæ Regem hanc Maximiliani assumptionem studio magno impedire, idem Krantzius scribit. Factáque cuncta, ut par erat, de cõsensu Innocentij Papæ, de his præmoniti

[a] Naucler. gen. 50.

MAXIMILIANI CÆS. ELECTIO.

[b] Krantz. 13. Saxon. 1.

[c] Ext. to. 3. Rer. Germ. Freher.

[d] Michov. lib. 4. cap. 73.

per nuncios, & securi redditi de obedientiâ Maximiliani, & confirmatione privilegiorum Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ, ex aliis Actis [e] intelligitur.

[e] Ap.Bzov. hoc an.

II. LEX DE PACE GERMANIÆ.

Habet verò insuper Nauclerus, eodem conventu Francofordiensi mense Martio Imperatorem, assistente Maximiliano Rege, & Principibus atque communitatibus Imperij consentientibus, legem tulisse de pace servandâ per integrum decennium toto Imperio, ita ut nemo alterum in personâ aut bonis offenderet; & qui legis prævaricatores quocumque modo, & cujuscumque conditionis essent, proscriberentur, factâ quibuscumque facultate eos ut pacis violatores impunè offendendi. Fuisséque hanc pacem à multis receptam, ab aliis verò neglectam: à Suevis autem inita inter se societate ita firmatam, ut formidabiles facti sint vicinis suis, ac plures civitates Imperij, potentissimique Principes iis jungi quæsierint: unde *Suevicum Fœdus* nomen accepit, in Historiis Germanorum & Helvetiorum non incognitum. Quod anno millesimo quadringentesimo octogesimo octavo cœptum plerique volunt; impositúmque ei præterea nomen *Clypei Georgianæ Societatis*, eò quòd omnes qui eâ comprehendebantur, gestare deberent clypeum Sancti Georgij.

FOEDUS SUEVICŨ.

III. MUTUÆ MINÆ MAXIM. CÆS. ET CAROLI REGIS.

Ex prædicto verò conventu abiens Maximilianus in Belgium, quòd videret res in Galliâ non ad vota sua administrari, literas ultimâ die Iulij Brugis scripsit ad Regem Carolum; quibus vehementer questus de administratione Annæ ipsius sororis & Petri Borbonij ejus viri, déque infractione pacis quæ inter Ludovicum patrem Caroli & ipsum Maximilianum facta fuerat; monuit comitia regni convocare, ut his malis remedium afferretur; minas interim intentans, prætextu securitatis suæ, & filij sui Philippi. Cui respondens Carolus ultimâ die Augusti Bellovaci existens, multa in defensionem Ludovici patris sui, suam, & Annæ sororis præfatus, crimen in eum retorsit solutionis fœderis, & aliquot oppidorum interceptionis, aliarumque injuriarum illatarum contra jus fasque: non verò illius esse sollicitudinem gerere administrationis regni Gallici: cupere quidem se pacem servare cum illo; sed difficile fore creditu, ut qui priùs juratam non servâsset, aliam imposterum servaturus esset: eáquepropter diligenter curaturum se nequid detrimenti ab ejus fraudibus & insidiis regnum acciperet. Extant [f] ambæ istæ epistolæ utrimque scriptæ: quæ seminaria fuêre majorum turbarum, de quibus dicetur posteà.

[f] Ap. Nicol. Gill. in Addit. Bellefor.

IV.

MILVERTONI CARM. ANGLI INTEMPERANTIA.

Hoc anno vivendi finem fecit in Angliâ *Ioannes Milvertonus* Carmelita sacræ Theologiæ Doctor, & professor Oxoniensis: qui [g] imprudenti seu zelo, seu arrogantiâ, in Ecclesiæ Prælatos invectus, qui virtuti magis quàm vitio tribui debuerant insolenter carpebat, dum gravitatem, honestum habitum, hospitalitatem, severitatem, interpretabatur superbiam, luxum, prodigalitatem, tyrannidem. Sic enim plerique hujusmodi fraterculi ad deprimendam Episcoporum auctoritatem consueverunt singula eorum in deteriorem sensum populis vindicare. Quare Milvertoni exemplum secuti nonnulli alij monachi, Episcoporum contra se animos justâ indignatione provocaverunt. Quorum duos Episcopus Londinensis carceri inclusit, & seditionis auctorem Milvertonum excommunicavit. Qui Romam ad Papam confugiens, frivolis ejus excusationibus rejectis, in carcerem detrusus est, & triennio ibi detentus; ut qui benè loqui foris nesciret, disceret saltem intùs tacere. Postmodùm libertati redditus, ab Episcopatu tamen Menevensi, ad quem anteà fuerat electus, rejectus est. Inde autem Ordinem Carmelitanum in Angliâ declinâsse admodùm tradunt; deficiente etiam doctrinâ, quòd deficerent Mecœnates qui studia eorum promoverent.

[g] Pitsæ.de ill. scrip. Angl.

V. REGINALDI PEACOCKI ANGLI ERRORES, ET DAMNATIO.

Dicitur autem hic Milvertonus occasionem suarum reprehensionum sumpsisse ab insectatione *Reginaldi Peacocki*, (hoc est, pavonis) primùm Asaphensis deinde Cicestrensis in eâdem Angliâ Episcopi, qui in graves errores prolapsus fuerat. Sed ab hujus culpâ in ceterorum innocentiam temerè delapsus, debitas dedit suæ inconsiderantiæ pœnas. Qui autem fuerint Peacocki errores, in commentario Goduini de Præsulibus Angliæ, ubi de hoc pavone ex Balæo damnato auctore agitur, reperimus præcipuè: Neminem teneri obedire Ecclesiæ Romanæ determinationi: Non esse necessarium ad salutem, credere Corpus Christi esse in Eucharistiâ: Ecclesiam universalem errare posse in iis quæ sunt fidei. Cùm autem ab Episcoporum Synodo Lambatum citatus fuisset, ut coram Thomâ Bourchiero Archiepiscopo Cantuariensi & Cardinale Sancti Cyriaci doctrinæ suæ rationem redderet; ibi damnatum, coactum esse palinodiam publicè in ecclesiâ Sancti Pauli Londini canere anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, die quartâ Decembris; libris ejus, quos non paucos erroribus suis conspersos scripserat, igne coram se exustis: Episcopatu quoque depositum, pensione tenui assignatâ, in quodam cœnobio mœrore confectum brevi interiisse. Prædictus verò Bourchierus Archiepiscopus & Cardinalis ponitur obiisse præsenti anno trigesimâ Martij. De quo observant, inter Anglos non reperiri quemquam qui Episcopatum tamdiù gesserit, cùm à primâ consecratione ad Episcopatum Wigorniensem factâ anno millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, annum unum supra quinquaginta vixerit, Neque item per octingentos retrò annos fuisse in eâdem Angliâ, qui Archiepiscopatum tot annis tenuerit; nempè triginta duobus, quibus Cantuariensem hic administravit, eò translatus ex Ecclesiâ Eliensi, ad quam assumptus ex Wigorniensi priùs fuerat.

VI. GEORGII TRAPEZUNTII OBITUS.

Ex classe literatorum mortuus est hoc anno Romæ *Georgius Trapezuntius* nonagenarius: qui ferè Græcorum primus Romæ eo sæculo renascentibus literis, Græca faciliori stylo in Latinum vertere existimatus est. Publicâ autem invidiâ deflagravit, quòd Peripateticum se profitens, Platonis divinum ingenium famoso volumine lacerare ausus sit: qui à magno Bessarione defensus, tutus permansit à livore Georgij. Senex repuerascere visus

est; adeò ut omnium literarum oblitus, etiam circuiret Vrbem Iouis obtrito in pallio pileatus, & nodoso scipione vacillantis gradum sustinente: ut eum depingit Iovius in Elogiis.

VII. INITIUM BELLI INTER TURCUM ET SULTANUM.

Hoc item anno cœptum est bellum in Oriente inter duos potentissimos Principes Mahometanos, Bajazetem Turcorum Imperatorem, & Sultanum Ægyptium nomine Caitheum sive Caitbeium; (quem natione Circassium, conditione servum, rerum fortiter gestarum commendatione ad Sultanatum à Mamalucis evectum, multis illatis cladibus Arabes aliósque vicinos populos sibi subjecisse tradunt [h] (jam antè à Mahomete Turco (ut vidimus [i]) ob injurias ab eo acceptas propositum; accedente modò novâ causâ, suscepti ab eo Zemis ipsius Bajazetis fratris, & quòd relictam apud eum ejusdem Zemis uxorem ac liberos sibi tradere recusaret. Sed infelix extitit bellum Bajazeti; eò quòd hoc ipso anno missos adversus Ægyptium successivè duos potentes exercitus cum præclarissimis ducibus, Ægyptius ingentibus cladibus in Ciliciâ prostraverit; tertiúmque subinde confecisset, nisi ejus ductor pugnam detrectâsset. Rem distinctè narrant Annales [k] Turcici: cùm qui è nostris de his scripserunt, unicam tantùm hujus anni pugnam apud Tarsum, quamquam illam longè gravissimam, & Turcis calamitosissimam, agnoscant; factam illam inter Amanum montem & sinum Issicum, eodem loco quo Magnus Alexander Darium prostravit. De belli verò continuatione dicetur subsequentibus temporibus.

[h] *Bizar. Rer. Pers. lib. 10. Iovi. Elog. lib. 3.*
[i] *Supr. an. 1481. I.*
[k] *Leuncl. lib. 16. Annal. Beckan & ibi Pandect. 160. 161.*

IESU CHRISTI Annus 1487.
INNOC. VIII. Ann. 3.
FRIDERICI III. An. 48.

I. CONVENTUS NUREMBERGENSIS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo octogesimo septimo, Indictione quintâ, Fridericus Imperator conventum magnum habuit Nurembergæ pro auxilio ferendo contra hostes suos, & pro fide Christianâ. Vbi variis conventionibus habitis de unione Principum, conclusum est ut omnia bella inducias haberent: quod tamen nemo servavit. Ita Nauclerus. Mox subdens, Innocentium Papam Clero per Germaniam imposuisse decimam: sed Clerum intercessisse, & ad eumdem ipsum Pontificem meliùs informandum provocâsse: atque Imperatorem sese interponentem, impetrâsse ut ab exactione supersederetur.

II. [a] *Krantz. 13. Saxon. 3.*

MAXIMILIANI DISSIDIŨ CUM BELGIS.

In Flandriâ item (ut Krantzius [a] narrat) Maximilianus Romanorum Rex Brugis conventum habens, cùm pecunias postularet ad bella gerenda; clerus quidem quod juris erat obtendens, excusavit se non posse nisi consulto Pontifice in eâ re quicquam constituere: cæteri verò exhaustas populi vires crebris contributionibus opposuerunt. Túncque res infecta permansit. Crescentibus autem urbium provinciæ Flandriæ primùm murmuribus, deinde apertis indignationibus, quòd ipsæ solæ emungerentur; reliquis ditionis terris permanentibus immunibus; minantibúsque, si perseverarent emungi, sanguinem aliquando profluxurum; seditio inde per universam fermè Flandriam excitata est: eâque partim de causâ, quòd pecuniæ illæ corrogarentur ad bellum Regi Francorum inferendum, cum quo Flandri pacem mallent.

BELLUM DUCIS AUREL. CONTRA REGEM.

Icerat enim fœdus Maximilianus cum Ducibus Britanniæ & Aurelianensi adversus Regem Carolum, qui eos bello persequebatur. Quippe susceperat Brito patrocinium Aurelianensis: qui multa anteà molitus ut regni gubernacula reciperet, contra Ludovici Regis & Ordinum Galliæ decreta; cùm etiam eâ de re semel iterúmque bellum Regi movisset, auxiliantibus plerisque aliis Principibus regni in odium Annæ Regis sororis, cui ejus cura demandata fuerat; (quod Bellum vulgò Insanum, *La folle guerre* nuncupatum fuit) toties veniâ petitâ in gratiam receptus denuò ad Britonem confugerat: nihilque illi non egerunt quo exteros etiam Reges Hispaniæ, Angliæ, aliósque Principes, in Regem regnúmque commoverent; sed levi conatu, quamvis nulli non eorum & consilia & vires rebellibus subministraverint: Rege interim tam superiori quàm præsenti anno multas urbes de rebellibus per diversas Galliæ provincias, déque Britonis ac Maximiliani ditionibus, quà vi, quà interceptione, quà deditione, tam per se ipsum, quàm per suos duces ac proreges recipiente. Quæ ut gesta sint, narrant pluribus auctores [b] Francici, Britones, ceterarúmque nationum.

[b] *Ialin. in Hist. Car. VII. Hist. Ludov. XII. Æmil. lib. 10. in fi. Gaguin. lib. 11. Bellef. lib. 5. c. 153. 154 Argentræ. lib. 13. cap. 34. Marian. lib. 25. Krantz d. l. 13. & alij.*

III.

Sed quod de sollicitatis Regibus à parte adversâ diximus; non etiam sibi in hoc defuit Rex Carolus; cùm sciens Matthiam Hungariæ Regem bellum gerere in Fridericum Imperatorem patrem Maximiliani, misso ad eum oratore fœdus iniit; quod utrique commodum videri poterat, ut dum ij duplici bello distraherentur, neuter alteri suppetias ferre posset. Hujus enim Gallicæ legationis testis est Bonfinius [c]: narrans, Matthiâ existente in obsidione Engburgi oppidi Austriæ, rumorem effusum esse Gallorum oratorem nomine Christophorum adventare: itaque Regis edicto multa procerum Pontificúmque agmina obviam prodiisse, & honestissimos equitum ordines in occursum effusos esse: singulari pompâ exceptum, post fœdus initum, magnis muneribus donatum remissum esse unà cum Ioanne Episcopo Varadiensi, rarâ ingenij dexteritate, consilio, & industriâ ornato, quem Rex Matthias ad prædictum fœdus firmandum in Galliam legavit cum amplissimis ad Regem muneribus. Qui ut erat eximiâ liberalitate & magnificentia, raram pompam instituens, ut rem suo Principe séque dignam faceret, trecentos imprimis equos eodem colore omnes & magnitudine, trecentósque juvenes ex universis procerum ordinibus & ex totâ nobilitate delegit, qui per singulas urbes togati incederent, & purpureo cuncti habitu uterentur; intonsos omnes, & eâdem proceritate ætatéque consimiles: Ex iísque torquatos multos, ceteros quibus aurei crines erant, gemmatis capita sertis obductos. Suppellectilem item habuisse plusquàm Pontificiam, quæ necubi explicari potuit: quin regiæ majestatis hospitium referret. Præter fœdus Galli-

[c] *Bonfin. 4. dec. 7.*

FOEDUS INTER CAROLŨ REG. ET MATTHIAM.

cum habuisse in mandatis, ut sororem Ducis Mediolanensis Ioannis Corvini filij nothi Matthiæ nomine, quem pater adhuc puerum in spem regni educabat, cùm nullos haberet filios legitimos, desponsaret: & ut Zemem, (quem plerique Zizimum, Bonfinius & alij post eum Zalabum appellant: à Zelebi, ut puto, quod nobilem significat, & Turcis aliquando titulus fuit filiorum aut fratrum Regum illorum; quemadmodùm olim Romanorum & Græcorum Imperatoribus Nobilissimatus) fratrem Bajazetis Turcorum Imperatoris, quem in Galliâ à militibus Rhodiensibus detentum vidimus, à Rege impetraret, ut sub illius nomine Matthias Turcum graviori quàm antè bello metúque afficeret. Episcopum cuncta mandata è sententiâ confecisse; præterquam quòd Turci fratrem Summo Pontifici promissum abducere non potuit. Petierat enim illum Pontifex eodem fine belli Turcis inferendis: de cujus ad eum missione dicetur suo loco. De prædictâ autem legatione Hungaricâ ad Regem Carolum missâ, déque ejus magnificentiâ, donísque ac muneribus splendidis & pretiosis ultrò citróque datis, est pariter mentio in Historiâ ejusdem Caroli per Guillelmum Ialinium Secretarium Ducis Borbonij tunc conscriptâ, quam Theodorus Gothofredus in lucem edidit.

IV. Aliæ Matthiæ legationes pro Zeme obtinendo. [d] Bos. 2. lib. 14.

Similem autem petitionem Zemis factam esse à Matthiâ eodem tempore per Paulum Rethassium secretarium suum missum eâ de causâ ad Albussonium Magistrum Rhodiorum, eamdémque excusationem de mittendo illo ad Pontificem accepisse, tradit Bosius [d] in Rhodiorum Historiâ. Aliámque insuper legationem ab eodem Matthiâ ad Bajazetem missam referunt Annales Turcici, cujus dux fuerat Baxensis reguli filius vir eximiæ dignitatis nomine Iacheskits: qui cùm in reditu jam Semendriæ fines attigisset, à quodam Turco Gase Mustaphâ occisus fuerit, eò quòd olim legatus ille ipsum Gasem fratrémque ejus captivos habens, veru fratrem transfixisset, & Gasem veru vertendo assare coëgisset, excussis insuper ei cunctis dentibus. Qui tamen Gases mox & ipse confossus est. Quid autem quæreret hâc legatione Matthias, nec ibi dicitur; nec uspiam ejus Bonfinius meminit.

V. [e] Ext. in Collect. Concil. Colon. sub Herman. IV.

Pici Mirandul. Conclusiones damnantur.

Hoc eodem anno pridie Nonas Augusti Innocentius Pontifex decretum [e] edidit contra libellum Nongentarum Conclusionum *Ioannis Pici* Mirandulæ & Concordiæ Comitis: qui prodigiosi ingenij juvenis annorum tunc viginti quatuor, cùm humanæ gloriæ & laudis cupidus, Romæ nongentas de Dialecticis & Mathematicis, Theologicis, Magicis, Cabalisticis, de naturalibus divinísque rebus quæstiones, non modò ex Latinorum Græcorúmque scriptis, verùm etiam ex Hebræorum Chaldæorúmque arcanis erutas, publicæ disputandas proposuisset; indéque nonnulli sive parvâ æmulatione, sive pio zelo, conclamandi in eum occasionem sumpsissent, tanquam non paucæ in iis essent rectè fidei suspectæ; atque ipse ut hanc à se suspicionem removeret, apologiam elegantem & accuratam contra obtrectatores composuisset: De his monitus Innocentius Pontifex, pro munere suo easdem quæstiones nonnullis doctis Episcopis & Doctoribus examinandas committit: eorúmque relatione intelligens, quamquam essent quæ nihil vitij continerent, esse tamen (ut ait) nonnullas hæreticas aut hæresim sapientes, aliquas scandalosas, piarúmque aurium offensivas, plerasque etiam renovantes errores Gentilium philosophorum jamdudùm obsoletos, & alias perfidiam Iudæorum faventes; necnon complures quæ sub quodam fuco Philosophiæ naturalis honestate nitebantur artes quasdam Fidei Catholicæ & humano generi inimicas, atque à sacris Canonibus & Doctoribus Catholicis acerrimè damnatas: ideò Pontifex libellum illum omninò damnavit ac reprobavit, & sub pœnâ excommunicationis legere vel tenere prohibuit: ipsum autem ejus auctorem, quoniam ejusmodi conclusiones, scholasticè tantummodò disceptationis causâ, & sub Apostolicæ Sedis correctione se publicâsse asserebat, atque etiam quia jurejurando promiserat nullo se tempore talia defensurum, nullam ob præmissa incurrisse excommunicationis pœnam declaravit. Cæterùm ex immensâ illâ Conclusionum silvâ, tredecim dumtaxat à pluribus vulgò condemnatas, ipse prolixâ Apologiâ defendendas, seu explicandas suscepit. Estque de iisdem ad ipsum diploma Alexandri Sexti successoris Innocentij; quod impressum habetur ante Vitam ejusdem Pici, præfixam ejus Operibus, in quibus & Conclusiones & Apologia continentur.

VI. Promontorii Bonæ Spei transmissio.

Eodem tempore Lusitani, qui zelo propagandæ, ut profitebantur, Fidei Christianæ, accedente gloriæ ac divitiarum cupiditate; à multo tempore singulis annis extima Africæ littora explorare soliti fuerant; longiùs pedetentim provehi non desistentes, maximum illud toto Oceano, celeberrimúmque Promontorium, primùm ab ejus exploratore *Bartholomæo Diacio* nobili Lusitano, *Tempestuosum*, seu procellosum, ob continuas ferè tempestates ac procellas ibi vigentes, deinde verè a Ioanne Rege *Bonæ Spei* dictum, ob certam ex eo spem conceptam, beatas per ejus transmissionem Indiæ provincias, opéque tantopere celebratas, tantísque laboribus & impensis diù quæsitas, adeundi, & in patriam adducendi, transmiserunt. Ex quo itinere rediisse dicitur prædictus Bartholomæus mense Decembris præsentis anni millesimi quadringentesimi octogesimi septimi. Quo etiam idem Rex Ioannes, terrestri itinere mittere deliberans, qui terras lustrarent, post missum primò Antonium de Lisbonâ ex Ordine Franciscano, qui Ierosolymæ communicaret cum advenis Orientalibus, jam etiam Petrum Covillanium atque Alfonsum Payvam nobiles terrâ jussit Africæ atque Asiæ regiones intimas considerare. Qui mense Maio Olysippone egressi, obitis Neapoli, Rhodo, Ierosolymâ, Alexandriâ, Cairóque Ægypti urbe primariâ; divisi ab invicem; Petrus quidem Ormucium, quæ insula ad sinûs Persici fauces jacet, Calecutiúmque obivit. Alfonsum autem Æthiopiæ inferioris regiones lustrantem mors oppressit. Cujus propositum subiens Petrus, demùm ad Regem, quem vulgus Pretejannem vocat, cui tunc nomen erat Alexandro, per-

venit, literásque Regis Ioannis obtulit: redirèque in Lusitaniam haud permissus, conjuge acceptâ & amplis possessionibus, ibi substitit, de scripto Regi suo visa exploratâque tam de Calecutio quam de Æthiopiâ renunciavit. Quæ quidem cœpta hoc tempore, consequentibus annis gesta sunt: describuntúrque ubertim à diversis auctoribus [f].

[f] Barros. Asiæ dec. 1. lib. 3. cap. 4. & 5. Franc. Alv. in Itin. Æth cap. 103. Marian. lib. 25. cap. 11. Maff. lib. 1.

VII. Cuspiniani commentum.

Hoc anno (ut Langius ponit) Albertus Dux Bavariæ matrimonium duxit cum Cunegunde filiâ Friderici Imperatoris. Quod non erat tanti ut Annalibus nostris insereretur; nisi ob Cuspiniani assertionem, quâ in suâ Austriâ ait, futuram hanc Cunegundem fuisse uxorem Mahometis Imperatoris Turcorum, nisi Albertus eam literis fictis Friderici Imp. abduxisset à Sigismundo Archiduce Austriæ, apud quem ipsa educabatur: Missas fuisse ultrò citróque literas ad ejusmodi matrimonium Turcicum, (eâ tamen conditione, si Mahometes fidem Christianam amplecteretur) sed Albertum tam sanctum opus intercepisse. Quomodò enim id Albertus intercepit, si Mahometes sex jam antè annis quàm Albertus Cunegundem abriperet, mortuus [g] esset? At multæ sunt ejusmodi apud hunc auctorem hallucinationes: ut taceamus de tractatu ejusmodi Turcici connubij, quem apud nullum alium reperimus: nec adeò per utriusque ætatem convenire videbatur, cùm quo tempore Mahometes obiit esset penè sexagenarius, & Cunegundis vix quindecim, vel etiam ut quidam habent, undecim annorum.

[g] Supr. an. 1481. II.

Iesu Christi Ann. 1488.
Innoc. VIII. An. 4.
Friderici III. An. 49.

I. Anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo octavo, Indictione sextâ, cùm [a] Maximilianus Romanorum Rex finem non faceret pecunias à Flandris exigendi, aut postulandi; duæ præcipuæ illius provinciæ urbes Brugæ & Gandavum tumultuari inde cœperunt. Factúmque est, ut dum ille ad reprimendos Gandavenses, in quos iratior erat ob plures injurias ab iis olim acceptas, ire decerneret, Brugas accessisset, cum quibus sibi faciliorem fore discordiarum compositionem sperabat: econtrà acciderit, ut vigiliâ Purificationis Beatissimæ Virginis Calendis Februarij factâ subitâ populi Brugensis conclamatione ad arma, idem Maximilianus in custodiam traditus sit, multíque ex ejus fautoribus diversis tormentis affecti, & atrociter necati. De quibus certior redditus Innocentius Papa, continuò scripsit Coloniensi Archiepiscopo, ut rebelles illos populos anathemate feriret, nisi intra præscriptum tempus resipiscerent. Contra cujusmodi rescriptum insurgens pro Regis Christianissimi auctoritate ipsius advocatus, ostendere sategit ejus inanitatem, eò quòd Flandrenses nullum alium agnoscerent superiorem quàm Regem, qui erat eorum directus & supremus dominus; ipséque Maximilianus eos contra omne jus fasque lacessisset: ac propterea negavit omninò rescriptum illud potuisse procedere ab Innocentio Pontifice, sed præter ejus scientiam fabricatum fuisse à malignis quibusdam spiritibus, qui ex bellis & divisionibus contenderent sua commoda comparare: vel si à Pontifice, processisset, eum circumventum fuisse; cùm non solùm contrarium esset justitiæ & unione fidelium, quam Pontifex quæreret, verùm etiam iis quæ de privilegiis regni conservandis Pontifex Regi promisisset. Cujus rei extant Acta tunc confecta.

[a] Olivar. Marchian. lib. 2. Krantz. 13. Sax. 8. & seqq. Barläd. Chr. Brabāt. cap. 161. Beuter. de reb. Maxim. lib. 3. Chron. Car. VIII. &c.

Maxim. Cæsar in custodiam traditur a Brugensibus.

II. Fridericus quoque Imp. pater Maximiliani per Germaniam circumcursans, Principes ad arma pro liberatione filij sumenda concitavit: multa tentata, intentata, & hinc inde patrata. Donec post tertium mensem Maximilianus, quem Gandavenses in manus Francorum Regis tradere quærebant, lacrymis & precibus à Brugensibus libertatem impetravit; juratus priùs omnem ex animo offensarum remissionem, adhibitis quibusdam ex primâ nobilitate qui idem jurarent, rémque pretiosi Corporis Christi sumptione confirmans, quamvis non destiterit Fridericus ejus pater, ne frustrà exercitum duxisse videretur, hostiliter Flandriam ingredi: sed à Gandavensibus territus, iram in miseros agricolas vertit. Post hæc verò Maximilianus in Germaniam unà cum patre secedens, Philippo filio, quem Gandavensibus ante aliquot annos ereptum Mechliniæ asservabat, Albertum Saxoniæ Ducem adhuc impuberi custodem, & ditionum ejus gubernatorem constituit. Sub quo rursùm aliis de causis novæ dissensiones ortæ, nováque bella gesta sunt; quæ apud eosdem auctores qui prædicta tractârunt videre est.

Restituitur libertati.

III. Scribit autem Mariana [b], ad Maximilianum è custodiâ Brugensi liberandum à Regibus Hispaniæ Ferdinando & Isabellâ missos esse legatos, rémque ex sententiâ confecisse. Expetenti tamen eidem in conjugium Isabellam prædictorum Regum filiam, denegatum esse: ipse factâ Philippo ejus filio unam ex Isabellæ sororibus ætate idoneâ collocandi, quem *Austriæ Archiducis* per eos dies nomine, Friderici Imperatoris indulgentia auxerat; novo exemplo: (nam majores Austriæ Duces vocabantur:) novísque honoribus augere destinabat, Hispaniæque affinitati idoneum præstare. Ita ille. Cùm tamen quod matrimonia spectat, scribat Krantzius [c], Ferdinandum missis legatis obtulisse fœdera & mutua præsidia, si Philippo filio suo Maximilianus filiam Ferdinandi acciperet uxorem; & vicissim filio Ferdinandi Margaritam Philippi germanam, quæ in Franciâ tenebatur, conjugem permitteret. Quæ res in deliberationem tunc posita, postulatos utrimque effectus posteà sortita est. De dignitate verò regiâ Maximiliani subdit Mariana, eumdem Ferdinandum Regem suis apud Pontificem legatis mandâsse, ut Maximiliani legatis, quos ad Pontificem miserat præter morem majorum, ut quidam disputabant, superstite patre Augusto, ita priores partes concederent, si Galli Regis oratores idem facerent; medios assidere non paterentur. Addit [d] & aliud notatione dignum hoc eodem anno in Hispaniâ factum: ut scilicèt defuncto Garsiâ Padilliâ Calatravæ Magistro, Ferdinandus Rex, concedente Inno-

[b] Mar. lib. 25. cap. 12.

Austria augetur titulo Archiducis.

[c] Krantz. 13. Sax. 8.

[d] Mar. cap. 13. Vid. infr. an. 1493. IX.

centio Pontifice, eum honorem, parésque opes utendas, fruendas, administrandas stabili possessione susceperit. Idque exemplum ad alios Militum Ordines manâsse: adeò ut auctâ Regum potentiâ, eorum militum auctoritas evanuerit; cùm præmia virtuti dari solita emeritæ militiæ viris, rebus conversis aulæ asseclis plurimùm cedant; opésque majorum pietate concessæ ad profligandos Christiani nominis hostes, effundantur nullo Reipublicæ fructu.

IV. Quod verò denique addit, ab iisdem Hispaniæ Regibus cum Angliæ atque Austriæ Principibus fœdus instauratum esse adventus Galli Regis potentiam; sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Quippe Rege Carolo bellum Britonicum adversus rebelles continuante; post capta nonnulla munita Britanniæ oppida, ducente exercitum Ludovico Trimolio, vigesimum sextum dumtaxat tunc annum agente, factum [e] est atrox prælium apud Sanctum Albinum de Cormerio in eâdem Britanniâ quinto Calendas Augusti: quo Dux Aurelianensis totius belli auctor inter pedites pugnans unà cum Principe Arausiaco captus est, vix militum gladios evadens: peditatus penè omnis Britonum deletus; equitatu pleroque fugâ lapso, in quo præcipui erant Alanus Dux Alebreti, & Rivius Marescallus Britanniæ. Dux sagittariorum Anglorum qui aderant (non tamen, ut volunt, regiâ sed privatâ auctoritate) occisus unà cum omnibus suis; paritérque magna Germanorum pars quos Maximilianus immiserat. Quibus & Hispani Ioannem Grallam addunt Hispanorum ductorem, qui amissis suis magnâ ex parte, in victorum potestatem venit. Aurelianensis mutato non semel custodiæ loco, diù apud Lusinianum in Pictonibus detentus, ultimò turri Bituricensi inclusus est: ibíque triennio fermè detentus; donec crebris Ioannæ conjugis, quæ soror erat Regis precibus liberationem (ut videbimus) impetravit, fidémque posteà integram Regi servavit. Observatumque à nonnullis est, ante hoc prælium visam eo loco fuisse infinitam multitudinem picarum & graculorum inter se unguibus & rostris acerrimè concertantium, ac laceris utriusque partis cadaveribus longo tractu contectam terram. Cujusmodi prodigia etiam aliàs similibus casibus conspecta fuisse, & nos aliquoties his nostris lucubrationibus observavimus, & non rara sunt in antiquis historiis exempla.

[e] Hist. Car. VIII. & Ludov. XII. Belcar. lib. 4. Polyd. lib. 26. Bellefor. lib. 5. c. 55. & alij.

Dux Aurelian. prælio capitur.

V. Pax in Britannia.

Post cladem verò acceptam timentes proceres Britones ne Rex universam provinciam in potestatem suam redigeret, (Dux enim jam ab aliquo tempore præ senectute minùs negotiorum gestioni aptus videbatur:) demissioribus quàm priùs animis pacem ab eo postulârunt: obtinuerúntque certis conditionibus, quæ continentur in tractatu pacis tunc condito, quem profert Historia Caroli Regis. Quarum una fuit ne filiæ Ducis (quæ duæ erant, Anna & Isabella, carebat enim prole masculâ) nuptui dari possent absque Regis consensu; ad vitandas dissensiones & turbas, quæ nasci possent si fortè regni inimicis aut æmulis traderentur. Paulóque pòst accidit ut Dux ipse Franciscus ex lapsu in lethalem morbum incidens, post suscepta Ecclesiæ sacramenta, diem obierit septimo Idus Septembris in vigiliâ Nativitatis Beatissimæ Virginis. Ad cujus obitum *Paulus Æmilius* Veronensis (quem suo tempore Ludovicus XII. ab Italiâ in Galliam duxit; ubi factus est canonicus Ecclesiæ Parisiensis:) elegantissimam suam Historiam De Rebus gestis Francorum perduxit: cui contexendæ annos triginta impendisse dicitur: nobili quidem adeò operæ pretio ut censeat [f] Lipsius Iustus harum rerum arbiter, illum penè unum inter novos veram & veterem Historiæ viam vidisse, eámque firmo pede calcâsse; rerum sedulum scrutatorem, severum judicem, liberum ab affectu. Cessavit autem scribere anno millesimo quingentesimo decimonono; quo & decessit [g] quinto Maij. Cujus opus continuavit *Arnoldus Ferronius* Burdegalensis usque ad obitum Francisci I. Regis, haud multùm impari eloquio.

Pauli Æmilii Histor. Galliæ.

[f] Lips. Not. ad lib. 1. Polit. cap. 9.

[g] Gall. Christ. in Præ. Paris. num. 103.

VI. Annæ Ducis Britan. proci.

Duce Britanno mortuo, relictâ filiarum adhuc impuberum tutelâ & Britanniæ administratione, Rivio Marescallo & Comiti Convenarum; custodiâ verò filiarum dominæ Lavallæ earum gubernatrici: nova inde consilia emersêre ex cupidine tantæ hereditatis, ad quam per matrimonium Annæ filiæ primogenitæ aspiraverant, Maximilianus Rex Romanorum, Ludovicus Dux Aurelianensis, Alanus Dux Alebreti, aliique: concurrente etiam ipsomet Carolo Rege, cum proposito dimittendi margaritam Maximiliani filiam, quæ vixdum novennis erat qui & interim tamquam supremus Britanniæ dominus cavebat ne filiæ se inconsulto nuberent, aut in provinciæ administratione aliquid innovaretur, donec illæ ad justam ætatem adolescerent, aut nuptias inirent. Et Alebreto quidem fuisse Annam vivente patre scripto promissam tradunt; sed magis ad eum in partes Principum hâc illecebra pertrahendum, quam animo tradendi: Cujusmodi etiam sponsioni Anna renunciaverit, séque ab eo matrimonio abhorrere professa sit, tum quòd jam Alebretus maturiori ætate esset, adeoque & liberos ex priori conjuge haberet, atque inter eos Ioannem Regem Navarræ; tum etiam quòd pustulatam rubro faciem gereret.

VII. Maxim. despondetur.

Maximiliano verò seriò desponsatam à patre, plerique omnes tradunt: quinimmò & per procuratorem eodem superstite in templo publicè nuptam, itidem nonnulli: quamvis hoc ultimum pernegent alij, his argumentis, quòd si ita fuisset, nec pater ampliùs Alebreto promittere, nec Alebretus post ejus obitum eam ulteriùs procare, nec proceres Britones eam Carolo tradere, nec denique Maximilianus, nisi penitùs iners extitisset, adeò leviter hanc injuriam ferre potuisset: de quâ vindicandâ Krantzius [h] ait, eum numquam vel minimo cogitâsse, quòd parùm cordi has nuptias haberet. Nam quod intercessit posteà inter Maximilianum & Carolum bellum, non tam ex hoc capite ortum dici posse illi alij tradunt, quàm ex repudio Margaritæ Maximiliani filiæ; quam Carolus penè adhuc in cunis vagientem, necdum ipse pubes, de Ludovici patris voluntate duxerat; nec umquam, etiam tum cùm dimisit nondum viri potentem, cognoverat. Quæ quidem ut lu-

[h] Krantz. l. 13 Sax. 13. 16.

beat sic illis in medium proferre; nos tamen & testium multitudine, & maximè Comminij [l] disertâ assertione, putamus omninò Maximilianum per procuratorem eam publicè in Ecclesiâ in uxorem accepisse. Addiditque Comminius, se tunc percunctatum fuisse à diversis Theologis utrùm hujusmodi matrimoniorum mutationes legitimè fieri possent; & quosdam asseruisse, alios negâsse. Denique extare eâ de re in archivis Britanniæ publica instrumenta ac solemnitatis peractæ anno millesimo quadringentesimo nonagesimo testimonia, scribit eorum historicus Argentræus [m]. Quæ verò legitima excusatio Caroli Regis in his fuerit, leges apud Linturium [n] in epistolâ Roberti Gaguini legatione in Germaniâ fungentis, scriptâ ad Wimphelingum, & metro & prosâ exprobrantem facinus Regis, quo uxorem suam dimisisse, & sponsam soceri rapuisse dicebat.

[l] Commin. lib. 7. c. 3.

[m] Argentr. lib. 13. c. 56.

[n] Append. ad Fascic. temp. sub an. 1493.

VIII.

Quod porrò Aurelianensem spectat; dicitur quidem Anna ei benè voluisse: sed duplex obstitit post patris obitum, & utrumque ingens impedimentum à Rege Carolo: alterum, quòd is jam uxorem haberet Ioannam minorem sororem Regis: quam non facile foret dimittere vivente Rege, quamvis eam omninò coactus à Ludovico XI. & deformem & generationi ineptam duxisset. Alterum, quòd in carcere detineretur, nec libertatem umquam consecuturus videri posset ad nuptias Annæ, quas Rex ipse sibi deposcebat: quibúsque eò faciliùs proceres Britones consenserunt, & ad consentiendum Annam induxerunt, (defunctâ jam anteà Isabellâ minore sorore) quòd alioqui considerarent bellum continuum sibi cum Rege Carolo futurum, in ultimum patriæ suæ exterminium; quam Rex præterea ex cessione Comitum Pontivensium heredum Caroli Blesensis Comitis Pontivensis (de cujus juribus aliàs dictum) ad se pertinere asserebat: nec videretur Maximilianus esse ei è longinquo defendendæ, qui nec promissa auxilia in tempore mittere (quid illi conquerebantur) aut potuisset aut curâsset. Quod verò plerique nuptias Regis cum Annâ proximè sequenti anno millesimo quadringentesimo octogesimo novo collocant, longè à vero abeunt; cùm nonnisi anno millesimo quadringentesimo nonagesimo, ut diximus, Maximilianus eam per procuratores duxerit: extentque tabulæ publicæ matrimonij regij, datæ tantummodò anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo die sextâ Decembris, Pontificatûs Innocentij Papæ VIII. anno octavo: libertatem jam ante Aurelianensi consecuto, qui eis præsens fuisse dicitur. Agetur ergo de illis eo anno.

CAROLUS REX CETERIS PRÆFERTUR.

IX.

[o] Foliet. Hist. Gen. lib. 11.

GENUA SUBDITUR DUCI MEDIOLAN.

Præsenti mobilis ac volatica Genua ingenio suo utens, non levi motu concussa est. Regebat [o] urbem Paulus Fulgosius civitatis Archiepiscopus & Cardinalis; ac circa hunc cardinem res versata est ferè usque ad versuram. Cùm ejus ratio gerendæ Reipublicæ civibus non satisfaceret, quem infinitæ ambitionis virum fuisse dicunt, adeóque ob impotentem dominatum vehemens in se odium concitâsset: ad acriora remedia salutis suæ comparanda animum adijciens, quæ simul ad inimicos suos principatu patriæ arcendos, si fortè ipse ab eo dejiceretur, valerent; persuasit civibus sese iterùm jugo Mediolanensi subdere, sub quo quietiùs vixisse videbantur. Erat tum Statûs Mediolanensis regimen penes Ludovicum Sfortiam (quem Morum, sive Maurum, à fusco colore cognominabant) Ioannis Galeatij Ducis patruum; qui Bonâ Ducis matre ab aulâ ablegatâ, ac Duce ipso hebeti ac socordi ingenio ad nullum negotij genus habili, excepto titulo principis omnia pro principe gerebat. Ad hunc igitur cùm ad tradendam ei Rempublicam oratores missi essent, eósque paulò pòst consecutus esset Fulgosinus Pauli Cardinalis filius; cum hoc Ludovicus affinitatem subitò conjunxit, Clarâ Galeatij Ducis sorore nothâ illi in matrimonium datâ. Quâ re commoti adversarum factionum Genuensium duces, quòd eâ affinitate substrati viderentur pedibus Cardinalis: cœperunt in eum conjurare; eóque rem perduxerunt, ut ægrè in arcem se subducere potuerit. Vbi dum obsideretur, tot ex irruptionibus & eruptionibus cædes, incendia, ruinæ, omnis generis mala patrata sunt, ut nulla majora ab immani barbarie expectanda fuissent. Ad quæ cives consilij inopes, duas legationes, alteram ad Carolum Gallorum Regem ad civitatem illi dedendam misêre; postulandúmque ut illicò subsidio accurreret, nec pateretur præclaram urbem suam conflagrare: alteram ad Innocentium Pontificem, oratum ut ipsum patrij soli in quo editus in lucem esset, misericordiam caperet. Cùm nihil impetratum esset, arte demùm & astu Ludovici Sfortiæ res eò deducta est, ut civitate in potestate ejus positâ, regimen ejus, Sfortiani Vicarij titulo in decennium penes Augustinum Adornium esset; Paulus Cardinalis magistratu Ducâtus se abdicaret. Qui Romam se recipiens, multis adhuc vixit annis; vir vividi quidem ac peracris ingenij, sed mali pravíque, (inquiunt Genuenses [p] scriptores) sacræ professionis ac sacerdotalis muneris numquam memor, sed per omnem vitam inquinatus, ac facinoribus & sanguine suorum civium contaminatus. Civitas autem sub moderato Sfortianorum imperio quieti reddita, per quatuor annos eam servavit.

[p] Id. ibid.

X.

SCOTI IN SUUM REGEM INSURGUNT.

Hoc item anno Scoti in suum Regem Iacobum III. insurgentes, bellum intulerunt. Cùm enim postquam liberiorem regni administrationem habere sibi visus est, (de cujus custodiâ dictum est aliàs) exclusâ ferè omni nobilitate, homines novos aulicis ministeriis & honoribus præficiens, rejectâ in eos publicâ curâ, & pecuniæ undique conquirendæ rationibus, ipse totum se voluptatibus immergeret; simúlque nihil aliud moliretur, quàm ut animum expleret eorum sanguine qui rebellionis auctores extitisse credebantur: his proceres illi metu & indignatione commoti, qui anteà eum emendatum, non extinctum volebant, rebus desperatis consilia sua omnia in ejus exitium conferre cœperunt. Collectísque copiis, Regi significârunt, nullam aliam rationem concordiæ inter ipsos esse, nisi ut Rex se regno abdicaret, cedens illud filio suo, quem ipsi sibi ducem constituerant sexdecim annorum adolescentem, non tam spontè imperium suscipientem, quàm metu ne si ipse recusaret, ad Anglos Scotorum hostes deferre-

tur. Missis Rex ad Reges Francorum & Anglorum legatis, rogavit ut auctoritate suâ, aut si opus esset auxilio rebellium furorem infringerent, communem eam fortunam existimantes. Pariterque ad Innocentium Pontificem alios dirigens, oravit Legatum in Scotiam mitti, qui eosdem pro jure sacrosanctæ potestatis cogeret armis positis Regi suo parere. (Ad quod missus à Pontifice reperitur [q] Hadrianus Castellensis Cornetanus: qui hâc occasione Henrico Angliæ Regi, virtutis, & doctrinæ, atque insignis elegantiæ ergò, necnon urbanitate morum charissimus factus, plures ecclesias ab eo accepit; factúsque demùm est Cardinalis [r] ab Alexandro VI.) Sera tamen fuêre hujusmodi auxilia. Proceres enim, qui hæc agi non ignorabant, antequàm majores copiæ ad Regem convenirent armis agere decernentes; ad oppidum Sterlinum interceptum pugnare cum magno ejus incommodo coëgerunt. Certatum est tamen fortiter, nec parvâ utrimque cæde: sed fusis demùm regiis, ipse equi casu debilitatus, cùm ad quamdam moletrinam, quæ non longè aberat, se recepisset, ibi cum paucis deprehensus occisus est die undecimâ Iunij, anno ætatis trigesimo quinto, regni vigesimo octavo: Princeps non tam ingenio pravo natus, quàm pravâ consuetudine corruptus. Cujus etiam morti illa inusta est ignominia, ut in proximo conventu omnium ordinum decreto, jure cæsus judicaretur: cautúmque sit diligenter omnibus qui adversus eum arma tulissent, ne ea res ipsis eorúmve posteris fraudi esset.

[q] Ap.Polyd. lib. 26.

[r] Ap.Ciacc. in Alex.VI.

Et prælio necant.

XI. Iacobus IV. succedit.

Successit ei prædictus ejus filius natu maximus, *Iacobus* ejus nominis Quartus, adolescens sedecim circiter annorum, corporis dignitate præstans, ac vividum & alacre ingenium gerens. Qui post domitos nonnullos proceres, qui specie vindicandæ paternæ mortis arma sumpserant, animum adjiciens ad componendum regni statum; tantâ moderatione ac prudentiâ in cunctis usus est, ut brevì omnium sibi conciliatis animis, tam jucunda pax, tanta tranquillitas secuta sit, ut è sæculo plusquàm ferreo ver aureum renatum fuisse videretur. Fuítque eidem summa cura, ut duo fratres adhuc tenelli, Alexander Dux Rothesaiæ; & Ioannes Comes Marriæ, liberali educatione diligentissimè imbuerentur. Cùm verò latrocinia publica armis, cetera privata vitia judiciorum severitate comprimeret: ne in alios acer vindex, in seipsum indulgentior crederetur; ut omnibus palàm esset, patrem se invito fuisse peremptum, catenâ ferreâ, quoad vixit, se cinxit; cui singulis annis anulum unum adjiciebat. Egregius ceterà cultor religionis, & in loca sacra liberalis, nullam denique officij sui partem in regno administrando intactam nec inchoatam reliquit, quin præclarè adimpleverit: electis sibi ex nobilitate quibusdam prudentibus viris & patriæ amantibus, quorum consilio ductúque in gerendâ Republicâ uteretur. Ita ut foris ubique gentium clarissimus Princeps, & domi Pater patriæ jure meritóque habitus fuerit. His enim laudibus efferunt eum auctores [s] patrij, dum ejus initia post patris necem describunt.

[s] Lesl.æ.lib.7. & 8. Buchan. lib.12. & 13.

XII.

Memorat Linturius in Appendice ad Fasciculum temporum Werneri, hoc anno Dominicâ quintâ post Trinitatem in villâ Nempschâ, uxorem cujusdam coloni peperisse duos canes, & mane sequenti tres alios catulos; quos mulieres quæ adfuerunt absconderunt sepeliendos.

Partus impurus.

Iesu Christi Annus 1489.

Innoc. VIII. Ann. 5.

Friderici III. An. 50.

I. Legatio Turcica de Zeme.

Anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo nono, Indictione septimâ, mense Ianuario, pervenit in Galliam ad Regem Carolum legatio à Bajazete Turcorum Imperatore, quam ductabat legatus alius Ferdinandi Regis Neapolitani. Refert illam Ialinius in Historiâ prædicti Caroli Regis: fuisséque ait ad postulandum Zemem, seu Zizimum dictum, fratrem Bajazetis, quem à militibus Rhodiis vidimus in Galliâ custoditum. Et obtulisse ait Regi omnes sacras Reliquias, quas pater ejus Mahometes Constantinopoli, & aliis civitatibus de Christianis captis, reperisset: suscepturum insuper recuperationem Terræ Sanctæ quam in potestatem Regis traderet: ac denique grandem pecuniam in Zemis sustentationem quotannis suppeditaturum, dummodò Rex illum in Galliâ retineret. Id enim vehementissimè timebat, ne vel Summo Pontifici, vel Matthiæ Regi Hungariæ, vel etiam Sultano Ægypti, illum enixè ad opponendum Bajazeti efflagitantibus traderet. Sed promiserat jam illum Rex Pontifici, qui Christianis ad concordiam reductis bellum ejus operâ Bajazeti inferre meditabatur: quinimmò & tradiderat nunciis ejus cùm prædicta legatio advenit. Erat tamen adhuc intra regnum: nec defuerunt qui suaderent retinendum esse; nisi Rex & fidem omninò servare, & filium obedientem se Pontifici exhibere, uti verè Christianissimus, duxisset. Ita enim rem narrat Guillelmus Ialinius Secratarium tunc agens Petri Ducis Borbonij, (domini nempe Bellijoci, viri Annæ sororis majoris Regis, apud quos erat regni administratio in minori Regis ætate: qui quidem Petrus non ita pridem majori fratri Ioanni Borbonij Duci & Connestabili Franciæ absque liberis defuncto successerat) qui non ignorare poterat; ac proinde cui potius credendum videatur quam quibuscumque aliis rem aliter referentibus. Extántque [a] publica monumenta de petitione Regi factâ; déque modo quo in Italiâ custodiendus foret, inter Pontificem & Cardinales deliberato. Quibus prætereà addit Rhodiorum [b] Historia, his conditionibus Regem consensisse ut Zemes nunciis Pontificis traderetur Romam ducendus, ut non in aliam omninò regionem quæ non esset Regi amica mitteretur, custodiretur semper à Militibus Rhodiis; nec de illo inscio Rege disponeretur: transactúmque fuisse hâc de re cum Pontifice, additâ mulctâ decem millium librarum auri.

[a] Vid. Additi ad Ciaccon. in Inn.VIII. [b] Bos 10. 2. lib.14.

II. Zemes

Ductus mari Zemes, sexto Martij civitatem veterem appulit: indéque Romæ magna

DUCITUR ROMAM, ET OFFERTUR PONTIFICI.

pompâ decimotertio ejusdem mensis exceptus est. Pontifici paulò pòst in Consistorio publico in majestate suâ considenti, oblatus ab oratore Regis Francorum & Priore Arverniæ Rhodio; ab iis qui sacris ritibus præerant monitus de reverentiâ per osculationem pedum ei exhibendâ, ægrè ad eam induci potuit, quamquam tantam majestatem admirari præseferret. Osculatus tamen est, sed cum indignatione, & ferociâ barbarâ: paucáque per interpretem locutus, & à Pontifice benignè habitus, ad sedem habitationis suæ, quam in Vaticano habuit, se recepit: ibíque toto tempore Innocentij Papæ in honestâ custodiâ detentus est; Bajazete ad ejus sustentationem quadraginta solita aureorum millia annuatim mittente. Ita namque rem apud Pontificem gestam esse tradit Historia Rhodiaca, cùm nihilominùs Matthæus [c] Bossus Veronensis canonicus Regularis S. Augustini, scribens ad Illuminatum Abbatianum Concanonicum, séque rei interfuisse aiens, disertè asserat Zemem nullo modo passum esse flecti ante Pontificem conspicuo in throno sedentem, aut deosculari pedes ejus, frementibus propterea in eum Christianis qui spectaculo aderant. Quem & describens ait fuisse aspectu diro & truculento, corpore compresso & valido, cervice latâ, pectore vasto & prominente, staturâ ultrà quàm mediocri, oculorum altero lusco ac torvo, naso aquilino, capite inquieto semper, omnia collustrante, & tamquam minaci inspectante, ætate circiter annorum quadraginta.

[c] Matth. Boss. ep. 30.

III.

In gratiam autem ac præmium traditi ejus in manus Pontificis, ex pacto Regis Caroli cum Pontifice, *Petrus Albussonius* Magister Ordinis pridie Idus Martij creatus est S. R. E. Diaconus Cardinalis tituli S. Hadriani; unà cum *Andreâ Espinaio* (Ludovicum quidam perperàm vocant, nisi fuerit binominis) Archiepiscopo Burdegalensi, posteà etiam Lugdunensi, natione Armoricensi, creato Presbytero tituli Equitij. Quibus & alios sex Pontifex collegas adjunxit; atque inter *Laurentium Cybo* Genuensem ipsius Innocentij fratris filium nothum [e], Presbyterum Sancti Marci; *Ardicinum de Portâ*, Novariensem Presbyterum titulo Pammachij, de quo dicendum inferiùs [f], & *Ioannem Medicem* Florentinum, Laurentij filium, primum ex eâ familiâ Cardinalem adhuc impuberem; (quâ nemo eatenùs ætate ad tantam dignitatem promotus fuisse dicitur:) factum Diaconum Sanctæ Mariæ in Dominicâ; qui demùm fuit Leo Papa Decimus. Eâ enim ætate sine exemplo creari, obtinuisse dicitur Laurentius pater ejus, datâ in matrimonium Magdalenâ filiâ suâ formosissimâ Laurentio filio ipsius Pontificis ante Pontificatum suscepto. Albussonio verò præterea totius Asiæ legatio à Pontifice credita fuit; multáque alia privilegia tam ipsi, quàm Religioni Ierosolymitanæ in gratiam ejus concessa. Confirmavítque [ff] per constitutionem editam Romæ quinto Calendas Aprilis, unionem factam decem antè annis antiquissimarum Militiarum Sancti Sepulchri Ierosolymitani Ordinis S. Augustini, & S. Lazari in Bethlehem & Nazareth, cum Ordine Hospitalariorum; ita ut suppressis iis Ordinibus, eorum Milites, unà cum omnibus ipsorum bonis, Ordini Hospitalariorum unirentur: quò (ut ait) is Ordo ad Infidelium oppressionem, in personis & facultatibus susciperet incrementum. Quòd verò Magister Albussionius ab Rhodo non discederet, tuendæ ab impressione Turcorum insulæ invigilans, misit ad eum Pontifex galerum: quem ille insigni cæremonia die festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli suscepit; magnus planè vir pietate, prudentiâ, & fortitudine, bellicísque facinoribus clarissimus. Vixit usque ad annum Christi millesimum quingentesimum tertium ætatis suæ octogesimum. De quo rursùm nonnumquam inferiùs; sicuti & de rebus Zemis usque ad ejus obitum.

[d] Ciac. in Innoc. VIII.

CARDINALIUM CREATIO.

[e] Onuphr. in Innoc. VIII.

[f] An. 1492. XVIII.

[ff] Bos. lib. 11.

IV.

Quo etiam tempore [g] idem Pontifex Ferdinandum Regem Neapolitanum spurium, & Ecclesiæ rebellem [h] ac contumacem, multorúmque in dies se reum constituentem, denique Principes adversùs Innocentium sollicitantem; die festo SS. Petri & Pauli, post solemnia sacra in basilicâ Vaticanâ peracta, publicè anathemate perculit, nisi intra duos menses resipisceret. Quorum dilatione nihil adeptus, rursùm ad diem undecimum Septembris, in conventu Cardinalium & Oratorum Regum, præsentéque Antonio Episcopo Alexandrino Ferdinandi oratore, anathemate contumacem percussit; regno Neapolitano privatum declaravit, bellúmque sacrum in eum indixit, & ad id gerendum Regem Francorum invitavit, qui regnum ad se pertinere asserebat: constituto interim à Pontifice copiarum suarum duce Nicolao Vrsino Comite Petiliano: execrantibus cunctis prædicti Alexandrini protervíam, qui nomine Ferdinandi provocationem interponere ab Innocentio ad futurum Concilium non erubuit. Perstitit nihilominùs adhuc in contumaciâ Ferdinandus per biennium; quousque expeditionem Caroli Regis formidans, ad obsequium Sedis Apostolicæ reversus est; ex illorum existens numero, qui oderunt peccare formidine pœnæ.

[g] Vialard. in Vit. Innoc. VIII. Bzov. hoc an.
[h] Vid. sup. an. 1485. II. IV.

FERDIN. REX NEAPOL. EXCOMMUNICATUR.

V.

Agitabat adhuc bellum idem Rex Carolus contra Maximilianum Romanorum Regem & Britones: Anglis etiam in auxilium [i] Britonum, (quamvis non tam ex voluntate Regis Henrici, memoris beneficij à Rege Carolo accepti, quo regnum Angliæ obtinuit; quàm procerum ecclesiasticorum & sæcularium, populíque Anglici, prædas agere, ut olim in Galliâ aventis) transmittentibus. Sed facta est hoc ipso anno pax inter eosdem Reges Maximilianum socerum & Carolum generum, interventu Nunciorum Summi Pontificis, & Comitis Nassovij; ac convenientibus mense Iulij legatis Caroli Francofordiæ cum Maximiliano: quâ comprehensi sunt etiam Ordines Belgij, & Anna Dux Britanniæ: atque imprimis decretum, ut Reges certo quodam loco, ad cuncta solidiùs stabilienda, convenirent: interímque cessaretur ab armis; rebelles utrimque reciperentur in gratiam; Carolus urbes captas in Britanniâ restitueret, ubi primùm Anna Anglos è Britanniâ dimisisset. Cujus integra capita recitantur in Historiâ Caroli per Ialinium conscriptâ, & apud Beuterum de rebus Flandricis. Quibus tamen

[i] Vid. Til. in Tract. int. Reg. Franc. & Angl. in Car. VIII.

PAX INTER CAROLUM ET MAXIMIL.

quòd Britones assentiri recusàrunt, nisi duris conditionibus, bellum illic continuatum est.

VI. Cùm autem principio anni millesimi quadringentesimi octogesimi septimi, in custodiam dati fuissent Godofredus Pompadorius Episcopus Petragoricensis, & Georgius de Amboliâ ex domo Calvimontis Episcopus Montalbanensis, (ita enim disertè Ialinius [k] in Historiâ Caroli Regis; quibus Galliam Christianam diligentissimi Claudij Roberti locupletiorem reddas:) unà cum Bucio fratre Georgij, & Philippo Comminio Argentonij domino, ob consilia cum Ludovico Duce Aurelianensi in Britanniâ existenti habita, quæ per literas eorum interceptas detecta fuère: præsenti jam anno iidem Episcopi, rogatu Nunciorum Pontificis, libertatem adepti sunt; símúlque Bucius. Argentonius verò per sententiam Senatûs Parisiensis damnatus fuit quartâ parte bonorum fisco regio addictâ, & mansione decennali in unâ aliquâ domuum ejus quam Rex præscriberet. Quod sanè mirum valdè videri possit, ut vir tanti judicij, & tot prudentissimorum documentorum quæ in ejus Commentariis cernere licet, causam dederit adeò duri in se judicij. Sed aut hæc est infirmitas naturæ humanæ, aut malignitas invidentium. Meminit ipse in fine Vitæ Caroli Regis, severitatis in se sub eo Rege dum junior esset aliorum culpâ exercitæ, & ærumnarum prædicti Aurelianensis occasione toleratarum: alibique [l], octimestris horribilis ergastuli, quod sub eodem Carolo in unâ cavearum à Rege Ludovico fabricatarum pertulit. Verùm nec voluisse jam Regem de quartâ bonorum ejus disponere, Ialinius ait; & fuisse cum Carolo Regi, cùm sui juris factus est, charum & magnis negotiis adhibitum, consiliorúmque participem factum, ex ejus de rebus Caroli Commentariis intelligitur.

[k] Ialin. an. 1486.1488.

PHILIPPI COMMINII CONDEMNATIO.

[l] Commin. lib. 6. c. 12.

VII. DE GRAVITATE DECIMARŪ GALLIC. ECCLESIÆ.

Memoriâ quoque dignum, quod habet eodem præsenti anno Ialinius: videlicèt cùm audîssent qui regnum administrabant, prælatos Angliæ Regi suo ad bellum Britannicum decimas redditum suorum concessisse; ipsis quoque, eò quòd ærarium exhaustum esset à bellis Britanniæ & Flandriæ, visum fuisse ut similis decima à Clero Gallicano postularetur: sed non solùm Prælatos, verùm etiam Magistrum Ioannem de Vacariâ principem Senatûs Parisiensis, ac Senatores quibus hæc Rex mandaverat, dissuasionibus apud eum usos significâsse, Romanum Pontificem numquam ejusmodi Decimarum collectioni consentire consuevisse, quin magnam earum partem sibi habere vellet, nulli regni usui: incredibiles esse sumptus & fraudes quæ in eis colligendis fierent: Regem ingentes pecunias à populis suis exigere, unde contingerent Ecclesiasticos difficillimè nec nisi longis dilationibus redditus suos percipere posse, quibus si præterea decima imponeretur, grave nimis hoc eis onus futurum: denique Senatum declarare, si querelæ de his ad ipsum deferrentur, auditurum se, & justitiam administraturum, sícque rem infectam permansisse. Quæ utinam considerarent in singulis regnis qui miserum Clerum deglubunt, non solùm continuis annuis auctisque quotidie decimis depauperantes, verùm etiam aliis atque aliis subinde extorsionibus ad nihilum redigentes: ut abdicanda sint plerisque locis officia divina, & plebes absque Sacramentis deserendæ; dum ferè ubique qui his mederi possent, & omninò deberent, amplissimis atque pinguissimis utuntur, fruuntur absque ullâ diminutione, sed potiùs cum quotidianâ augmentatione, fructibus; nescio an cum animæ securitate. Videt Deus ex alto, & subveniet aliquando. Præter enim illum, quis hæc Ecclesiæ vulnera sanare possit in tantâ assentatorum frequentiâ?

VIII. TARTARORUM CLADES A' POLONIS.

Cùm Tartari crebris incursionibus, magnísque incommodis afficerent Podoliam atque Russiam Polonis subditam, sive ultrò egestatísque suæ sublevandæ gratiâ, sive à Turcis in Walachiâ (quam Bajazetes eorum Rex non ita pridem invaserat, & à Stephano Vaivodâ Polonorum ope variis certaminibus exagitatus fuerat) irritatis, incitati; Casimirus Rex Poloniæ suorum clamoribus ac commiseratione excitus, Ioannem-Albertum filium suum cum expeditis copiis contra eos misit: qui Tartarorum copias divisas reperiens, inter duo eorum agmina proripiens sese, primum equitum millium quindecim fudit & penè ad internecionem delevit, móxque subsequens decem millium adortus, pariter cæcidit; utriúsque ducibus interemptis, unde Ioannes-Albertus clarus charúsque cunctis haberi cœptus est. Rem verò gestam pleniùs Cromerus [m] descripsit.

[m] Cromer. lib. 29.

IX. Quæ porrò addit de Matthiæ Hungariæ Regis & Wladislai Boëmiæ novis simultatibus, pleniùs, earúmque causam Bonfinius [n] prosequitur. Nempè, quòd Matthias se valetudinarium esse intelligens, Ioannis filij sui nothi nuptias cum sorore Ducis Mediolanensis sponsas festinare cuperet, ex affinitatis tamen legibus cōficere non posset, nisi Ioannem priùs Regem constitueret: decrevisse Boëmiæ regnum, cujus titulum cum magnæ partis possessione ex fœdere cum Wladislao facto obtinebat, in filij gratiam abdicare, cùm de Hungariâ, repugnante Beatrice conjuge, nihil auderet: Eâ verò de causâ in Silesia & Lusatiâ nonnullos regulos ad venundandas sibi urbes sollicitâsse; recusantes armis invasisse: hincque inter prædictos Reges contentiones renovatas esse: sed paulò post sopitas arte Varadicensis Antistitis, Matthiámque ejusdem operâ & astu multas urbes coëmisse. Ab hujus verò anni principio, ita ex initâ podagrâ, & obrepente quodam languore laborare cœpisse, ut numquam pedibus ultrà constiterit. Plurimas nihilominùs undique à diversis Principibus legationes suscepisse de diversis rebus: Ac præcipuè ab Innocentio Pontifice, pro liberatione Petri Archiepiscopi Coloniensis, quatuor jam annos in carcere jacentis, (quam tamen necdum obtinuit.) Itémque à Turco Bajazete, non modò inducias, sed pacem instantissimè postulante, ut acceptam gravissimam à Sultano Ægypti & Syriæ cladem, (continuabatur indesinenter bellum inter illos, hactenúsque cum majori Turcorum clade: quousque post biennium pacem pepigerunt: quæ videre est in Annalibus

[n] Bonf. 4. dec. 8.

DE REBUS MATTH. REGIS HUNGAR.

Turcorum,) compositis cum Matthiâ rebus ulcisceretur : Necnon ab eodem Sultano, principe legationis Patriarchâ Ierosolymitano; (seu veriùs præfecto Dominici sepulchri, quem in Italiam ad Pontificem accessisse hoc eodem tempore alibi [o] reperimus) qui de ineundâ in Turcos societate diligenter egit : multáque pollicebatur, si communi ductu & auspiciis expeditio illa susciperetur. Denique inter eumdem Matthiam & Fridericum Imperatorem ac Maximilianum & Romanorum Regem ipsius filium, post longas de conditionibus contentiones, quæ utrimque iniquè proferebantur, pax sancita est.

[o] *Vid. infr. an.* 1490. *III.*

X. VENETI CYPRO POTIUNTUR.

Quo item anno (ut disertè tradit auctor Historiæ Cypriæ ex Georgio Bustrone nobili Cyprio qui aderat, & postremorum Regum res gestas Græcè conscripsit; cùm alios annos diversósque nonnulli alij auctores signent) Catharina Regina Cypri regno cedens Venetis, Venetias in patriam delata est. Cùm enim (ut Iustinianus [p] scribit) suspicio Senatui incidisset, aliquos rerum novarum cupidos esse, qui ad occupandum regnum occultas Reginæ insidias molirentur : ut ad tutiorem. Insulæ statum, (cui prætereà Turcorum & Ægyptiorum Reges insidiabantur) Reginâ in patriam revocatâ, Cyprus in Reipublicæ fidem reciperetur, missus eò statim est cum classe Franciscus Priolus, qui populorum animos in Senatûs fide & benevolentiâ confirmaret : & Georgius Cornelius Reginæ frater, ut eam induceret, regiâ sede relictâ in patriam accedere, ubi ab omni tuta periculo regalem vitam duceret. Quæ fratris blandientis consilium demùm secuta, cui diù refragata fuerat, cùm regiæ potestatis assueta privatæ fortunæ statum despiceret; contestata cum lacrymis, se invitam nolentémque regno excedere, è Cypro in patriam delata est; ductis etiam cum illâ nothis Iacobi viri ejus, quibus ipse regnum successivè testamento reliquerat [q]. Quæ summo honore Venetiis accepta, postquàm aliquamdiù cum suis in privatâ domo versata fuit, Asulo amœnissimo in Tarvisino agro oppido à Senatu tradito, ibi regiam imaginariam verâ mutatam tenuit : ac deinceps regnum Cypri per locum tenentes à Senatu missos administrari cœpit, cùm etiam jam anteà cunctæ ejus munitiones in ejus potestate essent. Habet tamen Historia Cypria, consensisse his proceres regni eâ conditione, quòd insula administraretur secundùm antiquas ejus leges : Senatúmque iis obtulisse jus civitatis Venetæ, sed recusâsse illos. Hócque omninò jus est, quod Veneti ad ejus insulæ possessionem sibi vindicare possunt, videlicet ut aut usurpatione acceperint, aut dono Catharinæ. Verum de usurpatione ipsi viderint. Catharinæ quod jus in id regnum esse potuit, feminæ Venetæ, conjugi dumtaxat spurij, iniqui ac perfidi impiíque usurpatoris juris alieni ? Quare & longe meliori titulo sibi illud vendicare asserebant Sabaudiæ [r] Duces. Quos & auctor Cyprius scribit, solitos fuisse singulis quinquenniis à Senatu Veneto regnum repetere : a quo post multas hujusmodi postulationes, aliquando responsum acceperint illud Davidicum [s], *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum :* quasi posse sessionem innuerent quâ fruebantur, & validas vires quibus eam defendere parati erant adversus debiliores : quousque & ipsi potentioribus cedere demùm coacti sunt, post octoginta circiter annos ab hujusmodi adeptâ possessione.

[p] *Iustin. Hist. Venet. lib.* 10.
[q] *Supr. an.* 1473. *V.*
[r] *Vide suprà an.* 1473. *VII.*
[s] *Psal.* 113.

XI. LAURET. DOMÛS HISTORIA SCRIPTIS TRADITUR.

Hoc anno *Baptista* cognomento *Hispaniolus* patriâ *Mantuanus* Theologus Ordinis Carmelitarum, & Congregationis Mantuanæ Vicarius generalis, idémque Poëta suo tempore celeberrimus, cùm ad sacratissimam ædem Lauretanam veniens, vidisset (ut ipsemet loquitur) qualia & quanta Deus ostenderet eo loco miracula, & suæ virtutis atque clementiæ signa manifestissima: ut rem cunctis manifestam publico scripto redderet, quæ ad eum diem sermone tantùm usurpabatur; Lauretanam Historiam solutâ oratione (cùm alioqui poësi esset excultissimus, unde & magnum sibi nomen peperit) conscripsit ad Cardinalem Ruvereum illius sacræ Domûs Protectorem; qui monachos Carmelitanos ejus curæ nuper auctoritate Pontificis præfecerat, (qui tamen ob gravitatem aëris, quæ brevi tempore multos absumpsit, nono anno quàm venerunt, ad salubriora migrârunt loca : in quorum locum pij quidam sacerdotes, sed mercenarij, à protectore substituti sunt, usque ad Leonem X.) Cujus lectione plurimorum animi ad eam invisendam pellecti fuêre. Eamdem verò posteà Tursellinus Societatis Iesu copiosiùs tractavit. Et ex utroque [t] habemus hoc eodem anno insigne valdè miraculum de liberatione ibi factâ Antoniæ uxoris Petri Orgentoricis civis Gratianopolitani genere atque opibus clari, à septem teterrimis dæmonibus, à quibus miserè vexabatur : cùm priùs nihil à viro in Galliâ intentato relicto, ducta in Italiam, nequicquam Mediolani ad S. Iulij, Mutinæ ad S. Geminiani, denique Romæ ad sacram Columnam flagellationis Christi, sacros Ecclesiæ exorcismos experta fuisset : Deo liberationis ejus decus Lauretanæ Domini reservante.

[t] *Mant. Bapt. Hist. Lauret. Tursel. lib.* 2. *c.* 7.

XII. PRINCIPIS ÆTHIOPIS BAPTISMUS.

Quo eodem anno Princeps quidam Guineæ sive Æthiopiæ [u] occiduæ, regionis Ialofæ dictæ nomine Bemoinus, cum quo Lusitani commercium habuerant, patriâ bello pulsus à fratribus; in Lusitaniam pro auxiliis à Rege Ioanne, cui per literas & munera ultrò citróque missa notus erat, impetrandis navigans; valdè honorificè receptus, suasionibus Regis baptismum recepit die tertio Novembris præsentis anni, unà cum multis regionis suæ nobilibus qui cum ipso venerant; recepto nomine Ioannis in honorem Regis Lusitani. In cujus auxilium cùm misisset Rex viginti naves armatas sub ducatu Petri Vasæi de Acuniâ; miser Bemoinus pro omni auxilio, à Petro, fictâ magis quàm probabili suspicione proditionis, pugione confossus interiit. Totam rem habet, una cum descriptione illius regionis, Ioannes Barrosus [x] in suâ Asiâ : ex quo eadem habet Maffeius in Rebus Indicis.

[u] *Vid. supr. an.* 1481. *X.*

TURPE FACINUS DUCIS LUSIT.

[x] *Barros. lib.* 3. *c.* 6. 7. 8. *Maff. ann.* 1489.

IESU CHRISTI Annus 1490.
INNOC. VIII. An. 6.
FRIDERICI III. An. 51.

I. CONSULTATIO INNOC. PP. DE BELLO TURCICO.

ANNO Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo, Indictione octavâ, Innocentius [a] Papa poſt receptum anno ſuperiori Zemem Bajazetis Turcorum imperatoris fratrem, incenſiori ſtudio ad bellum Turcicum intentus; cùm apud Imperatorem, Regéſque ac Principes, Réſque publicas, per Nuncios ſuos egiſſet, ut oratores ſuos ad diem Annunciationis Beatiſſimæ Virginis Romam mitterent, cum quibus de ratione ejuſmodi belli tractari poſſet; adfuiſſéntque illi undique ad diem: ſtatuit cum iiſdem, ut in expenſas expeditionis unuſquiſque Princeps ac Reſpublica decretam pro ſuo modo pecuniam numeraret, vel milites aut naves armaret, ſive commeatu juvaret: Pontificem in annatis, decimis, vel quotidianis contributionibus exigendis, tum in indulgentiis, gratiis, ac privilegiis promulgandis, Crucéque ſignatis ſub ſigna vocandis, nemo impediret: ſi aliquis trium Regum, Francorum, Hiſpaniæ, vel Angliæ, copias in Turcos duceret, ipſe quoque Pontifex bello intereſſet: ſin Rex abeſſet, Pontifex Legatum unum maritimis, alterum terreſtribus copiis Cardinalem præficeret: Itali, Galli, Hiſpani, Angli, mari; Germani, Boëmi, Poloni, Hungari rem terra gererent. Miſſis deinde fuêre Legati ac Nuncij per regna & provincias, qui hæc promoverent. Sed omnia de more præclarè propoſita, effectu penitus caruerunt. Quis enim tot diverſas nationes, aut Principes, in unum conſenſum coagmentare potuiſſet? aut à rebus ſuis & conſiliis privatis ad publicorum curam inducere? Nobis certè mirabilius ſemper fuit; poſt deperditam Terram Sanctam, quæ infauſtis noſtrorum diviſionibus in manus hoſtium ſuâptè ferè ſponte pervenit, repertos eſſe qui ſibi hoc unquam perſuadere potuerint; quàm ſi id caſu aliquo, qui vix cogitatione fingi poſſit, fieri contigiſſet. Cæterùm hoc tempore occaſione Zemis meliorem omninò ſpem ſuſcipi potuiſſe rem Chriſtianam in concertatione fratrum agendi, nullum eſt dubium.

[a] *Violard. in Innoc. Infix. in Diar. ap. Bzov. hoc an.*

II. DE EXACTIONE DECIMARUM IN GALLIA.

Addunt porrò auctores, (quod & ſuperiùs indicavimus) perveniſſe tam à Bajazete oratores ad Pontificem pro detinendo fratre, quàm à Sultano Ægypti pro eo ad ſe mittendo. Detinuit tamen eum Pontifex, ac pecunias à Turco in ejus alimoniam promiſſas ſingulis annis quoad vixit accepit. Hoccine verò erat bellum Turco inferre? & an ad hoc tantùm decimæ imponebantur? Vidimus literas eâ de re in Gallias à Pontifice miſſas ad Andream tituli S. Martini Preſbyterum Cardinalem Archiepiſcopum Lugdunenſem & Burdegalenſem, & Ludovicum Epiſcopum Albienſem, cum mandato de iis à quibuſcumque Eccleſiaſticis ſæcularibus & regularibus (exceptis Hoſpitalariis ſancti Ioannis, qui contra Turcos exponebant ſe jugiter) exigendis; datas menſe Auguſti præſentis anni milleſimi quadringenteſimi nonageſimi; ipſius Pontificatûs ſexti; cum ſignificatione excommunicationis & beneficiorum privationis in detrectantes eas ſolvere. Aliáſque nihilominùs eodem ipſo tempore ad Regem Carolum ſcriptas; quibus ei conceſſit, ut duas ejuſdem decimæ partes ſibi Rex haberet ob expenſas in defenſione Eccleſiæ factas, & ut fortiùs exurgeret ad novam prædictam ſanctam expeditionem: reliquâ tertiâ parte reſervatâ pro Camerâ Apoſtolicâ. Quod in ſequiorem ſenſum interpretata Vniverſitas Pariſienſis, quaſi ſcilicèt in privatum magis commodum quàm ad publicam expeditionem decretum fuiſſet; multis quoque aliis prolatis rationibus, tam pro ſe ſuíſque ut vocant ſuppoſitis, quàm pro omnibus aliis adhærere volentibus, ab ejuſmodi impoſitione provocavit & appellavit à Papâ Innocentio minùs debitè conſulto, ad eumdem ipſum meliùs conſulendum, & ad ſanctam Sedem Apoſtolicam etiam meliùs conſulendam, necnon ad ſacroſanctam Synodum univerſalem celebrandam, illúmque vel illos ad quos de jure provocare & appellare liceret.

III. SULTANI MINÆ AD REGEM HISP.

Cæterùm qui legationem à Sultano ad petendum Zemem habebat, Antonius Millanus erat Franciſcano monaſterio Ieroſolymæ præfectus. Qui in Hiſpaniam [b] quoque delatus, Ferdinando Hiſpano Mauros bello Granatenſi indeſinenter perſequenti; minas à Sultano intentavit, niſi incœpto deſiſteret impugnandæ gentis Mauricæ eiſdem ſacris imbutæ, cæde ſe vindicaturum Chriſtianorum omnium qui in Ægypto & Syriâ reperirentur. Eadem Ferdinandi Neapolitani Regis verbis, quem legatus ex itinere convenerat; monita data, quem fama ferebat Mauricæ genti æquiorem quam honeſtum eſſet. At Hiſpanus neque Sultani minis, neque Neapolitani monitis territus aut motus, Sultani legato officioſiſſimè dimiſſo, & Neapolitano per literas expoſitâ æquitate ſuſcepti belli; illud conficere cogitans, Granatam ipſam gentis metropolim oppugnare ſtatuit; eóque præcipuè quòd cives ne extremo quidem metu coërciti inter ſe diſſidebant de Regum ſuorum imperio, quamvis penè nullo reliquo. Qui tamen amicorum interventu ad concordiam redacti fuêre, ne diſſidio prædæ forent. Et paulò pòſt Abohardilli datum ut in Africam trajiceret; ſolo Boabdile rerum potiente: qui olim amicus factus Ferdinandi, nunc in ultimo gentis ſuæ periculo, pro facultate ei adeſſe conſtituit. De Granatæ verò obſidione dicetur anno ſequenti.

[b] *Marian. lib. 25. c. 15.*

IV. MATTH. REGIS HUNGAR. OBITUS.

Quod autem belli Turcici, de quo nuper dicebamus, conſilia maximè diſturbavit, obitus fuit *Matthiæ* Regis Hungariæ non ſolùm quòd ei gerendo nemo illo aptior videri poterat, verùm etiam, quòd poſt ejus obitum nonnulli potentes Principes regnum Hungariæ jure ſuo quique ad ſe trahentes, vires Germaniæ ac vicinorum regnorum diſtraxerunt. Mortuus autem eſt Viennæ in Auſtriâ ex apoplexiâ, quâ repentè correptus Dominicâ Palmarum, quæ incidit in quartam diem Aprilis, die Martis ſubſequenti animam efflavit. Inter moriendum pilula nucis inſtar è ſtomacho repentè ſuborta, & inter agendam animam ſenſim ad os ſubiens, cùm ad epiglottim

pervenisset, ille continuò expiravit. Inter alia mortis ejus portenta, leones qui Budæ detinebantur, omnes eodem die quo Rex interiêre. Itémque nulli eo tempore corvi, qui Corvinæ domûs insignia referebant, Budæ inspecti sunt: contra Albæ, ubi Regum monumenta erant, tanta corvorum inter se crocitantium multitudo spectata ut omnes Regis mortem facilè ariolarentur. Delatus igitur Albam-regiam ad conditoria Regum, magnificam nactus est sepulturam: quam Bonfinius [c], unà cum obitu describens, simul in ejus laudes, dotésque animi & corporis stylum copiosè effudit. In cujus funere Petrus Ranzanus Siculus Episcopus Lucerinus, vir apprimè doctus Ferdinandi Neapolitani apud eum orator, de laudibus & gestis ejus ornatam copiosámque habuit orationem: quâ multis rationibus ostendit, (inquit Bonfinius) Matthiam Regem Christianæ Reipublicæ assertorem, Principem invictissimum, & de Romanâ semper Ecclesiâ optimè meritum, jure inter divos esse referendum, quod ab universâ concione acclamatum est, & gravissimum super eâ re Senatusconsultum factum. Ita Bonfinius: qui veteres Romanorum Gentilium apotheoses magis respicere voluit, quàm legitimas Romanæ Ecclesiæ canonizationes; quæ nec sic facilè fieri consueverunt, nec ad alios pertinent quàm Romanos Pontifices. Quale etiam est breve Antonij Thebaldei epitaphium [d] ei affictum:

Corvini brevis hæc urna est: quem magna fatentur
Facta fuisse deum, facta fuisse hominem.

In cujus item obitu *Vvernerus Rolevvink* de Laër Westphalus Ordinis Carthusiensium monasterij Coloniensis *Fasciculum* suum *Temporum* terminavit: clarus multis aliis scriptis, quæ Trithemius, qui eum novit, & Bergomensis recensent. Ejus verò Fasciculo *Ioannes Linturius* Hoffiensis Voitlandus Appendicem addidit usque ad annum millesimum quingentesimum decimum-quartum. Qui de Matthiæ obitu ait, eum in extremis mugitum ut bovem emisisse. Mortuus est autem anno suæ ætatis quadragesimo nono, regni trigesimo-secundo mense tertio; ut ex iis intelligitur, quæ in ejus electione diximus; unde alios corrigas qui secus sentiunt.

[c] Bonf. 4. dec. 8.

[d] Ap. Iovi. in Eleg.

V. VTRÙM EX VENENO.

Sed quod ad ejus obitum; scribit Sambucus in Appendice ad Ranzani Indices, suspectam de ejus morte fuisse Beatricem ejus conjugem; quòd quæ negligi se videret ob sterilitatem, atque in Italos quiddam cum Friderico Imp. parari animadverteret: (& sanè qui de Innocentij Pontificis rebus scribunt [e], aiunt Fridericum Ferdinando Neapolitano patri Beatricis interminatum esse, nisi Pontifici æquiorem se præberet, qui ei in omnibus adversabatur, & Principes adversùs eum sollicitabat; iturum se in Italiam cum exercitu, aut Maximilianum Regem Romanorum missurum:) à quibusdam Italiæ Principibus corruptam, sitienti ex adverso nuncio Matthiæ, ficus tostas, & eas veneno imbutas, ante frigidæ potum nimis blandè exhibuisse devorandas: unde octavo pòst die decesserit. Meminit quidem Bonfinius Picenarum ficuum à Matthiâ ad languorem declinandum paulò antè quàm apoplexiâ corriperetur petitarum; cúmque promptuarius cariosas & exoletas dedisset, eas cùm pergustâsset, ita in primo morsu offensum esse ut in iram excanduerit. Sed de scelere Beatricis, quàm longissimè ab eo sunt quæ de ejus in Matthiam exhibitis in moribundum officiis idem Bonfinius narrat. Nisi hæ fuerint artes muliebres, fingere scientissimæ. Et quod Sambucus addit, fuisse qui assererent Matthiæ veru per nates dormienti immisso necatum à quibusdam suis esse; id quidem omninò falsum esse non dubitamus. Laudandum verò maximè, quod Bonfinius ait fuisse ei præter armorum studium, etiam litteras in commendatione, ac viros in quibuslibet scientiis quâlibétque arte præstantes undique disquisîsse, magnísque sumptibus conduxisse; denique bibliothecam in arce Budensi construxisse, mirâ utriusque linguæ fecunditate, cultúque librorum luxuriosissimo completam; multásque linguas calluisse, adeò ut præter Turcicum & Græcum omnium Europæ glossematum cognitionem habuerit. Salibus autem & facetiis ita oblectatum esse, ut suis ipse defectos obfirmaret animos, & mortuos ab inferis revocaret. Qui & præter Bonfinium, laudum suarum Buccinatorem habuit T. Alexandrum Cortesium carmine ei dum viveret dicato. Et Galeottus Martius Narniensis Epistolarum ejus magister, fascem egregriè, sapienter, & jocosè ab eo dictorum collegit; quem Ioanni Corvino ejus notho adhuc puero, cujus studiis præfuisse videtur, obtulit. Tot igitur laudatoribus, quos in vitâ nactus est, & largitionibus sibi devinxisse dicitur, cùm esset famæ magnæ venator, non potuit, meritò vel immeritò, non vulgò magnus haberi: cujus nihilominùs, si singula gesta speciatim examinentur, multa sine dubio reperiantur non magnâ commendatione digna.

[e] Vialar. in Innoc. VIII. Infix. in Diar.

Ejus LAUDANDA.

VI. SUCCESSOR EI ELIGITUR WLADISLAUS REX BOEM.

Matthiâ defuncto, principes Hungariæ de alio sublegendo cogitationem susceperunt. Cúmque plures essent, qui regnum ambirent; videlicèt Fridericus Imp. jure sibi ac filio Maximiliano in reddendâ sacrâ Coronâ Matthiæ Regi, ex compacto ut vidimus comparato: Wladislaus Rex Boëmiæ, jure quodam hæreditario; cui & Regina Beatrix, ejus olim specie in conventu Olomucensi inter ipsum & Matthiam facto capta, impensè favebat spe matrimonij cum eo contrahendi: Albertus ejus minor frater, qui non parvum ex cæde Tartarorum anni superioris nomen adeptus, cùm à nonnullis in concione Rex temerè proclamatus fuisset, quamvis reclamantibus pluribus, jure se declaratum Regem dicebat: & Ioannes Corvinus Matthiæ spurius, cui pater thesaurum arcésque omnes antè crediderat: demùm tamen, post multa consilia, nonnulláque dissensiones, *Wladislaus* Boëmiæ Rex, Hungariæ etiam declaratus est Idibus Iulij, grandi omnium lætitiâ; præterquàm competitorum, qui minis in Hungaros repulsæ suæ pudorem rependerunt. Wladislaus autem ritè coronatus est Albæ undecimo Calendas Octobris: cujus actionis cæremoniam distinctissimè Bonfinius explicat. Albertus præ cæteris pertinax arma intulit; sed post quamdam pugnam, quâ valdè de vitâ periclitatus est, certis conditionibus cum fratre concordavit. Fuítque pariter cum Maximiliano & Ioanne

Corvino armis agendum; iisque similiter repressis, insuperque quibusdam aliis rebellibus contusis, & pace pariter cum Bajazete Turco pactâ; tandem Wladislaus omnibus pacatis regnum quietè tenuit: Austriâ tamen amissâ, quam Maximilianus armis vindicavit: nonnulláque insuper oppida in Hungariâ occupavit, quæ paulò pòst Wladislaus recuperavit. Inter quos demùm pax facta est anno proximo, cujus extant [f] Acta. Hæcque omnia uti se habuerint, prolixissimè Bonfinius [g] describit; prosequuntúrque brevius Ranzanus [h], Cromerus [i], Dubravius [k], Sambucus [l], rursúmque diffusiùs Nicolaus Isthuanfius [m] nobilis Pannonius, qui Rerum Hungaricarum historiam orsus ab obitu Matthiæ Regis, perduxit usque ad Imperium Matthiæ Imperatoris per annos circiter centum & sexdecim. Ex quibus etiam constat, Wladislaum nequaquàm duxisse Beatricem, repugnantibus Hungaris, eò quòd sterilis esset. Quæ omnem movens lapidem ut voti sui compos fieret, quæ ferè mentis impos inde facta est, illum etiam de fide promissâ, in jus Romam vocavit, ubi causâ diù ampliata, non solùm non quod petebat obtinuit, verùm etiam Wladislao data est facultas aliam ducendi: qui Annam Gastonis Fuxensis Candalæ reguli filiam, ex cognatione Francorum Regis accepit, (quod tamen non ante annum millesimum quingentesimum secundum contigisse, ex Michovio [n] intelligitur.) Beatrix autem irarum in omnes plenissima in insulâ Ænariâ, sive Isclâ dictâ, ruinam domûs suæ spectans miseram vitam finivit.

[f] To. Rer. Hungar. post Bonfin.
[g] Bonf. 4. dec. 9. & 10. & dec. 5.
[h] Ranz. Ind. 37.
[i] Crom. lib. 29.
[k] Dubrav. lib. 31.
[l] Sambuc. Append. ad Bonfin.
[m] Isthuanf. lib. 1. & 2.
[n] Michov. lib. 4. c. 83.

VII. IOANNIS VARAD. MONACHATUS.

Illud denique ex eadem Hungaricâ Historiâ his addere haud à nostro instituto alienum; *Ioannem* Varadiensem Episcopum, qui apud Matthiam semper obtinuerat principatum, de cujus magnificentiâ dictum alicubi [o] superiùs, pluraque habet Bonfinius [p]; coronato è sententiâ suâ Wladislao, cùm se patriæ & humanæ gloriæ satisfecisse putâsset, præter omnium opinionem, omissâ mortalium rerum curâ, habitum S. Francisci, invito Rege suscepisse. Quod ejus præclarum facinus valdè is auctor commendat, & sapienter exaggerat. Tantúmque Hungaris Boëmisque suî desiderium reliquisse ait, ut pientissimo quisque parente, ac patrono officiosissimo, se orbatum reputaret. Quem tamen ita religiosam vestem induisse, ut nihilominùs curas aulicas pro Regis & regni utilitate non planè exuerit, ex Dubravio [q] intelligitur. Quo etiam anno *Ioanna* soror Ioannis Regis Lusitaniæ, Dominicanarum sanctimonialium monasterium in oppido Averii sanctitate florens olim, ingressa, post virginitatem perpetuò servatam (quamvis ejus prudentiæ & immensæ pulchritudinis causâ plurimis Principibus expetita esset) hanc vitam deserens ad cælestem migravit anno ætatis trigesimo-octavo pridie Idus Maij: de cujus pietate multa ea gens prædicat: & Antonius Vasconcellus Societatis Iesu Theologus Olysipponensis in Anacephalæosi Regum Lusitaniæ Vitam ejus sanctissimam descripsit.

[o] Supr. ann. 1483. III.
[p] Bonfin. 4. dec. 7.
[q] Dubrav. lib. 32.

IOANNÆ LUSIT. PIUS OBITUS.

VIII.

Quo item anno Innocentius Pontifex decimo Calendas Septembris approbavit [r] Societatem, seu Confraternitatem nuper erectam Romæ sub invocatione S. Ioannis Baptistæ Decollati *Misericordiæ* nuncupatam, ad piè consolandum noxios] ultimo supplicio addictos, curandámque eorum animæ salu tem, & corporum sepulturam: eámque privilegiis & indulgentiis auxit. Qui idem [s] die vigesimâ septimâ Septembris, ex apoplexiæ cujusdam genere in extasin soporiferam incidens, horisque ferè viginti sine arteriarum motu immobilis perstans, cùm fama jam mortis ejus quoquoversùs perlata fuisset, ac Cardinales de ordinandis circa successorem omnibus convenissent; subitò magnâ omnium admiratione m vivus apparuit. Decies centena millia nummûm aureorum in usus belli Turcici & Neapolitani ab eodem collecta tunc reperta sunt: quæ in molem Adriani transferre Patribus placuit, ne prædæ paterent. Quamvis autem Pontifex ex eo morbo nonnihil convaluerit; non tamen ita, ut non semper deinceps usque ad obitum minùs aptus negotiis, ac præcipuè bellicis visus sit. Perculerat eum fulmen, quod campanariam basilicæ Vaticanæ turrim paulò antè concusserat, & in cubiculum Archiepiscopi Consentini nepotis sui delapsum, lectisternium universum cæteris inviolatis exusserat.

[r] Bullar. to. 1. Innoc. VIII. const. 16.

CONFRATERNITAS MISERICORDIÆ.

[s] Vial. in Vit Innoc. Infix. in Diar. Onuphr. in Innoc. in fin.

IX. MONSTRUM IN SCOTIA.

Monstrum novi generis in Scotiâ hoc tempore visum [t] est, inferiore quidem parte speciei maris, nec quicquam à communi hominum formâ discrepans: umblicum vero supra, trunco corporis, ac reliquis omnibus membris geminis, & ad usum ac speciem discretis. Id Rex diligenter & educandum & erudiendum curavit: ac maximè in musicis, quâ in re mirabiliter profecit: quin & varias linguas edidicit, & diversis voluntatibus duo corpora secum discordia discutiebant, ac interim litigabant, cùm aliud alij placeret; interim velut in commune consultabant. Illud etiam in eo mirabile fuit, quòd cum inferne crura lumbive offenderentur, utrumque corpus communiter dolorem sentiret: cum verò supernè pungeretur, aut alioqui læderetur, ad alterum tantùm corpus doloris sensus perveniret. Quod discrimen fuit etiam in morte magis perspicuum, quippe cùm alterum corpus complures ante alterum dies extinctum fuisset, quod superstes fuit, dimidio suî computrescente, paulatim contabuit. Vixit autem annos viginti octo.

[t] Buchan. lib. 13.

X. PRODIGIA CONSTANTINOPOLI.

Hoc item anno 12. mensis Iulij (inquit Nauclerus [u]) in urbe Constantinopolitanâ admodùm deseviit. Superiorum enim trium siderum ignes, qui decidui ad terras Fulminum nomen habent, contagio nimij humoris hoc modo in eam regionem delapsi sunt: ut primò ingentia tonitrua audita sint, exin fulmina ardentia visa, & longiori tractu fulgetra, octingentas domos ignis consumpserit, & hominum tria millia, ut nec lignum nec forma ædificiorum remanserit. Ita ille. Addunt verò Annales Turcici, hoc eodem anno, die quodam Iovis circa meridiem, ibidem Constantinopoli terram tremuisse, & multa ædificia corruisse.

[u] Naucler. gener. 50.

XI. PATRIARCHA-

Ad quem terræmotum respexisse putamus Malaxum [x] in Historiâ Patriarcharum Constantinopolitanorum, cùm ait, in tempus regiminis *Dionysij* Patriarchæ [y] denuò sedentis incidisse terræmotus validos. Nam quod qui notas marginales ei addidit, ad illum alium terræmotum longè maximum, qui contigit anno

[x] Turcogr. lib. 2.
[y] Vid. supr. an. 1482. VIII.

RUM CŌSTANTINOP. SUCCESSIO.

millesimo quingentesimo octavo, vel ut Annales Turcici habent millesimo quingentesimo nono, refert, longissimè is errare convincitur; tum ex aliis, tum maximè ex eo quòd in eâdem Historiâ ponantur post hanc Dionysij restitutionem sedisse sub Bajazete Turcorum Imperatore, sex alij Patriarchæ sive primò sive iterùm, & aliqui sexennium: cùm tamen Bajazetes decesserit anno Christi 1512. Dicitur autem Dionysius hâc vice sedisse annos duos & sex menses: ac posteà se iterùm se spontè abdicâsse, & ad monasterium suum Cosinitzæ ad opera pœnitentiæ & pietatis retulisse. In cujus locum suffectus est, ut auctores Græci habent, *Manasses* metropolita Serrarum, monachus olim montis Atho: qui *Maximi* nomen accepit, præfuítque sexennium. Ex quibus Onuphrium [z] corrigas, dum hoc anno Niphonem ponit. Hunc enim jam ante prædicti Dionysij restitutionem sedisse vidimus: ponitúrque à Græcis rursùm substitutus Maximo post sexennium deposito; quod omninò ante annum Christi 1497. contingere non potuisse, ex prædictâ serie intelligitur. Gessisse porrò hoc tempore inter Latinos titulum hujus Patriarchatûs *Ioannem Michaelium* S. R. E. Cardinalem, Pauli Papæ II. sororis filium, idem Onuphrius memoriæ prodidit.

[z] *Onuphr. in Chron. Eccl.*

XII. CŌMENTUM DE SACRIFICIO SINE VINO.

Quod verò item habet, hoc anno Norvagis Pontificem permisisse sine vino sacrificare, quòd ob immensum frigus vinum in eas regiones importatum mox acescat: hausisse id noscitur ex Volaterrano [a]; ex quo & quidam alij. Sed tum sibi ipsi Volaterranus adversatur, dum ait permisisse Pontificem sine vino sacrificare calicem: tum verò non potuisse hoc à Pontifice permitti, communior est Theologorum [b] sententia; quòd sit de necessitate divinæ institutionis ut incruentum sacrificium sub speciebus panis & vini conficiatur. Quare & falsa omninò hæc esse assertio putatur, cujus nec ullam Krantzius, diligentissimus cæteroqui rerum Septemtrionalium, adeóque Norvagensium scrutator, nec ullus alius, præter Volaterranum, mentionem fecisse reperiatur.

[a] *Volaterr. Geogr. lib. 7.*
[b] *Vid. Suar. tom. 3. de Sacram. q. 74. disp. 43. art. 2. sect. 4.*

IESU CHRISTI Annus 1491.
INNOCENTII VIII. An. 7.
FRIDERICI III. An. 52.

I.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo-primo, Indictione nonâ, Innocentius Papa multorum clamoribus excitus ad tuendam libertatem confugientium ad Romanam Sedem pro justitiâ quâcumque de re implorandâ, quem multi seu vi apertâ seu variis artibus impedire consueverant; constitutionem [a] edidit 8. Calendas Februarij, quâ multis pœnis ejusmodi pravam licentiam compescere studuit.

[a] *Ext. Bull. to. 1. Innoc. VIII. const. 17.*

II. CAROLUS REX DIMITTIT FILIAM MAXIMILIANI.

Gallia continuis motibus ob bellum Britonicum & Flandricum agitata, etiam hoc anno ab eis nonnihil periclitata est. Cùm enim cupiens Maximilianus Romanorum Rex desponsam [b] sibi Annam Britanniæ hæredem uxorem accipere, vetarétque Rex Carolus eam inimico suo tradi; (eo videlicèt jure, quo ex antiquâ regni lege & consuetudine, etiam aliis regnis communi, ad vitanda perniciosarum coïtionum & noxiorum consiliorum pericula, prohibetur ne magnatum liberi extraneis matrimonio jungantur absque Regis permissione:) quinimmo & sibi ipse eam deposceret; Margaritâ sponsâ suâ jam à se remotâ ut patri remitteret, quam in minori utriusque ætate, jubente Ludovico Caroli patre, sed dissentiente Maximiliano sponsæ parente, (ut aliàs [c] vidimus) acceperat; adeò ut nullo jure eam sibi uxorem retinere teneretur: hinc Maximilianus vehementissimè commotus, tum ob repudij filiæ opprobrium, tum verò maximè ob abreptam sibi Britanniæ prædam; Henricum Regem Angliæ in auxilium sollicitâsset: Henricus cujus etiam valdè intererat ne Britannia Galliæ regno uniretur, neque amicitiæ, neque beneficiorum à Carolo Rege in adeptione regni Anglici acceptorum recordatione, neque insuper legationibus Caroli ad eum pro conservatione amicitiæ missis, (quibus unà cum aliis Robertus Gaguinus [d] historicus functum se ait) distineri potuit, quin ingentem [e] in Galliam expeditionem pararet.

[b] *Supr. an. 1488. VII.*
[c] *An. 1482. II. 1488. VII.*
[d] *Gaguin. lib. 11.*
[e] *Polyd. lib. 26.*

III. ET DUCIT ANNAM BRITANNAM.

Rex verò Carolus rebus suis diligenter attendens, eas ita disposuit, ut Annam uxorem duxerit, & Britanniam coronæ univerit, grandi regni incremento, & felici tranquillitate provinciarum: duabus superadditis conditionibus, ad tollendas omnes imposterùm de eo Principatu contentiones: videlicèt si Anna ante Regem decederet absque liberis, Britannia nihilominùs in potestate Regis permaneret uti pars regni: & si Rex prior decederet item absque liberis, non posset Anna alij nubere quàm futuro regni successori. Cujus matrimonij extant [f] literæ publicæ, confectæ in castro de Langesiis diœcesis Turonensis, die sextâ mensis Decembris præsentis anni millesimi quadringentesimi nonagesimi primi. In quibus cùm ex iis qui interfuisse ponuntur, primus recenseatur Ludovicus Dux Aurelianensis; inde liquidò constat, fuisse cum jam anteà libertati restitutum. Quod instantissimis Ioannæ ipsius conjugis ad Regem fratrem suum precibus impetratum esse, ipsius Ludovici Historia docet. Quæ verò reliqua de matrimonio tractata fuêre, recensentur in Historiâ Caroli Regis; necnon apud Comminium [g], qui tractatui pacis interfuit unà cum aliis legatis Caroli Regis; atque etiam in Historiâ Britannicâ [h]. Quinimmò & dimittendi Aurelianensis causam extitisse, ut ejus operâ nuptiæ Regis cum Annâ conciliarentur, putavit post Seissellium Iovianus Pontanus [i]. Margarita verò à Rege dimissa, nuptui posteà data fuit à patre Ioanni filio Ferdinandi & Isabellæ Regum Hispaniæ: eóque paulò pòst extincto, collocata Philiberto Sabaudiæ Duci ejus nominis secundo. A quo vidua relicta, singulari prudentiâ ditiones Caroli V. Imperatoris Philippi fratris sui filij, aliquamdiù gubernavit: ut fortè erit aliàs dicendi opportunitas.

[f] *Ap. Bellefor. Latinè lib. 5. c. 157. Gallicè, & nonnihil diversè ap. Argentr. lib. 13. cap. 58.*
[g] *Commin. lib. 7. c. 3.*
[h] *Arg. ibid. cap. 59.*
[i] *Pont. lib. 2. de fortun.*

IV. PAX INTER REGES.

Rex autem Angliæ, in harum rerum vindictam, atque in Gratiam Maximiliani sic delusi, post hæc in Galliam trajiciens cum

immensis copiis, Boloniam expugnare tentavit. Sed cùm videret, contrà quam speraverat, nihil sibi opis à Maximiliano, penè omnium rerum indigo afferri: pacis ipse, quantum sibi sine Anglorum offensione, qui bellum prædæ causâ concupiebant, licebat amator, (adeò ut iis morem gerens, magis quàm suopte ingenio transmisisse existimaretur) acceptâ pecuniâ olim Francisco Britanniæ Duci creditâ, & belli expensis; Maximilianum de promissis auxiliis fefellisse causatus, pacem iniens, in Angliam rediit ad finem anni consequentis. Ipséque posteà Maximilianus, Regi viribus impar, post interceptam proditione urbem Atrebatensem, & obsessam frustrà Ambianensem; demùm & ipse in pacem consensit, quâ filiam recepit cum ejus dote; factam illam apud Silvanectum anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, præsentibus etiam legatis Friderici patris, Philippi filij Maximiliani, cui restitutio provinciæ Atrebatensis quam Rex occupabat fieri debebat, Helvetiorum, aliorúmque Principum amicorum.

V. REX FICTITIUS IN ANGLIA.

[k] Polyd. l. 26. Lesl. l. 8. Buchan. lib. 13.

[l] Suprà an. 1485. VIII.

[m] Vide suprà an. 1483. II.

Pertinet ad prædictam expeditionem Anglicam hujus & sequentis anni, suppositio fictitij cujusdam Principis, per Margaritam Anglam, Caroli olim Burgundiæ Ducis relictam, prædictæque Margaritæ Austriæ novercam, facta; quam auctores [k] Angli & Scoti enarrant. Hæc enim Margarita Angla, ubi audivit Henricum adversus Carolum bellum comparare, pro summo odio quo Henricum prosequebatur, rata tempus idoneum esse ad res novas in Angliâ moliendas; eâdem vafritie, quâ olim [l] Lambertum quendam sub nomine Eduardi Clarentini produxerat, alium exhibuit juvenem, cui verum nomen Petro Varbecho, patriâ Tornacensi, quem humili quidem loco natum, sed formâ, ingenio, staturâ corporis, atque oris dignitate conspicuum, ac multarum nationum quas per egestatem peragraverat loquelâ præditum, apud se aliquamdiù occultissimè detentum, déque omnibus apprimè edoctum, finxit esse Richardum Ducem Eboracensem filium minorem Eduardi IV. Regis Angliæ, fratris ipsius Margaritæ; putatum [m] quidem unà cum Eduardo fratre majori à Richardo Glocestrensi patruo, regni usurpatore, sceleratè occisum, verùm occultè morti subtractum, per orbem hactenùs incognitum vagatum esse. Hic igitur clàm in Hiberniam missus, cùm se Richardum illum Eboracensem professus esset, magno concursu & applausu exceptus, gravem brevì motum in Angliâ excitaturus videbatur: adeò ut etiam à Carolo Francorum Rege, famâ ejus auditâ, evocatus, quò illum adversus Henricum armaret, veniens Lutetiam, ab eo honorificè exceptus sit, adjectis etiam satellitibus cæteróque principali cultu. Verùm haud multò pòst factâ, ut dictum est, cum Henrico pace, is, sive clàm ne dederetur, ut quidam habent, sive à Carolo ablegatus, ut alij, de tantâ spe dejectus, ad Margaritam in Flandriam se contulit: atque ab eâ; ceu tum primùm ab eâ visus, magno studio cultus, & proceribus ostentatus, regio cultu cum stipatoribus procedere cœpit: ac nomine Albæ Rosæ (quod insigne factionis Eboracensis, sicuti Rubra Lancastrensis, apud Anglos erat) commendatus, pro vero & indubitato Anglici regni hærede prædicatus est. Quæ ubi per Flandriam primùm, deinde per Angliam divulgata fuêre, concurrentibus ad eum undique, non iis modò qui legum formidine in asylis aliisque locis latitabant, sed viris etiam nobilibus, quibus aut suæ res non satis placebant, aut novarum rerum erat cupiditas, aut alienus ab Henrico Angliæ Rege quâcumque de causâ animus: ipse longioris moræ impatiens, quâ fraudes suas detectum iri verebatur; turbas in Angliâ moturus, in Scotiam navigavit: ubi à Iacobo Rege benignè uti Dux Eboracensis receptus, uxorem etiam accepit propinquam ejus, filiam Comitis Huntlæi. Turbata inde universâ Angliâ, & Rege Henrico non in parvam rerum suarum sollicitudinem adducto, ob Cantiensium rebellionem, & fictitij hujus Ducis ac Scotorum cum eo junctorum incursiones: cùm rursùm, operâ cujusdam oratoris Hispani, quem Rex Ferdinandus ad tractandum de matrimonio filiæ suæ Catarinæ cum Arturo filio majore Henrici in Angliam miserat, inter Anglos & Scotos pax redintegrata fuisset; Varbechus ab Scoto (qui nunquam adduci potuerat ut eum Anglo dederet) dimissus, rursùm in Hiberniam navigans, & inde Angliam impetens, post inanes quosdam conatus, in asylo, ad quod rebus desperatis confugerat, vitæ incolumitate promissâ captus, & ad Regem adductus; cùm semel iterumque fugam tentasset, demùm laqueo suspensus est: pluribus item aliis qui ei consenserant diversis suppliciis sublatis. Inter quos fuit etiam Eduardus Comes Warwicensis, qui ipso Henrici Regis initio in custodiâ positus, obtentu fugæ quam cum Varbecho tentâsse accusatus est, capite adolescens innocentissimus pœnam luit. Ductâ, ut volunt, hâc fabulâ usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum nonagesimum nonum, quo tandem consummata est.

TURBAS CIET, ET CAPITE PLECTITUR.

VI. GRANATÆ URBIS OBSIDIO.

[n] Marian. lib. 25 c. 16. & 17.

Hoc item anno [n] ad nonum Calendas Maij, cœpta est à Ferdinando Hispaniæ Rege obsidio urbis Granatæ, Maurorum in Hispaniâ metropolis, quæ penè sola reliqua in potestate eorum remanserat. Quinquaginta millia militum erant, quintâ equitum parte, ex universâ Hispaniâ ingenti delectu contracta. Vrbem equitum peditúmque numerosæ copiæ muniebant, quoscumque belli sævitia reliquos fecerat, magno rei militaris usu; præter urbanam multitudinem, in quâ parùm præsidij erat. Ipsa urbs in medio agri optimi & amœnissimi constituta, naturâ loci, opere, muris, propugnaculis, inexpugnabilis, mille & triginta turribus cincta; domorum sexaginta millia complectens. Post varias tamen pugnas, eruptiones, irruptiones, Mauri malis omnibus domiti ad deditionem flexêre animos: quæ firmata est ad 7. Calendas Decembris, his potissimùm conditionibus, ut urbem & munitiones darent; possessiones retinerent, templáque ex ritu gentis, ac patria sacra: suis legibus viverent, judicibus ex suâ gente creatis quorum consilio regij prætores jura dicerent: qui in Africam navigare mallent, iis sua pretio vendendi facultas esset. Quod tamen fœdus Maurus quidam disturbare nisus, proditio-

nem, fraudem, insidias, conclamans, populúmque ad longiorem tolerantiam, etiam usque ad propulsationem famis eorum corporibus qui ad bellum inutiles essent, animans, viginti hominum millia ad arma concitavit. A quibus sibi Boabdiles Rex timens, primùm se intra arcem tenuit, deinde verò conquiescente impetu ad pacta necessaria adimplenda hortatus, urbem dedidit. Quæ quia principio anni sequentis recepta est, eo celebritatem illam remittimus.

VII. Eodem tempore, felicibus conatibus Ioannis Regis Lusitaniæ, propagata est fides Christiana in regno Congi, de quo cœptum est agi superioribus annis [o]. Cùm enim nobiles illi quos diximus in Lusitaniam adductos, suscepto baptismo biennium summâ cum diligentiâ Christianis moribus & institutis imbuti, ad sua remissi fuissent unà cum nonnullis Patribus Dominicanis, tribúsque navibus armatis sub ducatu Consalvi Sosæ: (cui inter navigandum peste extincto, Rodericus fratris filius omnium consensu suffectus fuit:) ubi primùm ad littus Congi appulêre, Regis patruus qui Sono maritimæ Congi plagæ imperitabat, jam senex baptismum cupidissimè suscepit, unà cum filio parvulo, qui per ætatem petere non posset: inhibens tamen ne alter filius jam adultus, quamquam non minùs ejus cupidus, eum priùs susciperet, quàm Rex ipse Congi, ad quem legatio mittebatur, cum filiis suis baptizaretur, cui is honor deferendus erat; quem patruus ob ingravescentem ætatem metu mortis præripuerat. Nomen autem in baptismate accepit Emmanuelis, quòd audisset eo nuncupatum esse præcipuum à Rege principem Lusitaniæ: filiolúmque Antonium vocari placuit. Fuítque hic primus omnium baptismus iis partibus collatus: ídque ipso die Paschatis, qui præsenti anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo incidit in tertium Aprilis. Post quæ Emmanuel idola totâ suâ ditione conquisita igne combussit. Indéque progressi Sosa & Comites ad Regem Congi in civitatem Ambassen; & ad eum introducti vigesimo-nono Aprilis, sedentem invenerunt in edito solio, mitratum infulâ è palmæ foliis opere subtili & eleganti, à capite ad umbilicum nudum nigerrimúmque cætera deorsùm Damascenâ bombyce contectum; lævum brachium armillâ ex orichalco adornatum; equinâ caudâ ex eo humero pendente, quod solis Regibus insigne erat. Salutatus à Sosâ more Lusitanico, ipse loco salutationis manum ad terram apposuit quasi pulverem sumpturus, eâque pectus Sosæ leviter tangens, deinde suum etiam tetigit; salutationis genere apud eam gentem humanissimo atque officiosissimo. Expositis mandatis, muneribus oblatis, & sacrâ supellectili, cujus ministerium divinum usus est, cum magnâ intuentium admiratione, simul & veneratione, ostensâ: (fuit inter cætera præfulgidum Crucis vexillum, quod solemni precatione consecratum, Innocentius Pontifex Regi Lusitano transmiserat:) decretum fuit, ut templum ritu Christiano ædificaretur. Quod tantâ alacritate atque celeritate factum est, ut cùm primus lapis positus esset tertio die Maij festo Inventionis S. Crucis, in cujus honorem dedicandum erat, Calendis Iunij opus consummatum fuerit. Cùm intereà certior Rex factus de cujusdam populi rebellione, ad quam componendam festinato opus erat; priusquàm eò moveret, baptismi Sacramento se muniens, (quem pariter Regina, multíque proceres, atque infinita plebis multitudo susceperunt) acceptóque de manu Sosæ vexillo Crucis, cujus virtute victoriam promisit, facili negotio rebelles fugavit, ac victor Ambassen rediit. Tulit autem in baptismo nomen Ioannis, ejúsque uxor Eleonoræ, in honorem Regum Lusitaniæ. Filiúsque major natu, æquè baptismo lustratus, Alfonsus dici voluit, de nomine Principis Lusitaniæ. Minor autem, Pansus Aquitimus nomine, ab avitâ religione nullo pacto abduci se passus est. His gestis Sosa in Lusitaniam rediit, relictis in Congo sacerdotibus religiosis ad cœpta promovenda, cum nonnullis Laïcis ad eorum consortium, & ad explorandas alias terras.

[o] Suprà an. 1484. XI.

REGNUM CONGI FIDEM CHRISTI SUSCIPIT.

VIII. Quoniam verò post hæc monitus Rex, proceresque, de abjicienda uxorum pluralitate, auguriorum impietate, aliísque vitiis quibus ea gens dedita erat, cœpissent impiorum sollicitatione à fervore fidei tepescere, res eò paulatim adducta est, ut nisi Alfonsus filius pro pietate fortiter stetisset, & Apostoli ministerium agens, hortationibus, & prædicationibus suis nutantes firmâsset; actum brevî de Christianitate fuisset. Qui nihilominùs apud patrem de conjuratione in ipsum per calumniam impetitus, primò omni dignitate & honore privatus est; deinde cognitâ ejus innocentiâ restitutus, cùm in ditione sibi concessâ idola ullo modo coli prohibuisset; rursùm in patris indignationem, malevolorum incitatu, defectionem populorum minitantium, incidens; paulò pòst eâ quoque tempestate liberatus est, patre hanc vitam deserente. In cujus locum Pansus admitti omnibus artibus quærens, à fratre Alfonso, longè quidem militum numero inferiori, sed cœlesti militiâ: prævio signo Crucis (ut hostes ipsi vidêre) adjuto, fusus est: captúsque, cùm à fratre ingenti charitate de fide suscipiendâ moneretur, in pertinaci mentis duritie miser animam efflavit. Ac deinceps Alfonsus firmam regni possessionem adeptus, longè latéque fidem propagans; quinquaginta ampliùs annos summâ felicitate regnavit, usque ad extremum vitæ terminum, annúmque ætatis octogesimum quintum, in professione & amplificatione fidei persistens. Qui etiam hortante atque invitante Emmanuele Lusitaniæ Rege Ioannis successore, filios nepotésque suos aliósque nobiles adolescentes in Lusitaniam misit, qui litteras discerent, & in scientiis ac Theologicis facultatibus erudirentur; quos Emmanuel suis sumptibus aluit: ex quibus duo fuêre Episcopi, qui ministerium suum diligenter in patriâ exercuerunt. Demúmque & filius Alfonsi Henricus nomine, unà cum Petro cognato, Romam ad Pontificem missi, obsequium ei cæterorum more Principum obtulerunt. Quæ cuncta pluribus narrat Ioannes Barrosus [p], ex quo Maffeius & alij posteriores desumpserunt: præter antiquiorem tractatum Eduardi Lopez, qui extat in collectione auctorum qui de rebus Indicis scripserunt.

PERICLITATUR IBI FIDES.

ET FIRMATUR.

[p] Barros. Asi. dec. 1. lib. 3. cap. 9. & 10.

IX. Hermolai Barbari Patriarchatus delusus.

Mortuo Romæ hoc anno 6. Nonas Martij, *Marco Barbo* Veneto Episcopo Cardinale Prænestino; Pauli Papæ II. patruele, viro docto, & scriptis ac rebus pro Ecclesiâ gestis claro, de cujus Hungaricâ legatione dictum est superiùs: cùm esset etiam Patriarcha Aquileiensis, eam Ecclesiam post ejus obitum Innocentius Pontifex *Hermolao Barbaro* patricio Veneto Zachariæ procuratoris filio, illiúsque Reipublicæ tunc apud se oratori contulit; qui propter summam in literarum atque optimarum artium studiis præstantiam, cum vitæ innocentiâ conjunctam, magnum apud exteras nationes nomen, apud suos verò ac præcipuè Romæ maximum adeptus erat. Eam tamen Hermolaus repudiare à suo Senatu, qui nihil vel insusitatæ virtuti extra leges tribuendum censuit, coactus est; quòd cautum esset, ne quis legatione publico nomine perfungens, munera beneficiáque ulla à Pontifice acciperet. Quâ offensâ tam pater ejus quàm ipse tactus, pater primùm Venetiis, deinde filius Romæ interiisse dicitur: qui immortalitate (ut Iustinianus [q] ejus concivis scribit) ob ingenij præstantiam dignus erat: puta omnium ex suâ civitate (ut item Bembus [r] ait) qui ante illum nati essent, Latinorum & Græcorum literis planè doctissimus. Habent tamen quidam, eum pestilentiâ defunctum esse: potúitque utrumque fieri, ut mœrori, abrepti Patriarchatûs accesserit morbus pestilentiæ. Sed anne tamdiù virum fortem torquere potuit hujusmodi mœror, qui tot aliis virtutibus pollebat? Ne igitur hanc maculam ejus nomini inuramus, mortuus potiùs fuerit ex pestilentiâ. Quod duodecimo Calendas Iunij anno 1493. ætatis ejus tantummodò trigesimo-nono, contigisse Trithemius [s] scribit; ejusdem multiplices lucubrationes enumerans. In quibus cùm emineant Plinianæ castigationes, mirari libet cur Raphaël Volaterranus [t] eum arguere præsumpserit quòd opus susceperit (ut scribit) impar dignitati, & vitæ suæ instituto; quasi scilicèt alienum existimari debeat à viris Ecclesiasticis; si literis etiam humanioribus operam dent: cùm tamen vix sit magnum Theologum, etiam ex antiquis tam Græcis quàm Latinis reperire, qui non etiam res Gentilium calluerit, & frequenter tractaverit. An enim propterea omittitur cura Ecclesiarum? Denique Hermolaus Patriarchatum non iniit, licúitque eidem pro libito suis lucubrationibus animum applicare. De quo agunt præterea Crinitus [u], Iovius [x], Erasmus [y], & alij. Erràsséque putamus Trithemium dum eum etiam Cardinalem factum scribit, & nonnullis aliis idem scribendi auctor extitit. Nisi existimemus, in levamen suscepti mœroris de abdicatione Patriarchatûs, spem factam ei esse Cardinalatûs; vel etiam designatum fuisse, sed mortem obiisse antequàm renunciaretur. Cujus denique sepulchro hoc Epitaphium appositum dicitur:

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem
Barbarus hic situs est: utraque lingua gemit.
Vrbs Venetûm vitam, mortem dedit inclyta Roma:
Non potuit nasci, nobiliúsque mori.

[q] *Iustin. Hist. Ven. lib. 9.*
[r] *Bemb. Hist. lib. 1.*

Ejus obitus.

[s] *Trithem. de Script. Eccl.*
[t] *Volat. l. 21.*
[u] *Crin. de honest. discipl. cap. 7.*
[x] *Iov. in elog.*
[y] *Eras. Chil. 1. cent. 4. ad 39.*

Iesu Christi Annus 1492.

Innoc. VIII. An. 8.

Friderici III. An. 53.

I. Granata urbs in manus Christianorum venit.

Anno Christi 1492. Indictione decimâ, ingens gaudium factum est universæ Hispaniæ, opprobriúmque octo solidorum propemodùm sæculorum sublatum est, deditione urbis Granatæ Maurorum metropolis, quæ post duram octo mensium obsidionem, à Rege Boabdile Ferdinando Hispaniæ Regi die 2. Ianuarij, iis conditionibus quas superiori anno expressimus, tradita est. Quâ die Ferdinandus unà cum Isabellâ conjuge, insigni pompâ arcem ingressus est, subsequente splendido procerum sacerdotúmque ordine, inter quos extitit *Fernandus Talavera* ex Abulensi Præsule captæ urbi designatus Archiepiscopus; qui sacrâ precatione è libris Pontificalibus recitatâ, legitima capientium urbes verba nuncupavit. Peractâ pompâ, & gratiis Deo actis, post prandium in castra eodem ordine reditum est. Diebúsque subsequentibus, obitâ à Regibus, atque lustratâ urbe, demùm eam ingressi sunt die octavo Idus Ianuarij, qui ut piis Magorum memoriâ sacer veteri instituto celebrísque semper extitit, ita universæ Hispaniæ salutaris fautúsque illuxit. Facto etiam lætitiæ participe reliquo orbe, cùm ad Innocentium Papam Regésque literæ datæ, ac missi sunt qui gaudium nunciarent. Réxque Maurorum Boabdiles, cui vallis quædam & vectigalia assignata fuere, in Africam posteà navigavit tædio vitæ privatæ, cui impares Reges sunt. Remansit tamen adhuc magna Maurorum multitudo, sed absque Rege. Hæc autem omnia narrat distinctiùs ex antiquioribus auctoribus Mariana [a]. Estque in collectione Epistolarum Principum, una Bernardi del Roi, qui interfuit, scripta de iisdem die septimo Ianuarij; ac permultæ Petri Martyris Anglerij Mediolanensis ad Cardinales Sfortiam & Arcimboldum. Addit verò Mariana [b], magnificè, ab hoc tempore nomen Hispanorum, eatenùs ignobile, certè angustis Hispaniæ finibus inclusum, brevissimo deinceps tempore, non modò Italiam, Galliam, Africámque cursu victoriarum maximo pervasisse, sed ad extremos orbis terrarum fines pervenisse ultra Solis vias & ipsius Oceani limites.

[a] *Marian. lib. 25. c. 18.*
[b] *Id. lib. 26. cap. 1.*

II. Catholici titulus Regum Hisp.

Interim verò Ferdinando & Isabellæ Regibus, post Granatæ expugnationem, titulum *Catholici* ab Innocentio tributum fuisse, sunt [c] qui asserant. Quod ut esset etiam consequentibus Hispaniæ Regibus proprium hæreditariúmque, Alexandrum VI. Innocentij successorem, hominem Hispanum, concessisse, alij [d] tradunt; aliíque [e], Ferdinandum à Iulio II. id enixis precibus impetràsse. Olim illud Reccaredo Regi, ob reductam secum gentem suam Gothicam ab Arianismo ad fidem Catholicam, in Episcoporum Concilio à Patribus acclamatum fuisse constat; & centum fermè quinquaginta pòst annis, ab Alfonso ejus nominis Primo pro cognomine usurpatum, jam aliàs [f] vidimus. Nec denique

[c] *Taraff. Genebr.*
[d] *Mar. lib. 7. c. 4 & lib. 26. c. 12.*
[e] *Baron. an. 738. Epit. eb an. 11.*
[f] *in Epit. Baron. 738. 11*

g Ciac. in Innoc. VIII.

pereat quod Hispani [g] ipsi observant, Reges prædictos Ferdinandum & Isabellam adjutos fuisse pecuniis ab Innocentio Pontifice ad bellum hoc Mauricum, subministrante singulis annis nummos aureos septuaginta mille.

III. IUDÆI PELLUNTUR HISPANIA.

Iidem verò Reges post hæc animo versantes quâ ratione ad exitum perducerent ea consilia quæ pro pietate & religione susceperant; de pellendis universâ ditione Iudæis, quæ alia pestis supererat, consilium inierunt: quos exploratum habebant, scelera nefaria contra religionem Christianam conflare. Quapropter Granatæ, ubi morabantur, mense Martio hujus ipsius anni per edictum voce præconis denunciárunt, uti Iudæi omnes, nisi Christiani fierent, ex omni ditione discederent: quatuor mensibus parando exilio datis, cum facultate eo spatio vendendi bona, secúmve quò vellent asportandi. Quod edictum novâ Thomæ Turrecrematæ Inquisitoris sanctione mense Aprili ampliùs adstrictum est, cùm Christianis omnibus vetuit cum eâ gente commercium; gravíque supplicio sancivit, siquis eo decurso tempore victu aut re aliquâ eos homines juvaret. Sic innumera Iudæorum multitudo mari ex Hispaniâ solventes, tum Africam, Italiam, & Orientis Solis oras tenuerunt, tum plerique in Lusitaniam vicinam abiêre: quibus Ioannes Rex potestatem eò migrandi fecit, eâ lege, ut per capita octonos aureos singuli penderent in pretium hospitij certi temporis, quo elapso ex iis finibus commigrarent aut servi fierent: quod & quamplurimis contigit; & qui abire maluerunt, iniquissimis injuriis à Christianis eos deducentibus affecti fuêre, ut ex Orosio [h] intelligitur. Numerum verò illorum qui ex Hispaniâ modò discesserunt, Mariana [i] ait, à plerisque scriptoribus centum & septuaginta familiarum millia asseri, à quodam etiam ad octingenta millia capita extendi. Magnóque compendio ac fructu earum provinciarum ad quas confugerunt, hanc eorum expulsionem extitisse ait, ob copiarum Hispaniæ magnam partem, aurum, argentum, gemmas, vestémque pretiosam quam secum detulêre. Cùm tamen Nauclerus [k] eandem hanc ipsorum expulsionem recensens, (quam centum viginti quatuor millium familiarum fuisse scribit) disertè asserat, edicto regio cautum fuisse, ne aurum vel gemmas è regno tollerent, sed commutatione bonorum suorum, merces & alias res, utpotè pannum, vinum, & hujusmodi, secundùm debitam æstimationem, abducere possent: quemlibet Iudæum in pretium transfretationis coactum fuisse Regi solvere duos ducatos: promulgatúmque esse, ut siqui non abiissent termino eis præfixo, corpus & bona perderent: cúmque contigisset duas naves constituto tempore vela facere neglexisse, omnes qui in eis reperti sunt venditos esse atque in servitutem redactos. Addit verò Mariana, multos Iudæos, ne patriâ carerent, Christo dedisse nomina, partem sinceris animis, alios simulatâ pietate tempori servientes, qui brevi ad ingenium, fraudes, & mendacia redierunt. In iis verò qui in Africam transmiserunt fuit (ut Genebrardus [l] notat) R. Isaac F. R. Ioseph Karn, commentator Pentateuchi: ut in Portugalensi exilio, quod paulò pòst contigit, R. Abraham auctor Fasciculi Myrrhæ, qui se Fessam recepit.

h Oros. lib. 1.

i Mar. l. 26. cap. 1.

k Naucler. gen. 50.

l Genebr. Chron. l. 4. in Innoc. VIII.

IV. NOVUM EORUM SCELUS IN GERMANIA.

m Naucler. gen. 50. Krantz. 14. Vvandal. 17.

Perfida gens, quæ nec ullis unquam miraculis, nec sævissimis pœnis valuit ab odio in Christum revocari, & ad ejus sacratissima mysteria adduci; etiam hoc anno in Germania loco Sternebach sub dominio Principum Magnopolensium, die vigesimo-secundo Octobris (ut rem narrant Nauclerus [m] & Krantzius) coëmptâ à Petro quodam impiissimo sacerdote divinissimâ Eucharistiâ, eam sceleste perfoderunt. Quam cruore mox erumpente territi cùm sacerdoti reddidissent, miser consilij inops sub terram defodit. Re mirabiliter detectâ, triginta Iudæi igne cremati sunt: sacerdos, quamvis de scelere valdè pœnitens, depositus tamen, ignitis forcipibus lancinatus, & pariter combustus fuit: Sacra Eucharistia in Ecclesiam delata est: ubi continuò magna fieri cœpêre miracula, & hominum eò concursus. Et ut agnoscatur pervicacissima gentis rabies, addit idem Nauclerus, non solùm Iudæum quendam præcipitem se in flumen dando mortem sibi conscivisse, verùm etiam unam ex eorum feminis, quæ tres filias habebat, minorem jugulasse, secundam similiter occidisse; tertiam vix è manibus furibundæ elapsam auxilio Christianorum servatam esse. Cujus Iudæorum sceleris occasione, qui putárunt Reges Hispaniæ occasionem sumpsisse pellendi gentem totâ Hispaniâ; minimè adverterunt, jam antè pulsos inde fuisse, quàm istud in Germaniâ contigisset. Pulsos verò hoc item anno ab Ernesto Archiepiscopo Magdeburgensi totâ ditione, quòd nimis graves essent suis subditis, alibi reperimus.

V. SACRAMENTARIUS COMBURITUR LUTETIÆ.

n Addit. ad Monstrel.

Quo eodem tempore Parisiis accidit [n], ut cùm postridie festi Corporis Christi quidam sacerdos Missam celebraret in Ecclesiâ Cathedrali S. Mariæ Virginis, in sacello SS. Crispini & Crispiniani; post consecrationem alius quidam sacerdos illic præsens nomine Ioannes Anglesius motu satanico in sacratissimam hostiam involans, eam de manu celebrantis extorserit, & in terram projecerit pedibus conculcandam, sed mox captus à circumstantibus, & in carcerem trusus, cùm interrogatus in scelestissimâ hæresi obstinatus persisteret; publicè degradatus, & magistratui sæculari traditus, ab eo, post linguam excisam, igne combustus est in foro porcario. Quem putamus fuisse ex sceleratis illis Waldensibus, de quibus, eorúmque hæresibus, dictum est aliàs. Ad quos ex Delphinatu, in quo ad lacum Lemanum & Allobroges radices egerant, extirpandos, missum fuisse ab Innocentio Pontifice de consensu Caroli Regis Albertum Cattaneum Placentinum, Archidiaconum Cremonensem, Pontificij & civilis Iuris consultissimum; & ab eodem rem diligentissimè cum auxilio ministrorum & armorum regiorum, tam verbo quàm gladio præstitam, plurimis ad fidem conversis, multis cæde extinctis, eorúmque munitionibus dirutis: intelligitur ex Breviario [o] Historico Regum Francorum, per eundem Albertum composito, ubi rem singillatim describit.

o Extat in Hist. Car. VIII. edit. Gothofr.

VI.

p Mass. in Chron.

Prædictæ historiæ aliam subjectam reperimus apud Massæum [b]; quâ narrat, hoc eodem

DIABOLICA VEXATIO MONIALIUM.

anno circa festum Cathedræ cœpisse dæmones habitare & possidere monasterium monialium Quercitensium in agro Cameracensi quas annis quatuor & mensibus totidem miserabiliter vexârunt. Crebrò per agros velut canes discurrisse: instar avium volâsse per aëra: sicut feles in arboribus repsisse; pependisse de ramis: variarum animantium voces effinxisse: secreta pandidisse; futura prophetâsse. Post multa exorcismorum ab Henrico Cameracensi Episcopo, aliisque piis viris, pluráque remedia undecumque collata: earum nomina delata Romam, ab Alexandro Papâ VI. tunc sedente lecta fuisse in Cœnâ Domini sub divino sacrificio, sed nihil profuisse. Ioannam Potiere, quæ malorum dicebatur dedisse principium, à nono ætatis anno ludere cum diabolo cœpisse: qui accusabat eam in monasterio quadringentis triginta quatuor vicibus indignè communicâsse. Quæ Cameracum adducta, quadragenariâ major, in carcere periit; cæteræ post annos quatuor liberatæ fuerunt.

VII. INVENTIO TITULI CRUCIS DOMINICÆ.

Eodem porrò die, quo Romam delata est lætitia deditionis Granatæ, nimirùm Calendis Februarij, ingens aliud gaudium Vrbem invasit de Inventione sacri TITULI Cruci Christi affixi: quæ & triduo antè pacem inter Pontificem & Ferdinandum Neapolitanum conciliatam summâ exultatione celebraverat; ac rursùm mense Maij novo oblectamento affecta est receptionis sacri ferri Lanceæ Christi. Vt tot consolationibus voluerit Deus innocentiam Pontificis cumulare, antequàm ex hâc vitâ eriperetur: quod paulò pòst, ut videbitur, contigit. Inventionem autem Tituli (ut hanc primò tractemus) descripsêre in suis Notis [q] Diariis MS. Lælius Petronius, Paulus de Magistris, & Stephanus Infixura cives Romani tunc viventes. Nempè, cùm Petrus Gundisalvus de Mendozâ Cardinalis dealbandam & ornandam curaret Ecclesiam S. Crucis, cujus titulum ferebat, cæmentarios sentientes ad summitatem arcûs in medio Ecclesiæ existentis aliquod vacuum; loco aperto invenisse capsulam plumbeam cum hâc inscriptione. HIC EST TITULUS VERÆ CRUCIS. Intùs repertam esse tabellam ligneam unius palmi cum dimidio, ab unâ parte vetustate corrosam; in quâ incisa erant hæc verba, rubro colore tincta, IESUS NAZARENUS REX IUDÆOR. corroso u MI; erátque primus versus scriptus literis Latinis, secundus Græcis, tertius Hebraicis. Ad hæc visenda totam Vrbem accessisse: ac Pontificem jussisse, ut imponeretur capsulæ lamina vitrea, & in festivitate Ecclesiæ super altare apponeretur populi venerationi. Ita ibi: Alexander autem Papa VI. quarto post hæc anno [r], videlicèt 1496. 4. Cal. Aug. prædictam Inventionem testimonio suo confirmans, eam Ecclesiam visitantibus ultimâ Dominicâ Ianuarij, Indulgentiam plenariam largitus est. Delatum verò fuisse hunc *Titulum* à S. Helenâ Magni Constantini matre, unà cum parte ipsius sanctissimæ Crucis, omnes qui de eo egerunt, qui multi sunt, consentiunt. Eos [s] consulat, qui plura de his quæsierit. Reclusum autem eo loco fuisse à Placidio Valentiniano Imp. Onuphrius [t] scribit: quidam, ab ipsâ Helenâ. Præsenti verò tempore hunc Titulum nihil ruboris præseferre constat, sed tantùm vetustissimi ligni colorem, tincturâ illâ literarum, & aëris injuriâ, & temporis edacitate, & frequenti contrectatione; sensim consumptâ: Itémque, nonnisi tertiâ circiter partem Tituli Romæ asservari, has dumtaxat literas Latinas continentem, NAZARENUS RE. & totidem Græcas, ac nonnullas Hebraicas: quòd ea tabella sectione fuerit divisa, ut tanti thesauri cæteræ etiam provinciæ participes fierent; quæ exinde Titulum etiam Crucis se habere gloriari possint [u], quantumvis nonnisi portionem aliquam habere dignoscantur.

VIII. INVENTIO FERRI LANCEÆ.

Titulo Crucis FERRUM Lanceæ subdimus, quo CHRISTI latus in Cruce apertum est. De quo referunt supradictorum Diariorum [x] auctores, die ultimâ mensis Maij, quâ celebrabatur Ascensio Domini, intrâsse Vrbem oratorem Magni Turci, dono deferentem Pontifici Ferrum illud, inclusum in pulcherrimo tabernaculo crystalli, cum pede & aliis ornamentis puri auri. Acceptúmque fuisse à Pontifice & universo clero processionaliter ab Ecclesia S. Mariæ de Populo usque ad S. Petrum. Caruisse verò cuspide, quæ apud Regem Francorum asservatur; prout etiam ipsemet Turcus per dictum suum oratorem Pontifici significavit. Ita illi. Eam verò ab ipsomet Pontifice delatam esse, alij celebritatem distinctiùs describentes referunt [y]. De cujus inventione factâ divinitùs Antiochiæ anno 1098. revelante illam S. Andreâ Apostolo sacerdoti cuidam Massiliensi; & per Episcopum Podiensem, qui Legati Apostolici munere apud Christianos Principes fungebatur, è terrâ ubi latebat extractione; deque insigni victoriâ ejus gestione de hostibus partâ; ejusdémque veritate aliis miraculis confirmatâ; testes probatissimi sunt Robertus [z] Monachus qui adfuit, Guillelmus Tyrius [a], & alij: dictúmque est de eâdem aliàs [b], necnon de Cuspide per S. Ludovicum Regem Francorum redemptâ, his nostris [c] Annalibus. Missam autem prædictam partem majorem, quæ Constantinopolim olim translata fuerat, à Bajazete ad Pontificem, quò tali munere induceret eum ad fratrem Zemem vel sibi tradendum, vel custodiendum ne posset elabi ad ejus imperium conturbandum; tradunt auctores qui de Innocentio agunt.

IX. PAX INTER PONTIF. ET FERDIN. NEAPOL.

De pace inter Pontificem & Ferdinandum Neapolitanum conciliatâ quod diximus, volunt Hispani [d] factum esse intercedente altero Ferdinando Hispaniæ Rege. Egregiam planè laudem: sed cujus magnam partem deberi ostentationi armorum Regis Francorum, quæ tam à Pontifice quàm à necessariis quamplurimorum procerum, quos Neapolitanus iniquissimè atque inhumanissimè trucidaverat, sollicitatus parabat, Itali tradunt. Neapolitani igitur magis commodo inservivit in his Hispanus, quàm Pontificis. Qui nihilominùs totus rebus Turcicis intentus, suadentibus Hispanis aures benignas præbens, Ferdinandum Principem Capuanum, Ferdinandi Regis Neapolitani ex Alfonso filio Duce Calabriæ nepotem, Romam ad postulandam patri avóque veniam accedentem, humanè recepit, promittentem vectigal annuum ex antiquo pacto solvere, Ecclesiarum dispositionem Pontifici relinquere, & cæsorum filiis vel hæredibus satisfacere. Vnum est quod nonnihil rem obscurare videtur

[q] *Ap. Bos. de Cruc. lib. 1. cap. 11.*
[r] *Bullar. tom. 1. Alex. VI. const. 4. & ap. Panvin de 7. Vrb. Eccl.*
[s] *Citantur à Victorel. in Addit. ad Ciaccon. ubi & multa item ipse de his habet.*
[t] *Panvin. in Innoc. VIII.*
[u] *Vide Gretf. de Cruc. to. 1. lib. 1. cap. 94.*
[x] *Ap. Bos. c. 17.*
[y] *Vide Bos. ibid. & Victorel. in Addit. ad Ciaccon.*
[z] *Rob lib. 7.*
[a] *Tyr. lib. 6. cap. 14.*
[b] *In Epit. Bar. Indic. tom. 2. verb. Lancea: sed plenius Bos. d. cap. 17. & Bzov. hoc an.*
[c] *Suprà an. 1238. V. VI.*
[d] *Surit. Hist. l. 20. c. ult.*

& Pontificem ad hæc delatum ex aliquâ revelatione carnis & sanguinis demonstrare; cùm inter tractandum Baptistinam neptem suam Ludovico Aragonio Marchioni Hieracensi Regis agnato in matrimonium collocari voluit. Vt non sit adeò mirandum, si non tantùm veteres offensas prædictis Principibus remiserit, censurísque Ecclesiasticis illos exolverit; verùm [e] etiam tam Alfonso Calabriæ Duci, quàm Ferdinando Principi Capuano ejus filio, regnum Neapolitanum certis ex formulâ conditionibus concesserit: quantumvis anteà Regem Francorum Carolum, & Renatum Lotaringiæ Ducem, ad illud sibi ex antiquis juribus asserendum invitâsset.

[e] Vide Epit. an. 1097. XXXVI.

X. INTERCESSIO RENATI LOTAR. PRO REGNO NEAPOL.

Quod cùm orator prædicti Renati apud Sedem Apostolicam existens, Ioannes Brielli Protonotarius Apostolicus & V.I. Doctor intellexisset; die 22. mensis Iunij pro tuendis illius juribus in regno Neapolitano, coram ipso Pontifice & Cardinalibus atque Legatis Principum contestationem [f] interposuit; quâ de investiturâ dictis Alfonso & Ferdinando factâ reclamans & appellans, longâ plurimarum rationum enumeratione, illud verè ac indubitatè ex legitimâ successione, & antecessorum Pontificum comprobatione, ad Renatum pertinere ostendit; eidémque à Sede Apostolicâ, ejectis ejus usurpatoribus & illicitis detentoribus, restitui petiit. (Qui sanè si quando vocatus fuerat à proceribus Neapolitanis, quos Ferdinandus persequebatur, accurrisset; facile ei fuisset Ferdinandum pellere, qui universis ferè subditis ob crudelitatem odiosissimus erat. Ad quæ respondit Pontifex, curæ sibi fore ne Renatus jure posset conqueri de Sede Apostolicâ: & cognoscendis partis utriusque juribus ac monumentis, nonnullos Cardinales & Rotæ Auditores destinavit. Qui & alioqui parùm fidens infido semper reperto Ferdinando Neapolitano, simul & alios ejusmodi jurium Ecclesiæ Romanæ fraudatores atque interceptores ad debitum obsequium reducere volens; 6. Non. Maij constitutionem [ff] contra non solventes census Cameræ Apostolicæ in festo SS. Petri & Pauli promulgavit.

[f] Rec. Franc. Rosier. in Stem. Duc. Lothar. lib. 5. Adde Vvasseburg. lib. 7. an. 1489.

[ff] Ext. Bull. tom. 1. Innoc. VIII. const. 18.

XI. CAROLUS REX FRANC. IMPROVIDE RESTITUIT RUSCINONEM.

Ex aliâ verò parte Carolus Francorum Rex idem regnum ad se pertinere contendens, (de cujus juribus dictum [g] superiùs) de illo invadendo cogitare cœpit. Ac ne ei impedimento esset Ferdinandus Rex Hispaniæ, sive auxilium gentili suo & propinquo impendendo, sive dum ipse abesset Galliæ molestiam inferendo: aures præbere cœpit iis qui restitutionem Ruscinonis & Cerdaniæ, quas Ludovico ipsius patri pro centenis aliquot millibus aureorum oppigneratas vidimus, suadebant. Cùm enim sæpiùs ab ejusmodi petitione repulsus fuisset Ferdinandus, (negantibus Francis proceribus, antiquos Galliarum fines justo pretio redemptos restituendos esse: Galliam enim Hispanis inviam, retentis hisce propugnaculis se facilè tueri, amissis in prædam atque in injurias patere) ad novas artes conversus, *Olivarium Mallardum* insignem concionatorem Ordinis Franciscani, & Regi Carolo à confessionibus, aliúmque Ioannem Mauleonem ejusdem Ordinis, seu promissionibus seu donis (ut volunt [h]) subornavit, qui superstitione Regi adolescenti & persuaderi facili injectâ, patris Ludovici manes, si non fieret restitutio, hoc nomine immaniter cruciatum iri, eamdémque pœnam Carolum ipsum manere; etiam asseruerunt Ludovicum patrem ita omninò fieri sub mortem jussisse. Ad quam item credulitatem (sive res vera fuerit, ut Hispani in suum commodum volunt; sive conficta, ut plerique Franci;) cùm Anna quoque Regis soror, cujus ferè nutu regnum administrabatur, femina religiosa inducta fuisset; attestantibus idipsum, sic persuasis, Ludovico de Ambosiâ Episcopo Albiensi præceptore Regis, (quamquam & hunc auro Hispano corruptum nonnulli scribunt) & quem etiam Hispani ad jura sua comprobanda addunt, Fr. Francisco de Paulâ Ordinis Minimorum institutore qui aderat: conspirantibus in unum his omnibus, ac nequicquàm dissuadentibus proceribus, restitutio fieri jussa est hoc ipso anno; factáque insequenti. Et quò cumulatius beneficium esset, facta est non receptâ pecuniâ de debitâ, sed totâ, condonatâ, eâ tantùm conditione ut Reges Hispaniæ Gallicam amicitiam perpetuò colerent: admirantibus cunctis hanc liberalitatem, Hispanis penè ridentibus, cùm rem certam incertâ commutari cernerent. At existimabat candidus & liberalis adolescens, rem sibi esse cum hominibus gratis & receptorum beneficiorum memoribus: nec advertebat, rerum præteritarum ignarus, gloriæ plerumque duxisse Reges Aragonios, insidiosis captionibus, cùm in cæteros, tum maximè in Francos, res suas agere, dolo magis quàm virtute imperium suum dilatare solitos. Quod ne calumniæ imputetur, evolvantur antiquæ historiæ; & nî ita se rem habere diligens lector repererit, dicam utique impingat nobis.

[g] Suprà an. 1480. VII.

[h] Vide Ferron. in Carol. VIII. Bellar. lib. 4. ad fin. Bellefor. l. 5. cap. 158.

XII. FERDINANDI PERICULUM A SICARIO.

Interim verò septimo Decembris [i] præsentis anni, idem Rex Ferdinandus Barcinone existens, cùm singulis hebdomadis stato die publicè omnibus se adeuntibus aures dare consuevisset, à Ioanne quodam Cagnamario Catalano districto, repentè gladio sub aure vulneratus est. Cui aureus torquis, perpetuum ejus gestamen, ne occideretur eo ictu tutatus est. Quæstione de scelerato tormentis habitâ, cognitóque nullo auctore, nullo socio flagitium designâsse, sed tantùm per quietem somniâsse, se Rege interfecto Regem futurum; haud tamen fatua excusatio valuit, quominùs fanaticus homo jure exquisitis cruciatibus perimeretur.

[i] Petr. Matt. Angler. ep. 126. 127. 132. Mat. lib. 26. c. 4. Surit. Annal. to. 5. lib. 1. c. 12.

XIII. S. CATALDI MONITA.

Et quod de Caroli desiderio expeditionis Italicæ meminimus; ab eâ sibi cavere Ferdinandum Neapolitanum Regem, monitum fuisse hoc ipso anno divinitùs à S. Cataldo Archiepiscopo olim Tarentino, auctores tradunt [k]. Nimirùm mense Aprili, ex revelatione prædicti Sancti, repertum fuisse librum tabellis plumbeis ab eo dum viveret jussu divino scriptum, obseratúmque; quo vaticinium continebatur de calamitatibus & miseriis quibus regnum vexandum esset, nisi Rex, ad quem illicò librum mitti præcepit, ad amussim observaret quæ in eo præcepta reperiret. De quo libro reperitur etiam testimonium Comminij [l], ex relatione, ut ait, proximorum Ferdinandi: ejúsque lectioni interfuisse tantummodò tres, ac posteà in ignem conjectum fuisse. Vtrum verò aliquid inde Rex profecerit, non invenimus: mala autem prænunciata, *experimento*

[k] Infix. in Diar. Vit. S. Catald. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 15.

[l] Commin. lib. 7. c. 21.

docti, magnâ mercede persoluta vidimus; inquit Alexander [m] ab Alexandro Iurisconsultus Neapolitanus, hanc quoque narrationem suis libris Genialibus inserens; & mala quæ vidit extendens usque ad obitum in exilio Friderici filij hujus Ferdinandi, qui contigit in Galliâ anno 1504. Ex quibus intelligas, quo tempore hic Alexander vixerit, & commentarios suos scripserit; promptuaria antiquitatis, sed quæ apud rudes solâ ejus fide inniterentur, nisi diligentissimus Tiraquellus Gallus auctores indicâsset, ex quibus sua Alexander deprompsisset.

[m] Alex. l. 3. cap. 15.

XIV. Hieron. Savonarolæ injuria.

Sed futuram Italiæ cladem significatam quoque fuisse *Hieronymo Savonarolæ* divinitùs per revelationem, & hoc ipso anno, & aliàs sæpè; & ab eo Florentinis, apud quos agebat Priorem conventûs Dominicanorum S. Marci; testatur ipsemet in libello Compendij Revelationum suarum. Qui quidem natus Ferrariæ patre Nicolao nobili Patavino, matre Helenâ ex nobili Bonacossiorum familiâ; postquàm Philosophiæ & Theologiæ egregiam operam dedisset, anno ætatis suæ vigesimo secundo, Christi Nativitatis septuagesimo quarto, Ordinem Dominicanorum ingressus, vitæ puritate & insigni doctrinâ fulgens, cœpit vitia hominum tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, & tam principum, quàm subditorum, quæ ingentia erant, & omnibus plusquàm nota, intrepidè arguere. Florentiam anno millesimo quadringentesimo octogesimo nono operâ Ioannis Pici Comitis Mirandulani vocatus, Apocalypsim B. Ioannis Apostoli è suggestu publicè explicare cœpit: prædixítque renovationem Ecclesiæ iis temporibus futuram; sed priùs gravissimo flagello eam purgandam; brevíque id futurum; aliáque multa de rebus in Italiâ eventuris. Quibus cùm multorum subiret invidiam, inter alios Marianus de Genezano Ordinis Augustiniani Theologus præstantissimus & concionator celeberrimus, quem Iacobus Bergomensis, Iovianus Pontanus, & Angelus Politianus plurimùm laudâsse reperiuntur; multas ei calamitates concivit, cùm apud alios, tum præcipuè apud Alexandrum VI. Pontificem: qui tamen posteà divinitùs tactus veniam precari coactus est. Ipse autem Hieronymus multis virtutibus Christianis coruscans, frequentes insuper raptus & collocutiones divinas cum cœlestibus habuit: spiritu prophetiæ claruit; & dæmonibus formidini extitit, quorum astutiam & malignitatem apprimè noverat, & ab eis se expedire aliósque præservare consueverat. Cujus extat Vita, per dictum Ioannem Picum Mirandulanum conscripta; aliáque monumenta manuscripta in Bibliothecâ Florentinâ Dominicanorum; in quibus hæc prolixè narrantur. Quæ verò sunt ejus reliqua, dicentur suis locis.

XV. Laur. Medices infaustus Italiæ obitus.

Hoc eodem anno, menséque Aprilis, *Laurentius Medices* Florentinæ Reipublicæ facilè princeps diem obiit. In cujus laudes cùm multi stylum exercuerint, de piè obitâ morte testis oculatus & fidelis est Angelus Politianus [n]; (cùm nihilominus cum de fide ac religione secùs aliquando sensisse nonnulli existimâssent:) eíque morienti adstitisse, & in fidei confessione, proposito emendatissimæ vitæ, & acceptatione mortis confirmâsse supradictum Hieronymum Savonarolam, scribit. Fuisse præcipuum ingeniorum liberalem educatorem, artiúmque omnium, & elegantiarum patrem, omnes consentiunt: qui Florentiam viros eruditos, & magni nominis Philosophos, Christophorum Landinum, Marsilium Ficinum, Demetrium Chalcondylam, Angelum Politianum, Marullum Tarchaniotam, nupérque dictum Ioannem Picum (adolescentem, præter generis nobilitatem, excellenti quâdam eruditione clarissimum, quâ sibi Phœnicis nomen consensu Doctorum omnium quæsivit) acciverit, magnóque in honore habuerit. Quem & tradunt, Ioannem Lascarem ex Imperatoriâ Lascarinorum Constantinopolitanorum familiâ in Græciam ad Bajazetem Turcum misisse, ut conquisitis libris optimis Florentinam Bibliothecam hoc novo thesauro ditaret. Cui denique post Nicolaum V. Pontificem tantum debere restitutas literas & artes, quantum unquam alij, in confesso est apud omnes. De mortis verò illius jacturâ & publico damno, satis sit recitare quæ præstantissimus auctor *Franciscus Guicciardinus* nobilis & ipse Florentinus, quem Itali *Divinum Historicum*, haud adeò immeritò vocare consueverunt, quíque à Laurentij obitu narrationes suas de bellis Italicis aggreditur, his admodùm verbis tradit: fuisse ejus mortem acerbam ipsi propter ætatem, quæ annum quadragesimum quartum nondum expleverat: acerbam patriæ, quæ & auctoritate & prudentiâ, & ingenio ipsius, ad omnem laudem & excellentiam aptissimo, opibus & ornamentis omnibus mirum in modum florebat: toti prætereà Italiæ incommodissimam, cùm ob alia quæ ab eo ad communem securitatem continenter fiebant; tum verò maximè quòd sequester & tanquam frenum esset in dissidentibus consiliis diversorum Principum variis de causis quæ sæpenumerò exoriebantur. Vir denique (ut Petrus [o] Martyr Anglerius Mediolanensis scribit) sub civili togâ trabeatis Regibus non inferior: qui à suis non modò civibus, sed ab Italiâ universâ pacis auctor, & patriæ pater jure merito poterat appellari. Ejus magnitudini Petrus filius natu maximus, sine ullâ alicujus repugnantiâ in Republicâ successit; quamvis & per ætatem, quâ vix primum & vigesimum annum ingressus erat, & per alias ejus conditiones tanto oneri sustinendo penitùs impar: de quo sæpè inferiùs. Cui frater fuit Ioannes [p] Cardinalis, qui posteà ad Pontificatum pervenit Leonis X. nomine.

[n] Polit. 4. ep. 2.

Franc. Guicciardini initium historiæ.

[o] Angler. ep. 108.

[p] Vide suprà an. 1489. III.

XVI. Camelopardalis visus in Italia.

Non infimæ porrò Laurentij laudis est, quod Iovius [q] refert, tam latè fuisse ejus nomen diffusum, ut Caitbeius Sultanus Ægypti, de cujus fortitudine dictum superiùs, ei Camelopardalim dono miserit: quod animal præaltis anterioribus cruribus, cùm humiliora terga, brevésque suffragines haberet, cervinúmque caput ab erectâ rigidâque cervice duobus insigne corniculis, dorsum candidis in orbem maculis in rufo colore dispersis, mire variegatum spectaretur; uti prorsùs innoxium, non Etruriæ modò, sed toti Italiæ diù mirabili spectaculo fuit: utpotè quale ab ipsis usque Romanis temporibus Italia non vidisset, cùm in extremis Æthiopiæ regionibus ad Nili fontes difficillimè capiatur. Quoties verò in Europâ

[q] Iov. Elog. l. 3 cap. pen.

visus fuerit, scrutatus Aldrovandus refert in suâ Historiâ [r] Quadrupedum bisulcorum: ubi & descriptionem, & naturam, aliáque ad ejusmodi animal pertinentia, diligenter explicata videre licebit.

[r] Aldrovand. lib. 1. cap. 35.

XVII. CAITBEII SULTANI MUNIFICENTIA.

Addit item Iovius, misisse quoque jam anteà eundem Caitbeium simili munificentiæ & proferendi nominis studio, ad Galeatium Sfortiam Elephantem perdomitum; & Tigridem oblongis atris virgulis maculosam, ab insitâ feritate terribilem. Et ne Caitbeij Sultanorum clarissimi finis nesciretur, subdit senescentem ab uxore Arabici generis, ideóque ambitiosi spiritûs muliere, perpulsum fuisse, ut Mahometem filium Imperij hæredem relinqueret; antiquatâ scilicèt eâ lege quâ filius patri successor esse vetabatur, sed communibus suffragiis Regem creari mos esset. Concessum id à proceribus largitione corruptis: cùm nec adeò absurdum videretur, fortissimo Principi, atque optimè de Republicâ merito, & ægrè conceptum ex senectæ vitiis morbum sustinenti adjutorem dari & consortem Imperij, filium jam annos viginti quatuor natum, sicuti anteà majores suos Saladino Sultanici Imperij conditori tribuisse meminerant: Sed ab excessu demùm Caitbeij, qui non diù superfuit, Mamaluchos dolore ereptæ suæ sortis, interruptæque prærogativæ, Mahometem interfecisse; quatuórque secundùm eum Principes creâsse, & paucorum mensium spatio trucidâsse anno millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto. Quibus subinde suffecti Campson, & Tomumbeius, ultimi Ægypti Syriæque Sultani: de quibus dicetur suis locis.

XVIII. CARDINALIS IMPEDITUR FIERI MONACHUS.

Hoc anno, cùm *Ardicinus de la Portâ* junior, (fuit enim ejus avus ejusdem nominis sub Martino V.) S. R. E. Cardinalis, patriâ Novariensis, Episcopus Aleriensis, vir doctrinâ & pietate insignis, & laboribus pro Ecclesiâ susceptis ac præclarè obitis clarus, qui triennio antè ab Innocentio Pontifice in Collegium Cardinalium cooptatus fuerat; imbecillitatem humanarum rerum considerans, Monachum agere omninò constituisset, eámque ad rem ægrè à Pontifice missionem accepisset, suscepturus habitum Camaldulensium: (non Montis Oliveti, ut Ciacconius existimavit:) id minimè ferentes cæteri Cardinales, quòd ipsis inscitiis & insalutatis abiisset, cùm Pontifice egerunt ut revocaretur. Excusavit se ille humili epistolâ [s] sed jussus nihilominùs redire, humiliùs obsecutus est, qui tamen paucis post reditum mensibus mortem obivit ex quartanâ febre.

[s] Ap. Ciaccon. sub Innoc. VIII.

XIX. INNOCENTII PP. OBITUS.

Præcessit illum *Innocentius* ipse Pontifex: qui in extasin quandam soporiferam ex morbo incidens, Romæ excessit e vitâ octavo Calendas Augusti, ætatis anno sexagesimo, Pontificatûs septimo, mense decimo, die vigesimo-septimo, sepultúsque est in basilicâ S. Petri æreo monumento, quod ei extruxit fratris ejus filius nothus Laurentius Cybo Cardinalis Beneventanus. Cùm ante Pontificatum aliquot liberos de quâdam puellâ Neapolitanâ suscepisset, duos ex his Pontificatui suo superstites magnis honoribus & opibus evexit. Nam Francisco oppida nonnulla Vrbi vicina dedit, Laurentiíque Medicis filiam Magdalenam formosissimam puellam matrimonio junxit: Theodorinam Gerardo Vsumari Genuēsi nuptam magnis divitiis cumulavit. In ejus funere Leonellus Concordiensis Episcopus orationem [t] habuit, brevem illam, sed ejusmodi tamen ut omnis ejus anteacta vita proponi ob oculos videatur. Fuítque insuper insignis hæc ejus felicitas, quòd moriens Italiam tranquillitate tantâ fruentem reliquerit, ut quod Guicciardinus ait, sic essent ejus undique fundamenta constituta ac librata, ut non modò nullus esset mutationis metus, verùm ne suspicatu quidem facile, quibus aut consiliis, aut casibus, aut armis turbari tanta quies posset. Idipsum testatur Corius de rebus Mediolanensibus scribens; quas eo tempore florentissimas, non solùm ob pacem publicam, verùm etiam ex cultu scientiarum & bonarum artium fuisse tradit. Quæ profectò, ut est rerum humanarum conditio, magis fuit ærumnarum quæ paulò pòst secutæ sunt prænunciatio, quàm ut eo statu inter tot diversorum ingeniorum ac morum Principes & populos diù res consistere posset.

[t] Rec. Masson. in Innoc. VIII.

GRANDIS ITALIÆ TRANQUILLITAS.

XX. DE EJUS SUCCESSORE ELIGENDO.

Constitisset fortè diutiùs, si in electione successoris Innocentij Romani Pontificis, (cujus quanta sit in his auctoritas nemo nescit) observata fuissent quæ prædictus Leonellus monita Patribus dedit: nempè ut talem constituerent Principem, qualem Plato deligendum putavit, qui singulis semper ætatibus probatus fuisset, & immaculatum se præstitisset, ac perseveranter id agere studuisset quod Reipublicæ conducere arbitraretur: aliter enim Rempublicam perituram. Vel qualem olim Leo Pontifex: cujus scilicèt omnis ætas à puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiastica cucurrisset, cuíque testimonium præberet prior vita: quia non potest de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actionibus strenuis, celsioris loci præmium debetur. Vel qualem denique Sanctus Hieronymus: nimirùm ut qui præstantior esset ex omnibus, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille purè sinceréque sine ambitu ad Summum Sacerdotium eligeretur. Vtrùm autem his conditionibus præditus, datus fuerit Innocentio successor, (Alexander videlicèt Sextus) malumus apud auctores illius & posteriorum temporum legi, quàm à nobis per singula explicari; quem aut quorundam odio & invidiâ, aut malâ suâ sorte, vulgò pessimè audisse constat: quasi nonnullorum Cardinalium cæcâ ambitione & avaritiâ, novo ejus ætatis exemplo, partim pecuniâ & bonorum elargitione, partim officiis ac sacerdotiis, quæ habebat amplissima, tantam dignitatem consecutus fuerit. Quâ de re, & ipsius Alexandri promotione, pariter egregiè philosophatus Petrus Martyr Anglerius (nuper citatus, sæpiúsque subinde citandus ob multiplicem rerum eo tempore gestarum cognitionem, quæ in ejus Epistolis reperitur, prout ad Regem Ferdinandum, apud quem ipse in Hispaniâ agebat in sacrorum ministerio, deferebantur) scribens [u] ad Franciscum Pratensem Alexandri familiarem; ait, Christianæ religioni eâ de causâ gauderet, nécne, adhuc versari in deliberatione: Hinc namque spem lenire, inde timorem urgere: Pollere Alexandrum in-

[u] Angler. ep. 118.

genio, magníque animi argumenta præsetulisse multa : quæ duo salutem, aut veluti gladius in manu furentis turbines parere solent: Si esse cupidus desineret, si ambitiosus, si filiorum, quos sine rubore ostentaret, oblitus, ad Ecclesiam augustam se converteret, felicem fore Sedem Apostolicam: Ast si cum majore potentiâ filialem cæcitatem adaugeret, in præceps omnia ruitura, concussum iri Italiam, multa subversum: Nôsse namque se hominem, alta semper agitantem, vesanósque amore ut filios ad summum eveheret rapi: Cæterùm ad aurem susurronem quendam insonuisse, nescio quæ turpia, sacrilega, nefanda, gradus utpotè sibi ad id rerum culmen, non literis, non continentiâ, non charitatis fervore, sed auro & argento, pollicitísque grandibus, scalam sibi construxisse: Id si ita esset, paradisi muris scalam hanc, ut Christus dejiceretur, appositam esse, non ut coleretur ad gloriam capessendam. Ita ille: Constátque ex aliis, dissidia quoque inter Ascanium Sfortiam & Iulianum Rovereum de Pontificatu contendentes intercedentia, aditum Alexandro ad illum assequendum præbuisse: Et qui per nefas illum ei patefecerunt, posteà in ingrato Pontifice perfidiam maximam expertos, debitas scelerati studij pœnas dedisse.

XXI. Alexander VI. fit Pontifex.

Fuit autem is (quocumque demùm modo res se habuerit) *Rodericus* è Lenzoliâ familiâ Valentiæ in Hispaniâ nobili & clarâ ortus, patre Iofredo, sive Gotofredo, matre Isabellâ Callisti Papæ III. sorore: cujus cognomen *Borgiæ*, quo una cum gentilitiis in insignibus ab avunculo donatus fuerat, avito relicto, usque ad obitum retinuit. Sic enim plerique: cum nihilominùs ex Surita [x] intelligi videatur, hunc Iofredum non fuisse familiâ Lenzoliâ, sed Borgiâ æquè ac conjugem Isabellam. De Roderici verò (jam Alexandri) sub Sixto IV. Hispanicâ parùm ipsi honorificâ legatione, dictum est suo loco [y]. Eundémque facie liberali ac majestate plenâ fuisse tradunt. Erat autem cùm electus est Pontifex, (quod contigit tertio Idus Augusti) Cardinalis Episcopus Portuensis, & S. R. E. Vicecancellarius, ac sacri Collegij princeps. Dictúsque est ALEXANDER ejus nominis Sextus: ac pro symbolo versum hunc Davidicum [z] sumpsit, *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me.* Coronatúsque de more est 7. Calendas Septembris; tantíque triumphi per Vrbem ob ejus electionem exhibiti fuêre, ut nûquam aliàs similes: quorum partem Corius [a] historiæ suæ inseruit: mordaciter tamen more suo concludens, ingressum eum esse in Pontificatum mansuetè ut bovem, (erat bos gentile ejus insigne) sed administrâsse ut leonem. Sicuti & Guicciardinus, solertiam in eo & sagacitatem singularem, consilium excellens, vim ad persuadendum admirabilem, & ad res graves pertractandas diligentiam ac dexteritatem incredibilem agnoscens, has tamen virtutes longo intervallo à vitiis moribúsque, quos longâ enumeratione recenset, superatas scribit. Cui quidem Guicciardino æquè stylum fuisse nimiùm quàm liberum, vel etiam injuriosum, ex ejus lectione plerique observant: excusantibus tamen plurimis ex conditione Historiæ; cujus primam esse legem Tullius [b] ait, nequid falsi dicere audeat, deinde nequid veri non audeat. Sed quis judicium ferat de falso aut vero? oportet rerum gestarum apprimè scientissimum esse, qui hoc agat: etiamsi non adeò difficile judicatu videatur, utrùm suspicio gratiæ sit in scribendo, an verò simultatis: quas penitùs idem Tullius ab Historiâ elimanandas censet.

[x] Surit. Hist. lib. 7. cap. 32.
[y] Suprà an. 1472. VII. VIII.
[z] Psal. 119.
[a] Cor. par. 7.
[b] Cic. lib. 2. de orat.

XXII. De ejus liberis.

Quod autem aliquoties de Alexandri filiis, in rerum ab eo & sub eo gestarum prosecutione necessaria mentio futura sit; eos ut sciamus, narrat Mariana [c], eum in Cardinalatu tum aliâ intemperantiâ fœdum extitisse, tum justæ propemodùm uxoris loco & cultu habuisse Vanociam Romanam puellam: ex quâ quatuor filios genuit, Petrum-Ludovicum natu maximum, Cæsarem, Ioannem, Gotifridum, filiámque unam nomine Lucretiam. Petrum Gandiæ Ducem fecisse, quam auro redemerat, usque adeò erat locuples: defuncto illo antequàm ipse esset Pontifex, prætermisśoque Cæsare, (unde illi irarum causæ) Ioannem in eo principatu substituisse: dedisséque ei conjugem Mariam Aragoniam Alfonsi secundi Neapolitani Regis filiam notham: unde natus est Ioannes pater illius Francisci, qui abdicato paterno & avito principatu Societatis IESU præpositus Generalis extitit. Cæsarem factum Cardinalem, deinde Ducem Valentinum, suis locis videbimus. Gotifridus minimus ab eodem Alfonso Rege Squilatij principatu donatus est, uxoréque Sanctiâ aliâ filiâ nothâ. Lucretia filia, quam ante Pontificatum Hispano cuidam in matrimonium dederat, eidem ablata, Ioanni Sfortiæ Pisauriensi Principi primùm, deinde abdicata Aluisio Aragonio Viselis Duci Alfonsi Regis filio notho; (tot enim nothorum conjunctione, notam publicè facere voluerunt suam singuli impuritatem, nequid alter alteri criminationis intendere posset: eoque à Cæsare leviro interfecto, Alfonso Estensi Herculis Ferrariæ Ducis filio majori locata fuit. Quæ verò tragœdiæ ex his manibus (ut ferè necesse erat ex tot spurcitiis) excitatæ fuerint, videbitur consequentibus annis: nunc cætera prosequamur.

[c] Mar. l. 26. cap. 2. Adde Onuphr. in Alex. VI. & Guicciard. lib. 1.

XXIII. Cazimiri Regis Poloniæ obitus.

Hoc eodem anno [d] *Cazimirus* Tertius Rex Poloniæ mense Iunij, ritè curatus sacramentis Ecclesiasticis, mortem ex morbo obiit in Lituaniâ, anno ætatis sexagesimo-quarto, regni initi quadragesimo-quinto; quod prudenter ac fortiter ut in multis vidimus, administravit; totâ vitâ abstemius, vini, siceræ, aliorúmque ejusmodi potuum odorem non ferens; venator & auceps ab ineunte ætate summus; in Venerem proclivior. Funus in Poloniam ad Ecclesiam Cracoviensem magnâ pompâ deductum est. Numerosâ prole ex conjuge relictâ, filios quatuor habuit Reges; Wladislaum Boëmiæ & Hungariæ; *Ioannem-Albertum*, qui modò ei in regno Poloniæ suffectus est, de consensu Wladislai natu maximi; & Alexandrum, ac Sigismundum in eâdem Poloniâ successivè regnantes. Vltimus filius Fridericus, Cardinalis fuit & Archiepiscopus Gnesnensis Poloniæ primas, unáque Cracoviensis Episcopus dispensatione Alexandri Pontificis. Aliquantò autem ante mortem Regis Cazimiri, post medium Decembrem tres Soles in meridie visos esse; deinde cometen duorum ferè mensium spatio post occidentem Solem appa-

[d] Michov. lib. 4. c. 64. & 74. Cromer. lib. 19. in fin. & 30.

ruisse; Cromerus ait, prodigiáque mortis ejus fuisse putavit. Sed cometem Michovius anno superiori ponit, describítque.

XXIV. Eodémque præsenti anno, 7. Idus Novembris (ut Trithemius [e] scribit) decidit è nubibus in Sunckaugiâ juxta oppidum Alsatiæ Einsheim, non longè à Basileâ, Lapis miræ magnitudinis, qui trecentas libras pendebat, Deltæ formam præseferens. Quem ibidem in templo hactenùs pendentem, oculis omnium expositum esse, tradunt [f]. Et ad finem anni, nempè 27. Decembris, visos tres Soles in Iride pulcherrimâ, ac sequenti mane prodigia alia in Sole, Linthurius [g] est auctor.

[e] Trithem. in Chron. Sponheim.

LAPIS INGENS E' NUBIBUS.

[f] Bucholcer. in Indic. Chronol.

[g] Append. ad Fascic. temp.

XXV. NOVI ORBIS DETECTIO.

Longè verò memoriâ dignior, quæ eodem hoc anno cœpit exploratio *Novi Orbis*, ut vocant; hoc est quartæ illius partis, quæ tribus ab antiquo cognitis, Europæ, Africæ, Asiæ, magnitudine fermè par, iisdem impenetrata hactenùs & literis & armis permanserat. Quam tamen nonnulli satis levibus argumentis putârunt *Atlanticam* illam esse *insulam*, cujus Plato meminit in Timæo. Multi *Americam* vocant, ab Americo Vesputio Florentino, de quo posteà Hispani *Indiam Occidentalem*: sed impropriè, cùm India Asiæ regio sit, quæ à navigationibus Lusitanorum Lusitanica vulgò vocatur. Ad hanc igitur hâc ratione penetratum esse tradunt [h], ut cùm superioribus annis navis quædam in Africæ commercio occupata, ventorum violentiâ abrepta, ad ignotas terras & littora appulisset; & in reditu vectoribus & nautis fame extinctis, navarchus cum tribus aut quatuor sociis Maderam insulam, quæ in ditione Lusitanorum erat, tandem tenuisset: exceptus ibi navarchus à Christophoro Columbo Ligure, qui tunc fortè aderat, (nam & uxorem in Lusitaniâ duxerat) brevî & ipse longinquæ navigationis laboribus fractus extinctus, commentaria quæ de totâ navigatione confecerat, Columbo reliquerit. Quis autem cujásve is fuerit, cùm tacente Columbo diù ignotum fuerit, demùm placuit [i] vocatum illum fuisse *Alfonsum Sancium*, ex loco Huelvâ in Comitatu Nieblæ in Bœticâ; ac contigisse ei illum casum circa annum Domini 1484. Quæ tamen figmenta esse Hispanorum, hanc tantam laudem Italis invidentium, Itali [k] constanter asserunt; & verè COLUMBUM primum auctorem fuisse illius Navigationis adstruunt, non casu, sed ratione, & scriptorum veterum recentiúmque lectione, atque astronomicæ disciplinæ peritiâ: quippe quem artis nauticæ, quam à puero exercuerat, (natus [l] vico Arbizolo aspero & ignobili juxta Savonam parentibus rusticis) plerisque emporiis, insulis, littoribúsque maris Mediterranei, nec paucis Oceani, peragratis, peritissimum fuisse omnes consentiunt. Cùm nihilominùs sint etiam qui prædictum Columbi Doctorem, Anglum fuisse velint, aliíque Gallum; ut est unaquæque natio sui honoris cupida. Vtut verò sit, publica laus hujus detectionis in Columbum derivavit: quamvis non sit dubium, centum ampliùs antè annis Estotilandiam septentrionalem hujus vastissimi Novi Orbis partem detectam fuisse primò, ut vidimus [m], à duobus Zenis fratribus Venetis. Sed decus hoc fuerit rursùm Italiæ, præreptum aliis cunctis nationibus. Nisi quis nihilominùs debitam justior i titulo ejusmodi detectionem Hispanis argutari voluerit, ex eo quòd eam totis quindecim penè sæculis antequam fieret, ab auctore Hispano prænunciatam fuisse multi autumant: Senecâ nempè Cordubensi, dum in Medeâ tragœdiâ scripsit [n]:

[h] Marc. l. 16. c. 3. post alios auctores Hisp. qui de invent. Nov. Orb. scripsêre.

[i] Hist. Yncar. Peru. l. 1. c. 3.

[k] Vide Ramus. praf. in 3. to. Navigat. & Benzon. Amer. par. 4. cap. 5. edit. Lat.

[l] Iov. in Elog. lib. 4.

[m] Suprà an. 1390. in fin.

[n] Sen. act. 2. in fi. chor.

—— Venient annis
Sacula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphysque novos
Detegat orbes, nec sit terris
Vltima Thule. ——

Quod tamen casu potiùs, quàm aut scientiâ aut ratione ullâ dictum esse, ut solent pleraque ejusmodi, ac præcipuè à Poëtis, nihil dubitamus.

XXVI. COLUMBI AD NOVŨ ORBEM NAVIGATIO.

Cùm igitur Columbus, sive à prædicto navarcho edoctus de terris à se detectis, sive propriâ sponte, desiderium ingens animo concepisset terras incognitas lustrandi, magnâ spe felicis successûs: hâc sui animi cogitatione cum Rege Lusitano primùm, deinde cum Hispano, Anglo, Franco, successivè communicatâ, ut ab aliquo eorum navibus ac rebus ad tantum opus necessariis juvaretur; repulsam à singulis eorum passus, somnia hæc putantibus, haud tamen propterea quiescens, denuò ad Ferdinandum Hispanum reversus, captâ Granatâ pervicit, ut tres naves regiis sumptibus instructæ eo duce experirentur an promissis responderent facta. Solvens è Gadibus mense Augusti præsentis anni, primùm Canarias insulas petiit: indéque in occasum directis proris, superatísque prosperâ triginta trium dierum velificatione vasti pelagi fluctibus, (non sine sociorum nautarúmque seditione reditum importunè efflagitantium) de mense Octobri plures insulas invenit ad ejus regionis spatiosa littora, quam *Floridam* deinde dixêre: quas ab incolis Lucaias dictas, ipse in sui Regis gratiam *Principes* dici voluit, sive quòd primæ omnium detectæ fuissent. In illâ verò amplissimâ, quàm *Hispaniolam* vocârunt, inventâ copiâ auri, quod incolæ, (qui nudi incedebant) rebus minimi pretij sibi anteà incognitis, putà vasis vitreis, speculis, crotalis, aliísque levibus mercibus ac puerilibus oblectamentis, permutabant, factâque amicitiâ cum eorum Rege, & extructâ arce ligneâ, in quâ triginta & octo è sociis reliquit, tam ad ejus custodiam, quàm ad alias insulas & terras investigandas, cum promissione iis factâ redeundi brevî: decem ex incolis secum abducens, in Hispaniam revertit; auri & copiarum, quas ea terra fundit, secum deferens specimen atque primitias. Ejus autem reditus in Hispaniam, contigit mense Martio anni consequentis: quo de iis quæ porrò secuta sunt dicetur. Extántque Navigationes ejusdem diversis linguis & auctoribus scriptæ in Collectionibus Rerum Indicarum. In quibus, præter illa quæ ipsemet scripsit, in pretio habentur quæ Petrus Martyr Anglerius Latinè, & Hieronymus Benzonius Italicè, uterque patriâ Mediolanensis, memoriæ mandavit.

IESU CHRISTI Annus 1493.

ALEX. VI. An. 1.

FRIDERICI III. An. 54.

I. INTRODUCTIO AD BELLUM NEAPOL.

ANNUM Christi 1493. Indictionis undecimæ, duósque subsequentes, ita arma Gallica in Italiam mota sibi constrictos detinuerunt, ut præ illorum expectatione, aut illatione, cætera per orbem Christianum attonita conticuisse videantur; occupatis plerisque omnium gentium historicis in iis describendis, suarum etiam penè rerum oblitis. Quare cùm hanc expeditionem multi ubertim descripserint, qui tunc vivebant ac videbant præclari auctores, intérque illos Itali duo Italicè, Bernardinus Corius Mediolanensis, & Franciscus Guicciardinus Florentinus; Gallicè Philippus Comminius prudentissimus ille Gallus-Flander quem res gestas Ludovici XI. memoriæ omni fide mandâsse vidimus, quíque Carolum ejus filium hoc itinere Neapolitano armatus comitatus est, consiliorúmque omnium particeps extitit; nos ex illis præcipua quæque summatim Annalibus nostris inseremus: nec cæteros omissuri, quos aliquid singulari memoriâ dignum de his retulisse invenerimus; potissimúmque Paulum Iovium Nucerinum, & Petrum Bembum Venetum, licèt non tantæ fidei existimatos; quippe de prædictis omnibus dicatur, Comminium concinniùs & literaliùs quàm elegantiùs, Iovium & Bembum Latiniùs & pomposiùs quàm veriùs, Corium diligentiùs quàm fideliùs, Guicciardinum tam eleganter quàm diligenter & exquisitè conscripsisse. Quo verò jure contenderet Carolus regnum Neapolitanum sibi deberi, innuimus aliàs [a], dum egimus de testamentis Renati Senioris Regis Siciliæ ejúsque nepotis Caroli Andegavensis Calabriæ ducis.

[a] Suprà an. 1480. VII.

II. SOLLICITATUR CAROLUS AD ILLUD SUSCIPIENDŨ.

Quòd autem hoc tempore susceperit expeditionem, fecit imprimis continua sollicitatio Principis Salernitani Antonelli Sanseverinatis: qui jam biennio antè vitatâ per fugam carnificinâ procerum Neapolitanorum per Ferdinandum Regem contra fidem datam factâ; primò secedens Venetias cum tribus suis nepotibus filiis Principis Bisiniani, consilio à Venetis petito, quem potissimùm Principem pro auxilio aditurus esset; Renatúmne Lotaringium, qui nuper adversus Reges Neapolitanos ab Innocentio Pontifice & proceribus ejusdem regni vocatus fuerat, & vetus regni hæres à pluribus existimabatur, de cujus ad id juribus anno superiori coram eodem Pontifice disceptatum vidimus: an verò Regem Galliæ, jure Andegavensium nitentem; aut Hispaniæ, qui Ferdinandum nothum patri suo eo in regno Prælatum conquereretur? cum ab iis audisset Renatum pro mortuo habere debere, qui non iis esset opibus ut id bellum susciperet: Regis Hispaniæ potentiam nimiùm auctum in Italiâ iri, si regnis ac provinciis quas iis regionibus jam possidebat jungeretur regnum Neapolitanum: eáque propter recurrendum esse ad Regem Galliæ, cum cujus decessoribus qui regnum illud tenuerant, semper Veneti amicitiam coluissent hoc usus consilio in Galliam ad Regem Carolum se contulerant. Ita enim rem sibi narrâsse prædictum Principem Salernitanum, Comminius [b] tradit: existimans, ut addit, haud Venetos tunc parâsse rem eò deventuram ut Carolus bellum Italicum susciperet. Quare etiam cùm hoc tempore per legatos à Rege rogati de ope & consilio fuissent, responderunt (ut quidem Iustinianus [c] ipsorum historicus habet) cupere se ne Rex statum Italiæ turbaret: si verò ita ei animo fixum esset, jure veteris amicitiæ postulare se, ne ipsos in id bellum traheret, qui magis tranquillam Italiam optarent; nihil tamen contra Regem se facturos, aut ejus hujusmodi expeditioni vires suas opposituros, in cujus amicitiâ & observantiâ perseverare omninò constitutum haberent; Vel quod Comminius [d] scribit, gratum se quidem habere ejus adventũ, attamen nulla se posse ei auxilia præstare, eò quòd vererentur Turcorum impressionem, quibus resistendo parati esse deberent. Non quòd (inquit) ulla esset timoris à Turcis occasio, cum quibus pacem habebant: sed quoniam cum multis de causis odio haberent Ferdinandum Regem, ejúsque filium Alfonsum Calabriæ Ducem, sperabant Regem Carolum suas ipsorum injurias vindicaturum; nec tamen nihil opis aut consilij dando, incusari poterant de ullo ei favore præstito.

[b] Commin. lib. 7. cap. 2.

[c] Iustin. l. 10.

[d] Ibid. c. 4.

III. LUDOVICI MAURI MALA FIDES IN ADMINISTRATIONE PRINCIPATÛS MEDIOL.

Sed præter sollicitationem istam exulum Neapolitanorum, alia fuit potentior urgentiórque Ludovici Mauri Sfortiæ, quem vidimus pro arbitrio principatum Mediolanensem administrare, nullâ habitâ ratione nepotis sui Ioannis Galeatij Ducis. Habebat is in matrimonio Beatricem Herculis Ferrariæ Ducis sororem; & Alfonsus Calabriæ Dux filius Ferdinandi Regis Neapolitani Hippolytam duxerat ejusdem Ludovici sororem; unde Isabella nata, quæ prædicto Ioanni Galeatio data est conjux. Ita ut Ludovicus tam Ioannis, quàm ejus conjugis Isabellæ patruus esset. Isabella geminæ jam prolis mater facta, contemptûs demùm tam sui, quàm viri impatiens, Alfonso patri per literas de injuriâ vehementissimè questa, quæ tanta ei fiei ut non solùm nihil auctoritatis in toto Statu ipsi relinqueretur, verùm etiam quotidiano victui necessaria nonnisi malignè suppeditarentur: adeò rem auxit, ut constitutum sibi esse diceret, nisi pater huic ipsorum ignominiæ tollendæ manum apponeret, potiùs sibi propriis manibus vitam adimere, quàm ut ampliùs servile hoc jugum sustinerent. Extat magna pars epistolæ apud Corium [e]: qui addit, Alfonsum his motum, apud patrem Ferdinandum easdem querelas ingeminâsse: Ferdinandum levibus priùs remediis rem experiri statuentem, oratores Mediolanum destinâsse, qui Ludovicum ad tradendum nepoti principatum hortarentur: illum verò pauca magis in speciem composita respondisse, quàm ut aliquam spem satisfaciendi daret; cúmque non ignoraret Neapolitanos Reges contra ipsum arma moturos, ipsum quoque statim cœpisse parare omnia quæ ad bellum imminens pertinerent: & quòd majorem expectaret ejus molem, quàm quantam sustinere se posse confideret, Gallica in Italiam excire arma imprudenti consilio, prudentissimum alioqui Principem, deliberâsse: literas ad Carolum Regem, (quas idem recitat) & congruentia literis mandata

[e] Cor. part. 7.

suo apud eum oratori Carolo Balbiano Belliojosi Comiti dedisse, quibus eum ad recuperationem regni Neapolitani ipsi debiti, & vindicandas injurias quas in eo Galli ab Aragoniis accepissent, hortabatur. Præter quæ, misisse etiam eundem Ludovicum ad Regem, Ioannem Franciscum Comitem Caiatsij ex familiâ Sanseverinatum nobilissimæ legationis principem, & auxilia hominum & pecuniarum obtulisse, Comminius [f] qui videbat, scribit.

[f] Commin. lib. 7. cap. 2.

IV. QUIBUS AUCTORIBUS CAROLUS SUSCEPERIT EXPEDITIONEM ITALICAM.

Sed quod Corius addit, Carolum conventu maximo è tribus regni Ordinibus habito, expeditionem ibi proposuisse; fuisséque ab eis Regis magnanimitatem, veluti divinam existimatam, ejusque suscipiendi belli desiderium summo omnium consensu approbatum; non adeò se rerum Gallicarum expertum quàm Mediolanensium ostendit: sicuti hallucinari sæpissimè detegitur in externis recensendis. Nam præter quàm quòd somnium est Corij, (cui nihilominùs longè mendacior Iovius, aliique recentiores fidem habuerunt) conventum aliquem eâ de re factum in Galliâ fuisse; quem nullum omninò extitisse Belcarius [g] Peguillioneus demonstrat; constans est Comminij [h] qui Regi adstabat, & cuncta videbat, assertio, nemini ferè totâ Galliâ probatam fuisse hanc expeditionem: quinimmò contra sententiam omnium qui vel Regi à consilio erant, vel rei bellicæ gloriâ aut prudentiâ præstabant, susceptam esse, arbitrio solo duorum ejus familiarium, Stephani Versij, & Guillelmi Brissoneti, omnis rei bellicæ ac negotiorum tanti ponderis penitùs expertium: quorum iste Regis quæstor erat, & Episcopus Macloviensis: ille patriâ Ocitanus è famulatu cubicularij Regis ad præfecturam sive senescallatum oppidi Belcariensis evectus fuerat: qui cùm potentes in gratiâ Regis essent, à Ludovici negotiatoribus, magnis muneribus, majoribúsque pollicitationibus, Stephanus cujusdam principatûs, Guillelmus dignitatis Cardinalatûs, ad Regem in vota Ludovici pertrahendum animati sunt: quamvis Brissonetus ab hoc proposito posteà discesserit; sive à Pontifice clam sollicitatus promissione Cardinalatûs, ut quidam habent; sive procerum Gallorum rationibus victus, demonstrantium bellum longinquum ac difficile; Regem juvenem, debilem & inexpertum, pecuniarum & omnium aliarum rerum ad tantum opus indigum; atque è contra hostes exercitatissimos, Italiámque potentem, contra quam universam res agenda foret; cujúsque oppugnatio semper infelix Gallis extitisset, fluxáque Italorum erga illos fides. Quódque Corius item ait, excitatum fuisse maximè Regem ad illud iter à Petro Duce Borbonio, ejúsque conjuge Annâ sorore Regis, spe regni ad libitum in absentiâ Regis administrandi; id quoque falsum esse, ex eodem Comminio intelligitur, dum ait illos nihil prætermisisse quo Regem ab eâ deliberatione deducerent: cui sanè uni magis credimus, utpotè præsenti & sincerè scribenti, quàm mille Coriis, aut aliis ejusmodi hominibus, res à longinquo, vel pro gratiâ aut simultate memoriæ mandantibus: & maximè quòd Guicciardinus [i] accuratissimus auctor Comminio in omnibus consentiat: atque utriusque assertione certissimè constet, societatem cum Ludovico primùm nonnisi clàm, solísque duobus illis Versio & Brissoneto consciis, initam esse.

[g] Belcar. Hist lib 5.
[h] Commin. lib. 7. in pr. cap. 4.
[i] Guicciard. lib. 1.

V. ITALORŪ IN HIS ANIMUS.

Postquàm verò res in apertum prodiit; ne Rex adeò temerè rem aggredi velle videretur; post compositam cum Maximiliano Romanorum Rege pacem, & restitutum Ferdinando Hispano agrum Ruscinonensem; (quod utrumque ad præsentem annum pertinens, superioribus pro commoditate narrationis posuimus) misit legatos in Italiam ad Alexandrum Pontificem & Principes, exploratum utrùm sibi adhæsuri essent: cùm etiam ex alterâ parte Principes Neapolitani haudquaquàm se in tanto periculo deserentes, quos poterant omnes ad communicanda auxilia sollicitarent. Carolus autem, quamvis multi ad eum inclinarent, nihil tamen præter spes incertas & ambigua responsa retulit: quippe cùm non priùs quàm in annum proximum esset bellum constitutum, dubitabant omnes tantò antè qui animus ipsorum esset aperire. Vacillans diù Pontifex, tametsi initio se aversum certis de causis à Neapolitanis ostendisset, quinimmò & Regem Carolum adversus eos unà cum Ludovico Sfortiâ sollicitâsse constaret; spe tamen ab eis sibi factâ de filij ejus in eo regno novis principatibus ac divitiis augendis, (quod unum potissimùm nitebatur) mutatâ voluntate ad eos inclinare constituit. Veneti, pro consuetâ prudentiâ, quorsùm eæ molitiones evaderent expectare decreverunt belli spectatores potiùs quàm pars, ex eventu consilium capturi ut res se darent, quamquam bonis verbis Caroli observantiam profitebantur. Florentini, rerum ibi potientis Petri Medicis, Neapolitanis fœdere juncti, intuitu magis quàm propriâ sponte, quâ ad Gallos ab antiquo inclinatiores fuêre, iisdem Neapolitanis adhærere deliberârunt. Ceteri Principes vel Respublicæ minoris potentiæ erant quàm ut aut resistere, aut in aliquo conatibus regiis obniti possent; cùm præcipuè Genua mari potens in potestate Ludovici Sfortiæ Mediolano imperantis esset; Dúxque Ferrariensis, ejus socer. Hæc præsenti anno; & quod legationes spectat etiam sequenti, quo repetitæ fuêre reliqua posteà videbuntur.

VI. LUDOVICI MAURI INFIDELITAS.

Interim Ludovicus motuum horum omnium concitator, turpiori etiam facinore proprium nepotem principatu deturbare aggressus est. Quippe qui, ut hominum consilia cupiditatésque gradatim ascendunt, non jam solùm id cogitans, ut se in ejus tutelâ tutum conservaret; quod hactenùs præsetulerat, sed in animo habens principatûs jus omne in se transferre; ut tantum scelus aliquo justitiæ colore adornaret, suásque res majoribus firmamentis stabiliret, primùm omnium statuens Ioannem-Galeatium nepotem suum non legitimo niti jure in possessione principatûs, eò quòd in Philippo-Maria Vicecomite socero Francisci Sfortiæ proles mascula defecisset; nec nisi stirpi masculæ Ioannis-Galeatij Vicecomitis, quem Wenceslaus Imp. Ducem constituerat, investitura concessa esset: atque ideò cùm prædictus Franciscus, maritus Blancæ-Mariæ nothæ Philippi, nullâ propinquitate familiam Vicecomitum attingeret, nec alio quàm armorum jure principatum obtinuisset, cæteris exclusis, qui longè potioribus juribus illum sibi deberi contendebant: (de quibus omnibus dictum est superiùs

suis locis,) ac denique Franciscus privilegium Ducatûs ab Imp. Friderico obtinere contempsisset, ratus se quibus artibus principatum sibi peperisset, iisdem posse conservare; póstque illum filius ejus Galeatius itidem sine privilegio tenuisset, & jam hujus filius Ioannes-Galeatius teneret: Sic igitur statuens Ludovicus (simul & in vivum nepotem sceleratus, & in patris fratrísque sui mortuorum memoriam injurius, quos legitimos fuisse Duces negabat) principatum ad Imperij jura devolutum esse; illum à Maximiliano paucis consciis mercatus est. Atque ut res occultior permaneret, ejusdem Ioannis-Galeatij nepotis sui sororem Blancam Mariam, neptem suam, eidem Maximiliano in uxorem obtulit de consensu nepotis, cum dote quadringentorum millium ducatorum certis temporibus numerandorum, præter gemmas mundúmque muliebrem quadraginta millium. Quam Maximilianus pecuniam, magis quàm affinitatem respiciens, post patris obitum Blancam duxit: non sine Principum Germanorum murmuratione [k], quòd Blancæ proavus Cotignolanus cerdo fuisset, avia spuria dumtaxat familiæ Vicecomitum, nulli mediocrium Germaniæ nobilitate æquandæ. Quando verò, & quâ ratione, Ludovicus declaratus Dux fuerit, dicetur anno proximo. Hæc autem omnium diligentissimè tractat Corius [l] Mediolanensis historicus, acta etiam ipsa atque instrumenta publica privatáque super his confecta recitans. Brevius [?], sed pene efficaciùs Guicciardinus [m]. Meminerúntque alij plures, cum insectatione pessimæ fidei Ludovici: cui nihilominùs parcit adulator Corius, quòd sub ejus imperio viveret.

[k] Commin. lib. 7. cap. 3. in fin.

[l] Cor. par. 7.

[m] Guicciard. lib. 1.

VII. FRIDERICI IMPER. OBITUS.

Dum autem ista sic agitarentur, contigit *Fridericum* Imperatorem Maximiliani patrem in vigiliâ Nativitatis Beatissimæ Virginis, die 7. mensis Septemb. postquàm regnâsset annos 53. menses 5. ex hâc vitâ discedere in oppido suo Lyntzio; unde Viennam Austriæ delatus est ad sepulturam. Ita enim Nauclerus [n]: cùm Michovius [o] die Lunæ 26. Augusti mortuum dicat: Cuspinianus 19. ejusdem Augusti, ætatis anno 78. Imperij 53. mense 4. Bonfinius [p] Calendis Aug. Vt putidum sit, in re sui temporis ab auctoribus ita de die obitûs tanti Principis in tot diversas sententias [ie]ri. Tradunt autem nonnulli eorum, enato in altero crure noxio carcinomate, ne latiùs serperet, crus abscissum fuisse; verùm senio confectum, paulò pòst ex dolore extinctum esse. Nauclerus verò plura enarrans de ejus vitæ instituto, quæ nos aliàs attigimus, habet etiam, interrogatum aliquando, quid homini optimum contingere posset, respondisse, Bonum ex hâc vitâ exitum, quem ipsi contigisse piè credendum, mortuo post suscepta devotè sacramenta Ecclesiæ. Successit ei in Imperio *Maximilianus* filius, annum ducens ætatis trigesimumquintum, jam ante aliquot annos, ut vidimus, creatus Rex Romanorum, & successor Imperij designatus. Qui cùm funus paternum curaret, auditâ grandi clade [q] Christianis in Croatiâ per Turcos illata, Bernardini Frangipanis culpâ, (fuit enim iis regionibus insertus à longo tempore ramus nobilissimæ eo nomine stirpis Romanæ) prælium præter omnem belli rationem suadentis, quo multa Christianorum millia ceciderunt: ad eam vindicandam confestim accurrens cum exercitu quem paratum habebat, reperit Turcos jam se ad propria recepisse.

[n] Naucler. gen. 50.
[o] Michov. lib. 4. c. 77.
[p] Bonfin. 5. dec. 3.

MAXIMIL. SUCCEDIT.

[q] Naucl. ib. Trit. Cron. Hirsaug. Bonf. ibid.

VIII. NOVI ORBIS DONATIO FACTA A PONTIF. REGIBUS CASTEL.

Hoc anno mense Martio reverso in Hispaniam Columbo à navigatione quam superiori susceperat, Ferdinandus & Isabella Reges Alexandro Pontifici felicem ejusmodi navigationis successum per suos legatos exponentes, obtinuerunt ab eo donari sibi & successoribus suis Castellæ & Legionis Regibus in perpetuum, omnes Insulas & terras firmas (ut loquitur constitutio donationis) inventas & inveniendas, detectas & detegendas, versùs Occidentem & Meridiem, fabricando & construendo unam lineam à Polo Arctico, scilicèt Septemtrione, ad Polum Antarcticum, scilicèt Meridiem; sive terræ firmæ & insulæ inventæ & inveniendæ essent versùs Indiam, aut versùs aliam quamcumque partem: quæ linea distaret à quâlibet insularum quæ vulgariter nuncupantur, De los Azores y Capo Verde, centum leucis versùs Occidentem & Meridiem. Ita tamen quòd omnes insulæ & terræ firmæ à præfatâ lineâ versùs Occidentem & Meridiem, quæ per alium Regem aut Principem Christianum fuissent inventæ & actualiter possessæ usque ad diem Nativitatis Christi proximè præteritum, à quo inciperet annus præsens 1493. in ejus possessione permansuræ essent, nec quid juris in iis competere Regibus Castellanis posset. Et hâc insuper conditione, ut ad prædictas terras firmas & insulas, viros probos & Deum timentes, doctos & expertes, ad instruendum incolas in fide Catholicâ, & bonis moribus imbuendum, destinare deberent. Vti pluribus continetur in prædictâ constitutione super his confectâ, quæ extat [r] data 4. Nonas Maij præsentis anni 1493. Vnde intelligas quanto ardore studerent iidem Reges Hispaniæ fidem Novo illo Orbe propagare; (an verò magis aurum, aromata, & alias quamplurimas res pretiosas diversi generis & diversæ qualitatis, quas iis terris & insulis reperiri, eâdem constitutione traditur, quærerent; ex post factis intelligi dabitur:) quantâque promptitudine Pontifex iis addictus adnuerit: ut cùm Columbus nonnisi mense Martio revertisset, (quem sexto ejus die ad portum Olysipponis Lusitaniæ appulisse, Ioannes Barrosius [s] scribit) tamen hanc amplissimam donationem obtinuerint 4. Maij. Post quæ Columbus repetitis quater navigationibus plures alias Insulas, magnámque continentis partem exploravit præfectus maris Indici à Rege constitutus: sed aliquando ex calumniis victus in Hispaniam missus, móxque honorificè restitutus, in pace quievit in Hispaniâ anno 1506. sepultus Hispali in cœnobio Carthusianorum.

[r] Bullar. to. 1. Alex. VI. const. 2.

[s] Bar. Asi. dec. 1. lib. 3. cap. 11.

IX. C[o]LUMBUS LEPIDE ILLUDIT SUIS ARGUTATORIBUS.

Narrant [ss] de illo, cùm ex detectione Novi Orbis in Hispaniam revertisset, Hispanos quosdam proceres in convivio quopiam laudem ejus delibare ac diminuere quæsisse: inventionem Indiarum rem pronam fuisse dicentes; navigationem sine discrimine, appulsus faciles, denique unum aliquem ex sese potuisse easdem illas terras gentésque reperire sine Itali hominis ullo nisu. Columbum (aderat enim) cùm tacitus diù audîsset, surrexisse; ac velut aliud agentem ovum attulisse à gallinâ; in mensâ reposuisse, & à proceribus illis petisse, ec-

[ss] Benzon. lib. 1. cap. 5. Lips. præf. ad Crit.

quis ipsorum ovum illud rectum & in caput constituere solers esset? Mussare illos, circumspicere, tentare, negare ad extremum omnes id fieri posse. Tum Columbum clementer factum iri asserentem, simul ovum leviter à capite tusum & quassatum, deposuisse erectum. Inde risum; pro se quemque rem facilem nugatoriámque esse dicere. Attamen, dixisse illum renidentem, quis vestrûm hoc facile ante me indicem potuit? Talis inventio novi Orbis: quem inveniendum ante me nemo, omnes inveniant inventum.

X.

Ex ejus autem navigationibus exortæ fuêre inter Reges Castellæ & Lusitaniæ dissensiones, (an hoc æmulatione ardentioris zeli in propagandâ fide Christianâ, quæ species erat harum explorationum, an verò pinguioris prædæ cupidine? Ex fructibus eorum cognoscetis eos, dicebat [t] Dominus:) quòd contenderent Lusitani ignoti Orbis explorationem concessione Romanorum Pontificum, ac nominatim Eugenij IV. ad ipsos universam pertinere: Castellani verò hoc Alexandri diplomate causam suam tuerentur. Factique super concordiâ varij conventus, multæ agitatæ disputationes, novæ confictæ lineæ, pactiones initæ, aliquando etiam pugnæ consertæ: ut videre est apud descriptores Novi Orbis & Indiarum, fortéque nonnumquam insinuabitur inferiùs. Missum porrò fuisse ab Alexandro primum Evangelij præconem *Donnum Bueil* Catalanum ex Ordine S. Benedicti, quem duodecim sacerdotibus præfecit, suásque in Indiis Occidentalibus illi partes mandavit; memorat Fumeus in Historiâ [u] Gallicâ Indiarum Occidentalium, alíique qui de iis scripserunt.

[t] *Matt.* 7.

PRIMUS EVANGELISTA MISSUS AD NOVŨ ORBEM.

[u] *Fum. lib.* 1. *c.* 2. *Genebr. in Chron. sub Alex. VI. Gonsal. Ferdin. in Hist. gener. Novi Orb. lib.* 2. *cap.* 8.

XI.

MILITARIŨ ORDINUM HISPANICORUM MAGISTERIA REGIBUS ATTRIBUTA.

Nec verò fuêre hæc sola lucra Ferdinandi hujus anni. Suis enim rebus intentissimus, & benevolentiâ utens, sive abutens Pontificis Hispanicæ nationis; cùm bello Granatensi confecto, parùm jam terroris ab hoste esset, pro gratiâ quæ sacris Castellæ militaribus Ordinibus S. Iacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, de egregiâ in Mauris in Hispaniâ deturbandis exhibitâ operâ debebatur, odium reddidit. Ablato namque ab Innocentio Alexandri decessore diplomate, quo sublatis Magistris trium illorum Ordinum, administratio procuratióque omnis Regi credebatur; cùm Garsiâ Padilliâ defuncto ante paucos annos [x] Calatravæ Magistro, ejus locum Ferdinandus occupâsset, nullo ampliùs militum suffragio, uti moris erat, Magistro substituto: præsenti anno idem de S. Iacobi ordine factum est, Alfonso Cardenâ ejus Magistro defuncto. Et ut finis esset, proximo anno à Ioanne Stunicâ Alcantaræ Magistro impetratum est, ut eum honorem in Regis gratiam Hispalensi pontificatu mutaret. Sic Regi tres illi Ordines cesserunt, ut dum vita maneret, eorum ditionem & opes ipse procuraret. Alexander verò Pontifex adjecit in eâ administratione Reginam sociam cum jure succedendi, siquid viro humanitùs contigisset. Postremò Hadrianus VI. in gratiam Caroli V. alumni, cui debebat Pontificatum ei, & successoribus concessit lege perpetuâ jus præsentandi Episcopos Hispaniæ, qui antè ad eorum supplicationem precariò à Pontificibus Romanis instituebantur: & ut eos Ordines in omne tempus ipsi administrarent. Liberalitas, quam nulla posteritas taceat, cuncti admirentur, nemo retractet. Ita de his Mariana [y] Hispanus, rem narrans, factum non probans.

[x] *Supr. an.* 1488. *III.*

[y] *Mar. lib.* 26. *cap.* 5.

XII.

Hoc anno ponunt Annales [z] Turcorum facinus haud omittendum, in exemplum Christianorum. Nempè cùm aliquando Bajazetes eorum Imperator cum exercitu iter ageret per Macedoniam, accessisse ad eum quemdam ingentis staturæ hominem Dervisij habitu (ita suos religiosos, seu monachos vocant) Mechdim se professum: (fabulantur enim Turci hoc nomine hominem è familiâ prophetæ Mahometis ortum, inadspectabilem obambulare, sed aliquando in lucem proditurum, & Imperio potiturum:) qui acinace stricto quem occultum gerebat, in Bajazetem irruerit eum occisurus: sed à quodam Bassâ clavâ caput percussum prostratum in terram esse, & à Ianizaris frustrulatim concisum. Quam eamdem historiam expressiùs Spanduginus Græcus recensens, ait hunc perfidum impostorem specie petendæ eleemosynæ ad Bajazetem accedentem, stricto acinace exterruisse equum Bajazetis, ideóque cedente illo retrò, evitatam fuisse vim ictûs, ac nihilominùs Bajazetem leve vulnus accepisse: ac sceleratum à Bassâ ferreâ clavâ confossum esse; Bajazetem autem hoc facinore indignatum, edicto publico ejus generis Dervisios, Torlaces dictos (sunt enim diversæ eorum sectæ) proscripsisse, & extra fines Imperij sui ejecisse.

[z] *Leunclav. lib.* 16.

BAJAZETIS PERICULUM A' DERVISIO.

IESU CHRISTI Annus 1494.

ALEX. VI. Ann. 2.

MAXIMILIANI Ann. 1.

I.

ANNO Christi 1494. Indictione duodecimâ, *Ferdinandus* Rex Neapolitanus de bello à Gallis imminente, cui ipse imprimis sævitiâ suâ causam dederat, valdè sollicitus, curísque magis quàm ætate confectus (quantumvis unius & septuaginta esset annorum) apoplexiâ repentè correptus mortuus est 8. Calend. Febr. Rex equidem bonus, (inquit Guicciardinus [a]) si quibus artibus imperare cœperat, iisdem perpetuò usus esset: verùm temporis progressu, sive novis moribus admissis, dominandi impotentiam frenare nescius; sive, ut plerique omnes existimârunt, naturâ ad pristinos mores, quos antè magno artificio celaverat recurrente, dubiæ fidei, tantæque crudelitatis, ut vel ejus familiares immanitatis potiùs quàm crudelitatis nomine appellandam esse judicarent. Eò porrò feliciùs atque opportuniùs mori existimatus est, quòd regni paulò antè florentissim eversas opes non vidit. Successit ei filius *Alfonsus* ejus nominis secundus, subditis nihilo gratior quàm pater. Qui oratores illicò ad Alexandrum Pontificem mittens, conditionibus amplissimis tam in ejus quàm filiorum commodum, nec adeò honestis, (quas Guicciardinus recitat) in partes suas ac fœdus traxit: coronatúsque est ab ejus Legato ac nepote Ioanne Borgiâ Cardinali ad id Neapolim misso, cum censûs diminutione. Adeò ut cùm Rex Francorum Carolus, qui Alexandrum ad se propensiorem priùs compererat, suos denuò ad eum oratores

FERDINANDI NEAPOL. REGIS OBITUS.

[a] *Guicciard. lib.* 1.

FOEDUS PONTIF. ET REGŨ

Contra Carolū Franc. Regem.

misisset, illum omninò à suâ amicitiâ remotum invenerint: nisi quòd si Rex de jure regni in judicio contendere vellet, æquum se qui fundi dominus esset, ejus rei judicem futurum polliceretur. Cùm Alfonso verò posteà apud Vicovarum Virginij Ursini castellum in colloquium veniens, quo de summâ rerum, déque iis quæ ad communem salutem pertinerent, statueretur; triduo ibi commorati, admodùm concordes abiêre. Nec verò aliquâ in re sibi suísque rebus consulere cessantes, etiam Ferdinandum Hispaniæ Regem induxerunt (parùm memorem beneficij à Carolo Rege recèns accepti, & pollicitationum ei factarum; quas nonnisi in suum commodum, animo pro tempore & occasione mutandi, sicuti solitus erat, fecisse ex post factis apparuit:) classem spondere milite instructam: ad cujus usum Pontifex, supra certam summam ab Alfonso ad eum missam, concessit ut pecuniam omnem Sedis Apostolicæ auctoritate in Hispaniâ belli sacri, quod Cruciatam vocant, nomine coactam, posset convertere: quantumvis eam pecuniam in alios usus quàm contra Christianæ Religionis hostes nefas insumere duceretur. A quibus opprimendis usque adeò alienæ cogitationes erant ipsorum, ut etiam nuncios ad Bajazetem Turcorum Imperatorem miserint, (nam & de misso speciatim clàm ab Alexandro, Georgio Bucciardo Genuensi, quem aliàs quoque Innocentius miserat, disertè Guicciardinus testatur, & apertiùs videbitur inferius [b]) auxilia tanquam in communi periculo petitum; ex eò quòd Carolus omninò deliberaverat, debellato regno Neapolitano, in Græciam trajicere adversùs Turcos. Hoc enim periculum notant à Bajazete minimè contemptum iri; quoniam ex præteritorum memoriâ bellorum, quæ ab Gallicâ natione contra Christianæ religionis hostes in Asiâ erant gesta, Gallorum illi arma non parùm formidabant. Quæ quidem legatio à Bajazete maximo honore affecta, atque illicò ferè dimissa, auxiliorum magnifica promissa retulit. Verùm illa, etsi non multò pòst per Legatum Neapolim à Bajazete missum confirmata essent, nullum tamen, sive ob locorum distantiam, sive quòd non satis Turcus Christianis fideret effectum habuerunt, parùm hæc curante Bajazete, nisi quantum cupiebat Zemem fratrem, qui Romæ detinebatur, sibi reddi, aut neci tradi; ingentia eo fine munera spondens.

[b] An. seq. VII.

II. Iter à Carolo decernitur.

Interim in Galliâ Rex Carolus, ubi semel expeditionem decrevit, cùm nec literis, nec legationibus, nec suasionibus Alexandri Papæ multorúmque Principum, suorúmve procerum ac consiliariorum, denique nec censurarum Pontificiarum ostentatione ab eâ deduci valuisset; mense Iulij Lugdunum concedens, quò inde propiùs rebus necessariis provideret; indeque Viennam ad principium Augusti, iter inde aggressurus; parùm abfuit (ut Comminius narrat) quin ibi ab eo per se ipsum conficiendo dissuaderetur suorum instantissimis precibus. Sed continuis Ludovici Sfortiæ sollicitationibus excitatus, demùm Iuliani Ruverei Cardinalis S. Petri ad Vincula hortationibus ita in proposito firmatus est, ut omninò decreverit montes transcendere. Qui quidem Iulianus cùm ob gravissimas simultates quas cum Pontifice gerebat, sese in arcem Ostiensem, quam tanquam ejus urbis Episcopus obtinebat, recepisset; nec ullis suasionibus persuaderi posset ad Pontificem concordiam pollicentem redire, vitámque suam fidei, ut loquebatur, Catalanorum committere: datâ aliquando spe reconciliationis, cùm timeret obsidione cingi; nocte intempestâ bireme instructâ inde discedens, Savonam, indéque Avenionem cui præerat, ac demùm Lugdunum ad Regem pervenit. A quo ingenti lætitiâ ob dignitatem & magnam auctoritatem, eximiámque industriam hominis, (erat is Sixti IV. nepos posteà & ipse Iulius PP. II. quem bis legatione Gallicâ sub Ludovico Rege functum vidimus) acceptus, sese aliis, à quibus Italiæ motus procurabantur adjunxit; nutantísque Regis spiritus, qui jam ferè congelârant, suâ tum auctoritate, tum vehementiâ accendit, ut priùs, sic etiam tunc, póstque, Italiæ calamitatum fatale instrumentum, ut Guicciardinus vocat) animúmque ad prima consilia revocavit; non modò rationibus, quibus ad tam gloriosam expeditionem fuerat excitatus, in memoriam revocatis, sed & ob oculos infamiâ, quâ apud cunctos mortales ab levi tam magnifici consilij mutatione notaretur, gravissimis stimulis propositâ. Quibus Rex accensus, demùm Viennâ discedens, Gratianopolim die 23. Augusti solemni pompâ unà cùm Anna conjuge ingressus est: (ut signanter tempus exprimit auctor additionum ad Monstreletum, ubi Regis iter per singulas stationes designatur:) ibíque dimissâ Reginâ, ac sororio suo Petro Duci Borbonio regni procuratione traditâ, & Gravillâ Admirallio, aliísque nonnullis ducibus, ad provinciarum, quas maximè periculis extraneorum expositas esse rebatur, custodiam relictis; die vigesimâ-nonâ ejusdem mensis Gratianopoli profectus est, agens tunc ipse annum ætatis vigesimum-quartum.

Hortante maximè Iul. Card.

III. Initium belli.

Dederat jam tum bello initium in Italiâ Fridericus Aragonius frater Alfonsi Regis Neapolitani; cùm validam classem quinque ac triginta triremium, navium onerariarum decem & octo, aliorúmque multorum navigiorum magnâ tormentorum bellicorum copiâ instructorum, & aliquot peditum millia vehentium quos in terram exponerent; contra Genuenses ducere à fratre jussus esset, tum ut civitatem illam à Ludovico Sfortiâ alienaret; tum ut Galliæ Rex, Neapolitani regni mari infestandi opportunitate privaretur. Verùm profectionis tarditas, & nonnullæ in itinere moræ, inutile reddiderunt id quod mense uno anteà tentatum facillimum existimabatur. Sed cùm per has moras Ludovicus satis temporis ad res civitatis firmandas habuisset; jámque auxilia Gallica cum duobus Helvetiorum millibus eam essent ingressa, accessissétque classis Massiliæ parata, & quod magnum momentum attulit, Ludovicus Dux Aurelianensis à Rege missus eò pervenisset: classis Friderici, post leve quoddam certamen, rebus eâ parte desperatis Neapolim rediit. Cujusmodi etiam cunctatione usus Ferdinandus Calabriæ Dux Alfonsi Regis filius, qui cum nonnullis regni, Pontificis, ac Florentinorum copiis in Lombardiam transire decreverat; tempus præbuit Eberardo Albinio è Scotorum

regiâ familiâ vero bellicis artibus claro, qui partem exercitûs regij & copiarum Mediolanensium ductabat, eamdem provinciam occupandi, & ab ejus ingressu Ferdinandum arcendi.

IV. EGESTAS REGIS AD BELLUM.

Inter hæc Carolus Gratianopoli, ut diximus, profectus, Alpibus Cottiis per montem Genebram (quà olim Hannibal in Italiam descenderat) transmissis, Taurinum pervenit die 5. Septembris. Vbi splendidè receptus, à Ducissâ Sabaudiæ, ob pecuniæ penuriam, (ut Comminius narrat) mundum muliebrem ac monilia ejus commodato accepit: idque ipsum præstitit posteà Casali à Marchionissâ Montisferrati, eadémque singula pro duodenis ducatorum millibus oppigneravit. Ridendum planè facinus; ut Rex tantus tantum operæpretium penè mendicando susceperit. Sed cælestes quibus favent, iis omnia prona faciunt. Expensa erant in maritimos apparatus, in quibus magnam victoriæ spem ab initio Galli reposuerant, (qui tamen nulli penè usui fuêre) omnia vectigalia: necdum ex Regum libidine nova tributa indicere, consuetudine receptum erat. Solúmque antequàm itineri se dedisset, à Mediolanensi quodam mercatore quinquaginta ducatorum millia mutua acceperat, (quæ tamen Ludovicus ipse Princeps, sub sponsione nonnullorum procerum Gallorum, quorum unum se fuisse Comminius ait, subministravit:) & à Saulio Genuensi ferè totidem gravissimo fœnore: quæ aliis usibus, aut etiam indiscretis profusionibus temerè impensa fuerant. Copiarum autem universarum numerus cùm varius à diversis constituatur, ac nonnullis in immensum augeant; Guicciardinus, quantum, ut ait, ut variis multorum sententiis vero propiùs colligere licuit, scribit fuisse, præter ducentos nobiles ad Regis præsidium & custodiam destinatos, mille & sexcentos cataphractos, quibus singulis Gallico more bini armigeri sive hippotoxotæ attributi erant: Sex Helvetiorum peditum millia, totidémque Gallorum, mediâ eorum parte è Vasconiâ desumptâ, ex quâ provinciâ judicio Gallorum pedites ad bellum aptiores educuntur. Tormentorum porrò ingentem fuisse numerum tam muralium, quàm campestrium; quibus pares numquam vidisset Italia. Fuisse enim ferè in Italiâ ferreas, atque adeò usque ingentes, & partim mole suâ, partim hominum imperitiâ, tardissimè veherentur, eadémque difficultate ad oppugnationes firmarentur, tantóque demùm intervallo disploderentur, & ad novos jactus instruerentur, ut locorum propugnatores satis ad disjecta otiosè reparanda temporis haberent, cùm & alioqui nonnisi lapideis pilis uterentur. At Gallicas multò agiliores, æreásque tantummodò, non vastæ sed justæ magnitudinis, pilas ferreas emittentes; tantâ industriâ equis trahi solitas, ut pari ferè cum militibus gradu incederent: & muris admotas, incredibili celeritate statui, & usque adeò crebris atque violentis ictibus percutere consuevisse, ut quod priùs in Italiâ multorum dierum spatio fieri solebat, paucissimis horis perficeretur.

V. REX ASTAM INGREDITUR.

Astam urbem avitam & dotalem Ludovici Ducis Aurelianensis, Rex nonâ die Septembris ingressus est. Quæ res (inquit Guicciardinus) secum calamitatum innumerabilium, atque omnium penè novitatum seminarium in Italiam importavit; statuum mutationes, regnorum eversiones, regionum vastationes, urbium excidia, cædes crudelissimas, mores inauditos, novos & cruentos belligerandi modos, morbos ad eam diem incognitos, inusitata vestimentorum genera. Atque ut esset miseræ Italiæ infelicitas major, néve ejus decora victoris virtute minuerentur, illum cujus adventu tot mala, quamvis tantis fortunæ donis esset cumulatus, omnibus tamen ferè naturæ animíque dotibus vacuum fuisse; constitutione admodùm infirmâ, staturâ brevi, vultu, si vigorem oculorum dignitatémque excipias, deformi; literarum omnium ignarum, à laboribus & negotiis alienum, prudentiâ judicióque destitutum: ad gloriam impetu magis quàm consilio, ad liberalitatem sine modo ac delectu propensum: denique siquid in eo laude dignum apparebat, à virtute quàm à vitio id remotius fuisse. Ita de Carolo Guicciardinus. Cui tamen non usquequaque consentiunt historici Gallici: concedentes quidem & debilem corpore & exiguæ staturæ fuisse, nec literis instructum; & ad delicias pronum, expectationem inter vitium virtutémque de se dedisse: verùm decursis aliquot annis dexteriorem factum, voluptati freno imposito magnanimitatem induisse, (de quâ nec res gestæ dubitare sinunt) benignitate incomparabilem extitisse; ac quamvis non doctus esset, viros tamen doctos in pretio habuisse; denique talem se exhibuisse, ut nisi præceps illum morbus adolescentiam vix supergressum sustulisset, inter præstantissimos Principes connumerandus fuisset. Quantò verò imbecillius fuit instrumentum, tantò clariùs apparuit, Dei manu ductum fuisse, ad vindictam de Principum Italorum malitiâ sumendam, & fortes Respublicas in suâ sapientiâ & fortitudine confidentes conterendas. Quod & Hieronymum Savonarolam Dominicanum tunc Florentiæ agentem, publicè prænunciâsse, ex ejus Compendio Revelationum intelligitur: Carolum nempè Francorum Regem à Deo destinatum, qui crudeles Italiæ tyrannos gravi animadversione puniret: eíque resisti non posse: quis enim divinis decretis repugnet? ipsámque Rempublicam Florentinam, novam administrationis formam recepturam esse. Quod & ita evenit. Denique astrorum hominúmque consensu easdem calamitates denunciatas esse Italiæ, tam Guicciardinus, quàm alij observant: nempè in Apuliâ tres Soles noctu in medio cœlo visos, densis nubibus, horrendis tonitruis, pavendis coruscationibus cinctos: In agro Aretino innumerabiles armatos viros equis ingentibus insidentes terribili strepitu, tympanorum sonitu, & buccinarum clangore per medium cælum transire visos: Compluribus Italiæ locis sacras Imagines & Statuas sudâsse, aliásque lacrymas fudisse: Hominum, animantiúmque monstra complura passim nata, & alia non pauca præter naturæ ordinem diversis partibus accidisse: quæ omnia incredibili terrore mortales implebant; cùm & ante oculos sibi proponerent quæ olim Galli & in Italiâ & per universum ferè orbem præstitissent, ut nullis viribus tam bellicosæ gentis impetus retardari posse videretur.

QUALIS IS ESSET.

DIVINITÙS MISSUS AD PUNITIONEM ITALIÆ.

VI. Caroli prosecutio itineris.

Ad Carolum autem, mox ubi Astam pervenit, Ludovicus Sfortia cum uxore suâ ingenti pompâ convolavit, & ad properandum iter hortatus est; veritus ne tempestatis asperitate adventante, in Mediolanensi agro hibernandum ei foret. Is tamen ex mutatione aëris eo morbo affectus est, qui pueris, etiámque nonnumquam viris maturioribus contingere solet, quem parvam variolam Galli, Latini papulas seu pustulas vocant, quæ è toto plerumque corpore erumpere consueverunt. Quo mensem fermè unum Astæ agere coactus, sextâ die Octobris inde recedens, Papiam decima-quartâ pervenit: ibíque Ioannem-Galeatium Ducem Mediolanensem patruelem suum (erant enim ambo ex duabus sororibus Ludovici Sabaudiæ Ducis procreati (gravissimo oppressum morbo reperiens, humanissimè eum visitavit. Quando ejus uxor Isabella Alfonsi Neapolitani filia, non minùs de patris quàm de mariti salute anxia, ad Regis pedes sese abjiciens, ei cum lacrymarum flumine patrem suámque Aragoniam domum commendavit. Cui Rex, etsi fortunâ formâque nobilis matronæ moveri se minimè dissimularet, eò tamen jam rem adductam esse respondit, ut ab expeditione desistere sibi ampliùs integrum non esset. Æquius enim existimare est, hæc apud Regem Isabellam egisse, (quod plurimi volunt) quàm apud Maurum, ut Ferronius. Inde Placentiam Rex unà cum Ludovico decimo-quinto Calendas Novembris appellens, ibi de transitu Ioannis Galeatij nuncio accepto, solemnes inferias ei cum lacrymis persolvit: & Ludovicus petitâ ab eo licentiâ, redditurum se recipiens, magnâ celeritate Mediolanum regressus est. Vbi cùm de successione Francisci filij Ioannis tunc dumtaxat quinquennis ageretur, Senatûs principes à Ludovico subornati, in quantis difficultatibus res Mediolanensis collocata esset exponentes, non quinquenni puero, sed viro prudentiâ & auctoritate magno, qui vacillantem sustentaret, opus esse dixerunt: atque idcircò publicæ salutis ac necessitatis causâ, quod & jura permitterent, à lege paululum deflectendum; ipsúmque Ludovicum principatûs dignitatem noménque suscipere cogendum esse, quo prætextu honestate ambitioni cedente, etsi nonnihil per simulationem reluctaretur, mane insequentis diei nomen atque insignia Ducatûs Mediolanensis suscepit, priùs seorsim contestatus se ea tanquam ex Regis Romanorum diplomate jure ad se spectantia suscipere. Quod enim superiori anno vidimus, mercatus jam tunc fuerat Ducatum Ludovicus à Maximiliano. Vnde etiam constans plerorumque fuit opinio, ipsum nepoti mortem veneno conciliâsse: atque ut rem tam nefariam securiùs perpetraret, simúlque ab ultione tanti sceleris Neapolitanos diverteret, motus hos Italicos concitâsse, & arma Gallica in Italiam accivisse. Privilegij autem Imperij, sive investituræ de Ducatu literas amplissimas Corius verbatim recitat; datas Antuerpiæ die quintâ Septembris præsentis anni: indignas, sanè, si quis earum stylum & rationes consideret, Imperiali majestate; dignas verò omninò & concedentis avaritiâ, & accipientis perfidiâ. Qui etiam, quòd patrem fratrémque atque nepotem illegitimos fuisse Duces, ob non acceptum ab Imperatore privilegium, asserere non puduisset, se non Septimum, sed Quartum Mediolani Ducem appellavit. Dicens prætereà, exemplo Cyri Persæ, & Zemis Turci (insulso utique & ad rem inepto, quandoquidem nec Cyro nec Zemi eo privilegio frui concessum fuerit, sed penitùs eo deciderint:) plurium Iurisconsultorum venali auctoritate roborato, se Galeatium fratrem anteire, non ætate quidem, sed nascendi felicitate, quòd fratre privato adhuc patre, ipse eo jam Duce natus esset. Quæ pariter ratio, unà cum illâ priore; expressa in diplomate Maximiliani fuit. Cui & insuper separatis litteris, ad Ludovici tegendam cupiditatem, ridiculo tamen colore, adjunctum, non esse in Romani Imperij more, cuiquam principatum aliquem conferre, qui eum priùs aliorum auctoritate possedisset, ac proptereà non fuisse Ludovici preces de privilegio Ioanni Galeatio ipsius nepoti impetrando auditas, quòd is primùm Ducatum à populo Mediolanensi accepisset. Misítque demùm Maximilianus anno sequenti legatos suos Mediolanum, qui eumdem Ludovicum consuetis ritibus de Ducatu investirent; factâ tunc egregiâ oratione à Iasone de Mayno nobili Iurisconsulto Mediolanensi.

Maurus usurpat Ducatũ Mediolanensem.

VII. Cogitat Carolus de reditũ, sed firmatur.

Subsistens aliquot dies Placentiæ Carolus, cùm nihil hactenùs in Italiâ novi suâ causâ existere animadverteret, & à pecuniâ satis esset imparatus; non parùm anceps de rerum suarum successu, propensiori fuit animo in Galliam redeundi accedente etiam suspicione proditionis ex novo Duce Mediolanensi; cujus & nomen horrori esse cœpit, tum ob scelus in usurpatione principatûs commissum, tum quòd ut illud citra periculum perficere posset, Regis in Italiam adventum procurâsset, & quasi in participationem tam detestandi facinoris vocâsset. Constituit tandem nihilominùs procedere, quemadmodùm ab eodem Ludovico continenter urgebatur; quippe Regem & in Lombardiâ diutius hærere, & in Galliam temerè redire, ab ipsius consiliis prorsùs erat alienum. Quomodò verò post hæc Rex Lucam pergens, indéque Florentiam versùs iter arripiens ubi ingens erat factionum divisio; post acceptam nobilem civitatis legationem, cujus nomine Savanarola orationem ad Regem pro illius erga civitatem benevolentiâ conciliandâ habuit, quæ in Compendio Revelationum ejus continetur; Pisas primò, à Petro Medice coactè ad Regem accedente, ipsi cum nonnullis aliis Florentinorum munitionibus traditas, Florentiam decimo-quinto Calendas Decembris pervenerit; (pulso tamen anteà à civibus Petro, tum ob odium quod sibi arrogantiâ suâ, & obstinatâ cum Principibus Neapolitanis societatis colligatione, cùm Florentini in Gallos propenderent, conciliaverat, tum etiam quòd inconsultâ Republicâ Pisas cæterásque munitiones, Regi tradidisset: qui Venetiás se recepit, expilatâ à Florentinis pretiosissimâ ejus gazâ: & ob nonnullas cum Florentinis de suo in urbem ingressu contentiones, vexillis explicatis, copiis ordine incedentibus, cataphracto equo cataphractus ipse insidens, lanceámque erectam femori innixam gestans, tanquam victor & dominus in urbem inve-

Florentiam ingreditur armatus.

ctus sit; quæque rursùm ibi discordiæ de formâ regiminis urbis, déque pecuniâ Regi solvendâ, aç denique facta compositio fuerit: Hæc, inquam, omnia prolixè describuntur à Guicciardino; commemorantúrque à Comminio. Quibus potiùs in iis quæ narrant fidem adhibendam esse, nemo prudens negaverit; quàm vel Iovio, in mendaciis tum in hujus Gallicæ expeditionis historiâ, tum in aliis plerisque suis narrationibus, liberè vaganti; & ut mendaciorum sibi conscio, res magnificis sonantibúsque verbis, atque exemplis sententiisque longè petitis illustrare consuescenti: vel Bembo, non rarò pariter hallucinanti; aut aliis ejusmodi scriptoribus, palàm ex gratiâ, vel odio, aut æmulatione res memoriæ, in perpetuum suum ipsorum dedecus, & magnum rerum gestarum detrimentum, mandantibus; quas satius fuisset omninò reticere, quàm recitando adulterare.

VIII. TUMULTUS FLORENTINI.

Quod tamen Guicciardinus habet; cùm de fœderis inter Regem & Florentino conditionibus ageretur, & quâdam die coram Rege aliqua earum capita Florentinis onerosa à scribâ regio recitarentur; Petrum Caponium civem Florentinum, unum ex quatuor selectis ad res cum Rege tractandas, rei indignitate commotum, libellum in quo ea scripta erant è scribæ manu abreptum, Rege spectante conscerpsisse; vocéque concitatâ dixisse, quandoquidem tam iniqua postularentur, suas Galli inflarent tubas, Florentinos suas pulsaturos campanas; hísque Regem motum ad mitiores descendisse conditiones. Istud equidem non ita facilè ei concesserit Belcarius [b], (nec fortè quis alius qui rerum Florentinarum statum ejus temporis consideraverit:) utrùm id fieri potuerit disputans; & si factum sit, Caponium ingentis temeritatis damnans, per quem non stetit quin urbs opulenta, tot ferocium gentium copiis repleta, subito earum furore cruentæ prædæ exposita fuerit: cúmque nulli alij ejus temporis scriptores, ullam prorsùs ejus rei mentionem fecerint; (neque ipse fidelissimus Comminius, qui quamquam tunc absens Venetiis, nihil tamen eorum quæ Florentiæ gesta sunt, ignoravit, & tacuit:) siquid Caponius liberè locutus est, à suis auctum, vel etiam aliquid affictum esse viderit. Placuit nimirùm Guicciardino elegantia dicti, auditum fuisse inter tot Gallos unum Caponem, ut suam orationem ad illud aptaret. Et alioqui non poterat ignorare Caponius, quia nuper legatus suæ Reipubl. in Galliâ fuerat, innatam Gallorum facilitatem, & specialem Regis benignitatem; ut etiamsi limites honesti excederet, esset propterea sibi ac civitati ab ejus furore timendum. Quinimmò scribit Comminius Regem in signum suæ in Florentinos, quos sub protectionem suam suscipiebat, benevolentiæ, voluisse ut pro lilio rubro, quod pro insigni gestabant, regium, hoc est aureum sumerent.

[b] Belcar. lib. 5.

IX. CAROLUS ROMAM PETIT.

Decem dies Rex moratus Florentiæ, rebus compositis inde egressus, quarto Nonas Decembris Senas appulit: ac biduo ibi moratus, relicto in urbe præsidio, quòd Regi suspecta esset, Romam versùs iter suscepit; tantâ temporis ac tempestatis benignitate, ut manifestò appareret rem divinam esse. Quando ejus felicitati non solùm invidentes, verùm etiam ab eâ sibi timere incipientes Veneti ac Ludovicus Mediolanensis, tamquam non jam in uno regno Neapolitano conquieturus videretur, sed universæ Italiæ imperium cogitare; ut communi periculo occurrerent, de novo inter se fœdere percutiendo agere cœperunt: citiúsque rem ad effectum perduxissent, si res Romanæ contra Carolum firmiores, quod speraverant, extitissent. Verùm cùm Rex nemine resistente cuncta occupans, etiam Viterbium, quam urbem Ferdinandus Alfonsi Regis filius propugnandam susceperat, eo expectare non auso, obtinuisset: Alexander Pontifex anxius quid agi conduceret, cùm primò missis ad Regem nunciis res suas Alfonsíque componere satagisset; deinde Vrbe desertâ aliò migrare decrevisset; confestímque mutatâ sententiâ Regi obsistere statuens, Ferdinandum cum toto ejus exercitu in urbem recepisset: postremò tamen cùm totam Curiam, universúmque Romanum populum præ vehementi consternatione, concordiam ardentibus votis expetere vidit; ad maximas redactus angustias, cœpit & ipse pacem percupere. Sed quòd meminisset, se postquàm inter primos Regem ad res Neapolitanas incitâsset, idem sine ullâ prorsùs causâ, auctoritate, consiliis, armis, pertinaciter restitisse: atque insuper timeret, ne Rex Cardinalium sibi infensorum suasionibus, Christianissimíque Regis appellatione, ac jam tot sæculis inveteratâ Gallicæ gentis religionis opinione, animum ad Ecclesiam corrigendam, ingenti ipsius Pontificis infamiâ converteret: In his æstuans, tandem tamen per oratores regios de omnibus securus redditus; denique & prodigio territus, quo viginti mœnium Vrbis ulnæ spontè corruerunt quâ parte Rex venturus erat: consensit (quod nec ullo modo impedire poterat) ut Rex in Vrbem reciperetur: emisso Ferdinando, qui per Latinam portam Sebastiani dictam paulò ante lucem egressus est, quo die Rex, obviam procedentibus Romanis primariis cum clavibus Vrbis, per Flumentanam, sive Sanctæ Mariæ de populo, armatus hastam femori innixam gerens, quomodo Florentiæ fecerat, cum universis copiis uti victor & cum summâ potestate, sub noctem, diem repræsentante immensâ luminum copiâ; inter ingentes populi plausus, faustásque voces, & certantia multitudinis vota, in Vrbem intravit postremo die præsentis anni Christi millesimi quadringentesimi nonagesimi-quarti, ad palatium S. Marci divertens, vicinum regioni Columniensium, qui tunc Alexandro exosissimi à Rege stabant: Cùm jam ipse Pontifex incredibili pavore perculsus, se in arcem firmissimam S. Angeli, duobus tantùm Cardinalibus Vrsino & Caraffâ comitatus, conclusisset: Regi adstantibus Iuliano Ruvereo, Ascanio Sfortiâ, Columnâ atque Sabello, aliísque. Quiescant omnes paululum interim dum hunc annum nonnullis additis claudimus; ad principium sequentis eos iterùm conventuri.

ALEXANDRI PP. ANGUSTIÆ.

REX VRBEM ARMATUS INGREDITUR.

X. IUDÆORUM SCELUS.

Tirnaviæ in Hungariâ Iudæi quidam, cùm se diro quodam scelere obstrinxissent, meritum supplicium invenerunt. Rem narrat Bonfinius [c], qui tunc in Hungariâ erat. Nempè

[c] Bonfin. 4. dec. 5.

duodecim

duodecim viros cum duabus mulieribus, ingenuum adolescentem Christianum occultè captum obstructis repentè faucibus miserè strangulâsse, & adapertis venis sanguinem ejus, dum animam sensim & singultim efflaret, partim absorbuisse, partim asservâsse; corpus in partes dissectum, membratim humi defodisse. Suspicione sceleris in Iudæos motâ, legitimam in eos quæstionem constitutam esse: mulieribusque tormentorum metu scelus confitentibus, conscios omnes incendio damnatos conflagrâsse; alios qui minùs rei videbantur, grandi pecuniâ mulctatos esse. Cùm autem à senibus causæ facinoris per cruciatus exquirerentur, quatuor repertas esse cur per multas passim regiones sanguinem Christianorum elicerent: unam, quòd ita majorum auctoritate persuasum haberent, Christiani hominis sanguinem præputiis in circumcisione appositum, sistendo sanguini opportunum esse remedium: alteram, quòd eumdem ad conciliandum inter se amorem plurimùm valere, in cibo datum, existimarent: tertiam, quòd cùm viri ac mulieres æquè apud eos fluxu menstrui laborarent, sanguinem hominis Christiani epotum, idoneam ad id morbi esse medicinam experti essent: quartam, ut vetus apud se, sed reconditum decretum exequerentur, quo sacrifificiis quotidianis in aliquâ regione Christianum Deo sanguinem libare coguntur: quo factum esse dictitabant, ut in eum annum ea sors Iudæis Tirnaviensibus obtigisset. Ita Bonfinius. Cur autem Christianum sanguinem libare Deo edocerentur, aliam hos causam jam olim ex Thomâ Cantipratensi [d] aperuimus; quòd scilicèt vaticinium quoddam, habeant, non posse ipsos liberari ab infamiâ quam patiuntur, nisi per sanguinem Christianum. Quem & proptereà Ioël, tanquam à Deo venientem, vocare dicuntur. Cæterùm in miseram gentem anno quoque sequenti Budæ in eâdem Hungariâ sævissimè tumultuatum esse, idem Bonfinius describit.

CUR SANGUINEM CHRISTIANUM SITIANT.

[d] Cantipr. 2. de apib. 29. art. 23.

XI.

[e] Dubrav. lib. 31. ad fi.

HUSSITARUM IN BOEMIA MOTUS.

Quo eodem tempore Pragæ [e] in Boëmiâ Rege Wladislao à multis annis in Hungariâ absente, Hussitarum hæreticorum concionatores solitis motibus civitatem commoventes, rem eò perduxerunt, ut habuerint Episcopum de sectâ suâ: quemdam videlicèt prævaricatorem, Augustinum nomine, ex eo numero qui titulares vocantur, quia titulum sine ditione præferunt; senem, avarum, & delirum; ut qui in hâc voce animam exhalaverit: *Si non possum salutem assequi ut malus Christianus, saltem servari queam ut bonus Marranus*, quasi bonus Marranus (nempè Mahometicæ impietatis sectator) uspiam locorum inveniri detur. Hussitarum verò causam cùm Rex Alexandro Pontifici maximo studio commendâsset, egerunt illi amplissimis verbis ei per legatos gratias; ostenderúntque se ad officium ritúsque Romanos libenter redituros, si iisdem conditionibus, quas olim Sigismundo Imperatore obtinuissent, in gratiam redire Pontificis possent. Quid verò inde tunc actum, non reperimus, cùm post hæc à Bonfinio sub anno sequenti recitata; additámque damnationem Sigismundi Episcopi Quinqueecclesiensis rei de peculatu constituti; finem in suis Rerum Hungaricarum Decadibus imposuerit: quas, ut jam diximus, eadem prolixitate, nec fere minore gratiâ, Nicolaus Istuanffius continuavit. De Boëmorum autem hæresibus dicetur rursùm inferiùs suis locis.

XII.

IO. PICI MIRAND. OBITUS.

[f] Vid. supr. an. 1487. V.

Quo die Rex Carolus Florentiam triumphans ingressus est, mortuus ibi ex morbo est *Ioannes Picus* [f] Mirandulæ & Concordiæ Princeps, anno ætatis trigesimo tertio; pro *Pico* notâ ave non magni pretij *Phœnix* sui sæculi dictus, ob rarissimas animi corporisque dotes, ac sublime ingenium; quo scientias sacras ac profanas, ita tractavit, ut omnes ejus sæculi sapientes in admirationem suî facilè converterit; adeò, ut nihil omninò ei defuisse videatur, nisi maturitas. Extant enim eximia eâ ætate ejus opera: quibus, si vita comes fuisset, multa alia addidisset. Quæ verò imperfecta reliquerat, ea *Ioannes-Franciscus* Galeotti Pici ipsius fratris filius collegit, & edenda curavit; ejus etiam Vitam obitúmque luculentè describens: plurimáque & ipse doctissimè elucubrans, quæ pariter extant. Fuit Ioannis Pici studiorum socius individuus *Angelus Politianus*, multarum & ipse literarum vir, sed nec facie, nec moribus, si Iovio in utriusque elogio credimus, ei ullâ ex parte comparandus. Fuit tamen sacerdos & canonicus Florentinus, & Laurentij Medicis alumnus, atque liberorum ejus institutor: Latinásque & Græcas literas ibidem multis annis publicè docuit: & hoc ipso anno, septimo Calendas Octobris duobus fermè ante Picum mensibus, eâdem civitate extinctus est, anno ætatis suæ quadragesimo, ut est apud Volaterranum [g]; non quadragesimo-tertio ut apud Iovium. Quod verò & eodem hoc anno mortuum æquè *Hermolaum Barbarum* nonnulli scripsêre; id superiorì anno contigisse Trithemius ponit, diximúsque nos de illo jam anteà [h] aliâ occasione.

ITEMQUE ANGELI POLIT.

[g] Volat. lib. 21.

[h] An. 1491. X.

XIII.

[i] Til. & Genebr. in chron.

ORDO MULIERŪ POENITENTIŪ.

Hoc eodem anno [i] Ordo *Pœnitentium* mulierum ex prostitutis, initium cœpit Parisiis prædicatione Ioannis Tisserandi Ordinis Minorum sancti Francisci, in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ.

XIV.

DISPUTATIO DE CONCEPTIONE B. VIRGINIS.

Narrat Trithemius Abbas Sponheimensis in Chronico sui monasterij, se hoc anno scripsisse commentarium De Laudibus S. Annæ matris Beatissimæ Dei genitricis, qui extat. Cúmque in eo de purissimâ Conceptione ejusdem Dei-genitricis mentionem fecisset, quemdam Wigandum Cauponem Ordinis Prædicatorij, hominem quidem satis doctum, sed temerarium & superbum, opus, quoad puritatem Conceptionis impugnare voluisse, verùm ab ipso Trithemio validè & cum irrisione fuisse repulsum: Eáque occasione adversùs Wigandum plures alios viros doctissimos, defensores Marianæ puritatis, metro scripsisse & prosâ: donec post biennium Wigandus opinionem suam edito alio opusculo abjuravit: Nihilominùs Prædicatores in Curiâ Romanâ apud Alexandrum Papam subdolè adversùs Trithemium egisse, sed nihil profecisse: Habuisse enim sibi constantissimè adhærentes Vniversitates [k] Parisiensem, Coloniensem, Tubingensem, totumque Ordinem Carmelitarum, Ordinem Minorum, S. R. E. majorem partem Cardinalium, Archiepiscopos, Episcopos, & Principes multos, ac penè omnem in Germaniâ Clerum, & viros doctos atque eru-

[k] Vid. infr. ann. 1497. VIII.

ditos innumerabiles. Ita ille. Sed quid de altercatione circa hæc inter Minores & Prædicatores iis temporibus vigente Romæ statutum fuerit, non habet: credo, quia nihil novi statutum fuit. Profertur enim à Dominicanis[1] decretum Cardinalium Oliverij Neapolitani Protectoris Ordinis Prædicatorum, & Georgij Vlixbonensis Viceprotectoris Minorum, datum ultimo Martij anni millesimi quingentesimi-secundi; quo Pontificis Alexandri auctoritate innovârunt inhibitionem Sixti Papæ IV. nequa pars alteram hæresis aut peccati mortalis damnaret: prohibuerúntque ne iidem Dominicani seu Prædicatores in suis ad populum sermonibus ullam omninò mentionem facerent Conceptionis Beatissimæ Virginis. Infelix hâc parte nobilissimus Ordo, ut de tam excellenti mysterio tacere cogatur. Quantum præstaret, etiam in hoc, sicut in cæteris, universæ Ecclesiæ assentiri!

[1] Bzov. an. 1502.

IESU CHRISTI Annus 1495.
ALEX. VI. Ann. 3.
MAXIMILIANI Ann. 2.

I. ANNO Christi 1495. Indictione decimatertiâ, Rex Francorum Carolus Romæ existens (ut Guicciardinus[a] narrat) à Cardinalibus qui ei adstabant, (quos numero decem & octo fuisse Comminius[b] scribit) sine intermissione incitatus, ut Alexandro Pontifice, qui in arce sancti Angeli sese tremens continebat, quémque ingentibus fœdísque vitiis coopertum, cunctísque mortalibus invisum, adeóque nomini Gallico infensissimum prædicabant, à Sede submoto, alius in ejus locum crearetur: (quod non minùs ipsi gloriosum fore dicebant, quàm Pipino Carolóque Magno ejus majoribus fuisset sanctos Pontifices ab ipsorum oppressoribus vindicare:) eorum hortatibus, & prætereà quòd Pontifex ex Regis postulatis Angelicam arcem, tanquam promissorum obsidem dare recusaret, eò delatus est, ut bis tormenta bellica ad eam oppugnandam è suis ædibus educi jusserit: quæ nihilominùs toties reducta fuêre, quòd neque Rex suâ naturâ ad Pontificem violandum esset propensus; & in ejus secretiore consilio plus illi possent, quos Alexander donis & promissis sibi conciliaverat. Quare post multiplices consultationes, ita demùm inter eos fœdus ictum est, ut Regi nonnullæ munitiones Pontificiæ traderentur, donec Rex regno Neapolitano potiretur. Cardinalibus ac proceribus qui partes Regis sectati fuissent, omnes offensiones remitterentur: regni Neapolitani diploma Regi traderetur: Zemes Turcus (quem post Innocentij obitum Alexander è palatio Pontificio in arcem sancti Angeli securiorem custodiam transtulerat) eidem ad bellum Turcicum, quod moliebatur, dederetur: Cæsar Borgia Cardinalis Valentinus Pontificis nothus, (quem, quòd spuriis ad eam dignitatem aditus patere non consueverat, falsis testibus alterius legitimum filium esse, comprobari fecisse Pontificem tradunt[c]:) specie quidem ut Pontificis Legatus, re autem paternæ fidei obses, Regem quatuor menses comitaretur. Hâcque sancitâ concordiâ, Pontifex in Vaticanum concessit, Regem consuetis ritibus in basilicâ sancti Petri excepit die decimâ-sextâ Ianuarij; eidémque Rex solita obedientiæ filialis obsequia contulit. Ipséque ad Regis postulationem, Cardinalem creavit *Guillelmum Brissonetum* Episcopum Maclovienſem, præcipuæ apud Regem auctoritatis Præsulem. (Philippum Lucemburgium Episcopum Cenomanensem, Comminius & Guicciardinus huic socium tunc quoque datum fuisse scribunt: at ille non nisi post biennium creatus fuit, fortè nunc etiam promissus: denique solum Brissonetum hoc tempore agnoscit auctor Gallicus[d], qui res gestas Caroli per singulos dies memoriæ mandavit; necnon Corius, & alij.) Die vigesimo Rex in sacello Franciæ intra basilicam S. Petri, strumosos de more tetigit & sanavit, stupentibus ad miraculum Romanis cæterisque Italis. Eodémque die Pontifici solemniter celebranti adstitit, loco ei ad sedendum secundùm primum Cardinalem Episcopum dato: & antiquo ritu Pontifici aquam lavandis manibus effudit. Quod deinde Alexander, ut rem præcipuâ memoriâ dignam, in arcis sancti Angeli quadam porticu nobili picturâ repræsentari curavit. Denique nihil omissum est, quo Pontificem Regémque animo sincero & candido reconciliatos esse demonstraretur.

CAROLUS REX PARCIT PONTIFICI.

CONCORDAT CUM EO.

[a] Guicciard. lib. 1.
[b] Commin. lib. 1. c. 12.
[c] Guicciard. lib. 1. ann. 1495. post pr.
[d] Addit. ad Monstrel.

II. Habet Tilius[e], renunciatum quoque fuisse Regem à Pontifice Imperatorem Constantinopolitanum. Sed unde id acciderit, non aperit. Habemus nos præ manibus exemplum publici instrumenti, cujus archetypum reperitur in archivo Capitolino Romæ in actis Camilli Bene del Bene; facti anno superiore millesimo quadringentesimo nonagesimo-quarto, Pontificatûs Alexandri VI. tertio, Indictione undecimâ, die Sabbati sexto Septembris, cùm nondum Rex Romam pervenisset: quo Andreas Palæologus Despotus, de quo suprà[f], asserens se immediatum successorem Imperij Constantinopolitani; utpotè filium majorem natu Thomæ fratris Constantini ultimi Imper. à Turcis cæsi sine liberis defuncti; audito quòd Carolus Francorum Rex in animo haberet Turcum bello impetere: quò justiùs & alacriùs id gloriosi operis susciperet, in ipsum ac successores ejus Reges Francorum transtulit supradictum Imperium Constantinopolitanum; ac cessit donatione inter vivos irrevocabili omnia & singula jura quæ ipse haberet in eo, necnon in Trapezuntino: reservato sibi tantummodò Despotatu Moreæ seu Peloponnesi; cujus scilicèt ipsius Andreæ pater fuerat olim peculiaris dominus. Hujus igitur cessionis jure, additâ Sedis Apostolicæ in ejusmodi negotiis adhiberi solitâ auctoritate, fuerit Carolus à Pontifice renunciatus Imperator Constantinopolitanus: & qui iter Regis Neapolitanum relegerunt scriptores[g] ejusdem temporis, non abs re dixerint, Regem ingressum esse Neapolim habitu Imperiali, & Cæsarem Augustum salutatum. De cæteris verò habet Comminius[h], conventum prætereà fuisse inter Pontificem & Regem, nequaquàm Pontificem urbibus arcibúsque Ecclesiæ ullum legatum aut præfectum sine Regis assensu impositurum. Verùm quòd non istud

REX CAROLUS FIT IMP. CŌSTANTINOP.

[e] Til. in Chron.
[f] An. 1465. XIV.
[g] Addit ad Monstrel. &c.
[h] Commin. lib. 7. cap. 12. in fi.

in conditionibus, quarum summam quatuor & triginta articulis Symphorianus [i] Champerius in suo Gallorum Trophæo posuit, (qui ferè omnes ad eos quos breviter ex Guicciardino retulimus, referuntur) reperiatur: non est quòd etiam ad duram illam conditionem Pontificem adstrictum velimus. Non enim adeò leves cæteræ erant, ut non satis ponderis habere Pontifex videretur.

[i] *Champer. in Hist. Car. VIII. edit. Gothofr.*

III. ALFONSUS REX NEAPOL. REGNO RENUNCIAT.

Dum autem hæc Romæ gererentur, Alfonsus Rex Neapolitanus audito Ferdinandi filij sui abs Româ discessu, & populorum de Ferdinandi patris sui suísque crudelitatibus, cæterísque injuriis, querimoniis, quæ ardens Gallorum desiderium palàm ostendebant, in tantum est terrorem conjectus, ut famæ & gloriæ pristinæ, quam longo usu in multis Italiæ bellis sibi non parvam pepererat, penitùs oblitus, sese regno abdicare constituerit, illúdque in filium transferre: fore sperans, ut cùm ab eo nemo fuisset læsus, quinimmò gratiâ apud omnes polleret, desiderium Gallorum in suis imminueretur. Quod quidem consilium anteà usurpatum (inquit Guicciardinus) forsitan aliquid profuisset: at in ea tempora dilatum, quibus cuncta ruere incipiebant, non satis erat ad tantam sistendam ruinam. Famáque fuit, Ferdinandi patris spectrum ter diversis noctibus Iacobo regiæ domûs chirurgo apparuisse, ac primò lenioribus verbis, pòst admodùm minacibus mandâsse, diceret Alfonso filio, ne speraret Regi Galliæ posse resistere; quòd decretum esset divinum, suam progeniem regno spoliatam, & multis calamitatibus afflictam extinguendam, cùm ob plurima alia ab ipsis patrata scelera, tum verò ob illud inexpiabile, quod ipsius suasu Puteolis rediens in S. Leonardi fano prope Neapolim commissum fuisset: quo scilicèt non pauci proceres, qui diù in vinculis detenti fuerant, clam necari jussi fuissent. Quorum umbræ cùm in somno continuè obversarentur, ac miser Alfonsus suæ conscientiæ stimulis agitatus, neque dies neque noctes animo quietem inveniret, postquàm *Ferdinandus* ipsius filius ejus nominis Secundus Rex ad brevissimum tempus renunciatus est decimo Calendas Februarij; (Ioviano Pontano translati regni tabulas dictante) re cum unâ dumtaxat Ioannâ Reginâ suâ novercâ, quæ Ferdinandi Hispaniæ Regis soror erat, communicatâ, quatuor triremibus aliquantâ supellectili regiâ injectâ, Neapoli discessit: tantum in ipso discessu pavorem præseferens, ut ad omnem strepitum tremens adesse Gallos existimaret, & arbores ac lapides Galliam insonantes audire se clamaret. Navigavit autem in Siciliam ad oppidum Mazaram, quod ab eodem Ferdinando Hispano sorori suæ donatum fuerat. Vnde Messanam se recipiens, emisso voto abdicationis mundi, in cœnobio Olivetanorum severissimam vitam aliquamdiù exegit; jejuniis & orationibus assiduè vacans, & dignos pœnitentiæ fructus faciens, magnásque eleemosynas egentibus impertiens: donec non toto circumacto anno, ex vehementissimo dolore vesicæ, quem patientissimè tulit, extinctus est ut sibi ab ipsis Olivetanis narratum esse, Comminius [k] scribit, benè inde de ejus animæ salute sperans.

FERDIN. II. SUCCEDIT.

[k] *Commin. lib. 7. c. 11.*

IV.

Alfonsi fugæ nuncium Rex Carolus eodem tempore quo Româ proficiscebatur (fuit autem dies vigesimâ-octava Ianuarij) accepit. Qui cùm Velitras (urbs Episcopalis est, unita Ostiensi, viginti circiter passuum millibus Româ distans) accessisset, jam inde Cardinalis Valentinus occultè se subduxit, ad patrem reversus: qui, ut creditum est, pacta cum Rege servare, aut non servare penes se esse vellet. Poterat sanè se ipsum suósque facilè à perjurio, si quod committeretur, absolvere, qui claves Ecclesiæ in potestate habebat. Econtra verò eodem tempore quo Româ Rex discessit, octo Cardinales indignatione moti de concordiâ cum Pontifice initâ, Vrbem itidem deseruerunt. Duobus inde Latij oppidis munitissimis, Montefortivo & Monte sancti Ioannis ab exercitu regio vi captis; & Sangermano, ubi Ferdinandus novus Rex hostes transitu prohibiturus consederat, quòd is locus ob situm & angustias meritò unum è portûs Neapolitani claustris appellatur, ad solum adventûs Gallorum nomen sine pugnâ derelicto: cuncti certatim se toto regno dediderunt: ipsóque Ferdinando in Ænariam insulam, Ischiam vulgò dictam, secedente, Rex Carolus Neapolim triumphans ingressus est die Dominicâ vigesimâ-secundâ Februarij, tanto omnium applausu ac lætitiâ susceptus, ut qui id eloqui tentaret (inquit Guicciardinus [l]) is eum esset laborem incassùm sumpturus. (Facetus planè Corius, ni potiùs fatuum dicas, dum Regem nobis depingit mulâ vectum cum ligneis calcaribus: quem nec aliis impudentissimis de Gallorum in eâ urbe conversatione mendaciis moramur.) Quâ celebritate primùm ad civitatis augustissimum templum, pòst in arcem Capuanam, quæ Gallicanorum Regum olim sedes fuerat, (nam cæteræ arces ab hostibus tenebantur; quæ nihilominus paulò pòst deditæ fuêre) deductus est: cum admirabili inauditæ felicitatis cursu, vel supra Iulij Cæsaris exemplum, priùs vicisset quàm visus fuisset, ingenti Italicæ militiæ probro, ac Principum Rerúmque publicarum sapientiæ ignominiâ: spatio quatuor mensium & sexdecim dierum (quod intercesserunt à profectione ab Astensi civitate usque ad ingressum in Neapolitanam) subjugatâ victrice Mundi ac provinciarum Orbis Reginâ Italiâ, ab adolescente rerum inexperto, mediâ hieme, cum armatorum exiguâ manu, víxque gladio educto, aut hastâ fractâ: & ut dicebat Alexander Pontifex, cretâ dumtaxat deletâ, quâ hospitia signarentur: cùm & ipsa classis tam immani sumptu comparata atque instructa, maris tempestate quassata, non priùs ad Neapolitanum littus accesserit, quàm Rex in urbem receptus fuisset.

CAROLUS REGNO POTITUR.

[l] *Guicciard. lib. 1. in fi.*

V. GALLORUM IMPROVIDENTIA.

Verùm ut nulla gens hoc potuit efficere præter Gallicam, quæ sic aliàs magnam Europæ & Asiæ partem fortitudine suâ pervasisse reperitur; ita nulla alia potuit tam facilè conquisita amittere, quàm eadem Gallica: quæ ferè carens virtute illâ quâ parta tuenda sunt, innatâ levitate & inconsiderantiâ, majori pudore quæsita perdidit, quàm gloriâ quæsivit. Regno igitur universo Carolus potitus, præter Ischiam insulam, & Brundusinam ac Gallipolitanam arces in Apuliâ, & Rheginam in Calabriâ, quæ magis in fide

Ferdinandi permanserunt, quòd nullos ad eas capiendas Rex misisset, quàm quòd inexpugnabiles essent: ludis & jocis totum se dedens, & parùm de futuro sollicitus, imprimis commeatus ingenti copiâ in arcibus Neapolitanis congestos, qui in multos annos satis esse potuissent: nonnullis ex familiaribus suis dono dedit, nec alios sufficiendos curavit; eâdem etiam incuriâ in aliis regni munitionibus servatâ. Ex quâ, necnon ex contemptu majoris partis procerum regni, pluribus omnis conditionis hominibus animus factus est ad pristinos dominos respiciendi. Multæque urbes, quæ in antiquo Regum patrimonio censebantur, privatis nobilibus Gallis & naturâ & victoriâ insolentibus concessæ, id permolestè ferentes, pariter ad defectionem spectare cœperunt: non his tamen solummodò de causis, verùm etiam ex naturali gentis ad mutationem propensione, cùm inter omnes Italiæ populos ab antiquo regni Neapolitani incolæ, inconstantiæ novarúmque rerum cupiditatis notentur. Cùm verò etiam vocato sub fide Friderico, Ferdinandi patruo, qui olim in aulâ Ludovici XI. diù egerat, pacem ipsi Ferdinandóque Rex offerens, si regno omninò cederent, amplos in Galliâ principatus repensurum se polliceretur; & Ferdinandus nullas conditiones admitteret, nisi ei Calabria relinqueretur, in quâ non quasi Rex, sed tanquam è proceribus & clientibus unus maneret: hoc quidem prudenter Carolus negavit, quòd nimis periculosum videretur, siquam regni partem suo æmulo concederet: verùm in eo erravit, quòd arcis Ischiæ expugnationem, & ab ipso initio, & post Ferdinandi inde abscessum, qui se in Siciliam recepit, non eâ diligentiâ quâ opus erat susceperit: Gallis tanto rerum proventu insolentioribus factis, gravioráque negotia fortunæ temeritati permittentibus; neque agnoscentibus, prospera hæc ipsis non suâ virtute aut prudentiâ, sed solâ divinâ operâ, ac velut manuductione contigisse: denique iis qui apud Regem plus poterant unum illud agentibus, ut quàm uberrimum possent fructum, nullâ Regis vel dignitatis vel utilitatis habitâ ratione, perciperent.

VI. TURCORŨ TREMOR A' GALLIS.

Cæterùm non majori negotio in Caroli potestatem Græciam venturam fuisse, si per cæteros Principes Christianos, qui parùm curantes religionis progressum mox in Carolum conspirare cœperunt, permissus fuisset in eam ducere; vel id indicio est, quòd præsidiarij Turci, qui Macedoniam Epirúmque insidebant, ubi Gallica signa in maritimis Calabrorum urbibus visa esse audierunt, panico velut pavore consternati, suas stationes plerique deseruerint; Græci de libertate recuperandâ consilia ceperint: Bajazetes Turcorum Imperator copias omnes, quæ ad Illyricum Mœsiámque hibernabant ad tuendam Græciam revocaverit, classem Byzantij refectam ad eas traducendas deduxerit, & Venetis, nisi cum Alexandro Pontifice, Maximiliano Imper. Ludovico Mediolanensi, cæterísque Italis adversùs Carolum societatem coïrent, atrociter comminatus sit. Addit Iacobus Sadoletus, ex oppidis Græciæ omnibus præsidia deducta, copias universas Constantinopolim accersitas: alij, Turcos magnam galerorum palliorúmque vim, ut se Græcos mentirentur, & primum Gallorum ardorem impetúmque vitarent, redemisse scribunt. Comminius autem, missum à Carolo fuisse Archiepiscopum Dyrrachinum natione Epirotam in Græciam; qui regulos populósque Christianos ad defectionem promptissimos repererit. Et Constantinum Palæologum, ad quem jure hæreditario Macedonia & Thessalia pertinebant, propè fuisse ut Scutarum interciperet: facturum fuisse, nî diuturniori morâ Archiepiscopi Venetiis factâ, res detecta fuisset, ac per Venetos Turco Bajazeti, ejúsque urbium præfectis, quò sibi caverent, indicata: ita rem narrante Comminio [m], qui tunc Venetiis agebat horum particeps consiliorum.

[m] Commin. lib. 7. c. 7. 14.

VII. ZEMIS IMPORTUNA MORS.

Magnúmque rebus incommodum detulit mors Zemis fratris Bajazetis: qui Regi, ut vidimus, à Pontifice Romæ traditus, mortuus est, sive Cajetæ, ut Iovius, sive Neapoli, ut Guicciardinus tradit, seu denique Capuæ, aut etiam Tarracinæ, ut apud alios reperimus: consensu uno in id convenientes, sublatum esse veneno; lento illo, ut plures volunt, præbito ei Romæ antequàm Carolo traderetur ipsiusmet Alexandri Pontificis operâ, (calumnia si hæc sit, Italorum [n] est, qui nihil non contumeliarum in hunc Pontificem uno ore evomere consueverunt:) vel quòd invitus eum traderet, dolens privari annuâ pensione quadraginta millium ducatorum, quam pro ejus sustentatione Bajazetes frater ejus pendebat; vel quòd gloriæ Caroli invideret. Turci in suis Annalibus [o] tradunt, illum operâ cujusdam Mustaphæ Ianitorum Bajazetis principis missi ad id à Bajazete specie perferendi expensas annuas, veneno extinctum: vulgatúmque esse, (turpi aut criminatione, aut crimine) consensum Principis Itali (uti Papam vocant) intervenisse. A quo etiam cadaveris avehendi potestas facta sit: quod Prusam Bithyniæ ad Principum sepulchra delatum est. Certè his omnibus ad amussim consentiunt literæ, quæ inter Epistolas [p] Principum Italicè editas leguntur, Bajazetis ad Alexandrum Pontificem scriptæ duodecimo Septembris anni superioris: quibus ait, intellexisse se à Georgio Bucciardo ipsius Alexandri nuncio, Regem Galliæ petere ab ipso Alexandro Zemem fratrem suum: Id se gravissimè laturum; Pontificique fore damnosissimum, atque universis Christianis: Ideóque consilio cum Georgio inito, utilius visum esse pro quiete & utilitate ipsius Pontificis, & Bajazetis satisfactione, ut eidem Zemi, qui omni modo moriturus aliquando esset, mors acceleraretur, quæ ei vita futura esset, Alexandro commodum, Bajazeti jucundum. Rogabat igitur, ut id quocumque pacto visum foret executioni mandari curaret, corpúsque mitti in aliquem portum maritimum ditionis Turcicæ: missurum se ei in præmium pretiúmve, trecenta aureorum millia, quibus Alexander filiis suis aliquem principatum compararet: atque insuper ab omni Christianorum damno abstenturum: ídque solemni jurejurando firmabat. Hæc verò si præstitit Alexander, ut superiores auctores tradunt, profectò non videntur ea pertinere ad successionem Petri, licèt non dero-

[n] Guicciard. lib. 2.

[o] Ap. Leunclav. lib. 16.

[p] Vol. 1. ep. 6. edit. 1581. Vid. supr. an. 1494. I.

gent auctoritati. Cæterùm reliquit Zemes filium ejusdem nominis; qui factus Christianus, Rhodi captus est à Solimano, & occisus, ut dicetur suo loco: cùm & ipsum quoque Zemem fidei Christianæ nomen dedisse Romæ, sunt nonnulli qui scribant; sed ut putamus, ex levi conjecturâ magis quàm ex certâ rei notitiâ.

VIII. Cōsilia Principum adversùs Carolū Regem.

Prædictam igitur præclaram occasionem promovendi rem Christianam, serò admodùm, aut numquam fortè redituram, invidiâ eorum qui nihil aliud ore proferre consueverant, quam Turcorum bellum, quàm fidei propagationem impediri ac diverti publicâ deliberatione decretum est: non quidem animo Turcis gratificandi, sed tantùm Carolo nocendi. Coïtionem autem in eum factam tractant præ cæteris Comminius [q], qui tunc Venetiis agebat legatum Regis, sincerissimus auctor; & Guicciardinus [r], qui solitâ suâ perspicacitate singulorum consilia penetrans, fictionibus & quæsitis prætextibus omnia plena fuisse demonstrat. Summáque est; sollicitatione Ludovici Mauri Ducis Mediolanensis & Senatûs Veneti, quibus se majus quò propinquius periculum à Rege ostentabat, (hos tamen priùs à Ferdinando Hispano excitatos fuisse, bellúmque ab eo denunciatum Carolo Regi laceratis initi fœderis tabulis, Hispani [s] tanquam gloriosissimum operæpretium, quod plerisque aliis ignominiosissimum censeri posset, venditant) Alexandrum Pontificem tanquam à Rege malè habitum, & Maximilianum Imp. ac Ferdinandum & Isabellam Hispaniæ Reges, quasi in defensionem scilicèt Sedis Apostolicæ; unà cum iisdem fœdus per suos oratores Venetiis conclusisse, specie ac nomine ad bellum Turcicum, (ita namque illudebant populis; ut qui ne bellum Turcis inferretur obstabant, contra eos fœdus inire jactarent:) ad communem sociorum suámque defensionem; (verebantur scilicèt, ne Carolus universam Italiam, omnémque Europam eâdem facilitate deglutiturus esset, quâ regnum Neapolitanum adeptus erat:) re autem ut Itali ac Siculi junctis armis impedirent ne Carolus regnum Neapolitanum teneret, néque ei ex Galliâ nova subsidia venirent, Germani verò & Hispani Galliam validis exercitibus invaderent. Multa alia magnifica de his addunt historici Veneti, in suæ Reipublicæ laudem; & sancitum esse fœdus in annos viginti quinque, tuendi servandíque causâ majestatem auctoritatémque Romani Pontificis, & Italiæ libertatem. Venisse ex totâ fermè Europâ ad Venetum Senatum legatos, ita ut Hispanus altâ voce enunciaret, vulneri quod Christianæ Reipublicæ à juvene Rege illatum esset, medelam in eâ civitate repertam esse, quæ à senum prudentiâ, ratione, modestiâ, atque optimis consiliis regebatur. Adstiterunt [t] igitur Reges terræ, & Principes cōvenerunt in unum adversùs Christum Domini. Sed qui habitat in cælis irrisit eos, & Dominus subsannavit eos. Qui enim Carolum in Italiam absque ullo ferè obice manu duxerat, etiam salvum & incolumem (quod caput erat rei) in Galliam prostratis hostibus reduxit. Tenuit [u] manum dexteram ejus, & in voluntate suâ deduxit eum, & cum gloriâ suscepit eum, ut pòst videbitur. Quod & prædixisse sibi Savonarolam Florentiæ Comminius [x] asserit; nimirum Deum uti adventûs, ita & reditûs ducem Carolo futurum: in magnum quidem incursurum discrimen, sed nihilominùs gloriam inde reportaturum, etiamsi solos centum homines secum haberet: quòd verò in reformandâ Ecclesiâ, compescendâque tyrannorum violentiâ segniorem se præstitisset, ac militum rapinas non coërcuisset, divinam illi instare ultionem, quam idem Comminius de morte Delphini filij Caroli, qui paulò pòst decessit, interpretatus est.

q Commin. lib.7.c.15.
r Guicciard. lib.2.
s Marian. lib.26. cap.7. & 9.
t Psalm. 2.
u Psalm.72.
x Commin lib.8.c.2.

IX. Publicatio foederis contra Regem.

Conclusum autem dicitur fœdus pridie Calendas Aprilis; sed non publicatum ante Dominicam Palmarum, quæ incidit in diem duodecimam Aprilis. Si quidem, ut Comminius ait, voluit Pontifex ut uno eodemque die promulgaretur etiam in Germaniâ & Hispaniâ; & ut singuli Principes apud quos promulgatio fieret, cæterorúmque oratores, ramum olivæ manibus gestarent in signum fœderis. Describítque solemnitatem eo die Venetiis actam, & post celebratam Missam & supplicationem peractam, theatricorum spectaculorum, atque Italiæ & Principum fœderatorum repræsentationes: quæ tanti Senatûs gravitate planè indignæ videri possint. Quod verò iidem auctores Veneti habent de Comminij animi confusione, cùm fœderis conclusionem à Duce Veneto audivit, potuisset ea magis existimari processisse ex adeò levi Senatûs mutatione amicitiæ in Regem; nisi ipsi Comminius haud parùm se inde timuisse Regi fateretur, quòd existimaret fœderatorum vires paratiores fuisse, addítque exprobrâsse se in curiâ Duci ac Senatoribus, quod de Pontificis defensione prætexerent, alienum à re esse, cùm exploratum esset Reges Galliæ sedem Apostolicam defendisse semper & auxisse, ídque ipsum facturum Carolum majorum suorum exemplo: veram autem hujus fœderis causam esse, quòd vellent Veneti turbari Italiam, ut interim ipsi res suas agerent: hócque effato non parùm eos ussisse.

X. Carolus reditum in Galliam parat.

Cæterùm auditâ tot tantorúmque fœderatorum conspiratione, Carolus consilium iniit, antequàm eorum vires in unum coïrent, Galliam repetendam esse. Verùm non ita facilis erat discessus, ut expromptum erat abeundi desiderium; quod tantæ ejus copiæ non essent, ut in duas partes distractæ possent & regni tuitioni, & suo itineri sufficere. De numero relictarum cùm varient auctores; Comminius quingentos cataphractos equites Gallos, bis mille & quingentos Helvetios, cum parvo numero peditum Gallorum fuisse ait: Guicciardinus octingentos cataphractos Gallos, cum circiter quingentis Italis, Helvetiorum dimidias copias cum Gallici peditatûs parte. Proregem reliquit Gilbertum Mompenserium, generis potiùs claritate (erat enim è regiâ stirpe domo Borboniâ) quàm propriâ virtute commendatum: aliis præfectis sub ejus auctoritate per singulas regni provincias constitutis: quibus omnibus se pecuniam & militum supplementa brevì missurum spopondit; cùm jam omnium penè rerum indigentia per summam administratorum incuriam ubique esset, atque inimici intra ipsum regnum tumultus excitarent. Secum autem duxit, ut Guicciardinus scribit, octingentos cataphractos, ac ducentos nobiles

Ejus copiæ.

custodiæ regiæ; Trivultium nobilem Mediolanensium, ducémque egregium, Ludovici principatûs Mediolanensis usurpatoris hostem infensissimum, cum centum Italis, Helvetiorum peditum tria millia, Gallorum atque Vasconum duo, Comminius universum omnium numerum fuisse novem circiter millium, videlicèt nongentos cataphractos, comprehensis nobilibus domesticis; Helvetios bis mille quingentos, famulos nobilium pugnare aptos circiter bis mille, reliquos pedites Gallos. Quod adeò scrupulosè recensere placuit; tum ut Caroli audaciam admireris, cum tantillis viribus universam Italiam, ab uno extremo ad aliud, quantum ad longum porrigitur, inter medios hostes trajiciendam suscipientis; tum ut nonnullorum vanitatem refellas, qui ut Italorum, ignaviam dicam an imperitiam, qui à tam paucis fusi sunt, tegant, & Gallorum gloriam obscurent, numerum valdè augent.

XI. SOLEMNIS NEAPOLIM INGRESSUS CAROLI.

Antequàm verò Carolus Neapoli discederet, quod hactenùs distulerat, (fortè quia numquam potuit obtinere à Pontifice regni diploma, quamvis promissum in conditionibus concordiæ Romæ factæ) consueto ritu ac pompâ solemniorem regni simúlque titulorum Siciliæ & Ierosolymorum, de more superiorum Regum, possessionem, insigniáque, assumere decrevit. Itaque die duodecimâ Maij Imperatorio habitu, (tituli videlicèt Constantinopolitani) dextrâ pomum aureum orbis symbolum, sinistrâ sceptrum tenens, coronâque caput redimitus, sub umbellâ per præcipuos regni proceres delatâ, equo generoso insidens, ac Carolus Cæsar Augustus salutatus, urbem ingressus est maximo apparatu ac celebritate, atque in primario templo de more juramenta fidelitatis à nobilitate plebéque accepit, præstitítque ipse de privilegiorum conservatione. Quâ actione, nomine totius civitatis orationem habuit Ioannes Iovianus Pontanus insigni vir literaturâ, de quo aliàs dictum. Cui propterea haud parva inusta est nota: quoniam cùm Regum Aragonij generis diù scriba princeps atque à secretis extitisset, Alfonsique etiam in literis præceptor, visus est, sive ut disserti munus oratoris expleret, sive ut Gallorum gratiam magis sibi conciliaret, eosdem Reges acerbiùs dicendo perstringere, à quibus tantis fuerat honoribus affectus.

XII. REGIS ITER IN REDITU.

Paucis pòst diebus nimirùm die vigesimâ Maij (ut Guicciardinus habet, & Diarium Itineris Caroli) idem Rex Neapoli discedens, Romam versùs recto itinere tetendit. Quem cùm Alexander Pontifex, à concordiâ haudquaquàm alienus primò expectare cogitâsset; deinde quòd nollet à fœderis sociis sejungi, copias ab iis accepisset, quibus eum ab ingressu Vrbis prohiberet: demùm tamen superante metu ne Regem toties à se delusum iniquiorem experiretur, biduo quàm Romam ingrederetur Vrbem-veterem discessit, relicto Cardinale Sanctæ Anastasiæ, qui suo nomine eum cum honore susciperet. Ingressus Rex Vrbem Calendis Iunij, biduò pòst inde discessit. Cúmque appropinquaret Viterbium, etsi denuò spem ei Pontifex fecisset congressûs aliquo loco propinquo; Perusiam tamen eo consilio profectus est, ut si Rex iter illud teneret, ipse Anconam peteret, atque inde mari se in locum tutissimum reciperet. Peractâ Rex Viterbij solemnitate Pentecostes, Senas inde petiit: séxque diebus ibi sine ullâ causâ contritis, parùm cogitans quàm perniciosum esset eâ morâ tantum spatij hostibus ad vires conjungendas præbere; Pisas die vigesimo Iunij pervenit: eásque manantibus lacrymis & instantissimis supplicationibus civium flexus à duro Florentinorum jugo eximens, contra fidem priùs Florentinis juratam, & hortationes Savonarolæ ad eum Florentiâ accedentis, ac consilium seniorum & saniorum è proceribus suis, iniquè retinuit: duriùs in hoc cum iis agens, quàm fecit cum Pontifice licèt aperto hoste; cui suas in transitu restituit. Superato Apennino, & incredibili labore tormentis majoribus per aspera & confragosa ejus juga Helvetiorum maximè operâ trajectis, perventum est ad Forum-novum, *Fornovum* vulgò dictum vicum ad montis radices situm, octo circiter milliaribus Italicis à Parmâ distantem, die Dominicâ quintâ Iulij. Hîcque pugnata est pugna illa apud Italos celebratissima; in quâ multi eorum describendâ tam strictâ quàm solutâ oratione, ac præcipuè Veneti, quicquid fabulosi figmenti, quicquid rhetorici inventi, quicquid oratorij pigmenti, reperiri umquam in scholis potuit, totum ad hoc detulerunt ut ejus gloriam sibi assererent, vel saltem ignominiam acceptam elevarent. Nos cæteris omnibus cujuscumque linguæ aut nationis abire jussis, (sunt enim & alij, qui vel ab iis decepti, vel aliàs Gallici nominis invidi, in eumdem lapidem impegerunt) duos solos, quos in superioribus hujus expeditionis gestis præcipuè secuti sumus, omni exceptione majores, etiam hîc sequendos ducimus, Philippum scilicèt Comminium Flandrum, qui prælio interfuit, eâque sinceritatis opinione apud omnes cordatos homines semper valuit, ut quamvis à parte Regis staret, nullam tamen mendacij vel levem suspicionem dederit: & Franciscum Guicciardinum Florentinum, tantæ apud omnes Italos auctoritatis, ut vel nefas existiment ab eo in aliquo recedere. Ex quorum utroque pauca afferemus, magis ne jejunum lectorem dimittamus, quàm ut rem curiosiùs describamus.

PERVENITUR FORNOVUM.

XIII. VARIA DE IPSIUS ITINERE JUDICIA.

Illud igitur primùm constat, nî tam diù Carolus Senis, Pisis, aliísque locis citra ullam necessitatem hæsisset, absque ullo impedimento aut hostili occursu potuisse transire. Numquam autem fœderatos, Regem tam exiguis copiis, juga Apennini recto itinere superare ausurum credidisse, sed Pisis mari in Galliam reversurum: pòst autem ubi cognovissent eum terrestre iter prosequi existimâsse, ne ad ipsorum castra, quæ ad Glareolam vicum ad torrentem Tarrum tribus à Fornovo milliaribus distantem posita erant, propiùs accederet, aliam viam asperam ac difficilem sumpturum. Vbi autem cognitum est, Fornovum rectâ tendere, Italorum acies, quæ priùs cùm ducum hortatione, tum hostium paucitatis famâ, admodùm alacres fuerant, hebescere cœpisse, animo versantes Gallici equitatûs robur, Helvetiorum virtutem, æneorum tormentorum vim, inexpectatam Gallorum audaciam, numero tanto inferiorum. Hísque pariter ducum animis refrigeratis, (Franciscus Gonzaga Mantuæ Marchio præcipuus

DISPUTATIO DE PUGNA CONSERENDA.

erat copiarum ductor; cui astabant multi alij clari nominis duces) cùm ad eos Giensis Marescallus, qui primum agmen ducebat, caduceatorem, antequàm Rex Fornovum perveniret, misisset, qui liberum iter Regi postularet: disputari inter eos cœptum esse, quid responsi dandum foret; his periculosum existimantibus in fortunæ temeritatem totius Italiæ statum ponere; illis magnam infamiam Italicæ militiæ reputantibus, si ullum metum præseferrent in tantâ hostium paucitate: cúmque sic variarent sententiæ, decretum demùm esse ut Ludovici Ducis Mediolanensis, & oratorum sociorum; qui omnes apud ipsum erant, sententia inquireretur. Mediolani Ducem, & Venetum oratorem, qui periculo propiores erant, in eam sententiam convenisse ut hosti abire volenti iter minimè intercluderetur. At Hispaniæ Regum oratorem, cupientem absque Regum suorum discrimine periculum fieri, magnificis verbis & cùm obtestatione institisse, ne tam facilis Gallorum profligandorum occasio dimitteretur: Si enim sociorum exercitus Gallicis copiis tantò superior tam abjectè se ageret, Regibus suis necessarium fore nova consilia instituere, aliósque sibi socios quærere. At nihilominùs tutiore sententiâ in eo consilio obtinente; Venetum Senatum, qui proculdubio idem censuisset; eâ de re consulere decretum esse. Verùm frustrà jam fuisse omnem deliberationem; proptereà quòd exercitûs principes, vix fieri posse ut in tempore responsum haberent cogitantes; quantaque ad ignominiam sempiternam turpitudinis nota Italicæ militiæ inureretur; si sic Gallos abire sinerent; caduceatore Giensis sine certo responso dimisso, hostem progredientem infestis signis invadere decreverunt: cùm sicut disertè scribit Comminius testis oculatus; qui militiæ expertus falli in recensendo non poterat; essent in castris triginta quinque millia stipendiariorum, mediâ fermè parte equitum, præter volones, & nobilium virorum Comites: non tantum tamen numerum Guicciardinus agnoscere videtur; sed testis videntis, quam audientis potior æstimanda fides; (cùm, ut jam diximus, vix in exercitu regio essent omnis generis hominum gladium educere valentium novem millia; eadémque tunc difficillimi itineris labore & inediâ penè confecta. Vt haud mirum videri debeat, si hostes adeò suas vires extollerent; & Gallorum extenuarent: & si Rex cùm è monte descendens, hostium castra innumeris tentoriis & papilionibus distincta contemplatus est, imminens discrimen secum reputare cœperit; qui hactenùs neminem se ei opponere ausurum existimaverat. Quare ad nova consilia animum convertens, per Philippum Comminium, qui nuper Venetiis discedens se daturum operam Senatui promiserat Regem ad pacem flectere, cum iis agi voluit, neque enim erat animus dimicandi, antequàm cùm Duce Aurelianensi, qui Astæ relictus, receptis novis è Galliâ & Helvetiâ copiis, mandatum habuerat Regi occurrere, conjungeretur: qui tamen oblatâ occasione Novariam, quæ erat Ducis Mediolanensis, intercipiendi, mox ibidem ei obsessio sustinenda fuit.

XIV. PUGNA FORNOVENSIS.

Verùm colloquiis illis interruptis, veniendum fuit ad manus; cùm Rex præter castra hostium, amne tamen intermedio, transire cogeretur; nóxque imbribus densissimis, fulguribus, tonitruis, horrendísque fulminibus transacta, non parùm incommodi & pavoris militibus ejus attulisset. Trajicientibus igitur hostibus die lunæ sextâ Iulij, pugnatum est ferocissimè iniquo satis loco, eádemque aëris tempestate toto penè conflictu sæviente. Quo Rex nobilissimo insidens equo fusci coloris, staturæ mediocris, altero capto oculo, atque ætatis annorum viginti novem; quem olim à Carolo Sabaudiæ Duce dono acceperat, supra vires manu suâ pugnavit; ingenti vitæ aut captionis discrimini; solus semel cum unico cubiculario exiguo homine & malè armato inter medios hostes relictus in pugnæ ardore; tam propriâ virtute, quàm equi sui ferocitate calcibus, dentibus, ac toto corpore decertantis, & nonnullorum è suis in auxilium accursu, ereptus. Observátque Guicciardinus, eum in supremo hoc discrimine ad divina præsidia conversum, vovisse si cum exercitu incolumis trans Alpes rediret, SS. Dionysij & Martini apud Parisios & Turones Ecclesias visitaturum se, ac dona oblaturum: eóque voto nuncupato, velut alterum hominem supra solitas vires acriùs certamini institisse; cùm & scribant Gaguinus, & qui inter Caroli per diaria descripsêre; propositam fuisse ingentem mercedem iis qui Regem vivum capere, sin minùs, necare possent. Sed qui [y] habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Quo agente, is demùm certaminis exitus fuit, ut hostes in fugam versi, & in sua castra trans torrentem retrusi, campum Regi reliquerint, liberúmque transitum. Consentiúntque ferè omnes, si Epirotæ equites, qui Venetis militabant, (Stratiotas Græcâ appellatione vocant) intentatâ pugnâ direptioni sarcinarum & impedimentorum quæ sine præsidio erant non intendissent, eorúmque æmulatione plures alij; majori in periculo Regem futurum fuisse. Atque ex adverso; si Rex fusos hostes transmisso amne persecutus fuisset, castra eorum facilè occupaturum fuisse, totúmque exercitum dissipaturum: qui nihilominùs à fugâ longiori vix ducum hortatione cohiberi potuit, plurimis etiam per diversa ac longinqua loca dispersis.

y Psal. 90.

REGIS VICTORIA.

XV. MORTUORUM NUMERUS.

Numerum mortuorum diligenter scrutatus Comminius, ait è Gallis cecidisse præfectum portæ domûs regiæ, alium quendam nobilem Regis stipendiarium, Scotos regiæ custodiæ novem, viros ex equis in primo agmine pugnantes circiter viginti, circa sarcinas sexaginta vel octoginta famulos. Ex hostibus verò, ut ex ipsorummet relatione se percepisse scribit, cæsos fuisse trecentos quinquaginta cataphractos; in universum ter mille & quingentos equites, atque inter eos, multos proceres nobilésque duces: nullo omninò pedite cæso, quoniam difficilis iis fuerat ob imbres noctis Tarri transitus: nec ultra quadrantem horæ conflictûs vis constiterit, tribus quadrantibus fugientium cædi insumptis. Neminem enim Galli vivum ceperunt, (quod vix aliàs unquam ullo præ-

lio factum) in medio cædis inclamantes inter sese memores essent Guinegatæ; quo prælio vidimus sub Ludovico XI. Gallos è victoribus victos factos esse, quòd spoliis colligendis sese applicâssent. Ex parte tamen Regis primo impetu non procul à Rege captus est Matthæus nothus Borbonius. A Comminio parùm abscedens Guicciardinus minus ducentis è Gallis desideratos ait; ex Italis supra trecentos gravis armaturæ equites, tótque alios ut tria millia periisse constaret, atque inter eos multos nobiles & claros viros: fuisséque Italis eam stragem admirationi longè majori, tum quòd prælium haud ultra horam productum sit, (tam scilicèt in certamine quàm in fugâ, ut Comminius exposuit, cùm pugnâ præ hostium ignaviâ, fugam mox arripientium, ægrè quadrantem horæ tenuisset) tùm quòd propriâ virtute armísque utrimque decertantibus, tormenta parùm profuêre; (quorum scilicèt ictibus vix decem homines peremptos esse Comminius habet.) Eo verò insuper memorabilem extitisse pugnam, quòd ea fuerit prima, in quâ longissimo intervallo in Italiâ cum strage & sanguine pugnatum fuerit, cùm anteà paucissimi in conflictibus, quamquam multarum horarum, sæpéque integrorum dierum essent, interirent.

XVI. Venetorum vanitas.

Victoriam tamen, ejúsque diei gloriam adeò vanâ Veneti vanitate sibi adscribere adnisi sunt, ut (quod Guicciardinus narrat) in omnibus imperij sui civitatibus, ac Venetiis præcipuè, ignes de more atque alia lætitiæ signa edi jusserint. Suggillat eos inde idem auctor: & quidem jure, si rem respicias. Sed quibus in fœderis institutione ludicra celebrare liberat, cur non etiam in ejusdem solutione licuerit? Equidem jure merito ob hujusmodi successum & supplicationes decretas ab iis esse, gratiásque omnibus templis actas, & lætitiæ signa exhibita, multis de causis existimo. Annon enim insigne fuit Dei beneficium, quòd non universus eorum exercitus in tantâ clade, tantóque terrore, dissipatus fuerit; ac Status continentis incolumis sit servatus, qui absque dubio in gravissimum periculum incurrisset? An verò cum iidem in parsimoniâ & quæstu non minimam felicitatis suæ partem constituant, aliquis eis succensere possit, si in sarcinarum suarum conservatione, & regiarum prædatione, victoriam constituerint? Scribit Gaguinus [z], cùm post factam fœderatorum adversus Regem conjurationem, missis legatis petiissent ut Italiam liberam dimitteret; Regem subindignatum protinùs respondisse: Vos omnes arctissimè in me conjurâstis, sed vestras conciliationes unus irritabo: ita ut vos Veneti mercaturam, non rerum imperia discatis me auctore moderari. Vnum est, in quo eorum gaudium minus fuisse videri possit; quòd scilicèt lucrum non tantum fuerit, quanta cupiditas. Asserit enim Comminius, nonnisi quinquaginta quinque jumenta sarcinaria abducta esse, sed selecta, quibus regia supellex virorúmque illustrium ferebatur: quamvis & multa alia diripuerint, cùm essent minimùm, ut ait, sex millia jumentorum impedimenta comportantium. Sed ut his nugis finem Guicciardini verbis imponam; omnium mortalium consensus hujus prælij palmam Gallis adjudicavit, tum ex mortuorum numero adeò diverso, tùm etiam quòd hostem trans flumen profligaverint; tum denique quòd ipsis expeditum iter ulteriùs progrediendi, de quo erat contentio, & propter quod in certamen erat ventum, remansit. Hallucinationes verò cæterorum scriptorum Italorum, Sabellici, Bembi, Iovij, aliorúmque qui eos sequi maluerunt quàm veritatem indagare aut amplecti, de totâ expeditione Carolinâ, qui cognoscere, easdémque confutatas videre voluerit; Franciscum Belcarium [a] Peguillionem Episcopum Metensem habet, qui ratione & judicio apprimè ei satisfaciat in commentariis rerum Gallicarum. In quorum etiam præfatione reperias, qualem operam tres modò nominati scriptores Itali in suis lucubrationibus memoriæ mandandis posuerint, & quæ iis fides adhibenda. Quibus & Corius Mediolanensis addi posset nisi quòd cæteros mendaci-loquentiis superans, quadrigam inæqualem reddere videretur.

[z] Gaguin. lib. 1.

[a] Belcar. l.6.

XVII. Duorum Cardd. diversa arma ea pugna.

In his porrò omnibus valdè miramur, neminem prædictorum omnium auctorum rei non parùm memorabilis meminisse, quam Hieronymus Garimbertus Episcopus Gallesiæ in suo de Cardinalibus commentario vulgari sermone Italico conscripto observavit, & ex eo Alfonsus Ciacconius Ordinis Prædicatorum in libro de Pontificibus Latinam fecit. Nimirùm, cùm Andræas (malè illi Ludovicum vocant) Spinaius Cardinalis Burdegalensis dictus, & Guillelmus Brissonetus Macloviensis nuncupatus, Regem hoc itinere comitarentur, & quando ad pugnam ventum est, Brissonetus unà cum cæteris sacerdotibus qui aderant, in tanto periculo arma ad defensionem sumpsisset: solum Spinaium ad convenientiora personis sacris arma recurrentem, tiarâ solùm capiti impositâ, sacerdotalíque chlamyde indutum, Crucem Dominicam dextrâ assumpsisse intrepidum, & ad latus Caroli Regis stantem armatas acies evasisse incolumem.

XVIII. Quid porrò gestum.

Cæterùm quæ post prælium cum hostibus colloquia; quod Regis iter quousque pervenit Astam & Taurinum; quæ deinde pactiones cum Florentinis de restitutione locorum quos Rex detinebat; quæ item cum Ludovico Mediolanensi de redditione Novariæ, & liberatione Ducis Aurelianensis, ibi ab exercitu fœderatorum obsessi, factæ; quæ rursùm inde contentiones ortæ; qui item vani conatus succurrendi afflictis rebus Neapolitanis; ubi incolarum volubilitate, & Gallorum socordiâ Ferdinandus Rex post Regis Caroli profectionem, & ipsam urbem Neapolim & plerasque alias brevi tempore recuperavit: Hæc, inquam, omnia prolixè tractata videre est apud dictos auctores Comminium, Guicciardinum, & Belcarium, qui cæteris sinceriùs ea, sicuti & superiora, descripsisse videntur: præter Diaria superiùs recensita singulorum gestorum, quæ continentur in Collectione tractatuum de rebus Caroli.

XIX.

Vnum tamen omittere, quod Pontificem spectat, haud fas existimamus, narratum à Guicciardino. Nimirùm, cùm in obsidione Novariæ, quamquam potens admodùm esset

fœderatorum exercitus, tamen non parùm sibi metuentes à Rege, qui propè erat ut validas Helvetiorum suppetias adversus eos reciperet; quò etiam auctoritate armísque sacratis, humanis viribus favorem conciliarent, Venetos cum Ludovico Pontificem ad sua vota facilem impulisse, ut Regi per fecialem præciperet, intra decimum diem cum suis copiis Italiâ discedere: aliúdque item breve temporis spatium præstitueret, quo suos omnes à regno Neapolitano educeret, alioqui pœnis illis quas Ecclesia minari solet proposítis, sese Romam coram ipso sisteret; Regem ad hæc respondisse, se Neapoli redeuntem, quò ei pedes reverenter oscularetur, Romam venisse, sed Pontificem ibi expectare noluisse: adeóque se mirari, eum nunc tantoperè ut Romam eat urgere: verumtamen ut ei pareret, in id incumbere, ut sibi viam quæ Romam ducit aperiret: rogare ne frustrà hoc incommodi susciperet, se expectare in Vrbe ne gravaretur. In hunc ludum boni illi credulitatem Alexandri adduxerunt. Non tamen propterea, Regem Carolum, ab illatis in Sedem Apostolicam injuriis, quæcumque illæ probatæ fuerint, aut ab ostentatâ Alexandro Pontifici irreverentiâ, excusare ullo pacto aut volumus, aut suscipimus. Sunt omnium testes historiæ, quæ rem determinent. Cæterum Rex Carolus ingenti in Galliam suam redeundi cupiditate incensus; post iniquam ipsi pacem à fidifrago ac deceptore Ludovico Mediolanensi juratam, nec paucos quidem dies morari sustinens donec conditiones adimplerentur; (quod levitatis genus excusare vix quisquam possit) tantâ celeritate ardoréque iter arripuit, ut victo quàm victori similior, (imprudentiâ tamen magis & pravis consiliis, ut Guicciardinus [b] scribit, inductus, quàm virium imbecillitate, timoréve) Alpes transcendens pervenerit tandem Gratianopolim die vigesimâ septimâ Octobris, decimo-quarto mense, biduo minùs, ex quo inde decesserat ad expeditionem Neapolitanam. Indéque Lugdunum petens, invenit ibi Annam Reginam, & unà cum illâ ad interiora regni abiit: ac prima ei cura solvendi vota, quæ in pugnâ Fornovanâ emisisse diximus. De cujus reliquis rebus, si quæ sint quæ rem nostram respiciant, dicetur consequentibus annis quibus supervixit.

Gesta inter Pontif. et Regem.

Regis in Galliam reditus.

[b] Guicc. lib. 2. ad fin. lib. 3. in princ.

XX. Lues Venerea ex novo Orbe adducta.

Cæterùm hanc malorum Italicorum colluviem, comitatum est, aut secutum fœdum morbi genus, quod Itali Gallicum, Galli Neapolitanum, Afri Hispanicum vocant: certiùs venereum dicendum, quòd ex contactu venereo primùm ortum sit; quamquã possit etiam, & verò frequenter consueverit, ex solo contactu aut familiariori conversatione illorum qui eo infecti sunt contrahi. Quem quidem ex novo Orbe (ubi is vulgaris esse dicitur, & sanatu facilis) hoc tempore à Columbi sociis in Hispaniam delatum esse, & ab Hispanis Neapolim, ubi eo sese Galli per incontinentiam infecerunt; tam Galli quàm Itali, Hispaníque, qui de hâc expeditione Neapolitanâ scripsêre [c], consentiunt. Iam ad reliqua.

[c] Belcar. l. 7 n. 11. Guicciard l. 2. in fin. Marian. l. 26. cap. 10 & alij.

XXI. Ioannis Lusitan

Hoc anno mortuus est *Ioannes* Lusitaniæ Rex. Fuerat importunè à Ferdinando Castellæ Rege (in remunerationem scilicèt beneficiorum quæ Ferdinandus à Rege Gallo non ita pridem acceperat; quem agendi modum Hispani [d] strenuitatem interpretantur:) sollicitatus nomen dare communi Principum aliorum fœderi contra Regem Carolum: sed constantior ipse cæteris, excusavit amicitiam cum Gallo à multis annis stabilem, quæ non sibi videbatur temerè violanda. Nec tamen iidem hâc legitimâ excusatione contenti, maluêre id livori Ioannis in Alexandrum Pontificem imputare, quòd impetrare ab eo non potuisset, uti Georgium ex impari sed nobili matre filium jure legitimo donaret. Mortuus est ex aquâ intercute, non sine suspicione veneni, anno regni decimo-quarto, ætatis quadragesimo exacto, ad balnea Alborensia in Algarbiis, decimo-octavo Calendas Octobris, ut Mariana habet; sive octavo Calendas Novembris, ut Vasconcellus in ejus vitæ & actionum anacephalæosi, & Nonius in Genealogiâ Regum Portugaliæ. Claruit multis virtutibus, quibus speciatim scelerum vindicem, studiosorum & fortium hominum fautorem se præstitit: magnámque inde laudem consecutus est, quòd excelso animo, & Christianæ religionis propagationis cupido, magnum Evangelio ostium in remotis regnis & provinciis, ut vidimus, feliciter aperuerit: unde & *Magni* cognomen accepit. Translatitiæ sepulturæ traditus, post annos quatuor delatus est ad majorum monumenta Aliubarotam: corpore, ut volunt [e], incorrupto servato, & signis clarescente; si adulatio absit à populo Regibus olim suis addictissimo. Cùm nullam prolem legitimam superstitem haberet, (qui ei fuerat filius Alfonsus, pauló pòst celebratas cum Isabellâ Ferdinandi Hispani filiâ nuptias, lapsu equi oppressus perierat) successit ei in regnum patruelis ejus *Emmanuel* patruo Ioannis Ferdinando Visei Duce natus: cujus olim majorem fratrem Iacobum Ioannes Rex propriâ manu pugione ob conjurationem in se factam confoderat. Maximilianus [f] tamen Imperatoris id regnum sibi deberi contendebat; eâ subtili ratione, quòd cùm Ferdinandus Emmanuelis pater & Eleonora Maximiliani mater eodem gradu essent, nec sexum in regno Lusitani discernerent; Maximilianus, quamvis ex feminâ ortus, quòd major natu Emmanuele esset, ipsi, quamvis ex viro nato, ætate tamen minori, præferri deberet. Erat enim hoc anno Maximilianus annorum triginta sex, Emmanuel solùm viginti sex. Quæ quòd levior esset ratio quàm ut posset subsistere, ideò & in auras evanuit. Adstipulatáque sunt juri Emmanuelis masculino gentis studia; præter voluntatem defuncti, qui testamento condito successorem eum designaverat; ac denique præclaræ Emmanuelis animi & corporis dotes, quibus nulli eâ ætate Principum inferior extitit, plurimis superior: ut ex ejus rebus gestis intelligi datur; quas præter cæteros elegantissimo stylo *Hieronymus Osorius* Episcopus Silvensis in Algarbiis conscripsit. Qui quidem incunctanter à gratissimo Ferdinando Hispaniæ Rege sollicitatus uti se ad Principum fœdus contra Galliæ opes & Regem adjungeret; & ipse, quod Ioannes fecerat, amicitiam excusavit à multis annis cum Gallis stantem, & multis officiis cultam: Hispaniæ

Regis obitus.

[d] Marian. l. 8. cap. 11. i. princ.

[e] Osor. lib. 1.

Emmanuel succedit inclytus Rex.

[f] Marian. d. c. 11.

tamen finibus ab injuriâ tuendis vires & fœdus libenter offerens.

XXII. Iudicis Cameræ Imper. in German. institutio.

Hoc anno in Comitiis Imperij Wormatiæ à Maximiliano Cæsare habitis, supremum *Cameræ Imperialis* Iudicium institutum est, ex consilio Bertholdi Archiepiscopi Moguntini viri sapientissimi. Qui [g] cùm diù Imperatoris aulam secutus Archicancellarij per se ipsum partes obiisset; vidisśetque, maximâ cum populorum molestiâ causas ad Imperatoris, qui modò hîc, modò illic, & interdum quidem longissimè erat, aulam referri: pro insigni sapientiâ suâ perspexit, próque præstante suâ eloquentiâ omnibus persuasit, ut firmum fixúmque litibus disceptandis prætorium, in quo prudentes juréque consulti sederent complures viri, statueretur. Quod primùm ibidem Wormatiæ stetit; ac post aliquot annos Ratisponam, demúmque Spiram translatum est, ubi hactenùs considet; cui præest Princeps aliquis, seu Comes, seu Baro: Iudices partim ab Imperatore, partim ab Electoribus, atque à Circulis Imperij præscripto numero nominantur.

[g] *Serar. Hist. Mogunt. l. 5.*

XXIII. Mõstrosi partus.

Hoc item anno [h], non longè ab eâdem Wormatiâ, quædam mulier rustica partum edidit duarum puellarum, quæ frontibus ita connexæ erant, ut nullâ arte separari potuerint cætera corporibus integris, & actibus humanis penitùs distinctis, ut quando una dormiret, aut fleret, aliúdve quid ageret, altera vigilaret, rideret, aut alij rei operam daret. Idque ex eo contigisse dicebatur, quòd dum gravida mater cum alterâ quâdam secretè loqueretur, superveniens quidam tacitè utriusque frontem joco leviter collisisset, & ex improviso mater illa conterrita fuisset. Nec longè antè in Sueviâ quædam alia mulier duos pueros enixa est, quatuor manus & duo capita habentes, sed pedes dumtaxat duos. Frequentésque fuisse his temporibus reperiuntur variis locis ejusmodi monstrosi partus in omni animantium genere: tanquam Natura gauderet seipsam deformare, cùm homines cerneret omnem rationis formam, quâ solâ à cæteris animantium distinguuntur, exuere.

[h] *Naucl. gen. 50. Trithem. in Chron. Sponheim.*

IESU CHRISTI Annus 1496.

ALEX. VI. An. 4.

MAXIMILIANI An. 3.

I. Res Gallica in Italia corruit.

ANNO Christi 1496. Indictione decimâquartâ, turbatâ adhuc Italiâ ob res Neapolitanas in damnum Gallorum; non tantùm ob defectionem populorum, & fortem operam Ferdinandi, quem iterùm in Regem acceperunt; verùm etiam propter vehementem Alexandri Pontificis in Gallos commotionem, tam per censuras Ecclesiasticas Genuensibus interdicentis ne Regem Galliæ ullum navigij genus Genuâ deducere ullo modo permitterent, quàm copias armatas in opem Ferdinandi Neapolitani immittentis; necnon ob Venetorum prudentem consuetudinem, sua diligenter in his turbis subsidiorum specie in eodem regno Neapolitano ac reliquâ Italiâ agentium; ac denique Ludovici Mediolanensis infidelitatem: quamvis nonnullis præliis ac certaminibus adversus Ferdinandum ejúsque duces, virtute Mompenserij Galli proregis, Albinij Scoti, & Persini, prosperè gestis, potuisset restitui in regno auctoritas Gallica: tot tamen aliis adversariorum machinationibus, necnon Regis Caroli, postquàm in Galliam revertit negligenter ea curantis culpâ; maximéque Cardinalis Brissoneti (qui non solùm regio ærario, sed & summæ rerum præerat) avaritia: quâ moras nectens, seu fortè in gratiam Pontificis opportunas occasiones rem benè agendi tam in eodem regno quàm in reliquâ Italiâ perire consultò sivit; denique ipsorummet Gallorum in eâdem Italiâ existentium plerisque in rebus socordiâ & imprudentiâ: prostrata adeò illa est, ut demùm toto regno Galli pulsi fuerint; Mompenserio Puteolis ex morbo, vel etiam ex indignatione quòd fœderi secum facto Ferdinandus non staret, aut denique, ut suspicio fuit, ex veneno, defuncto; Albinio exercitûs reliquias in Galliam reducente. Quæ omnia ut gesta sint per singulas dictas personas, pérque singula loca atque provincias, qui scire cupierit; ad eosdem illum remittimus, quos sinceriores rerum descriptores superiori anno innuimus, (cæteris diversa pro libito & proprio affectu sentientibus, ac sæpè nugantibus, valere jussis) Guicciardinum [a], & Belcarium [b]: nec Comminium sejungentes; nisi quòd hic parcior in iis quæ non vidit, aut quorum gestionis particeps non fuit, esse consuevit.

[a] *Guicc. l.3.*
[b] *Belc. lib.7.*

II. Ferdinandi Regis Neapol. obitus.

Antequàm verò hæc perficerentur, Ferdinandus Rex Neapolitanus, cùm in summo gloriæ fastigio consistere videretur, magnâque spe esset majorum suorum magnitudini parem se futurum; ad Reginam uxorem, eandémque amitam suam, sororem patris sui, natam ex Ioannâ sorore Ferdinandi Hispani, quam non ita pridem dispensatione Alexandri Pontificis duxerat, (non tamen sine multorum admiratione, aut nescientium posse Pontificem legem hujusmodi propinquitatis solvere, aut alioqui solutionem improbantium. Inter quos Comminius [c] horrendum existimavit de eo loqui; quamvis ejusmodi matrimonia in eâ domo non rara fuisse addat;) apud Sommam urbem ad radices montis Vesevi felicibus successibus gloriosus accedens; ibi in gravem morbum incidit ex dysenteriâ, vel immodicâ Venere: ac Neapolim velut ad funus delatus, Nonis Octobris decessit: haud seras (inquit Belcarius, dicti ratione redditâ) dans pœnas suæ in Gallos crudelitatis, neglecti jurisjurandi, violatíque fœderis: (Excusatur à nonnullis [d], quòd fidem violare jussus pro imperio fuerit ab Alexandro Pontifice. An verò non hoc est Sedem Apostolicam traducere?) necdum solidum annum à morte patris Alfonsi, regni titulo gestato. Fama fuit [e], eundem Alfonsum patrem ejus (quem in Siciliam secessisse vidimus) paulò antè quàm è vitâ migraret, cum ipso Ferdinando filio suo seriò admodùm egisse, ut Neapolim, ubi odium adversus eum olim conceptum, in benevolentiam propemodùm conversum erat, reduceretur: sed

[c] *Commin. lib.8. cap.14. ad fin.*
[d] *Marian. l.26. cap.11.*
[e] *Guicciard. lib.2.*

Ferdinandum, magis regnandi cupiditate quàm paternâ pietate ductum, argutè, nec sine aculeo respondisse, tamdiù expectaret, dum abs se regnum ita esset constabilitum, ut non iterùm ipsi esset fugiendum. Non tamen hoc videre concessum est ei divinitùs. Siquidem quando is mortuus est, & multa adhuc Galli tenebant; & Veneti fœderis utilitate benè usi, quædam oppida receperant specie belli Turcis commodiùs inferendi; quæque Gonsalvus Fernandus Hispanus, qui à suo Rege in auxilium missus erat, (insignis planè dux qui in bello Maurico egregiâ excelluerat fortitudine, jámque præcipuam sibi laudem pulsorum Gallorum suo merito acquisivit, acquirétque, ut videbimus, posteà majorem cum titulo Magni Capitanei) oppida arcésque ceperat, non Neapolitani, sed magis Hispani nomine retinebantur. Sunt tamen qui celerem prædicti Ferdinandi obitum assignent violationi Teani Antistitis in Campaniâ, quem securi percuti jusserat. Fuit autem toto regno lamentatissimus: & quòd inter multa vitia non paucis regiis virtutibus decorus esset, magnum suî desiderium per totam Italiam reliquit. Successit verò ei in regnum quòd liberis careret) *Fridericus* ejus patruus, egregius & ipse princeps; de quo aliàs actum: qui (quod non parva observatione dignum est) visus est Neapoli trium annorum spatio Rex quintus; videlicet Ferdinandus senior, Alfonsus ejus filius, Carolus, Ferdinandus junior, & ipse Fridericus. Is autem demùm ope Gonsalvi Gallos penitùs toto regno pepulit; non sine grandi Regis Caroli gentisque ignominiâ.

FREQUENTES NEAPOL. REGES.

III.

Paraverat quidem terrâ maríque Rex validas copias, quibus imperare debebat Ludovicus Aurelianensis. Sed arte Brissoneti stipendiis tardatis; ipsóque Aurelianensi ægrè rem suscipiente; Rege quoque primùm armis in Occitaniâ, deinde artibus [f] Ferdinandi Hispani specie concordiæ remorato ab opere, sic partim negligentiâ, debilíque Regis consilio, partim difficultatibus magno quorundam artificio interpositis, in tantum dilati sunt apparatus, ut illorum qui in Italiâ erant extremum exitium, cum totius regni Neapolitani amissione secutum sit. Ad horum tamen apparatuum metum, cùm Veneti & Mediolanensis cum Maximiliano Imperatore pepigissent, si in Italiam veniret cum certo numero equitum peditúmque, vicena millia ducatorum in singulos menses, sed tres tantum, se ei numeraturos: Alpibus ipse transmissis paulò antè mortem Ferdinandi, cùm eam jam Mediolano proximus accepisset, in animo habuit conari ut regnum illud ad Ioannem unicum Regis Hispaniæ filium generum suum perveniret. (Duplex enim factum fuit inter eos matrimonium; scilicet Ioannæ filiæ Ferdinandi cum Philippo Belgij Principe filio Maximiliani, & Margaritæ Philippi sororis cum Ioanne fratre Ioannæ.) Sed cùm ei à Mediolanensi ostenderetur id toti Italiæ molestum fore, sic ut socij abs se invicem disjungerentur; non solùm abstinuit, verùm etiam Friderici successionem literis comprobavit. Cùm autem per exiguum secum militum numerum duxisset, longéque minorem quàm ex pacto debuerat, ac propterea nihil magni aggredi potens esset; Mediolanensis suasu Pisas (ab Entraguio, cui eas commiserat Rex Carolus, plenæ libertati, contra Regis jussionem, qui illas Florentinis restitui præceperat, redditas: quà de causâ Entraguius exilio mulctatus est:) addit, tanquam Imperij civitatem; de cujus possessione inter Florentinos, Venetos, & Mediolanensem, variis artibus agebatur: unde & ipse opportunum illam instrumentum fore, quo aut à Florentinis, aut ab aliis ingentem pecuniarum vim cogeret, sperabat. Ibi magnâ lætitiæ significatione receptus, (ingratissimè civibus scutum marmoreum cum liliorum aureorum insigni, quod in honorem Caroli Regis erexerant, in Arnum flumen projicientibus, & loco illius Cæsareum collocantibus;) cùm posteà Ligurnum unà cum suis, ac Venetorum & Mediolanensis viribus oppugnare tentâsset; turpiter inde rejectus, in Lombardiam rediens, mutatis ibi sæpè pro animi levitate consiliis, demùm in Germaniam, parvâ cùm Cæsarei nominis dignitate, Italiæ, quæ à multo tempore armatos Cæsares non viderat, virium suarum tenuitate ostensâ, abscessit. Quæ cuncta prolixè Guicciardinus prosequitur: memorans etiam Savonarolæ prædictiones de irritis Maximiliani conatibus in Florentinos; quæ in ejus Vitâ uberiùs enarrantur, unà cum supplicationibus publicis ingenti fructu ejusdem Savonarolæ suasione Florentiæ peractis: cùm ejus operâ status ejus civitatis in antiquum popularem reductus esset. Totum autem hoc iter Maximiliani paulò uberiùs descripsit Camillus Gilinus Romanus proprio commentariolo, qui extat [g].

[f] Vide Commin. l. 8. c. 16.

MAXIMILIANI CÆSAR. INDECORA IN ITALIAM EXPEDITIO.

[g] To. 3. Rer. Germ. edit. Freher.

IV. IUDÆORUM ET MAURORŨ PULSIO È LUSITANIA.

In Lusitaniâ novus Rex Emmanuel, cùm primò Iudæis quos Ioannes ejus decessor certis condicionibus & ad certum tempus receptos, quòd illud prætermisissent in servitutem redegerat, omnibus libertatem reddidisset: posteà tamen ad finem præsentis anni, in gratiam Regum Ferdinandi & Isabellæ, hoc inter leges conjugales matrimonij inter ipsum Emmanuelem & Isabellam eorum filiam contrahendi imponentium, novo edicto tam eosdem Iudæos quàm Mauros omnes qui in Lusitaniâ essent, jussit intra certum tempus toto regno abscedere, servitutis pœnâ propositâ si qui post designatum tempus restitissent. Et Mauri quidem in Africam continuò transmiserunt. Iudæi cùm idipsum conarentur, dolens Emmanuel tot hominum millia in sempiternum exitium detrudi, ut saltem filiorum saluti prospiceret, jussit eos qui nondum decimum-quartum ætatis annum excessissent, à parentibus abstrahi, & in religionis Christianæ disciplinam tradi. Quod adeò molestum fuit miseris parentibus, ut fuerint, qui filios in puteos abjecerint, multi qui sibiipsis mortem propriis manibus consciverint. Accessítque ad gentis calamitatem, ut & miseris parentibus variè delusis, maximæ eorum parti facultas ablata sit in Africam transmittendi. Quibus malis victi, Christianam religionem calidè simulare maluerunt, quàm vitam in tantâ acerbitate traducere. Rem narrant Osorius [h] & Mariana: & uterque graviter Emmanuelem facti damnat; tanquam à legibus [i] & institutis Christianis abhorrentis; quibus non liceat quemquam pœnis ad Chri-

INIQUA EMMANUELIS REGIS PIETAS.

[h] Osor. lib. 1. Mar lib. 26. cap 13.
[i] Vide in Edit. Baron. in Indic. verb. Iudæi.

stiana sacra cogere, nec liberos à parentibus eo studio abstrahere. Mauris porrò nullum incommodum ab Emmanuele illatum est; ne Christiani, qui in Africâ vel Asiâ sub Saracenorum ditione vivebant, aliquod ob eam causam damnum paterentur. Narrant item iidem auctores, Alexandrum Pontificem ejusdem Regis petitione concessisse omnibus qui se deinceps quibuscumque Ordinibus militaribus (excepto Hospitalariorum) in Lusitaniâ adjungerent, solutionem voti perpetuæ castitatis quâ priùs constringebatur, & ut uxores ducere possent. Et quamquam hâc veniâ sceleribus occursum fuisse libidinis effrenatæ fateantur, tamen non adeò eam approbant, quoniam propter nuptiarum curas antiquus ardor militandi pro fide Christianâ restinctus est, & opima eorum Ordinum vectigalia in aulicorum delicias, qui castra nunquam viderunt, conferri cœperunt: ac propterea satius fuisse existimant, peccata luxuriæ fibulâ disciplinæ in incontinentibus constringere, quàm laxatis habenis optima pristina instituta abolere.

SOLUTIO VOTI CASTITATIS IN ORDINIBUS MILITARIBUS.

V. Quo eodem tempore (ut idem Mariana [k] ponit) Alexander Papa Ferdinando Hispaniæ Regi CATHOLICI cognomentum contulit, in posteros cum regno transfundendum stabili possessione: quod jam anteà ipsi speciatim ab Innocentio Alexandri decessore ob captam Granatam tributum vidimus [l]. In Carolum Francorum Regem adeò amarâ effervescebat irâ, (jure, an injuriâ, Deus scit) ut etiam (quod idem auctor ex Comminio [m] refert) proposuerit titulum CHRISTIANISSIMI à Regibus Francorum ad Hispanos transferre; nisi (quod Comminius addit) obstitissent aliqui Cardinales. Miratique sumus hæc legentes, Marianam virum doctissimum, & doctissimæ Societatis alumnum, eò nescio cujus zeli prolabi potuisse, ut contra omnem omnium temporum memoriam innuere voluerit, Reges Gallos nonnisi ante aliquot annos simili exemplo in Ludovico XI. à Pio II. eâ *Christianissimi* appellatione honestatos fuisse. Hoc enim quid aliud est, nisi aut turpiter falli, aut turpiùs fallere velle? Honestavit quidem Ludovicum eâ appellatione Pius: at non recenti attributione, sed antiquissimâ à plurimis sæculis, ut aliàs vidimus, semper & ab omnibus frequentatissimâ. Audi ipsummet Pium, ne alios modò proferamus, ad Carolum VII. Ludovici patrem scribentem [n]: *Habitus es Charissime fili, devotissimus princeps fidei, & religionis nostræ præcipuus*; NEC IMMERITÒ OB CHRISTIANUM NOMEN EGREGIE À PROGENITORIBUS TUIS DEFENSUM, NOMEN CHRISTIANISSIMI AB ILLIS HÆREDITARIUM HABES. Audisne Mariana? Sed non ampliùs cum larvis luctamur. Habet porrò idem ipse, cognomentum *Catholici* Ferdinando non sine obtrectatione & invidiâ Regis Lusitani fuisse ab Alexandro tributum; quando Ferdinandus imperio universam Hispaniam non obtineret, ejus tum non exiguâ parte penes alios Reges existente: contentionémque ab eo tempore excitatam, ad ipsius Marianæ ætatem tenuisse; quæ demùm cessavit, cùm universa Hispania sub unius dominium redacta est.

[k] Mar. cap. 12. in fin.

CATHOLICI TITULUS FACTUS HÆREDITARIUS REGIBUS HISPANIÆ.

[l] An. 1492. II.

[m] Commin. lib. 8. cap. 17.

MARIANÆ HALLUCINATIO.

[n] Pi. II. ep. 385.

VI. Obiit hoc eodem anno [o] Cracoviæ in Poloniâ Calendis Novembris *Philippus Callimachus* nobilis orator, Poëta & historicus, de quo aliàs mentio facta. Fuit is Sangeminiano ortus oppido Etruriæ, quod quia in Florentinorum ditione erat; etiam Florentinus à nonnullis dictus reperitur. Cùm tempore Pij II. in pretio Romæ fuisset cum Pomponio Læto, Bapt. Platinâ, aliisque viris doctissimis; sub Paulo Pij successore periclitatus cum cæteris ob suspicionem conjurationis in Pontificem factæ, (quam rem diligenter Platina narrat in Vitâ Pauli, multa sævaque eâ de causâ passus) Româ secedens ad Cazimirum Poloniæ Regem se contulit, minùs tunc Pontifici æquum, quòd in regni Boëmici petitione Matthiæ Hungaro faveret contra Wladislaum ipsius Cazimiri filium. Moderator liberis ejus datus, tantâ crevit potentiâ sub Ioanne-Alberto filio & successore Cazimiri, ut penè ejus nutu cuncta publica privatáque gererentur: quâ re ingentem sibi invidiam apud Polonos conflavit, quòd homo exterus & exul indigenis præferretur, atque etiam ad tyrannidem incitare Regem diceretur. Ejus obitum Iovius in Elogiis, ex vulgi fabulis, ut assolet, Vilnæ in exilio contigisse refert; quem auctores Poloni, quibus magis credendum, placidè Cravoviæ contigisse, & amplo funere honestatum esse asserunt. Inter multa quæ scripsit, extant libri tres de rebus ab Wladislao Poloniæ & Hungariæ Rege, qui in Varnensi prælio periit, gestis: (de quibus suo tempore diximus:) quos Iovius non dubitat adeò eleganter & exactè conscriptos esse asserere, ut omnes qui à Cornelio Tacito per tot sæcula id scribendi genus attigerint superaverit. Varias quoque iniit pro Regibus Poloniæ legationes de rebus Turcicis: conscripsítque de iis commentarium, quo illa quæ Veneti post captam Constantinopolim Tartaris & Persis contra Turcos concitandis egerunt, accuratè complexus est: ubi & multa ad illarum gentium cognitionem spectantia immiscuit. Qualis autem tantus animo vir, corpore & facultatibus esset, Platina describens, cùm illum de conjuratione apud Paulum excusaret, ait impossibile fuisse eum ejusmodi rem meditatum esse, quòd consilio, linguâ, manu, sollicitudine, opibus, copiis, clientelis, armis, pecuniis, oculis postremò careret; cæculum enim fuisse, & P. Lentulo somniculosiorem, ac L. Crasso ob adipem tardiorem; nec linguâ, nec manu promptum. Qui si ita compositus fuit, quomodò ejusmodi homo apud Reges Poloniæ in pretio esse potuit?

[o] Michov. lib. 4. cap. 78. Cromer. l. 30.

PHIL. CALLIMACHI OBITUS.

IESU CHRISTI Annus 1497.

ALEX. VI. An. 5.

MAXIMILIANI An. 4.

I. ANNO Christi 1497. Indictione decimâ-quintâ, Alexander Pontifex in irâ adversus Gallos perseverans; cùm jussor [a] extitisset violationis fidei, quæ data fuerat à Fer-

[a] Mar. lib. 26. cap. 12.

nando Rege Neapolitano, Virginio & Iordano Vrsinis patri & filio, qui partes Caroli Regis secuti fuerant; etiam in ejus familiæ oppida & ditionem, quam obtinebant amplissimam in agro Romano, involavit, vt Mariana[b] scribit. Cæso verò ejus exercitu ab aliis Vrsinis, cùm dux Consalvus Fernandus, rebus præclarissimè in regno Neapolitano gestis illustris, Romam cum militari manu profectus Pontifici adjutor, Vrsinos ei reconciliâsset; atque receptam vi Ostiam, quæ in manibus hostium erat, eidem restituisset: ubi ad regnum redeundi facultatem, nec dum ibi re confectâ peteret: sermone longiùs producto dicente Pontifice Ferdinandum & Isabellam Hispaniæ Reges in ejus ære esse, nec tamen in officio respondere, ut erat opus, & collata beneficia postularent; Consalvum arguisse Pontificem quòd oblitus esset eorum Regum ope & auctoritate stare ei Pontificatum, in tantâ quamvis licentia actionum, aulæque universæ morum perversitate: Monuisséque ut quæ collapsa essent, severiori censurâ in pristinum statum restitui curaret, priusquàm suus Rex religione prohiberetur ei favere, qui suis moribus universum orbem fœdare, pravæque vitæ exemplo multis exitio esse videretur: Pontificem victum conscientiâ, & audaciâ hominis militaris perterritum, mutire non esse ultrà ausum. Malorum etiam colluviem, quâ ex eo fonte orbis Christianus premebatur, Castellæ & Lusitaniæ Reges impulisse, repetitis legationibus Consalvi exemplo tantumdem à Pontifice ut postularent. Verùm frustrà omnem operam fuisse frenandâ impotentis ingenij pravitate; ita formatis auribus ut acerba quæ utilia, & nihil nisi iucundum & nocivum acciperent. Quin paulò pòst Beneventum pontificiæ ditionis urbem filio suo Gandiæ Duci dari quæsîsse, turpi rerum commercio: & quantumvis resistente Garsiâ Lasso oratore Hispano effreni cupiditati augendi suos, perfecturum omninò fuisse; nisi quem neque ratio à furore, neque pudor à pravitate continere poterat, ejus rationes conturbâsset repentina sævâque mors Ducis Gandiæ, à proprio fratre Cardinale Valentino nocte post captam simul apud Vanociam matrem cœnam per insidias procurata; ut constantior fuit fama, quamvis essent qui in alios scelus derivarent. Sed tot alia funesta de hâc spuriorum familiâ disseminata fuêre, ut nihil tam atrox aut scelestum fuerit, quod non facilè apud omnes fidem invenerit. Ait tamen Guicciardinus[c], Alexandrum Gandiani morte vehementissimè afflictum, in Consistorio Cardinalium, postquàm maximâ animi commotione & lacrymis suam miseriam graviter deplorasset, multásque suas actiones & vitæ modum quem ad eum usque diem tenuisset incusasset, gravissimis verbis se aliam rationem vitæ & morum imposterùm instituturum asseuerâsse; simúlque è Cardinalium numero certos delegisse quorum consilio atque operâ in moribus atque ordinibus curiæ corrigendis uteretur: sed cùm ei rei per aliquot dies operam dedisset, auctorque necis filij sui patescere inciperet, laudabili proposito ac lacrymis depositis, ad eas cogitationes atque opera, in quibus ad id usque tẽpus ætatem contriverat, impotentiori quam umquam animi impetu reversum esse.

[b] Ib. cap. 15.

MONITA CONSALVI DUCIS HISPAN. ALEXANDRO PAPÆ INCASSUM DATA.

FUNESTA ALEXANDRI FAMILIA.

[c] Guic. lib. 3.

II. INDUCIÆ INTER REGES GALL. ET HISP.

Perdurabant adhuc ceteræ Italicæ turbæ. Et inter Reges Galliæ & Hispaniæ cùm tractaretur de induciis, hæc unica difficultas eas remorata initio est, quòd Gallus ad Italiæ bella liber esse cupiens eam induciis comprehendi nolebat; Hispanus, se nullam ob aliam quàm honoris causam ejus voluntati repugnare præseferens, vt & illa comprehenderetur instabat. Quamobrem ubi sæpiùs legati ultrò citróque missi fuerunt, Hispanis artibus tandem, ut ferè semper, (inquit Guicciardinus[d]) superantibus, inducias quasdam fecerunt; jam tum de regno Neapolitano inter se dividendo proponentes: de quo dicetur posteà; rebus interim ob immoderatas Hispanorum petitiones in suspenso relictis.

[d] Ibid. Et add. Commin. lib. 8. cap. 16.

III. CLADES DOMESTICÆ REGUM HISPANIÆ.

In quarum Ferdinandi artium, ac beneficiorum à Carolo acceptorum ingratissimæ oblivionis ultionem existimavit Comminius[e] immissas in eum divinitùs multiplices clades domesticas, qua paucorum mensium spatio passus est. Cum imprimis unicum filium Ioannem amisit; qui Salmanticæ[f] ex febri quarto Nonas octobris obiit, gravidâ relictâ conjuge sua Margaritâ filiâ Maximiliani Imp. dimissâ Caroli Regis, paucísque pòst diebus subsecutus est immaturus ejus partus. Cúmque è quatuor filiabus Ferdinandi, major natu Isabella Emmanueli Lusitaniæ Regi nupsisset; secunda Ioanna Philippo Archiduci Belgarum Principi; tertia Catharina Arturo Walliæ Duci filio majori Henrici VII. Regis Angliæ promissa: (de quartâ Mariâ dicetur posteà:) ac defuncto Ioanne Hispaniæ principe, Emmanuel ad Castellæ & Aragoniæ sceptra hereditatémque uxoris jure vocatus, cum eâdem uxore in Castellam accedens, (monitis priùs à Ferdinando & Isabellâ, Philippo genero & uxore ejus, vti inani Principum Castellæ appellatione, quam usurpârant, abstinerent) iis solemni ritu & more jurejurando confirmata esset Castellæ regni hereditas, ad finem Aprilis anni consequentis, móxque Castellæ Principes dicti essent: (Aragonis[g] tamen, gentis instituta mordicùs tueri solitis, idem præstare renuentibus, tum quòd multorum regum lege is sexus à successione exclusus esset, tum quòd nullum extaret exemplum ut feminæ quasi heredi futuræ dictum sacramentũ esset) ipsa quoque Isabella princeps non ita pòst ex partu extincta est decimo calendas Septembris vix horâ decursâ ex quo filium pepererat, cui Michaëli nomen fuit. Cui cùm tam Aragonij prædictarum calamitatum misericordiâ moti, sacramentum dixissent, (sed eâ tamen exceptione, si Ferdinandus Rex absque prole masculâ decederet; alioqui jusjurandum ex eo irritum foret:) quàm etiam Castellani Principem hæredémque solemni ritu pronunciâssent; & hic post biennium obiit. Quæ sive ex ultione, sive ex probatione, sive aliâ quâcumque ex causâ contigerint, negari non potest quin acerbissima esse debuerint Ferdinando & Isabellæ Regibus, qui tantâ gloriâ & felicitate hactenùs imperaverant. Ea tamen cùm cesserint tandem in commodum Domûs Austriæ, uti videbimus; haud incongruum erit existimare, voluisse Deum per eam conterere fastum

[e] Commin. cap. 16. & 17.
[f] Mar. lib. 27. cap. 1.

[g] Id. cap. 3.

Hispanicum, eúmque simplicitati Germanicæ subjicere.

IV. FLORENTINÆ TURBÆ.

Vigente interim in Italiâ florentinorum & Pisanorum bello, cùm Ludovicus Mediolanensis invidiâ motus in Venetos, quibus Pisas cessuras prævidebat, ægerriméque ferebat; conatus esset ceteris fœderatis persuadere illas Florentinis restitui, quò & illi desertâ Gallicâ societate Italicæ accederent; nec tamen obtinere potuisset: Alexander Pontifex iidémque Veneti, haud dissentiente aliâ de causâ Ludovico, ad Florentinos vi ab Gallicâ societate divellendos, proposuerunt Petrum Medicem in civitatem restituere, qui absolutum ejus dominium occuparet: eò faciliori conatu, quòd ea divisionibus internis graviter laborabat ob redactum ad popularitatem Reipublicæ statum hortationibus & prædicationibus Savonarolæ, nec tamen ita stabilitum, ut non essent inter majores populi & plebem inferiorem grandia diffidia, majori tamen parte Savonarolæ adhærente. Nec fortassè istiusmodi consilium vanum extitisset, nisi superveniens nocte ingens pluvia impedimento fuisset: quominùs Petrus horâ constitutâ adesse potuisset. Capti nihilominùs ejus fautores, extremo supplicio à Iudicibus addicti sunt: & quamvis ab eorum propinquis magnum populi consilium, legis cujusdam vi, cùm populi potestas fuerat constituta latæ, appellatum esset, cæsi sunt nocte ne tumultus fieret in populo: hoc vehementiùs Savonarolæ fautoribus poscentibus; non sine ipsius infamiâ, qui eos non deterruisset ab eâ lege violandâ, quam ipsemet paucos ante annos, quasi admodùm salutarem, atque ad libertatem conservandam necessariam, rogâsset. Hæc pluribus Guicciardinus [h].

[h] *Guic. lib. 3.*

V. CONSPIRATIONES IN SAVONAROLAM.

Hinc igitur cùm gravis conflata esset in Savonarolam invidia, Ludovicus Mediolanensis auctor omnium contra rempublicam Florentinarum conspirationum, haud ferens tantam ejus in illâ auctoritatem, (ut habetur in Savonarolæ Vita) præter hoc quòd Alexandrum Pontificem in illum inflammare per fratrem suum Cardinalem Ascanium non desistebat, etiam quemdam minoritam Florentiam submisit qui hominis conciones & instituta exagitaret, ipsúmque contumeliis afficeret. Idque ipsum multi alij aliorum Ordinum regulares, sive invidiâ moti, sive ab adversariis, quos non paucos nec infimos Savonarola habebat, incitati tentârunt. Quorum tamen irritus fuit conatus: cùm interim Savonarola quamplurimos ad meliorem vitæ frugem reducere non cessaret. Inter quos fuit etiam *Marsilius Ficinus* canonicus Florentinus, philosophus anteà Platonicus magis quàm Christianus: necnon *Nicolaus Schonbergius* nobilis Suevus Germanus Iuri tunc dans operam, qui habitum Prædicatorum ab ipso Savonarola accepit, & Cardinalis factus est posteà à Paulo Tertio: præter innumeros alios nobilitate, moribus, & eruditione præstantes omnium facultatum viros, qui ab ejus eloquio spiritu meliore concepto, Sancti Dominici sodalitium impleverunt: aliorúmque Ordinum professores, qui à concionibus ejus ad amorem perfectionis incensi sunt. Vt omittamus ingentes fructus in refrenandâ juventute Florentinâ, & pueris atque utriusque sexûs hominibus ad pietatem & laudes divinas conformandis.

VI. ACCUSATUR APUD PONTIFICEM.

Grauissimâ nihilominùs in eum à malevolis conjuratione factâ, adeò ut in ipso suggestu ex quo sermonem ad populum habebat interimere tentarent; cùm insuper cæsorum civium qui Petro Medici faverant affines & amici, aliique nonnulli diversorum Ordinum regulares eumdem apud Pontificem seditionis & falsæ doctrinæ accusarent, ac singularem quamdam ejus in luxum & licentiam Cleri, ac præsertim Romani, concionem exhibuissent: commotus inde in eum Pontifex, ad damnationem etiam procedere statuit, ubi audivit Savonarolam, pari zelo ac Principes Christianos de reformandâ Ecclesiâ sollicitum, literas ad Imperatorem, Regésque Francorum, Hispaniæ, Lusitaniæ, Angliæ, scripsisse, ut Ecclesiæ labanti succurrerent, in quâ à plantâ pedis usque ad verticem capitis nihil sani esset; & abominationem desolationis quæ in loco sancto prostabat, Concilij Oecumenici auctoritate evellerent. Imprimis verò munus concionandi ei abrogavit: deinde Romam ad dicendam causam evocavit: cúmque metum mortis, ne in itinere ab adversariis occideretur, excusaret, Congregationem illius Etruscam Lombardicæ reuniri jussit: nec his procedentibus, Florentinis anathema, privationémque sacrorum comminatus est, nisi Savonarolam vinctum sibi transmitterent, & ab ejus concionibus audiendis abstinerent. Denique cùm nec istud obtinere potuisset, anathema Romæ in Savonarolam pronunciavit; causis tribus expressis; quia vocatus Romam venire contempsisset; hæreticam & perversam doctrinam prædicaret; & unioni cœnobiorum consentire recusâsset. Quibus ei significatis, cùm se de eis excusaret, haud tamen obsequium præstitit; nisi quòd à Majo hujus anni, quo hæc gesta sunt, usque ad Epiphaniam sequentis à munere concionandi abstinuit. De quibus extant [i] etjam literæ ipsæ Pontificis, necnon apologeticæ Savonarolæ ad illum. De quo quæ reliqua sunt, dicentur anno sequenti.

[i] *Ap. Bzov. hoc an.*

VII. FRANCISCUS XIMENIUS ARCHIEPISC. TOLET.

Nec verò de his tantùm sollicitus Alexander, verùm etiam ne reformationem odio habere videntur, *Francisco* quoque *Ximenio* Archiepiscopo Toletano in susceptâ ab eo Cleri sui emendatione auxiliator esse voluit. Fuerat hic non ita pridem è Franciscano Ordine, & Reginæ Isabellæ confessore, ad eam dignitatem evectus; majori spiritu vir: quàm pro humili fortunâ, in quâ natus & educatus fuerat, ut Mariana [k] scribit, qui *Semenum Cisnerium* vocat: (est Cisnerum municipium in regno Legionensi:) cùm tamen Gomezius in ejus Rebus gestis velit eum natum esse nobili & vetustâ familiâ, atque ingenuis artibus eruditum Romæ. In omne porrò argumentum sanctimoniæ gravitatísque compositum fuisse, certum est: cui & deinde accessit Cardinalatûs honor, præclaris ejus facinoribus ingentibúsque meritis debitus. Cùm olim reformandi sui Ordinis studio multa conatus fuisset; Archiepiscopus factus eidem negotio incumbens, à Pontifice obtinuit ut contra certam concordiam inter Conventuales & Observantes pactam, obseruantes domus Conventualium

[k] *Mar. lib. 26. cap. 7.*

lium recipere possent. Vnde magna facta est accessio ad Observantes; & in plerisque Minoritarum monasteriis modestia, religio, continentia, sanctitásque reflorescere Zimenij operá cœpit: qui nec minorem in Cleri sæcularis & laicorum moribus depravatis restaurandis laborem impendit; adjutus in eo maximè auctoritate Ferdinandi & Isabellæ Regum: uti idem Gomecius descripsit.

VIII.

[l] Trithem. in Chron. Sponheim.

DECRETA DE IMMACULATA CÕCEPT. VIRGINIS.

Hoc eodem anno quidam Doctor Parisiensis Ordinis Prædicatorum nomine *Iannes Veri*, homo temerarius & præsumptuosus, (inquit Trithemius [l]) die Conceptionis purissimæ semper Virginis Dei-genitricis in oppido Deipe Rotomagensis diœcesis, publice in ambone prædicare ausus est, Beatissimam Virginem purgatam ab originali peccato, & non præservatam. Ex quâ prædicatione grandi oborto scandalo, citatus ad Vniversitatem Parisiensem, propositiones suas decimoquinto die Septembris publicè revocare & abjurare compulsus fuit; cum juramento non aliter se imposterùm sensurum, crediturum, aut prædicaturum, quàm præfata Vniversitas determinâsset. Biduóque pòst, nempè decimo septimo Septembris congregati in conventu Maturinensi octoginta duo sacræ Theologiæ graves professores, viri doctissimi, in præsentia totius Vniversitatis, uno ore, unâque sententiâ statuerunt, neminem deinceps Vniversitati adscriptum iri, quin priùs se Beatissimæ Dei-genitricis à peccato originali præservationis assertorem, strenuúmque propugnatorem pro viribus futurum juramento confirmaret. Quorum exemplo provocati sacræ Theologiæ professores Vniversitatis Coloniensis, biennio pòst simile statutum condiderunt [m]; & altero subsecuto biennio Moguntina. De quâ hujus temporis renovata inter Dominicanos & Franciscanos controversiâ, dictum [n] etiam est tertio ante hæc anno.

[m] Trith. an. 1499. & 1501.
[n] Supr. an. 1494. XIV.

IX.

REGIS POLON. INFAUSTA EXPEDITIO.

Ioannes Albertus Rex Poloniæ, gloriæ & imperij propagandi percupidus, specie Turcos Christianis omnibus formidabiles impetendi, (sive pio Reipublicæ Christianæ juvandæ studio, ut præseferebat, sive ut Wladislai patrui pugnâ Varnensi occisi necem vindicaret) totius Poloniæ viribus collectis, atque etiam Stephano Vaivodâ Walachiæ ad societatem belli ex formulâ fœderis evocato; ex improviso Walachiam ingressus animo eam sibi subjiciendi, ab eodem Stephano diversis modis exagitatus, cum ignominiâ ad sua redire non parvâ accepta clade coactus est. Quam infelicem expeditionem uberiùs describunt auctores Polonici [o]. Aitque Michovius; tantum eam lucri monumentíque æviterni Polonis & suo Regi præbuisse, ut communi laudi statuerint, numquam Regibus suis permittendum, expeditiones facere generales contra infideles Turcos aut Tartaros, nisi primùm consultâ Apostolicâ Sede, atque aliis Regibus Christianis ad expeditionem accedentibus. Annóque insequenti Stephanus acceptam à Rege injuriam, bellúmque immeritò illatum ulcisci satagens, cum expeditis suorum Walachorum, Tucorúmque ac Tartarorum copiis, ingentem cunctæ Poloniæ terrorem incussit, nemine ad arcendum hostem neque parato neque animato, sed cunctis fugientibus, aut in avios montes atque siluas sese abdentibus. Fuêre tamen ad centum hominum utriusque sexûs millia in miserabilem servitutem abducta; qui per omnem Macedoniam, Thraciam, Scythiam & Asiam dispersi fuêre: præter innumerabilem gregum armentorúmque & omnis generis prædam.

[o] Michov. lib. 4. cap. 75. Crom. lib. 30.

X.

[p] Vid. sup. an. 1490. XI

PATRIARCHARVM CONSTANTINOPOL. SVCCESSIO.

Hoc item circiter anno [p], deposito Maximo Patriarchâ Constantinopolitano Græco ob certa crimina ei objecta; restitutus est in thronum *Niphon*, quem jam antè sedisse vidimus: qui cùm unum annum dignitatem tenuisset, rursùm abdicatus est. Ita enim miseri Græci ludebant in schismate Ecclesiæ, ut & ipsi inter sese continuis dissidiis agitarentur. Substitutus porrò ei fuit *Ioachimus* metropolites Dramæ, ætate quidem ille juvenis, nec literis excultus, sed ingenio moribúsque probatus, & animo submissus: qui in Iberiam seu Georgianam profectus ut eam visitaret, ab omnibus honorificè receptus, multis etiam muneribus donatus est, quibus locuples Constantinopolim rediit. Ita [q] Zygomalas & Malaxus in Serie Patriarcharum.

[q] Turcogr. lib. 1. & 2

XI.

VASCI GAMÆ NAVIGATIO IN INDIAM ORIENTALEM.

Hoc eodem anno Emmanuel Rex Lusitaniæ, Evangelij, imperiique ad remotissimas gentes proferendi, desiderio motus; decessorum Regum vestigiis inhærens, atque incœpto progrediendi ad Indiam Orientalem, (quamquam non pauci ab eo, ob ingentia pericula, & majorem viribus conatum, avertere illum conarentur) animum ac voluntaten figens; hoc anno quatuor navium classem *Vasco Gamæ* nobili Lusitano magnorum spirituum viro commisit. Qui cum solis centum septuaginta hominibus quâ nautis, quâ militibus ex littore Olysiponensi solvens ad septimum Idus Iulij; postquàm primum Fortunatas, deinde insulas Viridis promontorij, quas antiqui Hesperidas dixere, prætervectus est; tantis ad Bonæ Spei promontorium continuísque tempestatibus jactari cœpit, ut identidem cuncti de salute desperantes, reditum à Vasco importunè flagitare cœperint, & in denegantis necem conspiraverint. Verum seditiosis in vincula datis, summâ contentione ad extremum promontorium tandem luctando cum fluctibus pervenit, ac circumduxit ad duodecimum Calendas decembris. Deinde ad varias insulas portúsque ac Reges appellens, non sine frequenti vitæ periculo a populis illis, & Arabum ibi commercia exercentium insidiis; ad tertiumdecimum Calendas Iunias anni proximi Calecutum pervenit, urbem amplam, & mercatorum ex locis omnibus confluentium frequentiâ, atque mercatu aromatum, præ ceteris celeberrimum Orientis emporium. Incolæ idolorum cultores, fusco omnes colore, umbilico tenùs nudi, cetera usque ad tibias bombycinâ aut gossipinâ veste contegebant. Rex ejus potentissimus; cui ceteri Malabaris gentis amplissimæ tamquam domino parebant; dicebatúrque propterea Camorinus, sive Zamorinus, hoc est Imperator. Gratè ab eo acceptus Gama, paulò post insidiis Saracenorum, quorum erat in urbe magnus numerus, tam ab insito odio in Christianos, quàm metu ne à Lusitanis quæstûs spes maximi interciperetur, periculum vitæ incurrens; in Lusitaniam, abductis quibusdam Malabaribus, in

PERVENIT CALECUTUM.

gentis specimen & primitias, revertit; Olysiponémque tenuit ad finem Augusti anni 1499. biennio exacto ex quo primùm in Indiam discesserat: duabus tamen solis navibus reductis, (quòd ceteræ duæ situ confectæ quassatæque, & quòd nautæ deessent & armamenta, à Gamâ incensæ fuissent) & è sociis tertia parte paulò ampliùs. Vascus Gama humanissimè atque honorificè à Rege Emmanuele acceptus, multis gratiis & dignitatibus auctus est. Cui meritò *Indici* cognomen indi ab Europæis debuerat, quòd primus omnium iter in Indiam aperuerit, navigatione confectâ omnium quæ à condito Orbe celebratæ sunt absque controversia nobilissimâ; sive longitudinem spectes, vastúmque mare ad extremum cœli axem porrectum, sive difficultates & pericula, eò majora quòd via prorsùs ignota, neque exploratæ eatenùs fuissent alternantis amplissimi maris agitationes. Quomodò verò iter confecerit, quas insulas & regiones detexerit, qui mores & habitus, quæque religio gentium eas incolentium, & in quos casus incurrerit, multi explicant: quibus præisse videtur Ioannes Barrosius [r] Lusitanus patriâ linguâ: secuti sunt Latinâ elegantissimè Osorius [s] item Lusitanus Episcopus Silvensis, Mariana [t] Elborensis Societatis Iesu, Maffejus [u], ac nonnulli alij tam Latinè quàm vulgaribus linguis.

[r] *Barras. Asi. dec. 1. lib. 4.* [s] *Osor. lib. 1. & 2.* [t] *Mar. lib. 26. cap. 17. &c.* [u] *Maff. lib. 1.*

XII. PRIMA COMŒDIA IN GERM. A IOANNE CAPNIONE.

Hoc eodem anno ultimâ die Ianuarij actam esse primam Comœdiam in Germaniâ apud Heidelbergam, in honorem Ioannis Dalburgij Episcopi Wormatiensis (illius, cui Trithemius opus suum de Scriptoribus Ecclesiasticis dicavit; quémque generis nobilitate, literarum amore, linguarum peritiâ, ac doctrinæ præstantiâ excelluisse, plerique Chronographi Germani testantur) auctore *Ioanne Reuclino* Phorcensi Germano, qui & *Capnio* dictus; observant non parvâ gratulatione nonnulli Chronographi Germani. Sed adfuêre affatim deinde tempora tragœdiarum, quibus Germania sese & alia regna agitavit; & cùm hæc scribimus, gravissimè affligitur, patiens cumulatissimè quæ aliis sæpè intulit damna. A *Ioanne* verò *de Lapide* natione Germano, Theologo Parisiensi, (viro doctissimo, facto posteà Carthusiensi) Reuclinus rudimenta Hebraïcæ linguæ, reliqua à Iudæo Abdiaben-Iacob Spuono, dum legatione fungeretur apud Alexandrum Pontificem se didicisse, ipsemet testatur [x] in apologiâ, & Epistolâ in suum Lexicon; ubi primum inter Latinos se Grammaticam & lexicon Hebraïcum emittere asseverat. Vir magnus, (inquit Genebrardus) nisi linguæ Hebraïcæ mysteria Cabalicis nugamentis maculâsset.

[x] *Ap. Genebr. in Innoc. VIII.*

IESU CHRISTI Annus 1498.

ALEXANDRI VI. An. 6.

MAXIMILIANI An. 5.

I. CAROLI FRANC. REGIS OBITUS.

ANNO Christi millesimo quadringentesimo nonagesimooctavo, Indictione primâ, cum Italiæ Principes fœderati de Pisanæ urbis restitutione Florentinis faciendâ aperto cum dissidio disputarent, essentque nihilominus in metu novæ expeditionis Caroli Francorum regis; adeò ut Alexander Pontifex suos filios evehendi cupiditate stimulatus, jam cum illo de rebus novis clàm agere cœpisset; Dúxque ipse Mediolanensis Ludovicus malorum omnium incentor: ne in perpetuo timore vitam ageret idem facere diceretur: novus superveniens casus res longè ab hominum cogitationibus diversas peperit; *Carolo* nocte quæ octavum diem Aprilis, in quem Dominica Palmarum incidebat, antecedit, Ambasiæ in Turonibus apoplexiâ repente mortuo: cùm videlicèt ex arcis deambulatorio unà cum uxore adolescentes in subjecto arcis atrio pilâ ludentes despectans, horâ secundâ pomeridianâ apoplectico stupore correptus, undecima expiravit; ingens suî desiderium suis relinquens, gaudium Italis parùm duraturum pariens. Viguit animo magis quàm judicio, & impetu quàm prudentiâ, aut in rebus susceptis constantiâ: qui tamen in rebus Neapolitanis malè se gessisse agnoscens, & quæ peccâsset singula sæpè enarrans, si id regnum recuperaret, meliùs consulere proponebat. Quem breviter describens Pontanus [a] Italus, qui probè novit, ait fuisse ei non summam modò liberalitatem, verùm etiam singularem animi magnitudinem propulsandis periculis, bellísque suscipiendis: humanitatem, comitatem, popularitatem tantam, ut in Rege nec major desiderari deberet: Summum tamen in modum dignitati ejus detraxisse oris deformitatem, ac totius corporis parùm compositum statum. Sed de ejus corporis & animi conditionibus jam satis superiùs diversis locis. Quibus addimus ex Gaguino, qui ei familiaris fuit, ex transactâ parùm castè adolescentiâ vires illi intabuisse, ita ut ante paucos menses quàm moreretur, macilentiâ extenuatus atque effœtus effectus esset: eáque propter indoluisse ei maximè quòd sine liberis esset, cùm ex Annâ uxore quos genitos tres habuerat mors abstulisset. Mortuum autem esse optimo statu quoad animam, Comminius [b] docet, bísque eâ hebdomadâ peccata sacramentaliter confessum, postremum verbum quod sanus protulisset fuisse, sperare se numquam ullum peccatum mortale commissurum; eóque dicto repentè corruisse amissâ loquelâ: quam ter recuperans in stupore, semper se Deo, Beatissimæ Matri, Sanctísque Claudio & Blasio commendavit: Proposuisse verò jam anteà & populum tributis exonerare, & clerum ad rectam vivendi normam reducere, & Iudiciorum formam ad antiquam integritatem instaurare; jámque manum operi admovisse, cùm mors repentina secreto Dei judicio eum de medio sustulit: idque (ut valdè piè atque Christianè rem idem Comminius ponderat) in loco totius arcis sordidiori, ubi aulici lotium emittere consueverant: in quo & mortuus est super miserâ culcitrâ stramineâ, qui tot ampla palatia, & in eâdem ipsâ arce tot splendida cubicula atque cubilia habebat. Asseritque idem auctor [c], hæc illi contigisse ex prædictione Savonarolæ, quòd tardaret in Italiam reverti ad tollendos tyrannos, & Ecclesiam gladio reformandam. Vixit autem annos viginti octo, minùs octoginta tribus diebus: regnavit à morte patris annos quatuordecim, menses septem & dies octo. Luctûs & exequiarum immensitatem ibidem Ambasiæ talem fuisse Comminius ait, quæ decessorum omnium supergressa sit.

[a] *Pont. lib. 1. de magnanim.* [b] *in Comm. lib. 8. cap. 18.* [c] *Ibid. cap. 19.*

Pompa ejus funebris.

Funeris autem Pompam, quâ ad sepulchra majorum nonaginta millibus passuum delatum posteà fuit cadaver; comitantibus Parisios usque suo ordine veste lugubri principibus atque primoribus aulicis ministrisque supra millia septem; & prælucentibus continenter quadringentis facibus, quas totidem pauperes pullis tunicis & capucio induti præferebant; & Parisiis augustiori singulorum ordinum elatione ad S. Dionysium, ubi sepulturæ mandatum est, deductum, accuratissimâ descriptione Gaguinus [d] qui vidit, prosecutus est: id se præstitisse dicens, quòd nusquam apud Francos scriptores inveniretur, quo ritu, quâve pompâ aut cæremoniis suorum Regum funera ad sepulturam deducta essent.

[d] Gaguin. lib. 11.

II. Ludovicus XII. succedit.

Successit in regnum Carolo absque liberis defuncto, jure agnationis ex stirpe masculâ proximus, *Ludovicus* Dux Aurelianensis, de quo sæpè superiùs, qui quarto gradu Carolum contingebat, filius videlicèt Caroli, nepósque Ludovici Ducis Aurelianensis, qui frater germanus existens Caroli Sexti Regis proavi Caroli VIII. occisus fuerat à Duce Burgundiæ. Tradit tamen Guicciardinus [e], non defuisse qui tacitè submurmurarent, eum antiquis regni institutis à regiâ dignitate arceri, quòd bello Britonico arma in Regem ac regnum sumpsisset. Verùm nec ejusmodi institutum reperiri, nec si esset, eo Ludovicum teneri, alij [f] disputant. Remis autem unctus est eximiâ solemnitate die 27. Maij, ut Comminius scribit, qui interfuit; hicque historiæ suæ finem imposuit laudatissimus planè scriptor, veritatísque imprimis cultor, & prudentiâ, ac pietate insignis; cujus præter illa quæ passim de eo diximus, præclarum elogium Iustus Lipsius [g] condidit; quo nihil dubitavit componere eum cum quovis antiquorum historicorum: Incredibile esse quàm ille omnia videat, penetret, arcana consiliorum eruat, ac subinde instruat salutaribus rarísque præceptis: quem Principes legere, & enchiridij loco habere debeant. Processit autem ætate usque ad annum sexagesimum-tertium: decessítque anno Christi millesimo quingentesimo nono, decimo-sexto Calendas Novembris. Fuit autem Ludovicus Rex ejus nominis XII. vulgò dictus XV. tamen, ut aliàs [h] adnotavimus, dicendus. Coronatúsque de more est apud S. Dionysium Calendis Iulij, annum tunc agens septimum ac trigesimum; fortitudine & prudentiâ præstans, tantáque erga suos charitate præditus, ut *Patris populi* cognomen tulerit. Cujus & illa egregia est vox [i], cùm à nonnullis concitaretur in eos qui ei adversati fuissent sub Rege Carolo, Non esse Regis Francorum, vindictam sumere de injuriis illatis Duci Aurelianensi: quales enim erga superiorem Regem fuissent, tales erga se jam Regem imposterùm futuros. Et longè præclariùs, cùm libello sibi oblato perlegens Caroli domesticos, duorum ex iis cum quibus simultates olim gesserat nominibus crucem addidisset; illis hoc audito conturbatis abeuntibus, crucem sibi ratis paratam: mox humanissimè revocavit, dicens eo se signo salutis nostræ oblivisci simultatum, Christi crucifixi exemplo, uti narrat Ferronus in ejus rebus gestis: quas etiam magnâ parte Claudius Seissellius primò Massiliensis Episcopus, deinde Taurinensis Archiepiscopus conscripsit, qui erat ei ab intimis consiliis.

[e] Guicciard. lib. 3.

[f] Vid. Bellef. lib. 6. c. 1.

Comminii commendatio.

[g] Lips. Not. in lib. 1. Polit. c. 9.

[h] Supr. an. 1223. VI.

[i] Ap. Ferron. in Ludov. XII.

III. Ludovici deliberatio de rebus Ital.

Statim autem Ludovicus quid animo versaret de rebus Italicis haud dissimulandum ratus, se non solum Galliæ, sed & Ierosolymorum & utriusque Siciliæ Regem, Mediolanenémque Ducem inscripsit; ac legatos ad Pontificem, Venetos, Florentinos mittens, singulis amicitiam obtulit; atque sibi Mediolanense imperium, quod suum esse contendebat, jure aviæ suæ Valentinæ in suam potestatem redigere in animo esse, haud obscurè significavit: vicissímque ab iisdem ad nova consilia spésque erectis, legationes congratulationis regni, & præteritorum in Carolum gestorum ex rerum necessitatibus excusationis recepit. Ludovicus autem Mediolanensis haud existimans Regem tantum bellum initio regni suscepturum, interim de Pisis in Florentinorum potestatem reducendis, Venetorum invidiâ qui illas possidebant, consilium cepit; & ab ocultis auxiliis initio Florentinis exhibitis, ad aperta arma procedere statuit: actúmque variis artibus, armis, collocutionibus inter eos est; donec rei arbitrio à Venetis jam sumptuum in Pisis conservandis expositorum tædio affectis, Florentinísque, Herculi Ferrariensi Duci permisso; sententiam is tulit sexto die Aprilis anni proximi, quâ Veneti præsidia sua revocare jussi sunt, Florentinis auctoritas quædam in Pisanos tributa, & Pisanis umbra libertatis restituta est; singulis ejusmodi sententiam variis ex causis iniquitatis accusantibus, ac propterea haud Florentinis à bello in Pisanos cessantibus: Mediolanensi, qui cunctis se intermiscebat, magis rixas augente quàm minuente. Quæ uti se habuerint, prolixè narrat Guicciardinus [k], sicuti quæ porrò subjicimus: ex quo plerique alij acceperunt.

[k] Guicciard. lib. 4.

IV. Alexandri PP. molitiones pro filii exaltatione.

Inter hæc enim, uti narrat, Alexander Pontifex cùm animo ad altiora consilia elato, Cæsarem Borgiam filium suum Cardinalem Valentinum ex sacræ purpuræ dignitate ad profanam amplitudinem evehere constituisset; primùm à Friderico Neapolitano Rege petiit ut filiam Carlotam ei in matrimonium, & in dotem Tarentinum principatum traderet; eâ, ut creditum est, spe, ut si Cæsar ingenio & animo magno, tanto illius regni membro, ac regiâ filiâ potiretur, Pontificiis viribus ac juribus adjutus, socerum parum potentem & pecuniâ exhaustum, & à quo multorum regni procerum animi alienati erant, facilè regno spoliaturus esset. Cùm verò id non impetrâsset; (suadente licèt maximè versipelle ac meticuloso Mediolanensi, ne Pontifex ejusmodi desiderio dejectus, in Galliæ Regis amicitiam transferret sese: sed generosè Friderico, se ex duobus imminentibus periculis, nempè alienationis Pontificis, aut traditionis Tarenti ac filiæ, id potiùs cui major honor conjunctus esset, quódque ex nullâ suâ actione manaret, subire velle dicente:) ex hâc repulsâ toto animo ad Regem Galliæ conversus, in eâdémque regni Neapolitani cupiditate perseverans, prædictam Carlotam Friderici filiam, quæ in aulâ Gallicâ apud Reginam vivebat, filio copulare quæsivit.

V. Divortium Lu-

Eâ spe à Rege Ludovico acceptâ, facilem se exhibuit desiderio Regis de divortio cum Ioannâ conjuge, Caroli VIII. nuperi Regis so-

DOVICI REGIS CUM IOANNA CONJUGE.

rore, quam imperio Ludovici XI. patris ejus (ut alias dictum) coactus duxerat, nec tamen umquam ob ejus deformitatem, & quòd propter corporis imbecillitatem liberorum procreandorum spes nulla esset, attigerat. Cujus causæ cognitione Philippo Lucemburgensi Cardinali Episcopo Cenomanensi, Ludovico Ambosiano Episcopo Albiensi, & Fernando Septensi Episcopo nuncio Pontificio natione Lusitano demandatâ; (hi namque nominantur in sententiâ [l] divortij; non quos Guicciardinus Rotomagensem & Parisiensem Antistites Septensi jungit) eorum judicio principio anni proximi pronunciato, permissum est divortiū, his potissimùm duabus de causis, quòd Rex à Ludovico XI. Ioannæ parente de sacro fonte susceptus fuisset, nec venia Pontificis ad hoc spiritualis cognationis impedimentum dirimendum intervenisset; & quòd non spontè, sed terroribus propositis ad eam ducendam compulsus fuisset, nec umquam uxoris loco habuisset aut tetigisset. Consentiente etiam haud difficulter divortio Ioannâ, quæ à multo tempore remotam à curis & vanitatibus mundi vitam agere desiderabat. In quâ etiam adeò profecit, (accepto à Rege ad sustentationem Ducatu Bituricensi) ut beatitudinem adepta sit; ac de eâdem in catalogum Sanctarum referendâ non semel tractatum fuerit, sed diversis intercedentibus temporum impedimentis hactenùs dilatum. Vitam autem produxit usque ad annum Christi millesimum quingentesimum quintum, ætatis suæ circiter quadragesimum: quam multi [m] conscripserunt, & miraculis claruisse ostendunt. Fuit autem Ordinis Virginum *B. Mariæ Annunciationis* Avarici Biturigum auctrix & institutrix: quem Alexander Papa ultimo sui Pontificatûs anno, Iulius II. tertio, Leo X. quinto confirmârunt; ac subinde subsecuti Pontifices privilegiis auxerunt. Cujus quidem Regula, non ex alicujus alterius Ordinis præscripto sumpta, sed revelatione divinâ ex præcipuis Decem Virtutibus, quibus Beatissima Virgo in Evangelio commendatur, concinnata est; videlicet castitate, prudentiâ, humilitate, veritate, devotione, obedientiâ, paupertate, patientiâ, charitate, & compassione. Præsunt tamen ejusmodi monialibus Fratres Minores Observantes: sic statuente Ioannâ, & ut pariter volunt, monitu divino. Vestis est leucophæa, chlamis candida, velum nigrum, scapulare rubrum in formam Crucis ante pectus aptatum. Dilatatus est Ordo per Franciam & Belgium, multis erectis cœnobiis. Ludovicus autem Rex ad principium anni proximi Annam Britannam viduam Caroli VIII. uxorem duxit; quam jam olim antequàm Carolo nuberet concupierat, minimè illâ abhorrente: sicque Britannia minor, priore Annæ cum Carolo matrimonio trium Ordinum consensu sceptro Gallico adjuncta, firmiùs ei (certis tamen conditionibus) posterioribus his nuptiis agglutinata est; ne vel Anglis, vel aliis exteris nationibus, Galliæ inde invadendæ occasio aut commoditas pateret.

[l] Rec. Gill. in Annal. sub Ludov. XII. Bellefor. lib. 6. cap. 1. Frizon. in Gall. Purp in Philip. Card. Lucemburg.

[m] Vid. Sammarth. Geneal. Franc. lib. 9. cap. 2. ad fi.

IOANNA REGINA AUCTRIX ORDINIS VIRGINUM ANNUNCIATIONIS.

VI. CÆSAR BORGIA DEPONIT CARDINALATŪ.

Diploma mandati Apostolici de cognitione prædicti divortij attulit in Galliam Cæsar Borgia mense Octobri; postquàm mane quodam Romæ sacrum Senatum ingressus, patre Alexandro & Cardinalibus rogatis, ut quoniam Diaconus ipse non spontè, sed metu reverentiali inductus factus fuisset, neque umquam animum ad sacerdotalem statum proclivem habuisset, dignitatis deponendæ facultatem sibi concederent: pallio & sago pro togâ sumptis, iter in Galliam acceleravit ad uxorem ducendam: Christiano orbe non parùm hâc fœditate offenso; cùm præsertim memoriâ recenti consideraret, Aleriæ [n] Cardinali facultatem ab Innocentio Alexandri decessore denegatam fuisse purpurâ abdicatâ monachum induendi: hincque occasionem assumente Pontificia instituta moresque accusandi, quibus cuicumque perversitati locus esse videbatur. Attulit prætereà Cæsar pileum Cardinalitium *Georgio* Ambosiano Archiep. Rotomagensi, viro nobili atque prudenti, & Regi Ludovico intimo, ac præcipuæ apud eum auctoritatis, quòd ejusdem cum eo fortunæ particeps fuisset: qui pridie Idus Septembris Presbyter Cardinalis renunciatus est tituli S. Sixti. In cujus utriusque doni, haud magnâ impensâ parati, præmium idem Cæsar accepit a Rege ordinem equestrem, & Ducatum Valentinum in Delphinatu, (ex quo, seu quòd etiam fuisset priùs Archiepiscopus Valentinus in Hispaniâ, semper ei *Valentini* titulus inhæsit) & alam centum cataphractorum equitum cum annuâ pensione viginti millium librarum Francicarum; majoráque promissa, quamprimùm Rex Mediolanensem Statum occupasset; denique & anno sequenti uxorem Carlotam Alani Alebreti reguli filiam ex regiâ Francorum progenie, atque sororem Ioannis Regis Navarræ: cùm altera Carlota Regis Friderici filia, vel pietate in patrem mota, vel etiam à Rege Ludovico fortè clàm dissuasa, nisi priùs tum agitata de regno Neapolitano inter Regem patrémque controversia componeretur, (nam & pensionem annuam, aliásque non contemnendas conditiones Fridericus Ludovico offerebat) vel denique viri fœditatem exosa, qui flagitiorum omnium, spurcitiarum, vitiorúmque princeps & existimabatur, & erat; matrimonium cum illo contrahere omninò recusâsset.

[n] Supr. an. 1492. XVIII.

ORNATUR HONORIBUS ET MUNERIBUS A REGE.

VII. AGITUR CONTRA SAVONAROLAM.

Ex cujus, paternísque pravis moribus, & intolerabili ambitione, aliísque sceleribus quæ Romæ maximè vigebant, & ferè ubique sub tali Ecclesiæ capite in pleroque Clero turpissimâ iniquitate coli conspiciebantur; cum piis qui pauci supererant viris occasio daretur palàm ea arguendi: is quem vidimus acerrimè ea carpsisse Florentiæ Hieronymus Savonarola Ferrariensis Dominicanus, postquàm à Pontifice [o] Romam de doctrinâ & seditione responsurus, accitus, eò se conferre neglexisset; & à concionibus, quibus potentissimus erat, omninò cessare jussus, cùm ab eis aliquot menses abstinuisset, easdem denuò pari libertate resumpsisset, asserens diras in se à Pontifice contortas divinæ voluntati repugnare: detonante hinc asperiùs in eum Pontifice, & dirarum denunciatione civitatem Florentinam terrente; cujus tunc maximè intererat, ob causam Pisanæ restitutionis quæ agebatur, eum sibi benevolum habere; demùm miser & causâ cecidit & vitâ. Cùm enim ei à Magistratibus Florentinis interdictum concionibus esset; atque etsi is paruisset, complures tamen è sodalibus ejus diversis in templis clamitare non cessa-

[o] Supr. an. 1497. VI.

rent; & ex altera parte ceterorum ordinum professores vehementissimè in eum debaccharentur: eousque calor bonorum horum Fratrum efferbuit, ut è Franciscanis unus, aliúsque quidam Dominicanus convenerint, ut ambo in flammas populo inspectante ingrederentur, & qui incolumis exiret ejus vera doctrina censeretur: idque idcircò à Franciscano propositum fuit, quod frequenter concionibus suis Savonarola asseverâsset, se in suæ doctrinæ testimonium à Deo impetraturum, ut illæsus per medias flammas transiret. Cùm ad dictam diem innumeri mortales rem inspecturi undique concurrissent; quòd tamen Dominicanus sibi metuens, mandante Savonarolâ cum sacrâ Eucharistiâ ingredi voluisset; reclamante Franciscano, quòd non de fidei Eucharistiæ, sed de doctrinæ Savonarolæ probatione ageretur, nec æquum aut tutum esset Christianam fidem de veritate Sacramenti in discrimen vocari apud imperitos aut minùs constantes, si quo casu sacra Hostia igne absumeretur; econtrà verò Savonarolâ in suâ sententiâ perstante: auctâ inde dissensione tam in Fratribus quàm populo, propositum experimentum effectu caruit. Quâ de causâ tantum de Savonarolæ auctoritate detractum est, ut postero die captus à Magistratibus cum duobus sodalibus, in publicum carcerem ductus fuerit. Vbi habita de illo quæstione, quamquam minime gravi, ipsius edita est confessio; quâ rejectis calumniis quibus gravabatur; avaritiæ, flagitiorum ac libidinis, & quòd clandestina haberet cum Principibus consilia; illud continebatur, quæ prædixisset non instinctu inflatúque divino, sed suâ opinione sacrarum literarum doctrinâ observationéque nixa prædixisse; nec in eo se aliquid improbum, aut ut eâ viâ sacrum aliquem honoris gradum assequeretur spectâsse; verum se illud summoperè expetivisse, ut ipsius operâ totius Christianæ Reipublicæ Consilium convocaretur, in quo sacerdotum corrupti mores corrigerentur, Ecclesiæque Dei status, qui tantoperè à majorum institutis recessisset, quàm maximè fieri posset ad Apostolica tempora revocaretur: hoc opus tam salutare si ad exitum perducere potuisset, sibi longè gloriosius atque divinius duxisse, quàm si summum Pontificatum foret consecutus; propter eà quòd illud, nisi excellentis doctrinæ virtutísque admiratione, reverentiáque mortalium omnium singulari, assequi non potuisset; cum Pontificatum sæpius aut malis artibus; aut fortunæ beneficio homines adipiscantur. Super quâ confessione, de Dominicani Ordinis præfecti Generalis, & Romulini Antistitis, (qui posteà Cardinalis Surrentinus fuit) hujus causæ ab Alexandro Pontifice cognitorum datorum sententiâ, cæremoniis ab Ecclesiâ constitutis sacerdotio exauctoratus cum iisdem duobus sodalibus, Magistratûs potestati traditus est; ejusque judicio omnes publicè patibulo suspensi, & combusti fuere. Quod mortis genus à Savonarolâ fortiter perpessum, nullâ tum aliâ vel delicti vel innocentiæ significatione datâ, judiciorum varietatem in hominibus generavit; aliis fallacem illum, aliis verum & pium ju-

In carcerem conjicitur.

Et supplicio afficitur.

dicantibus; qui confessionem editam, aut commentitiam, aut in ejus constitutione corporis admodùm delicatâ plus tormentorum vim quàm veritatem potuisse excusabant. Ita rem enarrat Guicciardinus [p] ibidem Florentiæ tunc agens.

[p] Guicc. lib. 3. in fi.

VIII. Vnde ejus supplicium processerit.

Cujus si vera fuerit relatio de Savonarolæ confessione, quid eâ demùm continetur, quod tam atrox supplicium meruerit; Obstupuêre ad hæc plurimi. Sed si certiorem causam ejus necis quis indagare voluerit, repererit fortè apud Comminium [q], qui cum eo aliquando conversatus est, ejúsque virtutes ac pietatem prædicat, suppliciúmque recitat: (omitto tamen temeritatis in eo non leves motus, & detrectationem eundi Romam ad mandatum Pontificis, & cessandi à prædicationibus; cujus cùm excusationes non illegitimas afferre videretur, quas tamen haud usquequaque nos admittendas ducimus, sic utrùm igne dignæ fuerint omninò dubitatum à plurimis videmus: dum ait, Alexandrum Pontificem & Ludovicum Mediolanensem, quòd Savonarola Florentinos in amicitiâ & in expectatione Caroli Francorum Regis, qui tunc adhuc vivebat, & in cujus perniciem iidem Alexander & Ludovicus nihil non movebant, continere satageret; crebris literis institisse apud Florentinos, ut à regis amicitia discederent, & de Hieronymo supplicium sumerent; curatorósque se, ut Pisarum urbs aliáque ipsis erepta oppida restituerentur. Vtrùm autem Gallicanæ amicitiæ, ubi de fide non agitur studio, & Concilij universalis ad reformandos corruptos in capite & membris mores desiderio, pœna ignis debeatur aut temporalis aut æterni; sit Ecclesiæ judicium, cujus est de peccatis decernere, & portas cæli obserare & reserare. Totam porrò Savonarolæ historiam ex diversis auctoribus tam typis excusis quàm manuscriptis, & apologiis pro eodem confectis à Ioanne Francisco Pico Mirandulano, Marsilio Ficino, & aliis, diligentissimè tractavit eruditus ejusdem Ordinis Dominicani sodalis, Abrahamus Bzovius [r] in suis Annalibus; miracula etiam à vivente edita referens, lucubrationes recensens, detrectationem experimenti ignis non Dominicanis sed Franciscanis impingens; criminationum ei illatarum pondus, quæstionum ac tormentorum atrocitatem, & sententiæ in eum latæ æquitatem expendens, constantem piámque mortem describens; quam quidem non Dominicâ Palmarum contigisse, quâ illam nonnulli collocant, (& ut putamus, ex Guicciardino male intellecto, qui non eo die illum crematum esse, sed auctoritate concidisse ob vitatum ignis experimentum scribit:) sed tantum in vigiliâ Ascensionis, die vigesimâ tertiâ Maij, ex sententiâ [f] Magistratuum in eum prolata intelligitur. Quàm autem ineptè falsóque hæretici Lutherani communia sibi cum eo dogmata esse, nonnullíque etiam Catholici malè de rebus ejus atque doctrinâ instructi, hæreticum fuisse existimaverint, idem Bzovius disputat: apud quem insuper divinas in hostes Savonarolæ vindictas, multipliciáque ad ejus memoriam patrata miracula, beatitudinem ejus testantia, legere licebit: de quibus fides sit apud auctores

[q] Commin. lib. 8. cap. 19.

Apologiæ pro eo scriptæ.

[r] Bzov. to. 18. an. 1492. 94. 95. 97. 98.

[f] Ib. hoc an.

qui ea recensuerunt. Illud verò non parùm in eo commendandum, quod inter metuendos carceris horrores, & imminentis supplicij angustias, meditationes scripsit in Psalmos 31. & 50. verbis vivis, (inquit Sixtus [t] Senensis) animatis sententiis, & spiritûs fervore flagrantissimis. Cujus etiam scripta ab Ecclesiâ non improbantur, nisi quod in nonnullis quædam corrigenda innuuntur. Dicitur autem periisse anno ætatis quadragesimo sexto.

[t] Sixt. Bibl. lib. 4.

IX. Hoc eodem tempore inter Franciscanos surrexit quidam [u] *Matthias* Tiburtinus; qui Latinè, Græcè, Hebraicéque non mediocriter doctus, ac memoriâ singulari præditus, de Regulâ Sancti Francisci ad literam observandâ disputare cœpit? damnans Sanctum Bonaventuram, Quatuor Magistros Teologos, ac Summos Pontifices, qui vel eam declaraverunt, vel privilegia viventibus secundùm ejusmodi declarationes concesserunt: necnon cœnobia, quæ procuratores, aut exactores, seu syndicos haberent, quasi in statu peccati mortalis perpetuò essent. In quam opinionem secum etiam traxit octoginta circiter suæ provinciæ sodales: in illâ eò magis obduratus, quò satanas specie Christi illi apparens, suasit etiam mandata Ecclesiæ, & censuras Pontificias contemnere. Compactus eâ de causa in carcerem, cum emendationem promisisset emissus, simili satanicâ apparitione in pristinâ sententiâ confirmatus est: iterúmque in ergastulum conjectus, inde cum aliquot sectariis in quoddam desertum aufugit; ubi novum Ordinem instituere, & provinciales, custodes, aliósque administros designare præsumpsit, jactans se in omnibus actionibus illuminatum esse à Deo, ac miraculis fore illustrandum. Quem demum Observantes, è quorum medio exierat, auctoritate Alexandri Pontificis expulerunt: qui ad Minores Conventuales conversus est, sectâ ejus dissipatâ.

[u] Marc. Vlyssipp. Hist. Seraph. lib. 7. cap. 27. Bzov. hoc an.

MATTH. FRANCISCANI TEMERITAS.

X. Sub hoc item anno ponit Nauclerus [x], Romæ magnam partem Marranorum cum Pontifice in gratiam rediisse. Quod dilucidiùs explicans in suis Diariis Ioannes Burcardus qui aderat, ait repertos esse hoc anno in Vrbe ducentos triginta Marranos, (hoc est Mahometanos; de cujus vocis significatione dictum [y] aliàs.) qui fidem Christianam, quam ex Hispaniâ ejecti ejuraverant, iterùm publicè in theatro ad hoc ad Sanctum Petrum erecto, post acceptam pœnitentiam, solemni cæremoniâ, quam ipse describit, resumpserunt ad finem Iulij: Cúmque etiam detentus fuisset in carcere *Petrus de Arandâ*, Episcopus Calaguritanus, Alexandri Pontificis Magister Domûs, de Marraniâ & hæresi infamatus; crimine probato, fuisse eum mense Septembri Dignitate Episcopali, omnibúsque beneficiis & officiis privatum, & ordinibus exauctoratum, atque in castrum Sancti Angeli conjectum. Cujus dogmata fuisse dicuntur [z]; Legem Mosaïcam habere unum principium, Christianam tria, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Christum passum non esse, si est Deus: ac propterea orando dixisse tantùm Gloria Patri, nec adjecisse, Et Filio & Spiritui sancto, Indulgentias nihil esse, vel operari; sed inventas à patribus pro eorum commodo: Non esse infernum vel purgatorium, sed paradisum tantùm: Pransisse antequàm celebraret, & prohibitis diebus carnem comedisse. Aliáque ejusmodi plura & dixisse & fecisse convictus, sententiam carceris perpetui tulit.

[x] Naucl. gener. 50.

[y] Epit. Bar. an. 775. IX.

PETRI DE ARANDA MARRANI PRAVA DOGMATA.

[z] Brucard. ms. ap. Bzo. an. 1500.

XI. Ad finem Novembris Turci [a], qui ad septuaginta millia per Walachiam in Russiam sese effuderant, & cuncta ferro & igne vastantes, nemine seseipsis objiciente, ingentum prædam collegerant; derepentè intensissimo frigore & gelu nivéque correpti, supra quadraginta millia obrigentes extincti sunt. Reliqui utcumque sese explicantes in Moldaviam delati, à Stephano Palatino & Walachis contrucidati sunt; vix è tanto numero decem millibus ad sua reversis. Quam rem in religionem cessisse Turcis, itaut sibi persuaderent, gentem Polonam atque Russam divinitùs defendi, Cromerus tradit. Cladem verò acceptam nec ipsi Turci negant; qui illam suis Annalibus [b] inserere non omiserunt.

[a] Michov. lib. 4. cap. 75. in fi. Crom. lib. 30.

TURCORUM CLADES.

[b] Ap. Leunclav. lib. 16

XII. Hoc pariter anno ponit Krantzius [c] occupationem Godlandiæ (quam Sueciæ parentem vocat) per Ioannem Daniæ Regem factam, deditione ejus præfecti: cùm jampridem tempus expectaret Sueciam recipiendi, cujus se quoque Regem profitebatur jure paterno, de quo aliàs. Subsecuto inde bello cum Stenone Suecorum principe seu gubernatore, victis Suecis Ioannes pro voluntate regnum constituit. Sed occultis posteà conspirationibus atque insidiis in vitæ periculum incurrens, clàm in Daniam rediit, relictâ conjuge in Sueciâ: quæ à Suecis capta, duobus annis in honestâ custodiâ detenta est; donec auctoritate Raimundi Cardinalis Presbyteri tituli Sanctæ Mariæ novæ, Legati Alexandri Pontificis per Germaniam & partes Boreales, liberata est: ut pluribus hæc idem auctor prosequitur. A quibus tamen non parùm abscedere videntur, quæ de rebus Suecis, déque bellis inter Ioannem & Stenonem gestis, Ioannes [d] Magnus Suecus habet, vectoriam Stenoni attribuens.

[c] Krantz. 8. Dan 39. & 5. Suet. 43.

DE BELLIS SUETICIS.

[d] Io. Magn. lib. 23.

IESU CHRISTI Annus 1499.

ALEXANDRI VI. Ann. 7.

MAXIMILIANI Annus 6.

I. ANNO Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, Indictione secundâ, Ludovicus XII. Rex Francorum pace [a] confirmatâ cum Regibus Hispaniæ & Angliæ, necnon induciis cum Maximiliano Imperatore pactis; acceptóque Philippi ejus filij Archiducis Austriæ ac Principis Belgij sacramento [b] fidei, &, ut vocant, homagij ligij pro Comitatibus Flandriæ, Atrebatum, & Carolesij, aliísque ditionibus à sceptro Gallico dependentibus: securúsque de Alexandri Pontificis & Venetorum amicitiâ: (quæ omnia quo modo & quibus conditionibus fieri contigerit, auctores earum nationum narrant:) totus ad occupandum principatum Mediolanensem jure sibi debitum intentus; priùs tamen quam rem aggrederetur, jam ipso regni initio à nonnullis persuasus mores ac

[a] Guicciard. lib. 4.

[b] Ext. ap. Bellefor. lib. 6. cap. 3.

LUDOVICI REGIS CURA DE REGNI INSTITUTONE.

instituta regni in pristinam integritatem restituere, præclarúmque ratus si optimis legibus regnum stabiliret; Iudiciorum [c] formam correxit, & disciplinæ Scholasticorum privilegia, ob multas quæ obtendebantur eorum abusiones, interpretatus est; non parvâ totius Vniversitatis Parisiensis conclamatione; quæ prudentiâ Georgij de Ambosiâ Archiepiscopi Rotomagensis brevi sopita est. Cujus etiam suatu præsenti ipso anno Scacarium Rotomagense (ut vocabant commune gentis Normannorum forum, sive Senatum, qui nonnisi certis temporibus ingenti causarum detrimento celebrabatur) in Parlamentum continuum commutavit.

[c] Gaguin. lib. 11.

II. Atrox bellum Helvetiorum cum Maximiliano Cæs.

Interea Ludovicus Maurus Dux Mediolanensis jam ab omnibus pristini fœderis Principibus derelictus, nec quidem in Maximiliano Cæs. quem continuâ pecuniarum subministratione sibi devinctum existimabat, multùm spei collocare potuit; quòd is valdè occupatus esset in bello [d] Suevico contra Helvetios: quod ob varias inter eos populos ortas controversias susceptum, magnis utrimque viribus gestum est toto anno; Helvetiis ferè semper & ubique victoriam de hostibus referentibus. De quibus haud immeritò mirum visum est plurimis, ut angustus adeò populus (neque enim adhuc tot erant pagi aut oppida in eorum societate) proscriptus ab Imperatore, & perduellis Imperij declaratus, universo Imperio resistere ausus sit, & prævalere potuerit; pace tandem æquis conditionibus factâ. Aitque Nauclerus, eo bello etsi numquam totis copiis pugnatum sit, cæsa tamen diversis certaminibus fuisse viginti millia, quot non memorarentur à centum annis omnibus bellis earum partium occisa esse.

[d] Ext. hujus bell. hist. to. 3. Rer. Germ. edit. Freher.

III. Maurus Mediol. Turcos sollicitat.

Desperato igitur tam ceterorum quàm Maximiliani auxilio Maurus; solóque Friderico Neapolitano cupiente quidem in commune bellum conferre, verùm & à suorum benevolentiâ & à pecuniâ prorsùs imparato; ultimò ad Bajazetem Turcorum Imperatorem, bellum jam terrâ maríque in Venetos molientem, legationem misit, quâ acriùs eum in illos concitaret, ut cum ipso occupati minùs rebus Mediolanensibus vacare possent. Ad eúmque itidem Fridericus suos destinavit, qui significarent Francorum Regem principatu Mediolanensi regnóque Neapolitano subactis, mox in Græciam transmittere deliberâsse; proinde utrique eum potentibus auxiliis adesse tamquam in communi omnium discrimine debere. Nec tamen interim sese Maurus deserens, non parvum exercitum comparavit, quem hostibus opponeret. Cùm ex alterâ parte Rex Ludovicus Lugdunum accedens, mense Augusti præmisit in Insubriam Ludovicum Lucemburgensem Lignium propinquum suum, Eberardum Stuardum Albinium Scotum, & Ioannem-Iacobum Trivultium Italum Mediolanensem, Mauro infestissimum, cum validis copiis equitum peditúmque: quibus illi fulminis instar cuncta obvia conterentes, ipsam etiam Alexandriam, quam frater Mauri Galeatius cum mille ducentis gravis totidémque levis armaturæ equitibus, tribus peditum millibus tuebatur, triduo in potestatem acceperunt, atque diripuerunt. Quod ceteram Mediolanensem ditionem adeò terruit, ut imprimis Ticinum, deinde ceteræ civitates & oppida certatim sese dediderint. Idem quoque præstante Genuâ, populo & gubernatoribus inter se certantibus quinam priùs urbem darent; postquàm ignavissimo Mauro principio Septembris Mediolanum turpiter deserente, seséque cum uxore, liberis, & thesauro, in Germaniam proripiente, ipsa quoque civitas Mediolanensis Gallos recepit: & arx munitissima, cujus præsidio tria hominum millia imposita fuerant, duodecimo post Mauri discessum die ignominiosissimè pretio vendita est: tantâ etiam ipsorummet Gallorum indignatione, ut qui eam vendidit Bernardinus Curtius Ticinensis, quem ab ineunte ætate Maurus educaverat, cuíque is illam, potiùs quàm fratri Cardinali Ascanio id munus sibi deposcenti, custodiendam uti omnium fidissimo crediderat; paucis pòst diebus, non valens Gallorum exprobrationes sustinere, mœrore tabescens è vitâ excesserit. Atque ita nobilis principatus tanto labore sceleréque partus, tum vigintifermè diebus amissus ad legitimum principem rediit. Qui de tam celeri victoriâ Lugduni admonitus, Mediolanum statim maximis itineribus contendit, urbémque solemni pompâ, ac magno omnium plausu, ingressus est die sexto Octobris.

Lud. Rex potitur Imperio Mediol. et Genuensi.

IV.

Acceptis ab omnibus, præter unum Fridericum Neapolitanum, Italiæ Principibus, Rebusque publicis, vel per se vel per legatos de recepto hereditario principatu gratulationibus; monitus à Pontifice Alexandro de promissorum observatione, Valentino Duci ejus filio, qui unà secum ex Galliâ venerat, copias præbuit, quibus unà cum Pontificiis, Æmiliæ Flaminiæque Vicarios, (ut sese vocabant) seu potiùs tyrannicos usurpatores Ecclesiasticæ ditionis in ordinem redigeret, ipsásque civitates & oppida Romanæ Ecclesiæ restitueret, seu ut credebatur ipsi Valentino subjiceret: qui ad finem præsentis anni nonnullas occupavit, plures annis subsequentibus. Rex autem rebus Mediolani utcumque ordinatis, civitatéque parte vectigalium levatâ, & relicto ibi gubernatore generali Ioanne-Iacobo Trivultio Mediolanensi, & Raveltano Genuæ; in Galliam mense Decembri revertit: ídque more Francico parùm consideratè, ut pòst apparuit; nondum rebus ita stabilitis, ut non timenda esset quæ mox successit mutatio ac plebis rebellio, ab ipso initio conquerentis quòd non omnium vectigalium, quemadmodùm sibi infulsè persuaserat, immunitatem esset adepta. Duxit autem secum in Galliam unicum Ioannis-Galeatij, quem Maurus de medio sustulerat, filium parvulum, à matre illi satis imprudenter traditum, & vitæ monasticæ dicavit. Quæ cuncta quomodò se habuerint, dilucidè Guicciardinus [e], & ex eo Belcarius [f] tractant: diligentiùs Corius [g], qui tunc præsens Mediolani rem videbat, & nonnulla pars ejus erat. Idémque, post adjunctum commonitorium, à Mauro quibusdam è suis ad Bajazetem Turcum è Germaniâ, cùm lentam Maximiliani opem præsentiret, missis, de rerum suarum statu datum, ad illum contra Venetos concitandum, & in Italiam acciendum; finem Historiæ suæ Italicæ imposuit:

Rex properantius in Gall. revertitur.

[e] Guicc. lib. 4.
[f] Belcar. l. 8.
[g] Cor. par. 7.

Quod Commonitorium, sive Literas dixeris, in Latinum versas, Historiæ suæ Ecclesiasticæ Mediolanensi Iosephus Ripamontius inserens; indignissimum Mauri facinus valdè insectatur, meritóque horret ob dedecus inde in urbem Ecclesiámque Mediolanensem emergens. Sic infelix cùm flectere nequiret superos, acheronta movere sategit: quo exitu, post videbitur. Rex verò antequàm Mediolano abiret, inter bellica & politica etiam literaria curans, professores bonarum literarum edicto revocavit aucto priore salario: *Iasonémque Maynum* castri non ignobilis donatione, *Philippum Decium* & *Franciscum Curtium* salarij magnitudine ad intermissam Legum interpretationem revocavit.

V. BELLUM TURC. CŨ VENETIS.

Quod Turcos attinet; cœperat jam Bajazetes Venetos infestare, occasione sumptâ, ut præseferebat, ex quibusdam privatis mari acceptis à suis damnis, & quòd Veneti protegendum suscepissent Comitem Ioannem Cernovitzium Epirotam vicinæ Cataro ditionis regulum, cui pleraque Bajazetes ademerat. Cùm autem ingenti classe loca maritima invasisset quæ Veneti in Græciâ possidebant, aliquot etiam equitum millia terrestri itinere ad regionem Forijulij diripiendam misit; quæ miserè nullo obnitente, (Venetis interim in Cremonâ aliisque nonnullis oppidis principatûs Mediolanensis, ex fœdere cum Ludovico Rege pacto, accipiendis occupatis:) devastata est, innumeris mortalibus abductis aut necatis. Mari verò cùm Antonius Grimanus Venetæ classis imperator, semel iterúmque Turcicam vincendi occasione usus non esset; accusatus inde, ac Venetias revocatus, in exilium actus est, cùm priùs imperia amplissima terrâ maríque præclarè gessisset: Qui & posteà ab exilio revocatus, Dux etiam Reipublicæ jam nonagenarius creatus est. Cæterùm hoc bello, quod ampliùs biennio continuatum est, Naupactum a Bajazete captum est, ac subinde Methone & Corone nobiles Peloponnesi urbes, demúmque Dyrrachium: à Venetis verò, duce Benedicto Pesareo, & auxiliante Consalvo magno Capitaneo cum classe Hispanicâ, Cephalenia Ionij maris non ignobilis insula occupata; necnon S. Maura, olim Leucas dicta, in maritimâ Macedoniæ orâ: præter alia minora loca utrimque capta, & certamina quædam nautica: quibus etiam interfuisse in auxilium Venetorum separatim ab Hispanis classem Gallicam, duce Philippo regulo Ravestano unà cum Albinio Scoto, & Petro Infante Navarræ, Spanduginus [d] auctor Græcus, & Historia [e] Hospitalariorum, aliæque omnes testantur; nec diffitentur Veneti: quamquam res eis parùm prosperè, tum ipsorummet Venetorum culpâ, tum impatientiâ Gallicâ, atque maris sævitiâ successerit.

[d] *Spandug. de orig. Turc. Adde Leunclav. Pand. Turc. 178.*
[e] *Bos. tom. 2. lib. 15.*

VI. CONTINUATIO BELLI.

Nec verò solùm classem à Rege Francorum missam in Venetorum auxilium, prædicta Hospitalariorum Historia tradit; verùm etiam duos regios feciales ad Bajazetem missos, ad expostulandum de fœderis quod cum Venetis pepigerat infractione, ac nisi iis satisfaceret de damnis illatis, denunciandum ei bellum: Bajazetem iis honorificè susceptis, & muneribus donatis, excusasse literis apud Regem, non se pacem primùm infregisse, sed multis modis ipsos Venetos. Quas literas videre etiam est in Collectione [f] Reusnerianâ Epistolarum Turcicarum. Denique est epistola Alexandri Pontificis ad Cardinalem Rheginum Legatum agentem in Hungariâ; quâ intelligitur, Pontificem unitis ad id bellum Principibus, Ecclesiæ quoque sumptibus parâsse classem Venetiis, ac totius belli Legatum Apostolicum constituisse Cardinalem Albussonium Magistrum Ordinis Hospitalariorum: (quod in eorum Historiâ prolixiùs tractatur:) ac Rhegino injunxisse, ut etiam Ladislaum Hungarorum Regem ad eamdem belli societatem hortaretur: qui & egregiè rem contra Turcos eâ parte egisse dicitur [g]. Modus autem occupationis Methonis munitissimæ urbis per Turcos, (quam mense Augusti anni consequentis contigisse volunt:) ab omnibus ut singularis notatur: nempè ut cùm ad eam aliquot triremes Venetæ, subsidium obsessis allaturæ per medias hostium stationes plenis velis delatæ fuissent; accurrente ad eas tanquam de cœlo missas totâ urbe oppidanis militibusque, relictis murorum custodiis; id conspicati hostes, in urbem desertásque stationes subitò irruperint. Quando magnâ intùs strage Græcorum pariter ac Venetorum factâ, Episcopus quoque *Andreas Falco* vir sanctissimus mitratus ut erat, sacrísque vestibus indutus, obtruncatus est. Factâ verò pace, reddita S. Maura est Turcis: quievítque per plures annos Constantinopoli Bajazetes, non tam suâ sponte, (ut Zygomalas [h] ait) quàm quòd magnis articulorum doloribus cruciaretur. Fuisséque eum tradunt [i] ad pacem propensiorem, quòd in Perside Ismaël Sofus eo regno potitus, cœpisset jam universæ familiæ Othomanicæ formidabilis esse.

[f] *Epist. Turc. lib. 2. in pr.*
[g] *Isthuanff. Rer. Hungar. lib. 4.*
[h] *Turcogr. lib. 1.*
[i] *Bizar. Hist. Pers. lib. 10.*

VII.

De quo ut paulò distinctiùs agamus, fuit [k] hic Ismaël nepos ex filiâ Vsumcassani, de quo dictum suprà: filius videlicèt Sicaidaris reguli inter Persas haud ignobilis, cui Harduellis ab oppido quodam cujus regulus erat cognomen fuit; quémque etiam Schachum, sive Scheichem, ab innocentiâ & vitæ sanctimoniâ vocârunt: quippe qui cùm voluptates, & mundi oblectamenta, tanquam ærumnas & fortunæ ludibria refugeret, eam excellentis virtutis opinionem consecutus est, ut eum quamquam imparem stirpi regiæ, Vsumcassanus in generum sibi asciverit, traditâ ei Marthâ filiâ, quam ex Despinâ Calojoannis Imperatoris Trapezuntini filiâ susceperat. Cùm autem originem suam ad Halem Mahometis pseudoprophetæ patruelem generúmque referret; illud imprimis velut divino afflatus spiritu, novam edocens religionem, persuadere contendit, neminem ex his qui Mahometem colerent, post mortem cælestia regna adepturum, nisi eos legis Mahometanæ ritus & interpretationem sequeretur, quos Halis posteris tradidisset, magnâ ex parte diversa & aliena ab iis quæ Turci ac plerique alij sectatores Mahometis ex Homaris alterius ejus discipuli doctrinâ profitebantur. Populis autem ad eum, è Perside & Armeniâ agminatim concurrentibus, timens sibi Persarum Rex Iacuppus Vsumcassani filius, sive Rustanus (ut alij volunt) ex Iaccupi successoribus, Harduellem vel p lio vel per immissos sicarios neci de-

[k] *Bizar. ibid. sed diligentiùs Leunclav. Annal. Turc. lib. 16. Sur. in comment. & Barros. Asi. dec. 2. lib. 10. cap 6. qui omninò videndus horum curiosis.*

ISMAELIS SOFI ORIGO.

dit, ejúsque sectatores aut sustulit aut dispulit. Ismaël verò adhuc puer, quem ferunt à patre per astrologiam prævisum fore maximum, evitato furore confugiens in Hyrcaniam ad Pyrchalim amicum paternum; posteà paternos novæ superstitionis complexus ritus, (unde & ipsi *Schachi* appellatio tributa est, quasi puri atque sinceri divini cultûs sectator; quamvis & per Sach sive Schach Regem denotent) sermonis & cultûs elegantiâ magnum nomen & ingentes vires sibi paulatim concilians, primùm paternam ditionem recuperavit: deinde Persarum imperium animo volvens, Taurisium petiit, Persarum regiam in Armeniâ superiore sitam, (quam nonnulli, haud fortè ex vero, Ecbatanam Mediæ esse putant:) eámque occasione dissidiorum duorum fratrum de regno contendentium, seséque mutuò expellentium, occupavit; victísque deinde separatim iisdem fratribus, totum regnum usurpavit. Quod hoc ipso præsenti anno contigisse tradunt: sequentibus verò Babyloniâ, Serâ, omníque Mesopotamiâ potitum esse; & maximam Orientis partem victricibus armis pervagatum, etiam magnum Chaam Tartarorum debellâsse, in Mediam transîsse, adeóque profecisse, ut & Sultano Ægypti & Turcorum Imperatori terrori esset, quousque, ut suo loco dicetur, confligendum cum Turcis fuit. Cùm & intereà unus ex Harduellis discipulis nomine *Techelles*, magnæ pariter existimationis vir, declinato necis periculo, sectam valdè amplificaret: qui etiam *Kiselbas* cognominatus fuit, hoc est rubrum caput, quoniam tegmine capitis rubro utebatur, & suos asseclas uti docebat, in discrimen Turcorum qui alba deferunt, & Tartarorum Mahometanorum qui viridia. Sicuti & quòd eadem ex lanâ, non ut ceteri ex lino, deferunt, *Sofiani* dicti sunt, à voce Arabicâ *Sofi*, quæ lanam significat; non ut multi existimârunt à Græcâ *Sophos*, quæ sapientem. Vnde & ipse Ismaël, & Sofi, & Kisalbassi dictus fuit: mansítque hactenus usus, ut Reges Persarum Sofios vocemus, velut illius novæ sectæ antesignanos & protectores. Quæ fuit origo dissidiorum ac bellorum quæ deinceps inter Turcos & Persas agitata fuêre, non tam de imperio quàm de religione. Quippe cùm ex Alcorano intelligatur, Mahometanam superstitionem divisam esse in septuaginta duas sectas principales, quarum una sola ad paradisum ducit, reliquæ omnes ad inferos; & quòd determinatum non sit quænam illarum dux sit in paradisum, hanc uniuscujusque sectatores suam esse dicant: sic Ismaël Sofianam solam veram esse prædicans, missum se cælitùs ad eam manifestandam & amplificandam, ceterásque destruendas asserebat. Ejus Vitam, résque gestas, descripsit commentariolo Spanduginus nobilis Constantinopolitanus: necnon idem Angiolellus, quem vidimus gesta Vsumcassani memoriæ mandâsse. Agúntque pariter de eodem Ioannes Barrosius in suâ Asiâ, & Bizarus in Rebus Persicis, & alij plerique alibi: qui & discrimen utriusque sectæ Turcicæ & Persicæ edocent. Illud denique observandum, non hoc primùm tempore Sofiorum nomen repertum esse, sed usu desitum jam renovatum[l].

Persidem occupat.

Sofus unde nuncupatus.

Novam religionem colit.

[l] *Leunclav. Pand. Turc. 188. Minad. Bel. Turcopers. lib. 2.*

VIII.

Iubilæi publicatio.

Cùm in proximo esset annus Iubilæi centesimus, Alexander Pontifex bis illum præsenti anno, qui eum præcessit, promulgavit cum suspensione ejus tempore ceterarum omnium ubique Indulgentiarum: primò pridie Idus Aprilis, iterúmque decimo tertio Calendas Ianuarij, duabus constitutionibus, quæ extant [m], unà cum aliâ continente facultates concessas presbyteris designatis ad audiendas confessiones volentium consequi indulgentias Iubilæi. Aperuítque more solito, & consuetis ritibus; Portam sanctam Pontifex in vigiliâ Natalis Domini ad vespertinas preces: uti descripsit Brucardus Magister Cæremoniarum Pontificiarum, in suis Diariis tunc temporis scriptis.

[m] *Rec. Bzov. ex Diar. ms. Brucardi.*

IX. Steganographia Trithemii.

Hoc anno Trithemius in Chronico monasterij Sponheimensis diœcesis Moguntinæ, cujus tunc Abbas erat, scribit se in manibus habuisse magnum opus *Steganographiæ*, de rebus & artibus occultis atque mirandis ab ipso noviter inventis, quæ nulli hominum fuissent anteà cognitæ. Quâ de re cùm ad amicum scripsisset, fuisse ubique eam epistolam maximâ omnium admiratione acceptam: multos qui quæ ibi proponebantur non intelligerent, partim eum ut hominem divinum & eruditissimum, partim ut magum prædicâsse: Eâ novitate commotos plerosque viros doctissimos, ex ultimis Galliæ finibus ad eum concessisse, ac visis scriptis & rebus ipsis, cum ipsarum demonstratione, famam longè inferiorem veritate fuisse confessos esse: Nonnullos literas ac nuncios misisse, quibus rei cognitionem adipiscerentur: ac præcipuè Vlascum Lusitanum virum doctissimum, qui tantâ eruditione per literas cum ipso Trithemio egit, ut nemo eo perspicacior umquam fuerit à Trithemio compertus. Ita ille. Verùm quamvis aliquando factum fuerit rudibus temporibus, ut quæ captum communem hominum superarent, magiæ tribuerentur, ut de Silvestro II. Pontifice, de Alberto Magno, déque aliis dictum est superiùs suis locis; asserátque Trithemius in eo suo opere nihil inesse præter naturam: nihilominùs prohibitum illud meritò hactenùs existimatum est, quòd qui aliud in eo quàm occultè scribendi rationem rimati sunt, plenum [n] magiâ reputaverint. Quâ de re quoque multas se objurgationes, seu calumnias passum esse, significavit etiam aliàs idem ipse [o] sæpiùs. Vt ex hisquoque manifesta appareat utilitas Paulinæ [p] admonitionis; Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.

[n] *Bovill. an. Trith. præfat. in Polygr. Bellarm. de Script Eccles. Delri. to. 1. Magic. disq. lib. 2. q. 3. alij.*
[o] *Trith. Epist. lib. 2. ep. 32. 43. 51. &c.*
[p] *Rom. 12.*

X. Defenditur a crimine magiæ.

Vt autem tantum virum, optimè ceterà de Ecclesiâ Catholicâ, Ordine suo, ac re litterariâ meritum, ab omni adeò nefandi criminis culpâ prorsùs immunem existimemus, fecit diligentia eruditissimi Patris Hilarij monachi Benedictini cœnobij S. Germani de Pratis Paris. Congregationis Reformatæ SS. Benedicti & Mauri: qui re nobiscum post primam nostram horum Annalium editionem communicatâ, arcanum aperuit ambagium Trithemij, à se non parvo labore & industriâ adinventum: manifestâque ad ipsasmet Trithemij epistolas factâ probatione, ostendit nihil toto eo opere esse conjurationis aut invocationis dæmonum; sed quæ ejusmodi videntur, claves tantùm esse seu interpretationes verborum quibus ambiguè utebatur in suis epistolis: *Spiritus diurnos*

quos vocat, epistolas ipsas esse quæ cunctis paterent: *Spiritus* autem *nocturnos*, quasdam litteras, syllabas, seu vocabula ipsarum epistolarum, quæ in se continerent secretum in eis comprehensum: *Duces* denique & *Ministros* Spirituum, verba & litteras otiosas, quæ iisdem epistolis continerētur ad tegendum secretum iis comprehensum. Exemplo sit Epistola ipsius Trithemij ad Vigilium ex cap. 17. lib. 1. Steganographiæ; quæ sic habet: *Latorem præsentium ad te mitto, Vigili amantissime, hominem profecto cunctis adornatum virtutibus, omnibus eruditissimum in Scripturis æstimatum, tantâque venustate morum redimitum, quòd vix illi similem aliquando his oculis vidisse memini: Optimum mathematicum, philosophum acutissimum, litteratissimis viris comparandum sapientia & studio omnes Teutonicos exercitatissimos transcendentem. Vnde dignus est nobis meritò visus laudibus litteratorum virorum omniúmque bonorum excipiendus: quippe nobilis & litteratissimus, qui omnibus queat utilis esse in tradendis variis doctrinis rerum mirandarum.* Hæc est Epistola. Sequitur admonitio ad detegendum sensum Trithemij eâ comprehensum: *Cùm has acceperit litteras amicus in arte Steganographiæ probatus, cognito signo Carnesielis se vertat ad orientem, & promissis promittendis dicat hanc conjurationem. Carnesiel aproysy chameron to pamelroyn phroys cadur meármol benadron vionyel Savyron armypean arnotyel fabelrouthusin throe cabelron savene ar medaloys veas olmenadab craltу sayr.* Cùm autem ex documento Trithemij, omnium conjurationum, quibus modus detegendi arcani epistolarum significatur, primum & postremum verbum semper sit inutile, deinde secundum significans, tertium inutile, quartum significans, & sic deinceps: & in verbis significantibus prima littera sit otiosa, secunda significans, tertia otiosa, quarta significans, &c. ex his reperies, prædictâ conjuratione contineri clavem significationis Epistolæ, collectis iis litteris, quas punctis superpositis notatas vides; quæ dicunt, *post primam lineam ante tres una vacat:* hoc est, primâ lineâ totâ vacante, in reliquâ epistolâ post quodlibet verbum otiosum sequuntur tria, quorum primæ litteræ secretum denotant. Quo fit ut ex litteris, prædictâ epistolâ super positis punctis indicatis, contrarius omninò sensus eliciatur: *Cave istum, quia homo malus est, & de nullo benè loquitur.* En conjurationes Trithemij; en magia. Quas sicut omni malæ artis crimine carere jam palàm esse videtur, ita longè satius facturum eum fuisse putamus, si hanc artem suam coloribus aliis & honestiori velo texisset; nomini que suo haud tantam infamiam gratis quæsîsset cum gravi Ecclesiæ scandalo, quod nullo negotio vitare poterat. Ceterùm cùm octo pollicitus fuisset hujus scientiæ libros, duos tamen dumtaxat absolvit, tertiúmque inchoavit; qui extat valdè mancus, alterius scribendi rationis sub ænigmatibus à prioribus planè diversis formam indicans magis quàm præbens.

XI. TRITHEMII ERUDITIO, ET SCRIPTA.

Fuit is porrò sanè pro tempore vir doctus, qui permulta cripsit pietate & eruditione plena; dictari cœpta (ut ipse testatur) anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo octavo, ipsius ætatis vigesimo sexto; editis porrò singulis ferè consequentibus annis, aliis quæ ipse in progressu prædicti Chronici enumerat: & quæ composita fuissent usque ad annum millesimum quadringentesimum nonagesimum quintum, collegit in fine Catalogi Illustrium virorum Germaniæ, & commentarij de Scriptoribus Ecclesiasticis: quo tempore agebat annum ætatis trigesimum quartum. Quæ verò præterea jam tum scripserat, necdum ediderat, quæque posteà usque ad annum Christi millesimum quingentesimum septimum elucubraverat, aut præ manibus tunc habebat, aut mente conceperat, enumeravit idem ipse [q] epistolâ ad Rogerium Sicambrum eo anno scriptâ: quibus & multa alia reperias addita in Bibliothecâ Gesneri, pòst scripta, nec tamen omnia, ut putamus, in lucem edita. Fuit autem patriâ Mosellanus ex quâdam villâ Tritenheim diœcesis Treverensis; ut ipse de se tradit [r] cùm electionem suam in Abbatem Sponheimensem describit; ubi & seriem vitæ suæ, & egregiam navatam operam in [s] comparandâ bibliothecâ, trium linguarum libris, nec non [t] Chaldaicæ, Arabicæ, Indianæ, Ruthenicæ, Tartaricæ, præter Italicam, Gallicam, Boëmicam, &c. refertâ videre est. Multas tribulationes à monachis Sponheimensibus passus, Herbipolim migravit: in cujus urbis monasterio diem obiit anno 1516. die 13. Decembr. ætatis suæ ferè 55. ut testatur lapis quo tegitur in Ecclesiâ dicti monasterij. Cujus vitam Busæus accurratè descripsit.

[q] Trith. 2. ep. 51.
[r] Id. an. 1483.
[s] Id. an. 1502.
[t] Id. 1. ep. 47.

XII. MONSTRA.

Hoc anno duo inter alia reperimus annotata monstra. Alterum [u] in Poloniâ; nato Cracoviæ inter Iudæos die 5. mensis Iunij vitulo bicipite, alterum caput in loco caudæ, caudam in medio dorsi habente, ac pedes septem in dextro latere, nullum verò in sinistro. In Germania alterum [x], oppido Rain ad ripam Lici fluminis, ubi mulier quædam 5. Cal. Decemb. monstrum edidit, cujus corpus una compago fuit, pectoris una & dorsi, venter unus, duo capita, quatuor manus, totidémque pedes, pudibunda duo, ventre sub uno totidem clunes; ut illud Nauclerus describit. Frequentia quoque fuisse signa in Sole & Lunâ, præter alia animalium monstra legere passim est apud auctores horum temporum.

[u] Michov. lib. 4. cap. 79. in pr.
[x] Naucler. gen. 56. inf.

IESU CHRISTI Annus 1500.

ALEXANDRI VI. Ann. 8.

MAXIMILIANI Annus 7.

I. IUBILÆI CELEBRATIO ROMÆ.

ANNO Christi millesimo quingentesimo, Indictione tertiâ, cùm ad Iubilæum Natali præcedenti apertum ingens undique Romam concurreret peregrinorum multitudo; multíque essent qui propter diversas emergentes necessitates numerum quindecim dierum Indulgentiæ in visitatione Ecclesiarum consequendæ præfinitum complere non possent, essêntque pariter ex Romanis & aliis in

Vrbe commorantibus, qui triginta dies eis præscriptos, ob infirmam valetudinem aut alia impedimenta impendere non valerent: concessit Alexander Pontifex pœnitentiariis, ut ejusmodi hominibus numerum dierum, peregrinis ad quinque, cæteris ad septem, impositâ eleemosynâ, minuere possent: aliásque insuper gratias & facultates impartitus est: atque in fine Iubilæum ibidem Romæ prorogavit usque ad Epiphaniam anni proximi: ac per universam Italiam concessit ab eo tempore usque ad Pentecostem ejusdem anni proximi; cujus commissarios fecit Fratres Ordinis Minorum de Observantiâ: ut sunt [a] de his singulis ejus constitutiones, diversis hujus anni diebus promulgatæ: necnon de decimâ omnium redditŭum, in auxilium Venetorum contra Turcos, Clero Romano, adeóque ipsis Cardinalibus, cæterísque Prælatis indictâ; & subsidiis in eandem expeditionem Iudæis imperatis. Denique ad aliena regna & provincias quaquaversùm Nuncios misit, qui Indulgentiam Anni sancti publicarent, eámque iis impartirentur, quibus per bella, per itinera, per inimicitias difficile esset Romam petere: eâque occasione & Principes ad pacem hortarentur, & subsidia pecuniarum adversus Turcos compararent: ut de Angliâ Polydorus [b], de Hungariâ & Poloniâ Cromerus [c], de Germaniâ Trithemius [d], de Galliâ Continuator Monstreleti, de aliis alij testantur.

ET ALIIS PROVINCIIS.

[a] Ap. Brucard. in Diar. & Bzov. hoc an. & sep.

[b] Polyd. l. 26.
[c] Crom. l. 30.
[d] Trithem. in Chron. Sponheim.

II.

Quantumvis enim magnum fuisse populorum in Vrbem concursum multi auctores tradant; solito tamen minorem extitisse, nonnulli observant: videlicèt ob bella quibus ardebat Lombardia, cæteræque nonnullæ Italiæ provinciæ, & pestem pluribus locis grassantem. Quibus accedebat prædonum impietas, quoscumque possent spoliantium: uti inter alios contigisse Renato Acromontio Regis Galliarum oratori in monte Viterbiensi, Brucardus in suis Diariis narrat; quindecímque ex prædonibus captos, meritas dedisse sceleris pœnas, Alexandri Pontificis jussu: qui severissimam pro securitate Romipetarum constitutionem jam anteà ediderat. Præter quæ memorant etiam Annales Francici, tantam extitisse Ludovici Mauri (quem principio hujus anni recuperâsse principatum Mediolanensem mox dicemus) in Gallos, à quorum Rege pulsus fuerat, aut ejus fautorum rabiem, ut quicumque eorum illàc transirent Romam ab Iubilæum ituri, ij in diversoriis clàm neci dari juberentur, proposito ducato aureo pro singulo quoque Galli capite. Quod ubi rescitum fuit, multi ex ejusmodi cauponibus intra suas ipsorum domos cremati fuisse dicuntur, in cæterorum exemplum. Hoc enim inter cæteros testatur auctor Appendicis Historiæ *Roberti Gaguini*; quam ipse Gaguinus per mille ducentos annos compendio ad hunc usque perduxit, Generalis Minister existens Ordinis Sanctæ Trinitatis de Redemptione captivorum, natione verò Belga Artesiensis: tantáque eruditionis & prudentiæ ac rerum usu præstantiâ, ut Regum Franciæ nomine sæpiùs missus sit legatus in Italiam, Germaniam, Angliam; & à Ludovico Rege præfectus Bibliothecæ regiæ; eidémque magna vis pecuniæ ad eam variis libris locupletandam tradita. Quem ingenti præconio Trithemius [e] in quorundam ejus scriptorum enumeratione ait, adeò fuisse facundum, ut Italos sæpè stupidos eloquentiâ suâ reddiderit. Laudat quoque impensè Erasmus. Eo insuper nobis commendatissimus, quòd pro Immaculatâ Conceptione Beatissimæ Virginis Deiparæ tam strictâ (cùm etiam poësi excelleret) quàm solutâ oratione scripsit contra Vincentium de Castronovo. Prorogavit verò adhuc biennio vitam, mortuus Lutetiæ vigesimo-secundo Iulij anno millesimo quingentesimo secundo. Cujus Historiam supplevit octodecim annis Hubertus Vellejus Aquensis Iurisconsultus.

MAURI MEDIOL. RABIES IN GALLOS.

ROBERTI GAGUINI PRÆCONIUM.

[e] Trith. de script. Eccl.

III.

MAURUS PRINCIPATUM RECUPERAT.

Quod autem innuimus de recuperatione principatus Mediolanensis per Ludovicum Maurum; contigit ea tam ex Italorum inconstantiâ, quàm ex Francorum insolentiâ, vitiis utrique nationi innatis: quamquam non tam ipsis Francis hæc jactura tribuenda sit, quàm Trivultio, Mediolanensi quidem ipsi, sed diù inter Francos versato; quem Rex Ludovicus cùm ob virtutem & merita, tum ob ejusdem in Maurum odium toti Insubriæ præfecerat. Ejus enim insolentiâ, quâ tum nimis intempestivè Guelfis, quorum ipse princeps erat, favit contra Gibellinos qui hactenus Mediolani prævaluerant, tum etiam nonnullos vectigal persolvere recusantes propriâ manu publicè peremit; factum est, ut tam nobilitate quàm plebe Ludovici Mauri nomen haud occultè implorante, tacitéque illum ad reditum incitante; is confestim è Germaniâ (ubi parùm aut nihil apud Maximilianum Imperatorem & naturâ varium, & egestate pressum proficiebat) cum octo Helvetiorum millibus, & quingentis Comitatûs Burgundiæ cataphractis, stipendio conductis, in Italiam unà cum fratre suo Ascanio Cardinale properans; priusquàm Trivultius his satis opportunè obviare potuerit, Comum pervenerit; ibique pulsis Gallis acceptus, atque ad ejus rei famam Mediolanensibus tumultuantibus, & Trivultio urbem deserente, in eam receptus sit magnâ omnium lætitiâ ad principium Ianuarij, arce tamen in potestate Francorum permanente. Idem studium Papiensibus & Parmensibus secutis, pleráque alia in fide Ludovici Regis, aut timore rerum futurarum, aut voluntate permanserunt. Maurus novis collectis Italorum copiis Novariam oppugnavit, & in deditionem recepit, præter arcem. Contrà verò missis confestim à Rege majoribus copiis Helvetiorum Gallorúmque cùm Cardinale Rotomagensi & Ludovico Trimollio; hi reliquis qui in Italiâ erant juncti, eandem Novariam in quâ Maurus erat cingentes, rem eò adduxerunt, ut cùm veniendum ad manus esset negantibus Helvetiis qui cum Mauro erant, à regiis subornatis, sibi integrum esse absque suorum magistratuum facultate, adversus propinquos & fratres suos, ejusdémque gentis homines qui in castris regiis militabant decertare, ac proinde quamprimùm in patriam redire velle dicentibus; nec valente Mauro ullis aut precibus, aut lacrymis, aut promis-

RURSUMQUE AMITTIT.

sis illorum animos flectere, nec item obtinere ut saltem in tutum locum ipsum perducerent: (non enim tunc Maurus omnes copias Italas secum habebat, quarum maximam partem Cardinali Ascanio ad obsidionem arcis Mediolanensis reliquerat: adeò ut apud Novariam robur sui exercitûs in Helvetiis consisteret:) quod postremum fuit, cùm abeuntibus Helvetiis timeret Novariæ remanere, nec aliter evadendi locus daretur; ab eis saltem impetravit, ut Helvetij peditis gregali veste & armis instructus; inter ipsos quasi unus ex iis progrediendo elaberetur. Quæ tamen conditio ad ejus salutem irrita fuit: quoniam illis per medium Gallicum exercitum à dextrâ lævâque constitutum ordine incedentibus; sive eorum quibus hæc cura demandata erat diligenti cautione, sive turpi Helvetiorum proditione agnitus, comprehensus est die undecimo Aprilis, unà cum Galeatio Sanseverinate, Fracasso, & Antonio Mariâ fratribus, iisdem Helveticis vestibus & armis contectis; usque adeò miserando spectaculo, ut vel hostibus ipsis lacrymas expresserit. Sic enim rem contigisse, Guicciardinus [f] narrat: cùm tamen non nulli alij Itali, atque etiam Galli, pugnam apud Novariam factam esse velint, victúmque Ludovicum ob detrectationem pugnæ Helvetiorum, coactum fuisse periculosam illam inter eos elabendi sortem subire; quamvis & Bembus non adeò diligens veritatis indagator, Ludovicum veste pabulatoriâ strigoso equo se inter milites celantem captum prodiderit; & Velleius, aliíque nonnulli, habitu religiosi Franciscani se contegentem agnitum fuisse & captum scripserint.

MISERABILIS EJUS CŌDITIO.

[f] *Guicc. lib. 4. ad fin.*

IV.

Exercitu ejus dissipato, cùm Ascanius Cardinalis, relicto repentè Mediolano, in tutum aliquem locum se conferre maturaret; in itinere ad arcem Rivoltam in Placentino agro divertens, Conradi Landi nobilis Placentini, ipsi affinitate & longâ necessitudine conjuncti proditione, Venetorum ducibus qui apud Placentiam erant traditus, Venetiásque perductus; posteà Regi, cum etiam cum minis petenti, quòd in ditione suâ captus fuisset, ægrè quidem, parúmque decorè pro majestate Venetâ, sed tamen ad Regis armorum furorem vitandum, deditus est. Ludovicus autem primò Lugdunum, ubi Rex erat, perductus, nec tamen in ejus conspectum, quod summoperè cupiebat, admissus, in arcem Loccienſem relegatus est ad perpetuum perdurúmque carcerem: quem toto decennio usque ad obitum pertulit, pœnas sic luens impietatis in fratris filium commissæ: Princeps (ut Guicciardinus ait) eloquentiâ, ingenio, multísque animi & naturæ ornamentis excellens; sed inquietis atque ambitiosis consiliis plenus, ac promissorum fideíque contemptor; quíque tantum suæ ipsius sapientiæ tribueret, ut aliorum prudentiam & consilia celebrari molestissimè ferens, suâ industriâ & artibus cujusvis mentem quò vellet impellere posse sibi persuaderet. Ascanius verò & ipse in Galliam deductus, honestiori custodiâ in eâdem Turri Bituricensi, quâ Rex ipse olim biennio conclusus fuerat, (ea est humanæ sortis varietas ac miseria) aliquamdiù detentus est, paulóque pòst in honorem purpuræ, toto regno libertatem obtinuit, Regis benignitate, & Cardinalis Rotomagensis, cujus ad arbitrium cunctæ ferè res in Galliâ vertebantur, gratiâ; ac demùm in Italiam redire permissus est. Ludovici verò filij Maximilianus & Franciscus, in curiâ Imperatoris relicti à patre, diù apud Germanos morati sunt inopes, exules, vagi. Mediolanenses omni spe dejecti, statim legatos ad veniam apud Cardinalem Rotomagensem deprecandam miserunt; faciléque obtinuerunt, grandi tamen tam eis, quam cæteris urbibus quæ defecerant, impositâ in mulctam pecuniâ, cujus deinde Rex maximam partem singulis remisit. Rotomagensis autem rebus compositis; summâ cum auctoritate posthac agens, rerum Italicarum ferè bello pacéque arbiter habitus est: eíque promerendo concessum est à Pontifice anno sequenti, ut totius Galliæ, unâ exceptâ Britanniâ, Legationem exerceret sesquianno; quæ deinceps diversis prorogationibus subinde ampliata, & à Iulio Secundo confirmata, propria reddita est dum vita mansit; additâ etiam Legatione Avenionensi.

V.

GRAVIS CASUS ALEXANDRI PŌT.

Contigit hoc eodem anno Romæ casus, quo Pontifex Alexander ferè oppressus est; sive turpitudinem morum, quæ inter viros sacratos maximè vigebat, in eo Deus ad aliorum exemplum vindicare voluerit, ut nonnulli [g] existimârunt, sive aliâ occultâ de causâ: cùm videlicèt Apostolorum Petri & Pauli sacro die horâ quartâ post meridiem orto violentissimo turbine imbris & grandinis, ventorum vehementi procellâ tubus vaporarius eversus supra cœnationem ubi Pontifex agebat, tabulatis confractis duos ad pedes Pontificis occisos projecit, tertiúmque gravi vulnere saucium: ac ne Pontificis caput comminueretur lateribus & tabulis cadentibus, superstantis umbellæ tegmen prohibuit. Capite tamen & manu graviter sauciatis, expiranti similis inter rudera repertus abductus est. Variæ inde significationes & prodigia captata: ac de successore homini septuagenario majori, & cujus tractata vulnera recrudescere videbantur, agi cœptum inter eos, qui privatis magis rationibus quàm Reipublicæ curâ ducebantur. Verùm eas molitiones restituta brevî Pontificis valetudo frenavit: Qui die vigesimâ quintâ Iulij ad Ecclesiam S. Mariæ de Populo publicè equitare conspectus est, ad reddendas Deo gratias de recuperatâ sanitate. Paulóque pòst inolitam renovans institutionem Callisti III. jussit ad meridiem pulsari campanas, monendo populo ut per recitationem Orationis Dominicæ aut salutationis Angelicæ imploraretur Dei auxilium adversus Turcos. Datúmque tunc principium hujusmodi pulsationi die decimâ-nonâ Augusti, Brucardus tradit. Id verò etiam jam olim aliâ occasione institutum in Galliâ fuisse à Ludovico Rege Vndecimo diximus ejus tempore.

[g] *Marian. lib. 27. c. 7. ex Diar. Brucard.*

PULSATIONIS CAMPANARUM AD MERIDIEM INSTITUTIO.

VI.

In Hispaniâ rebellantes [h] sæpè sæpius

[h] *Id. cap. 5.*

MAURI TUMULTUANTES PELLUNTUR HISPANIA.

[1] Gomes. in Vit. Xim. l. 2.

montanos Mauros Rex Ferdinandus repetitis toties impressionibus fortiter compressit præsenti sequentique anno; eorúmque plurimis fidem Christianam amplecti persuasit; Ximenio [1] Archiepiscopo Toletano & Ferdinando Granatensi non parùm in eorum conversione laborantibus. Qui verò demùm fidem amplecti recusârunt, iis in Africam abeundi libera facultas concessa est à Rege, navibus ad trajiciendum paratis; eâ conditione ut per capita tantùm denos aureos singuli penderent in pretium libertatis. Sicque multis in Africam abeuntibus, multò plures in Hispaniâ restiterunt in simulatæ Christianæ Religionis specie nihilo abeuntibus saniores. Præcesserat longè major lætitiæ occasio, quòd hoc ipso anno diéque bissextili vigesimâ-quintâ Februarij festo S. Matthiæ Apostoli, Philippo Archiduci Austriæ Belgarum Principi, Maximiliani Imperatoris filio natus est ex Ioannâ filiâ secundâ Ferdinandi & Isabellæ Regũm, Gandavi in Flandriâ, *Carolus* postea Hispaniarum Rex & Imperator, ingenti virtute ac præstantiâ, felicitatéque in laboribus Princeps. In cujus nativitate mirâ philosophantur inter cæteros Laurentius Surius Carthusianus in commentario Rerum in Orbe gestarum, de quo paulò pòst: & Guillelmus Zenocarus eques auratus in Vitâ Caroli. Ei verò post susceptum baptismum Ducis Lucemburgij titulus inditus à patre; veteri more mutato, cùm olim Ducum Burgundiæ majores filios Carolesij Comites vocari moris esset. Eodémque fermè tempore defuncto Michaële [k] Principe, filio Emmanuelis Regis Lusitaniæ ex Isabellâ filiâ natu majore eorundem Regum; ejus obitu iidem Philippus & Ioanna Castellæ & Aragoniæ Principes dici cœpere, haud dubio hæreditatis jure indicióque. Emmanueli verò Lusitano, insolito neque valdè probabili inter Christianos exemplo, Alexander Pontifex concessit [l] uxorem ducere Mariam prioris suæ conjugis sororem germanam, minimam natu filiam Ferdinandi & Isabellæ: Concedente hoc Pontifice, ut Surita [m] scribit, in gratiam Regis Ferdinandi, quò liber esset ab ejus urgentibus de reformatione contentionibus. Quod quidem conjugium prole numerosâ felix, posteritate tamen infelix extitit, amisso secundâ eâque brevi & infaustâ generatione regno. Et nunc Reges [n] intelligite; erudimini qui judicatis terram.

NATIVITAS CAROLI BELGÆ POSTEA IMPERATORIS.

[k] Vide suprà an. 1497. III.

[l] Mar. cap. 8. Osor. lib. 2.

[m] Sur. Hist. tom. 5. lib. 4. cap. 21.

[n] Psal. 2.

VII.

NOVA LUSITANORUM IN INDIAM NAVIGATIO.

In Lusitaniâ post Vasci Gamæ reditum ab Indiâ, cùm variè disputatum esset utrum ejusmodi navigatio continuanda foret, hinc commodo mercium inde evehendarum, illinc periculorum immensitate, hominúmque multorum interitione: ac superstitum infinitis incommodis ac periculis consideratis: prævaluit tamen demùm sive zelus provehendæ Religionis, ut præseferebant, sive cupiditas dilatandi imperij, & ditandi hæreditarij. Quare ut negotium majori dignitate gereretur, ac persuaderentur Indi sibi rem cum potentissimo Rege Christiano fore, simul & possent Lusitani Mauris & Arabibus commercium impedientibus resistere, ipsósque Indos ad officium reducere; decrevit Rex Emmanuel validiorem classem tredecim navium rebus omnibus egregiè instructam, cum mille & ducentis selectis quà nautis qua militibus sub generali præfecturâ Petri Alvari Capralis nobilis Lusitani. Additi sunt octo Fratres Minores, qui fidem iis populis prædicarent, quibus præerat Henricus vir singulari religione & pietate, factus posteà Septensis Episcopus: atque insuper octo Presbyteri sæculares cum Vicario, qui curam haberent administrandi Sacramenta in arcibus quas Rex construi jubebat. Deductus Capralis ab ipsomet Rege tunc Olysippone existente ad templum Beatissimæ Virginis in littore situm, Bethlehem dictum, (quod olim ab Henrico Principe primo totius navigationis auctore modicum constructum, ab Emmanuele amplificatum fuit, & in nobile monasterium erectum. Hieronymiano Ordini contributum) ibi regium vexillum, sacrâ precatione à Didaco Episcopo Septensi benedictum, à Rege accepit, & solemni supplicatione ad naves deductus octavo Idus Martij, die sequenti solvit: & post gravem passam tempestatem, ad dies Paschatis delatus est in terram *S. Crucis* à se dictam à grandi Cruce ad summitatem ingentis arboris collocatâ, sub quâ Missam celebrari jussit: quæ tamen terra posteà à vulgo nuncupata est *Brasilia*, ab ejus nominis rubro ligno, quod inde evehi consuevit tingendis pannis aptissimum. Estque ea novi Orbis pars, quam paulò pòst Capralis accessum *Americus Vespucius* Florentinus, ejusdem Emmanuelis Regis auspiciis accuratiùs exploravit: cujus extant in Collectionibus auctorum Rerum Indicarum breves de suis navigationibus relationes. Vnde & factum est, ut nonnulli primam prædictæ terræ inventionem eidem Vespucio tribuerint. Descripsit autem illam, gentísque mores & religionem copiosissimè Ioannes Barrosus Lusitanus quartâ parte Decadum suarum de Lusitanorum terrâ maríque gestis in adinventione & acquisitione terrarum novarum, cui *S. Crucis* titulum indidit: ex quo Osorius, Maffeius, & quicumque alij de his scripserunt, sua desumpsisse videntur: sicuti ex ejus Asiâ, quæ de reliquo hoc Indico Capralis itinere habent. Quo quidem ipse sævissimis agitatus procellis ac tempestatibus, post septem è suis navibus aut mari absorptas, aut in Lusitaniam reversas, cum sex solis in Indiam pergens; habitis in itinere variis cum diversis Regibus tractatibus, Calecutum pervenit Idibus Septembris. Vbi benignè primùm à Zamorino, seu Rege vel Imperatore Malabarum, Calecuti dominante acceptus: deinde instigatione Maurorum ibi negotiantium injuriâ appetitus cum nece quorundam è suis post vim aliquam iis illatam, amicitiâ cum Regibus Cocini & Cananoris pactâ, navibúsque suis ibi diversis aromatibus onustis, Lusitaniam repetens; amissis denuò nonnullis in viâ navibus, cum paucis Olysipponem pervenit vigiliâ Sancti Ioannis Baptistæ nono Calendas Iulij anni proximi. Post cujus auditam relationem, Rex ad rem prosequendam animosior redditus, novos sibi titulos assumens, ei quem Ioan-

BRASILIÆ DETECTIO.

TITULI REGIS LUSITANIÆ.

nes ejus decessor usurpaverat *Domini Guineæ*, hos adjunxit *Domini Conquistæ*, *Navigationis & Commercij Æthiopiæ*, *Arabiæ*, *Persiæ*, *& Indiæ*: quorum causas & rationes prolixè tractat idem Barrosius [o]. Apud quem etiam alias aliorum ducum navigationes à Rege Emmanuele singulis ferè annis institutas videre est, quas etiam Osorius & Maffeius prosequuntur: de quarum nonnullis magis ad institutum nostrum pertinentibus dicetur inferius.

[o] Barros. Asi. lib. 6. cap. 1.

VIII. CHRISTIANI INDIANI.

Vnà verò cum Caprale, (ut idem auctor [p] narrat) venerunt in Lusitaniam duo germani fratres Christiani, ex iis qui apud Cranganorem in Malabaribus non longè à Cocino, Thomæ Apostoli, qui Indiam prædicatione Evangelicâ illustravit, disciplinis imbuti summâ per tot sæcula constantiâ religionem Christianam retinebant; quorum alteri Matthiæ, alteri Iosepho nomen erat, eruditis in fide ab Episcopis Armenis qui ibi residebant. Venerunt autem eo consilio, ut primo Romam, deinde Ierosolymam, ac postremò Armeniam peterent sui Patriarchæ invisendi causâ. Verùm Matthias, ubi in Lusitaniam appulit, diem obiit. Iosephus autem, qui sacerdos erat, Romam & Venetias adiit: & ex iis quæ de religione ac moribus suorum retulit, brevis & satis jejunus editus est tractatus, qui reperitur inter Commentarios Novi Orbis. Vbi quod de Religione traditur, à nostrâ non abiit: nisi quòd infantes non baptizant ante quadragesimum diem, excepto mortis periculo: Extremam-Vnctionem, non habent, sed corpora tantùm benedicunt: ad Eucharistiæ sacrificium loco vini, ubi haberi non potest, expresso succo ex uvis passis aquâ immersis utuntur. De cætero Scripturam tam Veteris quàm Novi Testamenti habent; Festa colunt, ac præcipuâ solemnitate octavum diem Paschæ, quòd eo Sanctum Thomam Dominum agnovisse in tactu plagarum dicant: paritérque primam diem Iulij in memoriam ejusdem S. Apostoli à quo fidem acceperunt, celebrant. Iejunia Quadragesimæ & Adventûs diligenter servant: in confessione peccatorum ante sumptionem Eucharistiæ, in matrimoniis, sepulturis, aliísque ritibus, eadem quæ nos observant: cœnobia tam virorum quàm feminarum, ac literarum studia habent. Summum venerantur Antistitem, Catholicum dictum, cui adstant duodecim Cardinales, duo Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi complures: Eidémque omnes Christiani qui in Oriente habitant, obtemperant. Traduntur hæc, & alia nonnulla de illorum Christianorum religione & moribus, in eâdem Iosephi relatione. Quæ in suam quoque Historiam Osorius [q] transtulit: simul & monumenta recensens reperta in Indiâ prædicationis Apostoli S. Thomæ, sacrorúmque ejus temporis ædificiorum, necnon miraculorum & martyrij: præeunte in pluribus Barroso [r] in accuratissimâ universæ Indiæ descriptione. Cæterùm de Iosephi Romam adventu est etiam testimonium Naucleri [s], addentis narrâsse eum res Ecclesiasticas Presbyteri-Ioannis, nostris haud multùm dissimiles. Quo nihilominùs tractatu cum nulla fiat mentio Presbyteri-Ioannis, putamus Nauclerum existimâsse, omnes illarum regionum incognitarum Christianos, fuisse religionis Presbyteri-Ioannis, cujus magnum erat iis temporibus ubique nomen. Quàm verò longissimè discreparet Religio Æthiopum, seu Presbyteri-Ioannis, à Catholicâ, videbitur aliàs.

[p] Ibid. lib. 5. cap. 8.

RELIGIO EORUM.

[q] Osor. lib. 3. ad fin.

[r] Bar. lib. 9.

[s] Naucler. gen. 51.

IX. MOSCORUM IN LITUANIAM IRRUPTIO.

Russi Regi Poloniæ subditi cùm miseris modis singulis ferè annis vel à Tartaris, vel à Turcis, aut Moscis vastari consuevissent, plurimíque se Ioanni Moscorum Duci ritûs Grecanici sectatori ejusdem & ipsi sectatores se dedidissent; atque ipse Russiæ totius dominatum ambiret; factum est hoc [t] anno, ut quòd Alexander Lituaniæ Dux, fraterque Poloniæ & Hungariæ Regum, uxori suæ Helenæ, quæ filia erat Ioannis, delubrum Russici ritus in arce Vilnensi, quemadmodùm conventum fuerat in pactis sponsalibus, non extruxisset; ejus ditionem invadens, fœdè vastaverit: Alexandro ipsóque Ioanne-Alberto Poloniæ Rege aut nihil aut parùm in eum agente. Cur autem Alexander oratorium Russicum uxori non construxisset, hæc causa redditur, quòd frementibus ad hunc conatum Lituanis ac Polonis, metuénsque sibi ab illis, non ausus sit eum exequi.

[t] Crom. l. 30.

X. CRUCIŪ APPARITIO MIRANDA.

Præsenti & insequenti anno (ut Trithemius [u] scribit) apparuerunt in multis Germaniæ locis Cruces in lineis vestimentis hominum, in camisiis & peplis mulierum, in mensalibus & linteaminibus, nec solùm in iis quæ habebantur in usu, sed etiam in iis quæ in cistis inclusa erant: Itémque in corporalibus & palliis altarium, & albis. Erant autem parvulæ, varij ac confusi coloris, nec poterant ullâ lotione deleri, sed post diem nonum aut decimum per se deficientes evanescebant. At mirabiliora fuêre quæ Nauclerus [x] anno proximo contigisse in diœcesi Leodiensi refert, ex literis eâ de re ad Maximilianum Imperatorem ab Episcopo scriptis decimo-octavo die Maij. Nempè à festis Paschalibus illius anni singulis diebus diversis locis apparuisse publicè & inopinatè, seu in Ecclesiis, seu in plateis, aut domibus, vel etiam cubiculis, signum Dominicæ Crucis perfectum, simplex, vel etiam duplex, aut cum minoribus ad latera crucibus in formam scutarij typi regni Ierosolymitani: nigrum autem, vel rubicundum, ita ut in aliquibus videretur esse verus sanguis effusus: Apparuisse autem utplurimùm super capita mulierum, & maximè puellarum, in summitate pepli: Mulierem quandam viginti duorum annorum, cùm ejusmodi Crucem Ierosolymitanam in peplo animadvertisset sanguinolentam, territam, cum reverentiâ peplum illud loco mundo reposuisse, & aliud capiti imposuisse, in quo mox similis Crux apparuerit: adeò ut mutatis spatio novem dierum tredecim peplis, in singulis id ipsum contigerit: Dum aliquando nonnulli eâ de re cum illâ colloquerentur, derepentè in ejus mento visam esse Crucem latitudinis unius digiti, coloris & saporis mellei: cúmque ad adstantium monitionem manum admovere voluisset, apparuisse etiam in eâ similem Crucem; atque utramque post duas horas evanuisse. Apparuisse deinde super eandem varia alia signa ac nonnullos characteres, & in mariti indu-

[u] Trith. in Chron. Sponheim.

[x] Naucl. gener. 51.

siis cruces sanguinolentas: Monitam mulierem à parocho, ut quòd tunc Iubilæus esset Trajecti, eò se conferret paruisse, & docto Theologo peccata sua confessam esse; ac nihilominùs ad peplum capitis erupisse sanguinis tantam copiam, ut in extremam usque fimbriam deflueret, in figuram Crucis sese amplificans; ita ut attrectatus digito adhæreret, in præsentiâ Episcopi qui ibi erat. Hæc Nauclerus: quorum etiam meminit eodem anno Trithemius; addens, de his Crucibus & mirandis luculentum tractatum compositum fuisse à Matthæo Herbeno Presbytero Ecclesiæ Trajectensis, qui vidit. Extátque de iisdem nobile Carmen heroïcum Ioannis-Francisci Pici Mirandulani, hortatu Maximiliani Cæsaris compositum.

XI. NAUCLERI, ET ALIORŨ SCRIPTA.

Nauclerus autem, post utilem ad hæc monitionem de tot signis monstrísque, quæ Deus his temporibus in hominum emendationem fieri enascíque voluit, quæ tamen ij parùm adverterent; finem imposuit Chronico suo, quod ab Orbe condito eò usque perduxit. Fuit autem nobilis Suevus, filius Ioannis Vergæ, quæ vox nautam notat; unde *Nauclerus* Græcâ appellatione vocatus. Qui cum Iuris studio Theologiam conjungens, Præpositus fuit Tubingensis; ac novâ ab Wirtembergensi Comite Academiâ ibidem Tubingæ erectâ anno 1477. primus ejus Rector extitit. Cujus Chronicon, priusquàm ederetur, Philippus Melancthon interpolâsse dicitur, disponendo, augendo, retexendo, quâ id fide, qui hæresim sectabatur, cæteri viderint. Ei verò Chronico Appendicem annorum octodecim addidit *Nicolaus Baselius* Monachus Hirsaugiensis. Sed nobilior illa, quam ex optimis quibusque Scriptoribus (ut profitetur) collectam subjunxit *Fr. Laurentius Surius* Carthusianus, patriâ Lubesensis, professus Coloniensis: quam posteà auctam separatim edidit, titulo, Commentarij brevis Rerum in Orbe gestarum; perduxitque ab hoc anno ad 1568. rursúmque continuavit ad annum 1574. ab hoc verò item præsenti anno *Roverus Pontanus* Carmelita Bruxellensis Historiam suam, seu potiùs versionem Latinam Historiæ Germanicè scriptæ Gasparis Gennepei Coloniensis, contra Sleidani mendacia inchoavit.

XII.

y Onuphr. in Chron. Eccl.

z An. 1497. X.

PATRIARCHARUM CŌSTANTINOP. SUCCESSIO.

Quo item anno ponit Onuphrius [y] ingressum *Pachomij* Patriarchæ Constantinopolitani Græci. Idque sustineri posse existimamus, consideratis quæ de Ioachimi ejus decessoris ingressu diximus superius [z] ex auctoribus Græcis, & quæ iidem porrò de illo subjiciunt. Qui quidem cùm ex Iberiâ reversus dives, mox in invidiam multorum incidisset, quidam nebulo metropolita olim Selybriæ, dignitate ob scelera depositus, ærario Bajazetis augmentum Charatzij, hoc est tributi annui pendi à Patriarchâ consueti, obtulit mille ducatorum. Eâ re cum gratulatione à Turcis auditâ, accersito Ioachimo significârunt nisi illud augmentum penderet, throno cedendum esse. Eligente Ioachimo throno cedere, pius populus veritus ne scelestus ille Selybriensis illum occuparet, additionis illius solutionem in se recepit. Cùm verò paulò pòst Bajazetes in Propontidis partibus deambulans, domum animadvertisset tegulis decorè contectam, accepissétque Ecclesiam Christianorum esse recèns permissu Patriarchæ constructam; iratus inde tyrannus quòd se inscio id ausus esset Patriarcha, confestim illum deponi jussit, aliúmque in ejus locum sufficit. Cujus imperio Græci obniti non valentes, tertium elegerunt *Niphonem*, jam bis depositum. Eóque recusante, *Pachomium* Zichnensem Præsulem in thronum evexerunt. Cui cùm Onuphrius decennium tribuat, explicanda ita res est ex Græcis [a] auctoribus, ut primâ quidem vice Pachomius unum tantùm annum sederit: post quem amicis Ioachimi augmentum Charatzij offerentibus quingentorum ducatorum, (ut jam esset trium millium quingentorum ducatorum) jussu Bajazetis pulso Pachomio, *Ioachimus* restitutus fuerit. Cùm autem idem in Moldaviam ad emungendas pecunias abiisset, haud permissus à Principe provinciam ingredi ob susceptum iniquè Patriarchatum, minimè hanc ignominiam concoquere valens, mœrore obierit: ac rursùm in thronum restitutus fuerit *Pachomius*. Sub quo cùm dicti auctores Græci dicant diem obiisse Bajazetem, qui nonnisi anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo obiit; proinde satis apparet Theoleptum malè ab Onuphrio biennio antè collocari, qui subsequi debet. Cujus intereà titulum Patriarchatûs inter Latinos post Michaëlium [b] Cardinalem Venetum gessit *Marcus Cornelius* item Venetus & Cardinalis.

a Turcogr. lib. 1. & 2.

b Suprà an. 1490. XI. in fin.

XIII.

c Genebr. Chron. lib. 4.

LEMLEM PSEUDOMESSIAS.

Hoc item anno ponitur à Genebrardo,[c] ex quodam Rabbino Iudæo, fuisse in Germaniâ quendam Iudæum nomine *Lemlem*, qui suis persuasit se esse verum Messiam quem expectabant. Quod videtur Basileus in Supplemento Naucleri confudisse cum historiâ Sofi Persarum.

IESU CHRISTI Annus 1501.

ALEX. VI. An. 9.

MAXIMILIANI An. 8.

I.

ANNO Christi 1501. Indictione quartâ, Alexander Pontifex Epiphaniæ die Indulgentias Iubilæi clausit; eásque ad cæteras provincias disseminavit; missis jam anno præcedenti quaquaversùm Cardinalibus & Prælatis qui eas promulgarent, & Principes ac populos ad concordiam inter se & ad bellum Turcicum, cui ipsemet præstò esse vellet, atque ad subsidia pecuniarum præstanda, cohortarentur. Inter quos egregia est frequénsque apud Krantzium [a] & Trithemium [b], mentio *Raimundi* tituli S. Mariæ Novæ, presbyteri Cardinalis in Germaniam, Daniam, Sueciam, & Prussiam Legati: qui præclarè munere suo per aliquot annos fungens, Ecclesias visitavit, clerum à concubinis purgans, monachos ad pristinam disciplinam revocans, pacem inter Principes & civitates dissentientes concilians. Fuit autem natione Gallus è pago Surgeriis in Santonibus, cognomine Perauld; Gurcensis etiam dictus ab Ecclesiâ priori sub metropoli Saltzburgensi, cùm fuerit posteà Santonensis Episcopus. Súntque [c] binæ ejus-

a Krantz. 14. Vvandal. 30. 8. Dan. 41. 12.

b Metrop. 3. Trithem. Chron. Sponheim. an. 1501. 1503. 1505.

RAYMŨDI CARD. INSIONIS LEGATIO.

c In Collect. Epist. Turc.

dem egregiæ ad Germanos proceres & Helvetios, ex itinere cùm podagrâ detineretur scriptæ epistolæ, ad bellum contra Turcos suscipiendum hortatoriæ. Necnon ejusdem narratio de gestis suis Lubecæ, & in Daniâ; quibus locis potissimùm eum operi pacificatorio insudâsse, Krantzius testatur. Itémque de dignitate sacerdotali super omnes Reges terræ; & alia quædam olim in Germaniâ excusa. Qui & adeò divitiarum contemptor fuisse dicitur, ut omnia elargiendo nihil sibi reservaret. A Iulio verò Alexandri successore ditatus, dum eum legatione Viterbiensi honestavit, ibi obiit Nonis Septembris anni millesimi quingentesimi quinti; ut in ejus epitaphio ad ejus sepulcrum posito legitur.

II. Cùm adhuc vigeret bellum inter Turcos & Venetos, misisséntque sua auxilia Ludovicus Francorum & Ferdinandus Hispaniæ Reges, ut jam superiùs diximus; urebat tamen magis illos cura regni Neapolitani, quòd ad se pertinere uterque contendebat; Ludovicus quidem eodem jure quo Carolus VIII. illud invaserat; Ferdinandus autem ex eo quòd etsi Alfonsus Magnus Aragoniæ Rex peculiari, & ab Aragoniæ separato jure id adeptus esset, ideóque tanquam rem propriam Ferdinando filio notho tradidisset; tamen quòd Aragoniæ armis & pecuniis id adeptus esset, magis ad Ioannem Alfonsi fratrem, patrémque Ferdinandi pertineret, quàm ad ejus spurium. Quid argutius? Ait autem Guicciardinus [d], hanc tacitam querelam Ferdinandum astutiâ & patientiâ Hispanicâ hactenùs variis modis texisse; quamquam non ita, ut ejus cupiditas nota non fuisset Regibus Neapolitanis. Eâdem itaque cupiditate in Gallo & Hispano Rege conspirante; ille ut impedimenta & difficultates regni adipiscendi removeret, (cùm & maximè de Imperatore Maximiliano & Venetis vereretur) iste ut ejus quod diù optaverat partem adipisceretur, cùm ad totum occupandum nulla occasio aut causa appareret; illud eodem tempore invadere pacti sunt, ita inter se consiliis secretis dividentes, ut Hispano Apulia & Calabria, Gallo Neapolis cum reliquâ parte regni obtingeret: specie facto prætentâ (præter cætera utriusque Regis jura) bellum inde commodiùs pro religione Christianâ Turcis inferendi, quos Fridericus in ejusdem Religionis perniciem accersere conabatur, meritò vel eâ causâ regno privandus. Quæ Pontifici in Senatu Cardinalium per legatos utriusque Regis simul significata, cùm ei gratissima extitissent, in Fridericum jam satis commoto, & spem ab utroque Rege accipienti suos ex communi prædâ novis ditionibus augendi: utrique Pontificiâ auctoritate partis decretæ imperium suo diplomate quasi beneficiariis Ecclesiæ Romanæ confirmavit; Gallo Neapolitani & Ierosolymitani Regis, Hispano Apuliæ Ducis titulo. Fœdus autem istud haud mirum si stabile non fuerit, cùm nec jure nec æquitate constaret. Quid, quod contra præceptum divinum tam Veteris quàm Novi Testamenti factum videri possit? (Omitto plurimas rationes, qnas plerique afferunt, & porrò alij afferre possunt.) Prohibuit enim Deus populo suo per Moysen in Veteri [e] lege ne ararent in bove simul & asino, nec indueretur quis vestimento ex lanâ linóque contexto. Et in novâ [f] per se ipsum Dominus indicavit, si immittatur commissura panni rudis in vestimentum vetus, futurum ut tollat plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fiat. Annon verò hoc ita in his evenit? Nec sanè potuit aliter, cùm Domini verba non possint non esse vera.

d Guicc. l. 5.

FRANC. ET HISP. REGES PARTIŪTUR INTER SE REGNUM NEAPOL.

e Deuter. 22.

f Matth. 9.

III. Quare & narrat Guicciardinus, summè admiratos omnes esse Galliæ Regem, ac prudentiam in eo desiderâsse, quòd potiùs ejus regni mediam partem in Hispani Regis manus pervenire, Regémque æmulum suum in Italiam, ubi omnium rerum solus arbiter erat, ad quem omnes ipsius hostes confugere possent, introducere; quàm Fridericum, ipsius beneficio, grandi tributo, quemadmodùm variis modis quæsierat, dato, regnantem pati voluisset. Nec minùs communi hominum sententiâ in Ferdinando Hispano fidem integritatémque desideratam esse, quòd ejus regni partis occupandæ cupiditate in consanguineum suum conjurâsset; quódque quò faciliùs eum evertere posset, semper falsis auxilij promissis fovisset, & Catholici Regis nomen ac splendorem, ante paucos annos à Pontifice acceptum obscurâsset. His verò utrique Regi objectis, pro Galliæ Rege nihil aliud responsum esse, nisi Gallorum tantam esse potentiam, (quid fastuosius? quid inconsiderantius? minimè advertebant cum quibus res sibi futura esset:) ut cùm tempus foret, omnibus erroribus obviam ire posset. Pro Ferdinando; quamvis à Friderico justam belli inferendi causam accepisset, quòd illum cum Galliæ Rege multò antè occulta in suum detrimentum consilia agitâsse sciret, tamen non hâc de causâ motum fuisse, sed cùm Regem Galliæ prorsùs regnum ejus invadere statuisse animadverteret, se aut ad illum tuendum, aut deserendum cogi: si defensionem suscepisset, tam gravis incendij initium fore, ut Turcorum armis resisti non posset, sin deseruisset, suum Siciliæ regnum in grave discrimen conjici: In hâc autem ancipiti deliberatione divisionis viam se elegisse, quòd ex Gallorum perversâ administratione illorum quoque partem brevì sperare posset. Istas fuisse excusationes Ferdinandi, Guicciardinus scribit. Nec sanè fefellêre eum sua consilia. Noverat se, noverat socios: quos facilè fuit hujusmodi præmeditatis artibus incautos in suâ insolentiâ & imprudentiâ atque improvidentiâ opprimere.

III. REGUM EXCUSATIONES.

IV. Fridericus interim, priusquàm techna detegeretur, sperans se à Ferdinando adjutum iri contra Gallos, Çonsalvum Magnum Capitaneum ad se è Siciliâ evocavit: videlicèt ovis lupum. Qui illo miserè eluso, brevì totam partem Regis sui in potestatem accepit: quemadmodùm ex aliâ parte & Galli, duce terrestris exercitûs Albinio Scoto, maritimi Philippo Ravestano Genuæ Gubernatore, æquè portionem suam adepti sunt, ipsâ etiam Neapoli occupatâ extremo mense Iulio; Friderico in Ænariam sive Ischiam insulam abire permisso, quam in sextum tantùm mensem retinere deberet. Vbi quid acturus esset hæsitans, summo in Hispaniæ Regem, à quo

IV. FRIDER. REX DELUSUS RECIPIT SE IN GALLIAM.

se fœdè proditum querebatur; odio ductus, ad Galliæ Regis clementiam potiùs confugere statuens; fide ab eo acceptâ, suísque in arce Ischiæ relictis, (sororibus videlicèt suis Beatrice olim Hungariæ Reginâ, & Isabellâ Mediolani Duce, cum aliquot liberis suis parvulis, calamitoso regiæ familiæ statu, sub curâ Inici Avali Marchionis Vasti) in Galliam navigavit; improvido, ut multi existimârunt, consilio, qui si libero aliquo loco constitisset, in iis quæ mox acciderunt inter Gallos Hispanósque dissidiis, multas occasiones regni recuperandi nancisci potuisset. Verùm pecuniâ exhaustus, etiamsi a suis revocatus fuisset, quî sperare id potuisset, tantis Regibus tantâ contentione bellum idemtidem instaurantibus? Securiorem igitur & tranquilliorem viam secutus, conditionem oblatam ut in Galliâ maneret à Rege accepit, Ducatum videlicèt Andegavensem cum annuâ pensione triginta millium nummûm aureorum, quibus dignitatem regiam nullo periculo aut timore, vel rerum sollicitudine sustentaret.

DE SANNAZARIO. Erat ei à commentariis *Actius Sincerus Sannazarius* insignis vates Neapolitanus, qui etiam fuit ejus exilij individuus comes. Cujus ingenio & eruditioni multi honores [g] habiti sunt à Rege Ludovico; eóque pòst agente, exuli in patriam restituto, bona reddita fuêre satis ampla: qui demùm mortuus est Romæ anno Christi 1530. ætatis suæ 72. ut ex epitaphio ad ejus monumentum apposito Neapoli, quò delatum est corpus ad sepulturam, intelligitur. Friderici filius natu maximus, Ferdinandus vocatus, Calabriæ Dux, adhuc impubes, cùm Tarenti obsideretur à Consalvo in deditionem acceptus est; jurante ad sacrosanctam Eucharistiam Consalvo permissurum se ut liber quò vellet abiret; (acceperat autem à patre mandatum, ut ad se in Galliam veniret:) qui nihilominus nullâ vel juramenti, vel Dei timoris, vel humanæ existimationis ratione habitâ, quod magni interesse reputaret, ut regni legitimus hæres in sui Regis potestatem veniret; eum in Hispaniam sub fidâ custodiâ, misit, ubi initio regio penè honore habitus fuit. Hicque rerum Neapolitanarum hujus anni finis. Quibus & illud insigne admodùm, rarúmque pietatis exemplum exhibitum est; ut cùm Gilberti Mompenserij, quem sub Carolo VIII. proregem Neapolitanum Puteolis mortuum sepultúmque vidimus, filius Ludovicus adolescens ad invisendum patris sepulcrum Puteolos concessisset; supra illud se projiciens innumeris effusis lacrymis, vi mœroris spiritus vitæ auctores comprimentis expiraverit. Quod Guicciardinus [h] narrat, unà cum prædictis omnibus compendio à nobis relatis, cui præ cæteris omnibus libenter inhæremus: Hispanorum inter alia inanes excusationes, anxiè admodùm quæsitas, de fide Ferdinando puero non servatâ, unà cum Marianâ [i] & rejicientes & damnantes. Horum autem inter illos Reges dissidiorum occasione, fœdus Principum contra Turcos initum, in fumum abiit: quod distinctiùs in Historiâ [k] Hospitalariorum describitur, eò quòd fuerat tam Pontificis quàm cæterorum Principum consensu universarum copiarum præcipuus dux constitutus Albussonius illius Ordinis Magister & Cardinalis: illudentibus sic & ipsi, & universæ Christianitati, Deóque ipsi, (si sic dicere liceat) Principibus cum suis fictionibus & argutiis.

[g] Marian. lib. 28. c. 2. in fin.

[h] Guicciard. lib. 5.

[i] Mar. lib. 27. cap. 12.

[k] Bos. tom. 2. lib. 15. & 16.

V. LEGATIO ANGLERII AD SULTANUM.

Cùm verò Sultanus Ægyptius in Regem Ferdinandum, jam ab ipso tempore quo Mauros Granatenses primò oppressisset, commotus fuisset; indéque periculum imminere videretur Christianis ejus imperio subditis, quos se deleturum minabatur: nec cæteris libera facultas esset adeundi Ierosolymam ad sacrum Domini sepulcrum, quod in ejus potestate ac ditione erat: leniendi ejus animi causâ misit Ferdinanandus ad eum, *Petrum Martyrem Anglerium* Mediolanensem à regiis sacris perspectâ prudentiâ virum; cujus jam factâ superiùs mentio, qui præclarè officio functus, quæcumque voluit agendi dexteritate impetravit. Extat ejus legationis historia, integerrimè ab ipsomet tribus libris conscripta: quâ significat se ex urbe Granatâ Idibus Augusti præsentis anni millesimi quingentesimi primi dimissum esse à Regibus Ferdinando & Isabellâ: Venetias terrestri itinere, inde Alexandriam Ægypti mari pervenisse decimo Calendas Ianuarij, & apud Cairum Sultanum convenisse initio Februarij anni subsequentis. Ei, post dilutas Iudæorum & Mahometanorum Granatensium in Reges Hispaniæ calumnias, aperuisse causas suæ legationis; quæ videlicèt erant, ut Ierosolymis vetusta collapsa reficere, & quæ ruinam minarentur ad Christi memoriam olim ædificata resarcire permitteretur, prætereà ut novæ exactiones tollerentur, quæ in peregrinos adauctæ adeò fuerant, ut persolvere nemo jam quiret: útque ignominiis in peregrinos illatis provideretur. Quæ singulas se impetrâsse Anglerius ait, acceptis chirographis Sultanicis. Hujúsque legationis occasione multa singularia adscribit de Ægypto, Cairo, Pyramidibus, Crocodilis, & aliis ejusmodi. Sultano qui tunc dominabatur, nomen fuisse *Campsoo* [l] *Gauro*, Scythæ origine ex montibus Ciarchesis, vultu jucundo, facie pingui subfusculâ & patrio more barbatâ, aspectu feroci aliquantulùm, oculis reductis & parvis, gravi motu, staturâ plusquàm mediocri, ætate circiter quinquagintâ quinque annorum. De *Mammaluchis* [ll], quæ erat militia ejus equestris, & ex quorum corpore deligebatur: item agens, ait assumi consuevisse ex Christianis raptis in pueritiâ, emptitiísque, ex Mahometanis effectis; nec ex aliâ gente ullum admitti non quidem à Iudæis, quoniam dolosos esse; & gerendis armis minimè aptos existimant: nec item ex Mahometicæ legis viro aut feminâ genitis, quoniam ab ipsis sibi timent: Idque adeò apud eos invaluisse, ut neque proprios filios, qui Mahometani effecti, aut ex Mahometicâ muliere orti essent, armis instruere, vel ad honores & magistratus evocare liceret: quamquam pecunias, domos, supellectilia, ac prædia eis legare non prohiberentur: Denique ex Mammaluchis proceres, ex proceribus Sultanos creari consuevisse. Hæc pleniùs Anglerius; ex quo alij pleraque in suas narrationes tacito ejus nomine transtulerunt. Scripsit ille prætereà Decades Oceaneas, vt vocat, de Novi Orbis inventione, necnon de bello Granatensi, majore fide quàm ele-

[l] Vid. infr. an. 1504. VIII.

[ll] Vid. supr. an. 1250 V. & infr. an. 1516. V. 1517. XI.

gantiâ : Epistolarúmque volumina, quæ ferè diaria sint rerum toto orbe suo tempore gestarum, quarum cognitio ad Reges Hispaniæ perveniebat, apud quos ipse agebat.

VI. PHILIPPI BELGÆ ITER IN HISPANIAM.

Hoc eodem anno Philippus Archidux, Belgij Princeps, filiúsque Maximiliani Imperatoris, à socero Ferdinando Hispano sollicitatus in Hispaniam trajicere cum Ioannâ conjuge, sacramentum à populis accepturus de regni successione; è patriâ movens mense Novembri per Galliam iter facere decrevit: & magnificentissimè ubique acceptus, (ac præcipuè Parisiis; ubi nihilominùs se omnibus actionibus & cæremoniis Flandriæ nomine beneficiarium regni exhibere non recusavit) Regem Ludovicum apud Blesas tunc agentem convenit: ubi sancita anteà cum ejus patre Maximiliano concordia & pax, novâ sacramenti religione confirmata est; eâ potissimùm lege, ut Carolo Philippi filio Claudia Ludovici filia nuberet, cum dote Mediolanensis Ducatûs cùm ad ætatem pervenissent, cùm neuter adhuc triennium attigisset. Delati posteà in Hispaniam, & nullo non honore & gaudio recepti, ad undecimum Calendas Iunij anni proximi, Toleti sacramentum à singulis regni Ordinibus in eorum verba jurantibus recepêre; & ad sextum Calendas Novembris ab Aragoniis Cæsaraugustæ; novo apud hos exemplo, ut feminæ nondum extinctis parentibus regni hæreditas Aragonij juramento Ordinum confirmaretur, uti Mariana [m] narrat.

[m] *Mar. lib. 27. cap. 11. & 14. Vid. supr. ann. 1497 III.*

VII.

Hoc item anno nonnulla contigerunt in Poloniâ minimè omittenda. Cùm igitur ad principium anni Ioannes-Albertus Rex [n] comitia regni celebraret, venerunt ad eum oratores Stephani Walachiæ & Moldaviæ Vaivodæ, & Siachmatis Imperatoris Tartarorum Zavolhensium: illi quidem Eliam Petri, qui ante Stephanum principatum gesserat filium ad Polonos profugum, quod affectare dominatum diceretur, ex fœdere deposcentes: Tartari verò nunciantes, principem suum, legatione Regis & Alexandri Lituanorum Ducis evocatum contra Mahometkereium Præcopensium sive Tauricanorum Tartarorum principem, adesse ad Boristhenem cum centum millibus equitum, expectaréque Polonos & Lituanos, ut junctis viribus communem hostem adorirentur.

[n] *Michov. lib. 4. c. 76. & 80.*

TARTARORUM LEGATIO IN POLONIAM.

VIII. TARTARORUM HORDÆ.

Erant enim, súntque hactenùs Tartari in plurimas Hordas, ut vocant, hoc est multitudinis congregationes divisi, omnésque penè Mahometicæ superstitionis professores; nisi quòd dicuntur inter eos esse nonnullis locis & Gentiles, & Iudæi, & Nestoriani. Habéntque singulæ suos Duces seu Imperatores. Ex omnibus tamen quatuor præ cæteris nominatæ reperiuntur: istorum nempè *Zavolhensium*, ex quâ cæteræ prodiisse perhibentur, adeóque cæterarum omnium velut princeps & caput est, cujus & Regi propriè competit ut vocetur, Chaam, hoc est dominus seu Imperator. Clauditúrque ab ortu solis mari Caspio; ab occasu, fluviis Tanai & Volhâ; à septemtrione, campis longissimè latissiméque protensis; à meridie, partim mari Euxino, partim altissimis montibus Iberiæ & Albaniæ *Præcopensium*; sic dicta quoniam super cætera naturæ munimenta fossis etiam & aggeribus munitas habet regiones, occupátque Chersonesum Tauricam, & quicquid ad Mæotidis usque paludem interjectum est; cujus Rex *Cæsarem* se dicit *Nahaicensium*, sive *Nogaiensium*; qui plagam frigidiorem Septemtrionis inhabitant, Moscoviæ à parte Orientali adjacentes; ac Principes suos non Reges, sed *Duces* vocant. Et *Gazanensium*, ab urbe ejus nominis ad flumen Volham circa metas Moscoviæ nomen sortita: cujus incolæ uti cæteris hordis longè pauciores sunt & imbecilliores, (unde & Moscovitis servire post multa bella tandem coacti sunt) ita & ingeniosiores & aliquantò humaniores existentes, agriculturam rémque domesticam curant, in domibus habitant, & mercimonia exercent: cùm cæteri ferè omnes, præter insignes aliquot urbes quas incolunt, incertis vagentur sedibus & catervatim in campis nullis finibus observatis degant: unde & *Campestres* nuncupantur; & quò plures provincias desolaverint, eò se regna sua ampliora reddidisse dicunt. Ratíque gravem esse infelicitatem diù eodem loco hærere, velut grande malum liberis suis, cum eis irascuntur, imprecari solent, ut eodem loco perinde ac Christiani perpetuò morentur. Sunt verò & aliæ plures Hordæ, diversis hominibus, & nonnihil moribus, sicuti & quatuor superiores, ab invicem distinctæ: Inter quas posterioribus temporibus *Cosazkij*, ultra Viatcam regionem & Cazanense regnum habitantes, frequentibus in Turcos, Polonos, aliósque populos incursionibus, famosi facti sunt. Quorum omnium regiones & mores descripsit accuratè Alexander Guagninus Veronensis in suâ Sarmatiæ Europææ descriptione; bella etiam eorum, ac multorum debellationes tam à Moscovitis quàm à Turcis factas enarrans: breviúsque, nec tamen minùs dilucidè Matthias Michovius Polonus tractatu de Sarmatiâ Asianâ atque Europæâ.

IX. POLONORUM INIQUA JUDICIA.

Legatis igitur Siachmatis à Rege Poloniæ actæ sunt gratiæ: fœdúsque ictum, & utrimque juramento confirmatum: à Rege quidem Christiano more super sancta Evangelia; à legatis verò Tartaris, ritu suo aquâ strictis frameis infusâ & sorptâ, ei qui fœdus violásset imprecantibus ut a frameis incideretur, & ut aqua deflueret. Quod tamen parùm eis profuit: quandoquidem Siachmates, nihil à Polonis aut Lituanis adjutus, frigore & inediâ consumptus, ab adversario fugatus Vilnam Lituaniæ, velut in portum sese recipiens, diligentiùs asservatus est, Deum contra jurisjurandi violatores imprecans: verè, ut Michovius [o] ait, Siachmet, hoc est martyrizatus à suis nuncupatus, quòd variè à Polonis & Lituanis agitatus, diuturno carcere detentus fuerit. De Stephani verò Vaivodæ postulatis cùm aliquamdiù inter Polonos consultatum esset, dederéque insontem & supplicem durum & immane videretur, servare autem fœderi repugnaret, & bellum allecturum esset; nova, eáque mira, si non & prorsùs barbara, inventa est ratio se ab his perplexitatibus expediendi, ut neque miserum profugum dedentes, neque servantes, capite plexerint, inspectantibus Stephani legatis. Ac ne injustè id factum esse existimaretur, vulgârunt crimen

[o] *Michov. Sarmat. lib. 1. cap. 8.*

aliquod falsi in quibusdam literis regiis eum scilicèt commisisse.

X. Ioan. Alberti Regis Polon. obitus.

Post hæc idem Rex *Ioannes Albertus* susceptâ adversùs Fridericum è Ducibus Saxoniæ Ordinis Teutonici Magistrum expeditione, detrectantem sibi juramentum de Prussiâ, sicut olim conventum fuerat inter eorum antecessores, præstare; (inductum ad id maximè à Maximiliano Imperatore, & aliis Germanis Principibus, omnia prolixè pollicentibus, & ad rebellionem cohortantibus:) Toruniæ apoplexi die decima-septimâ Iunij repentè correptus mortem oppetiit, anno vitæ quadragesimo-secundo, regni nono, neutro expleto; vindictam fortè sentiens & supradictæ infelicis Eliæ occisionis, & Tartarorum contra datam fidem desertionis. Corpus ejus Cracoviam revectum, in basilicâ arcis sepultum est, matre funus prosequente. Fuit autem ingenio magno, literarum ac præsertim historiæ studiosus; liberalitate in milites & magnitudine animi non vulgari; bellis autem parùm fortunatus: in Venerem proclivior, celebs totâ vitâ. Factâ consultatione de successore, præside Friderico Cardinale ejus fratre Archiepiscopo Gnesnensi simul & Episcopo Cracoviensi, in reliquos ejusdem fratres divisa sunt procerum studia; multis Vladislaum Hungariæ & Boëmiæ Regem, nonnullis Sigismundum Glogoviensem Ducem, pluribus Alexandrum magnum Lituanorum Ducem postulantibus, & suis quibusque sua vota rationibus roborantibus. Sed vicit eorum sententia qui *Alexandro* favebant, ratione habitâ summæ utilitatis quæ ex conjunctione Lituanorum cum Polonis emergeret.

Alexandri successio.

Qui è Lituaniâ evocatus, die vigesimâ Novembris Cracoviam ingressus est; ac tertiâ Dominicâ Adventûs, quæ fuit dies duodecima Decembris, per prædictum fratrem suum Cardinalem inunctus & coronatus. Ejus tamen uxori Helenæ, filiæ Ioannis Moscoviæ Ducis, quòd ritûs Græcanici sectatrix esset, diadema de more Reginarum minimè impositum est.

XI. Fossariorum turpiss. hæresis in Boemia.

His temporibus (ut scribit Trithemius) adeò multiplicati sunt in Boëmiâ hæretici, qui vulgò *Fossarij* nominabantur, propterea quòd in fossis & occultis speluncis nocte convenirent, turpiter se invicem nullo discrimine more brutorum immiscentes; ut hoc anno ad novemdecim millia crevisse dicerentur: qui & Ecclesiam Dei & ministros ejus contemnebant, sacramenta irridebant, infinitósque alios errores profitebantur: Ad quos etiam multi nobiles atque potentes viri deficiebant: tanta etiam pietatis specie, seu væsaniæ motu, in turpissimis his moribus, ut eorum unus quadraginta florenorum millia inter illos in eleemosynam effuderit: Cúmque alius quidam nobilis Catholicus oppido quodam empto, iisdem hæreticis referto, proposuisset eis ut aut renunciarent erroribus, aut ab oppido discederent; cuncti unanimiter relictis bonis suis omnibus cum baculo abierint ad alios erroris sui socios, à quibus tanquam martyres Dei fuerunt cum gaudio & honore suscepti, & rebus necessariis abundè impertiti. Apostolorum se imitatores profitentes, mirâ subtilitate errores suos defendebant, recipientes certis superstitionibus & execrationibus spiritum erroris (quem divinum ipsi vocabant) haustu grandis muscæ, quæ in os eorum qui his mysteriis initiabantur (neque enim omnes ad ea secreta admittebantur) ingrediebatur, eósque valdè doctos & mirabiliter astutos reddebat; adeóque obstinatos, ut nullis tormentorum generibus ad rectam fidem reduci valerent. Adversùs quos, seu alios in Boëmiâ pullulantes hæreticos, cùm audîsset Alexander Pontifex Ladislaum Hungariæ & Boëmiæ Regem iturum esse, Petro Cardinali Rhegino in Hungariâ Legato præcepit [p], Regem in eo negotio laborantem comitari, & si ad tractationem potiùs quam ad arma res veniret, audire quidem, sed nihil priùs hæreticis respondere quàm ad Sedem Apostolicam retulisset. Qui fortè hæretici iidem fuerunt cum Pikardis ejusdem Boëmiæ hæreticis, iisdem turpitudinibus infectis; de quibus jam dictum superiùs, dicetúrque porrò inferiùs.

[p] Ap. Bzov. hoc an.

XII. De quodam Mercurio summo philosopho.

Hoc eodem tempore (ut Trithemius prosequitur) Lugduni in Galliâ adfuit Italus quidam nomine *Ioannes* qui se *Mercurium* maluit appellari propter omnimodam quam profitebatur scientiam antiquorum omnium Hebræorum, Græcorum, & Latinorum; quos etiam eruditione ac sapientiâ se longè superare jactabat. Vxorem circumducebat & filios, omnes lineis indutos, & imitatione Apollonij Tyanei quondam philosophi, ferream catenam à collo portantes. Magnam præseferens gravitatem, prophetam etiam agebat, sed mendacem: metallorum etiam veram transmutationem promittens; artémque profitens magicam naturalem, quam prisci Reges & sapientes in pretio habuisse cognoscuntur. Aliquanto tempore apud Regem Galliæ in pretio existens, duo ei insignia dona contulisse memoratur: ensem videlicèt centum & octoginta gladiolis refertum, & clypeum mirabili speculo illustratum; quæ sub certâ constellatione se fecisse, in quodam libello commemorabat, & quem essent productura effectum vi naturæ secretum manifestabat. Denique rex volens hominis experiri scientiam, Medicos cum eo disputare præcepit; qui retulerunt illum supra hominem sapere, & cunctos mortales sapientiâ superare. Aurum quod illi Rex contulit, omne pauperibus distribuit, & sua paupertate contentus nihil penitùs ex omnibus sibi reservavit. Ita de illo Trithemius: qui de simili ferè doctore Hispanico *Fernando Cordubensi*, antiquiorem historiam affert, quam nos ex eodem, suo loco [q] recensuimus. Et ex his videas quàm negligentiores fuerint ipsi Galli, extraneis, in ejusmodi rerum observationibus, quarum nullam apud eorum scriptores memoriam reperimus.

[q] Supr. an. 1445. IX.

XIII. Poenitentiū Peregrinatio.

Subdit verò rursùm, venisse hoc eodem anno ex Italiâ viros tunicis indutos leucophæis, capite pedibúsque nudis, gestantes tantummodò manibus singuli parvulam Crucem ligneam: neque saccum deferentes neque peram, nec pecuniam recipientes, neque baculis utentes, nec vinum aut cervisiam bibentes, ac semel tantùm in die, exceptâ Dominicâ, se reficientes oleribus & radicibus cum solo sale & aquâ; atque in Ecclesiis prostrati in ter-

ram in modum crucis orantes: Circuîsse per civitates & villas, nec ultra viginti quatuor horas uno loco constitisse: plures fuisse inter eos ex ordine clericorum, mulieres nullas; ac quinquennio elapso cessâsse eorum pœnitentiam.

XIV. ALIA PERDITORUM COLLUVIES IN LOMBARDIA.

Fuisse verò aliam perditorum hominum utriusque sexûs colluviem in Lombardiâ eodem tempore, intelligitur ex literis [r] Alexandri Pontificis contra illos datis ad Ancelum de Veronâ Ordinis Prædicatorum in eâ provinciâ Inquisitorem: quibus significabat accepisse se diversas ibi utriusque sexûs personas, diversis incantationibus & diabolicis superstitionibus operam dare, multáque nefanda scelera procurare, homines ac jumenta & agros destruere, ac diversos errores inducere: ac propterea ei mandabat de his diligenter inquirere, ac reos punire. Cúmque idem Pontifex [s] percepisset nonnullos Ruthenos, & alios quosdam in Lituaniâ Græcorum ritum complexos, cupere Romanæ Ecclesiæ se adjungere, sed interim non deesse qui dicerent debere illos necessariò rebaptizari, propterea quòd more Græcorum in tertiâ personâ baptizati fuissent: scripsit ad illos ex decreto Concilij Florentini sub Eugenio IV. celebrati, reverâ baptismum conferri etiam cùm in personâ tertiâ dicitur, *baptizetur talis servus Iesu Christi, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, quamquam in Latinâ Ecclesiâ non debet mutari vetus forma. *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Amen.* Quam Alexandri constitutionem datam Romæ decimo Calendas Septembris præsentis anni, inseruit integram accuratissimo suo rerum Moscovitarum & Ruthenarum commentario, Sigismundus Liber Baro in Herberstein, ubi de illorum Religione agit. De quâ etiam, rebúsque Moscorum & Lituanorum, multa Surius refert.

[r] Reg. Alex. ap. Bzov. hoc an.

[s] Sur. in Comment.

DE BAPTISMO GRÆCORUM.

IESU CHRISTI Annus 1502.

ALEX. VI. An. 10.

MAXIMILIANI Ann. 9.

I.

BELLUM NEAPOLIT. OCCASIONE PARTITIONIS.

ANNO 1502. Indictione quintâ, controversiæ jam anno superiori inter Gallos & Hispanos oriri cœptæ, de provinciarum regni Neapolitani finibus non satis in partitione earum designatis, in bellum apertum eruperunt. Nec potuit aliter inter nationes moribus, ingenio, & institutis maximè discrepantes, sibíque invicem invidentes. Quarum controversiarum origo fuit, quòd utrique eam partem quæ nunc Capitanatus dicitur, sibi deposcerent, propter opimum inde hauriri consuetum ex pecore vectigal deposcentibus sibi illam Gallis ex veteri provinciarum regni appellatione ac divisione, Hispanis ex novâ ab Alfonso Rege factâ. Quibus subinde additis de quibusdam aliis provinciis rixis cùm nec inter duces utriusque partis in regno existentes, Ludovicum Armeniacum Nemorsij Ducem, & Consalvum Magnum Capitaneum, nec item inter Reges ipsos, variis tractationibus factis, & concordiæ quæsitis ac propositis viis, conveniri potuisset; sive id Gallorum culpâ, ut longis sermonibus Hispani [a] (sicuti solent etiam qui inter eos brevitati student, in rebus suis amplificandis, cæterorum minuendis, uti) contendunt, atque etiam Guicciardinus insinuat; sive Hispanorum, ut Galli [b] excusant: demùm cùm ad arma ventum esset, tantâ prosperitate initio de more rem Galli egerunt & præliis & expugnationibus, ut penè universam Hispanorum portionem in suam potestatem redegerint: faciléque eos toto regno expulissent, (inquit Guicciardinus [c]) nisi Rex Ludovicus ex felicibus suorum gestis, pro innatâ genti confidentiâ negligentior factus, auxilia necessaria distulisset.

[a] Marian. lib. 27. c. 10. & 13.

[b] Vid. Bellef. lib. 6. c. 8. 9.

[c] Guicciard. lib. 5.

II.

LUDOVIC. REX FLORENTINIS SUCCURRIT.

Qui cùm Mediolanum accessisset, tum ad bellum hoc Neapolitanum curandum, tum etiam ad Mediolanensem ditionem contra machinationes Maximiliani Imperatoris, cujus induciæ nuper interruptæ fuerant, & tacitas Venetorum invidias atque insidias, conservandam; denique ad Florentinos, ex pactis cum iis non ita pridem initis defendendos à Valentini Ducis armis, qui subactis ferè omnibus regulis in Æmiliâ, Flaminiâ, Piceno, & Umbriâ, Etruriæ etiam imminebat, & ingressus agrum Florentinum, nonnulla illius ditionis oppida occupaverat, ipsámque adeò civitatem nutare compulerat, sequentibus eum factionis Medices asseclis qui extorres erant; postquàm Rex Valentinum ad satisfaciendum Florentinis adegit, (fœdere tamen rursùm cum eodem inito, non sine aliquâ infuscatione candoris Gallici, & inustione nominis Christianissimi, apud Italos, quòd ejusmodi hominis quem ipsi uti turpissimum & infamissimum, necnon crudelissimum ac perfidissimum tyrannum execrabantur, protectionem susciperet: sed tanti erat, Pontificem ejus patrem sibi benevolum habere, quem adversarij in suas partes sollicitabant:) in Galliam rediit: visitatâ tamen priùs animi gratiâ urbe Genuâ; ubi magnificè & apparatè, omníque effusæ lætitiæ significatione à civibus acceptus est: adeò ut ejus adventûs dies, qui fuit vigesimus-sextus Augusti, ex decreto publico jussus fuerit in perpetuum feriari, ac festus peragi. Extátque [d] egregia ejus adventûs descriptio eleganter à Benedicto Portuensi illius Reipublicæ Cancellario composita.

[d] In Collect. Theod. Godefr. de Reb. Car. VIII. & Ludov.

III.

LIGA RUSTICORŨ IN GERMANIA.

Hoc anno [e] in diœcesi Spirensi à duobus rusticis primùm orta est conspiratio & rebellio adversùs Episcopum & canonicos dominos suos. Crescente sensim seditiosorum numero; duos ipsi sibi duces constituerunt penes quos rerum esset summa potestas: dictáque hæc est Germanicè *Bundschuch*, hoc est Factio, seu fœdus, vulgò *Liga Rusticorum*. Cùm verò ad diem condictam in unum locum convenire deberent, capti duo illi rebellionis auctores, tormentis subjecti, nefanda sua consilia declarârunt; quæ eò spectabant, ut omni jugo excusso, exemplo Helvetiorum liberi viverent, magistratum omnem & principatum auferrent, clerum omnem & monachismum exterminarent; & siqui ipsorum conatibus obsisterent, eos immaniter trucidarent tanquam justitiæ divinæ hostes. Et ut res prosperè succederet, certas eo nomine preces singuli recitabant: patronósque sibi singulares

[e] Sur. in Cõment. Basel. in Supplem. Naucl.

Beatissimam Virginem & Ioannem Evangelistam assumpserant: denique tesseram quamdam mutuæ cognitionis sibi statuerant. Verùm Maximiliano Imperatore severè in eos animadvertente, colluvies illa dissipata est: quæ nisi Numinis providentiâ brevi detecta fuisset, haud adeò facilè extingui potuisset.

IV. [f] *Ap. Bzov. hoc an.* **PORTENTA AD PONTIFICEM.**

In Brucardi præfecti Cæremoniarum Pontificis Diariis [f] continetur, Pontifice Alexandro die Paschatis eunte ad basilicam Vaticanam, hastam Crucis quæ ante eum pro consuetudine, deferebatur, per medium ita confractam esse, ut nullâ ratione aptari ampliùs potuerit: Sacram posteà Hostiam in Missarum solemniis cùm de ritu consueto fregisset, & particulam in calicem consecratum demisisset, illam non ampliùs comparuisse: Ad quæ signa philosophari multa facile esset: sed absit ut calumniari velle videamur.

IESU CHRISTI Annus 1503.

ALEXANRI VI. An. 11.

PIUS III.

MAXIMILIANI Ann. 10.

I. VALENTINI DUCIS PERFIDA CRUDELITAS.

ANNUS Christi 1503. Indictione sextâ inchoatus, rebus memoratu dignis, & gravissimis casibus abundavit; quæ nobis quam brevissimè attingendæ veniunt. Ostium aperiat, qui virtuti cuicumque claudere solebat, Dux Valentinus Alexandri Pontificis filius. Qui cùm fine præcedentis anni quosdam ex suis adversariis fraudulentâ reconciliatione Senogalliam ad se vocatos partim strangulasset, partim in carcerem conjecisset, audito quòd & pater ejus Alexander Romæ Cardinalem Vrsinum, cum quo reconciliatus videri voluerat, arci S. Angeli inclusisset, unà cum aliis ejusdem familiæ, cui infensissimus erat, aliarúmque Romanarum patriciis: idem Valentinus Paulum, & Franciscum Ducem Gravinensem, ejusdem familiæ principes, apud Senogalliam captos, strangulari pariter curavit. Ludente ad hæc Hispanicâ argutiâ (ut Guicciardinus [a] loquitur) ipso Pontifice, eos ac socios cùm ad filium singuli tantùm ex pacto ire debuissent, omnes simul ivisse; & quòd in hoc primi fidem fregissent, non minùs filio frangere licuisse. Cardinalis vigesimo circiter carceris die, veneno, ut firma fuit opinio, sublatus est. Vlteriúsque progressa fuisset cœpta in Vrsinos sævitia, nisi Rex Francorum Ludovicus ab eâ Valentinum compescuisset; nolens eos omninò deprimi, ne forte iis extinctis, aut fortunis spoliatis, Alexandri Valentinique vires experiretur.

[a] *Guicciard. lib.5.*

II. PAX NULLIUS MOMENTI INTER REGES.

Intereà in rebus Neapolitani regni, quæ hactenùs Gallis feliciter cesserant, inclinante in alteram partem fortunâ initio parva, mox ingens mutatio consecuta est, tam Gallorum negligentiâ & insolentiâ, quàm egregiâ Consalvi magni Capitanei virtute; qui diù Barletæ obsessus, insigni fortitudine urbem propugnavit, indéque hostes diversis cladibus affecit. Cùm inter hæc Philippus Archidux Ferdinandi Regis Hispaniæ gener, ex Hispaniâ in Belgium rediturus ut de pace, quam suadebat, cum Rege Ludovico ageret, (invito licèt socero, qui demùm inspectores & censores addidit, sine quibus nihil conficere posset) Lugduni, non Blesis, ut quidam habent, (quod ad itum in Hispaniam pertinet, non ad reditum) Regem convenit, ac post multas consultationes ita pacem pepigit, ut divisione regni Neapolitani confirmata, provinciarum controversiarum possessio ipsi Philippo depositi loco traderetur: matrimonium Caroli ipsius filij & Claudiæ Regis filiæ, quamquam adhuc puerorum, de quo sermo anteà habitus, ratum esset, iique Reges Neapolitani, Apuliæ & Calabriæ Duces nuncuparentur: parti Hispanæ Philippus imposterùm præesset, Gallicæ quousque matrimonium conficeretur, quemcumque Rex voluisset, ita tamen ut ab hoc tempore utraque duorum infantium nomine administraretur. Quæ tam à Rege quàm à Philippo Regis Ferdinandi nomine jurata, cùm ad duces in regnum delata fuissent, Nemorsius quidem pariturum se dixit: non verò ita Consalvus, sive quòd magis de victoriâ speraret, sive quòd ut præseferebat, non sola Philippi auctoritas satis sibi esset, donec aliud mandatum à Regibus suis accepisset. Eóque magis ad bellum accensus est, quoniam Rex Galliæ pace expectatâ & perfectâ fretus, non modò reliquos apparatus prætermiserat, verùm etiam copias ad id bellum destinatas remoratus erat: & contrà Hispanis nova auxilia advenerant; faventibus Venetis, ad rerum suarum commoda tantummodò intentis.

III. GALLORŪ CLADES ET PULSIO E REGNO NEAPOL.

Quare factum est, ut Hispani militum numero aucti, cum Gallis imminutis, ac nihilominùs solito inconsiderato impetu in prælia ruentibus, prudentibus usi consiliis, simul & virtutem bellicam exercentes, eos duobus gravibus præliis superaverint: altero apud Seminariam in Calabriâ 11. Calendas Maij, quo Albinius iisdem locis, quibus paucis antè annis cum magnâ laude Ferdinandum juniorem Regem Neapolitanum ipsúmque magnum Consalvum superaverat, superatus ipse est à Fernando Andradio, (Hugonem Cardonium nonnulli dicunt; sed hic sub Andradio, quamvis invitus, tunc militabat:) & intra Angitolam arcem, quò se receperat, deditione captus. Altero longè graviori apud Ciriniolam in Apuliâ ad 4. Calendas Maij, octavâ die post victoriam Calabram, (& utrâque Veneris, quam sibi benevolam atque propitiam Hispani profitentur) quo Nemorsius prorex Ivonis Alegrij ferocitate, ingruente jam nocte pugnare coactus, cùm ipse in proximam lucem sustentare vellet, (sive ut quidam volunt differri Alegrius vellet, Nemorsius imprudenter præcipitaverit: sunt hæ culpæ, quæ facilè in quoscumque Gallos cadere possunt:) ipso primo concursu selopeti glande occisus est, totúsque exercitus glande cæde fugatus à Consalvo; qui Nemorsium Barletæ ad S. Francisci insigni funere sepeliri curavit: fuítque [b] is ultimus ex antiquâ & illustrissimâ familiâ Comitum Armaniacorum. Post victorias plerisque locis sese dedentibus, ipsa quoque regni princeps Neapolis idem præstitit; in quam triumphi specie receptus Consalvus est pridie Idus Maij: paucísque pòst

[b] *Bellefor. lib.6. c.10.*

diebus ad Cajazetæ obsidionem contendit, in quam se plerique reliqui Galli duces receperant. Tentavit variis modis terrâ maríque Ludovicus Rex ei succurrere. Sed cùm missus terrâ exercitus sub præfecturâ Ludovici Tremallij strenuissimi ducis Galli & Francisci Gonzagæ Marchionis Mantuani; Tremollio in viâ in gravem infirmitatem incidente, & exercitu propter Alexandri Pontificis mortem (de quâ mox dicetur) longiorem quàm par esset circa Romam, Cardinale Rotomagensi, qui Pontificatum ambiebat, ita jubente, moram trahente; (unde Consalvo majores copias colligendi tempus datum est, qui tunc viribus longè inferior erat:) ad Garilianum, sive Lirim fluvium, semel sub eodem Mantuano fugatus; eóque à Gallis veluti nec adeò belli experto, neque adeò fido habito, abjecto, iterùm sub Marchione Salutiarum haud & ipso tanto oneri pari, sexto Calendas Ianuarij, magnâ Hispanorum virtute & felicitate penè deletus fuisset: (quando & Petrus Medices exul Florentinus, unà cum aliquot aliis nobilibus Italis qui Gallorum castra sequebantur, navigio tormentis onerato Caietam se recipere cupiens, in ostio fluminis Liris submersâ naviculâ, unà cum iisdem periit:) Caieta Consalvo deditione reddita est ipsis Calendis Ianuariis anni proximi, pactâ liberatione Albanij, aliorúmque captivorum: proceribus Neapolitanis exceptis, quos eâ pactione contineri ut annueret Consalvus persuaderi non potuit, etiam in conventionibus maximè perspicuis cavillari solitus: qui tamen posteà intercedente Ludovico Rege, libertati, & dignitatibus suis restituti fuêre.

IV. SCRIPTORES HUJUS BELLI.

Hæc porrò omnia uti gesta sint; necnon quæ interim alia bella ad fines utriusque regni Gallici & Hispanici aliquot mensibus haud magno operæpretio agitata fuerint, diffusiùs enarrat Guicciardinus [c]; ex quo nos ista, & plerique alij sua desumpserunt. Quæ verò præterea gloriam, & rerum gestarum, eásque gerentium Hispanorum, ac præcipuè Consalvi (viri sanè maximâ laude digni, qui cognomen sibi ab Hispanicâ jactantiâ, ut Guicciardinus loquitur, jam olim tributum, tam illustribus victoriis confirmavit) commendationem spectant; cumulatè describit, ac magnificè celebrat Mariana [d]. Belcarius [e] autem eamdem historiam prosecutus, quæ diversè ab auctoribus referuntur expendens, & vera à falsis distinguens; dolósque, quibus Rex Ludovicus ab Hispanis delusus est detegens; simúlque artes Alexandri Pontificis, ejúsque filij Valentini, atque Venetorum non occultè Hispanis contra Gallos faventium, manifestans: temporum quoque acerbitatem, ipsorúmquemet inter se Gallorum, necnon Italorum aliorúmque exterorum ab iis stantium dissidia, aliósque gravissimos errores pro innatâ negligentiâ aut petulantiâ; denique ministrorum avaritiam & rapacitatem, quibus factum est ut exercitus & numero imminutus, & fame ac frigore penè enectus, facilis debellatu fuerit; dilucidè tam ex eodem Guicciardino quàm aliis auctoribus explicat. Ad quos (ut cæteros omittamus; qui cautè plerique tam in his quàm aliis ejusmodi, legendi sunt ob studia partium) lectores curiosiùs hæc desiderantes, remittimus, cùm jam nobis, tot bellis, pugnis, seditionibus, proditionibus, perfidiis, crudelitatibus, ad nauseam usque satiatis, in ejusmodi recensendis parciùs deinceps agere constitutum sit. In quibus etiam parciores hactenùs fuissemus, si succurrissent in adeò turbatis temporibus Ecclesiastica majoris momenti quæ tractare potuissemus.

[c] Guicciard. lib. 5. & 6.

[d] Mar. lib. 27. cap. 17. & seqq. lib. 28. c. 1. usque 7.

[e] Belcar. lib. 9. & 10. Add. Bellef. lib. 6. cap. 9. & seqq.

V. ALEXANDRI PÕT. INFAUSTA MORS.

Hoc igitur anno *Alexander* Pontifex, dum totus esset in rebus filij Valentini provehendis, (utroque jam in partem Hispanam propensiore, quòd Gallicam in Italiâ deteriori loco esse animadverteret:) in summo majoris spei fastigio, ut inania & fallacia sunt hominum consilia; ex improviso mortuus est decimo-quinto Calendas Septembris; veneno potatus, ut volunt, cùm in hortis Adriani Cardinalis Cornetani non longè à Vaticano cœnaturus, eò maturè adveniens unà cum filio; sitímque ex gravi æstu sublevare volens; errore pocillatoris vinum ex lagenâ medicatâ, quàm Valentinus eidem ipsi Adriano Cardinali, allísque opulentioribus de medio tollendis, præmiserat, hauriens, venenum ebibit; ipséque item Valentinus; Deo scelerum vindice, quam paraverat fraudem in ejus caput & exitium convertente. Rem enim ita gestam esse, plerique Itali [f], ipsíque Hispani [ff] scribunt, ut cæteras nationes taceam; cùm sint nihilominùs, qui ut falsam narrationem, quoad præparatum venenum eludant. Quos omnes habes in unum collectos apud Bzovium [g] diligentiâ nonnullius ex eâ familiâ. Veneno tamen potatum Alexandrum, constans plerorumque omnium opinio fuit; quod ei à pincernâ pecuniâ corrupto propinatum, quidam voluêre. Sanè ut non extiterit Pontifex, quod nonnulli volunt, tanti sceleris conscius; (horret animus illud vel solâ cogitatione percipere:) ita tamen filius ejus Valentinus vitam egisse ab omnibus perhibetur, ut nihil sit nefandi, quod non de illo facilè credi potuerit. Denique ut Pontificem ab omni sceleris suspicione liberemus, Anglerium habemus idoneum testem; qui ut res ad Ferdinandum Regem in Hispaniam delata fuerit, apud quem ipse agebat, aperit scribens [h] ad Comitem Tendillæ & Archiepiscopum Granatensem: Nimirùm Ducem Valentinum Cardinales quosdam pecuniosos ad cœnam invitâsse, cúmque illis amantem suî Pontificem nequid suspicarentur; Duos jussisse ex optimo vino argenteos impleri œnophoros, & unum infici medicamento lethifero; conscio facti ministro jusso ex medicato proscriptis, ex altero Pontifici sibíque porrigere: Sed Deo justo Iudice insidias in artificem vertente, Pontificem ministro rei conscio quiddam imperâsse quo ex abaco discedere cogeretur: ut alteri Pontifex rem imperaret Valentinum petiisse, sed institisse Pontificem velle se ut is proficisceretur: Valentinúmque, ne in suspicionem caderet, repetere desiisse: curam de œnophoris demandatam esse collegæ illius; qui sceleris ignarus, casu mutatis œnophoris de medicato Pontifici ac Valentino porrexerit, de salubri destinatis ad necem Cardinalibus. Ita ille. Cæterùm cùm mul-

[f] Guicciard. lib. 6. & alij.
[ff] Marian. lib. 27. c. 2.

[g] Bzov. hoc an.

[h] Angler. ep. 264.

tis tentatis remediis nullo valuerit Pontifex propter ætatem juvari; Valentinus tamen, quòd dilutiùs bibisset, & vigore ætatis, atque opportunorum usu remediorum, (inter quæ fuisse dicunt, ut recèns exenteratæ mulæ utero inclusus, eo calore refocillatus fuerit) sed expilatus & cute perditus, vitam servavit: quamvis diuturnus ex eo morbus importunúsque spes ejus malè fundatas everterit. Alexander Pontificio ritu in Ecclesiam sancti Petri, niger, tumefactus, totúsque deformatus, (quæ apertissima fuêre veneni indicia) elatus est; Vrbe ferè totâ plùs ad ejus mortui conspectum quàm vivi lætante. Sepultúsque est in sacrario ejusdem basilicæ, lateritio & vulgari monumento: postquàm vixisset septuaginta duos circiter annos, tenuisset Pontificatum undecim & dies octo, ut Panvinius ait: apud quem ejus virtutes, (quas multas magnásque habuit) vitiáque, illas, ut ait, æquantia, in unum breviter congesta videre licet. Qui verò solas virtutes, vitiis aut negatis aut excusatis, cupierit, Bzovium adeat, ex indicibus Borgianorum eas in ipsorum gratiam tractantem. Quibus pro corollario addas ex citatis à nonnullis [i] Brucardi Cæremoniarum Magistri manuscriptis Diariis, Alexandrum die duodecimâ Augusti horâ vigesimâ febri vexatum, die decima-octavâ hora vespertinâ, susceptis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæque Vnctionis Sacramentis, expiràsse. Quæ tamen miramur neque à Bzovio, qui Diaria Brucardi hâc ipsâ disputatione citat, neque ab iis qui quæ scripsit suggesserunt, prolata fuisse, nisi fortè repentinam mortem ex veneno obitam excusare nequiverint. Sed de Alexandro modò satis.

[i] *Victorel. in Addit. ad Ciaccon.*

VI. Valentinus Romam deserit.

Ad ejus obitum Valentinus in palatio Vaticano gravissimè decumbens, vehementer indignatus querebatur, quod cùm aliàs sæpiùs omnia quæ in parentis morte accidere possent cogitasset, omnibúsque remedia invenisset, sibi, ut & ipse eodem tempore tam periculoso morbo detineretur fieri posse, numquam in mentem venisset. Omnes autem copias suas circa se contrahens, tumultibus nihilominùs plenâ Vrbe, & Vrsinis cæterísque nobilibus Romanis, ejus armis olim pulsis, sua repetentibus, & in Hispanos qui in Vrbe erant insurgentibus; negantéque collegio Cardinalium se conclave ingressurum nisi liberum esset; Nepet se lecticâ recepit, indéque Civitatem-castellanam.

VII.

Ingressis porrò conclave triginta septem Cardinalibus, cùm præ cæteris Pontificatum ambiret Rotomagensis Gallus; eodem tamen, sive deluso, ut quidam habent, artibus Iuliani Ruverei Cardinalis sancti Petri ad Vincula, qui & ipse Pontificatûs cupientissimus erat, seu aliis difficultatibus, adipiscendi spem deponente; communi omnium consensu decimo Calendas Octobris electus est *Franciscus Todeschinus* Picolominæus patriâ Senensis, patre Nanne, matre Laodomiâ sorore Pij Secundi: à quo in familiam & gentilitia insignia adscitus, ac Diaconus Cardinalis tituli sancti Eustachij creatus, nunc primum Diaconum agebat, annúmque ætatis sexagesimum-quartum ac mensem ferè quintum. Electus Pii III. nomen in avunculi memoriam

Pii III. electio.

assumpsit: coronatúsque est octavo Idus Octobris: vir utique integræ famæ, doctrinâ & prudentiâ celebris, nonnullis olim probè obitis pro Sede Apostolicâ legationibus clarus, & multis Iacobi Cardinalis Senensis epistolis ad eum scriptis illustris. Quòd enim brevissima fuerit sedes ejus, non tam quærenda sunt quæ in Pontificatu egerit, quàm qualis in Cardinalatu vixerit. Traditur tamen arsisse cupiditate Ecclesiæ mores adstringendi severiori censurâ, ac præsertim Vrbis Romæ & curiæ totius rerum odorem amovendi: idque consilium in quodam Patrum conventu, priusquam susciperet diadema, palam exposuisse: cúmque ante electionem decretum à Patribus fuisset, ut quicumque Pontifex renunciaretur, intra biennium Episcopos ad Concilium generale evocaret; ipsum prædicto conventu significasse, nolle se biennium expectare, sed rumpere continuo moras ad Consilij celebrationem. At præclarum sanctúmque hoc propositum importuna mors disturbavit: quæ valetudinarium & imbecillo corpore, ac prætereà mortifero cruris ulcere vehementer affectum, non sine veneni suspicione vulneri illiti, decimo post coronationem, die vigesimo-sexto ab electione, de medio sustulit ad decimum-quintum Calendas Novembris. Cujus corpus in basilicâ sancti Petri prope avunculum marmoreo eleganti sepulcro conditum est, nobili additâ inscriptione, quâ præcipuæ res ejus gestæ breviter continentur. Vtrumque postea translatum est permissu Pauli Papæ V. à Cardinale Petro Montalto ad Ecclesiam sanctæ Andreæ supra Pompeiani theatri ruinas à se extructam, & nobilibus epitaphiis decoratum. Ad hujus autem Pij obitum *Raphael Volaterranus* Historiam de Pontificibus in suâ Anthropologiâ perduxit; totúmque opus suum Commentariorum Vrbanorum, quos scilicèt in Vrbe Româ conscripsit, & ex mille penè utriusque linguæ voluminibus congessisse ait, Iulio Pij successori inscripsit, quod opus parum probavit Iovius in Elogiis.

Et mors.

VIII. Iul. Ruvereus eligitur Pont.

Post Pij obitum, quòd Vrbs turbata esset Valentini & Vrsinorum dissidiis, electionem successoris extra conclave decretam esse, Guicciardinus scribit: quippe suprà dictus *Iulianus Ruvereus* amicis, auctoritate, & opibus potens, tot suffragia sibi obstrinxerat ut iis qui contrà sentirent se opponere non audentibus, jam certus & decretus Pontifex conclave ingressus, antequàm illud clauderetur, eâdem nocte, quæ fuit ultimâ Octobris, ad Pontificatum assumptus fuerit. Qui vel primi sui *Iuliani* nominis respectu, vel, ut fama fuit, quo suarum cogitationum magnitudinem indicaret; vel ne etiam nominis præstantiâ Alexandro decessori cederet, Iulius appellari voluit; non [k] quidem intuitu Iulij retrò Pontificis Romani & miti ingenio viri ac pacifici, sed Iulij Cæsaris ob bellicam virtutem præstantissimi ducis; (à cujus natali usque ad Pontificatum hujus Iulij numerantur anni mille & sexcenti pleni) quem & imitari egregius bellator quæsivit. Quâcumque verò de causâ, *Iulius* fuit inter Romanos Pontifices ejus nominis Secundus: assumpto sibi signo sive symbolo, *Dominus*

Nomen sumit Iulii II.

[k] *Masson. in Iul. II.*

[l] *Psal. 117.*

mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Eumdémque ferunt, ut se formidabiliorem redderet prolixam barbam aluisse, contra ferè morem majorum qui barbam deponere consueverant: quamquam potuerit etiam id præstare ad majorem quamdam intuentibus reverentiam incutiendam. Nec tamen hoc ab initio fecisse, observant alij [m] ex numismatibus vultum ejus primis Pontificatûs annis imberbem repræsentantibus, cùm alia barbatum exprimant. Natus dicitur anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo-tertio, in vico Albizolæ juxta Savonam in Liguriâ, ex Raphaële Sixti Quarti fratre, & Theodorâ Manerolâ. Eúmque patruus ex Episcopo Carpentoratensi presbyterum Cardinalem sancti Petri ad Vincula creaverat: quo titulo ferè vocatus est usque ad Pontificatum, etiamsi postmodùm Albanus Episcopus, deinde Sabinus & major Pœnitentiarius, demúmque Ostiensis atque etiam Legatus Avenionis renunciatus fuerit. Cum Alexandro olim privatas simultates cùm exercuisset, toto ferè ejus Pontificatu perpetuis decem annis Vrbe abfuit apud Reges Galliæ Carolum Octavum & Ludovicum Duodecimum; quos & maximè ad expeditiones Italicas suscipiendas impulit, Carolúmque comitatus est. Quo etiam tempore sanctum Franciscum de Paulâ fundatorem Ordinis Minimorum Pontificatum ei prædixisse constat. Quòd tamen esset animi inquieti, & naturæ difficilis, odiáque & simultates cum multis magnis viris exercuisset; magna fuit omnium mortalium admiratio, ut tanto consensu Pontificatum, adeptus esset; ac præsertim inter tot Cardinales Hispanos, cùm ipse eatenùs totus Gallus putatus fuisset: atque etiam Alexander omninò monuisset, ne umquam eum ad Pontificatum vocarent: cavendum enim ab eo esse, ut olim Sylla à discincto puero Iulio Cæsare. Cui malo, seu periculo occurrere aliquo modo quærentes Cardinales qui convenerant, sive jam constitutam haberent ejus promotionem, seu præviderent; ad cohibendum ejus animi impetum, seu aliàs ad tranquillum Ecclesiæ atque Italiæ statum conservandum; certas leges, ut factum sæpè antehàc vidimus in aliorum Pontificum electionibus pro temporum necessitate, ante omnia conscripserunt, & jurejurando roborârunt, easdémque deinceps Iulius factus Pontifex pari jurejurando confirmavit: quas fortè aliàs cópetenti loco recensere curabimus [n]. Nunc ejus electionem prosequentibus, aliæ sese obtulêre causæ, quibus semotis prædictis impedimentis, idem dignus qui ad tantum gradum eveheretur existimari potuerit: quòd scilicèt potens admodùm esset ac magnificus & liberalis, libertatísque Ecclesiasticæ ac Pontificiæ dignitatis defensor eximius, denique (quod & idem ipse ejus osor Alexander fatebatur) veri amantissimus. Nam quod insuper nonnulli [o] Itali & Galli profusis eum largitionibus, & amplis promissionibus ad Pontificatum adipiscendum usum esse volunt; si verum hoc fuerit, voluerit fortè etiam in hoc Iulius Alexandrum superare: quippe solitus apud familiares dicere, Romanum Pontificatum pluris æstimandum, quàm emi vel vendi ab imperitis consuêsset: esse namque rem tantam ex earum numero quæ æstimationem non recipiant. Sed hæc aut inter jocos, aut inter calumnias computemus.

[m] Victorell. in addit. ad Ciaccon.

Ejus anteriora.

[n] Vid. infrà an. 1511. IX

[o] Guicciard. lib. 6. Maff. in Iul. II. §

IX. Valentini Ducis misera traductio et finis.

Post coronationem, quæ contigit sexto Calendas Decembris, Valentinum Ducem initio benignissimè habitum, qui (sub Pio in arcem sancti Angeli confugiens, ibi velut captivus detentus fuerat) paulò post abire permissum, rursùm detinere jussit quousque oppida & munitiones Ecclesiæ quas sub Alexandro occupaverat, restitueret. Quem ne denuò in theatrum quasi ad ludum reducere velimus, ut hîc brevi manu tragœdiam ejus absolvamus, is à Iulio ex arce sancti Angeli in Ostiensem duci jussus usque dum omnia restituisset, inde evadens ad Consalvum Neapolim, & ab eo honorificè exceptus, paulóque pòst magnâ benevolentiæ significatione dimissus; mox iterùm arreptus, celeri trireme in Hispaniam missus est; ubi in perpetuam custodiam traditus, triennio fermè exacto corruptis custodibus è muro demissus, ad Ioannem Navarræ Regem uxoris suæ fratrem confugit, atque ibi non multò pòst in quadam tumultuariâ militari excursione miser miserè incognitus interfectus est decimo-secundo Martij 1507. & usque ad cutem spoliatus; relatus tamen Pampelonem ad honestam sepulturam: post parentis mortem ludibrio apud omnes habitus, cujus eo vivente amicitiam maximi quique Reges ac Principes certatim prensabant. Sic transit gloria mundi; sic evanescunt consilia iniquè suscepta, corruúntque malè fundata ædificia. Fidem verò Consalvi in eo prodendo plerique damnârunt, nonnulli variis rationibus excusârunt: intérque illos Mariana [p], industrius valdè actionum suorum hominum explicator ac delinitor. Qui nihilominùs addit, Ludovicum Regem Galliæ, ubi audivit fuisse Valentinum eâ delusione in Hispaniam abductum, dixisse, *deinceps pro fide Punicâ meritò substituendam Hispanam, nihilo illâ constantiorem*, quam quidem expertus frequenter ipsemet Ludovicus in suis cum iis tractatibus, nullâ calumniæ suspicione eamdem usque ad obitum sententiam repetere potuit. Ad Valentini verò necis narrationem addit idem auctor, notatum fuisse à curiosis hominibus eam contigisse intra diœcesim Pampelonensem, quo primùm Episcopatu fuerat donatus; atque ipso quo ejus possessionem inierat die, nempè Magni Gregorij festo. Raró enim officij Ecclesiastici, & cultûs divini semel admissi contemptores, exitialem negligentiæ pœnam effugere potuêre. Ejus elogium Iovius inter viros bellicâ virtute illustres collocavit: ubi tamen longè plura illius mala quàm bona reperias.

[p] Marian. lib. 28. c. 8.

Fides Hispanica.

X. De rebus Sueticis.

Hoc anno circa principium mensis Decembris mortuus ponitur à Ioanne [q] Magno *Steno* Princeps regni Sueciæ, de quo non semel superius cujus pietatem ac religionem fortitudinem bellicam, cæterásque laudes idem auctor valdè prædicat. Eique subrogatum ait *Suantonem* nobilissimum regni consiliarium, nec minùs pium, prudentem, ac

[q] Io. Magn. Hist. Sueon. lib. 23. c. 15. in fin.

strenuum; eodem titulo Principis; regio omisso, quem nomine tenùs gerebat Ioannes Rex Daniæ, haud umquam cessans à Succis vexandis. Krantzius [r] autem scribit, post obitum Stenonis proceres trium regnorum Danici, Suetici, Norvagici, communi consensu inducias firmâsse in annum integrum; quo in unum locum convenirent cum Rege; ac querelis omnibus discussis, statueretur quod ad perpetuæ pacis & tranquillitatis commodum pertinere videretur. Quâ tamen de re nihil actum esse, sed bellum continuatum, ex Magno intelligitur. Idem autem *Krantzius* post hæc præsenti ac consequenti anno finem imposuit Chronicis suis, seu Historiis prædictorum regnorum Sueciæ, Daniæ, & Norvagiæ, necnon Wandaliæ, & Saxoniæ tam sæcularis quàm Ecclesiasticæ; quas orsus est à Caroli Magni temporibus. Ad cujus libros additæ multis locis ad marginem impiæ ab hæreticis notæ, fecerunt ut illi inter prohibitos in Indice Romano numerarentur, donec purgarentur. Fuit autem Hamburgi canonicus & Theologiæ professor, atque ejus Collegij decanus. Vitámque produxisse dicitur usque ad finem anni millesimi quingentesimi decimi-septimi quo mortuus est septimo Idus decembris.

[r] *Krantz. 6. Suec. 2.*

KRANTZII SCRIPTA.

XI. ALBUSSONII MAGISTRI HOSPITALARIORŪ OBITUS.

Præsenti item anno, quinto Nonas Iulij, diem obiit illustrissimus ille religionis Christianæ in Oriente adversùs Turcos & Saracenos propugnator, *Fr. Petrus Albussonius* Magnus Magister Militum Rhodiensium seu Hospitalariorum S. Ioannis Diaconus Cardinalis sancti Hadriani, & Fœderis Christianorum Principum contra Bajazetem bellique princeps: anno ætatis suæ octogesimo, Magisteriatûs vigesimo septimo; pietate ac religione, magnitudine animi, fortitudine bellicâ, prudentiâ civili, aliis virtutibus heroicis mirabilis. In cujus locum suffectus est *Emericus Ambosius* Franciæ prior absens, frater Cardinalis Ambosij, magnæ tunc apud Regem auctoritatis & legatione Pontificiâ in Galliâ fungentis. Cui Regem Francorum Ludovicum, apud ipsum tunc existenti, frustum ligni veræ Crucis, & gladium quem sanctus Ludovicus in sanctâ expeditione detulerat, donâsse, Historia Hospitalariorum testatur: Eumdémque in ipso suo Rhodum accessu, optimis institutis Milites Religionis, statúmque ordinâsse, necnon insulam, totámque ditionem ab incursionibus Turcorum, Ægyptiorum, aliorúmque hostium fortiter defendisse, nec paucas aut parvas clades eis intulisse narrat.

XII. PICARDUS QUIDAM LÆSÆ EUCHARIST. POENAS LUIT.

Parisiis Picardus quidam in sacello, quod vocant sanctam Capellam, à sancto Ludovico Rege olim extructam, ex manibus sacerdotis rem divinam peragentis sacram Hostiam abstulit, & aufugiens comminuit. Captus cùm non pœniteret, igni crematus est. Multi auctores hujus sceleris meminerunt, & nonnulli hinc *Picardos* hæreticos dictos existimârunt. At Picardos hæreticos longè antiquiores fuisse, quæ de iis dicta sunt superiùs ostendunt. Fuisse hunc scelestum ex illâ sectâ, quæ etiam realem ac corporalem Christi existentiam in sacramento Eucharistiæ negabat, facilè est creditu. Ac prætereà, (ut paulò diligentiùs rem ex historicis [a] Gallicis describamus) erat is natione Picardus ex oppido Abbatis-villâ, vulgò Abavillâ; honestis & Catholicis parentibus natus, nomine Emundus Fosseus, ætatis tunc annum agens vigesimumsecundum, literísque operam dans in Academiâ Parisiensi: qui die festo sancti Ludovici vigesimâ-quintâ Augusti Missæ ministrans, cùm sacerdos cui ministrabat hostiam consecrâsset, à manu ejus illam eripiens aufugit ad subjectam aream; cúmque propè esset ut à prosequentibus comprehenderetur, illam comminuit ac projecit in terram. In carcerem conjectus, cùm nullis monitionibus converti ad petendam veniam posset, evocati sunt parentes; iísque nec quicquàm pertinacissimum ad pœnitentiam cohortantibus, misera mater dolorem non ferens mortua est, pater filium ejuravit, parúmque abfuit quin propriis manibus jugulaverit. Interrogatus quam legem teneret, Naturæ respondit: dicebatúrque frequentâsse nonnullos scholasticos Hispanos, qui eo capto aufugerunt. Factâ supplicatione ad sanctam Capellam pro ejus conversione, & sermone à quodam Doctore Theologo reo præsente, cum frustrà omnia fierent, tractus è carcere usque ad locum ubi hostiam projecerat, ibi manu truncatâ plaustro ductus ad forum suarium vivus & impœnitens combustus est. Ab eo momento, quo sacram hostiam projecisset, collectis diligentissimè fragmentis, locus panno aureo contectus est, appositis duobus cereis ardentibus: lapides pavimenti detracti, & in sacrarium ejusdem sanctæ Capellæ honestè servandi delati.

[a] *Addit. ad Monstrel. Bouchet. Annal. Aquit. par. 3.*

XIII. ALFONS. ALBUQUERCIUS MITTITUR IN INDIAM.

Hoc anno missus ab Emmanuele Rege Lusitaniæ in Indiam Orientalem *Alfonsus Albuquercius*, qui posteà Magni cognomen ob res præclarissimè ibi gestas adeptus est, apud urbem Cochin (cujus Rex Trimumpara, ob fidem Lusitanis servatam, pulsus regno fuerat à Zamorino Calecuti, & nuper à Francisco Albuquercio Alfonsi patruele, qui adventum Alfonsi præcesserat, restitutus) munitionem ligneam extemporaneam regis consensu ædificavit, tutandis Lusitanis qui ad commercium aromatum ibi relinquendi forent: quàm, quòd miles Ordinis sancti Iacobi esset, hujus Apostoli nomine nuncupavit. Ecclesiam verò pariter ligneam ibidem constructam sancti Bartholomæi appellatione indigitavit. Hísque humilibus ædificiis, quæ omnium prima a Lusitanis fabricatâ fuêre, visus est Alfonsus possessionem illius sumere ex parte Ecclesiæ Romanæ & regni Lusitanī: fuêréque eadem veluti fundamenta tot aliorum utriusque generis quæ postmodùm tam ab eodem Alfonso quàm aliis per Indiam splendidiùs erecta sunt. Quid verò prætereà Albuquercius hoc primo suo itinere in hostibus insectandis, & amicis Regi suo conciliandis, præstiterit, narrat Ioannes Barrosius [t]; à quo cæteri [u] collegerunt quæ eadem recitant.

[t] *Barros. Asi. lib. 7. cap. 2. & 3.*
[u] *Osor. lib. 2. & 3. Maff. lib. 1.*

XIV. PHILIP. BERGOM. SCRIPTA.

Hoc anno desinit Chronicon *Iacobi Philippi Bergomensis* Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quod *supplementum supplementi* inscripsit, ab Orbe condito incipiens: in quo plus laboris & diligentiæ, quàm artis aut

elegantiæ reperias. Qui etiam commentarium scripsit ad Beatricem Hungariæ Reginam de claris Mulieribus Christianis. Erat autem cùm Supplemento ultimam manum apposuit, ut ipse ait, annorum sexaginta novem. Atque Pamphilus in Ordinis Chronico, eum vitam produxisse usque ad annum Christi 1518. ac proinde vixisse dicendus est, non septuaginta quinque annos dumtaxat, ut is ait, sed octoginta quatuor vel quinque, sepultus apud suos Bergomenses in monasterio sui Ordinis, quod ab ipso renovatum fuisse dicitur. Hic *Ambrosium Calepinum* suum conterraneum & coætaneum vocat, suíque instituti (nempè Ordinis Eremitarum) professorem. Qui *Calepinus* dictus à Calepio agri Bergomensis oppido, ingens illud opus de dictionum & vocabulorum notitiâ suscepit quod ab aliis doctioribus viris posteà politum & auctum, doctis pariter & indoctis non mediocre adfert adjumentum. Vixisse dicitur usque ad annum Christi 1510. quo valdè senex decessit ibidem Bergomi.

CALEPINI DICTIONARIUM.

IESU CHRISTI Annus 1504.
IULII II. An. I.
MAXIMILIANI An. II.

I. GALLI TOTO REGNO NEAPOL. PULSI.

ANNO Christi millesimo quingentesimo-quarto, Indictione septimâ, post deditam Magno Consalvo ipsis Calendis Ianuarij Caietam, cùm inter Reges Ludovicum Galliæ & Ferdinandum Hispaniæ induciæ terra marique factæ essent, quibus inter cætera cavebatur, ut unusquisque in regno Neapolitano quæ possidebat retineret, & ut sub utriusque Regis ditione commercium liberum esset, præterquàm in eo regno: hâc exceptione Consalvus id assecutus quod percupiebat, in finibus locorum quæ adhuc Galli in potestate habebant, quæ pauca erant in Calabriâ & Apuliâ, præsidia constituens, quæ illarum regionum incolas in Hispanorum locis commercia habere prohiberent; brevì eos ad tantam angustiam redegit, ut cernens Ludovicus Arsius Gallorum Præfectus, eos his incommodis pressos sese Hispanis dedere statuisse; eos deserens in Galliam cum suis se receperit, quamdiù in hostico fuit, signis sublatis pulsatísque tympanis incedens. Nec verò quamvis pulsis toto regno Gallis, propterea pacis fructibus frui ei licuit: quoniam Hispani milites, quibus plusquàm unius anni stipendia debebantur, in varia loca dispersi ut sumptibus populorum viverent, eâ licentiâ immoderatissimè abutentes, etiam Capuam & Castellomarinum ingressi, inde se antequàm debita stipendia recepissent recessuros negârunt. Quod quò magis novum, eò etiam molestius populis erat. Nam etsi post prisca illa tempora, quibus militaris disciplina severè conservabatur, milites semper insolentes & graves populis fuerant, tamen rebus nondum penitùs depravatis, magnâ ex parte propriò ære victum sibi comparabant. Hispanique primi omnium in Italiâ, prorsùs ex populorum bonis, stipendiis à suis Regibus propter inopiam non solutis, vivere cœperunt: atque ex eo initio auctâ corruptelâ, posteà iidem Hispani, nec minùs Itali, sive stipendia numerarentur, sive non, idem facere instituerunt, amicorum fortunas non minùs quàm inimicorum diripientes. Ita Guicciardinus [a], qui si hodie viveret, Gallos eo infamis turpitudinis & crudelitatis genere contra suos ipsorum conterraneos exercendo cæteris cunctis nationibus antestare jure merito diceret.

[a] Guicciard. lib. 6.

II. FOEDUS INTER PRINCIPES.

Subdit, tentatâ post hæc incassùm plenâ pace inter Reges Galliæ & Hispaniæ, factum esse fœdus inter Maximilianum Imperatorem, eumdémque Regem & Galliæ Philippum Archiducem Maximiliani filium ac Regis Hispaniæ generum; ipso Hispano non comprehenso, & intervenientibus nihilominùs legatis Pontificis: quo cautum imprimis fuit de matrimonio Claudiæ filiæ Regis cum Carolo filio Archiducis, déque principatu Mediolanensi eis tribuendo si Rex absque liberis maribus decederet: Deinde verò inter eosdem & Pontificem, pro communi defensione, & contra Venetos, ut quæ singulis eorum illi occuparent recuperarentur. Maximilianus autem, ob quamdam reluctationem Ruperti Bavariæ Ducis, eum ejúsque patrem Philippum Palatinum Electorem proscribens, acriter persecutus est, & ad obsequium redegit. Quo bello Trithemius, qui uberius descripsit, ait quinque mensibus quibus illud actum est, multa & penè infinita mala contra Deum & homines, facta esse, monasteria vel incensa vel spoliata, Ecclesias crematas vel eversas, villas desolatas & incensas; haud tamen omninò sine aliquâ divinâ vindictâ in nonnullos sacrilegos.

III. FRIDERICI OLIM REGIS NEAPOL. OBITUS.

Ad quintum Idus Novembris *Fridericus* Rex olim Neapolitanus, variâ vanáque spe recuperandi regni delusus, jamque omni penitus dejectus, Turonis obiit ex febre quartanâ; quamvis anteà desiderio deceptus, Hispaniæ magis quàm Galliæ Regem ad id propensum esse persuasum habuisset: parùm considerans, tanti regni adeò magnificam restitutionem, cujus etiam priscis temporibus, quæ ad præclara & generosa virtutis facinora nostris longè propensiora erant, tam rara extent exempla, nostro hoc ævo sperare vanum esse; & eos qui tot insidiis mediam partem occupâssent, cùm toto potirentur eo privari velle; ab omni verisimili ratione prorsùs abhorrere: minúsque sperandum esse, ut qui possidebat restitueret, quàm ut qui non possidebat assentiretur. Ita Guicciardinus.

IV. ITEMQUE ISABELLÆ REGINÆ HISP.

Eodem quoque mense Novembri, nimirùm ad sextum Calendas Decembris, *Isabella* Regina Hispaniæ, Ferdinandi conjux, ex morbo prolixo, fœdóque (nempè putrido quodam ac verecundo ulcere, quod ex assiduis ad Granatam equitationibus contraxisse ferebant) obiit, delectâ ad sepulturam Granata urbe: femina nulli prudentiâ & magnitudine animi secunda; honestissimísque moribus prædita. Cui Consalvum, Canarias, Novum Orbem, ejectos Mauros, & hanc magnitudinem suam Hispania maximâ parte

debet. Maritum enim suum, etsi à se virum magnum, tamen haud æquè altum aut splendidum, ad illustria illa facta impellebat leviter ac ducebat. Quam denique Anglerius laudis excessu, omnibus quæ umquam fuissent, etiámque sanctis in numerum divarum adscriptis feminis, unâ exceptâ Beatissimâ Virgine, prætulit. Hæredem ex asse in regno Castellæ, quod proprium ipsius erat, cùm nullum masculum superstitem haberet, *Ioannam* majorem filiam in Belgio absentem scripsit, unaque *Philippum* Archiducem ejus virum: addito tamen, si valetudine, aut aliâ quâcumque de causâ, Ioanna regni curam non susciperet, uti ejus loco & nomine Ferdinandus vir suus illud procuraret dum Carolus nepos Ioannæ filius vigesimum annum attingeret. Sícque post ejus obitum *Ioannæ* nomine inclamato, Philippi viri mentio tacita est; quòd vellent priùs sacramento vetera regni privilegia ab eo confirmari. Hinc verò inter Ferdinandum & Philippum contentiones ortæ sunt; concordiâ & potentiâ vix uno vestigio consistentibus. Ferdinando namque Castellæ rerum administrationem retinere destinatum erat, retinuítque, (multis licèt minimè probantibus) eâ specie quòd Ioanna Philippi uxor mente mota incapax regiminis diceretur, nec sine illâ Philippus regnare posset ex testamento Isabellæ Reginæ. Quid verò pòst acciderit, dicetur annis consequentibus.

V. PAX INTER VENETOS ET TURCOS.

Hoc item anno factam demùm pacem esse inter Venetos & Turcos, (de quorum bello dictum superiùs [b]) Guicciardinus [c] & alij ponunt; cùm nihilominùs Annales Turcici jam ante biennium factam tradant. Scribunt Veneti [d] rerum suarum egregij amplificatores, ex oppidi sanctæ Mauræ expugnatione ab ipsis factâ, quàm vehementer prædicant, Bajazetis ferociam adeò fractam esse, ut ad pacem subitò respicere cœperit. At peteret quis, si hoc tam ingens facinus adeò fregit potentiam Bajazetis, ut quid ad pacem conficiendam restituenda fuit illi eadem sancta Maura, cujus amissione vires ejus fractæ fuêre: & Bajazeti relinquenda ea omnia quæ ipse occupaverat? Turci quidem, eos muneribus delinito Bajazetis animo pacem obtinuisse, aiunt. Iísque omissis, Spanduginus Græcus, ac plerique cæteri, postulantibus enixè Venetis, & difficulter ad eam Bajazetem inducentibus, conclusum volunt: quinimmò & scriptori Polono [e] persuasum fuit, etiam illos tributum Bajazeti ad eam impetrandam promisisse. Retinuerunt tamen Cephaleniam insulam, Leucadem olim dictam, quam Turcis eripuerant. Cæterum Guicciardinus, quod propius vero videtur) pacem ab utrâque parte cupidè acceptam esse scribit. A Bajazete quidem, quoniam existens miti ingenio, literis ac religionis suæ studio deditus, naturâ ab armis erat alienus; verebatúrque ne Christiani Principes, sive propriis periculis, sive religionis amore, acriùs in se concitarentur. A Venetis autem majori studio, tum quòd suorum negotiationes in Oriente maximo Reipublicæ damno eo bello impedirentur: tum maximè quia cùm imperium suum in bellis cum aliis Principibus augere consuêssent, econtrà in bellis Turcicis multis semper cladibus afficerentur.

[b] *Supr. an. 1499. V.*
[c] *Guicc. ibid.*
[d] *Iustin. lib. 10.*
[e] *Crom. lib. 30.*

VI. VENETI ÆGRE FERUNT LUSITANORUM COMMERCIA.

Addit autem, haud tam molestum fuisse eis Turcicum bellum, quàm per recentes Lusitanorum navigationes, aromatum, quæ ab antiquo ipsorum mercatores & naves Alexandriâ nobilissimâ Ægypti urbe Venetias vehentes, magno quæstu per omnes Christiani orbis provincias diffundebant, commercium interceptum esse. Adeò ut (quod alij [f] scribunt) Ægypti Sultanum sollicitâsse tradantur, ut Indici maris imperium Lusitanis eriperet, atque Orientis commercio prohiberet. Idque ut facilius impetrarent, legatum misisse Cairum urbem Ægypti primariam, cum ingenti æris pondere: tormentorúmque conflandrorum scientiâ, navésque more nostro fabricandi peritos artifices; Regi Calecuti subsidium, quo Lusitani pellerentur Indicis oris: Egisse prætereà cum Rege Catholico, ut eas controversias componeret, pro eâ auctoritate quam apud Lusitanos paterna necessitudo & jus propinquitatis dabat: sed lucri cupiditatem maximi aures Lusitanorum obturâsse, ne pacem fœdúsque audirent. Ita Mariana de Venetis. Quos quidem insuper apud Turcum institisse ut materiem Sultano conficiendis contra Lusitanos navibus concederet, vulgatum fuisse, Ioannes Barrosius [g] in suâ Asianâ Historiâ de navigationibus Lusitanorum scribit: modestè tamen de iis sentiens quod jubet Christiana charitas, putavit hoc non esse credibile de adeò Sapiente & Christiano Senatu, qui nullum detrimentum accepisset à Lusitanis. Verùm & id ipsum confirmatur ab Osorio [h] Episcopo Silvensi in Historiâ Indicâ. Partémque illius materici sublatam Ægyptiis fuisse à Militibus Rhodiensibus gravissimo certamine maritimo quo æquè nonnullæ eorum naves captæ sunt, & Rhodum in triumphum deductæ, describit eorumdem Militum Historia sub annis consequentibus: meminítque idem Barrosius.

[f] *Marian. lib. 28. c. 10.*
[g] *Barr. dec. 2. lib. 2. cap. 6.*
[h] *Osor. lib. 4.*

VII. SULTANUS AGIT CONTRA LUSITANOS.

Vehementior utique Maurorum tam qui in Indiâ erant, quàm qui in Ægypto, ad Sultanum expostulatio, necnon Regum Calecutij, Cambaiæ, & aliorum Lusitanis adversantium quam idem auctor [i] describit, de intercepto Lusitanorum adventu commercio cum grandi publicorum vectigalium & privatorum singulorum detrimento. Quâ factum est, ut is in se quasi proprium suscipiens Lusitanos Indicâ navigatione prohibendi negotium, imprimis divulgari curaverit constituisse se templum Ierosolymitanum cum Sepulcro Dominico, & monasterio sanctæ Catharinæ montis Sinai destruere, sacrásque omnes reliquias perdere, & Christianos Europæos toto suo Imperio, (quod latissimum erat, cùm præter Ægyptum, & non parvam cæteræ Africæ partem, possideret Syriam, Arabiam, & alias provincias) ad superstitionem Mahometis compellere, nisi intra certum tempus inde abscederent: ob duas videlicèt gravissimas, quas Mauri, quorum ipse protector uti Imperator & Califa domûs Mechæ, erat injurias accepissent à Regibus Ferdinando, Hispaniæ & Emmanuele Lusitaniæ: ab illo, in Granatæ occupatione, & Maurorum expulsione, aut ad Religionis Christianæ observationem adactione: ab isto, in maris

[i] *Barr. dec. 1. lib. 8. cap. 2. & 3.*

Orientalis commercij interturbatione, ac Principum Indicorum vexatione.

VIII. SCRIBIT AD ROM. PONTIF.

Quâ emissâ voce Sultanus, quasi tamen rogatus à quodam religioso Franciscano, nomine Mauro, natione Hispano, Præfecto monachorum S. Catharinæ montis Sion Ierosolymis; misit eum ad Romanum Pontificem cum minis atrocibus de suo exequendo proposito, nisi Pontifex pro auctoritate quâ pollebat erga Principes Christianos, duos illos ab ejusmodi injuriis avocaret: datis eâ de re ad illum litteris; quarum exemplar se vidisse Barrosius ait, cum speciosissimis titulis tam sibi quàm Pontifici attributis, quos idem recitat. Suos quidem ita. *Magnus Rex dominus dominantium, nobilis, excelsus, sapiens iustus, & victor: Rex Regum, gladius mundi, princeps fidei Mahometicæ, & illorum qui ei adhærent: vivificator justitiæ toto orbe; successor regnorum, Rex Arabiæ, Gemiæ, Persiæ, & Turciæ: umbra Dei in terris, cunctorum bonorum operator, sive sint ab eo præcepta, sive non: alter in hoc mundo Alexander, à quo multa bona procedunt: Rex eorum qui sedent in tribunali, & ferunt coronam: dator regionum, terrarum, civitatum persecutor rebellium, & hæreticorum infidelium: conservator duorum locorum peregrinorum, summus sacerdos templorum sacrorum, quæ sunt sub suo imperio, & continent fidem Mahometis: sparsor justitiæ & bonitatis: splendor fidei: pater victoriæ, Canazzaus Algaurus, cujus Imperium Deus perpetuet, sedémque supra planetam Geminorum exaltet.* Canazzaum hunc Sultanum plures *Campsonem* [ii] vocant; & *Gaurum* pro Algauro: quod ei cognomen Barrosius ait inditum fuisse propter insignem victoriam de quodam Rege Persarum ad lacunam ejus nominis partam. Extat ejus elogium apud Iovium [k]; quo intelligitur eum in Scythiâ ortum, ex humili fortunâ per omnes militiæ gradus ad eam dignitatem invitum evectum esse; eámque eâ moderatione administrâsse, ut ab Othomanis Regibus suspiceretur, & ab Ismaële Persarum Rege coleretur, tanquam intermedius maximarum opum, summâque nominis auctoritate Rex amplissimus. Præmissis igitur superbissimis atque inanissimis prædictis titulis, ad Pontificem sermonem dirigens; *Tibi*, inquit, *Papæ Romano excellentissimo, & spirituali, qui times Deum, & benè operaris; magno in antiquâ fide Christianorum fidelium Iesu, Regi Regum Nazaræorum, conservatori & domino marium & finium maritimorum; patri Patriarcharum & Episcoporum; lectori Evangeliorum, & sapienti in suâ fide, atque in rebus licitis & illicitis; benigno Regibus & Principibus, regni Romani possessori: cujus gloriam Deus augeat, &c.*

[ii] *Vid. supr. an. 1501. V.*

[k] *Iov. Elog lib. 4.*

IX. NEGOTIATIO MISSI A SULTANO.

His literis munitus veniens Maurus Romam, (quod præsenti anno contigisse Barrosius ait) ac mandata minásque Pontifici explicans, adeò illum commovit, ut miserit eum in Hispaniam cum iisdem literis ad Reges Ferdinandum & Emmanuelem, auctores indignationis Sultani, ut quid respondendum quidve agendum esset considerarent. Non ante proximum annum Maurus in Hispaniam pervenit: cùm mense Iunij Emmanuelem Regem adiens, post mandata exposita responsum accepit, has nihil aliud quàm vanas esse Sultani comminationes, quæ cùm non aliud fundamentum haberent quàm diminutionem vectigalium suorum, haud timendum esse, ob grandia emolumenta quæ ex Christianorum peregrinatione ad loca Sancta colligere soleret, ut induci posset ad ea diruenda. Sícque tutus redditus Maurus, & eleemosynis in terram Sanctam deferendis locupletatus, rediit ad Pontificem cum literis utriusque Regis. Sed quid Ferdinandus rescripserit cùm non invenerimus, Emmanuel [l] Pontifici significavit, dolere se quod non majorem Sultano dedisset expostulationis occasionem: sperare tamen, directurum ita Deum arma sua, ut etiam ad Mechæ & sepulcri Mahometis eversionem pertingerent: atque ut ad tam pium opus Christianos omnes Principes, dimissis privatis suis dissensionibus, animos virésque jungere Pontifex hortaretur, rogavit. Reversus Maurus ad Sultanum, quæ vidisset & audisset retulit: nec tamen propter repulsam Sultanus quæ minatus fuerat executus est, sed tantùm classem in Indiam per mare rubrum adversùs Lusitanos immisit; de quâ dicetur suo loco. Legimus autem apud Gomecium in Rebus [m] gestis Ximenij Archiepiscopi Toletani, prædictum Maurum, cùm in Europam mitteretur obtinuisse facultatem à Sultano, auferendi ex imo sepulcri Dominici tabulam marmoream, tres pedes longam, latam unum, lividis, maculis aspersam, ut è Chio marmore secta videri posset: ex quâ factis quinque altaribus ad celebrandum desuper Missæ sacrificium, illa totidem Principibus magni muneris loco distribuerit; videlicèt Alexandro Pontifici tunc adhuc quando Romam appulit superstiti Bernardino Carvaiali S. Crucis in Ierusalem Cardinali Hispano, eam sibi veluti propriam titulo Ierusalem asserenti; Isabellæ Reginæ; Ximenio Archiepiscopo; & Emmanueli Regi Lusitaniæ.

[l] *Bar. ibid. Oros lib. 4.*

[m] *Gomec. lib. 3.*

ALTARIA EX SEPULCRO DOMINICO.

X. EDUARDI PACIECI INGENS GLORIA.

Quod ad res Indicas; hoc anno Zamorinus Calecutianus Trimumparam Regem Cochini Lusitanorum amicum, cum septuaginta fermè millium exercitu aggressus, ut eum iterum regno pelleret, à suis astrologis de victoriâ securus redditus; admirabili fortitudine & prudentiâ militari *Eduardi Paciecí*, cum centum circiter militibus ibi ab Albuquercio relicti, ope divinâ manifestè sese exerente, tot ac tantis cladibus per sex ferè menses quibus bellum duravit contritus est, ut cum ingenti dedecore ad sua se recipere habuerit, amissis aut ferro aut morbo undeviginti hominum millibus. Vnde nomen Eduardi factum est totâ Europâ celeberrimum ipséque à suo Rege reversus in Lusitaniam tanto honore receptus est, ut etiam supplicatione illius nomine decretâ, Rex illum ad latus suum incedere voluerit; fuéritque tunc idem ab Episcopo Visensi oratione luculentâ laudatus; denique Rex insignia ejus facinora apud universos Christianos Principes prædicaverit: quæ quidem describunt ubertim Ioannes Barrosius [n], Osorius, Maffeius, & alij. Eum verò ex Indiâ in patriam reduxit Lupus Suarius; qui post illum Zamorini conatum, in Indiam cum novâ classe accedens,

[n] *Barr de c. 1. lib. 7. Osor. lib. 3. & 4. Maff. lib. 2.*

& Cochini statum firmavit, & multa damna Zamorino aliísque hostibus intulit. Miser autem Paciecus insigni volubilis fortunæ exemplo post tantam gloriam, malevolorum invidiâ in Regis indignationem incurrens, vinctúsque catenis in tetrum ac diuturnum carcerem conjectus; quamvis cognitâ ejus innocentiâ restitutus fuerit, in egestate tamen reliquum vitæ traduxit, longè majori Regis dedecore quàm suo.

XI. CURA REGNI CONGI AB EMMANUELE REGE LUSITANIÆ.
[o] *Suprà an. 1484. XI. 1491. VII.*
[p] *Osor. lib. 3.*

Sunt qui in hoc tempus referant conversionem regni Congi, sive Manicongi à nonnullis dicti, (dicitur eâ linguâ *Mani* dominum significare) ad fidem CHRISTI: sed perperam, cùm jam multis antè annis sub Ioanne Emmanuelis decessore id contigisse viderimus [o]. Quod hoc anno [p] præstitum est, fuit ut Emmanuel Rex Lusitaniæ miserit eò multos viros pietate & doctrinâ conspicuos, ut populos illos tam in fide susceptâ confirmarent, quàm uberiùs instruerent, non solùm in religione, verùm etiam in literis & scientiis; unà cum peritis artificibus mechanicarum artium. Qui omni veneratione & humanitate accepti à pio Rege Alfonso, ac populo, multum fructum attulerunt. Et quod jam superiùs diximus, invitante atque hortante Emmanuele, missi post inde Regis filij, aliíque pueri nobiles in Lusitaniam discendis artibus atque disciplinis, in patriam deinde reversi eam diligenter coluerunt.

XII. STEPHANI WALACHI OBITUS.
[q] *Michov. lib. 4. cap. 84. Crom. lib. 30.*

Hoc anno mortuum ponunt auctores Poloni [q] *Stephanum* Walachiæ & Moldaviæ Palatinum, sive Vaivodam aut Principem, de quo non semel facta est superiùs mentio: bellis, ætate, & podagrâ, ut aiunt, confectum, & inter heroas hujus ævi meritò connumerandum, propter magnitudinem animi, & rei militaris peritiam, quâ præstantissimos duces & imperatores, Matthiam Hungariæ Regem, Mahometem Turcorum Imperatorem, Ioannem-Albertum Poloniæ Regem, nonnunquam, Tartaros sæpè prostravit & fugavit; uno eo infelix quòd ritum Græcum in religione sequens, extra communionem Catholicæ Romanæ Ecclesiæ mortuus est. Cui in dominatu successit *Bogdanus* filius, Luscus dictus quòd uno oculo captus esset.

XIII. FINIS HISTORIÆ SABELLICI.

Ad hunc usque annum perduxit *M. Ant. Sabellicus* Historiam suam universalem Enneadum: quem Iovius in Elogiis fabri ferrarij filium, nonnulli alij è nobili Cocceiorum familiâ ortum in Æquicolis volunt: nam & *Coccius* in sepulchrali monumento nominatur. Scripsit quoque res Venetorum, & alia multa quæ extant. Mortuúsque dicitur ferè septuagenarius ex lue Venereâ, anno Christi 1507. 14. Callendas Maias: quem Baptista Egnatius funebri oratione prosecutus est.

IESU CHRISTI Annus 1505.

IULII II. An. 2.

MAXIMILIANI An. 12.

I. IULII P.P. CONSTITUTIO DE ELECTIONE PONT. ROM.
[a] *Ex Bullar. to. 1. Iul. II. const. 3.*

ANNO Christi 1505. Indictione octavâ, Iulius Pontifex ut fœditati, cujus Sedes Apostolica vehementer infamabatur, imposterum occurreret, constitutionem [a] 19. Cal. Februarij edidit, quâ statuit, ut siqua simonia in electione Summi Pontificis committatur vel ab electo vel ab eligentibus, electio eo ipso nulla existat, & contra ipsum uti hæreticum agi possit, & auxilium brachij sæcularis implorari: támque ipse, quàm qui cum simoniace elegerint, aut eligi quomodocumque procuraverint, privati sint Cardinalatu, aliísque omnibus dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis, feudis, bonis, honoribus, &c. siqueCardinales qui simoniæ non consenserint, electionem alterius Pontificis agere possint, & Concilium etiam Generale indicere & convocare. Quod piè cogitatum remedium, multis videtur difficultatibus implicatum, ut posset aliquando in praxim redigi: sed fortè providit Deus, ne unquam opus fuerit. Aliam [b] verò constitutionem hoc eodem anno quinto Calendas Augusti promulgavit, contra non sumentes literas Apostolicas de Ecclesiis ac beneficiis quæ accipiebant, & contra non solventes annatas; quâ aliàs ab antecessoribus suis super his editas confirmavit; cujus quidem, quòd in grave detrimentum impensarum à Romanis Pontificibus pro Ecclesiâ subeundarum vergeret, observationi diligentiùs incubuêre ministri Curiæ.

[b] *Ibid. const. 4.*
ET PRO LITERIS BENEFICIORUM.

II.
[c] *Guicciard. lib. 6.*

Res tranquillæ in Italiâ fuêre, præterquàm [c] inter Florentinos & Pisanos, qui vario marte inter se pugnârunt, majore tamen Florentinorum damno. Inter Pontificem & Venetos semina erant discordiarum, quòd detrectarent Veneti Faventiam Sedi Apostolicæ restituere. Inter Maximilianum Imperatorem & Ludovicum Francorum Regem fœdus denuò renovatum Haganoæ, misso illuc ad hoc Cardinale Rotomagensi. Paritérque inter eundem Ludovicum & Ferdinandum Hispanum pax facta: cùm iste ad partes suas contra Philippum generum firmandas, ac Ludovici aucupandam gratiam; Germanæ Fuxensis, natæ ex Ludovici Regis sorore conjugium expetiit: faciléque à Ludovico obtinuit, itaut etiam jura regni Neapolitani in Germanam ejúsque filios transferre promiserit quasi dotalia: additâ tantùm lege, ut nullâ susceptâ prole ex eo connubio, id imperium absque controversiâ ad se & hæredes rediret: septingentáque aureorum millia (tot enim Guicciardinus ponit cùm Mariana [d] quingenta tantùm habeat) decem annorum spatio æquis pensionibus Ferdinandus numeraret pro impensâ superioribus bellis factâ. Consummatúmque est hoc matrimonium anno consequenti, dispensante Pontifice super arcto propinquitatis gradu quo se invicem attingebant; quamvis ægrè, ob intercessionem Maximiliani, & Philippi. Habet insuper Mariana felicem expeditionem in Africam Fernandi Cordubæ, hortatu Ximenij Archiepiscopi Toletani, ingenti animo viri, & gloriæ atque fidei propagationis cupidi, jussu Ferdinandi intereà susceptam; quâ Mazalquivirum oppidum (quâ voce Arabicè Portus magnus significatur, eo quoque nomine à Ptolomæo olim vocatus) die tertio Mauris ereptum est: Itémque conventiones inter Regem Ferdinandum & Philippum ipsius generum absentem pactas; haud

FŒDUS INTER REGES GALL. ET HISPAN.
[d] *Marian. l. 28. cap. 14.*

quidem adeò Philippo gratias sed nihilominùs metu Ludovici Regis jam apertè Ferdinando faventis, utcumque tunc acceptas. De cujus in Hispaniam appulsu dicetur anno proximo.

III. FRANC. ALMEIDA PRIMUS PROREX INDIARUM.

Quo eodem anno Emmanuel Rex Lusitaniæ, animo considerans, ad stabiliendas res Indicas, non satis esse classes eò mittere, quæ mox cum onere aromatum redirent, ut hactenùs factum fuerat; sed opus esse assiduitate copiarum ac ducum ibi subsistentium, & temporis diuturnitate: duplo ferè majorem quàm priùs classem duarum ac viginti navium paravit eò mittendam; cui præfecit insignem virum *Franciscum Almeidam*, cum mandatis, ut arces aliquot opportunis locis Africæ & Asiæ extrueret, quæ Lusitanis & facilem in remotas regiones excursum, & tutum receptum darent; atque ut parte illarum navium mercibus de more oneratâ in patriam remissâ, ipse cum reliquis ibi remaneret. Qui die vigesimo quinto Martij festo Annunciationis Beatissimæ Virginis Olysipone solvens, cumulatè præstitit quæ sibi injuncta fuerant, arces extruendo, Reges domando, pellendo, subrogando, sub tributum redigendo, urbes expugnando, hostes tam Mauros quàm Indos & Ægyptios prosternendo. Cui primo omnium collatus est titulus *Proregis Indiarum*, singulis trienniis mutari pòst soliti: ejúsque res gestas singillatim & copiosè prosecutus est Ioannes Barrosius [e], cum accuratâ descriptione Indiarum, & omnium illorum tractuum: quem secuti sunt breviori stylo Osoreus & Maffeius. In quibus unum est magnæ moderationis in barbaro non omittendum exemplum: ut cùm Almeida, pulso tyranno Quiloæ, alium substituisset fidum Lusitanis Maurum nomine Mahometem Anconinum; atque hic facere nequivisset ne Rex fieret; rogavit demùm enixè Almeidam, ut non sibi sui filij, quos nihilominùs dignitate eâ dignos habebat, succederent, sed filius defuncti legitimi Regis, quem tyrannus ille successione regni privaverat: malle se dicens, liberis suis fidei & honestatis exemplum, quàm regnum, vel amplissimum patrimonium relinquere. Vbinam Christianitatis tale quid reperiatur?

[e] Barr. dec. 1. l. 8. 9. 10. dec. 2. lib. 1. 2. 3.

IV. MONS PRIMORŪ PARENTUM IN ZEILANDA.

Illud etiam in insulâ Zeilandâ notandum [f]; esse in medio ejus montem præcelsum, multis paludibus cinctum, ex cujus summo fastigio collis assurgit, & in eo silex cernitur cum vestigio hominis impresso: quod incolæ putant esse primi parentis generis humani, qui inde in cœlum sublatus fuerit. Nec procul inde sacellum est, in quo sepulchra mirâ superstitione coluntur, eò quòd credantur ibi condita esse corpora primi hominis & uxoris illius, ex quorum semine fuit universum genus hominum propagatum; adeò ut illuc multi Saraceni, & alij longè diversis superstitionibus impliciti, religionis gratiâ confluant.

[f] Osor lib. 4.

V. DE REGNO SOFALÆ.

Eodem hoc anno cum aliâ classe missus ab eodem Emmanuele Petrus Agnaia in Africam versus Orientem ad regnum *Sofalæ*, ubi erant fodinæ auri; (quam fuisse *Ophir* regionem auriferam, in sacris Literis Iudæorum navigatione celebrem Ortelius existimavit:). & arcem ibi de consensu Regis Benamotapæ construxisse: eundémque jam octogenarium & cæcum, ob quandam excitatam in Lusitanos proditionem, obtruncâsse, unúmque ex plurimis ejus filiis in locum ejus subrogâsse, cui nomen Solimano, demúmque & hunc ex morbo periisse, alio substituto: idem Barrosius [g] fusè describit; & ex illo Osorius [h] & Maffeius.

[g] Barr. dec. 1. l. 9. c. 6. l. 10. cap. 1. 2. 3. 6.
[h] Osor. lib. 4. Maff. lib. 3.

VI. IOANNIS MOSCOV. DUCIS OBITUS.

Mortuus est [i] hoc anno *Ioannes Basilij* Magnus Moscoviæ Dux, de quo suprà, ad finem mensis Novembris; plurimis rebus præclarissimè gestis valdè illustris; quibus & Tartarorum jugo excusso, eosdem sibi tributarios fecit, & ingenti felicitate multos magnósque Principatus sibi subjecit: cæterùm religione Græcus schismaticus. Cujus imperium pòst aliquam inter filios de successione controversiam, *Basilius Ioannis* obtinuit. De quo erit non semel dicendi occasio.

[i] Michov. lib. 4. cap. 58.

IESU CHRISTI Annus 1506.

IULII II. An. 3.

MAXIMILIANI An. 13.

I. PHILIPPUS REX HISPANIAM PETIT.

ANNO Christi 1506. Indictione nonâ, biduo post Epiphaniam, Philippus Archidux unà cum uxore Ioannâ Reginâ Hispaniæ è Belgio solvens Hispaniam petiturus, tempestate in Angliam pulsus est. Vbi splendidè à Rege Henrico VII. receptus, diúque in ludis & spectaculis detentus, coactus nihilominùs est Henrico prodere Edmundum Polam Suffolciæ Ducem exulem, qui in Belgio detinebatur, pactâ tamen ejus vitæ incolumitate: quam sanè Henricus quamdiù superstes fuit servavit, sed filius ejus Henricus VIII. capitis supplicio abstulit, quòd in Angliæ regnum jus sibi arrogaret. Post quem Henrico traditum, Philippus liber abire permissus in Hispaniam appulit quarto Calendas Maij; Ferdinando socero ægrè ejus adventum ambiente. Post multa de illorum concordiâ tractata, cùm sese mutuò diversis vicibus ac locis vidissent, ac collocuti essent; eò demùm res perducta est, (quam prolixè admodùm Mariana [a], in Ferdinandum quidem propensior, verumtamen haud ejus artes & astutias silens, describit) ut vincente Philippi facilitate, ob majoris procerum partis obsequium, Ferdinandi simulationes, coactus iste sit Castellæ regno abscedere.

[a] Mar. l. 28. c. 18. 19. 20. 21.

FERDIN. CASTELLAM DESERIT.

II. FERDINANDUS NEAPOLIM PETIT.

Qui primò in avitum Aragoniæ regnum secedens, inde paulò pòst Neapolim classe contendit; non tam (ut Guicciardinus [b] ait) ejus regni videndi atque componendi studio, quàm ut Magnum Consalvum inde amoveret: quem de eo regno sibi vendicando, vel potiùs Philippo tradendo (non enim deerant, qui eodem jure quo id Ferdinandus sibi vendicare solebat, nimirùm quòd Aragoniæ viribus partum esset, ac fortè æquiùs, cùm Castellæ armis atque potentiâ obtentum fuisset, ad Philippum spectare dicerent) cogitare sæpiùs suspicatus erat; eóque magis quòd cùm eum pluries in Hispaniam revocâsset, ipse semper variis excusationibus profectionem protraxisset; quem prius

[b] Guicc. l. 7.

CONSALVUM QUOMODO HABUERIT.

Neapoli comprehendi tacitè jussum, ut consuetis fraudibus deciperet, deludendi artem mirum in modum callens, schedâ propriâ manu scriptâ jurejurando securum reddiderat de S. Iacobi Magisteriatu ei conferendo, cùm primùm in Hispaniam foret appulsus. Quod verè & ex animo promitti ut crederetur, ingentia in eum Consalvi merita faciebant; falsò & fraude, eventus docuit. Literis verò Consalvi, antequàm Barcinone solveret, & apud Genuam ipsiusmet Consalvi occursu, metu suspicionum suarum liberatus; eidem, ubi Neapolim appulit, (quam Calendis [c] Novembris ingenti pompâ unà cum uxore Germanâ iniit) Suessam Ducis nomine dedit, meritis ingentibus minorem omnium confessione gratiam. Cùm interim *Philippo*, in flore ætatis, nempè anno vigesimo-octavo, & prosperrimæ fortunæ, Burgis in Hispaniâ mortuo [d] septimo Calendas Octobris, & ut multi crediderunt, ex veneno; ut medici asseruerunt, ex intemperantiâ; idem Ferdinandus à suis amicis atque fautoribus ad Castellæ administrationem revocatus, annó sequenti rediit: Ioannâ Philippi relictâ, nec volente nec præ mentis infirmitate valente, animum ad res gerendas applicare. De quâ Anglerius [e] post biennium scribens ad Ioannem Ruffum Legatum Apostolicum in Hispaniâ, ubi ipse quoque Anglerius erat in obsequio regio, ait eam viri sui corpus è capsâ extractum, secum continuè habuisse, & ad illud officium velut recèns mortuum fieri jussisse: cùm quidam Carthusianus cœnobij Miraflores, ut Reginæ gratiam aucuparetur, ei persuasisset se legisse, post decimum-quartum ab interitu annum Regem quendam à tumulo surrexisse, speraséque propterea Reginam rediturum ad suos virum. Summi hoc indicium amoris in virum fuit; ex cujus etiam zelotypiâ, eam in amentiam incidisse constat.

[c] *Mar. l. 29. cap. 2.*

PHILIPPUS MORITUR.

[d] *Id. l. 1. c. 23. & l. 29. c. 7.*

[e] *Angler. ep. 327. ad Io. Ruff. Leg. Apost.*

III. IULII PP. CONATUS PRO RECUPERATIONE BONORŨ ECCLESIÆ ROMANÆ.

Iulius interim Romanus Pontifex, cùm desiderio incensus recuperandi quæ Ecclesiæ Romanæ fuerant; ad Venetos invadendos, qui nonnulla sub Alexandro occupaverant, ac restituere detrectabant, frustratum se videret auxiliis, quæ à Maximiliano Imperatore speraverat, quòd is rebus Hungaricis, ad cujus regni successionem aspirabat, auditâ Regis ægritudine intenderet; nec tamen sui Pontificatus annos diutiùs inglorius terere posset: à Rege Francorum petiit, ut se ad Perusiam & Bononiam, quæ veteri jure ad Romanam Ecclesiam pertinebant, illáque à Ballionibus, hæc à Bentivolis detinebatur, subjugandas juvaret: omnísque rursùm moræ impatiens, necdum accepto responso Româ egressus cum quingentis gravis armaturæ equitibus, Ioannem-Paulum Ballionem Perusiæ imperitantem, ejus expeditionis timore perculsum, obvium habuit ejus se penitùs voluntati committentem. Vnde Pontifex Perusiam inermis ingressus, in Ballionis potestate fuit, si eam perfidiam quæ ejus nomen in tantò minoribus rebus fœdaverat, in tantâ re per universum orbem celebrem facere voluisset, eum cum totâ aulâ captivum faciendo. Fide verò ab eo servatâ, Bononiam pergens, dum in itinere esset nuncium accepit, Ioannem Bentivolum metu copiarum Ludovici Regis, quæ eò sub Ciamontio ex ditione Mediolanensi appropinquaverant, Bononiam deseruisse. Síque gratissimè in urbem receptus eam Ecclesiæ Romanæ asseruit. Cujus expeditionem descripsit Guicciardinus [f]. Iter autem per singulos dies, à vigesimo-sexto Augusti, quo Româ exivit, usque ad undecimum Novembris quo Bononiam ingressus est, egregio carmine [ff] centum sexaginta quatuor versibus, *Adrianus Castellensis* Cornetanus Presbyter Cardinalis tituli S. Chrysogoni, is ad cujus hortos Alexandrum Pontificem veneno potatum vidimus. Quem quidem apprimè eruditum fuisse, non solùm carmen illud ostendit, verùm etiam plura alia quæ scripsit, & recensentur in Nomenclatore Cardinalium. Inter quæ est liber de Modis Latinè loquendi, ad Carolum Principem Hispaniæ posteà Imperatorem. In cujus præfatione ait, sibi tum fuisse in animo prosequi cœptum jampridem opus, sacri Veteris Instrumenti libros ex Hebræo ad verbum in Latinum sermonem vertendi. Dicitúrque hic primus omnium memoriâ nostrâ fuisse, qui post Ciceronis sæculum scriptis suis mortales ad perfectas literas ex probatissimis auctoribus hauriendas excitârit. De quo etiam plura in Commentario de Præsulibus Angliæ, ubi hic Episcopum Bathoniensem egit; factus pòst Cardinalis ab Alexandro VI. Cujus quidem respectu haud verum, quod Erasmus tum Bononiæ existens, & ad Buslidianum scribens, dixit, eo tempore in Italiâ mirè friguisse studia: sicuti verum erat quod subdit, ferbuisse bella, Summum Pontificem Iulium belligerare, vincere, triumphare, planéque Iulium agere.

[f] *Guicci. l. 7.*

[ff] *Extat ap. Masson. in Iul. II. & ex eo apud Ciaccon & Bzov*

ADRIANUS CASTELL. CARDIN. CLARUS DOCTRINA.

IV.

Hoc eodem anno [g] missus ex Lusitaniâ Tristandus Acunius cum Alfonso Albuquercio in Indiam, divertere jussi sunt in Insulam Scotoram, omnium illarum quæ jacent ad sinum Maris Rubri amplissimam; cujus incolæ erant omnes religione Christiani Iacobitæ ex progenie Abyssinorum, sed multis aliis erroribus & superstitionibus infecti, atque Mauris subditi, qui munitionem in eâ construxerant. Quam Tristandus expugnans, præsidium ibi Lusitanorum reliquit; unà cum Fr. Antonio Franciscano viro Apostolico, qui plurimos prædicationibus suis ad rectam fidem reduxit. Albuquercius [h] verò missus Francisco Almeidæ Proregi Indiarum successor, interim dum finis illius administrationis adesset, virtutis specimen præbere cupiens, Ormutium occupavit, insulam nobilissimam ad sinûs Persici fauces, gemino portu Orientis commercio valdè idoneam, auro & argento, gemmísque beatam; & cum primis Orientis celebritate & mercatorum frequentiâ comparandam.

[g] *Barr. dec. 2. l. 1. c. 1. & 3.*

ALFONS. ALBUQUERCIUS APPELLIT IN INDIAM.

[h] *Id. lib. 2.*

V. IUDÆORŨ STRAGES OLYSIPONE.

Olysipone verò mense Aprili præsentis anni ingens civium in Iudæos recèns baptizatos tumultus concitatus est; quo parùm abfuit, quin omnes qui ad Christi fidem conversi fuerant, fœdè perirent: ortâ occasione ex eo quòd cùm in templo S. Dominici ex plagâ lateris Imaginis Christi in Cruce pendentis, quæ vitro contegebatur, aliquis splendorem fortè animadvertisset, atque inde omnes miraculum conclamare cœpissent; unus ex iis Iudæis conversis miraculum esse indiscretè negâsse. Vnde omnes in miseram gentem concurrentes, incitantibus maximè duobus Fratribus Dominicanis, nautísque, & rusti-

cis adjuvantibus; tribus diebus quibus furor viguit, supra duo illorum millia miserè trucidârunt, multos non solùm ex domorum penetralibus, sed etiam ex ipsis Ecclesiis & altaribus extrahentes; præter bonorum expilationem, & multorum etiam antiquorum Christianorum cædem, qui vel quâdam cum Iudæis similitudine, vel ex inimicitiâ inter Iudæos connumerabantur. Quod immane facinus cùm Rex Emmanuel, qui aberat, audivit, viros primarios cum supremâ potestate Olysiponem misit: quorum judicio magnus hominum numerus extremo supplicio pœnas dedit: Monachi seditionis incentores, sacerdotij dignitate primùm ritè privati, deinde strangulati atque combusti fuêre: qui verò segnes se præbuerunt in furore populari comprimendo, partim honoribus privati, partim pecuniâ mulctati sunt, & civitas ipsa multis ornamentis spoliata. Rem enim ita gestam Hispani [i] narrant: cùm Surius [k], aliique Germani [l] seditionem inde excitatam scribant, quòd Iudæi baptismo simulatè accepto, nihilominùs Iudaïco ritu clàm pascha celebrarent.

Osor. lib. 4 Marian. lib. 28. cap. 17. [k] *Sur. in commentar.* [l] *Basel. in Supplement. Naucler. Func. in Chronol.*

VI. CONTROVERSIA INTER EPISCOPOS ET PROCERES POL.

Hoc anno cùm celebrarentur [m] Lublini in Poloniâ regni Comitia, disceptatum ibi est inter proceres & Episcopos de ratione sedendi in Senatu regio, ac de expeditionibus bellicis: contendentibus proceribus, ut alterum latus Regis sibi Episcopi concederent, & ut bona Ecclesiastica, perinde ac nobilitatis, publicâ belli onera sustinerent: tuentibus verò Episcopis prærogativas suas antiquas, ut utrique Regis lateri assiderent, & militiæ vacationem bona Ecclesiastica haberent. Quam controversiam post longam altercationem ita Rex Alexander diremit, ut Episcopis & Ecclesiis prærogativæ suæ salvæ essent. Post quæ idem Rex ex longâ paralysi decumbens, in ipso transitu nuncio accepto de clarâ suorum victoriâ contra Tartaros in Lituaniam irrumpentes, gratiis Deo mente & signis, cùm jam loqui non posset, actis, lætior expiravit, Vilnæ 19. Augusti, ætatis anno 46. regni 5. Cujus obitum Cometes paucis ante diebus ad Septemtrionem conspectus portendisse putatus est. Fuit ingenio hebetiore, atque ob id taciturnus: liberalis autem adeò, ut magis prodigus existimaretur: ita ut in tempore eum decessisse dicerent priusquàm Poloniam & Lituaniam omnem prodigeret. In ejus porrò obitu tam *Matthias Michovius* doctor Medicus, & Canonicus Cracoviensis, atque astrorum scientiâ insignis; quàm *Martinus Cromerus*, Historiis suis, seu Chronicis de Rebus Polonorum, finem imposuerunt. Sed Michovius etiam post hæc commentarium de Sarmatiâ Asianâ & Europæâ scripsit. Cromerus quoque duos libros De Situ Poloniæ, & Gente ac Rep. Polonâ: qui factus Episcopus Varmiensis, diversis etiam legationibus functus reperitur. Vixit autem longè post hæc tempora; qui quartam Historiæ suæ editionem anno 1586. ornabat, mortuúsque dicitur anno 1589. 13. Martij. Alexandro autem Regi subrogatus est *Sigismundus* ipsius frater Dux Glogoviensis, ætatis suæ anno 40. princeps multis virtutibus insignis, egregiisque animi & corporis dotibus præstans, ac claris victoriis illustris; qui lapsam ferè Rempublicam Polonam restituit, & optimè constitutam successori reliquit. Cujus res gestas ex parte memoriæ mandarunt *Iodocus Ludovicus Decius* ejus Secretarius; necnon *Bernardus Vapovius* Cantor & Canonicus Cracoviensis, ejusdémque Regis item Secretarius. Ex quibus, & aliis nonnullis, suam compilavit Historiam Polonicam *Salomon Neugebaverus* usque ad annum 1586. & obitum Stephani Regis; cui postremò Cromerus opus suum dedicavit.

[m] *Michov. lib. 4. cap. 82. Crom. lib. 3.*

ALEXAN. REX POLON. MORITUR.

MICHOV. ET CROMERI HISTORIÆ.

SIGISM. REX POLONIÆ.

CONTINUATORES HISTORIÆ POLON.

VII. INITIUM FABRICÆ BASILIC. VATIC.

Hoc anno Iulius Pontifex principium dedit constructioni magnificentissimæ basilicæ S. Petri in Vaticano; Bramante architecto ideam universæ molis ad exactissimæ symmetriæ elegantiam designante: cui vix post centum circiter ac decem annos Paulus V. ultimam manum quoad corpus ejus apposuit; Vrbanus VIII. ornatiorem reddidit, & sacris ritibus consecravit: vastissimum ædificium, omnium sacrorum quæ unquam fuêre uspiam amplitudine longè augustius. Pro cujus fabricatione Iulius [n] Indulgentias per orbem promulgavit sicuti & posteà Leo X. aliique.

[n] *Bullar. tom. 1. Iul. II. const. 23.*

VIII. ORDINIS MINIMORUM CONFIRMATIO.

Eodémque anno, quinto Calendas Augusti, idem Pontifex [o] Ordinem Minimorum Sancti Francisci de Paulâ à Sixto IV. primùm [p] approbatum, privilegiis auxit, confirmavítque: quemadmodùm & post hæc alij consequentes Pontifices idipsum suis temporibus præstiterunt.

[o] *Ibid. const. 10.* [p] *Suprà an. 1473. XV.*

IESU CHRISTI Annus 1507.

IULII II. An. 4.

MAXIMILIANI An. 14.

I. GENUA DEFICIT A' REGE FRANC.

ANNO Christi 1507. Indictione decimâ, cùm mobilis Genua ad finem anni superioris propriâ suâ culpâ, non Gallicani imperij acerbitate, in civiles discordias pro solemni consuetudine incidens; (quibus, ut ait clarus quidam eorum scriptor [a], qui non minùs accuratè quàm eleganter rem enarrat, clariora quàm unquam aliàs edita sunt documenta insitæ naturâ nobilitati superbiæ & fastûs, & effrenatæ plebis libidinis in libertate & impotenti dominatu exercendo:) etiam à Ludovici Francorum Regis obedientiâ, in nullo à Francis læsa, defecisset, pleraque nobilitate frustrà repugnante, quæ urbem deserere coacta est; electúsque in Ducem fuisset à plebe Paulus Novius, sordido ac pudendo fullonicæ quæstu vitam tolerans, cætera tamen egregius vir: iratus inde Rex Ludovicus, ut par erat, è Galliâ properè accurrens, exercitu Genuam versùs ducto, Genuensibúsque montium angustiis quas occupaverant vi motis; Genuam victor ingressus est tertio Calendas Maij: totúsque armatus gladium districtum manu tenens sub umbellâ receptus ab enectis metu primoribus urbis, eorum oratione; ac populi omnis sexûs & ætatis humi prostrati, & misericordiam ejus cum ramis olivarum implorantis, flebilibus precibus, facilè ad veniam flexus; nonnullis, quorum audacia insignior fuerat, (ac speciatim Paulo Novio Duce, quem proditoriè quidam ejus

[a] *Foliet. l. 12.*

RECUPERATUR A' REGE.

miles, dum profugus Pisis Romam navigaret, captum Gallis vendidit) supplicio affectus, ac civitate magnâ auri summâ mulctata, novâque arce ad portum loco propemodùm inaccessibili extructâ; cæteros in pristinum statum restituit, fidelitatis solemni sacramento ab eis recepto. Quam totam rem singillatim idem auctor, & Guicciardinus tractant. Additque Genuensis, Regem abducto secum Philippo Ravestenio antiquo præfecto, civitati præfecisse Rodulphum Lanoium, virum justum ac sanctum, & in omnibus officij gradibus caste & integrè servandis imprimis diligentem: cujus multa eximia extiterint in rebus lapsis restituendis, civitatisque quiete conservandâ facinora: donec cùm vitia civitatis virtute sua superiora ferre non posset, facultate à Rege impetratâ eam reliquit, bonis lugentibus, cum non plus annum Genuæ fuisset; successore ei dato Francisco Roccaciardo longè diversi ingenij viro. Quamdiù verò in gente mobili perstiterit jurata Regi fides, dicetur suo loco.

II.
[b] *Guicciard. lib. 7.*

Narrat verò Guicciardinus [b] nec sine admiratione, Regem quamprimùm Genuâ potitus est, exercitu dimisso, Mediolanum revertisse; cui tunc facile fuisset victoriæ cursu continuato, cum reliqui omnes imparati essent, quoscumque voluisset in Italiâ, opprimere: Sed idcircò exercitum dimisisse, ut Pontifici; Imperatorique, ac Venetis, qui omnes in maximâ suspicione versabantur, ostenderet se nullam aliam ob causam quàm Genuæ recuperandæ, in Italiam venisse. Quippe Pontifex, omnia in deteriorem partem accipiens, quòd Rex non singulis ejus desideriis assentiretur, non solùm frequenter in eum immurmuraret; verùm etiam cùm eum audisset Genuam cum exercitu contendere, odium in eum conceptum dissimulare non valens; Maximiliano Imperatori & Electoribus suggessisset, eum Genuensium quidem tumultuum, quos solâ auctoritate compescere posset, sedandorum specie, re autem Pontificij imperij opprimendi, & Cæsareæ dignitatis usurpandæ gratiâ in Italiam venire, animo videlicèt Cardinalem Rotomagensem Pontificem creandi, & coronam Imperij ab eo accipiendi: idémque pariter Veneti timore correpti nunciassent. Quibus acceptis Maximilianus, suâpte naturâ rerum novarum studiosissimus, Germaniæ Principum & liberarum civitatum conventu maximo Constantiæ celebrato; lectis iis literis adeò omnes commovit oratione, quam ad genium suum Guicciardinus composuit: ut decretum sit, potentissimum exercitum in Italiam ducendum esse, qui etiamsi Rex Galliæ cum universâ Italiâ sese opponeret, ad pristina Imperij in Italiâ jura recuperanda idoneus esset. Ita enim rem narrat Guicciardinus. Cùm nihilominùs hunc Constantiensem conventum memorans Trithemius [c], qui propè erat, (non tamen jam ampliùs Abbas monasterij Sponheimensis; quòd illud malitiâ Monachorum deserere coactus anno præterito, in Sancti Iacobi Herbipolensis translatus est, ubi majori otio frui ei licuit:) nihil contra Gallos in eo tractatum ponat, sed tantùm contra superbos, (ut vocat) rebelles & inobedientes Venetos, quorum innata temeritas plura Ecclesiæ damna irrogaverat, & plurima contra Romanum Imperium perperàm gesserat. Quod etiam quæ porrò secuta sunt, confirmare videntur. Et ex Historiâ Hispanicâ [d] intelligitur, egisse quoque eo conventu Imperatorem de suscipiendo in Hispaniam itinere ad accipiendam Castellæ procurationem nomine nepotis sui Caroli. Si tanta ac tam disjuncta meditabatur Maximilianus eodem tempore, minùs profectò timendus in singulis erat. Quod verò etiam Guicciardinus habet de dimissione exercitus Ludovici, effectus fuerit non tam timoris, quàm Gallici candoris, non aliud corde quam ore gerentis atque ingenuitatis Regis, qui ut omnes suspicacissimorum Italorum umbras dispelleret, (quas & vanè ac putidè confictas, quis sanus negaverit? sed ea est natura debilium, ut à potentioribus sibi continuè timeant:) statim Genuâ receptâ exercitum dimiserit; qui & eâdem celeritate in Galliam rediturus fuisset, nisi Ferdinandi Aragoniæ Regis, reditum in Hispaniam adornantis, & colloquium cum eo expetentis, rogatus retentus fuisset.

LUDOVICI POTENTIA SUSPECTA ITALIS.

[c] *Trithem. in Chron. Sponheim.*

[d] *Marian. lib. 29. cap. 8.*

III.
FERDINANDUS HISPANIAM REPETIT.
[e] *Mar. cap 7.*
[f] *Guicciard. ibid.*

Hic enim cum totus ad Castellæ administrationem iterum assumendam intentus, ad quam à multis proceribus revocabatur, & à filiâ expetebatur; flocci factis Maximiliani intentatis sibi minis [e], si antè in Castellam iret, quàm controversia de procuratione composita fuisset; septem Neapoli dumtaxat menses moratus, quibus [f] neque maximæ de se conceptæ expectationi satisfecit, neque ad commune Italiæ commodum quicquam laude vel memoriâ dignum fecit, neque regnum Neapolitanum aliqua utilitate beneficiove affecit; inde pridie nonas Iunij, unà cum Germanâ conjuge discessit: minimè etiam acceptâ ejus regni confirmatione a Pontifice, ob contentionem de census annui diminutione, quam ipse petebat, & Pontifex negavit. Verumtamen auctor [g] qui historiam congressûs Ludovici & Ferdinandi Regum composuit, scribit Pontificem, ubi audisset Ferdinandi iter, Ostiam processisse, ut eum in transitu videre posset; ad Ferdinandum, nequid suspicionis Ludovico, cui Pontificem parùm benè velle sciebat, ex colloquio cum Pontifice ingereret, excusâsse apud Pontificem festinatam navigationem. Abduxit verò secum Ferdinandus Magnum Consalvum, ut ab omni se ejus fidei suspicione liberaret; promisso tamen rursum ei eodem quo priùs ludibrio S. Iacobi Magisterio; cùm eum tam Pontifex quàm Veneti, sibi invicem adversantes, ex arcano magnis pollicitationibus invitarent copiarum suarum imperium suscipere. Navigatione autem Savonam, ubi cum Ludovico Rege colloquium erat constitutum, directâ; cùm portum ingressus est, (quarto videlicèt Calendas Iulij, in pervigilio SS. Apostolorum Petri & Pauli) Ludovicus cum duobus tantummodò è suis per pontem ligneum ad id extructum in regiam triremim, quæ jam ad illum appulerat, transiit: quem Ferdinandus detecto capite & genu in terram fixo excipiens, post amplexus incredibili lætitiâ factos, ab eo in civitatem ingenti honore deductus est ad hospitium ei splendidè in arce paratum. Spectaculum profectò memorabile; (inquit Guicciar-

[g] *Edit. Gotofr. Paris. in. 1614.*

APPULSUS EJUS SAVONAM AD REGEM FRANC.

dinus) duos omnium Christianorum Principum potentissimos Reges, qui paulò antè acerbissimi hostes fuerant, non modò reconciliatâ gratiâ & affinitate conjunctos videre, sed odij & offensionum memoriæ signis penitùs depositis simul utrumque propriam salutem alterius arbitrio, Gallum in triremi Hispani, cujus fluxam fidem toties expertus fuerat, Hispanum in civitate Galli, quem adeò distortis artibus tali regno cum tantâ ignominiâ spoliaverat, non minori fiduciâ ac si semper concordissimi fratres fuissent, committere. At quod ait de periculo Regis in trireme Aragonij, futile est, cùm nullum prorsùs fuerit: quippe non priùs Rex triremim ingressus est, quàm ea non solùm intra portum esset, verùm etiam ad pontem ligneum applicata, portu referto navibus regiis armatis, præter magnum militum numerum, & munitiones portûs, unde non facilis fuisset classi Hispanicæ regressus; adeò ut tam ferè tunc esset Aragonius in Galli potestate, quàm cùm intra ipsam urbem: uti apprimè intelligitur ex prædictâ descriptione hujus congressûs, factâ ab homine qui videbat. Cui etiam interfuisse ait Legatum Apostolicum Cardinalem S. Praxedis, unà cum Cardinalibus Ambosiano, Narbonensi, S. Severini, Finali, Bajocensi, & Albiensi, cum multis Archiepiscopis, & Episcopis, Principibus & magnatibus.

IV. MAGNO CONSALVO HONOR HABITUS.

Hominum verò ad eam celebritatem concurrentium admirationem maximè auxit Magni Consalvi aspectûs excellens majestas, verborum magnificentia, gestûs & actionis gravitas, mirâ quâdam suavitate conditâ. Præsertim verò Regis Galliæ; qui illum honoris causâ eâdem mensâ cum ipso & Ferdinando atque Reginâ quartum accumbere à Ferdinando obtinuit, & post accumulatas laudes auream torquem è collo suo detractam in ejus cervicem injecit: ut testatur Iovius in ejus Elogio, qui Vitam ejusdem rêsque præclarissimè gestas proprio commentario prosecutus est. Adeò ut omnium judicio is dies Consalvo non minùs gloriosus fuerit, quàm is quo victor ac penè triumphans cum universo exercitu Neapolim est ingressus. Addunt Hispani [h], Ferdinandum quoque Albanij, qui etiam aderat, partium Gallicarum olim contra Consalvum strenuissimi Ducis virtutem, bellicásque artes extulisse: ita ut etiam Albanius Venafram oppidum, quod Comitis nomine in regno Neapolitano initio belli obtinuerat, sibi ex tantâ benignitate polliceretur, spe præproperâ falsus. Non enim tam promptus erat Ferdinandus dando quàm promittendo: ex moderato nationis genio, quæ nequaquàm in profundendo peccare consuevit Habet verò ampliùs expressiúsque prædictus hujus congressûs scriptor, quod & longè honorificentius Albanio extitit; cùm Ferdinandus post honorem illum à Rege Ludovico exhibitum Consalvo, de Albanio inquirens intellexisset eum domi detineri dolore pedum, eum domi invisisse humanissimè, quòd ejus operâ olim usus utilissimè fuisset in bello Granatensi. Fuit igitur is dies utrique duci celeberrimus: Consalvo autem celebrium postremus; nullâ ampliùs ei ab invido suo Rege virtutis vel bello vel pace exercendæ facultate datâ, quinimmò fœdissimis [i] modis eâ delusâ atque traductâ, usque ad ejus obitum; qui contigit (ut suo loco describetur) nono post hæc anno; gloria ejus auctâ magis Regis sui ingrato animo, quàm benevolentiâ.

[h] *Marian. cap. 9.*

[i] *Id. lib. 30. c. 14. 26. 27.*

V. CONSILIA INTER REGES AGITATA.

Triduo illo quo Ferdinandus Savonæ moratus est; Reges occultissima longissimáque consilia agitârunt; quibus inter cætera conclusum esse conjici magis potuit, quàm sciri, de perpetuâ amicitiâ conservandâ; de Maximiliano Imperatore Gallo conciliando; (& erat vel maximè iratus Regi Maximilianus, quod contra antiqua conventa, Rex Claudiam filiam suam, olim Carolo Maximiliani nepoti cum amplissimâ dote promissam, Francisco Duci Engolismensi futuro regni successori desponsâsset: quod tamen nonnisi efflagitantibus regni Ordinibus præstitit:) de viribus contra Venetos jungendis; de reformatione Ecclesiæ per Concilij convocationem. Solutóque conventu, singulis ad sua se recipientibus, Ferdinandus in Hispaniam navigavit; ac de Ioannæ filiæ consensu procurationem Castellæ accepit, vi ad id coactis nonnullis proceribus ab eo aversis. Cùm interim non cessarent inter ipsum & Maximilianum dissensiones eâ de re olim cœptæ: & inter eundem Maximilianum, Ludovicum Gallum, Venetos, ipsúmquemet Pontificem nihil non ageretur, quo sibi ab invicem caverent, sibique pariter & armis & artibus nocerent Maximiliano præsertim exercitum in Italiam parante adversus Gallos & Venetos, specie Romam eundi ad accipiendam coronam Imperij, Venetis, si armatus adveniret, transitum denegare certis; ac Pontifice eundem, ut absque exercitu veniret hortante. Quæ apud Guicciardinum uti se habuerint legere est.

VI. REX SCOTIÆ DECLARATUR FIDEI PROTECTOR.

Narrat quidam Scotorum [k] historicus, his diebus Iulium Pontificem legatum ad ipsorum Regem decrevisse, qui illum, quòd hæresi à suis finibus arcendæ gnaviter operam daret; *Christianæ Fidei protectorem* declararet. Atque in ejus rei signum, misisse ad illum diadema purpureum, aureis floribus intextum, ac gladium vaginâ atque manubrio aureis insignem, gemmísque egregiè stellatum. De quânam porrò hæresi intellexerit, nobis incompertum: nisi fortè fuerit de quibusdam reliquiis Wickleffistarum Angliæ; cùm nullam aliam his temporibus iis partibus viguisse repererimus. Fuisse verò Regem hunc Iacobum IV. valdè pium & religiosum, fideíque Catholicæ assertorem eximium, ex eodem auctore aliísque apprimè intelligitur.

[k] *Lesl. lib. 8.*

VII. S. FRANCISCI DE PAULA OBITUS.

Hoc anno, quarto Nonas Aprilis, in Parasceve Paschæ, Turonis in Galliâ in cœlos abiit *Franciscus de Paulâ* Ordinis Minimorum conditor, vitæ sanctitudine illustris, & miraculorum magnitudine atque frequentiâ alter Thaumaturgus; ætatis anno nonagesimo primo, Ordinis inchoati septuagesimo secundo, de quo ejúsque Ordine, satis superiùs: Vitam verò ejus admirandam Franciscus Victon ejusdem Ordinis Theologus, & ipsius S. Francisci ex sorore pronepos, non ita pridem typis mandavit quinque libris distinctam; uberiúsque alij posteà: Leóque Papa X. breviùs complexus est constitutione [l] illâ, quâ eum in Sanctorum numerum retulit Calendis Maij

[l] *Bullar. tom. 1. Leo. X. cōst. 38. quæ etiam ext. an. Sur. 2. April. & in Annal. Minim.*

anno millesimo quingentesimo decimo nono, petitione Francisci Regis Francorum, & famâ ac comprobatione excitus ingentium miraculorum quæ tam in vitâ quàm etiam post mortem edidit. Cujus corpus totis undecim diebus post obitum omnium oculis & osculis expositum, suavissimum odorem inter continua quæ fiebant ad illud sanationum miracula efflare non cessavit: hæretici fœtidissimi, post quinquaginta quinque quietis ejus annos integrum atque incorruptum anno 1562. igne ex concisis Imaginis Christi à Cruce pendentis lignis constructo, multiplici ac tartareo sacrilegio combusserunt.

IESU CHRISTI Annus 1508.

IULII II. An. 5.

MAXIMILIANI An. 15.

I.

MAXIMILIANI CÆS. INFAUSTA IN ITALIAM EXPEDITIO.

ANNO Christi millesimo quingentesimo octavo, Indictone undecimâ, Maximilianus[a] repulsâ à Venetis accepta de transitu armato per ipsorum ditionem ad coronam, ut præseferebat, accipiendam, Tridentum accedens, die tertio Februarij, & post actam publicam supplicationem, promulgari jussit, non ampliùs Romanorum se Regem, (quo tantùm titulo eatenùs usus fuerat) sed quemadmodùm Reges Romanorum, cùm in Italiam ad Imperij coronam contenderent, consuescerent, Imperatorem electum nuncupaturum; atque in Italiam exercitum traducere paratum esse. Postridie cum modicis copiis per montana Vicetiam versùs tendens, cum nonnihil egisset, & feliciores successus expectarentur; quarto postquam Tridento discesserat die, repentè retrò regressus est, omnium animis ob tantam vel inconsiderantiam, vel inconstantiam, summâ admiratione repletis aliæque ejus copiæ in Forojulij ab Alviano Venetorum exercitûs ductore prostratæ sunt, ac penè deletæ: nec admodùm prosperiori exitu rebus alibi succedentibus, idem difficultatum pudorisque plenus, Coloniam versùs profectus, per multos dies ubinam esset ignoratum fuit. Cùm verò emersit, omni se auxilio destitutum cernens, suî aliquâ ratione à periculo liberandi cupidus, Venetos de induciis sollicitavit; quæ post multas difficultates ratione temporis & Principum qui iis comprehendi deberent, pactæ sunt inter eos in triennium die vigesimâ Aprilis: sed ejusmodi, quæ[b] innumeras calamitates, & bella superioribus longè atrociora pepererunt, bonorum direptiones, urbium eversiones, religionis violationem, rerum sacrarum proculcationem.

[a] Guiciard. lib. 7.

[b] Id. lib. 8.

II.

FOEDUS PRINCIPUM CONTRA VENETOS.

Quorum malorum causam, præter communem & consuetam Principum ambitionem & cupiditatem, processisse scribit ex Veneti Senatus temeritate, nimiâque insolentia; quâ Maximilianum immodicè ex acceptâ ignominiâ exacerbatum, in maximam desperationem conjecerunt, cùm post factas inducias, non minùs inanibus signis, quàm factis, ab eo lacessendo minimè abstinuerunt: pariterque Regem Galliæ ad summam indignationem concitârunt, cùm propriâ tranquillitate procuratâ, ipsum in auxilium adversus Maximilianum evocatum, in belli molestiis reliquerunt[c]: denique Iulium Pontificem, præter veteres causas, nonnullis recentibus in receptione ac protectione hostium ejus, & in contemptu auctoritatis Sedis Apostolicæ, cùm Vicetino Episcopo, quem Pontifex creaverat, rejecto, ipsi alium intruserunt, qui se Episcopum à Senatu electum nuncupare audebat, ad novum odium accenderunt. Quare Maximilianus, propriis viribus minime fidens, ad fœdus cum Gallo, velut ad unicum honoris & rerum amissarum recuperandarum instrumentum, ineundum conversus; consilium per internuncios cum eo cepit, ut fieret conventus Cameraci, quo de communibus rebus tractaretur. Adfuit pro Maximiliano Margarita ejus filia, ter olim nupta in Galliâ, Hispaniâ, & Sabaudiâ, semel dimissa, bisque vidua, jam Belgij patriæ suæ procuratrix, Caroli posteà Imperatoris nepotis sui educatrix, femina prudentissima, & magnis animi corporisque dotibus præstantissima: pro Ludovico Rege Cardinalis Rotomagensis: pro Ferdinando Hispano, qui colloquij suasor fuerat, legatus ab eo missus. Réque paucissimorum dierum intervallo confectâ, decimo Decembris in majori templo promulgatum fuit perpetuum inter Pontificem, (Rotomagensi quoque pro illo agente) Cæsarem, Regésque Christianissimum & Catholicum fœdus, generatim solummodò sic expositum. In arcanis verò capitibus res magni momenti speciosis verbis continebantur: summos scilicèt hos Principes sacro bello contra hostes Christiani nominis suscepto, primùm ea quæ tam necessariam expeditionem interturbare possent tollere de medio velle, ac præcipuè à Veneris civitates Ecclesiæ, Imperij, regni Neapolitani, & Ducatûs Mediolanensis, (cujus diploma Maximilianus Ludovico Regi, ejúsque genero Francisco, & masculæ illorum proli Augustali auctoritate concessit, pretio centum millium aureorum) quas ambitiosè occupaverant, repetere rogatis etiam minoribus Italiæ Principibus, quorum similiter nonnulla oppida iidem Veneti variis bellis & artibus usurpaverant, eidem fœderi nomina dare: & Rege quoque Hungariæ[d] ad idem per Pontificem & Cæsarem invitato, & ob sublatam regno Hungarico à Venetis Dalmatiam facilè consentiente. Quibus demùm à Venetis intellectis, iidem frustrà conati singulos à communi fœdere sejungere, ingenti animo ad tantum bellum sustinendum se comparantes, pecuniis, auctoritate, & totis imperij sui viribus dignos tantâ Republicâ apparatus facere conati sunt: eò alacrioribus animis, quòd ex naturâ ejusmodi fœderum admodùm verisimile videbatur, si primum impetum sustinerent, tot principum malè concinnatum societatem facilè ardorem dimissuram, vel dissolutum iri quamquam, ut ex Anglerio[e] intelligitur, juràssent fœderati, altaribus & sacro sanctæ Eucharistiæ dextris im-

[c] Iustas rationes, quibus Rex Ludovicus in Venetos commotus fuit, explicat Bellefor. lib. 6. cap. 16.

[d] Guicc. ibid. Istuanff. Hist. Pannon. lib. 4.

[e] Angler. ep. 409.

positis, neminem è fœderatis deserturos se, donec quisque antiqui sui juris facultates assecutus esset. Quid autem inde secutum sit, dicetur anno proximo.

III. Solus ferè Rex Lusitanus Emmanuel his fallaciarum & fraudulentarum artium, quibus hæc fœdera componebantur, contentionibus liber; dum isti Reipublicæ Christianæ perditioni intenderent, ipse fidei atque imperij nominísque sui per omnes Orientis oras, pérque Africam, sanctæ propagationi studens; anniversariis navigationibus novas identidem per duces suos victorias de Mauris & Infidelibus reportabat, opésque non paucas eâdem operâ struebat. Dolebat illud maximè Mauris in Indiâ negotiantibus, necnon Regi Calecutio; à quibus vidimus [f] Campsonem Ægypti Sultanum adversus Lusitanos incitatum, non solùm in se suscepisse eorum totâ Indiâ expulsionem, verùm etiam Sepulchri Dominici, aliorúmque locorum sacrorum Terræ Sanctæ destructionem minatum esse. Qui quidem ab hujusmodi destructione, ob lucrum quod inde ex peregrinationibus Christianorum reportabat, abstinens, expulsioni tamen Lusitanorum intendere statuit. Adversus quos misit [g] hoc anno classem præfecto ei Mirhocemo; qui licèt non ex numero Mammalucorum esset, (militiæ scilicèt Sultani, in quâ robur consistebat Imperij) Persa existens ex provinciâ Cordistanâ Babyloniam inter & Armeniam, vir tamen rei militaris & nauticæ valdè peritus erat. Qui ex Ægypto solvens, lectis Arabiæ oris, locísque ab Alfonso Albuquercio in potestatem suam redactis, monitus adversus illum apud Ormutium tunc existentem tendere; ubi audivit eum maturæ ætatis esse, respondens non se ejusmodi duces quærere, sed juvenes, ad portum oppidi Ciauli contendi, in quo Laurentius Almeida filius Franscici Indiarum Proregis cum octo navibus erat: eúmque, imparatum ex improviso aggressus mense Novembri ferocissimâ factâ pugnâ classem dissipavit, Laurentio piè animoséque occumbente, ejúsque prætoriâ navi captâ. Sed hanc cladem paulò pòst ipse Prorex cumulatissimè ultus est, tum expugnatione insignis civitatis Dabulis, & plurimarum navium hostilium incensione; tum acerrimo prælio, cum ipsomet Mirhocemo pugnato die tertiâ Februarij anni proximi ad portum civitatis Diu, (Prorege solas decem & novem naves aut triremes, sed optimè instructas, habente; Mirchocemo tam ex suis quàm ex Calecutianis aliísque undique collectis, circiter ducentas omnis generis:) quo ingenti clade, & grandi cæde Mammalucorum, aliorúmque hostium, devictus Mirhocemus, exscensâ clàm navi fugâ sibi consuluit; ejus verò naves, paucis exceptis quas Prorex usui suo servavit, incensæ fuêre. Indéque Prorex triumphans Cocinum reversus, post graves contentiones de gubernatione Indiæ inter ipsum & Albuquercium, quem Rex Emmanuel successorem ei destinaverat, (quæ eò processerunt, ut etiam Almeida Albuquercium in custodiam tradiderit) adventu Ferdinandi Coutigni Marescalli ex Lusitaniâ, qui Albuquercij substitutionem confirmavit; Franciscus parùm pro dignitate à Marescallo in Lusitaniam remissus, superato Bonæ Spei promontorio, exscensione factâ contra quosdam barbaros, qui nonnullos Lusitanos vulneraverant, miserrimè cum multis aliis nobilibus, à paucis barbaris sudibus tantùm armatis, occisus est Calendis Martiis anni millesimi quingentesimi decimi. Quam rem lugubrem & commiseratione dignam, accuratè describit Barrosius [h], post supradicta omnia diligentissimè enarrata: à quo alij desumpserunt.

IV. Et quod in longinquis navigationibus sumus, reperimus hoc tempore [i], navem Normanniæ Gallicæ, Britannicæ insulæ oram legentem, naviculam ex viminibus arborúmque libro contextam cepisse; in quâ septem inerant homines mediocri staturâ, colore fusco, vultu lato, & cicatrice cæruleâ notato, veste è piscium corio maculis ubique variantibus ornatâ, capite corona è culmo septem appendicibus interstinctâ redimito: cibus caro cruda, potus sanguis: mutuò colloquebantur, sed sermone incognito: Sex ex iis, antequàm navis in Normanniam rediret, è vitâ excessisse; septimum adolescentem ad Regem Ludovicum cum ipsâ naviculâ perductum esse Rotomagum. Quos è longinquis regionibus tempestate eò delatos fuisse, existimatum fuit.

V. Hoc eodem anno (ut Petrus Martyr Anglerius [k] Mediolanensis literis tunc scriptis, optiméque de rebus quæ per orbem fiebant instructus, testatur; quamvis Trithemius [l] sequenti ponat) ultimâ die mensis Maij; per sententiam publicam ad ignem judicati sunt, & in cinerem redacti, apud Bernenses Helvetios quatuor Fratres Ordinis Prædicatorum; videlicèt Prior, Lector, Subprior, & Custos; propter quasdam dolosas & impias machinationes, quas præcipuè contra Immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis MARIÆ, in multorum scandalum, & invidiam Franciscanorum excogitaverant: commentitiis [m] videlicèt quibusdam miraculis & visionibus suam apud vulgus opinionem tueri conati, abusíque etiam ad hoc quodam simplici fratre laico, qui rem omnem prodidit: nonnulláque alia agentes, quæ viros graves & religiosos minimè decerent. Quibus permoti cives Bernenses, injuriæ Matri-Dei irrogatæ vindices exsurgentes, (ô quantùm postmodùm mutati ab illis!) Lausanensem Episcopum Aymonem de Montefalcone in monachos illos inquirere hortati sunt. Cujus diligentiâ detectâ imposturâ, monachi magistratui politico traditi, & ab eo flammis addicti. Fuítque totius rei historia, & vulgari & Latino sermone, unà cum actis contra monachos confectis, typis vulgata. Quemadmodum & multa alia scandala, nonnullorum ejusdem sanctissimi Ordinis Patrum imprudentiâ, ex nimio ad suam ejusmodi opinionem affectu, sæpiùs variísque provinciis exorta, superiùs suis locis retulimus: pronúmque esset longè plura in medium proferre pro defensione Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis,

---

[f] Supr. an. 1504. VI.

SULTANUS ÆGYPTI EXERCITUM MITTIT CONTRA LUSITANOS INDIÆ

[g] Barr. dec. 2. lib. 2. cap. 6. & seqq.

LUSITANORUM VICTORIA.

[h] Id. dec. 2. lib. 2. & 3. Osor. lib. 5. & 6. Maff. lib. 4. Mar. lib. 29. cap. 16. & 22.

CIMBA BARBARICA CAPITUR.

[i] Belca. Ber. Gall. lib. 11. num. 9. hoc an. Paralip. Ursperg. sub an. seq.

[k] Angler. ep. 340. & 401.
[l] Trith. in Chron. Sponheim.

DOMINICAN. BERNENSIUM IMPOSTURA.

[m] Angler. ibid. Sur. in commentar. Basel. Append. ad Naucler. Lang. in Chron. Citiz. &c.

quam nos cum reliquâ universâ Ecclesiâ Catholicâ constantissimè profitemur. Sed ne animos contrarium sentientium ultrà exacerbare velle videamur, nec tamen id vanè à nobis asseri existimetur; si quis aveat ea scire, habet eorum enumerationem, ex quo tempore boni illi Patres eam ardentiùs propugnare cœperunt, ex monumentis Galliæ, Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ in unum collectam apud Fratrem Lucam Waddingum Theologum, Hibernum, Ordinis Sancti Francisci de Observantiâ, in tractatu ab ipso edito de Legatione Hispanicâ ad Paulum V. Pontificem Maximum, pro definiendâ eâ quæstione, (Sectione secunda oration. 9. tract. 10.

IESU CHRISTI Annus 1509.

IULII II. An. 6.

MAXIMILIANI An. 16.

I. PROMULGATIO FOEDERIS CONTRA VENETOS.

ANNO Christi millesimo quingentesimo nono, Indictione duodecimâ, die quinto Ianuarij, Maximilianus Imperator fœdus Cameracense præcedentis anni literis suis (quas Historiæ suæ Venetæ, ex Gallico Latinas factas Petrus Iustinianus [a] inseruit (promulgavit, causas belli in Venetos suscepti enarrans, & Principes fœderatos eorumdémque singulorum jura, ac belli causas recensens: quas idem auctor gravissimum odium, & immanem rabiem interpretatur, excusandâ in oppresso hoste contumeliâ. Cúmque in fœderis articulis constitutum fuisset, Regem Galliæ bello initium daturum Calendis Aprilis; ac per se ipsum illud ducturum; (voluerunt enim boni socij expensis ac periculis alienis rem experiri, facilitatem Gallorum, seu potiùs levitatem, in commoda sua trahentes :) Ludovicus Rex, post denunciatum per fecialem Venetis solemni Gallorum more bellum, præmisit Ciam tium, qui decimoquinto Aprilis hosticum ingressus, fugatis levi certamine aliquot hostium turmis, Trevium occupavit.

[a] Iustin. lib. II.

LUDOV. REX BELLUM INCHOAT.

Quando Pontifex, qui securitati suæ providens, contestatus fuerat, nihil se hostile in Venetos nisi post bellum à Galliæ Rege cœptum, gesturum; cœptum id cernens, confestim dirissimum monitionis nomine in Venetos edictum evulgavit; quo enumeratis quas ipsi injurias Ecclesiæ Romanæ Sedíque Apostolicæ, in urbium occupatione, Ecclesiarum dispositione, hostium ac perduellium receptione, & aliis ejusmodi ausis intulissent; monuit ut intra viginti quatuor dies urbes occupatas cum vectigalibus ac redditibus perceptis restituerent : quod si detrectarent, non modò Venetam urbem, verùm etiam cetera quæcumque loca ipsorum ditionis, necnon eos omnes qui Venetos hospitio tectóve exciperent, sacro interdicto subjecit, potestate omnibus factâ, cuncta eorum bona ubique terrarum occupandi, hominésque in servitutem abducendi.

IULII PONT. EDICTUM CONTRA VENETOS.

Aduersus quod edictum fuit ab ignotis hominibus paulò pòst libellus Romæ Ducis ac Reipublicæ Venetæ nomine vulgatus; quo post longuam acerbissimámque in Pontificem ac Regem Galliæ querelam, ad futurum Concilium, & humana justitia deficiente, ad Christi justissimi Iudicis, & omnium supremi Principis pedes provocabant. Quæ cuncta adventum Regis præcessisse, Guicciardinus [b] ea distinctè narrans, demonstrat: simúlque non levia aduersæ Venetis fortunæ ostenta omnia, quibus illi non parùm commoti fuêre, recenset.

VENETI PROVOCANT A PONTIFICE.

[b] Guicc. lib. 8.

II. ALIUD DECRETUM CONTRA ILLOS.

Sed quod provocationem ab edicto Pontificis attinet; ubi illius notitiam Pontifex habuit constitutionem [c] continuò aduersus illam promulgavit Calendis Iulij : quâ memorans illam quam olim Pius II. in conventu Mantuano fecerat contra ejusmodi appellationes, addit Leonardum Lauredanum Ducem ac Senatum populúmque Venetiarum eo temeritatis processisse, ut à monitione ab ipso Iulio Pontifice ipsis factâ de restituendis urbibus ac locis ad Sedem Apostolicam pertinentibus, quæ ab iis detinebantur, sub pœnis in eâdem monitione contentis, ad futurum Concilium provocaverint; in hujus facinoris excusationem asserentes, posse aliquibus casibus id fieri, nec Pij constitutione ligari, nisi qui in ipsâ actuali appellatione, & illius interpositione, vel scripturæ compositione se immiscuissent. Ad cujus erroneæ interpretationis periculum tollendum, declaravit, sanxítque, prædictam Pij constitutionem, tam citra quam ultra montes, & tam contra ecclesiasticas quam sæculares personas, etiam regali dignitate ac Cardinalatus honore fulgentes, Capitula, Vniversitates, Communitates, Collegia Synodes ac Parlamenta, valuisse, valere, ac perpetuò valituram, cum suppletione solemnitatis cujuslibet, etiámque publicationis omissæ : ac præter pœnas in eâ contentas, quoscumque ejus violatores, aut quomodolibet eis consentientes, pro veris schismaticis, ac de Catholicâ fide malè sentientibus, habendos esse, ac pœnis contra tales statutis subjacere, & cum Dathan & Abiron partem & damnationem habere : Ipsámque postremò Venetorum appellationem, nullius roboris vel momenti esse declaravit, & quæcumque loca ad quæ violatores declinare contingeret, ecclesiastico supposuit interdicto.

[c] Ext. Bull. to. 1: Iul. II. const. 22.

VIS CONSTITUTIONIS CÕTRA APPELLANTES A SEDE APOST.

III. LUDOVICI REGIS EXPEDITIO IN VENETOS.

Bellum porrò contra Venetos gestum ut paucis expediamus, Ludovicus Rex, ceterorum sociorum auxiliis, aut in Venetos pro parte suâ motibus non expectatis, sive quòd eos seros fore metueret, sive quòd viribus suis solis magnam de victoriâ spem conciperet; nominísque sui gloriam, nisi per se absque aliorum ope bellum conficeret, minui existimaret, ac contrà suâ potentiâ atque virtute reliquos socios non minus se victoriæ præmiis frui, sibi maximæ laudi fore: in Venetos ducens, primò Abduam absque impedimento transmisit quamvis propè esset maximus illorum exercitus, ducibus Comite Pitiliani, & Bartholomæo Alviano sive Liviano dicto, utroque ex Vrsinorum familiâ, ac rei militaris peritissimo. In quorum castris scribit Guicciardinus, [d] fuisse tunc duo gra-

[d] Guic. lib. 8

vis armaturæ equitum, supra viginti peditum millia, & magnum partim Italorum, partim ab Venetis & Græciâ expeditorum numerum: in regis verò duo cataphractorum sex Helvetiorum peditum, & duodecim partim Vasconum partim Italorum millia: quem utriusque partis numerum sunt, qui valdè augeant, & Venetos quinquaginta, Gallos quadraginta millia in castris habuisse scribant. Congressis iis ad pugnam pridie Idus Maij, post atrocissimum trium horarum certamen, Rex & imperatoris & militis munere mediâ acie egregiè functus, nobilissimam victoriam obtinuit: ita tamen ut creditum fuerit, si Veneti totis viribus pugnassent, (non enim interfuit Pitilianus, qui cum parte exercitûs præcedens, prælium omninò vitare constituerat, sive animi vigore senio hebetato, ut Livianus objectabat, sive quòd longo usu edoctus rationem belli id postulare animadverteret, essétque ea mens Senatûs Veneti) aut victores futuros aut longè cruentiorem victoriam hostibus relicturos. Perierunt ex iis pauci equites, peditum octo millia, ut nonnullos dixisse Guicciardinus ait, alios utrimque tantùm sex millia: cùm etiam quatordecim ex Venetis, alij asserant. E Gallis tamen periisse tantùm ducentos, seu ut qui plurimum habent, quingentos, nec inter eos ullum alicujus nominis, ipsi asserunt. Livianus, qui ferocissimè pugnauerat, oculo vulneratus in potestatem Regis venit; viginti magna tormenta capta, cum omnibus impedimentis ac signis militaribus.

VENETORUM CLADES AD GHIARADADDAM.

IV. VENETORUM ANNIHILATIO.

Hæcque fuit celebris illa Ghiaradaddæ, ut vulgò vocata est, hoc est ad Abduam amnem non procul Laude urbe Rivoltâque oppido pugna. In cujus memoriam Rex loco ipso certaminis sacellum, cui Sanctæ Mariæ victoriæ nomen indidit, ædificari jussit. Fructus autem victoriæ fuit, quod parvo negotio Rex urbes quæ fuerant Ducatus Mediolanensis, videlicet Cremam, Cremonam, Bergomum, & Brixiam, intra quindecim dies post victoriam recepit: Pontifex Faventiam, Ariminum, Ravennam, Cerviam, & quicquid de Pontificiâ ditione occupatum fuerat: Hispani & ipsi, cùm nihil amplius periculi esse animadverterunt, instructo apud Neapolim modico exercitu, Tranum obsidentes, Venetorum spontaneâ dimissione, tam illud oppidum, quâm Brundusium, Hidruntum, Molam, Polignanum, & quicquid in eo regno Veneti possidebant, obtinuerunt; Duces Ferrariensis & Matuanus alia item quæ sua olim fuisse asserebant; aliíque dynastæ nonnullâ in Istriâ: denique Maximilianus & suâ sponte & sociorum exemplo excitatus, per Ducem Brunsvicensem primùm quæ Benaco lacu alluuntur, deinde urbes Veronam, Vicentiam, & Pataviam deditione accepit: fermè ut in Italiâ nihil Venetis superesset; quippe qui Abduanâ clade animo consternati adeò fuêre, vt ipsi etiam Venetiarum civitati timentes à Regis furore, antiquæ virtutis pristiníque splendoris obliti, continentis imperio spontè cedere staturint maritimo contenti, si forte & ipsum iis liberum relinqueretur: hujus rei hâc in Senatu ratione adductâ, si spontè præsentium periculorum vitandorum gratiâ de imperio cederent, secundiore fortunâ aliquando redeunte faciliùs recuperaturos: quoniam populi spontè ab ipsis sacramento soluti, non tam inviti sub pristinum imperium redirent ac si apertè rebellâssent. Adeò etiam ut legatis ad Maximilianum in Germaniam missis, non solùm quæ majores sui sacro Imperio & Domini Austriæ ademissent, sed etiam omnia quæcumque in continenti quocumque jure possiderent, obtulerint, cum annuo & perpetuo quingentorum auri pondo tributo; eumdémque urbis suæ parentem, genitorem, conditorem appellaturos, si modò ejus ope à Gallorum ulteriori progressu liberarentur. Quam ipsam illorum orationem, ab Antonio Iustiniano legato quantâ potuit verborum demissione, rationibúsque ad commiserationem, quammaximè inducentibus habitam, Guicciardinus Historiæ suæ inserendam existimavit. Cùm tamen eam numquam habitam esse, multi censeant. Repugnátque in nonnullis Petrus Iustinianus [e] in Historiâ Venetâ: ac tributum non perpetuum oblatum, sed tantùm decennale ait. Ceteríque Antonium non fuisse admissum à Maximiliano volunt: ac proinde minimè recitari potuisse orationem. Quod si ita sit; ne Guicciardinum falsum voluisse obtrudere dicamus, fuerit fortè sic composita oratio ut recitaretur, nec tamen recitata ob denegatam à Maximiliano audientiam. Nam quod ad rem ipsam attinet, scribit etiam Mariana [f] ex publicâ famâ, misisse illos eidem Maximiliano chartam candidam, præter subscriptiones Senatûs nullis impressam notis, cui ipse quascumque vellet conditiones apponeret: Postremò tantam eorum extitisse consternationem, ut de ipsâ Venetiarum civitate Ladislao Regi Hungariæ dedendâ cogitaverint, ejus viribus sperantes desperatis rebus levamen: Cogitasse namque Maxmilianum minimè quiescere, nisi urbe ipsâ auxilio classium Gallicæ & Hispanicæ expugnatâ: eámque quadrifariàm partiri, totidem impositis arcibus inter socios dividendis: adeò fuit fecundo somniis ingenio! Nec tamen displicuisse initio hoc consilium Ferdinando Hispano, idem Mariana scribit, paulò pòst tamen repulisse; censente etiam Pontifice, haud è Republicâ fore ejus urbis excidium, eò maximè quòd id totum in Ludovici Regis commodum futurum esset. Hæc enim magis consideratio illos afficere videbatur, quàm ipsius urbis commiseratio. Sic enim præclari socij cùm eo egerunt, ut postquàm victoriæ ejus existimatione magis quàm propriis armis urbes suas & oppida recepêre, mox vitio gentium & personarum in eum conspirare cœperint. Excepto tamen Maximiliano, qui candidiùs pro genio gentis rem agens, adeò se constantem in fœdere ostendit, (quod Guicciardinus ait) ut nullâ de re cum Venetis pacisci voluerit absque Rege Galliæ: eidem, quod ejus opera oppidâ sua recuperâsset gratias agerit: atque in majoris benevolentiæ testimonium, utque veterum injuriarum memoria penitùs deleretur, librum qui Spiræ conservabatur, in

e Iustin. lib. 12.

f Marian. lib. 29. cap. 19.

MAXIMILIANI FIDES ERGA REG. GALL.

quo

quo omnes injuriæ quas ante id tempus Galliæ Reges imperio & Germanicæ nationi intulisse dicebantur, scriptæ erant, concremandum mandâsse, dictum fuerit.

V.
g Egnat. lib. 1. cap. 2. Exempl. Illustr. vir.

EGNATII CONSIDERATIO DE CASU REIPUB. VEN.

De clade verò Venetâ, egregia est *Baptistæ Egnatij* [g] sacerdotis Veneti, & in patriâ bonarum literarum professoris consideratio: cùm ait, civitatem mille & amplius annos de toto terrarum orbe optimè meritam, ac Pontificiæ dignitatis assertorem Senatum, imperium tam latè patens, opes tam firmas, atque orbi ipsi penè pares, & copias domesticas locupletissimas, in tantâ amplitudine gloriæ in tantâ virtutis opinione, intra quatuor & viginti dies repentè, concidisse, ut præter stagna & paludes, de quibus trepidatum interdum sit, nihil ex tanto imperio superfuerit. Quis tum non credat (addit) hoc à Superis datum Pontificiæ in nos indignationi? qui de piorum cœtu execratione illâ tam gravi nos exemerat. Ita ille præclarè. Cùm autem ad hanc Venetorum depressionem Italorum animi variè afficerentur, quibusdam gaudio exultantibus, quòd eorum ambitio, quâ ad totius Italiæ imperium manifestè, justitiâ fidéque plerumque postpositis, aspirabant, contunderetur: aliis incredibili dolore affectis, quòd tantæ Reipublicæ extinctione nullum ampliùs frenum transalpino furori cohibendo reliquum esset: præ ceteris tantâ illorum inclinatione Pontifici, cui Romanorum & Galliæ Regum potentia suspecta erat, quíque illos ad suam ipsius oppressionem concordes esse suspicacissimo animo fixum habebat molestâ existente; ut dejectos aliquantùm erigeret, eorum oratores, prædictorum quamvis Regum legatis repugnantibus, Romam venire permisit. Et quamquam nec in conspectum suum admiserit, nec urbem interdicto solverit; Venetis tamen aliquo inde spei initio facto, multò magis extremo eos terrore Regis Ludovici æquitas liberavit: qui receptis ex fœderis legibus quæ Mediolanensis ditionis olim fuerant, nec ultrà progredi, nec aliena usurpare decrevit: Adeò constanti erga Maximilianum animo, ut cùm Verona se ei dedere voluisset, atque Patavium aliásque civitates à Venetis desertas, nullo negotio occupare potuisset; eas tamen spontè legatis Maximiliani reliquerit, qui dedentes eas se receperunt: preter Tarvisium; ad quam recipiendam cùm tantùm exul quidam Vicetinus, nullis viribus, nullâ majestate missus fuisset; eo pulso Tarvisini in fide Reipublicæ manserunt; factâ inde Venetis spe aliquam se imperij partem retinere posse; serò intelligentibus præcipitantiùs se de ceteris terrestribus civitatibus retinendis desperâsse. Id verò ex Maximiliani negligentiâ, & confusâ rei bellicæ administratione contigit: cujus ad eam usque diem in tanto victoriæ cursu nihil præter nomen auditum fuerat; quamvis Gallicorum armorum terrore tot civitates & oppida se illi dedidissent, quæ conservare facillimum ei fuisset.

VI.
VENETI INCIPIUNT RESURGERE.

At contrà mox accidit ut civitas Patavina, cùm malè à Germanis custodiretur, die festo Sanctæ Marinæ mense Iulij intercepta à Venetis fuerit, tantâ gratulatione, ut eam diem exinde Veneti publicâ lege quotannis, veluti imperij recuperandi initium, solemni ritu celebrandam indixerint. Eâdem verò, mense Septembri ab ejusdem Maximiliani, qui cum immenso exercitu eam obsedit, oppugnatione, Pitiliani Comitis, & magni numeri fortissimorum militum virtute defensâ; non parvâ Maximiliani ignominiâ, qui decimo sexto die obsidionem soluere coactus est: (fuisse ait Guicciardinus in castris Maximiliani, septingentos Galliæ Regis, qui jam in Galliam redierat, cataphractos, ducentos gravis armaturæ equites a Pontifice missos, totidem à Ferrariensi Duce aliósque sexcentos Italos sub variis ducibus conscriptos: peditum Germanorum decem & octo, Hispanorum sex, séxque item ex variis gentibus voluntariorum, & duo Italorum millia, cum incredibili tormentorum apparatu: in præsidio verò Vrbis Patavinæ, quæ totius ferè Italiæ amplissimo est ambitu, sexcentos gravis, mille & quingentos leuis armaturæ, itemque mille & quingentos Græcos equites, duodecim Italorum peditum millia, decem Illyricorum, Græcorum, & Epirotarum ex navalibus turmis eductà; ac nobilum Venetorum adolescentium non parvam manum: idem Maximilianus in varias animi angustias, & rerum difficultates redactus, cum aliquot mensium inducias à Venetis expetiisset, graviori etiam illius probro repulsam à Venetis passus est, jam ex ejus erroribus intelligentibus bello moram interponere è re suâ non esse. Iidémque mox ab ejus abitu Vicetiam recuperârunt, cum nonnullis aliis minoribus oppidis. Quare & repetito deinceps induciarum tractatu, nihil actum est ob nimis altas Maximiliani petitiones. Iam enim tempus abjectarum Venetorum oblationum abierat. Adeò ut etiam ipsimet Pontifici, nec pro beneficio absolutionis obtinendo concedere voluerint, ut mare Adriaticum liberum esset à pensitatione vectigalis mercium; & ut Ferrariæ, quæ civitas ex Pontificio imperio pendebat, Vicedomini magistratum deinceps non haberent: quamvis hæc postmodùm anno sequenti concesserint: in quem reliqua hujus belli rejicimus.

VII.

Quæ autem hactenùs diximus ex Guicciardino præcipuè desumpsimus: apud quem reductionem etiam Pisarum sub imperium Florentinorum; cladem Venetorum maritimam apud Ferrariam à Duce factam, multa alia inter partes tractata, varias invicem suspiciones, simulationes, molitiones, tacitas insidias, patentes querelas, quibus tam Pontifex quàm ceteri Principes miserè torquerentur, videre est. Res verò Venetas diligentiùs eorum historici [h] prosequuntur: non adeò à Guicciardino abeuntes, nisi quòd honori Reipublicæ in nonnullis, ut pios ac benevolos cives decuit consulunt. Habent tamen ampliùs rem non tacendam: nempè intuentes Patres Venetos inhumanam Regum rabiem ad eversionem Reipublicæ, statuisse Bajazetis Turcorum Regis auxilia ab Asiâ implorare: creatúmque esse ob id Aloysium Rimondum ad eum oratorem, qui publico nomine de Prin-

h. Iustin. lib. 11.

VENETI TURCOS IN AUXILIUM SOLLICITANT.

cipum Christianorum injuriâ questus, illum accedere in Italiam ad Venetam rem juvandam hortaretur: doceretque quanto Asia in discrimine constituta foret, si Venetos Christiani principes debellarent; nullíque dubium esse, quin illi ex hoc successu statim in Turcos arma verterent: Impetraturum fuisse omnia facilè oratorem; sed pietatis posteà Christianæ causâ mutato consilio, infidelium auxilia minimè evocari placuisse. Ita illi: ex quibus alios aut arguas, aut benignè interpreteris, qui magnanimitatem Venetorum valdè extollunt, ex eo quod rebus propè desperatis adduci non potuerint, ut oblatas à Turcis auxiliares copias admitterent.

VIII. Iulii PP. In his animus.

Quali verò inter has angustias, quantóque esset animo Iulius Pontifex, non solùm quæ iidem auctores de illo habent declarant, sed etiam quæ in Historiâ Revennate Rubeus[i]: cùm narrat, Pontificem benignè acceptis Ravennatium post eam civitatem recuperatam, missis ad se legatis, qui lætitiam illius populi maximam exposuêre; respondisse, jure eos lætari qui post tot annos ad verum dominum rediissent; eúmque dominum, cujus nihil esset imperio sublimius, nihil mitius cui servire libertas esset;& illi qui ei subjicerentur, quodammodò præstare ceteris dici possent, quando ipsorum princeps, non Dux, Rexve, aut orbis Cæsar Augustus esset, sed Pontifex Maximus, Sancti Petri Apostolorum principis successor, Christi Dei Vicarius ad cujus sese abjicere pedes, eósque deosculari, boni omnes cuperent; qui rectè Rex Regum & Dominus dominantium, pro Christi reverentiâ, cujus hîc gerit vices, posset appellari; quíque in omnes mortales teneret imperium, utpotè cui divinitùs datum est, cæli aperire portas & claudere.

[i] Rub. lib. 8.

IX. Ximenii Card. expeditio in Africam.

Ardens intereà puriori igne Ximenius Archiepiscopus Toletanus, creatus biennio antè Cardinalis tituli Sanctæ Baldinæ, auctúsque à Ferdinando Rege honore nominis, vt Cardinalis Hispaniæ diceretur, desiderio Christi hostes extirpandi; cùm præcipuus incitator Ferdinando fuisset, satis alioquin ad id inclinato, expeditionis in Africam mittendæ: ad eam promovendam non pecuniam modò largè suppeditavit, sed etiam bello ducem sese præbuit. Qui[k] mari trajecto mense Maii, Oranum nobile quondam emporium, precibus ipse vacans dum Petrus Navarrus (ex obscuro[l] loco, nautæque arte, factus dux magnus) manus cum hoste consereret, unodie obtinuit: rebusque ibi ad cultum religionis dispositis, ovans revertit, Petro ibi cum exercitu relicto: qui bellum prosecutus, ad principium anni insequentis Burgiam parvo negotio cœpit, Thabracam olim dictam, nobilem Numidiæ urbem, & philosophiæ scholis atque auditorum frequentiâ præter ceteras Africæ urbes celeberrimam. Quo successu perterritæ finitimæ civitates, certatim obsequium detulêre: inter quas princeps Algerium, (quam Cirtam olim Massinissæ regiam fuisse, quidam scribunt, nec tamen omnibus persuadent) tunc modica viribus civitas, postea Hispaniæ terror, eorum spoliis extructa, superbáque iuxtà ac clara. Quarum exemplo Tenecius Rex, & Tremesenius, vectigal annuum obtulerunt, Christianósque captivos omnes sine pretio dimiserunt. Vlteriúsque progressus Navarrus, Tripolim urbem ultra Numidiam intra duas syrtes paucis horis occupavit; magno tamen certamine, magnâque hostium cæde, nec incruentâ Christianis victoriâ.

[k] Marian. lib. 29. cap. 18. Gomec. Vit. Ximen. lib. 4.
[l] Mar. lib. 25. cap. 10.

X. Compositio controversiæ de Hispaniæ procuratione.

Sub hujus anni finem, Maximiliani Cæs. & Ferdinandi Hispani controversia de procuratione Hispaniæ, remissa ab illis ad iudicium Ludovici Francorum Regis & Cardinalis Rotomagensis Galliarum Legati, ita post auditas partium rationes decisa est; ut Ferdinandus nisi masculam prolem ex Germanâ vxore susciperet, procurationem retineret donec Carolus utriusque nepos & futurus heres vigesimum quintum annum attingeret: isque Carolus, quamdiù Ioanna mater ejus viveret, cujus erat regnum proprium, regio nomine abstineret: penderet item quotannis Ferdinandus tam Carolo quàm Maximiliano ejus avo paterno certas pecuniarum summas. Quas tamen conditiones jam antè inter partes conventas fuisse, nec nisi simulatione quâdam ad judicium Regis & Cardinalis delatas; Hispani[m] quidam scribunt:ita malè eos habet, aliquâ in re Gallis subiici. At Guicciardinus Rotomagensem magnæ imprudentiæ accusat, quòd summo labore in eâ peragendâ concordiâ incubuerit, parùm considerans quanti detrimenti ea futura esset rebus sui Regis, cùm his controversiis sublatis Maximilianus & Ferdinandus, qui unum eumdémque heredem habituri essent, faciliùs inter se convenirent contra Regis Galliæ potentiam, à quâ uterque sibi metuebat: quemadmodùm & contigisse videbimus. Sed Rotomagensis ardens cupidine Pontificatûs, & ambitione cæcus, propitium sibi utrumque ad illum adipiscendum reddere speravit: quos è contra à se elongavit, ne, si fieret Pontifex, Rex Ludovicus ejus potentiâ & auctoritate, non solùm Italiam universam, sed & alia regna occuparet.

[m] Id. lib. 29. cap. 21.

XI. Henrici VII. Reg. Angl. obitus.

Hoc item anno, ad undecimum Calend. Maij *Henricus VII.* Angliæ Rex vitam cum morte commutavit, anno ætatis quinquagesimo secundo, regni vigesimo-quarto, ex longâ corporis debilitate languore consumptus: cùm priusquàm moreretur, statuens aliquâ gratuitâ liberalitate suî desiderium apud populos relinquendum, edicto toto regno divulgato, omnibus pœnam remisisset, qui leges generatim violassent; exceptis homicidis, & furibus, quòd hæc facinora non ipsum, sed alterum læsissent. Cujus præclaras animi corporísque dotes, moderationem, benignitatem, justitiæ solicitudinem, religionis cultum, pauperum ac regularium curam, optimam regni administrationem, Polydorus[n] valdè commendat. Cùm autem cavisset etiam testamento, ut restituerentur pecuniæ, si quæ in ærarium (quod amplissimum reliquit) per fiscales judices injustitiæ delatæ fuissent; fecit concurrentium, qui jure vel injuriâ mulctati fuissent, sua quomodocumque repetentium, importunitas, ut paucis qui manifesto læsi comperti sunt exceptis, quibus pecunia restituta est, reliqui reje-

[n] Polyd. lib. 26. in fi.

cti fuerint, cùm nullus finis esset fallaciarum, fictionum, & prensationum. Henrico patri successit in regno *Henricus* filius, ejus nominis Rex Octavus annum ætatis decimum-octavum agens, literis nonnihil excultus, facie liberali, & honestæ indolis qui octavo Calendas Iulij coronâ redimitus est, sacratúsque ad Westmonasterium, unà cum Catharinâ conjuge, Ferdinandi & Isabellæ Regum Hispaniæ filiâ: quæ olim Arthuro majori Henrici fratri defuncto nupta, & propter ejus imbecillitatem naturæ aut ætatis (cùm vix quindecimum annum attigisset, & lento morbo laboraret) intacta relicta, (ut asserebatur) ab Henrico fratre, dispensante Iulio Pontifice, ducta est, ætate licet discrepante, & quinque circiter annis majori in uxore. Ex cujusmodi infausto matrimonio, quot posteà quantáque successerint mala, enarrare quis unquam possit? De iis dicetur suis locis.

HENRICI VIII. SUCCESSIO.

XII. LITERÆ FLORENT IN ANGL.

Sub Henrico VII. floruisse literas in Angliâ, & à diversis multa collegia iis addiscendis erecta esse in civitatibus & Academiis Oxonij & Cantabrigiæ, idem Polydorus ait. In quibus maximè commendat *Ioannem Coletum* patriâ Londinensem, & Decanum ecclesiæ sancti Pauli ejusdem civitatis: qui, ut ait, mentis virtute & vitæ integritate ornatus, apud suos Anglos alter penè Apostolus Paulus habitus est. Eo namque sibi præceptore delecto, post visitatas Angliæ & Italiæ Academias, Londini cœpit ejusdem Apostoli legere Epistolas, & in templis sæpè concionari atque ex duobus & viginti filiis quos Henricus pater ejus ex Christianâ uxore nobili feminâ susceperat, ipse primogenitus solus superstes, & bonis abundans relictus, ibidem Londini ad cœmeterium Paulinum magnificam Scholâm erexit, in quâ civitatis instruerentur pueri: præfecto constituto *Guillelmo Lilio*, qui postquàm aliquot in Italiâ annos perfectis literis operam dedisset, domum reversus Anglorum primus apud suos eas docuit. Anteà enim *Cornelius Vitellius* nobilis Italus ex civitate Corneti Etruriæ, omnium primus Oxonij bonis literis juventutem erudierat. Lilio verò, alterique socio ei dato ad rudiores informandos, Coletus ex suis facultatibus in annos singulos stipendium constituit, quò illi ac deinceps alij omni tempore gratuitò docerent. Ita Polydorus. Tradunt alij, Coletum, cùm in concionibus suis pupugisset frequenter quosdam Theologos qui semper eumdem meditatum sermonem concioni adferebant, & ex Legendis apocryphis notas ac decantatas narrationes sæpiùs iterabant; à Londinensi Episcopo Ricardo Fitziames, qui unus ex iis erat, accusatum apud Guillelmum Warhamum Archiepiscopum Cantuariensem de Imaginum cultûs damnatione, & aliis quibusdam frivolis, ab Archiepiscopo, qui Coletum propter Theologiæ aliarúmque scientiarum peritiam unicè diligebat, & accusationes ex odio absque ullo rationis fundamento procedere animadvertebat, facilè, absolutum esse. Scripsit non pauca, quæ Trithemius & Pitseus [o] recensent: vixítque usque ad annum Christi 1519. quo extinctus est, sive hydrope, sive pestilenti sudore ætatis anno quinquagesimo tertio; non solùm literis, sed & multis virtutibus Christianis clarus. Quem nihilominùs Baleus [p] ausus est dicere, è tumulto post sepulturam in templo positam, ejecturos fuisse Episcopos ac flammis daturos, uti hæreticum, nisi fuissent à Rege Henrico VIII. impediti. Sed hæretico nulla fides habenda.

COLETI DOCTRINA ET VIRTUTES.

[o] Pits. de Script. Brit. an. 1519.

[p] Bal. centur. 8. num. 63.

XIII.

PIKARDI COMPRIMUNTUR IN BOEMIA.

[q] Dubrav. lib. 32.

Hoc etiam tempore cùm in Boëmiâ [q] per absentiam Regis, divisis per factiones & conjurationes cunctis inter se Ordinibus, leges conculcarentur, magistratus contemnerentur, Pragæ quoque sacerdotes de more rixantes civium concordiam distraherent, dum alij Calixtinos, alij Pikardos magis foverent: frequentibus missis ad Regem Vladislaum, qui in Hungariâ erat, literis atque legationibus, quibus rogabatur adventum in Boëmiam celerare, vix aliàs umquam ita necessarium; visum ei præmittere duos Episcopos, Stanislaum Olomucensem, & Ioannem olim Varadiensem, tunc Ordinis Sancti Francisci monachum, cujus habitum induisse vidimus. Qui pro imperio & auctoritate quâ pollebat, primùm literas fœderis factiosorum ab eis exortas in conspectu omnium conscidit: deinde de Pikardis eâdem auctoritate regiâ sancivit, ut ne in cœtus publicè aut privatim coirent, synagogas suas omnes occluderent, à concionibus scriptísque de suâ sectâ planè abstinerent, & intra certum tempus ad alterutram partem Romanam aut Calixtinam discederent. Erat enim illa secta etiam Calixtinis (hoc est, Hussitis promiscui Calicis Eucharistici professoribus) horrori, ob nefandas ejus libidines. Convenítque inter omnes Ordines, ut hæc sanctio in publicas tabulas, cum mulctâ in transgressores, referretur. Quâ de re ij commoti, unam alterámqu Apologiam, sub nomine Fratrum Waldensiuemcum explicatione suæ fidei ad Regem in Hungariam miserunt expostulantes de vi & minis sibi illatis: aliámque Excusationem ut vocant, promulgârunt contra binas literas Doctoris Augustini contra ipsos ad Regem datas: quæ omnia extant inter tractatus Rerum Boëmicarum. Cui quidem Excusationi cùm dies ejus scriptionis addatur sexta feria Epiphaniæ anno Domini millesimo quingentesimo octavo; inde intelligitur, prædicta ante fermè biennium ab Episcopis illis à Rege præmissis gesta esse. Qui illis sic stabilitis, in Boemiam accedens, tum omnia illa confirmavit, tum etiam parvulum suum filium *Ludovicum*, paulò ampliùs triennium agentem, & biennem Hungariæ Regem coronatum, etiam Boëmiæ Regem inaugurandum curavit; sibi videlicèt successorem futurum: ut Dubravius scribit. Idque præsenti anno factum indicat, dum triennem tunc fuisse Ludovicum ait, quem Michovius Polonus accuratissimus temporum & annorum designator, natum docet anno Domini millesimo quingentesimo sexto Calendis Iulij. Quem quidem alij [r] sine extremâ cute, quam ἐπιδερμίδα vocant, editum volunt; artéque & inunctionibus eam productam, ut vel adolescens canos aliquot aleret capillos.

LUDOV. PUER INAUGURATUR IN REGEM.

[r] Sambuc. Append. ad Bonfin.

XIV. TERRÆ MOTUS INGENS CONSTANTINOPOLI.

Hoc item anno factis per universam ferè Europam magnis terræ motibus, quorum omnium penè gentium auctores meminerunt; præ ceteris locis urbs Constantinopolis horrendum in modum concussa est, ubi totis octodecim diebus incessanter continuâsse multi Latini [s] tradunt: Turcici quidam Annales [t] quadraginta diebus; alij mense uno. Corruerunt multis partibus mœnia urbis, arx ærarij quinque munitissimis turribus constans, & alia innumera ædificia tam sacra quàm profana. Et quamquam scribit Bizarus, cadentibus templis Turcorum, Christiana illæsa substitisse; Turci tamen utraque concidisse tradunt; assentiuntúrque Græci [u]. Quod tamen non de omnibus accipiendum esse, satis ex se intelligitur. Et ingens illud ac solidissimum Sanctæ Sophiæ nihil læsum fuisse constat; etiam si turris ei à Turcis post captam urbem ornatûs gratiâ apposita corruerit: necnon templum ac sepulchrum Mahometis patris Bajazetis maximis sumptibus extructum; aliúdque templum recèns à Bajazete constructum. Addúntque nonnulli [x], calcem & cæmentum, quo Sanctorum Imagines fuerant à Turcis oblinitæ, ita cecidisse, ut visæ sint Imagines quasi recèns depictæ. Sanè si tanta clades die Exaltationis Sanctæ Crucis, ut multi volunt, incœpit; (dubiam enim rem facit imprimis Antonius Menavinus [y] Genuensis, qui tunc erat Constantinopoli, dum ea contigisse scribit mense Augusti: deinde etiam Annales Turcici Becchani, cùm volunt cœpisse horâ secundâ noctis cujusdam Martis diem secutæ. Quippe cùm litera Dominicalis illius anni fuerit G, necesse est diem Exaltationis, quæ incidit in decimum quartum Septembris, fuisse diem Veneris, non Martis, aut Mercurij.) haud fuerit absque mysterio: quo videlicèt monerentur Turci Crucis potentiam agnoscere, & à persecutione colentium eam cessare. Maximè cùm antequàm terræmotus fieret, feratur vaticinatus quidam senex ex eorum calogeris sive monachis, quo Bajazetes familiariter utebatur, futurum illum, & Turcicum imperium deletum iri. Præter autem alios terræmotus effectus, adeò mare infremuisse intumuisséque inter Constantinopolim & Peram dicitur ut in utramque civitatem superatis mœnibus aquam injecerit. Constantinopoli verò feruntur mortalium ad tredecim millia cadentibus ædificiis obruta esse, pereuntibus unà multis ex proceribus. Bajazetes Hadrianopolim confugiens cùm nec ibi securitatem nancisceretur, tremente etiam ibi, sicuti & totâ ferè Thraciâ & Græciâ, cum pari penè ruinâ terrâ; ex levibus tignis sibi foris ædificium construi jussit, quo periculum evasit, cùm nec trabes tam facilè dissolverentur, nec more parietum lapideorum rimas agerent. Postquam autem cessavit demùm terræ motus, Bajzetes missis per Europam & Asiam mandatis, ad octoginta Architectorum & fabrorum millia collegit, quibus ruinæ reficerentur, ac singula in pristinum statum restituerentur.

[s] Sur. in comment. Bizar. Rer. Pers. lib. 20. &c.
[t] Leunclav. lib. 16.
[u] Turcog. l. 1.
[x] Cuspin. de Impp. in Bajaz. II.
[y] Menavin. de Reb. Turc. lib. 5. cap. 14.

XV. TECHELLIS PERSICÆ SECTÆ PROMOTORIS GESTA.

Eodem anno in publicum prodiit *Techelles* ille Persicæ hæresis sive impietatis sectator, & Ismaëlis Persarum Regis assectator, de cujus initiis superius [z]: quem ab aliquibus perperàm invenimus cum eodem Ismaële confusum, quasi unus idémque esset, cum tamen sint diversissimi. Vocant eum Turci Schachculi, hoc est Scachi servum, per Schach intelligentes Ismaëlem: aiúntque reclusum in quâdam speluncâ provinciæ Tekiensis, hoc est majoris Phrygiæ, septem circiter annis ita latuisse, ut numquam exiret: eâque de causâ habitum pro viro sancto, quotannis accepisse à Bajazete Turcorum Imperatore septem asprorum millia (genus est monetæ Turcicæ, quorum quinquaginta ducatum circiter aureum conficere volunt) ignorante Bajazete eum esse alterius sectæ. Prodiens igitur, & adjutus à suæ sectæ hominibus, occasione captâ nundinarum civitatis Attaliæ, civitatem illam invasit, diripuítque, ac Iudicem in quatuor partes dissectum distinctis locis suspendi jussit. Inde per proximas provincias proclamari faciens, advenisse tempus opportunum religionem suam promovendi, quo Bajazetes ex podagrâ velut truncus continuè lecto detinebatur, & filij ejus de successione contendebant; collectis brevì decem hominum millibus suæ sectæ, aliísque subinde undique concurrentibus, Anatoliam petens, multis diversísque cladibus præfectos Bajazetis, Bassásque alios adversum se à Bajazete cum Ianissaris missos, etiámque nonnullos ex filiis ejus, prostravit, fugavítque, ac variis suppliciis crudeliter affecit, regiones omnes quacumque iter erat ferro flammâque vastans. Vnde & à pluribus pro Scachuli dictus fuit Scitanculi, hoc est mancipium satanæ. Et cùm Taurisium ad Ismaëlem tot rebus gestis rediens, in itinere caravanam mercatorum, (ita vocant agmina hominum eamdem viam conficientium, ac propter itinerum discrimina in unum coëuntium; qui nonnunquam pro magnitudine periculi ad plurima millia excrescunt) è Perside in Turciam pergrinantium, diripuisset, hominésque occidisset, conscissis commeatus literis: tum istâ tum aliis crudelitatibus graviter offensus Ismaël, in remunerationem tot immanium facinorum, laudabili severæ justitiæ exemplo præcipuos ejus duces trucidandos militibus suis, exposuit reliquos qui eum secuti fuerant ceu mancipia distribuit inter proceres suos: uti narrant Annales Beckani & Verantiani Turcorum. Quibus addit Spanduginus in Vitâ Ismaëlis, etiam ipsum Scitanculin ab eodem Ismaële vivum comburi jussum esse; quamvis nec Turci nec Bizarus, qui ejus quoque res bellicas prosequitur, aliquid de ejus supplicio habeant. Habent autem, gravissimam factam esse jussu Bajazetis toto imperio inquisitionem in omnes Persicæ religionis professores eósque diversis tormentis atque suppliciis subjectos esse; aut per Europam sparsos, ne novam in Asiâ rebellionem moliri possent: atque in urbe Constantinopoli ducentas eorum domos eversas fuisse.

[z] Supr. an. 1499. VII.

XVI.

Quo eodem anno, nempè Indictione duodecimâ, mense Iunij, promulgatam reperimus [a] à Pachomio Patriarcha Constantinopolitano Græco sententiam excom-

[a] Turcogr. lib. 2.

ARSENII GRÆCI AGITATIONES.

municationis & dejectionis, adversus *Arsenium* genere Apostolen; virum quidem doctum, sed qui favore Venetorum contra leges ecclesiasticas consecratus fuerat Metropolita Monembasiota ab Eleo Episcopo & duobus sacerdotibus, alio legitimo metropolitâ superstite. Quâ re Constantinopolim delatâ, cùm is Arsenius jussus esset à Pontificali administratione, tanquam non ritè promotus, desistere, nec tamen obtemperaret, demum Patriarcha sententiam abscissionis ab Ecclesiæ communione, & depositionis à sede tulit; & ubique promulgari præcepit: quam Malaxus Historiæ suæ Patriarcharum inseruit: addens, præcepisse quoque Patriarcham, omnes sacerdotes & clericos ab eodem Arsenio ordinatos, iterùm à legitimis Episcopis ordinari: Arsenium his valdè commotum, Romanum adiisse Pontificem, & Græcos apud eum calumniatum esse: Quâ de re cùm Pontifex ad Venetos scripsisset, Græcos qui Venetiis erant valdè de vitâ periclitatos esse; donec Arsenius ægritudine animi victus, mortuus est in eâdem excommunicatione: ejúsque corpus repertum est aliquantò pòst nigrum & instar tympani [b] turgidum. Hæc ibi pluribus: quæ ad multum tempus protracta fuisse constat. Est etenim hic Arsenius, qui collegit ex antiquis libris Scholia in Tragœdias Euripidis Græca; inscripsítque Paulo III. Pontifici, in gratulationem suscepti ab eo Pontificatûs, ubi & vanitatem suam & ambitionem aperiens, inter cetera conqueritur, non unum aut alterum Græcum esse inter tot Cardinales. Scripsit verò & alia Græcè, quæ enumerantur apud Gesnerum.

[b] *Vid. supr. an. 1476. XX.*

IESU CHRISTI Annus 1510.

IULII II. Ann. 7.

MAXIMILIANI Ann. 17.

I.

ANNO Christi millesimo quingentesimo decimo, Indictione decimatertia cùm non desinerent Principum dissensiones & suspiciones, de rebus Italicis, cunctíque Ludovico Francorum Regi, ob ingentem quo percellebantur terrorem ne totam Italiam occuparet, vel apertè vel occultè insidiarentur; uno excepto Maximiliano Cesare, eâ solâ ratione, ut quod propriis viribus non poterat, Gallicis consequeretur, videlicet Patavij, Vicentiæ, & Tarvisij oppugnationem: imprimis Iulius [a] Romanus Pontifex nihil non adversus Regem movens, quo cum totâ Italiâ removeret; ut Venetos à quibus jam cuncta que Ecclesiæ fuerant, Gallicorum armorum terrore, ut vidimus, receperat, securiores ac potentiores adversus ejus arma redderet; satius ducens animabus illorum mederi, quàm ut quæ reliqua erant turbulenti fœderis Cameracensis servarentur die vigesimâ quartâ Februarij solemni consuetudine: quâ sedens ipse Pontificio solio pro foribus basilicæ S. Petri, præsentibus Cardinalibus, aliísque quamplurimis Antistibus, legatos Venetos humi prostratos, contumaciam erratáque sua confitentes, ac demississimè veniam postulantes, consuetis precibus recitatis, ceterísque omnibus ritè observatis, in gratiam recepit, censurisque ac diris absolvit, injunctâ septem Ecclesiarum visitatione: qui mox in ecclesiam introducti, sacro interfuerunt. Conditiones autem eorum admissionis, quas Guicciardinus refert, (Veneti [b] namque illas leviter tangunt) hæ fuère; ne ulla sacerdotia sacrave dignitates cuiquam Veneti conferrent, & quæcunque à Romano Pontifice darentur reciperent: causas omnes sacras Romæ tractari & dirimi permitterent: decimas, aliáve onera Ecclesiis non imponerent, interpositam ad Concilium provocationem revocarent: omni juri quod in res aut urbes ac ditiones Pontificias, etiámque Ferrariæ in magistratu Vice domini usurpaverant, renunciarent: Romanæ Ecclesiæ subditis liberam relinquerent toto mari Adriatico navigationem, absque ullâ alicujus vectigalis pensitatione: nullos Romanæ Ecclesiæ perduelles aut hostes reciperent, neu cum eis ullum fœdus haberent: omnem pecuniam ex sacris vectigalibus acceptam resticuerent, ac templis & ecclesiis omnia illata detrimenta resarcirent. Adeóque post hæc patrocinium illorum Iulius suscepit, ut etiam Romanæ Ecclesiæ beneficiariis subjectísque concesserit Venetorum stipendiis militare.

[a] *Guicc. lib. 8.*

IULIUS PP. VENETOS ECCLESIÆ RESTITUIT.

[b] *Iustin. lib. 11.*

II. IULIUS PP. HOSTEM SE APERIT REGIS FRANC.

Qui nihilominùs non satis rebus suis fidens, dum & ceteros sollicitaret, & Maximilianum quoque magnis pollicitationibus ab amicitiâ Ludovici divellere curaret; timens ne molitiones suæ satis pro desiderio succederent, ad redintegrandam cum eo amicitiam inclinavit; cum etiam ab eo vehementer de eâ rogaretur, oblatis quocumque casu & loco pro ejus voluntate suis viribus; suúmque in Italiam adventum, vel in Galliâ moram, ejus arbitrio omninò permittens. Sed ita erat Pontifici constitutum Gallos totâ Italiâ pellere, ad notam illam eluendam, quâ præcipuus ipse Carolo Ludovici decessori ad eam invadendam impulsor extiterat, totóque decennio sub ejus, aut Ludovici patrocinio tutus à persecutione Alexandri VI. vixerat; ut haud diu in sententiâ cum eo paciscendi perseverans, rursùm ad cunctos ab eo alienandos vehementissimo nisu animum intenderit: adeóque profecerit, ut etiam Helvetios, indignè ferentes denegatum sibi à Rege in petitâ fœderis renovatione grande augmentum pensionum antiquarum, in partes suas traxerit.

III. QUOS IN HIS SPIRITUS GERERET.

Quibus confirmatus, justam dissidiorum occasionem quærens, primum Alfonso [c] Duci Ferrariensi, qui sub patrocinio Regis erat ut à sale Comaclij, qui fundus Romanæ Ecclesiæ erat, conficiendo, & à nonnullis vectigalibus percipiendis desisteret, imperavit, minis armorum & censurarum. (Ad quod fuisse quoque maximè impulsum ab Alberto Pio Alfonsi inimico, haud sincerè in his regiâ legatione, quâ fungeba-

[c] *Guicc. lib. 9.*

tur apud Pontificem, uso, idem auctor jactatum esse scribit. Ex quibus intelligas, quanto cum periculo Principes res suas exteris gerendas committant.) Deinde cùm præter Venetorum & Helvetiorum auxilia, de quibus jam certus esset, etiam Ferdinandum Aragoniæ Regem aut eódem spectare, aut saltem non sincerè Ludovico conjunctum videret; & Maximiliani vires auctoritatémque adeò tenuem, ut timendi ab eo causam nullam haberet, nec de Angliæ Rege concitando desperaret: optima hinc rebus suis se fundamenta jecisse arbitratus; atque unde reddimitior debuisset, inde majoribus spiritibus auctus; nempè quòd Ludovicum à bello cum ipso gerendo alienissimum, pacem summoperè expetere cerneret: minimè dubitans ob probe sibi notam Gallorum facilitatem, semper etiam, postquàm Regi bellum intulisset, pacis leges in suâ potestate futuras; die festo S. Petri, quo veteri consuetudine census Ecclesiæ Romanæ penduntur, Ducis Ferrariæ censum recipere recusavit. Eodémque die, cùm anteà Cardinalibus Gallis qui Romæ erant in Galliam redeundi (quemadmodùm eis Rex, aliísque cunctis ecclesiasticis, præceperat, ut ad suas ecclesias regendas singuli accederent, cum minis intercipiendorum, nî parerent, reddituum sacerdotiorum, in alios sacros usus convertendorum (potestatem negâsset, audîsétque Franciscum Guillelmum de Claromonte Cardinalem Auscensem venatum prodiisse; vano metu ne clàm discederet, præcipiti furore missis qui eum caperent, in mole Adriani inclusit: alio sanè capite id probè meritum, quòd tali sacro die venatum publicè prodiret. Sed adeò corrupta erant tunc tempora, ut magis hæc laudi quàm probro verterentur.

IV. GEORG. CARDIN. AMBOS. OBITUS.

Erat porrò insuper Iulius jam sui Pontificatus securior redditus, cùm sublato è vivis Georgio Ambosio Cardinale Rotomagensi à quo deturbari sede, aut semper metuerat; aut ut justiorem occasionem adversandi Regi, qui Rotomagensem unicè diligebat, habere videretur, metuere præ se tulerat; minùs sibi à Rege timeret, quem sciret Cardinalis morte viribus valdè esse imminutum, tanto viro privatum, cui propter longum rerum usum, virtutem ac prudentiam, tantam auctoritatem contribuisset, ut ferè numquam ab ejus sententiâ discederet; omniúmque rerum administrationem eidem permisisset. Mortuus est autem Lugduni die vigesimâ quintâ Maij præsentis anni (non sequentis, ut malè Onuphrius & Cabrera posuerunt) ætatis suæ quinquagesimi, cujus exequiis Rex ipse interfuit, & omnia ab ea gesta laudavit. At corpus magnifico sumptu Rotomagum translatum est, atque in ecclesiâ metropoli collocatum, hoc addito epitaphio:

Pastor eram cleri, populi pater; aurea sese
Lilia subdebant, Quercus & ipsa mihi.
Mortuus en jaceo, morte extinguuntur honores:
At virtus mortis nescia, morte viget.

Vbi per *Quercum* intelligitur Iulius ipse Papa; quippe familiâ Roboreâ, quæ Quercum sive robur pro insignibus gerit. Inter cujus eximias laudes, illa non minima, quòd in tantâ potentiâ & auctoritate, unico Rotomagensi sacerdotio contentus vixerit. Plurimas alias magnas, verâsque videre est apud auctores: necnon in duabus Epistolis præpositis Commentariis Iacobi Cardinalis Papiensis. Quarum prior, quæ est nomine ipsiusmet Iacobi ad eumdem Georgium, omninò alterius cujusdam esse oportet. Nempè ut puto, Alexandri Minutiani Mediolanensis, qui Georgium palpaturus, manes Iacobi introduxit commentatios suos ei offerentes. Id enim ipsemet Minutianus non obscurè insinuat principio subsequentis epistolæ ad Stephanum Poncherium Episcopum Parisiensem & Cancellarium Mediolanensem, de collectione scriptorum Iacobi, & laudibus ejusdem Georgij, ipsiúsque Stephani. Quomodò enim verus ipse Iacobus id agere potuerit, qui totis undevigenti annis antè mortuus fuisset (nimirùm quarto Idus Septembris anni 1479.) quàm Georgius fieret Cardinalis, qui creatus est ab Alexandro VI. an. 1498. pridie Idus Septembris? Vnde etiam apertè intelligatur, deceptos esse illos qui epistolam ejusdem Iacobi 123. scriptam anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto ad G. Cardinalem Rotomagensem, ad eumdem Georgium esse volunt, qui nonnisi sexennis tunc erat, si hoc anno quo diem obiit erat tantum quinquagenarius. Scriptam autem esse ad Guillelmum Totavillanum, seu Destoutavillam, Cardinalem tunc Ostiensem, æquè Rotomagensem, ab Ecclesiâ cujus item Archiepiscopus erat, dictum nullum est dubium. Cujus ædium quas in urbe habebat, pulchritudo ibi prædicatur; nempè palatij & monasterij Sancti Augustini, quod unà cum ecclesiâ magnificè à fundamentis Guillelmus extruxit: cum tamen hodie vix umquam ulli monacho Gallo ejusdem Ordinis receptus in eum hospitij causâ concedatur. Ceterùm apud Belcarium [d] legimus, Georgium Cardinalem trecenta aureorum millia testamento legâsse: quæ cùm Iulius Pontifex, quasi legari jure non potuissent, sibi tradi postulâsset; negâsse Regem, Pontificias leges de privatorum bonis extra Pontificis ditiones valere.

[d] Belcar. Rer. Gall. lib. 12. num. 3.

V.

Iulius [e] igitur jam se apertè Ludovici Regis Gallorúmque hostem professus, ut Hispanorum dominationem in Italiâ adversus eos firmaret, sibíque eos obsequentes redderet, Regi Ferdinando Neapolitani regni possessionem eodem censu quo Reges Aragonij obtinuerant concessit; cùm anteà, nisi eo quem Galli pendere consueverant, se concessurum negâsset. Ita breviter Guicciardinus. Quæ Hispani [f] distinctiùs explicantes, aiunt Iulium ex Hispaniâ contra Gallos juvari expetentem, tantâ indulgentiâ cum Ferdinando egisse, ut ampliùs nihil desiderari posset, ne si Ferdinandus arbitrio suo diploma fingeret. Adeò ut cùm iniquum videretur, id Rege Galliæ inaudito cui ab Alexandro VI. pars ejus regni concessa fuerat, attentari; Iulius ad artes conversus, pronunciaverit Pontificium beneficium irritum videri redditum dupliciter, honorario vectigali ab eo Rege nunquam repræ-

[e] Guicciard. ibid.

IULIUS CONFIRMAT REGNUM NEAPOL. FERDINANDO.

[f] Marian. lib. 29. cap. 24. Vid. Epit. an. 1097. XXXVII.

sentato, & fœdere cum Ferdinando absque Pontificis veniâ facto. (Dignum videlicèt abdicatione facinus: quasi non id ipsum etiam Ferdinandus, si peccatum erat peccasset.) Hâc autem pronunciatâ sententia, Pontificem regnum Neapolitanum Ferdinando & successoribus confirmâsse universum, iisdem legibus, quibus Corolo ejus nominis primo id regnum fuerat olim delatum: Sed eas leges ineunte Iulio mense impositas, paulò pòst, nempè ad septimum Idus Augusti ita retractatas esse, ut remisso annuo vectigali, ceterisque conditionibus condonatis, Pontifex satis habuerit, quolibet triennio equum candidum repræsentari, ac quoties in ditione Pontificiâ bellum esset auxiliares mitti trecentos gravis armaturæ equites. Sic videlicèt placuit Iulio, jura Sedis Apostolicæ in gratiam Ferdinandi imminuere: & odio Ludovici, æquitati illudere: sic Ferdinando, alienum imperium non solùm contra jus, verùm etiam contra fœdus arripere. Sed ubi dominatur iracundia & cupiditas, quis rationis judicium quærat?

VI. Nec verò his contentus Iulius, magnis spiritibus omnia contra Ludovicum movens, eodem tempore ut Genua terrâ marique invaderetur, ut in Mediolanensium fines duodecim millia Helvetiorum descenderent, ut Veneti ad oppida quæ Maximiliani nomine tenebantur recuperanda ducerent, Pontificius verò exercitus in Ferrariensem agrum irrueret, procurabat. Cujus quamvis majores [g] viribus conatus essent, erant tamen ingenio ejus consentanei, suâ naturâ turbido, inquieto, ardenti; cujus rei per totam vitam multa & magna documenta extiterant; quippe Sixti avunculi Pontificatu magnus dissidiorum artifex, architectúsque: Innocentio Pontifice, Neapolitanis proceribus auctor, ut fama tulit, arma in suum Regem sumendi: Alexandro Pontificatum adepto, Gallis, ut venirent in Italiam, & publicam pacem turbarent, præsens persuasit. Sicque omni tempore pacis se impatientem ostendit, turbarum amantem, quietis tædio novas belli causas circumspicientem. Ceterùm cunctis prædictis rebus ab eo designatis celeriter suis quibusque locis tentatis, diligentiâ tamen Gallorum ducum delusæ sunt Pontificis artes & conatus; nullis à Genuensibus ad arma & naves Pontificis & Venetorum motibus factis: Venetis, præter recuperatam Vicentiam, quam principio anni princeps Anhaltensis Germanus ad deditionem compulsam expilaverat, nullum ampliùs progressum, Veronâ frustrà oppugnatâ, facientibus: Helvetiis, qui multis millibus descenderant, arma tantùm ostentantibus, nec illatis, penuriâ pecuniæ & commeatus ad sua se recipientibus: Ferrariâ Gallorum ope diligenter adjutâ; solâque Mutinâ nullo præsidio munitâ, præmio tantis motibus minimè digno, furtim in potestatem Pontificis transeunte. Quibus tamen minimè ipse deterritus, quinimmo ut alter Anteus, quò magis prostratus videbatur, animosior resurgens: sibique persuasum habens sua consilia felicem exitum habitura, quòd nihil, ut asserebat, privati commodi gratiâ gereret, sed unico Italiæ liberandæ desiderio: rejectis cunctis Ludovici Regis propositis pro gratiâ ejus obtinendâ conditionibus, nisi penitùs à patrocinio Ferrariensis, & à possessione Genuæ abstineret; totis viribus in Ferrariæ expugnationem incumbendum decernens, quò suâ præsentiâ rem acriùs urgeret; Bononiam se transtulit ad finem Septembris: Laureto [h] iter habens, ubi Natale Virginis in natali ipsius cellâ concelebravit, donis & muneribus auxit; ac fabricæ Ecclesiæ jam à Paulo II. inchoatæ ejusdémque munimento, atque Pontificiarum ædium constructioni providit.

g Marian. lib. 26. cap. 23.

QUALE INGENIŨ IULII.

h Tursel. lib. 2. cap. 12.

VII. IULIUS DIRIS ETIAM AGIT.

Vt verò profanis bellorum motibus sacra etiam arma adjungeret, palàm Alfonsum Ducem, atque unà cum eo quotquot ei aut opem tulissent aut ferrent, nominatímque Ciamontium, Ludovici Regis vices in Italiâ gerentem, præclarum bello ducem, (quamquam non adeò Guicciardino probatum) nec minùs propriâ virtute & magnitudine animi, quàm patrui sui Cardinalis Rotomagensis intuitu, Regi valdè acceptum, cum omnibus Gallici exercitûs ducibus, censuris dirísque subjecit. Qui nihilominùs cùm paulò pòst ab eodem Ciamontio penè intra Bononiam obsessus fuisset; urgentibus Cardinalibus ac Regum oratoribus qui apud ipsum erant, consensit, licèt ægerrimè, magísque ex necessitate quàm ex animo, ut ad Ciamontium pro concordiâ ineundâ mitteretur. Sed mox ubi quædam subsidia Venetorum, atque Turcorum iis militantium accepisset; abscedente Ciamontio, qui cum modico equitatu & tribus dumtaxat peditum millibus venerat, (flexo illuc derepentè itinere post solutam Veronæ obsidionem, magis ut Pontificem ad pacem induceret, quàm ut bello impeteret;) ad pristina consilia reversus, Regem apud omnes Principes Christianos accusavit, quòd Christianissimi honore & nomine abusus, Pontificis Romani sanguinis siti, exercitum ad eum cum universo Cardinalium collegio obsidendum immisisset. Suúmque continuò exercitum ad obsidionem Ferrariæ, nullâ admissâ hiberni temporis aliarúmque difficultatum excusatione progredi jussit: hoc tantùm addito, ut quò Gallis Ferrariæ juvandæ facultas adimeretur, Mirandulæ priùs expugnatio, quæ in Regis clientelâ erat, tentaretur. Quæ ad exitum mensis Decembris obsidione cincta, cum & munita esset, & obsidentes multis rebus necessariis carerent, diutiùs eos occupavit, quàm Pontifex existimaverat. De cujus expugnatione dicetur anno sequenti. Hæc autem omnia, quæ compendiosè, retulimus, prolixe tractat Guicciardinus [i]; quo fideliorem & accuratiorem in his motibus Italicis, quos propriis oculis videbat, referendis neminem habemus: cùm & videamus, quæcumque à ceteris singularum nationum scriptoribus de iisdem enarrantur, ferè ex uno ipso excerpta esse; nisi qui partibus manifestè patrocinantes, multa aliena de suo addunt, quorum vanitatem sit facile animadvertere.

i Guicc. lib. 9.

VIII. LUDOVICI REGIS

Rex autem Ludovicus, cùm sibi necessariò, ne imperio suo Italico caderet, prospiciendum esse animadverteret fœdere cum

CONSILIA.

Maximiliano firmato, (qui Gurcensem Episcopum ad hoc in Galliam misit; cùm priùs ad ipsum Rex Ludovicum Helianum Vercellensem legâsset; cujus extat [k] acerrima juxtà & elegantissima adversus Venetos habita in Conventu Augustano oratio mense Aprilis hujus anni, consiliis tamen magis quàm armis rem agens, protractâ ad ver novum sua in Italiam profectione, (contra tamen suorum mentem, qui quantum posset hujusmodi dilatio detrimentum adferre animadvertentes profectionem urgebant: quorum si secutus esset consilium, pontificis conatus adeò perturbâsset, ut non tam facile ei fuisset tot Principes in eum concitare: sed non est consilium contra Dominum.) intèrim pessimo consilio, & tam Imperatore Romanorum præcipuo Romanæ Ecclesiæ Advocato & Defensore, quàm Rege Christianissimi nomen ferente, prorsùs indigno; de Concilio generali, auctoritate utriusque nationis Germanicæ & Gallicæ indicendo, cum spe inducendi in eamdem sententiam Ferdinandi Aragonij, deliberatione inter ipsum & Maximilianum factâ; (hortantibus maximè nonnullis Cardinalibus malè in Iulium affectis) Rex à retractione regni sui ad ejusdem Iulij Pontificis obedientiâ, à quo injustè se agitari querebatur, ordiri volens; omnes Galliæ Antistites, ac præcipui nominis doctores Theologiæ & utriusque Iuris, primò Aurelias ad medium Septembris convenire, deinde Turones eodem mense præcepit. Vbi illi, potiùs (ut ait Guicciardinus) ne Regis repugnarent voluntati, quàm spontè, judicióve, multis criminibus in Pontificem propositis consenserunt. Non exprimit ille crimina:sed extant Latinè & Gallicè editi articuli generales tunc propositi octo numero, cum responsis ad eos factis:ex quibus res intelligatur, tam in detestationem schismatis, quo nihil perniciosius in Ecclesia excogitari potest; quàm etiam in aliquod documentum, ne facilè magni Principes, nisi maturo consilio, & necessariis de causis, exacerbentur, & in desperationem redigantur.

[k] In Append. ad Hist. Ven. Iustin. edit Germ. & to. 2. Rer. Germ. edit. Freher.

TRACTATUR DE CONCILIO CONTRA PÔT. COGENDO.

IX. ARTICULI A REGE CONTRA PÔT. PROPOSITI.

Quæsitum igitur primò est; Vtrùm liceat Papæ ubi neque agitur de religione, neque de fundis Ecclesiæ Romanæ, bellum inferre principibus temporalibus, in terris quæ non sunt ejus patrimonij; Ac conclusum est, nec posse, nec debere. Secundò; Vtrùm licitum sit Principi sic lacessito vim vi repellere, & non solùm sua defendere, verùm etiam terras aliquas Ecclesiæ ab ejusmodi Pontifice possessas invadere non quidem eâ mente ut eas retineat, sed tantùm ut impediat ne per eas Papa potentior fiat ad offendendum Principem, ac deinde restituat? Responsum est, iis conditionibus licitum esse. Tertiò; An ob ejusmodi implacabile odium Papæ, nullâ justâ de causâ susceptum, quo etiam alios Principes & communitantes adversus illum Principem concitavit, ut invadant terras ejus, qui potiùs benevolentiâ ob multa in Papam & Sedem Apostolicam collata beneficia dignus est; fas sit tali Principi sic læso subtrahere se ab obedientiâ ejusmodi Pontificis? Responsum est, fas esse: non tamen absolutè & indistinctè, sed pro tuitione tantùm ac defensione jurium suorum temporalium. 4°. Hujusmodi subtractione legitime factâ quid agendum sit tum ipsi principi ac subditis ejus, tum etiam Prælatis & Ecclesiasticis regni ejus in his de quibus ad sedem Apostolicam recurri consueverat? Conclusum est standum esse Iuri antiquo, & Pragmaticæ Sanctioni ex decretis Concilij Basileensis desumptæ, 5°. An liceat ejusmodi Principi, armis tueri ac defendere alium Principem sibi confœderatum, cujus aliàs patrocinium legitimè susceperit? Responsum est, licere. 6°. Siquod jus talis Pontifex ad se pertinere contendat, ut patrimonij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ partem, & contrà Princeps talis juris possessor (Ducem Ferrariensem designabat) plusquàm centenariâ præscriptione sese defendat, & aliqui jus esse imperij non Ecclesiæ contendat; ac nihilominùs de eâ controversiâ offerat stare arbitrio vel judicio bonorum virorum: utrùm eo casu liceat Pontifici absque aliâ causæ cognitione bellum inferre ejusmodi Principi; & si fecerit, utrùm liceat principi armis resistere, & aliis ei adesse; Responsum est licere vtrisque, 7°. Si nihilominùs Pontifex contra Principem prædicto articulo designatum pronunciaret sententiam, an ei obtemperare teneatur, maximè cùm non sit ei tutum ad Sedem Romanam ire, vel mittere; dictum est, non teneri. 8°. Si pontifex non servato juris ordiné, manu armatâ publicet aliquas censuras contra principes sibi resistentes, eorúmque subditos, fœderatos, utrùm eis parendum sit; Responsum est ejusmodi sententiam nullam esse nullóque jure ligare.

X. MONITA AD PONTIFICEM.

Hæc sunt, quæ tunc in genere proposita fuêre, quæque conclusa. Visum tamen congregatis, ante omnia mittendos Ecclesiæ Gallicanæ nomine Legatos ad Iulium Pontificem, qui eum humiliter monerent à cœptis desistere, pacémque & concordiam Principum amplecti: Si verò recusaret; de convocando Concilio libero, ex decreto Synodi Basileensis compellarent hísque peractis, ac responso ejus accepto, quod juri consentaneum foret facturos se. Ita enim habetur in Actis prædicti conventûs; quo nihil Antistites, quantumvis pressi, præcipitatum voluêre. Addit nihilominùs Guicciardinus, (quod tamen neque in Actis Cenventûs Pisani, neque apud ullum alium auctorem ejus temporis reperimus) paulò pòst in alio consessu, qui vigesimo septimo Septembris habitus fuit, Concilium Lugduni ad principum Martij subsequentis indictum fuisse. Cardinales autem, qui hæc contra Iulium promovebant, erant (ut memorat) Cruceius & Consentinus Hispani, (nempè Bernardinus Carvajal tituli Sanctæ Crucis, & Franciscus Borgia Archiepiscopus Consentinus Cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ) Bajocensis & Maclovienssis Galli, (videlicèt Renatus de Pria Episcopus Bajocensis tituli Sancti Vitalis, & Guillelmus Brissonetus, de quo sæpè sub Carolo VIII.) ac Federicus Sanseverinus Mediolanensis, Diaconus tituli Sancti Theodori: qui Pontifice, cùm Bononiam petetet, relicto, Florentiam se recipientes nequicquàm à Pontifice

CARDINALES SEGREGES.

fice revocati, Ticinum primò, indéque Mediolanum contenderant. De quorum conatibus dicetur anno sequenti. Ipse verò Rex interim edicto publico prohibuit, ne quis pro quâcumque occasione aut gratiâ Romam recurreret, aut pecunias eò mitteret, quibus Pontifex contra se abuti posset.

XI. FERDINANDI ARAGONII SCITUM RESPONSŨ.

Ferdinandus verò Aragonius eò temperantiùs in his agens, quo major ei occasio præbita nuper fuerat Iulio inhærendi, summâ ab eo benevolentiâ utilique præmio affectus in amplissimâ concessione regni Neapolitani: cùm à Maximiliano & Ludovico sollicitatus, ipsis in hujusmodi distortis consiliis adhærere, prudenter ac religiose respondit, Christianæ Reipublicæ, quæ quiete indigeret, pericula & calamitates augere se nolle, nec in nova fœdera, præter Cameracense, coïre: sibi Concilium, & Ecclesiæ emendationem, si modò universalis esset, ac tempora non repugnarent, placere: Repugnare verò tempora turbatissima: nec Concilium tali ratione ac tempore, ut magis odio atque ultionis gratiâ, quàm vel divini honoris vel salutaris Reipublicæ Christianæ status consideratione, indictum videretur, incipere, laude dignum esse. Qui intereà bellum Africanum contra Mauros per suos prosecutus, captis Bugiâ & Tripoli ad Gerbim insulam, veteribus Meningen dictam, gravissimam cladem accepit [l]: Maximilianus tâmen, quod Rex Ludovicus in suo regno fecisset, pariter in Germaniâ Antistites convocaturum in se suscepit. Quorum nomine extant [m] decem Gravamina Maximiliano oblata, quæ emendari per Sedem Apostolicam petebant; citra tamen Schisma Ecclesiæ.

[l] Mar. l. 25. cap. 22. 25.
[m] In Fascic. rer. expet. & tom. 2. Rer. Germ. edit. Freher.

XII. PONTIFEX POLONOS EXCITAT CONTRA TURCOS.

Anni principio, nimirùm sexto Ianuarij: Iacobus Piso vir doctus (ut narrat Iodocus Decius in commentario de Sigismundi Poloniæ Regis temporibus) à Iulio Pontifice ad Sigismundum legatus missus Cracoviam venit. Cujus legationis summa fuit, Pontificem totius fermè Europæ Principes ad pacem revocâsse, (veriùs dixisset, revocare cogitâsse; sanè revocâsse necdum dici poterat, qui econtrà eos concitabat: (atque arma, quæ jampridem in domesticam cladem sumpta essent, adversus Christianæ Reipublicæ hostem ferre statuisse: quocircà Sigismundum hortari, ut domi rebus pacatis, copias Wladislao fratri Hungariæ & Boëmiæ Regi jungeret, & unà bellum in Thraciam moverent. Cujus rei deliberatione in proxima mensis Februarij comitia rejectâ, cùm ad ea advenisset quoque Vitus de Furst Legum Doctor Maximiliani Cæsaris legatus, Pontificis legatum primo loco pepulit, dicens Romano Cæsari primum honorem deberi; Pisonem enim non legatum plenâ potestate agere, sed simplicem nuncium. Post Pisonem verò missus à Iulio *Achilles de Grassis* Iurisconsultus & Episcopus Bononiensis magni nominis, principio Augusti Cracoviam perveniens, id ipsum quod Piso summo conatu postulavit. At dum Rex & Senatus eam expeditionem nihil firmitatis habere censerent, nec quoque ex regni usu fore cum Turco negotium habere decreverunt: maximè quod pridem pax inter ipsos jurata fuisset, & contra jus gentium esset, si Poloni etiam infideli Principi fidem violarent: ingénsque periculum fore Turcorum arma ab alienis armis evocare, & in propria viscera convertere, ubi si victoriam Deus daret, omnes Principes epistolis summè elegantérque scriptis congratulaturi essent, & Summi Pontificis benedictio Apostolica non deforet; (hæc enim quondam Wladislao ante Varnensem pugnam accidisse:) verùm si armis res inferior esset, serò auxilia à Romano Pontifice quærenda, qui eâ ætate totam Italiam bellis periculísque commiscebat: atque hinc fortè supremum auxilium fore, si res Sarmaticæ deperditæ apud Romanos lugerentur. Turcis igitur fœdus servatum est; & Achilles à Rege honoratus donatúsque, in Italiam rediit: ubi anno sequenti creatus est à Iulio Cardinalis tituli S. Sixti. Rem iisdem fermè verbis narrat Iodocus, liberè ut se habebat elocutus.

ABNUŨT POLONI BELLUM.

XIII. NEAPOLITANI DETRECTANT RECIPERE INQUISITIONEM.

Anni fine Neapoli [n] tumultus extitêre, plebe ad arma consternatâ, offensâque vehementer adversus Inquisitores, qui more ex Hispaniâ translato cœperant in eâ urbe judicia de religione exercere, majori severitate quàm mores gentis reciperent. Sæviente in dies motu, Prorex per edictum Iudæos omnes, quique ex eâ gente Christianis sacris abdicatis ex Hispaniâ non ita pridem venerant magno numero, ejus regni finibus arcuit. Eâque colluvione pulsâ, civium totiúsque provinciæ constantiâ in veræ religionis fide satis perspectâ, Inquisitionis & rem & nomen, tanquam minùs necessaria, cessare & amoveri sancitum est, ipsomet Pontifice auctore, ne incommodo tempore tribunal illud constitueretur turbandæ tranquillitati gentis. Vtinam eadem moderatione in cæteris suis gestis usus fuisset!

[n] Marian. lib. 30. cap. 1.

XIV. DISCEPTATIO DE LIBR. IUDÆORUM.

De eorundem Iudæorum Libris ortum hoc eodem anno [o] est bellum literarium inter Ioannem Reuchlinum, (sive Capnionem voce Græcâ à fumo dictum) auctorem [p] in Germaniâ Comœdiarum, & Colonienses quosdam Monachos. Cùm enim ibidem Coloniæ Iudæus baptizatus *Ioannes Pfefferkorn*, auctor ejus consilij fuisset, ut de Maximiliani Cæsaris mandato cuncti Hebræorum libri, præter nudum Bibliorum textum, comburerentur, vel saltem, ut quidam ejus consilium interpretati sunt, igni adjudicarentur, ut ad evitandam executionem Iudæi grandi ære libros suos redimerent, ipséque partem auri acciperet: mandavit Maximilianus Reuchlino, qui erat linguæ Hebraïcæ peritissimus, ut quid de his sentiret, in modum consilij referret, & Vrieli Archiepiscopo Moguntino transmitteret, ipsi Maximiliano reddendum. Ille in partem benigniorem propensior, judicavit scripta quædam Iudæorum conservanda, quædam verò blasphema comburenda. Quo consilio Iudæus ille videns conatum suum eludi, sparsis libellis famosis Reuchlinum apud multos in odium & invidiam vocavit, & tanquam Iudæorum fautorem traduxit. Librum verò Reuchlini pro suæ sententiæ confirmatione conscriptum, Colonienses flammis tradiderunt. Résque ipsa miris factionibus inter doctos agitata est, aliis Reuchlinum, aliis Colonienses tuentibus: quorum judicium etiam Theologi Parisienses con-

[o] Sleid. lib. 2. Bucholcer. in Indic. Chronol.
[p] Suprà an. 1497. in fin.

firmârunt. Controversiâ Romam delatâ, delegata est aliis cognitio causæ: donec tandem orto Lutherano incendio, famulinum hoc certamen (ut quidam tum appellârunt: est enim καπνὸς fumus & καπνίον, fumulus, in quod Reuchlinus nomen suum Germanicum immutari voluit) in fumum abiit.

XV. [q] Lãg. Chron. Citizen. sub an. 1514. IUDÆI IMPOSTORIS SUPPLICIUM.

De prædicto verò Pfefferkorne tradunt [q], fuisse posthæc de immanissimis flagitiis accusatum, & in vinculis tortum, confessum esse, per viginti annos sacerdotis officia exercuisse, cùm nunquam ordinatus fuisset: tres hostias consecratas ab alio Presbytero subtraxisse; unam se dispunxisse, quæ multum cruorem emiserit, reliquas aliis Iudæis vendidisse: Albertum Archiepiscopum Magdeburgensem, fratrémque ejus Ioachimum Electorem Brandeburgensem, veneno necare tentâsse: medicum agentem plurimos Christianos peremisse: ad tempus se pro Messiâ gessisse, & cum duodecim Apostolis quæstus causâ divagatum esse: puerum Christianum Iudæis venditum, unà cum eis lancinâsse: alia multa nefanda perpetrâsse: ob quæ Hallis oppido Saxoniæ morti addictus, primùm candentibus forcipibus discerptus fuerit, deinde ad cœmeterium Iudæorum tractus, ibi igne combustus: Obiisse tamen ut verum Christianum, demeritas pœnas bonâ spe fidéque sufferendo: anno videlicèt millesimo quingentesimo decimo-quarto. Ita Langius.

XVI. [r] Neugebaver. lib. 7. sub an. 1580. Gaguin. in ser. Reg. Polon. in Sigism. ALIUS IMPOSTOR POLONUS.

Sed quod de Messiâ simulato habet, est in Historiâ Polonicâ [r] memoria cujusdam nobilis *Iacobi Melstinski*, qui his iisdem temporibus, hoc est sub initium regni Sigismundi Poloniæ Regis; ex quâdam animi levitate, seu desperatione, eò insaniæ processerit, ut CHRISTI nomen & officium assumere non dubitaverit; adscitis Petro Zatorskio cive Cracoviensi, aliisque suî similibus duodecim impostoribus juxta Apostolorum numerum quorum nomina singulis eorum imposuit. Per eas regiones discurrentes, multis præstigiatoriis prodigiis mortuos suscitare, possessos à dæmone liberare, res transformare fingentes, populis passim admirabiles se exhibuisse, furtis & latrociniis interim vacantes; indéque in Silesiam transeuntes, eadem præstitisse: donec ex cujusdam domûs incendio ab eis nequiter excitato, incenso in eos rusticorum furore, capti sunt, ac fustibus ac sudibus egregiè cæsi: qui tot plagis mulctati vitam imposterùm seriò emendârunt. An verò hic similis sit, vel idem cum superiori, mutatis pro occasione nominibus, vel imputatis à Langio Melstinski sive Melstinij fictionibus Pfefferkorni, (quod magis crederem) ad augenda ejus crimina; investigandum aliis relinquimus, quorum hoc scire magis intererit: illud tamen monentes, hæc de Melstinski imposturâ à Meshovio in Anabaptistarum Historiâ in annum 1525. referri.

XVII. MIRACULUM IN EUCHARISTIA CONTRA IUDÆUM. [s] Sur. in

Aliud item contigit tetrum facinus hoc eodem anno in Marchionatu Brandeburgico; quod à Germanis [s] auctoribus refertur. Quidam vir nomine *Paulus Form* in villâ Knobloch, intempestâ nocte furatus arculam, quâ Sacrosancta Eucharistia asservabatur, in quâ erant Hostiæ duæ, altera major, minor altera, Iudæum adiit arculam venditurus. Hic facilè animadvertens cujusmodi usum ea habuisset, majus pretium se daturum ait, si rem contentam attulisset. Tum ille, qui jam minorem deglutiverat, reliquam è sinu depromptam obtulit Iudæo æstimandam; à quo tamen nonnisi novem grossos accepit. Eam cùm Iudæus in tres partes divisisset, duas ad alteros Iudæos misit: suam verò pugione ictam sanguine madere, aquæ immersam enatare, in ignem conjectam illæsam permanere, denique massulæ azymi panis inclusam è furno, in quem massulam injecerat, in ipsius faciem resilire conspiciens; terrore nimio ex his omnibus signis correptus, re tandem detectâ, impius unà cum aliis Iudæis ad numerum quadraginta vivi combusti sunt; cùm & prætereà fassi essent, inter multa alia flagitia etiam septem Christianorum infantes intra paucos annos acubus & punctionibus peremisse. Tres alij baptisma acceperunt, ac nihilominùs duo ex illis capite plexi sunt; tertius, pluribus pro eo intercedentibus, vitâ donatus, Sancti Francisci institutum amplexus est. Reliqui omnes totâ regione à Marchione Ioachimo laudatissimo Principe pulsi sunt. Sceleratus Christianus Eucharistiæ proditor candentibus ferris discerptus, in cineres quoque redactus est.

Tritehm. in Chron. Sponheim.

XVIII. [t] Bouchet. Annal. Aquit. par. 4. hoc an. Bellefor. Hist. Franc. lib. 6. cap. 18. COQUELUCHÆ MORBUS.

Hoc ipso tempore [t] totam penè Galliam novum morbi genus invasit, quod vulgò *Coqueluchan* appellârunt, (inde fortè, quòd qui primi eo morbo incognito tacti fuissent, cucullati in publicum prodire visi essent, ob gravem capitis dolorem: est enim Gallis cucullus, *Coqueluche*, sive *Coqueluchon*,) caput imprimis, tum verò & ventriculum, & lumbos suràsque urgens, cum febre phreneticâ, nullo stato ejus accessu aut recessu; aversantibúsque maximè ægris omne cibi genus, vinúmque ipsum; denique pharmacis, ut in re novâ, non tam proficientibus quàm nocentibus. Cujus pestis contagionem pauci evaserunt; plurimi omnis generis & conditionis eâ sublati sunt. Quæ cùm eodem tempore acciderit, quo Rex consilia sua contra Romanum Pontificem agitaret, filiúsque quamvis læsus adversus patrem insurgeret; non abs re fuerit, si immissam à Deo esse in detestationem hujusmodi conjurationum, & in cæterorum populi peccatorum, quæ fœdè ubique vigebant, vindictam credamus. Meminit etiam quidam auctor Scotus [u] morbi, qui his iisdem temporibus in eo regno vehementiâ suâ permultos extinxit, & contagione omnes ut pestis ferè infecit: quem, quod nobiles præcipuè, delicatiorisque naturæ homines inficeret, plebeiis magis parcens, vocârint *Stoupgalland*, quasi qui potentiorum & arrogantiorum fastum elideret.

[u] Leslæ. lib. 8.

XIX. PHILIPPI BEROALDI OBITUS.

Mortuus hoc anno dicitur in patriâ suâ, dum Iulius Pontifex ibi esset, *Philippus Beroaldus* Bononiensis, clarus eo tempore grammaticus & rhetor, multísque ac præclaris scriptis illustris. In quibus tamen multi judicium subinde desiderant, cùm infinitam lectionem non satis concoxerit. Obiit autem sexagenarius. Reliquítque filium ejusdem nominis, sed Poëtam patre meliorem, si Lilio Gyraldo credamus in Dialogo de sui sæculi Poëtis.

XX. Goam urbem Albuquercius occupat.

Hoc eodem anno Alfonsus Albuquercius Prorex Indiarum, qui præclaris suis facinoribus Magni cognomen adeptus est, *Goam* nullo propè negotio cepit; sedem deinde imperij Lusitanici in iis regionibus nobilissimam, & metropolim Ecclesiarnm ibidem erectarum; sitam in regno Decano, & insulâ vix viginti millium ambitûs, sed commodissimâ Orientis commercio. Rei benè gerendæ opportunitatem obtulit absentia Zabainni Hidalcanis tunc ibi imperitantis, longinquo bello occupati, & industria Timogiæ illius regionis piratæ Gentilis, fidi Lusitanorum amici. Quod contigit mense Februarij. Cúmque urbs paulò pòst fraude quorundam, & potentiâ Hidalcanis, in manus ejus recidisset; recuperavit illam Albuquercius non sine labore & sanguine septimo Calendas Decembris; résque in eâ optimè constituit; & ad sobolem in usum militiæ, & firmamentum imperij propagandam, sacro fonte expiatas Indicas puellas Lusitanis in matrimonium dedit, fovitque omni benignitatis studio. Quæ ut se habuerint, prolixè describit Ioannes Barrosius [x]: ex quo & alij [y] desumpserunt. In quibus sunt [z] qui observent, dum Goæ idolorum fana, & sepulchra ethnicorum aliáque ædificia diruerentur, in domûs cujusdam parietinis repertam esse æneam Crucis pendente Christo effigiem; evidenti argumento planè in iis olim regionibus, non modò Christianam fidem, sed cum eâ salutarem usum Imaginum ex Apostolicâ traditione viguisse. Addúntque, in posteriori urbis oppugnatione apparuisse hostibus Sanctum Iacobum, punicâ cruce & fulgentibus armis insignem, qui Mahometanas phalanges Christianorum paucitati cedere coëgerit.

[x] *Bar. dec. 2. lib. c. 4. ult. & toto lib. 5.*
[y] *Osor. lib. 7. Maff. lib. 4. Marian l. 29. cap. 22.*
[z] *Maffei. Ibid.*

Iesu Christi Annus 1511.

Iulii II. An. 8.

Maximiliani An. 18.

I. Iulius PP. ducem belli agit.

Anno Christi 1511. Indictione decimâquartâ, facta sunt signa & prodigia multa in cœlo & in terrâ, hoc est, in Ecclesiâ & regnis temporalibus: ita pessum cuncta ire cernebantur. Iulius Romanus Pontifex æstuans vehementissimè, quòd obsidionem Mirandulæ ad finem superioris anni inchoatam, lentiùs quàm pro rapido ipsius ingenio, ob temporis asperitatem, & multarum rerum necessariarum penuriam; validámque obsessorum propugnationem, procedere cerneret: rem cunctis retrò sæculis inauditam, præsentiâ suâ accelerare constituit: parùm attendens quàm tantæ majestatis sublimitate indignum existimari posset, in castra ad expugnandum obscurum oppidum Christiani Principis, qui nullâ re eum læserat, aut Ecclesiam Romanam, vel religionem proficisci; mirantibus aulicis, Cardinalibus dissuadentibus, nec minùs aliis Venetorum legatis improbantibus: ut omninò conspicuum colorem, ac penè justam caussam præbere velle videretur iis, qui alioqui contra fas & æquum, Concilium adversus eum cogere parabant. His igitur omnibus contemptis, secundâ Ianuarij tribus comitatus Cardinalibus Bononiâ discessit: cúmque in castra pervenisset, in rustici cujusdam parvulam casam hostilium tormentorum fulminibus expositam, quippe quæ à Mirandulæ mœnibus non ultra geminum jaculi jactum distabat, divertit. Inde castris obequitando, ut tormenta aptè collocarentur urgens; interim dùm aggeres fierent, ut tantisper castrensia incommoda vitaret, ad Concordiam non longè positum ejusdem Mirandulani Principis oppidum jam antè occupatum, se contulit: móxque, nec ingenti nive quæ continenter de cœlo ruebat, nec immenso frigore quod vix juniores milites ferre possent, deterritus homo propemodùm septuagenarius, ad castra reversus, in sacello quodam suis tormentis proximo, mœnibúsque priore casâ propinquiore tabernaculum fixit: omniúmque ducum segnitiem acerbè increpans, & re & verbis ducis munus obeundo discurrens, eum tamen locum deserere coactus est, quòd in ejus culinâ duo ex domesticis tormenti pilâ cæsi fuissent. In Cardinalis verò Rhegini tentorium divertens, in majus etiam vitæ periculum ibi incurrit, cùm oppidani, id forte animadvertentes, magnum tormentum in illud direxissent. Deditione tandem factâ decimo-tertio Calendas Februarij in urbem per mœnia vectus, quòd portæ terrâ obstructæ essent, ingentem de victoriâ suâ voluptatem cepit: ac ne oppidum rursùm à Gallis occuparetur, quingentis Hispanis & trecentis Italis peditibus impositis, ipse ad primum Ferrariæ propositum totum se convertit.

Periclitatur apud Mirandulam.

II. Ludovicus Rex contra eũ agit.

Sed novis Gallorum motibus interturbata fuêre ejus consilia. Rex enim, quantum Mirandulâ amissâ de suâ existimatione imminutum esset perpendens, ac Pontificis animum penitùs à pace alienum expertus; Ciamontio mandavit, ut non modò in Ferrariæ defensionem incumberet, verùm etiam, si occasio daretur, à Pontificiâ ditione non abstineret. Quare cum Ciamontius copias undique comparare cœpisset, his commotus Pontifex Bononiam se recepit, indéque Ravennam: Securior paulò deinceps redditus obitu Ciamontij; qui contigit Corregij decimo-quinto ægritudinis die; cùm priùs religiosè admodùm veniam sibi à Pontifice instrumento publico, quòd arma in eum tulisset, dari petiisset: quæ facilè à Pontifice, eo adhuc vivo concessa, ad ejus tamen notitiam morte prævenientе pervenire non potuit. Cujus loco Ioannes-Iacobus Trivultius, unus ex quatuor Franciæ Marescallis, qui aderat, rerum administrationem suscepit; quousque Rex eam Gastoni Fuxensi sororis suæ filio, sororióque Ferdinandi Aragoniæ Regis, adhuc quidem adolescenti, sed magnæ indolis, tribuit.

III. Conventus Mantuanus de pace.

Inter quæ Maximilianus Imperator semper in suis consiliis dubius, inexpectatò Gurcensem Episcopum Mantuam ad agendum de pace mittere constituit; impulsus ad hoc à Ferdinando Aragonio, qui & alium quendam nomine suo missurum, tantumdémque à Rege Galliæ præstari debere persuasit: spe factâ Pontificem eò quoque missurum ad conficien-

dam concordiam. Fuitque ea res Pontifici grata; non [a] quidem pacis concordiæve causâ, sed quia cùm Senatum Venetum ad paciscendum cum Maximiliano induci posse persuasum haberet, hâc ratione Maximilianum à Rege Galliæ disjunctum iri speraret; unde facilè multorum Principum in Regem conjuratio oriri posset. Quæ omnia cùm in caput suum agitari Rex animadverteret, quò minùs tamen Maximiliano indignationis causam præberet, Parisiensem Episcopum Stephanum Poncherium, summæ auctoritatis, doctrinæ, & prudentiæ virum Mantuam legavit. Quò cùm item Gurcensis pervenisset, Pontifex illum ad se Ravennam accedere sollicitavit, non tam quòd id magis ex Pontificiâ dignitate esse duceret, quàm quòd & honore & promissorum abundantiâ in suam sententiam magis quàm unquam anteà à concordiâ alienissimam, eum pertrahere speraret. Nec recusabat Gurcensis, si priùs Mantuæ res digererentur, ut pòst ad Pontificem pro conclusione iretur. Qui nihilominùs ab oratoribus Ferdinandi multis persuasibilibus verbis flexus, assensus est: factâ etiam ei Cardinalatûs spe; cùm creatis à Pontifice, tam ut sibi Principum animos conciliaret, quàm ut se contra Concilij minas fidis sibi viris muniret, octo Cardinalibus ibidem Ravennæ mense Martio; unius præterea, de consensu Cardinalium, nominandi sibi facultatem, quem animo conceptum haberet, retinuit.

IV. CARDINALIUM CREATIO.

[b] Garimb. de Cardin lib. 3. cap. ult.

[c] Cabrer. in Iul. II.

Inter cæteros verò fuit *Christophorus Bambridge* natione Anglus, dignitate Archiepiscopus Eboracensis, Regisque Angliæ apud Pontificem orator; in præmium creatus commoti sui Regis animi adversus Ludovicum Gallum: qui indoctus [b], & vanitate inflatus, in Collegium allectus titulo S. Praxedis, & castris [c] Iulij contra Gallos legatione functus, homo insolentis & intemperantis ingenij, Romæ veneno extinctus est anno 1514. a quodam ejus familiari, quem contumeliâ affecerat: sepultúsque ibidem in Hospitali Anglorum. Allectus item inter cæteros titulo Pastoris, sive Pudentianæ, in gratiam Helvetiorum, *Matthæus Schiner* Sedunensis ortu & Episcopatu, genere quidem humilis, sed animi virtute sublimis, & militari peritiâ clarus: cujus operâ Iulius Helvetios à Ludovico Rege jam abalienaverat; eósque idem acriùs deinceps concitavit, in Italiam sæpiùs ducens. Reliqui sex Itali fuêre ex diversis provinciis: quorum elogia Cabrera habet in continuatione Operis Ciacconi, quam ab Alexandro VI. ad Clementem VIII. addidit. Adjectum etiam ponit Onuphrius eundem Gurcensem: sed malè, cùm non nisi à Leone Iulij successore eam dignitatem consecutus sit, ut dicetur suo loco.

V.

[d] Guicciard. lib. 9.

IULIUS PP. SUMMO HONORE GURCENSEM RECIPIT.

Hoc verò tempore cùm ad Pontificem ire deberet, Pontifex [d] ut honorificentiùs eum reciperet, veluti ipsemet obviam ei processurus, (annon hoc prodigium fuit, unum ex illis quæ principio anni diximus?) Ravennâ Bononiam contendit, ibique illum tanto honore recipi voluit, ut ne Rex quidem ullus ferè majore accipi posset. Gurcensis verò ingenti pompâ splendido comitatu, uti Cæsaris in Italiâ Vicarius, ad Pontificem deductus, qui eum cum omnibus suis Cardinalibus præstolabatur, brevi, sed superbissimâ oratione, se à Cæsare rerum suarum, potiùs pacis quàm belli artibus consequendarum studio in Italiam missum proposuit: pacem verò nisi à Venetis omnia quæ quâvis ratione ad eum spectarent restituerentur, locum habere non posse. Post publicum consessum, seorsim cum Pontifice eadem eodémque fastu locutus: cùm Pontifex ex ipsius consensu tres Cardinales qui cum eo agerent delegisset, ipse quasi cum alio quàm cum ipso Pontifice quicquam agere se indignum esset, expectantibus ad horam constitutam Cardinalibus, tres ex suis nobilibus qui cum eis agerent misit, se aliis negotiis occupatum excusans: tantam indignitatem Pontifice incredibili in Gallos odio, à quorum amicitiâ eum avellere sperabat, cum multis aliis devorante. Pòst multas demùm contentiones de Patavij atque Taurisij restitutione, aut magnâ solutâ pecuniâ retentione, cùm res, adnitente vehementissimè Pontifice ad concordiam deduci videretur; ubi Gurcensis de Regis quoque Galliæ concordiâ agere incipiens, à Pontifice audiri nullo modo potuit; indignatione correptus Bononiâ Mutinam abiit, quæ Cæsaris nomine detinebatur: multa de Pontifice questus; præsertim verò quòd cùm ejus in Italiam adventu arma penè essent suspensa, Pontifex ad turbandas res Genuensium Vintimilium Episcopum misisset; qui à Gallis captus, & Mediolanum perductus, consilia omnia patefecit.

GURCENSIS ILLUDIT EI.

VI.

[e] Tom. 2. Freher.

QUOMODÒ RES INTER EOS ACTA.

Præter hæc, quæ à Guicciardino accepimus, est insuper in collectione [e] scriptorum rerum Germanicarum, *Michaëlis Coccinij* Tubingensis, tunc apud Mutinam cum Vicario Imperatoris Vito de Furst agentis, Historia de rebus hoc biennio in Italiâ tam bello quàm legationibus & diversis tractatibus gestis: ex quâ non parva lux & Guicciardino, & aliis qui de iis egerunt afferatur. Ait igitur, cùm Gurcensis apud Regem Christianissimum legationis munere fungeretur, (de quâ diximus anno superiori) Iulium Pontificem plurimùm apud Maximilianum Cæsarem sollicitâsse, ut Gurcensem ad se legaret, quòd per eum multa pro gloriâ, incremento, amplitudinéque nationis Germanicæ ac suæ majestatis constituere deliberâsset: Cæsarem, ne paci ac tranquillitati Italiæ in aliquo defuisse videretur, statuisse Pontifici morem gerere. Cùm verò Gurcensis itinere suscepto, auditis rerum difficultatibus, Pontifici per literas significâsset, non posse se ad eum de aliquâ re tractaturum accedere, nisi certus esset Venetos ampliores quàm hactenùs pacis conditiones offerre; & induciæ fierent inter ipsum Pontificem & Regem Christianissimum ac Ducem Ferrariæ: Pontificem nullis induciis assentiri voluisse, neque aliquam concordiam cum Rege Franciæ & Duce Ferrariæ se initurum affirmâsse, nisi Ferrariâ receptâ: Venetos modò inflexibiles esse; accederet nihilominùs Gurcensis, & curaturum se ut is cum honore proprio & gloriâ Cæsaris in Germaniam rediret: Ivisse igitur Gurcensem Mantuam ad Pontificem Bononiam; quò se Pontifex Ravennâ contulisset, ob majorem hospitiorum commoditatem & aërem salubriorem: Honorificè susceptum, cùm Pontifici om-

ninò significâsset, nequaquàm se posse ulli paci consentire, nisi Veneti Paduam & Tarvisium dimitterent; Pontifex autem eas ipsos in feudum recognituros, & Veronam ac Vicentiam dimissuros promitteret; atque ubi pax sic fieret, polliceretur curaturum se ut Gurcensis Patriarchatum Aquileiensem nancisceretur, necnon Cardinalatum, & quamplurimas dignitates Ecclesiasticas ad valorem redditûs annui centum millium ducatorum: nihilominùs Gurcensem his contemptis, veniam à Pontifice petiisse, & Parmam abiisse, consulturum ibi de rebus communibus cum Episcopo Parisiensi Regis Christianissimi oratore: Illis ibi Pontificem per oratorem Regis Scotiæ declarâsse, per se non stare quo minùs Italia pacem consequeretur, plurimis rationibus ad id propositis: illos excusantes Principes suos, certa proposuisse pacis media rationi satis consentanea; quæ si Pontifex acceptare voluisset, Italia pacem & tranquillitatem assecuta fuisset. Ita ibi.

VII. BONONIAM GALLI OCCUPANT.

Pacis igitur spe Gurcensis discessu sublatâ, (ut iidem auctores tradunt) Trivultius cum Gallorum quas habebat copiis bellum renovans, Concordiam cepit, ac subinde alia diversa loca, Bononiam appropinquans cum Bentivolis antiquis ejus sive Dominis sive tyrannis, quos secum ducebat. Cúmque ejus metu Pontifex, (plurima hîc jam consequentia sese prodigia apparebunt) relicto ibi cum præsidio Francisco Alidosio Cardinale Papiensi, eodémque Bononiensi Archiepiscopo, quem Pontifex inter charissimos habebat, & Francisco-Mariâ Vrbinatium Duce fratris sui filio, Ravennam secessisset: Cardinale parùm Bononiensibus grato ob sævitiam quâ nobiles quosdam plexerat, confestim post Pontificis abitum motu à populo excitato, Bentivoli die vigesimo-primo Maij admissi sunt in civitatem; móxque & Trivultius; nullâ cuiquam vi illatâ, præterquàm præsidiariis, quorum plerique in fugâ peremptí sunt: totúsque subinde Pontificius Venetúsque exercitus dissipatus: Bononiæ ænea Pontificis statua à plebe per forum multis contumeliis ac ludibriis tracta: arx diruta:

CARD. PAPIENSIS CÆDES A NEPOTE PONTIFICIS.

Cardinalis Papiensis, cùm ad Pontificem purgandi se causâ de accusatione quâ impetebatur aut perfidiæ, aut timoris, aut imprudentiæ, pergeret; ab eodem Vrbinate, qui & ipse fugâ evaserat, ob veterem quam cum illo gerebat simultatem, & quòd ejus culpâ, ut aiebat, Bononia rebellâsset, sive, ut alij habent, quòd eum Cardinalis apud Pontificem acerrimè accusare non dubitâsset; manu propriâ pugione confossus est, aliis quoque ictus ingeminantibus: vir multis vitiis scatens, & quem prostrati in adolescentiâ pudoris infamiâ ad tantam dignitatem pervenisse, Iovius [f] in ejus elogio scribit. Vnde cùm Pontifex, tam de tot aliis adversis, quàm vel maximè de violatâ in ipsius oculis à proprio nepote sacrosancti ordinis dignitate, propemodùm in furorem actus, (ita enim Guicciardinus, benignè cum Pontifice agens; cùm non desint [g], qui id facinus conscio atque auctore Pontifice fuisse factum velint; quod si verum fuit, annon & hoc inter prodigia jure recensendum?) Ravennâ Romam redire constituisset; vix Ariminum pervenerat, cùm Mutinæ, Bononiæ, multísque aliis urbibus, ad publica loca libellos, quibus Concilij convocatio indicebatur, & ut ipsemet se sisteret denunciabatur, affixos esse, certior factus est.

[f] *Iov. Elog. lib. 4.*

[g] *Vide Marian. lib. 30. cap. 2. in fin.*

VIII. CONVENTICULI PISANI INDICTIO.

Siquidem Gurcensis, postquàm à Pontifice abiit, Cæsaris nomine tres procuratores Mediolanum misit: qui Cardinalibus ibi existentibus, & Galliæ Regis Procuratoribus conjuncti, in Calendas Septembris *Concilium* PISIS celebrandum indixerunt: electo à Cardinalibus eo loco, velut ob maris propinquitatem opportuno multis qui ad Concilium venturi essent, ac Florentinorum erga Regem Galliæ fide ac benevolentiâ tuto. Posse autem se sine Pontificis auctoritate Concilium convocare Cardinales asserebant, ideò quòd cùm Ecclesia tam in capite quàm in membris emendatione indigeret, caput autem, hoc est Pontifex, & vitio creatus fuisset, & totus bellis profanis immersus, emendationi suæ & Ecclesiæ attendere, licèt monitus, contemneret; ad ipsos convocandi potestas delata esset: accedente præsertim Imperatoris designati auctoritate, & Christianissimi Regis consensu, cum Germaniæ Galliæque Antistitum concursu: atque insuper in Concilio Constantiensi salubriter constitutum fuisset, ut decimo quoque anno Concilium cogeretur; unicum planè remedium ad singulos in suo officio continendos. Ex adverso verò prudentiores, Theologorum magis quàm Pontificij Iuris peritorum doctrinæ inhærentes, Conciliorum convocandorum auctoritatem in solo Pontifice consistere affirmaba[n]t, etiamsi iis omnibus vitiis esset infectus, quæ isti Iulio objiciebant, modò ab hæresis suspicione esset immunis. Alioquin enim in paucorum potestate futurum, vel ambitione, vel privatis odiis, quotidie tranquillum Reipublicæ Christianæ statum immutare: Ac propterea hunc Pisis indictum conventum, non Concilium, sed Conciliabulum jure appellari debere, tanquam Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ Catholicæ dividendæ seminarium. Ita namque de his dissertum utrimque esse, Guicciardinus narrat.

IX. CAPITA PROPOSITA PRO CELEBRATIONE ILLIUS.

Ad quæ pertinet, quòd in Actis Pisani hujus conventus, quæ tunc Lutetiæ & Mediolani excusa fuêre, leguntur quædam capitula, à publicis scribis, ut ibi dicitur, excepta, & triginta septem Cardinalium qui post obitum Pij III. ad novi Pontificis electionem convenerant, inter quos & Iulius erat, tunc Iulianus de Ruvere secundo loco numeratus; jurejurando cum diris execrationibus in certa verba concepto confirmata, quæ quicumque eligendus esset Pontifex observare deberet: quæque Iulius factus Pontifex novo sacramento confirmasset; uti etiam in ejus electione meminimus. Inter quæ hæc continentur, quæ ad præsentem historiam spectant: Ne futurus Pontifex cuiquam Regi, aut principi, civitative Romanæ Ecclesiæ non obnoxiæ, sine diserto duarum ex tribus partium Cardinalium consensu, bellum inferret, aut fœdus ad inferendum alicui bellum faceret: Vt in causis majoribus, signan-

ter in creatione Cardinalium, & processu faciendo contra eos, in privationibus vel translationibus Episcoporum, ipsis invitis, in societate, pace, & bello extra terras Ecclesiæ, suffragia Cardinalium dari deberent per calculos albos & nigros; alitérque data ipso jure essent nulla: Cardinalibus per futurum Pontificem creandis, dummodò ex antiquis essent numero viginti) os non aperiretur ad danda suffragia in tribus hisce casibus, videlicèt creatione aliorum Cardinalium, alienatione seu infeudatione terrarum Ecclesiæ, & in non observatione horum capitulorum: Si verò ex antiquis essent pauciores viginti, tunc ex novis impleretur is numerus secundùm ordinem suæ creationis; Qui recèns crearentur Cardinales, in hæc ipsa capita jurarent alioqui, Cardinalatûs privilegiis & emolumentis haud fruerentur: Electus Pontifex publicum universi Christianismi Concilium intra biennium à promotionis die numerandum, in urbem liberam ac tutam nec ulli suspectam convocaret: Sin negligentior eâ in re deprehenderetur, duæ partes Cardinalium convocandi Concilij potestatem haberent: Hæcque statuta intelligerentur pro defensione Catholicæ fidei, & erectione Ecclesiasticæ libertatis, pro reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, ac vinculo charitatis inter Summum Pontificem & fratres ejus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales confirmando. Hæc igitur tunc statuta, & à Iulio Pontifice solemni jurejurando confirmata, novis tamen supervenientibus casibus ab eo aut mutata sunt, aut dilata; ne contemptu præterita, ut adversarij objiciebant, dicamus. Et quamquam juramento additum esset, se nec seipsum à perjurio & anathemate, quibus si falleret se subjiciebat, absoluturum, nec absolutionem alicui commissurum: quàm tamen hujusmodi cautiones infirmæ sint obligationis in eo qui supremâ pollet auctoritate, maximè cùm novi emergunt casus alicujusmodi excusationis; nemo non intelligit, & exemplis aliorum Pontificum qui se similibus obligationibus subjecêre, confirmatur. Possunt enim ipsi seipsos ab iis liberare, cùm expedire viderint: nec propterea fas est Cardinalibus eorum obedientiæ renunciare.

X. [h] *Guicc. l. 10.* PONTIFICIS SUMMUM ODIUM IN REGEM.

Adversùs autem dictorum Cardinalium molitiones conciliares remedia Iulius anxiè quærens, cùm facilè perspiceret [h], copiis suis militaribus, Venetorúmque victoriâ Gallorum apud Bononiam penitùs dissipatis, in potestate Regis Ludovici esse, vel ipsam Romam cum totâ Pontificiâ ditione occupare, inde in summas angustias redactus, cùm ad concordiam nonnihil proclivem se ostendisset, ubi tamen Regem audivit, alienum penitùs à bello in ipsum gerendo, Trivultio mandâsse, ut Bononiâ in Bentivolorum potestate relictâ, & si quid aliud Pontificij juris occupâsset, ipsi restituto, quàm primùm exercitum in Mediolanensium fines reduceret, (quod & ille præstitit:) hâc Regis moderatione non solùm non mitior, verùm durior factus Iulius, (adeo prodigiosum erat ejus in Regem Gallósque odium) omnes penitus concordiæ rationes abjecit, etiámque illas ipsas, quas idem ipse in iræ suæ indignatione proposuerat: adjuvante maximè ad hæc Ferdinando Aragoniæ Rege, qui cùm fide Hispanicâ, ut Ludovicus aiebat, contra fœderum conditiones nunquam cessâsset vel clàm vel palàm Regi insidiari & adversari, cæterósque Principes in eum concitare, ex recenti ejus victoriâ auctâ rerum suarum suspicione, dimisso bello Africano, validas copias in id paratas in regnum Neapolitanum Duce Petro Navarro misit; specie quidem succurrendi Ecclesiæ, re ut eodem tempore & res suas tutiores redderet, & Pontificem in suâ à concordiâ alienatione confirmaret.

XI. SOLEMNIS INDICTIO CONCILIABULI PISANI.

Dum autem istiusmodi armorum fervor nonnihil defervesceret, effervescere magis cœpit sacerdotale bellum. De quo ut ordine dicamus ex Actis tunc confectis; imprimis die decimâ-sextâ Maij tres Cardinales existentes Mediolani, videlicèt Bernardinus Carvaial Hispanus S. Crucis, Guillelmus Brissonnetus Gallus Narbonnensis dictus, & Franciscus Borgia itidem Hispanus & Consentinus nuncupatus, (quo ordine ibi recensentur) auditis petitionibus Comitis Hieronymi Nogaroli, Antonij de Capitibus vaccæ, & Ludovici Faellæ procuratorum Maximiliani Cæsaris; necnon Ioannis Biragui, Francisci de Vaccis, & Balthasaris Plati similiter procuratorum Ludovici Regis Christianissimi; de celebratione Concilij ex decreto Synodi Constantiensis, cujus convocationem Iulius Pontifex quamvis juratam, & ad Pacem Christianorum, bellum contra Infideles, & morum reformationem tam in capite quàm in membris, necessariam negligeret: iidem Cardinales tam suo nomine, quàm sex aliorum, quorum se mandatum habere asserebant, cæterorúmque omnium eis adhærentium & adhærere volentium, cùm jam ad ipsos convocationem Concilij, ob negligentiam Iulij Pontificis & Cardinalium ei adhærentium, spectare, ut asserebant, dignosceretur; illud indixerunt inchoandum Pisis Calendis Septembris: rogantes humillimè Pontificem, ut huic ejus convocationi adesse per se vel legatos dignaretur; & Cardinales, Patriarchas, Episcopos, cæterósque Conciliis de jure aut consuetudine interesse solitos, necnon Reges, Principes, & Potentatus: itidem per se vel per legatos & procuratores pariter adesse rogantes atque monentes. Et quia tutum non esse dicerent ad Pontificem pro hujusmodi convocationis significatione, accedere, qui S. R. Ecclesiæ Cardinales fratres suos & Ecclesiæ Vniversalis Principes carceribus mancipari, & in eis minari faciebat, & oratores Principum contra jus gentium detineri: ideò decreverunt, eam in valvis Ecclesiarum Mutinensis, Rhegiensis, & Parmensis affigi; ex quibus posset ad notitiam illius aliorúmque omnium pervenire. Hæc in actis diffusè, recitatis singulis confectis iis de rebus instrumentis publicis. Et in fine adduntur nomina cæterorum sex Cardinalium, quorum tres illi mandatum speciale se habere profitebantur: videlicèt Philippi de Lucemburgo Episcopi Tusculani Cenomanensis dicti, Hadriani tituli Sancti Chrysogoni de Corneto, Renati tituli Sanctæ Sabinæ Bajocensis, Caro-

CARDINALES SEGREGES.

li tituli sancti Viti de Finario presbyterorum; Friderici sancti Angeli de sancto Severino, & Hippolyti sanctæ Luciæ in Silice Estensis, Diaconorum. Hísque mox subditur convocationis ejusdem Concilij per superadictos oratores Cæsaris & Regis confirmatio, suorum Principum nomine eodem tempore facta, cum simili ad Pontificem & alios supplicatione & monitione. Ac demum Maximiliani ipsius literæ datæ Muldorfij die 5. Iulij, & Ludovici Regis Valentiæ in Delfinatu 18. Iulij ejusdem præsentis anni, comprobatoriæ Concilij, & eorum quæ à suis procuratoribus in ejus causâ gesta fuissent.

XII. Iulius aliud Concilium Romæ indicit.

Quibus auditis, cùm Pontifex Cardinales à se dissentientes oblatâ veniâ ad se reducere conatus esset, frustráque id fieri animadverteret: (nisi quòd prædicti Hadrianus & Carolus, palàm, sive Iulij metu, sive quòd ita res haberet, se minimè consensisse declarârunt:) ad potentiora remedia animum intendens; consilio, ut creditum est, Antonij de monte, sancti Sabini dicti, patriâ Aretini, Clementísque VII. patrui, legum peritiâ & rerum gerendarum prudentiâ insignis, unius ex illis octo quos Iulius nuper Ravennæ in collegium Cardinalium allegerat; Concilium Vniversale in proximum annum Romæ in basilicâ Lateranensi celebrandum indixit; hâc arte conventum adversariorum dissolutum volens: quamvis adversarij contra arguerent, postquàm ipsi antevertissent, suum prævalere.

XIII. [1] Bullar. to. 1. Iul. II. const. 27. & Tom. Concil. Gener. Iulii ea de re constitutio.

Extat [1] indictionis ejus constitutio, data Romæ decimo-quinto Calendas Augusti: quâ totius rei causas & progressus, ut ferè sunt superiùs descripti, in suam excusationem, & adversariorum criminationem, enarrans Pontifex, ait; cùm ipse Bononiam pergeret pro recuperatione nonnullarum terrarum S. R. E. nonnullos Cardinales ex ipsius licentiâ ab Vrbe recedentes Florentiam divertisse, ibíque se continuisse, etiam postquàm ipse eos ad se Bononiam per nuncios & literas evocâsset: cúmque nihilominùs venturos se spopondissent, sine causâ legitimâ à suo capite recedentes, armis satellitibúsque stipatos, immò ipsosmet thoracibus & gladiis armatos Papiam se contulisse: Inde stimulis conscientiæ agitatos, per internuncios, & regiorum oratorum intercessiones, desertionis veniam postulâsse: Quam cùm eis Pontifex benignè obtulisset; nihilominùs illos ausos Pontificalem auctoritatem sibi ascribere, aggressos esse œcumenicum Concilium convocare, locum & tempus indicere & valvis Ecclesiarum, aliísque publicis locis affigere & publicare; falsóque & impudenter quosdam alios Cardinales sui propositi socios declarare, qui tamen & publicis & privatis scriptis, numquam se illis in hujusmodi proposito consensisse declarârunt: quimimò ipsummet Pontificem ac reliquos Cardinales ad id Concilium evocare non formidâsse; asserentes decennium post ultimum Vniversale Concilium, etiam contra constitutionem Concilij Constantiensis, jam dudùm effluxisse atque ipsum Iulium convocare neglexisse; maximè cùm jurasset ac vovisset, illud post biennium à creatione suâ celebrare; neque credendum fore ipsius auctoritate Concilium futurum: & cùm de gravibus criminibus universalem Ecclesiam scandalizantibus, in capite agendum foret, ad Summum Pontificem Concilij convocationem non attinere, sed secundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentiâ non adhæserunt. Hæc autem falsa commentitiáque esse; & non ex zelo religionis, sed odij fomitè & inimicitiæ procedere, inde manifestò apparere, quòd omnibus compertum esset, sibi per ultimos undecim annos quibus Cardinalatûs officio functus est, nihil magis cordi fuisse, quàm celebrationem Concilij, & Ecclesiæ Romanæ reformationem: hujus enim sollicitudinis causâ factum esse Alexandro VI. odiosum, & terrâ marique jactatum. Post assumptionem verò suam, Reges ac Principes omnes commonuisse pariter de celebrando Concilio, & expeditione in Turcos Conciliariter decernendâ, & assumendâ; totóque biennio nihil potiùs curâsse, quàm Principes conciliare ad celebrationem Concilij. Nullâ igitur suâ culpâ dilatam esse Concilij indictionem & celebrationem, sed temporum infelicitate, & instanti necessitate recuperandi terras & jura Ecclesiæ Romanæ. Quocircà non debuisse illos Cardinales diffidere de futurâ celebratione. Et si ea tam eis cordi esset, animadvertere debere ex praxi superiorum temporum, & doctrinâ Patrum Concilia Generalia à solis Romanis Pontificibus indici solere ac debere, & aliter indicta rata non esse. Constitutionem Concilij Constantiensis, ab octoginta annis servatam non fuisse: & si servata fuisset, tamen ex prædictis causis fas sibi fuisse eam transgredi. Denique juramentum ac votum à se de Concilij celebratione emissum, haud se transgressum esse, quandoquidem legitimis impedimentis detentus non potuit observare. Quod ad crimina & flagitia sibi objecta, fieri hoc ex more schismaticorum, quos Hieronymus ait, cum dubitant causas suas damnari, in contumelias prosilire. Et verò ad Summum Pontificem spectare congregare Concilium, etiamsi de ipsius causâ agatur: quemadmodùm à Ioanne XXIII. factum fuit, qui Constantiense indixit, in quo de ipsius potissimùm causâ agendum erat. Prætereà abusos valdè esse prædictos Cardinales usurpatâ auctoritate, in eo quòd ad Concilium Oecumenicum convocandum nonnisi tres menses cum dimidio assignârunt, & quòd locum incommodum designârunt: (quod pluribus probat, & prosequitur.) Idcóque prædictis omnibus maturè consideratis, de consilio & consensu Cardinalium ac de plenitudine Apostolicæ potestatis, se dictam indictionem, convocationem, & publicationem, nec non schedulas procuratorio nomine Maximiliani Romanorum Imperatoris electi, & Ludovici Francorum Regis Christianissimi, præter eorum mentem, ut par est credere, factas, cum omnibus quomodocumque ad illa pertinentibus, nulla, irrita, & inania, declarare, eadémque reprobare, revocare, irritare, ac sub anathematis, & maledictionis æternæ, aliísque pœnis insertis, favorem ullum eis à quocumque cujuscumque dignitatis Ecclesiasticæ vel sæcularis impertiri prohibere.

Respondet objectionibus adversariorum.

Irritatio indictionis Pisanæ.

XIV.

Ac nihilominùs bonam suam intentionem

Concilii Lateran. indictio.

exequi volentem se, ad extirpationem hæresum & schismatum, & reformationem morum tam Ecclesiasticarum quàm sæcularium personarum, quæ de jure vel consuetudine reformationi vel determinationi Concilij subjiciuntur, bellorum Christianorum extinctionem, & ut unicuique quod justum est redderetur, atque expeditionis adversùs Infideles susceptionem; Oecumenicum, Vniversale ac Generale Concilium, in almâ Vrbe Româ communi omnium patriâ, apud Lateranum, ubi plurima alia Concilia habita fuissent, inchoandum anno proximo millesimo quingentesimo duodecimo, decimo-nono mensis Aprilis, feriâ secundâ post Octavam Resurrectionis Domini, nunciare, & indicere; licèt dubitaret hanc novem mensium præfixionem (à decimo-quinto videlicèt Calendas Augusti, quo facta est indictio) pro Concilio Oecumenico celebrando, breviorem esse quàm ut ex tot longinquis mundi partibus venire Antistites, Principes, & alij qui de jure vel more majorum Concilio interesse deberent, quos omnes evocabat, possent: verùm non posse illam commodè mutare, quòd jam Regi Christianissimo, & nonnullis aliis Principibus eam indicâsset. Ita in Constitutione: cui unà cum ipso Iulio Pontifice subscripserunt, unus & viginti Cardinales, videlicèt tres Episcopi, duodecim presbyteri, & sex Diaconi.

XV. [k] *Guicciard. lib.* 10.

Concilio [k] promulgato, jam magis suo juri Iulius fidens contra Cardinales Carvaialem (qui Pontificatûs adipiscendi spe Concilij Pisani auctor imprimis fuisse perhibebatur) & Borgiam Hispanos, ac Brissonetum Gallum, (tres præcipuos illos auctores indictionis ejus) quos conciliari posse omninò diffidebat, (de cæteris namque nondum spem amiserat) edictum promulgavit; quo nisi intra sexagesimum-quintum diem se Romam sisterent, eos dignitate Cardinalatûs, ac cunctis beneficiis & sacerdotiis privatum iri commonebat. Vnóque simul tempore, tractantes de concordiâ cum Rege Galliæ audiens, ex aliâ parte (ita erat animo varius) cum Ferdinando Aragonio ac Venetis, novum in eumdem fœdus moliebatur; quem nihilominùs in suâ Concilij indictione *charissimum filium* nuncupabat. Cùm autem & diversæ expeditiones à Maximiliano in Venetos frustrà susceptæ fuissent, (quas Michaël Coccinius æquè describit) ut erat & ipse consiliis & cogitationibus admodùm inconstans, non leves præbuit Ludovico mutatæ voluntatis, & resumpti veteris odij suspiciones. Miseram Principum conditionem! pro quantillâ re, quantis tribulationibus & se ipsos, & innocentes subditos, & universum mundum conficiunt! pro minimâ parte puncti terræ acquirendâ per fas & nefas, plerumque immensam amplitudinem cæli amittentes. O iterùm miseram hujusmodi Principum conditionem! Habeant apud homines excusationes suas, quantum voluerint; Dominus justus Iudex nullas admittet nisi justas.

XVI. Maximiliani

Varius animus in rebus Concilii.

Quod ad res Conciliares segregum attinet; religiosiorem se in his Maximilianus asserere potuisset, si aperto animo in partes Iulij Pontificis, à cujus amicitiâ nihil sibi timere habebat, transîsset, quàm tot simulationibus schisma fovere, quod unico denegationis verbo destruere poterat. Quamvis enim non, ut sæpiùs promiserat, aliquos Antistites Germaniæ nomine, nec procuratores qui suo sederent, Pisas mitteret; nec Regis Galliæ exemplo moveretur, qui communi Ecclesiæ Gallicanæ nomine viginti quatuor Episcopos illi conventui adfuturos delegerat, cæterísque, ut vel ipsi eò proficiscerentur vel procuratores mitterent, injunxerat: (tametsi sexdecim tantùm tertio Calendas Novembris Pisas ingressi numerentur in Actis:) hanc dilationem ut Maximilianus excusaret, vel quòd ita in animo haberet, Concilium pro majori Germanorum Antistitum commoditate, & quòd ipse ei interesse velle diceret, aut Mantuam, aut Veronam, aut Tridentum transferri, postulare cœpit. Quæ petitio variis de causis cæteris omnibus molesta, uni dumtaxat Carvaiali Cardinali S. Crucis grata erat, qui Pontificatûs cupiditate inflammatus, Cæsaris benevolentiâ eum se adepturum sperabat. Quòd autem sine Cæsaris auctoritate Concilium brevi dissolvendum Cardinales providerent, de communi consensu Sanseverinum ad eum legârunt, qui rogaret ut procuratores & Antistites toties promissos mitteret, fidémque daret, quam primùm Concilium Pisis inchoatum esset, in alium quemcumque locum quem ipse vellet se illud translaturos: quod si antè fieret, communi causæ plurimùm obfuturum; maximéque interesse, ut Concilium à Pontifice indictum anteverteretur. Quinimmò & cùm reperisset (ut scriptum [l] legimus) eumdem ipsum Maximilianum Cæs. ut erat vasto, & plerumque inani animo, Pontificatum mente complexum esse, Iulij obitu, vel etiam eo superstite; Sanseverinus ejus cupiditatem vehementiùs accendisse dicitur, non Pontificatum modò spondens, sed & Neapolitanum regnum familiæ Sanseverinorum ibi potentis ope, totiúsque Italiæ viribus. Iret tantùm, súique in conventu Pisano copiam faceret. Quantæ ineptiæ! quanta somniorum phantasmata! quàm prodigiosa consilia! Hoc sanè reducere erat Gentilium Imperatorum vaframenta, quibus Maximum Pontificatum Cæsareæ dignitati unitum voluerunt.

[l] *Marian. lib.* 30. *c.* 5.

Pontificatum ambit.

XVII. Iulius gravi morbo defungitur.

Hæc autem dum agitarentur, parùm abfuit quin Pontificis repentinus casus occasionem obtulerit hujusmodi consilia aut exequendi, aut tentandi. Qui decimo-septimo Augusti in morbum incidens, quarto ægritudinis die adeò ingenti animi defectu oppressus est, ut per aliquot horas à suis ministris pro mortuo fuerit habitus. Vnde mortis famâ ubique sparsâ, multi Cardinales absentes, iique ipsi qui Concilium convocaverant, Romam iter instituerunt: ibidémque Romæ nonnulli nobiles seditiosi populum ad recuperandam libertatem incitârunt. Quando Pontifex à tam periculoso casu nonnihil respirans, Cardinalibus ad se vocatis, nepotem Vrbinatem à Cardinalis Papiensis cæde, non ex juris formulis, uti constitutum fuerat, (quod temporis brevitas non patiebatur) sed

tanquam facti pœnitentem absolvit: successorísque electionem ritè & secundùm leges fieri mandavit; confirmatâ constitutione, quam eâ de re secundo Pontificatûs anno promulgaverat. Quam primùm autem mortis periculo liberatus fuit, ad consuetos labores cogitationésque rediens, simul & pacem cum Galliæ Rege, & ad Gallorum perniciem fœdus cum Rege Aragoniæ & Senatu Veneto moliri perseveravit, modò in hanc, modò in illam sententiam distractus; quamvis animo magis ad bellum quàm ad pacem propenso esset, spe universos Principes & Respublicas adversùs Galliæ Regem, in quem unum toto impetu ferebatur, concitandi: cùm is nihilominùs à bello in Pontificem gerendo abhorrens, nihil non ageret ut eum ad benevolentiam flectere posset; etiam Concilium Pisanum dimittere paratus, si modò Cardinalibus, & aliis qui ei assensi erant, veniam Pontifex impertire consentiret: ut pluribus hæc prosequitur Guicciardinus [m].

[m] *Guicciard. lib.* 10.

XVIII. QUID DE CONVENTU PISANO REX CENSERET.

Quo namque animo ferretur Ludovicus erga illum conventum, docet nos Anglerius [n] in suis Epistolis; dum scribens ex urbe Burgis Hispaniæ, ubi apud Regem Ferdinandum agebat, ad Marchionem Bellecensem, ait, cùm Hieronymus Cabanilla Valentinus eques Ferdinandi in Galliâ orator, apud Regem Ludovicum conquereretur quòd conciliabulariis faveret contra Pontificem; Regem subridendo respondisse, larvam esse ac jocosam declamationem, figmentúmque inane, illorum consilia; occasionémque sumptam ab eis ut Pontificem deterrerent, farsam hoc est mimicum ludum: se tantùm ista fovere, ut Pontificis animum aversum attraheret. Attamen qui sic loquebatur, & rem mimicam esse, ut verè erat, fatebatur, nihilominùs eam ita prosecutus est, ut ex animo ei adhærere videri voluerit, magno Ecclesiæ scandalo, & summo tituli Christianissimi dedecore. Cui haud consentiens pia ejus conjux Anna Regina, cùm uterum hoc tempore ferret, sæpiùs, ut tradunt, Regi inculcavit, ne in Pontificem arma exerceret, ne labefactaret Ecclesiam, ne dissidium foveret: Fixum animo se habere, non diù eo fœtu quem utero gestabat gavisuros, nisi in gratiam rediret Pontificis, universi Christiani generis parentis. Vti re ipsâ contigit, cùm natus tunc puer masculus spes optata successionis, ne infantis innocentis anima paternæ culpæ pœnas lueret, illicò baptizatus excessit è vitâ.

[n] *Angler. ep.* 465. 477. 484.

REGINÆ PIETAS.

XIX. INCIPIT CONCILIABULUM PISANUM.

Intereà segreges Cardinales Mediolanenses, cùm non adeò res suas paratas haberent, necdum plenam potestatem à Florentinis, quorum dominio Pisæ suberant, obtinuissent; ac proinde illuc accedere tutum eis esse non videretur: ne tamen omninò deessent celebrationi ad Calendas Septembris indictæ, die vigesimo-quinto Augusti auctoritatem scripto contulerunt Zachariæ Ferrerio Subasiensi Abbati Vincentino, Antonio de Andreâ Montispessulani Protonotario Apostolico; & Iacobo Galando Lochensi Archipresbytero in Ecclesiâ Turonensi, Pisas suo nomine se transferendi, & quæ necessaria ad Concilij celebrationem essent parandi; necnon si quos invenirent ibi Prælatos sibi adhærentes, illud inchoandi, vel saltem advenientes recipiendi. Qui Pisas pergentes, dictis Calendis Septembris post Missam de Spiritu sancto sermonem ad populum habuerunt de causis celebrationis Concilij, illúdque apertum esse declarârunt. Pontifex autem vehementer commotus, quòd Florentini id in suâ ditione fieri assensi essent, Florentiam & Pisas, & quotquot Conciliabulo faverent, sacris interdixit, dirísque devovit, omnibúsque pœnis in schismaticos & hæreticos statutis subjecit: eisdémque armorum vim minatus, Cardinalem Mediceum eorum imperij æmulum; Bononiæ Legatum constituit, ut eâ locorum proximitate eos in metum & confusionem conjiceret. Florentini verò à Pontificis sententiâ ad Concilium universæ Ecclesiæ provocantes, perinde ac si sententiæ latæ vis provocatione esset suspensa, supremi eorum Magistratûs præcepto quatuor præcipuorum templorum sacerdotes, rem sacram publicè peragere coëgerunt.

XX. CARDIN. SEGREGŪ EXCUSATIONES.

Cùm autem interim Cardinales Mediolano ad oppidum Burgi Santonini non longè à Parmâ progressi, literas ibi accepissent à cæteris Cardinalibus Romæ existentibus, & Iulio adhærentibus, à quibus invitabantur dimisso consilio Pisani conventûs Romam ad Concilium accedere, ut pœnas vitarent, quas Iulius intentaverat: excusantes illi & brevitatem temporis, & loci suspicionem, simul & expostulantes de monitionum & censurarum acerbitate, nuncios miserunt; (ut Acta docent) qui apud Iulium & Collegium Cardinalium aliquem accommodationis modum quærerent; deinde verò cùm nihil a Pontifice obtineri potuisset, præter octiduum dilationis sententiæ contra illos ferendæ post præscriptum resipiscentiæ tempus: illi ibidem Burgi die vigesimo-septimo Septembris ejusdem præsentis anni, longam Apologiam promulgârunt, ad consiliorum suorum & indictionis Concilij sui purgationem, & criminum sibi à Pontifice in edicto Synodi Lateranensis, ac monitionibus in ipsos publicatis, objectorum depulsionem: quæ extat inter Acta Concilij Pisani. In cujus fine inhærentes protestationibus, & provocationibus jam sæpiùs, ut aiunt, interpositis, criminationes omnes, pœnas, censuras, privationes in ipsos attentatas, inanes & nullas profitebantur & protestabantur.

XXI. DECII I.C^ti CONSILIUM PRO CONVENTU PISANO.

Nec his contenti, Consilium [nn] *Philippi Decij* celebris Iurisconsulti Mediolanensis itidem promulgârunt: cujus principio ait, requisitum se nomine Christianissimi Regis, de se optimè meriti, qui ipsum in patriam maximâ cum dignitate revocaverat, scripsisse illud pro veritate & justitiâ. Absolvit autem illud quatuor quæstionibus; 1. An Papa accusari possit, si incorrigibilis sit in crimine, pro quo Religio Christiana scandalum patiatur: 2. An Papa efficaciter obligetur ad id quod cum voto & juramento promisit, ita quòd se ipsum absolvere non possit: 3. An in dictis & similibus casibus Concilium Generale sit judex contra Papam. 4. De modo & formâ congregandi Concilium in dictis casibus. Et in tribus primis affirmativè respondens, in quarto plus hæsitavit; concludens tamen de-

[nn] *Est int. Decij Consil. num.* 151.

mùm, minorem numerùm Cardinalium convocare posse Concilium Generale, quando major pars adhæret Summo Pontifici in casu ubi Pontifex accusari & judicari debet: uti in hoc prætendebatur. Qui & insuper aliâ Disputatione [o] pro confirmatione dicti sui Concilij habitâ, ostendere conatus est, Concilium Pisis juridicè & legitimè indictum fuisse, respondens singulis adversariorum argumentis. Ita nimirùm nulla fuit umquam tam injusta causa, quæ non etiam egregios defensores nacta fuerit. Adversùs tamen hujusmodi segregum scripta, pij viri calamum exeruerunt. Intérque illos *Thomas de Vio* Caietanus Dominicanorum generalis Magister, duobus editis libris de comparatione auctoritatis Summi Papæ & Concilij, & supremâ dignitate Pontificis. Et Angelus anachorita Vallisumbrosæ, Apologetico pro Iulio Pontifice ad S. R. E. Cardinales contra Philippum Decium; majori tamen suî jactantiâ, & adversarij depressione, quàm solidâ justæ quam proponebat causæ defensione.

[o] *Ext. post. Act. Conc. Pis.*

CONFUTATUR AB ALIIS.

XXII.

Cæterùm cùm [p] oblatam Ludovico Regi per oratores Regum Aragoniæ & Angliæ cum Pontifice pacem, eâ conditione ut Bononia Pontifici restitueretur, non se posse aliter accipere Rex diceret, quàm ut illa civitas ita Iulio (quod facere dicebat) pareret quemadmodùm à longo tempore superioribus Pontificibus paruerat, nec ejus eo statu patrocinium, quod immiti Iulij ingenio coactus suscepisset, honestè deserere posse; insupérque duriorem solito se Rex ostenderet in deserendis factiosis Cardinalibus: tunc Pontifex omnibus pacis cogitationibus depositis, Fœdus cum Rege Aragoniæ & Venetis jam diù tractatum perficere statuit. Quod *Sanctum* vocatum, die quinto Octobris Romæ in templo sanctæ Mariæ de Populo grandi solemnitate promulgatum fuit: factum, ut prætendebatur, ad Ecclesiæ concordiam tuendam; ad eversionem Conciliabuli Pisani; ad Bononiam & reliqua oppida quocumque modo ad Pontificiam ditionem spectantia, (his verbis Ferrariâ comprehensâ) recuperanda; atque ad eos qui hæc quovis modo impedire niterentur (Regem Galliæ hæc indicabant) Italiâ pellendos. Additus posteà copiarum numerus, quem singuli fœderati proferre & alere deberent. Post quæ, statim elapso tempore Cardinalibus conciliabuli auctoribus ad resipiscendum præscripto, solemni ritu, ornatu Pontificio in aulâ palatij Apostolici quam regiam vocant sedens, Carvaialem, Brissonetum, Borgiam, & Priensem dictos sanctæ Crucis, Macloviensem, Consentinum & Baiocensem, Cardinalatûs honore decidisse, & omnibus pœnis, quibus hæretici & schismatici subjiciuntur, obnoxios declaravit: tantumdémque adversùs Sanseverinum & Alebretum, (nam & iste regio genere ortus, fratérque Regis Navarræ, ac nostrarum Appamiarum administrator, assensum Conciliabulo, etsi admodùm invitus, non valens regiæ jussioni non parere, præstiterat:) quibus hactenùs pepercerat, designavit. Intercessisse tamen huic decreto initio majorem partem Cardinalium, scribunt alij [q]: quosdam etiam, factiosos Cardinales excusâsse, qui nihil adversùs leges commisissent, conventus ut haberentur expetentes ad castigandos mores, sanciendam disciplinam veterem tam in membris quàm in capite: Neque defuisse sermones increpantium Pontificem, tum ob sacramenti suscepti religionem motam, tum eò conatu impedito posse jure clavium interdici, juxta decreta Basileæ promulgata. Sed hæc verba dumtaxat erant, Iulius rebus manum supremâ auctoritate admovebat. Qui eodem ardore ad armorum consilia progressus, Hispanorum adventum continenter urgere non cessavit: donec viribus in unum junctis, nec omninò nihil, nec valdè multùm hoc anno præstiterunt. Quo & Helvetij sedecim millibus ad suburbia penè Mediolani progressi, spontè ad sua nullo alio operæpretio, quàm quòd aliqua Gallorum impedimenta expilârunt, ut aliàs fecerant, mirantibus cunctis regressi sunt.

[p] *Guicciard. lib. 10.*

FOEDUS PONTIF. CUM HISPANIS ET VENETIS.

[q] *Marian. lib. 30. c. 4. in fi.*

XXIII. QUINAM INTERFUERINT CONCILIABULO PISANO.

Intereà verò Cardinales exauctorati, cùm ut diximus ad diem condictum Pisis non interfuissent, eò demùm tertio Calendas Novembris ingressi sunt, unà cum Alebreto, (mortuo interim Lucæ Cosentino: quam urbem, quòd eos recepisset, continuò Pontifex interdicto supposuit:) duobus Archiepiscopis, (Lugdunensi & Senonensi) & quatuordecim Episcopis Gallis, necnon Generali Cisterciensi, ac procuratore Cluniacensi, & Abbatibus sancti Dionysij & sancti Medardi nonnullísque aliis Abbatibus, Doctoribus, & procuratoribus Vniversitatum Parisiensis, Tolosanæ, & Pictaviensis, aliáque ejusmodi è Galliâ turbâ, quorum singulorum nomina recensentur in Actis: nec ulli alij alterius cujusvis nationis interfuisse perhibentur, præter quosdam è principatu Mediolanensi, qui tunc Ludovico Regi suberat. Omnibus autem quæ in Synodis Generalibus observari consueverunt, etiam ab ipsis observatis ad exemplum Constantiensis, *Prima Sessione*, quæ habita est in Ecclesiâ cathedrali Nonis Novembris, eíque interfuit Odetus de Fuxo Lautrecius, post preces & sermonem, irrita declarata sunt quæcumque Iulius Pontifex adversùs Cardinales & Synodum statuisset: atque electus est præses Synodi Cardinalis Carvaialis, Custos Concilij prædictus Odetus, aliíque subinde Officiales ex quatuor nationibus, Italicâ, Germanicâ, Gallicâ, Hispanicâ; atque Advocati Concilij Philippus Decius & Hieronymus Buticella Papienses Legum Doctores. *Secunda* habitâ biduo pòst, nempè septimo Idus, lecta sunt quædam decreta de modo sedendi, loquendi, conversandi, &c. ac rursùm creati quidam alij ministri seu officiales Concilij; & ordinatum sigillum in figurâ emissionis S. Spiritûs in specie columbæ, cum inscriptione *Sacrosancta Generalis Synodus Pisana.*

PRIMA ejus SESSIO.

II. SESSIO.

XXIV.

Commotis verò Florentinis atque Pisanis, quòd non parvus Gallorum equitatus, quasi ad custodiam Patrum adductus fuisset, & alioqui Concilij causa nec grata Pisanis esset, nec alicujus pretij; ac propterea invisi adeò ibi esse cœpissent tam Ecclesiastici quàm sæculares, ut etiam clausis majoris templi foribus aditu prohiberentur: superveniente denique gravi rixâ inter milites Gallos & plebem,

quâ nonnulli occisi, multi vulnerati sunt: tanto terrore Conciliares repleti sunt, ut habitâ pridie Idus tumultuarie *Sessione Tertiâ* Synodum *Mediolanum* transferre decreverint, absque ullâ ejus dissolutione: ingenti Florentinorum & Pisanorum lætitiâ: nec minori Gallorum Antistitum gaudio, qui se in locum incommodum ob diuturna Pisanorum bella delatos ægrè ferebant, ac multò magis, quia cùm regio imperio inviti venissent, loci mutatione sperabant conventum aut difficiliorem redditum iri, aut dissolutum. Ac priusquàm abirent eodem Sessionis die ex Congregatione extra Sessionem habitâ epistolam [r] scripserunt ad Maximilianum Cæs. in Iulium Pontificem invectivam de iis quæ in ipsos & Synodum perpetrâsset; quâ Cæsarem adversùs illum commovere sategerunt: missâ simul Synodi Apologiâ, quam ab ipsis Burgi confectam diximus. Ac nihilominùs destinâsse quoque oratores Romam ad Pontificem, dicetur in eorum quartâ Sessione Mediolani habitâ.

III. Sessio. Confugiunt Mediolanum.

[r] Ext. post Act. Pis.

XXV. Mediolani sūt execrationi.

Mediolanum autem septimo Idus Decembris festo die sancti Ambrosij illius urbis patroni, solemni pompâ Cruce Synodali præcedente, & cunctis sacris & profanis ordinibus obviantibus, ingressi; Sessionem Quartam, quæ indicta fuerat in Idus ejusdem mensis, propter Helvetiorum incursum, & civitatis turbationem, ad diem quartam mensis Ianuarij anni proximi remiserunt. Ita namque habent Acta: cùm nihilominùs scribat Guicciardinus, sacerdotes Mediolanenses ad eorum adventum, tanquam hominem execratorum, statim per se à sacris celebrandis abstinuisse; & cùm in publicum Conciliares prodirent, populum palam diras eis imprecari solitum, ac præsertim Carvaiali S. Crucis, qui execrandi facinoris auctor habebatur, quíque, quòd Pisis factus esset Concilij Præses, magis erat hominibus invisus: donec Gasto Fuxensis Nemorsius Dux, sororis Regis filius, quem Rex nuper ditioni Mediolanensi & copiis Gallicis præfecerat, hujusmodi seditiones compescens, sacerdotes sacra obire, & populum modestiùs agere gravissimis edictis compulit.

XXVI. Conventus Augustæ celebratur a' Cæs.

Quod verò magis Cardinales turbabat, (ut idem Guicciardinus ait) erat quòd Maximilianus procrastinando nec Antistites nec procuratores mitteret. Qui quidem, tanquam ex ipsius dignitate non esset propriorum regnorum Antistites mittere, nisi totius quoque Germanicæ gentis nomine idem fieret, Germaniæ Antistites Augustæ Vindelicorum ut eâ de re cum iis tractaret, convocaverat. Cujus conventûs cùm meminit Surius [s]; quid in eo decretum fuerit omninò reticens, id tantùm præcipuâ memoriâ dignum existimavit, quod tame nullo periculo aut damno ignorari poterat, quòd ibi oblatus Cæsari fuerit vir quidam ex partibus borealibus prodigiosæ vastitatis & crassitudinis, atque incredibilis ingluviei, ita ut integrum vitulum crudum, vel ovem incoctam unâ vice devoraret, & tamen necdum famem expletam diceret. De re autem Conciliari in conventu Augustano ab Antistitibus decretum fuisse Guicciardinus ait; Pisanum Concilium seditiosum ac detestandum esse: hoc tamen addito moderamine, si pro eo validiora adducerentur argumenta, sententiam mutare se paratos esse. Coccinius verò ait, Maximilianum statuisse Episcopum Brixiensem ad Concilium Pisanum mittere: sed eum certis ex causis quas proposuit ejusmodi onere sublevatum esse: Maximilianum verò destinâsse cum pleno mandato, Felicem Comitem de Werdenberg, Hieronymum Comitem de Tirol Veronensem, & Doctorem Faëllam Vincentinum, qui Tridenti subsistentes, nondum quando Coccinius ea scribebat pervenerant Mediolanum, quò jam Conciliares Pisani accesserant.

[s] Sur. in commentar. hoc an.

XXVII. Prodigium ingens in Lombardia.

[t] Angler. ep. 464.

Quo tempore scribit Anglerius [t] Mediolanensis in suis Epistolis, spectatum esse apud Cremam in Lombardiâ pridie Nonas Septembris circiter meridiem grande prodigium: nempè immensum in aëre Pavonem, qui visus est in pyramidem converti, adeóque celeri ab occidente in orientem raptari cursu, ut in horæ momento magnam hemisphærij partem pervolâsse creditus sit: Ex nubium illicò densitate tenebras surrexisse, quales viventium nullus etiam obscurissimâ nocte umquam se vidisse fateretur: Per eam noctis faciem, cum formidolosis fulguribus inaudita tonitrua regionem circumsepsisse: Atque ex horrendo illo fragore saxa decidisse in Cremensem planitiem immensæ magnitudinis, peremptos in flumine pisces, interfectas in aëre volucres, trucidatas in agris pecudes innumeras: Decem fuisse reperta centilibraria, quæ suo impetu & pondere terram elevârint concussam ad quindecim hominum staturas: E grandioribus unum allatum esse Mediolanum librarum Mediolanensium, quæ viginti & octo constabant unciis, centum decem: Ex frustis disruptorum missum ad se esse unum in Hispaniam, ubi apud Ferdinandum Regem agebat, pugno paulò grandius: ex quo intellectum est, pondus ejusmodi saxorum extitisse auro non levius, colorem semiglaucum, odorem sulphureum, margaritam æmulari metalliariam: Mira super hisce prodigiis conscripta fanatice, physice, theologice, missa quoque ad ipsum fuisse ab Italiâ.

XXVIII.

Cæterùm quo tempore Pontifex & Cardinales ac Reges & Principes sic in Italiâ decertabant ingenti præjudicio Reipublicæ Christianæ, solus Emmanuel Rex Lusitaniæ his curis vacuus, verè pius & felix, propagandæ fidei & regno ditando animum applicans; hoc anno ministerio Alfonsi Albuquercij Proregis Indiarum, Malacam adeptus est, urbem sitam in Aureâ Chersoneso, ut Barrosius [u] describit) emporium cum primis totius Indiæ nobile, ubi & incolere & mercari consueverant ex omnibus nationibus innumeri mortales. In quâ cùm jam triennio antè Diegus Lupus Siqueira Lusitanus, fœdere facto cum ejus Rege, ejusdem insidiis vitæ periculum incurrisset, multis è suis occisis, aut in vincula conjectis; hanc injuriam ut ulcisceretur Albuquercius, navigationem è Goâ eò suscepit. Quâ primò appellens in insulam Somatram, ex-adversum Malacæ æquatori subjectam latam admodum & in multa regna diductam, atque à Gentilibus & Mahometanis per partes cultam: procedens inde Ma-

Albuquercius Malacam occupat.

[u] Barros. Asi. dec. 2. lib. 6.

lacam versus, obviam navem habuit: quâ ferebatur Maurus quidam Lusitano nomini maximè infensus, quique Regi Malacitano præcipuus auctor Lusitanos intercipiendi fuerat: qui magno animo pugnans in naviculam unam Lusitanorum transgressus, cunctis qui in eâ erant manu ipsius vulneratis, ipse quoque demùm multis plagis acceptis corruens, nihilominùs nec mori poterat, nec stillam unam sanguinis emittebat. Donec spoliato corpore, detractâque è Brachio armillâ aureâ quam gerebat, in quâ erat os quoddam, sive lapis, uno impetu sanguinis rivis per omnes partes latissimè effluentibus, expiravit. Cujusmodi ossa sive lapides dixeris, ex quibusdam animantibus eruit, facultatem sistendi sic sanguinis habentes, Lusitani à captivis intellexêre. Paulò pòst in aliam quamdam ingentem navem invectus Albuquercius, cùm post longam pugnam in eam transgressurus erat, ingenti repente flammâ ab hostibus in eâ excitatâ, abscedere coactus est: more iis populis usitato ejusmodi inanes flammas ad terrorem incutiendum excitare, cujusdam vi olei, ex aliquo fonte in regno Pedir Somatræ emergentis. In pugnâ verò Malacensi experti item sunt teterrimum virus certi veneni, ex spinâ cujusdam piscis confecti, quo sagittas suas Mauri inficere consueverant, vulneratos in rabiem & propriæ carnis laniationem redigentis: quod cunctis remediis & antidotis nostris insanabile, facili negotio curabatur, morsu folij cujusdam herbæ ibi nascentis. Ita provida mater Natura remedia quibusque malis suppeditat iisdem locis quibus mala gignuntur, si illa dignosci à singulis valerent. Quomodò verò Albuquercius Malacam gravi bello, variisque certaminibus, incolis sese egregiè defendentibus, ceperit tandem, Regem fugarit, arcem ad urbis conservationem construxerit, res quàm optimè potuit disposuerit; indéque Goam repetens naufragium, omniúmque spoliorum submersionem, vix salvus ipse evadens, passus sit; omnia accuratissimè Barrosius [x] prosecutus est: ex quo plerique cæteri [y] quæ de iis habent excerpsêre.

SINGULARIA QUÆDAM REMEDIA ET VENENA.

[x] Id. lib. 4. & 6.

[y] Osor. lib. 7. Maffe. lib. 5. Marian. lib. 30. cap 4.

XXIX. [z] An. 1509. XIV. DISSIDIÛ DE SUCCESSIONE IMPERII TURCICI.

Quod res Turcicas attinet; cùm post horrendum illum terræmotum Constatinopolitanum de quo superiùs [z], & subsequentem sævissimam pestilentiam, considerans Bajazetes Turcorum Imperator, se jam ob gravem senectam, & continuos podagræ cruciatus, ad tanti Imperij militiæque munia invalidum esse, de successore sibi substituendo agere cœpisset: Achmetem trium superstitum filiorum (tres enim alios jam amiserat) natu maximum, cæteris, nempè Corchuti & Selimo, præferre jure naturæ propensione paternâ deliberavit. Quo audito à Selimo minimo, qui quòd fratribus suis vigilantior ad bella gerenda videretur, cùm Achmetes voluptatibus deditus & obesus esset, & in Ianizzaros austerum se præbuisset, Corchutes philosophicis Turcorum studiis animum magis applicaret quàm armis; Ianizzaris acceptior erat; cùm alioqui Corchutis causa potior videretur, eò quòd jam olim etiam ante patrem in solio collocatus [a] fuisset) ad patrem Hadrianopolim è Trapezunte, ubi agere consueverat, visitationis ac venerationis specie iter instituens, cùm omninò prohiberetur à patre ne accederet, pergens nihilominùs cum Tartarorum Præcopensium auxiliaribus copiis, quorum Regis filiam uxorem habebat, sceleratus patrem, præ ejus metu, & ne regiam urbem occupatum iret, Constantinopolim celeriter sese recipientem, in itinere assecutus, prælium cum eo committere non dubitavit: quo tamen pater curru quo vehebatur, cùm nec pedibus nec equo uti posset, velo obducto divinum auxilium contra perfidiam filij implorans, virtute suorum victor extitit, Selimo fugâ elapso. De cujus occupatione regni dicetur anno consequenti. Quæ autem modò diximus, fusè narrantur in Annalibus [b] Turcorum; & oratoriè à Iovio [c] in suâ Historiâ: præter Spanduginum, Zygomalam, & alios, qui eadem breviùs tractant.

[a] Supr. ann. 1481. III.

[b] Ap. Leunclav. lib. 16.

[c] Iov. lib. 13.

XXX. FINIS CHRONICI TRITHEMII.

In hunc usque annum perduxit Trithemius Chronicon suum Sponheimense: de cujus scriptis satis dictum superiùs; longéque plura videre est apud Gesnerum [d] & Vossium [e]. Produxit enim vitam [f] usque ad annum Domini 1516. qui fuit ejus ætatis quinquagesimus-quintus, semper aliquid scribens.

[d] Gesn. in Bibl.

[e] Voss. de Hist. Lat.

[f] Vid. sup. ann. 1499. I X. X.

XXXI. XERIFORUM IMPERII INITIUM.

Hoc circiter tempore ortum habuit in Africâ potentissimum imperium *Xeriforum*, auctore quodam *Zidamete*, ut Iovius [ff] vocat, quem alij *Mahometen Ben-Hamet*: qui genus se ducere ex pseudoprophetâ Mahomete profitens; fictâque seorsùm in quâdam solitudine vitæ sanctitate magnum sibi nomen apud Numidas Africanos concilians; ex sacerdote, sive monacho Mahometano, astrologo & mago, operâ duorum filiorum suorum non minùs artibus & disciplinis paternis quàm armorum peritiâ illustrium, & peregrinatione ad sancta Mahometanorum loca venerabilium; specie bellum Lusitanis, aliisque in Africâ existentibus Christianis, Maurisque cum eis fœdere junctis inferendi, non exiguum imperium, dedentibus se ultrò populis, adeptus est: à nomine tamen regio abstinens, sed *Xeriphum* se, hoc est, virum sacratum, (putà ex sanguine Mahometis) indigitans: quam denominationem filij etiam ejus successores retinuerunt; auctâ eò usque potentiâ suâ, ut trium maximorum Africæ regnorum, Marrochini, Fessani, Tremisseni, multorúmque aliorum minorum, quà vi, quà fraude, domini facti sint: digladiati & ipsi postmodùm inter se, cum pluribus crudelitatis & perfidiæ exemplis. Meminit horum Ioannes-Leo [g] Africanus in suâ Africæ descriptione; ita tamen ut non apertè doceat, utrùm Xeriphus ille, & Eremita, de quibus discretim agit, & quibuscum versatum se esse ait, unus idémque fuerit: quod nonnullos opinatos esse, alios in dubium revocâsse, reperimus: cùm tamen nullus dubitet de summâ Xeriphorum ex sacerdotij & pædagogiæ initiis, religionis specie ortâ auctâque potentiâ. De quibus rursùm aliàs [h].

[ff] Iov. Elog. lib. 7.

[g] Leo lib. 2. cap. 32. lib. 4. cap. 26.

[h] Infr. an. 1550. &c.

IESU CHRISTI Annus 1512.
IULII II. An. 9.
MAXIMILIANI An. 19.

I. ANNO Christi millesimo quingentesimo duodecimo, Indictione decimaquintâ, Pontificiis Hispanicísque copiis, mille octingentis gravis, mille sexcentis levis armaturæ equitibus, peditum sexdecim millibus pari Italorum & Hispanorum numero constantibus, militum robore, ac plurimorum præstantissimorum ducum fortitudine potentibus; in unum júnctis, Legato Pontificio Ioanne Cardinale Mediceo, totius exercitûs imperatore Raimundo Cardonio Prorege Neapolitano: visum est ad Bononiam castra ponere; non quòd rem ob Gallorum in auxiliis submittendis facultatem, admodùm difficilem non cognoscerent, sed quia nihil tunc potiùs occurrebat; & Iulij Pontificis talis erat ardor, ut quicumque difficultates aliquas expendendas proposuisset, is Hispanicis astutiis fraudibúsque attribuisset. Admotis igitur castris ad medium Ianuarij, post multas variásque de urbis oppugnatione sententias, præ metu Gallorum sæpè mutatas, sæpè rejectas, sæpè resumptas, cùm demùm mœnia tormentis quatere decretum esset; eorúmque parte aliquâ dejectâ, ad irruendum in urbem nihil aliud expectaretur, quàm ut cuniculi, quos aliâ parte versùs Castellionem portam, ubi intra murum exiguum erat sacellum, Baracanum appellatum, Petrus Navarrus, ejusmodi cuniculorum aut primus auctor, aut præcipuus eo tempore usurpator, ad suffodiendum murum agebat, perficerentur, sícque duobus locis instituta oppugnatio obsessos graviùs urgeret: illud valdè mirum tunc accidit, ut cùm perfectis cuniculis, parato in armis exercitu ad irrumpendum mox ut ignem Navarrus tormentario pulveri admovisset; ejus vi & muro & sacello ingenti veluti tonitru adeò in sublime elatis, ut per illud spatium quod inter solum murúmque sublatum relinquebatur, ab iis qui foris erant, interior civitas, milítésque ad propugnandum parati apertè conspicerentur; illicò subsidens integer murus, in eumdem ipsum locum, unde ignis & pulveris impetu divulsus fuerat, atque in eadem penitùs fundamenta reciderit, ita coagmentatus iterùm, ac si numquam motus fuisset. Quod Bononienses divino miraculo tribuentes, sacellum id pòst magnificentiùs extruxerunt, & longè majori veneratione frequentare cœperunt. Rem autem hanc mirabilem, præter Guicciardinum, refert etiam Sigonius [a], ceteríque scriptores Bononienses uno calamo. Exitum verò hunc obsidio tandem habuit; ut cùm Gasto Fuxius Dux Nemorsius, Regis sorore natus, copiarum Gallicarum imperator, cum mille trecentis cataphractis, sex Germanorum & octo Gallorum simul & Italorum peditum millibus, altis nivibus ventísque vehementibus, minimè advertentibus hostibus, urbem ingressus fuisset; confestim ubi id acceperunt obsidentes, magnâ admiratione obstupefacti noctu tormentis tacitè subductis, decimo-nono obsidionis die, pudore pleni quòd tot veterani duces ab adolescente adhuc imberbi, qui vix secundum ac vigesimum ætatis annum expleverat, delusi fuissent; sese in tutum, non magnoperè ab obsessis lacessiti receperunt. Rem diffusè narrat Guicciardinus [b]; sicuti & alia quæ porrò sequuntur.

Bononia obsidetur à Pontificiis.

Mirum de muro pulvere tormentario excusso.

Liberatur à Fuxio.

[a] *Sigon. de Episc. Bonon. lib. 5. in Achil. Grass.*

[b] *Guicciard. lib. 10.*

II. Inde confestim digressus etiam Fuxius, ut Brixiæ arci opem ferret, quæ à Venetis, qui pridie quàm ipse Bononiam ingrederetur, urbem à civibus evocati acceperant, periclitabantur; incredibili diligentiâ eamdem in suam potestatem gravissimâ pugnâ redegit, atque in pœnam rebellionis diripiendam militibus concessit; urbem nobilitate & dignitate nulli Longobardiæ urbium inferiorem, opibus autem, Mediolano excepto, cæteris omnibus anteponendam. Adeò ut Fuxij nomen, quod virtute ac celeritate suâ, quindecim dierum spatio Pontificium, Hispanicúmque exercitum à Bononiæ mœnibus discedere coëgisset, in itinere Brixiano Ioannem Paulum Ballionem cum parte Venetarum copiarum acie fudisset, Brixiam tantâ strage recepisset; (erant in civitate Veneti quingenti gravis, octingenti levis armaturæ equites, peditum octo millia; præter ingentem civium numerum, qui magno animo unà cum iis restiterunt Gallis: ex quibus octo millia cæsa, reliqui penè omnes cum suis ducibus capti fuêre: cùm Fuxius nonnisi quadringentos cataphractos, & sex millia peditum tam Vasconum quàm Germanorum, ex toto exercitu delectorum secum duxisset,) summâ cum laude per totam Europam celebratum fuerit: adeò ut communi omnium judicio Italiam à multis sæculis in rebus bellicis tale aliquid non vidisse confirmaretur.

Mira Fuxii diligentia et fortitudo.

III. Cujus prosperitatis terrore rursùm Pontifex, cæteríque omnes Principes vehementer perculsi de communibus in Gallos armis potentiùs stringendis agere cœperunt. Intérque cæteros Rex Angliæ Henricus ejus nominis VIII. qui posteà Ecclesiam inaudito priùs schismate fœdavit, cùm primò omninò negâsset, pòst dubiis dissimulasset, postremò apertis verbis factísque hostem se Ludovici Francorum Regis declaravit. Festivúmque est quod refert Guicciardinus, appulisse hoc tempore in Angliam Pontificiam longam navem Falerno vino, caseis, suminibúsque onustam; quæ nomine Pontificis Regi ac Principibus, Antistitibúsque donata, ab omnibus miro applausu accepta sunt: & plebem, quam plerumque non minùs levia quàm gravia movent, ad eam navem videndam summâ cum voluptate accurrisse, gloriantem anteà numquam in eâ insulâ navim ullam cum Pontificiis vexillis conspectam. Quibus bellam gentem nobis depingit Guicciardinus, & vini acutíque gustûs appetentem, quibus sciret Pontifex eam facilè in partes suas trahi posse Sicuti olim Narses fecisse dicitur [c], ut Longobardos in Italiam alliceret; omnis generis poma, aliarúmque deliciarum irritamenta, quorum Italia ferax esset, mittens, ut pauperrima sua rura de-

Quibus illiciis Pontifex sibi Anglos benevolos reddiderit.

[c] *Paul. Diacon. de Gest. Longob. lib. 1. cap. 5.*

ferentes ad occupandam regionem cunctis refertam divitiis venirent. Eam verò rem adeò insignem, & Regi, principibúsque, & antistitibus, ac populo maximè acceptam gratámque, cùm Polydorus Virgilius suæ Historiæ Anglicanæ non inseruerit; existimamus, eum ut Italum & in Angliâ commorantem, utriusque nationis gravitati parcere voluisse. Cæterùm Henricus Rex Pontificiis oratoribus petentibus, Antistites regni ad Lateranense Concilium mittendos esse constituit: Galliæque Regis oratorem abire à se jussit, haud decere asserens, apud Regem, & in regno Ecclesiæ Romanæ addicto, (erat enim æquè ac Neapolitanum sub Romanæ Ecclesiæ clientelâ, ut absque crimine non posset auxilia & defensionem ei denegare:) conspici legatum ejus, qui sacrosanctam sedem persequeretur. Quid verò ab eo præstitum deinceps fuerit, dicetur posteà.

IV. LUDOVIC. REX DESERITUR AB OMNIBUS.

Interim verò Ludovicus tot in se Principum ac Rerumpublicarum conjuratione perculsus, eò magis attonitus remansit, quò & Maximilianum Cæsarem, & Florentinos, qui hactenùs ut rebus suis consulerent, ejus amicitiam colere præsetulerant, à se palàm abalienatos perspexit; à Maximiliano immanibus postulationibus delusus, & Florentinis in partes Ferdinandi Regis inclinantibus. Quam Florentinorum propensionem Pontifex ut augeret, nemine publico nomine id postulante, diris eos absolvit, per internuncium suspicionem de se conceptam mitigare conatus. Qui & insuper denuò multos Gallos Antistites, qui Conciliabulo Pisano interfuissent, suis dignitatibus privaverat, & Philippum Decium, præstantissimum illius ætatis Iurisconsultum, quia pro causæ illius defensione, ut vidimus, scripserat ac disseruerat, & Cardinales factiosos, ut quæ jure essent agenda dirigeret, sequebatur, piorum cœtu exterminaverat. Quare cùm Ludovicus Rex non ampliùs locum reperiret in Italiâ, ubi firmum pedem figeret; discrimini rem exponere deliberans, Fuxium quàm maximâ posset celeritate in hostes exercitum ducere jussit: statuens partâ victoriâ, quàm sibi spondebat, Romam & Pontificem invadere: atque ad vitandam invidiam, & ne sacras possessiones sibi vindicare videretur, bellum Concilij sui nomine persequi, cujus Legatus in exercitu adesset. Quando & cudisse dicitur [d] monetam auream, alterâ parte sic inscriptam, LUDOVICUS XII. D.G. REX FRANC. DUX MEDIOLAN. alterâ PERDAM BABYLONEM. Quamvis de hoc nos dubitare compellat, quòd nullam ejusmodi numismatis memoriam repererimus in accuratissimâ collectione omnium numismatum aureorum, argenteorum, & æreorum Regum ac Reginarum Franciæ, factâ per Iacobum de Bie chalcographum, editâque anno 1636. Quod tamen si verè factum à Ludovico Rege fuerit; nimirùm didicerat etiam ipse phantasmata sibi fingere, & vigilans somniare. Cujus profana consilia, hactenùs utcumque tolerata, repentè Deus in caput ipsius refudit; cùm caput Ecclesiæ conterere cogitavit: concedens quidem ei victoriam quam avebat, sed Cadmæam, quâ victor ipse à victis confestim Italiâ pulsus est. Sanè negari non potest fuisse Pontificem magis Iulium quàm Petrum, (ut cætera vitia ei à factiosis imposita non attingamus) nec adeò æquo aut grato in Ludovicum & Gallos fuisse animo, eâque propter numquam sincerâ ita mente pacem & concordiam cum Rege quæsîsse, quin semper aliquid dubietatis relinqueretur, quo rixæ renovari possent, donec non solùm propriâ hæreditate Mediolanensi, verùm etiam totâ Italiâ eliminâsset: (hunc enim scopum ejus fuisse, & ipsemet apertè profitebatur, & quicumque laudes ejus conquisierunt, præcipuam hanc ei tribuunt:) attamen Pontifex erat Christianorum, Vicarius Christi, successor Petri; vel saltem Vmbra illius, quæ non adeò levis erat ponderis, ut non vim haberet [e] sanandi omnes ægrotos & languidos.

[d] Pithœ. de magnit. Reg. Franc.

NUMISMA REGIUM.

[e] Act. 5.

V.

Vt res gestas contraham, Fuxius adversùs hostes, Regis avunculi accepto mandato, ducere deliberans; copiis collectis in Æmiliam progressus, cùm sæpiùs hostes ad pugnam elicere tentâsset, refugientibus iis Ferdinandi Regis Aragoniæ mandato pugnam, spe fore ut quamprimùm Rex Angliæ Galliam invasisset, quod in procinctu erat, Rex Ludovicus vel omnes, vel maximam copiarum partem revocare cogeretur, sícque in Italiâ belli victoria sine sanguine & periculo compararetur: consilium Fuxius cepit Ravennam oppugnandi. Ad cujus auxilium accedente demùm fœderatorum exercitu, facta est celeberrima illa pugna Ravennas, ipso die Paschatis undecimâ Aprilis: quâ Guicciardinus numerat (sunt qui plus minúsve, ad minuendam victoriæ gloriam, vel augendum cladis dedecus, habent:) ex parte Gallorum mille septingentos cataphractos, ter mille levis armaturæ equites, peditum Germanorum quinque, totidem Italorum, Gallorum diversarum nationum octo millia. Ex parte verò fœderatorum mille octingentos cataphractos, levis armaturæ bis mille, peditum Hispanorum septem, totidémque Italorum milla. Gallorum exercitûs supremus imperator Fuxius erat, Ludovici Regis sororis filius, natus tunc annos tantummodò viginti duos: aderántque præter cæteros duces Alfonsus Dux Ferrariensis, & Cardinalis Sanseverinus à Conciliabulo Legatus missus; qui magis ad arma profana quàm ad res sacras natus, ingenti corpore vastóque animo, à capite ad pedes splendidissimis armis tectus, in medio agmine multò magis ducis quàm Cardinalis aut Legati munus obibat. Fœderatorum exercitui Cardonius Hispanus Prorex Neapolitanus præerat, multis præclaris ducibus tam Italis quàm Hispanis comitatus, ac præcipuè Petro Navarro multis bellis exercitatissimo, & omnis generis instrumentorum bellicorum præcipuo artifice; qui etiam hoc prælio triginta currus veteri modo falcatos, & minoribus tormentis onustos, in hostes perduxit. Aderat & Legatus Pontific. Ioannes Cardinalis Mediceus medio agmine constitutus unà cum Prorege, naturâ magnâ ex parte oculorum lumine captus, moribus mansuetus, pacis ornatu, specie réque ipsâ à Sanseverino valdè dissimilis.

FUXIUS RAVENNAM OBSIDET.

Cæterùm agminum ordinem, pugnæ initium, progressum, ac fervorem, & reliqua ad

VI. PUGNA

RAVENNAS.

[f] Rub.lib.8.

ferocissimum longùmque certamen pertinentia diligenter Guicciardinus, necnon in Historiâ Ravennate Rubeus [f] descripsit, quod etiam Marcellus Palonius patricius Romanus, qui prælio interfuit, duobus libris carmine heroïco egregiè cecinit. Cujus exitus hic demùm fuit, ut Prorege, & Carvaiale æquè Hispano postremi agminis ductore, necnon Antonio Leivâ, qui posteà in summum ducem evectus est suorum militum virtutis extremo periculo minimè facto, in fugam se conjicientibus, & Fabritio Columnâ primi agminis ductore Petro Navarro, Ferdinando Davalo Marchione Piscariæ equitum levis armaturæ duce, eximiæ spei adolescente, aliisque pluribus captis, cæterisque omnibus aut cæsis aut fugatis; cùm Hispani pedites, qui supererant supra quatuor millia, soli relicti, magnâ virtute imperturbatis ordinibus, recedentes potiùs quàm acie pulsi, æquis passibus abirent; Fuxius immoderatæ virtutis adolescens, dum victoriam nisi iis quemadmodùm & reliquis fusis, imperfectam esse existimaret; nequicquàm dissuadente Palissio cum solâ equitum alâ temerario furore eos adortus, ab iisdem paucitate contemptâ laxatis ordinibus extemplò circumclusus, equóque dejectus, sex equi lapsu dum pugnaret oppressus, hastâ in latus adactâ interfectus sit. Cui mortem, tam gloriosâ partâ victoriâ, fortunatissimam extitisse plerique existimant, quod ad summum felicitatis gradum pervenisset, jam apud omnes mortales famam adeptus immortalem; quòd vix trium mensium expleto curriculo, priùs imperator penè quam miles, incredibili celeritate ac ferocitate tot victorias esset consecutus. Fortunatior tamen haud dubium censendus, si tantâ victoriâ prudenter usus, reliqua perfecisset quæ animo conceperat, debito imprimis Pontifici & Ecclesiæ obsequio præstito. Ejus obitu Hispani milites sine molestiâ abire sunt permissi. Reliquus exercitus jam dissipatus fugatúsque, impedimenta, signa, & tormenta capta; ac præter jam dictos, captus quoque Pontificius Legatus multique alij principes, nobilium primores, & clari nominis Hispani ac Neapolitani. Numerum cæsorum fuisse minimùm decem millium, tertiámque eorum partem Gallorum, reliquam hostium tradunt; aliis multò plures cecidisse asserentibus habita fortè ratione illorum qui in fugâ à rusticis cæsi sunt, quorum magnum fuisse numerum Guicciardinus ait: vel & calonum, quorum & Rubeus rationem haberi voluit. Verùm in hâc parte citra controversiam longè major fuit victoris jactura, propter Fuxij, Alegrij, multorúmque ex Gallicâ nobilitate virorum interitum. Quo evidenter misertus est Deus & Pontificis & Romæ, ac reliquæ Italiæ; extinctâ unà cum Fuxio victoris exercitûs ferocitate: cujus ductu non dubitabatur quin eodem furoris impetu promissum ipsi à Rege avunculo regnum Neapolitanum caperet, & consuetâ celeritate Romam petens, sicut decretum fuerat, Pontificem cum cæteris nullâ aliâ spe salutis relictâ in præcipitem fugam daret: eò maximè quòd & ipse Dux Vrbini filius fratris Pontificis contra ipsum cum Gallis conspirâsset.

FUXIUS NECATUR.

VII.

RAVENNA DIRIPITUR.

Post victoriam Ravennates statim ad deditionem faciendam miserunt; sed dum paciscerentur, mœnium custodiendorum diligentiâ intermissâ, Germani & Vascones per muri ruinam urbem ingressi, cladis in pugnâ acceptæ indignatione, eam crudelissimè vastârunt. Quod an præsignaverit, ut multi interpretati sunt, monstrum [g], quod ibidem Ravennæ hujus anni principio de muliere conjugatâ natum dicitur; videlicèt infans cornu in summo capite habens, duabus alis præditum, absque brachiis, unico tantùm ad aquiliæ speciem pede, oculo in genu, ambiguo inter marem & feminam sexu, Ypsilon Græcum in medio pectore, & Crucis figuram præferens; an alia mysteria quæ Rubeus explicat; ejusmodi secretorum conjectoribus excutiendum relinquimus. Præter autem Ravennam, aliæ quoque multæ urbes deditionem facientes, à Legato Sanseverino Concilij Pisani nomine acceptæ fuêre. Fuxij corpus [h] non tam funebri quàm triumphali pompâ Mediolanum elatum feretri lecticam præcedentibus in prælio captis unà cum captivis viris illustribus; ac Legato Pontificio; & ad lecticam apposito gladio, cum vaginâ pretiosis lapillis ornato, quem paulò antè Iulius ad fugandos ex Italiâ Gallos Proregi Neapolitano tradiderat; sepulturæ datum est in maximo templo sexto Calendas Maias. Vnde illum paulò pòst Matthæus Cardinalis Sedunensis Mediolano recuperato, ut irato Pontifici (inquit Iovius [i]) obtemperare videretur, ab excelsâ testudine templi detrahi jussit, quòd ossa infensissimi & sacris interdicti hostis, indigna eo superbæ pompæ spectaculo judicaret, quando ad exornandum impiæ victoriæ trophæum sacrosancti Pontificis vexilla ad ignominiam tholo suspensa spectarentur. Ipsum autem Rex avunculus adeò luxit, ut etiam exclamâsse dicatur, percupere se universæ Italiæ jacturâ vitam ejus posse redimere; & ut similes victoriæ inimicis suis contingerent, quibus qui victi sunt, superantur quidem, sed victorum ruinâ. Nuncio porrò tantæ cladis Romam delato, mirè non solùm Cardinales, sed & ipsum Pontificem commovit; adeò ut de fugâ mari suscipiendâ cogitaret; navigio Ostiæ præparato, veritus ne mox victor exercitus Romam properaret. Quare à Cardinalibus vehementer sollicitatus, ad pacem cum Rege ineundam proclivem se verbis ostendit, eo tamen animo, ut illam nisi velut extremum remedium acciperet. Postquàm verò audivit desolatum victoris exercitûs statum, Italos milites, partémque Gallorum dimissam, cæterarúmque copiarum divisionem, quæ inter Palissium & Sanseverinum jam exercitûs ductores, nec ita inter se concordes facta est; Palissio ob rumorem Helvetiorum, qui ad signa coïre nunciabantur, Mediolanum se recipiente: Pontifex in consilio suo de bello renovando, eoque magis quòd plures Itali, qui à Rege steterant, ad eum transirent, confirmatus; interim CONCILIO LATERANENSI, à se anno superiori indicto, initium dare constituit. Cujus extant in Tomis Conciliorum Acta collecta jussu Leonis X. ab Antonio

[g] Rub. ibid. Append. ad Monstrel. fol. 111. Paralip. Vsperg. Para. lib. 24. cap. 1. Describitur paulò aliter ab Angler. ep. 481.

MONSTRŨ IBI VISUM.

[h] Append. ad Monstrel.

FUXII FUNUS.

[i] Iov. Elog. lib. 4.

PONTIFICIS IN HIS ANIMUS.

Cardinale de Monte, cujus suasu illud à Iulio indictum vidimus.

VIII. INITIUM CONCIL. LATER. SUB IULIO II.

Quinto igitur Nonas Maij, die Lunæ, festo Inventionis sanctæ Crucis, solemni ritu in basilicâ Lateranensi, Pontificio ornatu, Cardinalium collegio, & magnâ Episcoporum multitudine comitante, illud auspicatus est. Peractísque de more supplicationibus, & sacro in sancti Spiritûs invocationem celebrato, Ægidius Viterbiensis Fratrum Augustinianorum Generalis Præfectus, magni tunc nominis orator & concionator, jussu Pontificis orationem [k] habuit; mirum in modum à Iacobo Sadoleto [l] qui audivit, dum eam ad Petrum Bembum mitteret laudatum. Quâ præfatus, ex sancti Ioannis Apocalypsi vaticinatum se ante annos viginti fuisse hæc tempora per universam Italiam, (ita namque fecunda est hæc Apocalypsis, ut quicquid sibi quisque quocumque tempore fingit, in eâ manifestissimum, quamvis sit cæteris occultissimum, esse non dubitet) lætari se dixit quòd sua vaticinia inania non extitissent, rebus ab extremo discrimine in meliorem spem deductis. Deinde de præstantiâ & necessitate Conciliorum locutus, Patres toto corde & purâ mente publicum Ecclesiæ bonum, & Christianæ religionis dignitatem tueri ac promovere, & ad perditissimorum morum correctionem diligenter attendere, hortatus est: Pontifice etiam laudato, quòd ejus operâ jam sublata essent latrocinia, aperta itinera, plures ad sacrum imperium urbes restitutæ, quàm à quoquam alio ab omni memoriâ Pontificum: & ut omnium maximam opem adhiberet commonens, videlicèt ut positis absonis armis, & Principibus Christianis pacatis, in communem hostem omnium opes virésque converteret. Demúmque Sanctos Apostolos Petrum & Paulum adesse, & opitulari, omnium nomine obtestatus est. Post quæ Pontifex per Alexandrum Cardinalem Farnesium tituli sancti Eustachij primum Diaconorum qui aderant, schedam legi præcepit, quâ ipse Pontifex patres ad eadem quæ Ægidius cohortatus est: ac *Primam* Concilij *Sessionem* indixit ad diem Lunæ decimam Maij.

[k] *Ext. in Act. Concil. Later. sub Iul. II.*
[l] *Ibid.*

IX. PRIMA CONCILII SESSIO.

Quo die, post sacra absoluta, & sermonem habitum per Archiepiscopum Spalatensem, (quæ semper singulis Sessionibus ante omnia fieri consuevere (præsidente ipsomet IULIO Pontifice, & præsentibus Cardinalibus quindecim, Patriarchis Alexandrino & Antiocheno Latinis, Archiepiscopis & Episcopis septuaginta septem,) quorum numerus consequentibus Sessionibus nonnihil auctus est) duobus Abbatibus, Magistris Generalibus Ordinum Prædicatorum, & Eremitarum sancti Augustini ac Vicariis Minorum & Carmelitarum; Senatore Vrbis, & oratoribus Regis Catholici Hispaniæ, Reipublicæ Venetæ, & Florentinorum; nobilibus quibusdam Romanis, & Procuratore Ordinis sancti Ioannis Ierosolymitani; aliísque Doctoribus & Magistris: lectæ sunt per Alexandrum Cardinalem Farnesium Bullæ Indictionis Concilij, & nonnullarum ejus prorogationum: ac deinde scheda alia Pontificis; quâ statuit sacra per omnes Vrbis Ecclesias quotidie, ad gratiam divinam pro felici Concilij prosecutione implorandam, celebranda, concessis ad hæc sacris indulgentiis hortatúsque est omnes qui Concilio interesse deberent, cogitare & referre quæ ad illud utilia & opportuna essent: cum omni libertate vota sua promere; modestè tamen ac sine tumultu: atque ex Sessione, quæ debito cuique loco non fieret, nulli præjudicium generatum iri declaravit: denique ministros & officiales Concilij nominavit; atque imprimis Constantinum Cominatum Macedoniæ Ducem & Achaiæ Principem, qui in Monferratensi ditione aliquid possidebât, generalem Concilij Custodem; loci verò in quo celebraretur, Conservatores Vrbis; personæ suæ Milites Ierosolymitanos: deinde quatuor Notarios Apostolicos, qui quæ scriberentur, diligenter inspicerent, & subscriptionibus suis munirent, quatuor alios notarios seu scribas Concilij, qui prædictis Apostolicis subessent: duos ejusdem Concilij Secretarios: quatuor votorum scrutatores: quinque Advocatos: tres Procuratores: duos locorum assignatores, & magistros cæremoniarum: quorum qui præsentes erant, juramentum ad pedes Pontificis præstiterunt, absentes in manibus Raphaëlis Riarij Cardinalis sancti Georgij, & Romanæ Ecclesiæ Camerarij præstare jussi sunt.

NUMERUS PATRUM.

OFFICIALES CONCIL.

X. II. SESSIO.

Sessione Secundâ, habitâ die Lunæ decimo-sexto Calendas Iunij, præsidente, ut suprà, Pontifice, cæterísque præsentibus; post publicatum fœdus inter Iulium Pontificem & Henricum Angliæ Regem; (debuit enim Concilium, etiam rerum bellicarum, quas unà cum sacris Pontifex tractabat; notitiam habere, nequid fortè inconcinni fieret: putamus tamen opus hoc bellicum, quamvis fiat ejus mentio in Actis, nequaquàm iis insertum fuisse, ideò quòd galeæ parùm convenire viderentur cum mitris Pontificiis:) lectum est mandatum Ferdinandi Regis Aragoniæ, quo tam suo quàm Ioannæ Reginæ Castellæ ipsius filiæ nomine, procuratorem specialem ad res Concilij constituit Hieronymum de Vich, suum jam apud Pontificem oratorem ordinarium. Deinde Bernardus Zane Archiepiscopus Spalatensis, de mandato Pontificis, sacro approbante Concilio,) quæ semper clausula in omnibus edictis Pontificis nomine in Concilio publicatis apponi consuevit (legit edictum contra Conciliabulum Pisanum: quo confirmans decreta adversùs illud ab ipsius indictione ac deinceps publicata, quæ recenset, illud ipsum denuò, ejúsque translationes, & acta, damnavit, & nullius roboris esse declaravit; additis de more censuris contra assistentes, adhærentes, consentientes, directè vel indirectè, &c. Tertiam autem Concilij Sessionem, ob æstivos calores, & alias justas causas Concilio probatas, & ut iis qui nondum advenerant tempus daretur commodum, in tertium Nonas Novembris remi t.

IRRITATIO CONCILIABULI PISANI.

XI. IULII CONATUS IN REGEM.

Quo intervallo Pontifex in suo acriori zelo adversùs Regem Ludovicum perseverans, recusatâ penitùs concordiâ iis conditionibus quas ipsemet ei proposuisset, quibúsque de-

num licèt ægrè Rex consensisset; nec ullis aliis aures ampliùs præbere sustinens; ad extrema procedens, anathematis comminationem in eum decrevit, nî Mediceum Cardinalem prælio Ravennate captum liberum dimitteret: quamvis promulgationem ejus differri Cardinalibus concesserit, qui literis communi omnium nomine datis se illud ei persuasurum polliciti sunt. Cujus tamen liberatio aliunde facta est: cùm videlicèt Ludovici rebus in ultimas angustias redactis, (quippe uno propemodùm tempore ab Angliæ Rege per facialem amicitiæ renunciationem acceperit; à Ferdinando Aragonio delusum se, & à Maximiliano Imperatore derelictum vidit; Helveticos apertos hostes sensit; Itali plerique ab eo recesserunt; copiæ ejus Italicæ variis casibus, aut ducum imprudentiâ atque dissidiis, penè ad nihilum redactæ sunt; Galli qui supererant tam diuturnis molestiis fatigati, ut in Galliam redire possent, Mediolanense imperium amitti, quàm tantis periculis servari cupiebant: hæc cuncta adversa meritò ferente Rege, ob defensionem detestandi schismatis: (ad Helvetiorum communibus Pontificis & Venetorum stipendiis in Mediolanensem agrum immenso numero adventum, eo principatu rebellante, & factiosis Cardinalibus qui Conciliabulum ibi agebant, fugâ turpissimâ sibi consulentibus: idem Cardinalis Mediceus, cùm in Galliam duceretur, consiliis clàm initis, & morbi simulationis remoratis custodibus, ad Padi transitum, in ipso naviculæ ingressu, à rusticorum manu, duce quodam Rinaldo Zaldo, gravi tumultu facto, custodibus facilè ereptus est; & Galli totâ penè Italiâ pulsi sunt; ipsâ quoque Genuâ sese in libertatem asserente, creato sibi Duce Iano Fregosio, cujus æquè pater eamdem olim dignitatem obtinuerat: arce tamen, sicuti & Mediolanensi, & nonnullis aliis, unà cum paucis civitatibus aliquo adhuc tempore Gallorum præsidiis detentis. De quibus planè egregiè Ægidius Viterbiensis [m] ait, eos victores fugâ trans Alpes sibi consuluisse, jactantes adversùs pietatem non pugnandum; siquis illam vinceret, vel in ipsâ victoriâ pœnas dare: Ita victoriæ suffragium temperasse Deum, ut uterque victus sit, uterque vicerit; (Pontifex scilicèt, & Rex) ne planè vel superbiret victor, vel victus interiret; uti uterque disceret, hic sacris non armis fidere, ille sacra armis non oppugnare, alter bellis, alter templis parceret, uterque ab injuriâ abstineret.

RES GALLORUM IN ITALIA DEPLORATÆ.

[m] Ap. Victorel. in Addit. ad Ciaccon.

XII. FOEDERATORUM DIVISIO.

Sed quod singulorum fœderatorum ingenium, finémque consiliorum apertè manifestavit; mox ut copiæ Gallorum abierunt, & urbes certatim sancto Fœderi, ut vocabant, sese dederent; iidem fœderati Pontifex, Cæsar Hispanus, Veneti, Helvetij, non solùm invidere sibi invicem, verùm etiam de illarum possessione inter se contendere dissoluto fœdere cœperunt: incipiente quoque Iulio vereri, ne Hispani ac Germani non minus quàm Galli Italiæ formidabiles, eam tandem opprimerent. Ideóque sicut Gallos Hispanorum & Helvetiorum viribus debellaverat, sic Italiæ Principum copiis & armis tantumdem de Hispanis fore confidebat: fecissétque proculdubio si diutiùs supervixisset; ita erat obfirmato animo in suis propositis, & ingenioso ad ea quocumque modo exequenda. Nunc autem ut Mediolanum antiquis dominis restitueretur; contra Cæsaris & Aragonij; occulta consilia, qui uni ex communibus nepotibus dari voluissent; adeò unà cum Helvetiis laboravit; ut ad finem anni Maximilianus Sfortia filius Mauri qui Principatum amiserat, & post patris calamitatem hactenùs in Germaniâ egerat, reductus eò fuerit ingenti Mediolanensium, proprium atque nativum se habere Principem exultantium, gaudio. Quæ omnia, aliáque ad res Italicas spectantia, ac præcipue Mediceorum in civitatem Florentiæ restitutionem, Hispanorum ope, cum pristino imperio; ut se habuerint, accurate descripsit Guicciardinus [n]: quamvis quæ singularum sunt urbium earum historiæ fusiùs, nec tamen sinceriùs, explicent.

[n] Guic. lib. 10. & 11.

XIII. CONCILIAB PISANI SESSIONES MEDIOL.

Quod verò Conciliabuli Pisani Cardinales spectat; antequam illi Mediolano aufugerent, quinque ibi Sessiones celebrasse, habent eorum Acta. Quarum primâ (quæ fuit *Quarta*, ratione habita trium Pisanarum) celebratâ die quartâ Ianuarij, præsentibus pluribus Antistitibus qui ex Galliâ advenerant; ad insinuandum universis quanto desiderio tenerentur concordiam ineundi cum Iulio Papâ, primò narrant se Pisis in Sessione III. quatuor oratores Romam ad eum ac Collegium Cardinalium direxisse, offerentes, si Pontifex unam quam mallet ex decem civitatibus quas nominabant, nempè Vercellas Taurinum, Casale, Veronam, Gebennam, Constantiam, Bisuntium, Metim, Avenionem, Lugdunum) deligeret ad celebrationem Concilij Universalis, (quippe quòd Roma eis suspecta esset) ipsos protinùs eò convolaturos, ut communibus consiliis res tractarentur: si verò nulla illarum ei placeret, nominaret ipse alias decem, quæ non essent de statu Ecclesiæ aut Venetorum, quarum ipsi unam deligerent: (sic nimirùm belluli Patres ex pari cum illo agere præsumentes:) Quòd verò Pontifex salvum conductum oratoribus denegâsset, rem imperfectam hactenùs permansisse. Quapropter ad majorem justitiæ & æquitatis abundantiam, concesserunt prædictâ quartâ Sessione adhuc terminum triginta dierum, intra quem deberet Pontifex respondere, & acceptare vel nominare aliqua loca: quo elapso ipsi ulteriùs contra ipsum processuri forent: monentes interim tam ipsum quàm cæteros Christianos Principes ab armis in alterutrum cessare.

XIV. NUGÆ CONCILIARIŨ.

Quinta Sessione celebratâ die undecimâ Februarij, promulgârunt, ac confirmârunt, auxerúntque constitutionem Synodi Constantiensis contra invasores accedentium aut recedentium à Concilio: & creârunt Legatum Bononiæ Cardinalem Sanseverinum. *Sexta* habitâ die vigesimâ-quartâ Maij, accusata est contumacia Iulij Papæ. Et quoniam jam omnis alterius Concilij spes evanuerat, res ob quas Synodum indixerant seriò tractaturi, modum formámque vivendi, & res per deputationes & congregationes tractandi, sicuti factum fuerat in Concilio Constantiensi, ordinârunt, & quæ hactenùs ab ipsis facta fuissent

confirmârunt; & Concilium per Pontificem indictum nullum declarârunt: eúmque monuerunt, ut intra viginti quatuor dies revocaret attentata contra Pisanum Concilium. *Septimâ* habitâ decimo-nono Aprilis, accusata est contumacia Pontificis. *Octava* celebratâ biduo pòst, hoc est vigesimo-primo Aprilis, iterùm accusatâ contumaciâ, Pontifex ab omni tam in spiritualibus quàm in temporalibus Papali administratione suspensus declaratus est, ob enormia quibus eum onerant flagitia; ipsáque administratio ad eamdem Synodum Pisanam ipso jure devoluta: factáque omnibus, prohibitio, nequis durante suspensione ei obediat; causâ postmodùm ad plenam ejus abdicationem, siquid contra suspensionem attentaret, aut obstinationem se præberet, processurâ.

XV. THOMÆ CAIETANI LIBER CONTRA CONCILIAB.

Hoc enim dumtaxat à Conciliaribus Mediolani præstitum, Acta eorum habent: nec quid ampliùs apud Guicciardinum de iis agentem, aut apud alium gestum reperimus. Nisi quòd in Congregatione habitâ post prædictam primam Sessionem ibidem Mediolani die decimâ Ianuarij, statuerunt mittendum ad Vniversitatem Parisiensem, per Gaufredum Boussardum ejus Cancellarium, libellum quemdam (ut vocant) suspectum, & plenum injuriis contra Concilium Constantiense, & Basileense, ac istud Pisanum, & contra Ioannem Gersonem optimum Ecclesiæ defensorem; compositum per quemdam fratrem Caietanum, hominem audacem & periculosum, (fuit is Frater Thomas de Vio Ordinis Prædicatorum, qui posteà Cardinalis; qui de Potestate Papæ & Concilij sive Ecclesiæ scripserat) quem ab illâ examinari & discuti, & factam ab eâ determinationem ad se mitti hortati sunt. Cui mandato subscripserunt quinque Cardinales; videlicèt sanctæ Crucis, Narbonensis, Baiocensis, de sancto Severino, & de Prie; duo Archiepiscopi, Lugdunensis, & Senonensis; tres Episcopi, Lucionensis, Magalonensis, & Engolimensis; ac duo Abbates, Cisterciensis, & Suessionensis, Bouchetus autem in Annalibus Aquitanicis [o] scribit, etiam Lugduni, quò Conciliabulares confugerant, habitas esse nonnullas Sessiones: nihil tamen conclusum esse, ob intervenientem paulò post Iulij Papæ mortem.

[o] *Bouchet. par. 4. c. 11.*

XVI. CARD. S. CRUCIS CREATUS ANTIPAPA.

[p] *Ripam. lib. 4.*

[q] *Epist. Princ. 1. ep. 3.*

Longè tamen gravius, quod recens auctor Ripamontius in Historiâ Ecclesiæ Mediolanensis [p] scribit, in illius urbis Annalibus contineri, Bernardinum Cardinalem sanctæ Crucis, qui factionis princeps erat, in templo maximo Summum Pontificem esse appellatum, & *Martini* nomen sumpsisse. Quod tamen factum esse negaremus omninò, nisi etiam reperissemus in volumine Epistolarum Principum, epistolam [q] quamdam Leonardi à Porru ad Antonium Savorgnanum, quâ æquè asserit, Iulium à Pisano Conciliabulo dignitate Pontificiâ amotum fuisse, ac Bernardinum in pseudopontificem delectum. Sed quòd epistola data dicatur tertio Augusti anni superioris millesimi quingentesimi undecimi, omninò intelligitur rem vanâ suspicione jactatam fuisse Venetiis, ubi is tunc erat: quandoquidem nondum eo tempore Conciliabulum inchoatum fuerat. Rem magis urgent Annales Ripamontij. Qui si veritate constent, putamus id arcanò tantùm inter factiosos decretum esse, nec in publicum erupisse, quod longè majores & acerbiores clamores concitâsset: cujus nec tot alij eorum temporum publici scriptores meminerint; nec ulla penitùs in ejusdem Bernardini palinodicâ abjuratione [r] mentio facta aut indicata sit. Abierunt autem errones illi primò Taurinum, deinde Lugdunum, odio ubique habiti & exécrationi. Quorum qui fuerit exitus, dicetur posteà.

[r] *Infr. an. seq. X.*

XVII. RELATIO DE LEGATIONE A LUDOVICO REGE AD SEPTEMTRIONALES MISSA.

Habuimus à Duchesnio; qui à Chiffletio.

Dum autem Lugduni essent, scripsit ad eos Petrus Cordier Epistolam mense Decembri anni præsentis millesimi quingentesimi duodecimi, hâc epigraphe, quæ & quis ipse fuerit, & argumentum scriptionis, & statum Conciliarium significet; *Sanctissimis & Reverendissimis in Christo Patribus sacrosanctæ generalis Synodi Pisanæ, nunc instantiis ad tempus & ex causa Lugduni continuatæ, Vniversalem & orthodoxam Ecclesiam repræsentantis, Petrus Cordier Decretorum Doctor minimus, actu Regens Parisiis, Christianissimi Francorum Regis ad potentissimos Scotiæ, Daciæ, Norvagiæ, Sclavoniæ, & Gothorum Reges orator nuper delegatus, nunc perfunctorius, cum felicissimis tam sancti & sacri operis & Concilij successibus, perpetuum omni præmissa humillima subjectione & obedientia: salutem.* Narrat deinde, Regem hortatu Cardinalium sanctæ Crucis, Baiocensis, & sancti Severini, qui mense Augusti anni superioris ipsum Blesis convenerant, misisse nuncios suos ad cæteros Catholicos Reges ac Principes; ipsúmque speciatim Petrum ad supradictos Reges sibi confœderatissimos, ad eos ad sui Concilij participationem invitandos. Se ineunte præsenti anno 1512. in Scotiam pervenisse: Regi Iacobo suæ legationis causam exposuisse, ac pariter Archiepiscopis & Episcopis regni Concilium intimâsse: Regem continuò promittentem omnia se prosequi velle quæ intentionis essent Christianissimi, sibi perpetuò, ut aiebat, haud secùs in temporalibus quàm spiritualibus fratris & consanguinei confœderatissimi; ad præmissa deliberanda convocâsse per literas omnes prælatos ac proceres regni sui: Iis Edimburgi convenientibus, inter ipsos graviter disputatum esse de potestate & auctoritate Concilij generalis, & Papæ, & utrùm Concilium istud Pisanum esset debitè congregatum sine auctoritate Papæ; tenaciùs inhærentes rationibus Thomæ de Vio Caietani Ordinis Prædicatorum, pro auctoritate Papæ productis: sed eas ipsum Petrum oratorem adeò confutâsse, atque auctoritatem Concilij supra Papam confirmâsse, ut consenserit Rex ea fieri quæ Rex Francorum peteret: Ægrè tamen se ferre declarans discordiam inter Summum Pontificem & Regem Francorum; eámque sedari, & communibus omnium votis & animis in exterminationem & perniciem Turcorum concordiam fieri, pro viribus se laboraturum; ad idque nuncios suos se ad Pontificem & Synodum Pisanam propediem missurum: Ex Scotiâ Petrum in Daniam navigâsse: cujus Rex Ioannes pariter responderit, mo-

lestissimè se ferre prædictam discordiam, quæ periculosa & damnosa esset universali Christianitati: Episcopos & Prælatos regni sui quamprimùm posset se convocaturum, & cum eis super rebus propositis tractaturum: atque ad procurandam inter Principes Christianos concordiam, missurum se ad Summum Pontificem nuncios, pro Concilio Generali celebrando in Germaniâ cis Rhenum, ubi Principes Germaniæ, cæteríque Reges ac Principes commodè convenire possent; requisiturum etiam per literas Germaniæ Principes, ut & ipsi Pontificem ad id adirent: insuperque sollicitaturum Magnum Moscoviæ & Russiæ Principem, ut ad futurum Concilium solemnes oratores mitteret: ac de omnibus certiorem facturum Regem Francorum. Ita prudentissimè prædicti Reges, haud ad aliud acquiescere decernentes Ludovici petitionibus, quàm ut eum Pontifici conciliarent, & Concilium ritè celebraretur. Quare, & quòd à cæteris ad quos æquè missus fuerat, non alia accepturum se Petrus intelligeret; nequaquàm ulteriùs progressus est: sed ex Daniâ Galliam repetiit: & ratione legationis suæ Regi redditâ, de ejus mandato idem apud Conciliares Pisanos per supradictam epistolam præstitit.

XVIII.

Intereà cùm appropinquaret tempus præscriptum celebrationem Tertiæ Sessionis Synodi Lateranensis; pridie Calendas Novembris fuit illa ad tertium Nonas Decembris prorogata, propter proximum adventum Episcopi Gurcensis Vicarij Cæsaris in Italiam: quem petitione Pontificis à Maximiliano ex conventu Treverensi legatum esse in Italiam, Coccinius scribit. Cujus animum cùm Pontifex summoperè sibi devincire cuperet, per totam suam ditionem illum omni honoris genere excipiendum, lautissimis etiam præbitis sumptibus, curavit. Voluisséque ut Cardinalium Collegium ad portam Urbis processisset, nisi Collegium eam rem velut novam & indignitate plenam recusâsset. Agennensis tantùm Leonardus Grossus de Ruvere Ligur, sororis Papæ Sixti IV. filius, & Strigoniensis Thomas Hungarus, ad eum Pontificis nomine accipiendum paulò extra Urbem sunt progressi. A quibus, medius inter eos incedens, ad Ecclesiam S. Mariæ de Populo dictam ad portam Urbis Flaminiam, deductus; inde, recedentibus Cardinalibus, (cùm veteris instituti esset, ne Cardinales quempiam per Urbem publicè deducerent, nisi vel Reges, vel Regum primogenitos; ut testatur Pierius Valerianus epistolâ de Gurcensis ingressu ad Crispum Cardinalis Campegij Secretarium in Germaniam scriptâ: quamquam non semel ritus istos profanatos fuisse addat;) ingenti aliorum nobilium multitudine stipatus, ad Pontificem accessit, qui cum in publico Cardinalium cœtu Pontificali solio & ornatu expectabat. Cùm pariter eodem loco ante paucos dies, admodùm honorificè duodecim gentis Helveticæ legatos, ad obedientiam illi publicè promittendam, & gratias agendas quòd eos honorificentissimo titulo *Defensorum & Propugnatorum Pontificiæ libertatis* decorâsset, enséque, pileo, clypeo, & vexillo donâsset, missos accepisset. Cùm verò post Gurcensis adventum, & longas inter fœderatos contentiones, (quorum nulli, nisi quantùm sibi commodum esset, fœderum legibus stare consentiebant) nunquam Pontifex ullis precibus, suasionibus; minis, Venetos inducere potuisset ut Vicentiam Cæsari concederent, quam omninò Gurcensis postulabat; cuperet verò summoperè Lateranense Concilium à Cæsare comprobari: Venetorum oratoribus, se eam Rempublicam sacris atque profanis armis persequi coactum iri testatus, cùm nec quid his minis illi moverentur; fœdus cum solo Maximiliano Cæsare (Hispano interesse recusante, metu ne Veneti Gallis jungerentur) contra eosdem Venetos alios communes hostes Italiæ percussit; miserè se, alióśque, tot anxietatibus ac mutationibus torquens. Sed Brutum imitabatur: quod volebat, id valdè volebat.

GURCENSIS SOLEMNIS ROMAM INGRESSUS.

NOVUS TITULUS HELVETIIS A PONTIF. TRIBUTUS.

XIX. III. SESSIO CONCILII LATER.

Post quod fœdus solemni ritu publicatum, Gurcensis *Tertiæ* Concilij Lateranensis *Sessioni*, quæ habita fuit die Veneris tertio Nonas Decembris, Cæsaris nomine interfuit; ejúsque procuratorium mandatum obtulit; quo Maximilianus revocans & irritans quæcumque pro Concilio Pisano ab ipso ejúsque nomine gesta fuissent, Lateranense comprobavit. Subindéque Pontifex legi ex ambone mandavit per Episcopum Foroliviensem, Bullam, sive edictum; quo damnans rursùm Conciliabulum Pisanum ejúsque fautores & sequaces, insuper confirmavit literas à se Idibus Augusti nuper elapsis promulgatas, per quas propter favorem & adhæsionem eidem Conciliabulo per Regem Franciæ, & nonnullos alios regni Prælatos, officiales, nobiles, & barones, notoriè præstitam, universum regnum Franciæ, & præsertim Lugdunum, (quò scilicèt schismatici Cardinales se receperant, suam Comœdiam prosecuturi) Ducatu Burgundiæ excepto, Ecclesiastico subjecerat Interdicto: nundinásque Lugduni fieri solitas in civitatem Gebennensem transtulerat. *Quartámque* Concilij Lateranensis *Sessionem* in diem Sabbati quartum Idus Decembris indixit. Quâ post lectum mandatum Leonardi Lauredani Ducis Venetiarum, factum ante prædictum fœdus Francisco Foscaro nobili Veneto oratori suo Romæ residenti, ut ipsius nomine Concilio interesset; jussu Pontificis lectæ sunt literæ Ludovici Undecimi Francorum Regis scriptæ olim ad Pium II. de abrogatione Pragmaticæ Sanctionis: móxque decretum Monitorium contra Prælatos, Capitula, Parlamenta, Laïcos omnes & Ecclesiasticos, ipsúmque Regem, ad comparendum intra sexaginta dies coram ipso Pontifice & Concilio, causámque dicendam quare ejusmodi Pragmatica abrogari non deberet. Rursúmque exclusis omnibus, qui Concilio interesse non poterant, Pontifice & Cardinalibus ac Prælatis sacris vestimentis indutis, Alexander Episcopus Alexandrinus Lombardiæ, de mandato ejusdem Pontificis ex ambone legit bullam, quâ idem Monitorium Conciliariter confirmatum est, ac publicari jussum; & quæcumque in Conciliabulo circa collationes beneficiorum, aut aliarum gratiarum concessiones, gesta fuissent aut decreta, nulla & irrita declarata. Quintámque Sessionem in decimum-

MAXIMILIANUS CÆS. ADHÆRET CONCILIO LATERANENSI.

IV. SESSIO.

MONITORIUM CONTRA REGEM FRANC.

quartum Calendas Martij anni proximi indixit: cui tamen ipse non interfuit, ut tunc videbitur. Violentiùs enim rem agebat, quàm ut diutiùs durare posset.

XX. [s] *Chytræ. Saxon. lib. 6.*

Pertinet quoque ad Gurcensis legationem quod Chytræus [s] narrat, in Comitiis Imperij primùm apud Treviros hoc anno inchoatis, & Coloniam inde traductis, ex quâ urbe datum fuit primâ die Septembris mandatum Maximiliani, quod tertiâ Synodi Sessione oblatum diximus) præter communes de rebus Imperij deliberationes, actum quoque esse de schismate Cardinalium à Iulio Pontifice discedentium non tolerando. Additque, primùm ibi Decem Circulorum, seu regionum in Imperio Germanico, distributionem factam esse; videlicèt Austriaci, Bavarici, Suevici, Francici, Rhenensis superioris, Electoralis Palatinatûs, Burgundici, Westphalici, Saxonici inferioris, & Saxonici superioris: complectentium universos Antistites, Principes, & civitates Imperij. Cujus institutionis diversæ referuntur causæ: tum videlicèt ut ad evitandas crebras de finibus & juribus controversias, consilia communia essent singula in singulis circulis: tum ut esset unde Senatus Imperij, qui tunc summâ cum auctoritate jus dicebat, suppleretur: denique ut paci publicæ consuleretur: ac leges Imperij latæ sententiæ executioni demandarentur; quippe Circulorum consilia nullam verè jurisdictionem, sed deliberationem dumtaxat de executionis modo, & ordinandâ re bellicâ, auxiliisque manu armatâ expediendis habent.

CIRCULORUM IMPERII DISTRIBUTIO.

XXI. [t] *Guicciard. lib. 11.* [u] *Marian. lib. 30.* [x] *Polyd. l. 27.*

FERDINANDI HISPAN. SUMMA INIQUITAS IN REGEM NAVARRÆ.

Ad profana bella ut redeamus, quid Angli & Hispani suis in Gallos molitionibus præstiterint, ex Guicciardino [t], historicisque Hispanis [u] & Anglis [x] breviùs referemus, quàm pro facinore omnibus sæculis detestando. Ineunte Maio, (ut Guicciardinus habet; sive ad sextum Idus Iunij, ut Mariana) quinque séxve Anglorum millia, (ita namque ipsi variant, cùm Polydorus permagnum exercitum ex robore florentissimæ juventutis delectum vocet) ad Fonterabiam extremum Hispaniæ Galliam versùs oppidum appulêre, terrestrium copiarum Duce Thomâ Marchione Dorcestriæ, classis præfecto Eduardo Hawardo: ut ex fœdere inter Henricum & Ferdinandum, socerum videlicèt ac generum, conjunctis viribus Aquitania invaderetur. In cujus defensionem cùm Ludovicus Rex Galliæ arma pararet, interim quanti ad hoc momenti regnum esset Navarræ considerans, diligentiam adhibuit ut Ioannem ejus Regem sibi adjungeret. Ab aliâ verò parte Ferdinandus, qui specie Aquitaniam cum Anglis invadendi, Navarram priùs, cui ab antiquo inhiabat, (vestigiis patris inhærens, quem in eo magnis nisibus laborasse, suis locis vidimus) occupare in animo habens, Anglis non ad aliud, ut apparuit, evocatis; à Rege Navarræ petiit, non solùm ut neutri parti adhæreret, liberúmque suis copiis in Galliam iter permitteret, verùm etiam ad horum fidem munita quædam loca traderet, quæ ipsi Ferdinandus confecto bello restitueret. Cúmque ad hæc renitentem se initio exhibuisset Navarrus; animadvertens nihilominus Ferdinandum arma, quæ ut Anglis conjungerentur adversus Aquitaniam videbantur comparata, de repentè in ipsum imparatum convertere; missis ad Aragonium legatis, facturum se quæ postulabat obtulit: hujúsque summissionis præmium retulit, responsum ab Ferdinando, ut universum regnum traderet, in potestate ipsius futurum dum bellum sociale esset, & Ecclesiæ dissidia componerentur, ac deinde quamdiù esset visum: fidei pignus esset Henricus Navarri filius in Castellâ educandus. Quis hæc tulisset? Adeò illa ipsis etiam Hispanis ab omni rationis specie aliena visa sunt, ut doctus & piis auctor [y], cùm non rarò Ferdinandi actionum excusatorem agat, nihil hîc habens quòd tantæ iniquitati opponeret; fateri coactus sit, iniquum fuisse, filium & regnum postulare, neque definire ante quem diem redditurus esset, ut si omne tempus retineret, nullâ tamen mendacij religione obstringeretur. Sunt qui cætera quæcumque Hispani Principes possident, non majori æquitate, singula examinantes, detinere velint: sed hoc nihil ad nos: est Deus qui judicet in cœlis: in terris enim quis sententiam ferat, cui standum ij censeant?

[y] *Mar. lib. 30. cap. 12.*

XXII. FERDIN. REGNUM NAVARRÆ OCCUPAT.

His autem irritatus Navarrus, serò sapiens, de neglectâ regni sui munitione, cui facilè per solum accitum virium ex terris suis Gallicis providere poterat, déque rebus suis in Hispaniâ diffisus; magnâ animi pusillitate in Galliam transcendit ad regionem finitimam Bearnij, quæ propriâ uxoris erat. Ejúsque discessu universum regnum, paucis munitioribus locis exceptis, nullo negotio in potestatem Ferdinandi pervenit, (quod tamen magis Anglorum metu, quàm Aragonij viribus contigisse, Guicciardinus ait:) duplici jam jure id ad se pertinere prætendentis: belli scilicèt, quasi Ioannes Rex Ferdinando denegâsset quod jure concedere debuerat; ac Pontificiæ auctoritatis, quod regnum cuivis occupanti à Pontifice concessum fuisset: quæ Antonius Nebrissensis Hispanus, ex non malo Grammatico & rhetore loquax factus historicus, in hujus belli historiâ, quam eo tempore in gratiam sui Regis conscripsit, multis falsis positionibus, alienissimísque exemplis prosecutus est: quem alij confutârunt; nec nos in iis immoramur.

XXIII. UTRÙM PONTIFEX REGNUM NAVAR. PRÆDÆ EXPOSUERIT.

Quod autem de Pontificiâ auctoritate ad hæc interpositâ affertur; existimavit Guicciardinus, Ferdinandum vigore edicti à Iulio promulgati in Galliæ Regem, quo illum & quotquot illi studerent, cunctis hæreticorum & schismaticorum pœnis subjiciebat: illius regni possessionem, cùm nullo alio nomine posset, obtendisse. Verùm cùm quod addit, eodem edicto Pontificem regnum Ludovici, ejúsque fœderatorum, cuivis occupandi fecisse potestatem; haud reperiatur in edictis contra Ludovicum promulgatis; (sive illud acceperimus, quod publicatum vidimus in Tertiâ Synodi Lateranensis Sessione, quo universa Gallia supposita est Interdicto Ecclesiastico; sive aliud, de quo mox dicetur: nec eadem, quando facta est Navarræ occupatio, nempè mense Iulij, adhuc fuissent promulgata, quod contigit tantùm mense primo Augusti, ac deinde Decembri: ex his intelligas, nequaquàm illorum obtentu

occupari potuisse Navarram; atque omninò ignorâsse Guicciardinum, ullum proprium & peculiare edictum à Pontifice contra Regem Navarræ latum fuisse: etiam si ejus Hispani meminerint, jámque mense Februarij factum velint: intérque illos Mariana [z], (haud tamen illud adeò comprobans; ut fuit etiam plerisque aliis sicut religiosior, ita & modestior:) dum scribit, Pontificem, cognito Regem Navarræ Ecclesiæ hostibus favere, ad illud extremum atque ultimum decurrisse, quod adversus rebelles Principes sanitate desperatâ remedium usurpari consuevit; Regem ac Reginam Navarræ execratione devinciendo, ac ditione omni spoliando, ad communem prædam aliis Principibus invitatis; hâc sententiâ Romæ duodecimo Calendas Martij in Cardinalium consortio pronunciatâ: Suspectam verò in eâ Ferdinandi fraudem fuisse; conjecturâ probabili, eo annitente severum id decretum & grave prodiisse, quoniam diù penes se id occultavit. Ita Mariana: eodémque modo Surita. Hujúsque decreti auctoritate, Ferdinandi fraude surrepti, regnum à Ferdinando occupatum fuisse, tam iidem quàm Anglerius, Nebrissensis, Sandovalius, alíique Hispani uno ore fatentur. Sed vide quàm id absurdè.

[z] *Mar. l. 30. cap. 8.*

XXIV. Confutatur assertio de Bulla Pontificia.

Imprimis enim quod ad tempus attinet; disertè iidem Mariana & Surita datum ponunt die decimo-octavo Februarij: at Sandovalius [a] die primâ Martij. Vnde hæc diversitas? Anglerius [b], qui apud Ferdinandum tunc agebat in ministerio sacro, literas allatas Româ dumtaxat mense Augusti. Si datæ fuêre mense Februarij, aut Martij, cur tamdiù retentæ Romæ? túncque demùm missæ, postquàm regnum occupatum fuit? Excusant alij, quòd Ferdinandus eas occultas esse voluerit. Quis verò occuluit? Mariana & Surita Ferdinando tribuunt; Anglerius Iulio Pontifici. Quis conciliabit? Si autem occultæ extiterunt, non igitur earum vim publicè prætexere potuit Ferdinandus, cùm nullas aut haberet aut proferret? *Hoc est judicium*, (dicebat Christus [c]) *quia oderunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim opera eorum mala. Omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Quæ isti obloquuntur de ejusmodi literis, meras nugas esse apparet. Quis enim unquam illas vidit? Non sanè adeò sunt venditandorum thesaurorum suorum avari Hispani, ut si extitissent, non eas mille locis edendas curâssent in tot de regno controversiis. Quid quod ipsemet Sandovalius Pampilonensis Episcopus, cùm certâ occasione de limitibus regnorum ageretur, & ipso pro parte Regis sui Philippi ad hoc delegato, Episcopo verò qui tunc erat Bajonensi, nunc Archiepiscopo Turonensi pro parte Christianissimi, & quæstio incidisset de occupatione regni Navarræ, protulit: ipse quidem exemplum aliquod ejusmodi bullæ Pontificiæ; sed adeò ipsimet suspectum, ut quòd nullo niteretur fundamento, dirigendum curârit ad monasteria Hispaniæ cum hâc epigraphe, *Transunto de Bulas, paraque se busca los originales?* Quid magis ridiculum? Si veræ aliquæ fuissent bullæ, an in monasteriis, & non in Archivis regis eæ custodiri debuissent? Præterà eà idem ipse in Vitâ Caroli [d] V. Imperatoris de iis titubantissimè loquens, nescit quâ formâ decretum expeditum fuerit, cùm ait apparere de voluntate Iulij Papæ *per Bullam, Breve, aut Sententiam ejus.* Quis nescit horum trium valdè diversam esse formam? Si autem visum quid ejusmodi fuisset, annon certo uno nomine nuncupandum esset? Si verò nesciant quale ei tribuendum sit, producant nobis originalia authentica, & docebimus nos illos: credemúsque veritati originalium magis quàm vanis dubiísque auctorum assertionibus quos, cùm de his agunt, videas veluti inter spinas ambulare, nec habere ubi pedem figere possint. Quod & inde quoque apparet, quòd Mariana & Surita disertè tradunt regnum Navarræ expositum fuisse decreto Pontificis generatim cuivis occupare volenti: Nebrissensis [e] autem eodem decreto translatum fuisse speciatim in Hispanum: (Ferdinandum scilicèt, de quo agit:) Sandovalius verò attributum fuisse coronæ Castiliæ & Legionis. Ludunt sic isti in suis figmentis, & Andabatarum more oculis clausis cum larvis digladiantur.

[a] *Sandoval. in Vit. Car. V. Imp. lib. 1 §. 45. sub fin. an. 1512.*
[b] *Angler. ep. 496. ad Fagiard. March. Bellec.*
[c] *Ioan. 3.*
[d] *d. §. 45.*
[e] *Nebris. de Bel. Navar. lib. 1.*

XXV. Detegitur impostura aliis argumentis.

Veréque hæc ficta à prædictis auctoribus fuisse, vel potius ab iis à quibus ij acceperunt; inde insuper elicitur, quòd dicat Sandovalius decretum illud factum fuisse Calendis Martij anno Pontificatûs Iulij decimo: cùm tamen Iulius mortuus sit nono Calendas Martij, anni quidem Pontificatûs sui decimi, sed inchoati tantummodò, adeò ut Calendas Martiæ novissimæ ejus Pontificatus, nonnisi in annum ejus nonum incidere potuerint. Quod æquè de Marianæ & Suritæ die decimo-octavo Februarij dicimus, qui in triduum dumtaxat antè Iulij obitum incidit: quando non poterat Iulius præ gravi morbo quo post triduum decessit, Consistorium celebrare, ubi hoc decretum factum volunt: aut si in lecto id egerit, tribuendum potius fuerit deliquio hominis moribundi, quàm ratiocinationi viventis. Denique tum manifestè Anglerius indicat, bullas prætentas anathematis Navarri non nisi mense Augusti datas esse; tum maximè intelligitur ex Iulij bullâ adversus Regem Ludovicum publicatâ, ut ponitur, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, duodecimo Calendas Augusti, Pontificatûs anno nono, quo tempore nondum decreta fuerat excommunicatio in Navarrum, sed tantùm intentata. Siquidem invectus ibi Iulius in Ludovicum, eò quòd Alfonso Duci Ferrariæ auxilium tulisset contra ipsum Pontificem, qui eum Ducatu deposuerat, & censuris omnibus irretierat; & quòd Bononiam hostiliter invasisset, & Cardinales Sedi Apostolicæ rebelles fovisset, ac conciliabulum eorum promovisset: significat ideò se coactum fuisse recurrere ad Ferdinandum Aragoniæ & utriusque Siciliæ Regem Catholicum, & Leonardum Lauredanum Ducem & dominum Venetorum, qui

Dirum Iulii decretum contra Ludov. Regem.

se paratissimos ad ipsius & Ecclesiæ subsidium exhibuerunt, ac fœdus cum iis iniisse, cui postmodùm Henricus Angliæ Rex se libenter adjunxerit. Contra quorum fœdus cùm non solòm Ludovicus acies instruere non cessaret, atque alios etiam ab obedientiâ Sedis Apostolicæ, ac præsertim Bascos & Cantabros, (Navarros scilicèt) subtrahere non desisteret: Idcircò auctoritate Apostolicâ universis & singulis Christi fidelibus, præsertim Bascis & Cantabris, sub majoris excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, quam quilibet eorum qui contrà facerent, etiamsi Marchionali, Ducali, Regiâ, Pontificali, aut aliâ quávis Ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate & auctoritate præfulgeret, post triduum à die publicationis literarum illarum, in Cæsaraugustanâ, Calaguritanâ, Burgensi, & Elnensi Ecclesiis, vel aliquâ ex eis faciendæ, computandum, incursuri essent ipso facto; ex parte Dei omnipotentis districtè præcipiendo mandavit, ne contra ipsum Pontificem, aut aliquem ex ejus aut Sedis Apostolicæ confœderatis, arma sumere, aut ad Ludovici Regis, vel aliorum Schismaticorum, vel illorum fautorum stipendium militare, seu aliquod cum eis fœdus vel ligam inire præsumerent: & eis qui jam forsan talia stipendia recepissent, seu arma sumpsissent, vel fœdus percussissent; ut aut arma vel in ipsius Pontificis & confœderatorum favorem auxiliúmque converterent, vel saltem ea illicò deponerent, & à damnabili fœdere ejusmodi omninò discederent. Si verò aliqui renitentes forent, & excommunicationis ejusmodi sententiam per alios tres dies sustinerent, lapsis triduis ultimis diebus, ipsos & eorum quemlibet se anathematizare, maledicere, & perpetuo damnationis laqueo innodare, omnique honore & dignitate privare & exuere; eósque excommunicatos, anathematizatos, maledictos, privatos, & exutos declarare; aliásque ad omnes actus legitimos omninò inhabiles & læsæ majestatis reos esse, eâdem auctoritate & de Apostolicæ potestatis plenitudine nunciare; eorúmque omnia & singula bona publicare, & ipsa capientium servos effici velle, statuere, atque decernere; civitatésque, oppida, & terras, & loca quæcumque Ecclesiastico supponere interdicto.

XXVI. Quam illud infirmū contra Regem Navar.

En quò pertulerit agitata iracundia patrem Christianorum, in filium Ecclesiæ primogenitum! De cujus quidem patris auctoritate nequaquàm disputare præsumentes, nec quid vel minimum in aliquo ei detractum volentes, sed potiùs ut omnes & quilibet debitum ei obsequium, debitámque obedientiam, cum profundâ animi demissione deferant suadentes: annon tamen licitum erit humiliter conqueri de novâ & insolitâ penitùs judicij formâ, ut pro re tantâ tridui dumtaxat spatium datum sit ad commonendum, & aliud triduum ad pœnas incurrendas? tantique momenti publicatio fieri jussa sit in ipsâ mediâ Hispaniâ, unde nec ad Ludovicum præcipuum reum constitutum, adeóque longissimè dissitum, rei nuncius modico eo tempore nec quidem velocissimarum ferè avium volatu, nedum humanis itineribus perferri posset; nec nisi difficilè ad Regem ipsum Navarræ, qui jam tunc eâ relictâ montes transmiserat ad ditionem Bearnensem? Quando anquam adeò præcipitanter judicium aliquod in Reges Apostolica Sedes acceleravit; quæ semper in longè minoribus causis, & adversus inferioris conditionis homines, maturè, jurísque observatis formulis & terminis, atque ampliationibus & comperendinationibus, procedere consuevit? Sed & quòd hoc decretum nonnisi comminatorium fuerit; ubi est declaratio inde secuta renitentiæ ac rebellionis partium? Subditur quidem publicatio literarum illarum Apostolicarum, facta in Ecclesiâ Calaguritanâ die Sabbati vigesimo primo Augusti, & sequenti Dominicâ dicti anni millesimi quingentesimi duodecimi, postulante Petro-Mariâ Protonotario Apostolico Priore Ecclesiæ Granatensis, ac Catholici Regis Ferdinandi capellano, ex parte prædicti Regis. Sed ubi sententia condemnationis? Et unde Ferdinando jus in regnum Navarræ, ut ante ejusmodi condemnationem, aut etiam pœnarum decreti incursionem, illud occuparet? Cùm enim non potuerit pœna incurri de omni rigore, nisi post sex dies à publicatione, ac proinde non ante vigesimum septimum Augusti acquiri jus in regnum Navarræ; (jam enim & aliis argumentis anteriorum temporum assertionis inanitas demonstrata est, & apertissimè manifestatur ex prædictâ Iulij constitutione:) quâ aliâ auctoritate quàm propriâ illud invadere ante id temporis potuit Ferdinandus? Siquidem disertè scribit Surita, Ducem Albanum nomine Ferdinandi vigesimo primo Iulij in regnum Navarræ hostiliter ingressum esse. Et Anglerius, qui tunc apud Ferdinandum erat, Pampelonem præcipuam regni civitatem sese ei dedisse Calendis Augusti die Dominico: cùm jam Rex Navarræ regnum suum deseruisset. Quod etiam contra illos facit, qui dicunt ipsum armis resistere voluisse: cùm econtrà etiam Sandovalius [f] scribat, facile fuisse Albano regnum occupare, quoniam Regem incautum & inermem invenit.

[f] Sand. §.46.

XXVII. De culpa Regis Navarræ.

Quod verò culpam Ioannis Regis Navarræ tangit, ob quam meruerit regno privari; non potuit illa quidem obtendi, quòd Conciliabulo Pisano adhæserit. Siquidem constat, cùm Iulius auxilia à cunctis Regibus ac Principibus adversus Ludovicum Francorum Regem per legatos & literas imploraret, atque (ut de his loquitur Anglerius [g], quasi subsannans) tanquam acriter à filio pater verberatus, ac proinde ac si pane privaretur se contorqueret, ac velut esset à viarum grassatoribus oppressus, misericordiam ab omnibus peteret: missum in Hispaniam Guillelmum Casadorum de Rotæ Iudicibus unum, patriâ Barchinonensem, literas Pontificis eâ de re attulisse: eásque publicè, Rege Ferdinando Principibúsque multis spectantibus, inter sacra divina è suggestu eminenti linguâ Latinâ quâ conscriptæ erant legisse: Ac deinde easdem Episcopum Ovietensem eloquentiâ insignem, ex eodem suggestu maternâ oratione populo vehementiùs aperuisse: Post hæc Casadorum Pontificio nomine à rege postulâsse, ut quæ audisset exequeretur: Regémque se ipsum,

[g] Angler. ep.467.

bonáque omnia propria, filiæque (Ioannæ scilicèt Reginæ Hispaniæ) & affinium atque amicorum in auxilium Ecclesiæ serenâ fronte obtulisse: Casadorum postinde se ad Regem Portugalliæ idem persuasurum accinxisse: cùm jam id anteà fecisset apud Regem Navarræ ex itinere ad Ferdinandum. Ita Anglerius mense Novembri, anni superioris millesimi quingentesimi undecimi. Ex quibus intelligas, Ioannem Regem Navarræ non minùs quàm cæteros Hispanos partes Pontificis sustinuisse contra secessionem Ludovici ab amicitiâ Pontificis, & Conciliabulum Pisanum. Quod & aliunde pariter habemus: interrogatúmque à Casadoro Navarrum, num adhæreret Conciliabulo Pisano, negâsse omninò, quinimmò velle se obsequentissimum permanere suæ Sanctitati, ac deosculari humillimè pedes ejus: dedisséque scripto abnegationem prædicti Conciliabuli. Quòd si posteà consensit amicitiæ Ludovici propinqui sui, (cujus tamen fœderis tractatus nonnisi decimo-septimo Iulij anni præsentis millesimi quingentesimi duodecimi factus est, postquàm vidit Ioannes Ferdinandum & Anglos in suam perniciem apertè armatos, & in procinctu invasionis regni sui, quorum viribus non erat ipse resistendo) non eam quidem amplexus est contra Pontificem aut Ecclesiam, sed solùm pro defensione suâ. Quis verò id adeò damnet, etiamsi Ludovicus fuisset schismaticus? Annon vidimus, videbimúsque, multos alios Reges ac Principes Christianos & Catholicos, nonnullósque adeò Summos Pontifices, non solùm pro suorum statuum necessariâ defensione, verùm etiam pro exterorum voluntariâ invasione, fœdus cum schismaticis & infidelibus contraxisse; nec tamen ita severè cum iis actum esse?

XXVIII. Quod grave peccatum Navarri.

Vt paucis rem absolvamus; peccavit in eo Ioannes Rex; peccavit & Catharina ejus conjux; (cujus erat regnum proprium & hæreditarium, ut proptereà non videatur comprehendi debuisse in condemnatione viri sui, nisi & propriâ fuerit irretita culpâ:) peccavit & in eis simul innocens tunc posteritas; quòd etsi regnum Navarræ sit exiguum, ob situm tamen valdè sit opportunum, & magnam rebus Hispaniæ à periculis Gallorum securitatem afferat. Quâ de causâ à multis sæculis Aragonenses ei multo concupitu inhiâsse vidimus, & nihil intentatum reliquisse quo possent ejus possessionem per fas & nefas adipisci. Adeò ut & ipse Nebrissensis, quamquam venditus in laudes Ferdinandi, fateatur tamen eum summâ diligentiâ, atque etiam iniquis conditionibus occupationem ejus attentâsse. Quippe quod, ut scribit Anglerius [h], Hispaniæ nasum torquebat, & frendere præ irâ faciebat. Hoc igitur unum quod diximus, fuit gravissimum peccatum, cujus causâ Ferdinandus tam Regem quàm Reginam apud Pontificem schismatis infamaverit; cui illi nec per somnium unquam adhæsissent. Nec sanè putamus unquam Pontificem, quamquam Ludovico iratissimum, de Navarri condemnatione cogitaturum fuisse, nisi suggessisset innata calliditas Ferdinandi, & impotens ejus regni desiderium. Adeò sanè ut scribat idem Anglerius [i] decimo-quinto Calendas Augusti hujus ipsius anni, cùm urgeretur Navarrus à Ferdinando bellum Regi Francorum indicere, sin minùs haberetur pro hæretico; respondisse ipsum, se nihil habere in mandatis à Pontifice, neque Pontificem sibi quicquam ejusmodi jubere.

[h] Angler. ep. 510.

[i] Id. ep. 490.

XXIX. Regum Hispan. cóscientiæ morsus.

De cæteris nonnullis juribus, quæ subsecutis temporibus Hispani, cùm se hinc omninò excludi cernerent, prodere gestierunt, ad asserendam sibi justis aliis titulis Navarræ possessionem; quòd non sit nostri instituti, neque hujus loci, quo solùm de facto Iulij, & Ferdinandi agendum necessariò fuit, differere omittimus. Illud unum addentes; si adeò vel ex concessione Pontificis, vel aliorum vi jurium, justa existimata fuit Navarræ occupatio; ut quid Carolus Imperator anno millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, post tanti temporis possessionem in dubium illam revocavit; cùm Augustæ Vindelicorum timens mori antequàm filius suus Philippus ad ipsum pervenisset in Germaniam, in monitis ad eundem filium posuit, credere se quidem Ferdinandum legitimè adeptum esse regnum Navarræ, séque matrémque suam possidere bonâ fide: verumtamen ad omnem tollendum conscientiæ scrupulum, injungere se filio, ut diligenter perquirendum curaret utrùm restitui deberet; & si ita esset, omninò restitueret, vel idoneâ compensatione redimeret? Consulítque, ut si aliquo modo fieri posset, matrimonium iniret cum Ioannâ Alebretanâ nepte prædictorum Ioannis & Catharinæ, atque illius regni legitimâ hærede; cum hoc ut per ejusmodi matrimonium renunciaretur prætentionibus in regnum Navarræ. Quid item est, quod idem ipse ejus filius Philippus II. in testamento suo excusans non se potuisse, ob multiplicia quibus implicatus fuerat negotia, ultimam patris voluntatem eâ in re exequi, scilicèt quinquaginta ferè annorum spatio quibus regnavit, non potuit unam horam vel diem reperire, quâ unicum justitiæ actum à patre enixè præscriptum ederet) idem monitum filio suo Philippo III. reliquit? An hæc sufficiunt ad pacem conscientiæ? An hoc est jus suum cuique reddere? An verò obduxerunt ita successores callum animo, ut non ampliùs conscientia remordeat? Recogitent saltem eorum consiliarij & confessarij. Et quod denique Romanorum Pontificum in his animum spectat; siquod ipsi crediderunt fuisse decretum Iulij, aut pro legitimo habuerunt; ut quid Pius Papa IV. anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, ut suo loco videbitur, Antonium Regem ad obedientiam de regno Navarræ, etiam contra intercessionem Hispanorum admisit? Annon hoc facto publicè edito, manifestè significavit nullum extitisse contrarium decretum; vel saltem si aliquod extitit, illud se revocare & infringere? qui proculdubiò tantæ erat auctoritatis ad solvendum, quantæ Iulius ad ligandum. Sed surdis ista canuntur, ob tetram dominandi libidinem, ob cæcam animorum perturbationem. Itaque jam his omissis, ad alia progrediamur.

XXX. Angli a

Cùm huic adeò iniquæ regni Navarræ invasioni Angli qui in Hispaniam venerant,

FERDINANDO LUDIBRIO HABITI.

adhærere noluissent, quantumvis à Ferdinando multùm rogati; nec ille cum iis Aquitaniam ingredi, cujus rei prætextu evocati ex Angliâ fuerant, nisi totâ Navarrâ in suam potestatem redactâ, consentiret: ij in Angliam sese, nullo alio operæpretio, receperunt: quærentes, sic ex suo commodo Hispanum bella gerere; ad sociorum præsidium præter nomen nihil opis afferre, ac ludibrio potiùs præ fastu habere cæteros, viliáque arbitrari capita. Ita enim & Anglorum querimonias, & Hispanorum ingenium, Mariana [k] descripsit: longè sinceriùs Nebrissensi; quem non puduit affirmare, (egregium scilicèt præmium præstitæ ab Anglis fidei delusionibus Ferdinandi) ipsos auro Gallico corruptos, excusationes inanes ineptásque quasi velamen prætendisse cupiditati. Polydorus autem malè à suo Rege exceptos ait, quòd non obtemperâssent voluntati Ferdinandi, & absque suo mandato in patriam rediissent. Cùm autem post hæc venissent auxilia ex Galliâ, tentatum est aliquid in Navarrâ, ipsáque urbs regia Pampelo obsessa. Verùm multis sævâ hieme incommodis pressis Galli, ad sua rediêre, Navarræ regno Ferdinando libero relicto: quod unitum est cum Castellâ, & in provinciæ formam redactum, incorporante & annectente illud ei Ferdinando in comitiis ad id Burgis habitis mense Iunij anni millesimi quingentesimi decimiquinti: eodémque Ioannæ filiæ suæ Castellæ Reginæ, & Carolo Principi ipsius filio posteà Regi & Imperatori, testamento relicto. Hoc verò tempore cùm Ferdinandus Friderici olim Regis Neapolitani filius, qui se Calabriæ Ducem profitebatur, in Hispaniâ agens, clàm cum Gallis egisse diceretur de fugâ, spe restitutionis in regnum paternum; re detectâ, in vincula à Ferdinando Aragoniæ Rege conjectus est, & Setabi in Valentino tractu inclusus: consiliorum socij, majestatis lege postulati, atque per plateas tracti, laqueo vitam finierunt, extinctorum cadaveribus membratim dissectis.

[k] Marian. l.30. cap.11. in fin.

NAVARRA UNITUR CASTELLÆ.

XXXI. TARTARORUM CLADES A' POLONIS.

Multò justius bellum, quod hoc eodem anno Poloni & Lituani simul juncti adversus Infideles Tartaros Præcopenses egerunt. Qui [l] cùm exercitu viginti quinque millium equitum Russiam Podoliámque invasissent, à quatuor circiter Christianorum millibus ingenti cæde prostrati sunt die vigesimo-octavo Aprilis festo S. Vitalis martyris, (qui Sanctus propterea majori deinceps veneratione à Polonis cultus est) vix centum è Christianis desideratis.

[l] Iodoc. Dec. in Reb. gest. Sigism. Reg. Polon.

XXXII. DE REBUS SUETICIS.

In Sueciâ mortuus est princeps (non enim Rex dicebatur, ut aliàs vidimus, quem titulum nomine tenùs Rex Daniæ gerebat) Suanto, præclaris rebus pro patriæ libertate gestis valdè insignis, & moribus laudatissimis. In cujus locum suffectus est *Steno Sture* filius ejus; Erico Trolle nobilissimo Suecorum, qui à plurimis expetebatur, excluso, quòd Danis favere crederetur, quos Sueci summo odio prosequebantur. Vnde magna est inter Stenonem & Gustavum Erici filium Archiepiscopum Vpsalensem orta contentio; quæ armis decisa est, gravi damno Archiepiscopi, patrísque ejus, ut hæc Ioannes Magnus [m] pluribus prosequitur.

[m] Hist. Suet. l.23 c.20. in fi lib. 24. c.1. & 2. & de Pontif. Vpsal. lib. 6.

XXXIII.

Quo item anno egregium pietatis facinus quidam Lusitanus apud Goam in Indiâ edidit, minimè hîc omittendum. Cùm enim absente in bello Malacensi, de quo superiori anno, Albuquercio Indiarum Prorege, Zabaimus Hidalcanes antiquus Rex Goæ magnum exercitum ad eam recuperandam immisisset, adeóque urbem pressisset, ut extremam famem ferre non valentes non pauci Lusitani ad Mauros transîssent, fide etiam ejuratâ: Lusitanus quem diximus, nomine *Ioannes Machiadus*, vir nobilis, qui ob quoddam delictum exilio mulctatus in patriâ, post varias peregrinationes in Indiam pervenerat, & pro Turco habitus militum præfecturam à Zabaimo acceperat; cùm tamen fidem Christianam semper animo servâsset, tantum ex ejusmodi illorum desertione dolorem concepit, ut illis graviter reprehensis, decreverit urbem clàm ingredi ad reliquos confortandos, & fidem palàm profitendam. Cùm verò duos ex quâdam Saracenâ liberos suscepisset, quos ipsemet baptizaverat, eósque secum perducere cuperet; videns se id minimè exequi posse, cruentum pietatis specie facinus commisit, ut maluerit infantes propriis manibus suffocare, quàm superstitione Mahometanâ imbuendos derelinquere. Vrbem autem ingressus, non solùm omnes lætitiâ affecit, verùm etiam ad meliorem spem erexit, cùm existimarent eum tantæ angustiæ tempore non potuisse nisi à Deo venire. Liberatâ autem urbe per reditum Albuquercij; ab expeditione Malacensi, impij desertores tractatu concordiæ cum hostibus factæ, restituti cum vitæ promissione, in pœnam tamen & exemplum, auribus, naribus, dextris, ac sinistrarum pollicibus abscissis, puerorum ac plebis ludibrio ignominiosè expositi fuêre, ac deinde in Lusitaniam remissi. Rem narrat Barrosius [n], & ex eo alij.

MACHIADI LUSITANI FACINUS IN INDIA.

[n] Barr. Dec. 2. l.6. c.9. & 10. l.7. cap.5. Osor. lib. 8. Maffei. lib.5.

XXXIV. ALIUD SIMILE MOLUCENSIS CUJUSDAM.

Apud quorum unum [o], simile Machiadico illi facinori aliud post hæc, nisi & religiosâ pietate crudeliùs patratum ad Molucas insulas, à dynastâ Momoiæ urbis, in Moro, sub Nonnio Acuniâ Prorege, reperimus. Is cùm suasione Lusitanorum Christianus factus fuisset, unà cum conjuge ac liberis; suscepto in baptismo Ioannis nomine, in honorem Regis Lusitaniæ Ioannis III. tunc regnantis: succedente deinde aliquâ populorum in Lusitanos, imperiosiùs sæviùsque eos populos tractantes, commotione, cùm quidam tyrannus Mahometanus Momoianos ab rectâ in Deum fide metu minísque deduceret; Ioannes à Lusitanis derelictus, postquàm resistendo animadvertisset non posse adversus tyrannum prævalere, desperatâ corporum suorum salute, ad animos eorum quâcumque ratione servandos incumbens, uxorem cum parvulis liberis, ne propter infirmitatem naturæ vel ætatis de baptismi præmiis periclitarentur, in opinionis errore optimo utens animo, suâ ipse manu peremit; sibi quoque manus afferre paratus, nisi domesticorum interventu prohibitus fuisset: à quibus tyranno traditus, cùm de atroci facinore ab eo argueretur, suis quidem ab se egregiè consultum esse dixit, quorum sexus ætásque ab salutari Christi confessione abduci facilè potuisset: at sese, uti virum deceret, nec tyranni

[o] Maff. l.10.

minas horrere, neque extrema supplicia cruciatúsve Christi causâ defugere. Dignus profectò qui non in ultimâ barbarie, sed in mediâ Europâ nasceretur: quippe tam generosum ingenium, cultoribus peritis adhibitis, ad eximiam virtutum omnium frugem haud dubiè pervenisset. Sed hæc, ut diximus, posteà: quæ exempli parilitate superioribus hujus anni annexuimus.

XXXV.
[p] Barr. lib. 7. cap. 6. Osor. lib. 8. & 9. Maff. ibid. Marian. lib. 20. cap. 23.
LEGATIO REGIS ÆTHIOP. AD LUSIT.
[q] Infr. an. 1521. XII. & 1524. XV. &c.

De rebus autem hujus temporis, ex prædictis auctoribus [p] etiam intelligitur, venisse Goam legatum à Rege Æthiopiæ, seu Abassiæ, quem vulgò Pretejannem, seu Pretiosum-Ioannem vocant, nomine Matthæum, quem Barrosius patriâ Cairensem, professione mercatorem existimavit; Alij Armenium, & nonnulli monachum: ex literis autem & relationibus de quibus posteà [q], certum habetur, fuisse eum patriâ Armenium, & professione mercatorem; vocatúmque proprio nomine Abraham, sed Matthæi nomen sibi imposuisse, ut securiùs per fines Maurorum iter faceret: quem Regina Helena, avia Davidis Regis tunc adhuc pueri annorum circiter duodecim, singularis prudentiæ femina, ad Regem Emmanuelem mittebat, unà cum alio Æthiope ex Abassinâ nobilitate primario, pro amicitiâ cum illo contrahendâ, quam olim, ut vidimus, Ioannes Lusitaniæ Rex Emmanuelis decessor solicitè quæsierat. Et ut gratior fieret eorum legatio, arctiúsque jungeretur inter Reges amicitia, fidei pignus afferebant grande sacrosancti Ligni Dominicæ Crucis fragmentum quod Helena Emmanueli dono mittebat. Cujus causâ illos Albuquercius sacris cæremoniis, & solemni sacerdotum occursu Goæ recepit; & paulo pòst in Lusitaniam, ducibus & navarchis accuratè commendatos, transmisit; cum multorum aliorum Indiæ, illarúmque partium Orientalium Regum ac Principum, literis & ac legationibus ad eumdem Regem Emmanuelem, quà subjectionem, quà amicitiam offerentium. De Matthæi verò appulsu in Europam, dicetur posteà [r]. Interim verò hoc eodem tempore venisse dicitur [s] ad Iulium Romanum Pontificem, venerandus quidam pater Dominicanus ex Armeniâ, nomine Gregorius, electus Archiepiscopus Naxivanensis, postulans ut de se factam ab Armenis electionem comprobaret; asserénsque, in Armeniâ non esse sacerdotes nisi ex illo Ordine Prædicatorum: Cui Pontifex annuens, non solùm eum confirmavit, verùm etiam amplissimis privilegiis auxit, & muneribus donavit.

[r] An. 1514. VIII.
[s] Lean. lib. 3. de Vir. illust. Ord. Præd. Bzov. hoc an.
ARCHIEPISCOPUS ARMENUS ROMAM VENIT.

XXXVI.
[t] Ortel. in Theatr. Orb. ter.
FLORIDÆ INVENTIO.

Hoc eodem anno [t] terra *Florida*, Americæ pars ad septentriones obversa, ab Hispanis, duce *Ioanne Pontio* Legionensi, primùm inventa à plerisque ponitur. Gens penitùs barbara, & sordida, araneis, formicis, lacertis, serpentibus, ceterísque id genus venenatis insectis victitans; fusci coloris; ferri expers, sed auri dives. Quam Floridam inde nuncupatam volunt, quòd inventa primum fuerit ipso Palmarum die, quem vulgò Pascha Floridum appellant. Verum non à Pontio illâ primùm, sed jam ab anno 1496. à quodam *Sebastiano Gaboto* Veneto observatam auspiciis Henrici VII. Regis Angliæ, scribit, & testimonio Venetorum confirmat, Vrbanus Calvetus in tractatu suo Gallico de Novo [u] Orbe, quem collegit ex Hieronymi Benzonij Mediolanensis Historiâ Italice scripta de Indiâ Occidentali & Americâ, qui eam quatuordecim annis lustravit. Ceterùm cùm Pontius post eam primùm salutatam, à Rege Hispaniæ facultatem obtinuisset illius occupandæ, & Regis nomine administrandæ, ubi vix littus ejus contigisset, à pugnacibus barbaris oppressus est ac necatus. Quare multo tempore deinceps regio intacta remansit: donec anno 1534. permissu Caroli V. Ferdinandus Sotus cum magnâ militum manu in eam exscendens spe auri fodinas reperiendi; cùm non tantùm barbaros omni tormentorum genere, sed semetipsum quoque & socios irrito labore totos quinque annos fatigasset, pudore & mœrore suscepti infeliciter laboris contabescens, vitam finiit, sociis plerisque à barbaris occisis. Itaque cum visum esset mittere aliquos religiosos, qui salutaribus monitis gentem barbaram emollirent ad fidem recipiendam: anno 1549. Ludovicus Cancellus de Balvastro Dominicanus cum quatuor sociis in regionem appellens, mox à barbaris priorum tormentorum memoribus, discerptus est cum duobus sociis, reliquis duobus fugâ sibi consulentibus. Sicque res permansit, nemine ampliùs eam terram attingere auso; quousque anno 1562. à Gallis, ut dicetur, occupata [x] est.

[u] Calvet. lib. 2. ca. 1.

[x] Vid. inf. an. 1524. XX. & 1565. ad. fi.

XXXVII.
HERMANUS HÆRESIARCHA.
[y] Prateol. lib. 8. num. 10.

In Hollandia, seu Bataviâ hæreticus quidam, seu potiùs hæresiarcha, *Hermanus Rissuich*, cùm in multos errores olim lapsus, palinodiâ cantatâ ad perpetuos carceres damnatus fuisset anno 1499. inde elapsus, atque in priorem dementiam relapsus, præsenti anno Hagæ captus est; ac per hæreticæ pravitatis Inquisitores curiæ sæculari traditus, vivus exustus est. Recenset ejus errores Gabriel Prateolus [y] ex Bernardo Lutzemburgo: qui hi fuere: Angelos sive bonos sive malos à Deo creatos non esse: Animam per hominis mortem interire, sicut cum corpore incœpit; nullum esse Infernum: Materiam ex qua elementa facta sunt, esse Deo coæternam: Christum fuisse stultum, & simplicem phantasticum, seductorémque simplicium hominum; quinimmò damnâsse universum mundum, ac neminem salvâsse: Quæcumque is gessit, humano generi & rectæ rationi esse contraria, adeóque non esse omnipotentis Dei filium. Mosen à Deo modo visibili legem non accepisse, nec facie ad faciem ei locutū esse: Fidem nostram fabulosam esse; ut probat; aiebat) nostra fatua Scriptura, & ficta Biblia, ac delirum Evangelium: Evangelium falsum esse quòd qui potuit creare mundum sine incarnatione, potuerit quoque salvare sine incarnatione. Hos igitur, & consimiles articulos, cùm impius & impurus iste professus esset; addidit etiam, se quidem Christianum natum esse, sed jam à Christianissimo descivisse, quòd omnes Christianos amentissimos esse judicaret.

XXXVIII.
BAIAZETES A PROPRIO FILIO NECATUR.

Hoc item anno perfecit Selimus filius Bajazetis Turcorum imperatoris scelus, quod in patrem superiori occœperat. Cùm enim è fugâ per Iannizaros revocatus, à patre, vi per eosdem coacto, Imperij administrationem suscepisset; mox eidem Didymoticum Thraciæ urbem, in quâ natus erat, sese recipienti: ut reliquum vitæ ibi transigeret, venenū in itinere tradi jussit; quo mortuus est, & ad sepulturā Constantinopolim relatus ad monumentum, quod

sibi vivens in templo & xenodochio à se constructo paraverat. Fuisse namque eum veneno filij jussu dato sublatum, plerique auctores Christiani [z] affirmant: quamvis multi morbo, ætate, & mœrore confectum periisse velint; nihilque de eo Annales Turcici, qui reliqua diligenter referunt. Periit antem 9. Cal. Iulij, anno regni 31. septuagenario major. Regnúmque *Selimus* occupans, confestim adversus fratres Corchutem & Achmetem in Asiam progressus, utrumque variis modis de medio sustulit; unà cum ipsorum & aliorum fratrum defunctorum filiis, quotquot habere potuit: namque unum Achmetis filium, cui nomen Amurati, ad Ismaelem Persarum Regem confugisse ferunt, qui filiam suam ei uxorem dederit: alium Aladinum in Ægyptum ad Sultanum Mammalucorum, ubi paulò pòst ex febre obierit. In amicos etiam aliis atque aliis insidiis grassatus, nemini pepercit, ne illis quidem quos ipse sibi ante imperium proximos conjunctissimósque habuerat; veritus ne ab his aliquando circumveniretur, quibus animi sui motus perspectos exploratósque esse cognouerat. In Christianos tamen Græcos benigniorem se ostendisse, Zygomalas [a] ait, nonnulláque eis templa aperuisse, quæ pater ejus clausa tenuerat. Interrogatus verò aliquando, quare exemplo sui patris barbam non promitteret, respondisse fertur, ne pro libidine subditorum huc illúcque invitus abduceretur; quid verò pòst egerit, dicetur suis locis.

[z] Spandug. Iov. Ioan. Rom lib. 2. de reb. Turc. Leunclav. Pandect. cap. 21.

SELIMUS REGNAT.

[a] Turcogr. lib. 1.

IESU CHRISTI Annus 1513.

LEONIS X. An. 1.

MAXIMILIANI Ann. 20.

I. V. SESS. CONCILII LATERANENSIS.

ANNO Christi millesimo quingentesimo decimotertio, Indictione primâ, die Mercurij 14. Calendas Martij, celebrata est *Quinta Sessio* Concilij Lateranensis, præside, ob Iulij Pontificis ægritudinem, *Raphaele Riario* Cardinale Episcopo Ostiensi. Quâ post celebrata solemnia, lecta est ab Episcopo Cumano bulla Pontificia confirmationis Constitutionis [a] ejusdem Pontificis contra simoniacam pravitatem in electione Summi Pontificis. In quâ tamen nonnulla explicanda, aut emendanda, quibusdã è Patribus visum est: quæ in actis Concilij recensentur. Deinde lecta pariter alia bulla, de Pragmaticæ Gallicæ discussione, ob ipsius Pontificis infirmitatem, in Sextam Sessionem, tertio idus Aprilis habendam, differendâ. Sed rem mors Pontificis interrupit.

[a] Sup. an. 1505. I.

II. Cùm enim in consueto adversus Regem Galliæ ardore persistens, totus esset in impediendo, ne, quod ille meditabatur, principatum Mediolanensem recuperaret, ac Venetis fœdere jungeretur; eóque processisset, sicut scribit Guicciardinus [b], ut ad Regem Angliæ contra illum acriùs concitandum, decretum Concilij nomine composuisset, quo titulus *Christianissimi* in eum transferretur, Réxque Galliæ regiâ dignitate spoliaretur, & regnum proscriberetur, prædæque objiceretur: ne acerbior hujusmodi & præcipitia nimis consilia, quæ in homine ægritudine correpto magis ex phrenesi, quàm rationis judicio provenire existimari potuissent, foras erumperent; misertus ejus Dominus & orbis, ex hâc vitâ eum subduxit nono Calendas Martij, sexto die post Sessionem Concilij celebratam; lentâ tenacíque febre consumptum, quam Bembus [c] scribit contractam ex mœrore animi, quòd Venetos in amicitiam cum Maximiliano Cæsare reducere frustrà tentâsset; adeò violentis erat voluntatibus: sacramentis tamen Ecclesiæ religiosè acceptis; Cardinalibúsque monitis, ut successoris deligendi cura penes ipsos esset, non penes Concilium; & factiosis injuriarum sibi illatarum culpâ condonatâ, ita tamen ut electioni interesse non possent. De quibus ita pronunciâsse scribit Parisius Crassus Cæremoniarum Sacelli Pontificij Magister in suis Diariis: *Vt Iulius Cardinalibus indulgeo schismaticis; ut Iulianus* (quo nomine ante Pontificatum erat) *justitiæ rationem habendam judico.* Scribítque Ferronus [d], paucis ante obitum diebus vocem hanc ab eo auditam; *Accidisset utinam, iterum autem utinam, ne umquam Pontificatus infulas adeptus essem; aut arma in fœderatos vertissem in communes persuasionis sacrosanctæ hostes. Miseram sortem humanæ conditionis! aliquando tamen, idque serò agnoscimus, quid expedisset olim.* Nam & ejusdem Iulianæ pœnitentiæ testis est quoque *Guillelmus Budæus* Parisiensis, tunc regius Secretarius, posteà etiam libellorum Supplicum magister, in doctissimis suis Commentariis de Asse [e]; dum pari eloquentiâ ac vehementiâ in Iulium invectus, ob ea quæ contra Regem & regnum Galliæ patrâsset; denique ait, manum divinam ipsum ante mortem Titanici sceleris cordolio (ita enim uti se ait verbo comico in re prorsus tragicâ) tetigisse. Sed in eum, sicuti & pro eo, multi alij multa, etiam carmine & oratione. In id plerisque, etjámque modestioribus convenientibus; quamvis laudabilem se valdè in ditione Ecclesiæ recuperandâ, servandâ, augendâ ostenderit, excessisse tamen in multis officium Pontificis, & propensiori fuisse animo ad arma quàm sacra; ad turbas ciendas, quàm pacem conservandam. Sedit autem annos novem, menses tres, dies 21. vixit septuaginta, sepultúsque est in basilicâ sancti Petri.

[b] Guicc. lib. 11.

IULII II. OBITUS.

[c] Bemb. lib. 12. Hist. Ven. in fi.

[d] Ferron. in Ludov. XII.

EIUS POENITENTIA.

[e] Budæ. lib. 4.

III. IOANNIS MEDICEI ELECTIO.

Post cujus novemdialia peracta, ingressis viginti quatuor Cardinalibus Conclave; conspiratione factâ juniores, omissis senibus, quorum consilia ultimis temporibus juvenilia nimis experti fuerant; quasi experiri vellent num maturiora in juvenibus reperirentur; septimo die, nempè quinto Idus Martij creari curârunt *Ioannem Mediceum* Florentinum; quem anno superiori prælio Ravennensi captum, deinde liberatum, & Florentiæ pristinæ paternæ potentiæ restitutum vidimus: ætatis tempore electionis annorum triginta septem; natum videlicet Florentiæ tertio Idus Decembris anno 1475. patre Laurentio viro totâ Italiâ celeberrimo, matre Clarice Vrsinâ: Cardinalem Diaconum Sanctæ Mariæ in Dominicâ anno ætatis decimo quarto ab Innocentio Papa VIII. creatum [f]. Qui primâ ætate Angelo Politiano, Demetrio Chalcondyle, & Vrbano Bolzanio institutoribus usus, familiares item habuit Picum Mirandulanum, Marsilium Ficinum, Christophorum Landinum,

[f] Supr. an. 1489. III.

Ioannem Lascarem, & Marullum Tarchaniotam: adeò ut non solùm oratione, verùm etiam poësi excelluerit. Mutato de more nomine LEO dici voluit; ejus appellationis *Decimus* vulgo dictus, cùm ex iis quæ alibi [g] diximus, *Nonus* potiùs dicendus fuerit. Signúmque, sive symbolum sumpsit quo Alexander VI. usus fuerat, *Ad* [h] *Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit me.*. Presbyter & Episcopus à Raphaële Cardinale Ostiensi consecratus, & inauguratus decimoquarto Calendas Aprilis; tertio Idus, ipso anniversario die quo captus fuerat prælio Ravennensi, basilicam Lateranensem de more visitavit; tantâ pompâ, ut Romam post barbarorum inundationem eo die magnificentiorem splendidioremque non vidisse omnes faterentur: quo quidem centum aureorum millia ab eo effusa fuisse dicuntur, factâ etiam per vias ad populum pecuniarum largitione. Vectúsque item est eo ipso equo Thraicio, quo prælio adstiterat; quem ab hostibus pecuniâ redemptum ita adamavit, ut posteà usque ad extremam senectutem summâ curâ ali voluerit. Denique eo spectaculo Alfonsus Dux Ferrariæ, qui eadem pugnâ contra ipsum steterat, & tot vexationibus à Iulio agitatus fuerat, magnâ ejus clementiâ fretus Romam appulsus, & interdicti suspensionem adeptus, Pontificium vexillum prætulit: Rhodiorum verò militum signum, honoratiori [i] loco de more, Iulius Mediceus, Leonis patruelis, armatus generoso equo insidens, qui paulò pòst factus Cardinalis, fuit etiam demùm Pontifex Clemens Septimus. Ex Leonis autem assumptione universa Respublica Christiana maximam percepit voluptatem, quòd tum ex patris clarâ virtutis memoriâ, tum ex ipsius liberalitatis comitatísque famâ, tum etiam quia castus, atque optimis moribus præditus habebatur; tum item quod paterno exemplo eruditorum, omniúmque illustrium ingeniorum amans futurus sperabatur, sicuti & fuit, illum præstantissimum Pontificem fore persuasum erat. Eius vitam prolixè ac luculenter Iovius conscripsit: sed nos Guicciardino tutiùs in rebus publicè gestis inhæremus.

LEONIS X. NOMEN ACCIPIT.

[g] Epit. Baron. an. 963. 111.

[h] Psal. 119.

[i] Vid. Bos. Hist. Hospital. to. 2. lib. 18.

EJUS MORES.

IV. CARDINALES SEGREGES AD LEONEM EUNT.

Ejus Pontificatû ab ipso illius initio visus est Deus suo nutû probare, ut Guicciardinus ait: quoniam quarto die postquàm assumptus fuerat, Cardinales abdicati S. Crucis & Sanseverinus in ejus potestatem venerunt. Qui Iulij morte auditâ, Lugduno, unà cum Galliæ Regis legato, mari Romam contendentes ut Pontificis creationi interessent; intellectâ in portu Liguini Leonis assumptione, ejúsque lenitate freti, nullâ aliâ cautione quæsita, spontè Pisas sunt profecti: ibique honorificè excepti, ac deinde Florentiam perducti, honestè ita custoditi fuerunt, ut discedendi facultatem non haberent, monente eos benignis verbis Pontifice, ut propriæ securitatis, & Pontificatûs tranquillitatis causâ, donec quo pacto illis Romam esset veniendum decerneretur, Florentiæ morarentur, Cardinalatûs insignibus abstinentes. Ita namque rem contigisse tradit Guicciardinus, qui tum Florentiæ erat. Cùm nihilominus sint [k], qui velint hos Cardinales ad Arni fluminis fauces à militibus captos Pisas abductos esse, indéque Viterbium, ac demùm in civitatis Castellanæ arce inclusos, ubi è vinculis causam dicturi essent. Verùm illos non ex eâ arce, sed ex urbe Florentiâ Romam posteà ductos esse ad pœnitentiam profitendam, disertè traditur in actis palinodiæ ipsorum. Nec aliter Iovius, nisi in portum Pisanum delatos, retentos esse in liberâ custodiâ. Isti autem alij Iulium adhuc iracundum atque rixosum repræsentare quærunt, non Leonem mansuetum atque pacificum.

[k] Marian. lib. 30. cap. 18.

V. BELLA ITALICA

Erant tamen adhuc res eo statû, ut magis ad bellum quàm pacem inclinare viderentur eò quòd ipse Pontifex recuperare cuperet Placentiam & Parmam, quas Hispani confestim à morte Iulij sub Mediolanensis Ducis imperium, ut aliquando fuerant, redire coëgerant: Maximilianus Cæs. Veronam Venetis restituere recusaret, ac Veneti nullâ aliâ conditione cum eo pacisci adduci possent: induciæ inter Ludovicum & Ferdinandum Reges de regnis Galliæ & Hispaniæ in annum pactæ, timorem Gallicorum armorum in Italiâ renovarent: auctúsque ille vehementiùs esset ob fœdus inter eumdem Ludovicum & Venetos ictum donec recuperâsset Ludovicus principatum Mediolanensem & Genuensem, ac Veneti ea omnia quæ ante fœdus Cameracense in Longobardiâ & Marcâ Tarvisinâ possidebant. Factúmque brevî est, ut missis à Rege copiis, & Genua, & Mediolanum, aliáque omnia quæ anno superiori amiserat facilè in ejus potestatem redierint, præter Novariam & Comam: Ipsiúsque exercitu in obsidione Novariæ, ab Helvetiis nocte diei sextæ Iunij erumpentibus grandi clade profligato; eadem facilitate iterum ab eo defecerint: ac Veneti quoque multas urbes Hispanorum incursione amiserint, víxque Patavium & Tarvisium conservârint. Quæ omnia uti se habuerint descripsit Guicciardinus. Iovius mendacia quædam de more immiscuit: quæ diluta apud Belcarium [l] reperies, cujus pater prælio huic Novariensi interfuit. Extántque insuper apud Bembum [m] Leonis Pontificis literæ ad Helvetios gratulatoriæ de victoriâ, quibus eos Libertatis Ecclesiasticæ defensores appellat: aliæque [n] ad ducem Mediolanensem, Proregem Neapolitanum, & Cardinalem Sedunensem, ingentis suæ lætitiæ testes.

[l] Belcar. lib. 14.

[m] Bemb. 4. ep. 1.

[n] Ibid. 3. ep. 1. & 5. ep. 21.

VI. VI. SESSIO CONCILII LATERANENSIS.

Dum autem res bellicæ ita procederent, Synodales Concilij Lateranensis initam agendi viam, ob Sedis Apostolicæ vacationem, nonnihil remiserunt. Quamvis enim decreverit omninò novus Pontifex Concilij prosecutioni insistere, nihilominùs quoniam Sexta ejus Sessio indicta fuerat à Iulio in tertium Idus Aprilis, eúmque diem ipse Leo solemni Lateranum aditioni æquâ de causâ selegerat: pridie ejus diei, nempè 4. Idus Aprilis edicto facto eamdem *Sessionem Sextam* in Mercurij diem vigesimam septimam ejusdem Aprilis remisit. Quâ, præsidente ipsomet Pontifice, post solemnia consueta, lectum est mandatum procuratorium Reipublicæ Florentinæ, suis oratoribus datum, assistendi Concilio ejusque decretis adhærendi. Deinde petita est à procuratore Concilij citatio contra Gallos contumaces in causâ Pragmaticæ: sed nihil Pontifex respondit;

quod videlicèt mitiùs cum eis agendum existimaret. Postremò exclusis omnibus quibus facultas non erat deliberandi in Concilio, Pontifice ceterísque omnibus sacris vestibus indutis & mitratis, lecta est ab Archiepiscopo Rheginensi bulla Pontificia, sacro approbante Concilio: quâ Pontifex Concilium, & quæ in eo hactenùs gesta essent, approbans, declaravit decrevisse se illud usque ad perfectionem causarum propter quas indictum fuit, ac præsertim pacem & concordiam inter principes Christianos, prosequi Saluúmque conductum, ut vocant, omnibus accedere obligatis concessit, ac Septimam Sessionem in decimum Calendas Iulij indixit. Consequentibus interim diebus designati sunt nonnulli Prælati graves & docti, qui unà cum Cardinalibus coram Pontifice tractarent de iis quæ essent in Concilio proponenda. Ac die vigesima Maij prorogata fuit Sessio septima ad decimumquintum Calendas Iulij, ob adventum oratorum Sigismundi Regis Poloniæ, qui propediem expectabantur. Tertio verò Iunij Prælati in tres classes divisi sunt, in quarum unâ tractarentur ac digererentur ea quæ spectabant ad pacem Principum, & extirpationem schismatis: in alterâ, quæ ad fidem: in tertiâ, quæ ad reformationem & abolitionem Pragmatiæ Sanctionis.

VII. VII. SESSIO.

Die igitur decimaquintâ Calendas Iulij, quæ fuit feria sexta, celebratâ *Sessione septima*, ipsomet præsidente Pontifice, lectum est mandatum procuratorium Sigismundi Poloniæ Regis, datum Ioanni Laskeo Archiepiscopo Guesnensi Poloniæ Primati, & Stanislao de Ostronog Palatino Calissiensi, pro obedientiâ Leoni Pontifici præstandâ, Concilio approbando, eíque ipsius nomine assistendo. Quos & prætereà mandatum accepisse de defendendâ Polonorum causâ, in controversiâ quæ inter ipsos & Cruciferos erat, sæpius agitatâ sopitâ, & innovatâ, de juribus utrorúmque, pro quibus cruentissima frequentissimáque gesta fuêre bella; intelligitur ex eorum historicis, Iodoco Decio [o] & Bernardo Vapovio [p], qui interfuerunt. Vertebatúrque tunc lis inter Sigismundum Regem, & Albertum Brandeburgensem ipsius nepotem, Magistrum Theutonicorum anno elapso electum, juramentum ei præstare recusantem. Cui cùm patrocinaretur Maximilianus Cæs. (uti & plerumque fecerant ceteri Imperatores contra potentiam Polonorum) hoc etiam tempore fœdus aduersus illos cum Basilio Magno Moscoviæ Duce Græcorum Schismati addictissimo percussit, spémque injecit coronam regiam, quam postulabat, tribuendi; & artifices fundendorum tormentorum bellicorum suppeditavit; quibus ille Smolenskum cepit, & Sigismundum Poloniæ Regem ad justum bellum excitavit. Ita namque Maximilianus, dum ex unâ parte Schismati Pisano, cujus excitandi unà cum Ludovico Galliæ Rege auctor fuerat, renunciaret, ex aliâ Græcanico conjunctus est fœdere. Vt autem controversias suas Poloni atque Cruciferi Concilio Lateranensi dijudicandas remitterent, Leo diversis litteris ad utrosque scriptis, quæ apud Bembum [q] earum compositorem extant, hortatus est.

DE CAUSA POLONORUM ET CRUCIFERORUM.

[o] *Dec. in Reb. gest. sub Sigis*

[p] *Vapov. in Fragm.*

[q] *Bemb. Epist. lib. 1. & 2.*

VIII.

Sed quod rursùm ad Sessionem Concilij attinet; post lectum mandatum Regis Poloniæ, alia similia exhibita fuêre Maximiliani Ducis Mediolani, Francisci Marchionis Mantuani, Stanislai & Ioannis Ducum Mazoviæ Russiæque, suis quibusque oratoribus tradita. Iísque finitis, lecta fuit scheda à Bernardino Carvajale & Francisco Sanseverino olim Cardinalibus, de quorum Florentiæ detentione dictum est nuper, oblata de schismatis abjuratione; eorum manibus subscripta: quâ suppresso Cardinalium nomine, Conciliabuli Pisani quæcumque acta & decreta damnabant, Concilij Lateranensis comprobabant, Pontifici Leoni obedientes futuros promittebant, séque jure à Iulio & Concilio è Cardinalium numero expunctos fatebantur. Quorum causa apud Pontificem agitata, cùm dilata aliquantum fuisset, ob Maximiliani & Ferdinandi oratorum, & Cardinalium Eboracensis Angli & Sedunensis Helvetij intercessionem, qui Novatiano penè spiritu, tam perniciosi execrandíque delicti auctoribus veniam minimè concedendam esse contendebant; quòd id esset portam aperire ad ejusmodi facinora perpetranda, spémque veniæ posteris monstrare: nihilominùs Pontifex Apostolicâ sapientiâ atque clementiâ, Pisani Conciliabuli nomen benignitate faciliùs quàm severitate extingui posse ratus, & ne Galliæ Regis, qui vehementer pro eis deprecabatur animum irritaret, in mitiorem sententiam inclinans, illorum deprecationem coram Concilij patribus legi voluit; restitutioni aliâ die assignatâ.

CARDINALES SEGREGES VENIAM IMPLORANT.

IX.

Qui cùm etiam pro suâ prudentiâ, quâ schismatis illius extinctionem ex Galliæ Regis arbitrio pendere animadvertebat, multis artibus ejus animũ placare nisus esset, ut (Guicciardinus narrat) tum excusans de pecuniâ, quam ad evocandos contra eum Helvetios contribuisse dicebatur; tum significans molestissimè se ferre quòd per ejusmodi ipsius patrocinium Ecclesiæ dissidij, facultas sibi adimeretur ostendendi quantam suâ naturâ ad ejus amicitiam propensionem haberet; donécque ad Ecclesiæ unitatem rediret, Sedis suæ personæque consideratione prohiberetur eum uti Christianissimum Regem & primogenitum Ecclesiæ filium agnoscere: hâc benignitate effecerat, ut Rex, qui & alioqui proprij commodi gratia, regni sui cum Ecclesiâ Romanâ concordiam, ab universo regno vehementer flagitatam, & ad quam maximè à Reginâ incitabatur, exoptabat; Massiliensem electum Episcopum Claudium Seissellum, ad tractandum de hisce rebus cum Leone ad eum mitteret. Ad cujus adventum Pontifex, Concilij Lateranensis decreto, Gallis Episcopis, aliísque Antistitibus quos tanquam seditiosos Iulius minis ac denunciationibus persecutus fuerat, terminum citationis & monitionis iis factæ, usque ad primam Sessionem post Calendas Novembris proximi prorogavit, promulgato eâ de re in eadem septimâ Sessione decreto. Quo etiam contra Officialium Romanæ Curiæ extorsiones constituti sunt examinatores: & ad Reges ac Principes Christianos decreti legati & nuncij, qui eos pacem & concordiam hortarentur: denique

LEO BENIGNE CUM REGE LUDOVICO AGIT.

REX ORATOREM MITTIT AD EUM.

ob calores æstivos imminentes, qui remorari possent adventum Prælatorum ad Concilium, Sessio Octava indicta est in 16. Calend. Decembris. Quæ tamen postea prorogata est primò in 17. & posteà in 14. Calendas Ianuarij; ut apparet ex actis Concilij.

X. MODUS RESTITUTIONIS CARDINALIUM SEGREGŨ.

Quod verò restitutionem Cardinalium Carvajalis & Sanseverini spectat; fuit illa in hunc modum facta. Cùm noctu privato habitu Romam ingressi, & in palatium Vaticanum deducti fuissent; sequenti mane, die vigesimâ septimâ Iunij, coram Pontifice in Senatu Cardinalium Pontificio habitu sedente, habitu clericorum sæcularium coloris violacei se sistentes, infinitâ hominum multitudine ad spectaculum concurrente; genibus in terram positis, aliam ab illâ quæ in Concilio lecta fuerat, plenioremque schedulam altâ voce legerunt, eique propriis manibus publicè subscripserunt: hócque facto, à Pontifice solemniter ab omnibus censuris ac pœnis absoluti, & communioni Ecclesiæ, dignitati Cardinalatûs eodem gradu & loco quo priùs fuerant necnon beneficiis Ecclesiasticis, de quibus per Sedem Apostolicam non fuisset aliàs dispositum, plenissimè restituti, ac purpureis vestibus Cardinalitiis induti; admissi sunt à Pontifice ad osculum pedis, manûs, & oris: móxque ad Cardinales accedentes, qui tum non priùs assurrexerunt eis, singulos osculati sunt. Propositâ demùm quâdam actione, votum suum dederunt. Acceptáque pœnitentia, ut singulis hebdomadibus toto tempore vitæ suæ unâ die jejunarent, admissi sunt ad convivium Pontificis. Extant [r] rei gestæ Acta publica, unà cum ipsis prædictorum Cardinalium palinodiæ, & Pontificis absolutionis formulis: ex quibus rem breviter Guicciardinus retulit, confirmantúrque literis, quibus postridie, nempè quarto Calendas Iulij, Pontifex Maximilianum Cæs. de his certiorem fecit; quæ apud Petrum Bembum [s] ejus tunc Secretarium, patriâ Venetum, virum doctissimum,& eloquentiæ Ciceronianæ summũ imitatorem, posteáque Cardinalem reperiuntur.

[r] *Rer. integr. Bzov. ex Act. Concil. Lateran. & Diar. ms. Paris. de Grass.*

[s] *Bemb. 3. Ep. 21.*

XI.

Hâc restitutione Pontifex [t] saltem ex parte Regi Galliæ satisfecit: sed aliis in rebus nequaquàm satisfaciebat, quia pacem inter Cæsarem & Venetos solicitè procurabat, quæ non poterat non esse contra Regis consilia. Quinimmò cum Veneti constantissimè omnem concordiam recusarent; nisi receptis Vicentiâ & Veronâ quas Cæsar detinebat; ab eodem Cæsare pertinaciter idem Leo solicitatus, ducentos gravis armaturæ equites contra Venetos, invitus licèt ei suppeditavit. Patavij post hæc ab Hispanis & Germanis, urgente Gurcensi, suscepta obsidio paulò pòst soluta est. Ac nihilominùs Alvianus, sive Livianus Venetorum exercitûs imperator, opportunam sibi oblatam occasionem hostilis excercitûs locis angustissimis delendi, imprudentiâ suâ atque temeritate corrumpens: funestissimo prælio ad Creatiam non longè à Vicentiâ Nonis Octobris cæsus ac fugatus est. Post pugnam re ad pacis consilia, quæ apud Pontificem tractabantur, delatâ; ad eum Episcopus Gurcensis, eo præsertim nomine, ut ei Cæsaris & Caroli Archiducis ipsius nepotis nomine obendientiam exhiberet,

[t] *Guicciard. lib. 11.*

DE CARDINALATU EPISCOPI GURCENSIS.

pervenit: etsi, ut olim, in Italiâ Cæsaris Vicarius, haud tamen consueto fastu, sed modestè Vrbem ingressus: qui neque in itinere Cardinalis insignibus Pongibonxium usque à Pontifice ad se missis, uti voluerat. Ita namque Guicciardinus. Ex quibus intelligas, (quod jam aliàs [u] quoque monuimus) hallucinatos videri, qui Gurcensem ante biennium creatum esse Cardinalem à Iulio Papa scripsêre. Quinimmò nec omninò à Iulio creatum esse: quamvis id alij, quando tantâ pompâ eum Romæ excepit [x], factum velint. Vt quid enim hactenùs ejus dignitatis insignibus homo tanti fastûs uti cessâsset? Nisi fortè quis dixerit, nominatum fuisse absentem à Iulio extremo Pontificatu, & à Leone insignia accepisse. Certè in literis Bembi [y], nomine Leonis ad ipsum hoc anno Nonis Novembris scriptis, Cardinalis indigitatur; quamtumvis inter epistolas Petri Martyris Anglerij [z] Mediolanensis, unam repererimus ad eum scriptam tertio Calendas Ianuarij anno millesimo quingentesimo decimoquinto, qua eum tantummodò vocat Cardinalem electum. Quem quidem nomine & cognomine *Matthæum Langum ab Vvelenburg* dictum, patriâque Augustanum, nonnulli familiâ vili, plures nobili ortum volunt. Quòd autem nondum presbyter esset, sed tantùm electus ad Episcopatum Gurcensem, factus est Diaconus Cardinalis S. Angeli in Foro Piscario: qui & posteà fuit Episcopus Albanus, atque etiam Archiepiscopatum Salisburgensem obtinuit: vitámque produxit usque ad annum Christi millesimum quingentesimum quadragesimum.

[u] *Supr. an. 1511. IV.*

[x] *Supr. ann. 1512. XVIII.*

[y] *Bemb. 5. ep. 32.*

[z] *Angler. ep. 500.*

XII. DISSIDIA CÆSARIS ET VENETORUM.

In ejus adventu Pontifex, ab ipso & Venetis oratoribus omnium controversiarum, quæ inter Cæsarem & ipsorum Rempublicam erant arbiter est constitutus: sed nomine potiùs quàm re, cùm neuter tanti rem momenti suspecto arbitrio, nisi fide seorsùm accepta haud ipsum absque eorum consensu sententiam laturum committere voluisset. Cùm autem imprimis Pontifex edicto promulgato arma vtriusque partis suspendisset, etsi id omnes hilari fronte comprobarint, malè tamen à Cardonio prorege Neapolitano servatum est, qui Venetorum terras vastare nihilo minùs cessavit. Nec compromissum feliciorem exitum sortitum est, quoniam Cæsar nullam aliam pacis rationem, nisi aliquas urbes retineret, & pro reliquis magnam vim pecuniæ acciperet admittebat, & contra Veneti omnes urbes petebant, & exiguam pecuniam offerebant.

XIII. LUDOV. REX INVADITUR A CÆS. ET ANGLO.

Dum autem hæc in Italia gererentur, ubi nihil ampliùs Ludovicus Rex Galliæ, quam Laternam Genuensem obtinebat; idem in suâ Galliâ non parvas ærumnas passus est à conjuratione in ipsum à Maximiliano Cæs. & Henrico Angliæ Rege factâ: qui mense Iulio junctis viribus Taruanam in Morinis obsederunt; ac post duorum circiter mensium oppugnationem, deditione acceperunt; postquàm Gallos à commeâtus introductione negligenter de more redeuntes, ad Huchinum pagum pugnâ *Calcariorum* dictâ; eò quod calcaribus magis quam armis pugnârint, (si tamen pugna dicenda fuerit, quæ potiùs

dispalatorum dissipatio fuit, captis tamen Duce Longavillæ, Bajardo, & nonnullis aliis) fugassent: eamdémque præter deditionis conditiones exciderunt. Indéque Tornacum, quæ in medio Belgio Regi parebat, exercitum Henricus ducens, (Maximilianus enim magis stipendiarius [a] ejus erat, quàm socius: adeò ut ipsemet in privatum mensæ suæ sumptum, putidâ ac sordidâ vilitate, centum singulis diebus aureos ab Henrico reciperet:) eam quoque amplissimam civitatem deditione accepit: nihilque prætereà tanto exercitu quem ad octoginta peditum equitúmque tam Anglorum quàm Germanorum milia ascendisse, Guicciardinus [b] publicâ famâ jactatum ait, quo vniversam Galliam opinione deglutiverat, dignum agens, instante hieme in Angliam rediit. Liberatâ quoque eodem tempore Gallia ab aliâ non minùs periculosâ Helvetiorum incursione: qui exercitu viginti millium Divionem Burgundiæ primariam urbem obsidentes, quibusdam cum Tremolio qui eam propugnabat pactis deliniti, quibus deberet Rex Concilio Pisano & juribus Mediolani renunciare, (jam enim Helvetij non solùm hujus principatus velut tutores, sed etiam Ecclesiæ Romanæ protectores sese gerebant (ingentémque pecuniam certis terminis solvere, ad sua se receperunt, grandi regni commodo: quamquam pacta minùs grata Regi fuerunt; præter illud Concilij, cui postea satisfecit. Liberatam verò fuisse civitatem eo periculo ope & auxilio beatissimæ virginis, cujus sacram Imaginem *Bonæ spei* dictam, miraculisque celebrem, magnâ cum devotione, & reverentiâ cives solemni processione detulerint; est firmá fides illius populi: qui etiamnum in tanti beneficii memoriam per singulos annos simili die eam Imaginem celebri processione deferre consuevit.

[a] *Belcar. lib. 14. §. 45.*

[b] *Guic. lib. 12.*

ITEMQUE AB HELVETIIS.

SACRA IMAGO BONÆ SPEI DIVIONNSIS.

XIV. IACOBI IV. REGIS SCOT. EXITIUM.

Ne verò & in sociis meliorem fortunam Ludovicus Rex experiretur; quem unicum habebat Iacobum IV. Scotiæ Regem, etiam amisit: cùm is ex vetusto utriusque gentis fœdere suppetias laturus Gallis, ut vires Anglicas inde averteret, in Angliam cum exercitu ingressus, prælio ad Tyllum flumen, & montis Flaudonis radices quinto Idus Septembris inito, (cui etiam Reginam ipsam Angliæ Catharinam interfuisse, Guicciardinus scribit: sed nihil de eo Angli & Scoti auctores, quibus res notior esse debuit:) sive viribus superior, ut Angli, sive inferior, ut Scoti, sive suâ culpâ & temeritate, sive suorum negligentiâ & ignaviâ; denique sive suorum majori sive minori cæde; periit. Sic enim Angli [c] & Scoti [d] in suorum quique aut laudationem aut excusationem variant: cùm nihilominùs certum sit, longè lamentabiliorem fuisse Scotorum cladem, cæsis Archiepiscopo Santandreano, duobúsque aliis Episcopis, quatuor Abbatibus, multis proceribus, & grandi nobilitate; ex Anglis autem nonnisi gregarij ferè milites ceciderint. Nam quòd Regem spectat, majus quoque discrimen est inter Anglos & Scotos, dum Angli prælio occisum esse volunt & inter mortuos repertum ejus cadever: Scoti autem, fuisse id corpus cujusdam nobilis Regi vultu & statutâ persimilis: Regem autem incolumem evasisse, & peregrinatum Ierosolymam abiisse, voti solvendi causâ, quo se ad eluenda peccata obstrinxerat. Polydorus, corpus Londinum delatum esse ad cœnobium Carthusianorum: Scotus [e] auctor, in Angliam interiorem comportatum, in capsâ plumbeâ insepultum servatum esse, quod arma sacrilega contra Romanum Pontificem tulisset: aut ut, alij affirmabant, quòd homo perjurus contra fœderis leges bellum Anglis intulisset: à quo tamen utroque crimine eum penitùs immunem extitisse idem auctor testatur. Quòd autem carissimus suis esset ob multas virtutes quibus præditus erat, ideò ejus amissi tantum remansit apud eos desiderium, quantum nullius unquam Regis. Vixit autem quadraginta circiter annos, regnavit viginti quinque. In cujus locum filius ejus *Iacobus* ejus nominis V. sesquiannum dumtaxat agens, in Regem coronatus est, sub matris tutelâ, quæ soror erat Henrici regis Angliæ, quæque à fratre impetravit, ne tunc Angli eo rerum statu Scotiam invaderent. Vt autem consuevit in ejusmodi tenellâ Principum ætate, confestim ortæ sunt in regno divisiones; donec Dux Albanius, ad quem regni hereditas, si quid puero secùs accidisset, pertinebat, è Galliâ in Scotiam altero pòst anno appulit, qui regni administratione susceptâ, Reginam jam alteri viro Archimbaldo Anguliæ Comiti nuptam ab eâ repulit: ac nihilominùs eo rursùm absente, Regina denuò administrationem resumpsit; & cum viro de summâ rerum, ac Regis possessione rixata, divortium ab eo fecit auctoritate Archiepiscopi Santandreani, alterique nupsit: ac multi prætereà motui excitati, multa bella ac certamina tam inter ipsos Scotos, quàm etiam cum Anglis orta: quousque Rex ipse adminstrationem regni suscepit anno Domini 1528. ætatis suæ decimoseptimo. Quæ pluribus tractant eorum historici.

[c] *Polydor. lib. 27.*
[d] *Lesle. lib. 8. Buchan. lib. 13.*

[e] *Buchan. ibid.*

IACOBUS V. REX SCOTIÆ.

Victoriam hanc Anglorum Henrico Regi Leo Pontifex gratulatus est quinto Idus Octobris literis quæ aqud Bembum [f] extant: quamvis sibi permolestum fuisse dicat, tantùm Christiani sanguinis effusum esse, Christianúmque Regem egregij nominis sororis ipsius virum Christiani Regis sibique conjunctissimi ferro confossum cecidisse: hortatúsque est ad arma deinceps in Turcos Christianitatis hostes convertenda. Æquiori longè animo quàm fuit Christophorus Cardinalis Anglus, qui accepto Romæ victoriæ nuncio, Missam solemnem in gratiarum actionem celebrari curavit, cui quinque alij Cardinales Regi Angliæ adhærentes interfuerunt: sed inscio Pontifice, ut Paris de Grassis Episcopus Pisauriensis magister cæremoniarum Apostolicarum narrat in suis Diariis: dicens rogatum se fuisse ab eodem Christophoro munere suo eo sacro fungi: cúmque ipse negaret posse gratias publicè agi Deo ubi sanguinis Christiani effusio intervenit, quin potiùs exequias sacras pro animabus fidalium defunctorum celebrandas esse; nec moris esse diceret Romanæ Ecclesiæ, gratias agere nisi pro victoriâ de infidelibus partâ, aut de hostibus Ecclesiæ induratis, & nominatim ab ecclesiâ æternæ

XV.

[f] *Bemb. 5. ep. 19.*

DE QUALIBUS VICTORIIS GRATIÆ DEO REDDENDÆ.

damnationi traditis, quod de Rege Scotiæ non constabat, licèt fuisset Regi Galliæ hosti Ecclesiæ fœdere junctus: finxisse Anglum, (quæ est fides ingeniorum turbidorum) Scotiæ Regem fuisse speciatim, æquè ac Ioannem Navarræ, sententiâ Iulij damnatum: Cùm verò rursùm auditâ Venetorum clade Creatianâ, de quâ nuper diximus, voluissent Cardinales & oratores Hispani ac Germani simile sacrum celebrare; obstitisse acriùs Paridem, quòd Veneti non essent hostes Ecclesiæ declarati: celebrâsse nihilominus illos, sed non tantâ solemnitate: Denique Pontificem de his à Paride consultum, prohibuisse nequid ejusmodi deinceps à Cardinalibus fieret, quod non priùs vidissent à Pontifice factum: permissum tamen esse, ut ante ædes proprias privatim signa lætitiæ noctis crepusculo facerent. Publica verò jure merito idem ipse Pontifex ad finem Augusti egerat de victoriâ Ladislai Hungariæ & Boemiæ Regis contra Turcos Illyricum vastantes; ut idem Paris [g] refert. Rursúmque alia pro victoriâ ab Emmanuele Lusitaniæ Rege per suos duces in Africâ obtentâ in expugnatione urbis Azamorij aliarúmque: de quâ certiorem Rex Pontificem fecerat per literas [h] pridie Calendas Octobris scriptas. Solemnitatem porrò à Pontifice peractam, idem Paris in suis Diariis memorat. Quâ etiam concionator egregius orationem de laudibus Emmanuelis habuit; quòd eo tempore, quo reliqui Principes Christiani odiis acerbissimis in mutuam perniciem ruebant, ecclesiam pessumdabant, intestinísque seditionibus hostium vires amplificabant, solus Emmanuel pro Christi gloriâ bella susciperet, & Christiani nominis hostes in India & Mauritaniâ profligaret.

VICTORIÆ DE INFIDELIBUS PARTÆ.

[g] *Paris in Diar. MS. Isthuanff. Rer. Hungar. lib. 4. in fi.*
[h] *Th. 2. Rer. Hisp. Osor. lib. 9.*

XVI. FERDINANDI ARAG. FIDES SUSPECTA.

Ceterum post Regis Angliæ è Galliâ recessum, Ludovicus Rex nihilo ferè minus in metu futurarum anno proximo tempestatum à Cæsare & Angliæ Rege perseveravit: veritus insuper ne & solitis artibus Ferdinandus Aragonius, qui variis modis inducias cum ipso Ludovico factas apud illos excusaverat, unà cum illis arma caperet. Fuerant enim (ut Guicciardinus narrat) literæ ejus ad Cæsarem interceptæ; quibus animum à bello contra Infideles, & expeditione Ierosolymitanâ, cujus se vehementi desiderio ardere præseferre consueverat, admodùm alienum ostendens, proponebat ut conjunctis viribus operam darent, quo Mediolanensis principatus, ad Ferdinandum communem nepotem, Caroli Archiducis fratrem natu minorem perveniret: sic enim ipsos reliquæ Italiæ legem daturos, & Cæsari, auxiliis præsertim suis conjunctis, quod post uxoris obitum semper exoptaverat, Pontificatum adipisci facile fore: quo adepto, Cæsaream coronam Archiduci traderet: res tamen adeò graves, nisi tempore & occasione haud perfici posse. Ita ille: quibus sanè profunda nobis Catholici nomen gerentis Regis consilia detegit. Et tam crassâ mente fuisset orbis Imperator, ut his ineptis dolositatibus aures præberet, aut fidem haberet? Apage.

XVII. Tot autem cladibus & angustiis, vexatus Rex Ludovicus, ad cor demùm reversus, decrevit Pontifici in Concilij Pisani abdicatione assentiri: ad id vel maxime inductus unanimi populorum suorum desiderio Ecclesiæ Romanæ reconciliari summoperè cupientium, atque Annæ Reginæ, quæ semper ab his dissidiis alienissima fuerat, precibus. Quare in *Octavâ Sessione* Concilij Lateranensis, quæ habita fuit die Lunæ decimoquarto Calendas Ianuarij, cui præfuit Leo ipsemet Pontifex, interfuerúntque Cardinales viginti tres, Archiepiscopi & Episcopi noginta tres, Abbates quinque, Generales Ordinum quinque, oratorésque Cæsaris, Regum Galliæ, Hispaniæ, Reipublicæ Venetæ, Ducis Mediolanensis, & aliorum; post peracta solemnia, lectum fuit Mandatum Regis Francorum, datum Friderico Cardinali Sanseverino, Claudio Seissello electo Episcopo Massiliensi, ac Ludovico Forbin domino de Soleriis procuratoribus suis ad hoc constitutis: quo narratis breviter quæ sub Iulio facta fuissent in causâ dissidij inter ipsos a malevolis suscitati, & Concilij Pisani à nonnullis Cardinalibus ad id se facultatem habere asserentibus, de consensu & auctoritate Maximiliani Imperatoris electi, convocati; cui & Rex ipse adhæsisset, & per suum regnum locum habere permisisset; non quidem ut sanctæ Sedi Apostolicæ, aut sanctæ Romanæ Ecclesiæ scissuram aliquam inferret, sed prædictorum consiliis & suasionibus inductus, & quia causæ propriæ, per quas ad id faciendum motus fuerat, personam Iulij, à quo provocatus fuerat, præcipue respiciebant: subdebatur, Regem, cum audisset Iulium vitâ functum esse, & Leonem ejus loco electum æque Concilium Pisanum, ejusque omnia gesta damnasse, & Lateranense comprobasse, fuisséque ipse Rex ab illo tam literis quam aliis diversis modis paternè admonitus, à dicto Pisano recedere: & Lateranensi Oecumenico adhærere. Idcircò pro singulari quam erga illum & sanctam Sedem Apostolicam gereret devotionem, vestigia Christianissimorum Franciæ regum decessorum suorum non solùm imitari, verùm etiam si fieri posset anteire cupientem, atque etiam animadvertentem per mortem Iulij omnis odij & suspicionis fomitem esse extinctum, nonnullósque ex Cardinalibus, necnon Imperatorem electum, qui prætentum Concilium Pisanum indixerant, jam illi renunciâsse; ac Lateranensi adhæsisse: se quoque prædictis suis procuratoribus mandatum dare, ut suo nomine à dicto prætento Pisano penitùs discedant, ac planè renuncient, & purè, liberè, ac simpliciter sacrosancto Lateranensi, tamquam vero, unico & legitimo adhæreant. Quod cùm ipsi præstitissent in palatio Apostolico coram Pontifice & aliquot Cardinalibus, ac testibus ad hoc vocatis, die sextâ Octobris; promisisséntque insuper, effecturum Regem ut sex Prælati, & quattuor Doctores ex præcipuis qui Pisano interfuissent, ad Pontificem nomine ejusdem Pisani, eorúmque qui ei adhæsissent, intra Calendas Ianuarij venirent, qui illud abjurarent, & veniam atque absolutionem à suâ Sanctitate postularent, & Concilio Lateranensi adhærerent: Itémque quamprimùm commodè fieri posset, venturos ali-

VIII. SESSIO CONCILII LATERAN.

REX LUDOV. ADHÆRET CONCILIO LATERAN.

quos Prælatos & insignes viros nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ, qui pariter Concilio Lateranensi adhærerent, & assisterent: His ad Regem relatis, tum eadem omnia ipse die 26. ejusdem Octobris Corbiæ existens confirmavit: tum syngraphum eisdem procuratoribus suis misit, ad obtinendum à Pontifice & Concilio, nomine suo & Ecclesiæ Gallicanæ, dilationem competentem pro mittendis legatis suis, ad sistendum se Concilio ac de Pragmaticâ respondendum; quòd propter ingruentia bella haud facile esset Prælatis congregari, & viæ se committere. Hæc igitur sunt, quæ in prædictâ Sessione Octavâ à regiis procuratoribus oblata, lectáque, ab iisdem rursùm confirmata fuère, atque à Pontifice & universâ Synodo accepta.

XVIII. MONITORIUM CONTRA PARLAM. PROVINC.

Post quæ lectis pariter mandatis Marchionum Brandeburgensis & Monferratensis, per oratores suos Concilio adhærentium; unus è Concilij procuratoribus supplicationem obtulit contra Parlamentum Provinciæ, quòd literas à Pontificibus & Apostolicâ Sede impetratas tam in rebus gratiæ quàm justitiæ, non permitteret executioni mandari, nisi præhabitâ ab eo licentiâ; auctoritatémque sibi in clericos & res ac beneficia ecclesiastica attribueret atque usurparet, & ad Sedem Apostolicam recurrere prohiberet. Decretúmque est monitorium pœnale contra personas ejusdem Parlamenti, in supplicatione Procuratoris expressas, sub pœnis & censuris juris, ac sub termino trium mensium.

XIX. DE ANIMARUM QUALITATIBUS.

Lectum præterea est ex ambone per Archiepiscopum Gnesnensem Polonum, Decretum Pontificis, sacro approbante Concilio, contra nonnullos philosophos, aut Philosophantes, qui asserebant animam rationalem esse mortalem, aut unicam in cunctis hominibus, saltem secundùm philosophiam. Quo definitum est, Animam intellectivam, non solùm verè, per se, & essentialiter humani corporis formam existere, sicut in Concilio Viennensi [i] sub Clemente V. continetur; verùm etjam immortalem, & pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilem, & multiplicatam, & multiplicandam: omnémque assertionem huic veritati contrariam, falsam esse & hæreticam. Injunctúmque est Philosophis, in Vniversitatibus Studiorum & alibi publicè legentibus, ut cùm philosophorum principia aut conclusiones, in quibus à rectâ fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, quale hoc de animæ mortalitate, aut unitate, & mundi æternitate, atque alia ejusmodi, teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ manifestam facere, atque omni studio hujusmodi philosophorum argumenta resolvere. Et ad tollendam omnem in præmissis errandi occasionem, statutum est, ne quisquam deinceps in sacris Ordinibus constitutus, Philosophiæ aut Poësis studiis ultra quinquennium, post Grammaticam & Dialecticam, sine aliquo studio Theologiæ, aut Iuris Pontificij incumbat: ut in his sanctis professionibus sacerdotes Domini inveniant: unde infectas Philosophiæ & Poësis radices purgare valeant. Lecta est præterea per Archiepiscopum Senensem, constitutio de mittendis ad Reges & Principes Cardinalibus, pro pace & concordiâ inter eos conciliandâ; & pro Boëmis hæreticis ad Concilium cum pleno Salvoconductu invitandis. Aliáque per Episcopum Taurinensem, de reformatione Officialium Curiæ Romanæ, & freno rapacitatibus eorum apposito. Ac Nona Concilij Sessio indicta est ad Nonas Aprilis anni proximi.

[i] Supr. an. 1311. X.

XX. PHILOSOPHI HUIUS ÆVI GENTILIZANTES.

Occasionem autem prædictæ de philosophis sanctioni dedisse dicitur *Petrus Pomponatius* Mantuanus, Iovij [k] in philosophiâ præceptor: qui enarrans Aristotelem & Averroëm Bononiæ, animas post corporis mortem interituras ex sententiâ Aristotelis probare conatus, iuventutem valdè corruperat; se eo tuens quòd philosophicè loqueretur, sed aliter, cùm Christianus esset, sentiret. Cùm essent quoque aliarum scientiarum professores quidam doctrinæ suæ ostentatores, qui ob renovatas antiquas literas, ineptè juxta ac impiè Romanam quoque Rempublicam somniantes; & vetera sacra, & antiquas turpitudines reducere conabantur: quales dicuntur fuisse *Latus*, *Phædrus*, *Politianus*, *Calderinus* aliíque ejusdem farinæ homines.

[k] Iovi. in Elog. vir. doct.

VIRI DOCTI, QUIBUS LEO USUS EST.

Leo verò Pont. viros non solùm doctos, sed & pios in famulitium suum asciscens, imprimis *Petrum Bembum* & *Iacobum Sadoletum* viros omni exceptione majores ab epistolis habuit; quem utrumque posteà Paulus III. in numerum Cardinalium cooptavit. Vaticanæ verò Bibliothecæ, quam aliquot librorum millibus locupletavit, *Beroaldum* juniorem præfecit, senioris doctrinæ heredem, & in condendis Odis Horatianâ jucunditate præcellentem, eidémque demortuo *Zenobium Acciaiolum* suffecit. Gymnasium Romanum accitis undique gravissimarum artium professoribus ita instauravit, ut nulli Italiæ Doctorum præstantiâ vel auditorum concursu concedere videretur: *Augustino Nipho* Suessano philosophiam; *Christophoro Aretino* medicinam, *Hieronymo Butigella* Iuris scientiam profitentibus; humaniora verò studia *Iano Parrhasio* Consentino, Græcas Literas *Basilio Chalcondyle* Demetrij filio docente. Adeò Græcæ linguæ & disciplinarum restituendarum sollicitus, ut hoc ipso anno octavo Idus Augusti ad *Marchum Musurum* Cretensem exactæ diligentiæ Grammaticum, (ut Iovius [l] indigitat) & raræ felicitatis poëtam, creatum posteà Episcopum Epidaurensem, scribens, mandârit diligentem suscipere curam adducendi è Græciâ decem, aut duodecim, aut sanè quot vallet, liberalis ingenij ac bonæ indolis pueros; unde Latinis hominibus linguæ illius verus germanúsque usus, vectáque cognitio, & tamquam seminarium quoddam bonorum studiorum commodè confici & comparari posset.

[l] Iovi. in Elog.

XXI. CHRISTIERNUS II. REX DANIÆ.

Hoc anno mortuus ponitur *Ioannes* Rex Daniæ; regni sui trigesimo secundo: Princeps suis laudatissimus prudentiâ, pietate, fortitudine. Cui longe dissimilis successit filius *Christiernus*, ejus nominis Secundus, & à sævissimâ crudelitate *Tyrannus* cognomento dictus; jam anteâ vivente patre Rex Norvegiæ creatus: regnavítque decem annos.

XXII. PACHOMII PATRIAR. CONSTANTIN. OBITUS.

Eodémque anno putamus mortuum item fuiſſe *Pachomium* Patriarcham Conſtantinopolitanum Græcum, ex iis quæ in ejus ingreſſu [m] diximus. Cùm enim ſub ejus Patriarchatu mortuum eſſe Bajazetem Turcorum Imperatorem, (quod vidimus contigiſſe anno ſuperiori) ac poſt ejus obitum ſub Selimo Walachiam & Moldaviam viſitâſſe, Græci [n] tradant; utique non potuit ejus obitus ante præſentem annum accidere. Mortuus eſt autem ex veneno, à quodam monacho ei præbito. Et antequàm Epiſcopi de more convenirent ad ſufficiendum ei ſucceſſorem, *Theoleptus* alius monachus, Ioanninorum Metropolita Selimum Hadrianopolim adiens, Peſceſio dato Patriarchatûs literas ab eo obtinuit atque in eo confirmatus eſt ab Epiſcopis & clero: ſeditque toto tempore regni Selimi. Quod verò Onuphrius [o] ejus ingreſſum ponit biennio ante obitum Bajazetis, eum omninò errare ex prædictis intelligitur. Ex Latinis tunc adhuc Patriarcham egiſſe M. Cornelium Cardinalem, idem habet: cùm nihilominùs apud auctorem [p] ejus temporis reperiamus hoc ipſo anno *Thomam* Cardinalem Strigonienſem vocatum quoque eſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum: cujuſcumque demùm ſit error.

[m] Supr. an. 1500. XII.
[n] Turcogr. lib. 1. & 2.

DE EIUS SUCCESSORE.

[o] Onuph. in Chron. Ecc.

[p] 10. Dec. de temp. Sigiſm. Reg. Polon.

XXIII.

In Oriente cùm Alfonſus [q] Albuquercius Prorex Luſitanus, poſt fruſtrà tentatam expugnationem civitatis Aden potentiſſimæ ad oram Arabiæ Felicis, mare Rubrum perluſtraret, vidit quadam die ad Solem occidentem, quà Regis Abaſſinorum imperium eſt, rubræ CRUCIS in cælo ſignum præfulgens. Quo viſo tam ipſe quàm ceteri omnes claſſis Luſitani venerabundi procubuêre; & Albuquercius, ut erat pius, in ejus laudes, prorumpens, & auxilium atque ſalutem ab eâ ſperare conteſtatus, obortis cunctis lacrymis, & clamore ad aſtra ſublato, conſono clangore tubas ſingulis navibus concrepare, & tormenta diſplodi juſſit. Deinde candida nubes ſenſim Crucem oculis eorum eripuit, Eámque rem Albuquercius in acta redigi voluit, quæ ad Regem Emmanuelem tranſmiſit. Narratur verò à Barroſio, Maffeio, & aliis. Fítque ejus mentio in literis Regis Abaſſinorum ad Emmanuelem ſcriptis aliquot pòſt annis [r].

[q] Barroſ. Ali. dec. 2. lib. 8. cap. 2. Maff. 1. in dic. lib. 5.

APPARITIO CRUCIS IN AERE.

[r] Infr. an. 1521. XII.

IESU CHRISTI Annus 1514.

LEONIS X. Ann. 2.

MAXIMILIANI An. 21.

I. ANNÆ REGINÆ GALLIÆ OBITUS, ET LAUDES.

ANNO Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo quarto, Indictione ſecundâ, die nonâ Ianuarij, obiit *Anna* Regina Galliæ, anno ætatis ſuæ trigeſimo ſeptimo, poſtquàm magnâ cordis lætitiâ tantoporè exoptatam Eccleſiæ concordiam vidiſſet: femina prudentiſſima atque pientiſſima; & id circò non ſolùm à ſuis Britonibus, verùm etiam ab univerſâ Galliâ valdè diúque defleta. Luxit & illam vehementer Rex vir ejus: Ad quem Leo Pontifex literas [a] conſolatorias ſcripſit; quibus eam egregiâ ſingularíque virtute, & ſpectato in Deum ac Dei Eccleſiam cultu pietatéque præditam fuiſſe, ipſúmque Pontificem incredibili obſervantiâ proſecutam eſſe, prædicat. At nihilominùs haud diù licuit Regi viduitatem colere: quoniam in armorum, fœderum, conſiliorum, induciarum, inſidiarum, inter Principes agitationem, quibus ſinguli hoſtes, ſocios, amicos intercipere & ſupplantare quærebant;) ita turbata omnia erant, ut neſcias quid nominis aut ipſis, aut eorum actionibus imponas:) cùm nihil omitteret Pontifex ut Maximilianum Cæſarem cum Venetis, Ludovicum Galliæ Regem cum Helvetiis, & Anglis, alios item inter ſe, (non tantùm pacis amore, ſed etiam variis aliis conſiliis, quibus Italiæ, ac potiſſimùm Mediolano cautum ab exteris cupiebat) conciliaret: & Henricus Anglus Maximilianuſque de Ferdinando Aragonio quererentur, quòd ſolitis ſuis artibus, contra fidem iis datam, inducias cum Gallo renovaſſet: denique non parum ſibi ſinguli à ſingulis timerent: pace demùm inter Gallum & Anglum certis conditionibus utrique utilibus concluſâ, ut firmior illa perſiſteret, Ludovicus accepit in uxorem Mariam Henrici ſororem; ſponſalibus in Angliâ factis, (quibus Henricus Ferdinandi legatum, odio in eum accenſus, intereſſe noluit) nuptiis Abbavillæ in Picardiâ ſeptimo Idus Octobris celebratis, quas rurſùm, ipſámque pacem inter eos Reges factam, tam Pontifex quàm ceteri Principes atque Reſpublicæ diverſis conſiderationibus, & pro ſuis commodis & incommodis, & improbabant ſimul & approbabant; parùm omnes ſinceré in cunctis his negotiationibus rem agentes: ut quidem Guicciardinus [b] explicat, ſingulorum conſilia aperiens & examinans. Sicque hic annus pene ab armis quievit: Niſi quòd in Italiâ inter Venetos & Hiſpanos ac Mediolanenſes nonnulla geſta ſunt. Venetis non tam quàm hoſtibus proſpera, qui nihil tamen propterea de ſuâ conſtantiâ remiſerunt: & Laterna Genuæ, quam hactenùs Galli ab hoſtium inſultibus defenderant, neceſſitate victûs in poteſtatem Genuenſium pervenit; qui illam funditûs everterunt.

[a] Ap. Bemb. 7. ep. 1.

RERUM TURBATIO INTER PRINCIPES.

[b] Guicciard lib. 12.

II. IX. SESSIO CONCILII LATERAN.

Quod res Eccleſiaſticas attinet; *Nona* Concilij Lateranenſis *Seſſio*, quæ fuerat indicta ad Nonas Aprilis, ob varia impedimenta nonniſi tertio Nonas Maij celebrata eſt. Quâ legati Emmanuelis Regis Luſitaniæ obtulerunt mandatum ejus de facultate ſibi traditâ Concilio aſſiſtendi, eíque inhærendi. Venerant [c] quoque iidem ad præſtandam Pontifici de more Regum obedientiam: detulerántque ingentia munera; ſacras veſtes ex auro cum multis gemmis opere excellenti perfectas, vaſa aurea, & monilia maximi ponderis, pretij, & operis; elephantem Indicum miræ magnitudinis; (qui ad præſentiam Pontificis, è feneſtrâ palatij pompam ſolemniſſimi ingreſsûs legatorum ſpectantis, ter genibus flexis, & demiſſo corporis habitu ſalutavit: doctus etiam paſſus ad modulos tibiarum temperare:) pantheram venaticam, equi Perſici tergo incidentem, ab Ormuzij Rege Emmanueli miſſam. Acceperant etiam deferendum rhinocerotem [d], ferum truculentúmque animal, ut cum elephanto commiſſus naturâ ei inimiciſſimo, veteris magnifi-

[c] Oſor. lib 9. Marian. lib. 30. cap. 23.

MUNERA REGIS LUSITAN. AD PONTIF.

[d] Barroſ dec. 2. lib. 10. cap. 1. Mar. ibid.

centiæ ſpectaculum Romanorum oculis repræſentaret. Verùm qui ab ultimis oris advectus, Oceani tremendos fluctus evaſerat, ad Genuenſes ſcopulos fractâ navi quâ ferebatur periit, cum in ventorum procellâ catenis impeditus neque enare poſſet, neque à vectoribus eripi naufragio. Munerum verò ſuorum amplam retributionem recepit Rex à Pontifice, in opem belli Africani, Cruciatæ veniam; tertias decimarum eccleſiaſticarum, in templorum fabricationes & ſarta tecta impendi ſolitas; aliorúmque ſacrorum vectigalium in universâ Luſitaniâ decimam. Quæ conceſſiones quanti incommodi fuerint, quámque gravis exempli, & pravi poſteà uſûs; docent qui hæc narrant [c], & damnant. An verò non hoc malum commune plurimis aliis regnis & provinciis; Quid agamus? ferendum eſt jugum, etiamſi non ſit ſuave ut illud Domini; ſed ex eorum naturâ, quæ nec nos nec patres noſtri portare potuimus. Partem tamen remiſiſſe Emmanuelem, Oſorius habet; at rurſùm magno munere compenſatam. Sed ad Seſſionem.

[c] Oſor. & Mar. ibid.

III. Poſt lectum mandatum quod diximus Regis Emmanuelis, Procurator Concilij contumaciam Gallorum accuſans, qui monitioni de ſiſtendo ſe Synodo reſponſuri de Pragmaticâ non obtemperâſſent, procedi contra eos petiit. Ex adverſo verò Claudius Epiſcopus Maſſilienſis orator Regis Chriſtianiſſimi eos excuſavit, quòd cùm itineri ſe accinxiſſent, non potuerint ſalvum conductum obtinere à detentoribus Ducatûs Mediolanenſis & dominij Genuenſis: probavítque & inſtrumento publico, & literis ab iiſdem ad Pontificem ſcriptis; quæ tunc lectæ ſunt, & Actis Concilij intextæ habentur. Ex quibus conſtat, Epiſcopos Cabilonenſem, Lexovienſem, Ambianenſem, Engoliſmenſem, & Laudunenſem, unà cum aliquot Doctoribus in Theologiâ & Vtroque Iure, tam ſuo, quàm nonnullorum aliorum qui interfuerant Congregationi Piſanæ, vel ei adhæſerant, nomine iter ſumpſiſſe ad Pontificem, ad demonſtrandum numquam ſe ab unitate Sedis Apoſtolicæ diſceſſiſſe, aut ſchiſmaticos fuiſſe, ſed unam Eccleſiam Catholicam ſub uno Pontifice Maximo coluiſſe; quicquid ab inimicis veritatis, & Chriſtianiſſimi Regis & regni ex adverſo dictum fuiſſet: & ad renunciandum dictæ Congregationi; & adhærendum Concilio Lateranenſi: Quòd verò jam clauſis itineribus id modò in præſentiâ Pontificis exequi non daretur; poſtquàm quatuor totos menſes in hâc legatione impendiſſent, per agros & diverſoria vagantes, & ſexaginta dies in cœnobio Vlcienſi Taurinenſis diœceſis fruſtrà expectâſſent ſalvum conductum, nec ampliùs ſpes eſſet illum obtinendi; ne moræ obtemperandi mandatis Apoſtolicis hoc eis imputaretur, coram Vicario generali illius cœnobij pro tribunali ſedente, ac notariis & teſtibus die decima ſeptimâ menſis Martij, ac ſi in præſentiâ Pontificis fuiſſent, prædicto nomine renunciâſſe diſertè dictæ Congregationi Piſanæ jamdudùm diſſolutæ, ac declaraſſe ſe adhærere Concilio Lateranenſi: & ſi forſan occaſione dictæ Congregationis, & geſtorum in eâ, aliquas cenſuras juris, aut hominis, aut alias quaſcumque pœnas de jure aut de facto incurriſſent; præſtito priùs debito juramento de parendo mandatis Eccleſiæ & Sanctiſſimi Leonis Pontificis, cum illâ humilitate quâ poſſent, uſque ad proſtrationem & pedum oſcula, abſolutionem quâ indigerent ſibi & aliis dari, & quamcumque aliam juris pœnam ſeu maculam aboleri petiiſſe: eâque de re certiorem per literas Pontificem feciſſe, miſſounâ eodem inſtrumento. Quibus in Seſſione auditis, Pontifex abſolvit eos omnes à cenſuris, ſiquas incurrerant, uſque ad proximam Seſſionem, cum reincidentiâ in eaſdem niſi eo tempore ſatisfeciſſent.

LEGATIO CLERI GALLIC. AD CONCIL. PRO ABSOLUTIONE.

IV. Poſt quæ lectum eſt ex ambone per eumdem Claudium Maſſilienſem epiſcopum, pium valdè decretum Pontificis, ſacro approbante Concilio: quo preces injunctæ ſunt per univerſum Chriſtianum Orbem pro pace inter principes obtinendâ, & unione contra Infideles; cum indulgentiarum elargitione: ac ſub interminatione divini Iudicij prohibitum, nequis ejus tractatibus per Legatos aut Nuncios Apoſtolicos procurandis impedimentum aliquod interponere directè vel indirectè præſumeret. Mandatum inſuper omnibus Principibus & Prælatis, qui hactenùs ad Concilium non veniſſent aut miſiſſent, ut id quamprimùm præſtarent, & cunctis item Principibus, ac Rebuſpublicis, & civitatibus, atque Rectoribus; ut liberum omnibus tranſitum præberent, ſub pœnis contra impedientes Concilij celebrationem ſtatutis. Aliúdque ſubinde lectum eſt amplum decretum per Archiepiſcopum Neapolitanum, continens reformationem Curiæ Romanæ primùm circa proviſiones Eccleſiarum, monaſteriorum, & parochiarum, ac conditiones hominum quibus eæ conferendæ eſſent, cum prohibitione, ne ſpeciales reſervationes quorumcumque beneficiorum ad cujuſvis inſtantiam concederentur: poſteà de moribus item ac modeſtiâ Cardinalium, & familiarium ipſorum, de munere, beneficiorum diſpoſitione, legationum geſtione, ac funerum ſumptibus: denique de ceterorum omnium tam Eccleſiaſticorum quàm miniſtrorum ſive officialium, & quorumcumque laïcorum correctione vitiorum; & beneficiorum atque officiorum rectâ adminiſtratione: renovatis etiam antiquioribus conſtitutionibus contra quoſcumque violatores immunitatis Eccleſiaſticæ tam circa res quàm perſonas; & qui collectas decimas, & alia hujuſmodi onera quibuſcumqne perſonis eccleſiaſticis quomodocumque imponerent, vel exigerent, aut etiam ſpontè oblata acciperent, abſque Sedis Apoſtolicæ licentiâ; Prælatis quoque, & aliis eccleſiaſticis, qui offerrent, cenſuris ſuppoſitis. Poſtremò dilata eſt, ob alia urgentia negotia, Seſſio Decima uſque ad Calendas Decembris, quæ rurſùm die vigeſimo ſexto Novembris, ex cauſis gravibus remiſſa fuit ad vigeſimum tertium Martij anni proximi; eóque tempore iterùm in quartum Nonas Maij.

IV. DECRETA PRO PACE PROCURANDA.

ET DE REFORMATIONE.

V. Cetera quoque diligenter extra Concilium Leo curans, quæ ad commodum Chriſtianitatis eſſent; cùm audiſſet graviſſimas ſeditiones, quæ in Hungariâ excitatæ fuiſſent à Cruce ſignatis, quos Thomas Cardinalis Strigo-

MOTUS HUNGARICI A CRUCE SIGNATIS.

niensis à Leone illuc ad Crucem contra Turcos Croatiæ minitantes, elargitione Indulgentiarum pro salario prædicandam missus, ingenti numero collegerat: qui quòd ex rusticis ac confusâ plebe maxime essent, in nobiles, à quibus malè haberi consueverant, arma convertentes, incendio, rapinis, cædibus, nullo non sævitiæ genere persecuti sunt, optimis quibusque è medio sublatis; unóque Episcopo palo suffixo: Pontifex iis auditis confestim belli sacri diplomate revocato, Sigismundum Regem Poloniæ Vladislai Hungari fratrem, qui tunc contra Moscovitas bellum gerebat, ut eo bello aliquo honesto modo suspenso aut dilato, fratri suppetias iret hortatus est. Verùm haud iis expectatis, Ioannes Vaivoda Sceputiensis Comes, magnæ spei juvenis, cum regiis Hungariæ & Boemiæ copiis seditiosos aggressus, eorúmque præcipuo duce Gregorio Zechelio, sive Cæculo, aliisque captis, & horrendis suppliciis de medio sublatis, multâ ceterorum cæde factâ, factionem dissipavit; quâ extincta fuisse dicuntur ad sexaginta hominum millia. Rem narrant illarum gentium historici [f].

[f] Sambuc. in Append. Bonfin. Dubrav. lib. 32. Iod. Dec. de temp. Sigism. Isthuanff. Rer. Hung. lib. 5. Extántque de iis. lit. Leon. ap. Bemb. lib. 9.

VI. MOSCORUM CLADES A POLONIS.

Quod verò de bello Mosco, sive Moscovitico, suis literis Pontifex memorabat, describitur illud accuratè ab auctoribus Polonis [g]; diligentiúsque à Iocobo Pisone, qui tunc Nuncium Apostolicum ibi agebat, missus à Leone ad conciliandam pacem inter Polonos & Moscovitas, armáque in Turcos vertenda, in literis [h] ad Ioannem Coritium amicum scriptis: ac denique in iis [i], quas post victoriam Sigismundus Rex de re tota ad Leonem Pont. misit. Ex quibus omnibus intelligitur; in Lituaniâ apud Orsam arcem & Boristenem fluvium, & ad Aras Alexandri Magni sic dictum locum, ingens initum esse prælium inter utrumque exercitum octavo die Septembris festo Nativitatis Beatissimæ Virginis; quo cæsa sunt supra triginta Moscorum millia ex octoginta equitum millibus qui in armis erant: capta quatuor millia cum præcipuis ducibus ac multis proceribus & numerosâ nobilitate, signis quàm plurimis, & cunctis impedimentis. E Polonis cecidisse dumtaxat paulò plus quadringentos, quatuórque nobiles Barones, vulneratos quamplurimos: Post tantam victoriam gratiis Deo per omnes ecclesias actis, Regem misisse Romam ad Pontificem legatum cum nonnullis nobilibus Moscis captivis victoriæ testibus, aliósque pariter ad alios Principes, sed qui ad Pontificem mittebantur, à Maximiliano Cæsare interceptos, liberos ad propria remissos esse; majoríne injuriâ Romani Pontificis, aut Sigismundi Regis (Sed vicit consideratio fœderis cum Moscis priùs icti.) Denique nuncio victoriæ Romam per veredarium allato, Pontificem extemplò supplicationes in gratiarum actionem, sacrúmque celebrâsse: additâ oratione in laudem Sigismundi, quam Camillus Porcarius Romanus orator eloquentissimus recitavit.

[g] Dec. ib. Vapo. in Fragm.
[h] Ext. to. 3. Rer. Polon.
[i] Ext. ibid.

VII. PERSARUM CUM TURCIS BELLUM.

Sed cùm gravissimum paulò post accepisset Leo nuncium de victoria Selimi Turcorum Imperatoris, mense Augusti partâ de Ismaële Rege Persidis; eam Maximiliano Cæsari, ceterisque Regibus ac Principibus Christianis, per literas [k] Nonis Novembris scriptas denuncians, hortatus est imminenti universæ rei Christianæ periculo, communi consensu atque sententiâ obviam ire: misso etiam exemplo literarum Selimi ad Epidaurenses, seu Ragusæos, quibus victoriæ summa seriésque continebatur: ex quibus intelligi dabatur postquàm eum hostem perdomuisset, à quo sibi uno in Asiâ timendum videbatur, fore ut in Europam omnes suas vires quamcelerrimè converteret. Sed de hâc pugnâ, quæ septimo Calendas Septembris in campis Calderanis Armeniæ Majoris ad Choim, quam Artaxatam urbem fuisse autumant, facta est, extra [l] Epistola Henrici Peniæ Epidaurensis ad Bendinellum Cardinalem Saulium patricium Genuensem presbyterum tituli S. Sabinæ, è Constantinopoli scripta die sexto Novembris ex relatione nuncij post victoriam à Selimo ad rempublicam Ragusiensem missi: quâ non tantam fuisse cladem Persarum quàm Turcorum intelligitur Sed quia non vicerunt, victi dici potuêre. Ait igitur, Selimum cùm post fratres nepotesque de more Ormanidarum strangulatos, animo jam pridem orbis terrarum imperium complexus, expeditionem in Italiam parare cœpisset, ratus eâ subjugatâ reliquum quod destinaverit facilè perfici posse: audito Ismaëlis Sophi motu in Cappadociam, ad reducendum in avitum regnum Amuratem Achmetis fratris majoris ipsius Selimi filium; relictâ Hadrianopoli, ubi expeditionem Italicam parabat, magnis itineribus in Cappadociam pervenisse. Cúmque nihil de Ismaële audiret, in Armeniam majorem progressum, & ad extremam pene alimentorum inopiam redactum, obviam habuisse ad Choim oppidum, Vstaoglum Ismaëlis ducem cum quadraginta millibus cataphractorum equitum, quem Ismaël præmiserat: existimantémque Selimum ibi esse Ismaëlem, congressum cum eo, cùm sui impetum cataphractorum sustinere non possent, bombardarum fragore perterritis Persarum equis, atque in fugam versis, victoriam adeptum esse: occisis viginti hostium millibus cum ipsorum duce; sed longè sibi cruentiorem, ut potè qui supra quinquaginta millia suorum amiserit cum pluribus proceribus: atque de hâc victoriâ quâ hostem internecioni dedisse existimabat, nuncios, alterum ad Solimanum filium Hadrinaopolim, alterum ad Rempublicam Ragusiensem destinasse. Cumque in tuto se esse putaret, superveniente ex improviso cum reliquis copiis Ismaële, una cum Amurate Selimi nepote, Selimum vix fuga manus ejus evasisse, universo amisso exercitu, & Amasiam Cappadociæ urbem se recepisse, reparaturum exercitum. Hæc pluribus suâ epistolâ Penia.

[k] Ap. Bemb. 10. ep 5.

[l] Rec. Bizn. Rec. Pers. lib. 10. Extantque etiam in collect. Rer. Turc. post Chalcond.

VIII. CUIUSNAM FUERIT VICTORIA

Ex quibus intelligas nuncium de victoriâ Selimi Romam delatum, fuisse de primo ejus certamine cum Vstaoglo, quem ipse Ismaëlem existimaverat. Nec ab his abit Angiolellus in Rebus gestis Ismaëlis; nec item Anglerius [m] in suis epistolis: nec denique Io. Ant. Menavinus [n] Genuensis ad finem tractatus sui de Religione & moribus Turcorum, qui toto decennio captivus detentus à Turcis, occasione hujus Selimi cladis, cui & ipse ad-

[m] Angler. ep. 540. 543.
[n] Menav. lib. 5 cap. 3.

erat opportunitatem elabendi. habuit, Turcorum verò Annales [o], Iovius [p], & alij eos secuti, Selimum plenâ victoriâ, licet longo tempore dubiâ, ipsíque etiam valè cruentâ, potitum volunt; bombardarum potissimum & sclopetariorum ope, cujus unius ictu Ismaël vulneratus campum deserere coactus fuerit: cum esset insuper viribus longè Selimo inferior: quippe qui cum septuaginta circiter millibus contra trecenta millia pugnaverit; quot ferè nullus umquam Osmanidarum Principum hactenùs in unum coëgisse reperiretur. Deditione quoque receptam esse urbem Taurisium, primariam Persidis; indéque Selimum, renuentibus Genitzaris iis partibus hiemare, ad hiberna Amasiam concessisse. Quod factum volunt [q], ob terrorem famæ revertentis Ismaëlis cum aliis validis equitum turmis: à quibus multa damna Selimi exercitus eo itinere passus sit; vixque Selimus ipse manus eorum effugerit. Quâ tamen de re nihil Annales Turcici, sicuti nec de recuperatione Taurisij, quam brevî ab Ismaële factam ceteri omnes tradunt. Bellum autem istud, præliúmque Calderanicum tangens Barrosius [r], occasione legationum hoc eodem tempore ab Ismaële & Albuquercio Prorege Indiarum ultrò citróque missarum, cum muneribus pro pacis inter ipsum Ismaëlem & Emmanuelem Lusitaniæ Regem conciliatione; quædam habet singularia de eodem prælio: ac præcipuè de Ali Sultano partis Ismaëliticæ, qui in fugâ Ismaëlis, dum obstinatius Turci eum persequerentur, fingens se esse Ismaëlem, iis se prodidit: ductúsque ad Selimum, cognito dolo trucidatus est à tyranno, magnâ totius ipsius exercitûs offensione, qui magis illum præmio & honore dignum ob tam generosum facinus existimavit. Sed in tyranno quis nisi crudelitatem quærat?

[o] Leunclav. lib. 16.
[p] Iov. in Vit. Selim.
[q] Iov. Bizar. &c.
[r] Barr. dec. 2. lib. 10 cap. 6.

IX. LEGATIO A REGE ÆTHIOP. AD LUSITANOS.

Quo eodem anno pervenit in Lusitaniam Matthæus ille Davidis Regis Æthiopum seu Abassinorum, ejúsque aviæ Helenæ legatus, quem [s] vidimus à prædicto Albuquercio Indiarum Prorege ducibus ac navarchis diligenter commendatum. A quibus tamen pro scurrâ & impostore habitus, cùm multis totâ navigatione injuriis & contumeliis vexatus fuisset, Olysipone fuêre illis ob eam rem vincula injecta; demptáque posteà Matthæi intercessione, rogantis ne major vindicta esset. Ipse verò honorificè ab Emmanuele receptus (ut Osorius [t] narrat) literas Reginæ Helenæ quinque bullis aureis consignatas obtulit, cum parte Ligni crucis Dominicæ auro inclusâ, quam Rex dono Emmanueli mittebat: quámque ille cum lacrymis venerabundus accepit, gratias Deo agens quòd in longinquis illis regionibus hostium immanitate vastatis, Christianæ religionis & pietatis semina conservâsset. Alteras deinde literas arundine aureâ inclusas Matthæus eduxit, quas David Rex ad Emmanuelem dederat, Arabicâ & Persicâ linguâ conscriptas. Quibus post sanctæ Trinitatis professionem, nomen suum exprimens, ait vocatum se fuisse in baptismate Atam Tinghil, id est, Thus virginis, sed cum regni susceptione assumpsisse nomen Davidis: Indéque factâ declaratione suorum progenitorum, & regnorum enumeratione, optatâque Emmanueli salute & felicitate gratias de epistolis ad Reges Æthiopiæ missis agebat: & suam potentiam & opes exaggerans, confidere se dicebat futurum, si Rex Emmanuel mari, ille verò terrâ in Mahometanam nationem invaderent, ut impij & scelerati Mahometi nomen ex omni memoriâ hominum evellerent, & Christi Sepulchrum in libertatem vindicarent. Ius etiam connubij libenter offerebat; nihil sibi gratius fore dicens, quàm amoris mutui conjunctionem, & religionis consensionem, matrimonij etiam fœdere confirmari. Ceterùm ab hoc Matthæo ritus gentis, & religionis dogmata cognita sunt, non parum à Catholicis discrepantia, & magis Iudaismum sapientia; quæ idem Osorius explicat: quamquam Episcopus Zagozabo, qui anno 1524. à Davide Rege missus fuit ad Clementem Pontificem & Ioannem Regem, testatus est, Matthæum, quoniam Armenus erat, non potuisse res Æthiopiæ perspicuè scire, præsertim eas quæ ad fidem spectarent. Verùm nec quæ ille explicavit, purioris fuêre in plurimis doctrinæ, ut tunc [v] videbimus. Interim ex eo annotantes, Helenam Davidis aviam, (si tamen verè avia fuit; quam idem Zagozabo uxorem avi Davidis tantùm vocat, & Dauid ipse aliis literis post ejus obitum scriptis, dicit dumtaxat se illam loco matris habuisse: ut fortè fuerit uxor secunda avi, post extinctam matrem patris Davidis: sed hæc divinando; & parùm ad rem.) fuisse feminam prudentissimam & sanctissimam, necnon doctissimam: quæ etiam duos composuerit libros sermone Chaldaico, alterum de Trinitate ac de MARIÆ Deiparæ virginitate; alterum de Lege Dei; acutissimè de iis in utroque disputans. Ceterùm cùm audisset Leo pontifex adventum Matthæi, literas [x] dedit sexto Idus Octobris ad Davidem Regem Andreæ Corsalo civi Florentino ad eum proficiscenti; quibus eum ad pietatem, & gloriam CHRISTI propagandam cohortatus est. De aliis verò literis, & legationibus vltrò citróque missis, dicetur inferiùs suis locis.

[s] Supr. an. 1512. XXXV.
[t] Osor. lib. 9.
[v] Infr. an. 1524. XVII.
[x] Ap. Bemb. 9. ep. 41.

X. PRODIGIA IN SOLE ET LUNA.

Hoc eodem anno visi dicuntur [y] Witembergæ in Germania tres Soles, quibus singulis cruentus inesset gladius. Et in RotWeil Sol aspectu horrendo, variis diversorum colorum septus orbibus. Bis quoque tres Lunas conspiciendas sese præbuisse.

[y] Sur. in commentar.

IESU CHRISTI Annus 1515.

LEONIS X. An. 3.

MAXIMILIANI Ann. 22.

I. LUDOVICI REGIS FRANC. OBITUS.

ANNO Christi millesimo quingentesimo decimo quinto, indictione tertiâ, ipsis Calendis Ianuarij *Ludovicus*, Francorum Rex, novæ nuptæ iuvenculæ atque formosæ complexibus intemperantiùs indulgens, febre inde conceptâ, ac secutâ dysenteria, tribus nondum expletis ab ejus ductu mensibus, extinctus est Parisiis anno ætatis quinquagesimo quarto, regni decimo septimo, neutro solido; cùm jam securus ab Anglis & Hispanis totus esset in meditatione recuperandi principa-

cipatûs Mediolanensis. Fuit, inquit Guicciardinus [a], Rex justus, & populis suis gratissimus; sed qui nec antè, nec postquàm regnum est adeptus, vel adversam vel secundam fortunam unquam constantem & firmam habuit: eóque tempore obiit, cùm secunda ad eum redire videbatur. Illum Galli *Patrem populi* appellârunt, quòd expilationem populorum odisset, ac nihil debere potiùs quàm multa largiri sapientem Regem oportere prædicaret. Sed est modus in rebus: & possunt oves tonderi, licèt non ad cutem radi. Quare & ex hâc minùs providâ prudentiâ contigit, res Italiæ & Helvetiorum ex defectu potissimùm pecuniarum pessum ire, cùm ne populi gravarentur, parciùs pecuniæ quæ bellorum sunt nervi, suppeditarentur. Ludovici autem æquitatem ac fidem optimam etiam adeò suspexisse dicitur Philippus Hispaniæ Rex pater Caroli V. posteà Imperatoris, ut moriens testamento tutelam ejusdem filij sui ei commendaverit: qui de Ordinum Flandriæ consensu eam commisit prudentissimo Guillelmo Croyio Cevrio nobili Flandro, qui diligentissimè eo munere functus est. Hoc enim disertè testantur Martinus Bellaius [b] in Historiâ suâ Gallicâ, & Prudentius Sandoüal [c] Episcopus Pampilonensis in Hispaniâ Caroli V. Quod Philippum eo quoque prudentiæ motu fecisse constat, ne fortè Ludovicus pupilli sui, qui undennis tantùm relinquebatur, ditiones invaderet.

[a] Guicc. l. 12.

[b] Bellai. l. 1.

[c] Sandoüal. in Vit. Car. V. Sammarth. Hist. Frãc. lib. 9. cap. 3.

II.

Delatus ad sepulcra majorum in Ecclesiam S. Dionysij, tumulo conditus est è candido marmore; superbo structuræ genere atque eleganti; quod ipsi ejúsque conjugi Annæ Britannæ, Franciscus Comes Engolismensis gener & successor erigendum curavit. Quòd enim nullam prolem masculam reliquisset, sed tantùm duas filias, quarum natu majorem Claudiam Franciscus duxerat; successit in regnum idem *Franciscus*, non quidem jure uxoris, cùm feminæ per Legem Salicam regno excludantur; sed quòd inter regiæ stirpis mares cognatione esset proximus; ex eodémque Aurelianensi genere quo Ludovicus, prognatus; quippe filius Caroli, nepos Ioannis, qui frater erat alterius Caroli patris prædicti Ludovici Regis. Erat autem annorum viginti & quatuor mensium, natus duodecimo die Septembris anno 1494. Fuitque de more unctus Remis die vigesimâ quintâ Ianuarij. De cujus virtute, (inquit Guicciardinus) animi magnitudine, divino atque generoso ingenio, ingentem omnes spem conceperant, accedente maximè egregiâ corporis formâ, magnâ liberalitate, eximia erga omnes humanitate, & plenâ multarum rerum cognitione. Vnà verò cum Franciæ Regis appellatione, Ducis quoque Mediolanensis nomen assumpsit; utpotè quòd is principatus non modò veteri Aurelianensium Ducum jure, sed etiam diplomatis à Maximiliano Cæsare in Cameracensi fœdere concessi beneficio, ad se spectaret; eodem quo Ludovicus ejus recuperandi desiderio flagrans.

FRANCISCUS SUCCEDIT IN REGNUM.

III. X. SESS. CONCIL. LATER.

Ad quam expeditionem dum necessaria pararet, Leo Pontifex *Decimam* Concilij Lateranensis *Sessionem* celebravit die Veneris quarto Nonas Maij. In quâ post solemnia consueta, oratores Ducis Sabaudiæ sese cum ejus mandato obtulerunt ad interveniendum Concilio. Eóque lecto, & accepto; exclusis omnibus qui adesse non possent, per Episcopum Abiensem lectum est ex ambone decretum de confirmatione Montis Pietatis in subventionem pauperum. Et per Tarvisinum aliud de Canonicorum & Clericorum sæcularium exemptorum delinquentium punitione, à quibus & quomodò fieri debeat; de jurisdictione Ordinariorum; de Conciliis Diœcesanis & Provincialibus celebrandis: & nonnullis aliis eò spectantibus. Aliúdque per Episcopum Nannetensem, nequis liber aut scriptum aliquod alicubi typis mandetur, nisi priùs per Ordinarios & Inquisitores examinetur, & approbetur. Ac denique aliud per Episcopum Castellimaris; de ultimo ac peremptorio termino, Prælatis Gallis ad respondendum de Pragmatica Sanctione præfixo ad Calendas Octobris; alioquin in subsequenti Sessione Vndecimâ (quæ indicta est ad diem decimum-quartum Decembris) processum iri contra illorum contumaciam. Die verò vigesimâ-primâ Iunij, Concilij procurator petiit referri in ejus Acta quoddam publicum instrumentum Aquis in Provinciâ per Notarios retentum, summissionis per Consiliarios Parlamenti Provinciæ factæ decreto in Octavâ Sessione contra ipsos promulgato: quo quæcumque ab ipsis facta essent contra immunitatem Ecclesiasticam detestantes, petierunt absolvi à censuris in quas propterea incurrissent. Quod cùm Ludovicus Solerij orator Regis Francorum, procurator ad hoc ab eis constitutus, obtulisset, eorumque nomine satisfecisset, Pontifex petitam absolutionem concessit: cum reincidentiâ tamen, nisi iidem intra quatuor menses confirmarent quæ illorum nomine Ludovicus fecisset. Quo ipsi confestim præstiterunt; ut constat ex iisdem Actis, quæ inter cætera Concilij habentur.

PARLAMENTI PROVINCIÆ OBEDIENTIA.

IV.

Antequàm verò Vndecimâ Sessio celebraretur, (quæ & posteà ob alias gravissimas Pontificis occupationes, dilata est ad finem anni consequentis) multa alia memoriâ digna per orbem gesta sunt, de quibus breviter agendum. Et ut ordiamur ab Italiâ, cæterarum provinciarum sicut præstantissimâ, ita & hoc tempore turbatissimâ; cùm, ut diximus, Rex novus Franciscus Galliæ, rebus cum Henrico Angliæ Rege & Carolo Archiduce Belgarum principe utcumque compositis, & fœdere cum Venetis renovato; quamquam ex adverso Maximilianus Cæsar, Ferdinandus Aragonius, Maximilianus Mediolanensis, & Helvetij pro Italiæ propugnatione in unam societatem coïrent, Leone quoque Pontifice consentiente: ad repetendum tamen principatum Mediolanensem, exercitum Alpes versus movere cœpit; omnium qui jam à multis annis in Italiam transissent maximum & florentissimum; in quo scilicèt (ut Guicciardinus habet; sunt enim qui plus minúsve ponunt) erant duo millia & quingenti cataphracti, cum suis hippotoxotis; domestici regij, duæ prætorianorum equitum; quatuor stipatorum regiorum alæ, viginti duo Germanorum peditum sub Geldriæ Duce millia; in

FRANCISCI REGIS APPARATUS AD BELLUM MEDIOL.

quibus excellebat legio Nigra, sic dicta à colore vexillorum, quæ in inferiore Germaniâ ob virtutem & fidem semper in Gallicis bellis floruerat; octo peditum Gallorum millia, ac decem Cantabrorum simul & Vasconum; quibus Petrus Navarrus præerat. (Hic enim pugnâ Ravennensi captus, & in Galliam ductus, cùm pro ejus redemptione Rex Ferdinandus solvere contempsisset viginti aureorum millia, quibus addictus à Duce Longavillæ fuerat, cui Rex Ludovicus eum donaverat in partem redemptionis suæ ab Anglorum captivitate; Rex Franciscus suâ pecuniâ illum à Longavillano redimens, ad stipendia sua ascivit; nec à Ferdinando ubi hæc audivit, de reditu magnis pollicitationibus sollicitatus, aures præbere sustinuit; quinimmò ut honori suo consuleret, Comitatum Oliviti in Neapolitano regno ab eo olim acceptum remisit, confectis de eâ abdicatione tabulis.) Primum exercitûs agmen, de jure & consuetudine officij Magistri Equitum, sive Connestabilis, Carolo Duci Borbonio, cui Rex munus illud, à supplicio Comitis sancti Pauli sub Ludovico XI. hactenùs nemini collatum, contulerat, commissum est: medium Rex ipse ductabat: extremum Carolus Dux Alenconius è stirpe regiâ Francisco proximus. Quorum apparatuum potentiam Octavianus Fulgosius Genuæ Dux veritus, & fœderatis diffidens, sibique magis ab eis timens, per Borbonium clàm cum Rege convenit, amplis & sibi & urbi conditionibus; Regísque vexillum sustulit, & Castelleti possessionem tradidit, Vicarius ipse ejus in administratione Reip. permanens.

V. Exercitus intrat Italiam.

Cùm autem suscepissent Helvetij ingenti numero angustias custodire montium Cenisij & Genebræ, illísque proximorum, quibus transitus est frequentior in Italiam, & Susas descenditur, quæsitus alius est diligentiâ Ioannis-Iacobi Trivultij Franciæ Marescalli, inter Alpes Coctias & maritimas, quà in Salutiarum fines descensus est; etsi adeò difficilis trahendis tormentis, & traducendis equis, ut quòd nemini umquam in mentem venisset, per tam asperos montes, in quibus nulla erant semitarum vestigia, exercitum deduci posse, omninò incustoditus esset, qui parvâ manu facillimè defendi poterat; nec nisi immenso atque incredibili operarum labore, quorum erat ingens numerus, per asperrimos altissimósque montes, ac præruptos scopulos ipso visu nedum incessu maximè horrendos, superari potuerit. Operis tamen difficultatem non parùm lenivit anni tempus, nempè primi dies Augusti mensis, quo nives erant liquefactæ. Tormentis igitur sic in Salutiarum aperta loca, & ferro, & funibus, & humeris, omni industriâ & labore deductis, cùm & iisdem diebus non absque magno labore equestres pedestrésque copiæ, aliæ eodem itinere, aliæ aliis montium jugis transitum quæsîssent, hostibus omninò inscijs: certior mox factus Carolus Connestabilis, Prosperum Columnam clarissimi nominis ducem, ac bellis Italicis exercitatissimum, Pontificiarúmque copiarum præcipuum Imperatorem, apud Villamfrancam oppidum septem millia passuum Salutiis distans, à Leone missum ut se Helvetiis jungeret, securè agere;

Prosper Columna capitur.

Palissium Marescallum ad eum intercipiendum misit: qui mirâ celeritate omnem famam præveniens, prandentem offendit, ac post levem defensionem cepit, cum aliis ducibus, & magnâ equitum parte; cæteris ad primum tumultum dissipatis.

VI.

Gallorum transitu, & Prosperi captivitate, consiliis fœderatorum perturbatis, primò Pontifex tacitè amicitiam Regis tentavit; Hispani Duce Cardonio Prorege Neapolitano eventum rei tacitè expectare decreverunt; Helvetij penè in seditionem inter se devenerunt; dum interim multæ urbes Regi sese dederent. Sed confestim (ut rem contrahamus) Pontifice iterùm, à suis inducto, hostem se Gallis declarante; & Helvetiis, cùm priùs unà cum Regis delegatis de fœdere ac pace concordâssent, mox numero ad quadraginta millia auctis, (tot enim Sedunensis oratione suâ memoravit, cùm Guicciardinus & Bellaius triginta quinque tantùm fuisse dicant) & à Cardinale Sedunensi, Helvetio & ipso, & Gallorum hoste implacabili, vehementissimâ oratione accensis; factum est derepentè, ut neglectâ concordiâ captis armis, Mediolano ubi erant, furibundi exeuntes, castra Regis, qui è Meliniano sive Mariniano Sandonatum ad tertium à Mediolano lapidem processerat, nihil minùs ob præcedentem tractatum cogitans, ex inprovisò adorti, (ut olim fecerant apud Novariam) cùm duæ tantùm superessent ejus diei horæ, (qui fuit decimus-tertius Septembris) ingentem tumultum cierint. Sed aciebus Gallorum mox ordinatis, ferocissimum consertum est prælium, quod ad quartam noctis horam continuatum est grandi cæde, quâ multi equites, nonnullíque duces Galli perierunt: ipséque Rex clari ducis & strenui militis officio fungens, multis hastarum ictibus paludamento receptis, non semel periculum vitæ iniit, cùm nocte pugnaretur Andabatarum ferè more: donec fessis utrimque viribus, velut ex condicto à pugnâ cessatum est. Reliquâ noctis parte in rebus hinc inde ad novam pugnam disponendis insumptâ, Rex quoque ipse in armis perstitit, ne galeâ quidem detractâ, neque somno capto, nisi quantum corpore in tormenti currum tantisper inclinato licuit, ne gustato quidem cibo septem & viginti horarum spatio ingenti animi & corporis vigore.

Acerrimũ prælium apud Marinianũ inter Gallos et Helvetios.

VII. Ingens Regis victoria.

Redintegrato ad primam auroram certamine, non minori quàm antè rabie, post quinque circiter horarum pugnam, Helvetij undique oppressi (cùm & ad finem pugnæ Livianus copiarum Venetarum Dux in Regis auxilium summâ celeritate cum aliquot turmis equitum advenisset, quem cum omnibus copiis accessisse Helvetij existimabant) receptui canere cœperunt, ac Mediolanum servatis ordinibus, & tormentis quæ secum advexerant humeris sublatis, regiâ viâ sese receperunt, nemine abeuntes persequente. De numero cæsorum utriusque partis variant, ut plerumque fit, auctores: & communior est sententia, ex Helvetiis cecidisse supra quatuordecim millia, quot nullo unquam bello cæsos esse constat; ex Gallis ad tria, vel ut quidam habent, sex millia; sed multos nobilitate illustres. De pugnâ ipsâ consentiunt,

nullam à multo tempore in Italiâ ferociorem ac formidolosiorem commissam esse : adeò ut Trivultius, qui tot res viderat, hanc non hominum sed gigantum pugnam fuisse, & octodecim pugnas quibus interfuerat, cum hâc comparatas pueriles prorsùs extitisse ludos affirmaret. Mediolano Helvetij Comensi viâ protinùs abierunt in patriam, promisso reditu cum majoribus copiis : atque interim relicto præsidio in arce Mediolanensi; cui se Maximilianus Dux inclusit, civitate Regi sese dedente : qui quòd urbem quæ tota non in ipsius potestate esset ingredi Rege indignum esse diceret, dum hostes arce potirentur se ingressurum negavit. Quòd [d] verò plures viros nobiles, quos strenuam operam utroque prælio navâsse conspexerat, equestri honore ornare decrevisset : eam ipse dignitatem primùm à *Petro Terralio Baiardo* nobili Delphinate fortissimo viro suscipere voluit ; quem non solùm his pugnis strenuissimè se gessisse animadverteret, verùm etiam in omni alio bellici certaminis genere excelluisse noverat ; cùm eques, pedes, cum multis, cum paucis singulari etiam certamine pugnâsset, magnam semper gloriam reportâsset, (quamvis bonam ejus gloriæ partem inviderint ei Italici scriptores, contra Gallicorum fidem, & auctoris Vitæ ejus assertionem.) Eo verò loco quo victoria parta est, Rex per tres dies solemnia sacra peragi curavit : primo, pro gratiis Deo de victoriâ agendis : altero, pro animabus defunctorum qui prælio ceciderant : postremo, pro pace consequendâ : ædémque sacram ibidem in Victoriæ trophæum erigi mandavit : quæ in monasterium crevit, quod Patribus Cælestinis attributum fuit nomine B. Mariæ de Victoriâ.

[d] *Belcar lib.* 15. §. 20.

BAIARDI SUMMUM DECUS.

VIII. DUX MEDIOL. DUCITUR IN GALL.

Partâ victoriâ, continuò cessêre omnia, præter arces Mediolanensem & Cremonensem : quæ & ipsæ non solido pòst mense redditæ sunt à Maximiliano Duce : Idémque omnibus principatûs Mediolanensis juribus cessit Regi, his inter cæteras conditionibus, ut Rex illi certam pecuniæ summam, quâ æs alienum dissolveret, numeraret ; & in Galliam sese recipienti ibi mansuro triginta aureorum millia, sive ut quidam habent, triginta quinque, vel ut etiam Bellaius sexaginta, singulis annis dependeret, vel eum pari conditione Cardinalem fieri curaret. Qui sic ex arce egressus, séque Helvetiorum servitute, Cæsaris dilaceratione, & Hispanorum fraudibus liberatum aiens, in Galliam contendit ; homo ab omnibus ob socordiam, cogitationes ignavas, & sordidissimos mores, omni principatu indignus judicatus. Post cujus abitum, Rex Mediolanum triumphali pompâ ingressus est. Quæ omnia breviter à nobis relata, fusè describunt Guicciardinus [e] & Belcarius [f], ex quibus ea præcipuè desumpsimus : præter Anglerium [g], Iovium, Bellaium, (qui prælio interfuit) Marianam, Belleforestium, & alios earumdem, aliarúmque gentium historicos.

[e] *Guic. l.* 12.
[f] *Belcar l.* 15.
[g] *Angler. ep.* 550. 555.

IX. CŌGRESSUS PONTIFICIS ET REGIS BONONIÆ.

Cùm interim Pontifice Regis amicitiam per legatos expetente, à cujus armis valdè sibi timebat ; convenit inter eos, ut ei ineundæ, ac rebus Ecclesiæ suisque tractandis, ad mutuum colloquium Bononiæ congrederentur, cùm non esset Regi commodum longiùs à Mediolanensi agro recedere. Ingresso igitur Bononiam Pontifice sexto Idus Decembris, Rex biduo pòst advenit : ad quem recipiendum quatuor ex primoribus Prælatis Curiæ Parmam usque, duo Cardinales Legati Rhegium processerunt. Quomodò verò ingressus sit urbem ; quibusque cæremoniis postridie à Pontifice in Consistorio receptus, per suum Cancellarium Antonium de Pratis in genua nixum obedientiam ei præstiterit, ipso interim Rege stante capite tecto, ac deinde rem submisso capite & humeris confirmante : quibus item die sanctæ Luciæ decimo-tertio Decembris adstiterit Missæ pompâ solemni in ejus gratiam à Pontifice celebratæ, cui & post ejus communionem aquam manibus stans ministravit, gratias ei agente Pontifice ; & alia ad hæc pertinentia, minutissimè descripsit Paris de Grassis Episcopus Pisaurensis Magister Cæremoniarum Papæ, qui ei adstitit, & cuncta ordinavit ; in suis Notis Diariis ; ex quibus eadem noster Bzovius Annalibus suis inseruit, jucundissima lectu, nec scitu indigna. Die sequenti Pontifex in gratiam Regis in Consistorio Cardinalem presbyterum tituli Sanctorum Petri & Marcellini creavit Adrianum Goufferum de Boisy Episcopum Constantiensem in Normanniâ, & posteà Albiensem, ac Legatum in Galliâ, Arturi Magni Aulæ Francicæ Magistri, qui præcipuæ apud Regem auctoritatis erat, fratrem : de cujus creatione est itidem ejusdem Paridis relatio ibi adtexta.

REX QUOMODO A PONT. RECEPTUS.

X. QUÆ FUERINT INTER EOS TRACTATA.

De rebus autem, quarum causâ congressus Papæ & Regis fiebat, cùm eæ nihil ad Paridis munus spectarent, eas Guicciardinus, Belcarius, & alij referunt. Nimirum de confirmatione mutui inter se fœderis ; déque invasione regni Neapolitani ; urbibus Mutinâ & Rhegio Duci Ferrariensi restituendis ; aliísque nonnullis, quæ Rex à Pontifice petiit, aliísque partim distulit ; partim promisit, nec tamen pòst adimplevit, partim negavit. Quæ omnia candidus adolescens, haud dum satis extranearum artium gnarus, boni consuluit. Quod autem facile erat, sine suo detrimento liberalem esse, permisit ei Pontifex, unius anni decumas à totius regni sacerdotiis exigere. Sed quod etiam eidem concessit, ac successoribus in perpetuum, Ecclesiarum cathedralium ac monasteriorum nominationem, quæ priùs ab electione collegiorum ac conventuum pendebant ; haud quidem id novum fuit, cùm aliàs [h] viderimus, id jam olim Zachariam Romanum Pontificem permisisse Pipino Caroli Magni parenti, & sancto Ludovico [i] Regi Alexandrum IV. Horruit tamen iste eo quamquam spontè oblato jure uti : quòd intelligeret, ut dicebat, non se posse illud suscipere absque periculo animæ suæ & regni. At quisnam post sustulit hoc periculum in non sanctis Regibus, quòd adeò Sanctus verebatur ? Cùm nihilominùs non possit negari, interesse maximè Regum, ut loquitur Gaguinus, nôsse qui in suis regnis majores Ecclesias administrent. Sic autem sublatâ penitùs Sanctione Pragmaticâ, ejus loco facta sunt Capitula illa, quæ Con-

[h] *Epit. an.* 572. *II.*
[i] *Supr. an.* 1254.

CONCORDATA IN LOCUM ABOLITIONIS SANCT. PRAGM.

CORDATORUM nomine promulgata fuêre anno sequenti Sessione XI. Concilij Lateranensis, ut tunc videbitur. Non tamen sine omnium Galliæ Ordinum gravissimâ conclamatione: mirantibus multis vehementissimè, quòd cùm Pontifex fratrum suorum Cardinalium suffragiis eligatur, Episcopos & alios Præsules eligendi potestatem iis ad quos pariter de jure competebat ademerit, & in Reges transtulerit: atque infaustâ permutatione, temporali sibi reservato, spirituale abdicaverit. Aliis tantâ id animi acerbitate accipientibus, ut etiam Genebrardus [k] putaverit, hinc Ecclesiæ Gallicanæ perniciem ortam esse; hoc seminarium omnis generis hæreseon, simoniarum, fiduciarum; exterminationem scientiæ, virtutis, pietatis, regni pestem, fuisse: Et aliorum [l] judicio, id exitium Regis Francisci rebus & ejus generi attulerit.

[k] Geneb. Chronol. l. 4. sub Leone X.

[l] Thuan. l. 1.

XI.

Quod tamen nec Leo Regi (præter Pragmaticæ abolitionem) gratis cæteroqui concessit; quoniam habuit insuper à Rege, ut Annatæ non ex veteri censu, qui longè minor erat, sed ex vero & novo solverentur. Tantî erat Pontificem habere benevolum, & non dissentire à Sede Apostolicâ in rebus summæ ejus auctoritati derogantibus. Dicitur [m] verò, voluisse etiam Leonem, ut Regem incitaret ad bellum Turcicum, conferre ei titulum Imperatoris Constantinopolitani, quem ab Alexandro VI. datum olim vidimus Carolo VIII. sed Cancellarium ac cæteros qui Regi à consiliis erant dissuasisse, ne hujusmodi inanium titulorum illicio, rei adeò difficili obstringeret sese in tantâ rerum suarum necessitate atque discrimine. At non solùm hunc titulum competisse Carolo VIII. ex concessione Pontificis, verùm & anteriori cessione Andreæ Despotæ legitimi ejus hæredis, dictum [n] est ibi. De hoc porrò congressu, déque transactis in commune, eodem tempore Pontifex literas [o] dedit, imprimis ad Aloisiam Sabaudam Regis matrem, cui Rex dum abesset sui regni procurationem commiserat: quibus significavit, quantâ cum animi voluptate conspexisset, Reipublicæ Christianæ majorem dignitate & auctoritate filium, tantum Regem, tantâ potentiâ præditum, omnibus animi corporísque dotibus perornatum, florentem ætate, eidem Reipublicæ se tam piè conjungentem, addicentem, submittentémque. Gratulánsque ei de tali filio, hortatus est ut in eâ pietate ac religione, & ad juvandam rem Christianam propensione, magis in dies confirmaret & contineret. Deinde ad Regem [p] Lusitaniæ Emmanuelem de eodem congressu confidentiùs scribens, ait se, cùm secretioribus sermonibus collocutionibúsque Francisci animum atque mentem diligentiùs pertentaret; studia, cogitationésque ejus omnes ad rem Christianam juvandam amplificandámque mirificè conversas atque directas cognovisse; ipsum autem & probum, & ut ejus ferret ætas etiam prudentem, & alto ac magno animo præditum; tum etiam facilem ad curas suas, desideria, spes, conatúsque omnes remittendos perspexisset, dum illud tam pium, tam justum, tam etiam necessarium in Turcos bellum non verbis & literis, sed re atque operâ unanimi consensu conspirationéque susciperetur: Hæc

[m] Ap. Bellefor. lib. 6. cap. 25.

[n] Supr. an. 1495. 11.

[o] Ext. ap. Bemb. 11. ep. 12.

LAUDES EXIMIÆ FRANCISCI REGIS A LEONE PONTIF.

[p] Ibid. 11. ep. 17.

cùm vidisset, regiúmque animum, quasi quod manu tangitur tenuisset, (esse enim planè bonum, hoc est aperto ingenio & perliberali) egisse primùm Deo gratias, qui sibi dederit, ut tantum Regem, tantâ virtute, tanto gerendarum rerum initio, eâ ætate, iis opibus, ad eam profectionem suscipiendam tam alacrem, tam secum conjunctum & consociatum, quasi de cælo missum conspiceret. Deinde eum tam opportunâ occasione hortatur, ut se cum ipsis ad hoc bellum, relictis aliis omnibus consiliis, etiámque navigationum suarum, pararet. Nullum enim reliquorum Christianorum Regum atque Principum fore, modò verè Christianus sit, qui cùm ipsos tres ad id conjunctos animatósque videret, non se etiam compararet ad benè de Christiano nomine pro virili parte communi in re atque causâ promerendum. Inculcavit hæc eadem sæpiùs idem Pontifex aliis quoque Regibus & Principibus: inculcaverunt & ejus decessores. Sed cùm nec plerique ipsorummet Pontificum manum operi seriò admoverent, magis & ipsi rebus suis procurandis intenti, haud mirum si nec ullos alios invenerint, qui non potiùs sua propria quæsierint: cùm & ipsi qui ad limina Imperij Turcici constituti essent, ut eorum testantur historiæ, magis ex coactâ necessitate quàm liberâ voluntate arma in suî defensionem assumere compellerentur.

DE BELLO TURCICO.

XII. REBUS COMPOSITIS REX IN GALL. REDIT.

Sed ut Francisci Regis, hujus anni reliqua expediamus; is decimo-quinto Decembris, ut Paris habet, Bononiâ discedens, (acceptâ in discessu dono à Pontifice Cruce aureâ cum gemmis, pretij quindecim millium ducatorum auri, cui inclusa erat portio sanctissimi Ligni Crucis Dominicæ magnitudinis avellanæ) Mediolanum revertit: exercitúque dimisso, septingentos dumtaxat cataphractos, sex Germanorum peditum & quatuor Gallorum millia ad ejus principatûs præsidium reliquit, sub præfecturâ Caroli Borbonij Conestabilis. Cúmque etiam intereà Helvetios sibi amicos reddidisset, renovato fœdere, quo quantumcumque peditatum postularet missuros se ad defensionem & offensionem adversùs quoscumque, Pontifice, Cæsare, & Imperio exceptis, sese obstrinxerunt; Réxque vicissim iis veteres pensiones confirmavit, & sexcenta aureorum millia Divione promissa, ac trecenta alia, si oppida & valles ad Mediolanensem principatum spectantes, quas nonnulli eorum occupaverant, restituerentur, certis pensionibus exoluturum se pollicitus est: sic Rex suas in Italiâ res optimè constabilisse ratus, in Galliam iter resumens, Lugdunum circa Calendas Februarij appulit. Pontifex autem Florentiam, indéque vere novo Romam reversus est.

XIII. MAGNUS CŌVENTUS VIENNÆ AUSTRIÆ DE CONNUBIIS FAMILIÆ.

Ante prædictum conventum Bononiensem, factus fuerat mense Iulij alius valdè insignis Viennæ in Austriâ, Maximiliani Cæsaris, Wladislai Hungariæ & Boëmiæ, Sigismundi Poloniæ Regum fratrum, atque Ludovici junioris Regis, filij ejusdem Wladislai: cui etiam interfuerunt Cardinales Gurcensis & Strigoniensis, Episcopus Feltrensis Nuncius Leonis Papæ, legati Regum Hispaniæ & Angliæ, aliíque innumeri Prælati, Princi-

pes, ac viri nobiles, & eruditione clari, ex universâ Germaniâ, Hungariâ, Poloniâ, & aliis regnis ac provinciis vicinis. Actum in eo præcipuè de pace inter eos Principes & regna firmandâ, per matrimonia prædicti Ludovici junioris Regis cum Mariâ natâ Philippi Belgæ filij ipsius Maximiliani, Carolique postea Imperatoris sorore, & Ferdinandi eorundem Caroli & Mariæ germani cum Annâ reginulâ prædicti Ludovici sorore; quò pactio antiqua de successione Austriacæ familiæ in regno Hungarico & Boëmico securior redderetur, si mascula progenies Wladislai extingueretur. Actum item de bello contra Turcos suscipiendo, ac legatis eâ de re ad Senatum Venetum mittendis; de pace inter Moscos & Sigismundum honestis conditionibus componendâ, aut Moscorum societate à Cæsare dimittendâ; de Teutonicis ad obedientiam Polonorum reducendis; & aliis nonnullis: quæ *Ioannes Cuspinianus* Poëta & medicus, atque orator & consiliarius Cæsaris, præfectúsque Viennensis, ac præclaris & multis historicis scriptis non parvam famam adeptus, nisi hæresis quâ fuit posteà infectus eam conspurcâsset; qui interfuit, & non ultima pars conventûs fuit, rerúmque singulis diebus gestarum Diarium conscripsit; & *Ricardus Bartolinus* Perusinus, auctor poëmatis Austriados, qui in eo conventu in laudem [q] singulorum illorum Principum peroravit, & Itinerarium Cardinalis Gurcensis, résque eo congressu gestas copiosè descripsit; aliique illarum gentium auctores [r] pluribus tractârunt.

[q] Ext. tom. 2. Rer. Germ. edit. Freher.
[r] Iod. Dec. de temp. Sigism. Vassov. in Fragm. Isthuanff. Hist. Hung. lib. 5. Dubrav. Rer. Boëm. lib. 32. Sambuc. in Append. ad Bonfin.

XIV.
[s] Sur. Iovi. &c.

Hoc [s] verò tantorum Principum conventu territus Selimus Turcorum Imperator, quòd rumor esset illos arma contra ipsum parare; ubi per speculatores competit alia illic tractata esse, nihílque præter magnificas conciones, sumptuosa convivia, varios ludos parari; vano solutus metu, ad Orientem animum adjecit. Vbi [t] hoc eodem anno Aladeulem Regem Turcomanum ad Taurum & Antitaurum, ob injurias ab eo acceptas bello cepit, & capite truncavit: quod Venetias misisse quidam scribunt, nec tamen apud eos legimus. Fuisse item Ioannem Scepusium Vaivodam, qui cum Hungarorum exercitu Turcorum fines inconsideratè invaserat, à præsidiis ibi existentibus magnâ clade hoc eodem tempore affectum, nonnulli ex prædictis auctoribus referunt. Atque econtra Sigismundum victoriam de Tauricanis Tartaris reportâsse. Et ex Bembi [u] epistolis intelligitur Leonem Pontificem diligenter curâsse, ut fines Hungariæ & Poloniæ ab iis tuti essent, suppeditatis etiam pecuniis, armis, commeatibus. Qui etiam hoc eodem anno, Archiepiscopo Gnesnensi Primati Poloniæ privilegium [x] contulit, ut esset Legatus Apostolicus natus in suâ & Leopoliensi Russiæ provinciâ: multáque alia eodem regno indulsit circa regimen Ecclesiarum inter Rutenos schismaticos, aut in eorum finibus existentium, sacrorum celebrationem, sacramentorum administrationem, peccatorum absolutionem, beneficiorum Ecclesiasticorum dispositionem, festorum celebrationem, & alia ejusmodi ad rem & disciplinam Ecclesiasticam pertinentia.

[t] Leunclav. in Annal. Turc.
DE REBUS TURCICIS.
[u] Bemb. l. 10.
LEO PONTIF. CURAM GERIT POLONIÆ.
[x] Vapov. & Dec. ubi suprà.

XV.

His duo funera addimus duorum valdè insignium hujus temporis heroum nationis Hispanicæ; *Alfonsi Albuquercij* Lusitani Proregis Indiarum, & *Consalvi Fernandi* Magni Capitanei, de quibus non semel superius, pari fere ingratæ fortunæ exitu. Sic enim plerumque clarissimis ducibus veluti fatale contigisse vidimus, videmúsque frequenter, ut in ultimo vitæ actu circumventi invidia, imminutâque dignitate in ipso contumeliæ dolore moriantur. Albequercius post tot victorias in Oriente partas, tot regna Coronæ Lusitanicæ subjecta, cujus & tanta fuit iis partibus ex rebus præclarissime gestis nominis fama, ut etiam Ismaël tantus ille Rex Persarum, eorum admiratione captus, legationibus eum ac muneribus honoraverit, & amicitiam ejus ambierit: invidorum calumniis apud Regem appetitus, quasi Indiam sibi subdere in animo haberet, & alioqui temeritate sua & homines & fortunas regias discrimini & jacturæ exponeret; ab administratione, misso ei successore Lupo Suario, remotus est. Sed commodum ejus honori accidit, ut antequam Suarium videret, longâ infirmitate profluvij ventris extenuatus, accedente non mediocri animi perturbatione ex nuncio de Suarij cum potestate adventu; ex Ormutio Goam suas delicias navigans in ipso Goæ portu, inque ipsâ navi, animam rite Christiano more sacramentorum perceptione curatam, piissime exhalaverit die decima-sexta Septembris, ætatis anno sexagesimo tertio; amplissimo funere illatus ad sepulturam in ædiculam Beatæ Mariæ, quam ipse construxerat: non solùm ibi, & a Lusitanis, verissimis lacrymis lamentatus, sed etiam tota India & Oriente, ab ipsis etiam Mauris & Gentilibus desideratus. Vxore nunquam ductâ, filium ex ancillâ susceperat: quem Rex Emmanuel, patris mortem acerbè ferens, ex Blasio Alfonsum in parentis memoriam vocari voluit, eique prædia & vectigalia dedit ampla, & splendidas nuptias conciliavit: ipseque ædiculam illam, ubi pater sepultus erat, novâ structurâ in justi templi formam amplificandam curavit: qui & commentarios Lusitanicè scripsit, quos ambiguitate nominis nonnulli malè patri attribuerunt. Quæ autem de patre diximus pluribus tractant Barrosius [y], Osorius, Maffeius, Mariana.

ALFONSI ALBUQUERCII OBITUS:
[y] Barr. Asi. dec. 2. lib. 10. cap. ult. Osor. lib. 10. Maff. l. 5. Mar. l. 30. cap. 25.

XVI.
ITEMQUE CONSALVI MAGNI CAPITANEI.

Consalvus item, cujus solius fortitudine Ferdinandus Rex Neapolitanum regnum adeptus fuerat, varie deinde turpiterque ab eo, ut vidimus, delusus, ac pene cum infamiâ in Hispaniam reductus; in quem unum post cladem Ravennensem universa Italia ad res reparandas oculos conjecerat; quem & Pontifex & Veneti bellorum suorum ductorem expetierant, Belgici Principes sibi dari exoptaverant: hæc ei ingratissimè invidens Ferdinandus, cum hoc tempore [z] vulgatum esset eum in Belgas ad Carolum navigaturum, misit qui non solùm discessum prohiberent, sed etiam si opus foret manus in eum injicerent. Sed tantum dedecus prohibuit morbus febris quartanæ; quâ demùm extinctus est Granatæ altero Decembris die:

[z] Marian. lib. 30. c. 25.

[a] *Guicciard. lib.* 12.

vir animi magnitudine, & perpetuo victoriarum cursu, clarissimus omnium quos à multis sæculis Hispania tulerit. Cui [a] Rex jam ab ejus metu securus, ob virtutis memoriam, ab universo regno honores in Hispaniâ nisi defunctis Regibus fieri consuetos, summâ omnium populorum approbatione exhiberi voluit. Næniam laudéque ejus lugubres cantans Petrus Martyr Anglerius [b] Mediolanensis tunc apud Ferdinandum agens; Væ, inquit, tibi, væ Hispania! vitâ functus est Gonsalvus ille Fernandus Aquilaris à Cordubâ, Magnus Imperator antonomasticè ac jure merito appellatus: qui nomen tuum primus hâc tempestate supra astra locavit. Latuisti hactenus Hispania, & tuorum virtus militum sopita jacebat: eo alumno tu ô Hispania famam æternam consecuta es.

[b] *Angler. ep.* 557.

XVII. BIBLIORUM CÕPLUTENSIUM EDITIO.

Præclarum id in eâdem Hispaniâ hoc anno gestum, ut BIBLIA Hebraïca, vulgò *Complutensia* dicta, (à loco editionis vulgò Alcalà de Henares) tribus adjunctis translationibus, Chaldaïca, Græcâ, & Latinâ, tomis sex impressa fuerint, auctoritate & sumptibus *Francisci Ximenij* Cardinalis Hispaniæ Archiepiscopi Toletani. De cujus in iis per viros earum linguarum peritissimos undique conquisitos, in iisdem & ipse versatissimus, dirigendis, conferendis, edendis, summâ diligentiâ, continuâ sollicitudine, grandibus per plures annos impensis, multa Gomecius in ejus Rebus [c] gestis. Fuítque hæc editio tantæ auctoritatis & venerationis, ut ad eam quicquid alibi excuderetur, aut controverteretur, certatim revocari consuesceret. Quo nomine multùm debet universa Ecclesia Ximenio; plus etiam Hispania, tum ob plurima alia beneficia in eam collata, tum ob Collegium ibidem Compluti suo sumptu erectum, ad exemplum Scholæ Parisiensis, (si parva liceat componere magnis) magno Hispaniæ commodo, cùm creverit postea Schola in insignem omnium disciplinarum academiam.

[c] *Gomec. l.* 2.

XVIII. OCTAPLA NEBIENSIS.

Quo etiam tempore *Augustinus Iustinianus* Genuensis, ac Nebiensis in insulâ Corsicâ Episcopus, Ordinis Prædicatorum, linguarum peritissimus, grandi conatu Sacram Scripturam quinque præcipuis linguis, Hebræâ, Chaldæâ, Græcâ, Latinâ, & Arabicâ, in unum corpus redigendam suscepit, *Octapla* inscriptum, quòd quinque iis linguis Latinam versionem respondentem de verbo ad verbum Hebraïcæ & Chaldaïcæ, & quædam Scholiola addiderit. Cujus tamen operis nonnisi Psalterium ad Leonem Papam typis excusum videre licuit: quod periculi faciendi an gratum opus Theologis foret, & fructum aliquem in Ecclesiâ pariturum esset, præmisisse scribit. Qui anno 1530. in Corsicam ad Ecclesiæ suæ administrationem navigans, tempestate absorptus decessit ex hâc vitâ, ut Sixtus Senensis scribit.

XIX. INGENS MIRACULUM EX VOTO LAURETANO.

[d] *Tursell. l.* 2. *cap.* 18.

Hoc quoque anno ingens miraculum factum est ad Deiparæ Virginis Lauretanæ invocationem, quod Tursellinus [d] narrat. Sacerdos quidam in Dalmatiâ, vir antiquâ simplicitate, & Lauretanæ memoriæ unicè deditus, cùm captus à Turcis ad deserendam religionem pelliceretur, rem aversatus, ut eis ægre faceret, ultrò Christum & Mariam identidem invocabat, & cur faceret sciscitantibus, respondit quia hærerent sibi in præcordiis. Minitantibus se præcordia extracturos, nisi extemplò Christum & Mariam execraretur, atque eundem pernegantem ferro invadentibus, vovit altâ voce, si vita suppeteret primo quoque tempore Lauretum ad Virginem iturum. Discisso pectore, & extractis visceribus, abire jam & præcordia Lauretum pro voto ferre illudentes jussêre. Ipse, Deo mortem morante, viréſque suggerente porrò ire perrexit, multorúmque dierum itinere celeriter emenso, stupentibus hominibus quàcumque iter erat, Lauretum pervenit sua exta manu præferens. Vbi re narratâ, & gratiis Virgini enixè actis, susceptísque sacramentis, in Deiparæ conspectu animam efflavit. Exta ipsa ibi appensa advenis diù spectaculo fuêre: donec tabe absumptis, alia è ligno apposita, demúmque tabula picturâ rem, ac scripto historiam repræsentans, in publico proposita; quæ hodiéque summâ intuentium admiratione visitur.

IESU CHRISTI Annus 1516.

LEONIS X. An. 4.

MAXIMILIANI An. 23.

I. FERDINANDI REGIS HISPAN. OBITUS.

[a] *Marian. lib.* 30. *c.* 17.

ANNO Christi 1516. Indictione quartâ, *Ferdinandus* Rex Hispaniæ longo morbo, (ex poculo [a] amatorio ipsi ab uxore, spe prolis, quâ carebat, ante biennium diluto, primùm concepto, deinde aquâ intercute aucto) consumptus, dum Hispalim peteret, in itinere vico Madrigalegio ad Castra Iulia diem obiit decimo Calendas Februarij, anno ætatis circiter sexagesimo tertio, regni Aragoniæ ab obitu patris trigesimo septimo, Castellani à morte Henrici fratris Isabellæ conjugis quadragesimo secundo cœpto: sepultúsque est regio funere unà cum uxore Granatæ in templo maximo. In cujus eo loci obitum philosophatus Anglerius [b] qui apum eum agebat, ait horridum auditu esse, quò tot regnorum dominum, tótque palmarum cumulis ornatum, Christianæ religionis amplificatorem, & prostratorem hostium Regem traxisset divina voluntas moriturum: villulam scilicèt in cujus meritoriâ domunculâ incultâ interceptus restiterit. Additque, pauperem contra omnium opinionem obiisse: cùm vix ad funeris pompam, & paucis familiaribus præbendas vestes pullatas, pecuniæ apud eum neque alibi congestæ repertæ sint. In eo porrò finem accepisse dicitur genus masculinum Comitum Berengariorum Barchinonensium, quod à trecentis & ampliùs annis regnum Aragonicum possederat. Rex præstantissimo consilio & virtute; (inquit Guicciardinus [c]) in quo, si modò in promissis servandis constantiam retinuisset, (quæ suâ semper utilitate, ad ambitionem & inexplebilem propagandi imperij cupiditatem, mirâ calliditate mensus est) vix aliud reprehensione dignum reperias. Certè illum Hispani [d], justitiæ

[b] *Anglerr. ep.* 565.

[c] *Guicciard. lib.* 12.

[d] *Mar. l.* 30. *cap.* 27.

cultu, prudentiæ laude, animíque præstantiâ, excellentiorem omnibus qui umquam in Hispaniâ extiterunt, prædicant; speculum (si vitia demas quibus non caruisse fatentur:) in quod omnes Hispaniæ Principes intueantur. Cujus obitum ubi rescivit Leo Pontifex, literas [e] quinto Idus Februarij ad Maximilianum Cæsarem dedit Florentiæ, ubi tunc adhuc agebat, doloris summi indices de tam gravis, tam prudentis, tam suî & Ecclesiæ observantis (ut loquitur) interitu, quo multùm Romanæ rei, multùm etiam Christianæ publicæ tum præsidij tum ornamenti sublatum esset. Testamento rebus Aragoniis Cæsaraugustanum Præsulem filium suum nothum præfecit; Castellæ Archiepiscopum Toletanum Ximenium Cardinalem Hispaniæ; dum Carolus nepos omnium regnorum hæres, qui in Belgio agebat, in Hispaniam veniret: adjuncto etiam interim in Castellæ administratione, de Caroli voluntate, Hadriano Batavo Decano Lovaniensi, ejusdem Caroli magistro, qui paulò ante Ferdinandi obitum ad eum missus fuerat. Ipséque *Carolus* annum tunc agens ætatis decimum-sextum, confestim ut avi mortem audivit, (quamvis matre Ioannâ Reginâ superstite, sed cui præ mentis motione nulla erat de regno cura) publicis literis, nullo tamen consensu publico, quinimmò aperto dissensu, se Regem dixit; auctoritate, ut professus est, Leonis Pontificis & Maximiliani Cæsaris ita monentium. Quod demùm ab omnibus acceptum est, urgente maximè Ximenio; ut pluribus narratur à Gomecio [f] in ejus Vitâ: Meminítque Mariana [g]; qui in obitu Ferdinandi, Historiæ suæ Hispaniæ finem imponens; quam eleganter, & longè multis aliis sinceriùs, triginta libris conscripsit, Summarium pòst addidit eorum quæ acciderunt subsequentibus annis usque ad millesimum sexcentesimum duodecimum.

[e] Ext. ap. Bemb. 11. ep. 24.

CAROLUS REGEM SE DICIT.

[f] Gom. lib 6.
[g] Mar. l. 30. in fi.

II.

IOANNIS REGIS NAVAR. OBITUS: ET CATHARINÆ CONJUGIS. HENRICUS FILIUS SUCCEDIT.

Cùm verò post obitum Ferdinandi timerentur turbæ in regno Navarræ; post leves quosdam motus, conatus eorum qui ad veteres Reges respiciebant, disturbati sunt *Ioannis* Regis Navarræ obitu; qui contigit ad pagum amplissimum Monenium Bearniæ, anno ejus ætatis quadragesimo-septimo, decimoquinto Calendas Iulij, ut plures probabiliùs habent, quàm qui pridie Idus Februarij. Eum secuta est in oppido Monte-Martiano in Vasconiâ, octavo pòst mense *Catarina* ejus conjux; datáque utrique sepultura in templo cathedrali Lascaris in Bearniâ: hærede relicto *Henrico* filio, annorum circiter quatuordecim adolescentulo; qui Regis Navarræ nomen, uti verus ejus regni hæres suscepit.

III.

[h] Iod. de temp. Sigism.

WLADISLAI REG. HUNGAR. OBITUS.

[i] Ext. ap. Bemb. l. 12.

Obiit item hoc anno, octavo Idus Martias (ut Iodocus Decius [h] habet) *Wladislaus* Rex Hungariæ & Boëmiæ, lentâ febre & articulorum doloribus absumptus, anno ætatis altero & sexagesimo: cùm paulò antè literas [i] à Leone Pontifice accepisset, de pace vel induciis cum Turcorum Imperatore, à quo de iis sollicitabatur, non contrahendis; promisso suo ac cæterorum Principum auxilio. Fuit ad otium & pacem, quàm militiam & gubernationis molem aptior; ut erat etiam multâ carne & pinguedine gravis. Taciturnitatem ita amplexus [k], ut à plerisque mutum idolum cognominaretur, quòd non aliud ferè responderet, quam *Bene* Latinè, cùm Hungaris loqueretur, quorum linguæ penitus ignarus erat; vel *Dobre* Boëmis, quod idem eorum linguâ significat: cùm utrique illi compendio suo studentes sibi quidem bene, Regi autem malè consulerent. Adeò ut ejus ignaviâ res ipsius ita pessum ierint, ut ad summam non semel penuriam redactus cogeretur aliunde sibi prandium emendicare, uti testis oculatus Dubravius asserit: qui in eo nihilominùs laudat pietatem summam, clementiam singularem, amorem in subditos, civilitatémque insignem, mirificam ab alieno abstinentiam, & pacis studium incomparabile. Quæ sanè virtutes quomodò potuerint convenire cum ejus stupiditate, aut tantam stupiditatem cum tot ac tantis virtutibus cohærere, haud facilè videmus. Mortuus est Budæ, & Albæ in sepulcris Regum conditus; cùm regnâsset in Boëmiâ annos quadraginta quinque, in Hungariâ viginti quatuor. Successit in regnum *Ludovicus* ejus filius, puer dumtaxat decennis; quem utriusque regni coronam urgente patre jam olim suscepisse vidimus. Fuisse verò tradunt indole ad virtutem aptâ; sed malâ educatione à Georgio Marchione Brandeburgensi, eum rebus inanibus & choreis ac ludis occupante, & à seriis studiis removente, factum esse ut ejusmodi deliciis irretitus, consultationes de regno graviores vitaret, magno utriusque regni Hungarici & Boëmici detrimento. De cujus institutione & tutelâ Leo Pontifex sollicitus, statim ut patris obitum audivit, tum ad eum scripsit [l] hortans ad pietatem & virtutem paternam imitandam; tum ad Thomam Cardinalem Strigoniensem, ut diligentem ejus curam negotiorúmque regni susciperet: misso etiam Archiepiscopo Rhegino, qui eidem sollicitudini unà cum illo incumberet. Quódque scripsisset Thomas, Turcorum Imperatorem legatos ad puerum misisse de pace aut induciis; rescribens [m] rem dissuasit, sicuti & patri [n] ejus fecerat) eò quòd certum esset, Turcum non hæc nisi in suum commodum quærere, ut faciliùs posteà incautos opprimeret. Et scriptis ad alios Reges literis, hortatus est ad opem ferendam; suam ipse diligentissimè parans, maximè postquàm audivit victoriam à Selimo de Sultano Ægypti partam; de quâ mox dicetur.

[k] Dubrav. l. b. 32. ad f.

LUDOVICUS FILIUS SUCCEDIT.

[l] Ap. Bemb. Epist. l. 12.

[m] Ibid. l. 13. ep. 1.
[n] Id. 11. ep. 25.

IV.

MEDIOL. PRINCIPATŪS PERICULUM A CÆS. ET PONTIF.

Cùm autem post mortem Ferdinandi Hispani, Franciscus Rex Galliæ de invadendo regno Neapolitano cogitaret, novo casu animum ad principatûs Mediolanensis defensionem convertere coactus fuit. Quippe Maximilianus Cæsar insolitâ celeritate circa veris initium Italiam ingressus cum potenti exercitu, Mediolanum aggressus, pene Gallos ad civitatem deserendam adegit: nisi solitâ inopiâ Maximilianus ad solvenda militibus stipendia imparatus, vasis conclamatis ad sua se recepisset, nullo operæpretio, parvóque sui nominis decore. Quo in motu Pontificem minùs se benevolum aut æquum Regi Francisco exhibuisse, contra pacta cum ipso anno superiori firmata; necnon in occupatione Ducatûs Vrbini, pulso

Francisco-Mariâ Ruvereo, ejúsque donatione factâ Laurentio Medici nepoti suo; atque in Anglis, Hispanis, Helvetiis, clàm contra Regem concitandis, ad eum ex Italiâ pellendum; Guicciardinus [o] tradit, dum has Cæsaris Pontificísque expeditiones describit. In quarum narratione non pauca Iovium insignem personarum acceptorem, peccâsse, ut plurimùm solet, apud Belcarium [p] videas. Facto deinde mense Augusti Novioduni in Galliâ fœdere inter Franciscum Galliæ & Carolum Hispaniæ Reges, per suos utrimque legatos, interveniente quoque Cæsareo: (quò inter cætera cautum [q] fuit de restitutione intra sex menses faciendâ regni Navarrici, aut æquâ compensatione dandâ Henrico hæredi; déque certâ pensione annuâ Regi Gallo pro Regno Neapolitano pendendâ, ac Veronâ Venetis restituendâ:) idem Maximilianus Cæsar, quamvis anteà nepotem à fœdere cum Francisco ineundo removere magnoperè conatus fuisset, demùm tamen & quòd Carolo nepoti necessaria esset Francisci amicitia ineundis Hispaniarum regnis, cùm præsertim de Aragonio & regnis inde pendentibus controversia ei moveri posset; & pecuniæ à Venetis pendendæ cupiditate cæteris cogitationibus antepositâ; pacem accepit & confirmavit. Cujus vi Verona Odeto Fuxio Lautrecio (nuper Borbonio, qui repulso Maximiliano missionem ab administratione Mediolanensi petierat, suffecto) tradita est, & ab eo Venetis restituta decimoseptimo Calendas Ianuarij anni consequentis; (qui dies apud Veronenses celeberrimus quotannis habetur ingenti Venetorum exultatione, ob longissimum ac difficillimum bellum adeò felici exitu tandem confectum: quo, à fœdere Cameracensi, quinquaginta millia auri pondo, hoc est quinque milliones, ut numerant, aureorum impendisse traduntur: quæ illo tempore immensa erat summa, postquàm verò Indiæ in Europam commigrârunt, pro nihilo ferè apud magnos Principes computatur.

[o] Guicciard. lib. 12.
[p] Belcar. lib. 15.

FOEDUS INTER REGES GALL. ET HISPAN.

[q] Guicc. & Belcar. ibid. Bellai. lib. 1. Bellef. lib. 6. cap. 26.

V.

Quod bellum Selimi contra Mammaluchos, quod innuimus, attinet; is simulatâ novâ in Ismaëlem Persarum Regem expeditione, derepentè in Sultanum Ægyptium exercitum ducens, qui cum Ismaële fœdus & amicitiam percusserat, & olim filium Achmetis fratris Selimi à se fugientem receperat; castra posuit ad Singam amnem non procul ab Alepo Syriæ civitate, Berrhœâ olim dictâ, inter Antiochiam & Hierapolim. Vbi Campson sive Campsous [r] Gaurius Sultanus (ita namque eum plerique nostri vocant, quem Annales Turcici, Cansaven Gaurem) ignarus perfidiæ Emiris Caierbij, sive Cheirbegi, præfecti Alepi & Comagenæ provinciæ, qui à suo Sultano alienatus, defecturum se ad Selimum spoponderat, si eò accederet; Selimo occurrit: & extemplò acie congressus, Cheirbegi scelere, Sultanum non modò deserentis, sed etiam infestis armis persequentis, Mammaluchis fugatis, ipse jam senex major septuagenario, armis, multóque abdomine gravis, & ingenti herniâ præpeditus, cadente equo in pulverem excussus, neminéque agnoscente conculcatus, interiit septimo Calendas Septembris, eodem ipso die quo ante biennium Selimus Ismaëlem in campis Calderanis debellaverat. Rem gestam narrant diffusè Turcorum [s] Annales; & in Historiâ Iovius [t]: breviùs Bizarus [u], Angiolellus [x], & alij. Hujus autem victoriæ successu Selimus universâ Syriâ potitus est. Mammaluchi in Ægyptum ex fugâ delati, in locum Campsonis Sultanum elegerunt *Tomumbeium*, quem Turci Tommambaiam vocant, Circassum, præfectum Alexandriæ. Qui ita annuit, ut tamen se tanquam indignum parúmque paratum ad periculosissimi belli vim sustinendam excusaret; quamvis reparando bello cæteris omnibus aptior, & ad vindicandam communem injuriam magnitudine animi, militaríque ausu promptior censeretur. De cujus ad id conatibus dicetur anno sequenti.

[r] Vid. sup. an. 1501. V.

SELIMI VICTORIA DE MAMMALUCHIS.

[s] Ap. Leunclav. lib. 17.
[t] Iov. lib. 17.
[u] Bizar. Rer. Pers. lib. 10.
[x] Angiol. cap. 20.

VI. EJUS EADE RE LITERÆ.

Victoriæ verò nuncium mittens quaquaversùm Selimus, scripsit quoque ad Magistrum Hospitalariorum Fabricium Caretum tanquam amicum: cujus literarum exemplum refert Anglerius [y] Mediolanensis in suis epistolis diariis in hunc sensum: Cùm prostrato Sophio infideli hoste, cane, qui legem Mahometis fœdabat, ipse Selimus novo exercitu comparato ad illum penitùs delendum graderetur; Soldanúsque Babylonius, ejusdem fidei caput, ab ipso Selimo rupto fœdere ad Sophium partes suas direxisset: se per oratores Soldanum hortatum esse ne faveret hæretico: ipso verò renuente, quinimmò contra Selimum armato progrediente, atque in valle ubi propheta David sepultus est ad pugnam se accingente: se ex Dei & legis Mahometis instituto, quam ad unguem nitebatur observare, sapientes suos reperisse censentes hæretici fautorem Soldanum graviter debere puniri. Movisse igitur in illum suas acies: & ab horâ diei tertiâ, multis utrimque cadentibus, ad vesperam usque dimicatum esse ancipiti victoriâ: demúmque Soldanum unà cum duodecim primariis ejus principibus trucidatum esse. Hæc summa epistolæ Selimi. Quam explicans idem Anglerius [z], ait Sophium Persam & Soldanum Babylonium, Selimi potentiam & insatiabilem cupiditatem formidantes, per nuncios alternè negotiatos esse, ut si in alterum ipsorum movere arma tentaret, auxilio sibi invicem essent: Priusquàm pacta firmata fuissent, dum adhuc in ambiguo essent, & Sophius diversam ab utroque legem colens, (quippe qui nihil putabat esse Deum aliud quàm solam Naturam, regíque debere omnia juxta Naturæ igniculos:) dubitaret ne urgente necessitate Soldanus cum suæ legis sectatore conveniret adversùs ipsum; inter moras Selimum expeditè solvisse in Soldanum, non planè paratum ad ejus vim sustinendam.

[y] Angler. ep. 579.
[z] Id. ep. 580.

VII. VISITAT IEROSOLYMAM.

Post victoriam adeptam idem Selimus, Gazâ quoque urbe Palestinæ, per Sinanen strenuissimum Bassam eunuchum, qui insignem aliam illic de quodam Mammaluchorum duce victoriam adeptus est, deditione acceptâ, Bethlehemam, & Ierosolymam (quam Turci suâ linguâ Cutzimubarec, hoc est locum benedictum, seu inclytum appellant) invisit; ibique preces suas effudit, sacra omnia

loca visitans, & largas eleemosynas sacerdotibus Sepulchri Dominici custodibus, aliísque Christianis elargiens, (sive id ad finem præsentis anni, ut plures ponunt, prælterit; sive ad principium consequentis, ut Turcorum Annales significare videntur.) Hæret enim hodiéque Turcorum animis ea religio, ut voti rei, Mecchâ suâ visitatâ, non se legitimè solvisse votum arbitrentur, nisi etiam Bethlehemam & Ierosolymam adierint.

VIII. Passi quoque fuerunt hoc eodem anno aliquot clades Hispani in Africâ, (de quibus est etiam epistola [a] consolatoria Leonis Pontificis ad Ximenium Cardinalem Hispaniæ:) & Poloni [b] in Russiâ. Cùm perseverans diligentiùs Emmanuel [c] Rex Lusitaniæ in studio res Christianæ Religionis promovendi, præter nonnulla quæ feliciter in eâdem Africâ & Indiâ ejus auspiciis præstita fuêre, (Inter felicia quoque ac prospera illustre ponimus martyrium *Gundisalvi Vascij*, ex Mahometano facti Christiani, quem in Africâ captum Mauri crudelissimis tormentis, quæ constantissimè pertulit, necârunt: fratre ejus post aliquot annos eodem fine sublato.) Fernandum Petreium Andradium cum aliquot navibus in ultimam Asiam ad *Sinarum* regionem è proximo cognoscendam, Christique fidem apud eas remotissimas gentes propagandam misit: unáque Thomam Petreium, cum donis ac literis ad Regem. Cùm ad Tamum insulam, in illius regni aditu sitam, pervenissent: post diuturnam moram, transitu ægrè à Præfectis impetrato, (neque enim nisi difficillimè permittitur advenis regni ingressus) Cantonis urbis portum, quæ è Sinarum provinciis maximè est occidua, invectus, Thomà in terram exposito, inde recessit, optimo relicto innocentiæ vitæ & æquitatis odore. Sed cùm post hæc nonnulli alij è Malacâ ad eamdem Tamum in spem lucri accedentes Lusitani, incolas multis injuriis & contumeliis affecissent; primâ illâ existimatione in odium conversa, pulsis illis clausum est ostium Evangelio in multa lustra. Effectúmque interim, ut cùm Thomas legatus, quadrimestre ampliùs iter magno labore emensus ad regiam denique pervenisset; præoccupatas cùm aliorum, tum verò Cantonianorum magistratuum literis & criminationibus, Regis & Satraparum offenderit aures: atque ita non modò potestas facta ei non fuerit Regis conveniendi, sed etiam pro exploratore comprehensus, & Cantonem remissus, atque in carcerem conjectus, inter maleficos furésque nocturnos vitam miserabili fine concluserit. De Sinarum verò regnì, ejúsque civitatum, amplitudine, potentiâ, divitiis, déque optimâ reipublicæ institutione & administratione, atque incolarum moribus, politiâ, civilitate, tot & tanta narrantur ab auctoribus recentioribus; ut præ illis (exceptâ religione) nostratia barbara, sordida, misera videri possint. Verùm ex aliâ parte tot diversa à diversis scripta sunt, ut vix certum quid de iis statui possit: nisi fortè fidem habere velimus amplo commentario, quem non ita pridem *Nicolaus Trigautius* Belga Societatis Iesu, qui ibi diù versatus est, in lucem edidit; quo cæterorum errores emendare profitetur. Quando verò aditus ibi Evangelio patefactus fuerit, videbitur suo loco.

[a] Ap. Bemb. 13. ep. 27.
[b] Vapov. in Fragm. Dec. de temp. Sigism.
[c] Osor. lib. 11. Maffei. lib. 6.

Sinarum commerciū tentatur à Lusitanis.

IX. Regi autem Emmanueli [d] ita pro Ecclesiâ laboranti, Leo Pontifex in omnibus gratificari non desinens, etiam hoc anno concessit ut Equitum Iacobensium & Cisterciensium Magisteriatus, cui vellet assignaret: & ut *Elisabethæ* Reginæ olim Lusitaniæ feminæ sanctissimæ, & miraculis in vitâ & post mortem clarissimæ, honores totâ Conimbricensi diœcesi, qui Beatis reddi consueverunt, publicè haberentur, festúsque dies solemni ritu coleretur, quam posteà Vrbanus VIII. inter Sanctas celebri canonizatione retulit anno millesimo sexcentesimo vigesimo-quinto, amplâ priùs factâ de ejus vitâ, virtutibus, & miraculis, diligentissimè perquisitis & expensis, relatione. Eamdem verò Beatificationis, ut vocant, gratiam, tum aliis, diversis temporibus indulsit Leo, tum hoc eodem anno Fratribus & Sororibus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, pro *Beato Philippo* [e] *Benitio* Florentino ejusdem Ordinis insigni illustratore & amplificatore, viro in sæculo nobili, & medico doctissimo; in religione velut Apostolo ad propagandam non solùm in Italiâ, verùm etiam in Galliâ & Germaniâ pietatem & cultum divinum, verbi prædicatione, & miraculorum editione.

[d] Osor. l. 10.

Nonnullæ Beatificationes Sanctorum.

[e] Annal. Servor. cent. 3. lib. 6. c. 1.

X. Editum est hoc eodem anno in Poloniâ tetrum [f] facinus in vitam Alberti Fontini, natione Itali, professionis Franciscanæ, viri singulari doctrinâ & vitæ sanctimoniâ conspicui, nuper in Poloniam legati. Qui cùm apud Cracoviam Fratrum licentiam severiùs quàm vellent cohiberet, factâ à Fratribus conspiratione, quintâ Septembris nocte dormiens invasus, lectoque extractus, concionatoris manibus miserè perfractâ cervice jugulatus est. Captis omnibus, præter concionatorem qui manus perquirentium evasit, réque ad Sedem Apostolicam delatâ, Leonis Pontificis mandato nonnulli capite truncati sunt, reliqui perpetuis carceribus addicti, qui tamen posteà evaserunt. Concionator quoque demùm captus, capite pœnam luit.

[f] Iod. Dec. de temp. Sigism.

Parricidium in Albertum Fontinum.

XI. Ad finem anni, nempè decimo-quinto Decembris, facta fuit Romæ Congregatio generalis in palatio Apostolico, pro discutiendis & examinandis decretis in Sessione Vndecimâ Concilij Lateranensis proponendis. Iísque discussis & constitutis, die Veneris decima-nonâ ejusdem mensis celebrata est *Vndecima Sessio*, cui Leo Pontifex præfuit. In quâ post consueta solemnia, tres oratores Petri Patriarchæ Maronitarum Montis Libani, (qui fuerint hi Maronitæ, dictum [g] aliàs) obedientiam ipsius nomine Pontifici præstiterunt: literásque linguâ Chaldæâ, seu Arabicâ obtulerunt, quæ in Latinam versæ iisdem Actis continentur. Quibus Patriarcha gratias agens de missione Fratris Ioannis Francisci de Potentiâ Ordinis Minorum à Pontifice ad ipsum pro instructione nonnullorum dogmatum fidei, ac sacrorum rituum, quos enumerat, in quibus Maronitæ deviabant à recto; egregiam in hoc navatam ab eo operam testatur: mitteréque se unà cum eo ait quosdam è suis, qui patrum instituta ac S.R.E. dogmata addiscerent, & ipsius

XI. Sess. Concilii Later.

[g] vid. Epit. Baron. an. 1182. II. & supr. an. 1445. IV.

Legatio Patriarchæ Maronitarū ad Pontificem.

ac totius cleri populique Maronitarum nomine obedientiam præstarent, & fidelitatem jurarent: alia reservans Ioanni Francisco significanda de infidelissimo ipsorum statu sub tyrannide Infidelium.

XII. Decreta contra vanos prædicatores.

Post quæ lecta est Constitutio Leonis, sacro approbante Concilio, de iis quæ prædicatores Verbi Dei observare deberent in sermonibus suis; cùm, ut ibi dicitur, plurimi essent qui non viam Domini docentes, non Evangelium explanantes, sed ad suam ostentationem varia comminiscentes, conficta miracula & falsa vaticinia, aliáque levia, & ab anilibus parùm distantia, magnúmque scandalum parientia, nullâ devotionis & auctoritatis habitâ ratione, vastis clamoribus suadere conabantur; ne Prælatis quidem parcentes, sed in eorum personas ac statum audaciter & temerè invehi consuescentes; multáque mala propediem affutura, sancti Spiritûs admonitione, ut jactabant, aut infusione, asserentes. Contra quos statutum est sub pœnâ excommunicationis, & aliis à jure decretis, ut nullus imposterùm sive clericus sæcularis sive regularis ad prædicationis munus admitteretur, nisi priùs à superioribus examinatus de morum honestate, ætate, doctrinâ, probitate, prudentiâ, ad illud aptus & idoneus & approbatus esset. Iisque sic approbatis mandatum est, ut Evangelicam veritatem, & sanctam Scripturam, juxta declarationem & interpretationem Sanctorum Patrum, diuturno usu in Ecclesiâ vigentem prædicent & explanent; nec futura in Scripturis non expressa constanter asseverent; sed virorum detestationi, & virtutum ac mutuæ dilectionis commendationi attendant, ab omni personarum detractione abstinentes. Siqui verò futura quædam à Deo sibi revelata esse existiment, illi non priùs ea prædicare præsumant, quàm tales prædictiones fuerint à Sede Apostolicâ, vel saltem ab Ordinariis, cum doctorum ac gravium virorum consilio, examinatæ.

XIII. Concordatorũ Bononiensiũ confirmatio in Concilio.

Deinde lecta sunt *Concordata* inter Pontificem & Franciscum Regem Francorum Bononiæ pacta, in abolitionem Pragmaticæ Sanctionis, à Francis solicitè defensæ, (ut suis locis vidimus) adversùs continuas Romanorum Pontificum, qui ab ejus conditu fuerant, apud Reges pro ipsius abrogatione, utpotè auctoritati Sedis Apostolicæ contrariæ, contentiones: adeò ut nec ejus abrogatio, quam Ludovicus Vndecimus Pio Secundo concesserat, nec literæ Apostolicæ Sixti Quarti super concordatis cum oratoribus ejusdem Ludovici confectæ, apud Prælatos & Ecclesiasticos regni ullum locum habere potuissent. Quibus quidem Concordatis Bononiensibus, quæ cum Rogerio Barme regio advocato, & oratore ac procuratore ad hoc specialiter constituto, transacta fuêre; in compensationem abrogationis Pragmaticæ, à Rege, instante maximè Leone, concessæ, indultum est Francorum Regibus, ut in omnibus Ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, & conventualibus, electionibus antiquis, ob multa scandala quæ frequenter in iis contingere dicebantur, pariter abrogatis, facultatem haberent nominandi Sedi Apostolicæ

Ætas et qualitas nominandorum à Rege.

viros idoneos; ad metropolitanas quidem & cathedrales, Magistros seu Licentiatos in Theologiâ, vel in utroque aut altero Iure, ætatis vigintiseptem minimùm annorum; ad conventuales religiosos viginti trium; & ut non darentur ampliùs ullæ gratiæ expectativæ, aut reservationes ad beneficia vacatura. Quod in gratiam & commodum Ordinariorum cessit: reservatis nihilominùs Pontificalibus præventionibus, resignationibus in favorem, & mandatis Apostolicis, quæ approbata fuerant in Concilio Basileensi. Additum de constituendâ & conferendâ ab Ordinariis in singulis Ecclesiis præbendâ Theologali: de omnis generis beneficiis, certis mensibus Graduatis simplicibus, & per Vniversitates nominatis, qui literas suas singulis annis in Quadragesimâ per se vel procuratorem insinuaverint; déque parochialibus Ecclesiis in civitatibus aut villis muratis, nonnisi graduatis, aut qui per tres annos Theologiæ vel Iuri operam dederint, vel magistris in artibus, conferendis: de causis omnibus, exceptis majoribus, in regno terminandis: de clericis concubinariis à beneficiis repellendis: de interdictis & excommunicatis, nisi qui publicè ac nominatim denunciati, aut adeò notoriè in excommunicationem inciderint, quòd nullâ possit tergiversatione celari, aut ullo juris suffragio excusari, non vitandis: Cum multis circumstantiis ad prædicta omnia capita pertinentibus, quæ in literis dicti Concordati in Actis Synodi legi possunt. Vbi etiam additur abrogatio & damnatio eâdem Sessione juridicè; & ex actis præcedentium, à Pontifice & Concilio facta ejusdem Pragmaticæ, ac singulorum ejus capitulorum: ne scilicèt ex simplici Regis voluntate videretur ea extincta.

Abrogatio Sanctionis Pragmat.

XIV. Concordatorũ in Gallia promulgatio coacta.

Quod autem in Concordatis additum fuisset, debere illa intra sex menses à promulgatione & confirmatione eorum in Concilio factâ, rata à Rege haberi, & tam à Prælatis & aliis Ecclesiasticis, quàm etiam à Parlamentis recipi, & in acta referri; ac subinde ob difficultates super ejus publicatione intervenientes concessa fuisset prorogatio unius & alterius anni: demùm Rex uti promiserat, decimo Calendas Aprilis anni proximi in Senatu seu Parlamento Parisiensi legi, atque approbari fecit: ægerrimè tamen, nec nisi post plurimas jussiones, assentientibus Senatoribus; quinimmò & contestantibus, atque in acta referentibus, nonnisi vi & metu adactos id agere; déque Pragmaticæ antiquatione in Concilio factâ, provocare ad Papam meliùs consultum, & futurum Concilium Generale legitimè congregandum. Quemadmodùm & Vniversitas suam etiam promulgavit appellationem, sive provocationem: quæ ambæ extant [h] hodiéque. Denique cùm jussisset Rex eadem Concordata totâ urbe Lutetiâ publicari; quamplurimi tam ex Senatoribus, quàm ex Clero & Vniversitate, vim intentârunt ne id fieret: qui regiis præsidiis repulsi, quod unicum reliquum fuit, post provocationem, irarum levamen, famosos [i] libellos adversùs potentiores aulicos, ac præcipuos consilij Regis ministros, potissimúmque in Antonium Pratum Cancellarium,

[h] *Post edit. Pragmat. Sanct. in 1621. in 4. & in Collect. negot. Cler. Gal. an. 1636.*
[i] *Belcar. lib. 15. §. 39. Bellefor. lib. 6. cap. 27.*

quo auctore id factum ferebatur, ediderunt, ac locis publicis affixerunt. Tanti Rex gratiam Pontificis mereri studuit: quam nihilominùs numquam integram adipisci potuit ita sunt diversa hominum ingenia, & consilia, & propriorum commodorum considerationes. Sicuti & sæpè deinceps de iisdem Concordatis disceptatum est in Galliâ: quousque demùm sub Carolo IX. adeò stabilitâ fuêre, ut omnis inde publica controversia, licèt non privata Ecclesiasticorum querimonia, conquieverit.

XV. De privilegiis Religiosorum.

Vt autem ad Sessionem Concilij redeamus; in eâ postremò lecta est constitutio de privilegiis religiosorum; quorum multa ibi capita recensentur, & quomodò se in iis gerere cum Episcopis deberent, declaratur. In quâ tamen non pauci Episcopi eâdem Sessione, se, atque dignitatem Episcopalem læsam esse, adeóque non in omnibus constitutioni consentire declarârunt. Sed quid agerent? Teneriùs diliguntur filij quàm fratres. An verò propterea qui in participationem muneris dati sunt à Deo, indigniùs habendi sunt, quàm qui in solum merum obsequium postmodùm instituti sunt? Et hæc, erítque quamdiù res ita perstiterit, perpetua & æquissima Episcoporum expostulatio.

XVI. [k] Bzov. hoc an. 1. in fi. Immensa gratia iis à Pontif. facta.

Sed audi ampliùs quid. Narrat Dominicanus [k] quidam Frater, post hæc eâ Sessione decreta, Pontificem, ut ad manum Regulares unitos haberet, (ipsissima verba refero) qui Pontificum auctoritatem & majestatem, séque ipsos etiam unanimiter adversùs Episcopos tuerentur; edito super eâ re diplomate, Corpus quoddam, seu Congregationem Regularium in Vrbe instituisse: quorum Superiores ad cœnobium Minervæ toties, quoties necesse haberent, *in gravaminibus etiam à Summo Pontifice illatis, vel inferendis*, convenirent, deliberarent, & in commune decernerent, præsidente cœtui supremo Dominicanorum Magistro, qui moderator consiliorum esset. Ita ille: bullámque in archivo Minervæ (quod primarium est Dominicanorum in Vrbe cœnobium) extare ait. Quod si verum sit, (quis enim de tantâ re non jure dubitet?) profectò ipsam quoque Sedem Apostolicam Leo Regularibus obnoxiam subjectámque voluit: iratus fortè, quòd non Episcopos adeò faciles ad Pontificum obsequium invenisset. Sed viderint Pontifices, viderint & Episcopi: Regulares sanè acerrimè vident, & rebus suis argutissimè provident. Annon disertissimis verbis passim & ubique dicunt & scribunt, non posse Pontificem privilegia semel eis concessa, ullo casu revocare, absque præjudicio infallibilitatis Sedis Apostolicæ? Sed his omissis, ne turbas ciere velle videar, hoc unum sanè dolentissimè, cum gratiâ Sedis Apostolicæ, cui obsequentissimum equidem me in omnibus profiteor & exhibeo, quamplurimorum aliorum nomine conqueri liceat, quod frequenter eos angit & pungit, dari centenis ac millenis homuncionibus, ac plerumque ignaris, (quod tamen absque præjudicio existimationis plurimorum dictum sit) in singulis provinciis ac diœcesibus; quod earum Archiepiscopis & Episcopis, Apostolorum successoribus, divinitùs, ut diximus, in participationem muneris supremi Pontificij, cum debito honoris obsequio, vocatis, quantumvis doctrinâ, & rerum experientiâ præstantibus, adeò prohibitum Pontifices velint, ut vix post multas instantes petitiones, molestas pulsationes, atque importunas flagitationes, ad aliquam privilegiorum regularium communicationem admitti possint. An hoc est, Episcopum esse?

Iesu Christi Annus 1517.

Leonis X. An. 5.

Maximiliani An. 24.

Anno Christi 1517. Indictione quintâ, die decima-tertiâ Martij, facta est Congregatio generalis Antistitum Concilij Lateranensis, pro examinatione & dispositione rerum in futurâ Sessione promulgandarum. In quâ ob contentionem de prærogativâ sedendi inter Petrum Episcopum Syracusanum Regis Hispaniarum oratorem, & Marinum Patriarcham Aquileiensem; Antistites, Cardinalibus qui aderant sic statuentibus, non ordine consueto, sed prout quisque ingrediebatur, locum acceperunt. *Sessione* autem *Duodecimâ*, eâdémque Vltimâ, celebratâ decimo-septimo Calendas Aprilis, quæ fuit dies Lunæ; præsidente Leone Pontifice, & præsentibus octodecim Cardinalibus; tribus Patriarchis, Antiocheno, Alexandrino, (utique Latinis,) & Aquileiensi; octoginta sex Archiepiscopis & Episcopis; duobus Abbatibus, S. Sebastiani & S. Gregorij; quatuor Generalibus Ordinum, Vallis Vmbrosæ, Carmelitarum, Minorum, & sancti Dominici; nonnullis Regum ac Principum Oratoribus, aliísque viris illustribus: post consueta celebrata solemnia, primùm omnium lectæ sunt à Secretario Concilij quædam literæ Maximiliani Cæsaris ad Pontificem scriptæ; quibus respondens aliis à Pontifice ad ipsum scriptis post victoriam anno superiori à Selimo Turcorum Imperatore de Sultano Ægypti partam, excitatoriis ad arma contra Turcos assumenda; magnificis verbis suum ad hæc desiderium extollens, Pontificem hortabatur, ut ipse se unà cum Cardinalibus ad hujusmodi expeditionem accingeret; séque ipsos comitaturum, & opes ac vires suas collaturum. Hæc ille pluribus. Nec poterat sanè elegantiùs cautiúsque expeditionem excusare, & ab ejus molestiâ se liberare; quàm si ejus suasoribus se adhæsurum profiteretur; quos nescire non poterat eam numquam suscepturos. I.

XII. et Vltima Sessio Concilii Later.

Cauta oblatio Maximiliani Cæs.

Fuit deinde promulgata ex ambone per Episcopum Militensem constitutio contra invadentes domos Cardinalium, quæ tamen non omnibus placuit. Et per Patriarcham Aquileiensem, alia Impositionis & exactionis Decimarum ex omnibus & singulis totius orbis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis ad triennium in expeditionem Turcicam: & Absolutionis Concilij, cum omnium in eo gestorum confirmatione; quandoquidem ceteræ causæ, propter quas indictum fuerat, videlicèt Pax inter Principes Christianos, Reformatio II.

Finis imponitur Concil.

morum & Curiæ, Pisani Conciliabuli abolitio & alia ad fidem pertinentia, optatum finem consecutæ essent. Et quamvis multi ex Patribus censerent, non satis prospectum adhuc esse causis illis indictionis Concilij, ideóque non debere tam citò dissolvi; & ut Decimæ tunc tantùm exigerentur, cùm cœpta esset expeditio: nihilominùs majori parte constitutioni in utroque capite simpliciter acquiescente, finis est Concilio impositus; post quinque fermè annos ab ejus inchoatione sub Iulio II. factâ, ut vidimus, quinto Nonas Maij anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo.

III. [a] *Ext. in fi. oper. Pici Mirand & ap. Orthuin. in Fascic. rer. expetend.*

PICI MIRANDULI ORATIO IN SYNODO.

Extat nomine Io. Francisci Pici Mirandulæ Comitis oratio [a] ad Leonem Papam & Concilium Lateranense; quam præsenti Sessione habitam volunt; quamquam non habetur in Actis Synodi, sed tantùm alia Maximi Corvini Episcopi Iserniensis: unde non parvum dubium exoritur, utrùm verè Pici fuerit. Vt quid enim non Actis inserta, cum singulis Concilij Sessionibus aliæ inserantur à diversis habitæ? sive autem illius, sive cujusvis alterius fuerit, vehementissima est pro reformatione morum, quos in unoquoque hominum ordine corruptissimos esse ostendit. Cernere se sæpenumerò sermonem habitum esse de novis statuendis legibus; se de veterum custodiâ disserere velle contra luxum, libidinem, avaritiam, pro pietate, & justitiâ, cæterisque virtutibus: cùm multi Principes priscam simplicitatem in astutiam, castitatem in nequitiam, liberalitatem & parsimoniam in luxum & avaritiam convertissent: apud plerosque religionis primores, ad quorum exemplum componi atque formari plebs debuisset, aut nullum esse, aut certè exiguum Dei cultum; nullam benè vivendi rationem, nullum pudorem, nullam modestiam; justitiam vel in odium vel in gratiam declinâsse: pietatem in superstitionem penè procubuisse, virtutem vitio verti, vitia loco virtutum honorari: sacras ædes lenonibus & catamytis commissas, nefariis lupis optimi Pastoris ovilia demandata: coempta & divendita sacerdotia. Hortatur deinde Leonem his malis mederi, & cunctos ad leges Ecclesiæ servandas cogere. Terret exemplo Heli, gravissimè puniri à Deo quòd non animadvertisset in liberos. Tandémque commonet, ubi edomuerit pessimè vitæ monstra, vel extinxerit; ne posteà renascantur, adhibendam esse legum cautionem, & severiorem aliquanto disciplinam. Hæc ille præclarè: sed profundiores egerant mala radices, quàm ut solis verborum suasionibus evelli possent. Purganda erat alio modo Ecclesia per nova hæresum monstra, de quibus post dicetur.

IV. [b] *Guicciard. lib. 13. Iov. in Vit. Leon. X.*

CŌJURATIO IN VITAM LEONIS DETEGITUR.

Sed & longè gravissimum Leo monitum accepit à conjuratione [b] in ejus vitam, præcipuo auctore Alfonso Petrucio Cardinale Senensi, intentatâ. Faverat ejus pater Pandulphus tyrannus Senensis maximè Mediceis, ut imperium Florentinum recuperarent; & Alfonsus ipse inter juniores Cardinales egregiam operam navaverat, ut post obitum Iulij, a quo factus Cardinalis fuerat, Leo eligeretur. Cùm verò nihilominùs Leo tam ipsum quàm fratrem ejus Burghesium, quòd Duci Vrbinati favissent, Senis exigi curâsset; indignatus Alfonsus quòd pariter bonis paternis spoliatus, splendidè, ut solebat vivere non posset; postquàm sæpè de Leone apud amicos Cardinales, quos variis de causis in eum malè affectos sciebat, conquestus esset; demùm in furorem actus, cum propriis manibus trucidare deliberavit; móxque periculo ac rei atrocitate deterritus, per quemdam medicum sibi familiarissimum id veneno perficere quæsivit: neque hoc succedente, Româ abiit. Re demùm quibusdam literarum indiciis clàm detectâ, revocatus in Vrbem eâ specie quasi Pontifex de ejus Senas restitutione cum eo agere vellet; imprudens reuersus, unà cum Bendinello Cardinale Saulio illius amicissimo, qui pariter Leonis ad Pontificatum promotionem juverat, in carcerem conjectus est: & quæstione de iis severè habitâ, ambo confessi, sententiâ in conventu Cardinalium latâ, dignitate & sacris exuti sunt, ac rerum capitalium judicibus traditi: à quibus Alfonsus proximâ nocte decimo Calendas Iulij in carcere strangulatus fuit: Bendinello Pontificis beneficio supplicium in perpetua vincula commutatum: eundémque nihilominùs Pontifex non multò pòst; pecuniâ ab eo acceptâ, in integrum restituit: ita [c] tamen ut nec eligi, nec eligere umquam posset; qui vix novem pòst menses vixit. Nonnulli quoque alij Cardinales in crimen vocati, quòd Alfonsum minas in Pontificem effundentem non detulissent, magnâ pecuniâ mulctati sunt: nonnulli alij criminis conscij minoris conditionis in quatuor partes dissecti, aut forcipibus candentibus lancinati.

[c] *Victorel. in addit. ad Ciaccon.*

V. NUMEROSISSIMA CARDINALIUM CREATIO.

Quòd verò his de causis Pontifex cæteros ferè omnes Cardinales animo vehementer à se alienatos animadverteret; de novis; creandis quibus magis fidere posset, consilium iniit. Eáque in re adeò excessit, ut quod nunquam contigerat, unico die quinto Calendas Iulij, antiquis Cardinalibus metu magis quàm voluntate consentientibus, unum & triginta ex variis nationibus, partim pretio, quòd pecuniis exhaustus esset, partim sanguinis & privati affectûs intuitu; partim etiam nobilitatis, aut virtutis & literarum meritò, pronunciaverit. In iis namque fuêre doctrinâ & scriptis illustres *Hadrianus* Belga, ipsius successor, vir apprimè doctus; *Dominicus Iacobatius* Romanus, Iuris enarrator oculatissimus; *Laurentius Campegius* Bononiensis, utriusque pariter Iuris peritissimus; *Ferdinandus Ponzettus* Neapolitanus literis humanioribus, linguísque & philosophicis disciplinis egregiè instructus; *Thomas de Vio* Caietanus, Ordinis Prædicatorum Magister Generalis, summus Philosophus & Theologus; *Ægidius de Canapina* Viterbiensis, Ordinis Eremitarum sancti Augustini Prior generalis, vir eloquentissimus, & Hebraïcæ ac Chaldaïcæ linguæ peritissimus; *Augustinus Trivultius* Mediolanensis, qui indefesso propemodùm studio Pontificum Historiam per succiduam successionem ad Paulum III. deductam scripsit, sed morte præventus typis mandare non potuit; quâ Onuphrius [d] Panvinius non mediocriter

[d] *Onuphr. de Pontiff. & Cardin. in Clem V. & Vrb. VI.*

usum

usum se, ingenuè fatetur. Fuere item cum ceteris cooptati ex singulis ferè illustribus familiis Romanis, contra [e] Alexandri VI. & Iulij II. consilia, qui nullum ex illis promotum volebat, quòd eorum potentiâ Pontifices deprimerentur. Inter quos clarus extitit *Paulus Cæsius*, cujus extat Vita, egregias res ejus gestas continens. Inter extraneos verò, sanguinis nobilitate excelluerunt *Ludovicus de Borbonio* regio Franciæ stemmate, Francisco Vindocinensi & Mariâ Lutcemburgensi parentibus, tunc Episcopus Laudunensis, posteà etiam Archiepiscopus Senonensis, & Galliarum Primas, præclarum Christianæ Religionis decus; Et qui vltimo loco ponitur, ob teneram ætatem, *Alfonsus*, Infans Portugalliæ, Emmanuelis Regis filius, vix tum egressus annum ætatis octavum; qui posteà sacerdotiis amplissimis ornatus, singulare specimen religionis, & probitatis, & magnificentiæ præbuit.

[e] *Guicciard. lib.* 13.

Puer octennis Cardinalis.

VI. Ximenii Cardin. obitus.

Mortuus verò est hoc eodem anno sexto Idus Novembris in Hispaniâ magnus ille *Franciscus Ximenius* Cardinalis Hispaniæ dictus, & Archiepiscopus Toletanus, fermè octogenarius: qui cùm tot ingentia operæpretia præstitisset, ac labores subiisset pro statu ac Regibus Hispaniæ, in adventu Caroli novi Regis, quem ex Belgio acciverat in Hispaniam monitus domum se quieti suæ consulturum recipere,) quippe cujus summæ auctoritati Belgæ invidebant) non ferens missionem, pro qua maximas gratias tali ætate ac post tantos labores agere debuisset, febri lethali correptus fuit; sive jam eâ laborans, augmentum morbi sensit, quo brevî extinctus est. *Tange montes, & fumigabunt*, inquit Rex [f] Propheta: Rem verò narrant Gomecius [g] in ejus Vitâ; Lanuzius [h] in Historiâ Caroli & alij.

[f] *Psalm.* 143. [g] *Gomec. l.* 7. [h] *Lanuz. lib.* 2. *cap.* 5.

VII.

Clerus Hispan. negat decimã Pontifici.

Observat autem Petrus Martyr Anglerius [i] Mediolanensis, eo adhuc superstite, & approbante, coactum fuisse Madriti Septembri mense universum Hispaniæ clerum; (cui & ipse Anglerius, uti prior Ecclesiæ Granatensis adfuit:) quod ab Vrbe scriptum esset, Pontificem sub prætextu adventus Turcorum, decimam beneficialium omnium redditumm velle ab Hispanis petere. Statutum autem esse ut supplicaretur. Si Pontifex instaret, minimè Clerum pariturum, quia nesciebatur legitimam esse causam ad exactionem adeò novam: numquam in Hispaniâ auditam eatenùs: Tam inusitato jugo pessumdari esse grave, quia præcipuè esset per generalia sancitum Concilia, ne quis Pontifex decimam ullam exigere conaretur, nisi fortè sentiret alienæ legis potentem aliquem in Christianorum terras priùs irruisse.

[i] *Angle. ep.* 596.

VIII.

Irruerunt sanè hoc ipso anno duæ sævissimæ potentissimæque alienarum legum faces in Ecclesiam & orbem Christianum, quibus propemodùm rerum omnium subversio facta est; altera amplificationis Imperij Turcorum, per extinctionem Mammaluchorum: altera longè funestissima, ortûs hæresis Lutheranæ. De priori ut primùm agamus; postquam Selimus Turcorum imperator, ut vidimus anno superiori, Campsone Ægypti Sultano interempto, Syriam occupâsset, & sacra loca Palestinæ perlustrasset; Ægyptum invadere decernens adversus Tomumbeium suffectum à Mammaluchis in locum Campsonis: præmisso Sinane Bassâ, ingentem illam arenarum ad Arabiæ Syriæque fines plurium dierum solitudinem, quam hactenùs numerosis ejusmodi exercitibus, ob aquæ penuriam, intentatam Ægyptij pro firmissimo propugnaculo habuerant, ingressus; divinum sensit auxilium, quo videbatur ad extinctionem Mammaluchorum quasi manu duci. Quippe qui quamvis uberem aquæ copiam utribus deferri curâsset, inopiâ nihilominùs laborans, cælesti fuit favore beatus, (ut annales [k] Turcici & Græci tradunt) dum ingens aquæ copia cecidit, quâ recreati sunt & homines & jumenta: rem cunctis indigenis valdè mirantibus; quòd neque suâ neque patrum memoriâ tale quid accidisset. Sic igitur in Ægyptum penetrans, cum Tomumbeio apud Alcairum (olim Memphim posteà Turcis Misirim, fortè à Misraim vetustissimo Ægypti apud Hebræos nomine) ad finem Ianuarij congressus cruentissimo prælio, quo Sinan Bassa occubuit, illum superavit, fugavitque, ingenti cæde in ipsâ urbe factâ: eumdémque reparato ultra Nilum exercitu iterùm congredi ausum penitùs profligavit: ac repertum inter juncos & arundines in quâdam palude latitantem, Alcairum reductum, diúque in quæstione de thesauris Campsonis acerbissimè tortum, ac tandem vili jumento impositum, & per urbem toto triduo laqueo ad collum appenso per ignominiam circumductum, postremò Turcica inhumanitate eodem laqueo necari, & unco ferreo in celebriori urbis loco suspendi jussit, undecimâ sive decimatertiâ die mensis Aprilis. Quæ uti se habuerint prolixè narrant Turcorum Annales [l], Sansovinus, Iovius, Angiolellus, Bizarus, & alij.

Selimus Ægyptũ invadit.

[k] *Ap. Leunclav. lib.* 17. *& Turcogr. lib.* 1. *in fi.*

Sultanũ prælio vincit, et necat.

[l] *Turc. Annal. ibid. Sansovin. in Vit. Selim. Iov. in Elog. & Hist. lib.* 18. *Angiol. cap.* 21. *Bizar. de Reb. Pers. lib.* 20.

IX. Mammaluchorũ extinctio.

Sicque extinctum est Mammaluchorum imperium; quod ducentis ac circiter sexaginta septem annis perduraverat: videlicèt ab obitu Melechsalæ Syriæ & Ægypti Sultani, qui Sanctum Ludovicum Regem Francorum anno millesimo ducentesimo quinquagesimo cepit; ipséque à servis, quos attritis viribus adversus Christianorum conatus ex Comanâ regione à Scythis emptos armaverat; occisus est: atque ex eorumdem servorum numero Turqueminius rebus præfectus eâ lege ut neque ipse imperium, neque servi alij militiæ honorem posteris relinquerent; sed ij soli qui ex Christianis parentibus nati, baptizatique, ejuratâ religione patriâ, & Mahometanâ susceptâ, milites fierent, (quos Mammaluchos dixêre, voce linguâ Syriacâ ministros aut stipendiarios significante) & ex suo numero Regem eligerent; (sicuti solent Milites Ierosolymitani suum Magistrum:) ita ut Regum aut Præfectorum filij, non aliter atque servi, qui quotannis advehebantur, in armis instruerentur, nec aliquis plus quàm meruisset commodi honorísve haberet: sicuti etiam aliàs [m] explicavimus. Erant autem numero sexdecim vel octodecim mille, nec ferrè ampliori; omnes viri strenui, & in armis plurimùm exercitati, præsertim in re equestri, quâ maximè valebant, peditibus numquam nisi fortè auxiliariis utentes. Adeóque in suâ virtute & ferocitate superbiebant;

Quinam, et quales essent.

[m] *Supr. an.* 1501. *V.*

ut Ægypti, Syriæque atque aliarum provinciarum imperio suo subditarum populos nec arma gestare, nec equis uti paterentur, eósque acerbissimo servitutis jugo premerent: per se autem bella gerentes, vix umquam ab ullis fuerint armis superati; quousque demùm visum est divinæ Iustitiæ, eorum apostasiam, superbiam atque tyrannidem, per sacrilegos, crudeles, ac turpissimos Turcos contundere, & ad nihilum penè memento redigere.

X. SELIMUS REX ÆGYPTI DISPONIT.

De rebus autem Selimi addunt prætereà ipsorum Annales, eum non paucos menses in disponendis negotiis, præfecturis, & vectigalibus ibi commorantem, à vicinarum quoque regionum Principibus, qui Sultanis tributa vel munera conferre consueverant, eadem obsequia suscepisse. Intérque illos, cùm plerosque alios Arabum regulos extitisse, tum etiam illum, cujus imperio Mecca Mahometanorum urbs sacra parebat; quem Seriphen vocabant, & familiâ Prophetæ sui Mahometis ortum planè sibi persuadebant. Hunc magno & nobili comitatu adiisse Selimum & muneribus oblatis obsequium exhibuisse: ac vicissim Selimum, tum ei, tum illis qui cum illo venerant alia munera contulisse. Et quia mos ab antiquo inoleverat; ut Ægypti Principes quotannis Meccam ad ædem Abrahami, (cujus Patriarchæ mentionem numquam faciunt, quin eum titulo Amici Dei cohonestent) tegumentum quoddam sericum mitteretur, quo totâ illa domuncula cooperiretur, etiam Selimum jam Ægypti Principem id præstitisse. Quem etiam tradunt [n] restituisse sedem sive thronum Iosephi Patriarchæ, olim Ægypti sub Pharaone Gubernatoris, quem Ægyptii eatenùs servatum esse, sed neglectum referebant; in eóque Selimum sedere voluisse: Intereà cùm Ismael Rex Persarum, occupato Selimo in Ægypto, in ejus fines exercitum, immisisset, qui velitationibus quibusdam victor de Turcis ad obsistendum collectis extitit; his prosperis negligentiores factos Persas, à Turcis noctu ex improviso invasos, maximâ cæde prostratos esse: ac post hæc Selimum anno sequenti Constantinopolim rediisse. Ipsum autem Ismaelem, dum Selimus Mammaluchos expugnaret, occupatum fuisse in domandis Hyrcanis, à quibus fuerat lacessitus injuriis, Iovius [o] tradit in elogiis; aliam quoque in Historiâ [p] causam recensens, ob quam non Selimum, dum cum Mammaluchis occupatus erat aggressus esset; nempè quòd Persas ad militiam extra fines suos ducere difficile esset.

[n] *Contin. Calcond. lib.3.cap.39.*

[o] *Iovi. in Elog. Ismael.* [p] *Id Hist. lib. 18.*

XI.

Leo Pontifex Selimi Tyranni miros progressus attentâ mente perpendens in animum suum induxit mittere Legatos à latere ad Principes Christianos; nimirùm ad Maximilianum Cæsarem Sancti Sixti, ad Franciscum Galliæ Regem Bibienum, ad Carolum Hispanorum Monarcham Gilium, ad Henricum octavum Anglum, Laurentium Campegium, Cardinales; ut Cæsar cum Pannonico, Polonicóque equitatu, secundo Danubio in Misiam atque in Thraciam penetret, oppugnaturus Bizantium; Gallus unà cum Helvetiis & Venetis ceterísque Italiæ Proceribus Brundusio in vicinam Epirum transmittat, Hispani, Lusitani, Angli conjunctis ad novam Carthaginem classibus Gallipolitanum fretum petant: verùm hæc sanctè proposita nullum sortita sunt effectum.

XII.

Ab hæresum, quæ etiamnum miserum Orbem depascuntur, ortu, præsentem annum inchoaturi, ante omnia divinum invocamus Numen, per intercessionem ejus, quæ ut sancta canit Ecclesia, cunctas hæreses sola interemit in vniverso mundo; Beatissimæ Virginis, Matris Domini nostri IESU CHRISTI; ut gratiam conferre dignetur eas ritè explicandi & exponendi; quòd id simul sit evertere. Siquidem, ut sapienter Irenæus [a] scripsit, *adversus hæreticos victoria, est sententiæ eorum manifestatio.* & Hieronymus hæreticorum malleus, *sententias hæreticorum prodidisse, superasse est.*

[a] *Iren. lib. 1. cap. 35. Hier. ad Chtesiph. advers. Pelag.*

Monstrum [b] *horrendum, informe, ingens,*
cui lumen ademtum.

[b] *Virg. Æn. 3.*

Quod apprimè scienter descripsisse sub alio corpore videtur Annæus Lucanus [c], cùm ait:

[c] *Lucan. lib. 6. Bel. Pharsal.*

Huc quicquid fœtu genuit Natura sinistro
Miscetur, non spuma canum, quibus unda timori est;
Viscera non lyncis; non diræ nodus hyenæ
Defuit; & cervi pasti serpente medullæ:
Non puppim retinens euro tendente rudentes
In mediis echeneis aquis; oculique draconum.
Quæque sonant fera tepefacta sub alite saxa.
Non Arabum volucer serpens; innatáque rubris
Æquoribus custos pretiosæ vipera conchæ:
Aut viventis adhuc Libyci membrana cerastæ:
Aut cinis eoa positi phœnicis in ara.

DESCRIPTIO HÆRESIS LUTHERANÆ.

Qualísque fuerit vox hujus Stygij monstri, subdens:

——— Confundit murmura primùm
Dissona, & humanæ multum discordia linguæ.
Latratus habet ille canum, gemitúsque luporum.
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur,
Quod strident, ululántque feræ, quod sibilat anguis,
Exprimit, & planctus illisæ cautibus undæ,
Silvarúmque sonum, fractæ tonitrua nubis:
Tot rerum vox una fuit.———

Quinimò longè varior & confusior: quandoquidem collegit hæc hæresis in unum, quicquid ferè impij, blasphemi, turpis, impuri, horrendi, sævi, crudelis, quicquid denique nefandi, sparsim ab universis antiquioribus ab ipso usque ortu Christianitatis effutitum est: prout ex iis quæ de eâ dicentur inferiùs, manifestissimè apparebit.

XIII. LUTHERI ORTUS.

Vt ad rem accedamus, auctor & inventor Hæresis quam diximus, MARTINUS fuit LUTHERUS, natione Saxo, patriâ Islebiensis in ditione Comitum Mansfeldensium, parentibus fortunæ tenuis Ioanne & Margaritâ Lindemanâ, natus anno Christi 1483.

pridie Sancti Martini, unde & *Martini* nomen ei in baptismo inditum. Quod autem ab incubo natum, nonnulli dixerê, potuit id quidem in suspicionem induci ex commercio [d], quod habuisse cum diabolo dicitur: cùm & ipsemet non semel in suis scriptis testatus sit, se probè cognitum habere diabolum, nec parùm salis cum eo comedisse. Verùm ut non etiam matrem ejus in crimen vocemus; natus sit ex homine, sicut & ceteri. Non enim is propterea minùs culpandus venit ex tot ac tantis plusquàm diabolicis facinoribus, quæ verè commisisse dignoscitur. Nec dubitamus quin patrare possint scelera homines, quæ diaboli non auderent, quamquam ipsis impulsoribus faciant. Illud verò quoque superbiam ejus, ac futuræ impietatis fraudem non parum arguit, quòd paternum cognomentum mutâsse ipsemet fatetur prima ad Eckium epistolâ, quod *Lotter* erat, sive ut alij volunt *Lauther*. Quia namque priùs illud ad significationem latronis & nebulonis ac scurræ propiùs accedebat, posteriùs numerum Antichristi in Apocalypsi designatum continebat; *Luther* fecit, quod linguâ Germanicâ purum sonare dicitur. Quemadmodùm olim Manes ex insano manna fundere videri voluit, ut aliàs [e] diximus. Quam tamen Lutheri vanitatem aliquo modo excusandam censeremus, si puritatem fidei & morum servasset, in quibus se turpissimum & impurissimum exhibuit.

[d] *Sur. in commentar. & alij.*

Mutat cognomen.

[e] *Epit. an. 277. V.*

XIV. Eius studia.

Cùm esset ingenio acri, quamquam admodùm pervicaci, variis Germaniæ Scholis aditis operam literis dedit: & Magister artium anno ætatis vigesimo creatus, cum ad Iurisprudentiam animum appulisset, aliquando in agro obambulans, horrendo fulminis fragore, quo socium perdidit, territus, voto se monachatûs obstrinxit, & Ordinem Eremitarum Sancti Augustini Erphordiæ, quæ insignis est Turingiæ civitas illustri Academiâ nobilis, ubi & Magister creatus fuerat, ingressus est anno Christi millesimo quingentesimo quinto, ætatis suæ vigesimo secundo; invito tamen & reclamante patre: Bienniòque pòst sacerdos factus, Missam celebravit. Sequenti anno Wittembergam ad Albim missus, ubi Fridericus Saxoniæ Dux Imperij Elector sexennio antè, videlicèt anno 1502. Academiam constituerat, publicè prælegit in monasterio suorum Fratrum Logicen & Physicen Aristotelis; & cùm ingenij sui acumine non parùm laudis, tum multùm probri ex intolerabili arrogantiâ, quâ omnes qui cum ipso non sentirent despiciebat, retulit; nec minùs pravi hominis apud viros cordatiores, ex sophisticis argutiis, quibus argumenta sua involvebat. Ortâ deinde quâdam controversiâ inter sui Ordinis Monachos, Lutherus ab alterâ parte electus qui Romam iret causam ipsorum acturus, eò profectus anno 1510. ætatis vigesimo septimo, multa ibi edidit magnæ pietatis exempla: & dissidio composito Witembergam rediit, ibique anno 1512. ætatis vigesimo nono, Doctor Theologiæ renunciatus est ab Andreâ Carolstadio, sumptum ad solemnitatem necessarium suppeditante Friderico Duce: eòque munere, & lectionibus in Scholis, & exhortationibus ad populum, & scriptis in vulgus non parvum sibi nomen comparavit, cùm & felici memoriâ, & singulari ac facili vernaculæ linguæ eloquentiâ nemini concederet. Cùm autem à multo tempore fastidire cœpisset, atque etiam palàm traducere Doctores Scholasticæ Theologiæ, primùm ut rudes, & incultos, deinde ut Evanglij per sophisticam philosopiam corruptores; anno demùm superiori 1516. contra illos disputare cœpit de Libero Arbitrio, Meritis bonorum Operum, & Traditionibus humanis: cujus eâ de re Propositiones extant Tomo primo Operum ejus Latinorum: ut appareat eum jam animo corruptum fuisse, antequàm Indulgentias impeteret, quod denique hoc anno cœpit.

Fit Doctor Theologiæ.

XV. Vnde orta cōtroversiâ de Indulgentiis.

Promulgaverat Leo Pontifex largissimas Indulgentias bello Turcis inferendo, & templo Vaticano Sancti Petri construendo, ut quicumque aliquid in eos usus erogaret, veniam peccatorum amplissimam consequeretur. Eique negotio in Germaniâ præfecerat Albertum Archiepiscopum Moguntinum: qui ad prædicandas illas Indulgentias, Ioannem Tetzellium Pirnensem Misnium delegit Fratrem Ordinis Dominicani, qui nuper simili occasione prædicationibus suis magnam pecuniam acquisierat Militibus Teutonicis adversus Mascovitas & alios hostes. Id ægrè admodùm ferentibus Augustinianis Eremitis, qui longo jam tempore id muneris obire consueverant; imprimis Ioannes Staupitius, ejus Ordinis per Germaniam Vicarius generalis, vir nobilis, eruditus, atque facundus, & Martinus Lutherus lector Ordinarius Wittembergæ, occasione sumptâ non parvorum abusuum, qui in iis Indulgentiis evulgandis, & pecuniis colligendis, per impudentiam & avaritiam committi soliti erant: in ejusmodi abusus invehi incipientes, pro concione populum admonuêre ne se quæstorum suasionibus deludi sinerent: protegente eos, atque etiam hortante Friderico electore Saxonico, pio quidem illo & Catholico tunc Principe, sed quòd eos cerneret non parùm claritudinis recenti suæ Academiæ afferre, propensiori in eos affectu; atque etiam iniquiori aliis de causis in Albertum Moguntinum animo. Quare negotium Staupitio in Lutherum ambitione tumidum refundente, is præter frequentes & acerrimas contra Indulgentiarum promulgatores conciones, quibus populos à pecuniarum pro iis consequendis largitione retrahebat, manum etiam calamo admovens, ultimo Octobris hujus anni, tum ad Albertum Archiepiscopum literas scripsit rogans ut ejusmodi declamatores cohibens, qui docerent infelices mortales, si literas Indulgentiarum redimerent, eo ipso securos se esse de salute suâ, rectum eis præscriberet docendi modum, ne populus eâ fiduciâ deceptus, à veris pœnitentiæ fructibus, atque pietatis officiis avocaretur: tum verò theses sive propositiones numero quinque & nonaginta ad eumdem misit, simul & illas affigens valvis Ecclesiæ Wittebergicæ, quibus non jam solùm prædicatorum & collectorum abusus, & collectarum pecuniarum, quæ immensæ erant, in alios omninò usus quàm quorum nomine exigebantur, & aliquando, ut præ-

Lutheri theses contra Indulgentias.

dicabatur, infames, destinationem, carpebat; verùm etiam communem & receptum ab Ecclesiâ Indulgentiarum usum impugnabat, ac Romanorum Pontificum in iis concedendis auctoritatem in dubium vocabat, necnon quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Purgatorium spectant vellicabat, fidemque specialem adstruebat. Contra verò Tetzellius Francorfordiæ ad Oderam existens, centum & sex propositiones Lutheranis oppositas edidit, quibus doctrinam Catholicam explicabat & propugnabat. Et quòd etiam esset hæreticæ pravitatis Inquisitor, Lutheranas veluti hæreticas exussit. Vicéque versâ Wittembergæ scholastici quidam insolentiores, qui jam primitias hauserant Lutherani spiritus, Tetzellianas publicè, invitatis omnibus ad igneum earum funus, combusserunt.

CONTRARIÆ TETZELLII.

XVI. MINÙS PRUDENTER IN HIS ACTŪ INITIO.

Atque ita ex his scintillis eruperunt ingentes illæ flammæ, quibus magna orbis pars postmodùm conflagravit: quæque potuissent fortassis, aut revocatione ejusmodi pecuniarum exactionis, (quæ nihil propter hæc cessavit, sed potiùs crevit) vel modicâ aquæ aspersione restingui, nisi acriori successorum concursu vehementiores vires accepissent. Quod & agnovit, fassúsque dolens est insignis prudentiæ, pietatis, & doctrinæ Cardinalis Sadoletus [f], egregiâ ad Georgium Saxoniæ Ducem Catholicum scriptâ postmodum epistolâ, dicens: multâ in hâc causâ à parte Catholicâ facta esse parùm accommodata temporibus illis: nam neque ea quæ huic malo apta poterant afferri remedia, ulla allata esse; nec vocem auditam benè monentium & suadentium, ut quæ mansuetudine, & à quibusdam rebus abstinentiâ, temperantiâque poterant vulnera sanari, ea ne ferro & asperioribus quasi medicamentis incrudescere cogerentur. Ita ille, & apprimè sapienter. Sed quid agas? *Oportet hæreses esse*, inquit Paulus [g] Apostolus, *ut qui probati sunt, manifesti fiant*. Certè iste Lutherus tot invexit, ut nihil fermè in universis & singulis Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus intactum reliquerit, quod non sensim impiis atque impuris suis cavillationibus & criminationibus corrumpere & depravare tentaverit: patrocinante ei maximè grandi morum Cleri corruptione; quem propterea ille adeò scommatibus suis odiosum ac contemptibilem plebi reddidit, ut non alio quàm luporum loco passim apud laicos viri Ecclesiastici haberentur; & nefariæ doctrinæ sectatores existimarentur, quos abominandis scatere vitiis cernerent. *Data est igitur ei, sicut Ioanni* [h] *prædictum fuerat, clavis putei abyssi & aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ & obscuratus est sol & aër de fumo putei: & de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ. Et præceptum est illis, ne læderent omne viride, neque omnem arborem: nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Iamque satis de ejus initiis; quæ pluribus tractant Cochlæus [i], Lindanus, Surius, Prateolus, Vlembergius, Florimundus, & alii plurimi. De ejus verò ac sectatorum progressibus, dicetur deinceps pro ratione temporum. Hic interim adnotare non omittentes, naturam ipsam visam esse hanc pestem significare voluisse, cùm in ipsomet agro Wittembergensi, ubi Lutherus monstrosas suas phantasias parturiit, hoc ipso anno, (ut tradit Olaus Magnus Archiepiscopus Vpsalensis in Historiâ [k] Gentium Septentrionalium) editus fuit monstrosus vitulus vaccæ partu. Vitulus namque Lutherus: sed qualem Israëlitæ sibi finxerunt in deserto, & Ieroboam adorandum proposuit contra Dominum & sanctam ejus Ecclesiam, quem seducti miseri mortales susceperunt, tamquam eductorem de terrâ Ægypti. Adversùs quem è contrà salutarius signum prodens Dominus: hoc item eodem anno in festo Nativitatis Domini in eâdem Saxoniâ circa cœnobium Vinariense, mediâ nocte cælo sereno, CRUCEM [l] punicei coloris in cælo apparere voluit, tamquam mortales admonens, constantes perseverare in fide Crucis, quam hic impostor deprimere aggrediebatur; in ejus auxilio fiduciam collocare: sicuti olim in tempestatibus & pressuris præmonuerat qui in Cruce pependit Christus [m]. *Confidite ego sum; nolite timere; ego vici mundum.*

CORRUPTIO MORUM CLERI HÆRESIM FIRMAVIT.

[f] Sadol. 11. ep. 1.

[g] 1. Cor. 11.

[h] Apocal. 9.

[i] Cochlæ. de act. & script. Luther. Lind. in Dubitant Sur. in commētar. Prat. de Hæres. Vlemb. in Vit. Luth. Flor. de Orig. hær. lib. 1.

[k] Ol. l. 14. c. 2.

[l] Commen. de prodig. & ostent. & ap. Bzov. hoc an. in fi.

[m] Matth. 14. Marc. 6. Ioan. 16.

XVII. SLEIDANI HISTORIÆ INITIŪ.

Ab hoc autem anno incipiunt *Ioannis Sleidani* Germani (à patriâ Sleidâ Vbiorum oppido id cognominis [n] adepti) Commentarij *de Statu Religonis & Reipublicæ*. In quibus ita tuetur Lutheri ac discipulorum ejus causam, ut blandâ & mellitâ oratione Religionis negotium cum alijs plerisque rebus gestis commisceat: adeò ut miro artificio, dum lectorem detinet historiæ varietate & orationis elegantiâ, simul incautis & imperitis animis, identidem insigniter mentiendo, damnatorum jam olim dogmatum virus exitiale instillet. De quo sæpè inferiùs agendum; ejusque variæ ac multiplices imposturæ detegendæ.

[n] Vid. infr. 1556.

IESU CHRISTI Annus 1518.

LEONIS X. An. 6.

MAXIMILIANI Ann. 25.

ANNO Christi millesimo quingentesimo decimooctavo, Indictione sextâ, quiescente, quod à multis annis non contigerat) Italiâ à bellis; eodémque in ceteris Principibus Christianis studio apparente: agi seriò cœptum est, auctore Leone Pontifice, de communi contra Selimum Turcorum Imperatorem suscipiendo bello, qui adjectis Imperio suo Syriâ & Ægypto, ac Persâ retuso, (ut suprà vidimus) nullo ampliùs reliquo in Oriente hoste, quieturus non videbatur, quin victricia arma in Christianos converteret: quem famâ erat tantâ imperij propagandi cupiditate accensum esse, ut cùm sæpè res ab Alexandro Magno & Iulio Cæs. gestas legens; videret suas nullâ ex parte illorum victoriis atque triumphis esse comparandas, mirum in modum animo excruciatus ad nova semper agitanda bella cogitationes suas intendere decerneret, cùm & insuper assereret, se Constantini Magni, qui Imperij sedem Byzantium transtulerat, successorem esse; ac propterea ubi quæcumque Constantino quondam paruissent regna & principatus deberi. 1.

SELIMI TURCI DILATANDI IMPERII SITIS.

[a] *Angler. ep.* 578.

Denique sapientiùs argumentaretur [a], debellatu faciles fore Christianos, quòd Christi mandata non servarent: Christum quippe præcepisse ut sui amici mites incederent atque humiles, bona fortunæ contemnerent, egenis succurrerent, laborantium animi ut corporis ægritudine misererentur, honestè, sobriè castéque viverent, ne essent avari, ne superbi, ne ambitiosi: econtrà verò jam Christiani oppositam agerent vitam, cogendis thesauris inhiarent, nullum luxuriæ genus, gulæ nullum prætermitterent, angustâ manu egenis subvenirent; vellent non diligi, non amari, non observari solùm, sed coli ut dij atque adorari: ac propterea Christum non futurum illis auxilio.

II. Leo satagit pro unione Principum contra Turcos.

[b] *Victorel. Addit. ad Ciaccon.*

Satius igitur ducens Pontifex ipsum priùs aggredi, quàm ut is Christianos invaderet; reprimùm divinam opem implorare volens, religiosissimas supplicationes ad omnia Vrbis templa decrevit: quibus ipse [b] à Vaticano ad Minervam sine crepidis incessit. Deinde ad omnes Principes literas dedit, quibus eos de tanto periculo admoneret, atque ut dissidiis depositis religioni & communi saluti tuendæ promptè operam darent hortaretur. Eâque de re multorum militarium virorum, & regionum ac virium hostilium peritiam habentium sententiis rogatis; decernebatur, necesse esse, ut maxima pecuniæ vi ex voluntariâ Principum contributione, & omnibus Christianis populis imposito censu, collectâ, Cæsar, cetérique Reges diversis partibus cum validissimis copiis terrâ marique Constantinopolim properarent, ad opprimendum in ipsâ Imperij sui sede Selimum. Quod potuisset proculdubiò fieri, si tam facile fuisset Principes ad opus movere, & in unum consensum colligare, quàm rem animo volvere, & scripto proponere. Extat [c] consultatio de totius belli ordine, modo, sumptu, apparatu, ductu, omnibúsque rebus ad id necessariis & pertinentibus, Romæ facta die duodecimâ Novembris anni superioris: aliæque à Maximiliano Cæs. ac Principibus Germaniæ in celeberrimo conventu Augustano habito mense Augusti præsentis anni, factæ de eâdem expeditione: egregiæ quidem illæ omnes, & tantis ingeniis dignæ, lectúque gratissimæ: sed quas facile sit tot difficultatibus implexas cernere, ut nulla spes foret eas adimplendi. Adeò ut haud abs re Guicciardinus [d], cùm horum Leonis conatuum meminit, existimet eum non tam rei consequendæ spe, quàm ne suo muneri defuisse dici posset, ea cogitâsse. Quæ nihilominùs ut tractarentur, Principum animis priùs exploratis, (sunt enim etiam de his ejus literæ [e] ad eos scriptæ) tum Cardinales Legatos ad singulos destinavit; (è quibus Thomas de Vio Caietanus Ordinis Prædicatorum eidem Conventui Augustano interfuit) tum quinque annorum inducias inter eosdem promulgavit; gravissimis in eos qui non paruissent, sacrosanctæ potestatis adjectis minis. In cujus unionis laudem Iacobus Sadoletus vir eruditissimus habuit coram Pontifice & Cardinalibus in templo Minervæ Romæ luculentissimam orationem. Verùm quamvis induciæ ab omnibus confirmatæ fuerint; ac singuli, si ceteri concurrerent, verborum ostentatione & magnificentiâ ad tam justam causam paratos se ostenderent: iisdem tamen singulis periculum incertum & valde remotum censentibus, ut semper anteà, ita & nunc apud omnes privatæ rationes & commoda vicerunt: eò maximæ quòd silente Selimo, (qui etiam non ita pôst, ut dicetur, obiit) periculum evanuisse videretur. Vnde & inter ceteros Clerus [f] Hispanus, cùm assentiret Pontifex ut decima ab ipso exigeretur omninò negavit eam solvere: seipsos suáque omnia expósituros quando necessitas ingrueret: impræsentiarum minimè, quia non ea sentirent esse vera quæ Pontifex promulgaret: occasiones esse quæsitas, non præbitas, quibus sub justi nomine pecunias extorqueret.

[c] *Ap Goldast. Const. Imper. to. 2.*

[d] *Guicc. lib.* 13.

[e] *Ap. Bemb. Epist. lib.* 14. *&* 15.

[f] *Angler ep.* 607.

Denegatur decima a Clero Hispan.

III. Qui primum scripserint contra Lutherum.

Cùm interim Lutherus non parvos in impietate progressus faceret, fuêre nonnulli Doctores Theologi, qui confestim fortiter ei sese opposuerunt: ac præcipuè in Germaniâ *Ioannes Eckius* Suevus, qui sub id tempus Theologiam in Academiâ Ingolstadiensi docebat, & cum Luthero apud Augustam sermonem habuerat: in Italiâ *Silvester Prierias* Pedemontanus Ordinis Prædicatorum, Romæ Magister sacri Palatij, auctor Summæ Casuum conscientiæ, quæ ab eo *Silvestrina* dicitur, pluriúmque aliorum scriptorum compositor. Econtrà verò extitêre alij, qui Lutheri propositiones propugnandas susciperent. Inter quos præcipuus erupit *Andreas Bodensteinius*, *Carolstadius* à patriâ agnominatus oppido Carolstat Franciæ Orientalis, à quo lauream Doctoratus Lutherus acceperat, Archidiaconus Wittembergensis. Ipse verò Lutherus Resolutiones (ut vocavit) disputationum de Indulgentiarum virtute scribens, in præfatione ad Leonem Pontificem tantam præsetulit animi demissionem, ut nihil à se nisi summam obedientiam deinceps expectandam insinuaret: quippe theses non asserendi, sed tantùm disputandi animo in publicum emisisse, jámque earumdem declarationem adversariorum calumniis compulsum edere: offerréque sese pedibus ejus: vivificaret, occideret, vocaret, revocaret, approbaret, reprobaret, ut ipsi videretur: vocem ejus vocem Christi in ipso præsidentis & loquentis se agniturum: si mortem meruisset, mori non recusare. Hæc ipse ita eo fine proferens, ut sibi gratiam apud omnes, odium verò adversariis conflaret.

[g] *Cochle. Vlemb. Sur. Flor. ubi suprà.*

Quomodò se gesserit.

IV. Maximilianus Imp. Pontificem de iis monet.

Maximilianus autem Imperator, res nihilominùs cernens maximè turbari; ex supradictis Comitiis Augustanis hoc anno celebratis quinto Augusti ad eumdem Pontificem scribens, monuit nascenti malo medicinam quamprimùm facere, priusquàm longiùs serperet: quicquid ipse decerneret, curaturum se ut executioni mandaretur. Quæ priusquàm Pontifex accepisset, per alios e Germaniâ de Lutheri fraude & malitiâ certior factus, diem ei dici ad sistendum se Romæ, causámque dicturum, jussit; exaratis eâ de re literis die septimâ Augusti. Ille verò timens eò ire, intercessione Vniversitatis Wittembergensis, & Friderici Saxoniæ Ducis obtinuit, ut causa hæc primùm in Germaniâ cognosceretur. Datóque à Pontifice mandato Cardinali Caietano,

QUOMODÒ CÙM CARD. CAIETANO LUTHERUS SE GESSERIT.

ut Lutherum ad se vocatum audiret; & si sanabilis esset, extra judicij strepitum in viam reduceret: Lutherum is ad se vocatum, venientémque duodecimo Octobris, resipiscere hortatus est: negantique se ullos errores suis scriptis inseruisse, & variis cavillationibus rem agenti, pœnam minatus est. Qui sibi ab eo metuens, appellationem ad Pontificem interjecit; & clam Augustâ se subducens, curavit eam affigi palàm in locis publicis, ad concitandam majorem in populo contra Pontificem & Cardinalem invidiam. Cardinali tamen literas post hæc scribens blandissimas, gratias egit de exhibitâ in se clementiâ, & provocandi necessitatem excusavit; culpam agnoscens nimiæ suæ vehementiæ, & irreverentiæ in ipsum & Pontificem. Apud alios nihilominùs, ut erat versipellis, & verbis & scriptis fœdè in eumdem Cardinalem debacchatus, tyrannidis, superbiæ, infidelitatis, ignorantiæ, &c. accusavit. Atque ad Summum Pontificem scribens, omnem culpam in ejus imprudentiam & tyrannidem refudit, quâ factum esset ut tranquillitas minimè restitueretur, & causa quæ optimo loco erat multò pejor fieret: adeò ut quicquid postmodùm secutum esset, aut porrò sequeretur, ei imputandum foret. Qui demùm audito quòd ex literis Cajetani futurum esset ut Romæ continuaretur processus in ipsum; die vigesimâ octavâ Novembris ibidem Wittembergæ à Pontifice provocavit ad futurum Concilium; id ut faceret, extremâ se necessitate compulsum asserens.

APPELLAT A PONTIFICE AD FUTURUM CONCILIUM.

V.

Hoc anno [h] Christiernus Rex Daniæ, qui se etiam Sueciæ dicebat, arreptâ occasione nonnullorum dissidiorum in Sueciâ vigentium, eò navigans cum potenti diversarum nationum exercitu, in quo inter ceteros fuisse bis mille Gallos, à Rege Francisco in auxilium Christierni missos, scribit Martinus Bellaius) Stocholmiam regni metropolim obsedit. Sed cùm id fustrà fieret, ob fortem Stenonis Principis propugnationem; solutâ obsidione cùm ad sua se recipere vellet, temporis iniquitate detentus, & ad extremam omnium rerum penuriam redactus, à Stenone quamvis hoste commeatu aliísque rebus necessariis recreatus est. Quâ ejus liberalitate simulans Christiernus se ad pacem inclinatum, familiare cum eo colloquium expetiit. Propéque erat ut Steno ad ejus se classem conferret, cùm à suis suasus ne se homini crudeli ac fidifrago committeret, misit ad eum viros illustres, qui de pace aut induciis cum eo tractarent, (sive, ut alij [i] habent, ipsius securitatis obsides, quòd fingeret velle ipsummet pacis causâ in urbem venire) atque inter illos Gustavum Ericson, qui posteà fuit Rex Sueciæ; quos tyrannus secum in Daniam captivos deportavit. Gustavus autem venatione sibi permissâ mutatis vestibus Lubecam sequenti anno pervenit, atque inde in Sueciam. De reliquis Christierni facinoribus dicetur anno ab hoc altero.

[h] *Io. Magn. Hist. Sueon. li. 24. cap. 3.*

CHRISTIERNI REG. DAN. PERFIDIA.

[i] *Sur. in commentar.*

IESU CHRISTI Annus 1519.

LEONIS X. Ann. 7.

CAROLI V. An. 1.

I. MAXIMILIANI CÆS. OBITUS.

ANNO Christi millesimo quingentesimo decimo nono, Indictione septimâ, die duodecimâ Ianuarij, *Maximilianus* Imperator diem suum obiit apud oppidum Welsium superioris Austriæ, quod Lintzium alij vocant; cùm intempestivè [a] pharmacum incertæ efficacitatis contra morbum, quem sibi imminere putârat, hausisset. Ex quo lentâ febri correptus, cùm eam perpetuâ venatione [b] & aucupio fugare conaretur, ejúsque æstum immoderato melopeponum esu mitigare; invalescente acriùs morbo atque alvi profluvio accedente, morte tandem dissolutus est anno ætatis quinquagesimo nono mense decimo; regni à patris obitu vigesimo quinto, mense quinto; septimo mense post ingentem solis eclipsim, ex quâ ejus obitum prædixerat mathematicus insignis Georgius Transtetter Historiam piissimi ejus obitûs, & sepulturæ ad Novam-civitatem à se electæ, copiosè descripsit Cuspinianus: vitam & laudes luculentâ oratione funebri prosecutus est Frater Ioannes Faber Augustanus Ordinis Prædicatorum. Princeps fuit, ut Guicciardinus [c] ait, rei bellicæ peritissimus, diligens, tacitus, laboriosissimus, clemens, benignus, multísque egregiis dotibus atque ornamentis plenus: tantâ autem pecuniarum profusione, & consiliorum inconstantiâ, ut multarum à fortunâ oblatarum occasionum successus inopiâ & instabilitate corrumperet.

[a] *Sur. in commentar. ex Iovio lib. 19.*

[b] *Locr. in Chron.*

[c] *Guicc. lib. 13.*

II. REGES GALL. ET HISP. IMPERIUM AMBIUNT.

Eo mortuo, Galliæ & Hispaniæ Reges apertè ad Imperium aspirare cœperunt: sed atamen ita inter se modestè, ut nec ad verborum contumelias, nec ad armorum minas ventum sit; sed uterque suâ auctoritate Septem virûm animos ad se allicere nitebatur. Quinimmò Rex Galliæ Franciscus admodùm laudabili consilio, eâ de re cum Caroli Hispani legatis verba faciens, utrumque decere dixit, honestis modis, hujusce dignitatis, quæ diversis temporibus in suis majorúmque familiis fuerat, splendore ornare niteretur; nec tamen ideò alterum sibi ab altero injuriam fieri censere, vel mutuam benevolentiam necessitudinémque minui debere: non secùs ac si duo ingenui adolescentes eamdem virginem ambientes, suâ industriâ, nullis malis artibus eâ potiri niterentur; & qui eâ prensatione felicior fuisset, sine alterius invidiâ suâ felicitate potiretur. Vicit verò tandem pars *Caroli*, in memoriam patris & avi, quódque Germanus & ipse esset, & in Germaniâ Inferiori domicilium haberet: frustrà reclamante Archiepiscopo Treverensi, qui Francisci partes adjuvabat, & fatum se Germaniæ atque impendentem ruinam animo præsagire dictitante. Quibus autem demùm artibus & machinationibus, quibusque non solùm partiû ipsarum, sed etiam Leonis Pontificis; qui neutrum sed quemdam tertium minùs potentem voluisset, anxietatibus, & consilio-

CAROLUS REX HISP. ELIGITUR IN REGEM ROMAN.

rum ac promissorum ab aliquibus Electoribus Gallo factorum mutationis causis, res facta fuerit; ne in iis immoremur, (eo maximè quòd fœda pecuniarum corruptio intervenisse dicatur) qui ea cupierit, Guicciardinum[d] habet, & Belcarium[e], (quos præ ceteris sequimur) apud quos ea satis accuratè, &, ut videtur, absque ullâ adulatione aut invidiâ, tractata reperturus sit; cùm nihilominùs plenior extet[f] atque elegantior de Caroli electione, & Electorum disceptatione, historia nomine Georgij Sabini Brandeburgensis, cujus auctorem fuisse Melancthonem nonnullis visum reperimus; ex quâ Sleidanus multa mutuatus dignoscitur. Suntque insuper in volumine Epistolarum[g] Principum trinæ satisque prolixæ de his negotiationibus literæ Cardinalis Caietani qui præsens iis erat, ad Leonem Pontificem. Ex quibus omnibus constat, fuisse Carolum, (qui tunc annum ætatis vigesimum ducebat, in Hispaniâ agens) Romanorum Regem Francofurti, ubi conventus pro ejusmodi electionibus fieri consuevêre, renunciatum quarto Calendas Iulij: additis tamen certis legibus & obligationibus; quæ etiam continentur Tomo tertio[h] Rerum in Germaniâ sub Carolo V. gestarum. Quod autem legibus Pontificiis caveretur, ne ullus qui regnum Neapolitanum obtineret, in Imperatorem eligi posset; solvit tunc eo impedimento Carolum idem Cardidinalis Caietanus, Leonis Pontificis auctoritate, cujus ibi & totâ Germaniâ Legatum agebat. Cujus veniæ confirmationem ab ipso Pontifice postea Carolus impetravit, septem millia aureorum & equum candidum quotannis pro regno Neapolitano repræsentare pactus, ingenti diminutione antiqui censûs. Vbi autem certior de ejus electione factus est Leo, confestim litteras gratulatorias ad eum in Hispaniam scripsit decimosexto Augusti; quibus & hortatus est ad optimam Imperij administrationem, & expeditionem Turcicam prosequendam. Quem nihilominùs tradunt non parùm ejus electione animo anxium fuisse; quòd cum tot regna in unum collata conspiceret, nimiam Cæsarum potentiam, veluti fatali dispositione Pontificiæ dignitati ferè semper infestam, vehementissimè reformidaret.

d Guic. ibid.
e Belcar. lib. 16. Adde Bellefor. lib. 5. cap. 29.
f Ap. Schard. Oper. Hist. to. 2. & to. 3. Re. Germ. Freher.
g Epist. Princ. vol. 1.
h Edit. Freher. & ap. Goldast. in Const. Imp.

III.

Egregiu facinus Electoris Saxoniæ.

Vnum autem adhuc est, quod de prædictâ Romanorum Regis electione addamus ex Erasmo[i]: nempè pridiè quam Carolus eligeretur, delatum ab omnibus Electoribus fuisse Imperium Friderico Saxoniæ Duci uni ex ipsis; sed ipsum ingenti animo recusâsse: mox rogatum, quem igitur censeret eligendum, negasse sibi quemquam alium videri tanti nominis oneri sustinendo parem, quàm Carolum ob hunc insignem animum, à legatis Caroli oblata triginta millia florenorum constantissimè rejecisse: cúmque urgeretur ut tantùm decem millia pateretur dari famulis; acciperent, dixisse, si vellent, attamen neminem mansurum postridie apud ipsum, qui vel aureum accepisset: ac postridie conscensis equis subduxisse sese, ne pergerent esse molesti. Quod egregium illius Principis facinus, sibi uti compertissimum retulisse Episcopum Leodiensem, qui comitiis Imperialibus intererat, Erasmus ait. Confirmatáque eadem reperimus testimonio prædicti Cardinalis Caietani, unâ ex epistolis quas diximus ad Leonem Pontificem. Alij tamen, nonnisi Treverensem & Brandeburgensem Electores, qui stabant pro Rege Galliæ, cum non subsistere possent, elegisse Fridericum tradunt: ipsúmque obtestatum Electores, ne de electione alicujus quicquam in publicum proferre vellent priusquam omnes consensissent; recusâsse hunc honorem, & postero die suo suffragio elegisse Carolum. Ac nihilominùs cùm revertisset Fridericus ex Caroli renunciatione in hospitium, dixisse, Deum propitium & iratum hunc Cæsarem dedisse. Ceterum ab Electoribus missus est ad eum Fridericus Elector Comes Palatinus, qui collati honoris diploma deferret, & in Germaniam iter maturare hortaretur. Cujus rei extant[k] Acta & orationes ultrò citroque habitæ; unà cum acceptatione, & gratiarum actione Caroli electoribus factâ mense Novembri; atque aliis publicæ lætitiæ signis variis locis editis.

i Erasm. 13. Epist. 3.
k d to 3 Rer. Ger & ap. Schard. & ...oid. ibid.

IV.

Erasmus quis et qualis fuerit.

Quod autem *Erasmi* mentio inciderit, ut in tanto viro paulùlum immoremur; vivebat ille hoc tempore, clarebatque valdè literis ac scientiis humanioribus, linguisque, jam major quinquagenario; natus, ut nonnulli volunt, anno 1465. seu ut alij 1467. Roterodami in Bataviâ, & ut tradunt[l], ex furtivo concubitu cujusdam parochi cum ancillâ: quem tamen alij cujusdam Goudani pistoris filium volunt. Auctor Athenarum Belgicarum Franciscus SWertius Antuerpiensis, ait puerum vocatum fuisse *Gerardum Gerardi*: sed quia nomen istud in Belgico idiomate videtur habere cognatam significationem cum verbo *Desiderare*, adscivisse sibi loco prænominis titulum *Desiderij*; eique subjunxisse Græcam vocem ejusdem notionis, & *Erasmum* agnominari voluisse. Ceterùm Vltrajecti in æde sacrâ musicis imbutus, chorauli, ùt vocant, munere functus est. Adolescens professus monasticen canonicorum regularium S. Augustini in monasterio Stein ad Gondam Batavorum; novennio post sacris initiatus, votorum suscептorum pertæsus monachatum deseruit, vagúsque per Academias Europæ obambulavit. Magnúmque sibi nomen ex eruditione faciens; majus solidè fecisset, si se intra limites rationis & fidei continens, non altum, sed sapere voluisset ad sobrietatem. Verùm tum suis jocis & salibus, tùm liberioribus censuris in Patres, & notis in Scripturam, adeò visus est dubius in rebus fidei & religionis, ut etiam Luthero hæresum suarum materiam subministrâsse creditus fuerit: indéque passim dictum sit, vel Lutherum Erasmisare, vel Erasmum Lutherisare. Ita ut quamvis sæpiùs sese ab eâ accusatione defenderit; numquam tamen ausus sit Lutherum erroris damnare; sed ita rem egerit ut medius inter partes incedere velle videretur, neutri se totum addicens: unde & id consecutus est; ut cùm à Catholicis uti Lutheranus traduceretur, etiam apud Germanos malè audiret; ut Lutheranæ factionis adversarius: quemadmodum ipse conqueritur epistolâ[m] anno 1521. ad Petrum Barbirium Decanum Tornacensem scriptâ, ubi rem hanc profusè prosequitur in suî defensionem. Qua-

l Possevin. in Appar.
m Erasm. 1. ep. 2.

De Luthero quid senserit.

[n] Id. lib. 11. & 12.
[o] Id. 12. ep. 10.

lem etiam (hoc est, ut multi appellant, semichristianum) sese hoc tempore exhibens, dum multa Epistolis [n] suis de Luthero agit, neque adhuc se audere illum accusare, nec defendere, professus est scribens [o] anno proximo ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum, Marchionis Brandeburgensis fratrem, recèns creatum Cardinalem à Leone Pontifice. Multa videri à Luthero præclarè monita; sed incivilius quàm decuisset, & magis imprudenter, quàm impiè: Quod verò quidam confingerent, illum ipsius Erasmi operâ adjutum esse, falsum existere, quando in omnibus illius lucubrationibus ne apiculus quidem Erasmi esset: Admonuisse nihilominùs se quosdam initio, ut scriptis ac disputationibus potiùs quàm clamoribus rem agerent: non esse publicè damnandum, quod non esset expensum: Theologis indecorum esse quicquam per tumultum agere, quorum indicium oportet esse gravissimum. Sic ille. Qui ad ipsummet Lutherum [p], acriùs invectum in Pontificem; paulò pòst scribens, non aliud ab eo voluit, quàm ut ad moderationem eum revocaret; monens plus profici civili modestiâ, quàm impetu: magis expedire clamare in eos qui Pontificum auctoritate abutantur, quàm in ipsos Pontifices: Scholas non tam aspernandas esse, quàm ad studia magis sobria revocandas. Cùm nihilominùs hæc excusans apud Campegium [q] Cardinalem, necnon apud ipsummet Leonem Pontificem, censuram etiam ac judicium tulerit de Lutheri doctrinâ: aliàs quoque frequentissimè id ipsum ad diversos præstans. Ita ut semper in communione Catholicorum permanserit frequentatus literis summorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Theologorum, aliorúmque omnis generis virorum Catholicorum, cum non parvis laudum præconiis: ut videre est in grandi volumine Epistolarum ejus: fueritque etiam ei contra eumdem Lutherum ejúsque sectatores ac re sæpè posteà certamen, ut videbitur. Sed an potiùs honoris mundani & nominis sui causâ, quàm religionis?

[p] Id. Epist. lib. 6.

[q] lib. 14.

V.

[r] Sequentia de Luthero narrantur plurib. ap. Cochl. de act. Luth. Vlemberg. in ejus vit. Florim. de Orig. hæres. lib. 1. Sur. in comment. &c. Extántque ipsa Acta & scripta de quib. hic agitur.

Miltitius agit cum Luthero.

[s] Vid. supr. an. 1517. V.

Maximiliani obitu factus insolentior Lutherus [r], qui ab ejus Catholicæ fidei zelo sibi timebat, cùm liberiùs in sacerdotes & ministros Pontificios inveheretur, ut contemptibiles populis redderet; nihilominùs tamen cùm missus fuisset in Saxoniam à Leone Pontifice Carolus Miltitius ipsius cubicularius nobilis Germanus, qui Rosam auream, quam singulis annis Pontifices Dominicâ quartâ Quadragesimæ solemni ritu consecrare solent, in argumentum benevolentiæ Friderico Electori Saxoni deferret, cum mandatis etiam, ut ad sedandas turbas, quas de religione Lutherus excitârat, omnem diligentiam adhiberet: ita hic cum Luthero Altemburgi egit, ut fateretur Lutherus, omnia jampridem sopiri [s] potuisse, si negotium eâ dexteritate à Caietano & aliis tractatum fuisset. Et quamquam illum Miltitius ad errores agnoscendos inducere nequiverit, duo tamen non parvi momenti ab eo obtinuit: primùm, ut literas ad Pontificem Lutherus humiles & modestas scriberet, quibus se causámque totam ei subjiceret; deinde ut negotium alicui Episcopo in Germaniâ committeretur. Scripsit igitur Lutherus ex Altemburgo mense Martio Pontifici, contestans inter cetera numquam se hactenùs id seriò egisse, ut potestatem Romanæ Ecclesiæ Summíque Pontificis labefactaret, quam sciret super omnia eminere, nec illi quicquam in cœlo vel in terrâ præferendum præter solum Christum: promitténsque se rerum illarum, ex quibus nata esset hæc contentio, numquam deinceps mentionem facturum, modò silentium etiam adversariis imponeretur. Sed cùm à Miltitio rogaretur Confluentiam accedere, oppidum Treverensis diœcesis ad Rheni Mosellæque confluentem amœno loco situm, ut ibi ex condicto cum Archiepiscopo rem agerent; audito à Luthero affuturum quoque Thomam Cardinalem Caietanum, qui tunc casu apud Archiepiscopum inventus fuerat, excusavit se quod instaret tempus disputationis publicæ, quæ Lipsiæ cum Eckio esset habenda, à qua salvo honore abesse nequiret: neque verò si ad actionem veniendum foret, Caietanum se ferre posse, qui causam hanc ad eum modum Augustæ egisset, ut an Catholicus esset ac Christianus, ipse quidem vehementer ambigeret. Sicque dolosus congressum illum, simúlque expectationem de concordiâ conceptam elusit.

Lutherus fingit submissionem Pontifici.

VI. Disputatio Lipsica inter Eckium et Lutherum.

Quod autem *Disputationem Lipsicam* attinet; egerat cum Luthero Eckius apud Augustam, ut simul congrederentur amicabiliter disputaturi de dogmatibus quæ Lutherus in controversiam adduxerat: cúmque ejus primas theses de Indulgentiis idem Eckius quibusdam annotationibus, quas Obeliscos inscripserat, taxâsset, eísque Carolstadius respondisset; hinc animis utrinque offensioribus factis, statuta demùm Disputatio est inter eosdem Lutherum & Carolstadium ex unâ parte, & Eckium ex alterâ: locúsque designatus Lipsiæ in Misniâ, permissu & sumptibus Georgij Saxoniæ Ducis Friderici Electoris patruelis, Principis zelo Catholicæ Religionis, & multarum virtutum ornamentis insignis, ad cujus ditionem civitas illa pertinebat. Et quamquam displiceret hæc disputatio Episcopo Merseburgensi, loci Ordinario, & Theologis Lipsiensis Academiæ; facta est tamen publicè), præsente etiam sæpiùs ipsomet Georgio Duce) scribis ab utrâque parte constitutis, qui quæ dicerentur exciperent, & Iudicibus Disputationis delectis (ægerrimè licèt consentiente Luthero) Theologis Parisiensibus & Erphordiensibus. Primùm congressi Eckius & Carolstadius die vigesimâ septimâ Iunij, sex congessibus, de Libero Arbitrio, de Gratiâ, de bonis Operibus disputârunt. Deinde verò defesso & exhausto Carolstadio, successit in certamen Lutherus die quartâ Iulij usque ad decimamquartam; actúmque de Primatu Romani Pontificis, de Purgatorio, Indulgentiis, Pœnitentiâ, Absolvendi potestate, & Casuum reservatione. In quibus etiamsi non Catholicè in omnibus Lutherus, longè tamen minùs hæreticè quàm post disputationem, vi veritatis, & argumentorum potentiâ coactus, se gessit; Primatum Pontificis agnoscens, licet non divino, sed humano jure; Boemorum Hussitarum causam apertis verbis damnans; Purgatorium

non solùm se credere, verùm etiam esse scire se dicens; Indulgentias non simpliciter rejiciens, sed abusus & opiniones vulgi minùs sanas improbans: cùm nihilominùs initio Consiliariis Georgij Ducis monentibus ut nihil per iram, sed modestè ageret, ne auditoribus scandalo fieret, irâ victus impiissimè juxta atque impudentissime respondisset, *Non propter Deum hanc rem cœptam esse, neque propter Deum finituram.* Cessante porrò Luthero dictâ die decimaquartâ, succenturiatus accessit denuò Carolstadius; qui tam eâdem quàm subsequenti, tribus congressibus iterùm de Libero Arbitrio disputavit: istud paradoxum pro coronide adjungens, Iustum in omni bono opere peccare. Finémque demùm Disputatio die decimaquintâ sumpsit; urgentibus eum maximè Luthero & Carolstadio, detrimentum causatis, quod Vniversitas Wittembergensis propter diuturnam ipsorum absentiam pateretur.

VII. DIVERSA SCRIPTA DE EA DISPUTATIONE.

Quamquam verò cautum erat utriusque partis consensu, ne Disputationis Acta evulgarentur, antequàm per Iudices lata esset sententia; non potuit tamen impediri, quin quæ privatim fuerant à nonnullis præsentibus notata, in publicum ederentur. Vnde, & quòd Dux Georgius cum suis consiliariis, Vniversitas & Senatus Lipsiensis, ac publica fama, victoriam Eckio tribueret; in furorem versus Lutherus, variis scriptis in lucem editis, ac literis ad diversos missis, omni conatu nisus est contrarium suadere, & palmam in se transferre; tum de Lipsiensibus & Ducis Georgij consiliariis amare conquestus; tum in ipsummet Georgium, à quo liberaliter admodùm ac clementer habitus fuerat, annis subsequentibus impetuosissimè delatus, tum modò in Eckium variis modis acerrimè invectus, etiam apud Leonem Pontificem tumultus, ignorantiæ, & proditionis Romanæ causæ eumdem accusavit. Qui ex aliâ parte minimè in his se deserens, datis ad eumdem Pontificem, & Fridericum Electorem Saxonicum Lutheri protectorem prolixis literis, aliisque editis scriptis, rei gestæ veritatem propalavit. Pro quâ item cùm scripsisset *Hieronymus Emserus* Suevus, vir apprimè disertus & eruditus, ad Pragensem Administratorem, quòd audisset Boëmos vanè gloriari de susceptâ à Luthero partium suarum defensione; acerbissimum mox & petulantissimum eumdem Lutherum sensit adversarium: sicuti mos Luthero, æquè ac aliis hæresiarchis, fuit, ut quos veritate non posset, eos conviciis, scommatibus, ludibriis, calumniis obrueret. Quòd autem traduci se passim ab æmulis intelligeret, nonnullis aliis scriptis hoc eodem anno libellis, conatus est omnem à se hæresis suspicionem removere; ita fucum facere aliquibus, alios veneno inficere quærens. Qui & ad Pontificem rursùm scribens, nondum rem in extremo desperationis loco esse significavit, dummodò palinodiam canere non juberetur, & leges interpretandi Verbi Dei non sibi imponerentur; nihil esse quod non facere & pati vellet; neminem se ulteriùs spontè provocaturum, sed si provocaretur, elinguem non futurum. Quod & opere in ipsasmet Vniversitates complevit; cùm quæ eodem hoc anno Coloniensis & Lovaniensis scripta quædam ejusdem erroribus scatentia ita damnarunt, ut ea quidem flammis absumerentur, auctor verò compelleretur ad palinodiam; & Parisiensis pro Eckij parte judicium ferens, quatuor & centum Lutheri propositiones publico scripto condemnavit: in eas edito valdè mordaci libello adeò debacchatus est, ut viros eruditione & pietate conspicuos, non aliter habuerit, ac si capita sine cerebro, adeóque truncis stupidiores essent. In id insuper audaciæ evectus, ut ad Carolum Hispaniæ Regem, postquàm in Imperatorem electus fuit, scribere præsumpserit de suâ causæque suæ innocentia: atque exemplo, ut aiebat, Athanasij, postquam audiri ab aliis non posset, Imperatoriam Majestatem invocare, si fortè Dominus dignaretur per eam suæ causæ adesse: suppliciter Carolum rogans, ut ejus patrocinium susciperet. Sperabat si quidem inverecundæ frontis homo, adolescentem hunc Principem blandis suasionibus in partes suas allicere; quem divina providentia in ejus exagitationem Imperio præesse destinaverat.

LUTHERUS DAMNATUR AB VNIVERSITATIBUS.

CAROLI CÆ. PATROCINIUM IMPLORAT.

VIII. ZUINGLII PRIMORDIA.

Hoc eodem anno (ut plures ponunt) HULDRICUS, sive Vlricus, aut Vldaricus, (tot enim modis hoc nomen proprium à diversis auctoribus profertur) ZWINGLIUS natus in pago Doggiorum, quem vocant *Ad Domum Silvestrem* in Helvetiis; prius Glaronensis, postea Eremitanæ Ecclesiæ pastor, ad urbis Tigurinæ parochialem administrandam vocatus; postquàm multos ibi privatis collocutionibus pervertisset, publicè aggressus est prædicare contra veterem Religionem: sed tamen catenùs ut Ecclesiæ abusus, quibus indulgentias admiscebat, criminaretur, & in Romanum Pontificem mussitaret. Qui post hæc damnatum olim Berengarij dogma de Eucharistiâ instauravit, ut videbitur; & peculiari sectæ, à Lutheranâ diversæ, nomen à se fecit. Cùm etiam gloriam Luthero inchoatæ hæresis invidentes Zuingliani, vellent eum prædicare illam cœpisse Glaronæ anno millesimo quingentesimo decimo sexto, cùm Lutheri nomen iis partibus ne quidem auditum adhuc esset. In Annalibus verò monasterij ejusdem Eremi Deiparæ in Helvetiâ Ordinis Sancti Benedicti narratur, eum Glarona pulsum ad Eremum concessisse, & parochi munus obtinuisse; itáque ibi vixisse; ut nullum luxuriæ, insolentiæ, fœdæ libidinis, & petulantiæ exemplum prætermiserit: cúmque etiam suæ contra Ecclesiæ dogmata vesaniæ publicis concionibus specimen edere cœpisset, (tectè licèt, ac fraudulenter) & angusta nimis ei Eremus videretur ad diffundendam mentis suæ insaniam; amicorum operâ Tiguri receptum esse; anno, ut ibi dicitur, superiori millesimo quingentesimo decimo octavo. De quo sæpiùs posthàc. Nec deerunt deinceps singulis ferè annis alia novarum ac diversarum hæresum nomina, & plurium quandoque uno eodémque anno; postquàm aperto semel impietati ostio, licitum fuit unicuique ea quæ libuit effari, ac propalare.

IESU CHRISTI Annus 1520.
LEONIS X. Ann. 8.
CAROLI V. An. 2.

I. LUTHERUS PALAM REM AGIT.

ANNO Christi millesimo quingentesimo vigesimo, Indictione octavâ, animadvertens Lutherus parùm se dolis suis atque fictionibus, quibus obedientem se Ecclesiæ profitebatur, proficere; Wittembergâ, ubi minùs securum se esse existimabat à persecutionibus Legatorum Pontificiorum, & Episcoporum ipsi adversantium, in Boëmiam ad Hussitas fugere decrevit. Sed tum patrocinio Friderici Electoris Saxonici, tum adhortationibus nonnullorum ex præcipuâ nobilitate Franconiæ recreatus; eo deposito timore, jam non ampliùs dissimulandum ratus, apertâ deinceps audaciâ in Pontificem & Catholicos agere decrevit. Initio hoc anno facto, à libello Germanico ad Nobilitatem Germaniæ edito, ad reformationem, ut dicebat, orbis Christiani; si fortè per laicos Ecclesiam juvare vellet Deus; quandoquidem Ecclesiasticus ordo, ad quem potiùs ea res pertineret, curam hanc prorsùs abjecisset. Idque duabus potissimùm machinis perficere contendit, nimirùm Sacerdotium externum tollendo, asserens nullum aliud esse in Novo Testamento, quàm Baptismum, baptizatósque omnes ex æquo sacerdotes esse: deinde Romanum Pontificem esse Antichristum, de quo Scriptura loquitur, decernendo. Hócque persuaderet, omnes Romanæ Curiæ nævos, abusus, dedecora, pompas, & quicquid ibi reprehensibile videbatur, ex libello Triadis Romanæ per *Huldricum Huttenum* Equitem Germanum è Franconiâ, virum acerrimi ac festivi ingenij, carmine & solutâ oratione potentem, (quo utroque genere multa edidit, quæ extant) composito, diligenter congessit.

HUTTENUS LUDIO.

Quippe hic Huttenus, è præcipuis Lutheri fautoribus unus, etiam priusquàm Lutheri nomen innotesceret, multa contra pensiones, citationes, judiciáque quibus Romana Curia Germaniam gravare videbatur, scripserat: deinde verò in Comitiis *Augustanis* libellum vulgârat mirè festivum, & inventionis ingeniosæ argumento laicis admodùm acceptum, titulo *Triadis Romanæ*: quo sanè effecerat, ut nihil æquè invisum esset Germanis quam plurimis, ac nomen Romanæ Curiæ & Curtisanorum, sive aulicorum Pontificis & Cardinalium.

LUTHERI SCRIPTA CONTRA ECCLESIAM ET PONTIF.

Quibus Lutherus multos addidit amarulentiæ, convitiorum, & tragicarum vociferationum clamores: Cæsaris gladio Papam & Episcopos subjectos esse Potestati Papali nequaquàm obtemperandum esse, sed resistendum corpore, substantiâ, omnibúsque viribus: Ius Canonicum funditùs abolendum esse, quòd Papam non solùm ceteris omnibus hominibus, sed etiam Deo ipso superiorem faciat: & alia ejusmodi plurima, spiritu satanico prolata, quibus omnem Ecclesiæ auctoritatem & œconomiam tolleret, ac meram anarchiam introduceret. Huic verò pestilentissimo tractatui alium addidit hoc ipso anno, cui titulum fecit, *De Captivitate Babylonicâ Præludium*; quo de numero Sacramentorum disputans, & plura aut pauciora agnoscens, omnia demùm ferè abogravit: sacrificium in Eucharistiâ, & Transubstantiationem in dubium revocavit: Boëmos & Græcos longè rectiùs sentire, quàm Romanos impios & hæreticos asseruit: denique post alia quamplurima blasphema effutita, in fine ait, rumorem ad se delatum esse de Leonis Pontificis decreto in Germaniâ brevî plublicando, quo ipse vel ad revocandos errores cogendus esset, vel hæreticus declarandus: quod si verum esset, velle se ait ut hic libellus prima pars haberetur istius revocationis; alteram se propediem editurum, talem certè qualem hactenùs Romana Sedes nec vidisset umquam nec audîsset. Nec sanè fefellit, ut pòst videbitur; dum ab hoc tempore deinceps novas quotidie hæreses ex impuro pectore eructans, universum orbem iis infecit, horrendo Dei in mortales judicio, semper tamen justo.

II. [a] *Ext. in Concil. edit. Binia. sub Leo. X. & Bular. to. 1. Leon. X. Const. 40.*

LUTHERI DOCTRINA DAMNATUR A SEDE APOST.

Quod verò de novo Pontificis decreto Lutherus dixit; fuit illud [a] de ipsius damnatione, Romæ factâ decimoseptimo Calendas Iulij; cùm videlicèt Eckius Romam profectus ostendisset quanta imminerent pericula, nisi tempestivè tanto malo occurreretur. Eo autem decreto Pontifex errores Lutheri, (quorum unum & quadraginta capita in exemplum recenset) ejusdémque libros ita damnavit, & per ignem aboleri jussit; ut tamen auctorem, ejúsque sectatores ac fautores, ad resipiscentiam invitaret, hortaretúrque ut Ecclesiæ pacem perturbare desinerent, & ad viam veritatis reverterentur; reperturi apud ipsum paternæ charitatis affectum, & apertum mansuetudinis & clementiæ fontem: Dato tamen ad errorum abjurationem, in manibus duorum Prælatorum publicè consignandam, sexaginta dierum spatio: quo nisi satisfecissent, excommunicati essent, uti notorij & pertinaces hæretici, ab omnibus fugiendi & vitandi, ac per Principes & Magistratus puniendi.

LUTHERI IN EAM FUROR.

Quâ damnatione in furorem versus Lutherus, econtrà eorumdem damnatorem articulorum *Assertionem* publicavit; ad Concilium denuò à Papâ uti Antichristo provocavit; libros omnes Iuris Canonici, unà cum prædictâ Leonis constitutione ipsius damnationis, decimo Decembris publicè incendit; atque in hujus insolentissimi facinoris defensionem libellum apologeticum edidit, atrocissimis calumniis refertum. Aliísque insuper scriptis Principes hortatus est, ut armis Pontificem & Cardinales oppugnarent, & in eorum sanguine manus suas lavarent. Denique in quoscumque alios sibi adversantes tanto impetu invectus est tótque ac tanta probra evomuit, antiquis etiam Patribus injuriosissimum se exhibens, séque Prophetam divinitùs ad purgandam, & ad Christi normam reducendam Ecclesiam electum venditans; ut nihil reliqui impudentiæ, proterviæ, temeritatis, scurrilitatis, & irreligionis fecerit, quin & dictis & scriptis Latinè & Germanicè promulgatis, figurísque atque picturis ridiculis & turpibus, omni denique diabolicarum inventionum genere, solicitissimo studio expanderit ac disseminaverit. Extant enim ipsius

scripta ejusmodi, & ejus sectatorum hæc laudibus cumulantium testimonia: præter illa quæ de iis à nostris [b] memoriæ mandata sunt; ex quibus & cetera conjectari liceat. Quis enim cunctas, quas pestifer apostata invexit sordes, atque errores & hæreses quas induxit, aut enarrare valeat, aut dinumerare? Frustrà fuerit id conari, (quod de aliis hactenus fecimus) cùm & innumerabiles sint, & scriptis Catholicorum eas confutantium notissimæ, ut nihil ampliùs addi posse videatur: ac denique cunctæ penè in aliis hæresibus jam visæ sint; cùm nihil fere aliud præstiterit, quàm quod antiquorum hæreticorum blasphemias in unum conjunxit, ut videre præcipuè est apud Prateolum, Sanderum, Gualterium, & alios qui collegerunt. De ortu tamen illarum quæ porrò ex his natæ sunt, dicetur breviter suis locis; indicij potiùs modo, quàm uberis explicationis. Obfirmatúsque præcipuè in suâ perversitate fuit Lutherus, (quod & aliàs diximus) patrocinio Friderici Electoris Saxonici, cui fermè soli propagatio hujus hæresis tribui debet, egregio ceteroqui Principi, ac multis virtutibus prædito: qui & modò rogatus à Papâ per suos Nuncios Hieronymum Alexandrum, & Marinum Caracciolum, ut decreti in Lutherum editi executioni daret operam, audire recusavit.

[b] *Cochlæ. de act. Lutheri. Vlemberg. in Vit. Luth. Florim. de orig. hær. Prateol. de hæres. & alij.*

FRIDER. ELECTOR SAXON. PROPAGATOR HÆRESIS LUTHER.

III.

CAROLUS CÆSAR IN ANGL. TRANSMITTIT.

Non ita Carolus Cæsar: qui econtrà pro munere Advocati & Defensoris Ecclesiæ, Lutheri libros à Sede Apostolicâ damnatos flammis absumi jussit; factúmque est in Belgio & proximis Imperij civitatibus. Hoc enim anno proficiscens ab Hispaniâ in Germaniam ad coronam regni Romanorum accipiendam, primò in Belgium navigavit; divertens tamen in itinere ad Henricum Regem Angliæ, materteræ suæ virum. Qui cùm Caletum transmittens, apud Ardeam congressum habuisset cum Francisco Galliæ Rege, cujus apparatum utrimque splendidissimum Ferronus [c] descripsit) ac cum eo fœdus percussisset: regressus inde in Angliam, Carolum apud Cantuariam excepit, ac rursùm eum comitaturus mare transiit, & cum eo novum fœdus iniit contrarium ei quod paucis antè diebus cum Gallo pepigerat: ita erat fluxæ fidei. Ita namque rem narrat Martinus Bellaius, qui videbat. Cui magis credimus quàm Polydoro [d], qui scribit Carolum in Angliam transiisse ante congressum Angli cum Rege Galliæ, ac conatum esse illum impedire, nec tamen potuisse; rursúmque post colloquium Regum, Caletum mox ad Anglum revertisse, & cum Volsæo Cardinale adversùs Gallum secretò machinatum esse.

[c] *Ferron. in Franc. I.*

[d] *Polyd. lib. 27.*

IV.

COMETES MIRUS.

Sed quod observatu dignum existimavit Petrus Martyr Anglerius [e] in Hispaniâ tunc agens, & quæ videbat scribens; quo tempore Carolus in Belgium ex Hispaniâ navigationem parabat, nempè 17. Maij, Sole od occasum vergente, cometes visus est ab universâ curiâ, in suâ specie mirandus, inter zephyrum & boream in mediâ cæli regione: In zenith oppidi Clunij, ubi Anglerius erat, ortus, cadénsque in oceanum, perstitit in celsâ cæli regione aëris immobilis, & in globum conversus est igneum: Ab eo tria spectatu digna prodire visa: viæ scilicèt duæ argentei coloris retortæ velut serpentis colubri per herbida prata, quæ ad zenith tendebat una triginta circiter gyris constabat; quæ ad imum, non plus duodecim; ab eo verò latere quod relictam spectabat Castellam, fumus exiit nigerrimus, qui paulatim cometæ uterum absorbebat, ita ut fœtum emittere prægnans cometes videretur; donec consumptus est tandem. Quid verò ille portendere diceretur, non meminit auctor; nec nos, quamvis ex post factis amplus sese offerat spatiandi campus, divinare volumus, aut hariolari. Carolus autem nihil eo motus, ventis vela dedit quinto pòst die, nempè nocte quam vigesimus secundus dies Maij sequebatur.

[e] *Angler. ep. 669.*

V.

CAROLUS CORONATUR IN REGEM ROMAN.

Qui post visitatum, ut diximus, Anglum, in Belgium navigans, inde Aquisgranum ad inaugurationem profectus est: cúmque ob ingruentem ibi pestilentiam, suaderetur ab Electoribus ut coronationis locum mutaret, cives autem ob factos sumptus morbi frequentiam extenuarent; respondit se Caroli IV. legem non temerè mutare posse. Factáque est ibi ejus coronatio die Sancti Severini, nono Calendas Novembris, solemni ritu; quem breviter Beuterus [f], prolixè descripsit Hartmannus [g] Maurus Hermanni Archiepiscopi Coloniensis Consiliarius, qui interfuit. Estque [h] pariter de iisdem epistola Baltasaris Castilionei Nuncij Apostolici apud Cæsarem, qui æquè interfuit, ad Cardinalem Bibienum. Alibíque [i] etiam notatum reperimus; cùm essent qui contenderent nefas esse Cæsarem coronari alio die quàm festo, fuisset autem coronatio indicta in diem quem diximus, qui non erat festus; hunc scrupulum sublatum fuisse auctoritate Episcopi Leodiensis, in cujus diœcesi Aquisgranum est: jussisse namque ut deinceps totâ diœcesis dies Sancti Severini, quo solemnia celebranda erant, festus haberetur. Carolus autem Ferdinando fratri suo minori Austriam, aliósque Maximiliani avi principatus libens cessit. Cúmque ex ejus ab Hispaniâ profectione, non parvi ibi motus excitati essent, tum quòd non æquo animo ferrent ejus ad Imperium promotionem, ob longiorem & frequentiorem quàm propterea futuram prævidebant ejus à regno absentiam, & sibi multis de causis perniciosam fore timebant; tum quòd qui Hispanis præerant Belgæ avarè admodùm se gererent: ad arma ventum est; (quorum mogotuum plenior notitia haberi potest ex Epistolis Petri Martyris Anglerij & Antonij Guevaræ; præter illa quæ Iovius in Vitâ Hadriani, quem Hispaniæ administratorem Cæsar reliquerat, ac ceteri auctores referunt: de quibus est [k] etiam epistola Leonis Pontificis ad eumdem Hadrianum Cardinalem Dertusensem:) donec anno sequenti mense Aprilis victis perduellibus debellatum est.

[f] *Beuter. Chron. Belg. lib. 6.*

[g] *Ext. to. 2. Oper. Hist. Schardij.*

[h] *Epist. Princip. lib. I.*

[i] *Angler. ep. 699.*

MOTUS HISPANICI EX ABSENTIA REGIS.

[k] *Ap. Bemb. 16. ep. 24.*

VI.

SODALITAS CHARITATIS INSTITUITUR ROMÆ.

Romæ verò Leo Pontifex institutam à Iulio ipsius patruele Cardinale Vicecancellario Societatem sive confraternitatem sub titulo *Charitatis*, ad pauperum mendicare erubescentium, carceratorúmque subventionem, ac mortuorum sepulturam; constitutione [l] editâ quinto Calendas Februarij hujus anni, confirmavit; & gratiis deversis atque indulgentiis auxit, atque in Archiconfraternitatem,

[l] *Bellar. to. I. Leo. X. const. 37.*

capútque omnium Confraternitatem Charitatis ubilibet institutarum erexit & instituit. Quatuor verò pòst propemodùm mensibus, nompè decimoquarto Calendas Iunij ejusdem præsentis anni, aliâ constitutione [m] monasterium in Vrbe instituit pro mulieribus ab incontinenti & turpi vitâ ad honestam se convertentibus, sub invocatione S. Mariæ Magdalenæ, ac Regulâ S. Augustini; ejúsque regimen prædictæ Archiconfraternitati Charitatis commisit: cum variorum indultorum concessione, ac spoliorum impudicarum mulierum applicatione.

[m] *Ibid. const. 39.*

Aliaque pro conversis mulieribus ab incontinentia.

VII.

Hoc item anno Christiernus Crudelis [n] Rex Daniæ, (Caroli & Ferdinandi sororius quorum sororem Elisabetham feminam præstantissimam uxorem habebat) cùm præcedenti Suecos sibi inobedientes excommunicari curâsset prætextu pulsionis Archiepiscopi à suâ sede, (ita enim apud auctores Germanos [o] reperimus, cùm tamen nihil de hujusmodi excommunicatione Ioannes Magnus) eos bello petiit. Quo cùm Steno Suecorum Princeps seu Gubernator mortuus fuisset ex vulnere in pugnâ glaciali accepto, Christiernus ab iis qui ei favebant in Regem coronatus Stocholmiæ mense Novembri, inauditâ tyrannide, omnes Suetici generis proceres Episcopos, Senatores, ac cives primores, in odium & vindictam repulsæ antehàc ab iis acceptæ, (prætextu tamen excommunicationis à Pontifice in eos decretæ; cujus se Christiernus executorem profitebatur) partim gladio, partim laqueo de medio sustulit; cadavera triduo insepulta relicta, deinde cremari jussit effosso etiam Stenone, qui simul cremaretur. Quam tamen feritatem, tam in regno quàm apud Sedem Apostolicam rejicere voluit in Gustavum Archiepiscopum Vpsalensem Sueciæ Primatem; qui ab Stenone ob dissidia inter eos orta, cùm tamen consanguinei essent, sede suâ pulsus, eo mortuo illam recuperans, nullo non sævitiæ genere æmulos persecutus est. Post illam autem carnificinam coactus Christiernus Daniam repetere, miserè demùm periit, ut pòst dicetur. *Gustavus* autem, sive Gostavus Ericson, de cujus evasione à captivitate Danicâ dictum est suprà [p], Caroli olim Sueciæ Regis consanguineus, & Stenonis Senioris nepos; suos ad Danicam tyrannidem excutiendam magno animo excitans, ab iis in Principem seu Gubernatorem regni acceptus est; paulatímque universum regnum, pulsis Danis obtinuit. In cujus initiis *Ioannes Magnus* Lincopensis Gothus, vir nobilis & doctus, posteà Archiepiscopus Vpsalensis, (creatus in locum prædicti Gustavi, qui post aliquot annos profugus & ipse miserè periit) finem Historiæ suæ Gothicæ & Sueticæ, viginti quatuor libris distinctæ imposuit: quæ reliqua fuêre temporum suorum, ac præcipuè ecclesiastica, in mutatione religionis quam Gustavus Rex induxit, prosecutus in aliâ Historiâ Pontificum Vpsalensium, quam æquè conscripsit, & ad vitæ suæ exitum, qui contigit Romæ (ut videbitur) anno Christi 1544. perduxit. Cui frater fuit, & in Ecclesiâ successor, *Olaus*: qui & ipse amplam historiam scripsit de ritu gentium, ac naturâ rerum, & hiemalibus bellis earumdem regionum Aquilonarium, lectu non injucundam

[n] *Vid pupr. an. 1513. XXI. 1518. V.*

[o] *Chytræ. Saxon. lib. 9.*

Christierni Regis Daniæ sævitia.

[p] *An. 1518. V.*

Ioannis et Olai. Magn. commentarii.

Prædictum autem crudele facinus Christierni descripsit etiam proprio commentario [q] Iacobus Zieglerus Batavus: déque eodem satis amplè egit in suâ Saxoniâ Chytræus [r], ceteram Gustavi historiam plenius prosecutus.

[q] *Ext. to. 3. Rer. Germ. edit. Freher.*
[r] *Saxon. lib. 9.*

VIII.

Hoc eodem anno (ut ex Annalibus Turcicis [s] intelligitur, & plures alij ponunt; non autem superiori, ut quidam) die vigesimâ prima Septembris, *Selimus* Turcorum Imperator cùm post adeptam Ægyptum hactenùs quietè egisset Constantinopoli; Hadrianopolim petens, in itinere apud Tzurulum Thraciæ oppidum, Ciurlum aliis dictum, ad quod olim cum patre conflixerat, & veneno eumdem necandum curaverat, extinctus est ex carcinomate, sive ex carbunculo pestilenti, eodem itinere ei nato circa renes dum lavaret in balneo: cùm imperâsset ampliùs annis octo, (Annales Becchani habent annos octo, menses octo, dies octo) vixisset circiter quadraginta sex. Fuisse hominem crudelissimum, non solùm ex iis quæ in patrem & fratres ac nepotes commisit intelligitur, verùm etiam ex cæde plurimorum è suis præfectis, quos lividissimis ut sæpè nullis de causis, cùm etiam præmia mererentur, de medio sustulisse, ipsi eorum Annales tradunt; ut taceantur quæ in hostes feraliter nimis commisit. Quæ quonam modo Aloisius [t] Mocenicus Venetus apud ipsum legatus usque adeò elevare potuerit, ut nihil fuisse barbarum in hoc tyranno dicere sit ausus; mirari quis non desinet, nisi qui feram immanitatem solâ dominationis libidine excusare voluerit, & regnaturo omnis divini atque humani juris penitùs obliviscendum censuerit. Quid? quòd unicum quem habuit filium Solimanum, etiam dicitur veneno necare tentâsse, ne fortè pateretur ab eo, quod ipse in patrem suum sceleratissimè præstiterat. Exceptâ nihilominùs crudelitate, multis excelluit virtutibus, fortitudine militari, constantiâ in consiliis semel susceptis exequendis, prudentiâ in regendis populis, temperantiâ in victu & mulierum usu, & aliis ejusmodi. Memorandúmque est, quod in ejus Vitâ scribit Iovius, audivisse se ab Andreâ Gritto Venetiarum Duce, qui cum eo conversatus fuerat, solitum fuisse quandoque ore sumere semen quoddam notum inter eos, quod vim habet adimendi ad aliquot horas rerum gravium ac molestarum recordationem, & lætos atque alacres homines reddendi, ne nimio cogitationum pondere intellectum obrueret, est denique elegans ejus cum Ismaële Persarum Rege, ipsius æmulo, comparatio apud eumdem Iovium [u]; quam curiosos legisse non pœnitebit.

[s] *Ap. Leunclav. lib. 17. & Pandect. §. 215.*

Selimi Turc. Imper. mors.

[t] *Sansovin. in Vit. Selim.*

Seminis cujusdam vis magna.

[u] *Iov. Histor. lib. 14.*

IX.

Fuit autem Selimi obitus Christianis ubique gratissimus, non solùm quòd soluti viderentur terrore ejus armorum, verùm etiam quòd filium relinqueret rerum satis imperitum, & mitiori ac placido, ut ferebatur, ingenio. (Quâ tamen in re quantum decepti fuerint, res ipsa post ostendit, ingenti Reipublicæ ac Religionis Christianæ detrimento.) Illum nempe, quem diximus, *Solimanum*, sive Suleimanem ejus nominis Secundum, annum tunc agentem ætatis trigesimum: quem Selimus adhuc imberbis susce-

Solimani II. successio.

ceperat ex Bosphorani Regis, Circassâ sive Tartaricâ stirpe oriundi, filiâ. Qui absens apud Manissam, (olim Magnesiam, nunc Italis Mangresiam urbem Ioniæ) cùm à Ferhalis Bassâ [x], qui unicus apud Selimum morientem erat, monitus de obitu paterno fuisset, quem Ferhates occultum tenebat, ne tumultus à Genitzaris, uti plerumque Sultanis extinctis fieri consueverat, excitarentur; fraudem tamen à patris sævitiâ subesse veritus, non ausus est loco se movere, donec à cæteris quoque Bassis viso corpore exanimi certus omninò redditus, Constantinopolim accessit; ubi primùm omnium funus paternum celebravit. Auditâ Selimi morte, Gazelles [y] Syriæ præfectus, olim ex ducibus Sultani Ægyptij, rebellare in animo habens; re per secretos nuncios Caierbeio Ægypti præfecto, qui Syriam olim Selimo prodiderat, communicatâ, ab eo detectus Solimano, cùm jam magnam Syriæ partem præsidiis suis munîsset, per Ferhatem Bassam adversùs eum cum exercitu missum, apud Damascum cum reliquiis Mammaluchorum quas collegerat prælio fortissimè pugnans cæsus est. Sicque confirmatum est imperium Solimani in Asiâ, ut potuerit jam liberiùs, cùm nullum alium æmulum haberet, (nam & Ismaëlem Persarum Regem statim à Selimi obitu inducias cum eo pepigisset, Spanduginus [z] scribit) animum ad res Christianorum dirigere, quod confestim anno sequenti fecit, ut ibi videbitur.

[x] *Lunclav. lib. 17.*

[y] *Iov. lib. 19. Sansovin. in Soliman. Bos. Hist. Hospital. tom. 2. lib. 18. Sur. in comment.*

[z] *Spandug. in Vit. Ismael.*

X.

DISSIDIŨ DE MOLUCIS INTER HISPAN. ET LUSIT.

[a] *Osor. lib. 11. Maffei. l. 8. Marian. lib. 26. c. 3. Extantque de his diversis tract. in Collect. auctor. qui de Reb. Indic. & Ter. Nov. scripsêre.*

Ortâ jam olim inter Reges Castellæ & Lusitaniæ controversiâ de *Molucis* Insulis, unde aromata advehuntur, ad cujus partem, ex divisione novi Orbis inter eos à Romanis Pontificibus factâ, eæ pertinerent: *Ferdinandus Magalianes* Lusitanus, ingenti animo vir, & rei navalis apprimè callens, quòd in Indiâ Orientali sub Albuquercio multis stipendiis factis, nequaquam pro spe præmiorum ab Emmanuele Rege tractari se quereretur, ab eo alienatus, ad Regem-Carolum, ubi in Hispaniam è Belgio appulit, sese transferens, persuasit, Castellæ naves directis inter occasum & meridiem proris posse novo compendiosiorique itinere ad Molucas pervenire: opémque monitis addens, se, modò in eam explorationem necessaria præberentur, discrimini obeundo obtulit. Acceptis quinque navibus optimè instructis, Hispali solvens anno superiori; post immensos labores, quibus ei non solùm cum novis oris, maribus, gentibus, verùm etiam cum suis militibus ac nautis, sævissimis temporibus & maximis incommodis in desperationem actis, obfirmato ad extrema quæque ferenda animo, luctandum fuit; demùm ad tertium & quinquagesimum gradum ultra mediam cæli plagam, *Fretum* invenit mense Septembri hujus anni, quod de ejus nomine *Magalianicum*, sive Magellanicum est dictum. Transmisso freto, post multorum dierum navigationem per mare vastissimum ad Subum insulam auri feracem, frequentem incolis, excentionem faciens; Reguli fraude, fidem Christianiam, ut ab eo adversùs vicinum Principem juvaretur, simulantis, occisus ex insidiis est; multíque sociorum aut pariter cæsi, aut proditoriè in convivio trucidati. Reliqui ad Molucas tandem pervenerunt, duabus tantùm reliquis navibus, cùm unâ fractâ, altera noctu tædio navigationis Hispalim rediisset; tertiâ deficientibus nautis & velis incensâ. Corrasis ibi subitò, absente Lusitanâ classe, aromatibus, in specimen & fidem navigationis; atque ex duabus iis navibus unâ ad scopulos illisâ, quæ reliqua erat, diverso itinere superato Bonæ Spei promontorio, post nova multáque discrimina Hispalim pervenit tertio anno postquàm inde decesserat; inaudito post omnium sæculorum memoriam cursu, universo terrarum orbe circumnavigato: cui fausto omine nomen *Victoriæ* erat. Ejus verò nauclerus *Ioannes-Sebastianus Canus* dicebatur, natione Cantaber ex oppido Guetariâ, gubernandi peritiâ, animi constantiâ, & inauditâ felicitate promeritus ut nomen ipsius æternitati consecretur. Navis secundò ex Hispaniâ ad sancti Dominici Hispaniolæ insulæ civitatem navigans, denuò domum rediit: ex quâ tertiò velut Deum tentans, & fortunæ ferociùs insultans, in eandem insulam delata, in reditu evanuit, ita ut quid de eâ actum fuerit nunquam rescitum sit. De quâ, nequid de illâ pereat, extat hujusmodi epigramma apud Ortelium in Theatro Orbis terrarum:

FRETI MAGELLANICI INVENTIO.

NAVIS VICTORIÆ ENCOMIUM.

Prima ego velivolis ambivi cursibus orbem,
MAGELLANE, *Novo, te duce ducta,*
FRETO.
Ambivi, meritóque vocor VICTORIA;
sunt mi
Vela, ..iæ, pretium, gloria, pugna, mare.

Tentârunt alij consequentibus annis semel, iterùm & tertiò, eâ navigatione ad Molucas penetrare: sed quoniam fructus labori & impensæ non respondebat, tandem destiterunt: atque è Novâ Hispaniâ navigari eò cœptum. Ex quibus navigationibus ingenti inter Hispanos & Lusitanos ortâ discordiâ; quâ cùm in Europâ legibus apud Romanum Pontificem, tum in Asiâ ferro, de illius maris & commercij possessione certatum diù est; demùm datis mutuo Carolo Cæsari à Ioanne III. Lusitaniæ Rege Emmanuelis filio & successore, trecentis quinquaginta millibus aureis, eâ lege ut à commercio Molucarum tamdiù ipse & posteri abstinerent, donec ea summa cum fide reddita esset, litem pecunia diremit. Eáque posteà controversia penitùs sedata est, quando universa Hispania cum suis appendicibus ad unius potestatem ditionémque revocata est.

XI.

Vltra *Isthmum* Novi Orbis, quem primus *Vascus Nunnius Balboa* Pacis-Augustæ in Hispaniâ civis aperuit, & mare Antarcticum invenit anno Christi millesimo quingentesimo decimo-tertio, ad mare Australe ad dexteram Nova Hispania latissimè jacet, moribus [b] & artibus haud multùm dispar, auri & argenti dives, ostreorum quæ margaritas pariunt circa Oceani littora piscatione percelebris, & aliarum rerum necessariarum ubertate referta. Ad quam cùm *Ferdinandus Cortesius* nobili genere Medelinis in Hispaniâ Bæticâ natus, ante biennium [c] penetrâsset, hoc an-

[b] *Vid. Iov. in Elog. Ferdin. Cortes.*

FERDIN. CORTES. POTITUR MEXICA.

[c] *Ortel. in Theatr.*

no captâ Mexica, regionis capite, omniumque Novi Orbis urbium reginâ, atque in eâ Moteczumâ potentissimo illius ac finitimarum regionum Rege; eodémque sive per imprudentiam, sive de industriâ cæso, imperium in Novo Orbe fundavit; non parvâ quidem suorum clade, sed ingenti incolarum strage pro libertate fortiter pugnantium, verùm armorum inæqualitate vinci facilium. Quò posteà aliquot coloniæ ab Hispaniâ deductæ sunt, ne vanè *Nova Hispania* diceretur. De Cortesio plura Iovius in ejus Elogio; déque illius regionibus, atque amplissimâ urbe Temistitanâ, Venetæ in modum undique pernavigabili: in quâ barbarorum templis ritè expiatis, religionis cultum plantavit, populis ob ingenij docilitatem facilè ad eam amplectendam persuasis. Súntque plures de hisce Cortesij navigationibus, déque rebus, moribus, gentibus, urbibus, templis, cæterísque ad horum populorum cognitionem spectantibus, descriptiones atque tractatus Hispanicè, Italicè, Gallicè, Latinè conscripti; quos videre licet ea scire volentibus.

NOVA HISPANIA.

XII. DOMUS GARAZONIA.

In Galliâ hoc anno jacta fuêre fundamenta Ecclesiæ Beatæ Virginis *Garazoniæ* in diœcesi Auxitanensi, totâ Aquitaniâ & Septimaniâ, quinimmò totâ Galliâ celeberrimæ; ex apparitione sanctissimæ Deiparæ factâ virgunculæ cuidam oves paternas custodienti, & rem aliis miraculis confirmantis. Cujus Ecclesiæ, & virtutum ibi in sanandis animi & corporis morbis ostensarum, (unde & à vulgo *de Guerison*, hoc est sanationis, nuncupatur) editus est liber ab ejus domûs præfecto Petro Goffredo vulgari idiomate conscriptus.

IESU CHRISTI Annus 1521.

LEONIS X. An. 9.

CAROLI V. Annus 3.

I.

ANNO Christi millesimo quingentesimo vigesimo-primo, Indictione nonâ, elapso à multo tempore dato Luthero ejúsque fautoribus atque sectatoribus, à Leone Pontifice ad resipiscendum termino, cùm econtrà is animadverteretur & impietate ac proterviâ crescere, & turbâ asseclarum augeri, idem Leo Pontifex tertio Nonas Ianuarij novam in eum constitutionem [a] edidit: quâ recitatis quæ priori decreta fuissent, non solùm ipsum hæreticum esse declaravit, verùm etiam eos omnes cujuscumque auctoritatis, dignitatis, vel conditionis, qui ei patrocinati essent, aut favorem, consilium, auxilium præbuissent, veluti & ipsos hæreticos, in pœnas & censuras à canonibus in hæreticos inflictas, & alias quascumque in priori decreto contentas, incidisse declaravit; eósque pro excommunicatis, anathematizatis, maledictis, interdictis, omni honore, dignitate, bonísque privatis, & ad illa inhabilibus, unà cum ipsorum descendentibus, ubique denunciari, & ab omnibus vitari mandavit.

[a] Bullar. to. 1. Leon. X. const. 41.

LUTHERUS DECLARATUR HÆRETICUS.

II. CAROLUS CÆSAR AGIT CŪ EO.

Cùm autem etiam Carolum Cæsarem monuisset, ut Lutherum ad sanam mentem revocari, aut puniri curaret; misso ad hæc in Germaniam *Hieronymo Aleandro* Nuncio Apostolico, viro docto, eloquente, ac linguarum peritissimo; conatus utrumque Carolus quidem est, sed irritâ operâ. Illum enim ad Comitia Imperij, quæ Wormatiæ frequentissima, utpotè prima ab ipso habita, fuêre, ad principium anni celebrata, datâ de securitate [b] fide, ex Wittembergâ evocans; postquàm nihil ab eo exigere ullis suasionibus potuisset, quàm obstinatam in suis Assertionibus sententiam, & Conciliorum Vniversalium ac decretorum Ecclesiæ abjectionem; (edidit ipsemet Lutherus Acta Wormatiensia, sed parùm in multis integrâ fide, quam ab aliis [c] percipere licet, atque imprimis à Cochlæo [d] qui interfuit:) primùm idem Carolus scripto manu propriâ die 19. Aprilis exarato, Confessiui piè admodùm atque generosè declaravit; cùm genus duceret à Principibus, qui omnes Ecclesiæ Romanæ filij, & Catholicæ fidei, sacrarúmque cæremoniarum atque sanctionum professores & defensores extitissent; se quoque constituisse tueri & propugnare quæcumque tum majores ejus, tum ipse hactenùs observâsset, regnáque sua omnia, Imperium, ditiones, amicos, corpus, sanguinem, vitam denique ipsam & animam impendere, ne pravum Lutheri incœptum longiùs progrederetur: pœnitere sed quòd tam diù distulisset contra illum ejúsque falsam doctrinam procedere, neque velle ampliùs illum audire, sed accingere se ad procedendum adversùs eum, haud secùs ac contra notorium hæreticum. Posteà verò remisso illo securè, vi salvi conductûs, Wittembergam, proscripsit eum edicto [d] publico, ibidem Wormatiæ promulgato die octavâ Maij. Quo recensens breviter quæcumque ad eum in officio continendum, aut ad viam reducendum, hactenùs gesta fuissent, quæque Pontifex in eum ejúsque scripta statuisset; ísque in Pontificem, & Ecclesiam, ac Catholicæ religionis dogmata, & Conciliorum auctoritatem blasphemâsset; populos ad seditiones, cædes, incendia, rapinas excitâsset, quasi non homo, sed humanâ specie cacodæmon aliquis, monachi cucullo tectus, in orbem prodiisset, ut ipsius ministerio varij generis hæreses, partim damnatæ quondam & jam sepultæ, partim nunc excogitatæ primùm in unam sentinam confluerent: additis item quæ jam Wormatiæ cum illo acta fuissent: Demùm auctoritate Cæsareâ, & unanimi consensu & voluntate Electorum Imperij, omniúmque Ordinum ibidem congregatorum, decretum condemnationis à Leone Pontifice in eum editum confirmans, eundem Lutherum pro rejectitio, & ab Ecclesiâ præciso membro, perniciosi schismatis auctore, manifesto pertinacéque hæretico, ab omnibus & singulis habendum & detestandum esse, unà cum omnibus ejus sectatoribus & fautoribus, sanxit: elapso termino salvi conductûs ei concessi, capi, & in custodiâ detineri, scripta ejusdem omnia comburi jussit, eadémque legi, teneri, imprimi prohibuit; gravibus pœnis his omnibus impositis. Hócque sui primum

[b] Ext. ap. Goldast. Const. Imp. tom. 2.

[c] Vlemberg. in vit. Luth. Sur. in comment.

[d] Cochla. in Act. & scri. pt. Luther.

CAROLUS FIDEM CATHOL. EGREGIE PROFITETUR.

[e] Ap. Goldast. ibid. & inde apud. Bzov. hoc an.

LUTHERŪ PROSCRIBIT.

Edictum Cæsaris adversùs Lutherum & Lutheranos.

III. Lutherus subducitur ab Elect. Sax.

Quod prævidens Fridericus Elector Saxonicus, præcipuus ejus fautor; ut eum præsenti periculo subduceret, mirâ calliditate per quosdam subornatos sibi fidos eum in viâ intercipi curavit, & in locum tutum quasi per vim deduci: adeò ut sparsâ famâ eum contra datam fidem atrocissimè vinctum abductum fuisse, nondum enim dies datæ fidei abierat) ingentes editi sint clamores, atque etiam Wormatiæ penè ad seditionem deventum fuerit. Ductus est autem ad quoddam castrum Wartbergum prope oppidum Alstadium, ubi decem ferè menses secretò, sed lautè habitus est: quem ipse locum, Pathmum & Eremum suam nominavit.

Impia ejus scripta in suo secessu.

Vbi nequioribus in dies spiritibus agitatus, inter multa quæ ibi scripsit pessima, liber fuit *De abrogandâ Missa privata*, in gratiam Fratrum suorum Augustinianorum, qui primi omnium Wittembergæ Missam abrogaverant: quos hortatus est, in eo incœpto, etiam contra conscientiæ accusationem persistere, sicut & se in quibusdam fecisse ait. Quem librum ex colloquio cum dæmone habito, quo edoctus est argumenta contra Missam, natum esse, sunt qui existiment, & pluribus argumentis probent: quemadmodùm & alterum illum, qui *Protocellum Colloquij* cum dæmone, vel historiam rei gestæ descriptam continet: quamvis non illam Lutherus, nisi post plures annos [f] vulgaverit. Sed sive res præcesserit, sive subsecuta sit, magnâ certè Dei providentiâ factum est, ut memorabilem colloquij hujus historiam Lutherus ipsissimus conscripserit, & in publicum emiserit, libello *De Missa angulari & Sacerdotum consecratione*:

A diabolo se edoctum profitetur.

cui prolixè satis ipsius diaboli verba, tum rationes omnes & argumenta, quibus ad persuadendam Missæ abrogationem usus est, ordine digestas inseruit. Horrendum facinus! quo tam se quàm suos asseclas, diaboli discipulos profitetur: & quidem cum gloriatione; sicuti & frequens suum cum eodem diabolo commercium, multúmque sal cum eo comesum, sæpiùs commemorare gaudet. Vnde quis mirari possit, si tot ac tantæ in ejus scriptis petulantiæ, convicia, maledicta, virulentiæ, calumniæ, spurcitiæ, blasphemiæ, in Deum, Sanctos, Scripturam, Doctores, Ecclesiam, Sacramenta, Pontifices, Reges, totúmque Ordinem Ecclesiasticum & politicum, in scientiam Theologiæ & Philosophiæ, denique in omne quicquid boni fuit in cœlo, terrâ, locísque inferis, reperiantur? Quid enim aliud diabolo plenus quàm diabolica effutire potuit? Nam quod & nonnulla bona aliquando scripsit; annon & diabolo hoc in usu est, ut incautos fallat?

[f] *Infr. an. 1533. XIII.*

IV. Damnatur à Theologis Parisiensibus.

Damnârunt etiam illum hoc eodem anno die decimo-quinto Aprilis [g], Parisienses Theologi in solemni conventu; cùm post ejus scripta plenè examinata, hanc censuram adjecerunt; doctrinam iis contentam execrandis erroribus scatere, fidem potissimùm contingentibus & mores; simplicis populi seductivam esse; omnibus Doctoribus injuriam; potestati Ecclesiæ & Ordini Hierarchico impiè derogativam; apertè schismaticam; sacræ Scripturæ adversam, & ejus depravativam, atque in Spiritum sanctum blasphemam: & ideò veluti Reipublicæ Christianæ perniciosam, omninò exterminandam esse, ac palam ultricibus flammis committendam; auctorem verò ad publicam abjurationem modis omnibus juridicis compellendum.

[g] *Ap. Cochla. ibid.*

Philippi Melancthonis initia.

Quod tantæ Scholæ judicium cùm Wormatiam delatum esset dum causa Lutheri ageretur, & fautores ejus ac defensores, qui jactabant Parisienses ab eo stare, pudore suffusi, non ampliùs haberent quod opponerent; *Philippus Melancthon* Germanus Bretæ inferioris Palatinatûs oppido natus (Melancthon Græcè dictus, cùm patrio idiomate & proprio nomine Schuartzerd diceretur: qui etiam alio quondam nomine, ut lateret, sese *Hippophilum Melangæum* eâdem significatione nuncupavit :) juvenis tunc viginti quatuor circiter annorum, literis humanioribus egregiè excultus, iísque ferox, cùm Luthero nomen dedisset, ac proinde impudentiam & scurrilitatem induisset, Apologiam pro Luthero hâc inscriptione, *Adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum decretum*, promulgauit, rem instar morionis in ludibrium vertens. Quemadmodùm & ipse Lutherus mordacissimè atque injuriosissimè respondit sermone vulgari, ut etiam indoctos in eos concitaret. Hæc enim decebant sacros istiusmodi Evangelicæ puritatis restitutores. A quibus qui infatuari hujusmodi illecebris consenserunt, quam fatui priùs ipsi in fide erant! Non male Polydorus [h] de iis agens, ait, novitatem opinionum quæ mente facile comprehenduntur, imbecillitatem animorum quocumque vult flectere & torquere, quibus mens ipsa incitata propè furere videtur.

[h] *Polyd. Hist. Angl. lib. 27.*

V. Henric. Rex Angliæ scribit contra Lutherum.

Scribit enim hæc ille occasione libri, quem hoc ipso anno, sive aliquorum exemplo motus, sive propriâ sponte, Henricus VIII. Rex Angliæ, literis non leviter instructus, generoso conamine contra Lutheri doctrinam conscripsit, misitque ad Leonem Pontificem, præmissâ epistolâ, quâ suam erga ipsum observantiam, erga Religionem Christi studium, & erga Dei cultum obsequium, cunctis manifesta esse voluit: excusansque eruditionem zelo fidei læsæ, quo in communi causâ experiri voluit calamo quid posset qui voluntate nemini cederet. Dubitârunt tamen non pauci, num Rex suo marte eum confecisset. Sed Erasmus ex Procerum & Comitis Montioij narratione scripsit, se certò persuasum habere, eum ipsius marte elaboratum & confectum esse. Et ad Cochlæum [i] scribens, ut non contendere se ait quin aliquis scribenti fuerit auxilio, cùm eruditissimi quique viri nonnunquam utantur amicorum subsidiis; ita non dubitare quin Rex eorum quæ ederet, parens & auctor esset; cùm ingenio esset vivido, erecto, & ad quodcumque se vertisset supra modum habili. Scripsit autem prætereà duas valdè prolixas Epistolas adversùs Lutherum, de quibus posteà. In quibus tamen singulis operibus usum esse operâ Volsæi Cardinalis, & Ioannis Episcopi Roffensis, virorum doctissimorum, alij scripserunt: atque imprimis Campianus initio Narrationis de Divortio Regis post-

[i] *Erasm. Ep. lib. 23. ep. antep.*

eà facto. Vbi ait, Regem ad scribendum contra Lutherum impulsum fuisse eâ occasione, quòd etiam in Angliam Lutheranæ factionis incendium penetrâsset: ídque ut extingueret, calamum arripuisse in ejus auctorem Lutherum. Prædicto autem libro præcipuè impugnavit Lutheri commentarium de Captivitate Babylonicâ apprimèque eruditè & eleganter confutavit; singula septem Ecclesiæ Sacramenta, atque in fine Epistolam sancti Iacobi, quam Lutherus æquè rejiciebat in odium Sacramenti Extremæ-Vnctionis, quod ibi planè asseritur, egregiè ab ejus maledictis & impiis argumentis vindicans. Monens denique Christianos omnes, ut tanquam teterrimam pestem devitarent illum, qui tam fœda portenta, ipsissima Antichristi dogmata, in Ecclesiam Christi conaretur invehere: eundémque ultimò suis coloribus depingens, vehementiùs exagitavit. Quem librum cùm mense Octobri accepisset Leo & inter Cardinales legendum exhibuisset; non solùm ab omnibus laudatus & comprobatus est; verùm etiam Henrico Regi ejus auctori, à Pontifice & amplissimo Senatu titulus DEFENSORIS FIDEI attributus est: mandatúmque omnibus qui ad eum scriberent, post dictionem Regi, adjungere Fidei Defensori perpetuum & immortale gloriæ monumentum, posteris relinquendum, quo intelligerent, ut si tali titulo ipsi quoque insigniri optarent, talia etiam opera efficere, præclaráque ejus vestigia sequi studerent, ut traditur in diplomate [k] ad Regem eâ de re dato quinto Idus Octobris. Quódque conspiceret Leo, ob turpem quæstum à Luthero primùm damnatas esse Indulgentias, concessit [l] legentibus librum Henrici Regis decem annorum & decem quadragenarum Indulgentias gratis. Fuítque bulla per Ioannem Clercq reportata, Londini impressa in ædibus Pinsonianis. Cùm autem liber Regis in linguam Germanicam conversus per Hieronymum Emserum Germanum, unum ex præcipuis qui se Lutheri hæresi opponebant, multùm ipsius infausto Evangelio derogaret; Lutherus spiritu furoris calamum in eum exerens, tanto Regis regiæque dignitatis contemptu respondit, quicquid in buccam veniret sine omni verecundiâ evomens, stolidum vocans; denique, ita scurriliter tractans, ut non solùm non Erasmo, qui violatam ab eo regiam dignitatem objecit, sed nec plerisque è suis (quod satis sit ad extremam ejus insolentiam arguendam) probatus fuerit: quamvis suos in eo applausores habuerit, quòd inter plurima immoderatæ arrogantiæ verba, eâdem responsione dixit, in Evangelio se triumphare, atque insultare Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis: divinam majestatem secum facere, ut nihil curaret si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra se starent. Et Teutonicè; rectè conjungi simul Papam & Henricum de Angliâ, illum Papatum suum tam bonâ habere conscientiâ, quàm hic suum regnum possideret; ideò alterum scalpere alterum, sicut mulæ solent; & alia ejusmodi spurcissima, quæ referre & piget & pudet.

HENR. REGI DATUR TITULUS DEFENSORIS FIDEI.

[k] Ext. Bull. to. 1. Leon. X. const. 45.
[l] Opmeer. in Oper. Chronol. sub Leo. X.

LUTHERI PETULANTIA ADVERSÙS REGEM.

VI. Dum autem ita de Religionis dissidiis ageretur, nova orta sunt bella inter Carolum Cæsarem & Franciscum Galliæ Regem, pari ferè potentiâ Principes, sed æmulos: quæ continuata fuêre annis propemodùm triginta & octo, interpositis aliquando induciis, sed dubiis, parúmque constantibus; unde magna facta est opportunitas Luthero, & ejus asseclis, nova in dies dogmata magis magísque spargendi; & Solimano Turco, imperij sui absque ullo ferè obice dilatandi. Quæ inter hos Principes dissidia non ita facilè coalescere potuisse putantur, si diutiùs vixissent Arturus Gouffierus Boësius summus Aulæ regiæ Franciæ Magister, & Guillelmus Croyjus Cevrius regulus, qui Caroli nutritius fuerat; viri pij ac probi, & inter se amici, qui multùm apud Reges suos poterant, eósque quantùm fieri potuisset in perpetuâ pace continere decreverant. Sed utroque jam mortuo, cùm vix ulli essent quibus id cordi esset, aut quibus econtrà variis de causis non commodum videretur eos inter se committi; facile fuit eos ad id concitare. Præcipuam tamen dissidij inter illos causam Guicciardinus [m], liberè semper aut veritatem, aut suspiciones suas vero admodùm similes promere solitus, in Leonem Pontificem conjicere non dubitavit: qui scilicèt, sive aliis cogitationibus pro utilitate Ecclesiæ Romanæ ductus, sive nominis sui gloriâ, sive ut utrumque Regem Italiâ pelleret, eos inter se committere necessarium existimans, cum utroque de societate agere cœperit; sed arctiùs cum Gallo, quem faciliorem sciebat, stabilierit. At Bellaius [n] causas fuisset ait, quòd Carolus minimè satisfecisset tractatui Noviodunensis; & Franciscus patrocinium suscepisset Roberti Marchiani in quâdam ipsius privatâ causâ; quæ quamvis non à principio pependisset à Carolo, nihilominùs idem Robertus malè sanâ deliberatione bellum ei posteà indicere præsumpsisset, ejúsque ditiones Belgicas infestare cœpisset, quòd se ab eo læsum quereretur: Verùm hujus conatus brevî sopitus est, aut compositus. Non ita motus Francisci Regis: qui Leonis hortatu, (ut Guicciardinus ait) opportunè ad ejus consilia, tumultuum Hispaniæ, quos post discessum Caroli ortos vidimus, occasione invitatus exercitum Asparro Odeti Lautrechij minore fratre duce, in Navarram, ut illud regnum legitimo hæredi Henrico Principi restitueret, misit: qui facili negotio eam in suam potestatem redegit. (Quando in oppugnatione arcis urbis Pampelonensis, quæ caput est regni, contigit, ut tormenti ictu *Ignatius à Loyola*, è nobilitate Cantabriæ tunc miles annorum ætatis viginti, deinde *Societatis Iesu* fundator, convulso lapide, crure altero confracto, altero vulnerato, extremum vitæ periculum adierit.) Cùm autem Asparrus regno Navarræ non contentus, etiam in Castellæ fines irruisset, ita populorum, qui absque ullâ molestiâ Navarræ jacturam, quasi alieni juris, tulerant, animos commovit, ut mutuis inter se odiis depositis, ad sui Regis obedientiam redierint: & in Gallos, jam de more ex incuriâ, & solutâ rerum administratione, mediâ parte imminutos arma convertentes, mul-

INITIUM BELLORŨ INTER CAROL. CÆS. ET FRANCISC. REG. GALL.

[m] Guicciard. lib. 14.

[n] Bellai. lib. 1.

NAVARRA À GALLIS RECIPITUR, ET AMITTITUR.

tâ cæde fuderint, capto Asparro, cum multis aliis nobilibus; atque Navarram eâdem facilitate quâ amiserant receperint. Quod bellum, cæterorum quæ cum Carolo Franciscus gessit, velut quoddam malum omen fuit.

VII. Foedus Pontif. et Cæs. advers. Regem.

Carolus autem eo bello irritatus, & à Multis Mediolanensibus exulibus incitatus, fœdus cum Pontifice, (qui assuetâ inconstantiâ, ubi animadvertit res sibi non benè cum Francisco cessuras, cum quo numquam nisi aut coactè aut simulatè amicitiam gesserat, ab eâ se facilè retraxit) occultè adversùs Franciscum icit; eo inito communi consilio, ut antequàm apertè arma moverent, vel insidiis vel repentinâ irruptione uno eodémque tempore exulum operâ Genuam & Mediolanum oppugnarent. Quod quamvis haud eis ita ut cogitaverant succedere potuerit; novis tamen casibus eò res processit, ut quod nec apertâ vi potuerunt, id variis additis artibus assecuti fuerint; Mediolano, ac plerisque aliis urbibus quæ à Gallis detinebantur, ad ipsos hoc ipso anno deficientibus. Quod uti gestum sit, prolixè Guicciardinus [o] describit; præcipuam ferè hujus ignominiosæ cladis causam in Aloisiam sive Ludovicam Regis matrem reiiciens; quæ odio Lautrechij principatûs Mediolanensis Gubernatoris, & propriâ avaritiâ, pecunias in id bellum assignatas, Rege inscio, in alios usus divertit: necnon ducum Gallorum negligentiam & imprudentiam, domestica & nativa gentis vitia, in pluribus arguens; casúsque nonnullos referens, quibus visa res est divinitùs contra illos geri. Nec quidem immeritò; quandoquidem ab obitu Ludovici XII. qui juris & recti æquissimus in regno suo distributor, omnes querimoniarum occasiones diligenter vitare consueverat; postquaàm res ad Franciscum devenit, qui in omnem luxum & luxuriam effusus erat, apud ejus quoque ministros in Italiâ jus omne vitæ communis intercidisse videbatur, prædandi constuprandíque licentiâ: & Lautrechius, qui ejus ibi vices agebat, auctoritatem Apostolicam sibi assumens, sacerdotia quibus vellet demandabat, manus in bona sacerdotum defunctorum injiciebat; quicquid ab Româ denunciabatur contemnere consueverat. Quamquam non solis Gallis hæc imputanda esse, Historiæ Ecclesiæ Mediolanensis auctor [p], post querelas de iis habitas, dicat; sed gentibus simul aliis, quæ cum iis in eum principatum introductæ fuêre: In Pontificiis namque & Cæsarianis eadem ludibria & vitia adfuisse, cùm initio disciplinam observantes, paulatim perturbatione exortâ, eò rem perduxerunt, ut qui Gallis finis fuit, eum ab illis ultrò quæri & provocari appareret: Intérque præfectos ducésque Gallos, sicut impotentes & dissoluti aliqui fuerunt, ita nonnullos specimen eximiæ religionis veréque Catholici sensûs edidisse: Nihílque aliud à Pontificio & Cæsariano exercitu cladem ultimam prohibuisse, quàm quòd inevitabili potentiâ, arcanóque impulsu, & modis occultis incubuerat genti Gallorum, ut Mediolano Italiâque pellerentur.

[o] Guicciard. lib. 14.

Mediol. Principatûs amissio.

[p] Ripamont. lib. 15.

VIII.

Fecit & Caroli Cæsaris propitium numen, ut cùm [q] in regni fines potenti exercitu è Belgio irrumpens, urbis Maseriæ obsidionem, ob fortem Baiardi insignis ducis propugnationem solvere compulsus fuisset; adventante Francisco Rege, maximo ultimæ cladis periculo, ex Castillionei Marescalli primum regij exercitûs agmen ducentis, ignaviâ, ac rei militaris imperitiâ, evitato; ad sua se properè salvus receperit; qui poterat aut capi, aut in turpem fugam deleto exercitu conjici, si aut Rex peritiorum consilia audîsset, aut Castillioneus aliquid animi aut virtutis habuisset: qui homo novus ad magnos honores, non suâ virtute, sed Ludovicæ matris Regis fauore, in odium præcipuè Caroli Borbonij Connestabilis, quem illa oderat, evectus fuerat. Adeò ut Ludovicæ, atque ejus femineis odiis, & morosis affectibus, attribuatur à plerisque & clades Italiæ, & hæc culpâ, & quicquid inde mali, quod penè internecinum regno fuit, exortum est. Cùm & alioqui Franciscus, ingenti quidem Princeps animo, ac pugnator fortissimus, sed ostentandis magis quàm gerendis magnis rebus natus, dum cæterorum virorum fortium consilia sæpiùs neglexit, & nihil absque se fieri voluit, plerasque bonas occasiones rei benè gerendæ amiserit, aut præcipiti vehementiâ everterit. Quod & hoc ipso anno contigit; cùm pòst prædictum Cæsaris recessum, pax æquis conditionibus inter ipsos operâ Regis Angliæ communis amici penè composita, ob captum interim per Bonivetum Admiralium, validum oppidum Fonterabiæ in aditu Hispaniæ ad mare Oceanum, quod sibi restitui Carolus petiit, Franciscus à Boniveto persuasus, recusavit; bellum redintegratum est: amisúmque intra paucos dies Tornacum in Belgio; ipsáque Fonterabia post varia certamina ad vetus imperium anno sequenti restituta: præter cætera quæ porrò acciderunt, non solùm Francisco adversa, sed & universo Christiano orbi: duobus his Principibus inter se commissis, cæteros ferè omnes secum in mutuas cædes trahentibus.

[q] Belcar.

Rer. Gall. lib. 17. Bellai. l. 1.

Carolus Cæsar grande periculum effugit.

Aloisia Francisci Reg. mater causa ruinæ Regni.

Regis improvidentia.

IX.

Quòd vero diximus de tentatâ Regis Angliæ operâ, concordiâ inter Pontificem & prædictos Reges dissidentes, incidit in manus nostras Dialogus quidam inter ejusmodi concordiæ tractatores habitus, compositúsque, ut ibi dicitur, ab uno ex illis Mercurio de Gattinariâ Cancellario Cæsaris: cujus breviculum haud fortè ingratum fuerit audire, cùm ad rerum cognitionem habendam, tum ad demonstrandos singulorum Principum, seu ministrorum ipsorum animos, & artes. Factus autem fuit conventus Caleti, quod tunc adhuc detinebatur ab Anglis, mense Augusti præsentis anni: cui interfuerunt, nomine Regis Angliæ mediatoris, *Thomas Volsæus* Cardinalis sanctæ Cæciliæ Legatus de latere, ac supremus Cancellarius Henrici Regis: *Hieronymus de Sumchio* de Senis Episcopus Esculanus Auditor Cameræ Apostolicæ: orator commissarius deputatus à Nunciis Apostolicis nomine ipsius Leonis Papæ: prædictus *Mercurius* supremus Cancellarius Caroli Imperatoris: & *Antonius de Prato* supremus Cancellarius Regis Francisci; cum aliis uterque suis collegis. In eo primâ collocu-

tione Cardinalis proposuit rei de quâ agendum erat gravitatem, ac sinceram intentionem Regis sui pro tranquillitate Christianitatis. Nuncius sanctum desiderium Pontificis, cùm tamen nullum se habere ab eo de pace mandatum testatus sit: sed pro eo id onus suscepit Cardinalis tanquam Legatus. Cancellarius Cæsaris contestatus est, suum quidem dominum ad pacem proclivem esse; verùm quòd à Gallo contra fœderis pacta invasus fuisset, non priùs deliberâsset de pace tractare quàm de injuriis sibi illatis vindictam sumpsisset; ad quam sumendam auxilium imploravit Regis Angliæ. Cancellarius Gallus econtrà contendit, suum Regem priùs injuriam passum esse à Cæsare, ac proinde Regem Angliæ debere potiùs ipsi suppetias ferre. Post hanc collocutionem videns Cardinalis Cæsareos non habere sufficiens mandatum ad pacem vel inducias faciendas, consilium cepit adeundi Cæsarem in proximum Belgium; & interim oratores remanerent Caleti. Adiit; & impetravit novos oratores cum sufficienti mandato. Sed quia Nuncius nullum habebat mandatum, & Cæsar omninò præscripserat ne quid fieret absque assensu Nuncij Apostolici; Gallus quoque dixit, se mandatum quidem habere tractandi de pace, & non cum Pontifice, quem experiebatur hostem. Quare mandata hujusmodi utrimque expectanda esse, decretum est; atque interim res discutiendas. Igitur tertiâ collocutione Cancellarius Gallus tanquam actor querelas suas contra Cæsarem latè expendit, concludens pro satisfactione. Cæsareus verò longè prolixiùs respondens, cuncta retorsit in adversarium. Fuitque demùm is exitus, ut post quatuor fermè mensium inutiles altercationes, quique ad sua se receperint. Sic enim solent plerumque ludere Principes fictionibus suis, ut mundo imponant.

X. Francisci autem res in Italiâ, ubi non penitùs deploratæ erant, quòd Genua, multæque aliæ urbes, & Mediolanensis aliæque arces adhuc in fide ipsius permanerent; morte Leonis Pontificis aliquam resurgendi spem recipere visæ sunt; nisi novi casus eas, ut videbitur, funditùs obruissent. *Leo* verò, cùm Mediolani capti nuncium accepisset in villâ Manlianâ, quò sæpè animi causâ se conferebat, ex eóque incredibilem voluptatem percepisset, eâdem nocte levi febre correptus haud permissus est diù optatissimo illo successu exultare; Nisi quòd, ut Guicciardinus scribit, cùm bellum contra Gallos suscipere statuisset, Mediceo Cardinali id dissuadenti dixisset, potissimùm ad id se impelli desiderio Placentiam & Parmam Ecclesiæ iterùm subjiciendi; ídque si assequeretur mortem sibi minimè molestam fore: paucos autem ante obitum dies Placentiam, & eodem quo obiit die Parmam captam intellexit, quâ ratione in summâ felicitate & gloriâ, si hominum intueamur opinionem, obiisse dici potest. Quod quidem contigit Romæ, quò se mox reduci curavit quarto Nonas Decembris: & ut suspicio fuit, ex lento veneno, ipsi à quodam ejus cubiculario, atque à poculis ministro, propinato: cujus tamen inquisitionem (ut Iovius ait) Cardinalis Mediceus sopitam voluit, ne fortè in nomen alicujus magni Principis inexpiabili cum invidiâ redundaret. Vixit quadraginta sex annos, uno minùs die: sedit annos octo, menses octo, dies viginti. Cadaver in basilicâ Vaticanâ lateritio tumulo tum sepultum, posteà Paulo III. Pontifice ad ædem Minervæ, unà cum Clementis VII. corpore translatum, & nobilissimo marmoreo monumento conditum est.

LEONIS PONTIF. OBITUS.

XI. Ejus VIRTUTES ET VITIA.

Ejus elogium breviter Guicciardinus, qui illius nomine Æmiliæ Flaminiæque præfuit, ita cudit, ut fuerint in eo multa laude, & multa pariter vituperatione digna: de se quoque expectationem cùm ad Pontificatum est assumptus, vehementer fefellisse: majorem enim in illo prudentiam, sed longè minorem probitatem quàm ab omnibus censeretur, apparuisse. Qui verò laudes voluerit, Iovium habet in ejus Vitâ, qui largâ manu profundat. Id sanè nemo potuit in tantâ majestate excusare, quòd [r] voluptatibus, venationibus, aucupiis effusè deditus, luxui, & splendidissimis conviviis musicæque totus incumberet. Quamobrem & pecuniæ quærendæ causâ (cùm multa tum ædificiis, tum effusis largitionibus, & bellorum usibus absumpsisset) pretio Cardinales aliquot legit, & officia quædam venalia excogitavit. Fuit verò ejus memoria posteris grata, maximè propter amplificata literarum studia, Romanámque Academiam instauratam, conquisitis undique magno sumptu artium ingenuarum professoribus; ut etiam superiùs [s] aliâ occasione diximus: cæteros quoque alibi existentes donis & muneribus, officiísque ac beneficiis Ecclesiasticis, pro munere & conditione prosecutus. Quo nomine eidem libri à Marsilio Ficino, Paulo de Middelburgo, Ioanne Gemisto, Mario Salamonio, Reuchlino Capnione, Zenobio Acciaiolo, Matthæo Bosso, Petro Alcyonio, Augustino Iustiniano, Petro Martyre Anglerio, Silvestro Prierate, Ioanne Eckio, Alberto Pighio, Desiderio Erasmo, aliísque innumeris viris diversarum literarum & facultatum præstantissimis professoribus, quorum plerorumque elogia Iovius inter sua retulit, inscripti sunt, ut aliqualem promeriti vicem rependerent. Idémque *Xanti Pagnino*, ut sacræ Scripturæ translationem susciperet hortator & suasor extitit, sumptúsque tanto opificio necessarios suppeditavit. Et alia multa his non imparia præstitit, quæ longum esset retexere.

[r] *Onuphr. in Vit. Leon. X.*

[s] *An. 1513. XX.*

VIRI DOCTI EJUS TEMPORIS.

XII. ALIA DE LEONE.

Est epistola Alexandri Geraldini civitatis sancti Dominici in novo Orbe Episcopi, ad eumdem Leonem; quâ significavit se mittere decrevisse idola quædam, in quibus dæmones, antequàm CHRISTUS in dissita illâ regione coleretur, responsa, sive oracula ad homines decipiendos edere consueverant, jam muta facta: quorum loco reliquias Sanctorum petebat. An verò illa miserit, nescire se ait: qui hujus epistolæ manuscriptæ meminit Andreas Victorellus amicus noster in Additionibus ad Ciacconium: ubi & multa alia videas ad res Leonis pertinentia, quæ ipse ex diversis auctoribus collegit. De ejus successore dicetur anno sequenti. Non enim ante diem vegesimam septimam Decembris, ut Guicciardinus scribit, Cardinales con-

clave ingressi sunt; quoniam cùm Prosper Columna Pontificiarum copiarum apud Mediolanum Imperator Cardinalem, Eporediensem, (Bonifacium Ferrerium Vercellensem) Taurino Romam ad Comitia euntem, ne, quia Gallis favebat, iis interesset, in Insubriâ retinuisset; in Collegio decretum fuit, non priùs ingrediendum esse, quàm ipse liber dimissus fuisset. Eo verò Romam delapso, triginta novem Cardinales eâ die conclave ingressi sunt: quot nunquam anteà electioni alicujus Pontificis interfuerant.

XIII. [t] Diar. Parid. de Grass. ap. Bzov. hoc an. & Victorel. in Addit. ad Ciaccon. DAVIDIS REGIS ÆTHIOP. LITERÆ AD REG. LUSIT. [u] Suprà an. 1512. XXXV. 1514. VIII.

Aliquot mensibus [t] ante Leonis obitum, cum intellexisset Emmanuelem Lusitaniæ Regem novum fœdus contra Turcum icisse cum Davide Pretejanne Rege Æthiopiæ; mense Augusti rem divinam & supplicationes publicas, in gratiarum actionem celebrari voluit. Extántque Davidis ad Emmanuelem literæ, quas Paulus Iovius in Latinum vertit: quibus post sanctissimæ Trinitatis professionem, & longam suorum ipsiúsque Emmanuelis titulorum & regnorum enumerationem, agens de legatione [u] Matthæi, aliísque ultrò citróque missis pro amicitiæ conciliatione & confirmatione, imprimis gratias egit, quòd Matthæum cum honore & hilaritate suscepisset; quamvis non à se missus fuisset, qui adhuc puer erat undecim annorum, (unde colligas fuisse Davidem hoc anno duorum circiter ac viginti) sed à Reginâ Helenâ, quam matris loco colebat, quæque regnum pro ipso gubernabat. Dolere se vehementer de obitu Matthæi, qui in reditu dum intraret fines regni ipsius, mortuus erat in quodam monasterio: Accepisse nuncios Emmanuelis, missos sibi per Lupum Sequeiram Lusitanæ classis præfectum: gavisúmque valdè esse, cùm inter cætera audivit iter in Æthiopiam Lusitanis divinitùs apparitione rubræ Crucis [x] in cœlo indicatum fuisse: De mutuis ipsorum legationibus antiquitùs prædictum fuisse in libro de vitâ & passione Sancti Victoris, & in libris sanctorum Patrum, quòd Rex magnus Christianus cum Rege Æthiopiæ esset cum mutuâ pace conventurus: Cupere se ut copias simul jungerent adversus Infideles, & ad recuperandum templum Ierosolymitanum: Inter nuncios ab Emmanuele ad se missos, Franciscum Alvarez, virum probum & singularis religionis, cui dari deberet Episcopatus insularum & populorum Maris Rubri: Petere artifices ad se mitti, eruditos cælare imagines auri & argenti, libros imprimere, & omnis generis fabrilia operari; quibus se amplam mercedem porrigere spondebat. Hæc iis literis, quas edidit Damianus à Goës eques Lusitanus in Commentario [y] de Religione & Moribus Æthiopum. De quibus longè copiosiorem tractatum scripsit idem ipse Franciscus Alvarez sacerdos, cujus prædictis Regis Davidis literis fit honorifica mentio; qui extat [z], vel ut volunt epitome inde confecta.

[x] Suprà an. 1513. in fin.

[y] Ext. tom. 1. Rer. Hisp. in fin.

[z] Tom. 1. Navigat. Ramus.

XIV. EMMANUELIS REGIS PORTUGAL. OBITUS, ET LAUDES.

Has autem Davidis literas cùm accepisset *Emmanuel*, haud ita pòst in cursu fidem Christianam & Catholicam tam apud Æthiopas, non paucis erroribus infectos, quàm apud Infideles propagandi; rebus pro religionis & imperij dilatatione Asiâ & Africâ gestis supra omnes sui temporis Principes gloriosus, & ab illorum intestinis & iniquis bellis omninò purus, multarúmque virtutum cultu insignis; paulò pòst Leonis Pontificis obitum, & ipse animam Deo piissimè reddidit, ex subito morbo novem dierum, Idibus Decembris præsentis anni: cùm vixisset annos quinquaginta duos & sex menses; regnâsset viginti sex, menses ferè duos; sepultúsque est in Bethlehemitico templo ad littus Olysiponense à se constructo, à suis lamentatissimus, qui ejus ætatem auream semper appellârunt, (ab ejus enim obitu omnia tristiora, & in deterius ruere cœperunt) ac Regibus etiam Indis admodùm desideratus. Vitam ejus ferè inculpatam, moresque optimos, résque tam ab ipso quàm à Lusitanis in Asiâ, Africâ, Europâ, sub eo præclarè gestas, prolixè atque elegantissimè Latinè descripsit Osorius: anacephaleosim Vasconcellus: laudârúntque alij plurimi. Dicitúrque à nonnullis scripsisse commentarios de Rebus Indicis; de quibus quidem extat ejus epistola in collectione Rerum Hispanicarum. Ex numerosâ verò prole, quam reliquit, successit ei in regnum *Ioannes* natu major filius, ejus nominis III. annum agens ætatis vigesimum.

IOANNIS III. SUCCESSIO.

XV. [a] Leunclav. lib. 18. [a] Ithuanff. l. 7. PRIMA SOLIMANI EXPEDITIO ADVERSUS CHRISTIANOS.

Quo eodem anno Solimanus Turcorum Imperator exercitum adversus [a] Hungaros ducens, mense Septembri, primitias expeditionum suarum; Belgradum, (Albam etiam Græcam dictum, olim Taurunum, ad confluentem Savi & Danubij inclytorum fluminum situm) munitissimum totius Hungariæ oppidum, & validissimum Christianitatis ea parte propugnaculum, rebus omnibus necessariis tunc destitutum, post bimestrem obsidionem expugnavit; unà cum Sabbatiâ, aliisque nonnullis munitionibus. Cujus suscepti belli causam Spanduginus hanc exposuit, quòd legatus Solimani ad denunciandum Hungaris bellum missus, nisi tributum solvere vellent; malè habitus ab Hungaris fuisset, in vindictam legatorum Hungaricorum ignominiosè anteà a Selimo Solimani patre habitorum. Alij, quòd cùm post regnum paternum susceptum, de more finitimis Regibus promotionem suam annunciâsset, Hungari contumeliosè nuncium ejus tractâssent. Nec verior ulla fuit, quàm certa spes (ut Dubravius [b] docet) illas munitiones obtinendi; cùm Rege Ludovico adhuc adolescentulo annorum circiter quindecim, proceres regni omissâ Reipublicæ curâ, suis dumtaxat commodis, voluptatibus, & luxui studerent. Addit Spanduginus, Solimanum detulisse inde Constantinopolim sacra Corpora Sanctarum Thetæ & Venerandæ, Brachium Sanctæ Barbaræ, & Imaginem Beatissimæ Virginis: Ad quæ cùm undique Christiani concurrerent venerationis ergô, & pecunias offerrent; Solimanum accersito Patriarcha minatum esse, nisi duodecim millia ducatorum solveret, projecturum se illa in mare: Patriarcham collectâ ægre ea summâ ex eleemosynis Christianorum, Reliquias redemisse.

[b] Dubrav. lib. 33.

XVI. IEREMIAS PATRIAR. CONSTANTINOP.

Quo nomine fuerit is Patriarcha, Spanduginus non exprimit. Sed ex Græcorum Historiâ [c] Ecclesiasticâ satis intelligitur, fuisse

[c] Turcogr. lib. 2.

Ieremiam anteà metropolitam Sophiæ. Cùm enim ibi dicatur nullum alium sub Selimo sedisse præter Theoleptum [d]; húncque decessisse brevî postquàm regnum recepit Solimanus, eíque Ieremiam suffectum esse: debuit omninò id contingere, vel ad finem anni superioris, vel potiùs præsenti. Tradunt enim, Theoleptum imperante Solimano accusatum fuisse libidinis: cúmque inde magnum scandalum ortum esset in Ecclesiâ, decretum esse à Clericis ut facultas à Sultano peteretur congregandi Episcopos ad inquirendum de criminatione: eâque obtentâ, dum mittendi essent nuncij ad Episcopos, Theoleptum in infirmitatem incidisse, ex quâ repentinò expiravit: Fuisse verò Ieremiam omnibus charum, propter summam modestiam suam ac studium pacis.

[d] *Suprà an. 1513. XXII.*

XVII. *Tertia Regula S. Francisci confirmatur.* Hujus anni principio Leo Pontifex [e] Tertiam Regulam S. Francisci, de Pœnitentiâ appellatam, quam is Sanctus zelo animarum flagrans, pro sæcularibus & conjugatis utriusque sexûs, ut suo tempore vidimus, instituerat; extendit modò ad alios, qui sub tribus essentialibus Religionis votis idem Tertiæ Regulæ institutum servare (ut jam fuerant variis locis plurima ejusmodi monasteria constructa) in animo haberent: propositis statutis quæ custodire deberent; quæ à subsequentibus Pontificibus confirmata, declarata, distincta, reformata, reducta, dispensata, (nunquam enim non aliquâ harum significationum medelâ opus fuit in tantâ diversarum Congregationum ac Sodalitiorum Franciscanorum multiplicitate) & gratiis atque privilegiis aucta fuêre: uti videre est in Collectione Constitutionum Pontificiarum.

[e] *Bull. tom. 1. Leon. X. const. 42.*

IESU CHRISTI Annus 1522.

HADRIANI VI. An. 1.

CAROLI V. An. 4.

I. *Hadrianus Belga absens eligitur in Pontificem.* ANNO Christi 1522. Indictione decimâ, quinto Idus Ianuarij, facta est novi Pontificis electio, divinitùs magis quàm hominum opinione. Id ut factum fuerit, Guicciardinus [a] qui non longè aberat, narrans, ait, postquàm Iulius Cardinalis Mediceus defuncti Leonis patruelis spe Pontificatûs adipiscendi, quem vehementer ambiebat, decidisset, dum deliberaret cui unà cum patre suâ, quæ tertiam Cardinalium præsentium excedebat, suffragium daret; quodam mane, cùm sortitio fieret, ut tempus illud extraheretur, Hadrianum Belgam absentem in Hispaniâ, & ulli vix cognitum, à quodam propositum fuisse; móxque S. Sixti Cardinalis Thomæ de Vio Caietani oratione de virtute & eruditione commendatum, nonnullis ei cedere incipientibus, ac reliquos impetu potiùs quàm consilio sequentibus, omnium suffragiis Summum Pontificem electum esse: sic ut illi qui eum elegerant, cur in tantis molestiis & periculis barbarum hominem, tanto regionum intervallo absentem, & cui neque anteactæ vitæ merita, neque cum aliis Cardinalibus, quibus vix ejus nomen cognitum erat, aliqua consuetudo, gratiam conciliabant, quique Italiam nec viderat unquam, nec se visurum vel speraverat vel cogitaverat, Pontificem creâssent, rationem aliam afferre non possent, quàm quòd in Pontificibus eligendis Spiritus Sanctus Cardinalium mentes afflare soleret. Ita Guicciardinus. De quibus pleniùs agens Iovius in Vitâ Hadriani, & qui Pontificatum ex Cardinalibus ambirent recensens, ait Mediceum, ubi animadvertit se illum adipisci non posse cum suis constituisse, ut postero die Hadrianum nominarent, qui esset omni pietatis & continentiæ laude conspicuus, nec Cæsarianas partes contra Gallos esset deserturus. Vt longè minùs religiosè quàm Guicciardinus, Iovius licèt Episcopus videatur invidisse Spiritui Sancto plenam electionem Hadriani, cujus magnam partem humanis studiis atque factionibus tribuerit. Addit autem, unum ex omnibus Cardinalibus Franciottum Vrsinum Romanum Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin, adduci non potuisse ut suffragio accessúve Hadrianum juvaret, quòd nefas esse diceret eum Christianis sacris præficere, quem non vidisset unquam, neque ab opinione virtutis planè cognovisset. Denique populum Romanum adeò indignanter tulisse ejus electionem, ut cùm patefacto conclavi Cardinales domum redirent, passim maledictis incesserentur, quòd non solùm Romam, verùm etiam Italiam Pontificatûs honore spoliâssent: cùm & præthereà opinio edita in vulgus esset, Pontificem neglectâ Româ, vi aut suâ sponte permansurum in Hispaniâ, aut in patriam navigaturum, ut ad immortale decus gentis sacrorum Princeps, quod nunquam hactenùs contigerat, ibi conspiceretur: Cùm autem globus Cardinalium pontem Sancti Angeli esset prætervectus, & in Vrbe opifices puerique oculis vocéque & manu obstreperent, nec à fœdissimis probris abstinerent, Sigismundum Gonzagam Diaconum Cardinalem S. Mariæ Novæ renidenti vultu his egisse gratias, quòd adversus extrema supplicia meritos contumeliis essent contenti, nec lapidibus publicam injuriam vindicarent.

[a] *Guicciard. lib. 14.*

II. *Cuias fuerit.* Fuisse Hadrianum natione Belgam patriâ Trajectensem, sive Vltrajectensem in Bataviâ sive Hollandiâ, omnes qui de eo scripserunt uno ore testati sunt; Nisi quod apud Opmeerum Amstelrodamium reperimus censere aliquos Hadrianum fuisse Amstelrodamo alio Bataviæ oppido oriundum, & genus ducere paternum à Guillelmo Eggerdo primario cive, qui ob turbas patrias sedem mutâsset. Vt verò alterius nationis quàm Batavæ fuerit Hadrianus, nemini unquam in mentem venit: quousque Matthias [b] Bellintanus Capuccinus Salodiensis diœcesis Brixiensis in Italiâ, anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto brevî editâ historiâ persuadere voluit, Hadrianum natum esse in pago Renzano Salodiensis agri, patre Ioannebono; atque in baptismo Ludovicum dictum, cùm in Belgium adolescentulus commigrâsset, in Hadrianum commutâsse: ac propterea factum Pontificem noluisse amplius nomen

[b] *Ap. Victor. in Addit. ad Ciaccon.*

mutare, quòd id jam semel præstitisset. Addit alia plura ejusdem acuminis de patre, familiâ, insignibus & educatione: quæ omnia, ut paucis dicam, aut somnium dormientis, aut piam aliquam cogitationem excessûs mentis (ut fuit in meditationibus insignis, quas non parvo piarum personarum fructu linguâ vulgari Italicâ edidit) in patriæ suæ illustrationem, aut denique facilem crudelitatem commenti alicujus ex familiâ Ioannibonâ, esse puto. Sanè si id fuisset, poterat Hadrianus uno verbo iis satisfacere, qui quærebantur Pontificatum ad Vltramontanos esse delatum. An verò honorificentiùs ei fuit Batavum esse, quàm Italum; Aut illum dicemus patriam, & nomen, & familiam ementiri voluisse, ut mundo illuderet? Apage commentum! Fuit igitur Hadrianus vere Batavus Trajectinus patre Florentio aulæorum textore, seu, ut alij volunt, cervisiæ coctore; honesto, sed ita paupere ut præclarè indolis filium suo sumptu literis imbuere non posset, Lovanium igitur deductum, in collegio Portiorum gratuitò ali obtinuit. Brevi literis, Philosophiâ, & Theologiâ apprimè excultus, & egregiis moribus conspicuus, Margaritæ Caroli Cæsaris amitæ, quæ Belgium procurabat, operâ, cui ejus virtus nota fuit, primò Parochialem quandam, deinde Decanatum Ecclesiæ Lovaniensis cum Vicecancellariatu Academiæ obtinuit; præter vitæ integritatem, etiam egregiis tum lectionibus tum scriptis, quæ extant, insignis. Datus posteà præceptor Carolo, & Episcopus Dertusensis in Hispaniâ creatus, atque à Leone Pontifice in numerum Cardinalium Presbyterorum tituli Pammachij SS. Ioannis & Pauli commendatione Maximiliani avi Caroli cooptatus, denique à Carolo cùm in Germaniam ad Imperium accipiendum iret, Hispaniæ Gubernator relictus: electus est Pontifex eo modò quem diximus, & apud Victoriam Cantabriæ oppidum nuncium suæ electionis accepit: & antiquo nomine retento HADRIANUS dici voluit ejus nominis Sextus. Quem fuisse tunc annorum sexaginta quinque Nonis Maij implendorum, Massonus habet ex literis Hieronymi Nigri ad M. Ant. Michaëlium, quæ extant in collectione Epistolarum Principum hujus temporis. Sed id ex auditu, non ex vero: quippe ex Onuphrio, qui natum ponit sexto Non. Martij anno 1459. & ex vitæ ætate inscriptâ ejus sepulchro, intelligitur fuisse tantummodò sexaginta trium annorum dicto die implendorum. Cæterùm interim dum ipse Romam veniret, Triumviros cum auctoritate Cardinales constituerunt, qui menstruo cum imperio ex triplici ipsorum Ordine sorte ducti pacis & belli negotiis præessent. Ipse verò electionis diplomate accepto, professionem [c] Catholicæ fidei edidit; séque daturum operam promisit ut eadem fides in sanctâ Dei Ecclesiâ vigeret, hæreses & errores recèns in Germaniæ regionibus exorti extinguerentur; Christiani Principes concordiæ nexu vincirentur; & expeditio contra Turcos iniretur: juravitque demùm, se sine Cardinalium consensu, Romanam Curiam ab Vrbe aliò non translaturum. Pervenit autem Romam itinere maritimo ad tertium Calendas Septembris, ut prædictus Niger, qui aderat testatur aliâ ad Michaëlium epistolâ; (non decimo-quarto Calendas Octobris; ut perperam quidam habent) & die Dominica pridie Calendas ante fores basilicæ Sancti Petri vetere instituto coronatus est; haud magnâ confluentium frequentiâ, ob gravem pestilentiam, quæ Vrbem vexabat, & innumeros mortales eo autumno sustulit.

Ejus PRIMORDIA.

PRISTINUM NOMEN RETINET.

[c] Victorel. ibid.

ROMAM PETIT.

III. DE PESTILENTIA ROMÆ TŨC GRASSANTE.

[d] Victorel. ibid.

Sunt qui post accessum Hadriani in Vrbem, per Demetrium Græcum Spartanum, fero tauro, magico carmine mansuefacto, atque ad amphitheatrum immolato, vi hujus sacrificij finem huic malo allatum affirment. Id enim post Iovium, non meliorem conjectorem quàm medicum, plures retulêre. Sed hoc impium assertum exsufflarunt alij [d] magis pij ac accurati: docentes ex epistolâ ejusdem Nigri, ante Pontificis adventum factas esse quotidianas supplicationes, miraculis etiam contra nonnullos Iudæos, imagines iis de more delatas aversantes, confirmatas; quibus per flagellantium se sanguinem, & matronarum lacrymas, scelus immolati à Græculo tauri emendatum fuit. An tulisset religiosissimus Pontifex se præsente tantam impietatem committi? His igitur supplicationibus magis quàm sacrilego sacrificio pestilentiam mitescere cœpisse, quod nonnulli tradunt, omninò credibile est. Quòd si, ut alij habent, toto Autumno sæviùs grassata est, cui potiùs id tribuendum fuerit, quàm scelerato ausui, cujus vindictam nec ipsa singularis piissimi Pontificis virtus ac religio avertere potuerit?

IV. DE BELLIS ITALICIS.

[e] Guicciard. lib. 14.

[f] Bellai. l. 2.

Antequàm verò in Italiam appelleret, res bellicæ in eâ provinciâ diversos habuerunt variis locis casus, quos Guicciardinus [e] & Bellaius [f] descripsêre. Sed quæ Gallorum fuêre, de quibus præcipuè agebatur, quamquam eas magno animo aliquandiù Lautrechius non solùm sustinuit, verùm etiam adeò promovit, ut in proximam spem recuperationis Mediolani venisset; recepto tamen ibi Francisco Sfortiâ minori filio Mauri, incredibili civium lætitiâ; frustrà tentatâ à Lautrechio Papiâ, idem demùm urgentissimâ Helvetiorum suorum importunitate, impatientissimè ferentium defectum stipendiorum aliquot dierum, quæ è Galliâ advehebantur, coactus hostes ad Bicocam villam tertio à Mediolano lapide munitissimis castris sese continentes contra omnem belli rationem aggredi; Helvetiis multo suorum sanguine (quorum ad tria millia occisa fuêre, cum in fronte aciei collocari petiissent) stolidæ temeritatis pœnis luentibus; re infectâ Modoetiam recedens sine fugâ, atque inde Helvetiis abeuntibus in patriam cum non parvo dedecore & confusione temeritatis suæ; (adeò ut observet Guicciardinus, eorum bellicam audaciam hâc clade ita imminutam esse, ut per multos annos consuetam virtutem non ostenderint) ipse quoque Lautrechius, jam & milite & pecunia omnibúsque rebus necessariis destitutus; relicto Lescuto fratre ad reliquias lacerati Italici imperij defendendas, in Galliam est profectus, Francisco Regi se purgaturus. A [g] quo severè receptus tanquam tanti principatûs amissi auctor, ipse liberè respondit, Regem ipsum in culpâ esse,

GALLI ITALIA PELLUNTUR.

[g] B. loar l. 17. Bellai. lib. 2.

quòd stipendia militibus non misisset. Rege verò asserente se ingentem mitti pecuniam jussisse Iacobo Belnensi Samblancaio summo quæstori; eo interrogato, cùm excusaret Aloysiam Regis matrem eam antecepisse, illáque ullam se ab eo pecuniam quàm quæ sibi alio nomine debita esset accepisse inficiaretur; miser Samblancaius alienæ culpæ pœnam luit; cùm certum esset non illum in Aloysiæ, sed Aloysiam in illius ære fuisse. Adeò ut tam avaritiæ Aloysiæ, quàm ipsius Regis incuriæ, tempus venationibus, choreis ac ludicris, interim dum in Italiâ certaretur, impendentis, tanti principatûs amissio omninò tribuenda sit: quam Guicciardinus partim Lautrechij culpâ, partim eorum qui apud Regem erant negligentiâ, & imprudentibus consiliis, partim, si licet, inquit, vera fateri, fortunæ malignitate, contigisse scribit. Quâ insuper factum est, ut Lescutus brevî pòst Cremonam, aliáque omnia quæ adhuc nomine Regis detinerentur, reddere compulsus fuerit; exceptis arcibus Mediolani, Cremonæ, & Novariæ, & si quibus aliis: Genuâ etiam inter hæc à Cæsarianis occupatâ & miserè direptâ. Samblancaius autem tunc quidem aliquo modo satisfaciens, aliis deinde accusationibus succumbens, post longum carcerem sententiâ Iudicum infami suspendio publicè necatus est, jam sexagenarius; qui sub tribus Regibus summâ auctoritate, potentiâ, & honore, ærarium publicum administraverat.

V. HADRIANI PP. CONSILIA IN REBUS GERENDIS.

Postquàm verò Hadrianus Pontifex Romæ coronatus est, quòd rerum Italicarum penitùs ignarus esset, ne vix aliquem nôsset cui fideret, Guillelmum Enchenvordium, quem Datarium & Episcopum Dertusensem fecerat, Theodoricum Hezium à secretis, Belgas, & Ioannem Rufum Episcopum Consentinum veteri amicitiâ sibi conjunctum, intimos consiliarios adscivit: quorum arbitrio in omnibus regebatur. Horum igitur consilio primæ ejus optimæque cogitationes fuêre de Arimino Ecclesiæ civitate, quam Sigismundus Malatesta post Leonis obitum occupaverat, recuperandâ, déque auxilio insulæ Rhodo, quam Turci invaserant, ac Regno Hungarico, quod ab iisdem Turcis periclitabatur, mittendo: denique de hæresi Lutheranâ, quæ in dies majoribus incrementis augescebat, compescendâ. De quibus ut singillatim agamus, primò quæ hæresim spectant inspicienda sunt.

VI. LUTHERUS SECESSUM SUUM DESERIT.

Cùm audisset Lutherus in suo recessu Wartbergensi, se absente Carolstadium tumultus excitâsse Wittembergæ, eò redire constituit, etiam contra Friderici Electoris Saxonici prohibitionem; cùm novis in suâ Pathmo haustis spiritibus, nec ipsum deinceps curaret, nec Cæsarem aut alium quemque timendum sibi esse diceret, longè sublimiori protectione munito, quàm Electoris, qui econtrà magis ipsius præsidio quàm ipse illius egeret; ut audacissimè ad eum scribere non dubitavit. Tumultus autem Wittembergici fuêre, quòd Carolstadius adeò vastaret Scholas, ut iis desertis studia literarum adjicerentur. Quâ in re illud ridiculum postmodùm accidit [h], ut cùm Carolstadius & Melancthon studiosis persuaderent non esse dandam operam philosophiæ; Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & id genus alios nonnisi mera commenta scripsisse, eóque scripta eorum esse abolenda. (Id enim Lutherus eorum antesignanus libello ad Germanicam Nobilitatem indicaverat:) uni sacrorum Bibliorum lectioni vacandum: neque fas esse, hominem Christianum literis deditam actitare vitam, sed faciendum quod in Genesi dictum est, in sudore vultûs vesci pane; hoc ut faciliùs persuaderent, eò insaniæ prolapsi fuerint, ut Carolstadius ex Archidiacono factus sit agricola in rure Wittembergensi; & Melancthon dignissimo suâ petulantiâ munere, in pistrino artem pistoriam meditaretur. Eò denique præclarâ hâc doctrinâ res multis locis redacta est, ut Scholæ clausæ tenerentur aliquot annis. Quis non pecudes istas fustibus abigat? Scribítque insuper Melancthon, Carolstadium damnâsse omnes leges ab Ethnicis conditas, & contendisse in foro jus ex Mose dicendum esse; cùm non intelligeret vim & naturam Christianæ libertatis. Belligeratus etiam cùm sacris templorum Imaginibus, eas templis dejecerat: Laïcis potestatem faciebat Eucharistiam profano ritu manibus contrectare, & absque prævia peccatorum confessione polluto ore & corde sumere; esúmque carnium diebus ab Ecclesiâ prohibitis quibúsvis permittebat. Librúmque ediderat *de Conjugio Sacerdotum: & de Votis monasticis rescindendis*; cùm jam anno superiori, ut Bucholcerus [i] scribit, primus sacerdotum hujus temporis (sub Hussitis quippe idipsum præsumpsisse nonnullos vidimus [k]) *Bartholomæus Bernhartus Feldkirchius*, præpositus in oppido Kemberg propè Vittemberg, uxorem duxisset: quem fratrem extitisse dicunt Ioannis Velcurionis physici, cujus commẽtarij extant. Eum verò alij deinceps passim secuti sunt: ac præcipuè decimo-nono Ianuarij præsentis anni idem *Carolstadius*: (cui tamen plerique hanc palmam violatæ disciplinæ conferunt: puto quòd notior esset dignitate & eruditione: ac consortio Lutheri:) eíque nebulo quidam (quem plures [l] Lutherum ipsum fuisse volunt) epithalamij loco scripsit novæ Missæ nuptialis formulam, multâ lasciviâ unà cum impietate respersam: cùm alioqui etiam absque eo non deesset iis nuptiis amplissima risûs materia. Inseruit eam Cochlæus commentariis suis de Actis & Scriptis Lutheri. Addítque ludicrum; quod tunc contigisse ferebatur: nimirùm cùm impurus ille Carolstadius à vicino quodam dynastâ carnes ferinas ad nuptiarum celebritatem petiisset, illum mittere statuisse carnes asininas pro cervinis, mactato & excoriato asino molitoris, cujus partes in frusta dissectæ; atque vasi inclusæ pro cervinis comederentur, donec aures & ungulæ asini in medio vasis reperirentur. Dignum tali festivitate convivium. Hos autem alij deinceps tam sæculares Presbyteri quàm Monachi densis agminibus subsecuti sunt: demúmque & ipsemet turpitudinis persuasor Lutherus; ut videbitur suo loco.

CAROLSTADII FATUA DOCTRINA.

VXOREM DUCIT.

VII. INITIUM DISCISSIONIS IN SECTA

De his igitur Carolstadij ausis certior redditus Lutherus, Wittembergam ad sextum Martij rediit. Móxque sermonibus ad populum habitis, adversus turbatores istos stomachabundus declamavit: non quidem res ipsas

[h] Sur. in Comment. Vid. inf. an. 1525.

[i] Bucholcer. in Indic. an. 1521.

[k] Suprà an. 1424. VIII.

[l] Vid. Prateol. de Hæres.

LUTHERANA.

improbans, sed ordinem in iis exequendis desiderans: hoc est dolens homo arrogantissimus, quòd illi suâ auctoritate, ipso inconsulto, qui omnium auctor & esse & videri volebat, tanta præstitissent: ut apertè ex ipsis concionibus, quæ extant, intelligi datur. Cujus acres reprehensiones cùm Carolstadius, qui ei lauream Doctoratûs olim contulerat, non sustineret; discessit Wittembergâ, & ab Orlamundensibus vocatus ad pastoratum oppidi, eò perrexit: fierique sic cœpit discissio in sectâ Lutherana, ipso fere ejus ortu. Melancthon tamen veniam petens, in gratiam est receptus, & Luthero firmus adhæsit. Carolstadius libellis editis Lutherum velut sycophantam & insignem Antichristi præcursorem insectari cœpit, qui in gratiam Romani Pontificis emortuas in Ecclesiis statuas, & plures id genus cæremonias toleraret.

VIII. ANABAPTISTARUM INITIA.

Quo eodem tempore fuit item fanatico Luthero confligendum cum aliis fanaticis, *Nicolao Storckio, Thoma Muntzero*, & aliis Enthusiastarum antesignanis; qui jactabant arcanas revelationes Angelicas, & colloquia cum Deo; ac baptismum parvulorum impugnabant. Quæ fuêre semina doctrinæ *Anabaptistarum*, sparsa per Prophetas illos, qui ex urbe Cygnæâ Silesiæ Wittembergam absente Luthero venerant; de quibus dicetur pleniùs anno consequenti. Ita mirificus iste Doctor, cùm cæteris omnibus deliriorum & novarum impietatum argumenta subministraret; nisi tamen ipsemet ea primus diserte explicata obtruderet, impugnare gestiebat.

IX. LUTHERI PROCACITAS IN EPISCOPOS.

Præter autem librum injuriosissimum, quem hoc anno scripsit contra Regem Angliæ, de quo diximus superiori; edidit etiam alium *Adversus falsò nominatum*, ut fert titulus, *Ecclesiasticorum statum, Papæ & Episcoporum*. In quo Evangelistam se & Ecclesiasten Dei vocat; nolle se doctrinam suam à quocumque judicari, nec ab Angelis omnibus, quinimmò velle se & Papæ atque Episcoporum, ipsorúmque Angelorum judex esse, ut quisquis doctrinam suam non acceptaret salvari non posset. Quantis verò conviciis, opprobriis, fœdis agnominibus, amarulentiis, calumniis, blasphemiis, & execrationibus, debacchatus sit perfidus apostata in omnes Ordines Ecclesiasticos, maximè Episcopos, per totum librum illum Theutonicum, nemo referre possit, nisi qui librum ipsum pestilentissimum, & sanguineo colore tinctum totum verbatim descripserit. Sed quid dicas de alio commentario, quem item hoc anno publicavit *De vita conjugali*? Salacissimus hircus quid non contra virginalem castitatem, & pudicitiam honestatémque conjugalis thori effutiit: Verbum, *Crescite & multiplicamini*, non præcepti modò vim habere, sed & fortius & majus quiddam esse quàm præceptum; adeóque Dei opus, quod impedire, vel non exequi, prorsùs non sit in potestate nostrâ, adeóque necessarium quàm edere & bibere, excernere & ejicere, dormire & vigilare: quapropter siquis contra hanc necessitatem aliquibus votis, juramentis, pactove seipsum vinxerit, & ferreis adeóque adamantinis nexibus sese obligârit, id frustrà esse, idemque prorsùs ac si vir non masculum, mulier non feminam se esse vo-

FORNICATIONEM ET INCESTŨ SUADET.

veat. Si fecunda mulier viro nupserit impotenti, nec alij publice matrimonio jungi possit, illa cum mariti fratre vel cognato proximo concumbat; vel si maritus id concedere nolit, clàm aufugiat in regionem aliam, ibique novum quærat thori socium. Si alter conjugum adulterio se polluat, pars innocens etiam alterâ vivente, aliud matrimonium contrahat: non enim innocenti fraudi esse debere, si magistratus adulteris è medio tollendis, uti meruerunt, officium suum non exequatur. Siquis morosam uxorem habeat, quæ conjugale debitum reddere recuset, adeat ancillam: & alia ejusmodi turpia: quibus aliisque de Votis monasticis, déque Traditionibus hominum, scriptis, id impurissimus consecutus est, ut præter jurgia in familias conjugatorum immissa, Monachi & Moniales suis se votis exolventes, egressi sint è monasteriis: hæcque mirâ celeritate vacuata vel in solitudinem redacta sint, vel diruta, aut in alios usus translata.

X.

Scripsit etiam valdè scurriliter & seditiosè in Bullam Leonis Papæ in Cœna Domini Romæ publicatam, priusquam Wormatiam iret Lutherus. Nam cùm in eâ juxta consuetudinem antiquam, excommunicati fuissent omnes hæretici, nominatim verò inter cæteros, Pauperes de Lugduno, Wicklephitæ, Hussitæ, & novissimè Martinus Luther, simul cum omnibus complicibus fautoribúsque suis; is edidit contra illam Theutonicum quendam libellum, quem xenij loco pro novo anno retribuit Sedi Apostolicæ. Edidit deinde Bullam suam, brevem illam quidem, sed quam non atramento, sed sanguine humano scripsisse videtur: ita primum præfatus, *Attendite Episcopi, immo larvæ diaboli Doctor Lutherus Bullam vobis & reformationem legere vult, quæ vobis non benè sonabit.* Sequitur deinde: *Doctoris Lutheri Bulla & Reformatio. Quicumque opem ferunt, corpus, bona & famam in hoc impendunt, ut Episcopatus devastentur, & Episcoporum regimen exscindatur; hi sunt filij Dei, & veri Christiani, observantes præcepta Dei, & ordinationibus diaboli repugnantes: aut si hoc non possunt, regimen tamen illud saltem condemnant ac vitant. Contrà verò quicumque defendunt Episcoporum regimen, eisque obtemperant voluntaria obedientia, hi sunt diaboli ministri proprij, divinæque ordinationi ac legi repugnant.*

BULLA LUTHERI.

XI. DE EJUS VERSIONE NOVI TESTAMENTI.

Novi quoque Testamenti versionem Germanicam à se concinnatam hoc eodem anno edidit, Philippi Melancthonis studio atque censurâ in eâ usus: sed fide [m] pessimâ, multis immutatis, demptis, additis, detortis, & pravis adnotatiunculis corruptis; ac de librorum numero remotis Epistolâ Pauli ad Hebræos, Jacobi, (quam stramineam contumeliosissimè vocavit) Judæ, Petri altera, secunda & tertia Joannis cum ejusdem Apocalypsi. Ex qua nihilominùs versione & editione nemo satis enarrare queat, quanta animarum ruina consecuta sit in multitudine imperitâ, dum omnes utriusque sexûs subitò Doctores & Magistri Prophetæque videri voluerunt, disputationibus quoscumque incessentes, & procacissimæ ignorantiæ damnantes. Adeò ut repertæ sint feminæ, quæ omni abjecto muliebri pudore, contra disertam Pauli Apostoli

[m] *Vide Præf. in Luther.*

prohibitionem publicè in templis concionari non erubuerint. Cùm autem viri quidam docti ex spuriâ illâ Lutheri translatione admissos passim errores, ac nonnulli supra mille collegissent; inter illos Hieronymus Emserus, de quo superiùs, præcipuam laudem promeruit: qui non solùm notavit, ac populo edidit Lutheri errata; verùm & posteà propriam translationem, quæ probato ac recepto Ecclesiæ textui Latino per omnia consonaret, veluti antidotum contra Lutheri venena evulgavit, ingenti consolatione populi Catholici, & non parvâ utilitate multorum deviantium, quibus errata Lutheri cognoscere datum est. Cúmque animadverterent Principes Catholici, facilè ejusmodi Lutheranâ versione vulgus in hæreses illici, propositis edictis, omnibus subditis suis ejus lectione interdixerunt: putà Ferdinandus Archidux Austriæ, frater Caroli Cæsaris tunc in Hispaniâ agentis, & Vicarius Imperij: ac Georgius Dux Saxoniæ, qui etiam opus illud Emseri præfatione suâ commendabile bonis omnibus ac piis reddidit. Conniventibus pro Luthero, Friderico Electore Saxonico, ejúsque fratre Ioanne, ejusdem Georgij patruelibus, Luthero impensè addictis, etiam priusquàm apertè religionem Catholicam abdicâssent. Qui etiam cùm hoc ipso fermè tempore ab Henrico Angliæ & Ludovico Hungariæ Regibus moniti fuissent de non præstando ei patrocinio, sed contrà illum aut suasionibus aut vi compescendo; frigidè ac generatim respondentes, accusationes seu suspiciones excusârunt. Quid verò contra hæc Lutherus egerit, dicetur anno sequenti, cùm jam tragœdus iste theatricus, singulis annis in scenâ repræsentandus veniat.

XII.

BOEMIÆ HOC TEMPORE STATUS.

Ludovicum autem Hungariæ & Boëmiæ Regem edicto quoque vetuisse, nequis externus in Hungariâ quicquam in religione novaret; Dubravius [n] scribit. In Boëmiâ cùm à multo tempore innovatum fuisset, indéque etiamnum multæ turbæ orirentur; adiit Rex hoc eodem anno Boëmiam, unà cum conjuge Mariâ sorore Caroli Cæsaris ad coronationem ejus: ubi etiam rixas tam in regni quàm in religionis administratione ferè continuas componere studuit: prout apud eundem auctorem videre est; sed pleniùs in tractatu [o] De Casibus & Seditionibus in communitate Pragensi, quæ occurrerunt sub Ludovico Rege; scripto in formam Diarij ab auctore qui videbat: quo multa recensentur circa disciplinam Ecclesiasticam, ritus Sacramentorum, divini Verbi prædicationem, tàm à Catholicis, quàm Hussitis & Pikardis, deliberata & statuta.

[n] *Dubrav. lib. 33.*

[o] *Ext. tom. Rer. Boëm.*

XIII.

HADRIANUS PÕT. SCRIBIT CONTRA LUTHERŨ IN GERMANIAM.

Intereà cùm audîsset Hadrianus Pontifex Comitia Imperij Nurembergæ agi, eò Franciscum Cheregatum Episcopum Fabrianensem misit, qui Principes tum ad auxilium Regi Hungariæ contra Turcos inferendum, tum maximè ad Lutheri hæresim extirpandam excitarent; scriptis hâc de re ad Principes tam Ecclesiasticos quàm sæculares literis: sed præsertim ad prædictum Saxoniæ Ducem Fridericum, in cujus terris Lutherus agebat: quibus eum monebat, considerare quàm terra gloriæ ejus macula foret apud posteros, fovisse hominem phreneticum, antiquæ doctrinæ Ecclesiæ subversorem, quámque infeliciter responsurus de eo esset apud tribunal Christi. Resipisceret, & ingressus per vestigia fidei majorum suorum, non sineret prudentiam suam præstigiis hominis illudi, qui nihil scriptis suis nefandis produceret, quod superiorum temporum Conciliis ex professo damnatum non esset. Extat [p] hæc ejus epistola satis prolixa, & vehementi stylo conscripta; cujus fine minatur, nisi ad cor revertatur cum suis Saxonicis seductis, nec ipsum in præsenti sæculo laturum impunè à gladio Apostolico & Cæsareo, & in futuro æterni incendium ignis sensurum. Ad quæ etiam curanda scripsit [q] ad Electores ac cæteros Principes, die vigesimo-quinto Novembris. Ipsíque Cheregato Commonitorium [r], sive Instructionem, ut vocat, dedit de modo quo hæc tractare deberet, & rationibus insinuandis, ac responsis quæ objectionibus ab iis fortè adducendis facturus esset. Quódque mortuum Lutheranorum causam esse mores corruptos Ecclesiasticorum, Principes dicerent; jubet polliceri, se omnem operam adhibiturum ut mores eorum reformentur, atque imprimis Curiæ Romanæ. Ac denique quòd quærerentur de violatis suis concordatis à Pontificibus, sponderet satisfactum à se iri in omnibus. Quid verò de his actum sit, dicetur anno sequenti; ad quem Comitia Norembergensia protracta fuêre.

[p] *Bullar. to. 1. Hadr. VI. const. 4. & in Tom. Conc. edit. Colon.*

[q] *Extat ap. Goldast. in Const. Imp. & in Fascic. rer. expetend.*

[r] *Ibid.*

XIV.

SOLIMANUS RHODUM INVADIT.

Nunc de expugnatione Rhodi, quàm superiùs innuimus, breviter agendum; quam uberrimè tribus libris descripsit Latinè qui interfuit *Iacobus Fontanus* Brugensis, Iudex appellationum populi Rhodiensis: cujus etiam extat de eâdem expugnatione, Epistola, sive oratio ad Hadrianum Pontificem. Trium verò librorum primus totus est in apparatibus obsidionis utrimque factis describendis; literis Solimani subdolis, ac belli denunciatoriis recensendis; orationibus & concionibus ad duces, milites, populos pro re fortiter gerendâ habitis, enarrandis. Alter longè prolixior, in pugnis & certaminibus, oppugnationis & propugnationis modis, periculis illatis & evitatis, defectibus & necessitatibus, aliísque ad hæc spectantibus, ac demùm deditione factâ, consistit. Vltimus in iis recitandis, quæ post egressum è Rhodo, Magistro & Militibus contigerunt. Pater [s] opus cunctis legere volentibus. Sicuti & quod linguâ Gallicâ *Iacobus Borbonius* nothus. Miles Ordinis, qui non solùm spectator, ut Fontanus, sed pugnator egregius interfuit, longè accuratiùs scripsit; necnon, ut Belcarius [t] existimavit, ut in multis veriùs; qui cum sæpiùs se de iis collocutum esse ait, & ab eo nonnulla à Fontano dissentientia accepisse, quæ idem elegantiori stylo Historiæ suæ inseruit. Estque ejusdem Belli linguâ Gallicâ descriptio in propriâ Historiâ Militum Ioannitarum, sive Hospitalariorum, tunc Rhodiorum, nunc Melitensium dictorum: in quâ pariter non pauca sunt, quæ apud eundem Fontanum desiderantur, aut diversè narrantur, omni nihilominùs fide constantia: cùm & adesset *Antonius Bosius*, præclarus Miles, patruus *Iacobi*, qui eam scriptis [u] mandavit. Ex quâ præcipuè suam Gallicam *Petrus Boissatus*, compilavit; additis pariter non paucis; cùm non unus aut solus

SCRIPTORES HUJUS BELLI.

[s] *Extat post Chalcondyl. edit. Claus. & ap. Schard. Oper. Hist. tom. 2.*

[t] *Belca. l. 17.*

[u] *Bos. Hist. Hospital. to. 2. l. 18. 19. 20.*

omnia

omnia videre sciréque potuerit. Erat porrò tunc Magister Ordinis sesquianno ante electus *Philippus Villerius* Gallus antiquâ *Liladami* familiâ, vir præstantissimus, fortitudine animi & corporis insignis, virtute omnibus spectatissimâ. Lustroque condito, recensa fuére in urbe liberorum hominum qui arma ferre possent tam Græcorum quàm Latinorum, plus minùs quinque millia: inter quos strenuè pugnârunt sexcenti ferè equites, quadringenti Cretenses sagittarij; ceteri qui pugnæ diligenter fideliterque vacârunt, fuére nautæ, remiges, classiarij: præter incolarum inertium turbam, qui parùm profuêre; & rusticorum qui operibus faciendis inservierunt.

LILADAMUS MAGISTER ORDINIS.

XV. CAUSÆ OPPUGNATIONIS A SOLIMANO SUSCEPTÆ.

Causas verò, qui Solimanum ad hanc longè difficillimam oppugnationem impulerunt, expressit ipsemet in oratione ad suos præfectos habitâ cùm de illâ deliberaretur: atque imprimis animi sui impetum, qui nonnullis jam clarus victoriis, suprà imperium & sanguinem Othomanicum ingens, in ijs conquiescere non patiebatur: deinde facilem rei benè gerendæ occasionem, cùm murorum urbis Rhodiæ bona pars diruta jaceret, quæ haud parvo tempore restitui posset; urbis præsidium paruâ militum manu constaret; nec auxilia à Principibus Christianis timenda essent, bellis intestinis implicitis; ac cum Venetis pax sibi esset: Turpe esse exiguum piratarum numerum, & speluncam latronum in medio imperio tolerare, à quibus nihil sibi suísque securitatis esset toto eo mari, ac portubus & urbibus populísque adjacentibus. Reperisse se in commentariis seu monitis patris sui Selimi, ad res Imperij sui stabiliendas, necesse esse Belgradum & Rhodum occupare; adeóque priori jam feliciter expugnato, totis viribus ad posterius pergendum esse; cùm alioquin pronum semper faciléque futurum esset, ut Rhodiorum operâ arma Christianorum in medias Turcicas ditiones inferrentur. Hæc Solimanus: ad ea præterea consilia non solùm à Mustaphâ Basâ, cui sororem suam in conjugem tradiderat, & Curtogolo archipirata, cujus duos fratres, præter tertium quem in vinculis detinebat, Rhodij occiderant, iísdem aliísque rationibus impulsus & animatus; (ceteris præfectis ob rei difficultatem dissuadentibus:) verùm etiam maximâ à duobus proditoribus domesticis Rhodiorum: altero *medico Iudæo*, qui olim à Selimo Rhodum explorator missus ad urbis statum, vires, expugnationísque modos speculandos, ibi substiterat, artem suam non malè exercens, baptismo, ut cautiùs falleret suscepto. Altero, quod deterius fuit, Equite majoris Crucis, ut vocant, *Andreâ Amaralo* Lusitano, Priore Castellæ, & Cancellario Ordinis; quem multis alioqui illustribus factis domi forísque clarum, & dicendi facultate ex variâ auctorum lectione præditum, sed immoderato animo nimis alta cupientem, cæca invidia, atque immanis ambitio, ob quamdam controversiam olim cum Villerio antequàm Magister esset habitam, ac deinde ob Magisteriatum ei absenti collatum, quem ipse præsens magno nisu ambiebat, eò insanæ vindictæ & furiosæ indignationis perduxit, ut urbem & Ordinem Turcis prodere deliberaverit; Solimanum de rerum statu, déque omnibus quæ in urbe fierent, aut in consiliis decernerentur, quibus ipse interesat, certiorem reddens, & quicquid nociturum obsessis putaret, intùs & suasionibus & operibus agere non omittens: uti & ex parte suâ medicus faciebat.

PRODITORES RHODI.

XVI. CLASSIS TURCICA APPELLIT RHODUM.

Præmissis à Turco triginta longis navibus, qui commeatum ac ceteras res necessarias in urbem invehi prohiberent; pòst inde universa classis trecentarum circiter omnis generis navium, (quæ posteà ad quadringentas crevit) sexto Calendas Iulij manè apparere cœpit. Quâ visâ trepidantibus oppidanis, Magister post cirumlatam de more sacratissimam hostiam, (erat quippe Octava festi CORPORIS CHRISTI) & supplicationes orationésque solemnes pro felici rei exitu peractas, omnia signa militaria & vexilla ad turres & propugnacula pinnásque murorum depangi & expandi jussit; quo hostibus significaret, paratum se cum suis esse ad eos alacriter excipiendos. Quod minùs exprimere videtur Leunclavius in Annalibus [x] Turcicis, cùm illud significare volens ait, Rhodios mœnium pinnas variis exornâsse pannis sericis & coccineo colore tinctis. Appulit autem classis ad tertium ab urbe lapidem, stationémque cepit extra tormentorum urbis jactum. Fuitque universus exercitus ducentorum hominum millium; quorum pars quarta fossorum erat ad cuniculos, fossásque agendas, rupes comminuendas, montes complanandos: præter illos qui subinde advenerunt, quos ad centum millia accendisse tradunt. Tormentorum autem bellicorum majorum inusitatæ magnitudinis, minorúmque tantam copiam habuerunt, ut duobus magnis exercitibus satis esse potuissent. Erátque dux præcipuus totius exercitûs Mustapha Solimani sororius; classis summus navarchus Curtogolus archipirata: nec tam citò Solimanus in castra venit.

[x] Leunclav. lib. 18.

COPIARŨ NUMERUS.

XVII. MAGISTER ORDINIS AUXILIA PETIT A CHRISTIANIS PRINCIPIBUS, NEC OBTINET.

Eodem die quo classis appulit, Magister quosdam milites ad Hadrianum Pontificem, Carolum Cæsar. Franciscum Regem Francorum, & Henricum Angliæ misit, qui illos de his certiores facerent, & ubi terrâ maríque obsessæ auxilia postularent. Par sanæ erat, communem Christianæ Religionis causam, è Rhodiis primò strenuéque susceptam, ceterorum quoque Christianorum Principum armis adjuvari: vel eo quidem, quòd nullus erat, eorum quem non & aliâ ratione speciatim res tangeret; ob tot videlicet præstantissimos Milites suarum nationum, quos ibi periclitari videbant. Verùm enim verò nihil hâc diligentiâ profectum est. Quippè imprimis Pontifex, cùm à Iulio Cardinale Mediceo, qui Rhodianam militiam olim professus fuerat, suaderetur, ut delectas ex his quas ex Hispaniâ adduxisset cohortes iisdem navibus omnium rerum copiâ repletis Rhodum continuò transportandas curaret; fore enim ut eæ per autumnales tempestates validioribus usæ ventis, contemptâ aut elusâ Turcorum classe, in portum plenis velis inferrentur: minimè tamen persuaderi potuit. Quoniam enim fixum erat ut Rhodus amitteretur; (quemadmodum frigidus excusator Iovius ad elevandam Hadriani culpam argumentatur: quem sanè, ut liberè dicam, præter Iovium, & Onuphrium, qui panegyrim ei panxerunt, vix

HADRIANI PONT. IN HIS CULPA.

alius est, qui non de modicâ curâ in his adhibitâ arguat; nec ipse quidem Spanduginus Græcus, quem tunc fuisse in Vrbe, ac sæpiùs cùm Leone X. de expeditione Turcicâ egisse, ex ipsius narrationibus intelligitur:) Hadrianus ejus rei gerendæ occasionem penitùs amisit, seu veriùs omisit: propter scilicèt (ut idem Iovius ait) rei nummariæ difficultatem, & quòd Hispani longinquæ navigationis laborem ad incertum rerum exitum recusabant, & orator Cæsaris Italiæ rebus potiùs quàm Rhodiis attendere malebat. Malumus & nos hujusmodi, quantumvis leves aliis visas excusationes recipere; quàm cum nonnullis Pontificem accusare, quòd Cardinalem Mediceum audire omninò detrectaverit; auditæque palam fuerint infaustæ ipsius voces, non in eum usum paratas sibi copias ut Rhodiis opem ferret; vertendum aliò earum impetum: nempè ut interpretantur, & ut significare in suis excusationibus Iovius intelligitur, in obsequium Cæsaris adversus Gallos, aut Italiam adhuc infestantes, aut infestare quærentes. At Guicciardinus [y], ipsum copias suas in Æmiliam misisse scribit; sed recuperando Arimino Ecclesiæ patrimonio. An verò pluris esset tunc Ariminum recipere, quòd facilè semper recipi potuisset; quam Rhodum conservare, quæ semel à Turcis capta nunquam in manus Christianorum redeunda foret; hoc equidem non puto omnes admissuros. Sensit igitur demùm optimus Pontifex errorem, & auxilium ferre Rhodiis quæsivit; paratis Genuæ tribus navibus onerariis, quæ commeatum & tormentarium pulverem, aliáque necessaria importarent. Sed adeò id serò, ut accedente insuper ventorum adversitate, deditionem priùs fecerit Rhodus, quàm illæ è Siciliâ solvere potuerint; ubi illas Rhodij post suam expulsionem invenerunt.

y Guicciard. lib. 15.

XVIII. Quid Cæsar?

Quòd verò reliquos Principes attinet; Carolus Cæsar in Hispaniâ componendis motibus intentus, nec dum per ætatem eâ prudentiâ, quâ posteà insignitus apparuit, quantum Rhodus orbis Christiani propugnaculum esset, expendens; totus in rebus suis stabiliendis, & adversus Regem Francorum muniendis & parandis, à longinquarum cogitatione cessabat. Qui quidem posteà cùm nihil aliud contra vicinos agendum sese obtulit, adversus Turcos in Africam invectus, egregias de illis victorias retulit. Sed quid omnes illæ in unum junctæ, ad unam Rhodum amissam? Franciscus Rex Galliæ ab Hispanis, Anglis, & Italis, uno eodémque tempore tueri se necessarium habens, nisi vellet regno privari, cæteros Turcis magis objectos res suas agere sinebat, nihil omninò sibi ab eis timens. Henricus Rex Angliæ toto divisus orbe, cum nullam haberet occasionem Turcos reformidandi, nec etiam ullâ de iis cogitatione affici voluit: qui Carolo affinitate & fœdere conjunctus, bello Francisco denunciato, quamvis in nullo læsus ab eo, de Galliâ invadendâ sollicitus magis quàm de Rhodo conservandâ erat. Quid nihilominùs singuli eorum in his præstiterint, ne omninò eos inexcusatos aut inexcusabiles relinquamus, dicetur commodiùs anno sequenti. Prudentissimi Veneti, rebus suis semper & ubique intentissimi, neque aliis se immiscere soliti, nisi quantum sibi commodum nôrunt, fœdera facientes, abjicientes, mutantes, ex rerum necessitatibus, & ad secundam ventorum auram; quâmvis in omnem eventum sibi consulentes, classem sexaginta triremium, dum Solimanus suam pararet in Cretam misissent; adeò tamen caverunt sive metu, sive fœderis religione, ne in aliquo pacem cum eo contractam læderent; ut nec Antonio Bosio ante obsidionem in Cretam misso ad sagittarios inde evehendos, id permittere voluerint; (quamvis non paucos clàm eduxerit:) & cùm *Gabriel Martinengus* nobilis Brixianus, operum bellicorum insignis artifex, & cuniculorum mirabilis confector & difflator, per Magistrum nequicquàm à præfectis Cretæ, ubi is tunc erat, petitus, tacitè se myoparone subduxisset; immiserint illi duas triremes, quæ illum insequerentur atque reducerent, (quod tamen frustrà fuit, cùm ille ad rupes latitando evaserit) supellectilem ejus expilârint, bona fisco addixerint, & pretium ejus proditoribus assignaverint: cui Rhodum unà cum Bosio, positâ jam obsidione devectus, in Ordinem militum & honorem majoris Crucis allectus est, multúmque utilis toto obsidionis tempore fuit. Quem quidem ex rebus fortiter ibi gestis jure meritò laudantes historici Veneti [z], rerum suarum supra modum illustratores; haud tamen meminerunt turpis impensi ab eis conatûs ad eum intercipiendum.

Rex Galliæ.

Rex Angliæ.

Respub. Veneta.

z Iustin. l. 11.

XIX. Solimanus in castra venit.

Cùm autem procedente obsidione, réque animosè aliquamdiù gestâ, cœpissent Turci fame, miseriâ, tormentorúmque fulminibus ita atteri, ut secessionem plerique magis quàm pugnam quærerent, se tantùm ad necem perductos quiritantes, seditionésque moventes: de his certior factus Solimanus, Constantinopoli solvens, quinto Calendas Septembris in castra pervenit. Cujus adventu, & severâ oratione ad suos habitâ, quâ solemni sacramento se obstrinxit, numquam se inde profecturum quin urbem in potestatem suam redegisset, & vel mori vel ibi consenescere decrevisse: omnia quæ priùs trepidatione ac desperatione plena erant, instaurata fuêre, & singuli longè acriùs munera sua executi sunt. Horrendum est quod suprà citati auctores, de pugnis, aggressionibus, cædibus, omnium generum acerrimis certaminibus, mœnium conquassationibus, cuniculorum (quos quinquaginta quinque fuisse asserunt) impetibus, propugnaculorum subversionibus, narrant. Sed longè mirabilius, adeò fortiter resistere Rhodios potuisse hujusmodi quotidianis impressionibus ab infinito hostium numero illatis, (Liladamo Magistro, incredibili diligentiâ ac vigilantiâ, diu noctúque plus solo ferè agente quàm cæteris simul omnibus; quantumvis nullus fuerit aut ducum aut militum qui non egregiè munere suo functus sit,) ut Solimanus immani suarum strage propemodùm in rabiem versus, parùm adfuerit quin Mustapham Bassam sororium suum hujus expeditionis auctorem neci addixerit. Qui cùm ut suæ existimationi satisfaceret, novis cuniculis propugnaculum aliquod subvertere conatus esset, nec quid profecisset; jam Turci de capiendâ urbe desperantes, obsidionem solvere decreverant, armáque & supellectilem plerique convasabant, nonnulli vexillis explicatis ad naves tendebant, Ianizari

Desperatur de expugnatione urbis.

redire ad oppugnationem recusabant; cùm transfuga clam se ex urbe ineunte Octobri subducens, Turcos monuit, Rhodios propè omnes viros bellatores jam aut cæsos esse aut vulneratos. Accessereque literæ ab Andreâ Amaralo Cancellario, quibus eadem significabantur. Quæ toto exercitu divulgata, militum animos prædæ spe ad renovandam de integro oppugnationem alacres reddiderunt. Novique ac vehementissimi conatus impensi sunt, Achmete Bassâ, viro diligente, & scientiâ militari præstante, in locum Mustaphæ, qui Memphiticus factus præfectus in Ægyptum navigavit, summo totius exercitûs Imperatore à Solimano constituto.

XX. PRODITORES PLECTUNTUR RHODII.

Sed cùm nec hic multùm proficeret, ob fortissimam Rhodiorum propugnationem, qui paucos aliquot milites ex proximis suis munitionibus aliisve locis receperant: tertio Calendas Novembris detecta est proditio Amarali Cancellarij, confessione servi, quo ipse ad literas hostibus arcu vel ballistâ jaciendas utebatur; multis aliis nobiliorum testium indiciis confirmatâ. Quare ritè convictus, capite plecti, servus suspendi, mox uterque in quatuor partes dissecari damnatus est. Idque post aliquot dies eo notabili discrimine executioni datum, quòd servus, qui naturâ Iudæus baptismum acceperat, in sancto fidei proposito perseveraverit usque ad finem: Amaralus à nativitate per aquam lustralem factus Christianus, & in eâ professione usque ad senectutem conversatus, in extremo vitæ, nec veniam à Deo postulare, nec Beatissimæ Virginis sacram Imaginem sibi oblatam intueri dignatus, Iudaicè aut Turcicè animam efflaverit. Eò etiam detestabilior, quòd & medicus Iudæus quem superiùs diximus, aliquo antè tempore similiter proditionis convictus, & in quatuor partes dissectus, peccata tamen ritu Christiano per confessionem ante mortem expiasset.

XXI.

Ineunte demùm Decembri, Achmetes Bassa tam multos è suis in frequentibus impressionibus & conflictibus perire animadvertens, ut cæteri animum desponderent; Solimanum ut Rhodios ad deditionem clementiæ specie invitaret, induxit. Scriptis itaque à Solimano literis ad Liladamum Magistrum, & ab eo missis ad ipsum aliquibus Ordinis Militibus; post varia colloquia; aliquando etiam novis armorum conatibus & impressionibus interrupta, Rhodiis ad extremam omnium rerum necessitatem redactis, laboribus ac vigiliis exhaustis, partim vulneribus confectis, partim ob cæsorum multitudinem magnoperè diminutis, abjectâ omni tuendæ diutiùs urbis spe; demùm pacta est deditio decimo-tertio Calendas Ianuarij his conditionibus; ut cunctis qui abire vellent, liberum esset cum armis, omníque suppellectili, triremibus aliísque navigiis; & si ad comportandam omnem suppellectilem naves eorum non sufficerent, Turci quotquot necessariæ essent commodarent: qui remanere vellent, iis in quinquennium immunitas esset, ac religionis Christianæ libertas unà cum suis Ecclesiis; & intra triennium abire possent: abeuntibus modò duodecim dierum mora esset ad convasanda sua omnia. Quibus

RHODUS DEDITUR.

peragendis, ac ne cui contumelia injuriáve inferretur, exercitus ab urbe circiter mille passus recessit. Vt tamen nulla fides barbaris inest, cùm deditione factâ supervenissent in castra novi Ianizari, urbem ingressi multa rapuerunt, & nonnullis feminis vim attulerunt: quidam etiam alij aliquâ ex iis quæ in naves comportabantur diripuerunt. Sed hæc mox ab Achmete compressa sunt; & in reliquis fides Magistro servata est. Octavo Calendas Ianuarij, nempè die Nativitatis CHRISTI Salvatoris, Solimanus urbem ingressus, Liladamum Magistrum, (qui jam antè eum in castris convenerat) honorificè & perbenignè habuit, atque etiam in ipsius domo visitavit, patrémque suum appellavit; ac ne de principatûs amissione vir prudens inani mœrore, cùm hæc fortunæ ludibria essent, conficeretur hortatus est; præmiorúmque & summorum bonorum pollicitationibus sibi adhærere; quandoquidem ita desertus à Christianis Principibus fuisset, sollicitavit. Liladamus gratiis actis, vinci fortunæ esse, sed à tanto Principe victum esse, sibi honorificum potiùs quàm ignominiosum dixit: à susceptâ verò semel religione discedere, impietatis, levitatis, ignaviæ fore, quæ nullam excusationem mereretur. Cum bonâ ejus gratiâ dimissus, Calendis Ianuarij conscensis triremibus, è portu exiit in Cretam transmissurus.

HONOR LILADAMO A SOLIMANO REDDITUS.

XXII.

Húncque exitum sortita est obsidio Rhodiensis: quæ omnium quæ hoc sæculo contigerunt, & oppugnantis potentia, & propugnantium fortitudine, & clarissimæ insulæ, hoc est nobilissimi quondam post Athenas Græcarum literarum ac scientiarum domicilij, nuper verò firmissimi totius Christianismi adversus immanem Turcorum tyrannidem propugnaculi amissione; denique summa Principum Christianorum, ex torpore ad ejus conservationem ostenso contracta infamia; celeberrima fuit. Quâ Turcorum sexaginta millia, quam plurimósque duces ac præfectos, ferro, bombardis, aliísque violentæ mortis generibus, alia circiter quinquaginta diversis morbis periisse, Achmetes ipse confessus est. Vnde non immeritò traditur Solimanus dixisse; nescire se utrum pro captâ Rhodo lætari, an pro tam cruentâ victoriâ dolere deberet. Militum verò, sive Equitum Rhodiorum, aliorúmque Christianorum in urbe cæsorum numerum nullibi invenimus; quem haud exiguum extitisse in tot certaminibus, dubium non est. Reperimus autem, ex incolis Rhodi, aliarúmque minorum insularum quæ Ordini suberant, & quas pariter Turco reddere oportuit; (in quibus Cos fuit Hippocratis medici patria, quam ipsi Langon nominabant) ad quatuor hominum millia Magistrum secuta esse in Cretam ne Turcis subjacerent; ubi eis quomodò potuit in tantâ rerum angustiâ providit. Tenuerat Ordo Insulam ducentos circiter & duodecim annos. Memorántque plures [a], eodem tempore quo Solimanus Rhodum ingressus est, nempè Natali Domini, Hadriano Pontifice ad sacra celebranda sacellum in Vaticano intrante, spontè cecidisse antè illum ingens saxum è superiori limine portæ sacelli, quo oppressus est unus ex Helvetiis custodiæ ejus, ac nonnulli alij vulnerati; in signum, ut volunt, avulsi

NUMERUS TURCORŨ MORTUORUM.

[a] *Iov. Onuphr. Bos.*

eo tempore nobilis membri corporis Ecclesiæ. Quod & ipsum aliis locis in nonnullis Ecclesiis Ordinis accidisse tradunt, ut scilicèt epistylia portarum corruerint.

XXIII. Narrat Spanduginus [b], Solimanum confestim ac Rhodo potitus est, diligentem inquisitionem habuisse de filio Zemis propatrui sui, fratris Bajazetis, de quo superiùs, (quem ipse æquè Zemem dictum ait, sed Historia [c] Militum Rhodiorum Amurathem,) qui in insulâ Rhodo Christianus factus sumptibus Religionis vivebat; ac tandem reperisse, cùm præ accuratâ exploratorum indagine minimè potuisset naves abeuntium ingredi interrogatum à Solimano patruele de Religione, animosè respondisse se Christianum esse cum liberis quos habebat, duobus maribus, totidémque feminis, & Christianum velle mori. Eâque re perturbatum Solimanum, eum neci dedisse cum filiis masculis, ne quæ eorum operâ turbæ in Imperio Turcico à Christianis, ut constitutum fuerat, concitarentur: feminas Constantinopolim abductas esse. Narrat insuper Historia Rhodiorum, Solimanum post discessum Magistri nobiles Græcos qui fidem ritúmque Ecclesiæ Romanæ amplexi fuerant, Insulâ abegisse, eò prætextu quòd nollet alium ritum ibi exerceri quàm Græcanicum, re autem quòd suspectos eos haberet. Quid verò deinceps Liladamus Magister præstiterit, dicetur anno consequenti.

[b] Spandug. de orig. Turc. ap. Sansovin. Hist. Turc. par. 2.
[c] Bos. tom. 3. lib. 1.

ZEMIS TURCI MARTYRIUM.

XXIV. Quo tempore Solimanus in obsidione Rhodi erat, (ut disertè tempus notat idem Theodorus Spanduginus Cantacuzenus nobilis Constantinopolitanus in Vitâ Ismaëlis Persarum Regis; cùm plerique alij in posteriora tempora referant;) idem Rex *Ismaël* de cujus rebus fortissimè gestis sæpè dictum superius, mortuus est ex bimestri alvi fluore, in civitate Sammagiæ non longè à Taurisio, cùm annum ætatis unum & quadragesimum dumtaxat ageret, ut idem auctor scribit: Bizarus [d] tamen post Iovium [e] quatuor & quadraginta tribuit: & morbum ejus ex asperrimâ venatione equorum sylvestrium, quam idem Iovius describit; & quòd equi illi in tutelâ quorundam agrestium numinum constituti essent, inde non adeò immeritò periisse Ismaëlem, fabulis delectari solitus ariolatur. Fuit Ismaël omnibus animi & corporis dotibus insignis. Potentiâ verò quanta fuerit, quantáque per universum terrarum orbem nominis ejus celebritas, cùm ex præclaris rebus gestis intelligitur; tum ex frequentibus potentissimorum Regum, abs variis Orientis & Occidentis cæterorúmque mundi climatum partibus, legationibus ad eum pro amicitiâ, vel auxilio, aut honore transmissis; quarum testis est Aloysius civis Venetus, qui apud eum fuit, in suo tractatu patrio idiomate conscripto; ex quo Bizarus Latinè descripsit: Solimanum quoque Turcorum Imperatorem nobilissimam ad eum legationem cum splendidis muneribus misisse, quâ universam eam regionem obtulit, quæ jacet juxtà Euphratem, ut eâ quietè ac pacificè potiretur, modò ipsi bellum adversus Christianos gerenti, nullum negotium facesseret: Postremò & Carolum Cæsarem tres legatos diversis itineribus ad eundem direxisse, quibus eum ad arma contra Turcos inferenda incitaret. Sed has omnes spes atque conatus, immatura ejus mors abrupit. Quatuor reliquit filios masculos, ex duabus legitimis conjugibus, ut Spanduginus refert; non unicâ, ut Bizarus. Quorum natu maximus, *Tammasus*, ætate tunc annorum undecim, patri in Imperio successit; amplis præfecturis fratribus traditis. Ejus virtutes valdè prædicat idem auctor, & patrem justitiâ & æquitate, necnon liberalitate, & religione superâsse tradit. Multa gessit contra Turcos bella de quibus dicetur suis locis; felicior longè futurus, si aut nullos fratres habuisset, aut obsequentiores expertus fuisset.

ISMAELIS REGIS PERSAR. OBITUS.

[d] Bizar. Rer. Pers. lib. 10. ad fin.
[e] Iov. Elog. lib. 5.

Ejus POTENTIA ET CLARITAS.

IESU CHRISTI Annus 1523.

HADRIANI VI. An. 2.

CAROLI V. An. 5.

I. ANNO Christi 1523. Indictione undecimâ, ipsis Calendis Ianuarij (ut superiori anno diximus) Liladamus Magister Hospitalariorum cùm suorum reliquis è portu Rhodiensi solvens Cretam versùs, post graves toleratas ventorum ac maris tempestates, amisśasque nonnullas naves, nec parvam suppellectilem, eò appulit. Vbi à præfectis Venetis honorificè receptus, questus est de Republicâ, quòd maluisset amicitiam cum tyranno infideli colere, qui nullam Christianis servaret fidem, quàm Rhodo subvenire communi Christianitatis ipsorúmque speciatim ditionum propugnaculo, quòd non solùm vi facillimum erat potenti illâ sexaginta triremium classe, quam in statione apud Cretam habebat, verùm etiam multis modis absque pacis violatione. Cùm non aliter valuissent quàm humerorum elatione culpam excusare, Magister post aliquam moram ibi factam, in Siciliam navigavit: appulítque Messanam ineunte Maio, lacrymis magis quàm pompâ exceptus, cùm visus est lacerâ classe, putribus navigiis, apparatu lugubri, nullo totâ classe expanso vexillo, præter unicum, quod Beatissimam Virginem Christum Dominum mortuum gremio tenentem repræsentabat, cum hâc adscriptâ epigraphe, *Afflictis tu spes unica rebus*, nullo tubarum sono, aut bombardarum explosione, appellere. Cum magnâ tamen veneratione receptus à Prorege, & Militibus Ordinis, qui non parvo numero undique eò confluxerant, Rhodum transmissuri cum validis copiis à se collectis; eas ut agnovit idoneas extitisse si navigia suppetissent, & transitus commoditas adfuisset, quæ invitis etiam hostibus Rhodum perrumpere potuissent; ac proinde solis Ordinis viribus pronum fuisse eos, ut erant jam tot certaminibus & incommodis attriti, ad solvendam obsidionem cogere, ingenti Ordinis gloriâ, & Christianitatis bono: inde vehementiori dolore affectus, suspicatúsque culpam fuisse illorum, quos ipse tempore miserat ad auxilia apud Principes procuranda & acce-

LILADAMUS EXPOSTULAT CUM VENETIS.

RATIONEM PETIT MORÆ MILITUM.

leranda; severo consilio indicto, causam publicè in cœtu Militum Ordinis dicere, & moram singulos purgare jussit.

II. [a] Ap. Bos. tom. 3. lib. 1. EXCUSATIONES PRINCIPUM DE RHODI AUXILIO DESERTO.

Quorum hujusmodi recensentur in eorum [a] Historiâ excusationes, (Fontanus enim parciùs rem agit:) quod imprimis Hadrianum Pontificem attinet; propter impedimenta ministrorum Caroli Cæsaris & rei nummariæ difficultatem, non nisi tres naves potuisse ejus pecuniâ armari: eas cùm in conspectum Peloponnesi venissent, gravissimâ tempestate coactas fuisse jacturam omnium penè rerum facere, Messanámque vix miraculo appellere potuisse: deinde quamvis pro obtinendis aliquot triremibus Pontificiis omnis diligentiâ adhibita fuisset, sævitiæ hiemis accedente ipsius Pontificis frigore, plus satagentis de progressu rerum Caroli, quàm de conservatione Rhodi; nihil ampliùs agi potuisse. Carolum multa excusantem, arma dumtaxat & commeatum pretij decem millium ducatorum è ditionibus suis Italicis tollere permisisse: quod propter rerum omnium caritatem, parvum fuit rebus subsidium. Franciscum Galliæ Regem, quamvis hostibus undique cingeretur, magnísque difficultatibus premeretur, decimis unius anni, quæ ipsi ex bonis Religionis debebantur, cessisse; omnium rerum venalium liberam abductionem concessisse; atque Andreæ Auriæ Genuensi classis suæ præfecto injunxisse, ut tot navigia præberet quot necessaria forent transmittendis Rhodum subsidiariis copiis: sex naves armatas in itinere sævissimâ tempestate exceptas, Messanam pulsas esse, unâ submersâ, alterâ quassatâ: in cujus locum cùm alia quædam Messanensis, quæ Religionis erat, suffecta fuisset, Proregem Neapolitanum detinuisse eam ac si esset Gallica, in compensationem suæ cujusdam, quæ à Gallis capta fuerat. Henricum Angliæ Regem occupatum bello Picardiæ contra Regem Franciscum, nihil aliud præstare voluisse, quàm quòd permiserit cuidam Ordinis Militi navem benè instructam Rhodum ducere cum pecuniis Ordinis: navem ad quoddam promontorium Angliæ submersam esse, cum omnibus qui in eâ erant. Ioannem Lusitaniæ Regem excusâsse solummodò immensos sumptus, quos in bella Indica & Mauritanica impenderet. Præcipuos Ordinis proceres qui ex omnibus regnis & provinciis Milites collegerant, cum multâ aliâ nobilitate voluntariâ, & stipendiariis, omnes aut maris tempestatibus, aut piratarum insidiis: aut aliis malis vexatissimos, vix Messanam appellere potuisse, unde omnes simul Rhodum navigare constitutum erat.

III. LILADAMI ROMAM ACCESSUS.

Quibus omnibus à Magistro & Consilio perpensis, cùm animadverteret neminem ex suis officio suo defuisse, omnium verò diligentiam & industriam malignitate temporum, & culpâ aliorum, inutilem fuisse; decreto divino rem tribuens, patientiùs cladem tulit. Et post gravem pestilentiam, quâ etiam desolatus ejus exercitus vexatus est, Neapolim, indéque Civitatem veterem navigavit. Vbi aliquot dies substitit jussu Pontificis, eum per Didacum Episcopum Conquensem Majorem domûs suæ visitantis, donec & meliùs se haberet à quâdam levi infirmitate; & loco pacis universalis, quam inter Principes Christianos conciliaturum se, & Crucis quam item adversus Turcos promulgaturum, Magistro spoponderat; bonus Pontifex, totus Carolo suo deditus, fœdus contra Regem Galliæ unà cum eodem Carolo, & Rege Angliæ, & Duce Mediolanensi conclusisset: ne fortè superveniens Magister, hoc propositum interturbaret. Romæ autem deinde honorificentissimè exceptus, ubi ad Pontificem adorandum accessit, assurgens is processit ei obviam aliquot passibus, complexúsque illum cum lacrymis, Magnum Christi athletam, & fidei Catholicæ acerrimum propugnatorem appellavit: (unde & factum nonnulli volunt, ut cùm priùs insignia gereret brachij armati, addiderit pugnum quoque armatum cum nudo gladio & manipulo sacerdotali, cum symbolo *Pro Fide*:) multáque promisit, quæ propter supervenientem mortem implere nequaquàm valuit. Eo mortuo custodia conclavis commissa fuit Magistro: quam dignè is cum suis Militibus gessit. Creatóque in locum ejus Clemente VII. qui habitum Ordinis olim gestaverat, fuit ab eo novis honoribus cumulatus: accepítque Viterbium in habitationem, donec locum aliquem reperisset, ubi incolatum figere posset, ut olim Rhodi. Cui rei legatos ad Cæsarem misit, petitum insulam Melitam Maris Mediterranei, inter Siciliam & Africam, ambitûs sexaginta circiter millium passuum, paríque intervallo a Sicilia disjunctam, centum verò & nonaginta millium ab Africâ, sanctíque Pauli Apostoli naufragio celebrem, quæ sub Cæsaris ditione erat; quamvis id ægrè initio passi sint Milites Galli, Itali, & Angli, quòd nollent eâ re Cæsari obstringi: assentientes tamen demùm in gratiam Magistri, & quòd insula portubus optimis & capacissimis prædita sit. De quorum ad eam, post multiplices suborientes in ejus concessione difficultates, commigratione dicetur suo loco. Hæcque modo de iis sufficiant; quæ in unum collecta, in honorem tanti Ordinis, & tanti ejus Magistri Liladami, solito uberiùs explicare voluimus. Iam ad cætera hujus anni.

HONOR EI A' PŌTIFICE HABITUS.

IV. [b] Guic. l. 15. Belc. lib. 17.

Intereà in Italiâ [b] Hadrianus Pontifex anni initio Ariminum Ecclesiæ civitatem, cedentibus Malatestis, recepit. Nec multò pòst Alfonsum Estensem Ferrariæ, & Franciscum-Mariam Ruvereum Vrbini Duces in gratiam recepit, decretis iis antiquatis, quæ contra eos Iulius II. & Leo X. ediderant. Misit & legatum ad Venetos; ut eos Cæsari conjungeret novísque initis fœderibus Galli procul ab Italiâ arcerentur. Factúmque est, ut primò Venetiis inter Cæsarem, & Ferdinandum Austriæ Archiducem ipsius germanum, & Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanensem ab unâ parte, & Venetum Senatum (qui à potentiori parte semper stare solitus, fœderi Gallicano renunciavit) ab alterâ, perpetua pax sancita fuerit: deinde verò conquerente Pontifice, Regem Galliæ, qui maximas copias in Italiam perducturus audiebatur, alienum à pace esse, solúmque in causâ ut periculum Turcorum à Chri-

stianæ Reipublicæ finibus non arceretur: (hoc enim perpetuum à plurimo tempore suasionis argumentum fuit, vel ad pecunias à populis emungendas, vel ad bellum alicui Principi Christiano privatis de commodis inferendum:) tertiâ Augusti die inter eundem Pontificem, Cæsarem, Angliæ Regem, Austriæ Archiducem, Mediolanensium Ducem, Florentinam, Genuensem, Lucensem, Senensem Respublicas, (præter Venetam jam cum Cæsare constrictam) fœdus ad Italiæ propugnationem est ictum, & postridie solemni ritu promulgatum in Ecclesiâ S. Mariæ Majoris. Constitit autem hoc fœdus tanto labore partum, usque ad obitum Pontificis, qui contigit quinquagesimo pòst die; à quo mox diremptum est, utpotè infirmis fundamentis innixum. Ad quod motus etiam fuisse dicitur Pontifex, ex eo quod Franciscus Soderinus Florentinus Cardinalis Episcopus Prænestinus, Volaterranus à priori Ecclesiâ dictus, cui idem Pontifex valde fidebat; detectus fuerit literas scripsisse ad Episcopum Santonensem Iulianum Soderinum filium fratris sui, quibus Regem Galliæ ad Siciliæ insulam classe adoriendam hortabatur; quoniam Cæsaris armis ad eam tuendam conversis, ipsi Mediolanum occupare facilius foret. Quem propterea Pontifex arci S. Angeli inclusit: Iudicésque dedit nonnullos Cardinales, qui de illo velut majestatis Pontificiæ violatæ reo, quòd Regem Galliæ ad insulam, cujus supremum jus ad Pontificium imperium spectaret, armis oppugnandam hortatus esset, quæstionem haberent. Quâ in re etsi mitiùs cum ipso actum fuerit, Pontifex tamen omnia quæ in domo ejus erant occupavit. Mortuo autem paulò pòst Pontifice, Cardinalium omnium voto è carcere liberatus, cum aliis in conclave ad novi Pontificis electionem ingressus est; etiamsi illum Hadrianus extremis vitæ diebus indignum pronunciâsset qui illud ingrederetur, & quamquam ægrè in Clementem VII. consenserit, cui invisus fuerat; fuit tamen ab eo favore Pompeij Columnæ Cardinalis, receptus, & ad Ecclesiam Ostiensem translatus. Vir utique memoriâ dignus: qui [c] olim Pisis Ius Cæsareum & Pontificium incredibili auditorum frequentiâ, Philippo Decio acri æmulo concurrente interpretatus fuerat.

Foedus ingens contra Regem Galliæ.

Franc. Soderini moeres a' Pontifice.

[c] *Nomencl. Card. in Alex. VI.*

V.

Ducis Borbonii proditio detegitur.

Cùm autem neque Venetorum contracta cum Cæsare societas, neque tot Principum fœdus, Francisci Regis animum à proposito in Insubriam penetrandi averterent, (qui nihil jam ampliùs totâ Italiâ præter Cremonensem arcem, quæ & ipsa paulò pòst propter rerum inopiam dedita est, possidebat) quin ejus exercitus continenter Alpes transcenderet, quem Rex ipse proximè secuturus erat: hoc ejus consilium Borbonij Ducis regni Connestabilis fœda detecta conjuratio turbavit. Qui cùm & Regiæ stirpis nobilitate, & principatûs amplitudine, & Magistri Equitum dignitate, necnon virtutis suæ clarissimâ famâ; maximè apud omnes auctoritatis esset; tamen à multò jam tempore non ita Regi erat acceptus, apud quem regni initio præcipua valuerat potestate: adeò ut & in ducendis exercitibus alios sibi Prælatos, contra muneris sui auctoritatem viderit; & Boniveti Admiralij in se invidiam Regi probatam senserit; & Aloisiam Regis matrem veteribus quibusdam juribus principatum ejus repetentem in omnibus maximè sibi adversariam expertus fuerit. Sive igitur his de causis, sive aliis, (plures enim à diversis, sed istæ præcipuæ certæque recensentur) indignum prorsùs tantâ familiâ, & viro prudenti facinus meditatus, clàm cum Carolo Cæsare & Henrico Rege Angliæ conspirationem contra Regem suum patriámque fecit; quâ regnum dum Rex abesset, variis partibus invadere atque inter se partiri, inani consilio statuerunt; Cæsárque in arctioris vinculi firmamentum, Eleonoram sororem suam Emmanuëlis Lusitaniæ Regis defuncti relictam, in matrimonium ei locare spopondit. Iam enim postquàm è Belgio in Hispaniam commigrârat, artem verba dandi planè didicerat. Proditione detectâ, cùm Borbonius, ne Regem in Italiam sequi cogeretur, invalitudinem Molinis simularet; eum Rex dum Lugdunum proficisceretur invisens, cum eo familiariter collocutus, quæ de ejus machinationibus intellexisset significavit, nec tamen se fidem eis habere posse declaravit: ac Borbonius, haud negans se ad scelus sollicitatum fuisse, consensum tamen præbuisse negavit, & se quamprimùm per valetudinem liceret; Regem consecuturum promisit. Cui Rex tunc credens, (quem plerique damnant, quòd non eum tunc prehenderit, & in custodiam tradiderit, nam quas nonnulli ejus tarditatis excusationes afferunt, inanes planè esse constat. Ludovicus sanè XI. non eâ facilitate cum eo egisset, proditione adeò manifestâ;) ubi Lugdunum pervenit, non solum proditionem certam, verùm etiam in procinctu executionis esse, certior redditus, captis nonnullis conjurationis consciis, misit etiam qui Borbonium caperent. At is jam occultissimè mutatâ veste in Comitatum minoris Burgundiæ aufugerat. Vnde per Tridentinas Alpes Mantuam, híncque Genuam delatus, ibi mandatum Cæsaris accepit, optionem dantis ut vel in Hispaniam trajiceret, vel in Mediolanensi agro cum fœderatorum copiis remaneret. Dum verò is trajicere eligeret, ut Eleonoram duceret, existimans bonâ fide secum agi; è contrà Cæsar qui Borbonij conspirationem non eum quem sibi finxerat effectum in Galliâ sortitam videret; (quod Borbonius excusabat defectu pecuniæ à Cæsare sibi promissæ:) matrimonium differre statuens, misero jam se delusum animadvertere incipienti, obscuris sensibus per suos ad ipsum missos persuasit, honorificentiùs ei fore bello Italico præesse, quàm in Hispaniam navigare. Hæc breviter Guicciardinus [d]; quæ prolixius Belcarius [e] narrat: quippe Gallus, & de rebus Borbonij apprimè, ut docet, ab iis qui ei adstiterunt instructus, nec adeò ei iniquus; quamquam pleráque ex Bellaio, ut solet, exscripserit. Miser autem Borbonius id demùm expertus quod trito verbo dicitur, Amari proditiones, non proditores; non meliorem exitum habuit, nec verò meruit, quàm qui ferè transfugas & proditores Principum suorum, etiam apud eos quos antepосuêre, sequi consuevit.

Consilia ejus cum hostibus.

[d] *Guicciard. lib. 5.*
[e] *Belcar. l. 17. Bellai. lib. 2.*

VI. Bellica gesta hujus anni.

Hâc igitur Borbonij ad Carolum Cæsarem defectione, Francisco Rege à profectione suâ in Insubriam supersedere statuente, nequid novi in regno oriretur: nihilominùs Bonivetus Admiralius, qui jam præmissus cum potenti exercitu fuerat, superatis Alpibus, solitâ felicitate gentis circa initia rerum, Novariam, eámque omnem regionem quæ cis Ticinum amnem Gallias versùs jacet voluntariâ deditione in potestatem accepit: síque sine morâ exercitum Mediolanum duxisset, absque dubio etiam occupâsset: sed non adeò rei militaris peritus, nec diligens dum triduum ad Ticinum segniter consedit, occasionem rei benè gerendæ amisit: urbémque posteà obsidione cingens, eam solvere a fœderatis coactus est. Cum eodem propemodùm tempore Hispani Baionam urbem Gallicam ad fines regni oppugnantes, re infectâ recedere compulsi sunt: Fonterabiam tamen, quam Bonivetus olim in finibus Hispaniæ ceperat, quamvis longè munitiorem, sed non eâdem fortitudine defensam, recuperârunt, ob quam ignavissimam deditionem Fraugetus, cui ejus custodia tradita fuerat, Lugduni publicè nobilitatis gradu motus, ad plebeios redactus est, omnibus honoribus exauctoratus. Nec aliquid prætereà tantis adversariorum minis dignum in Galliâ gestum est. Quæ autem gesta sunt tam ibi, quàm in Italiâ satis accuratè Belcarius, Italica accuratiùs Guicciardinus, utraque diligenter Bellaius tractat.

VII. Comitia Nurembergensia.

Alio belli genere Germaniâ agitatâ; in Comitiis Nurembergensibus, quæ anno superiori cœpta vidimus, ad Cheregati Episcopi Fabrianensis Nuncij Apostolici propositiones nomine Pontificis factas, responsum dantes Principes qui aderant, aliíque delegati; post pietatem Pontificis laudatam, & suam ipsorum observantiam, & ad recta omnia propensionem assertam; quod rem Lutheranam spectabat, dixerunt [f] Sedis Apostolicæ sententiam in eum latam, atque edictum Cæsaris, non fuisse debitæ executioni demandatum, ne majora inde orirentur incommoda. Majori namque populi parti jam pridem persuasum esse, & modò Lutheranis scriptis confirmatum, Nationi Germanicæ à Curiâ Romanâ per certos abusus, multa & magna gravamina illata esse: Ideóque siquid in Lutherum attentaretur, conclamaturos omnes id fieri ad evertendam Evangelicam veritatem, & confovendos abusus. Qua propter opportunioribus remediis in hâc temporum difficultate iis malis succurrendum esse: videlicèt morum Romanæ Curiæ emendatione, & abusuum ac gravaminum abolitione: celebrandâ ad hæc intra annum, de consensu Cæsaris, Synodo in quâdam commodâ civitate Germaniæ, in quâ liberum esset cuique sive Ecclesiastico sive laico, loqui & consulere quæ pro Dei gloriâ, animarum salute, & Republicâ Christianâ, facere existimaret. Intereà curaturos se, ne Lutherus ejúsque sectatores aliquid ampliùs scriberent, vel typis excuderent; & ne prædicatores in populum spargerent aliquid, quo posset vel tumultus excitari, vel in aliquem errorem induci; sed purum verbum Dei, juxta doctrinam & expositionem ab Ecclesiâ receptam, prædicarent. Quod verò ad presbyteros matrimonia contrahentes, & religiosos qui ad seculum redeunt, de quibus Nuncius questus fuerat; cùm in Legibus civilibus nulla in eos pœna statuta sit, congruum & justum videri, ut illi per suos Ordinarios pœnis sacris canonibus statutis, ut putà amissione beneficiorum, & privilegiorum, aliísque condignis coercerentur, & ad id eis magistratus sæculares auxilium impenderent. De auxiliis autem Hungariæ contra Turcos inferendis responderunt, Principes Germaniæ solutioni Annatarum ad aliquot annos Sedi Apostolicæ solvendarum eâ lege consensisse, ut in oppugnationem Turcorum, & defensionem Fidei Catholicæ converterentur: cùm autem designati illi anni jam longo tempore transîssent, neque Annatæ illæ à Romanis Pontificibus in eum usum in quem decretæ erant, conversæ fuissent; aversaturum populum Germanicum alia colligi auxilia, nisi deinceps in usum Imperij expenderentur.

[f] Ap. Orthuin. in Fascic. rer. expetend. & Goldast. in Constit. Imper. tom. 2.

Germanorum responsa de Luthero et Annatis.

VIII. De iisdem.

Hæc illi cùm scripto respondissent; iis Nuncius minùs Pontifici, ipsíque rei æquitati satisfactum esse ostendens, iterùm hortatus est sententiam Sedis Apostolicæ & edictum Cæsaris, ex quibus salus Germaniæ penderet, executioni mandari absque aliquâ diminutione. Quæ verò essent gravamina, de quibus querebantur, declararent; Sedem enim Apostolicam paratam esse quæ iniqua forent tollere: De Annatis quoque Pontificem responsurum: Concilij celebrandi conditionibus ab iis appositis videri auctoritatem Summi Pontificis nimis constringi: In reliquis quædam item esse dubia; quæ per sententiæ & edicti executionem facile tolli possent: Super omnibus autem petere se ut maturâ habita deliberatione consultiùs responderetur. Verùm, ut in Actis hujus negotiationis, quæ extant [g], additur, quamvis Principes & reliqui Ordines Germanicæ Nationis, iterùm pro verbis verba dare potuissent; quòd tamen magis necessariis occupati essent negotiis, Pontificium oratorem priori responsione contentum esse jusserunt, donec Gravamina summo Pontifici transmissa forent. Ac nihilominùs promulgatum est ibidem sexto die Martij edictum [h] Cæsaris nomine; quo illa quæ Principes de rebus Lutheri decrevissent, & Nuncio significâssent jussa sunt observari per universam Germaniam. Quæ quidem Lutherus [i] mirâ vafritie addito glossemate ita interpretatus est, ut populus existimaverit Principes ab ipso stare: præterquàm quod quæ de sacerdotum & Monachorum luxuriantium pœnâ constitutum fuit, homini impuro durius visum est.

[g] Ap. Orthuin. & Goldast. ibid.

[h] Extat ap. Gold. ibid.

[i] Sur. in commentar.

IX. Gravamina Germaniæ.

Quo etiam tempore proposita sunt quædam postulata, quæ *Gravamina Germaniæ* appellârunt centum [k] capitibus constantia; auctoribus præcipuè (ut apparet) Lutheranis, quò nihil intentatum relinquerent, quod faceret ad conflandam invidiam Pontifici & Ecclesiasticis. Quippe quæ etiamsi non pauca contineant haud rejicienda, quin potius audienda & exaudienda; multò tamen plura sint, quibus & Pontificiam majestatem, & Apostolicæ Sedis auctoritatem & Ecclesiasticum ordinem deprimere, omnémque disciplinam Ecclesiæ, & antiquas receptásque consuetudines tollere voluisse videantur: (quod

[k] Ap. Orthuin. & Gold. ibid.

sanè Catholici non præstitissent:) adjunctis etiam taxis ac summis omnium Annatarum, quas totius Orbis Episcopi loco primitiarum Summo Pontifici in confirmatione Ecclesiarum ipsis creditarum pendere consueverunt; ut ex immensâ earum supputatione odium in Pontificem cresceret, quasi illa quotannis in ejus ærarium deferretur. Nec verò quid inde fieret, obstitit mors Hadriani Pontificis; quæ paulò pòst, ut videbitur, hoc eodem anno contigit. Contra cujus etiam injunctionem de solvendâ quartâ parte fructuum & redituum Ecclesiasticorum totius Hispaniæ Carolo Imperatori subjectæ, Clerus Hispanus valdè se inde læsum, gravatum, & oppressum sentiens; Vallisoleti congregatus ad finem mensis Iulij, supplicandum censuit ab Hadriano Pontifice non benè informato ad eundem meliùs informandum; atque interim appellavit ab Archiepiscopo Granatensi executore constituto dictæ quartæ exactionis.

X. LUTHERI PROCACIA IN PRINCIPES.

Intereà verò Lutherus, cùm percepisset Principes Catholicos versionem ejus vulgarem Novi Testamenti, de quâ diximus anno superiori, damnâsse & proscripsisse; tantâ acerbitate edidit in eos librum Theutonicum *De sæculari potestate*, ut præ illis quæ ibi in eos effutiit, cætera quæ in Ecclesiasticos scripsit modestiâ plena videri possint: ausus etiam asserere, Principes ut plurimùm maximos fatuos esse, atque insignes moriones, & pessimos nebulones. Cúmque in libello, quem pariter Theutonicè ad nobilem quemdam Hartmannum de Cronneberg scripserat, multis injuriis & calumniis Regem Angliæ traduxisset; Réxque per literas eum interrogâsset, an fateretur eum libellum suum esse hic ferox Principum contemptor, mox ferocissimè rescribens, plus ferè injuriarum eâ epistolâ ingessit quàm fecerat in libello: eúmque mentiri inciviliter, & Christianam veritatem scelerate criminari & persequi, impudentissimè improperavit. Scripserant pro libro Regis in Germaniâ contra ipsum Lutherum, *Ioannes Eckius* Latinè, & *Thomas Murnerus* festivissimè Theutonicè. Sed solidiùs id in ipsâ Angliâ præstitêre libris doctissimis *Ioannes Fisherus* Episcopus Roffensis, vir juxtà & summæ eruditionis, & integerrimæ vitæ, ac trium præcipuarum linguarum peritissimus: (qui & pariter Assertiones Lutheri contra Leonis Bullam, & librum de abrogandâ Missâ, aliis egregiis commentariis confutavit:) & *Thomas Morus* eques auratus, ac posteà Angliæ Cancellarius, sub nomine *Guillelmi Rossei*, vir multæ famæ, pietatis, eruditionis, & eloquentiæ: uterque palmâ martyrij posteà, ut videbitur, ab eodem Rege perduelle insignitus, quem modò egregium pugilem defendendum susceperant: tantæ denique uterque venerationis, & doctrinæ, atque argumentorum soliditatis, ut neque Lutherus neque Lutheranus ullus ausus unquam sit respondere. Scripsit etiam contra Lutherum egregiè *Ioannes Fabri*, Episcopi Constantiensis tunc in causis Ecclesiasticis Vicarius & Suffraganeus; titulum promeritus *Mallei* in hæresim Lutheri. In quem pariter nihil scripsit Lutherus, præter invectivam calumniosam in præfatione Theutonicâ Ex-

QUI SCRIPSERINT CONTRA EUM.

positionis septimi capitis Epistolæ Pauli Primæ ad Corinthios. Scripserunt item contra eundem fortissimè atque indefessè idem Ioannes Eckius Suevus, & *Ioannes Cochlæus* Norimbergensis, Theologi doctissimi, aliíque quamplurimi singulis annis; quorum nonnullorum fit mentio apud eundem Cochlæum in commentario de Actis & Scriptis Lutheri, & *Gasparem Vlembergium* itidem Germanum in Vitâ ejusdem.

XI. ALIA IMPIA EJUS SCRIPTA, ET GESTA.

Edidit item hoc anno idem hæresiarcha Wittembergæ *Formulam Missæ & Communionis:* quâ abrogato Canone Missæ, arrogavit sibi auctoritatem constituendorum rituum, quam priùs ipse nec summo Pontifici, nec Concilio Generali concedere volebat. In quod ejus facinus, & Catholici ritûs defensionem, scripsit Propugnaculum quoddam clarissimus Theologus Parisiensis *Iodocus Clictoveus*; qui anteà *Antilutherum* quoque scripserat. Ad quorum utrumque perpetuò tacuit Lutherus; cautè dissimulans, nequid eorum Germaniæ plebes, in quas Apostolicam sibi arrogabat auctoritatem, intelligerent. Impatientissimè verò ferens, adhuc Wittembergæ in Ecclesiâ collegiatâ omnium Sanctorum, jussu Friderici Electoris, alioqui Lutheri protectoris, à cujus decessoribus illa fuerat ad hoc erecta, servari antiquos ritus celebrationis Missæ; adeò canonicos illius, literis scriptis, concionibus publicis, verbis privatis, in contemptum etiam Electoris exagitavit; ut demùm ad finem anni proximi coacti fuerint cedere, & Lutheranos ritus recipere. Scripsit item hoc anno ad Waldenses, quos Pikardos vocant, qui in Boëmiâ & Moraviâ morabantur, *De Adoratione Sacramenti*; cùm priùs legationem ab iis accepisset, periculum facturis an inter se convenire possent. Hócque libello Christi præsentiam asseruit in Eucharistiâ, eorúmque rationes diluit, qui contrariam sententiam tuebantur: & quæ alia ipsorum dogmata probaret, vel improbaret, adscripsit. Inter quæ cùm voluit, præstare infantes non baptizari, quàm sine fide propriâ baptizari, Anabaptistarum hæresi de rebaptizatione fundamentum stravit. Meminit quoque ibidem primùm opinionis Berengarij de Cœnâ Domini; antequàm de eâ cum Zuinglio dimicare cœpisset. Vt autem apud Principes & Magistratus sæculares gratiam iniret, libellum quoque edidit *de Communi Fisco*; quo bona Cleri ei addixit, in certos à se assignatos usus impendenda; & monasteriorum demolitionem præscripsit.

XII. ANABAPTISTARUM HÆRESIS UNDE ORTA.

Quod autem ANABAPTISTIS fundamentum prædictâ hujus libelli sententiâ Lutherus straverit; plerique qui de istâ hæresi egerunt, asserere videntur: quamquam sunt qui illam à *Nicolao Storkio*[1], sive *Pelargo* dicto, Cygneæ in Zuiccaviâ non ignobili Silesiæ oppido nato, ortum accepisse scribunt: qui videlicèt cùm initio Luthero adhæsisset, ejus posteà pertæsus, dum ille apud Wartpurgum delitesceret, socios sibi Wittembergæ allegerit Carolstadium, Melancthonem, Didymum, Werstenbergium, aliósque non indoctos viros, insolitis revelationibus & futurorum præsagiis ementitis. Id præcipuè docens, ut omnia scripta tam sacra quàm pro-

[1] *Supr. an. 1522. VIII. Vid. Arnold. Meshov. Hist. Anabapt. lib. 1.*

sana abolerentur; quippe quæ magis ad salutem nocerent, quàm prodessent, satisque esse, eò impunè labi, quò spiritus & interni motus raperent. Hujusmodi Enthusiastas cùm Lutherus è suo recessu Wittembergam rediens, ut vidimus superius, expulisset; Storkius, incertis sedibus per Thuringiam vagans, mirámque sanctitatem præseferens; cùm apud stolidos rusticos fidem invenisset de secretis divinis sibi per Michaëlem Archangelum revelatis; cœpit etiam persuadere, ut repudiatis Pontificiorum, ipsiúsque imprimis Lutheri documentis, qui longè deteriorem tyrannidem quàm Pontifex inducere, ea quæ ipse eis patefacturus esset amplecterentur. Itaque libertatem Evangelicam profiterentur, & rebus mundanis valere jussis, mentem oculósque ad Deum elevarent, séque rebaptizandos sine morâ submitterent; ac tum demùm eos omnes qui huic doctrinæ contradicerent, Magistratus insimul ac Principes, tyrannorum instar, qui nullum in electos Dei imperium habeant, cùm naturâ omnes liberos genuerit ac fratres, nec gravari ab aliquibus voluerit, sed omnia singulis esse communia; igne ferróque ad internecionem delerent: Episcopos & Pastores vel trucidarent, vel finibus suis ejicerent; bona eorum invaderent, monasteria diruerent; & abusus omnes penitùs pessumdarent: hanc Patris supremi voluntatem esse, cui mortalium nulli refragari liceat. Eáque non paucis sacræ Scripturæ testimoniis, ad secreta sua divinitùs inspirata mysteria detortis confirmabat. *Thomam Muntzerum* nactus, hominem Stolbergensem & concionatorem Alstetensem in Thuringiâ, ex sacerdote Catholico doctrinæ non mediocris Lutheranum factum; ejus opera ad dogma propagandum usus est: qui personam enthusiasticam scitè agens, & vitam asperrimam simulans, adeò sectam (quam etiam *Enthusiastarum* appellârunt) dilatavit, ut existimatus à plurimis fuerit ejus auctor: sed ob turbulentissimas conciones quibus homines ad seditiones incitabat, undique profligatus est, donec bellum Rusticorum commovit, de quo dicetur posteà. Scripsit autem adversùs Lutherum acerrimè, tanquàm in nequissimum impostorem, sugillans eum quòd Spiritu Dei careret, & nonnisi carnalia saperet. Sunt tamen qui hujus hæresis auctorem *Balthazarem Pacimontanum* faciunt; rursúmque alij Carolstadium; vel etiam Zuinglium: at ipsimet Anabaptistæ Luthero auctore gloriantur. Quâ de re Prateolus disputat in Hæreticorum Elencho.

DICTI ETIAM ENTHUSIASTÆ.

XIII. VNDE SIC DICTI.

Fuítque hæc una ex tribus præcipuis nascentium eo tempore Sectarum; videlicèt Lutheranorum, Sacramentariorum, (hoc est Zuinglianorum; & Calvinistarum, de quibus posteà) & Anabaptistarum; quarum singulæ deinde in infinitas alias dissectæ fuêre. Dicti *Anabaptistæ*, non ab auctore, ut cæteri, sed à præcipuo dogmate, quo legitimè baptizatos à Catholicis infantes rebaptizabant, cùm facti essent rationis compotes, ut fidem per se profiteri possent, sine cujus propriâ confessione baptismum nihil prodesse asserebant: eò quod dixerit Christus, salvum eum fore qui crederet & baptizaretur; qui verò non crederet, condemnatum iri; sensum Catholicum respuentes. Cæteris item eo pestilentiores, quòd præterquàm cùm Lutheranis legitimum sacrificium & sacerdotium abrogabant, & cum Sacramentariis in Eucharistiâ realem Christi præsentiam negabant; insuper publicum Verbi ministerium tollebant; Deum humanam ex Mariâ naturam suscepisse negabant; Chiliastarum errorem de mille annis post secundum Christi adventum renovabant, omnémque deminatum respuentes, Principes & Magistratus occidendos esse docebant: cunctarum rerum, bonorum, mulierum, etiámque conjugatarum, communionem introducebant. De quibus plura reperiet qui voluerit, apud eundem Prateolum, & Gaulterium; præcipuè verò apud *Arnoldum Meshovium* Lippiensem, qui Historiam Anabaptistarum prolixè conscripsit: & Florimondum Ræmundum in Historiâ de ortu hæresis, multa de iis narrantem aliis intacta. Eorumdémque singularum sectarum argumenta & falsa dogmata, confutanda etiam suscepit ex Lutheranis Conradus Schlusselburgius Saxo in suo Catalogo Hæreticorum, longissimâ disputatione. Ab his autem in rebaptizatione eo differebant antiqui illi Africani, quòd baptismum hæreticorum nullum esse dicebant.

EORUM DOGMATA.

XIV. PRIMI LUTHERI MARTYRES.

Hoc item anno duo Monachi Augustiniani, sectâ Lutherani, Bruxellis in Brabantiâ sub Inquisitore hæreticæ pravitatis Calendis Iulij flammis exusti sunt, primi omnium propter Lutheri hæresim supplicio affecti. Quos idem Lutherus cantico celebravit, & tamquam primos martyres canonizavit. Eorum supplicium non ita placuit ambiguo Erasmo [m]. Sed quid ei in causâ religionis placuit, nisi singula utrobique carpere, neutris adhærere, in omnibus ambiguum esse? Cui nihilominùs hoc ipso anno certamen contigit [n] cum Vlrico Hutteno Lutherano, de quo aliàs quæ utriusque simultas scriptis mordacibus, hinc inde orbi patefacta est. Cæterùm cùm duos prædictos pseudomonachos, Lutheri martyres, *Henricum* & *Ioannem* ipsemet appellet, ac quicumque alij eorum supplicium referunt; & qui etiam cognomina addiderunt, Henricum Voëzium, & Ioannem Eschens vocent, sunt [o] tamen qui unum ex iis fuisse *Iacobum Præpositi*, cujus meminére Lutcemburgius & Prateolus in suis Catalogis sive Elenchis Hæreticorum, existiment. Sed omninò perperam; cum hunc Iacobum longe post hæc vixisse, & Bremæ hæresim propagasse constet [p]: quamvis certum sit, fuisse quoque illum Augustinianum, & Brabantinum, & sectâ Lutheranum. De quo scribunt iidem Lutcemburgius & Prateolus; cùm Lutheri dogmata loco Evangelij disseminasset Antuerpiæ, comprehensum, & ad palinodiam decantandam damnatum: in majori Ecclesiâ Bruxellensi solemnem fecisse suorum dogmatum revocationem; quam verbatim recitant, una cum viginti septem articulis ex Lutheri scriptis excerptis, quos asseruerat, túncque revocavit & damnavit; hæresímque omnem, ac præcipuè Lutheranam anathematizavit. Cùm verò postmodùm in errores pristinos relapsus esset, factum inde esse, ut Fratres

IACOBI PRÆPOSITI HÆRESIS.

[m] *Eras* 21. *p.* 7. & 24. *ep.* 4.

[n] *Id* 23. *ep.* 6. *al M. Laur.*

[o] *Bzov. hoc an.*

[p] *Chytra. Saxon. l.* 10.

illius conventus, quos ille seduxerat, vinculis & custodiis sint mancipati, & conventus ex mandato Hadriani Summi Pontificis apud Antuerpiam funditùs deletus & solo adæquatus. Ita illi. Comitiis autem Leodij [q] celebratis, publicata contra Lutherum & Lutheranos edicta, jussa sunt executioni demandari per universum Belgium: Erardo Marchiano Episcopo, & S.R.E. Cardinale, egregiam ac diligentem in quibuscumque hæreticis persequendis operam nunc & consequentibus temporibus adhibente.

[q] *Chapeavil. in Chron. Leodien.*

XV. PRIMUS GALLIÆ PSEUDOMARTYR LUTHER.

Quo eodem anno *Ioannes Clericus*, Meldensis in Galliâ urbis ad Matronam fluvium sitæ itinere unius diei à Lutetiâ distantis, lanæ carminator, cùm ob vocatum Papam Antichristum, virgis cæsus, & ut à nonnullis additur, lilio quoque candenti frontem inustus; Metas sese recepisset; ibi propter deturbatas noctu in quodam sacello sacras Imagines tormentis subjectus igne periit: quem propterea Beza Genevensium Calvinistarum posteà Calipha, in suis Iconibus primum instauratorem Ecclesiæ Metensis prædicat, eundémque & Meldensis. Quod autem in elogio Iacobi [r] Pavanæ Bononiensis tradit, *Guilelmum Briçonetum* ejusdem civitatis Meldensis Episcopum, cùm cœpisset quoque in Galliis innotescere Lutheri hæresis, primum ausum esse, concionandi munere in suâ diœcesi monachis mendicantibus interdicto, ipsummet veritatem (ita enim hæresim nominant) annunciare, tum per adscitos ex Fabri Stapulensis scholâ quosdam Theologos promulgandam curare: hæc putida sycophantia est cùm econtrà reperiatur [s] idem Guillelmus Episcopus hoc ipso anno Synodum suæ diœcesis convocâsse, in quâ prohibuit sub pœnâ excommunicationis libros Lutheri; & alia pleraque statuit de Invocatione Sanctorum, de precibus pro mortuis, de Iejunio in vigiliâ Corporis Christi, & alia valdè pia contra prava Lutheri dogmata. Sicuti & consequentibus annis Catholicè sempervixisse comperitur: adeò ut siquid peccaverit, citò & emendaverit. Vnde etiam addit Beza, eum tum crucis statim oblatæ metu, tum nonnullorum suasionibus palinodiam cecinisse. Felicem sanè palinodiam, si quid erroris unquam suscepit: quâ multa subinde præstitit, quæ satis cum vindicent ab hæresi, & à favore hæreticis impenso, cujus suspicio prodiit ex conversatione cum *Iacobo Fabro Stapulensi*, (vicus est ignobilis in Picardiâ, unde obscurè natus prodiit) celeberrimo tunc philosopho, ac literis divinis & humanis apprimè exculto, sed nonnullis novitatibus affecto, quarum causâ resectus fuit à corpore Sorbonæ; ac similibus peculiarium opinionum asseclis, quos ipse literarum amore, & curiosâ restaurationis linguarum delectatione, Meldas unà cum eodem Fabro evocavit. In quibus fuêre [s] Guillelmus Farellus Delphinas, Arnoldus & Gerardus Rufi Picardi, homines facundi, & literis eruditi, sed hæresi clàm infecti; quorum manibus prima ejus semina in Galliis jacta paulatim adoleverint: adeò ut primùm Meldis id cœptum tradatur: non parvâ, ut diximus, Episcopi conniventiæ suspicione: qui ad primam commonitionem, ignorantiam perfidiæ cæterorum excusans, eos à se abjecit, & constans in fide usque ad obitum perseveravit. Ex illis autem quatuor qui Meldas profecti fuerant, Arnoldus Rufus resipiscens errorem agnovit. *Farellus* relictâ Galliâ in Helvetiam abiit ad Zuinglium, atque inde Genevam; ubi ejus quæ paulò pòst mutatio facta est præcipuus auctor extitit. *Faber* in Aquitaniam profugiens, Neraci latibulum sibi quæsivit sub Henrici Albretani Regis Navarræ, qui Francisci Regis sororem Margaritam in Matrimonio habebat, favore & patrocinio delitescens; & nescio quam novæ religionis formam commentus, quam ita amplectebatur, ut tamen ab Ecclesiâ Catholicâ segregatus videri nollet: tantò faciliorem aditum apud hos Principes nactus, quòd uterque jam gustum aliquem Lutheranismi accepissent: mortuúsque ibi est anno 1537. *Gerardus Rufus*, quem *Roussellum* Galli appellant, in Germaniam abiit ad Lutherum: indéque reversus in Galliam, prædictam Margaritam adiit, & ab eâ benignè exceptus, atque inter familiares adscriptus, ejusdem posteà favore Abbas Cleriacensis, ac subinde Episcopus Oloronensis factus est, externæ probitatis specie falsam doctrinam contegens, quâ plurimos in ruinam perpulit. De quo rursùm agendum inferiùs; sicuti & de Margaritâ Reginâ.

[r] *Vide infrà an. 1525. XXIV.*

CALUMNIA BEZÆ IN EPISCOP. MELDENS.

[s] *Claud. Rob. in Gall. Christ. in Episc. Meldens.*

DE FABRO STAPULENSI.

[s] *Flor. Rom. de orig. hær.*

FARELLI INITIA.

DE ROUSSELLO.

XVI. ALIA HÆRESIS IN LOMBARDIA.

Exortâ verò præterea in Lombardiâ aliâ sectâ, quæ fidem in baptismo susceptam abnegaret, sanctam Crucem pedibus conculcaret, Sacramentis Ecclesiæ ac præcipuè Eucharistia abuteretur; diabolum in suum dominum & patronum assumeret; eíque obedientiam & reverentiam exhiberet; atque incantationibus, carminibus, sortilegiis, jumenta & fructus terræ læderet, aliáque quamplurima nefanda perpetraret; horum scelerum perquisitionem Hadrianus Papa datis hoc anno vigesimâ Iulij literis [t], Inquisitori Comensi demandavit. Ac Sigismundus [u] Rex Poloniæ Nonis Septembris edictum contra Lutheranam hæresim promulgavit; quo etiam ejus libros & scripta inquiri jussit, & sub pœnâ capitis retineri prohibuit. Ejúsque insuper hortatu celebratâ *Lanciciæ* omnium regni Episcoporum *Synodo*, tam idem edictum, quàm constitutiones Pontificiæ contra eandem hæresim confirmatæ sunt die sextâ Octobris. In Hispaniâ verò apud monasterium Montis Serrati miracula [x] quamplurima hoc tempore recensentur divinitùs facta, in confirmationem pariter fidei quam Lutherani impugnabant.

[t] *Bullar. tom. 1. Hadr. VI. const. 2.*
[u] *Bzov. hoc an.*

SYNODUS POLON. CONTRA HÆRES. LUTHER.

[x] *Astolf. de mirac. B. Virg.*

XVII.

Intereà Ioannes Magnus, (auctor Historiæ gentis suæ Sueticæ quem frequenter superius nominari contigit) qui Romam missus à Stenone Principe fuerat pro gravibus regni negotiis; eo mortuo remissus in patriam cum auctoritate Legati Apostolici ab Hadriano Papâ, cujus olim discipulus fuerat; invenit *Gustavum* regni Gubernatorem [y] Stenonis successorem, non solùm in Regis titulum evectum esse sexto Iunij præsentis anni, verùm etiam Lutheranâ hæresi infectum: cùm, ut narrat [z], quidam *Olaus Petri* Strengenensis ordine Diaconus, ex Wittembergâ, ubi hæresim imbiberat reversus; idoneúmque sortitus discipulum quendam *Laurentium Andreæ* pres-

[y] *Vide suprà an. 1520. VII.*
[z] *Io. Magn. de Vit. Pont. Upsal.*

GUSTAVUS FIT

byterum & archidiaconum ejusdem Ecclesiæ Strengenensis, virum specie & formâ quam virtute religiosum, gloriæ verò & laudis improbè cupidum, atque irâ percitum quod nuper in defuncti Episcopi locum electus non fuisset: ambo simul hæresim introducere cœpissent. Quorum consilio Rex Gustavus persuasus, petiit à Ioanne Legato celebrari Synodum, in quâ sperabant hæresim publicè, ac veluti auctoritate Sedis Apostolicæ, susceptum iri. Sed rem eludens Legatus, cùm magis quæreret modum inde Romam redeundi, à Capitulo metropolitanæ Ecclesiæ electus Archiepiscopus Primas Sueciæ & Gothiæ, diù reluctatus, consensit tandem eâ lege si Rex prædia & possessiones ejus Ecclesiæ occupatas integrè restitueret: quod cùm Rex, ac majora etiam præstare promitteret infelix Ioannes Legatus libertatem, & eximiam promotionem, quam ei, ut ait, Hadrianus Pontifex pollicebatur perplexâ sollicitudine & perpetuis ærumnis commutavit, quas abunde prosequitur. Gustavus autem in Regem hoc anno evectus, haud tamen ante 1528. coronatus est Episcopis priùs in ordinem redactis, & hæresi plenè stabilitâ.

XVIII. [a] *Chytræ. Saxon. l.* 10.

CHRISTIERNUS REX DANIÆ PELLITUR. [b] *Infr. an.* 1532. *IX.*

Quo eodem anno Christiernus [a] Rex Daniæ cùm ob immanissimam sævitiam cunctis summo odio esset, & vocatus adversùs eum fuisset Fridericus Holsatiæ Dux ipsius patruus; malè sibi conscius, nullo defensionis conatu suscepto, mense Aprilis unà cum thesauro, liberis, & conjuge Elisabethâ sorore Caroli Cæsaris, in Belgium navigavit: cùm jam in hæresim Lutheranam lapsus esset. In cujus locum suffectus est Rex Daniæ idem *Fridericus*. Quomodò verò cum Christierno actum post hæc fuerit, dicetur suo [b] loco.

XIX. FOEDUS CAROLI CÆSAR. CUM MOSCOV. [c] *Angler. ep.* 780.

Cùm autem misisset Carolus Cæsar Bartholomæum quemdam oratorem suum ad Basilicum Moscoviæ Ducem schismaticum ac Græcismi sectatorem vehementissimum, pro amicitiâ cum eo ineundâ: rescripsit ille ad Carolum epistolam per uncium suum Iacobum-Ioannis, quam recitat Anglerius [c], datam vigesimo-sexto Iunij; (anni utique superioris, sed receptam Februario præsentis:) quâ post longam titulorum regnorum seriem, offert eandem amicitiam, quam cum avo ejus Maximiliano coluisset in fraternitate & charitate.

XX. BENNONIS ET ANTONINI CANONIZATIO. [cc] *Vid. infr. an. seq. VIII.* [d] *Bull. tom.* 1. *Clem. VII. const.* 1.

INDULTA REGIB. HISPAN. CONCESSA. [e] *Marian. in Summar.* [f] *Bull. tom.* 1. *Hadr. VI. const.* 1.

Romæ Hadrianus Pontifex ultimâ die Maij in festo Sanctissimæ Trinitatis *Bennonem* [cc] Episcopum olim Misnensem in Germaniâ, & *Antoninum* Archiepiscopum Florentinum, miraculis coruscantes, solemni ritu in Sanctorum numerum adscripsit: cùm tamen Antonini canonizatio à nonnullis Clementi Hadriani successori tribuatur, quòd ipse ejus literas [d] promulgaverit. Nihílque omittens, quo charissimo suo alumno Carolo Cæsari paterno affectu gratificari posset, paucis ante obitum diebus diplomate [e] octavo Idus Septembris concesso, Regibus Hispaniæ potestatem fecit legendi Episcopos & præsentandi, quod Regibus Galliæ Leo X. antè concesserat. Dedit [f] etiam, ut trium militarium Ordinum præfectura, S. Iacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, ab aliis Pontificibus ad tempus tradita, deinceps Castellæ Regibus propria perpetuáque esset.

XXI. HADRIANI VI. PONTIF. OBITUS.

Totus autem existens in sanctis cogitationibus Ecclesiam reformandi, ac dissolutos Vrbis mores corrigendi; qui jam plurimos abusus in officiis Curiæ, beneficiorum collatione, reservatione, regressu, committi solitos sustulerat; sumptus superfluos resecarat; Indulgentiarum concessionem coercuerat; ne quod in reliquis cupiebat perficeret, mors importuna obstitit: quæ illum ex hac vitâ sustulit, sive ex renum dolore, quo multis diebus afflictatus fuit, sive, ut nonnulli suspicati sunt, ex veneno: cùm etsi vir moribus sanctus, vitâ integer, doctrinâ illustris, nemini malus, tamen quòd minùs splendidus, & beneficus esset, in negotiis agendis lentus timidúsque, in gratiis concedendis sæpè parùm circumspectus, in æstimandis pretiosis operibus antiquis fastidiosus, in multis aliis subrusticus; denique multa essent eo plerisque ingrata, quòd non fierent ex pristino corrupto usu: si non ab ejusmodi hominibus acceleratus ei fuit vitæ terminus, certè gratissimus extitit, quem mortuum multi contumeliis prosciderunt, qui vivum oderant. Narrátque Iovius in ejus Vitâ, inventum esse Marium Placentinum virum togatum, sacratíque ordinis, qui ex sublatis aut dimidiatis ab Hadriano nonnullorum officiorum redditibus, privatus honestæ vitæ commodis, immane facinus confodiendi ejus animo conceperit: sed cùm egressurum cubiculo aliquamdiu expectasset, sese demùm eodem ferro transverberaverit, sive impetu commotæ bilis, sive atrocioris supplicij timore, quòd rem communicasset, neque ex constituto socius facinoris advenisset. Mortuus est autem *Hadrianus* Romæ in Vaticano decimo-octavo Calendas Octobris; postquam vixisset annos sexaginta quatuor, menses sex, dies tredecim; sedisset annum unum, menses octo, dies sex; ut in ejus sepulchri inscriptione traditur; quod post temporariam apud S. Petrum depositionem, erectum ei est amplissimum in Ecclesiâ sanctæ Mariæ Teutonicorum dictâ de Animâ, à *Guillelmo Enckenvordio* Belgâ; quem ex Episcopo Detrusiensi & Datario suo, in ipsâ suâ ægritudine, paucis ante obitum diebus, vocatis ad se Cardinalibus, Cardinalem Presbyterum tituli Sanctorum Ioannis & Pauli creavit: nullo alio toto Pontificatu ad eam dignitatem evecto; neminéque ex suis ad altiores dignitates aut majora beneficia Ecclesiastica promoto, quòd diceret, nolle se ædificare Sion in sanguinibus; & cupere se homines beneficiis dare, non beneficia hominibus. Posteriori monumento prolixior insculpta est inscriptio: sed priori hæc tantùm,

Ejus EPITAPHIUM.

Hadrianus Sextus hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita quàm quod imperaret, duxit, omninò majorem laudem in minori fortunâ consecutus, quàm cùm altissimum Pontificatûs gradum tenuit. Nec enim doctrinâ & eruditione solâ, vel etiam moribus sanctis tantummodò, indiget sublimis hæc dignitas: industriâ, & rerum usu, imperanti multò magis opus est.

XXII. ALEXANDRINI

Refert Onuphrius, Theophilum Patriarcham Alexandrinum literas ad Hadrianum scripsisse, quibus Sedi Apostolicæ obedi-

PATRIARCH. LEGATIO ROMAM.

iam obsequiúmque detulerit, & Caput Ecclesiæ Catholicæ reverenter agnoverit: quas vir multarum linguarum simul & disciplinarum exactâ cognitione clarus *Hieronymus Aleander*, tunc Pontificiæ Bibliothecæ curator, posteà Brundusinus Archiepiscopus & Cardinalis ex Græco Latinè interpretatus est, & unà cum ipsâ interpretatione in scriniis Pontificiis ad memoriam posteritatis reposuit.

XXIII. [g] Maffei. Hist. Indic. lib. 8.

INVENTIO CORPORIS S. THOMÆ APOSTOLI.

Pertinet quoque ad Hadriani Pontificatûs felicitatem. *Inventio* [g] *Corporis S. Thomæ Apostoli*; quæ jussu Ioannis Regis Lusitaniæ facta est ab Eduardo Menesio Indiarum Prorege per Emmanuelem Friam, in ruderibus antiquæ civitatis Meliaporis, in sacello quodam, ab eodem ipso Apostolo, ut ferebant incolæ, extructo, altissimè defossi in arcâ lapideâ, unà cum lanceæ cuspide quâ martyrium consummavit; & viatorij baculi frusto, ac vase fictili. Inventa quoque fuêre corpora Sagami Regis ab eo ad fidem conversi, & alterius discipuli. Eáque omnia, tunc quidem ibidem honorificentiùs reposita, aliquo pòst tempore delata Goam fuêre, & in Ecclesiâ in honorem Apostoli constructâ apposita. Ipsa verò urbs Meliapor dicta post hæc S. Thomæ, reædificari à Lusitanis cœpit, cùm ob memoriam Apostoli, tum quòd solo opimo, & situ ad commercium apto existat.

XXIV. MEMORANDUM FACTUM CARD. GRIMANI.

Eodem propemodùm tempore quo Pontifex Hadrianus, obiit quoque Romæ sexto Calendas Septembris *Dominicus Grimanus* Venetus Cardinalis Episcopus Portuensis & Patriarcha Aquileiensis, æternâ memoriâ dignus, vel ob exhibitum parenti, debitum quidem naturâ, sed tamen rarum exemplo obsequij officium, omninò hîc tam ejus intuitu, quàm paternæ fortunæ varietatis, inserendum. Erat is *Antonius Grimanus* de quo aliàs [h]: qui cùm ob rem contra Turcos in Græciâ potiùs non benè quàm malè gestam, severitate magis quàm æquitate suæ Reipublicæ, in carcerem Venetiis celebri juxtà ac lugubri spectaculo, à rerum capitalium ministris venerandus senex duceretur; in communibus plerorumque lacrymis mœstissimus filius in ipsâ purpurâ Cardinalis afflictissimi patris compedum [i] pondera, dum scalas ascenderet, sacratis manibus sustinuit. Cùm patris loco in vincula conjici postularet, divulsus ab eo publicorum ministrorum operâ, precibus rursùm contendit ut parenti in carcere inservire permitteretur. Relegatum deinde, Romæ recepit: donec extinctâ Venetiis invidiâ revocatus Antonius, etiam post obitum Lauredani Ducis, miro Patrum consensu jam nonagenarius Dux seu Princeps creatus est, mirâ fortunæ varietate. Gesto principatu viginti ferè mensibus, defunctus est hoc ipso anno, quo & filius: & *Andreas Gritus* in ejus locum Princeps renunciatus.

[h] Supr. an. 1499. V.

[i] Iovi. in Elog. lib. 5. Iustin. l. 12. Addit. in Ciaccon. in Alex. VI. & Domin. Grim.

XXV. DISSIDIŨ CONCLAVIS.

Sacris exequiis Hadriano defuncto exolutis, Cardinales conclave ingressi, ut plerumque solemne habent, in duas præcipuas factiones divisi sunt; seniorum alteram duce Pompeio Columnâ, alteram juniorum Iulio Mediceo inhærentium: quorum uterque vehementi nisu Pontificatum ambiebat, aut omninò sibi, aut saltem alij sibi devoto, & æmulo contrario, cùm essent jam anteà infensissimo invicem animo. Post longas demùm altercationes, prensationes, comminationes, promissiones, (de quibus Guicciardinus [k], Iovius, Onuphrius, Massonus, alij) Caroli Cæs. interveniente auctoritate, vicit tandem ditior pars & potentior, haud adeò honestis modis; ac tædio ferè magis plurimorum, diuturnâ quinquaginta dierum inclusione defatigatorum, & diuturniorem incommodo hiemis tempore reformidantium, quàm integro animi affectu. Creatúsque est decimo-tertio Calendas Decembris omnium Cardinalium, (qui aderant numero præter ipsum duodequadraginta) atque imprimis ipsiusmet Columnæ, timentis sibi à Francioto Vrsino inimico aperto, quem Iulius spe electionis propriæ destitutus obtrudere decreverat, suffragio, idem ipse *Iulius* Mediceus, ex Presbytero Cardinale Sancti Laurentij in Damaso, & Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellario: patriâ autem Florentinus, patréque Iuliano; qui conjuratione [l] Pazzorum cæsus, matrémque istius Iulij, haud certam, nec propalàm legitimam uxorem, gravidam eò reliquerat. Posthumus igitur natus septimo Calendas Iulij ejusdem anni, professúsque primò Ordinem Militiæ Rhodiensis, deinde à Leone X. patruele Archiepiscopus Florentinus designatus, móxque Cardinalis creatus, Pontificatûs molem sub eo sustinuit, unde auctoritas & opes maximæ ei accessêre. Cúmque eo defuncto prensatione Pontificatûs decidisset, meliori jam sorte eum adeptus est, annum agens ætatis quadragesimum-sextum; vir naturâ gravis, diligens, & assiduus, à voluptatibus alienus, multarum rerum scientiâ notitiáque excellens, rei militaris peritus, nec literarum rudis. Voluit proprium Iulij nomen retinere: sed religione nonnullorum admonitione tactus, quod omnes qui non mutâssent, brevî mortem oppetissent, CLEMENTIS VII. appellationem assumpsit; nullâ habitâ ratione illius, qui in Schismate contra Vrbanum VI. id nominis tulisset. Eáque unâ nominis professione, ut Iovius ait, tanquam edicto, inimicos adversariósque omni metu liberare voluit. Accepto item signo sive symbolo, *Domine* [m] *refugium factus es nobis de generatione in generationem*; coronatus est ad Sanctum Petrum sexto Calendas Decembris.

[k] Guicciard. l. 15. Iov. in Vit. Pomp. Colum. Onuph. in Vit. Clem. VII. Masson. in Clem. VII.

IULIUS MEDIC. CREATUR PONTIFEX.

[l] Supr. an. 1478. V.

CLEMENTIS VII. NOMEN ACCIPIT.

[m] Psal. 89.

XXVI. DE NICOLAO SCHOMBERGO.

Præter autem Cardinales, qui in tam diuturnis Comitiis propositi sunt ad electionem, reperimus [n] etiam aliquando à nonnullis nominatum extra collegium, summæ virtutis virum *Nicolaum à Schonberg* nobilem Suevum Ordinis prædicatorum, (cujus habitum vidimus [o] suscepisse olim ab Hieronymo Savonarolâ) factum à Leone X. cui summè charus fuit propter dexteritatem & in rebus gerendis prudentiam, Archiepiscopum Capuanum; parúmque abfuisse, quin acceptus fuerit. Qui Clementi intimus, & fidissimus tum in prosperis, tum in adversis consiliarius, aliquibus etiam magni momenti legationibus operam præstitit: eóque mortuo fuit iterùm ab aliquibus ad Pontificatum postulatus: demúmque à Paulo III. inter primos creatus Cardinalis.

[n] Nomencl. Cardin. in Paul. III. Addit. ad Ciaccon. ib.

[o] Supr. an. 1497. V.

XVII. SCHISMA ECCLES. CŌSTANTINOPOL.

[p] Suprà an. 1521. XV.

In Patriarchatu verò Constantinopolitano fuit hoc tempore dirum schisma. Dum enim Ieremias [p] Ierosolymam ad Sepulchrum Dominicum visitandum peregrinaretur, nonnulli ex Clericis qui eum comitabantur, dissensione exortâ, è Cypro Constantinopolim regressi, alium in ejus locum intrudi curârunt, facto Charatzij sive tributi annui Sultano pendendi augmento quingentorum aureorum; ut jam esset quatuor millium. Electúsque est *Ioannicius* metropolita Sozopolitanus. Verùm cùm nobilitati & populo, necnon plurimis è clero execrationi esset, etiam à Ieremia, ubi rem audivit Ierosolymis, junctis cum ipso cæteris tribus Patriarchis Orientis, qui ad eum convenerant, excommunicatus dirísque devotus est, unà cum illis quorum suffragiis thronum invaserat. Deinde reversus Ieremias Constantinopolim, favore Ibraimi Bassæ amici sui restitutus est, ejecto Ioannicio: eâ tamen conditione ut quingentos illos aureos, quos Ioannicius addiderat, penderet. Quod cùm Ieremias recusaret, & potiùs Patriarchatu abire contestaretur; populus tamen id approbavit, & Ieremiam ingenti gaudio in throno collocavit. Ioannicium autem urbe expulit: qui paulò pòst in excommunicatione mortuus, ceu tympanum inflatus [q] repertus est; ut hæc pluribus narrantur à Malaxo [r] in Serie Patriarcharum Constantinopolitanorum. Erat porrò adhuc hoc anno Patriarcha Latinus Constantinopolitanus, Marcus Cornelius Venetus Cardinalis. Cui anno sequenti defuncto suffectus est *Ægidius* Viterbiensis Ordinis Sancti Augustini æquè Cardinalis, virque doctissimus.

[q] Vide suprà an. 1476. XX.

[r] Turcogr. lib. 2.

IESU CHRISTI Annus 1524.

CLEMENTIS VII. An. 1.

CAROLI V. An. 6.

I. CLEMENS PACIS STUDIOSUS.

ANNO Christi 1524. Indictione duodecimâ, Clemens novus Pontifex, à Carolo Cæsar. & Francisco Rege Galliæ per legatos salutatus, cùm etiam singuli eum sibi adjungere studerent, ipse haud deinceps unius magis quàm alterius partis studiosum se ostendere decrevit; sed ut patrem communem decebat paci conciliandæ operam dare. Quod consilium Regi, qui ne Pontifex factus eodem in se quo Cardinalis fuerat animo esse metuebat, gratum; Cæsari, cui ob superiorum temporum necessitudinem, & quòd in Pontificatu adipiscendo ei favisset, illum abs se disjungi iniquum videbatur; molestissimum extitit.

II. GALLI ITALIA PELLUNTUR.

Cùm verò intereà Cæsariani duces, unà cum perduelle Borbonio, depellendo Insubriâ Boniveto Gallorum exercitûs ductore consultâssent; collectis copiis rem facili negotio unà cum Venetorum auxilio executi sunt; cùm ipse Bonivetus, & suâ imprudentiâ, quâ veteranos milites in Galliam remiserat, & proditorum exercitûs sui perfidiâ, qui quicquid in eo fieret singulis ferè horis Borbonio significabant; sed & Helvetiorum subterfugiis: ac denique tarditate & cunctatione equitatus, quem Rex in auxilium immiserat; in arctum redactus, in Galliam regredi decrevisset. Levi certamine ad Eporediam, dum gradu militari incederet lacessitus, primâ impressione sclopeti glande in brachium ictus, ne in Borbonij hominis inimicissimi manus incideret veritus, Baiardum generosum illum ducem reducendi exercitûs curam suscipere rogavit. Cui Baiardus, si rebus integris munus hoc sibi denegâsset, consultius futurum fuisse exprobrans; fortem nihilominùs operam præstare suscepit: & Boniveto lecticâ se subducente, ipse unà cum Cabaneo Vendinesso Marescalli Palissæ fratre, postremam aciem, quam hostes lacessebant; cum fortissimis equitum claudentes; hostes quidem distinuerunt, ut reliquo exercitui negotium facessere ultrà ausi non sint; verùm utroque sclopetorum glandibus icto, Cabaneus illicò mortuus est: Baiardus ex equo exceptus, ad quercum ore ad hostem converso deponi se voluit. Quod audiens Borbonius, ad eum accedens, plurimùm se ejus infortunio commoveri dixit, quòd vir fortis, dum stolidi hominis imperio pareret, cui imperare debuerat, in eum casum incidisset. Cui Baiardus, nullâ se commiseratione egere respondit, viri boni officio functum: patriæ quam dedisset vitam restituere, popularibus suis tanto discrimini ereptis: Ipse verò Borbonius consideraret quam piè faceret qui arma contra patriam ferret: Si ei justam fortassè Rex causam præbuisset, Gallia naturalis patria quamnam dedisset? Themistoclis, Coriolani, Cæsaris, ac cæterorum qui armis patriam vexárunt, exitus perhorresceret. Erat enim Baiardus bonis literis tinctus; quem Laurentius Alemandi Gratianopolitanus Episcopus avunculus ejus optimè instituendum curaverat. Fuit autem ejus corpus Gratianopolim delatum; sepultúmque in conventu Minimorum, ab eodem ejus avunculo ibi fundato; in quo dicunt servari Pallium Sancti Francisci de Paulâ, quo fretum Siculum tranavit.

BAIARDI FORTIS OBITUS.

III. AGITUR FRUSTRA DE PACE AUT INDUCIIS INTER REGES.

Miserat initio anni Clemens ad Cæsarem, Regéisque Galliæ & Angliæ, legatos, qui pacem inter ipsos aut inducias conciliarent. Et induciis quidem Gallus in biennium assentiebatur; pacem; quòd eam æquis conditionibus obtinere non speraret recusabat. Cæsar autem inducias, quibus Rex tempus haberet sese ad novum bellum comparandi, improbans, pacem solidam exoptabat. Rex Angliæ ambitiosis consiliis *Thomæ Volsæi* Cardinalis Eboracensis (qui verè immoderatissimæ superbiæ exemplum, etsi inter infamæ sortis homines sordidissimis parentibus natus, tantam paulatim apud eum Regem, ingenij sui acumine, & inventionum facilitate, variisque ac multiplicibus artibus, auctoritatem est consecutus, cùm esset quoque literis apprimè excultus, ut non solum multas Ecclesias præter Eboracensem metropolitanam, & Cancellariatum regni obtinuerit, verùm etiam Cardinalis factus fuerit & Legatus Angliæ; quinimmò & mortuo Leone X. Pontificatum sperare ausus sit: denique in tantam potentiam apud Regem suum pervenerit, ut quamcum-

VOLSÆI CARD. ANGLI IMMODERATA POTENTIA.

que Regis voluntatem ejus consensu non confirmatam, nullius momenti, & contrà quicquid solus Volsæus statuisset, firmissimum esse omnibus esset notissimum) impulsus, qualemcumque pactionem inter Cæsarem & Gallum, quæ Pontificis operâ fieret, molestam habens, negotium totum ad se deferri cupiebat. Quamvis hanc cogitationem tam Rex quàm Cardinalis apud Cæsarem dissimulantes, se belli Galliæ, quam Angliæ Rex antiquis rationibus ad se spectare aiebat, inferendi cupidos ostenderent: ut scilicèt cùm ob difficultates id conficiendi, rerum necessitas pacem inductura esset, arbiter ejus inter Carolum & Franciscum Henricus Rex Angliæ fieret; magnâ Eboracensis, à cujus nutu ipse pendebat apud cunctos mortales gloriâ. Hoc enim Eboracensis consilium fuisse, Guicciardinus [a], & ex eo Belcarius [b] tradit.

[a] Guicc. l. 15. [b] Belcar. l. 18.

IV. CÕSILIA CÆS. ET ANGLI CONTRA GALL.

Igitur cum Anglo Cæsar convenit, ut Borbonius Provinciam, tanquam ipsi nescio quo jure debitam invaderet, & Regem Angliæ, Regem etiam Franciæ agnosceret; Cæsar eodem tempore ex Hispaniæ finibus bellum Galliæ inferret; Anglus pecuniam in sumptus belli suppeditaret; vel & ipse cum potenti exercitu in Galliam transiret. Sed non tam facile fuit ista exequi, quàm proponere. Borbonius Angliæ Regem etiam Galliæ agnoscere constanter recusans, (quod unicum exhibuit toto sui perduellionatûs tempore animi Francici signum) in Provinciam cum exercitu Cæsareo Italo ingressus, Aquassextias, & nonnulla alia minoris momenti oppida deditione accepit. Massiliâ magis ex voluntate ducum Hispanorum, cui obnoxius miser erat, quàm suâ, qui potiùs in regni interiora penetrare, dum adhuc Rex imparatus erat, censebat, terrâ marique obsidione cinctâ; post quadraginta dierum inutilem oppugnationem, metu perterriti advenientis Regis obsidionem solvêre, & magnâ celeritate Italiam repetiêre. Quos Rex absque morâ insecutus, (quamquam imminente jam hieme, medio videlicèt Octobri, id parùm matri probaretur) eodem fermè tempore quo ipsi in Insubriam intravit: Mediolanóque potitus est absque ullâ clade; arce exceptâ, in quâ erant septingenti Hispani pedites. Qui si mox hostium exercitum de viâ lassum persecutus fuisset, certò creditum est eum debellaturum fuisse. Sed sive quòd Mediolanum, quæ civitas semper maximè ipsi obstiterat, sub imperio suo confirmare magni momenti esse duceret; sive quòd occasionem non agnosceret; sive à Boniveto, cujus præcipua erat apud ipsum auctoritas, contra cæterorum ducum sententiam, dissuasus; aut denique quâvis aliâ causâ motus, aliquamdiù circa Mediolanum hæsit: quamvis neque ipse civitatem ingressus sit, neque exercitum ingredi voluerit; magnâque modestiæ ac benignitatis cum laude, nequis Mediolanenses læderet, imperaverit. Postea verò Ticinum, sive Papiam consilio Boniveti exercitum ducens, ubi erat Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis unà cum Antonio Leva Hispano duce strenuo, & validissimo equitum peditumque præsidio; urbem

REX FRANCISCUS MẼDIOLANŨ OCCUPAT.

PAPIAM OBSIDET.

quinto Calendas Novembris circumsedit. Post tentatam verò oppugnationem, haud pronam fore expugnationem animadvertens, ac nihilominùs obsidionem prosequi statuens; interim sive ad avertendum ab auxilio inferendo exercitum Cæsarianum, sive quòd regnum Neapolitanum præsidiis destitutum, facile occupatu existimaret; partem exercitûs cum Albaniæ Duce Scoto immisit: nequicquàm inter hæc satagente per Nuncios suos Clemente Pontifice pacem aut longas inducias inter partes, uti pater communis, æquis propositis conditionibus componere: ducibus Cæsarianis Lanoio Prorege & Piscario, pro suâ modestiâ & religione conquerentibus maximè, quòd Clemens communis patris personam agere, quàm Cæsarianam, quam olim induerat, retinere eligeret, nec arma ad ipsorum arbitrium in Gallos moveret. Quæ usque ad finem præsentis anni gesta, quomodò se habuerint, nullos habeas qui sinceriùs narrent, Guicciardino [c] qui præ oculis habebat; & Belcario, qui fratrem habuit in exercitu Francorum, nec sanè Francis parcere didicit. De quibus aliísque per Italiam gestis, sunt etiam diversæ literæ in tomo vulgato Epistolarum ad Principes. Quæ verò prætereà Cæsar & Anglus in Galliam machinati fuerant, in auras abierunt.

[c] Guicc. & Belcar. ibid.

V.

Quod res Fidei spectat; cùm audîsset Clemens, Imperialia Comitia rursùm haberi Nurembergæ, ad principium anni misit eò Legatum Laurentium Campeium Bononiensem Cardinalem, virum pietate, prudentiâ, doctrinâque non vulgari præditum. Cui adventanti cùm omnes ferè Principes; ipséque Ferdinandus Archidux Cæsaris absentis frater & vicarius, honoris causâ obviam processissent, rogârunt tamen ne solitis ac solemnibus Legatorum cæremoniis urbem ingrederetur, quòd multi jam è vulgo Lutheri doctrinam amplexi essent; à quibus contumelia potiùs quàm reverentia deferri posset. Igitur insignibus depositis, communi vestitu ingressus est. Cùm autem in consessu perorâsset nomine Pontificis contra sectam Lutheranam, & ut sententia Leonis X. atque decretum Cæsaris Wormatiæ promulgatum, executioni demandarentur, petiisset: paritérque orator Cæsaris ex Hispaniâ missus, quòd id hactenùs actum non esset, ejus nomine questus fuisset: nihilominùs distractis jam Principum & Ordinum animis in diversas religionis opiniones, haud quid aliud factum est, quàm ut decerneretur, agendum esse cum Pontifice Cæsaris & communi Ordinum nomine, ut quamprimùm fieri posset in Germaniâ liberum & Generale Concilium indiceret, cujus auctoritate definirentur ortæ de Religione controversiæ. Novum verò Conventum Spiræ habendum ad festum Sancti Martini diem undecimum Novembris, in quo maturè deliberandum esset, quomodò se habere quilibet deberet interim dum res per Concilium definiretur: examinarentur à viris doctis Lutheri aliorúmque novatorum libri, & quæ tolerari non possent secernerent: Wormatiense verò decretum, quantum pro ratione temporis fieri posset, observaretur. Promulga-

[d] Quæ sequuntur, narrantur pleniùs ap. Cochl. de Act. Luth. Vlemberg. in Vit. Luth. Florim. de orig. hær. l. 1. Sur. in comment. Pontan. in commentar.

COMITIA NUREMBERGENSIA DE FIDE.

IMPROBANTUR À PONT. ET CÆS.

to ejusmodi edicto die decimo-octavo Aprilis cùm minimè placeret Pontifici, ita Principes sibi auctoritatem in res fidei arrogare, Cæsarem monuit, ne permitteret novum illum Spirensem conventum celebrari, sed rerum definitionem Sedi Apostolicæ permitteret. Idque Cæsar præstitit, datis, literis decimo-quinto Iulij Burgis in Castellâ; quibus non solùm prohibuit omninò fieri Spiræ conventum, verùm etiam Nurembergense decretum penitùs rescidit; ac nequid sine Sedis Apostolicæ auctoritate, suóque consensu, de rebus ad fidem pertinentibus statueretur, interdixit.

ITEMQUE À LUTHERO.

Similitérque ex aliâ parte Lutherus idem Nurembergense decretum impatienter ferens, quòd ejus doctrina in dubium revocaretur; scriptum virulentissimum edidit, quo tam illud quàm Wormatiense tantâ animi impotentiâ exagitavit, ut & ipsum Cæsarem ac cæteros Principes homo maledictis fœcundissimus porcos, lupos, asinos, temulentos, stolidos, fatuos, furiosos moriones, appellare non dubitaverit: rogarétque omnes ne ullâ ratione sequerentur eos vel ad pugnandum, vel ad contribuendum contra Turcos, quandoquidem Turci decuplo prudentiores & justiores essent, quàm Germani Principes.

VI. CONVENTUS RATISPONÆ CATHOLICORUM.

Post soluta verò Comitia Nurembergensia, Ferdinandus Archidux & Campegius Legatus, antequàm aliquid de Cæsaris revocatione accepissent, operæpretium rati si convenirent separatim Principes quidam & Episcopi, quorum sincerus esset in fidem Catholicam affectus; conventu Ratisbonæ habito circa festum S. Ioannis Baptistæ, cui præter Ferdinandum & Legatum, interfuerunt Cardinalis Archiepiscopus Saltzburgensis, Duces Bavariæ fratres, Episcopi Ratisbonensis & Tridentinus, atque legati quorundam aliorum: facto quodam inter se fœdere die sexto Iulij, nonnulla saluberrimè decreverunt pro executione Edicti Wormatiensis; conservatione rituum pristinorum in administratione Sacramentorum; repulsione illorum qui in Studiis hæreticorum literis operam darent, ab omnibus beneficiis; & ut sicuti horum fœderatorum propter istiusmodi decretum molestia crearetur, opem sibi ferrent mutuò. Vtque acceptior conventus iste apud omnes esset, intelligeréntque cuncti quàm Pontificis & Legati animis, morum Cleri reformatio, de quorum corruptione Lutherani conquerebantur, inhæreret; promulgavit in eo Nonis Iulij Campegius Legatus, comprobantibus cæteris qui aderant, amplam Constitutionem [c] triginta septem capita complectentem, pro Cleri Germanici reformatione & multorum abusuum remotione: quibus spes etiam fieret cæterorum quoque, ac præcipuè Romanæ Curiæ reformationis.

[c] *Ext. in Tom. Concil. edit. Colon. in Clem. VII.*

ALIUS SPIRÆ LUTHERANORŨ.

Ex adverso autem legati Civitatum contagione Lutheranâ infectarum, eodem mense Iulij Spiræ pariter convenientes, quòd ex decreti Nurembergensis eâ parte, quâ librorum examinatio injuncta erat, sperarent ex variis consultationibus singularum civitatum unum aliquod scriptum confectum iri, quod generali conventui Spirensi, quem futurum arbitrabantur, nomine omnium offerretur: statuerunt ut ab ipsarum concionatoribus diligens fieret selectio capitum religionis de quibus controvertebatur, déque iis sententiam suam Senatui explicarent. Quem tamen eorum laborem inutilem tunc reddidit prohibitio quam diximus Cæsaris.

VII. LUTHERANI PELLI EX BOEMIA JUBENTUR.

In Boëmia Lutheranis progressum facientibus, indéque ortis contentionibus gravissimis de fide ac religione; Ludovicus Rex ex Hungaria edicta mandavit, ut omnes Lutherani & Pikardi expellerentur. Idque de nonnullis factum est, qui propter blasphemias in Deum, Sanctos, Sacramenta, Ecclesiam, prolatas, carcere diù detenti fuerant. Quæ singillatim descripta habentur in tractatu [f] De casibus & Seditionibus communitatis Pragensis sub Ludovico Rege.

[f] *Tom. Rer. Boem. post Dubrav. Boëm. Pia lib. 7.*

VIII.

Cùm autem essent sacræ *S. Bennonis* Misnensis olim Episcopi, qui tempore Gregorij Papæ VII. & Henrici IV. Imperatoris vixerat [g], fuerátque anno superiori, ut vidimus, ab Hadriano [h] Papâ solemni ritu in numerum Sanctorum relatus, Reliquiæ ex vetusto terræ tumulo elevandæ, atque venerationi exponendæ, cum festi annui in eâ civitate celebratione: (quod Episcopi tunc sedentis Ioannis a Schleinitz viri nobilis juxtà piique, & Georgij Ducis Saxoniæ pij item Principis, in cujus ditione civitas Misna erat, diligenti operâ factum est 16. Maij:) impius Lutherus ira invidiáque accensus, quòd vereretur ne hujusmodi solemnitas nocitura esset ejus novitatibus convitiosissimum edidit libellum Teutonicum, hoc ex inferno stomachi sui eructato titulo, *Adversus novum idolum & antiquum diabolum, qui Misnæ exaltandus est.* Quanta autem in eum Sanctum convitia evomuerit, (præter calumnias & opprobria in Gregorium quoque VII. sub quo vivebat, & Hadrianum VI. à quo canonizatus est, necnon in S. Thomam Aquinatem, aliósque Sanctos) horrendum est enarrare, & ex ipso libelli titulo conjicere licet. Qui tamen non id assecutus est quod cupiebat, scilicèt ut averteret populos a concursu ad celebritatem: quippe tanta fuit eorum frequentia, ut Deus ipse visus sit piâ ipsorum devotione scelestos ejus conatus irridere. Ad illas autem ejus calumnias graviter & eruditè respondit pariter Teutonicè Hieronymus Emserus, qui & vitam Sancti Bennonis longè priùs eleganter descripserat libro Latino, antequàm Lutheri impietas fuisset orbi nota.

[g] *Vide Epist. Baron. an. 1117. II.*
[h] *Extat ejus constit. tom. 3. Bullar. in Append.*

LUTHERI RABIES CONRA S. BENNONEM.

IX. ERASMI ET LUTHERI CERTAMEN DE LIBERO ARBITR.

Hoc item anno certamen exarsit inter Erasmum Roterodamum & Lutherum, de Libero hominis Arbitrio; aggressore Erasmo, qui Regis Angliæ & Cardinalis Volsæi hortatu tractatum hoc anno mense Octobri adversus Lutherum de eo religionis capite edidit, cui titulum fecit *Diatribe*, hoc est exercitatio, sive collatio: quâ inter cætera, cùm ingentem Græcorum Latinorúmque Patrum copiam testimoniorum pro Libero Arbitrio proferret, lectorem provocavit ad expendendum, utrùm plus tribuendum esset tot eruditorum, tot Orthodoxorum, tot Sanctorum, tot Martyrum, tot veterum ac recentium Theologorum, tot Academiarum, tot Conciliorum, tot Episcoporum & Summorum Pontificum præjudiciis, an unius vel alterius privato judi-

cio. Quem libellum cùm Latine scripsisset, non ad indoctam plebem Germaniæ, cui maximè incubabat Lutherus, ubi tamen in Germanicam quoque linguam ab Emsero & Cochlæo versus fuit; tum demum Lutherus, qui diù ad eum tacuerat, anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto, mense Aprili scriptum valdè prolixum opposuit *de Servo arbitrio*: à multis, & multo tempore, ut Erasmus pòst objecit, elaboratum. Quo quidem, quamvis ut Erasmo scientiæ famam & auctoritatem adimeret, gravissimis eum oneraverit calumniis; non tamen denegavit modestiam, ingenium, & eloquentiam, sed sibi scientiam & spiritum arrogans. Haud sanè inscitè in fine eum reprehendens, quòd se nihil asseruisse in causâ scripsisset, sed tantùm contulisse. Ita enim fere semper in plerisque religionis dogmatibus dubium & ancipitem se Erasmus exhibuit, ut ne quidem magis Pyrrho, qui nihil affirmare, & de cunctis ambigere docebat. Lutherus autem non conferre, sed asserere se ait. Nec quidem malè, si rectam fidem sustinuisset, in quâ nihil est hæsitandum. Sed mox consuetam arrogantiam exerens declaravit, de eo quod asseruisset, penes nullum velle esse judicium, sed omnibus suadere ut præstarent obsequium. A cujus calumniis & argumentis se mox Erasmus vindicans in *Hyperaspiste*, hoc est Defensore Diatribæ suæ; inter alia objecit, esse in Lutheri libro multa prorsùs aprosdionysa, & supervacanea, multas in locis communibus moras, multum convitiorum, multa manifestæ vanitatis, multum stropharum, multa parùm prudenter detorta ac depravata, & ex depravatis tragicas conclusiones, rursùm ex his vociferationes in immerentem. Deinde demirari se ait; cùm ipsius Diatribe nihil haberet, nisi moderatam de re disputationem; cúmque è propinquo allatraret Hieronymus Emserus, è longinquo Ioannes Cochlæus adjurgaret; ex Angliâ, præter Rosseum & alios, Ioannes Episcopus Roffensis, justis voluminibus eum lacesseret; è Galliâ Iodocus Clicthoveus eumdem oppugnaret Antiluthero; ex Italiâ Christophorus Longolius elaboratam orationem in eum torsisset, denique cùm haberet ex suæ sodalitatis coryphæis qui ei sedulò facesserent negotium, quorum Vlricus Zuinglius edito libello nequaquàm edentulo, dogma ejus de Eucharistiâ oppugnaret; cùm idem fecisset Capito, & Ioannes Oecolampadius, nullis quidem convitijs, sed crebrioribus & acrioribus machinis: ad omnes tamen illos obmutescens, ipsius Erasmi Diatribæ respondendum putârit. Respondens verò diligentiùs ad illa quæ Lutherus objecerat, eum variis modis exagitavit. Sed hæc, ut diximus, post biennium, cœpto jam Bello Sacramentario, cujus meminit. Suntque præterea de hâc Erasmianâ disputatione aliquot ejusdem Epistolæ [i] ad diversos scriptæ; cùm etiam eum Lutherus posteà placare conatus esset. Conradus autem Schlusselburgius [k] Saxo Lutheranus, in suo Catalogo hæreticorum, hoc est eorum qui à Luthero dissentirent, Erasmum etiam collocans ob prædictam disputationem & assertionem Liberi Arbitrij, cujus statum suo modo statuit, ut posset liberiùs eam confutare; auctorem constituit *Synergistarum*, sive Cooperatorum; à cooperatione cum gratiâ Dei quam ipse abjicit & longissimâ disputatione Erasmi argumenta convellere nisus est.

[i] *Eras. Ep. lib.* 19.

[k] *Schlusselb. lib.* 5.

X. BELLUM SACRAMENTARIUM.

Sed atrocius ac diuturnius fuit Bellum illud SACRAMENTARIUM quod hoc item anno inter eumdem Lutherum & Carolstadium exortum est. Cujus rei extant Gesta, & Dialogus inter eos habitus Ienæ in Thuringiâ mense Augusti; adeò sanè scurriliter & nugatoriè in re tam gravi sese gerentes, ut etiam cum paciscerentur de adversis scriptis pro suâ cujusque opinione promulgandis, Lutherus florenum aureum ex marsupio erutum in arrham pactionis Carolstadio dederit, eidémque præbiberit, Carolstadio & aureum accipiente, & æqualem haustum generosè bibente. Ab hujusmodi temulentis quis sobriam doctrinam expectare possit? Cardo discriminis erat, quòd uterque recedens à doctrinâ Ecclesiæ Catholicæ de Transubstantiatione, Carolstadius renovatâ infaustâ antiquâ Barengarij hæresi, negabat Christi corpus esse præsens in Eucharistiâ; illud Hoc in verbis Domini exponens insulsissimè, Hoc corpus meum, quod hîc assidet mensæ; non autem, sub panis specie contentum: Lutherus unà cum pane & vino verum Christi corpus & sanguinem haberi dicebat; nempè, ut loquebatur, In pane, vel Cum panè; aut Sub pane. Quibus inde se ex compacto contrariis scriptis dilacerare, ac mutuum se confodere incipientibus; mox Lutherus, contrà quàm stipulatus fuerat nullum se Carolstadio contrà se scripturo impedimentum objecturum, nihilominus quia paulò pòst Orlamundæ, ubi Carolstadius pastorem agebat, irreverenter adeò exceptus fuisset, ut in disputatione à quodam sutore in arctum redactus, parum abfuisset quin lapidibus & luto à civibus obrueretur apud Principes Saxoniæ egit, ut non solùm Orlamundâ, sed etiam totâ eorum ditione miser Carolstadius pulsus sit: Eumdémque profugum, & incertis sedibus oberrantem, scriptis & calamo acerbè persecutus est; adeò ut cùm audisset Argentinæ receptum fuisse, datis ad illius urbis Senatum literis: inde quoque eum exturbare conatus fuerit. Hócque initium fuit Belli Sacramentarij: quod auctum deinde est novis Zuinglij & Oecolampadij, de quibus dicetur anno sequenti, adinventionibus; atque in immensum Calvini & aliorum deliriis, quæ suis item locis explicabuntur. Cujus belli Historiam scripsit ex ipsismet hæreticis Ludovicus Lavatherus Tigurinus: ac Sacramentarios inter hæreticos reponit prædictus Conradus Schlusselbergius [l] Lutheranus, eorúmque rationes & argumenta confutanda suscepit. Egerúntque de eorumdem cum Lutheranis certaminibus, ex Catholicis, Lindanus, Hosius, Sanderus, Prateolus, Cochlæus, plurimi alij.

CAROLSTADIUS DIRE EXAGITATUR A LUTHERO.

[l] *Schlussel. lib.* 3.

XI. LUTHERUS DEPONIT HABITUM MONACHALEM.

Intereà verò Lutherus, qui licèt ab annis aliquot Monasticen imprimis infestè oderat, omnésque passim utriusque Sexûs monachos ad deserendum institutum ardenter incitarat, nec tamen ipse habitum Augustinianæ professionis hactenùs abjecerat; tandem hoc anno

Dominicâ vigesimâ post festum Trinitatis, nono Octobris (quidam habent in festo omnium Sanctorum; sed Lutherani [m] nonum Octobris signant:) abjecto cucullo habitum sæcularem sumpsit, togam scilicet paulum infra genua dependentem, factam ex panno nigro texturæ Anglicanæ satis pretioso, quem illi Fridericus Elector donaverat. Ac simul cum veste deposuit siquid reliquum erat moderationis, ut ex iis quæ post hæc dicentur intelligetur.

[m] Bucholcer. in Indic.

XII. LUTHERANI QUÆRUNTUR AD POENAM.

Hoc verò anno, quòd Henricus Zudphaniensis Prior Augustinianorum Antuerpiæ, qui in hæresim Lutheranam, quam semel abjuraverat, reciderat & propterà in carcerem conjectus, perfracto carcere Bremam profugerat, & hæresim ibi prædicaverat; tandem ab Officiali Bremensi interceptus, Meldorpij apud Thietmarsos apostasiæ atque perfidiæ pœnas igne luisset die undecimâ Decembris. de ejus supplicio Lutherus lamentabilem scripsit ad Bremenses epistolam quos ille apostata ex Catholicis Lutheranos fecerat: qui tamen posteà ex Lutheranis facti sunt Calviniani. Viennæ quoque Gaspar quidam Tauberus civis illius urbis, pariter relapsus, ultimo affectus est supplicio. Et in Lotharingiâ ad principium anni, Ioannes Castellanus Theologiæ Doctor apostata. Cœpitque pariter plurimis aliis Catholicorum locis, diligens Inquisitio, ac severa justáque punitio fieri illorum qui eâ lue infecti reperiebantur: operam suam in his, ac præcipuè in errantium conversione impendentibus Legatis Apostolicis, ad id in Germaniam & proximas regiones missis, Thomâ Caietano à Leone X. & Laurentio Campegio à Clemente: atque ex adverso conquerente per scripta publica Luthero, quòd vellent Catholici Lutheranos cogere ad credendum suo Evangelio, qui nollent à Lutheranis cogi ad suum: quasi scilicèt par causa esset Fidei ac perfidiæ: & quasi non sceleratè id ipsi passim longéque crudelissimè præstiterint.

XIII. ORIGO CLERICORUM REGULARIUM TEATINORUM.

Dum autem ita Lutherani Ecclesiam Septemtrionalem infestarent, suscitavit Dominus in Italiâ spiritum quorundam proborum virorum, per quos reformarentur mores hominum, & ad normam Ecclesiasticam Clerus corruptissimus revocaretur. Erat enim tunc, quod Isaias [n] ait, sicut populus sic sacerdos. Cùm autem adiiciens animum optimus Pontifex Hadrianus ad Ecclesiam fœdis abusibus scatentem, ac Clerum Romanum haud cetero puriorem pristino nitori restituendum; ejus rei causâ in Vrbem Vaticanásque ædes accivisset *Ioannem-Petrum Caraffam*, ex nobili & antiquâ familiâ Neapolitanâ Episcopum Teatinum, virum pietate, industriâ, & doctrinâ insignem, ac nonnullis legationibus in Angliam & Hispaniam sub Leone X. obitis clarum; atque *Marcellum Caietanum* Tieneum nobilem Vicentinum Protonotarium Apostolicum, æquè veteris Christianæ disciplinæ moribus venerabilem, & in omni graviori doctrinâ lectissimum, ut eorum consilio in morum censurâ & Ecclesiæ restitutione uteretur: eodem Hadriano paulò post defuncto, Clemens successor ejus eamdem curam suscipiendam sibi ducens, imprimis eumdem Ioannem-Petrum Episcopum, præcipuum speculatorem constituit, ut sacri Ordines nonnisi idoneis, & absque ullâ simoniæ labe conferrentur; dato eâ de re rescripto [o] die undecima Maij præsentis anni. Deinde quia Clemens intellexerat, velle eumdem Episcopum cum prædicto Cajetano, & *Bonifacio à Colle* Alexandrino Insubro, & *Paulo Consiliario* Romano, haud iis inæqualibus presbyteris, vitam Cleri Apostolicam restituere; alio rescripto [p] eis, ceterisque imposterum admittendis, die vigesimo quarto Iunij facultatem concessit, sub solito & communi habitu clericali, ac sub nuncupatione CLERICORUM REGULARIUM, tria substantialia vitæ religiosæ vota, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ profiteri, & in communi vivere, ac superiorem, Præpositum nuncupandum, sibi eligere, constitutiones & statuta condere, ac privilegiis & indultis Canonicorum Regularium Lateranensium gaudere. Quæ & posteà etiam extendit [q] ad alia quæcumque ceterorum omnium Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium. Fuítque præterea eorum institutum, ut non solum nihil omninò possiderent, verùm etiam nec vitam mendicando aut postulando sustentarent; sed Apostolicâ vivendi ratione ex solis ultroneis oblationibus alerentur, certi, si Christo fiderent, Deique regnum sedulò quærerent, nihil sibi à divinâ providentiâ defuturum. Re demùm, post non parvas difficultates, à Clemente comprobata, quatuor illi viri die 14. Septembris in festo Exaltationis Sanctæ Crucis, in basilica Sancti Petri, atque in manibus Ioannis Baptistæ Bonzianij Episcopi Casertani & Datarij Apostolici, à Pontifice ad hoc commissi, post sacrum ab eo celebratum, & porrectam eis sacram Eucharistiam, votum prædicti instituti emiserunt: & ab iisdem electus in Præpositum ipse Ioannes Petrus Caraffa, ab eodem Episcopo Casertano confirmatus est. Extant ejus rei Acta publica, unà cum ceterorum supradictorum pleniori narratione in Vitâ ejusdem Ioannis Petri Caraffæ, posteà Pauli Papæ IV. ac prædictorum ejus Sociorum ab Antonio Caracciolo compositâ: & in Historiâ seu Annalibus TEATINORUM; sic enim deinceps is ordo vulgò vocatus est, à præcipuo auctore Episcopo Teatino, (quos Io. Baptista Tuffus Episcopus Acerrarum composuit; necnon in Mari Oceano omnium Religionum Silvestri Maurolici Abbatis Sanctæ Mariæ Roccamatoris Ordinis Cisterciensis: meminerunque ceteri omnes qui de Paulo IV. Pontifice egerunt. A quorum etiam nonnullis observatur, obtinuisse hos Religiosos, eò quòd primi renovárint hoc sæculo pristinam observantiam Discipulorum Christi, absolutè & per antonomasiam nomen *Clericorum Regularium*, absque ullâ alicujus distinctionis additione; quæ subjuncta pòst fuit singulis aliis Presbyterorum Regularium Congregationibus deinceps eorum exemplo institutis, putà Barnabitis, Somaschis, Iesuitis, Clericis Minoribus, Ministris Infirmorum, Scholæ Piæ, Congregationis Oratorij, & aliis, de quibus dicetur suis temporibus. Cùm nihilo-

[n] Isai. 24.

[o] Rec. Bzo. hoc. an.

[p] Bellar. to. 1. Clement. VII. const. 11.

[q] Ibid. const. 18.

EORUM INSTITUTUM.

TEATINI VULGÒ DICTI; ET UNDE.

minùs non defuisset in Ecclesiâ à temporibus Apostolorum ejusmodi genus clericorum sub trium votorum observantiâ certis regulis militantium; de singulis fermè temporibus Ioannes Baptista Castaldus ejusdem Congregationis professor exemplis & auctoritatibus demonstrare sategerit. Primus autem locus, quem hi Clerici post Romam incoluerunt, civitas fuit Venetiarum; in quam, post gravissima tolerata Romæ in direptione Vrbis quæ triennio pòst contigit, divinitùs neci erepti se contulerunt numero circiter duodecim. Vixque extra Italiam, ubi multa habent nobilia cœnobia, aut Siciliam, hæc Congregatio exiit, ob rigorem instituti, nulla bona possidendi, nec aliquid petendi: quo etiam factum est, ut nonnisi in amplis & frequentibus civitatibus constitui potuerit. Quem scopulum ceteræ pòst secutæ cautè evitârunt, ne populorum charitate refrigescente, in egestatem redigerentur: cùm plerumque fieri noscatur, ut quò majorem Religiosi hodierni perfectionem profiteantur, eò minùs agere ament, causâ Deo & ipsis notâ.

XIV. LITERÆ A PERSIS AD PRINCIPES CHRIST.

Dum hæc in Europâ gererentur, à Sofio Persarum Rege literæ & nuncij ad Carolum Cæsarem advenerunt, & unà literarum ejus ad filium & filij ad Regem Hungariæ, à Papâ & à Venetis missa exemplaria; quæ Petrus Martyr Anglerius Mediolanensis in Hispaniâ degens in suis Epistolis [r] refert. Literarum ad Regem Hungariæ hoc erat initium, ex proprio idiomate traductum in Latinum; *Dei essentia in cœlis, in terra verò pax, Laus Deo magno, glorioso, puro, bono, cui nullus in regno similis, beato, supremo, in omnibus operibus incomparabili, qui solis jubare diem, noctem verò clarificante Luna exornavit: quique Adam primum hominem ex limo terræ optabili plasmavit forma, mundos & cuncta creata disponens: qui Reges in terra dedit, atque illis in orbe & suprema terra, & in extremis ejus partibus, ut rectè facerent præcepit: ipse quidem Deus servans nos ab omni malo ad exquirendum se, ac exoptandum, in perpetuitate perpetuitatum nos perducat. Amen, amen, amen.* His præmissis, ad Regem sermonem convertens, *Proni quidem, & humum despiciendo, vertimus nos ad dexteram excelsi domini, nobilis Regis, cujus regum principum principis, & cujus majestatem Deus conservet, permaneréque illum faciat rectè sedentem in solio suo Budæ conservétque incolumem super inimicos ejus. Amen* Per multas deinde ambages, in summâ significat, se frequentibus literis à Turcorum principe sollicitari, ut ei esset contra Regem auxilio: se autem non solùm consentire nolle, verùm etiam toto conatu obstare velle, & in eum arma exercere. Hortaturque ut per mensem Aprilis paratus quoque Rex esset, ut lacessitus undique Turcus prosterneretur. Literæ ad Cæsarem idem ferè exordium habebant, sensúmque eumdem: subscriptionem verò hujusmodi: *Humilis servorum, & maximus amicorum Raisma Sofi, filius Hider.* A tergo autem: *Ad manus, si Deo placuerit, Regis Regum, & principis principum Imperatoris; cujus dominium & fortunam Deus maximus contineat, amen.*

[r] Angler. ep. 803.

XV. ALIÆ REGIS ÆTHIOPUM AD LUSITANUM.

Aliâ verò parte, ex Æthiopiâ quoque Rex ejus David, de quo jam dictum aliàs [s], literas hoc ipso anno ad Clementem Pontificem, & Ioannem Lusitaniæ Regem scripsit; quæ tamen nonnisi post multos annos [t] ad eos perlatæ fuêre. Extant [v] illæ in Latinam linguam à Paulo Iovio traductæ, editæque à Damiano à Goës equite Lusitano in commentario de Rebus Æthiopum: missæ omnes, ut Rex significat, per oratorem suum Franciscum Alvarez æquè Lusitanum, qui ad eum missus ab Emmanuele Ioannis patre fuerat, & Christophorum Licanati Æthiopem, Zagazabo, hoc est gratia patris, in baptismate dictum. Et quidem quæ ad Regem Ioannem sunt, gratulationes habent de ejus in regnum post Emmanuelis patris obitum, cum quo David amicitiam contraxerat, successione; & hortationem ad commercij, literarum & legationum continuationem, atque ad prosecutionem belli contra Mauros suscepti: à quorum persecutione ait se abstinere, ne fortè illi eo irritati templum Ierosolymitanum, aliáque Christianorum per Ægyptum & Syriam diruerent: & quod quamvis potens esset armis & divitiis, neminem tamen Christianum Principem finitimum haberet, qui sibi auxilio & consilio esse posset. Rogat denique ad se mitti artifices, doctos imagines & libros cudere, arma omnis generis fabricare, aurum & argentum cælare, metalla è terrâ eruere, architectos, medicos, chirurgos, & alios id genus homines. Precatur ultimò Deum ut exaudiat orationes Ioannis Regis, quemadmodùm exaudivit illas virorum sanctorum qui in veteri Scripturâ recensentur; quorum præcipuos ab Abel usque ad Matathiam Machabæum recenset.

[s] An. 1521. XII.
[t] An. 1533. in pr.
[u] To. 2. Rer. Hispan.

XVI. ET AD PONTIFICEM.

Literæ autem ad pontificem scriptæ ad quem fuerint, non exprimit; nec sanè quando eas scripsit, si id, ut volunt, hoc anno contigit, scire adhuc poterat electionem Clementis) duplices sunt, quamvis eas Massonus in vita Clementis in unum conflarit. Iis David, post enumerationem de more nominum, titulorum, ac regnorum suorum, & narrationem Christianitatis in Æthiopiâ receptæ per Eunuchum Reginæ Candaces, quem Philippus [x] baptizavit, & postea semper conservatæ; obedientissimum se Pontifici, uti vero Christi vicario profitetur. Dolet nullas ab eo umquam literas accepisse; sed tantùm per nuncios Emmanuelis Lusitaniæ Regis, & quosdam è suis Æthiopibus, qui ex peregrinatione Ierosolymitanâ Romam penetraverant, audivisse de eo: rogátque ut dignetur nuncium cum benedictione in Æthiopiam mittere. Ait haberi in Archivis regni sui literas ab Eugenio [y] Papâ IV. ad proavum suum de Concilio Florentino cum Græcis habito scriptas; quarum exemplar transmittit. Rogat, ut ad se mittat aliquas Sanctorum Imagines, ac præcipuè Beatæ Mariæ Virginis: itémque artifices, qui Imagines, & organa musica scitè facere, & doctè pulsare sciant. Deinde expostulat, quod Pontifex Christianos Principes ad odia & arma deponenda non compellat, cùm ipse eorum pastor, illi ipsius oves sint. Si enim conjunctis animis Mahometanos aggrederentur, facilè eos deleturos. Post oblatas autem literas, iidem oratores obedientiam Summo Pontifici Regis sui nomine exhibuêre.

[x] Act. 8.
[y] Vid. supr. an. 1442. III.

XVII. De religione Æthiopũ.

Zagazabo autem Episcopus & Sacerdos (ut se indigitat) ac Prorex provinciæ Buganæ, præterea Confessionem Fidei obtulit, unà cum declaratione legum, institutorum, rituum sacrorum, rationis vivendi, consuetudinum, & statûs Imperij Æthiopici, quæ edita sunt unà cum iisdem literis. In quibus, quoad Sacramentorum administrationem, & alios ritus sacros, non pauca sunt, quæ non solùm à ritibus Romanæ Ecclesiæ discrepant, verùm etiam Græcismum (putà in conjugio sacerdotum, non item monachorum & Episcoporum quos ex monachis assumunt) maximéque Iudaismum referunt: veluti in delectu ciborum, sabbati sanctificatione, ac pluribus aliis, & quòd circumcisionem (acceptam, ut volunt, à tempore Salomonis Regis, ex quo Regina Sabæ, quæ & Æthiophia, filium suscceperit, cujus progenies hactenùs perpetuata sit) tam in maribus quàm feminis observant, unà cum Baptismo, quem receperunt per Eunuchum Reginæ Candaces baptizatum à Philippo Discipulo Domini: ita tamen ut nonnisi quadragesimo die mares, octogesimo feminæ, nisi periculum sit mortis, accipiant; cúmque singulis annis in Epiphaniâ iterent, (quamvis non hoc ut necessarium ad salutem) & pueros sine baptismo morientes salute non privent; eo præcipuo, admodúmque subtili argumento, quòd cùm matres eorum assumant Eucharistiam, infans capiens inde nutrimentum fiat sacratus, dicente Domino, siquis degustaverit corpus ejus, fore illum cum ipso. Confirmationem autem & extremam Vnctionem inter Sacramenta non numerant, nec in usu habent. Denique ita pleraque alia absona sunt, ut in plerisque parùm præter nomen Christianitatis retineant.

De illorum Patriarcha.

Patriarcham habent, qui suffragiis monachorum Æthiopum Ierosolymis apud Sepulchrum Domini continuè habitantium eligitur, ad quos mox ut sedes vacat pro novi electione mittitur; nec alius, quàm patriâ Alexandrinus & monachus Sancti Antonij assumitur: qui à Patriarchâ Alexandrino apud Cairum residente consecratus, in Æthiopiam dirigitur. Nullum autem Episcopatum aut beneficium ecclesiasticum confert, sed omnia Rex pro suo arbitratu dispensat. Patriarchatus ipsorum lingua *Abuma* dicitur. Patriarcha autem qui tunc erat, *Marcus* vocabatur; erátque centum & decem annorum, vegeto adhuc animo & corpore.

Nomina Regis Æthiopũ.

Regis agnomen *Pretiosus*[z] *Ioannes* est; non Presbyter Ioannes, ut vulgò nuncupant. Dicitur enim ipsorum linguâ *Ioannes Belul*, Chaldaïcâ *Ioannes Encoë*, quòd Pretiosum sive Altum sonat. Nec nominandus est Imperator Abyssinorum, sed Æthiopum. Quem etiam sui *Negus* vocant, quod Regem significat. Confertur autem regnum, non filiorum natu maximo, sed cui vult pater. Et qui tunc sedebat David tertiogenitus tantùm erat: sed quòd cùm à moribundo patre jussi fuissent filij in regiis soliis sedere, ceteris sedentibus ipse id facere superstite patre recusaret, hujus reverentiæ causâ fuit à patre majoribus natu præpositus. Hæc sunt, quæ pluribus in prædictâ Zagazabi relatione exponuntur; præter alia nonnulla, quæ jam aliis locis [a] pro rerum occasione inde excerpta protulimus. De quibus sunt insuper prolixiores tractatus eorumdem Francisci Alvares & Damiani à Goës, quorum etiam anteà [b] meminimus; quibus & prædictæ literæ Regis Davidis attexuntur, unà cum præstatione obedientiæ ab eodem Francisco Regis nomine Clementi factæ, de quâ suo loco [c]. Ac de rebus Abbassinis est etiam recentior tractatus Nicolai Godigni Societatis Iesu presbyteri; de quo etiam aliàs [d] dictum.

XVIII. Synodus Mexicana.

Hoc item anno [e] in civitatem Maxicanam Novi Orbis veniens *Martinus* quidam Valentinus, verbo & opere potens, cum duodecim monachis tamquam vicarius Papæ, ingentes deinceps totâ illâ regione progressus in prædicatione fidei Christianæ fecit, comitantibus signis, atque innumeros homines ad eam convertit. Habitâque in eâdem urbe *Synodo*, decretum est, ut qui fidem Christianam cum omnibus Romanæ Ecclesiæ ritibus acciperent, ex pluribus uxoribus quas priùs habuissent, unam quam vellent ducerent ritu Christiano.

XIX. Novæ Franciæ detectio.

Aliâ parte hoc eodem anno *Ioannes* quidam *Verrazzanus* Florentinus, auspiciis Francisci Regis Christianissimi navigatione in partes Septemtrionales Novi Orbis susceptâ legit totum illum tractum usque ad *Floridam*; detexítque insulam, & promontorium Britonum, qui simul cum Normannis anno 1504 dum asellorum marinorum piscationi intenderent, eas terras numquam antea detectas primum invenerant. Cujus regionis incolæ communi nomine *Canadenses* vocantur: ipsa regio posteà *Nova Francia* dicta est. Extat itineris Verrazzani relatio ad Regem Franciscum, apud Ramusium [f] diligentem recentium illarum navigationum collectorem. Ipse verò Verrazzanus, cùm aliam rursùm navigationem suscepisset animo ulteriùs penetrandi Septemtrionem versùs; exscensione in aliquem locum factâ cum aliquot sociis, occisus à barbaris & devoratus, propositum exequi non potuit. Sed anno 1534. & duobus sequentibus *Iacobus Carterius* Macloviensis Gallus totam illam plagam perlustravit, munitionem construxit, & Regi Francorum asseruit: cujus extat apud eumdem Ramuzium duplex Relatio, cum descriptione locorum & morum gentium. Cùm verò nulla deprehensa fuissent auri vestigia, sítque innata Gallis impatientia, ac nova supervenerint in patriâ bella, facilè fuit cœpta navigatio intermissa; Donec Floridæ navigatio repetita fuit [g] sub Carolo IX. Rege; & Canadensis sub Henrico IV. uti videre est in Historiâ Novæ Francæ, scripta idiomate Gallico à Marco Lescarboto Advocato Parisiensi: ubi etiam quæ jam de his diximus uberrimè tractantur.

XX. Iubilei inchoatio.

Ad finem anni, nempè decimo Calendas Ianuarij, Clemens Pontifex Iubilei inchoationem in vigiliam Nativitatis Domini, die sequenti futuram, promulgavit [h]; cum plenissimæ remissionis peccatorum indulgentiâ visitantibus de more basilicas Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Sancti Ioannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris: cùm jam antè, ut iis literis ait, indixisset eum alio

[z] Vid. an. 1442. IV.

[a] Supr. an. 1512. XXXV. 1514. VIII.

[b] An. 1521. XII. in fi.

[c] Infr. an. 1533. in pr.

[d] In. 1202. XI. 1442 IV.

[e] Vid. Sur. in comment. ad an. 1558.

[f] Ramuz. to. 3. ad fi.

[g] Infr. an. 1565. ad fi. & vid. etiam sup. an. 1512. XXXVI.

[h] Bullar. antiq. edit. to. 1. Clem. VII. const. 9. & 10.

publico edicto. Aperuit autem ipsemet, pro consuetudine, ritu solemni primis Vesperis ejusdem festi in basilicâ Sancti Patri *Portam* quam vocant *Sanctam*: misítque ad alias prædictas Ecclesias Cardinales, qui in earum singulis id ipsum præstarent, ut intelligitur ex Diariis Blasij Cæsenatis, & Observationibus Ioannis Pauli Mocantij, Rituum Pontificalis sacelli Magistrorum; quos refert Andreas Victorellus in tractatu suo de Iubileis.

IESU CHRISTI Annus 1525.

CLEMENTIS VII. Ann. 2.

CAROLI V. An. 7.

I. RARUS AD IUBILEUM CÔCURSUS.

ANNO Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto, Indictione decimâtertiâ, celebratum est Romæ Iubileum ad finem anni superioris inchoatum: sed longè minori populorum concursu, quàm in aliis consuetum fuisset, quòd Italia, universáque penè Europa, bellicis motibus quateretur; quibus magis cogitabatur de peccatis augendis, quàm minuendis, vel diluendis: aut certè quòd populi, ob quotidianam Indulgentiarum per singulas provincias distractionem, seu dixeris nundinationem; & certi atque indubitati valoris illarum, per detestabilem Lutheranorum ubivis locorum oppugnationem, depressionem, minùs ad eas consequendas dispositi essent, adeò ut nullus hactenus fuerit Iubilei annus, quo tanta fuerit de ejus celebratione auctorum illius temporis taciturnitas. Meminit tamen illius Lilius Gregorius Gyraldus libro suo de Annis & Mensibus, & se tunc fuisse Romæ ait cum Hercule Rangonio Diacono Cardinale Sanctæ Agathæ. At enim si non religione & pietate, sanè impietate, multísque cladibus insignis admodùm fuit annus.

II. DE PUGNA PAPIENSI.

Nihil verò celebrius captivitate Francisci Regis Galliæ. Iam quartum mensem agebat in obsidione Papiensi, quando Cæsariani collectis viribus, pecuniarum penuriâ pressi, præcipuo auctore Ferdinando Davalo Marchione Piscario, exercitum Gallorum longâ obsidione, regidissimâque hieme accisum, aggredi constituerunt. Rex contra plerorumque veteranorum ducum, prudenter consulentium ut solutâ obsidione in loca situ munitissima castra transferret, tantisper dum Cæsarianorum fervor ex rerum necessitate haustus, eâdem urgente evanesceret, iisque dissipatis Rex victoriâ sine cæde & sanguine potiretur; Boniveti Admiralij, hominis nati ad excidium regni, à cujus maximè consiliis Rex pendebat, suasionibus magis inhærens, turpe esse dicentis, si venienti hosti cederetur; cùm & ipse Rex, ut vanus erat, se numquam inde nisi victorem discessurum, aut morte victoriam redempturum jactâsset: in Papiæ obsidionis pertinaciâ confirmatus est; ac Cæsariani prope castra metati sunt, ita ut exercitus regius inter urbem & castra hostium esset. Vt rem contraham, (quam ubertim Guicciardinus[a], Iovius, Bellaius, Capella, Ferronus, Belcarius, Belforestius, alij multi prosequuntur; suntque plurimæ inter Literas Principum eâ de re tunc scriptæ à diversis ad diversos epistolæ, quibus cetera confirmentur.) cùm Cæsariani duces ampliùs exercitum pecuniâ exhausti continere non possent; & si retrocederent, non modò de Papiâ actum esse, sed & reliqua quæ in Insubriâ possidebant, tuendi spem amitti cogitantes maximâ etiam victoriæ spe freti, tam militum suorum virtute, quàm quia in Gallorum exercitu multa erat confusio, erant divisæ in plura loca copiæ, aliquot peditum millia discesserant, reliquorum numerus stipendiis quæ persolvebantur, præfectorum fraude, ac præsertim Italorum, & regiorum ministrorum negligentiâ, non respondebat; denique ex eorum castris ad Borbonium quotidie exploratores ventitabant, qui quicquid fieret denunciabant: nocte quæ diem Matthiæ Apostolo sacrum, Cæsari verò natalem præcessit, vigesimum quartum Februarij, quæ erat Veneris, astro Hispanis, ut ipsi profitentur, admodùm fausto, Mirabellum ire statuerunt, eo consilio ut si Galli moverentur, prælij fortunam tentarent.

Davál. Bellai. lib. 2. Capel. lib. 4. Ferrar. in Francisc. I. Belcar. lib. 18. Bellefor. lib. 6. cap. 36.

III.

Nec opinio spésque fefellêre. Cognito eorum discessu, in ipsis tenebris pugna inchoata est; sed inæqualis, cùm Cæsariani præmeditatâ arte rem agerent, & fictis in diversa itineribus hostes eluderent, Galli præcipitanter in eos irruerent. Demùm post longum in multam diem certamen, (quo regij Helvetij expectatæ virtuti nullo modo respondentes, ubi paululùm conflixissent sese turpiter subduxerunt; & Dux Alenconius cum extremo agmine absque pugnâ discessit; & Antonius Leva ex vrbe ubi obsidebatur erumpens, Gallos à tergo adortus in fugam vertit:) Rex ferocissimè pugnans, nonnullis suâ manu obtruncatis, equo ejus confosso, ore & manu femoréque saucius, sese Lanoio Neapolitano Proregi patriâ Artesio dedidit; cùm, ut Iovius & alij scribunt, monitus ut Borbonio se dederet, indignabundus recusavit, etiamnúmque imperitans venire potiùs Lanoium jussit. Cæsi dicuntur, aut in fluvio Ticino in fugâ absorpti, ex Gallis ad octo millia: inter quos Admiralius Bonivetus fuit, qui ne in manus Borbonij sibi inimicissimi deveniret, victoriâ jam desperatâ in confertissimos hostes ruens necatus est: itémque Palissius & Lescutus Marescalli, Trimolius Suffolcius Anglici Regis æmulus, Bastardus Sabaudiæ regiæ aulæ Magister, atque alij non pauci proceres & nobiles. Capti unà cum Rege, Henricus Rex Navarræ, Franciscus Borbonius Comes Sancti Pauli, Mommorancius Marescallus, aliíque plurimi. Captus & Hieronymus Aleander Archiepiscopus Brundusinus Clementis Pontificis apud Regem Nuncius, sed Lanoij jussu paulò pòst dimissus. Ex Cæsarianis ad septingentos tantùm cæsi: inter quos fuit Ferdinandus Castriotus Marchio Sancti Angeli, præfectus equitum, qui ad Epiri sive Albaniæ Principes familiæ suæ originem referebat, magni Scanderbechij pronepos; quem propriâ Regis manu peremptum, Anglerius, Iovius, & alij testantur. Victoriam secuta confestim est Mediolani, totiúsque Principatûs ad Cæsarem reversio: Gallis sese un-

REX FRANCISCUS CAPITUR.

[a] *Guic. lib. 15. Iov. in Vit. Ferd.*

dique in patriam raptim recipientibus; ipsóque etiam Albaniæ Duce, quem anno superiori vidimus Neapolim versùs expeditionem suscepisse) postquàm Ponfex, ut dicetur, cum Cæsarianis fœdus iniit. Rex postero victoriæ die, quia Mediolanensium Dux propriæ securitatis causâ, non libenter ut in Mediolanensem arcem duceretur annuisset, in Picighitonis munitissimam ad Abduam arcem est perductus: ubi libertate exceptâ in ceteris omnibus regio more honoréque afficiebatur. Dignúmque omni memoriâ quod tradunt, statim à captivitate visum esse quiddam efflagitare à ducibus Hispanicis; recipientibúsque illis futurum ut acciperet, alia cùm expectarent, petiisse ne pueros Gallicos qui capti essent Italicus miles attrectaret; si quos cepisset, Hispanis redderet permutatis captivis: id libentissimè duces concessisse: mox totis castris per tubicines edicto proposito, plusquàm sexcentos adolescentes liberali egregiâque formâ redditos esse, quorum pudicitiam deploratam, si apud Italos mansissent Rex existimaverat. Quem & tantâ constantiâ fortunam hanc tulisse scribunt, ut etiam Borbonium proditorem, horúmque omnium malorum auctorem ad genua provolutum, benignè acceperit: hunc autem demisso vultu haud dubia dedisse pudoris & pœnitentiæ signa, ut potè qui non omnium modò tacitâ cogitatione, sed liberis etiam sermonibus sese invidiâ plurimùm onerari, & defectionis suæ nomen latissimæ famæ, ingenti ejus opprobrio, etiámque apud Cæsarianos duces, pandi manifestè perspiceret. Iactatum tamen fuit, exprobranti Regi perfidiam, quâ dominum suum in eum statum perduxisset, respondisse, se, si nemo coëgisset ad ea molienda, libenter supersessurum fuisse.

BORBONII APUD OMNES IGNOMINIA.

IV. CLEMENS PONTIF. PACEM TURBIDAM CŨ HISPANIS AGIT.

Hujus victoriæ terrore Clemente Pontifice, Senatu Veneto, aliísque Italiæ Principibus perculsis ne à victore exercitu, & potentissimo jam reddito Carolo invaderentur, qui non parvas singuli eum in se commovendi occasiones dederant: imprimis Clemens, plus ceteris sibi ab eo timens, quæsitâ sollicitè concordiæ renovatione, eam operâ Nicolai Schombergij Archiepiscopi Capuani cum Lanoio Prorege Cæsaris in Italiâ Vicario composuit, non tamen adeò æquis conditionibus, quin ferè magis de iis insimulatus à pluribus fuerit quàm laudatus, quòd animi abjecti consilio Italiæ libertatem prodidisse videretur: aliis qui propopria commoda magis respectabant, ejus consilium pro ratione temporis prudens existimantibus: Guicciardino[b] id probatius futurum dicente, si in omnibus fœderis capitibus eamdem prudentiam adhibuisset. Sed ab homine timore semel perterrito, quis absolutam omnium rerum circumspectionem expectet? Quare ubi Pontifex se præsentia pericula, seu vera, seu probabilia, subterfugere posse cognovit, aliis cogitationibus omissis, toto animo ad concordiam est conversus; abjectis Venetorum contrariis hortationibus, qui huic fœderi iniquis conditionibus includi contempserunt, minoribus Principibus certatim à victoribus pacem pecuniâ, quâ illi maximè indigebant, redimentibus. Quantum autem Pontifex in suis pactionibus deceptus fuerit, & quæ inde illi damna acciderint, Guicciardinus posteà subdit, attingetúrque inferiùs.

[b] Guicciard. lib. 16.

V. CAROLUS CÆS. QUOMODÒ IN HAC VICTORIA SE GESSERIT.

Nuncio victoriæ ac Regis captivitatis in Hispaniam ad Corolum Cæsarem delato Madritum die decimâ Martij, (ut idem auctor prosequitur) is statim ad templum ut Deo grates ageret se contulit; ab omni lætitiæ signo abstineri jussit, ac postridie sumptâ Eucharistiâ solemnem supplicationem egit; non ex victoriis de Christianis partis, sed de religionis hostibus triumphos duci debere, piè dicens. Quo verò pacto cum Rege agere deberet, ad suorum consilium referens; primùm ab Osimensi Episcopo, qui illi à confessionibus erat, audivit, pacem ab eo imprimis quærendam inter Christianos esse, quâ & Turci reprimi, & hæretici comprimi possent: si Regem in perpetuam custodiam traderet, id non sine insigni crudelitatis notâ fieri posse: si duris conditionibus libertati restitueret, odia magis inde ac cruentiora bella eventura, noménque immanis ambitionis Cæsarem reportaturum, si dignâ Principe Christiano humanitate Regem vel affinitate junctum, vel beneficio devinctum, vel utroque illigatum dimitteret, illum sibi perpetuum amicum paraturum, séque alieni non appetentem declaraturum. Hujusmodi orationem dignam Episcopi pietate & professione, ac rationi consentaneam, cùm Carolus magnâ attentione audisset, nullo approbantis aut improbantis edito signo, jussis aliis sententias suas dicere, Fridericus Toletanus Albæ Dux, vir magnæ apud illum auctoritatis, pro ingenio suo tumido & elato, in Regem & Gallos acriter, nec in Pontificem, Venetos ac ceteros Italiæ Principes leviter invectus, victoriâ quam Deus Cæsaris magnitudini favens dedisset, non uti ad eam augendam, nihil aliud fore censuit, quàm Deum in se provocare, ac gratiâ ejus indignum se reddere: & contemptim rationes Episcopi carpens, satiùs esse dixit Turcorum & hæreticorum negotium differri, quousque Carolus Monarchiam, ad quam Deus ei viam per tot victorias aperiret, adeptus foret, quâ solâ tam sanctæ res perfici possent. Censere igitur, ut ex hâc victoriâ quammaximum fieri posset fructum Cæsar perciperet: Rex, si in Hispaniam non posset, saltem Neapolim duceretur: mitteretur aliquis ad eum, qui eas libertatis conditiones proponeret, quæ tantâ victoriâ digna essent præmia. Postquàm Fridericus peroravit, ejus sententia totius Senatûs applausu accepta fuit, propterea quòd omnes jam totius Christianæ Reipublicæ imperium animo concepissent. Eámque & Cæsar gratissimam habens, consilia tamen sua & actiones moderari doctus, quasi à suorum judicio recedere nollet, potiùs quàm quòd ita sentire declararet, comprobavit. Misso igitur Buereno intimo Cæsaris cubiculario ad Regem, conditiones libertatis propositæ sunt, cessio Ducatûs Burgundiæ, præter jura Italiæ, in Cæsaris favorem; Provincia in regnum erigenda pro Barbonio; pro Angliæ Rege alia miximi memeuti. Ad quæ Rex constanter respondit, se potiùs captivum

PIA ET UTILIS SENTENTIA CONFESSARII EIUS DE REGE FRANC. REIICITUR.

FASTUOSA ET INDECORA ALBANI APPROBATUR.

CONDITIONES LIBERTATIS REGI OBLATÆ

moriturum, quàm filios ullâ regni parte spoliaret, quod etsi facere vellet, id præstare in suâ potestate non esse, quoniam antiqua Galliæ statuta regnum ullâ parte imminui nisi de trium Ordinum consensu non permittant, Ordines autem publicam regni utilitatem privatis Regum commodis anteferre consuevérint. Obtulit verò, Cæsaris sororem Eleonoram viduam Emmanuelis Lusitaniæ Regis vxorem ducere, ac liberis ex eâ nascituris Burgundiam tradere: Borbonio bona publicata restituere, aliáque addere, & sororem suam viduam Alenconij Ducis in matrimonium dare: Angliæ Regi pecuniâ satisfacere: ac prætereà Cæsari pro suâ redemptione magnam vim auri persolvere. Quæ spontè oblata longè majora & ampliora erant, quàm quæ posteà asperitas Cæsaris extorsit.

VI. INSOLENTIA HISPANORŪ FRUCTUM VICTORIÆ PERDIDIT.

Quanta verò fuerit totâ Galliâ, auditâ Regis captivitate, consternatio, cogitatu facilius est quàm dictu. Providit tamen cum Principibus qui supererant Aloisia Regis mater regni procuratrix, quantum potuit, nequid ulteriùs detrimenti regnum sive ab Hispanis sive ab Anglis acciperet. Potissimum autem studium fuit in Henrico Angliæ Rege mitigando, qui si à Cæsare disjungeretur, Cæsari pecuniâ exhausto facilè restitum iri existimabant. Nec difficile fuit id obtinere; tum favore Cardinalis Vollæi Angliæ administratoris, à longo tempore erga Regem Franciscum propensi; tum ex diffidentiâ quæ ex multis causis inter Cæsarem & Henricum intercessit; & quòd Henricus à Cæsare, Orbis Monarcham jam agere incipiente, contemni se perspiceret, dum qui ante Papiensem pugnam numquam literas, nisi totas manu suâ conscriptas, & cum hujusmodi subscriptione, Tuus filius & cognatus Carolus, ad eum dare soleret; post eam victoriam literas aliâ manu scriptas, suâque dumtaxat subscriptas solo apposito Caroli nomine, ad eum scribere cœpisset. Vnde factum est ut Rex Henricus æquissimis conditionibus fœdus cum Aloisiâ filij nomine stipulante contraxerit: in quo, ut Cæsari, ne Regis quidem liberandi gratiâ, nihil eorum quæ tunc sub Galliæ regno erant, concedi liceret, expressè addi voluit. Hâncque fuisse primam Galliæ regno oblatam salutis spem, Guicciardinus ait; deinde Cæsaris in Italiâ ducum progressibus auctam: qui tantâ victoriâ insolenter elati, & voluntatis suæ cunctos mortales omniáque impedimenta cessura rati, cum Venetis paciscendi occasionem amiserunt; cùm & ipsi solos se relictos cernentes, cum Prorege tractare decrevissent: sed auditâ Regis Angli in Gallos propensione, ortâ inter ipsos & Proregem pauculæ pecuniæ solutionis disceptatione, libenter à cœpto resilierunt:) Pontifici fidem non servàrunt, turpibus ei modis & Prorex & Cæsar ipse, post ingentem acceptam ab eo pecuniam, illudentes; & Mediolanensium Ducem, universámque Italiam suspicione repleverunt; novarúmque perturbationum, de quibus posteà, semina sparserunt.

VII.

Quibus motus Prorex, de Rege Francisco in tutum locum transferendo sollicitus, cùm Neapolim ducere velle simulâsset; deinde propensionem secutus Regis, qui potiùs in Hispaniam duci exoptabat, sperans si semel in Cæsaris conspectum veniret, (aliorum videlicèt ex suo affectum metiens) facilè libertatem se consecuturum; suæque gloriæ augendæ causâ, clam Borbonio & Piscario, mari in Hispaniam deduxit: cùm jam antè Henricus Rex Navarræ ex arce Papiensi, favore quorumdam civium ex altissimâ arcis turre scalâ ex funibus confectâ clam custodibus evasisset, & in Galliam se proripuisset: & Comes Sancti Pauli corruptis custodibus pariter libertatem consecutus fuisset. Rex autem in arcem Madriti, à mari Galliæque finibus longè remotam, inclusus est, cum facultate tamen exeundi nonnumquam ad venationem, sed mulæ tantùm insidens, & cum justo præsidio; nolente illum Cæsare ad colloquium, nisi firmatâ, aut in certam firmandi spem redactâ concordiâ, admittere. Ad quam tractandam evocata est è Galliâ Margarita Regis soror, Ducis Alenconij vidua. Et ne novæ difficultates intercederent, induciæ inter Cæsarem & Galliæ regnum in Decembris finem pactæ fuêre.

REX FRANC. DUCITUR IN HISPANIAM.

VIII. PISCARII MULTIPLEX PRODITIO.

Regis verò tacitam abductionem Borbonius Piscariúsque, variis de causis iniquissimè ferentes; Borbonius quidem paulò pòst in Hispaniam quoque transmisit: Piscarius verò gravissimè in Proregem per literas ad Cæsarem oblocutus, cum nihilominùs à Cæsare se parvi fieri videret, in ejus item ingrati animi detestationem prorumpens, aliis novas res agitandi occasionem dedit. Quippe cùm æquè Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis multas gravesque causas de Cæsare, qui eum principatu spoliare velle videbatur, conquerendi haberet; auctore Hieronymo Morono Ducis Cancellario, ejusque consiliorum omnium moderatore, tractatum est cum Piscario de copiis Cæsarianis quæ paucæ supererant interficiendis, Piscarióque Neapolitanorum Rege creando, sícque Italiâ ab exteris liberandâ. Erat enim Piscarius, oriundus quidem ex Catalanâ familiâ Avalorùm, sed ortu Neapolitanus, cujus majores cum Alfonso seniore in regnum Neapolitanum trajecerant, ibíque deinceps habitàrant. Cui consilio Piscarius primò sceleratè contra suum Regem assentiens, modò Clemens Pontifex & Veneti æquè assentirentur; cùm Pontifex se minimè ab eo alienum ostenderet, Veneti autem id percupidè amplecterentur; adeóque nullum dubium esset, quin si Piscarius priorem animum servâsset, optatum res exitum esset habitura: is seu metu seu religione mutato animo, contrariâ proditione rem omnem Cæsari per fidum nuncium aperuit: scelúsque augens, Cæsaris consensu in eodem negotio tractando perseveravit, quò singulorum consilia exploratiora haberentur. Post multiplices fictiones, Morono amicè ad se vocato, & in carcerem conjecto, atque ab eo conjurationis reo Duce declarato; idem Piscarius Ducem, rem suo consensu factam negantem, principatu iniquè spoliavit, subditos in verba Cæsaris jurare invitissimos compulit, ipsúmque Ducé in arce Mediolanensi obsedit: paulóque pòst idem ipse exeunte Novembri ex febre

hecticâ interiit: Iusto Dei judicio, ut putatum est, in flore juventutis, ne ejus seminis, quod tantâ malitiâ proseminaverat, fructu frueretur. Qui quòd perfidiâ suâ & Pontificem & alios incautos in tantum discrimen induxisset, à quo se difficulter expedire potuerunt; totam militiæ gloriam, quam præclaris gestis adeptus erat, hoc turpi facinore penitus obscuravit, æternámque nomini suo ignominiam àpud omnes cordatos ab probos viros comparavit; quicquid anxiæ excusationis Iovius in ejus Vitâ proferre potuerit.

IX.

Legimus alicubi [c], Franciscum Regem, cùm Madriti in pariete scriptum vidisset Caroli symbolum *Plus ultra*, adscripsisse, *Hodie mihi, cras tibi.* Carolum id se intellexisse testatum, subscripsisse, *Fateor me hominem.* Sic videlicèt magnanimi heroës, alter fortunæ, alter superbiæ trophæum erigebat. Franciscus autem maximis molestiis curísque plenus, cùm frustrà Cæsaris præsentiam exoptâsset, morbo correptus, in tantum vitæ discrimen est adductus, ut medici Cæsari se prorsùs de ejus salute, nisi ipsemet ad eum consolandum accederet, desperare significaverint. Quò cùm Cæsar iturus esset, Mercurius Gattinarius Pedemontanus ejus Cancellarius dissuadere conatus est, nisi eo animo iret, ut statim & sine pactione eum liberum esse vellet: alioqui enim hanc humanitatem non regiam, sed mercenariam fore, non à desiderio ejus salutis procedentem, sed à propriæ utilitatis studio, ne videlicèt ejus morte fructu quem ex victoriâ sperabat privaretur. Consilium proculdubiò memorabile, quo Cæsar longè clariorem in omne ævum laudem consecutus fuisset, quàm utilitatem ex violentâ Regis oppressione accepit. Sed hærebat intimius in animo consilium mercenarium Albæ Ducis: ideóque Cæsar ad Regem Toleto equis cursoriis convolavit, sermonéque brevi, sed benigno, spem fecit promptæ liberationis, cum priùs longum carcerem minatus fuisset. Sive autem ex hac consolatione, sive juventute vividâ morbum superante, seu denique Margaritæ sororis visitatione, quæ eodem tempore Madritum appulit; ita convalescere cœpit, ut quamvis seriùs ad pristinam valetudinem redierit, tamen intra paucos dies periculo sit liberatus. Margarita verò, post tractatam aliquamdiù pacem, cùm de conditionibus conveniri non posset, in Galliam rediit. Cui Rex mandâsse fertur, ut suo nomine matrem Consiliúmque moneret, regni utilitati, suì, quasi non ampliùs viveret, nullâ habitâ ratione, diligenter consulere. Nec tamen ob ejus discessum, qui mense Octobri contigit, cessavit penitùs pacis negotium: remanentibus in Hispaniâ, Francisco Turnonio Archiepiscopo Ebredunensi, Gabriele Grandimontano Episcopo Tarbiensi, quorum uterque fuit posteà Cardinalis: & Ioanne de Selvâ Parisiensis Senatùs principe; quamquam levi perficiendi spe, eò quòd Cæsar, nisi receptâ Burgundiâ, nullas leges admittebat, & Rex nisi extremâ necessitate id concedere recusabat. Cùm autem Borbonius mense tandem Novembri ad Cæsarem venisset, magno quidem illum honore ipse recepit; verùm proceres omnes Hispani generoso animo ab eo ut ab infami homine Regis sui proditore abhorruêre: ita ut unus ex illis, cùm Cæsaris nomine domus ejus Borbonij habitationi peteretur; magnanime responderit, se Cæsari quod vellet denegare non posse, verùm sciret se illam, ubi Borbonius discessisset, quasi ejus infamiâ contaminatam, & quæ deinceps ab honoratis viris inhabitaretur indignam, igne arsurum, vel solo æquaturum, uti hoc narrat cum ceteris cunctis prædictis, Guicciardinus: cui auctori in rebus sui temporis quas tractat quem æquemus, neminem reperire licet: quem & Belcarius in plerisque omnibus sequi consuevit.

c Delrio Adag. to. 2. adag. 459. ex cap. 38. vers. 23. Eccli.

MEMORANDUM CÆSARI CONSILIŨ A CANCELLARIO DATUM DE REGIS ÆGROTI VISITATIONE.

GENEROSUS HISPANI ANIMUS CONTRA BORBONIUM.

X.

Alia plura bella, eaque longè atrociora hoc eodem anno in Germaniâ tam armis quam calamis agitata sunt. De quibus ut ordine agamus; cùm ab aliquo tempore non cessâssent Storkius [cc] & Muntzerus, aliíque Enthusiastarum coryphæi, seditiosis concionibus rusticos, primùm adversus Episcopos & Clerum, deinde contra sæculares Principes, Magistratus, ac Nobilitatem concitare; demùm ineunte hoc anno vulgus [d] Kampidoneum in Abbatem dominum suum ferociter insurgens, exemplum aliis præbuit pejora etiam audendi. Cùm ubique tumultuarentur, Suevi [e] Scriptum quoddam publicârunt in duodecim articulos distinctum; quibus petebant, ut sibi facultas esset eligendi ministros Ecclesiæ, eosdémque ad libitum destituendi: decimæ darentur tantùm ex frumento, in usum eorumdem ministrorum, pauperum, & publicæ rei: liberi ita essent, ut solum obtemperarent mandatis Dei & Magistratum non abjicerent: fas omnibus esset venari, piscari, &c. ac silvæ & saltus in omnes usus communes essent: coloni non duro servitio, nec tot oneribus premerentur sed ex divino præscripto tractarentur; ac pœnæ secundùm antiquas ordinationes imponerentur: aliæ quædam iniquæ consuetudines, cunctáque gravamina quæ cum Lege Dei pugnarent, tollerentur. Quæ quidem sic proposuerunt, ut nisi concederentur, simul innuerent non defutura sibi media, per quæ voti compotes fierent. Fuítque hujusmodi scriptum avidè passim per Germaniam exceptum. Et Lutherus factionum omnium & seditionum primarius auctor, ad quem rustici provocârant, illud etiam in Saxoniâ publicandum curavit; cum auctario, quo Principes & Episcopos, aliósque qui contra doctrinam suam insanirent, huic seditioni causam dedisse exprobravit; atque Scripti articulos quomodò voluit approbavit & improbavit, omnes tamen dehortans ab armis in seditiosos assumendis; sicuti & rusticos ab inferendis; cùm utrosque diceret niti contra Deum, & injustam fovere causam: ideóque futurum ut omnes qui occumberent in prælio damnarentur ad inferos: ita videlicèt pacificator videri volens, magis quàm, quod erat, belli incentor.

ENTHUSIASTARUM MACHINATIONES IN GERMANIA.

cc Vid. sup. an. 1523. XII.

d Barland. Chron. Brabant. cap. 182.

e Cochla. de Act. Luth. Vlemberg. in Vit. Sur. in comment. Prateol. in Luther. Meshov. Hist. Anabapt. lib. 1

Publicatis igitur articulis, ad arma ventum est. Coïerunt rustici magno numero passim in Sueviâ, ad Danubium, ad lacum Constantiensem, in Franconiâ, Lotharingiâ, Thuringiâ, & aliis provinciis: erátque per Germaniam tristis rerum facies: hominibus efferatis ferro flammisque vastantibus omnia, & exempla edentibus horrendarum atque inauditarum crudelitatum. Memorántque, in

una Franconia monasteria & castra nobilium ultra ducenta, vel ut quidam habent, trecenta diripuisse, ac diruisse; præter oppida occupata. Vbi autem ventum est ad Barones, Comites & Principes, (quorum unus Comes Hesfensteinius, qui in matrimonio habebat filiam notham Maximiliani Imperatoris, lancearum ictibus expositus miserè periit) tum verò de injuriis vindicandis cœptum est cogitari. Feruntúrque paucis mensibus à diversis Principibus cæsa supra centum, vel etiam centum & triginta, aut centum quinquaginta, ut diversi numerant, eorum millia. Quorum res ut Lutherus vidit ad hunc modum inclinare, stylum in eos convertens, sanguinario planè scripto exagitavit, ac Principes in eos concitavit; quos paulò antè dixerat à Deo suscitatos ut de solio Principes deturbarent: haud ideò efficere valens, (ut etiam illi exprobravit Erasmus [f]) quò minùs crederent homines, per ipsius libellos, præsertim Germanicè scriptos pro libertate Evangelicâ contra tyrannidem humanam, hisce tumultibus fuisse datam occasionem.

PLECTŪTUR A PRINCIPIBUS.

[f] Eras. in Hyperasp.

XII. DUCES EORUM PLECTŪTUR.

In Thuringiâ Thomas Muntzerus presbyter & concionator quem diximus, præcipuus rusticorum dux & concitator, cùm illi 14. Maij contra Landgravium conflixissent ad oppidum Franckenhusium, ac posterâ die propè essent ut Principibus se subjicerent; ad pugnam eos cohortans, inter alia ait se bombardarum hostium globos omnes manicâ suâ excepturum. Sed rusticis grandi cæde prostratis, ipse quoque Muntzerus Franckenhusiij captus est in lecto morbum simulans. Captus etiam socius ejus *Pfeifferus* monachus apostata Ordinis Præmonstratensis, homo protervus, & ad quidvis audendum præceps. Mulhusium ambo ducti, ibi capite plexi sunt; Pfeiffero in obstinatione perstante; Muntzero verò pœnitente, errores revocante, ac præviâ confessione sacramentali, venerabile Sacramentum sub unicâ specie ritu Catholico sumente: monitis etiam Principibus, ut majori clementiâ erga miseros rusticos & colonos uterentur: sic enim fore ut tales in populo motus non facilè essent exorituri: librósque Regum & Salomonis diligenter evolverent, in quibus exempla reperturi essent quæ imitari deberent. Quæ omnia, motúsque hos Rusticorum, & strages eorum à diversis Principibus factas, prælia ac certamina inita, oppidorum expugnationes, aliáque ejusmodi hostilia, diligenter descripsit Petrus [g] Gnodalius quinque libris; necnon aliis brevioribus commentariis [h] Petrus Crinitus Harer, & Hubertus Thomas Leodius; ac denique Ioannes Atrocianus eleganti elegiâ.

[g] Ext. ap. Schard. in Oper. Hist. tom. 2.
[h] Ext. to. 3. Rer. Germ. edit. Frehe.

XIII. PELARGI EXITUS.

Sublatis autem duobus illis Seditiosorum ducibus, cùm pristina quies reddita videretur; renovati sunt rursùm motus apud Helvetios operâ antiquioris illius Enthusiastarum promotoris, Nicolai Storkij, Pelargi etiam dicti: qui à clade Franckenhusianâ sese clàm in Silesiam eripiens, miram rerum mutationem brevi temporis spatio induxit, plebem in Clerum & Magistratum concitando, eósque omnes amovendo qui vel nova dogmata aversabantur, vel cœptis hisce confidentiùs obsistebant: ídque ipsum per Glogoviam & Moraviam præstitit. Inde in Bavariam profugiens, reliquum vitæ tempus in magis ærumnis confecit, Monachij demùm inter inopes & calamitosos nulli cognitus gravissimo morbi genere extinctus, ut pluribus narrat Meshovius in Anabaptistarum Historiâ. In quâ etiam prolixè describitur publica Disputatio, Tiguri auctoritate Magistratûs inter Zuinglium Baptismum puerorum propugnantem, & Anabaptistas, qui eam urbem penè in suam hæresim abduxerant, illum oppugnantes, hoc eodem anno mense Novembri pluribus diebus, magnísque invicem conviciis habita. Cujus exitus is fuit, ut Senatus Tigurinus Anabaptistas ditione suâ interdixerit. Quorum multi nihilominùs reversi pœnis affecti fuêre. Fuítque universa ferè Helvetia hâc peste graviter afflicta; cùm specie extasum & revelationum multis infatuatis, pietatis prætextu, & matrimoniorum spiritualium introductione, spurcissimam vitam gererent, ac plerasque familias corruperent: ut plurimis exemplis idem auctor describit.

DISPUTATIO DE BAPTISMO PUERORUM.

XIV. PACIMONTANI SUPPLICIŪ.

Inter illos verò qui post Senatus Tigurini edictum ad eam urbem accesserunt, fuit *Balthazar Hubmeierus Pacimontanus*, auctor, aut unus ex præcipuis Anabaptistarum auctoribus, Doctor olim Theologus, ingenio & eruditione ac pietate etiam præstans, sed ab Enthusiastis abreptus: qui rursùm eâdem de re cum Zuinglio disputans, cùm victus nullum alium exitum haberet, revocare promisit illudénsque posteà, in carcerem conjectus, demùm revocavit, sed tantum fictè ut elabi posset. Qui post alios plerosque variis locis corruptos, & palinodias sæpiùs factas, non secùs ac erro vagabundus discurrens, victum sibi cum uxore apud rusticos ostiatim comparavit. Postremò ab omnibus contemptus, cùm in Moraviam profectus esset, novas ibi turbas ciens, captus est, ac Viennam Austriæ perductus: ubi post perpessas multas ærumnas, ac diuturnum carcerem, igne tandem combustus est anno 1528. impœnitens, uxore ejus priùs aquis immersâ. Præter errores ceteris Anabaptistis; nonnullósque cum Lutheranis & Zuinglianis communes, propugnavit & alios de libertate spiritûs & arbitrij, quos Meshovius explicat. Additque Prateolus, eum quoque negâsse, Deum humanam naturam ex Mariâ suscepisse.

XV. ZUINGLIJ OPINIO DE EUCHARISTIA.

Zuinglius autem, qui ex prædictis disputationibus laudem meruisset ob defensionem dogmatis Catholici, meritum ejus amisit, quòd non in castris Ecclesiæ pugnaverit, sed foris hostis cum hoste. Qui etiam haud ferens, à Luthero, cujus maximam dogmatum partem amplectebatur, dici Lutheranus, (quod satis erat ad ipsius damnationem) potiùs de suo nomine sectam auspicari cupivit; dum non solùm Catholicos Transubstantiationis assertores, sed etiam Lutherum, unà cum pane & vino verum Christi Corpus & Sanguinem in Eucharistiâ haberi dicentem, oppugnare cœpit: non solùm à Luthero in hoc discrepans, verùm etiam à Garolstadio; cujus absurdam interpretationem de Corpori Christi in mensâ assidente, quam anno superiori

priori explicavimus, haud probans, ad tropos ipse recurrit, atque *Est* in verbis Cœnæ Domini interpretatus est *Significat*: hâc interpretatione in Batavi cujusdam epistolâ, ut teste Heshusio fatetur, repertâ. Sicque auctum valdè est Bellum Sacramentarium; Senatu Tigurino in gratiam Zuinglij edicente, ne libelli Carostaldij in urbe suâ venderentur; & Luthero Zuinglij expositionem publicis scriptis confutante. Ita enim necesse fuit inter se digladiari, qui ab unitate Ecclesiæ secessêre: adeò ut plusquàm sexaginta aliæ sectæ ab his posteà enatæ numerentur; de quarum præcipuis dicetur suis locis. Zuinglio autem cùm in suo tropo vehementiùs resisteret vir quidam prudens è Senatu Tigurino, adeò ut in summas angustias redigeret; scribit ipsemet in suo Subsidio de Eucharistiâ, in somno visum sibi esse monitorem, qui ater fuerit an albus nescire se ait, qui eum docuit locum Exodi 12. *Est enim Phase, id est transitus.* Tantùmque apud illum, & per illum apud alios, in re omnium gravissimâ, valuit somnium malè sani cerebri, ex revelatione atri seu dubij spiritûs, ut facta sit inde amplissima secta, ut ruinam non solùm Tigurinorum, (ubi abolitis antiquis Missæ cæremoniis, 13. Aprilis, qui fuit dies Cœnæ Domini, celebrari cœpit Cœna eo ludicro ritu, quem Surius describit) verùm etiam multorum aliorum populorum, qui eos imitati sunt.

VNDE EAM HAUSERIT.

XVI. ALIÆ EJUS HÆRESES.

Qui idem Zuinglius hoc itidem anno mense Martio primum edidit commentarium *De verâ & falsâ Religione*: cúmque homo impudentissimus non dubitavit Francisco Galliæ Regi Christianissimo, & in Catholicâ fide constantissimo, dedicare. Cujus præfatione in Lutherum apertè invectus, queritur nonnullos à diabolo impulsos, cùm videant veritatem de Cœnâ Domini, non per se, sed per alios in lucem proferri, more furiosorum criminari alios, & in eos Bacchari. Præter quæ, docuit peccatum originale esse tantùm naturæ morbum, non peccatum, cum Pelagio, hominem posse solis naturalibus virtutibus & meritis vitam æternam obtinere: putà Catonem & Scipionem, quos salvatos docet libro contra Vrbanum Regium. Ac Nestorij errorem revocaturus, volebat legendum esse initio Evangelij Ioannis, *Verbum caro facta est*; ut Lutherus exprobrat libro de Conciliis.

XVII. OECOLAMPADII ALIA OPINIO DE EUCHAR.

Quo eodem anno etiam *Ioannes Oecolampadius* Winspergæ oppidulo Cheruscorum natus, sacerdos & monachus apostata Ordinis S. Birgittæ, Basileæ prædicans primum suum scriptum edidit de Eucharistiâ hoc titulo, *De genuinâ expositione verborum Domini, Hoc est corpus meum, id est figura corporis, signum, typus, symbolum*: vim suæ opinionis in dictione *Corpus* collocans, pro figurâ corporis accipiendâ; sicut Carolstadius in *Hoc*, & Zuinglius in *Est*. Cui Sueviæ Doctores Lutherani numero quatuordecim Halæ convenientes, aliud scriptum opposuerunt titulo *Syngramma* (cujus auctor fuisse putatur *Ioannes Brentius* insignis Lutheranus, posteaque Vbiquetariorum auctor) quo sententiam ejus de Eucharistiâ damnarunt. Oecolampadius verò iis respondens, *Antisyngramma* de Cœnâ Domini publicavit. Cùmque misissent hâc tempestate Argentoratenses ministri legatos, qui Lutherum ac cæteros hortarentur ad concordiam, ut regnum Papæ Romani conjunctissimis viribus oppugnare possent; (hic enim præcipuus eorum finis:) Lutherus indignum putans cæteris aliquid concedere, Zuinglium & Oecolampadium hortatus est ut desinerent animas seducere; planè affirmans, aut se, aut illos, (longè veriùs dixisset, & se & illos) ministros esse satanæ. Qui etiam hoc ipso anno inter alios tractatus, quos quotidie scripturiebat, execrandum edidit *De abominatione Canonis Missæ.* Et quidam ejus discipuli pariter & carmine & solutâ oratione in Missam audaciâ plusquàm diabolicâ debacchati sunt. Non enim sanè auderent diaboli eas proferre blasphemias, quas perfidi ejusmodi homines evomere non dubitabant. Et mirabimur, si Germania, quæ talia fovit, aluítque monstra, tot ingentes sævissimásque clades à tot lustris etiam hodiéque patiatur? De his verò ultimò monendus est Lector, Lutheri libros contra Missam scriptos confutatos ubique fuisse (ut auctor est Cochlæus) à plurimis ac præstantibus Theologis Catholicis: puta in Angliâ à Ioanne Episcopo Roffensi; (qui etiam prædictum Oecolampadij scriptum prolixâ responsione confutavit) in Germaniâ à Ioanne Episcopo Viennensi; in Galliâ à Iodoco Clicthoveo Doctore Parisiensi; in Italiâ à Thomâ Radino Theologo Dominicano; in Hispaniâ à Ioanne Quintana; in Bavariâ à Ioanne Eckio; in Marchiâ à Ioanne Mensingo; sermonéque etiam Germanico à Ioanne Dietenbergio, Hieronymo Emsero, Ioanne Cochlæo, plurimísque aliis, quorum etiamnum extant scripta.

CONFUTANTUR UBIQUE À CATHOLICIS.

XVIII. CAROLSTADII EXTREMA.

Quo tempore Carolstadius in extremam penè miseriam Lutheri persecutione redactus; ut eum quoque pacto sibi redderet pacatum, duos libellos hoc eodem anno scripsit: in quorum altero demonstrare conatus est, nullum sibi cum seditiosorum ducibus consortium fuisse: altero, quæ de Eucharistiâ disputâsset, non asserendi, sed veritatem inquirendi animo, à se dicta testatus est: quæ duæ causæ erant alienationis Lutheri ab eo. Vtrumque libellum Lutherus edidit, brevi præfatiunculâ tenuiter commendatum. Iámque utcumque placatus, ac de victoriâ lætus, iisdem præfatiunculis tum rogavit Principes, ut miserum ad excusationes reciperent; tum quia tam Carolstadius quàm Zuinglius opinari se fatebantur, non indubitatò credere quæ de Eucharistiâ disputabant, certum esse dixit, eos hoc capite non habere Spiritum sanctum, nec inspirari divinitùs, sed opinatione humanâ deceptos esse; ideóque doctrinam eorum diligenter cavendam. Carolstadius autem in hunc modum redire permissus Wittembergam, cùm risui ac ludibrio esset omnibus, Kembergam in vicinum oppidum secessit: ubi mutato habitu, ex Doctore factus agricola indoctus, (ut Cochlæus narrat) per inopiam arare coactus est, cunctis ludo simul & commiserationi existens; rustici vestitu lacero lignatum in silvam ibat, venum exponens in foro quæ humeris aut curru ligna advehebat; nec hoc solùm, sed & vinum adustum, cerevisiam, pira tosta, placentas, specula, ligulas,

aliásque ejusmodi quisquilias vulgò vendebat. Donec ab omnibus se contemni videns, ad Helvetios transiit, sententiam cum Zuinglio collaturus. Ac Tiguri Doctor rursùm apparens, revocatum jam antè Berengarij dogma, ope Zuinglij per Superiorem Germaniam disseminavit; Basileæ non multò pòst ad munus concionatoris evectus. Vbi cùm satis diù vixisset, (ut finem ejus uno contextu addamus) sub ipsâ concione novissimâ viso spectro terribili, ab eodem post triduum moriens raptus dicitur: id plerisque Lutheranis asserentibus: aliis tamen negantibus qui [i] illum anno demùm 1543. postquam decennium Basileæ prædicâsset, atque etiam Academiam rexisset, obdormîsse in pace scribunt, (pace scilicèt ductoris atque doctoris sui; non sanè Christi, quem impugnabat.) Atque de illo modò hactenùs.

[i] Eucholcer. in Indic. an. 1543.

XIX. LUTHERUS UXOREM DUPLICI INCESTU DUCIT.

Lutherus autem ad ultimum lasciviæ Venereæ perductus, hoc eodem anno, dum Germania factionibus Rusticorum amarissimè gemeret; hymenæa celebrare decernens: post obitum Friderici Electoris, (qui hoc ipso anno mortuus est, senio, curis, morbóque calculi confectus) quo superstite nihil ejusmodi cogitare ausus fuerat, ejus auctoritate deterritus, qui dimissâ semel quâ usus fuerat concubinâ, porrò continens cœlebsque permanserat usque ad obitum. (Princeps inter præclaros Germaniæ, ob prudentiam & rerum usum numerandus; nisi spurcissimi apostatæ suasionibus à recto Fidei Catholicæ tramite deviâsset: cui, quòd legitimâ prole careret, successit frater ejus Ioannes, Luthero etiam illo addictior:) qui tot libellis & hortationibus alios monachos, sacerdotes & moniales ad incestas nuptias impulerat; ut reipsâ doctrinam ipse suam confirmaret, die vigesimoseptimo Iunij, anno ætatis suæ quadragesimosecundo, Catharinam à Borâ nobilem feminam, sed monialem, quæ biennio antè Lutheri doctrinâ excitata unà cum aliis octo è Nimicensi monasterio noctu aufugerat, incestis utrimque nuptiis sibi copulavit. Quamvis sint etiam qui asserant, bellulam istam nuptam, per illud biennium quo post violata monasterij claustra, Wittembergæ, fuit inter scholares scortatam fuisse. Quod si fecit, ex doctrinâ Lutheri fecit, quæ docebat impossibile esse continenter vivere, omninóque necessarium esse omnibus rei Venereæ usum, magis etiam quàm potum, cibum, somnum; atque idcircò teneri etiam monachos & moniales, posthabitis votis suis, ei rei operam dare. Adeò ut exitus Catharinæ è monasterio, id facile suadere possit. Sed utut de eo fuerit, cùm has nuptias Lutherus non solùm Catholicis abominabiles, verùm etiam ipsis suis asseclis valdè invisas esse animadverteret: excusavit ille quidem variis ad amicos suos datis literis, excusationibus tantæ turpitudini consentaneis: at nihilominùs tam atrocibus conscientiæ stimulis post rem gestam agitatus fuisse dicitur, ut penè iis oppressus sit: quem propterea amicissimus Melancthon, quamquam & ipse factum vehementer improbabat, colloquiis hilarioribus, lepidísque sermonibus & jocis erigere ac recreare conatus sit. Vt verò magni nominis aliquem haberet illius dementiæ socium, impurus atque impudens Albertum Archiepiscopum Moguntinum & Cardinalem, ad quem sæpiùs familiariter scripserat, & in suam hæresim pellicere conatus fuerat, ad eandem choream, nuptiásque [k] contrahendas, per literas ineptissimas juxtà & spurcissimas invitavit, quas licèt typis excusas, non est dignatus Cardinalis ullo responso.

[k] Vid. Serar. de Reb. Moguntin. l. 5. in Albert. II.

XX. EXAGITATUR VEHEMENTISSIME A REGE ANGLIÆ.

Incestas autem Lutheri nuptias Hieronymus Emserus duplici carmine exagitavit, atque alterum quatuor vocibus ad concinendum exornavit. Sed longè gravissimè Henricus Rex Angliæ respondens cuidam epistolæ à Luthero ad ipsum scriptæ, de quâ mox dicetur, exprobravit, quòd instigante diabolo in eam ingenij levitatem cecidisset, ut ob carnis ineptias (ut sunt ejus verba) & obscœnas libidines, cùm Frater Augustinianus esset, monacham Deo dicatam scelerato compressu violâsset. Nec verò solùm compressisset, (quale flagitium si designâsset olim apud Romanos Ethnicos, & illa terram viva subiisse, & ille ad mortem usque verberibus multatus fuisset) verùm etiam quod nimio esset execrabilius, publicè pro uxore nuptiis incestissimis traduxisset: atque ita palàm, summo cum totius mundi stupore, summo per orbem totum ipsorum opprobrio, summo cum sacrosancti conjugij contemptu, summâ cum sanctissimorum votorum contumeliâ, per nefas abuteretur in quotidianum prostibulum: Denique, quod omnium esset maximè detestandum, cùm ipsum deberet tam execrandi facinoris pudor & dolor obruere, pœnitentiæ loco præseferre miserum, impudentem gloriam; tam longè fugiendo implorationem veniæ, ut etiam in sui sceleris exemplum passim perpetuò pseudo-religiosos alios literis ac libris provocaret. Ita Henricus ad Lutherum; cùm ab eo epistolam accepisset, datam hoc eodem anno Calendis Septembris, quâ Lutherus, cùm audîsset juvenum Anglicorum procacitatem, à doctrinâ ipsius Lutheri haustam, eò usque in Episcoporum & aliorum Ecclesiasticorum insectatione progressam esse, ut etiam Rex crederetur offensus Cardinali Volsæo, seu Eboracensi, aliisque sacerdotibus, quos contumeliis lacerari permitteret: tempus adesse ratus quo se Regi insinuaret, ex conviciatore procacissimo, qualem priùs adversùs eum egerat, levissimus assentator, astutissimúsque veterator factus esset.

XXI. LUTHERI EPISTOLA ADULATORIA AD EUM.

Siquidem ausus est Regi scribere literas, (quas tamen se Christierni Regis Daniæ profugi suasu scripsisse affirmavit) in quibus admodùm demisse peccatum in majestatem illius olim admissum fateri simulans stultéque & præcipitanter in eum scripsisse ignoscens; excusabat nihilominùs quòd fide dignis testibus didicisset, libellum regio nomine in ipsum editum, non esse Regis Angliæ, ut videri volebant, inquit, subdoli sophistæ, qui majestatis ejus titulo abusi non senserant quantum sibi ipsis periculum in regiâ ignominâ pararent præsertimque illud monstrum, & publicum Dei & hominum odium Cardinalis Eboracensis, pestis illa regni ejus. Mira profectò ars oratoria impudentissimi juxtà & insulsissimi nebulonis: ut quem delinire quærebat,

eum laude gloriosissimæ scriptionis privare, eandémque ei ignominiosam esse persuadere velit. Si enim non esse Regis sciverat, ut quid ipsissimum Regem virulento suo responso nominatissimè impetiverat? ac non potiùs in libri auctores contumelias suas contorserat? Addit porrò, se modò compulsum esse ad ei scribendum, quòd intellexisset eum cœpisse favere Evangelio, & non parùm tædere istius generis hominum perditorum. Quare prosternens se pedibus ejus, (ô humile caput!) per Christi Crucem & gloriam obsecrat ignosci sibi: offértque, si Regi non contemnendum videretur, libello publico palinodiam cantare, & nomen Regis rursùs honorare. Hortatur deinde, pleno spiritu obedire & favere Evangelio, nec sinere aures regias & animum occupari pestilentibus Sirenum vocibus, quæ nihil nisi hæreticum Lutherum vociferari nôssent. Extat [l] hujusmodi illius epistola; una cum responsione Regis satis prolixâ ad singula ejus capita. Quâ imprimis exprobrans, unicam ei rationem probandi omnia esse pertinacem impudentiam, libellum quem Lutherus tantoperè exagitaverat, verè suum esse affirmat; tantóque libentiùs suum agnoscere, quanto minus Luthero placeret. Cardinalem Eboracensem multipliciter laudans, deinceps se eò arctiùs eum complexurum ait, quò magis invisum cerneret Luthero, eíque similibus scurris. Deinde Lutheri doctrinam describens, & in eam, gestáque ejus ac turpem vitam invectus, execrari se hominis audaciam, levitatem, loquacitatem, scurrilem petulantiam, dogmatum inconstantiam, blasphemias in Deum & Sanctos, sacræ Scripturæ corruptionem, contemptum Principum ac Magistratuum, seditiosos conatus, & alia ejusmodi, testatur. Et quod se illum laudaturum Lutherus obtulerat, ait non honori, sed dedecori sibi futurum, si talem suæ laudis præconem nactus foret. Neque sic se incendi gloriæ jejunio, ut ejus libros in suas laudes ambiret: sed optare potiùs, ut ipse agnitis erroribus, & recantatis hæresibus, resipiscens tandem, & reversus ad fidem, sic eam scriptis probaret & operibus bonis, ut inde laudem posset & gloriam dare Deo. Alioqui si ad istum quo cœpisset modum in hæresibus impiis & improbâ vitâ pergeret, non posse eum laudare Regem impensiùs quam si vituperaret, nec è diverso magis odio traducere, quàm si extolleret: secundùm quod legitur apud Senecam, tam turpe esse laudari a turpibus, quàm laudari ob turpia. Postremò hortatur ad pœnitentiam, & ad peccata deflenda: ejus emendationem se non minùs libenter auditurum, quàm audire tristatus esset & ipsum & per ipsum plurimos miserrimè passim perire.

[l] Int. oper. Roffens. unà cum libro Reg. de Sacram.

Regis responsio.

XXII. Tentavit quoque hoc eodem anno idem Lutherus Georgium Saxoniæ Ducem Catholicum, & quidem cum minis iræ divinæ, necnon Carolum Ducem Sabaudiæ pium & doctum: sed à Georgio acre responsum accipiens, à Carolo hominem contemnente nullum habuit: sícque ab utriusque spe prorsùs decidit. Cùm verò Philippus Landgravius Hassiæ juvenili ardore divortium ab Ecclesiâ fecisset; Philippus Melancthon literas ad eum de mutatione religionis deliberantem dedit, quibus monuit ut doctrinâ constitutâ ritus & cæremonias omnes veteris Ecclesiæ retineri juberet, quotquot servari absque impietate possent: putà Latinas cantiones, sacras vestes, Horas canonicas, Missam unam in singulis parochiis, & id genus alia. Cujus in hac re consilium multi per Germaniam, versùs Septemtrionem imprimis, posteà sunt secuti. Ortáque inde est Secta [l] *Melancthonicorum*, vel *Mollium Lutheranorum*; quos post bellum Smalcaldicum *Adiaphoristas* appellârunt: qui diversum cultum sacris vestibus, cereis, imaginibus, Latinis cantibus, aliísque ejusmodi celebrantes, Catholici esse videntur.

Nova secta Molliũ Luther.

[l] *Vid. infr. an. 1527. XV.*

XXIII. Hoc verò item anno Albertum Brandeburgensem Magistrum Ordinis Theutonicorum, Lutheri hæresim complexum esse, Surius [m] tradit. Quem quidem Guagninus [n] in Catalogo Magistrorum Ordinis refert, belli cum Rege Poloniæ (quod de juramento ei præstando fuisse, aliàs vidimus) pertæsum, difficiléque contra stimulum calcitrare cernentem, Regem Sigismundum avunculum suum sibi reconciliâsse, his pactionibus ut ipse juramentum solemniter Regi præstaret, Rex verò crearet illum Principem sæcularem, Equitémque auratum. Quod etiam adimpletum est mense Aprilis, Alberto Cracoviam concedente: ubi Rex ei terras omnes Prussiæ Orientalis, sive Ducalis posthàc dictæ, (possidet enim magnam partem Prussiæ Rex Poloniæ, quæ inde Regalis dicitur: cujus metropolis Mariamburgum est, sicuti Ducalis Regiomontum, uti feudali, clientíque, & subdito attribuit, ac vexillum illi suum sub insignibus Polonicis dedit. Sicque in hoc Alberto, qui trigesimus-quartus Magister Theutonicorum Crucigerorum erat, finem accepit is Ordo in Prussia: factáque est deinceps Prussia hæreditaria: iisdem subjectionis ac clientelæ conditionibus. Duxit autem Albertus anno sequenti Dorothæam Regis Daniæ filiam. Infelices Principes, qui se sic miserè spurco, stolido, impudenti apostatæ subderent! Nec multò feliciores Episcopi & Ecclesiastici illi, qui depravatâ suâ vitâ, & segni negligentiâ, aut crassâ ignorantiâ, ansam præberent tantæ ruinæ!

Albertus Magister Theuton. fit Lutheranus.

[m] *Sur. in commentar.*

[n] *Guagn. Sarmat. descr. & in Pruss. Chytr. Saxon. lib. 11.*

Finis Ordinis Prussiæ.

XXIV. Cœperat etiam istud virus serpere in Galliam. Quâ de re cùm Alosia Regina mater Francisci Regis in Hispaniâ captivi, Clementem Pontificem certiorem reddidisset: scripsit [o] ille ad Senatum Parisiensem vigesimâ die Maij, laudans illum imprimis, quòd sapienter atque providè quosdam delegisset, qui darent operam ut in eos qui fidem ac veterem religionem oppugnare conabantur, animadversio fieret: hos delectos auctoritate suâ se comprobare: hortari excubare diligenter contra hanc rabiem, quæ non modò religionem, sed omnem principatum, nobilitatem, leges, ordinésque confundere ac permiscere cogitaret: se quidem nulli parcere nec labori, neque curæ, ut medicinam huic malo faceret: ipsos etiam, quorum virtus atque prudentia esset ubique memorabilis, debere in hoc esse totos, ut non solùm veritas & recta fides, verùm etiam regni illius salus, & ipsorum ordinis

Clementis PP. hortatio ad Senatũ Paris. contra hæreticos.

[o] *Ext. in Regest. Cur. Parlam. meminitque Sleid. l. 5.*

dignitas à domesticis periculis & calamitatibus custodiretur, quas perniciosa hæc hæresis ubique disseminaret. Ipsos quidem hortatione non indigere, qui suæ sapientiæ documenta jam ostendissent: sed tamen pro suo munere, próque illâ quâ complecteretur illos benevolentiâ, voluisse etiam hoc addere: Placere sibi vehementer quæ hactenùs egissent; hortari ut imposterùm simili animo atque virtute, pro gloriâ Dei, & pro totius regni salute invigilarent. Quod quidem ipsos eximiè præstitisse constat, qui hoc ipso anno *Iacobum Pavanam* Boloniensem pannorum textorem Lutetiæ ustulârunt: (quem Beza Genevensium Califa in suis Iconibus, protomartyris [p] ibi nomine illustrem reddere voluit:) & in alios ubicumque essent severa edicta promulgârunt.

[p] *Vid. supr. an. 1523. XV.*

XXV.

[q] *Vid. Prateol. in Libertin. & Quintin. At Meshov. in Hist. Anabapt. ponit ann. 1530. agitque pluribus de istorum heresi.*

LIBERTINORUM SECTA.

Hoc enim anno (ut quidam [q] ponunt) exiit etiam Secta *Libertinorum*, auctore *Quintino* quodam sartore Picardo, socióque, sive, ut alij volunt, præcursore, *Coppino* Insulano: qui è Galliâ profugi, errores suos in Brabantiâ Hollandiáque disseminârunt. Fuerúntque Catabaptistarum proles, fanaticum hominum genus, in quo revixerunt spiritu Lutherano Gnostici & Valentiniani, quibus nihil æquè displicebat atque simplex, proprius, & germanus Scripturæ sensus: quibus Christus erat Satanas, & contrà, virtus vitium, & vitium virtus, &c. Nihil ex eorum sententiâ erat peccatum, nisi eorum opinione qui se peccare putabant: suámque spiritualem regenerationem in eo collocabant, ne ullâ re nec peccati remorsu, nec Dei timore, nec judicij terrore tangerentur. Vnicum esse Spiritum immortalem, scilicèt Deum: Angelos autem, dæmones, & hominum animos, nihil esse nisi meram opinionem. Vnde deducebant, cuncta homini esse licita sine vllâ exceptione; quandoquidem omnia Spiritu Dei fierent, qui omnia in omnibus operatur: ideóque nullos sceleratos esse coarguendos, quoniam in Deum caderet ista reprehensio; quæ æquè auctorem mali faciebant. Cerdonistarum, Manichæorum, Marcionistarum deliria, atque abominandas voluptates sectabantur. Omnia simulare & dissimulare, pro fundamento sui Evangelij jaciebant: ideóque intrepidè omnibus sacris tam Catholicorum quam quorumcumque hæreticorum sese miscebant, omníque impietati omnium sectarum consentiebant. Scripturas pro fabulis habebant: alia denique quæcumque impia, horrenda, detestanda, & docebant & faciebant; quæ Prateolus [r], Gaulterius, Meshovius collegerunt. Quos etiam confutandos unà cum cæteris Anabaptistarum sectis, suscepit Lutheranus Conradus Schlussemburgius [s] Saxo in suo Catalogo Hæreticorum.

[r] *Prat. de heres. Gault. Chronol. sac. 16. Meshov. Hist. Anabapt. lib. 5.*
[s] *Schlusselberg. lib. 12.*

XXVI.

DAVIDIS GEORGII BLASPHEMA DELIRIA.

Quintino non absimilis *David Georgius* vitriarius, circulatore natus Gandavi in Flandriâ: qui hoc item anno emergens, se tertium Davidem, verúmque Messiam, dilectum Dei filium, non ex carne, sed spiritu natum, qui peccata verè condonaret, aut reservaret, qui denique judicaturus esset in novissimo die, asserebat: & corporum resurrectionem, Angelos, & dæmones, baptismum, matrimonium, Scripturas, negans, abominanda suis tradidit mysteria; quæ iidem auctores collegerunt; de quibus & nos pleniùs inferiùs [ss].

[ss] *Infr. an. 1543. X.*

XXVII.

CAPUCCINORUM ORTUS.

Sed horum loco brutorum, prodiit hoc eodem anno germen sanctum fecundæ Ecclesiæ Catholicæ; Ordo nempè CAPUCCINORUM, qui pietate suâ ac bonis operibus homines revocaret à spurcitiis & abominationibus hæreticorum: auctore *Matthæo de Bassio*, Vmbro, sacerdote religioso Minoritâ Observante, rusticis quidem parentibus orto, sed egregio vitæ morúmque exemplari. Qui apud Montem Falconium in Piceno, visione cujusdam viri specie mendici intentissimo frigore nudi, eleemosynam petentis, quem ipse laciniis laneis sui vestitûs refocillavit, ísque mox ab oculis ejus disparuit; ad angustiorem paupertatem tolerandam summoperè excitatus, & voce divinitùs sæpiúsque auditâ de Regulâ sancti Francisci ad literam observandâ monitus; facto sibi caputio quadrato & acuminato in veste valdè asperâ (quali sibi frequenter vir quidam apparuerat, veluti esset præscriptus à sancto Francisco habitus) Romam hoc anno petens, atque in Clementis Pontificis præsentiam Angeli ductu nullo obice delatus; ab eo facilè impetravit, ut eo modo indui, & vivere in extremâ paupertate liceret, sub vitâ Eremiticâ. Cui anno subsequenti sese adjungens *Ludovicus* Forosempronienſis, æquè Observans sacerdos, Romámque pergens, obtinuit facultatem idem vivendi genus sub eodem habitu colere. Atque ab his ei sanctissimo Sodalitio initium factum est; magnas inde multásque difficultates ac tribulationes, perpessis à reliquis Minoritis, quibus nec vita illa adstrictior, nec caputium illud quadratum & acuminatum placebat: Ita Ordine composito, ut de formâ caputij, & habitu barbæ, tanquam de summâ rerum, ingentibus conatibus animosissimè certetur. Quæ verò sunt Matthæi & Ludovici, narrant Marcus Olysipponensis in suâ Seraphicâ Historiâ, Silvester Maurolicus in Mari Oceano omnium Religionum; ac pleniùs qui Annales Capuccinorum procudit Fr. Zacharias Boverius Salutiensis ejusdem Ordinis. Vterque tamen posteà Caputium illud quadratum majori levitate deseruit, quàm maturitate susceperat: Ludovicus quidem odio in Sodalitium, Matthæus amore liberioris prædicationis. Cujus elogium, totius vitæ summarium complectens, extat ad ejus sepulchrum Venetiis, ubi diem obiit anno Christi 1552. in templo S. Francisci de Vineâ: ubi dicitur, regularis observantiæ & antiqui habitûs formam jam deperditam divino monitu restituisse, & Capuccinorum Religioni secunda post S. Francisci auspicia dedisse: omnes ferè Christiani orbis provincias prædicando peragrâsse; in exercitu Caroli V. contra Saxones fulcimen suis, fulmen in hostes extitisse: super undas sicco vestigio incessisse: prædicâsse ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis; ac miraculis post obitum claruisse. Quæ pluribus tractata videre est in Annalibus Ordinis: simúlque confutatam eorum opinionem, qui scripsêre *Bernardinum Ochinum* Senensem, qui posteà lapsus est in hæresim, hujus instituti auctorem, vel unum ex quatuor primis ejus professoribus extitisse: tum aliis

MATTH. DE BASSIO ELOGIUM.

DE BERNARDINO OCHINO.

rationibus & testimoniis, tum quòd certum sit Ordinem hoc anno initium accepisse, & antequàm Bernardinus eum ingressus esset, nempè anno 1534. ultra trecentos Fratres in eum receptos fuisse. Ochinus autem octennium in Ordine commoratus, anno 1542. eum deseruit. Confirmatio porrò Ordinis per constitutionem [t] publicam à Clemente facta est anno 1528. quinto Nonas Iulij. Quem jam per multorum receptionem stabilitum, Paulus III. octavo pòst anno, videlicet 1536. octavo Calendas Septembris, sub nuncupatione *Congregationis Fratrum Ordinis Minorum Capuccinorum* denuò confirmavit [u]; Clementis constitutionem extendit in futurum; & Vicarij generalis, aliorúmque ministrorum seu officialium munera declaravit.

[t] *Ext. Bull. tom. 1. Clem. VII. const. 21.*

[u] *Ib. Paul. III. const. 11.*

XXVIII. MIRACULA CONTRA HÆRETICOS.

Inter miracula quæ hoc tempore facta leguntur in confusionem hæreticorum, unum [x] est quo Berlini in Germaniâ monachus quidam apostata, qui pro concione S. Paulum mendacij arguerat, subitò in suggestu extinctus est apoplexiâ. Alterum [y], quo Erphordiæ cùm quidam concionator hæreticus digitum intendens in statuam B. Virginis intra Ecclesiam existentem, clamâsset non quieturum se donec idolum illud exturbâsset; subitò igne sacro digitum ejus invadente, eâdem nocte extinctus est. Tertium; quo ibidem quidam aurifaber, dum ferreo malleo aliam statuam argenteam Beatissimæ Virginis, à Magistratu ad eam liquefaciendam, & monetam inde conficiendam traditam, contundere vellet, dicens, sic coërcenda esse Papistarum idola, subitò excæcatus est, ac mendicus mansit usque ad mortem.

[x] *Bucholcer. in Indic.*

[y] *Tymp. in Theat. Hist. de pœn. Iconomach. 23. & 24.*

XXIX. PERUANÆ PROVINCIÆ INVENTIO.

Hoc eodem anno [z], ad Isthmi Novi Orbis lævam *Franciscus Pizarrus* Hispanus *Peruanam* provinciam invenit; cujus metropolis *Cusco* urbs magni nominis, *Yncarum* (ut vocant) hoc est Principum sedes, qui circumjacentes provincias armis subjugaverant: & octavo tandem pòst anno (cùm interim in Hispaniam navigâsset ad certiorem Cæsarem faciendum de ejusmodi inventione) capto, occisóque iniquissimè contra fidem datam *Atabalipa* ejus Imperatore, universam Caroli Cæsaris subegit imperio: omnium quæ repertæ sunt venis auri & argenti beatissimam gentem, si tanti fecisset hæc metalla, quanti natio quæ illam ad ea potiunda fictâ specie Religionis invasit, ac penè delevit: adeò ut domesticum omne instrumentum, ollæ, & caldaria, & lebetes ex auro & argento conflarent. Ac vide in his ipsis initiis gentis fidem. In tantâ thesaurorum copiâ, quâ singulis gregariis militibus supra novem aureorum millia obvenerunt, (trecenti circiter erant, qui supra centum mille indigenas variis præliis vicerunt, gentem inermem, sudes tantùm & sagittas ferentem nullo præfixas ferro) de prædæ divisione inter Pizarrum & Didacum Almagrum expeditionis socium ortâ rixâ, Ferdinandus Pizarri frater Almagrum peremit, Didacus Almagri filius Pizarrum, Didacum alter Pizarri frater Consalvus. Qui successu ac copiis elatus superbiâ, à regiâ auctoritate palàm defecit. Donec ad eos motus pacandos Petrus Gasca Iurisconsultus missus a Carolo Cæs. in togâ vicit rebelles, ut dicetur suo [a] loco Ferdinandus Pizarrus è tribus fratribus diù superstes in Hispania, quò ultrò venerat Almagri cædem excusatum, causam è vinculis dicere multis annis est coactus. Sic ira cælestis, occisi crudeliter & iniquissimè supplicio publico Atabalipæ innocentis manes ulta, ac per omnes domos adversariorum vagata, nullo innoxio relicto, brevi tempore pœnas à singulis improbæ cupiditatis, & cædis injustæ habuit. Rem breviter narrat Mariana. Sed de navigatione Pizarri, & occupatione provinciæ Peruanæ, est [b] prolixior Relatio Francisci Xeresij Secretarij ejusdem Pizarri ad Carolum Cæs. aliáque alterius ducis qui Pizarrum comitatus est.

[z] *Marian. lib. 26. c. 3.*

[a] *Infr. an. 1546. XX.*

[b] *Collect. Ramus. tom 3.*

XXX. HISPANORUM CRUDELITATES IN NOVO ORBE.

Quorum tamen uterque parcit nomini Hispano, in contegendis, aut aliâ specie obtegendis perfidiis & crudelitatibus contra miserum Atabalipam ejúsque gentem commissis ab avarissimis illis prædonibus: quos manifestè constitit, non ad aliud navigationes suas suscepisse, quàm ad sitim auri explendam, quamvis obtentu propagationis Fidei Christianæ velatas; cujus parvam aut potiùs nullam iis principiis rationem habitam esse constat; quinimmò nec multo pòst tempore, nisi ad fallendos aut vexandos miseros incolas. Quis enim non obstupescat ad horrendissimas illas crudelitates & carnificinas in populos omnes Novi Orbis adhibitas, & incredibiles vastitates frequentissimis provinciis illatas; nullâ habitâ curâ conversionis animarum? Pertinent quidem illæ ad historiam, & verò quam maxime ad Ecclesiasticam: sed absit ut iis recensendis tempus impendam. Longius opus est, quàm ut paucis possit absolvi; & horribilius quàm ut absque pravæ generationis detestatione recitari valeat. Rem jam egerunt ipsimet Hispani, (ne fides narrationis in aliis vacillare putetur) quorum fuit pietas magis cordi. Ac præcipuè *Bartholomæus Casa* Castellanus ex Ordine Prædicatorum, Episcopus regiæ civitatis Chiapæ in Novâ illâ Hispaniâ; qui non ampliùs ferre valens enormia ejusmodi scelera, eâ unâ de causâ in Hispaniam navigavit, ut Carolum Imp. ad aliquod remedium inferendum excitaret. Interimque ad liberandam conscientiam, rem voluit aliquot libris Hispanicâ linguâ in publicum editis universo orbi manifestam facere: asserens quadraginta annorum spatio ad suum inde discessum, sublata de medio fuisse tyrannicâ illâ infernali, ut vocat, crudelitate, ampliùs quindecies dena centena millia hominum, & desolatas terras duorum millium leucarum Hispanicarum; cùm nihilominùs essent illi populi optimis moribus prædit, & dociles admodùm ad instructionem fidei suscipiendam. Cujus loco paucos illos qui superfuerunt, egregij scilicèt instructores, docuerint quæ in eum orbem importaverant flagitia & vitia, sacrum Dei nomen blasphemiis proscindere, aleari, furari, mentiri, scortari, & alia ejusmodi peccata, naturæ eorum comi ac simplici repugnantia. Similia ferè de iisdem Indiis Occidentalibus, atque Hispanis, scripsit Latinè *Ioannes Metellus Metellus* Sequanus Iurisconsultus præfatione in Historiam Osorij Lusitani de rebus ab

BARTHOLOM. CASÆ RELATIONES DE IIS.

ET ALIORUM.

Emmanuele Rege gestis ad Ant. Augustinum Archiepiscopum Tarraconensem, necnon Italicè *Hieronymus Benzonius* Mediolanensis in suis Novi Orbis, quem pluribus annis peragravit, historiis; quas Latinè redditas, unà cum auctariis & annotationibus ex aliis earumdem descriptionum auctoribus, Theodorus [c] de Bry Leodiensis edidit. Qui & ait [d], nullam se gentem videre, cui justiùs quadret quod Romanis quondam exprobratum à Britannis scribit Tacitus in Vitâ Agricolæ; *Raptores Orbis, postquàm cuncta vastantibus defuère terræ, & mare scrutantur: si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos non Oriens, non occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt; auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium; atque ubi solitudinem faciunt, Pacem appellant.* Quod tamen haud in totius Hispanicæ gentis ignominiam trahimus; sed in militarem licentiam, & ducum intemperantiam: Principibus quidem adeò non imputandam, ut econtrà etiamsi à nonnullis ipsorum Theologis res comprobaretur, asserentibus per divina & humana jura Hispanis quod facerent licere, quinimmò & ut sic fieret expedire ad barbaros ad Christianam fidem inducendos; id præcipuè & verbis & scriptis Genesio Sepulvedâ Cordubensi obstinatissimè contendente; cum quo fuêre eidem Barthol. Casæ acerrimæ disputationes: nihilominùs ejusdem Casæ instantissimâ demùm sollicitudine factum fuerit, ut Carolus Imper. leges à gubernatoribus servandas sanxerit, quibus Hispanorum sævitiam coërceret, & Indos meliùs de clementiâ suâ sperare imposterùm juberet, quos non armis ad fidem compellendos esse, sed benignè sacrâ doctrinâ & piis exemplis ex infidelitatis tenebris educendos, judicavit posteà Pius [e] V.

[c] Americ. par. 5.
[d] Præf. in par. 4.
[e] Vit. Pij V. lib. 3. c. 5.

Iesu Christi Annus 1526.

Clementis VII. An. 3.

Caroli V. An. 8.

I. Conditiones liberationis Regis Franc.

Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo-sexto, Indictione decima-quartâ, post longas consultationes Caroli Cæs. de Francisci Galliæ Regis captivi sui liberatione, ejúsque conditionibus; & utrùm satius esset cum Pontifice & Italis, qui societatem contra Cæsarem unà cum Rge Angliæ tractabant, an verò cum Rege Francisco convenire; hoc Lanoio Prorege Neapolitano, illud Gattinario Cancellario magis sentiente, demùm ex sententiâ Lanoij, cæterorúmque Belgarum, qui Burgundiæ desiderio tenebantur, die Dominicâ decima-quartâ Ianuarij conclusus fuit Madriti tractatus pacis inter Cæsarem & Regem; cujus summarium Guicciardinus [a] refert, integrum linguâ Gallicâ, quâ conceptus est Belleforestius [b]. Præcipua fuêre capita; ut Rex Burgundiæ Ducatum cum multis ejus appendicibus Cæsari traderet, omni supremo jure ab eo possidendum: omnibus regni Neapolitani, principatûs Mediolanensis, Genuæ, Astæ, quibuscumque juribus, necnon Flandriæ & Artesiæ supremo juri cederet, atque urbes quas in iis possidebat, restitueret: Eleonaram Cæsaris sororem Emmanuelis Lusitaniæ Regis viduam duceret: Borbonio ditiones suas restitueret; duos filios suos natu majores, obsides datæ de his & aliis additis obligationibus adimplendis fidei, traderet; eò quòd Rex excusaret, non posse ea fieri quin ipse in regno suo liber esset. Fuerunt enim & alia quamplurima capita, quibus Rex libertatis desiderio, cùm non alio modo eam consequi posset, sese obstrinxit: quæ quantò plura fuêre, tantò justiorem Regi ab iis, quæ captivus vi & metu promisisset, resiliendi causam præbuisse, Galli dicunt: Satis enim ad asperitatem, seu potiùs iniquitatem eorum dignoscendam, vel esse ea legere. Quare etiam narrat Guicciardinus, hæc pacta omnium Christianorum animos in maximam admirationem erexisse: præsertímque censuisse omnes, Regem minimè traditurum Burgundiam, quæ tanti momenti ad regnum Galliæ esset. Quo etiam factum est, ut Gattinarius Cancellarius omninò censeret Regem non priùs dimittendum, quàm Cæsar Burgundiam recepisset: sciens videlicèt non fore eum obligatum ad tantam rem præstandam, quam diutissimè denegatam, nonnisi coactè, postquàm nullam aliam relictam libertatis spem vidit, concedere compulsus fuisset. Adeò ut idem Gattinarius, Gallici nominis hostis acerbissimus, hujus pactionis tabulis, prout ejus muneris erat, subscribere nunquam induci, vel Cæsare non parùm indignante, potuerit: quibus Cæsar propriâ manu subscripsit. Quod verò pactis additum fuit, ut si Rex quâcumque de causâ iis intra præscriptum tempus non staret, spontè in eandem custodiam rediret: hoc quoque ejusdem generis obligationis extitit. Aliúsque longè Rex erat ab Attilio Regulo. Ac præterea Cæsar ipse in elusionibus promissorum longè majoris momenti Borbonio factorum, Regem docebat etiam sua gravissima eludere. Miserum enim Borbonium fraudatum spe certâ ei factâ matrimonij Eleonoræ, in Italiam Cæsar remisit cum aliâ inaniori spe Principatûs Mediolanensis. Sic sanè infelix ob turpissimam proditionem deludi meritus, & cæteris omnibus æquè ac Hispanis opprobrio esse; quamquam non ejus delusio propterea possit honori esse Carolo Cæsari: sicuti nec adeò Regi Francisco, quæ fraudulenter promisit animo non servandi.

[a] Guicc. l. 16.
[b] Bellefor lib. 6. c. 36.

Constitutum fuerat eum liberatum iri die decimâ Martij: sed ob Reginæ matris, quæ pueros obsides ducebat, podagram, res in decimam-octavam dilata est. Quâ cùm Rex à Lanoio & Alarconio ad ejus fluminis, quod apud Fontarabiam utrumque regnum dividit, ripam deductus fuisset, eodemque tempore ad oppositam ripam Lautrechius cum duobus filiis Regis, Francisco Delphino novenni, & Henrico Aurelianensi Duce octenni, constitisset: utrimque eodem momento scaphis perventum est ad pontonem, seu navim in medio fluminis anchoris firmatam: in quam cùm omnes ingressi essent: eodem momento Rex in scapham Gallicam, pueri II. Rex in Gall. dimittitur.

in Hispanicam prosilierunt: Rexque Baionam contendit, incredibili gaudio à matre, & Principibus ac proceribus, qui frequentissimi advenerant, receptus. Attentis verò ad pactionis observationem omnium animis, ac præcipuè Italorum, qui à Cæsaris potentia sibi vehementer timebant; non diu sivit eos Rex, in quam partem declinaret, dubitare. Cùm enim statim ut Baionam pervenit, à legatis Cæsaris sollicitaretur pactionem confirmare, sicuti promiserat se facturum quamprimùm liberum in locum venisset; rem variis excusationibus protrahens, ad Cæsarem scripsit, animos prius mitigandos esse eorum qui regni imminutionem moleste ferrent. Cum Clementis autem Pontificis ac Venetorum legatis, qui auditâ futuræ Regis liberationis certitudine, tempore præmissi fuerant, de Cæsaris in se inhumanitate gravissimè conquestus est: Non ita Eduardum Angliæ Regem cum Ioanne Rege Galliæ, qui in æquè captivum detinebat, egisse, quin potius omni humanitatis & honoris genere habuisse; ex quo tanta inter eos familiaritas, fiduciáque orta esset, ut Ioannes libertati restitutus aliquot pòst annis spontè hospitis sui visendi desiderio in Angliam redierit: Se & in arce Picighitonis, ubi primò custoditus fuit, & posteà in Hispaniâ contestatum sæpiùs esse, si necessitate compulsus legibus aut iniquis, aut quas servare in potestate suá non esset, cederet, non modò eas non servaturum, verùm etiam, quòd sibi in eo injuria facta foret, eam ulturum: Minimè porrò in Regis Galliæ potestate esse, absque totius regni Comitiorum consensu, se ad quicquam ex iis quæ ad regni corpus spectarent alienandum obligare: Christianorum leges, ut is qui bello captus esset perpetuo carcere detineretur, quæ nefariorum hominum pœna erat, haud permittere: Quæ vi à captivis promitterentur, nullam vim habere omnibus notum esse.

EIUS CONTRA CÆSAREM QUERELÆ.

III. EXCUSAT CUM CÆSARIANIS.

Quibus, & aliis ejusmodi rationibus erga legatos illos usus; Cæsarianis Lanoio & Alarconio, qui ad eum Cogniacum Santonum, antiquum suum patrimonium, quò se transtulerat, & magnates regni ac delegatos provinciarum convocaverat, accesserant; difficultates in illorum conventu propositas [c] diligenter perpensas exponens; ac præcipuè de alienatione Burgundiæ; cui nullo modo consentire sustinebant, etiamsi ipse maximè vellet; reliquis omnibus staturum se promisit, ac pro Burgundiâ vicena centena aureorum millia, quos duos milliones dicunt, se traditurum ad conservandam cum Cæsare amicitiam; cùm alioqui non deessent Pontificis, Regis Angliæ, ac Venetorum, ad bellum contra illum renovandum sollicitationes. Quo à Cæsare audito, spe Burgundiæ, quam gloriæ suæ augendæ causâ, & ob ejus provinciæ ad res majores gerendas opportunitatem, summoperè cupiebat, recuperandæ dejici molestissimè ferens; quídque dignitatis suæ ratio postularet, & quibus in periculis difficultatibúsque res suæ quovis casu essent futuræ, diligenter ad calculos revocans; statuit caput de Burgundiæ restitutione non immutare, sed potiùs cum Pontifice pacem inire, atque Francisci Sfortiæ restitutioni in Ducatum Mediolanensem (quod Pontifex maximoperè cupiebat) annuere; Borbonio rursùm præreptâ ejus spe.

[c] *Tractat hæc diligentiùs Bouchet. Annal. Aquit. par. 4. quæ confirmata posteà fuère in conventu Paris. celebr. à Rege mense Dec. in Cur. Parlam. quem describ. Bellef. lib.6. cap.2. ex ipsis actis.*

IV. FOEDUS CONTRA CÆSAREM.

At verò dum in his cunctaretur, idem Rex unà cùm Pontifice, Venetis, ac Sfortia Duce Mediolanensi, fœdus conclusit die decimoseptimo Maij, pro Italiæ libertate tuendâ, Sfortiæ principatu asserendo, ac Regis filiis recuperandis: multis aliis additis legibus, & conditionibus, atque inter cæteras ut regnum Neapolitanum Pontifici consignaretur una cum Siciliâ tamquam supremo domino: quarum totiúsque fœderis, Angliæ Rex patronus ac conservator, cum se ei adjungendi facultate, esset. De quibus omnibus aliisque ad hæc spectantibus tam ante quàm post hæc gestis, aut deliberatis, præter historicorum narrationes, sunt etiam inter Literas Principum, quamplurimæ epistolæ [d] diversorum ad diversos tunc scriptæ, ac præcipuè Ioan. Matthæi Gilberti Datarij Pontificis ad Nuncios Pontificios & aliorum Principum oratores; quibus rerum series per singulos dies conspicitur. Quo etiam tempore Clemens literas ad Carolum Cæsarem die vigesimo tertio Iunij scripsit, quibus ad fœdus istud excusandum, graviter expostulavit de multiplicibus injuriis, quas ab eo eiusque ministris immeritò accepisset, qui semper se ejus studiosissimum demonstrâsset; quarum causâ fœdus cum nonnullis Italicæ quietis & Reipublicæ utilitatis amatoribus inire coactus fuisset. Literas quidem istas nos minimè vidimus; quarum argumentum Sleidanus [e] refert: sed extat valde prolixa Cæsaris responsio [f], data Granatæ decimo septimo Septembris hujus ipsius anni, quâ singula in iis contenta explicantur: & in principio breviter significatur, nihil aliud eas continuisse quàm Iustitiæ Pontificis laudem, Cæsaris verò ejúsque ministrorum causæ acerrimam damnationem; iísque arma, bella, minas, cædes, pecuniæ, avaritiæ, & ambitionis studium, regnandi dominandíque cupidinem ipsi impingi: quæ nec verum pastorem decerent, nec ipsius Cæsaris in Apostolicam Sedem, Clementemque Pontificem, ac illius dignitatem, devotioni, pietati, ac filiali observantiæ convenire viderentur. Deinde singillatim expendens quæ Pontifex in sui ipsius excusationem, & Cæsaris accusationem prodiderat, eorum inanitatem, suáque econtrà in eum merita repræsentat; & quæ Pontifex in gratiam Regis Galliæ, aliorúmque suorum hostium contra se gravissima gessisset, adeò ut Regem minimè petentem solvisse diceretur à jurisjurandi vinculo quo sibi tenebatur, & bellum priùs intulisset, quàm literæ quibus illud denunciabat sibi essent redditæ objectat. Denique hortatur arma, deponere, idque efficere ut etiam ipsius fœderati præstent: se eodem contextu idem facturum: ut quod præcipuè inspectandum erat, de hostibus fidei à Christianorum cervicibus propulsandis, de Lutheranorum & aliorum hæreticorum sectis & erroribus comprimendis, déque ceteris quæ Romanæ Ecclesiæ totiúsque Reip. Christianæ statum & salutem concernere possent, tractaretur: túm-

CLEM. ET CÆS. MUTUÆ LITERÆ QUERULOSÆ.

[d] *Epist. Princip. vol. 1. & 2.*

[e] *Sleid lib. 6.*
[f] *Ap. Goldast. Const. Imp. tom. 1.*

que demùm de justis privatorum seu fœderatorum querelis & petitionibus conventuros. Quæ si Pontifex obaudire detrectaret, protestari se coram Deo & hominibus, quòd siquid inde sinistri Christianæ Religioni eveniret, id nequaquam suæ culpæ adscribi posse. Cúmque pacem recusans Pontifex, non patris sed partis, non pastoris sed invasoris officium assumpturus esset; nullo alio tunc superstite superiore, ad quem pro suæ innocentiæ justificatione recurrere posset, ad sacri generalis Concilij totius Christianitatis cognitionem & judicium, se ac quæcumque cum ipso Clemente habere posset, omninò subjicere: Supplicans interim, ut ipsum sacrum generale Concilium in loco tuto & congruo cum debitâ termini præfixione indiceret. Ita Carolus. Qui & insuper ad Collegium Cardinalium scribens, & de contumeliosis Pontificis literis conquerens, petiit ut si Pontifex Concilij, tam pro suâ justificatione, quàm pro Christianæ Religionis salute omninò necessarij indictionem aut negaret, aut plus æquo differret; ipsi debito ordine procedentes id præstarent: si verò nollent, tunc se pro dignitate suâ Imperiali quibus liceret remediis pro virili providere curaturum. Cùm verò sequenti mox die ab scriptis illis acrioribus, alias Pontifex ad eundem Cæsarem, nullâ superiorum factâ mentione, temperatiores exarâsset [ff]; etiam his Cæsar brevius & benigniùs respondit.

CÆSAR PROVOCAT AD CONCILIUM GENERALE.

[ff] Ext. ibid.

V. Quod autem ex Conventu Spirensi hoc anno [g] decreta fuisset legatio mittenda ad Cæsarem in Hispaniam, pro celebratione Concilij Nationalis in Germaniâ, ad deliberandum de dogmatibus controversis interim dum Generale convocaretur, quod promissum quidem anteà, sed modò dilatum videretur ob arma à Pontifice in Cæsarem mota: atque ut citiùs ad Cæsarem perveniretur, visum fuisset à Galliæ Rege peti tutum per fines suos iter: annuénsque ille, simul per hanc occasionem ad illos scripsisset, propter occupatam nuper à Turco Pannoniam, & Ludovicum Regem extinctum, & propter Germaniæ periculum, magnum se dolorem animo percepisse: nec minùs sibi dolere quòd civili bello Respublica periret; Cæsaris hanc culpam esse, qui pacis conditiones honestas & plenas æquitatis rejiceret: rogare se illos ut ad illam eum hortarentur, & ad immensam suam cupiditatem refrenandam: si hoc impetrarent, offerre se omnes regni sui vires, séque ipsum in bellum Turcicum: sin minùs, non esse quòd sibi vitio daretur, si armis conaretur ea quæ benevolentiâ non posset recuperare: De his literis ubi Cæsar cognovit, die vigesimo nono Novembris scripsit [h] ad Principes, commemorans imprimis quàm clementer & benignè Galliæ Regem captivum tractasset, & liberum dimisisset: verùm illum violatâ fide, & inito fœdere cum Clemente Pontifice & aliis, longè maximum redintegrasse bellum, quo factum esset ut ipse Cæsar rebus Turcicis intendere non potuisset: Regem ipsummet hanc Turcicam expeditionem per literas sollicitasse: & quòd in meditullio Christianitatis collocatus esset, otioso prorsùs animo longè à periculo constitutus, nullum in pace vivere permittere. Hæc & alia ibi Cæsar contra Regem Franciscum. Præter autem scriptum illud Francisci ad Germanos, alia quoque prodiit in publicum apologia in ejus defensionem, quamobrem pacificationem Madricianam non servaret: cujus etiam iisdem suis literis Cæsar meminit; cuíque pro eodem Cæsare fuit opposita valdè prolixa & copiosa responsio.

[g] Sleid. lib. 6. Pontan. lib. 2.

REGIS FRANC. ET CÆSARIS LITERÆ AD CONVENTUM SPIRENSEM.

[h] Ap. Goldast. ibid.

Quibus sic declaratis, ut jam ad fœderatos redeamus; copiis eorum, hoc est Pontificis, & Venetorum coactis, postquàm spem certam dedissent Ducem Mediolanensem ab obsidione quâ in arce ab Hispanis premebatur, liberandi, & Cæsarianum exercitum toto principatu pellendi; culpâ Ducis Vrbinatis exercitûs Veneti imperatoris, sive ea imprudentia fuerit; sive ignavia, aut proditio, de quibus omnibus accusatus fuit; cùm alioqui inter Italos experientiâ & existimatione præcipuus haberetur) urbis Mediolani & Genuæ recipiendæ, aliorúmque progressuum occasionibus amissis, factum est, ut etiam Dux Mediolanensis arcem dedere coactus fuerit, tantâ penuriâ intùs pressus, ut vix justum in alterum diem commeatum haberet: miseris civibus, ceterísque per universam Insubriam populis, ad extremum desperationis ab Hispanorum rapacitate ac ferâ immanitate, ut Guicciardinus [i] vocat) eorúmque imitatione ab ipsis Italis militibus, redactis, ut multi etiam manus sibi ipsis intulerint, ut tot miseriis ac suppliciis finem imponerent, cùm id viventes facere non possent. Quibus accedente Regis Francisci negligentia in exequendis quæ ex fœdere subministrare debebat; nihil conceptâ expectatione dignum factum est: sed potiùs pars Cæsariana firmiores radices egit: maximéque cùm post cladem in ipsâ Vrbe Româ à Pontifice acceptâ, inducias ipse cum adversariis pangere coactus est, hâc occasione.

VI. FOEDUS CONTRA CÆSAR. FACTUM, IN EIUS COMMODUM VERTIT.

[i] Guicc. lib. 17.

Erant Columnij, familia Romæ potens, Cæsari addictissimi, & Clementis Pontificis hostes. Ij cognitis Clementis consiliis de bello Cæsari inferendo, & prævisо Cæsarianorum tunc periculo; auctore Pompeio Cardinale illius familiæ, qui belli initio ex Vrbe se in Tusculanam villam subduxerat; quò studia sua erga Cæsarem aliquo edito facinore præclariora viderentur, copias instruere cœperant, specie tuendi regni Neapolitani, re autem ipsâ in Pontificem aliquid molituri. Quos cùm Pontifex, ipsúmque Cardinalem publico edicto monuisset; posteà operâ Hugonis Moncadæ Hispani, quem Cæsar ad Pontificem miserat, facta est per Vespasianum Columnam, qui Pontifici familiaris erat, certa inter ipsos conventio; quâ fretus Pontifex, copias quas contra illos collegerat incautè dimisit. Mox enim Columnij insigni fraude, iisdemmet Moncadâ & Vespasiano turpiori proditione sceleris sociis & ministris, unà cum Pompeio Cardinale, ambitione & furore eò usque abrepto, ut in violentam Pontificis necem conspirâsse, atque insuper Cardinales armis & vi ad se Pontificem creandum cogere decrevisse, communis fuerit constánsque opinio; nocte ante vigesimum Septembris cum octingentis equitibus

VII. COLUMNIORUM CONSPIRATIO IN PONTIFICEM.

& tribus peditum millibus, summâ celeritate incedentes, nemine de ipsorum molitione suspicante, Vrbem summo mane ingressi, ad Vaticanum contenderunt. Quorum adventu terrore & consternatione plenus Pontifex, nullum à populo auxilium expectans, ut qui potiùs ex ejus calamitatibus voluptatem caperet, quòd variis oneribus & ex actionibus ab eo gravatus fuisset; Dei & hominum opem frustra implorans, primò se, quemadmodum olim Bonifacius VIII. ad Sarræ Columnæ impetum fecerat, amictu & ornamentis Pontificalibus indutum, in Pontificali Sede moriturus componere meditatus; deinde à Cardinalibus qui circa illum erant ab hoc proposito, ob honorem majestatis tantæ Sedis revocatus, cum nonnullis ex iis quibus magis fidebat in arcem Sancti Angeli se recepit. Hostes autem palatio Pontificio omni supellectile sacrâ & profanâ direpto, in basilicam quoque Sancti Petri nefarias manus injecêre, eamque pariter diripuêre, unà cum maximâ parte illius suburbij, nullo damno Vrbi illato. Moncadâ verò ad colloquium accito, induciæ, reclamantibus licèt Columniis, ac præcipuè Cardinale, compositæ inter Pontificem & Cæsarem fuêre; quibus Pontifex statim copias, quas circa Mediolanum habebat, removere, Columniis & omnibus qui hoc motu implicati fuissent ignoscere, atque obsides de his dare promisit; Cæsariani & Columnij, copias Româ & e Pontificij imperij finibus educere. Ita Guicciardinus [k]. De quibus [l] etiam epistola Hieronymi Nigri ad M. Ant. Michaelium scripta Romæ nono Calendas Novembris; quâ desolationem a se visam graphicè describit, in summum dedecus gentis Columnensium, & Moncadæ Hispanorum ducis.

EORUM NEFARIÆ RAPINÆ.

[k] Guicc. lib. 17.
[l] Epist. Princ. tom. I. in fin.

VIII. EOS CLEMENS DIRIS DEVOVET.

Ceterùm Clemens Regùm Galliæ & Angliæ hortationibus confortatus, cùm & ejus fama fœdè apud populum proscinderetur, nec tantæ injuriæ contumeliam æquo animo sustinere posset, denique nullo jure ad pactionem, dolis hostium, ac violatione datæ fidei extortam, servandam se teneri asserens: Columnios omnes, ipsumque etiam Cardinalem, hostes Ecclesiæ pronunciavit, illúmque dignitate, adempto pilei rubri usu motum declaravit, additísque diris aquâ & igne omnes interdixit: ac per Vitellium copiarum suarum ducem cuncta ferè eorum oppida diripuit, incendítque, aut diruit: Cardinale interim à sententiâ in ipsum latâ, Neapoli ad futurum Concilium provocante. Ita enim omninò de his Guicciardinus. Quibus Iovius in Vitâ ejusdem Pompeij Cardinalis addit, eum Concilij indicendi, cujus nomen Clementi maximè terribile fore videbatur, ex formulâ tabulas conscripsisse, noctúque Romæ per clientes suos affigendas templorum valvis, publicísque in locis evulgandas curasse: per quas Pontifex ad Concilium citabatur, quod Cæsar ad Spiram Nemetum esset habiturus, ut facilè intelligerent homines, eum Balthasaris Cossæ Ioannis XXIII. exemplo, summum dignitatis & vitæ periculum, inimico Cæsare, & infestis Lutheranorum animis, aditurum.

CARDIN. COLUMNII PROCACIA.

IX.

Appulso autem Caietam cum Hispanâ classe Lanoio Prorege Neapolitano ad finem anni, & in Insubriam pariter confluentibus Gallorum & Germanorum copiis, bellum utrimque magnis contentionibus reparari cœpit: sic Principibus Christianis miserè & inhumanè, in contemptum religionis, ac divini numinis, ut ita dicam, opprobrium, inter se impiissime simul & iniquissime digladiantibus; interim dum Turci, quorum bellum semper plenis buccis iidem Principes boabant, Hungariam pessumdarent; & hæretici, quorum pariter extirpationem inanibus verbis prædicabant, non solùm totam ferè Germaniam corrumperent, sed etiam veneno suo alias provincias inficere inciperent: cùm si quid in his Principes agerent: perfunctoriè, ne non Christiani viderentur, per alios agerent; invicem autem totis animis, sensibus, viribus, cogitationibus, in mutuam perniciem, ac populorum & provinciarum ultimam destructionem, per se ipsos, pérque fas & nefas ferrentur. Planè ut parùm absit, quin hoc capite verum esse dixerim, quod Lutherus [m] hæresiarcha alio & scelesto animo effutiebat, esse nostrates Principes, insignes moriones, ac Turcis deteriores.

PRINCIPŨ CHRISTIANORŨ PERVERSI ANIMI.

[m] Supr. ann. 1523. X. 1524. V. infr. hoc ann. §. XV.

X. REX HUNGARIÆ PACEM TURCI RESPUIT.

Quod autem invasionem Hungariæ spectat; cùm post expugnationem Rhodi Solimanus Turcorum Imp. veritus ne forte hortatione Pontificis Principes Christiani communi consensu arma in ipsum converterent, qui multos præstantes duces ac multa fortissimorum hominum millia eâ expeditione amisisset; pacem Ludovico Hungariæ Regi, unde sibi præcipuè timebat, sponte obtulisset: id audiens. Sigismundus Rex Poloniæ Ludovici patruus, per legatos nepotem ac proceres regni obtestatus erat oblatam pacem accipere, ne tantum in se hostem in maximâ rerum omnium inter Christianos à bellis & hæresibus perturbatione concitarent: econtra Clemens Pontifex per Cardinalem Caietanum Legatum in Germaniâ suaserat illam respuere; satius esse dicens pro fidei defensione fortunas & vitam profundere, quàm turpi pactione illam prodere suóque nomini maculam indelebilem comparare: conaturúmque se ut cæteri Principes suppetias ferrent. Cujus nomine extat inter Literas Principum, Gilberti Datarij ad prædictum Cardinalem epistola, multas continens piásque dissuasionis ejusmodi rationes. Tantumdem Senatus Venetus ingerebat, cùm nihilominùs pacem ipse cum Turco coleret: pecuniásque in stipendia militum tam ipse quàm Pontifex ministrabant; id præcipuè satagentes, ut Italia Hungariæ periculo à Turcis quieta esset. (Sic enim rem plerique interpretabantur.) Quibus accedentes proceres Hungariæ, quamvis à multo tempore otio luxúque torpescerent, conviviis duntaxat & theatris tempus terentes, & rapinis atque vexationibus populos vexantes; tantâ nihilominùs arrogantiâ, & inani jactantiâ superbiebant, ut non solùm Turcos, sed etiam reliquos omnes homines præ se flocci facerent, & cunctis se uno prævalituros præsumerent. Adeò ut Ludovicum Regem suum ab infantiâ contemnere edocti, atque etiam postquàm adolevit, & uxorem duxit Mariam

Caroli Cæs. sororem, cùm egregia eius indoles malâ educatione extincta esset, nihil ferè eum suo arbitrio agere sinentes; eiusdem neglectâ propensione amplectendæ ex patrui consilio oblatæ à Solimano pacis, magis hortationibus Pontificis & Venetorum de suscipiendo bello adhæserunt. Laudabiliter id quidem, si tam fuissent solliciti de illo strenuè gerendo, quàm de stolidè & inconsideratè concitando.

XI. SOLIMANUS BELLUM INFERT HŨGARIS.

Negatâ igitur pace, Solimanus ingenti collecto exercitu, (quem nostri trecentorum millium, Annales Turcici quinquaginta vel sexaginta tantummodò fuisse scribunt; his nempè solos armatos, illis turbam etiam inermium, calonum, lixarum, & omnis generis servitiorum numerantibus, ac fortè quoque numerum augentibus) expeditionem in Hungariam suscepit. Cujus subito adventu Rex Ludovicus turbatus, nuncios quoquò versùs dimisit pro auxiliis impetrandis. Cúmque interim Solimanus Salankemene & Varadino Petri captis, Dravum etiam fluvium Hungarorum socordiâ transisset: occurrendum ei esse cunctis consentibus, collecti sunt tumultuariè ad viginti quinque circiter hominum millia: & præfecto exercitui Paulo Tomoreo, nobili viro, olim armis exercitatissimo, qui Religionem Sancti Francisci ingressus factus deinde fuerat Archiepiscopus Colocensis; ejus temeritate, certamen urgentis, ac Regem juvenem armis, juniorémque consilio, ceterósque prudentiores duces, illud remorari cupientes; quousque adessent Vaivoda Transilvaniæ, & alij qui propediem expectabantur cum validis copiis, quibus certa poterat expectari victoria; in latissimis campis Mohaczij oppidi ad invadendos hostes compellentis; factum est sub vesperam diei festi Decollationis Sancti Ioannis Baptistæ vigesimo nono Augusti, (pro quo male nonnulli natalem S. Ioannis vigesimum quartum Iunij ponunt) ut post sesquihoræ certamen Hungari magnâ cæde fugati fuerint: ipséque Rex, rebus profligatis, fugâ sibi consulturus, in vicinâ palude, cùm in altiorem paulò ripam evadere conaretur, equo cum sessore in dorsum corruente, ita ut erat totus etiámque capite armatus, bipalmis [n] in aquæ lutulento gurgite depressus & suffocatus interierit; anno ætatis vigesimo mense secundo, regni post patris obitum anno decimo mense quinto: dignus omninò longiori vitâ, quâ in virum præstantem evasurus sperabatur. Cæsi sunt in pugnâ & fugâ, unà cum eodem Paulo duce belli Archiepiscopo Colocensi, Archiepiscopus Strigoniensis regni Primas, alíique quinque Episcopi; permulti Barones, immensus aliorum nobilium numerus, præter omnem ferè peditatum; ex cujus ducibus vix evasit quispiam alius, præter Hannibalem Cyprium, ducem copiarum quas Clemens Pontifex suo ære conduxerat. Ex captivis die sequenti mille & quingenti, & inter eos magna primorum nobilium pars, in coronam positi coram exercitu victore capite sunt truncati; pauci servati. Inde Solimanus Budam versùs movens, primariam Hungariæ civitatem, eam sine ullo præsidio relictam reperit, & combussit, unà cum nobilissimâ Bibliothecâ Matthiæ Regis. Vbi cùm Ludovici demortui & Mariæ uxoris imagines contemplaretur, illacrymasse ferunt barbarum, etiam in tantâ victoriâ humanæ conditionis memorem, quòd Rex in illâ florenti ætate pravorum consultorum impulsu se in tam apertum exitium præcipitem dedisset: quippe non eo se consilio venisse, ut eum paterno regno exueret, sed ut Hungarorum insolentiam refrenaret, & ipsum beneficiarium Othomanici Imperij efficeret.

INGENS HUNGARORUM CLADES.

[n] Iov. in Elog.

LUDOVICI REGIS OBITUS.

BIBLIOTHECA COMBURITUR.

XII. HUNGARIA TOTA VASTATUR.

Dimissis in omnes Hungariæ citerioris partes prædatoribus, quicquid à Dravi ostio usque ad Iaurinum jacet, ferro & flammâ vastatum est; de arcium & locorum munitorum expugnatione nullâ habitâ curâ. Omnium verò tam cæsorum quàm captorum aut prælio aut ceteris excursionibus numerum ad ducenta hominum millia ascendisse, plerique scribunt; nonnullis etiam ad trecenta millia augentibus. Háncque cladem, quâ aperta est via Turcis ad Hungariam occupandam plures descripsêre: intérque illos *Ioannes Dubravius* [o] Boemus, Episcopus Olomucensis, in Historiâ suæ gentis, quam hîc clausit: sed nemo certiùs uberiúsve, aut dilucidiùs, *Stephano* [p] *Broderico* Episcopo Vatiensi, regni Hungariæ Procancellario, qui interfuit; & quæ singulorum fuêre culpæ, vel laude aut excusatione actiones dignæ, accuratè recenset: ex quo pleraque sua Isthuanffius [q] Pannonius excerpsit; necnon Neugebaverus [r] Polonus. Decimo autem quarto die, ut ait, postquàm Budam Solimanus venerat, in ulteriorem Hungariam regressus, dimissis inde quoque ad omnes partes quæ inter Danubium & Tibiscum sunt, qui omnia similiter vastarent & comburerent; satis jam in miseram Hungariam debacchatus, omnibus quæ intra Dravum & Danubium occupaverat locis, atque ipsâ etiam arce & civitate Budensi sine ullo præsidio relictis, (quod valdè mirum fuit) sublatis dumtaxat duabus vel tribus æneis statuis excellentis operis, quæ Matthiæ Regis fuerant, & Constantinopolim ad urbis ornatum delatis; domum est reversus. Revocatus enim fuit excitatâ in Anatoliâ, seu Asiâ Minore, à quodam Calendere [s] Zelebe, Turco monacho nobili & antiquâ prosapiâ orto, seditione aliorum suæ professionis & ordinis monachorum, quâ nonnullos Sangiacos provinciarúmque præsides fudit, fugavitque; adeò ut ad rebellionem universa spectaret Anatolia: donec missus à Solimano adversus eum Ibrahimes Bassa, natione Macedo, cujus jam tunc erat, fuítque deinceps clarissimum nomen, ac par propemodùm auctoritati Sultaneæ potestas in Turcici regni administratione, eumdem Calenderem prælio fortissimè decertantem occidit, ac seditionem compressit.

[o] Dubrav. lib. 33.

[p] Ext. post Bonfin.

[q] Isthuanff. lib. 8.
[r] Neugebav. lib. 7.

[s] Leunclav. Annal. Turc. lib. 18.

XIII.

Corpus Ludovici Regis, (ut Iovius [t] refert) ab ejus armigero mox arenâ sepultum, ne eo potiretur hostis, post Solimani recessum, ad Albam-regalem in Regum conditorium delatum est. Quódque nullam prolem reliquisset, facta est de ejus successione contentio [u] inter Ferdinandum Archiducem Austriæ fratrem Caroli Cæs. qui tam Annæ uxoris suæ jure, quæ soror erat defuncti Ludovici, quam

[t] Iov. in Elog.

CONTENTIO DE REGNO HUNGARIÆ.

[u] Isthuanff. Rer. Hungar. lib. 9.

majorum ejus cum Matthiâ & Wladislao Regibus Ludovici decessoribus conventionibus, quas aliàs vidimus, utrumque regnum Hungariæ & Boëmiæ ad se spectare asserebat, & Ioannem de Zapoliâ Vaivodam Transilvaniæ & Comitem Scepusiensem, qui jam olim post mortem Wladislai patris Ludovici Hungaricum ambierat. Hic autem Ioannes à multis proceribus die festo Sancti Martini undecimo Novembris hujus ipsius anni Rex salutatus, & à nonnullis Episcopis inauguratus fuit. Verùm Stephano Bathorio Palatino regni, atque saniori Prælatorum ac Baronum parte, Ferdinando adhærente, suffragantéque Mariâ Reginâ viduâ ejusdem Ferdinandi sorore; prævaluit demum ejus electio: eo tamen, ut nonnullis visum est, iniquior, quòd miserum Ludovicum, cui duplici vinculo affinitatis adstrictus erat, absque ullo motu auxilij perire siverit; cùm Vaivoda collecto exercitu accurrisset, & nisi ambiguis Ludovici literis detentus fuisset, (ut ex narratione Broderici intelligitur: quamquam sunt qui dicant id proditorie ab eo factum:) prælio interfuisset; in quo etiam frater ejus Georgius occisus periit. Fuit tamen *Ferdinandus* jure quo diximus, nullo sumptu aut labore, tam Boëmiæ Rex Pragæ vigesimo quarto Februarij anni proximi, quàm posteà Hungariæ ad finem Octobris, aut initium Novembris, ut variant, Albæ coronatus; pulso Ioanne, qui in Poloniam [x] ad Sigismundum Regem, qui sororem ejus duxerat, se recepit. Interimque Turci [y] his eorum dissidiis in commodum suum usi, Iaiciam, munitissimam primariámque Bosnensis regni urbem, pro quâ tot olim tantáque bellorum certamina contracta fuerant, socordiâ præfecti Ferdinandi, cum majori parte regionis, necnon & Croatiæ partem, in suam potestatem redegerunt, nemine opem ferente. Quomodò verò post hæc Ioannes Vaivoda Solimanum ipsum acciverit, dicetur suo loco.

Ferdinando fratri Cæs. defertur.

[x] *Neugebav. Hist. Polon. lib. 7.*
[y] *Isthuanff. & Neuger. ibid.*

Turcorũ progressus.

XIV. Clementis Pont. sanctum propositum.

Nunc autem Solimani victoriâ Romam delatâ, cùm totum Hungariæ regnum, quod Christianæ Reipublicæ per multos annos clypeus & propugnaculum fuerat, suo imperio subjecturus certò crederetur; Clemens Pontifex verbis & vultu ingentem mœrorem, ut par erat, declarans, Cardinalibus convocatis, ob tantam Christianæ Reipublicæ cladem & ignominiam gravissimè est questus: eíque se numquam, tum Christianos Principes ad pacem assiduè cohortando ac precibus accendendo, tum etiam Hungariam in tot aliis gravibus ejus casibus haud parvâ pecuniæ vi juvando defuisse dicens; addidit, cùm hujus mali cura magis ad suum pastoris munus, quàm ad quemvis alium spectaret: se omnibus incommodorum, periculorum, & dignitatis suæ rationibus hosthabitis, classem conscendere, & Christianos Principes, ut eos hortando, orando, & lacrymis ad communem Christianæ Reipubl. pacem flecteret, adire decrevisse: Cardinales, ut se ad hoc iter accingerent, & communem patrem in tam pio officio juvarent, hortari: Deum, ut tam sancto consilio faveret, rogare: Quod si ob communia peccata ad finem perducere non posset, saltem id sibi concederet, ut in eo tractando, antequàm spe esset dejectus, vitam finiret: sibi enim nihil infelicius accidere posse, quàm si in tam pestifero incendio salutarem manum adhibendi spe & facultate privaretur. Verùm ne id Pontifex quod proponebat exequi posset, impedimento fuit Colomniorum in eum conjuratio, quam diximus, quæ mox erupit. Cùm & alioqui (ut Guicciardinus scribit) plerique Cardinales, illum, cùm arma contra Cæsarem eo tempore, quo jam ob apertos Turcorum apparatus Hungariæ periculum manifestum erat, cepisset, potiùs difficultate in quam sociale bellum erat redactum, quàm ejus regni periculo ad hæc moveri, interpretarentur.

XV.

Ne verò Germani suppetias Hungariæ tulerint, quamvis urgentissimè postulatas in Conventu Spirensi sub finem mensis Iunij habito, tum fecit consueta lentitudo deliberationum ejusmodi Germanicorum conventuum; tum dissidia inter Ordines ibi exorta, ob prædicationes, quas Lutherani Principes in ecclesiis fieri petebant, Catholici denegabant: adeò ut cœperint Lutherani prædicantes in atriis dominorum suorum longè majori hominum concursu concionari, quàm Catholici in ecclesiis. Nihílque interim pro miserâ Hungariâ decerni potuit; quòd domi nihil esset securum à seditiosis subditorum animis; ac Lutherus habito recens sermone [z] de Destructione Ierusalem suum commendans Evangelium impudenti fiducia denunciasset, frustrà Principes armis pugnare in Turcos, nisi suum Evangelium recepissent: quod si recipere recusarent, Turcis necessariò succubituros. Præter illa quæ jam aliàs diversis scriptis insinuaverat, præliari adversùs Turcos, esse repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos: itemque non licere Christianis bellare, sed vim & injurias pati: denique Turcum esse decies probiorem atque prudentiorem Principibus Christianis; ideóque nihil prosperi a nostris expectandum esse, nec quicquam contra Turcos contribuendum. Quod verò ad religionem spectat; cùm ex opinionum varietate ortâ inter Catholicos & Lutheranos res ad tumultum & belli civilis metum spectare videretur; fuit in eodem conventu Spirensi decretum factum, quod quidem etsi Cæsaris menti non responderet, tamen inter partes studium concordiæ, & erga illum obedientiæ significationem demonstraret: videlicet ut interim dum Concilium celebraretur, ita cuilibet agendum esset in ditione suâ, ut Deo simul & Cæsari justam aliquando posset reddere facti sui rationem. Quo aditus factus est ad concessionem libertatis conscientiæ; quam posteà promulgatam videbimus.

Lutherus obstat bello Turcico.

[z] *Vlemberg. in Vit. Luth.*

Constitutum de religione in conventu Spirensi.

XVI.

[a] *Cochle. de Act. Luther. & ur. in commentar.*

Disputatio Badensis inter Catholicos et Sacramentarios.

Facta est hoc eodem anno [a] mense Iunij, celebris Disputatio inter Catholicos & Sacramentarios in Baden oppido Ergoviæ apud Helvetios. Ad quam vocatus Zuinglius, nullâ fide publicâ adduci potuit ut veniret. Adfuerunt autem ex Catholicis primi nominis Theologi, Ioannes Faber, Ioannes Eckius, & Thomas Murnerus; unà cum missis Episcoporum Constantiensis, Basileensis, Lausanensis, & Curiensis, ad quorum diœceses pertinent omnes Helvetiorum pagis

quos Cantones vocant. Ex Sacramentariis interfuerunt Ioannes Oecolampadius, Iacobus Imelius, Bertholdus Hallerus, & Huldricus Studerius. Cum quibus disputatum est ab Eckio diversis diebus, tum de aliis religionis articulis, tum præcipuè de Sacramento Eucharistiæ. Fuitque hic Disputationis exitus, ut omnes Helvetiorum Pagi, solis exceptis Tigurinis, apud quos Zuinglius agebat, decreverint, & publico edicto promulgârint, in antiquâ Religione Catholicâ standum esse; rejectâ Lutheri, aliorúmque Novatorum doctrinâ; constituendósque esse Advigilatores, qui unà cum Magistratibus diligenter huic rei invigilarent, ac prævaricatores denuntiarent ad pœnam. Ioannes Faber, cùm per absentiam Zuinglij, cum eo verbis, ut desideraverat, disputare non potuisset, scripto ingentem antilogiarum illius numerum publicavit; quibus ille fœdissimè sibi ipsi contradicens, & suam & Lutheri doctrinam destrueret. Recensuit item supra centum quinquaginta mendacia ex scriptis Oecolampadij. Et Thomas Murnerus, qui Lucernæ iis temporibus Catholicè prædicabat, longè acerrimè in Zuinglium est invectus, per quadraginta conclusiones infamem illum propter scelera & sacrilegia commissa declarans.

XVII. [b] *Sur. ibid.* ERASMUS ACCUSATUS ZUINGLIANISMI.

Eodem tempore [b] *Conradus Pelicanus*, Rubeaco municipio pagi Argentinensis ortus, ex sacerdote Franciscano factus Zuinglianus & uxoratus, qui aliquando Erasmi confessiones Basileæ audierat; cœpit Tiguri Erasmum de Zuinglianismo reddere suspectum. Idque ipsum Leo Iudæ itidem Zuinglianus Germanico libello significavit. Quod Erasmus molestissimè ferens, literis ad Helvetios ad Badensem Disputationem congregatos scriptis, eam à se suspicionem amoliri conatus est. Quod longè efficaciùs præstitisset si contra Zuinglium scripsisset. Sed maluit semper Catholicus videri quàm verè esse.

XVIII. DELIRÆ FATUITATES ANABAPTISTARUM.

Cùm autem hoc eodem tempore vexaretur Helvetia & finitimæ regiones, à fraudibus & præstigiis, simul & sacrilegiis atque horrendis impudicitiis Anabaptistarum, (quas prolixè Meshovius in illorum Historiâ describit) unde fiebat ut & undique ob maleficia pellerentur, & nihilominùs ubique reperirent qui eos reciperent ob sanctitatem & innocentiam quàm exteriùs profitebantur: (neque verò omnes impudicitiis operam dabant, aut scelera patrabant, quinimmò reipsâ virtutem ex bonorum morum instituto colebant:) inter cetera nefandissima, duo ibi contigêre præsenti anno memoriâ digna. Alterum, quòd in oppido Sancti Galli mense Februarij, cum duo germani fratres Thomas & Leonardus arte sartores, totâ nocte de catabaptismo, de prophetiis, ac ceteris ipsorum doctrinæ mysteriis sermonem iniissent: malè advocatis propinquis ac vicinis, Leonardus ad Patris cælestis, ut dicebat, voluntatem exequendam, miserum Thomam genibus humi positis ejusmodi voluntatem æquo animo præstolantem, momento jugulavit: capitéque præciso ad pedes parentum stupore penè enectorum projecto, foras in publicum se proripiens, implesse Patris voluntatem clamabat, qui captus, contusis rotâ membris, in suâ dementiâ periit. Alterum, quòd Abacellæ extitit mulier quædam hujus sectæ, quæ Novi Testamenti sumpto in manus codice, sacrarum Literarum sensum populum docere cœpit: atque ex verbis, [c] *apud Deum nihil esse impossibile*; Christum se, verúmque mundi Messiam, id possibile rata, constituit; conjunctis sibi ex fratrum grege viris duodecim, quibus ad propagandum Evangelium velut Apostolis uteretur: qui foras egressi, agricolis Messiæ suæ doctrinam prædicabant. In fine denique anni Basileæ factus est solemnis congressus de Magistratus consensu inter ejusdem sectæ & Sacramentariæ coryphæos, Oecolampadium, Imelium, & alios Basileenses ministros Sacramentarios, & Georgium BlaWrock, Nicolaum Storkium, & alios Anabaptistas seu Enthusiastas, de Baptismo infantium & adultorum. Quo Oecolampadius ad probationem baptismi infantium recurrere ad Patres & Traditionem coactus, ab adversariis irrisus est, quòd qui Scripturarum testimonia promiserat, totus ad humanas traditiones, ut vocabant, dilaberetur. Ipsísque soli Scripturæ quam nihil de parvulorum, sed tantùm de adultorum baptismo loqui asserebant, inhærere velle dicentibus; solutum est ab Oecolampadio colloquium: qui editis posteà colloquij Actis, quam Anabaptistæ extorserant, sibi soli victoriam attribuit: Senatúmque impulit eos urbe ejicere.

[c] *Luc. 1.*

DISPUTATIO INTER SACRAMENTARIOS ET ANABAPTISTAS DE BAPTISMO.

XIX. [d] *Vapov. in Fragm. Neugebav. lib. 7.* SUPPLICIA HÆRETICORUM.

Hoc eodem anno mense Martij Sigismundus [d] Rex Poloniæ, Gedanum, sive Dantiscum, vrbem amplissimam, totiúsque Prussiæ & Pomeraniæ celeberrimum emporium, quæ ipsi suberat, & anno superiori hæresim Lutheranam acceperat, adiens; Ioannem Salicetum Iurisperitum, præcipuum defectionis auctorem, unà cum aliis tredecim ejusdem criminis reis capite plecti jussit; Religionémque Catholicam restituit. Eodémque anno in fine Iunij Hugo Constantiensis in Germaniâ Episcopus, Ioannem [e] Huglium ex sacerdote apostatam hæreticum, Merspurgi cremari jussit. Et Pragæ [f] in Boëmiâ in vigiliâ S. Thomæ vigesimo Decembris Nicolaus quidam & Clara hæretici publicè vivi combusti sunt.

[e] *Sleid. lib. 6.*

[f] *Boëm. pia lib. 7.*

IESU CHRISTI Annus 1527.
CLEMENTIS VII. An. 4.
CAROLI V. An. 9.

I.

ANNUS Christi 1527. Indictione decimaquintâ, calamitosus, si ullus umquam alius, Romanæ Ecclesiæ ac Sedi Apostolicæ extitit; eò majori opprobrio, quò malum inde accidit, unde propelli debuerat. Rem de more breviter ex pleniori Guicciardini [a] narratione, qui tunc Pontificum Vicarium in exercitu fœderatorum agebat, referemus: quam & alij non pauci descripsere; proprióque tractatu de Vrbis Romæ direptione, Cæsar Grolierius Lugdunensis, qui Romæ particeps fuit malorum. Vt autem omittamus

[a] *Guicc. lib. 18.*

QUÆ PRÆCESSERUNT CLADEM ROMÆ.

quæ Guicciardinus habet initio, de difficultate educendi è Mediolano ad bellum Clementi Pontifici inferendum, Germanos, Hispanos, & Italos, qui ad ejus principatûs propugnationem à Caroli Cæsaris Ducibus positi ibi fuerant; eò quòd cùm nulla acciperent militaria stipendia, sed multatitiâ & contributa pecuniâ sustentarentur, ac Mediolanensium domos mulierésque prædæ haberent, libentiùs in tantâ vivendi licentiâ illic permanerent: qui demùm nihilominùs bonorum factis direptionibus, vinculis & carceribus civium, aliísque omnis generis extorsionibus, inde educti sunt: Ac brevissimè recenseamus, interim Lanoium Proregem Neapolitanum, Frusinonem Ecclesiasticæ ditionis in Campaniâ oppidum inutiliter obsedisse: Pontifice in fœdere anno superiori contra Cæsarem facto perstante, ac pecuniis & hortationibus Regum Galliæ & Angliæ adjuto, regnum Neapolitanum terrâ maríque (nam præter copias terrestres, coierunt in unum Pontificiæ, Gallicæque, & Venetæ triremes, impetendum esse decernente; initio terrâ Aquilam nobilem Aprutij urbem, aliásque nonnullas, mari Salernum, Burgum, Surrentum, & alia oppida capta fuisse: sed cùm mox terrestris exercitus, aut ministrorum negligentiâ, aut Pontificis in necessariis apparatibus culpâ, in maximam commeatûs penuriam redactus, dissolvi cœpisset, & classis neque navibus neque militibus aucta, cùm capta loco custodire cogeretur, haud multùm progredi posset: Factum quoque in Insubriâ & Æmiliâ fuisse, ut Dux Vrbinas Veneti ac fœderatorum exercitus ductor, Pontificiorum & Gallorum pugnandi ardorem retundens, Borbonio quocumque ire vellet liberam viam reliquerit, contentus à longè insequi, qui rectiori aliorum judicio antevertere debebat; adeò ut non solùm eum exercitum inutilem fœderatis reddiderit, verùm etiam res eorundem prodiderit, ac ne Borbonio Romam petenti iter impediretur, clandestinis suis artibus procuraverit. His sic existentibus; cùm & insuper Regis Galliæ apparatus verbis amplissimis, re ipsâ parciores cernerentur, cùm ipse assuetis voluptatibus innexus magis de filiorum liberatione cogitaret; Regis Angliæ promissa & auxilia nimis remota & incerta essent; Veneti in stipendiis militi repræsentandis tardiores sese exhiberent: Pontifex auditâ Borbonij deliberatione ducendi Romam exercitum, consternatus animo, cùm neque ex se ipso, ut potuisset, subsidia quærere vellet, neque difficultates & pericula forti animo sustinere sciret: cum Lanoio octo mensium inducias pepigit, datis sexaginta millibus aureorum in stipendia exercitûs Borbonij, eâ lege ut abstineret à Pontificij & Florentinorum imperij finibus; factâque Galliæ Regi & Venetis, his induciis intra certum tempus se adjungendi facultate. Quo factum est ut terrestres navalésque copiæ ex regno Neapolitano utrimque sint revocatæ, & capta loca restituta. Et Pontifex jam sibi omnia tuta promittens, pernicioso consilio, ex avaritiâ procedente, omnes milites quos circa Romam habebat, paucis retentis dimiserit, priusquàm certus esset utrùm Borbonius inducias acceptaret. Non enim Lanoius ullam in eum aut ejus exercitum auctoritatem habebat.

Ducis Vrbini culpa ea contigit.

II. Borbonius Romam tendit cũ exercitu.

Cùm igitur misisset ad Borbonium Pontifex ut eas confirmaret, multæ in eo difficultates, & multò magis, in militibus apparuerunt. Sive enim vastas sibi emolumenti spes proposuissent, sive quòd à Pontifice promissa pecunia bimestre stipendium non expleret, cùm tamen annorum aliquot deberentur; se ad bellum sequendum pertinaces ostenderunt: quos tamen creditum est, si centum aureorum millia data fuissent, inducias admissuros fuisse. Dubiis autem sic aliquot dierum spatio rebus permanentibus, tandem Borbonius, qui à Florentiæ direptione, quam animo conceperat, diligentiâ fœderatorum frustratus fuerat; de repentè, sive quòd ejus semper ea mens fuisset, sive quòd exercitui imperare non posset; (nam & fuerat non ita pridem à Germanis & Hispanis pecuniam inclamantibus, in summum vitæ periculum adductus; cùm ad ejus tentorium accurrentes, ipso se citissimè subducente, unum ex ejus nobilibus occidissent, ac tentorium diripuissent: cui jusso [b] ut rediret, honoris nomen restituerunt, ut aliquâ ducis imagine ad disciplinæ speciem uterentur. Irridebant enim Hispani uti stolidum, quòd ambitiosè nuptias Eleonoræ expetiisset, & ad Lombardiæ imperium aspirâsset. Germani verò uti egentem exutúmque omnibus fortunis, & proditorem suæ gentis aspernabantur;) rejectâ omni induciarum mentione; ipsiusque Lanoij, qui ad eum venerat, neglectis suasionibus, & majoris pecuniæ promissionibus; (quem nihilominus sunt qui scribant [c], communicatis cum Borbonio consiliis, cum ad rem inchoatam adversus Pontificem peragendam cohortatum fuisse) magnis itineribus Romam versus exercitum ducere statuit, ubi & victoriæ præmia tum Cæsari, tum militibus ingentia essent futura; & ad ea consequenda spes minimè parva: quandoquidem Pontifex qui priùs copias suas dimiserat, ubi pacis spe frustratus est, tam lentè iterùm munire se cœpisset, ut idoneum præsidium in tempore colligere non posse censeretur. Quare cum exercitu expedito, sine tormentis & impedimentis incredibili celeritate, nullo toto itinere reperto obstaculo, penè priusquam Pontifex de ipsius adventu certior factus esset, ad Vrbem accessit: in quâ Rentius Ceres, cui Pontifex præcipuam ejus propugnandæ curam commiserat, paucos utiles pedites, multam imbellem & imperitam turbam ex Cardinalium Antistitúmque stabulis, artificum officinis, ac cauponum diversoriis collectam conscripserat.

[b] *Iovi. in Vit. Pomp. Col.*

[c] *Glor. in Hist. direpf. Vrb. Rom.*

III.

Quinto Maij Borbonius in pratis propè Vrbem metatus, cum exercitu, ut plerique habent, quadraginta millium ex Germanis, Hispanis, & Italis: (quem tamen numerum alij multùm imminuunt:) militari insolentiâ præconem misit, qui iter per ipsam urbem, ut cum exercitu in regnum Neapolitanum iret, sibi concedi postularet. Et sequenti die in ipsâ aurorâ, eo animo ut aut victoriâ poti-retur, aut mortem oppeteret, (vix enim alia spes rebus ipsius in tantis angustiis reliqua erat) exercitu suburbio Vaticano, quà mons & templum Sancti Spiritûs situm est admoto, in

Borbonius occiditur in Vrbis invasione.

primam aciem sese conjiciens, pugnam primus inchoavit, atque illicò sclopeti glande percussus, mortuus concidit. Ita Guicciardinus: Et fuisse sclopetum ex urbe à propugnatoribus displosum, disertè Bellaius [d], Ferronus [e], atque Glorierius [f] scribunt, ac communis est sententia: cùm tamen non desint, qui [g] ab ipsiusmet Borbonij militibus explosum dixêre; & cum primus scalam manu tenens muro admovisset, aliquot scalæ gradibus confectis, sclopeto à suis emisso (fortuitò, an consultò) in femur ad inguen ictum cecidisse. Vndecumque fuerit, meritò id passus est multis de causis tum in pœnam fœdissimæ conjurationis, in suum Regem suámque patriam cum hostibus factæ, & usque ad mortem fœdiùs continuatæ; tum ob venenatum animum in Summum Pontificem ac Sedem Apostolicam exertum; tum denique in supplicium delusorum contra fidem juratam miserorum Mediolanensium, quod sibi imprecatus fuerat si falleret: cùm videlicèt (ut Guicciardinus [h] & alij scribunt) ubi Mediolanum ex Hispaniâ rediisset, à Mediolanensibus jam ab exercitu Cæsariano exesis, triginta adhuc aureorum millia in stipendia militum petens, fidem obligâsset, si sibi darentur, exercitum se extra urbem ducturum; Deum orans, ut si fidem falleret, primus hostilium tormentorum globus necem sibi afferret: ac nihilominùs receptâ pecuniâ, non solùm exercitum non eduxit, sed etiam ejus rapacitati civitatem expositam reliquit. Exauditus igitur à Deo, primo sclopeti globo fœdam animam exhalavit. Refert Belcarius, se à quodam nobili qui cum Borbonio tunc erat, audivisse, ei Romam diripere in animo non fuisse, sed tantùm justam in militum stipendium pecuniam inde conficere; & acceptas à Carolo Cæsar. injurias in delusione promissæ sibi primum sororis Eleonoræ, deinde principatûs Mediolanensis, ulturum, regnum Neapolitanum invadere destinâsse. Bellaius verò ampliùs habet, etiam cogitâsse non solùm Neapolis, sed etiam Romæ se Regem constituere. Sed vanas cogitationes delusit divina vindicta. Laudat illum Belcarius de multis virtutibus; adeóque charum fuisse ait suis populis, ut multis post ejus mortem annis, (quod de Carolo Burgundo celebratum est,) cæsum fuisse non crederent, rediturúmque sperarent: Mortui cadaver posteà à Germanis Caietam deportatum esse ad sepulturam; appositúmque ejus monumento hoc epitaphium, *Aucto Imperio, Gallo victo, superata Italiâ, Pontifice obsesso, Roma capta, Carolus Borbonius in victoria cæsus hîc jacet.* Quorum nonnulla vera, quædam adulatoria, alia falsa esse constat: ut consuevêre plerumque epitaphia. Ioannis Baptistæ Gabij Veronensis epigramma [i] longè verius.

Ejus epitaphiũ.

Dedecus Arvernæ gentis, patriæ improba labes,
Transfuga, qui levis & perfidus hostis erat,
Ictu uno stratus temeratæ in limine Romæ,
Ne se victorem cerneret, occubuit.
Debuit haud alias superis persolvere pœnas,
Perfidus ante homines, impius ante Deos.

Quærant sibi laudes à quibus voluerint proditores atque rebelles; non sanè à nobis, qui toto animo & pectore eos horremus, quicumque ij fuerint. Si quibus virtutibus præditi sunt, hâc maculâ totas labefaciunt. In hoc autem Carolo Borbonio sine liberis defuncto, extincta est secunda stirps stipis Ducum Borboniorum; & incidit jus primigenium in stirpem Vindocinensem, cui regnum Galliæ obvenit post genus Valesium extinctum in Henrico III. Rege.

IV. *Vrbs capitur.*

Borbonij interitu (ut Guicciardinus pergit) militum ardor non modò non deferbuit, sed multò est accensus magis, qui cùm duas horas magnâ vi pugnâssent, tandem suburbium sunt ingressi, circiter mille ex suis desideratis; ex Romanis verò tam in certamine, quàm in ipso direptionis furore, quatuor millibus, seu, ut Iovius habet, septem quibusdam aliis, quinque séxve millia Italorum, Cæsarianorum verò trecentos tantummodò occisos enarrantibus Pontifex: in arcem Sancti Angeli se recipiens cum multis Cardinalibus, dum utrum ibi manendum sibi esset, an per Vrbem cum expeditis equitibus custodiæ suæ in tutum aliquem locum confugiendum, (quod facile erat, nondum hostibus in Vrbem irrumpentibus; qui nonnisi sub Solis occasum per pontem Sixti in eam ingressi sunt,) quæreret; à Berardo Patavino, qui ab hostibus transfugit, monitus totum exercitum de morte Borbonij consternatum pacem cupere, infeliciter abeundi consilium neglexit. Ingressi milites Vrbem, ad prædam discurrere cœperunt, eâque nocte nihil unquam lugubrius aut funestius Roma vidit: omnibus in locis ad satietatem usque editæ hominum strages nobilissimi quique tormentis excruciati; virgines, matronæ, sacræ virgines constupratæ; Cardinalium domus, Principum, Legatorum, Antistitum expugnatæ: templa multis necatis aut excruciatis sacerdotibus direpta; sacræ reliquiæ dispersæ, & igne combustæ; sacratissima Eucharistia conculcata; omne genus impietatis & sævitiæ commissum. Id ipsum consequentibus diebus factum: adeò ut calamitates, quas tunc Roma passa est, non modò explicari, sed ne cogitatione quidem comprehendi possint: præ quibus Wandalicæ ac Gothicæ illæ antiquæ, rosæ fuêre ac flores optimi odoris, comparatæ spinis aculeatissimis & fœtori teterrimo hujus Germanhispanicæ; quàm qui accuratissimè describere studuerunt, longissimè à facinorum patratorum fœditate superati noscuntur. Prædæ verò magnitudinem enarrare quis valeat? quam ad ducenties centena millia, hoc est viginti milliones, ut vocant, aureorum ascendisse volunt: eámque in immensum auxit ingens captivorum, qui pòst maximâ se pecuniâ redemerunt, & dignitas & numerus. Quod verò calamitatem mirum in modum cumulavit, Bibliothecæ fuit Vaticanæ, aliarúmque locupletissimarum vastatio, librorúmque dilaceratio, atque Regestorum Pontificiorum combustio, irreparabili in omne ævum damno. Infamiam verò auxit, quod multi Antistites, etiámque nonnulli Cardinales, à militibus, ac præsertim Germanis, qui Romanæ Curiæ nominis odio, crudeles & insolentes, ac ferè omnes Lutheranâ hæresi infecti erant, vili-

Clementis PP. consilium improvidum.

Funestissima Vrbis direptio.

Bibliothecarum cóbustio.

[d] Bellai. l. 3.
[e] Ferr in Franc I.
[f] Glor ubi suprà.
[g] Belcar. l. 19. §. 26. & quidam alij.
[h] Guic. l. 17.
[i] Ap. Iovi. in Elog.

bus jumentis, gradûs ac dignitatis suæ insignibus ornati per totam Vrbem per maximam contumeliam circumducebantur; multi crudelissimè excruciati, aut in ipsis cruciatibus; aut non multùm pòst, mulctâ persolutâ, vitam reliquerunt. Nec minùs acerbè Hispani & Germani Cardinales & Antistites, qui se nationis jure tutos existimabant, quàm cæteri, habiti atque mulctati: Haud mitioribus sese exhibentibus militibus Italis, avaritiâ, libidine ac crudelitate. De quibus tamen omnibus Iovius [k] agens, qui aderat cum Pontifice arci conclusus, hoc inter eas nationes discrimen constituit; quòd Germani, quamvis feritate & truculentiâ terribiles, nihilominùs a primo impetu quo armatos deleverant, à gladiis temperabant; usque adeò remissâ animi ferociâ, ut exiguo facilè pretio libertatem captivis darent, & præsentibus tantùm spoliis & compotationibus lætarentur; verteréntque denùm furorem in templa & antiqui operis statuas: Hispani astutâ & implacabili crudelitate acerbiores, ut abdita arcanáque familiarum eruerent, tormentis atque suppliciis in nobilissima corpora grassabantur, tantâ auri cupiditate, ut Iulij Pontificis cadaver, multâ exesum carie eruere, & anulo spoliare non dubitaverint: Itali, Brutiique præsertim, Hispanorum facinora, decerptis vitiis, nec ullis omninò admissis virtutibus, facilè æquabant, & eò graviore cum invidiâ, quòd in obsequium barbarorum longè promptissimi, æmulatione scelerum, ab amore charitatéque communis patriæ discessissent.

[k] *Iov. in Vit. Pomp. Colum.*

SCELERŪ NATIONŪ DISCRIMINA.

V.

[l] *Cochl. in Act. Luth.*

GERMANORUM LUTHERANORŪ LUDICRA.

Quidam Lutheranus (ut narrat Cochlæus [l]) hanc captæ & direptæ Vrbis historiam Theutonicè describens, affirmat Germanum quendam militem, qui dicebatur Viridis-Silva, verso ad arcem Sancti Angeli, in quâ Pontifex erat, ore proclamâsse, in voto sibi esse ut ex corpore Papæ frustum devoraret, quod Luthero nunciare posset, eò quòd Papa Verbum Dei hactenùs impedisset: Milites ex sacello Papæ fecisse stabulum equorum, quibus Bullas & Literas Papales substraverint: Cardinalium quoque vestes ac pileos induisse, ac fictum Papam creâsse quendam Landskenetum; qui dixerit in ejusmodi suo Cardinalium cœtu, donare se Papatum Luthero, cæterósque omnes se Papam Lutherum acclamâsse. Fuerat Georgius Fronspergius Suevus Dux bello fortissimus, sed hæresi Lutheranâ corruptus, eorum præfectus: qui (ut narrat Iovius [m]) eò diri voti impetu concitatus in Italiam hâc expeditione descenderat, ut se Clementem Pontificem tanquam Cæsaris hostem, laqueo suspensurum, truculentâ voce profiteretur; laqueum auratum, quem sinu gestabat, crebrò depromens & ostentans, quo teterrimo supplicio homo nefarius atque impius uteretur. Verum diram ejus vocem, & totum efferatæ mentis conatum, cœlites in irritum per nubes extulerunt: atque antequàm Romam perventum esset, ita senem abdomine turgido gravem, & vasto ingentium artuum pondere fatiscentem, immissa paralysi siderârunt, ut abominabilis voti damnatus, ex itinere Ferrariam, atque inde in Germaniam lecticâ referretur: ubi inter suos Lutheranos mortuus est. Ita Iovius, qui nonnulla refert de stupendo ejus corporis robore; ac de tribus ejus filiis miserè pereuntibus.

[m] *Iov. in Elog.*

VI.

AURANGIUS DUX EXERCITUS.

Mortuo autem Borbonio, exercitus ducem sibi elegit Philibertum Arausicanum, sive Aurangium Principem; rejecto Lanoio, qui imperium ambiebat. Aurangius autem perductâ circum arcem fossâ, dispositis præsidiis circumvallavit, ne quid in eam inferretur, & ut Pontifex ad deditionem cogeretur: qui ab exercitu fœderatorum facilè inde eripi potuisset, antequàm hæc circumvallatio fieret, aut custodia apposita fuisset; tum præcipuè cùm Cæsariani per dies plurimos ita prædæ ac libidini intenti essent, ut nec suis ducibus ullâ in re audientes sese exhiberent: nisi Dux Vrbini fraudulentis suis cunctationibus, nequicquàm cæteris urgentibus, omnes succurrendi Pontifici occasiones eluisset; ita, nullâ habitâ ratione decoris ac justi, malignâ erat memoriâ odij quondam in se Leonis & Clementis: adeò ut etiam Venetis proditionis suspectum sese reddiderit. Quare Pontifex omni tandem spe destitutus, sexto Iunij deditionem facere coactus fuit gravissimis conditionibus, ut quadringenta aureorum millia repræsentaret; quinque præcipuas Statûs Ecclesiastici arces, unà cum ipsâ Angelicâ, ac Placentiam, Parmam, Mutinam civitates Cæsaris potestati, quamdiù & libitum foret retinendas, permitteret: ipse cum tredecim Cardinalibus quos secum habebat, donec pars pecuniæ soluta fuisset, in arce captivus maneret, deinde Neapolim, aut Caietam, quid de ipso porrò decreturus esset Cæsar expectaturus, iret: obsides exercitui pro reliquâ pecuniâ darentur: Columnij sacris & dignitatibus restituerentur. Hisque sic constitutis, Alarconius Hispanus (is ipse cui custodia Francisci Regis commissa fuerat: ut non immeritò gloriari vanitate singulari potuerit custodem se fuisse duorum maximorum toto orbe Principum) cum tribus Hispanorum, & totidem Germanorum cohortibus arcem est ingressus: ac Pontificem in angustas habitationes redactum diligentissimè, perexiguâ libertate permissâ, custodivit totis adhuc sex mensibus. O præclaros Catholicos & Christianos! ut singularissimi beneficij loco concessum fuerit summo Christi Vicario, tot gravibus conditionibus captivum detineri. Quid enim durius agi potuit cum aliquo latronum duce, quàm actum est cùm universorum Christianorum parente cui summi cuilibet Reges & Imperatores cervices subjiciunt, & vestigia ejus adorant? Hóccine est Catholicum esse? hóccine Christianum? Sed quid conquerimur? non poterat meliùs Clemens Christi Vicarium repræsentare, quàm Christi passiones participando: maximè à Lutheranis & Marranis; ut ipsummet eos indigitâsse, ait auctor à Camerario editus [n] de Vrbis expugnatione, in excommunicatione, quam in ipsorum ad Vrbem adventu in Borbonium & ejus exercitum vibravit: non alio affectu, quàm qui apud ejusmodi generis homines haberi poterat.

TURPIS FRAUS DUCIS VRBINI.

CLEMENS PŌTIFEX DEDITIONEM FACIT DURISSIMIS CONDITIONIBUS.

[n] *Ap. Schard. Oper. Hist. to. & in Paralip. Vsperg.*

VII.

MEDICEI PELLUNTUR FLORENTIA.

Minùs sanè peccârunt, quamquam gravissimè, Florentini; qui audito Clementis casu, Mediceos urbe suâ expulerunt, & in antiquam

ſeſe libertatem aſſeruerunt, Leonis & Clementis ſtatuas confringentes, & alia irarum ſigna edentes. Illi enim pro recuperandâ libertate: Cæſariani pro inferendâ captivitate: illi in lapides inanimatos, iſti in ſacratiſſimum ac vivificum corpus, Angelis cœli referendum, furorem ſuum extenderunt.

VIII. CAROLUS CÆS. QUOMODÒ SE HABUERIT ERGA PONTIFICEM.

Carolus autem Cæſar, ubi in Hiſpaniâ audivit Pontificis caſum, etſi in verbis (ut Guicciardinus loquitur) ſibi moleſtiſſimum eſſe præſetulerit, quin ne ab externis quidem ſignis prorsùs abſtinens, incœptos ob filij natalem (qui natus eſt ei vigeſimo-primo Maij Philippus nomine, qui poſt eum regnavit) ludos intermiſerit; tamen ei gratiſſimum fuiſſe apparuit; cúmque in Hiſpaniam deduci optavit. Reges autem Galliæ & Angliæ de eo liberando conſilia agitantes, ſcriptis ad Cardinales liberos literis, ut omnes Avenione ſe ſiſterent de remediis conſultaturi, hortati ſunt. Extant enim inter Literas [o] Principum epiſtolæ Regis Angliæ & Cardinalis Salviati, quæ id teſtentur; miſsúmque propterea à Rege fuiſſe in Galliam Cardinalem Eboracenſem ad Franciſcum Regem. Quapropter Carolus, tum quòd detentionem Pontificis ſibi eſſe infamiſſimam intelligeret, tum ne Angliæ Regis ſibi fœdere conjuncti animum irritaret; maximè verò quia omnes Hiſpaniæ populi, ac præſertim Antiſtites, Principéſque à Romanorum Imperatore Eccleſiæ defenſore & advocato, tanto cum totius Reipublicæ Chriſtianæ dedecore, illum qui Chriſti in terris vices gereret, in cuſtodiâ detineri, magnopere deteſtabantur: aliquid de rigore remittere decrevit. Prius tamen in ſuî excuſationem ſcribendum duxit ad cæteros Principes literas circulares: quarum exemplar, ut miſſum fuit ad Regem Angliæ reperitur inter Epiſtolas Principum; quo primùm obtrudens (de antiquâ ſcilicèt & incommutabili conſuetudine) quanta ipſe pro pace Chriſtianitatis, & Eccleſiâ Romanâ ac Sede Apoſtolicâ præſtitiſſet, deinde queſtus de armis contra ſe à Pontifice ſumptis; declaravit coactum ſe fuiſſe pro defenſione ſuorum Statuum Italiæ armis pariter agere. Cúmque induciæ factæ fuiſſent cum Hugone Moncadâ ipſius Caroli nomine, eas Pontificem contra omne fas & æquum rupiſſe. Quare cernentem ſe nullibi tutam invenire fidem, exercitum in auxilium regni Neapolitani comparâſſe: qui abſque ullo ſuo mandato Romam tendens, etiam nolentibus ducibus eam invaſit. Quod quamvis non dubitaret juſto Dei judicio in ultionem injuriæ ſibi illatæ contigiſſe, tantum tamen dolorem ex eo ſuſcepiſſe, ut maluiſſet non vincere, quàm tali victoriâ viciſſe. Itaque providendum eſſe horum malorum remediis, & quid Rex agendum cenſeret, ſibi ſignificari rogavit. Hæc ille pluribus, ne verbum quidem deliberatione Pontificis habens, & ut tempus lucraretur, conſilium expetere ſimulans, quod tamen nollet à quoquam accipere.

[o] *Epiſt. Princ. vol. 2.*

IV. LAUTRECHIUS ITALIAM INGREDITUR IN AUXILIŨ PONTIFICIS.

Auditâ tamen Odetti Lautrechij Galli in Italiam cum regio exercitu ad Pontificis liberationem profectione, & Regis Angliæ ad id bellum ardore cognito; rursùs fucum faciens, tertio demùm Auguſti Franciſcum de Angelis Generalem Franciſcanorum, (qui poſteà fuit Cardinalis Quignonius, filius Comitis de Lunâ, vir inſigni pietate & doctrinâ:) & quatuor pòſt diebus Verrium Miliacenſem cubicularium ad Lanoium & Moncadam miſit, cum mandatis (ut ferebatur) de Pontifice liberando. Sed hæc nomine, non re. Erant enim conditiones liberationis adeò perplexæ & ambiguæ, ut variis interpretationibus eludi poſſent, réque ipsâ in diverſos ſenſus à ducibus acciperentur: ut appareret, id ferè ipſum de Pontifice cogitare Cæſarem, & qui ei ab intimis conſiliis erant, quod de Galliæ Rege vidimus; ut ſcilicèt non prætermitteret occaſionem promovendi conceptam animo Monarchiam; & ex captivitate Pontificis quam maximum fieri poſſet fructum perciperet, ne non hâc occaſione à Deo oblatâ utens, Deum in ſe provocâret; ſicuti argumentatum olim vidimus in captivitate Franciſci Albæ Ducem. Si enim hoc non fuit, ut quid igitur tanto tempore miſerum Pontificem in tanto pædore & miſeriâ cum tot Cardinalibus detineri permiſit, quem unico verbo libertati reſtituere poterat? Tandem verò aliquando, ob metum Lautrechij, qui poſt Alexandriam deditione acceptam, Papiam vi captam & expilatam, Placentiam, Parmam, Bononiam obſequentes redditas, Pontificis liberandi causâ, & inde in regnum Neapolitanum ingrediendi animo Romam tendebat; & propter neceſſitatem Cæſariani exercitûs in idem regnum ad ejus tuitionem ducendi; ac denique quòd ex ſæviſſimâ ortâ Romæ peſtilentia magna ejuſdem pars exercitûs periiſſet: pridie Calendas Novembris inducti qui miſſi fuerant, ad libertatem Pontifici concedendam, eas adhuc conditiones impoſuerunt, ut non ferè ſæviores à capitaliſſimis hoſtibus præſcribi potuiſſent: quas nihilominùs Clemens impatientiſſimè ferens adeò diuturnum atque inclementiſſimum carcerem, in quo etiam præter alia graviſſima incommoda, de vitâ periclitabatur à peſte, quæ arcem quoque invaſerat, accipere coactus eſt: videlicèt ut in Mediolanenſibus & Neapolitanis rebus Cæſari non adverſaretur, pecuniam in Hiſpaniâ ſacri belli causâ collectam, & decimas omnium beneficiorum eidem Cæſari concederet; quatuor arces poteſtati ejus permitteret; nepotes ſuos, tréſque Cardinales, obſides traderet; Germanis & Hiſpanis ſtipendia perſolveret, qui prædam immenſam Romæ & in vicino agro factam, quæ denis ejuſmodi exercitibus in multorum annorum ſtipendia ſufficere poterat, pro nihilo computabant. Et hæc tam atrocia, quæ etiamſi per Turcum vi exacta fuiſſent, acerbiſſima exiſtimari debuiſſent, à Cæſarianis nihilominùs uti valdè humana & manſueta commendantur, ô ridicula capita! ô nefaria palpamenta! Quàm æquior Turcus Solimanus: quem ſcribit Fabricius [p] Cornelius, auditâ Vrbis clade, & Pontificis calamitate, in inſolentiam Chriſtianorum excanduiſſe, qui deteriùs ſupremum ſuum Antiſtitem, & omnia ſua ſacra habuiſſent, quàm ipſe Græcorum Patriarcham, aut ritus, quos violare nefas putaret, quamvis ab iis extraneus. Sed quia quod Turcis impium eſt, Chriſtianis ſanctum putatur, ideò ferenda ſint quæ contra probos ipſorum mores à Chriſtianis perpetrantur.

CLEMENS MAGNO EMIT LIBERTATEM.

[p] *Ap. Bzov. hoc an.*

SOLIMANUS DOLET VICEM PÕTIFICIS.

X. CLEMENS CARDINALATŪ PRETIO VENDIT.

Clemens porrò Pontifex, cui longissimum erat à suo septimestri ergastulo exire, cùm bonis spoliatus unde promissam pecuniam solveret non haberet, ad turpissimum commercium recurrere coactus, ad quod ne custodiæ traderetur confugere detrectaverat; Cardinales aliquot (sex numerat Iovius) in partem solutionis pretio creavit, in reliquam decimas in regno Neapolitano, & Ecclesiæ bona alienandi facultatem concessit. Ita ut Christi Vicario concedente, (inquit cum profundorum divinorum judiciorum admiratione Guicciardinus) ea quæ divino cultui erant consecrata, ad hæreticorum, ex quibus magna pars Cæsariani exercitûs constabat, usum & alimenta converterentur. Quorum obsides nonnullos Cardinales dedit. Cùm verò constitutum fuisset ut nonâ die Decembris illum Hispani in locum tutum deducerent; ipse ob infestum in se Moncadæ, qui absumpto peste ante aliquot menses Lanoio Proregis vices gerebat, animum, & quamcumque aliam ob causam, aliquam mutationem metuens; prioris ejus diei noctis initio, clàm mercatoris, sive ministri dispensatoris habitu arce egressus, à Ludovico Gonzagâ, qui ipsum in Pratis expectabat, Montemfaliscum, vulgò Montefiasconem usque deductus fuit, indéque Vrbem veterem, sive Orvietum. Vnde ad Lautrechium scribens, gratias egit de operá pro suá liberatione navata; quam tanti momenti fuisse ad Cæsarianos ad illam cogendos agnoscebat, ut libertatem suam non minus Regi & ipsi, quam si eam ipsorum armis esset consecutus, acceptam referret. Interimque Germani miseræ Vrbis, & totius circumjectæ regionis reliquias absumentes, & præfectorum ducúmque obedientiâ prorsùs abjectâ sæpe inter se tumultuantes, discedere renuebant, novas pecunias nováque stipendia postulantes.

SIMULATO HABITU ELABITUR.

XI.

Hicque finis ærumnarum hujus anni Clementis Romani Pontificis, ad omne ævum memorandarum: quas summatim ex Guicciardino descripsimus, quem præ cæteris sequimur: cùm & multa alia de iisdem habeat Iovius [q]: nonnullique etiam quædam haud adeò ex gustu omnium, à quibus abstinemus, ne nimis fricando sanguinem eliciamus. Ne quid verò præcipui, ad generalem hujus Romanæ cladis historiam pertinentis omittamus; illud addimus, Clementem in arce Angelicâ de eligendo Summo Pontifice, si ejus mors accidisset, constitutionem [r] edidisse Idibus Iulij, cùm jam trium ferè mensium spatio, ut ait, à Capitaneis exercitûs Caroli Romanorum & Hispaniarum Regis Catholici, non sine quamplurimis manifestis vitæ suæ periculis, ac præsertim ob pestis sævitiam, quæ non modò per totam debacchabatur Vrbem, sed in cubiculum etiam suum penetraverat, & aliquos ex suis infecerat atque absumpserat; invitus unà cum Cardinalibus detineretur: quâ occurrere volens obstaculis; quæ si durante ejusmodi suâ detentione Sedes Apostolicâ vacaret, facilè occurrere, & libertatem futuræ electionis impedire possent; statuit certa loca, in quibus, si libera forent, ea deberet fieri: eámque typis excudi, & publicari mandavit Francisco Cardinali Armellino S. R. E. Camerario.

[q] Iov. in Vit. Pomp. Colū. & Hist. l. 25.

[r] Ext. in Addit. Victorel. ad Ciac.

CONSTITUTIO PONTIF. DE ELECT. SUCCES.

XII. PRÆDIC. CALAMITATIS VRBIS.

Nec item omittimus; ante hanc Vrbis vastationem fuisse Romæ hominem quemdam pannosum, & pauperrimum, sacco indutum, nomine Ioannem Baptistam, qui gravem Dei iram Romanis, ni resipiscerent, imminere prædicaret: & sicuti olim ante cladem Ierosolymitanam factum [s] fuerat, væ Romæ, væ Pontifici Clero populoque conclamaret: Cumque horribili voce eadem per Vrbem jugiter intonaret, nec vinculis, nec minis necis à cœpto deterreri potuisse, se Vocem clamantis in deserto esse de cœlo demissam asserentem donec illo velut fatuo aut amente contempto, captâ Vrbe res ipsa declaravit verum fuisse ipsius vaticinium. Sicuti & quod militibus Cæsarianis prædixit, breve fore ipsorum gaudium ex illá prædá: cunctis fere intra biennium male pereuntibus: & præda absque ullius utilitate deperditâ. Quam historiam, præter cæteros [t] diligentiùs enarrans Pontanus [u], ait hunc Io. Baptistam circa Senonas natum fuisse. Quod tamen magis ad Senas nobilem Etruriæ urbem pertinere putamus; cum cæteri Italum fuisse velint. Sunt etiam qui easdem calamitates aliis quoque modis divinitus præmonstratas adstruant: ingenti videlicet Tiberis exundatione; signi Pontificij de cælo tactu; canum frequenti per Vrbem ululatu; Lunæ sanguine conspersæ apparitione gravi terræ motu. Addunt & alij horribilem cometem ingentis magnitudinis in ditione Palatinatus in Germania die secunda Decembris anni superioris in occasu visum & observatum, totum cruentum nube terribilem, telis, hastis & gladiis, etiam capitibus obtruncatis hinc inde circumdatum: adeò ut complures hoc tam diro spectaculo in morbum & syncopen inciderent. Sed quid Italicorum malorum omnia in Germaniam quæsitum imus; cùm ipsa Germania jam tot esset calamitatibus vel ab ipsâ unâ hæresi provenientibus, fueritque postmodum & à Turcis & à rebellionibus agitata, ut si signis ea demonstranda fuissent, ne cælum quidem iis gignendis satis esse videri possit?

[s] Ioseph. de bel. 12 Vid. Ep. I. Baron. an 65. I.

[t] Cralier. de direpc. Vrb. ... in Lucher. sur. in commen tar. &c.

[u] Pont. lib. ...

XIII. LUTHERI IMPUDENTISSIMA PROCACIA IN REGEM ANGLIÆ ETC.

Vnus Lutherus quot & quantas ciebat turbas? Qui etiam hoc anno, postquam viso responso Regis Angliæ ad epistolam ei à se scriptam, de quâ superiùs, rem initio dissimulâsset; ubi intellexit illud ab Emserô fuisse Germanicè versum, motus iracundiâ, Germanicum scriptum edidit: breve quidem, sed insigniter maledicum; tam in Regem, quàm etiam in Georgium Saxoniæ Ducem, aliosque nonnullos Principes; itémque in Erasmum, omnésque Papistas, ut vocat; atque etiam in Swermeros, (Est hæc vox Luthero frequens, præcipuè adversùs Sacramentarios: accepta, ut volunt, ab apibus, quæ ex alvearibus suis cum fremitu provolant) Anabaptistas, Sacramentarios, omnésque qui ab ipso discessissent. Quos omnes, tam Regem scilicet quam cæteros, habere se ait pro morionibus suis & joculatoribus; adeò ut vix eos censeret dignos qui sibi corrigiam calceamenti solverent. Deinde turpi & infamis animi dignâ nuncupatione, lendes & pediculos eos vocat: In aulis Regum Principúmque diabolum supremo residere loco, summúmque ejus ibi esse

thronum. Et post multas alias ejusmodi fatuas & temulentas acerbitates, Trotz, ait, (quæ vox est contemptùs & provocationis cum crepitu quodam labiorum expresso) non solùm Regi Angliæ, & Erasmo, verùm etiam eorum Deo, omnibúsque diabolis. Quem libellum cùm in Latinum Cochlæus vertisset in Lutheri confusionem, si quid pudoris habuisset; ac vidisset Erasmus in eo vanè Lutherum gloriari, quòd ipse nihil posset ei de Libero arbitrio respondere; crebrísque litteris amicorum rogaretur, ut quam in Hyperaspiste responsionem pleniorem pollicitus fuerat, eam aliquando ederet, insignem ac benè prolixum edidit librum; in quo cuncta Lutheri de Servo Arbitrio argumenta, tam nervosè ac dilucidè dissolvit, ut neque Lutherus, neque aliarum sectarum quispiam attentaverit illi respondere. Vbi & ejus in scribendo & conviciando vitia carpens, fieri non posse ait, ut sincero pectore causam Dei tractaret, qui concitatis tantis in orbe tumultibus, luderet ac deliciaretur sannis atque dicteriis, nec umquam expleretur.

ERASMI IN LUTHERUM SCRIPTŪ.

XIV.

LUTHERUS SCRIBIT CONTRA SACRAMENTARIOS.

Scripsit verò etiam Lutherus hoc eodem anno contra Sacramentarios Zuinglium & Oecolampadium, librum satis prolixum, cui titulum fecit, Quòd hæc verba Christi, Hoc est Corpus meum, adhuc firmiter consistunt. Respondétque plerísque ipsorum argumentis, quæ partim ex sacris literis, partim ex ipsâ ratione, tum verò ex scriptis SS. Patrum, contra simplicem verborum Christi intelligentiam formaverant. Se autem ait tardiùs in hanc arenam contra eos descendisse, tum quòd scripta sua primùm edita de hoc argumento videret superbè ab adversariis contemni; tum verò quòd nudis uterentur & inanibus blateramentis, & causam hanc agerent trepidante conscientiâ; quasi tacito quodam nutu pœnitentiam suscepti hujus certaminis præseferrent. Protestari verò se coram Deo totóque mundo, quod Sacramentariorum & Suermerorum doctrinam non probaret, nec hactenùs probâsset umquam, nec futuris etiam temporibus umquam per gratiam Dei probaturus esset. Politicam externámque concordiam cum illis iniri posse, Ecclesiasticam verò minimè: imò cavendos esse, adeóque damnandos, velut idololatras, blasphemos, & mendaciorum patronos. Qui tales haberent Dei ministros, eos diaboli larvas habere qui phaleratis sermonibus sub honestâ specie, Dei loco diabolum ipsum auditoribus suis proponerent. Mox verò ut hic liber Lutheri in publicum prodiit, Sacramentarij Zuinglius & Oecolampadius illum summis viribus oppugnârunt. Et quia acerbiùs per eum excepti fuerant, ipsi quoque vicissim scriptis suis amarulentiæ pluculum insperserunt. Quod permolestè Lutherus tulit, iterùm de iis questus, atroci se injuriâ per filios degeneres affici; & novis eos conviciorum plaustris obruens.

XV.

MELANCTHŌ MOLLIUM LUTHERANORUM AUCTOR.

Philippus autem Melancthon, quamvis Luthero adhæresceret, noluit tamen ei conjungere se, vel ferre suppetias contra Sacramentarios disputanti; immò vehementer doluit, quòd eò res adducta esset, ut cùm Evangelicos se profiterentur utrique, mutuò se scriptis publicis fœdissimè lanciarent. Visitationis interim per Saxoniam à Ioanne Electore munus hoc anno suscepit; déque eâ libellum conscripsit. In quo missis iis, vel potiùs de industria dissimulatis, de quibus tum variè disputabatur, modum concionatoribus de potioribus fidei capitibus docendi præscripsit: ritúsque administrationis Sacramentorum, diviníque cultùs ordinavit. In quibus quòd pœnitentiam, timorem Dei, Legis divinæ observantiam, & studium bonorum Operum inculcârit, multáque retinuerit ex ritibus Ecclesiæ veteris clamores in se concitavit rigidorum Lutheranorum, quasi restitutionem moliretur Catholicæ religionis. Quod & nonnullis Catholicis visum fuit: quamvis non is propterea à Luthero discesserit. Sed ab eo tamen secta exorta est *Semilutheranorum*, seu *Mollium Lutheranorum*; cujus fundamenta jam anteà jecerat in literis ad Landgravium, de quibus suprà [x]. Qui & *Confessionistæ* dicti posteà fuêre, à Confessione Augustanâ ab eodem Melancthone [y] compositâ. Iisque capitales inimici facti sunt *Rigidi Lutherani*, seu *Illyricani* dicti à Matthia Flacco Illyrico anteà Melancthonis discipulo. Quantum autem fuerit Melancthon in fidei dogmatibus asserendis dubius, & in quibus à Luthero & aliis Sectariis, necnon à Catholicis dissenserit, quámque sæpiùs opiniones suas mutaverit; apud Prateolum & Gaulterium in Sectis hæreticorum ex diversis auctoribus collectum reperies.

[x] *Supra an. 1525 XXII.*
[y] *Infr. an. 1530. V.*

XVI.

In Sueciâ quoque Gostavus [z] Rex Lutheranâ hæresi imbutus, hoc item anno convocatis regni sui Comitiis, Consilium suum proposuit de Visitatione Ecclesiarum regni, & de potestate politicâ Episcoporum abolendâ. Et quamquàm repugnantibus Episcopis, decretum est à Lutheranis, clericorum privilegia in potestate Regum esse, qui ea minuere vel augere possint salvâ religione: sícque omnia eorum feuda ac regalia fisco addicta sunt, & Episcopi in ordinem redacti. Describit hæc fusè Chytræus. Meminítque Ioannes Magnus, tunc Archiepiscopus Vpsalensis Sueciæ Primas & Sedis Apostolicæ Legatus, in Vitis [a] Pontificum Vpsalensium; ac fusè descripsit mala, quæ tum alij, tum præsertim ipse ab eodem impio Gostavo passus est. Qui quidem Gostavus, Episcopis sic in ordinem redactis, & hæresi plane stabilitâ, coronam regni accepit, quam hactenùs suscipere distulerat.

[z] *Chytr. Saxon. lib. 11.*

IN SUECIA EPISCOPI IN ORDINEM REDIGUNTUR.

[a] *Io. Magn. in Pontiff. Vpsal. lib. 6.*

XVII.

In Scotiâ vero [b] Patricius Hamiltonius Abbas Fernensis ex fratre Aranij Comitis natus, sanguinis propinquitate Regem attingens, è Germaniâ, ubi Luthero, aliísque hæresis antesignanis, operam diù navârat, in patriam redux, hæresis accusatus & convictus; apud S. Andream, ipso urgente Rege adolescentulo, sed fidei Catholicæ studiosissimo, igne vivus crematus est; cùm nullis rationibus aut hortationibus ad pœnitentiam induci potuisset.

[b] *Lesla. lib. 9. Sunt tamen qui an. 1530. hoc ponunt.*

PATRIC. HAMILTON. IN SCOT. OB HÆRESIM CREMATUR.

XVIII.

ANABAPTISTARŪ NOVA COMMENTA.

Ex aliâ verò parte, cùm in Germaniâ & Helvetiâ multas hoc eodem anno turbas excitarent Anabaptistæ, nova semper nefandissimáque dogmata singuli introducentes, præter illa quæ communia omni sectæ erant: (de quibus diligenter egerunt Cochlæus & Vlembergius in Actis & Vitâ Lutheri & Meshovius in Historiâ Anabaptistarum: (inter eos fuêre

Moravi quidam, & Magdeburgi Præmonſtratenſis apoſtata, qui aſſererent, Chriſtum cùm in Cruce clamavit Heli, heli, lamaſabatani, damnatum eſſe, quia deſperavit: Non fuiſſe Deum, ſed tantùm Prophetam; nec ejus Evangelium publicè prædicandum. Fuit & quidam *Iacobus Kautius*, cui nomen Germanicum à bubone infauſtâ ave, qui Wormatiæ ſeditionem movens adversùs Electorem Palatinum, auſus eſt etiam quoſdam articulos diſputandos proponere; quibus inter cætera negabat Baptiſmum parvulorum à Deo eſſe, ſed directè contra Deum: & in cœnâ Domini, neque eſſe ſubſtantiale Corpus Chriſti, neque uſum illius fuiſſe unquam ritè celebratum; quos Cochlæus confutandos ſuſcepit. Fuerunt & alij circiter trecenti, qui propè Abbacellam in Helvetiis in editum aſcendentes montem, velut aſſumendi illinc in cœlum cum corpore ſimul & animâ, abjecto omni pudore in brutorum morem commiſceri inter ſe cœperunt, neceſſarium id credentes, adeò ut ne virgines quidem ab ejuſmodi congreſſu ſibi abſtinendum putarent. Et in Sueviâ captus quidam Sacerdos aſſerebat finem jam Chriſtianæ Fidei adeſſe, aliámque ſubintroducendam. Fuêre verò non pauci ex ejuſmodi fanaticis, variis locis graviſſimis ſuppliciis affecti. Intérque cæteros Rottenburgi *Michaël* quidam *Sellarius* Monachus apoſtata aliorum Dux, & homo ſeditioſiſſimus, qui Tiguro & finibus Helvetiorum exactus eò commigraverat. Cui lingua primùm exciſa, deinde corpus candentibus forcipibus dilaceratum eſt, ac poſtremò in cineres redactum; quem tradunt primum fuiſſe, qui propter Anabaptiſmi profeſſionem exuſtus ſit; ac propterea eum ut Protomartyrem magnis laudum encomiis à ſuis in cœlum vehi.

XIX. SCHWENKFELDII NOVA HÆRESIS.

Innotuit item hoc anno maximè GASPAR SCHWENCKFELDIUS nobilis Sileſius; qui doctrinam non vulgarem in ſcholis adeptus, & naturâ atque arte idiomate Germanico elegantiſſimus; ut majora ſibi demereret laudum encomia, Lutherum ſcommatis & maledictis cœpit impetere; nimis ad erudiendum vulgus ineptum eſſe dicens, ut qui omnia ſecundum exteriorem quandam ſpeciem abuſuum genera tolleret, parùm interim Chriſti Eccleſiam confortaret. Hincque neutralis planè & ſcepticus videri volebat, publicè ſubinde proteſtans, ſe neque à Pontificiorum aut Lutheri partibus ſtare, eò quòd ipſorum Eccleſiæ in multis, quæ doctrinam, ceremonias, totiúſque religionis conſtitutiones concernunt, ſibi contrariæ, nihil niſi carnalem ſpiritum ſequerentur. Non autem pendendum eſſe ex verbo externo, ejúſque prædicatione, ſed potiùs interiora ſpectanda, quæ Deus abſque medio inſtillet: ideóque magis meditationibus & privatis contemplationibus ſtudendum eſſe, quàm audiendis concionibus; aut ſacramentis ſumendis. Quinimmò ſacram Scripturam non eſſe verbum Dei; nec verbum Dei aliud eſſe, quàm ſubſtantiale, nempè Chriſtum. Ac præter illa quæ cum Zuinglianis & Enthuſiaſtis communia habebat, aliáque plura quæ vel ipſe commentus eſt, vel ab antiquis accepit, docebat Carnem Chriſti non fuiſſe, neque in glorificatione exiſtere creaturam; ſed medium quid inter Creatorem Deum & creaturam hominem: ita ut tam in gloriâ, naturæ ipſius divinæ exæquata ſit eſſentiâ & virtute, Deúſque omninò ſit, haud tamen amiſsâ humanitate. Dona Spiritûs Sancti juſtitiam, ſapientiam, charitatem, pacem conſcientiæ, & ſimilia, eſſe meras eſſentias Dei, ac homines iis præditos hâc ipſâ divinâ naturâ Deos. Et quod doctrinam Euchariſtiæ attinet, dicebat non eſſe in ea Corpus Chriſti præſens, ſed in cœlo tantùm contineri, & modo quodam aëreo pani circumfundi: verba, Hoc eſt Corpus meum interpretans, Corpus meum eſt hoc, ſcilicet quiddam ſpirituale, denotans cibum ſpiritualem & cœleſtem, alentem animas, ſicut panis alit corpus; ex prædicato nimirùm faciens ſubjectum. Ob novarum porrò rerum ſtudium Sileſiâ pulſus, in Saxoniam ad Lutherum ſe contulit; verùm ab eo rejectus, Sueviam ac vicinas regiones peragravit, permultos in ſuam ſpiritualitatem trahendo; penè ut plures in civitatibus reperirentur qui ejus afflatui inhærerent, quàm qui Luthero vel Zuinglio. Cùm verò ſubinde libros ſuos, quos multiplices ſcripſit, ad Lutherum, ut tantò magis eum ureret, mitteret, ac vanas ſuas pro reformandâ Eccleſiâ opiniones obtruderet; (volebat enim Eccleſiam aliam inſtituere, quæ media eſſet inter Papiſticam & Lutheranam) demùm Lutherus iis tædio affectus, reſcripſit: inſanum morionem à diabolo obſeſſum, nihil intelligere, nec ſcire quidnam loqueretur: quare ſuis libris, quos diabolus ex ipſo vomebat, & cacabat, (ita honeſtus homo ſe qui continuerat) prorſus miſſum faceret; hoc ultimum à ſe judicium ac reſponſum auferens, Increpet Dominus te Sathan: & ſit ſpiritus tuus qui vocavit te, & curſus tuus quo curris, & omnes qui participant tibi Sacramentarij & Zuingliani, tecum, & cum veſtris blaſphemiis in perditionem. Quibus Schwenckfeldius irritatus, majore in eum impetu amaritudinis ſuæ tela detorſit, ac publicis libellis per omnium ora traduxit. Lutherus autem, quamvis multos ipſi adverſarios ſuſcitavit, ut Illyricum, Wigandum, Melancthonem, Vadianum, Bullingerum, Bucerum, & alios; compeſcere tamen non potuit, quin in dies ſui dogmatis plures libellos contra adverſarios publicaret; tantâ frequentiâ, ut præter innumeras epiſtolas, quinquaginta in lucem dederit: in quibus nihil niſi extaſes, viſiones, ſpiritualitates, & neſcio quæ errorum portenta, ſpirabat. Vnde Lutherus & Saxonici *Stencfeldium* eum, ob putida & fœtidiſſima dogmata nuncuparunt. Ipſe verò, quia jactitabat ſe præcipuè aſſertorem eſſe gloriæ carnis Chriſti in glorificatione quam alij prædicantes aut negligerent, aut etiam impugnarent; ſuam Eccleſiam (ex peculiari Dei revelatione, ut aſſerebat) ſpecioſo nomine inſigniebat *Confeſſorum Gloriæ Chriſti*. De illo verò plura Meshovius, Prateolus, Gualterius, & alij Catholici: Ejúſque dogmata à Luthero non recepta, longiſſimâ diſputatione Conradus Schluſſelburgius Saxo-Lutheranus confutavit in ſuo Catalogo [c] Hæreticorum; cui eum adſcripſit.

REJICITUR À LUTHERO.

[c] *Schluſſelberg. lib. 10.*

XX.

Eodem anno floruit in Indiis *Petrus* [d] *Cordubenſis* Dominicanus, tot ac tantis miraculis clariſſimus, ut mari, & ventis, & tempeſtatibus videretur imperare. Qui Salmanticæ in Hiſpaniâ ejus Ordinis inſtitutum profeſſus,

[d] [illegible]

PETRI CORDUBÆ PROGRESSUS PRO RELIGIONE IN NOVO ORBE.

cùm in virum perfectum doctrinâ & religione evasisset, in Hispaniolam insulam missus, multis Indorum ad fidem Christi conversis, plurimísque monasteriis & Ecclesiis ædificatis, provinciam S. Crucis indidem condidit. Aliquando navi omni apparatu nautísq; vacuâ, Christo Domino, & S. Dominico, altero in prorâ, altero in puppi apparente, ducentas leucas spatio viginti quatuor horarum confecit. Satanam à quodam antro, ubi oracula reddebat, effugavit, & populos ei sacrificantes ad Christum convertit: aliáque multa egregia præstitit. De propagatione verò fidei in Indiis Occidentalibus per Fratres Dominicanos, aliósque cæterorum Ordinum Religiosos, plurima in compendium retulit Thomas Bozius [e]; quæ pleniùs apud alios auctores describuntur.

[e] Boz. de Sign. Eccl. l. 4. cap. 3.

XXI. CONVENTUS PARIS. DE PROMISSIS A REGE CÆSARI FACTIS.

Ad finem anni, nempè decimo-sexto Decembris, factus est Lutetiæ celebris conventus Prælatorum, Nobilium, ac Magistratuum regni, à Rege convocatorum ad deliberandum de recuperatione filiorum Regis in Hispaniâ detentorum, déque promissis à Rege factis Cæsari pro suâ ipsius liberatione. Quæ cùm Rex distinctè proposuisset; obtulisétque, si ita conventui videretur, carcerem suum repetere, sicut promiserat, ibíque usque ad mortem perseverare priusquàm fieret aliquid quod notabili regni detrimento esse posset; sicuti futurum esset si Burgundia Cæsari traderetur; post diligentem de his à singulis separatim Ordinibus factam consultationem, die vigesimo ejusdem mensis responsum est, Regem nequaquàm ullo pacto obligari ad reditum in carcerem; quinimmò si id vel maximè vellet, se non illud permissuros, quandoquidem Rex non privata sed publica ac totius regni propria persona erat: Burgundiam nullo modo alienari posse à regno, cui semel unita fuerat; nisi fortè per attributionem beneficiariam & usurariam fructûs ejus, cum plenâ retentione supremi dominij, ac reversionis jure decedentibus usuariis: nec verò Burgundos id unquam passuros. Daturos autem se duos auri milliones in redemptionem filiorum regiorum: & si necesse foret ad arma venire pro conservatione jurium regni, offerre non solùm omnia sua bona, verùm & vitam propriam. Hortari tamen Regem, ad pacem cum Cæsare omni quocumque meliori modo faciendam; & nihilominùs ad auxilium Papæ præstandum ad ipsius liberationem; (quippe nondum sciebatur eum manus hostium effugisse;) ut hæc omnia videre distinctiùs est in hujus Conventûs Actis [f], quæ extant.

[f] Ap. Bellefor. lib. 6. cap. 42.

IESU CHRISTI Annus 1528.

CLEMENTIS VII. An. 5.

CAROLI V. An. 10.

I. BELLUM INDICITUR CÆSARI A REGIBUS FRANC. ET ANGL. &c.

ANNO Christi 1528. Indictione primâ, negotio pacis inter Carolum Cæsar. & Franciscum Galliæ Regem inchoato, eâ solâ ratione dissoluto, quòd non potuerint inter se convenire, utrùm priùs Cæsar liberos regios obsides restitueret, vel Rex exercitum suum ex Italiâ educeret: Gattinario Cæsaris Cancellario, nominis Gallici inimicissimo, rem cavillationibus & fictitiis interpretationibus interturbante: oratores Regum Galliæ & Angliæ, ac fœderatorum Venetorum, Mediolanensis, & Florentinorum, qui apud Cæsarem erant Burgis in Hispaniâ, discedendi facultatem petierunt die vigesimo-primo Ianuarij: móxque à Regis utriusque fecialibus bellum ei indictum est. Cujus valdè insignis rei acta publica, & verba atque scripta tam à fecialibus quàm à Cæsare dicta & exarata, Bouchetus [a] Annalibus suis Aquitanicis inseruit. Has verò minas parùm curare, quinimmò hilari fronte Cæsar accipere visus, oratores tamen Gallum, Venetum, & Florentinum, in custodiam longè amandavit, omni cum quibusvis communicatione interdictâ, & aliquid scribendi facultate ademptâ: Mediolanensem tanquam sibi obnoxium à comitatu suo discedere prohibuit; adversus Anglum nihil innovavit. Quâ re offensus Rex Galliæ, tanquam contra jus gentium factâ, ipse quoque pro captivorum securitate, oratorem Cæsareum qui apud se erat, Nicolaum Perenottum Granvellanum custodiæ tradidit.

[a] Bouchet. par. 4.

II.

Et quòd nuper quoque rescîsset, Cæsarem biennio antè Gratianopolitano Præsidi, Galliæ Regis apud se oratori innuisse, libenter se, ne ob ipsorum controversias Christiani populi injustè plecterentur, eas singulari cum illo certamine diremptorum; eademque verba feciali, cùm postremò ei bellum indixit, iterâsset, addens insuper, Regem turpiter egisse, & fidem datam fregisse: Rex his ampliùs commotus, convocatis vigesimo-septimo Martij omnibus suis principibus ac proceribus, unà cum omnium Principum & Rerumpublicarum oratoribus, Lutetiæ in amplissimâ palatij sui aulâ, ipse pretiosissimis vestibus ornatus magnâ pompâ regali solio sedens, Cæsaris oratore advocari jusso, (mitti enim illum Baionam, quò etiam oratores in Hispaniâ detenti perduci debebant, decretum fuerat) primùm excusans quæ adversus eum agere coactus fuerat, deinde rogavit literas quasdam suas ad Cæsarem perferre, eíque suo nomine nunciare, quòd ipse Cæsar feciali regio dixisset, Regem ipsi fidem non servâsse, in hoc eum falsum dixisse: quotiésque id diceret, toties ipsum mentiturum; ac responsi loco, quò citiùs hæ controversiæ dirimerentur, locum singularis inter se certaminis designaret. Cùm verò orator literas ferre, & ea verba nunciare recusaret, Rex se idem Cæsari per fecialem significaturum dixit; oratorem rogans, ut illi Cæsarem liberè adeundi redeundique facultatem procuraret. Sin id non permitteret Cæsar; ut nullam tamen ignorantiæ speciosam causam obtendere posset, libellum provocationis prædicta continentem, coram eodem oratore, totâque concione, altâ voce legi, & in acta referri præcepit. Quo insuper continebatur, quòd cùm etiam Rex intellexisset, Cæsarem aliqua pariter in Angliæ Regis contumeliam jactâsse; se, quia Regem illum ad dignitatem suam tuendam idoneum esse

REX SINGULARE CERTAMEN OFFERT CÆSARI.

noverat, de eo non agere: si tamen aliquâ is fortè corporis invalitudine detentus foret, se pro ejus quoque existimatione vitam suam periculo expositurum. Id ipsum post paucos dies Henricus Rex Angliæ eodem ritu eâdémque pompâ adversus Cæsarem præstitit; oratore Cæsaris, quem priùs custodiæ tradiderat, existimans suum in Hispaniâ cum aliis captum fuisse, dimisso. Rem prolixè narrant Ballaius [b] & Bouchetus, propria Regis Francisci verba recitantes, quorum summam Guicciardinus [c] & Belcarius habent: Principes istos jure insimulantes, quòd cùm adeò gravibus & universæ Reipublicæ Christianæ perniciosis inter se bellis essent implicati, etiam ad hujusmodi gregariorum militum cogitationes, cum parvo suo honore, ac præsentissimo animarum suarum periculo intenderent. Sed sanè putamus, si seriò res agi debuisset, non tam faciles hos pugiles futuros ad certamen offerendum, aut accipiendum: maximè cùm necdum omnes hostem vidissent gladium strictum manu gestantem. Et vidimus in antiquis bellis Neapolitanis, duos Reges Hispanicos, totidem Neapolitanos Gallicos, ejusmodi fictionibus turpiter delusisse. Denique quamvis Carolus [d] certamen se accipere generosè respondisse asseratur, tamen quòd ejus fecialis literas non afferret ab eo, (ut Tilius [e] generatim scribit) sive, ut Ferronus expressiùs ex ipsius Actis tunc de his confectis explicat, quòd interrogatus a Rege in pleno conventu Principum, Cardinalium, Episcoporum, magnatum, & legatorum, eâdem pompâ & apparatu quo duellum obtulerat, afferrétne à Cæsare duelli locum, quem solummodò sibi designari petierat; & ille afferre se diceret quod Regi satis esse deberet, sed priùs sibi disertè imperatum à Cæsare, uti quædam alia Regi referret: Rege non alia verba audire se velle instante quàm locum duelli, & feciale in sententiâ persistante, conventus dissolutus fuit, cùm priùs Rex de multis Cæsaris in se injuriis expostulasset. Résque demùm eum sortita est effectum, quo fortè cœpta erat & continuata; nempè pomposorum utrimque verborum, & inanis fortitudinis ostentationis. Circa quæ tamen magnifica multa Cæsariani de Carolo referunt: tacentes nihilominùs quàm malè & indignè post hæc pueri regij in Hispaniâ habiti fuerint, quòd scirent id parùm decere generosum Principem. Narrat id autem inter cæteros Gallos, Bouchetus disertè.

[b] Bellai. l. 3. Bouch. par. 4.
[c] Guic. l. 18. Belcar. l. 19.
[d] Sleid. lib. 6.
[e] Til. in Chron.

III. LAUTRECHII EXPEDITIO NEAPOLITANA INFAUSTA.

Lautrechius inter hæc ad Neapolitanum regnum invadendum progrediens, post maximam ejus partem plus deditione, de more mobilissimæ gentis, quàm oppugnatione receptam; Cæsarianis certamen, quod Lautrechius ob defectum pecuniarum quærebat; vitantibus; ipse Neapolim, quam penè solam cum Caietâ Cæsariani propugnare decreverant, exercitum admovit ultimâ die Aprilis. Quâ obsidione, cùm pugnâ navali per Philippinum Auriam Genuensem, Andreæ, qui Regis stipendia merebat, & rei navalis peritissimus erat, nepotem; classis Hispana victa fuisset, occiso Moncadâ Prorege cum multis præclaris ducibus, captis Vastio, Ascanio & Camillo Columniis, Salernitano Principe; aliísque illustribus viris; quos Philippinus ad Andream patruum Genuam misit; res eò deducta esset, ut Neapolis deditio brevi expectaretur: factum est tum incuriâ Regis, pecunias necessarias ac promissas Lautrechio mittere negligentis; tum insigni Andreæ Auriæ fraude, & turpi ad Cæsarem à longo tempore animo conceptâ; ac Regis, eum à se in tantâ ejus operæ necessitate leviter abalienatis, improvidentiâ, acceleratâ defectione; accedentibus insuper multis aliis inconsiderantiæ casibus; & variis morbis ex insolitis caloribus contractis; ac præcipuè pestilentiæ, à Cæsarianis ex civitate ubi maximè vigebat, Punicâ fraude sive solertiâ in castra per nonnullos eâ infectos immissæ, quâ perierunt Valdemontius Lotharingi Ducis frater, Princeps Navarrus Henrici Regis germanus, Candalus Trivultius, aliique præcipui, atque multò maxima pars exercitûs; ac demùm interveniente morte Lautrechij decimo-octavo Calendas Septembris; & morbo denique invadente reliquos duces; Marchionem Salutium, Petrum Navarrum, atque alios; reliquiis castrorum ferè sine imperio remanentibus, hi quoque in recessu semienecti in manus erumpentium hostium incidentes Neapoli obierunt. Ac pleráque post hæc loca Aurancio Proregem agenti reddita sunt: nonnullis exceptis; quæ usque ad pacem Cameracensem; de quâ posteâ, à reliquis Gallis retenta fuére. Genua quoque, quæ in potestatem Regis venerat, ad cives rediit, qui Gallicisetum, cujus freno continebantur, penitus everterunt: & novam regiminis formam induxerunt, ut Dux in biennium crearetur, qui tam ex nobilitate quam plebe eligi posset; abrogatâ lege, quâ ad eam dignitatem nobiles aspirare prohibebantur; ut factiones inter nobiles ac populum tollerentur: nobilium familiæ certo numero sunt constitutæ, Adurniâ & Fregosiâ in ordinem redactis: hæc præcipuè curante Andreâ Auriâ, qui potiorem inde ducali auctoritatem consecutus est; majorémque laudem ex optimè constitutâ suâ Republicâ, quàm ex proditâ Regis Galliæ parte. Rex verò Insubriæ vario marte actæ sunt, novis ex Gallia & Germaniâ advenientibus adversis copiis. Quæ omnia diligenter pro consuetudine tractat Guicciardinus [f]. Apud quem etiam videas, quæ partes in his fuerint Summi Pontificis, inter hæc titubantis, neutrumque agentis; ac magis Lutheranorum conversionem, pro quâ etiam se in Germaniam profecturum dicebat, præseferentis: & Venetorum suis rebus diligenter attendentium: quàm sævissime miseri Mediolanenses spoliati, seu potiùs laniati fuerint ab Antonio Levâ Hispano; & alia id genus ad bella Italica hujus anni pertinentia: interim dum Franciscus Rex Galliæ deliciis suis vacabat, Henricus Rex Angliæ de matrimonij sui dissolutione disputabat; Cæsar prudentius immotus in Hispaniâ permanens, motus adversus hostes suos ubique excitabat; hæretici inter has Principum divisiones suas etiam augentes, nihilominùs Ecclesiam labefactabant. De quibus omnibus sunt etiam inter Literas [g] Principum quamplurimæ diversorum ad diversos epistolæ, lectu non injucundæ.

ANDREÆ AURIÆ DEFECTIO.

LAUTRECHII OBITUS.

[f] Guicciard. lib. 19.
[g] Epi. Princ. vol. 2.

resque ut gestæ sunt certiùs referentes.

IV. LAUTRECHII ELOGIUM.

Sed antequàm de Anglico divortio, & rebus hæreticorum, quæ propius ad nostrum institutum spectant, distinctiùs agamus; Lautrechio duci præstantissimo inferias dare ex Iovij elogio placet. Ait enim, illum strenui & intrepidi nomen inter Gallos duces tulisse: hanc verò in toto militari negotio peculiarem laudem ei cessisse, quòd Vrbium Expugnator, uti olim Demetrio Macedoniæ Regi obtigit, appellatus sit. Posteà ab ejus virtute fortunâ discedente, cùm surdis auribus peritorum ducum suorum consilia penitùs elusisset, suadentium ut quandoquidem totum ferè regnum in suâ potestate haberet, tantisper secederet in puriora loca dum vis morbi mitesceret; ex fatali suâ pervicaciâ obsessæ Neapoli intemperantiùs hærentem, qui armis vinci non poterat, morbo superatum interiisse. Id verò (ut addit) ei in supremâ calamitate gloriosum fuisse, quòd cùm ei voti atque victoriæ compos hostis Aurangius sepulchri & funeris honorem negavisset; unius tantùm diei decus, sed perpetui honoris statas quotannis exequias à Populo Romano meruerit: In Capitolio siquidem, publico, miróque civium omnium assensu decretum esse, ut quotannis in Laterano; primario totius Orbis templo, ad Cenotaphium Lautrechij solemnibus inferiis parentaretur, tanquam Vrbis Liberatori; quandoquidem adventu suo & captum Pontificem liberasse, & barbaros in Vrbana ædificia grassantes Româ detraxisse censeri posset. Cæterùm cùm ejus corpus in Aragonij Montalti villâ, ubi diem obiit, sine ullo funere cumulo arenæ superinjecto conditum fuisset; abominabili [h] diligentiâ cujusdam Hispani militis tam avari quam impij inde erutum, Neapolim deportatum est, & in cellâ vinariâ multo sabulo contumulatum, donec à propinquis magno pretio redimeretur ad sepulchra majorum reportandum. Sed cùm liberos parvulos reliquisset, eorum tutores sepulturæ paternæ jacturam non magnifecêre: sicque elusa est eâ parte Hispani avaritia. Et tamen Lautrechius honoratiori monumento tumulatus est; quàm si in patriam reportatus fuisset; inter medios hostes triumphans in æternum, generoso & in ævum memorando facinore alterius nobilissimi Hispani; Ferdinandi scilicèt Cordubæ Principis Suessani, Magni Capitanei Consalvi nepotis: qui post vigesimum demùm annum, emptum à nefando illo barbaro corpus, splendido funere, quamvis non obscurâ cum suæ gentis invidiâ, (quod quis in eâ miretur, quæ ipsum etiam Magnum Consalvum, æternum ac præstantissimum ejus decus, adeò indignè dum vixit, ut suis locis vidimus, habuit?) ad peculiarem verò sui nominis laudem, marmoreo monumento in Ecclesiâ S. Mariæ Novæ, & proprio sacello Magni Capitanei, condidit, cum hoc insculpto epitaphio; *Odetto Fuxio Lautrecco Consalvus Ferdinandus Ludovici filius Corduba Magni Consalvi nepos, quum ejus ossa, quamvis hostis, ut belli fortuna tulerat sine honore jacere comperisset, humanarum miseriarum memor, in avito sacello Gallo Duci Hispanus Princeps posuit.*

HONOR EJUS MEMORIÆ A' POP. ROM. EXHIBITUS.

[h] *Iovi. in Elog. & Histor. lib. 26.*

SEPULCRUM EJUS GLORIOSUM.

V. ITEMQUE PETRI NAVARRI.

Qui idem aliud item eodem tempore & loco, Petro Navarro construens monumentum, hujusmodi honestavit elogio; *Ossibus & Memoriæ Petri Navarri Cantabri, solerti in expugnandis urbibus arte clarissimi, Consalvus Ferdinandus Ludovici filius Magni Consalvi nepos Suessæ Princeps, Ducis Gallorum partes secutum, pio sepulchri munere honestavit; quum hoc in se habeat præclara virtus, ut vel in hoste sit admirabilis.* Longè scilicèt humaniùs de his sentiens, quàm Carolus Cæsar, qui [i] eum belli captivum, quòd aliàs ab eo fecisset, capite plecti mandâsset: morbo illum ab eâ pœnâ eximente, quo priùs periit quàm eam pertulerit: etiamsi non desint, qui eum extrema instantis mortis suspiria trahentem, (pietate scilicèt singulari consolandis transeuntium animabus) stragulæ vestis operimento suffocatum existiment. Valdemontium [k] majorum pietas ab hâc necessitate asseruit. Cadaver enim ejus sacratæ virgines Cœnobij Sanctæ Claræ, quod fuerat ab Andegavensibus Regibus, unde Valdemontius originem ducebat, Neapoli conditum, in Ecclesiam suam deportari curârunt, ibíque honestissimo templi loco sepulturæ tradiderunt.

[i] *Iovi. in Elog. Pet. Navar.*

[k] *Id. d. l. 26.*

VALDEMONTII SEPULTURA.

VI. MONCADÆ DIGNUM ELOGIU.

Vt autem in laudem istorum ducum hæc meminisse voluimus; ita in opprobrium Hugonis Moncadæ Hispani, Proregis Neapolitani, quem nuper vidimus prælio navali cæsum, haud prætereundum ducimus tetrum elogium [l], quod ei, Ianus Vitalis Poeta Panormitanus, in odium delusi ac proditi Clementis Pontificis, & expilatæ Romæ condidit.

[l] *Ap. Iovi. post Elog. Moncadæ.*

Disce meo exemplo Mezenti, Rhulle, Procustes,
Quæque alia immanis monstra Tyrannis habet:
Esse Deum ultorem; qui jam Moncata Triquetræ,
Sordidior Verre, publica pestis eram.
Diripui Mundi Reginam proditor Vrbem:
Sed fuit haud votis par ea præda meis.
Denique qui fueram terrarum maxima clades,
Inveni meritis funera digna meis.
Ictu obij glandis calones inter & inter,
Laxas, in pelago Parthenopæa tuo.
Si laudare licet sese, mea plurima laus est,
Quòd potuit invitus (an, invisos) *semper habere deos.*

Sic enim & cæteros omnes duces, atque etiam milites omnes, qui direptioni Vrbis interfuerunt, malè periisse, à diversis est de singulis observatum, & ex historiis apprimè intelligitur. His ergo jam peractis, in Angliam transeamus ad longè lugubrius Regis Henrici naufragium.

OMNES QUI DIREPTIONI VRBIS INTERFUERUNT, MALE PERIERUNT.

VII. HENR. REX ANGLIÆ DE DIVORTIO UXORIS COGITARE INCIPIT.

Duxerat is, ut aliàs [m] vidimus, uxorem Catharinam Ferdinandi & Isabellæ Hispaniæ Regum filiam, Caroli nunc regnantis materteram, quæ Arthuro ipsius Henrici fratri majori priùs nupserat, sed intacta ob ætatem aut morbum ab eo moriente relicta fuerat. Quod cùm dispensatione Iulij Papæ II. post maturam deliberationem factum fuisset, acceptum quoque fuit absque ullo alicujus Angli, aut alterius vel minimo scrupulo; atque ex eâ plures liberos Henricus sustulit, ex quibus adhuc supererat filia Maria, cæteris non diù postquàm nati fuerant extinctis: adeò ut etiam illam uti verè legitimam, Wallorū Prin-

[m] *Suprà an. 1509. XI.*

cipem Henricus pater declaraverit; qui titulus ei tantùm regiæ proli in Angliâ conceditur, cui proximum regnandi jus ex hæreditariâ lege debetur; sicuti apud Romanos Cæsaris, apud Gallos Delphini. Demùm verò post decimum octavum circiter conjugij annum fastidire Catharinam incipiente Henrico, feminam moribus sanctissimis, & gravitate regia præstantem: sive ob longè dispares mores, sive ob majorem ætatem, quâ illum quinquennio circiter superabat; seu potiùs ob turpe commercium cum aliis mulieribus, ac præcipuè concupiscentiam potiundi Annæ Bolenæ, de quâ mox dicetur; aut denique prolis masculæ desiderio, quam non ampliùs à Catharinâ jam quadragenariâ sperare poterat: hoc animadvertens Cardinalis Volsæus, Eboracensis ab Ecclesiâ dictus, ex cujus ferè nutu Rex totúmque regnum pendebat, quique Carolo Cæsari Catharinæ nepoti infensus erat, tum ob denegatum sibi Archiepiscopatum Toletanum; tum quòd non, uti speraverat, favisset sibi in Summi Pontificatûs adeptione; ut ægrè Cæsari faceret, Henrico insinuare cœpit matrimonij ejus cum Catharinâ fratris sui conjuge invaliditatem; & ut ejus loco Margaritam Alensoniam Francisci Galliæ Regis, cujus Volsæus amicus erat, sororem, spectatâ formâ & insigni prudentiâ feminam, duceret.

IDQUE SUASU VOLSÆI CARD.

VIII. SCRIBIT DE EO AD PONTIFICEM.

His ita jam anno superiori paratis, aurem Rex divortio præbens, (eo tamen animo, ut si illud fieret, non Margaritam, sed Bolenam sibi conjungeret) anno præsenti, simulac Pontificem e custodiâ Hispanicâ emissum audivit, Legatos ad eum misit, qui peterent tum ut fœderi contra Cæsarem adhæreret, tum verò præcipuè ut divortij facultatem concederet, non privilegio aut dispensatione, sed matrimonium ab initio nullum declarando; in cujus concessione obreptum Iulio fuisset: Quod quamvis Episcoporum Angliæ judicio domi fieri posset, nequa tamen suspicio Cæsari oboriretur, tanquam in solius Regis gratiam Episcopi Anglicani id fecissent, maluisse Regem hanc causam ad Summum totius Ecclesiæ tribunal referre: Haud verò istud difficile futurum, propterea quòd Regina, ut erat tota pietati & austeriori vitæ addicta, facilè in monasterium aliquod sese abditura esset. Existimabat autem Rex Pontificem, propterea quòd ipsius libertatem tanto studio procurâsset, & adhuc suo consilio egere videretur, non difficulter consensurum. Et quo faciliùs novo munere impelleret, stipendia in quatuor peditum millia ad ipsius custodiam obtulit. Ad quæ Pontifex, primùm excusans de fœdere, quod divortium spectabat, huic petitioni non omninò repugnare ausus, quin potiùs se Regi in iis quæ posset obsequendi cupidum ostendens; jussit Legatos cum cæteris Cardinalibus & Theologis de eo agere. Qui rationibus illorum perpensis cùm uno consensu respondissent, matrimonium ejusmodi nullo modo cum Lege divinâ, quod Legati contendebant, pugnare, ac propterea ratum & firmum esse; nec in causâ tam perspicuâ Iudices dandos esse, & maximè in Angliâ, ubi omnia in potestate Regis futura essent: urgentibus rursùm Legatis, si matrimonium jure divino interdictum non esset, tamen Regem ostenturum Iulij dispensationem minimè fuisse Canonicam, aut legitimam; ac proinde causâ iterùm aliis Cardinalibus & Theologis cognoscendâ à Pontifice commissâ; de illorum erga Regem, de Ecclesiâ Catholicâ & Sede Apostolicâ benè meritum, indulgentiâ, dati sunt Iudices S. R. E. Cardinales, *Laurentius Campegius* Bononiensis Episcopus Albanus, & Sarisburiensis in Anglia administrator, qui jam olim in Angliam missus fuerat à Leone X. ad Regem in bellum Turcicum impellendum; atque supradictus *Thomas Volsæus* Anglus Presbyter tituli S. Cæciliæ, & Archiepiscopus Eboracensis. Dedítque Pontifex Campegio in mandatis, primò ut omnem operam ad Regem cum Reginâ conciliandum impenderet: deinde si id non proficeret, Reginæ monasterij ingressum persuadere conaretur: denique si nec hoc obtineret, nullam pro divortio sententiam absque novo & expresso Pontificis mandato ferret. Is Nonis Octobris Londinum ingressus, cùm à Rege benignè receptus, eum à concordiâ alienum reperisset; per occultos nuncios Reginam hortatus, ut religionem aliquam spontè ingrederetur: vitæ saltem tuendæ causâ, illam intrepidè respondentem habuit, sibi constitutum esse, matrimonium suum, quod Ecclesia Romana legitimum semel judicasset, constantissimè tueri, nec illos recipere Iudices, qui per aperta mendacia potiùs à Rege extorti, quàm à Pontifice dati fuissent. Quæ cùm Campegius Pontifici renunciâsset, Regémque magnoperè instare ut causa absolveretur; dissimulante rem Pontifice, nec aliud quàm dilationes quærente, ad octo ferè menses, nimirùm ad finem Maij anni proximi, à causæ cognitione cessatum est. Ita namque de his omnibus Nicolaus Sanderus [n] Anglus, in commentario de Schismate Anglicano. Addit tamen Guicciardinus [o], & alij, Pontificem Campegio diploma seu bullam secretò confectam dedisse, quâ matrimonium nullum esse pronunciabat: cum mandato tamen, ut eam quidem occultè Regi & Volsæo ostenderet, verùm tempus quantum posset protraheret, nec sententiam ferret priusquam novum mandatum accepisset; quoniam Pontificis intererat negotium trahi, donec se contra Cæsaris iram satis munisset. Ita Campegium fecisse, ac posteà bullam in ignem conjecisse: de quo dicetur anno sequenti.

DANTUR IUDICES IN CAUSA.

[n] Sander. l. 1.
[o] Guicc. l. 19. Belcar. l. 19. Goduin. de Præsul. Anglic. Archiep. Ebor. n. 57.

IX. ANNA BOLENA QUÆ ET QUALIS FUERIT.

Anna autem illa *Bolena*, quam adeò Rex deperibat, filia erat Thomæ Boleni Georgiani Equitis, & Vicecomitis Rochefordiæ, quæ Reginæ inserviebat; non quidem adeò egregiâ formâ, quin à multis superaretur, quinimmò & aliquos defectus naturales pateretur, sed staturâ & corporis proportione, labiorum venustate, facetiis, saltandi, & fidibus ludendi peritiâ, denique vestium novis inventionibus elegantissima. Ita enim illam Sanderus describit. Quod verò habet, filiam eam extitisse ipsiusmet Regis, qui eam ab uxore Thomæ susceperit dum is legatione fungeretur in Galliâ: insupérque Regem Mariâ sorore majore Annæ, æquè ac matre ejus abusum esse: Annam ab ipsâ annorum quindecim

ætate sese vulgò prostituisse tam in Angliâ, quàm etiam in Galliâ, ubi aliquamdiù in aulâ regiâ fuit, cùm in eam juvencula adventâsset in obsequio Mariæ Henrici Regis sororis nuptæ Ludovico XII. & ubi communi appellatione Equa gradaria Angliæ, sive Mula regia, quòd etiam in familiaritatem Francisci Regis venisset, vocabatur: Reversam in Angliam, & inter Reginæ virgines admissam, cùm à Rege sollicitaretur, sanctè jurare cœpisse, nemini se virginitatis florem, præterquàm viro suo daturam: colloqui, colludere, simul etiam cum Rege saltare, nequaquàm à suâ modestiâ alienum judicâsse, tantùm à concubitu abhorrere se finxisse: His artibus ita Regem inescâsse, ut jam ei magis magisque fixum & constitutum esset, repudiatâ Catharinâ Reginâ, eam in uxorem accipere: cúmque rumor eâ de re spargeretur, ipsummet Thomam patrem putativum Annæ, Regi in memoriam revocâsse Annam ipsiusmet filiam esse: alios pariter de turpi Annæ vitâ Regem commonuisse, etiámque nonnullos qui rem cum eâ habuissent: istáque omnia Regem floccifecisse, & in calumniis recensuisse: Hæc, inquam, pleraque, ut verum fatear, equidem mihi adeò absona & ab omni similitudine veri aliena videntur, ut à Sandero, seu ab Eduardo Rishtono ejus commentarij editore, ex vulgi fabulis, in Regis apostasiæ infamiam confictis, magis quàm ex rerum certitudine scripta esse omnino existimem: quamquam quæ impudicitiam Annæ tangunt, confirmationem ex nece ei posteà à Rege propterea illatâ accipiant. Sed ut talis fuerit qualem describit Sanderus, quod unquam prostibulum eò pervenire potuisse credamus; ne ipsam quidem Iuliam Augusti, quæ lassata viris, non satiata recedere consueverat à frequentioribus triviis & compitis Vrbis Romæ. Et quæ unquam salacitas, Henricianæ huic comparanda in tot incestis, quæ nec bruta admittunt? aut quis torpor usquam ei æquiparandus, quo & ignorare Rex potuerit quæ filia sua cum aliis passim ageret, & renunciantibus credere quicquam noluerit? Sanè si ita fuit, fuit verè ejus schisma & hæresis (quod & de aliis dicitur) pœna peccati. Comprobatúmque fuit verum esse, quod post S. Cyprianum [p] dixit Augustinus [q], ex his hominibus hæreticos fieri, qui etiam si essent in Ecclesiâ, nihilominùs perirent. Et quod alibi [r] ait, Peccata quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse credi; usque adeò ut non solùm non occultanda, verùm etiam prædicanda & diffamanda videantur. Sed de his modò satis.

[p] Cypr. de unit. Eccl.
[q] Aug. de Ver. Relig. cap. 8.
[r] Id. Enchir. cap. 80.

X. [s] Cochl. de Act. Luter. Sleid. lib. 6. DISPUTATIO BERNENSIS DE RELIGIONE.

Hoc eodem anno mense Ianuarij celebris Disputatio Bernæ Helvetiorum habita [s] est, jam mense Decembri præterito indicta; præcipuis auctoribus Zuinglio & Oecolampadio, eorúmque complicibus Wolffgango Capitone, & Martino Bucero, qui Argentinæ in sectâ Zuinglij prævalebant; ac duobus aliis apostatis, Francisco Kolbo & Bercktholdo Hallero, qui eam urbem in fide perverterant. Vocaverant ad eam Bernates edicto publico tum cæteros Helvetios, tum quatuor finitimos Episcopos, ad quorum diœcesim pertinent Helvetij, Constantiensem, Basileensem, Sedunensem, & Lausanensem, ut cum suis Theologis adessent. Atque ut quibus de rebus agendum esset constaret, decem articulos proposuerant apertè impios & erroneos, contra Ecclesiæ auctoritatem, veritatem Eucharistiæ, Missæ sacrificium, aliáque Sacramenta, Sanctorum venerationem, Purgatorium, &c. Verùm non solùm nullus adfuit Doctor Catholicus, (præter unum Conradum Tregarium Provincialem Augustinianorum, qui valdè indignè ibi habitus est, contra fidem publicam) neque ullus Episcopus oratores suos eò misit; quin etiam multis visum est per literas dehortari Bernates ab hujusmodi insolenti disputatione. Atque imprimis Cameræ Imperiali quæ prohibuit eam fieri: deinde quatuor iisdem Episcopis, qui multis rationibus demonstrârunt non expedire ut fieret: & multò copiosiùs ab octo Helvetiorum Pagis seu Cantonibus Catholicis, Lucernatibus, Vriis, Suitiis, Vndervaldiis, Tugianis, Glareanis, Friburgensibus, & Soloturniis; qui gravissimis verbis monuerunt ab instituto desistere insistereque conclusioni Disputationi Badensis [t], quæ biennio antè de communi omnium Helvetiorum consensu, ipsius Bernatibus præcipuis auctoribus & laudatoribus facta fuerat, neque licere ulli populo aut provinciæ, formam religionis atque doctrinæ mutare, sed hoc ad totius orbis pertinere Concilium: & alia ejusmodi plurima piè & ex animo proposita. Quomodò etiam Ioannes Cochlæus tunc Moguntiæ existens, collectas dissuadendi rationes quamplurimas ad eos misit. Quibus omnibus contemptis Bernates, factâ uti libuit Disputatione, judicârunt decem suos articulos rectè probatos: novámque instituerunt Reformationem de non obediendo ampliùs Episcopis, de abolendâ Missâ, de altaribus & sacris imaginibus demoliendis, de cæteris omnibus Catholicis ritibus abrogandis. Quoniam verò in Disputatione coram Laïcis Theutonicè & loquendum & scribendum fuit; Theutonicè quoque reprobaverunt, Ioannes Eckius Disputationem, & Ioannes Cochlæus reformationem. Constantienses autem, Genevenses, Argentinenses, aliíque non pauci è vicinis, Bernatium secuti sunt reformationem in abolendis ceremoniis, & diruendis aris & imaginibus.

[t] Suprà an. 1526. XVI.

ABROGATUR OMNIS CULTUS CATHOLICUS.

XI. LUTHERUS SCRIBIT CONTRA ZUINGL. ET ANABAPT.

Vt autem Lutherus animadvertit Zuinglium & Oecolampadium in dies magis invalescere, librum scripsit hoc eodem anno contra utrumque, titulo *Confessionis Lutheri de Cœnâ Christi*. In quo etiam de plerisque aliis Christianæ fidei capitibus sententiam suam breviter declarat. Supra modum autem inclementer accipiens adversarios, non aliter cum ipsis agit, quàm si mancipia essent malignorum spirituum, quorum animos, linguam, calamum sathan ipse dirigeret ac moderaretur. Responderunt verò mox ei iidem Zuinglius & Oecolampadius separatim. Itémque Bucerus edito Sebaldi & Arbogasti Dialogo, Luthero non planè edentulum se ostendit. Hócque pariter anno Lutherus scripsit Theutonicè contra Anabaptistas, eò quòd malè audiret propter tam graves inva-

lescen

lescentes sectas, quarum ipse prima origo esset. Ita tamen, ut quamvis eorum rationes dilueret, quereretur nihilominùs injuriam fieri miseris, cùm variis suppliciis afficerentur; quoniam permittendum cuilibet esset quod liberet credere: satísque habituros supplicij in inferno qui non rectè credunt. Dignum autem memoratu, quòd dum primam Anabaptistarum rationem examinat, quâ baptismum parvulorum rejiciebant, nequid haberent commune cum Romanâ Ecclesiâ; eodem argumento & Scripturam sacram, & alia bona quamplurima rejicienda forè disputat præter morem suum Ecclesiam Romanam & Papatum mirificè commendans. Se enim fateri ait, sub Papatu multa esse bona Christiana; immò omnia bona Christiana, atque inde etiam ad ipsos defluxisse: veram scilicèt Scripturam, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras Claves ad remittenda peccata, verum prædicandi officium, verum Catechismum, veluti Orationem Dominicam, ac Decem præcepta, & articulos Fidei: immò veram illic esse Ecclesiam, adeóque nucleum & medullam Christianismi, ac multos justitiâ & sanctitate conspicuos homines. Ita ibi ille: Sed quàm contraria sæpiùs alibi! Tanta erat illius hominis dictorum factorúmque pro tempore inconstantia & varietas. De cujus aliis scriptis & gestis hujus anni, plura reperiet qui voluerit apud Cochlæum & Vlembergium, qui diligenter quæ ejus sunt tractarunt in Actis & Vitâ ejus.

Mirifice commendat Ecclesiam. Rom.

XII. Anabaptistæ plectuntur.

De Anabaptistis verò, quos nunc exagitavit, multa etiam quæ ad hunc annum pertinent, de eorum progressibus, atque suppliciis, (ut nimirum erant & in seducendis populis industrij, & ob seditiones & scelera Magistratibus invisi) refert Meshovius in eorum Historia. Atque inter cæteros de quodam *Ludovico Hetzero*, qui cùm turbas Bernæ civisset, timens sibi à Magistratu, Constantiam abiit: ubi rursùm agnitus, & in carcerem conjectus, fuit demùm capitis supplicio affectus: non tamen, ut ferebatur, propter defensionem Anabaptismi; sed propter uxorum copiam, quas viginti quatuor fuisse præter innuptas puellas dicebant, quibus ad explendam libidinem abutebatur, quódque turpitudines istas Scripturæ testimoniis seu licitas tueri conatus fuisset. Fuit autem homo trium linguarum peritissimus; sed multis propriis erroribus, præter communes cum cæteris, infamis, & in iis asserendis varius & lubricus: Clavem Davidicam, Scholam Christi, & Viam Crucis prædicans & commendans, sine quibus nihil rectum, nihil verum, in Scripturis inveniri posset, & quas nihilominùs ipse nequaquàm servaret.

XIII. Aliíque variis locis hæretici.

Fuêre & aliis diversis locis alij quoque hæretici supplicio affecti. Puta Leodij diligentiâ Episcopi Erardi [u] Markani S.R.E. Cardinalis, sacerdos quidam advena Gallus, ob pertinacem hęresis propugnationem, flammis traditus est. Alius quidam Henricus Tornaci [x] ob hæresim pariter combustus, sequenti nocte sociis in carcere totus ardens apparuit: illísque præ timore clamantibus, nunciavit, nisi ab errore cessarent, perituros in æternum cum ipso. Testis quoque Erasmus [y] epistolâ ad prædictum Erardum Episcopum hoc eodem anno Basileâ Calendis Octobris scriptâ, repentinæ pœnæ divinitùs in quemdam sacrilegum exertæ. Nempè cùm æditwus quidam rusticus præferens scriniolum plenum hostiis consecrandis, iter ageret cum altero comite rustico, qui quondam fuerat & ipse æditwus, & ambo in quodam vico diversoriũ ingressi essent bibendi causâ, comitem illum ab æditwo hostiam petiisse dono, cúmque accepisset, ac per ludibrium consecraret, collapsum esse mortuum.

[u] *Chapeavil. in Erar. cap 15.*
[x] *Masse. Chron. lib. 20.*
[y] *Ap. Chap. d. cap. 15.*

XIV. Puniuntur in Gallia.

Cùm autem pestis Lutheranæ hæresis inficere etiam Galliam cœpisset; & in conventu Parisiensi in fine anni superioris celebrato rogasset Cardinalis Borbonius nomine totius Cleri Regem, providere huic malo uti Regem Christianissimum decebat: non solùm promisit ipse verbis, sed etiam re executus est severis in eos promulgatis edictis, & suppliciis in eos irrogatis qui detecti essent hâc labe inquinati. Inter quos Parisiis quidam Iconomachus, quod B. Virginis Imagini caput truncasset, dignum sacrilegio supplicium tulit.

XV. Concil. Paris. contra hæreticos.

Antonius autem *à Prato* tituli S. Anastasiæ presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Senonensis, Galliarum & Germaniæ Primas, ac Franciæ Cancellarius, ut etiam sanctionibus Ecclesiasticis hæreticos reprimeret, celebravit hoc eodem anno mense Februarij ibidem *Parisiis* in Ecclesiâ Eremitarum Augustinianorum *Concilium* provinciale, unà cum sex Episcopis suffraganeis & septimi Vicario, quot tunc Senonensis provincia habebat. Cujus extant præclara Acta in Tomis [z] Conciliorum, & separatim etiam excusa. In quibus imprimis ostenditur, Lutherum, adversus cujus hæreses Concilium celebrabatur, veteres hæreses Simonis, Nicolai, Manichæi, Aërij, Macedonij, Vigilantij, Ioviniani, Pelagij, Waldonis, Wickleffi, Marsilij Patavini, Hussi, & aliorum ejusmodi hæreticorum, ab inferis resuscitasse. Additum deinde decretum Synodi: quo factâ in perversam ejusmodi doctrinam Lutheri invectione, excommunicatio pronunciata est in hæreticos omnes, qui aliter quàm Romana credit & prædicat Ecclesia aliquid pertinaciter assererent, eorúmque fautores, defensores, & receptatores; & quomodo cum iis seu laici, seu clerici fuerint, agendum esset distinctè explicatum est: omnia conventicula occulta & nocturna vetita: scripta quæcumque hæreticorum prohibita, qui ea legerint aut tenerent, excommunicationi subjecti. Adjuncta subinde sunt dogmata Catholica de Ecclesiæ & Conciliorum auctoritate; de Scripturâ & Traditionibus, de Iejuniis, Votis, Cælibatu; de Sacramentis, Sacrificio Missæ, Purgatorio; de Veneratione Sanctorum, & sacrarum Imaginum; de Libero Arbitrio, ac de fide, & Operibus. Itemque index plurimorum errorum olim damnatorum, & tunc repullulantium. Demúmque exhortatio ad Principes Christianos, ut elaborarent in hæresibus & hæreticis extirpandis. Additáque postremò quadraginta capita, seu decreta de Moribus & conversatione Clericorum in ecclesiis & rebus divinis. Egregium planè pietatis & doctrinæ monumentum, inter tot armorum seditiones, & hæreticorum depravationes.

[z] *Concil tom. ult. edit. olon.*

XVI. Miracula B. Virginis.

Quo eodem tempore, cùm Senone atque aliis urbibus & agris ignis sacri morbo laboraretur, ac multi extinguerentur; plurimos ad invocationem Beatissimæ Virginis ibidem Senone cultę sanitatem recuperasse, narrat Astulfus in Miraculis Beatæ Virginis: plura etiam recensens, quæ hoc eodem anno, sicuti & antecedentibus ac consequentibus & frequentissimè, imploratione Virginis Monserratensis facta sunt. Quemadmodùm & Tursellinus de Lauretanâ: cujus augustissima Domus cælato exquisitissimè marmore convestiri extrinsecùs sub Leone X. cœpta, sub Clemente grande augmentum accepit, non sine miraculorum exhibitione. Sed his non insistimus; quia nullus est Catholicus qui dubitet de potentiâ Matris-Dei in obtentione eorum quæ voluerit apud Deum, & misericordiâ ejusdem in subventione Christianorum, hæretici excæcati, etsi videant, non tamen credunt. Verè qui eam matrem non habet, nequaquàm Deum patrem habere potest.

XVII. [a] Surius in commentar. Chron. Helvet. Tres Soles visi.

Hoc anno tres visi dicuntur [a] Soles in Helvetiâ, cum totidem halonibus. Qui fortè magis tres gravissimas pestes ibi grassantes, Lutheranorum, Sacramentariorum, & Anabaptistarum, quas ipsi ut Soles orientes venerabantur, significare quis dixerit; quàm quòd alij interpretantur, famem quæ paulò pòst eam regionem vehementissimè afflixit.

Iesu Christi Annus 1529.

Clementis VII. An. 6.

Caroli V. An. 11.

I. Agitur de pace inter Principes. [a] Guicc. l. 19.

Anno Christi 1529. Indictione secundâ, lux fulsit pacis, quæ primùm inter Clementem Pontificem & Carolum Cęsarem, deinde inter eumdem Cæsarem & Franciscum Galliæ Regem icta est. Modum & conditiones describit Guicciardinus [a]. Postquàm igitur adhuc in Insubriâ & regno Neapolitano certatum nonnihil fuit inter Hispanos & Gallos, cum majori & internecino penè Gallorum damno, solitis suis inconsiderantiis hostium vigilantiæ occasiones præbentium ipsos vincendi, cernens Pontifex res Cæsaris prosperiores, animum diù anteà dubium in ejus partes omninò inclinavit: ut semper mos fuit & Pontificum, ac ceterorum Italorum, per se debiliorum quàm ut potentiæ extraneorum sustinendæ sint, valentioribus inhærere; nullâ curâ priorum fœderum, quibus dissolvendis nunquam defuêre speciosi prætextus. Idque eo propensiùs Clemens tunc egit, quo non solùm memor pristinorum malorum fortunam Cæsaris magnoperè metuebat, verùm etiam illum faciliùs quàm Galliæ Regem ad suos Mediceos qui Florentiâ pulsi fuerant, in eam urbem reducendos stabiliendósque, inducere posse sperabat. Misso igitur Vasionensi Episcopo domus suæ Magistro ad Cæsarem, interim ut omnem offensionis causam tolleret, Franciscum Campanam in Angliam ad Cardinalem Campegium, in causâ divortij Regis Henrici cum Catharinâ Cæsaris materterâ judicem delegatum, misit, cum mandato ut bullam divortij, quam ei dedisse vidimus, igni traderet. Quod & ille fecit. Extátque inter Literas [b] Principum, epistola Ioan. Bapt. Sangæ, qui erat Pontifici ab epistolis, ad eumdem Cardinalem Campegium, de prolongando Regis negotio, & ne ullo pacto ad ejus judicium deveniret. Vbi etiam dicitur, oratores Cæsaris & Regis Hungariæ protestationem eâ de re fecisse ad Pontificem. Hoc igitur metu liberatus Pontifex, summâ cum Regis Angliæ indignatione, eam causam Romam evocavit; cùm etiam Catharina Regina omninò recusans respondere coram Iudicibus delegatis, uti suspectis, & à Rege petitis, eodem videlicèt Campegio, & Volsæo ad Pontificem, provocasset. Sed de his posteà.

[b] Epist. Princ. vol. 2.

Clemens evocat ad se causam divortii Regis Angliæ.

II. Pax inter Pontif. et Cæsar.

Cùm igitur per Gallorum clades, arma ferè per totam Italiam posita essent, majorum Principum mentibus ad pacem conversis; omnium prima inter Pontificem & Cæsarem Barcinone in Cataloniâ ad finem Iunij facta est amplis conditionibus Pontifici commodissima; sive quòd Cæsar in Italiam eundi cupidissimus, sibi eâ in re Pontificis amicitiam necessariam esse existimaret; sive quòd injurias à ministris suis ei illatas obliterandi majorem causam præbere vellet. Præcipuæ autem fuêre, ut Cæsar Alexandro Medici Margaritam filiam suam notham desponderet, eúmque Florentiam cum eâdem auctoritate quam majores ipsius obtinebant reduceret: urbes Ecclesiastici juris Pontifici restitui curaret: Pontifex verò iis recuperatis, Cæsari accepti beneficij gratiâ, regni Neapolitani jura concederet, cum censu unius tantummodò equi albi: & viginti quatuor Ecclesiarum cathedralium de quibus controvertebatur, nominationem ei concederet, in reliquas jus suum Pontifex retineret: De Francisci Sfortiæ causâ inter ipsos, cùm Cæsar in Italiam venisset tractaretur; & si culpâ careret, principatum reciperet; sin secùs, Cæsar, quamvis de eo principatu statuendi jus penes ipsum esset, de eo tamen cum Pontificis consilio & assensu statueret: Vt Pontifex ad propulsandos Turcos quartam partem fructuum ecclesiasticorum Cæsari, ejusque fratri Ferdinando concederet: & omnibus qui in ipsum sive directè sive indirectè deliquissent, & quæ in eum commissa fuissent rata quoquo modo habuissent, veniam largiretur.

III. Et inter Cæs. et Regem Franç.

Nec multis pòst diebus mense Iulij Cameraci convenientes Margarita Cæsaris amita Belgij procuratrix, & Aloisia Regis Galliæ mater, præsentibus etiam Clementis Pontificis, Regis Angliæ, Venetorum, aliorúmque sociorum Italorum delegatis; post longas disceptationes, quintâ Augusti pax promulgata est: quâ cautum fuit, ut filij Regis dimitterentur, ac pro eorũ redemptione Rex vicies centena millia aureorum Cæsari, seu ejus nomine Regi Angliæ persolveret: omnia quæ in Insubriâ & regno Neapolitano adhuc detinebat restitueret: supremo Flandriæ atque Artesiæ dominio cederet. Borbonij proscriptionem aboleret, ac bona ejus successoribus, aliáque belli causâ occupata aliis restitueret: Burgundiæ autem Ducatus in ejus potestate permaneret, nec à coronâ avelleretur. Refert hæc

præcipua capita Guicciardinus. Fuere verò pleraque alia satis Regi, eiúsque successoribus ac regno onerosa, atque detrimentosa; quæ continentur in pacis Instrumento tunc confecto, quod extat [c]. Ab hâc autem pace *Ludovicus Guicciardinus*, Franciscum gentilem suum æmulatus, accuratos suos, licet breviores commentarios, seu Annales de Rebus memorabilibus, quæ in Europâ, maximè verò in Belgio, ab hoc anno usque ad ejusdem sæculi sexagesimum evenerunt, orsus est: quos linguâ Italicâ ab eo conscriptos Kerckovius in Latinam juvenili stylo transtulit.

[c] Ap. Bellefor. lib. 6. cap. 44.

IV. Cæsar Italiam petit.

Intereà Cæsar Barcinone in Italiam navigans cum magnâ classe, quâ mille equites & novem peditum millia vehebantur, Genuam appulit duodecimo Augusti. Eodemque tempore Felix Wintembergus Germanus cum octo Germanorum peditum millibus in Insubriam ad ejus stipendia venit. Ad cujus cum tantis copiis adventum (præter illas quas jam in Italiâ habebat) territis omnibus qui cum Rege Galliæ fœderati fuerant, à quo jam per pacem Cameracensem desertos se videbant; nihilominùs cùm Cæsar progressu temporis majores in rebus difficultates quàm sibi in Hispaniâ proposuerat inveniret; & ob Turcorum in Austriam impressiones, atque Lutheranorum seditiones, in Germaniam vocaretur: post multos demùm tractatus agitatos, maximéque post congressum cum Clemēte Pontifice Bononiæ factum, (quò rogatu Cæsaris Pontifex ineunte Octobri Româ iter arripuit, & die vigesimo quarto mensis pervenit, illúmque die quintâ Novembris honorificentissimè suscepit) ab eo ad concordiam ceterorum valdè excitatus, & Francisco Sfortiæ principatum Mediolanensem non levibus conditionibus restituit; & cum Venetis, aliísque omnibus ingenti pecuniâ, quâ maximè indigebat, concordavit: solis exceptis Florentinis, qui quòd Pontifici & Mediceis subjici recusarent, obsessi fuere ab exercitibus Pontificis & Cæsaris. Quæ uti se habuerint, accuratissimè suo modo Franciscus Guicciardinus [d] describit: at rerum Florentinarum ejus temporis statum, & Cæsaris Bononiæ triumphalem receptionem, luculentissimè Iovius [e]. Sfortiæ verò restitutionem *Galeatius Capella*, qui octo libris res gestas pro ejus restitutione, hoc est quicquid bellorum totâ Italiâ factum fuit, ab anno 1521. usque ad præsentem, eleganter complexus est ad eumdem ipsum Franciscum Sfortiam: non abs re observans in dedicatoriâ epistolâ, adeò justam causam Sfortiæ effectam esse apud omnes Europæ Principes, ut non solùm Summus Pontifex, Angliæ Rex, Veneta & Florentina Respub. sed ipse etiam Galliarum Rex anteà infensissimus, arma ejus defensionis causâ magnâ cum suorum jacturâ, & sumptu propè incredili, sumere non abnuerint.

Congreditur Bononiæ cum Pontif.

[d] Guicc. lib. 19.

[e] Iov. Hist. lib. 27.

V. Decretū Clementis de electione Pontificis eo mortuo.

Incertus Clemens de itineris sui exitu, (ut est hora mortis incertissima) antequàm ab Vrbe recederet, pridie Nonas Octobris decretum [f] fecit, quo declaravit, se Literarum Apostolicarum & Causarum Audientiam in eâ relinquere, ad effectum ut si ante reditum suum, ipsum mori contingeret, electio successoris ibidem Romæ, non in loco mortis, aut ullo alio fieri deberet, nisi fortè Vrbs ipsa tunc interdicto subjaceret, vel esset apertè rebellis aut inibi de impressione dubitaretur: túncque fieret aut in Civitate Castellanâ, vel in Vrbevetanâ, aut Perusinâ: electionem alioquocumque loco factam, nullam & irritam fore. Quod ipsum etiam posteà confirmavit [g] cum eundum fuit Massiliam anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio ad congressum cum Francisco Rege Galliæ.

[f] Ext. Bull. tom. 1. Clem. VII. const. 26.

[g] Ibid.

VI. Rex Angliæ commovetur in Cardin. Volsæū.

Quod verò superiùs attigimus de Regis Angliæ divortio, Lutheranorum seditionibus, & Turcorum expeditione; ut singula breviter tractemus, imprimis ubi Rex Angliæ percepit Campegium Cardinalem bullam divortij incendisse, nec se aliquid apud Iudices pro dissolutione matrimonij proficere, obstante Reginæ appellatione ad Pontificem, quam in judicio fecit, cùm quinto [h] Calend. Iunias tam Rex quàm Regina sese coram Iudicibus delegatis Campegio & Volsæo stitissent: his Rex vehementer indignatus, omnem iracundiæ [i] vim in Volsæum effudit, tanquam per illum solum stetisset, quò minùs negotium confectum esset. Nam & scribit Sleidanus k, comperisse Regem, Volsæum monuisse Pontificem, ne divortium cum Catharinâ Reginâ approbaret, quòd successuram videret aliam (nempe Annam Bolenam) Lutheranâ hæresi infectam. Nec hoc tantùm, verùm etiam scribunt alij [l]; eundem Volsæum omninò pœnituisse cœptæ collocutionis de divortio, tamquam temerariæ & nimis audacis. Mox autem ut ab eo Rex alienatum se ostendit, nec de more in conspectum suum admittere voluit; idem calumniis obtrectatorum & invidorum obrutus, primum dignitate Cancellarij exutus est, deinde in Ecclesiam suam Eboracensem relegatus: plus apud Regem ponderis habentibus obtrectatorum accusationibus, quàm laborum recordatione, & tot annorum fideli obsequio, ad magnam utriusque gloriam diligentissimè præstito: cùm ita totos viginti annos in eo absumpsisset, ut sibi magnam sanè potentiam & opes fortè nimias, Regi verò optimi clarissimíque Principis famam comparasset. Quamvis enim à compluribus impotentis superbiæ, fraudum, rapinarum, & aliorum ejusmodi vitiorum accusatus reperiatur; qui tamen recto examine perpenderunt, quantâ cum laude Rempublicam Rex hactenùs administrasset, & in quātas deinceps calamitates & se & regnum præcipitaverit; unius Volsæi consiliis adscripserunt, quòd illum omnes Europæ Monarchæ huc usque suspexissent, ne dicam metuissent: víxque futurum existimant, si Volsæus diutiùs ad regni gubernacula sedisset, tam contrariis & incertis motibus illud fluctuaturum fuisse; nec Regem Religionem Catholicam abdicaturum, duas uxores necaturum, duas alias repudiaturum, tot insignes viros ob Religionis causam sublaturum, & Ecclesiæ patrimonium tam horribiliter dilapidaturum. Variis autem modis post hæc exagitatus, & penè ad egestatem redactus, cùm Eboraco Londinum reduceretur ad læsæ majestatis causam dicendam, in itinere mortuus est jam sexagenarius ex dysenteriâ, in cœnobio Lecestren-

[h] Sander. de Schism. lib. 1.

[i] Guicciard. lib. 19.

[k] Sleid. lib. 9.

[l] Goduin. in Præsul. Angl. in Archiep. Ebor. n. 57.

Volsæus pellitur:

Et moritur.

si ad finem Novembris anni proximi; ibidémque sepultus est: Rege in exitu per virum ad se ab eo missum monito, ut examinis coram summo tribunali olim subeundi memor viveret: ita enim futurum, ut noxæ quam ei impingerent adversarij, secreto conscientiæ suæ testimonio ipsum eximeret. Exemplum memorabile, ut ipsemet tunc dixit, quo singuli doceantur quàm lubrico loco stetur in hoc mundo ab iis, qui Dei super omnia bonitati ac providentiæ tanquam baculo firmissimo non innituntur. Quæ in commentario De Præsulibus Ecclesiæ Anglicanæ, quamvis auctoris [m] hæretici, narrantur in non exilem Volsæi laudem: cùm in Schismate Anglicano scriptoris [n] Catholici, sequiori animo non sine sugillatione miseri & miserandi hominis recensentur.

[m] Goduin. ibid. [n] Sand. de Schism. l. 1.

VII. Cùm igitur Rex animadverteret, omnes Theologos & Iuris Pontificij professores in eo convenire, quòd matrimonium cum Catharinâ nullum fuisset nisi intercessisset Iulij II. dispensatio; omnes nervos in Iulij dispensatione infirmandâ intendit. Quod quidem ipsius procuratores ex multis capitibus [o] contenderunt: Reginæ verè procuratores plurimis rationibus ea dissolverunt, & dispensationi nihil omninò defuisse, quin ritè, & post habitam omnium difficultatum perfectam cognitionem, data & accepta fuisset, verè ostenderunt. Erant enim Reginæ Advocati, totius Angliæ viri optimi & eruditissimi; Guillelmus Warhamus Archiepiscopus Cantuariensis, & quinque Episcopi Cuthbertus Tonstallus tunc Londinensis posteà Dunelmensis, Nicolaus Westus Eliensis, Ioannes Clerkus Bathonensis, Ioannes Fisherus Roffensis, Henricus Standishius Asaphensis, cum aliquot aliis Theologis. Quorum singuli libellos conscripserunt, & Iudicibus Cardinalibus obtulerunt pro defensione matrimonij. Campegius autem variis artibus rem protrahens, deinde à Pontifice revocatus, rem imperfectam reliquit, & Romam rediit. Túncque demùm Rex omni spe excidens, omnem iram suam in Volsæum effudit & in ordinem, ut diximus, redegit: creato in ejus locum regni Cancellario *Thomâ Moro*, insignis eruditionis & prudentiæ viro, cum speraret Rex eo beneficio ad partes suas eum trahere, qui pro innocentiâ Reginæ ejúsque matrimonij stabat. Qui & insuper per universam Galliam, Italiam & Germaniam, homines doctos, & Vniversitates precibus & muneribus sollicitans ut divortium probarent, tanquam esset ejusmodi matrimonium jure divino vetitum, ac proinde indispensabile: effecit quidem ut non pauca ex illis pro se testimonia acceperit; sed minimè ut non magis pecuniarum corruptione emendicata, quàm liberâ & sincerâ voluntate data existimata fuerint: permultis aliis ex omnibus regnis & nationibus pro matrimonio perstantibus: maximéque in ipsâ Angliâ; ubi inter alios *Reginaldus Polus* Regi tam paterno quàm materno genere propinquus, Regique maximè charus, juvenis egregiæ expectationis, & literis atque pietate optimè excultus, omninò recusavit Regi assentiri; periculum inde mortis, etiam à propria manu

[o] Rec. Sand. ibid. cum responsi Reginæ: narratque fusè quæ hic breviter tanguntur.

ADVOCATI REGINÆ PRO MATRIMONIO.

THOMAS MORUS FIT CANCELLARIUS ANGLIÆ.

VARIÆ PER ORBEM CONSULTATIONES DE MATRIMONIO.

Regis incurrens. Quæ omnia pluribus Sanderus [p] prosequitur. Quid porrò consecutum sit, dicetur posteà.

[p] Sand. d. lib. 1.

VIII. Fuerat [q] Conventus Imperij in hunc annum, mensémque Februarij, indictus Spiræ celebrandus, ad deliberandum de bello contra Turcos, déque remedio aliquo afferendo innovationi Religionis, & multiplicitati Sectarum, ex quibus novæ in dies oriebantur turbæ & dissentiones. Sicuti eodem mense Februarij contigit Basileæ: ubi cùm qui reliqui erant Catholici concionatores, novitates religionis carperent; factâ hæreticorum commotione, templa omnia invasa sunt, & imagines sacræ deturbatæ ac publicè combustæ: Missa abolita, & omnes reliquiæ Catholicismi extirpatæ. Quo sacrilegio provocati Lucernates, & Reliqui Pagi seu Cantones Catholici, arma pro defensione Religionis Catholicæ induentes, expeditionem contra Basileenses parabant; nisi Ferdinandus Rex Hungariæ & Boëmiæ frater Caroli Cæsaris, cum Principibus, decreto lato præscripsissent. Quemadmodùm & factum est cum Tigurinis & Bernatibus hæreticis, qui viribus suis fisi, Catholicis quibusdam Cantonibus vim inferre nitebantur. Argentinenses quoque, nequicquam renitente Episcopo, & aliis, ad res novandas animum adjecerunt, Zuinglio inhærentes. Atque ita alij post alios (ne singulis immoremur) passim in Germaniâ in diversas sectas prolapsi, atque execrabilibus & stultissimis pudendâ levitate erroribus corrumpi se passi, cæteris nationibus se affatim irridendos propinârunt. Quo tempore Erasmus [r] Basileâ relictâ, Friburgum Brisgoiæ oppidum ditionis Ferdinandi commigravit, vitandæ suspicionis causâ, ne putaretur illa probare quæ Basileæ tunc agebantur. Scripsítque paulò pòst libellum contra illos qui se falsò jactabant Evangelicos; quos satis acriter exagitavit. Et diversis scriptis epistolis [s] carpsit vehementer mutationem Religionis Basileæ factam.

[q] Quæ sequuntur desumpta sunt ex Pontan. l. 2. Rer. memorabil. Cochl. & Vlemberg. in Act. & Vit. Luther Sleid. lib. 6. Sur. in commentar. & ex Constit. Imper.

TURBÆ DE RELIGIONE IN HELVETIA.

ERASMUS DESERIT BASILEAM.

[r] Erasm. 23 ep. 12.

[s] Id. 19. ep. 32. & 37.

IX. Fuit ibidem Argentinæ *Sebastianus Francus*, vir quidem eruditus, & in conscribendis Historiis assiduus, at in religione atheus seu paganus, ut ex vasto illo Tripartitæ suæ Historiæ volumine Theutonico, & in paradoxis maximè, intelligitur; dum absurdissimas quasque hæreses congerendo, omnes amplectitur; peccata omnia paria faciens, & Pontificiorum, Lutheranorum, aliorúmque unam esse Ecclesiam dictitans, sacramenta ac ceremonias nihili pendens. Familiam verò inter Anabaptistas ducens, ne tamen pelleretur, hæreses ipsorum & sectas distinctè recensuit; ac subinde liberiùs dissidentium errores perstringens, ultra quadringinta quatuor sectas inter eos vigere, primus inter Anabaptistas memoriæ prodidit. Detectus tamen, Argentinâ pulsus fuit; ejúsque grande opus prohibitum. Sicut passim in præcipuis superioris Germaniæ civitatibus agi consueverat cum pestiferæ hujus sectæ asseclis; nimirùm ut pellerentur, & si migrare nollent, gladio aut igne delerentur. Mirúmque sanè videri possit, homines etiam doctos ejusmodi deliriis & spurcitiis animum applicare potuisse. Fuit enim etiam hoc eodem tempore *Ioannes Denchius*

SEBAST. FRANCI HISTORIA.

ANABAPTISTÆ EXAGITANTUR.

Theologus eruditissimus, & trium linguarum peritissimus, ac scriptis clarus: quem Anabaptistæ apud Noricos tanti fecerunt, ut Episcopum sibi delegerint. Fovit autem peculiares quosdam errores; ut fiebat in tanta sectarum ipsorum diversitate. Demúmque Norimbergâ Basileam abiens, ibi peste extinctus est; revocatis tamen priùs erroribus, quos publico libello evulgavit. In prædictis autem Comitiis Spirensibus promulgatum est nomine Cæsaris die vigesimo tertio Aprilis severum in omnes Anabaptistas edictum [t], quo supplicium ignis, gladij, aut similium pœnarum, pro meritis personarum statutum est.

[t] *Ext. ap. Goldast. Constit. Imp. tom. 2.*

X. DECRETŪ DE RELIGIONE.

[u] *Ext. ibid. tom. 3.*

De ceteris autem novationibus in Religione factis, cùm essent animi Principum & Civitatum vehementer in iis distracti; post multam disceptationem, statutum [u] est eodem mense Aprilis eo Conventu Spirensi, à Ferdinando & majori Principum ac civitatum parte, ut ubi hactenùs decretum Cæsaris Wormatiæ contra hæreticos editum, observatum fuisset, deinceps quoque servaretur, nihil ampliùs ullibi à Novatoribus inveheretur, donec fieret Concilium universale; Missa nusquam abrogaretur; nullibi admitteretur novum dogma Sacramentariorum de Ecclesia. Cui decreto cùm Ioannes Elector Saxoniæ, Georgius Brandeburgicus, Philippus Landgravius Hassiæ, fratres Luneburgici, aliique nonnulli Principes, palàm reclamarent, in consessu publico protestati sunt se huic decreto minimè assentiri. Vnde & PROTESTANTES sunt appellati: quod nomen postea ad universam Sectam transiit. Appellationem autem interposuerunt ad Cæsarem, ad futurum Oecumenicum, vel Germanicæ Nationis legitimum Concilium; ad omnes denique non suspectos Iudices. Eique Protestationi multæ primi nominis civitates, Argentina, Norimberga, Vlma, Constantia, aliæque se conjunxerunt. Ita tamen inter se consentientes, ut Principes magis Luthero, civitates Zuinglio adhærerent.

PROTESTANTES UNDE DICTI.

XI. COLLOQUIUM MARPURG. INTER LUTHERUM ET ZUINGLIUM.

Quorum divisiones cum qui prudentiores inter illos erant tolli cuperent, Landgravius è Conventu Spirensi domum reversus, id sollicitè curavit, ut Lutherus & Zuinglius invicem se viderent *Marpurgi*; Lutherum comitantibus Philippo Melancthone, Iusto Ionâ, Andreâ Osiandro, Ioanne Brentio, & Stephano Agricolâ; Zuinglium Ioanne Oecolampadio, Martino Bucero, & Gaspare Hedione. Disputatione de Cœnâ Domini (nempè Eucharistiâ, cujus præcipuè de causâ congregati erant) triduo factâ ad principium Octobris, cùm neuter alteri cederet, sed uterque in suâ sententiâ rigidè perstaret: rogarunt nihilominùs Helvetij Lutherum enixissimè, ut se pro fratribus agnosceret, id etiam profusis lacrymis Zuinglio postulante: sed Lutherus prorsus abnuit, improperans etiam quòd eos vellent pro fratribus agnoscere, quorum doctrinam velut impiam condemnarent: ex eo nimirum colligi, quam non haberent cordi causam suam, quamque parum illi fiderent. Ne tamen in hoc conventu nihil actum videretur, capita quatuordecim de aliis quæstionibus divulganda censuerunt, utriusque partis subscriptione firmata, de quibus se testantur in eandem sententiam coaluisse. Fuitque id genus quoddam Concordiæ discordis. Quòd verò Sacramentarij Lutherum a Zuinglio rationibus superatum dictitarent; Lutherus anno sequenti ex alio conventu Coburgensi, historiam rei gestæ in confusionem Sacramentariorum ad Præpositum Bremensem breviter conscripsit: & illos multa e suis dogmatibus revocasse, se nihil, asserit: concessisse verò tantum, ut quamvis pro fratribus eos habere non posset, charitate tamen, quæ etiam hostibus debetur, non privaret. Protestantes autem Principes & Ordines, mense Novembri *Smalcaldiæ* Conventum agentes, ibi primùm proposuerunt quæstionem de mutuo fœdere adversus suæ religionis hostes vim ipsis illaturos.

LUTHERUS RENUIT ZUINGLIŪ IN FRATREM AGNOSCERE.

XII. LUTHERI LIBER DE BELLO TURC.

Quo item anno Lutherus libellum scribens de Bello contra Turcos, ita illud suasit contra quam olim scripserat, ut magis dissuadere videatur. Vnde nonnulli collegerunt, habuisse ipsum in optatis, ut Turci Germaniam occuparent, quò deinde Italiam invadentes Pontificem de solio deturbarent, quasi scilicèt Romá destructa, aut Italiâ occupata, cessare deberet Romana Ecclesia, aut Fides Catholica. Res autem Turcorum in Hungaria & Germaniá ita se habuerunt hoc anno: ut cùm Ioannes Vaivoda [x] Regem Hungariæ in schismate adversus Ferdinandum Austrium agens, ab eo pulsus, Solimano Turcorum Imperatori per Hieronymum Lascum Palatinum Siradiendem ad eum missum obtulisset annuum tributum pro regno Hungariæ, si ab illo ei restitueretur, seque beneficiarium ac clientem perpetuo futurum: Solimanus conditione acceptá, cum numerosissimo exercitu in Hungariam venerit; obvium habens Ioannem, qui gratiis actis de suis clientelá suscepta, dextræ osculo eum patronum ac vindicem libertatis suæ agnovit. Primum verò Solimanus civitates, Quinqueecclesiensem, Albam, regalem, Pestensem, aliásque multas sese sponte dedentes recepit; deinde Budam, ejusque arcem (dedentibus se pariter militibus contra ducis voluntatem, quos propterea Solimanus neci dedit, ducem honoravit) in potestatem accepit: ac subinde Strigonio, Altenburgo, aliisque oppidis & munitissimis castellis ad Danubium sitis, sese similiter ei dedentibus; Viennam Austriæ die vigesimo-sexto Septembris obsidione terrâ & aqua cinxit, ac multis diebus gravissimè oppugnavit. Sed illa, forti propugnatione Philippi Palatini Rheni, Nicolai Comitis Salmensis, Guillelmi Rogendorfi, & aliorum generosorum ducum defensa, soluta est obsidio decimoquarto Octobris: quá die Solimanus abiit, amissis illic circiter sexaginta millibus hominum ex ducentis millibus quos adduxerat: (utrumque numerum alij valde augent, alijque valde minuunt:) & præter ingentem prædam, captivis abductis, aut fœde cæsis, totidem aut ampliùs miseris Christianis ex jis regionibus. Extátque [y] brevis Historia hujus obsidionis auctoris innominati, aliaque Ioannis [z] Rami; rursúmque alia prolixior ambitioso stylo conscripta à Melchiore Soitero [a] Iurisconsulto: ac denique luculenta narratio Nicolai Isthuanffij [b]

[x] *Vid. supr. an. 1526. XIII.*

SOLIMANI EXPEDITIO IN HUNGARIAM.

[y] *Ap. Schard. tom. 2. Oper. Histor. & ap Leuncla. post Pandect. Turc.*
[z] *Tom. Rer. Turc. post Chalcondyl.*
[a] *Ext. d. to. 2. & tom. Rer. Hungar. & to. Rer. Turc.*
[b] *Isthuanff. lib. 10.*

in Historiâ Hungaricâ. Ex quibus intelligitur, Fridericum, quoque Palatinum Rheni, prædicti Philippi patruum, copias collegisse in auxilium Viennæ; sed impedimentis nonnullis præpeditum haud potuisse eò accedere priusquam Solimanus abiisset: ejus autem adventum Viennæ damnosiorem penè fuisse quàm Solimani, ob seditiones militum quos secum adduxerat. Causæ verò recessûs Solimani recensentur, penuria commeatûs pro tanto exercitu; cæli immitioris inclementia appetente hieme, tantáque jam nive decidente ut ad genu usque pertingeret, quam nec homines nec jumenta ferre possent; ac denique nuncij de Imperij per Fridericum auxiliis, & delectu Ferdinandi Regis. Quibus necessitatibus coactus Solimanus, magnis itineribus fugienti similis Budam rediit: ibíque relicto Ioanne Vaivodâ in Thraciam reversus est, minatus se cum multò majoribus & instructioribus copiis proximo vere rediturum. Quod tamen non fecit, nisi triennio post.

XIII. SUDOR ANGLICUS.

Hujus anni autumno pestilens morbus de improviso totam penè Germaniam, præcipuè verò Inferiorem, ac Belgium invasit, quo plurima mortalium millia sublata sunt: quem vel à notarum indicio vel potiùs ab efficientiâ, *Sudorem*, & quòd primum olim in Angliâ visus fuisset, (ut suo loco vidimus) *Anglicum* vocitârunt. Describit illum pleniùs Ludovicus [c] Guicciardinus; & medicos memorat, qui utiles de eo libellos conscripserunt. Miræus [d] autem narrat, cùm Antuerpiæ (ubi tridui spatio circiter quingentos eâ lue extinctos esse, Erasmus quâdam [e] epistolâ scribit) solemnis supplicatio ad implorandum divinum auxilium facta fuisset ipso die Sancti Michaëlis, subitò malum serpere desiisse: atque in ejus beneficij memoriam deinceps Antuerpienses quotannis simili die solemnem celebrare supplicationem. Idque ipsum Oliverius [f] contigisse Senonis ad invocationem Beatæ Virginis scribit. Fuisséque hunc morbum, qui in Angliâ ortum olim habuit, prænuncium hæreticæ pestis, quæ regnum Anglicum erat paulò pòst infectura, Genebrardus [g] existimavit. Simul autem gravissimâ annonæ caritate eandem Germaniam hoc eodem anno afflictam fuisse, præter bella ac seditiones, quas diximus, auctores narrant. Ita namque Dominus novis in dies emergentibus hæresum ac scelerum portentis, nova adhibuit flagella; quibus tamen indurati ad malum homines deteriores magis quàm meliores effecti sunt.

[c] *Lud. Guicc. Rer. Belg. lib. 1.*
[d] *Mir. in Chron.*
[d] *Eras. Epist. lib. 26.*
[f] *Oliv. in Mirac. B. Virg.*
[g] *Genebr. Chronol. lib. 4. sub Clem. VII.*

XIV. BERQUINI HÆRET. COMBUSTIO.

In Galliâ, Lutetiæ *Ludovicus Berquinus* Atrebas ob prædicationem hæresis exustus est decimo Calendas Maias, ut Erasmus [h] testatur scribens Calendis Iuliis. Ex quo Bezam [i] arguas, qui id contigisse ait die undecimo Novembris; ut excogitatam à se vindictam divinam astruat; quâ ait nocte secutâ in totâ Galliâ fruges omnes frigore perustas esse, & gravissimam tum famem tum etiam pestem consecutam. Hunc autem Berquinum multis laudibus cumulat Erasmus: Beza verò ait, Gallium fortasse alterum in eo Lutherum habituram fuisse, si qualem Lutherus Saxonum Ducem, talem iste Franciscum Regem nactus fuisset. A quâ igitur peste atque incendio liberavit tunc Deus Galliam? Reservatum erat hoc facinus filiato Calvino, ut arma regia corpore gerens majori applausu reciperetur.

[h] *Erasm. 24. epist. 4.*
[i] *Bez. in Icon.*

IESU CHRISTI Annus 1530.

CLEMENTIS VII. An. 7.

CAROLI V. An. 12.

I. CAROLUS V. CORONATUR BONONIÆ.

ANNO Christi millesimo quingentesimo trigesimo, Indictione tertiâ, universâ Italiâ pacata, (Florentiâ exceptâ, quæ obsidione à Pontificiis & Cæsarianis premebatur) cùm Pontifex & Cæsar Bononiâ Romam, inaugurandi Cæsaris gratiâ, locum ad eam solemnitatem, uti veteris Imperij sedem & sacrum Pontificum domicilium, se transferre decrevissent; literæ ex Germaniâ allatæ sunt, quibus Cæsar, ob plurimas Imperij necessitates, à Ferdinando fratre, Electoribus Imperij ceterísque Germaniæ Principibus, rogabatur eò se transferre. Quocircà ulteriùs progrediendi cogitatione depositâ, Bononiæ maximo concursu, sed parvâ pompâ & sumptu, (Cæsaris animo à superfluis impensis, mediocritate semper contento, alieno) coronam Imperatoriam accepit à Pontifice in festo Sancti Matthiæ, vigesimoquarto Februarij, die ipsi faustissimo, quo natus erat, & Franciscum Galliæ Regem prælio Ticinensi ceperat. Ita breviter Guicciardinus [a]. Pleniùs Iovius [b]; cùm de more fuisset veterum Cæsarum, ut Modoëtiæ prope Mediolanum Coronam ferream susciperent regni Longobardici, (primam enim argenteam Germanici regni, quam Caroli Magni fuisse dicunt, confestim post electionem, Aquisgrani accipere consueverunt; ceperátque illam hic Cæsar decennio antè:) priusquàm ultimâ aureâ Romani Imperij ornarentur: præstò adfuisse Bononiæ Modoëtiensium legatos, qui ad retinendam antiquæ prærogativæ dignitatem vetustissimi operis coronam, sine florentibus pinnis in simplicem & latum orbem circumductam, ferro introrsùs tempora præcingente, sed exteriùs auro & gemmis exornatam, detulerant, unà cum codicibus antiquitate pernobilibus: eáque Cæsarem biduo antè quàm tertiam acciperet, in sacello domestico, adstante Pontifice, post sacra peracta, & acceptam unctionem, decoratum esse, iisdem penè ceremoniis quibus auream posteà suscepit. Vt autem coronatio Imperialis in ipsâ Româ fieri videretur, fuisse in vastissimo templo Sancti Petronij Bononiæ omnia ad imaginem Vaticani Romani constituta; & novas sacellis appellationes impositas, ut ea singillatim ad veterem consuetudinem ex Pontificiis libris responderent. Adfuisséque insuper Romanos sacerdotes canonicos Sancti Petri, quibus sacra Vaticani templi sunt commendata; quíque ipsum Carolum ad ingressum ecclesiæ in canonicum ejusdem Basilicæ Sancti Petri receperunt. Ita Iovius. Cetera porrò, quòd ad præscriptum libri [c] Ritualis Coronationis Imperatoris gesta sint, ibi quisq; curiosus facilè poterit inve-

[a] *Guicc. lib. 20.*
[b] *Iov. lib. 27.*

QUALIS CORONA FERREA MODOETIÆ.

[c] *Vid. Victorel. Addit. ad Ciaccon. in Clem. VII.*

nire: præter illa quæ idem Iovius, & qui utramque hanc coronationem diligentiùs proprio commentario descripsit *Henricus Cornelius Agrippa*, memoriæ mandârunt.

II. RITUS CORONATIONIS.

Summa porrò sacrorum est; ut primùm Cæsar in verba ex Libris Pontificiis concepta, juret se Pontificiæ dignitatis ad Iurium Apostolicæ Sedis perpetuò futurum esse Defensorem & Advocatum: ac prætereà quatuor aurea Diplomata det, quibus libertates immunitates, prærogativæ, ditiones ac possessiones patrimonij Apostolici confirmentur, Pontifex autem Cæsari Romani Imperij signa tradit, solemni semper precatione adhibitâ, Sceptrum aureum, Ensem nudatum, Pomum aureum, Coronam auream bicipiti fastigio multísque adamantibus insignem; Romanúmque Imperatorem salutat. Peractis sacris, cùm equitandum de more esset per urbem, conscendenti equum Pontifici Imperator ad lævam pedes adstitit, uti auratam staffam sacrato pedi protinùs inducturus: sed pium Imperatoris obsequium Pontificis humanitas religiosáque modestia superavit; sicuti & quòd, cùm jam inscendisset equum Pontifex, apprehendens frenum Imperator, ductoris obsequium illi aliquot passus exhibere voluit, neque hoc Pontifex passus est. Conscendens autem equum & ipse Imperator, junctim equo uterque albo considentes, atque umbellam subeuntes processerunt miro & amplissimo comitatu. Medióque itinere separati ab invicem, Imperator ad Sanctum Dominicum, quasi ad Lateranensem Basilicam profectus, a Canonicis sancti Ioannis qui ex Vrbe Romà advenerant, qui Canonicum Lateranensem adscitus est initiatus ad id ceremoniis; ac deinde non paucos equestri dignitate donavit; demúmque domum abiit. De cujus utráque coronatione, Medoëtiensi videlicet & Romanâ, constitutionem [d] quoque Clemens edidit, quà quemcumque utriusque defectum supplevit; atque etiam ut regnum Neapolitanum unà cum Imperio retinere posset quoad viveret, de speciali dono gratiæ dispensavit.

[d] *Ext. Bull tom. 1. Clem. VII. const. 28.*

III.

Post hæc Imperator Bononiæ reliquis Italiæ negotiis procurandis usque ad vigesimumsecundum Martij moratus, eo die inde discessit; promisso à Pontifice accepto, assensurum se ut Concilium fieret, si ad Lutheranam sectam extirpandam utile fore animadverteretur. Cum quo etiam abiit Legatus Campegius Cardinalis, jam ab Angliâ redux. Ipseque in itinere Mantuæ Fridericum Gonzagam ex Marchione Ducem Mantuanum creavit. Pontifex autem ultimâ die ejusdem Martij Romanum iter repetiit, Florentinorum rebus in eodem statu permanentibus.

DUCATÛS MANTUANI ERECTIO.

Qui demùm post plura variáque certamina, (quorum uno Princeps Aurangius præcipuus post occisum Borbonium Vrbis Romæ expilationis dux, occisus est) extremâ commeatus penuriâ pressi, omnique divinâ humanáque ope destituti; post undecim ferè mensium obsidionem, nonâ die Augusti compositionem fecêre; quâ præter grandem auri summam in stipendia militum, Pontifici ac Cæsari potestas facta est statuendi quam vellent Reipublicæ administrandæ formam, salvâ tamen libertate. Relicta est tamen civitas in plenâ Pontificis potestate; ac Mediceorum auctoritas liberior atque solutior, penéque regia mansit: jubente Imperatore in gratiam Pontificis, ut Alexander Pontificis nepos, ipsiúsque Imperatoris gener cui desponsata fuerat Margarita nota Cæsaris, publicæ administrationis caput esset; eóque deficiente, filij ordine & posteri, aut ex eâ familiâ proximi succederent. Adeò etiam ut civitati omnia privilegia, aliàs à se aliísque Imperatoribus concessa restituens, eam legem apposuerit, ut quotiescumque aliquid contra Mediceæ familiæ amplitudinem molirentur, ea privilegia amitterent: In his statuendis, non solùm facultate sibi à partibus concessâ, verùm etiam Cæsareâ auctoritate dignitatéque usum contestatus.

FLORENTIA SUPPONITUR MEDICEIS.

Quæ pluribus narrant Guicciardinus [e] & Iovius. In quibus tamen si Imperator Pontifici satisfecit, in aliâ re eum graviter læsit; cùm controversiam quæ illi erat cum Duce Ferrariensi de Rhegio & Mutinâ, ita decidit, ut eas Duci adjudicaverit: tantâ Pontificis offensione, ut nec illius arbitrium ratum habere, nec censum Ferrariæ, quem pariter Imperator ad veterem consuetudinem redegerat, à Duce oblatum recipere voluerit: parum ejus querelas Imperatore curante; ut idem Guicciardinus sub anno sequenti tradit.

[e] *Guicc. l. 20. Iov. lib. 27.*

IV. COMITIA AUGUSTANA.

[f] Indixerat Imperator Comitia Imperij ad octavam Aprilis Augustæ Vindelicorum, ad componendum Religionis dissidium & deliberandum de bello Turcico: datâ fide publicâ de libero accessu omnium, & permissu proponendi quæ singulorum fidei essent. Ad quæ antequam iret Ioannes Elector Saxonicus Protestantium caput, Lutherum, Ionam, & Melancthonem, Torgam evocavit consilij capiendi causâ de iis quæ proponenda in comitiis forent: Vbi Lutherus septemdecim condidit articulos, quibus breviter velut in synopsi summam doctrinæ suæ complexus est. Melancthon autem ex illis composuit Confessionem, fusiùs tractatam, & meliori stylo exaratam: quam idem Lutherus (relictus ab Electore in arce Coburgensi, ne si hominem olim in Comitiis Wormatiensibus proscriptum ad Conventum Augustanum adduceret, insolentiùs agere contra Pontificem videretur) ad se Augustâ missam antequàm Imperator advenisset, approbavit.

MELANCTHON CONFESSIONIS CONCINNATOR.

Appulsus tandem Augustam Imperator decimo-quinto Iulij in profesto Corporis Christi, cum sequenti die interesse vellet cum omnibus Principibus & Ordinibus Imperij, consuetæ processioni quâ deportatur sacratissimum CORPUS CHRISTI; Saxonem & alios Principes Lutheranos monuit cum aliis adesse: illisque excusantibus sese, & multa obtendentibus, celebravit tamen illam cum reliquis splendidissimè Imperator, facem ardentem manu gestans, & toto itinere nudo incedens capite, quamvis ardentissimo Sole. Die vigesimo Iulij quo cœpta sunt Acta publica, jussis omnibus Principibus ac Statibus Imperij adesse in Ecclesiâ Cathedrali, Missam de Spiritu sancto celebravit Albertus Cardinalis Archiepiscopus Moguntinus: & Vincentius Pimpinella Archiepiscopus Rossanus Nuncius Apostolicus orationem habuit de bello in Turcos decernendo; cujus causâ Germanos ad avitam religionem retinendam variis ac multiplicibus rationibus hortatus est

Vocatúsque ad templum Elector Saxonicus, ut quod erat ipsius muneris, ensem Imperatori dum Missa celebraretur præferret, venit & strictum tenuit gladium: consultis tamen primùm suis Theologis, qui contra multorum sententiam judicârunt id fieri posse, exemplo Naaman [f] Syri, qui permissu Elisæi dominum suum Syriæ Regem in templo idolum Remmon adorantem manu suâ sustentavit.

[f] 4. Reg. 5.

V.

Sacris peractis, cùm item esset ad Curiam, post recitatam de scripto ex more à Friderico Palatino orationem [g] de causis convocationis Conventus, nempè Bello Turcico, & Dissidio Religionis; decretum est, primùm de Religione agi. Obtulítque Saxo, cum aliis Principibus Protestantibus qui aderant, fidei suæ Confessionem quam diximus, Latinè atque Germanicè; subscriptam ab eodem Electore, ejúsque filio Ioanne-Friderico, Georgio Marchione Brandeburgensi, Ernesto & Francisco Ducibus Luneburgensibus, Philippo Hassiæ Lantgravio, Wolfgango Anhaldino, & duarum civitatum legatis Norimbergæ & Reutlingæ: quibus & paulò pòst se adjunxerunt aliquot aliæ civitates: eámque in Consessu publico recitari postulârunt. Negantibus Catholicis id permitti debere, annuit Imperator ut privatim domi suæ recitaretur. Quod & factum est die vigesimo-quinto Iunij, in præsentiâ ipsius Imperatoris, & Regis Ferdinandi ipsius fratris, ac cæterorum Principum: absente tamen Legato Campegio, qui interesse noluit, nequid interveniret quod Fidei Catholicæ & auctoritati Pontificiæ posset creare præjudicium. Quæ est celebris illa Lutheranæ doctrinæ CONFESSIO, à loco ubi primùm Imperatori oblata est AUGUSTANA dicta. A quâ etiam, Melancthonis, qui eam composuit, sectatores dicti sunt *Confessionistæ*, ut aliàs [h] diximus. Datâ illâ examinandâ Theologis Catholicis qui Augustam venerant, Ioannibus Eckio, Fabro, Cochlæo, & aliis; cùm illi observâssent, aliter in eâ de nonnullis fidei capitibus agi, quàm Lutherus & Melancthon priùs docere consueverant; quæsiti Protestantes, an omnia complecteretur ipsorum Confessio quæ proponenda duxissent, an verò plures articulos ei vellent adjungere; post multam consultationem responderunt, nihil ampliùs tunc quidem addere velle. (Tunc sane. Sæpius enim posteà mutatam esse constat, tum ab aliis; tum ab ipso Melancthone, adeò semper ambiguo [i] & inconstante, ut quæ fuerit ejus fides, vix umquam sciri potuerit: putà cum primùm duo tantùm Sacramenta esse voluit, postmodùm tria posuit, deinde quatuor; ac si diutiùs vixisset, cuncta septem restituisset: nisi & fortè demùm plura commentus fuisset,) Et nihilominùs visum est Catholicis Principibus, in ejus confutatione has discrepantias omitti, necnon quas Theologi inseruerant verborum acrimonias; ne inclementius habiti Protestantes, à studio concordiæ penitùs resilirent. Factâ autem confutatione, & à Campegio Cardinale Legato approbatâ; fuit illa tertio die Augusti eodem loco & consessu, quo confessio primùm lecta fuerat, & publicata, & ab Imperatore, ac Principibus & Ordinibus Catholicis accepta. Cum monerentur Protestantes qui adstabant, eam quoque recipere, petierunt ipsi eam sibi communicari: negante verò Cæsare, nisi eâ conditione ut legerent ipsi, neque alij cuiquam communicarent; iisque hoc recusantibus; intercessione Archiepiscopi Moguntini, Ioachimi Electoris Brandeburgensis, aliorúmque nonnullorum Principum, decreta est consultatio utriusque partis de inveniendâ viâ aliquâ concordiæ.

[g] Ext. ap. Goldast. Cōst. imp. tom. 1.

CONFESSIO OFFERTUR À PROTESTANTIBUS.

[h] An. 1527. XV.

EXAMINATUR À CATHOLICIS.

[i] Vid. supr. d. an. 1527. XV.

VI. COLLATIO PRO CONCORDIA.

Cœptâ igitur est collatio septimo Augusti inter designatos ab utrâque parte Principes, Theologos, & Iurisconsultos, primùm numero septemdecim; qui posteà ad vitandam confusionem ad septenos reducti sunt, duos ex unaquâque parte Principes, duos Iurisconsultos, tres Theologos, rursúmque ad ternos, è Catholicis Echium cum duobus Iurisconsultis, è Protestantibus Melancthonem cum totidem Iurisconsultis Lutheranis. Sed demùm post multas collationes & disputationes singulis illis numeris factas usque ad finem Augusti, cùm in nonnullis conciliari posse doctrinam visum esset, (Melancthone pro ingenio sese ad concordiam faciliorem exhibente, & maximè in restituendâ Episcopis suâ jurisdictione; unde & pessimè tanquam ferè desertor apud alios audivit:) res tamen demùm ad nihilum redacta est, obstante Luthero qui literis suis vetuit nequid adversariis concederetur, sed missâ actione domum rediretur: scriptâ etiam Admonitione ad Episcopos & Ecclesiasticos Augustæ in Comitiis existentes, quâ eos hortatus est ut amplecterentur tandem doctrinam suam, quam Evangelij nomine venditabat: Eáque in re nisi se mitiores exhiberent, quàm in Comitiis superioribus factum esset Wormatiæ, Spiræ, Norimbergæ; metuendum esse ne desperatio sequeretur in populo, & novus tumultus excitaretur: Nisi pœnitentiam agerent, & doctrinam suam susciperent, futurum eum dum viveret pestem ipsorum mortuum mortem ipsorum: & alia ejusmodi seditiosissima, atque etiam in doctrinæ articulis quos subnexuit purulentissima. Cùm igitur nulla ampliùs spes esset concordiæ, atque Imperator recusaret *Apologiam Confessionis*, quam Melancthon contra Catholicorum confutationem conscripserat, recipere; & Protestantes perpetuis tergiversationibus quæcumque ipse Imperator offerret, aut juberet, vel etiam minaretur, eluderent; articulísque nonnullis ab eo propositis de futuro modo agendi & vivendi usque ad Concilium generale, quod omni conatu se quamprimùm promoturum pollicebatur, assentiri recusarent; Saxo petitâ abeundi facultate, Augustâ discessit die 23. Septembris, relictis tamen Consiliariis qui finem Comitiorum expectarent. Quæ omnia per singulas partes, & actiones, quomodò gesta & dicta sint, narrant diligentissimè Cochlæus qui aderat, & Vlembergius, in Actis & Vitâ Lutheri; Pontanus in Rebus memorabilibus; Surius in suis commentariis; ac denique extant ipsamet pleraque Acta in Constitutionibus Imperialibus à Goldasto hæretico collectis. Quo etiam diligentior alius hæreticus Lutheranus *Georgius Cælestinus* totam horum Comitiorum Augustanorum Historiam quatuor tomis complexus, edidit anno 1576. quibus cunctas de religione delibera-

APOLOGIA CŌFESSIONIS.

tiones, consilia, postulata, responsa, concordiæ media, epistolas Lutheri, Erasmi, Melancthonis, aliorúmque de iis scriptas inseruit.

VII. CLEMENTIS PP. MENS DE CONCIL.

Totus autem eò spectabat Imperator, (ut ex iisdem intelligitur) quemadmodùm Religionis dissidia absque Concilio pacaret; quandoquidem hoc esse Clementi Pontifici longè gratissimum sciebat: cujus hic erat scopus, ut si leniter causa sopiri non posset, armis factiosi opprimerentur; quod aliis quoque temporibus factum fuisse memorabat: quamvis etiam literis [k] ad Reges & Principes scriptis, spem Concilij indicendi faceret. Extátque inter Literas [l] Principum, epistola Clementis ad Carolum ultimo Iulij præsentis anni de convocatione Concilij: ad quam se quidem promptum esse ait, verùm non esse hoc medium securum ad extirpandas hæreses; nec item consentaneum, quòd multi sit momenti disputare de rebus jam aliàs definitis, quasi in dubium revocandæ essent: nec denique tempus adeò esse dispositum, non solùm ob turbas Christianitatis, verùm & præcipuè ob bellum Turcicum, cujus occasione hæretici aliquid molituri essent contra auctoritatem Sedis Apostolicæ & Concilij: Acquiescere nihilominùs se desiderio Imperatoris, ut promitteret Concilij convocationem Protestantibus; sed eâ conditione ut redirent primùm ad obedientiam Ecclesiæ, & depositis novitatibus antiquo ritu viverent, quousque determinatio doctrinæ facta fuisset in Concilio; ejusque determinationi omninò stare promitterent. Commodius porrò fore illud Romæ celebrare, quæ caput esset Christianismi, neminique posset esse jure suspecta. Quæ tamen si non placeret, sumeretur Bononia, Placentia, Mantua, quæ singulæ capaces essent, ac rebus omnibus abundantes.

[k] Pontan. Rer. memor. lib. 3.
[l] Litt. Princ. tom. 2.

VIII.

Protestantes verò, quò minùs Pontifex & Imperator probare Concilium videbantur, eò magis illud urgebant ac flagitabant: non quidem animo ei obtemperandi quando fieret, à quo nihil aliud quam opinionum suarum damnationem expectare poterant; sed cùm scirent illud vix unquam concessum iri, specioso hoc prætextu causam suam velandi, & ab omni se criminatione tuendi. Adversùs quos tamen, si omninò obstinati permanerent & aliquid ultrà moliri pergerent, aut quæ jubebantur in integrum restituere detrectarent; (ad quod deliberandum, spatium eis ad diem decimum-quintum Aprilis anni subsequentis datum est) Imperator, unà cum Ferdinando fratre Hungariæ & Boëmiæ Rege, cæteris Electoribus, Principibus, aliisque magnatibus Ecclesiasticis & sæcularibus, ac civitatibus Imperialibus Catholicis, societatem ad defensionem Religionis Catholicæ iniit die 26. Novembris; post factum ac promulgatum decretum de integrâ observatione fidei Catholicæ, qui iidem omnes subscripserunt. Quemadmodùm & Protestantes, Smalcadiæ mense Decembri convenientes, fœdus jam anno superiori ibidem pro suâ defensione statutum, confirmârunt.

FOEDUS CATHOLICORUM PRO DEFENSIONE FIDEI:

ET PROTESTANTIUM PRO SUA.

IX. ZUINGLIANI REJICIUNTUR.

Ad eadem Comitia Augustana quidam etiam ex Sacramentariis accesserunt Bucerus, Capito, Blaureus, & alij. Qui cùm diù frustrà laborâssent, ut cum Protestantibus se quodam societatis vinculo conjungerent, suam & ipsi separatim Confessionem Imperatori obtulerunt, per legatos quatuor Civitatum Argentorati, Constantiæ, Memingæ, & Lindaviæ, quæ Zuinglij dogmatibus adhærebant. Quæ ab iisdem Catholicis Doctoribus examinata, & confutata, à Principibus Comitiorum rejecta fuit.

X. ANABAPTISTÆ EXAGITANTUR.

Anabaptistæ porrò non ausi sunt Augustæ comparere; contenti sectam suam propagare in Silesiâ, Moraviâ, Boëmiâ, Austriâ, & inferiore Germaniâ: quamvis fuisse ibi nonnullos ante Cæsaris adventum, Crusius [m] scribat: ac præcipuè pellionem quemdam *Augustinum Bader*, qui se Regem perhibuit, parato sibi sceptro, coronâ, gladio, pugione, & aliis regiis ornamentis: qui ex illâ urbe profugus, captus est Lauteræ in quodam molendino; & inde Stutgardiam ductus, ibi candentibus forcipibus laceratus, in foro capite truncatus est paucis ante Pascha diebus: Fuisse quoque alios ibidem capitali supplicio affectos: nec paucos nonnullis aliis earum partium civitatibus. In Silesiâ verò & Moraviâ, eximiè inter ejus sectæ homines eminebant hoc tempore duo Bavarici (ut Cureus in Annalibus Silesiis vocat) *Iacobus Hutterus* & quidam *Gabriel* Schendingensis pellio, ambo discipuli Nicolai Storkij, seu Pelargi, de quo superiùs, sed longè illo deteriores. Ex quibus ab invicem schismate divisis, duæ grandes factæ sunt Sectæ, *Huttitarum & Gabrielistarum*, adeò inter se inimicæ, (cùm alioqui communi nomine Anabaptistarum, & plerisque doctrinæ perversæ articulis convenirent) ut neque se mutuò invicem tolerarent: Huttitis Gabrielistas, quòd à se defecissent, apostatas, schismaticos, hæreticos, filios proditoris Iudæ, aliisque contumeliosis nominibus proscindentibus: Gabrielistis verò Huttitas propter fœditatem morum, (Gabrielistæ namque simpliciores videri appetebant) Epicureos, seditiosos, tyrannos, & aliis ejusmodi nuncupationibus vocitantibus, ac mutuò sese crebris anathematum fulminibus conficientibus. Hutterus Ferdinandi Regis diligentiâ in Comitatu Tirolensi captus, post gravissima tormenta vivus combustus est Oeniponte. Gabriël è Moraviâ pulsus, in limite Poloniæ vitam calamitoso exitu finiit. Vtriusque historiam, vitæ genus, peculiares hæreses, scelera, simul & discipulorum post se relictorum; sectas item Anabaptistarum quamplurimas, diversis inter se nominibus, moribus, erroribus: prolixè sigillatímque descripsit Meshovius [n] in Historiâ Anabaptistarum.

[m] Crus. in Annal. Suevic. par. 3. lib. 11. sub hoc an.
[n] Meshov. lib. 4.

XI. DECRET. CLEMENTIS CONTRA HÆRET.

Cùm autem Germanorum, qui in Italiam bellatum venirent, permulti Lutheranâ hæresi infecti essent, atque inde, aut aliis occasionibus contigisset, ut multi quoque Itali in diversis provinciis, nec tantùm laici, verùm etiam Ecclesiastici & Regulares eâ corrupti reperirentur, adeò ut etiam publicis sermonibus atque prædicationibus alios inficerent: ut his malis Clemens Pontifex mederetur, hoc ipso anno die 15. Ianuarij Bononiæ existens rescriptum [o] dedit ad Paulum Butigellam Ordinis Fratrum Prædicatorum Vicarium Generalem, & in Ferrariensi ac Mutinensi diœcesibus hæreticæ pravitatis Inquisitorem; quo

[o] Bullar. to. 1 Clem. VII. const. 27. & in direct.

præcepit contra quoslibet, etiámque aliorum Ordinum Religiosos de hæresi infamatos diligenter inquirere & procedere.

XII. [p] *Bouchet. Annal. Aquit. par. 4.* FRANCISCUS REX RECIPIT LIBEROS EX HISP.

Quo eodem anno [p], ineunte Iunio, Franciscus Rex Galliæ filios in Hispaniâ obsides, post multas & morosas Hispanorum protelationes, traditione duodecies centenorum millium aureorum ex pacto Cameracensi, recepit; ministerio usus Annæi Monmorantij Marescalli Franciæ, & Majoris Domûs regiæ Mágistri. Cum quibus venit etiam Eleonora Caroli Imp. soror, vidua Emmanuelis Regis Lusitaniæ, olim Regi desponsa, quam is, obviam ei è Burdegalâ progressus, uxorem duxit in Veriensi monialium Clarissarum cœnobio prope Montem Marsani. Calendis verò Decembris decessit Margarita ejusdem Imp. amita, Belgij procuratrix, pientissima ac prudentissima fœmina. Inque ejus locum substituta pòst in eodem Belgio Maria vidua Ludovici Regis Hungariæ eorumdem Imp. & Eleonoræ germana soror. Eodémque [q] Belgio ineunte Novembri, post densissimas triduanas pluvias, horrenda tonitrua, terræ ingentes motus, colluctantium ventorum conflictum. Oceanus fractis aggeribus qui marinos æstus coërcere solent, se in continentem effudit, & multa oppida pagósque absorbuit, (quorum etiamnum conspici dicuntur summa turrium templorum cacumina) cum infinitâ hominum, jumentorum, omniúmque bonorum jacturâ. Feruntur [q] enim quadringenti quatuor pagi hoc æstu absorpti die 5. Novembris. Mense verò Decembri Romæ cùm biduum pluisset densissimè, & Tiberinas fauces vehemens Auster occupâsset, ut retrocedere fluvius coactus, in mare se exonerare non posset; tanta fuit Tiberis exundatio, quantam mortalium nemo anteà viderat. Ea bonam Vrbis partem operuit, mirásque edidit ædium ruinas; ut subvertere voluisse visa sit, quæ diram hostium expilationem effugerant. Fuiséque etiam aliis regionibus similes inundationes, nec solùm ex pluviis, verùm etiam ex eruptione aquarum è terrâ, alij auctores narrant.

[q] *Ludov. Guicciar. l. 1. Iovi. lib. 29. Belcar. l. 20.*

INGENTES INUNDATIONES.

[q] *Locr. in Chron.*

XIII. [r] *Ant. 1523. III.* MELITÆ INSULÆ POSSESSIONEM HOSPITALARII ACCIPIUNT.

Hoc eodem anno Milites Hospitalarij, sive Ierosolymitani S. Ioannis, vel etiam Rhodienses dicti, post multas collocutiones & tractatus de accipiendâ à Carolo Imper. in suum recessum & habitationem Insulâ Melitâ, de quibus dictum superiùs [r]; cùm res demùm anno superiori conclusa fuisset, de consensu Pontificis Regúmque Galliæ, Angliæ, Lusitaniæ, & aliorum Principum, in quorum ditionibus beneficia Ordinis, quas Commendas vocant, erant; nihilominùs ob quasdam supervenientes in acceptionis conditionibus difficultates, (ut occurrere solet in tractatibus, qui cum nationibus suspiciosis & cupidis fiunt) nonnisi die vigesimo-quarto mensis Martij hujus anni, sublatis ab Imperatore omnibus difficultatibus, plenariè concessa est Bononiæ post ipsius coronationem, (cujus extat diploma concessionis in [s] Historiâ Religionis) & à Magistro atque Ordine die vigesimo-quinto Aprilis acceptâ; una cum aliâ propinquâ minori insulâ Gozâ circuitus circiter triginta millium passuum, & urbe Tripolitanâ sub feudo unius accipitris, seu falconis, singulis annis Proregi Neapolitano porrigendi, & professionis clientelaris fundi singulis Regum mutationibus faciendæ, aliísque nonnullis conditionibus, quæ nihil tamen Ordinem obligarent alicui servitio militari. Appulerúntque Melitam Magister & Conventus Militum die vigesimo-sexto Octobris: atque inde deinceps dicti sunt Milites sive Equites MELITENSES. Quæ fusè describuntur in eorum Historiâ: cùm tamen cæteri plerique auctores commigrationem Ordinis Melitam anno superiori collocent; quo videlicèt conclusa fuerat, sed non facta.

[s] *Hist. Hospital. to. 3. l. 5.*

XIV. MIRUM DE FOETU CUJUSDAM MULIERIS.

Miram rem narrat sub hoc anno Crusius in Annalibus Suevicis, valdéque memorabilem, quam in oppido Owâ sub arce Teccensi contigisse narrat. Ibi feminam quandam nomine Catharinam, uxorem Vlrici Iager bubulci, cùm esset gravida, fœtúsque nondum ultra sex hebdomadas existimaretur vitam habere, à quodam tauro ita altero cornu in latere arietatam fuisse, ut eo perrupto interanea & inclusus secundis fœtus unà in lutum plateæ prolapsa sint: accersitum balneatorem oppidi, hæc cuncta in pelvi posuisse, lacte abluisse & mundâsse: Etsi autem nulla spes cuique erat nec de fœtus nec de matris vitâ, tamen ipsum, cùm mater sic peteret, fœtum cum adjuncto pondere cuncto, paulatim corpori ejus rursùs indidisse, ventrem decem & novem suturis consuisse: feminam convaluisse, infantémque justo tempore in lucem edidisse, puellam, quæ sacro lavacro tincta Annæ nomen accepit, & ampliùs octo annos vixit. Rem testatissimam fuisse auctor tradit: quid verò de eâ censuerint medici physici ac chirurgi, eis disputandum reliquimus.

IESU CHRISTI Annus 1531.
CLEMENTIS VII. An. 8.
CAROLI V. An. 13.

I. FERDINANDUS CAROLI FRATER ELIGITUR IN REGEM ROMANORUM.

ANNO Christi millesimo quingentesimo trigesimo-primo, Indictione quartâ, Carolus Imper. Coloniæ Agrippinæ Comitia Imperij celebrans; ut Imperium in familiâ firmaret, fratrem suum Ferdinandum, (nequicquàm refragante per literas Ioanne Electore Saxoniæ, ac per filium suum eò missum intercedente, quasi res fieret contra Bullam auream Caroli IV.) Cæsarem ac Regem Romanorum futurum Imperatorem, per alios Electores renunciari curavit Nonis Ianuarij: causis tamen hujus rei expositis quòd cùm ipse pluribus regnis atque populis imperaret neque posset continenter esse in Germaniâ, quæ nihilominùs ob turbas Religionis, & Turcorum incursiones, aliásque plurimas necessitates, capite aliquo indigeret, quò in suî absentiâ res cum majori auctoritate gererentur, & in quo posset ipse totus conquiescere, nemo esset Ferdinando aptior; qui & potentiâ cæteros omnes superaret, utpotè Rex Hungariæ & Boëmiæ, Archidux Austriæ, & ditionum omnium avitarum dominus; & prudentiâ atque industriâ probatus esset, summáque concordiâ secum unitus existeret. Persuasis igitur facile Electoribus, electus *Ferdinandus* dictis Nonis, ter-

tio Idus Aquisgrani inauguratus est: Imperatore publicis literis edicente, ut eum omnes Imperio subditi pro Rege Romanorum agnoscerent, revererentur, atque ei obedirent.

II. Protestantes implorant auxiliũ Regum Franc. et Angl.

Ioannes verò Saxo cum cæteris Principibus & Civitatibus Protestantibus, datis die decimo-sexto Februarij literis ad Reges Galliæ & Angliæ, rationem factorum suorum reddere conati patrocinium illorum implorârunt; útque Imperatorem ad cogendum Generale Concilium impellerent, in quo fidem suam explicare possent, rogârunt. Ac vigesimo-nono Martij rursùm Smalcaldiam convenientes, egerunt de suâ defensione, si à Catholicis impeterentur. Cùm enim aliquando Lutherus docuisset Principibus ac Magistratibus non esse resistendum: in hâc tamen deliberatione, Iurisconsultis ad eam vocatis, docentibus, legibus esse permissum resistere nonnunquam, & tunc rem in eum casum de quo leges inter alia mentionem faciant, esse deductam ostendentibus: Lutherus de his lætus, non solùm fœdus iniri posse dixit, sive Imperator ipse, sive quis alius fortè ejus nomine bellum moveret: verùm etiam duos hoc eodem tempore tractatus scripsit Theutonicè planè seditiosos, ac virulentos: alterum sub *Præmonitionis* titulo ad charissimos Germanos; quo suadebat, Imperator bellum Protestantibus inferret, & subditos ad arma vocaret, nequaquàm ei in hoc obtemperandum esse: qui enim ejus castra sequerentur eos rebelles Deo futuros, & animæ corporísque jacturam facturos. Alterum, quem voluit esse Commentarium in Decretum Augustanum anni superioris, quo homo impudentissimus, protestatus se nihil contra Imperatorem, aut Magistratum ullum Ecclesiastici vel sæcularis Ordinis, dicturum; proditores tantùm illos & sceleratos homines, sive Principes essent sive Episcopi, impetiturum se ait, qui sub nomine Imperatoris per decretum hoc malitiam suam prodidissent: súbque hujus protestationis latibulo, tam in Imperatorem quàm in cæteros omnes scelestissimè debacchatus est. Ac sub finem quædam adjungens de vocatione suâ; adducit etiam vaticinium de se Hussi cùm arderet; de cujus inanitate dictum est suo loco. In hos verò duos tractatus cùm Catholicus quidam ex ordine laïcorum libellum edidisset antidoti loco; in quo cavendum monebat à turbulento spiritu Lutheri, & seditiosis ejus consiliis: confestim Lutherus, ceu furiis agitatus, auctorem aggressus libello, cui titulum fecit *Contra Sicarium Dresdæ*, fœdis de more convitiorum sordibus eum conspurcavit. Et quòd ille inter cætera hanc scurrilem convitiandi impotentiam objectaret, ait hunc fore suum honorem in quo gloriaretur; immò sic prorsùs velle ut deinceps de se diceretur, quòd maledicentiæ, convitiorum, execrationis, & criminationis plenus esset in Papistas: alia plura longè virulentiora subinde in eos pro rei confirmatione addens. Quæ dolenter referunt, ac sapienter arguunt Cochlæus [a], Vlembergius [b], & Surius [c].

Libelli seditiosi Lutheri.

[a] *Cochlæ. in Act. Luther.*
[b] *Vlemb. in Vit. Luth.*
[c] *Sur. in commentar.*

III.

Reges autem Franciscus Galliæ & Henricus Angliæ, ut diximus, à Protestantibus sollicitati, ita responderunt (ut ex Sleidano [d], & Pontano [e] ejus censore intelligitur) ut comprabato eorum consilio de Synodi celebratione, operam suam ad eam promovendam polliciti sint: Franciscus etiam auxilia ad ipsorum & Imperij defensionem; misso ad eos Guillelmo Bellaio Langeo (cujus negotiationem accuratiùs Martinus ejus frater in suis commentariis [f] describit) ad conveniendum de conditionibus, quibus bellum in defensionem dumtaxat, non autem offensionem, gerendum foret. Qui & insuper à Ioanne Vaivodâ pro Rege Hungariæ se gerente, de pecuniarum auxiliis rogatus, his conditionibus (ut idem auctor narrat) dare promisit, ut omninò cautum esset & amicitiæ cum Cæsare, & Christianitati à Turcis. Vnde miramur Guicciardinum [g], quasi rem certam absque ullâ hæsitatione asserere, Franciscum consilia cum Solimano Turcorum Imperatore communicâsse, ut eum in Carolum Imp. concitaret: cùm Iovius [h] haud Gallis parcere sciens, ubi dixit fuisse qui id credidissent, nihilominùs addat de hoc nihil pro vero fuisse compertum, censeréque se eum hâc infamiâ liberum. Solent enim sic hostes hostibus omnia scelera impingere, & calumniis eos deturpare. Si tamen Franciscus id commisit, quam id infame, ac planè indignum nomine quod gerebat Regis Christianissimi extiterit, nemo non videt. Sed ubi ira, odium & invidia regnant, quis rationem aut moderationem expectet? Cùm semel perturbatio animum invasit, abeunt prorsùs omnes cogitationes recti & justi: nulla est etiam in Principibus consideratio titulorum Christianissimi, Catholici, Defensoris Fidei, & aliorum ejusmodi, quin iis abutantur etiam in detrimentum Christianorum, Catholicorum, & Fidei. Frequentissima sunt in Historiis hísque Annalibus exemplâ. Quid, quod etiam in sublimissimam Sedem, unde omne jus, omnis ratio, omnis moderatio procedit, non semel eosdem defectus incidisse vidimus? O miseram ejusmodi Principum conditionem! Audite ergo Reges, (clamat Sapientia [i]) & intelligite. Præbete aures vos qui placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis; qui interrogabit opera vestra; quoniam cùm essetis ministri regni illius, non custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulâstis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis Sapientiam & non excedatis.

[d] *Sleid. lib. 8.*
[e] *Pont. lib. 3.*

Quomodo Francorum Rex se gesserit erga Imperat.

[f] *Bellai. lib. 4.*
[g] *Guicciard. lib. 20.*
[h] *Iovi. l. 30.*
[i] *Sap. 6.*

IV. Rex Franciscus literarum restaurator.

Quòd si ex his insimulandus venit Franciscus de quo sermo exortus est; in eò sanè maximè laudandus fuit quòd bonarum artium ac literarum restaurationi intentus, cùm jam anteà auctoribus *Guillelmo Budæo* Parisiensi, viro doctissimo & Græco Latinóque sermone cum veteribus conferendo, ac Iurisconsultissimo, Magistro Libellorum supplicum Regis; & *Iano Lascari* Græcorum ferè omnium qui Turcicis armis patriâ pulsi in Italiam confugerunt, nobilissimo (utpotè stirpe Imperiali) atque doctissimo; qui inde in Galliam transiens, charus Ludovico atque Francisco Regibus extitit; insignem Bibliothecam Fontanableam instruere cœpisset, anno superiori, eodem Budæo, & *Ioanne Bellaio* illustri familiâ & singulari eruditione Episcopo Parisiensi,

Viri docti professores scientiarum.

posteà Cardinale, hortantibus, ad addendum colophonem iis quæ in Academiâ Parisiensi desiderari videbantur, regios Linguarum Professores instituit. Qui tunc electi sunt, Hebraicæ quidem *Franciscus Vatablus*, (cujus nomen falsò posteà hæretici infamare conati sunt, quasi ipsis favisset) Græcæ *Petrus Danesius* posteà Vaurensis Episcopus: quibus duos alios continuò addidit, *Iacobum Tusanum* Græcæ, *Agathium Guidacerium* Hebraicæ Doctorem: & aliquantò pòst duos in Mathematicis, *Orontium Fineum* & *Ioannem Martinum*: & auctore *Petro Castellano* anagnoste suo, (de quo plura inferiùs [k]) alios in literis Latinis, Medicinâ, ac Philosophiâ. Quem & in animo habuisse constat, gymnasium amplissimum regiâ magnificentiâ ædificare, in quo omne genus bonarum artium & linguarum doceretur, & ipsi professores cum sexcentis scolaribus publico, sumptu alerentur. Denique tantùm hic Rex literas earúmque professores dilexit, ut illustre cognomentum nunquam intermoriturum *Literarum Parentis & Restauratoris* consecutus sit; cùm nunquam major in Galliis literarum ignorantia, ob frequentissima ac penè continua ab aliquot sæculis bella, fuisset; adeò ut literas scire, probri penè loco in nobilibus haberetur, quibus nihil aliud in oculis atque animo erat, quàm armorum tractatio. Prædictis autem linguarum, ac scientiarum professoribus additi sunt à subsequentibus Regibus in eâdem Academiâ regij professores Theologiæ, qui in Scholâ Sorbonæ opimis stipendiis eam profiterentur, unde ingentes fructus collecti sunt in pinguem & salubrem pastum universæ Ecclesiæ Catholicæ.

[k] Infr. an. 1545. I.

V. Quod ad cæteras res gestas hujus anni attinet, cùm non parùm commotus esset Pontifex ob traditas judicio Caroli Imp. Duci Ferrariæ urbes Rhegium & Mutinam, uti diximus anno superiori; & Pontifex totus in id incumberet ut Ducem opprimeret; Dux vicissim Pontificem apud Imperatorem infamare quæsivit; ausus [l] ei scribere, se literas Pontificis ad Reges Galliæ & Angliæ scriptas interceptas habuisse, quibus ille iis quæcumque postularent se facturum concessurúmque promitteret, modò illi quâcumque ratione impedirent, ne Concilium generale indicere cogeretur. Quâre insinuabat, quasi Pontifex destinaret, in gratiam Galli res novas in Insubriâ & regno Neapolitano moliri; in gratiam verò Angli, matrimonium cum Catharinâ Imperatoris amitâ dirimere. Quod ubi Pontifex rescivit, imposturam ut par erat indignè ferens, per literas die 21. Septembris scriptas, internunciúmque suum apud Cæsarem Archiepiscopum Brundusinum, postulavit ut quas Dux dicebat literas repræsentaret; & si Imperator imposturam esse, ut erat, deprehenderet, nullam imposterùm ei fidem adhiberet.

[l] Bzov. hoc anno ex to. 3. Epist. ad Princ.

Calumniæ in Clementem Pont.

VI. Quo eodem tempore [m] cùm Helvetij quinque Pagorum seu Cantonum, Lucernates, Vrienses, Suitenses, Subsilvani, sive Vndervaldenses, atque Zugenses, qui fidem Catholicam firmissimè tuebantur, à Tigurinis & Bernatibus Sacramentariis, quorum est præcipua inter Helvetios auctoritas & potentia, multis modis vexarentur; adeò ut eorum subditi ab illis subtraherentur, & specie Evangelij in rebellionem inducerentur, atque etiam omni commercio & commeatu privarentur, nullúsque esset injuriarum finis: ultimâ necessitate coacti, bellum Tigurinis denunciârunt die 4. Octobris prædictis atque aliis facti sui rationibus in suis literis expressis. Quas subticens Sleidanus, culpam belli in Quinquepagicos refundit, hæreticus videlicèt hæreticis favens. Sed aliter Deus judicavit, cùm suorum causam suscipiens, victoriam eis magnâ hostium clade contulit, non semel, sed quater intra eundem mensem Octobris; quamvis multò minori numero contra longè plures, viribus etiam & auxiliis Basileensium, Schaffusensium & aliorum ejusdem perfidiæ populorum post primas clades suffultos, pugnantibus Primo prælio, facto die 11. Octobris, cùm interfuisset etiam Zuinglius, omnis discordiæ atque perfidiæ inter Helvetios auctor, pugnans cum cæteris, ac multis acceptis vulneribus cecidisset; repertus post prælium in eâ strage à duobus Catholicis eum non cognoscentibus adhuc spirans, & interrogatus an vellet confiteri; tacens velut si mortuus fuisset, ab alio superveniente lethale vulnus accepit, delatúsque est ducibus: qui eum publico judicio damnatum proditionis & hæreseos, flammis tradi jusserunt. Cæsi item cum eo sunt multi alij apostatæ insignes. De quâ victoriâ, præter historicorum relationes, est etiam gravis epistola [n] Benedicti Accolti Cardinalis Aretini ad Sadoletum; quâ rem diligenter narrat ex literis Episcopi Verulani Nuncij Apostolici ad Clementem Pontificem scriptis. Sunt autem qui observent, Tigurinos religioni tribuisse, quòd Zuinglij cadavere flammis tradito, cor exuri non potuerit: cùm tamen constet in quibusdam corporis humani partem esse quandam, in quam nihil ignis possit; sicut de majore dextri pedis articulo Pyrrhi Epirotarum Regis Plutarchus memoriæ prodidit. Quin etiam nonnullos, ejus cineres domum asportâsse, scribitur, ut scilicèt qui sacras Sanctorum Reliquias disperderent, execrandos nefandi gladiatoris cineres colerent. Natus autem tunc fuisse dicitur à Sleidano annos quadraginta quatuor, minor Luthero quatuor.

[m] Sur. in comment. Cochlæ. in Luther. Sleid. lib. 8. Pont. lib. 3.

Bellum Helveticum de Religione.

Zuinglius in prælio occiditur.

[n] Ap. Sadol. 7. ep. 7.

VII. Cujus morte ita consternatus fuisse dicitur *Oecolampadius* ejus symmista, ut paulò pòst, nempè Calendis Decembris, perditam animam exhalaverit Basileæ ætatis anno 49. sive ex ulcere super os sacrum erumpente, ut quidam tradunt; sive, ut diversi alij, à feminâ quam incestis polluerat nuptiis, (& ex quâ tres liberos reliquit) vel à dæmone, aut alio quocumque modo extinctus in lecto repertus. Sepultus est tamen ibidem Basileæ in summi templi circuitu; cum epitaphio, quo indigitatur *Auctor Evangelicæ doctrinæ in eâ urbe primus, & templi ejus verus Episcopus.* Scilicèt illius hæresis quam perfidus apostata ibi plantavit, vel irrigavit. Zuinglio porrò Tiguri in cathedrâ pestilentiæ suffectus est *Henricus Bullingerus* itidem Helvetius, ex presbytero apostata uxoratus; qui longo tempore solus ferè Zuinglianum de Eucharistiâ dogma libris editis propugnare non dubitavit; aliis interim aut metu se intra silentium tenentibus, aut sensim in Lutheri placita discedentibus

Oecolampadii mors.

bus

bus: cùm post has Sacramentariorum clades, adeò Zuinglij & Oecolampadij nomen, tamquam pestilentissimorum hæreticorum, Lutherani execrationi habuerint, ut etiam scripta eorum penitùs condamnârint. Iidémque quotidianis concionibus, libris, epistolis, & carminibus victis insultantes, aiebant jure illos dedisse pœnas de injuriis Sacramento illatis.

VIII. Ipse Lutherus [o] ad Albertum Brandeburgicum Prussiæ Ducem (quem à fide & Ordine Teutonico in hæresim & connubium defecisse vidimus, quémque Zuingliani sibi adsciscere tentabant) scribens anno sequenti, hortatus est sibi cavere ab id genus erroneis spiritibus, quorum duces primi nominis nuper admodùm sustulisset Deus, horrendo judicio, quod reliquis Sacramentariis non injuriâ terrorem incutere deberet, nisi reprobi prorsùs essent & obstinati: Dogma de Christi præsentiâ in altaris Sacramento, non ex humanus traditionibus vel institutis natum, sed in Evangelio solidè, dilucidè, puréque, per indubitata Christi ipsius verba fundatum, & ab exordio nascentis Ecclesiæ toto terrarum orbe magnâ fidelium consensione creditum esse: quemadmodum non modò scripta Sanctorum Patrum Græcorum juxtà & Latinorum, sed & quotidianus Fidelium usus, & continua praxis usque in hanc horam abundè testificarentur: Hócque Ecclesiæ totius testimonium, si præterea nihil haberemus aliud, satis esse debere ut permaneamus in hoc dogmate, nec ullos fanaticos spiritus audiamus vel toleremus: cùm periculosum sit & horrendum, audire quippiam vel credere, quod communi sententiæ, doctrinæ, fideíque Ecclesiæ Vniversalis, quódque ab initio per annos mille quingentos & ampliùs toto terrarum Orbe seruatum sit & creditum, adversetur. Hæc & alia plura ejusmodi Lutherus epistolâ [p] ad Albertum. Quæ si ipsemet obseruâsset, non profectò incidisset in tot execrabiles errores, quos contra sensum perpetuum Vniversalis Ecclesiæ induxit in orbem, in propriam suæ & aliorum animarum perniciem.

[o] Vlemberg. in Vit. Luth.

LUTHERUS INVEHITUR IN SACRAMENTARIOS.

[p] Ext. to. 5. oper. Ienens.

IX. Vt autem quæ reliqua sunt belli Helvetici absolvamus; erat apud illos admodùm religiosum ac venerabile, miraculísque clarum templum Beatissimæ Virginis, quod Eremus dicebatur. Ad quod cùm Quinquepagici processionem instituissent, à senibus, puerísque, mulieribus, virginibúsque ac omni turbâ imbelli peragendam; ídque Turicenses Zuingliani ægrè ferentes, collatis copiis decrevissent templum evertere, atque Imaginem Virginis discindere atque comburere: festinantes contra illos Quinquepagici, longè eis & numero & armis inferiores, quinque illorum millia occiderunt captis quatuor vexillis; solitâ divinâ protectione eis opitulante, ad quam impetrandã constituerãt in eodem templo 18. viduas, quæ per vices senæ jugiter pro fidelium exercitu Deo supplicarent. Quibus cladibus tandẽ attriti hæretici, concordiam, intercedentibus multarum civitatum Imperialium oratoribus, cum Quinquepagicis redintegrârunt: quorũ in fide cõstantiæ, in præliis fortitudinis, in exponendo se suáque omnia pro avita religione Catholicâ asserendâ generositatis, nullo ævo memoria, laus, & gloria, intermoritura sit.

ALIA HELVETIORUM HÆRET. CLADES.

X. Hoc eodem tempore novus ortus est hæresiarcha MICHAEL SERVETUS Hispanus Tarraconensis, libros edens *De Trinitatis erroribus*. Qui diù Lutetiæ cõmoratus operam dans medicinæ, inde in Africam sese contulit, ad pleniorem Alcorani cognitionem adipiscendam: deinde eruditione & linguarum cognitione abutens, primum Anabaptistis favere incœperat, publicè docens, Baptismum parvulorum privatâ solùm Pontificum auctoritate, contra expressum Scripturæ mandatum niti; & Magistratum omnem planè rejiciens. De Eucharistiâ verò sentiebat cum Sacramentariis, nimirùm symbolum tantum esse & signum. In Sanctissimam autem Trinitatem totâ impietate invectus, Patrem solùm non Filium, non Spiritum S. verum Deum esse asserebat: ac Trinitatem esse figmentum, triceps monstrum aut Cerberum quoddam tripartitum: Deum in substantiâ suâ partes & partitiones continere, quæ ubicumque sint concomitentur quoque & adsint, ita ut in lapide sit lapis, in trunco truncus, &c. Filiũ Dei non esse secundam personam divinitatis: sed Christum hominem esse personam, tunc factam cùm homo fieret: Spiritum S. non esse simpliciter Deum, sed aliquid ex essentiâ Dei, levem solummodò & tenuem aliquam auram, quæ in creatione mundi primùm prodierit: Numquam fuisse in Lege Deum adoratum, sed Angelos Deum adumbrantes; hosque fuisse ab initio realiter, & restauratione aliquâ indiguisse postquàm illorum caput factus est Christus: Spiritum & animam hominis esse Dei substantiam; regeneratos verò aliam quam ante habuerint animam, quæ insitam deitatem contineat, accipere: Ob peccatum originis neminem damnari, cùm corpore tantùm à serpente occupato, anima libera sit, quæ ante vigesimum annum peccare nequeat: Homines sine agnitione Christi salvari posse sub Evangelio, & justificari: Turcos per orationes suas, quæ bonæ sint, promissiones Christi consequi. Hos & alios [q] errores, ac nefandas impietates docebat Servetus. Quas ferè easdem hoc ipso tempore *Ioannes Campanus* homo Germanus è terrâ Iuliacensi, qui biennio fuit Lutheri discipulus Vittembergæ, asserere non dubitavit. Eásque à Lutheri doctrinâ prodiisse, tum aliâ ratione, tum maximè cùm vocem Homousion damnavit, Doctores Catholici [r] de his agentes demonstrârunt.

SERVETI HÆRESES.

[q] *Vid. infr. an. 1553. XIV.*

CAMPANUS HÆRET.

[r] *Cochla. & Vlemberg. in Luther. Sur in Comment. Prateol. In Campan. & Servet. Cassius lib. 1. de hær. Lind. in Dubi. Gaulter. sæc. 16.*

XI. Quod etiam exprobravit *Georgius Vvicelius* itidem Germanus ditionis Hessensis: qui cùm decennium ferè Luthero adhæsisset, vir impensè doctus ubi ex lectione SS. Patrum animadvertit dogmata Lutheri tum Christi Evangelio, tum vetustis illis Patribus penitùs repugnare: illis abrogatis hoc anno ad Catholicos rediit. Quod ubi Lutherus didicit, eum carceri mancipari curavit, ceu maleficum; qui tamen innoxius repertus, liber dimissus est. Et cùm omnia Lutheranismi mysteria, conditionem, mores, genium, intimè nôsset, primus omnium totam ejus turpitudinem posteà detexit: & Lutheranis plausibilem illam detraxit Ecclesiæ primitivæ larvam, quâ tecti sese fraudulenter insinuabant. Quam ob causam acerbo eum odio prosequentes, cùm opprimere non possent innocentem, calumniis & sycophantiis conspurcare conati sunt. Ipse verò

GEORGII WICELII CONVERSIO AD FIDEM CATHOL.

egregiè illa à se amoliens, deinceps, triginta sex ampliùs annis non cessavit eos publicis scriptis oppugnare. Inter quæ præclaram initio doctámque Apologiam edidit; quâ luculentissimè rationes percensuit, quibus permotus sectæ Lutheranæ nuncio remisso, ad Catholicam Ecclesiam sese contulerit.

XII. POLONORUM VICTORIÆ DE MOLDAVO.

Hoc anno Ioannes Comes Tarnovius Russiæ Palatinus, dux exercitûs Sigismundi Regis Poloniæ, Petrum Walachiæ & Moldaviæ, olim Daciæ, Principem, Turco tributarium, qui contra fœdus, & nullâ hostilitatis denunciatione præmissâ, Pokuciam regni Poloniæ provinciam occupaverat; tribus certaminibus uno mense Augusti fudit: quorum duobus prioribus per alios utrimque duces pugnatis, tertio majoribus copiis per ipsosmet Petrum & Ioannem certatum est vigesimo-secundo ejusdem mensis, quo Ioannes cum solis quatuor millibus equitum, aut paulò pluribus, Petrum quintuplo, ut qui minùs, vel etiam decuplo, ut alij habent, majori exercitu pollentem, ingenti clade ad internecionem prostravit: Petro duobus vulneribus affecto vix fugâ evadente: captis verò tormentis omnibus & impedimentis, (præter magnum captivorum numerum, in quibus fuêre præcipui Petri ministri) & Pokuciâ recuperatâ. Extat rei præclarissimæ gestæ historia in Tomis Rerum Polonicarum, excerptâ ex ipsis Poloniæ Regis literis ad Imperatorem Carolum, qui tunc Bruxellis in Brabantiâ erat, scriptis: & in Compendio Chronicorum Poloniæ per Alexandrum Guagninum. Addunt Vapovius[s] & Neugebaverus, Regem continuò Solimanum Turcorum Imperatorem, cum quo pacem colebat, de re gesta certiorem reddidisse, ac ut clientes suos in officio contineret monuisse: Solimanum injuriam dissimulâsse, de victoriâ gratulatum esse, Petrúmque ad pacem à Rege petendam, cúmque eo colendam, hortatum esse.

[s] *Vapov. in Fragm. Neugebav. Hist. Polon. lib. 7.*

XIII. CŌMERCIUM LEGATIONUM INTER PŌT. ET MOSCUM.

Quo tempore pervenit Romam legatus Basilij Magni Moscoviæ ducis, (Regem nonnulli appellant, alij etiam Imperatorem Russiæ; de quibus aliísque ejus titulis disputat Sigismundus Liber Baro in suis de Moscoviâ commentariis) Demetrius Erasmius, unà cum Paulo Centurione Genuensi: qui cùm mercaturæ nomine Moscoviam sub Leone Pontifice, ac ceptis ab eo commendatitiis literis petiisset, animo novam viam investigandi, quâ aromata ex Indiâ contra Lusitanorum navigationes educeret; illic cum Principis familiaribus de unione cum Romanâ Ecclesiâ (ut sunt namque Mosci, ut aliàs diximus, ritûs Græcanici cultores) nonnihil egisset, denuò sub Clemente eò reversus, literas à Pontifice attulerat ad Basilium, quibus eum propensissimis adhortationibus invitabat ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ, & ad fœdus contra Christiani nominis hostes; cum insinuatione appellationis Regiæ, quam Basilius à Pontifice Romano ambire videbatur. Rediens verò in patriam Paulus, secum Demetrium Basilij legatū duxit: quem Clemens Pontifex benignè & honestè accepit, deferentem munera, & literas à Basilio, quas ex Illyrico transtulit Nicolaus Siccensis; quibus Basilius amicitiam pollicebatur, & commercium literarum ac legatorum. Tractatis à Demetrio negotiis quæ in mandatis habebat, & lustratis Vrbis Romæ antiquitatibus, dignísque à Pontifice acceptis muneribus, homo sexagenarius & eruditus Moscoviam repetiit, unà cum Episcopo Scarensi, quem Pontifex Legatum ad Basilium mittebat. Rem pluribus prosequitur Iovius proprio Commentario de Legatione Basilij Magni Principis Moscoviæ ad Clementem VII. Pontificem, cujus occasione agit etiam de Moscovitarum, seu Moscorum origine, moribus, & religione, ex iis quæ à Demetrio percepit. De quibus etiam, simul & de modo ac viâ reducendi Basilium ad fidem Ecclesiæ Romanæ, est[t] prolixa epistola Alberti Campensis ad eundem Pontificem Clementem; quâ imprimis monet ne ejus reductio tentaretur per Regem Poloniæ; qui quamvis apprimè Christianus esset, haud tamen cuperet Basilium Catholicum fieri, quoniam cùm esset ei continuum cum illo bellum, in quo sæpè à Pontificibus ac Principibus suppetias accipiebat, adeò ut etiam Crux adversùs eum prædicaretur; si fieret Catholicus, hæc auxilia cessarent, & melior potentiórque fieret causa Basilij.

[t] *Ap. Ramus. tom. 2.*

XIV. INGENS TERRÆ MOTUS IN LUSITANIA.

Principio[u] hujus anni, die 26. Ianuarij ingens terræ motus Lusitaniam afflixit: Olysiponem imprimis, quæ urbs damnum sensit inæstimabile. Rex & Regina extra urbem aperto in loco tabernacula erexerunt: quorum exemplum secuti ferè cæteri omnes, castrensi more in tentoriis sibi degendum statuerunt: ac nihilominùs terræ hiatus veriti sæpiùs locum mutabant. Duravit motus, sed tamen interpolatim, dies octo: quibus fama sparsit, Olysippone mille & quingentas magnas ædes & templa omnia funditùs corruisse. Terra passim aperta gravissimos fœtores expiravit; unde postmodum dira pestis desæviit. Eodem[x] anno mulier quædam Augustæ Vindelicorum tria horrenda peperisse dicitur monstra; quorum primum humani quidem capitis speciem habebat: at secundum bipes fuit serpens, cujus rostrum lupo pisci simile extitit, pedes quasi ranæ cauda ut colubri: tertium denique perfectus erat aper. Eadémque tempestate propè Salisburgum animal quoddam ferum quadrupes captum est, quod caput habebat hominis, barbitium crispum, pedes quasi aquilæ, plantas aut potiùs volas leoni persimiles, caudam caninam, corpus colore flavo: quod cùm ergastulo inclusum teneretur, nec edere quicquam vellet, paucis pòst diebus mortuum est.

[u] *Sur. in cōmentar. Pontan. de Reb. memor. Belcar. lib. 20. §. 35. Lit. Princ. vol. 3.*

[x] *Pontan. ibid.*

VARIA MŌSTRA.

XV. MAGNORUM DIERUM INSTITUTIO IN GALLIA.

Sub finem Iulij visus est ingens Cometa, qui ad Augusti propemodùm finem stellarum fixarum instar apparuit. *Aloisia* Regis Galliæ matertera, 10. Cal. Octobris decessit: quæ Rege filio absente, & unà cum præsente, regnum non parvâ prudentiâ administravit. Ipséque Rex injustâ nobilium vi, leges & magistratûs contemnentium, motus, Conventum Iudicum extrà ordinem primò instituit ad eos etiam manu armatâ comprimendos: quem Galli vocant Magnos Dies, *Les grands Iours*, nobilitati delinquenti maximè formidabiles. Qui tunc Pictavis mensibus Septembri & Octobri constituti, egregiam operam navârunt: fueruntque post hæc sæpè diversis aliis regni locis magnâ publicæ securitatis utilitate renovati.

XVI. MONFERRATI UNIO CUM MANTUA.

Mortuus quoque est *Bonifacius* Marchio Monferratensis, juvenis magnæ spei, & valdè

suis charus; cùm cadente currente equo collum momento fregit; qui genus usque à Palæologis Græcis Imperatoribus (ut aliàs vidimus, trahebat. Quod liberis careret, tractus è monasterio, ubi Abbatem agebat, *Ioannes Georgius* ejus patruus, solus ejus stirpis masculus, in ejus locum à subditis acceptus est. Quo procurante, Margarita Bonifacij soror Friderico primo Mantuano Duci nuptui data, mortuo patruo (quod contigit anno 1533.) eam ditionem ad Mantuanum transtulit; consentiente Imperatore, qui primùm eam occupaverat.

XVII. [y] Lesle.lib.9. ann.1529. Buchan.lib.14. hoc an. HOMO SCOTUS VIVENS SINE CIBO.

In [y] Scotiâ Ioannes quidam cognomento Scotus, homo nec literis expolitus, nec usu magno rerum peritus, nec ingenij subtilitate ad fraudem appositus, cùm in lite quâdam succubuisset, nec judicatum solveret, in asylo cœnobij S. Crucis aliquammultos dies sine cibo & potu se continuit. Re divulgatâ, à Rege in arcem Edimburgensem seorsùm ab omnium commercio sepositus, duos & triginta dies omni cibo humano abstinuit. Inde tanquam re satis exploratâ eductus, Mariæ Virginis auxilio perferre quamdiù luberet jejunium prædicavit. Romam profectus, & à Pontifice Clemente in custodiam datus, donec jejunando miraculi fidem fecisset; illinc Venetias profectus idem præstitit: demúmque Ierosolymam peregrinatus, in reditu Londino transiens, magnâ populi frequentiâ de divortio Regis Angli, déque defectione à Romanâ Ecclesiâ, quam jam tum fecerat, concionatus verbis asperrimis, conditus in carcerem, cùm propè quinquaginta dies victu abstinuisset, inde incolumis dimissus, in Scotiam revertit, ubi pro viro sancto à plurimis habitus, ab aliis pro phrenetico, traditur tamen à multis bonis viris, prophetico spiritu multa de religione in Scotiâ evertendâ, ac non multò pòst restaurandâ prædixisse.

XVIII. INSTITUTIO CONGREG. SOMASCHÆ.

Hoc eodem anno jacta sunt fundamenta Congregationis SOMASCHÆ Clericorum Regularium, auctore *Hieronymo Æmiliano* nobili Veneto & Senatore: qui variis pro suâ Republicâ muneribus egregiè perfunctus, & ex captivitate bellicâ ope sanctæ Dei genitricis per medios hostes liberatus; amore divino succensus, rejectis nobilitatis suæ atque Senatoriatûs ornamentis, ac vili indutus & pannoso habitu, puerorum parentibus orbatorum, quos orphanos vocant, quorum erat ingens Venetiis, post gravissimam ciborum indigentiam & subsecutam pestilentiam, multitudo, curam tam in sublevandâ eorum inopiâ, quàm in morum institutione suscepit; colligendo illos in certa loca, ubi educarentur, & in artibus mechanicis, atque pietatis exercitiis, necnon in literis instruerentur. In quo opere subinde multis Italiæ locis promovendo, magno cum animarum fructu, & civitatum commodo, ad extremum usque vitæ spiritum strenuè vir egregius decertavit, déque instituendâ ejusmodi Religione, quæ orphanorum curam haberet, cogitationem suscepit; cùm plures tam sacerdotes quàm alterius conditionis homines ei ad idem opus exercendum aggregarentur. Fuítque primùm hæc Congregatio confirmata à Paulo Papâ III. anno 1540. deinde à Paulo IV. institutore Congregationis Theatinorum, qui cum Æmiliano familiariter conversatus fuerat, multis privilegiis ornata: à Pio verò V. facultatem accepit profitendi tria vota essentialia; atque insuper, non solùm loca Orphanorum, verùm etiam collegia fundare, ubi Clerici Congregationis regulariter viverent, & ut nuncuparentur *Clerici Regulares S. Maioli de Papia*, quoniam illud primum fuit collegium Congregationis. Qui nihilominùs communiori appellatione dicuntur *Somaschi* à loco Mediolanum inter & Bergomum, ubi primùm multi nobiles laici & nonnulli sacerdotes Hieronymo adhæserunt, & ubi ipse demùm vitam finivit anno 1527. miraculis clarus. Habet autem Congregatio domicilia & collegia in plurimis Italiæ civitatibus; nec Italiâ egressam putamus; nisi quòd in Galliâ Patres Doctrinæ Christianæ, ut videbitur suo loco, ei aggregati fuêre, habétque generalem Præpositum triennem. Vitam autem Hieronymi illius conditoris luculenter descripsêre Augustinus Turtura ejusdem instituti socius, & Andreas Stella Congregationis Præfectus generalis. Quem & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, à se collecto reposuit.

IESU CHRISTI Annus 1532.
CLEMENTIS VII. Ann. 9.
CAROLI V. An. 14.

I. CONVENTUS RATISPONENSIS.

ANNO Christi 1532. Indictione quinta, mense Martij, Carolus Imp. Conventum totius Germaniæ Ratisponæ habuit, tum sanandis Lutheranorum Protestantium mentibus, tum providendæ Turcorum repulsioni; quorum Imperator Solimanus repulsæ biennio antè Viennæ acceptæ ignominiâ accensus, & Regem Hispaniæ in Germania esse audiens, (ita [a] enim Carolum tantummodò nominabat, eò quòd se Romanorum etiam Imperatorem esse diceret; quippe belli jure successorem Constantini Magni, qui tam Occidentis quàm Orientis fuisset Imperator) immenso exercitu comparato, & prælium cum eo conserendum properare audiebatur. Quod verò primum caput de Protestantibus respicit; cùm Principes & Civitates illius nominis, ad Conventum Ratisponensem accedere recusantes, suum specialem Suinfurti ad Mœnum fluvium eodem tempore celebrarent; consensu Imperatoris, Albertus Archiepiscopus Moguntinus, & Ludovicus Comes Palatinus Electores Imperij, ad eos pro concordiâ missi, cùm nihil egissent ob immoderatas Protestantium petitiones; denuò ad eosdem rursùm Norimbergæ mense Iunio congregatos euntes, in hoc demùm convenerunt [b] vigesimo-tertio Iulij, ut communis & publica pax constitueretur, nec religionis causâ cuiquam molestia crearetur ad usque Concilij Generalis tempus; quod intra sextum mensem à Pontifice indici, & anno pòst inchoari, curaturus esset Imperator: aut si hoc impetrari non posset, tum in Comitiis Imperij de summâ rei tractaretur. Hácque pacis formulâ, quâ libertas Religionis Con-

[a] *Iov. Hist. lib. 30. Sur. in comm.*

[b] *Ext. conventionis Acta, unà cum Cæsaris confirmatione, ap. Goldast. Const. Imp. tom. 1. & 2. prosequitúrque hac fusè Sl. lib. 8.*

Pax de religione in Germania.

fessionis Lutheranæ Imperiali auctoritate concedebatur, ab Imperatore necessitate expeditionis Turcicæ comprobatâ, (non tamen sine multorum in Imperatorem criminatione, quòd in alienam messem falcem injecisset, in grave præjudicium religionis Catholicæ, & auctoritatis Apostolicæ, quarum defensio præcipuè ad eum spectabat) tunc Protestantes, & Ferdinandi fratris Imperatoris in Regem Romanorum assumptionem approb runt, & Imperatori omnem obedientiam atque auxilia contra Turcos promiserunt.

II. Conatus contra Turcos inutilis.

His sic constitutis, Imperator colligendo exercitui intentus, Vastium cum Hispanicis copiis, atque Italorum peditum equitúmque magnâ legione, ex Italiâ in Germaniam transire jussit: & Germaniæ Principes ac liberæ Civitates pro communi salute ingentem exercitum comparârunt. Pontifex quoque quadraginta aureorum millia in singulos menses promittens, Hippolytum Cardinalem Mediceum nepotem suum, juvenem ad tractanda arma quàm ad obeunda sacra paratiorem, Legatum ad eam expeditionem misit. Verùm exitus longè à famâ & terrore dissimilis fuit, (inquit Guicciardinus [c]) quoniam Solimanus ferè Hungariam ingressus, neque enim ob apparatuum magnitudinem, atque itineris longinquitatem, pervenire citiùs potuit) cum exercitu non rectâ contra Imperatorem contendit; sed circumlatis modò armis, & ostentato bello, Constantinopolim rediit. Imperator verò audito Turcorum adventu, eis obviam minimè est progressus, & regressu cognito: occasionem Hungariam fratris imperio subjiciendi, expulso æmulo Ioanne Vaivodâ, arripiendam esse non cogitavit: verùm in Hispaniam redeundi desiderio ardens, ut tantùm Italicus peditatus cum certo Germanorum numero ad Hungariæ bellum vaderet constituit. Quod tamen consilium perturbatum etiam fuit; quoniam Itali pedites, à nonnullis ex suis ducibus, qui alios ei expeditioni præfectos cernebant, ad tumultum concitati, Imperatoris, qui eos ipsemet adiit, auctoritate nihil permoti, Italiam versùs summâ celeritate contenderunt, multos in itinere pagos, quasi hostium essent, incendentes: quod se facere, ut à Germanis in Italiâ incendia excitata ulciscerentur, aiebant. Cúmque Imperator Italiam & ipse petens, disciplinam quandam itineris constituisset; Cardinalem Medicæum juvenili impetu eam transgressum, retineri jussit, sed paulò pòst rei magnitudine ponderatâ dimitti: séque apud illum & apud Pontificem multis modis excusavit. Ita breviter de his Guicciardinus; ad ea dumtaxat animum hoc tempore intendens, quæ Italiam atque Italos tangerent.

[c] Guicc. l. 20.

III. Quid Solimanus præstiterit in Hungaria.

Iovius [d], qui aderat, eadem longè diffusiùs consueto verborum profluvio describens, præter multiplices alias seditiones inter Germanos, Hispanos, Italos, qui in exercitu erant concitatas, quas memorat, obsidionem refert ignobilis oppiduli Hungariæ Guinsij, per Solimanum & Ibraimum Bassam factam, ac fortissimam ejus propugnationem per Nicolizzam (ut ipse vocat, quem alij Nicolaum Iurizium) nec non auxilium divinum per S. Martinum, qui non longè inde natus fuerat, allatum: adeò ut terdecies oppugnatum, nequaquàm tamen vi capi potuerit, sed quâdam veluti deditione recipi: Itémque magnam cladem Cazanis Vaivodæ cum quindecim millibus Turcorum, acceptam ad internecionem mense Septembri in Austriæ finibus à Friderico Principe Palatino Rheni, auxiliorum Imperij supremo duce, eum ex improviso invadente. Quæ duo præcipua fuêre totius istius formidabilis expeditionis facinora. Nunquam enim ad certamen integrum, neque verò in conspectum exercituum vel longissimo multorum dierum intervallo ventum est; Solimano non auso ulteriùs progredi adversùs florentissimum Caroli exercitum (in quo numerabantur nonaginta descriptorum peditum, & triginta armatorum equitum millia, omnium verò pugnare valentium ducenta & sexaginta millia hominum) aut illum expectare; nec Carolo, Solimanico trecentis ferè equitum millibus constanti occurrere, vel eum persequi: neque item sustinente Carolo, præ reditûs festinatione, Hungariam fratri, id enixè petenti, quod facillimum fuisset asserere. Præter autem hæc Ioviana, (ex quo ferè sua hausit Surius) est etiam plenior narratio rerum tunc gestarum, ac præcipuè à Friderico Palatino, Melchioris [e] Soiteri, quem vidimus obsidionem Viennensem ab eodem Solimano priùs tentatam descripsisse.

[d] Iovi. Hist. lib. 30.

Ingentes utrimq; exercitus.

[e] Soit. de Bel. Panon. lib. 2.

IV. Ibraimi ars in hac expeditione.

Sed quòd Solimanus relicto Danubio, ac viâ militari, per devia & plana hinc inde errando vagatus sit sine ullo operæ pretio; exploratiorem famam fuisse, Isthuanffius [f] hanc & ipse expeditionem, ac ferè ex Iovio, enarrans, scribit, quòd Ibraimus, qui tantâ apud Solimanum auctoritate pollebat, ut circumagere eum quò vellet facilè posset; pro suo erga Rempublicam Christianam & Carolum Imp. studio, (parentibus namque Christianis natus, nunquam Christianismum ex animo deseruisse creditur) miris artibus effecerit, ut neque tanto exercitu ac virium robore, quantum anteà ducere erat solitus, neque eâ disciplinâ militari quâ necesse erat, destinatum animo bellum gereretur. Hoc arcanum animi sui institutum Ibraimum cum Carolo per occultos nuncios communicâsse, quò ipse confidentiùs; non sine certâ spe victoriæ, confligere non dubitaret: Sed publicâ sæculi infelicitate factum esse, ut Carolus copias suas, quas majores, aut certè pares hostilibus, quamvis has imperiti longè numerosiores facerent, ad Viennam conjunxerat, ferociæ & viribus barbarorum opponere, unóque nobiliore prælio rem ferro decernere noluerit. Denique ferunt alij [g]; Venetos qui pro suâ prudentiâ, se toto hoc bello quasi neutros gesserunt, providentes etiam publicæ Christianæ rei utilitati, timentes ne si uno prælio hoc bellum terminaretur, victor totum terrarum orbem sibi subjicere vellet, apud Solimanum ingentes atque invictas Caroli copias prædicâsse, apud Carolum longè numerosiores firmioréfque Solimani divulgâsse; atque ita opportuno dolo, ne concurrerent, impedimento fuisse: & ut apparuit, cum bonâ utriusque gratiâ.

[f] Isthuanff. Hist. Hung. lib. 11.

[g] Belcar. lib. 20. §. 40.

Venetorũ prudentia.

V. Male audiũt

Potuissent iidem Veneti, (ut existimatur) si classem sexaginta triremium, quam ad Zacynthum insulam habebant ad insulas &

urbes litoráque imperij sui tuendas, junxissent cum illâ quam Andreas Auria Genuensis ex Pontificiis, Imperatoriis & Melitensibus navigiis instruxerat, triginta quinque onerariarum & quadraginta octo triremium; facili negotio non solùm Himeralem Turcicæ classis præfectum, qui cum septuaginta triremibus malè armatis in Ambracio sinu desidebat debellare; verùm & ipsam quoque urbem Constantinopolim occupare, ubi pauci relecti erant qui Christianorum impetum sustinere possent, cùm in Hungariâ procul ageret Solimanus; & Græci ex ipsâ vetere libertatis suæ memoriâ, ut rebellare ex tuto possent, Christianorum classem erectis animis expectarent. Verùm ad Auriæ in eas oras adventum, excusavit Venetæ classis præfectus, quòd integrâ Senatûs fide, quâ pacem cum Solimano colebat, consociare vires, & publicos hostes persequi nequaquàm liceret. Quinimmò (ut Iovius [h] hanc Auriæ expeditionem recensens ait) creditum fuit, Venetos, ut neutris æquitate officij deesse viderentur, (adeò prudentiâ sæculi sapiunt) uno tempore & Auriæ de Turcorum classe per Corcyreos myoparones significari jussisse, & monuisse item Himeralem, ut quamprimùm eductâ classe Ionio mari excederet, ne ab Aurianâ, quæ apparatu præstaret, opprimeretur. Auria igitur, cùm intercipiendæ Turcicæ occasio præterisset Coroneam, Patras, & arces geminas, quibus ostium Naupactij sinûs utrimque clauditur, quas Dardanellas vocant, in potestatem redegit: appetentéque hieme, & audito Solimani ex Hungariâ recessu, in Italiam revertit.

[h] Iov. lib. 31.

VI. REGUM FRANC. ET ANGL. CONSILIA CONTRA IMPER.

Solimani autem recessus Italiam imminente bello liberavit, (inquit Guicciardinus [i]) quoniam Reges Galliæ & Angliæ, odio & indignationem Carolum Imper. incensi, Boloniam inter & Caletum ad colloquium convenerant: & quòd Solimanum per eam hiemem in Hungariâ mansurum, sícque vires Caroli implicatas fore existimabant, ut Gallus Mediolanum invaderet egerant: atque ut Pontificem in suam sententiam terrore, postquàm id aliâ ratione efficere non poterant, pertraherent, de regnorum suorum obedientiâ ei adimendâ, nisi quod volebant impetrarent, collocuti sunt. Volebat autem Gallus Insubriæ imperium, Anglus divortium ab uxore. Verùm hæc consilia molliora reddita sunt, postquàm Turcum retrocessisse auditum est. Ita breviter Guicciardinus; à longâ scriptione lassus, in res horum temporum quò lentiùs ita fortiùs figens pedem. Nec tamen abit ab ejus sensu Bellaius [k] Gallus: sed quòd res distinctiùs narret, quarum particeps erat, causas offensionum regiarum multis haud adeò illegitimis rationibus velare videtur: quas discutiendas illis relinquimus, qui vel damnandas, vel excusandas voluerint. Illud nihilominus vehementer miramur, ab eorum nemine mentionem factam esse tractatûs inter Reges Galliæ & Angliæ, facti pro suppetiis contra Turcos hoc eodem tempore ferendis: cujus disertissimè meminit diligentissimus Tilius in Collectione tractatuum inter duarum illarum nationum Reges habitorum: scribens, hos Reges ex eo quòd Imperator promulgâsset, ipsos sese spectatores otiosas hujus expeditionis præbuisse, quamquam rogati fuerant participes ejus esse; ut hanc notam diluerent, convenisse ut exercitum compararent octoginta millium armatorum, cum necessario tormentorum apparatu; quorum Gallus quinquaginta tria millia, in quibus undecim mille equites essent, subministrâret, Anglus viginti septem millia; in quibus quatuor equitum numerarentur; missurósque ad Principes Germaniæ, & Italiæ, aliósque per quorum ditiones trajiciendum foret, pro libero transitu poscendo. Quam conventionem factam esse tradit in eorundem Regum congressu apud Caletum & Boloniam, die vigesimâ-octavâ Octobris, & scripto firmatam. Sed non tam facile erat rem tantam exequi, quàm proponere, nec opus unius diei. Ideóque haud mirum, si in auras abiit. Sat esset utrique Regi laudis, si ex animo rem decrevissent.

[i] Guicc. l. 20.

[k] Bellai. l. 4.

VII. CAROLI ITER IN HISP.

Carolus autem in Italiam reversus, iterùm Bononiæ cum Pontifice sub anni finem congressus est; ac post multiplices tractatus, novum fœdus cum eo ac cæteris Italiæ Principibus, exceptis Venetis, pro Italiæ propugnatione pepigit: quod publicatum est in festo S. Matthiæ vigesimo-quarto Februarij (Carolo semper fausto) anni proximi; alteróque die Genuam versùs iter cepit, inde mari in Hispaniam transiturus: quod maximè, cùm aliis de causis, tum potissimùm (ut Guicciardinus ait) liberorum procreandorum desiderio, cùm uxor in Hispaniâ esset, cupiebat: parùm tamen in nonnullis à Pontifice sibi satisfactum existimans, ac præsertim in tribus; videlicèt cunctatione de indicendo Concilio generali; cupiditate despondendi neptem suam Catharinam Henrico secundogenito Regis Galliæ; & denegatione creationis trium Cardinalium quos petebat, ut vix unum Bariensem Archiepiscopum (*Stephanum Gabrielem Merinum* Hispanum, Indiarum Patriarcham, quem anno sequenti nono Calendas Martias allegit, unà cum Ioanne de Aureliâ Gallo, Archiepiscopo Tolosano) impetraverit. Adeò ut nec mitigatus fuerit occultissimâ Pontificis promissione, quâ se Angliæ Regem, & Bolenam, diris denunciationibus, & omnibus modis quibus jure posset, persecuturum recepit.

VIII. BRITANNIA MINOR UNITUR CORONÆ FRANC.

Hoc anno Franciscus Rex Galliæ, consensu trium Ordinum Minoris Britanniæ, in civitate Venetensi mense Augusti congregatorum, eorundémque petitione, decrevit Franciscum Delphinum filium suum natu majorem, Ducem Britanniæ coronati, & esse; ipsámque Britanniam unitam & annexam deinceps perpetuis temporibus irrevocabiliter esse Coronæ Franciæ. Cujus rei Acta Belleforestius [l] & Argentræus [m] recitant.

[l] Bellefor. lib. 6. c. 46.
[m] Argent. lib. 13. c. 70. 71.

IX. CHRISTIERNUS CRUD. INTERCIPITUR.

Eodem anno Christiernus Crudelis ille Rex olim Daniæ, sororius Caroli Imperatoris, & jam decennium exul, auxiliis Hollandorum, quibus amplissima privilegia in mari Balthico promiserat, classe comparatâ, cùm jam anno superiori ante hiemem ad Norvagiam appulisset, antiqua regna recuperaturus; præsenti anno, post aliquid frustrà tentatum, pacis nomine circumventus, (quâ arte & ipse alios circumvenire consueverat) parùm

integrâ fide Hafniam regiam Daniæ ductus ad Fridericum ipsius patruum regni usurpatorem, qui adversùs eum fœdus cum Gustavo æquè Sueciæ occupatore icerat; custodiæ traditus est; in quâ vixit annos viginti septem usque ad 1559. Domini, ætatis suæ septimum & septuagesimum: mutatis tamen non semel locis. Res gerebatur inter hæreticos; quales erant omnes ij Principes; ideóque absque ullâ fide aut divinâ aut humanâ. Et merebatur sævissima Christierni crudelitas, cujus aliàs meminimus, loco securo detineri, quo vetaretur illam ampliùs exercere. Nec tamen diù Fridericus pœnas, & apostasiæ à religione Catholicâ, & fraudis in nepotem, distulit; è vivis abreptus anno consequenti ad principium Aprilis. Cui post aliquot dissensiones inter Episcopos, qui Principem hæreticum regnare nolebant, & proceres regni, suffectus est *Christiernus* Friderici filius natu major, ejus nominis Tertius.

X. BUGENHAGII LIBER.

Ex Lutheranis hoc anno impurus quidam sacerdos, ac monachus excucullatus *Ioannes Bugenhagius* Pomeranus ex oppido Iulino familiâ Senatoriâ natus, quem Wittembergenses pastorem & superintendentem habuerunt, librum scripsit titulo *Adversus fures Calicis*, scatentem, de more Lutheranorum, aliorúmque hæreticorum, maledictis, mendaciis, & calumniis; impotenter incurrens in Episcopos, quòd populo Calicem subtraxerint; damnánsque Missæ sacrificium. Contra quem *Michael Vehus* Dominicanus scripsit. Sed graviores tumultus excitârunt Anabaptistæ. Inter quos *Melchior Hoffmannus* [n] pellio Suevus, (cujus artis opifices alibi etiam ducatum in hujus pestis dilatatione exercuisse vidimus) cùm post Germaniam inferiorem, ubi Apostolum agebat, peragratam, falsâ quâdam visione deceptus Argentoratum petiisset, novam ibi conditurus Ierosolymam; ausus etiam concionatores ad disputationem provocare super his articulis, quibus asserebat. Christum non assumpsisse ex Virgine carnem, sed Deum carnem ex se esse factum: Qui acceptâ gratiâ voluntariè peccaret, nunquam ampliùs in gratiam recipi: Salutem esse in nostris viribus collatam: jussu Magistratûs in carcerem conjectus; novis per urbem vatibus discurrentibus, & eum pro sancto Prophetâ venditantibus; cùm expectaretur exitûs ejus cum 144000. Prophetis qui in Apocalypsi circumstant agnum, animi mœrore dejectus, atque ab omnibus derelictus, in carceris pœdore infelicem animam exhalavit. Cujus morte evulgatâ, *Ioannes Tripenmacher* ingenti animi motu Anabaptismi negotium promovere per Hollandiam satagens; captus pariter, & Hagam-Comitis abductus, sanguine suo sectæ phreneses obsignavit, igni exustus. Post quem, Harlemiensis quidam pistor *Ioannes Matthiæ*, sive Matthæi, vir rudis & indoctus, callidus tamen & versipellis, Anabaptismi vexillum erexit, Moysen se jactans, & aliàs Enochum, novámque Ierusalem promittens. Evulgatóque opere *Restitutionis* [o] titulo, quo multa impiissima Paradoxa docebat, Synodum suorum apud Amstelrodamum secretò celebravit; quâ spiritum afflatu levi impartiens, Duodecim Apostolos, qui suum Evangelium prædicarent, elegit. Qui per diversa loca dispersi, alios quoque eâdem auctoritate Apostolicâ ad idem opus constituerunt; multis passim excitatis tumultibus, & populis dementatis. Donec severâ adhibitâ animadversione, multis resipiscentibus, cæteri aut suppliciis sublati sunt, aut ejecti aliò emigrârunt. Quæ pluribus Meshovius [p] in Anabaptistarum Historiâ prosequitur. Sed de prædicto Ioanne rursùm inferiùs [q].

ANABAPTISTÆ DISCURRUNT, ET PUNIUNTUR.

[n] *Lidan. in Dubit. Prateol. de Hær. Meshov. Hist. Anabapt. lib. 5.*

[o] *Vid infr. an. 1534. XV.*

[p] *Meshov, lib. 5.*

[q] *Infr. an. 1534. XV.*

XI. ANDREÆ SPOLET. MARTYRIUM.

Longè alio spiritu hoc item anno [r] *Andreas* Spoletinus ex Ordine sancti Francisci, coram Rege Fessæ in Mauritaniâ, & Principibus multis Mahometanis, ut palàm faceret veram esse Christi doctrinam quam prædicabat, undique flammis est circumdatus, & illæsus in his diù permansit. Quocircà Mahometani magicis artibus id attribuentes, lapidibus in eum conjectis, furentissimè illi mortem intulerunt.

[r] *Boz. de Sign. Eccl. lib. 15. c. 5.*

XII. RECOLLECTORUM S. FRANCISCI CONGREGAT.

Quo eodem anno Clemens [s] Pontifex Congregationem Fratrum Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiæ, (quos *Recollectos* posteà vocârunt) nuper institutam approbavit. Quippe, ut ait, cùm Leo X. sub nomine Reformatorum, ac purè & simpliciter Regulam sancti Francisci Observantium, comprehendi omnes & singulos Observantes, qui variis nuncupationibus distinguebantur, jussisset, ac simul omnes Fratres Minores sancti Francisci Regularis Observantiæ vocari voluisset: nihilominùs cùm nonnulli ejusdem Ordinis professores affectarent Regulam juxta ipsius literam, & Declarationes Nicolai III. & Clementis V. firmiter observare: id jam Clemens iis concessit, & conventus commodos eis à Superioribus Ordinis assignari præcepit; certas regiminis regulas præscribens, quæ continentur ipsius eâ de re constitutione, datâ Romæ decimo-sexto Calendas Decembris præsentis anni.

[s] *Bullar. to. 1. Clem. VII. const. 35.*

XIII. PRODIGIUM PUERI.

Fuit hoc tempus multis prodigiis fecundissimum, quorum nonnulla aliquoties referimus, quamplurima præterimus, quæ diversi auctores recensent. Duo hoc anno à Rovero Pontano relata reperimus, quæ non visa sunt intacta præterire. Vnum est, quod ait à Mesino equite Rhodiensi ad socios Equites & Principes Christianos scriptum; quo ait, die septimo Martij mulierem quandam in Assyriâ seu regno Babylonico, Rachienam nomine, infantem eleganti formâ genuisse, oculis & unguibus pellucidis & micantibus: In ejus ortu Solem nocte mediâ ut in meridie resplenduisse; pòst verò tantas effusas esse tenebras, ut unius diei spatio terram occupaverint. Stellas valdè peregrinas cælum pererrare visas: suprà domum ubi natus erat infans, ignem è cælo cadere, & homines consumere visum esse: postridiè magnâ tempestate coortâ nubes pluisse margaritas, tertio dein die, igneum quemdam draconem Babylonem circumdare visum: ingentem quoque ac novum montem apparuisse, qui in duas partes divisus est: & in medio ejus columnam repertam, in quâ literis Græcis excisa erant hujusmodi verba, *Hora Nativitatis venit, mundique terminus instat. Vt suscipiatis corda parate; beati qui verbum ejus servabunt:*

Infatem bimestri ætate vocem edidisse provectioris ætatis; Filiúmque se Dei dixisse, infirmos curasse, mortuos in vitam revocasse, & verum se Scripturarum interpretem ac mysteriorum divinorum præconem venditasse: attonitósque Babylonios, divinos ei honores detulisse. Ita ibi. Quæ tamen magis conficta existimamus, ad terrendos, aut illudendos homines. Aut verò si quid ejusmodi contigit, voluisse diabolum ante tempus repræsentare Antichristum, ad decipiendos mortales: permisisséque id Deum ad avertendos Christianos à tot sceleribus, timore præsentis Antichristi: qui tamen magis aures & oculos occluserunt, ne audirent & viderent monita divina.

XIV. Aliud.

Proximius fuit alterum portentum, quod idem auctor subnectit; nec tamen efficacius. In Sueviâ, ut ait, quidam puer septennis in pago Christantzhoven sæpiùs in ecstasin quamdam raptus, post multas angustias atque dolores, post frequentes pectoris contusiones sudores atque tremores, ad mentem rediit; & testatus est, Deum præcepisse sibi veritatem suam populo annunciare, ut qui hactenùs à senioribus eam audire contempsissent, à puero jam audirent. Docebat autem prudenter atque maturè passim in domibus multa piè & ornatè, & ad opera pœnitentiæ hortabatur metu extremi Iudicij; quod in januis esse, aiebat se cognoscere ex unius stellæ tribus distinctis inter se radiis. Quià tamen multa perniciosissima dogmata salutaribus immiscebat contra Trinitatis mysterium, Redemptoris meritum, Missæ sacrificium, Deiparæ cultum, &c. facilè apparuit fuisse diabolicam artem, ad decipiendos mortales. Putamúsque technas has fuisse Anabaptistarum & Enthusiastarum, qui ejusmodi sycophantiis populos dementare, & ad suas nequitias & iniquitates attrahere consueverant.

Iesu Christi Annus 1533.

Clementis VII. An. 10.

Caroli V. An. 15.

I. Legatio Æthiopica ad Clem. Pont.

Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo tertio, Indictione sextâ. cùm Clemens Pontifex Bononiæ esset unà cum Carolo Imper. (de quo egimus anno superiori) vigesimo nono Ianuarij oblatæ sunt ei literæ à Ioanne Lusitaniæ Rege, unà cum illis Davidis Regis Æthiopiæ, quas olim [a] recensuimus eo anno quo fuerunt scriptæ. Cum quibus etiam Franciscus Alvarez orator Davidis munus aureæ Crucis ejus nomine obtulit, obedientiámque præstitit. Rem memoriâ dignam narrant idem Franciscus, & Damianus à Goës in suis commentariis, de quibus tunc actum.

[a] Supr. an. 1524. XV.

II. Consiliũ Clementis de accessu ad Regem Franc.

Postquàm verò Imperator dimisso Pontifice in Hispaniam se recepit, idem Pontifex ut non solùm partem suæ gratiæ & favoris Regi Francorum impertiret, verùm etiam longè majori honore eum dignaretur, non parvâ Imperatoris invidiâ, in Galliam navigare statuit, ut cum Rege colloqueretur: agentibus id maximè apud ipsum Cardinalibus Turnonio & Grandimontano Gallis, quos Rex ad eum pro negotiis tam suis quàm Regis Angliæ miserat ad Caroli Bononiam adventum. Hunc autem congressum cùm Rex magis [b] honoris sui, quàm aliâ de causâ cuperet; quò Clementem ei faciliùs annuere induceret, se neque fœdus ab eo petiturum, neque ad bellum incitaturum, neque ipsum in Angliæ Regis negotio extra juris limites abducere conaturum, (quæ Imperator timebat) vel ad novos Cardinales creandos impulsurum, (in quo etiam Imperator repulsam passus fuerat) promittebat. Quoniam verò antequàm Pontifex iter susciperet, res Anglicæ turbatæ sunt, de iis priùs agendum.

[b] Guicc. lib. 20.

III. Henric. Rex Angl. ducit Bolenam.

Petierat Rex Henricus à Francisco Gallo, ut virum aliquem ad se mitteret, cui quod scripto mandare nolebat aperiret. Misit Franciscus Guillelmum Bellaium Langeum. Huícque Henricus significavit, ob Clementis Pontificis cunctationem, causam divortij sui coram Cantuariensi Archiepiscopo totius Angliæ Primate dijudicatam fuisse, suúmque cum Catharinâ Hispanâ matrimonium nullum pronunciatum. Subinde se Annam Bolenam uxorem duxisse coram eodem Archiepisco, Thomâ Annæ patre, ejusdémque matre & fratribus, ac Duce Norfolcio, avunculo, nullis præterea testibus accersitis. Hoc tamen celatum tantisper velle, donec quid Pontifex Romanus in colloquio cum Francisco statueret intellexisset. Qui si divortium non probaret, se ab ejus successorúmque auctoritate recedere decrevisse; scriptúmque edere, quo Romanæ aulæ in ceteros Christianos tyrannis latissimè explicaretur. Et quoniam Clemens se omnes Christianos adversus ipsum Henricum suscitaturum jactabat, nisi abjectâ Bolenâ Catharinam in pristinum locum reduceret, eademque de causâ Carolus Imperator gravissimum bellum minabatur; orare Franciscum ut in tanto discrimine Regi amico & fœderato non deesset. Pridie Nonas Aprilis Rocheforduis frater Annæ ad Regem Franciscum literarum exemplum attulit, quas ad Clementem in Henrici gratiam scribere deberet, ut causam divortij in Angliâ dijudicari pateretur: Verùm aliunde Clemens de iis quæ in Angliâ jam facta essent certior factus, & exeunte Iunio per oratores Imperatoris finem tandem huic negotio imponere astrictus, ac Cardinalibus penè omnibus urgentibus, Henrico Clemens sacris interdixit. Non tamen rem publicavit, expectans num in congressu cum Rege Francisco habendo posset ejus operâ Henricum ad sanam mentem revocare, postquàm suam jam libidinem cum Annâ explesset. Rem ita Belcarius [c] refert, ex Martino [d] Bellaio prædicti Guillelmi fratre, qui hæc fusiùs in commentariis suis Gallicis narrat.

[c] Belcar. lib. 20. §. 46. 47.
[d] Bellai. lib. 4.

IV. Divortium cũ Catharina quomodò factum.

Sanderus autem in Schismate [e] Anglicano; quæ in Angliâ circa hæc gesta sunt proliximus narrans, agit primò de quodam conventu Cleri jam anno superiori habito; quo via parata est ad Regem Caput supremum Ecclesiæ Anglicanæ declarandum, & divortium approbandum; concessâ ei ob calumniam quamdam de potestate externâ (Pon-

[e] Sand. lib. 1.

tificem intelligebant) contra regni leges agnitâ & propugnatâ, mulctæ nomine ingenti pecuniæ summâ: hæc maximè curante *Thomâ Cranmero*, olim patris Annæ sacellano, non indocto Theologo, intruso à Rege Archiepiscopo Cantuariensi post obitum Gullelmi Warami sanctissimi viri. Ad decimum verò octavum Calendas Decembris ejusdem superioris anni, Regem longioris moræ impatientem, (quamquam nondum omnia ritè disposita essent) omninò constituisse occultas nuptias cum Annâ contrahere, nec dum latâ divortij sententiâ, idque factum esse ministerio Rolandi Lei presbyteri, posteà Episcopi Lichfeldiensis, persuasi à Rege datam esse Romæ sententiam divortij. Agente post hæc Annâ, unà cum *Thoma Cromvelo*, homine vafro & ambitioso, hæresique dedito, quem Rex in Annæ gratiam ab infimâ sorte ad excelsam Camerarij regni & sigilli secreti Custodis dignitatem evexit, creans etiam Essexiæ Comitem; nec non alio *Thoma Audlæo*, homine item tenuis fortunæ, quem Rex loco magni illius Thomæ Mori, qui ut se ab hujusmodi tricis expediret, missionem à Cancellariatûs dignitate petierat, Cancellarium creaverat; (ita enim contigit, ut per tres illos Thomas, quasi per Triumviratum, Regnum Anglicanum administraretur) Regi suggestum esse, non mediocriter ad ejus negotia expedire, ut in Comitiis regni juramentum exigeretur ab Ecclesiasticis omnibus, quo eamdem Regi, quam anteà Romano Pontifici consueverant in causis Ecclesiasticis ac spiritualibus obedientiam promitterent: sic enim fore ut Cranmerus Archiepiscopus solutior jam factus ab obedientiâ Pontificis, & majori vinculo Regi adstrictus, liberiùs sententiam secundùm Regem pronunciaret. Hoc cùm Rex, tanquam hactenùs inauditum, per aliquem magnæ apud Clementem auctoritatis virum proponendum existimasset, Io. Fisherum Episcopum Roffensem elegisse; qui Regis in Clerum imminentem tempestatem veritus, cæteris persuasit Regi acquiescere, cum exceptione tamen, quam & Rex ipse proposuerat, quantùm scilicèt per verbum Dei liceret. Id tamen sic deinceps Roffensem horruisse, ut numquam sibi peccatum hoc satis expiasse visus sit, quousque proprio sanguine eluit. Cranmerum autem jam opportunum tempus quæ vellet agendi nactum, cum aliquot Episcopis ad pagum Dunstablensem, qui proximè aberat à villâ regiâ Amptilensi ubi Regina Catharina morabatur, se conferentem, sæpiùs eam citasse: cúmque illa nec adesset, neque responderet, post decimum demùm & quintum diem, sententiam tulisse, quâ necessitatem jure divino impositam Regi esse, ut Catharinam repudiaret, ac libertatem concessam ut alteram duceret, pronunciavit. Hujus sententiæ auctoritate Regem, qui jam occultè Annam duxerat, publicam cum eâdem nuptiarum solemnitatem pridie Idus Aprilis, ipsâ scilicèt vigiliâ Paschatis celebrasse; & postridie Calendarum Iunij proximè sequentis eamdem regio diademate insigni pompâ coronari fecisse. Denique septimo Idus Septembris Annam peperisse filiam Elisabetham, quam Rex summo splendore baptizandam curavit. Hæc Sanderus: eadémque alij.

V. OFFICIA MUTUA PONTIF. ET REGIS SCOTIÆ.

Quo tempore timens Pontifex ne Rex Scotiæ ex proximitate loci, & propinquitate sanguinis, ab Anglo in errorem abduceretur; missis ad eum legatis, multis privilegiis ac beneficiis in antiquâ fide stabilire satagit. Cujus paternam in se voluntatem Rex animo gratissimo prosequens, Ordines [f] regni Edimburgum decimo sexto Calendas Iunij convocans, sententiam suam de conservandâ antiquâ religione aperuit. Annuerúntque omnes, & communi consensione sanxerunt nequid de honoribus, qui Romanæ Ecclesiæ à majoribus habiti fuerant, imminueretur; quin potiùs fides, obedientia, defensio acrior Ecclesiæ jam aliquorum insidiis impetitæ, adhiberetur; hæresísque omnis quocumque religionis aut pietatis ementito velo obtecta, legum severitate coërceretur. A quibus legibus metuens sibi *Alexander Alesius* apostata Scotus, fugam arripuit, Wittembergámque secessit. Vbi nactus [g] magistrum qui inflammaret, odiosam adversus Episcopos Scotos ad Regem scripsit accusationem, in quâ præcipuè inculcabat prohibitionem ab iis factam ne populus omnis attingeret sacros libros. Pro quibus mox scripsit Apologiam Cochlæus, ostendens quàm prudenter & ad salutem animarum fidelium fiat, ut non promiscuè Scriptura plebi Christianæ communicetur, quam potiùs de ore doctorum & pastorum audire debeat. Quare tantum abest ut aliquid Alesius calumniis suis apud Regem profecerit, ut contrà Rex anno sequenti peragrans Septemtrionales regni sui partes, ac cuncta ad rectam justitiæ formam revocare studens, in eos imprimis animadvertendum censuerit, qui rei hæresis invenirentur. Vnde Edimburgi Andreas quidam Stratonus nobilis, quòd Lutheranâ peste infectus esset, ac quidam Normondus Gourlaius, qui jam anteà hæresi abjuratâ, eam denuò resumpserat, igne cremati sunt. Et Vicecomes Lithquoensis, Iacobus Borthuicus, aliíque multi eodem scelere damnati sunt.

[f] *Lesla. lib. 9.*

STUDIUM REGIS PRO FIDE CATHOL.

[g] *Cochla. & Vlemberg. in Luther.*

VI. IOANNES MAGNUS FIT ARCHIEPISCOP. VPSALENSIS.

Idem quoque Pontifex Clemens, de ceteris etiam provinciis hæresi infectis curam gerens, ut Suecanam Ecclesiam ab hæreticis oppressam sublevaret, *Ioannem Magnum* Gothum, scriptorem Historiæ illius nationis sæpissimè superiùs nominatum, virum doctum, & probum electum jam anteà Archiepiscopum Vpsalensem Primatem Sueciæ, die sexto Iunij Romæ consecravit; pallióque Archiepiscopali ornatum, in Sueciam cum potestate Legati à latere misit. In quâ, aliísque vicinis provinciis reducendis, quantoperè egregius pastor, gravissimis licèt necessitatibus arctatus, laboraverit, narrat ipsemet pluribus in Historiâ Pontificum Vpsalensium, quam literis mandavit.

VII. CAUSÆ CLEMEN-

Intereà cum nihil Carolus Imperator intentatum [h] reliquisset, quo iter Pontificis in Galliam, & colloquium ejus cum Rege interrumperet, sive ex invidiâ, sive quod, ut erat suspiciosissimus, vereretur nequid contra ipsum inter eos de rebus Italicis statueretur: perstitit nihilominùs Pontifex in deli-

[h] *Guicciard. lib. 20. Bellai. lib. 4. Belcar. lib. 20.*

TIS ITINERIS IN GALL.

beratione illud perficiendi, pacis potissimum, ut persuasum quidem volebat omnibus, conservandæ, ac belli in Turcos promovendi, Angliæque Regis in rectam viam reducendi, de Concilij item celebratione tractandi, ac denique solummodò de communibus rebus agendi causâ: cùm vera ac præcipua esset, neptis suæ Catharinæ, Laurentij Medicei olim Ducis Vrbini ex Margaritâ Comite Boloniensi filiæ, cum Henrico Duce Aurelianensi secundo-genito Regis filio connubium: quam & propterea cum Duce Albaniæ Scoto, qui puellæ materteram uxorem habebat, mari præmisit. Ipse verò quarto die Octobris cum multis Cardinalibus Pisis triremes Gallicas conscendens, satis felici navigatione paucorum dierum spatio Massiliam pervenit. De honoribus verò, qui ipsi venienti, commoranti, & recedenti exhibiti sunt, meminit Iovius.[i] Eximios verò fuisse, nemo dubitare poterit, qui Gallorum Principum magnificentiam noverit. Ad Regis ad Pontificem accessum oravit Latinè & eleganter Ioannes Bellaius Episcopus Parisiensis, vir doctus, posteaque Cardinalis, (frater Guillelmi quem nuper diximus in Angliam à Rege missum, & Martini qui hæc descripsit[k],) hunc congressum summæ felicitatis, maturum jam publicæ pacis fructum allaturum ominatus, regióque nomine obedientiam ei obtulit, ut diserte vocavit, filialem, quam paternâ benignitate suscipere rogavit. Gravissimis inde consultationibus extracti aliquot dies, tanto consiliorum silentio, (ut Iovius ait,) ut ne arbitrum quidem qui lumen proferret nocturnis colloquiis admitterent. Ipsorum enim cubicula paries tantùm cum secretis foribus dirimebat. Nuptiæ inter Henricum & Catharinam quamquam juniores, cùm Henricus quindecim tantùm annos septemque menses natus esset, Catharina tredecim, celebratæ sunt, consummatæque, incredibili Pontificis gaudio; tantâque omnium Principum, minorúmque ordinum contentione in implendis totius munificentiæ officiis, ut neque jucundiori comitate, neque effusiori sumptu, neque liberiori lætitiâ celebrari potuerint. Quod & in reliquis quoque rebus toto conventûs tempore, quod triginta quatuor dierum fuit, summâ curâ observatum est.

[i] Iov. hist. lib.31.

[k] Bellai. l.4.

VIII. REGIS MUNIFICENTIA ERGA PONTIF. ET CARDIN.

Rex ipse Franciscus, suâ peculiari liberalitatis laude supra ceteros Reges & Principes ejus temporis maximè insignis, seipso splendidior apparuit. Singulis enim Cardinalibus opulentæ ex Galliæ sacerdotiis pensiones dono datæ: honestatique sunt amplissimis muneribus, qui vel studio partium, vel Pontificis gratiâ pollebant: & ij ante omnes præcipuâ benignitate, qui optimarum litterarum, & præstantis ingenij famâ noscebantur. Hos Rex ipse omnis elegantiæ arbiter, & nobilissimarum artium peracutus æstimator, in summam familiaritatem erudito sermone pertrahebat. Neque passus est se donis à Pontifice superari. Nam cùm Pontifex Monocerotis bicubitale cornu, aureæ celatæ basi inclusum ad depellenda epulis venena dono dedisset; id latissimo aulæo rependit, in quo Belgarum arte suprema Christi cœna cum discipulis serico atque auro intexta visebatur: (quod etiamnum visitur Romæ, explicari solitum quando Pontifex in die Cœnæ Domini pedes pauperum lavat:) necnon gemmâ nobili, pretium omne superante, quæ Tolosæ in Ecclesiâ Sancti Saturnini asservabatur, Pontifici expetitâ. Dedit & cupiditati Hippolyti Medicis Cardinalis, cùm ingenuo pudore majora dona repudiasset, mansuefactum leonem eximiæ proceritatis, quem è Mauritaniâ Hariadenus Barberussa cum legatis transmiserat.

IX.

[l] Guicciard. lib.20. ad fi.

Cæterùm contra[l] multorum, ac præcipuè Imperatoris opinionem, nullum fœdus inter Pontificem & Regem est constitutum: etiamsi verum sit, Pontificem semper se ut Mediolanensis principatus pro Aurelianensi jam neptis suæ viro occuparetur, propensum ostendisse, quod & Rex, odio quo in Imperatorem flagrabat, magnoperè cupiebat. In Angliæ verò Regis causâ non modò Rex nihil à Pontifice impetravit; verùm etiam ob Angli Regis ministrorum inurbanitatem, & quia eos in Pontificis cubiculo contra ipsum protestantes, & ab ipso ad Concilium provocantes invenit; se eâ re iratum ostendens, sibi si in eum Regem suo jure ageret, minimè molestum fore dixit. Ita enim Guicciardinus. Sanderus[m] ampliùs; Franciscum etiam dixisse aliis Henrici legatis, qui ex vi fœderis auxilium postulabant; aliis in rebus omnibus se fratris animum Henrico præstaturum, sed in iis quæ contra religionem fierent nolle se cuiquam associari. Quam piissimam Regis Christianissimi vocem, Polus qui tum vixit copiosissimè meritoque laudavit. De re verò ipsâ Belcarius[n] ex commentariis Bellaij refert; Franciscum multùm laborasse ut Anglum Clementi reconciliaret; sed quòd dirarum in eum imprecationes jam expletæ fuissent, Cardinales intercessisse, & ut hoc caput Romam, ubi omnes convenirent, discutiendum transferretur, curâsse; interim Franciscum, ut Henricus ad Romani Pontificis observantiam rediret, operam daturum.

DE CAUSA REGIS ANGLIÆ QUID IBI ACTUM.

[m] Sand. de Schism. l.1.

[n] Belcar. lib. 10. §. 49.

X.

[o] Guicc. ibid.

CARDINALES MASSILIÆ CREATI.

De cæteris unum fuisse in quo Pontifex minùs gratum aliquid à Rege passus sit Guicciardinus[o] scribit, nimirùm cùm tres Cardinales creare rogatus ab eo fuit. Id enim Pontifici, non modò quia oratores Imperatoris, qui ex tribus quos nuper Bononiæ petierat vix unum obtinere potuerat, repugnabant; verùm etiam quia ad futurorum Pontificum creationem, Gallicæ genti, in quâ jam tunc sex erant Cardinales; tot alios addere, res magni momenti videbatur, molestum extitisse: concessisse tamen minoris mali gratiâ: in cæteris omnibus Pontificem & Regem amicissimos, atque in mutuâ fide inter se mansisse. Fuerunt porrò ibidem Massiliæ creati septimo Idus Novembris Cardinales *Ioannes le Veneur* ex Comitibus de Tiliers in Normanniâ Episcopus Lexoviensis, magnus Franciæ Eleemosynarius: *Claudius de Givri* patruus uxoris Brionis Franciæ Admiralij; & *Odetus de Castilione* ex gente Coliniâ, Momorantij ex sorore nepos, adhuc puer qui nondum annum ætatis undecimum attigerat. Quibus & quartus addi-

tus est ex præcedenti promissione Pontificis, *Philippus de Camerâ* Albaniæ Ducis frater uterinus, monachus S. Benedicti, & Episcopus Boloniensis, unde etiam nomen tulit Cardinalis Boloniensis. Omnibus autem expeditis Clemens Romam reversurus, decimo Calendas Decembris Massiliâ solvit: & magnâ maris molestiâ affectus, Savonam appulit; indéque Auriæ navibus Civitatem veterem; ac mox Romam summâ cum auctoritate, & mirâ felicitate apud eos præsertim qui eum in arce Angelicâ captivum viderant. Qui nihilominùs quasi præsagiens quæ intra paucos menses futura erant statim post suum reditum, sepulchrum, & amictum omnem quo Pontifices cùm sepeliuntur ornari solent, sibi fieri curavit; ac familiaribus suis sedatissimo animo se brevì moriturum dixit; nihil tamen interim ex consuetis studiis & cogitationibus deponens, quo familiæ suæ in aliis etiam rebus prospiceret.

XI. CONDITIONES A PONT. PROPOSITÆ PROTESTANTIBUS PRO CŌCILII CELEBRATIONE.

Priusquàm verò Pontifex in Galliam iret; ut satisfaceret aliquo modo petitioni Imperatoris de Concilio celebrando, Hugonem Rangonium Episcopum Rheginum, unà cum oratore Imperatoris, ad Ioannem-Fridericum juniorem (pater enim ejusdem nominis mortuus erat jam anno superiori; nec filius minùs addictus Luthero fuit) Electorem Saxonicum Protestantium principem misit, qui ejus animum de hujusmodi Concilij celebratione inquireret, ne indictio ejus frustrà fieret. Cùm ad eum Vinariam accessissent, obtulit Rangonius quædam capita de illius celebrationis modo, loco, & tempore, de quibus primò conveniendum esset. 1. ut esset liberum atque commune: 2. ut decreta ejus ab omnibus observari deberent: 3. ut qui per se adesse non possent, mitterent legatos: 4. ut nihil interim innovaretur: 5. ut loco idoneo & salubri celebraretur, putà Bononiæ, Placentiæ, aut Mantuæ: 6. ut si qui fortè Principes non venirent, aut mitterent, Pontifex nihilominùs in actione progrederetur: 7. si Concilij decretis non obediretur, Imperator ac Principes ipsius defensionem susciperent: 8. si ad hæc postulata Germaniæ Principes commodè responderent, Pontifex re deliberatâ cum aliis etiam Regibus, Concilium intra sex menses indicturus esset; anno deinde pòst inchoandum, ut interim res necessariæ comportarentur, & omnes sese ad profectionem compararent. Ad quæ Saxo respondit, rem se cum sociis communicaturum, quibus diem vigesimum quartum Iunij Smalcaldiam ut convenirent condixisset. Ibi ad articulos primum, secundum, quintum, & septimum, multa excipientes, planum fecerunt velle se ac nolle Concilium; uti has illorum technas detexit Ioannes Cochlæus libello ad Primatem Scotiæ Archiepiscopum Sancti Andreæ scripto: cùm videlicèt peterent ut Concilium celebraretur in Germaniâ, ubi nequaquàm liberum foret Catholicis absque tumultu statuere aliquid contra Lutheranos: ut in eo Imperator præponeretur Pontifici Principes & nobiles Cardinalibus & Episcopis, curarétque Imperator rem ex verbo Dei judicari, nec Papa, cùm pars esset, etiam Iudex fieret: de fidei quæstionibus

REIICIŪTUR A PROTESTANTIBUS.

æquè decernerent doctores laici: ut nulla esset obligatio parendi ejus decretis, quoniam hoc esset contra Christianam libertatem. Sícque his tergiversationibus nihil tunc geri potuit. Fuítque profectò mira Protestantium versutia; & erga suos auctoritas; quòd persuadere iis potuerint, se nihil magis petere quàm Concilium, & tamen cùm offerretur iterùm persuadere non esse legitimum.

XII. LUTHERUS INIURIUS IN GEORG. DUCEM.

Nec verò ferè æquiorem se præbuit idem Elector in Georgium Ducem Saxoniæ agnatum suum, cùm Georgius Princeps valdè Catholicus gravissimè à Luthero injuriosissimis conviciis, opprobriis, & contumeliis scripto læsus, quò prohibuisset Lipsiæ suæ ditionis oppido ne communicaretur, ut clàm fidebat a nonnullis, sub utrâque specie, & qui obstinati essent in alias terras amandasset; questus de Luthero apud Electorem esset. Quamvis enim visus sit Elector Luthero pœnam minari, nisi se purgaret; nihilominus cùm ille his furiosior factus, ut erat totus felle tartareo compositus, acriùs in Georgium invectus fuisset; Cochlæus virulentis ejusmodi scriptis apologeticum pro Georgio opposuit: cui tamen rursùm Lutherus virus rependit. Donec cùm metus esset, ne duo hi Principes inter se committerentur, utriusque consiliariorum in unum convenientium judicio res ita composita est, ut tam Luthero quàm Cochlæo aliísque interdictum esset, ne deinceps suis de religione contentionibus ullam intermiscerent mentionem horum Principum, aut urbium illorum.

XIII. LUTHERI COLLOQUIUM CUM DÆMONE.

Memorant autem qui familiariter cum Luthero vixerunt, eum hoc ipso anno per æstatem frequenter nocturnis terriculamentis infestatum fuisse, & horrendis somniis perturbatum, de fine mundi, & extremo judicio. Cujus etiam anni fine prodiit tandem in lucem historia nocturnæ disputationis, quam ipsum de sacrificio externo, & sacerdotio novæ legis cum diabolo habuisse superiùs [p] diximus. Qui tractatus cùm in publicum prodiit, scripsit mox contra eum Cochlæus, indefessus Fidei Catholicæ athleta. Fuéréque varia de eo ceterorum hominum judicia. Catholicos quidem in fide majorum de sacrificio & sacerdotio novæ Legis non parùm confirmavit, cùm in eo præceptorem apertè prodi cernerent, cujus magisterio Lutherus ejus impugnationem didicisset. Offendit verò & Lutheranos quosdam illa disputandi ratio. Nec deerant qui eum ad Sacramentarios propendere suspicarentur, quòd in Missâ post consecrationem nudum panem & vinum, per diabolum sic edoctus, diceret. Sed de hoc Epistolam apologeticam scripsit sub initium anni sequentis ad nobilem quemdam; quâ sententiam suam de Eucharistiâ confirmans, profitetur credere se, ubicumque locorum mysterium Eucharistiæ ritè celebretur, sive hoc inter Lutheranos fiat, sive inter Papistas, in Græciâ, in Indiâ, etiam cùm sub una tantùm specie porrigitur Sacramentum, ibi sub specie panis verum adesse Corpus Christi, quod pro nobis in Cruce pependit; sub specie vini verum ejus Sanguinem qui pro nobis effusus est: non spirituale, vel imaginarium, sed verum & naturale cor-

[p] *Supr. an. 1521. III.*

EIUS SENTENTIA DE EUCHARISTIA.

pus, quod sine viri consortio de Spiritu sancto conceptum, & formatum non ex humano semine, nunc ad dexteram Dei residet in majestate; quod ipsum Corpus & Sanguinem, non ij tantùm qui digni sunt, sed & indigni peccatores ore corporis verè suscipiunt cùm ex altari distribuitur. Hanc esse de Eucharistiâ, sempérque fuisse fidem suam, quam sibi nemo sit ablaturus. Neque se hoc tractatu Sacramentum vel Eucharistiam oppugnâsse, sed Missam tantùm, quâ pro sacrificio habetur; quam funditùs sublatam cuperet, Eucharistiâ superstite.

XIV. [q] Bullar. to. 1. Clem. VII. const. 37. Institutio Congregationis S. Pauli Decol.

Hoc anno approbata est à Clemente Pontifice per constitutionem [q] datam Bononiæ 18. Februarij, Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, nuper Mediolani instituta. Vbi cùm eo tempore quo civitas ab hostibus direpta fuit anno millesimo quingentesimo vigesimo-sexto, celebris quidam concionator nomine *Seraphinus* Firmanus canonicus regularis afflictissimum populum concionibus suis consolari satageret; tres viri nobiles Spiritu sancto inflammati, mundo renunciare statuerunt; videlicèt *Iacobus Antonius Morigia* & *Bartholomæus Ferrera* Mediolanenses, ac *Franciscus-Maria Zacharia* Cremonensis. Qui à prædicto Seraphino instructi, homines ad pœnitentiam exhortantes, & publicis Epistolarum S. Pauli Apostoli lectionibus benè vivendi normam edocentes, multis aliis in consortium suum allectis, Congregationem quam diximus instituerunt, in communi viventes, & tria vota substantialia Religionis servantes: acceptâ primùm ad sua officia exercenda Ecclesiâ sancti Barnabæ Mediolani, quæ antiquum erat oratorium Canonicorum Regularium; unde & posteà Barnabitarum denominationem sortiti sunt. Eandem verò Congregationem post biennium confirmavit, & privilegiis auxit Paulus III. aliique subinde Pontifices, ac præcipuè Gregorius XIII.

XV. Stifelii deliriū de fine mundi.

Hoc item anno delirus quidam monachus apostata è primis Lutheri discipulis, *Michaël Stifelius* Eslingensis, vaticinatus est extremum mundi diem futurum mense Octobri. Erat is ex eorum numero, qui Lutherum velut Evangelistam, adeóque ceu tertium & ultimum Eliam admirabantur; quem Angelum illum Apocalypsis esse dicebat, volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram: se verò septimum [r] esse cujus tuba cùm insonuerit, rerum omnium finem denunciatura esset: se quidem invitum hunc Christi adventum denunciare, sed urgeri divino mandato. Re cum Luthero communicatâ, scriptum obtulit, cujus erat summa, anno præsenti millesimo quingentesimo trigesimo-tertio, decimo mense, scilicèt Octobri, hebdomade quadragesimâ-secunda, secundo ejus die, sub octavam horam matutinam, adventum Christi Iudicis, extremúmque sæculi diem imminere: Christum hominem ignorâsse diem hunc, dum adhuc mortalis fuit, scivisse tamen eundem, posteaquàm revixit superatâ morte, & secretum hoc manifestâsse priusquàm ascenderet in cælum. Annum porrò supputabat ex his verbis, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum; item, Videbunt in quem transfixerunt: quorum priora, si literæ numerales colligantur, continent numerum anni 1532. posteriora 1533. Cúmque 1532. absque effectu transîsset, id adeò obstinatè de 1533. asseverabat, ut cùm Lutherus dissuaderet, mirari se vehementer diceret quòd rem adeò certam non perspiceret: multíque fuerint, qui ejus obstinatione moti id sibi persuaserint. Postquàm verò sancti Lucæ festum decimo-octavo Octobris (quem diem expressis verbis edixerat) præteriisset, res in ludibrium abiit. Ac nihilominùs Stifelius Wittembergæ in carcerem conjectus, Lutherum monentem ut vel tunc demùm, cùm jam bis sibi impositum videret, à delirio in sanam mentem rediret, asperè excipiens, permansit usque ad vitæ exitum (qui contigit anno Christi 1567. octogenario) in suis subinde renovatis fatuitatibus ex numerorum vanâ superstitione: quem quidem cognitione Arithmeticâ excelluisse tradunt, qui ejus de illâ scientiâ quæ extant [s] scripta laudant. Scribítque Nicolaus Selneccerus, qui morienti adstitit, cùm extremum duceret spiritum, mortem cum quâ luctabatur salsè risisse. Lutherus autem, licèt improbaret Stifelij temeritatem, certum tempus designantis; nihil tamen dubitandum dixit, quin in proximo esset ultimus dies; séque illum expectare perpetuò post vernum æquinoctium in Aprili circa Paschatis festum, cùm omnia per hiemem mortua reviviscunt: & habere causas, cur sub illud tempus Christum venturum ominaretur.

XVI. Pugna navalis inter Venetos et Turcos.

Hoc eodem anno ineunte æstate, obsessâ à Turcis Corone civitate Peloponnesi, quam anno superiori ab Auriâ Genuensi captam vidimus; idem Auria cum navibus Pontificis, Imperatoris, & Hospitalariis ei subvenit, commeatum quo carebat introducendo, haud magno alio operæ pretio. Erat in classe Turcorum Morus quidam nomine, archipirata Alexandrinus, rei militaris & nauticæ peritissimus. Hic cùm ortâ dissensione inter duces Turcos, ab iis discessisset, ac Græciæ littora cum tredecim triremibus, excursionibus infestaret; Canales Venetæ classis ad custodiam ditionum Venetarum constitutæ eximius imperator, in vindictam ardens, quatuordecim triremibus è Cretæ portu eductis, in eum cursum intendit, atque intempestâ nocte fortè obvium habuit: nec morâ, initâ pugnâ, nam luna pernox erat, acerrimè longo tempore dimicatum est; quousque Morus gravibus vulneribus affectus captus est, ejúsque triremes, aut demersæ, aut captæ, nonnullis fugâ Alexandriam petentibus. Quòd autem pax esset ac servaretur inter Venetos & Turcos, ubi res confecta fuit, ambo duces egregiâ simulatione veniam deprecabuntur, quòd falsâ de hoste conjecturâ decepti ad pugnam devenissent: Moro Venetos se pro Aurianis, Canale Morum pro Barbarossâ accepisse prædicantibus. Rem egregiè gestam narrant Iovius [t], & Iustinianus [u], nonnihil tamen diversè: in eo verò non parùm, quòd Iovius Solimanum eam ducis sui injuriam non solùm non iniquo animo tulisse ait, verùm etiam Canalem laudâsse quòd vim illa-

[r] Apocal. 10.
[s] Gesner. in Biblioht. Bucholcer. in Indic. an. 1567.
[t] Iovi. Hist. lib 31.
[u] Iust. Hist. Ven. lib. 13.

tam fortissimè repulisset. Iustinianus, Solimanum vehementer commotum arma statim in Venetos in vindictam rupti fœderis induisse; nisi Baili Veneti prudentiâ maturè imminenti periculo occursum fuisset. Misisse verò Senatum alium legatum Constantinopolim, qui blandioribus quantum potuit verbis Solimanum hortatus est ad Venetam amicitiam more solito prosequendam: noctis enim errore factum esse ut amicæ classes inter se concurrerent nec in Venetâ gente ullo unquam tempore mentem fuisse nocendi invictissimo Imperatori Solimano, cujus societatem magno semper studio omníque officiorum genere Patres in quâlibet fortunâ sanctè coluissent. Proinde sua Imperialis Majestas solitâ benevolentiâ Venetos amplecteretur; certóque sciret, constantem Senatûs esse voluntatem colendi, observandíque in perpetuum Turcorum nomen. Addidisse posteà Solimano, ac Bassis munera; quibus viri industrij officiis sedatus sit omnis belli motus, quem Patres ab Asiâ in Rempublicam erupturum verebantur. Ita Iustinianus. Et quis etiam Turco ferocior ad tantam Reipublicæ demissionem placatus non fuisset?

XVII. [x] Leunclav. lib. 18.

Quod ad Barbarossam, quem Canales impetiisse videri voluit; fuit is, ut ex Historiâ Turcicâ [x] intelligitur, Mitylinæus ex insulâ Lesbo Ægei maris, dictus à Turcis Chairadines, quod strenuum, vel benè meritum significat; ex quo Iovius Hariadenum fecit: qui à multo tempore piraticam exercens, sæpiùs cum Christianis conflixerat, ac demùm in litore Africano Cæsaream occupaverat, quæ Algerium recentiori appellatione dicitur: Italis notissimus suis excursionibus factus, *Barbarossa* à colore barbæ frequentiori nuncupatione dictus. Fuerat & Selimo Solimani patri ex famâ notus; cui & munera missitare consueverat. Hoc verò tempore à Solimano per legatos rogatus Constantinopolim accedere, per honorificè ab eo exceptus est; officióque honoratus supremæ maris præfecturæ; cum annuâ pensione octoginta millium aureorum; & inter Vezires & Bassas allectus. Ita Annales Turcici. Ad quos observat Leunclavius [y] fuisse nunc primùm à Solimano novam hanc repertam dignitatem, ut maris præfectus non ampliùs esset Sangiacus, seu præses Calliopolis, ut hactenùs fuerat, sed Beglerbegus, (quo nomine censebantur summi provinciarum aut regnorum Gubernatores, quibus Sangiaci civitatum seu minorum provinciarum suberant) hoc est supremus universi Turcici maris præfectus, cui subsint cæteri omnes regionarij. Sunt quippe toto Imperio Turcico tres dumtaxat Beglerbegi: Romaniæ, sive Græciæ & Europæ; Anatoliæ, vel Asiæ; ac Maris. Addit auctor [z], ex Iovio [a], non fuisse hunc Chairadinem, qui Algerium ceperit; sed fratrem ejus natu majorem, Horuccium dictum, paritérque Barbarossam; qui rem consecutus è piraticâ, Selimem Arabem regni Algeriensis hæredem, cui rogatus suppetias tulerat, per insidias in balneo necavit, & urbem cum regno sibi per vim asseruit: Extincto deinde Horuccio equestri certamine ab Hispanis, qui Regi Tremisenio auxiliares ierant, Hariadenum ejus fratrem in possessione regni Algeriensis successisse. De quo plura annis consequentibus.

De Barbarossa pirata.

[y] Ibid. & Pandect. num. 229.

[z] Id num. 227.
[a] Iovi. Elog. lib. 6. & Hist. lib. 33.

XVIII. Oppidũ à dæmone cõbustum.

[b] Erasm. 27. ep. 20.

Hoc anno, decimo Aprilis, feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ, oppidum Germaniæ Schiltach, distans à Friburgo Brisgoiæ, ubi tunc Erasmus erat, octo milliaribus, totum subitò conflagravit arte dæmonis. Rem narrat Erasmus [b], ad Damianum à Goës equitem Lusitanum scribens. In quâdam scilicèt caupona dæmonem sibilo signum dedisse aliquâ ædium parte. Cauponem suspicantem esse furem ascendisse, neminémque reperisse. Eodem signo rursùs ex altiore cœnaculo reddito, & huc ascendisse cauponem. Cùm nec illic quisquam appareret, sibilum auditum esse è fastigio fumarij. Illico tetigisse cauponis animum, esse dæmoniacum quiddam. Accitos esse sacerdotes duos; adhibitum exorcismum: respondisse se esse dæmonem qui vellet oppidum exurere. Minitantibus illis respondisse se pro nihilo ducere minas eorum quòd alter esset scortator, uterque fur. Aliquantò post mulierculam, quâ cum habuerat consuetudinem annis quatuordecim, cùm interim illa quotannis & confiteretur, & acciperet Eucharistiam, sustulisse in aërem, imposuisséque fumarij fastigio: tradidisse ollam; jussisse ut inverteret: invertisse, & intra horam totum oppidum exustum esse: mulierem scelus confessam supplicio affectam esse. Ita Erasmus: qui verisimile putavit, dæmonem indignatum ob inductum rivalem cauponis filium, & oppidum perdidisse, & mulierem.

XIX. Erasmi liber de concordia.

[c] Eras. 27. ep. 43.

Quo eodem anno idem Erasmus libellum edidit de amabili Ecclesiæ concordiâ, enarrans psalmum 84. ubi formulam quandam concordiæ præscribit Catholicis & Lutheranis; in utrisque multa requirens, & utrosque ad officium revocans; semper de more dubius, & utrisque placere studens. Questus tamen reperitur [c] ipse ad Cardinalem Caietanum, de his qui libellum hunc malâ fide tractâssent. Cujus cùm eâ de re literas vidisset Clemens Pontifex, sciscitatus, ut ait, à Cardinale quid de eo sentiret, respondisse tradit, nihil in eo se mali invenisse, eámque vocem Pontificem summâ cum alacritate suscepisse: Vt sit hoc in aliquam ejus excusationem, cùm quæ ipse scriberet, essent qui vel perperàm interpretarentur, vel pravè corrumperent.

XX. Aristoteles redivivus.

Mortuus hoc anno est Patavij, anno ætatis suæ septuagesimo-quinto *Leonicus Thomeus* Venetus, philosophus præstantissimus, qui libros Aristotelis Græco sermone primus ibidem Patavij omnium mortalium publicè docuit, Platonis majestatem propè abolitam restituit, & multa prætereà scripsit. Eodémque anno mortuus dicitur sexto Iunij (vel Iulij) anno ætatis sexagesimo-tertio, *Ludovicus Ariostus* poëta Italus inter primos Etruscæ linguæ celebratissimus, nec inter Latinos postremus, nobili genere Ferrariæ natus: coronatus anno præterito Mantuæ à Carolo Imperatore coronâ laureâ. Cujus elogium videre est apud Iovium, Guazzum, & alios.

Ludov. Ariostus.

XXI. [d] Vapov. in Fragm. Neugebav. Hist. Pol. lib. 7.

Mortuus [d] denique hoc item anno circa brumæ initium *Basilius* Moscovitarum Dux

BASILII MOSCI OBITUS.

adversâ valetudine aliquamdiù conflictatus, anno ætatis 47. filio *Ioanne Basilide* quinquenni testamento successore relicto; qui natus dicitur anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo-octavo, die vigesimo-quinto Augusti. Ejus verò dubium ortum recenset Paulus Oderbornius in ejus Vitâ, quam tribus libris conscripsit. Dum adolesceret, ejus Imperium variis agitatum est modis, hinc patruis, illinc tutoribus, cæterisque magnatibus invicem dissidentibus, & summam rerum ad se trahentibus, ut ferè consuevit in minori Principum ætate: cùm non desinerent intereà Mosci Poloniæ provincias de more infestare, vigente à multo tempore inter eos populos internecino odio. Postquàm verò Basilides habenas Imperij sumpsit, crudelissimum patrem longè crudelitate superavit; sive id naturâ, ut plerisque visum, sive ut ipse dicebat, subditorum malitiâ atque perfidiâ; de quâ nobis sæpiùs agendum inferiùs.

IESU CHRISTI Annus 1534.

CLEMENTIS VII. An. 11.

CAROLI V. An. 16.

I.

ANNO Christi millesimo quingentesimo trigesimo-quarto, Indictione septimâ, oblata a Solimano Turcorum Imperatore pace [a] æquis conditionibus Clementi Pontifici, Carolo Imperatori, & Ferdinando Romanorum Regi, cùm Carolus sententiam suam cunctantiùs de more gentis explicaret, omnis componendi negotij facultas sublata est. Et nihilominùs Corone urbs Peloponnesi, quam Solimanus repetebat, imprudentiâ Hispanorum qui eam custodiebant derelicta, ad Turcos rediit, cum cæteris quæ Auria biennio antè ceperat: sive id fuerit metu Barbarossæ præfecti maris Solimani, qui Constantinopoli cum classe centum ferme triremium solvens, eas oras legit, & in obsequio Solimani confirmavit. Qui [b] deinde in Tyrrhenum mare deflectens, Messanæque fretum trajiciens, expilatis aliquot oppidis Capreas supra Neapolim pervenit: tantúmque terrorem universæ oræ maritimæ injecit, ut plerique affirmârint, si Neapolim aggressus fuisset, haud difficulter opprimere potuisse. Eodem cursu Procidam, ac deinde Fundos, Tarracinam, aliáque loca, incendiis, cædibus, captivitatibus deformans, Romæ maximam trepidationem intulit. Verùm alio consilio in Africam navigationis iter arripiens, Muleassem (ut vulgò vocatur, qui rectius *Mulei*, quod Regem vel dominum significat, *Assan*, sive Hassan, quod proprium nomen fuit, dici debere volunt illius linguæ periti) Tuneti sive Tunisis tyrannum, cum fratre Roscete natu majore de regno contendentem, astutâ introductionis Roscetis, qui à Tunetanis, crudelitatem Muleassis (quâ inter cætera Maimonem duorum & viginti fratrum natu maximum, cæterósque omnes, secundogenito Roscete excepto, qui manus ejus evasit, unà cum eorum filiis, aut peremerat aut excæcaverat) execrantibus diligebatur, simulatione, depulit: urbémque ac totum regnum occupans in verba Solimani invitos licèt jurare compulit, quousque anno sequenti Muleasses à Carolo Imperatore regno restitutus est, ut videbitur.

[a] Isthuanff. Hist. Hung. lib. 12. Iovi. lib. 32.

[b] Iovi. lib. 33. Sur. in comment. Mauro. Hist. Venet. lib. 4.

BARBAROSSÆ INCURSIONES.

II.

Quo tempore Barbarossa Constantinopoli recessit, etiam Solimanus cum ingenti exercitu in Persas movit, adversùs Tammasum [c] Regem Ismaëlis filium, bellum contra Solimanum, in vindictam injuriarum quas Ismaël à Selimo Solimani patre acceperat parantem. Fuit autem ad hanc expeditionem Solimanus maximè concitatus ab Ibraimo Vesire, de cujus potentiâ apud Solimanum dictum est superiùs [d]: qui clam Christianis favens, Solimanum ab eorum invasione, specie ac spe potiundæ Persidis, avertit, indignantibus cæteris Bassis, & matre atque uxore Solimani, quæ Ibraimum oderant, toto conatu dissuadentibus. Sed aderat prætereà Vlamanes, qui è Tammaso profugus ad Solimanum se contulerat, eúmque ad suscipiendam expeditionem animabat. Progressus autem usque ad Armeniam majorem, cùm nullus hostis occurreret, (fuit enim Tammasi consilium, relictis urbibus montes petere, donec suas copias adauxisset) Taurisium petiit, & absque ullo maleficio prætergressus, Sultaniam se contulit, quæ olim Persarum regia à Tamerlane devastata fuerat; ubi Solimanus sævissimâ è montibus proximis tempestate penè cum universo exercitu obrutus, in Assyriam profectus est, nullóque negotio Babyloniam recepit. In eâ urbe Caliphæ summi sacrorum principis sedes est, qui ex veteri instituto & adoptat & confirmat Assyriæ Reges: ita ut etiam Solimanus ab eo insignia & ornamenta ejus regni accipere voluerit; magnâ propensione ab Assyriæ & Mesopotamiæ populis exceptus. Quare, & quòd sit illa urbs amplissima, in eâ hiemare statuit, exercitu per cæteras regionis urbes in hibernis collocato. Ita namque rem narrat Iovius [e]; & ex illo Surius & Bizarus. Quam Turcici [f] Annales non parùm diversè referunt: nullâque de Ibraimi suasionibus mentione factâ, aiunt Vlumam begum (ut vocant) qui sororem Tammasi uxorem habebat, ab eo defecisse ad Solimanum; ac de ejus consilio Solimanum expeditionem Persicam suscepisse, eo prætextu quòd Tammasus à verâ Musulmanorum religione deviaret. Solimani jussu præisse cum exercitu Ibraimum usque Alepum Syriæ, & cum nemo se opponeret, Taurisium quoque ingressum esse. Secutum deinde Solimanum cum militiâ palatinâ, Taurisium pervenisse quo tempore Tammasus Ibraimum invasurus erat: qui audito Solimani adventu, Sultaniam se recepit urbem in interioribus sitam. Eum cùm Solimanus insequeretur; frigore, fame & aquarum inundationibus prohibitum esse ingenti suorum numero amisso: & urbem Bagadet ad priscæ Babylonis ruinas loco proximo conditam divertisse, ibíque hiemandum censuisse; atque interim Tammasum Taurisium reversum, Turcos ibi relictos fugâsse, eorúmque spoliis opimis, & Solimani impedimentis atque instrumentis bellicis, quæ ibi, ut expeditiùs Tammasum inseque-

[c] Vid. sup. ann. 1522. in fi.

SOLIMANI EXPEDITIO IN PERSIDEM.

[d] Sup. an. 1533. IV.

[e] Iov. lib. 33. Sur. in comment. Bizar. Rer. Pers. lib. 11.

[f] Ap. Leuncl. lib. 18. & Pandect. num. 230. & seqq.

retur, reliquerat, potitum esse. Hæc ibi pluribus. A quibus non adeò absunt, quæ de hâc eâdem expeditione Spanduginus [g] narrat. Quæ porrò secuta sunt, dicentur anno sequenti.

[g] *Spandug. in Vit Tammas.*

III. REGIS ANGLIÆ CAUSÆ CATASTROPHE.

Præsenti autem finem accepit causa divortij Anglicani. Cùm obtinuisset Franciscus Rex Galliæ à Clemente Pontifice Massiliæ, ne diras adversùs Henricum Regem Angliæ decretas, antè quàm ipse de Angli voluntate certior fieret, publicari pateretur: misit Franciscus in Angliam Ioan. Bellaium Episcopum Parisiensem, qui Henricum in Rom. Pontificis observantiâ perseverare cohortaretur. Hícque adeò apud ipsum profecit, ut quamvis multa jam in dedecus Pontificis perpetrâsset, ipsum & Cardinales in comœdiâ scenicè repræsentari permisisset, libellúmque famosum adversùs eos ac totam Curiam Romanam composuisset; nihilominus promiserit, si Clemens sententiæ fulminationem differret, se quoque quod ampliùs animo intenderat, videlicèt renunciare penitus observantiæ Sedis Apostolicæ, dilaturum. Quæ cùm Bellaius equis cursoriis Romam advolans, ante finem mensis Decembris anni superioris Clementi & Cardinalibus, re adhuc integrâ, communicâsset: præscriptum est certum tempus, intra quod Regis responsum proferri debebat. Itaque Bellaius hominem expeditum in Angliam misit, & intra præscriptum diem redire jussit. Præteriit dies: oratores & fautores Imperatoris urgere cœperunt ut rei finis imponeretur: Bellaius contrà, sævâ hieme multa viatoribus inopinata accidere opponens, rogabat ut vel sex dies expectarentur. Prudentiores assentiebantur; plures in contrariam sententiam pedibus ierunt: & quod tribus poterat, uno conventu perfecerunt, latâmque adversùs Henricum sententiam promulgârunt. Biduo pòst ab Anglo nuncius rediit, cum mandatis & facultatibus amplissimis: quapropter Cardinales, qui præcipitantiam suam corrigerent diligenter inquirentes sæpiùs convenerunt, nec ullam revocandæ sententiæ rationem, re jam ubique vulgatâ, & urgentibus in contrarium adversariis, invenire potuerunt.

IV. QUANTA HÆC PLAGA FUERIT.

Sicque facta est plaga illa magna, quâ jam à centum sex annis innumera miserarum animarum millia in infernum præcipitata fuêre. Quantùm illis & universæ Ecclesiæ conduxisset, non sex dies, sed sex annos expectâsse! Verè judicia Dei abyssus altissima! Ita porrò rem narrat Belcarius [h] ex commentariis Guillelmi Bellaij fratris prædicti Episcopi. Illud autem Rex ultimò petiisse dicitur, ne Cardinales suspecti causæ suæ sese immiscerent, & homines à suspicione liberi Cameracum mitterentur ad accuratè inquirendum de causâ. Sanè quamvis nihil aliud obtulisset, potuisse adhuc, fortè & debuisse, hoc tanto Principi in tam gravi tanti schismatis periculo concedi à mansuetudine Sedis Apostolicæ, exitus demõstravit. Vix conventuri fuissent Cameraci, qui eò mitti debuissent, & lis terminata fuisset, cùm non totis decem pòst mensibus Catharina Regina decesserit, quâ defunctâ actum erat de divortio: quandoquidem & Carolus ipse Cæsar, rebus tantummodò suis intentus, Henricum ad fœdus renovandum invitare mox incipiens, mortuâ matertera nullas sibi cum Anglo simultatis causas intercedere professus est. Potuisétque etiam Catharina his facilè initio mederi, si, quod Pontifex ab eâ exquirebat, ingredi aliquod monasterium voluisset, ubi quietè reliquum vitæ in orationibus transegisset. Maluit verò honori suo consulere, haud ut puto prævidens quæ damna toti Angliæ & universo orbi proventura forent. In quo sicut nihil peccavit, nec causam dedit malo; ita fortè laudem majorem apud homines meruisset, & infinitis animabus consuluisset, si gravissimæ huic tempestati cessisset. Sed consilia Dei quis evertat? Quin autem re ipsâ justissima fuerit tum ejus defensio, tum Pontificis sententia [i], nullus unquam pius & Catholicus dubitavit, aut dubitare potuit. Fuit autem sententia prolata die 24. Martij: quâ Pontifex, quòd Henricus lite pendente Catharinam ejecisset, & cum Bolenâ contra inhibitionem ab ipso Pontifice ei factam contraxisset, in majoris excommunicationis sententiam incurrisse, & ab omnibus Christi fidelibus evitandum esse declaravit; Catharinâ juri conjugali, & regiæ dignitati restitutâ, ac Bolenâ inde ejectâ. Concesso tamen Regi ad resipiscendum sex mensium tempore, videlicèt usque ad finem Septembris proximi: intra quod nisi Catharinam in pristinum statum restitueret, ejectâ Bolenâ, sententia effectum suum sortiretur.

[h] *Belcar. lib. 20. §. 54.*

[i] *Rec. Sander. lib. 1. de Schism.*

V. HENRIC. REX ANGLIÆ IN PRÆCEPS RUIT.

At Henricus eâ acceptâ sententiâ, diù anceps quid acturus esset, (ut Goduinus [k] scribit) & inter indignationem ac metum fluctuans; irâ demùm prævalente, omne jugum Apostolicæ Sedis & Ecclesiæ Romanæ penitus excussit; atque in Synodo iterùm congregatâ decerni curavit, Papæ nullam ampliùs jurisdictionis potestatem in Angliâ competere, (quinimmo & vocabulum Papæ proferri, aut scribi pœnâ capitis prohibuit, & ex omnibus libris deleri jussit:) Denarium sancti Petri non ampliùs Ecclesiæ Romanæ pendendum: Regem Ecclesiæ Anglicanæ Caput sub Christo censendum, cum omnimodâ auctoritate errores, hæreses, & abusus reformandi: Archiepiscopum Cantuariensem, non Legatum Apostolicum, sed Primatem totius Angliæ dicendum: Episcopos inconsulto Romano Pontifice posthac designandos; & Ecclesiasticorum beneficiorum primos fructus, & annatas, atque etiam decimas, non ampliùs Pontifici, sed Regi uti Ecclesiæ regni sui Capiti, pendendas. Iratus verò Catharinæ; quòd in illius gratiam Pontificem prædicta præstitisse affirmaret; sub pœnis gravissimis edixit, nequis imposterùm illam Reginæ nomine, vel Henrici Regis uxoris appellatione dignaretur; sed tantùm Arthuri Principis defuncti vidua vocaretur. Mariam quoque communem filiam, septemdecim annos natam, quam anteà Walliæ Principem, regníque hæredem universi Ordines juratò professi fuerant, omni regio ornamento detracto, ad matrem remitti jussit, ut privatam cum eâ vitam ageret: atque Elisabetham ex Bolenâ susceptam, in ejus locum substituit. In Catharinæ amicos, & qui ejus causam sustinuerant, sæviens, quæsitis aliis prætextibus, eos in carcerem conjecit, diversísque postea suppliciis affecit.

[k] *Goduin. de Præs. Angl. in Tho. Cranmer. Cantuar.*

VI.

Quod autem præterea voluisset Rex, ad majorem divortij sui confirmationem, ut ex hære-

Sævit in recusantes primatū ejus agnoscere.

datâ Mariâ, omnes in verba Elisabethæ, simúlque Romani Pontificis auctoritate abjuratâ, in primatum Regis disertè jurarent: hanc jurisjurandi formulam, ut multis de causis iniquam, cùm Ioannes Fisherus Episcopus Roffensis, Thomas Morus eques olim Cancellarius, aliíque nonnulli suscipere nollent, plerísque aliis tam Ecclesiasticis quàm laicis suscipientibus; in custodiam conjecti sunt, ac plurimis variísque modis ad consentiendum tentati: ut de fortissimo confessore, posteáque Martyre Moro diligentiùs Sanderus in Schismate, & Stapletonus in ejus Vitâ narrant: qui per amicos, cognatos, uxorem, liberos aliósque omnis generis homines ad consentiendum suasus, nunquam tamen persuaderi potuit, quin semper in veritate constantissimus permaneret. Fratres quoque Minores de Observantiâ, cum nec jurare vellent, nec aliis ut jurarent suadere, quinimmò liberiùs Catharinæ causam propugnarent, adeó in Regis odium incurrerunt, ut è monasteriis suis pulsi, plusquàm ducenti hoc eodem anno in varios carceres conjecti fuerint. Reginaldum quoque Polum sui sanguinis Principem Rex tentaturus, cùm ad eum Patavium, ubi literis operam dabat, Comitiorum regiorum Acta misisset, ut ea comprobaret; ille econtrà quatuor illos elegantissimos de Vnione Ecclesiasticâ libros composuit, quos Regi in manus dari curavit: quibus cùm & impium Regis Primatum doctissimè confutaret, & scelera nefanda oratione liberâ detegeret, viámque pœnitentiæ demonstraret; tantum sibi odium apud Regem concitavit, ut & patriæ proditor, reúsque læsæ majestatis ab eo sit declaratus, & vita ejus deinceps multis insidiis appetita.

VII. De Elisabetha Bartona.

Erat & celebre his diebus *Elisabethæ Bartonæ* monialis nomen, quæ propter famam sanctitatis *Virgo sancta Cantiana* vulgò appellabatur. Hæc cùm assereret, Henricum non ampliùs jam esse Regem, Mariam verò ad regni gubernacula aliquando suo jure sessuram esse, in jus vocata, & in publicis regni comitiis, unà cum nonnullis sacerdotibus & monachis, qui eam spiritu Dei afflatam asserebant, capitis damnata est, uti refert Sanderus, confirmans etiam, Fisherum & Morum confessos esse, nullo se indicio deprehendere potuisse, eam fanatico spiritu (quod in ejus invidiam tunc spargebatur) agitatam fuisse. Cùm tamen Campianus posteà in eâdem Angliâ martyr, in suâ Narratione de Divortio, magis inclinaverit ad credendum eam phrenesi correptam extitisse, & à monachis edoctam, sive quòd ita crederent, sive quòd lucrum aucuparentur, nonnisi divinitùs locutam existimatam à vulgo fuisse.

VIII. Rex Angl. improbatur ab hæreticis.

Haud verò contentus Rex his quæ cum domesticis fiebant, tentavit etiam externos aliquos Principes ad furoris sui participationem pertrahere. Plurimúmque spei in Francisco Rege Galliæ habens, primùm ad eum misit. Qui tamen tantum abest ut consentire voluerit, ut ne legatos quidem ejus eâ de re audire sustinuerit. Germaniæ verò Principes, qui jamdudùm hæresi Lutheranæ se addixerant, etsi gratulati sint discessionem à Pontifice, turpem nihilominùs ejus causam detestantes, nullâ legatorum persuasione adduci potuerunt ut approbarent. Vnde accidisse putatur, ut non Henricus palàm ad hæresim Lutheranam deficeret; cujus recessio initio Schisma fuit magis quàm hæresis. Quinimmò & Calvinus in Commentariis in Oseæ c. 1. acriter in eum invectus, Primatum ejus Ecclesiasticum oppugnavit.

IX. Io. Calvini primordia.

Cujus hæresiarchæ, videlicèt Ioannis Calvini, quòd mentio sese obtulerit, de ejus ortu & primordiis paucis agendum videtur. Cujus triplicem vidimus Vitam; Theodori Bezæ ejus discipuli, dubiæ prorsùs fidei, utpotè in ejus tantummodò, & hæresis laudem fabricatam; Hieronymi Bolseci medici Lugdunensis, & Iacobi Laingei Scoti Doctoris Sorbonici, (quamvis enim duo sint auctores, & alterius stylus Gallicus, alterius Latinus, descriptio tamen rerum eadem penè est:) acerbiorem quam ut in pluribus accepta sit omnibus: & Papirij Massoni Parisiensi causidici, viri doctissimi, notæque moderationis, cui tutius in iis quæ refert fidem adhibeas, præter plurima alia, quæ permulti passim tam Latinè quàm Gallicè de eo scripserunt; ex quibus præcipua quæ ad rem facient colligemus. Natus est igitur Calvinus apud Noviodunum Suessionum olim oppidum, quod Noviomum hodie dicitur, sexto Idus Iulij, anno 1509. patre Gerardo Chauvino publicano & notario primùm, posteà Episcopi Noviodunensis scribâ, avo naviculario, matre Ioannâ Francâ Cameracensi caupone genitâ: qui uterque parens in Catholicæ Romanæ fidei obsequio decessit. Ipse ex paterno cognomine, in Latinam formam mutato, ex Calvino aliquando transpositis literis *Alcuinum* sese nominavit, uti in Institutionis suæ editione Argentorati 1539. nomen æmulatus magni illius Alcuini, qui Caroli Magni præceptor fuit, & Parisiensem Academiam instituit. Qui potiùs aliâ transpositione *Lucianum* se dicere debuisset, cui impietate & rerum sacrarum derisione simillimum se exhibuit. Is patris consilio Ecclesiastico ordini destinabatur; uti & Carolus ejus frater & presbyter, qui [1] Novioduni mortuus, noctu & clàm sepultus est inter quatuor columnas furcæ publicæ, quia sacram Eucharistiam sumere noluerat. Duo sacerdotia quæ habebat, Gerardus Ioanni Chauvino affini suo & presbytero conferri procuravit, parochiam scilicèt oppidi Pontis-Episcopalis juxta Noviodunum, in quo Gerardus natus fuerat, & capellam B.M. Virginis de Partu in templo civitatis maximo. Qui postmodùm abductâ privignâ patris sui viduâ, quò se receperit non satis constat. Duo verò illa sacerdotiâ Gerardus Ioanni filio dari procuravit. In illâ enim Noviodunensi Ecclesiâ Calvinum nunquam habuisse canonicatum, (quod plurimi scripserunt) certissimum esse, Massonus asserit.

[1] *Masson. in Vit. Calvin.*

X. Corrumpitur à Wolmario.

Eâ de causâ à patre Gerardo post pueritiæ studia Lutetiam missus, Ricardo patruo fabro ferrario commendatus est: pòstque Grammaticam & Philosophiam decursam, ad Iurisprudentiæ studium animum applicuit; & Aureliis sub Petro Stellâ insigni Iurisconsulto, qui posteà Parisiensis Senatûs Præses fuit, prima fecit tyrocinia: indéque Bituriges profectus, magnum Andream Alciatum ex Italiâ illuc evocatum, leges explicantem audivit. Ibi cùm esset, in *Melchiorem* (sive ut sui vocabant Meliorem) *Vuolmarium*

Germanum Rotwilensem, quem Margarita Regina Navarræ ac Biturigum Ducissa stipendiis alebat, incidit; magno tam suo quàm totius Galliæ universæque Christianitatis damno. Erat Wolmarius Græcarum literarum professor, vir multæ eruditionis. Qui cùm in Calvino juvene singularem animi alacritatem, firmitatem memoriæ, sermonis elegantiam atque facilitatem, & in colligendo atque explicando dexteritatem animadvertisset; cœpit eum magnifacere, hortatique ut ad scientiarum Reginam Theologiam sese applicaret. Et quòd ipse, quanquam Catholicus videri vellet, Lutheranus tamen esset, venenum ei illius hæresis infudisse dicitur. Verùm Massonus testatur, etiam priusquàm Aureliam ad Iuris civilis studia proficisceretur, à Roberto Hebraicæ linguæ perito consanguineo suo religionis novæ principia hausisse. Cùm autem Alciatum aliquandiù audîsset, patrem amisisse, reversúmque in patriam, duo illa sacerdotia quæ pater ei conferenda procuraverat, pecuniâ vendidisse.

XI. Profugus ob hæresim.

Quod verò traditur vulgò, eum in turpe crimen sodomiæ incidisse, ac proptereà in vitæ discrimen, nisi pœnæ moderationem Episcopus impetrâsset, lilij candentis ad humerum inustionem, & exilium à patriâ: hoc Massonus tacet; solámque abeundi in exilium causam, hæresim fuisse ait; cùm à Quæstore & Iudice reorum perquisitus, è Collegio Ioannis-Monachi Cardinalis in Academiâ Parisiensi, & per fenestram pannis lineis metu instante sese demisisset. Secedens verò Angolismam ibi triennium venditatione linguæ Græcæ, cujus aliquam notitiam à Wolmario habuerat, sumptibúsque Ludovici Tilij canonici Engolismensis & Curionis Claixensis commoratus, pestilentem suam Institutionem fabricare cœpit; ex Locis communibus Melancthonis, Hyperij Sarcerij, & id genus quisquiliis magnâ parte consarcinatam: quanquam Westphalus Lutheranus scribens posteà adversùs eum, meram Oecolampadij doctrinam, sed immutatam paululùm atque amplificatam in eâ contineri ait. Quamdiù tamen ibi fuit, Catholicus extrinsecus videri voluit: fugæque suæ tacitâ causâ, suppresśoque cognomine, *Deparcan* appellabatur. Cùm verò doctis innotescere cœpisset; ab eis passim *Parvus Græcus* dicebatur, quòd, ut diximus eam linguam nôsset. Cùm autem novitates suas cum paucis specie indagandæ veritatis communicâsset, eas Tilius animo hauriens desiderio videndi primos earum auctores, in Germaniam peregrinatus est, ducto secum Calvino. Verùm ut id rescivit Tilij frater item Ioannes Senatûs Parisiensis Protonotarius, (fuit & illis alius frater item Ioannes dictus, posteà Briocensis, ac deinde Meldensis, Episcopus) fratrem secutus, brevi in Galliam reduxit; qui abdicatâ omni pravâ opinione, Archidiaconus factus hæresim strenuè oppugnavit. Calvinus autem in Germaniâ aliquamdiù remansit, & in obsequium Rufi, quem aliàs [m] memoravimus, se addicens, in ejus comitatu plerosque Catholicæ fidei adversariorum antesignanos visitavit Valdéque memorabile est, quod narrant, cùm à Bucero ad Erasmum adductus esset, ubi Erasmus eum de aliquot religionis capitibus

[m] *Supr. an* 1523. XV.

Erasmi de eo judicium.

disserentem audîsset, Bucero dixisse, videre se magnam pestem oriri in Ecclesiâ contra Ecclesiam.

XII. Coepit Pictavii virus evomere.

In Galliam reversus, Pictavium petiit, ac virus hæresis ibi effundere cœpit. Cúmque aliquando in quodam horto unà cum nonnullis literatis diversaretur, & religionis, ac Lutheri & Zuinglij opinionum injecta esset mentio, (quæ tunc temporis frequentior erat apud plerosque otiosos confabulatio) Calvinus occasionem opportunam nactus, præcipua religionis capita explicare aggressus est; tandémque sermonem omnem suum in disputatione de Missæ sacrificio consumpsit. Querebatur autem, Lutherum plagam hanc incrustare potiùs quàm sanare conatum, è malâ ferè pejorem fecisse; Cœnam Domini, ejúsque ritus, ad pristinæ formæ amussim exigendos esse: Barbarum esse & impium, Christum è cælo detrahere, & ligatum quasi & compeditum per sacramentum hoc traducere, ac tandem manducare: nec tamen veram Corporis Christi manducationem, merè spiritualem esse, aut per fidem fieri. Hoc videlicèt ultimum eo fine dicens, ut inter Lutherum & Zuinglium, mediam quamdam viam ostentaret, nec corporis realitatem omninò tollere videretur. Quæ fuit nova ejus chimæra; ut Lutheri corporali præsentiâ, & Zuinglij nudo signo rejectis, voluerit verum corpus & sanguinem in cœnâ verè & realiter atque substantialiter adesse, sed tamen figuratè & sacramentaliter, ita ut Corpus Christi semper maneat in cælo; esséque panem & vinum arrham & sigillum, quo omnia à Christo nobis promissa confirmentur. Quamquam non primum hujus fictionis inventorem fuisse Calvinum, sed illam ex Wickleffi scholâ & libris hausisse, intelligi possit ex Actis Concilij Constantiensis, & scriptis Przibrami, qui Wickleffanam adjuravit & confutavit hæresim.

XIII. Primi Calvini discipuli.

In prædicto igitur horto, imitatione serpentis deceptoris, Calvinus eo conciliabulo auditoribus quæ voluit persuasit: qui fuêre *Antonius Duguius* professor academicus, *Philippus Veronius* sedis procurator, *Albertus Babinotus*, & *Ioannes Vernovius* Pictavienses. His alij posteà additi; qui in locis secretis & speluncis, per pagos & villas frequenter convenientes, cœnam illam Calvinisticam celebrabant, quam appellabant *Manducationem*. Ex iis tres à Calvino selecti, per regnum destinati sunt ad seminandam hanc zizaniam: Vernovius Pictavij, & vicino agro: duo alij, ut securitati suæ consulerent, nova sibi nomina assumpserunt; alter *Recollectoris, Ramasseur*, alter *Boni viri Le Bon homme*. Qui quia priùs in Pictaviensi Academiâ Institutiones Iuris in Ministrariâ, sic dicto illo Iuris auditorio, prælegerat, indéque à Calvino & aliis non alio quàm ministri nomine appellaretur; ex eo factum nonnulli existimârunt, ut Calvinianæ hæresis disseminatores, *Ministri* dici cœperint, & adhuc dicantur: quo officio hi tres primi per Galliam functi sunt; Veronius, ut diximus, in Pictonibus; Ramassorus per Santones & Engolimenses; Bonus homo Burdegalæ, ac per reliquam Aquitaniam; necnon Tolosæ, in cujus urbis Academiâ ingens esse consueverat nobilium & aliorum scholariû ex totâ Galliâ numerus ad ediscendam Iuris-

prudentiam, Calvinus autem, ubi jam sectam condidisset, ne Pictavij, re jam quam agitabat, erumpente, comprehenderetur veritus, Neracum ad Rufum [n] & Fabrum secessit, ut unà cum eis sub Margaritæ Reginæ Navarræ præsidio lateret.

[n] Supr. an. 1523. XV.

XIV. COMPARATIO MORUM LUTHERI ET CALVINI.

Fuit autem ipse Luthero longè acumine præstantior; & ut doctrinâ in plerisque, ita & moribus dissimilis ei: quippe naturâ melancholicus, & taciturnus; cibi & potûs abstinens, ob ventriculi debilitatem & hemicraniam, quibus laborabat, Ideòque tenui & macilento corpore; summam in gestibus affectans gravitatem, dissimulandi artifex eximius: non minùs consilio quàm audaciâ promptus. Lutherus autem crasso corpore, geno indulgens per summam hilaritatem tempus transigebat, nec linguæ moderabatur, nihil ferè celebat, sed quæcumque animus suggerebat evomebat. Fuit Lutherus orator cùm disertus patriâ linguâ, tum vehemens: Calvinus nullâ actionis elegantiâ instructus, tædium sæpè afferebat, Latinè verò scribendi laude excelluit: Lutherus denique religionem crassiorem & pinguiorem, Calvinus subtiliorem commentus est. Qualis autem ea fuerit circa singula capita, in quibus deflexit ab Ecclesiæ Catholicæ receptâ doctrinâ, de Missâ, de bonorum operum meritis, de peccatorum discrimine, de Sacramentorum numero & efficacitate, de Consiliis Evangelicis, de Votis tum privatis tum monasticis, de solius fidei justificatione, & aliis quamplurimis; multi docuerunt infinitis adversùs illam editis commentariis: recensentúrque præcipuè à Prateolo [o], & Gaulterio [p], qui centum ejus capita examinat. Quorum etiam plurima Conradus Schlusselburgius [q] Lutheranus recensuit in suo Catalogo hæreticorum, cui Calvinum inter primos adscripsit. Nemo verò diligentiùs id præstitit Francisco Fevardentio Ordinis Minorum Theologo Parisiensi, qui mille & quadringentos hujus sectæ errores in suâ *Theomachia Calvinisticâ* excussit, ac refellit. Calvini verò initia prolixiùs prosecutus est diligens hæresum scrutator, ac fortissimus oppugnator simul & expugnator, *Florimondus Ræmondus* dignissimus Senator Burdegalensis, in suâ Historiâ de [r] Ortu, progressu, & inclinatione hæresum, ex probatis auctoribus collectâ. Qui & insuper de [s] formâ ejus Synagogæ, déque institutione & œconomiâ sacrorum ac disciplinæ ab ipso fabricatæ, diligentissimè egit. Agemus & nos inferiùs de eo frequentiùs, & quomodo Genevam concesserit, suo loco aperiemus.

Ejus hæreses à plurimis detectæ et confutatæ.

[o] Prateol. de Hær. lib. 3.
[p] Chronol. sec. 16.
[q] Schlusselb. lib. 4.
[r] Florim. l. 7.
[s] Ibid. lib. 8.

XV. ANABAPTISTARUM MONASTERIENSIŪ FUROR.

Hoc eodem anno horrenda facta est subversio omnium rerum divinarum profanarúmque in civitate Monasteriensi Westphaliæ metropoli, potenti olim, atque populo frequentissimâ, Ecclesiâ Cathedrali, aliísque collegialibus & parochialibus, necnon pluribus monasteriis tam virorum quàm feminarum splendidâ: In quâ post ingestum jam anteà infelicis lolij semen per Lutheranos prædicantes, cùm variè certatum esset multis contentionibus & pulsionibus inter eos & Catholicos, demùm Catholicis, præcipuo incentore *Bernardo* quodam *Rothmanno* sacerdote apostatâ, Henrici fabri ferrarij veneficio infamis filio in servitutem redactis, aut ejectis, supervenerunt hoc tempore Anabaptistæ qui Lutheranos quoque deleverunt. Quorum principes [t] duo Batavi, *Ioannes Matthia* (sive Matthæi) pistor Harlemiensis textoris filius, de quo jam suprà [u], & *Ioannes Bocoldus* sartor, seu sarcinator, Leidensis; allecto quoque in partes suas Rothmanno, & miseræ plebis grandi multitudine, suis prophetiis & revelationibus, ac proximi judicij terroribus deceptâ, ingentes seditiones in Magistratus concitârunt; ac tandem eò rem deduxerunt, ut quicumque rebaptizari nollent aut pulsi urbe, aut cæsi fuerint; omni Dei cultu extincto, Ecclesiis omnibus expilatis, atque Imaginibus & omnis generis ornamentis denudatis sacris virginibus vitiatis, Senatu sæpiùs ad libitum mutato, bonis civium direptis, cunctis susdéque positis; nutu Ioannis Matthiæ, qui se Prophetam Dei Patris asserebat, & pro tali ab omnibus colebatur, ut quicumque ejus mandatis in aliquo repugnare auderet Deum abjurare existimaretur. Quando etiam nonnulli compositum volunt librum *Restitutionis* titulo, quo significabant, regnum Christi futurum esse ejusmodi ante supremum Iudicij diem, ut pij & electi regnarent, impiis omninò deletis ubique: licere item populo Magistratum abrogare: Ecclesiæ ministros debere sibi sumere jus gladij, pérque vim constituere novam Rempublicam: ac neminem qui non esset reverâ Christianus in Ecclesiâ tolerandum esse. Lutherum & Romanum Pontificem falsos esse prophetas, sed Lutherum deteriorem; matrimonium eorum qui vera fide non essent illustrati, adulterium potiùs habendum esse: & alia ejusmodi plurima. Quousque obsessâ urbe ab Episcopo ejus principe, Francisco ex Waldecensium Comitum familiâ, pseudopropheta Ioannes post quandam felicem eruptionem, aliam stolidè faciens, gladiis hostium confossus est; qui illos ex oraculi monitu cum solis triginta invadens profligaturum se sine sanguine jactaverat.

[t] Vid. Mesh. Hist. Anabapt. lib. 7. cap. ult.
[u] An. 1532. X.

XVI. SARTOR LEIDENSIS REX ANABAPTISTARUM.

Eo mortuo sartor Leidensis in ejus auctoritatem subrogatus, post multa in administratione mutata, cùm in adulterio à quodam deprehensus fuisset, ad turpitudinem velandam, legem, divino ut aiebat, monitu tulit de polygamiâ, erat enim jam uxoratus, & quicumque eam amplecti renuerunt, gladio cæsi sunt, cùm capitale esset Prophetæ mandanti refragari: ipséque cæteris exemplum præbens, sedecim uxores sibi habuit. Qui demùm cum quodam fabro aurario ex composito agens, ut prophetico afflatus spiritu, ipsum Leidensem Regem à Deo designatum in foro proclamarent; mirificus ille sartor à fatuissimâ multitudine Rex salutatus est; ut non solùm, quod faber ille afflatu suo pronunciavit, ibi in Sion & Ierusalem, (ut vocabat eam urbem) regnaret, verùm etiam imperium in universum terrarum orbem propagaret, indito titulo *Rex Iustitiæ hujus mundi*, Qui protinus cæteris omnibus Magistratibus abdicatis splendidissimè Regem egit ex spoliis Ecclesiarum ac civium, aulam, ac proceres, & ministros, satellitésque, ac pretiosissimum ornatum, magnorum instar Regum

APOSTOLOS IN ORBEM MITTIT.

sibi uxoribúsque, assumens. Deinde velut ex præcepto Dei Patris, per revelationem eidem fabro factam ipsi denunciato, Apostolos ad Evangelium orbi prædicandum electurus; paratâ cœnâ magnificâ, elixis & assis carnibus instructâ, discubuit universa multitudo, Réxque ac præcipua uxor cum frequenti totius aulæ satellitio. Mensis sublatis, allatâ paropside partibus panis triticei oppletâ, Rex histricus singulis ordine frustulum porrexit, dicens, Accipite, comedite, & mortem Domini annunciate. Regina verò & ipsa histrioniam exercere docta, poculum mero plenum porrigens, dixit, Bibite, & mortem Domini annunciate. Deinde interrogatis omnibus, num pro fide mori parati essent, acclamantibúsque illis, viginti octo electi sunt qui in quatuor orbis plagas emitterentur, cum potestate signa & prodigia patrandi; qui in diversa loca dispersi, penè omnes à locorum Magistratibus supplicio affecti sunt, nonnulli aliquos ad sua dogmata pertraxerunt. Fuitque etiam mulier quædam Frisia, cui nomen Hilla, quæ alteram se Iudith profitens obtulit Regi illi sartori, Episcopum Principem subuculâ veneno illitâ necaturam; quæ in castra delata, & per transfugam detecta, capite meditatum scelus luit, corpore in cineres redacto. Quis non hæc lugeat, simul & rideat? Habuissent hîc affatim & Heraclitus & Democritus, quo sibi satisfacerent. Quomodò verò se hæc apud Monasterium habuerint, accuratè descripsêre Lambertus Hortensius [x] Monfortius proprio commentario de his Monasteriensibus tumultibus; Arnoldus Meshovius [y] in Historiâ Anabaptistarum, quam ex antiquioribus auctoribus composuit; & Roverus Pontanus in Rebus [z] memorabilibus hujus temporis: præter illa quæ de iisdem habent Sleidanus, Surius, & alij tam Catholici quàm etiam Lutherani; cum nemo sit qui de hæresibus egerit aut historiam tractaverit, qui non etiam istorum tumultuum præ multis aliis memorabilium, quà fusiùs, quà concisiùs meminerit. Quem verò finem acceperint, dicetur anno sequenti.

[x] Extat in Compilat. Schard. oper. Histor. tom. 2.
[y] Meshov. lib. 6. & 7.
[z] Pontan. l. 3.

XVII. CLEMENTIS VII. PP. OBITUS.

Mense Iulio exortus [a] Cometa, in multam partem Augusti perstitit affixus cœlo. Quem prænuncium fuisse obitûs Clementis Papæ, nonnulli crediderunt. Qui æstate ineunte stomachi doloribus excruciari incipiens, febríque accedente; diù ab illâ atque aliis offensionibus vexatus: morbo tandem cedere coactus est: & sexto Calendas Octobris ex hâc vitâ migravit: multis gemmis (inquit Guicciardinus [b]) in Angelicâ arce, & innumeris in Pontificali Camerâ officiis, sed contrà communem omnium opinionem exiguâ pecuniâ, relictis. Obiit (inquit) Curiæ invisus Principibus suspectus, famâ potiùs gravi & odiosâ quàm gratâ; existimatus avarus, ambiguâ fide, & naturâ à beneficiis in mortales conferendis alienus: ac nihilominùs in suis actionibus valdè gravis, sagax, victor sui, maximoque ingenio, nisi sæpè metus judicium ipsius corrupisset. Plura, sed in eundem ferè sensum, Iovius [c]. Obiit [d] autem anno ætatis quinquagesimo sexto, mense quarto; Pontificatus anno decimo, mense decimo, die septimo. Cadaver primùm ad S. Petrum, posteà cum Leonis X. patruelis reliquiis ad Minervæ delatum est, & marmoreo sepulchro locatum. Veneno propinato tabefactum periisse, nonnulli opinati sunt. Alij, culpâ Curtij medici; qui valenti & firmo corpore prædito, commutatâ vivendi ratione, longiorem vitam promittens breviorem reddiderit.

[a] Ludov. Guicciard. descript. Belg. lib. 1.
[b] Franc. Guicciard. lib. 20. in fin.
[c] Iov. Hist. lib. 32. & de Vir. Illustr.
[d] Onuphr. in Vit. & Chron

XVIII. ALEX. FARNESIUS ELIGITUR PONTIF.

Peractis exequiis, triginta quinque Cardinales præsentes tunc Romæ, ingressi conclave quinto Idus Octobris, biduò pòst, nempè tertio Idus, unum ex eo numero, omnium antiquissimum, & Collegij principem, *Alexandrum Farnesium* Episcopum Ostiensem summâ concordiâ in Summum Pontificem elegerunt: secuti in hoc (ut Guicciardinus & Iovius aiunt) Clementis defuncti Pontificis judicium; ac ferè petitionem, qui eum in tanto honore cæteris omnibus anteponendum censuerat. Quem & prætereà, ut idem Guicciardinus ait, tantò libentiùs cæteri Cardinales elegerunt, quòd cùm sexagesimum septimum ætatis suæ annum attigisset, ac imbecillis, nec satis bonâ valetudine censeretur, (quam opinionem ipse aliquâ arte auxit) ejus Pontificatum brevem fore sperarent. Cujus facta num expectationi de se conceptæ, & immensæ populi Romani lætitiæ, quod post tertium suprà centesimum annum, & post tredecim Pontifices (videlicèt à Martino V. & deinceps) iterùm Romani generis Pontificem acciperet, essent responsura, ex ejus operibus cognitum iri, idem *Guicciardinus* ait: cum hâc verissimâ sententiâ, & summâ laude dignâ, *Magistratum virum ostendere*, Historiæ suæ finem imponens: Excellentissimus, ut breviter dicam, scriptor, & paucissimis antiquorum historicorum recentium nemini gravitate sermonis, sententiarum pondere, ratiocinationum circumspectione, postponendus, plerisque eximiis anteponendus. Qui si nonnunquam acrem se gestorum Principum, aliorúmve de quibus agit, censorem exhibeat; culpa hæc est noxiorum, non historicorum, qui graviùs culpandi ipsi forent, si malè facta tacerent, quibus alij prudentiores fiant, & à similibus peccatis abstineant, vel virtute vel pudore. Sententia est enim Domini [e], quæ non fallit, *Nihil esse opertum quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur.* Produxit autem vitam Guicciardinus usque ad annum millesimum quingentesimum quadragesimum; quo defunctus est, magnâ interim prudentiâ & auctoritate in suâ Republicâ versatus. Cujus institutum describendæ historiæ sui temporis, post eum suscepit *Ioannes Baptista Hadrianius* æquè nobilis Florentinus; & laudabiliter prosecutus est viginti duobus libris patriâ linguâ exaratis ab initio anni millesimi quingentesimi trigesimi septimi, quo Cosmus Medices clavum dominationis Florentinæ adeptus est, usque ad millesimum quingentesimum septuagesimum quartum, quo è vivis decessit.

GUICCIARDINI HISTORIÆ FINIS.

[e] Matth. 10. Luc. 12.

HADRIANII HISTORIA.

XIX. FAMILIA FARNESIA.

Quod autem Guicciardinus de Farnesio Pontifice expectari voluit; ita sanè noscitur ipse & vitam instituisse, & munus administrâsse, ut non solùm expectationi abundè responderit; verùm etiam exemplo esse potuerit

successoribus, ad quod actiones suas componerent. Fuit autem familiâ antiquâ & illustri ex Germaniâ olim in Italiam delatâ, & bonis ac dignitatibus Ecclesiasticis & sæcularibus auctâ, virtutibúsque ac literis & bellicis artibus illustratâ, ut apud Onuphrium in hujus Pontificis Vitâ intueri licet. Ipsum autem Alexandrum, præter familiæ gentísque prærogativam, & maturam ætatem, explorata rerum gerendarum prudentia, diuturnus Reipublicæ usus, & cum inveteratâ virtute multarum literarum cognitio præcellens, dignum omninò reddiderunt, quem cæteri Cardinales uno omnium consensu Clementi, id jam ut diximus, præmonenti, successorem designarent; auctoribus electionis præcipuis, Hippolyto Cardinale Medice Clementis nepote, & Ioanne Lotharingio filio Renati Regis olim Ierusalem & Siciliæ. Qui natus Carini, quod erat oppidum paternum in Etruriâ ac diœcesi Castrensi, pridie Calendas Martij anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, patre Petro Luisio, matre Ioanellâ Caietanâ Bonifacij VIII. gentili, post literarum studia, & minores quasdam Curiæ dignitates, ab Alexandro VI. Cardinalis Diaconus creatus anno ætatis vigesimo sexto, multas legationes præclarè obiit: & Episcopus factus, jam à morte Leonis X. Pontificatûs candidatus singulis conclavibus factus; demùm cùm tempus ejus venisset (uti etiam dicere consueverat, *Confectum senio melior fortuna sequetur*) illum ingenti honore adeptus est.

ALEXANDRI PRIMORDIA.

XX. PAULI III. NOMEN ACCIPIT.

Nomen accepit PAULI ejus nuncupationis III. propterea quòd sedente Paulo II. natus fuisset: cùm primò, ut nonnulli [f] habent, nomen accepisset *Honorij V.* De quo tamen nihil aut Onuphrius, aut qui diligentiùs ejus electionem descripsit præsens ei existens [g] Blasius de Cesenâ Magister Cæremoniarum. Sumpsit autem unà cum nomine signum sive symbolum, *Confirma [h] hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Coronatúsque est tertio Nonas Novembris. Haud verò illepidum quod Iacob [i] Mantinus Hebræus præfatione in Commentarium Averrois, quem is scripsit ad libros de Republicâ Platonis, & Paulo III. à se conversum ex Arabicâ linguâ misit, ex nomine *Pharnesio* Summum Pontificatum ei debitum fuisse philosophatus est. *Pharnes* enim Etruscorum linguâ, quam Syram & Hebræam esse existimabat, pastorem atque gubernatorem significare: sic Deum, Pharnem Israëlis apud Hebræos vocari: & Salomonem in gravissimo suo poëmate populum in hunc modum introducere loquentem, Amicus meus mihi, & ego illi Pharnes inter Lilia, id est pastor: ut ad gentilitia Farnesianæ gentis insignia, quæ Lilia sunt, allusisse intelligeretur. Quanta denique fuerit non Romæ solùm, verùm etiam tum alibi, tum in Galliâ, de ejus assumptione lætitia; testis est Sadoletus Episcopus tunc Carpentoratensis, gravissimâ epistolâ mox ad eum scriptâ, pridie Idus Decembris: qui ejusdem quoque actiones & facta consequentibus epistolis commendat.

[f] *Guazz. in Chronol. Sansovin. in Famil. illust. Ital. &c.*
[g] *Victorel in Addit. ad Ciaccon.*
[h] *Psal. 67.*
[i] *Ap. Masson. in Vit. Pauli III.*

XXI. INITIUM SOCIETATIS IESU.

Eodem verò anno, quo Anglia defecit à Romano Pontifice, & Paulus factus est Pontifex, jacta sunt Parisiis fundamenta nobilissimæ SOCIETATIS IESU, auctore IGNATIO DE LOYOLA nobili Cantabro; qui ex vulnere in obsidione Pampelonensi accepto, dum æger decumberet divino lumine illustratus; sanitate receptâ, austeritate vitæ, piis peregrinationibus, aliis pietatis exercitiis, purgatâ præteritâ vitâ, & ad futuram pro utilitate Ecclesiæ, majori Dei gloriâ, & salute proximorum, optimè instituendam visionibus divinis roboratus; literis quoque, ad id faciliùs exequendum, operâ in Hispaniâ & Parisiis datâ; denique multis inter hæc omnia angustiis, tribulationibus, accusationibus, patientissimè toleratis, & periculis superatis: ibidem Parisiis, sex sibi allectis ex diversis linguis & provinciis sociis, hoc anno die Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, in Monte Martyrum, ubi Sanctus Dionysius cum sociis martyrium consummâsse, Gallia pro constanti habet, in Ecclesia ejusdem Beatæ Virginis sacris operante uno ex illis Petro Fabro sacerdote, votum Societatis inter se singuli conceptis verbis in sumptione Eucharistiæ emiserunt: eúmque diem deinceps Societas quasi ejus natalem singulari religione ac memoriâ colit. Fuerunt primi illi sex *Petrus Faber* Allobrox ex oppido Villareto diœcesis Gebennensis, vir apprimè doctus; *Franciscus Xaverius* nobilis Pampelonensis Navarrus; *Iacobus Lainius* ex Almazano diœcesis Seguntinæ oppido; *Alfonsus Salmeron* Toletanus; *Nicolaus Bobadilla* Palentinus; & *Simon Rodericus* Lusitanus; eo ordine in societatem Ignatij recepti, quo hîc recensiti sunt. Quibus post vota ab iis emissa, adjuncti fuêre *Claudius Iaius* Gebennensis Theologus, *Ioannes Codurius* Allobrox, & *Paschasius Broëtus* Picardus: qui votorum renovationi in eodem Monte Martyrum post biennium, videlicèt millesimo quingentesimo trigesimo sexto, eodem die Assumptionis Beatæ Virginis interfuerunt. Híque extitêre unà cum eodem Ignatio Decem Patriarchæ Ordinis atque Societatis. Votorum porrò summa fuit: nuncium rebus humanis pompísque remittere; illibatam castimoniam custodire; nihil unquam in Missæ sacrificium accipere; Ierosolymam petere, si aditus pateret intra annum, prædicandi causâ, cum licentiâ Pontificis; sin minùs, ad nutum Pontificis suam operam offerre. Quæ omnia pluribus prosequitur Nicolaus Orlandinus ejusdem Societatis in Historiâ illius: pergens porrò de piis illorum posthæc exercitiis & peregrinationibus agere. Quos etiam nos sæpiùs conventuri sumus.

XXII. CAIETANI CARDIN. OBITUS.

Hoc item anno, die nono Septembris, mortuus est *Thomas de Vio* Caietanus, Cardinalis Sancti Sixti, Ordinis Prædicatorum & Archiepiscopus Panormitanus, summus Philosophus & Theologus, ac multiplicibus scriptis clarissimus: de cujus etiam legationibus pro Sede Apostolicâ in Germaniam & Hungariam præclarè obitis, dictum suis locis. Quem cùm Prateolus, & Alfonsus de Castro, aliíque nonnulli inter hæreticos adscripserunt, parum advertisse putantur, eum singulas suas opiniones, in quarum nonnullis offendisse aures Catholicas visus est, judicio Sacrosanctæ Sedis subjecisse, paratum retractare si certiora verioráque docerentur; quæ cautio illum ab omni hæresis labe im-

munemreddere debuit, ex doctrinâ S. Augustini, & totius Ecclesiæ; quæ docet, non qui falsa quædam atque perversa nullâ pertinaci animositate defendunt, corrigi parati cùm invenerint veritatem, esse inter hæreticos deputandos: sed eos qui correcti resistunt pertinaciter. Quoniam verò satis à suis [k] defensus est, supervacaneum fuerit hîc plura addere. Extátque oratio Ioannis Baptistæ Flavij Aquilani, in Cardinalium cœtu, cùm defuncto parentarent habita, quâ omnium ora loquentium adversus eum iniqua obstruxit. Mortuus Romæ, sepultus est in Ecclesiâ sui Ordinis Minervæ dictâ. Et ex inscriptione monumento ejus adscriptâ intelligitur, vixisse illum annos sexaginta quinque, dies viginti novem. Cujus sanè culpæ à plerisque tributa fuit dilatatio hæresis Lutheranæ, cùm Legatum Apostolicum in Conventu Augustano anno millesimo quingentesimo decimo octavo agens, nimis durum ac rigidum erga Lutherum se exhibuisset, oblatam sibi ab eo conditionem rejiciens, nempè imposito adversariis silentio, se quoque tacere paratum: necnon quòd obfirmatus in suâ sententiâ, nullam conditionem concedere eidem voluisset, præter retractationem eorum quæ scripserat, præcipitem sic eum in desperationem agens.

[k] *Vide Bzov. Annal. tom. 19. an. 1534. quo Annales suos terminat.*

XXIII. LILADAMI OBITUS.

Mortuus est etiam 22. Augusti Melitæ heros insignis *Philippus Villerius Liladamus* Magnus Magister Ordinis Hospitalariorum S. Ioannis, Rhodiensium, nunc Melitensium nuncupatorum; de cujus præclaris gestis, & egregiâ fortitudine dictum superius. Atque in ejus locum suffectus est absens *Petrinus de Ponte* nobilis Astensis, severus observator statutorum Ordinis, & modestiæ Religiosæ; quem Liladamus suffragio suo dignissimum eâ dignitate sæpè pronunciaverat; quam tamen non nisi quindecim menses tenuit.

XXIV. CORNELII AGRIPPÆ MORS.

Hoc item anno mortuus est *Henricus Cornelius Agrippa* à Nettesheim, Iuris Vtriusque ac Medicinæ Doctor, & armatæ militiæ Eques auratus; qui de Vanitate scientiarum, & de Occultâ Philosophiâ scripsit; mortuus Gratianopoli in Delphinatu; sive, ut Iovius habet in ejus elogio, Lugduni in ignobili diversorio, & egenus, anno ætatis quadragesimo octavo; vir quidem ille apprimè doctus sed Necromantiæ suspicione infamis, ac propterea plerisque execrabilis, quòd cacodæmonem nigri canis specie circumducere diceretur. Cujus scripta ob judiciorum temeritatem, & dictorum impietatem, fuêre meritò inter prohibita reposita.

IESU CHRISTI Annus 1535.

PAULI III. Annus 1.

CAROLI V. An. 17.

I. PAULI PP. CONSILIA IN PONTIFICATÛS ADMINISTRATIONE.

ANNO Christi 1535. Indictione octavâ, Paulus Papa ab ipso initio sui Pontificatûs professus nihil sibi magis in optatis esse quàm ut Christianæ gentis pietatem amplificaret & augeret, Concilium sæpè à Germanis petitum ad extirpandas hæreses & mores reformandos celebraret, atque Europam à Turcorum incursionibus liberaret; ad hæc faciliùs exequenda, imprimis necessarium existimavit pacem inter Carolum Imperatorem & Franciscum Regem Francorum Christianissimum componere. Quâ in re quòd [a] magnoperè expediret, neque harum neque illarum partium (quod etiam Cardinalis servare consueverat) sed communem omnium parentem profiteri; tum nunquam adduci potuit ut id fœdus, quod Bononiæ, Clemente & Carolo auctoribus, specie quidem tuendæ Italiæ libertatis, re ad arcendos Gallos percussum fuerat, renovaret: tum missis in Galliam & Hispaniam legatis, assiduam adhibuit operam, ut Franciscus Rex uno consensu ad oppugnandum Turcum unà cum Carolo Imperatore firma pace, vel renovatis fœderibus, jungeretur. Quod tamen, quamquam erat apud eum eximia Pontificis auctoritas, impetrare ab eo non potuit, quòd is, ut erat animo excelso apertóque, Italiâ omni pulsus, Caroli felicitatem ferre non posset.

[a] *Iov. lib. 34. Onuphr. in Paul. III.*

II. REGIS FRANC. CŌMOTIO IN DUCEM MEDIOLAN.

Et erat præterea quod Regem ad res Italicas adversus Sfortiam Ducem Mediolanensem, cui Imperator favebat, traditâ ei non ita pridem in uxorem Christianâ nepte suâ ex sorore Reginâ Daniæ, commovebat: Nempè quòd Dux Mervellium legati regij munus apud se agentem capite truncâsset. Qui quidem patriâ Mediolanensis, cùm inter Regis Ludovici XII. ipsiúsque Francisci domesticos qui equitio regio præsunt, quos scutiferos vocant, diù militâsset: dives factus, permittente Francisco, suos invisendi gratiâ, superbo magis comitatu quàm hominis conditio ferebat, Mediolanum anno 1531. redierat, & munerum oblatione tam Ducis quàm aulicorum ejus sibi gratiam conciliaverat. Horum certior factus Carolus Imperator Princeps suspiciosissimus, Mervellium contra se nescio quid apud Ducem secretò machinari conjiciens, rem Duci significavit: qui se excusans, cùm non ejus suspicionibus satisfaceret, tandem occasione cujusdam rixæ inter Mervellij famulos & Castilionem Ducis domesticum, quâ Castilio cæsus est, captus Mervellius, nullâ habitâ ratione purgationis ejus, noctu intra carcerem capite cæsus est. Binas ipse literas à Rege ad Ducem attulerat; alteras pro privatis suis negotiis commendatitias, alteras quibus legationis munus ei concredebatur. Quare cùm Rex de acceptâ injuriâ in legati sui personâ contra jus gentium, apud Clementem Pontificem tunc viventem, Carolum Imperatorem, Ferdinandum Romanorum Regem, Henricum Anglum, cæteros Principes, Ducem ipsum, conquereretur; Dux in suî excusationem literas tantùm commendatitias Regis proferens, negavit se Mervellium pro regio legato unquam agnovisse: & Carolus Imperator ad Vellij regij apud se legati expostulationes, fictas esse respondit literas Mervellij legationis munus continentes, & Mervellium Ducis subditum jure cæsum. Rem omnem prolixè & diligenter descripsit Martinus Bellaius [b]; & ex eo breviter Belcarius [c].

[b] *Bellai. l. 4.* [c] *Belcar. l. 20. §. 50.*

III.

Facinus igitur ulcisci quærens Rex Franciscus, in Insubriam exercitum ducturus, à Ca-

Occasiones belli in Ducem Sabaudiæ.

rolo Sabaudiæ Duce avunculo suo transitum per ejus ditiones petiit. Qui tamen ab uxore Beatrice Lusitanâ, quæ soror erat Imperatricis, persuasus, spe auxiliorum Imperatoris, illum denegans, malè cautus Regem in se concitavit. Ab armis nihilominùs primùm Rex abstinens, repetiit solummodò quæ ad matrem suam Ludovicam Sabaudã, ex Philiberti nuperi Ducis fratris ejus absque liberis defuncti hæreditate pervenerant. Cùm enim Philippus pater illorum ex priori suo conjugio cum Margaritâ Borboniâ eosdem Philibertum & Ludovicam suscepisset, & ex posteriori cum Claudiâ Pontiebrâ Carolum, de quo nunc agitur; Philiberto sine liberis defuncto, Carolus ei in Ducatu successerat: Verumtamen Franciscus jure materno, quæ sola fuerat soror herésque Philiberti, magnam partem ditionis ad se uti matris heredem pertinere contendebat; præter Nissensem urbem & Comitatum, Villamfrancam, & totum Pedemontis principatum, quæ olim fuerant partes Comitatûs provinciæ; necnon Saluciarum Marchionatûs, qui sub clientelâ Delphinatûs Viennensis erat, urbes aliquas à Sabaudo occupatas; quæ omnia tamquam ad Coronam Franciæ spectantia, sibi reddi postulabat. Cùm autem multis ab eo missis hâc de re legationibus, nihil obtineret, demùm ad arma veniendum fuit; quæ ad finem præsentis anni cœpta, multis post annis continuata fuêre, quibus miser Dux inter duas magnas potentias situs, Cæsaream videlicet & Regiam, cùm neutri satisfacere, longéque minùs resistere valeret, utrique fuit prædæ: hinc Regi, qui & suis juribus prosequendis, & opportunitati Mediolanum invadendi, atque Imperatori incommodandi, diligenter attendens brevî universam Sabaudiam, & magnam partem Pedemontis, unâ cum primariâ ejus civitate Taurino, principio anni consequentis in potestatem suam redegit: illinc imperatori, qui tam in fulcimentum Imbecillitatis affinis sui, qui eius potissimum causâ, & pollicitationibus illius fretus, in tot calamitates inciderat, quàm præcipuè ad contegendum ab invasione Regis Statum Mediolanensem, partem Pedemontis occupavit. Vnde bellum diuturnum, & infinita orta sunt mala, certamina, prælia, immania scelera, horrendæ per multos annos innocentium populorum vastationes. Quæ ut sese habuerint, rem ab ipso exordio assumentes, & causas indignationis Regis discutientes, diligenter tractârunt Martinus Bellaius, qui rerum particeps fuit, in suis commentariis; Paulus Iovius [d] in suorum temporum rebus gestis, Iulianus Taboetus, Lambertus Vandeburchius, & Ioannes Boterus in Sabaudorum Principum Historiis; Franciscus Belleforestius [e] in Francorum Annalibus, & in Additionibus ad Nicolaum Gillium; & alii: quos otiosiùs consulere poterit, qui ea nôsse cupierit, dum nos cætera Francisci Regis, de quo jam agere cœpimus, hujus anni facinora perscrutabimur.

Dux Sabaudiæ spoliatur statu.

[d] Iovi. l. 35.

[e] Bellefor. lib. 6. cap. 48. & seqq.

IV. *Hæreticorum audacia.*

Laudabile valdè est quod anni principio præstitit in Sacramentarios hæreticos. Quorum nonnulli cùm mense Octobri præterito infames libellos adversus sacram Eucharistiam, & receptos antiquos Christianorum ritus, Lutetiæ sparsissent, & publicis locis, ipsíque etiam regio palatio affixissent; re compertâ Rex ejusmodi criminis rei diligenter perquiri, & comprehendi jussis, ipse Blesis Parisios petens, placandi læsi numinis gratiâ præsenti anno, duodecimo Calendas Februarii die Iovis, celeberrimam peregit supplicationem ab ecclesiâ S. Germani ad Beatissimę Virginis, cum delatione venerandissimæ Eucharistiæ per Ioannem Bellaium Episcopum Parisiensem, & Reliquiarum sacrarum sanctæ Capellæ aliarúmque præcipuarum civitatis: cui cum uxore & liberis, atque regni Principibus, & exterorum legatis, multis Cardinalibus, Episcopis & Prælatis, cum ceteris ecclesiasticis tam sæcularibus quàm regularibus interfuit, facem ardentem capite detecto gestans: umbellámque supra sanctissimam Eucharistiam ferentibus Delphino, Ducibus Aurelianensi & Engolismensi filiis Regis, & Duce Vindocinensi primo regii sanguinis Principe. Gravémque inde Rex orationem habuit, quâ palàm testatus est, suum quoque brachium excisurum se, si eâ peste infectum sciret, atque idipsum in proprios liberos præstaturum. Eodémque die sex noxii indictam pœnam subierunt, lento ac terribili supplicio; quo ad machinam alligati, & in sublime elati, deinde in subjectum ignem demittebantur, iterúmque sursùm sublati & demissi, tandem carnifice restim præcidente in flammam præcipites ruebant. Captique & alii non pauci meritas perfidiæ pœnas subierunt.

Insignis processio Regis.

Hæreticorum supplicium.

V. Fuerat [f] nihilominùs Rex ante hæc variè tentatus in religione à Margaritâ sorore suâ Reginâ Navarræ, quam Roussellus & alii quos supra [g] diximus in transversum egerant: adeò ut specie extinguendarum fidei controversiarum persuaserit ei, ut Melancthonem, aptissimum tantæ rei ministrum, in regnum accerseret, collaturum de iis cum Theologis Parisiensibus. Evicerátque, ut Rex sopiendatum ejusmodi litium in Christianæ Reipublicæ commodum studiosissimus, literas eâ de re ad Melancthonem daret: nisi Franciscus Turnonius Cardinalis & Archiepiscopus Lugdunensis, dignus vel ob solum istud operæ prætium (qui & quamplurima alia præclara præstitit) æternâ memoriâ, intercessisset. Qui ubi rem audivit, eam protinus dissipandam censens, vir prudentissimus accepto commodùm in manus S. Irenæi codice, Regem salutatum vadens, quem non ignorabat confestim sciscitaturum quidnam libri id esset; Vt de eo interrogatus fuit, respondit, Galliæ Episcopum esse sapientissimum, & hominum Apostolicorum discipulum: qui cùm præclarè omnia, tum præclarissimè disseruisset, nullum Catholicis commercium aut colloquium cum hæreticis esse debere. Hincque exorsus pius Cardinalis, deinde Regi ostendens, quanto non solùm animæ, verùm etiam famæ periculo Melancthonem accerseret, ita egit, ut Rex à cœpto desistens, adeò in fide patrum confirmatus sit, ut numquam deinceps ab hæreticorum exagitatione cessaverit. Cujus & ipsa quoque soror Margarita ad cor demùm reversa, in fide & communione S. R. E. piè decessisse reperitur [h].

[f] Florim. De ort. hær. lib. 7. cap. 4. & alii.

[g] An. 1523. XV.

Regis periculum de fide.

Dissipatur a Cardinale Turnonio.

[h] Florim. ibid. Vid. infr. an. 1549. VI.

VI. CALVINUS EDIT INSTITUTIONEM SUAM.

Prædictarum autem pœnarum timore multis Galliam deserentibus, ipse quoque Calvinus martyrium suæ sectæ ignavè fugiens, ad quod cæteros ardenter accendebat, hoc ipso anno Calendis Augusti Basileæ *Institutionem* suam primùm Gallicè edidit; sæpiùs posteà & Gallicè & Latinè, pro animi levitate, & dogmatum incertitudine, confectam, defectam, & refectam. Eamque mirâ audaciâ Francisco Regi dicare non erubuit, ut tanti Regis nomine ad decipiendos subditos ejus abuteretur: multùm questus de persecutione illius doctrinæ, quam uti divinam eâ Institutione proponebat. Qualis tamen ea futura esset, apposito initio emblemate significavit: gladio nempè flammeo, cum hoc symbolo, *Non veni mittere pacem, sed gladium.* Quod planè affatim adimpletum est; non quidem ex CHRISTI Domini sensu, quo illa verba protulit [i], sed planè contrario, & horrendissimâ totius Galliæ, aliarúmque regionum ubicumque hujus Institutionis peruersa doctrina accepta est, calamitate.

[i] Matth. 10.

VII. CALVINUS FERRARIAM ABIT.

Hoc autem ipso anno, eodémque mense Augusti, Gebennensis, sive Genevensis civitas, facta postmodum ejusdem hæresis Calvinianæ metropolis, abdicatâ penitùs omni religione Catholicâ, in erroribus Sacramentariorum conquievit. Non tamen auctore ipso Calvino, qui nondum virus suum eò detulerat, nec nisi anno sequenti eò pervenit. Quippe qui post publicatam Institutionem, in Italiam profectus ad Renatam Ludovici XII. Francorum Regis filiam, Herculis Ducis Ferrariensis uxorem, quòd ea novæ sectæ multùm favere diceretur, dimisso [k] Calvini nomine, (quod & aliàs fecisse vidimus) *Carolum Heppevillum* se appellavit. Susceptúsque ab eâ humaniter, diù tamen ibi esse non potuit, ne fortè agnitus ad supplicium raperetur, etsi clericum sacerdoti inservientem agebat: Genevámque inde exiens anno sequenti appulit. Præcipuus autem defectionis Genevensis impulsor *Guillelmus Farellus* Delphinas Vapincensis fuit, quem vidimus [l] Galliâ extorrem; cujusque avus [m] Iudæus fuerat: vocabaturque Guillelmus vero cognomine Ferreus: (Ferreau) adeò quoque pro nominis conditione vehemens ac ferreus, ut in disputationibus & prædicationibus detonare & fulminare videretur. Qui [n] etiam Pauli Samosateni hæresim renovans, docebat Spiritum Sanctum esse quemdam motum creatum: Itémque Elcesaitarum, dicens nolle se eos damnare, qui periculorum formidine fidem suam dissimulant, modò idololatriam exteriùs non profiteantur. Huic porrò in pervertendâ Genevâ comes adstitit *Petrus Viretus* Orbensis ex agro Bernatis ac Friburgensis ditionis: non adeò ad hæc mala avertenda invigilante, ut nonnulli accusant, Petro de Balma Episcopo; qui præmium suæ incuriæ, si qua fuit, pulsionem tulit unà cum universo clero. Genevenses autem in perpetuum defectionis suæ monumentum, ante prætorium civilis sui conventûs tabulam æream affixerunt, cum hujusmodi inscriptione; *Quum anno Domini M. D. XXXV. profligatâ Romani antichristi tyrannide, abrogatisque ejus superstitionibus, sacrosancta Christi Religio heic in suam puritatem, Ecclesia in meliorem ordinem singulari Dei beneficio reposita, & simul pulsis fugatisque hostibus, urbs ipsa in suam libertatem, non sine insigni miraculo restituta fuerit: Senatus Populúsque Genevensis monumentum hoc perpetuæ memoriæ causâ fieri, atque hoc loco erigi curavit, quò suam erga Deum gratitudinem ad posteros testatam faceret.* Vbi quod de pulsis hostibus opposuerunt; fuit ea par defectio à subjectione Ducis Sabaudiæ: (sive fuerit Episcopus etiam legitimus civitatis dominus temporalis, ut alij volunt; de quo non disputamus:) qui cùm rebellem civitatem obsidione cinxisset, suppetiis [o] Gallicis, & præcipuè Bernatium Helvetiorum, Genevensibus collatis, eam solvere coactus est; quâdam etiam parte ditionis suæ à Bernatibus mulctatus: qui & insuper Lausanam pulso Episcopo occupârunt, & hactenùs possident. Quod verò prætereà memoriâ dignissimum in subversione religionis Genevæ factâ contigit, id est quòd cùm eousque sacrilegij processisset eorum impietas, ut lapidem majoris altaris ecclesiæ cathedralis, supra quem sacerdotes Catholici sacrificare consueverant, extra urbem ad locum suppliciis destinatum ut iis inserviret detulissent; primus omnium *Amicus Perrinus*, cujus operâ; utpotè hominis in urbe potentis, ac militiæ ducis; & inimici Episcopi, Farellus ad propositum suum exequendum usus fuerat, quíque auctor extirerat illius lapidis eò traducendi; supra eum capite plexus fuerit: persequente [p] eum Calvino hoste ejus infensissimo, eò quòd sæpiùs conatibus ejus adversaretur; hoc tamen quæsito prætextu, quòd omnes Gallos Genevæ refugas factâ conjuratione delere quæsîsset.

FARELLUS PRIMUS CORRUPTOR GENEVÆ.

PETRUS VIRETUS EIUS SOCIUS.

GENEVENSIUM PUBLICA APOSTASIA.

NOTABILE DE LAPIDE ALTARIS.

[k] Masson. in Vit. Calv.

[l] An. 1523. XV.
[m] Florim. lib. 7. cap. 17.
[n] Prateol. verb. Farel. Gaulter. sæc. 16. cap. 14.

[o] Bellai. lib. 4. ad fin.

[p] Bolsec. & Laing. in Vit. Calv. cap. 16. & seqq.

VIII. REGIS FRANC. EXCUSATIONES AD GERMANOS.

Cùm autem eo tempore quo supradicta supplicia de fidei Catholicæ perduellibus Parisiis sumebantur, essent ibidem legati Turcici à Solimano eorum Imperatore ad Regem pro fœdere missi; utroque eo nomine se per Germaniam traduci Rex intelligens, ad Imperij Principes ceterósque ordines Calendis Februarij literas [q] excusatorias scripsit: quibus imprimis cujusmodi essent calumniæ recensens, ait insimulari se quòd Turcos Christianæ religionis hostes susciperet, Germanos verò uti veræ Fidei desertores pœnis afficeret. Deinde queritur hæc sibi impingi artificio illorum qui Imperium gerebant: Carolum scilicèt & Ferdinandum fratres apertè designans, licèt non nominans. In quos calumniam retorquens, eos ipsos ad Turcum misisse legatos, atque etiam tributum obtulisse & vectigal annuum, quò pervenirent ad eum quem jampridem conceperant dominatum, objecit: (quòd de Ferdinando intelligi voluit; de cujus missis & acceptis ejusmodi legationibus agit Historia [r] Hungarica:) sibi verò amplas à Turco proponi conditiones, si quiescere velit à bello quod minitatus ei fuerat: quas nihilominùs hactenùs ipse, nisi cum ceteris Principibus Christianis communes essent, repudiaverit. Illorum ambitionem, ut Solimanus Christianorum cervicibus immineret, in causâ esse, qui ditionum suarum terminos in dies magis ac magis dilatare cupientes bella inter Christianos miscerent, &

[q] Ext. to. 3. Rer. Germ. edit. Freher. & in Annal. Aquit. par. 4.

[r] Istuanff. lib. 11. & 12.

Solimano ad opprimendum nomen Christianum viam aperirent. Quòd si pax inter Christianos benè constaret, & se suis finibus quisque contineret, Solimanum haudquaquàm ea cogitaturum, sed aliò arma sua conversurum. Quapropter sibi in hisce Religionis controversiis optimum videri, ut cum eo vel pax vel longi temporis induciæ inirentur: Propè unum veræ pacis fundamentum esse, ut vanæ de religione persuasiones abolerentur: Id Clementem Pontificem in animo habuisse: & Paulum eâdem mente præditum fore, & multis virtutibus partam existimationem, & incorrupta quibus creatus est suffragia fidem facere: eâque in re se pro virili collaboraturum per liberam Concilij celebrationem. Ad aliud caput de hominibus supplicio affectis respondet, audaces quosdam & facinorosos specie religionis grandes seditiones movisse, quibus regni moliebantur excidium: ideóque ne latiùs ea contagio serperet, necesse fuisse in eos more majorum ac legibus animadvertere, nulli hominum generi parcens aut nationi; cùm nihilominus nullus Germanus inter eos inventus fuerit. Vnde pateret obtrectatores id agere solùm, ut Germanos à Gallis, antiquâ amicitiâ ac societate conjunctis, divellerent; astuto nimis & insidioso consilio, ut per ejusmodi dissidium ad optatum ipsi finem venirent, & utrisque dominarentur.

IX.

Cúmque inter hæc venisset ad Regem missus à Paulo Pontifice Rodulphus Pius Faventiæ Episcopus posteà Cardinalis, singulari vir ingenio, judicio, atque doctrinâ, communicaturus cum ipso de tempore & loco celebrationis Concilij generalis; idem Rex die vigesimâ quintâ ejusdem mensis Februarij alias literas ad eosdem Principes & ordines Germaniæ scripsit: quibus eorum arbitrio remisit, ut vel ipsi ad se aliquos mitterent, vel ipse ad eos; qui communi consilio de iis deliberarent. Pontifex enim de Concilio aliquid tandem statuendum esse decernens, ne homines verba sibi dari existimarent, Nuncios ad Imperatorem, Christianissimum Regem, ceterósque Principes misit qui exponerent Concilij celebrationem esse decretam, licèt de tempore & loco non satis esset definitum; hortarentúrque ut pro imperio suo tuta omnia & secura inter celebrandum esse juberent.

Paulus PP. scribit ad Principes de celebratione Concilii.

X. *Vergerii legatio in Germaniam.*

In his Nunciis fuit *Petrus-Paulus Vergerius*, Iurisconsultus Iustinopoli in Istriâ natus; qui olim à Clemente ad Ferdinandum Romanorum Regem missus, & à Paulo Clementis successore revocatus, iterùm in Germaniam remissus est cum iisdem mandatis. Singillatim insuper jussus promissis ac blanditiis agere cum Luthero, & aliis ejus doctrinæ asseclis, ad eos ad obsequium & concordiam reducendos. Qui ubi primùm Ferdinando, deinde Principibus Protestantibus, sua de Concilio Mantuæ, quæ civitas quidem erat Italiæ, sed spectans ad feudatarium Imperij, in confinio Cæsareæ ditionis & Venetorum posita, mandâta exposuit; ad Lutherum quoque Wittembergam divertens, cum eo copiosè atque humaniter egit. A quo tamen nonnisi ferociam, & Pontificis contemptum referens; etiam à Principibus & Civitatibus Protestantibus, ad finem anni Smalcadiæ congregatis, responsum [s] habuit, legitimum quidem ac liberum Concilium percupere se, verùm quod intra Germaniam, juxta Cæsaris promissa celebraretur; & in quo non Pontifex judex existeret, qui ipsorum esset adversarius, sed ex voluntate Cæsaris, Regum & Principum deligerentur viri idonei, absque delectu professionis, sive ij ecclesiastici essent seu laici, qui iuxta verbum Dei causam cognoscerent atque definirent. Ita videlicèt Concilium eludentes, quod summoperè desiderare profitebantur, & aliud obtrudentes, cujusmodi scirent, nec fuisse umquam celebratum, nec Cæsarem aut ceteros Reges admissuros umquam: cùm & alioqui adeò contrarij essent Sectarij inter se, quamquam nixi omnes, ut videri volebant, puro putóque Verbo Dei, ut impossibile foret eos in unum consensum revocare: quandoquidem nec illud tot habitis invicem colloquiis & conventibus adipisci hactenùs potuerint. Hoc tamen conventu Smalcaldico renovatum est inter Principes & Civitates Protestantes fœdus in decennium; cui alij quoque in dies Imperij Principes, aliæque civitates à fide apostatantes inseri appetebant. Quorum etiam importunis, ac ferè minacibus postulationibus concedendum fuit à Carolo Cæsare & Ferdinando Rege, ut fas non esset Cameræ Imperialis Iudicibus cognoscere de causis ad Religionem pertinentibus; adeóque nec de querimoniis Catholicorum, quibus fuissent à Protestantibus facultates prætextu religionis ereptæ. Quod sanè nimis durum fuit, ut monasteriorum & ecclesiarum ac cleri bona diriperent, nec tamen pateret miseris perfugium ad Imperij Iudices, quorum auctoritate possent jus obtinere.

[s] *Sur. in commentar.*

Conditiones Concilii Protestātium.

XI. *Franc. Regis legatio ad Ptotest. Germaniæ.*

Ad eumdem Conventum Smalcaldicum misit quoque Franciscus Galliæ Rex legatum suum Guillelmum Bellaium intimum cubicularium, cujus extat [ss] oratio mense Novembri ibidem habita, in eumdem quo scriptæ fuerant superiores regiæ literæ sensum; excusationis scilicèt suppliciorum hæreticis illatorum, & communicationis loci futuri Concilij, atque societatis mutuæ in consecutione pacis Ecclesiæ, & propulsatione injuriarum. Cujus legationis summam ita Sleidanus [t] recenset, ut penè velit persuadere institutum Protestantium aut Lutheri dogmata Regi placuisse; quem vel ex continuâ punitione illorum qui ea sectabantur, constantissimum in Fide Catholicâ fuisse nulli dubium esse possit. Quod [u] verò Lutheranorum Principum captaret benevolentiam, sui adversus Cæsaris potentiam communicandi causâ faciebat; non quòd illorum religionem probaret. Sicuti & iidem Principes ejus amicitiam eâdem omninò ex causâ colere præseferebant, alioqui propter diversam religionem non magnoperè ei addicti; cum quo etiam fœdus adversus Cæsarem inire omninò recusârunt.

[ss] *Rer. German. edit. Freher. to. 3.*
[t] *Sleid. lib. 9.*
[u] *Sur. in comment.*

XII. *Angliæ Regis*

Misit & Rex Angliæ legatos Smalcaldiam, quorum princeps Eduardus Foxus Episcopus Herefordensis: per quos signifi-

LEGATIO AD EOSDEM.

x Sleid. lib. 9. Belcar. lib. 21.

caret [x] & se Romanæ tyrannidis jugum (ut loquebatur) excussisse, & pro benevolentiâ quâ in eos ex antiquâ Anglorum Saxonúmque propinquitate ferebatur, orare ut quam profitebantur doctrinæ veritatem, in eâ perseverarent omnes; nec novas sectas admiscerent, quibus pax eorum labefactaretur: denique haud admittendum Concilium, in quo Pontificis Romani auctoritas stabiliatur: nec ullum approbandum priusquàm publica pax Orbis Christiani constituta esset. Cui ab iis responsum est, se plurimùm Regi de communi doctrinâ gratulari: (quæ tamen quàm diversa esset, videbitur posteà:) gratias agere quòd ad eam tuendam se paratum esse confirmaret: quídque ad Legati Romani Pontificis postulata de Concilio Mantuæ celebrando respondissent, se ad Regem perferendum curaturos.

XIII. HENRIC. REX ANGLIÆ SÆVIT IN CATHOLICOS.

Multa verò alia, etiámque longè peiora, præstiterat ante idem Rex in suâ Angliâ hoc eodem anno, pòst secessionem præterito factam ab Ecclesiâ Romanâ. Animadvertens enim bonorum omnium animos vehementer abhorrere ab iis quæ patrabat, manum sanguini admovere decrevit; præcipuo administro Thomâ Cromvelo crudelissimo regio scrinio præfecto. Et à religiosissimo Carthusianorum Ordine exordio facto, tertio Calendas Maij tres diversorum illius monasteriorum Priores, cum uno Brigittensi, & altero presbytero sæculari pastore cujusdam Ecclesiæ, suspendio necati sunt eodem habitu religioso quo uti consueverant. Hósque subinde secuti sunt alij atque alij Carthusienses, aliorúmque Ordinum professores; variis horrendísque diversorum suppliciorum generibus.

XIV. IO. ROFFENSIS CARDIN. MARTYRIUM.

Sed ceterorum omnium superavit famam memoriâ duorum præcellentium virorum, non magis dignitate quàm pietate & eruditione clarissimorum, quos jam anno superiori carceri inclusos vidimus *Ioannis* nimirùm *Fisheri* Roffensis Episcopi, & S. R. E. Cardinalis, ac *Thomæ Mori* olim regni Cancellarij, quæ dignitas in Angliâ secunda est à regiâ. Cùm enim Paulus Pontifex Roffensem in carcere positum, duodecimo Calendas Iunij Cardinalem creâsset unà cum *Nicolao à Schonberg*, Ordinis Prædicatorum patriâ Misnensi Suevo, *Ioanne Bellaio* Gallo Episcopo Parisiensi, de quibus olim, aliísque nonnullis præstantissimis viris; spe fore ut reverentia eximiæ illius dignitatis eum vinculis eximeret; econtrà apud efferatissimum Regem hoc majoris odij auctarium fuit, & mortis accelerandæ argumentum. Qui summâ constantiâ, decrepitâ ferè ætate, vir Angelis ipsis venerandus, 10. Calendas Iulij publicè capite truncatus est; quod hastili affixum in ponte Londinensi omnium oculis expositum fuit.

ITEMQUE MORI.

Morus rursùm variè tentatus, firmiórque semper factus, pridie Nonas ejusdem Iulij pari supplicio plexus, non tam familiam suam, quàm universam Angliam, penè dixerim & omnem Europam, cujus magnæ parti notus, eidem, & admirationi habebatur, immenso mœrore replevit. De cujus impiâ nece, & admirandis virtutibus, est inter Epistolas [y] Principum una egregia prædicti Cardinalis Schonbergij Capuani dicti, qui ei arctâ amicitiâ junctus fuerat, ad Cardinalem Caracciolum. Sed prolixior extat ejus nobilissima Vita, in quâ & martyrium profusè narratur, conscripta à Doctore Thomâ Stapletono Anglo in commentario *De tribus Thomis*, Apostolo nempè, Cantuariensi, & isto. Necnon historia martyrij Roffensis præfixa Operibus ejus eruditissimis, quorum aliàs meminimus. Descripserúntque eadem Sanderus, Surius, Roværus Pontanus, & alij. In quorum martyrio illud etiam nonnullis observatum fuit; ut cùm caput Roffensis expositum, non solùm non contabescere, verùm etiam magis efflorescere visum esset, sublatum illud fuerit atque abditum: ac ne idem appareret in capite Mori, priusquàm exponeretur, aquâ ferventi decoctum esse quò plus haberet horroris. Corpus ab ejus charissimâ filiâ Margaritâ, pietate & doctrinâ præstantissimâ, à ministris & apparitoribus impetratum, sindone mundâ miraculo acceptâ involutum & honestè sepultum fuit: cùm Roffensi nemo ejusmodi officium præstare ausus fuisset; cujus corpus vili sepulturâ in terram conjectum est. De cujus quoque laudibus, & vitæ ratione ac sanctitate, plura ceteris intacta reperies apud Victorellum & Vghellum in additionibus ad Historiam Pontificum & Cardinalium Ciacconij & Cabreræ.

y Epist. Princ. vol. 3.

XV. SEVERA PAULI PONTIF. IN REGEM ANGLIÆ SENTENTIA.

z Ext. Bull. to. 1. Paul. III. const. 7.

Hæc autem cùm audîsset Paulus Pontifex, ac proinde animadvertisset nihil Clementis VII. commonitiones, aut comminationes, nec denique condemnationes, apud Henricum profuisse; re diù multúmque deliberatâ, statuit severiùs cum eo agere: constitutionemque [z] in eum condidit tertio Calendas Decembris præsentis anni; quâ post narrata ejus crimina, rursùm hortatur ad resipiscentiam; eámque si negligat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, regni amissionis, & depositionis, mandat ut per se vel per legitimum procuratorem intra nonaginta dies se Romæ ad dicendam causam sistat: quibus elapsis si non obediret, in eas pœnas excommunicationis, rebellionis, & amissionis regni & ditionum omnium incidisse decernit; omnia loca ad quæ aut ipse aut ejus sequaces aut fautores venerint interdicto supponit; ejus, ac fautorum liberos infames & ad quæcumque inhabiles declarat: subditos à juramento fidelitatis absolvit, & ne ulteriùs obediant mandat; cunctis fidelibus commercio cum Anglis interdicit; Prælatis ac ceteris ecclesiasticis tam sæcularibus quàm regularibus imperat à regno exire, & proceribus ac nobilibus, in Regem insurgere, ac regno pellere; fœdera Principum cum eo contracta dissolvit; eósque in eum arma suscipere, ac bona ejus fautorúmque & sequacium capere, illa occupantibus concedens, & subditos huic constitutioni inobedientes in servitutem addicens, hortatur ac præcipit: denique Prælatis omnibus injungit hæc in suis Ecclesiis publicare; & publicationem impedientibus easdem pœnas infligit: ac ne Henricus ignorantiam constitutionis prætendere posset, jubet illam in nonnullis expressis Belgij locis Angliæ vicinis affigi. Hæc satis severè

Ponti-

Pontifex. Quorum tamen executione, per nonnullos Principes spe conversionis Henrici rogatus supersedere, ampliùs triennio quievit: donec novis ac tetrioribus motus Henrici facinoribus eam executioni mandari jussit: ut videbitur suo loco [a].

[a] Infr. an. 1538. in fi.

XVI.

[b] Sander. de Schism. lib. 1.

HENRICUS EXPILAT MONASTERIA.

Qui interim idem Henricus, hoc [b] ipso anno mense Octobri, pleraque monasteria tam virorum quàm feminarum, pessimo quorumdam nebulonum consilio, visitari jubens & delicta singulorum inquirens specie reformationis; omnes viginti quatuor annis minores è monasteriis exire & ad sæculum reverti jussit, majoribus quoque datâ facultate exire si vellent: institutâ hâc visitatione ut Rex omnem evertendi monasteria, quorum bonis inhiabat, occasionē captaret. Itaque pridie Nonas Februarij anni proximi, criminibus Religiosorum partim detectis, partim confictis, obtinuit in publicis regni comitiis, (ridiculè qui Papæ & Ecclesiæ universali nolebat subdi in rebus divinis & Ecclesiasticis, in iisdem subdebat se suis subditis laicis) ut minora quæque monasteria, quorum annui census nonnisi ad septingentos aureos æstimabantur, libidini suæ dederentur; tanquam in eis propter exiguum hominum numerum disciplina minùs commodè observari posset, inde scilicet ad majora & pinguiora transiturus. Dicitúrque hoc primo impetu monasteria trecenta septuaginta sex oppressisse: ex quorum spoliis cesserint in fiscum regium annui census ad centum circiter ac viginti millia aureorum: in supellectili verò ac bonis mobilibus, ad quadringenta ferè millia: præter illa quæ ministri regij sibi quíque rapuerunt: Religiosorum autem utriúsque sexûs plusquam decem millia ad sæculum rediisse. Ex quibus conjici potest, quid triennio pòst acciderit, cùm universa simul monasteria totius regni evertit. Cùm nihilominùs, ut observant, statim post primas has monasteriorum rapinas, adeò Henricus egere cœperit, ut paucis post mensibus nonnullas provincias ad arma usque compulerit ob gravissimas novorum tributorum exactiones; ac multò magis postquàm universorum cœnobiorum bona rapuit.

XVII.

[c] Cochlæ. de Act. & script. Luth.

LUTHERI SEDITIOSŪ SCRIPTUM.

His autem insperatis Henrici excessibus Lutherus in Germaniâ ferocier redditus, libello [c] quodam Teutonicè edito, tum in ceteros quosque Imperij Principes & Status, tamquam Deo & Cæsari rebelles, tum maximè in Albertum Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum invectus est, quòd is subditos suos Hallenses Lutheri hæresi corruptos, rebus suis distractis alio migrare, ne reliquos inficerent, jussisset. Quapropter ait si hujusmodi homines in Cardinalem insurgerent, & expellerent, aut etiam interficerent, justè facturos, quoniam is agnitam veritatem persequeretur. Adversus quam seditiosissimam infelicis apostatæ invectionem Doctor Cochlæus calamum exerens, econtrà ostendit ex Scripturâ, & Legibus canonicis ac civilibus, mitiùs in his agere Cardinalem quàm pro causæ merito; qui potuisset optimo jure subditos suos fidei Catholicæ desertores incorrigibiles, non solùm exilio, verùm etiam bonorum ac vitæ amissione punire. Fuítque eodem tempore laicus quidam Hallensis ejusdem Cardinalis subditus, nomine Gaspar Querhamer, qui in summam Lutheri ignominiam, ex diversis ejus scriptis collegit triginta sex pugnantes inter se ac planè contrarias sententias, super unico articulo de communione Eucharistiæ sub unâ vel utrâque specie: quas Teutonicè edidit, atque in magnam digessit tabulam, quæ posset parietibus affigi; eásdemque Gochlæus Latinas fecit. Hic verò laicus posteà in bello Smalcaldico malè mulctatus est ab hæreticis, ligato ad virilia fune dimissus in puteum: ubi diù tortus, cùm in fide Catholicâ constantissimus permaneret, rursùm extractus est.

XVIII. CONTINUATIO FURORIS ANABAPTISTARUM MONASTER.

Hoc anno finem accepit tragœdia Anabaptistarum Monasterij. Cùm esset urbs adeò graviter & angustè circumsessa ab Episcopo, ut nullus cuiquam pateret exitus vel ingressus: cives inediam veriti cogitare cœperunt de Rege comprehendendo, & vincto tradendo Episcopo. Sed eo comperto Rex duodecim electis sibi fidissimis, Duces nuncupavit, & suas singulos urbis partes ceu Tribunos militum custodire jussit, cavereque ne quis populi tumultus exoriri posset; grandes & amplas singulis per Germaniam dynastias promittens. Variis dehinc delusionibus ac vanis promissionibus miseram plebem ad patientiam confirmans, spe certâ proximi auxilij ex Belgio adventuri aliquamdiù pavit. Atque interea quòd una ex Reginis pellicibus sortem miserorum commiserata, ad ceteras dixisset, haudquaquam Deo gratum putare se, ut ad eum modum homines fame perirent; id ubi Rex intellexit, qui sanè non modò ad necessitatem, verùm etiam ad luxum instructam domi penum habebat, in forum miseram producens, in genua considere jussit, atque impudicitiæ accusatam capite ipsemet plexit in ceterarum conspectu: quæ gratias inde Patri cælesti reddentes, unà cum eo choreas duxerunt; reliquâ etiam multitudine, quæ vix præ esurie pedibus se continere poterat ad similem ludum provocatâ. Aliâ vice *Knipperdolingus* indigena Monasteriensis, qui quando hæc ridicula lamentabilia cœperunt, Consul erat urbis, & furore prophetico vaticinatus fore ut in summo gradu collocati deturbarentur, & alij è sordibus in sublime erigerentur; à Ioanne magno prophetâ sed nondum Rege, de voluntate, ut aiebat, Patris æterni, ex Consule carnifex constitutus fuerat: ídque ministerium gratissimo animo acceperat, exercuerátque; factus posteà à Rege totius regni vicarius, cùm in foro staret populus condensatus & arctus coram Rege, ille manibus pedibúsque super confertæ multitudinis capita reptans, singulis insufflavit dicens: Accipite Spiritum Sanctum, Pater enim sanctificavit vos.

XIX. CAPITUR URBS.

Post multas demùm alias ineptias & fatuitates, redactis jam rebus ad extremam omnium necessitatem, adeò ut à propriorum liberorum esu non abstineretur, póstque recusatam obstinatissimo animo à fanatico & fantastico Rege oblatam sæpiùs ab Episcopo gratiam: fuit quidam ei familiaris vigilum præfectus, qui offerens se quasi periculum facturus de commeatu & præsidiariis intra paucos dies in urbem adducendis, urbe exiens Episcopum adiit, atque urbem ei tradere spopondit. Re

constitutâ in urbem regressus, negotium sibi ex animo successisse annunciavit, affuturásque certo die suppetias & escas. Nocte igitur cum Episcopo constituta, (quæ fuit S. Ioannis Baptistæ 24. Iunij) specie eas introducendi portâ quâdam urbis apertâ hostes introduxit; qui obnitentes magno animo Anabaptistas grandi cæde, nec tamen sibi incruentâ, prostraverunt. Rex & Knipperdolingus atque Bernardus Krechtingus præcipui ejus consiliarij, capti, & abducti, aliquótque mensibus ludibrio in vinculis habiti, ac per vicinas provincias Principibus quibusdam ad spectaculum exhibiti, (Bernardus Rothmanus sectæ coryphæus, ne vivus caperetur, sese gladiis hostilibus objiciens perire maluit) ad supplicium deinde Monasterium reducti die vigesimo secundo Ianvarij anni proximi horrendo supplicio exanimati sunt; ad palos siquidem alligati, & à lictoribus ignitis forcipibus per integram horam laniati, demùm adacto ad cor mucrone perempti fuêre. Dicitur Rex peccatum & errorem confessus esse, (præter tamen errores de baptismo parvulorum, & incarnatione Christi, in quibus usque ad mortem perseveravit) ceteris in omnibus & singulis obstinatè perstantibus. Cadavera totidem ferreis ergastulis inclusâ, è turri excelsissimâ suspensa fuêre; regio ergastulo medio ac ceteris excelsiore. Rem verò accuratè narrant iidem auctores, quos anno superiori de his ipsis motibus Monasteriensibus agentes recensuimus. Quibus quoad supplicium prædictorum attinet. Addendus Antonius [d] Corvinus, (monachus apostata concionator Landgravij Hassiæ, qui interfuit, & cum is de ipsorum dogmatibus disputavit, libello de iis scripto ad Georgium Spalatinum. Narrant Meshovius, & quidam alij, facetum quid de eodem Rege: nimirùm cùm exprobraret ei Episcopus dispendia ab eo accepta, ridentem Regem dixisse, si suo vellet Episcopus uti consilio facilè cuncta resarciturum, etiámque cum grandi fœnore: videlicèt ut ferreo ipsum includeret ergastulo corio obducto, & undiquaque per regiones veheret, nec cuiquam prius facultatem eum videndi faceret quàm teruncium solveret; sic enim plus sibi pecuniarum corrasurum quàm in castris expendisset. Fuisse autem ait annorum tantummodò viginti septem.

DUCES PUNIUNTUR.

[d] Ext. ap. Schard. in Oper. Hist. to. 2.

FACETUM CONSILIUM IPSORUM REGIS.

XX. ALII GRASSANTUR PER BELGIUM.

Ceterùm haud planè vanam fuisse aut confictam nebulonum istorum spem, quâ sibi persuasum habebant, esse qui eis opem laturi forent; ex iisdem auctoribus intelligitur. Quippe extitisse qui ad id se accinxerint; sed malè mulctatos esse. Fuisséque hoc eodem anno ab eodem scelestissimo hominum genere magnas turbas in Belgio concitatas, ijdem scribunt; ac præcipuè in Frisiâ, & apud Amstelradum insigne Hollandiæ emporium; quod vix ab eorum furiosâ invasione servatum est, plurimis illorum aut armis aut variis suppliciorum generibus de medio sublatis. Inventi nihilominùs sunt rursùm qui regnum istud Monasteriense restituere sategerunt; sed eodem infelici exitu; *Ioannes* quidam, qui Bruxellis capite luit; *Cornelius*, qui Vltrajecti; *Ioannes-Vvilelmus* Geldrensis, qui viginti uxores duxit, ferebátque gladium, quem Gedeonis appellabat, cælitus sibi traditum: qui anno 1574. apud Clivenses captus, post longam tetri carceris macerationem, anno [e] demùm 1580. lento igne combustus est, ultimus, quod sciamus, fanaticæ sectæ Rex; quæ nihilominùs acephala hactenùs viget.

REGES INFAUSTÆ SECTÆ.

[e] Vid. infr. an. 1580.

XXI.

Hoc eodem anno Carolus Imp. ut erat [f] singulari sagacitate, cùm cerneret Franciscum Galliæ Regem æmulum suum arma tacitè parare, aliósque nonnullos Principes tam in Italiâ quàm Germaniâ alieno à se esse animo, ac facile in unum contra se coituros; eos antevertere studens, ut sibi potiùs timerent quàm ipsi bellum inferrent, captatâ honestissimâ occasione in Turcos & barbaros movendi, ex Hispanis, Italis, & Germanis copiosum collegit exercitum, quem ad omnia paratum haberet. Nobilissimâque atque instructissimâ paratâ classe septingentarum ferè omnis generis navium, adversus Barbarossam insignem piratam, Argeriæ sive Algerij Regem, qui oras & naves Hispanicas infestare non cessabat, & Neapolitano regno minabatur, in Africam navigavit; simul ad restituendum regno Tuneti Muleassem quem vidimus anno superiori ab eodem Barbarossa pulsum. Cui Paulus [g] Pontifex in tam pij belli sumptus, omnium sacerdotiorum decimas in Hispaniâ concessit. Eâdem etiam erga Regem Galliæ liberalitate in concedendis regni sui decimis usus, quò ille, si usus posceret ad tuenda Etrusci maris Pontificiæque ditionis littora, è Massiliâ viginti triremes mitteret. Quippe idem Pontifex ut in nullo tantæ rei benè gerendæ occasioni deesset, de suo etiam decem triremes Genuæ exornari jussit; iísque tres veteres adjunxit, quæ in custodiâ Romani littoris esse consuevissent; præfecto ei classi Virginio Vrsino Anguillariæ Comite; cui Vexillum, Sceptrúmque Christianæ Religionis de manu suâ in templo Vrbis-veteris, seu Centum-cellarum tradidit: cùm audiens illuc appulsurum cum Germanicis atque Italicis legionibus Alfonsum Vastium, eò se contulisset ut sacris precationibus exercitui benediceret. Qui & paulò antè ad Andream Auriam toti maritimo negotio ab Imperatore præfectum, gladium solemnibus cæremoniis consecratum, gemmato capulo cælatâque vaginâ, cum baltheo aureis bullis & fibulis conspicuo, ac prætereà villoso è serico pileum margaritis phrygio opere depictum dono miserat, eximij piique ducis adversus Christianæ Religionis hostes depugnantis insignia magnis Regibus donari solita. Fuit autem præterea cum Imperatore Ludovicus Ioannis Lusitaniæ Regis frater Prior Ocrati Religionis Melitensis cum classe viginti quinque navium: interfuêréque insuper triremes ejusdem Religionis duce Aurelio Butigellâ Priore Pisano.

[f] Iovid. l. 34.

CAROLI IMP. EXPEDITIO IN AFRICAM.

[g] Onuph. in Paulo III. Iovi. ibid.

PAULI PONT. AD EAM AUXILIA.

XXII. GOLETA CAPITUR.

Post quædam satis utrisque cruenta certamina, captâ vi Goletâ; (quæ ingens turris erat lateritia, circùm adjectas habens munitiones, in paludis maritimæ, quæ Tunetum usque duodecim circiter passuum millibus inde distans pertingit, faucibus; per quas paruis navigiis ad eam urbem aditus patebat; adeò ut non illius modò urbis, ve-

rum etiam totius regni certissimum firmissimúmque esset propugnaculum :) fractóque levi negotio apud Tunetum obviante cum ingentibus barbarorum copiis Barbarossâ; cum is se in urbem recepisset, & interim captivi Christiani, qui sex millium numero ibi in vinculis detinebantur, perfractis catenis arcem occupâssent, præcipuo auctore ex iis uno Fr. Paulo Simeone Religionis Melitensis commendatore Taurini; fugiente Barbarossâ, urbs deditionem fecit; ac nihilominùs prædæ data fœdè à militibus expilata est: assertis in libertatem toto eo regno circiter viginti captivorum Christianorum millibus. Quæ mensibus Iunio & Iulio feliciter confecta, ubertim Iovius [h] descripsit; ex quo Surius [i], & alij plerique quæ de iis habent desumpserunt: sed longè uberiùs atque diligentiùs per singulos quosque dies tractavit auctor ille Gallicus, cujus commentarium [k] seu Diarium in Latinum transtulit Ioannes Etropius: cui multa alia cognitu non indigna inserta sunt; & quæcumque auctor scripsit vel dictavit, aut ipse suis vidit oculis, aut ab aliis audivit, qui res gestas omnes ad Imperatorem detulerunt. Præter quem fuit etiam Aloysius Armerius, qui æquè rebus interfuit, & quæ manifestanda existimavit, scripsit pariter ad amicum Georgium Loxanum, ex ipsis Cæsaris castris apud Goletam decimo septimo Calendas Septembris, pridie quàm Imperator inde recederet. Vt enim non minùs præclara quàm felicia extitère pleraque Cæsaris gesta; ita non parva ejus felicitas fuit, quòd permultos invenit certatim præcones, qui ne minimum quidem siverint absque oratoriis laudibus abire: cùm sanè si fides habenda foret Turcorum Annalibus, (sed quis non jure merito Christianos eis præferat?) detrahendum non parùm esset de tantæ victoriæ gloriâ.

ET TUNETUM.

[h] Iovi. Hist. lib. 34.
[i] Sur. in commentar.
[k] Ext. post Chalcondyl. edit. Clauser. & apud Schard. Oper. Hist. tom. 2.

XXIII. RES SUMMI PRETII IBI DISPERDITÆ.

Memorat verò Iovius, in arcis Tunetanæ direptione tria incomparabilis jacturæ detrimenta Muleassem deploràsse: Antiquissimorum imprimis voluminum Arabicorum Bibliothecam, quæ non disciplinarum modò omnium præcepta, sed superiorum etiam Regum res gestas, & Mahometanæ superstitionis interpretationem continebant; Vnguentorum deinde odoratíque Indici aromatis officinam, in quam prodigiosi sumptûs inusitatæque luxuriæ orientis opes contulerat: postremò varia maximéque pretiosa pigmentorum genera; acervos cærulei transmarini, quod Lazurium vocant; culeos multos cocco & laccâ Indicâ plenos, quæ purpuræ colorem æmulantur, & à pictoribus eximiis, & lanarum telæque sericæ infectoribus magno coëmuntur pretio. Quæ omnia tum fœdè pessumdata, nemini prædæ futura disperierunt. Ingentem quoque ballistarum, & telorum, atque armorum, thoracúmque præsertim ex laminis, & galearum apparatum esse repertum: agnitásque in his cassides, ocreas, femoraliáque Gallorum equitum, ab eo tempore quo S. Rex Ludovicus Tunetum, trecentis ferè antè annis obsederat; quæ ad ejus belli memoriam custodita servabantur, eadémque Cæsariani cum admiratione manibus tractabant.

XXIV.

Barbarossa fugâ Hipponem tenens, inde quoque incuriâ erroréque ducum qui adversus eum missi sunt, incolumis evasit Algerium: ac reparatâ classe minorem Belearem astu intercipiens, ac miserè devastans, ad finem anni Constantinopolim navigavit, nihil in itinere intactum relinquens, quo vindictam de clade suâ in Christianos exereret, cujus unum effugium, summam Cæsaris eo bello felicitatem nonnihil minuit. Auria verò posteà Hipponem accedens, eam cepit diruitque. Imperator restituto Muleasse in regnum Tunetanum sub annuo tributo (ut Iovius habet) binorum eximiorum falconum & totidem pernicissimorum equorum; sive, ut Etropius, sex equorum ac duodecim falconum; seu denique, ut Armerius, quatuor equorum decémque falconum (quis fidem habeat hujusmodi narrationibus, cùm in re, quæ compertissima haberi debuit, tanta reperiatur discrepantia? sed satis sit, quod de tributo avium & equorum constat,) retentâque sibi Goletâ, cujus præsidium Hispanicum Muleasses de suo alere deberet, aliisque certis conditionibus; decimosexto Calendas Septembris Goletâ movit Italiam versùs, & undecimo Calendas Drepanum in Siciliâ appulsus, dimissis plerisque copiis, post reliquas civitates insulæ visitatas, ubique cum triumpho & pecuniarum donis acceptus, demùm Neapolim ingressus est septimo Calendas Decembris splendidissimo apparatu. Quò ad congratulandum ei suo nomine Pontifex (qui solemnibus indictis supplicationibus gratias Deo publicè de partâ victoriâ egerat) duos Cardinales Legatos, Ioannem Picolomineum Episcopum Ostiensem, & Alexandrum Cæsarinum SS. Sergij & Bacchi Diaconum misit; qui Neapolim duodecimo Calendas Ianvarij pervenerunt, honorificè ab Imperatore ad portam urbis obviam eis procedente excepti. Et merebatur equidem expeditio hæc, ut ab omnibus celebraretur. Sed quàm plausibilioribus digna fuisset triumphis si religio Christiana Tuneti, totóque regno, quod in manu Cæsaris erat, plantata fuisset! Vt quid enim non id factum, si religionis tantummodò amplificandæ causâ suscepta fuerat; Aut quid (ut objecit posteà Franciscus Rex) adeò Christianæ Reipublicæ intererat, à Turcis an à Mauris Mahometanâ in Africâ superstitio prædicaretur? Denique quod tantum emolumentum, ut Rex impius perfidus, sacrilegus, fratrúmque sceleratus peremptor, tanto periculo atque sanguine Christianorum in regnum restitueretur? Sed hæc aliis.

BARBAROSSA ELABITUR.

CAROLUS TRIUMPHANS IN ITALIAM REGREDITUR.

XXV. DUCIS MEDIOLAN. OBITUS.

Priusquàm Cæsar Neapolim pervenisset, nunciata est ei in Siciliâ mors Francisci Sfortiæ Ducis Mediolanensis, quæ contigit sub finem Octobris, nullis relictis liberis; unde gravissima exorta sunt bella, eò quòd Franciscus Rex Galliæ eum principatum sibi à Cæsare concedi debere asserebat, cùm suo jure antiquæ hereditatis à Valentinâ proaviâ suâ repetito, tum Maximiliani Cæsaris concessione, qui eum tabulis ritè confectis, acceptâque honorarij muneris pecuniâ, Ludovico Regi Francisci decessori, post exactum captúmque Ludovicum Sfortiam, adjudicâsset: Carolus autem Cæsar non ignarus quantum sibi auctoritatis, po-

tentiæ, & certi quotidianæ pecuniæ proventus ex eo accederet, adduci non poterat ut præpotenti Regi cederet: quem interim Antonius Leva ipsius Cæsaris nomine, utpotè feudi domini, occupaverat. Haud tamen continuò id Carolum denegâsse, sed tam per se quàm per Granvellanum verba dedisse Vellio Regis apud se legato: breviter Belcarius [l] ex Bellaio [m], sive Langeo, qui prolixè rem tractat, describit. Quid autem porrò secutum sit, dicetur anno sequenti.

[l] Belcar. lib. 21.
[m] Bellai. lib. 5.

XXVI. SOLIMANI INFELIX REDITUS EX PERSIDE.

Hoc verò anno Solimanus Turcorum Imperator, quem superiori [*]Babylone reliquimus, cùm nusquam apparente Tammaso Persarum Rege ad reditum indignabundè se compararet, Taurisium reversus eam urbem militibus in prædam concessit; dirutis etiam præcipuis ædificiis publicis, & magnâ populi parte Constantinopolim abductâ; totámque regionem miserâ vastatione destruxit. Cùm in Mesopotamiam pervenisset, à Persis ejus vestigiis insistentibus inquietari cœpit. Sed cùm longiùs progressum Tammasus eum gravi suo equitatu assequi diffideret, Delimentem ducem fortissimum cum delictis leviorum equitum turmis fortunam experiri sese offerentem, hostes insequi permisit. Constituerat Solimanus quadraginta fortissimorum equitum millia cum duobus selectissimorum Ianizzerorum sclopetariorũ millibus, ducibus Ægypti Syriæque præfectis, atque Vlamane Persâ transfugâ locorum & hostium perito, qui universos incedentium agminum ordines coronâ quâdam circumseptos tuerentur: iisque protectus Solimanus, Amidam insignem Mesopotamiæ urbem cum primo agmine absque ullo periculo perveniens, subsequentia agmina ibi opperiri statuit. Verùm cùm duces illi ad Bethlin oppidum, apud Tauri montis radices in finibus Persici Imperij quibus Mesopotamiam attingit in valle positum, pervenissent; ratíque se cuncta evasisse pericula recreandis copiis indulgentes nullâ propè cura vigiliarum & stationum considerent: superveniens ex improviso per itinerum compendia Delimentes, obscurissimâ nocte, multâque etiam pluviâ impeditâ, eos adortus tertio Idus Octobris, ad internecionem ferè deleuit, tormentis, tentoriis, equis, impedimentis omnibus potitus, víxque præfectis & Vlamane cum paucis evadentibus. Adeò ut ferant, nusquam Turcis majus incommodum vel cruentissimâ acie fuisse illatum. Hæc diligentiùs Iovius [n], consentanea iis quæ narrant de iisdem Annales [o] Turcici: ex quo sua accepit Bizarus [p], & alij qui de his egerunt. De rebus verò usque ad Taurisij direptionem ac dirutionem prosperè à Solimano & Ibraimo gestis, est etiam jactans & gloriosa epistola [q] ipsius Solimani ad Ragusços scripta 18. Octobris ex urbe Medicir: quâ item significat, se in eâ urbe veneratum esse sepulchra filiorum Abrahæ, necnon Sanctorum Casti & Eliæ, & ad illa construxisse oratoria, atque in eis Deum adorâsse in gratiarum actione partarum victoriarum. Est namque Turcis Abraham maximæ venerationi, adeò ut numquam ejus meminerint, quin eum titulo amici Dei cohonestent.

[n] Iov. lib. 33.
[o] Leunclav. lib. 18.
[p] Bizar. Hist. Pers. lib. 11.
[q] Epist. Princip. vol. 3.

XXVII. IBRAIMI BASSÆ FINIS.

Clades nihilominùs Bethlinea (ut Iovius addit) usque adeò animum Solimani concussit, ut omnem renovandi contra Persas belli cogitationem abjiciens, iratus Ibraimo Bassæ, qui ejus auctor fuerat, re tamen dissimulatâ Constantinopolim processerit: amissis, ut nonnulli alij perhibent, totâ eâ expeditione ampliùs quadringentis hominum millibus. Vnde erumpente sensim in Ibraimum atroci invidiâ, immodicæ ejus potentiæ sævâ comite, accendentibus eam potissimum matre & uxore Solimani; illâ quidem, quòd filius adversus auguria Persici belli, quod numquam nisi detrimentosum vel victoribus Othomanis extitisset, periculis objectus fuisset, uxore verò Roxolanâ, quòd Ibraimus Mustapham privignum, uti ex liberis Solimani natu maximum, sicut æquum erat, veluti Imperij successorem futurum impensissimè coleret, cùm Roxolana Bajazetem filium nefariâ prævaricatione Mustaphæ anteponere contenderet: accedente ad hæc non obscurâ famâ, haud parvis indiciis confirmatâ, quòd Ibraimus Christianos adaperto studio complecti fovere̍que argueretur; His tantis circumventus insidiis Ibraimus, & conceptæ recèns cum Venetis adversus Solimanum perfidiæ reus factus, circa Idus Martias anni proximi, in regiam, ut consueverat, admissus, nusquam posteà visus est. Tradúntque ipsorum annales, eum postquàm unà cum Solimano solito splendidiùs cœnâsset, in lectulo suo dormientem (quippe quoties ad cœnam arcessebatur, in palatio cubabat) ejusdem jussu gladio confossum esse: addentes, fuisse præter secreta cum Christianis consilia, etiam accusatum quòd fisco regio fraudem faceret, & provincias expilaret. Necem verò dormienti allatam Iovius ait, quòd cùm ipse aliquando familiari sermone à Solimano postulâsset, ut non se tantis honoribus onerare contenderet, ne demùm amplitudine odiosâ supra æquum florentem è tanto fastigio præcipitem dare atque occidere necesse haberet; fidem in ea verba Solimanus dedisset, ut numquam ei vivo vitam erepturum polliceretur, sícque ne datam falleret fidem, non aliter quàm altè stertenti necem intulisse; quoniam Talismanes quidam, seu sacerdos Turcici Iuris interpres, dormientem nequaquàm inter vivos censeri asseverâsset. Húncque demùm vitæ potentiæque suæ exitum tulit Ibraimus; quo vix ullus umquam eorum qui maximorum Regum gratiâ potentes evasissent, ad exemplum illudentis fortunæ ante obitum fortunatior extiterat.

IESU CHRISTI Annus 1536.

PAULI III. Annus 2.

CAROLI V. An. 18.

I. CATHARINÆ REGINÆ ANGLIÆ OBITUS.

ANNO Christi millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Indictione nonâ, octavo Idus Ianuarij, ipsâ die Epiphaniæ Domini, *Catharina* Regina Angliæ, partim ærumnis confecta, partim ex aëris minùs salubris intemperie, apud Kimbalton villam re-

giam in Comitatu Belfordienſi; ad quam ſe poſt divortium contulerat, diem ſuum obiit, (non tamen ſine ſuſpicione veneni) ætatis anno quinquageſimo. Quæ cùm ægrotare cœpiſſet, & mortem adventare præſentiret, ancillæ non indoctæ epiſtolam dictavit mirâ pietate ad Regem Henricum in hæc verba: (libet enim in tantæ heroinæ honorem & memoriam, his noſtris Annalibus eam inſerere, ex Polydoro [a], qui quæ ſcribimus narrat) *Domine mi Rex, marite ſemper chariſſime, ſalve. Iam advenit hora mortis meæ. In quo temporis puncto amor facit ut te paucis admoneam de ſalute animæ tuæ quam debes cunctis mortalibus rebus anteponere, neglecta præ ea omni corporis cura, propter quam & me in multas miſerias, & te ipſum in ſolicitudines plures conjeciſti. Sed hoc tibi ignoſco, ac Deus tibi ignoſcat tam velim quam precibus piis oro. Quod supereſt, commendo tibi filiam communem noſtram: in quam quæſo officium illud paternè totum conferas, quod ego à te aliàs deſideravi. Præterea precor ſummè, uti ancillas meas reſpicias, eáſque ſuo tempore benè locare nuptiis placeat: quod multum non eſt, cum non ſint niſi tres, & dare meis miniſtris ſtipendium debitum atque in unum annum etiam ex tuâ gratiâ, benignitate, liberalitate, futurum; ne deſerti vel inopes eſſe videantur. Poſtremò unum illud teſtor; oculi mei te ſolum deſiderant. Vale.* Harum literarum duo juſſit ſcribi exempla; unum, quod Regi, alterum quod Euſtachio Cappucio Cæſaris apud Regem legato daretur: huicque addidit, ut ſi Rex quod extremum de ancillis & miniſtris rogaverat non faceret, ipſe Euſtachius curaret ut Cæſar redderet Regem memorem officij. Rex autem acceptis literis, haud potuit ſibi à lacrymis temperare: Euſtachiúmque rogavit ſtatim ad eam proficiſci, multámque ſalutem ſuo nomine dicere. Sed priùs mortua eſt Catharina, quàm Euſtachius eò perveniret. Cujus corpus ad vicinum oppidum Petri-Burgum delatum, honorificè conditum eſt. Legimus [b] dictum ejus memorabile quo aiebat, ſe quidem temperatam & mediam quamdam fortunam malle, quàm vel aſperrimam vel leniſſimam: alterutra tamen optanda ſi eſſet, electuram citiùs triſtiſſimam quàm blandiſſimam: infelicibus non deeſſe conſolationem, fornunatiſſimis deeſſe mentem. Quod ſapientiſſimum dictum quàm pauci perpendunt! Scripſit verò etiam Meditationum in Pſalmos librum, & de Lamentatione peccatoris. Henricus omnes ſuos domeſticos pullis veſtibus indui præcepit. Cui adeò Anna Bolena non paruit, ut etiam in ſignum lætitiæ flavi coloris ornamentis ſe ſuáſque ancillas veſtiri curaverit.

[a] Polydor. l. 7.

EIUS AD REGEM EPISTOLA.

[b] Ap. Sur. in commentar.

II. BOLENÆ CASUS, ET SUPPLICIUM.

Cùm autem illa jam ingenti lætitiâ perfunderetur, quòd omninò ſibi Regina abſque ullo alicujus æmulæ metu videretur, contigit quod ait ſacra Scriptura [c], ut extrema gaudij luctus occuparet. Siquidem cùm jam Rex cœpiſſet adamare Ioannam Semeiram, quæ in obſequio Annæ erat, contigiſſétque Annam, quæ ſecundò gravida erat, peperiſſe tantummodò quamdam informem molem, ſeu, ut quidam habent abortum maſculum feciſſe: Rex ejus tædio affici incipiens, qui marem aliquem ſuſcipere maximoperè cupiebat, cùm etiam à quâdâ ancillâ Annæ, quæ procaciùs cum amaſio ſuo ludere deprehenſa, ab eâ ſeveriùs caſtigata fuerat, apud Regem de adulterio accuſata fuiſſet, quo & proprio fratri Georgio Boleno, atque etiam Marco cuidam regio muſico, præter tres alios nobiles aulicos, ſeſe proſtituiſſe infamabatur: (quod qui non tam implendæ libidinis cauſâ, quàm ut tentaret num ex aliquo eorum prolem maſculam concipere poſſet, feciſſe ferunt; minimè rem tetigiſſe videntur ſi enim id probatura erat, annon partûs aliquot annorum expectandi erant, qui tamen nulli fuêre?) juſtâ irâ correptus captam publico judicio expoſuit: quæ Iudicum ſententiâ adulterij & inceſtus damnata, decimoquarto Calendas Iunij publicè capitis ſupplicium luit, adulteris quoque eodem ſupplicio meritas libidinis ſuæ pœnas dantibus. Sícque ut Cochlæus ad Moriſonum ſcripſit, miſera Anna funeſto exitu ſatis declaravit: & iniquum fuiſſe Regis cum Reginâ divortium, & inauſpicatum ſuum pellicatum potiùs quàm matrimonium extitiſſe. Ejus autem morte ſublatum eſſe tractatum quemdam concordiæ inter Regem & Proteſtantes Germaniæ, in mutuam utriuſque partis defenſionem, & qualemcumque religionis accommodationem, per legatos habitum, Sleidanus [d], qui illum ſingillatim explicat, ſcribit.

[c] Proverb, 14.

[d] Sleid. l. 10.

III. HENRICUS SEMEIRAM DUCIT. POLYD. VIRGILII HISTORIÆ FINIS.

Poſtridie quàm Annæ cervicibus caput abſciſſum eſt, Rex prædictam Semeiram filiam Ioannis equitis, ornatiſſimam virginem in uxorem accepit; manifeſtiſſimo indicio illud ita inter eos anteà conveniſſe. Rem verò plenius deſcribit Nicolaus Sanderus, breviter attingit *Polydorus Virgilius*, finem hic imponens Hiſtoriæ ſuæ Anglicæ, quam viginti ſeptem libris complexus eſt: natione Italus, patriâ Vrbinas; ſed Pontificius in Angliâ quæſtor, & Wellenſis Archidiaconus: cujus hæc Hiſtoria majoris laboris; quàm exactæ accurationis nomen apud pleroſque meruit. Scripſit etiam de rerum Inventoribus, de Prodigiis, de Adagiis, & aliis quæ extant.

IV.

Henricus paucis poſt diebus, hoc eſt ad 6. Idus Iunij, tam Regiâ auctoritate quàm Capitis Eccleſiæ præſumptione, & Comitia publica, & Synodum Epiſcopalem indixit. In quibus, poſtquàm non parùm ſibi diſplicere ſignificâſſet, quæ pro Eliſabethâ Bolenæ filiâ facta fuiſſent, nuptiáſque cum eâ non minùs quàm cum Catharinâ illicitas & irritas declarari curâſſet: in utroque conventu conſultari juſſit, quænam Religionis ac divini cultûs forma deinceps in Angliâ ſervari deberet, ubi hactenùs confuſa omnia ac perturbata fuiſſe videbantur: vetito tamen omni de ſuo Primatu ſermone, ne quiſquam illum revocare in dubium auderet: conſtitutóque ſuo in eo Vicario generali atque ſupremo, Thomâ Cromvelo; cui ſigillum quoddam peculiare aſſignavit ad cauſas eccleſiaſticas & ſpirituales expediendas; cum auctoritate præſidendi Epiſcopis omnibus ac Synodis, cùm tamen eſſet ſolùm laïcus, & omnis bonæ eruditionis expers. Poſt longas autem conſultationes in utroque conventu factas, demùm libellus quidam editus eſt auctoritate regiâ, ſex articulos continens: nimirùm 1. In Euchariſtiâ Tranſubſtantiationem credendam eſſe: 2. Vnam ſpeciem ad

SEX ARTICULI FIDEI HENRICIANÆ.

salutem sufficere: 3. Cœlibatum sacerdotum retinendum: 4. Votorum castitatis & viduitatis necessariam esse persolutionem: 5. Missas privatas, uti rem sanctam retinendas esse: 6. Confessionem auricularem necessariò retinendam. Additúmque, ut qui secùs doceret aut crederet, tamquam hæreticus puniretur, cùm nihilominùs (ut demonstrat hæc narrans Sanderus, præsentíque anno collocans; quod Sleidanus, ac pleríque omnes in 1539. referunt, Cochlæus [e] sub anno 1540. ipsissima edicti verba recitat) & Rex ipse ac ministri ejus hæretica multa alia tenerent, non solùm cum fide Catholicâ, verùm etiam cum his ipsis suis articulis pugnantia. Adeò ut nulla tunc alia vigere in Angliâ religio dici posset, quàm Regis voluntas atque libido. Vnde & factum est, ut cùm populus Catholicus, qui speraverat post Bolenæ necem Catholicam fidem atque communionem restitutum iri, nihil tale fieri animadverteret; quinimò & quò magis ecclesiæ & monasteria expilabantur, eò duriùs pecuniarum indictionibus se premi; arma pluribus locis sumpserit ad quinquaginta virorum millia: quorum insignia erant quinque Vulnera Salvatoris, Calix cum Hostiâ, & nomen IESU in medio expressum. Quibus cùm regij sese opposuissent in ipso prælij procinctu concordia inita est, quâ populis sanctissimè promissum est, Regem omnia de quibus querebantur emendaturum. Qui nihilominùs per speciem novorum tumultuum, ab aliis nonnullis eisdem de causis concitatorum, & hos & illos sævissimè persecutus est, multis nobilibus, Baronibus, Comitibus, sacerdotibus, monachis, Abbatibus supplicio affectis.

[e] Cochla. in Act. Luther.

V. CAROL. CÆSAR TRIUMPHANS INGREDITUR ROMAM.

Inter hæc adulto vere Carolus Cæsar Neapoli profectus, Nonas Aprilis Romam triumphali pompâ intravit. Quatriduo ibi moratum esse Iovius tradit, & alij post eum: sed tredecim dies ibi egisse intelligitur tã ex Panvinio [f], quàm ex Diariis [g] Blasij Cesenatis tunc Magistri ceremoniarum Pontificis, qui quid per singulos tredecim dies gestum fuerit, breviter enarrat. Non autem obscurâ succensus bile in Regem Galliæ, cujus desiderium spemque obtinendi principatum Mediolanensem, variis ludificationibus [h] hactenùs frustratus fuerat, & porrò adhuc ambiguis verbis cum ejus legatis agens (ut erat horum insignis artifex) morari pergebat; pridie quàm proficisceretur, coram Summo Pontifice universis Cardinalibus, legatis Principum; atque aulæ Pontificiæ & Cesareæ proceribus, sermone Hispanico gravissimam & diuturnâ meditatione paratam orationem habuit: qua in eumdem Regem vehementer invecturus, duabus de causis se Romam accessisse declaravit: primùm ut Summum Christi Vicarium adoraret, & ad convocandum universi Christianismi Concilium cohortaretur: deinde ut significaret, se augendæ propagandæque Reip. Christianæ studiosum omnes machinas adhibuisse, ut cum Rege Gallo firma stabilíque amicitiâ conjungeretur, ad componendas nuper obortas in Religione controversias, & ad immanem Christianorum hostẽ Solimanum repellendum inde communem secum gloriam ac victoriæ fructum reportaret: quod & tum se optare profitebatur. At Regem ab hoc sancto proposito tam alienum offendisse, ut totius suæ vitæ omniúmque quæ inter ipsos hactenùs pertractata essent, coram celeberrimo illo conventu rationem reddere cogeretur.

[f] Panvin. in Paul. III.
[g] Ap. Victorel. in Not. ad Ciaccon.
[h] Vid. Bellai. lib. 5. & 6. Belcar. lib. 11.

INVEHITUR IN REGEM GALLIÆ.

VI. CONDITIONES EI PROPOSITÆ.

Narrationem deinde altè repetens à tempore Ludovici XII. & Maximiliani Cæsaris, Franciscum de multis vehementiùs perstrinxit; quæ uti ipsi placitum fuit, nemine verba ejus interrumpente, exposuit, securè, longéque à periculo omni. Demúmque addidit, quamquam tot de causis de Rege queri haberet, tamen & pacis universæ desiderio, & ut se omni ambitionis suspicione liberaret, tres ei proponere optiones: primam, uni ex liberis Regis Mediolanensem principatum tantoperè concupitum offerre, modò inde certa diuturnáque pax conciliari posset, modificationem istam, ambiguam illusionem auditores interpretati sunt) & Rex ab omnibus Sabaudiæ Ducis ditionibus quas invaserat revocaret. Alteram, cui Rex intra vigesimum diem respondere deberet (& currum hoc tempus in re tanti momenti risui potiùs fuit quàm laudi) ut ad parcendum Christiano sanguini, qui jam nimiùm multus propter illorum infesta odia effusus fuisset, singulari certamine inter se pugnarent: facilè illos de armorum genere conventuros, se nullum recusaturum, etiamsi ense vel pugione, solis amicti indusiis dimicaturi forent: de loco plus fortè difficultatis fore; sed vel in insulâ, vel in ponte flumini imposito, vel in navigio ad id extructo: congressum non difficilem futurum. Tertiam, bellum: ad quod tamen ipse invitus descẽsurus esset, quoniam tam cruentum futurum erat, ut victor non magnum operæpretium, victus incomparabilem non solùm hominum, verùm etiam ditionum suarum jacturam facturus esset: se enim non priùs arma positurum, quàm vel ipse vel Rex miserrimus atque egentissimus totius ditionis suæ nobilis relinqueretur. Vt autem benè de se ominaretur, & pristinam felicitatem, & plerasque alias rationes occasionem dare; jus enim à se stare, pecuniâ & militibus paratissimum esse, multos habere experientissimos duces; quibus omnibus Rex careret: denique si tales Rex, quales ipse Carolus duces & milites haberet, ultrò se vinctis manibus, & fune ad collum alligato, ad illum accessurum, séque ac sua uti victori permissurum. Postremò Pontificem rogavit, ut suscepti hujus belli rationes hinc inde colligeret: & si jus à Rege staret, quin illi Pontifex auxilio esset non recusare: sin à se, Deum Opt. Max. universum illum celeberrimum cœtum totúmque adeò orbem Christianum adversus Regem implorare.

VANÆ EIUS IACTÃTIÆ.

VII.

Sed quid, ô invictissime Cæsar, cœlum terrámque in auxilium invocas, si tam facilis sit tibi de Gallo victoria in manu? ut quid frustrà mundum inquietare quæris? Sanè mirati sumus vehementissimè, cùm hanc orationem legimus apud Bellaium, & alios; potuisse ejusmodi verba, & alia quamplurima non minùs ferocia, quæ iidem auctores recitant, excidere in tali conventu, adeò sapienti ac prudenti ab omnibus habito Principi; quæ magis, *Pyrgopolinici Militi Glorioso* Plautino convenire videntur, *quem Artotrogus parasitus*

PLAUTINA IRRISIO.

prædicabat virum fortem atque fortunatum; tum bellatorem, Mars haud ausit dicere, neque æquiparare suas virtutes ad illius qui legiones adversas difflabat spiritu, quasi ventus folia, aut paniculam tectoriam; qui in campis Gurgustidoniis, ubi Bombomachides Cluminstaridysarchides erat imperator summus, Neptuni nepos, phalanges hostium prostraverat. Quinimmò Zenocarus in Caroli Vitâ etiam magnificentiùs scribit, Carolum ad duellum Gallum provocâsse septem oblatis optionibus, ut mari, vel terrâ, vel flumine, equo, vel pedibus, colle, vel planitie, inter se decertarent. Vt omninò putemus, ex eo quòd Cæsar tot auribus acceperat præconia atque elogia, & triumphos oculis perceperat, expeditionis suæ Tunetanæ; facile fuisse optimo Imperatori multa præsumere, & minùs considerate effari. Quæ etiam quòd in ipsius prudentiæ diminutionem à plerisque auditoribus accepta esse intellexit, habuit postridie mitiùs interpretari: Et quod Deus consueverit superbis resistere, acceptis paulò pòst gravibus in Galliâ, cui tam grandibus verbis minas intentaverat, & in mari, quo priùs victor gloriabatur, cladibus, famam Africanâ victoriâ partam obscuravit.

VIII. PONTIFICIS RESPONSIO.

Cùm verò prædicta magno animi æstu Cæsar protulisset excipiens Pontifex, propensum illius ad pacem animum collaudavit, cui Regem in tam pio proposito prolixè satisfacturum non dubitaret, ut nequaquam foret vel ad singulare certamen, vel ad bellum veniendum: quorum tamen si alterum eligendum esset, bellum quantumvis cruentum potiùs quam duellum optandum videri, si enim alter, aut ut sæpè fit uterque mortem occumberet, duabus firmissimis Reip. Christianæ columnis prostratis, totam molem simul collabi necesse esset: meliorem itaque mentem induerent, & pietati potiùs quàm iracundiæ locum darent. Quod ad se attineret pro sacro munere quo fungebatur, se communem parentem exhibiturum, & neutram in partem inclinaturum, ut citra omnem suspicionem illis reconciliandis operam navare posset. Si tamen pertinaciùs alter in suis postulatis hæreret, in eundem se sui muneris auctoritate necessariò usurum. Quâ oratione Cæsar abundè sibi satisfactum putavit. Cùm verò legati Gallici, qui aderant, ad hæc uberiùs respondere vellent, Cæsar descriptam suam orationem traditurum se iis pollicitus, eos ampliùs loqui non permisit.

IX. CAROLUS PALINODIAM CANIT.

Postridie verò cùm idem ad Pontificem commeatum accepturus accessisset, interpellatus à legatis regiis de orationis suæ sensu, quem non probè percepissent; publicè sese interpretaturum dicens quæ nonnullos in alium sensum atque ipse intellexisset accepisse audiret; convocatis cunctis coram Pontifice, contestatus est se neque Regem insimulare, neque ullâ ignominiâ afficere voluisse: Regem quidem nonnulla & dixisse & fecisse, quæ ipse Cæsar dicta aut facta nollet: verùm eam inter ipsos esse affinitatem, ut cum illo convenire valdè cuperet. Pacem sibi privatim & ad existimationem & ad animi tranquillitatem, publicè autem ad omnium Christianorum utilitatem magis quàm ulli alteri necessariam videri; verùm nolle ad eam vi pertrahi. Quæ de duello dixisset, non ut Regem ad singulare certamen provocaret, sed ut animi sui sententiam exponeret dixisse: neque enim in hujusmodi provocationem coram Summo Pontifice sine ejusdem permissione delapsurum fuisse: scire se Regem non minùs animi virtute quàm staturæ præstantiâ cum paucis esse comparandum, quem temerè provocare nollet; præsertim cùm nulla causa subesset, nisi fortè ut bellum vitaretur.

X. VRBEM DESERIT.

Vt sunt hominum ingenia, fuêre qui satius duxissent Cæsarem non priorem orationem habuisse, quàm hâc posteriori veluti palinodiam canere. At Pontifex, quòd se ita interpretatus fuisset, plurimùm lætari dixit: illi Regíque summam Reip. Christianæ commissam: eo munere si benè uterentur, magnam laudem; sin contrà, non minus dedecus consecuturos. Regem non dissimilem suum sensum scripto sibi aperuisse, ut bonam de certâ inter utrumque concordiâ spem conciperet. Ad quæ Cæsar, se officio suo non defuturum respondit. Quod videlicèt officium, ut eventus declaravit, ita ipse accipiebat ut bellum Regi totis viribus inferret. Sicut etiam mox Cardinalis Lotharingius detexit, cùm à Rege ad eum missus pro tractatu pacis & principatûs Mediolanensis, Senis eum offendit: & cognito ejus animo, tum Regem monuit ut sibi provideret; tum Admiralium Chabotum, qui occupatâ Sabaudiâ & magnâ Pedemontis parte, reliquâ hortante Cardinale pacis spe supersederat, ut sibi à Cæsare caveret. Cùm intereà Rex acceptis tam per suos qui Romæ erant, quàm per Cæsareos qui apud se, legatos, quæ Romæ gesta fuissent, (non quidem ut priori oratione, sed ad sensum posteriori moderationis: neque enim vel æquum existimaverat, vel quâcumque aliâ de causâ voluerat Cæsar virus prioris Regi significari; & enixè rogârat Pontifex legatos regios ne acerbiora illa Regi scriberent, ut non omnis spes pacis, quam maximoperè cupiebat, intercideretur:) ne silentio suo objecta à Cæsare fateri videretur, scriptâ ad Pontificem & Cardinalium collegium, ac Principum legatos qui Romæ erant, & præsentes orationi Cæsaris fuerant; epistolâ apologeticâ, ea sigillatim purgavit; & in Cæsarem atque alios retorquens, omnis culpæ eos noxios constituere satagit. Recitat eam Gallicè verbatim Guillelmus Bellaius[i]; ex quo Latinam fecit Belcarius[k], non tamen singulis expressis; quæ integra habentur in versione appositâ tomo tertio[l] Rerum Germanicarum editionis Freheri: necnon apud Ferronum[m].

REGIS GALL. APOLOGIA AD PONTIF.

[i] Bellai. l. 5.
[k] Belcar. lib. 21.
[l] Pag. 356.
[m] Ferron. in Franc. I.

XI. ET AD GERMANOS.

Cúmque insuper Cæsar, Ferdinandúsque Romanorum Rex ipsius frater, Regem apud Germanos tam Catholicos quàm Protestantes diversis objectis considerationibus, parùm liberaliter, & multarum calumniarum, generosis Principibus penitùs indignarum, acervo, ita traduxissent, ut etiam odiosum plerisque reddidissent; quin etiam Venetos suis semper rebus intentos, & amicitias temporibus accommodare solitos, Cæsar à Regis amicitiâ vanis fictionibus aversos novo fœdere sibi conciliâsset; denique & Angliæ Regem, abdicatâ satis abjectè omni atro-

cissimarum ab eo acceptarum injuriarum memoriâ, & pro nihilo habitis Ecclesiæ in eum sententiis, aliis subdolis positionibus adversùs Gallum sollicitâsset? (quid enim non potest livor & odium!) necesse fuit pariter Gallo, ab his omnibus apud omnes sese purgare & vindicare: ut videre est apud eundem Bellaium [n], omnium prudentium judicio sincerissimum scriptorem, antiquâ nobilitate, doctrinâ, & rerum peritiâ non minùs quàm virtute bellicâ præcellentem; & Belcarium breviùs ex eo depromentem. Súntque eodem tomo tertio plures epistolæ, & apologiæ, à Rege Francisco ad Principes Germanos hoc & consequenti anno pro suâ defensione scriptæ; quibus singulæ istæ controversiæ inter eum & Cæsarem motæ, minutatim exponuntur atque expenduntur, & objectiones diluuntur: verè, an fucatè, aliorum sit judicium: nobis jam enim istiusmodi artificia, & indignationem afferunt, & penè patientiam auferunt. O Reges & Principes, quibus ludis perditum itis mundum, qui vobis regendus commissus est!

[n] Bellai. l. 6.

XII. CAROLI EXPEDITIO IN PROVINCIAM IRRITA.

Intereà Cæsar, tum propriâ sponte, tum Francisci Salutiarum Marchionis Regis subditi, sed turpis proditoris & transfugæ, & Antonij Levæ fortissimi æquè ac vanissimi Hispani ducis, qui feras commodiùs nusquàm quàm in suis lustris capi conficíque prædicabat, suasionibus; contrà quàm coram Pontifice, universo Senatu, ac legatis Principum protestatus fuerat, contráque cæterorum omnium ducum sententiam, summas rei difficultates proponentium; Regem in Provinciâ aggredi statuens, tantâ confidentiâ ut etiam de Lutetiâ occupandâ Regéque totâ Galliâ pellendo, circulatorias jactationes edere non dubitaret; instructissimum exercitum Hispanorum, Italorum, Siculorum, Germanorum, Belgarum, quo nullum unquam antè (illo excepto, quem aliquando adversùs Solimanum parâsse vidimus [o]) neque pòst numerosiorem, neque è selectioribus militibus, aut præstantioribus ducibus firmiorem habuisse dicitur, & ipsemet pomposâ sua oratione Romæ jactaverat; in Provinciam duxit. Vbi cùm prudenti Regis consilio, & Annæ Mommorancij, Majoris Domûs regiæ & Marescalli Franciæ, (posteà Connestabilis) quem Rex Vicarium suum constituerat, diligentiâ, omnis commeatus, quâ Cæsarianus exercitus transiturus erat, vel in loca munitiora exportatus, vel corruptus fuisset, molæque frumentariæ ubique perruptæ, solis relictis vitibus, arboribúsque fructiferis, quibus sese Cæsariani cæteri victûs penuriâ ingurgitarent; (erat enim jam mensis Augustus:) denique ab ineundo generali prælio abstinendum esse, sed bellum ducendum decretum esset: binis Regis castris in omnem eventum confidentibus, alteris cum Mommorancio ad Avenionem, alteris Valentiæ cum ipso Rege; in quibus præter Gallos fuêre viginti millia Helvetiorum, & sex millia Germanorum; quantumvis & Carolus Cæsar, & Ferdinandus ejus frater, omni studio egissent ne illi auxilia Regi mitterent: sed nulla mercenariis potentior suasio præsenti pecuniâ:) post levia quædam præsidiariorum privata certamina, & aliquot infirma oppidula, unà cum

[o] Supr. an. 1532. III.

Aquis Sextiis, propterea desertis quòd nonnisi multo tempore magnóque labore muniri potuissent, recepta: cùm etiam Massiliam circumsedere aggressus esset; repulsus, nec quid ampliùs tentare paratus, vel ausus, recessui canens Liguriam repetiit; amissis eâ expeditione ampliùs viginti bellatorum millibus; ex morbis tamen, fame, & aliis incommodis magis quàm armis; cùm armorum clades non tam milites regij, quàm rustici indigenæ intulerint, qui magnas Cæsarianorum cædes passim egerunt. Rem omnem profusè descripsit, qui armatus inter duces aderat, & quæ fiebant videbat, suprà laudatus Bellaius [p]: ex quo, ut solet, Belcarius sua descripsit. Non enim Carolus tot reperit hujus expeditionis descriptores, quot Tunetanæ. Iovius [q] autem propiùs ad verum accessisse videtur; quamquam non in omnibus Belcario probatus, qui valdè queritur, quòd ita permissus sit abire Carolus, cujus eo statu exercitus poterat facilè deleri, atque uno continentíque ductu quæcumque in Italiâ possidebat recuperari. Sed satis visum, si post tantas jactantias, cum tanto pudore, regno incolumi remitteretur; nec ultrà tentanda videbatur fortuna, quæ in bellis inconstantissima est, & à minimo momento réque levissimâ plerumque pendet.

[p] Bellai. l. 7. & 8.
[q] Iov. lib. 36.

XIII. ANT. LEVÆ OBITUS.

Inter duces autem ac proceres mortuos, fuit vanus ille Antonius Leva, ex dolore desperatæ victoriæ quam animo conceperat, magis quàm podagræ morbo quo affligtabatur continuè; sui fati non omninò mendax vates, qui se in Galliâ moriturum, & in Dionysiano templo sepulturam adepturum, ex fatuâ cujusdam arioli prædictione perceperat: fingens inde sibi, uti Iovius ait, Carolum Galliæ Regem evasurum, & se voti compotem apud Parisios in ipsâ victoriâ fato concessurum, & in celeberrimo templo Dionysiano, ubi Gallorum Reges terræ mandari solent, tumulum cum elogio consecuturum, qui mortuus quidem in Galliâ est, sed apud templum sancti Dionysij penes Mediolanum sepultus. Eodem verò tempore quo Cæsar Provinciam, etiam Henricus Comes Nassavius Picardiam cum magno exercitu ingressus, æquè parùm prosperum suæ invasionis exitum habuit; ut apud eosdem auctores videre est. Cæsar Genuâ mense Novembri in Hispaniam transmissurus, in ipso Genuæ portu duas naves amisit, in quarum alterâ selecti equi, in alterâ argentea supellex exportabatur, inter navigandum sex triremes vi maris absorptas perdidit.

XIV. DELPHINI OBITUS DE VENENO.

Dum autem esset in Provinciâ, die duodedecimo Augusti mortuus est Turnone, Franciscus Delphinus Regis primogenitus anno ætatis decimo-nono: adolescens ingentis expectationis, & non solùm patri sed & universo regno, ob fortitudinem bellicam & regias virtutes amatissimus, ac propterea effusissimè lamentatus. Veneno sublatum esse, fama fuit publica. Ejúsque nefarij criminis repentè reus factus est Sebastianus quidam Comes Montecuculus Italus: qui sive quòd tormentis quibus suppositus est finem imponi cuperet, sive ut multi crediderunt, quòd ita res haberet, Antonium Levam

& Ferdinandum Gonzagam Siciliæ proregem auctores tanti facinoris constituisse dicitur; reatûs etiam culpâ in ipsummet Carolum Cæsarem diversis conjecturis resiliente. Quod tamen malumus cum Bellaio [r] longè à Cæsare rejicere, quàm eum tam nefandi criminis conscium suspicari. Tradítque Feronus [s], nihil gravius Cæsarem toto eo bello accepisse, quam hujus facinoris in se relationem; palámque contestatum, maluisse se toto prius privari imperio, quàm vel levissimam rationem talis veneficij adornandi inire. Et Antonium ac Ferdinandum obrutos tantæ infamiæ nomine, calumniam sibi temerè impositam anxiè diluere contendisse, Iovius [t] scribit: Denique Delphinum ex nimiâ jactatione in ludo parvæ pilæ æstuantem, sudoréque madentem, frigidam intemperanter hausisse, unde morbum mortémque contraxerit. Verùm hâc ipsâ aquâ venenum ei propinatum, alij habent: quem quarto morbi die expirâsse certum est. Quo verò dolore, simul & constantiâ, atque egregiâ ad Deum oratione; Rex carissimi filij obitum acceperit; apud eundem Bellaium [u] videre est. Sebastianus autem ille, quæcumque tandem causa morbi mortísque Delphini fuerit, post Cæsaris recessum, solemni, judicio [x] condemnatus Lugduni, ab equis in diversa actis quadrifariam dissectus est. Paulus Pontifex auditâ Delphini morte ob merita Regum ac regni erga Sedem Apostolicam, solemnia funerum publicè ei in sacello Pontificio fieri curavit [y]; reluctantibus licèt nonnullis Cardinalibus.

[r] *Bellai. lib. 6. in fi.*
[s] *Ferron. in Franc. I.*
[t] *Iov. lib. 35.*
[u] *Bell. lib. 7.*
[x] *Id. lib. 8.*
[y] *Ibid.*

XV.

Vidimus suprà Cæsarem itûs sui in Vrbem præcipuam causam prætexuisse, Concilij generalis celebrationem à Pontifice expetendam. Cùm jam anteà, ut pariter vidimus anno superiori, ejus indictionem Pontifex decrevisset, eáque de re suum Principibus animum aperuisset: jam rursùm à Cæsare rogatus, & sui alioqui officij memor, ut salutaribus sanctionibus controversiæ de Religione tollerentur, constitutionem quarto Nonas Iunij Romæ edidit, cujus meminere Sleidanus [z], Roværus Pontanus [a], & Surius [b]; vidimúsque nos illam integram in Collectione Antonij Filholi Archiepiscopi Aquensis in Provinciâ Galliæ, de rebus ad Concilium, cui ipse interfuit, pertinentibus, toto Pauli Pontificatu gestis, de quâ dicetur pleniùs aliàs [c]. Quâ quidem constitutione Pontifex, imprimis declarans, quanto semper desiderio, etiam ante Pontificatum, his turbis remedium per Concilij celebrationem, de more omnium præteritorum temporum afferri concupiisset; quámque postquam Pontifex factus est sedulò laboraverit, ut illud celebraretur, non solùm ad extirpandos radicitùs de agro Domini omnes hæreses, & mores corrigendos; verùm etiam ut compositis regum ac Principium dissidiis, bellum communi omnium consensu inferretur hostibus Christianæ fidei: ea propter pro eà quâ præditus esset auctoritate, de fratrum suorum S.R.E. Cardinalium consilio & assensu, Concilium indixit Generale totius Orbis Christiani *Mantuæ*, loco tuto, fertili, & commodo: inchoandum decimo Calendas Iunias proximi anni 1537. cum solitis clausulis, injunctionis omnium Ecclesiarum præfectis, ut intersint; & hortationis ad Cæsarem, Regem Galliæ, cæterósque Reges ac Principes, ut pariter accedant vel suos legatos mittant. Cui diplomati subscripserant unà cum Pontifice Cardinales viginti sex. Sed hanc urbem cùm denegâsset Pontifici Fridericus Dux Mantuæ; sive (ut Panvinius ait) quòd Imperatoris vires timeret, sive, ut Cardinalis Sadoletus [d], quod concursum tot advenarum in urbem suam reformidans, eam sine firmo militum præsidio commissurum negaret; seu denique, ut ipse Paulus posteà in Tridentini indictione, quòd conditiones ab institutis majorum, & conditione temporum, Apostolicæque Sedis & Ecclesiastici nominis dignitate atque libertate prorsùs alienas postularet; nec intem eam urbem Protestantes admitterent: Vicentia deinde electa est, ac demùm Tridentum, ut de singulis dicetur annis consequentibus.

[z] *Sleid. l. 10*
[a] *Pontan. rer. memor. l. 3.*
[b] *Sur. in comment.*
[c] *Infr. an. 1545. XIII. in fi.*

INDICTIO CŌCILII GENERALIS.

[d] *Sadol. 10. ep. pen. ad Card. Salviat.*

XVI. CONCIL. PROV. COLONIENSE.

Intereà verò præsenti anno *Hermannus* ex Comitibus de Wedâ Archiepiscopus Coloniensis Elector Imperij, vocatis provinciæ suæ Episcopis; *Synodum* cum iis celebravit: quâ de dogmatibus & ceremoniis Religionis, de disciplinâ Ecclesiasticâ, de moribus, de hæresibus, de cæteris ad rectam œconomiam Ecclesiæ spectantibus, quam plurima præclare statuta fuêre. Extant illa in Tomis Conciliorum, distincta in partes quatuordecim; earúmque singulæ in multa capitula digestæ à Ioanne Groppero Iuris Pontificij professore prudentissimo: cujus simul & decretorum Synodi auctoritatem nequicquam Sleidanus elevare contendit. Nimirum hæretico quæ Catholica sunt non possunt non ingrata esse. De prædicto autem Concilio est epistola prædicti Iacobi Cardinalis Sadoleti [f] ad Hermannum, quâ hoc ejus opus ipsiúsque zelum maximè laudat, & de necessitate ac modo Concilij generalis disertè differit. Vnum tantùm in ipsius libro desiderâsse se ait, quòd eo capite in quo de sacramento Pœnitentiæ verba facit, ubi ad tertium membrum quod satisfactio est, venitur, nullam prorsùs in eo mentionem Purgatorij fecerit; cùm & hoc maximè locus ille requirere videretur; & Catholici unà cum Ecclesiâ teneant, illa satisfactionis opera non tam ad declinandas temporarias pœnas, quas in hâc vitâ à nobis pro peccatis nostris Dei severitas, reposcit, quàm ad levandas illas & mitigandas, quæ in alterâ vitâ nobis purgandis proponuntur, vim habere: Ac propterea oportuisse omninò eo loco aliquam fieri Purgatorij mentionem, ne adversariis in hâc re fidem Catholicæ Ecclesiæ impugnantibus, quodam silentio victoria traderetur, qui injustè & sine ratione insimulant Ecclesiam. Nam si remissâ nobis culpâ à Deo, pœna tamen quædam restat quæ solvenda sit; non posse hujusmodi pœnam ex his tantùm hujus vitæ temporalibus incommodis censeri. Quod idem Iacobus pluribus rationibus confirmat. De ipsius verò Hermanni turpi apostasiâ dicetur suo loco.

[e] *Sleid. l. 10. Vid. infr. an. 1543.*
[f] *Sadol. 14. ep. 14.*

SADOLETI MONITIO DE PURGATORIO.

XVII. ERASMI OBITUS.

Hoc eodem anno, quarto Idus Julij, mortuus est Basileæ, quò ex Friburgo [ff] remigraverat, magnus ille (maximum dixissem, si constantia religionis juncta fuisset eximiæ literarum peritiæ) *Desiderius Erasmus* Rote-

[ff] *Vid. supr. ann. 1529. III.*

[g] Vid. supr. an. 1519. IV.

rodamus, anno ætatis suæ circiter [g] septuagesimo, cùm mensem fermè integrum dysenteriâ laborâsset. Is ab adolescentiâ pio religiosi animi decreto, ad fratres Eremitanos sancti Augustini contulerat sese, tanquam humana despiceret: sed non multò pòst levitate animi pertæsus voti suscepti septa transiliit, ut ad excolendum ingenium planè liber per omnia Europæ gymnasia vagaretur: multùm [h] suis scriptis afferens detrimenti monasticis Ordinibus, ipsique monasticæ vitæ: nec minimam, ut aliàs diximus, suppeditans Luthero, aliisque seditiosis hominibus, occasionem tumultus in religione concitandi. Mortuus elatus est humeris studiosorum ad ædem cathedralem Basileensem: neque in ullum plura scripta unquam fuêre epitaphia ab omnis generis poëtis. Breve, sed elegans istud Ludovici Masij:

[h] Vid. Sur. in comment. hoc an.

Fatalis series nobis invidit Erasmum;
Sed Desiderium tollere non potuit.

Item & illud incerti:

Theutona terra suum cùm miraretur Erasmum,
Hoc majus potuit dicere nil genui.

Verùm longè consultius illud Iani Vitalis;

Lubrica si tibi mens fuit, & spinosior æquo,
Ingenium certè nobile, Erasme fuit.
Felix si mistas labruscas dulcibus uvis,
Prodiga desisset vinea ferre tua.

Tradunt quoque Paulum Pontificem cogitâsse de illo in collegium Cardinalium allegendo: cujus quidem extat inter Epistolas [i] Erasmi, unà ad ipsum benevolentiæ & æstimationis plena: & alia Bembi [k], quâ ejusdem Pontificis optimum erga ipsum animum testans, spem facit, modò rectè valeret, omnia ab eo summa honoris & dignitatis insignia brevî consecuturum. Quam tamen spem putamus ei factam, magis ut plenè firmaretur in fide & religione Catholicâ, quàm ut in eâ dubius immaculatâ purpurâ donaretur.

[i] Eras. Ep. lib. 27.
[k] Lib. 6.

XVIII. De ejus scriptis.

Ex immensâ scriptorum ejus copiâ, fuêre nonnulla inter penitùs damnata reposita in Indice Librorum prohibitorum; alia corrigi jussa; quædam inoffenso pede percurri permissa. De quibus est [l] extrema ipsiusmet contestatio ad amicos lectores decimo Calendas Martij hujus anni; quâ plurima à malevolis corrupta & supposita fuisse, aliaque pravè exposita & accepta conqueritur. Locum ei tribuit hæreticus Beza in suis Iconibus; sed, ut ait, cum quâdam religione, ut qui suum quoddam, ut in plerisque, ita in religionis etiam negotio, judicium secutus fuerit. Sed de illo jam hactenùs: de quo quamplurimi plura, variàque. Inter illos verò qui adversùs eum scripserunt, fuit etiam *Franciscus Titelmanus* natione Belga, professione Minor, tandémque Capucinus, vir linguarum & Theologiæ apprimè peritus: adeò ut observatum à nonnullis sit, Erasmum dicere solitum, se nullius præterquàm Titelmani eruditionem pertimescere. Extant hujus plurimi commentarij tum in Philosophos, tum in sacros Libros. Obiítque anno sequenti millesimo quingentesimo trigesimo-septimo, pridie Idus Septembris Anticoli in Latio, cum vix quadragesimum ætatis annum attigisset.

[l] d. lib. 27.

De Francisc. Titelmano.

XIX.

Hoc anno Lutherani & Zuingliani, quòd pessimè audirent ob dogmatum discordiam, ac præcipuè in Sacramento Eucharistiæ, rursùm quamdam inter se concordiam sarcire conati sunt; præcipuo impulsore *Martino Bucero* Zuingliano Selestadio Alsatiæ oppido orto, apostatâ Ordinis Prædicatorum. Missi sunt itaque ex civitatibus Zuinglianis, putà ex Argentinâ idem Bucerus, unà cum Wolfgango Capitone; ex Augustâ Bonifacius Lycosthenes, & Wolfgangus Musculus; ex Vlmâ, Constantiâ, Esslingâ, Memmingâ, Franckfurdâ, Reutlingâ, alij; qui cum Luthero & ipsius collegis Isennaci [m] in Turingiâ, uti statutum à Saxone & Landgravio fuerat, convenirent. Sed cùm Lutherus valetudinem excusaret, (annon fortè homo arrogantissimus morbum simulavit, ut cæteros ad se, tanquam omnium Patriarcham, & ut se vocabat Papam, venire cogeret?) illi Wittembergam ad eum vigesimo-primo Maij accesserunt: quocum erant Cruciger, Bugenhagius, Melancthon, Menius, & Osualdus Myconius Lucernas Helvetius. Vbi Bucerus ac socij collatione cum eo habitâ, cùm ejus de Eucharistiâ sententiæ, in quâ ipse mordicùs perstitit, assentiri testarentur, & aliqua inde conscripta essent capita; nihil tamen de concordiâ pactum est, eò quòd, ut prætexuerunt, pauci convenissent, & opus esset utrimque hanc rem ad alios suos concionatores & magistratus referre, sine quorum assensu nulla constitui posset concordia; quantumvis omnes profiterentur se juxta Confessionem Augustanam & Apologiam Principum sentire & docere velle. Sícque ludus potiùs huic fuit, quàm seria tractatio. *Non* [n] enim *est pax impiis, dicit Dominus Deus*: sed *impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.* Neque enim alij à suâ sententiâ dimoveri potuêre: ac prætereà Bullingerus & collegæ cum Tigurinis ac reliquis Helvetiis Sacramentariis, (qui noluerant conventiculo illi Wittembergensi interesse, sed ipsi alia inter se de rebus suis Basileæ, Tiguri, Bernæ, Aroviæ, hoc eodem anno habuerunt:) Buceri & Capitonis suasionibus aures præbere omninò recusârunt. Illúdque demùm istiusmodi mediatoribus contigit, ut ab utráque parte malè accepti fuerint, atque odio & contemtui habiti: adeò ut nec acta prædicti conventûs à se scripta ausi sint in lucem edere. Tractant porrò hæc breviter ex nostris Cochlæus, & Surius: sed pleniùs ipsimet hostes, Myconius qui aderat epistolâ ad Vitum prædicantem Norimbergensem, Ludovicus Lavaterus Tigurinus in bello Sacramentario, & Chytræus in Saxoniâ.

Collatio Wittemberg. inter hæreticos pro concordia.

[m] Chytræ. Saxon. lib. 14.

Ludos agunt.

[n] Isa. 57.

XX. Buceri errores.

Bucerus autem, cùm ut Proteus fraudulenter singulis addictus videri vellet, ac neutris satisfaceret, partes suas agere gestivit, ut & ipse inter hæresiarchas [o] adnumeraretur. Cujus præcipui errores referuntur, Christi corpus in Eucharistiâ præsens esse cùm recipitur à fidelibus, aliàs nunquam, nec etiam cùm ab impiis accipitur: qui verba Domini, *Hoc est corpus meum*, interpretatur *Hoc est protestatio & memorabile beneficiorum Dei.* Infantem Baptismo non salvari; sed quosdam sine batismo salvari, quosdam licèt baptizatos damnari. Nullum aliud peccatum esse, præter In-

[o] Vid. Prateol. in Bucer. Genebr. in Paul. III. Gaulter. sæc. 16. cap. 11.

credulitatem; háncque solùm, hoc est non credere se Deo quantum libèt impurè & scelerate vivant, acceptos esse, damnare homines. Quod quidem plerisque etiam cæteris commune extitit. De eodem verò sæpè aliàs. Quem tamen ne interim incomitatum dimittamus, sciendum eum tres uxores successivè duxisse, luculentissimum testimonium reformatæ continentiæ.

XXI. PAX INTER REGES HUNGARIÆ.

Hoc eodem tempore Reges Hungariæ Ferdinandus & Ioannes, de quorum juribus & dissentionibus dictum superiùs; post multiplicia certamina, & populorum vastationes, utrimque lassati pacem apud Vaciam oppidum concluserunt; his conditionibus, ut Ioannes donec superstes esset, eâ regni parte quam obtinebat regiâ potestate ac nomine potiretur, post ejus obitum totius regni possessio ad Ferdinandum & liberos ejus transiret. Si Ioannes ductâ uxore masculum hæredem relinqueret, Transilvania ejus ditionis foret, ac Ioannis arces paternæ omnes ei restituerentur: quibus Ferdinandus in Silesiâ principatum aliquem superadderet. Si bellum à Turcis uni aut alteri inferretur; communibus viribus ei propulsando obstringerentur. Ita namque historicus Hungaricus [p]; cùm Polonicus [q] in annum 1539. referat, & nonnulla addat, de quibus ibi dicetur.

[p] Isthuanff. l. 12. ad fi.
[q] Neugebaver. lib. 7.

XXII. DIU CIVITAS FIT LUSITANORUM.

Hoc item anno, diéque vigesimâ Iulij; Ioannes Lusitaniæ Rex, à bellis intestinis Europæ abhorrens, & propagationi Fidei Christianæ & imperij sui in Asiâ intentus, literas ad Paulum Pontificem scripsit: quibus eum certiorem fecit de civitate Deo in ipso littoris Indici ingressu positâ, naturâ & arte munitissimâ, commercio ac bello opportunissimâ, quam hactenùs frustrà Lusitani duces in potestatem suam reducere omni studio & conatu tentârant, sibi à potentissimo Rege Zambri sive Cambaiæ Badurio spontè deditâ, ut liberarentur à continuis Lusitanorum in ipsius regnum invasionibus, & pacem cum iis haberet adversùs alios suos hostes: factâ potestate ædificandæ in eâ arcis, quæ urbi & portui immineret. Est [r] autem regnum Zambri sive Cambaiæ, in quo illa sita est, prima Indiæ pars ad Solis occasum, quæ Arachosiæ terminis definitur; quâmque fluvius Indus, unde India nomen duxit, interfluit: ipsáque urbs Diu in insulâ quâdam parvâ, exiguo freto à continenti disjuncta; quæ propter portûs bonitatem multos undique mercatores ad commercium alliciebat, ita ut fieret emporium valdè celebre, opibúsque multis opulentum. Eâ igitur in potestatem Nonnij Acuniæ Indiarum Proregis traditâ, (quod anno superiori factum, Maffeius [s] describit) Iacobus quidam Botellius navarchus Lusitanus egregiè strenuus, & maritimæ scientiæ peritiâ præcellens, qui nonnullis criminationibus oppressus relegatus fuerat in Indiam; ut laudem & præmium tam læti nuncij, quod Rex Ioannes dudùm ardenter optabat, apud eum cæteris omnibus præriperet, modicâ biremi pedes minùs octodecim longâ, sex latâ, quam ære suo in bellicos usus extruxerat, in eam egregiis aliquot nautis ignaris consilij assumptis, ingenti & incredibili audaciâ, per summos

[r] Osor. lib. 9. ad fi.
[s] Maff. l. 11.

MIRA NAVIGATIO NAVICULÆ.

labores atque pericula Olisipponem pervenit. Cujus navigatiò per multos dies in ore hominum fuit. Quòd si paria (inquit idem auctor hæc narrans) tam fortibus ausis vir sortitus esset scriptorum ingenia, scilicet Argo illa, tot poëtarum carminibus inclyta, præ Botellianâ biremi haud immeritò rideretur. Ejus porrò nuncium, ab Nonnio aliatæ post literæ confirmârunt: addiderúntque, post hæc Badurium Cambaiæ Regem à Rege Caramaniæ hoste suo fugatum, sese ad Dium unà cum matre suísque ac præfectorum suorum uxoribus, magnáque parte thesaurorum divitiarúmque suarum, recepisse, utpotè totius regni urbem validissimam munitissimámque, atque in fidem tutelámque Nonnij tradisse. De quibus, ut diximus, Rex Pontificem literis, quæ extant [t], certiorem reddidit; cum pio voto: ut rebus per ejus sollicitudinem inter Principes Christianos pacatis & compositis, Dei religio magis magísque floreret, & indigna acciperet incrementa. Quid verò de his post hæc contigerit, dicetur annis consequentibus.

[t] Tom. 2. Rer. Hispan.

XXIII.

Præsenti verò nono Calendas Aprilis, in Siciliâ flante Austro, & Sole ad occasum vergente, nubes atra montis Ætnæ apicem operuit, & inter eam rubor emicuit: tum repentè ex ipso antro, sive hiatu qui est ad montis summitatem, plures ignei torrentes erupêre cum magno montis murmure ac terræmotu, qui defluentes ovium greges & animalia pleraque obviantia statim demersêre; templum ac monasterium quoddam delevêre aliáque multa damna ingentémque vastitatem attulêre. Sed longè majorem anno proximo 1537. Calendis Maij; cùm tota Sicilia diebus fermè duodecim tonare cœpit; crebríque sonitus, quales ex tormentorum bellicorum ictibus edi solent, longéque horribiliores, sunt auditi; è quibus parvo terræmotu domorum urbium concussa tecta simul & parietes nutârunt: qui sonitus mugitúsque cùm increbrescerent, tertio Idus Maij in monte hiatus quidam insoliti sunt aperti: è quibus tanta ejusdem materiæ igneæ moles est egesta, ut quatriduo obvia quæque sternendo exusserit; & aliquot pagos obruerit. Quando clerus & populus Catanensis, cùm incendia ad se deferri prospicerent, ad consuetam Veli S. Agathæ in hujusmodi discriminibus contra ejus furorem expansionem recurrentes, ignis periculum evitârunt. Antrum autem illud supernum, tantam subnigri cineris per triduum molem efflavit, ut non modò mons ipse, ac finitima; sed in Calabriam usque interjacentia oppida cineribus operta, maria quoque ad trecenta passuum millia, navésque eo spatio navigantes iis fœdatæ sint. Ætna denique cùm cineres evomere desiit, magno fragore ac fremitu mugire cœpit; & inter ipsos mugitus summus montis apex abruptus, ab hiatu illo absorptus est. Vtramque duorum istorum annorum igneam Ætnæ eruptionem diligentiùs descripsit, qui vidisse ait, Thomas Fazellus Siculus Ordinis Prædicatorum in suâ Siciliæ [u] Historiâ: ubi & causas earum naturales exquirit, exponítque, post antiquos auctores qui de Siciliâ egerunt, póstque Bembum Cardinalem, qui

INGENTES EX ÆTNA IGNIS ERUPTIONES.

[u] Fazel. t. dec. 2. l. 4.

de Æntâ Dialogum edidit: ex terræ nempè foraminibus seu meatibus, & vicini maris alluvionibus, penetrantibus sensim in sulphuris & bituminis venas quæ in eo sunt monte, ac ventis sese immiscentibus. Eo fide dignior in Ætnæ descriptione uterque nominatus auctor, quòd illum se & ascendisse & diligenter perlustrâsse asserat, sicut etiam de se olim Strabo asseruit. Ex recentibus autem, Bembo & Fazello tertius accedat, & si mavis iis etiam accuratior, quamquam religione alienus, Philippus Cluverius [x] Germanus, in Siciliâ Antiquâ, quam totam exactissimâ inspectione lustravit, & quæ tam veteres auctores quàm recentes de eâ, Ætnâque scripsêre, examinavit atque discussit. Quòd verò antiqua gentium theologia, ejusmodi loca ignem eructantia tartari esse spiracula credidit; haud ab illâ etiam Christiana adeò abiit, ut non verosimile credat iis locis quædam esse tartari ostia, aut loca puniendis animabus destinata quæ Deus manifesta esse velit, ut certiùs nôrint mortales quæ pœnæ maneant impios post hanc vitam, discántque vitam emendare ne in eas incidant.

[x] Cluver. Sicil. lib. 1, c. 7.

IESU CHRISTI Annus 1537.

PAULI III. Annus 3.

CAROLI V. An. 19.

I. Regis Scotiæ nuptiæ.

ANNO Christi 1537. Indictione decimâ, ipsis Calendis Ianuarij, Iacobus Rex Scotiæ ejus nominis Quintus, (qui auditis in patriâ minis Caroli Imperatoris contra Regem Galliæ, quas in universum orbem disseminaverat; antiquissimâ Gallorum & Scotorum amicitiâ ductus, propriâ sponte collecto exercitu opem laturus anno superiori in Galliam ad Regem navigaverat:) Lutetiæ Magdalenam majorem Regis Francisci filiam, elegantissimam, suavissimorúmque morum, atque insigni prudentiâ virginem, uxorem duxit magnificentiâ Gallicâ: magnâ tamen Henrici Regis Angliæ ipsius Iacobi avunculi invidiâ; cui hujusmodi affinitas adeò suspecta fuit, ut jam à Galli amicitiâ recedere decernens, ad Carolum propendere cœperit; quem sciebat, quamvis adeò à se offensum, ut nihil superaddi posse videretur, facilè tamen se sibi adversùs Franciscum, pro odio quo eum prosequebatur, devincturum. Cùm autem econtrà universa Scotia ex ejusmodi Regis sui matrimonio præcipuâ lætitiâ repleta fuisset, extitit ea pauci temporis: quandoquidem ubi Magdalena in Scotiam pervenit, febri hecticâ consumpta, (quæ etiam ante nuptias infirmioris erat valetudinis) ad principium Iulij decessit: consternatis adeò mentibus omnium luctu & mœrore, ut sit quidam [a] ex eorum auctoribus, qui scribat, tum primùm apud Scotos vestis lugubris usum occœpisse. Rex verò paulò pòst Mariam Ducis Guisij filiam, Longavillani, viduam, egregiâ & ipsam formâ atque prudentiâ feminam, uxorem accepit. Vbi autem in patriam ex Galliâ reversus est, nuncium à Paulo Pontifice recepit *Dionysium Laurerium* Ordinis S.M. Servorum Magistrum Generalem, ad se missum, (sicuti ad cæteros quosque Principes, alios iisdem de causis misit) virum eruditione, pietate, & in rebus agendis solertiâ præstantem; qui ipsum ad publicam pacem, & ad Turcorum superbiam conterendam, atque ad futurum Concilium adhortaretur, cum plenissimâ potestate Legati à latere. Qui egregiè apud Regem munere suo functus, (quem ad omnia Apostolica mandata promptissimum nactus est) post reditum in Italiam, in collegium Cardinalium à Pontifice allectus est. Ejúsque hæc legatio, cum aliis præclarè rebus gestis, continetur in Historiâ Ordinis Servorum, Gianij Florentini.

[a] Buchan. l. b. 14.

Laurerii legatio in Scotiam.

II. Alex. Florentiæ Princeps necatur.

Postridie Nonas Ianuarias *Alexander* Medices Florentiæ Princeps, genérque Caroli Imperatoris, cujus filiam notham Margaritam nothus ipse duxerat, sextum & vigesimum natus annum, novis semper stupris & adulteriis obnixè gaudens; fraude Laurentij Medices, omnium ei sanguine maximè propinqui & familiarissimi, dum nocte in ejus ipsius Laurentij cubili & lecto matronam à se concupitam, quam is adducturum se finxerat, expectaret; ab eodem, laudem liberatæ à tyrannide patriæ affectante, necatus est. Qui tamen Laurentius scelere attonitus, nec ausus populum ad libertatem vocare, fugâ Venetias petens, parricida & patriæ hostis declaratus est; bonísque proscriptis præmia ejus percussoribus aureorum septem millium constituta; & domus ejus ad perpetuam ignominiam à tecto ad ima fundamenta lato hiatu proscissa. Quare nullibi se tutò posse subsistere sentiens, Constantinopolim ad Solimanum profugit. A quo tamen, ejus perfidiam execrante, capiendus dedendúsque fuisset, nisi ille insidias veritus properè rursùm Venetias se contulisset: ubi aliquot pòst annis, cum avunculo Soderino à duobus militibus trucidatus est in ultionem parricidij. Tertio verò die post Alexandri necem, *Cosmus* Medices decimumoctavum ætatis agens annum, egregiæ expectationis adolescens, operâ Innocentij Cardinalis Cybi, sororis Leonis Papæ X. filij, qui aderat, in locum Alexandri princeps suffectus est: favente etiam maximè Francisco Guicciardino nobili illo historico, & ex primariis urbis civibus; (qui tunc adhuc superstes vitam prorogavit ad annum 1540.) frustráque nonnullis Florentinis Cardinalibus, & exulibus, aut libertatis desiderio, aut Mediceorum odio renitentibus, qui antiquæ Reipublicæ formam restitutam vellent. Rem totâ profusissimè Iovius [b] Latinè prosequitur; (ex quo plerique alij acceperunt.) Italicè Ioan. Bapt. Hadrianius hinc Historiam suam, de quâ superiùs [c], inchoans: uterque in laudes Cosmi effusus. Sed est insuper inter Epistolas [d] Principum una cujusdam G. D. ad Paulum Thoslanum, quâ res quoque minutissimè, & nonnihil ab illis secùs, describitur in Laurentij laudem, quem alterum Brutum nominat. Hic autem Cosmus non ab eo Cosmo, qui Mediceam familiam anteà obscuram primus celebrem reddiderat, sed ab ejus fratre Laurentio originem ducebat: filius Ioannis, hominis rei militaris periti, sed im-

Cosmus succedit.

[b] Iov. l. 38.

[c] An. 1534. XVIII.

[d] Epist. Princ. vol. 3.

purissimi;

purissimi; decimo, ut volunt, agnationis gradu Alexandrum contingens. Qui cùm principatûs initio modestiæ laudem quærens, se duodecim nummûm aureorum millibus è publico ei assignatis in familiæ cultum contentum declarasset (nam octodecim Alexander accipere consueverat) successu temporis ad duodecim centena millia perduxit: adeò peritus fuit regularum ab antecessoribus acceptarum artis arithmetices, quas additionem & multiplicationem vocant. Fuit nihilominùs suo tempore magnus profectò Princeps, qui Rempublicam triginta & octo annis, non parvâ sapientiæ laude administravit.

III. FRANC. REX JUDICIALITER AGIT CONTRA IMPER.

Eodem fermè tempore in Galliâ Rex Franciscus, die decimo-quinto ejusdem mensis Ianuarij, magnum conventum Principum, Parium, procerúmque, & Senatorum, atque etiam Episcoporum circiter quinquaginta, in Senatu Parisiensi seu Parlamento habens, expostulationes audivit Iacobi Capelli Advocati Regij, contra Carolum Austriacum: (ut tantummodò vocabat Imperatorem, quia non ut Imperator aut Rex hîc considerabatur) in quem invectus quòd arma sumpsisset, & regnum invasisset domini sui Francisci Regis, cujus beneficiarius erat & cliens ratione Comitatûs Flandriæ, Artesiæ, Carolesij, aliorúmque fundorum, ut fundi illi commissi declararentur; & ad patronum redirent, postulavit. Ad quæ deliberatione habitâ, de communi consensu pronunciatum est, ut Carolus in Artesiæ Flandriæque confiniis, quo tutus accessus foret, citaretur, moneretúrque ut Regij procuratoris postulatis responsurus se sisteret, aut saltem procuratores idoneos mitteret. Quod cùm per fecialem ritè factum esset, nullusque à Carolo ad diem adfuisset, regio Procuratori postulatum adjudicatum fuit: & in decreti executionem Rex exercitum in Belgium immittere statuit. Irriserunt hæc Hispani, tanquam inania, quòd Madriciano primùm, deinde verò Cameracensi fœdere, horum fundorum jure fuisset Regis nomine cessum. Verùm quod Galli contendant, jura regni & Coronæ (ut loquuntur) esse inalienabilia, haud adeò extra rem hæc solemnitas censeri potuit; eò maximè quòd primus contra illa fœdera Carolus regnum invasisset. Cæterùm hostes iis contemptis, regnum eâdem parte cum exercitu ingressi, hostilia exercuerunt, ac nonnulla oppida ceperunt; sicut & Rex alia illorum: factúmque est durissimum bellum: uti etiam in Pedemontio, quò missus primò est Henricus Delphinus, ipséque Rex pòst secutus est, ad restaurandas res quæ magnam ibi accisionem à Cæsarianis acceperant; donec ad finem anni operâ duarum sororum Mariæ Hungariæ quæ Belgium pro Cæsare administrabat, & Eleonoræ Franciæ Reginarum, quædam induciæ pactæ sunt ad tractandum de pace. Quæ ut gesta sint, nullus diligentiùs fideliúsque Bellaio [e] scripsit, qui penè omnibus interfuit. Ex quo ut solet, Belcarius [f] compendiosiùs in suam Historiam retulit; non sine Iovianarum narrationum censurâ.

[e] Bellai. l. 8.
[f] Belcar. lib. 22.

IV. REX

FRANC. SOLICITAT TURCOS CONTRA CÆS.

Ante verò quàm hæc fierent, Rex Franciscus invidiâ in Carolum Cæsarem accensus, ad illicita raptus; impio facinore præclarissimum Christianissimi titulum fœdè commaculavit dum per suos legatos, primò Ioannem Forestium Arvernum Græcè & Latinè eruditum, deinde Seraphinum Gozium Epidaurensem, apud Solimanum Turcorum Imperatorem egit, ut extrema regni Neapolitani littora invaderet, dum ipse in principatum Mediolanensem irrumperet: Cæsarem enim superioris anni bello infeliciter gesto pecuniâ exhaustum, & fortissimis militibus atque ducibus amissis, non tanta præsidia habiturum, ut utraque simul tueri posset. Excusabat Franciscus internecinum & inexpiabile Cæsaris in se odium; quo præter arma circumlata, nihil apud universos Principes & Respublicas Christianas intentatum relinquebat, quo calumniis, & fraudibus, & omnis generis suasionibus cunctos adversùs ipsum concitaret. Adeò sanè ut cùm Romæ vehementiùs in Regem coram Pontifice & Cardinalibus ac Legatis Principum, uti vidimus, detonaret, diserte oratione sua contestatus fuerit, si semel arma sua in Regem convertisset, non se illa revocaturum, etiamsi Solimanus in medias suas provincias totis Orientis viribus irrumperet, nec se utrique resistere posse compertum haberet, ô egregium Christiani Imperatoris propositum! ô cæcas hominum maximéque Principum mentes! Excusare quidem conatus est hæc de Turcis solicitatis, unà cum aliis in se criminationibus apud Germanos Principes, Franciscus hoc eodem anno missis apologiis [g]. Sed ea ad excusandas [h] excusationes in peccatis. Quid enim si Turci Italiam occupâssent? si ditiones Carolinas, quas ipse illis derelicturum se minabatur, invasissent? quæ fuisset rerum facies? qui Ecclesiæ status? quæ Christianæ Religionis conditio? quæ denique & ipsius Galliæ, ac reliqua Christianitatis securitas?

[g] Ext. to. 2. Rer. Ger. edit. Freher.
[h] Psal. 140.

V. ET AB EIS DESERITUR.

Illud verò opportunè divinâ providentiâ in Regis dedecus contigit; ut cùm Solimanus famosissimum Piratam Barbarossam, & Luthsi Bassam, cui Solimanus sororem suam matrimonio collocaverat, cum validâ classe ex Aulone Albaniæ oppido maritimo in Salentinorum fines exscensionem facturos, & populorum animos, urbiúmque munitiones & præsidia exploraturos, transmissurus ipse posteà, præmisisset: ubi audivit Regem aliis bellis implicatum, exercitum maturè in Insubriam, uti promiserat, nec misisse, nec mittere paratum esse: indignatus quoque in eum fuerit. Adeò ut Rex tam apud ipsum de non servatis promissis, quàm apud Christianos de impia Turcorum evocatione malè audierit. Et utinam fuisset hæc distractio animorum inter ipsum & Turcos perpetua, nec unquam ampliùs amicitia coaluisset. Ex quo enim factum est hoc fœdus mutuorum auxiliorum cum inimicis fidei, diluvia malorum Galliam inundârunt: nec est hactenùs qui recogitet. Hóccine est esse Christianissimum, capitales Christianitatis hostes in perniciem Christianorum evocare? Sed veteres querelas mitto, quæ fructum allaturæ non sint.

TURPITUDO FOEDERIS CŨ TURCIS.

VI.

Cæterùm Barbarossa, ubi Castrum oppidum non procul Tarento deditione recepisset, & emisso equitatu totam eam regionem quæ

Brundusium usque protenditur, multo pecore multísque mortalibus abductis expilâsset; ad Solimanum regressus, impetum belli in Venetos transtulit, à quibus graviter se offensum conquerebatur Solimanus, abruptóque diuturno fœdere quod inter ipsos intercesserat, iis nequicquàm ejus continuationem omni studio ac demissione requirentibus, eosdem invadere constituerat. Quomodò verò hoc eodem anno bellum apud Corcyram gestum sit interveniente etiam eidem Auriâ Cæsarianæ classis præfecto; quæ clades utrimque acceptæ: quæ Venetorum suspiciones de clandestinis Cæsaris cum Solimano officiis, ad avertendum à regno Neapolitano periculum quæ demùm consilia de ineundo inter Pontificem, Cæsarem, & Rempublicam fœdere contra Solimani potentiam: hæc accuratè apud Maurocenum [i], & Iustinianum [k], historicos Venetos, necnon apud Iovium [l], tractata habes. Meminerúntque Annales [m] Turcorum: tantámque captivorum multitudinem è Corcyrâ insulâ (ipsa verò civitas egregiè defensa est, ut non in manus Turcorum pervenerit) abductam tradunt, ut singuli binis ternísve summùm aureis divenderentur; cùm tamen non plus septem millibus cujusvis sexûs & ætatis fuisse, Maurocenus scribat, Iovius sedecim, Iustinianus indefinitè infinitam multitudinem.

BELLUM INTER VENETOS ET TURCOS.

[i] Maurec. lib. 5.
[k] Iustin. l. 13.
[l] Iov. l. 36.
[m] Leunclav. lib. 18.

VII. TURCOR. CLADES IN GERMANOS.

Quo eodem item anno, autumníque tempore; gravissimum duplici Ferdinandi Hungariæ Regis exercitui illatum est à Turcorum illius tractatûs præfectis detrimentum: alterum ab Amurate apud Elissiam munitissimum Dalmatiæ oppidum, multis sæculis à Pannoniis & Dalmatiis magno labore & egregiâ virtute defensum; quòd modò in præmium victoriæ Turcis cessit: alterum à Mahomete apud Essekum Turcorum oppidum, quod alter exercitus oppugnandum susceperat: quo nullum eâ ætate (ut Iovius scribit) vel funestius, vel ignominiosius, si trucidatorum quatuor gentium militum, Germanorum, Hungarorum, Boemorum, Italorum, (nam & miserat Paulus Pontifex suppetias) & ducum florem reputemus, Christiano nomini extitisse visum est. Describit hæc ille pluribus: necnon Isthuanffius [n] in historiâ Hungaricâ: breviúsque Surius [o], & Belcarius [p].

[n] Isthuanff. lib. 13.
[o] Sur. in commentar.
[p] Belcar. lib. 22.

VIII. PAULUS PONTIFEX PROCURAT REFORMATIONEM MORUM.

[q] Panvin. in Paul. III.

Quod res Ecclesiasticas attinet; cùm Paulus Pontifex superiori anno Concilium Mantuæ celebrandum indixisset ad decimum Calendas Iunias præsentis anni 1537. interim depravatis [q] clericorum moribus corrigendis, novem gravissimos & doctissimos viros delegit, Gasparem Contarenum, Ioannem Petrum Caraffam, Iacobum Sadoletum, & Reginaldum Polum, Cardinales, primum biennio antè, cæteros ad finem superioris anni, unà cum nonnullis aliis illustribus viris diversarum nationum creatos) Fridericum Fregosium Salernitanum, & Hieronymum Alexandrum Brundusinum Archiepiscopos; Ioannes Matthæum Gibertum Veronensem Episcopum; Gregorium Cortesium Abbatem sancti Georgij Venetiarum; & Fratrem Thomam Badiam Magistrum sacri Palatij Apostolici. Qui libello confecto, quo reformationis præcipua capita ad rectam universæ Ecclesiæ disciplinam & œconomiam, ipsiúsmetque Pontificis & Episcoporum officium pertinentia, comprehenderunt: illum Pontifici obtulerunt anno subsequenti. Eadem verò egregia valdè ac planè salutaria, tum quoad personas, tum quoad res, malo tamen animo, ut assolet, ab Sleidano [r] referuntur; non solùm ut per simulationem ea quæsita fuisse à Pontifice arguat, & per oblata remedia malorum gravitas in Ecclesiæ Catholicæ, quam ipse Sleidanus unà cum cæteris hæreticis impugnabat, ignominiam detegatur; verùm etiam ut emendationem hanc verbis quidem conceptam, sed repræsentatam minimè fuisse; nec in publicum eductam, calumnietur, cùm nihilominùs eam in Germaniam asportatam esse, (missam à Schonbergio Cardinale Germano clanculùm idem ait, ut studium appareret emendationis) necesse fuerit: quandoquidem & ipse ejus capita enumerat; & Lutherus vernaculo, Ioannes Sturmius Rhetor Argentinensis Latino sermone pravis suis commentis ei detraxisse reperiuntur, quorum calumniandi & convitiandi audaciam, Cochlæus [s] & Sadoletus retuderunt. Quòd autem à Pontifice non fuerint tunc ejus capita promulgata, pronum est conjicere id contigisse, quoniam decreverat ea in publico Concilio quod indixerat proponere, quò pleniori & acceptiori auctoritate cunctis faciliùs insinuarentur. Et quamvis id demùm factum non sit, quæ tamen ad rem pertinere existimata sunt, fuêre singulis Synodi Tridentinæ sessionibus sub titulis de Reformatione proposita: & subsecuta est affatim omnium ordinum & Curiæ Romanæ reformatio, post celebrationem Concilij, sub Pio V. & successoribus Pontificibus. Edita denique illa capitula mox fuêre Antuerpiæ anno 1539. unà cum dispunctione Cochlæi, titulo Æquitatis discussio, &c. ad Sturmium. Præposuítque eadem Frater Petrus Crabbe Ordinis Minorum in suâ Conciliorum editione Synodo Tridentinæ, velut ejus exordium, ut taceam posteriorem eorum editionem factam Parisiis anno 1612. unà cum Actis Primæ Synodi Pisanæ, & Senensis, quæ celebratæ sunt ad tollendum Schisma Petri de Lunâ, ut nequaquàm dici possit, quod hæretici hariolati sunt, præ pudore suppressa.

[r] Sleid. l. 12.
[s] Cochl. in Act. Luth. an. 1539.

IX. PROTESTANTIÚ CONVENTUS SMALCALDICUS.

Inter quæ, Protestantes Smalcaldiæ mense Februarij convenientes, voluerunt etiam ut quòd de Concilio Mantuæ indicto agendum esset, præter Principes atque civitatum legatos, adessent primi nominis ipsorum doctores & prædicantes. Fuerunt autem Principes, Elector Saxoniæ, duo Luneburgici fratres, Wittembergicus, Landgravius, Pomeranus Anhaldij tres, & unus Mansfeldicus: prædicantes verò, Lutherus, Bugenhagius, Melancthon, Bucerus, Osiander, aliíque quamplurimi. Adfuit item missus à Carolo Cæsare Matthias Heldus ejus procancellarius. Qui post peroratas, ac ter quatérque repetitas Cæsaris in Regem Galliæ consuetas cantilenas, quem omnium proborum suorum propositorum pravum semper perturbatorem repererit; (Rixose Galle, absque te fuisset, jam Cæsar Turcum totâ Europâ abegisset, & Ecclesiam in pristinum splendorem, cunctósque Christianos in unam ejusdem Reli-

gionis concordiam, reduxisset scilicet: hoc enim ferè Cæsar omni ad singulos eloquio persuasum volebat; sed magno infortunio, ipsiúsque gravi cordolio à paucis audiebatur, quamvis non parùm culpabilis Gallus esset:) de rebus Concilij, quod caput erat legationis, cùm persuadere conatus esset, ut illud admitterent, quod ipse tanto labore ac solicitudine procurâsset; atque Mantuam vel ipsimet accederent, vel legatos idoneos mitterent: quò etiam Cæsar ipse venturus esset, nisi belli aliquâ urgenti necessitate impediretur: responsum accepit, postulâsse semper ipsos Concilium liberum, & intra ipsam Germaniam, & in quo Pontifex, qui ipsorum erat adversarius, non esset judex. Verùm hoc quod Paulus Mantuæ indixit, non ejusmodi futurum esse. Quippe jam præjudicio quodam ipsos condemnâsse, cùm illud adversùs nuper natas hæreses convocare significavit, quo nomine doctrinam quam ipsi profitebantur intelligeret. Locum extra Germaniam electum, esse contra Cæsaris & Ordinum Imperij decreta. Præcipuam colligendi Concilij, causam, esse turbas in Germaniâ ortas; quæ propterea ibi tractandæ essent. Denique subesse graves alias causas, quamobrem ipsi Germaniâ excedere non possent: suam enim doctrinam odio Italis haberi, à quorum insidiis & occultis consiliis esset sibi magnoperè timendum: & cùm necesse esset, ut tanquam in gravissimo omnium negotio, ipsi magno numero cum suis doctoribus Concilio interessent, perquàm sibi grave futurum suos populos sine præsidio, atque Ecclesias absque ministris diutiùs relinquere. Hæc ille inanissimis rationibus, contra omnium temporum usum, & Synodorum formam. Cùm & alioqui falsum esset quod objiciebant, Pontificem locutum esse de nuper natis hæresibus: quippe non nuper natas, nec etiam quod mendax Sleidanus habet, nuper natas & auctas; sed vel hæreses in genere, vel quod summum in ejus indictione legitur, *jampridem subortas* expresserat: quod quidem ipsi malè sibi conscij contra se tendere non abs re interpretabantur, qui sciebant quæcumque ipsi docerent, jam prædamnata fuisse ab Ecclesiâ. Hæc enim Principes & civitates, nonnisi ex suggestione suorum prædicantium effati sunt: quorum malignis deceptionibus dementati, non animadvertebant eos necessariò omne detrectare, ac detrectaturos semper Concilium legitimum, quo nullo modo dubitare poterant quin æquè condemnarentur.

Objectiones ipsorum contra Concilium.

X.

Respondit rursùm iis Heldus, & novis rationibus eorum excusationes diluit: verùmtamen nihil magis profecit. Sicuti nec in duobus aliis quæ proposita fuerant capitibus; de Iudicio Cameræ Imperialis, à quo se multipliciter gravari querentes, eo liberari quærebant[t]: ac de Pace[u] Norimbergensi, quâ comprehendi volebant omnes etiam illos qui post illud tempus religionem mutâssent; quantumvis eâ pace disertè conventum fuisset, nequis alius antè Concilij definitionem religionem mutaret, sed omnes eo statu permanerent quo tunc erant. Hoc igitur utrumque caput cùm Imperator ceu injustum abnueret, nihilominùs Protestantes ea sibi omninò concedi petebant, neque ullis Heldi rationibus à suis ejusmodi deliberationibus averti potuerunt. Cùm verò ad eundem conventum venisset etiam à Paulo Pontifice missus Petrus Vorstius Episcopus Aquensis, eadem de Concilio persuasurus: & hic quoque lusit operam, nullâ ferè ejus habita ratione: cùm si venisset à Turco legatus: eum comiter & honorificè suscepturi fuissent. Adeò ut cùm aliquando Landgravij colloquium expetivisset, ille non sibi vacare significârit; & eodem ferè momento Lutherum inviserit ex calculo decumbentem, ut planum faceret quantum monachum apostatam Pontifici maximo anteferret. Denique ut recusati Concilij Mantuani causas omnibus notas facerent, scriptum publicum ediderunt, quo à se justas Cæsaris ac Catholicorum accusationes amoliri conati sunt: ac Regum ac Principum opem implorârunt: promittentes si ullo unquam tempore legitimum convocatum foret Concilium, ita se ibi causam suam propugnaturos, ut omnes intelligerent studia sua cum salute Reipublicæ semper fuisse conjuncta. Speciatímque ad Regem Galliæ scribentes, hoc suum studium benevolentiâ prosequi rogârunt.

[t] *Vid. supr. 1530. X.*
[u] *Suprà an. 1632. I.*

Contemptus Pont.

XI. Quomodò Rex Gall. in his se habuerit.

Qui decimo Calendas Iunij rescribens, de suâ perpetuâ amicitiâ prolixè pollicitus est; ac missis apologiis, de quibus jam diximus, sparsas in se calumnias refellit: déque Concilio suam esse, quæ semper fuisset, sententiam ait; ut non solùm, sicut Sleidanus refert[x] legitimum esset, atque in loco tuto fieret; verùm etiam, ut disertè ipsius habet epistola[y], in quo res *more majorum* agitarentur; quæ verba omnes excludebant Protestantium tergiversationes. Sicut enim ex unâ parte liberaliter ad eos scribendum putavit, ut mutuis se invicem auxiliis communirent, quandoquidem etiam tunc Cæsar auxilium armorum contra ipsum ab iis per Heldum petiisset: ita ex alterâ nihil deperditum aut derogatum voluit Ecclesiæ auctoritati, & pristinæ consuetudini dijudicandi de controversiis fidei. Neque enim vel ipsa calumnia aliquid unquam reperire potuit, quod Francisco de religione objiceret; quam semper constantissime incorruptam servavit: ut etiam Surius de his agens, aliíque omnes uno ore testantur; & ex factis atque hæreticorum per suum regnum suppliciis testatissimum redditur. Sed subdolus Sleidanus, licet non apertè audeat obloqui, quicumque tamen cum suis Protestantibus aliquid commercij habuisse repeeriuntur, eos quoque vellet aliquo modo falsis eorum opinionibus illaqueatos credi.

[x] *Sleid. l. 11.*
[y] *Ext. tom. 3. Rer. Ger. edit. Freher.*

XII. Articuli Smalcald. Lutheri.

Eodem item conventu Smalcaldico, ab iisdem Protestantibus articuli in Concilio, si quod futurum esset, de præcipuis doctrinæ suæ capitibus controversiis exhibendi, à Luthero[z] scripti sunt, & à cæteris comprobati: qui *Smalcaldici* dicti, Augustanæ eorum Confessioni adjuncti fuêre; ut Cochlæus publicâ responsione ostendit: quâ etiam Germanos dehortatus est ne eos proponerent, nisi vellent cæteris nationibus irridendos se propinare. In Propositionibus autem, quæ ad convellendam Concilij à Pontifice indicti auctoritatem, Witembergæ triginta numero evulgatæ

[z] *Chytra. Saxon. lib. 15.*

sunt publicè disputandæ, fuit duodecima, Concilium & Episcopos congregatos errare posse æquè ac alios homines: si verò non errent, (ut decima-tertiâ subditur) hoc fieri à casu, aut ex merito alicujus sancti ac boni viri, qui inter eos sit. Quibus triginta propositionibus opposuit Cochlæus indefessus Ecclesiæ Catholicæ adversùs Lutheranos propugnator, triginta Testimonia, ex Scripturis, Legibus Canonibus, & Sanctis Patribus, pro Conciliorum auctoritate. Eidémque confirmandæ septuaginta alias propositiones adjunxit. Ac denique contra eandem ipsorum excusationem Smalcaldiæ datam, quam Latinè & Germanicè evulgârant, scribens, ejus vanitatem ostendit, & auctorum ejus maligna calumniandi, ac per mendacia circumveniendi studia patefecit.

XIII. REX ANGLIÆ SCRIBIT CONTRA INDICTIONEM CŌCILII.

Henricus verò Angliæ Rex in suo schismate acriùs perseverans, adversùs indictionem Concilij à Pontifice Mantuæ factam scripto publico invectus; objecit primo ex obsoletis & rancidis veterum schismaticorum argutiis, & Smalcaldensium interpolationibus: non esse Pontificis Concilia convocare, sed Cæsaris & Regum: deinde non debuisse indici eo tempore, quo bellum arderet inter Cæsarem & Regem Galliæ: ac demùm locum Mantuæ neque esse tutum nec commodum. Cùm verò Pontifex ob denegatum à Friderico Mantuæ Duce eum locum ad Concilij celebrationem, nisi adversùs periculum, quod sibi à tantâ multitudine quæ eò accessura foret, imminere prætexebat, validum compararet præsidium, quod sumptibus Pontificiis aleretur; aliis etiam superadditis conditionibus, de quibus Pontifex graviter questus est in sequentium indictionum literis; præcipuè verò quòd hoc libertati Concilij præjudicatum foret, neque sibi æquum videretur ibi arma conspici, ubi libera omnium suffragia esse deberent: primò Concilium, quod ad decimum Calendas Iunij indictum fuerat, produxisset usque ad Calendas Novembres ejusdem anni: deinde *Vicentiam*, amplam & copiosam Venetorum civitatem; sibi ab iis concessam transtulisset, inchoandum Calendis Maiis anni proximè consequentis, legatis eò tribus Cardinalibus, Laurentio Campegio Episcopo Sabinensi, Iacobo Simonetâ tituli sancti Apollinaris, & Hieronymo Aleandro tituli sancti Chrysogoni presbyteris, qui illud inchoarent & advenientes exciperent: (quæ omnia constant ex Actis Antonij Archiepiscopi Aquensis, in quibus describuntur Bullæ ejusmodi indictionum, factæ duodecimo Calendas Maij, & octavo idus Octobris præsentis anni 1537.) rursùm & in prædictam Vicentinam indictionem aliis cavillationibus invectus est Anglus, adeò ut nihil jam fieri hujus naturæ hominum gustui posse videretur: nisi ut vel Londini Concilium ageretur, ubi suppositium caput Ecclesiæ Anglicanæ supremâ auctoritate præesset: vel Wittembergæ, quod nutu Protestantium Papæ Lutheri regeretur. Et non videbant cæci populi, quibus præstigiis eis illuderetur! ô tempus, ô flagitium!

XIV. CARD.

Nec his contentus, cùm misisset Pontifex Polum Cardinalem Anglum, regio sanguine ex Margaritâ Eduardi IV. nepte prognatum, virum doctissimum, ac prudentissimum æquè ac pientissimum, in Galliam & Belgium, ut inde occasionem aucuparetur Henricum Regem ad meliorem frugem reducere; is Lutetiæ amplissimis honoribus acceptus, paucis diebus ibi quiescere potuit; quandoquidem postulante Henrico sibi eum à Rege Francisco dedi, (jam enim de implacabili ejus in illum odio dictum est alias) honestè dimissus, primò Cameracum, deinde Leodium, non sine ingenti vitæ periculo, cùm præmium quinquaginta millium aureorum Henricus constituisset ei qui caput ejus afferret, pervenit. Vnde & petitus, Henrici amentiam miratus, dixit, jamdudùm quidem si vitæ hujus tædio affectum mortem cupivisse, corporisque depositionem; ac proinde Henricum suis omnibus conatibus nihil aliud facere, quàm si quis dormitum ire cupienti vestem ei velit detrahere: se tamen suâ in potestate non esse, sed Pontificis, qui Poli auditis periculis, Romam illum statim revocavit, ac militum ei custodiam contra Henrici furorem assignavit. Henricus autem iram adversùs eum conceptam, in ejus amicos & consanguineos convertens, Margaritam ejus matrem Sarisburiæ Comitem comprehendi jussit; & quòd literas à filio accepisse diceretur, aliisque confictis criminibus, capite pòst plexit, unà cum pluribus aliis ejusdem sanguinis & cognationis utriusque sexûs hominibus. Narrat hæc pluribus Sanderus in Schismate Anglicano, cùm Poli legationem Sleidanus de more corrumpens, eum idcircò missum scribat ut Regem Franciscum in Anglum concitaret. Sparserunt verò in vulgus Angli qui à Rege stabant, nisi commentum sit seditiosissimi Calvini [a], ad Farellum scribentis) Cardinalem Polum ita cum fratre suo, qui apud Regem absque ullâ suspicione vivebat, pepigisse, ut Cardinalis exercitum sumptibus Papæ colligendum, per Galliam duceret: simul atque accederet ad fines regni, tumultum frater ejus in Angliâ cum aliis conjuratis excitaret: quò Rex occupatus in placandis intestinis motibus, adversùs exterum hostem defendere se non posset: verùm priusquàm Cardinalis adventaret, detectam esse ab indice conspirationem; indéque sævitum in totam cognationem esse. Quæ mera commenta fuisse turpissimorum hæreticorum, nullum est dubium.

POLI PERICULUM A REGE ANGLIÆ.

[a] Calv. ep. 13.

XV. NASCITUR ANGLO FILIUS.

Natus autem est Henrico filius hoc anno sexto Idus Octobris ex Semeirâ conjuge; qui Eduardus vocatus est; regnavítque post patrem. Cujus mater cùm ægrè pareret, chirurgi arte ad partum laxanda fuit: unde post duodecimum diem extincta est. Tradunt, cùm in partu laboraret, interrogatum Regem cui magis consultum vellet, matri an filio, respondisse filio, quòd alias uxores facilè reperturus esset, non item filios. Sed cùm non posset mater fœtum emittere, qui poterat sciri, mas an femina esset? Certè putamus, cùm semel in aliquem invehi cœptum est, multa ei impingi, quæ nunquam cogitata fuerint: sicuti econtrà plurima heroica, aut aliàs laudabilia, iis attribui qui laudandi suscipiuntur, quæ nunquam contigerint. Sed ad alia.

XVI. FOEDUS CATHOLICORUM IN GERMANIA.

Cùm Heldus Cæsaris procancellarius, quem diximus, à Protestantibus Smalcaldiæ non quale æquum erat, aut cupiebat, responsum tulisset, singulos Principes Catholicos adiens, id præstitit, ut conventu Norimbergæ cum illis habito, cui interfuerunt Moguntinus & Salisburgensis Archiepiscopi, Guillelmus & Ludovicus Duces Bavari, Georgius Saxo, Ericus & Henricus Brunsvicenses; initum inter eos fœdus fuerit in annos undecim, (quod Sanctum vocatum est) ut si cui Religionis Catholicæ causâ ulla fieret molestia, paratum auxilium esset. Cujus fœderis Carolum Cæsarem & Ferdinandum ejus fratrem auctores profitebatur. Erat sanè quod Catholici sibi caverent à tot colloquiis & conventibus Protestantium, qui in dies crescebant numero Principum & civitatum, Ecclesias & monasteria expilabant, exercitium Religionis Catholicæ undique propellebant, nulli publico Iudicio acquiescere volebant: quid jam supererat, nisi & in Principes, & in Episcopos, ipsúmque adeò Imperatorem insurgerent?

XVII. MUTATIO RELIGIONIS IN DANIA.

Audax, licèt non insuetum, hoc ipso anno ejus rei exemplum edidit Christiernus ejus nominis III. Rex [b] Daniæ. Qui [c] post expugnatas regni civitates, ei, quòd hæreticus esset, subiici detrectantes; inauguratus primus omnium ab hæretico prædicante Ioanne Bugenhagio Pomerano, quem Lutherus ad ipsum miserat: abdicatâ penitùs omni Religione Catholicâ, & Lutheranismo in ejus locum intruso, solemni conventu cunctos regni Episcopos, qui ei pro Religionis defensione pro viribus restiterant, quósque in potestatem suam redactos carceribus inclusos detinebat rebellionis aliorúmque criminum reos constitutos, ex Senatu & consiliis publicis, quibus ab omni ævo interesse & præesse consueverant, remotos in perpetuum declaravit; reditúsque & prædia eorum omnia in regium fiscum redegit: collegiis tamen canonicorum conservatis, hâc conditione, ut Rex beneficia & canonicatus suo arbitratu ministris aulicis aliísque benemeritis conferret. In locum verò Episcoporum, qui septem totâ Daniâ erant, totidem Superintendentes Lutherani ab eodem Bugenhagio, Summi Pontificis officio fungente, ordinati sunt, qui Episcoporum munus deinceps obirent. Sic videlicèt reformare hi vocant, cùm omnia subvertunt, & sus déque ponunt. Quod & hic idem Christiernus in Norvagiâ, quam & sibi subegit, præstitit: & Gustavus jam antè in Sueciâ præstiterat. Vt fuerit totus ille aquilonaris orbis in prædam satanæ per hæresim omninò traditus: frustrà obnitente, præ ceteris, summâ vigilantiâ & solicitudine, piissimo *Ioanne Magno* Vpsalensi Archiepiscopo, & [d] Sedis Apostolicæ Legato: cujus pro munere suo exequendo immensi exantlati labores, & parva earum rerum, ipsiúsque eas exponentis extremarum necessitatum cura, Romæ longo tempore, non sine magno Curiæ opprobrio, habita, (cùm in Italiam sese spe celebrationis Concilij gravi sui infortunio transtulisset (pleniús describuntur ab eodem ipso Ioanne, fratréque ejus ac successore Olao, in Vitis [e] Pontificum Vpsalensium, quæ neque à durissimis quibusvis cordibus, sine grandi commotione & commiseratione, atque in ejusmodi immisericordes indignatione legi possint: maximè cùm ad extremum usque vitæ, hæc ejus calamitas, summâ nihilominùs patientiâ tolerata, prorogata fuerit: videlicèt usque ad mensem Martij anni 1544. quo ærumnosissimam vitam deseruit, felicissimâ æternitate fruiturus.

[b] Vid. sup. an. 1532. IX.
[c] Chytræ. Saxon. lib. 15.
[d] Supr. an. 1520. VII. & 1533. VI.
[e] Metrop. Vpsal. lib. 6.

XVIII. PERICULUM ECCLESIARUM CHRIST. CŌSTANTINOPOLI.

Hoc eodem anno contigisse videtur, quod in Historiâ Ecclesiasticâ Patriarcharum Constantinopolitanorum traditur; factum esse decretum à Solimano Turcorum Imperatore, ut quæcumque civitates Græcorum, deditione recusatâ armis & vi expugnatæ fuissent, in iis nulla ecclesia esse permitteretur, nec divinum officium fieri, sed omnes solo æquarentur: Eâ de re vehementissimè turbatum Ieremiam Patriarcham, unà cum omnibus Christianis Græcis, quòd ejus vi legis cunctæ Ecclesiæ Constantinopoli dejiciendæ essent; astu primi Veziris Patriarchæ faventis, & quæ agere deberet suggerentis, duos ab Adrianopoli Turcos centenariis majores accersisse; qui auro corrupti testati sint se in obsidione urbis sub Mahomete militâsse inter Genizzaros, & vidisse quomodò Mahometes oppugnâsset principio urbem, sed posteà Constantinum Græcorum Imperatorem deditionem fecisse clavibus ad Mahometem allatis: Horúmque relatione auditâ, parsum esse ecclesiis, & Patriarchæ in futurum cautum. Cùm enim testes à tempore obsidionis, quam contigisse vidimus anno 1453. usque ad tempus quo auditi sunt, octoginta quatuor annos numerent: id ad præsentem annum 1537. referendum esse intelligitur. In quo tamen mirandum esset, adeò rerum ignaros fuisse Turcos; ut quod tam modico antè tempore in re omnium celeberrimâ accidisset, nescirent; nisi quòd facile est imponere iis qui seduci volunt. Fuisse autem tunc adhuc Patriarcham Ieremiam, disertè auctor ait: quinimmò & vixisse usque ad annum 1545. ex eâdem Historiâ constat; ubi & nos ejus obitum ponemus: quamvis Onuphrius, qui Græcam hanc seriem Patriarcharum, ut sæpiùs diximus, ignoravit, Dionysium ejus successorem jam anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto sedere cœpisse ponat. Inter Latinos autem eam dignitatem gessisse hoc tempore ait *Franciscum Pisaurum* Venetum, Archiepiscopum Saderensem: qui anno millesimo quingentesimo trigesimo successerit in locum Ægidij Viterbiensis Cardinalis, de quo suprà [f]: cùm tamen hic non nisi mense Novembri anni millesimi quingentesimi trigesimi secundi mortuus fuerit: quem propterea priùs Patriarchatum abdicâsse, aut Onuphrium in tempore hallucinatum esse, necesse sit asserere.

[f] An. 1523. in fine.

IESU CHRISTI Annus 1538.
PAULI III. Ann. 4.
CAROLI V. Ann. 20.

I. FOEDUS CONTRA TURCOS.

ANNO Christi millesimo quingentesimo trigesimo octavo, Indictione undecimâ, Turcicarum incursionum anni superioris periculis commoti Paulus Pontifex, Carolus Cæsar, ac Senatus Venetus, fœdus inter se jam anno superiori deliberatum, tantâ rei benè gerendæ spe firmârunt, ut de Turcico imperio actum penitus esse censeretur; & tamquam jam debellatum esset, illud inter se partirentur antequàm arma expedîssent. Profectò vix umquam contigit, ut qui tantâ confidentiâ res aggressi sint, optatum successum reportârent. Pactæ sunt fœderis conditiones Romæ mense Februarij; ut bellum fieret triremibus ducentis, (quarum Pontifex triginta sex, Cæsar octoginta duas, totidémque Respublica instruerent) armatis navibus centum quinquaginta peditum millibus ex Italiâ, Germaniâ, Hispaniâ, & quatuor millibus ac quingentis in Sequanorum morem instructis equitibus, cum omnibus rebus necessariis: quæ omnia singulis annis veris initio in promptu essent. Totius impensæ ratio ita distributa, ut sextam Pontifex, ternas Cæsar, binas Respublica solveret. Classis omnis imperium, maritimarúmque rerum cura penes Andream Auriam foret; præter peculiarem navium Cæsarianarum curam: Pontificiis præfecto Marco Grimano Patriarchâ Aquilejensi; Venetis Vincentio Capellio. Siqua terrestris expeditio fieret, imperium apud Ferdinandum Gonzagam Mantuanum Siciliæ Proregem resideret. Ex iis quæ bello parta forent, quæ in fœderatorum alicujus potestate aliquando fuissent, statim illis traderentur: Constantinopolis, quæque ad Imperium & regnum Neapolitanum loca spectarent, Cæsaris essent, exceptis quæ olim à Venetis possessa fuissent: Rhodus Ierosolymitanæ Religioni accederet: insignis aliqua regio aut provincia in Apostolicæ Sedis jus concederet: reliquis, in quibus nullum jus fœderatis fuisset, juxta impensæ portionem quisque potiretur.

II. CLASSIŪ CONGRESSUS AD NICOPOLIM CHRISTIANIS INFAMIS.

Hæc planè egregiè; si tam facile fuisset ea exequi, quàm proponere. Et potuisset proculdubiò facile esse hoc ipso anno in contritione classis Turcicæ, (quâ deletâ pronissimum extitisset magnos profectus terrâ agere) si oblatam certæ victoriæ occasionem Auria non corrupisset; atque disciplinæ navalis, quâ Itali, præcipuéque Veneti ac Genuenses florebant, existimationem; per inanem ostentationem, desidi cunctationem ac fugâ non dedecorâsset. Cùm enim post longas moras in classibus parandis, & multiplices consultationes de ratione belli administrandi, tandem convenissent omnes ad insulam Corcyram; (non quidem eo numero quo decretum fuerat, sed tamen ut essent triremes circiter centum triginta quatuor, naves onerariæ armatæ sexaginta, biremes & myoparones voluntariorum multæ; adeò ut tota classis ducentorum & quinquaginta navigiorum numerum expleret:) indéque adversus Barbarossam, qui cum classe Turcicâ in sinu Ambracio ad Prevesam oppidum subsistebat, vela fecissent: eo numero primùm territus Barbarossa, cui nonnisi octoginta septem triremes, biremes rostratæ triginta, tot aliæ biremes & myoparones erant, ut centum quinquaginta dumtaxat omnis generis navigiorum conficeret; deinde sumptâ audaciâ confligere statuit. Sed cùm aliquot triremes, quas præmiserat ad explorandum numerum & ordinem fœderatorum, à fœderatis quæ in primâ acie collocatæ erant, fugatæ fuissent, & in sinum suum rejectæ; ideóque facile existimaretur totam hostilem classem eâ perturbatione opprimere: nihilominùs Auria, præter omnium spem, gravibus probositis pœnis, classem se recipere jussit, eámque ad quoddam Leucadis insulæ promontorium reduxit, non sine omnium querelis, turpibúsque in eum maledictis ac probris. Quæ & posteà vehementiùs auctæ sunt, cùm rursùm tertio Calendas Octobris sese Barbarossâ ad pugnam exerente, & in fœderatos impetum faciente, poscentibus cunctis ingenti ardore signum conserendæ pugnæ, Auria, postquàm diversis circuitibus ac flexuosis meandris circa classem, spem fœderatis, metúmque Turcis novi cujusdam strategematis fecisset, (cùm interim à nonnullis navibus res tormentorum displosione ageretur) demum prælij se discrimini committere nolens, palàm cœpit se subducere. Indéque hostibus adeò increvit audacia, ut è triremibus & onerariis quæ pari celeritate ceteras insequi non poterant, nonnullas aut ceperint aut submerserint: gravioráque damna intulissent, nisi turbatis repentè nubibus, Euro flante, procellâ exortâ, intendentibúsque se tenebris, majoribus expansis velis, ac dolonibus sublatis, ne ab hostibus internoscerentur, laternarum quæ in prætorianarum puppibus præferri consuevêre luminibus extinctis, Corcyram classis nullo servato ordine fugienti similis ingenti dedecore se recepisset: grandi sublato cachinno, Auria fugæ (quem ob peritiam rei nauticæ Neptunum maris vocabant) Barbarossâ Hispanicis verbis illudente.

III. AURIÆ INFAMIA.

Húncque exitum fœderatæ ac Turcicæ classis congressus ad Nicopolim prope Actiacum promontorium habuit; quo Christianorum virtus elanguisse visa est, barbarorúmque ad navalium rerum disciplinam ingenia incitata sunt: omni tamen in Auriam culpâ collatâ, quòd vel ignaviâ, vel invidiâ in Venetos, vel etiam secretis cum Barbarossâ, cujus amicus erat, consiliis, (de quibus est etiam inter Epostolas Principum, testimonium Turcorum in literis Ioannis Matthæi Bembi, de quibus paulò post, eximia victoriæ decora Christianæ Reipublicæ eripuisset. Qui etiam cùm post hæc Castrumnovum oppidum, quod olim Venetorum fuerat, à fœderatorum exercitu, eorumdem Venetorum præsertim virtute captum fuisset: Auria quamvis ex fœdere eis debitum, nihilominùs Hispanis custodiendum tradidit, in Siciliam post hæc sese recipiens. Quibus edocti Veneti quid ab ejusmodi hominum societate expectare deberent, maturè de pace cum Solimano reno-

vanda cogitare cœperunt; cujus jurejurandis certior fides habenda foret: de quo dicetur anno consequenti. Ita enim rem gestam narrat Maurocenus [a] in Historiâ Venetâ; paulò iracundiùs in Auriam invectus, cui nec parcit Iustinianus [b], nec quis alius Venetus, quòd toto hoc bello periculosior esset Venetorum causa, qui potentissimi & acerrimi hostis invasioni pluribus partibus expositi essent. Quare & Iovius [c] (ex quo cetera pleraque Maurocenus hausisse videtur, addit, Auriam hos adversos de se rumores facilè contempsisse, eò quòd cuncta quæ ageret, ad commodum Cæsaris revocare esset solitus: ita ut diceretur consultissimè rem administrâsse, quando Venetos cum Solimano commisisset, & diuturno maximè bello januam vel ipsis nolentibus Venetis aperuisset: quod cùm non diù soli ferre posse viderentur, eò brevi redigi possent, ut terrestris sui imperij urbibus decedere cogerentur. Denique Ligures, ut Auriæ nomen ab omni infamiâ vindicarent, tam fœdi exitûs culpam ex obliquo in Venetos retulisse, quòd ab initio præsidium Hispanorum, quod distribui in Venetas triremes debebat, ut firmiores in congressu hostium evaderent, superbè repudiâssent: quódque Auria eorum triremibus non planè confideret, propterea temperâsse à prælio. Egregia Venetorum laus: ac præclarum mutuæ societatis elogium, quæ nec uno die concors esse potuit. Ceterùm Sigonius [d] in Vitâ Auriæ, de more eorum qui aliquem in omnibus verè ac falsè laudandum susceperunt, contra ceterorum omnium sententiam, Auriam hîc non desidem aut cunctatorem repræsentat, sed Marte pugnaciorem, certaminis signum edentem, fortiter prælium committentem, ac Venetis cunctantibus, Pontificiísque sensim se in altum educentibus, ipsum nihilominùs suos hortantem, acerriméque pugnantem: cúmque Barbarossa vi tempestatis certamen omittere coactus prælio excessisset, ipsum Auriam irâ ac dolore ardentem, quòd fortuna votis virtutíque Christianorum tam certam lætámque victoriam invidisset, & ipsum Corcyram versùs, quò socios cursum jam direxisse, quasi victoriâ deploratâ cognoverat, navigationem intendisse, accenso per supervenientem noctem in prætoriâ lumine ut suæ triremes tutò subsequerentur. Quanta à ceteris omnibus in singulis rebus discrepantia! Nullum enim reperias historicum, qui non hunc congressum, & propudiosum fuisse Christianis fateatur, & culpam in Auriam rejiciat; quamvis nonnulli eum anxiè excusare quærant. Sanè Turci [e] dimicatum fuisse acerrimè volunt; sed Auriam viribus se inferiorem videntem, arreptâ fugâ majoris cladis periculum vitâsse. Ex quibus videas, quæ fides plerumque habenda sit scriptoribus, qui res viventium conscribendas suscipiunt; cùm aut præmio proposito, aut spe gratiæ pleraque corrumpant. Quod etiam in gestis prædicatissimorum Georgij Scanderbegi, & Matthæi Corvini, non semel patratum, monuisse meminimus. Quod verò fœderati in barbaros exequi nequiverunt, hoc præstitit divina virtus; cùm suppetias Castrensibus ire Barbarossa enitens, adversâ tempestate, triginta circiter triremes mari absorptas amisit cum multis armatorum millibus. Ita enim historici habent; cùm nihilominùs inter Epistolas [f] Principum reperiantur literæ Ioannis Matthæi Bembi tunc præfecti Catari in eâdem Dalmatiâ, ad Cardinalem Bembum patruum suum, quibus traditus, Barbarossam amisisse tantùm eâ tempestate septem triremes & novem myoparones.

[a] Mauroc. lib. 5.
[b] Iustin. lib. 13.
[c] Iov. lib. 37.
[d] Sigon. lib. 2. cap. 10.
[e] Leunclav. lib. 18.
[f] Epit. Princ. lib. 1.

Culpa in Venetos retorquetur ab Auria.

Sigonii adulatio erga Auriam.

IV. Solimanus expeditionem mittit in Indiam.

Vniversum verò orbem vasto animo Solimanus complectens, etiam de Indiâ Lusitanis tollendâ cogitare cœperat. Cùm enim magno afficeretur incommodo, quòd Lusitanæ classes Arabici sinûs navigationes interclusissent, quibus Memphim atque Alexandriam, aromata, Indicáque omnes generis mercimonia, indéque advehi in Europam solerent: necnon Badurij Regis Cambaiæ, de quo superiori anno, precibus de suppetiis contra Regem Caramaniæ hostem suum, seu magis contra eosdem Lusitanos Dium civitatẽ suam munitissimam occupantes, rogatus fuisset; Solimano eunucho Epirotæ Ægypti præfecto hanc expeditionem committit. Qui ædificatâ ad Suezium olim Arsinoës portum Rubri maris validâ classe, Adenam civitatem sub ipsas fauces sinûs Arabici munitissimam, & Felicis Arabiæ primariam, appellens, Regem ejus alimenta aliáque omnia classis necessaria liberaliter exhibentem, fraudulenter ad se vocatum, eo obtentu quòd triduum ad se potentissimi Otomani præfectum officij causâ venire, distulisset, ex navis prætorij antennâ suspendi, quamvis Mahometanum, jussit: civitatem occupavit, & præsidio munivit; se id habere dicens in mandatis, quoniam Rex beneficiarium se constituerat Regis Lusitani; quem Otomanus totâ Indiâ pulsum volebat. Inde prætervectus Persici maris sinum, ad Indum usque flumen pervenit, & Dium prid. Nonas Septembris appulit. Perierat jam anteà Badurius Rex: quem Nonnius Acunia Prorex Lusitanorum eâdem penè fraude, quâ Solimanus Adenensem, ad navem suam amicè accedentem, in reditu ad urbem, quasi ipsum Lusitanósque prodere voluisset, crudeliter perimi curaverat. Cùm verò Solimanus eò pervenit, arci imperabat Antonius Silveria magno vir animo & ingenio, habens secum septingentos circiter Lusitanos. Qui adeò fortem operam in sustinendis Turcorum oppugnationibus per plurimos dies terrâ marique factis præstiterunt, ut quamvis quadraginta tantummodò superessent idonei pugnæ, ceteris aut necatis aut graviter vulneratis, nihilominùs animum non despondèrent, parati omnes mortem potiùs obire, quàm vel de deditione vel de pace verba ulla audire. Donec Calend. Novembris festo omnium Sanctorum, terrore nunciati advenientis subsidij Solimanus perculsus, aliquot suorum millibus amissis, tantâ cum trepidatione recessit, ut saucios quingentos, & magnam tormentorum partem fœdè reliquerit. In reditu verò iram suam in Zebethi Arabiæ urbis Regem convertens, eum licèt Mahometanum, & sumptuosis muneribus gratiam ejus appetentem interfecit, urbémque occupavit: ac deinde ad Mecham peregrinatus est, ut se apud sui prophetæ fontem expiandis tot

Diensis obsidio famosa.

[g] Iov. lib. 37. [h] Dam. to. 2. Rer. Hispan. [i] Maff. lib. 11.

ſceleribus ablueret: ut Iovius [g] narrat. Rem verò Dienſem, egregium fortitudinis Luſitanorum monumentum, pluribus Damianus [h] à Goës ad Cardinalem Bembum conſcripſit, & Maffeius [i] in Indicâ Hiſtoriâ retulit. Qui & addit, inclytam per gentes adeò fuiſſe hanc Luſitanorum de tam feroci atque potenti hoſte partam victoriam, ut Franciſcus ipſe Rex Galliæ, magnus virtutum æſtimator, captus admiratione Silveriæ, pictam ejus imaginem è Luſitaniâ poſtmodùm expetierit, præſtantium virorum ac ducum tabulis inferendam.

V. HOMO LONGÆVISSIMUS.

Habet idem rem miram de quodam è Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant; qui poſt occiſum à Luſitanis Badurium Cambaiæ Regem, Nonnium Acuniam Proregem adiit, ut vitæ ſubſidium ab eo acciperet, quòd à Badurio accipere conſueverat: fuiſſe nempè eum natum annos trecentos & triginta quinque, neque mendacij ſuſpicionem ullam ſubfuiſſe: quippe & ſeniores qui tum erant, ſe de hoc eodem grandævo aiebant à majoribus accepiſſe, & ipſe filium habebat nonagenarium; & cùm literam nôſſet nullam, quæ referebantur ab eo de veterum geſtis ad fidem annalium optimè congruebant. Huic aliquoties jam decidiſſe dentes, aliis continuò ſubnaſcentibus, & barbam, ubi prorsùs incanuiſſet, in atrum denuò colorem, idque paulatim, ſemetipſam verti conſueviſſe: ante centeſimum annum idola coluiſſe, inde æquè miſerabili errore ad nefariam Mahometis tranſiiſſe ſectam. Potuiſſet hic tutò ſibi etiam annos Mathuſalæos arrogare. Quis enim viventium falſi eum arguere potuiſſet? Sed fortè adhuc in vivis eſt; atque inter Chriſtianos Chriſtianam religionem amplexus, vitam æternam cum longiſſimâ tranſitoriâ, felici tantæ dilationis ſorte commutabit.

VI. CONGRESSUS PONTIFICIS CUM CÆSAR. ET REGE.

Pontifex autem Paulus, antequàm prædicta Turcica fierent, ubi primùm fœdus anno ſuperiori contra Solimanum decretum fuerat, veritus ne bellum quod inter Cæſarem & Regem Galliæ vigebat aliquod obſtaculum ei afferret, conatus fuerat pacem, vel ſaltem longas inducias inter eos componere; & ob eam rem legatos ad utrumque miſerat, Chriſtophorum Iacobatium ad Cæſarem, Rodulphum Pium Carpenſem, ad Regem: qui rem eò perduxerunt, ut petitione Pontificis uterque Princeps ſecum in colloquium venire conſenſerit: electâ ab eo ad hoc Niceâ, ſive Niciâ, Provinciæ urbe maritimâ, quæ erat ditionis Ducis Sabaudiæ, tamquam omnibus opportunâ. Itaque Pontifex menſe Maio Româ profectus, longo & laborioſo itinere exactæ jam ætatis ſenex Niciam pervenit: Cæſar mari ex Hiſpaniâ ad Moneci portum Herculis, quem Villafrancam hodie dicunt, delatus eſt: Rex Villanovam citra Varum amnem equis vectus conceſſit. Vterque ineunte Iunio ſeparatim Pontificem veneratus eſt. Numquam tamen ipſe impetrare potuit, ut illi in mutuum conſpectum & colloquium ſimul devenirent. Quod à plurimis, ut Iovius [k] qui interfuit, & Onuphrius [l] referunt, non tam mutuo ipſorum odio, quàm invidiæ in Pontificem, parùm clementer attribuerunt; quaſi exiſtimarent eum nequaquàm ſtudio Religiouis aut Reipublicæ, ſed privatorum ſpe commodorum, ipſorum colloquium expetiſſe; quippe qui Margaritæ filiæ nothæ Cæſaris, quæ Alexandri Medicis uxor fuerat, nuptias jam ſibi à Cæſare oblatas pro nepote Octavio firmare, (quod & factum eſt) & Victoriam neptem, qui Guidobaldum Vrbinatium principem poſteà maritum habuit, cognationi regiæ, conjectis in Vindocinenſem oculis, inſerere, percupere videretur. Addunt verò, Cæſarem per internuncios Regi ſignificâſſe, ſe in ejus complexum, priuſquàm in Hiſpaniam regrederetur, deventurum. Cùm autem de pace inter illos nullo modo tunc convenire poſſet, hoc tantùm obtinuit Pontifex, ut inducias decennales (ita enim diſertè ipſemet Pontifex in indictione Concilij Tridentini: cùm nihilominùs Iovius & Onuphrius novennales tantùm habeant; præter ſcilicèt annuas illas, quæ à Reginis, ut vidimus, pactæ & prorogatæ fuerant) ſolemni tabularum adſtipulatione firmarent. Quin verò pax fieret, ſunt [m] qui per Cæſarem ſtetiſſe velint: eò etiam applicantes vaticinium Andreæ Taurini familiaris medici Pontificis: qui cùm ab ea profectione Pontificem avertere conaretur, perinde eum facturum eſſe dixit, ac Ægyptium olim eremitam, qui ſolitudinem ingreſſus ut pacem inter Deum & dæmonem componeret, nihil à dæmone obtinere potuit. Eſt verò de eodem congreſſu epiſtola Cardinalis Sadoleti [n], qui ei interfuit, ad Georgium Ducem Saxoniæ Catholicum; qua ſcribit, egiſſe ſe privato officio ut cum utroque Principe colloqueretur, ſuaderètque ut civilibus extinctis diſcordiis, Chriſtiano nomini, ob eorum diſſenſiones præcipuè laboranti, conjunctis animis ferrent opem, in iis ſermonibus cùm uterque aptè admodùm atque humanè reſponderet, perſpexiſſe ſe optimum animum Chriſtianiſſimi Regis, Cæſaris autem virtutem & animi magnitudinem vehementer probâſſe.

[k] Iov. lib. 37. [l] Onuphr. in Paul. III.

[m] Vid. Maſſon. in Paul. III.

[n] Sadol. 11. ep. 4.

VII. INDULTA SENATORUM PARIS.

Hoc eodem congreſſu Paulus Pontifex, Rege poſtulante confirmans quod olim Eugenius IV. Carolo VII. Regi conceſſerat, ſed uſu firmatum non fuerat, Cancellario Franciæ, Præſidentibus & Conſiliariis regiis Senatûs Pariſienſis, id prærogativæ juríſque novâ conſtitutione [o] 13. Calend. Iulij dedit, ut quilibet eorum, etiamſi laicus ſit, poſſit ad beneficia eccleſiaſtica ſæcularia vel regularia, infra valorem ducentarum librarum Turonenſium, propinquos, familiares, aut alioqui idoneos collatoribus nominare. Híſque confectis Pontifex triremibus Gallicis Genuam delatus eſt, comitatus à Cæſare; & inde Romam: Cæſare in Hiſpaniam renavigante.

[o] Ext. to. 5. Collect. rer. Cleri Gallic. edit. 1636.

VIII. CONGRESSUS CÆSARIS ET REGIS APUD AQUAS MORTUAS.

Qui in itinere ad Aquas-mortuas (olim Foſſas Marianas) Galliæ Narbonenſis oppidum, cum Rege (ut conventum fuerat, agente præcipuè Eleonorâ Cæſaris ſorore, ac Regis uxore, quæ aderat) congreſſus, & Rex eum in ipſius quadrireme prætoriâ inviſit, & Cæſar in terram ad Regem exſcendit, mutuis ſeſe complexibus & gratulationibus tantâ benignitate & amabilitate toto biduo afficientes, ut ſpem cunctis facerent perpetuæ pacis & concordiæ. In quem tamen locum ferunt

Cæsarem, ut erat sagacissimi ingenij, colloquium cum Rege distulisse, ut faciliùs notâ sibi Regis simplicitate & crudelitate abuteretur, ac vanam de Mediolanensi principatu spem ei relinqueret: quod non ita commodè se Niciæ perfecturum sperabat; ubi se eam spem Regi injecisset, Rex, ut apertus erat, Pontificem non celâsset; Pontifex autem Regem ab eâ crudelitate avertisset, qui optimè noverat numquam Cæsarem eum principatum, nisi vi cogeretur, dimissurum. Quare scribunt etiam Iovius & Onuphrius, cùm plerique ex ejusmodi fraternæ Regum benevolentiæ signis, eos omnibus detersis odiis penitùs conciliatos esse augurarentur; Pontificem pro vetere suâ prudentiâ ut id crederet adduci non potuisse, postquàm parùm pio subagrestíque utriusque Principis consilio eorum colloquiis exclusus, ejus clandestinè appetitæ amicitiæ ratio, quæ nullam sinceræ voluntatis & religionis speciem præseferret, nequaquàm compositi animi diuturnam simulationem habitura putaretur, quod & reipsâ pòst patuit.

IX. CONCILII CELEBRATIONIS PROROGATIO.

Contenderat etiam Pontifex Niciæ ab utroque Rege, ut & ipsi Vicentiam ad Concilium à se indictum accederent, & Prælatos suos præsentes ducerent, absentésque accerserent. Verùm iis utrumque excusantibus, tum ob regnorum suorum occupationes & necessitates tum quòd non possent Episcopi qui cum ipsis erant, nisi communicato cum aliis consilio eò se conferre; eáque de causâ hortantibus ut tempus Concilij prorogaretur: cùm etiam Cardinales legati eò missi magnam ibi solitudinem esse, & vix unum aut alterum ex externis nationibus Prælatum Vicentiam se contulisse renunciassent: statuit Pontifex rursùs Concilium usque ad sanctum Pascha anni subsequentis 1539. producere: datis eâ de re literis Genuæ in reditu è Niciâ quarto Calendas Iulij præsentis anni. Vt de his constat ex Collectione Antonij Filloli Archiepiscopi Aquensis Actorum Concilij; ipséque Pontifex narrat in literis indictionis Tridentini, de quibus posteà. Quo tempore cum Ferdinandus Romanorum Rex ei significâsset, non adeò difficilem inter Catholicos & Protestantes sibi videri concordiæ tractationem, si in Germaniam aliquis mitteretur probatæ existimationis & vitæ, sacrarúmque literarum præstans vir; elegit Pontifex ad id operis, earum virtutum virum, Hieronymum Aleandrum Cardinalem Sancti Chrysogóni, tum ad ipsam Germaniæ provinciam, tum ad Regem Ferdinandum: qui mense Augusti Vicentiâ exiens, Germaniam versùs iter arripuit: ibique per annum commoratus, nullo alio operæpretio, ob hæreticorum tergiversationes, facto, Romam rediit mense Decembri anni proximi: uti habetur in prædictis Actis Aquensibus.

X. CALUMNIÆ LUTHERANORUM.

Intereà verò Lutherus unà cum suo grege variis machinationibus & scriptis nihil non agens quo auctoritatem Concilij convelleret, ac rudes populos à dignoscendâ ejus utilitate avelleret; confectis [p] novis pasquillis, novis Beelzebub epistolis, fabulosis legendis quas Concilio impudenti vanitate affingebant; ut erant omnes histrionicâ arte, & infernali spiritu, atque fanaticis phantasmatibus fecundissimi, mundo illudebant. Quibus etiam quatuor epistolas Ioannis Hussi, & libellum de Donatione Constantini addiderunt. Contra quæ omnia Germanicè divulgata Cochlæus itidem Germanicè confutationes edidit. Libellúmque addidit, quo apertè demonstravit, multò minùs malum impiúmque in fide Hussum extitisse, quàm Lutherum; qui tamen ab Ecclesiâ Catholicâ in Concilio Constantiensi damnatus ac combustus fuisset.

[p] Cochlæ. in Act. Luther. Sur. in commentar.

XI.

Idem tamen Lutherus hoc eodem anno, ut fucum veræ religionis faceret, errorum dispulsorem agere volens; seu veriùs quòd neminem ferre posset qui sibi non in omnibus obtemperaret, vel aliquid privatim tamquam à se docere præsumeret; cùm *Ioannes* [q] *Agricola* Islebius Saxo, Lutheri discipulus, Legem operum rejiceret, ad prorsùs inutilem esse doceret, neque ullo modo ad bona opera divinæ legis homines sive ante sive post justificationem obligari; & quæcumque tandem sit hominis vita, quantumvis impia & flagitiosa, dummodo credat promissionibus Evangelij, esse in viâ & medio salutis: licèt & ipse Lutherus sic ab initio docuisset, nihilominùs homo superbus contentioni & rixæ natus, ubi hæc vidit ab Agricolâ prædicari, acriter in eum invectus est: non animadvertens, quicquid in eum scriberet, ad ipsiusmet jugulum vel maxime petere: uti etiam Coclæus scripto de his edito demonstravit. Vocati sunt autem istiusmodi hæretici *Antinomi* voce Græcâ, quasi Legem impugnantes, vel Legi contrarij. Quos cum etiam Conradus Schlusselburgius Lutheranus in suo Hæreticorum Catologo [r] confutandos susceperit, quamplurima tum Agricolæ, tum sectatorum ejus, opinionum & errorum capita recensens; de ipso auctore ait, fuisse eum anno 1530. in Comitiis Augustanis, & doctrinæ Saxonicæ Confessionem unà cum Melancthone & Brentio defendisse, ac posteà cum Pflugio & Sidonio libellum *Interim* compilâsse: Islebiæ autem Ludimoderatorem, ac simul Theologiæ professorem agentem, vanâ ambitione inflatum, & ex falso intellectu doctrinæ de abrogatione Legis, in lectionibus, concionibus & scriptis perniciosissimum hunc Antinomiæ errorem hoc anno invexisse: Lutherum hoc audito, hominem privatim monuisse, cúmque nihil proficeret, sex Disputationes Wittembergæ contra eum edidisse: quibus Agricola convictus, cùm revocationem suam in publico auditorio ibidem Wittembergæ recitâsset; attamen mortuo Luthero rursùs ad ingenium redeuntem, pristinum errorem repetivisse, ac publicis scriptis propugnâsse. Qui denique vitam propagâsse dicitur usque ad annum millesimum quingentesimum sexagesimum sextum, quo decessit Berlini in Marchionatu Brandeburgensi anno ætatis septuagesimo quarto.

[q] Prateol. in Antinom. Sur. in commentar.

ANTINOMORUM SECTA.

[r] Schlusselb. lib. 4.

XII. CALVINUS PELLITUR GENEVA.

Hoc eodem tempore exulavit Ioannes Calvinus ex civitate Genevensi, in quam se intruserat anno 1536. auctore Farello, qui cum illo pulsus est. Accusati fuère, quòd malè de Christi divinitate & Sanctissimâ Trinitate sentirent. A quâ accusatione cùm utcumque

se defendissent in quibusdam ministrorum Helveticorum conventibus; volentes tamen contra formam Genevæ receptam, quæ tam in pane azymo quàm aliis ritibus conformis erat Bernensi Zuinglianæ, manducationem sive cœnam in fermentato administrare, gravi in eos commotione excitatâ, cùm nihilominùs ipsi contrà audacissimè niterentur, & vehementissimis concionibus suis ad id populum inducere quærerent; factum est, ut dies Paschæ absque ullâ communione transierit: & inde iratus magistratus eos urbe, unà cum alio nescio quo Coraldo Augustiniani Ordinis apostatâ, eorúmque sequacibus ignominiosè pepulerit. Quâ de re multæ sunt ejusdem Calvini querulosæ ad diversos epistolæ; & narratio Bezæ ejus Genevensis Califatûs successoris, in ejus Vitâ: ut Catholicos [f] taceam, qui longè acerbiùs ista de iis referunt. Qui quidem Calvinus Argentoratum se recipiens, ubi dogma Zuinglij vigebat; ibi docendi munus, licèt non Zuinglianismo usquequaque, ut vidimus, adhæreret, rogatus à protheo Bucero, exercuit: institutâ ibi hoc eodem anno scholâ juventutis, auctore potissimùm Ioanne Sturmio Iurisconsulto & Senatore primario. Cúmque hæresis causâ multi ex regno Galliæ & provinciis Belgij, ferrum, laqueum, & ignem quibus perversa eorum doctrina ubique puniebatur fugientes, in eamdem urbem confugissent; Senatus Argentinensis templum illis aperuit ut synagogam constituerent; cujus Calvinus tunc curam suscepit. Qui etiam ut jucundiùs exilium suum ferret, viduam cujusdam Anabaptistæ, nomine Ideletam Buriam, matrimonio sibi junxit; & multis annis cum eâ vixit, nullis tamen susceptis liberis, quamvis illa ex priori marito nonnullos haberet.

[f] *Bolsec. & Lang. in Vit. Calvi. cap. 6. &c.*

DOCET ARGENTINÆ.

XIII.

[t] *Sander. de Schism. lib. 1.*

HENR. REX ANGLIÆ SÆVITER ET RAPACITER AGIT.

S. THOMAM CANTUAR. IN IUDICIŨ VOCAT, ET CONDEMNAT.

Intereà in Angliâ Rex Henricus in suâ feritate perseverans, hoc anno [t] præter diversa plurimorum Fratrum Ordinis S. Francisci, nonnullorúmque insuper nobilium, & ne in omnibus impius videretur, etiam quorumdam hæreticorum Zuinglianorum supplicia; prætérque expilationes ecclesiarum, quæ oblationibus & divitiis atque ornamentis pretiosis præstabant, ac loculorum sacrarum Reliquiarum, & sanctarum Imaginum donariorum direptionem; Ecclesiam quoque triumphantem pro potestate Capitis Anglicanæ, suæ jurisdictioni subjicere nihil veritus, (quod omnem sive immanitatem dixeris, seu phrenesim superat) *S. Thomam* Archiepiscopum olim Cantuariensem, totius Angliæ Primatem, vitæ sanctitate, constantiâ, fide, & immunitatis Ecclesiæ defensione præstantissimum, miraculorum editione celeberrimum, quem Reges Angliæ præ cæteris ferè omnibus Sanctis colere, populus præcipuâ devotione uti gloriosissimum Martyrem venerari, ac sacris peregrinationibus frequentare consueverat, jam ante quadringentos propemodùm annos in Sanctorum Martyrum numerum solemni celebritate ritè relatum; quòd eum præcipuo odio prosequeretur, quoniam in causâ non planè dissimili, licèt infinitis partibus minore, videlicèt in defensione libertatis Ecclesiæ, fortem se adversus Henricum Secundum præstitisset; re in judicium denuò deductâ, eumdem coram se citavit, & tamquam contumacem perduellionis condemnatum, inter Sanctos ampliùs censeri vetuit; sacra ejus ossa è thecâ aureâ gemmis pretiosissimis ornata, quâ servabantur, exempta, per carnificem publicè cremanda, cineréisque in ventum spargendos curavit; ac thesauros bonáque omnia ejus memoriæ consecrata fisco regio addixit. Insupérque monasterium S. Augustini, à quo Christianam fidem Angli acceperant, ibidem Cantuariæ, pulsis monachis, in stabulum bestiarum convertit.

XIV. SENTENTIA IN EUM PONTIFICIS PROMULGATUR.

[u] *Supr. an. 1535. XIV.*

[x] *Ext. Bull. to. 1. Paul. III. const. 7.*

Quibus nefandis sacrilegiis commotus Paulus Pontifex, cernens morbum ejus eò processisse, ut à nullo quantumvis peritissimo medico (ut ipse loquitur) aliâ curâ sanari posset, quàm putridi membri abscissione; quam vidimus [u] suspendisse condemnationis in eum sententiam spe ejus emendationis, aliâ editâ constitutione [x] decimosexto Calendas Ianuarij promulgari, & executioni mandari jussit; denunciatis pœnis abdicationis regni, & expositionis cuilibet occupanti; injunctionis ut tam à subditis quàm à ceteris in eum insurgeretur, & nemo cum illo aut cum ejus fautoribus commercium ullum haberet; aliísque in ipsos priori sententiâ contentis. Quæ quidem sicut optimus Pontifex pro muneris sui debito ritè & jure præstitisse existimatur, ita econtrà & Principes, & subditi, aliíque ea parùm curantes, ac majestatem Pontificiam & potestatem minùs considerantes, nullo loco aut numero habuerunt, quin & subditi ei de more obedierint; & Principes Catholici fœdera cum eo contraxerint; omnes denique omnibus pacis & belli actionibus commercium cum eodem ejúsque fautoribus habuerint. Quæ si fortè contra aliquem Catholicum Principem, aliùs cujuscumque criminis accusatum, cujus ditio contigua & facilis occupatu extitisset, intonata fuissent, non, ut opinor, ab invasione immunis mansisset. Suppetunt enim affatim exempla quæ id persuadeant.

IESU CHRISTI Annus 1539.
PAULI III. Annus 5.
CAROLI V. An. 21.

I.

[a] *Sleid. lib. 12. Sur. in comment. Pontan. in Reb. memor.*

CONVENTUS FRANCOFURDIENSIS CATHOLIC. ET PROTEST.

ANNO Christi millesimo quingentesimo trigesimo nono, Indictione duodecimâ, mense Februarij, factus est conventus [a] Francofurti Catholicorum & Protestantium, pro tractandâ pace, quæ inter eos, ob diversa inita utrimque fœdera, de quibus suprà, in bellum intestinum pro ruptura videbatur: præsentibus ibidem Cæsaris & Ferdinandi fratris ejus legatis. Iam enim Protestantes non solùm Catholicis pares, sed etiam penè superiores erant; adeò ut & ipsum Cæsarem, quem ferè continuò absentem nomine tenùs dumtaxat agnoscebant, ad quæcumque vellent importunissimis suis atque minacibus postulationibus cogerent. Vnde liquidò appareat, quàm improvidè rebus suis consulant tum Germani, tum alij populi, cùm exteros Principes, quos non semper præsentes habeant, ad Rempublicam suam administran-

dam adsciscunt. Quin enim ex absentiâ Cæsaris tot mala Germaniam occupaverint, & hæreses pedem ibi fixerint, nullus videtur relinqui dubio locus. Cui, ut opinor, longè major gloria exurrexisset ex conservatâ ab hæresi Germaniâ, quàm ex insatiabili illo odio, quo in Regem Galliæ flagravit; haud alio tanto operæpretio, quàm quòd ostendisse videtur, potius sibi fuisse ad monarchiam temporalem aspirare quàm spiritualem propugnare. Quippe etsi resideret in Germaniâ Ferdinandus ejus frater, electus Rex Romanorum, & Hungariæ atque Boëmiæ Rex, amplissimarúmque ditionum dominus; nihilominùs tamen, præterquàm quòd mitioris erat naturæ, nec & ipse de religione valdè afficiebatur, non poterat quid alicujus momenti absque Cæsaris scitu & auctoritate agere; & Protestantes rebus suis intentissimi, parùm vel nihil ei deferentes, (quem & hoc ipso conventu Elector Saxonicus ceterorum omnium coryphæus palàm testatus est se minimè pro Rege Romanorum agnoscere) specie mittendarum ad Cæsarem longissimè absentem legationum tempus producentes, res suas interim promovebant, novos subinde Principes ac civitates in societatem adlegentes.

II. TRANSACTIO INTER PARTES.

Eo igitur conventu, post multam & variam acrémque disceptationem, Aprilis demùm die decimonono transactum est inter partes his conditionibus; ut darentur Protestantibus qui tunc in fœdere essent, quindecim mensium induciæ, (exclusis tamen Anabaptistis, & Sacramentariis) atque interim nonnulli utriusque partis viri moderati & eruditione præstantes de religione collaturi convenirent: toto induciarum tempore nullum in fœdus Protestantes admitterent, & Ecclesiasticis annuos reditus quos adhuc haberent salvos esse paterentur; quæ omnia sic rata essent, si Cæsar intra sextum mensem ea comprobaret. Ita enim rem transactam Sleidanus scribit, nostríque consentiunt. Extátque [b] illud ipsum decretum tunc eâ de re confectum; publicatúmque ab Electoribus Catholicis Ludovico Palatino & Ioachimo Brandeburgensi, qui aderant tamquam mediatores & intercessores, ut se indigitant, inter Cæsaris oratores & commissarios ac Protestantes. Sed addit Calvinus [c] in quâdam suâ epistolâ ad Farellum tunc scriptâ, ita Protestantes consensisse neminem recipi in fœdus suum tempore induciarum, ut tamen siqui reciperent ipsorum doctrinam, non solùm tuti essent extra fœdus, verùm etiam si impeterentur, vellent habere illos pro fœderatis. Paritérque ita annuisse ut bona ecclesiasticis salva essent, modò suis ipsorum ecclesiis & scholis prospiceretur.

[b] Ap. Goldast. Constit. Imper. to. 3.

[c] Calvin. ep. 15.

III. EA IMPROBATUR A PONT. ET CÆS.

Aderat porrò conventui nomine Cæsaris Ioannes Wesalius Archiepiscopus olim Lundensis in Daniâ, natione tamen Germanus, & Christierni quondam Regis sororij Cæsaris consiliarius; quo pulso factus quoque ipse exul redierat in Germaniam, & à Cæsare susceptus fuerat, creatúsque Episcopus Constantiensis, etiamsi sacerdotio insigniri numquam voluerit. Vbi igitur prædicti conventûs Francofurtensis nuncius fuit Romam perlatus, Pontifex ægrè ferens de rebus Religionis in Germaniâ tractari: in præjudicium Concilij à se indicti, Episcopum Politianum in Hispaniam ad Cæsarem legavit, ut dissuaderet comprobationem decretorum ibi factorum: quereretur de Lundensi, qui sacramenti à se præstiti, ac beneficiorum à Sede Apostolicâ acceptorum, mandatíque Imperatorij immemor, Protestantium postulatis assensisset, cum magno Sedis Apostolicæ præjudicio, & Cæsareæ majestatis opprobrio. Quare Cæsar cùm literas accepisset, quibus rogabatur ut juxta decretum Francofurtense colloquium doctorum virorum Norimbergæ permitteret: quominùs iis rebus vacare posset, morte suæ conjugis, (quæ Calendis Maij è partu interiit) & aliis negotiis impediri respondit: nec verò etiam inducias quindecim mensium approbavit. Vnde commoti Protestantes, conventum [d] mense Novembri Arnsteti oppido Turingiæ celebrârunt: quo deliberatum fuit de augendo fœdere déque defensione suâ: de mittendâ in Angliam legatione propter decreta religionis nuper ibi facta, (illa videlicèt quæ nos ex Sandero Anglo retulimus anno 1536. sed quæ tum ex Sleidano, & Genebrardo, tum ex aliis omnibus qui de iis meminerunt, præsenti potiùs facta censemus:) ac mitigando Regis animo: déque sollicitando Rege Galliæ, ne doctrinæ causâ homines affligeret. At quia non omnes aderant, & qui aderant non omnes mandatum de his habebant; alius fuit Smalcaldiæ constitutus dies ad Calendas Martias anni proximi. Hicque interim, contra quàm Francofurti conventum fuerat, suscepti sunt in fœdus Rigenses Livoniæ populi, quibus cum Archiepiscopo suo lis erat. Hæc enim Protestantium colligatio, receptaculum erat omnium purgamentorum Germaniæ, aliarúmque partium septemtrionalium. Diligentiores longè ejus asseclæ in hæresium suarum curâ & propagatione, quàm Catholici in fidei defensione; nullis parcentes sumptibus, nullis laboribus in tot conventibus singulis annis convocandis; cùm Pontifex unicum à tot annis convocare satagens, à nemine audiretur, ô socordia! Ecquid mirum si ruerit tot locis Religio Catholica, altè stertentibus qui ad ejus custodiam constituti erant, dum fures vigilantissimi oculos continuè intentos haberent ad eam diripiendam?

[d] Sleid. lib. 12.

ALII CONVENTUS PROTESTANTIUM.

IV. SUSPENSIO CONCILII GENERALIS.

Quare etiam cùm cerneret Pontifex frequentibus suis Concilij indictionibus nihil se neque apud Catholicos neque apud hæreticos proficere, aliis ex aliis quotidie suborientibus impedimentis; & Cæsarem ac fratrem ejus Ferdinandum, alióſque Principes, rem, nisi pace inter Principes confectâ aptè suscipi non posse, significare: denique nec ad tempus condictum alios Prælatos Vicentiam convenisse: Idem Pontifex prorogationis jam nomen aversans, quod tam sæpè frustrà fuerat repetitum, satius duxit celebrationem generalis Concilij ad suum & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendere: déque ejusmodi suspensione literas ad eosdem Principes decimâ die Iunij præsentis anni dedit: uti ipsemet hæc narrat in literis indictionis Tridentinæ Synodi, quæ pòst secuta est. Addítque Onuphrius [e] alias causas cur Vicentia dimissa sit; nimirùm quòd ea ci-

[e] Onuphr. in Paul. III.

vitas à schismaticorum sedibus paulò longiùs abesset; & quòd Veneti rem ampliùs non probarent, ne Turcorum tyrannum irritarent, qui Christianorum conventum timebat. Quam causam etiam ipsimet Veneti in suis historiis adstruunt. Quippe jam pertæsi Veneti fœderis cum Hispanis contracti, ut diximus anno superiori, mox cœperunt cum Turcis de induciis & pace agere, de quibus dicetur posteà.

V. LUTHERI LIBER DE CONCIL.

Interim verò Lutherus, cùm tam frequens esset Concilij nomen & Ecclesiæ, libellum vulgari idiomate de utroque edidit, hoc est Ecclesiâ & Concilio: ubi multa de morte in Pontificem & Ecclesiam Romanam debacchatus, ne tamen videretur in solos Catholicos scribere voluisse, in Sacramentarios quoque invectûs, Zuinglium Nestorianum fuisse dicit. Quo offensi Tigurini ministri, haud existimantes in silentio transeundum, datis ad eum literis monuerunt ne contra ultimam pactionem tam malè de Zuinglo sentiret & scriberet. Ad quæ nihil ille respondit; parùm curans quid alios tangeret, dummodò ipse suæ impudentiæ satisfaceret. Hæc enim erat concordia fratrum illorum Thebanorum.

VI. GEORGII SAXONIS OBITUS LUCTUOSUS.

Lutheranorum autem ac Protestantium maximo gaudio contigit hoc anno menséque Aprili, ex hâc vitâ decedere [f] *Georgium* Saxoniæ Ducem, inclytum religionis Catholicæ professorem ac defensorem, anno ætatis sexagesimo octavo; quem Lutherus petulantissimis convitiis & contumeliis, non sine Electorum Saxonicorum ejus patruelium hæc permittentium opprobrio, impunè sæpè proscinderat; Catholici multis laudum præconiis extulerant: atque inter ceteros Cardinalis Sadoletus, pluribus ad illum ac de illo scriptis epistolis [g], quibus ejus præclarissimas virtutes, æquitatem, religionem, integritatem, prudentiam, prædicavit. Ejus porrò obitu maxima recepit in Germania incommoda religio Catholica; non solùm quòd tanto privaretur propugnatore, verùm & magis quòd cùm nullos post se liberos reliquerit, (duo namque quos habuerat, jam antè sine prole excesserat) Henricum fratrem ejúsque filios Mauritium & Augustum successores habuerit: qui quamvis eâ lege fuissent ab ipso instituti testamento heredes, ut nihil in religione immutarent, & si secùs facerent, Carolo Cæsari & Ferdinando Regi ditionem omnem attribuisset, donec aut ipsi vel ex eâ familiâ proximus agnatus conditionem impleret; nihilominùs statim ut Georgius decessit, Henricus frater principatum occupans, in omnia Misniæ, Turingiæ, & Saxoniæ loca quæ Georgio paruerant, Lutheri sectam invexit, cum jam anteà Lutherani eum suis laqueis irretiissent. Quod quidem is tantò minori negotio effecit, quòd fœdere Smalcaldico niteretur; quo qui comprehendebantur, ij per fas & nefas sibi cuncta licere existimabant. Immutato igitur etiam in cathedrali Misnensi cultu divino, expulsus inde Cochlæus, varia pro defensione fidei sæpè dira perpessus; paulò pòst, ut ipse scribit, commiseratione Capituli Vratislaviensis, assumptus est in canonicum cathedralis illius Ecclesiæ, nihil à libellis suis contra hæreticos eximio zelo componendis & promulgandis cessans.

[f] *Sleid. lib. 12. Pontan. in Reb. memor. Sur. in comment.*

[g] *Sadol. epist. lib. 12.*

VII.

In Scotiâ verò, ubi Rex Iacobus [h] tanto Ecclesiæ dilatandæ studio efferebatur, ut in hæresi tamquam hydrâ pestilentissimâ conterendâ, ac penitùs resecandâ, summum sibi honorem ac decus positum existimaret; quidam canonicus regularis, duo Dominicani fratres, unus Franciscanus, nonnulli laici, ob hæresim ignis supplicio sublati sunt; multi recantârunt; complures exilio damnati sunt. In quibus fuit *Georgius Buchananus* Minorita excucullatus, Bacchicus histrio & atheus poëta, (ut Genebrardus vocat) qui regni Scotiæ Historiam viginti libris postmodùm conscripsit, seu veriùs (saltem posterioribus temporibus) corrupit: qui, ut ipsemet in eâ testatur [i], sopitis custodibus per cubiculi fenestram evasit, veram tamen causam sui carceris tacens: quam non solùm hæresim Lutheranam & apostasiam fuisse reperimus, verùm [k] etiam quod cum aliis quibusdam agnum Paschalem more & ritu Iudaïco tempore Quadragesimæ comedere repertus fuisset: qui fugâ pœnam ignis, quam socij subierunt, evasit. Quibus intelligas; quantâ cautione, in iis maximè quæ sunt fidei & doctrinæ Ecclesiæ, historia ejus legenda sit, quam sic cōpositus homo scripserit; in Catholicam religionem ab hoc præcipuè tempore apertè debacchari solitus. De quâ insigne valdè est judicium, quod Iacobus ipse serenissimus Britanniæ Rex VI. ipsius in infantiâ discipulus, in Basilico [l] suo Doro, hoc est Institutione regiâ ad Henricum filium protulit: cùm filio præscribens quos historicos & chronologos familiares habere deberet, imprimis monet domesticis historiis sedulò intendere, ne esset peregrinus domi, haud tamen famosos libros Buchanani, aut Knoxij Chronica evolveret: sed si quod ejusmodi scriptum inveniret, cum ejus depositariis ex legis [m] severitate ageret. In eo Pythagoræ discipulum se profiteretur: ut existimaret ipsos manes istorum seditionum flabellorum metempsychosi quâdam in eorum corpora transîsse, qui eorum vel libros retinerent, vel dogmata defenderent: eósque non minori supplicio plectendos, quàm si ipsi auctores jam a mortuis essent resuscitati. Ita ille; quibus os obstruas laudatorum hujusmodi pestiferorum hominum.

[h] *Leslæ. lib. 9*

BUCHANANI APOSTASIA ET CORRUPTELÆ.

[i] *Buchan. lib. 14.*

[k] *David Camerar. de Scot. lib. 4. cap. 2. Lang. in Vit. Calvin. cap. 1.*

[l] *Basil. Dor. lib. 2.*

IUDICIUM REGIS DE EIUS LIBRIS.

[m] *Vid. infr. ann. 1583. XV.*

VIII. HENRICI REGIS ANGLIÆ VARIUS ANIMUS.

Nec verò etiam in Angliâ, quamvis ab Henrico Rege corruptissimâ, adeò prosperè res hæreticorum procedebant. Quippe vi sanctionis de sex illis articulis à Rege superiori anno promulgatis, nō parvâ factâ de illis qui eis adversabantur, inquisitione; inter alios duo Episcopi hæresis fautores, Hugo Latimerus Wigorniensis, & Nicolaus Shaxtonus Sarisberiēsis quod ea improbarent, hoc eodem anno Ecclesiis suis ejecti, in carcerem trusi sunt: in quo Latimerus ad obitum usque Henrici Regis permansit; Shaxstonus paulò pòst palinodiam cecinit, nec tamen Ecclesiæ suæ restitutus est. Stephano Gardinero Wintoniensi Episcopo viro doctissimo, & in fide Catholicâ ferventissimo, nihil non agente pro eâ conservandâ, & Cromvelo contrà pro eâdem perdendâ, qui anno sequenti, ut videbitur, gladio percussus est. Quæ tamen potiùs Regem fecisse, ut non Lutheranus existimarent, quàm ut Catholicus; docet persecutio in Religiosos & monasteria dirissimè eodem tempore exercita; cùm quarto Calendas Maij in conventu

Cuncta monasteria sibi attribuit.

[n] *Sander. lib. 1. de Schism.*

ordinum regni, quem Parlamentum appellant, nemine propter vitæ periculū Regi & Cromvelo refragari auso, decretum [n] est ut omnia religiosorum utriusque sexûs monasteria voluntati regiæ permitterentur, bonáque universa fisco cederent. Ac ne hoc violenter ac tyrannicè fieri videretur, suasit benignis verbis Rex singulis conventibus cessionem eorumdem conventuum ac bonorum, cum supplicatione, ut ea Rex accipere dignaretur, ipsósque religiosos ab onere monachatûs liberare: cúmque multi nihilominiùs refragarentur, adhibitâ vi apertâ, nōnulli venerandi Abbates Benedictini, aliíque pij monachi, & sacerdotes, perduellionis accusati, laqueis suspensi sunt: monasteria autem omnia disjecta & vastata: ac possessiones, annuíque reditus, ne umquam posteà repeti, aut restitui possent, universæ ferè nobilitati dispersi, aut venditi: coactis etiam Catholicorum nonnullis spolia hæc emere, quò vel sic eos ad sceleris sui defensionem obligaret. Hícque fuit finis monasteriorum ac monachorum in Angliâ, post mille propemodùm annos quàm illi Christianam fidem in eam insulam attulerant.

IX. Societatis Iesu institutio, et approbatio verbalis.

Quam cladem reparavit Deus hoc eodē anno, institutione florentissimæ Societatis, quæ terrori esset inferno, consolationi orbi, directioni animis, fulcimento Fidei, firmamento Ecclesiæ. Et qui posset aliter cùm sit Societas Iesu, in quo est omnis plenitudo gratiæ: Panegyrim non agimus. Nota sunt ejus opera, labores, sollicitudines, studia: ex fructibus ejus, juxta magistri verbum, cognoscere licet quantum mundo emolumentum attulerit, in conversione gentium, instructione populorum, extirpatione vitiorum, confusione hæresum. Præsentem autem nonum & trigesimum annū hujus sæculi ei quasi natalem illuxisse, narrat ejus Historiæ accuratus scriptor Nicolaus Orlandinus: cùm, ut describit, postquàm Ignatius ejus auctor ac socij plurima atque præclara pietatis opera Venetiis, Romæ, aliísque Italiæ civitatibus edidissent, & inter se statuissent, ut quem sibi ducem in hominum quærendâ salute, suarúmque actionum omnium delegissent exemplar, quíque Romam eunti Ignatio apparens, eum se in suum patrocinium fidémque recipere, his verbis, *Ego vobis Romæ propitius ero*, testatus esset Chritus Iesus; ejus quoque potissimùm nomen assumerent, ac cœtus instituendus Societas Iesu vocaretur: (quod quidem humilitatis, non arrogantiæ causâ, ut vanè objiciunt hæretici, aliíque ejus osores, à quamplurimis sæpè disputatum, demonstratumque est: & cùm Romanus Pontifex, Concilium generale, universáque Ecclesia eam denominationem approbârit, dementiæ est, non sapientiæ, eâ de re aliquid ulteriùs ambigere:) postquàm igitur Ignatius sociíque ejus Romæ à Paulo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, aliísque cogniti, & per varias criminationes, objectiones, agitationes, tentati, nonnullísque Pontificiis missionibus ad quasdam Italiæ civitates pro diversis negotiis probati fuissent: demùm fuit Societas ab eodem Paulo Pontifice vivæ vocis oraculo 3. Nonas Septembris. Tibure approbata, cùm visâ & accuratè perpensâ instituti illius formulâ, in eâ Spiritum Dei apparere dixisset; símulque addidisset, sese præsagire jam tum animo Societatem ejusmodi afflictis Ecclesiæ rebus non levi præsidio atque ornamento fore.

X. Institutum eius quale.

Fuit autem instituti summa, ut Præpositi Generalis potestas ad vitam ejus duraret: Vt novitij, & qui Societati adnumerari vellent, eorum & spiritualibus exercitiis, & ministerio publici valetudinarij, & pedestris peregrinationis humilitate, accurata fieret ac diligens exploratio: & qui ad solemnem professionem admitterentur, præter tria Religionis vota, quartum adderent nominatim peculiaris erga Pontificem Maximum obedientiæ, ut quocumque eos Christianæ rei causâ, sive ad Fidelium, sive Infidelium terras placuisset mittere, nullo postulato viatico, ac sine ullâ recusatione parerent: voveréntque se insuper novaturos Christianæ Reipublicæ operam in instituendâ Christianis moribus pueritiâ, rudíque plebe: itémque ut studiorum Collegia, qaæ velut seminaria quædam Societatis forēt, annuis cum reditibus liceret admittere: professorum verò domus, quæ proximorum saluti servirent, proventus nullos haberent, nisi in sacrarij impensas: quamquam id quoque, ad omnes cupiditati aditus obstruendos, posteà tollendum visum est. His igitur à Pontifice approbatis ore, cùm etiam eadem publico diplomate consignari Ignatius peteret; prudentissimus Pontifex, ne quid præcipiti consilio statuisse videretur, tribus Cardinalibus negotium examinandum commisit: in quibus Bartholomæus Guidiccionus Lucensis, vir pius, divini atque humani juris peritus, sed novarum Religionum introductioni adeò infensus, ut etiam de omnibus ad certum numerum redigendis commentarium scripserit; quapropter non dubitabat Pontifex, quin si ei Societas ista probaretur, esset pariter ceteris probata. Quod verò fuerit ejus de illâ judicium, dicetur anno sequenti.

XI. Societatis Corporis Christi institutio.

Quod eodem tempore cùm pij quidam viri cives Romani & aulici seu curiales, considerantes sacratissimum Eucharistiæ sacramentum in parochialibus Ecclesiis Vrbis minùs honorificè conservari, & per Vrbem ad infirmos deferri, Societatem utriusque sexûs sub invocatione ejusdem sacratissimi Corporis Christi in ecclesiâ domûs B. Mariæ super Minervam Ordinis FF. Prædicatorum instituissent, cujus socij curarent ut per singulas Vrbis parochiales ecclesias cum honesto decore, & continuo lampadum lumine conservaretur; & cùm ad infirmos deferendum esset, ad sonitum campanæ socij & confratres in unum coëuntes, illud cum facibus accensis comitarentur: Hoc pium institutum Pontifex ad finem præsentis anni, videlicèt pridie Calendas Decembris approbavit [o] & confirmavit; cum Indulgentiarum elargitione tam pro Romanâ ejusmodi societate, quàm etiam pro aliis societatibus & confraternitatibus sub eâdem invocatione sanctissimi corporis Christi ubilibet institutis & instituendis.

[o] *Bullar. to. 1. Paul. III. const. 20.*

XII.

Quæ superiore anno ad Actiacum promontorium gesta fuerant, amissa non semel conferendi cum hoste certaminis occasio, Castrumnovum ab Hispanis occupatum, Auriæ è Corcyrâ discessus, exigui ad tantum bellum administrandum sociorum apparatus, (inquit

[p] Mauroc. lib. 5. in fi. & 6. in pr.

VENETI QUÆRUNT PACEM A SOLIMANO.

auctor [p] Venetus) quo in periculo Respublica Veneta versaretur, indicabant: quæ universum ferè gravissimi belli pondus sustinere cogebatur, cùm in sumptus immensos publicæ ac privatæ opes vix suppeterent. Adeò ut cùm tentato Cæsaris animo, nihil expediti ex ejus responso, quin econtrà ejus consilia in aliud tempus differri animadverteret, atque interim minax Solimanus terrâ maríque fureret, eò deductæ sunt Reipublicæ consultationes, ut potiùs de pace ineundâ quàm de bello inferendo cogitarent. Eóque res processit, ut misso Constantinopolim alio prætextu Laurentio Grito, (frustrà ejus iter impedire conato oratore Cæsaris qui apud Remp. agebat) induciæ primùm in tres menses pactæ fuerint, ac deinde in alios tres prorogatæ; donec designato publico nomine legato ad Solimanum de pace tractaretur: ad quam etiam Pontifex, cùm vires hostium perspiceret, résque fœderis prolabi in dies animadverteret, Rempublicam hortatus est, ne sensim debilitata, gravi aliqua calamitate afficeretur. Ea tamen in sequentem annum dilata est: Castronovo interim à Barbarossâ mense Augusti vi capto, occisis aut captivis factis, & ad triremiū transtra adactis quatuor Hispanorum præsidiariorum millibus; quos irati Numinis meritam ultionem sensisse creditum est, quòd ex iis essent qui Vrbem Romam fœdè & impiè diripuerant, & per multos annos in Italia dimicando innoxios populos afflixerant.

XIII. MATTH. BEMBI VIRTUS.

Cùm verò post hæc Barbarossa Catarum item Dalmatiæ Venetorum oppidum oppugnare tentâsset, cui Ioannes Matthæus Bembus dux strenuus præerat; loci tamen munitiones contemplatus, & impavidum præfecti animum, ac propugnatorum constantiam animadvertens, monitúsque à Bembo ne inducias interrumperet, demùm nonnullis etiam muneribus acceptis, oppugnationem relinquere statuit. De quibus præter illa quæ habent historici, reperiuntur inter Epistolas [q] Principum aliquot breviores à Barbarossâ feroci barbarie, & à Bembo placidâ generositate, ultrò citróque scriptæ; aliæque prolixiores ejusdem Bembi ad suam Remp. & ad Cardinalem Bembum patruum suum de rerum statu, quibus quæ circa Catarum tunc gesta sunt pluribus percipere liceat: silentibus Turcorum Annalibus, quoniam nihil tunc ibi gestum est; sed tamen alias expilationes nonnullarum insularum à Barbarossâ factas recensentibus: simul & ingens Constantinopoli excitatum incendium, quo magna pars urbis biduo conflagravit; ac gravissimam superadditam divinitùs pestilentiam describentibus. De ejusdem verò Ioan. Matthæi egregiis virtutibus, & prudentiâ summâ cum magnitudine animi & fortitudine in rebus gerendis conjunctâ, est prolixa epistola Hieronymi Fracastori medici ad prædictum Cardinalem Bembum ipsius patruum post aliquot annos scripta.

[q] Epist. Princip. to. 3.

XIV. GANDAVENSIUM TUMULTUS IN CÆSAREM.

Cùm inter hæc contigisset, ut Gandavenses, amplissima Flandriæ civitas, ortu etiam Caroli Imp. nobilis, ob nova quædam tributa eis imposita tumultus excitarent, & ministros Caroli jugularent; miserunt etiam clàm ad Franciscum Galliæ Regem, tamquam ad supremum patronum, offerentes, si auxilio esse vellet, cum præcipuis aliis Flandriæ urbibus ei sese dedituros, uti veteres regni clientes. Rex, qui fidem frangere non didicerat, non solùm supplices in fidem recipere noluit, ne à pactis nuper induciis discedere videretur, verùm etiam clandestinam Gandavensium legationem Carolo patefecit. Quod sanè mirum cuipiam videri possit; ut qui nuper solemni judicio, sicut vidimus [r], Flandriam, aliósque Belgicos fundos clientelares regni, sibi adjudicari quæsîsset, jam spontè sibi oblatos repudiaverit, sed eâ fide Rex erat, ut stantibus induciis nec si universum Imperium sibi oblatum fuisset, accipere consensisset umquam, etiamsi deceptus non semel ab aliis fuisset cum gravi suo incommodo. Carolus autem commotione Gandavensi valdè perplexus, cùm hunc tumultum per alios satis commodè coërceri non posse existimans, ipse se eò transferre cuperet, quòd in Belgio consisteret præcipua ejus potentia, & ne mari se committeret, vetabant procellarum pericula, quibus vel in Angliam sibi adversam, vel in Flandriæ portus rebelles propelli poterat; si verò in Insubriam navigaret, ut inde per Germaniam in Belgium transiret; præter itineris longitudinem, parùm fidebat Protestantibus, qui non levi nuper suspicione ex ejus responso affecti arma ad sui defensionem parabant: Vt hæc omnia vitaret, expeditiorem tutiorémque viam amplexus, cùm naturam & indolem Francisci Regis vanam atque ambitiosam, simúlque deceptu facilem esse probè sciret; ejus fidei se credere decernens; legatos ad eum Compendij ægrotantem misit, qui multis pollicitationibus, ac præsertim principatûs Mediolanensis beneficiariæ traditionis seu investituræ, cujus Rex insano desiderio tenebatur, liberum per Galliam transitum postularent. Quibus Rex, Cæsaris animum ex suo metiens, cùm nequaquàm sibi persuadere posset tantum Principem verba sibi dare velle, facilè annuens; post plures hinc inde itus & reditus, Cæsari quamcumque petiit securitatem concessit: misítque ad eum in ipso regni ingressu recipiendum filios suos Henricum Delphinum & Carolum Aurelianum, Baionam unà cum Annæo Monmorantio Connettabili; qui eum cum honore deducerent usque ad locum ubi Rex ei occurrere per morbum permitteretur: rogante interim cautè Cæsare, ne cogeretur quod promiserat in scriptum referre, ne necessitate adactus potiùs quàm spontè in id consensisse videretur: haberet dumtaxat Rex fidem suis verbis; quæ ubi primùm in Belgium pervenisset, absque ullâ morâ adimpleturus esset. Ita enim rem narrat Bellaius [s]. Habent præterea alij [t], Cæsarem primò per oratorem regium qui apud se erat, consuluisse Monmorantium, qui multùm apud Regem poterat, ecquid placeret Regi si per Galliam Gandavum peteret? Re apud Regem in consultationem delatâ, Monmorantium suasisse ut transitus simpliciter concederetur; ac Cæsarem promissa præstaturum Regi suscepisse: Cardinalem verò Turnonium contrariâ sententiâ censuisse, non aliter concedendum, quàm si quod promittebat scripto firmâsset:

[r] Supr. an. 1537. III.

CÆSAR PETIT A REGE TRANSITUM PER REGNUM.

[s] Bellai. lib. 8. & 9.
[t] Belcar. lib. 22. Ferron. in Franc. I. Bellefor. lib. 6. cap. 54.

vicisse tamen consilium Monmorantij, quòd Regis genio facili & aperto conformius esset Regem igitur oràsse Cæsarem ne aliam viam quæreret; liberósque misisse, ut etiam si vellet obsides in Hispaniâ permanerent.

XV. Astutia Cæsaris in hoc commercio.

Tradunt etiam, Cæsarem, ut erat astutissimo ingenio, transitum eo quoque consilio petiisse, quò eâ re arctiorem inter & se & Regem amicitiam coiisse, ab omnibus creditum iri sciret; Gandavensésque spe auxilij è Galliâ destitutos faciliùs ad officium redituros. Quid plura: postulavit quoque Cæsar à Pyrenæis digressus, (inquit Iovius [u]) ut legati communi utriusque Regis consilio ad Venetos mitterentur, qui nunciarent detersa animis odia, amicitiámque subinde sincerâ fide renovatam, eâ mente ut præclaro fœdere icto in Solimanum arma verterentur. Ita ille; sed non aperto vero Cæsaris in his consilio, quod Bellaius omnium conscius detegit: nempe, quòd animadverteret, pacem, quam Veneti decepti fœdere cum ipso contracto cum Solimano tractabant, valdè incommodaturam rebus ipsius; legationem illam ad Venetos excogitàsse, ut non solùm illos ad continuandum bellum induceret, sícque eorum periculo invasiones Turcorum ab Hungariâ & Germaniâ averteret; verùm & Solimanum, qui amicitiam Regis quæsierat, adversus Regem animaret; ipsúmque etiam Regem Angliæ, aliósque omnes Regis fœderatos & amicos, vel penitùs ab eo averteret, vel saltem in suspicionem contra eum induceret, cùm viderent eum cum ipso Cæsare tantâ fraternitatis colligatione conjunctum: sicuti & de multis contigisse scribit. Quot & quanta vaframenta eo ipso tempore, quo maximè Regis ope indigebat; eâmque prensabat! quid putandum, cùm aperto odio & exertis armis eum persequebatur? At cautiores & prudentiores Veneti, quamvis accedentes ad illos eo nomine Marchionem Vastium Cæsaris in Italiâ ducem summum, & Marescallum Franciæ Hannebaldum Regis in subalpinâ Galliâ legatum, tantos viros à tantis Principibus missos, honorificentissimè, ipso Duce Petro Lando cum Senatorum copiâ, bucentauro vecto cum multis splendidè ornatis triremibus obviam eis procedente, admirabili pompâ ineunte Decembri susceperint, ac publico ære quamdiù in urbe mansêre magnificè aluerint; nihilominùs quâ sunt sapientiâ & sagacitate in rebus suis considerandis, obscura Cæsaris consilia suspectantes, quem præalto avidóque ingenio, licèt in omnem modestiæ simulationem probè composito, totius Italiæ & denique Europæ omnis imperium affectare, adeóque ipsos Venetos, qui uni in Italiâ obstarent, & vigilanter libertatem suam tuerentur, ita hoc bello Turcico attritos vellet ut opportuni injuriæ redderentur, perspicuè nóssent; (sic enim Iovius rem depingit) quod legationis causam attinet, post multas inter ipsosmet Venetos consultationes ac concertationes; cùm nihil certi in Regum conventionibus de principatu Mediolanensi; de quo præcipuè agebatur, cernerent, ac propterea amicitiam eorum brevi nutaturam, rémque Turcicam sibi cum solo Cæsare quem in eâ parùm fidum experti fuissent, futuram: decreverunt tandem prævisio rerum periculo, ut pax cum Solimano quibuslibet conditionibus constitueretur: missis ad singulos eosdem Reges legatis, per quos Reipublicæ discrimen exponerent, si cum Solimano diù sola bellum gereret; significarentque; nisi in Turcos arma uterque maturè indueret ad Venetam & Christianam rem terrâ maríque sublevandam, potentissimi hostis armis cedere necesse esse. Hæc ibi tunc gesta: quorum pleniorem narrationem, multásquè iis in non indignas consideratione circumstantias, apud eumdem Iovium [x], auctorésque [y] Venetos, Belcarium [z], & alios videre est. Pax verò, duris licèt valdè conditionibus, quibus Nauplio atque Epidauro urbibus Peloponnesi Solimano cedere, ac trecenta aureorum millia solvere compulsi sunt, per Aloysium Baduarium conclusa est Constantinopoli anni sequentis mense Maij.

Venetorum sagacitas.

[u] Iov. lib. 39.

[x] Iov. d. l. 39.
[y] Iustin. lib. 3. Mauroc. lib. 6.
[z] Belcar. lib. 22.

XVI. Cæsar magnificentissime excipitur in Gallia.

Intereà dum Carolus sic callidè cum Rege ageret, Rex illum omni officio colere solicitus, cùm ad principium Decembris Baionam pervenisset, non magno comitatu aut cultu, quippe qui adhuc veste lugubri ob mortem conjugis uteretur; tam ibi, quàm Burdegalæ, Pictavij, aliísque urbibus ac locis quacumque iter fuit, honorificentissimè, & summâ liberalitate, ac pretiosis muneribus, eâdémque planè, ac siquid addi potuit magnificentiori pompâ, quâ Reges ipsi consueverunt, deducentibus cum regiis liberis, excipi curavit, adeò ut carceres omnes atque reorum ergastula in signum lætitiæ & honoris aperirentur, datâ cunctis delictorum veniâ. Rex ipse, qui tum Lochiis in Biturigibus erat, nondum satis è valetudine confirmatus, factus ei obviam ad Castrumeraldi in Pictonibus, nullo non benevolentiæ & cultûs genere eum suscepit: progresśique unà Lutetiam, Calendis Ianvarij Cæsar medius inter regios liberos, præeunte universo clero, Vniversitate, urbis præfecto, Senatu, Cancellario cum sigillo regio, ceterísque ministris Coronæ, & gladium prægestante Connestabili, ceterísque omnibus adamussim servatis, quæ in solemnissimis Regum ingressibus observari consueuerunt, urbem ingressus est; iisdémque juribus uti permissus, quibus in aliis civitatibus. Cujus rei gestæ extat [a] accurata relatio, tunc per duos Regis feciales sive heraldos scripta. Ex quâ etiam constat, interfuisse eidem solemnitati Cardinales Borbonium, Turnonium, Givrium, Gaddum, Lenoncortium, Matisconensem, & Castilionium: Cardinalem autem Bellaium Episcopum Parisiensem, unà cum Alexandro Cardinale Farnesio Legato Apostolico, Cæsarem apud ecclesiam cathedralem Beatissimæ Virginis, quò ipse ad preces de more ejusmodi solemnium ad Deum ante omnia fundendas deductus est, expectàsse: ac demùm Cæsarem ad Palatium, ubi Rex unà cum Rege Navarræ, Cardinale Lotaringio, multísque Principibus illum præstolabatur, pervenisse, & ad convivium acceptum esse; quo post Cæsarem eodem ordine longissimâ mensâ sederunt Rex Franciscus, duo ipsius filij Legatus, Rex Navarræ, Cardinales Borbonij & Lotaringiæ, Duces Vin-

[a] In Ceremonial. Franc. Theod. Godofr. edit. 1629.

docinensis, Lotaringiæ, aliíque Principes. Cùm enim audisset Pontifex hanc congressionem futuram, legaverat eò prædictum Alexandrum Cardinalem, suum ex filio Petro-Luisio olim furtim suscepto, posteáque Parmæ & Placentiæ Duce nepotem, S. Laurentij in Damaso Diaconum Cardinalem, & S.R.E. Vicecancellarium; magnis rebus gestis deinceps orbi notissimum; adolescentem tunc præclaræ indolis, novemdecim dumtaxat annos natum; ut utrique Regi Pontificis nomine congratularetur. Quæ verò prætereà ad hanc rem pertinent, dicentur anno sequenti.

XVII. Præsenti autem tradunt [b], eumdem Regem Franciscum edixisse ne decreta deinceps Latinè, ut anteà, sed Gallicè fierent.

[b] Genebr. lib. 4. & alij.

XVIII. Est verò insuper epistola [c] Cardinalis Sadoleti, (qui ut lucidissima lampas hoc tempore Italiam Galliámque illuminabat) præsenti anno ad prædictum Alexandrum Cardinalem Farnesium scripta contra Iudæos, ex urbe Carpentoracte ditionis Avenionensis, cujus erat Episcopus; quâ liberè improperat, non posse videri Pontificem amore religionis in suis provinciis Lutheranos persequi, qui in iisdem provinciis tantoperè sustineret Iudæos; immò verò augeret, condecoraret, honestaret: Nullos enim umquam ullo à Pontifice Christianos tot gratiis, privilegiis, concessionibus donatos esse, quod per eos annos Paulo Tertio Pontifice honoribus, prærogativis, beneficiis, non aucti solùm, sed armati essent Iudæi: Ac ceteris quidem fidelibus, & optimè meritis, nova juris beneficia, ad propulsandam, si qua illata sit, injuriam concedi; Iudæis solùm ad inferendam: Iudæos opibus refertos, fautoribus insolentes, inter eas plebes, tamquam inter pecudes lupos grassari: oppida jamdudùm pleráque vastata esse, familias plurimas exturbatas laribus suis & extorres factas, dispersas inter finitimas nationes, queri horum conditionem temporum, & miseras fortunas suas; cùm tamen quotidie Iudæi ex Vrbe à præfectis ærarij nova privilegia deferrent: Nec esse quicquam jam sanctius, & ad reconciliandam ecclesiasticam dignitatem, quæ propè omnis jampridem amissa esset, utilius, quàm fovere Iudæos; quibus (quod omnibus sæculis inauditum erat) licitum esset solis tantâ frui apud Magistratus auctoritate & gratiâ, ut ad impetrandum omnia quæ poscerent, eorum accusatio audiretur sine reo, causa cognosceretur sine teste, sententia ferretur sine judicio. Hæc & alia plura ejusmodi, pius Cardinalis eâ epistolâ, aliisque plurimis ad eumdem Farnesium aliósque scriptis contra perfidam ac rapacem gentem: cujus tamen patrocinium, non Pontifici, sed iis tribuit, qui ad suum ex Iudæis quæstum, Pontificis nomine abuterentur. Et fuisse magnâ parte exauditum, repressósque Iudæos, ex subsequente ad Farnesium epistolâ intelligitur. Qui etiam orationem in eos pro Christianis composuit, & eam quidem omnium quæ ab eo scriptæ sunt disertissimam.

[c] Sadol. 12. ep. 5.

SADOLETI EXPOSTULATIO DE IUDÆIS.

IESU CHRISTI Annus 1540.
PAULI III. Annus 6.
CAROLI V. An. 22.

I. ANNO Christi millesimo quingentesimo quadragesimo, Indictione decimatertiâ, ingressus Carolus Cæsar ipsis Calendis Ianvarij, ut in fine anni superioris vidimus, Lutetiam; ibi nullo non festæ lætitiæ aut honoris genere, quo mens hominis capi possit, habitus, septem dies commoratus est: & ad sextum Idus iter Belgicum resumpsit, comitantibus semper eum filiis Regis Valencianas usque Hannoniæ oppidum ditionis Cæsaris, unde ad patrem redierunt. Nec ullo modo audiendus insipidus quidam Belgicus [a] Chronologus, dum scribit, Cæsarem, pasquillis quibusdam totam per urbem Lutetiam disseminatis, præsentissimum suî periculum cùm vitâsset, pernicissimo cursu primùm Cameracum, hinc Gandavum concessisse. Insulsiora namque sunt ista, quàm ut ab homine mente sobrio proferantur. At sic lubet plerisque Belgis, cùm de Francis agitur, fatuari & ineptire; qualia permulta apud Meyerum, Massæum, & alios ejus generis homines reperire liceat.

CÆSAR RECEDIT E GALLIA.

[a] Locri. hoc an.

II. Cùm Valencianas Cæsar pervenisset, legati regij de promissis adimplendis monuerunt: sed eos ille semel in adventum Ferdinandi fratris, qui proximè expectabatur, deinde quousque rebus Gandavensibus providisset, remisit. Quem quidem existimat Bellaius, si Gandavensium domatio adeò difficilis extitisset, ut Regis opem implorare necesse habuisset, promissa executurum fuisse, quamvis non exequi deliberatum haberet: verùm cùm à Rege derelicti, Cæsaris potentiæ impares existentes, ejus se voluntati permisissent; ipséque supplicium de seditionis auctoribus sumpsisset, & pœnam quam voluit ceteris imposuisset; his ex animi sui sententiâ confectis, cùm à Georgio de Selvâ Episcopo Vaurensi, qui Regis nomine oratorem apud eum agebat, denuò de promissis compellatus, fictionem omnem deponens, absolutè negavit se aliquid promisisse; quamvis & ipsi Georgio in Hispaniâ antequàm se itineri committeret, & intra Galliam Connestabili Monmorantio promissa verbis confirmâsset; quibus fretus Monmorãtius Cæsarem promissa repræsentaturum recepisset. Ita Bellaius, Belcarius, ac ceteri Galli: nec alios invenimus, qui contrarium dicant: Nisi quòd Iovius, hæc postmodùm Cæsarem, aliis Regi factis inanioribus propositionibus de erigendo Belgio in regnum, tradendóque unà cum filiâ suâ Carolo Regis filio, eludere voluisse scribit: ita erat figmentorum fecundus. Nam & Hadrianius [b] Italus de his agens, disertè ait visum hoc magis fuisse astuti hominis facinus, quàm humani principis. Ite igitur, & fidite jam verbis Principes, quæ adeò facili inficiatione deludi possunt. Hiccine locus erit profanæ illi sententiæ. Fides an virtus, quis in hoste requirat? In hoste sanè aperto; sed an etiam in amico subdolo? cujus insuper operâ factum sit, ut [c] omnibus Regis fœderatis persuasum

DOLUS CÆSARIS ERGA REGEM.

[b] Hadr. lib. 1.

[c] Iov. lib. 39.

fuerit, ipsum cum illo in eorum præjudicium transegisse. Apage hos agendi modos à generosis Principibus. Generosiorem tamen omninò censum iri existimamus decepti fidem, qui hospiti, quem sibi omni officio colendum proposuerat, ne justâ quidem petitione molestus esse voluerit; quàm decipientis, qui omni postpositâ honesti ratione, non aliud corde & animo quam fallendi propositum gesserit. Rex autem, ubi sic se delusum vidit, imprimis Monmorantium, anteà sibi percarum, à se & ab omni regni administratione penitus removit; nec quamdiù vixit, semel expulsum in gratiam recepit: deinde intentum ad pacem animum, ad belli cogitationes justâ indignatione transtulit. Qui tamen non injustè, quamquam ab injusto, hæc passus existimatur; ut qui non ita pridem Turcos in perniciem Italiæ, contra Regis Christianissimi officium, concitaverat; meritò jam ab eo in cujus damnum id peregerat deluderetur; ut disceret jura sua non per Religionis detrimentum, sed aliis modis legitimis, quibus divinum Numen propitium habere posset, quærere.

III. Protestantiū legatio ad Cæsarem.

Ad Cæsarē, ubi in Belgium appulit, primùm Rex Ferdinandus ipsius frater accessit, deinde & Protestātium legati: qui prosperum in Germaniam reditum gratulati, de criminationibus pertinaciæ & inquietudinis sibi impositis sese excusare lategerunt, & in adversarios, nempè Catholicos, eas transferre. Eodémque tempore, quòd sibi à Cæsare timerent, non parùm blandas ad Regem Galliæ scripsère literas, ut siquid à Cæsare durius expectandum esset, haberent potissimum Regem sibi amicum. Ad Calendas autem Martias, ut fuerat anno superiori constitutum, Smalcaldiam convenientes, vocatis etiam Melancthone, Bucero, & aliis nonnullis eorum doctoribus, injunxerunt eis formulam conscribere, quâ putarent cum Catholicis agendum esse de conciliatione doctrinæ. A quibus decretum est, non esse discedendum à vestigiis Augustanæ Confessionis, & ei adjunctæ post Apologiæ: ac nihilominùs instantibus legatis Cæsaris, ut disertè exponerent, quid largiri aut defendere ad extremum vellent; scripta est iis deliberatio, quæ titulo *Articulorum Smalcaldiorum anni* 1540. edita est.

Articuli Smalcaldici.

Adfuerunt etiam legati, quos in Angliam miserant; referentes Regem illum, quòd non probaret conjugium sacerdotum, communionem sub utrâque specie, & Missæ privatæ abrogationem, petere ut de his aliísque rebus necessariis ad se copiosè scriberent, suæque sententiæ causas adducerent: séque curaturum invicem ut sui regni viri docti rescriberent: si aliqua fieri posset doctrinæ conciliatio; magnam vim pecuniarum collaturum in fœdus, quod cum ipsis facere cogitaret. Post longam verò rursùm excusationem rerum suarum, ex eodem conventu Smalcaldico à Protestantibus ad Nicolaum Perenottum Granvellanum Cæsaris præcipuum Consiliarium missam, quâ contra quod & verbis & factis apertè demonstrabant, persuadere conati sunt, se potiùs rationem habere pietatis & religionis, quàm bonorum temporalium, & pacis quàm turbarum esse cupidos; finis ei conventui impositus est Idibus Aprilis. De quo prolixa est apud Sleidanum [d] narratio brevior apud Surium [e].

[d] Sleid. lib. 12. in fin. & 13. in pr.
[e] Sur. in commentar.

IV. Legatus Pontif. agit contra illos.

His verò quæ sic inter Cæsarem & Protestantes de religione & concordiâ tractabantur, auditis ab Alexandro Farnesio Legato, qui cum Cæsare in Belgium profectus fuerat, (cui adhuc adolescenti aderant viri rerum periti, ac potissimùm *Marcellus Cervinus* Episcopus Neocastrensis, insigni prudentiâ & dexteritate vir) is ejusmodi deliberationibus se fortiter opponens, eas interrumpere conatus est; quòd videlicèt impossibile esset aliquam de religione concordiam inire cum hominibus qui quotidie eam mutarent, neque inter se consentirent: Non posse id sine auctoritate Sedis Apostolicæ fieri; neque item sine aliarum nationum consensu, absque quo periculum esset ne Germania tota, etiamsi in unam sententiam coïret, à reliquo Ecclesiæ Catholicæ corpore divelleretur: Longè ergo consultius esse Concilium celebrari, quod hoc ipso anno inchoari posset, cujus soliùs auctoritate controversiæ omnes ritè decidi valerent ac deberent: atque interim de fœdere Catholico augendo, déque firmâ pace cùm Rege Galliæ faciendâ esse cogitandum: & alia plura, quæ in eumdem sensum Legatus facundè & sapienter exposuit. Quorum tamen nullâ habitâ ratione, Cæsar unà cum fratre Ferdinando post multam deliberationem statuit, viam concordiæ tentandam denuò, & conventum ad id Spiræ, vel alio loco à Ferdinando, qui ei interesse deberet, Cæsare aliis occupato, eligendo, (qui fuit Haganoa) celebrandum mense Iunij. Quod cum clam Legato decretum esset, confestim ipse Belgio discessit; relicto tamen apud Cæsarem prædicto Marcello; cui Paulus Pontifex eâ legatione occupato insignia & dignitatem Cardinalatûs transmiserat: fuítque posteà Marcellus Papa II.

[f] Iovi. ibid.

V.

Conventu autem illo Haganoensi nihil peragi potuit; eò quod Protestantes noluerunt ratam habere conciliationem quorumdam articulorum, qui olim Augustæ à septem ex utrâque parte collocutoribus concordati fuerant, (adeo verum erat quod Legatus objecerat) quotidie eos sua dogmata mutare, nec ullis umquam staturos & quod allato interim ad Ferdinandum nuncio de morte Ioannis Hungariæ Regis, ipso diligenter in Austriam properante, inchoatæ deliberationes abruptæ fuère; & decretum est colloquium Wormatiæ habendum. In quo nihilominus, quamvis duobus ferè mensibus duraverit, à 25. Novembris usque ad 18. Ianvarij, atque interfuerit etiam missus à Pontifice (qui consultius duxit aliquem eò dirigere, qui provideret nequid gravius in eo perperàm ageretur, quàm si se invito convenirent) Thomas Campegius Episcopus Feltrensis, à Cæsare Granvellanus, & a Rege Galliæ Petrus-Paulus Vergerius Episcopus Iustinopolitanus, nihil prætereà actum est, quàm quòd iidem missi oratores de pace & concordiâ, déque necessitate Concilij Doctor Catholicus Ioannes Eckius cum Philippo Melancthone Lutherano disceptationem aliquam de Peccato Originali habuerunt. Revocatus enim à Cæsare ad alia Granvellanus, colloquium abrupit, & reliquam actionem omnem ad Comitia Imperij Ratisbonæ paulò pòst celebranda rejecit. Quæ verò in hoc Colloquio Wormatiensi facta & disputata sunt, Melan-

Colloquium Wormatiense.

ff Sleid. lib. 3. g Cochlæ. in Act. Luther.

ϲthon & Bucerus in publicum evulgârunt: ex quibus Sleidanus [ff] quæ de iis habet consuit. Meminítque Cochlæus [g], qui tam ei interfuit, quàm prædicto Conventui Haganoensi. Idémque partem refert edicti, quod interim in Belgio Cæsar promulgavit contra libros Lutheri, Zuinglij, Wicklefti, Hussi, aliorúmque quorumcumque hæreticorum, quorum lectionem, venditionem, detentionem, prædicationem, defensionem, prohibuit sub pœnâ gladij & ignis. Sicuti & in Galliâ Rex Franciscus Calendis Iunij severissimum proposuit edictum contra disseminatores hæresis, & falsæ doctrinæ Lutheri ac sociorum ejus: quod extat inter Constitutiones Regias datum apud Fontembliaudi, seu Bellæ aquæ.

LIBRI HÆRETICORUM PROHIBITI.

VI. REX ANGLIÆ NOVAM DUCIT UXOREM.

In Angliâ Rex Henricus mense Ianuario novam uxorem duxit Annam Guillelmi Cliviæ Ducis sororem; eleganti quidem formâ virginem, sed hęresi Lutheranâ infectam. Quæ nuptiæ cùm earum cōciliatori Thomæ Cromvelo non mediocrem felicitatem attulissent, quos Essexiæ Comes & magnus regni Camerarius à Rege creatus est: magnúmque viderentur allaturæ rebus Protestantium incrementum; ipsíque etiam Guillelmo ejus fratri præsens patrocinium ad retinendam Geldriam, cujus possessionem sine auctoritate Cæsaris adierat: hæc nihilominùs inania Deo exsufflante, in contrarium singulis cesserunt; ut de ceteris posteà videbitur; hoc verò ipso anno de Cromvelo patuit. Qui cùm egestati Regis provisurus, in publicis regni comitiis extorsisset ab ordinibus, ut æstimatis omnium bonis decima una & quatuor quindecimæ Regi decernerentur; (rex planè inaudita; ut qui centum aureis exempli gratia æstimaretur, quadraginta regio fisco penderet: & hoc, quod mirabilius, eodem ipso nondum transacto anno, quo Rex omnia bona monasteriorum occupaverat: annon hoc manifestum planè cælestis maledictionis indicium, ut quò Rex plus raperet, eò plus indigeret?) & ut Ordo Militum Hospitalariorum, quos S. Ioannis, seu Melitenses vocant, qui solus reliquus erat in universâ Angliâ, aboleretur, omnibus eorum proventibus in fiscum pariter redactis: Richardū quoque Samsonem Episcopum Cicestrensem Doctorem Vilsonum virum primarium, & Richardum Farmerum ditissimum civem Londinensem, in carcerem conjecisset, ultimo etiam bonis exuto; eâ solâ de causâ quòd nonnullos pauperes Catholicos, in custodiâ propter negatum ecclesiasticum Regis primatum detentos, eleemosynis juvissent: Ioannem Nevellum equitem auratum ob fidem Catholicam gladio feriendum tradidisset: denique ne ullus ejus aduncos ungues vitare posset, Regi auctor fuisset legis ferendæ, ut siquis imposterùm etiam absens atque indictâ causâ læsæ majestatis damnaretur, non minùs ritè damnatus haberetur, quàm si per duodecim-virale judicium, quod in Angliâ solemne imprimis habetur, condemnatus fuisset: Hæc igitur omnia cùm hoc anno Cromvelius post Annæ Clivensis nuptias scelerate perpetrasset; justo Dei judicio contigit, ut in hanc ultimam suam legem primus omnium incurrerit.

CROMVELI RAPINÆ, ET SÆVITIA.

VII. CROMVELI SUPPLICIUM.

Cùm videlicèt Rex Annæ tædio affici incipiens, (sive quòd Lutherana esset, & Rex ab iis alienior jam esset, eò quòd in nupero conventu Smalcaldico noluissent ipsius religionis reformationem approbare; sive quòd Carolus Cæsar Ducem Clivensem Annæ fratrem recusâsset in amicitiam recipere, nisi dimissâ Geldriâ, cuperétque Henricus Carolo reconciliari; seu denique quòd cùm Anna Germana esset, nec Anglicanam linguam aut consuetudinem nosceret, non posset Henrici animum oblectare, aut blanditiis demulcere:) statuisset eam dimittere: Cromvelum priùs harum nuptiarum conciliatorem, de medio auferre decrevit. Adeò ut invento aliquo crimine, quod ea impingeretur, in carcerem ductus, paucísq; pòst diebus de hæresi, perduellione, capitali fraude, & peculatu, absens atque indictâ causâ damnatus, securi publicè percussus fuerit, bonis ejus sub hastâ venditis. Ita enim rem gestā narrat Sanderus [h]: cùm Sleidanus [i] culpam necis Cromveli in Catharinam HaWardam, quam Rex adamare cœperat, rejicere velit, quasi Regi auctrix fuerit tollendi ejus de medio, quem in gratiam Annæ suis rebus obstare judicaret. Quæcumque verò causa fuerit, luit certè tandem pœnas sævissimus prædo, quamvis demeritis longè mitiores, de Roffensis, Mori, aliorúmque plurimorum martyrum, iniquissimè effuso sanguine, ab eo ipso in cujus gratiam hæc & tot alia nefandissima scelera perpetrâsset. Cui congruenter aptari possit Regis Prophetæ sententia [k], *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani; & transivi, & ecce non erat; & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.*

h Sand. de Schism. lib. 1. i Sleid. lib. 13.

k Psal. 36.

VIII. REX HENR. UXOREM REPUDIAT, ET ALIAM DUCIT.

Eo occiso Rex evestigiò Annæ significavit, non expedire multis de causis ut diutiùs matrimonio conjungerentur, & maximè quòd hæresi depravatam sciret: ne autem Rex suo jure in eam ageret, excogitaret ipsamet potiùs causam, propter quam à conjugio honestè separaretur. Quæ minimè ignorans quantū esset periculi in cōtradictione, ultrò fassa est, se ante nuptias Henrici cum alio quodam clanculùm contraxisse: quamquam id falsum esse, ipsa posteà Reginæ Mariæ contestata sit. Auditâ porrò ejus confessione, Comitiorū auctoritate divortium interpositum est, quàm tamen Rex noluit ad fratrem remittere, sed attributâ honestâ pensione annuâ in Angliâ remanere. Idémque octavo post die prædictam Catharinam HaWardam, Thomæ Ducis Norfolciæ ex fratre, neptem elegantissimam fœminam, religione Catholicam, atque Annæ Bolenæ consanguineam, in quintam uxorem duxit. In quo quidem & illud accidit, ut cùm olim Henricus legem de matrimoniis tulisset, quâ decreverat ut siquæ personæ in Levitico non prohibitæ (ad illud enim dumtaxat præscriptum personarum gradus retulerat) solo consensu per verba de præsenti matrimonium non secutâ carnali copulâ contraxissent, eæque posteà, vel earum altera, nuptiis cum aliâ personâ contractis, carnali copulâ eas consummâssent, hæ posteriores, non priores ratæ haberentur: nihilominùs ipse contra suam regulam, uxorem Annam, cujus nuptias non solùm consensu, sed septem etiam mensium copulâ firmauerat, eo solùm prætextu rejecit quòd alteri consensum anteà præbuisse diceretur; eâque vivente alteram superinduxit.

LEX EIUS DE MATRIMONIIS.

IX. EJUSDEM CRUDELITAS.

Illud denique varius admodùm Princeps hoc eodem anno ad finem Iulij præstitit, ut tres Theologos Doctores Catholicos, Thomam Abelum, Eduardum Provellum, & Richardum Fetherstonum, eò quòd Catharinæ Hispanæ causam olim defendissent, & nunc Regis primatum non agnoscerent; ac totidem hæreticos Zuinglianos perditos presbyteros, ob hæresim extremo supplicio damnatos, binos & binos vimineis cratibus innexos sicut singuli Catholici cum singulis hæreticis jungerentur, (quod Dei servis morte ipsâ gravius extitit) per plateas ad locum supplicij trahi jusserit. Principio autem Augusti nonnulli alij monachi & laici, quòd nollent primatum agnoscere æquè morti addicti sunt. Inter illos verò tres hæreticos *Robertus Barns* fuit: qui olim profugus ex Angliâ in Germaniam ob hæresim, cum audisset Regem adeò nefanda in Catholicos perpetrare, existimans se apud eum gratiam inventurum, in Angliam revertit, & quòd hæresim verbis ac scriptis doceret, captus & supplicio affectus est. Scripsit inter alia brevi compendio Vitas Romanorum Pontificum usque ad obitum Alexandri Tertij, & quæ iis cum Imperatoribus negotia fuerint attingit; haud tantâ acerbitate, (quamquam nec illâ careat) quantâ virulentissimus *Baleus*, qui ejus cum grandi laude meminit, & alia ejusdem scripta refert in suo Catalogo auctorum Britannicorum: cui adstipulatur Sleidanus.

ROBERTI BARNS SUPPLICIUM.

X. GUILL. BUDÆI OBITUS.

Longè meliori fato ex hâc vitâ exiit hoc eodem anno, vigesimo Augusti, Parisiis ex febri anno ætatis 73. *Guillelmus Budæus* Parisiensis, olim ab umbrâ & pulvere literario, in quibus delitescebat, ad honores & splendorem aulæ evectus, & Magister libellorum supplicum Regis factus: (quod in primis tunc aulæ officiis computatum, posteà numerositate exercentium, ut & in cæteris usu venit, propemodùm viluit:) de cujus in procurandâ, unà cum Cardinale Bellaio Episcopo Parisiensi, Linguarum & Artium professoribus in Academiâ Parisiensi honestâ mercede, ingenti literarum bono, curâ diximus [l] alias: summæ vir eruditionis, optimus historicus, poëta, philosophus, orator, jurisconsultus, & quicquid dici potest ampliùs de viro in omni scientiarum ac disciplinarum genere consummatissimo, & Græco ac Latino sermone cum veteribus quibusque conferendo: ut ex multiplicibus ejus scriptis apprimè intelligi datur, quorum præstantiâ, absque ullâ cujuscumque nationis invidiâ, omnium consensu, totius Europæ longè doctissimus habitus est: adeò ut Erasmus portentum Galliæ appellare non dubitaverit. In cujus laudem est etiam egregium Iovij elogium, visunturque præclara doctorum aliorum virorum epigrammata. Quòd autem testamento suo cavit, ut sine pompâ, & noctu, ac cum paucis cereis sepeliretur; modestiæ causâ id fecit, exemplo multorum antiquorum sanctorum; ad evitanda (ut ipsemet eodem testamento interpretatur) multa incommoda, quæ publica illa & indictiva funera secum frequenter, atque etiam nonnumquam cum aliquo scandalo, ac præcipuè in amplis civitatibus, vehere consueverunt: cùm alioqui & aliquot cereos deferri voluerit, & pro celebrando obitu, campanisque pulsandis, pecuniam legaverit, & intra Ecclesiam sancti Nicolai de Campis, in cujus parœciâ degebat, sepeliri decreverit, unde intelligas eum verè pium atque Catholicum, nullâ hæresis labe suspectum decessisse; quamvis filius ejus & alij ex familiâ eâ conspurcati fuerint.

[l] Supr. an. 1531. IV.

XI. IOANNIS HUNGARIÆ REGIS OBITUS.

Hoc item eodem anno, duodecimo Calendas Augusti, mortuus est ex morbo *Ioannes* Vaivoda, Rex Hungariæ dictus, cujus præcipuam partem occupabat, ætatis anno quinquagesimo-tertio absoluto; sepultúsque est grandi pompâ apud Albam regalem in regum monumentis: relicto filiolo recens nato ex conjuge Isabellâ filiâ Sigismundi Poloniæ Regis, sub tutelâ Georgij Episcopi Varadiensis, Monachi cognominati, & Petri Vichij seu Petrovitij sanguine ipsi Ioanni conjuncti: qui mox illum coronandum curârunt sacrâ coronâ regiâ Hungaris fatali: cui *Ioannes-Sigismundi* nomen, sic volente matre inditum fuit, ut in eo avi materni simul & patris memoria repeteretur; cum alioqui Stephanus nuncupatus in baptismo fuisset. Fuisse autem dicitur [m] Ioannes pater per omnem vitam placido liberalique ingenio, ac moribus inculpatis: nisi quòd ante adeptum regij nominis fastigium, & etiam dum regnavit, nimiæ ambitionis damnatus est: ac Societatis Turcicæ causâ malè audiendo, rem Christianam barbaris prodidisse objectum ei fuit. Verùm hujus facti notam ipsum exemplo Galliarum Regis Francisci defendere solitum, Isthuanffius auctor Pannonius scribit, seu ita verè Ioannes facinus excusaret; seu auctor ita finxerit, nimiumquam Austriacis Principibus addictus. Quod à quocumque sit, ineptè & extra rem est. Quamvis enim inexcusabilem se Franciscus Rex apud pios viros, qui injuriam pati, quàm illegitimis modis propulsare, Christianius esse censent, præbuerit, opem Solimani contra insultus Caroli Imperatoris hæreticos etiam & schismaticos ab Ecclesiâ execratos in eum sollicitantis armantisque, implorando; haud tamen par fuit causa Ioannis Vaivodæ. Hic enim ut invasum contra jus fásque regnum Hungaricum (prout Imperator Ferdinandúsque ejus frater contendebant: de quorum omnium juribus dictum est suis locis; ut non jam novum cuiquam præjudicium afferamus:) tueretur, Turco se fiduciarium servum subdidit, cum annui tributi pensitatione. At quid hoc ad Franciscum Solimano fœdus? magis id sanè & quidem ad amussim, Ferdinando Imperatoris fratri convenit: qui non solùm olim, ut vidimus, Solimani favorem pro regno Hungarico sollicitè quæsivit; verùm etiam modò post obitum Ioannis, per Hieronymum Lascum Polonum Palatinum Siradiensem ad Solimanum legatum, partem regni quam Ioannes possederat, eodem clientelæ ac beneficij nomine ac largitionibus obtinere contendit: ut disertè tam idem auctor Pannonius [n] quàm Polonus Neugebaverus [o] tradunt. Adeò ut prædictum Ioannis exemplum Ferdinandum non Franciscum tangeret.

[m] Isthua nff. Rer. Hunga r lib. 13.

REGNUM HUNGAR. BENEFICIARIUM TURCO.

[n] Id. lib. 14.
[o] Neugeb. lib. 7.

XII. FERDINANDUS REPELLITUR A SOLIMANO.

Cæterùm Ferdinandi, Lascique ejus lagati irritus fuit conatus: quoniam Solimanus acceptâ priùs legatione Reginæ Isabellæ, atque Hungarorum partis pupilli, quâ functi fuêre Ioannes Exechius Quinquececlesiensis Episcopus, & Stephanus Verberius Epistolarum ma-

gister; suæ non solùm dignitatis, sed etiam gloriæ esse statuens, viduæ pupillique protectionem suscipere, rejectis Ferdinandi postulationibus dona pupillo misit, ac præfectis suis Bosnensi & Belgradensi mandavit ei opem ferre adversùs Ferdinandum: qui confestim post Ioannis obitum à nonnullis proceribus ad regnum ejus suscipiendum incitatus, sibi ex pactis cum eo initis debitum; quamvis misso Lasco pro pace cum Turco, nihilo tamen de bello cogitans, collectis properè copiis Leonardum Velsium Rhetum eis præfecit, qui multas urbes quà vi quà deditione cepit: præfectis Turcicis intentissimâ hieme à suppetiis ferendis retardantes, usque ad ver proximum, quo bellum, ut videbitur, recruduit: hoc Velsiano fusè ab iisdem auctoribus, & Iovio [p] descripto.

[p] Iov. lib. 39.

XIII. De Georgio Monacho.

Quod *Georgium Monachum* pupilli tutorem spectat, fuit is patre Georgio Vtissenovich antiquo & claro genere, matre Iacobi Martinusij Episcopi Scardonensis sorore in paternâ arce Namiesaz ad Titij fluminis ripam in Dalmatiâ, seu ut nonnulli habent, Croatiâ, quæ pars Dalmatiæ censetur, natus anno 1482. sed in tenui re educatus, primæ ætatis annos in aulâ Ioannis Corvini, Matthiæ Regis Hungariæ nothi transegit. Patre à Turcis occiso, annos natus viginti quinque Eduigis matris Vaivodæ ac Regis modò defuncti servitio se addixit: cognitâque deinde Iacobi fratris viri fortissimi morte, aulam pertæsus, monastico sancti Pauli primi Eremitæ instituto, quod in Hungariâ maximè vigebat, nomen dedit, (errant enim, qui proprium sancti Benedicti Ordinem ingressum volunt:) doctrinâque imbutus, muneribus Religionis cùm laude functus est. Post necem autem Wladislai Regis, Ioanne Vaivodâ à nonnullis Rege electo, & à Ferdinando Hungariâ exacto; egregiam Ioanni navans operam, adeò ultrò citróque discurrens profecit, ut majorem ac potiorem regni partem ei asseruerit. A quo deinde opulentissimâ Varadiensi Ecclesiâ remuneratus, publicis quoque muneribus præfectus est, & consiliorum omnium particeps factus: demúmque à moriente unici undecim dierum filij tutor constitutus, ærarij quoque, & regni donec infans adolesceret administrationem accepit. De cujus progressibus dicetur deinceps. Ejus autem vitam Ioannes Tomeus Marnavitius Latinè ubertim descripsit; Gallicè Martinus Fumeus, præter illa quæ de eodem habent (nonnihil tamen, ut plerumque fit, diversè) Paulus Iovius, Natalis Comes, Thuanus, Isthuanffius, Ioannes Baptista Hadrianius, & alij qui historiam horum temporum, ac præcipuè Hungaricam scripsêre. Fuit enim solertiâ & rebus gestis ferè inter portenta hujus sæculi numeratus.

XIV. Soc. Iesu confirmatur scripto.

Romæ verò Societas Iesu sub judicio Cardinalis Guidiccionij ac collegarum, quibus ejus institutum examinandum à Pontifice commissum vidimus anno superiori, periclitans, repulsam penè passa, ultimò tamen gratiam acceptionis adepta est: censentibus iisdem, eam in numerum certarum Religionum, quas retinendas existimabant, reponendam esse; tantâ voluntatum inclinatione, ut cui ejus ortui præ cæteris obluctatus fuerat Guidiccionius, superiore quâdam occultâque vi motum se confessus, ejusdem deinde causam cæteris ardentiùs egerit. Ita tamen re ab iisdem Iudicibus interim temperatâ, ut dum dies aperiret quid maximè præstaret Ecclesiæ, Societas professos non excederet sexaginta. Ex quorum sententiâ Paulus Pontifex 5. Cal. Octobris eandem publico diplomate [q] approbavit, confirmavítque, sub nomine Instituti & Religionis *Clericorum Regularium Societatis Iesu*; insertâ diplomati illius Instituti Regulâ, professorum tamen numero ut Cardinales censuerant, ad numerum dumtaxat sexaginta coartato. Electúsque est deinde primus Societatis Præpositus Generalis ipse *Ignatius*, ab antiquis sociis qui in Italiâ erant, & Romam ad id convenerant, mense Aprili anni proximi, cùm jam nonnulli ad exteras gentes migrâssent: videlicèt Franciscus Xaverius Navarrus & Simon Rodericus Lusitanus, petente Ioanne Rege, in Lusitaniam, inde in Indiam peregrinaturi: & Petrus Faber Sabaudus in Germaniam, qui omnium primus ex Societate eam ingressus est: quos alij subinde secuti sunt; aliique in Societatem allecti, quaquaversùm dispersi, verbo & opere laborantes strenuè in vineâ Domini; ipso Ignatio ad fundandam solidiùs Societatem in Vrbe permanente, & diversis piis operibus sedulò vacante: uti hæc omnia pluribus in Annalibus Societatis referuntur [r]: ex cujus semente non parva nobis seges veniet deinceps colligenda: maximéque postquàm illa tertio pòst anno [s], crescente Sociorum numero, pridie Idus Martij anno 1543. rursùm à Paulo Pontifice confirmata est, sublatâ omni numeri sociorum ad eam cooptandorum definitione. Qui & insuper ultimo sui Pontificatûs anno: nempè Domini 1549. 15. Cal. Novemb. aliâ constitutione [t] munus & auctoritatem Præfecti generalis explicavit; facultatibúsque, exceptionibus, privilegiis, & gratiis auxit, quemadmodùm & subsequentes Pontifices quotiescumque opus fuit, aut requisiti fuêre, præstiterunt.

[q] Ext. Bullar. tom. 1. Paul. III. const. 25.

Ignatius creatur ejus Præpos. Gener.

[r] Orland. l. 2. & 3.

[s] Id. lib. 4.

[t] Bull. const. 48.

XV. Congregatio pro Orphanis et Conversis.

Hoc verò anno idem Pontifex aliam quoque approbavit Societatem tam Ecclesiasticarum quàm sæcularium personarum, pro erectione *Hospitalium orphanorum*, & mulierum à peccato conversarum, nuper erectam, auctore *Hieronymo Miano*, aliàs *Æmiliano*, patritio Veneto: qui cùm plures pauperes orphanos propter bella in Italiâ urgentia passim derelictos, vagari cerneret, pietate, & charitate motus, hospitale S. Mariæ Magdalenæ nomine in suburbio Bergomensi inchoavit, quod civium eleemosynis perfectum fuit: adeóque institutum placuit, ut etiam ad alias Insubriæ civitates tam pro orphanis, quàm conversis, ut vocant, mulieribus, extensum fuerit. Quibus Pontifex facultatem impertivit constituendi sibi unum Superiorem; aliáque privilegia tribuit, quæ ejus constitutione [u] datâ Nonis Iunij continentur. Fuit verò postmodùm hæc Societas translata à Pio V. in Congregationem Clericorum Regularium S. Maioli, aliàs de Somaschâ [uu] dictam, (quæ originem ab istâ Æmilianicâ sumpsit) cum nonnullarum gratiarum elargitione, sub Regulâ S. Augustini.

[u] Bullar. const. 21.

[uu] Vid. supr. ann. 1631. XVIII. & infrà an. 1568. XXVIII.

XVI.

Fuerant Lusitani in Indiâ Orientali ad hæc ferè usque tempora constituendis emporiis, arcibus extruendis, tuendo mari, & propulsan-

dis hostium armis distenti, ut nequaquàm possent, aut adeò curarent, Christianæ religionis propagationi operam dare. Et quamquam è Franciscanâ familiâ Fratres, qui omnium Religiosorum primi eò navigârunt, ejus rei essent percupidi; tamen quotidianâ psalmodiâ, funeribúsque, & cæteris diurnis nocturnísque Ecclesiasticis ritibus impediti, satis otij suppeditare non poterant peregrinationibus, catechismo, aliisque muneribus, quæ ad conversionem gentium, & curationem ac cultum requiruntur. Primus autem Episcopus (quod sciatur) qui in Indiam missus sit, fuit ex eodem Ordine quidam *Ferdinandus*: qui sedem Goæ statuens, cum cæteris functionibus, tum sacramentis, præsertim Confirmationis & Ordinis ritè ministrandis, necnon per sacras conciones & privata colloquia Lusitanis ad disciplinam & officium revocandis, Ethnicis ad Christianam fidem alliciendis, Episcopale munus egregiè præstitit. Cui *Ioannes Albuquercius* ejusdem Ordinis, parísque pietatis & meriti, successit. Ac cum iisdem, necnon separatim diversis temporibus, multi sacerdotes sæculares, regularesque Ordinum Francisci & Dominici, in Indiam transmigrârunt. A quibus omnibus non dubium quin multa eo in genere relatu & præconio digna gesta sint: quæ tamen quòd raræ tum temporis fuerint iis locis literæ; & qui de iisdem scripserunt, institorum fermè navigationes atque commercia, & ducum res bello gestas, ac domesticas plerumque dissensiones, per otium explicare sategerunt; Christianæ rei (quod caput erat; eoque præcipuè quòd nonnisi ad propagandam fidem ejusmodi peregrinationes susceptæ prætexebantur) progressum, & in erudiendâ barbarie piorum labores, quasi ab instituto aliena, vel omninò præterierunt, vel mirâ brevitate perstrinxerunt. Egregium verò lepidúmque est; quod de *Vincentio* Franciscano, Albuquercij Episcopi comite atque adjutore, catechistâ eximio legitur; nempè cùm Episcopi jussu in Malabaricâ regione juventutem Christianæ doctrinæ rudimentis imbuens, pueris aliquot vel tardioribus, vel aliud forsan agentibus colaphos impegisset, (quæ res apud eas quoque nationes probro vel maximo ducitur) inde irâ parentibus motâ, cùm furore perciti ad eam ignominiam, ut ipsi rebantur, demendam, arreptis armis in Dei famulum irent; pueros læsos non solùm non patrum facinus adjuvisse, verùm etiam factâ manu lapidibus eos arcere non dubitâsse. Cujus rei miraculo stupentes barbari, gradum illicò retulêre.

PRIMI INDIARŨ EPISCOPI.

XVII. PROPAGATIO FIDEI IN INDIA.

De cæteris vix aliquis eorum temporum cum *Antonio Galvano* nobili Lusitano, vel prudentiæ laudis, vel caritatis ardore conferri valeat. Qui insularum Molucarum præfecturâ acceptâ, cùm esset [x] vir excellenti in Deum superósque pietate ac religione, erga homines æquitate & incorruptâ in Regem suum fide, & super hæc admirabili quâdam nauticæ rei scientiâ, & militaris fortitudinis gloriâ insignis, non solùm deperditam propè affectámque rem Molucensem ingenti labore brevi restituit; verùm etiam religionem Christianam adeò cùm ibi, tum in finitimis insulis & oris promovit, ut non pauci Reges ac Principes, ingénsque populi multitudo baptismum susceperit: atque ad novas operas comparandas seminarium puerorum Ternate præcipuâ Molucarum insulâ instituit, ex variis nationibus adlectorum, qui maturâ dein ætate in suâ quippe patriâ Evangelio insisterent: cujusmodi unicum labenti Christianæ disciplinæ remedium, tantò deinde pòst Tridentina Synodus approbavit. Proximi Galvano in piâ illâ sollicitudine habiti sunt [y] *Michaël Vasæus*, totius Indiæ, deficiente Episcopo, Pro-Episcopus, seu Vicarius generalis; *Ioannes Borbanus* magnæ facundiæ concionator, & Albuquercij Episcopi comes; & *Cosmus Annius* regius scriba: qui communi consensu, cujusmodi Ternate Galvanus, collegium seu seminarium in urbe Goâ Indiarum metropoli instituerunt puerorum, è variis nationibus ad fidem Christianam usquequaque disseminandam; cujus curam prædictus Borbanus suscipiens, planè egregiè eam administravit, quousque Patribus Societatis Iesu eam dimisit. Pérque eos fermè dies etiam aliunde non parvum res Christiana incrementum accepit conversione populorum Paravarum ad Comorini seu Cori promontorium, piscatui margaritarum præcipuè deditorum: qui ab inquilinis Mahometanis adempto piscandi arbitrio, cùm gravioribus in dies afficerentur incommodis, Lusitanorum opem spontaneæ conversionis pollicitatione implorârunt: obtentâque liberatione à jugo Mahometanorum, & piscationis libertate, gens penè universa in Christi fidem concessit.

[x] Maffei. lib. 10.

[y] Id. lib. 12.

XVIII. PENURIA OPERARIORUM.

Cum verò nihilominùs tum ibi, tum plerisque aliis locis, quibus socij vel auxiliares Indi subinde accedebant, præter baptismum Christianæ disciplinæ vix aliquid, partim socordiâ gentis, partim cultorum inopiâ, retinerent; quinimmò & ipsi Lusitani, ex Asiatico luxu, otiíque dulcedine, & variis voluptatum delinimentis, denique quotidiano commercio nationum quæ Deum ignorarent, multa graviáque contraxissent vitia, ac religionis tepiditatem: His Ioannes Lusitaniæ Rex acceptis, cui salus hominum, ac præcipuè popularium suorum carissima semper fuisset; cùm non parva esset per id tempus in Lusitaniæ regno hominum penuria, qui ad tot peragrandas terrâ maríque regiones, tractanda tam variarum nationum ingenia, refellenda Mahometanæ superstitionis & infidelitatis Gentilitiæ vanitatem & inveterata mendacia, apti esse viderentur: ubi Rex certis auctoribus cognovit, Ignatium Loiolam socios collegisse viros eximios, qui se ad Evangelij prædicationem sine ullâ prorsùs aut temporum aut locorum exceptione devoverant; jámque variis locis haud obscurum egregiæ pietatis & doctrinæ specimen dederant; Petro Mascareniæ suo apud Pontificem oratori mandavit, cum Pontifice & Ignatio agere, uti ex iis sex minimùm ad se in id opus mitterentur. At vero ob paucitatem eorum qui hactenùs nomen Societati dedissent, duo tantùm concessi sunt, quos diximus, *Simon Rodericus* & *Franciscus Xaverius*, Lusitanus ille, hic Navarrus ex oppido ejus nominis ipsius familiæ proprio, filius verò Iacobi Iassei viri nobilis ac regij consiliarij & Mariæ Aspilcuetæ-Xaveriæ, in qua hæ duæ nobilissimæ & antiquissimæ familiæ,

PETŨTUR A REGE SOCII IN INDIAM.

XAVERII GENUS.

paterna Aspilcueta & materna Xaveria conjunctæ fuêre. Natus anno 1497. & in pueritiâ apud suos piè in literis educatus, cùm Lutetiam ad solidiora studia missus fuisset, post magnos in eis progressus factos, Ignatio se adjunxit unus è decem primis, ut aliàs [z] diximus, & in communibus Societatis exercitiis mirè præ cæteris illuxit. Cùm autem in Lusitaniam appulisset, humanissimè à Rege acceptus, unà cum socio Simone totam hiemem ita piis occupationibus transegit, ut vulgò *Apostoli* appellarentur: indéque id nominis Societati deinceps apud Lusitanos & Indos tributum dicatur [a]. Anno verò sequenti Xaverius in Indiam unà cum Martino Alfonso Souzâ Indiarum Prorege misso navigavit; accepto à Rege diplomate Pontificio, quo eum Nuncium Apostolicum in regionibus Indicis amplâ cum potestate creandum curaverat. Simon autem in Lusitaniâ, Regis ac procerum rogatu, ad excolendum pietate regnum, & Collegium Societatis fundandum, permansit.

[z] *Supr. ann. 1534. XXI.*

[a] *Orland. lib. 3. §. 40.*

XAVER. NAVIGAT IN INDIAM.

IESU CHRISTI Annus 1541.
PAULI III. Annus 7.
CAROLI V. An. 23.

I.

ANNO Christi millesimo quingentesimo quadragesimo-primo, Indictione decimaquartâ, mense Aprili, Conventus [a] habitus est Ratisbonæ, cui Carolus Imp. interfuit, unà cum multis Episcopis, Principibus Catholicis & Protestantibus, ac civitatum utriusque partis legatis, multísque hinc inde Doctoribus, cum magnâ spe de conciliandis Religionis controversiis; eò maximè quòd etiam adesset Legatus Pontificis Gaspar Cardinalis Contarenus clarissimâ familiâ Venetâ, vir summâ literarum eruditione, morum probitate, ac rerum prudentiâ conspicuus. In hoc conventu Imperator omnes ad concordiam adhortatus, ternos utrimque eligi voluit, qui de rebus controversis amicè conferentes, rem omnem ad Ordines referrent, ut eâ cum Legato Pontificio communicatâ sperata inde conclusio eliceretur. Delecti sunt ex Catholicis Iulius Pflugius, Ioannes Eckius, & Ioannes Gropperus; ex Protestantibus Philippus Melancthon, Martinus Bucerus, & Ioannes Pistorius: ac colloquio præfecti Fridericus Princeps Palatinus & Nicolaus Granvellanus; aliíque auditores ceu testes additi, quo res majori dignitate ac fide gereretur. Datus autem est eis examinandus liber viginti duo capita doctrinæ continens conscriptus à nonnullis, (quibus etiam Bucerus fraudulentâ simulatione se admiscuit) atque Imperatori oblatus, tanquam pacis & concordiæ conciliator commodissimus: jussis collocutoribus, quod in eo simul omnibus probaretur, confirmare, quod improbaretur corrigere. Cùm mensem unum evolvendo & examinando libro exegissent, nonnullis capitibus non adeò difficilibus communi consensu approbatis, aut correctis; de reliquis in quibus discreparent, quæ majoris momenti erant, nempè de Ecclesiæ potestate, hierarchiâ, Sacramento Pœnitentiæ, Eucharistiâ, ordine ministrorum, aliísque nonnullis, utrique sententias suas scripto mandârunt, rémque omnem ad Imperatorem retulerunt; qui Legato Pontificio atque Imperij proceribus tam Catholicis quàm Protestantibus communicans, neque ipsa quidem quæ collocutoribus placuerat, iis accepta fuêre: adeò ut post longas diversásque consultationes, nihil tandem actum fuerit, Episcopis nequaquàm conciliationem ejusmodi approbantibus, Legatorem totam ad Summum Pontificem & Synodum Oecumenicam brevì indicendam, referendam esse censente; ac Protestantibus, post multas ambages circa articulos concordatos, ab Augustanâ Confessione ejúsque Apologiâ recedere omninò detrectantibus. Rem breviter Cochlæus qui aderat, ipsorummet verbis declarat: quam Sleidanus de more in eorum excusationem interpretatus, culpam solutionis conventûs absque alio operæ pretio in Catholicos rejicit. Imitatus Protestantes suos concionatores; qui eodem Conventu in Cardinalem Contarenum, talem tantúmque virum, ausi sunt scripto publico calumniis invehi, quòd scripsisset eos à communi sensu Ecclesiæ dissentire, monuisset Episcopos advigilare abolendæ ejusmodi doctrinæ. Grave piaculum scilicèt! Voluissent præclari illi viri, Cardinalem eorum doctrinam laudibus efferre, & suo calculo comprobare, Catholicam verò damnare. Quorum calumniis Eckius Doctor Catholicus ac Theologus exercitatissimus contrario scripto respondit. Cochlæus verò, qui privatim ibi agebat, nonnulla assertionum illorum capita, & quasdam Wittembergâ transmissas propositiones refellit.

[a] *Sleid. l. 14. Sur. in commẽt. Cochlæ. in Act. Luther. Belcar. lib. 22.*

CONVENTUS RATISBONENSIS.

COLLOQUIUM DE RELIGIONE INUTILE.

PROTESTANTIŨ TERGIVERSATIONES.

II. Ipsa autem Acta prædicti Conventûs seu Colloquij Ratisbonensis, unà cum libro collocutoribus proposito, & scriptis exhibitis, uti fuêre per Bucerum collecta & edicta, apposita quoque habentur à Goldasto inter Constitutiones [b] Imperiales; Imperatoris scilicèt propositiones, responsa singula variáque Legati Contareni, Principum ac Doctorum Catholicorum & Protestantium, ultrò citróque facta & repetita: ex quibus verbatim relatis, clariùs, quàm ex suspectâ Sleidani narratione totam rem haurire liceat, siquis multas verborum concertationes, ad nihilum demùm redactas, cognoscere voluerit. Quibus tamen addenda Eckij Apologia pro Catholicis edita adversùs columnias Buceri contra scripta Catholicorum; ac speciatim contra declarationes Cardinalis Contareni: qui etiam Romæ nonnihil malè audiit, non solùm quasi mitiorem se erga Lutheranos exhibuisset, verum etiam quòd de justificatione & transubstantiatione aliqua imprudenter concessisse visus esset adversariis: quem propterea graviter accusavit in consistorio coram Pontifice severissimus Cardinalis Carafa. Is tamen defensus, ut diximus, à piis viris, ab ipso quoque Imperatore apud Pontificem purgatus est.

[b] *Goldast. Const. Imp. tom. 2.*

CALUMNIA IN CARDIN. CONTARENUM.

III. Fuit verò demùm totius conventûs atque colloquij conclusio, ut Imperator omnem Colloquij actionem deferendam censuerit ad Concilium Generale; & si illud obtineri non posset, ad Nationale Germaniæ; vel denique ad Ordinum Imperij conventum, intra decimum-octavum mensem celebrandum: Edi-

CONCLUSIO CONVENTÛS.

xerítque interim Protestantibus, nequid præter conciliata prædicto Colloquio dogmata novi susciperent: Episcopis, ut veterem sacrorum ministrorum disciplinam instaurarent. Addita fuere alia capita de non diruendis monasteriis, de bonis Ecclesiæ non rapiendis, de non solicitandis ad diversam religionem hominibus, siqui tamen spontè transirent, recipi possent: & quò magis Protestantibus satisfieret, privatim illis cavit, se nullum eis in dogmatibus nondum conciliatis modum præscribere: Senatoribus verò Spirensibus Cameræ Imperialis, de quibus Protestantes graves querelas ingeminabant, edixit ut omnibus ex æquo, nullâ diversæ religionis ratione habitâ jus redderent. Cúmque sic Protestantibus privatim cavisset, tum illi demùm, qui nihil gratis agere didicerant, & religionem Christianam malebant ab Infidelibus extingui, quàm per Pontificem ad sanam doctrinæ & morum integritatem reduci; adversùs Turcum auxilia Imperatori polliciti sunt, quasi non absque eo & ipsi à Turcis periclitarentur.

IV. Adfuisse verò inter cæteros hæreticorum concionatores, missum ab Argentinensibus Ioannem Calvinum, tum Sleidanus testatur; tum extant plures ipsius Calvini [c] epistolæ, quibus Farellum suum de iis quæ Ratisbonæ agerentur certiorem reddidit, cum non parvâ suâ ipsius, suorúmque laude, & Catholicorum depressione; ut erat homo arrogantissimæ superbiæ. Qui hoc ipso anno ab exilio suo Genevam reversus, (quam suam revocationem clàm omni nisu procuràsse dicitur, cùm tamen palàm nequaquam eam curare videri vellet) ibi deinceps usque ad obitum summum principatum gessit. Habentúrque [d] insuper literæ Principum & Ordinum Protestantium ejusdem conventûs Ratisbonici, quarum meminit Sleidanus, scriptæ ad Franciscum Galliæ Regem, pro incolumitate eorum, qui, ut aiunt, partim in variis regni partibus, ac præsertim Gratianopoli & aliis Provinciæ urbibus capti tenebantur, partim fugere & in cavernis delitescere cogebantur, eò quòd eadem in fide sentirent quæ ipsi Protestantes: quos non solùm non ad confessionis suæ abjurationem compelli, uti fiebat, quod ipsâ morte esset acerbius, supplicant; verùm etiam erga omnes clementem se præbere, ac doctrinam suam liberè profiteri permittere, enixè rogant. Erat hæc fex veterum Waldensium, qui in pagis Provinciæ Merindolo & Cabrierâ inter montes latitantes, in suarum hæresum sordibus obstinatè volutabantur: in quos fuerat anno superiori ex regio edicto severè inquisitum, diligentiâ Bartholomæi Chassanei Iurisconsulti Aquensis Parlamenti Præsidis: quarto verò post hæc anno, ut tum dicetur, fuit in eos severiùs actum; cùm interim fuisset nonnihil vexatio remissa; fortè prædictarum Protestantium literarum intuitu.

[c] *Calvin. ep. 28. 31. 32. 35.*

CALVINUS REDIT GENEVAM.

[d] *Id. ep. 34.*

DE MERINDOLANIS.

V. Ac nihilominùs iidem [e] Protestantes ab Imperatore prædicti interim, uti vocârunt, concessione deliniti; (fuerunt plura hujusmodi *Interim* in religionis rebus à Carolo hæreticis Germaniæ diversis temporibus quoúsque celebraretur Concilium, concessa; sed illud famosissimum, quod per antonomasiam id nominis obtinuit, factum est tantummodò anno 1548. cùm jam Concilium Tridentinum haberetur:) nullâ habitâ ratione defensionum atque expostulationum regiarum contra criminationes Ducis Sabaudiæ, (de cujus bello dictum superiùs) ac de nece legatorum Regis, Cæsaris Fregosij sive Fulgosij Genuensis, qui ad Venetos, & Antonij Rinconis exulis Hispani, qui ad Solimanum mittebantur, factâ à Cæsarianis in flumine Pado dum unà Venetias secundo flumine navigarent; (quam rem prolixè Bellaius [f] describit:) Catholicis juncti decreverunt, Sabaudum totius Germaniæ consensu ac sumptu restituendum esse in integrum; & ne milites Germani Gallicum stipendium mererent, gravibus indictis pœnis sanxerunt. Ducémque Clivensem Guillelmum, quòd sine Cæsaris auctoritate Geldriæ possessionem adiisset, & cum Francisco Rege fœdus iniisse, hostem declarârunt. Quem ut Rex sibi magis devinciret, ei Ioannam Henrici Regis Navarræ & Margaritæ sororis suæ filiam, parentibus invitis, puellam nondum undecimum ætatis annum agentem, despondit hoc ipso anno mense Iunij ad Castrum-Eraldi, cum tanto omnis generis ludorum & certaminum ludicrorum, aliorúmque oblectamentorum, luxu, (ut erat in hujusmodi inutilibus vanitatibus immoderatè profusus, cum non parvo sæpè detrimento publicæ rei) ut longè plures in has innuptas nuptias, (neque enim, ut pòst videbitur, ullus fuit earum effectus) quàm Carolus Imp. in suam coronationem, sumptus fecerit.

[e] *Belcar. l. 22. §. 53.*

DECRETA CONTRA REGEM FRANC.

[f] *Bellai. l. 9.*

IOANNA NAVARRA DESPONDETUR DUCI CLIVIÆ.

VI. Dum autem hæc in Germaniâ & Galliâ agerentur, missus à Ferdinando Rege Imperatoris fratre in Hungariam cum valido Germanorum, Hungarorum, & Boëmorum exercitu Guillelmus Rogendorffius, sive ut Iovius vocat, Rochandulphus, veteranus dux, regiæque aulæ magister, ad expugnandam Budam, quæ detinebatur ad Isabeliâ Reginâ cum auxilio & consilio Georgij Monachi, Valentini Thuraci, aliorúmque præstantium ducum; post illam nequicquam oppugnatam, cùm obfirmato contra sanius suorum consilium animo obsidioni incumbendum decrevisset, primùm à præfectis Solimani Turcorum Imperatoris in subsidium missis, deinde ab ipsomet adveniente Solimano, grandi clade affectus; amissis eo bello viginti Christianorum millibus, tormentis omnibus atque impedimentis captis, vulneris accepti atque animi dolore extinctus est. Solimanus autem ad veterem Budam considens, Regi infanti per legatos dona misit, & ut ad se in castra deduceretur à Reginâ postulavit. Quæ non ausa recusare, illum cum Monacho & primariis Hungarorum mœstissima misit, metuens ne Constantinopolim abduceretur, vel etiam fortè occideretur. Suscepit tamen illum Solimanus valdè honorificè, & filiis suis, velut perpetuo amoris signo exosculandum præbuit, remisítque ad matrem. Sed cùm interim clàm & arte portas urbis Budensis per suos occupâsset, eam tertio Calend. Septemb. ingressus, in celebri templo B. Virginis ritu Turcico expiato vota persolvit, ac sacra sua fecit: Reginámque unà cum puero Hungariâ excedere, atque in Transilvaniam abire jussit; jurejurando tamen præstito, se cùm

BELLUM HUNGARICUM INTER FERDIN. ET SOLIMAN.

primùm puer adolevisset regnum ei restituturum: hisque prosperè gestis, & præsidiis Budæ, Pestique relictis, reliquum exercitum domum reduxit: cùm priùs acceptis à Ferdinando legatis cum muneribus, quibus regnum Hungariæ beneficiario nomine, cum ejusdem tributi annuâ pensitatione, quâ Ioannes Vaivoda illud tenuerat, sibi relinqui petebat, factâ etiam spe Carolum Cæsarem in fœdus accessurum, truculentè ei denegâsset; nec aliâ ratione pacem cum eo initurum se dixisset, nisi quicquid in regno Hungariæ possidebat statim redderet, & Austriæ nomine tributum penderet, quod Ferdinandus abhorruit. Prædictas autem res gestas, post Iovium [g], narrant prolixè Belcarius [h], Isthuansfius [i], Neugebaverus [k], & alij Christiani auctores. Quas Turci [l] quoque recensentes, nullâ factâ Ferdinandi aut Rogendorffi mentione, totam belli gestionem Petro Perenio tribuunt: qui inter Hungaros nobilitate atque opibus facilè princeps existens, cùm in partes Ferdinandi transisset, ei bello unà cum Rogendorffo præfectus à Ferdinando fuerat.

[g] *Iov. lib. 39. & 40.*
[h] *Belcar. lib. 23.*
[i] *Isthuanff. lib. 14.*
[k] *Neugebav. lib. 7.*
[l] *Ap. Leunclav. l. 18.*

VII.

CAUSÆ ABITÛS CAROLI È GERMANIA.

Autumant plerique, si Carolus copias suas Hispanorum Italorúmque fraternis junxisset, facilè Budam in potestatem Ferdinandi perventuram fuisse, & Solimanum vel non eam expeditionem suscepturum, vel repulsam passurum. Sed jam bis derelictus [m] ab eo frater, totum ferè id regnum amisit, Turcis prædæ relictum. Qui quidem Carolus, post negotium religionis Ratisponæ per suum Interim compositum; sive quòd jam anteà deliberâsset Africam, unde continuis incursionibus atque latrociniis barbari totam oram Hispanicam infestabant, invadere; sive, ut Bellaius scribit, & famâ ubique jactatum fuisse cum non levi Cæsaris nominis traductione Iovius affirmat, timore adventûs Solimani è Germaniâ abire statuens; ne tamen fugere existimaretur, expeditione Algerianâ lõgè leviore susceptâ, decidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Siquidem in Italiam primo commeans, Paulo Pontifice Lucæ convento, & de Concilio indicendo solicitato; eodem nequicquàm ipsum à maritimâ expeditione, autumno jam ad hiemem inclinante, deterrente, ac potiùs copias in fratris Ferdinandi Austriæque præsidium educere hortante, nihilominùs in suâ sententiâ perstitit: haud dignum existimans Imperatoriâ majestate, (sicuti Hadrianius [n] argumentatur) ut qui rem Germanicam nihilo meliorem reddidisset, Hungaricam Turcis in prædam relinqueret, otiosum in Italiâ agere. Ad cujusmodi considerationes hanc etiam Bellaius susceptæ expeditionis rationem adjungit; ut scilicèt ejus obtentu, in Italiam, indéque in Africam navigans, si se interim aliqua occasio offerret, aut in regionem Subalpinam Pedemontis à Rege Galliæ occupatam, aut in Provinciam irrumperet, haud ignarus jam Regem arma parare in vindictam cædis Fulgosij & Rinconis; verùm cùm præ solicitâ præfectorum regiorum curâ, ac præcipuè Guillelmi Bellaij Langei (fratris Martini qui Historiam scripsit) qui Pedemonti præerat, nihil ibi tentare ei licuisset, & oram Provinciæ optimè custoditam intellexisset, in Africam perrexisse. Idque etiam de Provinciâ veritum esse Pontificem, Onuphrius tradit. Iovius verò; non ut regias ditiones invaderet, Germaniam deseruisse, sed potiùs ne si in Pannoniâ occupatus hæreret, Rex arreptâ occasione principatum Mediolanensem invaderet, ac in aliis Italiæ partibus bellum erumperet, cujus non parva enata semina spectabantur.

[m] *Vid. sup. an. 1532. II.*
[n] *Hadr. l. 3.*

VIII. CÆSARIS EXPEDITIO AFRICANA INFAUSTA.

Vtut sit, post colloquium cum Pontifice è Liguriâ solvens, diversas passus ab irato mari procellarum tempestates, demùm ad Algerij (olim Iuliæ Cæsareæ, Mauritaniæ Cæsariensis urbis, regiæ quondam Iubæ) littus appulit ad decimum Calendas Novembris: habens in classe peditum Germanorum, Hispanorum, Italorum, Siculorum, duo & viginti millia, equites dumtaxat mille aut paulò plures. Præerat autem urbi Barbarossæ nomine Assan Aga eunuchus natione Sardus, qui à Christianis ad Mahometana sacra defecerat, cum octingentis Turcis, & Maurorum ac Numidarum equitum peditúmque longè majori numero. Sed parùm illos adversùs Imperatoris vires profuturos fuisse creditur, nisi cœlum, terra, mare factâ conjuratione pro iis pugnâssent. Quippe exscensione factâ frigidissimis imbribus torpentes milites, viribúsque & animis planè deficientes, nec sclopetis uti potuêre, nec impressionibus hostium, sagittis, & balistis arcuferreis, quæ loricas etiam penetrabant, & jaculis patrio more certantium resistere. Ea autem sævitia tempestatis fuit, ut centum & triginta naves, & quindecim triremes desideratæ sint, atque è lenunculis & cymbis vix remanserint quæ deportandis per aliquot dies in superstites naves militibus sufficerent: hique tantâ deperditæ annonæ penuriâ oppressi fuerint, ut propemodùm fame interierint; amissáque insuper sint cuncta ferè tormenta & impedimenta: denique nihil propè tantæ cladi hominum naviúmque adjici potuerit, cùm (ut Iovius scribit) nunquam ab ullâ Annalium memoriâ ullas bello copias graviore calamitatum concursu, vel seipsâ sævior Fortuna perculisse reperiatur. In quibus quidem æquanimiter perferendis magis eluxit constantia Imperatoris, quàm in suscipiendâ expeditione providentia: magni animi atque imperterriti laudem consecutus, quòd tot undique periculis septus, adversæ ac minantis fortunæ faciem non exhorruit, sed vultûs æquabilitate infracti pectoris robur præsetulerit. Illúdque insuper planè inter certa egregium præstitit, quòd cùm non essent residuæ naves capiendis militibus vel angustè collocatis, severè edixit ut equi ad unum omnes in mare projicerentur, quò locus fieret hominibus suscipiendis; indignantibus licèt equorum dominis hanc pati jacturam. Sicque demùm post multas calamitates ægrè in Hispaniam revertit. Expertus veteris proverbij certitudinem, quo fertur semper aliquid novi ferre Africam: adeò ut, quòd felicem habuisset priorem expeditionem Tunetanam, ab Algerianâ sibi timere, alieno præcipuè tempore, & reluctantibus cunctis ducibus, debuisset: vel sanè illam per Auriam, aliósve legatos agere; cùm longè bellis feliciorem per duces suos extitisse, quam per se ipsum,

nec tam bellicâ fortitudine, (quamquam nec eâ caruit) quàm consilio & prudentiâ) quæ tamen etiam hâc occasione ei defuerunt (atque animi sagacitate præstitisse, in comperto sit. Ceterùm rei gestæ historiam præ ceteris eleganter Latinè descripsêre, qui interfuit, & vulneratus fuit, Nicolaus Villagagnognius [o] miles seu eques Melitensis natione Gallus; (cujus fit honorifica mentio in Historiâ Melitensi [p] hujus expeditionis, cui intererant etiam triremes Religionis:) & Iovius [q] ex iis quæ ab aliis qui æquè adfuerunt audivit: ex quibus alij [r] hausêre. Estque insuper inter Epistolas [s] Principum ipsiusmet Caroli Imperatoris relatio, ex navi die secundâ Novembris, quâ nonnulla particularia enarrantur. Denique Franciscus Franchinus Cosentiâ in Brutiis natus, & victricia Caroli Imperatoris arma secutus, qui hujus etiam infaustæ expeditioni interfuit, ejus lugubrem successum luculentis versibus descripsit; factus posteà à Iulio III. Pontifice Episcopus Massæ ac Populoniæ in Etruriâ. In quâ item expeditione Ferdinandus [t] Cortesius Novæ Hispaniæ fundator, Imperatorem comitatus, dum natatu conaretur ad littus evadere, duos Smaragdeos cyathos amisit, qui trecentis aureorum millibus æstimabantur.

[o] Ext. ap. Schard. Oper. Hist. to. 2.
[p] Hist. Hospital. to. 3. lib. 10.
[q] Iov. lib. 40.
[r] Belcar. lib. 22. Sur. in commentar. Hadr. lib. 3.
[s] Ep. Princ. vol. 3.
[t] Marian. in Summar.

IX. FRANCISCI REGIS RATIONES BELLI RENOVANDI.

Hujus autem Algerianæ expeditionis infelicitate in Galliam ad Franciscum Regem perlatâ; cùm Imperatore illâ occupato, à bello quod ei inferre deliberaverat abstinuisset, ne malè apud Principes, tamquam ejus gloriæ invidus, aut infidelium protector audiret; post ejus in Hispaniam reditum, iis considerationibus liberatus; bellum renovare decrevit, non solùm ob deceptiones quibus se ab eo delusum in promissione principatûs Mediolanensis querebatur, verùm & maximè ob necem quam diximus Rinconis & Fulgosij à Vastio Cæsaris vicario imperatam; de cujus gravitate tam apud Pontificem ac Germanos, cetерósque omnes Principes, ut potè contra jus gentium, & inducias decennales cum Cæsare factas patratam; quàm etiam apud ipsummet Imperatorem, crebris expostulationibus pro obtinendâ satisfactione actis, nonnisi verba ab eo, rem se conscio factam negante, ferre potuerat: cùm econtrà diceret Franciscus, satis constare eam ipso auctore, aut certè conscio & approbatore, factam esse, quòd nullam de reis pœnam sumeret, aut inquisitionem præciperet. Nam quòd Vastius non solùm verbis, sed etiam scriptis publicis, quinimmò & singularis certaminis oblatione, invidiam sceleris diluere contendit, Langeus diligentissimâ rei perquisitione factâ, contrario scripto, atque certaminis acceptione, excusationes Vastij planè refellit, ósq; obturavit. Cujus utriusque scriptum Martinus Bellaius Langei frater Historiæ [u] suæ attexuit. Acne Vastium contumeliosè accusatum quis censeat, est inter cetera disertum testimonium auctoris Hispanici Alfonsi Vlloæ, qui vitam Caroli ad Philippum Hispaniarum Regem ejus filium scripsit; ubi absque ullâ dubitatione facinus Vastio tribuit. Idque ipsum habet Hadrianius [x] Florentinus in Historiâ suâ Vniversali; & Mambrinus [y] Roseus in Neapolitanâ, aliique non pauci: nec ceteri negare sciunt, sed tantum excusare, ut legitimè factum, quòd irent ij legati in damnum Christianitatis: quasi scilicèt Vastij esset de his cognoscere. Tradítque insuper Iovius [z], Vastium incredibili inde invidiâ deflagrâsse, tamquam famæ suæ minimè parcendum putâsset, modò apud Cæsarem vel ignobili & criminoso officij genere gratiam mereretur. Addit tamen, complures Rinconem jure cæsum existimâsse, quòd invidiosissimæ legationis munere suscepto adversus Christianum nomen barbaros concitare diceretur: Fregosio autem immerenti vitam malignitate atque odio ereptam, quòd vir bellicosus & acer ad Genuæ totiúsque Liguriæ principatum aspiraret. De bello verò eâ de causâ à Rege gesto dicetur anno consequenti.

[u] Bellai. lib. 9. Ext. Lat. in collect. Reusn. Epist. Turc. lib. 10.
[x] Hadr. lib. 3.
[y] Mambr. lib. 3. in fi.
[z] Iov. lib. 40.

X. REGIS ANGLIÆ PROSECUTIO SCHISMATIS.

In Angliâ Rex Henricus legem [a] ad populum tulisse dicitur, nequis deinceps festa Sanctorum coleret, aut in iis vacaret ab operibus. Aliámque, ut singuli parœci seu curiones, sacrosancta Bibliâ linguâ vulgari haberent ac profiterentur. Quod eò fortè fecit ut aliquam gratiam apud Germanos Protestantes iniret; cùm ad Conventum Ratisponensem missis [b] legatis, suam eis fidem aliquo modo probare voluerit, à quibus in novo Evangelio assectando tarditatis accusabatur. Quod verò se neque Catholicis neque Protestantibus, quoniam cum neutris plenè communicabat, gratum esse cerneret; tentavit etiam eodem conventu rationem quamdam cum Imperatore inire, quâ ipsi unitus, per eum Romano Pontifici reconciliaretur. Sed quòd id salvo suæ majestatis honore, hoc est absque publicâ criminis confessione, absque pœnitentiâ, & rerum ac bonorum Ecclesiasticorum restitutione fieri vellet, ista ejus cogitatio ad nihilum recidit.

[a] Lud. Guicc lib. 1.
[b] Sander l. 1 de Schism.

XI. GAMÆ EXPEDITIO ÆTHIOPICA INFAUSTA.

Quo eodem tempore Stephanus Gama Lusitanus Prorex Indiarum, qui in Arabiam contra Turcos navigaverat, Barnagazij maximi Regis Æthiopiæ præfecti, necnon ipsius Regis Asnafasagaris, quem alio nomine Claudiũ appellabant, Davidis de quo superiùs, successoris, ejúsque matris Elisabethæ literis, de auxilio cõtra communem adversarium ex fœdere rogatus, (Gradaametes enim Adelis ac Zeilæ tyrannus, Solimani Turcorum Imperatoris stipendiarius, infestissimus nominis Christiani hostis, in Æthiopiam dudùm cum exercitu irruperat, multísque cladibus Regem in intima Æthiopiæ compulsum, magnâ parte finium exuerat) misit fratrem suũ Christophorum Gamam, acri ac præfervido ingenio adolescentẽ, cum Lusitanis quadragintis, & magnâ tormentorum copiâ. Qui regionem ingressus, & Barnagazio junctus, Elisabethâque Reginâ, quæ non longè inde sese munitissimo tenebat loco, (excelsâ videlicèt & undique abscissâ rupe, mille ferè passuum ambitu, intra cujus projecturæ planitiem regia tecta, cum capacissimis duabus cisternis, & ornatissimo templo atque cœnobio, visuntur; accedítque tantum agri ut probè cultus in annua quingentorũ ferè hominum alimenta sufficiat; ubi Regum filij natu minores, nequid eorum gratiâ seditionis existat, includuntur:) in castra ad majorem expeditionis existimationem, & commeatûs facultatem & copiã, evocatâ, atque honorificentissimè exceptã; duplici certamine intra paucos dies victor, tertio, quo Gradaametes

auxilia Turcorum habuit, fugatus cum magnâ suorum clade; atque è fugâ saucius retractus, virgisque primùm dirè cæsus, deinde variis ludibriis & contumeliis affectus; postquàm omnes injurias & cruciatus invicto propter Deum animo pertulisset, propriis tyranni manibus obtruncatus est; capútque præcisum, & cum eo primarij Lusitani duodecim ad Solimanum dono transmissi. Ac sunt qui ex ipso Christophori mortis & causæ genere eum in celestium numerum pro certo referendum existiment: quem quidem Rex Claudius in eâ quam ad ejus fratrem Stephanum Indiæ Proregem de his rebus misit epistolâ, Christi Martyrem non dubitanter appellavit. Post eam autem victoriâ cùm Gradaametes dimissis Turcis, quasi nihil jam superesset periculi, unà cum uxore & liberis, ac cetera multitudine, ad Nili fluenta valetudinis & animi causâ concessisset; ibi nihil tale metuens, à Claudio Rege cum Lusitanorum reliquis è fugâ collectis, & Abassinorum peditum octo millibus, & equitibus quingentis invasit. Contracto certamine, Gradaametes, ab Lusitano cujus nomen ignoratur cùm unum tyrannum simul omnes impeterent, plumbeâ glande trajectus occubuit. Magna dein edita Mahometanorum fugientium strages, & castra cum tormentis, & cetero belli apparatu direpta, & quod omne superavit gaudium, haud exigua Christianorum omnis ætatis & sexûs utriusque multitudo è miserrimâ servitute, ac vinculis erepta. Gradaametis uxor, cum trecentis equitibus, quos circa se præsidij causâ habebat, & cum thesauris effugit. Certa dein pax Æthiopię Regi aliquandiù mansit, iis qui per bellum ab eo desciverant cum lacrymis, & infimâ deprecatione ad fidem atque ad officium redeuntibus. Tam insigni partâ victoriâ Claudius in iisdem locis, anniversarias hebdomadæ sacrosanctæ ferias admirabili pietate celebravit, quandiù corpus Domini clausum in sepulchro adservatum est, atratus & squalidus veteri gentis more, nihil omninò gustavit, nec pedem e templi finibus extulit, idem à Reginâ matre, & proceribus factum. Nec minore cerimoniâ, studióque Paschalia dein peracta mysteria, elutis per confessionem sordibus animorum, salutari cælestis agni cibo refecti summi atq; infimi, ad extremum agmine composito collucentibus undique cereis cum solemni pompâ supplicationem obiêre. Neque ita multò pòst, Lusitanis qui in bello ceciderant, justa funebria, & regalis apparatûs exequiæ, cum insigni erga pauperes benignitate, & peculiaribus sacrificiis, & summâ omnium ordinum frequentiâ persolutæ. Lusitani superstites, virtutis ergò donis ab Rege donati & liberaliter habiti, quod reliquum erat vitæ, ferè omnes in Æthiopiâ transegêre. Quæ biennio gesta narrat Maffeius [c] ex commentariis Michaëlis Castanosij Lusitani, qui rebus interfuit.

Gama pro martyre habitus.

[c] *Maff. Hist. Indic. lib. 11.*

XII.

Congregat. Visit. Orphan.

Romæ Paulus Pontifex Confraternitatem nuper in Vrbe à Curialibus (fortè ad imitationem Æmilianicæ, de quâ superiori anno) institutam ad pauperes Orphanos utriusque sexûs educandos, & bonis artibus instruendos, cui etiam nonnulli Cardinales, & Episcopi, aliíque Prælati, nomen dederant; constitutione [d] data 7. Idus Februarij approbavit, ac de novo instituit sub invocatione *B. Mariæ Visitationis Orphanorum*; & in Archiconfraternitatem ac caput omnium aliarum confraternitatum, & hospitalium, aliorúmque quorumlibet locorum eorumdem orphanorum, puerorum & puellarum ubilibet institutorum, erexit, cum diversorum privilegiorum & indulgentiarum elargitione.

[d] *Bullar. to. 1. Paul. III. const. 26.*

XIII.

Paracelsi obitus.

Mortuus est hoc anno 24. Septembris, ætatis anno 47. Salisburgi, *Philippus Theophrastus Paracelsus* Hohenheimensis, novæ Medicorum Scholæ auctor; cùm uno eodémque tempore non solùm in Religionem, verùm etiam in omnes penè artes & scientias, novę irrepserint hæreses & corruptiones, ingenti animarum, corporum bonorúmque detrimento. Hoc enim anno mortuus ponitur à Bucholcero, satis diligenti nativitatum & obituum illustrium virorum observatore. Qui tamen peccavit in obitu *Santis Pagnini* Lucensis Ordinis Prædicatorum sub anno 1536. collocando, quem præsenti anno 1541. decessisse Lugduni, & Sixtus Senensis disertè testatur & constat certissimè ex ejus monumenti, quod positum est in medio choro sacræ ædis Prædicatorum, inscriptione, ubi dicitur obdormisse in Domino nono Calendas Septembris 1541. Fuit autem Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, & Arabicè doctissimus: ut testamenti utriusque versio, Thesaurus linguæ Sanctæ, Isagoge ad sacras Literas, & ad mysticos Scripturæ sensus, ac reliqua ejus opera, quæ idem Sixtus enumerat, abundè testantur.

Et Santis Pagnini.

XIV.

Locustarum clades.

Quo item anno [e] incredibilis ingentium locustarum multitudo in regionibus Poloniæ regno finitimis apparuit: quæ primò nullas habentes alas, magnos dabant saltus: posteà quatuor adeptæ, tantâ densitate provolârunt, ut duo milliaria cubito tenùs occupantes, solis splendorem excluderent. Totâ æstate cuncta virentia ad radices usque depascentes, cœlo in autumno frigescente extinctæ sunt, atro post se relicto semine, unde proximo anno aliæ ortæ sunt, quæ multas Germaniæ & Italiæ regiones similiter depavêre: quas tamen nonnulli ab Oriente per Illyricum in Italiam convolâsse scripserunt.

[e] *Sur. in commentar.*

IESU CHRISTI Annus 1542.
PAULI III. Annus 8.
CAROLI V. An. 24.

I.

Conventus Spirensis.

ANNO Christi millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Indictione decimâ-quintâ, bini celebrati sunt in Germaniâ per Ferdinandum Regem, absente Cæsare, conventus Imperiales, pro suscipiendâ expeditione contra Turcos in Hungariam. Alter mense Februarij Spiræ: quo postquàm Ferdinandus Ordines ad eam hortatus esset, auditus est quoque missus illuc à Francisco Galliæ Rege Franciscus Olivarius Cancellarius Ducis Alenconij, posteáque Regis: sed quòd bellum Turcicum, quoúsque per Concilium controversiæ Religionis terminarentur, & Principes Christiani inter se reconciliarentur, sícque omnes concordibus ani-

mis in Turcum vires suas converterent, dissuaderet; non æquis animis ejus oratio accepta est, cùm videretur Franciscus Hungariam Turcis in prædam relinqui velle, ut Cæsar de tuendâ mox Germaniâ solicitus, res Italicas, quibus Rex inhiabat, pro derelictis habere cogeretur. Itaque Olivarius à Germanis quodam modo contemptus, antè conventum dimissum in Galliam rediit. Ioannes autem Moronus Episcopus Mutinensis Pauli Pontificis Nuncius, bellum ejus nomine comprobans, si Imperator dux ipse futurus esset, quinque peditum millia, si alius, dimidium stipendio affecturum promisit. Deinde de celebratione Concilij agens, Pontificem eam omninò decrevisse significavit: sed quòd ei interesse cuperet, tam longinquam in Germaniam profectionem tantámque cæli mutationem, haud se jam senio confectum pati posse, quæ nec ceteris nationibus grata esset, eáque propter aliquam ex civitatibus Italiæ cupere se; sin tamen eæ non placerent, ut Tridentum ad Germaniæ fines situm deligeretur non recusare. Ad quæ Ferdinandus, ceterique Catholici Principes, atque Imperatoris legati, gratias agentes, nisi commodus in Germaniâ locus obtineri posset, Tridentum sibi haud displicere declarârunt. Protestantes verò, qui verbo quidem Concilium urgebant, reipsâ nihil magis refugiebant, neque Concilium à Pontifice indici, neque ullam in decreto mentionem ejus fieri, nec denique locum probare se posse responderunt; magnâ se protervià, Concilij totiúsque religionis dispensatores & dominos constituentes. Quâ re factum, ut in eo conventu nihil ultrà de Concilio sit decretum.

Quid de Cõcilio.

II. Expeditio contra Turcum decernitur.

Contrà Turcum verò expeditio est decreta; eíque datus Imperator de communi consilio, Carolíque sententiâ, Ioachimus Elector Brandeburgicus; ita tamen ut sine Octovirorum ei adjunctorum consilio nihil statueret, aut moliretur. Cùm verò non omnes quæ promiserant suppeditarent; essentque insuper Saxo & Lantgravius Protestantes, contra Brunsvicensem Catholicum, aliis quidem prætextibus, sed præcipuè ob causam religionis armati, adeò ut eum totâ ditione spoliaverint, conventu mensibus Iulij & Augusti Norimbergæ habito, conquerente de his Ferdinando, pœna quidem in eos qui Spirensi deliberatione non obtemperarent, decreta est; res autem belli Brunsvicensis verbis delusa. Turcici verò fuêre copiæ (ut tradunt qui [a] hanc expeditionem describunt) & numero peditum equitúmque, & viribus, & militarium præfectorum virtute ac peritiâ longè præstantissimæ, ac ferè insuperabiles, & quæ ipsimet Solimano, si ad manus conserendas prodire in aciem vellet, non sine certâ spe obtinendæ victoriæ haud dubiè opponi posse viderentur; collectæ illæ ex Germanis, Hungaris, Italis, Illyricis, & aliis nationibus. In quibus eam fuerunt tria millia delectorum peditum à Paulo Pontifice ex Italiâ missorum; duce Alexandro Vitellio: qui pugnacis & egregij ducis famam virtute & præclarè rebus gestis jam anteà promeritus, hanc adeò istâ expeditione auxit, ut in quodam certamine ac concursu Turcus quidam insignis illum sibi ostendi postulans, equo honoris causâ desilierit, ac veneratus sit. Cum quo etiam misit Paulus Angelum Medicem, sive Medichinum, Mediolanensem, Iacobi classis Danubianæ præfecti, alterúmque jam annum in Hungariâ secundâ nominis famâ militantis, fratrem germanum, qui statis temporibus stipendia militibus persolveret: qui postea Cardinalis, demùm ad Summi Pontificatûs fastigium Pij IV. nomine pervenit.

[a] *Iov. lib. 42. Belcar. l. 23. Istuanff. Hist. Hungar. l. 15.*

III. Ea fuit irrita, culpa Germanorum.

His tamen tantis apparatibus, præter levia quædam certamina, & tentatam incassùm Pestæ, quæ ex adverso Budæ est Danubio intermedio oppugnationem, nihil actum est; cùm tamen extra solita Turcorum præsidia, eáque multùm pestilentiâ imminuta, nihil aliud virium, præter exigua quædam auxilia eis accessisset, quamvis manâsset fama Solimanum cum ingentibus copiis adventare. Quæ etiam fama Germanos multùm retardavit; Hungaris & Italis valdè adversus eos indignantibus, & de illorum cunctatione conquerentibus. Denique sive Brandeburgici culpâ, parùm in bellis exercitati, sive octovirorum socordiâ; an quòd Germani in arcano consilio nullum pro Hungaris gravius discrimen adire, & suos tantummodò fines tueri statuissent; seu etiam quòd Ferdinandus Viennæ subsistens rem non adeò urgeret: (qui homo simplici ingenio, fratri multùm dissimilis, suæ aulæ principibus, qui illius opes devorabant & alienæ virtuti invidebant, nimium credens, nihil umquam memoriâ dignum gessit:) tantus ille exercitus, nullo operæ pretio facto; autumno jam inclinante dissipatus est. Vtque rei malè gestæ fœdus exitus, ad minuendam infamiam, avertendósque hominum sermones, alicujus insignis facti novitate tegeretur; Petrus Perenius Hungarorum nobilissimus, qui fortem & anteà, & postremo hoc bello operam Ferdinando navaverat, affectati regni accusatus, captúsque est, ministerio Liscani Hispani: qui indignitatem augens, avarè & inhumaniter aureum torquem collo ejus detraxit; exuítque pretiosâ veste quâ indutus erat. Quod factum, uti clarissimo viro atque insonti indignum, adeò Hungarorum animos contumeliæ dolore consternatos perturbavit, ut supra duodecim millia equitum, maledictis Germanicum nomen incessendo sublatis continuò signis domum redierint. Rem narrat Iovius; innocentiam quidem in hoc Perenij agnoscens, sed tamen mobilitatem ejus ingenij in fide erga Ioannem defunctum Regem & Ferdinandum, & defectione ab utroque ad utrumque, atque etiam in rebus Turcicis, sugillans, ob quam meruit sic plecti. Cui Istuanffius graviorem etiam causam adjungit; nempè quòd invexisset in Pannoniam Lutheranam hæresim, propterea divinam meritò sensisse vindictam, etiamsi in præsenti accusatione perduellionis insons esset. Ceterùm ut publicè audiretur, à Ferdinando impetrare non potuit: indictáque causâ in perpetuam custodiam ad Novam Austriæ civitatem missus, ibíque per quinquennium detentus, cùm in eo esset ut libertatem certis conditionibus adipisceretur, diuturno morbo oppressus extinctus est.

Perenii indignus casus.

Decreto jam superiori contra Turcos bello

IV.

LUTHERI CONCIO DE BELLO TURCICO.

edidit Lutherus linguâ vulgari libellum, Concionem militarem, seu castrensem: quâ contrà quàm aliàs scripsisset bellum Turcis inferre nihil aliud esse quàm repugnare Deo; qui Christianos eo flagello castigaret; jam præstò esse omnes hortatur, & qualiter se gerere debeant monet: subjungens etiam rationem precandi: quâ inter cætera diabolum, Pontificem atque Turcum, eodem prædicamento, non ferè tam impiè quàm ad rem ineptè, ut erat diabolico & stolido spiritu plenus involvit. Quin etiam in Sacramentarios invectus, (haud quidem illud malè, si non malo & invido magis, quàm charitatis & commiserationis animo) Zuinglium medium inter Anabaptistas & Thomam rusticæ seditionis in Germaniâ auctorem constituit, causâmque ferè omnem sævitiæ Turcicæ in Zuinglianos confert. Quod veteratoriè Sleidanus, qui multa ex eo libello recitat, & quæ contra Pontificem & Catholicos faciunt diligenter memorat, in gratiam Zuinglianorum reticet.

V. FRANC. REX BELLUM INDICIT CÆSARI.

Ardebat intereà Gallia bello, quod Rex Franciscus in Carolum Imperatorem ob injurias quas diximus ab eo acceptas, renovavit. Mense Maij literis ad Senatum Parisiensem datis, supplicationes ad placandum divinum numen indixit, ut veram sui cultûs formam continuaret, qui errarent eos in viam reduceret; ut amissas regij patrimonij portiones æquâ pactione sibi restitui inimicorum suorum animis inspiraret, aut si bello repetendæ essent, felicem ejus exitum largiretur, & iniquam legatorum suorum cædem concedendâ victoriâ ulcisceretur. Quando etiam edicta proposita sunt adversùs Lutheranos: & Senatus Parisiensis gravissimis constitutis pœnis denunciavit Bibliopolis ac Librariis ne quolibros damnatos aut suspectos excluderent, aut divenderent, ac nominatim pestilentissimã Calvini Institutionem. Deinde bellum Imperatori verbis atrocissimis à Rege denunciatum est, exercitibus quinque adversùs eum instructis; in Italiâ pro Pedemontio & principatu Mediolanensi; in Belgio contra Lucemburgum, & alias vicinas Picardiæ provincias; & in Hispaniâ contra Perpinianum & Ruscinonensem agrum; cui postremò Henricum filium Delphinum, Lucemburgensi Carolum alterum filium Ducem Aurelianensem præfecit. Namque ut justius bellum videretur, provincias impetere voluit, in quas jus sibi vindicabat: in Pedemontium quidem & Mediolanum, id quod sæpè superiùs explicatum est: in Lucemburgum & Belgicas provincias, ex successione Ludovici Aurelianensis Caroli VI. fratris proavi sui, contra cujus hæredes Philippus & Carolus Burgundi eas occupâssent: in Ruscinonem verò jure antiquo, in quo præjudicium regno non potuisse fieri à Carolo VIII. dicebat, qui recenti adhuc multorum memoriâ ab Olivario Mallardo pecuniâ & muneribus corrupto persuasus, Ferdinando Aragonio certis legibus, quas ille semper violâsset, ejus possessionem concesserat. Cæterùm irrita fuit Delphini contra Perpinianum expeditio: Felicior Aurelianensis, qui assumpto suæ adolescentiæ moderatore Claudio Lotharingo Guisij Duce, Lucemburgum oppidum cum universâ fermè ditione in potestatem suam redegit; citò tamen posteà à Cæsarianis recuperatum. Antonius quoque Vindocinensis nonnullas arces Picardiæ vicinas diruit. Et Longavallius in Brabantiam penetrans ingentem terrorem intulit; sed tormentorum defectu nullo alio operæpretio hostilem tantùm agrum populatus est. In Subalpinis regionibus Annebaldus, consiliis Langei contemptis, parùm quoque profecit. Adeò ut totus ille belli apparatus ad nihilum penè redactus fuerit. Qui si non in tot partes divisus fuisset, sed Mediolanensi dumtaxat & Lucemburgensi provinciæ occupatus, ut prudenter Langeus suadebat, longè majus operæpretium facere potuisset. Ita namque fert natura rerum, ut multis simul quis negotiis implicatus, rarò aliquid egregij præstet. Et si tantum consilij Rex, quantum vanitatis & inconsideratæ plerumque fortitudinis habuisset, feliciorem haud dubiè rerum suarum successum nactus fuisset. Dubiam ab initio Fortunam (si qua illa est) cuinam magnorum illorum Principum, Carolo inquam an Francisco, ætate, viribus, magnitudine animi pœne paribus adhæreret; Carolus consilio & prudentiâ atque sagacitate ita intercepit, seu delinivit, ut vel invitam sibi obstrinxerit. Cecidit sors super Matthiam; quo die vidimus Carolum natum. Quod tamen eo temperamento frenavit præpotens Dominus, ut quamvis contra Regem pluries Carolus prævaluerit fortunæ suæ impetu; non tamen illa contra regnum opem ei ferre ausa sit: quod à summâ divinâ providentiâ protectum, unicus videtur hactenùs obex positus conturbando Hispanico proposito adeptionis monarchiæ Europæ. Cæterùm qui scire voluerit, quomodò prædictæ expeditiones, suis quibusque locis se habuerint, sincerissimum Bellaium [b] habet, qui doceat; & Iovium [c], atque Belcarium [d]; præter cæteros diversarum nationum scriptores, qui ad singulas minutias, otiosè, ac plerumque dubiâ fide descendere consueverunt.

CALVINI INSTITUTIO PROHIBITA IN GALL.

EXPEDITIONES IRRITÆ.

FORTUNA CAROLI CÆSARIS.

[b] Bellai. l. 9.
[c] Iov. lib. 41.
[d] Belcar. lib. 23.

VI. EGREGIA REGIS LIBERALITATIS ET CLEMENTIÆ EXEMPLA.

Illud tamen omittendum non videtur, quod imprimis Iovius narratione dignum non immeritò censuit: cùm redeuntibus è Perpinianensi obsidione regiis copiis, enata esset controversiâ judicij militaris, dum Hispani captarum ab Italis qui Regi militabant, in direptione campestris agri nobilium feminarum propinqui eas sibi liberaliter reddi postularent, suffragante ipsâ ratione humanitatis, & more antiquo, quo imbelle genus omni vexatione indignum censebatur; econtrà verò negantibus Italis jure belli captas sine pretio dimissuros, recentis Romanæ cladis exemplo, quo non matronæ modò, sed infantes etiam pueri summâ Hispanorum acerbitate multo auro redempti fuerant: Regem apprimè liberalem: donativum Italis militibus ex merito per quæstorem dari jussisse, excultâsque muneribus feminas dimisisse. Eâdem quoque liberalitate usum esse erga Germanos, quos fluctuante navigio ad Stœchadas è Genuâ delatos Virginius Vrsinus admotis triremibus numero ferè trecentos ceperat: & eò quidem majore clementiæ laude, quoniam Cæsariani multos Subalpino bello captos ad triremes atroci cum injuriâ relegâssent. Nemo enim hoc tem-

pore repertus est, qui Francisco Regi liberalitate & humanitate æquiparari potuerit. Quam etiam hoc eodem extremo anno insigniter in Rupellanos exercuit: qui cùm ob salinarium vectigal, & mutatum urbis regimen impositúmque præsidium, grandem seditionem movissent, eâ incomparabili Regis clementiâ, nullo in enectos pavore cives exerto gladio, repressa est; tam humano exemplo obliquè sugillantis asperitatem Imperatoris, qui Gandavensium rebellionem tot civium sanguine expiâsset.

VII. Fuit quoque atrox hoc eodem anno bellum inter Reges Henricum Angliæ & Iacobum Scotiæ, avunculum scilicèt & nepotem; ortum ex invidiâ & superbiâ Angli. Quod tamen cum non ante autumni tempus gestum sit, priùs agendum de novâ principio anni actâ ab eodem Henrico Londini tragœdiâ. Qui cùm in uxoribus pœnas ferret repudiatæ legitimæ Catharinæ Hispanæ; post alias quas diximus aut necatas aut abjectas, Catharinam HaWardam; quam nondum biennio toto uxorem habuerat, adulterij apud regni ordines, ipsomet Rege accusante, convictam, unà cum mœchis suis capite plexit. Quòd verò etiam antequàm Regi nuberet corrupta fuisse diceretur; ne quid simile imposterùm contingeret, lex auctoritate comitiorum lata est, ut siqua deinceps mulier pro virgine à Rege in matrimonium accepta, non tamen virgo esset, tam illa quàm qui eam violâssent veluti læsæ majestatis rei pœnas mortis subirent. In quos laqueos miser Rex se involvit, postquàm à Deo recessit! Annon hæc, puerilia nugamenta meritò quibusvis cordatis censeantur? Quòd si vitium in HaWardâ tempore nuptiarum reperit, ut quid per biennium ferè eam retinuit? si non reperit, cur illud ei exprobravit? Ceterùm ne turpiter iterùm in virgine cooptandâ erraret, Catharinam Parram ex equestri familiâ, viduam Baronis Latimeri sextis nuptiis sibi copulavit; hoc præ ceteris beatam, quòd priùs ille è vivis excesserit, quàm & illam (sicut in animo habuisse dicitur) ob hæresis crimen de medio sustulisset. Hæc autem narrat Sanderus [e], & plerique alij. Qui etiam addit, eodem hoc tempore Henricum edicto publico Hiberniæ se Regem dixisse, ut ægrè tam Regi Galliæ, (à quo alienatus erat, tum ob fœdus illius cum Scoto, tum quòd illum à suâ apostasiâ aversissimum senserat) quàm præcipuè Scoto qui partem Hiberniæ ad se pertinere contendebat, faceret: cùm ad eum usque diem, ex quo tempore Henricus II. ab Hadriano IV. Pontifice natione Anglo eam insulam dono [f] accepisset sub annuo censu, Reges ejus se tantum Dominos nuncupâssent.

Henric. rex Angl. quintam uxorem capite plectit.

Sextam ducit.

[e] Sander. l. 1. de Schism.

Regem se Hiberniæ dicit

[f] Vid. Epit. Baron. an. 1159. III. & 1171. II.

VIII. Quod bellum Scoticum attinet, cùm idem Henricus jam antehàc duplicem Iacobi contractam [ff] in Galliâ affinitatem, & denegatum sibi petitum ad res communes tractandas, congressum ægerrimè tulisset: invitatúsque rursùm hoc tempore Iacobus ad congressum Eboraci habendum; de præcipuorum procerum suorum consilio, monentium esse iter discriminis insidiarúmque plenum, ac cum regni pernicie conjunctum, si prolis expers illi se committeret, in cujus pectore nihil non f[a]cti & impij esse, actiones ejus satis antè docuissent, suaderéntque modò eum hoc maximè moliturum, ut Regem eversâ Ecclesiæ re ad ejusdem secum sacrilegij societatem impelleret; aut si id recusaret, contra fidem (ut alias in Iacobo I. factum fuerat) in Angliâ detineret: hísque rationibus motus Iacobus, accessum in Angliam per legatos suos humaniter humilitérque excusâsset: Anglus hinc vehementissimè succensus, arma contra Scotum, in hujusmodi contemptûs vindictam ferre quamprimùm statuit. Hanc enim belli causam Leslæus [g] aperit: nec diffitentur Sleidanus [h] & Buchananus; nisi quòd iste totam culpam in sacerdotes rejicit, qui Iacobum largitionibus diverterint ab eo congressu, & induxerint ad quæstiones de jis qui Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & dogmata in Scotiâ aspernarentur habendas. Grande scelus scilicèt; Regem adversus hæreticos commovisse, & à communicationis cum alio Rege Ecclesiæ hoste periculo dimovisse! Sed ab hæreticis quid nisi ab omni ratione absonum expectes; Fuit autem bellum illud Scotis, post quædam prospera certamina, infaustum: cùm major pars nobilitatis nec Regi percupienti in Angliam irrumpere, & prælium conserere, obtemperare; nec præfectum sibi quemdam ducem Regi charum, sed humiliori genere ortum, accipere volens, maluit Anglo manus dare. Quâ re *Iacobus* partim irâ in suos; partim dolore cladis percitus, in febrem incidit, ex quâ obiit die decimotertio Decembris; unicâ relictâ prole *Mariâ* filiâ octavo antè die natâ, cùm duos quos susceperat filos paulò antè amisisset. Obiit autem Rex anno ætatis trigesimo secundo, regni trigesimo, non solidis; multis animi & corporis dotibus præcellens, justitiæ cultos eximius, laborum patientissimus, aliísque virtutibus illustris.

[ff] Sup. an. 1537.

Bellum inter Reges Angl. et Scot.

[g] Lesla. Hist. Scot. lib. 9. [h] Sleid. l. 15. Buchan. l. 14.

Iacobi Regis Scotiæ obitus.

IX. Post cujus obitum fluctuante Scotiâ, Comes Araniæ Iacobus Hamiltonius Regi propinquitate conjunctus, Gubernator regni declaratus est, Reginæque infantulæ tutor, repugnante licèt Davide Cardinale Betonio Archiepiscopo Santandreano cum aliis nonnullis, asserentibus Regem testamento suo quatuor administratores instituisse, quorum præcipuus ipse Cardinalis esset; cùm tamen nullâ id certâ ratione evincere possent. Henricus verò Anglus in spem erectus obtinendæ Scotiæ per legatos Mariam puellam filio suo Eduardo quinquenni in matrimonium sponderi petiit, obtinuítque, reluctante iterùm Cardinale; qui, ne rem interturbaret, interim dum ea tractaretur, in custodiam traditus est. Favebat enim parti Gallicæ, unà cùm Reginâ matre; ac prætereà solicitissimus erat de custodiendâ fide Catholicâ, quæ per ejusmodi affinitatem Anglicam in præceps ruere cernebatur. Nam quòd Gubernator mitioris esset ingenij, suadentibus proceribus Angli fautoribus, Dominicanum quemdam Guillamum nomine sustinuit, qui auctoritatem Romani Pontificis, atque alia quædam Ecclesiastica dogmata pro concione laceraret. Idémque suâ auctoritate indulsit, ut sacra Biblia Anglico idiomate à quiqusvis legerentur, ac preces ritúsque orandi quilibet sibi pro arbitratu commentaretur. Eóque primùm tempore (ut Leslæus [i] Roffensis Episcopus lugenter scribit)

Card. Betonius traditur in custodiam.

Scotia incipit corrùpi in fide.

[i] Lesla. l. 10

apud Scotos Catholica religio passa est impiorum hominum pravè sentientium calumniam; cùm Rex Iacobus quamdiù vixit, nihil potius habuisset, quàm Religionem Catholicam sartam tectam ab hæreticorum insidiis & fallaciis custodire. Fuit autem aliquo tempore Scotia factionibus agitata, cùm hi Anglis, illi Gallis studerent; & missus à Rege Galliæ Matthæus Stuartus Comes Levinius sive Lenoxius, qui apud eum agebat, de regni administratione cum Hamiltonio etiam armis contendere cœpit; consumptâ inutiliter pecuniâ è Galliâ allatâ, pro rerum successu modò Anglis, modò Reginæ adhærens, quousque & totum se dedidit Anglo, acceptâ ejus nepte in uxorem: & Rex Anglus, quòd noluissent Scoti Mariam Reginulam suam in Angliam educandam mittere Eduardo filio conjungendam, bellum iterùm eis intulit, ut dicetur suo loco. Hæc est autem illa *Maria* quæ posteà nupta Francisco II. Regi Galliæ, & post ejus obitum virgo in Scotiam reversa, ex alio viro Iacobum VI. suscepit; qui demùm Rex etiam Angliæ ex legitimâ matris hæreditate atque successione factus primus omnium ab Orbe condito universam Majoris Britanniæ

MARIA REGINA SCOTIÆ.

Insulam sub unos imperij fasces redegit: postquàm Maria ejus mater fœdissimâ nece nobilissimi Martyrij coronam ab impiâ propinquâ suscepisset: ut de singulis videbitur suis quibusque temporibus.

X. INDICTIO CONCILII TRIDENTINI.

Intereà Paulus Pontifex nihil omittens, quo & rebus fidei & tranquillitati Principum consulere posset; imprimis post consensum Catholicorum in conventu Spirensi de electione Tridenti urbis ad celebrationem Concilij Oecumenici, bullam Indictionis ejus emisit undecimo Calendas Iunij. Quâ commemoratis quæ hactenùs eâ in re gesta fuissent, quæque nos suis locis retulimus, demùm se decrevisse ait, nulla ampliùs considerare impedimenta, nulliúsque Principis expectare consensum, sed tantùm Dei voluntatem & Christianæ Reipublicæ utilitatem attendere: ac propterea ad Calendas Novembres ejusdem præsentis anni 1542. omnes Prælatos, & alios quibus jure aut privilegio Conciliis interesse datum esset, *Tridenti* se sistere præcepit: Imperatorémque, Regem Christianissimum, ac cæteros Reges, Duces, Principes, rogavit ut ipsimet ad Concilium accederent, aut saltem legatos graves viros cum plenâ auctoritate mitterent: ídque sedulo curarent, ut ex suis cujusque regnis & provinciis Episcopi & Prælati sine tergiversatione & mora ad Concilium proficiscerentur: quod maximè quidem à Germanis impetrari æquum esset, quorum præcipuè causâ Concilium celebrandum foret, & in ea civitate quam ipsi desiderâssent: quò meliùs atque commodiùs quæ ad integritatem & veritatem Christianiæ Religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationémque malorum, quæ ad Christianorum inter se tam Principum quàm populorum pacem, unitatem concordiámque & ad repellendos impetus barbarorum & infidelium pertinerent, agi, tractari, ac confici possent. Atque ut Concilium inchoaretur, imprimis (ut habetur in Collectione Archiepiscopi Aquensis, de quâ suprà [k]) Ioannem Tomasium Cavensem, & Ioannem Matthæum Veronensem Episcopos, Tridentum misit, ad illa præparanda quæ pro Concilij celebratione necessaria forent. Nec multò pôst tres creavit Legatos à-latere, qui ei præsiderent: videlicèt *Petrum Paulum Parisium* Consentinum: divini ac humani juris professione insignem; *Ioannem Moronum* Mediolanensem, secundâ morum atque doctrinæ famâ per multos Germaniæ conventus legationis munere functum; & *Reginaldum Polum* Anglum qui suprà regiæ stirpis decus, & perfectæ Latinæ facundiæ laudem, eximium Christianæ virtutis specimen præseferebat, qui omnes Tridentum se contulerunt.

[k] An. 1536. XV.

LEGATI CONCILII.

XI. CAROLI CÆSARIS INVECTIVA IN REGEM FRANC.

Interim vero indictionis diplomate publicato, & continuò ad Principes misso; Carolus Imperator sicut magnus erat Princeps, ita & summus orator videri volens, ut aliàs sæpè, nunc maximè eloquentiam suam contra Franciscum Galliæ Regem exerens; (parcus enim verborum plerumque in reliquis, ni Franciscum adversarium habuisset, non tantam dicendi laudem apud homines obtinuisset) rescripsit ad Pontificem mense Augusti, dolere se quòd in Concilij indictione sibi, qui tantis conatibus Concilium promovisset, Regem Galliæ, qui semper illi suis actionibus obstitisset, contulisset: illum enim filium prodigum esse, se patri obsequentissimum; illum semper & in omnibus malum & iniquum spectâsse, se bonum & æquum; illum Rempublicam Christianam fœdere Turci perditum ire, se conservatum: illius majores occupâsse provinciam Galliam, quæ sit ditionis Imperij, illúmque jam Sabaudiam & partem Pedemontij tenere, aspirare ad cetera, etiámque ad Ecclesiæ Romanæ ditionem involandam; se verò suo contentum, oppressorum protectorem agere, & Romanæ Ecclesiæ defensorem. Quare si Concilium non habeatur, non sibi sed illi tribuendum esse. Et si Pontifex afflictam rempublicam iuvare velit, debere se apertè profiteri Galli hostem. Quod si faciat, & bonis omnibus longè gratissimum, & ad ceteros quoque Reges in officio continendos futurum id esse perutile, nam cogendi Concilij, & recuperandæ pacis & Reipublicæ constituendæ hanc unam esse viam. Hæc in summâ animæ suæ amaritudine Carolus, longâ in Gallum invectivâ ad Pontificem: cujus partem Sleidanus [l] historiæ suæ inseruit: integram etiam edidit Collector Epistolarum [m] Turcicarum.

[l] Sleid. l. 14.
[m] Epist. Turc. lib. 9.

XII. PAULUS PONT. AGIT PRO PACE INTER EOS CONCILIANDA.

At pater optimus, officij sui magis esse concordiam inter fratres componere, quàm irati filij impotentibus animi motibus obsecundare, piè sapientérque existimans recrudescente inter eos bello, ad utrumque Legatos pacificatores destinavit viros gravissimos; ad Cæsarem, Cardinalem Gasparem Contarenum, eóque interim defuncto Michaëlem Silvium Cardinalem Visensem Lusitanum ad Regem, Iacobum Sadoletum. De cujus hâc legatione est quoque testimonium in ejus Vitâ, ab Antonio Florebello conscriptâ: ubi dicitur talis viri auctoritate Regem permotum adeò fuisse, ut quamquam armatus esset,

ac viribus suis fideret; ad pacem tamen flexus fuerit: atque ita ex magnâ desperatione concordiæ, subitò in spem compositionis ventum esse, si modò alterius Legati qui in Hispaniam ad Carolum missus fuerat, felicior fuisset legatio. Cùm igitur nihil hâc legatione actum esset, addidit nihilominùs Pontifex ad utrumque Principem alias literas duodecimo Novembris eodem fermè exemplo, quæ descriptæ habentur apud Panvinium in Vitâ Pauli: quibus magno animi affectu eos ad pacem hortatus, rogavit impensissimè, ut quandoquidem ipse, nullâ ætatis suæ, aut temporis, aut alterius respectûs ratione habitâ, decrevisset, quod nec per literas, nec per Nuncios aut Legatos assequi posset, per se ipsum tentare, iter ad eos faciendo, colloquij cum iis habendi causâ; facultatem hujus colloquij aliquo commodo loco præberent, interímque ab armis cessarent. Iis tamen literis, ob Regum animos in mutuam perniciem accensos, parùm proficere Pontifex visus est.

XIII. Franc. Regis responsio ad invectivas Cæsaris.

Postquam autem Rex literas Imperatoris ad Pontificem contra se scriptas accepit, (quod aliquantò seriùs contigit) suas [n] ad eundem Pontificem exarans mense Februarij anni consequentis, quas Petrus Castellanus homo doctus, Regibus in primis acceptus composuit; primò respondet, quòd sibi præferri Carolus vellet quasi de Ecclesiâ Romanâ præclarè esset meritus, ridiculum esse atque leve: nam nec illius majores cum suis, nec ipsum debere secum hâc quidem in parte componi. Egregium scilicèt esse filium, & primâ laude dignum, cujus exercitus patrem familias Clementem Septimum obsedit, vexavit, cepit, longo carcere maceravit, & primam orbis terrarum urbem, præcipuum Sedis Apostolicæ solium, diripuit, & templa sacra non uno modo polluit, nec ullum ibi flagitij genus atque libidinis & crudelitatis prætermisit: Quinimmò ludibrium etiam adjunxit huic tantę inhumanitati, quando vota nuncupavit in Hispaniâ, & supplicationes decrevit pro liberatione parentis, quem ipse domi captum arctissimè detineret. Suos verò majores Galliæ Reges omnia semper fecisse tum amplificandi causâ, tum ornandi Romanos Pontifices. Multis verbis Imperatorem prædicare suam diligentiam atque studium erga Rempublicam; sed longè rem aliter habere, cùm ejus auspicis & culpâ maximè clades Reip. obvenerint, quas enumerat. Turcorum societatem sibi dari crimini quam ille cùm sæpiùs ambiret, consequi non potuerit, & ut consequeretur, annuum Solimano stipendium dare non recusârit: suam autem istam cum Turco amicitiam non ad ullum Reip. detrimentem, sed ad utilitatem summam spectare, si modò non obstaret summa Caroli ambitio. Tridentinum Concilium ab se minimè impediri, vel retardari: nullum enim ex eo compendium ad se redire: & verò à majorum suorum exemplis hoc fore per quàm alienum, quos Conciliis omnem operam & fidem sæpè præstitisse constaret, sed Carolum sic rapi transversùm odio in ipsum Regem, ut nullum non criminationis genus attingeret. Hoc etiam esse ejus ingenium, ut & imperarare vellet omnibus, & eripere libertatem; atque interim tamen hanc suam cupiditatem sic occultare verbis ad speciem compositis, ut etiam pietatis primam laudem sibi deberi putaret. Quæ cùm ita essent, orare Pontificem ne calumniis fidem haberet; & ita de se statueret, nihil esse quod non & Reipublicæ, & ipsius, & Ecclesiæ Romanæ causâ vellet. Ita Franciscus in suî defensionem: sic exercitatissimis pugilibus invicem dimicantibus, ut non minorem laudem ex verbis quàm ex armis appeterent. Quàm gloriosius utrique extitisset, rem Dei & Ecclesiæ, Christianitatísque curare atque provehere, non hujusmodi nugis ac næniis operam ludere, séque ipsos mundos irridendos, cum ingenti Christianitatis & populorum damno, præbere! Plus sanè uterque, quicquid adulatores de iis prædicent, infamiæ hinc consecutus est, quàm gloriæ ex aliis præclaris facinoribus.

[n] Sleid. an. 1543. Bel. lib. 23. Epist. Turc. lib. 9.

XIV. Constitutiones variæ Pauli PP.

Paulus autem Pontifex præter illa quæ diximus ab eo in bonum Ecclesiæ & Fidei gesta, etiam hoc eodem anno Neophytorum, sive Iudæorum & Infidelium Christianam fidem amplectentium, privilegia auxit; datâ eâ de re constitutione [o] vigesimo primo Martij. Aliámque [p] pòst addidit de institutione Hospitalis & monasterij pro iisdem neophytis cathecumenis, Iudæis, & infidelibus Catholicam fidem amplectentibus; & archiconfraternitatis pro eorumdem regimine. Denique & sex Cardinalium Congregationem instituit [q] sapientiâ zelóque præstantium, qui summâ cum potestate in hæreticos & depravatos in fide inquirerent: auctore, ut volunt, Ioanne Petro Cardinale Carafâ, posteà Pontifice Paulo IV. cùm jam latiùs per totam Italiam serpente Lutheranâ hæresi, ejus labe non profani modò, sed & religiosorum hominum multi polluti essent. Quâ ratione factum est, ut membris ægrotis, aut sanatis aut amputatis, quæ contagio inficiebantur, paulatim salutaribus remediis pristinæ sanitati restituerentur. Cùm etiam paulò ante aliam constitutionem [r] idem Pontifex edidisset ad ceteros per Italiam Inquisitores, ut procederent contra omnes etiam regulares, eorúmque prælatos, qui propositiones suspectas, periculosas & à fide receptâ discrepantes, prædicare aut proponere detecti fuissent: exceptis tamen regularibus Episcopis: ad quos nihilominùs Pius [s] IV. posteà eamdem facultatem extendit.

Congregatio Inquisitionis.

[o] Bullar. to. 1. Paul. III. const. 32.
[p] Ibid. const. 37.
[q] Ibid. const. 34.
[r] Ibid. const. 30.
[s] Bull. to. 2. Pij IV. const. 51.

XV. Card. Contareni obitus, et virtutes.

Diximus, cùm ad Imperatorem Legatus destinatus esset Gaspar Contarenus, eum excessisse è vitâ: quod Bononiæ contigit, ubi Legatum ordinarium agebat, nono Calendas Septembris, anno ætatis quinquagesimo nono: vir utique vitæ puritate, historiæ cognitione, linguarum peritiâ, rerum agendarum industriâ, omnium virtutum cultu, ac plurium pro Republicâ suâ Venetâ & Romanâ Ecclesiâ legationum egregiâ functione ac negotiorum gestione insignis. Quem quidem profecisse multùm ex consortio & consuetudine Ignatij fundatoris Societatis Iesu, ac vicissim eum acceptioni & approbationi Societatis admodùm profuisse, narrant qui de illâ agunt. Ejus verò Vitam scripsit Ioannes Casa; quam ante ejus opuscula philosophica & theologica, publicè editam conspicere licet. Qui verò plura de eo cupiet, Victorellum habet & Vghellum in Additionibus ad Ciacconium & Cabreram, qui

abundè satisfaciant, dum quæcumque ab aliis sparsim de eo dicta fuêre, in unum collegerunt. In ejus verò scriptis non infimum locum obtinet opus de Immortalitate animæ, quod juvenis contra Pomponatium præceptorem suum, quamquam modestiæ causâ suppresso nomine, scripsit; cùm ille impio conatu animas hominum interire cum corporibus, ex Aristotelis sententiâ persuadere libro edito contendisset.

XVI. HIERON. ALEANDRI OBITUS, ET LAUDES.

Mortuus item hoc eodem anno Calendas Februarij Romæ non minor meritis & famâ Cardinalis *Hieronymus Aleander* patriâ Mottensis ex Comitibus Landri in Forojulio; qui ob incomparabilem inusitatæ memoriæ felicitatem, & linguarum peritiam, à Ludovico XII. Francorum Rege in Galliam invitatus, Parisiis summâ omnium admiratione aliquot annis docuit, Rectórque Academiæ præfuit. Romam deinde concedens, inter alia munera, Bibliothecæ Apostolicæ à Leone X. præfectus est. Multísque deinde legationibus præclarè functus, demùm à Paulo III. Pontifice in Senatum Cardinalium lectus est. De cujus laudibus extât [t] permulta aliorũ magnorum virorum prçconia, asserentium multa collecta fuisse in eo magna atque præstãtia, quæ in ceteris singula vix inessent. Illud quoque de ejus cõtinentiâ valdè commendabile, quod ipse in suo testamento extare voluit; videlicet in suis legationibus numquam munus accepisse. Obiit autem anno ætatis suæ sexagesimo secundo quem Iovius [u] ait, pervasurum haud dubiè fuisse ad exactam ætatem, nisi nimiâ tuendæ valetudinis sollicitudine intempestivis medicamentis sibi infelix medicus viscera corrupisset.

[t] *Vid. Victorel. in Addit. ad Ciaccon.*

[u] *Iov. in Elog. n. 98.*

XVII. FRANC. XAVERII APPULSUS IN INDIAM.

Quo eodem anno, pridie [x] Nonas Maij, pervenit Goam Indiæ Orientalis Metropolim Christianorum, *Franciscus Xaverius* Societatis Iesu; quem vidimus [y] illuc unà cum Sousâ Prorege Lusitano navigationem suscepisse; multis toto itinere pietatis & misericordiæ officiis erga Lusitanos, nec non erga populos ad quos divertere contigit, magno animarum fructu exhibitis. Ostensis autem Goæ, Ioanni Albuquercio ejus Episcopo literis Pontificiis, quibus Nuncius Apostolicus declarabatur, & nequaquàm se eâ auctoritate, nisi quatenus Episcopus permitteret, usurum contestatus; benignè ac gratissimè ab eo exceptus, confestim se ad opus accinxit, ac diversas regiones, quæ à Lusitanis incolebantur, aut frequentabantur, peragrans, fidem valdè propagavit, mores reformavit; confirmante Domino doctrinam ejus signis & prodigiis.

[x] *Maffei. Hist. Indiar. lib. 12. Tursel. in Vit. Xaver. Orland. Hist. Soc. lib. 3.*

[y] *Supr. an. 1540. in fin.*

IESU CHRISTI Annus 1543.
PAULI III. Annus 9.
CAROLI V. An. 25.

1. ANNO Christi millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, Indictione primâ, mense Ianvarij, habita sunt de more Comitia Germaniæ Norimbergæ, præsente Ferdinando Rege, & Granvellano ab Imperatore misso. In quibus de suppetiis contrà Solimanum, qui denuò advenire nunciabatur, nec non contra Regem Galliæ qui ditiones Imperatoris invaserat, actum est; nec tamen valdè profectum, ob intercessionem Principum Lutheranorum, donec ipsis satisfieret de vexationibus Cameræ Imperialis, quas se pati conquerebantur. Imperator verò ab Hispaniâ Genuam navigans, (priùs tamen Philippo unico filio annorum sedecim adolescente, Rege Hispaniæ pronunciato; datâ ei uxore Mariâ Lusitanâ sororis suæ filiâ) Belgium inde petiturus adversus Ducem Clivensem, seu Iuliacensem, qui victoriâ mense Martio de Cæsarianis partâ ferociebat, & Regem Galliæ ejus protectorem; cum Paulo Pontifice hoc enixè petente, ad Buxetum, Parmam inter & Placentiam Palavicinæ familiæ castellum, mense Iunij ægrè congressus; (sciebat enim Pontificem eum ad pacem cum Rege Galliæ ineundam hortaturum; cui ipse aures, nisi priùs vindictâ de injuriis sibi ab eo illatis sumptâ, non præbere animo decreverat: & alioqui timebat ne hoc colloquio suspicionem Anglo, cum quo fœdus adversus Gallum, postposito omni decore, & conculcatâ quâcumque religionis consideratione, nundinatus fuerat, ingereret:) parvâ utrimque satisfactione recedens, in Belgium progressus est: ac Clivensem Septembri mense ad deditionem compulsum Geldriæ Comitatu, quæ causa belli erat mulctavit; amicitiam Francisci Regis deserere coëgit; in ceteris benignè habuit. Ex alterâ verò parte Gallus, præter propria arma, quibus Imperatoris ditiones vastavit; nonnullis captis oppidis, & Landrecio, quod Imperator potentissimo multarum gentium exercitu, ac plurimis fortissimis ducibus obsederat, memorabili ope servato; per evocatam ministerio Polini Baronis Gardiæ, Turcorum, classem, ductore Barbarossâ Algeriæ Rege, Niciam occupari incolumi tamen munitissimâ arce, nullóque alio magno præstito operæpretio, curavit. Solimanus autem in Hungariam cum magno exercitu penetrans, Quinquecclesias, Valpoviam, Strigonium, Albam-regalem, (ubi Reges coronari; & sepeliri consueverant (amplas & munitas urbes, aliáque non pauca oppida occupavit; totâque regione, dirè vastatâ Constantinopolim rediit: nostris intereà Principibus cum suis magniloquentissimis jactantiis inter se ludentibus in reliquæ Christianitatis perniciem. De quibus queritur etiam hoc eodem anno scribens ad Specianum Mediolanensem Sadoletus [a] Cardinalis; quòd qui maximè tueri & regere Christianam Rempublicam deberent, nihil viderentur sibi habere propositum, nisi exitium & eversionem earum ipsarum nationum, quarum præcipuè salus à præpotente Deo illorum esset fidei commendata & credita; eáque illos sola consilia exquirere & appetere, quæ sibi ipsius, omissâ consideratione Reip. arbitrarentur utilia; (quamquam & in eo fallebantur) séque ita gerere ut quasi mercede à barbaris hostibus Christiani nominis conducti, operam illis ipsis in profligandâ re Christianâ strenuam studerent navare. Ita ille præclarè; sed surdis auribus, & ad quæque salutaria obturatis. Quæ autem attigimus breviter de rebus gestis, narrant fusè historici [b].

CAROLUS IMP. PETIT ITALIAM.

EIUS IN REGEM FRANC. ANIMUS.

BELLI INTER EOS SUCCESSUS.

[a] *Sadol. 16. ep. 7.*

[b] *Panvin. in Paul. III. Bellai. lib. 9. & 10. Hadrian. lib. 4. Belcar. lib. 23. Sur. in comment. Iovi. lib. 41. usque 44. Neugebav. Hist. Pol. lib. 7. Isthuanff. Rer. Hung. lib. 15.*

c Ap. Schard. Oper. Hist. tom 2.

Súntque c speciatim de Turcorum in Hungaria successibus, Ioannis Martini Stellæ Iurisconsulti plures epistolæ.

II. APOLOGUS DE BELLO INTER EOS REGIS.

d Ext. ap. Chytræ in Saxon. lib. 16. & in Addit. pag. 986.

Historiam autem totius belli hujus Iuliacensis & Gallici, festivo prolixóque apologo d Ioannes Fraxineus adumbravit nominibus animantium, Reges & populos Europæ præcipuos designantium: quâ Ovium nomine Gallos significâsse dicitur; Luporum, Hispanos; Cervorum, Germanos, seu Principes Imperij; Cervariorum, Belgas, Canum, Turcos; Arietum, Regem & proceres Gallorum; Vulpium, Regem Angliæ; Crocutarum, Lyciscarum, Hispano-Turcos; Tragelaphorum Austriacos, & Boëmos; Tragelaphorum Regis, Ferdinandum; Cervariorum Reginæ, Mariam, Hinnulorum, Ducem Clivensem & Iuliacensem; Vervecum, Legatos Gallicos; Caprarum, Bearnenses Aquitanos; Aprorum, Helvetios; Vrorum, Danos; Bubalorum, Scotos; Alcium, Suecos; Onagrorum Hungaros; Serpentium ex Africâ, Tunetes & alios Carolo Cæsari in Africâ parentes; Belluarum Indicarum, Lusitanos, &c. Quæ nihilominùs & singula & omnia putamus singulis & omnibus iis Principibus & populis suo modo commodè aptari posse, siqui essent qui hujusmodi nugis animum applicare vellent: non ad aliud à nobis allatis, quàm ad illudendos puériles penè tantorum Principum conatus in rebus non solùm Christianis, sed & generosorum virorum animis penitùs indignis. Non quòd non bella agitari possint etiam inter Christianos, sed sane alio animo, modo, ac fine debeant, quàm ab istis fiebat. Sed ut à judicio abstineamus, res gestas repetimus.

III.

e Supr. an. 1535. XX.

BELLUM TUNETANUM CIVILE INTER PARENTES ET LIBEROS.

Quo tempore Carolus Genuam ex Hispaniâ navigavit, Muleasses quoque Rex Tunetanus, quem idem Carolus restituerat e, in Siciliam trajecerat, ut eum Genuam appulsum conveniret, majora præsidia adversus Turcos & Barbarossam, à quo vehementer sibi timebat, impetraturus, Neapoli subsistere à Cæsare jussus, ibi Amidam filium à se defecisse, & regnum Tunetanum occupâsse, certior factus est. Quapropter collectis nonnullis tumultuariis facinorosorum atque exulum hominum copiis, in Africam rediens, prælio inconsideratè inito victus est, & vulnere in fronte accepto captus; atque excæcatus unà cum duobus aliis filiis; causante Amidâ, patrem olim in fratres suos eâdem crudelitate usum esse. Privatus nihilominùs paulò pòst Amida regno operâ Thovarris Hispani ducis Guletam regentis, & Abdamelecho Muleassis fratre in ejus locum subrogato; hócque è vitâ trigesimo sexto die per morbum erepto, ejúsque filio Mahomete duodecim annorum puero intruso; dum istius procuratores regnum crudelitate, avaritiâ, libidine administrarent, revocatus à Tunetanis Amida, regnum iterùm recepit, & de adversariis sævissimam vindictam cepit: cùm priùs Muleasses pater evasisset ad Hispanos. Rem hoc & sequenti anno gestam prolixiùs describit Iovius f, ex quo Belcarius, Surius, & alij sumpsêre.

f Iov. lib. 34.

IV. CONCI- LIUM DENUÒ SUSPENDITUR.

Quiescebat inter hæc negotium Concilij Tridentini, cujus nec nomen ferre Protestantes poterant: & satis habens Imperator, Germanis indesinenter illius celebrationi se paratissimum prædicare, nisi per Regem Galliæ impediretur, non admodum de illo solicitus erat; nec Pontifex ob duorum illorum Principum bella, quibus tota fere Christianitas distinebatur, illud promovere poterat; adeò ut ob paucitatem convenientium Prælatorum, revocandi fuerint Cardinales Legati quos illuc miserat; suspenso denuo Concilio usque ad commodius tempus posteà declarandum; confectis super hæc literis g, quæ promulgatæ fuêre Bononiæ pridie Nonas Iulij.

g Ext. in Act. Arch Aquen. & Bullar. antiq. tom. 1. Paul. III. const. 40.

V. HERMANNUS ARCHIEP. COLON. PENDET IN HÆRESIM.

h Supr. an. 1536. XVI.

In Germaniâ verò Hermanus Archiepiscopus Coloniensis ex Comitibus à Weda, de cujus in Synodo provinciali celebrandâ studio dictum est superiùs h, à suis aulicis doctrinæ Luthericæ sectatoribus persuasus, specie clerum suum reformandi, & abusus in religionem introductos auferendi, (erat is natura vir bonus & in egenos ac miseros clemens & liberalis, sed parùm doctus) idoneum scilicèt ad hoc virum elegit, perfidum apostatam à Dominicano Ordine & religione Catholicâ, impurúmque trium incestarum nuptiarum adulterum, Martinum Bucerum: cui Argentorato Bonnam oppidum ad Rhenum quarto circiter supra Coloniam milliari situm, accito, concionandi munus publicè contulit; nequicquàm obnitente clero ecclesiæ Metropolitanæ, & Academiâ Coloniensi, & ne ejusmodi apostatis fidem haberet obnixè deprecante. Bucerus autem in suæ vocationis defensionem libellum edidit: qui fuit mox à Clero & Vniversitate contrario scripto confutatus. Sicuti & cùm Archiepiscopus (contra id quod asserebat nihil sibi esse cum Lutheranis negotij, sed tantùm se doctrinam illam quæ cum sacris literis consentiret probare) in subsidium Melancthonem à Duce & Saxoniæ, Pistorium à Lantgravio, Sarcerium & hujus fermenti plures accepisset, iíque librum quemdam de Reformatione instituendâ confecissent; iidem Colonienses contra pestiferam ejusmodi refomationem Antididagma Archiepiscopo obtulerunt, cum demissis precibus ut improbos illos concionatores à se dimitteret, & morum ipsorum reformationi sedulò intenderet, quam se libentissimè amplexuros spoponderunt. Denique cùm hæc omnia frustra fierent, iidem anno sequenti ab ejusmodi Archiepiscopi sui agendi modis ad extremum remedium confugientes, ad summum Ecclesiæ tribunal Iudicémque supremum Pontificem Romanum; necnon ad Cæsarem Ecclesiæ summum Advocatum & protectorem provocârunt: à quibus interim literis gratulatoriis & hortatoriis confirmati sunt. De provocationis verò progressu, & exitu dicetur suis locis. Hæc autem modò dicta breviter attigit Surius i: quæ Roværus Pontanus k fusiùs describit, ac Sleidani l auctoris hæretici in iis referendis fraudes & mendacia seriatim detegit: librorúmque ultrò citróque exaratorum summam recenset.

i Sur. in comment.
k Pont. lib. 4.
l Sleid lib. 15. & 16.

VI.

m Sleid. lib. 15.

QUORUNDAM PALINODIA IN GALL.

In Gallia m *Franciscus Landrus*, qui Parisiis in ecclesiâ S. Crucis dogmata Lutherana & Calviniana prædicaverat, à Theologis repressus, & à Magistratu in carcerem trusus, ad finem Aprilis coram universo Senatu ac reliquo ma-

gistratu, & Doctoribus Academiæ, in ecclesiâ primariâ proprio ore detestatus est quæ priùs docuisset, & obsequentem se imposterùm doctrinæ Catholicæ promisit. Eodémque modo fuit actum paulò pòst, licèt non tantâ solemnitate, cum quodam *Depensio*: qui cùm primò non usque adeò clarè impietates suas retractâsset, alio quodam die coactus est in concione ad populum explicare singula distinctè & apertè. Promulgarúntque Theologi viginti quinque doctrinæ receptæ capita, ab hæreticis præcipuè impugnata; de Eucharistiâ, ac Missæ sacrificio; de ceteris sacramentis, de invocatione Sanctorum, merito operum, legibus Ecclesiæ, votis, indulgentiis, traditionibus, libero arbitrio, &c. quæ per præconem tubâ convocato de more populo jussa sunt ab omnibus & singulis retineri: fuêreque eadem typis excusa Regis mandato, gravi denunciatâ eorum violatoribus pœna; additóque etiam decreto de pervestigandis Lutheranis. Adversus quæ nihilominùs impius garrulúsque Calvinus, Genevæ tunc securus agens scriptum edidit antidoti nomine: quem, ut vitaret impietatum suarum ac scelerum pœnas, vidimus olim è Gallia abscessisse.

ARTICULI PARISIENSES DE FIDE.

VII.

EDICTUM CAROLI IMPER. CONTRA HÆRESIM METIS.

Metis quoque, ubi jam hæresis coaluerat, missus à Carolo Imperatore Carolus Boisetus Iurisconsultus edictum ejus promulgavit, quo cavebatur nequid novi dogmatis admitteretur, & ut in fontes animadverteretur. Quod cùm referat Sleidanus [m], est prætereà epistola [n] Myconij è Basileâ scripta ad Calvinum Genevam; quâ tum in Imperatorem, tum præcipuè in Boisetum propterea invehitur. Aliáque Buceri ad eumdem Calvinum: quâ pariter queritur quòd Imperator Christum apertè ubique oppugnaret, ac Metis depulisset, quod in ipso erat. Impiéque illum deridet, quòd puerilibus, vel anilibus potius (ut loquitur) superstitionibus inhæreret: quippe qui quotidie prolixas preces flexis genibus diceret, Rosaria decumbens in terram recitaret, & defixo vultu in tabellâ coram Virgine. En quæ impius apostata aniles nugas vocat! quæ ad immortalem vivant tanti Imperatoris laudem; ut qui tot curis mundi distrahebatur, quotidie piis ejusmodi exercitiis vacare non desineret. Non poterat solidioribus fundamentis, propositum Monarchiæ adipiscendæ stabilire.

[m] Sleid. lib. 15.

[n] Ap. Calvin. ep. 53. 54. edit. in 8o.

CAROLI IMP. PIETAS.

VIII.

HENR. ANGLUS PERSECUTIONEM CONTINUAT.

Henricus verò Anglus in cœptâ feritate perseverans, ut suæ potentiæ ostentationem faceret, quâ non solùm in homines, verùm etiam in Deum ipsum prævalere gestiebat; præter bellum tam Gallis quàm Scotis indictum, domi etiam in Catholicos persecutionem renovavit. Initio enim mensis Martij, Germanus Gardinerus, qui Stephano Wintonensi Episcopo à secretis fuerat, & Larcus Chelsensis parochus, quâ ex parochiâ Thomas Morus exstiterat (Ioannes quoque Irlandus presbyter, qui eidem Moro à sacello fuerat, & paulò pòst Ashbæus quidam, martyrio affecti sunt, quòd Regis primatum in rebus Ecclesiasticis locum habere negarent. Erat miser Princeps datus in reprobũ sensum, postquàm ab Ecclesiâ segregavit sese, & ab eâdem anathemate percussus est, atque in potestatem diaboli traditus. Vnde mirum cuivis videri possit, adeò pium Carolum sic odio abripi se sivisse in Regẽ Christianissimum, ut (quemadmodum etiam prudenter graviterque observavit Iovius [o]) gravissimarum offensionum ex repudiatæ adactæq; ad necem materteræ penitùs oblivisceretur; nec iniquum & fide suâ indignum existimaret, ad contumeliâ Pontificij nominis, cum eo Rege fœdere conjungi, qui propter eversa sacra despectámque & convulsam Romani Pontificis existimationem, Christiano jure anathemate à Romano Senatu fuisset damnatus, ipso præsertim Imperatore id orante & postulante, cùm se in Britanni Regis gratiam numquam rediturum jurâsset, nisi Pontificiæ dignitati Henricus satisfaceret, & ad veteres sacrorum ritus, pristinámque Romani Pontificis auctoritatem se conferret. Quot Rosaria, quàm multæ preces ad hæc diluenda necessariæ fuêre! Felicissimus, cui Dominus concessit aliquot ante obitum annis sibi soli vacare! Quid verò Anglum ad amicitiam Galli deserendam impulerit, tum fuisse volunt affinitatem Iacobi Scoti cum Francisco per matrimonium Magdalenæ Francisci filiæ contractam, de quâ suprà; tum recentem causam ipse prætexuit, patrocinium Scotorum à Francisco post Iacobi mortem contra Henrici iniquas infestationes susceptum: cui tamen nequaquàm poterat Franciscus ex antiquissimo fœdere absque honoris sui præjudicio deesse.

[o] Iovi. lib. 44.

QUAM GRAVIS CULPA CAROLI IN FOEDERE CUM EO ICENDO.

IX.

Hoc eodem anno ministri Tigurini non contenti versione Bibliorum Lutheri, nec Mûnsteri, aut Oecolampadij, novam condiderunt. Cujus [p] exemplum cùm typographus Luthero misisset, pro gratiarum actione contumeliam accepit: nequaquàm deinceps mitteret quod à Tigurinis proficisceretur: se nihil commercij cum iis habere, qui jam damnati essent, & alios secum traherent ad tartara: ideóque damnationis & blasphemiæ illorum nolle se esse participem, sed quoad viveret, eos & precibus & libris oppugnare constituisse; & alia ejusmodi præclara unitatis ipsorum testimonia. Fuit autem hæc Tigurina versio primùm à Leone Iudæ, ex Iudæo facto Zuingliano, inchoata; sed morte præventus absolvere non potuit. Absolvit autem Theodorus Bibliander Helvetius, subadjuvantibus Conrado Pelicano & Petro Cholino. Quam in suâ editione ad verbum adjecit biennio pòst Robertus Stephanus, suppressâ eorum qui in eâ laborârant, mentione. Vt verò Tigurini à Luthero sic despecti ægriùs ei facerent, opera Zuinglij collegere Germanicè ab illo scripta, ac per ejus generum Rudolphum Gualterum in Latinum transferri curârunt. Quorum editioni præfixa est ab eodem Gualtero Apologia; in qua inter cetera adversariorum objectionibus & criminationibus respondet.

[p] Sur. in commentar.

DE VERSIONE TIGURINA SCRIPTURÆ.

X.

Auxit ejusmodi Prophetarum numerum in Frisiâ fanaticus laicus, *David* [q] *Georgius* Batavus ex Delphis oppido, comœdi cujusdam Georgij Amersfordiensis filius, ipséque olim vitriarius, seu ut alij habent pingendi vitri artifex, qui adeò stolidam miseram plebem existimavit, ut posset persuadere se tertium Davidem, verúmque Messiam esse, ac cælestem Christum, productum ex Spiritu S. atque ideò altero Christo majorem, qui ex muliere carnem assumpsisset; idque non pau-

[q] Sur. ibid. Vid. supr. an. 1525. XXVI.

DAVIDIS GEORGII BLASPHEMIÆ.

cis persuasit; tantâ etiam nonnullarum mulierum amentiâ, ut sese putarent beatissimas si relictis maritis ex divino ipsius semine conciperent. Dei quoque nepotem se nuncupabat: & cum feris & avibus, quâcumque linguâ colloquebatur, ab iis victum accipiens. Aiebat cœlum esse prorsùs vacuum, séque missum ut regni heredes accerseret, domum Israël repararet, non per mortem, ut alter Christus, sed per gratiam. Mortuorum resurrectionem, extremum judicium, bonos & malos spiritus, vitámque æternam cum Saducæis negabat. Matrimonium improbabat, volens omnes mulieres esse communes: permittíque singulis quot vellent assumere, ad cælum fidelibus implendum. Stultum esse docebat, siquis peccatum putaret abnegare Christum coram hominibus: ac propterea stolidos aiebat Apostolos & Martyres, qui eâ de causâ mortem subiissent: sufficere enim corde credere coram Deo. Non animam, sed solam carnem peccare: animásque infidelium æquè ac fidelium salvandas fore, & Apostolorum corpora æquè ac infidelium damnanda. Omnem Mosis doctrinam & Prophetarum, ipsiúsque Christi & Apostolorum, imperfectam esse, atque inutilem ad salutem consequendam; in eúmque tantummodò usum traditam, ut homines quasi pueros ad hoc usque sui adventûs tempus coerceret: suam verò doctrinam perfectissimam esse, quæ sola hominem beare posset. Fuit autem magno vir ingenio, sed malo pravóque, linguæque Latinæ, & omnium aliarum, nisi suæ Hollandicæ rudis. De quo agunt Surius & Cochlæus [r]; sed pleniùs Lindanus [s], qui & magum fuisse, & magiâ suâ multos dementâsse scribit. Ex quo Prateolus [t], Rescius, Florimondus, Gualterius, & alij. Carolus Imperator hujus impietatis homines ferro & igne severissimè in suis ditionibus Belgij persecutus est: adeò ut Georgius Basileam se contulerit anno sequenti: & mutato nomine *Ioannem à Bruck* se appellans, ibi usque ad mortem cum discipulis aliquot, & nomen ejus pariter & dogmata occultantibus permansit, literis tamen, libris, & nunciis in Germaniâ inferiore, & aliis semotis locis mirabili artificio sectam suam continenter fovens. Cujus demùm quis fuerit exitus, dicetur suo loco [u].

[r] Cochlæ. in act. Luther.
[s] Lindan. Dubitant. lib. 2.
[t] Prot. De hær. in Davidgeorg. & Georg. dav. Resc. sect. hær. in Davidgeorg. Flor. Orig. hær. lib. 2. cap. 15. Gaulter. Chronol. sæc. 16. cap. 8.
[u] Infr. an. 1556.

XI.

PORTENTA VARIIS LOCIS.

Portendit fortè hoc monstrum hæresis Cometes, qui dicitur [x] hoc eodem anno in pago Zehenhusem apparuisse mense Maij magnitudine lapidis molaris, cujus cauda ad plagam meridionalem vergebat; formam draconis præseferens, magnúmque fervorem edens, quo rivum alluentem absorpsit, penitúsque exhausit. Sed illud monstrosius quod sub idem propè tempus natum dicitur [y]; Infans videlicèt flammantes oculos habens, nares bovinas, os taurinum, dorsum hispidum ac pilosum ut canis. In pectore duæ prominebant facies cercopitheco similes: cubitis duo canina emibant capita; pedes omninò pressos in formam cygni, caudam longitudine unius ulnæ gerebat. Quod quidem, si non omninò fictitium fuit, ut solet poëtis atque pictoribus, illud longè horridius habuit quòd dicunt, dum quatuor horis supervixisset, voce lamentabili exclamâsse, *Vigilate, En Dominus Deus vester in januis adest*, móxque deinde expirâsse. Intereà quoque temporis magnum papilionum agmen in agrum Basileensem tertio Nonas Augusti advolâsse, atque herbas & vireta omnia absumpsisse. Et quod in prodigiis sumus, hoc [z] item anno in oppido quodam provinciæ Bearnij, (quæ est in extremitate Aquitaniæ conterminâ Hispaniæ) nomine Nay ad flumen Gavim contigit festis diebus Pentecostes, secundâ horâ pomeridianâ, tempore admodùm sereno, cadere derepentè de cælo ignem in lanceæ formam, quo totum oppidum fuit ferè in momento in cineres redactum, nullâ aquâ ad ignem restinguendum idoneâ.

[x] Pontan. ex Lycosth.
[y] Ibid.
[z] Bellefor. lib. 6. cap. 57.

INCENDIUM NAIENSE.

XII.

OBITUS ECKII.

Mortui verò sunt, atque intra unius mensis spatium, duo celeberrimi Doctores Catholici, *Ioannes Eckius* decimo Februarij Ingolstadij, anno ætatis quinquagesimo septimo; vir acutissimi ingenij, & multis de Luthero ujúsque sectariis habitis verbo & scripto victoriis gloriosissimus; de quo sæpè superiùs. Et *Albertus Pighius* Campensis Batavus, & ipse disputationibus & scriptis contra Lutherum, Melancthonem, Bucerum, Calvinum, & alios sectarios editis insignis. Inter quæ maximè excelluit opus *de Hierarchiâ*, quo veluti acutissimo gladio (ut Iovius loquitur in ejus Elogio) Lutheri causam jugulavit, ac ferè nemini concessam pietatis & doctrinæ laudem adeptus est. De quo opere est etiam epistola Iacobi [a] Sadoleti Cardinalis doctissimi ad eumdem ipsum Pighium: quâ testatus se in eodem planè argumento elaborando versantem, eo viso in maximas angustias & sollicitudines animi conjectum esse, quòd nihil cuiquam Pighius reliquisset, quod is tamquam novum & inexpectatum dicere posset. Denique addit idem Iovius, cùm id volumen Pighius commentaretur, ejus operis merito servatum divinitùs esse è summo vitæ periculo, cùm Bononiæ in celeberrimâ pompâ coronationis Imperatoris Caroli V. parte lignei pontis juxta Imperatorem turbæ pondere corruente, Pighius tignorum atque hominum ruinâ oppressus salvus evasit. Quem tamen in nonnullis aliis quæstionibus è lectione librorum Calvini deceptum, circumspectè esse legendum, seu etiam corrigendum, ex Tappero & Bellarmino, Possevinus [b] observavit. Obiit autem maturâ ætate in patrio solo.

ET PIGHII.

[a] Sadol. 16. ep. 1.
[b] Possevin. Appar. to. 1. in Albert. Pigh.

XIII.

GUILL. LANGEI OBITUS, ET LAUDES.

Ad principium quoque anni, nempe nono Ianvarij, *Guillelmus Bellaius* dominus Langei Gallus, literis & armis inclytus, frater *Ioannis* Cardinalis viri [c] æquè doctissimi ac solertissimi Episcopi Parisiensis, & *Martini* qui Historiam conscripsit, rediens è Subalpinâ provinciâ, cui regio nomine præerat, ad oppidum S. Saphorini in monte Tarari propè Lugdunum, ex hâc vitâ migravit: vir non solùm suis Gallis literarum rerúmque bellicarum ac civilium peritiâ, tum verò pertractandis negotiis idoneitate laudatissimus; verùm etiam exteris magno pretio habitus: quem inter ceteros Iovius [d] scribit, animi virtute, ac optimarum literarum notitiâ Gallis omnibus eâ ætate superiorem extitisse; & dignum longissimo vitæ cursu, cùm supra Bellaiæ nobilis familiæ nomen, sobrij & maximè constantis ingenij mores, quod paucis ejus gentis viris militaribus contigit, ad bellum attulisset. Vastius [e] tantus Imperator, nemi-

[c] Vid. Gall. Christ. in Paris. Archiep. num. 104. & Addit. ad Ciaccon.
[d] Iov. lib. 41. in fin.
[e] Ferron. in Franc. I.

nem eo majorem ducem se cognovisse. Carolus ipse Cæsar, plus se unius illius eloquentiâ, dum apud exteros oratoris officio fungeretur, debilitatum, quàm multorum robore, & animi magnitudine.

IESU CHRISTI Annus 1544.
PAULI III. Annus 10.
CAROLI V. An. 26.

I. [a] *Sleid. lib. 15. Pontan. lib. 4. Belcar. lib. 23.* SPIRENSIA COMITIA. [b] *Act. Conc. Archiep. Aquens.*

ANNO Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, Indictione secundâ, mense Ianuario, frequentissima habita [a] sunt Spiræ Comitia Imperij; quibus interfuerunt Carolus Imp. Rex Ferdinandus ejus frater, & Electores omnes, cunctique fermè Principes tam Catholici quàm Protestantes. Ad quę etiam Pontifex [b], quòd in iis de religione tractandum fore existimaret ad finem anni superioris destinaverat Franciscum Sfondratum Mediolanensem, tunc Episcopum Amalphitanum, posteà Cardinalem. Qui & prætereà, quòd in tantâ hæresum, dissensionum, bellorúmque tempestate, parùm industriæ suæ, etsi totam in componendis his fluctibus impendebat, fideret; ad Deum recurrens, mense Decembri præterito per universum Christianum orbem publicas processiones ac supplicationes indixerat; celebraveràtque ipse Romæ: atque easdem indulgentias orantibus pro pace & tranquillitate Ecclesiæ ac Principum concesserat, quæ visitantibus Limina Apostolorum concedi solent annis Iubilei. Nec defuerunt signa cælestia, quibus homines ad pœnitentiam & concordiam inducerentur. Quippe nono Calendas Februarij pleno die grandis Solis eclipsis totum ferè diem tenuit, item Lunæ eodem mense, sed non integrâ: duæ autem integræ quæ totum corpus obscurarent, altera Iulio, altera Novembri mense consecutæ sunt, quod raro, nec à Caroli Magni ætate accidisse astronomi scribunt.

PRODIGIA.

II. DE LEGATIONE GALLICA AD COMITIA.

Quod Comitia spectat; decimo Calend. Martij orationem habuit Imperator: quâ ex receptâ consuetudine causas conventûs hujus explicans, studium suum adversus Turcos, & obstacula Regis Galliæ diligenter exposuit: eáque propter bellum necessariò cõmunibus viribus contra Gallum suscipiendum esse, ut domestico hoste sublato commodiùs Turcus impeteretur. Destinaverat Rex Franciscus ad eumdem conventum amplissimam legationem ad diluenda crimina, quæ non ignorabat Carolum de more objecturum; Ioannem videlicèt Cardinalem Bellaium, Franciscum Olivarium, qui posteà fuit Cancellarius regni, & Africanum Malleium Prætorẽ Divionensem. Qui cùm pervenissent Nancium Lotharingiæ oppidum, subsistentes ibi donec fecialis sive heraldus à Rege præmissus solemni habitu, tesseram liberi aditûs, seu ut vocant salvum conductum, iis impetrâsset; ubi resciverunt eum malè acceptum fuisse, & quatriduo in custodiâ detentum, post asperrima verba, quibus in magnum capitis periculum incurrisse significatum ei est, quòd ausus esset eò venire absque licentiâ Cæsaris: Regi enim, qui hostis esset Imperij, jus gentium non esse communicandum: audaciam hanc ei modò condonari immensâ Imperatoris clementiâ, sed impostèrum non impunè laturum, si vel ipse, vel quivis alius accedere præsumeret: (quæ tamen per Cæsarianos ita gesta fuêre, ut nequaquàm cum Principibus conventûs communicata fuerint, quorum plerisque visa sunt ab Imperij consuetudine aliena:) his per fecialem acceptis, iidem legati regij Nancio recedentes in regnum, orationem quam habituri fuerant typis mandatam ediderunt [c]; antiquam Gallorum & Germanorum amicitiam exponentes: nullam cum Turco communicationem Regi esse, nisi qualem à plerisque aliis Principibus Christianis commercij causâ haberi cum eo notum esset: quòd si etiam fœdus aliquod intervenisset, non utique omninò impium videri debere, quòd Abraham, David, Machabæi, & alij in Veteri Testamento, & in Novo Constantinus, Theodosius, Honorius, alij, cum Infidelibus, multíque cum ipsismet Turcis factitâssent: Regem nihil aliud quærere quàm pacem & concordiam cum Principibus Christianis: ea verò cùm non posset constitui, nisi Imperator Regi quæ ejus essent restituenda curaret, rogare Regem Germanos Principes, ut eam à Cæsare impetrarent; túncque Regem omnes suas vires omnésque opes ad repellendum Turcum collaturum. Hæc ipsi & alia plura in eamdem rem.

[c] *Ext. to. 3. Rer. Germ. edit. Freher.* REGIS EXCUSATIONES DE TURCIS.

III. [d] *Ext. in comment. Blas. Monluc. Matesc. lib. 1. & alibi.* ORATIO MONLUCII AD VENETOS EA DE RE.

Qualis propemodùm oratio, quam ad eluendam eamdem accusationem habuit [d] ad Venetos regio nomine Ioannes Monlucius Episcopus Valentinus vir doctissimus: quâ tria maximè probata voluit: primùm videlicèt potuisse Regem, absque præjudicio nominis Christianissimi, exemplo ceterorum Principum, accipere oblata à Turcorum Imp. in suî defensionem auxilia: deinde classem Turcicam utilitatem magis quàm damnum attulisse Reipubl. Christianæ, quandoquidem nisi Rex illam recepisset atque in regni sui portubus continuisset, ingentem cladem allatura fuisset ceteris provinciis: denique vanas esse Cæsarianorum excusationes, aientium non ob aliud se contra Regem bellum gerere, quàm ut societatem quam cum Turcis habebat dissolverent; cùm econtrà non Rex Turcos recepisset, quàm ut se contra Imperatoris insidias & invasiones tueretur. Hæc ibi diffusè. Quorum multa ad excusandas excusationes in peccatis apposita fuisse certum est: eâmque maximè partem, quâ legati Spiram destinati negârunt accersitam à Rege Turcorum classem; quandoquidem & ipse Polinus qui Barbarossam duxerat, Ostiam appulsus, trepidante Româ, classem Turcicam ad Galliæ auxilium missam ex prescripto sibi parere; nec Pontificiis ditionibus, quarum Rex Galliæ propugnator esset, verùm solis Galliæ hostibus nociturum; ad Rodulphum Pontificium Legatum, Romanósque Magistratus scripserat.

IV. BELLŨ IN REGEM FRANC. DECERNITUR.

Antequàm verò hæc publicarentur in conventu Spirensi decreta fuêre hominum & pecuniarum auxilia adversus Regem Franciscum, hostem Germaniæ & Imperij declaratum: semestre scilicèt stipendium in quatuor equitum, peditum quatuor & viginti millia: cujus

pecu

pecuniæ partem Imperator Ferdinando fratri, ut vicina Turcis loca muniret, attribuit. (cùm interim dum hæc lentè longéque agerentur, Turci diligentissimè Hungariam percurrentes, non pauca à residuis locis occuparent [e].) Gravissimeque pœnæ constitutæ sunt in Germanos, qui Gallo militarent. Cùm verò & ad Helvetios datæ essent literæ, quibus querebantur de suppetiis ab eis Regi latis in bello quod contra communem Reipublicæ Christianæ causam unà cum Turcis gerebat; rogabántque, ne eidem Regi, qui propter impium fœdus haberi debebat pro communi hoste, suos deinceps militare paterentur: responderunt Helvetij, tunc Badenæ conventus agentes, suos præfectos ab se rogatos affirmare nullum se vidisse Turcicum auxilium in castris Gallorum, nec de eo quicquam audisse: quod si fuisset, nequaquàm fuisse militaturos. Galliæ Regem ab ipsis interpellatum queri, legationem suam abs Germanis repudiatam esse; quæ si fuisset audita, calumniam illam facilè potuisse dilui. Si pacem Imperator non abnueret, Regem Boëmis & Germanis auxilia adversus Turcos polliceri. Quosdam porrò è suis ita Regi devinctos esse, ut clàm dilaberentur, aut injussu Magistratuum Gallicam militiam sequerentur; sicut etiam aliis per Germaniam locis passim fieret. Sibi autem videri consultum, ut pax seriò constitueretur, eâque in re siquid ipsi possent, id præstaturos omni operâ.

[e] Isthuanff. lib. 15.

V. Scribũt Germani Principes ad Pontif. adversus eum.

Scripserant etiam initio conventûs nonnulli Principes, hortatu Imperatoris, ad Paulum Pontificem, ut Sabaudo Duci consilio & ope subveniret; Neque Nicenam munitissimam arcem in Turcorum potestatem perveniре permitteret, quin potiùs eorum classis è Provinciâ, ubi adhuc apud Tolonum agebat, profligaretur. Ad quæ Pontifex omnem operam pollicitus, sicut aliis occasionibus semper & ubique fecisset; vicissim ipsis Christianæ Reipublicæ salutem commendavit, quæ primùm in Religionis consensione, deinde in Principum reconciliatione consisteret: quam utramque ipse summâ curâ prosecutus fuisset multis ad Principes legationibus, multis præter ætatis & dignitatis conditionem itineribus, multis ad omnis generis & dogmatis homines adhortationibus; quibus etsi nihil hactenùs profecisset, haud tamen ab instituto discessurus esset. Hæc pius pater! sed surdis, aut minimæ apud Imperatorem auctoritatis, qui animo prorsùs obfirmato bellum tantummodò cogitabat: & ita faciendum suadebant qui erant ei à consiliis, retinendæ causâ dignitatis & existimationis. Barbarossa tamen paulò pòst vel persuasus à Rege, vel quòd metueret ne Rex cum Imperatore pacem iniret, ad sua se recepit; & quæcumque potuit loca maritima vel Imperatoris vel Imperij incursionibus [f] vexavit; à Pontificis ditione omninò temperans, Regis & Polini qui eum comitabatur commendatione.

Barbarossa recedit.

[f] Vid. Iov. lib. 45.

VI. Alia acta conventûs Spirensis.

Eodem conventu Spirensi Imperator Wolfgangum Melchingum, Ordinis Teutonici ac Prussiæ Magistrum solemni ritu palàm inauguravit, eíque illius Magisteriatûs insignia contulit: quem cùm à pluribus annis Albertus Brandeburgicus, ut olim vidimus, hæreticus & uxoratus occuparet, fuerat is à Camera Imperiali proscriptus; Rex autem Poloniæ eum veluti beneficiarium atque clientem defendebat: ac modò cùm alius est inauguratus, ejusdem Regis legatus palàm contestatus est hanc inaugurationem esse vitiosam, neque suo Regi, cujus in fide atque tutelâ Prussia esset derogari quicquam posse. Retractato quoque negotio Henrici Ducis Brunsvicensis Catholici, qui à Protestantibus ditione suâ spoliatus, aliarum quidem injuriarum nomine, sed potissimùm ob immensum odium quo ipse in eorum innovationes ferebatur) quod ab aliquot annis agitatum fuerat; ita illud modò compositum est, ut ejus ditio Imperatori, tamquam summo magistratui, velut in sequestrum permitteretur, donec vel amicè vel jure ac legibus definita lis fuisset. Controversiæ item Imperatoris cum Christierno III. Daniæ Rege hæretico, qui Christiernum II. Regem ejectũ, ipsius Cæsaris sororium, in custodiâ à multo tempore habebat, compositæ fuêre, obtendente Christierno, se à Regis Galliȩ amicitiâ quam anteà coluerat, propter illius cum Turco societatis famam recedere. Sícque heroicè Imperator, neglectis atrocissimis injuriis tam à Rege Angliæ in materterâ, quàm à Dano in sorore acceptis, maluit cum iisdem Principibus hæreticis, & ab Ecclesiâ extorribus, atque anathemate perculsis, fœdus & societatem inire, quàm Pontificem aliósque pacem cum Rege Galliæ suadentes exaudire. Vt seriò loquar, quis negare possit, sicut Rex Franciscus titulũ *Christianissimi* cum Turcis paciscendo fœdе maculavit; ita & Carolum Imperatorem nomen *Catholici* hæreticos in societatem adsciscendo turpiùs conspurcâsse? Nec tamen hic finis: siquidem & arctius vinculum matrimonij inter Ferdinandi fratris & Saxonis Protestantium coryphæi liberos fieri, & Saxonem Clivensi Principi Catholico, quem Carolus bello superaverat, si absque liberis masculis decederet, succedere consensit; additâ tamen conditione, si antè de religione convenissent. Senatûs quoque Spirensis, quam vocabant Cameram Imperialem Iudices, qui hactenùs omnes Catholici fuerant, gradum suum retinere permissi sunt usque ad tempus præscriptum; eo verò exeunte, decretum ut in eum consessum omnes promiscuè nullâ habitâ ratione religionis admitterentur. Lites item omnes religionis ergò motæ, suspensæ sunt. Denique quòd parùm tunc de religione curaretur, Imperatore nihil quàm arma spirante, tractatio de illâ rejecta est ad proximum conventum, quo pia aliqua emendationis & concordiæ formula statueretur, usque ad Concilium universale in Germaniâ celebrandum, aut nationale Germaniæ: cui rei se daturum operam Imperator dixit, & ut idem Principes præstarent hortatus est: pax interim coleretur ab omnibus: & de bonis Ecclesiæ utrobique provideretur ministris, scholis, & pauperibus. Sícque demùm finem conventus ejusmodi Spirensis accepit die decimâ mensis Iunij. Cujus acta pleniùs referunt Sleidanus [g], & Belcarius [h]: attingunt tantùm leviter, præter morem, Surius, & Pontanus; fortè quia displicuerunt iis: quemadmodum & Catholicis qui aderant multa displicuisse idem Sleidanus scribit.

Summum Cæsaris odiũ in Franc. Regem.

[g] Sleid. lib. 15.
[h] Belcar. lib. 23.

ret Rex juribus Neapolitanis & Mediolanensibus: ac Duci Sabaudiæ ablata restitueret, retentis tamen arcibus quamdiù Mediolanensis & Cremonensis ab Imperatore possiderentur. Addita plura alia capita: quæ videre singillatim est apud Belleforestium [r] diligentem rerum Gallicarum scriptorem. Langeus præcipua tantùm ponit, & ex eo Belcarius; plura Ferronus [s]. Fuitque hæc pax Crepiaci in Suessionibus sancita dicimoquarto Calendas Octobris inter utriusque Principis delegatos: qui fuêre ex parte Imperatoris, Nicolaus Perenotus Granvellanus Cancellarius, & Ferdinandus Gonzaga Siciliæ Prorex & legatus exercitûs: ex parte Regis Claudius Annebaldus Franciæ Admirallius, & Carolus Nullius supplicum libellorum magister. Quam tamen nonnulli, Pacem Sancti Ioannis de Vineis nuncupant, eò quòd tunc Imperator in Abbatiâ ejus nominis prope urbem Suessionum esset. Eâ porrò Anglus comprehendi noluit: sed captâ, turpi Vervinij præfecti deditione (qui posteà ejusmodi ignaviæ potiùs quàm proditionis causâ, sub Henrico Rege capite pœnas luit) Boloniâ, in Angliam properè se recepit; solutâ obsidione Monstrolij, quod eodem tempore per Ducem Norfolcium obsederat; metu advenientis exercitûs Gallici, quem ducebat Delphinus.

[r] Bellef. lib. 6. cap. 62.

[s] Ferron. in Franc. I.

XIII.

AN BONA FIDE EAM SANXERIT CÆSAR?

Perniciosam autem hanc pacem in multis fuisse Galliæ, plerique Galli cum Langeo queruntur: & Belcarius culpam rejicit in Annam Pisselevam Stampensem, Regi Francisco ab ipsius adolescentiâ in deliciis habitam. Ac nihilominùs scribit Iovius, Imperatorem adeò perplexis dubiisque conditionibus promissa sua implicuisse, ut neque Pontifex, neque plorique alij ullam obsignato fœderi fidem haberent; quippe quòd appareret, eum summo cum incommodo alterutrâ quam vellet nuptiarum pactione aut patrimonio Belgico cessurum, aut Mediolanense imperium importunâ sibi ratione in dotem collaturum: quódque his cetera ejus consilia everti viderentur, creditum facilè fuisse, eum illa astutè polliceri, ut aliquot majus inde nancisceretur munus, aut aliquam non omninò indecentem vel ineptâ à fœdere discedendi intervallo temporis causam reperiret. Fortunam autem ejus votis & commodis secundissimè semper arridentem, ex arcano fatorum) sic parum Christianè loquitur Episcopus (viam invenisse, ut eum damnosæ transactionis sollicitudine curâque vel in alteram partem, si à fide dátâ discedere vellet, probroso pudore atque dedecorosâ invidiâ liberaret. Carolum enim Aurelianum, postquàm in complexum Imperatoris devenisset, in pestiferum incidisse morbum, itaut paucissimis diebus sævâ morte eriperetur: (quod quidem non nisi mense Septembri anni proximi contigisse constat:) juvenis, inquit, omnibus corporis atqui animi, quæ conferri à naturâ possent, muneribus, totius Galliæ juvenum florentissimus; quem unum, præter ipsos Gallos, populi Insubres tamquam exoptatum summæ benignitatis Principem maximè luxerunt, cùm de fortunis suis & tranquillitate sæculi facilè desperarent. Hæc Iovius: ex quibus videas quantæ essent fidei apud Italos promissa Imperatoris; ex præteritis prudenter de fututis judicantes.

XIV. PAULI IOVII HISTORIÆ FINIS.

Post quæ idem *Paulus Iovius*, patriâ Novocomensis in Insubribus, dignitate Nucerinus Episcopus, ac priùs professione medicus finem imposuit prolixis suis enarrationibus, ac libro 45. & ultimo Historiarum sui temporis nisi quòd breviter subdit pacem inter eumdem Franciscum Galliæ & Henricum Angliæ Regem anno sequenti factam, ejusdémque utriusque Principis obitus, qui contigerunt ad principium anni 1547. cùm alioqui vitam ipse prorogaverit usque ad finem 1552. quo mortuus dicitur 11. Decemb. Florentiæ anno ætatis 69. Cujus cùm fidem in rebus describendis plerique omnes elevent; unum Francisci Belcarij Peguillionis Episcopi Metensis, cujus auctoritate in rerum horum temporum descriptione frequentiùs utimur, viri judicio perspicaci & libero præditi, testimonium sat sit modò in medium adducere: dum in præfatione operis sui narrans, ipsum Iovium sibi unà cum Carolo Cardinale Lotharingo Romæ agenti, Historiam suam paulò antè quàm ederetur legendam exhibuisse; ait illum plerisque locis prudentem, scientémque mentiri, & falsa pro veris, vel nimis res ipsas exaggerando, vel minuendo, vel omninò commutando, & aliter atque gestæ sunt explicando tradere; ut non tam historiam scribere nonnumquam, quàm declamatoriam sophista factitare videatur: nec id mirum, ut qui historiam venalem habuerit: eumdémque putidâ vanitate sermones sæpiùs cum Carolo Imp. cum Rege Francisco, cum aliis permultis principibus viris, quorum plerosque numquam viderit, se, aut illos secum habuisse confingere, & familiaritates maximorum ducum jactare: denique longè sinceriùs ceteros Italos scriptores linguâ vernaculâ, quàm illum Latinâ eloquentiâ eamdem historiam pertractare. Quòd si hæc in Historiâ laxâ commisit, quid censendum de Vitis & Elogiis? quæ plerumque nonnisi ad laudationes perfici consueverunt. Sed de illo modò hactenùs.

QUALIS EIUS FIDES.

XV. SADOLETI ORATIO DE PACE.

Prædictæ inter Imperatorem & Regem confectæ pacis nomen cùm plerisque Christianis ingentem lætitiam attulit; tum Iacobum Sadoletum magnæ virtutis prudentiæque Cardinalem impulit ad orationem ad Imperatorem exarandam, eíque [t] per Granvellanum, aut Gonzagam offerendam: quâ gratias ei communi Christianorum populorum nomine agens, illum præterea ad res gerendas suscipiendásque adhortatus est, quas maximè illius amplitudo & dignitas, Reíque publicæ salus videretur ab eo postulare. Quo genere scribendi veteres summi & doctissimi viri egregios Principes decorare soliti fuêre: sicut multorum declarant orationes, ad Philippum, ad Alexandrum, ad C. Cæsarem, ad Trajanum, ad Constantinum, ad plures alios scriptæ.

[t] Sadol. 15. ep. 7.

XVI. PAULI PONTIF. GAUDIŨ DE PACE.

Nemo autem eâ pace magis exhilaratus fuit quàm Paulus Pontifex, quem de illâ summam sumper curam suscepisse vidimus: qui imprimis [u] in gratiarum actionem, per Vrbem & Christianum orbem supplicatio-

[u] Acta Archiep. Aquens.

nes per triduum integrum indixit: deinde speciales Nuncios ad utrumque Principem gratulationis ergo misit. Demùm cognoscens quæ inter illos eâ pace parùm in se benevolè de Romanæ Curiæ reformatione procuranda agitata fuerant, (haud enim adeò propensam in eum uterque Princeps voluntatem gerebat: conquerente Rege, quòd inani verborum jactatione contentus, nullam sibi opem tulisset; Cæsare verò, quòd Gallis favendo suis conatibus adversus fuisset: cùm videlicèt pater optimus neutri adversus alterum favere volens, pacem tantummodò inter eos conciliare studeret: illi autem contra se esse dicerent, qui pro se non essent:) Concilium denuò Tridenti restauravit in sequentis anni Idus Martias, quæ futuræ erant Dominicâ Lætare quartâ Quadragesimæ, tanquam die lætitiæ: edito diplomate 13. Calendas Decembris cujus pariter initio Ecclesiam universam hortatus est ad exultandum gaudio, ob pacem eam quâ sublatum esset Concilij impedimentum. Ad cujus inchoationem atque celebrationem, delecti sunt Februario sequenti tres amplissimi Cardinales *Ioannes Maria de Monte* Episcopus Prænestinus, vir admodùm industrius animíque aperti; *Marcellus Cervinus* presbyter S. Crucis, spectatâ constantiâ ac rerum cognitione præditus, (qui post Paulum, Pontifices Maximi alter ab altero posteà fuêre sub nominibus Iulij III. & Marcelli II.) & *Reginaldus Polus* Anglus Diaconus S. Mariæ in Cosmedin, qui præter generis regij nobilitatem, eximiâ doctrinâ, pietate, ac morum probitate excellebat. Datâ eis facultate præsidendi loco Pontificis; decreta, & statuta ordinandi; proponendi, concludendi, & exequendi quicquid ad errores damnandos & extirpandos necessarium videretur; cognoscendi ac decidendi in causis hæreseos, & aliis quibuscumque fidem Catholicam spectantibus; statum Ecclesiæ in omnibus suis membris tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus reformandi; pacem inter Principes Christianos stabiliendi; & alia omnia quæ ad Dei gloriam, & Fidei Christianæ incrementum tenderent, constituendi. De quorum Tridentum adventu, & rebus ibi gestis, dicetur anno consequenti.

LEGATI CONCIL.

XVII. [x] Sur. in comment.

LUTHERUS INVEHITUR IN SACRAMENTARIOS.

Intereà Lutherus hoc anno [x] suas in Genesim Annotationes edidit. In quibus passim in Sacramentarios invectus, ne non omninò spiritu prophetiæ carere videretur, prædicit fore ut ipso extincto iidem Sacramentarij, quos suâ auctoritate compressisset, ipsius doctrinam certatim oppugnarent. Nec his contentus, Septembri mense postremam suam de Cœnâ Domini confessionem, licèt Melancthone renitente, (à quo propterea Lutherus aliquo tempore non parum alienatus est) evulgavit: in quâ Zuinglium, Oecolampadium, eorúmque discipulos apertè hæreticos, sacramentorum hostes, æternúmque damnatos esse dixit. Quod judicium Melancthon in quâdam ad Bullingerum per id tempus data epistolâ, atrocissimum vocat. Bucerus utriusque partis gratiam captare visus, Luthero tamquam de Ecclesiâ Christi optimè merito parcendum censebat. Attamen Tigurini omninò respondendum censentes, sub anni sequentis initium Apologiam ediderunt Latinè & Germanicè; quâ inter cetera ad crimen hæreseos, quod is Lutherus impegerat, & ad alia convicia acriter responderunt: inter alia objicientes, Prophetas & Apostolos Dei gloriæ, non privato honori, non suæ pertinaciæ & superbiæ studuisse, sed peccatorum salutem quæsîsse unicè: Lutherum autem sua quærere, pertinacem esse, insolentiâ nimiâ efferri; & confestim Satanæ tradere quotquot illius sententiæ non illicò subscribere vellent: & in omnibus correptionibus suis plurimùm maligni spiritûs, quamminimùm verò amici & paterni ingenij deprehendi. Hícque fuit [y] vigesimus jam annus à primo Tigurinorum cum Luthero certamine. De quo est etiam epistola [z] Calvini hoc eodem tempore ad Bullingerum scripta; quâ non parùm conqueritur de vehementiâ Lutheri, quòd ejusmodi atroci invectivâ in Sacramentarios proruperit. Agnoscere se quidem illum ut insignem Dei servum; sed sicut multis polleret virtutibus, ita magnis vitiis laborare. Plurimùm ei obfuisse adulatores, cùm ipse quoque naturâ ad indulgendum sibi nimis propensus esset. Et aliâ ad Melancthonem [a] consolatoriâ de mœrore quem inde contraxerat, ait Tigurinos justam habuisse causam scribendi, Periclem autem (ut Lutherum vocat) nimiâ intemperie ad fulminandum raptum fuisse, præsertim cùm ejus causa nihilo esset melior. Inde invehitur in vehemens ejus ingenium & impetus violentos, quibus omnem libertatem auferre, & tyrannidem inferre gestiret. Vt hinc videas quæ fuerit reformatorum hujusmodi concordia, & quàm quique primatum sibi asserere ambierint: quem post Lutherum Calvinus insigniter artificiis suis, ac subdolis fraudibus, & quæsivit & obtinuit.

[y] Bucholcer. in Indic. Chronol.
[z] Calvin. ep. 57. edit. in 8°.

CALVINI DE EO IUDICIUM.

[a] Id. ep. 63.

XVIII. [b] Sleid. lib. 16. Sur. in comment.

HÆRETICORUM BELGII SUPPLICIA.

Quo eodem tempore [b] Gallus quidam concionator, nomine *Petrus Brulius*, factione Sacramentarius, cùm aliquamdiù hæresim Argentorati prædicâsset, Tornacum Nerviorum ad id ipsum præstandum vocatus, (occultè tamen, propter edicta Imperatoris, & supplicia) indéque Insulas Flandriæ, Tornacum iterùm reversus, cùm detectus fuisset; clàm ab amicis noctu per murum fune demissus, dum humi consideret, & quidam ex iis qui demiserant procumbens ex muro salutem ei submissâ voce precaretur, saxum quod fortè resolutâ calce non benè cohærebat, in eum impulit, quo crus ejus fractum est. Tum miser dolorem cruris, & frigus hiemis (erat enim dies altera Novembris) non ferens, voces dare cœpit lamentabiles: quibus auditis à vigilibus, captus & in carcerem trusus, non diù post, nequicquàm pro illo deprecantibus Argentinensibus ac Principibus Protestantibus, lento igne fuit vivus exustus. Quantâ autem sollicitudine curaret Imperator ne hæresis per Belgium serperet, vel ex unâ Myconij ad Calvinum [c] datâ mense Martij anni consequentis epistolâ intelligitur; dum ait eò usque progressam esse persecutionem, ut Maria Regina Imperatoris soror, non potuerit tueri sacellanum suum Carmelitam, quin fugâ sibi consulere sit coactus; & postquam periculo jam liberatus esset, condemnatus ut hæreticus, ac libri ejus combusti publicè. Sicque accidisse filio

[c] Ap. Calv. ep. 61. edit. in 8°.

XIX. PATRIARCHÆ VENETI LEGATIO IN SCOTIAM.

Margravij Antuerpiensis, & aliis sine numero.

Fuisse hoc anno in Scotiam à Paulo Pontifice Patriarcham Venetum Legatum missum, Leslæus [d] scribit: videlicèt ad confirmandam in fide Catholicâ gentem, & consolandam in vexationibus quas ab Anglis patiebatur; itémque à nuptiis Reginæ cum filio Henrici Regis [e] contrahendis avertendam, quòd per illam conjunctionem suspicaretur aliquam fieri in Scotiâ religionis eversionem, sicuti factum in Angliâ fuerat. Habet item de bello ab Anglis illato Scotis, ob denegatam Reginam, atque Edimburgo regiâ civitate ab iisdem fœdè incensâ; incolumi tamen castro, à quo cum gravi clade repulsi sunt, paulóque pòst graviori cæde regno ejecti. De cujus calamitate Rex Franciscus certior factus, simul ut Regem Angliæ è Galliâ facilius pelleret, primò Iacobum Brossianum [f] Boium virum prudentem, ac militarem, qui Reginis à consilio esset, ac res inclinatas instentaret; deinde Iacobum Mongomerium Lorgium cum quinque millibus armatorum in præsidium misit: quibus Scoti juncti quædam prosperè egerunt.

[d] *Leslæ. lib.* 10.
[e] *Vid. sup. an.* 1541. *I X.*
[f] *Belcar lib.* 24. *ex Belli. lib.* 10.

XX.

FONS BAPTISMALIS E SCOTIA ADVEHITUR IN ANGL.

Ex prædicto Edimburgi incendio Ricardus Leus eques auratus, duxque fossorum castrensium, inter alia pretiosa spolia, eripuit [g] egregium lustricum seu baptismalem fontem quo Regum Scotiæ liberi baptizari consueverant: & in Angliam abducens, in ecclesiâ parochiali S. Albani collocavit: ubi adhuc conspici dicitur cum hâc inscriptione rei teste. *Cùm Lætha oppidum apud Scotos non incelebre, & Edimburgus primaria apud eos civitas incendio flagraret, Richardus Leus eques auratus, me flammis ereptum ad Anglos perduxit. Hujus ego beneficij memor, non nisi Regum liberos lavare solitus; nunc meam operam etiam infimis Anglorum libenter condixi. Leus victor sic volunt. Vale. Anno Domini M. D. XLIV. & Henrici Octavi* 32.

[g] *Duchesn. Hist. Angl. lib.* 20.

XXI.

SUECIÆ REGNUM FIT HEREDITARIUM.

Sueciæ [h] regnum ineunte hoc anno, in Comitiis regni Arosiæ celebratis ex libero & electitio hereditarium est factum, & ad familiam Regis Gustavi & posterorum illius marium alligatum; factâ constitutione, quam Vnionem Hereditariam nominant. Quâ item decretum est, ut si nullus ex totâ familiâ aut agnatione superesset, electio ad regni Senatum recideret; qui juxta leges regni nullum externum, sed ex illustri Suecorum sanguine prognatum crearet, ac filiabus Gustavi aut posterorum de dote honestâ provideret.

[h] *Chytræ. Saxon. lib.* 16.

XXII. CONVERSIONES IN INDIA.

Crescente indies in Indiâ cultu Christianæ Religionis per conversionem multorum Principum ac populorum, contigit hoc anno ut in Macazariâ amplissimâ insulâ, ab Molucis insulis in ortum circiter 50. leucis distante, Supanorum populorum Rex jam septuagenarius, in primis totius insulæ potens & bellicosus, aliusque Siani Rex, ministerio *Antonij Paivæ* mercatoris Lusitani, coëmendi sandali causâ illuc missi à præfecto Malacæ, ad fidem conversi fuerint, atque baptizati; evocatísque Malacâ Legis divinæ magistris, in fide confirmati sunt cum populis suis. Rem memoriâ dignam Maffeius [i] pleniùs describit; unà cum laboribus à Xaverio Iesuitâ jisdem temporibus in aliis populis instruendis, & ad fidem alliciendis magnâ solicitudine exantlatis, sermonem signis confirmante. Quem & proptereà Magnum Patrem vocatum fuisse, Orlandinus [k] tradit, pluribus de illo agens; simul & de Societatis per diversas Europæ provincias dilatatione.

[i] *Maff. Hist. Indic. lib.* 12.
[k] *Orland. Hist. Soc. lib.* 4. *in fi.*

XXIII. MARTYRES IN EA.

Quo etiam tempore irrigata est eadem India sanguine martyrum, qui semen est Christianorum; dum inter alia, sicut ex eodem auctore [l] aliisque intelligitur, quidam Rex insulæ Ceilani, auditâ multorum è suis subditis conversione ad fidem Christi operâ cujusdam mercatoris Lusitani; cùm esset idolis ad insaniam deditus, insitam ingenio feritatem novellos in Christianos exercuit, immissóque satellite circa septingentos occidit. Inter quos fuit etiam proprius ipsius filius natu major. Ad cujus sepulchrum apparens CRUX ejus longitudinis fabrefacta, quam numquam Gentiles & Saraceni, id maximè conantes sæpè ingestâ humo, opprimere aut delere potuerunt: aliáque desuper in cælo ignea: quamplurimos iis prodigiis commotos ad parem Christianismi susceptionem induxerunt. In quibus Regis filius minor; qui patris furorem devitans, Goam clàm se recepit cum multis aliis.

[l] *Id. lib.* 5. §. 83. *Ianic. lib.* 1. *cap.* 10. *Maff. lib.* 12.

IESU CHRISTI Annus 1545.
PAULI III. Annus 11.
CAROLI V. Ann. 27.

I. CONVENTUS THEOLOGORŪ MELODUNI.

ANNO Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, Indictione tertiâ, præcipui Theologi Parisienses jussu Regis Meloduni convenerunt; ut quia jam pace factâ Concilium generale celebrandum erat, habitâ inter se deliberatione statuerent de doctrinæ capitibus in controversiam deductis, suâmque sententiam scripto mandatam ad se tunc apud Fontembliaudi, sive Fontembellaquæ, agentem deferrent. Quod astuto *Petri Castellani*, hominis in literis humanioribus magis quàm Theologicis versati, consilio factum quidam [a] volunt; quòd quâ apud Regem pollebat auctoritate, se brevi alienis laboribus erudiri posse, & in Concilio Regis nomine legatione fungi speraret. Ideóque sententias singulorum, uti fuêre scriptæ, servasse sibi; summis tantummodò capitibus in publicum editis, in nullo ab iis quæ biennio [b] ante fuerant Lutetiæ numero 25. edita, discrepantibus. At hunc Castellanum non solùm doctrinâ eximium fuisse, verùm etiam morum gravitate præstantem, alij [c] tradunt; factum ex professore literarum humaniorum, Magistrum Bibliothecæ regiæ post Budeæum; etiámque Episcopum Tutelensem & magnum Franciæ Eleemosynarium, deinde Episcopum Matisconensem, ac demùm Aurelianensem post obitum Francisci Regis; cui & morienti adstitit, eumdémque oratione funebri laudavit: quamquam non negemus, eum aliquando malè apud Theologos Parisienses audisse.

DE PETRO CASTELLANO.

[a] *Belcar. lib.* 24. §. 8.
[b] *Supr. an.* 1543. *VI.*
[c] *Gall. Christ. in Matiscon.* 70. *& Aurel.* 104. *Thuan. lib.* 3.

II. ARTICULI LOVANIENSES.

Ceterùm prædictorum articulorum exemplo, cùm ad finem anni superioris Theologi Lovanienses alios triginta duos ejusdem generis condidissent; eos Carolus Imperator hoc anno edicto [d] decimo quarto Martij Bruxellæ

[d] *Vid. Goldast. to. uno Const. Imper. pag.* 514.

dato confirmavit, ac per omnes populos & provincias Inferioris Germaniæ divulgari, doceri, prædicari, & acceptari præcepit. Contra quos oblatrantes Lutherus & Bucerus, hic Argentinæ Germanicè calumniis & conviciis edidit commentarium: Lutherus autem septuaginta quinque theses seu propositiones Latinè & Germanicè, pari arrogantiâ & spurcitiâ scriptas: quibus eos impios, hæreticos, idololatras, sanguinarios, incendiarios, & fœdis aliis ac scurrilibus de more suo titulis indigitavit; ob id præcipuè, quòd cùm nuda doctrinæ Catholicæ axiomata (sicuti & Parisienses) populis tenenda, absque ullis additis Scripturæ testimoniis, aut aliis probationibus, proposuissent, vim nihilominùs adhiberent, & igni grassarentur atque ferro adversus eos qui ea non reciperent. In iisdem tamen invectus etiam in Sacramentarios, disertè scripsit [e], hæreticos seriò censere se, & alienos ab Ecclesiâ Dei Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negarent Corpus & Sanguinem Christi ore carnali verè & reipsâ sumi in venerabili & adorabili Eucharistiâ tam à dignis quàm indignis.

[e] Sur. in commentar.

III. Lutheri imagines Papatûs.

Idem autem impurus scurra, hoc eodem anno [f] scriptum edidit populari linguâ contra Pontificatum Romanum à Satanâ constitutum, ut est operis inscriptio: quo respondens epistolæ Pontificis ad Imperatorem scriptæ post Comitia Spirensia anni superioris, Scripturæ loca pro suo primatu à Pontifice prolata impugnavit. Et ut erat satanico ductus spiritu, libro picturam præfixit; quâ Pontificem in sublimi sede positum junctis & protensis manibus, ornatu solemni, sed asininis auribus, circumstabant plurimi dæmones variis figuris; quorum alij capiti ejus imponebant diadema triplex, oleto fastigiatum; alij funibus demittebant in medium infernum, horribili specie subjectum; alij titiones & ligna comportabant, alij tamquam officiosi pedes ei sublevabant, ut rectà mollitérque descenderet. Rursúmque aliam emisit picturam; quâ Pontifex sui, seu scrofæ insidebat ornatus, amplæ & mammosæ, quam calcaribus fodiebat; dextræ digitis duobus pollici proximis de more protensis benedicebat iis qui fortè veniebant obviam; sinistrâ tenebat oletum recens atque fumans, ad cujus nidorem porca suspiciebat, & scitu naribúsque prædam captabat. En præclarum Papatûs Romani reformatorem! Anne hæc ex doctrinâ aut exemplo Christi, vel Prophetarum & Apostolorum? O turpes & infames sacrilegos! ô cæcos & stupidos asseclas!

[f] Sleid. lib. 16. Sur. ibid.

IV. Conventus Wormatiensis.

Erat tum Imperij conventus Wormatiæ. Ad quem cùm non potuisset maturè Imperator, articulari morbo præpeditus, ut proposuerat, accedere; adfuit ejus frater Rex Ferdinandus, ejusdémque nomine Otho Truchses civis & Episcopus Augustanus, ad finem anni superioris à Paulo Pontifice unà cum aliis duodecim Italis, Gallis, Hispanis, post pacem inter Imperatorem & Regem constabilitam, creatus Cardinalis; vir laudatissimus, & fide Catholicâ ac prudentiâ civili insignis. Nono Calendas Aprilis Ferdinandus duas conventûs præcipuas causas proposuit, nimirùm ut Religio constitueretur, & bellum adversus Turcum adornaretur: quarum rerum causâ Imperator pacem cum Rege Galliæ iniisset: & Rex Concilium Tridentinum approbâsset, atque auxilia contra Turcos promisisset: Concilium in Idus Martias jam elapsas indictum fuisse; ad quod jam Imperator, & ipse Ferdinandus oratores suos misissent: ideóque remittendam ab illud esse causam religionis, & tractandum solummodò in conventu negotium Turcicum, cujus periculum Germaniæ imminebat. Cujusmodi Ferdinandi propositioni cùm annuerent Catholici, refragati sunt omninò Protestantes; objicientes hunc conventum ad constituendam potissimùm religionis & pacis in Germaniâ causam fuisse decretum; ac propterea de eo imprimis agendum, rebúsque domi pacatis de bello Turcico consultandum fore: Tridentinum Concilium pro nullo se habere, ut sæpiùs contestati essent: talémque se pacem postulare, quæ ejusmodi Concilio minimè esset astricta, nec ab eo violari aut variari posset. Neque ab hoc proposito, etiam post adventum Imperatoris, qui fuit postridie Idus Maij, ullis ejus hortationibus demoveri potuerunt. Cúmque advenisset etiam illuc Cardinalis Farnesius Pontificis nepos, eâdem de causâ, ut putatum est, nequid scilicèt ubi de religione decerneretur, sed res ad Concilium remitteretur; nihil tamen publicè ab eo actum est, & antequàm aliud concluderetur, festinanter recessit. Sicuti & missus à Rege Francisco Comes Griniani, qui Regis nomine (sicut inter ipsum & Imperatorem conventum fuerat) Protestantes hortaretur, ut conciliandis religionis discordiis gnaviter incumberent, & legatos ad Concilium mitterent; nihil magis obtinere potuit. Quapropter cùm & nulli adessent Electores Imperij præter Palatinum, ac ceteri penè omnes Principes legatos suos dumtaxat misissent, qui non inventi sunt liberam in omnibus habere agendi facultatem; acquievit Cæsar, ut alius Ratisbonæ fieret conventus in Epiphaniâ Domini anni proximi, cui Principes omnes se sistere deberent, nisi quem adversa valetudo retineret domi. Instituitque interim colloquium quoddam virorum doctorum, qui ibidem sub Calendas Decembris præsentis anni convenientes, ante comitia rem concordiæ inchoarent: recusantibus tamen Catholicis qui Wormatiæ erant, huic colloquio cum Protestantibus agendo assentiri, eò quòd ex præcedentibus compertum fuisset, haud in alium finem ejusmodi colloquia Protestantes quærere, quàm ad deludendos Catholicos: nec parùm indignantibus Prælatis qui jam Tridentum convenerant ad Concilium, ipsóque adeò Pontifice, quòd id Imperator præsumpsisset concedere contra auctoritatem Sedis Apostolicæ, & cum tanto Concilij contemptu.

Protestantiũ obstinatio.

V. Buceri et Cochlæi scripta contraria.

Scripsit ad hunc conventum Wormatiensem (ut narrat Cochlæus) Bucerus tres libros: in quibus prolixè suadere conatus est, ut Nationale potiùs quàm Generale Concilium fieret; multa inculcans contra Pontificem & omnem statum Ecclesiasticum contra Sacramenta & cæremonias Ecclesiæ: & quasi per omnia innocens esset, offerre se ausus est ad experiendum de jure cùm quocumque ad-

versario. Quæ indignè ferens idem Cochlæus Latinè scripsit epistolam ex urbe Eistetensi ad Principes & Status partis Catholicorum, suppliciter admonens ut à fraudulentis Buceri commentis caverent; atque etiam ad pœnam talionis sese obligavit, si illum sub judicibus non convinceret, tum de erroribus in fide, tum de criminibus in vitâ. Cujus epistolæ nactus exemplum Bucerus, prolixum edidit contra eam librum. Paritérque Cochlæus suam adversus hunc librum responsionem, eductis ex eo octodecim articulis, super quibus vellet cum eo experiri de jure.

VI. CÆSAR INSTAT APUD TURCUM PRO INDUCIIS.

Intereà Carolus timens Austriæ & Germaniæ à Turcorum Imperatore Solimano, ob denegatas à Protestantibus adversus eum suppetias; nisi à decretis Concilij Tridentini, & a Iurisdictione Cameræ Imperialis liberarentur; Gerardum Veltwickium suum amanuensem virum eloquentem, & multarum linguarum peritum, Constantinopolim ad Solimanum misit pro paciscendis cum eo induciis: eò majori spe, quòd interventus accederet Francisci Regis: qui eâ de causâ legatum Constantinopolim præmisisset Wormatiæ autem adhuc existens, lætissimum accepit nuncium, de nato die octavo, seu nono Iulij, Carolo infante ex Philippo filio, quem Regem Hispaniæ pronunciaverat, & Mariâ ipsius conjuge: quæ tamen paulò pòst ex puerperio decessit, viduum relinquens Philippum adolescentem adhuc octodecim annorum.

VII.

[g] Vid. supr. an.1543. V.

DE CAUSA HERMANNI ARCHIEPISC. COLON.

Cùm verò Clerus & Academia Coloniensis cernentes Archiepiscopum Hermannum non solùm non desistere à favore [g] hæreticis impendendo, verùm etiam hæreticos concionatores quaquaversùm per diœcesin mittere, appellationem incœptam prosequentes, Pontificem & Imperatorem imploràssent pro auxiliis atque subsidio: imprimis Cæsar sub finem Iunij ibidem Wormatiæ literis obsignatis eos in suam protectionem recepit, & Archiepiscopum intra diem trigesimum præstò esse, aut procuratorem mittere, ut accusationibus responderet, atque interim nihil innovare sed quæ innovata essent in pristinum restituere præcepit. Quod ut Pontifex audivit, parùm probare visus quòd Cæsar in causâ fidei & reformationis Ecclesiarum, Iudicis auctoritatem sibi sumeret; die decimaoctavâ Iulij eumdem Coloniensem ad sexagesimum diem citavit, ut per se ipsum, vel per legitimum procuratorem coram ipso Romæ se sisteret. De cujus causæ prosecutione, & successu, dicetur suis locis. Quòd verò in hâc contentione nonnulli culpam accessûs Buceri ad Archiepiscopum, ac proinde ejus perversionem, Doctori Groppero, tunc Ecclesiæ metropolitanæ canonico, posteà etiam Cardinali à Paulo Pontifice ob egregia ipsius erga Ecclesiam merita designato impingere conarentur; (quem sæpe mendax Sleidanus traducere consuevit:) idque Bucerus ipse asserere non dubitabat, quò suspectum illum omnibus atque odiosum redderet: idem Gropperus ejusmodi injuriæ diluendæ gratiâ, commentarium apologeticum in eodem Wormatiensi conventu edidit, atque Imperatori dicavit: quo quid sibi cum Bucero negotij fuisset, & quomodò is ad Archiepiscopum se obnitente venisset, perspicuè atque ingenuè narravit. Ex cujus apologetico, quæ maximè ad rem faciunt, Roværus Pontanus [h] Carmelita, in confusionem eorumdem Buceri & Sleidani, commentario suo Rerum memorabilium inseruit.

[h] Pont. lib. 4. Rer. memor.

VIII. SUSPICIONES DE BELLO INTER CÆS. ET REGEM RENOVANDO.

Wormatiâ Carolo (dimisso pridie Nonas Augusti conventu) in Belgium regresso, cùm octavo Septembris diem ex febre pestilenti anno ætatis vigesimo tertio obiisset egregius juvenis Carolus Dux Aurelianensis filius minor Francisci Regis Galliæ, ejusdem Imperatoris gener aut affinis futurus, & pacis superiori anno factæ veluti firmissimum vinculum constitutus; Calendis Novembris Rex ad Imperatorem legatos misit: qui ejus voluntatem circa pacem periclitarentur: qui post longas moras ambiguum de more responsum [i] tulêre, nisi provocaretur, haud se ab illâ recessurum. Vnde Franciscus cùm cerneret illum arma parare, cogitabat enim bellum Germanicum contra refractarios Protestantes, valdè ad illud à Pontifice incitatus, cujus etiam de causâ Cardinalis Farnesius Wormatiam accessisse putabatur:) præteritorum experientiâ bellum sibi ab eo impendere nihil dubitans, muniendis finibus operam dedit, & ad pacem cum Rege Angliæ sanciendam animum applicavit; cùm præteritâ æstate Angliam classe aggressus per Annebaldum Admiralium, & Boloniam per Biezium Marescallum, nullâ re memorabili gestâ operam ferè lusisset; uti apud historicos Francos videre est, ac præcipuè Bellaium [k], qui cuncta præ oculis habuit, ac munitissimè descripsit. Ex quo priuatum unum facinus commemoratione dignissimum existimavimus, quod ad Boloniam contigisse tradit. Nimirùm cùm crebra inter Gallos Anglósque præsidiarios certamina consererentur, in uno eorum Franciscum Lotharingium Claudij Ducis Guisiani filium natu majorem, accepto inter nasum & oculum dextrum ictu lanceæ Anglicæ, quo ferrum ejus non adeò crassum, sed oblongum & triangulare, ad occipitium usque & postremam galeæ partem penetrans, fractâ lanceâ cum parte ligni in capite remansisset; non tamen tantâ succussatione ex equo præcipitari potuisse, sed fortiter se ex manibus hostium eripientem, cùm ad hospitium relatus fuisset, desperantibus de vitâ chirurgis, truncum ferrúmque educi constantissimè tulisse, nullâ doloris acutissimi indice voce emissâ, & præter omnium spem ex tanto vulnere convaluisse: servatum scilicèt divinitùs ad tot tantáque præclara facinora quæ posteà pro religionis Catholicæ & regni propugnatione patravit.

[i] Bellai. lib. 10. Belcar. lib. 24.

[k] Bellai. lib. 10.

GRANDIS ANIMUS FRANC. GUISII.

IX.

Ad principium anni confirmato per Regem decreto, quod adversus Merindolanos & Cabrienses, ac finitimos quorumdam pagorum ad Druentiam flumen in Provinciâ accolas, olim, ut volunt, Vautuares dictos, infelices reliquias veterum hæreticorum Waldensium, & novorum Lutheranorum & Zuinglianorum infeliciores æmulatores, à Bartholomæo Chassaneo Senatûs, seu Parlamenti Aquensis principe confectum vidimus [l], quo pagi solo æquari, accolæ omnes

[l] Supr. an. 1531. IV.

MERINDOLANI ETC. DIRE EXAGITANTUR.

promiscuè trucidari, ob pervicacem eorum hæresim, damnati fuerant: (quod hactenùs suspensum, modò à Rege, suasione, ut putatur, Cardinalis Turnonij, executioni mandari jussum est:) hoc anno mense Aprili Ioannes Minerius Oppeda, qui Chassaneo repentinâ morte sublato suffectus fuerat, illud acerrimè manu armatâ executus est, incensis oppidis, cæsis obviis quibusque omnis ætatis & sexûs incolis, aut qui mitiùs habiti sunt ad remos addictis, atque etiam arboribus succisis: opem ferente Episcopo Cavallicensi, Pontificij Legati Avenionensis vicario, cum essent ex iis oppidis nonnulla ditionis Pontificiæ Comitatûs Venaissini. Asperiùs æquo in miseram gentem sævitum esse, conqueruntur etiam multi Catholici [m]; non favore hæresis, aut quòd ferro & igne in hæreticos obstinatos agi posse negent; sed humanitatis intuitu, quæ vel inermibus, & veniam ac misericordiam deprecantibus, saltem innocenti ætati, ac debili sexui, emendationis spe ignosci suadere videbatur. Hæreticorum verò nugaces nænias non moramur, Sleidani [n], Calvini, Bezæ, aliorum; qui quæque etiam benè facta mendaciis suis corrumpere consueverunt, cùm nihilominùs invenerimus etiam nonnullos Catholicos miseræ gentis scelera, in odium, ut putamus, eorum hæresis exaggerâsse magis quàm multa ex vero retulisse. Addit autem Sleidanus, cùm multi Genuam & ad Helvetios profugissent, Helvetios fidei Catholicæ desertores intercessisse ad Regem, ut in eos uteretur misericordiâ: Regem autem respondisse, & justas esse causas cur ita fecisset, & quid in suis finibus ageret, aut quomodò in sontes animadverteret, non magis solicitos eos esse debere, quàm esset ipse de illorum negotiis. Mentitur verò Beza, cùm scribit, quòd hodie Biblia Gallicè legantur, Waldensium horum ecclesiis acceptum meritò ferri, auctore Petro Roberto linguæ Hebrææ perito, & adjutore Ioanne Calvino: cùm jam sub Carolo V. Rege Sapiente illa in Gallicam linguam à doctissimo viro Nicolao Oresmio ejus præceptore ducentis fermè antè annis, conversa fuisse viderimus [o]: cujus primum exemplar cernitur in Bibliothecâ regiâ Parisiis. Nec verò hâc clade ita contriti sunt populi illi, quin sub Henrico Rege Francisci filio, miti & facili Principe, audaciam assumpserint de Senatûs Aquensis crudelitate querimoniam instituendi: oratione que ad commiserationem compositâ pervicêre ut ad Senatum Parisiensem causa deferretur, potestate factâ in eos inquirendi, quorum culpâ quidquam præter jus in eo negotio admissum esset. Causâ magnâ celebritate per plurimos dies actâ, unico Advocato regio ceteris infortunatiori capite plexo, reliqui omnes absoluti fuêre. Mirúmque valdè est quod in Historiâ Provinciæ Nostradami [p] legitur, caput Advocati eodem ipso momento quo Parisiis à carnifice truncabatur, visum esse in Provinciâ impressum in volâ manûs uxoris ejus, ubi per aliquot dies stetit. Ipsi verò iidem hæretici, bellorum civilium beneficio securiores redditi, perfidiam suam liberè tam iisdem Provinciæ locis, quàm etiam in nonnullis Sabaudiæ vallibus, in quibus à primis illius ortûs sui temporibus sedes fixerant, hactenùs exercuerant; frustrà aliquot abhinc annis [q] Sabaudiæ Duce illos armis ad obsequium fidei reducere conato.

[m] Vid. Bellefor. lib.6. cap.63.

[n] Sleid. lib. 16. Calv. ep. 57. 64. & c. Bez. in Iconib.

[o] Supr. an. 1379.

[p] Nostrad. par. 2. in Henr. II. ad pr.

[q] Vid. infr. an. 1561. XXVI.

X.

DUCIS BRUNSVIC. CLADES.

Hoc eodem anno gestùm est bellum inter Henricum Ducem Brunsvicensem Catholicum, & Philippum Lantgravium Hessiæ Protestantem. Quippe impatiens Henricus spoliationis suæ, de quâ dictum est superiùs [r], nec acquiescens prohibitioni Cæsaris, nequid attentaret donec judices de eâ controversiâ pronunciarent: collectis auro Gallico, quod falso prætextu à Rege surripuerat nonnullis copiis, ditiones suas vi repetere cœpit. Contra quem Lantgravius cum longè majori exercitu tam suorum quàm sodalium, Ioannis Friderici Electoris Saxoniæ, & Mauritij Saxonis ipsius Lantgravij generi, progressus, post levem quandam pugnam eum unà cum filio Carolo-Victore ad finem mensis Octobris, agente Mauritio, in deditionem accepit, & in custodiam tradidit. Quo audito Carolus Imperator, cùm Lantgravius ab eo peteret ut captivi proscriberentur, eò quòd mandatis ipsius non obtemperâssent: econtrà rescripsit ut eos Lantgravius liberaliter, uti Principes decebat, haberet, rémque judicum disceptationi relinqueret. Cùm verò de Mauritio Saxone dissipata fuisset fama, quòd captiosis ac fraudulentis verbis Henricum in eas angustias perduxisset; scriptum Mauritius edidit in sui purgationem: quod extat in opere [s] Historico Rerum Germanicarum, post aliam narrationem item à Protestantibus factam de caussis, & successibus, ac fine hujus belli. Lutherus autem pro innato sibi furore, libellum evulgavit, (ultimum suum fœtidúmque fœtum) ad Electorem Saxoniæ & Lantgravium, quo illos dehortabatur ne Brunsvicensem dimitterent: victoriam enim istam incruentam divinitùs contigisse ad illum castigandum; nec posse absolvi, nisi veram ageret pœnitentiam, & ritè satisfaceret; aliáque ejusmodi, quibus se Lutherus ridendum magis quàm admirandum propinavit.

[r] Supr. an. 1542.

[s] To. 2. pag. 1536.

XI.

LUTHERUS MALE HABETUR A DÆMONE.

At longè magis scurrilitate illâ, quam hoc eodem anno ab eo exhibitam, scripsit posteà qui tunc interfuit ejus discipulus *Fridericus Staphylus* [t]. Ait autem, cùm puella quædam dæmoniaca è Misniâ adducta fuisset ad Lutherum Wittembergam, spe fore ipsam ab eo liberandam; eum initio quidem difficilem se præbuisse, malè scilicèt sibi conscium, sed ne conceptâ de se ab aliis opinione decideret, jussisse demùm illam in sacrarium parochianæ Ecclesiæ introduci: cùm cœpisset quibusdam à se compositis exorcismis dæmonem adjurare, ejus ipsum irridentis voce ita fuisse perterritum, ut è sacrario sese proripere quæsierit: sed cùm ostium ita malus dæmon obstruxisset, ut neque foris neque intùs reserari posset, Lutherum in eas venisse angustias, ut etiam per fenestras cancellis ferreis obductas erumpere conaretur: non tamen priùs reperisse exitum, quàm securi ferreâ per cancellos immissâ ostium confringeretur ab eodem ipso Staphylo, qui rem ut vidit posteà descripsit; fœtida quoque de Lutheri terrore addens, quæ delicatis naribus ingrata sint. Sic olim [u] dæmon, quem

[t] Staphyl. in prodro. apol. 2. Genebr. Chronol. lib. 4. in Paul. III. Sur. in commentar.

Iudæi filij Scevæ principis sacerdotum adjurare volebant per IESUM quem Paulus Apostolus prædicaret, respondens spiritus nequam dixit, Iesum novi, & Paulum scio; vos autem qui estis? & insiliens in eos, evolvit contra eos ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illâ. Sciebat Lutherus non fieri miracula extra Ecclesiam Catholicam, aut nonnisi in confirmationem doctrinæ Catholicæ: timebat itaque aggredi quod non ignorabat irritum fore: sed spe excusationis defectu fidei puellæ, manum admovens sensit super se judicium Omnipotentis, quem ipse blasphemabat.

XII. De Actis Concilii Tridentini.

Sed his expeditis, ut jam accedamus ad CONCILIUM, quod TRIDENTI celebrandum indictum vidimus: sunt ejus Acta, à quodam Schismatico, qui se *Petrum Suavem Polanum* indigitavit, Italicè Londini in Angliâ ante aliquot annos edita per infelicem illum, *M. Ant. de Dominis*, ex Archiepiscopo Spalatensi in Dalmatiâ factum apostatam in Angliâ; rursúmque ex simulato pœnitente ac Romam reduce, post palinodiam relapsum in hæresim, & in perfidiâ mortuum, ac post mortem publicè combustum: eadémque ibidem Latinitate donata, atque typis excusa. Vt ex his intelligas, quæ fides iisdem Actis habenda sit, quæ ab istiusmodi hominibus in lucem prodierint: cujus mendacia refellet ubertim *Terentius Alciatus* Societatis Iesu Theologus; in suâ verâ Concilij hujus historiâ, quam audivimus eum scribere. Vbi & pariter locus erit dispungendi quæ falsa reperiuntur in tot aliis Tractatibus, Epistolis, Monitis, Examinibus, Revisionibus, & aliis horum aliorúmque ejusmodi titulorum scriptis, diversis temporibus exaratis, & publicatis, tam ab hæreticis quàm politicis auctoribus, ad traducendam Sedem Apostolicam, imminuendam potestatem Romanorum Pontificum, & Conciliorum omnium, hujúsque potissimùm auctoritatem convellendam; denique ad infamandas per varias ac multiplices cavillationes, fallacias, fucos, suppositiones, interpretationes, divinationes, imputationes, plerasque res in ejus celebratione & œconomiâ gestas: ut taceamus de dogmatibus quæ hæretici impugnare nec cessârunt hactenùs, nec cessabunt imposterum, quòd iis jugulentur eorum hæreses, & extirpentur radicitùs sophismata. Habuit Sedes Apostolica justas rationes, quibus noluit integra Concilij Acta, sicut de plurimis anteà contigerat, publicari; sola decreta, & doctrinæ canones, reformationísque articulos, quorum causâ Concilium celebratum est, orbi Christiano patefacere contenta. Quòd tamen minimè prohibuerit, historiam quoque rerum publicè gestarum atque tractatarum, citra ullam quæsitarum commentationum ac malitiosarum interpretationum intersitionem, pandere; haud abs re existimavimus, non solùm ex Catholicorum scriptis & relationibus, verùm etiam nonnulla ex ipsis adversariis excerpere quæ notitiâ digna videbuntur, sicuti & in Sleidano videmus à plerísque receptis scriptoribus Catholicis factum, ut dum quæ hæreticus hic Sacramentarius contra rerum veritatem suis commentariis de statu Religionis & Reipublicæ inseruit carpunt, nihilominùs multa quæ ab eodem vera recensentur, suis lucubrationibus apponant: ídque ipsum in permultis aliis antiquorum exemplo quotidie usu veniat.

XIII. Vnde illa sumpta.

Quæ verò toto primo libro suo Polanus habet de rebus ad celebrationem Concilij præparatoriis, itineribus, legationibus, consiliis, eâ de causâ habitis: excepit is maximam partem ex eodem Sleidano, atque eâdem quâ ille mente, sed longè tectiori, & ad pietatem præferendam cautiori: quemadmodùm & in sequentibus præstitit, quoad Sleidanus suos produxit commentarios. Deinceps verò *Paulum Vergerium* habuit; qui postquam à fide apostatavit, singula Concilij gesta aucupans, ea concionum suarum subjectum faciebat, Episcoporum & Theologorum inter se de rebus propositis contentiones diligenter colligens; ut erant plures Tridenti, qui in iis divulgandis delectabantur: eásque ille quantum poterat non solùm verbis, sed etiam literis ad alios ministros Protestantes scriptis, libellísque typis editis promulgabat, actis Concilij omnibus detrahens, quamvis & alia quoque Polanus, quæ ab aliis sive typis, excusa, sive calamo exarata monumenta emanâssent in publicum, etiámque schedas scriptorum à Prælatis ac ceteris qui Concilio interfuissent, necnon epistolas inde exaratas ab iis qui res ibi tractâssent, diligenti ad hæc adipiscenda adhibitâ operâ, se vidisse jactet; quarum & nos bonam partem volutâsse profiteri possumus. Inter quas sunt Epistolæ & Instructiones, ut vocant, Regum Christianissimorum, eorúmque Legatorum de rebus Concilij ultrò citróque scriptæ, & Lutetiæ editæ: necnon Imperatorum, aliorúmque Regum & Principum ad sacrum Concilium Literæ & Mandata; & Legatorum ab iis missorum, pluriúmque aliorum doctorum virorum, habitæ ibidem orationes & disputationes: quæ variis editionibus Ripæ, Mediolani, Antuerpiæ, Coloniæ, Lovanij, aliísque locis in publicum prodierunt. Quæ verò primis Sessionibus Tridenti habitis, & in translatione Synodi Bononiam, quæque ibidem Bononiæ ac Romæ gesta sunt usque ad obitum Pauli III. Pontificis, præcipua habuimus ex apographo, seu exemplo, inde ab Antonio Filholi Archiepiscopo Aquensi in Provinciâ Galliæ, qui iis omnibus interfuit, allato domum, recognito ad archetypum, & ab Angelo Massarello Secretario Concilij subscripto; quod omni fide constans nobis exhibuit, Puteanus vir clarissimus ex locupletissimâ suâ Bibliothecâ; cujus usus, pro ipsius liberalitate, & publicæ utilitatis studio, singulis patet.

XIV. Legati Concilii.

Rebus igitur ad celebrationem Concilij paratis, dimissi à Pontifice ad finem Februarij Legati Cardinales *de Monte* & *S. Crucis*, Tridentum pervenerunt tertio Idus Martij, cùm ad ipsas Idus Concilium indictum fuisset, *Polus* enim tertius Legatus, ob gravia quædam negotia Romæ aliquamdiù retentus fuit. Quo tempore de re ipsis commissâ seriò cogitans, ad collegas egregium tractatum *De Concilio Generali* scripsit; videlicèt de Legatorum munere; de personis ad illud vo-

candis; de auctoritate in eo Romani Pontificis; de rebus in hoc Tridentino tractandis: qui extat cum aliis viri doctissimi lucubrationibus. Ipse verò deinceps Tridentum ad collegas pervenit; cum quibus interfuit primæ ejus Sessioni; quæ ob infrequentiam Patrum, & alia impedimenta, dilata est usque ad finem anni. Omittimus quæ totâ intercapedine factâ nonnulli tradunt, hinc à Pontifice; illinc ab Imperatore, ad suspendendum, aut etiam dirimendum Concilium, & à Legatis, tum ad multa alia dexterè dirigenda, tum ad continendos Antistites qui Tridentum adventabant, ne tædio moræ, primò ex eorum quæ Wormatiæ gererentur expectatione, deinde ex aliis occurrentibus causis creatæ, affecti ad sua se reciperent: quorum ut non negemus aliqua veritate niti, plura tamen in consiliis prædictorum temerè dijudicandis falsa esse non dubitamus; ac propterea ut parùm ad scopum celebrationis Concilij spectantia, absque accuratiori factorum investigatione transimus.

XV. ORATORES CAR. IMPER. ET FERDINANDI REGIS.

Cùm verò post Legatorum adventum accederet Tridentum *Didacus* sive Iacobus *Mendoza* Imperatoris apud Rempublicam Venetam orator, cum amplissimo mandato, misso Bruxellis 20. Februarij antequàm Imperator Wormatiam peteret: exceptus est à Legatis, & à Christophoro Cardinale Madrucio Episcopo Tridentino, ac tribus Episcopis qui soli tunc aderant, videlicèt *Thomâ Campegio* Feltrensi Episcopo, nepote Cardinalis; *Thomâ de S. Felicio* Episcopo Cavensi; & *Fr. Cornelio Musso* Episcopo Bitontino Ordinis S. Francisci, omnium eo tempore concionatorum. Italicorum disertissimo. Advenientibus deinde Ferdinandi Romanorum Regis oratoribus *Vvolphgango* Episcopo Pataviensi. *Friderico* Episcopo Viennensi, *Francisco de Castelalto* Comitatûs Tirolensis Capitaneo generali, *Ioanne Cochlæo* Theologo, & *Antonio Quetâ* utriusque juris Doctore, cum mandato die 23. Aprilis: in iis excipiendis Mendoza præcedere voluit Cardinalem Tridentinum, & juxta legatos sedere, asserens sibi qui repræsentaret Imperatorem, eum locum deberi; ut sicut inter Pontificem & Imperatorem nemo sederet medius, ita inter eos qui ipsorum personas referrent idem observari deberet: quod & iterùm, ubi de Concilij inchoatione agi cœptum est, Mendoza contendit. Cui primò ita satisfactum est, ut repertus sit modus, quo uter eorum, Madrucius vel Mendoza præcederet, non erat facile dignoscere: deinde ita, ut responderent Legati se eâ de re Pontificis animi mentem præstolari; cùm diceret Mendoza, non dubitare se, in commentariis publicis extare controversiæ huic terminandæ documenta & exempla: atque in ceteris omnibus proclivem se sponte suâ esse ad honorem minimo cuique sacerdoti extra Concilium deferendum.

DISCEPTATIO DE PRÆCEDENTIA INTER CARDIN. ET ORATOR. IMPER.

XVI. DE ORATORIBUS REGIS GALL.

Cùm tandem post longas moras, postpositis omnibus difficultatibus, quæ quotidie velut ab inimico humani generis emergebant, decretum venisset à Pontifice datû ultimo Octobris, ut Concilium quod inchoari non potuerat Dominicâ *Lætare* Quadragesimæ, omninò absque ulteriori dilatione aperiretur eodem fausto omine, Dominicâ *Gaudete* tertiâ Adventûs, quæ futura erat die 13. Decembris: rursùm nihilominùs aliquid molestiæ successit, ex eo quòd interim Franciscus Rex Galliæ, (qui tertio Calendas Aprilis Tridentum destinaverat oratores ac procuratores suos, Claudium Durfé præfectum Forensium; Iacobum de Ligneriis in Curiâ Parisiensi tertiæ Iudicum decuriæ præsidem, ac Petrum Danesium Suzennarum præpositum) certior redditus à regni sui Prælatis, qui Tridentum accesserant, parvam esse spem, ob emergentes difficultates, celebrationis Concilij, eosdem per literas revocâsset. Quod ægrè ferentes Cardinales Legati, quasi judicium esset non probari Regi Concilium, omnem conatum adhibuerunt ad eos retinendos, asserentes alio rerum statu mandatum à Rege, quod mutaturus esset si præsentem cognosceret. Quare & cùm ceteri Episcopi contra discessum ipsorum contestationem interponerent; is modus adhibitus est, ut solus Episcopus Redonensis (non Archiepiscopus Rhemensis, ut malè accepit Latinus Polani interpres) abiret, qui Regem de statu Concilij certiorem redderet, ceterique duo subsisterent, quorum unus erat prædictus *Antonius Filholi de Ganaco* Archiepiscopus Aquensis, quod consilium Rex quoque probavit. Erat verò Redonensis is Episcopus, nomine *Claudius Dodieu*, ex magistro Libellorum supplicum, regius ad Pontificem orator.

XVII. [x] *Act. Archiep. Aquē. & in Actis Concil. edit. Antuerp. an. 1564.*

Adveniente igitur tandem Dominicâ illâ *Gaudete*, Idibus Decembris, Romæ Pontifex [x] publicatis per totum Christianum orbem supplicationibus, & Iubileo universali cum plenissimâ remissione omnium peccatorum, cunctos hortatus est ad orandum pro Patribus congregatis Tridenti ad celebrationem Concilij, quòd à se indictum esset sanandis vulneribus, ab impiis infidelibus reprobísque hæreticis Ecclesiæ inflictis. Eodémque die Legati *Primam* acturi *Sessionem*, unà cum viginti sex qui aderant Patribus, videlicèt [y] quatuor Archiepiscopis & viginti duobus Episcopis habitu Pontificali ornatis: oratoribus Regis Romanorum; quinque Generalibus Ordinum Mendicantium, Minorum Observantium, & Conventualium. Eremitarum Sancti Augustini, Carmelitarum, & Servorum; cum multis tam sæcularibus quàm regularibus Doctoribus, clero, nobilitate, & populo, supplicationem solemnem habuerunt ab ecclesiâ sanctissimæ Trinitatis ad cathedralem Sancti Vigilij ejus civitatis olim Episcopi & martyris: ubi Cardinalis de Monte primus Legatorum Missam de Spiritu S. celebrâvit: & Episcopus Bitontinus magnâ eloquentiâ orationem habuit de necessitate Concilij; & laudibus Pontificis, qui illud favore Imperatoris, ac Regum Galliæ, Romanorum, & Lusitaniæ, aliorúmque Principum Christianorum subnixus indixisset: laudatísque pariter Legatis, Patres hortatus est ad vitæ emendationem, ac depositionem omnium affectuum, quò dignè ab iis dici posset, *Visum* [z] *est Spiritui Sancto & nobis*. Deinde jussu Legatorum lecta est de scripto admonitio ad Patres, de causis ejus Concilij celebrandi, nimirùm ad extirpationem grassantium hæresum, restitutionem disciplinæ Ecclesiasticæ, & pacis re-

PRIMA SESSIO CONCILII.

[y] *Recensentur ibid. & in Tom. Concil. edit. Rom. & Binij.*

[z] *Act. 15.*

cuperationem: de horum malorum origine, nempè à Prælatis & Clericis, eò quòd officium suum neglexerint in salutaris doctrinæ semine jaciendo, & enascente zizaniâ eradicandâ; corruptissimísque moribus infecti fuerint, & alios infecerint; atque inde missam à Deo tertiam plagam foris belli Turcici, domi civilis. Horum malorum singulos se reos agnoscere debere, & ad emendationem accingere; alioquin frustrà Concilium haberi, & Spiritus Sancti gratiam implorari. Post hæc lecta fuit Bulla indictionis Concilij anni millesimi quingentesimi quadragesimi secundi; aliáque designationis Legatorum; ac tertia apertionis Concilij. Subjunctæque preces, & alia in Conciliis fieri solita, juxta Rituale Romanum. Ac demùm Cardinalis de Monte proprio ore percontatus est solemni more à Patribus, placerétne ad laudem & gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritûs Sancti, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Christianæ, ad extirpationem hæresum, & ad pacem ac unionem Ecclesiæ, ad reformationem Cleri & populi Christiani, ad depressionem & extinctionem hostium Christiani nominis, decernere & declarare, sacrum Tridentinum & Generale Concilium incipere, & incœptum esse? Cúmque omnes respondissent, Placere; confestim subjunxit, num ob celebritatem Nativitatis Domini, & festivitates labentis & incipientis anni, placeret proximam futuram Sessionem habendam die septimâ Ianvarij anni consequentis: responderúntque iidem, Placere. Dictóque hymno *Te Deum laudamus*, finem accepit Prima Concilij Sessio: cujus gesta è notariis in Acta referri, Hercules Severolus Promotor Concilij de more postulavit; subscripsítque Angelus Massarellus Concilij Secretarius. Ac brevî tam Legatorum admonitio, quàm Bitontini oratio typis editæ fuêre, & diversorum ac variorum ingeniorum censuræ expositæ.

XVIII. In quibus non ultimus Hadrianius, qui Pauli Pontificis in Concilij indictione ác celebratione mentem in sequiorem partem trahat: livore videlicèt in eum ductus, eò quòd is aliquibus de causis parùm benevolo esse videretur in Cosmum Ducem animo, quem Hadrianius in oculis ferebat. Nec defuit hoc ipso anno Pontifici indignationis in eum causa, quam idem Hadrianius narrat [a], cùm videlicèt existentes Florentiæ non pauci, qui formam regiminis monarchici, memores pristinæ libertatis Reipublicæ, aversabantur; in spem mutationis, ex quibusdam prædictionibus Hieronymi Savonarolæ, quem Florentiæ igne olim combustum ipsi ut prophetam colebant, devenerant; confortati suasionibus Fratrum Dominicanorum, ex quorum Ordine Savonarola fuerat. Quo in aliquam suspicionem Cosmas adductus, postquàm Dominicanos monuisset ab ejusmodi susurrationibus abstinere, cùm non obtemperarent, primùm nonnullos eorum in carcerem trusit; deinde edixit ut intra unius mensis spatium omnes è tribus monasteriis quæ ibi habebant exirent, & alias sibi sedes quærerent: réque ipsa mense elapso abeundum iis fuit: atque eorum loco Cosmus in præcipuum ipsorum monasterium S. Marci Augustinianos Eremitanos introduxit, quorum fuerat nuper dirutum monasterium. Quibus ausis graviter offensus Pontifex, tum quòd se inconsulto Dominicanos pellere, tum etiam quòd Augustinianos, qui maximè suspecti hæresis essent, intrudere præsumpsisset; imprimis Augustinianis præcepit stationem deserere; deinde acerrimis ad Cosmum scriptis literis, intentatísque censurarum pœnis, omninò jussit eosdem ipsos Dominicanos qui pulsi fuerant (non alios ejusdem Ordinis, ut divisionis compositores suggerebant) restituere; túmque siquid contra illos haberet, apud ipsum Pontificem, solum legitimum ejusmodi controversiarum judicem, prosequeretur. Cujus minas veritus Cosmus, quamquam ægrè, rem in integrum restituerit; haud tamen propterea pacato omninò Pontifice, cui aliæ non deerant alienationis à Cosmo animi causæ. Sed hæc modò satis.

[a] *Hadr. lib. 5.*

Controversia inter Pont. et Ducem Florent. de Monachis.

XIX. Ingens prodigium refert hoc anno Historia Polonica. [b] Neugebaveri. Videlicèt fine Aprilis mane circa horam octavam primò horrendum tonitru auditum esse, quo incolæ in stuporem dati post tres rubras Cruces orientem versùs apparuisse, duas juxtim se positas, tertiam subtùs, in medio virum armatum cum gladio ignito: contra quem exercitus instructus peditatu equitatúque progressus, cum eo ad meridiem usque dimicavit: Eo vincente, omnes disparuisse copias solúmque armatum inter Cruces substitisse, tamquam victorem & triumphatorem: A tergo immanem draconem adortum esse victorem, & ipsum atque arma absorpsisse; simulque Cruces evanuisse: inde totum cælum duabus ampliùs horis ignitum visum esse: demúmque tenebras densissimas incubuisse usque ad sequentis diei nonam antemeridianam: tandem cælo sereno facto tres irides amœnissimas supra se positas conspectas, quibus Angeli species insedit aspectu jucundissimo; & ampliùs horam videndum se præbuisse: ad extremum omnia discessisse, tempestatémque serenam subsecutam esse. His visis habuêre Poloni, in quibus ingeniorum suorum acumina inter metum spémve rerum futurarum exercerent.

[b] *Neugebav. lib. 7.*

Portentum in cælo in Polonia.

XX. Hoc anno defunctus esse dicendus est *Ieremias* Patriarcha Constantinopolitanus Græcus, ex serie [c] Græcâ Patriarcharũ Emmanuelis Malaxi Peloponnesij, ubi sedisse dicitur annos viginti tres & aliquot menses, qué anno 1521. cœpisse vidimus. Mortuus autem dicitur ex morbo in provinciâ Metropolis Ternobi, quæ Bulgarorum regia erat; cùm visitationem Valachiæ & Moldaviæ instituisset. Eóque morbo laborans, perfectorum monachorum habitum sibi induit, (erat is longè ordinario Patriarcharum seu monachorum asperior) mutato priori in nomine *Ioannis*. Ejus tempore (ut ibi dicitur) cùm venisset Constantinopolim Archiepiscopus Achridarum, olim primæ Iustinianæ, nomine Prochorus; ac protulisset diplomata Imperatoria, quibus declarabatur ad ejus Archiepiscopatum pertinere Berrhœam, qui est Episcopatus metropolis Thessalonicæ; atque ut ipsi restitueretur, obtulisset

[c] *Turcogr. lib. 2.*

Ieremiæ Patriar. Constantin. obitus.

Charatzium augetur.

set Senatui Turcico, centum aureos charatzio, seu tributo quod à Patriarchâ quotannis solvebatur, addere; Patriarcha contrà prolatâ centenariæ possessionis lege, quâ antiquiores quicumque possessores excludebantur, cùm ostendisset à trecentis ampliùs annis Berrhœam penes Ecclesiam Constantinopolitanam extitisse, causam vicit in Senatu regio; eâ tamen conditione, ut additioni centum aureorum factæ à Prochoro acquiesceret; quod & fecit: fuítque ab eo tempore annuum Ecclesiæ Constantinopolitanæ tributum quatuor mille & centum ducatorum, qui singulis annis die sancti Georgij repræsentari consueverunt.

XXI. Dionys. elegitur Patriarcha.

In locum ejus suffectus est, præsente Germano Patriarchâ Hierosolymitano, *Dionysius* metropolyta Nicomediensis, patria, Peranus, seu Galatæus è regione Cōstantinopolis. Sed quòd præcipitanter nonnullorum favore contra legem tunc latam, nec Patriarcha deinceps eligeretur, nisi congregatis omnibus Antistitibus ei sedi subjectis, in thronum evectus fuisset; ortâ inde gravi dissensione, auctoritate nihilominùs Solimani Regis in solio confirmatus est: aucto tamen honorario pescesio dicto, quod in ingressu cujusque Patriarchæ pendi consueverat; ad tria usque millia ducatorum, cùm non fuisset initio nisi quingentorum. Ejus porrò introitum referendum esse in subsequentem annum 1546. ex prædictâ serie omninò intelligitur, dum dicitur, ejus nominationem factam esse die decimoseptimo Aprilis sabbato sancti Lazari, & inthronizationem sequenti die Dominicâ Palmarum: qui characteres non concurrunt nisi quando Pascha incidit in vigesimum quintum Aprilis, sicut eo anno contigit. Indéque certissimè Onuphrium redarguas, dum Dionysij ingressum ponit anno 1535. quo incidit quidem decimaseptima dies Aprilis in sabbatum, sed vigesimo die post Pascha, quod eo anno fuit vigesimooctavo Martij. Ceterùm hujus Dionysij temporibus, multas discordias & perturbationes inter ipsum & Episcopos ac Clerum contigisse, pluresque turbulentas Synodos collectas, ibidem dicitur. Paritérque notatur eo sedente deturbatam esse Bassæ Turcici jussu, magno Christianorum mœrore crucem quæ in cacumine turris templi Patriarchici posita conspiciebatur. Hoc verò tempore ex Latinis eum Patriarchatum gessisse *Marinum Grimanum* Venetum & Cardinalem, qui anno superiori suffectus fuerat in locum *Francisci Pisauri*, de quo suprà [d]: eíque post novem & decem menses mortuo *Rainutium Farnesium* Romanum item Cardinalem, & Pauli Pontificis nepotem successisse, & quatuor annos usque ad 1550. tenuisse; quo illum suscepit *Fabius Columna* Romanus, idem Onuphrius ponit.

Pescesiū augetur.

Successio Patriarcharum Latinorum.

[d] *An. 1537. in fin.*

Iesu Christi Annus 1546.
Pauli III. Annus 12.
Caroli V. An. 28.

I.

Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, Indictione quartâ die quintâ Ianuarij, Tridenti habitâ Congregatione ad deliberandum de ordine in rebus tractandis servando, déque iis quæ in proximâ Sessione post biduum celebrandâ publicanda forent; proposuit Cardinalis de Monte; servandam videri formam Lateranensis nuperi Concilij sub Leone X. habiti, cui ipse Cardinalis tunc Archiepiscopus Sipontinus interfuerat, in constituendis Congregationibus Antistitum de singulis capitibus in Concilio tractandis; ut singulis Congregationibus in singulorum capitum discussione occupatis, accuratius illa expenderentur; eadémque posteà ad Congregationem generalem delatâ, cunctorum judicio (non ut in Constantiensi & Basileensi Conciliis factum fuisset, ut per nationes suffragia colligerentur; quæ forma seditionibus obnoxia videbatur;) emendanda, aut confirmanda subjicerentur; sícque stabilita, in futurâ Sessione concordibus votis promulgarentur: in proximâ verò Sessione evulgandum esse decretum de modo vivendi à Prælatis, cetерísque Tridenti servando Concilij tempore. At quòd in hoc decreto hujusmodi titulis haberetur, *Sacrosancta Oecumenica Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, præsidentibus Legatis Apostolicis*: fuêre ex Patribus, qui vellent addi *Ecclesiam Vniversalem repræsentans*; alij, qui nollent Legatorum fieri mentionem. Verùm quòd additio hæc in Conciliis tantummodo Constantiensi & Basileensi apposita nosceretur, quæ ob multa in iis perperàm gesta nequaquam poterant in exemplum adduci; & alioqui esset illa superflua, quandoquidem Synodi Oecumenicæ & Generalis expressio satis universalitatem denotaret; denique possent Lutherani cavillari, etiam laicis suffragium in Concilio permittendum, cum non satis Ecclesiasticus ordo Ecclesiam universalem, quæ sæcularibus etiam constat, repræsentaret: ab eâ sententiâ tunc supersessum est. Sicuti & ab aliâ de Legatis, eò quòd licèt à nullis anteà Conciliis, excepto Constantiensi, usurpata fuisset, nihilominùs videretur modò necessaria, ad declarandam Concilij cum suo capite Romano Pontifice unionem; adversus Lutheranorum temeritatem, postulantium ut Concilium non penderet à Pontifice; quòd numquam anteà præsumptum fuerat. Cùm verò præterea ageretur de votis apud Deum pro Papâ, Imperatore, & Regibus interponere; Gallis Antistitibus instatibus ut Regis sui fieret expressa mentio, sicut à Pontifice factum fuisset in Concilii indictione; & hoc quoque Legati, ne ceteris Regibus injuriosum esse videretur, amplioris deliberationis specie venustè eluserunt.

Deliberatur de ordine et agendis in Synodo Trident.

II. Sessio II. Synodi.

His igitur sic tractatis facta est *Secunda Sessio* prænunciata die Iovis septimâ Ianvarij: solitâ formâ habitûs Pontificalis, celebrationis Missæ; (quam dixit Ioannes Fonseca Episcopus Castellimaris) sermonis per Coriolanum Martiranum Episcopum S. Marci habiti; recitationis litaniarum & precum; quæ cuncta singulis Sessionibus ritè observata fuêre. Atque in eâ considentibus primo Legato de Monte, & Cardinale Tridentino, quatuor Archiepiscopis, viginti octo Episcopis, tribus Abbatibus Congregationis Cassinensis, & quinque

DECRETUM DE MODO VIVENDI.

Generalibus Ordinum; præter oratores Regis Romanorum, & viginti Theologos in loco Consessûs stantes: ab eodem Episcopo qui Missam celebraverat lectum est de suggestu Decretum de modo vivendi in timore Domini; orationibus pro pace Principum & unitate Ecclesiæ; sacramentorum frequentatione; Missæ quolibet saltem die Dominico per singulos sacerdotes celebratione; jejunij quâlibet sextâ feriâ observatione; eleemosynarum erogatione; aliîsque in ipso Decreto contentis quod habetur in eâdem Secundâ Sessione. Itémque, ut in sententiis dicendis, immodestis vocibus non perstreperent, aut vanis & obstinatis disceptationibus contenderent. Denique si fortè contingeret aliquos debito loco non sedere, aut sententiam proferre, nulli propterea præjudicium generaretur, nullíque novum jus acquireretur. Postremò indicta fuit Sessio futura ad diem quartam mensis Februarij subsequentis.

III. CALUMNIA IN ARCHIEP. ARMACAN. ET VPSALEN.

Quod autem Polanus ex Sleidano [a] observat, ex quatuor Archiepiscopis qui huic Sessioni interfuerunt, duos fuisse portatiles, ut vocant, quibus Pontifex solius honoris causâ titulos Ecclesiarum; quas nunquam vidissent, contulisset; hoc quidem malignâ mente ab iis improperij ergo appositum est, ut insinuarent eos à Pontifice eo solo fine creatos fuisse ut numero essent Legatis in Concilio: atque ut scommate hoc alterum eorum, nempè, *Robertum Venantium* Scotum Archiepiscopum Armacanum in Hiberniâ impeterent, quòd licèt oculorum vi admodùm angustâ & obtusâ esset, nemo tamen eo citatiùs veredis equis veheretur. At quid titulo tenùs dumtaxat Archiepiscopum fuisse objiciunt, si vetabatur ab Impio Henrico Angliæ Rege Hiberniæ domino, in ecclesiâ suâ residere, quæ prima erat ac metropolis totius Hiberniæ? Quid item & alterum *Olaum Magnum*, Vpsalensis primariæ in Sueciâ Ecclesiæ Archiepiscopum, si ab æquè impio Gustavo Sueciæ tyranno patriâ suâ arcebatur, ecclesiâque, cui legitimè præfectus fuerat post obitum Ioannis Magni ipsius fratris, Magnus & ipse sicuti cognomine ita & meritis & scriptis; de quibus dictum sæpè superiùs [b]? Quòd si propter iniquam ejusmodi ejectionem, indignos tantos viros existimaverunt calumniatores isti, qui suffragium ferrent in consessibus Tridentinis, quantò ipsimet indigniores sunt, quibus per turpem secessionem & apostasiam à communione Ecclesiæ extorribus, fides adhibeatur in iis quæ contra eamdem Ecclesiam comminiscuntur & deblaterant? Ceterùm quem illi Robertum Venantium vocant, nominatus is reperitur in Concilij Sessionibus [c] quibus interfuit, & apud scriptores Scotos, *Robertus Vvaucop*; semel *Robertus Venantius Vvaucop*; quem malè Surius [d] cæcum à puero fuisse scribit, & cum Didymo Alexandrino comparat: mortuum autem ponit Parisiis anno 1551. eò videlicèt profectum post Synodi translationem Bononiam, cui ipse interfuit. Legitur verò legationibus Pauli III. & Iulij III. ad Imperatorem & Galliæ Reges functus esse. Vt sanè non homo extitisse putandus sit, cui sic illudi debuerit, quem denique inter Beatos cœcos, eodem visûs corporei privationis errore, Raderus in Sanctorum Viridario collocat.

[a] Sleid. l. 17.

[b] Vid. an. 1537. XVII.

[c] Edit. Antuerp. Rom. & Bin.

[d] Sur. an. 1551.

IV. SESSIO III.

Sessio Tertiâ habita est die Iovis quartâ Februarij: in quâ Missam celebravit Petrus Tagliavia Archiepiscopus Panormitanus; sermonem habuit Fr. Ambrosius Catarinus Senensis Ordinis Prædicatorum: interfuerúntque præter quinque Cardinales, (tres videlicèt Legatos, & Tridentinum, atque *Petrum Paciecum de Villenâ* Hispanum Episcopum Giennensem, qui mense Decembri præterito fuerat in Cardinalium numerum cooptatus, unà cum tribus aliis nobilissimis viris, *Georgio de Ambosia* Gallo Archiepiscopo Rotomagensi, *Henrico fratre Regis Lusitaniæ* Archiepiscopo Elborensi, posteàque Rege; & *Rainutio Farnesio Romano*, Papæ nepote, milite Hospitalis Hierosolymitani & Priore Venetiarũ) Archiepiscopi sex, Episcopi triginta, Abbates & Generales iidem qui in præcedenti. Recitatúmque est à Salvatore Alepo Archiepiscopo Turritano in Sardiniâ Decretum de Symbolo Fidei, quo Romana Ecclesia utitur, tamquam scutum contra omnes hæreses. Et indictio futuræ Sessionis facta in diem Iovis post Dominicam Lætare quæ futura erat octavâ Aprilis: tantæ dilationis allatâ causâ, quod essent multi Prælati ex diversis partibus accincti itineri; quos conveniens esset expectare, ut res in Synodo cum majori existimatione & consilio decernerentur: ac fieret nihilominùs intereà discussio & examinatio eorum quæ Synodo discutienda & examinanda viderentur. Quod quidem in Congregationibus quas diximus continuò factum est: quæ bis singulis hebdomadibus diebus Lunæ & Veneris habebantur præter extraordinarias, quæ secundùm necessitates occurrentes convocabantur. Et in iis quis dubitare possit, fuisse multa doctissimè atque sapientissimè disputata de quæstionibus ibi propositis? quantumvis Momus ille Polanus sub nomine Germanorum miretur, arduam quæstionem de canone sacræ Scripturæ, ejusque translationibus, quæ multis Congregationibus post prædictam Tertiam Sessionem agitata est, decisam fuisse ab iis Prælatis qui tunc aderant, in quibus vix esset aliquis doctrinâ insignis: fuisse aliquot legum peritos, sed non in religione versatos; paucissimos Theologos; sed eruditionis infra vulgarem. Sanè qui vel ea sola expenderit, quæ ipse refert de singulorum sententiis in ejusmodi congregationibus prolatis, haud facilè calumniis ejusmodi assentietur, ut fuerint Prælati illi atque Doctores adeò novitij atque tirones. Et quid etiam sublimiori & extraordinariâ opus fuit eruditione, aut scientiarum peritiâ, in decreto de Scripturæ libris ejúsque versionibus condendo, aut etiam doctrinâ sacrarum Traditionum stabiliendâ; cùm præcessissent jam tot aliarum sanctarum Synodorum decreta, & Patrum de iis sententiæ, quibus nec ignoratio Scripturarum, nec religionis imperitia, aut eruditionis defectus objici poterat? Quæ quidem & potiori ratione in sequentibus Sessionibus locum habere debent; cùm in dies augeretur numerus Episcoporum & Theologorum, atque haud dubium præstantissimorum; quamquam nec iste desinat etiam post hæc eorum peritiæ detrahere.

DECRETUM FIDEI.

CALUMNIA DE IGNORANTIA PATRUM ET THEOLOGORUM.

V.

Iis igitur quæstionibus diligentissimè exa-

minatis, deinde fuit celebrata *Quarta Sessio* die Iovis octavâ Aprilis; cui interfuerunt iidem quinque Cardinales, novem Archiepiscopi, Episcopi unus & quadraginta, Abbates & Generales iidem qui præcedentibus, & orator Caroli Imp. *Franciscus Toletanus*, subrogatus in locum Didaci Mendozæ, qui præter occupationem muneris oratoris apud Rempublicam Venetam, febre quartanâ correptus recesserat Tridento. Quâ Sessione, post celebratam Missam de Spiritu S. per eumdem Archiepiscopum Turritanũ, & sermonem habitum per Fr. Augustinum Aretinum Generalem Servorum; ab eodẽ Archiepiscopo lectum est Decretum: quo professa est Synodus, se Orthodoxorum Patrum exemplo, Libros tam Veteris quàm Novi Testamenti, nec non Traditiones, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenùs à Christo, vel à Spiritu S. dictatas, & continuâ successione in Ecclesiâ Catholicâ conservatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipere & venerari. Deinde sacrorum Librorum indice adtexto, anathema in eos pronunciatum est, qui libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus (de quibus scilicèt partibus nunc palam statutum est, cùm de nonnullis ab aliquibus anteà dubitaretur) prout in Ecclesiâ Catholicâ legi consueverunt, & in veteri vulgatâ Latinâ editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperint; & traditiones prædictas scientes & prudentes contempserint. Additúmque, eamdem Vulgatam versionem in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authenticâ habendam: Scripturam accipiendam secundùm eum sensum quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum, & juxta unanimem consensum Patrum: Nullis licere imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris; aut eos vendere, vel retinere, nisi ab Ordinariis fuerint priùs approbati: denique nefas esse verba & sententias sacræ Scripturæ, ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellósque famosos torquere. Postremò publicata est indictio futuræ Sessionis in feriam quintam post festum Pentecostes, quæ futura erat decimaseptima Iunij.

DECRETUM DE LIBRIS SCRIPTURÆ.

VI. OBSTACULA CÆSARIANORUM.

Cùm de articulis in eâ decernendis interim in Congregationibus deliberaretur, Franciscus Toletanus Imperatoris nomine apud Legatos institit, ne adhuc de dogmatibus fidei, sed de materiâ reformationis tantummodò ageretur, significavítque pariter Cardinalis Tridentinus, si articulus de Peccato Originali, qui examinandus & definiendus proponebatur unà cum iis de lectione sacræ Scripturæ & Verbi Dei prædicatione, in Synodo promulgaretur, id ingratum Cæsari futurum; eò quòd dogmatum fidei tractatio non parum incommodaret iis quæ à Cæsare in Germaniâ cum Lutheranis agebantur, de quibus pòst dicetur. Nihilominùs tamen quia Legati in mandatis habuerant à Pontifice, quò res expeditiùs agerentur, ut fidei & reformationis capita simul proponerentur, ídque ipsum à Concilio sancitum fuisset: post diligentissimam factam in Congregationibus difficultatum & controversiarum de Peccato originis, ceterorúmque prædictorum articulorum excussionem; de communi omnium Patrum consensu, die Iovis decimaseptimâ Iunij habitâ *Sessione Quintâ*, (cui interfuerunt iidem quinque Cardinales, Archiepiscopi novem, Episcopi quadraginta novem, duo procuratores absentium, duo Abbates, & tres Generales Ordinum; ac Missam celebravit Alexander Picolomineus Senensis, Episcopus Pientinus in Tusciâ; & sermonem habuit Fr. Marcus Laurens Calaber Ordinis Prædicatorum) ab eodem Episcopo recitatum est Decretum fidei de Peccato originali, quinque anathematismis constans; quos videre est in ipso Decreto Synodi. Quorum tamen fine declaratur, non esse intentionis Synodi comprehendere sub peccato originali Beatam & Immaculatam Virginem MARIAM Dei-Genitricem; sed observandas esse constitutiones [e] Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis contentis. Decreto verò, quod subditum est de Reformatione, jussi sunt Theologi, & Scholarum Magistri, in singulis Ecclesiis tam regularibus quam sæcularibus, pro qualitate locorum, & ratione proventuum, ad legendam Scripturam, & instruendos clericos aliósque scholares, institui. Itémque, ut Episcopi, aliique Prælati, per se ipsos, aut si legitime fuerint impediti, per alios viros idoneos prædicare Evangelium teneantur. Paritérque Archipresbyteri, plebani, & quicumque parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, per se item vel alios idoneos plebes sibi commissas pro suâ & earum capacitate pascant salutaribus verbis, atque ad id præstandum ab Episcopis cogantur. Regulares, nisi de superiorum suorum licentiâ, & acceptâ benedictione Episcoporum, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, prædicare non possint; in Ecclesiis verò quæ suorum Ordinum non sunt, sine Episcoporum licentiâ nullo modo prædicare possint: siqui errores vel scandala disseminaverint, Episcopi eis prædicationem interdicant: si hæreses, contra eum de jure aut consuetudine procedant. Quæstores quicumque eleemosynarij nec per se, nec per alium prædicare præsumant: & contrà facientes, ab Episcopis arceantur. Postremò indicta fuit proxima Sessio in feriam quintam post festum Sancti Iacobi Apostoli, quæ futura erat vigesima nona Iulij.

SESSIO V.

DECRETUM DE PECCATO ORIGINALI.

[e] *Supr. an. 1476. III. 1483. VIII.*

DE VERBI DEI PRÆDICATIONE.

VII. PETRI DANESII ORATIO PRO GALLIA.

Iisque peractis lectæ fuêre literæ Francisci Regis Galliæ, quibus *Petrum Danesium* suum ad Concilium oratorem constituebat. Erat eis Episcopus Vaurensis, ex primo linguæ Græcæ professore in Academiâ Parisiensi, Delphini Franciæ præceptore: cujus extat [f] oratio hâc suâ receptione in prædictâ Sessione habita, copiosa & facunda, in laudem regni, Regum & Ecclesiæ Gallicanæ; vigentis ibi continuè Fidei Catholicæ; laborum pro ejus propagatione, hæresum extirpatione, Romanorum Pontif. protectione, atque in suam Sedem restitutione, Ecclesiæ Romanæ locupletatione, à Gallis susceptorum Francisci ipsius, in conservandâ incorruptâ in suo regno fide Catholicâ, & insectandis hæreticis, ac studio promovendi Concilij, cujus decretis suâ ope ac patrocinio adfuturus esset: rogans postre-

[f] *Ap. Concil. Trid. edit. Lovan. an. 1567.*

mò, ut cùm Galliæ Regum tot tantáq; extarent in Ecclesiam merita, privilegia olim ab eâ concessa intacta conservarentur; ut Gallicanis Ecclesiis, quarum ipse tutelâ gereret, jura & immunitates confirmarentur. Ceterùm narrat de hoc Danesio Genebrardus in oratione funebri, quâ illum defunctum 27. Aprilis 1577. laudavit, cùm post hæc in eodem Concilio quidam ex Doctoribus Gallis qui aderant declamaret contra abusus rerum beneficialium, Rotæ Romanæ, atque Officialatuum Episcoporum, aliúsque nonnemo, cui fortè id minùs placebat, vel aliâ ratione, assidentibus diceret Gallum cantare; respondisse continuò Danesium, *Vtinam illo Gallicinio Petrus ad resipiscentiam & fletum excitetur:* hócque ejus apophthegma celebratissimum deinde fuisse inter Patres Concilij.

VIII. DISPUTATIONES DE FIDE ET GRATIA.

Ceterùm indicta Sessio, propagata deinceps fuit in diem 13. Iãvarij anni proximi, ob turbas Germanicas, de quibus mox dicemus cùm tamen non cessaverint intereà Patres atq; Theologi quam plurimis Congregationibus disceptare, tum quoad fidem de Iustificatione & Gratiâ, quæ recto ordine post damnatas hæreses de Peccato Originali, tractanda veniebat, quòd ea sit medicina peccati; eámdemque methodum observâssent Lutherani in Augustanâ Confessione, quam examinandam Concilium suscepisset: tum quo ad reformationem, de residentiâ Prælatorum & Pastorum, quorum incuriæ & absentiæ omnium Ecclesiæ malorum causa tribuebatur. De quibus, post longas & diuturnas disceptationes de Fide justificante, ac fiduciâ; de Operibus eorúmque meritis; de Gratiâ, ejúsque certitudine; de Libero arbitrio, ac ceteris quæstionibus ad hæc pertinentibus: itémque utrùm residentia Prælatorum atque Pastorum sit de Iure divino, sicut plurimi censebant; & de Exemptionibus Capitulorum, Regularium, atque aliorum, quibus Episcopi conquerebantur munus suum reddi inutile, & universam Ecclesiæ œconomiam subverti: composita sunt tandem decreta, quæ in Sexta Sessione posteà promulgata fuère. In quibus formandis, & Patribus ac Theologis in unum sensum, post varias agitatas opiniones reducendis, præcipuè insudâsse dicitur Cardinalis S. Crucis unus è Legatis.

IX. [g] Sleid. lib. 16. Sur. in comment.

CONVENTUS PROTESTANTIUM FRANCOFORD.

Iam ut ad res Germanicas accedamus, Ianvario mense conventum [g] egerunt Protestantes Francofurti. In quo deliberatum est de abrogando Concilio Tridentino, quod post multas dilationes tandem apertum audierant; de prorogando fœdere, quod olim pro suâ & suarum in religione novitatum defensione & conservatione conceperant; (quippe fama de bello iis inferendo jam percrebuerat: (de belli Brunsvicensis anno superiore confecti sumptibus, de non deserendo Archiepiscopo Coloniensi, ad causam de introductione hæreticorum in suam diœcesim dicendam, ab Imperatore Pontif. vocato; de solicitando Imperatore ut pacem ipsorum religioni daret, & Cameram ut petebant constitueret. Eodémque tempore Fridericus Elector Palatinus abjectâ religione Catholicâ, & auctoritate Romani Pontif. abdicata, doctrinam Lutheri recepit. Eâque de causâ Paulum Fagium, Tabernis Rhenanis in Palatinatu natum, linguæ Hebraïcæ peritissimum, quâ olim sub Capitone excultus fuerat, Heidelbergam evocavit.

X. COLLOQUIUM RATISBONENSE INTER CATHOL. ET PROTEST.

Cùm autem, ut vidimus, indictum fuisset in Comitiis Wormatiensibus anni superioris Colloquium de Religione Ratisbonæ ad Calendas Decembres ejus anni; die posteà ab Imperatore in Idus ejusdem mensis prorogato, colloquium tamen, ob nonnullorum qui adesse debebant moram, nonnisi 27. Ianvarij præsentis anni initium habuit. Adfuerunt Collocutores Theologi ex parte Catholicorum, Petrus Malvenda Hispanus, Ebeardus Billichius Carmelita, Ioannes Hofmeisterus Augustinianus, & Ioannes Cochlæus Doctor: ex Protestantibus, Martinus Bucerus, Ioannes Brentius, Georgius Major, & Erardus Schneppius. Melancthon enim qui adesse debuerat, diù expectatus non venit. Fuère alij constituti auditores tam Catholici quàm Protestantes; & alij nonnulli utrimque extra ordinem. Præsides ab Imperatore delecti, Mauritius Episcopus Eistensis, & Fridericus Comes Furstembergius. Tempore in ratione agendi statuendâ aliquot diebus protracto, cùm Protestantes singula quæ dicerentur scripto mandari, Catholici id nimis longum & operosum esse contenderent: concessum nihilominùs est, ne suæ causæ diffidere Catholici putarentur: sícque demùm 5. Februarij cœpta est disputatio inter Malvendam & Bucerum de Iustificatione. Inter cujus longas & implexas dissertationes, cùm tertium misisset Imperator præsidem, Iulium Pflugium electum Episcopum Numburgensem, cum mandatis ut quæ fierent silentio tegerentur, donec ad ipsum Imperatorem Ordinésque Imperij in proximo Conventu ibidem Ratisbonæ celebrando referrentur: negantibus Protestantibus silentium illud se posse servare, quoniam mandatum à suis Principibus habebant ut ipsos subinde de statu colloquij certiores facerent; post multam hâc de re disceptationem, cùm Præsides de hoc Imperatori scripsissent, intereà Saxoniæ Dux, qui conditiones Colloquij non probabat, suos revocavit ut rem omnem cognosceret: iisque abeuntibus, Bucerus etiam ut Lantgravio referret die 20. Martij discessit: secutique sunt pòst alij, frustrà Præsidibus eos detinere satagentibus. Ita rem gestam narrat ipsemet Sleidanus: qui suâ ipsius narratione satis denotat quàm injustè conqueratur quòd Catholici editis libellis hanc Protestantium fugam carpserint. Quinimmò & plerósque eorum clàm fugam arripuisse, scripto de his publicato prædictus Billichius [h] Provincialis Carmelitarum omnibus notum fieri voluit & in quas angustias & assertionum ineptias Bucerus disputatione constrictus, redactus fuerit, significat, quas quidem expressiùs recitat Surius: Cochlæus [i] etiam auctoritate rescripti Imperatorij turpem fugam confirmat. Bucerus autem longo commentario & pudorem & inscitiam excusare conatus est.

TURPIS FUGA PROTESTANTIUM.

[h] Ap. Rover. Pontan. Rer. memorabil. lib. 4.

[i] Cochlæ. de Act. Luther.

XI. LUTHERI MORS.

Sed quis afflictissima membra condemnaverit, si capite sublato torpuerint? Vnde illis respiratio post vitalia suffocata? Magis certè mirandum, quòd tamdiù sese regere potuerint, delapsâ quâ suffulciebantur columnâ. Mortuus enim est hoc anno 18. Februarij *Martinus* ille *Lutherus*, qui in oppugnandâ Ecclesiæ Catholicæ doctrinâ, & ritibus schis-

maticis omnibus posteriorum horum sæculorum viam aperuit: & cunctis hæreticis iniquitatis arcana detexit; atque arma, quibus & sese & qui eis adhærerent confoderent, subministravit. Mortuus est autem Islebij in patriâ suâ, cùm à Mansfeldiensibus Comitibus in quorum ditione id oppidum erat, vocatus componendi causâ cujusdam dissidij, ad finem Ianvarij eò accessisset. Cùm vero ad 17. Februarij pervenisset, eóque die hilariter de more atque opiparè prandium, & nocte cœnam sumpsisset; doloribus pressus inter secundam & tertiam horam post mediam noctem, fœdum spiritum exhalavit, anno ætatis suæ 63. De cujus obitu multi multa scripsêre; & aliter ex vicinis locis Catholici, aliter Protestantes in ejus orationibus funebribus, Philippus Melancthon, Ioannes Pomeranus, & Iustus Ionas; qui unà cum Magistro suo in librorum Wittembergensium frontispicio (ut Cochlæus refert) quatuor primæ paginæ angulis, velut quatuor Evangelistæ novi apponi consueverant. Quem quidem Ionam quòd sunt ex Catholicis, qui ejus coquum aliquando fuisse scribant, & Iusti nomen sibi falsò assumpsisse; sive id verum fuerit, sive confictum, (quòd sanè ne in minimis quidem rebus; quantumvis in detestationem gravissimorum scelerum, licitum ulli esse debet:) econtra Lutherani volunt, fuisse honestis parentibus Northusæ Imperiali Cheruscorū oppido natum, literis apprimè excultum, publicè Theologiam variis Academiis docuisse, ac Luthero uti amico morienti adstitisset; necnon Ioan. Friderici Electoris Saxoniæ liberorum educationem suscepisse. Illud verò de munere coquinario erga Lutherum putamus inde contigisse, tum quòd legerimus Lutherum ejus hospitio usum esse quotiescumque Halæ Saxonum ubi Ionas diutiùs egit, transiret: tum quòd extent aliquæ ad eum Erasmi epistolæ tam nomine Iodoci Coci, quàm Iodoci Ionæ.

QUATUOR EVANGELISTÆ LUTHERANORŪ. DE IUSTO IONA.

XII. FUNUS LUTHERI.

Ab horum autem narrationibus de Lutheri morte, longè abest epistola cujusdam Mansfeldensis, qui adfuit; quam apud eumdem Cochlęū videre licet. Qui & observat, siquis vel ipsam Historiam quam de Lutheri morte & funere idem Ionas qui adstitit, scripsit, propiùs inspexerit, facilè intellecturum, omnia referri ad vanam gloriam & sæcularem pompam in funere; (quod quidem splendidissimum fuit, delato corpore intra stanneum loculum triumphali curru Wittembergam, comitante Catharinâ uxore, seu veriùs pellice carpento vectâ, unà cum tribus ex eo susceptis spuriis, Ioanne, Martino, Paulo; & longâ continuâque equestris pedestrisque suæ superstitionis turbæ deductione, & comploratione: & ad carnis delicias, quibus impensè deditus erat; undique honores, quos ab omnibus affectabat in vitâ.

XIII. FATUA ORATIO LUTHERI MORIENTIS.

Illud verò quid est, quod idem Ionas refert morientis delirium Lutheri, tamquàm divinum aliquod scitum; cùm eâdem nocte quâ extinctus est, dixisse ait ipsi Ionæ, aliisque circumstantibus, *Orate pro Domino Deo nostro, & ejus Evangelio, ut ei benè succedat, quia Concilium Tridenti, & abominabilis Papa graviter ei adversantur.* Quis umquam audivit orandum esse pro Deo? Ad quem ejusmodi oratio dirigetur? Estne aliquis alius Deo major, apud quem intercedendum sit pro Deo? An Iovem alium nobis cum Ethnicismo restituere voluit, cui Deus noster, sicut reliqui Gentium dij, subditus esset? Aut quid etiam timendum erat Deo, vel ejus Evangelio, à Papâ, si moriente Luthero mori debebat Papa & Papatus? Annon enim Pomeranus hanc fatuam æquè ac fatuosam ejus refert sententiam, *Pestis eram vivens, moriens tua mors ero Papa?* Scilicèt mortuus est vento oris impuri & impij excucullati apostatæ, is cui dictum [k] est à Domino, futurum se cum illo omnibus diebus usque ad consummationem sæculi! Periit sanè Lutherus, & tot ejus ministri, atque sequaces: an propterea periit Papa: Firmiori nititur fundamento, cui dixit Christus Dominus [l], *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Sed ludicra hæc fatuorum hominum missa faciamus, de quibus qui plura cupierit, habet multa à Florimondo [m] in unum collecta.

[k] Matth. 28. in fin.

[l] Mat. 19.

[m] Florim. de ort. hær. lib. 3. cap. 11.

XIV. COCHL. SCRIPTA, ET OBITUS.

Quibus addimus, Lutherum sub mortem probasse dogma Zuinglianorum de Eucharistiâ contendisse ministros Heidelbergenses in Actis Colloquij Maulbrunensis habiti anno 1564. negantibus tamen id obstinatè Lutheranis. De ejus autem liberis reperimus, Ioannem fuisse professione medicum; Martinum armis operam dedisse: de Paulo verò præter nomen nihil hactenùs reperimus. Ipse verò Lutherus à suis sequacibus veluti magnus *Propheta Germaniæ*, ut *Sanctus* & *Divus*, propè divino cultu honoratus est, ac porrò honoratur. In cujus obitu conclusit Historiam suam de Actis ejus & Scriptis, prædictus *Ioannes Cochlæus* Norimbergensis, Doctor Theologus, tum Fidei confessione, ob mala pro ejus propugnatione ab hæreticis tolerata, illustris; tum quamplurimis scriptis contra Lutherum, ejúsque hæreses & sequaces insignis: ac præcipuè duabus Ecclesiasticis Historiis, ac videlicèt de Luthero & alterâ de Hussitis, quam suo tempore percurrimus. Dicitur autem vitam propagâsse usque ad annum Christi 1552. quo mortuus est 10. Ianvarij anno ætatis suæ 73. Wratislaviæ ubi canonicum agebat.

XV. TETRA MORS DIAZII A PROPRIO FRATRE.

Morti Lutheri subjicit Sleidanus [n] historiam *Ioannis Diazij* Hispani: qui cùm ab avitâ fide seductus ad Lutheranas novitates, sese Argentinam recepisset; datúsque Bucero socius ad Colloquium Ratisbonense, ibi à Malvendâ æquè Hispano à proposito sectandæ hæresis demoveri non potuisset; Nauburgum Palatinatûs oppidum adiens, ibi ab Alfonso Diazio ipsius fratre, Rom. Curiæ Advocato, de ejus apostasiâ certiore facto, celeriter conventus, ac frustrà de repetendâ patriâ religione & fide Catholicâ sollicitatus; per immissum clàm ab eo sicarium in proprio cubiculo securi mactatus est die 27. Martij. Quo in facinore (si omninò res ita se habuerit) sicuti excusandus videtur zelus Alfonsi; ita meo judicio cædes fratri proditoriè privatâ auctoritate illata, vix reperiat qui eam laudet, vel etiam comprobet.

[n] Sleid. lib. 17. in pr.

XVI.

Post recessum Collocutorum Protestantium è Ratisbonâ, Imperator [o] eò perveniens, molestissimè eum tulit; & dimissis per Germaniam literis de eo vehementer questus, Principes ad Comitia accedere gravissimè hortatus est. Verùm à Protestantibus legati solùm ve-

[o] Sleid. ibid.

COMITIA RATISBONENSIA.

nerunt: cùm ad Calendas Apriles Wormatiæ convenissent de summâ rerum suarum consulturi; quia jam rumor ubique sparsus erat parare Imperatorem in ipsos arma; & reipsâ cernebantur delectus fieri, licet animi sui consilium & tegeret ipse; & variis rationibus excusaret. Adfuit verò etiam Rex Ferdinandus Ratisbonæ: & post factam ab Imperatore commonitionem de iis quæ in Conventu Wormatiensi superioris anni decreta fuerant in præsenti Ratisbonensi tractanda quorum nullus apparebat fructus; petitámque rationem, quâ pacari Germania, & religionis in eâ dissidium tolli posset, atque à Turcis defendi; cum quibus quidem Regis Galliæ interventu annuas inducias pepigisset, sed quæ propè diem exituræ essent: (fuêre tamen illæ in quinquennium prorogatæ:) Catholici seorsùm à Protestantibus deliberantes, Tridentinum Concilium approbârunt; & Imperatorem, ut illud tueretur, ac Protestantibus ei quoque se submittere persuaderet, rogârunt, Protestantes verò illud consuetis suis rationibus & objectionibus rejecerunt.

XVII. BELLUM PARATUR A CÆSARE IN GERMANIA.

Cùm autem Imperator Catholicorum postulationi inhærendo, omninò decerneret Tridentino Concilio negotium Religionis permitti; tandem palàm ad arma ventum est; ac per Cardinalem Tridentinum Romam missum, suppetiæ à Pontifice ad hoc bellum promissæ, sollicitatæ fuêre: pacto inter eos fœdere, quo inter cetera Pontifex Imperatori dimidiam proventuum Ecclesiasticorum Hispaniæ partem hoc anno sumere; & ex cœnobiorum possessionibus ad quingenta nummûm aureorum millia vendere permisit, eâ tamen conditione, ut è regiis possessionibus tantumdem eis Imperator oppigneraret, iisdémque Pontificis arbitratu, quòd res esset novi exempli, bonâ fide caveret; omnis autem hæc pecunia non in alium quemcumque usum quàm hujus belli impendi posset. Scripsit quoque Imperator ad Principes & civitates Germaniæ literas, quibus significavit non religionis, sed juris & æqui conservandi, atque Imperatoriæ dignitatis & Germanicæ libertatis recuperandæ causâ quam per nonnullos seditiosos oppressam dolerent omnes boni, bellum hoc suscipi. Vnde factum est, ut sive hâc persuasione, sive timore virium ejus, multæ civitates, & aliquot Principes Protestantes, intérque eos Mauritius Saxo Lantgravij gener, in fide ejus permanserint. Et quamquam fuisset jam Hermannus Archiepiscopus Coloniensis die 16. Aprilis Romæ à Paulo Pontifice latâ sententiâ piorum cœtu, ob ejus quas diximus prævaricationes, submotus: & Archiepiscopatu, cæterisque sacerdotiis & privilegiis privatus: ac populi ei subjecti juramento fidelitatis quo ei obstricti erant soluti: nihilominùs Imperator quòd eam sententiam rebus suis incommodare perspiceret, qui videri volebat haud se bellum religionis ergo gerere; nullâ ejus habitâ ratione, scripsit quoque ad eum Iulij septimo tamquam Archiepiscopum; hortans eum ne Protestantibus opem ferret, aut subditos suos eis militare sineret. Qui iis literis acceptis, mandata Imperatoris confestim divulgavit, & ut eis pareretur edixit. Idémque posteà à sententiâ Pontificis ad legitimum Germaniæ Concilium provocavit.

HERMANNUS ARCHIEPISC. COLON. EXCOMMUNICATUR A PONTIF.

XVIII. SAXO ET HESSUS ARMA SUMUNT CONTRA CÆSAR.

Quamquam verò Imperator omnia prudentiâ summâ ac diligentiâ, sicuti & dissimulatione & silentio confecisse sibi videretur; quia tamen è longinquo petenda auxilia erant, & exiguo comitatu, ne quid suspicionis ingereret, Ratisbonam venerat; effici non potuit, quin fœderati Protestantes, quorum principes erant Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector, & Philippus Lantgravius Hessiæ, quibus copiæ è propinquo confluebant, priores in armis essent: qui bipertitis castris habuisse dicuntur septuaginta millia peditum, quindecim equitum; cum centum & viginti tormentis omnis generis, rerúmque ad hæc necessariarum abundantissimâ copiâ. Quem utrumque Principem cùm Imperator publico diplomate 13. Calendas Augusti proscripsisset, uti perfidos, seditiosos, læsæ majestatis reos, ac publicæ tranquillitatis perturbatores, & adhuc Ratisbonæ post soluta comitia hæreret cum admodùm exiguo militum numero: poterat is facilè ibi ab iis fœderatorum copiis quæ primò comparuerunt, ob debilem urbis munitionem opprimi, si recta adversus eũ processissent: quæ ad intercludendas auxiliis Pontificiis ac Cæsareis Alpium angustias perductæ, tempus ei reliquerunt inde ad tutiora loca abeundi: qui fuit primus hostium eo bello error. Dum autem pro Lantshuti Bavariæ oppidi mœnibus castra haberet, Saxo & Hessus, qui Donaverdæ subsederant, scripto bellum denunciârunt, multis rationibus purgare conati quæ objiciebantur criminationes, & armorum suorum justitiam demonstrare; nempè pro religione & patriæ libertate; quarum causâ fidem & obsequium quibus ei devincti essent renunciârunt; salvâ tamen Imperij majestate, quam nullatenùs minuere aut violare, sed potiùs augere & conservare vellent. Cùm de scripto mittendo deliberaretur, de inscriptione inter duces non conveniebat: Saxone minimè eum appellandum censente; alioqui se perduelles fateri, qui Imperatori, cui fidem & obsequium deberent, bellum denunciarent; Hesso contra dictitante, non dignitatem & summum Imperij magistratum eo bello peti, sed eum qui in eo constitutus esset, quem propterea Cæsarem vocarent. Altercantibus via media reperta est; factáque inscriptio. Ei qui se pro Cæsare gerebat; cum præposito nomine Caroli Gandavensis. Data est epistola adolescenti nobili, comite, ut mos est, tubicine ad Cæsarem perferenda. Ille verò non modò non accepit, verum etiam ut ad suos referrent capitis pœnâ denunciatâ jussit: interminatus etiam laqueum loco torquis aurei iis qui ab illis imposterùm ad se venirent: proscriptionisque diploma ut suis referret, adolescenti tradidit, ad quod illi prolixè contrario scripto responderunt. Evulgatúsque dicitur [p] eodem tempore liber vulgari idiomate, hoc titulo in Latinum verso: *Æternæ divinæ & sempiternæ Majestatis Declaratio contra Cæsarem Carolum Regem Hispaniæ, &c. & Paulum Tertium:* quo Imperator omni honore & potestate privatus declaratus est, & omnibus Cæsareis insignibus exutus. Et quò intelligeretur, Deum unam & trinum quasi ex solio suo hanc in eum sententiam protulisse,

BELLUM EI INDICUNT.

[p] *Gretser. in Basil. Dor. cap. 7.*

Patrem Filium & Spiritum S. pro tribunali sedentes in ipso libri frontispicio effigiârunt.

XIX.

AUXILIA PONTIF. ET ALIA.

Interim lentè admodùm in eorum castris omnia gerebantur, dissentientibus ferè semper ducibus, & quid agendum esset incertis, Quod opportunè maximè Imperatori accidit, qui dum copiæ convenirent hoc unum satagebat ut tempus duceret, & suspensos hostium animos teneret. Ad Idus autem Augusti advenerunt Pontificiæ copiæ, decem, vel ut quidam habent duodecim millium peditum, equitum levis armaturæ quingentorum; quibus præfecerat Pontifex Octavium Farnesium Camerini Ducem nepotem suum, ipsiúsque Cæsaris generum; adjuncto Alexandro Cardinale fratre natu grandiori, veluti inspectore consiliorum Cæsaris, cui haud ita fidebat: qui tamen paulò pòst revocatus est a Pontifice. A quo præter ista auxilia, indictæ sunt per universum orbem Christianum supplicationes publicæ; concessâ omnibus pro unione & pace Ecclesiæ, atque hæresum extirpatione, omnium peccatorum remissione. Venerunt etiam auxilio ducenti equites à Cosmo Florentiæ Duce; ac centum ab Hercule Ferrariensi. Itémque veterani milites Hispani ex Insubribus & regno Neapolitano ad sex millia. Vniversis copiis, quæ fuêre peditum sexdecim millium Germanorum, octo Hispanorum decem Italorum, & trium equitum, præfecit Imperator Ferdinandum Alvarum Toletanum Albæ Ducem, virum multâ rei bellicæ peritiâ clarum, & in quo summam fiduciam collocaverat. Quibus paulò post accesserunt ex Inferiore Germaniâ decem millia peditum quatuor equitum, duce Maximiliano Egmundano Burano Comite; unà cum quibusdam Italorum & Hispanorum cohortibus ex iis quæ contra Gallum Anglo militaverant. Ante cujus adventum cùm Imperator nihil experiri contrà longè potentiores hostium copias, sed tantùm munitis castris se continere decrevisset; præter leves quasdam velitationes, quæ nonnunquam acciderunt) factum est ex æquato Saxonis & Lantgravij imperio, & frequentibus de rebus gerendis inter ipsos opinionum diversitatibus, ut non paucas elabi siverint opportunitates eum opprimendi, si quales poterant impressiones fecissent. Recepto verò Burano Imperator quod ignaviæ anteà ab hostibus tribuebatur, in laudem vertit: copiásque integras educens, brevi multas urbes quà vi quà spontaneâ deditione in potestatem redegit non levibus aliquando factis conflictibus: & Fridericum Palatinum Rheni Electorem, qui fœderatis auxilia præbuerat, ad pedes prostratum, veniámque deprecantem, graviter increpitum in gratiam recepit. Fœdaratorúmque exercitus, post vanas ducum ostentationes, brevi dissolutus est: résque eorum in eum statum redactæ, ut nec exteris sociis & amicis illo ampliùs numero essent: adeò ut nec Imperator petitam ab eis pacem, nisi duris admodùm propositis conditionibus, concedere voluerit. Qui ut facilius omnes sibi reconciliaret, nullam de religione mentionem faciebat, sed omnes sinebat suo arbitratu vivere.

EXERCITUS HOSTIUM DISSOLVITUR.

XX.

AUCTORES QUI BELLUM DESCRIPSERŪT.

Hæcque summa est eorum, quæ hoc anno gesta fuêre Bello hoc Smalcaldico; ita vocato quòd factum fuerit à Principibus & civitatibus fœderis [q] Smalcaldiæ primùm pro defensione doctrinæ & sectæ Lutheranæ inter Protestantes icti. Cujus quæ reliqua sunt attingentur anno sequenti, quo illud finem accepit. Descripserunt autem prolixè propriis commentariis Lambertus Hortensius Monfortius Latinè; Hispanicè Ludovicus ab Avilâ Militiæ Alcantarensis Præfectus, qui interfuit (qui liber ex Hispanico factus est Latinus, Italicus, Gallicus:) ac Græcè Ioachimus Camerarius, à Simone Stenio in Latinum versus Sleidanus [r] quoque omnia penè suis commentariis inseruit; diligens præcipuè in explicandis partium consiliis, quamquam non absque manifestâ in suos Protestantes propensione: sicuti & in Cæsaris non difficile est idipsum animadvertere erga dominum suum. Nec prætermisit Belcarius præcipua item referre: Vlloa singula fusissimè ex aliis, in Vitâ Caroli. Denique, ut ceteros taceam ab hoc Bello Historias universales suorum temporum orsi sunt veluti ex condicto duo nobiles scriptores, *Natalis Comes* patricius Venetus & *Iacobus-Augustinus Thuanus* Senatus Parisiensis Præses: illúdque uberrimè prosecuti sunt; sicuti & solent quæ deinceps tractant: stylo tamen, gravitate, studio, propensione, ac moderatione, longè dissimiles.

[q] *Supr. an.* 1530. *VIII. in fi.* 1535. X.

[r] *Sleid. lib.* 17. 18. 19.

INITIUM HISTOR. THUANI ET COMITIS.

XXI.

PAX INTER REG. GALL. ET ANGL.

Intereà diversâ parte Henricus Rex Angliæ, à Carolo Imp. desertus, atque exhausto ærario, & adversis aliquot pugnis ad Boloniam cum Gallis eam recuperare conantibus commissis, in dies res suas labefactari cernens, ad pacem inclinare cœpit. Quæ ad septimum Idus Iunij his conditionibus concluta est; ut Rex Galliæ Franciscus in belli impensas, in pensiones antiquas non solutas, in oppidorum munitiones in Boloniensi agro nuper extructas octingenta aureorum millia octo solutionibus totidem annis Henrico penderet: túncque Henricus Boloniam & arces circa eam extructas, cum omnibus tormentis ac munitionibus, ceteróque apparatu bellico, Francisco restitueret. Hæc inter Annebaldum Franciæ & Dudleum Angliæ Admiralium pacta, (interventu Francisci Bernardi [t] patricij Veneti, mercaturam in Angliâ exercentis; cujus operâ Rex Angliæ ad pacem quærendam usus fuerat) ab utroque Rege posteà rata fuêre. Comprehensos quoque eâ pace fuisse Scotos, sed ægrè consentientibus Anglis, nisi sibi traderetur puella Regina, ex pacis legibus apud Tilium [u] legitur. Quare & parvi, aut nullius fuisse id momenti apud Anglos, intelligitur ex bello quod inter eos populos continuatum esse, non parvâ Scotorum calamitate, eorum historici [x] docent.

[s] *Bellai. lib.* 10. *ad fi. Belcar. lib.* 24. §. 18.

[t] *Mauror. Hist Venet. lib.* 6.

[u] *Til. in Tract. int. Gall. & Angl. in fi.*

[x] *Lesl. lib.* 10. *Buchan. lib.* 15

XXII.

CARD. BETONII DIRA CÆDES.

Tetrum verò illud, quod hoc ipso anno in eâdem Scotiâ accidit: videlicèt ut cùm *David* Cardinalis *Betonius* Archiepisc. Santandreanus, quem vidimus zelo Religionis Catholicæ æstuantem, omnem curam impendere, ne hæresis, quod cœperat, totam Scotiam labefactaret, Georgium quemdã Wschertum, ut Leslæus cognominat, seu ut Buchananus Sephocardium, concionatorẽ Lutheranum, captum, & à Synodo Episcoporum hæresis ritè damnatum, igne comburi curâsset, tum hâc causâ, ut putatur, tum aliquo dissidio quod inter ipsum & Normanum Lesle Comitis Rothusiæ filium, hominem perfidæ naturæ, intercesserat; idem

Cardinalis tertio Calendas Iunij à sicariis per eumdem Normanum immissis, in arce Santandreanâ, propriòque cubiculo, multo mane dum surgens è lecto vestiretur, multis vulneribus confossus fuerit, ejúsque cadavere è fenestrâ indutum purpurâ suspensum. Quem propterea uti Martyrem Dempsterus in Martyrologio Scotico apposuit. Estque non levis ejus meriti confirmatio quòd certâ assertione constet, sanguinem quo fenestræ ex quâ pependit lapides tincti fuêre numquam deleri potuisse, id licèt maximè conantibus plurimis Necem ejus breviter Leslæus Episcopus Rossensis, prolixè Buchananus hæreticus in commendationem sui Sephocardij narrat. Gubernator Scotiæ Hamiltonius, indignatus, quòd nec cognato suo sanguinis conjunctio, nec Cardinali & Sedis Apostolicæ Legato dignitas, nec Cancellario, majestas, nec domus propria ad effugiendas sceleratorum insidias quicquam profuisset; arcem cui se perfidi incluserant expugnare, ut meritas de iis pœnas sumeret, conatus; haud tamen potuit, donec missâ anno sequenti à Rege Galliæ classe, Leo Strozzius ejus ductor illam expugnatam disjecit, & captos reos in Galliam duxit: qui tandem omnes sceleris pœnas, violentâ morte, alius aliâ, brevi tempore, Deo vindice, luerunt.

XXIII. VRBIS DIU SECUNDA OBSESS.

Hoc anno firmatum est solidiùs imperium Lusitanorum in Indiâ, per fortem propugnationem arcis Diensis in regno Cambaiæ, de cujus priori oppugnatione dictum est [y] ante paucos annos. Post quam disciplinæ bellicæ studio, ex inani fiduciâ diuturnæ pacis, ad mercimonia quæstúsque converso, arcéque omnibus penè rebus immunitâ, & ex non gentis præsidiariis qui ibi relicti fuerant, ad ducentos circiter & quinquaginta reductâ summâ: parùm abfuit, quin improvisò interciperetur à Sofare Chio natione, sed oriundo ab Italiâ, fideíque desertore, viro belli expertissimo, & fallaciarum cauto artifice; qui nomine Mamudij Cambaiæ Regis, nepotis Badurij, quem vidimus [z] contra fas necatum à Lusitanis, collecto exercitu ex Turcis & popularibus ac vicinis gentibus, obtentu belli alij cuidam Regi inferendi, illum derepentè Dium duxit: nisi præfecti arcis Ioannis Mascareniæ diligentiâ, & præsenti in periculis animo, ab ingenti discrimine, ac sævis hostium impressionibus tamdiù defensa fuisset, (non absque aliquâ suorum clade; sed longè majori hostium cæde, quâ etiam Sofar periit, Rumecane ipsius filio in ejus locum suffecto) donec Ioannes Castrius Indiæ Prætor post septem ferè menses è Goâ suppetias venit; & posterâ appulsûs die, nempè undecimâ Novembris S. Martino sacrâ, eruptione factâ, (Antonio Casalio Franciscano, post sacrificium Deo oblatum, ac milites noxiis omnibus Pontificiâ auctoritate expiatos, ornatu quàm augustissimo trabeato, Christi ad Crucem affixi attollente Imaginem) post grave prælium hostes fudit, castris & oppido uno die potitus; amissis suorum circiter sexaginta, cæsísque quatuor hostium millibus: præter oppidanos pòst deletos; in quos tantâ sævitum est atrocitate; ac præcipuè à cohorte Mascareniæ, ob amissos tot præliis commilitones, & diuturnæ obsidionis mala; ut armati juxtà & inermes, pueri senésque, viri pariter ac feminæ trucidati fuerint; delatâ etiam irâ usque ad brutorum animantium cædem. Fuítque hæc clara admodùm & gloriosa Lusitanis victoria, vel magnitudine periculi, vel prædicatione omnium & famâ. Quam & auxêre divina miracula; quòd hostes ipsimet affirmarent, consertâ jam pugnâ, majora aliquot tormenta applicitum quater ignem, cælo minimè pluvio, respuisset; & super ædiculam arcis apparuisse Mulierem cælesti lumine radiantem, cujus fulgor ita aspicientium oculos mentésque perstringeret, ut cæci propemodùm, neque in ordines ire, neque in unum conglobare se possent ac tanto superiores numero, tamen immutatâ repentè rerum omnium specie in denos Lusitanos pugnaturi singuli viderentur; indéque consternationem & fugam ortam. De victoriâ gratiis Deo actis, Castrius laureatas ad Ioannem Regem in Lusitaniam literas misit: atque arce restauratâ & auctâ, rebúsque ibi optimè constitutis victor Goam insolitâ omnium ordinum gratulatione revectus est. Rem verò præclarissimè gestam profusiori narratione Maffeius [a] in Historiis Indicis descripsit. Eamdémque Damianus à Goës eques Lusitanus, proprio commentario [b] de Bello Cambaico secundo, ex literis Mascareniæ, ut profitetur, tribus libris comprehendit. Ac longè elegantiùs, atque etiam diffusiùs sub titulo, De Rebus à Lusitanis in Indiâ apud Dium gestis, Iacobus Trevius item Lusitanus, ex iis quæ ad Ioannem Regem anno sequenti mense Augusti perlata fuêre. Rex iis acceptis, Prætorem verbis amplissimis laudavit, & *Proregis* titulo primum decoravit, (ut quidam qui hæc descripsit asserit; cùm nihilominùs jam olim Franciscum Almeidam primùm eo titulo insignitum fuisse [c] aliorum testimonio superiùs viderimus) donis auxit, & in triennium imperium ei prorogavit: qui tamen paulò pòst è magnis laboribus vigiliisque lenta correptus febre extinctus est; eo feliciori exitu, quòd morienti Iesuita Xaverius adfuit, & in extremo illo certamine opem egregiam tulit.

LUSITANORUM INSIGNIS VICTORIA, AUXILIO DEI GENITRICIS PARTA.

PROREGIS INDIÆ TITULUS PRIMÙM CASTRIO DATUS.

XXIV.

Sic igitur in Oriente civilior, & à rapacitate ac discordiis intestinis purior, pace & bello Lusitanorum administratio fuit quippe eorum Regibus in eam curam solùm intentis. Contra verò Carolo Imperatore bellis Europæ implicato, crebra in longinquis provinciis inter rectores dissensionum incendia facilè exarserunt; quæ, nisi exhaustâ & consumptâ ob oculos tunc versante prædâ, quæ illos committebat, nunquam extingui potuerunt. Attigimus superiùs [cc] quæ post inventionem & occupationem Peruanæ provinciæ, inter duces Hispanos Pizarros & Almagros dissidia orta fuissent, quæque inde cædes secutæ. Quibus cùm etiam Vacca Castrius missus à Carolo Cæsare ad provinciam componendam periisset; & qui ei successor datus Blascus Nonius titulo Proregis, à Consalvo Pizarro tyrannidem usurpante prælio victus, & capite truncatus fuisset: demùm hoc ipso anno missus illuc à Cæsare *Petrus Casca* Iurisconsultus, vir spectatæ virtutis, & humili tantùm Præsidis titulo, ac solius famulitij comitatu fultus; astu vulpino factâ singulis præfectis veniæ spe, universos ad suas partes paulatim pertraxit: & cùm Gonsalvus

[y] Supr. an. 1538. IV.

[z] Ibid.

[a] Maff. lib. 13.

[b] Ext. to. 2. Rer. Hisp.

[c] An. 1505. III.

[cc] Supr. an. 1525. XXIX.

Francisco Carvaiale homine crudelitatibus infami & Ioanne Acosta ducibus, prælium infelicibus auspiciis commisisset; à milite desertus in Præsidis manus cum omnibus suis ducibus, qui soli in exercitu remanserant, captivus devenit; & cum iisdem extremo supplicio affectus, mense Aprili anni 1548. Quam rem perenni memoriâ dignam attigit ex prolixis Hispanorum relationibus Thuanus [d] partem Natalis [e] fusiùs descripsit, præcipuam intactam relinquens; fusissimè integram Vlloa [f] in Historiam Vitæ Caroli transtulit. In eâ verò illud maximè observandum, Gascam, post publicatas leges ab Imperatore conditas, aliáque ad levamentum Indorum miserè ab Hispanis oppressorum justè constituta, è provinciâ discedentem ad finem anni 1549. magnâ vi auri in naves impositâ ad Regem deferendâ, in Hispaniam reversum esse anno 1550. in tantâ facilitate ingentes thesauros coacervandi, nihilo ditiorem quàm cùm discessisset cum eodem pallio, sed usu detrito, quod ex Hispaniâ attulerat: nullâ factâ mutatione de cultu corporis, & pristinâ moderatione: omnibus, ut equidem reor, hâc in re & Aristidibus [g], & Gracchis [h], & Vespasianis [i], aliisque de simili temperatione laudatis, Christianâ virtute superatis. Qui paulò pòst factus est Palentinus primùm, deinde Seguntinus Episcopus.

[d] Thuan. l. 1.
[e] Natal. l. 1.
[f] Vulloa. lib. 3. & 5.

Eiusdem admirabilis moderatio.

[g] Plutar. in Aristid.
[h] Gell. lib. 15. cap. 12.
[i] Suet. in Vesp. cap. 4.

Iesu Christi Annus 1547.
Pauli III. Annus 13.
Caroli V. Ann. 29.

I.

Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, Indictione quintâ die Iovis decimâ tertiâ Ianuarij, celebratâ est Tridenti *Sexta* Oecumenicæ Synodi *Sessio*, præsidentibus legatis Apostolicis de Monte & S. Crucis Cardinalibus; (Polus enim jam abierat:) & præsentibus reliquis duobus Cardinalibus Tridentino & Pacieco, decem Archiepiscopis, Episcopis quadraginta septem, & procuratoribus duorum absentium, Abbatibus duobus, Generalibus quinque. In quâ post Missam [a] ab Andreâ Cornaro Archiepiscopo Spalatensi celebratam; & orationem habitam à Thomâ Stellâ Episcopo Salpensi, aliáque solemnia; promulgatum est Decretum de Iustificatione hominis, sedecim capitibus complectens doctrinam, de illâ Catholicam, quam omnes tenere & sequi debeant; ejúsque solidam explicationem, adversus hæreticorum aliorúmque sophismata. Et ut omnes sciant non solùm quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant, additi sunt triginta tres canones, cum totidem anathematismis, contra eos qui aliter sentirent, aut eam doctrinam in aliquo corrumperent. Quæ omnia cùm singulis pateant, supervacaneum fuerit ea hîc recensere. Nisi quòd notandæ [b] in iis veniunt definitiones Synodi; nos per justitiam inhærentem & habitualem formaliter justificari: cum anteà qui per actus pœnitentiæ & charitatis justitiâ Christi nobis imputatâ peccatorem justificari crederet non censeretur hæreticus:) & fidem justificantem aliud quippiam esse à fiduciâ divinæ misericordiæ peccata propter Christum remittentis, quod non videbatur antè satis definitum, quantumvis illa pro diversis solerent à Patribus accipi. Adjectum est demùm Decretum de reformatione quinque capitibus constans; videlicèt de Residentiâ Prælatorum, ac pœnis eorum qui per sex menses continuos absuerint à suis diœcesibus: de inferioribus ad residentiam per Episcopos cogendis: de excessibus clericorum sæcularium, atque etiam regularium extra monasteria degentium, ab ordinariis locorum puniendis ac corrigendis: de Capitulis Cathedralium aliarúmque Ecclesiarum, eorúmque personis juxta canonicas sanctiones per Episcopos visitandis, corrigendis & emendandis: de Pontificalibus in alienis diœcesibus non exercendis absque earum Ordinariorum licentiâ, sub pœnâ suspensionis ab executione Ordinum. Hisque peractis indicta est proxima futura Sessio in diem Iovis tertiam mensis Martij.

Sessio VI. Synodi Tridentinæ.

[a] Edit. Antuerp. Rom. & Binian.

Decretum de Iustificatione.

[b] Ex Duvall. de Discip. Eccles. par. 3. q. 7.

Decretum de Residentia.

II.

Congregatione pòst habitâ ad deliberandum de materiâ in eamdem proximam Sessionem digerendâ, statutum est appositum fore de Sacramentis agere, tamquam mediis ad consequendam justificationem, de quâ actum esset in præcedenti Sessione: & quæ in eâ omissa fuissent de residentiâ, resumere, simúlque agere de impedimentis iis tollendis quæ homines ad non residendum impellunt; in quibus cùm beneficiorum pluralitas principem locum teneat, quòd fieri nequeat ut quis pluribus locis resideat, de eâ tractare. Factæ autem sunt de his in Congregationibus, longæ & magnæ inter Patres & Doctores disceptationes; tam generatim de numero Sacramentorum, & impropriâ ejus nominis attributione factâ à nonnullis antiquis Patribus, certis aliis quibusdam rebus sacris déque eorum institutore, quòd fuissent qui non singula septem ab Ecclesiâ recepta, à Christo instituta esse, sed aliqua ab Apostolis introducta sensissent: itémque de eorumdem necessitate, dignitate, valore, formâ; déque ministrorum intentione, quam nonnulli minimè necessariam existimabant: quàm speciatim de veritate Baptismi ab hæreticis collati in materiâ, formâ, & intentione Ecclesiæ; déque ritibus ab Ecclesiâ adhiberi solitis; atque item de Confirmationis ministerio, quod nonnulli non tantùm Episcopis, verùm etiam quibusvis sacerdotibus Papæ permissu tribuebant. Sed & facta fuit vehemens disputatio de beneficiorum compatibilitate & incompatibilitate, déque Pontificiâ in iis dispensandis auctoritate: necnon de Commendarum usu, quæ benè primùm institutæ, cùm scilicèt bello, aut pestilentiâ, aut aliâ ejusmodi causâ per regionem aliquam grassante, in ministri vitâ functi locum alius statim eligi non posset, commendabatur sic vacans Ecclesia cuidam probo viro, qui præter Ecclesiæ suæ curam, vacantem etiam administraret quo ad de proprio rectore eiprovisum esset:) lapsu temporis in fœdam corruptionẽ multiplicitatis beneficiorum, ad vitam degenerârunt: itemque de unione bene-

Materia de Sacramentis disceptatur.

Itemque de multiplicitate beneficiorũ.

ficiorum pariter ad vitam, quæ ad eamdem pluralitatem tegendam introducta fuit: qui propterea abusus tollendi censebantur.

III. SESS. VII. Postquàm autem de his, & aliis ad ea spectantibus, factæ sunt plurimæ collocutiones, & disputationes: demùm stabilita sunt decreta in *Septimâ Sessione* promulganda: quæ habita est eodem die in quem indicta fuerat, nempè Iovis tertio Martij. Celebrata [c] autem Missâ à Iacobo Caucho Archiepiscopo Corcyrensi, defuit Episcopus S. Marci, qui sermonem faciendum susceperat, quia erat raucus: interfuerúntque duo Legati Cardinales, & Paciecus, (Tridentinus enim Romam abierat) Archiepiscopi novem Episcopi quinquaginta duo, duo procuratores absentium, duo Abbates, & Generales quinque. Póstque solemnia ritè peracta, recitata sunt Decreta, de septem Sacramentis in genere, tredecim canonibus, cum totidem anathematismis; de baptismo in specie, quatuordecim; ac de Confirmatione, tribus; ac doctrinæ Catholicæ confirmationem & explicationem, atque errorum & hæresum eliminationem: quæ continentur singillatim in Decretis Concilij editis. Additúmque posteà Decretum de Reformatione, capita quindecim complectens; videlicet, ut nemo ad ecclesiam cathedralem, nisi ex legitimo matrimonio natus, ætate maturus, gravitate morum, & literarum scientiâ præditus assumatur, nemo plures Ecclesias cathedrales in titulum, aut commendam aut alio quovis nomine simul retineat, inferiora beneficia nonnisi dignis, & qui per se ipsos exercere valeant, ab Ordinariis, conferantur; nec plura incompatibilia simul quocumque titulo retineri possint; uniones perpetuæ ab Ordinariis examinentur, & si necesse sit rescindantur: validæ, visitentur, & iis ab Ordinariis provideatur de vicariis, reparationibus, aliísque rebus necessariis, ad majores Ecclesias promoti, munus consecrationis infrà tempus à jure constitutum suscipiant: Capitula Sede vacante infra annum literas dimissorias non concedant, nisi arctatis: facultates de promovendo à quocumque contineant expressam causam, ob quam alienum accedere debeant Episcopum; & quæ dantur de non promovendo, ad annum tantùm suffragentur: præsentati à quibusvis Ecclesiasticis non instituantur, nisi priùs ab Ordinariis examinati, & idonei reperti; exceptis præsentatis ab Vniversitatibus: causæ civiles exemptorum, & regularium extra monasteria degentium, audiantur ab Ordinariis: curéntque iidem ut hospitalia quæcumque etiam exempta à suis administratoribus fideliter gubernentur. Demùm futura Sessio indicta est in diem Iovis vigesimam primam Aprilis.

IV. Verùm cùm interim ex aëris propter assiduos plurium dierum imbres intemperie multis in morbum incidentibus, non modò Tridentum, sed & loco vicina rumor primùm; deinde metus pestilentiæ incessisset, ageretúrque ubique de interdicendo cum eâ civitate commercio: Legati (præhabitâ jam altera ante hæc anno à Paulo Pontifice, octavo Calendas Martij anni ipsius Pontificatûs undecimi, facultate [d] Concilium transferendi quàcumque urgente necessitate, quamcumque aliam civitatem commodiorem ac tutiorem:) minimè expectato die indictæ *Octavæ Sessionis*, eam die undecimâ Martij celebrare festinantes; post consuetas omnes peractas ceremonias, ac preces recitatas, prolatásque diligentes investigationes & examinationes publicas super eâdem infectione jam anteà factas, necnon depositiones medicorum Concilij, Hieronymi Fracastorij Veronensis, & Balduini de Balduinis de Bargâ: (quæ omnia continentur in Actis Archiepiscopi Aquensis:) petierunt à Patribus, num placeret decernere & declarare, de ejusmodi morbo ita notoriè constare, ut Prælati in eâ civitate sine vitæ discrimine commorari minimè possent; itémque attento recessu multorum, & Protestationibus aliorum complurium; pro conservatione & prosecutione Concilij, & securitate vitæ Prælatorum, Concilium ad civitatem *Bononiæ*, veluti ad locum magis paratum, salubrem & idoneum pro tempore transferendum esse; atque ibidem Sessionem jam indictam in diem vigesimam primam Aprilis celebrandam; & successivè ad ulteriora procedendum, donec Summo Pontifici & sacro Concilio expedire videretur, ut ad eamdem civitatem Tridentinam, seu aliam, communicato etiam consilio cum Imperatore, Christianissimo Rege, & aliis Regibus ac Principibus Christianis, ipsum Concilium reduci posset & deberet? Responsúmque à Patribus est, Placere. Cui tamen Decreto non omnes qui aderant assensum commodârunt, sed [e] cùm essent Patres circiter sexaginta, Cardinalis Paciecus Hispanus, cum aliis quibusdam Episcopis ferè partis Cæsareæ, dissensit; tum quòd pericula majora vero jactari, tum quòd Pontificis, Imperatoris, Regis Christianissimi, aliorúmque Regum ac Principum consensum expectari debere dicerent. Quare abeuntibus Legatis Cruce prægestatâ, cum solitis precibus & ritibus, Episcopis suæ opinionis comitatis; Cæs. ab oratore ipsis Caroli prohibiti fuêre discedere, antequàm ille de his certior factus quid fieri vellet significaret. Qui translationem graviter & iniquo animo ferens, suorúmque factum laudans, mandavit ne pedem Tridento moverent.

V. At qui Bononiam secesserant, indictam Tridenti die Iovis vigesimâ primâ Aprilis *Sessionem Nonam* [f] celebrantes, præsidentibus iisdem Cardinalibus de Monte & S. Crucis ac præsentibus sex Archiepiscopis, Episcopis triginta, Abbate uno, & Generalibus quatuor, in ecclesiâ collegiatâ S. Petronij, post Missam à Sebastiano Lequatulâ Archiepiscopo Naxiensi cantatam, & orationem ab Ambrosio Catherino Episcopo Minoricensi habitam: precésque à Cardinale de Monte primo præsidente de more recitatas, (quæ omnia minutim describuntur in Actis Archiepiscopi Aquensis) Decretum promulgatum est ab eodem Archiepiscopo Naxiensi: quo, ob id quòd nonnulli ex patribus qui in Concilio interesse consueverant, superioris Majoris Hebdomadæ & solemnitatis Paschalis diebus in propriis Ecclesiis occupati, aliique aliis impedimentis detenti nondum Bononiam accessissent; ac propterea materiæ reli-

Marginalia:

[c] Edit. Antuerp. Rom. & Bin.

DECRETA DE SACRAMENTIS.

DE BENEFICIORŪ COLLATIONE.

[d] Ext. in Decret. Conc. post Sess. 7. & in Act. Archiep. Aquen.

SESSIO VIII. DE TRANSLATIONE CŌCILII BONONIAM OB PESTILENTIAM.

[e] Act. Arch. Aq. Edit. Concil. Antuerp. Rom. & Bin.

EPISCOPI CÆSARÆI MANENT TRIDENTI.

SESSIO IX. BONONIÆ HABITA.

[f] Ibid.

DECRETŪ DE PROROGATIONE SESSIONIS.

quorum Sacramentorum & reformationis, de quibus tranctandum esse propositum fuerat, examinari & discuti non potuissent, Sessio ad diem Iovis infra Octavam Pentecostes, secundam Iunij, prorogata est. Quâ rursùm die, habitâ in eâdem ecclesiâ solitis ritibus (Olao Magno Archiepiscopo Vpsalensi Missam celebrante) *Sessione Decimâ* prorogata eadem est ob easdem causas ad diem Iovis post festum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis decimamquintam Septembris: ita tamen ut hic terminus etiam in privatâ Congregatione abbreviari & prorogari liberè posset. Sicuti & factum est die decimaquartâ Septembris; cùm [g] in Congregatione generali habitâ in domo Cardinalis de Monte (cui interfuerunt cum duobus Legatis, Claudius Durfé Præfectus provinciæ Foresiæ orator Regis Christianissimi, Archiepiscopi quinque, Episcopi quadraginta septem, tres Ordinum Generales) prorogata est Sessio ad Concilij beneplacitum, cùm ob eamdem causam absentiæ multorum Prælatorum qui in viâ esse dicebantur; tum ob turbas Statûs Ecclesiastici, & civitatum ejus, ex nece Petri Aloisij Ducis Placentiæ ipsius Pontificis filij.

Sess. X.

Prorogatio ad beneplacitum.

g Ibid.

VI. Cædes Ducis Placentiæ.

Qui cùm pater triennio antè Parmam & Placentiam nobiles Æmiliæ urbes ditionis Ecclesiæ Romanæ contulisset, permutatione Camerini & Nepe, quæ priùs Octavio Petri Aloisij filio, atque Imperatoris genero attribuerat: (quamquam non id absque aliquorum Cardinalium contradictione,) rem gravissimè ferente Imperatore, qui has civitates ad Mediolanensem principatum, quòd ab ejus Ducibus aliquando possessæ fuissent, pertinere contenderet, ac propterea numquam adduci potuisset, ut eam donationem seu permutationem confirmaret; cùm & præterea P. Aloisij fides ipsi Cæsari suspecta esse cœpisset, quòd conjurationis Ioannis Aloisij Flisci Genuensis, de quâ paulò inferiùs agetur, particeps fuisse crederetur, & partibus Gallicis addictus Henrici novi Regis amicitiam ac patrocinium pertentâsset: denique haud obscurè simultas inter Pontificem P. Aloisij patrem, & ipsum Imperatorem intercederet: His omnibus audaciores redditi quidam ex nobilitate P. Aloisio subditâ præcipui, privatis & ipsi injuriis ab eo irritati, & quòd turpissimam & contaminatissimam ejus vitam ferre non posse præseferrent, conjuratione factâ eum in arce Placentinâ confoderunt die 10. Septembris, corpore ad omne injuriæ & contumeliæ genus publicè exposito: urbémque Ferdinando Gonzagæ, qui post obitum Vastij (qui contigit anno superiori; cùm [h] apud Imperatorem calumniis oneratus, audito abdicationis suæ decreto, mœrori succumbens, morbo quo jam afflictabatur oppressus, morte vitavit ignominiam) fuerat ab Imperatore Insubriæ præfectus, tradiderunt, ægrè Parmâ in potestate Pontificis conservatâ. Hujúsque conspirationis fuisse Imperatorem conscium, pro constanti habitum fuit: & urgentibus argumentis inducunt qui hanc tragœdiam enucleatiùs describunt[i]: quinimmo & apertè Vbertus Folieta [i] in rei gestæ peculiari commentario profiteri non dubitavit.

h Ripamont. Hist. Mediol. 17.

i Thuan. lib. 4. Natal. lib. 3.

Harum igitur turbarum, & mœroris Pontificis prætentâ causâ; cessavit tunc Concilium, totóque reliquo Pontificatu Pauli: quousque post ejus obitum eodem Cardinale de Monte creato Pontifice; resumptum est, & Tridentum reductum anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, ut tunc videbitur. Cùm nihilominùs etiam scribat Panvinius in Vitâ Pauli ipsum, quamvis publicè signa lætitiæ de victoriâ Imper. de Germanis partâ (de quâ mox dicetur) dedisset, clàm tamen non obscurè ei infensum fuisse, tum ob denegatam approbationem donationis Parmæ & Placentiæ, & quòd vereretur ne partâ eâ victoriâ ad totius Italiæ imperium aspiraret; tum quòd graves ei compedes Tridentini Concilij injecisset, cùm Cæsarianæ partis præsides Pontificiæ dignitati graviter malignéque adversos extitisse intellexisset; famaque vulgâsset Cæsarem, quò Germanos in officio contineret, privatíque commodi gratiâ, non publicæ utilitatis Concilium in longum protrahere constituisse. Hunc in modum Paulum Cæsari non dissimulanter iratum, de Concilij suspensione translationéque cogitare cœpisse; & eo quidem propensiùs, quòd quibusdam sanctionibus odiosâ disputatione ad decretum relatis, quorumdam subornatorum Præsulum malignitate dignitatem suam perstringi & offendi cognovisset. Ita ille de certioribus causis translationis Concilij.

VII. Concilium cessat.

Causæ cessationis, et Onuphrio.

Vt verò quid pro ejus restitutione à Carolo & Germanis factum fuerit intelligatur, priùs de belli Germanici confectione breviter de more agendum. Succedentibus igitur prosperè, ut vidimus, Imperatoris conatibus bellicis; principio hujus anni Vlricus Dux Wittembergicus unus è Principibus fœderis Smalcaldici, in quem omnis belli impetus vertebatur, Palatino deprecatore, Cæsari reconciliatus est, solutis inter alias graves conditiones, trecentis aureorum millibus in sumptus belli. Ac subinde aliis atque aliis civitatibus in victoris potestatem confluentibus, cùm nihilominùs Elector Saxonicus multa sibi ab exercitu Ferdinandi fratris Cæsaris erepta recuperâsset, quinimmò & Mauritium patruelem suum à Cæsare stantem universis fere ipsius oppidis exuisset: accenso majori ardore bello Carolus unà cum Ferdinando fratre, Brandeburgico Electore; & Mauritio, junctis copiis, (Pontificiæ jam antè recesserant) Saxonicis longè superioribus, in Saxonem rebus benè gestis superbum movens; eúmque trans Albim, miraculo propè tranatum, dum Wittembergam urbem munitissimam se reciperet, magnâ celeritate assecutus; gravissimo prælio octavo Calendas Maij ad Lochanam silvam non procul à Mulbergo oppido conserto, quo novem continuis horis ad noctem usque pugnatum est, eum gloriosissimè devicit: Qui quidem Saxo nullum strenui ducis officium prætermittens, cùm disjectis copiis contra insequentes acriter pugnaret, in adversum os malè sinistrâ vulnere accepto, captus est; & ab Albano Cæsarei exercitûs duce oblatus Imperatori, undante per faciem sanguine. In cujus conspectum ubi venit, ex equo descendere volens, cùm ob vastitatem & obesitatem ejus corporis Imperator renueret,

VIII. Belli Smalcaldici prosecutio.

Elector Saxon. capitur.

Quando ita fortuna tulit, inquit, *ecce me tibi clementissime Cæsar captivum sisto.* Dicturum plura interfatus Cæsar, *Ergone tibi nunc ego Cæsar quem nuper & verbis & scriptis Carolum Gandavensem se pro Cæsare gerentem vocabas?* Cum ille pergeret, ut se captivum pro dignitate haberet, constanti vultu rogaret; Cæsar nihil aliud respondit, quàm se pro merito illum accepturum: aspernantísque similis obverso tergo discessit. Deinde datus est in custodiam, unà cum Ernesto Brunsvicensi, qui etiam captus est, Alfonso Vivi Hispanorum militum tribuno. Cæsos eo prælio ex Cæsarianis quinquaginta circiter equites; ex hostibus pedites ad duo millia, equites quingentos, nonnulli prodiderunt, aliis pauciores recensentibus; præter captivorum ingentem numerum. Totum verò bellum ubertim prosequuntur iidem quos superiori anno auctores ejus descriptores laudavimus. Quorum aliqui [k] victoriæ prænunciam visam fuisse aquilam asserunt, ante pugnam universa Cæsaris castra præ lætitiâ obeuntem: itémque, nebulam ad meridiem usque Cæsaris adventum Saxonibus occultâsse: deinde verò solem tardiùs cursum suum peregisse, sicut olim cùm Iosue [l] pugnaret contra Philisthæos; Eo pariter die, & aliquot aliis antè & pòst, Solis aspectum valdè fuisse obscurum, pallidum, & veluti caligine quâdam circumdatum, atque etiam sanguinolentum; idque non per Germaniam solùm, sed per Galliam etiam atque Britanniam fuisse observatum. Quorum tamen omnium nihil habet Alfonsus [m] Henriquez Gusmanus, qui interfuit; & de singulis quæ vidit & audivit minutissimè scripsit ad Petrum Messiam Imperatoris Chronographum. Sic enim plerùmque fit in rerum gestarum narrationibus, ut quod unus habet, alius taceat, & contrà. Ac quicquid sit de signis, de victoriâ nulla est dubitatio; quâ cecidit hostium ferocia, atque temeraria præsumptio.

[k] Natal. Avil. &c.

PORTENTA IN PRÆLIO.

[l] Ios. 10.

[m] Henriq. Epist. Princ. to. 3.

IX. SENTENTIA IN SAXONEM.

Partâ illâ Cæsar Wittembergam iter sumpsit: cúmque ad eam applicuisset die quartâ Maij, & oppidani dedere se jussi superbiùs respondissent; triduo pòst latâ in Electorem captivum sententiâ, eum capite mulctandum pronunciavit. Qui nihil eâ auditâ turbatus, quòd oppidum, non caput suum eâ peti existimaret; dilatâ sententiæ executione, factum est intercessione Ioachimi Electoris Brandeburgensis, & Ducis Clivensis fratris uxoris Saxonis, aliorúmque; ut vitæ securitatem gravissimis conditionibus acceperit; ac potissimùm renunciationis dignitati Electoratûs tam suo, quàm liberorum nomine: Wittembergæ, & Gothæ alterius regionis propugnaculi, traditionis; obedientiæ Cameræ Imperiali præstationis; ingentis summæ auri solutionis; bonorum omnium publicationis, exceptis quinquaginta aureorum millibus annuis; denique permansionis in potestate Cæsaris aut Philippi Regis Hispaniæ ipsius filij. Cùm verò etiam appositum fuisset, ut quicquid aut Cæsar aut Concilium de religione decernerent, approbaret; hanc Saxone conditionem accipere omninò recusante, Cæsar, qui se identidem non religionis, sed rebellionis ergò hoc bellum suscepisse prædicaverat, religionis causâ facilè omissâ, modò aliæ conditiones, quæ ipsius publicam auctoritatem & privatam utilitatem respiciebant, integræ manerent, eam conditionem induci passus est. Bonorum verò Saxonis pars quædam Ferdinando fratri, major Mauritio unà cum Electoratu tributa.

X. CONDITIONES DEDITIONIS LANTGRAVII.

Post quæ cùm Cæsar in Hessiam transiturus esset, nisi Lantgravius satisfaceret; idem Brandeburgensis, & Mauritius Lantgravij gener, de eo Cæsari reconciliando diligenter egerunt; atque his conditionibus obtinuerunt, ut Lantgravius se suámque provinciam nullâ conditione Cæsari dederet; supplex pedibus Cæsaris advolutus noxam sibi condonari posceret; Henricum Brunsvicensem à se olim captum unà cum filio liberos dimitteret, centum quinquaginta aureorum millia penderet; Cameræ judicio quod Cæsar constituturus esset pareret; & alia plurima. Quorum factâ acceptione; cùm postquàm ad Cæsarem venisset decimo-octavo Iunij, prætereà adderetur ut pareret Concilij Tridentini decretis; diù de hoc cum ministris Cæsaris altercatus, tandem promisit consensurum se decretis Concilij liberi, pij & generalis, in quo non minùs reformaretur caput quàm membra, sicut Brandeburgensis & Mauritius facerent; quippe qui ab Augustanâ Confessione non se discessuros promiserant. Cùm verò acceptis ab eo propositis conditionibus, declarâsset Cæsar liberare se illum à proscriptione, & supplicio quod fuisset meritus; ac promisisset neque carcere neque bonis ultrà quàm esset in formulâ pacis definitum, mulctaturum; miser ambiguitate carceris delusus, cùm liber abire expectaret, detentus est captivus, quòd nonnisi de perpetuo carcere cavisse Cæsar diceret; nequicquàm de fraude conquerentibus Brandeburgensi & Mauritio. Quæ fraus cùm à quamplurimis omnium gentium auctoribus in exemplum malitiosæ calliditatis frequentissimè proferri consueverit; tribuentibus illam improbitati Ducis Albani, & Granvellani Episcopi Atrebatensis, qui unius literulæ inversâ formâ, & Cæsaris fidem in dubium vocaverint; & duorum illorum Principum qui Hessum adduxerant, de Cæsare optimè meritorum, offensionem ex eâ occasione in eum, maximo ipsius Cæsaris & Reipublicæ damno concitaverint: traditur fuisse in hoc, quòd pro conditione illâ in pactis appositâ Germanicè *ohn einige gefenknus*, hoc est, sine aliquo carcere, vel captivitate, hanc substituerint, *ohn evvige gefenknus*, sine perpetuo carcere; facili contractione duarum literarum *i* & *n*, in unum digamma germanicum W. Nam quòd Avila (ex quo Natalis, Surius, Vlloa, & alij accepêre) tradit Lantgravium propriâ manu formulam conditionum perscripsisse, ut de scripturæ aut scriptoris errore jure conqueri non potuerit; id in gratiam Cæsaris, ut multa alia, ab eo confictum alij tradunt; falsíque convincunt, ex eo quòd in tot scriptis contrariis eâ super re ab utrâque parte editis, nusquam in Lantgravio objectum legatur; neque etiam ab ipso Cæsare in Comitiis Augustanis paulò pòst habitis, cùm in detentionis Lantgravij excusationem rem inter ipsos gestam narravit. Quanto

DECEPTIONE LITERULÆ DETINETUR CAPTIVUS.

autem hic sive dolus, sive error, posteà Cæsari constiterit, videbitur inferiùs. Interim verò captivi Principes multo tempore per Germaniam velut in triumphum injuriosè circumducti, indéque in Brabantiam deducti, in custodiâ remanserunt toto quinquennio: de quorum liberatione dicetur suo loco.

XI. CAROLI CÆSARIS FORTITUDO, ET PIETAS.

Sic igitur finem accepit bellum Germanicum, magno animo à Carolo Cæsare, hortationibus & auxiliis Pauli Pontificis susceptum: quod quamvis mole maximum, confectu tamen facillimum extitit, ob divisiones inter se Germanorum, alioqui ob multitudinem & fortitudinem populorum armis penè insuperabilium: & eventu Cæsari felicissimum, edomitâ Germaniâ quindecim circiter mensium spatio; quod alioqui vix quibusvis præstantissimis imperatoribus totâ vitâ licuisset. Quare & ipse victoriam à Deo accepisse se piè agnoscens, usurpatis C. Cæsaris verbis, sed Christianè commutatis, *Veni*, inquit, *vidi*, *Deus vicit*, Et Pontifex jure merito in frequenti Cardinalium Senatu, atque in literis pro congratulatione ad eum scriptis, misso ad hoc Francisco Cardinale Sfondrato Cremonensi, cognomen ei *Maximi* & *Fortissimi* contulit. Dicuntur autem ex utriusque captivi Principis, ac Wittembergici urbibus & arcibus, aliisque civitatibus fœderatis, deducta ad quingenta tormenta; quorum pars Mediolanum & Neapolim, pars in Hispaniam missa est, reliqua per Belgium distributa, tamquam parte de Germanis victoriæ trophæa & monumenta: non tamen sine occulto in animis Germanorum injuriæ sensu; qui suâ sibi operâ & imprudentiâ suum decus & gentis gloriam ereptam dolebant. Ex mulctis autem pecuniarum tam Principum quàm civitatum fœderatarum, & ex imperatâ ordinibus Imperij, quorum contemplatione bellum susceptum Cæsar dicebat, collecta sunt, ut ex rationibus publicis posteà apparuit, decies sexies centena millia aureorum.

SPOLIA GERMANIÆ.

XII. COMITIA AUGUSTANA.

Vt autem bello parta firmiùs stabiliret, Ordinum Imperij comitiis Augustæ ad Cal. Septembris celebrandis indictis, in eam urbem ipse sub finem Iulij triumphanti similis ingressus est; collocatis in eâ in præsidium aliquot peditum signis, & in regione circumjectâ dispositis Hispanorum & Italorum copiis. Vnde questi sunt postmodùm Protestantes, armata hæc fuisse comitia & violenta, non pacifica aut libera. Ibi autem mox, ut à religione initium fieret, primarium templum Cardinali Augustano, qui aderat, restituit; (erat enim Augusta primaria fœderis Smalcaldici civitas; in quâ concinnatam vidimus Confessionem Protestantium, ab eâ dictam Augustanam; ejectâque penitùs atque eliminata religione Catholicâ, tota in Lutheranismi sordibus desidebat:) & alia quædam sibi sumpsit: quibus lustratis & expiatis Catholicum cultum instauravit, ceteris Senatui ac civibus hæresi infectis permissis. Concionandique in primario templo munus Michaëli Heldingo Sidonio Episcopo, Archiepiscopi Moguntini vicario, magni nominis concionatori tribuit: qui inter alia multas habuit de sacrâ Eucharistiâ & sacrificio Missæ conciones, quas & paulò pòst edidit. Fuit autem hic conventus celeberrimus; cui

RELIGIO CATHOL. RESTITUITUR AUGUSTÆ.

unà cum ipso Cæsare, ac Rege Ferdinando (qui tamen non inito interfuit, occupatus bello Boëmico adversus rebelles, seu ut ipsi dicebant pro defensione suæ libertatis armatos, quod feliciter confecit) cum duobus filiis suis Maximiliano & Ferdinando, adfuerunt Cardinales Augustanus & Tridentinus, aliíque nonnulli Germaniæ Principes, omnésque septem Electores; ac novi imprimis Mauritius Saxonicus, & Adolfus Coloniensis ex Comitibus Schavenburgensibus, qui in locum Hermanni[m] depositi, auctoritate Pontificia & Cæsareâ subrogatus fuerat; cedente Hermanno, ne bello vastaretur provincia, cùm etiam idem ipse longè antè jam annis gravis eumdem Adolfum in coadjutorem sibi delegisset. Qui quidem Adolfus mox per totam regionem quicquid Bucerus Hermanni corruptor instituerat abolevit, ac religionis Catholicæ cultum in integrum restituit.

HERMANNUS CEDIT ECCLESIA COLON.

[m] Vid. supr. an. 1543. V. 1545. VII. 1546. XVI.

XIII.

In eo autem conventu, cui factum est initium Cal. Sept. post commemorata ab Imperatore quæ à se hactenùs gesta fuissent in causâ religionis & tranquillitatis Germaniæ, exposuit se hunc conventum indixisse, ut rerum componendarum certior quædam & expeditior via quæreretur: cúmque religionis dissidium præcipua esset omnis perturbationis causa, cupere se ejus rei primam esse & potissimam deliberationem, deinde de Cameræ solidâ constitutione. Antequàm verò de his deliberatum esset, Imperator, quem gravissimè tulisse vidimus Concilij Tridentini translationem Bononiam, (licet prudenter ac religiosè, ne schisma fieret, suos qui Tridenti remanserant aliquid noui attentare non permiserit) Episcopis qui Augustæ coïerant auctor fuit, ut ad Paulum Pontificem scriberent [n] pro revocandâ Tridentum Synodo: cupiisse quidem se eam intra fines Germaniæ, ubi præcipua vis mali vigebat, celebrari, nec potuisse Tridentum urbem Italam potiùs quàm Germanam commigrare nisi admodùm paucos, quoniam cùm ampla esset ipsorum jurisdictio, ac sæcularia etiam gubernacula complecteretur, non possent diù, & maximè tempore belli, atque in tantis temporum perturbationibus, à suis ditionibus abesse: cùm autem disjectis jam bellorum procellis spes esset melioris conditionis, subitò præter omnem expectationem nunciatum sibi esse, Concilium in aliam civitatem translatum esse, seu potiùs divisum, in quo salus fuisset tota collocata Reipublicæ. Quare orare se per Germaniæ salutem, ut illud Tridentum restitueret, quod si faceret, nullum esse genus obsequij quod non ab ipsis sibi deberet polliceri: sin autem, non habere unde malis imminentibus deposceret auxilium, nisi ut aliæ rationes inirentur atque consilia. Ad has litteras quid responderit Pontifex, dicetur principio anni consequentis. Interim verò Cæsar adeò apud Principes & civitates Protestantes, instando, orando, sollicitando, etiamque aliquando severiùs urgendo, profecit, ut ipsius fidei sese omnes permiserint in susceptione decretorum Concilij: eóque sub exitum Octobris impetrato, celeriter initio Novembris Cardinalem Tridentinum Romam ad Pontificem legavit, ut eum de Concilio Tridentum revocando interpellaret,

[n] Ext litt. in Collect. Ar hiep. Aquen. datâ 14. Sept.

GERMANORUM LITERÆ AD PONT. DE CONCILIO TRIDENTUM REDUCENDO.

Vidimus in Collectione Archiepiscopi Aquensis, mandatum, seu instructionem, ab Imperatore datam ad hoc prædicto Cardinali linguâ Hispanicâ decimo Novembris præsentis anni; quam communicare deberet Didaco Mendozæ oratori Cæsareo apud Pontificem. De cujus per Cardinalem tractatione dicetur, postquàm alia magni momenti quæ priùs hoc eodem anno contigerunt, & non parvam habent cum iis connexionem, explicaverimus.

XIV. VRBIS GENUENSIS PERICULUM A CONIURATIS.

Ineunte anno, felicia belli Germanici auspicia intestini motus in Italiâ, ceteroqui à bellis externis quiescente, exorti nonnihil perturbaverant, novâsque sollicitudines Cæsari generaverant: conjuratio videlicèt, primùm Io. Ludovici Flisci Laviniæ Comitis, clarissimâ gente orti, & elato animo juvenis; deinde Iulij Cibi antiquâ item nobilissimâque familiâ nati, Genuæ contra Andream Auriam & Rempublicam detecta: ac tumultus Neapolitani, occasione Inquisitionis Hispanicæ in eam urbem introducendæ excitati. Verùm ut erat Cæsar excelso animo & consilio, quamvis horum fama potuerit ejus fortunæ impetum, ad victoriam jam paratam properantem, nonnihil retardare, non tamen generosi conatûs gloriam & fructum eripere valuit. Rem porrò Genuensem, quâ Auria de vitâ, Respublica de libertate periclitata est, continuò oppressam; quòd parùm ea (quamvis mixta nonnihil cum privatis commodis Pauli Pontificis, & Farnesianæ familiæ) ad res Ecclesiasticas pertineat, satis sit indicâsse; & ejus curiosos ad Carolum Sigonium [o], qui eam ubertim tractavit in Vitâ Auriæ; & Vbertum Folietam, qui uberiùs proprio commentario descripsit; necnon ad Iacobum Bonfadium in Annalibus [p] Genuensibus, quos ab anno recuperatæ libertatis 1528. usque ad 1550. conscripsit; atque alios qui tam Latinè quàm Italicè recensuerunt, remittere.

[o] *Sigon in Vit. Aur. lib. 2.*

[p] *Bonfad. lib 4.*

XV. TUMULTUS NEAPOLITANI OB INQUISITIONEM.

Res verò Neapolitana, jam ad finem anni superioris cœpta, inde exordium sumpsit, quòd cùm Prorex à Cæsare constitutus Petrus Alvares Toletanus, vir elato atque vehementi ingenio: sive (ut quidam habent) ad nobilitatis arrogantiam specie pietatis coërcendam; sive, ut plures, solo animo præservandi civitatem & regnum à corruptione hæresis, quæ ubique grassabatur, & aliqua semina Neapoli jecerat; Iudicium Inquisitionis in regnum introducere voluerit, quod jam olim S. Dominici tempore adversus hæreticos Albigenses in Galliâ institutum, & per diversas regiones contra quoscumque devios à fide, aut pravè de religione ritibúsque atque institutis Ecclesiæ sentientes, proseminatum, (ut suis locis vidimus) fuerat etiam in Hispaniâ severiùs constitutum à Ferdinando & Isabellâ Regibus, post ejectos Mauros & Iudæos, ut eorum superstitionis reliquias extinguerent. Quòd verò multis locis à nonnullis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus sævius quàm par esset, atque etiam non raró contra innocentes a malevolis delatos, illud exerceri diceretur, ut non tam pietatis tuendæ causâ, quàm ut eversis fortunis periculum liberis capitibus crearetur, inventum plurimi conquererentur: ideò nec ipse Ferdinandus, cùm post illa Neapolim petiisset, ut in id regnum induceretur obtinere potuisset; & Inquisitores tunc illuc missi, à Neapolitanis malè accepti, ac postremò regno ejecti fuêre. Rem verò jam, rogatu Inquisitorum Romanæ Ecclesiæ, in quibus erat Ioannes Cardinalis Compostellanus Proregis frater, urgente eodem prorege; tantus repentè tumultus excitatus est, ut post multa consilia desuper habita, Proregi quoque intentatum periculum fuerit: non quidem recusantibus Neapolitanis, quin in hæreticos & suspectos inquireretur; sed petentibus ut ex antiquâ Ecclesiæ disciplinâ id fieret. Quorum obstinatum animum Prorex perpendens, nequid tristius contingeret, coactus est fidem dare de Inquisitionis mentione numquam deinceps repetendâ: tantâ populi gratulatione, ut ignibus per tres dies & facibus accensis lætitiam celebrârint. Verùm renovatâ pòst dissensione; etiam ad multam cædem ea utrimque prorupit, accitis quoque externis auxiliis, & displosis ex arcibus contra cives tormentis. Donec missis ab utrâque parte ad Cæsarem legatis, venit ab eo decretum, quo Inquisitionis mentione tacitâ, cives ab armis discedere jussi sunt, & obedientiam Proregi præstare. Cui decreto cum obtemperatum esset, armis etiam in Proregis manus consignatis; 12. Augusti oblivio præteritorum & venia à Cæsare concessa promulgata est; exéptis gratiæ nonnullis, qui posteà restituti sunt, & mulctâ civitati centum millium aureorum irrogatâ, quæ etiam remissa est. Quam rem multi [q] descripsêre; nemo elegantiùs Vberto Folietâ, qui proprio commentario eam prosecutus est.

[q] *Mambrin. Hist. Neap. lib. 4. cum Supplem. Costi. Vloa Vit. Car. V. lib. 4. Thuan. lib. 3. Natal. lib. 2. & 3. & alij.*

XVI. MORS HENRICI VIII. REG. ANGLIÆ.

Ad quintum Calend. Februarij mortuus est *Henricus VIII.* Rex Angliæ, ex febre ab inflammatione virulenti in crure herpetis contractâ; ingravescente ætate multi succi abdomine adeò gravis & iners factus, sanguine in pinguedinem verso, ut vix per ostia ingredi, ac neque scalas posset conscendere, sed in cathedrâ positus machinis in superiora ædium subveheretur. Decessit autem anno ætatis quinquagesimo septimo, regni trigesimo septimo, mense nono, die sexto: inter magnos & gloriosos Principes sui sæculi meritò connumerandus, si quo cœperat pede ambulâsset usque ad terminum. Quo nec semel indutam immanitatem exuere valens, paulò ante mortem Thomam Hawardum Norfolciæ Ducem senio ferè confectum, cujus operâ in causâ contra Pontificem usus fuerat, necnon in omnibus bellis ac Reipublicæ negotiis, levi suspicione perpetuis carceribus addixit: ejúsque filium Surriæ Comitem, virum præstantiâ singulari, cujus virtus extremis contra Gallos bellis perspecta fuerat, securi percussit: utrumque fide Catholicum, & ut creditur hæreticorum astutiâ falsò accusatum. Sunt [r] qui numerent, religionis causâ, & suî primatûs, impuritatísque tuendæ ergô, necatos ab eo fuisse, confictis tamen aliis plerumque criminibus, duos Cardinales, tres Archiepiscopos, octodecim Episcopos, tredecim Abbates; Priores, monachos, & Sacerdotes quingentos, Decanos triginta, Archidiaconos quatuordecim, Canonicos sexaginta, sacræ Theologiæ Doctores supra quinquaginta; Duces, Marchiones,

[r] *David. Camer. Scot. lib. 4. cap. 1.*

LANIENA HENRICIANA.

Comites, eorúmque filios duodecim, Barones & Equites viginti novem, inferioris conditionis nobiles trecentos triginta sex; ex civibus & similibus, centum viginti quatuor; ex feminis conditionis, centum & decem.

XVII. [s] Sander. de Schism. lib. 1. COGITAVIT RECONCILIARI ECCLESIÆ.

Dicitur [s], cùm ægritudine premeretur, nec convalescere speraret, cum nonnullis Episcopis privatim agere cœpisse de ratione, qua Sedi Apostolicæ reconciliari posset: verùm eos veritos probandi tantùm causâ hæc ipsum effari, ut posteà eos perderet, sicuti alios quamplurimos fecernet, qui ejus primatum Ecclesiæ approbare renuerent; neminem ausum esse sui pectoris sensa pandere. Solum Stephanum Gardinerum Episcopum Wintoniensem, egregium fidei Catholicæ athletam, seorsùm ei suasisse, ut si fieri posset regni ordinibus convocatis, rem tanti ponderis cum eis communicaret: sin tempus non daretur, saltem animi sui sententiam scripto proderet: Deum solo cordis voto contentum esse, quando res aliter expediri non potest. Sed cum is semel discessisset, adfuisse mox ingentem parasitorum turbam, qui veriti ne si obedientia Romano Pontifici redderetur, ipsi bonis ecclesiasticis exciderent, omninò persuaserunt ne ejusmodi scrupulum in animum irrepere pateretur. Paucis ante obitum diebus jussit aperiri & purgari ecclesiam Fratrum S. Francisci, quæ post eversionem monasterij clausa remanserat: voluítque in eâ Missam celebrari, eámque parochialem fieri, cùm hâc inscriptione, *Ecclesia Christi, ab Henrico Octavo Angliæ Rege fundata.* Nec præter schisma, libidinis & luxuriæ causâ factum; & monasticarum religionum oppugnationem, ad rapienda earum bona; vix in aliquo à doctrinâ Catholicâ recessit. Quare & Episcopos ferè bonos & doctos schismatis tempore nominavit; (impius Cranmerus Cantuariensis ad hoc factus fuerat, ut in divortij negotio illius libidini subserviret:) adeò ut plerique eorum posteà sub Eduardo & Elisabethâ ob Catholicæ fidei confessionem carceres & vincula subierint. Idémque ipse Rex, cùm paulò ante mortem sub unicâ specie (quod semper observaverat) communicaturus, de cathedrâ in quâ sedebat assurgeret ut genibus in terram defixis Christi Corpus sacrum adoraret, suadentibus Zuinglianis qui adstabant, ut in eâ imbecillitate sedens illud perciperet; respondit, si se non modò usque ad terram dejiceret, sed & sub ipsam demitteret, ne sic quidem satis honoris ei sanctissimo Sacramento delaturum sibi videri.

VLTIMA SUMPTIO EUCHARISTIÆ.

XVIII. DISPONIT DE SUCCESSORIBUS.

Cùm propter implicatissimas tot uxorum rationes, regni successio non parùm dubia redderetur; regni Ordines ei permiserant ut adhibitis in consilium viris prudentibus, statueret quid cuique in eâ re juris esset, séque ratum habituros quicquid testamento præscripsisset. Itaque Eduardum filium ex Ioannâ Seimerâ, nonum tunc annum ætatis supergressum, primas regnandi vices accipere jussit: secundas Mariam, ex Catharinâ repudiata susceptam, quam olim abjecerat; tertias Elisabetham, ex Annâ Bolenâ, quam ob adulterium capite plexerat: his deficientibus ad illos transiret successio, ad quos jure communi pertineret. Impuberi verò filio sedecim constituit tutores & curatores pari potestate, omnes ferè Catholicos: mandavítque ut in fide Catholicâ educaretur, excepto Primatûs titulo, quem retinere voluit, & ut regnum ab hæresibus purgatum teneretur. Verùm cùm in iis sedecim esset Eduardus Herfordiæ Comes, frater Seimeræ, Eduardíque pueri avunculus, paulò pòst factus Dux Sommersetensis, hæresi Zuinglianâ infectus; eîque à reliquis, ob Regis propinquitatem, ut spontè offerentibus, aut non contradicentibus, (excepto tamen Thomâ Vrislæo viro apprimè Catholico, quem Henricus moriens summum regni Cancellarium reliquerat, qui palàm, sed nequicquàm, se opposuit) delatum esset, ut solus Regis tutor, Regníque Protector, & esset & vocaretur: Is confestim ac summam potestatem adeptus est, coronato pupillo Rege *Eduardo* ejus nominis Sexto, nihil potius habuit, quam ut corrupto tenero ipsius animo, & à cultu religionis Catholicæ facilè averso, suam hæresim instillaret; & pro auctoritate regiâ atque Primatiali, fidem Catholicam perverteret, atque ex Angliâ & Hiberniâ eliminaret: præcipuo tanti operis administro Thomâ Cranmero perditissimo Archiepiscopo Cantuariensi; qui [t] cùm sub Henrico ne hiscere quidem adversus doctrinam Ecclesiæ ausus fuisset, post ejus mortem fenestram apertam habens ad quodvis scelus, decreto Comitiorum regni mense Novembri celebratorum curavit sacrificium Missæ aboleri, prædicationes Catholicorum interdici, sacras Imagines ex templis deturbari, Scripturam linguâ vernaculâ omnibus indiscriminatim permitti, clericis conjugia concedi; ab Vniversitatibus Doctores Catholicos pelli, & hæreticos aliunde, ac præcipuè, ex Germaniâ evocatos, eorum loco intrudi: Adeò ut ne ad impietatem quicquam in hoc genere deesset, petulantes juvenes Scriptorum Doctorum Scholasticorum, Lombardi, Aquinatis, Scoti, ceterorúmque, de barbarie, ignorantiâ, ac deceptione damnatorum, tamquam jam recèns mortuorum, ingentem conquisitam struem, in ludicro spectaculo per urbem in feretro circumtulerint, ac demum in foro cum cantibus lugubribus concremârint.

EDUARDUS VI. REX ANGLIÆ.

[t] Sand. lib. 2.

RELIGIO CATHOL. ELIMINATUR.

XIX. EPISCOPORUM MOLLITIES.

Ad quas novitates ingemiscentes quidem Episcopi Catholici, & utcumque se opponentes, Stephanus Wintoniensis, Edmundus Londinensis, Cuthbertus Dunelmensis, Nicolaus Vigorniensis, & Georgius Cicestrensis, omnes doctrinâ & gravitate præstantes; quòd tamen in Schismate Henriciano, regio non Pontificio mandato aut assensu, facti Episcopi essent, non eo præditi fortitudinis spiritu, qui in unitate Ecclesiæ ritè ordinatis tribui consuevit; timidè resistentes, simpliciter subscripserunt innovationibus, quas non existimabant continere apertam hæresim, ne Episcopatus ac honores perderent. Cujus criminis gravissimas posteà pœnas luerunt, ut videbitur suo loco. Sola Maria Princeps constantiam matris secuta, nullis potuit umquam aut Protectoris, aut ceterorũ precibus vel comminationibus induci, ut oratorium suum, quod domi habebat, vel claudi, vel sacrum Missæ

officium in Cœnam Calvinianam mutari, vel saltem ut secretò illud & non palàm fieri permitteret: in quam non ausi sunt aliquid duriùs statuere, ob proximitatem sanguinis & successionis; quæ & semper sacram Eucharistiam, honestissimo loco & sacratissimo apparatu conservatam, prope se habuit, ad quam indesinenter orabat.

XX. Hugo Latimerus corrumpit Angl.

Inter domesticos autem præcones hæresis, enituit potissimùm *Hugo Latimerus* ex Comitatu Leicestrensi ortus, quem priùs Henricus Rex propter suspicionem hæreticæ impietatis de Wigorniensi Episcopatu deturbaverat. Eo verò mortuo, ex publicis pulpitis impurum os aperiens, jocis suis ac saltibus, quibus histrionem potiùs agebat quàm concionatorem, ita vulgus imperitum dementavit, ut passim eum pro primo Angliæ Apostolo commendârint. Adeò ut etiam longè ipso impurior Balæus [u] in suâ Scriptorum Anglicorum farragine, eum multò digniorem ex sanâ prædicatione, (ut loquitur) & vehementi vitiorum reprehensione; Anglorum Apostolum dici, quàm Augustinum illum Romanum Cantuariensem primum Archiepiscopum à Gregorio Magno missum, impudenter effutire non erubuerit.

[u] Bal. cent. 8. cap. 85.

XXI. Petrus Vermil. Martyr vocatur in Angl.

Foris verò evocatus *Petrus Vermilius*, qui se *Martyrem* dixit, ad finem Novembris in Angliam venit, & Oxoniensi primariæ Academiæ sacris scriptis interpretandis præfectus est. Is [x] Florentiæ honestâ familiâ natus, & in monasterio Fesulano Florentiæ proximo Canonicorum regularium S. Augustini ab ineunte adolescentiâ educatus & adscriptus; Patavij deinde Græcæ linguæ & Philosophiæ, Bononiæ Hebraicæ & Theologiæ diligentem operam navavit; atque in præcipuis Italiæ urbibus concionibus magno auditorum applausu habitis, velut illius Ordinis sodalium princeps æstimatus est. Neapoli nactus nonnulla Erasmi, Zuinglij, & Buceri scripta, & conversatione *Ioannis Valdesij* Iurisperiti, hominis Hispani, ex Germaniâ illuc delati, atque Lutheranismo imbuti, corruptior factus; unà cum ipso spiritu & conatu rem agens, clàm cœtum quemdam tam virorum quam feminarum primæ etiam nobilitatis collegerunt, quibus ipse concionabatur. (Vides semina, ad quæ eradicanda Prorex voluit Inquisitionem inducere.) Re in vulgus emanante, accusatus Romæ Vermilius, sed amicorum operâ servatus. Lucámque profectus ad prædicti sui Ordinis monasterium; socios apostasiæ & impietatis habuit, *Emanuelem Tremelium* Ferrariæ patre Iudæo natum, sed professione Christianum, qui literas Hebraicas; *Celsum* ex illustri *Martinengorum* familiâ, qui Græcas & *Paulum Lasicium* Veronensem, qui Latinas doceret; ac denique *Hieronymum Zanchium* Bergomatem ex Alzanâ loco Vallis Serianæ, ejusdem Ordinis monachum. A quibus omnibus corruptâ mirum in modum eâ civitate, multa inde hæreticorum examina ad Zuinglianos & Calvinianos diversis temporibus in Helvetiam & Genevam evolârunt. Martyr verò, cùm Paulus Pontifex à colloquio Buxeti [y] cum Cæsare habito rediens Lucâ iter habiturus esset; sibi timens (non enim nisi nomine spirituum martyrij induerat) unà cum sociis Italiam deserens, Tigurum Helvetiorum primùm, deinde Basileam; & nulli earum civitatum acceptus, denique procurante Bucero Argentinam migravit, atque ibi publicè docuit; & juvenculam quamdam monialem nomine Catharinam, quæ vota religionis sacrâ reformatione solverat, sibi duplici incesto copulavit. Indéque postremò in Angliam evocatus, eò accessit unà cum suâ conthorale; & magno apud hæreticos nomine floruit, omnibus ferè, uno excepto à Calvinianis ipsorum fundatore Calvino, doctrinâ, eloquentiâ, & ingenij acumine præpositus: quantumvis eum aliquamdiù valdè dubium fuisse in doctrinâ Eucharistiæ, Sanderus [z] qui illum Oxoniæ docentem audivit, testetur; quem tandem constat censuisse unà cum Oecolampadio, eam non nisi figuram & signum corporis Christi esse; negantem Deum facere posse ut unum corpus sit in pluribus locis. Qui & insuper, quòd alij Zuingliani Christum ad discipulos in octavâ Paschæ ingredientem induxerunt per rimam, & honorificentiùs Calvinus integras fores ei aperuit, iste per fenestram introduxit, ut verum sit quod habet Evangelium, Christum clausis ostiis ad suos esse ingressum: quem & alij per fumarium descendisse scripserunt; ita ineptis inventionibus fecundi. Atque de Vermilio modò hactenùs: quæ verò sunt ejus reliqua, dicentur suis locis.

[x] Bez. in Icon. Thuan. lit 3. Flor. lib. 3 cap. 5.

[y] Supr. an. 1543. I.

[z] Sand. lib. 2.

Ejus de Eucharistia opinio.

XXII. De Bernardino Ochino.

Discedenti ei ex Italiâ comes adhæsit *Bernardinus Ochinus* Senensis, magni nominis & ipse concionator; ex Minore Observante, factus Ordinis Capucinorum, non auctor, ut hæretici credi voluerunt, quasi in opprobrium Ordinis, sed aliquot annis cultor, atque etiam Generalis, ac denique desertor, ut aliàs [a] ostendimus. Qui cùm in Ordine asperrimam vitam profiteretur, & mirabili fervore Evangelium prædicaret; ab eodem Valdesio, à quo Vermilius, Neapoli in transversum actus est, plenum pectus gerens & impiæ doctrinæ, & ambitiosissimi fastûs, multorum animos per diversas Italiæ civitates subdolis suis concionibus publicis, & privatis colloquiis labefactaverat. Adeò ut qui tumultus Neapolitanos, de quibus nuper egimus, diligentiùs descripsit Thomas Costus [b] civis Neapolitanus, eos seminatis ab impio Ochino, dum ante aliquot annos publicè concionaretur in ecclesiâ metropolitanâ, falsis dogmatibus attribuat; quibus à mentibus & linguis hominum iis infectorum resecandis, Prorex Inquisitionis remedium afferre voluerit. Detectus postremò qualis esset, vocatúsque Romam à Pontifice, suasu [c] Vermilij sibi amicissimi, metu pœnæ ex Italiâ eodem quo ille tempore profugit; secum etiam scortum ducens, cum quo, ut fidem faceret susceptæ reformationis, publicè nuptias contraxit. Genevam appulsus, apologiam de fugâ suâ ad Pontificem scripsit, maledicentiis & calumniis in Sedem Apostolicam; & Ecclesiam Catholicam Rom. refertissimam. Cujus apostasiâ adeò animus Pontificis perculsus est, ut de extinguendo universo Ordine tractaverit; víxque placari potuerit cognitâ Ordinis innocentiâ. Contra Ochini verò Apologiam nonnulli stylum acueruht. Inter quos

[a] Supr. an. 1525. XXVII.

[b] Supplem. ad Mambrin. lib. 4.

[c] Annal. Cappucin. an. 1542.

Ioannes Petrus Caraffa Cardinalis Theatinus, qui deinde fuit Paulus Papa IV. parænenticam egregiam scripsit epistolam, quam Ioannes Baptista Acerrarum Episcopus Historiæ Theatinorum inseruit Genevæ Calvino familiaris factus, parùm tamen sibi ejus doctrinâ probatâ, magis inhæsit Servetianæ Trinitariæ & Arianæ. Sed cùm non auderet eam ibi profiteri, ubi Servetus illam igne luisset; sive spontè, sive ut quidam habent, à Calvino pulsus, Tigurum petiit: indéque pariter paulò pòst ejectus; itidémque Basileâ; unà cum Martyre in Angliam concessit: ac sub Mariâ Reginâ Catholicâ inde egressus, in Germaniam, ac denique in Poloniam & Transilvaniam migravit: ibíque tum Dialogum scripsit contra sectam Terrenorum deorum, quo nomine ministros Genevenses & Helveticos designavit; tum alios longè pestilentissimos & atheismis plenissimos edidit, quibus non solùm polygamiam propugnabat, verùm etiam sacras Scripturas, Christi divinitatem, sanctam Trinitatem, denique & omnem deitatem oppugnabat: ita se iis gerens, ut quamvis omnia Catholica dogmata defendere præseferret, demùm se tamen adversarij argumentis victum profiteretur. Quem proptereà pia admodùm atque egregiè exagitavit Hosius Cardinalis Varmiensis in suo de adorandâ Trinitate judicio & censurâ. Denique hunc hominem appositè nonnemo ad hoc natum dixit, ne solus Servetus omnium impurissimus teterrimúsque hæreticus videretur. Eum tamen immensâ Dei benignitate ante mortem resipuisse, & hæreses abjurâsse, ac peccata ritu Catholico confessum esse, denique verè pœnitentem obiisse, Annales [d] Capucinorum multis diversorum testimoniis affirmant. Confirmaréque videtur quod Beza [e] ait, ipsum in fine se ostendisse iniquum hypocritam: quem nihilominùs miserabiliter in Poloniâ periisse tradit.

Ejus impietates. — *Pœnitet.*

[d] *Ibid. an. 1543.*
[e] *Bez. in Icon. in Pet. Mart.*

XXIII. Francisci Regis Galliæ obitus.

Mortis Henrici Angli nuncius ad Franciscum Galliæ Regem perlatus, summo affecit eum dolore, quòd amicitiam nuper cum eo contractam arctiore vinculo firmare cuperet, & quod cùm pauculis tantùm annis eo junior esset illius morte instantis fati admoneretur. Quare (ut Bellaius observat, qui cum ejus obitu suam Historiam diligentissimè & fidelissimè scriptam terminat) ab eo tempore abjectâ pristinâ hilaritate, subtristi vultu & mente ad mortem usque perseveravit. Natum ei erat circa sedem inter anum & vesicam, ex nimiâ equestri jactatione, malignum & incurabile ulcus, jam ex illo tempore quo Carolus Cæsar in Belgium tendens per Galliam iter habuit quod serpendo ad vesicæ penetralia pervaserat. Vnde cum ex inveterato malo lentâ febre tentaretur, Rambulieti, quod abest Lutetiâ unius diei itinere, eâ ita oppressus est, ut paulò pòst decesserit; pridiè videlicèt Calendas Aprilis; piè tamen receptis omnibus Ecclesiæ sacramentis; cum vixisset annos quinquaginta duos, menses sex, dies novemdecim; regnâsset annos triginta duos, menses tres. Inter cujus laudes, quæ ex iis quæ pluribus locis de eo diximus intelligi possunt, meritò hæc primum locum obtinet, quod literas & literatos impensè dilexerit: Vt cùm ceteri Principes ambitiosis aliunde conquisitis titulis vanam gloriam aucupentur, ipse [f] Parens Literarum appellari meruerit: qui circa se doctos homines semper habens, quos dum cibum caperet de rebus pulcherrimis disserentes avidissimè audiebat; præcipuè in naturalis historiæ, quâ plurimùm delectabatur, cognitione adeò profecit, ut quamvis à pueritiâ nullis literis imbutus, quicquid de animalibus, plantis, metallis, gemmis ab antiquis & recentibus scriptoribus memoriæ proditum est, & meminisset & aptè edissereret. Bibliothecam quoque, missis per Italiam, Græciam, atque Asiam, qui undiquaque libros conquirerent & describerent ingentibus sumptibus ad Fontisbellaquæ ædes magnificentissimè à se constructas, extruxit. Habuisséque dicitur in animo, Professorum à se institutorum numerum augere; gymnasiúmque amplissimum ædificare, in quo prælectiones fierent, & ipsi professores cum sexcentis pueris & adolescentibus ac magistris publico sumptu alerentur cum assignatione quiquaginta millium aureorum annuorum: sed mors hæc eum deliberantem oppressit. Quem nemo est ex cunctis scriptoribus illius temporis, qui non summis præconiis evehat. Iovius [g] neminem Regum ait candore animi, clementiâ, ac pietate anteîsse: summâque in eum naturæ aspirantis dona, superos adeò cumulatè contulisse, ut certo insignium virtutum concursu, haud dubiè felix potuisset existimari, nisi eum tractantem arma Fortuna Caroli Cæsaris ex professo tantis belli pacisque artibus adversa, sæpissimè fefellisset. In quem cecinit etiam Ioannes Bellaius Cardinalis Parisiensis hos versiculos.

Parens literarum dictus.

[f] *Vid. sup. an. 1531. IV. Sleid. lib. 19. Thuan. lib. 3.*
[g] *Iov. Elog. lib. 6.*

Gratia, forma, decus, probitas, facundia, candor,
Religio, Charitum spes, amor Aonidum,
Ingenij atque animi vis admirablis, uno
Cuncta hac tumulo, Rege jacente, jacent.
Fortuna est quicquam si defuit: &c.

XXIV. Fortuna ei defuit.

Sed quod de Fortunæ in eum malignitate tam isti quàm alij omnes conqueruntur; sit magis hic defectus in ejus laudem; aut certè ferendus æquiùs, quòd certum sit perraram esse fortunæ cum virtute conjunctionem. Et ut scribit Massonus, (in ejus obitu Historiam suam de Regibus, Francorum claudens,) Fortuna, quæ perenne studium in Carolum extenderat, concursum insignium virtutum Francisco eripere non potuit: quin candore animi, clementiâ, & pietate, præaltóque ingenij lumine, & expeditâ maximéque tenaci memoriâ ceteros Reges facilè superaverit. In cujus denique œconomiâ mirandum, quòd cùm semper splendidissimè vixerit, magnis ac damnosis continuè bellis totâ vitâ implicatus fuerit, tot regiâ magnificentiâ palatia extruxerit quæ per Galliam visuntur, tot res ingentis pretij (putâ præter librorum immensam copiam, tabularum, auleorúmque ab excellentissimis artificibus pictorum, tapetum, & regiæ supellectilis, atque adeò immodicæ æstimationis gemmarum) quod in thesauro ac penu sequentium Regum conspectæ sunt, comparaverit; post omnia, ære alieno omni exoluto, adhuc quater centena aureorum millia, & quartam regni vectigalium partem nondum coactam in morte reliquerit. Admiratio-

Ejus oeconomia.

némque auget, (ut sunt qui prudenter observant) quòd cùm minora multò tributa tunc essent, & sumptus necessarij multò majores quàm posteà fuerunt, in magnâ tamen opulentiâ res tunc essent; ac posteà auctis vectigalibus, & novis additis, quotidie novo alieno ære contracto, in summâ inopiâ Reges constituti sint, ut fidem ministrorum illius temporis laudare, & contrà eorum qui posteà fuerunt avaritiam & rapinas accusare necesse sit. Idem tamen de populi solatio curam gerens inter sancta ac perutilia monita [h] quæ Henrico filio, qui de tribus solus ei supervixit, dedit; post divini cultûs ac fide Catholicæ tuitionem diligentissimè commendatam, præcepit ut populum tributis à se propter belli sumptus impositis levaret: ac multis verbis Claudij Annebaldi maris præfecti fidem & virtutem commendavit, quod ab omni avaritiâ alieno esset animo, & privatarum rerum curâ omissâ, in solam regni curam incumberet: itaque & ei testamento centum millia librarum legavit, liberali, ut tunc erant tempora, sed honorifico magis elogio.

[h] Vid. Bellefor. lib.6. cap.65. Parad. lib.4. cap.7.

XXV. HENRIC. II. PATRI SUCCEDIT IN REGNO.

At vero *Henricus* patri succedens, ejus nominis Rex Secundus, magnitudine animi, & rei militaris peritiâ insignis, nec pietate minor, eodem die quo natus fuerat octo & viginti antè annis, nempè ultima Martij 1518. ubi regnum capessivit confestim Annæum Monmorantium in aulam evocans, quem Franciscus ante sexennium, ut vidimus, domum relegaverat, & ne reduceretur filium rogaverat, aliósque pariter sibi clariores in negotiorum administrationem inducens; contra præceptum paternum, exegit Annebaldum, & Cardinalem Turnonium, præcipuos negotiorum publicorum atque prudentissimos sub patre moderatores: ceterósque penè omnes ministros mutavit, non tam miti & moderato ingenio suo utens, quàm alieno: (adeò non ut regeret, sed ut regeretur natus videbatur:) Monmorantij videlicèt, qui ex ratione munerum Connestabilis regni, & Majoris domûs regiæ, quæ gerebat, omnia negotia administrabat, necnon qui proximum dignitatis gradum obtinuerunt, Francisci Lotharingij Aumalij, & Caroli ejus fratris Archiepiscopi Rhemensis & Cardinalis raræ indolis ac virtutis tunc juvenum; atque etiam Iacobi Alboni Santadreani Marescalli Franciæ: sed præcipuè Dianæ Pictaviensis, quæ illustri loco nata, amisso viro Ludovico Brezeo magno Normanniæ Senescallo; cùm jam inclinata esset ætate, philtris & magicis artibus ut à multis creditum est, ita sibi animum Henrici etiam vivente patre devinxerat, ut numquam alienatâ voluntate ad exitum usque vitæ in amore illo constanter perseveraverit, adeò ut ejus feminæ arbitrio omnia regerentur; & Monmorantius ipse, ut auctoritatem & potentiam, quam apud Regem obtinebat, qui eum Compatrem familiariter appellabat, incolumem tueretur, ei morem gerere, & prudentiam ad turpe obsequium flectere satageret. Vnus propemodùm *Franciscus Olivarius* Cancellarius, ingenio, prudentiâ, eruditione, & integritate suâ tutus, cùm æmulum nondum haberet, ex præcipuis Francisci ministris in comitatu Henrici aliquamdiu remansit; &

EJUS PRÆCIPUI MINISTRI.

FRANCISCI OLIVARII CANCELLARII LAUS.

dum ceteri ferè rebus privatis intenti erant pro regni dignitate & publicâ utilitate excubans, multas pro tempore leges salubres promulgavit. In quibus quod religionem spectat gravissimis pœnis suppositi fuêre qui temerè numen diuinum, & Beatissimæ Virginis, ac Sanctorum dejerarent: Vetitúmque, ne ulli ex Germaniâ & aliis locis suspecti libri importati, sine Scholæ Theologicæ Parisiensis censurâ venum Lutetiæ exponerentur, aut typis denuò excuderentur.

XXVI.

Peractis de more Francisci funeris [i] longis solemnibus, corpus ejus decimo Calendas Iunij in Ecclesiâ S. Dionysij, monumento majorum, unà cum Francisci & Caroli filiorum corporibus quæ adhuc extabant, conditum est: orationémque funebrem habuit Petrus Castellanus Episcopus Matisconensis, de quo suprà [k]; quâ res gestas, & laudes ac virtutes defuncti celebravit: præsentibus inter alios proceres, Cardinalibus undecim Gallis, præter Legatum Pontificium, aliísque Prælatis quadraginta. Abundabat enim tunc Gallia Cardinalibus: quorum maximam partem novi regni moderatores, ut latiùs in aulâ versarentur, Romam ablegandos censuerunt: colore tamen quæsito, ut Pontificem erga Gallos benè affectum assiduitate suâ arctiùs devincirent; & si quid humanitùs ei accideret, cùm esset jam octogenarius, darent operam ut aliquis crearetur qui non esset à Gallis alienus. Profecti sunt igitur septem Romam. Quos non ita pòst secutus est Carolus Guisius Lotharingius, (factus sexto Calendas Augusti Cardinalis, unà cum Carolo Borbonio) qui Paulo Pontifici regio nomine observantiam atque obedientiam offerret. Cùm jam antè misisset Pontifex legatum in Galliam, Hieronymum Cardinalem Capiferreum Romanum Diaconum tituli S. Georgij in Velabro, specie ut illius regni Antistites mitti à Rege Bononiam ad Concilium peteret; re ut de Dianâ ipsius filiâ nothâ novenni, Horatio nepoti, Petri Aloisij filio, desponsatâ gratias ageret, & ut illum ad Cæsaris vires nimiùm se se efferentes frangendas, arctioris fœderis vinculo inter se ineundo incitaret. Quòd Rex neque tunc abnuit, neque se valdè desiderare ostendit; sive quòd ætati Pontificis diffideret; sive quòd non tutum existimaret statim initio regni Imperatori hactenùs victori, & in dies crescente potentiâ formidando, offensionis causam temerè præbere. Qui postmodùm Rhemis de more sacris cæremoniis inauguratus est sexto Calendas Augusti. Fuêréque regni ejus initia infausta in singulari certamine, quod ipse inter duos ex præcipuâ nobilitate juvenes, Vidum Cabotium Iarnacium & Franciscum Vivonum Castaneum, ob quamdam exortam inter eos contentionem, publicè ipsomet spectante, fieri permisit apud sanctum Germanum; quo præter plerorumque opinionem, ipsiúsque Regis desiderium qui Castaneo favebat, Iarnacius victor extitit, mortuo ex vulnere in poplite accepto adversario. Ex quo Rex tantum cepit dolorem, ut se numquam imposterùm in duella consensurum religiosissimo sacramento obstrinxerit. Hæc autem regni funesta principia in funestum exiisse finem, à multis

[i] Funeris pompa tunc in Acta relata edita fuit in Carem. Gall. Theodoric. Godofr.

FUNUS REGIUM.

[k] Supr. an. 1545. I.

MAGNUS CARDINALIUM NUMERUS IN GALL.

DUELLUM A REGE PERMISSUM.

observatum est; Rege ipso, qui in serium certamen consenserat, quod minimè debuit, in ludicro certamine inter plausus & publicam lætitiam posteà occiso.

XXVII. OBITUS CARDIN. BEMBI.

Ceterùm Parente literarum Francisco Rege ex hoc mundo abeunte comitati sunt eum multi viri literati; præeuntibus nonnullis, aliisque subsequentibus, ut fit in obsequio & comitatu Principum. In primis fuit *Petrus Bembus* Cardinalis, patritius Venetus, & Ordinis Hospitalariorum primùm Miles, de quo sæpè facta mentio superiùs, ac præcipuè sub Leone X. cui fuit ab epistolis, vir multæ eruditionis, nec minoris virtutis; cujus Vitam Sansovinus Italicè, Ioannes Casa Latinè uberiùs scripsêre: qui verò Additiones ad Ciacconium & Cabreram de Vitis Pontificum & Cardinalium apposuerunt, pleraque ab eo digniora in unum collegerunt, unà cum scriptorum ejus indice. Cùm equo fortè Romæ veheretur, latere in ostio ad parietem offenso vulnus accepit, ex quo homo senex ac debilis in febriculam incidens, obiit piè decimoquinto Calendas Februarij anno ætatis septuagesimo septimo

ET SADOLETI.

Iacobus Sadoletus Cardinalis item gravissimus, multæque sapientiæ, pietatis, & doctrinæ literarum humaniorum ac Theologicarum, patriâ Mutinensis, Episcopus Carpentoratensis, de quo pariter frequenter actum, qui Bembo socius in munere epistolario apud Leonem fuerat, ob prudentiam & sermonis elegantiam: mense Octobri summâ cum religione diem Romæ obiit anno ætatis septuagesimo. cujus extat Vita ab Antonio Florebello ejus familiari scripta, præfixa volumini ejus Epistolarum. Sed qui vel solas eas Epistolas ex omnibus Sadoleti scriptis legerit, profectò eum longè majorem illius laudibus existimabit: ita ubique prudentiam, integritatem, constantiam, eruditionem, & quicquid in summo philosopho Christiano desiderari possit, spirant. In quarum [l] unà ad Cardinalem Toletanum scripta anno 1545. omnem ipsius vitæ rationem luculenter explicatam legas. Reliqua verò ejus scripta, & laborum pro Republicâ Christianâ exantlatorum summam, iidem Additionarij lectoribus suggerunt.

[l] *Sadol. 15. ep. 8.*

XXVIII. ITEM VATABLI.

Franciscus quoque *Vatablus* in Ambianis natus, trium linguarum peritissimus, sed præsertim adeò Hebraïcæ, ut Hebræi ipsi Lutetiæ eum publicè regio stipendio profitentem admirarentur; ex vivis excessit decimoseptimo Calendas Aprilis. Qui cùm nihil de sacris literis, quibus se addixerat, scripserit, sive naturali pigritiâ (quod ei exprobratum fuit) sive morte præventus; multa nihilominùs ejus generis ipsius nomine circumferuntur; ac Notationes in Vetus Testamentum ab auditoribus ex illius prælegentis ore exceptæ: quas tamen corruptas posteà fuisse constat. Sicuti & ejus nomine nova Bibliorum versio condita [m] est, Genevensibus multis in locis impurior & indoctior; quam nec Vatablus agnovit, nec qui leviter linguis tincti sunt probant: Beza [n] verò Leoni Iudæ Helvetio, Zuinglij hæresiarchæ olim Tiguri socio attribuit. De quâ editione Vatabli nomine, à Roberto Stephano Typographo Regio concinnatâ, idem Robertus à Vatablo viro verè Catholico falsi postulatus; cùm aliàs quoque detectus fuisset malè de fide sentire, Genevam sontium receptatricem profugit, surreptis secum regiis characteribus; adulterinos alios partus viris bonis & doctis suppositurus, vel genuinos ritu loci corrupturus. Quare Lutetiæ stramineo simulacro ustulatus est, quòd vivus capi non potuerit. Cujus etiam protectionis occasione, à se aliquando susceptæ, Petrum Castellanum, quem nuper diximus Episcopum Matisconensem, malè apud Theologos audisse tradunt. Eodem verò die quo Vatablus, mortuus est etiam *Iacobus Thusanus* Rhemensis, Græcarum literarum in Academiâ Parisiensi doctissimus regius professor; cùm eodem quo Vatablus die in regiorum Professorum collegium cooptatus fuisset. *Beatus* quoque *Rhenanus* Selstadiensis qui bonos auctores commentariis utilissimis illustravit, mortuus est vigesimo Maij Argentinæ anno ætatis sexagesimo tertio. Et vigesimo octavo Decembris *Conradus Pentingerus* Iurisconsultus, patritius Augustanus, ætatis anno octogesimo secundo: cujus extat Tabula Pentingeriana, à M. Velsero posteà edita, doctisque probata.

[m] *Genebr. Chronol. lib. 4. in Paul. III. & præf. in Orig.*
[n] *Bez. in Icon.*

ROBERTUS STEPHANUS FUGA SUPPLICIUM ANTEVERTIT.

XXXIX. MORS BARBAROSSÆ.

Et inter vires militares magni nominis, de quibus actum est his Annalibus, obiit quoque hoc anno die quarto Iulij Constantinopoli, *Hariadenus Barbarossa* Mitylenæus, Algeriæ Rex, & præfectus mari Turcico; cùm licet jam octogenarius, operam daret reficiendæ classi & ædificandis novis apud navalia triremibus. Cui in regno successit Aiane ejus filius, jam antè ei à patre præfectus. Die verò secundâ Decembris Castellejæ *Ferdinandus Cortesius* Mexicanæ provinciæ domitor, simul & Novæ Hispaniæ fundator, ætatis anno sexagesimo tertio.

ET CORTESII.

Cujus occasione adjungimus, Pontificem Cæsare petente cunctas cathedrales Ecclesias Orbis Novi & Indiarum Occidentalium, disjunxisse à provinciâ metropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis, cui suberant, Archiepiscopo Hispalensi consentiente; urbésque magnas illarum regionum, Mexicanam, S. Dominici, & Regum, metropolitanas constituisse, cum subjectione multarum cathedralium jam tunc erectarum, vel deinceps erigendarum.

ECCLESIÆ NOVI ORBIS.

XXX. DE CARDINAL. CORTESIO.

Fuit qui existimaret, *Gregorium Cortesium* Cardinalem, qui hoc tempore doctrinâ & pietate sacrum Collegium illustrabat, ex eâdem quâ Ferdinandus familiâ fuisse: grandi hallucinatione, cùm ille Medellini in Hispaniâ Bæticâ) volunt fuisse olim Castra Vicelliana) ortus, Cardinalis autem Mutinæ in Italiâ: qui literis Græcis & Latinis excultissimus; Iurisque etiam consultissimus, factus monachus Benedictinus, monasterio apud Lerinum insulam Provinciæ & diù & sanctissimè præfuit; factus inde Abbas Cassinensis, Bembo, Sadoleto, aliisque magnis ejus ævi viris laudatissimus: demúmque à Papâ Paulo anno 1542. absens creatus fuit Cardinalis, inducto ad id singulari ejus probitate, religione, integritate, ac doctrinâ; ut disertè testatus est literis illis, quas ad eum scripsit nuncias dignitatis; quæ extant in volumine Epistolarum familiarium ejusdem Cortesij. De cujus virtutibus & multiplicibus lucubratio-

nibus, plura legas in Additionibus ad Ciacconium. Obiit autem Romæ anno 1548. 11. Calendas Octobris, sepultus in templo SS. Apostolorum.

XXXI. Sed ut post tot funera, jam cum Christophoro Cardinale Tridentino, ab Imperatore ex comitiis Augustanis ad Pontificem missso, Romam accedamus; is quinto Idus Decembris in frequentissimo Cardinalium Senatu coram Pontifice, juxta mandatum, & instructionem ab Imperatore acceptam, commemoratis primùm magnificè immensis ab eodem Imperatore pro Concilij celebratione & dignitate, próque Germanis ad ejus obedientiam reducendis, laboribus susceptis, & periculis aditis, posteà ejusdem Imperatoris ac Regis Ferdinandi ejus fratris, totiúsque Imperij nomine, per omnia sacra Pontificem rogavit, imprimis ut Antistites qui Bononiam migraverant, Tridentum ad Concilium prosequendum redire juberet; deinde Legatum aliquem in Germaniam cum plenissimâ potestate mitteret, de cujus sententiâ modus aliquis rectè vivendi ad exitum usque Concilij constitueretur; postremò fidem daret, Imperatorem numquam in animo habuisse, si contingeret Pontificem durante Concilio decedere, ut electio successoris alibi fieret quàm Romæ, aut aliâ formâ quàm quæ ab antiquo recepta esset. Hæc enim sunt capita Instructionis Cardinalis Tridentini, ut ea vidimus in ejus apographo in Collectione Archiepiscopi Aquensis: quorum & alij [o] meminere, & nonnulli parùm sincerè. Iis porrò auditis Pontifex, laudato priùs Imperatoris animo, & in Ecclesiæ commodis procurandis studio, respondit se pro rerum propositarum merito de iis sedulò cogitaturum, & quod æquum foret responsurum. Cùm verò Tridentinus ad privata colloquia post hæc admissus, nihil prætereà acciperet, quàm consulendos esse Patres Synodi qui Bononiæ essent, antequàm quid aliud decerneretur: ulterioris moræ impatiens, ad Imperatorem rediit, urgendæ rei curâ Didaco ipsius oratori relictâ. Qui postridie Idus in Consistorium publicum, quod pro recipiendo Carolo Guisio novo Cardinali ab Henrico Rege Romam legato ex consuetudine celebrabatur, admissus; in eamdem sententiam locutus, insuper addidit, si vel dilationem vel excusationem aliquam Pontifex interponeret, in mandatis se habere, ut coram ceterorum ac Principum oratoribus palàm de vitio Concilij profiteretur. Cui pariter respondit Pontifex, velle se à Patribus qui Bononiæ essent audire quid ipsi de his sentirent; tum ad ceteros Reges & Principes referre, ut maturâ habitâ deliberatione quod consultius videretur fieret.

LEGATIO CARDIN. TRIDENTINI AB IMP. AD PONTIF. PRO CONCILIO.

[o] Sleid. lib. 19. Belcar. lib. 24. Thuan. l. 4.

XXXII. Carolus autem Cardinalis Guisius, (Lotharingius posteà dictus: quem, annum tunc agentem vigesimum quartum, ingenio acrem, facundum, eruditum; ad quasvis vel disciplinas perdiscendas, vel res gerendas, negotiáque pertractanda, suprà quàm dici posset aptum fuisse, Belcarius [p], quo ille præceptore, & in Græcis literis & in philosophicis præceptis usus est, disertè testatur,) eodem consessu longâ & ornatâ oratione, laudato primùm Francisco Rege nuper defuncto, Henrici novi Regis egregium erga Sedem Apostolicam studium & voluntatem amplissimis verbis extulit; cui nihil potius fuerit post parentis funus curatum, quàm ut suam erga Summum Pontificem observantiam hoc solemni officio testaretur. Deih repetitâ Francorum Regum in Ecclesiam Romanum & Summos Pontifices meritorum, necnon laborum pro religionis Catholicæ defensione, præ ceteris cunctis Orbis Christiani Regibus, decursorum, memoriâ, propter quæ gloriosissimos titulos *Christianissimorum* & *Filiorum Primogenitorum* consecuti essent; missum se dixit, ut potentissimi Regis, & gentis Christianæ antesignani nomine, se & sua omnia Ecclesiæ more majorum submitteret, & opes ac facultates omnes pro Ecclesiæ ac Pontificis incolumitate offerret. Sacris Romanis legibus esse cautum, ut cùm primùm Summum Sacerdotium Pontifices inierint, confirmandæ renovandæque amicitiæ causâ legatos in Galliam mittant: Henricum vicissim inito nuper regno, eodem officij genere defungi voluisse; simulque monere ut caveret Pontifex, nequid in tot nonnullorum conatibus detrimenti Respublica acciperet: Regi verò curæ fore; ne in conservandâ Sedis Apostolicæ dignitate, Regum superiorum cuiquam concedere videretur. His videlicèt volens Guisius, animum Pontificis jam à Cæsare, ob necem Petri Aloisij, & reducendi Concilij importunas postulationes, non parùm alienatum, in Regis compendium & utilitatem convertere.

CARDIN. GUISII ORATIO AD PONTIF. PRO HENRICO REGE GALLIÆ.

[p] Belcar. lib. 25 in pr.

XXXIII. Biduo pòst, nempè decimosexto Decembris, Pontifex [q] ad Cardinalem de Monte Bononiam literas dedit de iis quæ à Tridentino & Mendozâ nomine Imperatoris perlata ac petita fuissent & quid ipse cum Patribus de iisdem censerent expediit. Qui ceteris in consilium convocatis, (omnes autem ferè Itali erant, duo tantùm Galli, ex aliis nationibus aut nulli aut perpauci,) post invocationem Spiritûs Sancti, ex communi sententiâ rescripsit, quando Concilium legitime translatum est Bononiam, admonitos esse omnes ut eò se transferrent; cúmque nihilominùs pauci aliqui Tridenti substitissent, rursus amanter esse invitatores cum aliis se conjungere: quod cùm ipsi hactenùs renuissent in gravem Concilij contemptum, non videri è dignitate & existimatione Concilij, de reditu Tridentum deliberare, nisi qui essent Tridenti Bononiam priùs accederent, & Concilij potestatem agnoscerent, túncque simul omnes quid factu opus esset deliberarent. Necesse deinde esse ut Patribus ante caveretur, fore ut Germania Concilij decretis tam hactenùs conditis quàm imposterùm condendis sese omninò submitteret. Ad hæc quia rumor increbuisset, si Concilium rediret Tridentum, populare illud fore ex omni hominum genere, & licentiâ plenum; cupere etiam Patres hoc nomine sibi caveri, ne ordo omnis modúsque Conciliorum hactenùs servatus immutaretur. Ita ut possent Patres tutò ac liberè ibi commorari, & cùm videretur illinc discedere, atque etiam aliò Concilium cùm ratio postularet transferre; denique cum satisfactum esse causis ob quas indictum esset appareret, finem ei imponere. Quo responso

[q] Iid. Sleid. Belcar. & Thuan. Ext. lit. in Collect. Arch. Aqui.

SENTENTIA PATRUM BONONIENSIUM DE CONCILIO.

accepto, eóque à Pontifice sexto Calendas Ianvarij convocatis Cardinalibus, post sacram Liturgiam communicato, & majori eorum parti probato; Pontifex accersito Mendozâ, rem ei exposuit; testificatione additâ de egregiâ suâ erga Imperatorem & Germaniam propensione; verùm ceterarum quoque nationum habendam esse rationem, utrùm eadem illis conducerent. Ad quæ cùm Mendoza in eo esset ut evestigio protestaretur, intercedente Cardinalium collegio rem ad diem vigesimum distulit, quoad responsum hoc Imperatori renunciaretur, ejúsque literæ expectarentur. Qui nihilominùs auditâ relatione Cardinalis Tridentini, mox rescripsit ut protestationes absque aliâ dilatione fierent: de quibus dicetur anno sequenti.

XXXIV. [r] Cardan. de Subtil. lib. 12. Munster. in Cosmogr. Rueff. lib. 5. de concept. cap. 3.

MONSTRUM HORRENDUM.

Præsenti verò natum reperitur [r] Cracoviæ in Poloniâ monstrum portentosissimum de muliere: Infantem scilicèt promuscidem elephantinam nasi loco gerentem, oculis rotundis & alatis, auribus asininis, aliis duobus oculis supra umbilicum, caudâ muris, sed bifidâ, & adeò longâ ut caput superexcederet; manus pedésque quaternis digitis ad unguem accipitris simillimis, sed quorum tres membranâ velut anserini colligabantur: sub alis, & intra cubitos, & supra genua, singula capita canum prominebant, ut essent numero sex, supervixisséque dicitur tribus horis. Sed de Monstris prodiit non ita pridem accuratus commentarius *Fortunij Liceti* Genuensis in Patavino Gymnasio Philosophi ordinarij; naturam causas & differentias eorum diligenter describens; apud quem & istud, cujus modò meminimus, & alia ejusmodi quamplurima exactè descripta reperias.

IESU CHRISTI Annus 1548.
PAULI III. Annus 14.
CAROLI V. An. 30.

I.

[a] Belcar. lib. 25. §. 4. in fin.

PAULUS PONTIF. RESPONDET GERMANIS DE CONCIL.

ANNO Christi millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, Indictione sextâ, Paulus Pontifex Gallicorum auxiliorum spe confirmatus à Cardinale Guisio, (ut scribit Belcarius [a], qui se id exactissimè scisse profitetur; quoniam cum Cardinale Romam profectus, omnes ad hanc societatem pertinentes è Galliâ ad Cardinalem missas literas è Gallico in Latinum sermonem convertebat, eásque ut Paulo perlegerentur Alexandro Cardinali Farnesio Pauli nepoti offerebat) liberiùs Germanis Episcopis, Calendis Ianvarij, ad literas ab iis ex Augustano conventu acceptas, & Mendozæ Caroli Cæsaris oratori Calendis Februarij, ad postulata de reductione Concilij Tridentum, de quibus actum est anno superiori, respondit. Germanis quidem laudans primùm ipsorum pietatem; & quæ sua fuerit erga Germaniam egregia in religionis causâ voluntas & studium, repetitâ superiorum temporum rerúmque memoriâ, exponens: quod ad Concilij translationem Bononiam, eam se inscio factam ex Patrum decreto, penes quos id juris esse non ambigeretur: nihil sua referre, Tridenti, an Bononiæ, an alibi celebraretur, modò Patres assentirentur, atque ordine omnia & ex dignitate Ecclesiæ fierent. Civitatem verò Bononiensem ad Concilium celebrandam valdè commodam esse, tum ab aëris salubritatem, tum ob rerum victui necessariarum copiam, amplitudinem urbis, & civium hospitalitatem: nec ideò minùs Germanis gratam esse debere, quod sub tutelâ Ecclesiæ esset, quippe qui ab eâdem Ecclesiâ non solùm fidem & religionem Christianam, sed etiam multa alia maternæ charitatis & munificentiæ egregia in se monumenta haberent. De reductione Concilij Tridentum, se de Cardinalium consilio necessarium existimâsse, ut Patres qui ex omni ferè natione Bononiæ essent, de eâ consulerentur; responsúmque ab eis accepisse, quod Didaco oratori Cæsareo, post regressum Cardinalis Tridentini, dedisset, jámque ad ipsos quoque mitteret. Quod autem extremis suis literis ipsi Germani addidissent, nisi Concilium Tridentum rediret, fore ut alia consilia & rationes expediendæ rei susciperentur; eo se neutiquàm commoveri, abundè sibi conscium, nullam officij partem à se prætermissam: De ipsis verò & Cæsare ita se sentire, ut nihil inconsultò facturos existimaret: si autem aliud tentaretur, non se quidem id prohibere posse; nam & ipsum Ecclesiæ architectum Christum, quando ejus fundamenta jecit futuras prænunciâsse tempestates; verùm ut conatus iis feliciter succedat, minimè se vereri, eò quòd in firmissimâ petrâ consistat: non semel hoc ipsum ab aliis tentatum, sed eversis eorum conatibus Deum in illis exemplum statuisse, quid ab iis sit expectandum qui iisdem vestigiis insistant. Itaque hortari ut Ecclesiæ paci consulerent, nec remota ab ejus dignitate consilia in suis conventibus agitari paterentur.

Sicut autem Pontifex in suâ sententiâ perstabat, ita & Imperator in voluntate disponendi æquè de rebus Ecclesiasticis atque de sæcularibus. Quare ejus oratores Bononiæ primùm, mox Romæ protestationes suas, quas intentaverant, obtulerunt; quæ extant integræ, valdéque prolixæ, unà cum responsionibus ad eas factis, in sæpè citatâ Collectione Antonij Archiepiscopi Aquensis, rerum ad Concilium pertinentium, sub Paulo III. gestarum. Et primò Franciscus Vargas Licentiatus & procurator generalis fisci regni Castellæ, & Martinus de Soriâ Velascus Iurium Doctor, Bononiam eâ de causâ missi; Ianvarij die decimasextâ cùm Senatum sibi dari postulâssent, & in Cardinalis de Monte Legati Apostolici, ac circiter quadraginta quatuor Patrum consessu, exhibentes Imperatoris literas, non *Concilio* inscriptas, sed *Conventui Bononiensi*, Vargas loqui cœpisset, interpellans Legatus de Monte, Protestationem suam & Patrum primùm legi jussit; quâ scilicèt contestabatur, quamvis is cœtus non teneretur ullam eorum orationem audire, propterea quòd mandatum ipsorum non pertineret ad sanctam Synodum, tamen ne quis conqueri posset, non esse in Synodo omnem loquendi singulis facultatem, non recusare Synodum audire eos, eâ tamen cau-

II. PROTESTATIONES ORATORUM CÆSARIS DE CONCILIO, BONONIÆ FACTÆ.

ALTERCATIO INTER ILLOS ET PATRES.

tione, ne vel Synodo aliquid inde dispendij, vel ipsis oratoribus emolumenti pareretur; essétque nihilominùs liberum Patribus Concilium inchoatum persequi, & in contumaces atque auctoritatem ejus detrectantes, pœnas decernere sacris legibus definitas. Ad quæ Vargas primùm in Acta publica referri petiit, se interpellatum fuisse quominùs prior verba faceret; deinde mandatum Imperatoris sibi injunctum explicans, esse dixit ut Patres rogarentur, mutato decreto translationis Concilij, quod non satis providè fecissent, Tridentum reverti: quod si facere detrectarent, futurum id maximâ calamitate publicâ; si verò Imperatori morem gererent, cuncta feliciter eventura. Hîc verò rursùs interfante Legato de Monte, & omnia legitimè peracta fuisse contestante, atque ideò Imperatorem à Patribus rogari ut sententiam mutaret, & Concilij perturbatores coërceret; cùm non ignoraret qui sacris Conciliis impedimentum aliquod afferrent, quicumque tandem illi essent, in gravissimas legum pœnas incidere: ceterùm utcumque res se habitura esset, ac quæcumque intentarentur minæ, non defuturos se libertati & honori Ecclesiæ & Concilij: nihilominùs Vargas mandati literas palàm recitari petiit. Iisque per Secretarium Concilij lectis, Velascus partes suas agens Protestationis longissimam formulam legit: cujus summa fuit, ut prolixè commemoratis omnibus quæ pro convocatione Concilij cum Romanis Pontificibus & Germanis ab Imperatore acta fuissent, adderetur; postquàm jam tandem illud cœptum esset, ac legitimè progrederetur, ecce ipsos ibi præsentes repentè confictâ causâ, Pontifice inconsulto, multis præstantibus Patribus minimè assentientibus, tumultuosè abscessisse, cúmque Cæsar posteà Germanos induxisset Concilio Tridenti congregato se submittere, etiam rogâsse sæpiùs Pontificem ut ejus continuationem Tridenti fieri juberet: at illum ita demùm respondisse, ut satis ostenderet quàm parùm monitis Imperatoris deferret, dum non solùm translationem non damnaret, verùm etiam ut legitimè factam comprobaret, & cœtum qui Bononiæ esset, quamvis illegitimum, Synodi tamen Oecumenicæ appellatione honestaret. Exaggeratis denique Imperatoris officiis & laboribus hoc in negotio apud Pontificem & Germanos impensis, rogare rursùs ipsum, cui videlicèt ex munere, cura ac tutela Conciliorum omnium Vniversalium demandata esset, ut Tridentum, locum omnibus gratum, rediretur, præsertim cùm nulla subesset ampliùs timoris causa: sin minùs, se nomine & mandatu Imperatoris, Concilij translationem hanc frivolam & illegitimam, & omnia inde acta atque secuta nullius esse momenti profiteri, tamquam à Legatis, & Episcopis, Summo Pontifici majori ex parte adscriptis, atque ab illius nutu omninò pendentibus. Insuper responsionem illam tam Pontificis quàm ipsorum, nec aptam, nec præsenti negotio & necessitati convenientem esse, sed illegitimam, & figmentis plenam, & prorsùs delusoriam. Et quia per eos salus publica negligeretur, Imperatorem ut Ecclesiæ protectorem ejus curam suscepturum, quantum & jure liceret, & sanctorum Patrum legibus esset concessum. Cùm hæc prolixè à Velasco de scripto recitata fuissent, illud Legatis exhibens, ut in Acta referretur postulavit. Legatus autem de sententiâ & consilio Patrum graviter locutus, injuriam sibi Patribúsque fieri contestatus est; Deúmque testatus, cuncta illa quæ dicta fuissent de invaliditate translationis dolosè factæ, & fictis ejus causis, minimè esse vera. Ceterùm paratos se esse mortem oppetere, & martyrium pati, priusquàm consentirent tale exemplum in Ecclesiam introduci, ut sæcularis potestas pro arbitratu Concilium cogeret, & libertatem ei adimeret. Imperatorem esse Ecclesiæ filium, non dominum, vel magistrum: se quidem & collegam Legatos esse Sedis Apostolicæ; nec recusare quin Deo primùm, dein Summo Pontifici Legationis suæ rationem redderent: quod reliquum esset, quoniam ipsorum oratorum protestatio longam contineret seriem verborum, quæ non possent omnia memoriâ retineri, fore ut quarto pòst die in simili congregatione, cui oratores interesse deberent, ipsorum protestationi responderetur. Qui tamen ad diem non comparuerunt, sed responso non expectato abierunt.

Responsio Legatorum.

III. Alia protestatio Romæ facta coram Pontif.

Dum autem hæc Bononiæ agerentur, Didacus Mendoza Romæ, acceptis ab Imperatore literis ut rem persequeretur, die 23. ejusdem mensis ad Pontificem & Cardinales, coram ceterorum Principum oratoribus, eamdem contestationem, paucis mutatis verbis, pro ratione personæ quæ loquebatur, & illarum quibus protestatio fiebat, recitavit, ac dimisit. Ad quam Pontificis nomine Calendis Februarij, Mendozâ in Consistorium adscito, accurato artificio responsum est; ex ejus protestatione magnoperè Pontificem commotum fuisse, quòd res pessimi exempli esset, nec ab ullis usurpatâ, quàm qui vel ab obedientiâ penitùs excidissent, vel in eâ cœpissent vacillare: adeóque minùs id à Cæsare expectare debuisse, quem ad bellum Germanicum conficiendum auxiliis præcipuè Pontificiis adjutum, minimè deceret pro tanto beneficio tam disparem gratiam rependere. Verùm se hâc commotione levatum, postquàm mandati Imperatorij formulâ consideratâ, deprehendisset Mendozam fines ejus excessisse, & injuriam domino suo fecisse; qui non ut adversus Pontificem & Collegium Cardinalium, sed coram ipsis adversus Patres Bononienses protestari jussisset. Itaque modestissimi Principis officium Cæsarem in eo fecisse, ut rem translationis à Pontifice legitimo judice cognosci voluerit. Posteà nihilominùs confutatis quæ Mendoza protulisset de Pontificis negligentiâ, & ostenso quàm etiam ipse Imperatore diligentiorem solicitudinem in rebus Concilij adhibuisset, quàmque injustè crimini ei daretur quòd Patribus Bononiensibus Concilij nomen tribueret, nec eos Tridentum redire compelleret, quasi ei soli loco Spiritus S. alligatus esset, aut omninò necesse esset Concilia Vniversalia celebrari iis locis ubi hæreses vigerent, ceterísque nonnullis ejusdem generis prædictâ protestatione contentis, nullius momenti esse de-

Responsio Pontificis.

monstratis; postremò quòd translatio Concilij illegitima esse contendebatur, quoniam in hoc cardo controversiæ vertebatur, responsum est, Pontificem pro eâ quâ fungebatur potestate, sibi ejus rei cognitionem vendicare, eâmque quatuor Cardinalibus amplissimis, Parisio, Burgensi, Crescentio, & Polo committere; atque edicere tam Bononiensibus Patribus quàm iis qui Tridenti substiterant, ut siquid hâc de re vellent in medium afferre, intra mensem id præstarent, neque intereà aliquid ullâ ex parte innovarent. Erant omninò Tridenti tredecim, cum Cardinale Pacieco Hispano. Ad quos cùm 17. Februarij scripsisset Pontifex Breve quoddam in formam citationis; ij consulto Cæsare sese excusârunt; modestis tamen verbis, nihil seditionis aut contemptûs continentibus. Bononienses quoque citati, protinùs procuratores miserunt, qui excusationes Tridentinorum refellerent. Nec tamen itum est à Iudicibus ad sententiæ pronunciationem, ob periculum schismatis si Tridentini condemnarentur. Résque eodem statu permansit quamdiù Paulus supervixit. Contigerunt enim interim gravissimæ novitates in Germaniâ, quæ animos omnium ab his averterunt, & in se converterunt.

CITANTUR PARTES AD RESPONDENDUM DE TRÃSLATIONE CONCILII.

IV. TRACTATUR AB IMP. DE FORMULA RELIGIONIS.

Carolus enim Imperator Augustæ in comitiis celebrandis, & rebus Imperij disponendis occupatus, cùm primò à Cardinale Tridentino, deinde à Mendozâ intellexisset Concilij spem exiguam esse, aut sanè longiorem moram interponi; qui inter conditiones pacis, ut vidimus, à Principibus plerisque & civitatibus expresserat ut Tridentinis Patribus arbitrium de religione permitterent; eâ spe modò sublatâ, Ordinibus Imperij proposuit, necesse sibi videri, ut donec Concilium instauraretur, ac finiretur, ratio quædam investigaretur, quæ ad Germaniæ pacem conferret; ad ídque deligerentur ab Ordinibus viri aliquot docti & concordiæ studiosi, qui ei rei operam darent, quibus & ipse alios additurus esset. Delectis igitur nonnullis, cùm inter illos non conveniret, res tota Imperatoris arbitrio permissa est qui eam commisit *Iulio Pflugio* Episcopo Naumburgico, commentariis de Rep. Christianâ, seu de Imperio constituendo, necnon de Institutione hominis Christiani, adversus Lutherum conscriptis illustri; *Michaëli Heldingo* Episcopo Sidonio Archiepiscopi Moguntini suffraganeo; (post hæc creato Episcopo Mersburgensi:) ac *Ioanni Agricolæ* Islebio, qui ante annos duodeviginti pro Saxonicâ Protestantium confessione unà cùm Melancthone & Brentio steterat; deindéque Antinomorum [b] factus princeps, postremò ad Catholicos redierat. Ab his ergo liber scriptus est, qui vocato Argentinâ per Electorem Brandeburgicum Bucero oblatus ut ei subscriberet, repudiatus est ab illo, eò quòd Pontificiam doctrinam in eo constitui diceret: unde graviter increpitus, clàm non absque discrimine domum revertit. Complectebatur autem capita viginti sex de præcipuis Religionis Christianæ dogmatibus, de Sacramentis, & œconomiâ, ac cæremoniis Ecclesiæ: Eique datus titulus INTERIM, ex eo quòd præscriberet formulam doctrinæ & cæremoniarum in Germaniâ tenendam interim dum de universâ religione in Concilio Vniversali esset definitum, quem & propereà nonnulli haud incongruè *Interreligionem* nuncupârunt: alij etiam propius ad rem & nomen *Interitum*, quòd animas illud recipientium interimeret.

[b] Sur. in commentar. an. 1438.

INTERIM CAROLI IMPER.

V. IMPROBATUR À PONTIF.

Cùm autem diù multúmque jactatus privatim inter Ordines fuisset Augustæ; missus quoque Romam ad Pontificem, ab eo universim quidem improbatus, quòd temerè se inscio res peracta fuisset; ne tamen Imperatorem irritatiorem redderet, levi manu censuram applicans, duobus potissimùm capitibus institit; quæ per Cardinalem Sfondratum (qui à comitatu Caroli non abscesserat, postquàm fuerat ad eum legatus pro gratulatione victoriæ Germanicæ) Carolo significari curavit; nempè de concessâ presbyteris jam ordinatis conjugij facultate & populo communionis Eucharistiæ sub utrâque specie: primum esse ab omni ævo inauditum; alterum jampridem in Ecclesiâ abrogatum, nullo modo Catholicis, Protestantibus, aut qui ad Ecclesiam redirent indulgeri posse; verùm indulgendi potestatem soli Romano Pontifici competere. Alia præterea nonnulla, sed minoris momenti addidit; sive illa ab iis Triumviris inserta essent ex juris rerúmque ignoratione, sive ut Protestantibus gratificarentur; cùm nihilominùs pleraque omnia, duobus illis articulis exceptis, possent dici Ecclesiæ Romanæ doctrinæ consentanea. Illud tamen suis commixtionibus ac palpationibus ij assecuti sunt, ut neque Catholicis; neque Protestantibus Lutheranis, neque ullis aliis hæreticis probatum fuerit ipsorum opus; & Imperatori, qui ut par est credere zelo pacis ad hæc procuranda descendit, ingentem invidiam conflaverint: adeò ut plerique quartum ipsum Zenoni, Heraclio, & Constanti nepoti Heraclij Imperatoribus associantes, ejus quoque *Interim* eorumdem *Henotico*, *Ecthesi*, & *Typo*, infaustis edictis, olim prætextu sedandarum in religione divisionum, in grandem nihilominùs Ecclesiæ perturbationem promulgatis, adnumerarent: mirarentúrque, Principem tantâ prudentiâ præditum, unius victoriæ successu sic potuisse efferri, ut se omnium rerum tam sacrarum quàm profanarum per fas & nefas arbitrum continuò constitueret. Denique sunt qui observent, ab ejus promulgatione nihil ampliùs ei rerum susceptarum successisse.

ITEMQUE A CATHOLICIS ET PROTESTANTIBUS GERMANIÆ.

VI.

Censurâ autem Pontificiâ ab Electoribus Ecclesiasticis, ceterísque Episcopis acceptâ, nec sæcularibus admodùm reclamantibus; Imperator Idibus Maij convocatis Ordinibus, amplis verbis de sollicitudine suâ præfatus, Catholicos hortatus est in fide & religione pristinâ firmiter permanere, nec aliquid immutare; eos autem qui ab eâ desciverant, ad eam reverti, vel saltem suam doctrinam ad hujus libri præscriptum moderari; prohibens nihil prætereà instituere, neque vel scripto vel sermone ei obniti, Conciliíque decreta obsequenter expectare. Eúmque deinde librum typis evulgari Latino & vernaculo sermone curavit; nec ab eo tempore ullam excusationem admisit, adeò [c] ut multi pœnas ejus doctrinæ non receptæ de-

[c] Sleid. lib. 20. & 21.

PERSECUTIO EXCITATUR IN PROTESTANTES RECUSANTES ILLUD ACCIPERE.

derint; ipsæque civitates Constantiensis & Magdeburgensis proscriptæ, & in prædam datæ; (quamquam non hâc tantum occasione, verùm etiam prætextu denegati obsequij Imperatori in bello præcedenti:) & Constantiensis adeò agitata, ut coacta se dedere fuerit in perpetuum Ferdinando Regi & Domui Austriacæ: multíque ex Protestantium Doctoribus, ut pœnas effugerent quas nonnulli subierant, in varias partes commigrârint. Saxo captivus numquam ut approbaret induci potuit; inde duriùs quàm priùs habitus. At Lantgravius approbasse dicebatur spe libertatis; quam tamen non accepit. Quidam alij diversis excusationibus, sicuti & nonnullæ civitates, Cæsari satisfecerunt, plerisque tamen metu consentientibus, quamdiù is fuit in Germaniâ.

VII. CONFUTATUR INTERIM A CATHOL. ET HÆRET.

Fuit & liber scriptis utriusque partis tam Catholicorum quàm hæreticorum impugnatus. Nam inter Catholicos *Robertus Cenalis* Episcoqus Abrincensis in Normanniâ Galliæ, Theologus Parisiensis, vir apprimè doctus, *Antidotum* mox publicavit ad *Proposita* (ut habet inscriptio) *per Interim, non tam per modum, quàm præter omnem religionis modum oblata* universim quidem totum opus exagitans, quod & sæpiùs mutatum atque refectum queritur, & ab ejus impiâ doctrinâ sibi omnes cavere monens; speciatim verò duo illa capita de conjugio sacerdotum, & communione plebis sub utrâque specie, præcipuè examinans & refellens; ac per occasionem Bucerum sacerdotem & monachum apostatam exagitans, ob allectam sibi in matrimonium sanctimonialem refugam; præclaris etiam adhortationibus Imperatorem compellens; & Protestantes ad resipiscentiam invitans. In eamdémque sententiam *Franciscus Romæus* Ordinis Prædicatorum Generalis Romæ adversus eumdem librum scripsit. Et in Germaniâ *Nicolaus Bobadilla*, unus ex primis Decem Societatis Iesu patriarchis, Palentinus Hispanus, cùm in curiâ Cæsaris & Principum percarus esset, nihilominùs prædicto libello [d] & dictis pariter & scriptis sese constanter opposuit; adeò ut jussus ab Imperatore fuerit è Germaniâ facessere: quod quidem ipse numeravit in lucris, gloriosum sibi ducens magis placere Deo quàm hominibus. Ex hæreticis *Gaspar Aquila* Salveldensis in Thuringiâ minister, quòd Islebius passim jactaret eum libro assentiri, vehementissimè respondens, mendaciique eum insimulans, falsis dogmatibus librum esse refertum affirmavit. *Philippus* quoque *Melancthon*, sed molliùs. Acerrimè verò, ut solebat, *Ioannes Calvinus* Calipha Genevensis in eumdem debacchatus fuit: cujus petulantiam in receptam antiquitùs doctrinam, & Patres ac Doctores Ecclesiæ, brevi responsione Cochlæus exagitavit: quâ etiam testatur multos passim per Germaniam, maximéque per Saxoniam inferiorem & Thuringiam, libellos famosos contra Interim publicâsse, eorúmque duos se Latinè confutâsse: in excusationem videlicèt Caroli, quem sincero animo ad hæc delatum interpretati sunt qui pro eo scripserunt; cùm alioqui nullus fuerit Catholicus, qui librum illum omni ex parte approbare potuerit.

[d] *Orland. Hist. Soc. lib.* 8. §. 35.

VIII. ORIGO BELLI ADIOPHORISTICI.

Ex his verò contentionibus, quæ inde inter ipsosmet Protestantes & Lutheranos ortæ sunt; dum illud aliqui recipiendum censerent, alij rejiciendum, natum est eorum *Bellum Adiophoristicum*, & *Interimisticum*, quod plurimos annos duravit. Dicti sunt *Adiaphoristæ*, hoc est Indifferentes, qui Ecclesiæ & Conciliorum legitimas constitutiones & cæremonias, pædobaptismum, jejunia, orationes, & reliqua sacra, ejus esse volebant generis, ut liberum esset cuique iis uti, vel non uti, absque salutis discrimine; nec propterea ulla esse obeunda pericula, nedum tormenta sustinenda: satiúsque esse iis uti pacis & tranquillitatis causâ, quàm renitendo turbas & persecutionem inducere. Quorum præcipui *Philippus Melancthon*, *Paulus Eberus* Franco, *Georgius Major* Norimbergensis, & alij ministri Wittembergenses; propterea *Molles Lutherani* dicti; qui Confessionem Augustanam, & Lutheri scripta, ipsúmque Interim Cæsareum, multis in locis correxerunt, mutaverunt, suppleverunt; vel ut ipsorum adversarij dicebant, verterunt, converterunt, perverterunt, everterunt. Horum antagonistarum præcipuum atque ardentissimum caput fuit *Matthias Flaccus*, sive *Flacius* natione Illyricus ex oppido Albonâ, juuenis hoc tempore viginti & octo circiter annorum; unà cum *Nicolais Gallo* Saxone, & *Amsdorffio*, aliísque, Adiaphoristas accusantibus simulationis & dissimulationis, quibus id agerent ut doctrina Pontificia reduceretur; qui & *Rigidi Lutherani* nuncupati sunt, quòd à doctrinâ & scriptis Lutheri, qui ut divina venerabantur, ne in voculâ quidem in syllabâ dissentiendum esse prædicarent.

MOLLES LUTHERANI.

RIGIDI LUTHERANI.

IX. INTERIMISTARŪ MULTA GENERA.

Interimistæ verò triplicis generis fuerunt: *Cæsarei*, qui in nullo se Lutheranos profitebantur, præterquàm in usu calicis, & sacerdotum conjugio; in reliquis omnibus cum reliquo orbe Christiano consentientes, paucis detractis abusibus. *Lipsici*, ab urbe Lipsiâ Misniæ; cujus ministri Cæsareum Interim corrigentes, novum condiderunt; quo ritus quidem ac cæremonias facilè admittentes, plus tamen aliquid de doctrinâ Lutheri retinerent: sed ita ut nihilominùs adversarij quærerentur, per ipsorum generalitates, & sophisticas fraudes, totum propemodum Papatum restitui; & dum Confirmationem atque Extremam Unctionem inter ritus comprehenderent, ad septem Pontificiorum sacramenta per Lutherum reprobata rediri. De quibus sunt etiam acres Calvini literæ [e] ad Melancthonem, & Pacæum Doctorem Lipsicum, contra ejusmodi adiaphorias. *Francici* denique, id est, Marchionis Alberti concionatores, qui in Lipsico quædam emendârunt, & mutârunt. Omnes autem Interimistæ fuêre ab adversariis attributi Adiaphoristis quà plùs quà minùs. Quos speciatim descripsêre Hosius & Lindanus in suis tractatibus de Hæresibus; & ex iis Prateolus, Rescius, Gaulterius, & alij. Idémque Rescius [f] mutua illorum inter se maledicta, & convitia diligenter collegit.

[e] *Calvin. ep.* 115. 117. *edit. in* 8°.
[f] *Resc. de atheism. lib.* 1. *cap.* 6.

X. FORMULA REFORMATIONIS CÆSAREÆ.

Post publicationem Interim, Carolus in sumptâ sibi in res Ecclesiasticas auctoritate pergens, decimoquarto Iunij formulam [g] Reformationis

[g] *Ext. integra ap. Goldast. tom.* 2. *Const. Imper. summa ap. Sleid. lib.* 20.

mationis Ecclesiasticæ, viginti duobus capitibus constantem, pariter in Comitiis recitari jussit; de examine, ordinatione, & officio ministrorum Ecclesiæ; de Horis canonicis, monasteriis, scholis, hospitalibus Sacramentorum administratione, cæremoniis, censuris, disciplinâ Cleri & populi, Synodis, & aliis modis: ceterà quidem legibus Ecclesiasticis satis consonis, sed in astruendâ Concilij Basileensis auctoritate, & in dispensationibus, exemptionibus, aliísque nonnullis rebus Romanis Pontificibus reservatis, liberiùs disponendis, nimiâ confidentiâ decretis. Vltimo verò Iunij edictum [h] promulgatum est de pace publicâ tenendâ, & ut omnes Ecclesiastici Concilio interessent quamprimùm redintegrando, necnon Protestantes publicâ fide quam ipse daturus esset. Aliúdque [i] de Reformatione Politiæ Imperialis. Fuitque eâdem die Comitiorum finis. Moratus nihilominùs Imperator Augustæ usque ad mensem Augusti, ibi rebus ad libitum ordinatis, parvis itineribus in Belgium abiit; multa per singulas civitates pariter ordinans, & pro sui Interim receptione urgens. Secum porrò velut in triumphum duxit captivos Saxonem & Lantgravium; quorum primum secum esse voluit, alterum in custodiam Audenardam Flandriæ oppidum misit, Calendis verò Octobris inchoata est reformatio Cameræ Imperialis, cujus causâ tot fuerant olim contestationes, & pulsis omnibus Protestantibus, composita fuit ex solis Catholicis.

[h] Ap. Gold. tom. un.

[i] Ibid.

XI. Legati Pontif. in Germaniam.

Præceperat quoque Imperator ut Synodi diœcesanæ pro suorum decretorum ubique receptione celebrarentur ad diem S. Martini, & provinciales ad Quadragesimam sequentem. Atenim subveriti Præsules, ne per istas Imperatoris constitutiones ac reformationes, potestas Pontificia apud Germanos nutaret; rogârunt eum uti Pontificem invitare vellet ad Legatos mittendos qui decretorum abs se factorum executionem adjutarent. Quod cùm ipse fecisset, Pontifex statuens suæ dignitatis non esse aliquos mittere qui decreta Imperatoris exequerentur; mediam viam instituit, ut Nuncios dirigeret, non qui quæ Carolus instituerat agerent aut confirmarent, sed ut veniam & absolutionem resipiscentibus tam ecclesiasticis quàm sæcularibus, atque etiam dispensationes, & redintegrationes indulgerent: usúmque calicis iis qui eo usi fuissent, ad vitam, aut ad certum tempus, prout ipsis videretur, concederent, modò id demissè postularent, & faterentur Ecclesiam non errare dum calicem negat laicis, & dummodò separatim communicarent alio tempore & loco quàm vulgò sub vnâ specie communicatur; condonationes item fructuum, beneficiorum uniones & attributiones, aliáque ejusmodi permitterent: cum facultate etiam eamdem potestatem aliis per Germaniam Episcopis delegandi, prout pleniùs continebatur bullâ pridie Calendas Septembris de his datâ Episcopis Fanensi, Veronensi, & Ferentino, ad hæc ab ipso delectis, quæ in publicum edita fuit. Ipsi verò Nuncij nonnisi anno sequenti ad imperatorem pervenerunt; quo de illis agetur. Intereà verò Archiepiscopi Sebastianus Moguntinus, Adolphus Coloniensis, & Ioannes Treverensis, per suas diœceses Synodos tempore præfinito convocari curantes; quamquam decreto Imperatoris permissum esset conjugium sacerdotibus, illud tamen ad Lutheranos tantùm, non etiam ad Catholicæ fidei professores pertinere interpretati sunt; conjugia ejusmodi cuncta rescindentes, & incesta pronunciantes, liberósque inde procreatos illegitimos: præeunte ceteris magno animo Coloniensi, cujus præcipuè ditionem eâ contagione Bucerus sub nupero Archiepiscopo contaminaverat. Extant in Tomis Conciliorum Synodi diœcesanæ, Augustensis ab Othone Episcopo & Cardinale, & Treverensis à Ioanne Archiepiscopo, celebratæ mense Novembri præsentis anni; quibus tam illa, quàm multa alia præclara de disciplinæ restitutione, legitimâ Sacramentorum administratione, ministrorum Ecclesiæ officio, ceterisque ad cultum divinum spectantibus, continentur. De provincialibus verò dicetur anno sequenti.

Synodi Dioecesanæ Germaniæ.

XII. Dissidium de Prussia.

Fuêre porrò in prædictis Comitiis Augustanis quædam alia peracta, quæ breviter attingenda censemus. Atque imprimis ipso mense Ianuario disputatio [k] acris de Prussiâ, utrum ad ditionem regni Poloniæ, an ad Imperium pertineret; agente pro Rege Poloniæ Stanislao Lasco Palatino Siradiensi à Rege ad hoc Augustam misso; pro Imperio Wolfgango ipso Melchingo Ordinis Teutonici Magistro, quem vidimus à Carolo Imperatore ante [l] quadriennium in Comitiis Spirensibus eo Magisteriatu insignitum: qui propterea auxilia adversus Albertum, antea Magistrum, & à Camerâ Imperiali proscriptum, sibi dari postulavit. Vtriusque partis rationibus auditis, proscriptionem Alberti prosequendam esse Ordines judicarunt: sed quoniam id exequi haud facile erat, res ad Imperatorem rejecta est.

[k] Sleid. l. 20. Neugebav Hist. Polon. lib. 7. ad fin. Beicar. l. 25. § 5.

[l] Sup. an. 1544. VI.

XIII. Sigism. Regis Polon. obitus.

Nec multò post, nempè Calendis Aprilis ipso die Paschæ, Sigismundus Poloniæ Rex, anno ætatis octogesimo secundo ex hâc vitâ discessit, regnum pacatissimum relinquens, quod summâ prudentiâ, fortitudine, constantiâ, temperantiâ, quadraginta duobus annis administravit. Cui funebres laudationes luculentas scripserunt Stanislaus Orickovius Ruthenus, & Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis, insignis scriptor Historiæ Polonicæ, quibus vitam & regnum ejus complexi sunt. Successit verò ei filius *Sigismundus Augustus*, annum agens vigesimum octavum, jamque ante annos octodecim, ipsius ætatis decimo, à Polonis electus & inauguratus in patris successorem. Qui cùm Elisabetham Ferdinandi Regis filiam uxorem duxisset, eâ ante biennium mortuâ, patre mortuo Barbaram Radiviliam duxit filiam Georgij Radivilij Castellani Vilnensis, ac Viduam Stanislai Castoldi Palatini quondam Trocensis, formæ elegantiâ & morum suavitate, ac ceteris ornamentis & dotibus quæ in feminam cadere possunt, præstantem, rem multis dissuadentibus, ob abjectum ejus pre regiâ dignitate genus, quamquam alioqui illustre: ac post nuptias indignantibus non paucis ex proceribus, qui consilio auctoritatéque Senatûs, non privatâ libidine Regibus uxores

Sigism. Aug. eius filius succedit.

ducendas asserebant: unde non parva facta fuit in eum commotio. Pacatis tamen posteà nonnihil animis, coronata illa est, ac paulò post obiit. Illud verò etiam in hujus Sigismundi exordio memoriâ dignum contigit; quòd [m] cùm justis patri regio more persolutis, sequenti die, quæ erat Mercurij, epulum nonnullis Principibus Germanis atque Imperatoris Ferdinandíque Regis legatis lautissimum præbuisset; in quo carnes tum primùm in regiâ mensâ feriâ quartâ appositæ fuêre; ea res Polonos non mediocriter offenderit, eò quòd illi eâ die carnibus vesci non solerent, in memoriam Salvatoris à Iudâ venditi. Quod factum Rex Germanorum præsentiâ excusavit, apud quos ut dies, ita etiam cibi erant indifferentes: quibus tamen ita sese Rex accommodaret, ut iis etiam qui ejus diei religione tenerentur, pisces apponeret.

[m] Neugebav. lib. 8. in pr.

RELIGIO POLON. DE ABSTINENTIA CARNIS FERIIS QVARTIS.

XIV.

Ad eadem Comitia Augustana [n] Ioannes Basilius Magnus Moscoviæ Dux, misso cum literis legato ad Carolum Imperatorem, amicitiam quæ patri cum Maximiliano Cæs. intercesserat renovavit; & desiderium conjunctionis cum Imperio adversus Turcos, & concordiæ in Religione ineundæ, suum exposuit. Petiítque legato suo facultatem fieri aliquot Theologos, qui de Latinæ Ecclesiæ doctrinâ ac ritibus se suósque instituerent, & viam ad concordiam commonstrarent: (Erant enim ut aliàs vidimus, fidei & ritûs Græcanici.) Iureconsultos quoque & Politicos, qui barbaricas gentes à se haud pridem subjugatas, legibus, disciplinis, ac moribus civilis vitæ excolerent: Architectos item, qui templa ac munitiones in Scythiæ finibus ædificarent; nec non fabros, armamentarios, fusores, pictores, omnísque generis artifices, conducendi, & in Moscoviam ducendi. Cui Carolus responsum pridie Calendas Februarij dedit, postulatísque benignè annuit: adeo ut legatus ille trecentos ampliùs artifices secum abduxerit. Quì cum Lubecam convenissent ad navigandum inde in Livoniam & Moscoviam; non permisêre Lubecenses eos ulteriùs progredi, Imperatorem monentes, nequaquam Moscum Christianorum hostem infensissimum, fucatéque hæc agentem, contra Imperij subditos, quorum exitium atque oppressionem omnibus viribus moliebatur, instruendum armandúmque esse. Adeò ut totum illud Mosci consilium irritum fuerit, & conducti illi homines ad sua se receperint.

[n] Neugebav. d. l. 7. in fin. Chytra. Saxon. lib. 26.

MOSCI LEGATIO AD COMITIA GERMANIÆ.

XV.

Iisdem item Comitiis Mauritius, quem jam in castris ante Wittembergam anno superiori proscripti Ioannis Friderici patruelis sui Electoris Saxoniæ bonis & dignitate ab Imperatore donatum diximus; quòd id nullis tunc servatis solemnibus factum fuisset, jam nunc sibi ritè conferri in publico consessu rogavit Imperatorem. Actúmque est die 24. Februarij (quæ erat natalis Imperatoris (solemni cæremoniâ; quam breviter Sleidanus, distinctiùs descripsit, unà cum vestitu, & incedendi, sedendíque, in publicis hujusmodi, alisque celebritatibus, Imperatoris, aut Regis Romanorum, & Electorum, aliorúmque Principum ordine, juxta Bullam Auream Caroli IV. qui aderat Nicolaus Mameranus [o] Lucemburgius, ad Episcopum Herbipolitanum, sive Wirtzburgensem, paucis post rem gestam diebus. At verò illud omni memoriâ dignum omisit, quod alij [p] prodiderunt; nimirùm Ioannem Fridericum, qui rem ex fenestris hospitij sui commodè spectare poterat, generosè spectâsse; tantâque animi magnitudine spoliationem dignitatis suæ atque bonorum tulisse, ut nullam prorsùs dederit indignationis, aut animi rem graviter ferentis significationem. Contulit autem ea Carolus Mauritio; eóque sine liberis masculis decedente, Augusto ipsius fratri, ac successoribus pariter masculis.

MAVRITIUS INIT POSSESSIONEM ELECTORATÛS SAXONIÆ.

[o] To. 1. Oper. Hist. Scardij.

[p] Natal. l. 3. Thuan. lib. 5.

XVI.

Venit etiam Augustam mense Aprilis Muleasses Rex olim Tuneti, quem à Barbarossâ pulsum, à Carolo Imperatore restitutum, à proprio filio Amidâ excæcatum iterúmque pulsum superiùs [q] suis locis vidimus: qui denuò ad Cæsarem recurrens, profugus & miser, etiámque à [r] Francisco Tovarre, Hispano crudeli & avaro, præfecto Guletæ, depositâ apud eum pretiosâ gazâ spoliatus, opem ejus imploravit. Quem Cæsar in Siciliam misit, publico Siculorum sumptu alendum. Ait Iovius se illum vidisse Romæ cùm Siciliam petens in transitu eò divertisset: Cum ad Pontificem deductus fuisset, nihil ab elati ingenij more barbaris insito remittentem, nequaquàm majorem honorem impendisse quàm ut ei genu tantùm oscularetur; & qui oculorum orbes linteâ vittâ occultatos gerens nihil intueretur, obstipâ tamen & erectâ cervice regiæ insolentiæ superbiam referret: Ab eo demum multa se de rebus Punicis didicisse; & cùm de philosophiâ inter ipsos illati sermones essent, quamquam per idiotas interpretes colloquerentur, perspicuè tamen eum Averrois studiosum & sectatorem disputando deprehendisse. Ita Iovius; sæpè aliàs quod anteà monuimus) de magnorum Regum ac Principum conversatione ac familiaritate jactanter gloriari solitus. Qui & anteà de eodem dixerat, fuisse eum astrologiæ peritissimum.

MVLEASSES OPEM CAROLI IMPLORAT.

[q] Sup. an. 1534. l. 1535. XX. 1543. l II.

[r] Iov. lib. 44.

IOVII CVM EO COLLOQUIUM.

XVII.

Quo eodem tempore Maximilianus Ferdinandi Regis filius, anno viginti duos natus, ad regnum Boemiæ adoptatus, juvenis florens ætate formâque, & blando comique ingenio, Augustâ digressus in Hispaniam contendit unà cum Cardinale Tridentino, ut Mariam natu majorem Cæsaris filiam consobrinam suam, indulgente Pontifice, in uxorem acciperet, ac Proregis titulo ea regna administraret. Quippe Carolus Philippum filium, tunc viginti & unum annos natum, ad se vocare statuerat, ut eum Germaniæ Ordinibus, ac Belgij populis ostenderet: rebus tam prosperè succedentibus in mente habens, retractatâ fratris in Regem Romanorum factâ olim inauguratione, filium per Imperij Electores metu aut beneficiis obnoxios, in Imperio successorem jure hereditario designandum curare: eóque consilio Maximilianum arctiore sibi affinitate junxerat: & quâvis aliâ conditione oblatâ cum fratre postea egit, ut depositâ dignitate Cæsareâ, quâ secundùm Imperij leges in Imperium succedere habebat, proposito suo assentiretur. Ceterùm Maximilianus ubi in Hispaniam venit, peramanter à Philippo patruele acceptus, magnâ pompâ Pinciæ Carpetanorum nuptias celebravit.

CAROLUS CÆSAR IMPERIUM HEREDITARIUM FACERE MEDITATUR.

Philippus Hisp. princeps peregrinatur in Belgium.

[s] Hadrian. lib. 7. Cost. in Supplem. Mambrin. lib. 4.

[t] Natal. lib. 3.

Iisque peractis, Philippus traditâ sororio rerum administratione, Barcinone triremes Andreæ Auriæ ingressus, Genuam venit ad finem Novembris: indéque Mediolanum, ac per Mantuam, Tridentum, & Germaniam in Belgium tandem pervenit ad patrem ineunte Aprili anni proximi, ingenti ubique honore, & plausu, atque adulatione acceptus. Tradunt [s] tamen eum Genuæ cum Albano Duce & Ferdinando Gonzagâ, de arce urbi imponendâ consilia agitâsse, sed resistente Auriâ pro patriæ libertate, populóque ad eam vigilantissimo, rem exequi non potuisse. Itémque, adeò elato [t] animoque ubique se gessisse, ut magnos quosque Principes, qui ad eum cohonestandum concurrebant, pateretur detecto semper capite secum agere; neque eâ facilitate uteretur quam paterna humanitas pollicebatur: cúmque ejus rei clàm à familiaribus moneretur, respondere solitum, patrem suum fuisse dumtaxat Ducis filium, at se esse Imperatoris. Cùm autem in Belgium pervenit, adegit pater in ejus fidem ditiones omnes inferioris illius Germaniæ ad se pertinentes: quod magna celebritate factum est.

XVIII. In Anglia sævitur in Episc. Cathol.

[u] Sander. lib. 2. de Schism.

In Angliâ publico decreto Missâ, omníque religionis Catholicæ usu abrogato, (ut diximus annó superiori) Stephanus Gardinerus Episcopus Wintonensis, de quo etiam ibi dictum, à Protectore in vincula [u] conjectus est; non solùm quòd auctoritate quâ pollebat non parùm sectariorum progressus impedire videretur, sed multò magis quòd non libenter ferret societatem hæreticorum, quos in tutelâ pupilli Henricus pater sibi adjunxerat, ac liberiorem de religione concionem coram Rege habuisset. Eâdémque de causâ paulò pòst Cuthbertus Tonstallus Episcopus Dunelmensis æquè in custodiam datus est: ac subinde Edmundus Bonerus Londinensis, Georgius Daynus Cicestrensis, Nicolaus Heathus Vigorniensis. Ad cujusmodi, atque etiam pejora opera patranda, tum spiritus hæresis, totus ex crudelitate ac sævitia concretus, tum ministrorum hæresis cohortationes inducebant. Quorum unius, nempè crudelissimi Calvini, extat scripta hoc anno ad eumdem Protectorem epistola [x] valdè prolixa: ubi inter cetera quæ impartitur ei monita, hortatur gladio agere adversùs eos, qui in superstitionibus Antichristi (ut vocat religionem Catholicam) ita obduruerunt, ut earum revulsionem ferre non possint.

[x] Calv. ep. 87. edit. in 8°.

XIX. Maria Reg. Scotiæ ducitur in Franciam.

[y] Lesla. lib. 10. Belcar. lib. 25.

Cùm autem Angli bellum contra Scotos continuarent, occasione quam aliàs diximus Mariæ Reginulæ Scotiæ, quâ Angli Regi suo uxorem volebant: ut omnis spes eis tolleretur ejus umquam obtinendæ, de communi trium Ordinum Scotiæ consensu [y], ea sexennis tunc existens in Galliam ducta est mense Augusti, matrimonio locanda Delphino Franciæ: quæ à Rege Henrico ingenti gaudio suscepta est. Interímque missus jam antè à Rege Dessius suppetias Scotis, quos anno superiori ingenti prælio & clade Angli prostraverant, Anglos variis certaminibus attrivit, nonnulla oppida ab eis occupata recuperavit, & rem Scoticam in longè meliorem statum reduxit: opus dehinc perficiente Paulo Termeo, qui ei successor datus est anno consequenti; donec pax facta est.

XX.

[z] Til. in Chron.

In Galliâ Rex Henricus Iudicum [z] consessum extra ordinem instituit, hæreticorum causis peculiariter cognoscendis; quo magnâ severitate multi variis suppliciis affecti fuêre. Sollicitus quoque de regni statu, Burgundiam & regionem Subalpinam, Taurinum usque progressus, visitavit; ne si Carolus Imp. hostis implacabilis nominis Francici, victoriis Germanicis elatus vires suas in ipsum converteret, regiones ei magis objectæ ad resistendum imparatæ deprehenderentur. Iis verò peragratis, & rebus ubique probe dispositis, Lugdunum primùm nono Calend. Octobris iniit magnificentissimo apparatu. Indéque profectus ineunte Octobri, decimotertio Calend. Novembris Molinij Borboniæ nuptias celebravit Antonij Borbonij Ducis Vindocinensis, cum Ioannâ Labretanâ Henrici Navarræ Regis & Margaritæ Francisci Regis sororis filiâ unicâ & herede; quæ olim in minore ætate, ut vidimus, desponsata Duci Clivensi, liberâ ab eâ promissione permanserat per matrimonium a Clivensi cum filiâ Ferdinandi Regis contractum. Ex quo felicissimo conjugio natus est Henricus Magnus Galliæ & Navarræ Rex, pater Ludovici Iusti nunc feliciter regnantis, ac de hostibus Ecclesiæ & regni gloriosissimè triumphantis.

Nuptiæ inter Antoniũ Duc. Borbon. et Ioannam Navarram.

XXI.

[a] Bellefor. lib. 6. cap. 67. & 68. Belcar. lib. 25.

Seditio Burdeg. pro vectigali salis.

Quo tempore gravissimus excitatus est in Aquitaniâ tumultus [a], propter vectigal salinarium, & tributa extra ordinem imperata: quo multis ex præfectis tributorum variis locis occisis, aut aliàs malè habitis Burdegalæ, quæ caput est provinciæ, Tristanus Monenius, Henrici Navarræ Regis totius provinciæ Gubernatoris legatus, crudeliter trucidatus, laceratus, salitus, nudúsque projectus in cœnum fuit. Ad quos tumultus sedandos, & comprimendos, cùm nec auctoritas Senatûs Burdegalensis, nec vires Regis Navarræ pares essent; missus à Rege Annæus Mommorantius Conestabilis, unà cum Duce Aumalio, posteà Guisio, cum exercitu Gallorum & Germanorum, mense Octobri Burdegalam ingressus, ex sententiâ Iudicum quos secum adduxerat, præcipuos seditionis reos capite, aliísque gravioribus suppliciis, pro conditione personarum punivit; civitate cunctis privilegiis, decurionatu, jurisdictione, possessionibus publicis, & grandis pecuniæ solutione mulctavit; arma omnia in arces deportavit; tintinnabula & campanas, quibus seditionis signum dabatur, è turribus sacris & profanis disjecit; literas omnes, quibus civitatis immunitates & privilegia continebantur, cremavit, ipsismet decurionibus ignem succendentibus. Terra, quâ tectum Monenij cadaver fuerat in Carmelitarum ædibus, non aliquo ferramento, aut alio instrumento, sed propriis civium unguibus & digitis revelli jussa est; & sic erutum cadaver, magnâ pompâ, & cleri comitatu, à decurionibus, ac centum & viginti civibus capitibus nudis ardentes tædas præferentibus, lugubri vestitu efferri in ædem metropolitanam S. Andreæ, sequentibus funus plus quinque millibus ex omni multitudine cum accensis cereis: & ubi ad Mommorantij ædes ventum est,

sistentes funus, omnes in genua prolapsi, lamentabili voce, ut jussi erant, misericordiam implorârunt, suum delictum execrantes, ac Regi, quòd non in eos graviùs animadverteret, gratias agentes. Cadaver magnifico sepulchro in S. Andreæ conditum, cum elogio, quo causæ, dies, genus mortis explicabantur: & annua sacra in tanti sceleris expiationem instituta. Iusso quoque abstinere Senatu Burdegalensi, ob molliorem in iis tumultibus compescendis exhibitam diligentiam; missi sunt ex aliis judices, qui populo jus dicerent. Sed tam pristinus Senatus anno sequenti à Rege benignè restitutus est, quàm civitati privilegia ac bona publica, præter pauca, reddita; ac subinde reliqua; multæque aliæ decretæ eidem, ac reliquis populis, qui pariter tumultuati fuerant, pœnæ aut remissæ, aut mitigatæ, facilitate Gallicâ, & innatâ Regibus benignitate.

XXII. CAROLI FIDES ERGA HENRIC. REGEM. [b] *Natal. lib. 3. Thuan. lib. 5.*

In hisque tumultibus notatione dignum est, Carolum Imp. tantæ æquitatis & fidei Principem, quâ erat in Henricum Regem voluntate, ubi [b] audivit ardentem in Aquitaniâ seditionem, misisse in Angliam Maximilianum Egmondanum Comitem Buranum, ut cum Protectore ac reliquis regni tutoribus ageret, ne adeò pulchram occasionem elabi finerent, ac ruptis cum Gallis induciis, conjunctis secum viribus bellum Galliæ inferrent: verùm compositis præter illorum spem domesticis motibus, Carolum posteà id apud Regem excusâsse, & alia ob negotia eò Buranum profectum, multis & officiosis verbis conatum esse ostendere. Qui quidem Buranus, vir pace & bello magnus, post reditum ex Angliâ mortuus est exeunte hoc anno. De quo ferunt, cùm jam deploratâ salute Andreas Vesalius raræ doctrinæ ac judicij medicus mortis horam ac penè momentum prædixisset, magno apparatu convivium instrui jussisse, & omni gazâ ac supellectili argenteâ expositâ amicos vocâsse; quibuscum mensæ assidens, dona liberalitate summâ distribuerit, atque extremum vale nihil commoto animo dixerit; inde lecto impositum, horâ & momento à Vesalio prædictis expirâsse: priùs tamen piè susceptis [c] sacro viatico & extremâ-unctione, ac totâ familiâ de pietate & honestate servandâ monitâ.

COMITIS BURANI OBITUS.

[c] *Pontan. Rer. memor. lib. 4.*

XXIII. [d] *Sleid. lib. 21. Mauroc. Hist. Venet. lib. 6.* FRATRŨ VERGERIORUM EPISCOP. APOSTASIA.

Quod diximus de edictis Imperatoris & Regis Galliæ contra hæreticos, nec in eo segnes extitêre Veneti [d], cùm in illorum ditionibus serperet etiam hujusmodi venenum; qui antiqua in illos facta decreta renovârunt. In quorum ditione fuêre hoc tempore eâ fuligine infecti plures per duorum fratrum Episcoporum apostasiam: videlicèt Petri-Pauli Vergerij Episcopi Iustinopolitani in Istriâ; cujus operâ cùm sæpiùs usi fuissent, ut vidimus, Romani Pontifices in negotiis Germanicis, in eóque esset Paulus ut eum Cardinalem creare vellet, detectâ ejus pravâ cum hæreticis conversatione, à proposito destitit: unde Vergerius perculsus, palàm defecit; & in eamdem defectionem fratrem suum Ioannem Baptist. Polanum in eâdem Istriâ Episcopum induxit. Ab Inquisitoribus verò exagitatus, pòst diversa peragrata loca, à Christophoro Duce Wittembergensi Tubingam evocatus fuit, mortuo jam anteà ejus fratre.

XXIV. [e] *Orland. Hist. Soc. lib. 8.* EXERCITIA SPIRITUALIA B. IGNATII LOIOLÆ.

Hoc anno [e] Paulus Pontifex postulatu Francisci Borgiæ Ducis Gandiæ in Hispaniâ, libellum *Exercitiorum spiritualium*, ab Ignatio Societatis Iesu compositum, & à destinatis per Pontificem gravissimis censoribus comprobatum, auctoritate Apostolicâ communivit die ultimo Iulij, & in publicum evulgari permisit; hortans omnes ad tam piorum documentorum usum. Isque primus faustissimo sanè initio Societatis impressus est liber. Idem autem Borgia, cùm olim à Carolo Cæsare efferendi ejus conjugis cadaveris curâ acceptâ, ejusdem conspectûs horrore, quò tandem rerum humanarum fastigium speciésque recideret, divinâ illustratus gratiâ attentè reputans, decrevisset spreto mundo sese Deo totum dedere; post multa variáque exhibita pietatis exempla, tandem Societatem Iesu ingressus, ejus etiam Generalis factus est; eámque dignissimè administravit.

XXV. [f] *An. 1484. XI. 1491. VII.* DE STATU REGNI CONGI HUIUS TEMPORIS.

Ex quâ missi anno superiori in regnum Congi, sive ut quidam vocant Manicongi, de cujus Christianitate dictum est superiùs [f], Georgius Vazius cum tribus aliis sociis, à Ioanne Rege Lusitaniæ, de illius regionis salute quæ defectu cultûs post Regis Alphonsi obitum periclitabatur, sollicito; præsenti anno eò pervenerunt, excepti perhonorificè à Iacobo tunc Rege. Qui cùm Christianus quidem esset professione, moribus tamen ac vitâ longè erat ab eo nomine alienis; eúmque imitati populares, ad vitia & superstitiones avitas ruebant. In iis autem instituendis multùm laboris per aliquot annos Patres impendentes, quamvis initio res satis bellè procederent, deinceps tamen ob Regis inconstantiam, & ingenium commutabile, non eum exitum habuerunt qui speratus fuerat: quinimmò omnes edicto regio pulsi regno sunt, ut hæc videre est diligenter tractata apud Orlandinum [g]. Cui consentaneum videtur magis ut credamus, ex suorum relationibus scribenti, quàm narrationibus Philippi Pigafettæ in descriptione ejus regni, ex Eduardi Lopez acroamatis excerptâ, longè aliter de hujus Regis Iacobi pietate, & zelo religionis, referentis; culpamque excidij religionis magis in Lusitanos ipsos & Hispanos rejicientis, quàm in Reges & populos Congianos. Qui verò plurimas alias missiones Patrum Societatis, non solùm per universam Europam; verùm etiam per Indias, Brasiliam, & alias terras quas vocant novas, quaquaversùm ingenti profectu initas, nôsse voluerit, apud eum auctorem in Societatis Historiâ singulis annis descriptas reperiet.

[g] *Orland. an. 1548. 1553. & seqq.*

XXVI. BELLUM SOLIMANI CONTRA PERSAS.

Hoc item anno bellum à Solimano Turcorum Imperatore susceptum est contra Scach Tammasum Sophum Regem Persarum; sed quod longè diversè à diversis narratur Annales Turcici editionis Leunclavij, quibus maximè superiùs usi sumus in recensendis illius Imperij rebus, tradunt fuisse fratrem Tamaso, (sive, ut vocant, Techmasi, quem nonnulli Thomam esse volunt) nomine Ercasem Imirsam, Siruanæ provinciæ, hoc est Mediæ, summo cum imperio à fratre præfectum; qui certas ob causas à fratris amicitiâ discedens, ad Solimanum profugerit, atque ab eo cum honore & muneribus receptus,

auctor ei fuerit Persidem invadendi. Solimanum cum immensis copiis eò proficiscentem, captâ non sine labore urbe Wano in majoris Armeniæ finibus, militem ad prædandum per regionem emisisse, Techmase nusquam comparante. Donec proceres Turci ac duces exercitûs, diuturni & infructuosi belli tædio affecti, in Ercasem ejus auctorem conspirantes, Solimano illum suspectum reddiderunt. Hoc ipsum animadvertentem, ut saluti suæ consuleret, in arcem cujusdam principis Chaldæi se recepisse, verùm ab eo captum, Techmasi restitutum esse, qui arctæ custodiæ mancipaverit. Solimanum denique nullâ prætereà re gestâ, post unum & viginti menses in eâ expeditione insumptos, Constantinopolim rediisse inglorium sub principium anni 1550. In quo desinunt iidem Turcici Annales: quibus deinceps Leunclavius, diligens rerum illius Imperij scrutator, breve Supplementum addidit usque ad annum Christi 1588. Expressiùs habens Annales [h] Veneti, fuisse exercitum Solimani trecentorum & quinquaginta millium armatorum, majori ex parte equitum: nihil tamen eo gravi ac periculoso bello, præter inanem ostentationis laudem Solimanum tulisse, multis suorum ab hostibus cæsis, multò pluribus fame absumptis, morbísque qui passim per exercitum pestiferâ lue grassabantur, confectis: ac nihilominùs incredibili fastu elatum, ex Alepo, ubi cum reliquiis copiarum hiemavit, nuncium Venetias misisse cum literis ad Senatum, quibus suas victorias inaniter jactaret.

[h] Mauroc. lib. 7. in pr.

XXVII. Persarũ narratio de eo bello.

Annales autem Persici expeditionem Solimani, quam æquè præsenti anno cœptam ponunt, longè aliter exponentes, aiunt hanc belli præcipuam fuisse causam, quòd cùm duo Solimani filij Selimus & Bajazetes de futurâ in regnum paternum successione armis inter se contendissent; faventéque Solimano Selimo, Bajazetes ad Regem Persarum confugisset, eúmque repetitum reddere Tammasus renueret: Inde Solimanum, potentissimum exercitum ampliùs ducentorum millium armatorum adversus eum comparâsse: Atque ubi primùm in agrum hostilem pervenit, incredibili immanitate obvia quæque ferro & igni populatum esse; eò majori furore quòd Tammasus non solùm Bajazetis patrocinium suscepisset, verùm etiam suis copiis eum præfecisset. Quamvis autem Tammasus haberet in armis centum millia hominum & ampliùs, veritum tamen cum longè majoribus Solimani copiis concurrere, missâ ad Regem Lusitaniæ, qui magnæ parti Indiæ imperabat, legatione, auxilia ab eo obtinuisse decem millium Hispanorum cum viginti tormentis bellicis: quorum præcipuè virtute, necnon Bajazetis fortissimè in exercitum paternum impressionem facientis, prælio totis copiis in ripâ fluminis Euphratis acerrimè pugnato, (cui uterque Imperator interfuit summâ virtute rem agens) Turci superati fuerint, cæsis centum & triginta fermè eorum millibus, cum pluribus ducibus ac proceribus, ipsóque Solimano vulnerato: qui & prætereà in reditu magnam superstitum partem amiserit, ex omnium rerum penuriâ, quoniam per solitudines & devastatas à se regiones regrediendum erat: Hanc cladem divinitùs prænunciatam fuisse Turcis, ante quàm Byzantio discederent, per crinitam stellam, quæ visa est habens penes se duo jacula lignea; ac Lunæ apparitionem, facie cruore obductâ. Ita ibi: quæ tamen ultimâ non nisi decimò post anno contigisse, certioribus testimoniis videbitur suo loco.[i] Fugam autem Ercassis sive ut vocant Helcadis, à fratre Tammaso, post aliquot annos ponunt: eúmque, sive prælio à fratre captum, sive ab ipsomet Solimano, ob suspicionem proditionis, ad fratrem remissum, postquàm aliquamdiù in vinculis detentus fuisset, jugulari jussum esse: cúmque Tammasus vereretur, ne etiam alius quem habebat frater rebellaret, eum quoque trucidari præcepisse.

[i] Infr. an. 1559. in fi.

Iesu Christi Annus 1549.

Pauli III. Annus 15.

Caroli V. An. 31.

I. Protectoris Angliæ sævitia in fratrem.

Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo nono, Indictione septimâ, bella reformatio in Angliam à Protectore Sommerseto introducta, quâ omnem religionem pietatémque sus déque posuit, & Catholicos dirè exagitavit; suasit etiam, pro spiritu hæresis, ut proprium fratrem Thomam, ejusdem licèt hæresis sectatorem, præfecturâ verò maris Anglici insignitum, qui & Catharinam Parram Henrici defuncti Regis viduam uxorem duxerat, ex quâdam æmulatione perduellionis accusatum, (præcone scurrâ illo Latimero, de quo superiùs) tormentísque subjectum, atque damnatum, ultimo supplicio afficeret decimotertio Calend. Aprilis. Vnde Catharina dolore & invidiâ percita, paulò pòst expiravit. Haud verò diù distulit Protector scelerum pœnas. Cùm enim ingens per Angliam orta esset commotio à popularibus, tum ob mutatam religionem, tum ob agros publicos à nobilitate ad venationes & usus privatos circumseptos; indéque captis utrimque armis, multa cædes facta esset; atque intereà Rex Galliæ Henricus, ejusmodi tumultibus in suum commodum utens, castella quædam & arces circa Boloniam, quæ adhuc ab Anglis detinebatur, partim vi cepisset, partim ad deditionem compulisset, eâque ratione milites præsidiarios Boloniæ in maximas angustias redegisset: gravissimè hæc ferentes proceres Angli, (ac præcipuè Ioannes Dudleius Comes Warvicensis, factus posteà Dux Northumbriæ) invidiâ & odio in eum ducti, & in pravam ejus administrationem culpam omnem derivantes, pridie Idus Octobris in carcerem conjecerunt: in quo detentus est quatuor mensibus: donec pòst liberatus, iterúmque reclusus & dimissus, demùm pœnas capite luit, ut videbitur suo loco.

II. Disputationes in Anglia de religione.

Catholicis autem animum inter hæc nonnihil resumentibus; qui doctiores erant in Academiis Oxoniensi & Cantabrigiensi, aliísque locis, hæreticis doctoribus liberiùs se opponere audentes, etiam ad disputationem provocare non dubitârunt, ac præcipuè Ri-

chardus Smithæus Theologus eruditissimus, Petrum Martyrem in eâdem cathedrâ Oxonij prælegentem, quam priùs ipse Smithæus tenuerat. Protelante Martyre, donec Coxum (posteà Eliensis Episcopatûs usurpatorem) ex aulâ regiâ disputationis moderatorem nactus esset, ac Smithæum acerrimum disputatorem ab Oxonio relegatum vidisset; rebus ita comparatis, mense Maij instituta est de Eucharistiâ disputatio inter eumdem Martyrem Zuinglij dogma sustinentem, & Tressamum ac Chedseum Doctores Catholicos illud oppugnantes. In quo postquàm triduo essent versati, animadvertens Coxus Martyrem multò graviùs premi quàm speraverat, fingens se Londinum avocari, disputationem solvit, Martyrem tamen tamquam victorem miris laudibus extollens. Ipséque Martyr disputationem illam malâ fide, pro libertate hæreticâ, typis edidit. Idémque non paucas prætereà contra Eucharistiam calumnias collegit: quas Stephanus Episcopus Wintoniensis è tetro carcere doctissimè confutavit; & sub nomine Marci Constantij edidit. Ita namque rem gestam narrat Sanderus [a] in Schismate Anglicano: cui magis credendum cordatus quisque censebit, quam testimoniis aut Martyris, aut præfectorum disputationis, victoriam decantantium. Similem autem exitum habuit Disputatio Cantabrigiensis, quam descriptam reperiet, qui eam cupierit, apud Rescium [b]. Meminítque alterius similis Sanderus, ibidem cum Bucero habitæ: qui hoc anno mense Aprilis, unà cum *Paulo Fagio* (ita quippe sese nuncupavit, cùm patrio cognomento *Buchlin* diceretur; patriámque habuit Tabernas Rhenanas oppidum Palatinatûs (Hebraicæ linguæ satis perito, vocatione Cranmeri Archiepiscopi Cantuariensis in Angliam delatus, Cantabrigiam ambo missi sunt: vixque eâ salutatâ, Fagius ibidem mortuus est mense Novembri anno ætatis quadragesimo quinto. Bucerus autem quindecim post mensibus, Februario 1551. ætatis sexagesimo primo quem in Iudaismum paulò antè lapsum esse ferunt; revocato videlicèt in dubium, utrùm Christus verus Messias fuerit, an alterius esset expectandus adventus. Laudatur à suis de studio pacis & concordiæ, quam inter sectas conciliare sategerit. Voluerit igitur etiam de Iudæis benè mereri. Ait Lindamus, (quod & ipsius acta loquuntur, & aliàs [c] diximus) ita varium in fidei doctrinâ fuisse, ut tam difficile sit ad aliquam tot recentium hæresiarcharum sectam eum referre, quàm propriam ei tribuere. Ne tamen omninò absque magni viri præconio abeat, scribit Hosius, fuisse eum Luthero doctrinâ non inferiorem, linguarum peritiâ superiorem. Ceterùm ex prædictis disputationibus & commotionibus Anglicis recrudescente ibi persecutione in Catholicos, quamplurimi ex ecclesiis & collegiis ejecti fuêre, aut aliis dignitatibus spoliati, & exilio, aut carcerum & vinculorum pœnis affecti: inter quos præcipui extitêre Episcopi illi, quos anno superiori recensuimus, his temporibus non solùm dignitatibus exuti, sed etiam carceribus mancipati; aliis in locum eorum suffectis, monachis libidinosis, & impuris apostatis. Quæ apud eumdem Sanderum diligenter tractata videre licet.

[a] Sand. lib. 2.

[b] Resc. de atheism. hæret. lib. 1. cap 5.

[c] Supr. an. 1536. XIX. XX.

BUCERUS ET FAGIUS IN ANGL.

PERSECUTIO RECRUDESCIT IN ANGLIA.

III. SYNODUS PROVINC. COLONIENSIS.

In Germaniâ *Adolphus* Archiepiscopus Coloniensis, ex decreto Imperatoris quod diximus anno superiori, Quadragesimæ tempore *Synodum* Episcoporum suæ provinciæ habuit: quâ sex generalia decreta de ratione disciplinæ condita sunt; videlicèt de scholis instaurandis, de ordinandorum examine, de officio cujusque ordinis, de Visitationibus, de Synodis, de restitutione jurisdictionis Ecclesiasticæ; cum multis in singula illa capita decretis: additáque insuper fuêre alia capita triginta & octo ad antiquas cæremonias & ritus Ecclesiasticos restituendos. Quæ Carolus Cæsar literis suis datis Bruxellæ quarto Nonas Iulij rata habens, in suis Inferioris Germaniæ dominiis, quæ tunc jurisdictioni Archiepiscopi Coloniensis parebant, observari præcepit. *Sebastianus* quoque Archiepiscopus Moguntinus tertiâ à Paschate hebdomadâ, suam itidem provincialem *Synodum* celebravit; conditis de fide decretis quadraginta septem; de reformatione quinquaginta septem ad disciplinam restituendam, & sacros ritus, per Lutheri aliorúmque ejus asseclarum conciones in contemptum adductos, in antiquum usum revocandos. Quemadmodùm & *Ioannes* Treverensis Archiepiscopus, habitâ item mense Maij provinciali *Synodo*, idipsum præstitit. Cujus, sicuti & superiorum, canones extant in Tomis Conciliorum. Præter quos, celebrâsse & suas Synodos ceteros quoque Archiepiscopos Germaniæ constat, ad Augustana decreta tam super Interim, quàm super reformatione, de mandato Imperatoris promulganda. Coloniensis verò rursùm diœcesanam mense Octobri, aliámque Februario sequentis anni, ac deinceps alias celebravit; quarum acta & constitutiones apprimè utiles, tum ad alia, tum præcipuè ad formam visitationis, continentur in collectione particulari Conciliorum Coloniensium.

ITEMQUE MOGUNTINA.

ET TREVERENSIS. ALIÆ PER GERMANIAM.

IV. NUNCIORŪ PONTIF. IN GERMANIA GESTA.

Nuncij autem Pontificis, Episcopi Fanensis, Veronensis, & Ferentinus, anno superiori designati, præsenti tantùm ad Cæsarem in Belgium sub exitum Maij pervenientes, mandata sua atque indulta exposuerunt: & de ratione modóque executionis consiliis cum eo collatis, posteaquàm intellexerunt, fieri non posse ut loca omnia quæ remediis indigerent, ipsimet accederent; locorum Episcopos, pro facultate ipsis, ut vidimus, traditâ, substituerunt, qui rem executioni mandarent. Scripsítque Cæsar ad eos, ut leniter ac placidè rem agerent, & exhortationibus potiùs qnàm execrationibus experirentur. Parùm tamen his profectum fuisse constat, ob Protestantium pervicaciam, à communione calicis divelli non valentium: & concionatorum eorum impiam impuritatem, qui cum ex monachis desertoribus plerumque constarent, minimè induci poterant ut conjuges desererent, ac liberos ex eis susceptos. Redeunte verò paulò pòst in Italiam Ferentino, reliqui duo tamdiù apud Cæsarem hæserunt, donec post obitum Pauli Pontificis Archiepiscopus Sipontinus à Iulio ejus Successore in Germaniam missus est, uti dicetur suo loco.

V. Henrici Regis Galliæ edicta de Religione.

In Galliâ Henricus Rex, post solemnem Reginæ conjugis factam decimo Iunij apud Sandionysium coronationem, sexto pòst die regiâ magnificentiâ Lutetiam primùm post partis obitum ingressus; quarto Iulij supplicationem publicam ad primarium templum Beatissimæ Virginis fecit: ac postridie edictum evulgavit typis excusum, quo supplicationis causam exposuit, ut gratias Deo ageret pro tam multis in se collatis beneficiis, oraret pro suâ, suorúmque, ac regni salute & incolumitate, próque patris ac majorum suorum omniúmque piorum animabus; úrque constaret omnibus, se paterno exemplo statuisse, Religionis Catholicæ, Sedis Apostolicæ, & Ordinis Ecclesiastici patrocinium atque tutelam suscipere, à novitatibus in Religione abhorrere, & planè decrevisse invectas nuper hæreses à Luthero, Zuinglio, Melancthone, Bucero, Calvino, & id genus aliis hæresiarchis è regni finibus prorsùs exterminare, & in eos qui meriti essent gravissimè vindicare. Qui & ipse eodem tempore nonnullorum ob Lutheri doctrinam ad ignem damnatorum supplicium spectavit. Rursúmque 19. Novemb. legem tulit de coërcitione lapsorum in hæresim; quâ Magistratibus regiis de crimine quærere, & reos interrogare mandavit; tum judicij faciendi causâ reos ad Episcopos remitti. Quod tamen nonnulli interpretati sunt, arte quorumdam regij consistorij procerum factum esse; ut cùm Episcoporum hâc lege auctoritas extolli videretur, reipsâ hæretici atrocissimis pœnis, quibus in eos à regiis judicibus animadvertebatur, imposterùm eximerentur, quippe quòd graviorem carcere perpetuo pœnam Episcopi non irrogarent. Idem verò Henricus rebus etiam bellicis provisurus, Helvetios de fœdere renovando, quod patris morte solutum videbatur, sollicitavit, obtinuítque (nequicquàm Cæsare id vehementi nisu impedire conato) in vitam suam, & quinque pòst annis cum heredibus duraturum: accedentibus etiam ad fœdus Valesiiis, Lepontiis, ac tribus Rætorum pagis. Basileenses tamen & Schaffusiani ægrè pertracti sunt ut assentirentur; quòd qui eamdem secum doctrinam amplectebantur, in Galliâ gravissimis suppliciis afficerentur. Soli Tigurini & Bernates, præcepta Zuinglij retinentes, qui mercenariam militiam cum exteris, ac præsertim contrariæ Religionis, damnaverat, inire omninò recusârunt.

Fœdus renovat cum Helvetiis.

VI. Margaritæ Reginæ Navar. obitus.

Sub finem anni, nempè 21. Decembris, *Margarita* Regina Navarræ, Henrici amita, soror Francisci Regis, apud Audossium castrum in Bigerronibus vitam finivit, anno ætatis fermè 59. femina multis ingenij & animi dotibus exculta: quæ olim ab hæreticis in oram [d] præcipitij adducta, retulit pedem ne in barathrum prolaberetur. Suscepit sanè nonnullorum malè de fide sentientium patrocinium, sed magis ex humanitate, ne tormentis subjicerentur, quàm ex penitùs depravatâ mente; etiamsi hæretici, ut solent res suas mendaciis & jactantiis amplificare, eam uti suam vendicare præsumpserint. Cui rei favit volumen fabellarum, imitatione Ioan. Bocatij ejus nomine editum, refertum inter cetera jocis & derisionibus atque ludibriis monachorum & sacerdotum: quod certè etiamsi à nonnullis ratione temporis, & juvenilis ætatis in quâ scriptum est, excusetur, tantæ nihilominus gravitate heroïnæ, & extremâ vitâ penitùs indignum censeri debet. Ipsa verò decima Musa, & quarta Charis, à studiosis omnibus, aut una novem Musarum, & trium Charitum instar appellari meruit; versibúsque passim editis, & nummis percussis, iis elogiis ornata est: quam mortuam funebri oratione laudavit Carolus Sanmarthanus. Ceterùm eam in fide & communione Ecclesiæ Catholicæ-Romanæ, susceptis piè omnibus consuetis Sacramentis, decessisse, testimoniis eorum qui interfuerunt, probat Florimondus [e] Ræmundus. Nec abnuunt hæretici: inter quos Beza, locum ei in suis Iconibus post Regem Franciscum ipsius fratrem tribuens, laudéque dignam sempiternâ prædicans, quòd fratris iras pro viribus temperâsset, & plurimos optimos viros conservâsset; addit, ipsius gloriæ in ultimâ ætate labem aspersisse credulitatem.

[d] Vid. supr. an. 1523. XV. & 1535. V.

[e] Florim. Hist. de ort. hær. lib. 7. cap. 4.

VII. De Gerardo Rufo Episc. Olor.

Inter illos autem, quos præcipuè fovit, & à mortis periculo eruit, fuit *Gerardus Rousellus*, (quem *Rufum* auctores Latini vocant, cujúsque aliàs [f] meminimus) unus ex Calvini magistris; cui primùm Cleriacensem opimam valdè in Aginnatibus Abbatiam impetravit à Rege; deinde etiam Episcopatum Olorensem, sive Oleronensem in Bearniâ contulit. Hoc præcone facta est in eâ provinciâ atque aula Regis Navarræ, ingens Religionis corruptio, quæ maximam ejus partem pessumdedit; eò faciliori introductione, quòd esset is vitâ inculpatâ, prædicaret frequentissimè, greges pauperum aleret, turbas puerorum in literis erudiendas curaret, denique semper se Catholicum exteriùs profiteretur: quinimmò & Lutheri, & Zuinglij, & Calvini doctrinam improbare præseferret. Adeò ut tradant, in eum potissimum, ut tempori magis quàm causæ inservientem, compositum esse à Calvino librum, cui titulum fecit *Adversus Nicodemitas*. Fuit autem primus, qui habitu Catholico communionem sub utrâque specie publicè plebi impertierit; cùm alioqui fingeret sibi in Eucharistiâ nescio quod corpus spiritale, carnem & ossa non habens. Ad cujus adeò specialem mentionem faciendam, eò procliviùs devenimus, quòd cùm esset familia nostra Spondana prædictæ diœcesis Oloronensis, ex oppido Malleone provinciolæ Solæ non è postremis, vehementissimè doleamus, hujus Rousselli, aut ejus discipulorum seductionibus, infelices quoque parentes nostros, in Religione Catholicâ educatos, in laqueos hæresis Calvinianæ aliquando incidisse.

[f] Supr. an. 1523. XV.

Familia Spondana.

VIII. Maytiæ egregiũ facinus.

Memorabile est quod circa eumdem Roussellum Episcopum ibidem contigit. Miserat ille primùm ad hæresim in eodem oppido Malleone, ubi jam radices egerat, fovendam, concionatorem quemdam monachum apostatam. Is cùm ex ipsius præscripto contra Indulgentias & Sanctorum invocationem, è pulpito invehi cœpisset; monitus à nonnullis firmioribus Catholicis ab ejusmodi carmine cessare, cùm non acquiesceret. *Petrus-Ar-*

naldus quidam *Maytia* ex honestis loci incolis eum acriter arguens ab oppido fugere compulit. Eam injuriam ulturus Roussellus è Bearniâ Malleonem accurrens, cùm primò, obtentu celebrationis Synodi convocatis sacerdotibus, de festis Sanctorum resecandis propositionem ingessisset, tamquam inutilibus, & populi commodis detrimentosis, nec à clero audiretur: posteà pulpito publicè conscenso; cùm rem ad plebem urgeret, aliósque errores immisceret: idem Petrus-Arnaldus zelo fidei incensus, ac cathedram pestilentiæ accedens, securi quàm ad id sub pallio attulerat, illam magnis ictibus in frusta conscidit, Roussello prostrato semimortuo, nèc tamen læso: qui à suis abstractus, vix resumptis spiritibus in Bearniam secedens, cùm non multò pòst tempore ad vires firmandas balnea peteret, mortuus est in viâ. Maytia in jus vocatus ad Parlamentum Burdegalense, cui sola subest, post rem diligenter examinatam liber dimissus est. Adeóque de pio atque eximio facinore cælitùs convenientissimè remuneratus ut cathedræ pestilentiæ disjectione aliam salutis domui suæ præparaverit: filio ejus *Arnaldo* dicto, facto posteà ejusdem diœcesis Episcopo apprimè Catholico: cujus summis laboribus, itineribus, & expensis, Religionis Catholicæ exercitium, quod per quadraginta circiter annos in Bearnia conticuerat, in pristinum statum postliminio restitutum fuit. Eíque defuncto subrogatus est alter *Arnaldus* ejus ex frâtre nepos, qui hodie illam Ecclesiam diligenter administrat. Et ut puto, augurórque, non deficiet Pontificalis lituus ab eâ familiâ, quamdiù erunt qui eum dextrè atque salubriter gestare valeant. Qui tamen haud recens in eâ fuisse putatur: quandoquidem quem vidimus olim [g] *Amatum* Olorensem Episcopum, Legatum Gregorij Papæ VII. ex eâdem extitisse existimari potest, eò quòd qui *Amatus* Latinè dicitur, Cantabricè (quod est vulgare idioma Malleonis & provinciæ Solæ) *Maytia*, quod fuit deinceps familiæ cognomen, exponatur.

[g] *Epist. Baron. an.* 1075. *III.* 1077. *IX.* 1079. *VI.*

IX. CALVINUS APUD SUOS MALE AUDIT DE EUCHARISTIA.

Cùm maximè vigeret hoc tempore Adiaphoristarum & Interimistarum bellum, & distractæ essent in partes omnes penè Germaniæ civitates; atque in eis etiam ageretur maximè de contrariis veritatis Eucharistiæ sententiis; visus quoque est nonnullis Calvinus consubstantiationi favere. Vnde cùm apud Tigurinos Zuinglianæ significationis tenaces malè audiret; facta est hoc anno mense Augusto collatio inter Tigurinos & Genevenses ministros, Calvino unà cum Farello Tigurum profecto, ubi Bullingerus successorem Zuinglij agebat: ibíque post plures contestationes, consensisse in unam eamdémque sententiam videri voluerunt. Quàm tamen ægrè consenserit Calvinus, satis intelligitur ex quâdam ejus [h] epistolâ ad Bucerum de his scriptâ. Hujus autem consensionis mentionem agens *Theodorus Beza* in Vitâ Calvini, ait eò se libentiùs id agere, quòd idem hic annus sibi primæ ad Ecclesiasticas functiones vocationis suæ, vocante se Lausaunensi Ecclesiâ, impellente verò Calvino, initium fuerit. Fuit porrò BEZA patriâ Vezelius vetusto Heduorum oppido natus anno 1519. 24. Iunij, non ignobili genere. Qui cùm diligentem operam literis Latinis & Græcis navâsset, poësim quoque adeò coluit, ut non malus poëta audiri potuisset, si versus suos spurcitie, libidine, sodomiâ, aliísque ejusmodi nefandis turpitudinibus non conspurcâsset; quarum faciunt fidem edita ejus poëmata, *Iuvenilium* titulo salacitatem quodammodò excusantia. Cujus beneficia aliquot Ecclesiastica à patruo adeptus, festivo & scurrili ingenio, necnon venusto ore & corpore præditus, haberet unde genio suo indulgeret, vitámque diceret dissolutissimam; vocatus in judicium de pæderastiâ & præposterâ libidine apud Senatum Parisiensem, sibi timens, venditis pecuniâ beneficiis, inditóque sibi nomine Theobaldi de Maio, Genevam omnium scelerum sentinam, ac sceleratorum confugium, abductâ secum suâ obscœnis suis versibus decantatissimâ Candidâ, quam sartoris cujusdam Parisiensis adhuc viventis uxorem, Claudiã nomine fuisse volunt) aufugit. Vbi à ceteris extorribus exceptus, Calvino ita adhærescere videri voluit, ut dicta factáque ejus singula suspiciens efferénsque, Calvinolatra passim vocaretur: à quo Lausannæ primùm Græcæ linguæ, deinde sacrarum literarum professor constitutus est. De ejus porrò vitæ turpitudine antequàm Genevam peteret, tum de ceterâ ejus conversatione, plura qui voluerit, habet quamplurima in unum collecta apud Sanctesium in Responsione ad Apologiam Bezæ; Balduinum in aliâ Responsione ad ejus calumnias; Bolsecum in ejus Vitâ; & alios, quos Rescius recenset in Evangelicarum Sectarum Centuriis. Quibus dignè addendus Florimundus Ræmundus in Ortu hæresum, multa de illo habens ceteris intacta. De cujus propriis erroribus, déque seditiosis consiliis, bellicis agitationibus, disputationibus publicis, aliísque ad eum spectantibus, dicetur inferiùs suis locis.

[h] *Calvin. ep.* 39. *edit. in* 8°.

THEODORI BEZÆ PRIMORDIA.

X. ANDR. OSIANDRI HÆRESES.

Quo etiam anno ANDREAS OSIANDER Lutheranus, natione Bavarus, qui nomen familiæ ridiculum (parens enim fuit *Osen-Enderle* dictus, arte faber ferrarius) mutavit in *Osiandri*, unde sonus non longissimè recederet; nullius Academiæ alumnus, sed ex se ipso Doctor factus; relictâ propter Cæsareum Interim Norimbergâ, in Borussiam, sive Prussiam migrans, ibi sub Alberto Duce, cui fuit charissimus, exorsus est suam hæresim evomere. Hoc enim anno Schlusselburgius Lutheranus ponit in suo Catalogo hæreticorum; cùm tamen nonnulli alij sequenti, vel etiam altero pòst, quo scilicèt bellum Osiandricum maximè viguit apud Regiomontem in Borussiâ, collocent. Fuit autem præcipuus ejus error; quo docuit, hominem justificari non fide, sed eâdem essentiali justitiâ quâ Deum justus est, quæ est ipse Deus, infunditúrque hominibus ita, ut non sit Christianus gratiâ justus, sed naturâ. Contra quem proptereà plerique alij Lutherani conclamârunt: sed omnium dilucidissimè statum quæstionis controversæ, ejúsque vehementem agitationem coram Alberto Regiomonte factam, Chytræus [i] in suâ Saxoniâ descripsit: argu-

[i] *Chytr. Saxon. lib.* 17. *an.* 1551.

menta singula Osiandri copiosissimè idem Schlusselburgius non parvo volumine confutavit: cautè tamen & ipsi legendi, cum hæretici Lutherani existentes non vacent à studio factionis. Fuisse porrò à ceteris Confessionistis ingentia atque infamissima in Osiandrum jactata convitia & probra, Hosius [k] etiam scribit: adeò ut improperarent, eum affirmare Christi passionem & mortem nullum nobis fructum attulisse. Denique tantum fuisse odium homini conflatum, ut non ipse modò tamquam impius haberetur, verùm etiam qui sermones ejus audirent, à communione ceterorum arcerentur, ac ne sepulturâ quidem communi digni haberentur. Missum esse Wittembergam, ut de doctrinâ ejus judicium fieret: damnatam esse per Melancthonem, Pomeranum, Forsterum, & alios. Missum esse Wittembergam: approbatam esse, aut certè non rejectam, per Brentium, & qui erant ejus sectæ. Ortum igitur est gravissimum inter ejusmodi fratres bellum; quo se mutuis scriptis & sermonibus pacem dilacerârunt: cùm alioqui contestaretur Osiander, idem cum ipso sensisse Lutherum; prout etiam testatur Sleidanus [l]. Postremò scribit Lindanus [m], Osiandrum se alterum quoque Enoch jactitâsse: cùm tamen Palladius narret, eum planè mutum ut bestiam, horribiliter extinctum esse anno 1552. 17. Octobris. Chytræus, paroxysmo epileptico prostratum ex hâc vitâ discessisse, cùm in eo esset ut per Albertum Ducem, quem omninò sibi adhærentem habebat, omnes adversarios uti Reipublicæ perturbatores & seditiosos expelleret. Vnde & illud lucri retulit Ecclesia, quòd cùm *Fridericus Staphylus* Osnaburgensis Westphalus, & Scholæ Ingolstadiensis superintendens, qui tunc Regiomonte cum ceteris ejus Academiæ Doctoribus Confessionistis Osiandro sese opponebat, animadverteret Wittembergenses languidiùs rem agere; Wratislaviam secedens, ad Catholicos se transtulerit, ubi certam tam ejus quæstionis quàm ceterarum aliarum cognitionem perciperet; non ultimus factus deinceps religionis ac fidei Catholicæ defensor ac propugnator. Haud verò morte Osiandri secta ejus extincta est; quam Ioannes Funccius ejus gener & eximius laudator, atque alij tuendam susceperunt: adeò ut etiam hactenùs vigeat. De cujus uno; aliísque erroribus, tractârunt prætereà ex Catholicis Sanderus, idémque Staphylus, & alij qui de hæresibus, vel hæreticorum inter se dissidiis scripsêre.

[k] Hos. lib. 1. de hær.
[l] Sleid. lib. 22.
[m] Lindan. Dubit. dial. 2.

Ejus mors.

XI.

Scholæ Cracoviensis dissipatio.

Quo eodem anno [n] in Poloniâ magna facta est rerum turbatio; ob cædem nonnullorum scholasticorum Cracoviæ mense Maij factam. Cùm enim sub noctem à lenâ quâdam scortum alicui adduceretur, scholastici quidam id perspicientes, scortum vexare & lenam exagitare cœperunt. In illos famuli Andreæ Czarnkovij (qui annos post aliquos Episcopus Posnaniensis factus est) armati incidentes, inermes persecuti, alios malè tractarunt, alios occiderunt. Posterâ die re publicatâ, factus est concursus ex omnibus scholis & collegiis ad Regem tunc ibi existentem, petitâque ultio de Czarnkovio tamquam facinoris reo. Excusante illo, se omninò ignaro rem gestam fuisse; ac Rege, quòd is uti clericus non regiæ sed ecclesiasticæ jurisdictionis esset, causæ cognitionem Episcopo Cracoviensi permittente: factâ diligenti inquisitione, Czarnkovius à culpâ vacuus declaratus est: familia verò ejus cædis rea deprehensa, jussu Regis in vincula conjecta, pœnas luitura. Verùm quòd scholastici semel reum cædis Czarnkovium publicè arguerant, haud eo contenti, ad urbem, gymnasia, & scholas destituendas conspirârunt: nec ullis demum rationibus aut suasionibus deflecti ab eâ deliberatione potuerunt, quin omnes ingenti civium fletu & ejulatu abierint, pars in patriam, pars in Germaniam, pars in Prussiam ac Boëmiam, ubi partes Lutheri auxerunt, ejúsque dogmata domum reversi propagârunt: paucis exceptis, quos Rex ex itinere revocari curavit. Prædictam autem cædem meretrix illa, propter quam facta fuerat, non multò pòst supplicio expiavit suo, quæ matrem lenæ suasu interemit, quòd illam libidinari nollet. Quæ propterea in culeum parricidarum more insuta, in flumen præcipitata est: lenâ verò forcipibus candentibus carpta, in idem flumen demersa.

[n] Neugebaver. lib. 8.

XII.

Pauli PP. obitûs causa.

In Italiâ cùm Paulus Pontifex Placentiam amissam recuperare à Cæsare non posset, metu ne & Parmam amitteret, eam Ecclesiæ restituere deliberavit, redditâ Octavio nepoti Camertium ditione. Id verò adeò Octavius aversatus est, ut potiùs consilio cum Ferdinando Gonzagâ Insubrium Cæsareo præfecto communicato, de illâ quoquo modo occupandâ (quæ à Camillo Vrsino nomine Pontificis & Ecclesiæ tenebatur) tractârit; ac revocatus à Paulo Romam, unde eo inscio clàm abscesserat, ire recusans, literas ad fratrem suum Alexandrum Cardinalem Farnesium scripsit, quibus, ni Pontifex Parmam sibi restitueret, Gonzagæ accessurum minabatur. Prælegentem has literas Pontificem, omnis contumeliæ insolentem, vehemens adeò perturbatio atque iracundia corripuit, ut tremulos atque seniles artus linquente spiritu, parùm abfuerit quin in terram prolaberetur, vix ab iis qui propè aderant suffultus, & multis adhibitis remediis post quatuor horas animum recolligens. Febre autem violentâ correptus, ex eâ intra triduum decessit, quarto Idus Novembris in monte Quirinali, quò sese tamquam ad salubriorem Vrbis locum conferre solebat; postquàm vixisset annos octoginta & unum, menses octo, dies decem; (plus tamen vitæ nonnulli tribuunt) sedisset annos quindecim, dies viginti octo. Conditúsque est temporario monumento in Basilicâ Vaticanâ S. Petri, domesticorum humeris per mediam Vrbem nullâ pompâ eodem illatus: cui magnificentissimum pòst monumentum marmoreum in eâdem ecclesiâ erectum fuit. Dicitur moriens suorum ingratitudinem sæpiùs incusâsse, ac se felicem dictitâsse si numquam genuisset; subinde illud Davidicum [o] ingeminans: *Si mei non fuissent dominati, tunc immaculatus essem, & emundarer à delicto maximo*: eâ quidem re maximè culpatus, quòd ad domesticam amplificandam atque evehendam fortunam se totum confe-

Ætas, et Sedes.

[o] Psal. 18.

Queritur de proximis.

rens, eò usque sæpè prolapsus fuerit, ut existimationis suæ ac Reipublicæ periculum, dum voti compos fieret, parvi faceret: cætera vir summæ prudentiæ ac moderationis, in humanitate atque affabilitate præcipuus; literísque, ut erant illa tempora in quæ juventus illius incidit, apprimè excultus: mathematicis etiam deditus, sed non parvâ in hoc nominis sui traductione, quòd astrologiæ, quam judiciariam vocant, quæque de occultis ac futuris fallaci atque incertissimâ vanitate inquirit, éstque alioqui sacratis potissimùm viris valdè indigna operam dare, apud plurimos diffamatus fuerit, eò etiam subditis minùs gratus, quòd eos gravioribus vectigalibus vexâsset: qui pridie quàm obiit ea abolevit, tardiore beneficio quàm ut ex eo gratiam sperare potuerit: insequentium tamen temporum infelici eventu maximè à bonis omnibus, & ab infimâ etiam multitudine desideratus. Quod autem prætereà hæretici & apostatæ, Ochinus, Vergerius, Baleus, Sleidanus, aliíque ejusmodi impuri & perversi homines, plura de ejus gestis & moribus confinxerunt, atque in publicum ediderunt, ea cum suis auctoribus in infernum, unde processerunt, retrudimus.

XIII. Cùm autem moris esset, ut die decimo à morte Pontificis, post ejus exequias peractas, Cardinales conclave ingrederentur ad successorem ei eligendum, dilata tamen res fuit usque ad diem decimum nonum, nempè tertium Calendas Decembris, quod nondum omnes convenissent, instaréntque Galli qui aderant, ut in adventum eorum qui è Galliâ expectabantur, res differretur. In conclavi scissis in partes Cardinalibus, ut ferè solemne est in omni electionum genere, imprimis magna habita est ratio *Reginaldi Poli* Angli, de quo sæpè superiùs; in quo nobilitas sanguinis regij, & insignis morum gravitas juxtà & probitas, cum doctrinâ eximiâ conjuncta erat: adeò ut cùm quodam die suffragia more solito per scrutinium recenserentur, duo tantùm ad Pontificatum adipiscendum suffragia defuerint: ipso & amicorum benevolum in se animum, & aliarum partium contrarios affectus, eodem vultu recipiente, respicientéque, ac seriò monente ut omnia sua consilia ad Dei tantummodò honorem & Ecclesiæ utilitatem referrent. Cúmque deinde noctu ad eum Cardinales accessissent, ipsum adoraturi, eos generosè hâc voce dimisit, nolle se tantam rem, quam pertimescendam potiùs quàm appetendam censebat, tumultuosè & temerè, sed rectè atque ordine agi: Deum lucis, non tenebrarum esse; ac proptereà rem in lucem proximam differri debere; tum, si Deo ita placeret, meliùs confici posse. Ad cujus tantam virtutem cùm æmuli metuerent, ne tandem in eum unanimiter omnes assensum præberent; ad obtrectationes conversi, eum non usquequaque à labe Lutheranismi purum esse jactârunt; ex quorum suggestione (id Petro Carafâ Cardinale Theatino, docto & pio, sed moroso sene, præcipuè urgente) factum est ut tam præclara de optimo Pontifice eligendo consensio perturbaretur. Quem non ob aliud magis eo fastigio caruisse, Sanderus credidit, quam ut

AGITUR DE ELIGENDO REGIN. POLON.

simul non expetitæ summæ præfecturæ abundantius meritum assequeretur, & ad unitatem Catholicam patriæ ore ac manibus apportandam conservaretur. Quis verò tandem electus fuerit, dicetur anno consequenti; in cujus mensem Februarij distractio partium, (Cæsareæ videlicèt, Gallicæ, & Farnesianæ, quarum conatus Hadrianus [p] accuratè descripsit) rem produxit; nihil contemplatione Iubilæi, cujus inchoatio fieri deberet in vigiliâ Natalis Domini, neque frequentissimi populi expectatione, obfirmatos principum earum animos ad accelerationem movente. Erant tunc in universum Cardinales numero quinquaginta quatuor; è quibus interfuerunt [q] in conclavi quinquaginta; Galli duodecim, Germani duo, Hispani quinque, Anglus unus, reliqui omnes Itali ex diversis provinciis, sed plures Romani: Philonardus autem Romanus, & Rudolphus Florentinus, priusquàm Pontifex eligeretur defuncti sunt.

[p] Hadr. lib. 7.

[q] Onuph. de Rom. Pontiff.

XIV. XAVER. IAPON. INGREDITUR.

Hoc anno Franciscus Xaverius, qui ab aliquot annis Indias Orientales quaquaversùs peragrare non cessabat, uberrimos colligens ex suis laboribus fructus, in Iaponiam penetravit, regionem in extremâ Asiâ & Oriente sitam, ac tribus præcipuè Insulis constantem, circumfusis aliis minoribus interfluo euripo disjunctis: quarum maximæ Meaco nomen est à primariâ ejus civitate, (Niphonem tamen alij vocant) dividitúrque in quinquaginta tres satrapias aut regna: alteri Ximo, regnorum novem: tertiæ Nicoco, quatuor continenti regna. Ab Oriente obversa est Novæ Hispaniæ, centum quinquaginta leucarum intervallo: à Septemtrione, Scythas vel Tartaros, & alios ignotæ feritatis populos, ab Occidente Sinas aspicit: à meridie vasto mari interfuso inexploratas habet terras: è quibus casu nautas olim quosdam in Iaponiam delatos fama est, neque inde solvisse. Tellus maximâ ex parte nivalis ac frigida, neque admodùm ferax, salubris tamen cæli temperies; aquæ bonæ; calidæ etiam alicubi medicos in usus. Editi prærupt́ique montes cùm alij passim, tum duo præcipuâ nobilitate visuntur; quorum alter assiduè flammas evomit, ínque ejus cacumine certis hominibus, postquàm voti causâ diu se maceraverint, splendidâ circumfusus nube sese cacodæmon ostendebat: alter leucarum aliquot ascensu trans nubes attollitur. È terræ visceribus incolæ varia effodiunt metalla, & longinquas nationes eâ merce pelliciunt. Summus & potentissimus Iaponum omnium Rex habetur ille, qui Meacum, & Meaco finitima regna armis atque arcibus occupaverit; quem Cubucamam vulgò nominant. Populi generatim acuti omnes, dociles, facilésque: literas plerique nôrunt, & discendi cupidissimi sunt: memores decori, semper animo provident nequid in dictis factísve molle appareat: laudis ac gloriæ mirum in modum appetentes, & in retinendâ dignitate veteribus Romanis propè pares: armorum gloriâ, virtutéque bellicâ cunctis se præstare nationibus arbitrantur: laboris, & vitæ incommodorum patientissimi. Vitia verò propè ex æquo cum eorum bonis virtutibús-

IAPONIÆ DESCRIPTIO.

que contendunt. Cúmque in Dei cultu miserrimè errent, in superstitionibus deorum suorum, sectarúmque varietatibus, liberum cuique est cui voluerit adhærere: súntque qui & diabolo templa erigant. Multas habent variis locis Academias, copiosis vectigalibus instructas, ad percipiendam retinendámque sectarum disciplinam. Præéstque cunctis eorum superstitionibus supremus quidam Antistes, qui vel à stirpe, nobilitatéve legitur, vel pecuniâ; & sacrosanctus vulgò putatur, ac pro numine penè colitur: ejúsque est numeris moderari sacra omnia, & nascentes Bonziorum, hoc est religiosorum, sectas comprobare; & Tundos, qui sunt velut Episcopi, creare, aut creatos à regulis confirmare. Narrant alia quamplurima auctores [r] de Iaponum imperio, moribus, juribus, ritibus, religione, politiâ, virtutibus, ac vitiis prout tunc erant cùm descripserunt: quippe plerique posteà in alios mutati, cùm fidem Christianam susceperunt. De quibus hæc pauca dixisse sufficiat ad generalem quamdam gentis notitiam indicandam, docendúmque quàm idonea eorum ingenia essent ad accipienda Evangelicæ prædicationis semina.

QUANDO PRIMÙM EA DETECTA.

Non autem primùm ea regio à Xaverio adita; in quam aliquot ante annos alios quosdam Lusitanos, cùm Sinas peterent, pertinaci vento abreptos esse, Antonius Galvanus in eo libro quem de Inventoribus orbis novi conscripsit, asserit: aliis tamen ad alios id decus transferentibus.

XAVERIUS PRIMUS ANNUNCIAT IBI FIDEM.

Fidem primus eis Xaverius annunciavit: qui jam anteà de soli & gentis naturâ à quodam Iapone nomine Angero apud Malacam commonitus, numquam cessavit quin contra penè omnium sententiam eò navigaverit: pervenítque per magnos labores & grandia pericula Cangoximam regni Saxumæ urbem, prædicti Angeri (qui factus anteà Christianus dictus fuerat Paulus de S. Fide) patriam, decimo-octavo Calendas Septembris die festo Assumptæ in cælos Virginis. Vbi à Pauli propinquis atque domesticis, nec non ab urbis præfecto, peramanter acceptus, faustum Iaponibus nuncium attulit æternæ salutis: primâ susceptâ curâ, suæ vitæ exemplis prælucere, deinde linguam ediscere; tum Bonziorum auctoritatem vel adjungere sibi, vel obterere; adhæc potestatem à Rege Evangelizandi impetrare, quam & facilè obtinuit: non parùm in his à Paulo adjutus; cujus primùm uxor, ac filia, tum propinqui, & amici complures, assiduis ejus hortationibus ad baptismum perducti fuêre: quos subinde secuti sunt plures alij, atque etiam nonnulli Bonzij; comitantibus prædicationem Xaverij signis & miraculis, quibus tamen sicut plurimi commoti sunt ad favendum Evangelio, ita & alij plures ad contradicendum. Qui posteà Meacum Metropolim totius Iaponiæ profectus, & benignè à Rege acceptus, subindéque à nonnullis aliis Regibus; multis disputationibus, prodigiis, prædicationibus, laboribus, copiosiorem fructum retulit: quem accuratè Orlandinus [s], simul & aliorum Patrum in iisdem regionibus deinceps sedulò laborantium, descripsit in Historiâ Societatis; ac post eum Sacchinus [t]; plenissiméque Franciscus Solerius Gallus duobus grandibus voluminibus, quibus quæcumque ab aliis dicta aut scripta de iis fuêre, diligenter complexus est, à primâ religionis inventione usque ad annum millesimum sexcentesimum vigesimumquartum.

[r] *Maffe. lib. 12. Rer. Indic. Orland. lib. 9. & alij.*

[s] *Orland. lib. 9. 10. 11. Adde Maff. Rer. Indic. lib. 14.*

[t] *Sacchin. to. 2. Hist. Soc.*

IESU CHRISTI Annus 1550.
IULII III. Ann. 1.
CAROLI V. Ann. 32.

I. IULII III. ELECTIO.

ANNO Christi 1550. Indictione octavâ, cùm Sedes Apostolica propter mutuas Cardinalium altercationes vacâsset tribus ferè mensibus, demùm præter omnium expectationem, ut fit plerumque, sexto Idus Februarij hora noctis tertiâ, creatus est Summus Pontifex *Ioannes Maria de Monte*; Romæ quidem natus quarto Idus Septembris anno millesimo quadringentesimo octogesimo septimo, sed origine Aretinus in Tusciâ, filius Vincentij Iurisconsulti, nepos Antonij Cardinalis; & ex Archiepiscopo Sipontino & Cameræ Apostolicæ Auditore, factus à Paulo III. primùm Cardinalis presbyter S. Vitalis, deinde Episcopus Prænestinus, atque ob prudentiam in variis legationibus & negotiis publicis & privatis exhibitam, nec vulgarem eruditionem & integritatem, constitutus primus præses Concilij Tridentini. Qui accepto nomine IULII III. in memoriam Secundi, cujus vestigiis insistere decerneret, & sententiâ *Vias [a] tuas Domine demonstra mihi*; coronatus est apud S. Petrum octavo Calendas Martij die Cathedræ S. Petri Antiochenæ.

IUBILEI PUBLICATIO.

Et quòd præsens esset annus Iubilei, ab eo promulgando (quod Paulus decreverat, sed inopina morte præreptus exequi non potuerat) initium Pontificatûs faciens, biduo post coronationem, nempe die S. Matthiæ sexto Calendas Martij, constitutionem [b] editam, quâ declaravit annum Iubilei a vigiliâ præteriti Natalis Domini incœpisse. Eodémque S. Matthiæ die aperta fuit ab ipso more solemni Porta, quam vocant Sanctam, basilicæ S. Petri; & illæ S. Ioannis, S. Pauli & S. Mariæ Majoris, quæ ad consequendam Indulgentiam visitandæ erant, à Cardinalibus Archipresbyteris aut Protectoribus illarum: cùm nihilominùs voluerit etiam indulgentias ordinarias earumdem basilicarum, aliarúmque Ecclesiarum Vrbis, in suo robore perdurare; suspensis cæteris omnibus cunctarum Ecclesiarum toto orbe extra Romam constitutarum, aliísque singulis gratiis & privilegiis, nec non facultatibus absolvendi à casibus reservatis quibuscumque Ordinibus aut personis concessis; ne illarum occasione celebritas Iubilei Romani minueretur: exceptis tamen iis quæ Patribus [c] Societatis IESU concessæ fuerant, quas salvas & intactas ubique terrarum esse voluit. Insupérque Societatis instituta, à Paulo primum probata, suâ denuò auctoritate, factâ constitutione [d] duodecimo Calendas Augusti, confirmavit; & quæ in priori approbatione obscuriora esse poterant, vel ambigua, declara-

[a] *Psal. 24.*

[b] *Ext. Bull. to. 1. antiq. edit. Vid. Victorel. de Iubil. par. 3.*

[c] *Orland. lib. 10.*

[d] *Bullar. to. 1. rec. edit. Iul. III. Const. 9. & ap. Orland. ibid.*

vit, & ad Ignatij Præfecti Generalis mentem sensúmque distinxit.

II.

Ipso quoque initio, ut quod in capitulis in conclavi de more factis, in quorum observationem singuli jurant si fortè Pontificatum obtinuerint, comprehensum fuerat, adimpleret simul & se gratum erga Farnesios ostenderet; quorum maximè operâ Pontificatum adeptus fuerat; Parmam Octavio restituit, cum menstruo stipendio bis mille aureorum ad ejus conservationem. Eodémque propemodùm tempore, Stephanum [e] majoris Armeniæ Patriarcham, quem Catholicum vocant, qui superiori anno, ad obtinendam à Sede Apostolicâ suæ electionis ab iis populis factæ confirmationem, Romam accesserat, comitibus Archiepiscopo uno, & duobus Episcopis, atque in omnibus Ecclesiæ Romanæ fidei consenserat; confirmatum, multísque honestatum donis, in patriam remisit. Monitus verò esse plures omnis generis, ordinis, conditionis, & sexûs homines, qui in hæresim lapsi, ad Ecclesiam redire, ob publicam pœnitentiam, quæ infligi consueverat, infamiam inde exorientem perhorrescentes, differrent; omnibus (præterquàm iis qui sub generali Inquisitione regnorum Hispaniæ & Lusitaniæ comprehenderentur) qui infra tres menses resipiscerent, per privatam pœnitentiam ab Inquisitoribus, certâ præscriptâ formâ, recipi concessit; impœnitentes pœnis ordinariis subjici coërcerique mandavit; per constitutionem [f] tertio Calendas Maij editam. Quo etiam eodem die aliam constitutionem [g] edidit de revocatione omnium facultatum quibuslibet personis, exceptis Fidei Inquisitoribus, à superioribus Pontificibus concessarum, legendi & tenendi libros Lutheranorum, aliorúmque quorumlibet hæreticorum, & inhibitione eis imposterùm utendi. Qui propterea primus dicendus videtur Romanorum Pontificum qui id præstiterit; ante quem nulla Pontificia aut Cæsarea lex propositis pœnis cavisse reperiatur in universum, ne libri hæreticorum aut alii pestilentes legerentur: cùm singulares, aut singularium hæreticorum hæresûmve, frequentissimè prohibiti reperiantur. De quo, ac de jure & modo prohibendi libros noxios, cæteris diligentiùs scripsit *Iacobus Gretseus* Societatis Iesu Theologus.

[e] *Onuphr. in Iul. III. Victor. in Addit. ad Ciaccon.*

STEPHANUS ARMENIÆ PATRIARCHA.

[f] *Ibid. cõnst. 6.* [g] *Bullar. vet. edit. & ap. Alphons de Castr. de just. hær. punit. lib. 2. cap. 17.*

PRIMA GENERALIS PROHIBITIO LIBROR. HÆRET.

III. DE CONCILII PROSECUTIONE.

De Concilij Generalis prosecutione (quod unum etiam erat ex capitulis in conclavi juratis) idem Pontifex ab imperatore admonitus; post serias consultationes, illud demùm decrevit Tridentum reducere; sed his potissimùm conditionibus, si Regi Galliæ res probaretur, & quæ jam in eo decreta fuissent à Protestantibus reciperentur. Eáque de re Iunio exeunte duos Nuncios eodem tempore ablegavit, Sebastianum Pighinum Archiepiscopum Sipontinum ad Imperatorem jam tunc in Germaniâ agentem, & Trivultium Episcopum Tolonensem ad Regem in Galliam. Cum apud Regem res bellè processisset; annuente illo eâ lege, ut nihil in Concilio, urbéque quæ tota Imperatoris erat, ageretur contra sceptri regij dignitatem, aut immunitates Ecclesiæ Gallicanæ; sicuti Pontifex pollicebatur: Imperator quoque id de habendo Regis consensu probavit; sed intempestivum sibi videri dixit, ut in dubium in præsens revocarentur quæ Tridenti definita fuissent; quòd opportuniùs fieri posset postquàm eò Concilium convenisset. Verùm Pontifex prudenter considerans, si in Synodo id disceptandum foret cum Protestantibus, multum tempus frustrà consumptum iri, cùm traheret id secum peculiarem super singulis decretis controversiam, quâ Concilium tandem absque ullo operæpretio dissolvi posset: satius duxit haud de illo mentionem ullam agere, sed tamquam pro indubitato ac deciso habere. Constitutionémque [h] confecit decimo-octavo Calendas Decembris: quâ declarans, ad tollenda religionis dissidia, quæ in Germaniâ à longo tempore vigerent; opportunum & expediens visum esse, sicut etiam Carolus Imperator sibi significari fecisset, ut Concilium per Paulum III. indictum, & per ipsum Iulium tunc Cardinalem ejus nomine incœptum, in quo plura tam in causâ fidei quàm reformationis promulgata fuissent decreta, ad civitatem Tridentinam reduceretur: addidit, se propterea, ad quem, uti jam Summum Pontificem, spectaret generalia Concilia indicere & dirigere, sperantem ut Reges omnes ac Principes Christiani justis ac piis ipsius in hâc re votis annuerent, faveréntque; omnes Prælatos, aliósque qui de jure, vel consuetudine, vel privilegio, Concilio generali interesse debent, hortari, & monere, ut proximis futuris Calendis Maij Tridenti se, legitimo cessante impedimento, sisterent, ad ipsum Concilium in eo, in quo esset statu resumendum & prosequendum. Se namque daturum operam, ut eodem tempore ibi essent sui Legati, per quos, si ipsemet per ætatem valetudinémque & Sedis Apostolicæ necessitates personaliter adesse nequiret, Spiritu S. duce, ipsi Concilio præsideret. Hæc porrò constitutio ad Cæsarem, priusquàm evulgaretur, missa, cùm in pluribus minùs apta visa fuisset ad alliciendos Lutheranos ad Concilium, qui nec Romani Pontif. auctoritatem agnoscebant, nec solùm Ecclesiasticos, verùm & laïcos in Concilium, etiamque ad sententiam dandam admitti, & singula capita decisa ad examen reduci volebant; egit Cæsar apud Pontificem, ut illa mitioribus verbis, & ad Lutheranum gustum paratioribus reformaretur. Sed ille non esse è dignitate Sedis Apostolicæ artificiosè aut dissimulanter, sed apertè sincereque loqui, respondens, nihilque immutari sustinens; eam ut concepta fuerat promulgavit: alio Brevi [i] confirmatam die vigesimo-septimo Decembris. Quid vero inde secutum fuerit; dicetur anno sequenti.

[h] *Ext. in Conc. Trid.*

EJUS NOVA INDICTIO.

[i] *Ext. in edit. Antuerp. Rom. & Bin.*

IV.

Erat interim Cæsar, ut diximus, in Germaniâ, apud Augustam comitia celebrans. Cùm enim religionis negotium ex animi sui sententiâ minimè procedere intelligeret, difficultates eas præsentiâ suâ superari posse ratus, conventum Imperij indixerat ad vigesimum-quintum Iunij; simul ut ostenso Philippo filio suo, conaretur ei Imperij successionem asserere. Antequàm [k] verò Bruxellis discederet, gravissimum tulit aduersùs hæreticos edictum; amplâ tributâ Inquisitoribus potestate. A quorum acerbitate sibi timentes tam incolæ

[k] *Sleid. lib. 22.*

CAROLI IMP. EDICTUM CONTRA HÆRET. BELG.

colæ, quàm præcipuè Angli qui negotiandi causâ in Belgium confluebant, commercium ingenti Antuerpiensium aliorúmque mercatorum detrimento intermitterent: hi Inquisitionis ac decreti severitatem deprecati, tandem pervicerunt per Mariam Reginam Hungariæ sororem Imperatoris, quam ipse Belgio præfecerat, ut mutatis iis quæ ad exteros negotiatores spectarent, Inquisitionis odiosum nomen tolleretur, manente quoad cætera edicto.

V. Comitia Augustana. [l] Sleid. ibid.

Cùm Augustam pervenisset, ducto secum Duce Saxoniæ captivo Lantgravio, Mechliniæ relicto; Iulij die vigesimo-sexto [l] initium faciens conventûs, proposuit de prosequendo Concilio, de servando interim dum Concilium finiretur, de mulctandis rebellibus, de restitutione jurisdictionis & bonorum ecclesiasticorum. Re deliberatâ, majori parti placuit prosequendum esse Concilium. Mauritius verò novus Elector Saxoniæ, qui aberat, per suos legatos non aliter se illud probare ostendit, quàm si res omnis ab initio retractaretur, & Augustanæ Confessionis Theologi non solùm audirentur, sed decidendi quoque potestatem haberent, & ut Pontifex Concilio se submitteret, nec Præsidis locum obtineret. Quod à Mauritio, homine callido, & qui huc usque dissimulaverat, factum plerique existimârunt, ut cùm jam omnia quæ à Cæsare speraverat consecutus esset, invidiam quam apud Protestantes sustinebat quasi Pontificiis faveret, amoliretur. De Interim verò & reformatione non servatis conquerente Cæsare, Catholici quidem excusârunt non potuisse, id uno Impetu fieri, paulatímque homines inducendos: Protestantes verò culpam in populos conjecerunt, qui conscientiis suis vim afferri ægrè paterentur, & ad seditionem proclives essent. Adeò ut res Germanica potiùs ad novum bellum, quàm ad ullam quietis spem spectare videretur.

VI. Bellum Magdeburgense.

Quo etiam anno gestum est acre bellum in Magdeburgenses proscriptos, duce præcipuo Mauritio, qui variis cladibus eos affecit, & urbem arctâ obsidione cinxit. Quam obsidionem, quæ cœpta principio Octobris hujus anni, virtute civium protracta est usque ad mensem Novembrem anni consequentis; quo ad pacem & veniam solutâ mulctâ pecuniariâ, & accepto ad tempus præsidio, aliisque nonnullis conditionibus, recepta urbs fuit; per singulos dies descripsit [m] Sebastianus Besselmeierus ejus urbis civis: præcipua gesta referunt Sleidanus, & Thuanus.

[m] Ext. To.2. Oper. Hist. Schard.

VII. [n] Sleid. ibid. Sur. commētar. Belcar. lib.25. Natal. lib.4. & 5. Hadrian. lib.8. Thuan. lib.7. Chytræ. lib.17.

Venit etiam Augustam ex Hispaniâ Maximilianus [n], filius Ferdinandi, nepos generque Cæsaris, res suas curaturus, cùm Philippum evocatum à patre Imperatore intellexisset ad ostendendum eum Ordinibus pro Imperij successione. Prudenter enim animadvertens Cæsar, ad res Monarchiæ promovendas magnum momentum allaturam Germaniæ cum regnis ac ditionibus suis conjunctionem; sive, ut mitiùs ac religiosiùs nonnulli interpretari maluerunt, in Germaniæ commodum ac defensionem Philippi amplissimas ditiones ac vires obligare cupiens; cum fratre, interventu etiam Mariæ Reginæ communis

Carolus incassū tentat filium Imperii successorem habere.

utriusque sororis, egit ut regno Romanorum Philippo filio cederet, amplissimis oblatis conditionibus. Ferdinandus autem, cui in partitione bonorum paternorum patrimonium longè angustius obtigerat, bona scilicèt quæ in Germaniâ erant; cùm & ipse commodum suum ac filiorum spectaret, quamquam aliquando spem ejus rei Carolo fratri fecisset, post tamen ratione benè subductâ longè aliter existimare cœpit, nec modò adduci potuit ut ei assentiretur; Maximiliano jam ad spem Imperij erecto, qui egregiam indolem præseferebat, & multas callebat linguas, Latinam, Italicam, Gallicam, Hispanicam, Germanicam, ac morum elegantiâ admodùm gratus Germanis erat, Philippi Hispanicum fastum odio habentibus. Observátque Chytræus [o], ideò noluisse Mauritium, quantumvis crebro à Cæsare vocatum, accedere ad comitia, tum quòd Concilij actiones non probaret, tum verò imprimis quòd Cæsarem id petiturum intellexerat: ac proptereà Magdeburgense bellum eò cupidiùs arripuisse, ut honestiore prætextu à deliberationibus illis abesset. Et Natalis [p], illâ ipsâ de causâ natam esse opinionem inter Germanos, Imperatorem duos potentissimos Principes Fridericum Saxonem & Lantgravium, prætextu perduellionis persecutum esse, re autem verâ quòd desperâsset eos in vota sua de filio promovendo adducere. Quod etiam adeò Ferdinandus abhorruit, ut cùm Carolus ab Imperij obtentione exclusus, saltem peteret ut filium Imperij per Italiam & Belgium cum plenâ potestate Vicarium constitueret; & hoc quoque Ferdinandus denegavit, dicens, tantum de Cæsareâ dignitate ac majestate decessurum, quantum ex eâ alteri concessisset.

[o] Chytræ. Saxon. lib. 17.

[p] Natal. ibid.

VIII. Rex Fessæ pulsus à Xeriphio.

Ex Hispaniâ secum Maximilianus Buaçonem Regis Fessani Africani agnatum, Augustam ad Cæsarem adduxit; qui à Mahomete Xerifio multis injuriis nuper affectus, atque ad extremum ditione suâ pulsus, in Hispaniam venerat, ut auxilia à Cæsareis legatis contra communem hostem imploraret. De Xerifiorum sive Scherifiorum ortu, qui nunc in Africâ rerum potiuntur, dictum est breviter superius [q]; quem plenis commentariis alij diligentissimè exposuerunt, eorúmque cum cæteris Principibus atque inter se agitata usque ad præsens tempus, pro summo imperio, atque etiam religionis prætextu bella descripserunt. Cùm autem Imperator negotiorum mole oppressus, minùs ad Buaçonis postulata responderet, idem in Hispaniam cum Philippo Cæsaris filio anno consequenti reversus, omissis frustrà cum eo initis consiliis, nova cum Ioanne Lusitanorum Rege communicare cœpit: quorum successus initio felix, tristem deinde exitum habuit, uti deinceps [r] videbimus.

[q] An.1511.

[r] Vid. supr. an. 1557. XVI.

IX. Bellum Aphrodisiense.

Hoc verò anno Aphrodisiense bellum aliâ parte Africæ confectum est à Ioanne Vegâ Siciliæ Prorege, unà cum Andreâ Auriâ, & auxiliis Pontificis, Militum Hospitalariorum, aliorúmque. Quippe cùm Dragutes Raisus humili loco in Asiâ è regione insulæ Rhodi ortus, qui longo tempore sub Barbarossâ meruerat, magnam seu virtute, seu rei navalis

& locorum peritiâ famam consecutus, urbes Monasterium, & Aphrodisium, Africam à nostris dictam, in Africæ provinciæ orâ è regione Siciliæ sitas, occupâsset, indéque maria finitima rapinis & incursionibus infestaret; facta est hæc expeditio Imperatoris jussu ad eum inde exturbandum, & urbes in potestatem redigendas: quod & factum est post trimestrem obsidionem; non quidem incruentâ victoriâ, sed tamen magnâ hostium cæde, & captivorum prædâ. Rem diffusè descripsit proprio commentario Ioannes [s] Christophorus Calvetus Stella: nec minori diligentiâ Iacobus Bosius in accuratissimâ suâ Historiâ [t] sacræ Religionis Ierosolymitanæ: præter Natalem [u], & alios qui ejusdem meminerunt. Solimanus autem Turcorum Imperator à Dragute, qui cum aliquot triremibus periculum evaserat, certior de capto Aphrodisio factus, grandi indignatione in Carolum Imp. & Ferdinandum ejus fratrem motus; hanc secundam numeravit induciarum quæ inter ipsos pactæ fuerant violationem, post primam biennio antè à Ferdinando factam in expugnatione nonnullorum in Hungariâ oppidorum per Salmensem Comitem, dum Solimanus absens esset in expeditione Persicâ. Questus porrò de Aphrodisio apud utrumque fratrem, responsum accepit nihil ipsi juris esse in Africâ, maximéque in regno Tunetano Imperatori tributario, in quo situm Aphrodisium erat; nec verò per conditiones induciarum vetitum fuisse piratas & latrones persequi, qualis Dragutes erat. Vnde iratior factus barbarus, ad vindictam se præparavit: de cujus conatibus dicetur anno sequenti.

[s] Ap. Schard. Oper. Histo. tom. 2.
[t] Bos. par. 3. lib. 13. & 14.
[u] Natal. lib. 4.

X. PAX INTER GALLOS ET ANGLOS.

In Angliâ conciliatis utcumque per matrimonij affinitatem Sommerseto & Warwicensi, de quorum dissidiis dictum est anno superiori cùm ij res illius regni tum in Galliâ apud Boloniam, tum in Scotiâ virtute Thermi Galli multùm attritas animadverterent, & religionis causâ non parvos motus domi paterentur; ad pacem ineundam animum adjecerunt, eámque interventu Antonij Guidotti Florentini, qui ductâ in Angliâ uxore à multo tempore ibi degebat, ultrò citróque mercimonij prætextu commeantis, tractârunt. Factúmque est, ut convenientibus in unum mense Februario utriusque regni delegatis, post multas contentiones conclusa fuerit iis conditionibus, quas ex scripto tunc confecto Belcarius [x] Latinè, Belleforestius [y] Gallicè recitant: quarum præcipuæ fuêre, ut Anglus Boloniam & arces omnes in agro Boloniensi extructas, cum tormentis & omni apparatu bellico traderet: paritérque nonnulla oppida in Scotiâ (nam & hæc in fœdere comprehensa est) ab Anglis occupata restituerentur, arces constructæ diruerentur: Gallus vicissim in sumptus belli, próque tormentis & apparatu, quadringenta aureorum millia duabus pensionibus dependeret. Fuítque illa pax ingenti eorum populorum gaudio promulgata Calendis Aprilis; & conditiones utrimque adimpletæ Henricus. Rex Boloniam ingressus Idibus Maij, appensâ ædi primariæ grandi argenteâ Imagine Beatissimæ Virginis, in locum ejus quam Angli surripuerant, voti ante biennium nuncupati religione se exoluit,

[x] Belcar. lib. 25.
[y] Belleforest. lib. 6. cap. 70.

Contigit verò, ut cùm iidem Reges invicem sibi in arctioris amicitiæ symbolum equestria insignia misissent, Gallus S. Michaelis, Anglus periscelidis; Marescallus Santandreanus, qui torquem in Angliam pertulerat, in itinere periclitatus sit ab insidiis ad eum intercipiendum dispositis à Mariâ Reginâ procuratrice Belgij. Quod ubi Rex Henricus intellexit, quicquid Dieppæ navium Belgicarum erat, quo ad is rediisset retineri jussit. Idem factum de Gallicis in Belgio. Eodémque tempore Antonius Croius Rutij Comes Ioannem Tutavillam Villabonium, quo minùs Taruennam commeatum inferret interturbare conatus est. Hæcque prima fuêre initia bellorum, quæ sequenti anno inter Cæsarem & Regem exarserunt.

XI. HÆRETICUS COMBURITUR LUTETIÆ.

Lutetiæ [z] mense Decembri die Conceptioni Beatissimæ Virginis sacro, in ejus templo fanaticus quidam Genevensium delirio laborans, Virginis statuæ gladio evaginato caput amputare conatus, astante maxima hominum multitudine comprehensus, & in vincula conjectus, cùm non resipisceret, & complures esse qui in idem facinus secum conjurâssent profiteretur; post tertium quàm captus est diem, exectâ linguâ vivus pro templi vestibulo exustus est.

[z] Til. in Chron.

XII. VIRORŨ DOCTORUM OBITUS.

Mortui ponuntur [a] hoc anno duo nobilissimi Iurisconsulti: *Andreas Alciatus* Mediolanensis duodecimo Ianuarij, anno ætatis quinquagesimo nono Papiæ: solus, ut prædicant, inter Iuris interpretes doctissimus, & inter doctissimos jurisconsultissimus, qui Legum studia antiquo decori restituit: ac primò Biturigibus, deinde Avenione, tum Bononiæ, pòst Ferrariæ, demúmque Ticini seu Papiæ publicè jus professus. Et *Eguinarius Baro* Leonensis Brito, vigesimo-secundo Augusti, ætatis anno quinquagesimo-quinto, Biturigibus, ubi summâ laude Ius Civile docuit, Iurisprudentiæ veteris restaurator eximius, cui *Franciscus Duarenus* insignis alius Iurisconsultus, ejúsque in eâdem Academiâ collegâ, epitaphium apposuit. Obiit item Salamanticæ in Hispaniâ *Ioannes Vasæus* Belga Brugensis, ineunte Octobri, jam adfectâ ætate; qui diù in Hispaniâ moratus, res etiam Hispanorum continuâ ac luculentâ historiâ complexus est. Itémque *Io. Pierius Valerianus* Bolzanus Bellunó in Venetis oppido natus, Patavij, annum octogesimum secundum supergressus: qui inter sui sæculi doctissimos meruit recenseri; inter alia Virgilianis lectionibus, & Hieroglyphicis maximè commendatus.

[a] Forster. de Iurisconsul. Morig. Hist. Mediol.

XIII. PETRI CAROLI OBITUS.

Quo item anno ponit Genebrardus [b] obitum *Petri Caroli*, è Doctore Sorbonico facti ministri hæreticorum. Qui cùm Calvini in sanctam Trinitatem & Symbolum Nicænum blasphemias animadvertisset, & tam in synodo ministrorum Bernæ collectâ, quàm etiam scriptis publicis manifestas fecisset, ac confutâsset; abjectâ ejusmodi hominis, assectarúmque ejus societate, Romam profectus ut veniam Apostasiæ consequeretur, illic apud Robertum Cardinalem Lenuncurium piè & laudatè obiit: ut longè magis idoneo teste Philippo Lenuncurio, prædicti Roberti nepote, ipsóque etiam posteà Cardinale, qui aderat, probat idem Genebrardus, quàm sit

[b] Genebr. Chron. lib. 4.

impurissimi Bezæ calumnia, quì semper spurca cogitans, scripsit in Vitâ triumphati per Carolum sui magistri Calvini, eumdem Petrum Romæ cum ludibrio exceptum, premente inopiâ & Gallicâ scabie, vix in xenodochium receptum, miserè ibi periisse.

XIV. Frumentū pluit.

Hoc item anno, ut ponit Lycosthenes, quod biennio ante nonnulli, in Carinthiâ non longè à Clagenfurto & Villaco oppidis, 10. Calendas Aprilis horarum duarum spatio per duo ampliùs milliaria frumentum bonum & electum pluit; ex quo regionis incolæ optimum panem confecerunt, & ex eo ad Cæsarem cum granis frumenti cælo delapsis attulerunt. Cujusmodi par prodigium jam olim Probi Imp. temporibus in eâdem Germaniâ ad Rhenum contigisse, Zosimus [c] narrat, cùm ingruente fame, immensus imber delapsus, unà cum guttis frumentum detulit: adeò quidem ut ejus acervi quibusdam in locis per se structi extiterint; unde panibus coctis fames exercitûs Imperatoris pulsa fuerit.

[c] Zos. lib. 1.

Iesu Christi Annus 1551.
Iulii III. Ann. 2.
Caroli V. Ann. 33.

I.

Carolus Cæs. Germanos urget ad Concil.

Anno Christi 1551. Indictione nonâ, Idibus Februarij dimissus est Augustanus Imperij conventus anno superiori celebratus. In quo Imperator Carolus decretum [a] fecit, ut omnes interesse deberent Concilio Tridenti mu resumendo: promittens cauturum se, pro munere suo advocati Ecclesiæ & defensoris Concilij, ut quicumque venturi ad illud essent, cujuscumque forent religionis, iis liberè ire, commorari, & redire liceret: daturúmque operam, ut in eo res piè & Christianè, semotis affectibus, juxta sacram Scripturam & Patrum doctrinam tractarentur ac definirentur. Cognitionem verò difficultatum receptionis sui interim, & reformationis, sibi reservavit. Pontifex autem animo totus in Concilium indictum intentus, Legatos eò mittendos elegit [b] *Marcellum Crescentium* Romanum, presbyterum Cardinalem tituli S. Marcelli, doctrinâ & prudentiâ insignem, & *Sebastianum Pighinum* è Regio-Lepidi Archiepiscopum Sipontinum Iuris scientiâ illustrem, atque *Aloysium Lipomanum* Venetum Episcopum Veronensem, pietate, scientiâ, ac probitate clarissimum. Quibus, Calendis Maij, in quas indictam vidimus Concilij resumptionem Tridenti, solitis ritibus *Sessionem X I.* quæ prima fuit sub Iulio, celebrantibus, sacro peracto ab Archiepiscopo Turritano, & Pontificis diplomate convocationis à Massarello Secretario lecto; Decretum de resumptione Concilij promulgatum est; admissi oratores Caroli Imp. & electa exhortatoria oratio Legatorum ad Patres. Et quòd pauci adhuc convenissent Antistites, ingruerétque bellum Parmense, proxima futura Sessio indicta est ad Calendas Septembris.

[a] Sleid. lib. 22.

[b] Ext. mandat. deput. illor. in Edit. Antuerp. Rom. & Bin.

Sess. IX. Concilii Tridentini.

II. Parmensis

Cùm enim, ut diximus, Iulius Pontifex Parmam Octavio Farnesio, ex promisso in conclavi facto restituisset; idque ægerrimè ferens Ferdinandus Gonzaga Cæsareus in Insubriâ legatus, qui post necem Petro-Aloysio patri Octavij illatam Placentiam occupaverat, omnibus ingenij viribus Parmæ insidiaretur & Farnesios apud Imperatorem, quasi cum Gallis bellum contra eum molirentur, suspectos, vel etiam reos redderet, sed & Parmam inopiâ commeatûs ad deditionem compellere statuens, quamquam non aperto bello, nequid victûs in urbem comportaretur impediret: ac parte aliâ Pontifex sumptuum pertæsus, statutum subsidium duorum millium aureorum in singulos menses ampliùs conferre recusaret: denique his angustiis pressus [c] Octavius, Pontificis ope implorata, quando contra tam infestos hostes suis se viribus tueri non posset, sed alienis opibus ac potentioris alicujus clientelâ egeret, responsum minùs meditatum accepisset à Pontifice, liceret sibi per ipsum quod expedire videret facere: Iam liberum sibi Octavius existimans, cum bonâ Pontificis veniâ in clientelam cujus vellet Principis fortunas suas committere; protinùs interventu fratris sui Horatij, qui Dianam notham Henrici Galliæ Regis uxorem duxerat, in ejusdem Regis fidem & clientelam amplis conditionibus (salvâ in omnibus Romanæ Sedis atque Pontificis auctoritate) sese dedidit, & urbi Gallicum præsidium imposuit. Quo audito Pontifex, potestatem Octavio factam Imperatoris timore inficiatus, cui de eâ re monenti pro certo affirmaverat Octavium id se inconsulto nullâ ratione tentaturum; mox animum Iulij II. cujus nomen acceperat induens, ad belli consilia descendit, & cum Imperatore agere cœpit de ejus gerendi ratione, & de auxiliis ab illo habendis.

Belli initia.

[c] Pavin. in Iul. III.

III. Belli renovatio inter Cæsar. et Reg.

Indéque jam non inter Pontificem tantùm & Farnesios, sed inter potentissimos Principes Imperatorem & Regem, acerrimum bellum exortum est; sive id culpâ Pontificis, seu Farnesiorum, sive Imperatoris, seu Regis, seu denique omnium & singulorum. Farnesij sanè tenuioris erant conditionis, quàm ut cum ceteris compararentur. Imperatori & Regi viribus penè paribus non deerant utrimque multæ aliæ causæ seu veræ seu quæsitæ, quibus alter in alterum culpam rejiceret, editis etiam eâ de re scriptis publicis: quarum tamen omnium præcipua maximáque, quamvis à nemine ipsorum confessa, invidia erat & livor. Recensent tamen eam, etiam cum ceteris, qui [d] eas collegerunt: quos qui singulas cognoscere cupierit consulat, expensas proculdubiò unas alteris longè potiores reperturus. Pontifex autem, sacrâ suâ dignitate tutum se existimans, modo Imperatorem amicum haberet & auxiliatorem, (à quo ceteroqui non ignorabat tutos non fuisse suos antecessores) audentiùs in arma ruit, etiámque contra Gallos, cum quibus probè sciebat, quamvis offensis, faciliùs se concordaturum, quorum proprium esset Pontifices tueri, & Ecclesiam Romanam defendere; etiamsi nonnumquam læsi permissâ vi illatam vim repellere non dubitaverint; quæ etiam omnia & singula idem ipse Iulius in Rege Henrico expertus est. Interim verò cùm Cardinalis Turnonij, qui negotia Regis in Italiâ

[d] Vid. Bellefor. lib. 6. cap. 71.

Pontifex se bello immiscet.

procurabat, & Pauli Thermei, qui post reditum ab Scotiâ orator ad Pontificem missus fuerat, rationes, quibus Regem de susceptâ Octavij protectione excusare voluerunt, rejecisset; (qui propterea Româ discesserunt) cogitavit de illo excommunicando, & regno interdicendo: sicuti & Rex econtrà de congregando Concilio Nationali in Galliâ, evocatis ad hoc undique, etiámque Româ, Episcopis suarum ditionum. Est enim de his quoque epistola ad Ioannem-Baptistam Pontificis nepotem inter Epistolas [e] Principum, quæ de cunctis hujusmodi negotiis & consiliis bellicis, rebúsque bello gestis ultrò citróque scriptæ fuêre; ex quibus certiùs quàm ex historicis veritas indagari possit, & quæ fuerint utrimque accusationes, excusationes, culpæ, jura, intelligi. Cœptum autem hoc anno bellum inter magnos illos Principes, (Pontifex enim citò resiluit) continuatum est per aliquot annos terrâ maríque, per Italiam, Germaniam, Galliam, Belgium, ingenti Orbis Christiani detrimento. Sic enim quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi. Agemus nos de præcipuis ejus casibus, suis quibusque locis.

[e] Ep. Princ. vol. 3.

IV. BELLI GESTIO.

Pontifex igitur, præcipuo impulsore prædicto Io. Baptistâ de Monte Balduini fratris filio, qui à Gonzagâ in spem amplissimorum munerum erectus totum se Cæsareis partibus addixerat; ac suasu Cæsaris, qui consuetâ calliditate nolebat videri auctor belli, sed tantùm auxiliator Pontificis; bellum Octavio Cæsaris genero, tamquàm perduelli indixit, præficiens ei Gonzagam & Ioannem Baptistam; qui mox hostilia exercere cœperunt: Gallis pro Parmensi strenuè agentibus, simúlque pro Mirandulano, qui æquè sub Regis tutelâ erat, præcipuis ducibus Petro Strozzio Florentino, & Horatio Farnesio Octavij fratre ac Regis genero. Eâdémque occasione bellum in Subalpinâ regione renovatum fuit; ubi Carolus Cossæus Brissacus Franciæ Marescallus legatum regium agebat; militabátque sub eo Blasius Monlucius, de quo aliàs, magnæ experientiæ dux: concurrentibus eódem aliquot Principibus & ex primâ nobilitate viris, prælij spe, aut alterius alicujus præclari facinoris. Quare Cæsare quoque atque Pontifice totis viribus in opus incumbentibus, non pauca facta fuêre hoc anno variis locis certamina vario marte, capta utrimque oppida, & alia quà vi quà arte gesta. Quòd tamen prosperiori Gallicæ partis successu res gereretur, multorum reprehensionibus objectus est Gonzaga, Belli Parmensis auctor & suasor; ambitionem in eo, ac pervicacem privatæ cum Farnesiis simultatis ultionem, ac denique rapacem avaritiam accusantium. Vnde & contigit, ut obsidionem Parmæ, & Mirandulæ, (hanc enim Pontifex acriùs urgebat, spe paris cum Iulio II. exitûs; quâ tamen cecidit, etiam cum nece nepotis sui Ioannis Baptistæ) Pontificij atque Cæsarei deserere coacti tandem fuerint. Quo eodem tempore exarsit item bellum in Belgio & vicinio Lotharingiæ limite, vario item, sed nō magni momenti his initiis operæpretio; rem pro Rege administrante Francisco Clivio Nivernensium Duce Campaniæ præfecto. Et ex alterâ parte Antonius Dux Vindocinensis in Flandriam & Hannoniam ingressus, multa damna utrique provinciæ intulit.

V. GERMANICI BELLI INITIA.

Intereà parabatur aliud non minùs atrox in Carolum Imp. bellum. Qui enim rixas tantâ propensione quærebat, serebátque, ministros habens assiduos ad eas incentores, æquum fuit ut & inveniret; etiamsi frequenter gravi suo damno, populorum verò gravissimo. Violenter enim admodùm in Italiâ & Germaniâ passim omnia ab ejus ministris tunc agi consueta fuisse traduntur: à prædicto videlicèt Gonzagâ, crudeli & avaro, à Didaco Hurtado Mendozâ, Hispano arrogantissimo, qui ad Senenses in servitutem redigendos arcem in eorum urbe construxit; & maximè ab Antonio Perrenoto Granvellano Episcopo Atrebatensi; apud quem post mortem patris Imperatoris intimi, qui solus ferè consiliorum ejus & arcanæ mentis fuerat conscius, summa rerum erat; virum doctrinâ magis quàm æquitate conspicuum. Penes hos tres cùm animus Imperatoris & consilia essent, mutuísque operis & officiis inter se colligati, non sine manifestâ multorum offensione Rempublicam administrarent; sicut priores illi duo in Italiâ turbas ciere non cessârunt, ita tertius iste in Germaniâ, fraudis in detinendo [f] Lantgravio Hesso artifex & auctor, ne quantumvis instantibus Mauritio Lantgravij genero & Brandeburgico Electore, spontaneæ deditionis ejus fidejussoribus, ceterísque cunctis Principibus ac totius Germaniæ ordinibus, necnon Ferdinando Hungariæ & Christierno Daniæ Regibus, deprecantibus, eum Imperator liberaret, iisdem artibus effecit; pervicítque ut Imperator, eorumdem Mauritij & Brandeburgici potentissimorum, ac de se optimè meritorum Principum, justam in se offensionem concitare mallet, quàm committere ut consilij de retinendo Lantgravio pœnitere videretur, quod quàm initio probrosum, tam postremò ejus in Germaniâ rebus exitiosum fuit.

[f] Supr. an. 1547. X.

HENRICI REGIS FRANC. FOEDUS CŪ GERMANIS.

Quippe Mauritius tacitum cum Rege Henrico fœdus, interventu Ioannis Fraxinei Boionensis Episcopi, viri diù in Germaniâ versati, & linguæ periti, tam suo, quàm Brandeburgicorum & Hessorum Principum nomine pepigit contra Cæsarem septimo Idus Octobris, pro libertate Germaniæ, & liberatione Lantgravij; ad quod ceteri Imperij Principes, Civitates, & Ordines sollicitarentur, ac pro hostibus, perduellibus, patriæ proditoribus, omnes haberentur, quicumque tam laudabiles conatus impedire, aut Imperatorem quoquo modo contra ipsos juvare ausi essent. Additæ plurimæ aliæ conditiones: inter quas fuit, ut Rex quamprimùm Cameracum, si posset, sive Metim, Tullum, & Virodunum Lotharingiæ civitates Imperiales occuparet, & præsidio firmatas Vicarij Imperij nomine imposterùm teneret. Quod fœdus Rex mense Ianuario sequenti ratum habuit, & præsente Alberto Brandeburgico jurejurando firmavit: De cujus effectu dicetur deinceps. Atque in eo intereà considerandum venit, quò ferat homines exulceratus semel animus, ut quo tempore Henricus in regno suo hæreticos acerrimis edictis & suppliciis persequeretur, eodem extra regnum cum ejusdem generis homini-

bus fœdus percuteret contra Catholicum Principem. Sic enim & Carolus ipse Imperator contra Franciscum cum execrato Rege Angliæ arctam amicitiam inierat, & exercitus suos hæreticis semper augebat. Sed hi ludi sunt Principum, pietatem ostentare, & nihilominùs cupidines explere.

VI. Belli Turcici incentores.

Fuit & aliud bellum hoc eodem anno gestum à Turcis contra Christianos. Quod etsi Imperator, ejúsque sequaces, pro antiquâ ac suavi consuetudine in Henricum Regem rejicere contenderint, cæterorum tamen omnium consensu, & rerum gestarum serie evidentissimè apparuit, fuisse unicos ejus auctores, imprimis Ferdinandum Regem per occupationem tempore induciarum & absentiæ Solimani factam nonnullorum Hungariæ oppidorum à Turcis olim captorum, ac deinde ipsummet Imperatorem, per expugnationem Aphrodisij iisdem existentibus induciis. Cujus duplicis injuriæ causâ, seu prætextu, Solimanus de iis apud eos questus, cùm nonnisi denegationem violatarum induciarum, ut superiùs diximus, retulisset, in animum induxit eas injurias armis ulcisci. Immunémque omninò Henricum extitisse ab ejus hoc tempore accitu, necnon & ipsius ministros; quinimmò & quantùm potuerunt obstitisse eos Turcorum progressibus; certissimis testimoniis atque rationibus probatum videbit qui volet apud Belcarium [g], Belleforestium [h], Bosium [i], & alios; ex quibus & clamores Iulij, & calumniæ Imperatoris, apertissimè in ipsosmet tamquam harum omnium turbarum auctores, retorqueantur: cùm tamen quæ post biennium Italiæ & Siciliæ oras infestavit classis Turcica, certum sit procuratam magnâ parte fuisse ab Aramontio Henrici apud Solimanum oratore. Quomodò verò hoc anno classis Solimanica, ducibus Sinane Baisâ & Dragute, exscensione in Siciliam factâ Augustam civitatem ceperit, incenderítque; inde Melitâ insulâ nequicquàm tentatâ, Gozam diripuerit; atque in Africam trajiciens, Tripolim ab Hospitalariis, post acerrimam oppugnationem, mense Augusti deditione acceperit; iidem auctores, præcipuéque Bozius luculentissimè describit, & Hispanorum hominum culpâ, magis quàm Gallorum quos ipsi infamabant, id contigisse ostendit. Narrat verò facinus cujusdam Siculi, haud tacendum:

Grave cujusdam Siculi facinus.

qui in oppido Goze constitutus, cùm illud præfecti ignaviâ deditum, paucissimis à servitute exemptis, cerneret, desperatione adactus, crudeli admodùm facinore se & suos captivitati eripuit. Duxerat ibi uxorem, ex quâ duas filias sustulerat, jam tunc nubiles. Eas cùm videret propè esse ut in miserabilem servitutem abducerentur, unà cum matre domi gladio transadegit: ipséque ne suorum neci diù superesset, balistâ & sclopeto instructus, apertis domûs suæ foribus, duos ex hostibus qui ad prædam festinabant peremit, in medios ceteros ruens, nonnullis vulneratis, demùm ab iis confossus cecidit.

[g] *Belcar. lib. 25.*
[h] *Bellefor. lib 6. cap. 71.*
[i] *Bos. Hist. Ierosol. par. 3. lib. 15. & 16.*

VII. Georgii Monachi varia consilia.

Atque ut cetera hujus anni bellica expediamus, fuit item bellum in Hungariâ & Daciâ sive Transilvaniâ inter Regem Ferdinandum & Solimanum. Diximus superiùs [k] de Georgio Monacho, tutore testamento relicto à Ioanne Rege Hungariæ, Ioanni-Sigismundo filio parvulo. Is cùm ex absolutâ ditionis ejus administratione, in suspicionem Isabellæ Reginæ matris venisset dominationis affectatæ; crebris inter eos ortis discordiis, totidémque factis reconciliationibus, eò demùm Reginam desperationis adegit, ut à Solimano contra ipsum, quasi cum Ferdinando (cum quo secreta consilia pro Transilvaniâ ei dedendâ habuerat) in necem filij, & ipsius Solimani auctoritatem, consilia agitantem, auxilia petierit. Sed iis seriùs venientibus, intereà Georgius denuò cum Reginâ pacem iniit, & venientes Turcicas copias variis certaminibus & præliis fudit. Rursùm cum Reginâ altercatus, quòd se imparem Turcicæ potentiæ cerneret, iterùm cum Ferdinando agere cœpit: eóque demùm rem provexit, ut misso à Ferdinando in belli ducem Ioanne Baptistâ Castaldo Italo Cassani Marchione, Reginam induxerit Transilvaniâ cedere Ferdinando, non infimis conditionibus tam sibi quàm filio commodis si servatæ fuissent: collato Georgio Archiepiscopatu Strigoniensi amplissimi reditùs, & paulò pòst dignitate Cardinalitiâ ei à Ferdinando obtentâ, quam tamen ipse quasi infra se contemnere visus est, ne videlicèt eo nomine Ferdinando obstrictior videretur. Vnde ei maturatum est exitium; cùm inter hæc certior factus Solimanus de Daciâ Ferdinando traditâ, ingentem mox exercitum ad eam recuperandam immiserit, à quo plurima sunt capta oppida & arces. Quare inimicis Georgij eum apud Ferdinadum calumniis traducentibus, quasi cùm Turcis consilia secreta agitaret;

Ejus impia cædes.

Ferdinandus, qui jam ab eo, ac per eum, quod percupiverat obtinuerat, cùm non ampliùs ejus ope indigeret, timeret verò sibi ab ejus mutabili ingenio; in præmium acceptæ Transilvaniæ, & grati animi signum, secreta mandata ad Castaldum dedit, ut Georgium in potestatem redigeret, aut si aliter non posset de medio tollendum curaret: sive, ut alij habent, Castaldus ipse homo vafer, quòd gloriæ Georgij invideret, & thesauris illius, qui vero majores esse ferebantur, inhiaret, auctor Ferdinando fuerit hominis interficiendi, atque id sibi negotij ultrò sumpserit. Quod etiam executioni dari curavit die decimo-octavo Decembris, in Binctio castello loco amœno ab ipso Georgio ædificato: cùm is summo mane in cubiculo suo preces matutinas solus recitans, nefandissimo scelere multis vulneribus confossus est, primum ictum infligente Marco Antonio Ferrario Alexandrino, Castaldo ab epistolis, cùm velut ad literas quasdam per Georgium subscribendas, à cubiculario, ut frequenter consueverat, admissus, Sfortiæ Pallavicino, sceleris directori constituto, ceterísque sociis sicariis, Scaramuciæ, Campegio, aliísque ejusmodi nominum hominúmque monstris, faciliorem ingressum præbuisset. In quo parricidio nihil aliud bonus senex (erat enim septuagenarius) protulit, quàm primò *Virgo Maria*, deinde Iesus *Maria*, quid

[k] *An. 1540. XIII. 1541. VI.*

procurabat, & Pauli Thermei, qui post reditum ab Scotiâ orator ad Pontificem missus fuerat, rationes, quibus Regem de susceptâ Octavij protectione excusare voluerunt, rejecisset; (qui propterea Româ discesserunt) cogitavit de illo excommunicando, & regno interdicendo: sicuti & Rex econtrà de congregando Concilio Nationali in Galliâ, evocatis ad hoc undique, etiámque Româ, Episcopis suarum ditionum. Est enim de his quoque epistola ad Ioannem-Baptistam Pontificis nepotem inter Epistolas [e] Principum, quæ de cunctis hujusmodi negotiis & consiliis bellicis, rebúsque bello gestis ultrò citróque scriptæ fuêre; ex quibus certiùs quàm ex historicis veritas indagari possit, & quæ fuerint utrimque accusationes, excusationes, culpæ, jura, intelligi. Cœptum autem hoc anno bellum inter magnos illos Principes, (Pontifex enim citò resiluit) continuatum est per aliquot annos terrâ maríque, per Italiam, Germaniam, Galliam, Belgium, ingenti Orbis Christiani detrimento. Sic enim quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi. Agemus nos de præcipuis ejus casibus, suis quibusque locis.

[e] Ep. Princ. vol. 3.

IV. BELLI GESTIO.

Pontifex igitur, præcipuo impulsore prædicto Io. Baptistâ de Monte Balduini fratris filio, qui à Gonzagâ in spem amplissimorum munerum erectus totum se Cæsareis partibus addixerat; ac suasu Cæsaris, qui consuetâ calliditate nolebat videri auctor belli, sed tantùm auxiliator Pontificis; bellum Octavio Cæsaris genero, tamquàm perduelli indixit, præficiens ei Gonzagam & Ioannem Baptistam; qui mox hostilia exercere cœperunt: Gallis pro Parmensi strenuè agentibus, simúlque pro Mirandulano, qui æquè sub Regis tutelâ erat, præcipuis ducibus Petro Strozzio Florentino, & Horatio Farnesio Octavij fratre ac Regis genero. Eâdémque occasione bellum in Subalpinâ regione renovatum fuit; ubi Carolus Cossæus Brissacus Franciæ Marescallus legatum regium agebat; militabátque sub eo Blasius Monlucius, de quo aliàs, magnæ experientiæ dux: concurrentibus eódem aliquot Principibus & ex primâ nobilitate viris, prælij spe, aut alterius alicujus præclari facinoris. Quare Cæsare quoque atque Pontifice totis viribus in opus incumbentibus, non pauca facta fuêre hoc anno variis locis certamina vario marte, capta utrimque oppida, & alia quà vi quà arte gesta. Quòd tamen prosperiori Gallicæ partis successu res gereretur, multorum reprehensionibus objectus est Gonzaga, Belli Parmensis auctor & suasor; ambitionem in eo, ac pervicacem privatæ cum Farnesiis simultatis ultionem, ac denique rapacem avaritiam accusantium. Vnde & contigit, ut obsidionem Parmæ, & Mirandulæ, (hanc enim Pontifex acriùs urgebat, spe paris cum Iulio II. exitûs; quâ tamen cecidit, etiam cum nece nepotis sui Ioannis Baptistæ) Pontificij atque Cæsarei deserere coacti tandem fuerint. Quo eodem tempore exarsit item bellum in Belgio & vicinio Lotharingiæ limite, vario item, sed nō magni momenti his initiis operæpretio; rem pro Rege administrante Francisco Clivio Nivernensium Duce Campaniæ præfecto. Et ex alterâ parte Antonius Dux Vindocinensis in Flandriam & Hannoniam ingressus, multa damna utrique provinciæ intulit.

V. GERMANICI BELLI INITIA.

Intereà parabatur aliud non minùs atrox in Carolum Imp. bellum. Qui enim rixas tantâ propensione quærebat, serebátque, ministros habens assiduos ad eas incentores, æquum fuit ut & inveniret; etiamsi frequenter gravi suo damno, populorum verò gravissimo. Violenter enim admodùm in Italiâ & Germaniâ passim omnia ab ejus ministris tunc agi consueta fuisse traduntur: à prædicto videlicèt Gonzagâ, crudeli & avaro, à Didaco Hurtado Mendozâ, Hispano arrogantissimo, qui ad Senenses in servitutem redigendos arcem in eorum urbe construxit; & maximè ab Antonio Perrenoto Granvellano Episcopo Atrebatensi; apud quem post mortem patris Imperatoris intimi, qui solus ferè consiliorum ejus & arcanæ mentis fuerat conscius, summa rerum erat; virum doctrinâ magis quàm æquitate conspicuum. Penes hos tres cùm animus Imperatoris & consilia essent, mutuísque operis & officiis inter se colligati, non sine manifestâ multorum offensione Rempublicam administrarent; sicut priores illi duo in Italiâ turbas ciere non cessârunt, ita tertius iste in Germaniâ, fraudis in detinendo [f] Lantgravio Hesso artifex & auctor, ne quantumvis instantibus Mauritio Lantgravij genero & Brandeburgico Electore, spontaneæ deditionis ejus fidejussoribus, ceterísque cunctis Principibus ac totius Germaniæ ordinibus, necnon Ferdinando Hungariæ & Christierno Daniæ Regibus, deprecantibus, eum Imperator liberaret, iisdem artibus effecit; pervicítque ut Imperator, eorumdem Mauritij & Brandeburgici potentissimorum, ac de se optimè meritorum Principum, justam in se offensionem concitare mallet, quàm committere ut consilij de retinendo Lantgravio pœnitere videretur, quod quàm initio probrosum, tam postremò ejus in Germaniâ rebus exitiosum fuit.

[f] Supr. an. 1547. X.

HENRICI REGIS FRANC. FOEDUS CŪ GERMANIS.

Quippe Mauritius tacitum cum Rege Henrico fœdus, interventu Ioannis Fraxinei Boionensis Episcopi, viri diù in Germaniâ versati, & linguæ periti, tam suo, quàm Brandeburgicorum & Hessorum Principum nomine pepigit contra Cæsarem septimo Idus Octobris, pro libertate Germaniæ, & liberatione Lantgravij; ad quod ceteri Imperij Principes, Civitates, & Ordines sollicitarentur, ac pro hostibus, perduellibus, patriæ proditoribus, omnes haberentur, quicumque tam laudabiles conatus impedire, aut Imperatorem quoquo modo contra ipsos juvare ausi essent. Additæ plurimæ aliæ conditiones: inter quas fuit, ut Rex quamprimùm Cameracum, si posset, sive Metim, Tullum, & Virodunum Lotharingiæ civitates Imperiales occuparet, & præsidio firmatas Vicarij Imperij nomine imposterùm teneret. Quod fœdus Rex mense Ianuario sequenti ratum habuit, & præsente Alberto Brandeburgico jurejurando firmavit: De cujus effectu dicetur deinceps. Atque in eo intereà considerandum venit, quò ferat homines exulceratus semel animus, ut quo tempore Henricus in regno suo hæreticos acerrimis edictis & suppliciis persequeretur, eodem extra regnum cum ejusdem generis homini-

bus fœdus percuteret contra Catholicum Principem. Sic enim & Carolus ipse Imperator contra Franciscum cum execrato Rege Angliæ arctam amicitiam inierat, & exercitus suos hæreticis semper augebat. Sed hi ludi sunt Principum, pietatem ostentare, & nihilominùs cupidines explere.

VI. Belli Turcici incentores.

Fuit & aliud bellum hoc eodem anno gestum à Turcis contra Christianos. Quod etsi Imperator, ejúsque sequaces, pro antiquâ ac suavi consuetudine in Henricum Regem rejicere contenderint; cæterorum tamen omnium consensu, & rerum gestarum serie evidentissimè apparuit, fuisse unicos ejus auctores, imprimis Ferdinandum Regem per occupationem tempore induciarum & absentiæ Solimani factam nonnullorum Hungariæ oppidorum à Turcis olim captorum, ac deinde ipsummet Imperatorem, per expugnationem Aphrodisij iisdem existentibus induciis. Cujus duplicis injuriæ causâ, seu prætextu, Solimanus de iis apud eos questus, cùm nonnisi denegationem violatarum induciarum, ut superiùs diximus, retulisset, in animum induxit eas injurias armis ulcisci. Immunémque omninò Henricum extitisse ab ejus hoc tempore accitu, necnon & ipsius ministros; quinimmò & quantùm potuerunt obstitisse eos Turcorum progressibus; certissimis testimoniis atque rationibus probatum videbit qui volet apud Belcarium [g], Belleforestium [h], Bosium [i], & alios; ex quibus & clamores Iulij, & calumniæ Imperatoris, apertissimè in ipsosmet tamquam harum omnium turbarum auctores, retorqueantur: cùm tamen quæ post biennium Italiæ & Siciliæ oras infestavit classis Turcica, certum sit procuratam magnâ parte fuisse ab Aramontio Henrici apud Solimanum oratore. Quomodò verò hoc anno classis Solimanica, ducibus Sinane Bassâ & Dragute, exscensione in Siciliam factâ Augustam civitatem ceperit, incenderítque; inde Melitâ insulâ nequicquàm tentatâ, Gozam diripuerit; atque in Africam trajiciens, Tripolim ab Hospitalariis, post acerrimam oppugnationem, mense Augusti deditione acceperit; iidem auctores, præcipuéque Bozius luculentissimè describit, & Hispanorum hominum culpâ, magis quàm Gallorum quos ipsi infamabant, id contigisse ostendit. Narrat verò facinus cujusdam Siculi, haud tacendum:

[g] *Belcar. lib. 25.*
[h] *Bellefor. lib 6. cap. 71.*
[i] *Bos. Hist. Ierosol. par. 3. lib. 15. & 16.*

Grave cujusdam Siculi facinus.

qui in oppido Goze constitutus, cùm illud præfecti ignaviâ deditum, paucissimis à servitute exemptis, cerneret, desperatione adactus, crudeli admodùm facinore se & suos captivitati eripuit. Duxerat ibi uxorem, ex quâ duas filias sustulerat, jam tunc nubiles. Eas cùm videret propè esse ut in miserabilem servitutem abducerentur, unà cum matre domi gladio transadegit: ipséque ne suorum neci diù superesset, balistâ & sclopeto instructus, apertis domûs suæ foribus, duos ex hostibus qui ad prædam festinabant peremit, in medios ceteros ruens, nonnullis vulneratis, demùm ab iis confossus cecidit.

VII. Georgii Monachi varia consilia.

Atque ut cetera hujus anni bellica expediamus, fuit item bellum in Hungariâ & Daciâ sive Transilvaniâ inter Regem Ferdinandum & Solimanum. Diximus superiùs [k] de Georgio Monacho, tutore testamento relicto à Ioanne Rege Hungariæ, Ioanni-Sigismundo filio parvulo. Is cùm ex absolutâ ditionis ejus administratione, in suspicionem Isabellæ Reginæ matris venisset dominationis affectatæ; crebris inter eos ortis discordiis, totidémque factis reconciliationibus, eò demùm Reginam desperationis adegit, ut à Solimano contra ipsum, quasi cum Ferdinando (cum quo secreta consilia pro Transilvaniâ ei dedendâ habuerat) in necem filij, & ipsius Solimani auctoritatem, consilia agitantem, auxilia petierit. Sed iis seriùs venientibus, intereà Georgius denuò cum Reginâ pacem iniit, & venientes Turcicas copias variis certaminibus & præliis fudit. Rursùm cum Reginâ altercatus, quòd se imparem Turcicæ potentiæ cerneret, iterùm cum Ferdinando agere cœpit: eóque demùm rem provexit, ut misso à Ferdinando in belli ducem Ioanne Baptistâ Castaldo Italo Cassani Marchione, Reginam induxerit Transilvaniâ cedere Ferdinando, non infimis conditionibus tam sibi quàm filio commodis si servatæ fuissent: collato Georgio Archiepiscopatu Strigoniensi amplissimi reditûs, & paulò pòst dignitate Cardinalitiâ ei à Ferdinando obtentâ, quam tamen ipse quasi infra se contemnere visus est, ne videlicèt eo nomine Ferdinando obstrictior videretur. Vnde ei maturatum est exitium; cùm inter hæc certior factus Solimanus de Daciâ Ferdinando traditâ, ingentem mox exercitum ad eam recuperandam immiserit, à quo plurima sunt capta oppida & arces.

[k] *An. 1540. XIII. 1541. VI.*

Ejus impia cædes.

Quare inimicis Georgij eum apud Ferdinadum calumniis traducentibus, quasi cum Turcis consilia secreta agitaret; Ferdinandus, qui jam ab eo, ac per eum, quod percupiverat obtinuerat, cùm non ampliùs ejus ope indigeret, timeret verò sibi ab ejus mutabili ingenio; in præmium acceptæ Transilvaniæ, & grati animi signum, secreta mandata ad Castaldum dedit, ut Georgium in potestatem redigeret, aut si aliter non posset de medio tollendum curaret: sive, ut alij habent, Castaldus ipse homo vafer, quòd gloriæ Georgij invideret, & thesauris illius, qui vero majores esse ferebantur, inhiaret, auctor Ferdinando fuerit hominis interficiendi, atque id sibi negotij ultrò sumpserit. Quod etiam executioni dari curavit die decimo-octavo Decembris, in Bintio castello loco amœno ab ipso Georgio ædificato: cùm is summo mane in cubiculo suo preces matutinas solus recitans, nefandissimo scelere multis vulneribus confossus est, primum ictum infligente Marco Antonio Ferrario Alexandrino, Castaldo ab epistolis, cùm velut ad literas quasdam per Georgium subscribendas, à cubiculario, ut frequenter consueverat, admissus, Sfortiæ Pallavicino, sceleris directori constituto, ceterísque sociis sicariis, Scaramuciæ, Campegio, aliísque ejusmodi nominum hominúmque monstris, faciliorem ingressum præbuisset. In quo parricidio nihil aliud bonus senex (erat enim septuagenarius) protulit, quàm primò *Virgo Maria*, deinde Iesus *Maria*, quid

hoc est fratres? fratres appellans, quos crudelissimos hostes sentiebat: in iisque piis verbis admodùm Christianè efflavit animam, à scelestissimis proditoribus impiè atque sacrilegè ereptam. Tradunt, arcem illam, in quâ cæsus est, cœnobij ab ipso eversi fundamentis superstructam fuisse, ejúsque cœnobij præfectum ex eo ipsi exitium sive præsagîsse, sive imprecatum esse. Prosequuntur autem hanc memorabilem historiam, ac rem cum Reginâ ac Turcis tunc temporis gestam, valdè prolixè Natalis [l] Comes, Thuanus, Isthuanffius, & alij: quibus præivit in multis Flavius Ascanius Centorius, qui de bellis Dacicis seu Transilvanicis, ex Ferdinandi ipsius, uti scribit, & Castaldi commentariis, historiam edidit, haud ideò erga Georgium adeò æquam.

[l] *Natal. lib. 4. & 5. Thuan. lib. 9. Isthuanff. lib. 16. & 17.*

VIII. DAMNA EX EJUS MORTE.

Fuit omninò Georgius vir pace bellóque clarus, & profundâ prudentiâ cum paucis comparandus; quam dum temporibus accommodaret, & patriæ suæ pupillique bono Turcorum voluntati plerumque morigeraretur, multorum invidiam, ac postremò exitiale odium in se concitavit. Quantum verò incrementi illius morte suis rebus accessurum rebatur Ferdinandus, tantum detrimenti se accepisse, sed serò, sensit; translato ad externos homines summo illarum regionum imperio & publicâ administratione. A quâ cùm se illarum reguli remotos viderent, minùs animi & constantiæ ad propulsandum communem hostem adhibuerunt; & ingentibus propterea cladibus acceptis, mox revocato Rege Ioanne Sigismundo, Ferdinandi dominationem omninò projecerunt; ut videbitur deinceps Georgij autem percussores ad unum omnes diversis casibus & locis ac suppliciis pœnas divinitùs dedisse patrati sceleris, plerique observârunt, singulas recensentes. Corpus ejus, in cumulum impietatis, lacerum & deforme inhumatum multos dies jacuit; donec tumultuario funere à sacerdotibus collegij Albensis in majori æde sancto Michaëli sacrâ tumulatum est. Ejus porrò necem cùm tunc nonnulli jure factam dicerent, quòd iterùm ad Turcos simul cum Transilvaniâ defecturus fuisset; negârunt tamen id seriò plerique, insontem periisse affirmantes, ut eo sublato Regina & pupillus faciliùs circumveniri possent; Castaldum verò operam diligentem ideò navâsse, ut extincto æmulo ad expilandam provinciam & usurpandos thesauros solus imperio potiretur. Ferdinandus autem scelus à se prolixo scripto amoliri conatus, patratúmque excusare, paucis aut nullis rem persuasit; quia non ignorabant publicari id ab ipso ad excusandas excusationes in peccatis. Denique Iulius Pontifex, impellentibus maximè Cardinalibus, cædis hujus nomine diem ei dixit, eumdémque cum auctoribus patratoribúsque cædis excommunicatione perculit. A quâ primum, ægréque absolutus est, eâ conditione, si vera essent quæ ab ipso in sui & facti excusationem exponebantur: deinde verò, quòd hujus clausulæ adjectione ejus fides in dubium vocari videretur, purâ sententiâ in gratiam ipsius ac reliquorum conjuratorum latâ: quamquàm injustè fuisse cæsum Georgium, nemo in Pannoniâ ambigeret, ac ne Romæ quidem dubitaretur.

FERDINANDUS EXCOMMUNICATUR, ET ABSOLVITUR.

Quod autem & prædictam Turcicam in Daciam irruptionem fateri quidam auctores Henrico Regi attribuerunt; tum ineptam hujusmodi calumniam refellit jam eo tempore Belcarius [m]; tum ij rerum statum penitùs ignorâsse ex iis quæ modò dicta sunt, apertè convincuntur. Sed quid non comminiscatur livor & invidia? aut verò favor & adulatio?

[m] *Belcar. lib. 25. §. 37. & seqq.*

IX. GEORGII THESAURI.

Georgij thesauri (quæ præcipua illius necis causa fuisse putata est) reperti longè minores fuerunt quàm avara auctorum necis cupiditas existimaverat: nisi adeò infami mendicitate laborarent, ut tam modicam prædam tam nefandâ atrocitate dignam putârint. Neque enim tota supellex in auro & argento, nummis antiquis, vasis, gemmis, aulæis, vestibus, equis, omni denique substantiâ, ampliùs ducentis quinquaginta, aut summum trecentis millibus aureorum æstimata est ab iis qui rem in defuncti odium exaggerârunt: quæ summa ut tanti viri fortunam in tantâ tot annorum administratione non excedebat, ita illum à calumniis absolvit, & magnâ invidiâ interfectores oneravit. Idque aurum, ut olim Tolosanum, possessoribus exitiale, & infaustissimus annus, qui secutus est, manifestum fecêre, (præter illa quæ de interfectorum suppliciis diximus) Deo curæ fuisse Georgij necis ultionem, tot captis à Turco oppidis, & cladibus per totum regnum acceptis; & Reginâ proceres regni ad defectionem sollicitante, quòd promissa Ferdinandi nomine à Castaldo non præstarentur; quæ scilicèt non ad aliud promissa fuerant quàm ad deceptionem, quæ sanè vixisset Georgius, præstare omninò habuissent; non præstita verò magno suo detrimento luerunt.

DIVINA DE EJUS NECE ULTIO.

X. HÆRESIS TRANSILVANIÆ INUNDAT.

Fuit & alia longè gravior clades in Transilvaniam per mortem Georgij illata, cui parum Ferdinandus, Castaldus, & alij attenderunt, cælestia præ terrenis nullo pretio habentes. Quamdiù namque Georgius vixit, ejus vigilantiâ Transilvaniam puram ab infectione hæresis permansisse, multi [n] volunt, qui nihilominùs si, ut alij scribunt, etiam ejus tempore corrumpi adeò cœperat, ut & ipse Rex Ioannes Scepusius pater Ioannis-Sigismundi infectus eâ fuerit: sanè postquàm Georgius de medio sublatus fuit, omnis hæresis omnísque impietas patentibus foribus in eam ingressa est; non solùm per *Georgium* [o] *Blandratam* hominem Saluciensem Subalpinum, qui fugâ lapsus è Ticino, ubi inquisitus fuerat, Genevâ, Helvetiâ, & Germaniâ transitâ, in transilvaniam penetraverat, & medium apud Ioannem-Sigismundum (postquàm restitutus est) & Petrovitium ejus tutorem occultum Lutheranum agens, venenum Arianismi & impietatis Antitrinitariæ eorum animis infudit, verùm etiam indirectè per ipsummet Ferdinandum, cùm missus ab eo in eam provinciam adversùs hostes Bartholomæus Corvata Lutheranus, palàm per suos concionatores Lutheranismum prædicari curavit. Idque ipsum post præstitit Mauritius, exercitum ducens eodem ex fœdere: quam-

[n] *Vid. Flor. de ort. hær. lib. 4.*

[o] *Vid. infr. ann. 1561. XXXIII.*

vis dum vixit Regina, non tantâ libertate res acta fuerit: obstante videlicet Solimano Reginæ protectore: (quod mireris, ut Rex infidelis potiorem curam conservationis antiquæ religionis haberet, quàm ipsimet Catholici Principes:) qui cùm intellexisset ejusmodi sectarum novitates, quibus periculum erat ne regnum pessum iret, omninò interdixit, ne hæretici sinerentur in Transilvaniâ degere, qui propterea pulsi à Reginâ tunc fuêre, sed eâ defunctâ, ipsóque Solimano extincto, Selimo ejus filio parùm hæc curante, & Ioanne Sigismundo Rege ac Petro vitio penitùs corruptis, corrupta quoque fuit universa Transilvania, & facta omnium hæresum & impietatum impurissima cloaca.

Solimanus hæreses prohibet.

XI.

Sed ut postquàm diù inter arma & exercitus oberravimus, ad stationem Concilij Tridentini redeamus; cùm venisset præfinitus dies Calendarum Septembris, celebrata est *XII. Sessio*, eadémque II. sub Iulio Papa, cui interfuerunt Archiepiscopi Electores Imperij Moguntinus & Treverensis, (Coloniensis nondum advenerat, qui paulò pòst accessit) cum aliis nonnullis Episcopis Germanis, quos Imperator adesse urgenter sollicitaverat; ipséque suos oratores, sicuti & frater ejus Ferdinandus miserat: cùm alioqui præter aliquot Hispanos, quos æquè Imperator ex Hispaniâ evocaverat, & illos qui Tridenti substiterant, aut per Italiam versabantur è ditionibus ejus, pauci adessent Episcopi ex ipsâ quoque Italiâ, nedum ex aliis regionibus. Post consueta porrò solemnia, & orationem exhortatoriam Præsidum, lectum est Decretum, quo Synodus de Electorum adventu exultans, firmámque spem concipiens quam plurimos alios tam ipsius Germaniæ, quam aliarum nationum Prælatos hoc exemplo commotos propediem esse venturos, futuram Sessionem ad quadragesimam diem, nempè undecimam Octobris indixit: declaravítque, cùm in præteritis Sessionibus de Septem Sacramentis in genere, & in specie de Baptismo & Confirmatione definitum fuisset de sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, necnon quoad reformationem de reliquis quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum residentiam pertinerent, tractandum fore.

Sess. XII. Concil. Trid.

XII. Literæ regiæ ad Synodum, per Amiotum missæ.

Quibus peractis, adfuit ex improviso *Iacobus Amiotus* Abbas Bellozanus, missus Venetiis à parte Regis Henrici per Cardinalem Turnonium & Odettum Silvam regium apud Venetos oratorem, cum literis [p] regiis inscriptis *Sanctissimis in Christo & observandis Patribus Tridentini Conventûs*. Quas cùm Amiotus Cardinali Crescentio Legato obtulisset, mox ubi per Secretarium Concilij lecta fuit superscriptio, conclamavêre Hispani Episcopi stupendo zelo, non esse eas recipiendas, quòd non *Concilium*, sed *Conventum* appellâsset. Post multum rumorem, re seorsùm discussâ & disputatâ, cùm vocem *Conventûs* in bonam partem accipi posse judicatum fuisset, renunciatum est Amioto, placere Synodo literas Regis absque præjudicio legi, quòd vocem *Conventus* in bonam partem positam existimaret, alioqui eas pro non scriptis habere. Extat in Collectione [q] Epistolarum & Monitorum Regum Christianissimorum, eorúmque legatorum & ministrorum, de rebus Concilij Tridentini, epistola Amioti scripta post hæc Venetiis die octavâ Septembris in Galliam ad Morvillierum Magistrum libellorum supplicum Regis; quâ rationem minutatim reddens hujus suæ negotiationis, inter alia ait, cùm ita ut diximus tumultuarentur Hispani, dixisse Electorem Moguntinum, *Si vos non vultis audire literas Regis, quomodò audietis Protestantes Germanos, qui nos appellant concilium malignantium?* Cardinalem quoque Tridentinum, qui aderat, institisse ut legerentur. Denique oratorem Cæsareum Comitem Monfortium Germanum contestatum esse, protestaturum se nomine Cæsaris ut Amiotus audiretur.

[p] Ext. in Collect. de qua infr. & ap. Bochel. in Decr. Eccl. Gallic. lib. 5. tit. 20.

[q] Edit. 1613. in 4.

XIII. Literarum Regis contextus.

Fuerunt igitur literæ regiæ lectæ magnâ omnium, ut ait, attentione: quæ datæ apud Fontem-bellaquam Idibus Augusti, continebant, visum sibi esse convenire pristinæ majorum suorum erga Ecclesiam observantiæ, causas promere propter quas integrum sibi non esset ullum Episcopum suæ ditionis Tridentum mittere ad conventum nomine publici Concilij à Papâ Iulio indictum; rogans eos atque obsecrans, non secùs ac honorarios arbitros, eas sic accipere, non tanquam ab ignoto, aut alieno, aut adversario profectas, sed veluti ab eo qui hereditario nomine maximus, aut, sicut usus loquendi ferret, primus & perhiberetur & esset Ecclesiæ Catholicæ filius: qui omninò decrevisset majorum suorum vestigiis insistere, eorúmque magnitudinem, vigilantiam, solicitudinem, fortitudinem, religionem, ceteráque omnia imitari; & dum illatam ab aliis injuriam necessariò cogeretur repellere, traditam sibi à majoribus Ecclesiæ Catholicæ charitatem minimè deponere. Lectis verò literis, Amiotus de scripto recitavit contestationem, quam post susceptum agri Parmensis patrocinium, post exortam deinde eâ de re gravissimam querimoniam, post denique ostentatum certissimum intestini belli terrorem, Rex jussisset cùm Iulio Pontifici, tum sacro Cardinalium collegio denunciare per Paulum à Thermis oratorem suum, virum equestri dignitate clarissimum. Ea verò in summâ continebat justas rationes, quibus Rex motus patrocinium agri Parmensis suscepisset, in commodum & utilitatem Ecclesiæ Romanæ, pacisque ac libertatis Italiæ: quas nisi Pontifex admitteret, palàm denunciabat, si proinde Italia, atque adeò universa Europa bello implicaretur, ex quo Ecclesiæ status convelleretur, & mores, ac religio, fidésque ipsa in ultimum discrimen adduceretur, & Concilij solutio consequeretur; maximo id quidem cum Regis dolore futurum, sed sibi tamen nihil eorum meritò imputandum esse, qui ne illa acciderent, omnes conditiones, quæ honestæ essent, non solùm ferre, verùm etiam accipere obtulisset, Pontificem nihil his motum, magis cuncta prædicta mala excitare elegisse videri, ut omnes ad Concilium celebrandum aditus præcluderentur: istámque ipsam Concilij indictionem, non communis universæ

Eiusdem protestatio.

Ecclesiæ utilitatis gratiâ repetitam, sed factâ conditione cum iis quorum privatis rationibus ac commodis illi inserviretur: Eáque propter Regem necessariò protestari, sicut à jure sibi permissum esset, se non posse Episcopos suos Tridentum mittere, quibus nec liber nec tutus eò pateret accessus: neque ipsum Concilium, à quo excluderetur invitus, pro Generali habere, quin potiùs privatum existimare, non reformandæ restituendæque disciplinæ, sed privatæ quorumdam vtilitatis studio quæsitum: adeóque nec ejus decretis aut ipsum, aut Ecclesiæ Gallicanæ Prælatos & populos astrictum iri: quinimmò testari se ac palàm denunciare, ad eadem se præsidia ac remedia progressurum, si necesse foret, quibus majores sui Francorum Reges in re consimili uti consuevissent: non quidem ut observantiæ Sedi Apostolicæ debitæ quicquam detraheret, sed ut melioribus eam temporibus servaret, quibus arma parùm honestè in se sumpta deponerentur, & motiones animi componerentur. Hæc uberiùs eo scripto enarrata, ac per Thermeum Romæ Pontifici & Cardinalibus significata, recitavit Amiotus Tridenti, absque ullâ aliâ factâ ipsis Concilij Patribus specialiori protestatione. Ad quæ Promotor respondit, Synodum gratam habere Regis moderationem quam præ se tulisset in suis literis: personam verò ipsius Amioti, nisi quatenùs legitima esset, minimè acceptare; sed monere ipsum, ut ad diem vndecimam Octobris sese sisteret futuræ Sessioni, ut responsum acciperet.

Promotoris responsio.

XIV. Quod autem remediis ab antecessoribus Regibus usurpatis Henricus usurum se Pontifici protestatus fuerat, haud fefellit. Siquidem post ejusmodi protestationem, cùm vidisset Pontificem nec rationibus nec comminationibus flecti; scripto [r] publico septimo Idus Septembris edito, de injuriâ sibi ab illo factâ, déque causâ belli Parmensis multa elocutus, gravissimis constitutis pœnis edixit, nequa pecunia ob ullam causam deinceps Romam, aut alium quemvis in locum ubi Romanus Pontifex potestatem obtineret, ex regno & ditionibus regiis deferretur. Cùm enim rerum omnium, ac præcipuè belli nervus in pecuniâ consistat, immanis futurum hoc dementiæ, si suis suorúmque viribus hostium vires sustentaret. Qui paucis antè diebus, ne ex hoc cum Pontifice dissidio novatoribus Religionis animus ad seditiones augeretur, tum ne apud populum Catholicum sinistra de ipsius fide opinio vulgaretur, simul ut aditum ad conciliationem Pontifici aperiret; quarto Nonas ejusdem mensis edictum longè gravissimum quadraginta sex capitula continens, jámque antè quinto Calendas Iulij apud Castrobriandum in Armoricâ compositum, Parisiis promulgari jussit contra hæresim & de eâ suspectos; quo superiorum annorum ejus generis decreta partim confirmavit, partim ubi non satis explicata videbantur exacuit, propositis etiam præmiis denunciantibus.

[r] Ext. post Collect. Histor. Tilij.

Rex vetat pecuniæ missionem Romam. Edictum promulgat contra hæreticos.

XV. Adveniente die undecimo Octobris, celebrata fuit *Sessio XIII.* eadémque III. sub Iulio Papâ, cui unà cum Legatis Apostolicis, & Cardinale Tridentino, ac tribus Electoribus Archiepiscopis, interfuerunt alij sex Archiepiscopi, triginta quatuor Episcopi præter duos legatos Ferdinandi Regis item Episcopos, tres Abbates, unus Generalis. Et post celebratam Missam ab Episcopo Majoricensi, & longam orationem ab Archiepiscopo Turritano habitam, aliáque peracta solemnia; sicut designatum fuerat, post varias in congregationibus factas interim consultationes & disputationes pro Decreti promulgandi soliditate, lectum illud est ab eodem Episcopo, quo quidem omnibus Christi fidelibus interdictum est, ne posthàc de sanctissimâ Eucharistiâ aliter credere, docere, aut prædicare auderet, quàm ut esset eo decreto explicatum atque definitum. Fuítque ea doctrina ad octo capita redacta, quæ in decretis Concilij visuntur; videlicèt de reali præsentiâ Christi in eâ; de ratione institutionis illius Sacramenti; de ejus excellentiâ super reliqua Sacramenta; de Transubstantiatione; de cultu & veneratione ei exhibendâ; de illius asservatione, & ad infirmos delatione; de præparatione necessariâ ad eam recipiendam; (ac præcipuè de peccatorum mortalium ex præcepto Apostolico sacramentali confessione; quod anteà non adeò expresè definitum videbatur:) de vsu ejus, quo nonnulli sacramentaliter dumtaxat eam accipiunt, alij tantùm spiritualiter, alij denique sacramentaliter simul & spiritualiter. Adjectíque undecim Anathematismi contra negantes doctrinam iis comprehensam, aut aliam introducentes. Decreto de Reformatione octo item capita facta sunt; de formâ Residentiæ Episcoporum, & correctionis subditorum, à quorum visitatione nemo appellare possit: de ceteris appellationibus, earúmque modis servandis; de Clericorum degradationibus & depositionibus, déque inferiorum in eos criminationibus, ac testimoniis, quæ à Pontifice cognosci debeant.

Sessio XIII.

Decretum de Eucharistia.

XVI. Cùm autem disputatum quoque in congregationibus fuisset de usu calicis pro laicis, déque puerorum communione, & de utroque denegando deliberaretur; monente Comite Monfortio oratore Cæsareo, abjiciendam planè spem omnem conciliandorum Protestantium, si semel intelligerent usum calicis, quem tantoperè urgerent, contra suam sententiam decisum: indultum est, ut in eorum adventum differretur utriusque quæstionis tractatio: itémque sacrificij Missæ, de quo gravis & multiplex erat controversia: decreto inde facto, quo harum quæstionum definitio remissa est ad secundam post hanc futuram Sessionem die vigesimo quinto mensis Ianuarij anni subsequentis, ad quam illi commodè accedere possent. Atque interim alia indicta est Sessio in diem vigesimum quintum Novembris festum S. Catharinæ pro decisione doctrinæ de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Vnctionis. Dataque fides publica, seu, ut vocant, Salvus-conductus, in gratiam Germanorum; quo omnibus & singulis sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus personis universæ Germaniæ, cujuscumque gradûs, statûs, conditionis, qualitatis essent, quæ ad Concilium accedere vellent, omnis libertas, quantum ad ipsam

Disputationes dilatæ in adventum Protestantium.

Synodum spectaret, promissa est vehiendi, manendi, redeundi, proponendi, disputandi, atque etiam, si vellent, judices sibi pro commissis auut committendis delictis deligendi.

XVII. Responsio Concilii ad protestationẽ Regis.

Quòd verò Amioto Abbati Bellozano Galliæ Regis oratori, assignatus fuisset, ut vidimus, dies hujus Sessionis ad audiendum responsum Synodi ad literas & protestationem Regis; nec ille adesset: præconi publico imperatum est ad templi fores inclamare num quis Regis Christianissimi nomine adesset: neminéque comparente, (sic enim factu opus judicaverat Amiotus, ut apparet ex ejus ad Morvillierum epistolâ, ne in causæ cognitionem & disceptationem veniretur; ubi responsum non aliud audiendum foret, quàm quod Romæ à Pontifice & Didaco Mendozâ Cæsaris homine fabricatum esset; eóque maximè quòd non protestatio ad Concilium facta fuisset; sed tantùm ea lecta quæ facta fuerat Pontifici & Cardinalibus) publicatum est nihilominùs responsum: quo Patres declararunt, Concilium non privatæ alicujus utilitatis causâ haberi, sicuti Rex objiciebat, sed ad extirpandas hæreses, & disciplinam emendandam: orare igitur Regem, ut permitteret suæ ditionis Episcopos hoc tam sanctum opus adjuvare: quamquam verò neminem mitteret, Concilio nihilo seciùs suam constitutam dignitatem & auctoritatem; quod & legitimè esset indictum, & justis de causis restitutum: Quòd autem protestatus esset, usurum se remediis quæ majores sui adhibere consuevissent, sperare Synodum, quæ maximo regni Galliarum emolumento jam abrogata essent, ea numquam ipsum revocaturum; sed cùm tantis esset à Deo ornatus & auctus beneficiis, nihil esse facturum, quo vel in Deum vel in Ecclesiam videretur esse ingratus: respiceret solùm ad majores, ad suum Christianissimi nomen, ad parentem denique Franciscum, qui Synodum missis Episcopis & legatis viris doctissimis cohonestâsset, ejúsque exemplo privatas offensiones publicæ rei condonaret. Cujus responsionis summa capita Sleidanus [s] refert; integram Roværus [t] Pontanus.

[s] Sleidan. lib. 23.
[t] Pont. Rer. memorabil. lib. 5.

XVIII. Rex agit contra Concil.

Ad hæc non solùm Rex contempsit, verùm etiam ut Pontifici & Cæsari ægrè faceret, cum Helvetiis, quos Pontifex hortatus fuerat ad Synodum suos dirigere legatos, egit ne tam Catholici quàm Sacramentarij, nec item Rheti mitterent, & qui jam missi fuissent revocarentur: in his, quod turpiùs fuit, industriâ usus Petri-Pauli Vergerij Episcopi olim Iustinopolitani, qui ad hæreticos delapsus inter Rhætos agebat, cùm tamen ex Protestantibus Germanis Elector Brandeburgicus, & Dux Wirtembergicus, & nonnullæ civitates, ut gratificarentur Cæsari, legatos suos Tridentum direxerint, inter quos fuit à civitate Argentinensi missus *Ioannes Sleidanus* historicus à nobis sæpè nominatus. Qui negotiationem suam ac sociorum describens, ait noluisse ipsos cum Legatis Pontificiis res suas communicare, ne eo ipso jus illis ac præcipuam cognoscendi auctoritatem tribuere viderentur; sed tantùm cum Cardinale Tridentino, Electoribus Archiepiscopis, & oratoribus Cæsareis: adeò ut variis dilationibus ac delusionibus, ut vocat, extracto tempore, nihil hoc anno ab iis impetrari potuerit, tam de suæ confessionis publicâ exhibitione, (siquidem hortatu Mauritij Saxones Confessionem suarum ecclesiarum Melancthonis ministerio conscripserant, Dúxque Wirtembergicus peculiarem per Brentium) quàm de securitate pro suis Theologis eâdem formâ quâ fuerat olim à Basileensibus cautum Boëmis, cùm illam quam nuper Germanis datam diximus; in multis captiosam esse objectarent.

XIX. Sessio XIV. de Poenitentia, et Extrema Vnctione.

Die vigesimâ quintâ Novembris celebrata est ab iisdem qui in præcedenti fuerant, XIV. *Sessio* IV. sub Iulio: Eáque promulgata doctrinâ de Sacramento Pœnitentiæ novem capitibus: quibus explicatæ sunt, necessitas & institutio ejus, differentia à Baptismo; partes, Contritio, (& sub ipsâ, doctrina Attritionis junctæ Sacramento pœnitentiæ) Confessio, Satisfactio; minister, absolutio, & casuum reservatio. Doctrina verò de Sacramento Extremæ-Vnctionis, tribus capitibus, de ejus institutione, effectu, & ministro. Additique adversus eos qui hanc doctrinam impugnarent, aut contrariam inducerent, anathematismi quindecim de Pœnitentiâ, & quatuor de Extremâ-Vnctione. In materiâ reformationis facti tredecim articuli; de Episcoporum jurisdictione in clericos subditos & extraneos, eorúmque punitione; homicidio voluntario; collatione Ordinum; personarum ecclesiasticarum vitâ, gestu, habitu, beneficiorum collatione, & unione; de regularium professione, jure patronatûs, & aliis ad hæc spectantibus, quæ in decretis Concilij videre est. Denique declaratum, in futurâ Sessione ad vigesimumquintum Ianuarij anni sequentis indictâ, unà cum Sacrificio Missæ agendum de Sacramento Ordinis, & prosequendam materiam reformationis.

XX. Pontif. Legatos ad Cæs. et Reg. mittit.

Intereà verò Iulius Pontifex ad se reversus, animadverténsque longè facilius esse bellum indicere quàm conficere, sumptuum & turbarum pertæsus, ad pacem & quietem inclinans, duos Cardinales in consistorio delegit, Rodulphum Pium Carpensem ad Cæsarem, & Hieronymum Verallum Romanum ad Henricum Regem. Accesserat Cæsar principio Novembris Oenipontem, tridui itinere satis commodo distantem Tridento, quò & Concilio (ubi quæ agerentur, intra unum diem poterat à suis oratoribus cognoscere) & bello Parmensi esset vicinior. Vnde cùm nonnullus metus incessisset animum Pontificis, pronior redditus est ad quærendam pacem. Verallus in Galliam ad Regem pervenit, apud Fontembellaquam tunc existentem, Idibus Decembris; & paulò pòst Lutetiæ solemni pompâ de more ab omnibus ordinibus Regis jussu exceptus est. Ejus verò Pontificia mandata, quas Facultates vulgò vocant, in Senatum cum diplomate regio allata, deliberatione habitâ promulgata fuêre iisdem conditionibus [u], quibus olim Ambrosij, Gufierij, Pratensis, Farnesij, Sadoleti, & Capiferrei Cardinalium Legatorum consimilia mandata: additúmque, ne Legatus per alios vicarios, sed tantùm per se munus suum in Galliâ exerceret: nihílque faceret quod

[u] Rec. Thuan. lib. 3. 6. & 8.

Facultatum Legato-

RUM RESTRICTIONES IN GALL.

ſanctis decretis, pactis, juribus, privilegiis ac prærogativis Regis, immunitatibus & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, & publicarum regni Scholarum, edictis, conſtitutionibus regiis, & Senatuſconſultis; & nominatim edictis contra Parvas datas, & de coërcendis fraudibus & effreno numero notariorum eccleſiaſticorum latis, derogaret aut præjudicaret: eáſque conditiones impleturum ſe, ſchedâ manu propriâ ſubſcriptâ, & in Curiæ acta referendâ, Regi cavere teneretur. De pace verò inter Pontificem & Regem factâ, dicetur anno ſequenti.

XXI. [x] *Bucholcer. in Indic. Chronol.* BELLUM LUTHERANUM DE BONIS OPERIBUS.

Inter Lutheranos autem cœpit [x] hoc tempore Bellum Theologicum de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem. Quam propoſitionem agitari cœptam occaſione Cæſaris interim, ubi ex ſenſu Catholico dicebatur, Bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, cùm *Georgius Major* Norimbergenſis, profeſſor in Academiâ Wirtembergenſi ita defendendam ſuſcepiſſet, ut etiam infantibus ea neceſſaria eſſe, nec quemquam omninò ſalutem abſque bonis operibus præcedentibus conſequi poſſe aſſereret; econtrà *Nicolaus Ambſdorphius* Miſnenſis è Rigidis Lutheranis unus (quem olim Lutherus Epiſcopum Naumburgenſem, ſolemni ritu, tribus aliis miniſtris ſimul manus imponentibus, ordinaverat; edito etiam in vulgus libello cui titulus, Exemplum inaugurandi veri Epiſcopi Chriſtiani, ſed à Carolo Cæſ. hic factitius Epiſcopus pulſus, reſtituto Iulio Pflugio qui priùs fuerat legitimè electus, Magdeburgum profugerat.) eò delapſus eſt, ut profeſſus ſit, ſcripſerítque bona opera eſſe ad ſalutem noxia & pernicioſa. Quam etiam opinionem multi alij prædicantes Saxonici amplexi ſunt, ac præcipuè Flacciani pertinaces præceptoris ſui Lutheri diſcipuli. Agit de utriſque Staphylus, ac ceteri qui de hæreticis ſcripſere.

XXII. FRANC. STANCARI DOGMATA.

Sicuti & de *Franciſci Stancari* Itali Mantuani, in Academiâ Regiomontanâ in Pruſſiâ profeſſoris, alio dogmate hoc eodem anno orto; quo inter cetera docuit, Chriſtum eſſe Mediatorem tantùm ſecundùm naturam humanam, excluſâ divinâ; ita ut non videretur ſuppoſitum divinum requirere ullo modo: cùm ut ſcribit Lindanus [y], Oſiandro [z] ſe opponens, dum Chriſti defendit humanitatem per quam juſtificamur, in contrariam incidit hæreſim. Adverſus quem prodiit Orichovij Roxolani elegans libellus titulo Chimæra, ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ Regem: ubi ait Stancarum hæreſis nomine ejectum è Mantuâ, pulſum ex Italiâ, prohibitum à Germaniâ, in Poloniam ſeceſſiſſe: ibi dum qualis eſſet ignoraretur, literaturæ ejus Hebraicæ obtentu in gymnaſio Cracovienſi profiteri permiſſum eſſe: mox detectum hæreticum, in cuſtodiam ab Epiſcopo datum, ſed furtim elapſum, Pinczoviam Cracovienſis municipij oppidum ſe contuliſſe, ibíque Punico incitatum furore, in templa irruiſſe, imagines Sanctorum ſuſtuliſſe, memorias Martyrum deleviſſe, altaria evertiſſe, ſacra profanâſſe, gazam eccleſiaſticam diripuiſſe, denique ſacerdotes ex oppido exterminâſſe: In ejus ſectâ Arium, Macedonium, Neſtorium, Aërium reviviſcere: nec contentum ab antiquis illis hæreticis multa excepiſſe, etiam è recentibus ſingulis nonnulla delibâſſe, reliqua ut lubebat rejicientem: Sic enim cùm Calvinus aſſereret Mediatorem Deo Patre eſſe minorem; ex hoc ipſo Stancarum divinitatem eximere, humanitatem ſolam in Mediatore relinquere: Ad eumdem modum in Cœnâ à Luthero ſumere panem, rejicere corpus: à Zuinglio ſigna cœnæ adſciſcere, res ſignatas abjicere; cœnamque corpore & ſanguine tam in ſigno quàm in ſignato caſſam & inanem memorialem quamdam eſſe dicere quondam paſſi pro nobis Chriſti: & tamquam repertâ veritate exclamâſſe, Cœnam Papiſticam eſſe malam, Lutheranam multò pejorem, Calvini omnium peſſimam, ſuam autem divinam. Pinczoviâ quoque ejectus in Ruſſiam profugit, ubi nemo illi eſſet moleſtus; cùm etiam eſſent ejus hæreſes ceteris quoque hæreticis inviſæ. Agunt de iiſdem Catholici Hoſius, Lindanus, Staphylus, Sanderus, Prateolus, Reſcius, Bellarminus, & alij hæreſum & controverſiarum tractatores. Addúntque nonnulli, eſſe & *Antiſtancarianos*, qui ut ejus opinionem de Mediatore Chriſto refutarent, aſſeruerunt, adeò Chriſtum juxta utramque, hoc eſt, divinam & humanam naturam juſtificatorem eſſe, ut non dubitarent contendere, divinam unà cum humanâ in cruce mortuam eſſe. Ita enim Muſculum ſenſiſſe, & alios.

[y] *Lindan. Dubit dial.* 2.
[z] *Vid. ſupr. an.* 1549. X.

ANTISTANCARIANI.

XXIII. CAZANŪ OCCUPATUR A MOSCO.

Cazanum regni Cazanenſis Tartarici metropolis, quæ à Baſilio Magno Moſcorum Duce Ruſſorum Imperatore olim defecerat, ab ejus filio Ioanne Baſilide, ſeptem annorum intervallo, bello acerrimo, vario tamen marte preſſa; tandem tormentorum vi bellicorum, & obſtinato militum ejus impetu, unà cum arce expugnata eſt, totúmque illud regnum eidem ſubactum. Quam rem geſtam proſequuntur Guagninus in deſcriptione Tartariæ, & Oderbornius in Vitâ Ioannis. Magna pars Cazanenſium ejuſdem Ioannis impulſu baptizata eſt: multi baptiſmum reſpuentes capite mulctati, aut aquis obruti. Poſteà tamen omnes in Mahometiſmum, aut in veteres Gentilium errores, delapſi ſunt: exceptis inſignioribus, qui Ruthenico, & Græco ritu fidem Chriſtianam colunt.

IESU CHRISTI Annus 1552.

IULII III. Annus 3.

CAROLI V. An. 34.

I. METUS TRIDENTI A BELLO GERMAN.

ANNO Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, Indictione decimâ, cùm jam ſub finem anni ſuperioris crebris rumoribus perlatum fuiſſet Tridentum, per univerſam Germaniam milites cogi; atque ideò tres Electores Eccleſiaſtici, qui res ſuas periculo proximas conſpicabantur, literis & internunciis ad Imperatorem Oenipontem miſſis, domum redeundi veniam ad ſua conſervanda petiiſſent: Imperator [a], qui Concilium continuari maximè cupiebat, id illorum potiſſimùm auctoritate niti conſiderans, principio anni reſpondit cauſam non eſſe cur rumoribus permoverentur: pau-

[a] *Sleid. lib.* 23.

corum hanc esse concitationem, civitates obsequentes: etiam Mauritium, quem fama fuisset aliquid moliri, constituisse ad se venire, & legatos destinâsse ad Concilium, qui jam essent Oeniponte Tridentum illicò petituri. Qui septimo Ianuarij Tridentum pervenientes, Imperatoris oratoribus mandata sua communicavêre primùm, eadem continentia quæ ceteri aliorum Protestantium legati anno superiori, & omnes olim in Comitiis Germanicis postulâssent. Decrevisse quidem Principem suum mittere aliquot Theologos ad Concilium, idque ipsum alios Principes Protestantes facturos: verùm ut id fieret, necessariam esse fidem publicam ad formulam Basileensis: intereà in Concilio ab omni actione cessandum; & ubi ij Theologi venissent, omnia antè acta retractanda: Pontifici non permittendum ut Præsidis auctoritatem sibi sumeret, sed & Concilio se submitteret; & Episcopis jusjurandum remitteret, quo libera essent suffragia. Super his cùm multùm diúque disceptatum fuisset, à Protestantibus quidem cum iisdem Cæsareis oratoribus, & ab his cum Legatis Pontificiis, (cum quibus agere Protestantes recusabant, nequid eis tribuere viderentur) ac demùm ab omnibus simul in Patrum congregationibus; disputatum insuper inter Patres fuit; de loco qui Protestantibus in conventibus assignandus foret, déque ratione conferendi cum eorum Theologis, & utrùm verbis honorificis tam ipsi quàm eorum Principes nuncupandi essent. De quo quidem cùm in mitiorem partem conclusum fuisset, facta est nihilominùs & in Acta relata protestatio [b], ne progressus Concilij retardaretur altercationibus quotidie nascituris, declarare Synodum siqui aut per se aut per alios admitterentur, qui vel ex juris dispositione, aut ex approbatorum Conciliorum more, admittendi aut recipiendi non essent; vel in loco non debito sedere, aut sententiam etiam proferre sub verbo *Placet*, vel congregationibus interesse, vel alios quoscumque actus facere Concilio durante, aut etiam mandata, instrumenta, protestationes, & alia cujuscumque generis scripta, quæ ipsius Concilij honorem, jus, & potestatem lædere possent, recipi contingeret: propterea non præjudicatum censeri Concilio, cùm ejus intentio esset, ut pax & concordia quâcumque ratione in Ecclesiam reducerentur.

PROTESTANTIŨ POSTULATIONES IN CONCIL. TRID.

[b] *Ext. in Act. Antuerp. Rom. & Bin.*

II.

Auditis igitur post hæc in eâdem generali Congregatione, pridie quàm Sessio celebranda esset, nimirùm die vigesima-quartâ Ianuarij, legatis Mauritianis, Wirtembergensibus, & Argentinensibus, secundùm superiora postulata; postridie, videlicèt vigesimâ-quintâ Ianuarij celebrata est *Sessio XV.* quæ fuit V. sub Iulio: cui interfuerunt iidem qui in præcedenti, atque insuper novem alij; ac rem divinam fecit Episcopus Catanensis, orationem habuit Maioricensis: lectum est Decretum; quo postulatione eorum qui se Protestantes vocabant; qui brevi affuturi superabantur, Synodus publicationem articulorum, quæ ex decreto Sessionis præcedentis in hâc fieri debuerat, in diem festum sancti Ioseph, decimum-nonum Martij, distulit: concedens eisdem novum Salvum conductum priore longè ampliorem. Statuens præterea, in eâdem futurâ Sessione, præter superiorum decretorum publicationem, definiendum de Matrimonij Sacramento, & prosequendam materiam reformationis. Cujusmodi decretum, unà cum Salvoconductu extat inter Decreta Concilij. At verò Legati Protestantium nec adhuc contenti formâ Salviconductûs, quòd non omnia singulatim contineret quæ Basileensis habebat; atque etiam offensi quòd contra spem sibi factam de expectandis suis Theologis antequàm quicquàm tractaretur, nihilominùs in Congregationibus discuteretur materia Matrimonij, formatíque de illâ jam essent nonnulli canones in futurâ Sessione promulgandi: de his rursùm novas querelas ingeminârunt; quas refert unus eorum qui aderat Sleidanus [c] pro civitate Argentinensi, hæc cuncta luculenter prosecutus.

SESSIO XV.

PROTESTANTIŨ ALTERCATIONES.

[c] *Sleid. d.l. 23.*

III. TRACTATUR DE CESSATIONE CONCILII.

Quibus auditis Imperator, cujus intererat plurimùm Protestantes Tridentum ire, misso ad Pontificem Romam, qui impetraret omnibus Concilij actionibus dierum aliquot moram; suis quoque Tridenti existentibus edixit ne in aliquot ultrà pergerent, & si alij pergere vellent protestationes adhiberent. Vndè cùm deliberatum à Patribus esset actionibus omnibus supersedere ad Synodi beneplacitum; econtrà Pontifex, referre multùm existimans ut Concilium toties interruptum citò finiretur, suis mandavit, ut ejusmodi suspensione paucis diebus continuatâ, ad tuendam Synodi dignitatem, actiones intermissas respectu omni reposito repeterent. Adveniente autem die decimo-nono Martij, consessui publico designato, deliberatum rursùm est de Sessione ad Calendas Maias prorogandâ. Demúmque post nonnulla alia de rebus Protestantium, déque eorum auditione nequicquàm tractata, cùm ad belli à Mauritio contra Imperatorem inchoati nuncium omnes perterriti fuissent; auditâ mox occupatione civitatis Augustæ, & Oeniponti appropinquatione, plerique Germani & Itali Tridento profugerunt. Tradit Sleidanus, numeratos esse tunc Tridenti, præter Legatos Pontificis, & Cardinalem Tridentinum, Episcopos sexaginta duos, & in iis Germanos octo, Hispanos viginti quinque, Sardos duos, Siculos quatuor, Hungarum unum Agriensem, reliquos Italos: Theologos verò quadraginta duos, & in his viginti quinque Hispanos, & Belgas duodecim.

NUMERUS PATRUM CONCIL.

IV.

Cùm autem cœpissent abire, consulto à Legatis Pontifice quid factu opus esset, diploma ille misit, quo potestatem fecit ubi premeret necessitas, Concilium suspendere, ne dignitas ejus in discrimen adduceretur. Quare cùm pericula crescerent, *Sessio* in Calendas Maias indicta, Aprilis die vigesimo-octavo ab iis qui remanserant habita est, ordine XVI. & sub Iulio VI. & ultima; præsidentibus Nunciis Apostolicis Archiepiscopo Sipontino & Episcopo Veronensi, ob gravissimum morbum Cardinalis Crescentij Legati: quâ Synodus, quòd Germaniam armis & discordiis ardere videret, & omnes ferè Episcopos Germanos, præsertim Principes Electores suis consultùm Ecclesiis abiisse, Concilii progressum per biennium suspendendum

SESSIO XVI.

Concilii suspensio ob bellū Germanic.

decrevit: eâ tamen lege, ut si citiùs tranquillitas restituta foret, Concilium eodem tempore firmitatem suam habere censeretur: Sin autem peracto biennio prædicta impedimenta non forent submota, quamprimùm cessarent, suspensio eo ipso sublata esse intelligeretur, ac suus vigor Concilio sine aliâ convocatione restitutus. Intereà verò hortata est omnes Principes & Prælatos, ut quatenùs ad singulos spectaret, observare facerent omnia & singula quæ fuissent hactenùs in eo statuta & decreta. Contra tamen hoc decretum Archiepiscopus Turritanus in Sardinâ natione Hispanus, cum undecim aliis Episcopis æquè Hispanis, protestationem [d] fecerunt, quasi non usque adeò urgerent bella, ut esset propterea à Concilij prosecutione cessandum, quinimmò ad sedandas discordias fore illam utiliorem: aut certè Sessio, quæ ad Calendas Maias indicta fuerat, ad moderatum aliquem terminum prorogaretur; diesque declararetur, quo & qui jam abierant, & ceteri rursùm convenire tenerentur absque aliâ convocatione. Verùm cæteris Patribus confestim reluctantibus, factâ à Nunciis abeundi potestate, tam illi quàm ceteri Itali abierunt, ipsíque etiam Hispani post aliquot dies. Sícque mortuo dum bellum gereretur Iulio Pontifice, ejúsque successore Marcello paucis diebus sedente, ac novis rursùm turbis sub Paulo IV. ortis, justitium fuit usque ad Pontificatum Pij IV. sub quo Concilium resumptum est anno demùm millesimo quingentesimo sexagesimo-secundo; ut videbitur suo loco.

[d] Ext. in edit. Antuerp. an. 1564.

V. Crescentii Cardin. obitus.

Interim verò paulò post prædictam Concilij dissolutionem, *Marcellus* Cardinalis *Crescentius* Legatus Veronæ obiit, cùm Romam repeteret. Cujus morbum Sleidanus ait inde cœpisse, quòd cùm Martij die vigesimo-quinto scribendis literis ad Pontificem valdè fuisset occupatus, & laborem usque ad noctem continuâsset; tunc surgenti ut se reficeret, visus sit canis quidam ater inusitatâ magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram propè dimissis, ingredi, & ad ipsum recta contendere, deinde sub mensam dilabi: unde gravem suscipiens cogitationem, in morbum inciderit: delatum Veronam, moribundum subinde suis acclamâsse, ut canem qui lectum conscenderet arcerent. Cujus rei cùm nullum apud aliquem alium auctorem, nisi qui apertè ex Sleidano ceperit, testimonium extet; quæ fides habenda sit homini à fide & Concilio alieno, cùm de viro Catholico & Concilij præside, à quo parùm sibi satisfactum fuisset, agitur, omnes intelligunt. Cui nec credidisse videtur Polanus, alioqui ejus quæque asserta veluti divina recipere solitus, cùm mortem Crescentij simpliciter ponit; nisi quòd ait ingravescente morbo sæpè delirâsse, nec animo constitisse. Id verò frequentissimè ægrotantibus contingere; quotidianus usus docet, quod nihilominùs Sleidanus in spectrum caninum sano oblatum commutavit. Mortuus est autem Calendis Iunij: corpus Romam delatum, conditum fuit in sepulchro majorum in Ecclesiâ Omnium Martyrum, indéque ad basilicam Sanctæ Mariæ majoris tanslatum, apposito nobili epitaphio, dignitatum ejus indice: qui etiam in catalogo [e] Cardinalium propriis scriptis illustrium locum invenit, & laudem apud [f] alios qui de Cardinalibus scripserunt.

[e] Nomencl. Cardin.

[f] Victorel. & Vghel. in Addit. ad Ciaccon. & Cabrer.

VI. Mauritii prætextus de bello contra Imper.

Quod ad bellum Mauritianum spectat; vidimus eum anno superiori tacitum cum Henrico Galliæ Rege fœdus in perniciem Caroli Imperatoris icisse. Cùm nihilominùs variis excusationibus, promissionibus, delusionibus, Carolo imposuisset adeò ut ab eo ita de se benè merito nihil timendum, quamvis varij de ejus molitionibus rumores ad se deferrentur, censeret: demùm ubi idem omnia ad rem gerendam parata habuit, primùm tam ipse, quàm Albertus Marchio Brandeburgensis conspirationis & belli socius, ejus gerendi causas scriptis publicis ad Imperij Ordines divulgârunt: oppressam nimirùm specie conciliationis controversiarum fidei, & celebrationis Concilij, libertatem Germanicam ad scopum adipiscendæ Monarchiæ; vim illatam conscientiis, ac pulsos Verbi Dei concionatores, ad extinctionem veræ religionis; Lantgravij liberationem, qui jam quinquennium in durâ custodiâ ageret contra Imperatoris promissum, & pacta conventa variis interpretationibus rescissa, ut ipse ejúsque liberi nescio quâ juris specie bonis exuti in eas redigerentur angustias, ut pristinam dignitatem tueri non possent: contra antiqua Germaniæ privilegia jus reddi, auctoritatem omnem ad extraneos transferri, populos acerbissimis rapinis vexari, & inauditis libidinibus inquinari, & alia ejusmodi, quorum causâ cum Rege Galliæ, pro vetustâ Gallorum Germanorúmque, uti ex unâ eadémque stirpe prognatorum, amicitiâ & animorum conjunctione, fœdus iniissent pro patriâ libertate; siqui contra arma ferrent, hostibúsque se adjungerent, hos pro hostibus habituros, ferróque atque igni persecuturos. Quæ ut vanè prætexuerunt, cùm unius Lantgravij liberationis causâ moverentur; ita ipso statim belli initio de reconciliatione cum Ferdinando Rege Imper. fratre egerunt; adhibito etiam Fraxineo Regis legato, ut ejus ostentatione metum Imperatori incuterent, legatúmque ipsum speciosâ consiliorum suorum communicatione magis fallerent. Iunctis copiis cum Guillelmo Lantgravij majore natu filio, Calendis Aprilis Augustam civitatem appellentes, quarto obsidionis die eam deditione ceperunt: & quacumque transibant urbes in suam potestatem redigebant, vel agros earum populabantur, & gravem mulctam pecuniariam injungebant. Henricus quoque Rex scripto publico causas belli à se suspecti, & fœderis cum Mauritio & sociis icti promulgans; tum scilicèt privatas suas ab Imperatore ejúsque ministris acceptas offensiones & injurias, tum publicam Germaniæ libertatem & Principum captivorum liberationem, propter communem Germanorum & Gallorum originem & veterem conjunctionem & amicitiam; huic publico scripto præfixit in fronte pileum inter duos pugiones, libertatis symbolum; (quod nonnulli repertum in vetustis nummis, & à percussoribus C. Cæsaris usurpatum dicunt:) deinde suberat titulus Regis, qui se libertatis Germaniæ & Principum captivorum vindicem nominabat.

Henrici Regis declaratio de eodem bello.

VII. FUGA CAROLI A MAURITIO.

Mauritius post hæc adversùs Cæsarem Oeniponte existentem movens, dejectis hostibus è custodia angustiarum Alpium, atque Erebergâ arce inexpugnabili facili negotio captâ, cum Oenipontem appropinquaret, tantum intulit Imperatori imparato, & à copiis militaribus incomitato, terrorem; ut quamvis adversâ valetudine, & pluvioso ac nimboso cælo, per noctem lecticâ vectus, ad tædarum lumen cum Ferdinando fratre, (qui nuper è colloquio cum Mauritio de concordiâ habito, eam Imperatori persuasurus venerat) & omnibus qui aderant Principum legatis, cæteróque aulico comitatu, magna trepidatione discesserit die 23. Maij, relictis impedimentis, & magnâ nobilitatis parte pedibus præ discessûs festinatione incedente: ac per Alpes quibus Tridentum itur itinere primùm facto, mox ad lævam deflectendo, Villacum Carinthiæ oppidum ad Dravum flumen in confinio Venetorum summâ celeritate contenderit. Vbi obviam habens Senatûs Veneti oratorem cum equitatu, hunc ipse, nondum à pavore collectis animis, hostilem credens, confestim inde migrare decrevit, vixque Veneto amicas turmas esse, & honoris ac tutelæ causâ à Republicâ summissas capitis periculo affirmanti, pro tempore fidem habuit: rursúmque veritus ne copiæ quas Senatus ad fines tuendos emiserat, cum hostibus conspirarent, de novis latebris ac fugâ denuò cogitans, ægrè tandem à pavore se colligere potuit. Adeò verum est quod scribit Curtius [g], pavorem etiam auxilia formidare. Qui ejus è Germaniâ discessus, superbo de illâ quinquennio antè quasi sub jugum missâ triumpho tam absimilis satis arguit quàm imprudenter ab eo factum fuerit, quòd Ducis Albani & Atrebatensi Episcopi consiliis de victoriæ fructu in severitate ponendo, & Lantgravio retinendo, plus justo tribuerit. Paulò verò antequàm Oeniponte profugeret, Ioan. Fridericum Saxonem libertati restituit, quòd existimationis suæ interesse arbitraretur, ne coactus potiùs quàm spontè dimisisse videretur. Qui tamen, sive quòd, ut nonnulli habent sociis, quàm Imperatori beneficium acceptum ferre mallet, gratiam recusans; sive ut alij quòd acceptum beneficium ferre mallet Imperatori hosti superiori, quàm inimico pari atque æmulo; officioso obsequio, Imperatorem comitatus est. Mauritius autem Oeniponte Ferdinandi ac civium bonis pepercit; quidquid verò rerum Imperatoris, Hispanorum, & Cardinalis Augustani ultra modum fœderatis invisi, repertum est, direptum fuit.

[g] *Curt. lib. 3.*

VIII. HENRIC. REX LOTHARINGIAM OCCUPAT, ET URBES IMPERIALES.

Ex alia verò parte Rex Henricus, præmisso Annæo Mommorantio Connestabili, mense Aprili Lotharingiam ingressus, totam pacificè accepit: ejusque principem Carolum puerum novem annorum, natum ex Christiernâ sororis Caroli Imp. filiâ, in Galliam unà cum Delphino educandum misit, spe factâ Claudiam filiam in uxorem locandi: (quæ non vana fuit, factis nuptiis anno 1559.) provinciæ verò præfecit Nicolaum Valdemontium ejus patruum. Vrbes autem Tullum, Virdunum, & Metim, nulla vi factâ Imperio subtraxit, seu potiùs ex antiquo jure regno restituit. Non enim ex fœdere tantùm cum Mauritio facto ut vulgò creditum est, seu hostili occupatione, eas sibi vendicare Reges Galliæ, sed justis aliis titulis, tum indicat Thuanus [h] tum non ita pridem tractatu proprio pleniùs demonstravit Carolus, Hersentius Ecclesiæ Metensis Cancellarius. Argentinam verò conatus quoque Rex in suam potestatem redigere, prudentiori civium illorum consilio repulsam passus est. Inter quæ certior factus de induciis cum Pontifice per Cardinalem Turnonium factis, eò majori alacritate sibi bellum contra Imperatorem prosequendum existimavit, debilitatis tanto socio Imperatoris viribus & sua confirmata potentia. Conventum enim est inter alias conditiones, ut Pontifex in his bellis se medium inter Imperatorem & Regem gereret, per biennium ab armis cessaretur, intra quod neutri illorum Principum bellum gerenti copiis, armis, commeatu, aliove aliquo favore adesse posset: & ut Imperatori certum tempus definiretur ad deliberandum, velletne in has induciarum leges, Parmensis & Mirandulani tantùm territorij ratione consentire qui non parùm ægrè hæc ferens, hortatu tamen Cosmi Florentini Ducis iis consensit.

[h] *Thuan. lib. 11.*

INDUCIÆ CUM PONTIFICE.

IX. HENRIC. REDIT IN GALL.

Dùm autem Rex Henricus in Alsatiam & Wisseburgum penetrans, rogatus fuisset à Moguntino & Treverensi Electoribus, aliisque nonnullis Principibus, ut qui Germaniæ in libertatem asserendæ ergò hanc expeditionem suscepisse profitebatur, haud ulteriùs progrederetur, cùm id sine insigni Imperij detrimento fieri non posset: nec pacis rationes perturbaret, cujus spem quasi certam Principes intercessores concepissent: quamvis hæc Regi præter opinionem contigissent, dissimulato tamen dolore lætari se respondit, quò id cujus causâ in Germaniam venisset consecutus esset, ut scilicet captivi Principes libertatem recuperarent, & Germania virtute & causâ suâ ab ærumnis respirare inciperet: si tempus incideret ut rursùs opera suâ Germania indigeret nullo se labori, nullis sumptibus esse parsurum. Cúmque prætereà accepisset à Mauritio excusationes de retractione pacis cum Imp. simul & audisset exercitum per Mariam Reginam Imperatoris sororem ac Belgij procuratricem instructum, in Campaniæ fines populabundum ingressum esse, in Galliam quamprimùm redire decrevit; atque ut par hostibus, qui ejus audito reditu properè se receperant, referret agrum Lucemburgensem ferro flammâque vastavit, & ulteriùs progressus non pauca munita oppida expugnavit: donec densis pluviis mense Iulij aliquot dies continuatis exercitum ejus vehementer affligentibus, partem militum in varia stativa misit, cæteros dimisit: planè expertus quam incertæ sint & fragiles hujusmodi societatum colligationes; cum Mauritius tractatibus cum Ferdinando habitis, primum Lincij in Austriâ antequàm Oenipontem peteret, post fugam verò Imperatoris Passavij in Noricis ad Danubij Oenique confluentem, res suas suæque religionis diligenter curans, nullam prorsus Regis fœderati ratione habuit, quamvis ab eo ipsius exercitus magnâ ex parte stipendium accepisset, & in mutuo fœdere disertè cautum fuisset ne ipsi nisi de Regis assensu, cum hoste pacisci liceret. Sed nulla expectanda

DELUSUS A MAURITIO.

erat fides ab iis, qui nullam Deo in religione, aut Imperatori in debitâ subjectione servabant & meruit utique Rex pro nullo ab iis haberi, quorum perfidiæ suffragatus fuerat. Nam quod Fraxineus Episcopus Bajonensis, fœderis cum Mauritio conciliator, his omnibus tractatibus interfuit; delusione factum est Mauritij facilitate Fraxinei in proprium commodum abutentis, quo scilicèt regij fœderis ostentatione pinguiorem suam conditionem faceret.

X. PAX MAURITIANA.

Pax autem Mauritij ad principium Augusti demùm confirmata est, his potissimùm conditionibus: quod Religionem quidem, ut intra sex menses Ordinum Imperij conventum Imperator cogeret, ubi de ratione componendi dissidij, sive per Concilium generale, sive per Nationale, sive per Colloquium, sive per ipsummet publicum Ordinum Conventum deliberaretur, atque interim nulla cuiquam propter religionem exhiberetur molestia: ut ad Cameram Imperialem admitterentur etiam Augustanæ confessionis professores, & quòd si pacandæ religionis ratio facilis non occurreret, hæc nihilominùs pax & concordia in perpetuum firma ratáque permaneret. Quo facto interemptum est illud INTERIM, cujus causâ, tot & tanti concitati fuerant motus, quódque nihilominùs paucis locis obtinuerat; ad nihilúmque rediit. Háncque Protestantes Secundam Pacem in Religione numerant, anno vigesimo à priori Norimbergæ factam. Eámque tanti faciunt, ut etiam Chytræus [i], qui uberiùs descripsit in suâ Saxoniâ, scribat eam non solùm fundamentum & firmamentum publicæ salutis & tranquillitatis Germaniæ eo tempore fuisse, verùm etiam religionis futuram ad omnem posteritatem. Præcipuæ verò quoad cætera fuêre ejus conditiones, ut Lantgravius, cujus occasione, seu prætextu, arma sumpta fuerant, libertati restitueretur: qui fœderatis Principibus militâssent, nullam ob id pœnam subirent: proscripti in gratiam redirent. Ac ne Rex Henricus omninò præteritus videretur, in contemptum magis quàm honorem ejus additum, ut quandoquidem res Imperij nihil ad eum pertinerent, liceret ei de controversiis quas privatim cum C. Imper. haberet, cum Mauritio agere qui eas ad Imperatorem referret. Post quæ Fraxineo Galliam repetente, (non tamen sine manifestâ indignatione, sed rerum novarum spe utcumque per Mauritium placato) Rex sive idoneè ei à Mauritio privatim satisfactum fuerit, sive Lantgravij gratiâ, cui maximum periculum impendere audierat nisi pactio fieret, seu denique dolorem dissimulandum duxerit, obsides quos à Principibus fœderatis acceperat, salvos sine ullâ offensionis significatione in Germaniam remisit.

ABOLITIO INTERIM.

[i] *Chytræ. Saxon. lib. 17. ad fi. Goldast. in Constit. Imper. integram refert.*

XI. CAROLI CÆSARIS IN PRÆDICTIS ANIMUS.

Ex prædictâ verò concordiâ, & totius belli tractatione, sunt qui Imperatorem suæ dignitatis, seu ut loquuntur ambitionis, magis quàm religionis rationem habuisse, observent. Qui verò eum excusant, aiunt, confirmatâ potentiâ religionem facilè in ordinem redacturum, ac confirmaturum fuisse, nisi & valetudo, & Rex Henricus cum hostibus ejus consociatus impedimento fuisset. Hâc denique pace visus est, unà cum spe, quâ jam ante deciderat, Imperij in filium transferendi, etiam deposuisse consilium religionis avitæ in Germaniâ restituendæ, ac proinde prosecutionis Concilij: eóque maximè quòd jam ob morbos quibus afflictabatur, ætatémque in senium vergentem, & rerum novarum subinde emergentium difficultates, omni se administratione abdicare deliberâsset; ut cumque eam aliquot adhuc annis retinuerit. Cùm & alioqui contigerit, ut quamvis res sic compositæ fuerint haud tamen propterea à bello civili in Germaniâ cessatum omninò sit: Alberto imprimis Brandeburgensi, cujus semper animus à pace alienus fuerat, adeò indignè ejus pactionem ferente, ut nec eâ comprehendi voluerit, & de Mauritio palàm acerbè loqui cœperit: unde & bellum inter eos ortum est, de quo dicetur anno sequenti. Intereà verò Albertus postquàm non parva & pauca mala multis civitatibus & agris, ac præcipuè Ecclesiasticis, quasi Henrico Regi militans, intulit; ut erat volubilis fidei, paulò pòst Carolo reconciliatus, ministravit ei in obsidione Metensi.

XII. OBSIDIO METENS. A' CAROLO IMP.

Quippe Carolus, à Villaco cum magnis copiis Germanorum, Boëmorum, Italorum, Hispanorum, quæ ad eum concurrerant, Oenipontem reversus, Augustam inde petiit decimo-tertio Calendas Septembris; sed ad Metim, Tullum, & Virdunum civitate Imper. recuperandas proficisci palàm passímque denuncians, & ut omnes sibi in conservandis Imperij juribus adessent rogans. Restituto Augustæ Senatu à se olim constituto, quem Mauritius pòst captam urbem destituerat; factâque nihilominùs ex nuperâ pace civibus potestate Confessionem Augustanam profitendi (solis tribus ex eorum ministris ejectis, reliquis verò suo munere fungi permissis) antequam illinc discederet, Ioannem Fridericum Saxonem qui longè antè abeundi facultate habita, illum tamen in adversâ fortunâ derelinquere noluerat, humanissimis verbis dimisit, prolixè de suâ benevolentiâ pollicitus. Deinde parvis itineribus versùs Lotharingiam progressus Metim, regni Australiani quondam metropolim, vastámque admodum civitatem, pervenit; eámque ad undecimum Calendas Novembris circumsedit, tribus castris eam ambiens, postremùm hunc conatum bellicum, uti suorum facinorum colophonem, omni majori splendore editurus. Vbi tamen illud ipsius *Plus ultrà* retusum est: fuitque Metis gestorum ejus meta; ut non uno scommate in eum à multis lusum est, non parvâ ipsius indignatione. Fuit autem illustris valdè hæc Metensis obsidio, sive dignitate, numero, & fortitudine obsidentium (numquam enim, nisi fortè semel adversus Solimanum [k] Viennæ Austriacæ appropinquantem, tantas copias in unum collectas habuisse dicitur; in quibus scilicèt numerarentur duodecim millia equitum, præter domesticos tam ipsius quàm principum virorum qui eum comitabantur, & centum millia peditum, ac majores bombardæ centum & quatuordecim, fossorúmque septem millia:) sive obsessorum constantiâ & virtute; quibus præerat Franciscus Dux Guisius, non paucos Principes ac primariæ nobilitatis viros voluntarios, ut

[k] *Supr. an. 1532.*

A' qua inglorius recedit.

vocant, secum habens, qui sub tanto duce militiam exercere summo honori ducerent. Quo factum est, ut variis ac multiplicibus eruptionibus, pugnis, pulsionibus, omni bellico strategemate, valdè imminutis castris Imperatoriis, (tertiam quippe partem desideratam, Germanici scriptores scribunt; alij numerum præcisè triginta, vel etiam quadraginta millium armatorum colligunt:) ac propter sævissimæ atque nivosæ hiemis intemperiem, & consueta castrorum incommoda, quamplurimis in diversa morborum genera incidentibus; Imperator exeunte Decembri infelicem obsidionem solverit, victi potiùs quàm discedentis specie in Belgium se recipiens, numquam ampliùs in Germaniam rediturus, aut bellum per se suscepturus: magno relicto in castris ægrorum numero, quibus Guisius benignè providit; multáque prætereà suppellectile & commeatu. Guisius verò in gratiarum actionem rei benè gestæ publicas supplicationes indixit, quibus & ipse cum principibus & nobilibus interfuit. Addito hoc ad pietatem cumulo, ut postridie Lutheranorum, aliorúmque hæreticorum libros diligenter per singulas urbis domos quæsitos, per carnificem publicè incendi jusserit. Hujus verò admodùm memorabilis obsidionis historiam descripsit dietim ferè Bertrandus Salignacus qui interfuit: & ex eo & aliis Thuanus [l]: nec minùs diligenter, quoad præcipua in eâ gesta, Belcarius [m], ejusdem paulò pòst factus civitatis Episcopus. Reliqua verò de Bello Mauritiano & fœderatorum, à nobis brevi compendio relata, tam iidem, & Hadrianius, quàm præcipuè Sleidanus [n] diligentiori narratione pertractant: ex quo & alij [o] pariter acceperunt.

[l] *Thuan. lib. 11.*
[m] *Belcar. lib. 26.*
[n] *Sleid. lib. 24.*
[o] *Natal. lib. 5. & 6. Bellefor. lib. 6. cap. 72. 73. 74. & alij.*

XIII. Turcorũ progressus in Hungaria.

Dum verò ista in Germaniâ & Galliâ geruntur, res in Hungariâ cum Turcis longè etiam imprsperiùs gestæ sunt: Primùm apud Segedinum, quod à Christianis interceptum fuerat, exceptâ arce; cùm iidem negligenter sese habentes, grandi clade per Alim præfectum Budæ affecti sunt: qui cadaveribus quinquies mille nasos ademptos, cum quadraginta vexillis, ac præcipuis captivis, Constantinopolim misit, insignis victoriæ testimonium. Deinde per eumdem occupato Vesprimio, præsidiariis contra fidem datam quà cæsis quà in captivitatem abductis; meritâ mercede factæ intempestivæ deditionis. Tum verò supervenientibus aliis ducibus Mahomete & Achmete Bassis cum numerosissimis copiis, Temesuario urbe & arce celeberrimâ ad fluvium Temesum inter Lippam & Belgradum ad Transilvaniæ fines interjectâ, (quam veteres Pannoniæ Reges contra Bulgarorum & Cumanorum crebriores incursus ædificaverant, ac posteà invalescentibus Turcorum armis, continuo militari præsidio muniverant) post longam gravissimámque oppugnationem deditione captâ, & contra fidem Losontio fortissimo ejus præfecto cum plerisque aliis trucidato. Post quæ & Lippa turpiter à præfecto deserta, in manus Turcorum, unà cum aliis quamplurimis oppidis & arcibus venit: collectæque Christianorum copiæ disjectæ fuêre, non sine magnâ consternationis & ignaviæ eorum, ac præcipuè Hispanorum, quibus Ferdinandus multorum locorum custodiam commendaverat, admiratione. Donec Turcorum impetum Agria stetit, quamvis neque situ neque arte adeò munita; sed fortitudine Stephani Dobonis & Stephani Nesqueij præfectorum, aliorúmque procerum Hungarorum qui aderant vigilantiâ, necnon præsidiariorum virtute, ipsorúmque oppidanorum, atque etiam feminarum generosâ constantiâ: quibus factum est, ut post acerrimas oppugnationes, & pugnas, diebus circiter triginta quinque continuata, effundentibus jam se imbribus, & lue per exercitum grassante soluta sit obsidio decimo-quarto Calendas Novembris; amissúmque apud exteras gentes paulò antè Hungarici nominis decus, forti atque felici tolerantiæ laude recuperatum esse visum fuerit. Rem perpetuâ memoriâ dignam, unà cum prædictis Christianorum cladibus, descripsêre pleniùs Sambucus [p], Natalis, Isthuanffius, & alij.

Agriæ fortis propugnatio.

[p] *Samb. in Append. ad Bonfin. Natal. lib. 5. & 6. Isthuanff. lib. 17. & 18.*

XIV. Ferdinandus pacem a' Solimano petit.

Etsi autem Agria virtute obsessorum, Deo juvante, feliciter & gloriosè defensa sit; nihilominùs Rex Ferdinandus reliquis ejus anni cladibus fractus, tum suâpte naturâ quietis amans, tum amicorum Germanorum & Hungarorum consilio, ad deteriora avertenda, confestim legatos ad pacem à Solimano petendam, cum magnis muneribus mittendos censuit: electis ad opus Antonio Verantio Episcopo Agriensi, Francisco Zaio classis Danubianæ præfecto, viris experientibus, rerúmque & linguarum peritis: eósque paulò pòst subsequi jusso Augerio Gislenio Busbequio Belga, nobili viro, & morum elegantiâ, literarúmque cognitione conspicuo, qui ordinarij oratoris munere apud Solimanum fungeretur, cujus quatuor extant de sua legatione egregiæ jucundæque epistolæ, mores quoque gentis, locorum descriptiones, & res eo tempore à Solimano gestas continentes: ex quarum primâ constat eum pervenisse Constantinopolim die vigesimo Ianuarij anni proximi, cùm longè anteà cæteri illi eò appulissent. Qui quòd abesset tunc Solimanus in expeditione Asiaticâ, de quâ dicetur anno sequenti, diutiùs in expectatione negotiationis suæ detenti fuêre.

XV. Classis Turcica ab Henrico Rege evocata.

Intereà verò immissa ab eo classis potentissima sub Sinanis & Dragutis imperio, in mare Tyrrhenum descendens, (quam ab oratore Regis Henrici procuratam volunt; cùm Rex à Principe Salernitano, præcipuæ inter Neapolitanos auctoritatis, ob continuas sibi à Petro Toletano Prorege illatas injurias, à Carolo Imp. deficiente, sollicitatus de regno Neapolitano invadendo, ad id animum intendisset, cùm evocatione hostium Christianitatis, Christianissimus licèt ipse: Ita cæcas hominum mentes in transversum agit ambitio, & à recto virtutis tramite dimovet!) transmisso prosperâ navigatione Messanensi freto, aliquótque illius regni oppidis mari adjacentibus incensis, Andream Auriam à Prorege evocatum, & cùm quadraginta triremibus navigationem Neapolim intendentem, penè oppressit: nisi Auria & numero & viribus impar incitato remigio proris aversis se celerrimè subduxisset; quem Dragutes cum sex expeditioribus recedentem insecutus, septem illius tardiores cepit, & duas depressit. Quâ clade in extremâ ætate acceptâ hactenùs ferè felix

Auriæ clades.

imperator, cum reliquâ classe Sardiniam, atque inde Genuam se recepit. Factum narrant plures; excusat Sigonius [q] in ejus Vitâ. Eâ verò victoriâ potiti Turci, cùm Salernitanus, qui cum viginti quinque triremibus Massiliâ solverat, & in dies expectabatur, nusquam compareret, retrò vela fecere: vixque eos posteà assecutus Salernitanus, cùm Neapolim spe factâ de tumultu in eâ excitando, revocare conaretur, frustrà fuit: abeuntésque comitatus, quòd anno pòst redituros se promitterent, Chium insulam cursu tenuit, ibique hiemavit.

[q] Sigon. lib. 2. cap. 36.

XVI. Senenses implorant auxiliu Franc.

Eodem tempore, quo prædicta mari gerebantur, terrâ in Subalpinis res alternante quidem nonnumquam fortunâ, verùm Gallis sæpiùs prosperiori gerebatur. Quando & Senenses, durâ Hispanorum servitute, qui arcem in eorum civitate construxerant, pressi, ideò molestiùs ferentes, quòd semper studiosissimos se tam Caroli, quàm ceterorum olim Imperatorum, præ cæteris ferè Italiæ populis ostendissent; occultò cum ministris regiis qui in Italiâ erant, de pristinâ libertate recuperandâ consilia inierunt. Quam illis opportunitatem minimè spernendam ratis, negotio cum Rege communicato, factum est ut Gallis in civitatem unà cum Italis ejusdem factionis noctu admissis, Hispani ejecti sint, arx diruta funditùs, cetera ditionis oppida recepta. Quod uti se habuerit, narrant nominati superiùs auctores. Estque inter literas [r] Principum, epistola ad Regem à Senensibus in gratiarum actionem, & continuæ protectionis implorationem, scripta quinto Augusti: quâ declarant, tantum se beneficium à Rege accepisse operâ Cardinalium Hippolyti Ferrariensis & Francisci Turnonij, Pauli Thermei in Italiâ præfecti, & Ludovici Sangelasij Lansaci, (qui missus à Rege in speciem orator ad Pontificem fuerat, ut eum de Turcicâ classe securum esse juberet; reverâ ut negotium Senense curaret, & amicos Regis præsentiâ suâ & consilio confirmaret) atque Hieronymi Veterani Pisani: quamvis & fuerint alij quoque duces historicis nominati, qui huic satis arduo operi incubuerunt. Ad quos rescribens Rex, nullâ se aliâ quam supplicum ac miserorum civium causâ adductum quantumvis stetissent ij à Carolo contra ipsum, adeptam libertatem restituisse, atque in patrocinium suscipere, videri voluit: cùm reverâ in eâ Italiæ regione sedem constituere decrevisset; quæ in umbilico fermè Italiæ sita, & ad mare Tyrrhenum porrecta, esset ad cogendas terrestres copias opportuna, & portuum commoditate ad Gallicas classes excipiendas, Turcicásque adjungendas idonea; unde Tyrrhenum mare infestum, & Neapolitanum regnum assiduo belli metu sollicitum redderet. Hinc autem haud exigua belli seges extitit, incensis utrimque duorum illorum Principum animis; Imperatoris quidem ad illatam sibi injuriam ulciscendam; Regis verò ad præsentem Senensium statum conservandum. De quibus ipsorum conatibus, eorúmque exitu dicetur posteà. Carolus namque tot cladibus hoc anno in Germaniâ, Galliâ, & Italiâ attritus, quamvis adeptâ præteritis egregiè ac summâ plerumque felicitate gestis gloriâ non parùm decidisse visus sit, ut erat tamen ingentis animi, & iis quæ priùs confecerat ante oculos obversantibus, pristinum vigorem non deserens, haud destitit quousque Senenses in perpetuam captivitatem redegerit.

[r] Lit. Princ. vol. 3.

XVII. Turbæ in Polonia de religione.

In Poloniâ [s] magna fuit hoc tempore controversia inter Episcopos, & proceres laicos eorum auctoritati & potentiæ invidentes: occasione Stanislai Orichovij canonici Premisliensis illustri familiâ orti, qui ob cælibatum oppugnatum & ductam uxorem, haud tamen abjuratâ religione Catholicâ, excommunicatus à suo Episcopo fuerat; & quorumdam aliorum nobilium hæresis postulatorum. Quapropter Nobilitas Episcoporum jurisdictioni eximere sese in omnibus quærens, judicium quoque de hæresi ad Regem pertinere, non ad Episcopos aut Romanum Pontificem contendebat. Adeò ut cùm Rex partibus auditis pronunciâsset, judicium de hæresi, ut pietas & leges priscæ jubebant, Episcopis competere; ea sententia ita offenderit cæteros, ut ex Senatu, in quo hæc tractabantur, omnes præ dolore discederent. Crevítque tantoperè in animis Nobilitatis odium in Ecclesiasticos, ut ne quidem ex decreto regio Episcopi agere potuerint; & sectæ in omnibus regni provinciis propagarentur, ac Romanæ jurisdictionis potestas vilesceret. Quippe [t] cùm sub veteri Sigismundo Rege, ejus prudentiâ & solicitudine regnum ab infectione hæresis ferè immune permansisset; post ejus obitum sub Sigismundo-Augusto filio & successore, longè remissiùs in his se gerente, non solùm nobiles Poloni à parentibus in Germaniam studiorum causâ missi Confessionem Augustanam in Poloniam importârunt, verùm etiam omnis alia hæreticorum hæresúmque colluvies sensim introducta est, Episcopis nequicquàm obnitentibus; Rege verò turbarum metu, connivente magis ac tolerante quàm permittente; qui numquam a fide Catholicâ deviavit, nec in favorem hæreticorum edicta promulgavit.

[s] Neugebaver. lib. 8.

[t] Vid. Florim. de Orig. hær. lib. 4. cap. 8. 9. 10.

XVIII. Westphali et Calvini mutua petulantia.

Hoc item anno multa prodierunt hæreticorum per Germaniam scripta in causâ Osiandri, Stancari, & Majoris, de quibus suprà. Quin etiam causa Sacramentariorum ventilari acriùs cœpit: cùm inter cæteros Ioachimus [u] Westphalus minister Hamburgensis libellum emisit hac inscriptione, *Farrago confusanearum & inter se dissidentium opinionum de Cœnâ Domini, ex Sacramentariorum libris congesta.* Quo telo, præter Tigurinos & alios ejus generis symmystas, quos in varias & pugnantes inter se opiniones scissos esse ostendit, eorúmque blasphemias dignas esse ait quæ potiùs sceptro Magistratûs quàm stylo refutentur; Calvinus imprimis percutitur, quem scribit per simulationem [x] cum Tigurinis consensisse. Contra quem acerrimè scripsit posteà Calvinus: ambóque mutuis se convitiis, diris, maledictis, diù confoderunt ac confuderunt. Donec post binam admonitionem, tertiam addens anno 1557. Calvinus hunc ei titulum præfixit, *Vltima admonitio Io. Calvini ad Ioachimum Vvestphalum: cui nisi obtemperet, eo loco postea habendus erit, quo pertinaces hæreticos habendos jubet Paulus.* Quid arrogantius? Siquid tale Romanus Pontifex in aliquem ex istis segregibus

[u] Sur. in commentar.

[x] Sup. ann. 1549. IX.

protuliſſet, Antichriſtus eſſet: Calvinus cùm in unum ex ſymmyſtis, Angelus cenſebitur. Quàm verò graviſſimis probris & maledictis tum miſerum Weſtphalum inſectetur, tum qui ei adhærerent, haud eſt neceſſe recenſere: non dubitabunt, quibus ejus ingenium arrogantiſſimum & mordaciſſimum notum fuerit, quique aliqua ejus ſcripta legerint. Cùm tamen nec ſic Weſtphalus, ſileret, partes ei reſpondendi non ampliùs Calvinus, ſed ut in ejus Vitâ ſcribit Beza, Beza ipſe in ſe recepit: ídque, ut jactat, eo eventu ut ipſum ejus laboris minimè pœnitere potuerit.

XIX. FRANC. XAVERII OBITUS.

Hoc eodem anno *Franciſcus Xaverius* Societ. Ieſu, de cujus in Indiâ & reliquo Oriente laboribus dictum ſuperiùs, cùm poſt reditum è Iaponiâ, ad Sinas, ultimos Aſiæ populos, urbibus oppidíſque frequentes, tranſire Evangelij iis prædicandi ergo percuperet; appulſus in Sancianum ejus regionis inſulam incultam & deſertam, triginta leucis à continenti diſtantem, ad quam per id tempus commercij causâ commeare ſoliti Luſitani Sinæque, raptim ſibi tuguria è ramis vel ſtramine conſtruere, atque in diſceſſu diſturbare conſueverant: (arcebantur enim cuncti exteri omni in continentem appulſu, erátque Sinis capitale quemcumque injuſſu præfectorum inferre:) dum in eo eſſet ut cùm magno pretio tranſveheretur in ſuburbia Cantonis civitatis, morbo correptus, in ſummâ rerum omnium egeſtate, germanus Chriſti in morte pariter & in vitâ diſcipulus, piiſſimam animam in cælum emiſit quarto Nonas Decembris anno ætatis quinquageſimo-quinto, peregrinationis ſuæ Indicæ undecimo. Cujus corpus cum ipſis veſtimentis à Luſitanis qui aderant in arcam incluſum, vivâ opertum eſt calce, quò celeriùs exeſis carnibus nuda ſecum oſſa in Indiam deportarent: quod poſt diverſas pluribus locis ſtationes, miraculis ubique coruſcans, demùm Goam Indiæ metropolim poſt quindecim circiter menſes, nempè Martio 1554 delatum, integrum ac vividum omnis tabis & corruptionis expers, ſuavéque olens repertum, ſummâ pompâ & veneratione ſepultum fuit ibidem Goæ in templo S. Pauli Societ. Ieſu; ubi hactenùs quieſcit. Quibus auditis Ioannes Rex Luſitaniæ præfecto Indiarum mandavit, ut illuſtria Xaverij facinora, miraculáque, ſedulò conquiſita, in publicas tabulas referenda curaret, quò illum in numerum Sanctorum adſcribi satageret. Eáſque exquiſitiſſimè confectas cùm accepiſſet, Romam miſit. Ejus tamen deſiderium morte ipſius interruptum, dilatum eſt uſque ad Pontificatum Gregorij XV. quo tempore Xaverius unà cum Ignatio Societatis fundatore, in album Sanctorum relatus eſt, ut dicetur ſuo loco. Vitam autem ejus ſcripſit Turſelinus: agúntque de eodem de prolixè Maffeius, Orlandinus, Iarricus, & alij, ex prædictis Ioannis Regis tabulis, ex Epiſtolis ipſius Xaverij, & aliis monumentis omni fide conſtantibus.

XX. VIRORUM LITERIS CLARORUM OBITUS.

Mortui quoque ſunt hoc anno viri literis inſignes *Ioannes Cochlæus*, & *Paulus Iovius*, de quorum obitu dictum ſuperiùs aliis occaſionibus. *Fridericus* quoque *Nauſea* Epiſcopus Viennenſis in Auſtriâ, qui Ferdinandi Regis oratorem in aliquot Tridentini Concilij Seſſionibus egit; extántque ejus non ignobilia ſcripta. Et *Ambroſius Catharinus* Senenſis Ordinis Dominicani, Lutheri antagoniſta, factus Epiſcopus Minorenſis, ſcriptis item & diſputationibus Tridenti factis nobilis. *Petrus Apianus* Benevizius Leiſnicenſis in Miſniâ, aſtronomus & coſmographus celeberrimus, & ſcriptis ac novorum inſtrumentorum inventione illuſtris; imprimíſque Cæſareo illo organo, quod Carolo V. Imperatori dicavit, propter quod fuit etiam ab eo dignitate auctus: Obiit autem Ingolſtadij, ubi profitebatur, ex nephritide vigeſimo-primo Aprilis. *Lazarus Bonamicus* Baſſanenſis philologus doctiſſimus, anno ætatis ſeptuageſimo-tertio, undecimo Februarij Patavij, ubi magnâ cum admiratione multis annis docuerat. *Lilius Gregorius Girardus* Ferrarienſis, utriuſque linguæ & omnis politioris literaturæ & antiquitatis, quam variis ſcriptis illuſtravit, longè peritiſſimus, Ferrariæ eodem Februario, ætatis verò ſuæ ſeptuageſimo-quarto, arthritide pedes manúſque diù vexatus. *Ferdinandus Nonius* Pincianus Hiſpanus, è nobili Guſmanorum gente oriundus: qui olim Franciſco Ximenio Cardinali in procudendâ Complutenſi ſacrorum Bibliorum editione operam ſuam & induſtriam addixerat, & aliis quoque commentariis illuſtris; totâ vitâ celebs & abſtemius, octogenario major; inſtructiſſimâ bibliothecâ Scholæ Salmanticenſi legatâ, & erogatis in pauperum uſum facultatibus: juſſis ad ſuum monumentum his ſolummodò verbis inſcribi, *Maximum vitæ bonum Mors.* Ex claſſe præterea deviantium à fide, *Andreas Oſiander*, de quo ſuperiùs, Regiomonte in Boruſſiâ. *Sebaſtianus Munſterus* Engelheimenſis, Ordinis Franciſcani, quem olim Tubingæ profeſſus fuerat, deſertor, mathematicus & coſmographus præſtans, Hebraicæque linguæ, cujus admodùm peritus erat, Baſileæ profeſſor: ubi & mortuus eſt ex peſte vigeſimo-tertio Maij, ætatis anno ſexageſimo-tertio.

IESU CHRISTI Annus 1553.
IULII III. Ann. 4.
CAROLI V. Ann. 35.

I. ALBERTI BRANDEBURGENSIS FACINORA.

ANNO Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo-tertio, Indictione undecimâ, continuata ſunt in Germaniâ, Galliâ, & Italiâ, bella ſuperioribus annis inchoata: quæ prolixè alij narrant, nos pro conſuetudine breviter attingemus, ad res Eccleſiaſticas diligentiùs tractandas mox tranſituri. Imprimis igitur cùm Albertus Marchio Brandeburgenſis, poſt ſolutam obſidionem Metenſem in Germaniam rediens, ab Epiſcopis, quos ipſe dirè vexaverat & expilaverat, apud Imperatorem & Cameram Imperialem expoſtulatione petitus, utrobi cauſâ caderet; ideóque ad arma ſeſe rurſùm convertens, omnia incendiis atque direptionibus vaſtaret, urbes occuparet, cunctis minaretur; dato à Iudicibus Cameræ mandato Mauritio Electori, aliíſque Principibus, ut opem Epiſcopis ferrent: Mauritius, qui cum

Alberto semper usque ad pacem Passaviensem conjunctissimè vixerat, suspectum nunc habens illum, & hoc bello se quoque obliquè peti existimans, contractis copiis, bellum ei Ferdinandi Regis suóque nomine denunciavit. Ventúmque ad prælium inter ipsos est nonâ die Iulij in Heldesemiâ diœcesi juxta Peinam Luneburgensis agri castellum ad Visurgem flumen: quo post multam cruentissimámque utrique parti dimicationem, vicit Mauritius; sed ipse tormento manuario trajectus ad ilia, biduo post vitam finivit, annum ætatis trigesimum-secundum emensus. Cui frater ejus Augustus, tunc in Daniâ agens apud Regem socerum, in Electoratu & bonis successit: nequicquàm Ioanne Friderico olim Electore & Duce Saxoniæ sua repetente in conventu Ordinum Saxoniæ. Inter quos tamen, post longam disceptationem, ita transactum est Regis Dani interventu, ut Io. Fridericus discederet ab Electoratu, Misniâ, & oppidis metallicis: Augusto sine liberis maribus extincto, ad Io. Fridericum, ejúsque liberos mares hæc omnia redirent, atque interim præfecturas & oppida aliquot Augustus eis cum multâ pecuniâ largitus est. Aliis verò etiam conditionibus idem Augustus cum prædicto Alberto concordavit. Qui nihilominùs cum Henrico Duce Brusvicensi, cujus duo filij in prælio Peinensi interfecti fuerant, bellum continuans, & grassationibus provincias destruens, à Cameralibus proscriptus est; posteâque etiam ab Imperatore, post multas acceptas clades totâ ditione suâ pulsus & ejectus: qui primùm in Lotharingiam, inde in Galliam se recepit, cùm hospitium ei Rex non denegaret, quamvis fuisset ab eo apud Metim fœdifragè desertus. Vnde posteà rediens in Germaniam, demùm exul & profugus mortuus est Pfortzheimij apud Marchionem Badensem affinem suum, mense Ianuario anni 1557. anno ætatis trigesimo-quinto. Narrant isthæc omnia pluribus Sleidanus [a], Chytræus, Thuanus. De prælio verò Peinensi est Epistola [b] ipsiusmet Mauritij socij ad Episcopum Herbipolensem, quâ illud breviter describit: at prolixo carmine [c] Thomas Wintzerus Dresdensis. Ipsúmque Mauritium oratione funebri laudavit tunc Ioachimus Camerarius; & plures alij eclogis, epigrammatis, omni genere laudum & encomiorum ornârunt. Denique ejusdem Vitam [d] Græcè & Latinè conscripsit Simon Stenius Lomacensis. Erat quippe hic Princeps, tum ex se vir bello paceque verè insignis, tum ob cultum & patrocinium hæresis Lutheranæ, magnæ apud Protestantes æstimationis, majorísque expectationis.

MAURITII ELECTORIS SAX. MORS.

[a] *Sleid. lib. 25. & 26. Chytræ. Saxon. lib. 18. & 19. Thuan. lib. 12 & seqq.*
[b] *Ep. Princ. vol. 3.*
[c] *Ap. Schard. Oper. Hist. to. 2.*
[d] *Ext. to. 3. Rer. Germ. edit. Freher.*

II. TEROANÆ EXCISIO.

In Galliâ exercitus Caroli Imp. Teroanam munitissimam Morinorum urbem ad flumen Lisam cepit, inexperientiâ Francisci Monmorantij filij Conestabilis, quem adhuc adolescentem pater immiserat ut sub Dessio perspectæ virtutis duce militiæ rudimenta disceret; Dessio autem occiso, summum imperium ipse gerebat. Captam Imperator à fundamentis everti jussit, ne ampliùs in manus Gallorum veniret, ex quâ ij ingentia frequenter damna provinciis Belgij inferre consueverant. Erat in eâ sedes Episcopalis sub Archiepiscopatu Rhemensi: quæ post urbis excidium translata est Boloniam; parte tamen prædij seu diœcesis Episcopis Audomarensi & Iprensi contributâ. Post ejus occupationem, Hedini quoque arx capta est, occiso ibi inter alios fortes viros Horatio Farnesio Duce Castrensi, qui Dianam Henrici Regis filiam notham olim sibi desponsam nuper uxorem duxerat. Henricus deceptus ab spe longioris harum munitionum propugnationis; collecto tardiùs exercitu, ad invadendum Belgium movens, Cameracum ad deditionem frustrà sollicitavit: & cùm non posset hostes ad prælium attrahere, jámque tempus ad hiemem inclinaret, pluviæque iis regionibus maturiùs accederent; vastatis longè latéque agris, nullo ferè alio operæpretio ad sua se recepit: qui si tempore vires suas collegisset, & quæ tenebat conservare potuisset, & fortè alia acquirere. Fuit porrò exiguum earum cladium solatium, clades apud Dorlanum à Monmorantio Connestabili hostibus illata; quâ occisus est Carolus Spinoius princeps, captus Philippus Croius Arescotij Dux, & adempta septem equestria signa.

III. DE BELLIS ITALICIS.

In Italiâ Petrus Toletanus Prorex Neapolitanus exercitum ad Senas recuperandas ducens, morbo correptus Florentiæ decessit. In cujus locum Garsias ejus filius succedens, capto & direpto Monticello oppido, frustráque oppugnato Montalcino; cùm classis Turcica ductore Dragute, cui se conjunxerat Princeps Salernitanus cum auxiliis Gallicis, quorum dux Polinus erat, ad Siciliæ regníque Neapolitani littora appropinquaret, exercitum Neapolim reduxit ad regni custodiam. Post cujus recessum, Thermeus Regis in Italiâ legatus, rebus Senis benè constitutis, reliquias copias in Corsicam insulam ditionis Genuensium transportans, totam ferè occupavit auxilio classis Turcicæ. At ubi discessit, superveniens Andreas Auria, effœtâ jam ætate annorum septem & octoginta nihil remittens à vigore animi, & amore in patriam, aliquot oppida recepit: non tamen Gallos insulâ pellere valuit; qui eam tenuêre usque ad inducias inter Imperatorem & Regem pactas anno millesimo quingentesimo quinquagesimo-sexto. Quo item hoc anno satis felices fuêre in Subalpinâ regione Gallorum successus. Vbi etiam *Carolus* Sabaudiæ Dux, miti ac simplici ingenio princeps, & adversæ fortunæ, quam totâ vitâ ferè expertus est, sustinendæ impar & viribus & animo, decessit Vercellis decimo-septimo Calendas Septembris; relicto *Emmanuele Philiberto* filio longè dispari ingenio & fato; quippe qui virtute suâ meruit, ut post paucos annos paternæ ditioni restitutus, honorificentissimam longè affinitatem cum Rege contraheret, ductâ in uxorem Margaritâ ejus sorore. Carolum enim patrem ejus hoc anno, non ut plures volunt sequenti decessisse, Thuanus [e] contendit eo libro quo diffusè res istas in Belgio, Italiâ, Galliâ, & Subalpinâ regione gestas describit, ex certioribus monumentis haustas, cui & assentitur Natalis [f] Comes haud minori diligentiâ res easdem prosecutus, ut Hadrianum [g], & ceteros omittam.

CAROLI SABAUD. DUCIS OBITUS.

[e] *Thuan. lib. 12.*
[f] *Natal. lib. 6. & 7.*
[g] *Hadr. lib. 10.*

IV. TRANSILVANIA ERIPITUR FERDINANDO.

[h] *Iid. ibid. Isthuanff. lib. 19.*

Eodem anno Isabella [h] Regina olim Hungariæ, quæ Transilvaniâ Ferdinando Regi cesserat, cùm videret verba sibi ab eo in iis quæ sibi promissa fuerant dari; nullum non lapidem movens ut quæ spontè reliquerat vi & astu recuperaret, opem Solimani Turcorum Imperatoris imploravit; à cujus præfectis in provinciam irruentibus ingentia mala illata fuêre, quamplurimáque oppida Ferdinandiana in potestatem redacta; Castaldo Ferdinandi duce, cum omnibus Hispanis ob provincialium odium, periculo se subducente.

V. SOLIMANI FILIORUM CÆDES.

Quo tempore Solimanus in Asiâ erat, eò profectus specie quidem belli Persici, reverâ ut filium Mustapham interciperet. Erat is natu maximus ex Circassâ concubinâ, ætatis flore & indole egregius, qui ob conceptam de virtute militari apud vulgus opinionem, & ob ætatis prærogativam, successor patris in Imperio destinabatur. Cùm autem ex Rossâ, sive Roxolanâ, muliere servâ alios liberos Solimanus sustulisset; eâmque is posteà, philtris amatoriis, ut fertur, ab eâ dementatus, & à Muphti, hoc est Turcorum Pontifice, Roxolanæ favente diversis figmentis deceptus, libertate donatam, in uxorem, præter morem Osmanidarum principum, duxisset: hujus calumniis, filios suos in Imperium succedere, præterito Mustaphâ, percupientis, patris animo in eum concitato, quasi is affinitatem Schachi Tammasi Persarum Regis quæreret ut patrem solio deturbaret; (assignata enim fuerat ei provincia Carahemida Mesopotamiæ ad fines Persicos posita, ubi cum matre agebat:) Solimanus vehementer inde sibi timens, in Syriam cum exercitu properavit, quasi Parthis bellum facturus. Accersénsque ad se filium, (qui licèt de paternis insidiis inaudîsset, innocentiâ tamen suâ fretus, patris imperio sine morâ obsecutus est) simul ac in castra ac tentorium patris ingressus est, per mutos aliquot robustos homines, qui Sultanis semper ad nutus præstò esse consueverunt, in terram prostratum, injecto nervo strangulari curavit. Post quæ Giangirem, qui gibbosus erat, natu minimum Solimani ex Roxolanâ filium, pater quasi per jocum Mustaphæ fratri, quem necatum ignorabat, obviam prodire cùm jussisset; is tentorium ingressus, adeò rei inexpectatæ intuitu commotus est, ut quamvis thesauri fraterni atque supellex universa ei offerrentur, iis omnibus spretis, exprobratóque patri verbis acerbissimis tam impio diróque facinore, statim adacto in proprium pectus pugione, cadaveri fratris incumbens expiravit. Vnus quoque ex Solimani cubicularii, rem gratam Selimo majori tunc natu ex Roxolanâ filio, qui in Ciciliâ degebat, nunciaturus cùm advolâsset, econtrà ab eo tamquam funestæ cladis index statim interfici jussus est, nullo ad tantæ rei nuncium, quo propemodùm Imperij designatio deferebatur, læti animi signo dato. Exercitus autem Solimani auditâ Mustaphæ nece, tumultus magnos excitavit, penè ad rebellionem, nec nisi difficilè placari potuit, quòd maximam in eo spem constituisset. Ejus verò mors nihilominùs Christianis opportunissimè accidit, quoniam in eos vehemens & irreconciliabile odium conceperat.

VI. DISCORDIA INTER FRATRES.

Quamvis autem Solimanus quoque de ejus nece pœnituisse visus sit: nihilominùs paulò pòst Roxolanæ novis artibus & calumniis, ejusdem Mustaphæ filio Mahometi, seu ut alij vocant Murati, qui Prusæ apud matrem educabatur, quatuordecim circiter annorum adolescentulo, necem quoque inferri jussit: ut jam nihil ampliùs Roxolana dubitaret quin ipsius progenies regnaret. Verùm cùm præter Selimum, qui voluntate patris ad Imperium destinabatur, esset Bajazetes ejus minor frater, cui mater favebat; hic otij impatiens ad res novas moliendas se comparans, rationem inire cœpit, quâ tuendæ à fratris insidiis salutis colore eum opprimeret. Vnde non parvi orti motus in Imperio, quos alij [i] describunt: qui etiam quæ nos breviter de prædictis retulimus, tractant diffusè, ac plurimùm ex Ascanio Centorio in commentariis de Bello Transilvanico: cùm sint [k] qui aliter rem narrent. Verùm extant [l] prætereà in eumdem modum literæ Michaëlis Cotignaci oratoris Regis Henrici, datæ Adrianopoli die tertio Octobris præsentis anni ad Episcopum Lodovensem oratorem regium apud Venetos. Necnon Augerij [m] Busbequij oratoris Ferdinandi Regis apud Solimanum: nisi quòd iste Giangirem Constantinopoli fuisse ait quando necatus est Mustapha; & cùm ejus necem audîsset, jam tunc pavore correptum inferendæ aliquando sibi à fratre qui post patris obitum regnaturus esset, necis, in morbum incidisse, ex quo mors consecuta est. Addit verò de pseudo-Mustaphâ, ad turbas ciendas à Bajazete conficto, sed citò oppresso; & periculo eidem Bajazeti inde à patre creato, nisi mater Roxolana suis lenociniis Solimanum placâsset. Renovavit tamen idem posteà conatus suos, sed in propriam demùm perniciem, ut dicetur.

[i] *Leunclav. in Supplem. Annal. Turc. Natal. lib. 7. Belcar. lib. 26. Thuan. lib. 12.*
[k] *Vid. Bizar. Rer. Pers. lib. 11.*
[l] *Ep. Princ. vol. 3.*
[m] *Busbeq ep. 1. & 2. de reb. Turc.*

VII. TURBÆ ANGLICÆ DE REGN.

A bellis mundanis Principum ad Ecclesiastica de religione accessuri, ab Anglicanis tumultibus ordiemur, natis ex morte Eduardi Regis. Qui dum tabifico morbo affectus haud diù posse vivere cerneretur, Ioannes Dudleius Dux Northumbrius, apud quem, post sublatum æmulum Eduardum Seimerum Sommerseti Ducem, regni Protectorem, Regisque avunculum, (quem post simultatem [n], fictámque reconciliationem [o], rursùm falsis calumniis oneratum damnatúmque securi publicè percuti curaverat) residebat tota universi regni auctoritas, de eo etiam post Regis mortem occupando cogitare cœpit: quem & eo fine tabificum illud venenum Regi administrâsse, nonnullis persuasum fuit. Cùm igitur essent Henrico Graio Marchioni Dorcestriæ, quem nuper Northumbrius Ducem Suffolciæ creari curaverat, filiæ tres ex Franciscâ Brandonâ, Caroli Brandoni & Mariæ sororis Henrici Regis VIII. (quæ Ludovici XII. Francorum Regis uxor fuerat) filiâ natu minore; (major namque Margarita Iacobo IV. Scotorum Regi nupserat; cujus postmodùm progenies rerum potita est in universâ Maiore Britanniâ:) ad quas, si Henrici liberi non extarent, jus in Angliæ regnum succedendi pertinere Northumbrius existi-

[n] *Supr. an. 1549. I.*
[o] *An. 1550. X.*

mabat, nullâ habitâ ratione Margaritæ sobolis, quòd extra regnum nata esset: consilium iniit de collocandis duabus minoribus filiabus, primariis Angliæ viris, Comitum Pembrochiæ & Huntingroniæ filiis primogenitis, quorum potentiâ in suscepto scelere fulciretur; maximâ verò natu Ioannâ, ad quam primo loco regnum perventurum foret, Gilfordo quartogenito suo filio, cùm majores jam uxores duxissent. Sicque factum est, ut tria illa matrimonia eodem die Londini celebrata fuerint insigni pompâ.

VIII. DUDLEII ARTES PRO REGNO ADIPISCENDO.

Ingravescente verò Eduardi Regis morbo, fuit ei Dudleius auctor, ut ad vitandas turbas quæ post ejus obitum exurgere possent, si heres incertus esset, maximéque ad stabiliendam religionem quam ipse introduxisset, testamentum conderet; quamvis enim pater ejus Henricus Mariam & Elisabetham sorores ipsi substituisset, eas tamen non solùm vitio natalium; verùm etiam ob religionis periculum, cui ante omnia prospici deberet, à successione excludi: ipsúmque insuper, cùm jam pubes esset, testari posse, & regno providere. Quibus, aliisque rationibus adolescentuli Regis animus inductus ut assentiret, cùm magis ac magis morbo premeretur, testamentum fecit, quo exheredatis duabus sororibus suis uti illegitimis, & si qui alij jus in regni successione sibi vendicarent, Ioannam grandiorem natu Henrici Suffolcij filiam heredem instituit; eique, si sine liberis decederet, alteram sororem quæ Pembrocij Comitis filio nupserat, substituit: ipsúmque testamentum à primoribus firmari voluit, clàm tamen populo, nequa turbarum occasio daretur: ac post paucos dies vitâ functus est extra Londinum in palatio regio Grenuicci, pridie Nonas Iulij, anno ætatis decimosexto; cùm septem patri superfuisset magis quàm regnasset, quòd licèt ad imperium natus videretur si vita suppetîsset, obsequio tamen sub tutoribus & legum freno hucusque assuetus fuisset. Observátque Sanderus [p], dum hæc describit, & alij ex eo, mortuum esse Eduardum eodem prorsùs mensis die, quo pater ejus Thomam Morum integritatis & justitiæ caput, capite feriendum olim [q] curaverat; quasi tanti viri necem Henricus morte filij sui lueret. Itemque ad eandem divinam justitiam referri debere, quòd nemo planè ex Henrici liberis sobolem ullam reliquerit, sed steriles transierint sine prole aut germine, ne ejus propago, cujus causâ ab Ecclesiæ obedientiâ recesserat, ullas radices in terris ageret.

EDUARDI REGIS OBITUS.

[p] Sand. de Schism. lib. 2. Thuan. l. 13.

[q] An. 1535.

IX. MARIA REGNUM ACCIPIT.

Cognitâ Eduardi morte, *Maria* Henrici ex Catharinâ Hispanâ filia, religionis Catholicæ cultrix eximia, quæ Hunsdoniæ viginti à Londino milliaribus commorabatur, de Northumbrij in se machinationibus non ignara; magnâ celeritate in Norfolciensem ditionem ad Framingam castellum secessit, ut si sors tulisset in Galliam aut Belgium facili trajectu navigaret: atque interim Reginæ assumpto titulo, ad amicos & primariam nobilitatem scripsit, populos quacumque incederet humanitate devinciens. Econtrà verò Northumbrius, cùm nonnihil perculsus prætmaturâ Regis morte, eam aliquot diebus celâsset; eâdem postmodùm divulgata, *Ioannem* Graiam Suffolciam 6. Idus ejusdem mensis Reginam, quamvis invitam renitentémque promulgandam curavit; faventibus plerisque præcipuæ nobilitatis viris, & Senatoribus regni; sed populo rem indignissimè ferente, atque erga Mariam toto studio inclinante. Adversus quam jam armatam cùm Northumbrius exercitum ducendum suscepisset, relicto Londini Suffolcio; ubi auditum est, ad Mariam potentibus copiis subnixam concursum vndique fieri, Senatores regni ac reliqui ex nobilitate Londini degentes, eumdem Northumbrium proditorem declararunt, ac Suffolcium unà cum miserâ Ioannâ in custodiam tradiderunt, *Mariam* Reginam inclamantes. Quo ad Northumbrium perlato Cantabrigiam, videns quoque suos passim ad Mariam transire, & ipse eam Reginam proclamavit, die decimo postquàm Ioannam Reginam salutaverat: atque à prætorianis captus, ductus est Londinum unà cum filiis, populo eum probris & conviciis, uti parricidam, & proditorem, atque innocentissimi Regis carnificem impetente. Idemque post Mariæ in urbem accessum, à Iudicibus interrogatus, damnatúsque perduellionis, undecimo Calendas Septembris securi percussus est; cùm biduo antè hæresi omni abjuratâ, ritu Catholico sacrum viaticum in Missâ in carcere celebratâ sumpsisset: & ad locum supplicij ductus, egregiâ confessione, & ad populum adstantem hortatione [r], monuisset omnes, ut priscam majorum religionem amplecterentur, rejectâ nuper invectâ doctrinâ, quæ malorum omnium causa extitisset; atque imprimis ejus concionatores ut seditionum buccinas regno exigerent, si innocentes se coram Deo & salvam Rempublicam vellent, se quidem non aliam quàm majorum religionem semper in sinu coluisse, sed ambitione cæcum multa tempori condonâsse, quorum ex animo pœniteret; proindéque spontè mortem, quam se commeruisse agnosceret, subire. Quam ejus piissimam sanctámque confessionem labefactare hæretici studentes, commenti [s] sunt eam ideò ipsum fecisse, quòd spes ei quædam facta fuisset impunitatis; cùm verò animadvertisset verba sibi data esse, pœnituisse facti. Sed hæc est singularis probitas hæresis, ut bona quæque suis venenis aut corrumpat, aut corrumpere conetur. Quale est, quod scribunt, nunciatum in Germaniâ fuisse, Imperatorem dedisse consobrinæ Mariæ consilium ut religionem non mutaret, propter periculum quod inde immineret. Quis hoc credat? sanè, ut & ipsimet fatentur, eventus longè diversum ostendit. Ceterùm Northumbrij filiis à Reginâ parcitum est: nonnulli tamen alij æquè plexi sunt; plures in carceres conjecti.

IOANNA REGINA DICTA, DATUR IN CUSTODIAM.

DUDLEIUS CAPITE PLECTITUR.

[r] Ext. ap. Schard. Oper. Hist. tom. 2.

PROFITETUR RELIGIONEM CATHOL.

[s] Ap. Sleid. lib. 25.

X. PSEUDO-EPISCOPI IN CUSTODIAM DATI.

In his fuêre Thomas Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis, Robertus Holgate Eboracensis, Nicolaus Ridlæus Londinensis Episcopus, Hugo Latimerus olim Wigorniensis, aliíque ejusmodi ab Eduardo, aut in schismate constituti Episcopi, religionis & Ecclesiæ Romanæ hostes, in carcerem trusi. Omnes externi homines, qui neque publicam personam gererent, nec in cives essent adscripti, ad certum diem gravissimâ indictâ

pœnâ, de regno exire jussi. Quo decreto abiisse dicuntur [t] supra triginta millia hæreticorum, variarum nationum & sectarum, qui ad Anglicanum asylum Eduardi temporibus confluxerant. Eâque de causâ scripsit quidam eorum Ioannes Vtenhovius Sacramentarius historiam de institutâ, ac demùm dissipatâ peregrinorum in Angliâ ecclesiâ: quam tamen ceteri Sacramentarij noluissent evulgatam. De Petro Martyre Vermilio quid ageretur, dubitatum est in Senatu; quem, quòd inter ceteros multum damni religioni Catholicæ reíque publicæ attulisse diceretur, nonnulli flammis addicendum judicabant. Itum est tamen in eam sententiam, ut quia publicâ fide in Angliam venerat, cum suis incolumis dimitteretur, qui Argentinam, unde profectus fuerat, unà cum Bernardino Ochino se contulit. Ejus tamen scorti, olim monialis Oxonij mortuæ, impura ossa posteà è cœmeterio in sterquilinium projecta fuêre: sicuti & Buceri atque Fagij cadavera Cantabrigiæ secundùm leges solemni ritu exhumata & combusta, (quorum nihilominus posteà memoria sub Elisabethâ Reginâ restituta est cum fœnore.) Econtrà verò Episcopi illi omnes, quos vidimus [u] ob fidem sub Eduardo carceribus inclusos, confestim suis Ecclesiis restituti cum honore fuêre; & ex iis Stephanus Gardinerus Wintoniensis regni Cancellarius renunciatus: Exilij & perduellionis contra Reginaldum Cardinalem Polum lata olim sententia revocata: Thomas HaWardus Dux Norfolciæ, & Eduardus Courteneus Marchio Exoniensis, injustè ad perpetuos carceres damnati, libertati, & pristinis honoribus restituti.

[t] Sander. ibid.

Hæretici pelluntur.

Catholici restituuntur.

[u] Sup. num. 1548. XVIII.

XI.

Omnium autem quæ ritu Catholico publicè facta sunt, initium fuit ab exequiis Eduardi Regis; quas clemens Regina peculiari quodam in fratrem affectu apud Westmonasterium, quò fuerat cadaver delatum, fieri curavit; quantumvis renitentibus Episcopis, qui per leges sacras, pro iis qui extra Ecclesiam mortui essent, aut funus sacrum, aut preces publicè fieri, nefas esse dicebant. Quare & meliùs posteà instituta, se ità secundùm regulas pietatis & religionis passa est regi, ut nec pro patre Henrico, quòd auctor fuisset schismatis, publicè preces fieri passa sit. Prosano autem Primatûs Ecclesiastici, aut Capitis Ecclesiæ Anglicanæ, titulo spontè omninò rejecto; effecit item, post suam inaugurationem, solemnibus cæremoniis, ingentíque pompâ Calendis Octobris factam, ut comitiis regni eodem mense convocatis, imprimis sententia de Henrici & Catharinæ parentum Reginæ divortio lata, rescissa fuerit, & illorum matrimonium legitimum, legitimáque ex eo suscepta proles pronunciata: (quo Annæ Bolenæ cum Henrico matrimonium obliquè reprobatum est, ac proinde Elisabethæ inde natæ status labefactatus: quæ nihilominùs à Mariâ Reginâ uti soror initio accepta & honorata fuit.) prædicta quoque de restitutione Episcoporum, ac ceterorum stabilita; & abrogatis omnibus quæcumque sub Eduardo contra fidem Catholicam, & disciplinam Ecclesiasticam sancita fuissent, disciplina majorum in integrum restituta: nullâ tamen cuiquam vi intentatâ de hęresi derelinquendâ. Ad reconciliationis verò cum Sede Apostolicâ faciendæ modum consultandum, Regina Polum Cardinalem accersendum curavit; postquàm per Ioan. Franciscum Commendonum Venetum, tunc Iulij Pontificis cubicularium, posteà Cardinalem, Iulius Pontifex, ipséque Polus ejus animum explorassent.

Maria abicit titulum Capitis Ecclesiæ.

Fides et disciplina Cathol. restituuntur.

XII.

Polus mittitur Legatus in Angliâ.

Qui quidem Polus legatione à latere cum summâ potestate acceptâ, dimissus à Pontifice, ab Imperatore tamen, ad quem etiam mandata pro pace inter ipsum & Regem Henricum habebat, rogatus neque ad se, neque in Angliam accedere, donec ipse annueret; substitit in itinere apud Dilingam Episcopi Augustani oppidum ad Danubium: Agente hoc Imperatore, quòd cùm fuisset in comitiis tractatum de marito Reginæ deligendo, ex quo proles sperari posset, (quamquam jam erat annorum propemodùm quadraginta, adeóque virginitate eatenùs illibatâ servatâ minùs de nuptiis cogitaret) ex tribus ei propositis unus esset prædictus Polus, qui hactenùs à sacris ordinibus abstinuerat; ac princeps regij sanguinis existens, morum gravitate, ac vitæ sanctimoniâ, cum summâ animi magnitudine & prudentiâ conjunctâ, valdè insignis erat: alter jam dictus Courteneus Devoniæ Comes, ætatis flore, ac perurbanâ comitate Reginæ gratus; qui & ipse ab Angliæ Regibus genus repetebat: tertius Philippus Princeps Hispaniæ Caroli Imperatoris filius. Cujus consideratio cùm ceteris apud Reginam prævaluisset, tum eâ privatâ ratione, quòd si Anglum duceret, foret ipsa sub ejus potestate constituta, si externum, dominatum ipsa retentura esset; tum publicâ, quòd regno impacato opus esse potenti principe videretur, qui & domesticos motus componere, & adversus Gallos, Scotiâ nuper occupatâ utrimque & terrâ & mari vicinos juxtà & infestos hostes tueri posset: Verebatur Imperator, ne Poli in Angliam appulsus inchoati conjugij rationes interturbaret, si antequam id omninò transactum esset, in eam ingrederetur. De matrimonio verò dicetur anno sequenti; simúlque de ceteris rebus Anglicis, ac reconciliatione regni. Quæ verò de iis hactenùs diximus, multi [x] uberiùs prosequuntur: súntque inter Epistolas Principum [y] binæ de iis literæ ab aliquo Italo qui aderat Londini scriptæ, rem ab initio usque ad Reginæ adventum in urbem, cum multarum singularium circumstantiarum observatione, graphicè exponentes. Quod autem nonnulli hæretici amariori animo eadem tractant, condonandum videtur dolori ex amissione tantæ prædæ concepto. Non diù erit, quòd injuriam egregiè ulciscantur, jacturámque ingenti fœnore resarciant.

Reginæ maritus quæritur.

[x] Sander. lib. 2. Natal. lib. 7. Thuan. lib. 13. Chytræ. l. 18. Sleid. lib. 25. Belcar l. 26. Flor. lib. 6.

[y] Epist. Princ. vol. 3.

XIII.

Hæretici in Gallia combusti.

Sicuti & in Galliâ postmodùm factum est. Vbi interim hoc anno inter illos qui passim ob hæresim suppliciis afficiebantur, apud Lugdunum [z] nonnulli, qui publicis Bernatum Helvetiorum sumptibus Lausanæ, ubi tunc Beza docebat, operam literis dederant, atque hæresis propagandæ causâ in Galliam summissi fuerant, antequàm ejus rei quicquàm egissent, comprehensi, publicè cremati

[z] Thuan. lib. 12.

sunt; nec ut iis parceretur, Bernates à Rege impetrare potuerunt. Quorum auditiones valdè sycophanticè Sleidanus [a], ut sæpè solet, depingit. Cardinalem autem Turnonium his diligenter invigilâsse tradunt: qui non solùm conservationis religionis Catholicæ, sed & regni tranquillitatis summè studiosus cùm esset, nec citra turbas in causâ religionis quicquàm novari posse, aliorum regnorum temporúmque exemplo probè sciret, sectarios omnes, ut populorum seductores, & publicæ quietis perturbatores, odio prosequebatur.

[a] Sleid. l. 25.

XIV. SERVETUS IN CARCEREM TRUDITUR GENEVÆ.

Quæruntur hæretici hæc nimis acerbè in eos agi. Et tamen iidem ipsi hoc eodem anno jure ac legitimè fieri posse, quinimmò & debere, non solùm exemplo docuerunt, sed etiam scripto promulgarunt. De MICHAELIS SERVETI Hispani Tarraconensis impiis scriptis, quibus Samosateni, Arij, Macedonij, & aliorum ejusmodi hæresiarcharum blasphemias renovavit, dictum est jam aliàs [b]. Is cùm post multos per Africam & Europam circuitus, hoc anno (non sequenti, ut multi ponunt) Genevam appulisset; Calvini operâ, qui jam anteà scriptis eum oppugnaverat, comprehensus, in carcerem trusus est. Non enim primùm à magistratu comprehensum, deinde Calvino exhibitum, ut Sleidanus Calvinum palpare existimans scribit; sed ipsomet Calvino auctore captum esse, ipse [c] suis epistolis gloriatur. Docebat autem præcipuè, nullam esse in Deo distinctionem personalem, sed Deum esse unicam personam. Vnde & inter Antitrinitarios recensetur, quia doctrinam de sanctissimâ Trinitate convellere conatus sit: quamvis & ij Antitrinitarij vocentur, qui distinctas quidem personas agnoscunt, sed tamen Trinitatis, essentiæ, hypostasis, vocabula rejiciunt: denique quicumque perperam de Trinitate, vel de una aliquâ ejus personâ sentiat, possit Antitrinitarius dici: qui & Trinitarij simpliciter vocantur. Appellabat autem Servetus Trinitatem, triceps monstrum, & Cerberum quemdam tripartitum, imaginarios deos, illusiones ac tres spiritus dæmoniorum. Diabolis inesse divinitatem dicebat, deitate substantialiter tam illis quàm ligno & lapidi communicatâ: Christum Dei Filium appellari, quòd ex ipsâ Dei substantiâ caro ejus in utero Virginis concepta & conformata esset. De Peccato & Iustificatione tantùm loquebatur ut Philosophi & Pharisæi. Et Baptismum esse detestandam abominationem, regni Christi conculcationem, eúmque trigesimo demùm anno dandum esse aiebat. Denique Calvinus, ac ceteri ministri Genevenses, ex ejus scriptis plurimas alias propositiones blasphemas & impias collegerunt. Qui cùm post multam & acerbissimam cum Calvino disputationem, quâ illum mendacij sæpenumerò arguens, suas propositiones conviciis & maledictis propugnabat, nihil de obstinatione remittens: re cum Bernatibus, Tigurinis, Basileensibus, Schaffusianis communicatâ, iisque omnibus ejus doctrinam ut impiam & blasphemam damnantibus: (sunt enim de his singulæ ipsorum epistolæ inter Calvinianas [d], unà cum aliis de eodem Serveto ultrò citróque scriptis:) damnatus quoque & ipse est ad ignem: quo vivus combustus fuit die vigesimo septimo Octobris, nullo edito pœnitentiæ signo. Excusat Beza in Vitâ Calvini, sumptum de eo supplicium optimo jure, non ut de sectario quodam, sed tamquam de monstro ex merâ impietate, horrendísque blasphemiis conflato, quibus totos annos triginta tum voce tum scripto cælum ac terram infecerat: Videlicèt ut sic à ceteris sectariis, adeóque ab ipso Calvino, séque ipso, quorum scripta haud ferè paucioribus aut levioribus, etiámque in ipso articulo Trinitatis, referta sunt blasphemiis, quas alij collegerunt, longiùs ignem removeret. At non adeò delicatus Calvinus: in quem cùm à plerisque ceteris sectariis invidia hujus supplicij conflaretur, is libro edito doctrinam Serveti & rem omnem gestam commemorans, rectè à Magistratu in hæreticos gladio vindicari ostendit. Eámque ejus sententiam scriptis ad eum literis comprobârunt [e] Bullingerus & Melancthon disertè. Serveti autem doctrina haud cum ipso extincta, Poloniam, Transilvaniam, & Hungariam invasit: propagatoribus præcipuis *Valentino Gentili*, & *Georgio Blandratâ* Italis, aliísque eorum sociis, de quibus agetur deinceps. Quam præter Catholicos [f], ipsúmque Calvinum, & Bezam, confutavit etiam copiosè per singula capita & argumenta Conradus Schlusselburgius [g] Lutheranus in suo hæreticorum catalogo.

[b] An. 1551. ad fin.

[c] Calvin. ep. 151. 156.

[d] Ibid. ep. 152. usque 163.

VIVUS COMBURITUR.

[e] Ibid. epist. 173. 187. 214.

[f] Hosi. Lindan. Prateol. Gaulter. Florim. &c.

[g] Schlusselburg. lib. 11.

XV.

Ne verò Servetus solus desiperet, cùm se jactabat, ut Calvinus objicit, unicum totius orbis prophetam; invenimus [h], hoc eodem anno in Galliâ fuisse quemdam, qui se Ioannis Apostoli, & Evangelistæ spiritum habere diceret: qui Tolosæ combustus est. Basileæ alium, qui genium Petri Apostoli se recepisse: aliúmque rursùm ibidem Basileæ, qui Mosis Angelum habere dictitans, prædiceret Regem Galliæ ante mensis Iunij initium Protestantium dogma recepturum. Londini in Angliâ puellam, quæ toti regno mala omnia spiritu Angelico comminabatur, si communionem cum Romano Pontifice admitteret. Quæ minimè nebulones isti finxissent, nisi experientiâ didicissent, homines incredibili stoliditate quibuslibet ineptiis facilè commodare fidem. Ad quam sibi intimiùs præstandam allicere suos volens Calvinus, hoc tempore, sive alio, (certum enim annum notatum non reperimus) stropham excogitavit, antiquæ illi Ariani Cyrolæ [i] similem; quæ & eumdem effectum consecuta est: Nimirùm ut cuidam Brulleo apud Heduos in Galliâ nato, & Genevam refugæ, egestatéque presso, spe factâ subventionis, persuaserit mortuum se fingere, & ad ipsius jussionem exsurgere. Primum quidem finxit ille, sed secundum non valuit. Cùm enim ad hospitium ejus Calvinus accedens, in conventu civium fusis precibus, præcepisset mortuum in testimonium veritatis à se prædicatæ exsurgere; verè miser ille mortuus repertus est, nec ullis vocibus exsuscitari valuit: Deo sic primùm stropham eludente; deinde defuncti uxore, quæ technæ conscia erat, Calvini impium conatum veris lacrymis, magnísque ejulatibus, detegente. Quod non solùm Bolsecus & Laingeus in ejus Vitâ [k] descripsêre, multis circumstantiis & testimoniis

[h] Ap. Sur. in Commentar. Geneb. in Chronol.

VARII ALII IMPOSTORES.

[i] Epit. Annal. an. 484. VII.

CALVINI STROPHA DETECTA.

[k] Bols. cap. 1. Lang. cap. 13.

rem probantes: verùm etiam ceteri Catholici, ipsique Lutherani, ei deinceps ejusque discipulis objicere non desierunt.

XVI. PATRIARCHÆ ORIENTALIS ADVENTUS ROMAM.

Romæ Iulius Pontifex *Simonem Sulakam*, post mortem Simonis Mamæ totius Orientis trans Euphratem usque ad Indos Patriarchæ, electum ejus loco ab Ecclesiis earum partium, missúmque anno superiori ad Sedem Apostolicam ut confirmaretur, amanter recepit. Qui oblatâ relatione historicâ Ecclesiæ ac religionis illarum regionum, fidei professionem in palatio Apostolico magnâ celebritate emisit die 20. Februarij præsentis anni, eúmque Iulius moribus commendatum, doctrinâ præstantem, & Catholicâ fide probatum, Episcopum consecrari jussit, & Patriarchali pallio suis manibus in Consistorio ornavit: demúmque muneribus donatum in patriam remisit; adjunctis ei nonnullis aliis religiosis viris, linguæ Syriacæ & rituum Ecclesiæ Romanæ peritis pro Evangelicæ veritatis propagatione. Rem pleniùs narrat Onuphrius in Vitâ Iulij. Extántque [l] literæ ad Iulium ab iis Orientalibus per hunc Sulakam scriptæ, quas Andreas Masius Bruxellanus ex Syriaco Latinas factas publicavit. Quibus hæc ad Pontificem inscriptio legitur: *Patri Patrum, & Pastori Maximo, concinnanti mitras, ungentique sacerdotes, & cingenti zonis, Petro temporis nostri, ac Paulo dierum nostrorum, & cingulo comprehendenti universum cœtum Christianorum: qui es loco Christi Domini nostri. Tu sedes in sede altâ & sublimi Principis Apostolorum, tenentis claves regni cælestis: qui ore suo salutari Dominus noster dixit, Quicquid ligaveris in terrâ, erit ligatum & in cælo, & quicquid solveris in terrâ, erit solutum & in cælo: & super eum fundavit Ecclesiam suam, adversus quam portæ inferi nihil valebunt in generatione generationum. Nunc porrò tibi eam dedit Christus Deus noster, & Salvator noster, ut sedeas super eam. Tu item es fons vivus, cujus aquæ non deficiunt: & quisquis sitiverit, æquum est ut ex te bibat aquas vitales, ut sedet sitim suam. Tu es lucerna, quæ non extinguitur, sed illustrat omnes creaturas, ut candela quæ est supra candelabrum: & ut Ioan. Baptista qui posuit dexteram suam super caput Christi Dei nostri: & in te videt lumen universa Respublica Christiana, quæ est proles Ecclesiæ sanctæ. Tu es murus fortis civitatis, & matris civitatum Romæ magnæ, quam piscatus est princeps Discipulorum Petrus, & prudens architectus Paulus, qui lumen præbuerunt omnibus hominibus distentis atque implicatis errore Satanæ. Tu es caput omnium Patrum, sicut erat Petrus caput omnium Discipulorum: cui ut est data sedes alta & sublimis in terra, sic his ultimis temporibus alta & excelsa est sedes tua, ipsa Roma magna & celeberrima.* Vocantes se autem *pupillos absque patre*, petierunt à Iulio, ut quem elegerant in pastorem, confirmaret, & consecraret: adjicientes, *quia sacerdotium nostrum à priscis temporibus à Roma est, quæ est Sedes Petri*: ac dolentes jam annis trecentis viam fuisse ab Agarenis interclusam, quò minùs Romam ire possent. Cui epistolæ aliam [m] ejusdem generis addiderunt Nestoriani illi qui eumdem electum Patriarcham Romam abeuntem comitati fuerant Ierosolymam usque.

[l] Ap. Masson. in Iul. III.

LITERÆ ORIENTALIUM AD ROM. PONTIF.

[m] Ibid.

XVII. HISTORIA ILLORUM PATRIARCHARUM.

Relatio autem historica sic breviter ab Onuphrio recitatur: hunc scilicèt Sulakam, vulgò *Siud* dictum, annos natum circiter quadraginta, in civitate Mazal, antiquâ Assur, octodecim Christianorum ecclesiis insigni, quarum quindecim essent Nestorianorum, tres Iacobitarum, sitâ ad ripam fluminis Tigridis; à quâ ex alterâ parte ripæ abest Ninive bis mille passibus, quæ tunc circiter mille ædibus tantùm habitabatur, parentibus inter suos cives optimatibus natum, admodùm puerum monasticam vitam amplexum esse in monasterio Rabban Horsmid ultra Tigrim, haud longè ab Altus patriâ Nahum prophetæ, ubi & sepulchrum ejus visitur, visitatúrque cum veneratione à Christianis & Iudæis: atque in eo monasterio ipsum Sulakam multis posteà annis Abbatem egisse. Longè maximam partem Christianorum, qui per Assyriam, Persiam, ac reliquas Orientales regiones habitant, appellari *Nestorianos*. Maronitas enim extrà montem Libanum paucos esse: Iacobitas, sparsos, nec frequentes: Cophtos, sive ut ipsi scribunt Ægophtos, magis versus Ægyptum & provincias Pretejannis vergere. Verum hos Nestorianos, nomen potiùs Nestorij hæretici, quàm errores, retinuisse, cùm nihil planè haberent quod illam sectam referret: Húncque Sulakam cum fidem professus est, Nestorium nominatim ejurâsse. Ante annos circiter trecentos, ex communi gentis decreto Romam missum fuisse quemdam nomine Maraum, ut Apostolicâ auctoritate in Patriarcham crearetur; qui à Pontifice id adeptus, ad suos remeârit, ac Nestorianismi dogmata in Orthodoxa mutârit. Successu verò temporis, centum circiter ante id temporis anni, quemdam Patriarcham sacrosanctam eam dignitatem suis posteris hereditariam fecisse, ita ut ex eo tempore nemo nisi ex ejus familiâ Patriarcha fuerit. Cùm verò postremus, antequàm puerum qui dignitatem destinaverat successorem relinqueret, fato functus esset; eâ re universos tam ecclesiasticos quàm laïcos, datam sibi divinitùs abrogandæ illius usurpationis occasionem ratos, de vindicando vetere eligendi ritu consilia agitâsse: convenientésque ad id in civitate Muzal Episcopos Arbelæ, (apud quam Alexander Darium superavit) Sahaast, & Adurbeigan, qui tres tunc soli supererant ei genti, unà cum delegatis civitatum Babyloniæ, Taurisiæ, Ecbatanæ, Nisibis, aliarúmque plurimarum unanimi consensu ipsum Sulakam, ob perspectam omnibus vitæ ejus probitatem, delegisse, & quantumvis diù renitentem è suo monasterio extraxisse, ac pro confirmatione Romam ire præcepisse. Missos cum eo fuisse Ierosolymam usque septuaginta viros ex utroque ordine ecclesiastico & laïco: ibi ex eo numero delectos esse tres qui eum comitarentur, quorum unus morbo periisset in itinere, alter æger relictus esset, tertius cum Sulakâ Romam venisset. Addidisse etiam Sulakam, illic quatuor magna Concilia magnis voluminibus haberi, atque insuper alios veterùm Doctorum libros, quibus nos careremus, quos per eos qui secum venirent, Romam transmissurus esset. Quæ omnia typis tunc commissa magnâ hominum piorum, necnon

curiosorum voluptate perlegebantur.

XVIII. MOSIS MALDENI LEGATIO.

Præter quem, exceptus quoque est magnâ benignitate à Pontifice *Moses* quidam *Mardenus* Assyrius Iacobita, ab Antiochiæ Patriarcha missus ad fidem Romanam suâ professione attestandam, & obedientiam Sedi Apostolicæ præstandam. Cujus Acta eodem Masio interprete Latinitate donata, relata sunt in Bibliothecam Patrum; unà cum ejusdem Mardeni Theologicâ de Sacrosancta Trinitate contemplatione. Ejusdémque rogatu [n], ac liberalitate Ferdinandi Cæsaris, Viennæ Austriæ primùm editum est anno 1555. Novum Testamentum linguâ & charactere Syriaco, incumbentibus operi Ioanne Alberto Widmanstadio Austriæ Cancellario, & prædicto Mardeno. Quod tam insigne opus aliquot pòst annis Tremellius Emmanuel Iudæo genere Sacramentarius, Genevæ characteribus Hebraïcis incredibili perversitate publicavit; ut Genebrardus, earum linguarum rerúmque scientissimus, diligenter observavit.

[n] Genebr. in Chronol.

NOVI TESTAM. SYRIACA EDITIO.

XIX. FUNCCII HISTORIA ET SUPPLICIUM.

In hunc usque annum *Ioannes Funccius* Werdâ propè Norimbergam ortus, Chronologiam suam perduxit: quæ magno in pretio apud hæreticos, qualis & ipse fuit, existens, non paucis tamen erroribus & mendaciis scatere dignoscitur. Qui posteà cùm [o] ex concionatore aulico Ducis Prussiæ seu Borussiæ, factus esset infaustus consiliarius politicus; ob prava consilia contra majestatem Regis Poloniæ supremi Borussiæ domini, & publicum bonum data, ultimo supplicio affectus est Regiomonte anno Domini 1566. ipsius ætatis 48.

[o] Chytræ. Saxon. lib. 21.

XX. DOCTORUM VIRORUM OBITUS.

Mortuus hoc anno inter ceteros insignes viros *Ioannes Dubravius Sckala*, ex apoplexiâ octavo Idus Septembris; qui bello & pace impiger patriæ suæ Boëmiæ Historiam luculenter scripsit, Olomucensem Episcopum toto decennio summâ prudentiâ & sanctimoniæ laude tenuit. Quarto Nonas Iulij *Ioannes Baptista Egnatius* Venetus octogenarius; qui bonas literas historiámque non mediocri studio illustravit, tandémque sacrum ordinem professus fuit. Et octavo Idus Augusti *Hieronymus Fracastorius* Veronensis, ex apoplexiâ, septuagenario major; qui ad exactam philosophiæ & mathematicarum artium, ac præcipuè astronomiæ cognitionem, summum judicium, & admirabile ingenium attulit: & medicinam, ut honestissimè ac citra lucrum, ita felicissimè exercuit. Si verò natalitia virorum clarorum hujus anni inquiramus, nulla proculdubiò reperiemus quæ longissimè possint accedere ad illa HENRICI BORBONII, Antonij Vindocinensis & Ioannæ Navarrenæ filij: qui hoc anno decimotertio Decembris Pali in Bearnia natus, per infinitos labores, præclarásque victorias, regnum Galliæ, noménque MAGNI est consecutus.

NATALE HENRICI MAGNI.

IESU CHRISTI Annus 1554.

IULII III. Annus 5.

CAROLI V. An. 36.

I.

ANNO Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, Indictione duodecimâ; ineunte Ianuario, legati Caroli Imperatoris in Angliam delati, post aliquot dies nuptias Philippi ejus filij cum Reginâ firmârunt. Ad cujus rei famam fremente populo, & nonnullis ex proceribus vel, quòd externi Regis jugum horrebant, vel quòd sibi perpetuum cum Galliâ bellum futurum agnoscebant; adversum quos mota bella, licèt aliquando felicia, ultimò tamen exitiabilia extitisse meminerant: novi motus denuò nati sunt. Quorum dux præcipuus Thomas Wiatus eques auratus, magnæque potentiæ vir, religionis Catholicæ & Hispanorum magis quàm Reginæ hostis, collectis copiis Norfolcium Ducem contra ipsum immissum fugavit. Cúmque Londinum appropinquaret, legati Imperatoris, cùm seditionis minuendæ tum periculi vitandi causâ, navibus conscensis in Belgium ad Imperatorem navigârunt. Exitus autem motuum istorum fuit, ut postquàm Regina oratione ad populum Londinensem habitâ quâ exposuit de matrimonio nihil se statuisse, nisi de procerum consilio; maximam ætatis partem jam se virginem exegisse; neque nunc adeò nuptias expetere, quin eodem vitæ genere libenter permansura esset si regni ordines ita expedire judicarent; eum placâsset: Wiatus publicè proscriptus, paulò pòst interceptus sit. Captus Dux & Suffolcius, qui conjurationis particeps fuerat. De quo tradunt quidam [a], cùm desertus fuisset à suis, ne in manus hostium incideret, cujusdam è suis colonis fidei sese committentem, ab eo in deserto loco intra ventrosam quercum occultatum fuisse; biduóque pòst ab eodem perfidè detectum, inediâ & frigore penè enectum inde eductum esse, ac vix cibo ignéque refectum captivum Londinum adductum. Capti & plurimi alij: adeò ut mensis Februarij diversis diebus ampliùs octoginta supplicio affecti sint. Inter quos iidem Suffolcius & Wiatus, & Suffolcij gener Gilfordus, ejusque scitissima & innocentissima conjux *Ioanna* olim Regina proclamata: quæ admodùm invita, ut vidimus, ad regnum adacta, cùm longè æquiori animo illud abdicâsset, modò culpæ alienæ rea facta, capitis pœnam lætâ fronte juvencula septemdecim circiter annorum suscepit. Cùm exiret è Turri Londinensi, ubi detinebatur, à Turris præfecto rogata [b] monumentum suî aliquod sibi relinquere; ut erat apprimè literis exculta, pugillaribus petitis tres breves sententias Græcè, Latinè, & Anglicè conceptas scripsit; quibus & innocentiam suam contestabatur, & quamvis culpam morte dignam non diffiteretur, (non quidem ambiendo aut affectando regnum, sed non obstinatè recusando) tamen ignorantiam suam apud homines salvis legibus errorem eum excusare debuisse contendebat. Latinè dicebat, *Si vis humana jus*

MOTUS ANGLICI OB NUPTIAS REGINÆ CUM HISPANO.

[a] Natal. l. 7. ad fin.

INGENS EFFUSIO SANGUINIS IN ANGLIA.

[b] Natal. ibid. Thuan. lib. 13.

IOANNÆ INNOCENTIS INDIGNŪ SUPPLICIUM.

habeat in meum corpus, anima certe jus inveniet in Dei misericordiâ. Græcè, *Mors pœnam errorum dat corpori, at anima in conspectu Dei suam innocentiam probabit.* Anglicè, *Error jure censetur dignus morte, sed modus inscientiæ apud homines & leges misericordiam excusationémque meretur.* Hoc uno, sed quidem maximo, infelix, quòd extra Ecclesiam in possessione hæresis mortua fuerit; digna ceteroqui omni laude ob virtutem, & ingenij nobilitatem. Cujus mors plerisque omnibus invisissima, etiámque illis qui Mariæ causam semper ab initio amplexi fuerant, non mediocrem crudelitatis notam, cùm ipsi Mariæ Reginæ, tum præcipuè judicibus innocentem condemnantibus, & ad gratiam Principis sententiam ferentibus, inussit. Sed assuefacta effundendo sanguini Anglia, non potuit non sic agere. Mense pòst Martio Elisabetha quoque Reginæ soror, & Courteneus Devoniæ Comes ejus propinquus, ob suspicionem ejusdem conjurationis, in custodiam traditi sunt: in quâ Elisabetha usque ad Mariæ obitum permansit; Courteneus liber dimissus in Italiam relegatus est.

II. LEGES MATRIMONIJ MARIÆ CUM PHILIPPO.

Post quæ habitis mense Aprili omnium Angliæ Ordinum conventibus, duo imprimis fuêre in iis propositâ à Reginâ capita; videlicèt de suo matrimonio cum Philippo Hispano, & de restituendâ Romano Pontifici suâ auctoritate. Quorum primum certis conditionibus obtinuit; alterum reclamante nobilitate pro tempore impetrare non potuit. Conditiones [c] autem matrimonij præcipuæ fuêre, ut nullus totâ Anglicâ ditione ad munus publicum aut dignitatem admitteretur, nisi in Angliâ natus, & Reginæ subditus: non posset Regina ex Angliâ, nisi ipsa rogaret, abduci, nec item filij ex matrimonio suscipiendi, nisi necessitas aut legitima causa incideret, & ex Anglorum consensu: nihil in juribus sive publicis sive privatis, immunitatibus, consuetudinibus regni immutaretur: nec hujus connubij ratione aliquid fœderi inter Anglos & Gallos facto derogaretur si Regina prior sine liberis decederet; Philippus nullum haberet in regno jus, sed liberum permaneret ei cui jure competeret: sin prior ipse decederet, Maria quamdiù superstes foret, dotis nomine sexaginta nummûm millia annua acciperet. Quæ quamvis satis graves viderentur conditiones, facilè tamen ab Imperatore acceptæ fuêre & à filio, quòd sperarent, si semel matrimonium factum foret, Anglos se paulatim ad sua vota traducturos: sicuti & factum est. Adveniente autem Philippo in Angliam; ipso statim appulsu, ægerrimè [d] ferri cœptum est, quòd ad procerum salutationem capitis integumentum honoris gratiâ non detraheret pro more Regum Hispanorum: indéque nata est apud eos populos insignis superbiæ Philippi opinio. Ne porrò Regina non Regi nupsisse videretur, delatum est ei patris nomine omne jus regni Neapolitani, unà cum ejus titulo: Nuptiæque magnâ pompâ celebratæ fuêre Vvintoniæ die vigesimoquinto Iulij, festo S. Iacobi Hispaniarum patroni. Vt tamen Philippus Rex coronaretur, numquam Regina ab Ordinibus impetrare potuit.

[c] *Rec. omnes Bellefor. lib. 6. cap. 78. & Vlloa Vit. Car. V. lib. 5.*

[d] *Natal. lib. 8.*

III. POLI CARD. ACCESSUS IN ANGLIAM.

Intereà Polus Cardinalis Dillingæ diutiùs detentus, cùm eâ de re modestè questus esset ad Imperatorem quòd Pontificis Legatus, qui pacis & religionis causâ mittebatur, ejus aditu prohibitus in media Germaniâ intérque medios hæreticos detinerentur, cum Pontificis contemptu, & ipsius Legati hæreticorum subsannationibus expositi dedecore; tandem impetravit ut Bruxellas ad ipsum accedere permitteretur: ita tamen ut in Angliam non navigaret, quousque Philippus in eam appulisset, & nuptias confecisset. Cujus interstitij occasione Polus alteram legationis partem suscipiens, egit de pace inter Imperatorem & Regem Galliæ, profectus etiam eâ de causâ ad Regem: sed nimis exulceratis utrimque animis, egregia optimi viri voluntas frustrà fuit. Qui demùm à Reginâ honorificâ legatione evocatus in Angliam, & quacumque fecisset iter, in ipsáque urbe Londinensi, & ab ipsismet Regibus honorificentissimè exceptus; primùm de Ordinum decreto, loco pristino, suæque stirpi, familiæ, & hereditati, unde ab Henrico VIII. fuerat dejectus, restitutus est; deinde orationem ad conventum habuit, quâ gratiis eâ de re actis vicissim eos in cælestem patriam, ac potiorem nobilitatem & hereditatem, unde ipsi decidissent cùm ab unitate Ecclesiæ recesserunt, restituendi facultatem habere se à Romano Pontifice dixit; hortatúsque est errorem agnoscere, & ex animo detestari. Tum post aliquas consultationes, agente maximè Episcopo Vvitoniensi regni Cancellario, ac plerísque consentientibus, libellus supplex ab Ordinibus oblatus est Regibus; quo universi pœnitere se scissuræ & ab Ecclesiâ Romanâ defectionis declarantes, rogabant eos ut veniam sibi, ac restitutionem & receptionem in gremium Ecclesiæ, à Legato impetrarent. Idque iis præstantibus, demùm pridie Calendas Decembris, ipso die sacro Andreæ Apostolo, Regibus, Ordinibúsque in genua procumbentibus, Polus conceptis verbis universos veniâ ex schismate quomodocumq; egentes solemni more absolvit. Curavítque etiam post hæc, ut totus Clerus ac populus per universum regnum, in sui quique parochia, absolutionis & reconciliationis gratiam in genua provoluti humiliter postularent, ac susciperent. Ac postremò ampla & honorifica legatio ad Pontificem decreta est; commissáq; Thomæ Thyrlbæo Episcopo Eliensi, Antonio Brovvno Vicecomiti Montisacuti, & Eduardo Carno Iurisconsulto; qui Regum & Ordinum nomine obedientiam Sedi Apostolicæ & Romano Pontifici præstarent, & Carnus, qui aliàs quoque Romam orator missus ab Henrico fuerat, ibi subsisteret legatum ordinarium acturus. Hísque interim Romam celeriter perlatis, propter lætissimæ rei nuncium supplicationes publicæ decretæ fuêre, non in Urbe solùm, sed per Italiam universam, gratiis Deo agendis; ipso Summo Pontifice sacra mysteria Romæ celebrante, & Indulgentiam ad modum Iubilei per Christianum orbem in gratiarum actionem publicante.

ABSOLVIT OMNES A SCHISMATE.

IV.

In Angliâ verò deinceps in religione instaurâdâ, revocandis piis viris exulibus, pellendísque è contrà depravatæ doctrinę sectatoribus; in restaurandis Academus, cleri populíque disciplinâ restituendâ, reformandis moribus,

BONA ECCLES. RELINQUUNTUR LAICIS.

ORDINATIO ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

& antiquis institutis piisque consuetudinibus postliminio reducendis; idem Polus Legatus, hortationibus, Synodis, compulsionibus, coactionibus, diligentissimè invigilavit. De bonis tamen ac fundis Ecclesiasticis impetrare non potuit, quantumvis & Regina in comitiis anni consequentis operam suam in eo præstiterit, ut restituerent Ecclesiis ac monasteriis, quæ ab Henrico Rege distracta fuerant, & nobilibus laïcis distributa. Quinimmò ne novæ inde turbæ concitarentur, Ordinibus postulantibus, & urgentibus, adactus est, publico instrumento Pontificis nomine & auctoritate omnes de ejusmodi bonis ac possessionibus, quoad pœnas & censuras canonicas, in perpetuum securos & absolutos declarare. Primitias verò & decimas fructuum, quę Henrici & Eduardi sanctionibus ad fiscum pervenerant, Ecclesiasticis imposterùm persolvi decretum est: & cœnobia singulorum Ordinum Religiosorum reædificari cœperunt privatorum piâ liberalitate. Matrimonia in gradibus prohibitis contracta, unà cum prole inde susceptâ, legitima esse decrevit: Episcopos religione Catholicos, sed in schismate creatos, unà cum sex novis Episcopatibus ab Henrico erectis, confirmavit: Eáque omnia à Paulo IV. Pontifice stabiliri & confirmari curavit. Vt autem cuncta suprà dicta gesta sint, narrant uberiùs iidem auctores quos superiori anno de rebus Anglicis laudavimus. Extántque inter cetera Poli scripta, ejus Decreta de Reformatione Angliæ in moribus & disciplinâ, prudentissimè ac pientissimè statuta.

V. VARIA GESTA BELLICA INTER REGES.

ORDINIS MILITARIS S.STEPHANI INSTITUTIO FLORENTIÆ.

Fuit hoc anno acerrimi belli continuatio inter Carolum Imp. & Hēricum Regē Galliæ, in Belgio, Italiâ, & Subalpinâ provinciâ, vario ubiq; Marte; sed in Belgio Gallis æquiore, multis captis oppidis & arcibus munitis, & prælio Fauquembergensi Carolinis copiis, Ducis Guisij præcipuè virtute, mense Aug. in fugam versis, utróque Rege animum suis addente. Econtrà verò paucis antè diebus eodē mense Strozzius copiarum Gallicarum in Italiâ Imperator ad Senas à Carolinarum obsidione liberandas exercitum ducens, à Marchione Meleniani sive Mariniani copiarum Imperatoris & Cosmi Ducis Florentiæ ductore gravi prælio ad oppidum Marcianum multâ cæde, grandi suâ culpâ profligatus est: & Senæ arctiùs obsessæ, quibus præerat missus à Rege Blasius Monlucius. Cujus cladis nunciū cùm allatū esset eodem tēpore, quo Fauquembergensis facta fuit, mirâ rerum humanarū vicissitudine gaudium Henrici mœrore, mœrorē Caroli gaudio temperavit. Quòd autem Marciana clades 4. Nonas Augusti contigisset, qui S.Stephano Urbis Episcopo & Martyri sacer est, in ejus rei memoriam Cosmus Florentiæ Dux, præcipuus belli Senensis incentor, (cujus eò plenius gaudium ex victoriâ extitit, quòd se auctore ac velut auspice contra Mariniani ac reliquorū ducum sententiam tam feliciter pugnatum fuerit) post sexennium sub Pio IV. Pont. ad imitationem Ierosolymitani Hospitalariorū Ordinis, Collegiū Equitum sub nomine *S. Stephani* Pontificis instituit anno 1560. templúmque eis ac domicilium Pisis attribuit, destinatis amplis vectigalibus. Pro insigni gestāt Crucem rubram Hospitalariorum Cruci haud dissimilem, ac pretextâ aureâ ornatam. Vivúntq; ex præscripto regulæ S. Benedicti: à matrimonio tamen non exclusi, sed castitatem conjugalem solummodò profitentes. Quem Ordinem Pius IV. anno 1562. unà cum ejus Statutis confirmavit, ac privilegiis ornavit: ipsum Cosmum, atque alios pro tempore Florentiæ Duces, Magnos Magistros Ordinis seu Militiæ constituens. Cujus Statuta reformavit posteà anno 1590. Ferdinandus Magnus Dux Cosmi filius: ac subsequentes Pontifices novis gratiis & privilegiis Ordinem ornârunt.

VI. ALIA PER ORBEM GESTA.

e *Hadrian. lib. 11. Natal. lib. 8. Ludovic. Guicciard. lib. 2. Bos. lib. 17. Epist. Princ vol. 3. & alij.*

In Subalpinâ provinciâ res prosperiùs Gallis sub Brissaco successêre: nec adeò malè in Corsicâ insulâ sub Thermeo. Turci verò inter hæc Italiæ littora non parùm infestârunt. Et Aphrodisium Africæ amplum ac munitissimum oppidum, quadriennio antè captum, oblatum ab Imperatore Militibus Ierosolymitanis, & ab iis ob ærarij sui tenuitatem non acceptum, ejusdē Imp. jussu, ob infructuosos sumptus ad ejus conservationē necessarios, funditùs eversum est. Quæ omnia plenè tractant historici[e].

VII.

f *Gaguin. in descript. Tard. Oderbor. in Vit. Io. Basil.*

ASTRACANUM OCCUPATUR À MOSCO.

g *Supr. an. 1551. in fi.*

Ioannes Basilides[f] Moscorum Princeps, Astracanum regni ejus nominis metropolim, celebre Orientalibus mercibus emporium ad flumen Volgham, antiquis Rha dictum, quod septuaginta pluribúsve ostiis in mare Caspium exonerari, Guaguininus scribit, (alij pauciora agnoscunt) hoc anno potestati suæ subjecit, cum universo regno Tartaris adempto. Et sicut fecisse vidimus[g] cum devictis Cazanensibus, captivos baptizari jussit; qui renuerent, aut discerpsit, aut aquis obruit.

IESU CHRISTI Annus 1555.

MARCELLUS II.

PAULI IV. Ann. 1.

CAROLI V. Ann. 37.

I. EPISCOPI ET MINISTRI HÆRETICI CREMANTUR IN ANGLIA.

ANNO Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, Indictione decimâtertiâ, mense Februarij, in Angliâ nonnulli ministri & pastores hereticorum, tum ob conjurationes præteritas, tum ob impœnitentiam, & Religionis Catholicæ odium, secundùm leges civiles & Ecclesiasticas damnati, igne cremati sunt: intérque illos Episcopi Ioannes Hopperus Glocestrensis, & Robertus Ferrorus S.Davidis in Vualliâ. Quos mense Octobri secuti sunt Nicolaus Ridlæus Londinensis; & ludius ille, de quo aliàs, Hugo Latimerus olim Vvigorniensis, octogenarius. Quo tempore[a] dum conventus Ordinum celebrarentur, libelli quidam acres Londini disseminati fuerunt; in quibus erant alia quæ multitudinem acuêre in Hispanos, alia quæ mentem Reginæ poterant à Philippo viro reddere alienam. Inquisitione verò factâ, nihil deprehendi potuit. Denique ut suppliciis his Anglicis, quæ frequentissima sub Mariâ fuêre, finem unius præcipui mentione imponam, mense Februarij anni proximi, ceterorum omnium coryphæus Thomas Crammerus Archiepiscopus Cantuariēsis, qui sententiam divortij contra Reginam Catharinam iniquissimè tulerat; postquàm in carcere spe veniæ scripto hæresim abjurans, Catholicum se finxisset;

a *Sleid. lib. 26.*

CRAMMERI ARCHIEP. VIVI-COMBURIUM.

in

in illa hypocrisi deprehensus, & ab Episcopis, auctoritate Pontificis ritè damnatus, ac brachio sæculari traditus, vivus combustus est impœnitens, & in Pontificem ac doctrinam ejus detonans, anno ipsius ætatis sexagesimo octavo. Quos omnes suorum martyrum catalogo hæretici adscripsêre. Sicuti contrà *Stephanum Gardinerum* Episcopum Vvintonensem, & regni Cancellarium, de cujus pietate & doctrinâ sæpè superiùs, qui præsenti anno, duodecimo Novembris, podagricis doloribus absumptus ad cælestem vitam migravit; inter sceleratos, & piorum carnifices collocant. In locum verò Cranmeri factus est Archiepiscopus Cantuariensis, *Reginaldus Polus* Cardinalis, Legatione Apostolicâ, ut vidimus, tunc fungens in Angliâ, ordinatúsque jam ante Cranmeri obitum presbyter.

Reginaldus Polus fit Archiep. Cantuar.

II. [b] Sleid. ibid. Thuan. lib. 16.

Edictum regium de punitione hæreticorum.

In Galliâ Rex Henricus edictum [b] scribi jussit; quo, contra id quod olim sanxisset de plenâ hæresis cognitione judicibus suis attributâ, nisi cum declaratio aliqua pravi alicujus dogmatis requireretur, aut de iis pronunciandum foret qui sacris initiati essent; præfectis suis omnibus mandavit, ut quos Ecclesiastici Iudices ac fidei Inquisitores hæresis damnâssent, statim absque morâ, nec ullâ provocationis habitâ ratione, punirent. Quod cùm Carolus Lotharingiæ Cardinalis, qui ejus suasor fuerat, Senatui Parisiensi confirmandum obtulisset; intercessit Senatus, factâ mense Octobri ad Regem admonitione de ejusmodi judiciorum discrimine, si provocationis beneficium tolleretur: Itaque, æquius censeri, ut magistratus regij de hoc crimine cognoscerent, & si quod esset dubium utrum aliqua sententia hæresim saperet, eâ de re Ecclesiastici statuerent ac definirent: & sacris initiati pariter judicarentur à suis: Impetraretur à Pontifice rescriptum, quo judicibus regiis provocationis cognitio permitteretur: & quandocumque de iis qui provocâssent judicandum esset, adhiberentur ex sacro ordine delecti quidam Senatores, vel si numero idoneo non essent, alij viri spectatâ pietate & integritate: Ceterùm quòd videretur, hæreticorum suppliciis, etsi necessaria sint, id tantùm hactenùs effectum esse, ut crimen potiùs detestabile esset, quàm ut hæretici emendarentur; potius videri, ut remedium huic malo afferretur per diligentem Episcoporum ac pastorum curam, qui per se ipsos Ecclesias suas regerent, piè viverent, & verbum Dei docerent, ac per viros idoneos doceri facerent: Hâc enim ratione sperandum esse, ut hæreses paulatim evanescerent; sin autem hæc via negligeretur, verendum esse ne quæcumque edicta fierent, inutilia essent. Ita illi. Ac sanè valdè difficile est modum certum statuere, quo hæc pestis curari possit. Optimũ putatur à plerisque, tunc principiis obstare, cùm hæreses nascuntur: tunc enim, post adhibitas necessarias monitiones, si frustrà fiant, urendum, secandum, absque ullâ misericordiâ. Cùm creverint, & dilatatæ fuerint, serò medicina paratur: vix ullus ignis, ullus gladius, iis purgandis aut amputandis satis fit. Non quòd non semper fuerit in Ecclesiâ praxis, etiámque magno animarum fructu, hæreticos ejusmodi pœnis insectandi; aut nos illam improbemus: Sed profectò tenerioris animi sumus, quàm ut rivos sanguinis oculis conspicere, aut assatarum carnium nidorem naribus odorari, absque stomacho & viscerum commotione possimus. At de his alij judicent.

III. [c] Sleid. lib. 25. & 26. Rovar. Pont. lib. 5. hoc an. Goldast. to. uno Const. Imp.

Libertas religionis in Germania deliberata.

In Germaniâ celebratis Imperij comitiis [c] Augustæ Caroli Imper. nomine à Ferdinando Rege, de statu religionis, ac de bello Turcicó, post multas longásque disceptationes; quæ à mense Februarij usque ad Septembrem continuatæ fuêre, demùm conclusum est, quandoquidem Concilium Oecumenicum aut Nationale; quod ad terminandas debito more de religione controversias videretur necessarium, propter multas difficultates coïre non posset; nullúmque aliud videretur interim reperiri posse pharmacum morbo religionis eradicando idoneum, quamdiù Germania in motu & agitatione esset; pacem firmam necessariò esse constituendam, sic ut nec religionis causâ ex utraque parte vis cuiquam fieret, & cuivis Principi, aut Ordini, liceret intra ditionis suæ fines, quæ sibi maximè commoda videretur, religionem, sive Catholicam, sive Confessionis Augustanæ, (reliquæ namque sectæ fuerunt ab hoc fœdere exclusæ) amplexandam præscribere; itémque Civitatibus, ut quam vellent amplecterentur; Ita tamen ut Ecclesiastici, sive essent Episcopi, sive inferioris ordinis, qui religionem mutarent, continuò loco & dignitate moverentur, quod nihilominùs eis infamiæ non esset. Quæ priusquàm fierent, idem Rex Ferdinandus pietatis cultor eximius, jam anno superiori tum Catechismum à præstantissimo Theologo *Petro Canisio* Neomagensi ab Geldriâ, qui primus ex omnibus Germanis Societatem Iesu ingressus est, concinnandum Viennæ curaverat; quem unum omnes Austrij, ceteris deinde catechismis quos hæretici passim spargebant explosis, tuto & inoffenso pede percurrerent, (qui deinceps in multarum translatus nationum linguas, ad hanc usque diem omnium ferè gentium manibus magno commodo fructúque teritur: fuítque ille, & alius eodem tempore concinnatus à Ioanne Polanco libellus, quem Directorium Confessariorum inscripsit, primus [d] in Germaniâ ejusdem Societatis publicus partus:) tum cunctis suis subditis edicto promulgato prohibuerat, in religione ac sacris tribus quicquam mutare; speciatim verò, ut in Cœnæ Dominicæ sacramento unicâ specie contenti essent; ejúsque vi edicti ducentos circiter hæresis ministros è Boëmiâ migrare jussisset, non parùm sinistrè inde apud Protestantes audiens.

Ferdinandi Regis cura de fide Cathol.

[d] Orland. lib. 14. num. 45.

IV.

Miserat quoque ad hæc comitia Iulius Pontifex Cardinalem Moronum, cum mandato ut Germanos, Angliæ exemplo, hortaretur ad agnoscendam Romani Pontificis auctoritatem. Verùm is Augustam, vix pervenerat, cùm auditum est de morte Iulij: quo factum est, ut idem confestim unà cum Cardinale Augustano Truccesio, Romam reverti ad successoris electionem festinaverit. Mortuus est autem *Iulius* in Vaticano, decimo Calendas Aprilis, ætatis anno sexagesimo septimo, mense sexto, die decimoquarto, Pontificatûs anno quinto, die quadragesimo quarto, ex febre, quam ex mutatâ, imprudenti medico-

Iulij Pont. obitus.

rum consilio, ad arcendos intolerabiles podagræ cruciatus, vivendi ratione contraxit. Ita namque Panvinius in ejus Vitâ. Ubi tamen & aliam refert ejus mortis causam, quam à nonnullis constanter affirmatam ait: nimirùm quòd cum à fratre suo Balduino, ardenti obtinendi Camertij oppidi desiderio æstuante, de eo sibi concedendo urgeretur continuè; intellexissétque Iulius omnes ferè Cardinales suæ sententiæ adversaturos; ne cogeretur à fratre consistorium habere, languorem finxerit, útque rei fidem faceret, solitis cibis abstinere, & ægroto aptos parciúsque sumere cœperit, cùm priùs rusticis & crassioribus cibis delectaretur: atque ex eâ vitæ ratione ludibrio cómutatâ, morbum seriò contraxerit, qui eum jam senem brevî absumpserit. Sunt etiam qui dicant, eum veterano interiisse: cùm, ut idem etiam auctor narrat, externa quæque parùm curans, fruendo potiùs quàm regendo Pontificatui incumberet, totúsque esset in extruendâ elegantissimâ ad voluptuarios secessus extra portam Flaminiam Villâ Iuliâ, cujus insanire studio videbatur; in quâ conviviis potiùs quàm publicæ procurationi vacabat. Qui si vitæ, quam privatus egerat, institutum, constanter in Pontificatu servâsset; multa quæ eo tempore depravata erant, fuissent haud dubium in meliorem formam restituta. Qui nihilominùs paulò ante obitum duo severissima edicta promulgâsse reperitur [c] contra blasphemos, & Hebræos. Sepultus est autem in basilicâ S. Petri exiguâ pompâ.

[c] Bullar. to. 1. Iul. PP. III. const. 23. & 24.

V. MARCELLUS CERVINUS ELIGITUR PONT.

Ingressi conclave Nonis Aprilis Cardinales in Urbe præsentes triginta septem, quinto Idus elegerunt *Marcellum Cervinum*, de quo non semel superiùs, à Paulo III. ex electo Episcopo Neocastrensi creatum anno 1539. presbyterum Cardinalem tituli S. Crucis in Ierusalē; annum jam ætatis quinquagesimum quartum agentem; quippe natum honestis parentibus in agro Piceno oppido Montis-Fani, pridie Nonas Maij anno millesimo quingentesimo primo, patre Richardo Etrusco de Mōte politiano, Piceni provinciæ quæsturam tunc laudabiliter gerente, matre Cassandrâ Bencia pia valdè feminâ. Fuit autem ab ipsa adolescentiâ adeò moribus compositus, tantâque modestia & continentiâ, ut cùm quid non seriò, sed per jocum inter amicos paulò liberiùs fortè ageretur, aut diceretur, ad Marcelli adventum omnes illicò conticescerent. Eámque vivendi rationem semper servavit. Cujus præclaras virtutes, cum eximia doctrinâ, & insigni pietate ac morum integritate, atque animi constantiâ conjunctas, (ut paucis multa complectar:) omnes quicumque de illo egerunt multis laudibus extollunt. Cujus modum electionis, résque toto conclavi intùs gestas, speciatim per singulos dies, penè & horas atque momenta, descripsit unus aliquis qui aderat literis ad amicum datis, quæ leguntur inter Epistolas [f] Principum, cum multâ Marcelli laude. Vitam verò ejusdem diligentiùs scripsit Panvinius, qui familiaris ei extitit. Laudationem post obitum Iulius Pogianus ad sacrum Collegium recitavit.

[f] Ep. Princ. vol. 3.

VI. MARCELLI NOMEN RETINET.

Postridie electionis Episcopus consecratus (quamvis enim Ecclesias aliquas habuisset; consecratione tamen inaugurari noluerat) & sine pompâ coronatus, quòd instarent dies Paschales, proprium suum nomen MARCELLI retinuit; (ejus nuncupationis Secundi:) eo testatum omnibus facere volens, se per hanc supremam dignitatem immutatum non iri, (cùm alioqui non desit etiam sua gravis ratio mutationis nominis in ceteris, præter ordinarias quæ recensentur; nimirùm quò detur intelligi, simul cum nomine privatos affectus in publici, boni studium, & humanas cogitationes in sanctas & divinas esse commutatas.) Cui nec absimile fuit alterum illud, quòd cùm ei oblata fuissent à Cardinalibus capitula quædam in conclavi de more condita, juratáque, quæ jam Pontifex suo chirographo firmaret; respondit, se ante paucos dies in eadem ipsa jurâsse, nunc verò sibi constitutum ea re ipsâ præstare, nec verbis tantùm promittere. Cardinali Mantuano, sibi in sacris assistenti, aliquãdo dixit, se proculdubiò scire, optimum esse, pauca dicere, multa præstare: se autem eâ ratione multa polliceri, ut iis verbis fidẽ suam obligaret, quòd si aliquando mali dæmonis impulsu ab rectè cœptis desistere vellet, memor promissionis erubesceret. Cum eodem Cardinale de controversiis religionis per Concilium componendis communicans, id dicebat minus anteà successisse, quòd non prius integræ reformationi intentum fuisset: Eam decessores suos non ursisse, quòd persuasum haberēt ejus prosecutores Pontificiæ auctoritatis extenuationem solummodò spectâsse: se verò contrà existimare, nihil æquè facere ad eam auctoritatem vel conservandam, vel amplificandam, quàm si reformationi diligenter incumberetur: Eâ namque nihil solidum tolli, sed vana tantum, & sumptuosa ac gravia. Carni & sanguini adeò nihil tribuit, ut neminem propinquorum Romam venire voluerit, ac ne fratrem quidem: duos parvulos fratris filios, quos ipse in urbe educabat, à nemine salutari passus fuerit, nec quo tempore Pontifex fuit umquam viderit. Interpellatúsque an in palatium ex privatis ædibus introducendi essent; Quid, inquit, illis cum palatio? eorúmne id patrimonium est? Statim oratores Imperatoris & Regis Galliæ ad se accitos gravissimâ oratione monuit, ut de iis quæ jam ipse eorum Regibus scripserat, & ipsi eosdem certiores facerent, nî in pace ineunda consentirent, præter nuncios & legatos, se quoque ad eos profecturum esse. Cum orator Regis Hispaniarum veniam homicidij pro quodam nobilissimo Romano peteret, respondit se Pontificatum ab homicidij absolutione auspicari nolle.

EGREGIA EJUS DICTA, ET FACTA.

VII.

Cum autem sic totus esset in excogitandis modis, quibus Ecclesiam ab hæresibus & vitiis, Rempublicam à bellis & dissensionibus, Romanam Curiam à superfluis sumptibus & pompis inutilibus expurgaret; inscrutabili Dei judicio factum est; ut qui nativâ corporis compositione nō satis firmis esset viribus, atque anno superiori diu etiam febri laborâsset, jámque conclavis incommodis, & concursantium receptionibus, ac cum ceteris publicis muneribus, tum maximè solemnibus Dominicæ Passionis & Resurrectionis cæremoniis, quæ per Pontifices fieri consueverunt, fatigatus fuisset, duodecimo Pontificatus

MORITUR.

tificatûs die ex pituitâ in febrim incidens, emisso sanguine paululùm recreatus, cùm rursùm negotiis intenderent, pridie Calendas Maij derepentè apoplexia correptus, sequenti nocte vita exutus sit vigesimosecundo electionis die, incredibili omnium bonorum dolore, quibus spes affulserat emendationis, & aurei sub illo sæculi, sublatus fortè divinâ benignitate, ne malitia mutaret intellectum ejus. De cujus tam repentino obitu, est inter Literas Principum egregia epistola Hieronymi Seripandi Archiepiscopi Salernitani ad Episcopum Fesulanum; quâ dolens vehementissimè de hujusmodi Reipublicæ Christianæ afflictione, existimavit voluisse Deum, tantam proximæ reformationis spem tollendo, ostendere non eam operâ humanâ expectandam esse, sed divinâ manu, & modo hominibus incognito. Non tamen defuêre, qui [f] eum veneno sublatum suspicati sint, quod impius chirurgus occulto ulceri, quo Marcellus jampridem infestabatur, à tantæ virtutis hostibus corruptus, illevisset Cadaver autem publico funere elatum tenui pompâ, in Vaticana Ecclesiâ conditum est marmoreo monumento. Vixit annos quinquaginta quatuor, minùs quinque diebus. Fuerat ei familiaris Petrus quidam Æthiops: à quo Marianus Victorius Episcopus Reatinus linguam Æthiopicam didicit: institutionésque de eâ edidit, nunquam anteà à Latinis visas.

f Genebr. Chron. lib. 4.

VIII.

Io. Petri Carafæ electio.

Post justa ei de more persoluta, ingressi conclave Idibus Maij quadraginta quinque Cardinales qui tunc in Urbe erant; post multas contentiones, Cæsarianâ factione vehementer repugnante, & Alexandro Farnesio cum favore Gallorum prævalente, decimo Calendas Iunij die Assumptionis Dominicæ, creatus est *Ioannes Petrus Carafa* clarissimâ Neapolitanâ familiâ, patre Ioanne Antonio Matalonæ Comite, matre Victoriâ Camponescâ Aquilanâ, natus in Hirpinis vico cui nomen est S. Angeli de Scalâ prope Furcas Caudinas, anno Christi 1476. quarto Calendas Iulij: unde intelligas, explêsse eum propemodùm cùm factus est Papa annum ætatis suæ septuagesimum nonum. Qui omnium disciplinarum, ac præsertim sacrarum Literarum, linguarúmque Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, accuratæ cognitioni, maximam à primis annis vitæ integritatem conjungens, atque à Iulio II. Archiepiscopus Theatinus creatus, Ordinem Clericorum Regularium, ab ejus Ecclesiâ *Theatinorum* dictorum instituit, ut suo loco vidimus. Nam quod Sleidanus [g], & alij eum secuti, institutorem hunc Ordinis Iesuitarum fecerunt, apertè falsi sunt. Nisi fortè sicuti certum [h] est, Iesuitas, qui paulò post Theatinos instituti fuêre ab Ignatio Loïolâ, nec vestium magno discrimine distinguuntur à Theatinis, vocatos fuisse, hactenúsque vocari passim à vulgo in Italiâ & Hispaniâ Theatinos: ita contigerit alicubi, ut Theatini pro Iesuitis acciperentur, minùs tunc cognitâ utriusque Ordinis differentiâ. Factus autem Io. Petrus à Paulo Papâ III. Cardinalis, & à Iulio III. Episcopus Ostiensis ac Collegij Decanus, creatus est, ut diximus, Pontifex, invitis factionis Imperatoris Cardinalibus, eò quòd Imperator infensior crederetur, tum ob aliquas injurias olim in Hispaniâ sub Ferdinando Catholico acceptas, tùm quòd ab eodem Paulo III. Archiepiscopatu Neapolitano donatus, à ministris Imperatoris prohibitus fuisset liberam ejus possessionem adire, tanquam Gallicarum nmis partium studiosus; ac denique quòd apertè visus fuisset odisse Hispanorum nomen, ab eo tempore quo Vrbe direptâ & incensâ violâssent sacrosancti Pontificis majestatem, & Italiam servitio oppressam tenerent. Electus autem in memoriam acceptorum à Paulo III. beneficiorum, nomen Pauli IV. accepit: symbolum, seu signum, *Dominus* [i] *mihi adjutor*, coronatúsque est septimo Calendas Iunij.

g Sleid. lib. 26.

h Orland. lib. 1. 5. 15.

Pauli IV. nomen accipit.

i Psal. 177.

IX.

Prima ejus in Pontificatu gesta.

Ob summam autem morum severitatem, tanto Romanis, aulicísque omnibus terrori extitit ejus electio, ut nullo modo factam voluissent. Sed adversam hanc de se opinionem Pontificatûs initio avertere studens, pollicitus est se nihil omninò in Urbe innovaturum: profusis deinde sumptibus, & magnifico apparatu totâ Urbe aulæis ornatâ à Palatio Vaticano ad Sanctum Marcum profectus, privatim & publicè multa liberalitatis & clementiæ signa dedit. Rogatúsque à domûs suæ præfecto, quanam ratione & ipse, & fratris filij victuri essent, magnificè, respondit, ut Principes decet, quod & re egregiè deinceps præstitit. Nihilominùs tamen ingenium denuò secutus, totus ad tollendos abusus, quos superiorum temporum negligentia pepererat, incubuit; ut hâc saltem ratione Lutheranorum voces contra Romanam curiam obloquentium retunderet: multa summæ severitatis edicta, quæ ad dissolutos civitatis mores corrigendos pertinebant, proposuit. Iudæorum [k] quoque usuris modum imposuit: & abrogatis superiorum Pontificum privilegiis, tributis oneravit, & crocei coloris pileum quo internosci possent, ferre coëgit, ac stabilia bona possidere prohibuit: Datariæ & Pœnitentiariæ ac Rotæ officia reformavit, & abusus compositionum sustulit: Sacerdotum mores tam in vestitu quàm victu emendavit: Lenones & facinorosos homines Urbe exactos gravissimis pœnis coërcuit: In eos [l] qui Sanctiss. Trinitatem, Iesu Christi divinitatem ejus ex S. Spiritu Conceptionem, pro humani generis salute mortem, Beatissimæque Deiparæ perpetuam virginitatem inficiarentur, severissimum promulgavit edictum. Eum Senatûs Cardinalium principem, quem decanum vocant, esse voluit, qui decedente vetere decano, principem locum inter agentes Romæ Episcopos Cardinales obtineret, aut ex causâ publicâ extra Curiam per Pontificem destinatus esset. Tot verò beneficiis Populum Romanum affecit, multis collatis novis privilegiis, & veteribus auctis, ut is ad testificandum grati animi studium, solemni decreto statuam ei in Capitolio marmoream erexerit; & centum ampliùs cives è nobilitate legerit, qui sine stipendio Pontificis per vices perpetui corporis custodes essent: quos Pontifex Fidei equites creavit, uti hæc cuncta pluribus prosequitur Panvinius in ejus vita.

k Bullar. to. 1. Paul. IV. const. 3. prid. Id. Iul.

l Ibid. const. 4.

X.

Quid cum Anglis et Ger-

Magnæ sibi gloriæ duxit, quòd ipso Pontificatus initio tres illi ex Anglia missi ad Iulium tunc adhuc superstitem legati, Romam

MANIS EGERIT.

primùm intrârint: qui primo à coronatione ejus consistorio introducti in concessum, & veniam præteritorum prostrati in terram postulârunt, & obedientiam suorum Principum nomine ei præstiterunt. Ipse verò ut iisdem Principibus dignationem adjiceret, diplomate 7. Id. Iun. confecto, Hiberniam regio titulo auctoritate Apostolicâ ornavit: quod Henricus VIII. post schisma conflatum proprio motu, ut aliàs vidimus, præsumpserat. Egit item cum legatis, de bonis Ecclesiæ restituendis: sed eo exitu, quem anno superiori per præoccupationem retulimus. Cùm verò de Augustano, quod diximus, decreto inaudîsset, de illo apud Cardinalem Augustanum & oratorem Imperatoris graviter questus [m], Ferdinandum Regem increpuit, quòd Sede Apostolica inconsultâ tractationem de religione instituisset: hortatúsque est ad ea quæ decreta fuissent revocanda. Quæ cùm impulsore eodem Cardinale Augustano à Pontifice agi per Germaniam rumor increbuisset, quasi tractaret occulta cum Pontifice & Germaniæ perniciosa consilia; is ubi in patriam anno sequenti rediit, longo edito scripto sese ab ejusmodi accusationibus purgavit: contestans quidem se Catholicæ religioni deditum esse, cupereque ut omnes eam amplecterentur, pacem tamen cum omnibus colere statuisse: & cùm origine Germanus esset, atque illustri natus familia, nihil se commissurum majorum virtute & splendore indignum.

m Sleid. lib. 26.

XI. SENARUM OBSIDIO, ET DEDITIO.

Quod ad res bellicas hujus anni attinet; rebus prosperè Gallis in Subalpinâ provinciâ, variè alibi succedentibus, in Etruriâ malè cesserunt, Senarum civitate post longam obsidionem, (quam Blasius Monlucius præfectus regius usque ad ultimam famem fortissimè sustinuit; ultimóque perhonorificè cum Gallis præsidiariis dimissus est, ac totam obsidionis historiam egregiè ipsemet in suis [n] commentariis descripsit) Marchioni Mariniano Imperatoriarum copiarum duci deditâ: quæ primò Philippo filio ab Imperatore, deinde à Philippo, Cosmo Duci Florentiæ, solutâ pecuniâ & nonnullis retentis munitionibus maritimis, concessa fuit: in cujus & successorum potestate ac subjectione ab eo tempore hactenùs perseveravit. Factum verò colloquium inter Caletum & Ardram, de Pace inter Imperatorem & Regem Galliæ faciendâ, interventu Reginæ Angliæ & Poli Cardinalis, (cui interfuit Belcarius [o] à nobis sæpè citatus, unà cum Cardinale Lotharingio) cùm ob immodica utriusque partis postulata effectu caruisset; inter Paulum Pontificem & Henricum Regem, clanculùm Cardinalis Lotharingij operâ, fœdus percussum est ad occupationem regni Neapolitani; quod in exitiosum & infaustum bellum erupit. Erat enim Pontifex alieno prorsùs ab Imperatore animo, tum ob privatas ipsius, ac communes familiæ Carafæ, malè sæpè ab impotenti Hispanorum dominatu habitæ, injurias; tum verò ob quasdam triremes in portu Centumcellarum captas; & maximè ob insidias in ipsum jam Pontificem, ejúsque vitam & auctoritatem ab Imperatoris fautoribus constructas; (sive illæ omninò veræ fuerint, sive nonnihil in speciem confictæ) quarum occasione multi repentè, interque eos nonnulli Cardinales, in carcerem conjecti sunt, & copiæ militares colligi cœptæ; multáque Columnensium conjurationis consciorum, ac propterea hostium Ecclesiæ ac perduellium declaratorum, oppida capta: instigantibus potissimum ipsius Pontificis nepotibus, Carolo Carafâ ex milite Hospitalario facto Cardinale, qui militiæ perpetuò operam dederat; Ioanne Montorij Comite, quem armorum Statûs Ecclesiastici imperatorem constituit; atque Antonio Montisbelli Marchione. Narrat hæc præter ceteros [p] Belcarius [q]; qui mense Novembri à Paulo Pontifice Metensem Episcopum per cessionem Cardinalis Lotharingij, factum se esse scribit: & cum illi gratias ageret, ab eo sui officij facundâ & satis prolixâ oratione admonitum, miratum esse hominis senis & multis negotiis occupati eloquentiam. De bello verò Pontificis contra Hispanos dicetur anno sequenti.

n Monluc. lib. 3.

o Belcar. lib. 26. in fin.

FOEDUS PONTIFICIS CUM REGE FRANC. ADVERSUS CÆSAREM.

p Panvin. in Vit. Paul. IV. Natal. lib. 9. Hadrian. lib. 13. Thuan. lib. 16. &c.
q Belcar. lib. 26. § 6.

BELCARIJ EPISCOPATUS.

XII. IOANNÆ MATRIS CAROLI CÆSARIS OBITUS.

Intereà verò Carolus Imp. mortuâ hoc anno *Ioannâ* matre suâ Reginâ Hispaniæ, (quæ post mortem viri sui Philippi mente mota, ut suo loco vidimus; ab eo tempore turre inclusa, cúmque felibus colluctans, ad extremam senectutem septuaginta trium annorum pervenit; servatis semper regnorum Hispaniæ titulis, qui conjunctim cum filio Carolo sive id ipsius Caroli voluntate, sive ex Ordinum decreto, quamdiù vixit, in omnibus actibus publicis, ei tributi fuêre:) seu inde de præmeditato secessu monitus, seu adversam fortunam pertæsus, quâ res suas quotidie secum unà senescere dolebat; urgentéque ingravescentis valetudinis incommodo; seriò rem exequi deliberavit. Has enim causas suæ abdicationis ipsummet professum esse,) nempè quòd amissam nominis existimationem, ac valetudinem bonam, & studia hominum, non facilè recuperatus esset) Vvillelmus [r] Godelevæus scribit, qui ceteris accuratiùs historiam Carolinæ abdicationis contexuit: ex quo plerique alij sua desumpsisse noscuntur. Caroli verò consilium cùm multi dissuaderent, econtrà illud vel maximè comprobabant sorores ejus Maria Pannoniæ & Eleonora Galliæ olim Reginæ. Quare cùm Philippus ejus unicus filius legitimus, ex Angliâ Septembri mense ad ipsum delatus fuisset Bruxellas; octavo Calendas Novembris plenis provinciarum Belgicarum comitiis, primùm omnium Sodalitij sive Ordinis Velleris aurei principem illum ritu solemni creavit: (qui Ordo ab ejus institutore Philippo Bono Burgundiæ Duce, ut suo loco vidimus, unius & triginta sodalium constitutus, ab eodem Carolo V. ad unius & quinquaginta numerum auctus est:) deinde repetens quantos labores ab anno ætatis suæ decimoseptimo, pro optimâ regnorum suorum & Belgicarum provinciarum administratione sumpsisset, declaravit, præcipitante jam senio, & laboribus ac morbis fracto corpore, cùm non ampliùs sibi videretur tanto oneri sustinendo, statuisse quamprimùm in Hispaniam navigare, ubi mitius cœlum esset, & senectuti suæ magis idoneum, & quod vitæ supererat, ibi tranquillè & pacatè, in alterius

r Ext. ap. Schard. oper. Hist. to. 2.

CAROLUS REGNA SUA TRANSFERT IN FILIUM.

vitæ meditatione, & præparatione ad mortem transigere; atque in filium suum, jam ætate & experientiâ ad res gerendas idoneum, tam Belgicarum regionum quàm universarum aliarum ditionum jus, dominium, ac possessionem transferre: cui idcirco iidem Ordines congregati sacramento se obstringere deberent. Filium post hæc hortatus, ante omnia cultum & timorem Dei numquam abjicere, præcipuam religionis conservandæ rationem habere, legum ac juris auctoritatem tueri, quæ benè ac feliciter regnandi artes essent; manu capiti ejus in genua procumbentis impositâ, & cum invocatione sanctissimæ Trinitatis signo Crucis super eum expresso, Belgij Principem pronunciavit, decreto quod eâ de re confecerat publicè lecto. Ceterisque ad hæc pertinentibus tunc ritè absolutis, mense pòst interjecto ibidem Bruxellæ idem Carolus Imp. coram vicariis, rectoribúsque provinciarum ac regnorum suorum, quos ob id evocaverat; eorum omnium tam quæ in Europâ, quàm quæ in Americâ & Novo orbe essent, dominatu pariter filio cessit servatâ tãtùm, ubi ad locum destinatum pervenisset, centum aureorum millium pensione: quâ se ac familiam alere posset. Imperium supererat: De quo legatos ad fratrem Oeniponte agentem misit, per quos eum de instituto suo certiorem factum, Imperij curam agere cohortatus est: cui etiam eo cessit anno sequenti, ut videbitur. Quamvis enim constituta fuisset profectio ejus in Hispaniam eodem mense Novembris; ea tamen, sive ob hiemis asperitatem, sive quòd prudens pater nondum compositis inter filium & Gallos tunc bello superiores rebus, tam citò filium adhuc publicæ administrationis rudem deserere nollet, in annum sequentem dilata est.

XIII. f Orland. lib. 15. § 84. Pius Ioannæ obitus.

Quod autem obiter diximus de morte matris ejus, refert commemorare in honorem ejus, & consolationem ceterorum, quòd in f Historiâ Societatis Iesu legimus; ad eam graviter, laborantem jussum accurrere Franciscum Borgiam olim Ducem; tunc Societatis presbyterum, quamquam morituræ succurrere impediretur continuâ ejus dementia quæ nulla dabat integri luminis intervalla; Deo tamen fretum, hortari feminam non desiisse ut posceret Ecclesiæ Sacramenta: adeóque factum esse, ut præter spem omnium ad ejus suasiones converterit animum, & Borgiam jusserit inchoare symbolum Apostolorum; idque cùm is inchoâsset, ipsam quoque verba quædam à Nicæno symbolo addidisse, & ad finem pronunciâsse, Amen. Deinde Crucifixi signo, & Virginis imagini pia oscula fixisse: Hisque signis recuperatæ mentis motos Theologos, censuisse ritè eam Extremâ Unctione inungendam: ne verò etiam sacrâ Eucharistiâ muniretur, vetuisse nauseantis stomachi frequentem vomitum. Sicque piè decessisse sextâ feriâ in Parasceve; nempè die duodecimâ Aprilis.

XIV. Societas Iesu exagitatur. t Ibid. § 65. & seqq.

Quandoquidem verò hâc occasione mentio incidit Societatis Iesu, minimè tacendum videtur; cùm dilataretur ea vehementer per universum orbem veterem & novum magno animarum fructu, fuisse t hoc ipso anno gravissimè exagitatam in eâdem Hispaniâ apud Cæsaraugustam Aragoniæ, adeò ut publicè diro anathemate excommunicati auctoritate Archiepiscopi Sodales urbem deseruerint; paulò tamen pòst cum honore revocati. Et Parisiis u severissimo decreto Scholam Sorbonicam, ob plurima Societati per vulgi errorem alienâ invidiâ impacta crimina, declarâsse eam videri (ut sunt verba decreti) in negotio fidei periculosam, pacis Ecclesiæ perturbativam, monasticæ religionis eversivam, & magis in destructionem quàm in ædificationem. Sed factâ à Martino Olavio Hispano uno ex Sodalibus, eodemque Doctore Sorbonico, criminationum purgatione, decretum illud cùm strepitum initio latè ingentem fecisset, postquàm est intellectum causam Societatis non benè fuisse cognitam, sensim elanguisse, ac prorsùs evanuisse: renovatâ nihilominùs non semel deinceps variis occasionibus in Societatem tempestate, eadémque semper denuò tranquillata. Hujusmodi scilicèt successibus firmari debebat ingens hæc arbor, quæ tot salutiferos ubérésque fructus productura erat per universum terrarum orbem.

u Ibid. § 33. & seqq.

XV. Socij mittuntur in Æthiopiam.

Quorum ut etiam párticeps Æthiopia fieret, decreverat jam antè Iulius Pontifex petitione Ioannis maximè pij Lusitaniæ Regis; verùm res dilata in præsentem annum fuit. Cùm enim post obitum Davidis Æthiopum sive Abassinorum Imperatoris, de quo aliàs actum, filius ac successor ejus Claudius apud Regem institisset, ut quòd consuevisset Abassia Patriarcham suum, ritusque sacros atque doctrinam ab Alexandrino accipere; ipséque Alexandrinus ab Ecclesia Romana divisus nequiret nisi adulterinam dare; denique ab obitu Davidis tota gens in errores Dioscori & Eutycheris relapsa esset; curaret à Pontifice Romano mitti aliquem legitimum rectéque sentientem Patriarcham, cum aliquot Theologis spectata morum innocentia & sanitate doctrinæ: re ab Ioanne Rege per legatos suos cum Iulio primùm, deinde cum Paulo Pontifice agitata; demum sumpti ex Societate Iesu fuêre *Ioannes Nonnius Barretus* Lusitanus, qui Patriarcha, & *Melchior Carnerius* item Lusitanus; atque *Andreas Oviedus* Castellanus, qui Episcopi, ille Nicænus, hic Hieropolitanus, eidémque Barreto coadjutores, & siquid gravius accidisset, successores constituerentur & consecrarentur. Quod & factum hoc ipso anno fuit. Híque fuêre primi honores in Societatem invecti; sed ejusmodi, ut in iis plus inesset curarum atque laborum, quàm splendoris ac pompæ. Qua occasione Ignatius ipse totius Societatis rector, egregiam epistolam ad Claudium Regem sive Imperatorem septimo Calendas Martij scripsit de auctoritate Ecclesiæ Romanæ atque Pontificis, & commendatione Patriarchæ & Episcoporum prædictorum, aliorumque ejusdem Societatis sacerdotum, qui unà cum eis mittebantur: quam integram recitant Maffeius x & Orlandinus in suis Historiis Rerum Indicarum & Societatis. Ceterum nonnisi anno sequenti Nonnius Patriarcha in Indiam navigavit. Unde præmissis qui Claudij Regis animum explorarent, eum eum longè

Primi è Societate Episcopi.

x Maff. lib. 16. Orland. lib. 15.

ÆTHIOPIÆ DEPRAVATIO.

alium quàm initio se ostendisset, reperissent, ac planè alienum ab obedientiâ Romano Pontifici præstandâ, & doctrinâ Catholicâ amplectendâ; haud congruens visum ut Patriarcha eò se conferret. Ne tamen videretur omninò deseri ea provincia, quæ tanto Summi Pontificis & Regis Ioannis studio fuerat suscepta, missus est Oviedus cum aliquot religiosis Societatis: qui cùm diù multúmque, sed tamen frustrà, laboràsset in Claudio Rege ad rectam viam reducendo; eo in quodam prælio à Mahometanis hostibus occiso anno 1559. gravissima sub ejus fratre & in Imperio successore Adamâ, Catholicæ fidei sævo hoste, passus est usque ad annum 1562. quo, defuncto Goæ Barreto, ipse in Patriarchæ titulum succedens, post mortem Adamæ, quæ contigit anno insequente; scisso Imperio in diversas factiones, & à plurium generum hostibus ad extrema ferè redacto, nihilominùs in immensis laboribus & ærumnis Abassinis constantissimè magnóque animo perseverans, neque admodùm multùm; neque omninò nihil perfecit: donec anno demùm 1577. summis calculi cruciatus doloribus vitam finivit, vivus & mortuus miraculis clarissimus. Cujus res restas, statúmque sub eo miserum Abassiæ, ceteris accuratiùs descripsit proprio de Abassinorum rebus, déque Æthiopiæ Patriarchis Barreto & Oviedo, commentario Nicolaus Godignus ejusdem Societatis sacerdos; haud adeò in omnibus concors cum ceteris qui de rebus Abassinorum scripserunt, in rebus namque longinquarum regionum facillinum est decipere, & decipi; cùm plerique tantâ confidentiâ eas narrent, ut atrocem injuriam sibi fieri autument, nisi indubitata fides eis præstetur. Neque es qui his medearis, nisi aut delectum personarum scribentium facias, aut ipse ad videndum propriis oculis properes.

OVIEDI PATRIARCHÆ RES GESTÆ.

XVI.

y Belcar. lib. 28. Thuan. lib. 16. Hist. Amor. Th. de Bry par. 3. Lescarb. Hist. Nov. Franc. lib. 2.

VILLAGAGNONIS NAVIGATIO IN AMERICAM.

Hoc eodem anno y *Nicolaus Durandus* cognomento, *Villagagno* Gallus ex Pruvino Briæ Miles Hospitalarius, vir strenuus, & magnis negotiis atque expeditionibus exercitatus, & quod rarum est in ejusmodi conditionis hominibus, non vulgaribus literis eruditus; sive gloriæ studio, seu divitiarum coacervandarum spe, aut veriùs plantandæ in Americâ hæresis desiderio, quam videbat in Galliâ vehementissimè exagitari, (factus enim erat Calvinianus) re cum Gaspare Colignio Castilione Franciæ Admiralio ejusdem sectæ tunc adhuc occulto asseclo, communicatâ; sive etiam, ut nonnulli volunt, ejus hortatione, navigationem in Americam suscepit; impetratâ à Rege, ejusdem Admiralij interventu, facultate classem regiis auspiciis & sumptibus armandi, obtentu nominis Francici propagandi, simul hostium vires distrahendi, qui magnas ex securâ illarum regionum possessione opes in belli usus corraderent. Cum tribus igitur navibus, multis viris nobilibus ejusdem secum religionis & persuasionis comitatus, (mixtis tamen non paucis Catholicis) è Portu-Gratiæ, Normanniæ oppido à Francisco I. Rege constructo, solvens, post multas inter navigandum maris tempestatúmque difficulates, mense Novembri in eam Americæ partem quæ Brasilia nuncupatur, marísque sinum qui ab indigenis Ganabara dicitur; sub ipso Capricorni tropico, pervenit: ibíque excensione factâ, in quâdam parva insula munitionem extruxit Colignij nomine, contra barbarorum vim; ac præcipuè Lusitanorum, qui primi eas regiones, ut aliàs vidimus, occupaverant, urbésque in iis construxerant, populos ab idololatria, anthropophagia, fœda nuditate, ignorantia divinitatis, aliísque perversis opinionibus, & incultissimis ac turpissimis moribus, tum aliorum piorum virorum, tum præcipuè Societatis IESU sacerdotum opera & diligentia, ad veri Dei cognitionem, & mitiorem humanitatis cultum reducere pergentes. Statim autem Villagagno naves mercibus ejus regionis onustas in Galliam remittens, Colignii úmque de natura locorum & moribus populorum instruens, spe facta de felici ejus possessione, ac futura sui seminis satione, rogavit ut ministros & operarios ad se mitti curaret. Re ad Calvinum supremum ipsorum Calipham delata, missi sunt duo perfidiæ ipsius ministri *Petrus Richerius*, ex religioso Carmelita factus impostor Calvinista, atque etiam hæresiarcha, & *Guillelmus Carterius*: quibus se comites addidère complures viri feminæque. Et in iis *Ioannes Lerius* Heduus qui hujus itineris historiam confecit, edidítque: simpliciori ille quidem narratione, sed tamen, ut vulgò putatur, quo ad regionis naturam, & mores Tououpinambautiorum, Margajarum, aliarúmque ejus tractûs gentium, quas Villagagno lustravit, fideliori, quàm *Andreas Thevetus* Engolismensis: qui primò Franciscanus, deinde religiosis aliísque peregrinationibus celebris factus, sibi imponi passus existimatur: idémque cum Villagagnone in Brasiliam delatus, atque ibi tribus mensibus commoratus, eam item regionem peculiari libro, cui *Franciæ Antarcticæ* titulum fecit, (quo etiam ea regio appellata est deinceps) descripsit.

MITTUNTUR EÒ MINISTRI HÆRETICI.

XVII.

DIVISIO INTER EOS DE COENA.

Illi igitur novi coloni tribus navibus optimè instructis sub finem anni proximi è Normannia solventes, Martio insequente ad Villagagnonem pervenerunt. Constituta ibi forma religionis Genevensis, eóque ritu cœna celebrata; mox super ea orto inter filios divisionis dissidio, remissus est ad Calipham Calvinum Carterius, qui ejus sententiam exquireret. Intereáque Villagagno, aucto dissidio, ceteros ministros tumultuantes cum aliis seditiosis partim dimisit, partim variis suppliciis affecit. Qui anno subsequente nempè 1558. in Galliam reversi, cùm certiorem Colignium fecissent, Villagagnonem abjecta opinione Calviniana, fidei Catholicæ se addixisse; ísque propterea nullum ampliùs auxilium ei mittere decrevisset: Villagagno cum paucis derelictus, Lusitanis & barbaris contra ipsum conspirantibus haud resistendo existens, nullo alio operæpretio, in Galliam rediit. Ubi constans in religione Catholica persistens, nonnullis etiam egregiis scriptis eam adversus Calvinianam hæresin, & privatas Richerij blasphemias, feliciùs propugnavit, quàm potentiam Francorum in Brasilia propagavit. In quem acerrimè debacchatus est Bezu in suis Iconibus; & Polyphemum

VILLAGAGNO FIT CATHOLICUS.

illum Cyclopem, tum vasti corporis mole, tum ingenij feritate planè retulisse ait: qui si Ecclesiam Calvinianam ibi plantasset, & sanguine Catholicorum qui cum eo erant rigâsset, eum uti Orbis restauratorem & alterum Deucalionem supra Olympum extulisset.

XVIII. [z] Resc. de sect. Evangelic. Gault. sæc. 16. c. 63. RICHERIUS HÆRESIARCHA.

Dicitur [z] autem prædictus *Richerius*, præter reliquos omnes Sacramentariorum errores, docuisse, Christum in carne non esse adorandum, neque invocandum, & ab usu Cœnæ, atque à communione Corporis Christi proptereà dehortatum esse, quòd spes assequendæ vitæ æternæ non ad corpus, sed ad animam pertineat; non carni sit, sed animæ promissa: ita ut ex usu Eucharistiæ non possit ulla in animâ utilitas expectari: Cujus etiam sectatores nonnunquam visi sint negare cum Marcione Carnis resurrectionem. Ut non sit mirum; si Villagagno perpensis ipsorum impietatibus atque dissidiis, iis relictis ad Catholicos, quos cernebat in omnibus fidei dogmatibus consimiles ac consentientes, redierit. In quo & mirabilem consideres divinæ super eum providentiæ dispositionem; ut qui desertâ in Galliâ fide Catholicâ, Americam petierat ad plantandam hæresim Calvinianam, fidem orthodoxam ibi invenerit, quam in Galliâ ubi eam amiserat contra Calvinianos propugnaret. Non tanta est vis hæresis, ut inter Ethnicos fidem CHRISTI seminare valeant. Dos hæc est solius Ecclesiæ Catholicæ. Permissum est hæreticis fideles pervertere, quia ut Paulus [a] ait, oportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant: non datum Infideles convertere; quia de Sion [b] dumtaxat exit lex, & verbum Domini de Ierusalem.

a 1. Cor. 11. b Isa. 2. Mich. 4.

XIX. IO. MASSO PRIMUS MINISTER PARIS. c Bezin. Icon.

Fuit & alius in Galliâ, qui hoc eodem anno cathedram sibi pestilentiæ Parisiis erexit: *Ioannes* videlicèt *Masso*, Andegavensis: quem Beza [c] refert primum pastorem Ecclesiæ Calvinianæ Parisiensis mense Septembris institutum esse anno ætatis trigesimo secundo: eidémque peculiariter Andegavenses atque Trecenses constabilitam apud se eamdem doctrinam debere. Vehementer autem dolet, eum septimo post anno in hortulo suo, dum aliquod fortè præclari sui muneris dignum facinus obambulans meditaretur, improvisò occisum esse.

XX. IUDOCI VELSIJ DELIRIA.

Iudocus quoque *Velsius* Batavus, (ut Roværus Pontanus scribit) vir quidem doctus, at non ita candidus; cùm provinciâ interpretandi sacra Coloniæ Agrippinæ susceptâ, in errorem hæresos prolapsus, Ecclesiam invisibilem fingeret, aliáque insuper absurda, & à pietate Christianâ aliena doceret; in carcerem conjectus, ibi nescio quas apocalypses, visiones, & enthusiasmos meditatus, de familiari sibi genio gloriari cœpit: quem proptereà Magistratus in exilium expulit. Qui cum Francofordiam se recepisset, narrant Surius [d] & Rescius, (*Iustum* nomine illum vocantes) aliquando Calvinum ibi cum illo publicè disputâsse de Libero Arbitrio: cumque voluisset etiam cum ministris ejus urbis de causâ Sacramentariâ conferre, tanquam Zuinglianum rejectum esse. Quod & Lavaterus Zuinglianus in Historiâ Controversiæ Sacramentariæ testatur.

d Sur. in comment. Resc. in conventic. Evangel.

XXI. IOASAPHUS PATRIAR. CONSTANTINOP.

Hoc anno ponit Onuphrius in Chronico sedem Ioasaphi Patriarchæ Constantinopolitani Græci. Nec ut adversemur quid habemus, sicuti in præcedentibus plerisque fecimus: series enim Græca Malaxij, quâ uti consuevimus, annos ejus decessoris Dionysij non exprimit. Hoc igitur Dionysio mortuo, (quod ex ejus ingressu [e] dicendum est contigisse anno ipsius sedis nono, vel decimo (in ejus locum suffectus est *Ioasaphus* metropolita Hadrianopolis: qui arte & donis effecit, ut Pescesium, hoc est honorarium, quod in ingressu cujusq; Patriarchæ pendi consuevit, fueràtque ad tria millia ducatorum auctum, ad bis mille reduceretur. Templum quoque Constantinopolitanum multis vasis aureis & argenteis ornavit; & palatium variis ædificiis auxit, & muro cinxit in modum castri. Quòd autem esset animo admodùm elato, & gloriæ supra modum cupido, magnas simultates cum Clero & nobilitate exercuit: quousque ob simoniam, tam in adeptione Patriarachtûs, quàm posteà variis modis commissam, & alia scelera depositus est anno 1565. ut tunc dicetur. Inter Latinos autem hunc umbratilem Patriarchatum, post Fabium [f] Columnam denuò resumpsisse anno superiori *Raynucium Farsium* Cardinalem, & annos duodecim vsque ad obitum tenuisse, Onuphrius scribit. Quod tamen, quo ad tempus, non videtur posse subsistere: si quidem *Scipio Rebiba* Siculus Episcopus Motulensis, hoc ipso anno creatus Paulo Pontifice Cardinalis, reperitur [g] ultimo Pauli IV. anno, qui fuit 1559. factus Patriarcha Constantinopolitanus; eique successisse *Prosper Ribeba* ipsius nepos, Episcopus Troianus, cùm tamen Scipionem Onuphrius non nisi anno 1565. Patriarchatum adeptum esse ponat.

e Supr. an. 1545. in fi.

f Sup. d. an. 1545. XXI. PATRIARCHÆ LATINI.

g Ap. Cabrer. de Pontif. & Addit. ad Ciacon.

XXII. HENRICI REGIS NAVARI OBITUS.

Mortuus quoque est hoc anno Pali in Bearniâ *Henricus* Labretanus Rex Navarræ, maximâ ejus parte Hispanorum injuriâ privatus. Qui cùm aliquando titubâsset in fide, decessit tamen in communione Ecclesiæ Catholicæ, sed filiam unicam heredem reliquit *Ioannam*, nuptam, ut vidimus [h], *Antonio* Borbonio: quæ hæresim medullitùs amplexa, præcipuè facta est ejus in Galliâ protectrix & propagatrix, ut deinceps videbitur.

h Supr. an. 1548. XX.

XXIII. DOCTORUM VIRORUM OBITUS.

Ex viris literis ac doctrinâ illustribus mortui sunt hoc item anno, *Isidorus Clarius* patriâ Brixianus, professione Benedictinus, qui Fulginij Ecclesiæ per septennium præfuit; vir tribus linguis doctissimus, vitáque integerrimus, sanctitatis opinione mortuus quinto Calendas Iunij ætatis annò sexagesimo, ex violentissimâ febre. *Thomas à Villa novâ* Archiepiscopus Valentinus in Hispaniâ, religione Augustinianus, vir egregiè doctus juxtà piúsque, ac divini verbi concionator ardentissimus, & pauperum sustentator munificentissimus: qui decessit octavo Septembris; post obitum ob miraculorum præstantiam relatus inter Sanctos. *Georgius Agricola* Misnensis, ætatis anno sexagesimo primo, Chemnitij Hermundurorum undecimo Calendas Decembris, excellens medicus & philosophus, qui de re metallicâ, fossilibus, & subterraneis animantibus ita accuratè scripsit, ut

omnes

omnes antiquos in eo genere longè superaverit. *Gemma Frisius* pariter Medicinæ Lovanij professor, sed mathematicarum scientiarum ratà peritià longè illustrior; mortuus ibidem Lovanij octavo Calendas Iunij, ætatis anno quadragesimo septimo, ex calculo. *Orantius Fineus* Delphinas, patre medico, egregius mathematicus, Lutetiæ pridie Nonas Octobris sexagenario major. *Petrus Gillius* Albiensis, qui ad exactam utriusque linguæ, antiquitatis, veterum scriptorum, bonarum disciplinarum, ac præcipuè rei naturalis cognitionem, indefatigabile longinquas regiones lustrandi studium attulit: quo incitatus per quadraginta ampliùs annos institutâ per Græciam, Asiam, & majorem Africæ partem diligenti peregrinatione, partim ut Græcos libros, sic jussus à Francisco I. Rege, undique colligeret, partim ut multorum locorum positum describeret; tandem anno ætatis sexagesimo quinto mortuus est Romæ apud literarum patronum Georgium Cardinalem Armeniacum, qui negotia Henrici Regis ibi procurabat; & ad S. Marcelli funeratus. Ex castris hæreticorum periit etiam hoc anno (ut quidem Beza ponit; cùm tamen alij sequenti malint; quidam omninò malè 1558.) *Conradus Pellicanus* Rubeaquensis in Alsatiâ: qui unus fuit ex primis qui linguam Hebraicam in lucem revocârunt; & ex Franciscano factus apostata, Tiguri eam publicè docuit, & in universam Scripturam ex Rabbinorum commẽtariis scholia edidit. Mortuus est autem Tiguri feriis Paschatis anno ætatis septuagesimo octavo. In cujus locum successit vocatus ex Argentinâ *Petrus Martyr*. Ponunt etiam hoc anno nonnulli [i] obitum *Vuolfangi Lazij*, rerum Romanarum & Germanicarum scriptoris celebris; qui ex medico à Ferdinando Rege non solùm in consilium, sed etiam in ordinem equestrem allectus fuit: dicitúrque obiisse Viennæ Austriæ anno ætatis quinquagesimo. Sed si is fuit scriptor (ut fert titulus) brevis cujusdam narrationis [k] rerum contra Turcos in Pannoniâ ad Baboczam & Sigethum anno subsequenti gestarum, quomodò præsenti potest mortuus dici?

i Bulchlocer. in Indic. Tuban. lib. 16.

k Ap. Schar. Oper. Hist. tom. 2. pag. 1810. & in Collect. rer. Turc. Rensneri.

IESV CHRISTI Annus 1556.

PAULI IV. Ann. 2.

CAROLI V. Ann. 38.

I. PAULUS PP. REFORMATIONI INTENDIT.

ANNO Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, Indictione decima quartâ, dum Paulus Pontifex in eo esset ut emendationem Ecclesiæ seriò procuraret, (constitutâ ad hoc Congregatione nonnullorum Cardinalium, Episcoporum, & aliorum hominum ob eruditionem maximè conspicuorum, facto à materiâ Simoniæ initio, ac propositionibus & difficultatibus typis mandatis, ut etiam ad Academias pervenirent: quæ tamen omnia variis objectis impedimentis indecisa remanserunt:) cùm tentata anno superiori hortationibus Mariæ Reginæ Angliæ, & Poli Cardinalis interuentu, in delegatorum utrimque conventu ad hoc prope Caletum facto, concordia inter Carolum Imp. Henricum Galliæ Regem & Philippum Hispaniæ, speratum successum sortiri non potuisset, jam apud Vacculam juxta Cameracum, iisdem Mariâ Reginâ suadente, & Polo interveniente, inter eosdem Principes Nonis Februarij induciæ quinquennales terrâ marique per omnes ipsorum ditiones pactæ fuêre, & jurejurando utrimque firmatæ. Quas licèt ægrè ferret Paulus Pontifex à Rege factas esse se inscio, qui priùs fœdus cum eo icerat, nihilominùs rem dissimulans, etiam Legatos Cardinales, Scipionem Rebibam Siculum, Pisanum ab Archiepiscopatu dictum, ad Imperatorem & Philippum, Carolum Carafam nepotem ad Regem destinavit, qui de induciis gratularentur, & ad pacem sanciendam hortarentur, quo posset Concilium reassumi, & concordia Ecclesiæ ac religioni restitui, Regi verò præterea Gladium & Pileum nocte Natalis Domini de more benedictos transmittens, eum de bello sollicitavit.

INDUCIÆ INTER CÆSAREM ET REGEM.

II. RENOVATUR BELLUM SUASIONE PONTIF.

Continuatis autem dissidiis, Columniorum causâ anno superiori cœptis, cùm & Pontifex nonnullos Cardinales alióſque proceres sibi suspectos, ipsúmque etiam Philippi Regis oratorem, quòd cum aliis in se conspirâsset, in carcerem conjecisset; & Dux Albanus ab Imperatore & Philippo jam anteà ad opem Columniis adversus Pontificem ac pro defensione regni Neapolitani ferendam missus, bellum Pontifici imparato denunciâsset: Rex post multas consultationes, pluribus cum Connestabili rem dissuadentibus, suasionibus Cardinalis Lotharingij & fratris ejus Ducis Guisij potiùs inhærens, arma in auxilium Pontificis capere deliberavit, ab eo solutus religione jurisjurandi pro observatione induciarum præstiti: cum & alioqui earum violationem variis clandestinis consiliis atque conatibus tentasse ministros Philippi, Galli quererentur: denique absque fracti fœderis noxa arma pro Pontifice, quòd induciis utrimque comprehenderetur, sumi posse Rex affirmaret. Nihil tamen movens priùs, quàm Imperatorum & Philippum monuisset, ne Columniorum privatæ familiæ Pontifici subditæ, & in eum injuriosæ calumniis moti, communem Christianorum parentem inspirato bello obrui permitterent; & Albanum occupato universo penè Latio, (quod pro Ecclesia ac futuro Pontifice servaturum se affirmabat (non procul Roma castra posuisse, atque Octavium Farnesium, pro cujus defensione bellum in Italia annis superioribus susceperat, à se ad Philippum præmio Placentiæ defecisse intellexisset. Tum verò omninò decernens apertum bellum magis esse eligendum, quàm inducias fallaciarum plenas servandas; de auxilio Romam submittendo statuit: Monlucióque præmisso, ac Strozzio Pontifici adesse jusso (quorum operâ hostium conatus retusi sunt), cum validioribus copiis in Italiam misit Ducem Guisium; Herculi tamen Ferrariæ Duci, delato fœderatarum copiarum imperio. Transactúsque hic annus est variis pugnis, urbium occupationibus & receptionibus, induciis

quoque

a Onuphr. in Vit. Paul. IV. Belcar. lib. 27 Parad. de motib. Gall. Natal. lib 9. & 10. Thuan. lib. 17. Hadr. lib. 14. Mauroc. lib. 7. Bell for lib. 6. cap. 81. Mambr. lib. 5.
b Monluc. lib. 4.

quoque nonnullis, ac de concordiâ collocutionibus: Venetis ab utrâque parte sollicitatis, sed solitâ prudentiâ neutri se addicentibus; quin potiùs de pace & concordia concilianda satagentibus. Quæ omnia uti se habuerint, Onuphrius [a], Belcarius, Paradinus, Natalis, Thuanus, Hadrianus, Maurocenus, Belleforestius, Mambrinus, & alij, quà breviùs, quà prolixiùs narrant: intérque illos ipse dux Monlucius [b], quæ totó eo bello fortiter prudentérque gessit.

III. Sidus prænuncium mortis Caroli.

Intereà Carolus Imper. post inducias inter filium & Regem Henricum factas, ad secessum Hispanicum se præparans; viso ad principium Martij ingenti & lucido sidere; flammiferum crinem trahente, in octavo Libræ gradu, quod duodecim ferè dies arsit, ortum Solis aliquando antevertens, sæpiúsque sub auroram apparens; eo sibi mortem portendi ratus, (*His, ait, indiciis me mea fata vocant*) de Imperij quoque abdicatione literas ad Cameræ Imperialis Præsidem & Assessores, Gandavis vigesimo septimo Augusti scripsit, eos ad observationem justitiæ gravissimè cohortans. Indéque Sudburgum Zelandiæ ad vela danda progressus, die septimo Septembris ad Ordines Imperij scribens, monuit fratri suo Ferdinando Romanorum Regi obedientiam præstare: postquàm ipse Imperium tenuisset à tempore electionis anno triginta septem, menses duos, dies decem; à coronatione Aquisgranensi annos triginta quinque, menses decem, dies quindecim; à coronatione Pontificiâ annos viginti sex, menses sex, dies septemdecim. Cùm verò censeret penes Electores, sicut faciendæ promotionis, ita & accipiendæ renunciationis auctoritatem residere: honorificam legationem ad ipsos adornavit, quam Guillelmo Nassovio Principi Aurangio, Georgio-Sigismundo Seldio Augustali Vicecancellario, & Wolfango Hallero ab epistolis credidit. Qui tamen nonnisi post biennium mandata sibi data executi sunt: sive quòd interim tribus Electoribus mortuis, Palatino videlicèt, Treverensi, & Coloniensi, novi suis rebus constituendis occupati fuissent; sive quòd post Caroli discessum bello inter Reges Galliæ & Hispaniæ renovato, omnium animis ad ejus exitum suspensis, tempus à celebratione Comitiorum Imperij alienum videretur. Agetur itaque tunc de eo.

Carolus abdicat Imperium.

IV. In Hispaniam concedit.

Carolus autem, unà cum sororibus Eleonorâ Galliæ & Mariâ Hungariæ olim Reginis Septembri mense in Hispaniam navigans; ubi eam, ad Laredum Cantabriæ portum exscensione factâ, pede tetigit, in terram prostratus ipsam osculatus est; *& Salve*, inquit, *mihi optatissima mater; nudus ex utero matris meæ exivi, nudus ad te tamquam ad alteram matrem redeo, tibique, quod unum possum, pro tam multis in me meritis corpusculum hoc & ossa dedo & dedico.* (Quod quidem de regno longiori incolatu intelligendum: cùm alioqui esset ipse ortu Belga, non Hispanus, licèt ex feminâ Hispanâ natus.) Deinde regni cessione de integro, ritu in Hispaniâ recepto celebratâ, visitatóque apud Vallem-Oletanam Carolo nepote, filio Philippi, puero, & ad gloriam & virtutem incitato; in eam, quam sibi multò antè delegerat, contendit vallem, in Lusitaniæ finibus sitam, in provinciâ vulgò Extramadurâ dictâ, diœcesi verò Toletanâ, summaque cæli, temperie & collium amœnitate delectabilem, fontibúsque ac rivulis irriguam: in qua olim Serrorium fortissimum Romanum ducem, ob proscriptionem Syllanam patria exulantem resedisse, atque à suis occisum esse fama est: iam verò cœnobium ibi erat S. Iusti dictum, Hieronymiani sodalitij, octavo à civitate Placentina Castulonensi lapide, juxta Scarandillam municipium, rupibus altissimis septum. Eo se Carolus inclusit, cum solis duodecim ministris, & uno equo, quo propter imbecillitatem veheretur; rebus divinis deinceps vacaturus, magna morum vitæque ac victus temperantia. Longè id vivendi genus utiliori ac sanctiori proposito amplexus, quàm olim Diocletianus præclarissimus (si religionem, & Christianorum persecutionem excipias) Imperator, qui post annorum viginti imperium, eo spontè deposito, in patriam secedens, vitam ibi privatam hortorum cultura totos decem annos ingenti suavitate transegit, Feliciúsque imitatus Lotharium item Imperatorem, Ludovici Pij filium; qui cùm Ludovicum filium in consortium Imperij ascivisset, quintodecimo pòst anno in Prumiense cœnobium à se constructum, & amplissimis possessionibus dotatum, anno Christi 855. secessit: in hoc tamen superior Carolo, quòd etiam Monasticum habitum induit. Ut plures Græcorum Imperatores omittam, qui æquè deposito Imperio monachi facti sunt; sed qui ferè non tam imperij tædio, quàm vel ignavia, vel rerum desperatione, aut vi coacti id præstitisse noscuntur. Quomodò verò hæc quæ diximus Carolus peregerit, Guillelmus Godelevæus [c] accuratè descripsit; ex quo alij desumpsêre. De obitu verò Caroli dicetur post biennium. In cujus abdicatione *Thomas Fazellus* Frater Dominicanus finem imposuit Historiæ Siciliæ patriæ suæ, duobus librorum decadibus comprehensæ; haud adeò omnibus laudatæ, nec tamen infructuosæ.

Locus ejus secessus.

c Ext. ap. Schard Oper. Hist. to. 2. pag. 1895.

V.

d Epist. Princip. vol. 3.

De rebus Turcicis legimus inter Literas [d] Principum epistolam Solimani illorum Imperatoris, ad Paulum IV. Romanum Pontificem scriptam Constantinopoli nono Martij: qua queritur de captis Anconæ, quæ urbs est ditionis Pontificiæ, nonnullis mercatoribus Imperio Turcico subditis, qui commercij causâ eò commearant, quod quia in grave damnum tributorum suorum vergebat, rogat ut eos liberos dimitteret; promittens se Christianos qui in Imperio suo negotiarentur benè habiturum. Quid verò responderit Pontifex, aut quid de eo factum fuerit ampliùs, neque ibi, neque alibi reperimus: minimúmque scire interest. Duplici vero fuere alibi hoc anno Turci tentatâ obsidione à Christianis ignominiosè repulsi. Alterâ apud Oranum in Africa Mauritanæ Cæsariensis urbem maritimam amplam & populo frequentem, Buyzam olim dictam quam præsidio Hispanico munitam; eum oppugnare cœpissent; virtute obsessorum quibus Alcaudetus Comes præerat, gravi clade acceptâ, inceptum deseruerunt. Altera longè celebriori, & à pluribus [e] memoriæ mandata, apud

Turcorum clades.

e Luzio, Heroldo, Sambuco, propriis commentar. qui ext. in vol. rer. Hungar. & in Oper. Hist. to. 3. Isthuanff. lib. 19. & aliis.

Sigethum Hungariæ munitissimum oppidum. Cùm enim Solimanus Turcorum Imperator misso in Hungariam Hali Basså, cum mandatis ne Budam regni caput à Turcis detentam priùs ingredi auderet quàm Sigethum cepisset; in omnem conatum ad illud expugnandum adhibens, forti propugnatione Marci Horvati, qui oppido præerat, tertio oppugnationis mense re infectâ recedere coactus est; nonnullis tamen aliis oppidis captis, direptis, & incensis: sicuti & Ferdinandus princeps Ferdinandi Regis filius, à patre in auxilium Sigethi cum exercitu missus, aliquot Turcorum arces pariter recepit. At deteriori fortunâ ejusdem Ferdinandi duces in [f] Transilvaniâ usi, eâ penè totâ cedere Isabellæ Reginæ ac filio ejus coacti sunt; provincialibus externorum militum rapinas & insolentiam non ferentibus, quasi agmine facto sub eorum jura concedentibus, cum Turcorum auxilio, quod Isabella delusam se dicens à Ferdinando imploravit.

[f] Isthuanff. ibid.

VI.

MOSCI LEGATIO IN GERMANIAM.

Hoc ipso anno [g] Ioannes Magnus Moscoviæ Dux prolixo scripto ad Carolum Imp. & Imperij Ordines, alterius [h] legationis ante plures annos missæ postulata repetens; & se suósque subditos veros Christianos esse, & sacra Biblia, Missam, Epistolas, Evangelia, Symbolum Nicænum, Baptisma, retinere professus, nec propterea quòd Sacramento sub utráque specie uterentur pro impiis se habendos contestatus; deinde commemorans quæ ipsius antecessores in Concilio Constantiensi, & apud Romanos Pontifices, pro concordiâ Ecclesiarum egissent; denique [i] grandia promittens pro Christianæ fidei propagatione, & Turcorum expugnatione, rogavit admitti in Germanorum societatem & amicitiam. Quæ tamen omnia in fumum posteà abierunt, illato post biennium ab eo Livonibus bello exitiali, & ampliùs viginti annos continuato: de quo dicetur consequentibus annis.

[g] Neugebaver. Histor. Polon. lib. 8. Chytræ Saxon. lib. 18.
[h] Supr. an. 1648. XIV.

VII.

IOAN. À LASKO SACRAMENTARIUS.

Intereà dum in Germaniâ Lutherani & Sacramentarij variis collocutionibus & scriptis controversiam Cœnæ Domini agitarent absque ullâ concordiæ spe, accidit in Poloniâ (ubi hoc tempore agebat *Ioannes à Lasko* nobilis Polonus, insignis Sacramentarius, quamquam à ceteris in multis diversus [i]: qui postquàm ex Angliâ, ubi superintendentem Ecclesiæ peregrinorum sub Eduardo egerat, & uxorem duxerat, regnante Mariâ pulsus, Daniâ & vicinis provinciis peragratis, undique ob hæresim suam Sacramentariam ejectus fuisset; demùm Francofordiæ receptus, paulò pòst in patriam redierat) res memorabilis, quæ facilè controversiam dirimere potuisset apud homines rationis capaces Femina quædam Christiana vilis conditionis, nomine Dorothea Lezeska, in oppidulo Sachazeto diœcesis Posneranæ, Iudæo cuidam inserviens, ab eo sæpiùs variis promissis sollicitata de prodendo ei sacrosancto Christi corpore; in ipso Paschæ pervigilio cum ceteris Christianis communicatura, sumptam ore sacratissimam Eucharistiam mox extrahens in sudariolum reposuit, ac Iudæo detulit. Qui unà cum tribus aliis suæ perfidiæ sociis, eam in suam synagogam deferentes, pugionibus & cultris confodere cœperunt: unde confestim copiosus emanavit sanguis. Re detectâ, ac scelere probato, femina & Iudæus cum reliquis consciis qui haberi potuerunt, publicè combusti sunt. Vidimus sæpè aliàs paria miracula in Eucharistiâ, inter manus Iudæorum variis occasionibus exhibita. Hujus autem eo tempore divinitùs patrati duplex alia referri potest præcipua causa. Altera videlicèt, quòd cùm nihil tunc à Lutheranis & Sacramentariis tam urgeretur quàm ut communio sub utraque specie laicis impertiretur, quasi Christus esset in alterâ exanguis; hinc necessariò intelligerent totum Christum sub unicâ contineri. Altera ad Sacramentarios speciatim confundendos, qui realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistiâ negabant. Quibus & tertiam addimus; quòd cùm misisset anno superiori Pontifex *Aloisium Lipomanum* Episcopum Veronensem, insignis eruditionis ac zeli virum, & Concilij Tridentini olim præsidem, in Poloniam, quò gentem in hæresim sensim declinantem in officio & fide Catholicâ contineret, atque ab Ecclesiâ jam avulsos restitueret; is dum munere suo fungi vellet, in tantum odium apud Plerosque devios incurrisset, ut non solùm opprobriis per scripta publica laceraretur, verùm etiam vita ipsius impeteretur: voluerit Deus hoc miraculo auctoritatem ei, atque Apostolicæ Sedi, fideíque Catholicæ apud incredulos & adversarios conciliare. Tradúntque, ipsum Poloniæ Regem, qui nimis remissè in patrocinio religionis Orthodoxæ se gerebat, hoc miraculo in Catholicæ Ecclesiæ retinendâ communione confirmatum fuisse, ac propensiori animo Legatum Lipomanum amplexum esse.

[i] Vid. Resc. in Sect. Evang verb. Lascari.

MIRACULUM IN EUCHARISTIA.

ALOYSIJ LIPOMANI LEGATIO IN POLON.

VIII.

In Alsatiæ oppido Obernæa, tribus ab Argentina milliaribus, incola quidam vinitor, propter angustiam rei familiaris, cùm abesset uxor, die decima Aprilis tres liberos suos interfecit, puellam annorum septem; puerum quadrimum, & infantem in cunis non planè semestrem. Rem narrat *Ioannes*, sine cognomine, (quia [k] scilicèt spurius) à patria Sleida Vbiorum oppido, *Sleidanus* dictus, hoc anno Historiam suam terminans, epidimia absumptus Argentinæ exeunte Octobri, anno ætatis quinquagesimo primo, ut quidem sui referunt. Sunt enim ex Catholicis [l], qui scribant, cùm apud Carolum Imperatorem de falsitate narrationum convictus fuisset, desperatione ac tædio inde affectum, miseram deinceps traxisse vitam; donec tandem fœdam mendaciis animam exhalavit. Fuisse autem luscum, & altero tantùm oculo cernentem, legimus apud Crusium [m]. In adolescentia in Bellaij Cardinalis familia versatus, Lutheranismo seu Calvinismo dein infectus, supplicij metu Argentinam aufugit, ubi & Historiam suam conscripsit, quæ magno applausu ab hæreticis accepta, quòd ex grege & ipse hæreticorum res eorum disertè explicet, amplificet, magnificet, scelera praváque eorumdem facinora singulari industria aut excuset, aut dissimulet; haud quoque adeò in multis ingrata non paucis Catholicis extitit, quòd res toto penè orbe gestas eleganter complectatur, ordinatè referat, & ex actis

[k] Ge ebr. Chron. lib. 4.

SLEIDANI MORS.

[l] Gener. ibid. ex Spenc. apol. 1.

[m] Crus. Annal. Suevic. p. 3. lib. 11. cap. 24.

EJUS HISTORIA QUALIS.

scriptísque publicis verbatim ferè describat. Quæ verò in rebus fidei & religionis, aut privatis affectibus, aut quæsitis calumniis, aut confictis interpretationibus, vel impuris derisionibus, peccavit; (ut frequentissimè fecit) sunt ex iis quos vidimus duo imprimis scriptores Catholici ex eadem Germaniâ, qui aut earumdem rerum quas Sleidanus tractat vera & sincerâ narratione, aut etiam expresso ipsius Sleidani nomine, ne minimùm quidem, quantum in eis fuit, exorbitare permiserunt; quin censuris suis in rectam semitam reduxerint: videlicèt *Laurentius Surius* Carthusianus in suis commentariis, seu Additionibus ad Naucleum; & *Roverus Pontanus* Carmelitanus in libris de Rebus Memorabilibus, quos ad detegendas tantummòdò fraudes & falsitates Sleidani à se & Iaspare Gennepæo cive Coloniensi confectos esse profitetur. Ex quibus etiam intelligitur, decrevisse contra eumdem Sleidanum scribere duos alios viros longè clarissimos, *Ioannem Gropperum* designatum Cardinalem, & *Eberardum Billichum* Carmelitanorum Provincialem, si & Sleidano & ipsis vita prolixior contigisset. Quod verò sunt & alij, qui plurima mendaciorum millia, & tot ferè quam verba in ejus commentariis observârunt; ut non damnamus, quinimmò & laudamus eorum diligentiam, ita non adeò rigidi censores videri volumus, ut non in tot malis aliqua etiam bona reperiri fateamur. Denique cùm apertè Protestantem hæreticum agat, facile fuerit Catholicis pravum à recto discernere. Sanè qui ejus Historiam continuarunt eadem serie & mente, longè minori judicio & accuratione id præstiterunt; mala quidem imitantes, at non item bona. Inter quos & Bezam recensemus, qui non contentus doctrinam depravare, etiam historiam adulterare gestivit opere *De Statu Reipublicæ ac Religionis* sub Regibus Francorum Henrico II. Francisco II. Carolo IX. & Henrico III. sive sit illud opus ejus, sive, ut quidam volunt Ioannis Serrani itidem ministri hæresis.

IX. DAVIDIS GEORGII MORS. [n] Supr. an. 1543.

Mortuus est hoc item anno, octavo Calendas Septembris, Basileæ *David Georgius* pestilentissimus ille hæreticus & impostor: de quo actum superiùs [n]. Qui cùm se immortalem mentitus fuisset, moribundus spem fatuis suis discipulis fecit revivíscendi post triennium, & abundè præstandi quæ ipsis ampliter promisisset. In quo non omninò falsus fuit vates. Quippe cùm post ejus mortem cœpisset latens fraus aperiri, diligenti rei inquisitione à Senatu Basileensi factâ, demùm anno 1559. mense Maij Senatûs decreto cadaver ejus effossum per carnificem, & in locum suppliciis destinatum delatum, publicè combustum est, cum ejus libris & scriptis magnâ solicitudine conquisitis. Quod Basileenses ritè & jure exequentes, quid iidem aliíque sectarij querentur quòd id ipsum factum in Angliâ fuerit [o] adversus cadavera Buceri & Fagij? Totam autem hanc historiam Davidis Georgij, ejúsque doctrinæ, quamdiù Basileæ fuit, tum quid post ejus mortem cum cadavere, libris, ac reliqua ejus familiâ actum sit; Rector & Academia Basileensis composuit, & in lucem [p] edidit: unde Surius & alij exscripsêre. Ejus tamen haud ita extincta est memoria, ut non multo pòst tempore superfuerint ejus discipuli, beatam illam spem expectantes; & adhuc superesse dicantur, qui nefandas ejus blasphemias ac cetera impia dogmata amplectantur.

EIUS CORPUS EFFOSSUM COMBURITUR.

[o] Supr. an. 1553. X.

[p] Ext. ap. Schard. Oper. Histor. to. 3.

X. IGNATII LOIOLÆ OBITUS.

Longè meliori sorte excessit è vivis Romæ ultimo Iulij *Ignatius Loiola* Societatis IESU fundator, ætatis anno sexagesimo quinto: cùm jam toto penè orbe terrarum essent socij propagati, domiciliis ferè centum, & provinciis) præter Urbanam, quæ sine Provincialis operâ regebatur) duodecim constitutis. Cujus, virtutes, pietatémque, unico verbo satis sit nobis exprimere; ut cùm tot à Societatis conditu hactenùs in eâ extiterint omni genere virtutum eminentissimi, ipse tamen cunctis, in iis ipsis quibus eminebant longè excelluerit; ut qui singulos ejus vitæ actus maturâ consideratione expendere voluerit, facilè perspiciet. Claruit quoque post mortem quibusdam miraculis. Ac demum anno 1622. quarto Idus Martij à Gregorio Papâ XV. in Sanctorum numerum relatus est; unà cum *Francisco Xaverio* ipsius socio & Indiarum Apostolo, de cujus obitu dictum est suo loco [q].

[q] Supr. an. 1552. XIX.

XI. INSTITUTIO ORATIONIS XL. HORARUM.

Mortuus item hoc anno Mediolani *Iosephus Fernensis* (oppidum est diœcesis Mediolanensis, unde & a nonnullis Mediolanensis nuncupatur) primò Ordinem Minorum Observantium, deinde Capucinorum Sodalitium ingressus, vir Theologiâ apprimè excultus: quem auctorem & institutorem fuisse volunt utilissimæ *Orationis Quadraginta Horarum*, cùm quo tempore urbs Mediolanensis, ob grassantia Cæsaris & Regis Francorum bella, maximè consternata jaceret, in eâ Iosephus prædicationi vacans, civibus persuasit eam orationem instituere, ex quâ futurum pollicebatur ut ab ejusmodi ærumnis liberarentur. Quare communi urbis consilio, ea primò quidem in Ecclesiâ cathedrali, tum inde in aliis per totum anni circulum instituta fuit, unde postea hæc pia institutio in universum Christianum orbem diffusa fuit. Exprimunt autem illæ XL. Horæ tempus quo Christi sacrum corpus in sepulcro jacuit, licèt non fortè ad amussim respondeat, quo omni tempore exposita sacra Eucharistia publicè in altari, à frequenti populo visitatur; ac brevioribus sermonibus per singulas horas concionatores populum ad pietatis cultum ingenti omnium consolatione & fructu excitant.

IESU CHRISTI Annus 1557.

PAULI IV. Ann. 3.

CAROLI V. Ann. 39.

I. BELLUM ITALICUM DUCE GUISIO.

ANNO Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima quinta, Dux Guisius ab Henrico Francorum Rege cum Gallorum & Helvetiorum exercitu in auxilium Pauli Pontificis, ab Albano Duce nomine Philippi Hispaniarum Regis bello impetiti, ut vidimus anno superiori, missus; primò Valentium Insubriæ oppidum, ob negatum sibi commeatum vi cepit.

factâque consultatione quid facto opus esset, utrùm Romam rectà tendendum, an verò Cremonam & Mediolanum raris Hispanorum præsidiis firmata, atque ideò ob terrorem Gallorum per omnem regionem sparsum, seu vi, seu rerum inclinatione, cum totâ insubriâ, cui ab omni re necessariâ imparatus Cardinalis Tridentinus præerat, occupatu facilia oppugnaret; (quod prudenter suadebat Brissacus Subalpinæ provinciæ præfectus; quoniam sic & augeretur Regis potentia, & faciliùs liberaretur Pontifex ab oppugnatione Albani, qui necessariò ad defensionem Insubriæ accessurus esset:) vicit tamen prior sententia, non numero ducum qui consultationi interfuerunt, qui penè omnes in Brissaci sententiam inclinabant; sed Guisij firmo proposito, quòd & mandatum à Rege habere diceret ut Romam nulla interposita mora peteret; & sic fuisset cum Pontifice pactum, qui si aliter fieri videret, facilè à societate discederet, & cum hostibus conveniret. Urgentibúsque præthereà Carafis ejus accelerationem, ut arma quamprimùm in regnum Neapolitanum, cui ipsi inhiabant, inferret; Guisius sanioribus consiliis (ut eventus docuit) dimissis, Romam ipse per dispositos equos ineunte Martio ad salutandum Pontificem pervenit. Ubi honorificentissimè à Pontifice exceptus, cùm paulò pòst cœpissent nonnihil ab invicem dissentire, ad exercitum reversus, quem apud Firmum & Asculum, inde in regnum transiturus, reliquerat; Camplio oppido expugnato, Civitellam oppugnare aggressus, adventu Albani, & quòd Carafæ promissa minimè repræsentarent, obsidionem vigesimo secundo die solvit, facta Albano prælij potestate; qui animadvertens vires Gallorum quotidie decrescere, suas verò crescere, sapienter utilius existimavit Gallorum ardorem cunctatione domare, quàm prælij incertitudine universam Italiam in discrimen adducere. Guisius autem soluta obsidione seriò de reditu in Galliam cogitans, accitu Pontificis Romam versus exercitum duxit. Quo tempore ex altera parte Albanus cùm occulta duxisset consilia de Urbe nocte diei vigesimi sexti Augusti intercipienda; in eo existens ut rem exequeretur, motus silentio quod in Urbe videbat, ratúsque omnes intùs ad defensionem paratos, & in aciem instructos esse, pedem retulit.

II. PAX INTER PONTIF. ET HISPAN.

Guisius autem à Rege Henrico, post cladem Sanquintineam, de qua mox dicetur, jussus res Pontificis quoad posset componere, & in Galliam cum exercitu reverti; suasor fuit Pontifici, ut cum Albano, pacem frequenter Regis sui nomine, qui nequaquàm sibi utile existimabat, aut honestum, bellum cum Pontifice gerere, offerente, concordaret. Quod & fecit decimooctavo Calendas Octobris; his præcipuè conditionibus, ut Albanus Regis Philippi nomine veniam supplex à Pontifice postularet, obsequiúmque ei præstaret; Pontifex vicissim Regem uti filium in gratiam reciperet; Gallorum fœderi renunciaret; séque deinceps communem utrique Regi parentem & æquè addictum præberet: arces & oppida, aliáque bello capta Pontifici restituerentur, solo æquatis munitionibus: nec fraudi cuiquam esset alteri militâsse, sed omnes utrimque offensiones & injuriæ remitterentur; exceptis Columnensibus belli auctoribus, in quos, alióśque perduelles Pontificios, liberum esset Pontifici pro libito animadvertere. Quæ omnia, aliáque eodem tempore ceteris Italiæ partibus prælia & certamina facta, expugnationes urbium, conatus & consilia ad bellum pertinentia, (solis Venetis consueta prudentia ab ea belli tempestate immunibus, cùm omne studium in suis ditionibus tuendis, atque in pace suadenda collocarent) plures auctores describunt, in summa quidem rerum convenientes, sed in aliquibus circumstantiis non semel diversi: ac præcipuè, quorum extant Latinè scriptæ historiæ, Natalis,[a] Belcarius, Thuanus: præter literas de his scriptas, quæ leguntur inter Epistolas [b] Principum, & alios auctores Italicos [c] qui uberiùs tractant, ut sunt in suis diligentissimi. Illud verò in exacerbatione animorum Pauli Pontificis & Philippi Regis observatione dignum; Philippum, ut ægrè faceret Pontifici, edicto promulgato jussisse ut omnes Hispano imperio subditi, intra spatium trium mensium Româ excederent, pœnâ propositâ proscriptionis bonorum & perpetui exilij: Pontificem contrà edixisse, ut omnes Cardinales, omnésque nobiliores Antistites intra duos menses Romæ præstò essent, iisdem propositis pœnis, atque censuris. Quâ in re potior longè fuisset sine dubio conditio Pontificis, si diù inæstuâsset bilis præcordiis.

a Natal. lib. 10, Belcar. lib. 27. Thuan. lib. 18.
b Ep. Princ. vol. 3.
c Hadrian. Mambrin. &c.

III. INGENTES AQUARUM ELUVIONES.

Posterâ nocte conclusæ pacis, Tiberis pater (ut vocabant antiqui) qui Romam intersecat, sive gaudio exiliens de illâ factâ, sive mœstitiâ rei gestæ largiores lacrymas effundens, solito alveo non contentus, nec intra ripas se continens, adeò prodigiosâ inundatione subitò excrevit, (ex crebris scilicèt imbribus, & vehementi Austro velut aggerem opponente ne Tiberis in mare liberè flueret) ut totam Urbem navigabilem fecerit, nonnullis pontibus dejectis, quamplurimis domibus; templis, aliísque ædificiis eversis, ingenti hominum pecudúmque atque omnis generis bonorum jacturâ. Longè tamen inferiore, quàm in Germaniâ mendacia hæreticorum guttura proclamârunt [d], dum permulta hominum millia miserrimè oppressa, atque in iis Cardinales septem, Pontificémque ipsum ægrè fugâ elapsum, vanissimâ assertione divulgârunt, tanquam divinæ voluntatis ostentum Romanam fidem damnantis. Ceterùm haud moderatiùs Bononia & Florentia tractatæ fuerunt à suis fluviis. Horrendúmque est, quod alicubi [e] legimus, in oppido Empoli Etruriæ, quod ter mille hominibus incolebatur, octodecim tantùm superfuisse. Nemausi in Galliâ Narbonensi eodem Septembri cælum iratum fulguribus, tonitruis, fulminibus, aliísque ejusmodi tempestatibus ita miseros mortales perterruit, ut extremum sibi illum fore diem autumarent: subsecutique imbres immodici duodecim ferè horarum spatio, civitatem fœdis ruinis deformârunt, totúmque agrum miserè devastârunt. Eadémque rerum facie plerisque aliis locis, per Europam visâ, etiam in remotissimis Orientis partibus, quasi occultâ cælestis ordinis consensione, apud

d Vid. Sach. Hist. Societ. Iesu par. 2. lib. 1. §. 90.
e Ep. Princ. vol. 3.

f Thuan. lib. 18. in fin.

Sinas[f] in Sancianâ regione ob continuos ac rabidos imbres tam violenta aquarum diluvies ex proximis montibus in subjectam planitiem defluxit, ut lacum ingentem effecerit, quo septem urbes absorptæ sunt, & pleraque oppida ac pagi, incredibili hominum brutorúmque suffocatione, puero unico tantùm in trunco arboris, raro fortunæ beneficio, ex clade servato.

IV. Pontif. agit de pace inter Reges.

Bello autem composito Pontifex, qui auctor ejus fuerat, & suasor ruptionis induciarum inter Reges Galliæ & Hispaniæ pactarum, ubi jam iræ ejus satisfactum fuit, ad illorum quoque animos placandos, Antonium Trivultium Cardinalem ad Gallum, Carolum Carafam ad Hispanum legavit. Sed non tam facie fuit dissoluta connectere, quàm apta dissolvere. Et Carafa privata commoda de Paliani ducatu Columniis adempto intermiscens, minùs se ad publica conficienda idoneum præstitit.

V. Librorum impiorum prohibitio.

Cùm verò non minùs ferè idem Pontifex inter bellica curaret Ecclesiastica, incorruptam quantùm in se erat religionem Christianam conservare volens, plurimáque mala ex impiorum librorum lectione provenire cognoscens, Librorum indicem per Inquisitores fieri curavit, quem deinde anno 1559. impressum publicavit, libros eo contentos gravi anathemate vel legi vel haberi prohibens: primúsque[g] existens, qui universalem omnium perniciosorum librorum cujuscumque argumenti, etiámque profani, à quibuscumque, etiamque religione Catholicis, scriptorum, vel etiam à suspectis Typographis de quâcumque arte editorum, indicem contexere studuerit; cum ad eum usque diem librorum prohibitiones tam à Pontificibus quàm Imperatoribus factæ, numquam excessissent terminos librorum hæreticorum; aliíve pestilentes legi prohibiti fuissent, nisi quorum auctores etiam dãnati extitissent. Quod tamen prudentissimâ cautione à Paulo præstitum intelligitur, cùm soleant etiam multi alij libri, præter hæreticos, mores corrumpere, & falsas opiniones inducere: soleántque hæretici scriptores & Typographi aliorum argumentorum tractationibus sua venena immiscere. Illud tamen in hoc Pauli indice rigidius visum, quòd pœna legentibus libros eo catalogo comprehensos ac prohibitos denunciata, erat excommunicatio latæ sententiæ, Pontifici reservata; privatio atque incapacitas quorumcumque munerum ac sacerdotiorum; perpetua infamia; cum aliis pœnis arbitrariis. Quo factum est ut Pius IV. Pauli successor rigorem hunc temperans, totum illud librorum negotium ad Concilium retulerit, ut tunc dicetur.[h] Interim tamen Petrus Paulus Vergerius, infamis ille apostata de quo sæpè superiùs, adversus hunc Pauli indicem, aliósque librorum hæreticorum jam anteà à Theologis Parisiensibus, Lovaniensibus, & Hispanicis promulgatos, ita Latinè atque Italicè debacchatus est, ut quamvis nusquam non insaniat potiùs quàm scribat, in libellis tamen contra ejusmodi Catalogos furori suo omnes habenas laxaverit. Cujus ac similium amentiam apposité tetigit, contudítque Iacobus Gretserus Societatis Iesu Theologus in suis commentariis de librorum hæreticorum & noxiorum prohibitione.

g Vid. supr. an. 1550. II.

h Inf. an. 1562. XVII.

VI. Pontificis rigiditates.

Paulus autem Pontifex cetera quoque eâdem severitate curans, coram Inquisitionis tribunali[i], (cujus ipsummet præcipuum extitisse suasorem Paulo III. dum esset Cardinalis, vidimus olim) præter hæreses, aliquot etiam alia crimina quæ ceterorum Iudicum sententiis definiri solebant, agitari voluit. Et ad vindicanda ea crimina totum se addicens, magnam reorum multitudinem Inquisitionis carcere inclusit: aliquot Cardinales, qui ei consessui & judicio interessent, legit; Summo Inquisitore constituto Fr. Michaële Gislerio Cardinale Alexandrino Ordinis Dominicani, viro integerrimo, qui posteà fuit Papa Pius V. novo eo munere tunc instituto, cui ceteri omnes seu delegati seu ordinarij Iudices, etiámque Episcopi, in ejusmodi causis subessent, quod sicut antè nemini, ita nec pòst contigit alteri dari; Pontificibus id sibi ipsis reservantibus; Inquisitionísque rerum curâ certis, qui ex instituto, ut vidimus, Pauli III. ad hanc rem eligi solent, Cardinalibus ut anteà delegatâ. Dehincque ex quibusdam indiciis suspicatus quoque Paulus, Ioannem Cardinalem Moronum Mediolanensem, in signem planè virum, & plerisque laudatum, commercij quippiam habere cum Germanis Protestantibus, (cum quibus, variis legationibus in Germaniâ pro Sede Apostolicâ integerrimè fungens, versatus fuerat) in molem Hadriani conclusum, à quatuor Cardinalibus severâ admodùm inquisitione examinandum curavit; atque unà cum eo Thomam Sanfelicium Episcopum Cavensem; utroque tamen post probatam innocentiam dimisso. Ejusdemque Moroni causâ Frat. Ægidium Fuscararium Ordinis Prædicatorum; nobilem Bononiensem, in cujus favorem Moronus Episcopatum Mutinensem dimiserat, diù in Inquisitionis custodiâ habuit.

i Vid. sup. an. 1542. XIV.

VII. Accusationes in Polum Card.

Illud quoque magnâ omnium admiratione præstitit, quòd Cardinalem Polum virum moribus integerrimum, fideíque Catholicæ defensorem ferventissimum, ejúsque in Angliâ restauratorem acerrimum, legatione Anglicâ deposuit, & Romam vocavit, suffecto ei in munere legationis Fr. Guillelmo Pætoo Cardinale Ordinis Minorum, nobili Anglo; (Petrum quidam vocant; aliíque obscuro loco natum volunt) quem & Episcopum Sarisberiensem designavit, qui tamen fato præventus antequàm Angliam intraret, hos oblatos sibi honores inire non potuit; quos nec nisi coactè, ob reverentiam Poli, quem summâ observantiâ, ut par erat, prosequebatur, susceperat. Cur autem hæc in Polum Paulus statueret, nonnullos reperimus hanc causam assignâsse, quòd cùm Legatus esset Apostolicus, Pontifice tamen inconsulto inducias inter duos Reges conciliâsset. Sed cùm mandatum à Iulio accepisset, ut vidimus, de pace aut induciis tractandis, quis jure ei succensuisse potuit, si quod cuivis Christiano competere videtur, vir pius, nullâ de eo prohibitione acceptâ, præstitit? Alij[l] è contrà, quòd Mariam Angliæ Reginam, pro eâ quâ apud illam valebat gratiâ & auctoritate à bello de-

l Godwin. de Præsul. Angl. in Cantuar.

nunciando Regi Galliæ non inhibuisset. Additur & tertia ratio, seu potiùs infirma conjectura, quòd in conclavi Polus, ne Paulus in Pontificem assumeretur obstitisset: cùm tamen longè certius sit, Paulum olim obstitisse ne Polus[m] post obitum Pauli tertij in Pontificem eligeretur: nihílque ferè tam ei obfuisse quin ad supremum illud fastigium ascenderet, quàm insignem morum gravitatem ac sanctimoniam, quæ non adeò depravatis iis temporibus pretiosa erat in conspectu omnium. Utut sit, non parùm hoc Pauli existimationi offecit apud omnes qui Polum noverant; quorum nulli fuêre, qui non potiùs Paulum odio & affectui, aut, ut mollius dicam, austeritati suæ indulgere, credere maluerint; quàm Polum justè alicujus criminis, quod depositionem mereretur, reum constitutum esse. Ipse nihilominus confestim ac hæc rescivit, ut se Pontifici audientem præstaret, omni Legationis munere, ejusque insignibus abstinuit; missóque Romam Nicolao Ormaneto Legationis Datario, posteáque Patavino Episcopo, viro gravi & prudente, ejus à se administratæ rationem reddidit. Non enim ut ipsemet iret, Regina permisit: quæ oratori suo Romæ agenti mandavit, ut Pontificem admoneret, quantum periculum religioni vix dum stabilitæ creaturus esset, si tantum virum contumeliâ afficeret. Sícque res permansit usque ad consequentem annum, quo & Regina & Polus decesserunt: nonnullis tamen asserentibus, Polum Ormaneti operâ muneri restitutum esse aliis Paulum in suâ morositate perseverâsse.

[m] Sup. an. 1549. XIII.

VIII. CONSTITUTIO DE BENEFICIIS.

Qui providentis multa alia curans, inter cetera hoc eodem anno gravem constitutionem[n] edidit contra eos qui pro obtinendis beneficiis se ipsos pro aliis supponerent, vel annuas pensiones offerrent; aut beneficia pro aliis impetrarent, ut ab eis aliquid consequerentur; vel etiam pro seipsis, ut aliis posteà cum pensione resignarent: cujusmodi fallaciæ & nundinationes frequentes in Curiâ erant, etiamsi Pontifex, tres Cardinales, unà cum Datario, distributioni beneficiorum præfecisset; quorum vigilantia à prosequentium malitiâ vincebatur.

[n] Bullar. to. I. Paul. IV. const. 12.

IX. SANQUINTINEA CLADES GALLICA.

Quod cladem Sanquintineam[o], cujus meminimus, attinet; cùm inflexâ facile Mariâ Angliæ Reginâ à viro suo Philippo, ut contra pacta in ipsorum matrimonio contenta, communem belli societatem adversus Gallos susciperent; misso in Galliam feciale Maria bellum Henrico Regi 7. Idus Iunias denunciâsset: Emmanuel Philbertus Dux Sabaudiæ, quem Belgio Philippus præfecerat, collectis magnis copiis, (quæ quatuordecim vel quindecim millium equitum, triginta, sive etiam ut quidam augent, triginta quinque, vel quadraginta, aut etiam quadraginta quinque peditum fuisse dicuntur) variis fictionibus delusis Gallis, ex improviso Sanquitinum, olim Augustam Veromanduorum dictum, ad Somonam amnem situm, maximíque momenti ad rem bellicam eo tractu gerendam, nec satis opere ac milite adversus tantum exercitum munitum, obsidione cinxit. Cui cùm tentâssent sæpiùs Galli clàm opem ferre, nec conatus succederet ob hostium vigilantiam; statuit Rex Henricus ducto palàm exercitu rem vi exequi: sed ab eo consilio à suis retractus, Annæo Monmorantio Connestabili eam provinciam injunxit. Qui cum exercitu sedecim circiter millium peditum, quatuor equitum, & quatuordecim majoribus tormentis, illo contendens, eo consilio ut dum ipse hostes levibus certaminibus distineret, designata auxilia urbem ingrederentur: in recessu invasus ab hostibus, longè viribus inferior, post longum quatuor horarum dubiúmque certamen, virtute potissimùm Comitis Egmondani Belgæ, & Sabaudi prudentiâ, fusis Gallis, multi proceres occisi sunt, plures unà cum ipso Connestabili capti. Quorum præcipui fuêre, mortuorum quidem Ioannes Borbonius Dux Anguianus Antonij Regis Navarræ frater, qui reparato sæpiùs certamine tandem sclopeti ictu confossus, & equo dejectus, in hostium castra delatus expiravit: & Franciscus Turrius Vicecomes Turenæ gener Connestabilis: captorum verò, præter Connestabilem, glandulâ plumbeâ trajectum in coxendice, (erroris in summo duce justè insimulatum, tum ob alia, tum maximè quòd tantis viribus impar, cùm vix tertiam partem hostilium æquaret, in hostis conspectu se tutò recipere pleno die sperâsset:) Dux Mompenserius post obstinatum certamen, & receptum propriâ manu signum, vulnúsque in capite: Dux item Longavillæ, Mareschallus Santandreanus; Ludovicus Gonzaga Mantuæ Ducis frater, Ringravius Germanorum dux, Comes Rupifocaldus, Mombrunius filius minor Connestabilis. Ceciderunt ex Gallis, ut multi habent, bis mille & quingenti, aliis longè plures enumerantibus. Capta etiam aliquot millia, & tanquam in triumphum servata ad Regis Philippi adventum; qui paulò pòst cum novis auxiliis in castra pervenit cladem evaserunt Dux Nivernensis, Princeps Condeus Franciscus Monmorantius primogenitus Connestabilis, Comes Sancerrius, Bordillonius, & alij, cum majori parte equitatûs: qui Feram oppidum se recipientes, prospexerunt conservationi urbium illius tractûs à furore victoris exercitûs.

[o] Natal. lib. 10. Belcar. lib. 27. Thuan. lib. 19. Ludovic Guicciard. lib. 3. alij.

Hæcque illa est famosissima pugna, *Sanquintinea* dicta ab urbe obsessâ, cum Galli suppetias venerant; itémque *Sanlaurentiana*, à die quo pugnata est, nempè 10. Augusti in festo S. Laurentij: facta autem inter Essignium pagum & Rizerollam castellum, in loco cui Albæ-fossæ nomē, quam licèt Gallis ignominiosam & perniciosam extitisse negari non possit; fuisse tamen famâ longè minorem, quicumque rem considerare voluerit, absque dubio inveniet. Sed homines orienti regno Philippi adulantes, adeò rem in immensum extulêre, ut omnibus triumphis superiorem effinxerint. Quid si ipse præsens interfuisset? Quid si ejus duces minoribus copiis pugnâssent quàm erant Gallicæ; nullam enim intercedit miraculum, aut virtus extraordinaria, ut pauciores superentur à pluribus, ut hîc factum est. Quot olim ignominiosiores acceperunt clades Galli ab Anglis, à quibus tamen gloriosè resurrexerunt? Annon. & hîc mox Henricus vires reparavit, urbes hostium cepit, prælium obtulit? Quod verò paci damnosissimæ demùm assensit, non rerum sanè necessitate, sed

X. QUINTIEA MOMENTI.

iniquis nonnullorum suasionibus, contra plurium & prudentiorum sententiam, fecit: eo longissimè detrimentosiùs ac luctuosiùs, quòd inde initium bella civilia in Galliâ sumpserint. Fructúsque hic demùm fuit ruptarum contra fas induciarum cum Philippo factarum, & infausti fœderis cum Paulo Pontif. & Carafis sanciti.

XI. Quomodò se Carolus Philippi pater in his se gesserit.

De victoriâ certiorem faciens Philippus Carolum patrem, cùm etiam quid consilij sibi porrò sumendum esset exquireret, dicitur sapientissimus Princeps respondisse; quamquam is secessus in quo erat, rerum omnium securum ipsum faceret, læto ac libenti animo nuncium accipere, & filio dilectissimo tam fausta principatûs initia gratulari: gratias insuper omnipotenti Deo agere, qui perfidiam impunitam non diù siverit: id etsi animo providerat, & eâ spe se consolaretur, tamen valdè doluisse quòd sub id tempus quo pactis Orbi Christiano induciis se ad quietem composuerat, omnia tumultu & bello inopinato perstreperent. Quod de consilio rogaret filius, id minimè à se nunc neque imposterùm expectaret: Habere illum penes se viros graves fidei perspectæ, & sub imperio suo rerum tractatione exercitatos, à quibus ipse, si adhuc clavum teneret, consilium petiturus esset illos adhiberet consultores, & eorum maturè ponderatis rationibus, quod optimum factu esset, imploratâ ante omnia Dei ope ac gratiâ adimpleret. Ita Carolus sapientissimè. Quem nihilominùs sunt qui scribant, cùm accepisset victoriæ nuncium, subito impetu petiisse ab eo qui detulit, num filius esset Lutetiæ? quasi innuens hanc urbem debuisse esse primum fructum victoriæ suæ. Nonnulli etiam, cùm animadvertisset segnitiem filij in prosequendâ victoriâ, cogitâsse de exitu à secessu ad tantam rei benè gerendæ occasionem amplectendam. Quod tamen vix est ut credere possimus.

XII.

Certum autem est, fiduciam tantam ex hâc victoriâ hostes cepisse, ut plerique duces nullâ morâ interpositâ in regnum penetrandum esse censerent, spe firma potiundi facilè urbe Parisiorum: florem enim Gallicæ nobilitatis veteranorúmque militum concisum esse: siqui superessent, cum Guisio in Italiâ esse: Parisienses metu consternatos de relinquendâ urbe deliberare; & alia ejusmodi. Quæ quamquam vera essent, nihilominùs & ipse primùm Allobrox, deindéque Philippus Rex fortunæ inconstantiam veriti, & Galliam opulentam æquè ac frequentem considerantes; multos principes ducésque fortissimos ac milites è prælio elapsos, tot præsidia in regni confiniis collocata, quæ si à tergo relinquerentur victoriæ fructum corrumpere possent; potissimùm Rege Henrico bellicoso, cui facile esset majorem exercitum conficere: tutius quàm generosius consilium, Galliæque valdè salutare, secuti, in Sanquintini oppugnatione perseverandum censuerunt, quod post fortissimam Gasparis Colinij Franciæ Admiralij, & Andeloti ipsius fratris, qui illud tuebantur propugnationem, dirutis tormentorum fulminatione muris, aut cuniculorum frequentiâ subversis; demùm 6. Calendas Septembris, cùm non ampliùs octingenti armati intus essent, crevisset autem immensum hostium exer-

Sanquintinum expugnatur.

citus adventu copiarum Philippi, & Anglorum qui multis millibus tam equitum quàm peditum mare transierant; generali impressione factâ, expugnatum est; captíque Admiralius, ejúsque frater Andelotus, (qui tamen primâ nocte evasit) Iarnacus, Rambolietus, Brulius urbis præfectus, & alij, cæsi multi. Post quæ occupatis quà vi quà arte Castelleto, Hano, Novioduno, & Caunio, nõ magni momẽti, immunitísque tunc oppidis, September Octobrísque initium populationibus, excursionibus, incendiis consumptum est: multis è Philippi exercitu dilabentibus; ac præsertim Anglis, qui quòd æquas prædæ partes non accepissent, repentè discesserunt. Quemadmodum & plerique Germanorum, eò quòd Gallos illustriores à se captos Philippus sibi vindicans, eos justo redemptionis pretio fraudaret, tumultuantes, quasi finitis stipendiis, ad Regem Henricum transierunt. Ipséque Philippus exacto ferè Octobri, instante hieme Bruxellas se recepit, relicto exercitu in præsidiis. Qui posteà in memoriam prædictæ victoriæ & in honorem S. Laurentij, celeberrimum monasterium Laurentianum Escurialis ædificavit.

XIII. Henricus Rex diligenter providet rebus.

Henricus autem quando prælium ad Sanquintinum factum est, Compendij existens; ubi acceptæ cladis certior factus est, Lutetiam vehementer attonitam, & de solo vertendo cogitantem, petens, confirmatis suâ præsentiâ civium animis, recepit ab iis ultrò ad reparandum exercitum, trecenta nummûm Francicûm millia. Et primò indictis per totum regnum supplicationibus ad mitigandam iram Dei, & opem in tantis angustiis implorandam; deinde misit in Helvetiam ad conducenda quamprimum quatuordecim. Helvetiorum millia; & in Germaniam, jam penè hostium delectibus exhaustam, ut quotquot possent inde pariter educerentur: Gallicam nobilitatem in Picardiam ad Ducem Nivernensem, quem rebus præfecerat, ire jussit; Guisium ex Italiâ revocavit: summaque vigilantiâ ita rebus prospexit, ut jam non amplius timendum ab hostibus videretur. Recedente verò Philippo, ipse Sangermanum iit, confluentibus intereà undique ad eum copiis tam ex regno, quàm ex auxiliaribus Germanis & Helvetiis. Quò etiam cum ad eum Guisius venisset, humaniter ab eo exceptus, summâ quoque exercituum armorúmque toto regno præfecturâ cohonestatus est: translatâ sic sensim in eum ac domum ejus summâ potentiâ, quam hactenus Monmorantius in regno obtinuerat; quámque semel acceptam, unà cum populi favore, principes strenui juxtà & sagaces, itam præclaris bellicis facinoribus, & constanti fidei Catholicæ defensione, quàm etiam variis aliis artibus diutius retinuerunt. Iam verò Guisius, ne collectæ magnis sumptibus copiæ inutiles permanerent, consilium de expugnando plenâ hieme Caleto cum Rege communicato, (sive id prius Monmorantius deliberâsset ex Strozzij diligenti factâ de loco exploratione, rem paratam executurus si fortuna ei in Belgio arrisisset, ut plerique scribunt; sive, ut quidam, fuerit ipse Guisius primus hujus consilij auctor:) diviso exercitu, partem Nivernensi tribuit, quâ Lucemburgum inva-

Guisius præficitur armis.

Consilium de Caleto expugnando.

dere fingeret; alterámque sibi retinens, quasi oppidis Picardiæ prospecturus, Ambianum primò, deinde Ardram & Boloniam tendens, receptis mox Nivernensis copiis, uti inter eos convenerat, ex improviso Caletum advolavit, & Calendis Ianuarij castra posuit. De cujus rei exitu dicetur anno consequenti.

XIV. Hæretici plectuntur Lutetiæ. p Belcar. lib. 27. Thuan. lib. 19.

Prædictis autem cladibus non solùm nihil afflicti Galli Lutherani, ut adhuc vocabantur, seu potiùs Calviniani hæretici, quorum in dies numerus etiam Lutetiæ augebatur, verùm etiam audaciores facti, quasi difficilius foret inter bellicos tumultus in eos inquirere; liberiùs conventicula agitantes, pridie p Nonas Septembris in Bertomeensibus ædibus viâ Iacobeâ è regione Collegij Plessæi sub vesperam ad sacra sua profana peragenda, & cœnam ritu suo celebrandam convenisse detecti; cùm profundâ nocte dimissi exire inciperent, lapidibus petiti à vicinis, quidam agmine facto gladiis strictis non sine vulneribus evaserunt, uno excepto qui occisus est. Ex aliis circiter centum & viginti capti, Martinio rerum capitalium quæsitori traditi fuêre: in quibus nonnullæ illustres feminæ, etiámque è Reginæ comitatu, repertæ sunt. Eos Martinius albescente jam die in custodiam ducens, vix à plebis impetu vindicare potuit. De quibus varij sermones ferebantur; post convivia extinctis lucernis in promiscuos concubitus, nullâ habitâ cognationis aut affinitatis ratione, ruere consuevisse, & sanguine infantium litare. His ad Regem incertis auctoribus relatis, cùm nemo refellere auderet, ne ipse in criminis suspicionem veniret; ipsi tamen ejus opinionis sectatores libellum continuò ediderunt, quo ejusmodi crimina sibi per calumniam affingi quererentur. Cui deinde apologiæ responderunt Antonius Demochares Theologus & Fidei Inquisitor, & Robertus Cenalis Abrincarum Episcopus. Habitâ verò interim de vinctis quæstione, réque ad Senatum relatâ, nonnulli utriusque sexûs quà vivi, quà priùs laqueo fractâ gulâ, combusti sunt. Cúmque nonnulli recusarent Iudices, dum de causis recusationis deliberaretur, literis ab Othone Electore Palatino, & ab Helvetiis ad Regem allatis, (per Calvinum, Bezam, & alios symmystas emendicatis, ut ex pluribus ejusdem Calvini epistolis eâ de re ad diversos scriptis apparet) ne eos qui easdem quas ipsi opiniones sequerentur tam acerbè haberet; mitiùs cum iis agi cœptum est, quòd tum Rex Germanorum & Helvetiorum auxiliis adversus hostes indigeret. Ex captivis autem non paucos verè & ex animo abjuratâ hæresi ad Ecclesiæ Catholicæ fidem & communionem reversos esse, scribunt qui de his agunt.

XV. Collatio Vuormatiensis inter Cathol. et Lutheran. q Rovær. lib. 5. Sur. in commentar. Resc. in Conventic. Evag. Sacchin. in Hist. Ies. & alij.

In Germaniâ verò cùm in comitiis Imperij superiori anno Ratisbonæ cœptis, & præsenti finitis, inter alia decretum fuisset de colloquio ad Religionis controversias amicè dirimendas, ad mensem Augusti Wormatiæ inter Catholicos & Protestantes Augustanæ Confessionis professores, ceteris omnibus sectariis exclusis, instituendo: Convenientibus q ex utrâque parte duodenis, præfuit nomine Ferdinandi Regis Iulius Pflugius Episcopus Naumbergensis: cui additi assessores partim Catholici partim Confessionistæ. Collocutores erant, Catholici Michaël episcopus Merspurgensis, Delphius Suffraganeus Argentinensis; Canisius Societ. Iesu, Staphylus, & duo Theologi Lovanienses. Confessionistæ Melancthon, Schnepfius, Brentius, Rungius, Cargius, Pistorius. Cùm initio disputatum esset de Normâ Iudicij, ad quam res controversæ exigantur; (Catholicis præter Scripturam, eámque integram, Patrum & veteris Ecclesiæ unanimem interpretationem; Confessionistis solam Scripturam quam ipsi acciperent, per se ipsam expositam agnoscentibus:) déque peccato originali: ubi animadversum est, non omnes eamdem doctrinam sequi, monuerunt eos Catholici, declararent se à Zuinglianis, Osiandristis, Synergistis, Adiaphoristis, aliísque extra Confessionem Augustanam vagantibus dissentire, quandoquidem solis Augustanæ Confessionis sociis pax ab Imperio r concessa, & cum iis solis colloquium institutum esset. Unde orto inter eos dissidio, Schnepfius, Strigelius, Stosselius, juniorum Saxoniæ Ducum, filiorum Ioannis Friderici olim Electoris, Theologi, & cum iis Morlinus & Sarcerius, postulatam declarationem Pflugio præsidi facilè obtulerunt: septem verò reliqui Melancthon, Brentius, Bullingerus, Illyricus, & Augusti Electoris Saxonici Theologi, illos alios sectarios minimè damnari posse ante eorum causam cognitam contenderunt, atque illos quinque à se rejecerunt. Unde abruptum negotium est, cum magnâ Protestantium invidiâ; nescientibus jam Catholicis, utra illorum pars Confessionem Augustanam sequeretur, eò maximè quòd fuisset ea sæpiùs infecta & refecta. De cujusmodi dissensionibus præter auctorum narrationes, sunt etiam literæ s Ferdinandi Cæs. & Collocutorum Catholicorum. Narrátque insuper Rescius t, in eodem Colloquio visum esse Andream Schmidelinum in frequentissimo auditorio suggestum ascendisse, cum sago aulico paululùm infra genua, manicâ alterâ picturatâ circa sinistrum humerum exertis utrimque brachiis, & cum gladio venatorio ad latus. Non poterat decentiùs histrionicam religionem repræsentare. Hoc autem Colloquium cùm habitum fuisset absque ullâ Sedis Apostolicæ licentiâ, non solùm Paulus Pontifex aliquid indignationis in Ferdinandum cepit, verùm etiam Philippus t Rex misso ad eumdem Ferdinandum patruum pio quodam ac docto Theologo, benignè de illo eum monuit atque corripuit.

r Supr. an. 1555. III.

s Ap. Goldast. Const. Imp. tom. 3.

t Victorel. in Addit. ad Ciaccon. in Paul. IV.

XVI. Discordia Confessionistarum.

Post colloquium prodierunt scripta acerbissima, præsertim Nicolai Amsdorffij & Nicolai Galli, contra illos septem qui alios quinque rejecerant; quibus inter cetera exprobrârunt, quamvis publicis scriptis ij testarentur se ab Augustanâ Confessione nolle discedere, re tamen ipsâ ab eâ discedere, cum Zuinglianos & Osiandristas, aliósque ejusmodi hæreticos damnare nollent: nec de rebus levibus esse inter ipsos concertationes, sed de Lege & Evangelio, de Iustificatione & Bonis operibus, de Sacramentis & usu Cæremoniarum, quæ nullâ ratione componi & transigi possent. Post hunc autem conventum nulla deinceps extitit in Germaniâ publica inter Catholicos & Protestantes de religione disceptatio. Fer-

dinandus

dinandus quippe miti Princeps ingenio quietem magis quæsiit: & qui ei Imperatores successerunt, adeò viribus & opibus infirmi fuêre, ut tametsi Catholicam religionem profiterentur, tamen Imperij Principibus ac Civitatibus utramvis sequerentur liberum ferè reliquerunt. Fuerunt nihilominùs aliquoties privatæ inter nonnullorum Principum Theologos Catholicos & Protestantes collationes. Inter ipsósmet verò Protestantes & Zuinglianos, aliósque devios, numquam cessatum est, & conferre, & nihilominùs dissentire; verbis & scriptis sese mutuò confodere & dilacerare, ac nihilominùs concordiam mentiri.

XVII. Ioannis Regis Lusitan. obitus.

Hoc anno, tertio Idus Iunij, ut multi, seu ut quidam ponunt, ipsis omninò Idibus, *Ioannes* III. Rex Lusitaniæ Olysippone, post leves quasdam morbi tentatiunculas, apoplexiâ oppressus obiit, anno ætatis 55. regni 36. Princeps multis virtutibus præditus: qui dum ceteri Christiani Reges sese mutuis bellis conficerent, ipse cum omnibus pacem colens, regnum Dei per Asiam & Africam diligenter propagabat, Fidei magis quàm familiæ laborans. Sepultus est autem in monasterio Bethleemitico. Successítque in regnum *Sebastianus* ejus ex filio Ioanne prædefuncto & Ioannâ Caroli Imp. filiâ posthumus nepos, adhuc trimulus, sub tutelâ aviæ Catharinæ ejusdem Caroli sororis. Diximus superiùs [x] prædictum Regem Ioannem auxilia promisisse Buaçoni Fessano, adversus Mahometem Xerifium, à quo fuerat ex Africâ pulsus. Cùm [y] paulò pòst è Lusitaniâ solvens Buaço in Africam appulisset, fortè accidit ut Salaraisius, Solimani Turcorum Imp. nomine Iuliæ Cæsareæ præfectus, illàc cum 18. navibus egregiè instructis pertransiens, visis Christianorum navigiis, illa aggressus, post longam pugnam in potestatem suam redegerit, elapso Buaçone: qui cùm de Salaraisio conquereretur, quòd se contra Xerifium communem hostem bellum gerentem interpellâsset; ille vicissim Buaçoni verbis acerbissimis improperavit, quòd Christianis uteretur, cùm Turcorum vires ad manum haberet, quibus salvo decore ac conscientiâ honestiùs ac tutiùs uti potuisset. Compositis igitur rebus inter ipsos, Salaraisius pulso Xerifio Buaçonem Fessano regno restituit. Sed ab eo mox adversus, quòd Christianorum causæ in occulto favere diceretur, monito rursùm Xerifio ut Fessam tentaret, securitate à se promissâ: idem Xerifius ducto magno exercitu, cum Buaçone prælio conflixit: eóque occiso, Fessam nullo negotio recuperavit. Ipso verò etiam non ita pòst in peregrinatione Susianâ, Turcorum proditione confosso, (quod præsenti anno, menséque Septembri, contigisse volunt) Abdala ejus filius, nonnullis aliis superatis difficultatibus, paternum imperium pacatè obtinuit; quo tota utraque Mauritania Tingitana ac Cæsariensis, majórque pars Numidiæ, nempè Gætulia, comprehendebatur.

Sebastiani successio.

x An. 1550. VIII.

y Ludov. Marmol. Carvaial. Ant. Herror. & alij ex iis.

Turbæ Africanæ de imperio.

XVIII. De rebus Livoniciis cum Mosco.

Hoc eodem anno cœperunt res Livonicæ admodùm turbari à Ioanne Basilide Moscorum & Russorum seu Rutenorum Principe. Fuerant olim inter Basilium patrem ejus & Ordinem Livonicum, bella, fœdera, & induciæ, pro rerum ac temporum occasionibus. Cúmque ex fœderum legibus negotiatores Russi in civitatibus Livonicis, Rigâ, Revaliâ, & Derbato sive Torpato, templa sibi construxissent, in quibus ritu Græco, quem observabant, sacra facerent; admissâ semel in Livoniam Lutheranâ hæresi, cœptísque dirui templis Catholicorum, etiam ut perversa immanitas zelo pietatis duci videretur, fuêre Russica templa direpta, dirutáque à fundamentis; & quod Torpati erat, conversum fuit in foricam excipiendis excrementis ad majus ludibrium. Quâ injuriâ supra modum exacerbatus Basilius, ne eam ulcisceretur, ut facturum se dejeraverat postquàm quinquagenariæ induciæ, quæ à multo tempore inter ipsos pactæ fuerant, expirâssent, (summæ namque religioni Ruteni ducebant violare inducias) præveniente morte præpeditus est. Et quamvis Ioannes filius ejus haud placatiori videretur animo, Episcopi tamen Torpatensis, qui propior erat periculo, diligentiâ, ac solertiâ, exeuntibus paternis induciis anno 1550. inductus est ad quinquennales alias concedendas; his legibus, ut Moscorum templa Rigæ, Revaliæ, ac Torpati destructa reficerentur; tributum è provinciâ Torpatensi pendi olim, ut aiebat, solitum imposterùm sine fraude solveretur; & negotiatoribus suis liberum omnium rerum etiámque armorum commercium permitteretur, aliísque nonnullis querelis satisfieret: eáque si bonâ fide servarentur, induciis illis exactis, quindecim annorum pacem promittebat. Exacto quinquennio anno 1555. cùm nihil præstitum esset à Livonibus, nihilominùs petentibus iis rursùm pacem; intercedentibus ipsius Ioannis consiliariis, triennales iterùm promisit inducias iisdem conditionibus, & quòd ex provinciâ Torpatensi singuli homines quotannis singulas marchas Germanicas tributi loco persolverent; exceptis Catholicæ Religionis sacerdotibus, quos ab hâc præstatione exemptos volebat. Firmatâ conventione sacramento & osculo Crucis, ne tunc quidem aliquid præstitum est.

XIX. Legatio Livonum ad Moscum.

Quare cùm nihilo seciùs Livones hoc anno pacem denuò, missa fastuosa & splendidâ legatione, peterent; Móscus majori pompâ eam excipiens, in atrio auro undique resplendente, solio aureo cum regiâ coronâ & sceptro, pallâ sacerdotali indutus sedit; & apposita mensa deaurata, assidentibúsque ad latus sinistrum duodecim senioribus consiliariis cum aureis vestibus Leviticis, (ut est mos gentis in consiliis agitandis) & duobus interpretibus Germanicæ & Rutenicæ linguæ peritis superbè legatos interrogavit an pacem peterent. Respondentes illi se ad hoc venisse, simul duos scyphos deauratos à Torpatensi Episcopo & Magistro ordinis missos obtulêre. Quibus ille receptis, & in proximum triclinium deferri jussis, exprobrare cœpit perfidiam, qua toties pactas conventiones elusissent: & contrà majorum eorum pietatem, fidem, & heroicas virtutes commendare; à quibus ipsi degenerassent ita, ut omni cultu divino abrogato, basilicas evertissent, sacerdotes & monachos profligas-

sent, denique nullum pristinæ pietatis & religionis vestigium retinuissent; non illos esse Ecclesiasticos Principes, sed quibusvis barbaris profaniores, ac proinde indignos prorsùs quibus pax concederetur. Cùm illi subjunxissent, se majorum commentariis diligenter evolutis, & putatis rationibus, minimè comperisse ullum tributum à Livonibus Moscorum Principi deberi; quod autem pacem denegaret, de eo se apud Cæsarem, in cujus clientelâ essent, conquesturos: inde rursùs acceptâ occasione Moscus impietatem exprobrans, frustrà illos Cæsaris gratiam & opem imploraturos dixit, qui ejus imperia adeò procaciter contempsissent, quibus templa ac monasteria demoliri prohibuisset: Si tamen quadraginta millia Ioachimorum pro superiorum annorum debitis confestim solverent, & mille Hungaricos deinceps singulis annis pro ditione Torpatensi penderent, se pacem concessurum. Non habentibus illis; paucis pòst diebus renunciari eis jussit, se toties delusum perfidorum hominum ampliùs fidem sequi non posse. Menseque Novembri præsentis anni misso uno ex suis in Livoniam, bellum Magistro Livonum seu Teutonicorum Willelmo Furstembergio, Willelmo Archiepiscopo Rigensi, Hermanno Episcopo Torpatensi, ceterisque Episcopis atque universis Livonibus, exprobratis per epistolam superioribus perfidiis & impietatibus, indixit. Ac principio anni subsequentis misso exercitu trecentorum millium armatorum, universam provinciam Torpatensem horribili vastatione, cæde, igne, omni atrocitatis genere pessum dedit. Concessis deinde quatuor mensium induciis, cùm pecuniam paci redimendæ legati deferrent, ruptis interim aliâ parte à Livonibus induciis; excandescens, ut par erat ad tantam perfidiam Ioannes, & hæc omnia meritò ejuratæ antiquæ religioni, cum quâ simul omnem fidem ac pudorem exuissent, attribuens; legatis cum pecuniâ dimissis, alium exercitum remisit: qui Nerviâ expugnatâ, Torpatum quoque socordiâ & proditione Magistratûs hæretici, Episcopo Hermanno unà cum Ecclesiasticis & paucis civibus Catholicis vitam pro defensione civitatis profundere paratissimis, turpissimâ deditione, & Imperij ejuratione, obtinuit, totámque reliquam eam provinciam in potestatem accepit; Magistro Furstembergio ignavè fugam arripiente. Episcopus autem in suâ civitate captus, vinctus abductus est. Rem gestam descripsit qui vidit; ejúsque descriptio reperitur in Polonorum & Moscorum Historiis [z]: quam & plurimi alij auctores [a] prosequuntur. Repetitis frequenter ejusmodi incursionibus, misera Livonia tristi Moscorum servitute oppressa diù gemuit; donec in potestatem Regis Poloniæ transiit, ut videbitur suis locis.

Livoniæ vastatio a Mosco.

z Rer. Polon. to. 3. pag. 55. Rer. Moscovit. pag. 217. & ap. Schard. Oper. Hist. tom. 3.
a Tilman. Bredembach. Natal. Sur. Thuan. Neugebav. Chytra. &c.

Iesu Christi Annus 1558.

Pauli IV. Ann. 4.

Ferdinandi I. Ann. 1.

I.

Anni Christi millesimi quingentesimi quinquagesimi octavi, Indictionis primæ initium præoccupant sibi celeritate suâ Franci. Quippe ipsis Calendis [a] Ianuarij Dux Guisius cum suo exercitu Caletum ab Anglis detentum, inopinatâ, sed fortunatissimâ obsidione cinxit; ac vehementissimâ tormentorum quassatione, (quorum fragorem Antuerpiæ, quæ triginta tribus milliaribus Germanicis inde abest, auditum fuisse volunt) septimo pòst die, nempe sexto Idus Ianuarij ad deditionem compulit; Philippo Hispano Anglorum Rege, & urbis præfecto Comite Dumfortio, sive ut quidam vocant Wendfordio: quod ducentis decem antè annis Philippo Valesio Francorum Rege, attritis Cresciacâ pugnâ totius regni viribus, Ioannes Viennensis undique terrâ & mari pressus, annum ferè integrum contra Eduardum III. Regem tenuerat, & nonnisi extremâ fame coactus reddiderat. Quæ omnia gloriam Guisij longè augent: eóque maximè quòd feratur, [b], in arcis Caleti foribus summis carmen incisum fuisse ab Anglis, quo dicebatur, tum demùm Francum obsessurum Caletum, cum ferrum plumbúmve nataturum foret suberis instar, gloriaríque iidem consuevissent, se compedibus constrictam hâc munitione Galliam tenere; vel claves Galliæ se in cingulo circumferre. Ut non immeritò in ejusdem Guisij, ceterorúmque ducum, ac totius exercitûs laudem permulta composita fuerint totâ Galliâ poëmata, quæ ingens Regis regníque universi gaudium & lætitiam denotarent: ac præcipuè à Michaële Hospitalio posteà Galliæ Cancellario, Adriano Turnebo, & Ioanne Aurato professoribus regiis in Academiâ Parisiensi, Petro Ronsardo principe Poëtarum Gallorum, & aliis, qui Regi ac Guisio suas compositiones obtulerunt. Conditiones deditionis fuerunt; ut oppidani omnes cum uxoribus & liberis sine injuriâ dimitterentur, in Flandriam aut Angliam transmissuri: Dumfortius præfectus, & cum eo quinquaginta alij arbitrio Guisij, captivi retinerentur: ceteri milites in Angliam redirent: tormenta cum omni instrumento bellico, vexillis omnibus, commeatu, in oppido relinquerentur: omnis supellex, aurum, argentum, merces, equi, Guisij voluntati permitterentur. Guinâ deinde iisdem ferè conditionibus ad deditionem compulsâ, & Hamâ subripientibus se clàm Anglis derelictâ, nihil ampliùs totâ Galliâ in Anglorum potestate remansit. Qui fuit fructus denunciationis belli à Mariâ Reginâ Henrico Regi factæ, in gratiam viri sui Philippi; qui interim in vicino Belgio securè agens, spectatorem se otiosum hujus Anglicæ calamitatis exhibuit; jam sibi satis existimationi suæ victoriâ Laurentianâ prospexisse visus, nisi quòd tradunt, eum anteà uxorem ut sibi caveret à consiliis

a Belcar. lib. 28. Lud. Guicciard. lib. 3. Natal. lib. 11. Meteran. lib. 1. alij.

Caletum capitur a Guisio.

b Gest. Pontiff. Leodiens. tom. 3. in Robert. à Berg. cap. 1.

Quanta inde gloria Guisii.

Gallorum monuisse, auxiliúmque obtulisse; sed Anglos suspiciosos existimâsse eum Hispano astu ut Caletum interciperet, hæc fingere: qui nihilominùs Guinensibus laborantibus præsidium mittere non destitit; quod tantum profuit, quantum non missum Caleto. Sparsa verò per Italiam de Caleto recepto fama; non solùm cladis illius Laurentianæ oblivionem animis hominum induxit, sed & Gallis qui remanserant in defensione residui Statûs Senensis, & Duci Ferrariensi, ad majora audenda animos fecit; quousque idem Dux cum Philippo pacem iniit eâ conditione ut neutri parti addictus maneret medius.

II.

Henricus Rex gratiis Deo actis de recuperatione Caleti, illud invisit, eique Thermeum præfecit. Nivernensis posteà aliquot ad Arduennam Silvam castra cepit: Guisius etiam unà cum eodem, inter cetera magna momenti Theodonis-villam, mense Iunij. In quâ obsidione Petrus Strozzius Marescallus bellator egregius sclopeti glande percussus obiit: (in cujus locum suffectus est ad id munus prædictus Thermeus, æquè dux præstantissimus,) & Blasius Monlucius præfectum peditatûs Gallici egit; hoc munere à Rege donatus loco Francisci Colinij Andeloti fratris Admiralij: qui cùm in suspicionem vocatus hæresis Calvinianæ, à Rege interrogatus fuisset, quid de sacra Liturgiâ, seu Missa, sentiret, illéque audaci non minùs quàm blasphemâ responsione, impiam se illam existimare dixisset; excandescens propterea in eum Rex, vixque sibi ab ejus nece propriâ manu inferendâ temperans, in carcerem detrusisset, charum alioqui Regi, tum quòd eumdem adolescentem educâsset, benéque meritus de regno esset in rebus bellicis; tum quòd nepos existeret Monmorantij Connestabilis, qui omnia apud Regem poterat tam per se quàm per Dianam Pictaviensem. Cum enim jam sensim inter ipsa supplicia serperet hæresis Calviniana per Galliam, fratres Colinij, sive Castilionei, præ ceteris eâ infecti, plurimos exemplo, & auctoritate, atque hortationibus corrumpebant: adeò ut non solùm Gaspar Admiralius fratrum primogenitus principem se posteà gesserit factionis Hugonoticæ, verùm etiam Odettus Cardinalis alter frater depositâ purpurâ palàm fidem abjuraverit: Francisco eadem quâ Gaspar ferocitate & feritate in Catholicos sæviente, ut videbitur deinceps. Hoc verò ipso anno factus est non parvus tumultus Parisiis, ob cantum psalmorum publicè ab hæreticis usurpari cœptum: non sanè Davidicorum, ut ipsi mentiuntur, sed vernaculorum rhythmorum Maroticorum & Vesanorum; quos impurus ganeo *Clemens Marotus* Cardurcensis, lascivus scurra, & petulantissimus nebulo; ac *Theodorus Beza* haud illo purior, continentior, aut modestior; pro Davidicis hymnis obtruserunt, mille falsationibus, corruptionibus, additionibus, detractionibus, ad suas ineptias & scurriles facetias detortos, & dulcibus modis musicis ad inescandas his illiciis plebes donatos. Cujus hæreticorum audaciæ Rex certior factus, non solùm ejusmodi cantus edicto prohibuit, verùm etiam nonnullos iis utentes castigavit. A quo cum propterea tunc cessatum esset, non ferens hoc Calisa Calvinus, qui interim Genevæ securus agens eam civitatem pro imperio regebat, variis scriptis epistolis [c] pudendam ignaviam, ut vocat, & pusillanimitatem eorum acriter arguit, qui propter quasdam minas ab ejusmodi cantibus abstinerent. In quibus cum fuissent etiam immixti Antonius Rex Navarræ, atque ejus coniux Ioanna, mitius cum hujusmodi cantilenarum incentoribus & succentoribus actum est.

Coliniorum Fratrum corruptio in religione.

Psalmi Calvinianorum quales.

c Calvin. ep. 281.282.&c.

III. Gallorum clades Gravelingana.

Quod cetera bellica attinet; cum non pauca alia prosperè Guisius ageret, Thermeus Marescallus in Morinis capta Dunkerkâ maximam prædam servare cupiens, in reditu ad Gravelingam ab Egmondano Regis Philippi duce gravissimâ clade affectus vulneratúsque, unà cum pluribus aliis in hostium potestatem venit. Ita ut videretur alternare fortuna, & nunc his nunc illis favens rem ad pacem præparare: quæ inter duos potentissimos exercitus, quos Reges in castris haud longè habebant, hoc anno per delegatos ab utrâque parte ad Cercampum cœnobium agri Cameracensis tractari cœpta, (Monmorantio, qui ei favebat, huc illuc commeare permisso) & Mariæ Reginæ Angliæ obitu interrupta, in sequentem annum rejecta est: conventione tamen interim factâ, ut quoniam rei quæ agebatur parum convenire videretur ut infesti exercitus adeò vicini permanerent, copiæ utrimque dimitterentur: quod etiam præjudicio Henrici Regis factum est, cum essent ejus copiæ longè Philippicis potentiores.

IV. Nuptiæ Delphini cum Maria Regina Scotiæ.

Celebratæ fuerant intereà Parisiis 13. Cal. Maij, (sive 8. ut quidam habent) magnificentia Gallicâ, nuptiæ inter Franciscum Delphinum, annos quindecim & tres menses agentem, quippe natum 13. Cal. Febr. 1543.) & Mariam Reginam Scotiæ quadraginta quatuor diebus illo majorem, natam videlicet 7. Id. Decemb. 1542. elegantissima formâ & insigni pietate virginem. Interfuerunt delegati ex Scotiæ tribus Ordinibus viri præcipui. Quibus in patriam regressis, (nonnullis tamen in Galliâ defunctis, cum aliquâ suspicione veneni: quam hæretici, aliique Gallici nominis & familiæ Guisiæ osores, in eosdem Guisios rejecerunt, quòd esset Regina Maria ipsorum neptis, illi autem defuncti, prudentissimi juxtà & patriæ suæ ejúsque jurium studiosissimi) obtentum est per legatos regios cum eis in Scotiam missos, ut corona regni Scotici aliàque insignia Delphino decernerentur: qui exinde de patris consensu Rex-Delphinus appellatus est. Quod cùm Philippo Hispano in Angliâ negatum fuisset, obtinuit vetustissimum fœdus inter Gallos & Scotos stabilitum, ut favorabiliùs cum Delphino ageretur. De hoc tamen fœdere nuptiarum doluerunt vehementissimè hæretici in Scotiâ, à potentiâ Gallicâ & zelo Guisiorum sibi timentes. Qui nihilominùs, ut nihil est hæresi audacius & insolentius, dum hæc in Galliâ gererentur, altiùs erigentes capita, religionem Catholicam, quam anteà oppugnabant dumtaxat, jam planè evertere cœperunt. Quidam enim Paulus Messenius pistor, Harlaus sartor, Ioannes Douglasius sive

Hæreticorum in Scotia insolentia.

Grantius ex Carmelitâ factus apostata, aliíque ejusmodi audacissimi homines, concionandi munus sibi arrogantes, adeò plebem petulantissimis suis clamoribus perverterunt, ut non solùm Ecclesiæ; verum etiam Magistratuum politicorum auctoritatem contemnerent, ac contererent; despectáque insuper Reginâ matre, eadémque regni regente, seditiones passim concitarent. Adeò ut cum Calendis Septembris, qui dies honorem S. Ægidij colitur, fieret Edimburgi, ubi ut patronus urbis colitur, de more solemnis supplicatio atque processio cum delatione Imaginis Sancti, iidem sceleratissimi nebulones Imaginem vi abstulerint & comminuerint. Quod cum Leslæus [d] Episcopus Roffensis simplici narratione in suâ Historiâ insinuet ferè magis quàm describat; id ridiculus Buchananus [e] juxta ac virulentus, histrionicè tanquam in theatro repræsentavit: quo neminem inter alicujus nominis historicos hæreticos, reperias calumniosiorem, falsariorem, impudentiorem, omnísque politiæ & superioritatis, maximéque regalis inimiciorem: in tantum ut fuerint posteà ejus scripta in ipsâmet Scotiâ, & ab ipsismet hæreticis in eâ dominantibus, regiâ auctoritate prohibita. Et tamen habetur in pretio; sed apud illos, quibus hi putores benè olent.

[d] Lesl. Hist. Scot. lib. 10.
[e] Buchan. lib. 16.

BUCHANANI IMPUDENTIA.

V. MARIÆ REGINÆ ANGLOR. OBITUS.

Mortuâ inter hæc *Mariâ* Angliæ Regina decimoseptimo Calendas Decembris, anno regni quinto mense quarto, ætatis anno circiter quadragesimo quarto, ex aquâ intercute, (ex quâ initio cùm tumentem alvum gestaret, prægnantem se esse existimaverat, ob ídque nulla remedia adhibuerat; unde in febriculam incidens, eâ sensim crescente tandem absumpta est: accedente ad hæc Caleti amissi mœrore, & quòd à viro suo negligeretur:) eadem alia *Maria* Scotiæ Regina, agente Rege Henrico, se statim pro herede gerens, titulos & insignia Regum Angliæ assumpsit. Quod prædictus calumniator Buchananus Guisiorum ejus avunculorum consilio adscripsit, qui hoc vanitatis genere plurimùm splendoris Gallico nomini se adjecisse videri voluerint. Quasi verò non perquàm legitimè ad Mariam Scotam, post Mariam Anglam, pertineret regnum Angliæ, potiùs quàm ad *Elisabetham*, cui delatum est ab Anglis; quæ in pellicatu nata; non poterat, etiamsi quammaximè jussisset pater, voluissentque regni Ordines, nisi contra jus omne fásque, exclusâ legitimâ herede, (de cujus juribus dictum aliàs) in regnum introduci. Introducta est tamen quantocyus, (quæ hactenus velut in custodiâ detenta à sorore fuerat) ne per Mariam Scotam Anglia in jugum Francorum transiret. Quæ annos tunc nata viginti quinque, literis etiam politioribus exculta erat, & linguarum Latinæ, Italicæ, Gallicæ perita, quibus feminæ quævis nullo damno carere possunt; sed hæresi infecta, quæ animas perdit tam feminarum quàm virorum: digna autem magis ceteris virtutibus eo culmine, quàm natalibus. Nam quod religionem attinet, quamdiù Maria ejus soror vixit, ipsa se Catholicam semper finxit. Quæ posteà verita [f] nequa etiam controversia ei fieret ex legibus Ecclesiasticis de natalibus juréque regnandi; ut ab eis se eximeret, de mutandâ religionis formâ per Mariam stabilitâ primo quoque tempore cogitavit: de quo dicetur anno subsequenti. Initio verò nonnisi liberum unicuique religionis arbitrium permisit.

MARIA SCOTA SE ANGLIÆ REGINAM DICIT.

ELISABETHA INTRUDITUR AB ANGLIS.

[f] Sander. de Schism. lib. 3.

VI. POLI CARDIN. OBITUS.

Quam posteà mutare facilius inde quoque extitit, quoniam ille cujus præcipuâ curâ & prudentiâ religio stabat in Angliâ, *Reginaldus Polus* Cardinalis & Archiepiscopus Cantuariensis, cùm jam ante Mariæ Reginæ mortem quartanâ febre duplici ad summam corporis imbecillitatem redactus fuisset; Reginæ mortis nuncio tanquam telo mortifero confixus, horis circiter sexdecim post eam obiit, ætatis anno quinquagesimo octavo, mense sexto: vir, (præter illa quæ jam de ipso sæpiùs diximus) quem & ipsi hæretici [g] Angli pietate, doctrinâ, integritate, modestiâ, mansuetudine, & moribus placidissimis, prudentiâ, & in rebus gerendis dexteritate, insignem prædicant, Testamento condito, quod extat pium valdè) bona sua legavit Aloisio Priolo patritio Veneto veteri amico & familiari: qui omnia in pios usus erogans, nihil inde sibi retinuit præter Breviarium ejus & Diurnale. Vitam ejus scripsit Italicè Ludovicus Becatellus Archiepiscopus Ragusinus; quam Latinè reddidit Andreas Dudisius Tininensis Episcopus. Elogia item conscripserunt Garimbertus Italicè, Petramelarius Latinè. Ex quibus omnibus pauca, sed solida retulit Victorellus in Additionibus ad Ciacconum. Scripta verò extant, recensentúrque in Nomenclatore Cardinalium. Corpus capsæ plumbeæ inclusum, & Cantuariam delatum, in sacello S. Thomæ conditum est, hoc tantùm brevi & simplici epitaphio, *Depositum Cardinalis Poli*.

[g] Goduin. de Præsul. Angl. in Archiep. Cantuar. Canden. in Hist. Angl.

VII. PAULI PP. CONSTITUTIONES.

Mensis Ianuarij octavo Iduum Paulus Pontifex constitutionem [h] edidit, quâ festum diem Cathedræ Sancti Petri Apostoli quando Romam primùm venit, ad decimumquintum Calendas Februarij, qui antiquitùs in Romanâ Ecclesiâ celebratus [i] jam exoleverat, restituit. Ad finem verò anni, nempè decimoseptimo Calend. Ianuarij, aliam constitutionem [k] condidit; quâ dicens, se vivente, & inconsulto plures S. Petri Sedem in dies ambire, & conventicula desuper facere, atque ad hoc suffragia Cardinalium prensare; (fuisse has machinationes Hispanorum, Pontificem accusantium quòd totus Gallus esset, quæreretque regnum Neapolitanum Imperatori auferre, tradunt [l] auctores) antiquas omnes contra ejusmodi nundinationes promulgatas leges & constitutiones, pœnásque atque censuras, tanquam in læsæ majestatis in primo capite, & simoniacæ hæresis reos, latas confirmans & innovans, cunctos qui id attentare auderent, cujuscumque conditionis, dignitatis, aut sublimitatis Ecclesiasticæ vel sæcularis essent, eorúmque complices, fautores, auxiliatores, iisdem pœnis ipso facto incurrendis, & depositioni ab omnibus dignitatibus, beneficiis, bonis, dominiis, feudis, regnis, Imperiis, subjecit.

[h] Bullar. t. 1. Paul. IV. const. 13.
[i] Vid. Baron. in Not. ad Martyrol. 18. Ianuar. & Annal. t. 1. an 45. in pr. Epist. nostr. to. 1. eod. an.
[k] Bullar. lib. const. 16.
[l] Vid. Duchesn. in Hist. Pontiff. in Paul. IV.

VIII. FERDINANDUS RECIPIT

Mense Februario convenientes Francofurti ad Mœnum, unà cum Ferdinando Romanorum Rege, Electores Imperij, renunciationem Caroli, per legatos Aurangium, Seldium,

&

tur in Imperatorem.

& Hallerum, allatum receperunt 6. Cal. Martij die S. Matthiæ Carolo in plerisque faustissimo: ac post deliberationem conditionum, quibus Electores Romanorum Regem obstringere consueverunt, pridie Idus Martij Imperij majestatem in eumdem Ferdinandum solemni cæremoniâ transtulerunt; eidémque uti Imperatori fidem & obedientiam jurârunt annum tum agenti ætatis 55. Qui ut suam erga Sedem Apostolicam observantiam receptâ ab antiquo consuetudine testaretur, Martinum Gusmanum, nobilem Hispanum, supremum camerarium, ad Paulum Pontificem legavit, qui eum de omnibus certiorem faceret, debitam reverentiam, & defensionem ac patrocinium more majorum sponderet; significarétque non prætermissurum Cæsarem quin primo quoque tempore, secundùm receptam consuetudinem, honorificam legationem ad ipsum Pontificem & Sedem Apostolicam pro petenda coronatione decerneret. At Pontifex dignitatis suæ studiosissimus, re cum Cardinalibus communicatâ, objecit renunciationem Imperij non potuisse fieri nisi in manus suas; qui ejus causis consideratis, de successore decernere deberet; ad quem scilicèt Imperium rediisset: (quod etiam Franciscus Commendonus posteà Cardinalis erudito scripto comprobare conatus est:) Electoribus quidem factam esse potestatem deligendi Imperatoris, sed in demortui tantummodò locum, non autem in casu renunciationis: ac propterea tam Caroli renunciationem, quàm Ferdinandi subrogationem jure nullam esse, quæ facta esset absque ullâ Sedis Apostolicæ auctoritate & interventu; cùm & prætereà res acta Francofurti fuisset suffragiis Electorum hæreticorum, qui omni auctoritate & potestate deciderant: ideóque mittendum esse à Ferdinando procuratorem, qui omnibus Francofurti actis renunciaret, rémque omnem Pontificis arbitrio permitteret, qui eam quamvis non ritè factam plenâ potestate confirmaret. Quâ in sententiâ firmatus Pontifex, cùm nec per oratores Philippi Regis, nec per Venetos, ab eâ dimoveri posset; id ubi ex literis Gusmani Ferdinandus audivit, Gusmano rescripsit, ut nisi post triduum ab accepto mandato à Pontifice admitterentur, Româ discederet, denunciatione factâ; Ferdinandum re cum Electoribus communicatâ id facturum quod Imperiali dignitati convenire visum foret. Instante igitur Gusmano, tandem obtinuit, ut non publicè, sed privatim coram paucis Cardinalibus audiretur. Ad quem excusans Pontifex difficultates propositas, dixit se propediem legationem eâ de re missurum ad Carolum Imp. atque intereà permittere se ut Gusmanus protestatione quam vellet factâ ad Ferdinandum rediret. Quod & ipse fecit. Ac Pontifex, quamvis defuncto proximo mense Septembri Carolo, nihilominùs in sententiâ suâ quoad vixit perstitit. Post cujus obitum, qui contigit mense Augusti anni consequentis, Pius IV. ejus successor Ferdinandi Cæsaream dignitatem comprobavit. Quæ omnia breviter à nobis relata, fusiùs tractantur ab Willelmo Godelevæo [m] Historiâ de Abdicatione Caroli; & Electione Ferdinandi, ex quo plerique alij exscripserunt.

Id Pontifex improbat.

[m] Ext. to. 2. Oper. Hist.

IX. Caroli Imper. obitus.

Quod ad mortem Caroli attinet, contigit illa ex acutâ febri ad lentam tabem accedente, in ipsius secessu, die 21. Septembris S. Matthæo Apostolo sacro, (cum natus fuisset anno Domini millesimo quingentesimo die S. Matthiæ itidem Apostoli) anno ejus ætatis quinquagesimo octavo, mense septimo minùs tribus diebus, quam præcessit cometa Idib. Augusti sub comâ Berenices, caudâ ad Hispaniam directâ, qui paulatim ad ortum vergens Nonis Septembris evanuit. Fuit magnus planè Princeps, pietate, religione, temperantiâ, justitiâ, prudentiâ, præsentiâ animi in periculis, mirâ in adversis patientiâ: natus omninò ad imperium Europæ, nisi Reges Galliæ obstitissent; quorum odio, necnon versutiis quibus frequenter usus est in rebus cum iis & aliis gerendis, ipse sibi longè plus nocuit quàm ceteris. Non retractamus quæ de eo dicta sint singulis propemodùm annis. Sed qui ea consideraverit juxta rerum ab eo gestarum veritatem, uti nullum dubium est quin magnis eum laudibus dignum judicaturus sit; ita facilè assentietur, non sine assentatione repræsentari ab Hispanicis auctoribus, Salomone sapientiorem, Iulio Cæsare fortiorem, Augusto feliciorem. Nisi quòd sapientiam, fortitudinem, & felicitatem metientes ad regulam Christianitatis, omnino asserimus, secessu illo suo, quo mundum pede calcans, séque ipsum exinaniens, animæ purgationi, & divinarum rerum contemplationi, biennio vacavit, exhibuisse sese in singulis iis virtutibus longè iis omnibus præstantiorem. Mortuus est autem pientissimè, receptis omnibus sacramentis, & manu imaginem Crucifixi tenens, dictis iis verbis expirantis Domini, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, placidissimè expiravit: præsente *Bartholomæo Carranzâ* à Mirandâ, Archiepiscopo Toletano Ordinis Dominicani, loci Ordinario, qui auditâ ejus infirmitate accurrerat, & pridie obitûs advenerat; summâ ejus, ut quidam scribunt, consolatione: cùm tamen Sandovalius in ejus Vita scribat, vidisse quidem Carolum Mirandam, sed nihil cum eo locutum esse, quamvis priùs desiderasset eum interrogare de quibusdam ejus opinionibus alienis à fide. Econtrà verò Campana in Vita Philippi ejus filij scribit, Carolum gratias ei egisse de adventu ad ipsum in tali necessitate, & confessum ei esse sua peccata sacramentaliter; atque Eucharistiam de ejus manu sumpsisse; ac multa spiritualia colloquia cum eo habuisse usque ad transitum. Quod & nos verum putamus, cùm plures id asserant: sed Sandovalium, qui nonnisi laudes Caroli prosequitur, timuisse ne si diceretur Carolus sacramenta in fine à Miranda, qui posteà) ut videbitur) infamatus est de prava doctrina, suscepisse, & extrema verba cum eo habuisse; id in Caroli dedecus, ac quoddam animæ periculum verteret.

De Bartholom. Carranza Archiepiscop. Toleti.

X.

Corpus ejus translatitio funere conditum, posteà in S. Laurentij translatum fuit curâ Philippi filij: qui interim ejus exequias magnificentissimè celebravit Bruxellæ, ubi tunc agebat: multi pluribus locis orationibus funebribus cumulatissimè laudarunt, quarum

non paucæ extant; præter amplissima ceterorum auctorum encomia, & Vitam ab Alfonso Ulloâ Hispano (Italicè tamen) ex diversis auctoribus collectam; necnon à Ludovico Dulci multis demptis superfluis accuratiùs descriptam; & ab aliis pro magnitudine & amplitudine argumenti non leviter pertractatam. Filium unicum ex legitimis nuptiis reliquit *Philippum* Regem: filias Mariam Maximiliani, & Ioannem Principis Lusitani conjuges. Ante matrimonium ex furtivo concubitu habuit Margaritam Octavij Farnesij Ducis Parmensis uxorem; & in viduitate ex feminâ Ratisbonensi Ioannam Austrium, bello clarum, de quo posteà. Extant præclarissima monita, olim eidem filio suo impertita, de optimo modo regna sua administrandi pace bellóque, & cum Romanis Pontificibus, Regibus Galliæ, ceterísque Principibus majoribus & minoribus agendi. Mortíque proximus codicillum fecit; quo repetens quod priùs monuisse aliàs [n] vidimus, ac præfatus putare se nonnisi ob justas causas Navarram à Ferdinando Aragonio avo in potestatem redactam fuisse; nihilominùs ut iis quibus adempta erat, de eâ satisfieret, Philippum filium rogabat: iis tamen conditionibus, quæ sive jam tunc eo consilio appositæ, sive posteà subtiliùs quàm bona fides patiebatur, favorabili interpretatione detortæ, rem inutilem hactenùs reddiderunt: reddéntque in æternum, nisi melioribus artibus repetatur quàm amissa est. Finxerunt idipsum & alij subsequentes [o] Reges, sed nonnisi ad suam ipsorum condemnationem, si illegitimè possideant: si verò legitimè, quid opus ejusmodi scrupulorum anxietatibus?

[n] *Vid. an. 1512. XXIX*

DE NAVARRA QUID STATUERIT.

[o] *Vid. in f. an. 1561. VI. VII. 1598. XII.*

XI. ORATOR HISP. CONTENDIT VENETIIS DE PRIMO LOCO CUM GALLO.

Quo tempore Carolus in secessum suum iturus erat, ut principem locum, quem ipsius orator Franciscus Vargas apud Venetos Cæsareo nomine tenuerat, etiam Philippo filio conservaret; eumdem Vargam ab eâ legatione anteà revocatum, rursùm Venetias cum suo tum Philippi filij nomine eodem munere apud Rempublicam functurum remisit. Is cum eum locum apud Senatum urgeret, in prejudicium oratoris Gallici, cui ab omni ævo princeps locus absque ullâ controversiâ delatus fuerat post oratorem Imperatoris; Dominicus Lodevensis Episcopus Galliarum Regis orator, Vargæ nisibus obnitens, astum hunc callidum esse questus est, ut Galliæ Regem qui ceteros vel antiquitate, vel dignitate, vel titulis antecelleret, Philippus præiret: se itaque numquam de suo jure quicquam remissurum, neque solemnibus diebus à latere Ducis Venetiarum discessurum, contestatus est. Ac nihilominùs decernente Senatu, nequid gravius accideret, ut proximo tunc festo S. Marci à publicis cæremoniis abstinerent; toto illo anno, nempè superiori, res ita indecisa permansit. At cùm à Ferdinando hoc anno, post suam in Imperatorem evectionem, legatus Venetias accessisset, eâ ex re opportunitatem nactus Franciscus Noallius Aquensis in Tarbellis Episcopus, in Lodevensis defuncti locum orator suffectus, vir rerum agendarum peritiâ clarus: ut sibi quem semper Cæsaris oratori proximum locum obtinuerat, à Senatu permitteretur, flagitavit, ne priscum Gallorum jus cunctatione vel adimeretur, vel in dubium vocaretur. Vargas econtrà præire se merito sui Principis debere contendit; quippe quem tot regna ac provinciæ supra ceteros Reges eveherent, Angliáque dotali jure accessisset, cujus Reges Franciæ titulos sibi adscivissent: nec si superiori tempore proximum Cæsaris legato locum Gallus obtinuerit, id nunc quoque servandum esse, cùm rerum vices ac temporum conditiones mutatæ essent: denique considerandam egregiam Philippi in Rempublicam voluntatem, quam omnibus benevolentiæ officiis, copiis, classe, viribus, patefacturus esset.

XII. IUDICIUM SENATÛS DE PRÆCEDENTIA GALLI.

Cùm nihil verborum & artis Vargas omisisset, quo rem obtineret; & exacerbatis utrimque animis, majoribus in dies illa difficultatibus involveretur, atque æqua Gallorum postulata Senatui viderentur: is retinendum in priscâ possessione Gallum censuit, ut quod omnium memoriâ semper observatum fuerat, Gallus orator Hispanum præcederet. Quo sanè prudentissimo judicio (inquit Menochius [p] Iurisconsultus) factum est, ut Rex Hispaniæ conqueri non potuerit, cùm id placuerit Senatui, quod etiam olim Regibus Hispaniæ placuisset. Iuxta id etiam quod Baldus [q] censuit, Consuetudinem assignare loca sedendi, & standi, & non debere præposterari. Quare & Senatus, cùm eo decreto Vargas magnam Philippo injuriam illatam conquereretur, respondit, non satis se videre quâ ratione Gallis oratoribus, quem sui Reges semper retinuerant, locus pernegaretur; quippe qui post Cæsaris legatos, uti complura, eáque prisca, pacis, fœderum, publicorúmque gestorum monumenta testarentur, reliquos Christianos Principes prægressus esset: neque eo quicquam de Philippi juribus detractum, aut imminutum esse: uter maximorum Regum præiret, neque ad se spectare, neque decrevisse, sed tantùm, ut quem semper post Cæsaris legatos Gallus locum obtinuisset, in ejus possessione perseveraret. Verùm quàm credi par erat, altiùs Philippi animo, cùm id rescivit, vulnus hærere visum est, quòd inde nonnihil de suâ detractum dignitate videretur. Quem lenire conatus Michaël Surianus Reipublicæ apud eum orator, vir singulari prudentiâ, acri & expedito ingenio, ac Senatûs decretum tueri; acriùs illud cum Albano Duce aliísque Philippi consiliariis propugnavit: adeò ut maturiùs rem expendentibus primus animorum ardor sensim tepescere atque elanguescere visus sit. Attamen Philippus, Vargam paulò pòst Romam ob Ferdinandi cum Pontifice negotium proficisci jubens, satis manifestavit intimos animi sensus se diutiùs cohibere non potuisse; quamuis Vargas ad obeundam rursùs legationem se rediturum, Ioanne Hernando ab epistolis intereà relicto, constanter affirmâsset. Rem tractant duo nobiles Rerum Venetarum scriptores patritij, Petrus [r] Iustinianus breviùs, Andreas [s] Maurocenus uberiùs, æquitatem decreti Senatûs propugnans. Idémque Ioan. Bapt. Hadrianus [t] in Historiâ sui temporis cum elogio scripsit. Observátque insuper Natalis [u] Comes, & ipse Venetus, eo-

[p] *Menoch. consil. 139.*

[q] *Bald. in c. cùm olim de consuet.*

[r] *Iustin. lib. 14.*
[s] *Mauroc. lib. 8.*
[t] *Hadr. lib. 17.*
[u] *Natal. lib. 11.*

dem

dem quoque tempore natam esse eamdem controversiam inter Regum Poloniæ & Lusitaniæ, Ducum Florentiæ & Ferrariæ, Urbini & Mantuæ oratores.

XIII. Episcopi Herbipol. cædes.

In Germaniâ decimoquinto Aprilis *Melchior Zobellus* Episcopus Herbipolensis sive Wirceburgensis, Franciç Orientalis Princeps, vir laudatissimus; & domi forisque inclytus; in civitate suâ, dum è causis audiendis, uti consueverat, ad arcem rediret, à quindecim equitibus armatis ictu scopleti vulneratus, priusquàm ad arcem pervenisset, expiravit, absolutione priùs à superveniente presbytero acceptâ. Quod inauditum jam à multis sæculis in Germaniâ facinus, ab hoc tempore tantum viris principibus terrorem incussit, ut qui antè benevolentiâ ac fide suorum se satis tutos existimabant, jam de conducendo satellitio cogitarent. Aufugientibus sicariis, cùm diu auctor sceleris ignoratus fuisset; denùm Christophorus Kretzenus Guillelmi à Gumbach emissarius, insimulatus ejus est; ob idque anno sequenti Augustæ in comitiis publicè proscriptus, post multa latitationes comprehensus est. Dignas tamen sceleris pœnas, quas publicè subiturus erat, dormientibus custodibus sibi laqueo guttur frangens antevertit; animam unà cum corpore in æternum perdere eligens, quàm brevi ignominiâ salutem mercari. Causas autem perpetrati sceleris Grumbachius prætexebat, quòd Episcopus legatum decessoris sui uxori ejus factum non solvisset; (videlicèt quòd plus legatum esset, quàm per leges capere ei liceret) eumdémque cum Alberto Marchione grassantem, & ditionem Herbipolensem incendiis ac direptionibus pessumdantem, bonis exturbâsset. Extat [x] rei gestæ historia prosâ & carmine tunc scripta. Grumbachij verò proscripti causa pluribus annis agitata fuit: ipséque scelera sceleribus cumulans, non parvos in Germaniâ tumultus excitavit, Herbipoli quoque occupatâ, & canonicis ad secum paciscendum vi compulsis; ac nihilominùs Episcopo Zobelli successore eum acriter persequente: donec bello publico Gothano dicto, contra Io. Fridericum Saxoniæ Ducem, Grumbachij fautorem decreto, atque confecto, anno 1566. captus, ejus sceleris plurimorúmque aliorum convictus, vivus sectus est in quatuor partes.

[x] Ap. Schar. Oper. Hist. to. 3. & 4. & in reb. gest. sub Maximil.

XIV. Iulij-Cæsaris Scaligeri obitus.

Inter viros autem doctrinâ illustres, qui hoc anno è vivis abierunt, facilè eminet *Iulius-Cæsar Scaliger*; criticus Grammaticus acerrimus, poëta excellens, philosophus eruditissimus & acutissimus, medicus solertissimus. His enim solidis artibus longè laudatiorem putamus, quàm propriâ ipsius jactantiâ de natalibus, de gestis bellicis, de aliis dotibus, quas sibi ipse affinxit, & nescio quâ facili & inexaminatâ crudelitate pluribus persuasit: quousquè detecto fuco, mirati sunt omnes tam pronos se fuisse ad tantam delusionem. Retulit Lipsius [y] epistolam ipsius Iulij ad Ferrerium intolerabili vanitate scriptam; quam nemo alius poterat scripsisse; nemo unquam poterit absque nauseâ vel indignatione legisse, qui non eâdem vertigine laboraverit. Nec potuit aptiùs imposturam ipsemet detegere. Ut quid enim, si Scaliger Veronensis fuisset, & tot facinora bellica præstitisset in oculis totius orbis, quæ jactat; erant illa, tanquam omnibus incognita, ex profundâ oblivione revocanda? Aut si Scaliger Veronensis erat, & tot facinora bellica præstiterat; quæ eum commendatissimum reddidissent apud summos quosque Reges, ut ipse jactat; quæ vilitas animi, ut in tot bellorum toto orbe occasionibus, confugerit ad exercitium medicinæ in adeò longinqua loca? Hæc quidem nobis satis; plura alij. Dicitur [z] composuisse librum Epigrammatum ac Poëmatum sacrorum in honorem Sanctorum; qui suppressus sit ab hæreticis Calvinianis; à quibus etiam varia alia ejusdem poëmata, alioqui pura, fuerint pluribus errorum labibus inquinata; quin etiam carmina quædam integra, quæ ipse non scripsit, intermixta: unde factum sit ut unà cum commentariis ejus in Theophrastum, prohibita sint in Indice Rom. donec corrigantur. Obiit autem Aginni in Aquitaniâ, ubi medicum agebat, 12. Calendas Novembris, ætatis anno septuagesimo quarto; mense quinto, die vigesimo septimo, natus nono Calendas Maij anno 1484. Duos filios post se reliquit, *Silvium*, qui eamdem quam pater medicinæ artem ibidem exercuit: & *Iosephum*, tympanum illud orbis; doctum & illum quidem Grammaticum, & ingenij acumine sublimem, sed qui arroganti omnium scientiarum & linguarum ostentatione, doctis probavit, in earum singulis longè minorem se fuisse quàm magnus videri voluit. Sed hæc fuit sæculi infelicitas; ut qui in castris hæreticorum militarent, quamvis inferioris notæ essent homines, plures tamen nanciscerentur adulantes buccinatores; quàm qui melioris inter Catholicos reperirentur, justos laudatores.

[y] Lips. Epist. miscell. cent. 2. ep. 46.

[z] Possevin. in Appar.

XV. Fernelij et Tiraquelli obitus.

Mortuus item est hoc anno Lutetiæ excellens alius Medicus Gallus, *Ioannes Fernelius* Ambianus, regius archiatros, ætatis anno quinquagesimo secundo. Et sub exitum anni itidem Lutetiæ *Andreas Tiraquellus*, Fontenaij in Pictonibus natus, tum vario literarum genere excultus, tum celebris Iurisconsultus, primùm in Senatum Burdegalensem, deinde in Parisiensem cooptatus: quem tradunt æquè ingenij ac corporis numerosâ prole fecundum, singulis annis singulos libros ac liberos Reipublicæ dedisse.

Iesu Christi Annus 1559.

Pauli IV. Ann. 5.

Ferdinandi I. Ann. 2.

I. Paulus Pont. nepotes a Curia pellit.

Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, Indictione secundâ, Romæ Paulus Pontifex [a] raro justitiæ & æquitatis exemplo, cognitis quæ sibi de pravis operibus fratris filiorum delata fuerant, die vigesimo sexto Ianuarij frequenti Cardinalium consistorio, Cardinalem Carafam à Legatione Bononiæ, & omni rerum administratione summorum, Lavinium rele-

[a] Onuphr. in Vit. Paul. IV. Natal. lib. 12.

gavit: Ioannem ejus fratrem Paliani Ducem, abrogato ei exercitûs Ecclesiastici imperio, & triremium præfecturâ, Galesium se recipere jussit: Marchionem Montisbelli custodiâ Palatij Apostolici privatum, in suum castellum remisit, feminis etiam omnibus cum liberis jussis urbem relinquere: In eorum licentiam in Consistorio adeò vehementi oratione invectus, ut Cardinales aliquos animum ejus commotum sedare, atque illos excusare conantes, atroci vultu aversatus, longè graviora, nî quamprimùm Urbe cederent, minaretur: & Cardinalem Raynutium Farnesium, qui collaudatâ Papæ justitiâ, dictũ in ore Pauli III. avi sui frequens afferret. Non committendum Pontifici, ut gratiæ spem cuiquam præcideret, amarulentâ responsione perstrinxerit, Paulum ipsius avum multò consultiùs fuisse facturum, si in patrem ejus animadvertisset, neque scelera ejus impunita sivisset. Inter alia, pro re gravissimâ objectum, quòd sublatâ potestate conveniendi Pontificem, destinati fuissent qui cunctorum cum eo sermones observarent. Hæcque cùm egisset, ut testatus est Gabriel [b] Salvagus epistolâ de iis mox ad Rempublicam Genuensem scriptâ; quamquam in agendo turbatos, & ferus, ita tamen placidè tum vultu, tum verbis, ad cetera statim negotia, & ad Patres conversus est, ut nihil penitùs eâ die contra sensum decrevisse videretur. Omnes pariter, quibus nepotes sui aliquos magistratus aut munia publica detulerant, loco movit, nonnullósque in carcerem conjecit, aliis in eorum locum suffectis. Vectigalia quoque nova, quasi se inscio indicta sustulit. Et viginti Cardinalium ac quadraginta minorum ordinum officialium palatinorum collegium constituit, qui publicâ audientiâ semel in singulas hebdomadas institutâ, secum omnes totius Ecclesiasticæ ditionis causas cognoscerent. Atque in basilicâ S. Petri scrinium collocari jussit, cujus solus ipse clavem haberet, in quod qui postulata sua publicè explicare non audebant, libellos suos injicerent, quos ipse posteà videret. Denique tradunt [c], nepotibus pulsis dixisse aliquando, Nunc dicendum, atque scribendum Pontificatûs anno primo.

b *Epistol. Princ. to. 3.*

c *Victorel. Addit. ad Ciaccon. in Paul. IV.*

II. CONSTITUTIONES CONTRA HÆRETICOS.

d *Bullar. t. 1. Paul. IV. const. 19.*

Tum se totum Inquisitionis muneri addicés, sanxit ut ejus tribunalis causæ, quæ delectorum Cardinalium auctoritate terminari consueverant, coram ipsomet Pontifice die semel in hebdomadâ statuto cognoscerentur. Editaque severissimâ constitutione [d] decimoquinto Calendas Martij, censuras omnes ac pœnas à majoribus suis denunciatas, sanctionésque omnes canonum, Conciliorum, & Patrum, quovis tempore adversus hæreticos latas renovavit: declarans Præsules omnes ac Principes, etiam Reges & Imperatores, hæresis manifestos, sacerdotiorum, ditionum, regnorum, atque imperiorum absq; aliâ declaratione incapaces, iisque privatos, & ad ea ullo unquam tempore recuperanda inhabiles: quinimmò bona ea omnia, ditiones, regna, imperiáque proscribi, Catholicísque ea occupantibus adjudicari decernens. Contra Hebræos quoque, retinentes libros Thalmudi, & alios, in quibus nomen Iesu Salvatoris nostri, quòd Iesevi hanozri dicitur, cum blasphemiâ, aut aliàs ignominiosè nominatur, rescripsit [e] ut ij libri comburerentur, ceteris retineri permissis, unà cum ipsis Hebræis, qui in memoriam Passionis Christi tolerantur ab Ecclesiâ, ut aliquando mansuetudine Christiana allecti, convertantur ad eum.

e *Ibid. const. 24.*

III. f *Onuph. in Paul. IV.*

Episcopos [f] ut ad suas Ecclesias regendas proficiscerentur, quæ res eâ tempestate durior plerisque videbatur, compulit. Ac formulam Confessionis Fidei, quam Episcopi recèns creati profiterentur, pulcherrimam edidit, quæ hodiéque est in usu. Monasticam [g], seu religiosam vitam semel professos, in cœnobia unde quâcumque de causa exierant, nullâ excusatione admissâ, regredi præcepit: qui non facerent, excommunicationis vinculo adstringerentur; & quæ sacerdotia obtinerent ea Sedi Apostolicæ cederent: obtemperare detrectantes, ut ab aliis internoscerentur, pileo aut galero nigro, duas lineas albas ex telâ confectas imponerent. Atque in eo edicto exequendo severè adeò atque acerbè enisus est; ut complures in Pontificiis ditionibus satellitũm manu in vincula truderentur, alij in triremes conjicerentur. Qui varias ob causas edicto parere non poterant, ij tutissimum perfugium Venetias elegerunt: ad quam civitatem triginta eorum millia confugisse dicuntur; quorum plerique desperatione adacti, in Turcorum oras proficisci, vel in Germaniam migrare statuerãt: nonnulli domorum parietibus inclusi rei exitum ac propinquum senis Pontificis lethum præstolabantur: cœnobiarchis (quod durum nimiùm videbatur) intra monasteriorum septa homines hujusmodi excipere abnuentibus, utpotè qui ad id præstandum edicto non cogerentur. Quare quòd ex hujusmodi constitutionis executione maximos in plerisque regnis & provinciis tumultus & contentiones excitari contigisset, Pius [h] IV. ejus successor eam ad formam juris & sacrarum constitutionum reduxit. Paulus verò insuper, cùm audisset nonnullos Episcopos & Archiepiscopos diversorum Ordinum professores, à suis Ecclesiis per Pontifices absolvi curare solitos, ut dignitates & officia suorum Ordinum ambirent, indéque multas dissensiones & inobedientias exoriri, statuit ut quicumque munus consecrationis semel adepti fuissent, si posteà dimissis Ecclesiis ad Ordines suos redire permitterentur, nequaquàm ad ulla eorum officia & dignitates admitterentur.

g *Bull. const. 14.*

SEVERA CONSTITUTIO CONTRA MONACHOS.

h *Bull. to. 2. Pij IV. const. 3.*

IV. i *Onuphr. in Paul. IV.*

EPISCOPALIUM SEDIUM ERECTIONES IN INDIA ET BELGIO.

In [i] aliquot Indiarum quæ Regi Lusitano parebãt, oppidis sedes Episcopales constituit: Goënsem verò ab Archiepiscopi Olisiponensis obedientiâ, ob locorum longinquitatem eximens, metropolitanam fecit, novósque in his Episcopos apposuit. Pariterque in Galliâ Belgicâ, quæ ditionis Philippi Hispaniarum Regis erat, cùm bini tantùm essent Episcopatus, Cameracensis & Ultrajectensis, iísque Archiepiscopis extraneis subessent, Cameracensis Rhemensi, Ultrajectensis Coloniensi; aucto vehementer iis regionibus oppidorum & hominum numero, visum est plures in iis Episcopatus erigere, qui regendis atq; instruendis iis populis essent. Quare prædictis duabus Ecclesiis in novos Archiepiscopatus erectis, Mechliniensem quoque eodem

titulo instituit; aliosque tredecim Episcopatus novos fecit in amplissimis oppidis, Antuerpiâ, Harlemo, Daventriâ, Leovardiâ, Groningâ, Middelburgo, Busco-ducis, Ruremundâ, Namurco, Audomaro, Iprâ, Gandavo, Brugis: quos omnes tribus illis metropolitanis Ecclesiis subjecit, unà cum Atrebatési, & Tornacensi antiquis sedibus, quæ Archiepiscopo Rhemensi suberant. Adeò ut hæc non parvâ facta fuerint auctoritatis Ecclesiæ Gallicanæ jacturâ ac detrimento, cui non solùm antiquæ Ecclesiæ, verùm etiam maxima pars recentium subjectæ erant. Quamquam extendit se quoque ejusmodi damnum in Ecclesias Coloniensem; Osnabrugensem, Monasteriensem, & Paderburnensem; cùm illæ earum diœcesum partes quæ in Philippi ditione erant, avulsæ pariter ab iis fuerunt, & sedibus recèns institutis assignatæ. Redituum verò loco attributa sunt iisdem Ecclesiis, opulenta quædam cœnobia. Eáque omnia Granvellano præcipuo impulsore, à Philippo facta, cui etiam, ejúsque successoribus in principatu Belgico, jus nominandi ad eas Ecclesias personas idoneas Pontifex concessit: facto de electione & concessione diplomate [k] 4. Idus Maij præsentis anni. Quæ quamvis negari non possit, non solùm ad dignitatem illarum provinciarum pertinuisse; verùm etiam opportunissima, penè & necessaria, ad populorum illorum utilitatem & salutẽ extitisse: Belgæ [l] tamen plurimi, ac præcipuè qui hæresi infecti erant, facta ea esse interpretari ad inquisitionis jugum introducendum, consilia cœperunt communicare, quibus violentum Hispanorum dominatum excutere possent: secutáque sunt bella & seditiones, de quibus dicetur deinceps. Dati sunt autem post biennium Episcopi iis omnibus civitatibus insignes doctrinâ & moribus; atque inter eos *Cornelius Iansenius* Hulsius Gandavẽsibus *Franciscus Sonnius* Brabantus Buscoducensibus, sed mox Antuerpiam translatus: *Guilielmus Damasus Lindanus* Dordracenus Ruremundensibus, *Cunerus Petri* Zelandus Leovardiensibus. Mechliniensi novo Archiepiscopatui præpositus *Perenotus Granvellanus* Burgundus anteà Episcopus Atrebatensis, cum titulo Primatis Belgicæ Provinciæ.

[k] *Ext. integrum in Chron. Belg. Loorij, & in Gest. Pontif. Leodiens. I. Chapeavil. in Robert. à Berg. cap. 2.*
[l] *Chap. lib. cap. 20. Florent. Vanderhaër. de init. tumult. Bel. lib. 1.*

INDE REBELLIO BELGICA.

V.

ELISABETHÆ ANGLIÆ INITIA REGNI.

In rebus Anglicis de morositate accusatur Pontifex ab aliquibus. Nolebat nova Regina Elisabetha adhuc palàm facere quid in religione statuendum esset. Ac propterea ab Episcopo Carleolensi Ovvino Oglethorp ritu Ecclesiæ Romanæ inaugurata 18. Calendas Februarij juramentum etiam de more præstitit de fidei Catholicæ defensione, & privilegiorum ac libertatum Ecclesiasticarum conservatione. Inaugurationémque suam Pontifici significandam curavit per Eduardum Carnum, qui Mariæ sororis legatione Romæ functus adhuc ibi erat. Pontifex autem respondens regnum Angliæ feudum esse Apostolicæ Sedis, nec potuisse ipsam, obstante maximè natalium impedimento, administrationem regni inconsultâ eâdem Sede assumere; hortatus est illam, quò cuncta ritè fierent, arbitratui suo se permittere, factâ spe paterni erga ipsam animi. In quibus potuit quidem Paulus, ut erat dignitatis suæ & auctoritatis retinentissimus, vehementiori verborum impetu rem agere; at in ipso cardine quid peccavit, si feminam sententia Sedis Apostolicæ pro spuriâ habitam, non existimaverit tam facilè ad regnum admittendam? quam præcipuè non ignorabat corde hæresim alere; hæcque in speciem tantùm foris agere, ne si simel regni confirmationem obtinuisset, posset ei unquam de illo controversia fieri. Adeóque non Pauli agendi modus ansam præbuit Elisabethæ hæresim profitendi; sed quod illa semper hæresim retinuisset, hàc usa est occasione ad eam publicè propalandam. Quâ in re intervenisse quoque Henrici Regis Galliæ officium, novam veriti affinitatem inter Philippum Hispaniæ Regem & Elisabetham, historici [m] sunt qui scribant: Quippe non solum Ferdinandum Cæs. hortatu Philippi nepotis, ut amissa morte Mariæ nominis Anglici dignitas in familiâ retineretur, Elisabetham Ferdinando alteri ex filiis nurum poposcisse per Lodronium Comitem; verùm etiam ipsummet Philippum de nuptiis Elisabethæ, interveniente dispensatione Pontificiâ, seriò egisse, misso ad hoc in Angliam Feriæ Comite: Atque ut rem Henricus quam noverat rebus suis valdè incommodaturam, impediret inscripsisse ad legatum suum Romam, ut Pontifici ex hæresis causâ, quam ab Elisabethâ coli dicebat, scrupulum injiceret. Sed præter hæc obstitisse dicitur utrarumque nuptiarum votis deliberatissimum Elisabethæ propositum, se etiam jusjurandum, quo se in regni inauguratione obligavit, Principi externo non nupturam. Quinimmò nec umquam nubere voluisse dicitur, vel ut ejus regni viros principes nuptiarum spe semper sibi obnoxios retineret; vel ne, si nuberet, mariti æmulis de jure regni disceptandi occasionem daret. Nisi insuper ea fortè potissima intercesserit causa, quam nos sæpius eâ vivente à diversis audivimus, quod arcta esset, nec viri capax; huicque naturali impedimento remedium adhiberi non posset absque evidenti vitæ periculo.

[m] *Bellefor. lib. 6 cap. 86. Cambd. in Elisab. Thu. lib. 20. in fi.*

EJUS NUPTIÆ EXPETUNTUR.

VI.

RELIGIO CATHOLICA ABDICATUR IN ANGLIA.

Quod mutationem religionis spectat; convocatis regni comitiis, nobilitatis prævalente potentiâ obtinuit, ut acta & decreta Mariæ de religione omnia abolerentur, Eduardi autem fratris restituerentur. Quod tamen non [n] nisi post gravem multorum procerum (præter Episcopos, qui omnes ad unum constantissimè restiterunt) repugnantiam obtineri potuit; adeò ut nisi Elisabetha tacita nuptiarum suarum spem Comiti Arundeliæ faciens; Duci Norfolciæ in causâ conjugij dispensationem, quàm à Pontifice tam expeditè habere non poterat, offerens, aliis aliter blanditiis, promissis, ac muneribus gratificans; his partibus illos in partes suas attraxisset, everti non potuisset Catholica Religio: cùm ne sic quidem pars hæretica Catholicam plusquàm tribus suffragiis superaverit, Elisabetha verò voto suo potita, & procum illum contempsit, & Norfolcium variis contumeliis affectum non ita pòst neci dedit. Interim verò sanctione factâ ne ullum deinceps Romano Pontifici præstaretur obsequium, ipsa patris & fratris exemplo, omnem jurisdictionis non solùm temporalium, verùm etiam Ecclesiasticarum rerum & causarum plenitudinem sibi assumpsit, cum omni visitatione, correctione, reformatione cleri,

[n] *Sander. de schism. lib. 3.*

SUMMUM PONTIFICATUM SIBI ASSUMIT ELISABETHA.

cum omni auctoritate Episcopos creandi, Synodos convocandi, atque in iis præsidendi, leges & constitutiones condendi; cum omni cognitione ac punitione errorum, hæresum, schismatum, abusuum; denique cum omni facultate substituendi alios quoscumque vellet, etiam que simplices laicos, in iisdem negotiis; nullâ Episcoporum habitâ ratione, nisi quantum ipsa concederet, suspendens etiam eos ab officio fungendo quandocumque vellet: Neque ista quidem tamquam recens usurpata sibi attribuens, sed tamquam ad antiquum jus regale Anglicum pertinacia. Quocircà uti supremum Caput Ecclesiasticum, applicavit quoque sibi omnium proventuum spiritualium perpetuas decimas & primitias, hoc est primi anni cujuscumque beneficij integros fructus: omnésque cœnobiorum, aliorúmque collegiorum possessiones, antè sacris usibus à Mariâ restitutas, partim fisco addixit, partim nobilitati distribuit. Vicarios & commissarios in spiritualibus constituit: sigillum ad causas Ecclesiasticas peculiare cudit. Imagines sacras omnes è templis; aliísque locis deturbari voluit: exceptâ Christi Cruci affixi, quam in domestico sacello servavit, publicéque ostentari permisit: Missæ sacrificium, cum reliquo omni sanctissimo ritu precandi, & sacramenta adminstrandi, sustulit; novaque sacra, cæremonias, precésque linguâ vulgari ad normam maximè Lutheranorum (licet fides Calvini magis ab hujusmodi legislatoribus approbaretur) præscripsit.

VII. Cùm autem non solùm Episcopi omnes, verùm etiam non pauci ex præcipuâ nobilitate, pársque major inferioris, nec non plebeiorum infinita multitudo, Catholicæ religionis retinentes, sic eam pessundari conquererentur; ut nonnihil fieret iis satis, instituta est Reginæ auctoritate quædam Disputatio apud Vvestmonasterium, quâ ostenderetur non id abs re fieri; sed certissimis rationibus immutationes suas inniti. Convenietibus condictâ die, nempè ineunte Aprili, cùm tumultus magis fieret quàm disputatio, res ad nihilum recidit. Persecutio autem post certam diem, id est festum S. Io. Baptistæ, cœpit quâ Missam facientibus, aut audientibus, aliúdve quodcumque officium Ecclesiasticum ritu veteri procurâtibus, aut administrantibus, gravis indicta est mulcta: nimirùm ut qui in hanc legem primâ vice committeret, vel ducentos aureos dependeret, vel sex mensibus in vinculis ageret: secundâ vice, quadringentos aureos, vel annuum carcerem: tertiâ demum perpetuis carceribus addiceretur, omnibúsque bonis excideret. Quâ acerbitate factum est, ut ad præscriptum diem cessarent sacrâ publicè fieri per universum regnum. Quia verò his impietatibus Episcopi consentire noluerunt, nec jurejurando approbare (ut constitutum fuerat) Reginam esse solam *supremam gubernatricem* Angliæ, aliarúmque ipsius ditionum, non minùs in spiritualibus quàm temporalibus; (pudebat enim ipsosmet hereticos ridiculus ille non minùs quàm profanus & execrabilis *Supremi Capitis Ecclesiæ* Anglicanæ titulus:) omnes sunt paulò post de gradu & dignitate suâ depositi, & relegati, aut variis custodiis traditi, atque longo mœrorum & afflictionum tædio extincti:

PERSECUTIONIS INITIA.

EPISCOPI ANGLI CONFESSORES.

videlicèt *Nicolaus Heathus* Archiepiscopus Eboracensis, paulò antè regni Cancellarius; *Edmundus Bonnerus* Episcopus Londinensis, legationibus apud Romanum Pontificem, Imperatorem & Regem Galliæ egregiè olim defunctus: *Cuthbertus Tonstallus* Dunelmensis, omni politiori literaturâ instructissimus ac legationibus & ipse celebris: *Ioannes Vvhitus* Vvintoniensis, poëtica facultate egregius: *Thomas Vvatsonus* Lincolniensis, Theologus eximius: *Thomas Thurlbeius* Eliensis, Romanâ legatione de obedientiâ Sedi Romanæ redditâ sub Mariâ Reginâ conspicuus: *Iacobus Turbervillus* Exoniensis; *Gilbertus Bournus* Bathoniensis, *David Poolus* Petroburgensis, *Radulphus Bainus* Lithfeldensis, Hebraïcæ linguæ olim Parisiis professor regius; *Cutbertus Scotus* Cestrensis, *Ovvinus Oglethorpus* Carleolensis *Thomas* autem *Golduellus* Assaphensis, cùm priùs solum spontè mutâsset, multos annos Romæ vixit, ac tandem piè decessit.

VIII. INGENS RELIGIONIS CONFUSIO IN ANGLIA.

Quorum insignium Prælatorum exempla, imitata melior Cleri pars, & ipsa vel in custodiam data, vel extra patriam fugata est: pariterque religiosi variorum Ordinum, Doctores Academiarum, nobiles laïci utriusque sexûs: ceteris metu amissionis beneficiorum ac bonorum tempori servientibus, & quamquam fidem corde retinerent, excusationem tamen in eo quærentibus, quòd in exteriori vitâ regiæ voluntati cedi posse, ac quidquid in eo peccaretur, id tribuendum Principi vel Magistratui, non sibi dicerent. Ubi autem mulcta imposita est plebi in singula capita duodecim assium, (quæ posteà gravissimè est aucta) si festis diebus Ecclesias suas, in quibus jam hæresis vigebat, sicuti priùs non frequentarent; tunc hostibus cedi paulatim cœptum est. Ita tamen ut interim Missas secretò domi per eosdem sæpè presbyteros, qui adulterina hæreticorum sacra in templis publicè peragebant, celebrari curarent: sæpéque uno eodémque die & sacrosanctæ Eucharistiæ, & cœnæ Calvinicæ, illo luctuoso tempore participes fierent, adeóque & ipsi sacerdotes nonnunquam priùs rem sacram domi facientes, deferrent pro Catholicis hostias secundùm formam Ecclesiæ consecratas, quas eodem tempore iis dispensabant, quo panes hæreticorum ritu confectos ceteris Catholicæ fidei minùs studiosis distribuebant.

IX. ECCLESIÆ ELISABETHANÆ FORMA.

Novis autem creatis Episcopis & parochis suæ sectæ, haud tamen in officiis aut ordinibus Ecclesiasticis distribuendis, nec in ipsâ regiminis sui formâ, secuta est Elisabetha Zuinglianorum aut Calvinistarum rationes; ac nec quidem exactè Lutheranorum, quibus tamen non modò in externis cæremonis, sed etiam in ratione credendi, (propter quamdam quam fingebât mediocritatem, & ne derepentè Catholicam religionem, quam priùs ostentârat, penitùs deseruisse videretur) quàm ceteris sectariis, similior haberi cupiebat. Quare nec illud seditiosum tribunal, quod *Consistorium* vocant, nec gradus aut functiones *Seniorum, Ministrorum*, ac ceterorum, quidquam curavit: sed vel animi proprij inductione, vel quorumdam aliorum suasione, indicavit magis ad gloriam spiritualis suæ prælaturæ,

& ad

& ad regni temporalis splendorem, atque demùm ad sectæ stabilitatē fore, ut clerus quem esset institutura, secundùm veteris Ecclesiæ distinctionem, consisteret ex Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis: (nullum enim Diaconatûs gradu agnoscunt inferiorem:) & in Cathedralibus ac collegiatis Ecclesiis essent Præpositi, Decani, Archidiaconi, Cancellarij, Canonici, & alij ejusmodi, juxta cujusque loci consuetudinem. Atque hos omnes voluit non solum veteris Cleri possessionibus, ac privilegiis penè omnibus tam in Ecclesiis quàm in Republicá frui; verùm etiam cappis & superpelliciis in ecclesiis, foris pileis & togis clericalibus uti, atque etiam Episcopos rochetum gestare. Idque tametsi non probarent reformatores, sed consultationibus in Galliâ, Germaniâ, Helvetiâ, Sabaudiá factis, impedire conati essent; voluit nihilominùs Regina pro suprema suâ potestate ita fieri: & qui hanc legem subire detrectarent, ordine & beneficiis privavit. Retinuit quoque tunc organa, cantum, Crucem, candelas, campanas, plerosque festos dies: (sublatis tamen inter ceteros, Sanctissimi Sacramenti, & Beatissimæ Virginis:) Iejuniorum item Quadragesimæ & aliorum stata tempora: non tamen religionis aut pietatis gratiâ, sed publici commodi, ut frequentiori piscium usu haberent piscatores, genus hominum in insula frequens, unde victum quæritent; abundéntque magis ad reliquum anni tempus carnes: adeò ut non contenta sextæ feriæ & sabbati abstinentia ordinariâ, instituerit quoque mercurianum. Cùm autem infiniti accurrissent mox in Angliam Lutherani & Calvinistæ, corúmque permulti beneficiis & dignitatibus inescati, totos se reginali politiæ submisissent; ut offensos socios, qui eam detestabantur, placarent, procurârunt Gallis ac Belgis certas Londini Ecclesias, ubi seorsim orare, sacráque sua peragere possent. Inter quas posteà Ecclesias & Anglicas, frequentes extiterunt concertationes: adeò quidem, ut ex ministris Gallicanis nonnulli sint coacti discedere; & ex illis contuberniis aliquot etiam suplicio affecti, quòd ad eas mox Ecclesias sub prætextu Calvinismi, ex variis gentibus omnium sectarum impurissimi quique homines commigrarent. Atque hæc modò satis de formâ religionis Anglicæ, per Elisabetham Reginam & summam sacerdotissam institutæ. Nisi quod etiam addimus, fuisse ejus jussu & auspiciis Londini celebratam Synodum, triginta novem articulis absolutam, ad doctrinam & disciplinam ecclesiasticam juxta eorum confessionem constituendam; qui semper deinceps in singulis regni conventibus repetiti fuêre; iidémque postremò post Reginæ obitum confirmati per Iacobum Regem ejus successorem.

X. Elisabethæ pacta cum Rege Henrico.

Cùm interim inter delegatos Regum Henrici Galliæ & Philippi Hispaniæ, ad Castellum Cambrisium sexto à Cameraco milliari convenientes, de pacis jam anno superiori tractari cœptæ conclusione ageretur; eadem Regina Elisabetha, quamquam legatum suum eò miserit, verita tamen, si Hispanorum potentiæ inniteretur, (Philippus enim, ne omninò Angliam deseruisse videretur, instabat pro restitutione Caleti) non res ad votum ipsi cederet; separatim cum Henrico sibi agendum existimans, his legibus cum eo transegit, ut Caleti ac vicini territorij Anglis ultimò adempti possessio penes Regem esset: quam tamen octennio exacto Rex teneretur restituere, aut eorum loco quingenta aureorum millia persolvere.

XI.

Inter Henricum verò & Philippum ita res stabilitæ sunt, ut nihil ferè unquam ignominiosius aut damnosius Gallis accidere potuisse, querantur plurimi [o] eorum. Multique culpam in Mommorantium Connestabilem rejiciunt, qui jam antè clàm cum Philippo & Allobroge, tum suî ac suorum liberationis causâ, tum invidiâ Guisiorum, quorum potentiam & auctoritatem per bella incrementum accipere cernebat, de omnibus convenisset: quamquam & prætexeret ipse Christianæ Reipublicæ tranquillitatem; & ne solus culpam ignominiosissimi fœderis sustineret, ut alij secum ad id conficiendum delegarentur, procurâsset. Fuerunt [p] autem præcipua fœderis, tertio Nonas Aprilis icti, capita; ut Rex uterque Concilij celebrationem urgeret, ad tollendas de religione dissensiones: Restitutio utrimque fieret omnium locorum, quæ toto octennio bello aut alio quovis modo occupata fuissent: Sabaudo, universa ditio restitueretur, præter aliquot oppida, quæ triennio Henricus retineret pignoris loco, intereà dum de ejus juribus per arbitros pronunciaretur: Liguribus Corsica, Cosmo Florentino pars ditionis Senensis quæ à Gallis adhuc detinebatur, aliis nonnullis principibus alia plura redderentur. Rex Henricus prior conventa exequeretur, & intra trimestre cuncta adimpleret: eóque præstito Philippus intra mensem fidem liberaret, datis interim obsidibus Regis arbitrio. Hæcque ut firmiùs stabilirentur, Philippus Elisabetham Henrici filiam natu maximam cum dote quadringentorum millium aureorum, Philibertus Sabaudus Margaritam ejusdem Henrici sororem cum trecentis millibus, uxorem duceret. Sícque factum est, (quemadmodum observat Monlucius [q], hoc fœdus detestans) ut Rex Henricus centum nonaginta octo urbes & oppida, in quibus præsidia alebat, restituerit; præter alia quamplurima quæ sub iis conservabantur; continebántque in universum, quantum tertia Galliæ pars: non autem nisi tria sola receperit, Sanquintinum, Hanum, & Castelletum. Sed querimonias aliis relinquimus, non solùm propudiosæ hujusmodi permutationis; verùm etiam bellorum civilium, quæ mox universam Galliam inundârunt, & rebellionibus, seditionibus, vastationibus, omnis generis malis, illam ferè ad nihilum redegerunt. At non hæc culpa fuit pacis, sed malitiæ hæresis; quæ etiamsi bellum externum continuatum fuisset, minimè cessasset, quod jam cœpisse vidimus, quinimmò & longè audaciùs suscepisset, specie propagationis fidei, regnum turbare. Ut magis providentiam divinam erga regnum Galliæ admirari liceat, quòd saltem ab externis irruptionibus quietum illud reddiderit; animúmque Philippi in observatione pacis longè solidiùs confirmaverit, quàm sub patre ejus Carolo fieri consueverat.

Pax inter Henricum et Philippum.

[o] Vid. Belcar. lib. 28. Monluc. lib. 4.

[p] Rovar. lib. 5. Ludov. Guicciard. lib. 3. Belcar. lib. 28. Natal. lib. 12. Thuan. lib. 22. alii.

[q] Monluc. d. l. 4.

XII. Pax cunctis gratissima.

Ceterùm quatriduo post pacta conventa, fuit pax Lutetiæ promulgata ingenti populorum gaudio, qui se à bellorum pavoribus & sumptibus liberos videbant: supplicationésque publicè toto regno habitæ in gratiarum actionem: Itidémque in Belgio: atque etiam Romæ [r] à Paulo Pontifice, unà cùm multis aliis lætitiæ signis. Qui & insuper cum à Senensibus rogaretur, oppida quæ ipsorum Reip. fortuna reliqua fecerat, in patrocinium & potestatem accipere, quamvis à multis Cardinalibus, aliísque Principibus Italis tantam accessionem Cosmo invidentibus, ad id sollicitaretur; piissimè tamen atque prudentissimè respondit, nolle se privari commodi causâ pacem universi orbis turbare: rectéque eos sibi consulturos, si Philippo ac Cosmo, quando ita inter Reges convenisset, se morigeros præberent.

r Onuphr. in Paul.IV.

XIII. De Meti, Tullo, et Virduno quid decretum.

Cùm autem in tractatu pacis, de civitatum quoque Metis, Tulli, & Virduni, quas Henricus Imperio abstulerat, restitutione controversia orta esset; neque tamen tam Philippi, cui aliunde opimis conditionibus consultum erat, de iis contendere, quàm Henrici eas retinere interesset: missi sunt utrimque ad Imperij comitia, quæ Augustæ Vindelicorum 4. Nonas Martij celebrari cœpta sunt, legati, à Gallo Bordillonius & Carolus Mariliacus Archiepiscopus Viennensis, ab Hispano Barbansonus Arembergius, & hic quidem officij in speciem, ne Philippus causam Imperij deserere videretur; illi ad dignitatem Imperij Ferdinando gratulandum, & fœdus cum Imperio renovandum. Qui [s] in conventum admissi 5. Calendas Aprilis, postquàm Archiepiscopus luculentâ oratione, ut erat eloquens, egregiâ Regis erga Cæsarem & Imperij ordines voluntate prolixè declaratâ, petiisset ut regni antiquum cum Imperio fœdus arctiori imposterùm amicitiâ firmaretur: Cæsar gratiis actis, Regem suam & Imperij amicitiam nunquam desideraturum respondit, dummodò tres illas civitates restitueret. Clam verò legatis insusurratum est, non potuisse Cæsarem de restitutione mentionem non facere; ceterùm neque ipsum propterea, neque Imperij principes & ordines à Regis amicitiâ, etiamsi illæ non restituerentur, discessuros: Nam & Carolum V. Imperatorem Trajectum & Cameracum, Ferdinandum Constantiam Imperij urbes in Germaniâ sitas, & eodem sermone utentes occupâsse, nec quemquam de iis repetendis verba fecisse: ac proinde de Meti, Tullo, & Virduno, & situ & linguâ Gallicis nihil timendum. Quæ ubi legati (honorificè sicut accepti, ita & dimissi) ad sanctius Regis consilium retulerunt, communi sententiâ decretum est; si Germani civitates repeterent, ne illæ redderentur, nisi restitutis impensis in earum propugnationem & bellum Germanicum tum factis cùm Imperij Principes Regis opem implorârunt, cúmque in Germaniam evocârunt. Ab ipsis verò Imperij Ordinibus amplissima decreta fuit ad Regem legatio: cui obeundæ delecti Cardinalis Augustanus & Dux Vvirtembergicus.

s Belcar. lib. 28. Thuan. lib. 22.

XIV.

Eo verò Augustano conventu, primùm omnium Caroli V. Imperatoris exequiæ ingenti pompâ celebratæ fuêre; laudante funus Ludovico Madrutio electo Episcopo Tridentino, qui posteà in collegium Cardinalium allectus est; Christophori Cardinalis Madrutij, quem vidimus Concilij Tridentini pluribus Sessionibus interfuisse, & multa alia negotia pro Imperatore gessisse, ex fratre nepos. Interfuêréque, præter Imperij Principes & Ordines, ex tota ferè Europa Principum ac procerum legati. De religione posteà actum. Cúmque Ferdinandus Cæsar Oecumenicæ Synodi instaurationem se procuraturum promitteret, atque ut ejus decretis parituros se omnes reciperent hortaretur; perstiterunt Protestantes in suis antiquis exceptionibus de Concilio Pontificio, & consensionibus in Germanicum liberum, in quod nihil juris Pontifici esset. Quo factum est, ut cum Ferdinandus desperaret obstinatos eorum animos ad rationis normam redigere; ne tumultus in Germania renovaretur, satius duxerit, contestatione facta de sua in fide avita constantia, religionis pacem ante quadriennium [t] sancitam confirmare. In cujus in his tractandis fortitudinis animi atque prudentiæ laudibus, *Roværus Pontanus* Carmelita Bruxellensis, Historiam suam (seu *Gasparis Gennepæi* Coloniensis traductionem) Rerum memorabilium, quæ ab anno Domini millesimo quingentesimo usque ad præsentem contigerunt, terminavit; quæ non parvo nobis frequenter usui fuit, ad detegendas præcipuè Sleidani imposturas.

Libertas religionis in Germ. stabilitur.

t An. 1555. III.

XV. Livoniæ divisio.

Fuit item in iisdem Comitiis Augustanis auditus legatus Guillel. Furstembergij Ordinis Teutonici in Livonia Magistri, opem & auxilium ab Imperij Ordinibus contra Moscos, quos anno superiori grande Livoniæ damnum intulisse diximus, postulans. Cui cum decreta fuisset centum millium aureorum summa ad exercitum conscribendum; eam Livones, quòd & Imperij majestate, & ipsorum necessitate tenuior videretur, superbè respuentes, Sigismundum Augustum Regem Poloniæ rogarunt; ut defensionem Livoniæ, salvo tamen Imperij jure, susciperet, pro belli sumptibus novem arces ac præfecturas pignoris loco pacti, quas posteà Livoniæ magistratibus sexcentis aureorum millibus redimere liceret. Hisque pactis utrimque firmatis, idem Furstembergius dignitatem suam, ob gravem senectam, in Gothardum Commendatorem Duneburgicum transtulit: qui expeditione adversus Moscos suscepta, Torpatum obsedit, sed irrito conatu. Furstembergius autem, qui arcem Tellinum, tutum senectuti suæ perfugium seposuerat, ibi anno insequenti suorum proditione captus ab hostibus, in Moscoviam ductus est: Mariæburgum occupatum: adeóque Revalienses pressi, ut Regi Sueciæ, ejurata obedientia Livoniæ Magistro præstita, & neglecto patrocinio Regis Poloniæ, sese subdiderint.

XVI.

Interim cum Reges Galliæ & Hispaniæ eò majore propensione ad pacem mutuam inclinati fuissent, quòd jam per ipsorum ditiones adeò hæresis virus spargeretur, ut non obscuris argumentis multi proceres, aliíque nobiles, necnon civitates & magistratus, in officio vacillarent; clandestinósque conventus facerent; jam belli externi cura soluti, in religio-

nis

MERCURIALIUM IN GALLIA INSTITUTIO.

u Thuan. lib. 22.

nis negotium totis animis incumbere incipientes; imprimis Henricus Rex cum audîſſet, in ipſo quoque Senatu Parlamentario Pariſienſi eſſe ex Senatoribus qui ejuſmodi irreligioni nomen dediſſent, per Mercuriales conventus eos detegere decrevit. Fuerat[u] à Carolo VIII. cenſura in regni curiis & parlamentis inſtituta anno Chriſti 1493. Quam Ludovicus XII. quinto pòſt anno amplians, conſtituerat ut bis, aut ſemel minimùm ſingulis menſibus Curiæ Præſides, & ij qui claſſibus, ſeu ut vocant Cameris Inquiſitoriis præeſſent, Martis ſeu Mercurij horâ pomeridianâ convenirent cum duobus ex ſingulis cameris conſiliariis; ibíque cognitore ſeu procuratore & advocatis regiis intervenientibus, de iis qui negligentiâ, in obedientiâ, ſolutiore vitâ, aut gravioribus delictis, contra dignitatem & gravitatem Senatoriam peccâſſent, cognoſceretur, & delinquentes amicè monerentur, ac ſi res exigeret ad Curiam referretur iique gravibus pœnis, etiam dignitatis ad tempus aut in perpetuum abrogatione multarentur, atque horum omnium acta conficerentur, & ad Regem perferrentur. Poſteà à Franciſco I. anno 1539. decretum fuit, ut ſingulis trimeſtribus Mercuriales conventus (ſic enim ab illâ die, quæ iis celebrandis deſtinata eſt, deinceps appellati ſunt) haberentur: mandatúmque procuratori & advocatis regiis, ut in eos qui quid indignum munere ſuo admitterent, accuſationem inſtituerent, cámque nullâ morâ interpoſitâ in jure perſequerentur, ac Regem ſeu ejus Cancellarium de eâ certiorem facerent.

XVII.

x Th. lib. Belcar. lib. 28.
y Supr. an. 1551. XIV.

INQUIRITUR IN SENATU PARIS. DE HÆRETICIS.

Cùm[x] autem quando in Senatu agi cœptum eſt de pœnis hæreticorum, variarent ſæpè vota judicium, & longè mitiùs cum iis ageretur quàm juſſum fuiſſet edicto[y] Caſtribriantij, quo extremum ſupplicium convictis & obſtinatis irrogabatur; déque eâ diverſitate nonnulli apud Regem queſti fuiſſent: ipſe vocatis Curiæ Præſidibus, Ægidio Magiſtro Senatûs principe, Ioanne Santandreano, & Antonio Minario, atque Ægidio Bordino cognitore regio, hanc judiciorum diverſitatem, inconſtantiámque, in causâ eſſe dixit cur hæreſis altiores radices ageret, ac latiùs propagaretur; viderent igitur ne regia edicta fruſtrà promulgata eſſent. Re ad univerſalem totius Curiæ Mercurialem conventum relatâ, qui ultimâ die Mercurij menſis Aprilis celebrari cœpit, poſtulante Bordino ut ex Caſtribriantij edicto judicia in hæreticos exercerentur; qui in Senatu hæreſim ſapiebant, in ferendis ſententiis non pauci ſe prodere coacti ſunt; cenſentes ſupplicandum Regi eſſe, ut ex Baſileenſis & Conſtantienſis Conciliorum decretis Concilium univerſi Chriſtianiſmi cogeretur, in quo de cunctis religionis controverſiis fixa ſententia ferretur, atque interim ſupplicia contra novarum opinionum ſectatores differrentur. Quod nihil aliud erat quàm liberam cuique ſuæ ſectæ & opinionis profeſſionem relinquere. Sciebant enim quantæ molis eſſet Concilium univerſale celebrare, cui omnes tot diverſarum ſectarum profeſſores ſeſe ſubjicerent; quod fruſtrà Carolus tantus Imperator toto penè vitæ ſuæ tempore cum ſolis Germanis conatus eſſet: & ſi Rex hoc induſiſſet, certi erant interea dum de eo tractaretur, in univerſam Galliam hæreſim propagatum iri, ſicuti factum in Germaniâ fuerat abſque ullâ ſpe reſtitutionis in integrum. Fuit autem ejus callidæ ſententiæ auctor *Arnaldus Ferrerius* Claſſium Inquiſitoriarum præſes, Iuriſconſultus eruditiſſimus, qui magna ſui nominis gloriâ jus civile aliquot annis Toloſæ profeſſus fuerat. Eúmque ſecuti erant Antonius Fumeus, Paulus Foxius, Nicolaus Valla, Euſtachius à Porta, & alij.

XVIII.

REGIS SOLLICITUDO PRO RELIG. CATHOL.

Qua de re certior Rex factus, veritus ne major pars Senatorum in eamdem ſententiam pedibus iret, fierétque Senatuſconſultum, quod novorum tumultuum cauſam præberet, & impunitatem afferret cum ingenti religionis Catholicæ detrimento: conſilium cepit ad Senatum ipſemet ſe transferre. Quod cùm feciſſet 4. Idus Iunij, ſecum ducens Lotharingium, Guiſium, & Senonenſem Cardinales, Mompenſerium & Rochaſurionem Borbonios principes, Ducem Guiſium, Mommorantium Conneſtabilem, & alios illuſtres viros; oratione habita ſignificavit, quandoquidem ſibi pacem tam arctis affinitatibus confirmatam, ut eam perpetuam ſperare deberet, Deus Opt. Max. conceſſiſſet, nihil ſe viciſſim Deo acceptius facturum exiſtimare, quàm ut alteram pacem, quæ longè potior eſſet, hoc eſt unicum in religione conſenſum procuraret, rejectis impiorum hominum ſectis in totius Chriſtianitatis perniciem introductis: Velle igitur ſcire, quæ Senatûs eſſet ea de re ſententia, quam, ſi è Republica eſſet, ſua præſentia & auctoritate confirmaret. Iuſſi igitur reliqui Senatores ſententias ſuas porrò dicere uti cœperant, Claudius Viola, Ludovicus Faurus, & Annas Burgius, Ferrerij opinioni inhærentes, idem de Concilio, & ſuppliciorum dilatione ſuaſerunt. Aliis poſt hæc alia ſentientibus, Minarius præſes regia edicta omni ex parte ſervanda cenſuit. Ultimóque Magiſter Senatûs princeps vehementer contra ſectarios peroravit; exemplo Philippi Auguſti Regis, qui ſexcentos ex Albigenſibus uno die cremari, & Franciſci I. qui in caſis ſuis & & ſpeluncis Vvaldenſes ſuffocari juſſit. Sententiis omnibus dictis, Rex ſe quidem à nonnullis audiſſe dixit, eſſe in eo Senatu qui ab antiqua & vera religione defeciſſent, id verò ſe nunc percepiſſe magno ſuo dolore: itaque ut probos ſolita humanitate complecti; ita improbos meritis pœnis afficere deſtinâſſe. Tum Conneſtabili ut Faurum & Burgium comprehenderet injunxit: quos ille Mongomerio in arcem Baſtiliam deducendos tradidit. Capti & ſtatim à prandio in ſuis quíque ædibus Foxius, Fumeus, Porta, & in cuſtodiam traditi: ſubducentibus ſeſe, æquè carceri mancipari juſſis, Ferrerio, Valla, & Viola. Poſtridie rurſùm convocatis Curiæ claſſibus, ex Regis mandato de Iacobi Spifamij Nivernenſis Epiſcopi, qui ducta clàm uxore, ſeu potiùs ſcorto, Genevam ad Califam Calvinum ſe contulerat, cauſa cognoſci cœpit, & ut comprehenderetur decretum fuit. Qui miſer & contemptus ibi victitans, poſt aliquot annos tanquam perduellis ibidem capite minutus eſt; quòd fortè tanti ſceleris pœnitentia ductus, Catholicis favere crederetur.

SENATORES QUIDAM CAPTI OB HÆRESIM.

XIX. CONCILIABULUM CALVINIANORUM LUTETIÆ.

Quo verò tempore ita Rex devios à fide persequebatur, iidem, sive audacia plusquàm audacissimâ, quasi res omni periculo vacaret; seu magis, ut putamus, quòd sperarent se tutiùs rem acturos, cùm minùs crederetur illos eo tempore tantam rem ausuros; Lutetiæ in suburbio S. Germani 5. Calendas Iunij Synodum, ut vocant, seu potiùs Synagogam, aut conciliabulum multorum ministrorum celebrârunt; cui præfuit Franciscus Morellus, vir alicujus inter eos nominis. In quo tractatum [z] imprimis est de quodam ministro *Petro Christiano* Pictaviensi, Cadomi in Normanniâ rebaptisationem inter Calvinistas introducere satagente: qui communibus ceterorum omnium votis damnatus, acquievit. Deinde quamplurima [a] constituta sunt capitula de disciplinæ formâ; de synodis & colloquiis celebrandis; de principatu inter collegas non ferendo: de ministrorum electione, & munere; de excommunicationis, & matrimoniorum formâ; consensione doctrinæ, & peregrinarum opinionum, præterquàm Calvinianæ, rejectione; útque in iis nihil mutari posset, nisi de communi universæ Synodi consensu.

z Bellefor. lib.6.c.87.

a Belcar. & Thu. ibid. Contin. Sleid. lib.1.

XX.

Ut verò etiam nonnulli Germani Principes ad Regem legatos mitterent, impetratum est, suasuros ut à suppliciis sectariorum abstineret. Quos Henricus suo more humaniter exceptos, pollicitus se legatos ad Principes missurum, dimisit. Nec tamen minùs in suo instituto de puniendis sectariis perseverans, judices delegavit qui de Senatorum captivorum causâ cognoscerent: videlicèt Santandreanum Præsidem, Ioannem Iacobum Memmium magistrum libellorum supplicum, Ludovicum Gajanum, & Robertum Boëthium consiliarios, Eustachium Bellaium Episcopum Parisiensem, & Antonium Democharem Fidei Inquisitorem. Qui cùm Burgium omnium pertinacissimum interrogare voluissent, (erat patriâ Arvernus ex oppido Ricomagi, & honestâ familiâ, ex quâ olim Antonius Burgius Franciæ Cancellarius sub Francisco I. prodierat) detrectans ipse respondere, quasi non possent Senatores cogi ad dicendam in capitis judicio causam nisi coram universâ Curiâ; novo diplomate à Rege per Bordinum cognitorem impetrato, quo nihilominùs jubebatur Burgius coram illis judicibus respondere, & ni faceret pro convicto haberi, & perduellionis pœnâ teneri: demùm respondens ad fidei interrogata, cùm in singulis Calvinianum sese exhibuisset: multis actis judiciariis interjectis, à Bellaio Episcopo hæreticus declaratus est; sacrísque ordinibus subdiaconatûs & diaconatûs quibus initiatus erat abdicari, & brachio sæculari tradi, adjudicatus. A quâ sententiâ ille primùm ad Curiam, tamquam abusivè prolatâ provocavit; deinde ejus appellatione frivolâ per Curiam declaratâ, ad metropolitanum Archiepiscopum Senonensem appellavit.

IUDICES SENATORIBUS DATI.

XXI. LUDICRA LUTETIANA IN NUPTIIS FILIÆ REGIS.

Intereà cum ad nuptiarum Elisabethæ filiæ Regis (quarum procurator ac pronubus Philippi Regis Dux Albanus, Aurangio Principe, Egmondano Comite, & aliis primariis viris comitatus, missus fuerat) solemnitatem, incredibili apparatu pompâque confectam, (Carolo Cardinale Borbonio cæremonias in Basilica Beatissimæ Virginis absolvente) inter lætitiæ ostentandæ signa, ludicra certamina & hastiludia Rex Henricus, corpore valentissimus, & ad omnia militaria munera egregiè natura & usu formatus, indixisset; & primo die ac secundo clarissimis fortitudinis argumentis editis, plures concertatores equo dejecisset: tertio demum die, quo finis decursionum futurus erat, nequicquàm à Regina conjuge somnio quodam territa, & ab aliis, infortunium aliquod ex quibusdam prædictionibus præsagientibus, nequit ultrà tentaret dissuadentibus; rursùm in arenam descendens, postquàm duabus horis summâ contentione egregiè decurrisset, ultimò cum Gabriele Comite Mongomerio, filio Lorgij Scoti prætorianæ cohortis præfecti, qui inter certaminis arbitros sedebat, viro fortissimo, & equitandi peritia inter primos connumerato, experiri volens; nolentem, modestéque recusantem, ad concursum coëgit: qui tanto impetu factus est, ut lanceis fractis scindula Mongomerianæ per galeæ regiæ bucculam, nescio qua incuria apertam, in dextrum Regis oculum advolans ita penetraverit, ut occiput inde læderetur. Ex quo ictu titubans, à suis exceptus, in palatium suum delatus est: pœnas ferens suæ temeritatis, & intempestivæ prosecutionis exercitationis, quæ magis privatos nobiles procerésve deceant, quibus nulla aut rara alia via ac ratio est corporis firmitatem, ac virium præstantiam ostentandi, quique si casu aliquo in palæstra occubuerint, parvum sit aut nullum quo ad Rempub. dispendium; quàm Regis ac Principes, quorum incolumitate Reipublicæ salus constat atque nititur. Præclara est de hujusmodi ludis equestribus monitio Petrarchæ [b] ad Marchionem Estêsem eis deditum, ut ab iis abstineret; quippe quòd satis esset, innotuisse jam omnibus ipsum ejusmodi ludis excellenter uti posse, si liberet: quicquid ultrà procederetur, frustrà esse: Inopinos esse casus hominum; & sapienti magnoperè providendum esse ne ultrò se ingereret ubi periculi plurimum, utilitatis aut gloriæ nihil est: Linqueret illis eos ludos, qui nihil majus possunt, nihil melius sciunt, quorum ex æquo inutilis mors, & vita contemnitur: Numquàm sic lusisse Scipionem legi, numquàm Cæsarem. Ita prudentissimè Petrarcha ducentis fermè annis antè mortem sic obitam Henrici, quam propè videtur respexisse. Vulneratus autem est tertio Calendas Iulij & amissâ mox loquela ob cerebri læsionem, (ut multi dicunt, cùm tamen alij & præclara monita filio suo Francisco dedisse, & alia per multos dies egregia effatum esse velint) remediisque frustrà appositis, cum esset vultus insanabile, die undecimo, nempe sexto Idus ejusdem Iulij, expiravit, anno ætatis quadragesimo, mense tertio, die undecimo; regni anno duodecimo, mense tertio, die undecimo: cum biduo antè nuptiæ ejus sororis cum Philiberto Sabaudiæ Duce, absque ulla pompa in palatij sacello celebratæ fuissent. De cujus pia morte est inter Literas [c] Principum epistola Episcopi Trecensis ad Mussum Bitontinum.

IN IIS REX NECATUR.

b Petrar. Rer. Senil. 11.ep.13.

c Liter. Princip. vol.3.

XXII.

Vnà verò cum illo extincta est omnis felici-

LUGENT CATHOLICI, EXULTANT HÆRETICI.

tas regni Galliæ, domesticis malis continuò subintroëuntibus, quæ florentissimum quondam regnum ad ultimum ferè exterminium adduxerunt; nisi Dominus supposuisset manum suam, ut illud ab irreparabili casu præservaret. Ut non immeritò fuerit Henricus à populis suis, gravissimis atque verissimis lacrymis defletus, quo mirâ comitate atque affabilitate sibi conciliaverat. Hæretici tamen ingenti exultatione rem susceperunt; & cum impudenti insultatione interpretati sunt eam miraculo contigisse in vindictam pœnarum ipsis inflictarum; factis etiam eâ de re versificationibus & rhythmis, ex fecunditate cerebri cerberici. Post solitas factas ad corpus examine cæremonias, delatum est funus consuetâ pompâ ad sepulchra majorum apud S. Dionysium Idibus Augusti. Cor verò in Ecclesiâ Cælestinorum conditum in sacello Ducum Aurelianensium, ex quibus ipse originem traxerat. Utrobique, videlicet Parisiis & Sandionysij laudatus fuit orationibus funebribus ab Hieronymo de Ruvere Pedemontano tunc Episcopo Tolonensi, posteà Archiepiscopo Taurinensi & Cardinale. Fuitque insuper à pluribus aliis tam solutâ quàm strictâ oratione, ut moris est, variis encomiis ornatus: præter Rabutinum, Paradinum, Cormerium, qui historiam ejus uberius descripserunt. Fuit autem Princeps bellicosus, magnanimus, humanus, justus, atque religiosus: verùm ita familiaribus addictus, ut ij magis quàm ipse imperare viderentur. Genus ac tempus mortis à *Lucâ Gaurico* Italo insigni mathematico & astrologo prædictum fuisse Catharinæ ejus conjugi, vulgo traditur: fore nimirùm ut in duello caderet, vulnere in oculo accepto; quod tunc neglectum, quasi Regis conditio supra duelli aleam posita esset, locum habuit in duello ludicro; ut sunt omnes ejusmodi prædictiones ambiguitatibus & fallaciis refertæ. Ex uxore Catharinâ, quæ decennio fermè sterilis permanserat, (ob suppressionem videlicèt purgationum menstruarum; à qui per Fernelium excellentissimum medicum sanata fuit) suscepit deinceps prolem numerosam, quinque mares, totidémque feminas; quorum quatuor filios, Franciscum, Carolum, Henricum, (qui omnes successivè Reges fuerunt) & alium Franciscum Ducem Alenconium, & posteà Andegavensem, superstites reliquit: Filiásque tres, Elisabetham Reginam Hispaniæ, Claudiam Ducissam Lotharingiæ, & Margaritam Reginam Navarræ: duos quoque naturales, Henricum ex quâdam Scotâ, equitem Hospitalarium, & Priorem Franciæ; atque Dianam, Horatio Farnesio primùm, deinde Francisco Mommorantio filio Connestabilis nuptam.

Ejus LIBERI.

XXIII. FRANCISCUS II. REGNAT.

Mortuo Henrico successit filius primogenitus *Franciscus* ejus nominis Regum secundus, Rex Scotiæ anteà jure Mariæ conjugis; annúmque ætatis decimum-sextum, & sextum mensem agens; (quippe natus die vigesimo Ianuarij anno Christi 1543.) ac proinde per se ipsum administrationis potens, ex lege regni, quæ statim à pubertate & anno decimo quinto omni tutelâ liberos, diadema pro suo arbitrio accipere, magistratus creare, leges ferre, Rempublicam dirigere permittit. A cujus regni initio *Homerus Tortora* Pisaurensis olim amicus noster, Historiam suam de Motibus Gallicis exorsus est, collectam summâ fide ex verioribus eorum monumentis; perduxítque ad annum millesimum sexcentesimum, cui major sit fides adhibenda, quàm hæreticorum scriptis, qui eam fœdissime conspurcârunt. Mox itaque à suscepto per Franciscum Regno, Mommorantio Connestabili à rerum gubernaculis remoto; & Dianâ Pictaviensi ab aulâ pulsâ, summa auctoritas ad Guisios fratres Lotharingios Ducem & Cardinalem, avunculos Reginæ conjugis, consentiẽte Catharinâ Reginâ matre, traslata est; Francisco Duci Armorum, Carolo Cardinali rei pecuniariæ ac reliquorum regni negotiorum curâ demandatâ. Regis autem adolescentiæ moderandæ Iacobus Brosseus Boius, & Ludovicus Prevotius Sansacus Aquitanus, attributi sunt; ille vir prudentissimus, & rerum bellicarum peritissimus; iste ingenio altiori, sed non malo, cùm nihilominus Regem supra ætatem sapere cœpisse, ac sine ullo vitio fuisse; & corruptum hoc sæculum, vitiísque inquinatum, tam probo Rege indignum extitisse, ab eodem Brosseo sæpiùs se audisse, Belcarius [d] scribat.

[d] Belcar. d. l. 28.

XXIV. REGIS NAVARRÆ ACCESSUS IN AULAM.

Cùm autem statim à vulnere Henrici Regis Mommorantius Antonium Borbonium Regem Navarræ ex Bearnia, ubi cum Ioanna conjuge agebat, in aulam evocâsset; quem pro auctoritate regij sanguinis, cujus ipse primus à fratribus novi Regis adhuc pueri princeps erat, Guisiis opponeret: Antonius & pacis magis quàm rixarum cupidus, & Connestabili offensus, quòd in pacis cum Philippo tractatione nullam ipsius juris ad regnum Navarræ rationem habuisset; lentè in his procedens, occasionem rei gerendæ amisit; & tardiùs veniens, suspicionem fecit consiliorum occultorum apud Vindocinum captorum, cùm ad eum ibi in itinere subsistentem venisset Condeus frater, unà cum Rocasurione agnato, Andeloto è carcere anteà emisso, atque aliis Guisiorum inimicis, aut novæ opinionis sectariis. Qui deinde frigidè in aula receptus, & injectis ex parte Hispanorum de reliquiarum regni Navarrici invasione suspicionibus, post Regis inaugurationem (quæ facta est Rhemis de morte à prædicto Cardinale Lotharingio ejus civitatis Archiepiscopo, decimoquinto Calendas Octobris) eò concessit. Quem petulantissimus Calvinus probris propterea incessit; cùm scribens [e] ad Martyrem quarto Nonas Octobris præsentis anni, ait promptum fuisse in manu illius miseræ fratrum conditioni remedium; sed cum ejus ignavia nihil fuisset turpius; accessisse tandem & proditionem. Os fœtidum, & impurum caput!

[e] Calvin. ep. 284.

XXV. MUTATIONES IN AULA.

Interea verò pulso quoque Ioanne Bertrando Cardinale procancellario, (quem è Tolosano Senatu evocatum Mommorantius in aulam regiam induxerat, & Diana ad omnes honores promoverat) & Romam amandato; Franciscus Olivarius Cancellarius sub Henrico pulsus in integrum restitutus est; vir prudentia, rerum usu, & integritate clarus. Et ab eadem Roma revocatus est pariter Cardinalis Turnonius, vir in rebus consilio gerendis

exercitatissimus, ut sanctiori Regis consilio interesset. Secessit quoque Marescallus Santandreanus: qui tamen aliquanto pòst in gratiam cum Guisiis rediit. Condeus Princeps, ac Rocasurio in Belgium honorificæ legationis specie ad Philippum Regem missi sunt: ille ut pacem nuper ac Henrico factam, Francisci nunc Regis nomine juramento firmaret: hic ut conchiliati sive S. Michaëlis Ordinis torquem more solemni ad eumdem Philippum deferret, cùm alioqui à nonnullis [f] asseratur, haud dubium fuisse, quin pax damnosissima ab Henrico facta, cui nequaquàm Guisij consensissent, ejus morte interrupta extitisset, nisi simul seditionum maximorum suborta initia fuissent. Mommorantius item post curatum Henrici Regis funus, ex aula domum secedens, post Regis inaugurationem, cui cum aliis interfuit, cessit spontè dignitate Magistri palatij, sive Majoris Domûs regiæ, quam sciebat à Guisio ambiri, ne fortè cogeretur id invitus facere: quam Rex confestim eidem Guisio contulit.

f Belcar. ibid.

XXVI. Calvinistarum insectatio.

Post suam inaugurationem Rex cernens Calvinistas, sive Calvinianos, (omnes enim penè hæretici Galli hanc solam sectam secuti sunt, ceteris omnibus exclusis; qui & deinceps *Hugonoti* dicti sunt, de cujusmodi nomenclaturâ dicetur posteà) audaciores in dies fieri; præterita edicta in eos lata renovans, præterea in unoquoque Galliæ Senatu, seu parlamento, novam classem sive Cameram instituit, quæ tantummodò de criminibus ad religionem pertinentibus cognosceret: quas *Cameras ardentes* vocârunt, quoniam Calvinistæ convicti, si in suis erroribus perseverarent, flammis cremandi condemnabantur. Ideóque passim per urbes in eos anquiri cœptum est: Santandreano Præside, & Demochare Inquisitore, in id diligenter Parisiis incumbentibus: & Russango quodam, ac Claudio Davide aurificibus, atque Georgio Renardo sartore,, qui eam sectam olim secuti ad Catholicos redierant, ministrorum ac ceterorum qui in ipsorum conventiculis & coïtionibus assidui erant, nomina deferentibus: unde non pauci diversis pœnis subjecti fuere: & qui in nocturnis conventiculis deprehensi erant, ferè sine aliis juris formulis igni addicebantur. Quo factum est ut à Calvinianis in fratres Guisios, quasi non deberent in rerum administratione anteferri agnatis Regis, & alioqui regnum affectarent; nec non in Reginam matrem, tum eis consentientem, quasi nec ad eam aliquid de negotiorum regni cognitione pertineret; adeóque in ipsummet Regem, quasi inops mentis incapax esset omnis regiminis; libelli famosi & maledici passim disseminati fuerint; atque inter alios Dissertatio de libero Francogallorum imperio. Quam iniquè ferens *Ioannes* [g] *Tilius* Curiæ protonotarius, juris Gallici apprimè sciens, edito libello, cui De Regis majoritate titulum fecit, rationes eorum affatim convellit; productis statutorum municipalium plerisque capitibus, quibus demonstratur, apud Gallos tutelam ferè pubertatis annis finiri, neque ultra decimum quintum annum extendi: Itaque licuisse semper ac licere Regibus Galliæ in eâ ætate quos vellent summæ rerum præficere, & consiliarios penes se habere. Tum prolatis exemplis probavit regni tutelam non semper ad proximum agnatum delatam fuisse. Ultimum argumentum ab edicto Caroli V. Regis de Regis majoritate anno decimoquarto petebatur. Addebatque durum videri, ut Rex quod regni legibus ac per se posset, externorum ac finitimorum arbitrio consilium sibi deligeret: in eo haud obscurè Calvinianos sugillans, qui Germanos Principes Confessionis Augustanæ sollicitaverant, ut se rebus Galliæ interponerent. Tum apertè eosdem insectabatur, & auctorem scripti famosi imprimis, quem alterum Achitophelem appellat, quasi harum turbarum auctorem: ministrósque, seditionum tubicines vocabat, adversus quos arma jure sumi possent ac deberent. Contra quæ rursùs stylum exerens Dissertationis auctor Achitophel, regni ac Reip. hostis, contrariis rationibus Tilij libellum confutare conatus est. Contentionisque is demùm fuit exitus, ut ex eâ Tiliano scripto summa auctoritas conciliata sit: adeò ut post obitum Francisci, Carolo IX. Rege puero, in usum revocatum à Michaële Hospitalio Cancellario regni, pro certâ & ratâ regni lege, inter constitutiones regias referri meruerit. Ex hoc autem tempore quantis calumniis, & conjurationibus, non solùm in Guisios, verùm etiam in Reginam matrem, ipsósque Reges, ac fidos eorum consiliarios Catholicos, alios denique omnes qui constantes in antiquâ patrum religione permanserunt, agi cœptum sit à Calvinianis, eorúmque fautoribus, & scriptis & armis; horrendum est apud auctores legere: longè verò horrendius, repertos esse viros graves, fideíque Catholicæ professionem ostentantes, qui nescio quem intempestivum Reip. zelum præseferentes, auctoritatem ejusmodi fallacibus mendaciis, ac putidis imposturis conciliare sustinuerint.

Eorum scripta virulenta.

g Thuan. lib. 23.

XXVII. Annæ Burgij supplicium.

Cùm interim causa Burgij Senatoris, quam per ejus à sententiâ Episcopi Parisiensis appellationem ad metropolitanum Senonensem delatam vidimus, urgeretur; confirmatâ Senonis sententiâ Parisiensi, rursùm Burgius abusûs obtentu ad Curiam, à quâ jam repulsam acceperat rediit: iterúmque ibi frivolâ ejus appellatione declaratâ, ad Lugdunensem Primatem recurrens, ibi quoque Senonensi judicio confirmato, tertiò appellavit ad Curiam, & ab eâ remissus est: adeo ut tribus consentientibus sententiis damnatus, nihil ampliùs hebuerit quo vitam tueretur. Itaque etiamsi à Friderico Palatino Electore sibi condonari, ut in suo principatu profiteretur, summis precibus peteretur, (nam & hoc confugium Burgis servandæ vitæ causâ, quam ægrè deserebat, nundinatus fuerat) duodecimo Calendas Decembris à delegatis Iudicibus ad ignem damnatus; pòst degradationem ab ordinibus, elisis laqueo faucibus, combustus est anno ætatis 38. scientiâ juris clarus, & morum integritate conspicuus; ideoque planè indignus qui in hæresim laberetur, ob quam justè plecti mereretur. Cujus supplicium accelerâsse quoque putatur scelerata cædes Minarij, seu Minardi Præsidis; qui triduo antè, dum è curiâ domum se reciperet,

sclopeti glande transverberatus fuerat: eâdem fortunâ Magistrum Senatûs principem & Santandreanum alium Præsidem, manente, si eo die horâ pomeridianâ, ut consueverant, in Senatum venissent cujus conjurationis, quam nullus dubitávit Calvinistarum fuisse, etiam Burgius, ex susceptæ reformationis consciéntiâ, particeps aliquo modo detectus est. Certus tamen cædis patrator reperiri non potuit. Quo nomine captus [h] Robertus Stuartus Scotus ex prætorianis hippotoxotis, (qui Cardinalem Santandreanum [i] in Scotiâ prodiderat, & Lutetiæ carceribus ignem immittere, ut inde Calvinianos in custodiam datos eliceret, conatus fuerat) tortúsque, cùm nihil ex eo elici posset, dimissus est. Cum ceteris autem Senatoribus in custodiâ detentis, ob rerum mutationem, & quòd minùs peccâssent, culpamque nonnulli agnoscerent, mitiùs actum est, gradibus suis post aliquam suspensionem, mulctásque pecuniarias, restitutis. Quòd verò Burgium hæretici Martyrem proclamarent, & ipsius articulos disseminarent; nec esset in Galliâ qui adversus eos scriberet; Felicianus Ninguarda Morbinensis in Valle Telinâ, ex ordine Prædicatorum Episcopus Novocomensis, doctam edidit Fidei Catholicæ Assertionem contrà articulos utriusque confessionis fidei prædicti Burgij, quæ edita fuit Venetiis anno 1563.

h Belc.ibid.
i Supr. an. 1546.XXI.

XXVIII. Philippus in Hispaniam revertitur.

Philippus inter hæc, relictâ Belgij procuratrice Margaritâ sorore, Octavij Ducis Parmensis uxore: in Hispaniam navigans, ad finem Augusti eò incolumis pervenit, in ipso tamen portûs conspectu gravi tempestate, non sine rerum pretiosarum naviumque jacturâ agitatus; certum in eâ domicilium fixurus imposterùm, quod sub Carolo parente vagum quodammodò fuerat. Ad quem deducta est exeunte anno ab Antonio Rege Navarræ, Cardinale Borbonio & Rocalurione principe, Eliabetha ipsius conjux, soror Francisci Regis, quæ delegatis à Philippo Cardinali Burgensi & Infantasquij Duci fratribus tradita fuit apud cœnobium Roncivallense; (Antonio [k] de jure regni Navarræ, quod suum esset, ad delegatos Hispanos modestè protestante, eóque in nonnullis tunc utente:) & nuptiæ extremo Ianuario insequenti consummatæ fuêre.

k Thuan.lib. 23. Favin. Hist.Navar. lib.14.

XXIX. Hæreticorum in Hispania supplicia.

Anteà verò Philippus, ubi in Hispaniam pervenit, comperto quòd in eâ quoque hæreses pullularent, nihil antiquius habuit quàm ut in eas animadverteret, ut Catholicum nomine & re Principem decebat: primóque in Turdetanis apud Hispalim Septembri mense, deinde Octobri apud Pinciam vallem, Valledolit vulgò dictam; præsente ipso Rege, plurimi utriusque sexûs, omnísque conditionis, etiámque Ecclesiastici & Monachi, equestris quoque & primi ordinis, clarique alij viri, iis infecti, vivi combusti fuêre. Inter quos etiam cùm postulatus esset Constantinus Pontius, qui à sacris confessionibus diù Carolo Imperatori, eíque in secessu suo usque ad obitum præstò fuerat:, paulò antequàm ad supplicium ducendus esset, expiravit in carcere, ejus effigie in theatrum ductâ. Hisque factum est ut Hispaniæ quies parta fuerit, dum alibi omnia seditionibus commoverentur. Etsi enim scintillæ novarum opinionum in multorum, ac nobilium præsertim animis essent accensæ; delituerunt tamen propter gentis ingenium, pericula vitare cautæ, neque arduis se susceptis objicere amantis. *Bartholomæus Carança* Mirandensis Archiepiscopus Toletanus, quem pariter vidimus Carolo Imperatori morienti adstitisse, æquè de religione postulatus, captúsque ab Inquisitoribus (tanta est illorum in Hispaniâ auctoritas) multis annis è vinculis causam dixit. Qui posteà jussu Pij V. Romam deductus anno 1567. in Hadriani mole custoditus fuit, & interrogatus: quousque demùm anno 1576. à Gregorio XIII. suspectus tantùm judicatus, post voluntariam omnis pravitatis hæreticæ detestationem, ac legitimam Catholicæ fidei confessionem, certis pœnis injunctis, absolutus fuit, & ad Dominicanorum sui Ordinis monasterium Minervæ remissus; ibi paulò pòst pie, ritéque sacris Ecclesiæ sacramentis procuratus, obiit: vir eruditus & probus, nisi majorem ætatem suspicionibus de religione exagitandam incautè præbuisset, quem *Martinus Aspilcueta* Navarrus, summus eâ ætate utriusque Iuris consultus, multis nominibus ei obstrictus, quamquam octogenario jam proximus Romam comitatus, eumdem, averso licèt Philippo Rege atque ejus ministris, & verbo & scripto constanter defendit. Scripsit verò Carança Summam omnium Conciliorum & Pontificum usque ad Paulum III. nec non Catechismum, qui in Romano Indice prohibitus reperitur; & alia quædam.

De Barthol. Caranza Archiep. Tolet.

XXX. Io. Knoxus fax Scotiæ.

Eodem tempore flagrabat pariter omnis Scotia tumultu & seditione; præcipuo incentore *Ioanne Knoxo* presbytero, & religionis Catholicæ ac vitæ monasticæ perduelle, de quo aliàs; quem Beza in Iconibus Scotorum Apostolum nuncupat, hæreticus hæreticum, Calvinista Calvinistam palpans: alij [l] vitâ turpissimum, feminarum multarum, propriæque novercæ corruptorem, atque etiam necromanticum extitisse tradunt. Qui pœnas sceleribus suis debitas fugâ evadens, primò in Angliam, deinde Genevam ad Calipham Calvinum se contulit. Ubi communicatis cum eo consiliis, & seditionum atque destructionum artibus apprimè instructus, in patriam hoc anno rediens, junctus iis quos diximus anno superiori, aliísque quamplurimis ex nobilitate, qui jam multum negotij Reginæ Regenti per varias ac multiplices conjurationes facessserant; adeò prædicationibus suis & invectivis rem auxit, ut non solùm passim templa & monasteria destructa fuerint, sacra conculcata, Imagines confractæ, ornamenta & bona expilata, exturbati monachi, sacerdotes pulsi, Episcopi ejecti; verùm etiam omnis obedientia Regenti renunciata, omnísque auctoritas abrogata, & in quorumdam, quos tanquam consiliarios eligebant, translata: quorum præcipuus Iacobus Stuartus nothus Regis Iacobi V. ex Priore Monasterij Santandreopolitani factus posteà Moraviæ Comes, & crudelissimus Catholicorum persecutor. Qui quò malitiam perfidiamque suam aliquo velamine apud populum contegerent, quicquid agerent eo se præstare dicebant, ut extirpatâ Papisticâ idololatriâ atque superstitione, sincera

l Camer.de Scot. piet. lib.4.c.2.

religio-

religionis forma constitueretur; & Galli qui Remp. opprimebant ex Scotiæ finibus exturbarentur. Erat namque Regens Galla, soror Guisiorum, multique cum illâ Galli tam milites quàm alius conditionis homines, quippe erat tunc regnum Francisci Regis Galliæ jure uxoris suæ Mariæ; matérque Mariæ, ejus Regens: & alioqui erat antiquissimum fœdus & societas inter duo illa regna. Et quamquam potuerint etiam Galli innata insolentiâ imperiosiùs aliquando rem agere; quòd tamen nulla sit fides hæreticis erga Deum & homines, licuit eis utramque pro arbitrio violare, ex sacrâ doctrinâ Caliphæ sui Calvini. Qui cùm audîsset ex suo propugnaculo Lemano quæ Knoxus patrasset, ingenti lætitiâ superfusus, scriptâ ad eum [m] epistolâ die octavo Novembris, gratulatus est de uberrimo, & incredibili tam brevi temporis spatio, laborum ejus successu: hortatúsque ad perseverantiam, preces ad Deum fudit ut hostes eorum amentiâ & cæcitate percuteret. Cùm autem nihilominùs militaribus copiis Gallorum in dies augescentibus, pars Regentis & Catholicorum superior fieret; ac diligentiâ Nicolai Pellevæi, tunc Episcopi Ambianensis, posteà Archiepiscopi Senonensis & Cardinalis, qui acceptâ Nuncij Apostol. auctoritate in Scotiam missus est; ac prædicationibus & disputationibus trium Doctorum Sorbonicorum, quos secum duxit; non solùm Catholici in fide confirmarentur, sed etiam multi ex sectariis reducerentur, spésque fieret rem tandem restituendi: seditiosi illi Scoti ad Elisabetham Anglam recurrentes, ingesto metu de Gallorum in Angliam irruptione, si semel Scotos oppressissent, ad præstandam opem induxerunt: De quâ dicetur anno insequenti. Hæc autem quæ innuimus magis quàm narravimus, singillatim exprimunt, describúntque auctores Scoti, Leslæus [n] Episcopus & Buchananus [o] hæreticus, fax seditionis & incentor omnis perversitatis; ac proinde longè diversè, ut cognoscitur ille candidè, hic malitiosè ad res patrias enarrandas sese accinxisse. De cujus, simúlque Knoxi scriptis pestilentissimis, quibus omnem Principibus, si Calvini placitis adversentur, auctoritatem abrogat, à Iacobo Britanniæ Rege, licèt & ipso à religione Catholicâ alieno, damnatis atque prohibitis, dictum aliàs [p].

[m] Calvin. ep. 285.

[n] Lesla lib. 10.
[o] Buchan. lib. 16.

[p] Supr. an. 1539. VII.

XXXI. CHRISTIANI REGIS DANIÆ MORS.

Hujus anni primo die *Christianus* III. Rex Daniæ & Norvegiæ extremum diem vitæ clausit, ætatis anno quinquagesimo sexto, regni à coronatione [q] vigesimo secundo: suis satis laudatus [r] de bonâ regni administratione, sed præcipuè de hæresi Lutheranâ firmiter stabilitâ: itémque de pacis studio, non ignavi otij cupiditate, sed quòd belli incommoda nôsset: adeò ut sæpiùs cum gemitu aliorum Principum suæ ætatis dementiam deploraret, quod bello vastitatem attrahere, quàm pace Ecclesiæ, politiis & scholis consulere diligerent. Sepultus dicitur Roschilde monumento alabastrino ac marmoreo, cui ea regio septentrionalis simile non habeat. Paulò antequam moreretur Christiernum patruelem captivum inviserat, cúmque multa in familiari colloquio ambo simul communicâssent, deprecati alternas inimicitias, injurias invicem sibi condonaverant. Unde & factum esse volunt, ut idem Christiernus ex mœrore mortis Christiani, 23. pòst die mortem item obierit: anno ætatis 78. carceris 27. Christiano successit in regno filius ejus *Fridericus* II. ætatis 25. annorum. Qui confestim susceptâ, unà cum patruis Ioanne & Adolpho Holsatiæ Ducibus, expeditione in Ditmarsos, sive Thietmarsos dictos, in extrema basis Cimbricæ Chersonesi ora ad Oceanum, inter Albis & Eydori fluminum ostia habitantes, multisque jam sæculis imperio Holsatorum Principum rebelles; eos post atrocia quædam certamina in deditionem & servitutem adegit, belli duce Ioanne Ranzovio equite Holsato bellatore præstantissimo. Fuerat ille populus aliquando Archiepiscopo Bremensi subditus, & contra Holsatos libertatem suam, grandibus illatis eis cladibus, defenderat: sed postquàm à Bremensi recessit, & Catholica religione deserta Lutheranam hæresin amplexus est, animo & viribus concidens, intra unius mensis spatium propugnatam feliciter multis sæculis libertatem cum dura servitute commutavit. Cujus belli historia, unà cum Friderici coronatione, quæ post bellum confectum facta est die 20. Augusti, longo carmine Heroico extat descripta ab Hieronymo Hosio ejusdem sectæ homine Vvirtembergæ; eamdémque Christianus Cilicius ubertim, aliíque [s] brevius prosâ prosecuti sunt.

[q] Supr. an. 1537 X VI.
[r] Hist. Reg. Dan. Schar. Epit. rer. gest. sub Ferdin. I.

SUCCEDIT FRIDER. II.

[s] Natal. lib. 12. Chytræ. lib. 20. Thuan. lib. 12. & alij.

XXXII.

Romæ verò *Paulus* Pontifex, cum de pace inter Henricum Galliæ, & Philippum Hispaniæ Reges confectâ, non parva lætitiæ signa edidisset; auditâ [t] posteà Henrici morte, eorum quæ in eo regno deinceps acciderunt præsagus, publicè illacrimavit, regníque illius vices indoluit. Gravíque mox insecuta ægritudine, aqua intercute laborans, cum sibi mortem instare sensit, Cardinalibus omnibus in cubiculum suum evocatis, primum ab eis petiit, ut si remissior in Senatu cogendo fuisset, id ætati & incommodæ valetudini tribuerent; deinde ut consentirent in optimo successore deligendo: postremò ut sanctæ Inquisitionis officium, quo uno niteretur Apostolicæ Sedis auctoritas, commendatum haberent. Moribundi verò suprema verba fuêre, *Lætatus* [x] *sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Decessit autem 15. Cal. Septembris, ætatis suæ anno 83. mense uno, die 22. Pontificatûs anno 4. supra mensem 2. & diem 24. Fuit valetudine adeò prospera ante ultimum morbum, ut numquam medicorum opera usus fuerit, quamquam in victu non admodum diligens esset. Ceterum liberalitate, religionis tuendæ conservandæque zelo, super omnes retrò Pontifices maximè clarus; disciplinæ autem Ecclesiasticæ restituendæ adeò sollicitus, ut ex ejus cogitationum rationúmque fonte multa sacri Concilij Tridentini decreta profluxisse posteà videantur. Eo tamen animam agente, apertæ sunt statim vetere instituto omnes Urbis custodiæ; & à furente populo, qui per Urbem veluti amens discursabat, cum tabulariis incensus est carcer novus Inquisitionis, iis qui eo tenebantur emissis. Parumque abfuit,

[t] Onuphr. in Vit. Paul. IV.

[x] Psal. 121.

PAULI IV. PONTIF. OBITUS.

quin etiam ædi Dominicanorum ad Minervam, ejusdem Inquisitionis odio, cui exercendæ fuerant ij præpositi, ignem injicerent. Mox verò ut expiravit, quorumdam privatorum civium impulsu, cursu ad Capitolium ab exagitatâ plebe facto,) iratâ scilicèt tum ob severos Pauli mores, tum ob gravia tributa sub eo imposita; quod tamen magis crimen nepotum erat, quos Pontifex ubi prava eorum facinora cognovit, confestim Urbe, ut vidimus, pepulit:) caput cum dexterâ manu ejus statuæ, quæ ob beneficia ab eo primùm accepta nobili artificio è Pario marmore erecta fuerat, ingrato animo sceleratâque manu præcisum, & per Urbem triduo provolutum, tandem in Tiberim, bonorum quorumdam virorum misericordiâ subtractum, projectum fuit. Cautúmque Populi Romani edicto, in certo auctore promulgato, uti Carafæ familiæ insignia totâ Urbe tollerentur, propositâ nō obtemperantibus perduellionis pœnâ: adeò ut eo die nullum penè insigne reliquum fuerit. Corpus ad basilicam Sancti Petri tenui pompâ delatum, lateritio ad tempus tumulo conditum est. Cui septimo pòst anno Pius V. Pontifex, grati & pij animi, ob dignitatem Cardinalatûs & alia beneficia ab eo accepta, monumentum, magnificum erexit in Ecclesiâ B. Mariæ super Minervam è nobili marmore sepulchrum in majorum ipsius sacello: cum egregio epitaphio, quo is eloquentiâ, doctrinâ, sapientiâ, singulari innocentiâ, liberalitate, animi magnitudine præstans, scelerúmque vindex integerrimus, Catholicæ fidei acerrimus propugnator prædicatur. Hásque laudes meritò ei debitas fuisse, affatim docent, qui de eo pluribus agunt [x]. Cujus & nonnulla scripta recensentur in Nomenclatore Cardinalium; ac præcipuè Commentarius de emendandâ Ecclesiâ ad Paulum III. Quòd autem post ejus obitum, ob solemnes Cardinalium concertationes, (qui numero quadraginta quatuor, post justa Paulo soluta, Nonis Septembris conclave ingressi sunt) Sedes vacaverit quatuor ampliùs menses; antequàm de successore agamus, enarrandæ nobis videntur nonnullorum aliorum virorum illustrium mortes quæ hoc eodem anno contigerunt.

POPULI ROM. FUROR IN EJUS MEMORIAM.

x Vid. Victorel. in Addit. ad Ciaccon. in Paul. IV. & auctores ibi citatos.

XXXIII. ROBERTI NOBILIS CARD. OBITUS.

Et ut Pontifici Cardinales subjungamus, obiit 16. Cal. Februarij *Robertus Nobilis* Politianus ditionis Senensis, Iulij III. ex sorore pronepos: à quo in Collegium Cardinalium anno ætatis 13. non tam sanguinis quàm optimæ indolis & virtutum merito, universo gratulante Senatu, cooptatus, paucis annis quos vixit ita se gessit, ut ingenij acumine, literarum scientiâ, morum sanctitudine, pietatis cultu mirabilem se exhibens, senilem quoque prudentiam expresserit. Qui cùm esset ardentissimo religionis & literarum studio, & summâ vitæ austeritate, in tabem incidens, & quotidianâ sex mensium febri diversísque doloribus cruciatus; postremis octoginta diebus alteri tantùm lateri incumbere coactus, ulcere in eo contracto, nec questus est umquam, nec patiendo defatigatus, nec levi vitæ desiderio tactus. Obiit autem in ipso penè adolescentiæ ingressu, nempè anno ætatis 17. mense 4. die 12. sepultus ad S. Petrum Montis-aurei monumento marmoreo. Scripsit de Gloriâ cælesti commentarium, & Sermones de Sancti eruditione refertos, quos è suggestu religiosè habuit ad populum. Cujus laudes & virtutes multi [y] prosecuti sunt.

y Vid. Victorel. in Iul. III. Sach. Hist. Soc. Iesu to. 1. lib. 3.

XXXIV. IO. GROPPERI OBITUS.

Cardinalibus adnumeramus etiam *Ioannem Gropperum* Germanum ex Susato Vvestphaliæ, Doctorem eximium, Ecclesiæ Coloniensis Archidiaconum; de quo non semel facta est superiùs mentio in rebus Protestantium, quorum fuit acerrimus impugnator. Qui cùm à Paulo IV. Cardinalis renunciatus fuisset, raro humilitatis exemplo dignitatem recusavit; priorem paupertatem oblatæ claritudini præferens, simul ut æmulis obtrectandi materiam auferret. Ita enim plerique omnes; atque imprimis Onuphrius disertè, qui tum Romæ erat, & Gropperum scriptis literis recusationis suæ rationem reddidisse ait. Nec ullus reperitur, qui eum acceptâsse dignitatem asserat: sicuti nec ullus qui eum fuisse à Pontifice designatum non affirmet. At longè aliud est, designatum esse, aliud acceptâsse. Quæ explicasse voluimus, nequis decipiatur ambiguitate vocis *Designati*, quæ etiam in fronte nonnullorum ejus librorum reperitur. Mortuus est autem Romæ pridie Idus Martij, anno ætatis quinquagesimo octavo, cùm in Urbem vocatus fuisset à Pontifice, tum ad purpuram si vellet accipiendam, tum ad communicandum cum eo de rebus & scriptis hæreticorum. Ubi honorificè exceptus, paulò pòst decessit; sepultúsque est in æde Germanorum ad pedes Hadriani VI. De cujus virtutibus ac laboribus pro fidei Catholicæ defensione susceptis, & scriptis, alij.

z Vid. citatos ab Victor. ibid.

XXXV. ALIORUM DOCTORUM VIRORUM OBITUS.

Obiit quidem hoc eodem anno (non superiori, ut quidam ponunt) *Aloysius Lipomanus* Venetus, Episcopus Veronensis, vitæ integritate & eruditione præstans; qui variis legationibus summâ prudentiæ laude defunctus, literarum studium & scribendi diligentiam non intermisit; Catenâ laboriosissima ex Græcis & Latinis auctoribus in Genesim, & Exodum, & Psalmos, inter occupationes illas elucubratâ: quibus etiam interdum suas annotationes interposuit. Collegítque insuper Vitas Sanctorum octo voluminibus *Ruardus* item *Tapperus* Enchusianus Belga, magnum Universitatis Lovaniensis decus & ornamentum; qui duobus eruditissimis voluminibus Articulos Lovanienses contra Lutherum, rogante Carolo Imp. editos, solidè explicavit, aliáque conscripsit: atque inter cetera [a] volumen de providentiâ Dei & prædestinatione; quod manu ipsius scriptum Lovanij asservari dicitur, sed propter characterum ruditatē, & litterarum compendia, lectu impossibile. *Ioachimus* quoque *Perionius* Theologus Parisiensis, Cormeriaci in Turonibus natus, & in cœnobio Benedictino illius loci educatus, ac postremò mortuus: qui elegantiori stylo ac Ciceroniano Aristotelem in Latinum vertens, sicuti laudem ob sermonis puritatem ab omnibus, ita reprehensionem à nonnullis ob perturbatum aliquando sensum retulit: à quorum tamen accusationibus ipse se acriter defendit. Idémque multa ex Patribus Græcis pari elegantiâ in Latinam linguam transtulit. Ad cujus [b] imitationem ceteri Theologi

a Ioan. Chapeavil. de Gest. Pontiff. Leodiens. in Robert. à Berg. cap. 3.

b Genebr. Chron. lib. 4. in Paul. IV.

Medici, Iurisconsulti, certatim sese componentes, antiquam elegantiam, pulsâ barbarie, revocârunt velut postliminio. Sicuti in Iure exponendo fecisse noscitur *Franciscus Duarenus* Briocensis in Armoricis; qui dicendi genere suavi & facili omnes sui temporis Iurisconsultos superâsse putatur: & primus methodicam docendi rationem non observatam restituisse: qui hoc ipso anno, ætatis suæ circiter 50. Biturigibus obiit; ubi magnâ frequentiâ ac celebritate professus est, unà cum Eguinario Barone populari suo, & amico singulari, de quo suprà [c]. Quibus & addimus *Robertum Stephanum* Parisiensem, Typographum olim regium, hoc item anno ętatis suæ 56. mortuum Genevæ inter hæreticos; quorum dogmata sectatus, & Lutetiâ profugus, ut aliàs [d] diximus) nomen inter Catholicos perdidit, quod elegantiâ editionum plurimorum librorum Hebraicorum, Græcorum, & Latinorum, (si tamen pari fide in omnibus, atque elegantiâ) unà cum salute animæ majori longè gloriâ retinere potuisset.

c *Sup. an. 1550. XII.*

d *Supr. an. 1547. XXVIII.*

XXXVI. DUCES VENETIARUM.

Inter plurimos Principes, quorum obitu hic annus ab auctoribus celebris adnotatur, numeratur etiam *Laurentius Priolus* Venetiarum Dux, postquàm triennio summâ cum laude Reipublicæ præfuisset. In ejus locum *Hieronymus* frater major natu, S. Marci Procurator est suffectus, annum jam ætatis septuagesimum tertium agens, qui magnâ quoque prudentiâ dignitatem octennio tenuit.

XXXVII. PONTIFICATÛS CANDIDATI.

Postquàm variis Cardinalium contentionibus certatum esset de Rodulpho Pio Carpensi Episcopo Portuensi, Iacobo Puteo Niciensi Presbytero S. Mariæ in Viâ, Hercule Gonzaga Mantuano presbytero S. Mariæ Novæ, & Hippolyto Estensi Ferrariensi Diacono S. Mariæ in Aquiro; (hos enim præcipuè reperimus, qui egregiis singuli virtutibus micantes, numero etiam faventium eminuêre: quamquam & in [e] Historiâ Societatis IESU tradatur, tractatum etiam fuisse nescio quo subito animorum motu, de Lainio Præposito Generali nuper in locum Ignatij defuncti suffecto, creando Pontifice:) demùm mense quarto diéque septimo vacationis Sedis, Carolo & Alfonso Carafis imprimis, Alexandro deinde Farnesio, Guidone Ascanio Sfortiâ, & Ludovico Guisio, maximè suffragantibus, nocte subsequente Natale Domini, omnium Cardinalium suffragiis creatus est *Ioannes-Angelus Medicinus* Mediolanensis, (Medicem dicunt alij, tanquam fuerit ex Mediceorum Florentinorum familiâ; quæ nihilominùs diversæ fuisse dicuntur) ex presbytero Cardinale S. Priscæ: ad quam dignitatem fuerat post multiplices occupationes, legationes, administrationes, pro Sede Apostolicâ diligenter & feliciter obitas, à Paulo III. Pontifice assumptus: filius Bernardini olim vectigalium redemptoris, fratérque Marchionis Mariniani strenui illius ducis, quem sub Carolo V. meruisse vidimus, quique Mediceorum Mediolanensium fortunam fabricavit: natus anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono prid. Cal. April. ipso Paschatis die: ac proinde cùm factus est Pontifex, annum ætatis agens sexagesimum, & nonum ferè mensem. Cujus promotionem portendisse dicitur columba casu sacellum Sixtinum, ubi congregati Cardinales erant per fenestras ingressa, cùm diù circumvolitans cum admiratione, omnium ejus quietem expectantium, cellæ Ioannis-Angeli insedit. Ita enim Onuphrius in ejus Vitâ, qui conclavi interfuit, & singula quæ gerebantur oculis & auribus, ut ait, haud segniter perlustravit. Accepto nomine Pij IV. & symbolo, sive sententiâ, *Si* [f] *mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*; coronatus est octavo Idus Ianuarij anni proximi, ipso die festo Epiphaniæ. Qui meruit unus, quod non temerè alij uni evenisse reperiatur, ut tribus celebrioribus anni totius festivitatibus nasceretur, Pontifex crearetur, & coronaretur. De cujus rebus in Pontificatu gestis dicetur deinceps annis sequentibus.

e *Sacchin. lib. 3. §. 47.*

IO. ANG. MEDIC. ELIGITUR.

NOMEN ACCIPIT PII IV.

f *Psal. 18.*

XXXVIII. DISSIDIUM INTER FRATRES TURCOS.

De rebus Turcicis illud breviter adnotamus; cùm Selimus & Bajazetes fratres, Solimani Imp. filij, superstite patre, inter se de imperij successione dimicâssent, victum Bajazetem ad Tammasum Regem Persarum confugisse. Veritum autem Solimanum, qui Selimi partes fovebat, ne Persarum auxilio, vel Bajazetes, vel eo extincto filij ejus, quo secum abduxerat, res novas molirentur; magnis pollicitationibus, nec non belli inferendi minis & apparatu cum Tammaso egisse, ut Bajazetes unà cum filiis, nervo, mortis genere genti Osmanidarum familiari, suffocaretur: misso ad hæc à Solimano, ne quid fraudis interveniret, prægustatore suo, cui Bajazetes cum filiis notus erat: quo præsente iidem hoc anno necati fuêre. Rem breviter Leunclavius [g] tradit; prolixiùs descripsit Busbequius [h] in suis Epistolis de rebus Turcorum. Ex quibus etiam constat quamquam esset Bajazetes ætate minor Selimo, longè tamen præstantiorem extitisse, & Ianissariis acceptiorem; sed turbidiorum consiliorum hominem, quibus se in exitium præcipitavit; matri quidem Roxolanæ gratior, sed patri eò ingratior quò inquietior. Ita ut jam ex tot Solimani filiis, unicus reliquus fuerit Selimus, ceteris ferè ignavior, & ad regnandum ineptior existimatus: quem tamen non parvas aut paucas clades Christianis intulisse, videbimus suis locis.

g *Leunclav. in Supplem. Annal. Turc.*
h *Busbeq. ep. 3. & 4.*

IESU CHRISTI Annus 1560.

PII IV. Ann. 1.

FERDINANDI I. Ann. 3.

I. PII IV. PRIMA GESTA.

ANNO Christi millesimo quingentesimo sexagesimo, Indictione tertiâ, Pius Pontifex muneri suo diligenter incumbere incipiens, pro nominis accepti conditione & qualitate à clementiâ & humanitate orsus, Populo [a] Romano eorum omnium quæ in Pauli IV. marmoreum simulacrum, insigniáque, & sanctæ Inquisitionis contumeliam Sede vacante commiserat, veniam condonavit; hàc tamen lege, ut damna ac detrimenta illata, quoad posset, suis sumptibus sanctæ Inquisitionis officio sarciret. Ferdinandi Cæs. Imperatoriam dignitatem, quam Paulus improbaverat, sponte ratam habuit; ejúsque tan-

a *Onuphr. in Pio IV. Ext. const. ea de re facta in antiq. Bullar. Pij IV. const. 28.*

b Ext. ap. Goldast. to. 2. Constit. Imp.

quam legitimi Imperatoris legatos, rescriptum[b] de suâ electione deferentes, honorificè suscepit. Monachorum & Fratrum mendicantium; quos in monasteria unde exierant Paulus redire severissimo edicto coëgerat, causas iterùm cognosci voluit, ut iis qui canonicis legibus id se fecisse probâssent, suum jus redderetur. Aliáque pariter, quæ Paulus publicis edictis novaverat, disquirens, mutavit causarum cognitionem, & explicationem ad rectam communis Iuris rationem paulatim revocavit, idoneis ad id delectis judicibus. Ad confirmandam labantem Christi Ecclesiam, Generale Concilium præcipuè appetere præseferens, quod superiores Pontifices non admodùm cupere visi fuissent, vel saltem negligentiùs quàm par esset habuissent; ad ejus indictionem eò procliviùs animum inclinavit, quòd in Galliâ de Nationali cogendo deliberari audîsset. De quo dicetur paulò pòst.

II. c Onuphr. ibid. Carafarum supplicia.

Intereà verò idem Pontifex, vel[c] eorum memor quæ in suî contumeliam Carolus Cardinalis Carafa in conclavi dixerat; vel, quod ipse aiebat, ut Romanorum Pontificum propinquis salutare exemplum relinqueret, ut populos sibi creditos clementer haberent, & publica negotia pro Ecclesiæ dignitate conficerent; specie vindicandi ea crimina, quæ Carafæ patruo Pontifice, & bellò potissimùm Neapolitano patraverant, quæstionem capitalem in eos instituere est aggressus. Ita ut ad septimum Idus Junij quo die quinto antè anno idem Carolus purpurei pilei honore donatus fuerat, illum unà cum Alfonso itidem Cardinale ejusdem Pauli Papæ ex fratre pronepote, & Ioanne Caroli fratre, aliósque ejusdem familiæ aut affinitatis, nihil tale suspicantes in Adriani molem, & per eosdem dies aliquot alios Carafæ domûs clientes in publicum carcerem conjici mandavit; Cardinalium quæstioni octo ejusdem ordinis Patribus integritate & justitiâ insignibus præfectis. Post novem menses Carolus majestatis damnatus, & omnibus honorum gradibus exutus, curiæ sæculari plectendus traditus est: & nocte quæ Nonas Martias anni proximi præcessit, in mole Adriani carnificis manu strangulatus. Ioannes frater, unà cum Comite Allifano uxoris fratre, aliísque nonnullis, in Turris-novæ carcere capitali supplicio affectus, & in publico ad pontem Ælium expositus; populo Romano attonito, & quorsùm hæc tenderent admirante. Memorabile spectaculum, & instabilis fortunæ ludibrium; atque iis qui secundiori aurâ altiùs provecti extra omnem sortem sese collocatos existimant, amplissimum documentum, si essent qui recogitarent. Illud porrò de Fratribus memoratu dignum refertur, utrumque non solùm religiosè excessisse, verùm etiam fortissimo animo tantam calamitatem, perinde ac à Deo jussam, excepisse. Inter multas, præcipuæ damnati Cardinalis causæ in quæstionum codicillis relatæ fuêre, quòd senem Pontificem Paulum, quamquam in bellum pronum, tamen bellicarum rerum imperitum, falsis nunciis & consiliis decepisset; multos & maximæ dignationis viros ejus belli occasione vexari jussisset; quódque varias literas, & notas arbitrarias ementitus, ejus præcipuè unius operâ quinquennalibus inter Reges Galliæ & Hispaniæ ictis induciis fractis, totum id bellum quod Paulus gessit, susceptum, diutiúsque non sine gravi Sedis Apostolicæ detrimento productum fuisset. Fratri, præter crimen læsæ majestatis, & sociis, uxoris gravidæ & adulteri indictâ causâ cædes objectæ. Fuerunt porrò plerique eo tempore Iureconsulti, qui constantissimè asseverârunt, judicium id iniquum fuisse, cùm Cardinalis sine testibus, ex suis tantùm literis, eorum redargutus damnatúsque fuisset, quæ Pauli IV. jussu ab se facta esse contendebat, iis quæ sibi objecta fuerant, more Romano quæstioni, & tormento subjecto, non expressis, dilationibus quas petebat non concessis, patronis ejus raro auditis. Quare post obitum Pij IV. ab ejus successore V. causâ diligenter retractata, tota familia ad jus honorum & dignitatum restituta est. Aliquantò mitiùs cum Alfonso Cardinale, mansuetioris naturæ viro, actum; gravi tamen ære & Cameræ Apostolicæ præfecturâ mulctato. Sícque Pius qui ante Pontificatum mansuetus, humanus, mitis, gratus, existimatus fuerat, inito Pontificatu statim alienos mores induisse visus est; hanc gratiam rependens decessoris sui nepotibus, qui ipsum potissimè ad tantæ potestatis culmen evexerant. Conjecit pariter alios quosdam Cardinales variis de criminibus accusatos in carcerem, & opulentissimis sacerdotiis spoliavit.

III. d Onuphr. ibid. Pius suos evehit.

More[d] verò aliorum Pontificum jam recepto, sororum filios & filias ad se evocatos, variis & nobilissimis matrimoniis & dignitatibus auctos, ad sublimes honores evexit. Sed quicquid caro & sanguis de reliquis, pater cælestis abundantissime de uno revelavit: *Carolo* videlicèt *Borromao*, sororis Margaritæ ex Giberto Borromæo nobilissimo Mediolanensi Aronæ Comite filio, annum tunc ætatis vigesimum primùm, mensem quartum agente, (quippe nato anno 1538. 6. Non. Octobris) quem pridie Calendas Februarij anni præsentis Cardinalem creavit Diaconum tituli SS. Viti & Modesti in macello Martyrum; juris scientiâ tunc clarum, & modestiâ ac pietate insignem: qui in susceptis postmodùm dignitatibus (contra usitatum ceterorum hominum morem, qui cùm[e] in honore sunt, non intelligunt, sed comparantur jumentis insipientibus, & similes fiunt illis) de virtute in virtutem ascendens, factus est virtutum omnium, ac præsertim pastoralis solicitudinis & Ecclesiasticæ dignitatis perfectissimum exemplum; quod admirari facilius sit quàm imitari; luménque lucidissimum: quo universa Ecclesia splendoris fulgore illustrata est: meruítque tandem in numerum Sanctorum referri: de cujus laboribus frequens futura est inferiùs mentio. Eum autem mox Pius avunculus negotiis omnibus Ecclesiasticis tractandis præfecit: Fratrémque ejus Fridericum Comitem Aronæ, totius militiæ Ecclesiasticæ ducem generalem constituit.

Carolus Borromæus fit Cardinal.

e Psal. 48.

IV. Cura pauperum. f Bullar. to. 2. Pij IV. con. 6.

Nec verò suorum tantùm, verùm etiam exterorum curam gerens, tertio Calendas Maij approbavit ac confirmavit[f], cum Indulgentiarum & gratiarum largitione, confraternitatem

seu sodalitium sub invocatione *Sanctissimæ Trinitatis* non ita pridem Romæ erectum, in receptionem & refectionem pauperum peregrinorum, pietatis causâ ad Limina Apostolorum accedentium; necnon in simile subsidium pauperum convalescentium, qui ab infirmitate liberi, sed adhuc debiles, ab aliis domibus hospitalibus emittebantur; itémque ad utrosque eosdem in mandatis Dei & pietatis exercitio erudiendos. Mense verò Novembri, aliam similiter approbavit [g] Confraternitatem *De oratione & De Morte* nuncupatam, nuper in Urbe institutam, ad Orationem XL. Horarum singulis mensibus in aliquâ Ecclesiâ publicè peragendam, & pauperum defunctorum cadavera gratis & decenter Christiano ritu in Ecclesiis vel earum cœmeteriis sepelienda.

g Ibid. const. 22.

V. IN GALLIA CONIURATIONES FIUNT IN RELIGIONEM ET REGEM.

In Galliâ interim querelis crebrescentibus de publicâ regni administratione, conjuratio anno superiori cœpta acriùs exarsit; specie quidem eam à Guisiis ad regij sanguinis principes transferendi; revera ad hæresim, extinctâ religione Catholicâ, per totum regnum, sicut in Angliâ, Daniâ, aliisque multis regnis & provinciis Septentrionalibus, ac plerisque Germaniæ locis factum videbant, stabiliendam; Regémque ipsum occupandum, cujus posteà nomine seditiosi regnum pro arbitrio administrarent: multis ad hæc clandestinis consultationibus, deliberationibus, circuitionibus, intra & extra regnum factis. Cùm tam audaci facinori dux quæreretur; & Antonius Rex Navarræ, primúsque regij sanguinis à Regis fratribus Princeps, quamquam ab uxore & aliis deceptus hæresi faveret, horreret tamen, præ animi moderatione, & patriæ amore, turbas in regni perniciem ciere, contentus ditionum suarum securitati prospicere: repertus est Ludovicus ejus frater princeps Condeus, qui odio Guisiorum ob denegatam sibi Picardiæ administrationem ductus, & rei domesticæ angustiâ pressus, rem facilè suscepit: tacito tamen initio nomine, ut si res non succederet, se ducem inficiari posset; sicut etiam posteà fecit: verùm more eorum qui delectus secretos per Germaniam haberent, dux anonymus & mutus constitutus est, quem videlicèt nominare non fas esset. Datus verò ei legatus, seu substitutus, *Godofredus Barrius Renaudius*, & ipse ne dignosceretur, *Foresti* nomen accipiens, nobilis Petrocorius, juvenis impiger: qui [h] cum diuturnâ ac molestâ lite de quodam sacerdotio, quod avunculus ejus in agro Engolismensi tenuerat, & à Ioanne Tilio Parisiensis Curiæ protonotario vindicabatur, excidisset; atque ob falsi crimen quod incurrerat, in carcerem conjectus, grandique primùm pecuniâ mulctatus, ac postremò ad tempus relegatus fuisset; Lausanam, Genevámque secedens, multorum amicitias, qui ob religionem solum verterant, atque imprimis Calipharum Calvini & Bezæ, consecutus, eorum animos, & aliorum, quos dum varias regni provincias dissimulatâ personâ exul pervagabatur, exploraverat, homo quidem naturâ eloquens, manu promptus, & ingenio acer, sed qui tamen nullo adhuc militari, civilique honorato munere functus erat.

RENAUDIUS FACTIONIS ARTIFEX.
h Belcar. lib. 28. Thuan. lib. 24.

VI. CONIURATIO NANNETENSIS.
i Vid. Bellef. lib. 6. cap. 89.

Is igitur ad extremam inopiæ desperationem adductus, cùm operam suam ad exequendam conjurationem pollicitus fuisset; negotium in se suscipiens provincias obeundi, præcipuis quibusque sectariis diem ad Calendas Februarij (fuerant [i] enim jam multo antè tempore prædicta omnia agitata) ad Nannetes in Armoricis indixit, quòd urbs in extremis Galliæ finibus sita esset, ad quam mercatores ex omni Galliâ, Hispaniâ, Belgio, Angliâ convenire solebant; & ubi tum provinciæ Senatus habebatur, adeóque litis magni momenti, & nescio cujus inter nobiles matrimonij obtentu, omnis suspicio abesset. Congregatis omnibus in certum locum, quâ erat loquendi & faciendi audaciâ, legitimum hunc esse trium Galliæ ordinum conventum persuadens, gravissimâ factâ in Guisios invectivâ, cùm omnes specie religionem promovendi, & Regem ab eorum tyrannide liberandi, ad eorum perniciem assentientes reperisset, prolatis actis super tanto facinore confectis, ducem se conjurationis sub Condeo delectum ostendit, idémque eo conventu confirmatus, de rei peragendæ ratione tractare cœpit: placuítque, ut ante omnia magna hominum multitudo, sed inermis, præmitteretur, quæ Regi porrecto supplici libello vim à conscientiis deprecaretur, & liberam religionis suæ professionem peteret: interim delecti equites ad eamdem diem, nempè sextum Idûs Martias, Blesas, ubi tum Rex erat, circumirent, & à consciis intra urbem accepti nova postulata adversus Guisios proponerent: & siquidem illi aulâ secedere, suæque administrationis rationem reddere detrectarent, in eos ferro grassarentur; túmque demùm Condeus, qui nomen suum eò usque celari, rémque intereà nomine *Capitis Muti* geri volebat, se ducem sociis præberet. Sunt [k] etiam qui hoc conventu in Regis ipsius personam conjuratum esse velint: quod ut non negamus proponi potuisse à quibusdam brutis hominibus; ac præcipuè à ministris, qui omnem superioritatem & dominationem tam Ecclesiasticam quàm sæcularem aspernantur; ita mentibus principum & nobilium virorum locum habuisse, omninò horremus credere. Constitutis ducibus, qui ex singulis regni provinciis auxilia adducerent, & dispositis passim viris ex nobilitate delectis, qui viderent ne ad tumultûs famam oppidanorum animi commoverentur, quique impedirent ne auxilia Guisiis submitterentur: inde singuli ad sua quique eâdem taciturnitate quâ venerant rediêre. Renaudius ad Condeum, ut quæ decreta fuissent exponeret, & Lutetiam ad Antonium Chandeum ministrum Parisiensem, (qui posteà Hebraicâ nuncupatione Sadeel dici maluit, eum pariter certiorem omnium facturus, (erant enim Ministri præcipui talium conspirationum incentores) perrexit.

k Bellefor. ibid.

VII. EA DETEGITUR.

Ibi cùm ad Petrum Avenellum causidicum in suburbio Sangermano commorantem, qui aut Calvinianus erat, aut esse simulabat, & Parisiensium more hospites, præsertim Calvinianos, recipiebat, ut magis lateret, divertisset; isque ex frequenti confluentium ad Renaudium hominum turbâ suspicatus

quod

quod erat; operam suam, si quid esset quo causæ consulere posset, ipsi offerens, rem omnem ab eo intellexisset; & comprobare simularet: cùm eam apud se diù agitâsset; magnitudine negotij territus; vel concepti sceleris indignitate commotus, vel sibi si conjuratio detegeretur timens, aut denique conscientiæ morsu tactus: Stephano Alemano Vouzeo libellorum supplicum magistro, qui secretiora Cardinalis Lotharingij negotia curabat, coram Mileto Guisij ab epistolis, conjurationem detexit. Vix tamen ei primùm habita fides. Sed quia ex longinquis locis, Italiâ, Germaniâ, Hispaniâ, Belgio, Sabaudiâ, quotidie literæ ad Guisios veniebant de paratis in eos insidiis; evocato Avenello, qui conjurationis seriem disertiùs explicavit; Guisij Regem Ambosiam deduxerunt, oppidum angustum, quódque propterea minori præsidio egebat, ad hæc arce amplissimâ & munitissimâ firmum. Quæ inopina mutatio loci; non mediocriter consilia conjuratorum conturbavit. Quòd tamen vocati à Reginâ-matre Admiralius Colinius, sive Castilionius, Andelotúsque ejus frater peditatûs Gallici tribunus; (qui unà cum fratre Cardinale, præcipui erant hæresis sectatores, fautorésque, & Guisiorum hostes acerbissimi) tam-

Supplicia de hæresi edicto remittuntur. quam ad consilium super hâc conjuratione, cujus an & ipsi conscij essent non adeò constabat, capiendum; censuissent, ob immensam Calvinianorum toto regno multitudinem, quæ vi coërceri non posset, ut supplicia religionis ergò instituta remitterentur, donec per universale Concilium controversiæ de illâ susceptæ componerentur: edictum quinto Idus Martij conditum est, quo sanxit Rex nequis ampliùs ad supplicium ob præterita raperetur, modò imposterùm Catholicæ Religionis instituta & ritus sequeretur: exclusis nihilominùs ab hâc præteritorum veniâ, ministris & concionatoribus, & quicumque in Regem, ejus matrem ac fratres, regiam stirpem, regiósque domesticos ac negotiorum administratores conspirâssent, aut consilia iniissent. Huícque edicto, ut magis fidem faceret, inter alios iidem tres fratres Castilionij subscripserunt, quamvis ipsorum religioni contrario, quò magis conjurationem occultam tenerent, quam forte existimabant finem optatum habituram antequàm detegeretur.

VIII. Haud tamen cessabant intereà Guisij ubique per provincias nobilitatem ad arma pro Regis tuitione capessenda hortari. Dataeque in eamdem rem ad præfectos literæ, ut quoscumque in armis Ambosiam versùs tendentes nanciscerentur, eos captivos sisterent. Condeus nihilominùs, ut conjuratis juxta condictum adesset, eò perrexit. Verùm magno eorum numero passim per præfectos capto,

Conjuratio Ambosiana dissipatur. multísque capite mulctatis; strangulatis; aliis suppliciorum generibus peremptis; Renaudius dux in Pardilianum propinquum suum, à Rege cum delecto equitatu ad intercipiendos conjuratos missum, fortè incidens; cum admisso equo in se ruentem, cùm displosus Pardiliani sclopetus ignem non concepisset, ipse gladio transverberavit; idémque ipse mox à Pardiliani famulo sclopeto occisus concidit. Cujus cadaver Ambosiam delatum, ad pontem patibulo suspensum est cum hujusmodi inscriptione *Renaudius, qui se Foresti dicebat, dux rebellium; & auctor seditionis*, cúmque alique tempore ostentui fuisset, discerptum fuit, & membra extra urbem palis affixa. Ab ejus verò secretario Bignâ capto, tota conjurationis series distinctiùs explicata fuit: ac demùm prudentiâ & vigilantiâ Guisiorum, ea penitùs dissipata; non sine magnâ cæde conjuratorum, ac præcipuorum supplicio. Quo etiam factum est, ut Rex Guisio Duci, ob rem optimè gestam, summam totius regni præfecturam, tam ipso Rege præsente quàm absente, contulerit. Et in Senatu Parisiensi tributus ei fuerit titulus *Patriæ conservatoris*. Condeus Bignæ, aliorúmque testimoniis, ducatûs conjurationis insimulatus, ideóque aulâ exire sine Regis licentiâ prohibitus; rem tamen fortiter inficiatus, eâ suspicione à Rege liberatus est, rem prudenter dissimulante, ne majores motus inde cierentur.

IX. Regium diploma de conjuratione Ambosiana. Regium diploma ad omnes Galliæ Senatus, ac Præfecturas missum, quo Ambosianæ conjurationis series omnis descripta est: nempè magnas rebellium, qui ferè omnes Calviniani, essent, copias ad Ambosiam coiisse, quosdámque ex iis urbem quoque expugnare conatos fuisse, ut ipsum Regem, matrem, uxorem, fratres, principes qui ei à consilio essent, comprehenderent, aut fortasse trucidarent; aut siquid mitius ab impiis facinorosísque latronibus sperari poterat, ut ipso ceterísque in suam potestatem redactis, antiquâ regni administrandi ratione sublatâ, quam vellent ex suâ libidine imponerent: sed Dei benignitate conjuratione hujusmodi manifestè deprehensâ, reos læsæ majestatis convictos pœnas dedisse: qui imprudentiâ se illis adjunxissent, eâ conditione admissos esse, ut si in id crimen relaberentur, easdem pœnas subirent. Et quandoquidem conjuratio ex Calvinianorum conventiculis originem sumpsisset; caverent ne ulla in suis jurisdictionibus conventicula hominúmve concursus fierent, & siqui in iis deprehenderentur, eos perinde ac læsæ majestatis reos punirent. Quòd enim in ceteris quoque provinciis conscij conjurationis, ac si votorum jam essent compotes, turbas civissent; templa occupâssent, urbes tentassent, necesse fuit iis quoque prospicere: sicuti & factum est, iis modis quos referunt auctores.

Calvinus ejus conscius. Meminítque eorumdem Calvinus ipse, pro cujus asserendâ doctrinâ, & firmando imperio, conjuratio facta fuerat; cùm scribens ad Henricum Bulingerum, & Ambrosium Blaureum Constantiensem exmonachum, invidiam suasæ aut approbatæ conspirationis, quâ infamabatur, à se depellere valdè laboravit. Qui sanè si non suasit, neque approbavit, ut videri vult, in eo nullam excusationem mereretur, quòd illam, ut fatetur, planè edoctus ex ipsiusmet Renaudij communicatione, haud eam detexit, sicuti debuerat: quamquam silentij sui rationem frigidam afferat, quia scilicèt verebatur, ne si rei fama ad hostes manaret, ad carnificinam pios omnes traheret; cùm econtrà æqua hæc fuisset occasio veniam reis impetrandi, & eorum cædem impediendi. Denique cùm tristem

eventum doleat vehementer, satis ostendit, si felix fuisset, gavisurum se fuisse vehementissimè.

X. CALVINIANI GALLI UNDE DICTI HUGONOTI.

Observant item auctores, hoc primùm tempore Calvinianos in Galliâ cœpisse dici HUGONOTOS: nec tamen de vocis origine, quæ multiplex affertur, adeò consentiunt. Conveniunt plerique deductam à portâ urbis Turonis, quæ Regis Hugonis appellatur, ad quam Calviniani sua conventicula celebrare consueverant. Quidam [p] expressiùs; quòd cùm singulæ Galliæ urbes peculiaria nomina habeant, quibus mormones, lemures, manducos, & cetera hujusmodi monstra inania anilibus fabulis ad incutiendum infantibus ac simplicibus feminis terrorem vulgò indigitant, Turonis Hugo rex celebretur, qui noctu pomeria civitatis obequitare, & obvios homines pulsare ac rapere dicitur: ab eóque *Hugonoti* appellati fuerint, qui ad ea loca ad conciones audiendas ac preces faciendas itidem noctu agminatim conveniebant. Ac convenientissime id quidem, si mores eorum, studia, conatus, seditiosa turbulentáque consilia spectes; si sævitias & crudelitates, in Deum, Ecclesiam, Regem, patriam, divinas & humanas leges, omnes bonos; quibus ingentem ubique & terrorem, & horrorem, strepitúmque Acherontis primùm, deinde perniciem & subversionem attulerunt: adeò ut præcipua ipsorum fides esse videatur, omnia sursùm deorsùm agere, ima summis permiscere: præcipuus scopus, clade, cæde, ferro, sanguine, igne, patriæ suæ cineribus saginari. Ut autem hæc vera sint; de nomine tamen Hugonotorum non adeò ineptam olim [q] retulimus rationem sumptam à voce Fœderis Helvetici, quâ se invicem *Eydgenossen* vocitant, malè à Gallis pronunciatam. Seu denique, ut alibi [r] eam interpretatam reperimus ad rem item convenientissimè quasi *Hens-guenaus*, quod apud eosdem Helvetios significat gentes & homines seditiosos.

p Thuan. lib. 24.

q Supr. an. 1307. ad fi.

r Io. Chapeavil. in Gest. Pontiff. Leodiens. in Robert. à Berg. cap. 4.

XI.

Interim *Olivario* Cancellario, viro tanto munere dignissimo, vitâ functo, Cardinalis Lotharingus, præter domesticorum omnium ac familiarium sententiam, prout narrat unus [s] ex eis, effecit ut *Michael Hospitalius*, vir litteris humanioribus & juris prudentiâ insignis jámque tunc Cancellarius Margaritæ Ducissæ Sabaudiæ Francisci I. filiæ, in Ducatu Bituricensi, in ejus locum surrogaretur. Cujus pater Caroli Borbonij ultimi Bojorum reguli medicus, Renatam ejus sororem, quæ Antonio Lotharingiæ regulo nupsit, secutus, reliquam vitam ibi traduxit: avus natione, & religione Iudæus totam ætatem Avenione traduxerat: Michael autem Calvinianis, ac præsertim Castillioni Admiralio totum se dedit: in quos & Catharinam Regis matrem, sed aliâ de causâ, propendere intelligebat. Initio tamen satis moderatè se gessit, vel ut quod intenderat dissimularet, vel ne Guisios, quorum operâ eum gradum assecutus erat, offenderet. Mense autem Maio factum est *Edictum Remorentinense*, à loco sic dictum; quo criminis hæresis cognitio tributa est Episcopis, omni ejus jurisdictione curiis regni ademptâ, pro quâ Senatus Parisiensis aliàs acriter pugnaverat.

s Belc. ar. lib. 28. §. 57.

MICHAEL HOSPITALIUS FIT CANCELLARIUS.

EDICTUM REMORENTINENSE.

Factúmque id creditur, ut Ecclesiastico Ordini sic fieret satis, & vitaretur Inquisitionis introductio: cujus remedium ortu hæresis utilissimum, diffusâ jam illâ per omnes regni provincias, inutile videri poterat: quod etiam in regno Neapolitano, & in Mediolanensi principatu, & Romæ quando Paulus IV. Inquisitionem invexit, magnas seditiones peperisse constaret. Quòd autem & hujusmodi attributio Episcopis facta, absque effectu remansura esset ob malitiam Hugonotorum, qui judicia Episcoporum aspernaturi forent; sancitum quoque est, nequis per conventicula ac coitiones illicitas, de religione dissereret, aut seditionem moveret; armatósve cogeret: siqui fecisse arguerentur, convicti perinde ac læsæ majestatis punirentur à Iudicibus regiis: easdémque pœnas socij, conscij, celantes subirent: necnon concionatores, qui sine Episcoporum licentiâ conciones haberent, famosorúmque libellorum auctores, & disseminatores. Additúmque, ut Episcopi alijque Ecclesiastici curam animarum habentes, in suis quique diœcesibus & Ecclesiis residerent, atque religionis Catholicæ conservationi, & hæresis extirpationi invigilarent.

XII.

Cùm nova interim in Guisios conjuratio (cujus præcipui duces insimulabantur Antonius Rex Navarræ, ejusque frater Ludovicus Princeps Condeus, qui in Aquitaniam ad fratrem accesserat; Monmorantius Connestabilis, ejúsque nepotes fratres Castillionei) detecta [t] fuisset imprudentiâ cujusdam Iacobi Sagæ Cantabri, cui Condeus maximè fidebat; Catharina Regis mater, femina ambitiosa, atque Guisiorum auctoritatis pertæsa, ad eorum hostes inclinabat, (non quidem ut hæresi adhæresceret, quam semper corde & cultu aversata est, quamquam non raro cum Hugonotorum capitibus agens favorem simulaverit; sed imperandi cupidine, ut velut media incedens utrosque sibi devinctos haberet: (Hospitalij Cancellarij sensibus exploratis, cùm eos Castillioneis congruentes comperisset, de eorum consilio, velut ad remedium aliquod seditionibus impendentibus investigandum, conventum principum, summorúmque totius regni magistratuum, regij sodalitij equitum, ac ceterorum qui plurimùm auctoritate pollerent, in duodecimum Calendas Septembris ad Fontem-Bliaudi seu Bellæaquæ indicendum curavit: eo consilio à Castillioneis suasum, ut Navarrum & Condeum, quos in aulam, ut Guisiis opponerent, adducere non poterant, vel invitos traherent. Vocavit enim & illos Rex: qui tamen brevitatem causati temporis, non interfuerunt. In conventu tria discutienda proposita fuêre, de Religione, de regio ærario, de ratione continendi populos in obsequio. Sed antequàm sententiæ dicerentur, Admiralius qui pridem in Normanniam missus fuerat, cùm ad parandam classem in Scotiam trajecturam, tum ad provinciam continendam, & Calvinianorum querimonias audiendas; duos libellos Regi obtulit ejusmodi querimonias continentes, quas à quinquaginta

t Id. §. 61.

CONVENTUS FONTEBLIAUDIENSIS.

MONLUCII EPIS. VALENTINI SENTENTIA.

ginta millibus subscriptum iri; si opus esset, arroganter dixit. Tum *Ioannes Monlucius* Valentinus in Delphinatu Episcopus, postremus consiliarius sententiam rogatus, orationem Episcopo minùs dignam existimatam habuit: quâ scilicèt quòd caput de Religione attinet, (cetera namque non tangimus) in Episcoporum ceterorúmque ecclesiasticorum mores & ignorantiam acriter invectus, nec quidem Summo Pontifici parcens; econtrà Calvinianorum ministrorum modestiam, & eruditionem, vitæ integritatem, & timorem Dei extulit: Reginásque quæ aderant, matrem scilicèt & uxorem Regis, ut tam ipsæ quàm earum matronæ & puellæ, rejectis aliis cantionibus, psalmos Davidis (Maroticas scilicèt & Bezanas cantilenas) decantarent, hortatus est: Antiquos mores instaurandos, & Concilium universi Christianismi celebrandum; aut si id impetrari non posset, saltem Galliæ totius qualia sub Carolo Magno, Ludovicóque ejus filio celebrata fuissent; ad quod etiam ex Calvinianis eruditiores admitterentur, ut via aliqua concordiæ iniretur.

XIII. MARILIACI ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS ORATIO.

Post Valentinum *Carolus Mariliacus* natione Arvernus Archiepisc. Viennensis, vir eruditus & multis legationibus functus, (aliquando nihilominùs dum juvenis esset causidicus, nonnihil de religione suspectus) sententiam suam promens, Regni duas firmissimas columnas esse dixit, Religionis integritatem, & populi benevolentiam. Regis officium esse populum sibi commissum in Dei cognitione & obsequio continere. Veram religionem esse, ut Deus quemadmodum agnosci debet, agnoscatur, & mandata ejus expleantur. Antiquum & consuetum remedium, quo religio, quæ nonnullorum malignitate, aliorum negligentiâ, & corruptis sæculi moribus obscurata esset, instaurari soleret, totius Christianismi Concilium esse. Cujus cùm nulli, aut rara spes esset, eò quòd ut Pontifex maximus, Imperator, Christiani Reges, Germaniæ latè patens natio, de tempore, loco, formâ, consentirent, in Regis potestate situm non esse; urgeret autem in Galliâ malum, cùm in plerisque ejus regionibus ita esset ignis accensus, ut nisi nascens extingueretur, totum regnum occupaturus esset; ad proximum remedium, hoc est totius nationis Gallicæ Concilium recurrendum esse. Priùs tamen ut quatuor antecederent necesse esse: primùm Episcopi singuli in suis diœcesibus assidui essent, & muneri suo exequendo diligenter incumberent: secundò, ut omnis avaritia è templo Dei tolleretur, & disciplina restitueretur: tertiò, ut lacrymis, jejuniis, & orationibus publicis, iram Dei placare Episcopi studerent: quartò, ne seditiones excitarentur, maturè providendum à Rege & magistratibus esse, cùm nemini, nisi permittente summo Magistratu arma capere liceat: ideóque Ambosianos conjuratos jure punitos esse, qui supplicis libelli Regi offerendi specie magnam armatorum manum coëgissent; cùm & supplices ipsi, & pauci, libellum suum offerre debuissent. Et hæc quidem Mariliacus quoad Religionem magnâ eloquentiæ vi prosecutus est; quam & prolixiùs exerens in ceterorum capitum propositorum examinatione, ostendit ad eorum tollendas difficultates necessariam esse Trium Ordinum convocationem; cujus necessitatem, emolumenta, & fructus luculentissimè explicavit.

XIV. GUISIORUM SENTENTIA.

Ceteris consiliariis ac proceribus qui in conventu erant nihil novi afferentibus, Guisius Dux respondens congruenter ac luculentè quibusdam aliis propositionibus ab Admiralio factis; quod Religionem attinebat, dixit se ad Theologos & viros eruditos eam deliberationem rejicere, quamquam ab antiquâ doctrinâ præsertim in dogmate sacræ Eucharistiæ, quidquid decretum esset per Concilium, numquam se discessurum profiteretur: trium verò Ordinum conventum ad regiam majestatem rejecit. Cardinalis autem ejus frater vehementiùs in libellos ab Admiralio oblatos invectus, eos confutavit, & mendacij arguit; & quod templa ad conciones suas faciendas sibi concedi sectarij petere ausi essent, si Rex annueret, augustum illum atque hereditarium Christianissimi titulum amissurum, & certam æternæ felicitatis jacturam facturum. Quod quinquaginta hominum millia libellis subscriptura dicerent, his decies aut potiùs vicies centena millia Regem oppositurum, qui à suâ, hoc est antiqua religione non discessissent: Quâ autem pietate isti novitates suas promoverent, ex famosis libellis, quos ubique publicis locis affixissent, cognosci posse: ex quibus duos & viginti adversum se scriptos proferre posset, quos diligenter servaret: idque sibi magnæ gloriæ ducere, quòd tam sceleratorum hominum probris conscissus esset; seditiosos graviter puniendos esse; ceteros minime suppliciis afficiendos putare, quæ hactenùs non multùm profuissent: Concilia nationalia, de sacrorum ministrorum, populíque moribus decernere dumtaxat, novi quicquam afferre non posse: itaque singulos Episcopos in suis quibusque diœcesibus de iis statuere posse absque tot impensis: Conventum trium Ordinum probare se, ut omnes agnoscerent quàm sincerè & prudenter regnum administraretur, & imposterùm spem meliorem conciperent. Denùm conclusio conventûs, qui quatriduo continuatus est, fuit, quòd Rex comitia Trium Ordinum in quartum Idus Decembris in civitate Meldensi celebranda indixit. Et quandoquidem Summus Pontifex, Imperator, ceterique Principes de totius Christianissimi Concilio propemodùm convenissent, (de quo paulò pòst dicetur) Episcopi ad quartum Idus Ianuarij ad Regem accederent, inde ad Concilium universale profecturi; aut si de illo non conveniret, de Gallicano deliberaturi: interímque in suas diœceses singuli redirent, sacris libris evolvendis operam darent, & quid in moribus emendandum esset, quídque in Concilio proponendum, animadverterent.

XV. FANATICI CUJUSDAM DELIRIA, ET SUPPLICIUM.

Ad id verò quod de hæreticorum Normannorum insolentiâ dictum est, pertinet quod de quodam ludimagistro Rotomagi hoc tempore accidit; sectâ quidem illo, ut volunt, Anabaptistâ, sed tamen multis Calvinianorum acceptissimo, vel eo nomine quòd unà cum ipsis Ecclesiam Catholicam oppugnaret. Erat [u] is trium linguarum peritus, easque accuratè docebat, & naturâ

[u] Belcar. lib. 28. §. 57. Thuan. lib. 25. in fi.

eloquens magnam hominum multitudinem, etiámque Catholicorum ob rei novitatem ad conciones suas audiendas alliciebat. Sibi multa à Deo revelari dicebat; atque hoc imprimis, Antichristum brevi armorum vi periturum; se exercitûs ducem à Deo delectum, ut omnes impios everteret, & Principes ac Magistratus de medio auferret: séque non antè moriturum, quàm mundum purum ab omni scelere culpáque statueret; proinde hortari omnes, ut secum suísque auspiciis arma sumerent. Nec mirari quemquam debere, quòd Ambosiana conjuratio non successisset, quippe ad quam non fuisset ipse vocatus. Urbe exclusus; cùm eâdem frequentiâ in campis concionaretur, résque ad seditionem spectaret; tandem comprehensus, quæstione habitâ temeritatis suæ pœnas igne luit: duobus fratribus, ipsius cognatis, qui ab eo persuasi eum numquam moriturum, non priùs ab insano errore, quem pertinaciter tuebantur, sanari potuerant quàm ipsum igne consumptum viderunt, gula fracta est.

XVI. De rebus Scoticis. x Lesla. lib. 10. Ludov. Guicciard. lib. 3. Belcar. lib. 28. Thuan. lib. 24. Camdem. in Elisab.

Inter hæc cùm essent pariter in Scotiâ res propter seditiones Calvinianorum turbatissimæ, (ut jam diximus anno superiori) seditiosi auxilia [x] Anglorum evocantes, multa certamina cum Gallis vario Marte habuerunt. Cùm verò ijdem Galli, quibus Iacobus Brossius dux veteranus, & Sebastianus Lucemburgius Vicecomes Martigius egregiæ nec inexpertæ virtutis adolescens, præerant, ab Anglis simul & Scotis eorum fœderatis longè viribus superioribus, in oppido Lethæ ad mare sito, & unico tantum milliari Edimburgo primariâ Scotiæ civitate distante, circumsessi essent; & dum obsidio virtute Gallorum protraheretur, intervenisset solennis dies Paschatis; accidit quiddam memorandum, à Leslæo Episcopo relatum: nimirum cum is dies Catholico ritu intra oppidum tantâ reverentiâ celebraretur, ut ne unus quidem sclopetus in sequentem usque diem exploderetur, quantumvis hostes, quibus nulla sacrorum erat cura, perpetuo quasi tonitru insonarent, dum principes omnes viri Galli & Scoti cum frequenti populo Ecclesiæ sacrificio interessent, maximi tormenti pilam in Ecclesiæ fenestram, ad quam situm erat altare, paulò ante sacram communionem immissam, per portam templi adversam, nullo in tam confertâ multitudine læso egressam esse: eò evidentiori divino beneficio, quòd cum saxis & rudere undique opplerentur omnia, quâ parte tamen sacra mysteria continebantur, apparuerit horum omninò nihil. Postero verò die Galli magno numero ex oppido repentè erumpentes, ingentem in ipsis fossis & aggeribus Anglorum stragem fecerunt. Cum autem magnos sibíque inutiles sumptus Elisabetha Regina Angliæ faceret, Scotia ab Anglis auxiliariis vastaretur, Rex Galliæ propter continuas Calvinianorum seditiones nova auxilia mittere non posset; mortuâ inter hæc Edimburgi quarto Idus Iunij Reginâ Regente, magnæ virtutis feminâ, tædio turbarum & destructionis religionis mœrore confectâ; (cujus corpus in Galliam ad fratres Guisios delatum, in cœnobio S. Petri Rhemis, cui soror ipsius Renata piè tunc præerat, conditum est) pax inter Gallos, Anglos, & Scotos mense Iulij his præcipuè conditionibus Gallis satis iniquis sancita est: ut Rex & Regina Galliæ & Scotiæ, Angliæ & Hiberniæ titulos & insignia imposterum non gestarent; Scotiæ regnum à duodecim è nobilitate Senatoribus administraretur, quorum septem à Reginâ Mariâ, reliqui à proceribus regni eligerentur: ut Gallis nullus magistratus, nulla dignitas in Scotiâ pateret: ut omnes injuriæ utrimque illatæ oblivione sepelirentur: ut copiæ Gallorum & Anglorum ex Scotia educerentur; neque iis deinceps aditus in eam pateret: ut nulla de religione inquisitio fieret. Post quæ proceres regni de publicanda stabiliendáque hæresi, cujus jam libertatem permissam videbant, satagentes; impotentissimè auctoritate sua ea in re usi sunt, Catholicos vexando, ecclesias & monasteria diruendo, omnia sacra profanando, universum regnum pessumdando, tartaricè cuncta reformando.

Mirabile de Missa.

P x Gallis damnosa.

XVII. Pius Pontif. intercedit Concilio Nationali Gall.

Pius autem Pontifex cum audisset deliberatum in conventu Fontebellaqueo fuisse de Concilio Nationali in Gallia celebrando, valdè de successu anxius, Episcopum Viterbiensem ad Regem misit, qui multis rationibus & argumentis demonstraret fore ejusmodi Conventum instar Schismatis ab Ecclesia universali, aliísque nationibus pessimi rem exempli; atque ipsius etiam Reginæ dignitatis magnæ diminutioni, quandoquidem cum ardentibus votis cuperent Galli Præsules Sanctionis Pragmaticæ restitutionem, prima ac potissima futura eis cura hæc esset, unde Regi collatio regalium, & Episcopatuum atque Abbatiarum nominatio, quæ concessa ei fuisset in compensationem extinctionis Pragmaticæ, decessura foret. Salutare foret remedium, ut Præsules & parochi in sua quisque ecclesia ad gregis sui curam attenderent, luporúmque rabiem amolirentur. Ad quod etiam constitutionem [y] edidit pridie Nonas Septembris, qua gravissimis pœnis omnes undique ad suas ecclesias intra breve tempus præscriptum se recipere præcepit, ac residentibus privilegia & exemptiones concessit. Scripsítque pariter ad Philippum Hispaniæ Regem, ut affinem suum Regem Galliæ ab eo consilio demoveret. Quod & ipse diligenter per Antonium Toletanum Legionis Priorem ad Regem missum efficere conatus est, propter scissuræ periculum, & præjudicium Concilio generali brevi indicendo, quod unum erat malorum remedium, inde exoriturum. Ad quæ Rex utrique respondit, sibi decretum esse, séque regnumque suum in Ecclesiæ Catholicæ unione conservare; neque de Concilio Nationali cogitâsse, nisi ad devios in viam reducendos, promptiori remedio quàm ex longissima Generalis expectatione: neque vero Nationale aliquam vim aliunde habiturum quàm à Sede Apostolica & Pontifice illúdque, ubi primum Generale convocatum foret, mox desiturum, & in unum cum Generali corpus

y Bullar. to. 2. Pij IV. const. 10.

coalitu

coalituram: ac propterea rogare Pontificem, ut Legatum mitteret in Galliam, cum auctoritate congregandi omnes Episcopos ad turbas religionis componendas.

XVIII. Satagit de Generali congregando.

Pontifex autem ejusmodi consideratis difficultatibus; ut eas præscinderet necessarium existimavit Concilium Generale indicere: eique, post multas de loco dubietates, Tridentum destinavit; ubi jam bis Paulo III. & Iulio III. Pontificibus celebratum esset: & maximè quòd illud non finitum fuisset; sed solummodò suspensum; adeò ut suspensione sublatâ, Concilium sicut antea apertum intelligeretur. Quod tamen cùm & Ferdinando Imperatori ratione Protestantium, & Francisco Regi propter Hugonotos regni, non adeò acceptum esset, tum ratione loci ijsdem Protestantibus & Hugonotis invisi, quem mallent in aliquâ civitate utrique nationi Germanicæ & Gallicæ commodâ deligi; tum etiam quòd si novum Concilium indiceretur, in quo quæ antè tractata & decreta fuissent ad examen denuò revocarentur; spes esset eò venturos Germanos & Gallos; qui alioqui continuationem præcedentis repudiaturi forent; à quo inauditi damnati fuissent: Nihilominus considerans Pontifex, nisi Concilium continuari diceretur, omnia quæ fuissent in eo decreta, inania atque irrita meritò æstimari posse, quippe à nullo hactenùs Pontifice confirmata; post multas ac diuturnas super his cum prædictis Principibus eorúmque oratoribus disputationes, & cum Cardinalibus consultationes, cùm decretum omninò esset Pontifici, de plurium Cardinalium ac ceterorum Principum oratorum consensu & consilio, Concilium Tridentinum continuare; promulgato universali Iubileo die 15. Novembris ad implorandum in cinere ac cilicio divinum auxilium; (quod ipse Romæ die Dominicâ subsequenti, nempè 17. ejusdem mensis, cum solemnibus supplicationibus ab ecclesiâ S. Petri ad S. Mariæ supra Minervam pedes procedens celebravit) 3. Calend. Decembris Concilij sub Paulo inchoati, & à Iulio suspensi; repetitam convocationem; sublatâ omni suspensione, publico diplomate [z] indixit ad diem Resurrectionis Dominicæ proximè futurum. Continuóque missis ad Imperatorem; aliósque Reges ac Principes; Nunciis, significavit non esse cur aliquis voce *Continuationis* offenderetur, quippe quòd per eam non obstaret, quin jam olim proposita denuò tractari possent. Tantâ in his usus diligentiâ & sollicitudine; ut etiam ad Reginam Angliæ, Magnum Ducem Moscoviæ, Principésque Germaniæ; quamvis à professione Fidei Catholicæ; & Apostolicæ Sedis obedientiâ alienos, pariter Nuncios miserit; qui eos ipsorúmque Episcopos ad Concilium invitarent. De quorum singulorum responsis dicetur anno consequenti; ad quem ea pertinent. Interim verò idem Pontifex exeunte præsenti, ordinem [a] quem Prælati in Concilio servare deberent statuens, voluit ut primo loco Patriarchæ, secundo Archiepiscopi, tertio Episcopi in quibusvis actis publicis, secundùm ordinem suarum ad suas ecclesias promotionum, nullâ habitâ ratione præeminentiarum inter ipsas ecclesias, sive veræ essent, sive prætentæ, sed tantùm promotionum personarum; incederent, sederent, ac locum haberent.

Indicitur continuatio Concilii Tridentini.

z Ext. in Concil. Trident. ante Sess. 17.

a Bullar. to. 2. Pij IV. const. 24. Vid. an. 1562. I.

XIX. b Belcar. lib. 29. Thuan. lib. 26.

Sectarii urbes occupant in Gall.

Dum prædicta Romæ de Concilij celebratione decernerentur, in Galliâ [b] Hugonotis per omnes ferè provincias urbes occupare tentantibus; ac speciatim Lugdunum nobilissimum totius Galliæ emporium, Valentiâ quoque ac nonnullis aliis captis atque direptis, & cuncta seditionibus, conspirationibus, cædibus, rapinis, sacrilegiis, jure sacerrimæ reformationis Calvinianæ complentibus; Rex Franciscus Trium Ordinum Conventum, quem Meldis indixerat, Aureliam transtulit, quòd eam magni momenti urbem de conjuratione Ambosianâ suspectam ad Navarrum inclinare fama esset; cujus primarij cives Hugonoti erant. Vocatus eò idem Navarrus unà cum fratre Condeo, (dissuadentibus licèt plerisque ex turbulentis amicis, sed fratre Cardinale Borbonio, Monmorantio Connestabili; aliísque ejusmodi notæ primariis moderatioribúsque viris suadentibus) venit uterque tertio Calendas Novembris. Et ob propalatas Condei insidias; & prava consilia, non solùm à Sagâ, de quo suprà, verùm etiam ab Amalrico Bouchar-to Santone Nauarri Consiliario; idem Condeus; qui speciatim vocatus fuerat vt se purgaret à criminibus ei impositis, post Regem salutatum comprehensus in arctam custodiam traditus est; subscribentibus decreto; unà cum Rege, Principibus Mompenserio & Rocasurione, aliísque proceribus, ipsóque Cancellario Hospitalio; absentibus Guisiis ut invidiam facti à se amolirentur, vel etiam quòd consobrini essent sese excusantibus, Evocatis Lutetiâ Christophoro Thuano ex Præsidibus uno, (patre Iacobi Augusti qui Historiam conscripsit, hæcque ex relatione Renerij Planchei; de quo suprà, descripsit; haud tamen in multis putidis; quæ Plancheus refert, fidem ei, ut disertè ac prudenter testatur, adhibens, quem nôsset in multis impudentissimum calumniatorem, & infamissimum impostorem) unà cum aliquot Senatoribus ad eum interrogandum, unà cum Hospitalio Cancellario; cùm ille ut tempus duceret, eorum jurisdictionem declinaret, quam ad Senatum Parisiensem coram Rege ac regni patriciis seu Paribus pertinere asserebat; post multas hujusmodi, aliásque exceptiones; ac recusationes, & totidem earum repulsiones, instante Ægidio Burdino cognitore seu procuratore regio, decretum fuit, ut nisi coram Iudicibus à Rege datis responderet; pro convicto & peracto majestatis reo haberetur: postremò vt capite lueret; pronunciatum fuit. Cui decreto omnes propemodum Consilij sanctioris consiliarij; unà cum Iudicibus Lutetiâ accersitis, ac plerisque proceribus subscripsisse dicuntur; Sancerrio tamen Comite obstinatè recusante, & cunctantibus Cancellario atque Mortiero propter Regis valetudinem: qui decimoquinto Calendas Decembres, cùm [c] in ecclesiâ Dominicanorum officio vespertino interesset, repentinis

Condeus in custodiam datur.

Condemnatur.

c Bell. for. lib. 6. cap. 93.

morbi jam inveterati doloribus correptus domum relatus fuerat.

XX. FRANCISCI II. REGIS OBITUS.

Constat eum ex matre Catharinâ serò admodùm menstruas purgationes passâ prognatum, ab infantiâ malè affectâ valetudine fuisse, pallidâ ac livida facie, ut qui per nares mucore numquam emisse, raro per os excrearetur purgaretur; decumbente interim in auriculam sinistram excrementorum colluvie, ac per eam præter naturam exonerante se cerebro: quod tandem lethali putrefactioni & apostemati causam præbuit: ex qua decessit Aureliæ Nonis Decembribus, anno ætatis 17. mense 10. die 15. regni mense 16. die 25. post piè recepta consueta Ecclesiæ sacramenta Sunt [d] qui venenum ab Ambrosio chirurgo Calviniano in Regis aurem ad mortem accelerandam inter medicamenta inditum ferant. At fuerit fortè suspicio vana, ex turbatis iis temporibus orta. Sed cantilenæ à Calvinianis de ejusmodi morte fabricatæ, & libelli memoriam ejus infamantes passim jactati ac typis editi, si non eos mortis auctores, certè cupientissimos expetitores, & hilarissimos laudatores comprobarunt. A quibus etiam commentum sparsum de ejus elephantia, quasi scilicèt in pœnam exagitationis ipsorum.

d Belcar. ibid.

NEGLECTUM EIUS FUNUS.

Cor ejus in ecclesia cathedrali Sanctæ Crucis conditum est: corpus nulla pompa ad sepulchra majorum in monasterium Sancti Dionysij delatum: solis comitantibus funus Brossio & Sansaco, ejus adolescentiæ moderatoribus; & Ludovico Guillartio Silvanectensi Episcopo, cæco quidem corpore, sed mente hoc ultimo pietatis officio longè clariùs vidente, quàm tot alij Episcopi aulam frequentantes; qui ex neglecta sacra hac cura, non parvam existimationi suæ torporis penè & impietatis notam conciliaverunt. Quemadmodùm & Guisiis ingens ex eodem neglectu conflata invidia; quos bonus ille Rex summis honoribus auctos quasi in regni consortium assumpserat. Adeò ut panno [e] serico, quo feretrum involvebatur; inscriptum à nonnullis fuerit, *ubi nunc Tanneguius Castellus?* Fuerat is illustri in Armoricis prognatus gente: qui quamvis injustè ab aula pulsus sub Carolo VII. Rege fuisset, ubi tamen post ejus obitum audivit funus metu Ludovici filij Caroli negligi; [f] statim accurrens, illud egregiè regiéque propriis sumptibus curavit. Ejus autem mentio injecta, ut ejus comparatione Guisiorum ingratus animus notaretur; qui excusationem ingesserunt obsequij Reginæ matri in tantis ærumnis & difficultatibus debiti, & necessariæ eorum præsentiæ comitiis regni, in quibus omnia adversus eos cùm honoris ipsorum discrimine movenda forent. Ceterum si Franciscus Rex pompæ funeris jacturam fecit; eam nihilominus piis mentibus sui memoriam reliquit, ut illius obitum multis verísque lacrymis deploraverint: quem qui probè noverant, *Regem sine ullo vitio* appellabant, seu etiam *Regem innocentem*: qui tituli non solum omnes sepulturæ honores supergrediuntur, verum etiam superbas quasque aliorum Regum victorias longè superant.

e Belcar. & Thuan. ibid.

f Vid. supr. an. 1461. IX.

XXI. CAROLUS IX. SUCCEDIT.

Successit ei in regnum (quòd nullam prolem reliquerit, nec gravidam uxorem) fratrum ejus superstitum major natu *Carolus*, annum agens ætatis decimum, mensem sextum, (puta natus 27. Iunij anno 1550.) qui cum in baptismo nomen accepisset *Caroli Maximiliani*, (impositum ei à legato Maximiliani posteà Imperatoris II. qui eum de sacro fonte levavit, unà cum Henrico Rege Navarræ & Anna Estensi Ducissa Guisij) regno succedens relicto Maximiliani nomine, Caroli retinuit ejus nuncupationis Noni. Qui cum per ætatem incapax esset administrationis regni, (egregiæ ceteroqui indolis puer, vultûs alacris & prompti, ac spiritum regium præferentis) Catharina mater anxia nimis ne illa Antonio Regi Navarræ, cui jure, utpotè primo regij sanguinis Principi, debebatur, deferretur in comitiis regni; adeò artibus suis femina solers iuxtà & ambitiosa, utrásque factiones tam religionis quàm politiæ sejunctim sibi devinxit, (vetus [g] familiæ suæ Mediceæ dictum, quod veluti pro insigni gerebant, *Divide ut regnes*, renovans) ut concupitam regni administrationem, cedente ad turbas vitandas Navarro, patriæ amante, & quietioris animi viro, obtinuerit; relicto Navarro Legati inani ferè titulo per universum regnum, certis legibus inter utramque dignitatem constitutis. Condeus autem, qui paulò pòst Francisci obitum, libertati restitutus fuerat, in Picardiam se recepit ad quasdam fraternas arces, velut ibi novi Regis mandata opperiturus, unde mense Martij anni proximi revocatus, à criminibus objectis innocens declaratus est, tam in sanctiori Regis consilio, quàm in Senatu Parisiensi, & ad regnum audacius perturbandum reservatus, non spiritu regiæ stirpis ductus, sed turbine hæresis abreptus.

g Belcar. ibid.

CONDEUS ABSOLVITUR.

XXII. HOSPITALII ORATIO IN COMITIIS AURELIANENSIBUS.

Celebratis inter hæc trium regni Ordinum Comitiis ibidem Aureliæ, facto initio Idibus Decembris, Hospitalius Cancellarius orationem habens valdè prolixam de utilitate hujus conventus; ac de causis seditionum, quas multiplices attulit; haud etiam, quod solebat semper, utpotè patre medico natus, à medicis exemplare petere omisit; remediáque ingerere, quæ non minus à re aliena, quàm ipsæ malorum causæ, à plerísque prudentioribus judicata fuere: veram ac proximam seditionum causam dissimulans: quam non tam hæresim fuisse, quàm invidiam Admiralij & Condei in Guisios, ac præcipuè ob ademptam Admiralio, nec collatam Condeo, administrationem Picardiæ, extitisse, Belcarius [h] disertè, atque etiam Monlucius [i] tradunt: susceptas autem de religione controversias, non tam causam quàm speciem seditionibus præbuisse. Quod sanè ut in Gallia tunc locum habuerit, sicuti & in pluribus aliis regnis habuisse dignoscitur; quin tamen hæresis natura sit turbas ciere, & omnia sus déque ponere, nullum est dubium, & cunctarum quæ fuerunt umquam exempla cumulatissimè probant. Hospitalius autem sacrorum ministrorum impuram vitam, ignorantiam, & in suis muneribus obeundis negligentiam diligenter exagitans, campo se dedit qui fuit hoc tempore frequentatissimus, latéque patens, in quo sectarij omnes, eorúmque fautores, laxatis habenis sese indulgentius effundebant, ut re ipsa non omninò falsò de multis

h Belcar. ibid.

i Monluc. lib. 6.

tis, ita nihilominùs solo calumniandi studio; & hâc specie religionem Catholicam infamandi, quasi quæ impuris gubernaretur ministris, non posset non & ipsa impura esse. Quâ in re tam malum medicum sese cum aliis exhibuit Hospitalius, quàm imperitum Theologum.

XXIII.

Reliquâ parte anni nonnullis aliis rebus ad regni administrationem pertinentibus, in Comitiis tractatis; sequentis [k] initio tres oratores à tribus Ordinibus selecti, singuli sui Ordinis causam suscepisse exponendam videri voluerunt, sed pro populo, qui postremus ordo est, *Ioannes Angelus* in Senatu Burdegalensi causidicus, posteà Senator, præ livoris vehementiâ, ferè sui Ordinis causam agere oblitus, justásque ejus ac multiplices querimonias exponere; in Ordinem Ecclesiasticum ceterorum exemplo invectus, ejúsque reformandi rationem professus, non tam se lucis Angelum quàm tenebrarum hâc in parte, dum falcem in alienam messem immittere præsumpsit, ostendit. Pro nobilitate *Iacobus Sillius* Comes Rupifortius, licet & ipse in Ecclesiasticos invectus fuerit, quos etiam omni jurisdictione, ipsis olim à Regibus & nobilitate concessâ, privari petiit, quòd eâ abuterentur, vergerétque in grave totius regni detrimentum; haud tamen omninò ceterorum immemor, & Iudices quoque ac judicia reformari, & aulicorum avaritiam refrenari postulavit: ac permulta de nobilitatis ordine disserens, eam contaminatam esse dixit, quòd non solùm qui ortu nobiles essent, verùm etiam qui ex Reipublicæ administratione, aut rei militaris exercitatione, aut denique aliquarum disciplinarum vel artium inventione, in eam insererentur, ejus privilegiis fruerentur. Quasi scilicèt omnes qui ex parentibus nobilibus oriuntur, virtutibus nobilitati congruentibus instructi sint, & ceteri quos ipse rejecit verâ nobilitate indigni; quam nemo verè nobilis inficias umquam ierit, non solùm origine & naturâ, verùm & maximè virtute comparari. Annon verò & ipsimet qui se nobiles natos jactant, majores primos habuerunt, qui vel virtute vel beneficio Principis nobilitatem acquisierunt quam priùs non habebant? Æquiùs longè questus fuisset, multos pecuniâ, plurimos malis artibus nobilitati immisceri, qui eâ penitus indigni sint. Sic enim majorem laudem ex suâ peroratione, quàm ex quæsitis criminationibus, & ex oblato postremò Regi libello, quo templa pro nobilitate petebantur, retulisset.

[k] Belcar. ibid.

ORATIO DELEGATI PLEBEII.

NOBILIS.

XXIV. ECCLESIASTICI.

Ultimus pro Ecclesiastico Ordine, qui primus trium est, *Ioannes Quintinus* Heduus, Iuris Pontificij Lutetiæ professor, orationem valdè prolixam de scripto ferè recitavit; magis eligens ex hujusmodi insolito perorandi genere, defectûs inemoriæ à nonnullis argui quàm vanâ ejus ostentatione rationum à se prolatarum vim apud omnes evanescere. Quàm cùm postmodùm nullis non calumniis adversarij impetere non desinerent, tandem fuit idem ipse coactus eam ut verè pronunciata fuerat in publicum edere. Quam qui æquâ mente consideraverit, [l] multâ eruditione refertam, & solidis rationibus suffultam, inventurum non dubitamus. Summa fuit; quòd tres dicens propositas fuisse Comitiorum celebrandorum causas; religionis videlicèt constituendæ rationem; querimoniarum auditionem, & remediorum inquisitionem; atque regni necessitatum cum populo communicationem, ut quid porrò agendum esset consilium ab eo acciperetur: singulas earum eodem ordine luculentissimè tractavit confirmavítque exemplis, auctoritatibus, rationibus, suasionibus. Caput autem de Religione (quod solum tangimus) ita agitavit, ut ostenderet Ecclesiam Christi sponsam sine ullâ esse maculâ, virginem incorruptam ad mundi finem permansuram: adeò ut in illâ quod restauraretur inveniri nihil posset: at Ecclesiæ ministros ita à primâ suâ institutione atque integritate descivisse; ut meritò reprehendi, & ad pristinam integritatem revocari deberent. Adversus autem sectarios vehementiùs orans, eósque puniendos esse docens; nullámque cum Catholicis permittendam eis communicationem; inter cetera petiit, ut siquis novarum opinionum introductor, aut potiùs veterum & jam diu sepultarum, antiquísque Conciliis damnatarum, velut ex inferis excitator, libellum offerret ut ejusmodi pestibus templa ad exercendam suam impietatem concederentur, is tamquam hæreticus & falsæ religionis convictus puniretur: eóque exemplum attulit S. Ambrosij, qui Valentiniano Imperatori basilicas Arianis Mediolani tradi instanti acriter restitisset; & S. Ioannis Chrysostomi, qui Arcadio idem Constantinopoli in gratiam Gainæ Scythæ Ariani petenti omninò denegasset, quinimmò Gainam uti proditorem ex Imperio exturbandum esse dixisset. Quibus gravissimè offensus Admiralius Colinius, in quem, dum ea à Quintino dicerentur, omnium oculi conjecti fuissent, tamquam iis ille designaretur; actione finitâ ipse de Quintino apud Regem ac matrem velut de gravi injuriâ questus, obtinuit ut alterâ oratione quam cùm Ordines commeatum à Rege petituri essent habiturus erat, publicè injuriæ illatæ suspicionem amoliretur.

[l] Vid. Belc. ibid. Bellefor. lib.6.cap.92.

XXV. OBSERVATIO DE SACRARUM ELECTIONUM ABDICATIONE.

Haud verò de nihilo est, quod idem Quintinus suâ oratione observavit, eodem tempore quo sacrarum Electionum jus Leonis Pontificis permissu in Franciscum Regem translatum est, Lutheri hæreses enatas esse, quem Zuinglius, Calvinus, & alij secuti sunt: quæ electiones si restituerentur, & Episcopi cetetíque sacri ministri suâ functione digni eligerentur, haud dubium esse quin vetus Ecclesiæ integritas instauraretur; ita ut ceteri Ordines de Ecclesiastico conqueri non haberent: Eodémque tempore cœptas esse pendi in Galliâ Regi decimas, quæ ut aurum Tolosanum calamitosæ potiùs fuêre quàm fructuosæ, cùm Ecclesia ab omni tributi onere libera esse debeat. Ceterùm finis conventûs Aureliani fuit, quòd dimissa ad tempus comitia, in Maium sequentem ad Pontisarram remissa sunt: admoniti Episcopi, ut quoniam Concilium Tridenti indictum fuisset, ad iter se compararent: omnes qui religionis ergò in custodiis detinebantur, dimitti jussi sunt, & nequis in eos aut eorum bona ageret, nequis alteri religionem exprobraret, prohibitum. Quod non

aliud

aliud fuit; quàm præparatio ad Libertatem conscientiæ, quam altero anno promulgatam videbimus,& ad omne scelus ex ejusdem libertatis exercitio perpetrandum.

XXVI. TOLOSANUM SC. DE MART. GUERRA.

Memorabile hoc annno Senatusconsultum Tolosæ factum, & publicè pridie Idus Septembris recitatum, contra insignem maximè omnium qui nomine alieno se nefario negotio immiscuerunt, impostorem, *Arnaldum Tilium,* Artigato oppidulo diœcesis Rivensis ortum: qui cùm arctam cum *Martino Guerrâ* Cantabro ex vico Handriâ diœcesis Bajonensis, dum ambo in castris essent amicitiam coluisset, alioqui oris ac reliqui corporis specie tam Martino similis,ut nihil ferè exceptâ pedis longitudine ab eo diversus esset; post octo annorum Martini absentiam, idem Arnaldus ad uxorem ejus sese conferens, Bertrandam Rolsam dictam, quam Artigati duxerat; post nonnullas dubitationes cùm multa quæ viro cum conjuge secreta intercedunt, sive ea à Martino ipso in contubernio militari,sive artibus veritis didicisset, tam ei quàm Martini sororibus & agnatis persuasit se Martinum esse: & cum Bertrandâ totum triennium consuevit, duósque liberos ex eâ suscepit. Sed cùm homo alienæ pudicitiæ raptor etiam bonis avidiùs inhiaret, à Petro Guerrâ Martini patruo in jus vocatus, & ex judiciis uti impostor ab eo & Bertrandâ postulatus; post litem planè instructam, cùm probationum nutante examine etiam Iudicum sententiæ in incerto essent, quasi ex machinâ Martinus ex Hispaniâ, ubi & aliis longinquis provinciis toto illo tempore militaverat, intervenit,& pro vero Bertrandæ viro agnitus:omnem dubitationem ex judicum animis exemit atque Arnaldus suspendio damnatus est bonis ejus filiæ superstiti ex Bertrandâ bonâ illius fide susceptæ adjudicatis. Fuit memorabilis hæc historia,unà cum Senatusconsulto Tolosano, centum observationibus à Ioanne Corasio Iurisconsulto & Senatore ejusdem Curiæ, atque litis & causæ relatore illustrato, in publicum edita; quæ prostat.

XXVII. TRIPOLITANA EXPIDITIO INFAUSTA.

Hoc anno suscepta auspiciis Philippi Hispaniæ Regis, de consilio & impulsu Ioannis Valetæ Parisoti Magistri Ordinis Hospitalariorum, expeditio in Africam, cum potenti exercitu Hispanorum, Italorum, Germanorum, Gallorum; & classe viginti octo onerariarum navium, quatuordecim minorum, triremium quatuor & quinquaginta, in quibus etiam numerabantur Pontificiæ, Hospitalariæ, Florentinæ; ad recuperandam Tripolim novem antè annis amissam, quam Dragutes insignis pirata Turcus tenebat; Hispanorum cunctatione, morborum vi, & ventorum tempestatibus diù impedita, & post appulsum in Africam, obstinata Ioannis Cerdæ Ducis Medinæ Celi proregis Siciliæ, expeditionísque præcipui ducis, contra Ioannis Andreæ Auriæ classis præfecti, ceterorúmque omnium ducum sententiam, morâ ad arcis constructionem apud Gerbim ad Syrtes insulam, (olim, ut opinio est multorum, à Lotophagis tantoperè celebratis inhabitatam; Menyngem etiam dictam) quæ post nonnulla cum Mauris certamina deditione accepta fuerat; infelicissimum exitum habuit: cùm sic dato tempore classi Turcicæ Constantinopoli sese præparandi, ea ducibus Piali Bassâ & Carâ Mustaphâ,Christianos subito impetu oppressit mense Maio; quo amissa fuerunt vel ferro, vel aquis, vel captivitate, aut aliis casibus; octodecim Christianorum millia, triremes viginti octo, onerariæ quatuordecim, præter alia minora navigia;nullis virtutis, nullis militaris disciplinæ signis à Christianis editis, sed turpi fugâ ad solum hostium conspectum sese subducentibus, & occisioni aut captivitati exponentibus. Cerda & Auria cladem evadentes, Melitam insulam tenuerunt; indéque ad sua reversi sunt, Pialis recepta per longam obsidionem Gerbicâ munitione, Constantinopolim repetens, magno meritóque de tantâ victoriâ triumpho receptus est. Interfuit expeditioni Antonius Franciscus Cirnius, qui eam prolixè scriptis mandavit, & alij [m] post eum; intérque ceteros egregiè Ubertus Folieta. Estque de eâdem inter Literas [n] Principum, epistola Petri Marchianelli, qui æquè interfuit inter duces, ad Gosmum Florentiæ Ducem, ex Siciliâ in reditu scripta die decima quintâ Maij. Aliáque Plinij Tomacelli, post quatuor annos scripta; quâ profitetur confutare multa ab aliis perperàm relata. Ac denique agit eadem *Ludovicus Guicciardinus* in suis accuratis commentariis de Rebus memorabilibus hujus temporis, sæpiùs suprà citatis; quibus hoc anno finem imposuit, cœptis anno 1529. Nec memoria indignum, quod Busbequius Ferdinandi Cæsaris apud Solimanum orator,dum de his in suis Epistolis meminit, observat; cùm Solimanus in porticum portui vicinam se contulisset ad inspectandum triumphum,& captivas naves; hominésque,nulla insolentis lætitiæ signa dedisse; sed eodem quo semper vultûs habitu, eadem frontis severitate & tristitia, penè ac si nihil ad eum hæc victoria pertinuisset, visum fuisse tam capax in illo sene quantævis fortunæ pectus, tam confidens animus, ut tantam gratulationem veluti immotus acciperet.

[m] *Sigon.in Vit. Andr. Doriæ,Natal. lib.12. & 13. Thuan.lib. 26.Bos. Hist. Hospital. part.3.lib. 20.& 21. Hadrian. & alij.*

[n] *Lit.Princ. vol.3.*

SOLIMANI AD HANC VICTORIAM ÆQVANIMITAS.

XXVIII. CONVERSIONES REGUM INFIDELIUM.

Scriptum ab aliquibus [o] reperitur, hoc eodem anno Regem Fessanum in Mauritania cum magna hominum multitudine (octoginta millia quidam dicunt) abjecto Mahometísmo conversum esse ad Christianam religionem, & baptizatum Calendis Iulij. Verum cum tanta res, nec adeò longinqua, idoneos non habeat assertores, eam in medio relinquimus. In Æthiopia quidem, austrina priscis incognita Africæ parte ad promontorium Bonæ Spei,Cafrariâ dicta: ubi degunt Æthiopum nigerrimi Rex [p] Tongis, quæ est una ex provinciis illius tractûs, prædicatione Consalvi Silveriæ Lusitani Societatis Iesu,hoc anno fidem accepit (dictus in baptismate Constantinus)unà cum uxore,liberis,totâque domo,ac procerum multis:Qui tamen, ubi [q] ad observanda præcepta ventum est, in odiosam corruptæ naturæ, vitiísque inolitis difficultatem incurrens, animo sensim alieniore,tandem resiliit, & sanctam doctrinam amplius promulgari vetuit. Familiare enim id fuit populis illis barbaris, ut avidè fidem arriperent, & facilè dimitterent. Uti & mox in eâdem Cafrariâ contigit: cùm ad ejusdem

[o] *Bucholcer. in Indic. Chronol. Chytræ.Saxon.lib.20.*

[p] *Sacchin. Hist.Soc.Ies. lib.4.§.117.*

[q] *Id.lib.6. §.159.*

Con

r Id. lib. 5. §. 219.

CONSALVI IIS. MARTYRIUM.

Consalvi hortationes maximus [r] ceterorum Rex Monomotapæ Christianus factus, baptizatúsque, paulò pòst à Mahometanis persuasus, eidem ipsi *Consalvo* necem inferri consensit, gloriosum inde martyrium consecuto.

XXIX. GUSTAVI REGIS SUECIÆ MORS.

Quod autem iis populis facile fuit, relictâ verâ fide recens susceptâ, ad pristinas superstitiones reverti; contrarium apud Boreales nostros contigit, ut scilicèt desertâ antiqua verâ fide, novis opinionibus obstinatiùs inhæserint. Atque inter ceteros *Gustavo* Suecię Regi; qui desertâ semel religione Catholicâ, susceptum Lutheranismum usque ad mortem retinuit: quæ ei hoc anno tertio Calendas Octobris obtigit, ætatis ejus anno septuagesimo, occupationis regni trigesimo octavo. Laudant illum sui Lutherani [s], sapientiæ, magnanimitatis, heroicarum omnium virtutum, quibus regnum in pristinam libertatem vindicatum sapienter & feliciter rexerit; ideóque suis lamentatissimum extitisse. Contra quos, si Catholicos scriptores, quibus longè majorem fidem præstandam esse nemo sanus dubitaverit, audias, reperies [t] ejus mortem multâ suorum populorum lætitiâ acceptam fuisse; quoniam universam propè nobilitatem more Tarquinij Romani delevisset, veritus ne quod regnum illegitimè occupâsset; legitimè sibi eriperetur: ad id etiam impulsus innata avaritiâ, & alienæ opulentiæ cupiditate, propter quam in omne genus hominum crudelissime sæviit. Quæ illius vitia nec multi è suis laudatoribus inficiantur; sed excusant rerum necessitate, quod in fundandâ novâ dominatione, severiùs, hoc est tyrannicè, se gerere debuerit. Optimè Tacitus [u]; Nemo umquam imperium flagitio quæsitum, bonis artibus exercuit. Quod autem sunt etiam qui scribant, ad finem vitæ mente motum fuisse, & in transitu dæmonem molossi nigerrimi specie lectum ejus ascendisse, & sævissimam tempestatem excitatam esse fides sit penes auctores. Successit ei filius natu major *Ericus* ejus nominis XIV. qui retentâ paternâ hæresi, cetera omni liberali disciplinâ instructus, multísque animi & corporis dotibus præditus, aliquamdiù se modestè gessit: donec quibusdam astronomicis prævisionibus de suâ futurâ abdicatione, seu potiùs dæmoniacis delusionibus dementatus, in sævissimum tyrannum conversus, sícque acciens quod vitare quærebat, regno depositus est octavo post ejus susceptionem anno, ut videbitur suo loco.

s Chytræ. d. l. 20.

t Lud. Guicciard. lib. 3. ad. fi Natal. lib. 12. Florin. de orig. hær. lib. 4. cap. 15.

u Tac. Hist. lib. 1.

XXX.

Mortui sunt etiam ex eâdem, seu aliâ classe hæreticorum, sexto Idus Ianuarij, ætatis anno sexagesimo primo, *Ioannes à Lasko* Polonus, de quo superiùs [x], insignis Sacramentarius, & magna Poloniæ pestis. Et decimotertio Calendas Maij *Philippus Melancthon* Vvittembergæ; cùm vixisset annos sexaginta tres, ac totidem dies. Fuère quidem fere semper consilia ejus in religione moderata; verùm quòd vix umquam quid sentiret, clarè exprimeret, sed semper velut dubitabundus hæreret, nec suis gratus fuit, nec Catholicis valdè exosus: quantumvis non parùm vel hac moderatione Ecclesiæ obfuerit, dum ea sibi (additâ non vulgari eruditione, & eloquentia quâ præstabat) multorum Catholicorum

x Supr. an. 1556. VII.

MELANCTHONIS MORS.

animos conciliavit. Diximus aliàs fuisse eum auctorem Confessionis Augustanæ, principémque Mollium Lutheranorum, & Adiaphoristarum; valdéque omnibus articulis controversis inconstantem: unde etiam Cothurnus dictus est. In tantum ut asseratur in doctrinâ de Iustificatione variâsse quaterdecies. In articulo verò de Eucharistiâ, post obitum Lutheri, cujus auctoritate tenebatur, in Zuinglianismum magis propendens, sub vitæ finem longè quàm antè apertiùs à ceteris omnibus, & à se ipso discessit [y]; dum in cœnâ iis potiùs verbis, *Hæc est participatio corporis mei*; quàm illis, *Hoc est corpus meum*, utendum censuit. Tradunt item; postremo adeò dissidiorum religionis tædio affectum esse, ut relictâ Vittembergâ in Poloniam secedere deliberâsset; interim dum Concilium cógeretur; eíque interesse, ac decretis omninò stare. Denique cùm [z] moribundum mater adhuc superstes adjurâsset palàm ipsi declarare, quæ melior esset religio; respondisse, novam plausibiliorem esse, antiquam securiorem. De ceteris verò propriis ejus erroribus fusiùs alij [a], nósque non semel superiùs. Post mortem à diversis lancinatus, ab aliis defensus fuit. De quo Beza [b] symmysta ejus atque eximius laudator scribit, hoc scilicèt ejus laudibus unum defuisse, ut ingrati discipuli nonnulli, qui eum vivum penè adorârant, mortuum incesserent: admirabili Dei providentia, ne quos ipsi sibi commenti essent teterrimos errores, ex eo, communi quamdiu vixit omnium fere gentium doctore, didicisse viderentur. Sed ludit Beza. Tam enim licuit iis, immò & longè plus, à magistro Melancthone discedere, quam ipsi ab antiquis Doctoribus, & à suis ipsius recentibus magistris. Multas filias reliquit: ex quibus Anna elocata est *Georgio Sabino* Brandeburgensi, poëtæ inter Germanos non exigui nominis, qui hoc eodem anno socerum secutus decessit Calendis Decembris, ætatis suæ anno quinquagesimo quarto.

y Resp. de sect. Evangelic. in Me[illegible].

z Florin. lib. 2. cap. 9.

a Prateol. de hæres. Gaulter. Chronol. sæc. 16. c. 10. ex Hosio, Lindan. & aliis.

b Bez. in [illegible].

XXXI. CENTURIARUM MAGDEBURG. EDITIO.

Quo eodem anno ministri *Magdeburgenses* (quorum princeps *Matthias Flacius Illyricus*, de quo aliàs [c], acer prædicti Melancthonis antagonista, utpotè Rigidorum Lutheranorum coryphæus) Historiam suam Ecclesiasticam, CENTURIARUM nomine, edere cœperunt: à quartâ exordientes, quam Elisabethæ Reginæ Angliæ dedicârunt: minimè tamen dubitantes in epistolâ nuncupatoriâ Zuinglianos & Sacramentarios, quorum sectam Regina amplectebatur, acriter perstringere, utpotè qui philosophicis rationibus testamentum Domini adeò evacuent, ut Corpus & Sanguinem Christi, quoad præsentiam & communicationem, contra clarissima & potentissima ipsius Christi verba, prorsùs removeant; miráque verborum perplexitate fucum faciant. Illyrico verò in Centuriarum concinnatione præcipui adjutores fuère, *Ioannes Vvigandus* Mansfeldensis, *Matthæus Iudex*, & *Basilius Faber*; qui subscripti reperiuntur prædictæ epistolæ: quamvis & in grandibus iis voluminibus, quæ tum ac deinceps numero XIII. edita fuère, socios laboris habuisse quoque dicantur *Nicolaum Gallum* Saxonem, *Scelestinum Huttenum*, *Ga-*

c Supr. an. 1548. VIII.

ſparem Nidprukium Conſiliarium Cæſareum, *Ioannem Baptiſtam Heincelium* Auguſtanum, & ſiquos alios. Quod opus vocatum eſt ab aliis Evangelicis *Aureum*: non quidem in laudem, ſed ironicè, propterea quòd multo Principum quorumdam Germaniæ, & civitatum auro, oſtiatim emendicato, ſit editum. Alioqui enim ita fuerunt primi illi Hiſtoriæ concinnatores, Flacius, Vvigandus, Iudex, & Gallus, omnes miniſtri Magdeburgenſes, paulò pòſt accepti, ut ab iiſdem Principibus [d] & civitatibus pulſi fuerint ob contrarias dogmatum aſſertiones. Cùm nihilominùs ex aliâ parte diſcipulos [e] ipſi & ſectatores tam obſtinatos nacti ſint, ut quicquid tandem in Centuriis legerent, pro puro puto Dei verbo recipiendum putarent; ſeu, ut Copus loquitur, ſolos Magdeburgenſes, quaſi Nabuchodonozoris ſtatuam, aut ſacratiſſimæ Veneris idolum adorarent. Plurima namque ipſorum mendacia mox idem *Alanus Copus* Anglus in ſuis Dialogis detexit, & confutavit. Præſtiterunt id ipſum & alij quamplurimi Catholici ſcriptores variis occaſionibus; ſed ex profeſſo omnium eminentiſſimè ac lucidiſſimè Eminentiſſimus Cardinalis CÆSAR BARONIUS, inſigni illo, nec umquam ſatis laudato opere ANNALIUM ECCLESIASTICORUM; quod nos in commodiorem Epitomen non ingrato piis labore redegimus.

[d] *Hoſ. in Indic. ad Tigur.*
[e] *Vid. Refs. de ſect. Evangel.*

XXXII. MATTH. FLACII ILLYRICI HÆRESES.

Prædictus autem Illyricus, præter ceteras hæreſes, quas cum Lutheranis communes habuit Arianiſmi quoque & Manichæiſmi peculiares ſectatus eſt errores. Quem Schluſſelburgius, & ipſe Lutheranus, in Catalogo [f] ſuo Hæreticorum collocans, ait ipſum hoc ſæculo omnium primum blaſphema veterum Manichæorum deliramenta, quaſi ab orco, maligni ſpiritûs inſtinctu reſuſcitâſſe: occaſione arreptâ ex diſputatione Vinariæ in Thuringiâ cum Victorino Strigelio item hæretico Synergiſtâ, (de cujuſmodi hæreſi dictum [ff] aliàs) publicè habitâ anno ſequenti. Quippe cùm Victorinus Synergiæ, ſeu virium humanarum, in converſione hominis nondum renati ad Deum, patronus, aſſereret, peccatum originis eſſe aliquod leve accidens, inſtar allei magnete illiti, per quod non tota ſubſtantia corrupta, ſed tantùm leviter in accidentibus, vulnerata eſſet; Illyricum, exaggerare volentem peccati originalis atrocitatem, aſſeruiſſe, peccatum originis eſſe ipſam hominis ſubſtantiam: cámque ſententiam protinùs plurimis ſcriptis pertinaciter propugnare cœpiſſe, & multos Lutheranorum doctores ad ſe pertraxiſſe, qui ſtrenuè ejus Manichæiſmum ſcriptis editis tutati ſunt: fuiſſe porrò à dogmate vocatos *Subſtantialiſtas*, & ab auctore *Flacianos*. Quorum argumenta idem Schluſſelburgius confutare longo opere ſategit: longéque certiùs Bellarminus [g] præſtitit: Et videas hinc etiam quàm fecundus fuerit Lutherus, qui plures protulerit peſtiferarum hæreſum auctores, quàm ab orbis ortu fuerint antè in univerſo mundo. De quo etiam Flacio ab alio [h] quodam Lutherano ſcriptum reperimus; cùm vidiſſet catalogum auctorum Ioannis Trithemij, temperare ſibi non potuiſſe, quin diſſimulatâ perſona & habitu, Germaniæ monaſteriorum bibliothecas perluſtraret; quos commodè poſſet hiſtoricos clàm offerret, atque iſto adminiculo librum, qui *Catalogus teſtium veritatis* indigitatur, conſcriberet. Egregium ſcilicèt opus, quod ex furto & ſacrilegio impij transfugæ confectum eſt, ut mirum videri non debeat, ſi tot mendaciis & falſiloquiis ſcateat, à patre omnis nequitiæ & immunditiæ eructatis. Nec verò tam illud æmulatione Trithemij, cujus opus omninò diverſum eſt, ſuum concinnâſſe putamus; quàm turpiori flagitio ad obſcurandum illud, quod *Guillelmus Eiſingrenius* itidem Germanus Catholicus ediderit eodem titulo *Catalogi Teſtium veritatis*, quo Patrum & Eccleſiaſticorum omnium qui ad eam uſque diem hæreſes expugnaverant, non parvo labore teſtimonia pro veritate fidei Catholicæ protulerat. In cujus invidiam, ſimul & ut fucum faceret imperitis, Flacius commentarium ſuum eodem titulo edidit, ſed abſque nomine auctoris, fabulis & mendaciis refertum.

[f] *Schuſſelburg. lib. 2.*
[ff] *Supr. an. 1524. IX. in fin.*
[g] *Bellarm. lib. 2. de ecc. orig.*
[h] *Adam. in Vit. Theolog. Germ.*

XXXIII. SACRAMENTARII EXAGITANTUR A LUTHERANIS.

Erat item hoc tempore valdè accenſum bellum Sacramentarium de Euchariſtiâ inter Lutheranos & Zuinglianos atque Calvinianos. Ediderúntque [i] Lutherani Ienenſes Supplicationem ad Principes & Ordines Confeſſionis Auguſtanæ, pro congregandâ legitimâ Synodo, in quâ Lutherani ſoli convenirent, & Zuinglianos atque alios quoſcumque adverſarios condemnarent. Ibidémque Ienæ in Saxoniâ *Tilmannus Heshuſius* libellum edidit contra Sacramentarios: in cujus præfatione queſtus eſt, Zuinglij & Calvini errorem de Cœnâ latè per orbem diffuſum eſſe. Adverſus quem anno ſequenti Calvinus ſcriptum evulgavit, quo ejus nebulæ diſcuterentur. Bezáque ſuccenturiatus accedens, duos ſubmiſit dialogos adverſus Heshuſij ſomnia, quorum priorem Cyclopem, poſteriorem Sophiſtam inſcripſit, itémque Abſterſionem aliarum ejuſdem calumniarum in Calvinum. Sed & *Petrus Boquinus* Gallus Biturix, qui ob deſertum monachatum variè exagitatus, prædicans Heidelbergenſis factus fuit, Examen libri ejuſdem Heshuſij evulgavit. Denique *Guillelmus Clebitius*, cui ibidem Heidelbergæ grave fuit cum eodem Heshuſio de Cœnâ certamen, librum adverſus eum edidit hoc titulo, *Victoria veritatis, & ruina Papatûs Saxonici*. Hícque Heshuſium, præter crimen peculatûs, multorum in fide errorum accuſat, & inter ceteros quòd aliquando dixerit, Trinitas eſt Unitas. Boquinus autem eumdem uti Arianum, Calvinus uti Servetianum infamat. Fuit autem Heshuſius inquietiſſimi ingenij homo; ita ut Flabellum ſeditionum appellaretur, & è multis Germaniæ civitatibus Magiſtratuum auctoritate ejectus fuerit: qui tamen nec ipſe ſibi cauſæque ſuæ defuit. Et Boquinum quidem inſectatus eſt, quòd doceret Chriſtum non eſſe pro omnibus aut omnium peccatis crucifixum, & mortuum, ſed tantùm pro fidelibus & piis; ac propterea vellet Chriſti corpus in Cœnâ ab iis tantùm manducari, pro quibus eſſet mortuus. Sed quis aut hujuſmodi errores, aut errones, dinumerare valeat? Conati ſunt nonnulli, ſed operam luſerunt. Hydra enim pluſquàm Lernæa eſt, cujus quot capita excidas, longè plura

[i] *Sur. in commentar.*

renaſ-

renascantur: Augiæ stabulum, cui purgando nec Hercules sufficiat. Redeant in infernum barathrum, unde ortum habuerunt: nec ampliùs Ecclesiam inficiant, aut corrumpant.

XXXIV. IOAN. BELLAII CARDIN. OBITUS.

Inter aliquot Cardinales qui hoc eodem anno decessisse reperiuntur, eminuit *Ioannes Bellaius* sacri collegij princeps; familiâ non solùm antiquitate & splendore, sed meritis erga patriam Galliam illustrissimâ ortus, Guillelmi & Martini pace & bello clarorum virorum frater, de quibus, sicut & de ipso, dictum diversis occasionibus superiùs. Qui a puero literis feliciter institutus, oratione & carmine excelluit, relictis utroque genere scriptis, quæ id probent. A Francisco I. Rege maximis negotiis tractandis adhibitus, plurimas legationes summâ cum prudentiæ ac præcipuè fidei laude obivit: & in Cardinalium numerum à Paulo III. anno 1535. cooptatus, deinceps quoque Ecclesiæ Romanæ & Galliæ in multis ac magnis rebus utilissimus extitit; plurimis habitis successivè Cardinalium titulis: donec ad decanatum Ostiensem creationis antiquitate pervenit. Cujus dignissimas laudes multi [k] prædicârunt. Ejúsque & Budæi operâ regios literarum & facultatum professores in Academiâ Parisiensi ab eodem Francisco Rege primùm institutos fuisse, diximus, aliàs [l]. Mortuus est autem Romæ 14. Calendas Martij, anno ætatis sexagesimo octavo: sepultus in Ecclesiâ Sanctissimæ Trinitatis in Monte-Pincio Religiosorum Gallorum S. Francisci de Paulâ.

k V. d. Gall. Christ. in Præsul Paris. Addit. ad Ciaccon. in Paul. III. Petramel de Card. in Pio IV.

l Supr. an. 1531. IV.

XXXV. ANDREÆ DORIÆ OBITUS.

Genuæ item diem obiit Septimo Calendas Decembris, anno ætatis nonagesimo tertio, *Andreas Auria* sive Doria, fortissimus ille ac plerumque fortunatissimus dux, peritiâ rei navalis omnibus suæ tempestatis longissimè antecellens; rebus maximis bello ac pace gestis clarissimus; libertate firmâ patriæ restitutâ gloriosissimus; pietate in Deum, & charitate in egenos religiosissimus. Cujus Vitam egregiè descripsit Carolus Sigonius: sæpéque nos de illo superiùs. Mortuus est autem eò minore famâ, quòd effetis jam animi & corporis viribus, pariterque bellicis ac civilibus muneribus obeundis inutilis, civibus suis despectui esse cœperat, & diù antequàm moreretur in vivis esse desierat. Cui nihilominùs cives amplissimis in majore urbis templo exequiis parentârunt; cùm ipse testamento cavisset, ut noctu sine ullâ funeris pompâ efferretur, eáque in re domestici ei morem gessissent. Mortuus absque liberis, Ioannem-Andream Auriam Ianetini patruelis sui filium, quem nuper vidimus præfectum classis in infausti expeditione Africanâ, strenuum alioqui juvenem, heredem reliquit nominis magis quàm substantiæ; cùm obæratissimus decesserit ob immensos sumptus tot bellis & navigationibus, aliísque publicis negotiis expensos.

IESU CHRISTI Annus 1561.

PII IV. Ann. 2.

FERDINANDI I. Ann. 4.

I. ANNO Christi millesimo quingentesimo sexagesimo, primo, Indictione quartâ, mense Ianuario; Electores ceteríque Imperij Principes Confessionis Augustanæ, Naoburgi, seu Naumburgi in Thuringiâ, vel Saxoniâ, ad fluvium Salam congregati; quòd de Concilio fama percrebuerat, cùm puderet eos, vulgò jactari, religionem ipsorum non confessionem, sed confusionem esse propter doctrinæ diversitatem; duo proposuêre deliberanda: primum ut in unam omnes doctrinæ consensionem convenirent; deinde utrùm Concilium adiri vel recusari deberet. Quæ quomodò ibi tractata fuerint, narrat; [illegible] Chytræus [a], qui se interfuisse scribit, narrant & alij [b]. Quorum quantum ad prius caput pertinet summa est; quòd cùm dicerent plerique, inter Ecclesias suas nullam esse dissensionem essentialem, ac proinde Confessionem Augustanam pro fundamento communis doctrinæ constituendam esse; objicientibus rursùm aliis, hujus Confessionis plures extare editiones diversas ab invicem, idcóque ei soli subscribendum esse, quæ Carolo Imperatori exhibita fuisse anno 1530. hoc planè recusârint Palatini Theologi, nisi præfatio adderetur, quæ posteriorem editionem cum hâc consentire significarent. Dux verò Saxoniæ, omnium oculis & auribus adeò expositum esse dixit dissidium quod inter Protestantes esset, ut cæcus surdúsque existeret qui illud non videret ac audiret: ac propterea si consensionem obtenderent, adversariis sese ridendos expositùros. Sicque post varias multorum dierum altercationes, de illo capite minimè convenire potuere. Melanthon ambiguè, quid hic egisses, si interfuisses? cujusnam tandem Confessionis editioni adhæsisses, quam toties reconcinnasti, resarcivisti, fecisti, defecisti, refecisti? Vocare solebant ipsimet Protestantes hanc Confessionem *Cothurnum*, calceamenti scilicet genus utrique pedi aptum. Alij porrò *Isidem*, Magnam Matrem, tot filiorum procreatricem: Zuingliani verò & Calviniani *Sphingem*; monstrum olim apud Thebas, cujus caput & manus puellæ, corpus canis, alæ avis, vox hominis, ungues leonis, cauda draconis. Secti verò fuêre Confessionistæ in tres quasi cohortes: *Mollium*, quorum decem; *Rigidorum*, quorum quatuordecim; & *Extravagantium*, quorum septem sectæ numerabantur: quas omnes diligentissimè adnotavit [c] *Andreas Fabritius* Leodius in Harmonia suâ Evangelicâ ubi Augustanæ Confessionis exemplaria omnia contulit, & quàm magno intervallo, & in quibus capitibus una dissideat ab alterâ explicavit.

CONVENTUS PROTESTANTIUM GERM.

a Chytra. Saxon. lib. 20.

b Polan. lib. 5.

VARIA NOMINA CONFESSIONIS AUGUSTANÆ.

c Vid. etiam Greis. de lib. prohibit. lib. 2. cap. 11.

II. DISCORDIA INTER PRINCIPES CONVENTUS.

De quâ etiam in hoc conventu Naumburgico altercatione, scribens tunc quidam ad Stanislaum Hosium Varmiensem Episcopum, apud Ferdinandum Cæs. Nuncium Apostolicum tunc agentem, factúmque mox Cardinalem, ait [d], Iuniores Duces Saxoniæ Vinarienses summis clamoribus agitâsse, ut antequàm Augustana Confessio subscriberetur, nominatim damnarentur omnes illæ sectæ quæ ipsorum judicio viderentur cùm illâ pugnare: videlicèt Anabaptistarum, Stancarianorum, Servetianorum, Antinomorum, Iesuitarum; (hos quidem Catholicos Orthodoxos esse constat) Schwenkfeldianorum, S-

d Ap. Resc. de Conventic. Evangel.

cramentariorum, Osiandrinorum, Defensorum Liberi Arbitrij, Invehentium necessitatem bonorum Operum, & Adiaphoristarum. Id cùm reliqui Principes facere recusarent, eò quòd iniquum videretur aliquem inauditum condemnare, discessisse è conventu Ioannem Fridericum Saxoniæ Ducem cum magnâ indignatione; socerúmque suum Comitem Palatinum contumeliis oneràsse. Scribit [e] item Zuinglianus quidam, (quod & Chytræus innuit) actum ibi esse speciatim de Zuinglianis solemniter & apertissimè damnandis: sed impeditum id fuisse quorumdam Principum intercessione illi sectæ non planè inimicorum. Calvinus autem iis consiliis irritatus, itémque Beza, & alij, scripta illa adversus Heshusium evulgârunt, de quibus dictum anno superiori. Sic qui semel de rectæ fidei religionísque curriculo deflexerunt, haud aliter atque ij qui à recto itinere aberrârunt, alias ex aliis semitas ingrediuntur, vagantur & errant, nullum peritum regionis ducem secuti: ita & ipsi duce carentes Ecclesiâ quam reliquerunt, alia ex aliis erroris & impietatis diverticula ingressi, nullum errandi finem faciunt. Obscuratum [f] est insipiens cor eorum, ut non intelligant neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

e Ap. Sur. in comment. Resc. ind.

f Rom. 1. & 1. Tim. 1.

III. QUID IBI DE CONCILIO DELIBERATUM.

ff Onuphr. in Pio IV. Chytra. ib. Contin. Sleid. lib. 2. Schard. Edit. rer. sub Ferdin.

Quod verò alterum caput de Concilio, Naumburgi propositum spectat; cùm illud alij omninò recusandum censerent, alij ad tollendam invidiam legatos eò mittendos, qui se ad Concilium liberum & Christianum, non ad Pontificium ituros contestarentur: accedentibus interim ad eumdem conventum [ff] Pij Pontificis Nunciis, Zachariâ Delphino Pharensi, ac Ioanne-Francisco Commendono Zacynthi Episcopis; qui ad invitandos ad Concilium Tridentinum Germaniæ Principes legati, jussi priùs fuerant Ferdinandum Cæsarem convenire, ab eo instruendi de modo abeundæ suæ legationis: Auditis priùs in conventu Cæsaris oratoribus, quos prædictis Nunciis itineris & rerum agendarum socios dederat, responsum iis est à principibus, se Cæsaris pro piâ sollicitudine gratias agere: Concilium non recusare, ubi non Romanus Pontifex, sed Verbum Dei pro Iudice esset, ubi remitteretur juramentum ab Episcopis Pontifici præstitum, ubi denique Theologis suis ferendi suffragij facultas permitteretur: uberius verò responsum ipsi Cæsari se daturos, postquam votis communibus eâ de re cum ceteris Protestantibus qui aberant deliberâssent. Auditis verò Nunciis Pontificiis, responsum est, se nullam Romani Pontificiis jurisdictionem vel auctoritatem agnoscere, ac proinde minimè opus esse, quid suæ voluntatis esset in Concilij negotio ipsis aperire; fecisse id se Ferdinando Cæsari, legitimo suo domino. Principésque seu omnes, seu plerique, literas ad singulos à Pontifice per eosdem Nuncios scriptas, legere respuentes, minimè resignatas restituerunt.

IV. NUNCII APOSTOLICI AD INVITANDOS PRINCIPES

Sic dimissis nunciis, alter Delfinus, postquàm diversis Superioris Germaniæ peragratis civitatibus, frustrà persuadere conatus est ad Concilium mittere; apud Cæsarem legationis munus obire jussus est. Commendonus Lubecam profectus, inde ad Fridericum Daniæ Regem misit, qui deposceret commeatum accedendi ad eum. Sed ille respondit, neque cum parente suo Christiano, neque secum Pontifici quicquam umquam negotij intercessisse; nec proinde legationis ejus audiendæ se cupidum esse. Quocircà idem Commendonus multis aliis Inferioris Germaniæ, nonnullísque etiam Superioris provinciis percursis, (ubique sicut & Delfinus, honorificè receptus) cunctísque illarum Episcopis ad Concilium invitatis, ad Pontificem revertit; posteà in Poloniam pariter missus. Hieronymus [g] quoque Martinengus Abbas ad Elisabetham Angliæ Reginam missus, haud permissus ab eâ est mare transire; licèt illum audiri etiam Philippus Rex Hispaniæ sedulò instaret: & Ferdinandus ipse Cæsar literis amantissimis hortatus esset, Summi Pastoris, ac Generalis Concilij judicio, ac Regum Christianorum exemplis, permoveri: ídque ipsum ceteri Principes Catholici factitarent: Excusatione frivolâ dicente Reginâ, non licere sibi tractationem ullam instituere cum Pontifice Romano, cujus auctoritatem Ordines regni publico decreto Angliâ exegissent. Unde & existimamus, non magis permissum esse anno superiori Angliam ingredi Vincentium Parpaliam Abbatem Sancti Salvatoris, quem Pontificem ad eamdem Elisabetham cum literis benignissimis, quibus eam hortabatur ad Catholicam religionem amplectendam, misisse tradunt historici [h] Anglici, easdem ipsas literas referentes, nec tamen quid de eo factum fuerit memorantes. Nicolaus [i] Gaudanus Societatis Iesu ad Mariam Reginam in Scotiam legatus, (quæ post Francisci Regis viri sui obitum in patriam se recepit; vitatis divinitùs in navigatione Anglorum insidiis, nisi nebulosi caliginem bi; mutato habitu, metu hæreticorum qui ibi dominabantur, ad eam secretò introductus est: protinúsque remissus, referre Pontifici jussus, se obedientem quidem Ecclesiæ Romanæ filiam esse, futurámque semper, verùm tantâ Angustiâ premi, ut neminem ad Concilium mittere posset; habituram tamen se rata quæcumque Patres decernerent. Canobius in Poloniam missus cum mandatis ut in Moscoviam etiam transiret, & Moscum gentémque eam, etsi Ecclesiæ Græcanicæ addictam, evocaret ad Concilium; à Rege quidem Poloniæ benignè acceptus; ad Moscum tamen penetrare non potuit, propter bellum tunc inter Moscum & Polonum excitatum. Sed in Prussiam profectus, à Duce responsum accepit, ipsum esse Augustanæ Confessionis socium, ac propterea Concilio Pontificio nequaquàm assensurum. Helvetij conventu Badenis habito Nuncium Pontificis admiserunt: sed de re factâ consultatione, Catholici se Theologos ad Concilium missuros, Zuingliani se neutiquam illud agnituros, responderunt. Vergerius autem, infamis ille apostata Episcopus olim Iustinopolitanus, cùm Augustæ Vindelicorum esset, in diploma Pontificium de Concilij indictione, scripto publico acerrimè invectus, veteres cantilenas de corruptione Curiæ Romanæ & tyrannide Papæ, denuò oculis & auribus sectariorum insonuit.

ET EPISC. AD CONCIL. GENER.

g Iid. & Sander. de Schism. lib. 3.

h Camden. in Elisab.
i Opmeer. in Oper. Chronol. Sacchin lib. 6.

MARIA SCOTIÆ REG. IN REGNUM SE RECIPIT.

V.
QUOMODÒ SE IN CONCILII DENUNCIATIONE PRINCIPES CATHOL. SE GESSERINT.

[k] *Quæ deinceps de negotio Concilij, rebúsque in eo & circa illud gestis subdentur (præter illa quæ in actis habentur) pleraque excerpta sunt ex Literis & Instructionibus Regum Christianissimorum, eorúmque Oratorum, Gallicè editis in publicum, quas ferè Polanus Historiæ suæ Concilij Tridentini inserui.*

Quod ad Principes Catholicos attinet ad quos pariter Pontificem de indictione Concilij scripsisse vidimus anno superiori; Ferdinandus [k] quidem Cæsar rescripsit, se quà Ferdinandus esset, ad nutum ejus omnia facere paratum, & quamlibet diplomatis formam libenter accepturum: sed quà Imperator, haud sibi fas sententiam promere, quod exitum vidissent conventûs Naumburgici. Hoc tamen sibi certò persuadere, si Pontifex convocationem Concilij, non continuationem veteris, sed novi indictionem declarâsset, aut certè permisisset ut jam olim decreta retractari ac reexaminari possent, diploma Concilij à Protestantibus acceptum iri. Rex item Galliæ Carolus die ultimâ Decembris præteriti ad oratorem suum Romæ existentem Philibertum Naldium Baboum Burdesieram tunc Episcopum Engolismensem, posteà etiam Cardinalem scripsit, esse quædam in diplomate, quæ præcipuè ratione Imperatoris & Protestantium Germaniæ, viderentur requirere emendationem; (eadem nempè quæ Ferdinandus attigisset, & quæ jam à Francisco Rege Caroli decessore monita fuisse vidimus anno superiori:) & nisi satis eis fieret, nec se Concilium probare posse, nec illud ullum fructum allaturum, sed potiùs nova schismata generaturum. Quòd si propterea res longiorem cunctationem acciperet, sibi quidem necessariò ad remedium Concilij Nationalis, à fratre propositum, propter regni necessitates recurrendum fore. Ac præterea, modestè apud Pontificem expostulandum mandavit, quòd cùm Rex Franciscus tantâ sollicitudine Concilij apertionem procurâsset, nulla tamen de eo mentio in diplomate fieret (sicuti factum fuerat de Fräcisco I. in indictione primùm factâ à Paulo III.) quod non aliâ de causâ factum quivis dijudicaret, quàm ne Rex Galliæ primus post Imperatorem nominaretur: quod imposterùm omitti non deberet, ne præjudicium dignitati Regum Galliæ fieret. Quantumvis autem Rex de his Pontificem monitum vellet, haud tamen propterea à promovendo Concilij & religionis negotio retardatus est: quinimmò eo ipso tempore literis ad regni præsules datis, monuit eos ad iter Tridenti sese præparare. Prædicta autem à Rege præscripta cùm Engolismensis Pontifici annunciâsset, respondit ille mirari se vehementer, quòd Rex qui se superiorem nullum agnoscere profiteretur, Imperatoris judicio se permittere vellet; ac non potiùs judicium suum Vicario Christi submitteret, ad quem propriè spectaret rerum religionis arbitrium. De Rege autem in diplomate nominando minimè se quicquam cogitâsse: conficiendi diplomatis curam in aliquot Cardinales rejecisse; quibus visum satis Imperatorem nominare, Reges verò omnes generatim perstringere: alioqui fore necessarium, uno nominato reliquos omnes pariter recensere. Hoc tamen responso haud oratore contento, quòd eam Regi suo prærogativam, cùm ob regni dignitatem, tum ob multa sua in Sedem Apostolicam promerita, deberi diceret; excusavit demùm Pontifex, se non posse semper omnia prospicere; daturum verò sedulam deinceps operam, præcepturumque, ne ulteriùs in his peccaretur.

VI.

Philippus quoque Rex Hispaniæ non facilè admittere diploma Concilij videri voluit; quæsito inde colore, quòd nonnulla in verbis ejus ambiguitas deprehenderetur, ut non tam Concilium inchoatum continuari, quàm novum indici putaretur, & decreta jam facta iterùm ad examen revocari posse colligeretur: quapropter necessarium esse dicebat, absque ullis verborum involucris disertim exprimi Concilij prioris continuationem, neque in quæstionem vocanda quæ jam determinata essent. Sed revera commoverat eum, quòd Petrus Albretanus Episcopus Convenarum ab Antonio & Ioannâ Regibus Navarræ ad obedientiam pro eo regno Pontifici deferendam missus, fuisset ad eam admissus: quod Philippus in præjudicium possessionis suæ in eo regno factum interpretabatur, quippe qui non alio titulo niteretur, aut fundamenta juris, nisi Iulij II. excommunicatione. Rex enim Antonius Regináque Ioanna cernentes se apud omnes malè audire quasi hæreticorum fautores & turbarum Gallicarum incentores, ideóque facile fore ut à Sede Apostolicâ contra ipsos procederetur ad privationem juris ejus regni, quo longè minoris criminis specie fuerant Ioannæ avi mulctati; ut verè se ejusdem Sedis obedientes demonstrarent, legationem quam modò diximus ad Pium novum Pontificem miserant, ad obsequium ei ceterorum Regum more pro eodem regno Navarræ offerendum. Cui cùm se Philippi Regis orator opponeret, tanquam id fieret contra justam possessionem sui Regis; nihilominùs post multas contestationes concessa fuit Legato publica audientia in aulâ regalium legationum, & accepta obedientia die decimoquarto Decembris anni superioris, cum omnibus & singulis in ejusmodi actibus servari solitis cæremoniis: ut præter aliorum auctorum testimonia, explicatiùs expressum legimus in literis Philiberti Episcopi Engolismensis tunc Romæ oratoris Regis Christianissimi, posteáque Cardinalis Burdeserij dicti, ad Regem scriptis; & aliis posteà ab Ossato [l] ad Villaregium.

PIUS PONTIF. RECIPIT AD OBEDIENTIAM REGEM NAVARRÆ.

[l] *Ossat. ep. 92.*

VII.

Quibus tamen cùm appareat, ejusmodi obedientiam receptam fuisse absque præjudicio jurium Philippi, his nihilominùs non parùm Philippo offenso, aucta insuper est indignatio, quòd nec Francisco Descarsio, ab eodem Antonio Rege ad Pontificem misso ut Philippum de restituendo regno, aut certè de justâ compensatione retribuendâ solicitaret, Pontifex audientiam non denegâsset. Qui tamen ita se eâ in re gessit, ut ejus determinatione in aliud tempus opportunius rejectâ Descarsium promissionum magis quàm spei plenum remiserit. In Hispaniam autem Episcopum Terracinensem legavit, qui quæ in gratiam Navarri facta fuissent purgaret, excusarétque; simúlque per occasionem Philippo de diplomate Concilij satisfaceret. Philippus autem tum ut Antonium à fratris Condei, Coliniorum, ceterorúmque regni Galliæ perturbatorum consiliis & consortio divelleret, tum ut aliquam justitiæ & æquitatis speciem præseferret, eum de Sardiniæ regno Navarræ loco contradendo, & Mariæ Reginæ Scotiæ, si Ioannam dimittere vellet, matrimonio, alijsque ejusmodi vanis promissis, ali-

[m] *Hist. Neapol. par. 2. lib. 7.*

quamdiu ludificavit. Nam quod in Compendio [m] Historiæ Neapolitanæ legitur, Philippum regnum Navarræ Antonio restituisse, hoc unum est ex iis frequentissimis emblematis, quibus solent Hispanici imperij servi dominorum suorum actiones exornare. Non adeò gens dissoluto est stomacho, ut quod semel hauserit, crudum, coctúmve, facilè egerat. Apertè tamen vel hinc fateri coguntur, aut nullum omninò, aut levissimum se jus ad Navarram habere. Si enim justum habent, ut quid tot fictionibus mundo imponunt? Ex hâc tamen simulatione illud boni tunc exiit, quòd hâc spe illectus Navarrus, animum à seditionibus penitùs avertit, pacis alioqui regni studiosus, & Regi ac Catholicis usque ad obitum firmiter adhæsit. Voluisse quoque Florentiæ Ducem hinc res suas agere, statúmque augere, novimus ex epistolâ scriptâ à Sebastiano Albaspinæo Episcopo Lemovicensi oratore Regis Galliæ apud Hispaniæ Regem, decimoquarto Novembris 1561. quâ Regem certiorem reddit, prædictum Ducem Hispaniæ Regi significâsse, sibi præcipuè deberi quòd Descarsius non pro voto rem peregisset: impulisséque eâ occasione Pontificem, ut apud eumdem Regem ageret, ne ægrè ferret si titulus regius Duci deferretur. Regem verò respondisse, sibi semper gratum fore quicquid in augmentum Ducis fieret; satius tamen videri prosecutioni potiùs Concilij animum intendere, quàm quid novi in tantâ rerum confusione moliri. Sic videlicèt prudenter eludens ambitionem Ducis; cujus longè minorem titulum Magni Ducis Etruriæ, non parùm turbarum civisse sub Pio V. videbimus suo loco.

DUO ETRURIÆ AMBIT TITULUM REGIUM.

VIII.

LEGATI CONCILII.

Cùm tempus Concilio reassumendo destinatum, nempè dies Resurrectionis Dominicæ, qui hoc anno in sextum Aprilis incidit, appeteret; Pius Pontifex ne officij sui partibus deesset, Legatos delegit qui præessent, *Herculem Gonzagam* Mantuanum, presbyterum Cardinalem S. Mariæ Novæ, cùm ob familiæ amplitudinem, tum ob singularem virtutem, maximæ per Italiam celebritatis; & *Iacobum Puteum* Niciensem, Iurisconsultum eruditissimum in curiâ Rotæ primò, deinde in Signaturâ multùm versatum, presbyterum Cardinalem S. Simeonis. Istóque intereà in gravem morbum delapso, ei suffecit *Hieronymum Seripandum* Neapolitanum, Fratrum Eremitarum Augustinianorum olim Magistrum, magníque nominis Theologum, & linguarum peritiâ conspicuum, nuper creatum presbyterum Cardinalem tituli S. Susannæ. Qui jussi ad diem præstitutum Tridenti se sistere, non tamen ante diem tertium Paschatis appulerunt: quo tempore novem tantummodò Episcopos, qui antè advenerant, repererunt; cùm ceteri, donec viderent rem seriò agi, & non sicut olim, perfunctoriè, accedere non festinarent. Duobus autem illis Legatis tertium mox adjunxit, *Stanislaum Hosium* Polonum, Episcopum Varmiensem, presbyterum Cardinalem tituli S. Laurentij in Palispernâ, virum pietate, eruditione, & eloquentiâ clarissimum. Quibus & antequàm Concilium aperiretur, duos alios addidit, de quibus pòst dicetur. Calendis [n] autem Martij Episcopis & Prælatis ad Synodum conventuris nonnulla privilegia & indulta concessit.

[n] *Bullar. to. 2. Pij IV. const. 28.*

IX.

[o] *Ibid. const. 37.*

Idémque mense Septembris Confraternitatem [o], seu Sodalitium, atque Hospitale sub invocatione *B. Mariæ de Pietate* nuper in Urbe à piis quibusdam viris institutum ad egenos Dementes suscipiendos, & curandos, approbavit, & confirmavit, gratiísque & indulgentiis munivit. Aliâque constitutione [p] Rotæ Romanæ formam Iudiciorum, ipsorúmque Iudicum, quos Auditores, vocant, agendi modum reformavit, aptiúsque constituit.

ALIÆ PII CONSTITUTIONES.

[p] *Ibid. const. 44.*

X.

[q] *Thuan. lib. 27. Henric. petr. &c.*

Quod res alibi gestas attinet; nullibi memorabilius quid accidit, quàm quæ in Galliâ facta sunt. Omittimus nova quædam dissidia inter Catharinam Reginam-matrem & Antonium Regem Navarræ de regni administratione suborta, quæ brevî composita fuêre; & alia nonnulla politiam spectantia. Sed quod religionem spectat, notandum imprimis colloquium [q] inter Navarrum & Georgium Glukum Friderici Daniæ Regis oratorem, qui usitatis inter Principes officiis, ad deplorandam Francisci mortem, & gratulandam Carolo regni successionem advenerat, habitum, cùm Glukum Navarrus ad prandium vocâsset. Spem enim faciente ei Rege, fore ut antequàm annus exiret, purior Dei cultus toto regno celebraretur, rogantéque ut id Regi suo confirmaret; ille laudato Navarri consilio, vicissim rogavit, diligenter videret, ne Ioannis Calvini doctrinam reciperet, sed Augustanam Confessionem à Martini Lutheri doctrinâ profectam introduceret; eo nomine non parvam à Daniæ ac Sueciæ Regibus, ac reliquis Germaniæ Principibus & Ordinibus Protestantibus gratiam initurus, quorum ditio non minori terrarum spatio porrigeretur, quàm quæ Romanum Pontificem agnosceret. Ad quæ Navarrus, Lutherum & Calvinum in quadraginta capitibus à Pontifice dissentire, in triginta octo inter se convenire dixit: duo tantùm superesse quæ inter ipsos controverterentur: jungendas utriusque partis opes ac copias ad communem hostem opprimendum; quo debellato, in duobus illis capitibus conciliandis minùs negotij futurum esset. Egregius uterque Theologus, & dignus laureâ Doctoratus! Excusabiles in suâ imperitiâ, quâ de rebus eorum captum superantibus agebant. Videas autem in Gluko, quo affectu essent Lutherani in pestiferam seditiosissimi Calvini doctrinam, præ quâ ipsi penè sancti haberi possint: in Regem, quàm ipse in articulorum numero, quibus Lutherani & Calviniani à religione Catholicâ, & ipsi inter se discreparent, itémque in modo conciliandi ipsorum discrepantias, hallucinaretur. Sed non id bonus Princeps suâ sponte, sed Ioannæ uxoris hæresis Calvinianæ addictissimæ impulsu: cujus præcipuè respectu magis ipse hæreticis quàm hæresi favebat: quorum non ita pòst, etiámque proprij fratris consortio rejecto, vitam pro religionis Catholicæ propugnatione gloriosè profudit, ut videbitur suo loco.

COLLOQUIUM REGIS NAVAR. CUM LUTHERANO DANO.

XI.

[r] *Belcar. lib. 29. Thuan. lib. 27.*

Quemadmodùm & hoc ipso anno probus senex Monmorantius [r] regni Connestabilis, seriò prospiciens priscam religionem sperni

nova

Monmorentius sectarios deserit.

nova sacra, novos ritus invehi, incognitos homines se divino ministerio immiscere, carnes propalàm diebus vetitis, atque ipso quadragesimalis Ieiunij tempore prostare, denique in ædibus Condei & Colinij Admiralij publicas conciones hæreticas haberi; derelictâ eorum consuetudine, depositâque ex animo omni in Ducem Guisium, quem rectâ incedere in causâ religionis & regij obsequij cerneret, invidiâ, ad eum se adjungere decrevit: neque ullis eorum, propriique filij Francisci marescalli, precibus aut rationibus à proposito divelli potuit; quòd prudenter animadverteret, serióque assereret, mutationem religionis status regni mutationem necessariò secum trahere: se fidum superioribus Regibus extitisse, eâque fide Carolum, ejúsque fratres observaturum: memorem etiam, prognatum se antiquissimâ familiâ, quæ hodiéque insignia gestaret, quibus inscriptum esset, *Deus primum Christianum servet*; ac proinde ad majorum religionem, atque adeò Ecclesiam Romanam omni ope tuendam atque observandam obligari. Et ad firmandam magis ac magis hanc cum Guisio amicitiam, die Paschatis apud Fontembellaqueum unà cum illo & Duce Monpenserio sacram Eucharistiam Catholico ritu sumpsit; eumdémque unà cum Henrico ejus filio Ionvillæ principe, & Santandreano Marescallo, ad cœnam vocavit.

Condeus et Guisius reconciliantur in speciem.

Voluítque pariter deinde Rex, ut Condeus post suam à criminibus impositis absolutionem reconciliaretur cum Guisio, profitente palàm se nunquam auctorem, instigatorem, aut consultorem extitisse ut Condeus in carcerem conjiceretur: qui Rege jubente mutuò se amplexi, ut cognatos decebat, firmam ac sinceram amicitiam invicem polliciti sunt, quæ tamen, quòd nonnisi jussione regiâ fieret, nec ex intimo animo procederet, non diuturna esse potuit, obstantibus religione & ambitione, duabus potentissimis omnis societatis & necessitudinis diremptricibus.

XII.

Cardin. Castilioneus fidem deserit.

Dissidentibus autem in aulâ ob religionem primoribus, per provincias eâdem de causâ crebræ passim dissensiones exoriebantur. Belloyaci etiam adversus Odettum Cardinalem Castilioneum ejusdem civitatis Episcopum, lapsum jam unà cum fratribus Admiralio & Andeloto in hæresim, alioqui plebi gratum, graviter tumultuatum est, quòd in festo Paschali derelictâ ecclesiâ matrice, in privato palatij Sacrario cum nonnullis civibus & domesticis cœnam Dominicam sub utrâque specie sumpsisset. Et presbyter quidam, qui elementarias preces novæ religionis ritu pueros docere ferebatur, à plebe correptus, protractus, & occisus est.

Edictum Regium in favorem hæreticorum.

Ut autem hujusmodi dissidia vitarentur, diploma regium ad singularum provinciarum præfectos missum est; quo inter alia sanciebatur, *ne Papistæ* vel *Hugonoti* vocabula, quæ per contumeliam ab utrâque parte exprobrari cœpta erant, ampliùs usurparentur: qui religionis causâ, ante primum pro novæ persuasionis sectatorum libertate conditum edictum, vincti essent, statim solverentur: qui ob eamdem causam regno excessissent à Francisci I. tempore, iis revertendi facultas esset, dummodò Catholicè & sine offensione viverent. Ne tamen rescriptum istud Lutetiæ promulgaretur, Senatus vetuit, & apud Regem intercessit: primùm quòd contrà morem ad præfectos, non ad supremas Curias missum esset, cùm tamen legis vigorem apud præfectos habere non posset, nisi priùs in Curiis promulgatum esset; deinde quòd per illud quam quisque vellet religionem amplecti concessum videretur; cum à Clodoveo primo Rege Christiano una & sola Catholica & Romana religio culta esset ceteris omnibus rejectis; unde Reges Christianissimi vocarentur: denique quòd ex ceteris quoque edicti clausulis magnarum turbarum occasio nascitura esset. Verùm quidquid objiceretur, ejus nihilominùs edicti vigore qui carcere detinebantur liberati fuêre; & qui ob religionem exulabant, reverterunt: unde numerus hæreticorum magnoperè auctus, & frequentiores cœtus haberi ubique cœpti.

XIII.

Deliberatio de remediis divisionum.

Quapropter Cardinalis Lotharingius, quo tempore Rex Carolus Rhemos, cujus civitatis Cardinalis Archiepiscopus erat, ad coronationem concessit, (quæ facta est mense Maij) conquestus res in pejus ruere, esséque necesse ut certa lex de religione statueretur, alioqui nullum seditionibus modum futurum, effecit ut Rex cum Reginâ matre ejus, Rege Navarræ, Condeo, aliísque Principibus ac primoribus regni, & sanctioris Consilij assessoribus, ad Senatum Parisiensem, de his deliberaturus accesserit. Ubi ab Hospitalio Cancellario Regis nomine Senatoribus monitis ut in dicendis sententiis breviores essent; non enim de religione ipsâ, sed de remediis tantùm, quibus obviam iri posset tumultibus, ob religionem quotidie exorientibus: tres fuere omninò sententiæ: prima, ut à pœnis sectatorum abstineretur, quoúsque res Concilij decreto decideretur: altera, ut in eos capitali supplicio animadverteretur: tertia, ut ad ecclesiasticum forum remitterentur, juxta edictum Romorentinense anni superioris; vetitis interim capitis pœnâ omnibus coitionibus & conventibus illicitis, atque interdictâ concionandi, & sacramenta administrandi libertate alio ritu ac modo quàm qui in Romanâ Ecclesiâ observaretur. Quæ postrema sententia vicit:

Edictum Iulianum.

factúmque est Edictum, à mense *iulianum* dictum: quo propterea sancitum est, ut omnes ab iniuriis abstinerent, & pacatè viverent; an ne concionatores seditiones in populis excitarent, pœnâ capitis iis qui secùs facerent propositâ, hæcque eò usque obtinerent, dum Synodi Universalis, vel Nationalis sententiâ aliter statueretur. Eodem consessu, sed separatim, decretum, uti Antistites mense Augusti Poissiaci convenirent ad colloquium de religione cum aliquot venturis ministris habendum, quibus publicâ fide caveretur. Quod tamen contradicentibus plerísque decretum est, qui de doctrina hactenùs recepta compromitti, & majorum religionem in disputationem temerè vocari conquerebantur. Assensum nihilominùs esse hortatu Cardinalis Lotharingij, qui pro doctrina & eloquentia qua pollebat, confutandorum hæreticorum provinciam in se recipiebat, nonnulli imponunt. Alij verisimiliùs asserunt, id suasionibus Ioannis Monlucij Episcopi Valentini, & Petri Du-

vallij Sagiensis, qui sectarios fovebant, Reginam-matrem omninò decrevisse Condeo & Admiralio id postulantibus satisfacere; non tam de exitu disputationis, aut conservatione Fidei Catholicæ, quàm de suæ auctoritatis firmitate solicitam. Sicuti & ipsi non tam id victoriæ spe prosequebantur, quàm ut res turbatiores in suum commodum redderent.

XIV. Trium Ordinum conventûs continuatio, cùm fuisset anno superiori in Maium præsentis Pontisaram remissa, rursùm propter ingruentem negotiorum molem in Augustum dilata fuit. Quo tempore congregatis ibi qui interesse debebant, (Rege tamen absente) cùm acriter controverteretur de confirmatione pactionis inter Catharinam Regis matrem & Antonium Regem Navarræ factæ, quâ Reginæ regni administratio concedebatur; Regina vehementer timens ne causâ caderet, apud Admiralium, cujus præcipuè consilia Navarrus sequebatur, instantibus precibus & magnis pollicitationibus egit ne sibi adversaretur: qui perfecturum se quidvis pollicitus, modò suæ, hoc est Calvinianæ persuasionis liberè obeundæ potestas daretur; illa datum iri repromittens, facta est voti compos: indéque enanavit Edictum Ianuarij sequentis, quod malorum omnium in Galliâ subsecutorum fons & origo fuit. Postquàm verò res Pontisaræ confecta fuit, remissâ rursùm Comitiorum prosecutione coram ipso Rege ad Sangermanum, ibi de ordine consessûs inter Cardinales & Principes regij sanguinis controversia [s] orta est. Quippe cùm Cardinalis Borbonius Navarri & Condei frater, post Navarrum ante Condeum sedens, declarâsset id se non uti Cardinalem, sed ratione ætatis, quâ medius inter eos esset, agere, asseruerunt contrà ceteri Cardinales qui aderant, se ratione dignitatis regios consanguineos præcedere debere, sicut hactenùs in Galliâ factum fuerat, fierétque ubique. Verumtamen omni jam ordine per hæresim inverso, ne Condeus, cujus indignatio timebatur, in iram concitaretur, contra Cardinales pro Principibus pronunciatum est: eíque decreto acquievêre Castillioneus & Armeniacus, locum post Principes sumentes. At Turnonius sacri Collegij princeps, quem decanum vocant, & Lotharingius ac Guisius, non ferentes contumeliam, à comitiorum aulâ discessêre, non sine manifesto contra collegas fremitu.

Reginæ ambitio.

[s] Belcar. d. l. 29. §. 28. Thuan. lib. 28.

Controversia de loco inter Cardinales et Principes Sanguinis.

XV. De rebus autem propter quas comitia celebrabantur, longâ oratione Cancellarius differens, ac de more in Episcopos stylum acuens, illos deinde arguit, qui alteram religionem è regno pellendam censerent; & tantùm non verbis apertis nuperum edictum Iulianum aboleri, & hæresis publicam prædicationem permitti debere significavit: cujus sententiæ plenam declarationem, hujusmodi machinis præparatam, in mensem Ianuarium sequentem, ut videbimus, reservavit. Pro tertio deinde ordine Iacobus Bretonus Iudex Augustodunensis orans, acerrimâ verbositate sectariorum causam egit; & satyricè in Ordinis Ecclesiastici ignorantiam, luxum, opes, invectus, plebis nomine petiit ut Rex omnem ei jurisdictionem auferret, opes in pios usus distribueret, partémque aliquam fisco addiceret: denique nationale Concilium cogeret, cui Rex ipse, illiúsve loco consanguinei Principes præessent; in eóque soli regij consiliarij, aliíque viri docti & pij, jus dicendæ sententiæ haberent, exclusis iis quorum res ageretur; (nempè Episcopis, aliísque Ecclesiasticis:) interímque facultas publicè conveniendi, & conciones audiendi daretur iis qui Ecclesiæ Romanæ cæremonias respuerunt: aliáque ejusmodi non minùs absurdè quàm imperitè effutiit. Sanè qui Iuris peritiam profitebatur, si tam fuisset diligens legum & constitutionum Imperialium ac Regiarum indagator, quàm calumniarum & ineptiarum coacervator, non sic peroràsset. Quem & egregiè mentitum esse in eo quod dixit hanc esse plebis mentem, nemo nescit; cùm & ipsimet sectarij conquererentur, plebem in ipsos ubique insurgere, cujus eo tempore vix millesima pars ipsorum novitates ferre posset. Nisi plebem intelligeret, abjectas quasdam ejus sordes, quæ omnis generis vitiis enutritæ, rapinis dumtaxat & direptionibus bonorum regiorum, ecclesiasticorum, ac ceterorum Catholicorum inhiarent; quæ & deinceps sceleratissimè expilârunt. Ceterùm quid orator Nobilitatis dixerit; non adeò reperimus. Si is fuit, aut similis ei qui Aureliis id muneris exercuerat, non potuit non cum plebeio consentire. Qui verò pro sacro Ordine locutus est, dilutis sobriè quæ adversus illum dicta fuerant, petiit ut Rex præcipuam, uti debebat, religionis causam, & Ordinem universum commendatum haberet; illiúsque jura, privilegia, dignitatem quibus Respublica maximè in officio continetur, servaret, ornaret, augeret. Cùm verò etiam actum esset de ære alieno dissolvendo, idem sacer Ordo, cujus proventus in immensum efferebantur, ut imminenti tempestati præverteret, pro parte suâ Regi ultrò quatuor decimas quotannis in sexennium pendendas obtulit: sicque pacatos pro tempore aulæ primores, & imposterùm æquiores habuit.

Insolentia oratoris plebeii.

Secutum post hæc est *Colloquium Poissiacense*; quod oppidum est ad Sequanam flumen, ubi insigne cœnobium est virginum Ordinis S. Dominici, non longè à Sangermano, ubi comitia habita fuerant, Lutetiâ distans septem circiter milliaribus Gallicis. Fuit autem hic conventus *Colloquium* potiùs quàm *Concilium* appellatum, quamvis fuisset priùs deliberatum de Concilio Nationali celebrando: tum quòd intercessisset semper Pontifex ne Concilium Nationale colligeretur, in præjudicium Generalis jam indicti: tum maximè in gratiam sectariorum, qui pro certo habentes, si Concilium haberetur, ipsorum ministros non admissum iri ad dicendam sententiam cum Prælatis; maluerunt Colloquium, sive Collationem postulare, in quâ ex æquo de articulis controversis disputaretur: eo quidem consilio, ut si Catholici venire detrectarent, sectarij jactarent refugisse eos ne superstitionis & idololatriæ convincerentur: sin venirent, eo adeò suis aculeis, cavillationibus, & calumniis in religionem Catholicam, Pontificem Romanum, Ordinem Ecclesiasticum, in indignationem provocarent, ut collationem cum dedecore dissolvere cogerent. Indictum autem Colloquium in quartum Idus Augusti XVI.

Colloquium Poissiacense.

gusti, nonnisi quinto Nonas Septembris initium habuit. Nec tamen initio adfuit Hippolytus Estensis Cardinalis Ferrariensis, quem Pontifex, cùm vidisset rem omninò deliberatam, mittere decreverat, ut saltem curaret nequid de articulis controversis statueretur, antequàm in Concilio Generasi examinati & decisi fuissent. Properantiores sunt enim in suis consiliis exequendis Galli, quàm ut Romanas cunctationes opperiri possint. Quas si etiam breviâsset Pontifex in Concilij Tridentini apertione, non solùm Nationale Concilium, quod summoperè verebatur, verùm etiam hoc Colloquium impedisset, quamquam de isto securum eum Regina reddidisset, nihil esse causæ significans cur ab eo metueret aliquid, in quo nisi de sententia Cardinalium qui interfuturi essent, nihil esset definiendum. Sic enim solers femina res omnes temperare in suum commodum consueverat; ut utrique adversæ parti favorem præstare videretur.

XVII. QUI COLLOQUIO INTERFUERINT.

Interfuerunt autem cum Rege & Reginâ, Rege Navarræ, aliisque Principibus regij sanguinis, & utriusque religionis magnatibus, & sanctioris Consilij Senatoribus, sex Cardinales, Borbonius, Turnonius, Castillioneus, Lotharingius, Armeniacus, & Guisius, ac quadraginta circiter Episcopi; (Quorum tantus adfuit numerus, non quòd ad id præcipuè primùm vocati fuissent; sed quoniam accersiti ad Comitia regni, & ad deliberandum de rebus in Concilio generali proponendis, ac dispiciendum quibus modis virorum ecclesiasticorum mores componi possent, quorum lapsus & corruptelas hæresis buccinatores schismati ac tumultui suo velut causam prætexebant; eâ occasione etiam huic disputationi frequentiores interfuêre,) cum delectis Theologis Parisiensibus, Claudio Espencæo, Claudio Sanctesio canonico regulari, & aliis. Ex parte hæreticorum adfuerunt Augustinus Marloratus Lotharingius apostata Augustinianus, & minister Rotomagensis; Theodorus Beza Burgundus, præcipuus Calvini discipulus, de cujus turpi ob abominabilia scelera fugâ aliàs dictum; Ioannes Malo presbyter olim in ecclesiâ S. Andreæ de Arcubus Lutetiæ fidei desertor, postcà Servetista & Arianus, ac demùm Calvinista; Petrus Martyr Italus apostata Ordinis canonicorum regularium, de quo multa superiùs, Tiguro advectus, Ioannes Spina Gallus, qui deserto nuper Dominicanorum ordine ceteris se aggregavit ut numerum perfugarum augeret; alij ejusdem abominationis homines, omnes numero tredecim, Zuingliani & Calviniani Sacramentarij. In quorum etiam subsidium miserat Fridericus Palatinus duos suos Theologos, Christophorus Wirtembergensis tres: qui tamen si tempore adfuissent, potuissent magis Zuinglianis incommodare, quàm opi esse, quòd certum sit numquam eos, cùm Lutherani essent, Zuinglianis communicaturos fuisse, quin priùs ij subscripsissent Confessioni Augustanæ, ac præcipuè in articulo Eucharistiæ; antequàm autem Lutetiam pervenissent, solutum erat Colloquium.

XVIII. INITIUM COLLOQUII.

Quinto Nonas Septembris principium actioni datum. Cujus introitu, ministri specimen arrogantiæ suæ dantes voluerunt intra septum, in quo Rex cum Principibus & Episcopis sedebat, irrumpere, & aliquem locum sibi usurpare: qui jussi sunt extrà consistere, ac stantes loqui; cùm Doctores Catholici post Episcoporum sedilia in scamnis sederent: ut disertè exprobravit Sanctesius Bezæ in Apologiâ contra ipsum pòst scripta. Principio autem actionis Rex ad id instructus monuit omnes, ut turbis per totum regnum nascentibus, salutaribus consiliis consulerent; quæ emendationem requirerent, corrigerent; nec priùs discederent quàm dissidia composita essent. Cujus sententiam Hospitalius Cancellarius pluribus prosecutus, ac de necessitate & utilitate Colloquij, non sine suggillatione Pontificis & Conciliorum Generalium prolocutus: haud antiquum oblitus, petitis à medicis & medicinâ similitudinibus, ad pacem & concordiam hortatus est, ac præcipuè Catholicos ut à sectariis, qui fratres essent, eodem baptismatis lavacro regenerati, ejusdémque Christi cultores, non abhorrerent: in professione fidei Catholicæ apertè se fautorem sectariorum detegens. Quod ne putes per calumniam dici, Bezam ipsum producimus testem: qui in suis Iconibus locum ei honoratum tribuens, ait ad justum laudis cumulum id ei visum defuisse, quòd partim ne sibi ad pios (hoc est; sectarios) iuvandos aditum præstrueret, si veram religionem apertè profiteretur, partim variâ quâdam expectatione delusus, eo luto ex quo crutos omnes optabat, penitùs extricare sese cum diù neglexisset, postea volens id præstare non potuit. Idcóque pone dorsum ejus accensam candelam pingendam curavit, quasi ceteris prælucentem, non sibi.

HOSPITALIUS FAUTOR HÆRETICORUM.

XIX.

Cùm autem longè alia quàm quæ proposita ante colloquium fuerant, sua oratione preposuisset, Cardinalis Turnonius Antistitum princeps assurgens, petiit, ut quandoquidem ea nova essent, nec posset iis extemplo responderi, scripto traderet, ut de iis Cardinalis cum collegis deliberaret. Recusante Hospitalio, metu ne inde sibi negotium facesseretur, jussus à Reginâ Beza loqui, post ostentatam per preces ad Deum de geniculis factas pietatem, cujus cultor videri volebat, & benevolentiam Regis imploratam, iniquè secum agi dixit, quòd tamquam turbulenti, seditiosi, & publicæ tranquillitatis perturbatores vulgò traducerentur; qui tamen nihil aliud sibi propositum haberent quàm Dei gloriam, & pacem conscientiarum. Tum ad dogmata transiens, postquàm de iis in quibus cum Romana Ecclesia convenirent, & in quibus dissentirent, prolixè disseruit; tanto nequam spiritûs impetu abreptus est, ut etiam suæ professionis hominibus parùm acceptus fuerit; Catholicis autem adeò exosus, tum præcipuè cum ausus est execrabiles in sacratissimam Eucharistiam ore impurissimo blasphemias effutire, dicens tantùm ab eâ distare corpus Christi quàm supremum cœlum ab infima terra; ut non sine adstantium fremitu ac strepitu auditus fuerit: Quando, ut Balduinus qui aderat improperat, quidam ex Bezæ quondam sodalibus subridens insusurravit, an crederet in Eucharistiâ esse Corpus Christi, qui vix in cœlo crederet ullum esse Deum. Turnonius autem Cardinalis justâ indignatione commotus, ad Regem

BEZÆ ORATIO IMPIA.

conversus, dixit Antistites qui adessent contra animi sui sententiam convenisse, ac conscientiis suis vim intulisse, cùm ut novi isti Evangelistæ audirentur consensissent: prævidisse enim fore ut multa in Deum contumeliosa eructarent: ac proinde, nisi Regis mandatorum rationem habuissent, consessum abrupturos. Majestatem igitur regiam orare, ne iis quæ dicta essent fidem haberet: Antistites contrarium adeò manifestè verum esse demonstraturos, ut quodnam sit inter veritatem & mendacium discrimen facilè appariturum foret. Beza autem impudentis imprudentiæ suæ conscius, de verborum temeritate excusavit se posteà apud Reginam. Cùm nihilominùs non dubitaverit eamdem sententiam in suis epistolis [t] disertiùs repetere, nempè Corpus Christi tanto intervallo abesse à nobis, id est ab eo loco in quo versamur, quanto abest cælum à terrâ, cum illud quidem sit in cælo, nos verò in terrâ.

t *Bez. ep.* 76.

XX. LUTHERANI REFELLUNT CALVINIANOS.

Quam ejus ceterorúmque Calvinistarum opinionem, non necesse est ut Catholici objectione verborum Domini refellant. Fecerunt sufficientissimè ipsorummet fratres Lutherani infinitis scriptis contra ipsos editis. Inter quos Schlusselbergius [u] in eos propter hanc eamdem eorum assertionem, quòd tanto intervallo Corpus & Sanguis Christi absint à Cœnâ Domini, quanto distet cælum supremum ab infimâ terrâ, vehementer invectus, ait eam blasphemam & diabolicam esse: fidem illorum oculatam esse, quæ tantùm credit quod videt & intelligit: Ingentem furorem, & grande nefas esse, verba Christi negare, aut aliter accipere quàm ab ipso prolata sunt: quod nullus Evangelista vel Apostolus ausus est: Nullum Angelum in cælis, nullum hominem in terris posse clariùs loqui; nec ullum interpretem posse nobis esse certiorem, quàm ipsummet Filium Dei. Ejus verba tam clara & perspicua esse, ut etiamsi Angelus de cælo veniens, verba ejus Calvinistarum more exponere vellet, tamen neminem piè eruditum, ipsi fidem habiturum esse: Nihil curandum, quòd hoc ingens mysterium non possimus naturâ cæcutiente ratione comprehendere: Deum enim plus posse præstare, quàm non possumus intelligere: certiora nobis esse verba Christi, quàm nostram rationem, propriam experientiam, & omnium creaturarum testimonia. Hæc ille auctor, & alia ejusmodi quamplurima, qualia & ceteri omnes, contra Calvinianam Bezanámque impietatem.

u *Schusselburg. Catal. hæret. lib.* 3. *in præf.*

XXI. CARDINALIS LOTHARINGII ORATIO.

Quod verò colloquium spectat; placuit deinde ut ad duo tantùm capita, de Ecclesiâ, & Eucharistiâ, disputatio revocaretur. Instauratóque Colloquio decimosexto Calendas Octobris, Lotharingius copiosam fundatissimámque habuit orationem, quæ pòst edita fuit: cujus hæc est summa, ut principio asseruerit, Regem membrum esse, non caput Ecclesiæ; ejus quidem tuendæ curam præcipuam ipsum gerere, sed in iis quæ doctrinam spectant Ecclesiæ ministris subjacere: Ecclesiam non solis electis constare: universalem errare non posse: si quando singularis aliqua errat, ad Romanam tum esse recurrendum, ad Generalium Synodorum decreta, & consentientes antiquorum Patrum sententias: sed ante omnia ad sacram Scripturam, Ecclesiæ sensu atque interpretatione explicatam: Hæreticos, quòd ab hâc viâ deflexissent, in errores inextricabiles sese præcipitâsse: Nuperos in capite de sacrosancto Cœnæ Dominicæ mysterio; insanabili quæstionum curiosarum pruritu, quod à Christo ad nos arctiori unionis vinculo secum constringendos est institutum, ad Ecclesiam odio irreconciliabili discindendam adhibuisse. Háncque quæstionem paulò fusiùs tractans, atque exponens & objiciens quæ ipsi dicerent, Christum non aliter ab ascensione suâ in cœlum inter nos esse quàm antequàm carnem induisset, aut aliud corpus quam visibile nunc habere, nec aliter in Sacramento esse quàm insit in verbi prædicatione; idem esse, Christum in baptismo induere, & ipsius carnem & Sanguinem in cœnâ sumere; ita in cœlo esse ut in terrâ non sit; sícque non plus in cœnâ quàm in scenâ, aut etiam in cœno esse: (quæ horrenda verba Latinè pronunciavit, ne, ut dixit, si Gallicè, qua linguâ perorabat, exprimeret horrorem & offensionem audientibus parerent:) conclusit demùm, nullam cum sectariis, si in eâ sententia permanerent, concordiæ rationem iniri posse. Ad quæ ceteri Cardinales & Episcopi assurgentes, in ea fide quam Lotharingius professus fuerat, se vivere & mori paratos declarârunt: Regem, ut in ea perseveraret obsecrârunt; promittentes, si huic articulo sectarij subscribere non recusarent, se de ceteris disceptationem non detrectaturos: sin autem, tum ab omni audientia excludendos, tum toto regno eliminandos. Quare hîc colloquio finem impositum cupiebant.

XXII.

Nihilominùs illud denuò 8. Calend. Octobris repetitum est: quo Beza respondere conatus orationi Cardinalis Lotharingij; disputavit etiam cum Doctoribus Espencæo ac Sanctesio de iisdem aliisque capitibus: aliáque insuper fuère inter ceteros utriusque partis Theologos, cum non parvo tumultu, agitata. Quando & impotens sui sensûs Beza, Catholicorum rationes, quibus de ipsius ceterorúmque Ministrorum vocatione ostendendâ premebatur, solitis technis eludens, ad carpendam Præsulum institutionem & ordinationem divertit, & quasi vitio factam pro legitimâ minimè habendam contendit. Idque ipsum rursùs alio conventu ex scripto repetiit. Quo tempore Iacobus Lainius Præpositus Generalis Societatis Iesu, vir pius & doctus, natione Hispanus, quem Cardinalis Ferrariensis Papæ Legatus secum adduxerat; eodem consessu interfatus, Protestantes atque sectarios, lupis, vulpibus, & serpentibus similes esse dixit, illósque ad Concilium amandandos. Reginam autem (aberat à consessu Rex) compellans liberè monuit: hæc neque ad ipsam, neque ad quemquam Principem sæcularem, spectare; sed ad Pontificem, Cardinales, & Antistites pertinere: nec fas esse, dum Concilium Universale celebraretur, privatum Colloquium instituí. Ad cujus libertatem commota non parùm Regina, Legati tamen ibi præsentis reverentiâ rem dissimulavit: ac nihilominùs destitit deinceps ab ejusmodi congressibus.

LAINII IESUITÆ ORATIO.

Quibus

XXIII. Cujus fructûs hoc Colloquium fuerit.

Quibus aliquoties repetitis, & quinis ex utraque parte delectis ad disputandum, cùm in nullo convenire possent, solutum est Colloquium vigesimo quinto Novembris, quo primùm sectariis in Galliâ de religione disputandi facultas concessa est; pessimo exemplo, dum errores pridem legitimè damnati retractari permissi sunt. Et quamvis nihil ibi conclusum fuerit, valdè tamen sinistrè inde Regina, tum apud omnes Catholicos, tum maximè apud Pontificem & Regem Hispaniæ audivit: apud quos, missis legatis, excusare sese conata est. Pontifex [x] autem, ubi certior factus est Colloquium nullô fructu solutum, magnam inde sensit lætitiam. Et laudatis Catholicis, qui strenuè se in eo gessissent, econtrà orationem Cancellarij tamquam multis partibus hæreticam damnabat, ad Inquisitionis tribunal citandum interminatus. Cùm autem nullus constitutus fuisset Iudex disputationum; sectariis omnem respuentibus, præter Scripturam suo privato cujusque sensu expositam; ac propterea non mirum videri deberet, si nulla inter partes consensio intervenisset; victoriam sibi utrique vindicârunt, scriptis de re gestâ commentariis, ab Espencæo [y] pro Catholicis; à Bezâ pro sectariis cujus etiam extant [z] plures de singulorum dierum disputationibus ad Calvinum thrasonicæ epistolæ; aliquid tamen semper timiditatis & causæ diffidentiæ continentes; responsionésque Calvini, cupientis ut quovis modo Colloquium abrumperetur; nondum enim rem maturuisse, ut adversariorum consensu vigeret pura religio. Mentitur autem insigniter Lavatherus Sacramentarius, cùm ausus est scribere, Catholicos cum ministris consensisse. Quomodò enim id contingere potuisset, cùm nec ipsos ministros inter se convenisse ijsdem scriptis disertè appareat? Sed nihil novi, si filij mendacij mendaciis rem agant. Observandum potiùs, quod Lucas Osiander Lutheranus in suâ Epitome Historiæ considerandum contra Calvinistarum vafritiem monet: nimirum cùm ante aliquot annos in Germaniâ pax publica religioni data esset, Calvinistas falsò jactâsse etiam eam pacem ad se pertinere: se enim amplecti Augustanam Confessionem; cum tamen errores suos Calvinisticos nullâ in parte corrigerent: In Poissiaceno autem Colloquio, cum sperarent se ad defensionem suæ religionis satis habere carnalium virium & potentiæ; Augustanam Confessionem, sibi à Cardinale Lotharingio ad subscribendum oblatam, recipere noluisse: Deinceps verò, cum in Galliâ non obtinuerunt quod speraverant, rursus Augustanam Confessionem, contra suam conscientiam jactare; non quòd cum Augustana Confessione consentirent, sed ut sub ejus nomine simplicioribus Lutheranis Calvinismum obtruderunt. Et hæc quidem in Germaniâ.

x Polon. l. 5.

y Add. Resc. de conventic. Evangelic. & Prateol. in Beza.

z Inter epist. Calvin. ep. 309. & seqq.

XXIV. Hæreticorum audacia crescit.

In Galliâ verò illud gravissimum malum ex hoc inutili, & tamen perniciosissimo Colloquio secutum est, ut qui ferè in cavernis & latibulis hactenùs prædicabant Ministri, audaciam ex honore istis disputationibus delato assumentes, in lucem passim prodierint, & in Catholicos sese eis opponentes insurrexerint. Quinimmò & Reginæ ab eorum fautoribus suasum fuerit, ut specie continendi populos, ne ad sectarios deficerent, à Pontifice peteret nomine Præsulum Gallorum (quorum nonnulli aliàs corrupti consensum præstiterant; maximâ tamen parte contradicente, aut rem ad Pontificem remittente) communionem sub utraque specie in Galliâ permitti. Quam cùm orator regius apud Pontificem & Cardinales vehementissimè ursisset, repulsam demùm passus est. Hæc nimirum erat sectatiorum astutia, ut à rei aliquando concessæ postulatione, ad alias sensim procederent: quibus prudenter Pontifex & Cardinales ostium ipso initio obstruxerunt.

XXV. Admiralii imprudens audacia.

a Belcar. lib. 29 §. 33.

Animadvertentes [a] autem Dux Guisius, Monmorantius Connestabilis, Montpenserius princeps, Brissacus & Santandreanus Marescalli, Reginam magis ad Calvinianos propendere; ubi eam admonuissent, ex negligentiâ & conniventiâ regiorum magistratuum, qui Iulianum edictum observandum non curarent, seditiones & tumultus, ac bellum fortassè brevî suscitatum iri; ex comitatu sub finem Novembris abierunt: simul & rumor divulgatus est, Romanum Pontificem, Hispaniæ Regem, Germanos Catholicos, cum Gallis item Catholicis consensisse ut Calvinianos è Galliâ exterminarent; sive is verus, sive de industriâ à Calvinianis dispersus fuerit. Quâ occasione recessûs prædictorum, Admiralius tumore elatus, cùm Cancellarium totum sibi devinctum haberet, & Reginam possidere præsumeret; eò audaciæ prorupit, ut templa duobus millibus centum & quinquaginta ecclesiis, ut vocabat, Calvinianorum postularet: spondens, si id fieret, cunctos earum ecclesiarum homines Regi cùm necesse foret totis viribus propriísque sumptibus militaturos. Cujus imprudentissimè oblatâ conditione prudenter utens Regina, ut vires eorum cognosceret, factâ spe templorum, suasit, ut quoniam timere se dicebat à bello externo, eliceret à singulis ecclesiis justum numerum pugnatorum quos subministrare possent. Paruit ille scribens ad principes ecclesias: sed modico effectu, quoniam plures suspectam rem habentes, exequendi difficultatem objecerunt.

XXVI. Hæresis ubique proficit.

b Lesl. lib. 10.

c Thuan. lib. 27. ex Hist. tunc vulgata.

d Supr. an. 1545. IX.

Cùm autem & in Belgio sectarij non minùs tumultuarentur, & apertam à Rege Philippo defectionem molirentur: & in [b] Scotiâ, malignitate Iacobi, Mariæ Reginæ fratris nothi, quem Moraviæ Comitem renunciavit, aliorúmque factiosorum, fides Catholica penè extincta esset, adeò ut libertas ejus vix ipsi Reginæ concederetur: in Sabaudiæ [c] convallibus, Angruniâ, Lusernâ, Perosiâ, & aliis iis contiguis, quas Waldenses antiqui hæretici, sicut Merindoliam & Cabrieram Provinciæ, de quibus aliàs [d] diximus, insederant, nequicquàm eos armis ad officium & Catholicam religionem reducere conato Sabaudiæ Duce, in libero suæ hæresis exercitio vivere pactis conventis permitterentur: novi hæretici ubique in immensum numero & potentiâ crescerent: Ut his malis quantùm posset, per doctrinæ Catholicæ stabilitatem prospiceret Pontifex, omninò decernens Concilium absque ulteriori cunctatione resumere, ad cujus celebrationem tum à ceteris Principibus, tum

à Regi

à Regibus Galliæ & Hispaniæ, quorum maximè ob turbas Gallicas & Belgicas intererat, impellebatur; (quod enim sunt qui Gallos in his calumnientur, tamquam minùs ad Concilium proclives, apertè refelluntur ex multiplicibus literis à Rege & Reginâ, ipsorúmque oratoribus tunc apud Pontificem existentibus, ultrò citróque scriptis:) ad tres Legatos, quos anteà ei præsidere jusserat, Gonzagam scilicèt, Seripandum, & Hosium, duos alios nuper à se in sacrum collegium cum pluribus aliis allectos, adjecit: videlicèt *Ludovicum Simonetam* Mediolanensem, in Iure Canonico valdè versatum, Episcopum, Pisauriensem, presbyterum Cardinalem tituli S. Cyriaci, & *Marcum Scitticum Altaëmpsium* Germanum ipsius Papæ sororis Claræ ex viro Volfone Comite Altaëmpsio diœcesis Constantiensis filium, ex Equite S. Iacobi Diaconum Cardinalem S. Angeli: quem tradunt [e] quòd timeret Pontifex ne Patres metu hæreticorum Tridento discederent, ut factum sub Iulio III. fuerat, eâ auctoritate misisse, ut etiam si opus esset, milites cogeret, ut erat militiæ peritus, ad tutandos Patres; & omnem timorem Tridentino ablegandum. Nec tamen Concilium apertum est ante mensem Ianuarij anni proximi, quousque orator Cæsareus advenisset.

NOVI PRÆSIDES CONCIL. TRIDENT.

[e] Petramel. de Cardin. in Pio IV.

XXVII. TANQUERELLI PROPOSITIONES DAMNANTUR.

Intereà in Galliâ ad ceteras confusiones accessit *Ioannis Tanquerelli* studiosi Theologici candidati, ex eorum ordine quos Baccalaureos vocant, axioma quoddam insertum Thesibus, quas ad periculum industriæ faciendum de more Scholæ disputandas proposuerat: quo affirmativè asserebat, Romanum Pontificem Christi Vicarium Ecclesiæ monarcham, spiritualem & sæcularem habentem potestatem, omnes fideles subjectos continentem Principes, suis præceptis rebelles regno & dignitatibus privare posse. Quod alienissimo tempore propositum, cùm ad legitimi obsequij quod Regi debebatur fidem labefactandam spectare videretur, ad Senatûs Parisiensis examen per Cancellarium regni delatum est: atque ab eo decretum, ut Tanquerellus eam propositionem damnaret: & quoniam is aufugerat, apparitor Facultatis Theologicæ, quem bedellum vocant, ejus loco in Scholâ Sorbonæ, convocatis Decano & sodalibus Doctoribus & candidatis, coram Christophoro Thuano Præside & duobus aliis Senatoribus delegatis, necnon Bordino procuratore regio, palàm declararet dolere Tanquerello quòd ejusmodi quæstionem temerè & inconsideratè in disceptationem adduxisset; culpæque gratiam à Rege imploraret. Vetitum quoque, ne hujusmodi disputationes imposterùm à Theologis agitarentur: injunctúmque ut ex iis duo Regem adirent, offensionis gratiam deprecaturi. Quod à Senatu decretum die secundâ Decembris, duodecimâ executioni mandatum est.

XXVIII. GRASSATIO CALVINIANORUM IN ECCLESIAM S. MEDARDI.

Hinc verò etiam audaciores facti Calviniani, cùm permitterentur, contra edictum Iulianum, conventus suos publicè in Antoniano & Sanmercelliano suburbiis agere, addito etiam vigilum præfecto, ut tuti essent à plebe Catholicâ, quæ & prætereà exarmata fuerat ne eis nocere posset: accidit ad finem anni, Rege apud Sangermanum agente, ut cùm in Sanmarcelliano suburbio juxta ecclesiam S. Medardi, Ioannes ille venerabilis Malo pessimus apostata, quem diximus interfuisse Colloquio Poissiacensi, concionem haberet eo tempore quo vesperæ in ecclesiâ dicendæ essent (dies erat vigesimus septimus Decembris S. Ioanni Evangelistæ sacer) cœptis de more pulsari campanis, cùm audientia falsi illius Ioannis iis turbaretur; missique essent à malignantium cœtu qui campanarum sonitum prohiberent, hícque cum ludibrio remissi fuissent, dimissâ concione sacra illa turba, quæ plus duobus hominum millibus constabat, cum furore in ecclesiam Sancti Medardi irruens, ruptis foribus quæ obseratæ fuerant nonnulli equis ingressi, ceteri armis grassantes, plurimos utriusque sexûs ex iis qui convenerant ad officium vespertinum; occiderunt aut vulnerârunt, sacras Imagines disjecerunt, altaria everterunt, ornamenta diripuerunt, sanctissimam Eucharistiam (ô scelus plusquàm diabolicum! non enim sanè hoc diaboli auderent) pedibus calcârunt: & tamquam de re præclarè gesta triumphantes urbem ingressi, per illam mediam miseros presbyteros saucios & sanguine perfusos; funibus ligatos duxerunt, & in publicum carcerem tamquam seditionis auctores truserunt: comitati, ut nihil deesset ad pompam, præfectis armatis; qui sacram hanc reformationem protegere jussi fuerant. Nec his contenta tartareæ reformationis factio; postridie iterùm armatissima & quasi conflictura convenit, ac concione peractâ eodem ordine domum rediit. Ac ne putes fuisse dumtaxat hanc vilium hominum colluviem, interfuisse his præclaris facinoribus Bezam unà cum Andelotio fratre Admiralij, testatur ipsemet Beza [f] epistolâ de hâc victoriâ ad ipsorum omnium Calipham Calvinum scriptâ: quâ de more culpam in Catholicos regerens, scelera tamen suorum quæ diximus, ac speciatim in sacram Eucharistiam & venerandas Imagines, inficiari non potuit: & glorianter refert, captivos hostes triginta sex, ita ut erant ferè omnes vulnerati, & in iis decem ad minimùm sacrificos, funibus vinctos per urbem transvectos esse, & minoris Castelli carceribus inclusos. Ad quæ portenta conniventibus magistratibus, aut lentissimè procedentibus: furens plebs Catholica, tumultuariis armis instructa, in locum vacuum tetris illis concionibus destinatum, impetum faciens, scamna & sedilia, ipsámque cathedram pestilentiæ confregit, & in Patriarchium (ita enim locum vocabant) ignem conjecerunt; accurrente diligentissimè ad hæc avertenda magistratu, qui ad factariorum insolentissimam audaciam torpuerat. Frémente nihilominùs adhuc plebe Catholicâ, paucorum vilissimorum hominum è furciferis illis seditiosis selectorum supplicio satisfieri ei visum fuit.

[f] Int. epist. Calv. ep. 329.

XXIX. APPAMIARUM AB HÆRETICIS CLADES.

Cùm verò non minùs in ceteris regni provinciis turbæ ac seditiones invalescerent, accidit quoque in nostris infortunatissimis APPAMIIS, florentissimâ olim, amplissimâque totius Galliæ Narbonensis à Tolosâ provinciæ capite, civitate, (non novit eam Sacchi-

g Sacchin. Hist. Soc. par. 2. lib. 3. §. 70.

nus g aut qui ei imposuit, cùm modicam appellavit) sed furore hæreticorum ita deformatâ, vix ut informe cadaver appareat; ut cùm biennio antè diligentiâ Roberti Pellevæi illius Episcopi, fratris Nicolai tunc Episcopi Ambianensis posteà etiam Cardinalis, institutum fuisset in eâ Collegium Patrum Societatis Iesu, (quod totius Galliæ secundum fuit à primo Billomensi Arverniæ) vocatis ad opus tribus insignibus viris, Ioanne Pelletario, Edmundo Augerio, & Ioanne Rogerio; postquàm illi multos labores in culturâ ejus populi, ad impietatem, hæresim, rebellionem, omne vitium, præ naturali arrogantiâ, & inertiâ, ex rerum abundantiâ in opimo solo proveniente, ab antiquo propensissimi, & in discipulorum instructione impendissent: demùm nequicquàm obnitente Episcopo, prævalente hæresi, cum solitis grassationibus in ecclesias, & expilationibus, atque profanationibus, quibus vbique reformatio stabiliebatur; tam ijdem Patres Societatis, quàm quatuor Ordinum Mendicantium Religiosi, quorum erant ibi amplissima cœnobia, urbe pulsi sunt; religio h Catholica pessumdata; ecclesiæ & monasteria eversa; canonici utriusq; ecclesiæ cathedralis & collegiatæ, cum aliis sacerdotibus totóque clero pessimè habiti, cives Catholici spoliati, denique omnia ad normam reformationis Calvinicæ exæquata: quo uno verbo comprehenditur quicquid sceleris ex inferno eructari potest. Patres Societatis Tolosam abeuntes, ibi posteà Collegium ex Appamiensis dilaceratione fundárunt.

h Vid. infr. an. 1563. XII.

XXX.

i Severt. in Chronol. Lugdun.

SCELESTI SACRILEGI SUPPLICIUM LUGDUNI.

Lugduni i item accidit hoc ipso anno, ut cùm in ecclesiâ S. Nicetij die Octavarum festi Corporis Christi, post publicam supplicationem & circumgestationem sacratissimæ Eucharistiæ, sacerdos eam ad sacrum altare reponeret, insiliens quidam ignotus Calvinista illam ex ejus manibus diabolica ferociâ abstulerit, pedibus conculcare nisus, sed salvis speciebus indesinenter interseptus, & carceri addictus, crimine protinùs instructo, eâdem die vivus igni est traditus; procurante sancto ardore Antonio de Albone Archiepiscopo; qui ne cibum sustinuit sumere, quin priùs meritas de facinore pœnas sceleratus acciperet.

XXXI.

k Hist. Neapol. par. 2.

HÆRETICI IN CALABRIA PUNIUNTUR.

Hoc eodem anno in k Calabriâ detectâ aliâ colluuie Valdensium, qui triennio antè receptis ex Genevâ duobus directoribus (erat enim turba ignara & agrestis, ut ceteri ferè Valdenses) cœtus suos agebant; cùm ex iis facto agmine egressi ex suis pagis & oppidis circiter ter mille in Montem Altum Consentiæ vicinum, sive ad rem divinam secundùm hæresis suæ normam peragendam, seu potiùs quòd detecti quærerentur ad pœnam: secessissent; jussu Proregis profligati sunt, multi occisi, multi igne, multi suspendio sublati, plurimi ad triremes relegati: obstinatissimè plerisque morientibus; nisi l quos evocati à Cardinale Gaddio Archiepiscopo Consentino duo sacerdotes Societatis Iesu suis exhortationibus ad sanam mentem priùs revocárunt. Evocatorum autem è Geneva vnus erat Ioannes-Ludovicus Paschalis Pedemontanus; qui mox ubi aduenerat excito rumore, captus à Salvatore Spinello nobili Neapolitano, locorum illorum domino, post aliquot mensium carcerem, Consentiam, indéque Neapolim, ac demùm Romam perductus, vivus ibi crematus est: cui Beza m locum inter suos martyres assignatum voluit.

l Sacchin. ibid. lib. 5. §. 81.

m Bez. in Icon.

XXXII.

n Sur. in commentar. Resc. de sect. Evangel. Lindan. in Dubit. Staphyl. de Sect.

HORRENDÆ BLASPHEMIÆ STEMBERGII.

Et ut erat hæc ætas pestiferis reformationibus fœcundissima, hoc eodem anno n *Lucas* quidam *Sternbergerus*, sive Stembergius, in civitate Olomucensi blasphemias horrendas evomuit: Trinitatem negans; quàm nesciret utrum femina vel mas esset, sed potius feminam existimare, quæ tres maritos, Patrem, Filium, & Spiritum S. habuerit, cum tamen nonnisi unus Deus sit in cœlo: Christum purum hominem asserens, instar aliorum mortalium Mariæ & Iosephi filium; túmque demum adoptatum esse in filium Dei, cum Ioanne baptizante audita est vox de cœlo; Hic est filius meus dilectus: Spiritum S. nihil aliud esse quàm columbam: Sabbatum potius quàm diem Dominicum colendum: Baptismum satanicam esse institutionem. De Sacramento nihilominus Eucharistiæ se cum Melancthone, de ceteris sacramentis cum Luthero, cujus utriusque se discipulum profitebatur, sentire dicebat.

XXXIII.

nn Supr. an. 1551. X. Vid. infr. an. 1566. XXX.

DE GEORGIO BLANDRATA ET SOCIIS TRINIT. HOSTIBUS.

Quo etiam tempore erat misera Polonia, atque etiam Lithuania, & Transilvania, multiplicibus reformationibus afflictissima. In quâ inter ceteros impurissimus *Georgius Blandrata* medicus, de quo suprà nn à quodam Lismanio Corcyrensi introductus; tantam sibi conciliaverat auctoritatem, ut velut Angelus è cœlo delapsus susciperetur: docens unum esse Deum Patrem, & unum hominem Christum; sed tres Deos, seu Trinitatem quamdam fuisse excogitatam; ac ita duos Christos emersisse. Qui quidem epoto Serveti Tritheitarum hujus ævi principis veneno; non paucum etiam virus de suo addidit, socios etiam nactus, *Valentinum Gentilem* Italum Consentinum; *Ioannem Paulum Alciatum* Mediolanensem militem, & *Matthæum Gribaldum* Iurisconsultum celebrem in Academia Tubingensi, *Lælium Sozinum* Italum Senensem, *Ioannem Campanum* Germanum Iuliacensem, & alias ejusmodi pestes, tam in Serveti blasphemiis amplectendis, quàm in novis addendis. Quibus omnibus præisse iis partibus dicitur quidam o *Gregorius Pauli* minister Cracoviensis, in blasphemiis effutiendis planè effrons.

o Vid. infr. ad an. 1566. XXX.

XXXIV.

GENTILIS BLASPHEMIÆ, ET SUPPLICIUM.

Gentilis autem cum ex Italia Genevam omnium refugarum securum domicilium, petiisset, post nonnullas de his cum Calvino Serveti combustore disceptationes, quibus Trinitatem tres æternos & distinctos Spiritus non tam personali quàm essentiali numero differentes proponebat; in carcerem conjectus & simulata pœnitentia dimissus; ad Gribaldum in Sabaudia tunc commorantem confugit. Deinde in Poloniam à Blandrata & Alciato evocatus, mansit ibi tantisper dum inter se cœpissent dissidere. Nam Alciatus Mahometanus factus est; Blandrata in quemdam *Franciscum Davidis* incidens; qui cum nimium crassam esse Tritheitarum blasphemiam simpliciter propositam animadvertisset, maluit omnia involvere permixtis omnium penè hac in re hæresum commentis, quàm simpliciter suam sententiam profiteri; factus est

palàm Arianus, Sabellianus, & Samosatenus. Rege autem Poloniæ Sigismundo-Augusto, ut perturbatæ in regno suo religioni succurreret, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto edictum promulgante, ut omnes peregrini novi dogmatis auctores Poloniâ excederent; excessit Gentilis, sed oblato priùs Regi libro; in cujus præfatione conquestus est monstrosas & profanas voces in Ecclesiam invectas esse, ut sunt ὁμοούσιος, Persona, Essentia, Unitas, Trinitas, quibus omnia divina mæsteria pervertantur. In ipso verò libro quamplurimis expositis doctrinæ suæ capitibus, inter cetera ait, Trinitatem esse merum humanum commentum: Solum Patrem unum illum Deum esse, qui in Scripturis unus & solus Deus dicitur: Filium à Patre quidem esse, sed ei ut essentiatori subordinatum: δεύτερόθεον, ἑτερόθεον: Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non solùm quoad Personas, sed etiam quoad Essentiam divisos esse, ita ut tres sint Essentiæ sicut tres Personæ, tres æterni, tres omnipotentes: S. Athanasij symbolum, quod aliter docet, dicendum potiùs esse Satanasium: & alia horrendissima, quæ continentur brevi de justo ejus supplicio historia editâ à Benedicto Aretio ministro Bernensi. Reversus enim ex Poloniâ in Sabaudiam, post novos propugnandarum suarum blasphemiarum conatus, ad Senatum Bernensem ductus, cùm ab obstinatâ pervicaciâ nulla ratione divelli posset, capite plexus est. Ad quod supplicium cùm duceretur, non desiit ingeminare, se pro gloriâ altissimi Dei Patris mortem oppetere: quod nemini hactenùs contigisse dicebat, sed omnes Apostolos & Martyres pro Filij tantùm gloriâ passos esse. Cujus tamen errores non cum ipso perierunt, sed supersunt hactenùs eorum propugnatores in Poloniâ, Lithuaniâ, & Transilvaniâ.

XXXV. GRIBALDI ERRORES.

Gribaldus anno superiori blasphemos suos articulos evulgavit; verum & æternum Deum nullas habere personas: & sicut animal brutum persona vocari non potest, sic neque Deum: Trinitatem esse merum commentum: Ecclesiam Deum Patrem & verum Deum semper invocâsse per Christum, sed numquàm Christum ut Deum: & alia plurima tam delira quàm impia. Quæ cùm alij superiùs nominati, ceterique pariter *Deistæ*, seu *Trideistæ*, vel etiam *Trinitarij* dicti, ferè amplectantur; in multis tamen inter se dissentiunt, in diversas triginta duas opiniones distracti, quæ continentur eleganti [p] tabulâ de iis à Iordano responsioni ad Daneum Calvinianum appositâ. Ubi Calvinum quoque & Bezam, inter Trinitatis oppugnatores reperias, quod & alij hæresum nuperarum tractatores apertè demonstrant; intérque ceteros, Franciscus Fevardentius in suâ Theomachiâ Calvinisticâ. Cùm & alioqui ipsimet iidem Ariani & Trinitarij hæretici doctrinam suam à Calvino accepisse profiteantur, nec aliquem factum esse hoc sæculo Arianum, qui non anteà fuerit Calvinista: etiamsi eos Calvinus persecutus fuerit; fortè non quia Ariani, qualis & ipse, sed quia ipso contempto ab ejus communione recesserint. Contra quos etiam est epistola [q] Bezæ ad Ecclesias, quâ singulorum impietates describit, & plerorumque infelicem exitum refert.

CALVINUS AUCTOR TRINITARIORUM.

p *Ap. Resp. de Scël. Evang.*

q *Bez. ep. 81.*

XXXVI. LEGATIO PONTIFICIS AD COPHTHORUM PATRIARCHAM.

Hoc eodem anno [r] Pius Pontifex pro munere pastoris universalis legationem misit ad Gabrielem Cophthorum Patriarcham, (qui & Alexandrinus, cui Cophthi subsunt) sedem Cairi in Ægypto habentem; sive illa Memphis olim, sive Babylon fuerit, seu quid tertium sit, ut variant pro libito auctores. Cujus legationis causa extitit, quòd cùm jam sub Paulo IV. apparuisset Romæ homo Syrus, nomine Abrahamus, qui se legatum illius Patriarchæ diceret ad profitendam Romano Pontifici obedientiam, fortéque tunc evenisset ut nullus in Urbe reperiretur qui idioma Arabicum, quo literæ ejus scriptæ erant, nôsset: ideò non adeò acceptus fuisset nuncius: quousque Paulo mortuo, re jussu Pij, & diligentiâ Cardinalis Alexandrini, per Consulem Venetorum Cairi residentem, exploratâ; novæ quoque Patriarchæ literæ allatæ fuêre, quibus insuper postulabat virum ad se mitti, cum quo de Cophthorum Ecclesiâ cum Romanâ jungendâ agitaret. Elegit ergo ei operi Pontifex duos Societ. Iesu sacerdotes, Christophorum Rodericum Hispanum, & Io. Bapt. Elianum ex Iudæo Ægyptio Christianum factum, & in Societatem acceptum: eísque binas literas ad Patriarcham dedit; quarum alteras de ipsorum missione scriptas, in ipso adventu redderent; alteras, ubi procedere rem vidissent, quibus suadebat legatum ad Concilium Tridentinum mittere. Addita & munera, in quibus pretiosæ vestes ad totum Patriarchæ ornatum. Ad principium itaque Iulij, unà cum prædicto Abrahamo, Româ profecti, Calendis Octobris habitu Ægyptiorum sacerdotum Venetiis solventes, Alexandriam tertio Nonas Novembris tenuêre, ac septimo Cal. Decembris Cairum. Salutato Patriarchâ homine sene & imperito, benevolè ab eo accepti, déque causis suo missionis auditi non parvam felicis successûs spem conceperunt; necnon, parvos interim errores Cophthorum emendandi, quibus inter cetera, repudiabant, & vivis prioribus alias superducebant uxores: ante baptismum parvulos circumcidebant; baptismum autem nisi post multos annos conferebant; & dum ter infantes demergerent, toties totam formulam pronunciabant. Sacramenta septem numerantes, Confirmationem, Matrimonium, & Extremam-Unctionem ignorabant; quorum loco Fidem, Iejunium, & Orationem ponebant. Spiritum Sanctum negabant à Filio procedere. In Christo unam tantùm Naturam, Voluntatem, & Operationem esse asserebant, Concilio Calcedonensi penitùs rejecto: quinquennes pueros diaconos consecrabant: aliáque multa in ritibus peccabant.

r *Sacchin. lib. 5. §. 135. & lib. 6. §. 121.*

COPHTHORUM ERRORES.

XXXVII. COPHTHORUM PATRIARCHA NEGAT SUBJECTIONEM PONTIFICI ROM.

Transacto hoc anno (ut rem contraham, quam prolixiùs tractat ex Patrum relatione Sacchinus in Historiâ Societatis Iesu) postquàm munera Patriarcha recepit; segniùs agere incipiens, apertè demùm negavit debere se ullam obedientiam Papæ, nisi quâ humaniter amici parésque inter sese officium obsequij offerunt: post Concilium Chalcedonense & Patriarcharum distinctionem, unumquemq; in suâ Ecclesiâ caput esse, magistrúmque summum immò Romanum, si fortè erraret

ret, à ceteris judicari oporteret: à receptâ Cophthorum fide nequaquàm se abiturum: Abrahamum, cùm haberet in animo Italiam visere & Romam, literas ab se ad Pontificem commendatitias postulâsse: qui si aliquid præterea adjunxisset, de suo addidisse, ut Pontifici blandiretur. Ad quæ & ipse Abrahamus ridens, simulare ad tempus atque mentiri fas esse dicebat: hócque esse quod aiebat S. Paulus, se omnibus factum omnia: quin adeò habere se librum, in quo scriptum esset, Paulum cum Ethnicis Ethnicum factum, & idola coluisse, ut eos tandem à superstitione abduceret. Abeuntibus deinde Patribus, Elianus à matre Iudæâ quæ Cairi erat, & à reliquis Iudæis iniquissimè ejus ad fidem Christi conversionem ferentibus, ingens vitæ periculum Alexandriæ evasit: aliúdque in naufragio apud Paphum insulam facto, cum manus Iudæorum fugiens, navem in Cyprum navigantem conscendisset. Demúmque in Italiam salvus pervenit: quò jam antè Christophorus aliâ navi appulerat. Hicq; Ægyptiacæ hujus peregrinationis exitus fuit. Plures autem fuissè, qui se Patriarchas Alexandrinos dicerent, pro ratione populorum quibus præerant, aut doctrinæ quam profitebantur, alias diximus. Sicuti & de hoc ipso tempore & anno constat: quo vidimus [f] testimonium ab Ioachimo, se Papam, & Patriarcham magnæ urbis Alexandriæ, Iudicémque œcumenicum indigitante, & Abbate montis Sinai, dum Alberto Comiti Levvenstenio, de visitatione ab eo factâ locorum ac rerum sanctarum ejusdem montis Sinai. A quo & relatum fuit, hunc Ioachimum Patriarcham extitisse tunc annorum centum viginti, & totis octoginta carnium esu abstinuisse; fuisséque adhuc corpore valentem, & moribus perhumanum.

PLURES EODEM TEMPORE PATRIARCHÆ ALEXANDRINI.

f Ap. Crus. Turcogr. tom. 3.

XXXVIII.

t Neugebav. Hist. Pol. lib. 8. Chytra. Saxon. lib. 20.

REX POLONIÆ LIVONIAM OBTINET.

Sigismundus [t] Augustus Rex Poloniæ, ad cujus patrocinium Livones, à furore Moscorum, & tempore Germanorum, confugisse vidimus; cum Livoniam lacerari, atque in partes distrahi, & Revaliam, Sueco se subjecisse, aliquot alias provincias à Magno Holsatiæ occupari cerneret; non amplius teneri se prioribus de illorum defensione pactis causatus, omninò negavit auxilia ultra se daturum, nisi Archiepiscopus Rigensis & Ordinis Magister se cum omnibus suis subditis Poloniæ regno ac Lithuaniæ subderent. Quod illi extremâ adacti necessitate, ut quæ reliqua erant nomini & religioni Christianæ conservarentur, subire consenserunt. Quare post multorum mensium tractationes, Rex Nicolaum Radzivilium Palatinum Vilnensem plenis cum mandatis in Livoniam misit ut rem conficeret, & permissas sibi arces, provincias, documenta & literas, unà cum juramento fidelitatis nomine Regis acciperet. Quod & factum est, his, potissimùm conditionibus; quibus se Rex obligavit; videlicèt effecturum se ne deditio hæc atque subjectio illis apud Cæsaream Majestatem, atque Imperij Ordines, & Magistrum Ordinis Teutonici per Germaniam, damno & fraudi esset: permissurum ut liberè profiteri possent religionem Augustanæ Confessionis: (neque enim cæci adhuc videbant, se postquàm hanc Confessionem semel accepissent, in has miserias, & putidam servitutem incidisse; qui anteà cùm religionem Catholicam servarent, gloriosè de hostibus suis, etiámque non rarò de Polonis, quibus modò turpiter sese subjicere coacti sunt, triumphare consueverant:) privilegia omnia Ecclesiastica & sæcularia, ac præsertim nobilitatis, illibata conservaturum; paritérque jurisdictionem omnem juxta antiquas consuetudines, salvo jure appellationis: Magistrum Ordinis Ducem Curlandiæ creaturum; cum novarum ditionum attributione hæreditario jure, qui tamen sub clientelâ Regis esset: & alia quæ continentur in Literis [u] eâ de re confectis Vilnæ in Lithuaniâ vigesimo octavo Novembris præsentis anni.

u Ap. Chytra. ibid. & in Append. pag. 974.

XXXIX.

EXTINCTIO ORDINIS LIVONICI IN GERM.

Sicque die quinto Martij anni proximi in arce Rigensi Gothardus Magister Ordinis coram eodem Radzivilio ordinem suum ritu solemni ejerans, primùm crucem, deinde sigillum, pòst literas & diplomata omnia, quæ Ordo à Pontificibus & Imperatoribus acceperat; prætereà claves arcis Rigensis, & portæ civitatis, Officium Commendatoris, jus cudendæ monetæ, vectigal piscium, & alia sua & Ordinis jura, Poloniæ Regi cessit ac tradidit. Quod triste spectaculum extincti Ordinis Teutonici in Livoniâ anno trecentesimo quinquagesimo septimo postquam cœpisset, non sine lacrymis Germanici nominis studiosi intueri potuêre. Poloni verò magnis acclamationibus excepêre: iteratâ jam victoriâ de Germaniâ triumphantes, cùm post ereptam ei Prussiam, ut vidimus [x] sub Sigismundo Rege hujus Augusti parente, etiam Livoniam modò abstulerant. Qui fuit fructus hæresis Lutheranæ: à cujus susceptione hæc & aliæ quamplurimæ clades, in præsentem usque diem quâ scribimus, ei divinitùs immissæ sunt; gravissimam omnium hodie à sociis hæresis Suecis ferens nec intelligens hoc opus Dei esse, vindicantis se de inimicis suis per inimicos suos. Qui torpet, adhuc torpeat; qui cæcutit, adhuc cæcutiat; qui sordescit, vel etiam surdescit, adhuc sordescat, & surdescat. Ceterùm statim factâ resignatione, Gothardus à Radzivilio nomine regiæ Majestatis, Dux Curlandiæ & Semigalliæ provinciæ publicè promulgatus est: cui evestigiò nobilitas earum, veluti hereditario domino suo, juramentum solemne præstitit: ac postridie idem Dux, summus regiæ Majestatis vicarius, & Livoniæ Gubernator renunciatus fuit, ut claves arcis & portæ civitatis redditæ ei sunt.

x Supr. an. 1525. XXIII.

XL.

y Chytra. lib. 20. & 29.

Unus [y] inventus est Christophorus Dux Magapolitanus, Willelmi Brandeburgici fenis Archiepiscopi Rigensis coadjutor, hæreticus quamvis Lutheranus; qui non ferens hanc deditionis ignominiam, alium præter Romanum Imperatorem agnoscere summum Magistratum recusavit: & in Germaniam profectus, cùm nullam à Ferdinando Cæsare miseræ Livoniæ auxilij spem reliquam esse perspexisset, nova consilia cum Erico Sueciæ Rege, Revalliam & alia quædam Livoniæ oppida jam tenente suscepit, primâ specie læta, tractatu dura, eventu tristia. Mortuo namque post biennium ab hâc Livoniæ deditione, Willelmo Archiepiscopo, urbem Rigensem occupare conatus Christophorus

EXTINCTIO ARCHIEPISCOPATÛS RIGENSIS.

à Duce Curlandiæ captus, & in Poloniam missus, totos sex annos in custodiâ detentus est. Rex verò Poloniæ Archiepiscopatûs gubernationem prædicto vicario suo Curlando tantisper administrandam commendavit, donec ab ordinibus novus Archiepiscopus eligeretur. Qui post triennium electus Ioannes Kothevvicius Lithuanus [y], Archiepiscopatum in Ducatum Trans-dunanum convertit, & nobilibus Canonicis prædia Ecclesiastica, tanquam feuda ad heredes transeuntia attribuit; novósque castellanos, & alios ad Reipublicæ Lithuanicæ formam Magistratus creavit; atque ita Rempublicam gessit, ut decennio pòst omnes illæ Trans-Dunanæ regiones in fœdissimi tyranni Moscici barathrum conjicerentur. Egregium hinc reformationis Luthericæ, hinc divinæ ultionis exemplum.

XLI. [z] Leunclav. in Supplem. Annal. Turc. Isthuanff. Hist. Hung. lib. 20. Neugebaver. Hist. Polon. lib 8.

DE REBUS VVALACHICIS ET MOLDAVICIS.

Hoc eodem tempore [z] Iacobus quidam natione Græcus, (Samius, aut Cretensis, ut diversi volunt) qui & Heraclidis & Basilici cognomen usurpans, ab antiquis Vvalachiæ reguli genus suum repetebat, séque insularum in Ægeo Sami Despotam, Pari Marchionem vocabat, homo facie liberali, dignitatem ore præferens, disertúsque Græcè, Latinè, Italicè, Gallicè; cum post operam Carolo V. Imperatori apud Teroanam contra Gallos exhibitam, totâ ferè peragratâ Germaniâ, in Poloniam, atque inde in Moldaviam penetrasset, ibíque in familiaritatem Alexandri Moldaviæ principis, variis artibus, & assertâ cum ejus uxore, ex illustri Despotarum sanguine progenitâ, propinquitate, irrepsisset: paulò pòst de tollendo Alexandro, qui tyrannum magis quàm principem agebat, consilia agitare deprehensus, aut suspectus redditus; è Moldaviâ in vicinam Vvalachiam, indéque in Transilvaniam profugiens, cùm nec ibi securè ageret, eò quòd ab Alexandro ad supplicium quæsitus; in eo esset ut à Ioanne-Sigismundo, Transilvaniæ & suæ partis Hungariæ Rege, (qui mortuâ anno superiori matre Isabella, solum regnū administrabat annum tunc agens ætatis vigesimum) in manus Alexandri traderetur; amicorum operâ nocte clàm emissus, aliquamdiù incertis sedibus erravit: donec ab Alberto Lasko Palatino Siradiensi, qui in Scepusiensi provinciâ Polonis & Hungaris conterminâ, amplam ditionem liberalitate Regum Hungariæ obtinebat, receptus hospitio, tum ipsi, tum aliis ducibus, persuasit arma Alexandro in suî gratiam inferre. Quorum viribus, & favore Ferdinandi Cæs. Alexander, longè licèt numerosiori exercitu pollens, victus mense Novembri, è Moldaviâ pulsus est; ac Iacobus ejus loco in Moldaviæ possessionem inductus. Alexander Constantinopolim petens, & de injuriâ accepta questus, (erat enim Moldavia Turco tributaria, quæ olim Hungarici juris fuerat) impetravit ut præfectus Greciæ à Solimano juberetur ipsum armis restituere. Sed intereà Iacobus Despotes missis amplissimis muneribus, & nunciis qui fidem clientelæ obsequium, cum tributi augmento annuo decem millium aureorum offerrent; præter omnium expectationem, Moldaviæ possessionis confirmationem obtinuit. Qui tamen à suis Vvalachis, hominibus fraudulentis, & erga dominos inconstantissimis, post biennium occisus est: & duobus aliis subsequentibus brevi pulsis, Alexander restitutus. Cui humanis exempto successit Bogdanus filius: huícque Ioannes, qui se Stephani quondam Vaivodæ filium ex concubinâ perhibebat, de quo plura inferiùs [a]. [a] Infr. an. 1574. XII.

IESU CHRISTI Annus 1562.

PII IV. Ann. 3.

FERDINANDI I. Ann. 5.

I. CONCILII TRIDENTINI RESUMPTIO.

ANNO Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Indictione quintâ, die decimaquintâ Ianuarij, habita est Tridenti à Legatis Apostolicis, Hercule Mantuano, Hieronymo Seripando, Stanislao Varmiensi, & Ludovico Simonetâ Cardinalibus, (nondum Scitticus Altaëmpsius, quintus Legatus venerat) pro rebus Concilij, Congregatio generalis. In quâ Mantuanus eorum primus de necessitate, opportunitatéque Concilij aperiendi appositè disseruit; Præsulésque omnes ad tam sanctum piúmque opus, jejuniis, eleemosynis, & frequentis sacræ Missæ celebratione, adjutandum hortatus est. Lectum deinde diploma Legationis, datum die 10. Martij anni superioris. Itémque tria alia Pontificis Brevia: unum, quo Legatis facultas dabatur, potestatem facere Præsulibus & Theologis legendi libros prohibitos durante Synodo. Alterum, quo iisdem Legatis concedebatur absolvere eos, qui hæresim clàm abjurarent. Tertium datum ultimo Decembris, de ordine sedendi, quod jam biennio [a] antè retulimus. Cui cùm accerrimè reluctaretur Bartholomæus de Martyribus Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Bracarensis in Lusitaniâ; conquerens suam Sedem, quæ omnium in Hispaniâ primatum obtineret, Pontificis sententiâ subjici non solùm aliis sedibus Archiepiscopalibus sibi subditis, sed Archiepiscopo etiam Rossanensi, cui nullus esset suffraganeus, quinimmò Archiepiscopis Nissiensi & Antibarensi, qui sine residentiâ, ac ferè sine populo Christiano essent: ei ut satisfieret, Legati declarârunt, mentem Pontificis, suámque esse, ut per illud decretum nulli jus de novo acquireretur, nulli præjudicium generaretur, nullius jus in proprietate vel possessione læderetur; ac demùm in omnibus & per omnia unusquisque Primas verus vel prætensus, in eodem statu post Concilium remaneret in quo anteà permanebat. Cui declarationi ægrè Archiepiscopus acquievit. [a] An. 1560. XIX. in fi.

II. SERMONES HABENDI.

Post hæc ingestâ rursùm ab Hispanis Episcopis controversiâ de continuatione dicendâ Concilij, non autem celebratione novi, de quâ dictum est anno superiori; ea tunc sopita est, ut diceretur *celebrari Concilium sublatâ quâcumque suspensione.* Atque in fine monuit Legatus, consentaneum fore ut post cœptum Concilium, capellæ publicæ, ut vocant, hoc est sacra publica in Ecclesiâ fierent singulis festis, quibus Præsules frequentes interessent, & sermo Latino idiomate fieret; sicuti coram Pontifice fieri consuevit: Cujus habendi sermonis

nis munus quandoquidem iis nonnumquam demandari posset, qui quid temporibus, locis, ac personis conveniret, non satis intelligerent; è re fore, ut Præsul aliquis deligeretur, qui quod esset publicè recitandum priùs inspiceret, suúmque interponeret judicium; sicuti Romæ à Magistro sacri Palatij fieri consuesceret. Quod cùm à cunctis approbatum esset, designatus fuit ad id operis Fr. Ægidius Fuscararius Episcopus Mutinensis, Ordinis Prædicatorum; quem olim vidimus [a] sub Paulo IV. occasione Cardinalis Moroni in vinculis Inquisitionis detentum.

[a] Supr. an. 1557. VI.

III. Sessio I. Sub Pio, XVII. ab inchoato Concilio.

Die porrò Dominicâ 18. Ianuarij, consecratâ Cathedræ Romanæ S. Petri Apostoli, uti deliberatum fuerat, habita est *Prima Sessio* sub Pio, quæ fuit *XVII.* ab inchoatâ sub Paulo III. Synodo. Factâque publicâ supplicatione, cui interfuerunt, præter Cardinales, alij Præsules centum & duodecim infulati, celebrata à Cardinale Mantuano Missa de Spiritu S. & à Gaspare de Fosso Consentino Calabro Ordinis Sancti Francisci de Paulâ Archiepiscopo Rhegino oratio habita, de Ecclesiæ auctoritate, Romani Pontificis primatu, & Conciliorum potestate; quæ mox fuit edita: hortato in fine Patres ad cœpta contra Protestantes constanter prosequenda, haud dubiâ fiduciâ eos nihilo magis posse decipi, quàm ipse Spiritus S. possit errare. Dein post decantatum hymnum Veni Creator Spiritus, Angelus Massarellus Episcopus Thelesinus Concilij Secretarius legit diploma convocationis Synodi: & idem Archiepiscopus Rheginus Decretum resumptionis ejus, quo interrogatis Patribus, num placeret sacrum œcumenicum & generale Concilium Tridentinum ab eo die, sublatâ quacumque suspensione, celebrari, & in eo tractari quæ proponentibus Legatis ac Præsidentibus apta & idonea ad sedandas de religione controversias, depravatorum morum abusus corrigendos, & Ecclesiæ pacem conciliandam, ipsi Synodo viderentur? responsum ab omnibus est, Placere. Quatuor tamen Hispani verbis illis decreti *Proponentibus Legatis* contradixêre, quòd nova essent, insuetáque ceteris Conciliis, ac libertatem proponendi ceteris omnibus tollere viderentur. De quâ re fuêre deinceps multæ secutæ disceptationes & controversiæ. Tunc verò re à Legatis dissimulatâ, Sessio futura indicta est in feriam quintam post secundam Dominicam Quadragesimæ, diem 26. Februarij.

IV. Altercatio de propositionibus faciendis.

Contigit tamen, ut cùm de hoc questi fuissent Hispani apud suum Regem, isléque Vargæ suo apud Pontificem oratori mandâsset, de mutandis iis verbis cum Pontifice agere; excusavit quidem apud Regem Pontifex, id se auctore minimè factum, videri tamen necessarium, ad turbulentorum petulantiam retundendam, ne fieret Synodus instar Babylonicæ turris confusionis seges: cum Varga tamen paulò duriùs egit; tum Præsulum Hispanorum procedendi modum incusans uti seditiosum; tum proponenti ei, si in decreto id dumtaxat diceretur, Legatos proposituros, neminem eâ re doliturum; verùm ablativum *Proponentibus Legatis* omnem Episcopis proponendi libertatem adimere; respondit contemptim Pontifex, non tantùm sibi esse otij, ut cujus generis, & cujus casûs, aut de ablativis absolutis cogitare vel disputare deberet. Et Præsules quidem Hispanos parùm supremæ ejusmodi Romanæ Sedis auctoritati favorabiles suspicabatur pridem; nunc verò alieniores factos putabat, post concessa nuper Regi in subsidium triremium ad arcendas piratarum Turcorúmq; liberiores post cladem ad Gerbenses insulas ante triennium [b] acceptam, mari mediterraneo excursiones, è reditibus Ecclesiasticis quadringenta aureorum millia quotannis decennio continuo pensitanda, cum potestate aliенandi ex fundis Ecclesiæ ad triginta millia reditûs annui: quâ concessione Ecclesia Hispanica insignem amplitudinis pristinæ jacturam passa videbatur. Præter quæ cessit etiam Pontifex juribus spoliorum, de bonis Episcoporum aliorúmque Ecclesiasticorum eatenùs in Hispaniâ debitorum. Réxquè in tantorum beneficiorum remunerationem, Pontifici contulit Marchionatum Auriensem, multorúmque millium aureorum pensiones, atque alia dona & gratias suis distribuendas; quæ dinumerantur singillatim in Literis oratorum Regis Galliæ tunc Romæ existentium, quibus Regem de iis quæ Romæ & Tridenti agerentur, ut moris oratorum est, certiorem reddebant.

[b] Supr. an. 1560. XXVIII.

V. Sectariorum Gallorum insolentia.

Pridie quàm Sessio Tridenti celebrata fuisset, nempè die 17. Ianuarij, in Galliâ longe ab his diversè actum est in causâ religionis. Cùm enim occasione concionum publicarum quas sectarij contra edictum Iulianum faciebant, multis locis tumultus cædésque fierent; nec cessarent Regina Navarræ, Princeps Condeus; & Colinius Admiralius, Reginæ-matris aures obtundere de permittenda liberâ toto regno novâ ipsorum religione: ejusdem Reginæ assensu, Hospitalius Cancellarius opportunitatem nactus absentiæ Guisiorum fratrum & Mommorancij Connestabilis, qui firmi stabant pro parte Catholicâ; edictum Iulianum sexto antè mense conditum abrogare, aliúdque Hugonotis amicis suit favorabilius condere statuit. Ne verò id solus præstitisse putaretur, ex cunctis regni curiis Parlamentariis, seu Senatibus, delectos Præsides ac Senatores evocans, quos magis ad rem idoneos sciret; iis prædictâ die 17. ad Sangermanum Laij, sexto à Lutetiâ milliari, congregatis, longam orationem habuit de idoneis remediis adinveniendis, quibus motus regni componi possent: factâque recapitulatione omnium quæ in negotio religionis à tempore ejus mutationis contigissent, tandem professus ejus se controversias penes Præsules, ad quos earum cognitio pertineret relinquere; de tranquillitate publicâ & populis in obsequio quod Regi deberent continendis consultandum esse dixit. Sibi porrò probatum semper fuisse Ciceronem; quem Catoni ideò succensere solitum legerat, quòd cum corruptissimo sæculo viveret, in dicendis tamen sententiis adeò severus & rigidus esset, ac si in Platonis Republicâ versaretur. In legibus id præcipuè spectandum, ut quomodò pedi calceus, sic temporibus ac personis attemperentur. Scire quidem se malè apud nonnullos malevolos audire, quòd eadem res sæpius in

Consultatio de malis Gallicis.

deliberationem adduceretur, eo consilio ut quod eatenùs repudiatum fuisset, tandem obtineretur. Verùm non ita esse: sed ut in ægrotis fieri consuevit, (non poterat filius medici, ut semper aliàs, artem non meminisse) sic liberum fuisse quovis tempore & undecumque remedia quærere. Id igitur nunc in deliberationem venire, utrùm à re esset Regis, cœtus novarum opinionum permitti, aut vetari: non disputandum de religione utra melior; quia non de religione constituendâ, sed de republicâ ordinandâ ageretur: minimèque absurdum esse, ut multi cives sint, qui non sint Christiani; & pacatè vivatur cum iis qui ab Ecclesiæ gremio remoti existant, nec eadem sacra colant.

VI. EDICTUM IANUARIUM.

Hujusmodi verbis & suasionibus, præparatis auditorum animis, jam ferè ad id ipsum spontè pronis, facile fuit quod cupiebatur assequi. Quapropter variantibus sententiis vicit ea, quæ censebat de edicto Iuliano aliquid remittendum, & publicè concionandi libertatem Novatoribus concedendam. Conditúmque edictum, à mense *Ianuarium* dictum cujus præcipua fuêre capita: ut Novatores templa, domos, prædia, bona omnia, spolia, atque donaria Ecclesiasticis adempta restituerent; & ab iis imposterùm, paritérque à templis, Crucibus, sacris Imaginibus evertendis abstinerent: intra urbes, cœtus, conciones, & publicas preces habere, aut sacramenta administrare, clàm vel palàm, noctu vel interdiù, nullo modo possent: extra urbes conciones absque ullâ molestiâ habere ac frequentare possent; quibus tamen absque armis interessent, exceptis nobilibus, quibus ensis & pugio permissus esset, nullas synodos, colloquia, consistoriáve celebrare fas esset, nisi magistratu permittente, aut præsente: nullos ipsi magistratus crearent, nullas lages ac statuta conderent, nullos delectus haberent: nullam pecuniarum collationem quocumque prætextu indicerent: festa recepta, & gradus consanguinitatis & affinitatis in matrimoniis contrahendis prohibitos observarent, eorum ministri fidem suam jurejurando magistratibus obstringerent de edicto hoc servando, déque nullâ doctrinâ in concionibus suis proponendâ, quæ Nicæno Symbolo, & libris Veteris & Novi Testamenti adversaretur; & à conviciis in sacram Missam, aliósque Romanæ Ecclesiæ ritus, & Catholicam fidem abstinendo. Cujusmodi edictum, quamquam perniciosissimum in eo quòd per illud hæresis publica professio ac prædicatio auctoritate regiâ permissa est, quod numquam in regno Christianissimo ab ejus conditu contigerat; ejusmodi tamen fuit, ut si intra ejus fines se Novatores continuissent, proculdubiò non tot malis Gallia agitata fuisset. Quare & dicuntur ejus scriptioni adstitisse quoque Cardinales Turnonius & Borbonius, & Marescallus Santandreanus, quamvis à Novatorum causâ alienissimi: id videlicèt satagentes, ut cohiberetur illorum audacia, pessima quæque molientium, & ne religio Catholica majus aliquod detrimentum acciperet. Senatus autem Parisiensis, antiquæ fidei retinentissimus, rem novam horrens, ne edictum promulgaretur intercessit; per Christophorum Thuanum præsidem, historici, paritérque Præsidis patrem, apprimè Catholicum, & Guill. Violam consiliarium, qui posteà Episcopus Parisiensis factus est, explicatis supplici libello causis, quibus Senatus adductus, in edicti promulgationem consentire néque posset neque deberet. At nihilominús eodem die mandatum à Rege emanavit, quo Senatus jubebatur sine morâ edictum promulgare, adjunctâ clausulâ, donec à Concilio universali de re totâ decretum, vel à Rege aliter statutum foret. Cùm nec sic quidem edictum promulgaretur, tertium mandatum Calendis Martij à Rege venit, quo adjunctâ eadem clausulâ idem jubebatur. Cui tandem Senatus paruit pridie Nonas Martij, adjectâ causâ, sive excusatione, se id agere ut Regi habitâ temporum ratione obtemperaret; ac sine approbatione novæ religionis, & donec aliter à Rege statutum esset. Missum autem ad alias pariter Curias edictum, Divionensis nullo modo recipere voluit, ceteræ ægrè, perpaucæ in acta retulerunt.

VII. EXCUSAT ILLUD REX APUD PONTIFICEM.

Ad hæc verò excusanda ex rerum necessitate, misit Rex Carolus Romam ad Pium Pontificem, Ludovicum Sangelasium Lansacum; tum etiam ut de Concilio ageret, ad quod se oratores suos atque regni Episcopos missurum asseveravit, quamvis, ut Protestantibus Germaniæ & Galliæ fieret satis, cuperet illud in alium commodiorem locum transferri. Ad quæ Pontifex respondit, nihil à se prætermissum ad Germanos Protestantes prolectandos, etiam adusque aliquam sanctæ Sedis abjectionem; neque defuturum in largiendâ, quantam qualémve possent expetere, securitate: Non æquum videri, ut Concilium eorum libidini se permitteret: qui si venire recusarent, certè Patres in viâ quam feliter ingressi essent, fortiter perrecturos. Cæsarem, Hispaniæque Regem suos oratores & Præsules jam eò misisse; superesse solos Gallos, qui Concilij ope vel maximè indigerent. De edicto verò respondit paucis, se illud probare non posse; ac rogare Deum, ut iis qui tot malorum auctores essent ignoscere dignaretur.

VIII. COLLOQUIUM TABERNENSE.

Interim Cardinalis Lotharingius ac Dux Guisius ejus frater, ab aula regiâ absentes quando factum est edictum Ianuarij, certiores facti Condeum & Admiralium cum Germanis clandestinam societatem coiisse; ut eam interrumperent, cum Christophoro Duce Wirtembergico, & nonnullis aliis Germanis Principibus, ad Tabernas Alsatiæ, Argentinensis Episcopi oppidum, convenerunt. Ubi de religione ita inter eos actum est, ut cùm secum duxisset Vvirtembergicus Ioannem Brentium, & Iacobum Andream, acerrimos Augustanæ Confessionis cõtra Zuinglianos & Calvinianos propugnatores, docere conatus sit Cardinalis, ut doctus & eloquens erat, Catholicos cum Augustanis magis, quàm Augustanos cum Zuinglianis & Calvinianis, in præcipuis religionis capitibus convenire. Adeò ut non exigua inter ipsos concordiæ spes relinqueretur; cùm multa concederet Cardinalis, ut Germanos à Calvinianis sejungeret, & à Galliâ in eorum auxilium juvandâ evocaret, quæ alioqui non concessisset. Hunc enim illius conventûs scopum fuisse, Belcarius[c] Epi-

c Belcar. lib. 29. §. 37.

scopus Metensis, qui interfuit, scribit. Cùm alioqui hoc colloquium maximis Romæ, Tridenti, & in ipsa Galliâ suspicionibus materiam subministrârit. Nec defuerint, qui Cardinalem seriò cum Germanis conjunctionem in Religione expetivisse crediderint; & sicut Calvinianam doctrinam penitùs oderat, ita Augustanæ potiùs in Galliâ locum esse cuperet.

IX. Vassiacenus tumultus.

Rogatus inde Guisius à Rege Navarræ, rerum curam in Regis infantiâ gerente, & Momorantio Connestabili, Lutetiam quamprimùm benè comitatus se conferre; quòd Condei & Colinij impatientiâ, & Reginæ-matris ignavâ conniventiâ, res ad apertum bellum jam inclinarent; accidit in viâ res fortuita, quæ bellum acceleravit: cùm videlicèt Calendis Martij apud Vassiacum in Campaniæ finibus oppidum, quod ferè totum Calvinanis refertum erat, volente Guisio cum ministro, solito conciones in ejus familiam virulentas habere, colloqui, ut moneret sine tumultu munus suum exercere, & à convitiis abstinere; qui ab eo missus fuit ad illum accersendum, pessimè à congregata multitudine acceptus, tumultui occasionem præbuit, quo ab accurrentibus sociis cæsi sunt nonnulli Calviniani, aliquot etiam utrimque vulnerati: quamquam & suorum vulneratorum ac cæsorum numerum Calviniani falsò auxerint, & gravissimas querimonias non solùm totâ Galliâ, sed & per Germaniam, exterásque alias nationes sibi fœderatas divulgarint. Sic enim rem breviter narrat Belcarius; affirmans hanc seditionem inscio Guisio accidisse, & priùs quàm ille quicquam rescîsset, sedatam fuisse. Et fatetur quoque Thuanus [d], haud alioqui erga Guisium proclivis, eam absque ullâ ejus culpâ contigisse: quinimmò cùm tumultum sedare vellet, vulnus in malâ accepisse: interfectos autem esse, seu exanimatos viros & feminas, aut ex plagis in tumultu acceptis mortuos ad sexaginta. Et tamen hanc *immanem Vassiacenam stragem* vocant, ac præcipuè sicarius Beza in Vitâ Calvini: qui etiam vindictam ejus à Reginâ postulans, cùm Navarrus objiceret, Calvinianos in suis conventibus contra recens Ianuarij edictum arma gestare, respondit arma in virorum prudentium manibus pacem secum gerere: nec destitit, donec scelestissimâ proditione Guisium de medio sustulit, ut pòst dicetur.

d Thuan. lib. 29.

X.

Interim accedente Guisio Lutetiam, ac consilio cum Rege Navarræ, Connestabili, & Satandreano, inito auctores ij fuere Reginæ, (quæ quòd timeret ab iis regni administratione excludi, ut multi existimabant, se unà cum Rege in manus Condei tradere, ut Aureliam deducerentur deliberabat) ut è Fontebliaudo Lutetiam Regem adduceret. Quod & demùm factum est: Condeo viribus inferiori urbem deserere coacto, & conclamante Regem atque Reginam captivos à Triumviris detineri, (ita enim Guisium, Connestabilem, & Santadreanum, qui fidei Catholicæ propugnationem susceperant, appellitabant) atque ad eos in libertatem asserendos classicum tam in Galliâ quàm Germaniâ canente, & cunctos ad arma eo colore sollicitante: quantumvis & Rex Regináque edictum publicaverint, quo sparsi de captivitate rumoris vanitatem elevabant: & Senatus Parisiensis literis suis Condeum monuerit, ab ejusmodi imposturis animum avertere. Additum est etiam aliud edictum ad Novatores continendos, (sed quod non ad Curias Parlamentorum directum est, quas sciebant illud nullo pacto approbaturas, sed ad provinciarum prætores & eorum legatos) quo non solùm illud Ianuarij denuò confirmatum est, verùm etiam publicè cœtus ubique habendi ac concionandi libertas concessa est; sola exceptâ Lutetiâ, ejúsque urbanæ jurisdictionis finibus.

Condeus classicum canit.

Ampliatio libertatis hæresis.

XI. Hæretici arma capiunt.

Sed parùm hæc illis curantibus, quorum scopus erat rem vi & fraude agere: capta sunt palàm supradictis prætextibus arma: fueréque primitiæ belli in occupandis Aureliâ, viciníisque oppidis. Et quoniam totus eorum furor adversus Deum; Sanctósque, ac pia loca, Regésque ac Principes, tendebat; quæ apud Clerium oppidum erat Beatissimæ Virginis sacra Imago, magnâ religione à populis visitari solita, prostrata est; templum magnificentissimum à Ludovico XI. Rege sumptibus ingentibus exædificatum, dirutum; ipsiúsque Regis corpus ibi conditum; necnon Principum Longavillanorum, aliorúmque procerum, quorum ibidem extabant sepulcra, eruta, disjecta, combusta; sacrorum religionis Catholicæ ministrorum domus à fundamentis eversæ. Aureliæ Francisci II. biennio antè mortui cor in templo S. Crucis conditum adhuc penè calens, concrematum est. Engolismæ manes Ioannis Comitis, Francisci Primi Regis avi, qui integritate vitæ magnam sanctitatis opinionem meruerat, & parùm à Sanctorum cultu aberat, revulsum est; cadaver adhuc integrum repertum, disjectum; & nisi ejusmodi reformatores à quibusdam modestioribus prohibiti fuissent, flammis illud tradere constituerant: arculam tamen plumbeam conflantes, pilas sclopetorum inde majori ludibrio quàm fructu confecerunt: nec desunt, qui capite Ioannis, pro globo lusorio usos asserant. Sic & Vindocini sepulcra Principum, ex quibus orti erant Rex Navarræ & Condeus princeps; pari impietate violârunt. Quæ exempli tantummodò causâ dixisse voluimus; cùm subinde longè crudeliùs atque nefariùs sævitum fuerit à monstris illis hominum, toto regno in sacrosanctam Eucharistiam, sacras Sanctorum reliquias, ceteras quascumque res Deo sacratas, & cultui divino dicatas, in templa; monasteria, homines & virgines sacras; in sepulcra, & mortuorum corpora, in quæque sacra profanáque: ut cum infernali luctificâ Alecto pactionem iniisse visi essent:

Immania eorum sacrilegia.

——— cui [e] tristia bella;
Iræque, insidiæque, & crimina noxia cordi
Odit & ipse pater Pluton, odêre sorores
Tartareæ monstrum; tot sese vertit in ora
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Iuno (ejúsque exemplo, capita Hugonotorum) *his acuit verbis, ac talia fatur:*
Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos: tu verbera tectis,
Funereásque inferre faces: tibi nomina mille,

e Virgil. Æn. 7.

Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus.
Disjice compositam pacem, sere crimina belli:
Arma velit, poscat que simul, rapiátque juventus.

Sed frustrà sis Alecto, etiamque cum sororibus tuis Megæra & Tisiphone, quas

——— Nox [f] *intempesta*
Vno eodémque tulit partu paribúsque revinxit
Serpentum spiris, ventosásque addidit alas.

[f] Id. lib. 12.

Furor ille vester adhuc eo tempore infantiam non excesserat: quot quantáque mala, scelera, venena, ipsi etiam inferno priùs cognita, à nostris Novatoribus discere potuissetis, si datum vobis fuisset ad eorum ætatem pervenire? At quoniam illa cumulatissimè ab eis toto regno, inauditarum ac planè ceteris temporibus & gentibus incredibilium crudelitatum exemplis gesta, descripserunt plerique Latinè & Gallicè; abstinemus ab eorum recensione, simúlque à consiliis, artibus, interceptionibus, factionibus, auxiliis, pugnis, certaminibus, bellicis facinoribus, cladibus, utriusque partis; necnon ab interlocutionibus, tractatibus, aliisque ejusmodi ad has turbas spectantibus, quæ iidem referunt; contenti suis locis præcipua quæque adnotare: Monentes tamen interim lectores, ut à mendacissimis & calumniosissimis libellis & narrationibus Bezæ, Serrani, aliorúmque ejusmodi hæreticorum, diligenter sibi caveant; quibus sicut proprium fuit malè agere, ita & scribere.

XII. URBES AB IIS CAPTÆ.

Interceptis autem hoc tempore ab hæreticis, inter alias quamplurimas civitates, Aureliâ, Rotomago, Lugduno, Pictavi, Andegavi, Biturigibus, Turone; ne etiam Tolosa, secunda regni civitas, in manus illorum incideret, post longas aliquot dierum pugnas inter cives editas, factum est diligentiâ accurrentium ad suppetias Catholicis ferendas vicinorum nobilium. Inter quos præcipuus extitit Blasius Monlucius, strenuus ille dux, de quo sæpè superiùs; túncque regiâ auctoritate rem bellicam in Aquitaniâ administrans, & Hugonotos acerrimè persequens, atque in officio continens: qui rem in suis commentariis [g] accuratè descripsit: pleniúsque proprio tractatu Georgius Bosquetus Iurisconsultus Tolosanus, qui interfuit, quæ verò pòst secuta sunt, atque inter cetera pro restitutione Ioannis Corasij insignis Iurisconsulti, & Arnoldi Cavanij, Curiæ Consiliariorum, qui inter gravia multorum aliorum supplicia, eâ de causâ moti Senatu fuère, pluribus Thuanus [h] prosecutus est. Illúdque valdè insigne in laudem amplissimæ urbis Tolosæ; quòd ab eo tempore ad hanc usque diem nullus unquam Hugonotus permissus sit pedem figere in civitate, ut ejus incola dici potuerit; & quotannis celebrata fuerit, pergátque porrò celebrari die decimoseptimo Maij, solemnis supplicatio, cum totius Senatûs interventu, in gratiarum actionem tanti divinitùs eo die accepti beneficij: quantumvis & Regum edictis atque jussionibus conati sint sæpè Hugonoti illam abrogare; & Bosqueti librum abolere, qui hactenùs reperitur in perpetuam factiosorum illorum ignominiam. Nec minùs

[g] Monluc. lib. 3.

[h] Thuan. lib. 32.

TOLOSÆ LAUS.

PROTERVIA EORUMDEM.

memoranda eorundem tunc in Aquitaniâ impudentia; quos idem Monlucius refert, cùm audirent ab aliquibus Regem nominari, interrogare solitos, *Quem Regem? nos ipsi sumus Reges: quem vos Regem vocatis, merdosus est regulus, quem nos virgis castigabimus, & opificium aliquod discere faciemus, ut sciat victum lucrari, sicut & ceteri*: Ministros quoque prædicare solitos, nullâ Reges pollere auctoritate, nisi quantam eis populi conferre voluerint: nihilque Nobilitatem à plebe distare: Et quando nobilium procuratores census debitos & clientelares præstationes peterent: clientes & rusticos respondere consuevisse, ut ostenderent in Bibliâ se ad id teneri: & alia ejusmodi tam fatua quàm impia plurima.

XIII.

Quæ fuêre præclara fundamenta sacrosanctæ Reformationis, quam Calvinus, Beza, & alij ejusmodi fanatici homines, in totius regni reíque publicæ subversionem; & omnis religionis abolitionem, in Galliam invexerunt: quámque Condeus, Colinij, aliíque eâ infascinati, armis constabilire conati sunt, in perpetuum sui nominis dedecus, & animarum suarum sequaciúmque perniciem. Qualíque esset in his animo modestissimus scilicèt Beza, detexit ipsemet hoc tempore Lutetiæ agens, & facem ardentem conflando incendio addens; cùm ad suum Calvinum [i] bis scribens mense Februario, præter acerbissima convicia, quæ in Doctores Catholicos, quibuscum de cultu Imaginum disputatio fuit, conjecit; Regem Navarræ Iulianum vocat, (quasi scilicèt apostatam; quòd nimirùm tranquillitatis studiosus, Rex, à malignis fratris Condei, & Coliniorum, propriæque uxoris consiliis recessisset:) prorsúsque perditum esse ait, víxque ullum extare similis levitatis, perfidiæ, sceleris exemplum: spiritu malo palàm agitatum insanire: Deum omnem illi mentem ademisse: Posidonium, (hoc est, Admiralium) ejúsque fratrem Andelotum cessisse illius furoribus, sed certo consilio, quod sperabatur utilius fore, quamvis maluisset ipse Beza eos ad extremum invictos sese opponere: Senatum neque precibus, neque minis, catenùs potuisse exorari, ut iniquissimâ etiam additâ duorum capitum declaratione, edictum Ianuarij promulgaret: inde infinitos tumultus, conspirationes apertas, mutuas cædes: eáque omnia deberi accepta referri Iuliani furoribus. Quæ in Regis Navarræ defensionem, laudémque eximiam recitare voluimus; quòd alioqui plures eum scripserint his seditionibus adhæsisse, & in causâ reformationis Hugonoticæ promovendâ multùm desudâsse; quem constat quod in eo aliquando fratris & uxoris instigationibus peccavit, pœnitentiâ & contrariis factis planè diluisse; arma contra eumdem proprium fratrem sumpsisse, bellum Domini fortiter egisse, denique vitam pro fidei Catholicæ defensione profudisse, ut videbitur posteà: cùm interim Ioanna ejus uxor irarum plena eo relicto in Aquitaniam ad sua concesserit; ubi nihil sævæ crudelitatis omisit quo suam hæresim propagaret, & Catholicam eliminaret.

BEZÆ CONVICIA IN REG. NAVAR.

[i] Inr. Calv. ep. 331. & 332.

XIV. DISPU-

Quòd verò ventosissimus Beza iisdem literis refert de disputatione factâ de Imaginibus

inter

[...]TATIO DE IMAGINIBUS.

inter ipsum ac socios ministros, & Theologos quosdam Parisienses; agitata illa fuit dicto mense Februarij, Reginæ-matris jussu, de Valentini & Sagiensis Episcoporum consilio; sive hi, ut multi crediderunt, sectariis faverent, quibus eâ disputatione accessuri forent; seu potiùs quòd cùm audaciores evadentes in dies sectarij, ausi etiam essent petere, ut iisdem templis post peracta Catholica sacra, ipsis quoque liceret sua peragere ministeria; deinde verò simularent se velle ad templa Catholicorum sacráque accedere, si priùs ea tollerentur quæ ipsi censebant divino honori repugnare; videlicèt Imagines, altaria, reliquias, cetera templorum ornamenta. Factâ igitur primùm de Imaginibus disputatione, cùm essent ex Theologis Catholicis, qui ut ministris sese accommodarent, & aliquam concordiæ conditionem inirent, nonnullos abusus in earum cultum irrepsisse non infitarentur, de Crucis autem veneratione nihil omninò remitti concederent; ministri verò etiam hanc auferri debere contenderent: (quòd enim nihil ipsis cum Christi Cruce, eam supra modum, dæmonum instar detestantur:) tunc Nicolai Mallardi Collegij Sorbonici decani forti intercessione, aliorúmque Theologorum accessione, non solùm Crucis, sed & aliarum Imaginum receptum in Ecclesiâ usum, ab omni superstitione purum, retinendum esse decretum est! palàm tamen jactantibus Hugonotis, suos victores evasisse: ac præcipuè inanissimo Bezâ; cujus prædictarum epistolarum emblemata sunt, ut Iesuitam, qui aderat, (nempè Lainium Præpositum Generalem; qui viriliter cum ceteris restitit ne templa hæreticis concederentur, & ne Imaginum cultus abjiceretur) histrionem; Benedictum Dominicanum, blateronem, falsissimum, & ineptissimum; Minimum, ineptissimum, & indoctissimum; Democharem, asinum omnium quadrupedum, Mallardo excepto, infacetissimum, indigitet; ipse scilicèt sibi modestissimus, veracissimus, doctissimus, facetissimus; qui aliis fuit impudentissimus, mendacissimus; loquacissimus, ridiculosissimus.

BEZÆ VERBORUM IMPOTENTIA.

XV. Scta. CONTRA HÆRETICOS.

Senatus autem Parisiensis famâ commotus profanationum templorum, impiâ Hugonotorum insolentiâ ubique factarum; quo erat fidei zelo accensus, decreta plura in eos emisit, quibus aquâ & igni interdixit; jussítque omnes in urbibus & agris contra eos arma sumere, ac sonitu tintinnabulorum ubique insectari atque impunè occidere: sacerdotia, sacráque munia eorum qui Condei partes secuti erant vacare declaravit: (quod in odium Cardinalis Castilionei, & Arelatensis Archiepiscopi familiâ Batonvilleâ, pronunciatum nonnulli [k] existimârunt:) ut omnes regij magistratus fidei professionem, quam Theologi Sorbonici præscripserant, ederent, decrevit: qui urbes regias occuparent, perduellionis damnavit. Deique ac Regis hostes pronunciavit; Condeo tamen excepto, quasi à rebellibus retineretur: aliáque ejusmodi contra illos sanxit. Sicuti & fecère, quinimmò & alicubi longè severiùs, aliarum provinciarum Senatus: cùm in eo laborare videretur pessima Novatorum generatio, ut altera alteram scelere vinceret. Memorandúmque, cùm apud Santones [l] ambigerent plerique ex nobilitate Calvinianâ, num arma contra Regem, quamquam malè consultum, (ut prætexebant) aut etiam in alienâ potestate constitutum sumere liceret; Franciscum Comitem Rupifocaldium, ejusdem sectæ hominem, conventum ministrorum circiter sexaginta coëgisse, in quo ea quæstio utrimque agitata fuit: tandémque communibus votis decretum, arma jussu Reginæ sumpta contra Regis ac regni hostes legitima esse, atque etiam necessaria. Huic sententiæ adversantem Bellavillam virum ex primariâ nobilitate, qui propter non mediocrem literarum cognitionem, & innatam facundiam, inter suos plurimùm poterat, literas eâ de re studiosè elaboratas ad conventum dedisse: quas illi contrario scripto conquisitis undique rationibus refutare conati sunt. Sic enim turba malignantium, ex reformatâ doctrinâ sicarij Zuinglij, & flammiferarum facum Calvini & Bezæ, falsissimum constitùere maluit seditionum suarum fundamentum, quo miseros homines in barathrum secum traducerent, quàm rectè consulentibus auscultare. Quinimmò cùm etiam Vidus Chabotius Iarnacius urbis Rupellæ præfectus, idem oppidanis persuasisset; nimiùm rectiùs ac tutius facturos, si se civilibus armis non immiscerent, sed libertatem regiis edictis concessam citra tumultum ac cruorem tuerentur; asserens neque religionem ferro firmari, & incertum esse armorum eventum: quæ si minùs ex voto succederent, non solùm magna invidiâ sectarios oneratum, verùm etiam in periculum religionem vocatum iri: impia illa ministrorum turba unum è suis ad Iarnacium ab ea sententia deducendum misit: qui tamen tunc frustra fuit.

MINISTRI ARMA SUADENT.

[k] Belcar. lib. 29 §. 51.

[l] Thuan. lib. 30. in fin.

XVI. BIBLIOTHECARUM INCENDIA.

Publicâ item lamentatione dignum, quod hoc eodem anno apud Cluniacum, nobilissimum toto orbe Christiano cœnobium, contigit; nimirùm ut cum illud Ponsenacus ferus Hugonotorum dux cepisset, in ejus direptione longè copiosissima & omni librorum manuscriptorum supellectile instructissima bibliotheca, magno studiosorum dolore, & incredibili reipublicæ literariæ, quod vix unquam sarciri possit, detrimento, incendio periit. Quod ipsum frequenter in aliis quoque antiquis Galliæ cœnobiis ab istis barbaris contigit. Nec inter belli initia, omittendum *Petri Ronsardi* nobilis Vindocinensis, poëtarúmque Gallicorum facilè principis, egregium facinus, pro fidei Catholicæ propugnatione editum. Cum enim in agro Vindocino irritata plebs, ob dejectas passim ab infernalibus illis reformatoribus sacras Imagines, & in ipsâ urbe Comitum ac Ducum sepulcra violata, non mitius cum iis quàm cum canibus rabidis sibi agendum existimaret: arma quoq; sumens nobilitas, ducem sibi elegit Ronsardum, qui insolentiam profanorum non ferens, multos ex iis malè mulctavit: quamquam curionatum Evalliæ tenebat, loci amœnitate aut commoditate captus. Neque enim is erat, qui libertatem suam, atque adeò licentiam poëticam, sacerdotalis muneris necessitate tamquam compede ad gravitatem eâ functione dignam vellet adstringere: sed homo

RONSARDI EGREGIUM FACINUS.

generosus, & à teneris annis inter nobiles pueros Caroli Ducis Aureliani Francisci I. filij in aulâ, & posteà militaribus studiis in Angliâ & Scotiâ innutritus, antequàm literis sub Io. Aurato operam daret, & divinum ingenium ad poëticam appelleret, inter pacatæ vitæ oblectamenta etiam armorum curam & amorem retinuerat. Sed de rebus Gallicis modò satis; iis denuò repetendis, postquàm Tridentinas quæ intereà gestæ sunt, tractaverimus.

XVII. Contentio de præcedentia Legati Imper.

Post celebratam, ut vidimus, primam sub Pio Papâ Concilij Sessionem, habitis Congregationibus de iis quæ porrò tractanda essent; disputationibúsque de Librorum noxiorum examine, ac prohibitione; ac de sectariis invitandis; cùm inter hæc advenisset Tridentum *Antonius de Muglitio* Archiepiscopus Pragensis, Ferdinandi Cæsaris, uti Cæsaris & Imperatoris orator; (plures enim misit, ratione videlicèt Imperij, regnorum Hungariæ & Boëmiæ; atque etiam Austriæ Ducatus) tentavit is Cardinalem Madrutium Episcopum Trident. præcedere, iisdem rationibus & obtentibus allatis, quibus olim ibidem Tridenti usum Didacum, sive Iacobum, Mendozam oratorem Caroli Imper. vidimus [m]; sed monitus quid tum acciderit, acquiescens inferiorem locum capessivit. Factâ verò à Patribus potestate Legatis Apostolicis deligendi nonnullos, qui Iudici Librorum conficiendo, cujus curam Pontifex ad Concilium remiserat, vacarent, designati fuêre ab iis, *Georgius Drascovitius* Episcopus Quinqueecclesiensis, orator Cæsareus pro regno Hungariæ, *Ioannes Trivisanus* Patriarcha Venetus, 4. Archiepiscopi, 9. Episcopi, Abbas unus Cassinensis, duo Generales Minorum de Observantiâ & S. Augustini: sed ita ut non ante finem Concilij index publicaretur, ne Protestantes magis exasperarentur.

[m] Supr. an. 1545. XV.

Delegati ad Indicem libror. conficiendum.

XVIII. Sessio XVIII.

Denique die vigesimo sexto Februarij, qui fuerat *Sessioni* indictus, habita est *Secundo* sub Pio, XVIII. ab inchoato Concilio. Quâ post Missam per Antonium Helium Patriarcham Ierosolymitanum celebratam, & orationem per Antonium Cauchum Archiepiscopum Corcyrensem factam, ceteráque solemnia servata; cùm legenda essent Principum, qui oratores suos ad Concilium miserant, mandata procuratoria, (solemni namque more, etiamsi in eorum adventu legerentur in congregationibus, & admitterentur; nihilominùs erant eadem denuò in Sessionibus publicanda:) controversia statim orta est inter Regnorum Hungariæ & Lusitaniæ oratores, utroque primum sibi in mandato legendo locum deberi propter Regni sui eminentiam contendente. Nam de loco honoratiori in sedendo quæstio nulla nata erat, eò quòd *Ferdinandus Martinez Mascarenius* Sebastiani Regis Lusitaniæ orator, uti secularis, in dextro templi latere, Hungarus Ecclesiasticus, nempè dictus *Quinqueecclesiensis*, in sinistro considebat. Utrùm verò antiquior fuerit hæc inter ea regna, eorúmque Reges controversia, nescimus. Illud scimus, Hungariæ regnum toto ampliùs sæculo ante Lusitanum fuisse institutum; præcelluisséque multis sæculis amplitudine & potentiâ. An autem post-

Contentio inter Oratores Regum Hungar. et Lusit.

quàm Hungaria intestinis divisionibus penè tota, penitúsque cetera regna ei unita in manus Turcorum inciderunt; Lusitania verò navigationibus suis latissimè imperium suum unà cum religione Christianâ extra Hispaniam propagavit; debeat Rex Hungariæ jure suo, si quod habuit, cadere, hoc in controversiam quidem trahi potest, sed non adeò facilè obtineri. Negâsset sanè omninò Leo [n] Papa IX. qui cùm audisset esse quosdam Episcopos Africanos, qui quòd Carthago penitùs desolata esset, ejus Ecclesiæ juribus præjudicare vellent, rescripsit debere illa conservari integra, sive Carthago deserta jaceret, sive resurgeret aliquando gloriosa. Ac prudentissimè in hâc Synodo Legati Apostolici deliberatione habitâ censuerunt, mandata oratorum eo ordine legenda esse, quo erant exhibita, nullâ dignitatis Principum habitâ ratione. Quo judicio cùm non expressum repererimus quis prævaluerit; primas tamen tulisse videtur Hungarus: quoniam etiamsi nonnisi die vigesimo quarto Februarij mandatum Ferdinandi pro Hungariâ exhibuerit, Mascarenius autem jam die nono exhibuisset; (ut ex orationibus [o] in Concilio habitis disertè constat) nihilominùs jam Quinqueecclesiensis die sexta receptus fuerat pro eodem regno Hungarico, unà cum aliis oratoribus Ferdinandi missis pro Imperio & Boëmiâ: quemadmodùm ipsemet in suâ oratione die vigesimo quarto habitâ in Congregatione testatur, dum gratias agit Patribus, quòd quamvis literas mandati nuper, hoc est die illa sextâ, exhibere certas ob causas non potuisset, tamen Patres locum Regi Pannoniæ debitum ei adjudicâssent, atque sine ulla morâ dedissent. Quod tamen Episcopi Lusitani qui aderant, (cùm nondum advenisset Mascarenius) fieri petierunt absque ullo præjudicio præcedentiæ oratorum sui Regis. Sed hæc obiter. Cessat enim modò hæc inter ipsos controversia, absorptâ hinc Lusitaniâ cum universo ipsius imperio, illinc Hungariâ cum regni umbrâ quam retinet, à majoribus potestatibus ejusdem familiæ.

[n] Vid. Epit. tom. 2. an. 1053. VI.

[o] Act. Concil. edit. Lovan. an. 1567.

XIX. Decreta Sessioni.

In Sessione porrò Concilij, à Patriarchâ celebrante lectum est Decretum, quòd extat, de Librorum delectu faciendo: & ut quicumque ad se pertinere aliquo modo putaret quæ de hoc negotio, vel de alio quocumque, in Concilio tractanda forent, non dubitaret à S. Synodo se benignè auditum iri: hortans omnes qui cum Synodo communionem non haberent, ad eam pro ineundâ concordiâ & reconciliatione accedere, quos illa omnibus charitatis officiis complexura esset. Insuperque decrevit, fidem publicam in Congregatione generali concedi posse, & eamdem vim habituram ac si in publicâ Sessione data fuisset. Denique indicta est proxima Sessio in feriam 5. post Ascensionem Domini, 14. mensis Maij. In Congregatione verò generali habitâ die quarto Martij, datus est amplissimus commeatus, seu Salvus-conductus Germanicæ nationi: idémque extensus ad omnes & singulos alios, qui cum Synodo in iis quæ essent fidei communionem non haberent, ex quibuscumque regnis, nationibus, provinciis, civitatibus, ac locis, in quibus publicè prædi-

caretur, doceretur, sive crederetur, contrarium ejus quod Romana sentiret Ecclesia.

XX. CONTROVERSIA DE RESIDENTIA.

cœptis rursùm disputationibus, in Congregationibus, de iis quæ post hæc tractanda essent; imprimis articulus de Residentiâ Prælatorum & parochorum, jam olim sub Paulo III. valdè agitatus, iterùm acerrimè controversus est; plerísque Patribus ac Theologis, eam esse de Iure divino, decernendum censentibus, plurimis sacræ Scripturæ ac Patrum auctoritatibus & rationibus ad id firmandum adductis: aliis verò hanc sententiam uti novam & antè inauditam rejicientibus, asserentibúsque Ecclesiam semper tenuisse quòd posset Pontifex super residentiâ dispensare: non residentes omnibus sæculis aut castigatos aut increpitos, sed solummodò tanquam canonum violatores, non autem Legis divinæ: Scripturæ & Patrum auctoritates ad perfectionem tantùm adhortationes esse: nihílque in hoc esse solidi, præter canones, qui sunt veræ leges Ecclesiasticæ: Si id semel de Episcopis statueretur, non solùm Episcopos ab obedientiâ Summi Ecclesiæ Pastoris subductum iri; quæ quo arctior est, hoc magis unitam tenet Ecclesiam; verùm etiam parochis eâdem ratione adversus Episcopos usui futurum ad ipsos Episcoporum imperio eximendos: Dicturos enim, nec posse Episcopos Ecclesiâ ipsos dimovere, aut aliò avocare, nec alibi distinere, nec potestatem ipsorum restringere; & tamquam pastores immediatè à Deo datos, plus juris in gregem, quàm ipsis Episcopis concederent, vindicaturos: sítque regimen Ecclesiæ, quod tot sæculis stetit per hierarchiam, facilè in democratiam & anarchiam collapsurum. Cùm autem pluribus diebus & Congregationibus de hâc quæstione acriter disceptatum esset; nihil tamen certi statui tunc potuit, quamquam pars major Patrum decretum eâ de re in Synodo fieri flagitaret. In ceteris verò articulis, à Legatis ad discussionem propositis, minùs fuit negotij, quamquam & fuerunt ij diligentissimè disputati atque expensi, antequàm fierent de iis decreta, quæ in consequentibus Sessionibus promulgata videbimus.

XXI. DISCEPTATIO DE TITULO CONCILIJ.

Cùm autem propè esset tempus adscriptum celebrandæ Sessioni, & orator Philippi Regis Catholici Franciscus Ferdinandus Avalus Marchio Piscarius Insubriæ præfectus, unà cum Hispanis Episcopis, rursùm instarent uti Patres in eâ Sessione vellent declarare Synodum esse continuationem ejus, quam Paulo Pontifice cœptam Iulius esset prosecutus; ac contrà Legati Cæsarei contestarentur, si id fieret, se evestigiò abituros; Cæsarem enim, qui Germanis recepisset, hanc novam convocationem habendam, tantum dedecus tolerare non posse: Legatis pariter eâ in re divisis, commodum accidit ut venirent à Lansaco Legationis Regis Christianissimi ad Synodum destinatæ principe literæ; quibus de viâ, cùm non longè abesset, scribens, Lagatos Patrésque rogabat, uti ad suum collegarúmque adventum Sessionem protollerent. Cui ut satisfieret, visum est, non quidem extrahere Sessionem, quod contra Synodi dignitatem videri posset, sed eam nullâ propositâ materiâ celebrare. Quapropter die decimaquartâ Maij solitis ritibus habita est *Sessio III.* sub Pio, *XIX.* ab inchoatione Synodi: atque in eâ decretum, justis nonnullis ac honestis causis, ea quæ in illâ Sessione sancienda erant, prorogata esse in feriam quintam post solemnitatem Corporis Christi pridie Non. Iunij. Fuerúntque priùs mandata Principum, quorum oratores ad Synodum accesserant post præcedentem Sessionem, & in congregationibus recepti fuerant à Secretario Synodi lecta eo ordine quo oratores in Congregationem venerant; nempè Regis Catholici, prædictus *Marchio Piscarius*; Cosmi Florentiæ Ducis *Ioannes Strozzius*; Helvetiorum septem Cantonum Catholicorum, videlicèt Lucernæ, Uraniæ, Suitiæ, Silvaniæ, Tugij, Friburgi, & Soloduri, *Melchior Lussi* eques, unà cum *Ioachimo Proposto* Abbate Heremitarum monasterij, Abbatum & aliorum ejus nationis Ecclesiasticorum nomine: Cleri Hungarici, *Andreas Dudithius* Episcopus Tinniensis, admirabili vir ingenio atque doctrinâ, & *Ioannes Colosuarinus* Episcopus Chanadiensis: ac Reipublicæ Venetæ, *Nicolaus de Ponte* Doctor, & *Matthæus Dandulus* equestris uterque ordinis. Quorum omnium orationes ad Synodum in ipsorum admissione, unà cum responsis Promotoris nomine Synodi, habentur in editione illorum ejus Actorum; de quibus suprà.

SESSIO XIX.

XXII. CONTROVERSIA INTER BAVARUM ET VENETUM:

Venerat quoque ab Alberto Duce Bavariæ *Augustinus Paungartnerus*: sed legationem suam in Congregatione exponere recusaverat, nisi honoratior sibi quàm Venetis locus assignaretur. Quod cùm Veneti neutiquàm concederent, Cardinales Legati moram interposuerunt, quoad Româ Pontificis eâ de re voluntatem exquirerent. Pontifex [o] rei novitate commotus, Legatis rescripsit, Bavaro ejus nomine suaderent, ne eam sibi anteferri Rempublicam gravatè ferret, quæ duo regna Cypri & Cretæ obtineret, & amplius mille annos cum dignitate imperium retinuisset, finium amplitudine, bello pacéque gestis regios titulos sustinere posset: ac nî cederet, Venetorum jura omninò tuerentur. Bavarus nihilominus ad obnunciationes scriptis exaratas descendens, pro illustrissimâ ac vetustissimâ Bavariæ Domo, quæ ab sacri Imperij Electoribus, Imperatoribus, ac Regibus, multis antè sæculis originem duxisset, sibi priorem locum deberi obtestatus est. Donec post duos menses quibus tamquam privatus Tridenti mansit, de mandatu demum Principis sui, die 27. Iunij comparens in Congregatione, infrà oratores Venetos consedit: priùs attestatus, sicuti validissimæ essent sui Principis rationes, ita eas omnibus aliis congressibus defensurum: ne verò ad Concilium, in quo humanis ablegatis affectibus, religionis ac pietatis negotia agitabantur, certandi studio accessisse videretur, & ut prisca cum Venetâ Republicâ amicitiæ jura servarentur, ejus se oratoribus cedere; eâ tamen lege, solemnique obnunciatione, ne id posthac suo Principi, ejúsque posteris, ceterísque Germaniæ Principibus Electoribus ab Ducibus fraudi esset: atque ut hujusce rei monumétum posteris relinqueretur, id in acta Concilij referri, exemplárq; sibi scribæ manu exaratum exhiberi flagitavit. Ad quæ respondit orator

[o] Mauroc. Hist. Venet. lib. 8. Litt. Gall. de reb. Concil Trid.

Venetus,

Venetus, suæ Reipublicæ meritissimo jure superiorem locum deberi: & quemadmodùm Dux Bavariæ tunc cederet, ita sperare dehinc ubique cessurum; ídque in acta referri petiit.

XXIII. Quâ fortè occasione ductus etiam orator Helvetius, quòd Reipublicæ Helveticæ nomine venisset, controversiam pariter de loco eidem Bavaro movere non dubitavit: quæ tamen in favorem Bavari judicata est. Unde factum, ut cùm propterea Helvetius à consessibus abstineret, Florentinus locum semper post Bavarum servaverit. Quòd verò fuisset etiam similis controversia inter eumdem Cosmum Ducem Florentiæ, & Alfonsum Ferrariensem, quæ scriptis utrimque editis magno animarum ardore agitata fuerat; obtendente Cosmo, se Reipublicæ Florentinæ loco esse, quæ Ferrariæ Ducibus dignatione semper præîsset; Alfonso contrà & familiæ Atestinæ antiquitatem, quâ omnibus Italiæ Principibus proculdubiò antestaret, objiciente; ac Principatûs dignitatem longâ successionis serie in familiâ suâ continuatam, cùm ipse Cosmus primus esset Florentiæ Dux; neque suffragari ei posse Reipublicæ, quæ jam conciderat, dignitatem: Inde putamus, ad vitandas ejusmodi contentiones, eóque magis quòd visus fuisset olim Carolus V. Imp. suffragari Florentino, nullum à Ferrariensi (saltem quod invenerimus) ad Concilium missum fuisse specialem oratorem: cùm alioqui constet, tractu temporis Florentinum apud ceteros majores Principes potiorem honorem obtinuisse, maximè postquàm à Pio V. auctus fuit titulo Magni Ducis. Quasi verò eodem tempore hujusmodi controversiæ ubique excitari deberent, contigit hoc ipso anno Romæ p, litem de præcedentiâ moveri à Vincentio Compegio oratore civitatis Bononiensis apud Pontificem, Fratri Iosepho Cambiano oratori Religionis Hospitalariorum sancti Ioannis. Quam tamen mox Pius in favorem Religionis proprio ore decidit die decimasextâ Maij.

Alia inter Ferrar. et Floren.

p *Bos. Hist. Hospital. lib. 22.*

XXIV. Ad cujusmodi fugiendam contentionem, putatur Marchio Piscarius statim post celebratam Sessionem Tridento discessisse: (relicto ibi Secretario, qui rebus interesset) quamvis necessitatem sibi impositam causaretur ad præfecturam suam Mediolanensem revertendi, propter motus ab Hugonotis in Delphinatu excitatos. Sed quòd constaret, non esse iis copias, quibus extra provinciam eductis alios possent lacessere; atque inter ipsos & Mediolanum, interjectum esse Sabaudiæ Ducem, creditum fuit à plerisque, id eum fecisse Regis sui mandato; qui cùm valdè cuperet Synodum procedere, & ex controversiâ inter oratorem suum, & Regis Galliæ oratores, qui propediem expectabantur, de honoratiori loco, occasionem ejus interturbandæ facilè nascituram perspiceret, sublatam eam voluerit. Biduo verò post ejus discessum, nempè die 18. Maij, *Ludovicus Sangelasius Lansacus* Gallicæ Legationis princeps Tridentum pervenit, valdè honorificè exceptus; obviis nomine Synodi qui ejus adventum honestarent, & cunctis ferè Præsulibus, ac præcipuè Hispanis, ei pariter ad tertium milliarium in occursum prodeuntibus. Tertio verò pòst die, nimirùm vigesimo primo, collegæ ejus *Arnoldus Ferrerius* classium Inquisitoriarum Senatûs Parisiensis præses, & *Vidus Faber Pibracius* Iudex-major Tolosæ, urbem ingressi sunt: ut constat ex literis ab eodem Lansaco ad Regem Carolum eâ de re scriptis; quæ extant in Collectione, cujus aliàs meminimus Literarum & Instructionum Regum Christianissimorum, eorúmque oratorum, Romæ & Tridenti existentium, de rebus Concilij ultrò citróque scriptarum: ex quibus magnam rerum gestarum partem desumpsimus, intulítque Polanus in suam Concilij Historiam.

Legati Regis Gal. ad Concil.

XXV. Postquàm autem iidem visitatis primo Legatis, cum oratoribus Imperatoris, qui in eâdem navi, ratione hæreticorum utrobique vigentium, esse videbantur, mandata sua, sicut jussi fuerant, communicâssent; die 26. Maij in Congregatione generali comparentes, Vidus Faber orationem habuit de ardenti Regis Caroli desiderio ut res Concilij prosperè succederent: multa alia jampridem in Germaniâ & Italiâ nullo, aut certè minimo cum fructu habita: quòd minùs libera & legitima fuissent, & qui aderant ad voluntatem alterius semper loquerentur, aut potiùs annuerent: laborare jam in hâc Synodo Patres debere, ut omnes intelligerent abiisse illa tempora; patere nunc aditum unicuique ad disputandum, non hîc flammis disceptari, non fidem frangi, non agi præjudiciis, Spiritum S. non aliunde evocari aut acciri quàm è cœlo, hîc adesse, hîc præsidere: denique hanc Synodum non eam esse quæ primùm à Paulo III. indicta & inchoata fuit, tum posteà à Iulio III. turbulentissimis temporibus medias inter Gallorum & Hispanorum acies continuata, nullo præclaro facinore dissiluit: sed esse novam nunc verè primùm indictam more majorum, ad quam omnes Reges, omnes Principes, omnes Respublicæ animo, voluntate, sensu, & voce consentirent: operæ pretium esse, ut rem ita se habere omnes intelligerent; sic enim Germaniam, pro quâ potissimùm laborabatur, ad eam conventuram, suos de religione sensus expōsituram familiariter, sic universam Christianitatem Dei beneficio citò coalituram: ad quod Rex Christianissimus omnem operam suam auxiliúmque polliceretur. Quæ Fabri oratio plerisque Patribus liberior visa, Promotorem etiam Synodi retinuit, ne, sicut cum ceteris oratoribus, quorum orationes verborum officiosorum fines non excederent, facere consueverat, aliquid tunc responderet; quod posteà fecit in proximâ Sessione. Extat autem ipsa oratio integra in Literis & Instructionibus Gallicis, quæ in editione Lovaniensi Concilij 1567. decurtata legitur magnâ ejus parte; quâ scilicèt Faber asperiùs agere visus est. Sicuti in responso Synodi desunt ibidem duriuscula illa, quæ à Promotore prolata mox videbimus. Quod sicut candidâ mente factum existimamus, nequid divisionis videretur intercessisse: ita nec nos tacere potuimus; ob querelas quas inde secutas esse, palàm est omnibus.

Oratio Legatorum Galliæ.

XXVI. Antequàm verò Sessio celebraretur, interim iidem oratores Galli adeūtes Legatos, primùm Episcopos Gallos, quòd ad Synodum nondum venissent, excusârunt ex tumultibus regni; quibus pacatis, quod propediem futurum

Petunt declarari novum Concilium.

spe

sperabatur, continuò affuturi essent. Deinde quòd Hugonoti Galliæ suspectam haberent continuationem Concilij, nec vellent ad aliud quàm novum venire, petierunt novi Concilij indictionem declarari; eo maximè quod id ipsum Ferdinandus Cæsar Protestantium Germaniæ causâ postularet: actum de eo cum Pio Pontifice fuisse, at illum respondisse, hoc nihil sua interesse, sed inter Principes contendi; ideóque ejus definitionem Concilio dimittere. Ad quæ Legati responderunt, excusationem absentium Episcoporum se quantum in ipsis esset admittere: verùm differre in adventum eorum illa quæ in Synodo agenda essent nec posse, nec cum tanto aliorum qui pridem advenerant incommodo debere: Novam Concilij indictionem declarare, non esse in suâ potestate, sed tantùm ejus celebrationi præesse, juxta tenorem bullæ Pontificis, & voluntatem sanctæ Synodi. Quod responsum oratores, re cum Cæsareis collatâ, acceptum intereà habuere; quamdiù in actis Synodalibus mentio nulla fieret continuationis timentes, si id nimis urgerent, cum econtrà Hispani continuationem declarari sollicitarent, Concilij dissolutionem fortè inde secuturam. Cùm autem iidem cum Cæsareis instarent, ut fidei dogmata non excuterentur per absentiam Protestantium, qui ea essent impugnaturi, antequàm de ipsorum contumaciâ constaret: atque intereà ageretur de reformatione: sed & adderent, Reginæ Angliæ oratorem in Galliâ significâsse, eam decrevisse mittere ad Synodum; atque esse verisimile ceteros Protestantes idem facturos: decretum est, in proximâ Sessione nihil de rebus propositis determinandum; sed eas ad aliam differendas.

XXVII.

Appetente verò Sessionis die, multi Præsules, quos oratoris Galli oratio vehementer pupugerat, Legatos rogârunt, ut quo tempore missionis oratorum mandatum publicè de more in Sessione legeretur, solidum & acutum iis responsum fieret. Unde Ioanni Baptistæ Castello promotori imperatum est sic respondere ut dignitatem Synodi tueretur, neminem tamen re aut verbo perstringeret. Quare die 4. Iunij, ritu consueto celebratâ *Sessione IV.* sub Pio XX. ab inchoatione Concilij, post Archiepiscopi Salsburgensis *Ioannis Iacobi Khuen*, & Caroli Regis Galliarum, recitata mandata, Promotor respondit, spe-

SESSIO XX.

RESPONSIO AD ORATIONEM GALLORUM.

randum esse omnibus Christiani Orbis incommodis consuli posse remedio Oecumenici illius Concilij, operâ Spiritûs S. de consensu Principum jam inchoati. E quibus Rex Galliæ, missis viris conscientiæ integritate ac religione præstantibus, non auxilium modò Synodo, sed obsequium quoque obtulerit. Id ei deberi non minùs quàm aliis Conciliis quibus utcumque ab hominibus malè affectis falsò objiceretur, eâ neque vera neque legitima fuisse, apud homines tamen pios plurimi semper habita Concilia, ab iis penes quos erat auctoritas congregata, quomodocumque alij libera non esse calumniarentur: Certum esse Patribus Concilij, non accipere in sequiorem partem, accuratam & liberam oratorum Gallorum admonitionem; sed uti eam haberent pro non necessariâ, ita in animum inducere eam à sincerâ mente profectam: Ex effectibus appariturum, Synodum cujuscumque hominis, aut principis cupiditatem, voluntatem, & potentiam, post propriam dignitatem & auctoritatem habere: Regique Christianissimo omnem operam & studium ad dignationis, regni, statûsque sui conservationem, salvâ fide & religione sincerâ, polliceri. Deinde ab Episcopo celebrante lectum est Decretum; Synodum propter varias difficultates ex diversis causis exortas, atque etiam ut congruentiùs dogmata cum iis quæ ad reformationem spectant simul tractarentur & sancirentur, Sessionem proximam indicere in diem 16. Iulij: sic tamen ut dictum terminum pro arbitrio & voluntate, sicuti rebus Concilij viderit expedire, etiam in generali Congregatione restringere posset ac prorogare.

XXVIII. PONTIFICIS COMMOTIO IN LANSACUM.

Romæ verò etiam adeò malè Lansacus orator Gallus audivit, ut quereretur Pontifex, videri eum Hugonotorum ac Protestantium oratorem agere; dum etiam peteret Reginam Angliæ, & Germanos expectari in Concilio, qui non aliud spectarent, quàm ut Synodum corrumperent, & hæreticis opinionibus imbuerent: Eumdem cum collegis patrocinari nonnullis, qui auctoritatem Pontificis imminutam vellent: dixisséque tot Episcopos è Galliâ & Germaniâ ad Synodum venturos, ut idolum Romæ essent profligaturi. Quæ tamen Lansacus, literis ad ipsum Pontificem, & ad Andream Guillardum Insulanum oratorem regium apud eumdem Pontificem, scriptis satis amarè excusavit, & omninò falsa & calumniosa esse contestatus est. Sed ita erant comparata in tanto cœtu nonnullorum ingenia, ut cùm quid liberiùs aliquando proferretur, confestim fermento Pharisæorum corrumperetur, & calumniosè ad Pontificem & Legatos Concilij deferretur. Erátque aliâ etiam ex parte commotior Pontifex; ac proptereà ad sinistra credenda proclivior; quòd inaudîsset à nonnullis Tridenti propalàm disputari Concilium supra Pontificem esse; & speciatim à Gallis de Annatis, quæ ratione beneficiorum Pontifici penduntur, consultatum fuisse.

XXIX.

At his, aliísque ejusmodi rixis; quæ frequentissimè ex calore disputationum, & animorum commotione occurrerunt, omissis; quæ sunt decretorum Concilij pressiùs agamus. Post Sessionem igitur, instantibus maximè oratoribus Cæsareis, propositi sunt à Legatis nonnulli articuli discutiendi de Communione Eucharistiæ, an ex divino præcepto necessaria sit omnibus sub utrâque specie; & utrum Ecclesia laïcos sub unâ communicans erret, vel debeat aliquibus usum Calicis permittere, & quibus conditionibus: denique an parvulis, antequàm ad annos discretionis pervenerint, necessaria sit Eucharistiæ communio. De quibus est inter Orationes q Concilij egregia disputatio *Ludovici Ioannis Villetani* Theologi Hispani, tunc ad Patres habita. Facilè porrò inter omnes convenit, nullam esse Calicis necessitatem, nullúmque de eo præceptum: In Eucharistiâ tamquam sacrificio utramque speciem esse necessariam, sed tamquam sacramento unam solam: itaque ritè potuisse Ecclesiam, quæ non

DISPUTATIO DE COMMUNIONE CALICIS.

q *Edit. Lovan. an.* 1567.

potest errare, justis de causis unius tantummodò usum laïcis imperare; cùm certum sit totum Christum sub unâ specie sumi, ex concomitantia alterius: hâncque sententiam Concilium Constantiense, post multam eâ de re occasione Boëmorum disputationem approbâsse. Utrùm verò aliquibus esset úsus Calicis permittendus, major extitit controversia; Hispanis omnibus, & qui eis addicti erant, id omninò negantibus, eò quòd ejus concessio multas alias secum traheret difficultates; & Protestantes, præterquàm non alium in finem eum urgerent, nisi ut inde astruerent Synodum agnoscentem errâsse Ecclesiam in auferendo laïcis calice, hunc errorem emendare voluisse; inde subinde ad aliorum rituum Ecclesiæ innovationem postulandam transituros: Aliis contrà censentibus, cum Germanis, Hungaris, aliísque earum regionum populis, non solùm Protestantibus, sed etiam Catholicis eum vbique ferè sitientibus, pro quibus etiam Cæsar, Dúxque Bavariæ, & oratores Hungarici intercedebant, concedendum esse ijsdem conditionibus, quas olim Paulus III. approbaverat; nec adeò rigidè cum infirmis fratribus agendum, quin aliquid charitatis aspectu condonandum esset in re olim legitimo usu receptâ, & post desuetudinem rursùm concessâ. Quibus & sese pro parte suâ Galli oratores adjungentes, postulârunt demùm, ut si aliter statueretur, id absque præjudicio fieret prærogativæ Regum suorum, qui inauguratione suâ calicem accipere consueverunt; & consuetudinis receptæ ab antiquo in quibusdam regni monasteriis, calicem monachis non conficientibus statis temporibus ministrandi. De dandâ parvulis Eucharistiâ censuerunt omnes Eucharistiam non esse sacramentum necessitatis, nec debere ministrari nisi iis qui recta ratione uti possunt; etiamsi alicubi in veteri Ecclesiâ secùs observatum fuisset.

XXX.

Secundùm quæ, ubi venit dies decimus sextus Iulij consessui destinatus, quamvis in eo nihil quàm quòd jam bis factum fuerat, agi, nempè ut in sequentem omnia prorogarentur, quousque Episcopi Galli advenissent, oratores Galli cum aliquot Episcopis peterent; obnitentibus contrà Legatis, ut ad vitandam ignominiam aliquid decerneretur: celebratâ *Sessione V.* sub Pio XXI. ab inchoata Synodo, post consueta solemnia, ab Episcopo celebrante recitatum est Decretum doctrinæ de communione sub utrâque specie, & parvulorum, quatuor constans capitibus: 1. Laïcos, & clericos non conficientes, non obligari jure divino ad Eucharistiæ Sacramentum sub utrâque specie sumendum: neque ullo pacto, salvâ fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. 2. Potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Ideóque licèt ab initio Christianæ religionis, non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, gravibus & justis causis adductam, consuetudinem sub alterâ specie communicandi approbâsse, & pro lege habendam decrevisse; quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate, pro libito mutare non liceat. 3. Totum atque integrum Christum sub altera specie sumi: ac propterea nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam solam accipiunt. 4. Parvulos usu rationis carentes, nullâ obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: neque tamen damnandam esse antiquitatem, si eum morem in quibusdam locis aliquando servaverit. Hísque quatuor articulis totidem addita anathemata, contra eos, qui ejusmodi doctrinam negarent aut impugnarent. Et quod ad duos alios propositos articulos, utrùm Calicis usus nullâ ratione esset cuiquam permittendus; & si permittendus, quibus conditionibus fieri deberet: declaravit Synodus, se in aliud tempus eos definiendos reservare: hæc videlicèt addens in satisfactionem illorum, qui ea definiri urgebant, & ut hâc spe Protestantes allicerentur ad Synodum. Lecta deinde novem capita reformationis, de collatione Ordinum, literis dimissoriis, & testimonialibus, gratis concedendis; de nullo clerico sæculari ad sacros ordines promovendo, absque titulo sufficiẽti; de distributionibus quotidianis per Episcopos instituendis; de parochiis dividendis, aut uniendis; de coadjutoribus, parochiis minùs aptis dandis; de beneficiis simplicibus collapsarum ecclesiarum, in alias transferendis; de beneficiis qualitercumque commendatis per Episcopos visitandis; de quæstorum, ob eorum absus irremediabiles, nómine & usu ubique abolendo. Ac demùm proxima Sessio indicta est in feriam 5. post octavam Nativit. B. Virg. 17. Septembris.

Sessio XXI.

Decreta de communione Euchar.

Decreta de reformatione.

XXXI.

Propositi pòst à Legatis articuli pro illâ Sessione discutiendi, de sacrificio Missæ, ejúsque institutione, & efficacitate; de aquâ vino mixtâ, ac cæremoniis in celebratione Missæ servari solitis. Super quibus post longas consultationes & disceptationes, formata sunt decreta, quorum fit mentio in Sessione. In hâc autem de Sacrificio Missæ discussione, primùm auditus est in Congregatione *Iacobus Lainius* Societatis IESU Præpositus generalis, recèns è Galliâ jussu Pontificis Tridentum appulsus. De quo fuit aliqua cum ceterorum antiquiorum Ordinum Generalibus qui aderant, de loco honoratiore controversia, quòd Magister cæremoniarum in Generalium subselliis proximum ei post Canonicorum Regularium Generalem, sedendi locum assignâsset; quippe cujus Ordo Clericorum esset, quos Monachis præferri nullum esset dubium. Offerente verò Lainio ad conservandam concordiam, imum locum tenere, modò testatum esset Societatem esse è genere Clericorum; nihilominùs Legati ad litem dirimendam ita rem temperatam voluerunt, ut Lainius extraordinario loco in subselliis Episcoporum sederet, verùm sententiam postremus Generalium diceret. Et quòd nihilo seciùs dissipatus fuisset ubique rumor, Lainium Præsulibus invitis sese in locum sibi non debitum intrusisse; iidem Legati eum extinguendum rati, testimonium scripto dederunt, cum nullis Prælatis contradicentibus,

Controversia de loco Generalis Iesuitar.

sed

sed potiùs cooptantibus, & Papa jubente, juxta consuetudinem jampridem in Ecclesiâ Dei receptam; quâ Generales Religionum cum suffragio definitivo ad Concilia admitti solent, & ipsum ut Præpositum Generalem approbatæ Religionis esse admissum; Cùm autem hujus Societatis religiosum institutum, Presbyterorum, & non Monachorum sit, ac de jure Presbyteris & Monachis sua in Conciliis loca assignari soleant à Magistro Cæremoniarum; dubitationem exortam esse, quo in loco præpositus ille constituendus esset, num ut Presbyter ante Monachos; an ut posteriùs institutæ & approbatæ Religionis caput post antiquarum Religionum capita sedere, & sententiam suam dicere deberet: Licèt autem Præpositus, Presbyterorum & non Monachorum esse suum institutum affirmaret, & constare vellet; quod tamen ad sedendi & dicendi locum attineret, modestiæ & pacis studio postremum inter Generales se velle declarâsse, & reipsâ postremum postulâsse: Ipsos verò Legatos, cum ex aliis Conciliis exemplum non haberent, quippe, cùm post ultimum Lateranense hæc Religio Presbyterorum instituta & approbata fuisset, nihil de loco legitimo statuentes, extraordinarium locum eidem Præposito, & à Monasticarum Religionum Generalibus sejunctum; ut sine Presbyterorum præjudicio suam sententiam post alios Generales diceret, assignari jussisse. Extat apud Sacchinum[r], hujusmodi Legatorum ac Præsidum Concilij testimonium; ex quo rei gestæ veritas cognosci potest: & Polani in Actis Concilij calumnia, vel saltem assertionis ambiguitas intelligi; dum scribit, Lainium non fuisse contentum postremo inter Generales Regularium loco: factúmque inde, ut catalogo eorum qui Synodo interfuerunt, ejus nomen non reperiatur inscriptum. De loco namque jam res soluta est. Quod verò inscriptionem Catalogi; omissum fortè fuerit Lainij nomen in aliquibus editionibus, certè in Romanis & Germanicis quas vidimus, inscriptum disertè habetur ejus nomen, vel ultimo loco, vel ubi Generalis Capucinorum inscriptus quoque reperitur, penultimo ante ipsum.

r Sacchin. epist. Soc. Iesu. tom. 2. lib. 6. § 79.

XXXII. LABORANT LEGATI PRO FINIENDO CONCILIO.

Quod ad decisionem Concilij de rebus propositis; nequid de iis statueretur ante adventum Gallorum, qui in procinctu erant, Lansacus orator regius; nec ante Ordinum Imperij conventûs exitum propediem futurum, Archiepiscopus Pragensis Cæsareus, enixè seduloque institerunt: quibus & multi alij adhæserunt, respectu etiam Polonorum, qui brevi adfuturi asserebantur. Sed minimè auditi sunt; tum ob ceterorum tantæ moræ tædium tempore difficillimo, & summâ annonæ caritate; tum quòd mandâsset Pontifex Legatis Synodi finem maturare. Ad quem etiam assequendum, altercationésque minuendas, duo plurimùm contulêre: Unum, quòd Rex Hispaniæ ad suos scripserit, ut quandoquidem Cæsari Gallиæque Regi declaratio Continuationis Synodi adeò displiceret, ac si fieret dissolvendo Concilio occasionem ministrare posset, ab ulteriori ejus postulatione penitùs cessarent, modò ex alterâ parte nulla novæ Indictionis declaratio requireretur, sed Concilium, uti cœperat, ita porrò procederet. Alterum, quòd Legatorum industriâ, ad vitandas prolixiores rixas, & quod Cæsari satisfactum vellent, factum sit ut articulus Calicis ad Pontificem remitteretur; apud quem faciliùs de eo tractare Cæsar posset, quàm in Synodo, ubi qui eum concedendum negabant, numero longè potiores erant.

XXXIII.

His igitur sic stabilitis, & nonnullis præterea reformationis capitibus digestis; gravissimè repulsam prorogationis Sessionis ferentibus oratoribus Gallicis, (an verò justè; cùm jam Episcopi annum expectarentur? quasi scilicèt utiliores essent bellis Gallicis, quàm decretis Concilij, sed dilationis causa in Cardinalem Lotharingium conjicienda; qui à negotiis religionis & regni, quibus non parùm utilis in tantis turbis erat, difficilè divelli poterat, volebátque ipse Episcopos ad Concilium ducere,) adveniente die decimaseptimâ Septembris, habita est *Sessio* VI. sub Pio, XXII. ab inchoatione Concilij sub Paulo III. Quâ post consueta solemnia, ab Episcopo qui Missam celebravit lecta sunt Novem Capita doctrinæ de Sacrificio Missæ; quorum summa est; Christum in novissimâ Cœna illud instituisse: esse propitiatorium tam pro vivis, quàm pro fidelibus defunctis: Deóque soli offerri, etiamsi nonnunquam in honorem & memoriam Sanctorum: Canonem Missæ, ab omni errore purum esse: sicuti & ritus, ac cæremonias in Missæ celebratione ab Ecclesiâ adhibitas Missas; in quibus solus sacerdos communicat, verè communes esse: Aquæ in calice mixtionem; sanctam probari multis rationibus: Non expedire ut Missa passim linguâ vulgari celebretur: ejus tamen mysteria populo esse frequenter inter celebrandum exponenda. Addita contra hujus doctrinæ adversarios, totidem Anathemata. Itémque Decretum, de observandis, & vitandis in celebratione Missæ. Aliúdque de Reformatione, undecim capitibus constans; de honestate, vitâ, ætate, atque idoneitate, clericorum, & promovendorum ad Episcopatus; aliásque dignitates aut beneficia Ecclesiastica: de distributionibus quotidianis; dispensationibus Episcoporum; ultimarum voluntatum commutationibus; appellationibus: piis dispositionibus quorumcumque Collegiorum, aliorúmque locorum; quæ pleniùs atque distinctiùs explicata, in Decretis Concilij legere licet. Ubi & demùm additur Decretum de remissione ad Pontificem, duorum illorum articulorum circa communionem Calicis in Sessione XXI. reservatorum. Atque ultimo futura Sessio indicta est in feriam quintam post Octavam festivitatis omnium Sanctorum, 12. mensis Novembris; in qua decernendum esset de Sacramentis Ordinis, & Matrimonij. (Quæ tamen variis de causis dilata fuit usque ad diem decimamquintam Iulij anni proximi.)

SESSIO XXII.

DECRETA DE SACRIFICIO MISSÆ:

ET DE REFORMATIONE.

XXXIV.

Interfuerunt huic XXII. Sessioni, unà cum aliis; etiam procuratores Episcoporum Ratisbonæ *Georgij à Pappenheim*, & Basileæ *Melchioris à Liechenfels*; qui recepti primùm fuerant in Congregatione generali die tertio Augusti, delatúsque imprimis honor Basileensi; cum ignominiâ illius civitatis, quæ cum Epi-

scopo de titulo contendebat; neque Basileensem, sed Porentrutensem dici volebat, ab oppido illius diœcesis, in quod se Episcopi, post ablegatam à civitate religionem Catholicam receperant. Eâdémque Sessione lectæ fuêre, Literæ *M. Antonij Amulij* Cardinalis natione Veneti, Ecclesiarum Orientalium Christianam fidem profitentium Protectoris, de adventu Romam *Abdyzu Patriarchæ Muzalæ* in Assyriâ ultrà Euphratem; unà cum aliis ejusdem Abdyzu, quibus excusabat sese apud Synodum, quòd propter itineris longinquitatem eò non proficisceretur; rogabátque ejus decreta Concilio finito ad se mitti, quæ singula observari curaturus esset. Lecta & ejus Fidei professio, quam his verbis miserat; quæ apud Surium [f] & Onuphrium, & in Orationibus [t] Concilij leguntur: *Confessus sum puro corde, & fide non fictâ, coram Reverendissimis DD. Michaële tituli S. Sabinæ Alexandrino, & M. Antonio tituli S. Marcelli Amulio S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, in hanc formam: Ego Abdyzu* (hoc est servus IESU) *filius Ioannis de domo Marciâ, ex civitate Gezirâ in Tigri flumine, olim monachus S. Antonij monasterij Sanctorum Rochæ & Ioannis fratrum, electus Primas, sive Patriarcha civitatis Muzalæ in Assyriâ Orientali, Iuro quòd ita corde credo, & ore confiteor, S. R. E. fidem, approbatis omnibus & singulis illis, quæ ipsa approbat, & damnatis similiter omnibus quæ ipsa damnat. Amplector, & perpetuò me amplexurum & retenturum esse profiteor & promitto, & omnes fratres meos Metropolitas, sive Episcopos ac diœcesanos, quovis modo meæ jurisdictioni subjectos, ita tenendum & credendum esse docebo; & modis omnibus quibus potero persuadere conabor. Ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. In quorum fidem hanc meam fidei professionem & attestationem manu mea scripsi, &c. Actum Romæ die septimâ Martij anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo.* Fuisse virum doctum, Chaldaicis, Arabicis, & Assyriis literis ornatum; ac de multis & difficillimis quæstionibus interrogatum, scitè respondisse, tradunt: cunctósque Veteris ac Novi Testamenti libros, antiquos Græcos Latinósque Patres, Chaldaicâ, Assyriâ, & Arabicâ linguâ versos, & alios Latinis ignotos, quos memoriter tenebat, legisse: Asseruisse, omnes ferè Romanæ Ecclesiæ ritus & sacramenta apud suos servari: fidémque Christi ab Apostolis Thomâ & Thaddæo, ipsorúmque discipulo Marco, majores suos accepisse, & hodie retinere: Ejus jurisdictionem ad interiores usque Indos penetrare: Romam ad Apostolorum Limina, & Pontificem salutaturum, cum aliquot sociis pervenisse, ut ab eo confirmatus, Pallium de corpore sancti Petri susciperet: Pontifici perpetuam obedientiam promisisse, & per interpretem fidem professum esse. Quod ipsum Iulio III. Pontifice Simonem Sulacam, hujus Abdyzu, ut putamus, decessorem immediatum, Romæ item præstitisse vidimus [u]. Redeunti porrò in patriam huic Abdyzu, Pontificem, auctore Amulio Cardinale qui eum Romæ fovit, ampla munera liberaliter contulisse; denique ejus jam ad suos reversi literas Romam allatas se vidisse, idem Onuphrius scribit: qui etiam cum ipso Romæ per interpretem egisse, & ab eodem prædicta accepisse, testatur. Tridenti verò, ubi in Sessione lectæ fuêre literæ Cardinalis Amulij, eadem de protensione jurisdictionis hujus Patriarchæ in regiones etiam Indiæ quæ Lusitaniæ Regi parerent, asserentes; orator Lusitanus protestatus est, Antistites Orientales Regi suo parentes, neminem Patriarcham superiorem agnoscere; atque uti hujus Patriarchæ admissione, neque ipsis, neque Regi suo ullum crearetur præjudicium.

ABDYZU PATRIARCHÆ PROFESSIO FIDEI.

f Sur. in comment. Onuph. in Pio IV. t Edit. Lovan. an. 1567.

u Supr. an. 1553. XVI.

XXXV. Post hæc agi cœptum est in Congregationibus de Sacramento Ordinis, & an sit tantùm unum Sacramentum; de Hierarchiâ Ecclesiæ; de Sacerdotio & Episcopatu, eorúmque differentiâ; de unctione, & aliis cæremoniis in eorum consecratione & ordinatione adhiberi solitis, ac de consensu plebis. Ad quæ protésis disputationibus quæ solent inter Theologos & Canonistas agitari, sensim etiam descensum est ad disceptatam jam anteà quæstionem de Institutione Episcoporum, & superioritate in presbyteros jure divino, quæ multos dies Theologos & Patres exercuit; permultis eam pluribus Scripturæ ac Patrum auctoritatibus & testimoniis, aliisque rationibus & argumentis, confirmantibus, ac præcipuè Hispanis, plerisque verò Italis non solùm quæ ab iis dicta essent, contrariis auctoritatibus, testimoniis, rationibus, atque argumentis, impugnare satagentibus, & quanto cum periculo id decerneretur considerantibus; quandoquidem inde necessariò consequendum putarent, claves non fuisse soli Petro datas, nec esse Ecclesiæ regimen monarchicum, sed futuros Episcopos æquales Pontifici, cui nihil relinqueretur nisi quædam præ aliis prærogativa: Dignitatem Cardinalium jam Episcopis tanto superiorem, in antiquam formam, quâ erat iis longè inferior, ablegandam, remansurósque eos puros presbyteros aut diaconos: denique consecuturam necessitatem Residentiæ de jure divino, adeò controversam; multáque alia oritura incommoda, quibus tota Ecclesiæ œconomia, ingenti fidei Christianæ & religionis Catholicæ damno, subverteretur. Quæ cùm magnis utrimque animis disceptarentur, die 25. Octobris receptus est de more in Congregatione orator Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, *Valentinus Herbutus* Episcopus Præmisliensis. Appropinquante verò die 12. Novembris Sessioni destinato; audito quòd Cardinalis Lotharingius Italiam ingressus esset, cum multis Episcopis, Abbatibus, & Theologis, visum est non solùm Sessionem, verùm etiam Congregationes, usque in adventum ejus differre.

DISCEPTATIO DE INSTITUTION. EPISCOPORUM.

XXXVI. Qui tandem die 13. ejusdem Novemb. Tridentum ingressus est; exceptus longiùs extra urbem à Cardinale Madrutio Episcopo Tridentino; cum multis Prælatis, ac Principum oratoribus; & ad portam urbis ab omnibus Cardinalibus Legatis, atque in hospitium deductus, equo vectus medius inter duos priores Mantuanū & Seripandum. Die 23. in Congregatione generali, oblatis literis regiis de suâ missione, & causis ejus; videlicèt ad procuranda quæ necessaria essent ad regni trãquillitatem, & totius Christianæ Reipublicæ salutem: elegantem orationem habuit de Gallicarum rerum

CARDIN. LOTHARINGII CUM EPISCOPIS GALL. ADVENTUS TRIDENTUM.

statu; cum exhortatione ad Patres, ut novæ & infructuosæ quæstiones vitarentur, & de reformatione morum & Ecclesiæ disciplinæ decerneretur. Vehementioremque Ferrerius unus ex oratoribus regiis, in eumdem sensum, quæ omnes publicatæ fuêre Respondens verò primùm Cardinali Mantuanus Legatorum primus, paucis laudavit eum, ob laborem ad Dei gloriam susceptum, attestatus Synodum totam ejus adventu recreari. Idque ipsum mox nomine Synodi præstitit uberiùs Mutius Calinius Archiepiscopus Iaderensis, patriâ Brixiensis; dolens imprimis de turbato Galliæ statu, omniáque promittens à Synodo, quæ ejus tranquillitati conferrent; atque inde in laudes Cardinalis effusus, gratulatus est adventum, cum certâ spe fore eum rebus Synodicis valdè compendiosum. Interfuit is porrò deinceps Congregationibus, & in sententiis dicendis magnam eloquentiæ & zeli laudem adeptus est; sicut & ceteri Galliæ Præsules: quamquam non sine invidiâ multorum tam Romæ quàm Tridenti existentium, qui valdè animi anxij erant de propositionibus, & postulationibus ab ipsis faciendis, tùm de variis aliis rebus, tum de reformatione Curiæ, & abusibus tollendis; maximéque ob summam Cardinalis auctoritatem. Quæ suspiciones, variáque consilia, plurimæ artes & molitiones, ad hæc vitanda aut impedienda à diversis adhibitæ, leguntur in Collectione Literarum & Instructionum cujus meminimus, & apud Polanum, ceterósque nonnullos auctores. At nobis nec in iis, nec in ceteris verborum acrimoniis, & mutuis in sententiis dicendis aculeis, qui in singulis ferè Congregationibus, atque in singulis de rebus quibuscumque propositis disputationibus, sicut & antehàc, ita & posthàc contigisse dicuntur, immorari visum, sicuti nec hactenùs fecimus) ne tempus frustrà trahamus, & fortè in multis decepti alios quoque decipiamus: satísque sit enarrandis iis tantummodo quæ directè ad decreta, aliásque res principales Concilij pertinent, de more intendere.

XXXVII. Incipit controversia de loco oratoris Hispani.

In quibus non omittendum quod paulò post adventum Lotharingij contigit; nimirùm quòd cùm post discessum à Synodo Marchionis Piscarij oratoris Regis Hispaniæ, *Claudius Ferdinandus Quignonius* Comes Lunensis fuisset à Philippo Rege ad id muneris destinatus; missus interim in Germaniam ad coronationem Maximiliani filij Ferdinandi Cæs. de quâ dicetur inferiùs: significavit is Legatis Concilij, sibi Tridentum veniendum veluti oratori Regis Hispaniæ, sed antequàm eò veniret, scire cupere quis sibi locus esset assignandus. Legati eâ de re anxij, ac præcipuè Mantuanus, cum minimè ignoraret quanti momenti esset ut Philippi oratores interessent Concilio, nec tamen propterea Regem Galliæ injuriâ affici vellet: re cum oratoribus Caroli communicatâ, rogavit ut aliquam hujus controversiæ componendæ rationem excogitarent: & quid interim sibi in mentem veniret aperiens, proposuit, ut ipsi quidem de more secundùm Imperatoris oratores sederent, Hispano verò seorsim locus ex adverso Legatorum, aut infra oratores Ecclesiasticos, aut demùm seorsim infra omnes oratores sæculares assignaretur. Ad quæ oratores Galli responderunt, ad lites componendas haud quaquàm se missos esse, sed ut locum Regi suo debitum, & semper absque cujuscumque controversiâ concessum tenerent. Haud sibi in animo esse, in re quâcumque Regis Hispaniæ juribus quicquam detrahere, sed ei omnem honorem debitum deferre, pro eâ affinitate & amicitiâ quâ Regi suo conjunctus esset. Siquid verò Patres contra hæc decernerent, aut alius Hispano locus tribueretur quàm solitus ut eodem ordine infrà ipsos ederet, sibi injunctum esse, quamprimùm Tridento unà cum Prælatis omnibus Gallicis discedere; protestatione priùs factâ de nullitate actorum Concilij, cujus decretis regnum Galliæ haud staturum esset. Quid verò pòst acciderit, dicetur in Sessione Concilij XXIII. anno sequenti.

XXXVIII. Galli censent residentiam de iure divino.

In quem etiam remittimus quæ ad cetera Synodi decreta pertinent; cùm præsentis pars reliqua tota insumpta fuerit in cœptis disputationibus de Institutione & Residentiâ Episcoporum: quarum causâ, ob longas & morosas opinantium sententias, propositæ sæpiùs Sessiones nequaquam celebrari potuêre. Qui enim eas esse de Iure divino priùs contenderant, ac præcipuè Hispani, animosiores facti suppetiis Gallorum, id rursum vehementiùs urserunt: siquidem Galli absque ullâ verborum circuitione, vel ambiguitate, quâ multi videbantur uti ne vel Legatos, vel Pontificem, haud in eam sententiam ob rationes anteà allatas, proclives offenderent, clarè & rotundè utramque esse de Iure divino, uno consensu decreverunt. Unde per ludibrium ab Italis, sequioris sententiæ propugnatoribus, dici, cœpit, De scabie Hispanica incidisse ipsos in luem Gallicam. Qui verò has quæstiones indeterminatas remanere tamquam non necessarias, & turbarum incentiva, volebant; (quorum etiam de numero Cardinalis Lotharingius erat, tametsi ejusdem esset cum ceteris Gallis pro jure divino sententiæ) eo præcipuo argumento utebantur, quòd nulla esset de iis cum hæreticis controversia; ac proinde ad Synodum non pertinerent, quæ solummodò damnandis hæresibus congregata esset. Negare hæreticos, Episcopos à Papâ electos esse veros & legitimos Episcopos: hoc damnandum esse, non in quæstionem adducendum, utrùm veri Episcopi sint instituti jure divino, vel eodem ad residentiam obligentur. Quâ in re persuadenda sæpiùs Varmiensis Legatus pius valdè & doctus verba fecit: Egregiè inter cetera censens, residendum potiùs, & re ipsa præstandum esse, non disputandum quo jure id facere teneantur Episcopi; & ut maximè verum sit, residentiam esse juris divini, tamen perpetuam esse juris divini nequaquàm asseri posse, cùm varij dentur casus quibus liceat non residere. Et Episcopos quidem divino jure esse institutos, sed ministerio Romani Pontificis; ita ut Pontifex divino jure, quod habet à Christo, constituat Episcopos; & qui constituuntur ab eo, sint divino jure constituti: vocatos esse Episcopos à Deo sed suæ à Deo vocationis testes, esse Literas Pontificias. Quomodò verò tandem res composita fuerit, dicetur anno sequenti.

XXXIX. Pius Pont. Curiam et tribunalia Rom. reformat.

[x] Ext. in Bullar. ant. edit. to. 1. P. IV. const. 69. & recent. edit. to. 2 const. 53. & seqq.

Intereà verò Pontifex, cùm cerneret plerosque reformationem Curiæ flagitare; ut eam ipsemet absque operâ Concilij, sicut sæpè promiserat, exequeretur, multas constitutiones [x] promulgavit diversis hujus anni mensibus, quibus Officia Pœnitentiariæ, in quo morum censura & salus animarum præcipuè vertitur; Correctoris Cancellariæ, ubi literæ Apostolicæ, justitiæ sub nomine Romani Pontificis, ac sub plumbo expediuntur; Cameræ Apostolicæ, in quo non solùm patrimonij B. Petri, sed universorum Fisci Apostolici jurium conservatio & administratio versatur; Auditoris ejusdem Cameræ, qui non modò Romanæ Curiæ Iudex ordinarius existit, sed in totâ temporali jurisdictione Ecclesiæ Romanæ, ac universis Christiani orbis provinciis & regnis, ex indulto diversorum Romanorum Pontificum in civilibus & criminalibus, jurisdictionem exercet; aliorúmque Tribunalium ordinariorum, ac Iudicum Romanæ Curiæ; itémque Advocati & Procuratoris pauperum, & Fisci Cameræ; necnon Referendariorum Signaturæ Iustitiæ; reformavit, diversos abusus, ex superiorum temporum licentiâ & incuriâ in eâ illapsos tollens, & ad pristinam integritatem revocans. Palatij quoque Apostolici Auditorium, (quam Rotam vocant, quod in orbem sedeant) in quo universorum Christi fidelium graviores causæ per duodecim summæ virtutis & doctrinæ viros, ex omnibus mundi partibus magnâ cum diligentiâ conquisitos, maturè cognoscuntur, & magnâ cum integritate & justitiâ terminantur, attingens; quamquam in eo pauca admodùm correctione digna offendisset, ut tamen nihil intactum relinqueret, nonnulla potiùs pro litibus abbreviandis, ac partium dispendiis minuendis, providenda censuit. Loca pia, & Confraternitates, quæ vi privilegiorum à jurisdictione Ordinariorum exemptæ, multa illicita committebant contra eorumdem Ordinariorum & parochorum auctoritatem, illorum jurisdictioni & obedientiæ penitùs subjecit. Indulgentias, peccatorum remissiones, concessiones, gratias, privilegia Fabricæ basilicæ S. Petri, Hospitali S. Spiritus, & aliis quibuscumque locis piis & Confraternitatibus ubivis locorum concessa, cum facultate etiam dispensandi cum iis qui charitativa opera erga illa exercerent, & super irregularitatibus, impedimentis matrimonialibus, & aliis defectibus, omninò revocavit, ac planè sustulit: edicens pariter, ut Indulgentiarum gratiæ ab omnibus officialibus citra clausulam porrectionis manuum adjutricum, & gratis expedirentur; indignum censens, pro concessionibus Indulgentiarum, quæ in solis meritis Passionis Dominicæ, & gloriosorum Martyrum ac Sanctorum consistunt, aliquid temporale exigatur. Ac denique ordinationes à decessoribus Pontificibus circa electionem Summi Pontificis Sede vacante, & observantiam conclavis, factas innovans, alias etiam addidit pro rerum & temporum necessitate; cum declaratione jurisdictionis, eodem vacationis tempore, Collegij Cardinalium, Camerarij, Majoris Pœnitentiarij, Datarij; aliorúmque Officialium Urbis, & Custodum Conclauis. De confirmatione autem Ordinis militaris S. Stephani à Cosmo Duce Florentiæ instituti, ab eodem Pontifice hoc item anno factâ, jam dictum est superiùs [y] in ejus Institutione.

[y] Supr. an. 1554. V.

XL.

Protestantium autem Germaniæ, quorum præcipuè causâ Concilium Tridentinum convocatum fuerat, & pro quibus ad illud agnoscendum olim Carolus Imp. inde Ferdinandus adeò laboraverant, alia fuit omninò mens, alius animus. Cùm enim in celeberrimo Conventu Francofordiensi, mense Novembri habito pro electione Regis Romanorum, cui cum Ferdinando Cæs. interfuit Maximilianus ejus filius nuper coronatus Rex Boëmiæ, ceterique omnes Electores Imperij; à quibus electus est in Regem die vigesimo quarto Novembris idem ipse *Maximilianus*, multis egregiis corporis & animi dotibus ornatus; & ultimo ejusdem mensis in festo Sancti Andreæ solemni celebritate coronatus: (quæ res peculiaribus libellis [z] descripta extat; unà cum oratione Legati Turcici, ad Ferdinandum cum muneribus à Solimano missi, prò confirmatione octennium induciarum, quas Angerius Busbequius Ferdinandi legatus, sub pensione tributi annui triginta millium aureorum, Constantinopoli pepigerat, & literis Solimani ad eumdem Ferdinandum singulas conditiones pactionis continentibus:) his finitis cœpisset Ferdinandus cum nonnullis Protestantium agere ut Concilio Tridentino vellent adhærere: econtrà illi unà cum sociis responsionem obtulerunt, quam in Conventu Naumbergensi anni superioris promissam huc usque distulerant. In quâ causis expositis cur ad Concilium à Pio Pontifice indictum accedere non possent, & ob quas in multis Comitiis Imperialibus ad Concilium liberum ac legitimum provocâssent, jámque de novo provocarent; conditiones subjunxerunt, quas in Concilio, cui ipsi interventuri essent, necessarias existimabant. Excusúsque tunc Francofordiæ est libellus eas singulas continens: nimirùm eadem ipsa Gravamina, ut vocabant, quæ jam sæpius proposita fuissent, numero duodecim; quæ & longissimis ejusdem generis & genij probationibus confirmare quæsierunt.

Maximilian. creatur Rex Romanorum.

[z] Ext. ap. Schard. in Oper. Histor. to. 3. & seorsim. alibi.

XLI. Protestantium oppositiones contra Concilium Trident.

Summa verò causarum capita fuerunt: (recensere namque visum, ne occultare voluisse videamur; tum ut ipsâ solâ recensione, quàm levis, seu potiùs nullius fuerint ponderis propalemus.) 1. Quòd Concilium illegitimè & contra manifestum jus indictum esset: quippe quod non Pontifici Romano, sed Imperatori & Principibus competeret. 2. Quòd Concilium liberum, ad reconcilianda Germaniæ de religione dissidia, debuisset in ipsâ Germaniâ loco opportuno fieri: Tridentum autem non Germaniæ, sed Italiæ oppidum esset, ipsísque valdè incommodum, & suspectum. 3. Quòd non esset generale & œcumenicum, sed ex solis personis Papæ subjectis constaret, laïcique excluderentur, qui etiam admitti, & judices sedere deberent. 4. Quòd non esset liberum, sed servum: sederétque in eo judex qui reus esset, & Episcopos haberet sibi juramento obstrictos, ac velut miserrima mancipia. 5. Quòd non solum non liberum, sed nec

Christi

Christianum censeri posset: quippe non in eo Christus, & Verbum ejus, sed decreta hominum prævalerent. 6. Quòd Curia Romana, & regnum Pontificium scateret vitiis fœdissimis; ac propterea non esset æquum, Pontificem in eo Iudicis partes sibi assumere. 7. Quòd Romæ omnia essent venalia, cum manifesto simoniæ crimine: ideóque nefas esset cum simoniacis convenire, quos Christus de templo ejecit. 8. Quòd Pontifices & monachi doctrinam invexerint densissimis tenebris obsitam, & impiis erroribus refertam tam in fide, quàm moribus. 9. Quòd cùm impia decreta promulgata fuissent prioribus Concilij Sessionibus, ex iis daretur intelligi qualia futura essent quæ deinceps condenda forent. 10. Quòd à multis jam annis plus satis ostensum esset, Pontificum Romanorum Concilia plus incommodi attulisse quàm commodi, ac majores turbas civisse. 11. Quòd Pontifex Confessionis Augustanæ professores neutiquàm pro membris Ecclesiæ agnosceret, sed pro hæreticis per excommunicationem ab eâ ejectis. 12. Quòd ijdem Augustani religione conscientiæ impedirentur ei Concilio adhærere; quippe qui scirent se viam veritatis tenere, ac periculum esset prævaricationis: sic enim & antiquos Patres fugisse Concilia impiorum.

XLII. CONDITIONES AB IIS IN CONCILIO REQUISITÆ.

His verò duodecim Gravaminibus non minùs prolixam de formâ atque ratione, quam pro celebratione œcumenici Concilij servatam vellent, tractationem totidem articulis comprehensam addiderunt, quorum fuit summa, 1. de Indictione per Cæsarem faciendâ: 2. de celebratione intra Germaniæ limites, 3. de personis, quæ interesse deberent: 4. de facultate decernendi etiam laïcis concedendâ: 5. de iis quæ ampliùs requirerentur, ut esset reverà universale. 6. de relaxatione juramenti, quo Episcopi & ecclesiastici obstricti tenentur Papæ: 7. de juramento calumniæ exigendo ab omnibus vocem decisivam habituris: 8. de prioribus decretis Concilij Tridentini abolendis: 9. de præsidentiâ soli Christo tribuendâ: 10. de normâ seu regulâ Iudicij, constituendâ sacrâ Scripturâ: 11. de auctoritate, quæ Patribus & Conciliis veteribus attribui deberet: 12. de eorum scriptis & decretis ad sacræ Scripturæ examen revocandis. Ita enim hæc capita, post Gravamina illa, dinumerata reperiuntur; cùm nihilominùs decem tantummodò tunc Cæsari oblata, sed eodem ferè recidentia, invenerimus: videlicèt. 1. ut in Germaniâ celebraretur: 2. ne à Papâ indiceretur: 3. ut is non præsideret, sed Concilij pars esset, & ejus decretis subjectus: 4. ut Episcopi & ceteri Prælati immunes essent à juramento Pontifici præstito, quò possent liberè, & sine præjudicio sententiam dicere: 5. Ut Scriptura diuina judex esset: 6. Ut Theologi Augustani vocem haberent non solùm deliberativam, sed etiam decisivam: daretúrque eis salvus-conductus, non solùm quoad personas, verùm etiam quoad religionis exercitium: 7. Ut decisiones non fierent ex maiori suffragiorum numero, sed præferrentur sententiæ meliores, hoc est quæ cum regula Verbi divini consentirent: 8. ut acta præcedentia Concilij Tridentini pro irritis haberentur, cùm ab unâ tantùm partium celebratum fuisset: 9. ut si in Concilio concordia de religione non sequeretur, conditiones saltem Passavienses in Germania inviolatæ permanerent: 10. ut de omnibus his articulis cautio idonea daretur. Quo accepto scripto, Ferdinandus Cæsar, ne illorum animos alieniores aut exacerbatiores redderet, qui pacis conservandæ studiosissimus erat, pollicitus est se concordiæ conciliandæ operam daturum, ac Concilium procuraturum, cui ipsi intervenire cum ratione recusare non possent: eâque de causâ accessurum Tridentum; aut saltem ex Oeniponte oppido, trium tantummodo quatuórve dierum itinere distânte, quò propediem profecturus erat, quod è re esset curaturum.

XLIII. DE BELLO GALLICO.

In Galliâ cùm bello utrimque acriter ageretur, & Catholici plerasque urbes ab hæreticis fraude occupatas vi recuperarent, nec parvis aut infrequentibus eos passim cladibus afficerent, haud tamen & ipsi ab iis immunes; Biturigibus à Rege (ipsomet unà cum Reginâ matre, Rege Navarræ, Duce Guisio, Connestabili, Marescallo Santandreano ab expugnatione Pictavij redeunte, aliísque Principibus & ducibus, in exercitu agente) obsidione & pactione receptis: itum est Rotomagum, ab Hugonotis item occupatum, quod tunc Gabriel Comes Mongomerius propugnandum susceperat; cum qui prius illud adversùs Aumalium Ducem fortiter defenderat, Ludovicus Lanoius Morvillerius Picardus, ubi duces Hugonotorum, tam regni jurium, quàm religionis avitæ desertores, de Rotomago, Diepâ, Portu-Gratiæ, & aliis maritimis oppidis, dedendis Anglis pro auxiliis militum & pecuniarum ab iis obtinendis, deliberâsse intellexit; tantum facinus execratus, ex urbe discessisset, & ad sua se recepisset. Portus autem Gratiæ à bonis illis religionariis in manus Reginæ Angliæ traditus est: missâque pòst ab eâ sex armatorum millia sub Comite Vvarvvicensi, & centum quadraginta aureorum millia. Oppugnatione autem Rotomagi ab exercitu regio cœptâ die decimo octavo Septembris, cum quâdam die *Antonius* Rex Navarræ fossas & aggeres visitans, minúsque sibi prospiciens, in sinistro humero sclopeti glande vulneratus esset; urbe post aliquot dies, nempè vigesimo sexto Octobris, expugnatâ: in lecto in quo erat, cùm citra periculum eo moveri non posset, ab Helvetiis succollatus, per ruinam muri quasi triumphans, ut potè exercitus regij imperator, præcedentibus more Germanorum æneis tympanis, urbem ingressus est. Unde cum ad S. Maurum altero à Lutetiâ lapide; ubi aër salubrior, adverso Sequanæ flumine devehi constituisset; vi morbi Andelij subsistere coactus, ibi animam Deo reddidit decimoquinto Calendas Decembris, trigesimo quinto à vulnere accepto die, ætatis anno quadragesimo secundo: cum antequàm itineri se daret, suasu præcipuè Vincentij Lauri medici sui, (qui posteà fuit Cardinalis) sacramentali peccatorum confessione, & sacratissimæ Eucharistiæ ritu Catholico sumptione, ad pium transitum se præparasset. Tentatus tamen iterum, ut quidam volunt, de fidei desertione ab

ANTONII REG. NAVAR. VULNUS.

EIUSD. OBITUS IN COMMUNIONE CATHOL.

altero medico hæretico, sed incassùm: quandoquidem eum verè Catholicum & in communione Ecclesiæ decessisse, certò constet ex literis [a] S. Caroli Cardinalis Borromæi nepotis Pij Papæ ad Reginam de ejus obitu scriptis. Corpus ejus ad sepulturam delatum est Vindocinum ad monumenta majorum. Fuit autem egregiâ Princeps corporis formâ liberali imprimis ac generoso ingenio præditus, virtute militari præstans, amore recti & rerum agendarum solertiâ insignis, quatenùs eum voluptates, à quibus frequenter raptabatur, minimè transversum agebant. Duobus filiis in infantiâ præmortuis, unicum superstitem reliquit *Henricum*, qui posteà Rex Galliæ extitit ejus nominis IV. & gloriosissimis facinoribus Magni cognomen adeptus: ac filiam unicam Catharinam.

a Ext. ap. Frizon. in Gall. Purp. in Car. II. Vindocin.

XLIV. CLERI GALL. SUBSIDIUM AD BELLUM.

Quo tempore cùm exhaustum esset Regis ærarium, Clerus Gallicus, ut ejus necessitatibus pro fidei Catholicæ propugnatione succurreret, concessit ei sedecies centena librarum annua millia in sex annos. Eàque de re factum est edictum, promulgatum in Senatu Parisiensi die vigesimo septimo Novembris, pro alienatione centies millium librarum reditûs annui bonorum Ecclesiæ, cum pacto perpetuæ redemptionis.

XLV. CONDEI VARIA CONSILIA.

Cùm autem, amisso Rotomago, (ubi Marloratus urbis minister, apostata Augustinianus, cum pluribus aliis factiosis, suspendio necatus est) & auditâ gravi Verensi in Petrocoriis clade, Monlucio cum Hispanorum auxilio illatâ Duracio sectario, suppetias ex Aquitaniâ Aureliam ducenti, (quam ipse Monlucius singillatim & accuratè in suis commentariis [b] describit) Condeus, qui se interim Aureliæ continebat, ita animo concidisset, ut de abitu cogitaret, nihil dubitans quin mox victor exercitus ad eum circumsedendum properaret: recreatus adventu Andeloti, fratris Admiralij Colinij, cum validis è Germaniâ ductis sub Marescallo Hessiæ subsidiariis copiis; eò audentiæ venit, ut etiam de invadendâ Lutetiâ consilium ceperit. Sed ducto ad suburbia usque exercitu, post inutile cum Regina matre extra urbem de concordia colloquium, nullo alio operæpretio, neque enim permittere Regina, prudentibus rationibus mota, voluit ut Guisius & Connestabilis pugnam, quamquam inferiores viribus, conserere quærentes, ad manus cum eo venirent: quantumvis, vanè cuncta mendaciterque agentes loquentésque Hugonoti, scripserint præ metu non ausos fuisse Catholicos, etsi longè viribus superiores, ad pugnam exire:) Normanniam versùs de consilio Admiralij duxit ad excipiendos Anglos. Verùm assequente eum apud Drocas, sive Druidas in Carnutum finibus, exercitu regio ductore Monmorantio Connestabili; factum est die decimonono Decembris prælium maximè memorabile: quo certatum est pro religione inter duces sanguine conjunctos; raróque exemplo amborum exercituum duces capti sunt, & victores victi fuêre. Quippe regiis peditatu adventitio Hispanico & Helvetico, hostibus equitatu Germanico superioribus, ductâ ab hora decima matutina usque ad noctem acerrima pugna; primo Monmorantius suffosso equo, & alio conscenso, mox sclopeti glande in maxilla inferiori, cum aliquot dentium excussione, vulneratus, & undique circumfusus, sese dedere coactus fuit: deinde cum jam debellatum esse hostes existimarent, irruens in eos Guisius cum prima acie, quæ intacta remanserat, ita rem restituit, ut ipse etiam Condeus, dum equo vulnerato in alium conscendere niteretur, à Damvilla Connestabilis filio captus fuerit; ambigua nihilominus remanente victoria; donec subducentibus se potius quàm fugientibus hostibus, Guisius campo in quo certatum fuit potitus est, captis etiam quatuor tormentis campestribus, cum aliquot militaribus signis. Santandreanus, dum victoriam persequeretur, incautè ab hostibus captus, inter manus deducentium sclopeti glande caput ictus interiit; sive id privatæ injuriæ vindictâ à quodam Meserio Bobinio, ut quidam volunt, factum fuerit; sive ut alij, ita jubente Admiralio, homine admodum sanguinario. Multi alij è primâ nobilitate partis regiæ in pugna cæsi: adeò ut longè major fuerit eorum qui vicere gloria, quàm lætitiæ occasio: cùm à parte hæreticorum, præter paucos nobiles nonnisi gregarij milites ceciderint. Memorandúmque de P. Aussuno nobili Bigerrone, & alæ cataphractorum præfecto, cujus virtus & fortitudo in bellis Subalpinis adeò celebris fuerat ut in proverbium abiisset; quòd cum prima clade fugientibus multis, ipse quoque pristinę illius existimationis immemor, à prælio abscessisset; ubi se collegit, tantam ex concepto pudore ægritudinem ceperit, ut se vita indignum identidem clamitans, nihil ceterorum ducum & amicorum, ipsiúsque Guisij, factum excusantium, voces moratus, eam postremò inedia finierit.

b Monluc. lib. 5.

PRÆLIUM DROCENSE.

CONDEUS CAPITUR.

XLVI.

Monmorantius, ne reciperetur à victoribus, tota nocte & postridie Aureliam tanta festinatione ductus est, ut inter eumdem senex ut erat & saucius semel dumtaxat paululum respirare permissus sit. Contrà verò Condeus à Guisio humanitatis omni genere ac cultu exceptus, apud eum in eadem mensâ cœnavit, & post cœnam cum lecti copia non esset, impedimentis sparsis aut amissis, cum ipso in eodem lecto pernoctavit. Nam cum Guisius suum honorificè detulisset, ipse culcitra straminea cubiturus; & Condeus vereretur, si conditionem acciperet, ne Guisio familiarius uteretur; si omninò recusaret, rusticè agere videretur; lectum cum illo partitus est. Atque ita summos duces, quos florentibus utriusque rebus inimicitiæ capitales divulserant, adversa alterius fortuna conjunxit; ut ferè in ambiguo reliquerit, utrius majore laude digna virtus Guisij, qui tanta moderatione usus sit, an Condei, qui se hostis anteà jurati fidei tantâ animi æquitate crediderit: Nisi quòd quæ Guisius victor pura sponte ac liberali animo in captivum præstitit, magis quid generosi sapere videatur; cum captivus Condeus ejus benevolentiam nonnisi cum gratiarum actione recipere potuerit. Qui deinde ad Regem ductus, inclusus est arci Onzinio Ambosiæ vicinæ sub valida custodia. Captis autem sic utriusque exercitûs ducibus, summa armorum

MIRUS FORTUNÆ CASUS IN DUOBUS DUCIBUS ADVERSARIIS.

præfectura Guisio à Rege delata fuit Admiralio ab Hugonotis: de quorum progressibus dicetur anno sequenti.

XLVII. [c] *Hadr. lib. 17.* BELCARII EPISCOPI METEN. ORATIO AD SYNODUM.

Prædicti autem Druidensis prælij seriem *Franciscus Belcarius* Episcopus Metensis, & historicus nobis frequentissimè commendatus, (ex cujus, & Hadrianij [c] ac Thuani præcipuè commentariis, brevem nostram narrationem compilavimus; cujus etiam Belcarij fratris filius Gilbertus Belcarius, alæ Martigianæ legatus, eo prælio occubuit:) tunc Tridenti existens unà cum Cardinale Lotharingio Guisij fratre, ac ceteris Galliarum Episcopis; in publico Patrum & Theologorum consessu in majore ecclesia recitavit, cùm illic coëuntes gratias ob victoriam Deo agerent; supplicatione ad hoc decretà. Extátque ejus oratio Historiæ ipsius attexta, & inter Orationes in Concilio habitas: quà totum rei benè gestæ decus in Ducem Guisium contulit; cujus familiæ ipsum addictissimum fuisse, non semel aliàs monuimus: nec tamen honorificam etiam mentionem Monmorantij facere omittens. Deinde occasione hæresum, quæ tot mala peperissent, ad res Concilij dilapsus, Patres hortatus est, ardenti Reipublicæ Christianæ flammâ hæresis subvenire, qui soli eam restinguere possent: Vigesimum sextum annum agi, ex quo Paulus III. ei malo Concilij remedio occurrere conatus esset: rem tum dilatam fuisse, tum dissimulatam, tum variis bellorum impedimentis interruptam: Ventum jam esse ad supremum, nullum ampliùs relinqui dissimulationi locum: aut id Concilium orbem Christianum conciliaturum, aut si re infecta discederetur, in certam atque imminentem ruinam præcipitaturum: Itaque Patribus videndum imprimis, nequid præjudicati domo afferrent, nequid in gratiam dicerent; nequam rei privatæ rationem haberent publicam Religionis causam agi: si aliorsum averterent oculos, actum esse de Religione: Notari uniuscujusque dicta, notari sententias, notari & si quæ intercederent factiones: celari diù non posse, quin in vulgus efferrentur: si per ipsos stetisse quominùs publica pax constitueretur, palàm fieret: ipsos uti religionis ac publicæ quietis proditores intestabiles, Deo hominibúsque invisos, mortales omnes diris omnibus devoturos. Quæ ita liberè dicta, laudibus inde Patrum, Pontificis, Imperatoris, Regúmque ac Principum qui Concilium promoverent, temperavit; & ad Ecclesiæ disciplinam renovandam denique hortatus est.

XLVIII. DUX SABAUD. URBES RECIPIT A REGE. [d] *Supr. an. 1559. XI.*

Quo eodem anno scitè usus in rem suam Emmanuel-Philibertus Dux Sabaudiæ Gallicis turbis, spe facta mittendi auxilij, & quòd Rex indigeret præsidiariis copiis, quas in urbibus Subalpinis tenebat; fecit, ac præsertim precibus Margaritæ uxoris, Caroli Regis amitæ, ut ex pactione fœderis triennio [d] antè initi, post leves quasdam de juribus utriusque partis disceptationes, restituerentur ei Taurinum, Clavasium, Clerium & Villanova Astensis agri, quas Rex interim retinuerat, deductis tamen inde tormentis, pulvere, pilis, ac cetero belli apparatu; receptisque à Sabaudo, Pinarolo, Saviliano, & Perosâ: ægrè nihilominùs his consentiente, ob iniquam, ut sibi videbatur permutationem, quæ Rege annis minore fiebat, Imberto Platerio Bordillonio Subalpinæ provinciæ præfecto; nec nisi post iteratas jussiones, & idoneas cautiones non sibi rem fraudi fore postquàm Rex major esset, acquiescente. Factáque est demùm restitutio pridie Idus Decembris: tanto majori gaudio Emmanuelis, quòd ei ineunte anno pridie Idus Ianuarij natus esset ex Margaritâ uxore jam provectâ ætate filius, cui nomen impositum Caroli Emmanuelis: quæ etiam non postrema fuit causa benevolæ hujus restitutionis.

XLIX. BELLUM DE LIVONIA. [e] *Schard. Epit. rer. gest. sub Ferdin. Chytra. lib. 20. & 21 Thuan lib. 32. &c.* [f] *Sur. in commentar. Resc. de convent. haret.*

In Livonia hoc anno principium habuit cruentum bellum, auctore Erico Rege Sueciæ, inter ipsum & Fridericum Regem Daniæ, ac Lubecenses; aliquot annis gestum vario marte: cui etiam intervenit pro suis juribus Sigismundus Rex Poloniæ; nec non pro sua ambitione Ioannes Dux Moscoviæ; multis magnisque hinc inde cladibus. Sed quia parùm hæc ad res nostras pertinent; libentiùs ab eorum descriptione, in tantâ rerum ecclesiasticarum copiâ, abstinemus quæ ab aliis [e] peti potest. Pertinet verò ad religionem, quòd hoc item anno [f] Luneburgi conventu facto Principum & Ordinum Imperij Circuli inferioris Saxoniæ, in eo præcipuè actum est de Bremensibus Calvinizantibus, siquo pacto revocari ad Lutheri doctrinam, aut aliqua posset in eos decerni animadversio: decretúmque est factum in exitium Sacramentariorum. Sed illi ejectis ex urbe Brema omnibus Lutheranis, causam prætereà suam egregiè defenderunt; & æquè sibi licere ostenderunt, cum Zuinglio & Calvino sentire, quàm liceret Principibus cum Luhero convenire. Denique Illyricus, Viandus, & Matthæus Iudex, insignes Lutherani, è Schola Ienensi dimissi eo quoque nomine fuêre, quòd se Sacramentariis opposuissent. Quippe Septembri mense habito Halberstadiæ conventu, ex omnium consensu Sacramentariorum doctrina damnata est, & omnibus qui eam profiterentur aquâ & igni interdictum. Egregiam fratrum concordiam! quam & prætereà continuis adversis virulentissimis scriptis mundo propalabant.

ALIUD BELLUM INTER LUTHER. ET CALVIN.

L. INSIGNIS CALVINISTARUM STROPHA.

Quo eodem anno acta est in Belgio apud Insulanos fabula minimè tacenda; quam idem ipse qui egit, Matthæus Launoy Gallus descripsit in responsione ad Calvinistas; ex quorum ministerio ad Catholicam Ecclesiam rediens, causas reditûs in publicum ediderat, contra quas Calvinistæ scripserant. Is igitur cùm Tornaci hæresim magno nomine prædicaret, ac contigisset ut Insulis Ecclesiæ Catholicæ ministerio dæmon è quodam honorato homine exorcismis pulsus esset; multíque pariter Rotornaci urbe Flandriæ Sanctorum precibus curari dæmoniaci dicerentur: ejus ditionis Seniores hæreticorum, multùm suæ apud homines existimationi decessurum rati, si quod esset ab Apostolis factitatum, & in Ecclesia Papistica, ut vocabant, fieri homines coram intuerentur, id præstare suæ Reformationis Antistites minùs possent: cum quodam Ludovico in pago Quesnoy, & uxore cujusdam ipsorum diaconi, Perenchei ejus item ditionis pago commorantibus, paciscuntur nu-

meratâ pecuniâ, atque in annos singulos certo redditu, ut dæmoniacos sese profiterentur, curarísque se à suis paterentur. Pactis susceptis, illísque indecoris motibus, & inconditis sermonibus rem mentientibus, rogatur Matthæus technæ inscius, eorum curam suscipere: qui diù reluctatus, ac demùm expugnatus, ad eos seorsim accedens, primò mulierem, deinceps & virum, egregiè suas collusionis partes agentes, post multos ludos & repugnantias, tandem liberâsse visus est, tamquam vir divinus inde ab omnibus cultus, qui post aliquot annos technam edoctus, occasione litis quam illi dæmoniaci movêre debitoribus ob pecunias non præstitas, obstupuit ad fraudem: & facinus detestatus, publicum illud facere voluit in confusionem falsæ & deceptricis religionis, quod etiam Florentius Vander haër eodem fine inserere tractatui suo, De initiis Tumultuum Belgicorum consentaneum judicauit.

LI. CARD. TURNONII OBITUS.

Hoc anno, decimo Calendas Maij mortuus est apud sanctum Germanum in Layâ sexto à Lutetiâ lapide, ætatis anno septuagesimo tertio, (ut in epitaphio ejus sepulchro apposito constat) *Franciscus Iustus Turnonius* sacri collegij S. R. E. Cardinalium princeps, de quo sæpè superiùs; vir non solùm generis claritate, verùm etiam profundâ scientiâ, rerum agendarum peritiâ, & singulari erga patriam pietate, atque inconcusso religionis Catholicæ conservandæ zelo, eminentissimus, ad hæc literarum & literatorum fautor eximius: quas ut magis promoveret Societatis IESU professores singulari favore prosecutus, præcipuus autor fuit, ut eorum Ordo, tamquam pietati & religioni atque rei literariæ utilissimus, in Galliâ reciperetur: instaurataque in oppido Turnonij in Delphinatu, unde ejus nobilissimæ familiæ gentile cognomen: celebri Scholâ, & amplissimis redditibus dotatâ, ejus curam illius Societatis Patribus attribuit. Ejus meritissimas laudes quamplurimi [g] prosecuti sunt. Sepultus verò est in ecclesiâ Collegij Turnonensis: addito epitaphio, quo summatim res ejus gestæ indicantur.

g *Vid. auctores cit. in Addit. ad Ciaccon. sub. Clem. VII. & Gaulter. in Chronol. sæc. 16.*

LII. ITEMQ. CARD. DE LA CUEVA.

Mortuus est item pridie Calendas Iulij Romæ, anno ætatis sexagesimo tertio, *Bartholomæus de la Cueva* Hispanus ex nobilissimâ familiâ Ducum Albuquerquij, & ipse de religione, pietate, & prudentiâ valdè laudatus: qui præ animi demissione voluit in ecclesiâ sancti Iacobi nationis Hispanicæ, in ipso aditu, ut ab ingredientibus calcaretur, collocari.

LIII. ET CARDIN. MEDICIS.

Minor ætate, sed spendore sanguinis, & egregiæ indolis expectatione, haud posterior, *Ioannes Medices* Diaconus Cardinalis, Cosmi Florentiæ & Senarum Ducis filius, ætatis anno decimonono, duodecimo Calendas Decembris mortuus quoque ponitur; sed longè diversâ de modo obitûs narratione. Habent enim plerique [h] cùm in regione maritimâ & plaudosâ unà cùm fratre Garsiâ ageret, ambos ex insalubri aëre morbum lethalem contraxisse. Quidam [i] cùm inter fratres ex puerili æmulatione atrocia odia diù nutrita fuissent, tandem inter venandum seorsim à sociis altero in alterum incurrente, Garsiam; ut erat truculentâ naturâ, gladio Ioannem transverberâsse, statímque ad suos nihil ferè turbato vultu rediisse: reperto deinde cadavere, cùm de morte filij nuncius ad Cosmum qui Grosseti erat perlatus fuisset, illum suspicatum quod erat, re dissimulatâ imperâsse necem contegi, evulgaríque illum acuto morbo inter venandum correptum vix loco exportari potuisse: cadaver autem multâ nocte in oppidum deferri, & in conclavi habitationi suæ proximo collocari præcepisse: tum semotis arbitris ad conclave venisse, & sevocatum Garsiam, ac de fratre interrogatum, cùm vultûs contumaci audaciâ ille factum pernegaret, ad cadaver accedere jussisse, eóque renudato, & cruore ad percussoris conspectum mox ebulliente; patrem scelus filio exprobrantem, & miseriam suam deplorantem qui talem filium genuisset, Deum comprecatum ut quod facturus erat comprobaret, & sonti filio gratiam delicti faceret erepto ei gladio quo fratrem confecerat, eodem juxta fratris corpus propria manu interfecisse. Calamitatem hanc paucis tantùm ac fidis cognitam, ne sibi ac universæ familiæ noceret, silentio præteriri voluisse; famáque sparsâ ex populari morbo alterum filium post alterum extinctum esse, exequias utrique Florentiæ magna pompa celebrasse. Quod tragicum facinus si credere fas sit, habet Cosmus quo Brutis & Manliis, aliísque ejusmodi propriorum liberorum interemptoribus anteferatur; quòd ij non propriis, sed carnificum manibus rem confecerint, Cosmus ipse seipsum carnificem fecerit. Sunt tamen multa, quæ & in totius rei gestæ infirmationem, & in ipsius actionis Cosmi, siquis fortè factam crediderit, reprehensionem, jure dici posse videantur: sed nos ad alia funera pergimus.

h *Hadrian. Florent. lib. 17. Natal. lib. 14. Petramel. Cabrer. & Victorel. in Pio IV. Thuan. lib. 32.*

LIV. CHRISTOPH. THUANUS PRINCEPS SENATUS PARIS.

Mortuus enim est etiam hoc anno Parisiis *Ægidius Magister* Senatûs princeps; vir tanta dignitate longè dignus, ad quam per omnes togæ gradus secunda solertiæ fama evectus fuerat. In cujus locum suffectus est non minori acceptione & approbatione, propter summam animi moderationem, & incorruptum Reipublicæ amorem, ac pium Catholicæ fidei zelum *Christophorus Thuanus*, jam antè in eodem Senatu Præses; pater Iacobi Augusti Thuani æquè pòst Præsidis, & Historiarum sui temporis conditoris.

LV. PETRI MART. HÆRET. MORS.

Ex viris quoque sequioris religionis magni inter eos nominis, interiit hoc eodem anno pridie Idus Novembris Tiguri *Petrus Martyr* Vermilius Sacramentarius, variâ fortunâ & diversis peregrinationibus tota vita, ut vidimus jactatus. Qui cùm librum Ioannis Brentij Suevi Lutherani de vera præsentia corporis Christi in cœna, adversus ipsum & Bullingerum editum impugnare statuisset, spiritum exhalavit. Nec tamen Brentius absque responso permansit, quod Bullingerus concinnavit. Ita enim fratres consensum suum in doctrina manifestare consueverunt.

IESU CHRISTI Annus 1563.
PII IV. Ann. 4.
FERDINANDI I. Ann. 6.

I. Capitula reformationis a Gallis in Synodo proposita.

ANNUS Christi millesimus quingentesimus sexagesimus tertius, Indictionis sextæ, principium habuit in rebus Concilij Tridentini, à Capitulis Reformationis per oratores Gallos jussu Regis exhibitis: quæ Legatis, & omnibus Pontificiis dura admodùm visa fuêre, eâ præcipuè parte, quâ de ritibus Ecclesiæ Romanæ immutandis agebatur, & jura atque emolumenta quæ Sedes Apostolica ab aliis Ecclesiis percipere consuevit, attingebantur. Fuerunt autem illa numero 34. mox tunc impressa diversis locis: habentúrque Latinè & Gallicè (sed ordine nonnihil immutato) in Collectione Literarum & Instructionum de rebus Concilij; & apud Polanum;[a] licèt non adeò sincerè in omnibus: sicuti nec apud Goldastum,[b] dum eisdem inter Constitutiones Imperiales locum esse voluit; quoniam putavit esse illa in detrimentum Sedis Apostolicæ, cujus ipse sitientissimus extitit. Denique & eadem Thuanus[c] & Natalis[d] Comes, ne perirent, suis Historiis inseruêre.

[a] Polan. lib. 7.
[b] Gold. to. 3.
[c] Thuan. lib. 35.
[d] Natal. lib. 14.

II. Est autem illorum summa: 1. Ob periculum incontinentiæ, non alij imposterùm ordinarentur sacerdotes, quàm qui seniores essent, & à populo bonum haberent testimonium; & sacerdotum flagitia acerrimis canonum pœnis coërcerentur. 2. Ne eodem die aut tempore omnes sacri Ordines conferrentur; sed promovendi ad majores, prius in minoribus dignè & aliquamdiu versarentur. 3. Nullus ordinaretur presbyter, qui non continuò, secundum Concilium Chalcedonense, daretur unà cum ordine beneficium, aut ministerium. 4. Aliis quoque sacris ordinibus restitueretur debita & antiqua functio, ne amplius nuda essent nomina. 5. Presbyteri, sacrisque initiati, & cujusvis Ecclesię ministerio addicti, in suâ vocatione permanerent; neque in alio munere & officio, quàm quod Dei ministerium deceret, versarentur. 6. Nullus eligeretur Episcopus, nisi legitimâ ætate, & moribus ac doctrinâ præditus. 7. Nec item Plebanus. 8. Ad Abbatiam autem, & Prioratum Conventualem, nisi prius in celebri aliquo Gymnasio sacras literas publicè professus, & magisterium, aut alium gradum adeptus fuisset. 9. Episcopus per se, aut per alios idoneos, omnibus Dominicis, & diebus festis, tempore autem Quadragesimæ, Iejuniorum, & Adventûs Domini, quotidie verbum Dei annunciaret: 10. Idémque faceret Plebanus. 11. Abbates & Priores Conventuales in suis monasteriis interpretarentur libros Veteris & Novi Testamenti, & Xenodochia instituerent. 12. Qui tunc essent Episcopi, Plebani, Abbates, aut alij Ecclesiastici, si suum officium præstare non possent, acciperent coadjutores idoneos, aut beneficia dimitterent. 13. De catechesi, & postillis, ea decernerentur quæ Cæsar ad Concilium retulisset. 14. Unum beneficium uni tantum conferretur: darentúrque regularia regularibus, sæcularia sæcularibus: 15. Qui tunc plura possiderent, unum intra breve tempus eligerent; aut in pœnas antiquorum canonum inciderent. 16. Ut ab ordine sacerdotali sordes omnes expellerentur; nec ullo prætextu pro rebus divinis quicquam exigeretur, curarent Episcopi, aut per unionem beneficiorum, aut per decimarum assignationem: & si hoc fieri non posset commodè, Principes curarent ut per parochianorum collectas plebanus & cum eo duo ac plures clerici haberent unde vitam congruè traducerent, & hospitalitatem exercerent. 17. In Missis parochialibus Evangelium pro populi captu exponeretur; & quæ tunc præeunte plebano fieri solent à populo preces, linguâ vernaculâ fierent: peracto autem sacrificio Latinè & mysticis precibus, linguâ etiam vernaculâ ad Deum fierent preces: atque eodem tempore, aut aliis statutis temporibus, cantarentur spiritualia cantica, vel psalmi Davidici, si id è re suæ Ecclesiæ esse censerent Episcopi. 18. Antiquum Leonis & Gelasij decretum de communione sub utraque specie, in usum revocaretur. 19. Ut omnes usum & efficaciam Sacramentorum intelligerent, præcederet semper vernaculâ linguâ brevis expositio ejus quod administraretur. 20. Beneficia non conferrentur per Vicarios; sed per ipsos Ordinarios; & illis intra sex menses non conferentibus, potestas conferendi devolveretur ad proximum superiorem, & gradatim ad Papam, aliter facta collatio à quocumque, nulla esset. 21. Mandata de providendo, expectativæ, regressus, fiduciariæ resignationes, commendæ, revocarentur, & omninò arcerentur ab Ecclesiâ. 22. Itemque resignationes in favorem. 23. Prioratus sæculares, aut simplices, quibus contra institutionem cura animarum adempta esset, & translata in Vicarium perpetuum, cum primum vacarent, in antiquum statum restituerentur. 24. Beneficiis, quibus ex depravatâ consuetudine nullum annexum esset onus Ecclesiasticum, ab Episcopis cum consilio Capitulorum cura aliqua spiritualis imponeretur, aut ea vicinioribus parochialibus Ecclesiis unirentur. 25. Pensiones super beneficiis non imponerentur, quæ essent constitutæ tollerentur. 26. Restituerentur Episcopis Ecclesiasticæ jurisdictiones; & tollerentur omnes exemptiones, exceptis capitibus Ordinum, & quæ ipsis subsunt monasteriis, iisque quæ à multis retrò sæculis exemptionem probare possent: quæ tamen ne à correctione omninò se eximerent, aliquâ ratione provideretur. 27. Cum Episcopi eâ jurisdictione uti non deberent, nisi consultis Capitulis, daretur opera ut canonici cathedralium Ecclesiarum essent bonis moribus & scientiâ præditi, quique saltem vigesimum quintum annum attingerent. 28. Retinerentur antiqui, aut novi constituerentur consanguinitatis, affinitatis, vel cognationis spiritualis gradus, intra quos non liceret matrimonium contrahere; exceptis solis Regibus, aut Principibus, propter bonum publicum. 29. Cum nostris temporibus exorti essent iconomachi, & magnæ perturbationes inde fuissent excitatæ; provideret sancta Synodus ut doceretur populus quid de cultu Imaginum sentiendum esset, &

siqui in eo irrepsissent abusus tollerentur: itémque in indulgentiis, peregrinationibus, reliquiis Sanctorum, & confraternitatibus. 30. Restitueretur publica pœnitentia pro gravibus & publicis delictis. 31. Excommunicatio nonnisi pro gravissimis peccatis, & personis obstinatis decerneretur. 32. Ad forenses de beneficiis controversias tollendas, præciperetur Episcopis, illa benè meritis dumtaxat conferre: meriti autem censerentur, qui post aliquem gradum in Scholis adeptum cõcionati fuissent aliquo tempore cum Episcoporum & populorum approbatione. 33. Si quando de conferendi, aut præsentandi potestate lis oriretur, primùm ab Episcopis œconomi beneficiis vacantibus præficerentur, qui fructus perciperent, & munera Ecclesiarum subirent; tum litigatores, aut arbitros eligerent viros doctos Ecclesiasticos, aut ab Episcopis acciperent; qui infra sex menses litem dirimerent, à quibus appellare non liceret, aut si existimaret Synodus, appellationi deferendum, mandaretur intereà executioni sententia; neque teneretur œconomus; aut qui sententiam prior obtinuisset, restituere fructus pendente lite perceptos, qui tantùm ministris & pauperum alimentis cedere deberent. 34. Synodi Episcopales quotannis; tertio quoque anno provinciales; generales, nisi aliquod obsisteret impedimentum, decimo congregarentur.

III. CAPITA REFORMAT. ORAT. CÆSAR.

His articulis ab Oratoribus Cæsareis inspectis; consideratóque eorum procœmio, quo dicebant Galli, constitutum quidem sibi fuisse pridem, ex Regis sui mandato, eos proferre; sed cùm Cæsar eadem ferè proponenda curâsset, ne Patribus essent molesti, sustinuisse aliquantulùm, expectantes dum aliquid de iis decerneretur; nunc verò Regis sui literis impulsos, & quia Cæsareum negotium diutiùs protrahebatur, differendum ampliùs haud ratos: visi sibi iidem Cæsarei oratores, his aliquâ ignominiâ subnotari, quasi parùm auctoritate valerent, questi sunt apud Legatos, capita Reformationis Cæsaris nomine ipsis exhibita, in Concilio proposita non fuisse; petierúntque ut Gallicis adjungerentur. Fuerant autem illa jam mense Iunij anni superioris Legatis exhibita, sed variis excusationibus semper dilata ne publicarentur in Congregationibus. Recitant ea quidam [e] ex iisdem auctoribus, sed nonnihil diversè, & pluribus ac paucioribus articulis distincta. Erántque in summâ; Ut Pontifex seipsum & Romanam Curiam reformari benignè pateretur: Ut numerus Cardinalium viginti sex non excederet: Nè fierent dispensationes scandalosæ: Revocandas exemptiones monasteriorum: Tollendam pluralitatem beneficiorum, & in singulis Collegiis scholas erigendas: Episcopos omninò ad residendum cogi; & si non essent idonei, non unico vicario, sed pluribus curam mandandam: In Ecclesiâ omnia ministeria gratis præstanda; & beneficia curata quæ essent tenuis reditûs, incorporanda cum pinguioribus non curatis: Revocandos in usum veteres canones contra simoniacam pravitatem: Constitutionum Ecclesiasticarum multitudinem nonnihil contrahendam: Excommunicatione non utendum extra casum peccati mortalis, & notoriæ irregularitatis: Officia divinâ devotè celebranda, non præcipitanter: Breviaria & Missalia purganda à superfluis: Officiis divinis quæ Latinè peragerentur, immiscendas preces vernaculas, Clerum, & ordinem monasticum, ad primam institutionem redintegrandum: Videri relaxandâ aliqua juris positivi, ad conciliandos populorum animos; putà super discrimine ciborum, communione sub utrâque specie, conjugio clericorum: Tollendas item multiplices Evangeliorum postillas, & novam per peritos Theologos faciendam; paritérque novam Agendam, sive librum Ritualem, quem omnes parochi recipere tenerentur: Rationem adinveniendam ad probos parochos habendos; videndúmque unum præficiendum pluribus Ecclesiis, interim dum ceteri ad academias mitterentur breviter erudiendi; limitatúmque auctorum catalogum edendum, qui legi deberent in scholis, nec alios admittendos; Plures Episcopatus in latioribus provinciis erigendos, & opulenta cœnobia iis attribuenda: Bona Ecclesiastica in profanos usus conversa, videri eo tempore dissimulanda: Postremò Legatos dare operam debere, ne quæstiones quæ offendicula parere possent, ut hæc, an sit Residentia de jure divino, ac similes, proponerentur; aut si id vitari non posset, saltem non paterentur Patres effundi in bilem, & offerri in fabulam adversariorum. Quod ultimum caput videntur oratores Cæsarei addidisse, ut aliquid Pontifici gratum insererent, ejusq; animum cæteris propositionibus fortè commotum delinirent. Quemadmodùm & Rex, [f] instante Cardinale Ferrariensi Pontificis in Galliâ Legato, ut placatiorem erga se, ac de cetero tractabiliorem in suis postulatis Pontificem haberet, Annatás, comitiorum Aurelianensium decreto sublatas, restituit; & prohibitiones super eâ re factas, de quibus sæpè Pontifex questus fuerat, revocavit quarto Idus Ianuarij cujus diploma eâ de re emissum, in Senatu Parisiensi octavo Calendas Februarij promulgatum fuit.

IV. DE IIS CAPIT. QUID ACTUM.

Non potuit tamen fieri, quin vehementer Pontifex, tum Cæsareis, tum præcipuè Gallicis propositionibus commoveretur; quòd esse earum plurimas diceret ad convellendam in multis ipsius auctoritatem, atque in præjudicium jurium Sedis Apostolicæ, Cardinalium totiúsque Curiæ. Quare & egit diligenter per Nuncios suos apud Regem, ut articuli mitigarentur; propositis etiam damnis, quæ illi ipsi ex multis eorum exurgerent: & percupere se quidem reformationem, sed eam de iis rebus secum, non cum Synodo tractandam esse. adeò ut nec potuerint umquam Galli Tridenti obtinere à Legatis, ut de iis tractaretur, prohibente Pontifice ne id fieret: quin potiùs exierit Româ scriptum quoddam incerto auctore, quo responsum est ad illa postulata, mox Tridenti, in aulâ Cæsaris disseminatum, cum gravi Gallorum contumeliâ nec sine Cæsaris commotione.

V.

Recepto interim in Synodum ultimâ Ianuarij *M. Ant. Bobbâ* Episcopo Augustæ Prætoriæ in Subalpinis, oratore Emmanuelis Philiberti Ducis Sabaudiæ; cùm expectaretur Sessio Concilij sæpiùs ob plurimas nascentes

in

[e] *Natal. d. l. 14. Polan. lib. 6. Gold. tom. 2.*

[f] *Thuan. lib. 35.*

in dies difficultates dilata, nihilominùs ea rursùm prorogata est tertio Februarij usque ad vigesimum secundum diem Aprilis; reclamantibus licèt permultis, qui breviorem prorogationem postulabant: decretúmque, ut intereà agitaretur in Congregationibus, reformationis pars illa quæ ad sacrum Ordinem pertineret, & materia de Sacramento Matrimonij. Verùm cùm deinceps proferrentur à Legatis articuli de Matrimonio per Theologos excutiendi, cum mandato ut singuli sententiam suam dicerent juxta ordinem promotionis ipsorum ad Doctoratum; quamvis nihil posset convenientius decerni ad tollendas omnes de præcedentiâ nationum controversias; nihilominùs quòd eâ ratione in catalogo Theologorum qui dicturi erant reperti essent aliqui Galli antiquiores Hispanis, isti pro gentis modestiâ, unà cum Agentibus Regis Catholici, Cardinales Seripandum & Simonetam Legatos, præsidésque illarum Congregationum adeuntes, cœperunt cum multâ ferocitate (verba sunt ipsiusmet Seripandi, de his ad Cardinalem Amulium Romam scribentis die decimotertio Februarij; cujus extat epistola Italica in Literis & Instructionibus, quarum sæpè meminimus) conqueri quòd Theologi Galli positi fuissent primo loco, dicentes istud præjudicio fore prætentioni Regis Catholici contra Christianissimum de præcedentiâ. Quod cùm Seripando, ut scribit, visum fuisset leve satis & insulsum, primò quia Theologi, etiamsi missi essent à Principibus, non tamen illorum personas repræsentarent, sicut facerent eorum oratores, eâque ratione nullum inferretur eis præjudicium: deinde quoniam quod statutum fuerat, ut qui priores essent Doctoratu, essent etiam in sententiis dicendis, generatim factum fuisset absque ullo Principum, aut nationum, alteriúsve cujuscumque considerationis respectu, ac proinde nullum generaretur cuiquam præjudicium; si eâ ratione nonnulli Galli pòtiores reperirentur: his tamen Seripandi rationibus boni illi viri minimè contenti, mordaciùs objecerunt nihil ibi fieri nisi quod vellent Galli: adeò ut coactus fuerit Seripandus, acrioribus verbis mordacitatem eorum retundere; eóque maximè quòd unus è Theologis ausus fuisset minari, Regem Catholicum hanc injuriam vindicaturum esse cum armis, dimissurúmque protectionem & reverentiam Ecclesiæ, & translaturum Sedem Apostolicam in Hispaniam. Quis mente sanus, hujusmodi homines sanâ fuisse mente existimet? Et tamen ne impostura putaretur; Deum Seripandus, collegásque, in quorum præsentiâ res iterùm acta est, in testimonium veritatis vocat.

Æmulatio Doctorum Hispanorum.

VI. *Doctorum controversia de præcedentia quomodò composita.*

Theologis autem à Pontifice missis has Gallorum & Hispanorum contentiones nequaquàm sibi fraudi esse debere contendentibus, quippe quibus sine dubitatione primus, eatenùs sibi servatus, locus deberetur: Legati secundùm eos judicantes, pronunciarunt, ut prima classis Theologorum, (erant enim in quatuor distincti, ordinatioris & promptioris expeditionis causâ) in qua Pontificij erant, more consueto diceret, reliquæ tres juxta ordinem Doctoratùs. Cùm tamen hoc decreto Gallis, jam post litem contestatam nihil de juribus suis cedere debere existimantibus, minimè satisfieret, nisi in primâ classe reponeretur saltem unus ex suorum numero; & ex alterâ parte instaret Secretarius Hispanus, ut id decretum referretur in tabulas publicas, quò semper constaret, si quis Gallus ante Hispanos disseruisset, id non factum ratione præcedentiæ illius regni: ad extremum ut omnibus satisfieret, decretum relatum est in tabulas publicas, datúmque Gallis ut post Salmeronem Iesuitam Pontificiorum primum, verba faceret Nicolaus Mallardus Decanus Facultatis Parisiensis, & ita deinceps reliqui primæ classis; in ceteris verò procederetur secundùm promotionem ad Doctoratum.

VII. *Card. Lotharing. convenit Cæsarem.*

Dum de articulis Matrimonij inter Theologos disputaretur; multáque præclara dicerentur, de ejus institutione, causis irritationis, ac dissolutionis, clâdestinitate, comparatione cum cælibatu, prohibitione certis personis ac temporibus; de gradibus in eo observandis; de repudiis ac divortiis, de polygamiâ: abiit Cardinalis Lotharingius duodecimo Februarij Oenipontem ad colloquium cum Ferdinando Cæsare, qui eò accesserat, habendum: & Altaëmpsius Romam, revocatus à Pontifice avunculo, ut ejus operâ uteretur in militum copiis quibusdam conducendis, quas ille præsidij sui causâ cogitabat contrahere; quòd audiisset in Germania delectus fieri à Ducibus Saxoniæ & Wittembergi, & Hassiæ Lantgravio, & scripsisset Comes à Lunâ, magno Germanos desiderio teneri Romam iterùm invadendi: quamquam omnibus persuasum esset, in subsidium Hugonotorum Gallorum eos delectus in Germaniâ fieri. Lotharingius autem Cæsarem reperit valdè sollicitum de rebus Concilij; cujus dissolutionem aut suspensionem, multi in tot ac tantis inutilibus prorogationibus, Pontifici cordi esse existimabant; ipse verò Cæsar percuperet ad finem optatum ac fructuosum perduci, & in eo seriò de reformatione agi, támque articulos à se propositos quàm Gallicos ibidem examinari; adeò ut offerret etiam si opus esset, Tridentum se transferre ad hæc promovenda: quinimmò & Romam iturum, ut Papam obsecraret, pateretur reformationem fieri, sine diminutione auctoritatis suæ: aut si Papa Bononiam peteret, (ut præseferebat, ad accelerandum Concilij finem) ipsum ibi conventurum, ut eâ quoque commoditate coronam Imperij acciperet.

VIII. *Aliæ quæstiones Cæsareæ.*

Qui & interim adhibitis in consulationem Theologis, sententiam eorum super decem & septem propositis tunc articulis exquisivit: quorum præcipui erant; an utile esset Ecclesiæ, ut Concilium res tractaret ac decerneret, prout à Papâ dirigebatur, ita ut aliter fieri non deberet: an si Papam mori contingeret aperto Concilio, electio pertineret ad Patres in eo congregatos: quænam esset potestas Cæsaris vacante Sede, & aperto Concilio: an Principes, oratores & Prælatos suos revocare possent à Concilio inconsultis Legatis: an Papa posset dissolvere, aut suspendere Concilium inconsultis Principibus, & maximè Cæsare: quæ rationes iniri possent, ut essent Patres liberi in sententiis suis dicendis: quâ

ratione amoveri possent factiones, ut ad decernendum articulum de Residentiâ veniretur. Ab hujusmodi tamen conatibus, & aliis capitulis magno volumine urgendis, fuisse Cæsarem primùm à Petro Canisio magni nominis Societatis IESU Theologo apud eum agente, multis rationibus penè avocatum; plenéque posteà à Cardinale Morono, cùm ad eum deinceps à Pontifice ad id missus est, persuasum totum se Pontificis voluntati permittere; tradit Sacchinus in Historiâ Societatis: de quo tamen pòst dicetur. Extántque alibi Cæsaris ad Pontificem liberiores de his literæ; & Pontificis suam auctoritatem tuentis, ac reformationis studium, quod satis jam multis editis constitutionibus ostendisset, & porrò in justis & æquis postulatis ostensurus esset, præseferentis, benevolæ responsiones.

IX.

CARD. MANTUANI ET SERIPANDI OBITUS ET ELOGIA.

Mortuo inter hæc Tridenti postridie Calendas Martij Cardinali *Mantuano*, primo Legato, & Concilij Præside, postquàm paucos dies ægrotâsset; & secuto eum post dies sedecim; nempè decima septima ejusdem mensis, qui ei dignitate proximus erat, *Seripando*: multæ mutationes in Concilio contigerunt; turbatúsque est non parùm ejus progressus, donec alij in eorum locum substituti sunt, cùm duo tantùm reliqui essent Varmiensis & Simoneta. De utroque autem Cardinale defuncto non semel dictum est superiùs. Et Mantuanus quidem Hercules Gonzaga, quamquam nobilissimâ prosapiâ Marchionum Mantuæ, longè tamen nobilior fuit propriis virtutibus, pietate in Deum, liberalitate in pauperes, consilio, prudentiâ, eruditione, morum suavitate: Hosio, Bembo, Sodoleto, magnis illis viris, maximoperè laudatus; cum quo postremus [g] ait vix aliquem extitisse qui comparari posset, qui tantâ in nobilitate tantam mansuetudinem, in tam amplis domesticis copiis tam modestum earum usum, in tam corruptis eorum temporum moribus tantam æquitatem, temperantiam, moderationem animi, præstaret atque exhiberet. Mortuus autem est anno ætatis quinquagesimo octavo; sumpto sacro Viatico, & extremâ Unctione à Lainio Præposito generali Societatis IESU; ad cujus institutum promovendum, pecuniam reliquit ædificando & dotando Collegio in urbe Mantuâ. Delatus in eam ad sepulturam, laudatorem in funere habuit Bernardinum Percivallum Iurisconsultum suâ ætate clarissimum; Iulium Castellanum Vitæ scriptorem. *Hieronymus Seripandus* Augustinianus Eremita, in præclaris virtutibus egregia linguarum peritiâ, ceterâque excelluit doctrinâ, quam multis etiam compositis libris probatam fecit. Quo die decessit, sumpturus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, lectulo egredi voluit, & flexis genibus suscipere: redditúsque lecto, orationem Latinam habuit de fide Ecclesiæ Romanæ, de operibus hominis Christiani, de resurrectione mortuorum, & de rebus Concilij promovendis, eámque quoad spiritus eum defecit continuavit. Excessit autem è vivis, cum Præsulum, ceterorúmque omnium dolore anno ætatis septuagesimo primo; sepultúsque ibi est in ecclesiâ S. Marci Fratrum suorum Eremitarum. Ac ne fratres dissociem, brevem addo memoriam *Iacobi Putei* Cardinalis Niciensis provinciæ Narbonensis, Iuris scientiâ clarissimi. Nec adeo extra rem; quandoquidem sunt qui scribant, designatum eum Legatum ac Præsidem Concilij in locum Seripandi, dum itineri se accingeret, subitâ aurium reverberatione oppressum esse Romæ sexto Calendas Maij, anno ætatis sexagesimo octavo, quem quidem jam anteà ad id muneris pariter delectum, ne adiret, morbo impeditum fuisse vidimus superiùs [h]. De ejus verò laudibus plura alij [i].

g Sadol. ep. lib. 15.

h Supr. an. 1561. VIII.

i Victorel. in Addit. ad Ciaccon. in Iul. III. Petramal. de Cardd. sub Pio IV.

X.

NOVI LEGATI CONCILII.

Antequàm verò Seripandus decessisset, Pontifex audito obitu Mantuani, mox in locum ejus, & Altaëmpsij quem ad se vocaverat, duos alios Legatos creavit: videlicèt *Ioannem Moronum* Mediolanensem, Cardinalem Episcopum Prænestinum, magnarum rerum tractatione versatissimum, & in ciuili conversatione consummatissimum; quem jam aliàs sub Paulo III. ad Concilium æquè Legatum destinatum vidimus: & *Bernardum Navagerium* Venetum Cardinalem Presbyterum tituli S. Nicolai inter imagines, virum humaniorum literarum scientiâ & Reipublicæ gerendæ experientiâ clarissimum. Egerat quidem priùs Cardinalis Burdiserius Gallus cum Pontifice, ut Cardinalem Lotharingium tantæ auctoritatis virum Legatum crearet: sed respondens Pontifex, Lotharingium venisse ad Concilium tamquam caput unius è partibus inter se contendentibus, sibi autem decretum esse homines mittere neutri parti addictos, & qui nullo privato studio ducerentur, prædictos destinavit.

XI.

DE DISPENSATIONE MATRIMONII.

Dum autem ij Tridenti expectarentur, pergentibus Theologis in discussione articulorum de Matrimonio; ubi ventum est ad quæstionem de sacerdotibus, utrùm Pontifex dispensare cum iis possit ut ducant uxores; post multas allatas hinc inde rationes, animadvertentes Galli communiorem esse sententiam, posse dispensare; deliberare inter se cœperunt, an id tempus esset opportunum ad dispensationem Cardinali Borbonio deposcendam, prout Cardinali Lotharingio & oratoribus regiis erat commissum, ad excludendum Condeum ejus fratrem natu minorem ab omni jure regiæ successionis, aut certè longiùs removendum. Verùm Lotharingio censente, difficile fore in Concilio causæ æquitatem & necessitatem Patribus persuadere; illam enim ut prolem susciperet, non esse necessariam, Rege adhuc adolescente, cum duobus fratribus: ut autem rerum administrationi præficeretur quoad Rex ad justam ætatem parveniret, id quidem etiam in Clero manenti obtingere posse:) satiúsque esse ad Papam recurrere, vel opportuniorem occasionem expectare; res eo statu permansit. Cúmque die 20. Martij finem dicendi de omnibus Matrimonij articulis fecissent Theologi; nihilominùs duo Legati qui reliqui erant, Varmiensis & Simoneta, decreverunt nihil ultrà agendum usque dum alij Legati venissent, tum honoris eorum ergò; tum ob gravissimas difficultates, quas & Romæ, & Tridenti, per oratores Cæsaris & Regum vel renovari, vel recèns proponi cernebant: videlicèt de rebus propo-

nendis

nendis per solos Legatos; de institutione, & residentiâ Episcoporum jure divino, de auctoritate Romani Pontificis; de augendo numero Secretariorum Concilij, quoniam incusabantur non fideliter scribere aut computare vota Patrum; ac de Reformatione generali tam in capite quam in membris.

XII. Tantisper igitur dum datur tempus Legatis novis Tridentum petendi, excurrendum nobis in Galliam; ubi multa magnáque facta est inter hæc rerum mutatio. Cùm enim post prelium Druidense Admiralius Aureliam se recepisset, quæ velut arx erat totius factionis, & ob pecuniæ penùriam Germanos quos habebat amittere periclitaretur, rapto eos aliquandiù alens; demùm in Normanniam ire decrevit ad recipiendam promissam à Reginâ Angliæ pecuniam, qua & iis satisfaceret, & sibi prospiceret: ubi & multa oppida cepit, & magnam provinciæ partem expilavit. Per ceteras quoque regni provincias, solitas suas immanitates, & profanationes, ac sacrilegia, passim Hugonoti exercentes; nec ipsis montibus & convallibus Fuxi Hispaniæ conterminis pepercerunt: Appamias [k] autem nostras, falsis in Ecclesiasticos confictis criminationibus, ita desolârunt, ut momento quatuor Mendicantium cœnobia, majus urbis templum, & canonicorum ædes direptæ sint; monachis passim majorem partem occisis aut spoliatis; tantâ sævitiâ simul & rapacitate, ut ipsimet Hugonoti factum non damnare nequiverint. Denique eam immanitatem insolita grandine ter cœlo missam ulcisci visus est Deus, quæ non solùm fruges & arbores, sed omnem agrorum virorem omninò depasta est: scelesti autē illi prædones pessimè tandem perierunt: ac civitas ipsa, post pacis promulgationem adhuc seditiones ciens, à Damvilla Septimaniæ imperante gravissimè castigata fuit. Non tamen ita quin refertissima semper aliis ejusdem genij hominibus fuerit infelix civitas; sub inquietudine & tyrannide hæreticorum. Qui rursùm post triennium plenâ pace ita res turbârunt cædibus, incendiis, direptionibus, crudelitatibus, ut non solùm mittendi fuerint à Rege diversi, qui res componerent; verùm etiam occupati in eo fuerint multo tempore præsides Septimaniæ & Aquitaniæ, ac Senatus Tolosanus: non sine plurimorum factiosiorum, & aliquot Ministrorum supplicio, multorúmque aliorum exilio. Quibus tamen haud domita gens perfida & maligna, renovatis tumultibus publicis, urbem occupans, aliquantò pòst nobilissima ejus cœnobia, unà cum amplissimis eorum templis; ecclesiam cathedralem, aliámque parochialem & collegiatam de Campo dictam; cui vix alia totâ Septimaniâ vel Aquitaniâ, sacrarum Imaginum planæ & eminentis formæ, elegantissimè & ad invidiam usque elaboratarum, auróque & cæruleo artificiosissimè ornatarum, conspectu comparari poterat, ceteráque sacra ædificia, ac domos ecclesiasticorum funditùs subverterunt; monachos ac ceteros ecclesiasticos, qui rabiem eorum effugere non potuerunt, crudelissimè necârunt. Nec umquam deinceps miseri Catholici ibi quietè agere permissi sunt, sed diversis quæsitis sæpissimè prætextibus, & privatis fictis occasionibus, præter motus generales, exagitati, direpti, pulsi. Quousque demùm & nos ipsi paulò post nostrum eò appulsum, quamquam pari jure cum Rege civitatis dominium ratione dignitatis Episcopalis participantes, sceleratissimè ac perfidissimè anno 1627. mense Novembri, in generali Hugonotorum toto regno rebellione, non pulsi, sed vix nece vitatâ per angustissimum muri foramen noctu, inter hostium proditoriè admissorum manus egressi; & rerum omnium jacturam pro Christi nomine passi; quarto pòst mense, nempè Martio anni 1628. summâ diligentiâ curavimus, armis regiis à Principe Condeo, nepote illius qui primus hos bellicos tumultus in Galliâ civit, urbem obstinatissimam, & amplas deditionis conditiones respuentem, vi expugnari; quæ militum prædæ multis diebus exposita fuit: ipsíque tandem Hugonoti, præter cæsos, seditiosioribus supplicio affectis, sub jugum Catholicorum redacti: & vel urbe perpetuò pulsi; vel ad fidem conversi, quorum numerus duodecies centenûm minimùm est: Catholicis in plenissimam libertatem, & reipublicæ administrationem, omniáque jura; canonicis, monachis, aliísque Ecclesiasticis, suis quibusque juribus ac locis, postliminio restitutis. Quæ cuncta diversis temporibus acta, in unum referre placuit, ut simul de omnibus laudem deferamus Deo Opt. Max. cui honor & gloria in sæcula sæculorum.

APPAMIARUM DESOLATIO.

[k] Vid. supr. an. 1561. XXIX.

XIII. Non verò par exitus obsidionis urbis Aureliæ; quam præsenti anno Dux Guisius regij exercitûs imperator obsidendam suscepit, & Admiralij frater Andelotus propugnandam. Cùm enim post varios conatus & pugnas, propè esset ut eam expugnaret; duodecimo Calendas Martij, dum inclinato jam Sole à visitatione aggerum & operum ad hospitium rediret, & longiùs à suis qui precesserant, in equo, unà cum Rostinio quodam nobili à Reginâ misso qui curto mulo vehebatur, colloqueretur; à *Ioanne Poltrotio* Mereo, breuioris sclopeti tribus glandibus instructi, cominùs, per latus displosi ictu, in humero percussus est. Erat proditor iste nobili familiâ in agro Albaterræ ditionis Engolismensis: qui in Albaterræ reguli domô inter nobiles pueros nutritus, & sequenti ætate in Hispaniâ actâ, (unde, & ob fuscedinem oris, ac staturæ brevitatem, & corporis motum ad gentis mores compositum, vulgò Hispanoletus appellabatur) cùm in patriam rediisset, Religionariorum doctrinam, ad omne scelus allicientem; ardenter amplexus, Subizio regulo operam suam addixit, & sub eo militavit. A quo post prælium Druidense ad Amiralium missus, & ab hoc, postquàm iter in Normanniam ingressus esset, pecuniâ unde equum pernicem emeret donatus, in castra regia se contulit; & specie pœnitentiæ quòd arma cepisset contra Regem, Guisio se insinuans, demum conceptum animo facinus eo modo quem diximus executus est. Cum mox se proripuisset, & equi Hispanici pernicitate, ac vicinarum silvarum noctísque opacitate, insequentium diligentiam elusisset; totâ nocte per avia oberrans, dum sibi longum iter emensus videretur, manè ad Helvetiorum castrensem stationem constitit: ubi errore cognito, refugiens protinùs, cùm rursùm partem diei equitâsset, equo

Dux Guisius occiditur a Poltrotio.

SUASORES CÆDIS.

jam ampliùs laborem non ferente, in villam quamdam divertit: ubi grävi sopore præ lassitudine oppressus, à discurrentibus ob suspicionem comprehensus est; móxque agnitus, ad Reginam matrem in castra adductus. Ubi coram Cardinale Borbonio, Duce Stampensi, aliísque proceribus, & consiliariis regiis, nono Calendas Martij interrogatus quid illum ad tam execrandum scelus induxisset; Admiralium, & Bezam, unà cum alio ministro, cujus nomen ignorabat, sibi diutiùs reluctanti præcipuos ejus auctores extitisse; Admiralio opus meritorium & honorificum extollente, Bezâ cum altero ministro paradisum promittente; consciósque consilij Rupifocaldum, Brionum, Fequerium minorem, attestatus est. Monuítque insuper Reginam, sibi ab Admiralio cavere, malè in ipsam post prælium Druidense animato, quòd diceret se ab eâ proditum fuisse: ac præterea plures esse tam in aulâ Regis, quàm in castris, ab eodem Admiralio submissos ad Mompenserium, Sansacum, aliósque præcipuos duces de medio tollendos. Eadem postridie interrogatus jurejurãdo confirmavit, ac subscripsit; ac Lutetiámque missus est judicandus à Senatu. Atque intereà ad avertendum periculum ab eo insinuatum de percussoribus ab Admiralio immissis, regio edicto cautum est pœnâ capitis nequis Hugonotus propiùs decem milliariis ad locum ubi Rex esset, qui tunc Blesis agebat, áppropinquaret.

XIV. ADMIRALII EXCUSATIO.

Visâ autem ab Admiralio, qui tum Cadomi in Normanniâ erat, Poltrotij auditione, ad se missâ; coram Marescallo Hesso, ceterísque nobilibus Germanis & Gallis, se necis Guisianæ conscium fuisse jurejurando inficiatus; scripto etiam singulis Poltrotij auditionis, articulis respondit, atque ad Reginam misit die 12. Martij, & per regnum sparsit; quo Deum & homines contestatus, innocentiam suam prædicavit. Cui & pro suâ parte subscripserunt Rupifocaldus & Beza, qui cum ipso erant. Quæ omnia extant [l] diligenter à sectariis collecta, in prædictorum defensionem; unà cum prolixiori responsione, seu explicatione ejusdem Admiralij, post factam pacem, & iteratam coram Rege purgationem, 5. Maij promulgatâ. Verùm quomodocumque res se habuerit, Poltrotius certè Parisiis quæstioni subjectus, cùm in diversis quos accusaverat variâsset, & aliquando etiam Admiralium crimine liberâsset, sæpiùs tamen eum oneravit, ac postremò in ipso supplicio & transitu in ejus accusatione constanter perstitit. Qui sanè si reus fuit, ut Poltrotius asseruit, tam verè potuit se excusare, quàm verè priùs Germanis persuasum voluerat, se arma unà cum Condeo sumpsisse ad liberandum Regem Reginámque à captivitate quâ detinebantur, corúmque nomine auxilia ab eis petere: támque potuit innocentiam eâ in re suam apud Regem probare, quàm pacificationis edicto approbatus fuit à Rege quicquid contra ipsum egisset pro ipso egisse.

[l] Ap. Schard. Oper. Hist. to. 3. & alibi.

XV. BEZÆ FACINORA.

De Beza minùs sit dubitationis, quicquid ipse ad excusandas excusationes in peccatis proferre potuerit: cui omne scelus pro hæresis propagatione susceptum, sacratissimum fuit qui adeò sanguinem amavit, ut nec veritus sit scribere ad Reginam [m] Angliæ, in prælio Druidensi, in quo tot hominum millia cæsa fuerunt, jacta fuisse prima restituendæ in Gallis Christianæ religionis fundamenta. Qui pariter Admiralio dicere solebat, plantatam ab eo esse fidem gladiis & armis; juxta usurpatum à suo Calvino [n] symbolum; *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Qui [o] cùm antea ad Germaniæ Principes, in Comitiis Wormatiensibus congregatos pro auxiliis adversus Regem solicitandis, Calvini missu accurrisset; & Melancthon eum interrogâsset, cur seditiosi Galli Regem suum tempore periculoso, & regnum satis aliunde perturbatum vexarent; fertur respondisse, Nihil ipsos agere, quod non egissent Apostoli: ac Melancthone providè subjiciente, cur ergo non paterentur potiùs quod Apostoli patiebantur? nihilominùs haud ipse à cœpto destitit. Quem Poltrotius, cùm quatuor equis distraheretur, (eo enim supplicio perduellibus irrogari solito, postquam forcipibus ardentibus concerptus fuisset, periit 15. Cal. Aprilis) unà cum aliis sceleris auctoribus & impulsoribus execratus est; ac se hominem aliquando natum detestatus, qui ejusmodi diabolicis suasionibus aures præbuisset, (quod ab infinitâ hominum multitudine, quæ spectaculo aderat, auditum, & in acta publica relatum, improperavit Claudius Sanctesius insignis Doctor Theologus, posteà dignissimus Episcopus Ebroicensis, ipsi Bezæ in Responsione ad ejus Apologiam contra Examen doctrinæ Calvinianæ & Bezanæ de Cœnâ Domini.) Quem item Hosius [p] ex aliis ejus gestis & scriptis ipsius genio considerato, censuit auctorem fuisse Exhortationis ante biennium linguâ Gallicâ absque nomine auctoris scriptæ ad Regis Consiliarios, posteáque Latinæ factæ; quâ inter cetera minæ addebantur, si persecutio in sequioris religionis professores continuaretur, futuros aliquos Scævolas, qui se putarent sacrificium exhibere Deo, si unius aut alterius nece sociis suis parentarent. Qui denique continuò post pacem confectam, cùm non ampliùs occasio suppeteret gladium suum vibrandi, fortè etiam, ut quidam existimarunt, ne succumberet judicio de nece Guisij habendo, Genevam, asylum ejusmodi nefariorum, ad Calvinum magistrum suum in tutum se recepit.

[m] Bez. ep. dedic. ult. edit. Novi Test. in fi.

[n] Sup. ann. 1535. VI.

[o] Sanctes. contr. Bez.

[p] Hos. in Iudic. & cens. de ador. Trin.

XVI. GUISII OBITUS.

Sexto die à vulnere accepto, nempè 6. Cal. Martias, Guisius post suscepta magnâ pietate & constantiâ consueta Ecclesiæ sacramenta, & præclara data suis monita, animam Deo reddidit, cujus morbi & transitûs historiam egregiè descripsit & publicavit *Lancelotus de Carles* Episcopus Regensis vir pius & doctus, qui usque ad finem ei adstitit. Fuit autem Guisius, ut multa paucis comprehendam, vir vel fatente invidiâ maximus, & quâvis laude dignus, seu rei militaris scientiam cum summâ felicitate conjunctam, sive maturam, in rebus agendis prudentiam, seu denique divini cultûs & religionis Catholicæ conservandæ incensum studium spectes. Cujus obitum Gallia omnis Catholica, Italia, ipsáque Roma, & sedes Concilij Tridentum, universus denique orbis, qui fidem ac religionem sartam & tectam cupiebat, veris lacrymis luxit: laudes inclytas veraces omnes historici

suis

suis commentariis; multi præstantissimi viri orationibus funebribus prosecuti sunt, cùm ei ingenti pompâ Parisiis Nancij, Romæque coram Pontifice, atque alibi parentatum est. Corpus magnâ pompâ delatum fuit Ionvillam ad monumenta majorum: Officia ejus palatina Majoris Domûs, & Magni Camerarij regij, duobus ejus filiis Regina mater conservavit.

XVII. *Pacis cum hæreticis conditiones.*

Effectus verò ejus necis in Galliâ fuit; quòd mox Regina pacem Religionariis concesserit; Regi non minùs ignominiosam in multis quàm Catholicis perniciosam: ac ne turpior esset, fecit constantia Monmorantij Comestabilis, qui magnâ fiduciâ contestatus est, numquam se in Ianuarij edictum consensurum. Fuerunt [q] autem hujus conditiones, conventæ inter Reginam & Condeum die 12. Martij: ut nobilibus in suis jurisdictionibus merum imperium habentibus, libera ac publica ipsorum religionis professio permissa esset; ceteris verò nobilibus minorem jurisdictionem habentibus, in suis tantùm domibus, & pro familiarum suarum usu: In singulis præfectaris (exceptâ tamen Parisiensi) unum oppidum, aut locus suburbanus concessus, in quo & non alibi, religionem suam publicè exercere possent: Ac præterea in singulis urbibus, in quibus usque ad diem septimum mensis Martij, (quo videlicèt agi cœptum erat de pacis conditionibus) liberè religionis causâ convenirent, porrò pergerent in uno aut duobus locis eis assignandis; exceptis tamen sacris Catholicorum ædibus, quæ eis restitui, & liberè remanere deberent: Præteritorum omnium venia indulta; & quique in suis bonis, honoribus, gradibus, officiis, famâ, conservati, aut ad illa restituti: Princeps Condeus pro bono & fido Regis cognato, ac regni studioso declaratus; & quicumque alij & ubicumque religionis causâ ejus partibus adhæsissent, ac quæcumque tam in bello quàm in judiciis egissent, ea bono animo atque consilio ad Regis obsequium fecisse asserti: idem Condeus, ejúsque sequaces, immunes omninò redditi ab omni pecuniæ regiæ sublatæ reddendâ ratione, ab omni monetæ percussionis, bombardarum fusionis, bonorum tàm ecclesiasticorum quàm laicorum quorumcumque ejus mandato & jussu captorum expilationis inquisitione. Quod edictum à Rege tunc Ambosiæ agente subscriptum est, ac sigillo firmatum die decimonono Martij, & paucis pòst diebus in Senatu Parisiensi, ac deinceps per alias regni Curias quà citiùs, quà tardiùs, ægrè promulgatum: quantumvis Admiralius, qui tunc aberat in Normanniâ, mox ad Condeum accedens, illud convellere tentaverit: sed frustrà, quòd & Condeus, cujus auspiciis res gerebatur, ac plerisque eorum proceres & nobiles belli civilis pertæsi ad otium inclinarent. Adeò ut licèt priusquàm pacis conditiones stabilirentur, Condeus ministros suos de iis quæ petenda forent consuluisset; visis tamen insolentibus eorum postulatis, iis abjectis, non aliorum quàm nobilitatis sententias rogaturum se ac secuturum palàm declaraverit.

[q] *Fuit tunc edictum publicatum: extatque pariter integrum ap. Schard. in Oper. Hist. to. 3 & Epit. rer. gest. sub Ferdin. Imp.*

XVIII.

Admiralius autem iis magis addictus, turbarum erat studiosior; ac præcipuè vesano pleнus spiritu Bezæ, quem semper, tamquam gladium acutissimum, lateri alligatum habebat, in sanguinis effusionem propensior. Quo eodem spiritu & alij plurimi dementati, etiam [r] libellum, non expresso auctoris nomine, (quem nonnulli Carolum Molineum Iurisconsultum alij probabiliùs Hugonem Sorellum Roserium ministrum, fuisse existimârunt) evulgarant, quo Regis & Magistratûs ab eo instituti auctoritas, detortis ex sacrâ Scripturâ argumentis, cavillatoriè in dubium revocabantur, quem Subizius Lugduni, cùm reddenda fuit civitas delegatis regiis, de consensu ministrorum, ut rebellionis invidiam à se amolirentur, publicè comburi jussit. Nimirùm hæc fratrum doctrina erat in Synodo, ut vocarunt, Cabilonensi anno 1560. constabilita; cujus meminit paulò pòst idem Hosius [s] in Iudicio & Censura dogmatis contra adorandam Trinitatem; asserens decretum in eâ fuisse, ut cùm primum liceret, universi fratres conjunctis viribus ad tres Orbis terrarum pestes, sive quisquilias, exterminandas concurrerent; nimirum Pontificiam Ecclesiam, Nobilitatem, & Iuris disciplinam: Papisticum enim esse, & à purâ religione penitus alienum, ut quidam in Republica dignitatum gradus, personarúmque ordines ac discrimina ponerentur: quandoquidem Deus omnes homines, Rege uno dempto,) hunc enim ad aliquod tempus excipiendum putaverunt) potestate pari & jure optimo esse voluisset. Quod idem Ioannes Vetus in suâ Religionis & Regis Francorum defensione adversus exitiosas Calvini, Bezæ, & Ottomani conjuratorum factiones recenset; aliique [t]. Ceterum post pacem promulgatam, captivi utrimque liberati fuêre; urbes ab hostibus occupatæ, à Rege receptæ, milites extranei dimissi; & paucis post mensibus Portus-Gratiæ, quem Angli restituere detrectabant, durâ obsidione in Regis potestatem redactus.

[r] *Thuan. lib. 34.*

Libellus pestilens contra auctoritatem Regis.

[s] *Adde Resc. in Convent. haret.*

[t] *Resc. ibid. Prateol. de Heres. in Beza.*

XIX. *Explicatio edicti.*

Cum autem circa edicti executionem non paucæ controversiæ orirentur; ad ejus interpretationem conditum [u] aliud est, quo Rex concessionem liberè conveniendi sic explicavit, ne id in iis locis liceret, quæ vel è sacro patrimonio nuper distracta esset, aut ad sacerdotia pertinerent: hoc videlicèt addito, contra Cardinalis Castilionei fratris Admiralij Episcopi & Comitis Bellovacensis, atque Sanromani Archiepiscopi Aquensis conatus; qui Religionariorum doctrinam publicè profitentes, eam in suâ quisque diœcesi ac sacrâ ditione constituere omni ope nitebantur. Illud quoq; caput, quo libertas conveniendi tribuebatur in locis iis omnibus, in quibus ad septimum Martij conveniebant, explicatum est, de iis urbibus intelligi, quæ bellico præsidio tenerentur. Prohibitio de vetitis conventibus in urbe & præfecturâ Parisiensi ita exposita est, ut earum incolis fas non esset vicinarum præfecturarum urbes, ubi conventus permitterentur, adire, nisi & in eas ipsi domicilium transferrent, quod adversus quosdam Senatores ejusdem religionis sectatores factum putabatur. Adversus verò monachos apostatas, qui vi clausulæ, quâ conscientiæ libertas unicuique tribuebatur, niti videbantur, decretum est ut qui cœnobia superiorum motuum occasione, aut post eosdem sedatos deseruissent, eâ

[u] *Thuar. lib. 35. & 36.*

indulgentiâ non comprehenderentur; sed ad sua cœnobia regredi, abdicatis uxoribus quas duxissent, aut regni finibus excedere deberent; ratione additâ, ne familiarum quies turbaretur, si qui propter votum jam inter hæredes non numerabantur, ad partem admitterentur. Denique quod edictum fuerat, ut extranei quique è regno exirent, extensum etiam fuit ad ministros; prohibitúmque necui nisi indigenæ & in regno nato fas esset ministerium religionis exercere. Posteáque etiam additum, ne ministris liceret in aliis locis habitare, quàm iis qui in singulis præfecturis ad conciones essent designati. Itémque, ne Religionariis scholas ludósve literarios aperire fas esset.

XX. DECRETUM DE GUISIJ NECE.

De quæstione verò necis Guisij, vidimus epistolam Regis ad Sansulpitium oratorem suum apud Regem Hispaniæ, scriptam octavo Ianuarij anni proximi: quâ significabat, cùm difficilè admodùm esset de judicibus inter Guisios & Admiralium convenire qui de eâ cognoscerent, quoniam omnes ab unâ vel alterâ parte rejiciebantur; ac propterea res ad Regem ipsum ejúsque matrem remissa communi partium consensu fuisset: se illam ad triennium remisisse, quo de eâ solidiùs, postquàm ad majoritatem pervenisset, cognosceret; fide interim ab iis acceptâ, quod neque armis neque judicio sibi invicem adversarentur. Atque ita quidem in Galliâ.

XXI. EDICTUM PONTIF. CONTRA NONNULLOS EPISC. GALL.

x Ext. Bull. tr. 2. Pij IV. const. 67.

Romæ verò Pius Papa, ubi primùm audivit de pace Gallicâ, etsi nondum de conditionibus constaret, culpam tamen in Cardinalem Castilioneum, qui deposito nomine Episcopi, Comitem se Bellovacensem nuncupabat, & in nonnullos alios Episcopos hæresis suspectos conjiciens; speciale dedit mandatum [x] 7. Idus Aprilis, Cardinalibus S. R. E. Inquisitoribus generalibus; ut quoniam audîsset nonnullos etiam Prælatos in errores hæreticos prolapsos esse, contra omnes & singulos eorum, etiamsi Episcopali vel Cardinalatûs dignitate præditi essent, & in locis ubi secta Lutherana invaluisset, & ad quos non adeò tutus accessus esset, habitarent, procedentes, eos citarent Romæ, vel in confiniis oppidorum Ecclesiæ, ad comparendum personaliter ad certum diem; & si non comparerent procederent usque ad sententiam, quam ipse in consistorio secreto pronunciaturus esset. Quod mandatum exequentes Cardinales, edicto citârunt [y] quosdam Episcopos, ad eluendum crimen hæreseos, & in iis *Odetum Colinium* Diaconum Cardinalem Castilioneum; *Sanromanum* Archiepiscopum Aquensem; *Ioannem Monlucium* Episcopum Valentinum; *Ioan. Ant. Caracciolum* Neapolitanum, Episcopum Trecensem, *Ioannem Barbansonum* Episcopum Appamiensem; & *Carolum Gillarium* Episcopum Carnotensem. Quibus addit Homerus Tortora [z] Episcopos *Olorensem*, *Lectorensem*, & *Vticensem*, innominatos. Sed id de Lectorensi apertè falsum: quandoquidem in Catalogo Episcoporum qui Concilio Tridentino eodem ipso tempore intererant, & subscripti reperiuntur, recensetur *Guillelmus de Montbas* Episcopus Lectorensis. Adeò ut magis ejus loco reponendus sit *Lascurensis* in Bearniâ sub ditione Reginæ Navarræ: qui unà cum Olorensi expressus reperitur in [a] Vitâ Pij V. vocabatúrque *Ludovicus Alebretius*: Olorensis autem *Claudius Reginus*; qui tamen non tam fortè ob hæresis professionem, quàm quòd sub Reginâ hæresi infectâ existens, conniveret ei, unà cum aliis, ipsáque eâdem, citatus fuerit. Si quidem in literis quas vidimus Philiberti Cardinalis Burdeserij tunc Romæ Regis Christianissimi Caroli negotia curantis, disertè traditur: in consistorio diei 22. Octobris præsentis anni 1563. Cardinalem Alexandrinum magnum Inquisitorem) qui fuit posteà Pius Papa V.) retulisse, quæ in officio Inquisitionis reperirentur contra Archiepiscopum *Aquensem*, (Aquarum Sextiarum in Provinciâ) & Episcopos *Vticensem*, *Valentinum*, *Carnotensem*, *Lascurensem*, *Olorensem*, & nuperum *Trecensem*; ac conclusisse in condemnationem & privationem *Valentini*, *Lascurensis*, & *Trecensis*; ceterorum autem suspensionem, & administrationis interdictionem, quousque sese stitissent & purgassent, vadimonio constituto in annum; quo elapso, nisi satisfecissent, haberentur & ipsi pro convictis: Burdeserio autem qui aderat pro omnibus intercedente, quousque de his certior factus esset Rex Carolus, ampliatum esse à Pontifice. Fuit [b] autem Uticensis iste *Ioannes de Sangelasio*, qui hæresim prædicavit, & Episcopatui renunciavit. Fuisséque in accusatorum numero Episcopum *Aquensem* (Aquarum Augustarum sub Archiepiscopatu Auscitanensi) *Franciscum de Noailles*, intelligitur ex aliis literis prædicti Cardinalis Burdeserij vigesimi quinti Novembris ejusdem anni. Denique Onuphrius [c], qui tunc Romæ erat, ait, præter Odettum Cardinalem, Episcopos *circiter decem* eâdem labe in Galliis maculatos; fuisse à Pio IV. sacerdotiis privatos. At de privatione posteà. Quod verò sunt, qui nonnullos eorum quos nominavimus ab hæresi immunes esse velint, vellemus & nos id de singulis dici posse. Fuerint fortè aliqui, qui pòst resipuerint, aut qui calumniosè priùs delati fuerint. Cùm de iis hactenùs nobis non constet, non possumus nisi quæ reperimus scribere: siquid certius deinceps nobis constiterit, haud celaturi.

y Thuan. lib. 35.

z Tort. Hist. Franc. lib. 3.

a Vit. Pij V. lib. 2. c. 4.

b Catel. in Hist. Occitan.

c Onuphr. in Vit. Pij IV.

XXII. REX PACEM FACTAM EXCUSAT.

Interim Rex Carolus missis Romam ad Pontificem, Tridentum ad Concilium, in Germaniam ad Cæsarem, & in Hispaniam ad Regem Philippum legatis, pacem hæreticis datam excusare conatus est, ex rerum necessitate; metúque ne novis accedentibus Germanorum & Anglorum auxiliis, quæ jam contrahebantur, major fieret regni subversio cum religionis detrimento: denique animo, ut depositis armis, & sedatis tumultibus, minori negotio errantes in viam salutis reducerentur. Quibus tamen rationibus parùm iis satisfactum est; cùm longè à discrimine constituti, id tantummodò attenderent quod vel zelus fidei Catholicæ, vel rationes privatæ suaderent.

XXIII. NOVORUM LEGATORUM ACCESSUS

Ceterùm Tridenti servato justitio donec novi Legati adessent, Sabbato Sancto, decimo Aprilis, ingressus est urbem Moronus, solemni pompâ sub umbellâ, ac generali processione susceptus. Triduoque pòst, nempè deci-

TRIDENTUM.

d Ext in edit. Lovan. an. 1567.

mo tertio Aprilis, in Generali Congregatione orationem [d] habuit de suâ missione, cum excusatione imbecillitatis suæ in tanto munere digne administrando; & exhortatione ad ea tractanda quæ maximè necessaria essent, remotis quæstionibus inutilibus, & contentionibus omnibus atque discordiis Navagerius autem nonnisi vigesimo nono Aprilis, atque ut occursationes & cæremonias fugeret, de nocte urbem ingressus est: ipso verò die Paschæ Comes Lunensis Regis Philippi orator, medius inter Cæsareos & Gallos, cum plurimâ amoris & benevolentiæ significatione.

MORONUS CÆSAREM CONVENIT.

Moronus, ut mandatum habuerat à Pontifice, antequàm quicquam aggrederetur in rebus Concilij, Ferdinandum Cæsarem Oenipontem adiens, specie ut tantummodò Pontificis propensam voluntatem erga progressum Concilij, & integram Ecclesiæ reformationem sine ullâ exceptione, Cæsari approbaret; re præcipuâ, ut Cæsarem dimoveret à cogitatione proficiscendi Tridentum; oraret finem ejus accelerari, & causas obstantes tolli, ac Sedis Apostolicæ auctoritatem sartam & tectam conservari contra tot machinationes adversus eam comparatas, ac præcipuè à Gallis & Hispanis, cum importunis suis propositionibus & postulatis; & ut reformatio Curiæ Romanæ non institueretur Tridenti à Concilio, sed Romæ ab ipso Pontifice: denique proponeret Concilij translationem Bononiam, ubi posset Cæsar cum Pontifice intervenire, atq; in eo celebri conventu Imperij coronâ accipere, quod nemini unquam Imperatorum contigisset.

LOTHARINGII LITERÆ AD CÆSAREM.

Quo eodem tempore misit etiam Cardinalis Lotharingius ad eumdem Cæsarem, qui sententiam Doctorum Gallorum super Articulis à Cæsare in consultationem deductis, exponerent; ostenderéntque quàm necessarium esset ad maturandum Concilij progressum, ut non mollibus verbis, sed vegetis & acribus cum Cardinale Morono uteretur: denique obsecrarent, ne à Concilio longiùs abscederet, quòd ejus vicinitatem bonum aliquem fructum allaturam Patres sperarent, continendis quibusque in officio, & impediendis eorum conatibus qui ejus in alium locum translationem machinabantur. Déque his scribens ad eum, postremò oravit, ut aliquod temperamentum inveniret, ne de præcedentiâ inter Galliam & Hispaniam in Concilio disceptaretur; ne fortè ea res Synodi progressum interrumperet.

XXIV. RESPONSIO CÆSARIS AD LOTHARINGIUM.

His Cæsar respondens; primùm quidem ad literas Lotharingij, utpote facilioris expeditionis, rescripsit, se nondum cum Morono egisse, quòd res gravioris esset momenti, ita autem acturum, ut quivis agnoscere posset sibi cordi & curæ esse optimum statum Reipublicæ Christianæ. Quamvis urgentia alia ditionum suarum negotia ipsum aliò vocarent, haud tamen Oeniponte discessurum quamdiù spes esset præsentiam suam ad res Concilij promovendas utilem ibi fore. Quod præcedentiam spectaret, nolle se judicem ejus constituere, minúsque pro alterutrius juribus disceptare, quin potiùs cupere ut ipsi oratores inter se modum aliquem invenirent, quo hæc controversia, saltem durante Concilio, nequaquàm agitaretur. Si tamen locus consuetus Gallo conservetur, quid ad ipsum, si alius Hispano tribuatur, qui Gallum antiquâ suâ possessione non privet, aut quicquam ei adimat? Rogare itaque Cardinalem, ut diligenter cogitet rationem aliquam quâ possit utrique absque alterutrius præjudicio satisfieri.

ET AD MORONUM.

Morono autem deinceps post maturam consultationem, verbis satis generalibus respondit, se Pontificis auctoritatem contra hæreticos defensurum, si quando opus esset; & Oeniponte moraturum, nec ultrà progressurum Concilij translationem Bononiam, sine consensu Regum Franciæ & Hispaniæ non esse faciendam. De suâ coronatione nihil constistitui posse, nisi priùs ad Conventum Ordinum Imperij referretur: De Concilij progressu sibi satisfactum fore hisce conditionibus, ut Reformatio Tridenti fieret; ut quivis posset proponere; útque tractare inciperent de Articulis, à se & à Gallis exhibitis.

XXV. REGINÆ SCOTIÆ LITERÆ AD CONCIL.

Intereà antequàm Moronus revertisset à Cæsare, die decimâ Maij facta est Congregatio, ad recitandas literas Mariæ Reginæ Scotiæ à Cardinale Lotharingio ipsius avunculo exhibitas: quibus declarabat, se Concilio submittere sese: commemoratáque spe successionis suæ in regnum Angliæ, promittebat, ubi ea contingeret, se utrumque regnum obedientiæ Sedis Apostolicæ subjecturam. Literísque recitatis Cardinalis eleganti oratione Reginam excusavit, quòd neque Prælatos, neque oratores ad Concilium misisset; cùm plerique omnes ad id muneris apti, hæresi infecti essent, aut extorres facti, vel captivi detenti: propè ut etiam erat ipsa Regina, quæ in medio hostium potiùs quàm subditorum, constituta; continuis conspirationibus ac periculis subjacebat; fortis tamen constánsque semper in professione & cultu veræ religionis perseverans.

e Leslæ. Hist. Scot. lib. 10. ad fi.

UNDE ORTA IN SCOTIA HÆRESIS.

De quibus agens *Ioannes Leslæus* [e] Scotus Episcopus Rossensis, sæpiùs à nobis superiùs in rebus ejus gentis recensendis, quas ipse descripsit, laudatus; quærénsque unde tam fœda religionis eversio tunc in Scotiâ cerneretur; ait (quod ceteris nationibus sit documento (nequaquàm id contigisse, quòd postremis his temporibus viri Ecclesiæ principes fidem officiumque suum prodidissent; quinimmò permultos fuisse, quos etiam enumerat, qui verbis & scriptis potenter hæreticis restitissent: sed quòd in ipso principio, hæresum scintillas eâ quâ par erat fortitudine docendo, scribendo, arguendo, non extinxissent; quòd multa simulando & dissimulando, persecutionis turbine acriùs ingruente, infirmioribus, ac ipsi in primis nobilitati scandalum & offensionem peperissent; denique qui totius penè mali fons erat, quòd populum ita neglexissent, ut nullo catechismo in ipsâ tenellâ ætate Catholicè imbutus quidquam haberet quod crederet certi: unde postquàm opiniones hæreticorum plenas licentiæ, ac verborum perpulchro vestitu illitas, audîsset plebs, facilè eas amplexam esse. Huc accessisse quorumdam Ecclesiasticorum vitam; quæ cùm avaritiæ ac voluptatis maculis aspersa videretur, sectariorum ministris materiam copiosam suppeditaret, Ecclesiasticæ dignitatis lacerandæ, atque ad populum vociferandi, in tantis vitiorum tenebris non

potuisse inesse Evangelij lumen. Post quæ idem auctor finem Historiæ suæ imponens, quàm à primâ gentis origine hactenùs dedu xit, sequentia tempora silentio obtegere statuisse ait: (breviarium nihilominùs eorum, quoad res Mariæ Reginæ, eleganter ingerens;) quoniam si quâ fraude sectarij quidam ambitione flagrantes, Reginæ auctoritatem tentaverint, quibus insidiis eam impetierint, quâ malitiâ majestatem ejus famámque violaverint, fusiùs aperiret; aut è diverso si quâ prudentiâ Regina illorum fraudem eluserit, quâ Dei providentiâ insidias evitaverit, quâ vitæ sanctimoniâ malitiam refutaverit, sinceriùs doceret; videretur forsan quibusdam, qui Reipublicæ Scoticæ rationes non haberent cognitas, in sectariis vituperandis, mentis offensioni, in Reginâ laudandâ, amori & pietati plurimùm tribuisse.

XXVI. De Episcoporum absent. procuratoribus.

Reverso Oeniponte Tridentum Cardinale Morono primo Concilij præside, in Congregatione habitâ die 19. Maij disceptatum fuit de procuratoribus Præsulum Gallicorum qui in regno remanserant, utrùm sicut petebant qui ab iis nuper missi fuerant, admittendi essent; & utrum ad Legatos pertineret, an verò ad Concilium, de eo statuere. Asserebant Galli, Legatis non aliam prærogativam deberi, quàm ut essent primi, & seorsim à Patribus nullam prorsùs iis auctoritatem competere. Pro alterâ verò parte dicebatur, Concilium legitimum esse non posse, nisi à Papa congregatum; & ad ipsum solum pertinere potestatem decernendi, quis ei interesse, & dicendæ in eo sententiæ jus habere deberet. Post non nullam contentionem, res indecisa relicta est. Sicuti & fuerat jam anteà, cum idipsum Germaniæ Episcopi petiissent.

XXVII. Hispani oratoris anxietates de loco.

In Congregatione verò habitâ 21. Maij, acceptus est Comes Lunensis, qui ob controversiam de honoratiori loco cum oratoribus Gallis, totos quadraginta dies ab suo adventu in conspectum Concilij se non dederat. Ac licèt intereà sæpiùs consultatum esset de ratione litis ejus expediendæ; ab Gallis tamen nihil impetrari potuerat; non alium ei locum permittentibus, nisi proximè & secundum ipsos Lunensis verò animo anxius, & quò se verteret nescius, modò cogitabat, in medio oratorum Cæsareorum, quibus injunctum erat eum comitari, pedibus consistere & juxta illos stare dum oratio fieret, eáque finita continuò domum reverti: modò hoc parum è sui Regis dignitate esse viso, in id incubuit ut Gallis placeret eo die quo excipiendus erat in Congregationem, non venire: deinde iis nequaquàm huic consilio assentientibus, statuit operam dare ut ad id aliquo modo adigerentur: primò decernens ut è Præsulibus Hispanis quispiam peteret ne oratores laici interessent Congregationibus, quippe in antiquis Conciliis neutiquàm admissi: posteà veritus ne hoc omnibus simul Principibus offensioni esset, enitendum potiùs putavit, ut ab aliquibus Præsulibus ea tractanda proponerentur, quibus oratores Gallos interesse haud æquum esset; putà de damnis quæ evenire possent Christianæ Religioni ob pacem cum Hugonotis factam, aut quid ejusmodi. Quot noctes insomnes duxisse debuit, qui tot phantasiis agitabatur! Non poterat proculdubiò lucidioribus argumentis palàm mundo facere, rem se quærere minimè sibi debitam, & cunctis retrò sæculis ante id regnum ne quidem mente cogitatam. Ne tamen res Concilij turbarentur, visum demum est Cardinali Lotharingio, & oratoribus Gallis, haud amplius reluctari, siquis ei seorsim ab oratoribus locus daretur, idque fortè ex Cæsaris sensu, quem Cardinali insinuasse vidimus. Quam tamen innovationem mirantibus ubique cunctis, non solum apud alias nationes Lotharingius & oratores Galli malè audierunt, quòd de alio loco oratori Hispano concedendo assensi essent; verùm etiam apud Gallos in summam invidiam adducti sunt proditæ Regis sui dignitatis. Quinimmò & ipse Pius Pontifex, (ut ex literis Cardinalis Burdeserij, tunc apud ipsum negotia Caroli Regis curantis, 6. Iunij scriptis, intelligitur) cum idem Burdeserius de Lunensis innovatione cum Pontifice quereretur; culpam ipse omnem in Regis oratores conjecit, quòd cum ipse Pontifex ante Lunensis ad Concilium accessum omninò recusâsset ullum alium locum præter antiquum ei permittere; regij nihilominus oratores, & jam tunc declarassent nulli se ei impedimento fore quin honoratum locum pro Regis sui dignitate accepturus esset, & postquàm Tridentum pervenit novum locum eidem concessissent.

Datur ei locus separatus.

Gallorum oratorum culpa.

XXVIII. Hispani oratoris protestatio.

Igitur die prædicto 21. Maij ingressus Lunensis in Congregationem, stans pedibus ex adverso Legatorum, mandata sui Regis exhibuit, iísque à Secretario Synodi lectis, continuò protestatus[f] est; etsi in eo consessu, & alio quocumque, proximus post Imper. oratores locus sibi deberetur, nihilominus cum neque locus ille, neque causa de qua agebatur, neque tempus ipsum pateretur, propter humanas contentiones rerum divinarum & salutis publicæ cursum impediri; accipere se locum tunc datum: protestari tamen, ne hæc sua moderatio præjudicium ullum dignitati juríque Principis sui Regis Catholici, ejúsve posterorum, afferret, quominus & illo & alio quovis tempore ac loco, quâvísque causâ, jus id suum integrum esset, perinde ac si in eo consessu debitum sibi locum obtineret. Hánc que suam protestationem petiit Actis Synodi inseri, ita ut absque illa edi non possent; ejusque sibi exemplum à Secretario Concilij dari. Hísque lectis, ad sedem sibi assignatam juxta mensam Secretarij Synodi concessit. Confestim verò Oratores Regis Christianissimi suo loco sedentes proximi ab Oratoribus Cæsareis, responderunt; si ipsi in Synodo alio loco sederent quàm semper majores ipsorum, & novissimè in Conciliis Constantiensi & ultimo Lateranensi, qui primi post Imperatoris & ante omnes ceterorum Regum Oratores sederunt; & si novus ille locus, in quo extra ordinem Oratorum sedere inciperet Comes à Lunâ, posset ipsis, aut aliis Oratoribus esse damno; haud dubium Patres Concilij, qui Ecclesiam Universalem repræsentarent, pro officij sui debito, & majorum exemplo, omnes Oratores ad antiquum ordinem revocaturos, aut saltem denunciatione Evangelica cum ipsis acturos. Cùm autem Patres tacerent,

[f] Ext. in Lit. & Instruct. Gall. de reb. Concil. & in edit. Colon. 1565. & Lovan. 1567.

Gallorum responsio.

rent, neque etiam huic novitati intercederent oratores Cæsarei, quibuscum causa ipsorum Gallorum non posset non esse communis; se, qui tunc in ordine Oratorum proximi oratoribus Cæsareis pristinam possessionem Regi suo conservarent, fretos fide, amicitiâ, & affinitate maximi & potentissimi Philippi Regis Catholici in Carolum fratrem pupillum Regem Christianissimum, postulare à Patribus, ut ita illius dici dictum & factum Comitis à Luni interpretarentur, ne quod inde præjudicium fieri posset antiquissimæ prærogativæ & perpetuæ possessioni Regis Christianissimi; idque in acta referri juberent.

XXIX. Fontidonij oratio.

Post hæc *Petrus Fontidonius* Segoviensis Hispanus, Doctor Theologus orationem Lunensis nomine habuit, tantâ cum Regis sui pro religione & republica Christiana gestorum exaltatione, & manifesta reprehensione ceterorum omnium Principum qui ejus diligentiam non essent imitati, ut & ipsi Cæsaris oratores unà cum ceteris de eo questi fuerint apud Lunensem qui respondit non minùs sibi displicuisse, quin & cùm ea sibi à Doctore ostensa fuissent, præcepisse ut tollerentur. Quod si verum fuit, gnaviter oportuit impudentem esse Fontidonium, qui nihilominùs ausus fuerit ea pronunciare: sed proclive est culpam atque invidiam in alios regerere. Extat [g] quidem Fontidonij oratio tunc habita, multa ejusmodi continens: sed ut putamus emendata; prout insinuatur in quadam [h] epistola de his scriptâ à Lansaco oratore Gallo Tridenti ad Boistallium Regis apud Venetos oratorem. Ubi & traditur, statim ut facta fuit de more à Promotore Synodi responsio, Lunensem exiisse, non expectato Legatorum exitu, ad vitandam contentionem cum Gallis de dexterâ vel sinistrâ: postridiéque pariter in Congregationem ingressum, idipsum quoad sedem & exitum observâsse.

g In Act. Colon. & Lovan.
h In Litter. & Instruct.

XXX. Nova de loco controversia.

Nec tamen propterea controversia de præcedentiâ sopita fuit, quippe etiamsi inventus fuit locus Oratori Hispano in Congregationibus, tamen idem in Sessionibus Concilij, aut in Missis, aliisque actionibus publicis, ei dari non poterat, quòd diversa esset forma sedendi. Quare Legati ad Pontificem scripsêre, petentes quomodò in iis se gerere deberent. Qui post multam eâ de re cum animo suo cogitationem, & cum Cardinalibus consultationem, rescripsit, in Sessione quoque dandum Lunensi locum sejunctum à ceteris oratoribus, & ad thurificationem, ac pacem, duo thuribula, & duæ paces ut vocant, haberentur, quæ uno eodémque momento Gallis & Hispano adhiberentur: præcipiens Legatis, ut negotium usque ad tempus rei perficiendæ esset occultissimum, ne si emanaret, incommoda præpararentur. Cui morem gerentes Legati, ita rem clàm habuerunt, ut Gallis id nunquam notuerit. Die igitur Sancti Petri tertio Calendas Iulij, qui Martis erat, ac penè gladiatorius futurus erat, congregatis in Ecclesiâ cathedrali Cardinalibus Legatis & Patribus, post Missam inchoatam, quam celebrabat Episcopus Augustanus in Subalpinis orator Ducis Sabaudiæ, ex improviso allata est ex sacrario sedes ex serico villoso nigro, & collocata inter ultimum Cardinalem & primum Patriarcham: subitóque superveniens Lunensis in ea sedit. Ad tam inopinatam rem orto omnium murmure, Cardinalis Lotharingius acriter expostulavit cùm Legatis; itémque oratores Galli è loco suo ordinario, per Magistrum cæremoniarum, maximéque cùm audierunt thurificationem & pacis dationem eodem tempore fieri debere; apertè contestantes se jus suum conservatum velle, quod non in æqualitate, sed in præcedentia consisteret. Post lectum Evangelium, cùm de more conscendisset suggestum Theologus ad concionandum, concesserunt in sacrarium Legati, cum ceteris Cardinalibus Lotharingio & Madrutio, & oratoribus Imperatoris, ac Ferrerio uno ex Gallis: (redierat jam Lansacus in Galliam, remanentibus Tridenti Ferrerio & Pibracio) vocatísque insuper Archiepiscopo Granatensi Hispano, & duobus Episcopis Gallis; tandem post multas altercationes, tractationes, itiones ad Lunensem atque reditiones, res ita composita est, ut sine thurificatione & pacis datione, Missa perageretur. Qua finita statim Lunensis cum magno Præsulum suo Regi subditorum comitatu, non expectatis Legatis, exiit; sive ovans de semivictoria; sive vultum non ferens eorum quibus tantæ offensioni fuerat in loco sacro cum perpetua interturbatione sacri officij.

XXXI. Querelæ Gallorum.

Nec parva quidem invidia Legati apud plerosque & ibi præsentes, & alibi absentes, laborarunt, quòd clandestina ejusmodi machinatione cum Hispanis, Regi pupillo tam insigni præjudicio illusissent; per quos non stetisset quin orbis Christianus totus conturbaretur, & Gallia ab obsequio Sedis Apostolicæ recederet. Sed idoneo nitebantur auctore, Summo Pontifice, cujus mandata, quibus parere necesse erat, ad amoliendum à se odium, publicare coacti sunt. Unde & in eum ipsum fœda murmuratione plurimi obloqui ausi sunt. Lotharingius autem misso postridie Secretario suo ad eundem Pontificem, literas satis vehementes, reverentiæ tamen & obedientiæ plenas scripsit, (quas qui dixit [i] nonnisi post mensem scriptas fuisse, cum inde incuriæ arguens, deceptus est falsa mensis adscriptione Iulij, pro Iunij, in earum exemplo apud Valdesium, ex quo ipse desumpsisse cognoscitur; cùm quæ habentur in Collectione Literarum & Instructionum de Rebus Concilij posteà edita, clarè datæ ponantur ultimo Iunij; & in earum exordio expressa fiat mentio de eo quod die præcedenti contigisset.) Nec deerant qui calumniarentur, totum hoc compositum à Pontifice fuisse ad dissolvendum Concilium. Ferrerius autem orator Gallus iracundiùs commotus, ut erat ferventissimi ingenij, extráque se raptus, palàm vociferabatur, nisi restituerentur res in integrum cum prælatione Gallorum in thure & pace; protestaturos se, non contra Legatos, quòd meri essent alienæ voluntatis executores; non contra Concilium, cui sua libertas non constaret; non contra Philippum Regem, aut Comitem Lunensem, quippe qui causam suam prosequerentur; non contra Sedem Apostolicam, quam majorum suorum vestigiis insistentes semper essent veneraturi: sed contra personam particularis hominis, qui schismati

i Thuan. lib. 35.

causam

causam daret, gereretque se pro Papâ, cùm esset nihilominus vitio & nundinatione creatus, ut certis & indubitatis rationibus ac probationibus quas penes se haberent, demonstraturi essent: provocaturósque ad futurum Pontificem verè ac legitimè electum, & ad Concilium verum & legitimum, interímque aliud Nationale celebraturos, cui tot nationes interventuræ essent ut generalius esset quàm Tridentinum. Est enim diserta horum mentio in harum turbarum relatione cujusdam tum Tridenti existentis, quam Valdesius [k] commentario suo de dignitate Regum regnorúmque Hispaniæ inseruit: ubi & cetera prædicta ab ovo narrantur. Quibus consentiunt aliæ epistolæ itidem Tridento Romam scriptæ à Cardinale Lotharingio, à Palæoto Legum Doctore ac posteà Cardinale, quæ extant in sæpè memoratâ Collectione Literarum & Instructionum de rebus Concilij Tridentini; unde Polanus in suam Historiam transtulit.

[k] Valdes. cap 3.

XXXII. De parata oratione Ferrerii.

Quæ autem reperitur in eâdem Collectione, & apud Goldastum [l], oratio Ferrerij & Fabri oratorum Gallorum, habita, ut ibi dicitur, antequàm discessuri essent in Galliam, fuerat ea quidem parata à Ferrerio recitanda cum protestatione, si contigisset Comitem Lunensem, sicut vehementer urgebat, proximâ Dominicâ in Ecclesiâ, ex præscripto Pontificis ad æqualitatem thuris & pacis admitti, uti ei in acccommodatione die S. Petri factâ promissum fuerat à Legatis: quâ in Pontificem eodem iracundiæ fervore in publico consessu declamaturus erat, protestaturúsque de non recipiendis Concilij decretis, quòd Pij potiùs essent, à quo Romæ conderentur, quàm Concilij, quod nonnisi quæ ab eo juberentur, in publicum emitteret: ac postremò Regis sui nomine Præsulibus ac Theologis Gallis præcepturus uti discederent; tunc redituri ubi primùm Deus Generalibus Conciliis antiquam formam & libertatem restituisset, Réxque Christianissimus debitum dignitati & majestati suæ locum recepisset. Verùm quamvis ea typis mandata fuerit, perinde ac si recitata fuisset; non tamen habita est, ut etiam Polanus testatur, quoniam protestatione utendi occasio non fuit. Si quidem cùm ex rumore jam facto, & ex verbis Ferrerij quæ palàm jactabat, satis intelligeretur, si Lunensis voti compos fieret, fœdissimam illam exituram Ferrerij protestationem, atque obedientiæ Pontifici subtractionem; Polonúsque orator (ut iisdem literis continetur) assereret, subtractâ Galliæ obedientiâ, actum pariter esse de regno suo: aliáque infinita incommoda & gravissima damna inde exoritura prævidérentur: his moti prudentiores qui in Synodo erant, maximéque Cardinalis Madrucius, ac ceterorum Principum oratores, ad tranquillandam sævissimam hanc tempestatem animum accuratissimâ sollicitudine applicantes; post multam disceptationem, eò Comitem induxerunt, ut pateretur, in cæremoniis publicis nec thus nec pacem adhiberi, donec Rex Hispaniæ de omnibus certior factus, quid ei faciendum esset decrevisset. Qui prudenter gradum sistens, ne ambitione suâ, aut fortè magis suorum, Christianam Rempublicam in discrimen vix reparabile præcipitaret, noluit rem ulteriùs produci; contentus pro tempore, vel unum passum in viâ tam lubricâ processisse.

[l] Goldast. Const. imp. tom. 3.

Quanto periculo laboratum fuerit.

XXXIII. Nova consilia Gallorum de Concil.

Sedata igitur, seu interquiescente hâc inter Principes controversia, consultari cœptum est à Legatis, quâ ratione cetera dissidia, quæ in articulis de religione & reformatione in Synodo tractandis, inter Patres & Theologos intercedebant, tolli quoque possent. Résque spe facilior successit. Si quidem quod Gallos attinet, cœperat jam anteà Lotharingius de animi ardore, quem priùs in multis ostenderat, remittere: & Regina, ac ministri Regis, quòd viderent pacis negotium in regno feliciter succedere, cum spe fore ut integra obedientia Regi ab Hugonotis restitueretur; ita ut nec quæ eorum intuitu petebantur adeò premerent, & alioqui impossibile videretur illa à Pontifice vel à Concilio obtinere: (puta, inter cetera, translationem Synodi in alium locum Protestantibus commodiorem, quam præcipuè Condeus urgebat, tum ad ejus exitum conturbandum, tum ut partes suas multò auctiores redderet, si eas cum tot regnorum & Principum Protestantum utilitatibus conjungeret: adeò ut non solùm id à Pontifice efflagitare Reginam impulerit; verùm etiam ipsummet eâ de re ad Regem Hispaniæ scripsisse dicatur [m]; sed utrobique inutili suasione,) denique cernerent, quæ ad reformationem pertinebant, nimiis difficultatibus & contrarietatibus obnoxia esse: statuerant in res Concilij tanto studio deinceps non incumbere, sed operam tantùm dare, nequid sibi præjudicij fieret. Ideóque scripserat mense Maij Regina Romam atque Tridentum, ne auctoritas Pontificis impugnaretur. Quod tamen non putamus iis tantùm de causis præstitisse; verùm etiam ut assentiretur Pontifex alienationi perpetuæ prædiorum Ecclesiasticorum ad summam tercentûm mille librarum, edicto regio, sub prætextu æris alieni in defensionem religionis Catholicæ impensi, dissolvendi, decretæ, & placito Parlamenti confirmatæ, multùm frementе sacro Ordine, qui privilegia sua & immunitates eo imminui querebatur; nec posse res sacras quavis de causâ, nisi auctoriate Pontificis, distrahi asserebat. Cui & Pontifex, ex sententiâ Cardinalium in Consistorium convocatorum, assentiri recusavit; quantumvis non dubitaret, edictum illud citra Pontificis decretum executioni mandatum iri: sicuti & contigit, durissimis Cleri conditionibus, ut emptores invitarentur; ac præcipuè denegatâ redemptionis facultate: quæ tamen posteà alio edicto concessa est ad principium anni consequentis, ob vilissimum pretium quo prædia distracta fuerant; cuncta etiam confirmante postinde Pontifice per Breve datum 17. Octobris ejusdem anni proximi 1564.

[m] Mauroc. Hist. Ven. lib. 8.

Gravis alienatio bonorum Cleri Gall.

XXXIV. Ferdinandi Cæsaris monita.

Ferdinandus quoque Cæsar rerum experimento edoctus, suam vicinitatem Concilio, non modò fructum eum qui speratus fuerat non afferre, sed effectus potiùs contrarios producere, ob suspicionem de consiliis ab eo contra Pontificiam auctoritatem initis; Oeniponte discessit, Lotharingio prius atque Lunensi monitis abstinere à prosecutione rerum,

quæ

quæ non sine gravi accelerationis Concilij incommodo tractari, nedum obtineri possent. Ac speciatim Lunensem hortatus est, scribere ad Philippum Regem, ne decreti de proponentibus Legatis revocationem, aut declarationem quæreret. Suis autem oratoribus mandavit, ut omnem operam darent, ne Concilium de auctoritate Papæ verba faceret; ac nequid decerneretur à Patribus, quod concordiam cum Protestantibus difficiliorem redderet. Quòd verò etiam certior factus esset, Romæ & Tridenti agi de lite instruendâ contra Reginam Angliæ; scripsit ad Pontificem & Legatos, ne eâ re, quæ parùm fructûs afferret, occasionem ei darent Catholicos acerbiùs exagitandi, ac cæteris hæreticis arctiorem inter sese societatem ineundi. Qui & alioqui, quòd [n] illa, ut tradunt, minorem Cæsaris filium in summam & certam spem conjugij sui adduxisset sperabat saltem per virum Catholicum eam ad aliquam meliorem frugem reduci posse. Quare hortatione Cæsaris ab ejus anquisitione tunc cessatum est: ac nihilominùs Regina procum illum, sicut & ceteros omnes, fefellit; & facta est in dies obstinatior, & in Catholicos durior.

[n] Sander. de Schismo. lib. 3.

XXXV. CARDIN. LOTHARINGIJ CONSILIA.

Ceteris autem Cæsaris monitis, ac rerum difficultate, commotus Lotharingius, (præter desiderium redeundi in Galliam, ad quam à Reginâ invitabatur cum amplis promissis; & rem gratam Pontifici faciendi, sicuti ab eâdem rogatus fuerat; ipséque à Pontifice post acceptas ipsius literas de præcedentiâ, aliis benevolis Romam ad colloquium cum eo ineundum invitatus, spontè ferebatur:) in partium conciliationem summâ diligentiâ & studio incumbens, omittendam censuit tractationem de Institutione Episcoporum, & de Auctoritate Pontificis, quod in his Patres nimiùm affectibus indulgerent; neque de Episcopis ultrà agendum quàm quod ad potestatem Ordinis attineret: & in capite de Residentiâ, auferenda omnia quæ aut iis qui eam de jure divino censebant, aut qui de positivo, offensioni esse possent. Apud eos autem qui non ita facilè his assentirentur, argumentis usus est à conscientiâ petitis: quippe non esse rem tutam, aut Deo gratam, cùm viderent se non posse id bonum præstare quod cuperent, velle superfluâ quâdam & vanâ instantiâ mali alicujus auctores esse satis esse, quòd præjudicium præpedissent, ab nonnullis veritati intentatum per contrariarum opinionum stabilimentum: si id omne quod desiderabatur obtineri non posset, esse tamen spem aliquid imposterùm ope divinâ impetrandi. Quibus tamen excusationibus haud ita omnibus satisfecit, ut non in plurimorum offensionem inciderit, quasi communis causæ desertor.

XXXVI. SESSIO XXIII.

Demùm omnibus stabilitis, cùm venisset dies Iovis decimus quintus Iulij, habita est *Sessio XXIII.* ab inchoatione Concilij sub Paulo III. quæ fuit *VII.* sub Pio IV. adhibitis cæremoniis consuetis, Missâmque celebrante *Eustachio Bellaio* Episcopo Parisiensi Gallo; orationem habente *Iacobo Giberto de Nogueras* Episcopo Aliphano Hispano, qui imprimis Gallos offendens, Regem Hispaniæ ante eorum Regem nominans, Polonos, Regem Lusitaniæ eorum Regi præponens; & Venetos, factâ primùm mentione Ducis Sabaudiæ, & posteà ipsorum Reipublicæ: tum usus est etiam verbis, quibus indicabat illam celebrationem Concilij, continuationem esse præcedentium sub Paulo & Iulio; quod Cæsaris simul & Gallis displicuit: denique sermonem ingressus de fide & moribus hæreticorum & Catholicorum dixit, sicuti melior esset fides Catholicorum, ita hæreticos multò moribus meliores; quod aversis auribus acceptum est ab omnibus: iisque ingenium hominis agnoscas, ne cum aliis dicam gentis imperiosæ, & ceterorum hominum offensioni natæ. Verumtamen ne officium publicum perturbaretur, querimoniis per id tempus temperatum est. At postridie Oratores Galli, Poloni, & Veneti, apud Legatos institère, ne orationem illam imprimi sinerent, aut in Acta Concilij referri. Finitâ Missâ, ceterisque precibus recitari solitis, lecta sunt Brevia Legationis Cardinalium Moroni & Navagerij; Itémque Mandata Regis Poloniæ & Ducis Sabaudiæ; Literæ Reginæ Scotiæ, & Regis Catholici Mandatum; omnia de more secundùm ordinem quo accepta fuerant.

EPISCOPI ALIPHANI ODIOSA ORATIO.

XXXVII. DECRETUM DE SACRAM. ORDINIS.

Posteà ab Episcopo celebrante recitatum est Decretum fidei de Sacramento Ordinis, quatuor capitulis constans: quorum primo declaratur, Christum Dominum Apostolis, ac eorum in Sacerdotio successoribus, dedisse potestatem consecrandi, & offerendi visibile Sacrificium, ac remittendi & retinendi peccata. Secundo, Ad venerationem tanti Sacrificij, ab initio Ecclesiæ fuisse in usu Septem Ordines; quorum alij sunt aliis majores, ita ut Subdiaconatus referatur inter majores. Tertio, cùm certum sit ex Scripturâ & Apostolicâ traditione, Ordinationem conferre gratiam, idcircò indubitatum existere, eam esse Sacramentum. Quarto, cùm in hoc Sacramento, æquè ac in Baptismo & Confirmatione, character imprimatur, qui nec deleri nec auferri possit, damnandam esse eorum sententiam, qui asserunt Sacerdotes temporariam tantummodò habere potestatem, & semel ritè ordinatos iterùm laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant: Non omnes Christianos esse Sacerdotes, sed eos solos qui legitimè sint ordinati ab Episcopis; qui in Apostolorum locum successerunt, ac præcipuè ad Hierarchiam Ecclesiasticam pertinent, positi à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei; súntque presbyteris superiores, possúntque Confirmationem & Ordines conferre, atque alia pleraque peragere, quæ reliqui inferioris ordinis non possint: In ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & ceterorum Ordinum, non esse necessarium populi, aut cujusvis sæcularis potestatis consensum, sive auctoritatem, ut sine illis ea sit invalida: quinimmò qui tantum à populo, aut sæculari potestate vocati, hæc ministeria exercent, non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones esse. His additi fuêre octo canones, seu anathemata, ad condemnandos errores prædictæ doctrinæ contrarios.

EPISCOPORUM AUCTORITAS.

XXXVIII. DECRETUM DE

Decretum autem de Reformatione circa idem Ordinis Sacramentum; post prædicta lectum, octodecim constat capitulis: videlicet,

REFORMATIONE. de commendatione Residentiæ cunctis Prælatis ac Curatis, sub gravibus pœnis & tempore quo abesse possunt: de tempore consecrationis; de collatione Ordinum, & quæ ad eam sint necessaria in singulis, quoad tempus, ætatem, idoneitatem, tam in secularibus quàm regularibus; de interstitiis, & exercitio ordinum receptorum: de ætate necessariâ ad obtinenda quæcumque beneficia ecclesiastica: de Literis Dimissorialibus, à quibus, & quomodò, & quibus dari possint: de forma erigendorum Seminariorum Clericorum, eorumque educatione & promotione. Quæ omnia videre est ubertim ac distinctè explicata in Decretis editis Concilij. Postremò lectum est Decretum indictionis proximè futuræ Sessionis, in diem 16. Septembris; in quâ agendum esset de Sacramento Matrimonij, & aliis ad doctrinam & reformationem pertinentibus. (Quæ tamen Sessio prorogata fuit posteà, ut videbitur, in diem undecimam Novembris.)

XXXIX. Post hæc Legati omni studio ad Concilij finem festinantes, celerioris expeditionis causâ, formam tractationis mutantes, quâ singuli Theologi publicè de rebus propositis disputare consueverant; decem electis ex omnium numero, nempè duobus Generalibus, & ex missis à Papâ, & Regibus Galliæ, Hispaniæ ac Lusitaniæ, binis, datum est eis negotium, ut considerarent, quâ ratione opinio Protestantium de Indulgentiis, Invocatione Sanctorum, & Purgatorio, breviter confutari posset. Et in Reformationis materiâ egerunt cum Lotharingio, & oratoribus Cæsareo & Hispano, ut paterentur etiam de reformatione Principum pariter tractari. A quibus responso accepto, æquam rem esse abusus tollere ubicumque reperirentur, omnia eorum capita colligenda curarunt. Tractationémque insuper de Matrimonio proposuerunt. In quo præcipua facta est difficultas de *Clandestinis Matrimoniis*: quæ cùm à longè majori parte Patrum pro nullis habenda censerentur; aliis unà cum Varmiensi Legato contrarium sentientibus atque asserentibus omnia matrimonia cum consensu contrahentium quocumque modo celebrata, pro validis habenda esse, (sicut eatenùs fuissent, quamquam gravissimis pœnis ab Ecclesiâ prohibebantur (Ecclesiæque nullam in hâc re esse potestatem: factum est decretum ex plurium sententiâ: & addita forma in contrahendis observanda, ut sint valida. In quo decreto ad formam reducendo quæ probaretur, & in Sessione promulgaretur, cùm Patres valdè perplexi essent; Franciscus Belcarius Episcopus Metensis vir pius doctúsque, & acumine ingenij, ac maturitate judicij præstans, eam composuit quæ publicè conspicitur °, ceteris comprobantibus.

DIFFICULTAS DE MATRIMON. CLANDESTINIS.

° *Seß. 24. c. 1. de refor. matrimon.*

XL. DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS. Deinde actum de ejus abusibus, atque impedimentis: & imprimis de cognatione spirituali in Baptismo; cùm in nonnullis locis invaluisset abusus, ut invitarentur viri ad viginti aut triginta, compatres, & totidem feminæ commatres, quos inter omnes ex constitutione Ecclesiasticâ spiritualis cognatio contrahebatur. Itémque de affinitate contractâ per causam fornicationis, matrimonia rescindente usque ad quartum gradum, quæ quòd in secreto nasceretur causam dabat multis illaqueandis. Gradus quoque consanguinitatis & affinitatis publicæ; quos Innocentius III. à septem in quatuor restrinxerat, censebant multi ad tertium restringendum. Sed quòd ab hoc principio facilis foret ad majorem restrictionem transitus, & Lutheranorum opinioni de Leviticis tantùm retinendis impedimentis fomenta dare; nihil mutari placuit. Disputatum insuper de Divortio: & an Reges & Principes, aliíque superiores, itémque parentes; possent cogere subditos, & liberos, ad matrimonium contrahendum cum iis quos ipsis præscribunt, vel etiam impedire ne cum quibusdam contrahant. De quibus omnibus, aliísque ad eamdem materiam pertinentibus, post varias disputationes, condita sunt decreta, de quibus dicetur in proximâ Sessione. Quæ verò ad Indulgentias, Invocationem Sanctorum, & Purgatorium pertinent, remissa sunt ad subsequentem.

XLI. DE REFORMATIONE PRINCIPUM. Quod ad Reformationem spectat; cùm Legati multa de illâ capita in futuram Sessionem præparâssent, quæ Principes tangebant, eorum oratoribus communicârunt, in eum finem ut de iis quid sibi videretur proponerent, antequàm Patribus exhiberentur. Quibus visis Oratores, singuli in iis quædam emendari, aliaque addi petierunt; ad hoc tamen præcipuè animum intendentes, ut in nullo suorum Principum eorúmve ditionum juribus, aut privilegiis, ac receptis ab antiquo consuetudinibus derogaretur: postulantes à Legatis ne illa in Synodo proponerentur, donec super iis responsum haberent suorum Principum, ad quos eorum exempla misissent. Quibus ut satisfacerent Legati, simul & Prælati, qui timebant ne reformatio sæcularis prorsùs omitteretur, decreverunt reformationem Principum differre; ac ne Prælati reclamarent, bonam quoque partem ceterorum capitum à se compositorum, in aliam Sessionem differre.

XLII. EJUS CAPITA. Hæc autem reformatio Principum, tredecim capitibus comprehendebatur, in favorem immunitatis Ecclesiasticæ constitutis, quæ ab omnibus sub pœnâ anathematis observari deberent. Quorum fuit Summa; 1. Ut Iudices fori sæcularis de personis Ecclesiasticis nullo quocumque prætextu judicare possent, nisi præcedente Ordinarij declaratione. 2. In causis spiritualibus, matrimonialibus, hæreseos, decimarum, juris patronatûs, beneficialibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, quocumque modo ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, nec super personis, nec super bonis, &c. Iudices temporales se immiscerent, nec in petitorio, nec in possessorio. 3. Ne sæculares, etiam auctoritate Apostolicâ, aut consuetudine immemorabili, Iudices in causis Ecclesiasticis constituere possent; & clerici qui ejusmodi officia à laicis acciperent, ab ordinibus suspenderentur, & beneficiis atque officiis privarentur. 4. Sæcularis Iudici Ecclesiastico præcipere non posset, ne excommunicaret sine licentiâ: nec prohiberet à citando, & condemnando. 5. Ne Imperator, Rex, aut quivis Princeps, edicta aut statuta sancire posset, ad causas aut personas Ecclesiasticas

siasticas quovis modo pertinentia: neque se eorum causis, personis, &c. immiscere; sed brachium sæculare Iudicibus Ecclesiasticis præstare tenerentur. 6. Ne temporalis jurisdictio Ecclesiasticorum aliquo modo turbaretur; neque eorum subditi in causis temporalibus ad tribunalia sæcularia traherentur. 7. Nequis Princeps aut Magistratus promitteret scripto, aut spem faceret obtinendi aliquod beneficium: & qui eâ ratione aliquod obtineret, privaretur, & inhabilis fieret. 8. Ne manus injicere possent in fructus beneficiorum vacantium, quocumque prætextu, neque in iis œconomos, aut vicarios constituere; & qui ejusmodi officia & custodias acciperent, excommunicarentur; clerici suspenderentur; & beneficiis privarentur. 9. Ne ecclesiasticos adstringerent ad solvendos sensus, vectigalia, decimas, subsidia, etiam appellatione doni, aut commodati, sive de bonis Ecclesiæ, sive de patrimonialibus: exceptis iis provinciis, vbi ex antiquissimâ consuetudine Ecclesiastici in publicis comitiis interveniunt; ad subsidia tam laïcis quàm ecclesiasticis imponenda, contra Infideles, aut ob alias urgentissimas necessitates. 10. Ne manum injicere possent in bona ecclesiastica, mobilia, aut soli, vassallos, decimas, aut aliâ jura; neque in bona communitatum, aut privatorum, in quæ Ecclesia aliquod jus haberet; neque pascua aut gramen in terris & possessionibus Ecclesiæ elocare. 11. Ut literæ, sententiæ, & citationes Iudicum Ecclesiasticorum, præcipuè verò Curiæ Romanæ, simul atque exhibitæ forent, executioni mandarentur, absque cujuscumque alterius licentiâ. 12. Ne Principes & Magistratus diversari sinant Officiales suos, vel famulos, milites, equos, canes, in ædibus aut monasteriis Ecclesiasticorum, neque quicquam ab iis pro victu aut transitu extorquere. 13. Quòd si aliquod regnum, provincia, aut locus, prætenderet se ad quicquam supradictorum non teneri virtute privilegiorum à Sede Apostolicâ; privilegia illa exhiberentur Pontifici infra annum post finem Concilij; quæ ab illo secundùm merita Regnorum, aut provinciarum, confirmarentur: & anno elapso, nisi exhibita essent, nullius vigoris intelligerentur. Epilogi verò loco admonebantur Principes, ut ea quæ essent juris Ecclesiastici haberent in veneratione, nec ab aliis lædi sinerent. Omnésque constitutiones Summorum Pontificum, & sacrorum Canonum in favorem immunitatis Ecclesiasticæ renovabantur: & sub pœnâ anathematis prohibebatur; ne vel directè vel indirectè, sub quovis prætextu, aliquid statueretur; aut executioni mandaretur contra personas & bona ecclesiastica; nonobstantibus quibuscumque privilegiis, & exemptionibus, etiam tempore immemorabili cœptis.

XLIII. PRINCIPES SUPER HIS RECLAMANT.

Quæ cùm Ferdinandus Cæsar vidisset, scripsit ad Legatum Moronum, se neque quà Cæsarem, neque quà Archiducem, umquam assensurum, ut in Concilio verba fierent de reformandâ jurisdictione Principum; neque de auferendâ ipsis auctoritate, quâ auxilia & contributiones obtinerent à Clero; adscribens magnam malorum Germaniæ causam oppressionibus ab Ecclesiasticis contra populos & Principes tentatis. Rex autem Galliæ Carolus, cujus præcipuè interesse videbatur, oratoribus suis mandavit, quòd cùm videret Legatos iis articulis omnem auctoritatem, omniáque jura & prærogativas Regibus ac Principibus auferre velle, & per anathematismos & excommunicationes occasionem populis præbere defectionis ac rebellionis; manifestúmque esset omnibus, potestatem Patrum & Concilij nonnisi ad reformationem Ordinis Ecclesiastici, à quo prodiissent scandala; ob quæ sectarij ab Ecclesiâ Romanâ recessissent, pertinere, quam nihilominùs ipsi nonnisi levi brachio attingerent; nec pertingere statum ac jurisdictionem sæcularem, quæ ab Ecclesiasticâ prorsùs distincta existeret: de his Patres prudenter, dexterè, & graviter commonerent: hortarentúrque ut istiusmodi conatus missos facerent; qui cùm numquam aliquid boni peperissent, tum iis temporibus longè pessimos effectus viderentur producturi. His commonitionibus factis, oratores Patribus declararent, intercessionem se opponere omnibus iis quæ ab illis circa hęc decernerentur: móxque nullâ expectatâ eorum sententiâ, aut judicio, Venetias sese reciperent: ac nihilominùs Prælatis Gallis significarent, ut operam in Concilio honori divino propagando navare porrò pergerent: ita tamen ut siquid animadverterent in deliberationem adduci, quod juribus, prærogativis, & privilegiis regni & Ecclesiæ Gallicanæ adversaretur, continuò discederent, non expectato rerum propositarum judicio.

XLIV. EPISCOPI URGENT.

His mandatis acceptis, totâque re cum Lotharingio, ad quem etiam Rex in eumdem sensum scripserat, communicatâ, eam illi de ejus consilio Legatis significârunt: simúlque per Concilium sparserunt; ut eâ consideratione Episcopi à reformatione Principum petendâ desisterent, nec ipsis necessitas fieret ad oppositiones & protestationes veniendi. Verùm id secùs accidit. Nam Episcopi aliquantò quietiores facti promissione ipsis à Legatis factâ de proponendâ post Sessionem reformatione Principum; his auditis cœperunt in contrarium niti, adeò ut centum fermè ex ipsis, pactione inter se firmatâ, Legatos convenerint, postulantes ut articuli de reformatione Principum proponerentur; declarantes quasi formâ protestationis, se neque deinceps verba facturos, neque de ceteris quicquam, nisi pariter cum illis articulis determinaturos. Quos benignè compellantes Legati, consilio & spe hunc animorum impetum frustrandi, cogitârunt de Sessione super solâ Matrimonij materiâ celebrare. Sed quòd nondum terminatæ essent omnes de nuptiis clandestinis difficultates, consultius visum Sessionem, quæ habenda erat decimosexto Septembris, Congregatione habitâ pridie ejus diei, usque ad undecimum Novembris prorogare. Cujus tam longæ dilationis auctor fuit ipse Pontifex; quòd cùm animadvertisset difficultates quæ finem Concilij impediebant, tam ex controversiis inter Prælatos, quàm præcipuè ex novis

CARDIN. LOTHARINGIUS ROMAM PETIT.

Comitis Lunensis Oratoris Hispani oppositionibus exortas; (qui præter illud suum familiare postulatum de tollendo Decreto *Proponentibus Legatis*, aliáque in dies incommoda proposita ad augenda ceterorum dubia, etiam urgere cœperat, ut ante Concilij finem curaretur Protestantes intervenire; irritum alioqui futurum laborem dicens, nisi Decreta illi acciperent, nec spem esse ut acciperent nisi Concilio interessent:) spem omnem superandarum difficultatum in Cardinale Lotharingio constituens, scripserat ad Legatos, ut si Sessio haberi non posset tempore determinato, prorogaretur ad duos menses; videlicèt ut Lotharingio daretur opportunitas interim Romam proficiscendi, quò fuerat ab eo benevolè invitatus. Erat enim omninò Pontifici decretum, Concilium terminare: aut si id non posset, ut se quocumque modo ejus molestiis liberaret, per novam suspensionem illud dissolvere. A Lotharingio verò, cùm Romam pervenit, (ubi à Pontifice perhonorificè acceptus, publicè quoque in suo hospitio, quod rarissimè fit, visitatus fuit, & omnibus benevolentiæ signis atque etiam promissionibus cumulatus) à cogitatione suspensionis demotus, in Concilio finiendo animum penitùs firmavit, & Regem Hispaniæ literis rogavit, ut mandaret suis, ab omnibus inutilibus propositionibus abstinere.

XLV.

Post Lotharingij Tridento discessum, qui contigit decimonono Septembris, cùm in Congregatione habitâ vigesimo secundo, unus è Patribus disseruisset pluribus, causam omnis deformitatis à Principibus procedere, eóque reformatione iis opus esse; & quando ejus capita ordinata essent, tempus esse ea proponendi: Ferrerius Orator Gallus, subitò ac præcipitanter longam & querulam orationem P, seu expostulationem, jam anteà ad id operis paratam, habuit; quâ quæ in mandatis acceperat à suo Rege acerrimè explicans, insuper demonstratum voluit, in libertatibus, consuetudinibus, & constitutionibus Ecclesiæ Gallicanæ, nihil esse contrarium dogmatibus Catholicæ, vel antiquis Pontificum Decretis, aut Conciliis Universalibus: Regem duo potissimùm in his capitibus mirari: unum, ipsos Patres, quorum Ecclesiasticam in ministerio Dei potestatem maximam esse agnosceret, reverenter coleret, ac suspiceret, quíque tantùm restituendæ Ecclesiasticæ disciplinæ causâ convenissent, re infectâ ad reformandos eos, quibus etiam dyscolis obediẽdum, & pro illis semper orandum esset, studia sua transferrent: Alterum, quòd Reges & Principes, qui qualescùmque sint, & à Deo sunt, & à Deo hominibus dantur, primo quoque tempore, ac sine ullâ præcedenti monitione, quod ne in plebeium hominem fieri deberet, nisi in gravissimo delicto perseverantem, vellent posse & debere excommunicari aut anathematizari: Itaque à Patribus Regem petere, ut nihil contra majorum suorum leges, nihil contra suam auctoritatem, Gallicanæque Ecclesiæ libertatem, decernerent: Si contra facerent, jussisse oratores suos decretis ipsorum intercedere; uti tunc intercedebant: Sin placeret, omissis Regibus, in id tantùm seriò incumbere, cujus causâ convenissent, quódque totus Orbis Christianus ab eis expectaret: id sibi gratissimum fore; juberéque ut ipsius Oratores, quantùm fieri posset, illorum studia & conatus iuvarent.

FERRERIJ GALLI ASPERA ORATIO.

P Ext. in Litt & Instruct. de reb. Concil. Trident.

XLVI. MURMUR. IN EAM.

Hæc oratio, ut extensiùs pronunciata est, cum exemplis antiquiorum temporum, testimoniis Scripturæ & Patrum, objurgatione plurium Romanæ Curiæ consuetudinum, imminutione Decretalium, Episcoporum posteriorum temporum contemptu, & Regum ac Principum auctoritatis in bona etiam ecclesiastica, & quascumque leges condendas, exaltatione; eo ipso tempore quo habebatur, summè irritabat cunctos penè Præsules: eâ verò finitâ, tantum crevit eorum murmur, necessarium ut fuerit Congregationem dimittere; multis eam ut hæreticam; aliis ut suspectam, aliis ut aurium piarum offensivam arguentibus: oratorémque deditâ operâ occasionem captâsse absentiæ Cardinalis Lotharingij, qui ejusmodi voces numquam passurus fuisset; nec alium esse ejus finem, quàm ut Concilium interrumperetur, ut aliud Nationale celebraretur in Galliâ. Cujus rei suspicionem augebat, quòd eodem tempore quo Lotharingius Romam profectus est, abiissent Tridento plerique Episcopi Galli, ceteríque brevì secuturi crederentur; qui præter sex, quos Lotharingius secum duxerat Romam, non ampliùs octo residui erant Tridenti. Quorum præcipuus *Nicolaus Pelleveus* Archiepiscopus Senonensis, unà cum *Hieronymo Souchiero* Abbate Claravallensi, (quorum uterque posteà factus est Cardinalis) acriter initio contra Ferrerium declamârunt: sed viso regio mandato, non potuerunt non eum calumniæ eximere. Qui quidem causam suam defendebat, ex eo quòd promissum fuisset à Legatis Lotharingio, de illo Capite haud ampliùs verba factum iri, nisi cum ejusmodi moderatione, ut res Gallicas non attingeret: Communicata fuisse Lotharingio mandata regia; adeóque si præsens fuisset, non modò consensum, verùm etiam consilium ad protestandum adhibiturum fuisse. Quare quòd ea res ceteros quoque Principes tangeret, haud illa actio eorum Oratoribus displicuit. Petitúmque fuit tam ab iis, quàm aliis quamplurimis, orationis exemplum. De quo nihilominùs habuit se Ferrerius excusare, tum adversus illos qui aliter fuisse ab eo pronunciatam quàm scripto mandatam excusabant; tum præcipuè contra eos qui plura ipsius dicta alio sensu interpretarentur quàm ab eo intellecta fuissent. De quibus est ejus Apologia Latina, unà cum pluribus epistolis Gallicis, de his rebus scriptis tam ad Cardinales Lotharingium & Burdisieram Romam, & ad oratorem regium Venetiis existentem, quàm ad ipsum Regem Carolum, ejúsque matrem Reginam: à quibus rem laudatam & comprobatam, ex eorum responsis intelligitur. Ex iis porrò monumentis descripsisse dignoscitur Polanus quæ de his habet in suis Actis. Ferrerius autem cum collegâ Pibracio, aliquot adhuc diebus Tridenti commoratus, (haud tamen ampliùs in publico comparens) sicut injunctum à

Rege

Rege fuerat, Venetias se transtulit; postquàm vidisset, sententiis à Patribus in Congregatione septimi Octobris dictis super 27. articulis reformationis in proximâ Sessione promulgandis, proposito deinceps illo qui Principes tangebat, à ceteris cunctis Oratoribus repugnatum esse: querentibúsque licèt Patribus, cùm ageretur de reformatione totius Ecclesiæ in capite & membris, quàm Principes frequenter petierant, ipsos tamen nullam admittere nisi Ordinis clericalis, qui quidem nec reformari posset, si Prælati in exequendis suis muneribus impedirentur, & nisi libertas Ecclesiastica salva maneret; nihilominùs caput illud post Sessionem de materiâ matrimonij, déque uno ac viginti illis reformationis articulis jam stabilitis, remissum fuisse.

XLVII. PONTIF. COMMOTIO IN FERRERIUM.

Romæ verò Pontifex, ubi de oratione Ferrerij audivit, mirificè commotus, quòd crederet rem de industriâ factam ad præbendam occasionem dissolvendi Concilij, idque ipsi Pontifici imputandi; præcipuè mirabatur, quòd dum Rex ab ipso quæreret gratiam concessionis trecentùm millium librarum alienationis soli Ecclesiastici, ejus Oratores in conspectu totius Concilij contestarentur, illum absque ipso de bonis Ecclesiasticis suo jure sumere posse. Lotharingius autem, quamquam summoperè testatum cupiebat, quicquid ejus Tridenti accidisset, contra suam voluntatem factum esse; haud tamen culpæ eximebat Legatos Concilij, quibuscum ante suum discessum ita negotium compositum fuisset, ut nullum de Regibus & Principibus supremis verbum fieret, sed tantùm de quibusdam regulis, qui Episcopis nullum exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ permitterent: & exciperentur omnia quæ à gratiis per Papam factis penderent, veluti indulta, privilegia, & concessiones sanctæ illius Sedis. Illud tamen pro certo confirmavit, per hæc non futurum, ut impediretur quietus Concilij finis; scripturúmque se eâ de re ad Regem, & cùm Tridentum rediisset, operam universo negotio efficacem impensurum.

XLVIII.

Pontifex nihilominùs cùm satisfactum sibi esset de Cardinale Lotharingio, & Gallis ab eo pendentibus; in factionem illam à quâ consilium de protestatione profectum existimabat, iram convertit. Ejúsque cùm diceret olim Regem Navarræ caput fuisse; qui licèt forinsecùs religionem Catholicam profiteretur, arctissimam tamen consiliorum communionem haberet cum Hugonotis; quibus erat in votis ut Concilium quoquo modo desineret in turbas, ne ad ipsos anathematizandos veniretur, atque ideò ministris ad id uterentur suæ factionis, qualis esset Ferrerius, necnon Episcopi illi, quos vidimus [q] citari jussos: his motus, tum Episcopos illos condemnandos decrevit; (in quo tamen nihil prætereà actum sub eo reperimus, quàm quod per anticipationem ibi diximus) tum quod majoris momenti eodem tempore animo designârat, nempè ut Tridenti contra Reginam Navarræ, quæ hæresim apertè profitebatur, & Catholicos in suis ditionibus persequebatur, procederetur; sed à quo destiterat, animo prævidens ab Oratoribus Cæsareis oppositum iri,

[q] Supr. num. XXI.

CITATIO CONTRA REGIN. NAVAR.

ut factum esset in simili causâ Reginæ Angliæ: jam Romæ exequi deliberavit. Quare 4. Cal. Octo. valvis basilicæ S. Petri, & Officij Inquisitionis, atque aliis locis publicis, affigi jussit citationem [r] contra *Ioannam* Reginam Navarræ, ut intra sex menses Romam se per se ipsam sisteret ad se purgandam de hæresibus & criminibus objectis: & nisi præscripto tempore se stitisset, tamquam convicta censeretur; ejus regnum, principatus ac dominia proscriberentur; ipsáque iis, omníque dignitate privata, ac ceteris pœnis contra hæreticos sacris canonibus declaratis obnoxia esset.

[r] Ex. integrâ apud Schard. in Epit. Rer. gest. sub Ferdin. & ap. Bochel. in Decr. Eccles. Gall. lib. 8. tit. 5. cap. 10.

XLIX. CARDIN. CASTILIONEI DAMNATIO.

Quod verò *Odetum* Cardinalem Castilioneum attinet, quem vidimus unà cum Episcopis illis citatum, sententiam [s] jampridem in illum Pontifex in Consistorio secreto pronunciaverat; quâ illum, ob prolapsionem in hæresim Hugonotorum, & procuratam indesinenter aliorum seductionem, hæreticum, excommunicatum, Hugonotum, schismaticum, & blasphemum, ac à Fide Catholicâ & S.R.E. apostatam & transfugam, fidei fractorem, & perjurum; ac propterea ab omni Cardinalatûs commodo & honore, atque etiam à privilegio clericali ipso jure depositum, & Ecclesiæ Bellovacensis administratione, quam à Sede Apostolicâ consecutus fuerat, ac omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, ac prælaturis privatum, & ad illa inhabilem & perpetuò incapacem declaravit: eumdémque à Christi fidelibus capiendum, & ad justitiæ ministrorum manus, ut pœnis debitis affici posset, tradendum, exposuit. Quódque his auditis Odetus, qui priùs habitu clericali deposito se comitem Bellovacensem nuncupabat, iterùm in contumeliam Pontificis habitum Cardinalis resumpsisset, & eo indutus uxorem duxisset Isabellam de Altavillam dominam de Loré; atque adeò in celebri Principum ac procerum regni conventu Rotomagensi, in quo Rex die decimosexto Augusti, vi constitutionis [t] Caroli V. Sapientis, cùm attigisset annum ætatis decimumquartum, in Senatu major declaratus est, regníque administrationem in manus accepit, reclamante [u] nonnihil Senatu Parisiensi, tum quòd id potiùs apud se fieri debuisse diceret, quæ regni primaria & Parium Curia esset; tum quòd edicto ea de re condito, approbari videretur nova religio Hugonotorum, unà cum Catholicâ:) eodem habitu inter ceteros comparuisset; magno Catholicorum scandalo, id ad summum auctoritatis Pontificiæ contemptum; & Ordinis Ecclesiastici derisum pertinere existimantium: His commotior factus Pontifex, ejus privationem ac depositionem quæ facta fuerat in Consistorio secreto, die undecimâ Septembris publicari; & locis consuetis Romæ affigi curavit, eamdémque typis mandari, ejúsque exemplaria per Galliam disseminari.

[s] Ext. Bull. rec. edic. to. Pij IV. const. 66.

[t] Sup. an. 1375. VI.

[u] Belcar. lib. 30. Thuan. lib. 35.

L.

Antequàm autem ad prædicta contra Episcopos & Reginam Navarræ venisset, monuerat eum Lotharingius, placita, seu axiomata, quæ in Galliâ obtinebant, longè differre à Romanis. In illo enim regno in malam partem acceptum iri, ut causæ ejusmodi in primâ instantiâ Romæ judicarentur; ac propterea pro nullo & irrito ibi futurum quicquid contra

INTERCESSIO REGIS PRO REGINA NAVARRÆ.

x Extit prostans instructiones de his missæ ad Oisellium: nonnullæ prolixiores communicandæ Pontifici, aliæ breviores pro ipso Oisellio, unà cum formulâ protestationis, si necesse foret.

Episcopos gereretur: pariterque citationem contra Reginam, tum ob eamdem causam, tum quòd esset cum pœnis temporalibus, materiam sermonibus daturam, & plerisque offensioni futuram. Sed hæc parum profuissent apud Pontificem, nisi Rex Carolus per oratorem suum Henricum Clutinium Oisellium x potentius intercessisset: significans se ad Reginam defendendam multis rationibus obligari; videlicèt quòd ejus causa communis esset omnium Regum; quòd vidua esset Regis qui paulò antè in bello contra hæreticos occubuisset, liberis pupillis relictis; quòd sibi ex utroque latere consanguinitate conjuncta; quòd sua interesset, nequis prætextu religionis vicinis suis bellum inferret; nec pietatis esset regna Galliæ & Hispaniæ recens amicitiâ conjuncta, hâc de causâ in periculum belli crudelissimi conjicere: quòd cùm Ioannæ Reginæ in Galliâ multa essent feuda, per regni jura cogi non posse, ut aut per se aut per procuratorem extra regnum compareret; neque item sine insigni ipsius Regis injuriâ, ea feuda exponi in prædam, & occupantibus concedi: Mirari se valdè, quòd Pontifex, qui nuper tanto studio Antonij mariti Ioannæ, dum in vivis esset, causam apud Regem Hispaniæ egisset, ejus jam prolem & viduam opprimere vellet; Denique præ ceteris omnibus id sibi dolere, quòd cùm à 40. ab inde annis, tot Reges, Principes, civitates, ab Ecclesiâ Romanâ defecissent, & in eamdem culpam incurrissent; in eorum tamen neminem hactenùs eâ viâ ac severitate animadversum esset; quos tamen si jus æquum servaretur, pro delicti antiquitate priùs castigatos oportuisset: Meminisse debere Pontificem, pro salute animarum potestatem sibi concessam, ut earum incolumitati & Christianæ Reipublicæ tranquillitati consuleret, quibus eas vias haud idoneas esse, frequentibus exemplis demonstratum fuisset: Rogare igitur Regem, ut acta contra Reginam intentata Pontifex revocare dignaretur, ne Rex cogeretur, quamquam invitissimè, adversus eam vim remedia a majoribus suis usurpari consueta, iuxta regni leges & jura, adhibere. Scribens quoque seorsùm de Episcoporum causâ, antiquorum pariter exemplis ostendit, eam priùs debuisse in Galliâ tractari: Oisellius autem homo vehemens & impiger, hæc sedulò apud Pontificem prosecutus, pervicit tandem, ut judicialia contra Reginam & Episcopos acta cessarent: nisi quòd Reginam excommunicatione irretitam permanere Pontifex voluit; parùm illâ hæc curante, cùm bona in tuto eâ parte esse vidit.

LI. REGIS HISP. IN HIS ANIMUS.

In quibus etiam notandum, ipsum quoque Regem Hispaniæ, de his à Rege & Regina Francorum certiorem redditum, respondisse sibi hujusmodi adversus Navarram agendi modum adeò nequaquàm sibi probari, ut etiam obtulerit protectionem suam & auxilium contra omnes qui præsumerent ejus terras invadere. Quâ de re Ioanna à Regina monita, nobilem quemdam ad Regem Hispaniæ misit, qui suo nomine gratias ageret, supplicarétque pro ejus in se benevoli animi continuatione. Vidimus namque de his literas earumdem Reginarum; & Navarræ quidem propriâ ejus manu scriptas, quæ id disertè testentur. Cùm nihilominùs viderimus & alias ejusdem temporis, à Rege Carolo ad Monlucium Aquitaniæ præfectum scriptas; quibus intelligitur delatum ad Regem fuisse, prædictum Hispaniæ Regem nonnulla obtulisse subditis Navarræ, quæ suspicionem alicujus in eam molitionis præberent. Itémque alias tam ejusdem Monlucij, quàm etiam Cardinalis Armaniaci, ad Regem & Reginam Galliæ; quibus acriter conqueruntur, de calumniis in ipsos ab invidis & inimicis ingestis, quòd cum Rege Hispaniæ consilia iniissent de prodendâ illi Aquitaniâ. Quàm dubia sunt Regum consilia!

LII. SESSIO XXIV. CONCILII.

Reverso Tridentum Cardinale Lotharingio, de omnibus quæ agenda porrò in Concilio forent instructissimo, cum plenâ potestate de singulis unà cum Legatis disponendi; sublatísque quibusdam difficultatibus, quæ Sessionem remorabantur: adveniente die undecimâ Novembris ei destinatâ, celebrata illa est consuetis ritibus, ordine *XXIV.* à Concilij inchoatione, *VIII.* sub Pio. Cui tamen Cardinalis Varmiensis y unus è Legatis interesse noluit, quoniam in eâ pronunciandum erat de *Matrimonio Clandestino*; quod ipse de fide esse censeret, nec existimaret ullam esse Ecclesiæ super ejus dissolutione auctoritatem: Si de re aliquâ juris positivi ageretur, liberè suffragium laturum, etiamsi contrarium decernendum foret: sed in causâ Matrimonij necessariò sibi dicendum, ut conscientiæ suæ satisfaceret, Synodum non posse de eo decretum condere: quod quia fortassè nonnullis offensioni esse posset, à quo ipse alienissimus esset, malle ingressu abstinere. Concionem z habuit *Franciscus Richardotus* Episcopus Atrebatensis, exhortatoriam ad Concilium, ut in condendis decretis, in Apostolos intueretur, & Martyres, & Ecclesiam antiquam, quam sibi in exemplar proponere deberet. Finitis cæremoniis, lectæ sunt Literæ Margaritæ Regis Philippi sororis, ac Belgij administratricis, de missione trium Prælatorum ad Concilium: Mandatum Cosmi Ducis Florentiæ, de missione *Hieronymi de Gaddis* Episcopi Cortonensis; in locum prioris sui oratoris Ioannis Strozzij, qui in Congregatione 24. Iulij admissus fuerat: Itémque Mandatum Fr. Ioannis Valettæ Parisotti Magni Magistri, & Ordinis Militum Hospitalariorum, de legatione ad Concilium *Fr. Martini Rojas* Vicecancellarij Ordinis. Qui cùm jam non pauco tempore Tridenti permansisset, haud tamen ante septimum Septembris admissus in Congregationem fuerat; eò quòd cùm Religiosus esset, nec armatæ Militiæ Eques, sed togatæ, (Capellanus a scilicèt Ordinis, & Sacerdos) primi nominis Episcopi magno conatu insisterent ne locus ei superior daretur. Verùm re ad extremum composita, in Congregatione publicatum fuit, locum ipsi inter alios Oratores Ecclesiasticos dari, absque præjudicio Prælatorum, honoratiorem sibi deberi prætendentium.

y Vid. supr. num. XXXIX.

z Ext. in edit. Lovan. an. 1567.

a Bos. Hist. Hospital. lib. 22.

LIII.

Post Mandata illa per Secretarium Synodi lecta, ab Episcopo celebrante recitatum est caput unicum doctrinæ de Matrimonio; videlicèt de ejus institutione divinâ inter duas

personas,

personas,& indissolubilitate, atque inter novæ Legis Sacramenta annumeratione: cum duodecim Canonibus & anathematismis contra secùs sentientes,& auctoritatem Ecclesiæ in ejus gradibus & impedimentis disponendis negantes, atque statum conjugalem virginali vel cælibatui anteponentes. Quæ omnia universorum Patrum assensu comprobata fuêre; prout habentur in Decretis Concilij. Cùm autem ventum est ad Capita de Reformatione Matrimonij; (quæ sunt decem numero) ad primum de Clandestino in irritum ducendo,cujus causâ Varmiensis Sessioni interesse noluerat, Moronus primus Legatus dixit,sibi decretum placere, si Papæ probaretur:Simoneta alius Legatus,non sibi placere,sed se rem permittere Papæ:è ceteris Patribus quinquaginta sex disertè professi sunt non sibi placere;reliqui,qui erant circiter centum quadraginta, illud approbârunt,quò decretum est, tametsi dubitandum non esset; Clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta; rata & vera esse matrimonia,quamdiù Ecclesia ea irrita non fecit;& proinde sancta Synodus eos anathemate damnet,qui ea vera esse negarent, quique affirmarent matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta,irrita esse,& parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominùs sanctam Dei Ecclesiam ex justissimis causis illa semper detestatam esse,atque prohibuisse: Et quoniam prohibitiones illæ propter hominum inobedientiam jam non prodessent, Synodum præcipere, ut trinæ denunciationes fiant ad detegenda impedimenta: à quibus tamen Episcopi dispensare justis de causis possint:Qui verò aliter quàm præsente parocho,vel alio sacerdote de ipsius,seu Ordinarij licentiâ, & duobus vel tribus testibus matrimonium attentaverint; eos Synodum ad sic contrahendum inhabiles reddere,& ejusmodi contractus irritos & nullos esse decernere: Insuperque statuere, ut hujusmodi decretum in unaquâque parochiâ suum robur post triginta dies habere inciperet, à die primæ publicationis in eadem parochiâ factæ numerandos. Reliqua novem capita de reformatione Matrimonij, sunt de aliis ejus impedimentis, ex cognatione spirituali Baptismi aut Confirmationis,publicę honestatis,affinitatis ex fornicatione, graduum prohibitorum, & raptûs: de modo conjungendi vagabundos: de concubinariis excommunicandis: ne domini temporales ac magistratus directè vel indirectè subditos suos,vel quoscumque alios cogant, quominùs liberè matrimonia contrahant;sub anathematis pœna ipso facto incurrendâ;denique de temporibus quibus nuptiarum solemnia celebrari non conveniat.

Decretum de matrimoniis clandestinis.

LIV. *Capita de reformatione.*

Lecta deinde fuêre Capita unum & viginti de Reformatione: quorum quatuor primis agitur de normâ procedendi ad rectam electionem Episcoporum, & Cardinalium: de Conciliis provincialibus quolibet triennio, diœcesanis quotannis celebrandis: de visitatione diœceseon:de prædicatione Verbi Dei, & ut nullus contradicente Episcopo prædicare pręsumat, in ecclesiis etiam Regularium. Quinto de gravioribus Causis criminalibus Episcoporum, à solo Pontifice cognoscendis; & terminandis, duplex præcipuè facta est oppositio: Altera à Cardinale Lotharingio;qui dixit,si habitâ ratione temporum hoc decretum placeret Patribus; id quoque sibi hoc nomine magis placere, quòd eis in Congregatione habitâ die præcedenti visum fuisset privilegiis Principum non esse derogandum: ideóque decretum, uti recitabatur, sic sibi placere, ut intelligeretur nihil inde Regis Christianissimi privilegiis, juribus, & constitutionibus præjudicij afferri,quod tum suo,tum Episcoporum Galliæ nomine postulabat à notariis in acta referri. Gravior autem intercessio extitit plurimorum Episcoporum, ac præcipuè Insubrum & Neapolitanorum, cùm audierunt in eodem capite excipi regna, in quibus locum haberet Inquisitio; ut scilicèt Episcoporum illorum regnorum causæ non ad Pontificem deferrentur, sed ab Inquisitione judicarentur: clamantes, illam exceptionem numquam in Congregatione fuisse propositam, ac proptereà omninò tollendam. Fuerat autem illa à Legatis extra Congregationem inserta decreto,importunis flagitationibus oratorum Hispani & Lusitani. Commotique sunt præcipuè eo facto Insubres & Neapolitani, quoniam non ita pridem contenderat Rex Philippus à Pontifice, ut Mediolani,sicut in Hispaniâ,Iurisdictio Inquisitionis ob periculum contagij vicinorum locorum,constitueretur,eique Præsul Hispanus præficeretur:& Neapolitani vererentur,si Insubribus jugum illud imponeretur, ne ipsi id evitare possent, sicut ante aliquot annos sub Carolo V. Imp. fecissent. Quare etsi Pontifex ad id concedendum inclinaret, nihilominùs ob universalem ejus rei offensionem,& timorem rebellionis Mediolanensium, ab eâ prosecutione cessatum fuerat. In Sessione verò Concilij adeò etiam contra prædictam additionem reclamatum est, ut necessarium fuerit eam expungere.

Mentio Inquisitionis turbas movet.

LV. *De Episcoporum auctoritate.*

Reliqua capita sunt de Episcoporum auctoritate in dispensationibus,absolutionibus, visitationibus,ecclesiarum unionibus,beneficiorum collationibus & suppressionibus, statutorum cognitionibus; causis ecclesiasticis matrimonialibus, & aliis:de qualitatibus necessariis ad obtinendas dignitates in ecclesiis cathedralibus & collegiatis, aliísque beneficiis:de distributionibus, pensionibus,& ingressuum juribus: de constitutione Vicarij, seu Oeconomi Sede Episcopali vacante: de pluralitate & concursu beneficiorum: de reservationum & expectativarum ablatione: quæ omnia videre est diligenter exposita in Decretis Concilij. Ad vigesimum autem caput,quod est de primis instantiis causarum ad forum Ecclesiasticum pertinentium, coram Ordinariis locorum cognoscendis; iterùm Cardinalis Lotharingius dixit, placere sibi ut iis nationibus quibus nondum id fuerat concessum,concederetur;maximè quòd nihil præiudicij afferret illis quæ eo privilegio, & aliis majoribus, longissimo retrò tempore essent usæ,ac præcipuè Christianissimo Galliæ regno:cujus suæ protestationis tam suo quàm omnium Galliæ Episcoporum nomine à notariis in acta referri petiit.Qui & de omnibus articulis pariter protestatus est,recipere se il-

Exceptiones Lotharingii pro Gallia.

los suo & Galliæ nomine, non tamquam perfectam reformationem in tantâ temporum corruptione, sed ut præparationem ad perfectam priscæ Ecclesiæ, quam vel à Pontifice, vel ab alio Concilio Generali, absolvendam sperandum esset.

LVI. Expositio clausulæ de Propon. Leg.

Ultimum demùm caput fuit de clausula *Proponentibus Legatis*, toties à Comite Lunensi & Hispanis, priúsque etiam ab aliis, plurimùm exagitatâ. In quorum satisfactionem dictum fuit, Synodum verba illa in primæ sub Pio Sessionis decreto positæ, explicando declarare, mentis suæ non fuisse, ut ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis ullâ ex parte immutaretur; neque novi quicquam, præter in quod à sacris canonibus, vel Generalium Synodorum formâ eatenùs statutum esset, cuiquam adderetur, vel detraheretur. Ad extremum indicta est futura Sessio in feriam quintam post Conceptionem B. Virginis, diem nonam Decembris; cum potestate etiam abbreviandi: sicuti & abbreviata fuit in diem tertiam Decembris.

LVII. Petitur finis Concilii.

Festinantibus enim Legatis ad finem Concilio imponendum; ídque præcipuè urgentibus Lotharingio, & Oratoribus Cæsareis: illo quòd assereret se in festo Natali Tridenti esse non posse; cogi & se & omnes Episcopos Gallos ante id tempus discedere, Rege sic mandante: nisi priùs Concilium absolveretur, non posse appellari Generale, cui una tanti momenti natio defuisset; adeóque ejus dignitatem imminutum iri, ídque excitare posse Concilia Nationalia, plurimásque alias difficultates: istis, quòd Maximilianus Rex Romanorum scripsisset, ut quàm longissimè omninò finiretur in principio Decembris: quippe cùm Ordinum Germaniæ Conventus ad eum mensem indictus esset, nolebat ullum ex Ferdinandi Cæsaris patris sui Oratoribus tum Concilio interesse; dicebátque, Concilio occluso, religionis negotium in Germaniâ multò rectiùs processurum: A majori quoque parte Patrum magna cum voluptate huic proposito assensum est: necnon à ceteris oratoribus Principum: Uno excepto Lunensi Hispano, qui moram injectam cupiebat, quousque constaret sibi de Regis sui voluntate. Quâ de re cùm etiam scripsisset Romam ad Vargam oratorem Hispanum, ut de eâ re instaret apud Pontificem; illud festivi contigisse dicitur, ut cùm diceret Vargas expedire ut Concilium apertum maneret, quoniam totus mundus id postulabat, percunctantéque Pontifice, quisnam esset totus ille mundus, qui id tam enixè peteret, subjunxisset Vargas, Hispaniam id velle, totum mundum id velle; tum dixerit ei Pontifex, scriberet in Hispaniam ut emerent Ptolemæum, eúmque perlegerent, inventuros certè Hispaniam non esse totum mundum. Nec tamen Lunensis ullis ceterorum suasionibus adduci potuit ut de sententiâ discederet. Donec nuncio Tridenti accepto de gravissimâ Pontificis infirmitate; & literis Cardinalis Borromæi, ut Concilij exitus quantùm commodè fieri posset acceleraretur, nullâ cujusquam habitâ ratione, ut incommodis & periculis occurreretur, quæ circa electionem successoris possent accidere, si Concilium tempore Sedis vacantis consisteret: (dicebatur enim, Oratorem Gallum qui adhuc Venetiis erat, in mandatis habere, ut protestaretur, illud regnum alteri Papæ quàm qui à Concilio electus fuisset, non obediturum:) ad extremum assensus est, duabus appositis conditionibus: nimirùm ut decerneretur, Pontificem, iis quæ ob temporis brevitatem non potuissent in Concilio terminari, provisurum; & ut in decreto de Indulgentiis non adjiceretur *Gratis dandas*, aut aliud quicquam quod Bullis Cruciatæ in Hispaniâ posset officere.

Cùm igitur jam ante præcedentem Sessionem, materiæ de Purgatorio, Invocatione & Reliquiis Sanctorum, sacris Imaginibus, & Indulgentiis discussæ fuissent; & quæ pòst in decretis de eis formandis ortæ essent nonnullæ difficultates, communi consensu sublatæ: sed & quæ reformationem spectabant, ceteráque cuncta ita explicata & enodata, ut ad rem omnem unicâ Sessione absolvendam apprimè & maturè disposita viderentur; decreverunt Legati, prævertendum esse tempori, ad quod indicta fuerat; eámque die tertio Decembris celebrandam; ita ut si tum expediri non possent omnia, continuaretur sequenti die perinde ac si unica esset.

LVIII. Brevi actur Sessionis tempus.

LIX. Sessio XXV.

Adveniente igitur die Veneris tertio Decembris, habita est *Sessio* ab inchoato Concilio *XXV.* sub Pio Pontifice *IX.* Quâ Patribus templum solito ritu petentibus, sacróque solemni peracto, *Hieronymus Ragazzonus* Venetus, Episcopus Nazianzenus & Coadjutor Famagustanus, orationem habuit, quæ extat in nonnullis decretorum Concilij editionibus, quâ omnibus per universum orbem invitatis gentibus, ad contemplandam Concilij jamdiù cœpti, aliquando intermissi, distracti variè atque divulsi, túncque demùm singulari Dei omnipotentis beneficio, summâ atque incredibili omnium ordinum ac nationum voluntate perfecti consummationem: summatim recenset omnia in Concilio definita, quæ ad piè credendum, & ad benè vivendum pertinerent; atque inter sublatos multiplices abusus adeò decretum de prohibitione Matrimoniorum clandestinorum extulit, ut existimaret, si nulla alia causa convocandi Concilium fuisset, propter unam hanc id omninò fuisse faciendum, quòd nullus in orbe terrarum angulus reperiretur, quem labes hæc non invasisset. Progressus inde ad ea quæ pro reformatione constituta fuissent, utilitates enumeravit publicas, quas ex iis Ecclesia perceptura esset. Hortatus deinde est omnes, ut ubi ad sua rediissent, decreta Synodi fortiter exequerentur. Denique per laudes Pij Pontificis & Legatorum, ac nominatim Moroni, Patrúmque spatiatus, finem dicendi, cum invocatione auxilij divini pro fructu tot laborum fecit.

Oratio Ragazzoni.

LX. Decreta Sessionis.

Post hæc ceteris cæremoniis peractis, recitari cœperunt Decreta. Ac primùm de Purgatorio: cujus sana doctrina, sacris Literis, & antiquâ Patrum traditione, ac Conciliorum decretis, confirmata, jubetur populis prædicari; omissis subtilioribus & curiosis quæstionibus, quæ nihil ad ædificationẽ faciunt: præcipitúrque, ut curent pariter Episcopi suffragia vivorum

rum pro fidelibus defunctis piè ac devotè fieri, Missarum sacrificiis, orationibus, eleemosynis, aliísque pietatis operibus. Deinde unico alio capite Catholica doctrina de Invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, déque sacris Imaginibus, dilucidè exposita, & contraria damnata: omnísque superstitio, turpis quæstus, aliíque profani & indecori abusus auferri jussi. Tum de reformatione Regularium, & Monialium, viginti duo capita promulgata: quorum primum de Regulâ uniuscujusque Ordinis strictè observandâ: secundum de proprietatis vitio extrudendo: tertium de permissâ omnibus bonorum immobilium possessione in communi, etiamsi institutioni ipsorum repugnaret: exceptis tamen Capucinis, & Minoribus de Observantiâ. Horum enim Generales, Franciscus Zamorra de Observantiâ, & Thomas Casellus Tifernas Capucinorum, cùm in Congregatione præhabitâ vidissent decretum universè compositum, institerant ut ipsorum Ordines exciperentur, asserentes certum ipsis, secundùm Regulam Sancti Francisci vivere, à quâ haudquaquàm eximendi qui exemptionem non peterent. Quibus satisfactum est. Petierat idipsum Iacobus Lainius Generalis Iesuitarum, affirmans, quamvis Collegia Scholarum bonis soli frui possent, Domus tamen professas, in quibus propriè Societas consistit, non posse nisi ex mendicato vivere. Verùm cùm & ipsi facilè assensum fuisset, ut nominatim exciperetur ipsius Ordo in decreto, postridie petiit ut auferretur illa exceptio, dicens Societatem se perpetuò in purâ mendicitate in Domibus professis conservaturam: tantóque majus futurum ejus rei meritum apud Deum, quòd cùm uti liceret Concilij liberalitate, numquam tamen essent usuri.

De mendicitate Religiosorum.

LXI. Alia de Regularibus.

Sequentibus capitibus agitur de obsequio à Regularibus debitò suis Superioribus; de restituendâ & conservandâ strictissimè per Episcopos clausurâ monialium, adhibito etiam brachio sæculari; & ut monasteria quæ sunt extra, reducantur intra urbes: de modo electionis Superiorum tam virorum quàm feminarum: de ætate Præpositarum monialium: de monasteriis virorum, quæ immediatè Sedi Apostolicæ subsunt, in Congregationes redigendis; Sanctimonialium verò, per Episcopos, tanquam à Sede Apostolicâ delegatos, regendis: de frequenti confessione & communione earum, & ut bis aut ter in anno, præter ordinarium confessarium, alius eis offeratur: de curâ personarum sæcularium, & Sacramentorum administratione, in quibuscumque monasteriis ad Episcopos pertinente; excepto monasterio Cluniacensi, & locis in quibus Abbates Generales, & capita Ordinum sedem principalem habent; & monasteriis in quibus Superiores jurisdictionem Episcopalem habent: de censuris & festis, ab Episcopis injunctis, per Regulares servandis: útque omnes intersint processionibus, iis exceptis qui in strictiori clausurâ vivunt: de sæcularium & Regularium præcedentiâ per Episcopos judicandâ: de puniendis Regularibus scandalum generantibus, per Episcopos, si eorum Superiores negligentes in eo fuerint: de ætate annorum sexdecim requisitâ ad professionem faciendam tam in maribus quàm feminis; & annuo tempore probationis. Qui quidem in re extiterat, dum in Congregatione discuterentur articuli, quædam discrepantia: quoniam visum plurimis fuerat ut professio non fieret ante annum decimumoctavum finitum, útque novitiorum probatio biennium ut minimùm duraret, quâcumque ætate novitij intrâssent. Sed intercedentibus omnibus Generalibus, dicentibus haud æquum esse, religionis ingressum prohiberi cuiquam capaci cognoscendi quod vota regularia requirant; atque hanc capacitatem definitam olim ab Ecclesiâ fuisse anno decimosexto; etiam quo tempore homines non erant eo ingenij acumine & sagacitate; ut potiùs demendum videretur quàm addendum; ídque pariter in tempore novitiatûs considerandum esse: decretum fuit, nihil esse innovandum. Additum deinceps, ut nulla renunciatio, aut obligatio valeat, nisi facta fuerit intra duos menses proximos ante professionem: & ut finito tempore novitiatûs, Superiores teneantur novitios ad profitendum admittere: aut è monasterio ejicere. In quibus tamen declaravit Synodus, non intendere se aliquid innovare, aut prohibere, quin *Religio Clericorum Societati Iesu*, juxta pium eorum institutum, à sanctâ Sede Apostolicâ approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possent; in quâ videlicèt post longius tempus à finito novitiatu, Superiores facultatem habent admittere ad professionem: quod Regularium nulli fuit antè concessum. Anathemati deinde subjecti omnes, quicumque aliquam feminam invitam; præterquàm casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel faciendam professionem coëgerint: Neminem audiendum in causis, propter quas susceptum habitum dimittere prætendit, nisi intra quinquennium à die professionis, & causis probatis: nec transferendum quemquam ad laxiorem religionem: nec dandam licentiam occultè ferendi habitum: Abbates, qui sunt Ordinum capita, ac ceteri Superiores Episcopis non subjecti, visitationes suas faciant, &c. Monasteria collapsa restituantur: personæ non nisi regulares iis præficiantur: & qui monasteria, quæ sunt Ordinum capita, vel quæ filiæ eorum nuncupantur, in commendam obtinerent, infra sex menses tenerentur solemniter profiteri, aut iis cedere. Quæ omnia Synodus strictè observari præcepit, non obstantibus qubuscumque privilegiis, etiámque fundationis: hortatáque est Reges, ac Principes, & Magistratus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, ut in eorum executione auxilium præbeant requisiti.

LXII. Alia decreta de reformatione.

His promulgatis, lecta sunt unum & viginti Capita generalis Reformationis: quibus imprimis admonentur Episcopi, bono exemplo esse omnibus, abstinere omni superfluitate, & immodicâ elargitione bonorum Ecclesiarum erga suos: ídque ipsum extenditur ad quoscumque alios beneficiatos, atque etiam Cardinales. Præcipitur deinde, ut in primâ Synodo provinciali decreta Tridentinæ recipiantur, obedientia Papæ spondeatur, hæreses omnes anathematizentur: eadémque professio injungitur iis qui ad Episcopatus

vel alia beneficia Ecclesiastica, aut gradum aliquem in Universitatibus adipiscerentur. Ut excommunicationis gladius non temerè, nec levibus de causis, stringatur; & in quibus causis debeat, aut possit. Episcopis, Abbatibus, & Generalibus Ordinum, datur facultas statuendi super numero Missarum celebrandarum pro defunctis, cum aut amplior fuerit quàm ut possit in singulis Ecclesiis satisfieri, aut eleemosyna pro iis celebrandis relicta minor quàm ut facilè inveniatur qui ei muneri se subjicere voluerit. Describitur modus ab Episcopis servandus in visitatione Capitulorum Exemptorum, & coërcitione deliquentium. Quæ materia cum multoties fuisset in Congregationibus agitata, & ob difficultates propositas, in præcedenti Sessione ad præsentem remissa sub nomine Sexti Capitis: factum id præcipuè Hispanorum occasione: Ubi cum Episcopi ferè Regis beneficiarij sint, & ab ejus nominatione pendeant; Capitula verò magis addicta sint Pontifici, quòd major pars canonicatuum ad merum ejus arbitrium conferatur; & alioqui valdè potentia existerent, quòd ferè canonici ex nobilitate constent: ideóque non solum interesset Episcoporum ad suam dignitatem conservandam, verum etiam Regis, cujus voluntati potissimum Capitula in tributorum impositione adversari consueverant, eorum auctoritatem imminui: Ut omnibus satisfieret, conditum est caput illud Sextum eâ formâ quæ in Decretis extat; cum nonnullâ auctoritatis Episcopalis in Hispaniâ amplificatione, etiamsi non eâ quâ desiderabatur mensurâ. Quare quòd illa, ut diximus, propter controversias Episcoporum & Capitulorum Hispaniæ decreta fuissent, aliísque regionibus liberiores essent Episcopi in suæ super Capitula jurisdictionis exercitio; subdidit in fine Synodus, ut illa omnia & & singula in dicto Capite contenta, in iis Ecclesiis locum non haberent, in quibus Episcopi, aut eorum Vicarij, ex constitutionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus, sive concordiis, seu quocumque alio jure majorem haberent potestatem, auctoritatem & jurisdictionem, quàm eo decreto esset comprehensum; quibus Synodus derogare non intenderet.

LXIII. Itemque alia.

Subduntur deinde Decreta contra accessus aut regressus ad beneficia; itémque contra coadjutorias cum futurâ successione, nisi ex causis necessariis: de visitatione Hospitalium: probatione juris patronatûs, aut amissione, nonnullis exceptis, institutione quarumdam personarum ad causas spirituales breviter terminandas: de bonis Ecclesiasticis non elocandis in præjudicium successorum; & ut jurisdictiones non locentur; de solutione Decimarum, sub pœna excommunicationis; necnon Quartæ funeralium: de modo procedendi contra clericos concubinarios: ut filij illegitimi clericorum beneficium obtinere non possint, ubi eorum patres habent vel habuerunt, nec in iis Ecclesiis ministrare, nec pensiones obtinere: de beneficiis habentibus curam animarum non convertendis in simplicia; & de portione congruâ Vicariorum. Ut Episcopi secundùm gradûs sui decorum vivant, nec se demittant in indecens obsequium Principum, aut vilem ceteris honoris exhibitionem. Dispensationes à canonibus nonnisi maturè fiant. Imperator, Reges, ceterique Principes & Domini temporales, qui locum ad monomachiam sive duellum inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati; ac jurisdictione & dominio civitatis, castri, aut loci, in quo duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesiâ obtineat, privati intelligantur: (non enim hujusmodi privatio ad alia loca extenditur, quàm quæ Ecclesiæ dominio temporali subsunt:) duellantes, patrini, conciliatores, suasores, spectatores, aliis gravissimis pœnis in decreto contentis subjaceant. Ac subinde lectum est Decretum de Reformatione Principum, unicum substitutum loco plurimorum illorum articulorum, quorum causâ tot tumultus & clamores excitatos vidimus: cujus præcipuus fuit auctor Cardinalis Lotharingius quo, resectis illis, quæ tum ceterorum Principum, tum præcipuè Regis Galliæ auctoritatem, Ecclesiæque Gallicanæ libertatem ac privilegia speciatim spectare videbantur; decernens Synodus, ac præcipiens, sacros canones, & Concilia Generalia omnia, necnon alias sanctiones Apostolicas, in favorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ; & contra ejus violatores editas, exactè ab omnibus observari; Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, monet, ut quæ Ecclesiastici Iuris sunt, tanquam Dei patrocinio tecta, venerentur; nec ab ullis Baronibus, aliísve dominis temporalibus, seu Magistratibus, lædi patiantur; sed severè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque jurisdictionem impedire præsumpserint, animadvertant. Postremò declavit Synodus, omnia & singula, quæ de morum reformatione, & Ecclesiasticâ disciplinâ, sub Paulo, Iulio, & Pio; in Concilio statuta fuissent, ita decreta esse, ut in iis salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ intelligatur. Quoniam verò omnia in Sessione definienda, quòd hora tarda esset, expediri non possent; cetera in sequentem diem, eamdem Sessionem continuando, dilata fuêre.

Decretum de Reformatione Principum.

LXIV. Sessionis continuatio.

Itaque die sequenti, qui erat Sabbati, quarto Decembris, lecta sunt Decreta de Indulgentiis, (quæ moderatè dari, & sine pravo quæstu dispensari jussæ sunt:) de commendatione Ciborum delectûs & Iejuniorum, ad mortificandam carnem; & dierum festorum; ad pietatem augendam. De Indice verò librorum, Catechismo, Breviario, & Missali, quæ nonnulli selecti Patres de mandato Synodi concinnaverant, quòd in eorum laboris examine, longiori tempore Concilium distinendum foret, decretum est ut quicquid ab iis præstitum esset, Pontifici exhiberetur; cujus judicio & auctoritate evulgarentur (sicuti & posteà factum fuit.) Item decretum, ex loco assignato Oratoribus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, nullum factum cuiquam esse præjudicium, sed omnium jura in eodem statu permanere, quo erant ante Concilium. Tum narrans Synodus, id se potissimùm curasse, ut præcipuos hæreticorum ejus temporis errores damnaret, & anathematizaret, verámque & Catholicam doctrinam traderet: cúmque tamdiù tot Episcopi, ex variis provinciis Christiani orbis evocati, sine magnâ

gregis

gregis sibi commissi jacturâ ab Ecclesiis suis abesse non possent; nec ulla spes restaret, hæreticos, toties, fide etiam publicâ quam desideraverant, invitatos, & tamdiù expectatos, ampliùs adventuros; ideóque tandem Concilio finem imponere necesse esset: hortata est Synodus Principes omnes, ut quæ ab eâ decreta essent, ab hæreticis depravari aut violari non permitterét; sed ab iis & omnibus devotè recipi, & fideliter observari, curarent. Quòd si in Decretorum intelligentiá aliqua difficultas oriretur, Romanum Pontificem curaturum, ut in omnibus quâcumque commodâ ratione satis quibusque dubia proponentibus fieret. Deinde recitata sunt omnia Decreta sub Paulo & Iulio condita. Ac postremò Secretarius in medium procedens, rogavit, Placerétne ut finis Synodo imponeretur, & omniū quæ sub Paulo, Iulio, Pio, decreta, & definita essent, confirmatio nomine Synodi per Legatos & Præsidentes à Romano Pontifice peteretur? Responderúntque omnes, Placere. In Editione tamen Antuerpiensi anni 1564. post illa verba in fine Synodi posita additur, fuisse tres è Patribus, qui dixerunt, se confirmationem non petere. Qui autem fuerint, non dicitur; nec alibi reperimus; sed nec multùm refert. Reperimus quidem, quando in Congregatione propositum fuerat de Confirmatione petendâ, dubitatum fuisse à quibusdam de modo, at à nemine de re ipsà. Postmodùm Cardinalis Moronus primus Legatus ac Præsidens, benedicens Synodo, dixit, *Post gratias Deo actas Reverendissimi Patres, ite in pace.* Qui responderunt *Amen.*

Finis Concilij.

LXV. Acclamationes Concilij.

In Acclamationibus subsecutis, quarum Cardinalis Lotharingius & componédarum & intonandarum, curam sumpsit; notatus est ipse à nónullis, levitatis, & vanitatis quòd parùm ex tanti Præsulis & Principis dignitate, in eo ministerio servire ffectârit, quòd ex antiquo usu Diaconis potiùs, aut Promotori, vel Secretario Concilij, convenire videretur, quàm Archiepiscopo, & summæ existimationis Cardinali: maximè cum ejusmodi Acclamationes fierent ex scripto, quarum primùm usus in Conciliis, præcipuéque Orientalibus, ex instinctu aliquorum Episcoporum in voces laudùm & consensûs erumpentium, introductus, quibus reliqui omnes concinebant. Sed gravior in Cardinalem accusatio à Gallis, quòd post acclamationes Pontificibus, & Imperatoribus; sub quibus Concilium celebratum fuisset, nominatim factas, mox collectivo nomine *Regibus* acclamârit, nullâ factâ distinctione Regis Galliæ, cujus nomen in principiis Synodi, dum Carolus V. in vivis ageret exprimi consueverat; nunc autem ne ægrè faceret Philippo Regi, à Cardinale est omissum. Quod cùm ei posteà in Regis consistorio objectum fuisset, pacis & concordiæ inter potentissimos Reges, Reipublicæ Christianæ bono, conservandæ studio factum à se, excusavit. Reliquæ faustæ acclamationes fuerunt Legatis, Cardinalibus, Oratoribus, Episcopis Orthodoxæ fidei in Synodo stabilitæ: & dirum anathema cunctis hæreticis.

LXVI. Subscriptiones Decretorum.

Demúmque mandatum est à Legatis sub pœnâ excommunicationis omnibus Patribus, ut antequàm discederent Tridento, subscriberent manu propria decretis Concilij, aut ea per publicum instrumentum approbarent. Quod insequenti die Dominico cumulatè præstitum; habitâ, quò magis ordine fieret, quasi Congregatione. Subscripserúntque in universum ducenti quinquaginta quinque: videlicèt quatuor Legati, duo alij Cardinales, tres Patriarchæ, viginti quinque Archiepiscopi, centum sexaginta octo Episcopi, septem Abbates, triginta novem procuratores absentium cum legitimo mandato, & septem Generales Ordinum: quorum omnium nomina, cognomina, patriæ, & dignitates, recensentur in catalogo, ad finem Concilij apposito: ubi tamen longè plures connumerantur, qui Concilio sub Pio interfuerint; computatis videlicèt qui mortui erant, aut Concilium deseruerant antequàm finiretur. Fueréque ex Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Hispaniâ, Lusitaniâ, Græciâ, Poloniâ, Hungariâ, Belgio, Angliâ, Hiberniâ, Croatiâ, Moraviâ, Illyrico; ut in eodem Catalogo videre est: in quo etiam recensentur speciatim omnes Doctores, Legum, Iuris Canonici, & Theologiæ, singularum nationum, qui Concilio interfuerunt, non tamen subscripserunt; ac denique omnes Concilij Officiales. Fuerat verò primum constitutum, ut etiam Oratores sæculares post Patres subscriberent: (Ecclesiastici namque suo dignitatis & promotionis ordine inter Patres suscripserunt:) verum posteà aliud consilium placuit multis de causis: Tum videlicèt quòd cum non adesset Orator Gallus, (vocatus enim Ferterius Venetiis à Lotharingio, postquàm caput de Principibus, cujus causâ discesserat, commodè emendatum visum fuerat; responderat sibi id integrum non esse, absque speciali Regis mandato: ad Regem autem scripserat, non sibi videri è re ejus esse, ut Tridentum rediret, quòd jura ejus & Ecclesiæ Gallicanæ in aliis decretis violarentur:) ceterorum absque illo subscriptiones, proditura essent Gallos Concilium non recipere: Tum etiam quòd Lunensis Hispanus significâsset, se absolutè non subscripturum, sed cum reservatione quòd Rex suus dimissioni Concilij non consensisset: Tum denique quòd non fuisset usu receptum, ut alij decretis subscriberent, quàm qui vocem definitivam habebant.

LXVII. Tempora Concilij.

Sícque tandem finem accepit Concilium, quod post multorum annorum postulationes, excusationes, & protelationes; primum anno 1536. à Paulo III. Mantuæ indictum, deinde absque ullo effectu mutato loco, anno consequenti Vicentiæ; rursúmque hoc irrito conatu, Tridenti anno 1542. ab eodem Pontifice celebrari jussum, cœptúmque dumtaxat 1545. ac Septem Sessionibus celebratis translatum Bononiam 1547. quadriennium siluit: deinde sub Iulio III. anno 1551. resumptum Tridenti, ac sequenti suspensum, quievit usque ad 1562. quò sub Pio IV. iterum celebrari cœpit; ac demum præsenti consummatum est. Quamvis autem *viginti quinque Sessiones* numerentur, nonnisi tamen quatuordecim fuerunt, in quibus aliquid tractatum sit de rebus doctrinæ aut morum; videlicèt septem sub Paulo, duæ sub Iulio, & quinque sub Pio: reliquæ namque undecim, aut aper-

Sessionum numerus.

tiones

tiones fuerunt, aut suspensiones, aut prorogationes.

LXVIII. QUALE ISTUD CONCILIUM.

De quo quidem Concilio verè dici posse videtur, quod Episcopus Ragazzonus in suâ oratione, de quâ nuper egimus, ultimâ Sessione pronunciavit: nempe in superioribus actum sæpè esse de fide nostrâ explicandâ, moribúsque corrigendis, sed numquam diligentiùs atque distinctiùs quàm in isto Tridentino. In quo, præsertim ultimo biennio, ex omnium populorum ac nationum, in quibus veritas Catholicæ religionis agnosceretur, non solùm Patres, sed Oratores extitissent: viri omnes, si doctrinam spectes, eruditissimi; si usum, peritissimi; si ingenia, perpicacissimi; si pietatem, religiosissimi; si vitam, innocentissimi: numerus talis, ut si præsentes Christiani orbis considerarentur angustiæ, frequentissima hæc omnium quæ ante fuerunt Synodus appareret: In eâ singula omnium vulnera detecta, mores expositos fuisse, nihil dissimulatum: Adversariorum argumenta, & rationes ita tractatas, ut eorum tum causa, non Catholicorum, agi videretur: tertiùm nonnumquam, atque etiam quartùm discussa: Summâ sæpè contentione certatum; eo scilicèt consilio, vt quemadmodùm igne aurum, ita quibusdam quasi luctationibus veritatis vires ac nervi probarentur. Adeò ut licèt optandum summoperè fuisset, ut unà cum illis hæc acta essent, quorum potissimùm causâ tractabantur; qui proptereà solicitè invitati, perdiù expectati, ac frequenter rogati accedere fuêre: quamvis tamen detrectârint, nihilominùs absentium incolumitati atque saluti ita provisum esse, ut aliâ ratione provideri, si affuissent, non potuisse videretur. Ita ille; ac planè ex rerum gestarum veritate. Cùm tamen non defuerint, non solum ex ipsis hæreticis, verùm etiam ex Catholicis, qui illud in multis carpendi occasionem variis ex causis sumpserint: de quibus dicetur anno sequenti: necnon de Confirmatione per Pontificem factâ, & modo executionis adhibito. Qui interim ejus exitu audito, ingenti lætitiâ oppletus, quamquam adhuc viribus debilis à gravi infirmitate quâ oppressus fuerat, solemnes supplicationes decrevit, ut pro tanto beneficio gratiæ Deo redderentur.

LXIX. SCHOLARUM MAGISTRI IN SINGULIS ECCLESIIS.

Dum ita res Tridenti agerentur, in Galliâ inter multa promulgata edicta ad politiam & œconomiam regni & justitiæ spectantia, utilissimè quoque vigesimo secundo Novembris sancitum est, ut in singulis Ecclesiis cathedralibus & collegiatis, in quibus plures essent quàm decem canonici, unius præbendæ fructus destinarentur uni aut pluribus scholarum magistris, ab Episcopis approbandis, ad instructionem puerorum & juventutis tam in literis quàm in præceptis fidei Catholicæ. Quod priùs in Comitiis Aurelianensibus anni 1560. statutum, haud executioni mandabatur. Nec verò hoc novum institutum in Galliâ fuisse, sed antiquis temporibus usu ibi receptum, ab aliis[b] jam probatum est.

b Chopin. de sacr. Polit. lib. 1. n. 13. & 14. Masnard. in Notab. quæst. lib. 1. c. 9. & seqq. &c.

LXX. MAXIMIL. CORONATUR REX HUNGARIÆ.

Eodem anno, die octavo Septembris, *Maximilianus* Romanorum & Boëmiæ Rex, coronatus est etiam Posonij, seu Predburgi dicti, ad flumen Danubij, Rex Hungariæ à Nicolao Olago Archiepiscopo Strigoniensi: quam solemnitatem seriatim descripsêre Natalis[c] & Isthuanffius. Cùm autem Maximilianus pro Romanorum regno, ad quod fuerat anno superiori electus, oratores de more ad Pontificem mittere deberet; nec tamen putaret, sibi ad exemplum ceterorum Cæsarum, quos nullâ premebat difficultas, eâdem formâ confirmationem à Pontifice petendam, atque in obedientiam Sedis Apostolicæ jurandum, sed ratione habitâ Principum, & Ordinum Germaniæ Protestantum, ne ultrò eos offenderet: obtulit tantummodò promittere, se omnem reverentiam, devotionem, & obsequium Pontifici & Apostolicæ Sedi præstaturum, & fidem Catholicam non solùm salvam conservaturum, verum etiam quantùm posset Amplificaturum. Cui[d] rei cum Ferdinandi Cæs. patris ejus oratore tractandæ, aliquot Cardinalibus à Pontifice præfectis; post multam dissensionem, & nuncios ultrò citróque missos cum variis propositionibus & responsionibus; demùm veniente ad hoc Romam à Maximiliano, Georgio Comite Elphestano, ita res composita est, ut illo ad publicum consistorium admisso ad illa offerenda quæ in mandatis habebat; quamquam nec confirmationem peteret, nec promitteret obedientiam, tamen in responsione nomine Pontificis faciendâ, diceretur ex solemni formulâ, Sanctitatem suam electionem Regis confirmare, omnes defectus qui in eâ de facto vel de jure intervenissent supplere, & obedientiam Regis accipere.

c Natal. lib. 14. Isth. lib. 21.

PRO REGNO ROM. QUOMODÒ EGERIT CUM PONTIFICE.

d Onuph. in Vit. Pij IV.

LXXI. REX MARCO CALABER.

In Calabriâ alius Rex factitius surrexit hoc eodem anno: creatus videlicèt ab exulibus, qui ingenti numero semper iis locis existunt[e], *Marcus quidam Berardus* è vico Mangone territorij Consentini. Qui regiam sibi assumens auctoritatem & cultum, sub nomine *Regis Marconis*, justo propemodùm collecto exercitu, in tantam etiam evectus est audaciam, ut Crotonem civitatem, quamvis irrito conatu, tentaverit; & missum contra se à Prorege Neapolitano legatum cum militibus Hispanis, fuderit multâ occisione. Donec validioribus immissis copiis sub Fabritio Pignatello Marchione Cerchiaræ; ejus diligentiâ brevi tempore rebelles isti dissipati fuêre, & tota regio eâ peste liberata. Ita enim simpliciter Hadrianus, & Costus Natalis[f] verò ampliùs distinctiúsque; fuisse hunc Marcum nobili genere ortum, ac regio assumpto nomine, diplomata conficere, & Regio sigillo munire consuevisse: cúmque propter assectarum vires, aut ob peritiam locorum montanorum, capi non posset; ingenti præmio proposito, siquis ex exulibus Marci quempiam trucidâsset, ac longè majore siquis Marcum ipsum, & facultate prætereà restituendi in patriam quem vellet præter suam impunitatem; factum esse ut mutuis armis clàm in se conversis, atque natis dissensionibus, Marcus captus sit, & ad supplicij honorificentiam cum regio diademate atque aureo laqueo Cosentiæ suspensus. Quorum causâ tumultuum existimamus Pium Pontificem à Prorege rogatum, edictum promulgâsse, quod in Bullario antiquo reperitur datum die decimâ Novembris præsentis anni: quo sanxit, ne exules regni Neapolitani in Statu Ecclesiæ Romanæ reciperentur, sed capti traderentur in manus Proregis eos petentis.

e Hadrian. lib. 17. Cost. Hist. Neapol. lib. 1.

f Natal. lib. 14.

Ad

LXXII. Moscorum Dux Lithuaniam incursat.

Ad principium anni, Ioannes Basilides Magnus Moscoviæ Dux, qui anno superiori Sigismundo-Augusto Poloniæ Regi bellum denunciaverat,[f] quòd hic Livoniensibus auxilium contra ipsum submisisset; Lituaniam ingentibus copiis ingressus, urbem amplam arcémq; celebrem munitissimámque Polenzko, sive Polotiam cepit: civibus ex oppido migrare jussis alimenta ad dies quinque subtraxit; pueros infra decem annos mactavit, grandiores abstractos Tartaris vendidit, nulli nec ætati nec sexui parcens: ac Lituaniâ direptionibus & incendiis vastatâ, domum prædâ onustus rediit. Qui cùm hactenùs crudelissimum sese adversus quoscumque hostes exhibuisset; à tempore captæ Polotiæ, tradit Guagninus in suâ Moscoviâ, (malè tamen id constituens anno 1560. quòd veriùs alij[g] præsenti 1563. ponunt) eum rei prosperæ successu elatum, ad ea quæ pater & avus incœperant perficienda animum apposuisse: omnes nimirùm principes, & alios quosvis magnates castris, possessionibus, & munitionibus exuere: & quoscumq; magnarum & antiquarum familiarum viros, quos suæ tyrannidi contrarios cernebat, trucidare, variísque & horrendis nec unquam auditis modis de medio tollere. Quarum rerum quamplurima subjicit exempla: quibus appareat illum eò pervenisse, ut tam in ecclesiasticos & regulares, quàm in laicos & seculares, necnon in domesticos, propinquos, consiliarios, benè vel malè meritos, omnes denique cujusvis conditionis & sexus homines, eâ uteretur auctoritate, ut de omnium ac singulorum vitâ, bonis, & honore, pro arbitrio, nemine obstrepere, aut vel minimùm repugnare audente, disponeret. Quæ etiam uberiùs tractávit in ejus infaustâ Vitâ, Paulus Oderbornius; qui tribus libris eam ita descripsit, ut videatur repræsentare voluisse ultimum crudelitatis omniúmque vitiorum exemplum, adeò ut superbiâ, sævitiâ, libidine, ac reliquis immoderati animi cupiditatibus, non suis tantùm, verùm etiam communi hominum societati, denique universæ rerum naturæ, acerbus & luctuosus videretur. Haud tamen diù absque vindictâ de præsentis anni successu gloriari ei licuit. Siquidem sequenti Ianuario mense exercitus ejus maximâ clade contritus est à *Nicolao Ratzivilio* Vilnensium Palatino; viro quidem à fide Catholicâ alieno, ac præcipuo auctore, seu fautore, perversionis Lituaniæ, sed rerum bellicarum famâ claro; qui longè inferioribus viribus Ioannis sororium rursùm Lituaniam cum ingentibus copiis ingressum, devicit, occisis hostium triginta circiter millibus unà cum ipsorum imperatore: & viginti tantùm militibus è suis amissis, præter octingentos vulneratos. A quo tempore inter Lituanos & Moscos vario marte diù certatum fuit; alternante vices fortunâ, quæ anteà Mosco in prædam sese dedisse videbatur.

[g] Schard. in Epit. Rer. gest. sub Ferdin. Neugebauer Hist. Pol lib. 8. & alij.

Ejus sæva tyrannis.

Magna clade afficitur.

LXXIII. Puella liberatur a dæmone.

Mense Martio in suburbio Augustæ Vindelicorum, textoris[h] cujusdam filia annos viginti nata, à dæmone obsessa, quàm ministri Lutherani liberare frustrà tentârunt, à Simone Theologo Cahotlico apud S. Mauritium Augustæ Ecclesiaste, invocato nomine Iesu Christi liberata est.

[h] Sur. in commentar. Genebr. in Chronol.

LXXIV. Hæretici Eucharistia violatoris supplicium.

Parisiis[i] verò ad finem anni, nempè vigesimosecundo Decembris, sceleratissimus quidam hæreticus, spiritu satanico motus, in Ecclesiâ S. Genovefæ, è manu sacerdotis Missam celebrantis sacratissimam Eucharistiam rapuit. Qui confestim captus, condemnatúsque, manu sceleratâ ante Ecclesiam truncatus est; & in plateâ Mauberti suspensus, & igne crematus; adstante Monmorantio provinciæ præside manu armatâ, nequid tumultûs à fremente populo adversus Hugonotos excitaretur. Ad pleniorem verò tam horrendi facinoris expiationem, die vigesimâ septimâ ejusdem mensis facta est solemnis supplicatio à sanctâ Capellâ ad prædictam Ecclesiam Sanctæ Genovefæ; cui Rex cum matre, & fratribus, ceterísque Principibus ac proceribus, Cancellario, Senatu, alíísque magistratibus, gestantibus singulis faces candidas ardentes in honorem sacratissimæ Eucharistiæ, interfuit.

[i] Annal. Franc.

LXXV. Sodalitates B. Virginis instituuntur.

Hoc eodem anno cœpisse Romæ *Sodalitates Beatissimæ Virginis* in Societatis Iesu Scholis, auctore *Ioanne Leonio* Belgâ, infimæ rudimentorum Grammaticæ classis magistro, Sacchinus[k] prodit: cùm videlicèt qui ex iis inferioribus classibus discipuli sociare cum literis pietatem cuperent, diebus singulis, post ceteros missos, in unam è scholis, in quâ altare ornaverant, congregari; & postquam aliquamdiù universi orâssent, unus è pio quodam libello quippiam legere; diebus verò Dominicis, alíísque festis, etiam vespertinas mod co cum cantu preces peragere cœpissent. Ex quibus rudibus initiis, prædictæ Sodalitates certis formatæ institutis, insigni cum juventutis atque aliorum bono, latè per orbem diffusæ sunt: ac præcipuè postquàm illæ à Gregorio[l] XIII. stabilitæ fuerunt.

[k] Sacchin. Hist. Societ. lib. 7.

[l] Bull. to. 2. Greg. XIII. const. 97.

LXXVI. Doctorum virorum obitus.

Inter viros doctrinâ & scriptis illustres, obierunt hoc anno in Galliâ *Ioannes Brodæus*, Cæsaroduno primariâ Turonum urbe familiâ honestâ natus, qui in Italiâ Sadoleti, Bembi, Egnatij, Manutij perfamiliaris, ad puriores literas, philosophiæ, mathematicarum artium, ac sacræ linguæ non mediocrem cognitionem adjecerat: dein in patriam reversus, multas reconditæ eruditionis lucubrationes composuit, quas vir procul ab omni ambitione positus, alienis potiùs quàm suis auspiciis publicari passus est: demùmque apud S. Martinum, cui collegio nomen dederat, in literis assiduus, sexagesimum annum prætergressus, ineunte anno placidè ad Deum migravit. Et *Arnoldus Ferronus* Senator Burdegalensis, nondum planè quinquagenarius, qui patrias leges doctissimis scriptis illustravit, & Historiam Gallicam secundùm Paulum Æmilium ad excessum Francisci I. prosecutus est; multáque alia scripsit, quæ *Attici* nomen ipsi à doctissimo Iul. Cæs. Scaligero attributum conciliaverunt.

LXXVII.

E castris verò hæreticorum abierunt in sua loca *Vvolffangus Musculus*, Dusæ Lotaringiæ in finibus Alsatiæ natus, patre doliario; & ex monacho Benedictino & presbytero factus apostata, uxoratus & textor: deinde & concionator Argentorati: obiítque Bernæ in Helvetiis tertio Calendas Septembris, ætatis anno sexagesimo sexto. Et Basileæ

quinto

DE CASTALIONIS ET MUNSTERI BIBLIIS.

quarto Calendas Ianuarij ætatis anno quadragesimo octavo *Sebastianus Castalio* Allobrox, ac Genevæ quondam ludimagister: qui puriorem linguarum cognitionem ad Theologicam scientiam adjunxisse se putans: impuras manus ad sacra tractanda attulit; cùm à rebus ad tantum opus necessariis homo imparatissimus novam Bibliorum interpretationem insolêti temeritate molitus est. Quam Sixtus [ll] Senensis unà cum Munsterianâ conjungens, utramque præ ceteris, ceu lethale venenum, fugiendam monet; eò quòd præter infinitas & assiduas textuum corruptiones ac perversiones, ubique plenæ sint nefariis annotationibus, scholiis, observationibus, glossematis, præfatiunculis, argumentis, atque his similibus decipulis, ac laqueis, ad exitium lectorum instructis. Cùm & prætereà Munsterus in affectandis idiotismis adeò durum & asperum sese exhibuerit, ut quamplurimas voces non sine ingenti spiritûs ac linguæ nisu Latinus ullus pronuntiare queat. Castalio verò ita econtrà delicatum ac mollem, ut se Latinè loqui non putet, nisi quàm effeminatissimè loquatur, & singulas quasque sententias meretricularum more fuco pingat: in affectandis autem singulis gentilium locutionibus, Gentilem se veriùs ac profanum quàm Latinum aut Christianum ostendat. Unde non mirum, si & polygamiam homo impurus, unà cum Ochino comprobâsse dicatur; & Cantico Canticorum Salomonis, non mysticos Christi & Ecclesiæ amores, sed turpes Salomonis cum amasiâ quâdam suâ, describi existimaverit; denique rem indifferentem duxerit, eam sequi religionem quam quisque voluerit: ut hæc de ipso tradit ipsemet Beza in Vitâ sui Calvini; quamquam nec ipsi longè admodùm ab eâdem opinione discreti. Hi sunt nimirùm ex eorum numero, quos Iudas [m] Apostolus apprimè descripsit, in epulis suis maculas, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aquâ, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosas: bis mortuas, eradicatas; fluctus feri maris, despumantes suas confusiones; sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

ll Sixt. lib. 8. bar. 13.

m Epist. Iudæ Apost.

IESU CHRISTI Annus 1564.

PII IV. Ann. 5.

FERDINANDI I. Ann. 7.

I. CONCILIJ TRIDENT. CONFIRMATIO, ET PROMULGATIO.

ANNO Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Indictione septimâ, Pius Pntifex acceptâ supplicatione Cardinalium Moroni & Simonetæ, nomine Synodi Tridentinæ, cui ipsi præfuerant, ejus decretorum confirmationem petentium, prout in eâ deliberatum fuerat; nonnihil animo suspensus, ob ministrorum Curiæ querimonias de damno quod in officiis quique suis accepturi essent, si reformationes in Synodo statutæ in observationem deducerentur; adeò ut plurimi libelli supplices ei offerrentur, pro obtinendâ compensatione officiorum quæ pecuniâ comparâssent: Re tamen in deliberationem adductâ, & rei gravitate consideratâ, ac ne novis oblocutionibus occasio præberetur, omninò statuit, Concilium absolutè confirmandum, quantumcumque inde damnum, aut suis, aut Apostolicæ Sedis commodis & reditibus obventurum esset. Itaque septimo Calendas Februarij decreto de eo facto in Consistorio; Constitutionem promulgavit; cui omnes Cardinales Romæ præsentes subscripserunt; extátque post Decreta Synodi, quâ omnia & singula in Concilio decreta & definita, auctoritate Apostolicâ confirmavit, & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda, & inviolabiliter servanda decrevit, ac præcepit: Imperatorem, Reges, ac Principes, obtestans, ut ad ea exequenda & observanda, Prælatis, cùm opus foret, auxilio adessent; neque adversantes eis opiniones à populis ditionum suarum recipi permitterent, sed eas penitus interdicerent. Atque ad vitandam perversionem, & confusionem, quæ oriri posset, si unicuique liceret pro libito in ea Decreta commentarios & interpretationes suas edere; eâdem auctoritate Apostolicâ severè inhibuit omnibus tam Ecclesiasticis personis quà laïcis cujuscumque Ordinis, gradûs, conditionis, ac potestatis, nequis sine auctoritate Pontificis auderet ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullúmve omninò interpretationis genus super eisdem Decretis, quocumque modo edere. Si cui verò obscurum aliquid in eis videretur, recurreret ad Sedem Apostolicam, omnium Fidelium magistram; secundùm etiam quod in ipsâ Synodo statutum fuisset. Aliísque pòst editis constitutionibus declaravit, decretorum ad reformationem & ejus positivum spectantium observationem, à Calendis Maij duntaxat obligare cœpisse: Et Congregationem octo Cardinalium instituit, super executione & observatione tam eorumdem Decretorum Concilij, quàm aliorum à Pontifice de reformatione durante Concilio factorum. Denique ipsemet de se in Cardinalium consessibus professus est, utcumque non teneretur, tamen ea se observaturum, numquámque eis derogaturum, nisi urgenti de causâ, & de consensu Cardinalium: negotio etiam Morono & Simonetæ dato, ut diligenter attenderent, si quid adversus ea in Consistorio proponeretur.

II. ALIA DECRETA PIJ PONT.

Episcopos item ad suas Ecclesias amandavit, constitutione de residentia eorum, & aliorum curam animarum habentium editâ: quâ etiam bona non residentium, uti spolia, ad Cameram Apostolicam spectare decrevit: Aliámque deinde severiorem contra non residentes addidit; insupérque declaravit, gratias de non residendo, & percipiendo fructus ratione Studij, nequaquàm valituras sine consensu Ordinariorum. Quoscumque item Ecclesias & benficia ecclesiastica in confidentiam retinentes, sive recipientes, variis & gravibus pœnis subjecit. Formam Iuramenti Professionis Fidei Catholicæ, per omnes beneficia, aut dignitates Ecclesiasticas, vel monasteria, aut loca quæcumque in Ordinibus regularibus, aut militaribus, obtinentes; necnon per quoscumque, sive clericos, sive laicos, vel regulares, ad aliquam liberalium artium facultatem edocendam electos, vel etiam ad

carum

earum gradus promovendos, præstandi publicavit. Indicem quoque librorum prohibitorum, à delectis in Concilio perfectum, & à se diligenter examinatum, cum regulis ab ijsdem delectis desuper confectis, approbavit & promulgavit; prohibitis illis legi, aut teneri: ac revocatis aliâ sanctione facultatibus omnibus de iis legendis aut tenendis, catenùs quibuscumque personis concessis: exceptis (quod alio decreto declaravit) Cardinalibus Congregationis Inquisitionis: quibus non solùm tenendi & legendi facultatem, verùm etiam illam aliis impertiendi concessit. Denique totus in emendatione constitutus, duplicem Cameræ Apostolicæ; ejúsque ministrorum & officialium reformationem edidit. Cujus omnia & singula de prædictis decreta, seu constitutiones; diversis hujus anni mensibus edita, videre est in Tomis [a] Bullarum seu Constitutionum Pontificiarum: præter alias ab eodem Pontifice de aliis rebus factas, de quibus dicetur postcà:

a Tom. I an. 17. & 2. recent. edit. in Pio IV.

III. Scripta hæreticorum adversus Concilium.

Quod verò Concilij receptionem attinet; non ita facilè aliis regnis processit, ut Romæ. Nam ut omittamus hæreticos, quibus nihil ejus sapere potuit: utpotè omni religionis, doctrinæ orthodoxæ, & morum integritatis gustu destitutis; quique potissimùm in dogmatibus examinandis & carpendis, operam posuerunt; editâ etiam post ejus finem in Germaniâ à nonnullis ministris Augustanæ Confessionis adversus illud protestatione; & à quodam Ioan. Fabricio Montano virulentâ ad Germanos oratione; (quam Petrus Fontidonius Theologus Hispanus qui Concilio interfuit, mox accuratè exagitavit:) atque à Martino Chemnitio prolixo Examine, (adversus quod Iodocus Ravenstenius Theologus Lovaniensis Defensionem Concilij conscripsit:) & à Iacobo Andreæ, aliísque multis, plurimis omnis generis scriptis; quæ plenissimè & luculentissimè tam ijdem Doctores Catholici, quàm plurimi alij infinitis responsionibus & commentariis confutârunt: Quod reliqua spectat, fuit etiam idem Concilium Ferdinando Cæsari, Carolo Galliæ & Philippo Hispaniæ Regibus, in nonnullis, quæ rationibus suis, & commodis, aut receptis consuetudinibus, officere sentiebant, minùs acceptum. Et Ferdinandus quidem, qui durante Concilio, & cum Pontifice per suos oratores Romæ, & per se ipsum Oeniponte cum Morono & Lotharingio Cardinalibus egerat; pro obtinenda facultate Calicis, & Conjugij sacerdotum, uti superiori anno vidimus: videns nihil ejusmodi concessum fuisse, rursùm tam suo quàm Ducis Bavariæ generi sui nomine, pro ijsdem rebus institit apud Pontificem, scriptis literis [b] decimoquarto Februarij; unà cum commentariolo à nonnullis Doctoribus Catholicis confecto de rationibus, propter quas, considerato statu Germaniæ, illæ res permittendæ existimabantur. Idque ipsum post Ferdinandi obitum Maximilianus ejus successor prosecutus est: uterque tamen irrito conatu; ob summum periculum, quod ex ejusmodi privatis incertæ utilitatis concessionibus, omni proculdubiò universæ Ecclesiæ œconomia ac disciplinæ imminebat. Sicuti & constabat, concessionem Calicis à Paulo III. olim factam longè plus damni quàm commodi attulisse. Hoc addito, quod minimè expectandum esset, ut eâ re sectarij ad officium redirent; sed potiùs existimandum, hoc illis ad majora audenda animos facturum; & ab iis quæ æquitatis speciem in se habere viderentur ducto initio, per ea ad iniqua postulanda sibi gradum facturos. Cùm alioqui scribat, tamquam rem sibi probe de visu notam, Rescius [c] Polonus, in Germaniâ & Polonia tantam fuisse hujus calicis etiam in magnâ parte Catholicorum sitim, ut verba Christi *Bibite ex hoc omnes* aureis literis in suis Bibliis exprimerent, libris omnibus & Catechismis adjungerent, perpetuóque in omni congressu, templo, foro, choro, mensâ, curiâ, detonarent lepidas cantiunculas contra fures (ut vocabant) calicis: domibúsque etiam ejus, foribus, crateris, poculis imprimerent, & annos à restituto Calice in suis Annalibus inscriberent.

Principum de eo sensus.

Cæsaris. b Ext ap. Goldast. Const. Imp. tom. 2.

c Resc. de Sect. Evangel. verb. Calixt.

IV. Regis Hispaniæ.

Quod Concilium attinet; Philippus Rex, finem ei absque suo consensu impositum fuisse, non parùm ægrè ferens; in ratione ejus exequendi, & in promulgandis decretis, suâ potiùs auctoritate quàm Pontificiâ uti videri voluit non sine aliquâ Pontificis offensione: cujus tamen nullam publicè dedit significationem, quòd sciret non hæc Regem animo erga Concilium malevolo, sed ex indignatiunculâ brevi transiturâ facere: fortè etiam, sicut nonnullos haud abs re existimâsse videmus, ut minutæ Pontificiæ auctoritatis metu, Pium induceret ad adjudicandam sibi contra Regem Galliæ præcedentiam: quod tamen secùs ac speraverat contigisse, paulò pòst dicetur. Interim de Concilio graviùs in Galliâ actum: cùm Regij oratores quæcumque post ipsorum recessum circa reformationem gestum fuit, ita exacerbârunt, ut ex composito contra Galliæ jura, & regiam auctoritatem, concepta fuisse, ad excusandam forsitan suæ protestationis præcipitationem, persuadere sategerint: & verò adeò persuaserint, ut rebus subtiliùs & scrupulosiùs per singula ejus decreta discussis in tanta ingeniorum omnis generis diversitate, & continuis penè regni motibus, fuerint multa in severiorem sensum accepta: adeò ut eorum causa remanserit hactenùs Concilium in Galliâ sine publicâ promulgatione: quamvis non solùm non in decretis fidei ac doctrinæ ab hæreticis controversæ, ullum umquam fuerit objectum dubium; sed & ipsa decreta reformationis, tam ab Ecclesiasticis suscepta fuerint, quàm etiam (paucis quibusdam exceptis) singillatim regiis constitutionibus recepta; & per ministros regios executioni mandata.

Et Galliæ.

V. Legatio insignis ea de re ad Regem Carolum.

Ex his autem difficultatibus veriti Pontifex ac Principes Christiani, ne propter infirmam ætatem Rex Carolus, vel ejusmodi suasorum suggestionibus; vel Hugonotorum fraudibus deceptus; à recto fidei Catholicæ tramite, aut à Romanæ Ecclesiæ communicatione deflecteret; charitate erga eum moti, & consideratione ducti ingentis damni, quod universæ Ecclesiæ inde proventurum esset: miserunt ex compacto Pius Papa, Ferdinandus & Maximilianus Cæsares, (ipsos enim ambos Cæsares patrem filiúmque Belca-

[d] Belcar. lib. 30 § 26. Vid. Bellef. lib. 6. cap. 100.

[e] Camp. par. 2. dec. 4. l. 16.

rius [d] qui optimè scire potuit, ceteris adnumerat,) Philippus Rex Hispaniæ, & Philibertus Dux Sabaudiæ, legatos ad eum apud Fontembliaudum existentem ineunte Februario: (seu potiùs id commiserint suis apud Regem oratoribus; uti narrat Campana [e] in Vitâ Philippi Regis:) rogantes imprimis ut Concilij Tridentini nuper finiti decreta per universum regnum suum diligenter observari curaret; atque ut eorum lectioni, per delegatos à Concilio, Nancij Lotharingiæ die festo Incarnationis Dominicæ vigesimo quinto Martij faciendæ, interesse vellet, unà cum ceterorum omnium Principum oratoribus, qui eò pariter conventuri essent, & de extirpatione hæresum, ac publicæ tranquillitatis firmitate consilia inituri. Deinde, ut Rex alienationem bonorum ecclesiasticorum prohiberet: neque verò Philippum & Philibertum pecuniam suis uxoribus in dotem promissam sibi inde exolvi velle, ne veluti aurum Tolosanum sibi exitio esset. Tum, ut eos qui ecclesias expilâssent ac diruissent, & exteros in perniciem regni introduxissent, puniret. Adhæc, ut gratiam rebellibus ac seditiosis, læsæ divinæ majestatis reis, per edictum pacificationis factam revocaret; quippe non esset in Regis, aut cujusquam alterius Principis potestate, ejusmodi crimen remittere, sed Dei solius, qui læsus esset. Postremò, ut jus suum unicuique redderet; ac pro meritis in conscios necis Ducis Guisij animadverteret. Ad quæ omnia peragenda, iidem legati Principum suorum nomine omnem opem operámque polliciti sunt.

REGIS AD EAM RESPONSIO.

Rex autem, à matre, & Hospitalio Cancellario, quid responderet instructus; breviter respondit, gratias se Principibus habere pro tam salutaribus datis consiliis: sibi certum esse, secundùm antiquam religionem, cultúmque in Ecclesiâ Romanâ servatum vivere, & ut sui populi juxta illum vivant efficere: ad id se pacem fecisse, ut exteros regno pelleret: nec quid magis in votis habere, quàm ut jus æquum omnibus redderetur: de ceteris rogare ut se excusatum haberent, ob eas causas, quas scriptis per suos legatos mandaret, postquàm de re omni cum regij sanguinis Principibus, ac præcipuis sanctioris Consilij proceribus contulisset.

VI. CAROLI MOLINÆI IUDICIUM DE CONCILIO TRIDENT.

[f] Thuan. lib. 36.

Quòd autem mentio de Concilio Tridentino per regnum admittendo ab iis legatis facta fuisset; *Carolus Molinæus* Parisiensis, magni nominis Iurisconsultus, ac priscæ libertatis sublimis ostentator, consultationem [f] edidit, quâ ob multas causas Concilium nullum, vitio indictum, habitum, & terminatum contra antiqua Patrum decreta, regni Francici dignitatem ac libertatem, contendebat. Sed quia altum sapere, non ad sobrietatem, existimatus est; qui Religionis negotium Concilio decidendum relinqui debere censebant, ut par est, graviter offensi, pervicerunt in Senatu Parisiēsi, ut is tamquam malè de religione sentiens, & seditionis incentor, ignominiosè in carcerem conjiceretur. Ex quo tamen Regis jussu post aliquod tempus emissus est; sed eâ conditione, nequid ille imposterùm in vulgus edere injussu Regis posset. Fuerat idem ipse duodecim antè annis, ob penè similem causam, multùm exagitatus: videlicèt ob commentarium in edictum Henrici II. Regis, initio [g] belli Parmensis contra Parvas Datas Curiæ Romanæ editi, compositum; & epistolam ad Regem scriptam pro Romani Pontificis auctoritate convellendâ, & regiâ in Pontificiæ præjudicium asserendâ. Contra, quam, ut ipse jactanter scribit, Cardinales, Sorbonistæ, Senatus Parisiensis Parlamenteus, fiscales seu regales Procuratores & Advocati, multùm institerunt ut è libro ejus eraderetur: sed incassùm; quòd homo cervicosus, & arrogantiâ corruptus, abjecto tot ac tantorum virorum judicio & intercessione, maluerit, postquàm diù multúmque propterea exagitatus fuisset, in exilium abire in Germaniam, quàm eorum monitis obtemperare: cúmque iterùm rediisset juri publicè staturus, celeriùs rursùm fugere, atque in Germaniam sese proripere: unde postea à Connestabili Monmorantio revocatus fuit. Istiusmodi homines, dummodò possint Iosiæ & Ezechiæ Regum Iudæ, & Constantini, Iustiniani, Caroli Magni, Ludovici Pij, aliorúmque ejus generis inclytorum Regum, & Imperatorum exempla proferre, qui aliquas leges & constitutiones de rebus Ecclesiasticis ediderint; mox ea omnia tamquam solis Principibus debita, Pontificibus penitùs interdicta volunt; vix ut eis pro singulari beneficio relinquant, ut ceteris Episcopis pares esse possint: móxque unà cum ipsis, ceteros omnes Episcopos mancipia Principum constituant, ad id solummodò institutos ut eorum decreta executioni mandent: minimè considerantes, quantùm honoris & auctoritatis ijdem ipsi Principes Pontificibus & Episcopis tunc existentibus detulerint. Quis autem magis peccare censendus; an qui quæ Dei sunt Cæsari tribuunt, an verò qui quæ Cæsaris Deo? Habent profectò satis & Pontifices & Reges, quod gerant in officiis & muneribus suis, si justam rationem villicationis suæ reddere supremo domino velint, absque quòd sese alteri alterorum ministeriis immisceant. Quorum utrorumque munus & auctoritatem dum interpretaretur olim Sanctus Isidorus [h] scribebat, sub Religionis disciplinâ sæculi potestates subjectas esse: & quamvis culmine regni sint præditæ, vinculo tamen fidei teneri adstrictas, ut & fidem Christi suis legibus prædicent, & ipsam fidei prædicationem moribus bonis conservent: Principes sæculi nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenere, ut per eamdem potestatem, disciplinam Ecclesiasticam muniant: Ceterum intra Ecclesiam potestates necessarias non esse, nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sed hæc per transennam, non disputationis ergò.

[g] Supr. an. 1551.

[h] Isid. 3. Sent. 51.

VII. MOLINÆUS HÆRETICUS.

Quomodò verò excusari possit Molinæus, ut video ab aliquibus fieri, quin fuerit hæresi Calvinianæ addictus, equidem non video; si vel una epistola, ad Ioannam Reginam Navarræ, cujus se Magistrum libellorum supplicum nominat, (de quâ nullum extat dubium, quin tota extiterit eâ hæresi conferta) præfixa Primæ Parti Tractatûs de Origine, progressu, & excellentiâ Regni & Monarchiæ Francorū, & Coronæ Franciæ, scripta anno 1561. legatur

tur; quâ illam impensè laudat de Christianissimo & constantissimo zelo sanctissimi & vivifici Verbi Dei, quo omnes pios & timentes Deû ad se alliceret: séque ipsum pro defensione & propugnatione veritatis Verbi Dei, veræque Religionis, sub imminenti capitis & facultatum omnium periculo, desudâsse scribit. Vel denique illud consideraverit, quòd in Germaniâ, non ad Catholicos, sed ad Principes Protestantes abierit, quibus se à consiliis extitisse tradit. Unde & *Franciæ & Germaniæ Iurisconsultum* se indigitare consuevit. Legimus [i] tamen; quòd se quasi Hugonotorum fautorem in crimen vocari indignaretur, libellum supplicem aliquando Senatui obtulisse, quo petebat ut in eos anquireretur, & legibus ageretur, quòd specie religionis seditiones excitarent, & religionem regnúmque everterent. At sanè non id zelo religionis, sed œstro vindictæ, quòd ab iis maledictis incesseretur, ac palàm traduceretur, quoniam Confessionem Augustanam Genevensi & Helveticâ tolerabiliorem prædicaverat. Adeò ut, postquàm Germaniam adiit magis Confessionista, quàm Calvinista dicendus fuerit. Statuisséque, si vita suppetisset, contra Calvinistas scribere, Genebrardus [k] & alij tradunt sed morte præventum perficere non potuisse. Qui verò de hæresibus egerunt [l] ipso etiam Bucero in testimonium advocato, eumdem Molinæum accusant, quòd unà cum Ioviniano censuerit, Iesum nascentem adaperuisse vulvam Mariæ. Itémque scripsisse, errare Doctores Papisticos, dum urgent merita tum Incarnationis, tum Nativitatis, tum tentationum & afflictionum Christi: nihil enim hæc omnia prodesse nobis, sed solam mortem Christi, solam à Deo acceptatam pro expiatione nostrorum peccatorum, & jure vitæ æternæ. Ut jam ex Iurisconsulto etiam hæresiarcham habeamus. Quod planè ei non contigisset, si intra metas proverbij se continuisset, Ne sutor ultra crepidam. Nec mirum videri debeat, si tot existentibus ejus condemnationis causis, fuerit ejus nomen à Patribus Concilij Tridentini inter prohibitos auctores primæ classis collocatum. Quòd verò insuper, Petrum Romæ non fuisse, obstinatè defendisse reperiatur; hoc quidem ei cum multis aliis commune extitit, æquè hallucinantibus. Ne verò illum, sicut vivum, ita & mortuum omninò damnemus; tradit Massonus in ejus Elogio, ab eo sub mortem vocatos fuisse tres præcipuos Theologos, Claudium Espensæum, Curtium pastorem S. Andreæ in cujus parochiâ domicilium habebat, & Renatum Bonellum Collegij Plessæi præfectum, qui ei morienti adstiterunt. Ut spes sit, eum vel tunc resipuisse à suis erroribus, & in communione Ecclesiæ decessisse: cujus obitus contigit anno 1566. 28. Decembr. die SS. Innocentium, cùm esset major sexagenario. Atque de illo modò hactenùs.

[i] Thuan. lib. 38.

[k] Genebr. in Chronol. sub Pio V.

[l] Sander. hær. 219 Res. in Sect. Evangelic.

FUIT ETIAM HÆRESIARCHA.

AN RESIPUERIT.

VIII. DE CONIURATIONE REGIS HISPAN. CONTRA IOANNAM NAVARR.

Interserit hîc vir magnus [m] suis Historiis narrationem valdè incertam cujusdam secretæ conjurationis, à nonnullis proceribus Gallis Hugonotorum inimicis, contra Ioannam Reginam Navarræ cum Philippo Rege Hispaniæ, initæ, ad illam unà cum liberis Pali in Bearniâ intercipiendam, & coram Inquisitionis tribunali in Hispaniâ sistendam. Quæ fortè ea fuerint, quæ vidimus anno [n] superiori de rebus Ioannæ tractata. Potuit Philippus cupiditate possessionis regni Navarræ sibi firmandæ, fortè & zelo religionis, hujusmodi sollicitationi aures præbere. Sed quoniam multis vepribus & difficultatibus, vel potiùs impossibilitatibus, implexa est ejusmodi narratio; adeò ut vir ille magnus fidem ejus penes auctores à quibus eam accepit, esse velit; equidem illam potiùs inter nugas & commenta hæreticorum, contra Principes ac proceres Catholicos sibi adversantes excogitari consueta, collocandam censuerim. Quicquídque demùm de occultis ejusmodi consiliis fuerit; certum omninò est, nullum ab Hispaniâ conatum ei rei conficiendæ usquam hoc tempore apparuisse. Quem magis sub Pio V. timendum fuisse, intelligi datur ex iis quæ de eo dicentur inferiùs [o].

[m] Thuan. lib. 36.

[n] An. supr. LI.

[o] Inf. an. 1568. XXIV

IX. MUTATIO PRINCIPII ANNI IN GALL.

Certiora sunt alia, quæ idem auctor, aliíque, tam in Galliâ quàm aliis regnis & provinciis hoc eodem tempore peracta narrant. Et quod imprimis Galliam tangit, memoria dignum est, quòd cùm semper antè ad id usque temporis, in actis juridicis, aliísque publicis, notari consuevisset anni principium à die Paschæ; unde ob incertos & mobiles ejus celebritatis dies, magna confusio in decretis, & contractibus, ac præcipuè in conservanda rerum memoriâ, & gestis conscribendis, oriebatur: edicto cautum fuit, ut imposterùm anni initium, more Romano, à Calendis Ianuariis putaretur, & ita in omnibus actibus publicis, privatísque, servaretur. Rex autem, matris impulsu, de universo regno lustrando consilium cepit; tum ad notitiam regni sui accipiendam, tum ad audiendas querimonias populorum, & tollenda jurgia, quæ frequenter ex interpretatione edicti pacificationis inter Catholicos & Religionarios excitabantur: quamvis suspiciosissimis Religionariis magis creditum fuerit, iter hoc Reginam suasisse, ut specie invisendi filiam suam Reginam Hispaniæ Baionæ, secretiora ad eos perdendos consilia cum Philippi intimis agitaret. Quod & multis aliis persuasum adeò fuit, ut & scripto tradere non dubitaverint. Is tamen congressus, quamvis ante cœptum iter expetitus fuerit, non tamen factus est nisi quindecim pòst mensibus in reditu Lutetiam versùs.

X. REGIS PEREGRINATIO PER REGNUM.

Eorum autem quæ hoc anno eo itinere, mense Martio inchoato, gesta sunt, hæc est summa [p]. Tertio Idus Aprilis Trecis in Campaniâ pax inter Regem & Elisabetham Reginam Angliæ proclamata est, salvis utriusque partis juribus. Eodémque tempore antiquum fœdus cum Helvetiis renovatum, persolutâ grandi pecuniâ. Apud Barrum-Ducis Rex filium Caroli Lotharingiæ Ducis & Claudiæ sororis suæ sibi obvium, è sacro fonte suscepit unà cum Comite Mansfeldio nomine Regis Hispaniæ, & Christierna Danâ Caroli Ducis matre; nomine ei Henrici indito. Lugduni arcem, ne iterùm urbs à seditiosis occuparetur, exædificari & muniri præcepit: aliásque per regnum munitiones, superioris belli tempore fabricatas, quò pax ab omnibus sine ullius periculi metu coleretur, destrui, ac præcipuè Aureliæ, (ubi tamen postmodùm novam ar-

[p] Belcar. lib. 30. Bellefor. lib. 6. cap. 101. Thuan. l. 36.

cem construi voluit) Montalbani, Valentiæ. Edixit etiam, ne in comitatu, neque etiam in locis, per quos Rex transiret, in quibus alioqui ritus suos exercendi facultas Religionariis esset, quamdiù Rex ibi esset, aut ullis regiis ædibus, conciones habere possent. Ibidémque Lugduni, atque inde digressus, Russilione Turnoniorum in Delphinatu, de tumultibus sanguineis apud Crevantum agri Augustodunensis, & Turonibus, aliísque locis subindéque in Aquitaniâ, inter Catholicos & Religionarios excitatis, querelas utrimque accepit designavítque qui de re inquirerent.

XI. EDICTUM RUSSILIONENSE.

Russilione verò edictum condidit pridie Nonas Augusti; quo studium conservandæ pacis præfatus, ambigua quædam priorum edictorum explicavit; ita ut quod nobilibus sectariis religionis suæ publicè exercendæ facultatem faciebat, id ipsis nobilibus, eorúmque familiis ac subditis dumtaxat, concessum dixerit; negatum verò quibuscumque aliis; pœnâ perduellionis in nobiles, alios admittentes additâ. Interdictum item, ne Religionarij conventus ullos specie Synodi uspiam agerent, nec pecunias viritim, aut alio ullo modo exigerent, corporis pœnâ propositâ. Adhæc sancitum, ut qui superiorum bellorum tempore, aut etiam post pacatos motus, eierato religiosæ castitatis voto nuptias contraxissent, ad pristinam vitam reverti cogerentur; aut perpetuo exilio mulctati, intra duorum mensium spatium regni finibus excederent; pœnâ remigij viris, carceris perpetui feminis indictâ. Quo edicto multùm superioribus detrahi, fremebant Religionarij: & Condeus absens eâ de re expostulationem misit: Rex verò timens ne se longiùs absente Religionarij aliquid molirentur, benignè respondit, subesse causas gravissimas cur sic faceret, quas & ipsum Condeum probaturum confideret: sícque præterea se existimare, numquam venisse Condeo in mentem, ut regiam voluntatem pro arbitrio moderari vellet. Deinde Rex Delphinatu peragrato, Provinciam ingressus est: & Avenione exquisitâ magnificentiâ à Cardinale Armeniaco Collegato, (Legationem enim Cardinalis Borbonius à Pontifice acceperat, cedente Cardinale Farnesio) aliísque Pontificis præfectis, exceptus; Massiliæ egregiis navalibus spectaculis, à Militibus Hospitalariis [q] exhibitis, præcipuè delectatus est.

[q] Bos. Hist. Hospital. part. 3. lib. 23. in fi.

XII. EXPEDITIO AFRICANA HISPANORUM.

Appulerant enim fortè eò tunc illorum triremes, redeuntes ab expeditione Africanâ; quam Philippus Rex, post conservatum fortiter anno superiori à ferâ barbarorum obsidione, Oranum maritimum Africæ oppidum, magnâ potentiâ susceperat ad expugnandam munitissimam arcem Pignonis Velesij, Latinis Penolium dictam, quæ aliàs à Christianis capta fuerat, rursùm à barbaris occupata; unde gravissima & frequentissima damna Hispaniæ inferebantur quæ velociùs capta est à Garsiâ Toletano classis præfecto, quàm speratum fuerat, Nonis Septembris, ob tacitam fugam præsidiariorum. Ea verò omnia exactè descripsit, ut solet, Iacobus Bosius [r] in Historia Hospitalariorum; qui numquam non ad ejusmodi expeditiones vocari consueverant, ob Militum virtutem, & triremium Ordinis habilitatem. Eâque occasione duo alia attingit, breviter hîc commemoranda. Alterum de præcedentiâ seu prærogativâ triremium illius Religionis supra illas Ducis Sabaudiæ & Reipublicæ Genuensis, aliásque omnes non regias: quod tum aliàs sæpè judicatum, tum hujus expeditionis narratione diligentiùs explicat. Alterum de fatuâ quorumdam religiosorum Mahometanorum, in ea parte Africæ studio Legis suæ operam dantium hallucinatione: qui cùm jactarent invenisse se quamdam prophetiam, quæ promitteret Mauris totius Hispaniæ recuperationem absque ullis armis, sed solâ vi certorum exorcismorum, & suffumigationum super ardentes prunas ab ipsis faciendarum, quarum virtute portæ urbium spontè aperirentur; adeò hoc persuaserint ingenti numero barbarorum, ut in unum collecti rem experiri voluerint in proximo Africæ oppido Mililiâ ab Hispanis possesso. Cujus consilij certior factus oppidi præfectus Petrus Vanegas, ut eorum ineptiæ illuderet, suis in armis constitutis, finxerit ad vanas inermium barbarorum suffumigationes portas urbis apertas esse; iis verò apertis, quingentos eorum ingredi siverit; reliquos demissâ portæ cataractâ excluserit, factâ bombardis & sclopetis ingenti eorum strage: qui autem ingressi essent, eos in servitutem redegerit.

[r] Id. lib. 22. & 23.

XIII. HIEMS INTENSISSIMA.

Ceterùm Rex Carolus post visitatam Provinciam, ingressus Septimaniam, visis Nemauso, Montepessulano, & Biterris, Narbonam venit ad finem anni; hieme post hominum memoriam, tempestatibus, gelu, nivibus, asperrimâ; ita ut fluvij duos integros menses curribus & quadrigis quantumcumque onustis pervij fuerint, multis viatoribus aures naréfque gelu perustæ deciderint. Quod idem per universum orbem invaluisse, singularum nationum historici testantur.

XIV. CONTROVERSIA DE PRÆCEDENTIA RENOVATUR ROMÆ.

Iam ut Romam revertamur; inter sedulam operam, quam vidimus à Pio Papâ positam in promovendâ decretorum Concilij executione, haud parva eum anxietas tenuit ob renovatam à Ludovico Requesenio Commendatore Majore Castellæ, Regis Hispaniæ penes se oratore, controversiam de præcedentiâ contra oratorem Regis Galliæ; quam Rex Philippus Tridenti penè Regi Galliæ æquatus, vehementer urgebat; ac nihilominus Pius Henrico Clutinio Oisellio oratori Gallo, jus Caroli sui Regis constantissimè defendenti, promiserat se locum ei suum in festo Pentecostes servaturum; cùm interim ut hæc certamina vitaret, ab aliquo tempore diem de die ducens, rariùs publicas cæremonias indixisset, hinc Philippo ægrè facere fugiens, illinc nonnisi manifestâ injuriâ contra Carolum pronunciare valens. Ad extremum, pridie Pentecostes advocatis in consilium novem Cardinalibus, Francisco videlicèt Pisano Veneto & Collegij principe, Friderico Cæsio Romano, Ioanne Morono Mediolanensi, Alexandro Farnesio Romano, Io. Bapt. Cicadâ S. Clementis Genuensi, Philiberto Burdisierâ Gallo, Carolo Borromæo Mediolanensi, Hippolyto Ferrariensi, & Vitellocio Vitellio Tifernate, de ratione quâ Hispano satisfieret; propositis duobus compositionis modis, uno ex Hispaniâ allato, ut locus daretur infra Diaconum Cardinalem ad sinistrum latus Pontificis se-

dentem: (solent enim oratores laici infra Diaconum dextri lateris ad murum stare:) altero Romæ excogitato, ut sederet super scabello in capite subsellij ceterorum Cardinalium Diaconorum paulò interiùs: utroque à Cardinalibus, examinato, primus honoratior visus est quàm ut Hispano concederetur à Gallo, quippe certum esset, primum locum à sinistrâ digniorem esse secundo à dextrâ: (primus enim à dextra locus erat oratoris Cæsarei:) adeóque secundus modus tolerabilior videbatur. Sed nec ille tollebat difficultates, ex syrmatis, seu caudæ vestis Pontificiæ gestatione, & aquæ ad abluendas manus porrectione, quæ officia à dignioribus præstantur, orituras; itémque in pacis osculo, & thuris suffumigatione accipiendâ. Verùm syrmatis & aquæ difficultate tum non premente, eò quod non nisi quando Pontifex Pontificalia solemniter operatur, adhiberi soleant, & in Pentecoste celebraturus non esset; de thure & pace inveniebatur temperamentum, ut darentur primùm omnibus Oratoribus à dextrâ parte, etiámque Florentino, qui erat postremus, tum deinde Hispano à sinistrâ. At istud Gallo non satisfaciebat, dicenti Papam suum locum sibi promisisse, & Hispanum aut non venturum, aut infra se staturum; & nisi ita fieret, abiturum se, & Galliam ab obedientiâ Sedis Apostolicæ recessuram. Cùm verò nec etiam Hispano postrema conditio placeret, qui omninò aut primus ad sinistrum latus, aut secundus ad dextrum post oratores Cæsareos ante Gallum prætendebat; tunc demùm Pius ei significari fecit; constitutum sibi esse locum dare oratori Gallo.

Pontifex eam Gallo servat.

XV. Hispani protestatio ad Pontificem.

Quo audito Hispanus (erat is suprà dictus Ludovicus Requesenius Commendator major Castellæ) de licentiâ Papæ introductus à Cardinalibus qui cum ipso jussu Papæ egerant, in cameram ejus secretam, cum tribus quatuórve testibus; flexis genibus legit protestationem, quâ contestabatur, Regem Hispaniæ præcedere debere Regem Galliæ, tum propter antiquitatem, potentiam, & amplitudinem Hispaniæ, propterque aliorum regnorum multitudinem quorum ratione maximus & potentissimus esset omnium Regum totius orbis; tum etiam quòd in ejus ditionibus strenuè defenderetur & conservaretur fides Catholica & Ecclesia Romana: quapropter si Papa declarare vellet, aut jam declarâsset, verbo aut scripto in Regis Galliæ favorem contumeliam manifestam & injustitiam facere. Adeóque se nomine sui Regis, cuicumque declarationi de præcedentiâ, aut æqualitate in Galli favorem factæ aut faciendæ contradicere; atque eam nullam & invalidam dicere, contra jus notorium Regis Catholici: & si jam facta esset, nullam item & injustam esse, utpotè sine cognitione causæ, & adversæ partis citatione; immò Papam hoc facto gravibus per totum orbem Christianum incommodis causam præbiturum. Quibus videas quò processisset Hispanorum præsumptio; ut qui antehàc in Concilio Tridentino cuncta subvertissent, ut daretur eis tantummodò æqualitas cum Gallis, sensim eò venerint ut etiam præcedentiam vellent. Sanè prudenter scripsit qui dixit [s]:

Principiis obsta; serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Ceterùm Requesenij ferocitati respondit Pontifex absque ullâ commotione, admissâ protestatione & si in quantum; séque prudenter excusans de citatione omissâ: & judicij formis non servatis, quoniam Gallis nihil dabat novi, sed tantùm conservabat eis locum quem semper viderat tenuisse post Oratores Cæsareos: offerens tamen, si quidem vellet Requesenius, commissurum se causam Collegio Cardinalium, aut Rotæ Auditoribus: amare enim se Regem Catholicum, impertiturúmque ei omnem favorem possibilem. Ad quæ cùm regereret orator, Sanctitatem ejus se privâsse libertate faciendi rem gratam Regi suo; post tantam ei injuriam illatam; respondit Papa, non sua causâ, sed ipsius oratoris: & beneficia quæ ipse Papa in Regem contulisset, non meruisse ut ejusmodi protestatio sibi fieret ab ejus oratore.

XVI. Rei gestæ examen.

Ita rem gestam refert Polanus; malè tamen collocans anno superiori durante Concilio. Quam prolixiùs descripsit, qui adstitit, ejúsque pars magna fuit, idem Vitellius Cardinalis; unde putamus Polanum exscripsisse. Vitellij autem relationem legimus apud Iacobum Valdesium Doctorem Hispanum, in commentario [t] De Dignitate Regum Hispaniæ. Qui modestissimus scilicèt homo, summæ arrogantiæ (quâ, ut ait, maximè nituntur Galli) Papirium Massonum arguit, quòd scribere sit ausus in Vitâ Pij IV. cum Pontificem in contentione de primo loco inter oratores Gallum & Hispanum, quâ Hispanus primum sibi tribuendum contendebat, & Gallus Hispanum æqualem respuebat; laudato more majorum (hæc enim verba sunt Massoni) priorem Gallicæ genti assignâsse, prudentérque litem illam diremisse, veritum nequid novi inter Gallos & gentem illam exoriretur. Si arrogantiæ est, verè narrare quod factum est, quo vocabulo nominabimus ei petulanter obluctari? Erat tunc Romæ Onuphrius Panvinius accuratus scriptor, ut omnes nôrunt, & quæ fierent certò sciens, propriísque oculis cernens. Scribit is in Vitâ Pij disertis verbis; controversiâ de honoratiori in consessibus publicis loco, inter oratores Gallum & Hispanum diù ante Francisci Vargæ operâ excitatâ, Pontificem post longas tergiversationes summum Gallo locum assignâsse; cùm de concordiæ formâ multùm consuluisset, nec ullam reperisset: quippe Hispanus superiorem consessum Gallo negaret, Gallus Hispanum æqualem recusaret: ob eam rem Ludovicum Requesenium Hispanum oratorem irritatum, post contestationem Regis sui nomine Pontifici factam; quam Pontifex suscepit, & judicium pollicitus est, Româ abiisse. Ita Onuphrius, breviùs referens quæ diffusiùs Cardinalis Vitellius. Sed Valdesio Onuphrius Gallorum studiosus auctor est. Scribit idem alius quidam Mediolanensis auctor, cujus nomen non exprimit: sed & ipse eâdem arrogantiâ, qua Massonus. Scribit etiam Mambrinus Roseus Fabrianensis Italus in Supplemento ad Historiam Tarcagnotæ. Declarátque idipsum Ioannes Baptista Hadrianius [u] Florentinus. Sed omnes isti animo & regione finitimi Gallis, & ab Hispanis remoti,

[s] Ovid. de rem. amor. lib. 1.

[t] Valdes. cap. 3.

[u] Hadl. 13.

Galliarúmque studiosissimi sunt. Denique scripsit idem Antonius Herrera [x] Hispanus, & Chronographus major Regis Catholici: sed non rectè. Hæc enim sunt censoria acumina Valdesij, in oppugnationem auctorum, quos judicium Pij Papæ referre ipsemet testatur. Quod nihilominùs agnoscens etiam Ciacconius in Vitis Pontificum, seu qui Appendicem ad eum apposuit Cabrera, expresse item scribit, Pium prætulisse Gallum Hispano, & superiorem locum habere jussisse. Idque ipsum disertissimè Cæsar Campana [y] in Vitâ ipsiusmet Philippi Regis, asserens cupivisse quidem manifestè Pium in hoc satisfacere Philippo, sed rerum conditione, & causæ justitiâ, retentum fuisse, haud æquum existimantem possessione dimovere quemquam absque ratione.

[x] Herrer. Hist. gener. lib. 10 cap. 16.

[y] Campp. r. 2. lib. 15. dec. 4.

XVII. An vere res judicata fuerit.

Refert autem alia nonnulla in contrarium argumenta Valdesius; sed illa ejusmodi, ut si legantur ab hominibus affectu privato vacuis, proculdubiò ad ejus commiserationem motura eos sint. Sed quid agas, cùm validiora non habuerit? Contendit autem omninò non fuisse hanc litis diremptionem, nec vocari posse sententiam definitivam, quia non lata fuit servatis juris formulis, ordinéque judiciario, ideóque controversiam, adhuc superesse: allato testimonio Natalis [z] Comitis, qui scribit, hanc non legitimam sententiam cuiquam videri posse, sed amicam quamdam & paternam potiùs Pij compositionem, tamquam inter filios dissidentes. Fuit sanè amica & paterna tractatio, quamdiù spes fuit compositionis; sed ea sublatâ, annon Pontifex rem clarè atque disertè Gallo adjudicavit? Id enim omnes affirmant. Hóccine verò est componere? Sit sanè; sed in favorem possidentis, & repulsam prætendentis. Quid aliud quærunt Galli? Denique compositio quæsita est ab indulgente patre ratione filij Hispani, turbantis ordinem receptissimum, non ratione Galli, nihil novi aut alieni postulantis. Ideóque ut habet Natalis, quòd in his superbè se gereret Hispanus, & compositionem à Pontifice de loco humiliori & contractiori ad Cardinalium Diaconorum subsellia ei assignando, ac pace & thurificatione post ceteros oratores ei dandâ, constitutam floccifaceret; coactus fuit Pontifex declarare, se ei concedere voluisse humanitatis causâ quod dignitas & jura antiqua non possent obtinere: quare si locum eum nollet, abiret ut luberet. At, ut aiunt non fuit hæc sententia judicialis. Ecquid ejusmodi judicio opus erat, ubi compositio tantummodò in gratiam Hispani quærebatur? Possidebat Gallus, vim inferebat Hispanus: pronunciavit Pontifex, Possideret Gallus uti possidebat: prohibuit vim ei ab Hispano fieri; (quâcumque tandem de causâ id factum fuerit; sive ne exacerbati Galli ab obedientiâ Sedis Apostolicæ recederent; sive ob superbiam oratoris Hispani; seu denique ex propensione Pij in Gallos, ut Hispani comminiscuntur:) quam aliam solemniorem formulam quæras in ejusmodi controversiâ? Quinimmò disertè testatur Vitellius in suâ relatione; quando Hispanus de geniculis legebat suam protestationem, sedisse Pontificem, & assedisse Cardinales capite tecto: ad exprimendum videlicèt consensum juridicum, & absolutam confirmationem sententiæ jam à se latæ in conservationem juris Galli. Denique annon acquievit Hispanus? protestationem quidem virulentam admodùm fecit iracundissimo animo, & cum non parvâ offensione Pontificis & Cardinalium qui aderant: cur verò non etiam ab eo tempore rem judicialiter prosecuti sunt, sive apud successores Pontifices, sive apud Cardinales, aut Rotæ Auditores, quibus tunc Pius rem se commissurum obtulit; nisi quòd optimè nôrunt, causâ se casuros apud quoscùmque æquos Iudices? malúntque in prædicatione suarum prætentionum permanere, & quietam possessionem Gallis dimittere, quàm rem ulteriùs experiri, quâ ceciderint ubicumque ea aliquando agitata fuit. Tradunt [zz] tamen, mortuo Pio IV. (cujus reliquo Pontificatus tempore nullus orator Hispanus Romæ fuit) restituto sub Pio V. oratore, impetratum fuisse à Pontifice diploma, ne noceret Hispanorum juri vitatio concursûs cum oratore Gallo, nec ista Pij IV. declaratio. Non noceat sanè, dum Gallis sua possessio remaneat; uti hactenùs fecit. Quod verò Natalem attinet, qui ubertim de hac apud Pium quæstione controversâ agit; refert ille quidem multiplices rationes hinc inde pro juribus utriusque partis allatas sed ita ut de Hispanicis certiùs instructus, (quippe sollicitiori gente ad res suas ostentandas atque divendendas) post illas diligentiùs expositas, addat, iis æquè validas rationes à Gallis, si non superiores, allatas fuisse; quas cùm non potuisset assequi ut cupiebat, maluerit silentio involvere, quàm imperfectas ad alios transmittere. Sed de his modò hactenùs: quæ allata à nobis fuêre non tam in gratiam gentis nostræ, aut Hispaniæ exagitationem, quàm in necessariam explicationem rei apud Pium gestæ; cujus omnes penè historici meminerunt, nec tamen omnes eam examinârunt; quamvis sit nemo, qui non honorem Gallo delatum agnoscat.

[z] Natal. lib. 14. in fi.

[zz] Valdes. ibid.

XVIII. Controversia Benedictinorum deciditur.

Deciderat pauló antè idem Pontifex longè antiquiorem controversiam; quæ licèt non tanti momenti ut hæc Regum esset, non minori tamen ardore, (ut sunt Regulares & Monachi prærogativarum suarum ac jurium retinentissimi & studiosissimi) agitata fuerat à centum & ampliùs retrò annis inter Congregationem Lateranensem Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini; & Cassinensem, aliàs S. Iustinæ, Monachorum S. Benedicti. Quam ita decidit [a] die 18. Ianuarij, ut in processionibus & omnibus aliis actibus publicis & privatis, Abbates, prælati, & canonici regulares, uti clerici in lineâ veste incedentes, præcedant & præponantur Benedictinis: Abbates verò utriusque Ordinis, singulariter & in propriis personis accepti, in Conciliis, & aliis quibuscumque actibus, in quibus votum habent, inter sese juxta antiquiorem eorum ad Abbatias promotionem præcedant ac præferantur.

[a] Bullar. vet. edit. const. 95. recent. 75. Vid. Pennot. in Hist. Canon. regul. lib. 2. cap. 71.

XXIX. Græcorum in Sicilia errores.

Et ut reliqua ejusdem decreta ad res Ecclesiasticas pertinentia, quæ hoc anno promulgavit, absolvamus; cùm in Siciliâ citra & ultra Pharũ, & aliis civitatibus & locis, magna Græcorum esset multitudo, qui Ecclesiæ Græcæ mores & ritus observantes, séque suos proprios Prelatos ejusdem nationis habere dicen-

tes, quibus ex indulgentiâ Apostolicæ Sedis subessent, non autem Episcopis Latinis locorum Ordinariis; impunitate sibi propositâ, in diversas hæreticas nefariásque opiniones passim prolaberentur; quibus Purgatorium, Romani Pontificis in Græcos auctoritatem, Indulgentiarum ab ipso concessarum, & censurarum latarum valorem, Sanctissimæ Virginis, Apostolorum, aliorúmque Sanctorum festivitatum observationem negabant; sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suis infantibus in baptismo exhibebant; cadavera defunctorum superstitione quâdam impiâ è sepulcris eruentes, igne comburebant, Ordinariorum visitationes, jurisdictionémque detrectabant; hísque aliísque sacrilegis opinionibus Latinos inficerent: Pius Pontifex ejusmodi scandalis providere studens; constitutione [b] die 16. Februarij editâ, omnes illorum Græcorum exeptiones, respectu Ordinariorum revocans, cunctos tam laïcos quàm cujuscumque generis aut dignitatis Ecclesiasticos & monachos Ordinariis Latinis subjecit in omnibus quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, animarum curam, hæresúmque extirpationem concernerent; reliquis ipsorum Græcorum in divinis celebrandis, aliísque ritibus à Sede Apostolicâ approbatis, intactis remanentibus.

[b] Ibid. rec. edit. const. 74.

XX. VARIÆ SODALITATES INSTITUTÆ.

Sanctam quoque ac saluberrimam Sodalitatem, sub vocabulo nominis Iesu, in Burgensi, & pluribus aliis Hispaniæ civitatibus, aliísque locis, institutam, cujus partes potissimùm essent, diligenter cavere, ne vel ipsi Sodales, vel alij coram ipsis aliquo modo, nisi ob causam gravissimam, jurarent; confirmavit [c], & indulgentiis ac privilegiis auxit. Quam quidem originem & ortum habuisse ab Ordine Prædicatorum, ex aliâ constitutione [d] Pij V. intelligitur, quâ illam, *Societatem nominis Dei*, sive *Iuramentorum* vocat: statuítque, ut quoniam illa instituta & aucta fuisset ab eodem Ordine Prædicatorum, non possit ullibi institui, nisi in eorum Ecclesiis, ubi fuerint, vel de eorum superiorum licentiâ, in aliis locis ubi ipsi domos non habuerint. Aliam quoque Sodalitatem, sub invocatione *XII. Apostolorum* nuper Romæ institutam in Ecclesiâ eorumdem XII. Apostolorum Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, pro decentiori sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti veneratione, ac pro subventione egenorum mendicare erubescentium, vel aliàs oppressorum; confirmavit [e], & pariter privilegiis & indulgentiis munivit. At posteà hæc Confraternitas, retentâ sibi solorum pauperum & egenorum curâ, quam diligentissimè exercet, aliam partem venerationis sanctissimi Sacramenti cessit Sodalitati Corporis Christi, à Paulo [f] III. olim erectæ in Ecclesiâ Beatæ Mariæ super Minervam Ordinis Prædicatorum.

[c] Ibid. const. 78.

[d] Pij V. const. 130.

[e] Pij IV. const. 90.

[f] Paul. III. const. 20.

XXI. CONJURATIO IN PIUM DETECTA, ET PUNITA.

Hæc autem, & alia piè constituentem Pium, deliri aliquot factâ conjuratione de medio auferre moliti sunt: qui detecti, indici impunitate datâ, à carnifice necati sunt: ut breviter Onuphrius in ejus Vitâ tradit. Quod alij [g] pluribus tractantes, narrant ducem conjurationis fuisse Benedictum Accoltium, Accoltij olim Cardinalis filium; qui unà cum aliis quibusdam ære alieno oppressis; nec satis sanæ mentis, prædæ spe, & emendationis Ecclesiæ obtentu, audax facinus Pium perimendi susceperat, dum publicè daret audientiam, simulatione porrigendi libellum supplicem. Aiebat siquidem, Pium non verum Pontificem esse: eóque sublato alium Angelicum suffectum iri, qui etiam totius orbis Imperator futurus esset, sub quo Ecclesiæ concordia castigatis erroribus sarciretur. Nec de nihilo hâc in re, quòd Accoltius fuisse aliquamdiù Genevæ insimulatus sit. Erat enim illic schola sicariorum: cujus maximus doctor Beza, qui Poltrotium ad idipsum erga Ducem Guisium patrandum promissione paradisi induxerat. Ceterùm cùm semel iterúmque oblatâ occasione animus Accoltio defuisset, natâ inde inter conjuratos dissensione, ab uno eorum res patefacta est; omnésque capti tormentis subjecti fuêre: nec tamen ullis vel suppliciis, vel promissis induci potuêre ut consiliorum rationes & auctores aliquos proferrent: nisi quòd Accoltius ab Angelo se suasum fuisse dicebat; qui & inter mortis tormenta semper ridens conspectus est.

[g] Natal. lib. 14. Thuan. 36.

XXII. COLLOQUIUM MAULBRUNENSE HÆRETICOR.

Hoc eodem anno mense Aprilis inter Lutheranos & Zuinglianos, sive Calvinistas, celebratum est in Germaniâ *Colloquium* in monasterio *Maulbrunensi*, quod sex milliaribus Spirâ distat, situmque est in ditione Wirtembergicâ: cui interfuerunt Dux ipse Vvirtembergicus Christophorus, & Fridericus Elector Palatinus, cum octonis utrimq; selectis viris, quinis videlicèt Theologis, binis politicis, & singulis notariis; ad viam quamdam indagandam ineundæ concordiæ in dissensione Cœnæ Domini. Vvirtembergici Lutherani erant, quorum præcipui Theologi Ioannes Brentius & Iacobus Andreæ Schmidelinus: Palatinorum Zuinglianorum præcipui Theologi Petrus Boquinus Biturix Gallus monachus apostata, & Zacharias Ursinus Vvratislaviésis Silesius. Notarij insignes inter suos, Guillelmus Xylander Græcæ linguæ professor pro Zuinglianis; Lucas Osiander concionator pro Lutheranis. Res grandi apparatu, & grandiori expectatione instituta, abiit ut sæpè sempérque aliàs in fumum, quo sese invicem denigrârunt. Duravit Colloquium à 10. Aprilis usque ad 17. quo cessavit, Principibus inde profectis ob alia negotia, ut prætexuerunt; sed, ut puto, tædio affectis jurgiorum quæ inter suos magis ac magis exardescere conspiciebant; & conviciorum quibus sese invicem inter blasphemas de re sacrâ voces impetebant. Quippe factum est, ut Colloquium, quod causâ concordiæ institutum fuerat, majoris dissidij occasionem præbuerit. Fueréque ingentia ab utrâque parte edita de hoc Colloquio Germanicâ linguâ volumina; quibus universo orbi testatum fecerunt, quâ se invicem benevolentiâ complecterentur. Et Vvirtembergico quidem Brentius Latinam epistolam præfixit, quâ inter cetera insignem impudentiam & vanitatem Palatinis impingit. Contrà verò Palatini scriptum Vvirtembergensium mendacij crebrò insimulant, atque prolixè confutant. Sed quoniam longum esset ipsorum contentiones recensere, hoc tantùm addimus quod

de Calvinistis ibi tunc Lutherani testati sunt: nempè quòd Calvinistæ se ab ipsis pro fratribus agnitos scriberent, id tam impudenter tantâque vanitate ab iis confictum esse, ut eorum impudentiam satis ipsi mirari nequirent: Se verò, sicut locum iis in Ecclesiâ nullum concederent, ita pro fratribus minimè agnoscere, quos spiritu mendacij agitari deprehenderent, & in Filium Dei contumeliosos esse.

XXIII. Præcipua erat, ut diximus, controversia de Cœnâ Domini, seu sacratissima Eucharistiâ. In quâ Boquinus cum suis, tam corporalem Christi præsentiam, quàm quòd ab impiis sumerêtur pernegabat: (quippe qui etiam doceret Christum non esse pro omnibus, aut omnium peccatis mortuum, sed tantùm pro fidelibus & piis.) Contrà Brentiani, unà cum pane & vino adesse substantialiter & realiter Corpus & Sanguinem Domini; & nedum à bonis, verùm etiam à malis ore percepi. Sudatúmque plurimùm est à Schmidelino, ut etiam persuaderet Christi Corpus, perinde ac divinitatem, non modò in Cœnâ, sed etiam locis omnibus & ubique præsens adesse. Fuit enim ille ejus sententiæ acerrimus propugnator; cujus primum auctorem multò antè *Brentium* factum esse volunt: qui [h] cùm Transubstantiationis doctrinam ferre non posset, & tamen veram Christi præsentiam in Eucharistiâ constitueret: modum præsentiæ talem excogitavit, ut diceret Corpus Christi post ascensionem in cœlum, esse ubique per unionem personalem. Quo factum est ut Brentiani vulgò *Vbiquetij*, seu UBIQUITARII nuncupentur. Qui tamen non solùm post ascensionem, quod primum dixit Bretius; sed ab ipsâ Incarnatione, corpore ubique fuisse sicuti & divinitate, posteà asseruerunt, ita ut Christi corpus per unionem ad Verbum, semper re ipsâ & de facto sit ubique, nec possit redigi ad unum locum, non magis quàm divinitas. Adeò ut necesse sit asserere, cùm Ierosolymæ pateretur, & Cruci suspensus penderet, & in sepulcro positus esset, etiam Romæ, Athenis, in cœlo, in inferno, in mari, in omnibus ubique locis mortuum & vivum extitisse: ac proinde semper in omnibus iisdem locis, in cunctis lapidibus, lignis, herbis, omni denique re existere. Quam fatuitatem, magis quàm opinionem, non solùm Catholici, sed etiam è ceteris Lutheranis & Calvinistis permulti confutárunt [i]. Quod autem olim Zuinglius eamdem de præsente ubique humanitate Christi blasphemiam affingere Catholicis non erubuit; id calumniosissimè factum est: quippe non dicunt Catholici, esse Christi corpus ubique ex sua naturâ, uti est divinitas ubique per suam naturam, sed esse simul pluribus locis, iis auctoritatibus & rationibus fulti, quas pluribus explicant.

ORIGO UBIQUITATIS CORPOR. CHRISTI.

[h] *Sander. hær.* 205.

[i] *Vid. Resc. de Sect. verb.* Vbique. *Bellarm. Christ. lib.* 3. *Florim. de orig. hær. lib.* 2. *cap.* 14. *Prateol. verb* Brent.

XXIV. ALII BRENTII ERRORES.

Docuit verò præterea Brentius, (patriâ fuit Suevus, & ex canonico Wittembergensi & sacerdote factus apostata, & uxoratus) quòd licèt originale peccatum per baptismum dimittatur, non omne tamen peccatum deleatur, remanente videlicèt adhuc concupiscentiâ, seu carnis rebellione, quam verè peccatum in se esse vult, etsi non imputetur à Deo. Item, Evangelicam Legem non habere propriam verâ atque Legis rationem; sed esse tantummodò lætam annunciationem de Filio Dei, quòd ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum. Et quod ei impegit Bullingerus Zuinglianus, sensit Infernum quidem esse, sed negavit locum esse. Sic enim dum unusquisque sibi de doctrinâ religionis judicium arrogat; dum arbitratu suo scripturas interpretatur; dum nihil in eis difficile aut obscurum esse persuasum habet; dum præter eas nihil recipi, ac traditiones Patrum rejici debere censet; dum Ecclesiam neque videri, neque verè cognosci posse credit; ita ut cuique cœtui liberum sit Ecclesiæ nomen & auctoritatem sibi vindicare: ex his capitibus, quæ omnibus hæresibus sunt communia, nata sunt tot errorum portenta, quæ CHRISTI Ecclesiam à tanto tempore perturbárunt: contendentibus etiam inter sese summâ æmulatione hæresiarchis, quis quem supplantare possit, & imperium suum cum ceterorum ruinâ dilatare.

XXV. CALVINI MORS. Quam artem cùm longo tempore permissus esset *Ioannes Calvinus*, grandi & luctuosissimo universo terrarum orbi successu, exercere; hoc anno ad reddẽdam rationem villicationis suæ vocatus, postquàm totum septennium variis & gravissimis morbis à misericordissimo Deo ad pœnitentiam invitatus fuisset, obduratus in impœnitentiâ fœdum tandem spiritum exhalavit die 27. Maij in sui Imperij metropoli Genevâ, anno ætatis 55. non solido. Cujus obitum discipulus ejus Beza longâ verbositate describens, hos etiam acutissimos morbos eum patientissimè tolerâsse scribit, & in Dei laudibus quietissimè animam efflâsse. Sed illa ei tam in his quàm aliis quæ de eo memoriæ in ipsius Vitâ mandavit, fides habenda est, quæ testibus eorumdem criminum reis haberi consuevit. Si verò nec de transitu credere quis velit Hieronymo Bolseco, ejus olim discipulo, sed ad fidem Catholicam reduci, aut Iacobo Laingeo Scoto; cùm scriptum reliquerunt, eum intolerabilibus doloribus oppressum dæmones invocantem, dejerantem, execrantem, vitæ suæ diras imprecantem, ac suis studiis & scriptis maledicentem, denique ex suis ulceribus intolerabilem fœtorem emittentem, in locum suum descendisse: nec omnia quæ de illius vitâ & moribus scripsêre fide digni auctores, Franciscus Balduinus Iurisconsultus, ejus item olim discipulus & domesticus, Claudius Sanctesius, Ioannes Vetus, Guillelmus Lindanus, Stanislaus Hosius, Florimundus Ræmundus, Gabriel Prateolus, Stanislaus Rescius, alij quamplurimi viri pij & docti: Audiamus saltem moderatissimum & temperatissimum in omnibus suis scriptis, nec nisi quæ optimè nôsset scribere scium, Papirium Massonum Iurisconsultum Parisiensem, in ejusdem Calvini breviori Vitâ, quam & ipse post ceteros attingere voluit; dum postquàm de ejus scriptis dixit, scripsisse eum nec pauciora, nec minùs benè quàm segregum quemquam si numerum, si acumen, si dictionem, si brevitatem, si aculeos, si emphasim, si argutias spectare volumus; de moribus addit, iracundum adeò fuisse, ut Bucerus, etsi amicus, familiari epistolâ eum castigaturus canem rabidum vocârit, & scriptorem maledicendi studio infectum: judicare eum de hominibus, prout amaret; vel odisse, prout liberet[l]: Melancthon præfractam ejus, ut loquebatur, morositatem

Ejus MORES.

Vituperaverit: Geneuéses inter jocos dicerent, malle se apud inferos cum Bezâ esse, (qui videlicèt suis scurrilitatibus, & festivis jocis, eos in mediis flammis exhilarâsset) quàm apud superos cum Calvino. Vindictæ appetentem & sanguinarium fuisse: mordacem in scribendo & dicendo: Ad omnem simplicis animi figuram compositum, texisse intùs latentem superbiam & philautiam: Itaque non immeritò Balduinum (qui silentium ei imposuit seni, immenso ipsius dolore) dixisse, collegas ejus conqueri solitos de ipsius intolerabili arrogantiâ, & incredibili fastu: Nemini imparem, aut secundum haberi voluisse: nec verò parem ferre potuisse, nec imparem nisi obsequentem pati. Demúmque ita Vitam ejus claudit, ut asserat, eum qui Calvinum labem & perniciem dixerit, nihil mentiturum esse: Tantum enim malorum intulisse in patriam, ut cunabila ejus meritò detestari atque odisse omnes debeant. Idémque [k] in Vitis Pontificum Romanorum, Viperam eum & Scorpium appellans, ait pudere se fateri hoc monstrum in Galliâ natum: multúmque debere Galliam anno 1564. quo portentum illud extinctum est. Sepultum porrò sine pompâ, magno licèt comitatu, in cœmeterio communi, nullóque addito cippo, uti mandaverat, Beza tradit, qui aderat. Diversas verò ab eo denominatas sectas Rescius enumerat, *Calvinomastigas*, *Calvinopapistas Calvinistas Pacificos*, *Calvinistas Causarios*, *Calvinistas Liberos*; quarum descriptionem & differentias apud eum videre liceat.

[k] Masson. in Pio IV.

XXVI. Bezæ Caliphatus.

Ejus loco Caliphatum sectæ obtinuit idem Theodorus Beza; de cujus facinorosâ vitâ, crudelissimo genio, impiis blasphemiis, dictum sæpè superiùs. Víxque ullus hæresiarcharum est, in quem adeò vehementer scriptores Catholici, quinimmò & alij hæretici Lutherani, invecti sint, atque in hunc, ut vocant, Atheum, mente Lucianum, manu Neronem, Epicurum tricipitem infernalem; & alia ejusmodi plurima, quorum aliquam partem videre est collectam apud Prateolum & Riscium in catalogis Hæresum; præter Vitam ejus, à Balduino diligenter discussam; & à Bolseco diligentiùs descriptam. Qui tamen non ita Calvino suo adhæsit, ut non etiam in aliquibus ab eo dissensisse reperiatur, quantùm ad manducationem carnis, & deitatem Christi. Quinimmò & nomen sibi facere volens, ut inter Hæresiarchas connumeraretur; & *Bezanos* [l], seu verius Vesanos haberet sectatores: omnipotentiam Dei in constituendo substantialiter uno corpore pluribus locis eodem tempore, apertè negavit: pro reprobis orandum esse in hoc mundo inficiatus est: electos nullo peccato mortali contaminari, reprobos nullo veniali, asseruit: omnipotentem Deum esse negavit, nisi peccati impulsor sit atque operator, non tantum permissor: (quod quidem fuit etiam dogma Calvini, nempè ut sit Deus auctor peccati, sed non id sumptum ex defectu omnipotentiæ Dei, sed ex alio [m] principio) capitalem se hostem exhibuit honoris Beatiss. Virginis, & Sanctorum: sacris Conciliis satanam præsedisse, non S. Spiritum, dixit; & alia ejusmodi: de quibus modò satis.

[l] Prateol. Resc. Gault. in Catal. hæret. verb. Beza.

Ejus hæreses.

[m] Vid. Gaulter. in sect. Calvin. error. 19.

De Georgio Cassandro, ejúsque scriptis.

Germanicæ verò tranquillitatis in materiâ religionis solicitus Ferdinandus Cæsar, cum audisset de *Georgio Cassandro* Brugensi Belgâ, virum esse doctrinâ conspicuum, & componendarum controversiarum studiosum; hoc anno, 22. Maij, literas ad eum Duisburgi in Cliviâ tunc existentem dedit: quibus rogavit ad se quamprimum Viennam accedere, ad opus magni momenti, quod haberet præ manibus ad gloriam Dei & salutem Germaniæ pertinens. Scripserat enim Cassander ante aliqout annos libellum, *De Officio pij viri in hoc Ecclesiæ dissidio*, qui multis utriusque partis probatus fuerat; quamvis nec adeò Catholicis, omnis in religione compositionis inimicis acceptus; multóque minus hæreticis; quòd eorum damnaret novitates, & agendi modos. Adeò ut virulentissimus Calvinus, existimans eum compositum fuisse à Francisco Balduino, quem ipse vehementissimè oderat, (quippe liber absque nomine auctoris prodierat, & Balduinus illum primus in Galliam avexerat) arrepto calamo, auctorem librúmque miris modis proscidit. A cujus criminationibus se Cassander, ac veteres Traditiones, Patrúmque auctoritatem, prolixiori apologiâ vindicavit. Cum igitur hunc Cassandrum, multis etiam aliis scriptis Ecclesiasticis clarum, Ferdinandus Cæsar ad se invitâsset; is morbum excusans, aliis ejusdem Cæsaris 15. Iulij rogatus est domi id conficere, propter quod vocabatur: videlicèt compilare summarium doctrinæ Catholicæ, in quo præter antiqua & indubitata fidei Catholicæ dogmata in Confessione Augustana comprehensa, quæ semper fuissent extra controversiam posita, explicarentur omnes illi articuli dictæ Cófessionis, qui vel jam inter eruditos utriusque partis ad concordiam essent deducti, vel pro constituendâ unitate adhuc possent salvâ veritate Catholicâ concedi; subditis rationibus, propter quas in reliquis Ecclesia cedere non posset: Ita ut ejusmodi summarium esset quasi methodus quædam, ad quam parochi & concionatores doctrinam suam tanquam ad regulam dirigerent. Sic enim bonus Princeps, præcipuo pacis in Ecclesiâ Germanicâ constituendæ studio ductus, non omninò attendit quid ageret, dum ab unius hominis privati judicio pendere voluit fidem & salutem omnium suorum populorum. Fecit porrò quod jussus fuerat Cassander, in modum Consultationis super singulis Confessionis Augustanæ articulis: quam ad Maximilianum Ferdinandi filium ac successorem, mortuo interim Ferdinando, misit: id tamen prudenter in fine contestatus, haud se in eâ judicis aut disceptatoris personam assumpsisse sibi, sed ut in deliberationibus fieri consuevit, rogatum sententiam, quid sibi videretur ingenuè exposuisse, meliori sententiæ haud illibenter concessurum. Quæ tamen ejus Consultatio non solum non alicujus roboris fuit; verum etiam ipse, quòd tam in his, quàm etiam in aliis quæ de rebus religionis controversis scripsit, nimis præsumpserit, & à recto Ecclesiæ tramite non parum deflexerit, in Catalogo librorum prohibitorum positus est inter auctores primæ classis; quorum scilicèt omnia scripta prohibita sint, quamquàm multa utilia in iis reperiantur. Ceterum fuit hic ultimus, ut putamus, ejus partus: qui biennio pòst, nem-

pe 3.Nonas Februarij anni 1566. mortuus est Coloniæ inter Catholicos,arthritidis doloribus confectus, anno ætatis 52.& in Ecclesiâ Franciscanorum ante summum altare cùm honorifico elogio sepultus.

XXVIII. FRIDER. STAPHYLI OBITUS.

Præsenti verò,tertióque Nonas Martij,mortuus est Ingolstadij,anno ætatis suæ 51.*Fridericus Staphylus*, qui decem annis Luthero adhæserat; posteàque ad Ecclesiam Catholicam reversus, & Ferdinando Cæs. factus à consiliis, adversus Lutherum scribere exorsus est vehementer: & ad fidem Catholicam se rediisse profitetur,cum aliis de causis, tum quia se præsente anno fermè ante obitum idem Lutherus tentatâ dæmonis ab energumenâ expulsione, (quod suo loco [n] retulimus) non modò non potuisset ullis exorcismis illum ejicere, verùm in illummet exiliisset dæmon, atque egregiè excepisset. Fuit autem Staphylus Græcè Latinéque doctus, & hæreticorum mysteria novit ad unguem: quæ cùm in publicum ad omnium notitiam diversis scriptis proferre cœpisset, morte præventus perficere non potuit.

[n] Supr.an. 1545.XI. LUTHETUS MALE A DÆMONE HABETUR.

XXIX. FERDINANDI CÆSARIS OBITUS.

Quod autem diximus de obitu *Ferdinandi* Cæsaris;contigit [o] is hoc eodem anno,ab obscura primùm febre; quâ paulatim vehementiore factâ oppressus, accedente aquâ intercutè, mortuus est demùm placidissimè Viennæ Austriæ die 25.Iulij,celebritati S.Iacobi dicato: ad quem se perventurum, eóque moriturum, multò antè prædixerat, ex revelatione divinâ sibi factâ: ut quemadmodum Sanctus ille Apostolus peregrinus apud Hispanos fuerat, ita ipse Infans Hispaniarum extra solum natale cum eo peregrinaretur. Dicebat lubenti animo se mundum deserere, nec mortem recusare: quòd si majores ipsius mortui non fuissent, per numerum tot superstitum successorum, se ruricolam aut pastorem fortè futurum fuisse: atque idcirco se suis loco cessurum,ut dignitatem obtinerent æquam, dum per Deum Domui Austriæ liceret. Vixit annos sexaginta, menses novem,& aliquot dies, imperavit annos septem, delatus ad sepulturam Pragam Boëmiæ, ad monumentum conjugis Annæ: ex quâ quindecim liberos sustulit, mares quatuor, & fœminas undecim. Princeps multis virtutibus ornatus;imprimísque pietate in Deum, & studio pacis Ecclesiæ & Imperij, clementiâ, mansuetudine, & liberalitate. Laudatus post mortem elegatissimis orationibus funebribus; in Italiâ, à Ioanne Baptistâ Pignâ Alfonsi Ferrariensis Ducis Secretario; & Ioanne Baptistâ Hadriano Florentino,in præsentiâ suorum Ducum;in Hungariâ, à Francisco Forgatz Episcopo Varadiensi, Ioanne Sambuco Medicinæ Doctore; & aliis alibi. Estque prætereà egregium ejusdem adhuc in vivis existentis, encomium Augerij [p] Busbequij, redeuntis anno 1562. à legatione Turcicâ, quam aliquot annis ejus nomine gesserat. Ferunt [q] autem, sub obitum indoluisse Maximiliani filij in religione dissidium,& alterius filij Ferdinandi dispar conjugium; quippe iste Philippinæ Velseræ Vindeliciæ amoribus usque adeò ardenter indulgebat, ut eam legitimæ uxoris loco habere diceretur: Maximilianus eò tempore Lutheranas Sebastiani Fauseri ad populum conciones nonnunquam audiebat: quas tamen mox, meliora amplexus consilia,sincerâ mente repudiavit. Qui autem jam Rex Romanorum, ut vidimus, electus fuerat, post patris obitum solus Imperium tenuit; rexítque tredecim annis magnâ prudentiæ & æquitatis laude, *Maximilianus* ejus nominis Secundus, idémque Rex Hungariæ & Boëmiæ, Archidúxque Austriæ; ceteris ditionibus inter fratres divisis.

[o] Schard. Epit. Rer. gest. sub Ferdin.

[p] Busbeq. ep.4.de leg Turc.

[q] Isthuanff. Hist. Hung. lib.21.in fi.

MAXIMILIANUS III. succedit.

XXX. EDITIO SYRIACA NOVI TESTAM.

Ferdinandi Cancellarij, *Alberti Vidmanstadij* opus fuit,prima [r] edito Novi Testamenti Syriaci: quod Guido Fabricius Boderianus in Latinum transtulit; fuítque regiæ editioni Bibliorum adtextum. Probat autem uterque multis argumentis [f], Evangelium S.Matthæi & Epistolam S.Pauli ad Hebræos, Syriacâ linguâ fuisse conscripta, quinimmò & totum Novum Testamentum è Græco in Syriacum fuisse versum à S.Marco Evangelistâ,ipsi Syri arbitrantur: quod tamen non recipitur; cùm vel saltem Evangelium Ioannis, ejúsque Epistolæ, aliæque non paucæ post obitum Marci exaratæ noscantur.

[r] Supr.an. 1553.XVIII. [f] Vid.Bellarm. de Verb. Dei lib.2.c.4.

XXXI. REGINÆ SCOTIÆ NUPTIÆ SECUNDÆ.

Hoc eodem anno Maria Regina Scotiæ, de matrimonio à multis externis Principibus sollicitata, & intra regnum suum variis modis agitata à fratre notho Iacobo Comite Moravio, & aliis proceribus hæreticis, qui rempublicam pro arbitrio administrabant; demùm multis consentientibus, aliis conniventibus, nonnullis dissentientibus, nisi fieret de consensu Reginæ Angliæ, cùm qua fœdus inierant pro conservatione hęresis,cui timebant à Rege Catholico; quibusdam etiam dictitantibus non licere Reginæ maritum sumere absque publico Comitiorum consensu; nupsit illa quarto Calendas Augusti *Henrico* Stuarto Darlæo, Matthæi Stuarti Lenoxij sive Leviniæ Comitis & Margaritæ Douglassiæ filio, juveni viginti duorum circiter annorum, eleganti forma,& religione Catholico, atque ex regio sanguine prognato, quem illa nuper unà cum patre ab exilio, in quod fuerant olim à factiosis pulsi, revocaverat, & Ducem Rothesiæ ac Rossiæ Comitem creaverat. Factísque nuptiis, iidem Reges publicè proclamati sunt. Insurgentibus verò mox adversus illos seditiosis unà cum Moravio,ipsi collectâ fideliorum manu brevî rebelles dissipârunt; qui in Angliam profugerunt. Quæ præsenti anno gesta, longè gravissimas post se traxerunt calamitates; de quibus agetur deinceps. Rerùm verò narrationem ita suis commentis corrumpit Buchananus, ut præter illa quæ modò breviter retulimus, & certum aliunde testimonium habent, nihil ampliùs apud eum reperias, cui fidem præstare possis; ut potè hominem omni fide, tum proborum virorum consensu, tum etiam regia [t] auctoritate, indignum.

[t] Vid. sup. an.1539.VII.

XXXII. MICHAEL ANG.BONAROTÆ OBITUS.

Mortuus item hoc anno Romæ *Michael-Angelus Bonarota* Florentinus, anno ætatis nonagesimo: præstantissimus post priscos Græcos picturæ,statuariæ,& architecturæ artifex. Fuit ei initio cum *Raphaële Vrbinate* pictore famosissimo æmulatio; sed mortuo in ætatis flore Raphaële,Michaël lógævæ ætatis beneficio facilè principatum in præstantissimis illis artibus adeptus est, & ad mortem

Comparatio Picturæ et Sculpturæ.

usque tenuit; plerisque ejus industriæ admiratoribus, raris æmulis aut imitatoribus relictis. Audivimus autem; cùm aliquando inter ingenia agitata fuisset quæstio, Utrane pictura an sculptura esset præstantior? multis in utramque partem dictis sententiis, rogatum, qui utriusque erat peritissimus, Michaëlem, sciscitatum illum, meliórne superficies esset an corpus, respondentibus præstare corpus, dixisse tantumdem & sculpturam picturæ. Ceterùm ei defuncto tantum honorem Cosmus Dux Florentiæ, qui summè iis artibus delectabatur, habuit, ut ejus corpus Româ Florentiam transferri curaverit, ut in patriâ sepeliretur. Quod summâ pompâ peractum, deducentibus funus octoginta præstantissimis artificibus ad S. Laurentij ædem; ubi à Benedicto Varchio publicè laudatus & conditus est: uti pluribus hæc traduntur in ejus Vitâ, quam Georgius Vasarius Aretinus, excellens, & ipse pictor, & architectus, diligenter perscripsit; enumeratis etiam ejus operibus.

Iesu Christi Annus 1565.

Pii IV. Ann. 6.

Maximiliani II. Ann. 1.

I. Dissidium inter Cardin. Guis. et Maresscal. Monmorant.

Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, Indictione octavâ, mense Ianuario, fuit [a] nonihil tumultuationis Lutetiæ Parisiorum, ex adventu Cardinalis Guisij cum aliquot armatis; quem Marescallus Monmorantius Lutetiæ & Insulæ Franciæ præses impedire voluit, quòd non liceret per edicta arma ferre. Habuerat à Rege Cardinalis facultatem infidis Galliæ temporibus aliquot armatos secum habendi in suî custodiam; & Marescallus eam non ignorabat; sed quòd graviter à Guisiis dissideret, volebat specie præfecturæ id sibi honoris à Cardinale exhiberi, ut eam ostenderet. Ingressus est nihilominùs Cardinalis; sed non sine vitæ periculo, & nonnullorum cæde in medio vico Dionysiano. Et in eo ita se gessit Monmorantius, ut à Condeo objurgatus sit quòd honestum excessisset, ab Admiralio quòd parciùs egisset: ita erant contrariis geniis & ingeniis. Certior de re factus Rex in Aquitaniâ, in suum reditum controversiam rejecit; atque interim nequid ulteriùs attentaretur severè prohibuit, cui obtemperatum est; præter quàm quòd scriptis injuriosis utrimque publicatis, stylo actum est quod gladio non licuit: donec & huic certamini Senatus Parisiensis auctoritatem suam interposuit, quòd res abiret in libellos famosos, & tranquillitatis publicæ perturbationem. Ipsos verò Cardinalem & Monmorantium Rex anno sequenti in conventu Moliniensi mutuò reconciliavit; dicente Cardinale haud se id egisse in contemptum auctoritatis præfecti regij; Monmorantio, nec se animo Cardinalem injuriâ afficiendi, sed regiæ auctoritatis tuendæ.

[a] Belcar. lib. 30 Thuan. lib. 37. Bellefor. lib. 6 cap. 101. Vanderhaër. lib. 1. de Init. tumult. Belg.

II. Iesuitarum causa agitatur in Senatu Paris.

Haud multò pòst, dum Rex longè abesset, ibidem Parisiis in Senatu magnâ contentione Societatis Iesu causa agitata fuit, libello à Sociis mense Februario Senatui oblato, quo liberam sibi erudiendæ juventutis facultatem, quam à Rege obtinuerant, jámque post multas superatas intercedentium difficultates exercere non parvo applausu cœperant, petebant contra nova impedimenta à Rectore Academiæ opposita; quæ Carolus etiam Molinæus asperâ de more adversus eos, eorúmque institutum, consultatione roboraverat. Re frequenti Senatu agitatâ; pro Iesuitis Petro Versorio, pro Academiâ Stephano Pasquiero, magni nominis patronis, perorantibus. Post quos Baptista Menilius, vir ingenio & probitate clarus, Cognitoris sive Procuratori regij partes sustinens, increpitâ primum patronorum utrimque acerbitate, deinde de periculo in novorum Ordinum admissione, non solùm quantum ad religionem, sed etiam quantum ad civilem administrationem, disserens; tandem contra Iesuitas peroravit. Causâ biduum integrum agitatâ, Senatus prudentissimè ac providentissimè, tam futuri securitate, quàm odio hæreticorum, quibus debellandis Iesuitas aptissimos esse sciebat, de negotio ampliùs deliberandum censuit; libertate interim Iesuitis concessâ publicè ludum aperiendi, & juventutis erudiendæ; facto decreto Nonis Aprilis. Nullus fuit umquam Ordo inter cunctas Religiosorum sodalitates, qui plures passus sit per universum orbem controversias & oppugnationes, nec qui gloriosiùs eas ubique superaverit. A' Domino proculdubiò factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Veréque possumus ac confidenter de eo dicere, nullum esse in Ecclesiâ utiliorem, dum contineantur privati Socij ut sapiant ad sobrietatem.

Ordinis utilitas.

III. Receptio Regis Burdegalæ.

Intereà Rex Carolus iter suum prosecutus, Narbone, Carcassonam, & inde Tolosam appulit. Unde Burdegalam progressus, ubi majori quàm ullo alio loco pompâ exceptus fuit quinto Idus Aprilis. Estque inter cetera memoriâ dignum, quòd obviam facti fuerint trecenti equites armati, ducentes duodecim exteras nationes captivas; videlicèt Græcos, Turcos, Arabas, Ægyptios, Taprobanios, Indos, Canarienses, Mauros, Æthiopas, Silvestres, Americanos, & Brasilios: quorum duces orationem habuêre, quisque suâ peculiari linguâ, quas singulas interpres qui aderat Gallicè exposuit Regi. Quod cùm referatur à Belleforestio [b], & Favino [c], qui se tabulam in quâ id repræsentatum esset vidisse Burdegalæ testatur: miramur Lurbeum & Darnalium Burdegalenses id in suæ civitatis historiâ prætermisisse. Ceterùm præsentiâ Regis factum [d] est, ut quæ jam anteà ad importunas sectariorum ejus urbis expostulationes, concessisset eis certa capita, quæ licèt non tanti viderentur esse momenti, (exceptâ admissione ad publica munia) nunquam tamen ut in Senatu promulgarentur, intercedente cognitore regio, urbano magistratu, & ædilibus, (ita erant omnes non solùm doctrinæ Catholicæ, sed etiam singulorum rituum Ecclesiasticorum retinentissimi) obtineri potuisset: tandem post adventum Regis, ut mandatorum ejus rationem Senatus habuisse videretur, non quidem in Curiâ, sed à Præto-

[b] Bellef. lib. 6. c. 102.
[c] Favin Hist. Navar. lib. 14.
[d] Thuan. lib. 37.

re Aquitaniæ promulgarentur; novo prorsùs more, quò minor esset promulgationis auctoritas.

IV. BAIONÆ QUID ACTUM.

Baionam inde progressus, ad fines utriusque regni, sororem Elisabetham Reginam Catholicam summo honore & apparatu excepit, Baionámque deduxit. Ubi dum conviviis, spectaculis, hastiludiis, choreis, aliísque ejusmodi voluptariis exercitiis opera daretur, (quæ immensâ facta fuisse impensâ dicuntur, ùt potentia Gallica genti Hispanæ superbæ & ostentationis plenæ contrariâ vanitate ostentaretur) tradunt Religionarij, genus hominum sicut novarum semper molitionum cogitantissimum, ita in ceteros suspicacissimum, Reginam-matrem cum Duce Albano, qui cum Catholicâ venerat, & plena mandata à suo Rege habebat, sermones in occulto contulisse; quibus de sententiâ & instigatione Pontificis, sacrum fœdus inter duos Reges sancitum fuerit, religioni Catholicæ sartæ tactæ conservandæ, & hæresi evertendæ, atque Pontificiæ auctoritati asserendæ: sive id conclusum ita iis colloquiis fuerit, (ut etiam aliis persuasum fuisse, anno superiori [e] diximus) sive Rligionarij commenti sint, ut eo prætextu, quod fecerunt, arma secretò pararent, & pòst palàm exercerent, missis interim frequentibus in Angliam, Germaniam, Flandriam nunciis, ad socios commonefaciendos, & ad rem egregiè præstandam animandos. Baionâ Rex digressus, ceteris peragratis provinciis, multis ubique Religionariorum querimoniis & expostulationibus oppressus, demùm ad finem anni Molinium Boiorum, sive Borboniorum oppidum, ad hiberna concessit; indicto in annum sequentem Notabilium, ut vocant, hoc est, virorum primariorum conventu, ad deliberandum de iis quæ peregrinatione suâ remedio indigere comperisset.

[e] An. super. IX.

V. INITIUM TURBARUM BELGIJ.

Quod diximus de cœptis in Belgio factionibus; solicitatæ eæ dicuntur à Religionariis Gallis, cùm ad propagandùm regnum suæ hæresis, tum ad avertenda à se auxilia Hispanica, quæ priori bello valdè sibi noxia senserant; dum occupatus Rex Philippus extinguendo igni domûs suæ, non posset alieno attendere. Itaque illarum partium Novatores, qui jam multum numero creverant, satis à naturâ, absque hujusmodi hæresis facibus, ad seditionum ac rebellionum incendia proclives; ad colorem aliquem illi quam meditabantur dandum, multis etiam Catholicis specie tuendæ libertatis assentientibus, Philippo supplices per missos Catholicos fuerunt, ut severa placita de religione à Carolo V. ipsius patre statuta, quæ tam eo nomine, quàm etiam plausibiliori acceptionis Concilij Tridentini, severiùs exercebantur; revocaret: novos Episcopos, quos in Belgio ad id tantùm ut per eos Inquisitio Hispanica introduceretur, creatos dicebant, aboleret: Antonium Cardinalem Granvellanum, Archiepiscopum Mechliniensem, cujus consiliis Margarita Parmensis, Belgij procuratrix à Philippo fratre constituta, rempublicam administrare jussa fuerat, hominem; ut ipsi accusabant, acerbissimum, atque omni Inqusitione duriorem, cujus fastus & arrogantia intolerabilis esset, è gubernaculis removeret; & quæcumque præsidia Hispanica in Belgio essent educeret: ut ipsi antiquæ libertati restituti, fidam ipsi, non secùs ac Carolò patri operam & obsequium præstarent. Has petitiones facile erat videre non aliò spectare, quàm ut absota libertas conscientiæ, quam Galli armis à suo Rege extorserant etiam ipsis à Philippo concederetur: quod nisi faceret, excusati ipsi viderentur, si ut se ab Inquisitione Hispanicâ tutarentur, exemplum sequerentur Neapolitanorum & Mediolanensium, qui eâdem de causâ tot tumultus excitâssent, ut Rex coactus fuisset ab ejus introducendæ consilio desistere. Eos autem cùm aliquamdiù Rex vanâ spe lactâsset, considerans tamen posteà, siquid semel indulsisset, illos quotidie nova postulaturos, quinimmò & quæ postularent, ad subversionem tendere & religionis Catholicæ & obedientiæ sibi debitæ: primùm omninò jussit, ut Concilium Tridentinum, quod sanus quisque & de religione benè sentiens citra flagitium recusare non posse videretur, & decreta paterna, sive titulo Inquisitionis, sive alio quocumque, religiosè servarentur: deinde cùm contra ista fœdus, tuendæ libertatis obtentu, ictum ab iis fuisset, armis eos ad obsequium redigere statuit, de quibus dicetur annis sequentibus. Quæ autem breviter attigimus, cùm multi [f] pleniùs referant, nemo tamen est, qui uberiùs dilucidiúsque, atque etiam elegantiùs descripserit, Florentino Vander Haër in opere De Initiis Tumultuum Belgicorum; quod posteà dicavit Alexandro Farnesio Parmæ Duci Belgij Præfecto.

[f] Vid. an. seq. XXI. in fi.

VI. BELLUM TRANSILVANICUM.

Intereà contigit hoc eodem anno felix expeditio Lazari Schuendij nobilis Suevi, pro Maximiliano Imp. contra Ioannem Sigismundum Transilvaniæ Principem, seseque etiam Hungariæ Regem indigitantem, qui favore Turcorum, sub quorum clientela vivebat, ditiones Maximiliani invaserat, susceptâ; miráque celeritate confecta, capto Tockaio munitissimo oppido, aliísque multis Trāsilvaniæ: quâ totâ pulsurus videbatur Ioannem, nisi Solimanus Turcorum Imperator, qui primùm decernens præstò Ioanni esse, deinde mutato consilio vires suas contra Melitam insulam convertit, missâ pro pace inter Maximilianum & Ioannem sancienda legatione, prosperum victoriæ cursum impedisset.

VII. OBSIDIO INSULÆ MELITENSIS PER TURCOS.

Hic enim est annus famosissimæ obsidionis Insulæ Melitensis, à Turcis ingenti conatu factæ, & à Militibus Hospitalariis ingentiori virtute propulsatæ. Quæ quamvis rerum gestarum præstantiâ, præ ceteris dignissima sit publicis monumentis; quoniam tamen illam multi celebres auctores, aut peculiaribus commentariis descripsisse, aut suis historiis inseruisse reperiantur, satis nobis fuerit aliquos indicare, & rerum summam hîc recensere. Qui ergo Latinè rem volunt, habent inter ceteros, Hieronymi Comitis Alexandrini, Uberti Folietæ Genuensis, Cælij Secundi Curionis, & Ioannis Antonij Viperani, proprios & accuratos commentarios; ac Natalis Comitis, Laurentij Surij, & Iacobi-Augusti Thuani collectiones ex iisdem & aliis auctoribus, Historiis suis universalibus

Ejus SCRIPTORES.

intextas. Qui Italicè, Ioan. Bapt. Hadrianium; ac præcipuè diligentissimum Iacobum Bosium, quem omnibus omnium linguarum, exactâ singularum rerum narratione, facilè prætulerim: quippe qui totis undecim libris præclarissimæ Historiæ suæ Ierosolymitanæ, ita per singula momenta res gestas describat, & omnium ac singulorum Militum Religionis, aliorúmque nobilium virorum cujuscumque nationis, generis, & conditionis, qui interfuerunt, nominatim enumeret, ut nihil addi à quoquam posse videatur: cùm ipse quæ scripsit non solùm ab iis acceperit qui aderant, ac præcipuè à fratre suo Io. Othone Bosio Commendatore Ordinis, & posteà Vicecancellario; verùm etiam alios evolverit, qui de eodem bello scripserunt; inter quos Anton. Franciscum Cirneum Corsum numerat, qui copiosissimè rem tractavit, & Ulloam, ac Historiam Ioannitarum. Qui verò Gallicè rem volunt, Petrum Gentilem Vindocinensem habent, qui proprio commentario eam tractavit: necnon P. Boissatum, & Ioannem Balduinum in Historiis illius Ordinis; & Arturum Thomam in Turcicâ, ut alios omittam, qui vel iisdem linguis, vel fortè etiam aliis, eamdem rem egerunt: præter Leunclavium, & Schardium, & alios infinitos, qui breviùs retulerunt.

VIII. Causæ obsidionis suscipiendæ.

Cùm aures Solimani Turcorum Imperatoris continuè personarent vocibus quiritantium de Militibus Hospitalariis S. Ioannis, quòd continuis excursionibus infestam Asiæ & Africæ oram facerent; & toto mari discursantes ita grassarentur, ut nulla uspiam navigatio libera, nulla commercia secura; nec demùm sacra ipsa peregrinatio Mechana tuta esset; denique nulla fieret ab Hispano perpetuo Othomanorum hoste contra Turcicum imperium machinatio, cujus non Melitenses aut auctores essent, aut præcipui auxiliatores: captâ autem eorum insulâ, non solùm cuncta ea pericula cessatura, verùm etiam ex tam opportuno loco Siciliam, Italiam, Hispaniam, omnia circa Christianorum maria infestari, ac comeatu maritimo intercludi posse: His tandem persuasus Solimanus, statuens insulam aggredi, ingentes colligere cœpit copias terrestres & maritimas; tacito tamen loco, in quem pararentur; cùm non deessent ex præcipuis Bassis & consiliariis, qui belli apparatum aliò transferri multis rationibus censerent. Unde suspensis omnium animis; cùm singuli rebus suis consulere quærerent, factum est ut Melitenses, quamvis tempestatem in se concitatam, ex nunciis, speculatoribus, & literis, ex diversis Orientis locis scriptis intelligerent; non tamen adeò rerum necessariarum, aut militum satis paratum haberent, vel ob inopiam ærarij, vel quòd *Ioannes Valeta Parisotus* Magnus Ordinis Magister à Philippo Rege, cui in omnibus bellis navalibus operam Religionis & studium fidelissimè semper & diligentissimè præstitisset, cujúsque maximè interesat ad tutamentum Siciliæ, & Italiæ, ipsiúsque Hispaniæ, & Africanæ oræ à se possessæ, Melitam conservari, auxilia expectaret: quæ Garsias Toletanus Siciliæ prorex, & præfectus maris, solemni sponsione promisit per totum mensem Iunij; nec tamen adeò præstitit: per cujus cunctationes non stetit, quin res deperdita fuerit. Verùm quò minor fuit in providendo, & subveniendo cura, eò maior in obsistendo divinitùs accepta virtus Equitum Religionis enituit.

IX. Ducis expeditionis Turcicæ.

Quarto Calendas Aprilis classis Turcica Constantinopoli solvens, præcipuum ducem habuit Mustapham Solimani propinquum, ad hoc ex Hungariâ, cujus præfecturam gerebat, evocatum; hominem prudentissimum & experientissimum, jam quidem septuagenario majorem, sed adhuc robustum, & in imperando acrem; quem Solimanus universæ expeditioni, speciatim terrestribus copiis præfecit: maris autem præfectum constituit Pialim Bassam, natione Hungarum, fidei Christianæ desertorem, qui paucis antè annis classem Christianorum ad insulam Meningem fuderat; duxerátque unam è filiabus Selimi filij & successoris Solimani, natum hoc tempore annos dumtaxat. 35. Fuerunt autem armatorum omnis generis 30. circiter, aut qui plus habent quadraginta millia. Naves Constantinopoli profectæ omnis generis circiter ducentæ: præter milites & naves quæ pòst accesserunt ex Africâ unà cum Dragute pro sultano Tripolitano, & Chasane Algerij Rege, famosi illius Barbarossæ filio; & ex Ægypto; cum Luciali Calabro fidei desertore. Tormentorum verò & bombardarum communium, aliarúmque extraordinariæ magnitudinis ingens fuit numerus: reliqua instrumenta bellica copiosissima: denique annona in sex menses, ad alenda octoginta hominum millia; quot fuisse dicuntur cum classiariis, nautis, remigibus, & aliis id genus hominibus. In insulâ verò fuêre numerati, Equitum, Servientium, ut vocant, & Religiosorum omnium Linguarum, quingenti: milites, classiarij, stipendiarij, ex Galliâ, Italiâ, Hispaniâ, ac Melitenses armis apti, in universum circiter octo mille, qui distributi fuêre per oppida & arces Insulæ: qui verò perspectioris essent virtutis, in Burgo oppido, & arcibus S. Hermetis; seu ut vocant Elmi, S. Angeli, & S. Michaëlis, in quibusdam terræ lingulis ad portum sitis, in quas omnis vis belli incubuit; collocati fuêre. Venit autem in conspectum Insulæ classis Turcica die 15. Cal. Iunij. Quâ visâ, confestim Magister Valeta per nuncios expeditos Garsiæ proregi Siciliæ ejus adventum significavit, promissorum memorem faciens, necnon Pio Pontifici, à quo pariter auxilia poposcit. Sicuti & à Carolo Francorum rege: ad quem vidimus scriptas ab eo literas datas die 23. Maij; quibus significabat obsessam esse insulam à die 18. ejus mensis, à centum octoginta navium classe, viginti quinque millibus hominum instructâ, cujus dux expectaret insuper indies suppetias Draguti Rais brevì adventuri.

Copiarum numerus.

X. Expugnatio arcis Hermetis.

Post leves pugnas in hostium exscensione factas, omni impetu in arcem Hermetis ceteris infirmiorem, & quæ prima in ipso portûs ostio occurrebat, converso expugnata demùm illa est die profesto S. Ioannis Baptistæ, quartâ omnium hostilium copiarum generali impressione, post fortissimum viginti quatuor dierum obsessorum obnisum: jactis

in arcem totâ oppugnatione, octodecim millibus globorum majorum tormentorum; cæsísque hostium quatuor millibus, atque inter eos, cum pluribus aliis eorum ducibus, ac fortioribus viris, Dragute ipso, homine ingenio acri, & ob artes belli navalis Solimano, ceterísque Turcis charissimo: Christianorum verò mille ducentis, in quibus centum & decem Religiosi Ordinis.

XI. RES AD EXTREMUM REDACTA.

Hâc clade perculsus Magister, non tamen animo despondens, quinimmò ceteros ad alacriùs rem agendam, & verborum hortationibus, & operum exemplis accedens, missis iterùm qui Garsiam Proregem de auxiliis sollicitarent, vix sexcentos milites accepit; Garsiâ inutilibus consultationibus, & rerum explorationibus, ac sumptuum & incommodorum periculorúmque cautionibus, majora auxilia protelante. Donec post arcis S. Michaëlis, & Burgi, acerrimas die noctéque oppugnationes; murorum, aggerum, & munitionum horribili tormentorum impetu ac violentiâ quassationes, & dejectiones; plurimas generales impressiones, aliáque permulta certamina; re penè deperditâ, & nonnisi divina virtute, ac Magistri, & paucorum superstitum constanti fortitudine, & ad mortem pro defensione fidei generoso animo subeundam tenaci proposito, ad extremum usque sustentatâ: Idem Garsias, urgentibus penè ad ignaviæ exprobrationes, Ordinis Equitibus, qui magno numero cum aliis permultis illustribus viris, in Siciliam undique accurrerant ad transmittendum Melitam: ipsóque hortante Pio Pontifice, qui præter indictas publicè preces, & Iubileum ad implorandam Dei misericordiam promulgatum, copiarum etiam delectum habuit quæ subsidio mitterentur, pecuniámque, & pulveris tormentarij non parvam copiam Religionis apud se oratori exhibuit: demúmque præcipiente Philippo Rege, ut omni cunctatione remotâ, & discriminis cujuscumque formidine abjectâ, auxiliaria classis Melitam acceleraret: His tandem coactus pedem vix movens, tunc navigationi se dedit cum octo circiter hominum millibus, triremibus & onerariis navibus impositis; quos in terram exposuit septimo Idus Septembris; cùm jam Turci omni spe potiundæ Melitæ dejecti, ad recessum se pararent, & impedimenta colligere cœpissent; quæ audito Christianæ classis adventu, efferre maturârunt. Qui nihilominùs, postquàm Garsias mox ab iis copiis depositis, in Siciliam ad alias recipiendas iter resumpsisset, certiores facti de modico auxiliariorum numero, rursùm in novam spem rei benè gerendæ, bellíque conficiendi erecti; rati posse faciliùs eos debellari, quàm oppugnatas arces expugnari, iísque debellatis desperatum fore obsessis omne auxilium, ac proinde bellum confectum: decem suorum millia in terram demiserunt, ad locum ubi auxiliarij exscensionem fecerant, longè à Burgo ubi Magister erat, ut prælio cum iis dimicarent, à mari adhuc nauseantibus, priusquàm cum Magistro jungerentur, aut Garsias rediisset. Verùm qui præcedentibus pugnis jam animo propemodùm conciderant, animadversâ novi hostis obviam occurrentis alacritate, & pugnandi ardore, retrò pedem extemplò referentes, magnam acceperunt in fugâ, & præcipitatâ navium conscensione cladem: & qui voluntariè obsidionem dissolvisse turpe ducebant postremò vi Christianorum expulsi fuêre. Ac pridie Idus Septembris vela ventis dedêre; absumptis hâc obsidione quatuor mensibus, explosis, ut quidam referunt, septuaginta octo mille ictibus seu emissionibus tormentorum muralium; factâque militum jacturâ circiter quindecim millium, navalis turbæ octo millium.

SUPPETIÆ HISPANICÆ.

OBSIDIO SOLVITUR.

XII. DECRETA PIA MAGISTRI IN REI MEMORIAM.

Magnus autem Magister, cujus vigilantiâ, prudentiâ, constantiâ, fortitudine, res stetit; desideratis ducentis quinquaginta è suis Religiosis, alterius generis militum tribus millibus, ceteræque turbæ ferè totidem, (plures paucioresque tam è Turcis quàm Christianis, à diversis auctoribus referuntur, nos mediam viam sequimur) post abscessum hostium, solemnem supplicationem decrevit; ut sicut à precibus, & oratione Quadraginta Horarum ad sacratissimæ Eucharistiæ publicam expositionem, propugnationem occœperat, ita de hostium propulsione, divinâ magis potentiâ quàm humanis viribus factâ, gratias Deo immortali redderet. Quod & passim per Italiam factum est, Romæque imprimis, & ignes in publicæ lætitiæ signum accensi. Insupérque Magister, cum assensu procerum Ordinis, in memoriam accepti beneficij per adventum auxilij die Nativit. Beatissimæ Virginis, statuit decreto perpetuo, ut is dies per omnes Religionis ecclesias cum solemni supplicatione celebraretur, & sermone in laudem Virginis, quo hæc enunciarentur populis: diéque præcedenti cantaretur Missa pro defunctis omnibus qui in eo bello cæsi fuissent: ac denique singulis annis in Conventu Melitensi maritarentur sex pauperes virgines.

XIII. AUXILIUM DIVINUM.

Et in confirmationem cælestis auxilij, narrat Viperanus, sermone vulgatum fuisse; cuidam Capucino magnæ sanctitudinis viro, tunc in insulâ existenti, cùm divinis precibus insistens extra sensum positus esset, oblatam esse visionem, quâ auditus est CHRISTUS Dominus inter Matrem & Sanctum Ioannem Baptistam constitutus dicere, se Matris suæ, & Beati Ioannis, ac reliquorum Sanctorum, itémque piorum hominum precibus commotum, in Melitensium Equitum salutem oculos clementiæ intendisse, quos alioquin ob pravos mores, & negligentiùs cultam religionem, castigatos vellet: Tum mandari sibi, Magistrum convenire, cúmque bono animo esse jubere; moneréque ut posthac Equites ad sanctitatem morum, pristinámque virtutem, ex omni turpitudine vitam revocarent, caveréntque studiosè, nequid pejus deinceps sibi ex corruptis moribus, sceleribúsque contingeret. Capucinum quæ vidisset, & audisset, Magistro exposuisse: cúmque exinde non humanis subsidiis, quæ nimis fera visa sunt, sed opi divinæ liberationem acceptam retulisse.

Quinimmò addit idem auctor, se quoque à nonnullis audivisse, Turcos pugnando interdum feminæ cujusdam aspectu vestimentis albis indutæ, interdum silvestris cujusdam & pellibus induti hominis, interdum etiam candente quâdam columbâ, quasi divino quodam numine perterritos fuisse.

XIV. Mophti prædicat vitæ emendationem.

Sicuti & scribit Bosius, hâc Turcorum clade, unà cum nonnullis aliis adversis casibus, qui eodem tempore acciderunt, Mophtum Turcorum, hoc est magnum eorum Pontif. exclamâsse ad Solimanum hæc signa fuisse iræ divinæ & prophetæ Mahometis; peioráque eventura, nisi ipse prævaricationes emendaret quæ adversus Legem ipsorum fierent, cùm in potu vini, quo jam sese Turci turpiùs ingurgitarent quam quævis alia natio, tum in permissione tot diversarum sectarum & religionum. Quod tamen postremum ait astutè ab eo dictum; ut ex præcepto, quòd continuò ad ejus instigationem Solimanus fecit, ut omnes Christiani & Iudæi, qui non essent Imperio Turcico subditi, è finibus ejus pellerentur; & cunctæ ecclesiæ ac synagogæ solo adæquarentur; ingens pecunia, sicuti & factum est, colligeretur, pro concessione conservationis ecclesiarum & synagogarum, ac commercij extraneorum. Sed quod ad primum de vino, ait tantâ severitate in eo processum esse, ut pœnâ capitis vini potus interdictus fuerit Turcis, & vineæ ipsorum omnes eradicatæ.

XV. Solimani æquanimitas.

Nec illud tacendum, quod idem Bosius pariter scribit; licèt Solimanus acceptis literis de infelici exitu expeditionis Melitensis, eas in terram projecerit, exclamando gladium suum non aliâ manu quàm suâ propriâ feliciter agere; & nuncium item accepisset rei malæ gestæ à suis in Croatia; accidissétque insuper sævissimum incendium Constantinopoli, quo octo ferè millia domuum aut tabernarum arserant: nihilominùs voluisse, ut Pialis præfectus maris Constantinopolitanum portum cum universâ classe optimè ornatâ, & vexillis explicatis, quasi triumphans ingrederetur, cum tormentorum explosione, & aliis lætitiæ & victoriæ signis. Contrà quàm fecit Philippus Rex erga Garsiam Siciliæ Proregem; quem ob missa seriùs auxilia Melitam, à Siciliâ, & omni prorsus administratione removit: ut coactus fuerit in suis ædibus privatim Neapoli consenescere; quamvis excusaret ipse, nihil se injussu Regis fecisse.

Garsiæ abdicatio.

XV.

Hoc eodem anno Pius Papa rem Christianam adversus Turcorum progressus novis præsidiis firmare quærens, quarto Nonas Maij constitutionem[ff] edidit valdè prolixam, pro restitutione antiquissimi Ordinis ac Militiæ pauperum Leprosorum S. Lazari Ierosolymitani; à temporibus, ut ait, Sancti Basilij Magni, & Damasi I. Romani Pontificis, ac Iuliani Apostatæ & Valentiniani Imperatorum illustrati, & per Orbem variè ampliati, ac longè post ab Innocentio III. & Honorio III. variis ac diversis exemptionibus Magistro & Fratribus Hospitalis, seu Domûs Sancti Lazari Ierosolymitani, sub Regula S. Augustini, & Leprosariis, concessis muniti; subindéque à successoribus Romanis Pontificibus multis gratiis, privilegiis, facultatibus, bonorum ac possessionum attributionibus, & confirmationibus locupletati. Quæ omnia Pius singulatim enumerans, eadem renovavit, & confirmavit, (quatenùs tamen decretis Concilij Tridentini non repugnarent) in gratiam & favorem Ordinis, & *Ioannotti Castilionei*, nobilis Mediolanensis, propinqui sui, (fuit enim Pius decorandæ multis honoribus suæ familiæ & patriæ valdè sollicitus) Magni Magistri à se constituti, ac successorum ejus; alisque amplissimis gratiis decoravit; ac denique omnibus privilegiis, honoribus, immunitatibus, jurisdictionibus; eatenùs concessis Hospitalibus & Religionibus Sanctorum Ioannis Ierosolymitani, Iacobi, Stephani, Antonij, & S. Spiritûs, vel imposterùm concedendis, vti & gaudere voluit. Quæ tamen Pij successor Pius[g] V. ut nimis ampla, in multis revocavit, & moderatus est.

[ff] Pij IV. const. 95.

Ordinis S. Lazari restitutio.

[g] Pij V. const. 28.

XVII. Ejus institutio unde.

Quod autem initia Ordinis S. Lazari à temporibus S. Basilij repetuntur, id inde fit, quòd ipsum nosocomium eo titulo excitâsse, S. Gregorius[h] Nazianzenus scribat. Atque ejus antiquitatis fidem facere aiunt tot ptochotrophia, & nosocomia, seu hospitalia S. Lazari nomine per orbem Christianum sparsa. Sed prima institutione per barbarorum incursiones, atque injuriâ Temporum collapsâ; ea ipsa velut renata est felici illo ævo, quo Christiani Europæ Principes Ierosolymam, ceterámque Terram Sanctam barbaris eripuerunt. Atque ut templarij, Hospitalarij, & Teutonici, sic & Lazarini Milites non solùm Christianos ex Europâ adventantes hospitiis exceperunt, sed & strenuè Saracenis arma intulerunt. Quo[i] factum ut Reges Ierosolymitani, aliíque Principes Christiani Syriæ, ejus Ordinis Magistrum, & domicilia, non paucis beneficiis affecerint; quorum testes tabellæ publicæ etiamnum Boniaci, vulgò Boigni, in diœcesi Aurelianensi in Galliâ asservantur: quem locum Equitibus Lazarinis Ludovicus Rex ejus nominis VII. Iunior dictus, assignavit diplomate dato anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto; atque in eo post pulsos per Saracenos è Syriâ Christianos, cõstituta est sedes Magistri Ordinis, & comitia seu conventus ejus ibi fieri soliti. Cùm autem decursu temporis ejus dignitas jaceret, Equites Hospitalarij S. Ioannis Rhodij tunc dicti, æmulatione ducti, anno 1490. ab Innocentio Papâ VIII. impetrârunt, ut supprimeretur, & cum Ioannitico confunderetur. De quâ suppressione cum Lazarini in Galliâ questi fuissent, Senatus[k] Parisiensis decrevit, ut utriusque Ordinis Ioannitarum & Lazarinorum, sicuti prius, distincta & separata manerent. Quod etiam Leonem X. de Hospitalibus utriusque Siciliæ statuisse, Pius IV. prędicta sua constitutione tradit: ipséque tota Italia Ordinem in integrum restituit, auxítque in gratiam, ut diximus, Ioannotti propinqui sui. Qui Ioannottus cum anno 1572. è vita migrasset Vercellis Greg.[l] XIII. tunc Pontifex, quò maiorem Ordini dignitatem conciliaret, ejus principatum seu magisterium in Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem, ejúsque successores in perpetuum contulit, univítque (ut post[m] dicetur) cum Militia S. Mauritij

[h] Gregor. Naz. orat. 20. de Laudib. Basil.

[i] Menen. de Milit. Ord. ex Bellai. de Ordin. Equestr.

Confusus cum aliis Ordinibus.

[k] Thuan. lib. 38.

[l] Gregor. XIII. const.

martyris, à se in gratiam dicti Philiberti erectâ & institutâ. Quod tamen in Italiâ dumtaxat & Sabaudiâ locum habuit. Siquidem quæ in Galliâ fuère Lazarinorum, collata posteà sunt *Ordini B. Mariæ de Monte Carmelo*, institutâ à Paulo Papâ V. rogatu Henrici Magni Regis, cujus primus Magister creatus est *Philibertus Nerestamgus*, nobilitate, & virtute præstans: ut dicetur [n] suo loco. Nunc alia Pij Pontificis expedienda.

n In fr. an. 1608. III.

XVIII. o Pij const. 93. VARIÆ PONTIF. CONSTITUTIONES.

Is igitur pergens decreta Concilij Trident. exequi, & quæ ei contraria erant tollere, hoc anno, 13. Cal. Martij, editâ constitutione [o] omnia & singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, indulta, Confessionalia, ut vocabant, & Mare magnum, quibuscumque Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, Universitatibus, Sodalitatibus, & personis Ecclesiasticis sæcularibus aut regularibus, atque etiam laïcis cujuscumque gradûs & dignitatis, concessa & indulta, quæ quomodocumque adversarentur Concilij decretis, revocavit, & irrita declaravit. Quarto autem Idus ejusdem Martij 23. Cardinales creavit: in quibus multi fuerunt ex iis qui in Concilio benè strenuéque laboraverant, in præmium latæ operæ hâc dignitate honestati; ac præcipuè *Hugo Boncompagnus* Bononiensis, tunc Episc. Vestanus, posteà Gregorius Papa XIII. itémque *Ioannes Franciscus Commendonus* Venetus, *Guillelmus Sirletus* Calaber, *Gabriel Palæotus* Bononiensis, doctrinâ & virtutibus clarissimi, aliíque eminentissimi viri. Quoniam verò contigerat sæpè, ut Nuncij Apostolici ad diversos Principes pro variis negotiis missi, muneris sui decorísque obliti, ad prælaturas, & Cardinalatûs honores obtinendos, indebitos favores ab iisdem Principibus emendicare non erubuissent: ut his artibus aditus præcluderetur, propositâ pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis omnium beneficiorum, necnon infamiæ perpetuæ, omnibus inhibuit [p] illis uti. Plurimas [q] declarationes, in FF. Minorum Conventualium Ordinis Sancti Francisci generali Capitulo Florentiæ celebrato, pro restitutione Regulæ, & abusuum reformatione, quam procurandam Cardinalibus Borromeo Protectori, & Simonetæ Viceprotectori commiserat, editas confirmavit. Aliáque preterea plurima ad Urbis statum politicum pertinentia utiliter statuit; quæ videre est in collectione Bullarum seu constitutionum [r] ejus. Cetera autem quæ ad ædificia tam sacra quàm profana toto Pontificatu erecta; pecuniarum asperas collectiones, iis sumptibus, aliísque Ecclesiæ & Reip. necessitatibus, necnon etiam voluptuariis oblectamentis, & propinquorum commodis procurandis, impensas; alia item privata gesta, seu preclara ac laudabilia; seu etiam nonnumquam minùs probata, ut plerorumque hominum inequalia valdè sunt opera, pertinent; singillatim apud Onuphrium, qui præ oculis habuit, nemini laudem meritam detrahere, nemini immeritam conferre scientem, in ejus Vita breviter descripta legi possunt. Ex quo demùm liquet, morum Pio diversa fuisse tempora: Egregium vitâ famâque extitisse, quoad privatus, vel in magistratibus prioribus sub Pontificibus vixit: Pontificem factum, dum Trident. Concilium viguit, multa optimi præclarique Pontificis documenta dedisse; Concilio absoluto, suo ingenio liberè utentem in multa, quæ non ita ab hominibus probabantur, prorupisse. Præter quæ habet etiam nonnulla Victorellus in Additionibus ad Ciacconium, seu Cabreram, tam ab ipso quàm sub eo gesta, quæ singulis patent: haud tanti illa momenti ad institutum nostrum, ut hîc describi debeant.

p Id. const. 96.
q Const. 103

r In vet. edit.

ALIA EJUS GESTA.

XIX. PII IV. OBITUS.

Qui demùm in morbum incidens, ex victûs intemperantiâ haustum; post suscepta pientissimè à sororis filio pientissimo Carolo Card. Borromæo (raro felicitatis exemplo, quod vix cuiquam alij Romano Pontif. contigisse reperiatur) cuncta Ecclesiæ sacramenta in verborum sancti senis Simeonis, *Nunc dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace*, prolatione, integris sensibus, placidéque mortuus est 5. Idus Decembris ætatis anno 66. mense 8. die 9. Pontificatus verò anno 5. mense 11. die 15. Corpus basilicæ Vaticanæ illatum; lateritio ad tempus extructo solio conditum est. Unde post multos annos translatum fuit ad Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis apud Carthusianos, quos maximis beneficiis auxerat, & ante aram maximam in pavimento sub marmore collocatum. Cùm autem vacaverit Sedes dies 29. ejus successoris electio ad annum sequentem pertinet.

XX.

Priusquàm is obiret, prędictus Cardin. Borromæus ipsius nepos, annum tunc agens 27. juvenis affectatione sapientiæ, pietate in Deum, contemptu rerum mundanarum, zelo propagandæ fidei, & studio reformandæ Ecclesiæ insignis, cùm creatus jam ante annis Archiepiscopus Mediolanensis, & præsenti per universam Italiam Legatus à latere; fuisset que præcipuus resumendæ Concilij Tridentini celebrationis auctor, ejusdémque ad exitum deducendi impulsor, atque unus inter alios Cardinales pro decretorum ejus procurandâ executione & observatione constitutus: ut hoc pro munere in suâ Ecclesiâ operaretur, in quâ per tot bella, aliásque toleratas à civitate & toto principatu calamitates, disciplina valdè imminuta, & propè ad nihilum redacta fuerat; mense Octobris primum suum *Concilium* provinciale *Mediolani* celebravit cum suffraganeis Episcopis: quo cuncta in salutarem formam redigens, gravissimas constitutiones sanxit, de professione fidei, & ejus tuendæ curâ & modo; de legitimâ Sacramentorum administratione, beneficiorum collatione, vitâ & moribus Ecclesiasticorum, ministris Ecclesiæ, & officio divino, Ecclesiarum visitatione & curâ; bonorum & jurium conservatione & dispensatione; de monasteriorum monialium, hospitalium, aliorúmque piorum locorum regimine; & aliis, quæ, ut ipsemet ait, perturbatam Cleri ac reliquorum vitæ & officij disciplinam restituere, vacillantem confirmare, conservantem propagare posse viderentur, uti etiam videre est in Tomis Conciliorum, ubi ea continentur, unà cum actis quinque aliorum provincialium, subsequentibus annis ab eodem habitorum: præter un-

CONCILIA MEDIOLANENSIA SUB CAROLO BORROMÆO.

decim diœcesana; quorum item acta, simul cum plurimis aliis ejus decretis, tam in visitatione Ecclesiarum quàm aliis occasionibus, factis continentur in grandi & præclaro volumine Actorum Ecclesiæ Mediolanensis à Carolo Cardinale conditorum.

XXI. CONCILIA PASSIM CELEBRATA.

Cœperunt autem eodem tempore celebrari passim ex præscripto Synodi Tridentinæ, non solùm in Italiâ, verùm etiam in Galliâ, & Hispaniâ, Concilia provincialia. Et in Hispaniâ quidem hoc ipso anno, *Toletanum*, *Salmantinum*, *Bracarense*, *Cæsaraugustanum*, *Valentinum*. In Galliâ *Cameracense* sub Maximiliano à Bergis Archiepiscopo: paulóque serius consequentibus annis, *Rotomagense* sub Carolo Borbonio, *Remense* sub Ludovico Guisio, *Tolosanum* sub Francisco de Ioiosâ, Cardinalibus & Archiepiscopis; *Viennense* sub Petro de Villars, *Burdegalense* sub Antonio Prevostio Sansaco, *Turonense* sub Simone Mailleo, *Aquense* sub Alexandro Canigiano, Archiepiscopis; quorum omnium extant Acta. Sicuti & *Mechliniensis*, habiti anno 1570. præside Martino Rythovio Episcopo Iprensi, tamquam seniori comprovinciali; loco Antonij Perrenoti Granvellani Cardinalis & primi ejus civitatis Archiepiscopi, tunc absentis. De quibus etiam dicetur distinctius suis quibusque locis.

XXII. PURITANORUM SECTÆ ORTUS.

Ponit hoc eodem anno Genebrardus [s] ortum PURITANORUM novæ sectæ in Anglia: ex Sandero, ut citat, in Visibili Monarchiâ: qui tamen non hoc præcipuè tempus ibi designat: quin potiùs in libro de Schismate ponit post Sententiam Pij Papæ V. contra Elisabetham Reginam latam anno 1569. Alij verò anno 1568. ejus sectæ principium, auctoribus præcipuis Buttono, Colmano, Hallinghamo, Bensono; alij [ss] etiam tardius. Verùm si secta præsenti anno nondum nata fuit, haud tamen dubium quin etiam antè concepta esset: fuit autem partus ejus plusquàm Herculeus. Dicti verò sunt eo nomine, (ut idem Sanderus [t] ait) quòd ceteris Calvinistis puriores haberi volentes, recusarent in iis locis quæ Catholico ritu umquam fuissent consecrata, orare, baptizare, aut convenire: quorum unus *Sampson* nomine, cùm cujusdam Ecclesiæ minister esset, mille aureorum annuis reditibus carere maluerit, quàm ceterorum Anglorum Calvinistarum more, habitum clericalem gestare, vel pileo quadrato uti. Qui patrocinio [u] freti Comitis Huntingtoniæ, optimi Cardinalis Poli pessimi pronepotis, scriptis, & concionibus ceteros Anglo-Calvinistas exagitare cœperunt, ritus eorum ecclesiasticos, & regiam seu parlamentariam gubernandi formam, ut impiam atque superstitiosam redarguentes. Et quamquàm Reginæ jussu mox in custodiam dati sunt, non paucos tamen ex nobilitate adstipulatores habuerunt; bonis Ecclesiasticis eâ occasione inhiantes; pluresque è vulgo; novaferè sectante, & nudam simplicitatem æstimante. Possúntque, quemadmodùm Lutheranis accidisse vidimus, ut alij Molles, alij Rigidi dicerentur, ita isti Puritani inter Calvinistas Rigidi nuncupari, alij verò Molles, quos etiam aliqui *Parlamentarios* alij *Calvinopapistas* appellitare maluerunt. Quod verò ad doctrinam, præter Zuinglianos & Calvinianos errores, quos sectabantur hos proprios induxerunt, quòd omnes antiquos Patres ad unum rejicerent, non ferentes eos allegari, etiam ad confirmandas suas opiniones; siquidem Ecclesiam statim ab ipsis Apostolorum temporibus corruptam fuisse dicebant; ne videlicèt cogerentur admittere aliquas Traditiones: Nec ferrent usum celebrandi festum Paschæ semel in anno, eò quòd resurrectio Domini semper debeat versari in memoriis hominum (quod non aliud erat quàm omnem Christi memoriam de medio tollere:) Aliaque ejusmodi non pauca, quæ Rescius [x] in unum collegit. Ex quibus etiam intelligas, falsum esse quod Calviniani Galli dicunt, Puritanos istos eosdem esse cum ipsis. Cujus assertionis vanitatem pluribus quoque prosequitur Florimundus [y] in ejusdem sectæ deliriorum descriptione.

XXIII. PEUCERI CHRONICON QUALE.

Quo item anno prodiit Witembergæ liber quintus Chronici Carionis, expositus & auctus à *Gaspare Peucero* Philippi Melancthonis genero: quo pro modestiâ Quinti hujus Evangelij, incredibili furore exagitat Summos Pontifices, & Ecclesiam Catholicam, ejúsque ceteros Episcopos, atque Theologos: maximè etiam in Surium, ejúsque Historiam invehitur: quam ipse, séque ab ejus calumniis vindicavit.

XXIV. PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

Hujus item anni mense Ianuario contigit depositio *Ioasaphi* Patriarchæ Constantinopolitani Græci, cujus meminimus in ejus ingressu [z]. Qui cùm præ superbiâ in magnas contentiones cum suo Clero, & nobilitate Græcâ venisset, eâ de causâ accersitis Præsulibus Peloponnesi & aliarum provinciarum suo Patriarchatui subditarum, tantum abfuit ut aliquid opis ab iis, uti speraverat, acciperit; ut contra Synodo facta, simoniæ, injustarum depositionum & ordinationum, bonorum alienationum, aliorúmque criminum, ab adversariis ei objectorum convictus, Patriarchatu depositus fuerit, & ad suum antiquum monasterium remissus. Cujus damnationis sententia, lata mense Ianuario Indictionis octavæ, atque subscripta ab Antistitibus quinquaginta duobus qui interfuerunt, inserta habetur Historiæ Ecclesiasticæ [a] Malaxi. Ubi & additur, coactum eum fuisse pecunias restituere; quas iniquè à diversis corraserat: Factúmque severum decretum contra illos qui pecuniam pro ordinatione darent, aut acciperent: ita tamen ut embaticium (nescio quid muneris, quod dabatur ab Ecclesiâ ad quam ordinatio fiebat) accipi permiserint. Quod Malaxus damnans, ait excidisse quidem eos arborem simoniæ, sed radicem reliquisse, ne deesset causa rursùs germinandi & crescendi. In locum autem Ioasaphi electus est Patriarcha *Metrophanes* Cæsariensis Metropolita. Qui olim [b] quòd Ecclesiam orientalem cum occidentali unire studens, Romam profectus fuisset, à Synodo clericorum & nobilium Constantinopoli excommunicatus fuerat; ac nihilominùs virtute & prudentiâ ac doctrinâ suâ pervenit ad Patriarchatum. Quo eodem tempore inter Latinos gerebat ejus Patriarchatûs titulum, *Scipio Rebiba* Cardinalis, seu ejus nepos *Prosper*,

[s] Genebr. Chronol. lib. 4.
[ss] Vid. infr. an. 1573. XII.
[t] Sand. de Visib. Monar. har. 121.
[u] Id. de Schismat. lib. 3.
[x] Resc. de atl. Evangelic.
[y] Florim. de ortu hæresi. l. 6. cap. 12.
[z] Supr. an. 1555. XX.
[a] Turcogr. lib. 2.
[b] Annot. Crus. in d. lib. 2. in fi.

c d. an. 1555. d Ext. ap. Petramel. & in Addit. ad Ciaccon sub Greg. XIII.

de quibus dictum superiùs [c] quippe idem Prosper in epitaphio, patrui monumento apposito, [d] anno 1577. nominat se Patriarcham Constantinopolitanum, & Episcopum Troianum.

XXV. DOCTORUM VIRORUM OBITUS.

Inter viros doctrinâ præstantes obierunt hoc anno *Adrianus Turnebus* Gallus, Andelij ad Sequanam familiâ nobili natus; quam ipse longè nobilitavit excellenti eruditione, atque omnium literarum præstantiâ, & fœcundissimi ingenij monumentis: mortuus Lutetiæ pridie Idus Iunij, anno ætatis 53. planè Catholicus, ut asserit Genebrardus [e] qui ejus se discipulum fuisse in Græcis gloriatur, etiamsi hæretici contrarium spargere conati sint; ut erant tunc scissa ob religionis novos motus studia. *Antonius Goveanus* mense Septembri. Lusitanus genere, sed vitâ Gallus, cùm puer illuc adductus fuisset: ibique consenuerit; mortuus tamen Taurini, ex immodico, ut fertur, peponum esu: unus rara gloriâ, communi doctorum virorum suffragio hoc assecutus, ut & poëta elegantissimus, & summus philosophus, & præstantissimus Iuris interpres simul haberetur, cui magnus Cujacius, ex omnibus Iuris Iustinianei Interpretibus, quotquot umquam fuissent, palmam deferendam esse censuit. Ex hæreticis *Conradus Gesnerus* Tigurinus, medicus & polyhistor, multis ingenij sui monumentis clarus: qui ibidem Tiguri peste extinctus est 13. Decembris anno ætatis 49. Itémque Tubingæ 4. Octobris virulentus ille apostata *Petrus Paulus Vergerius* olim Episcopus Iustinopolitanus, de quo sæpè superiùs.

e Genebr. Chronol. lib. 4.

XXVI. NOVA IN FLORIDAM GALLORUM NAVIGATIO.

Hoc item anno Galli, Regis sui Caroli auspiciis, & curâ Gasparis Colinij Admiralij in *Floridam* Americæ partem ad Septemtrionem obversam, olim à Verazzano [f] Florentino Francisci I. auspiciis anno 1524. lectam; deinde anno 1562. à Ioanne Ribaldo Dieppensi strenuo duce, & rei maritimæ apprimè perito, cum nullis adhuc exterorum, neque etiam sagacissimorum Hispanorum, coloniis insessa fuisset, uti vacuam Regis Caroli nomine occupatam, erectis variis locis columnis lapideis cum insignibus regni Franciæ, & arce Carolinâ constructâ; eodémque Ribaldo in Galliam reverso, rursùm à Renato Laudonerio, illuc anno 1564. appellente, novâ aliâ arce Carolinâ in alio æstuario munitam: præsenti demùm, ut dicere cœpimus, anno, Galli eodem duce Ribaldo, secundò illuc navigante cum septem navium classe, appulerunt, cùm jam Laudoneriani, ob divisiones inter ipsos ortas, (quibus & ipse Laudonerius in vincula conjectus fuerat, posteàque liberatus) ad nihilum propè redacti essent, & in procinctu in Galliam remeandi. Quorum dissipationem & damna non sarciuit Ribaldus, sed magis auxit; cùm mox imprudenti temeritate locum præbuit Hispanis, qui Petro Meledensio Equite S. Iacobi duce, cum classe eodem propè tempore advenerant, arcem Carolinam, viæ duce uno ex Laudonerianis fugitivis, occupandi. In quâ qui capti sunt Galli, ad unum omnes crudelissimè necati sunt, viri, feminæ, infantes; paucis clàm cum Laudonerio adhuc ex morbo infirmo, evadentibus. Ipséque Ribaldus, qui naves conscenderat audito Hispanorum adventu, post amissam arcem, & fœdissimum naufragium confractis navibus passum à suis qui residui erant coactus admodùm invitè sese Hispanis dedere; fide infidâ, verbo & scripto jurejurando conceptâ, ab iis acceptâ, ubi in manus eorum pervenit; unà cum suis omnibus, perfidiâ ac crudelitate, non dico cum aliis Hispanicâ, sed plusquàm belluinâ, necati sunt: præter unum tympanistam, & alterum tibicinem, qui conservati fuêre ad choreas ipsis præcinendas, ac quemdam nautam, qui plagis acceptis inter mortuos relictus, nocte se subduxit: quibus & nonnulli paucos fabros, tormentarios, & naucleros ad usum suum servatos addunt. Sexcentos eâ clade perijsse tradunt; quorum corpora Melendesius cremari jussit, sepulturam etiam invidens. Quinimmò & sunt qui scribant, fuisse pellem Ribaldo detractam, & in Hispaniam in tanti facinoris trophæum missam: alij, barbam dumtaxat mento derasam, & obsignatis literis inclusam. Hoc uno (si qua possit umquam excusatio insitæ immanitatis excogitari) aliquâ justitiæ umbrâ excusabiles, quòd, sicuti in appositâ inscriptione dixerunt, non hæc in miseros illos, uti Gallos perpetrâsse videri voluerint, sed uti Lutheranos, Dei atque Virginis Sanctissimæ hostes: quales sanè plerique illi omnes erant, ab Admiralio Hugonotorum coryphæo, tam spe lucri, quàm ad certam aliquam sedem hæresi suæ stabiliendam immissi. Hæc autem quomodo contigerint, descripta fuêre à Iacobo Monacho Morguesio pictore Diepensi, qui cum Laudonerio, & Nicolao Chalussio fabro lignario item Diepensi, qui cum Ribaldo navigationem illam confecerunt, & è faucibus mortis erepti sunt: quorum tractatus in Latinum versos reperimus in Historiâ Americæ à Theodoro de Bry editâ, & figuris illustratâ. Fueréque eadem à M. Urbano Calveto, ex Hieronymi Benzonij Historiâ Italicâ de Novo Orbe, ac postremò à Marco Lescarboto Advocato Parisiensi in Historiâ Gallicâ de Novo Orbe, tractata: elegantiùs verò Latinè à Iacobo August. Thuano [g] in suis Historiarum libris. Ceterùm non primùm à Gallis Floridam repertam fuisse, sed ab Anglis, ac deinde ab Hispanis, jam diximus aliàs [h] sed ab iis derelicta, primùm à Gallis occupata fuit, & inhabitata. Quantò verò hæc immanitas Hispanis constiterit, dicetur posteà [i].

f Sup. an. 1524. XIX.

HORRIBILIS HISPANOR. CRUDELITAS.

g Thuan. lib. 44.

h Ann. 1512. XXXVI.

i Infr. ann. 1567. ad fi.

IESU CHRISTI Annus 1566.

PII V. Ann. 1.

MAXIMILIANI II. Ann. 2.

I. ELECTIO PII V. PP.

ANNO Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Indictione nonâ, Cardinales Conclavi pro eligendo successore Pio IV. inclusi; post multas consultationes, præter omnium expectationem, septimo Idus Ianvarij, divino nutu communiter universi convenerunt in Cardinalem Alexandrinum, quem nihil tale cogitantem etiam

priva

privatim ceteri singuli rejecturi videbantur; de cujus pietate & integritate jam aliquid dictum superiùs. Fuit autem Boscho ortus oppido in Insubriâ diœcesis Dertonensis agri Alexandrini, unde & Alexandrinus dictus est; antiquâ, sed tunc tenui *Ghislleriorum* familiâ, quæ Bononiæ tamen Senatoria esset: natus decimosexto Calendas Februarij anno millesimo quingentesimo quarto, patre Paulo aratore [a], matre Domininâ Augeriâ, die festo S. Antonij: unde in Baptismo nomen accepit *Antonij*, *Michaelis* verò, quando anno ætatis decimo quarto Vogeriæ in Dominicanorum familiam adscitus est. Post operam literis philosophicis & Theologicis datam, & varia sui Ordinis & Inquisitionis munera laudabiliter administrata, concionatorísque officium fructuosè gestum, Romam petens anno 1551. Cardinali Carafæ, tunc Congregationis sacræ Inquisitionis principi, cognitus, & probatus, ejus commendatione à Iulio Papâ III. ejusdem sancti Officij generalis Commissarius factus est: & ab eodem Carafâ facto Papâ Paulo IV. primùm Nepesinus & Sutrinus Episcopus, deinde Cardinalis creatus, & supremus Inquisitor: quo munere nemo ante ipsum, nemo post ipsum functus reperitur; dissibi ipsis Pontificibus reservantibus Inquisitionis rerum curâ certis, qui ex institutione Pauli Papæ III. eligi solent, Cardinalibus demandatâ. Sub Pio IV. mutato Episcopatu in illum Montisregalis in Subalpinis, atque in omnibus negotiis quæ tractanda occurrêre, egregio probitatis, prudentiæ; constantiæ, & libertatis specimine exhibito; eo mortuo, cum aliis quinquaginta Cardinalibus conclave ingressus, & in perpetuâ suâ animi æquitate ac moderatione conquiescens; præcipuis suffragatoribus Farnesio & Borromæo Cardinalibus, ex Cardinale Presbytero tituli S. Mariæ supra Minervam renunciatus est Pontifex. Et Pij V. nomen accepit, tum petitione ejusdem Borromæi, ad renovandam Pij IV. memoriam; tum ut conceptum à populo Romano, mox ut ejus electio audita est, acerbioris ingenij timorem: in spem benignitatis verteret. Unde etiam dixisse fertur, fidere se in Deo, ita sese gesturum, ut gravior Romanis suæ mortis, quàm electionis esset mœror, Quod & probavit eventus. Symbolum autem, seu signum accepit Davidicum [b] illud, *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* Coronatúsque est decimosexto Calendas Februarij festo S. Antonij, quo natus fuerat, tunc annum iniens ætatis sexagesimum tertium. In ejus verò virtutes explicandas, & laudes celebrandas, certatim omnes scriptores adeò incubuerunt; ut nimij videri possent, siquid nimium censeri æquum esset in viro extollendo, qui religione, pietate, justitiâ, aliísque virtutibus ad Ecclesiam optimè dirigendam, & Rempublicam præclarè administrandam, necessariis excelleret, quantumvis non defuerint, qui eum nimiæ severitatis in multis damnantes, quâ potiùs terrorem suî quàm amorem legum animis hominum insinuaverit, majorem prudentiam in ejus administratione requisierint.

a Masson. in Vit. Pij V.

Ejus primordia.

Electio in Pontificem.

b Psal. 118.

II. Ipso penè Pontificatûs initio, pridie videlicet Nonas Martij, suum ex sorore Gardinâ pronepotem, *Michaelem Bonellum*, Dominicani & ipsum Ordinis sacerdotem; Cardinalem creavit, annos tantùm viginti quinque natum: non tam in hoc carni & sanguini acquiescens, quàm assiduis Cardinalium ac principum virorum precibus; nec non ipsius Michaëlis meritis, quibus dignum se eo honore, & ejus muniis administrandis idoneum, multis legationibus & aliis occupationibus publicis præclarè obitis exhibuit; nomine *Cardinalis Alexandrini*, quod ipsum ferre magnus avunculus, qui priùs tulerat, jussit. In cujus & Pij initiis *Onufrius Panvinius* Veronensis Eremita Augustinianus, antiquitatis indagator solertissimus, & scriptor accuratissimus, finem imposuit Vitis Pontificum Platinæ additis, & Chronicis Ecclesiastico ac Romanorum Pontificum: permultis quoque aliis historicis & Philologis scriptis inter eruditos insignis, qui ad finem anni proximi ejusdem Platinæ Vitas Pio dicavit: & anno insequenti 1568. 18. Calend. April. Panormi in Siciliâ obiit; cum annum ætatis dumtaxat trigesimum nonum attigisset, grandi Romanarum & Ecclesiasticarum antiquitatum detrimento. Cui amici Romæ cenotaphium ad S. Augustini marmoreum cum imagine æneâ erexerunt. Pij verò V. Vitam copiosè descripsit *Hieronymus Catena* Nursinus Cardinalis Alexandrini Secretarius Italicè; Latinè *Io. Antonius Gabutius* Novariensis, presbyter Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, quos Barnabitas vocant; Hispanicè *Antonius à Fonte majori.* Editæque sunt Romæ à Fr. Archangelo Caracciâ Dominicano nonnullæ Epistolæ ad Pium spectantes; unà cum narratione rerum à Pio gestarum. In quibus omnibus videas, ita Pium mox ut creatus est manum admovisse operi, ad divinum cultum & mores hominum in pristinum splendorem revocandos, ut & ipsius aula, & Urbs ipsa tota, novam quamdam ac planè piam induisse formam visa sit; sublatis ludis, comessationibus, ludicris, taurorum & ferarum agitationibus, dejerationibus, præposterâ libidine, concubinatu; meretricibus aut ejectis aut conclusis; & aliis sceleribus ac scelerum occasionibus compressis.

Card. Alexandrini creatio.

Onuphrij Panvinij postrema.

Morum reformatio.

III. Egregiúmque est quod de quodam *Elia* Iudæo, valdè divite, ac synagogæ Romæ præposto contigit. Qui cùm sæpiùs à Pio, dum adhuc esset Cardinalis, incitatus ad fidem Christianam suscipiendam, per jocum se tum illam suscepturum promisisset cùm is Pontifex esset; factus Pontifex Pius promissionis memor, eam quoque illi in memoriam revocavit: ipséque rei insperatæ novitate attonitus, baptismum post pauca petiit, accepitque magnâ populi celebritate, tertiâ die Pentecostes in Vaticanâ basilicâ, ab ipsomet Pontifice, unà cum tribus filiis ac nepote, sumpto nomine Michaëlis, & cum suis in Ghislleriorum gentem allectus. Cujus exemplo triginta alij mox ad catechismum accessêre. Quem quidem Eliam ait Genebrardus filium fuisse Eliæ Levitæ, qui Methurghemam, Tisbi, Bahur, Zicronoth, Masoreth, & multa alia scripsit.

Notabilis Eliæ Iudæi conversio.

IV. Erga verò suspectos de religione severissi-

c Hadrian. lib. 19.

mum se Pius exhibens, eos per Italiam [c] conquiri jussit, & Romam deductos puniri. In quibus fuêre ipso initio *Iulius Zoannetus*, Patavio, tradente eum Senatu Veneto, eductus: *Petrus Carnesecus*, arctissimâ cum Mediceis necessitudine conjunctus, & ab iis nihilominùs deditus: & *Aonius Palearius* vir in literis eruditus, sed liberioris linguæ. Carafas verò à Pio IV. damnatos, memor beneficiorum à Paulo IV. acceptorum, causâ eorum rursùs cognitâ, famæ, titulis, honoribus, bonis restituit. Religioni Melitensium, ad condendam novam civitatem Valetam in loco ubi fuerat arx S. Elmi, consilio, pecuniâ, hortationibus, præstò fuit: necnon Maximiliano Cæsari ad bellum Turcicum; & aliis multis tam publicâ quàm privatâ necessitate pressis. Quæ hoc anno cœpto, toto Pontificatu exerentibus se occasionibus continuata sunt: ut de præcipuis dicetur suis locis.

Pij cura de religione.

Carafarum restitutio.

V.

Ægrorum confessionem præcipit.

Inter alia verò plurima, quæ hoc item anno utilissimè statuit, renovatâ Innocentij Papæ III. constitutione, ut Medici ægrotos ante omnia admoneant animarum medicos vocare, ne cùm eis hoc in extremâ ægritudine constitutis suadetur, in desperationis periculum incidant; omninò prohibuit [d] Medicis, ne ægrotos in lecto jacentes post diem tertium visitent, nisi peccata sua Christiano more per sacramētalem confessionem expiaverint. Unde intelligas, medicos non Catholicos non esse ad curandos infirmos Catholicos vocandos; cùm ipsi aut salutem animarum nihil pendant, aut iis secum perdendis tantummodò invigilaturi sint. Et ad sacrorum confusionem vitandam, revocans [e] facultatem quomodolibet concessam Græcis Latino ritu, & Latinis Græco celebrandi Missas & divina Officia, sub pœnâ suspensionis inhibuit, ne deinceps presbyteri Græci, præcipuè uxorati, Latino more, & Latini Græco ritu ea celebrare præsumerent. Quod tamen aut de publicis Officiis, & solemni Missarum celebratione, accipiendum esse, aut verò hanc prohibitionem in desuetudinem, vel saltem inaccuratiorem observationem abiisse, dicendum videtur, cùm non infrequenter videantur etiam Romæ Græci sacerdotes (non tamen uxorati) eorum ritu initiati, more Latino celebrare nemine prohibente.

d Pij V const. 3. in Bullar. rec. edit.

e Ibid. const. 12.

De promiscuo usu rituum Græc. et Latin.

VI.

f Gabut. in Vit. Pij V. lib. 2. c. 1.

Commendoni Cardin. prudentia.

Cardinalem [f] Commendonum, à Pio IV. Legatum in Poloniam missum, in reditu jussit Comitiis à Maximiliano Cæs. Augustæ Vindelicorum, ut Turcicum exercitum Hungariæ imminentem coërcendi consilium caperet, indictis, in quibus & religionis causa tractanda ferebatur, interesse, ne se inconsulto quicquam in iis ad Ecclesiastica dogmata pertinens statueretur: ostentatâ etiam Cæsari ipsi, siquid ejusmodi permitteret, abdicatione ab Imperio, & aliis ditionibus. A quâ tamen severâ denunciatione, quæ longè maximas turbas commovere potuisset, prudentiùs Commendonus, quamquam rem iterùm minùs consideratè præcipiente Pontifice, omninò abstinens; meruit etiam ab ipso Pio, rebus cognitis, cum gratiarum actione laudari. Nec verò fuit etiam ulla eam exerendi necessitas: quoniam tametsi inter capita futuræ initis Comitiis (quæ mense Martio celebrari cœpêre) deliberationis, propositum fuisset de pace religionis, ac de rationibus adinveniendis, quibus exortæ nonnullæ sectæ, in eâdem pace anno 1555. stabilitâ non comprehensæ, de Germaniâ tollerentur: commodè tamen accidit, ut illud caput, ob urgentiorem necessitatem rerum bellicarum, in aliud tempus dilatum fuerit, quod & alioqui nonnisi contra Sacramentarios Zuinglianos & Calvinianos proponendum fuerat; cùm qui convenerant præter Catholicam religionem, & Augustanam Confessionem; nullas alias sectas in Imperio admittendas contenderent. Id autem prætereà Commendonus iisdem Comitiis præclarè præstitit, ut Concilij Tridentini decreta Catholicis oblata, acceptáque fuerint. Quibus insuper inter nonnulla alia ibi tractata, de pace inter Reges Daniæ & Suetiæ, ab aliquot annis bello contendentes, componendâ rationes susceptæ fuêre; tum publicæ tranquillitatis causâ; tum ne id bellum, quo etiam nonnulli Germaniæ Principes implicabantur, expeditioni Turcicæ obsisteret, (quamquam id absque ullo effectu, obstinatissimis iis permanētibus in suis odiis; quibus etiam hoc eodem anno acerrimè dimicatum est prælio navali cum magnâ insuper à superveniente sævissimâ tempestate, hominum & navium utrimque jacturâ.) Et quorum causâ præcipuè Comitia indicta fuerant, auxilia amplissima adversus Turcos Cæsari concessa, equitum peditúmque, qualia nulli anteà; quòd Cæsar se ipsum, si vita & valetudo suppeteret, in castra profecturum, ducendóque exercitui præfuturum pollicebatur.

XII.

Bellum inter Suecos et Danos.

VII.

g Isthuanff. Rer. Hung. lib. 22.

Intereà verò, cùm Maximilianus antequàm ex Augustâ discederet, legatum [g] Constantinopolim misisset, rogatum ut Ioannes Sigismundus Princeps Transilvaniæ (qui se etiam Hungariæ, Illyrici, Croatiæ ac Stiriæ Regem electum indigitabat) fœderi inter Ferdinandum Cæsarem & Solimanum icto excluderetur; qui eatenùs eo comprehensus, quiescere, & pacem pati non potuisset, sed ipsum Maximilianum armis impetiisset: econtrà Solimanus irritatus, quòd nec legatus tributum triginta millium aureorum, eo fœdere promissum, & jam à biennio intermissum, attulisset, nec de Tockaiâ munitione reddendâ, sicuti petierat, quicquam promitti videretur; illum pro innata arrogantiâ, neque conspectum, neque auditum, custodiri jussit; & ad bellum Cæsari per seipsum inferendum, quamquam ætate annis morbísq; gravi & affectâ esset, paravit; tam ad eluendam ignominiam cladis Melitensis, quàm quòd à Ioanne ad id assiduis precibus & nunciis, cum felicis ac facilis exitûs propositionibus, solicitaretur. Qui Ioannes prætereà emissis literis omnes Hungaros ad sibi obediendum nomine Solimani, si salvi esse vellent, hortari ausus est: nullo tamen effectu, ob contrarias Schuendij, Maximiliani in Hungariâ legati, monitiones & minas. Post quæ, nonnullæ inter alios factæ sunt veluti funestioris belli velitationes, interim dum adveniret Solimanus; cum aliquot locorum utrimque occupatione, longè tamen majori Transilvani & Turcorum damno.

Solimanus bellum minatur Cæsari.

VIII.

Priùs verò quàm Solimanus Constatinopoli

Chio insula occupatur à Turcis.

poli discederet, mandatum dedit Piali Bassæ maris præfecto, ut Chium nobilem & divitem insulam in mari Ægeo inter Samum & Lesbum, à ducentis ampliùs annis Genuensium factam, & Turcis tributariam, in quâ familia *Iustiniana* rerum potiebatur, suppositis quibusdam prætextibus occuparet. Quod ipse præstitit mense Aprilis in festis Paschalibus: astu tamen, non sanguine; nec direptione, præterquàm Ecclesiarum. In quarum maximâ S. Petro sacrâ, cùm quidam Turcus ciborium in quo sacratissima Eucharistia condita erat, profanis manibus contrectans, Præsule præsente rogato (erat insula cultûs Latini) num illic ipsius Deus, & suæ fidei mysteria essent, illo annuente, ciborum in terram projecisset; eo viso Præsuli incredibili dolore perculsus, statim flexis genibus projecta colligens, Me priùs, inquit, oro, interfice, quàm hæc sacrosancta mysteria pedibus conculcari videam. Quo motus barbarus, ultrò ab injuriâ temperavit. Iussis [h] deinde Iustinianorum familiis Caffam, olim Theodosiam in Tauricâ Chersoneso, deportari, cùm unus & viginti eorum pueri circiter decennes ex alacrioribus & magis vividis Constantipolim adducti, inter Solimani ephebos enutriendi retenti fuissent, & vi circumcisi; nullus tamen eorum in tenerâ illâ ætate induci potuit ad fidem abnegandam: unde virgis dirissimè cæsi, penè omnes interierunt quorum unus sub mortem astrictus digitum attollere in signum abjuratæ fidei, econtrà ita digitos ad pugnum strinxit, ut neque vivo neque mortuo manus ampliùs aperiri potuerit. Et Iustinianis nonnulli, priusquàm deportarentur, libertatem à Piali mercati, in Italiam abierunt. Inter quos extitit Iosephus, pater *Benedicti*, quum posteà à Sixto Papâ V. Cardinalem factum Romæ vidimus. Reliqui post aliquod tempus interventu Caroli Regis Christianissimi à relegatione Caffensi libertati & patriæ restituti fuêre; relictâ eis umbrâ quâdam administrationis, ne Christianis incolis aliò commigrantibus insula deserta remaneret: concessóque, quod pro magno beneficio petierunt, ut ex illâ insulâ nulli imposterùm educerentur pueri ut fierent Ianissari.

[h] Bos. Hist. Ierosol. lib. 36.

Pueri martyres.

Iustinianorum familia.

IX. Solimani expeditio in Hungariam.

Solimanus verò initio Iunij Constantinopoli profectus, cùm Belgradum, seu Albam-Græcam, olim Taurunum dictum, Pannoniæ Inferioris urbem ad confluentem Danubij & Savi) pervenisset, Ioannem Sigismundum Transilvaniæ Principem ipsum ibi convenientem, benignè excepit, & splendidis muneribus donavit. Eóque ad sua redeunte; Solimanus Sigethum, seu ut multi scribunt Zygethum, ad Pannoniæ & Croatiæ confinia in lacu spatioso situm, atque undique circumfusis paludibus cinctum, & ab unâ tantùm partes continenti conjunctum, denique totius Pannoniæ firmissimum oppidum, in duas partes duplicémque arcem distinctum, aliásque oppugnatum nec expugnatum, jam secundò obsidere deliberans; cùm Dravus fluvius superandus esset, præmisso ad Hamsam Quinqueecclesiarum præfectum mandato, ut pontem super insterneret, ísque re variis locitentatâ, ob inundationes aquarum operam perderet, at Solimano se per nuncium excusarete misit ad illum Solimanus linteum, seu mantile Turcicum, in cujus extremitate aureis literis scriptum erat, ut pontem quocumque in loco, & quâcumque ratione, confestim supra Dravum jungeret; qui nisi ad suum adventum extructus esset, ille ipso linteo in ripâ fluminis suspendendus esset. Cujus rei timore perculsus Hamsa, celerrimè eo ipso momento manum operi omni diligentiâ admovens, incolis, militibus, nobilibus adhibitis, nec interdiu nec noctu conquievit, donec duodecim dierum spatio admirandi operis pontem per fluvium, paludes; & stagna in longitudinem unius milliarij, latitudinem quatuordecim cubitorum, deduxit. Tantum potuit certitudo supplicij, quod ei imminebat. Superato igitur Dravo, Solimanus sexto Augusti ad urbem castramentatus est, in quibus dicebantur esse ducenta armatorum millia, media parte equitum, cùm jam prius initio Iulij Perthaus Bassa ipsius sororis filius, cum aliis copiis Giulam aliam munitissimam civitatem in Transilvaniæ finibus obsidione cinxisset.

X. Maximiliani Cæsaris adversus eum conatus.

Maximilianus autem Cæsar pius Princeps, probè sciens vires humanas citra divini numinis gratiam debiles ac fluxas esse, ante omnia instituit, ut in urbibus & castris ad tintinnabuli sonitum omnes in genua procumbentes preces pro communi salute quotidie funderent: omniáque spectacula, lusus, tripudia, & hujusmodi lenocinia quibus homines ad voluptatem alliciuntur, edicto prohibuit. Tum die 15. Augusti Assumptioni Beatissimæ Virginis sacrâ, Viennâ Austriæ egressus cum Ferdinando fratre, quem exercitui præfecerat, Iavarinum se contulit, habens in castris, vel proximis locis, amplius viginti quinque millia equitum, & octoginta peditum, tam ex Germania, Boëmiâ, Hungaria, quàm ex Italia, cujus Principes aut ipsi valida subsidia duxerant, aut miserant. Nec deerant voluntarij ex urbe Roma, ceteráque Italia, aliísque provinciis, fama præsentiæ Cæsaris in castris exciti. Inter quos è Gallia adfuit Henricus Ducis Guisij in obsidione Aurelianensi interfecti filius, vixdum pubertatem egressus, in nata familiæ animi magnitudine jam in illa ætate decoris bellici cupidus, cum delecta Gallicæ juventutis manu: nec non Timoleon Cosseus Brissacus, Philippus Strozzius, Vidus Sangelasius Lansacus, qui cum Melitam ad famam novæ obsidionis accurrissent, postquàm nullum ejus periculum esse animadverterunt, perlustratâ Italiâ in Hungariam concessêre. Adfuerúntque pariter non pauci ex nobilitate Anglicâ. Adeò ut multorum judicio acies par esset hostibus, apud quos bellum famâ potius multitudinis, quàm vero numero constare fertur: nisi Cæsar ab iis, quorum consilio utebatur, persuasus, sustinendum potius bellum quàm inferendum decrevisset; Jaurini, seu Iavarini expectaturus occasiones aliorum consiliorum sumendorum.

XI. Sigethi expugnatio.

Propugnationi Sigethanæ præerat Nicolaus Comes Zrinius (ita namque Hungari scribunt, quem plerique ceteri Zerinium, vel Serinium) vir nobilissimus, ac fortissimus, plurimísque pugnis cum Turcis consertis &

victoriis partis valdè inclytus, annum, tunc agens ætatis 48. cum duobus millibus & quingentis militibus, minore omninò numero, quamquam strenuorum virorum, quàm pro loci amplitudine, & hostium multitudine. Qui post novam civitatem, deinde veterem, tum anteriorem arcem, gravissimis pugnis, magnâque hostium cæde, nec parvâ suorum, amissas; demùm igne etiam in interiorem arcem injecto, qui nullâ arte ob venti vehementiam extingui potuit; in medio ejus & hostium magno impetu oppugnantium constitutus, ad mortem inevitabilem forti animo oppetendam se adornans; vestibus pretiosis pro thorace, galero gemmis ornato pro galeâ sumpto, armillis aureis manibus aptatis, centúmque aureis marsupio ingestis in præmium interfecturi, unà cum clavibus arcis; gladióque paterno arrepto; 7. Idus Septembris vigiliâ Nativitatis Beatiss. Virginis, post suos qui supererant trecenti circiter vel paulò plures magnâ parte saucij, ad fortiter occumbendum potiùs quàm turpi servituti se dedendum animatos; acclamato nomine Iesu, prævio vexillo Cæsareo, unà cum ipsis in confertissimos hostes in arcem irrumpentes irruit; magnâque illorum strage editâ, omnes unà cum ipso occubuerunt, quatuor solis exceptis. Caput Zrinij præcisum, primò in castris perticæ infixum aliquamdiù spectaculo fuit: deinde ad Mustapham Budæ præfectum transmissum; qui illud ad Cæsarem perferendum curavit; & ab eo ipsius propinquis traditum, in monumento majorum magnâ pompâ repositum est. Corpus à quodam Turco equitum ductore qui ejus olim captivus fuerat tumultuario sepulchro compositum. E Turcis verò totâ obsidione cecidisse dicuntur vigintiquinque, vel etiam triginta millia virorum fortissimorum, cum pluribus præfectis & ducibus: cùm toto bello, seu gladio, seu peste, ampliùs septuaginta millia periisse dicantur. Obsidionis autem inter plurimas memorabilis historiam accuratè descriptam, M. Samuel Budina Labacensis, ex Croatico sermone Latinam fecit. Descripsítque eamdem Franciscus Forgachius Liber Baro, Cancellarius olim Ferdinandi Cæs. per Hungariam, in sui temporis Historiarum commentariis: & Petrus Bizarus Sentinas in Bello Pannonico. Ex quibus præcipuè ac brevioribus relationibus Ioannis Sambuci & Ioannis Leunclavij, suas ejusdem rei amplas narrationes collegerunt Natalis, Belcarius, Thuanus, Isthuanffius, & alij plurimi qui de hâc expeditione meminerunt: inter quorum nonnullos est nihilominùs, ut ferè fit in omnibus narrationibus, aliquid diversi. Habéntque insuper iidem oppugnationem Giulæ; & fœdam ejus deditionem, paucis diebus ante expugnationem Sigethi factam à præfecto Cæsaris Ladislao Kereczenio, qui bellum acriter & animosè cum Turcis eatenùs gesserat. De quo illud memoriâ dignum habent; quòd cùm superveniente aliquâ dissensione in exitu, contra pacta detentus fuisset, ac deinde Constantinopolim delatus; fuerit ibi ob plurimas variarum crudelitatum erga Turcos præter belli jura olim exercitarum accusationes, dolio clavis acutis perforato inclusus, & è montis fastigio per decliviora præcipitatus, illo horribili supplicij genere pœnas luerit & sævitiæ suæ & ignaviæ.

Zrinij Comitis præclarus finis.

Crudelis mors deditoris Giulæ.

XII. *Solimani mors.*

Triduo ante expugnationem Sigethi, *Solimanus* in suo tentorio aliquot epilepsiæ paroxysmis primùm tentatus, ac postremò apoplexiâ enectus, vt quidam habent; sive ut alij, ad vitiatæ tibiæ dolores superveniente alvi profluvio; vel denique, ut alij conjungunt, è sanguinis profluvio, superveniente apoplexiâ; è vivis excessit die 4. Sept. Cujus obitum quamdam stellam, & alia signa in Hungariâ & Thraciâ visa, portendisse existimatum est. Eum nihilominùs ita cautè, variísque artibus, Mahometes Bassa, Selimi filij Solimani gener, cujus tum consilio & auctoritate omnia administrabantur, occultavit, ut quamvis post aliquot dies à capto Sigetho cum non appareret Solimanus, vehemens suspicio orta in castris fuerit de ipsius obitu, nihil tamen certi ibi sciri potuerit, antequàm Selimus unicus ejus filius, qui in Asiâ erat, de re certior factus; & possessionem Imperij Constantinopolitani adiisset, & in Hungariam ad exercitum pervenisset. Ad quod etiam multi tradunt, Mahometem, arctioris silentij causâ, medicum Iudæum, qui Solimano adfuerat, necandum curâsse: quibusdam etiam cubicularios addentibus: quamquam alij, nonnisi capitis pœnam intentatam iis, si rem patefacerent, velint. Quod quidem ideò à Mahomete factum constat, tum ne, si Ianniffari ac ceteri milites obitum Solimani rescîssent, tentoria thesauròsque regios ac Constantinopoli Christianorum & Iudæorum opes, pro more diriperent, ac spoliis & prædâ hâc ditati, minùs ducum dicto audientes essent; (ad quod etiam vitandum, incursiones ab iis qui in castris erant in vicinas regiones fieri permisit, ut iis milites occupati, minus de ceteris cogitarent:) tum ne hæc rerum apud eos confusio, Cæsari, numerosis & toto Christiano orbe exquisitis copiis instructo peroptatam rei feliciter adversus eos gerendæ occasionem præberet. Qui interim dum prædictæ obsidiones fierent, otiosè tempus apud Iavarinum contrivit; non sine gravi eorum qui ex aliis provinciis advenerant obmurmuratione, & nimiæ cautionis, penè & ignaviæ, exprobratione: quorum multi, cum nihil tentari animadverterent, tædio perculsi abierunt, priusquàm & ipse acceptâ morte Solimani, dimissis copiis, nullo alio operæpretio, Viennam revertisset. In eo quoque valdè ejus consiliariorum prudentiâ desideratâ, quòd cùm nihil aggredi, sed castris se contineri decrevissent; ex tam numeroso exercitu majora præsidia Sigetho & Giulæ non imposuerint, quæ utriusque loci expugnationes remorari potuissent.

XIII. *Qualis princeps fuerit.*

Mortuus est autem Solimanus anno ætatis suæ septuagesimo sexto, Imperij 46. Princeps inter suos pietate, justitiâ, magnitudine animi, prudentiâ, continentiâ, humanitate, ac fide in promissis servandis insignis: qui nisi paternas manus liberorum sanguine, calumniis inductus Roxolanæ conjugis, commaculâsset, vix omninò extaret, in quo, præter Christianam religionem, jure merito reprehendi posset. Tria illi ad summam felicita-

tatem

tatem ac votorum cumulum defuisse memorant [i]: nimirùm, quod Viennam Germanici Imperij propugnaculum ac veluti clavem, in potestatem redigere; Templum Constantinopoli à se stupendi operis inchoatum; & Aquæductus æmulatione Romanorum inceptos, consummare non potuerit: quorum votorum si compotem fortuna ante mortem fecisset, omnium se Regum fortunatissimum existimâsset. Cujus juramentum, (siquis & hoc scire aveat) hujusmodi fuisse reperimus [k]: *Iuro Deum cœli terræque auctorem; juro Evangelicæ historiæ chronographos, vicies quater mille prophetas lapsos è cœlo, summúmque inter hos nostrum Mahometem, adorandos item manes avi patrisque, tum hoc sacrum augustúmque meum imperiale caput.* In suis autem literis & diplomatibus hujusmodi titulos præponebat; *Solimanus Tsaccus, Dei gratiâ Rex regum, dominus dominantium, maximus Imperator Byzantij & Trapezuntiarum: Rex præpotentissimus Persidis, Arabiæ, Syriæ, & Ægypti: Dominus Asiæ & Europæ, Princeps Mechæ, Alepi, Ierosolymorum: dominatórque possessórque maris, &c.*

[i] Bizar. de Bel. Pannon.

IURAMENTUM EJUS.

[k] Id. Rer. Pers. lib. 11.

XIV.

SELIMUS REGNAT.

Successit ei quem diximus, *Selimus*, unicus filius superstes, annum agens ætatis quadragesimum secundum. Quem tamen quòd dissimillimis fuerit & corpore & moribus Solimano, formidabili intuitu, obesus, totus voluptatibus datus, viníque ultra modum appetens, legis suæ transgressor, fidi fœdíque fragus; nonnulli [l] scripserunt, ipsismet Turcis existimatum fuisse Hebræi cujusdam non Solimani filium; quem Rossana amatissima Solimani concubina, cùm initio filios non gigneret, simulatâ graviditate, supposuerit: genitis nihilominùs pòst aliis, qui omnes extincti sunt. Quod tamen commentum esse malevolorum, multis argumentis demonstrari posset. Nec verò adeo ex vitiis supradictis socordem fuisse Selimum, ut non ingentia intulerit Christianis mala, ex inferiùs dicendis apparebit. Qui post aditum Imperium Constantinopoli, magná celeritate in Hungariam ad exercitum contendit: & apud Belgradum detectâ patris morte, acclamationes ab exercitu accepit, & consuetum donativum Ianissaris exolvit. Inde præmisso Constantinopolim magno apparatu patris cadavere, (quod in mausoleo quod ipse sibi vivus extruxerat, summâ pompâ conditum est; acinace ad latus posito, indice profusæ bello vitæ:) & ipse tamdiù remoratus donec Christianorum exercitus recessisset, ob imminentis hiemis asperitatem, Hungariâ relictâ Constantinopolim reversus est: relicto Perthavo Basâ, qui Giulam ceperat, cum satis validis copiis, ut Ioanni Transilvaniæ Principi, bellum contra Maximilianum prosequenti, adesset. A quo tamen parùm auxilij Ioannes accepit: quinimmò multum negotij ei cum illius copiis fuit; ac præcipuè cum Tartaris qui in iis erant, ditiones suas depopulantibus; in quos arma sua convertere coactus est. Aliis tamen rursùm acceptis auxiliis, rem cum Schuendio Suevo Maximiliani Cæsaris legato, vario marte, licèt majori suo damno, egit; quousque ad finem anni insequentis induciæ octennales inter Selimum & Maximilianum conclusæ

[l] Sansovin. in Vit. Impp. Turc.

sunt iisdem conditionibus, quibus inter Solimanum & Ferdinandum; & ut quivis possideret quæ sibi postremo bello acquisierat, quod magno cessit Maximiliani commodo, qui per Schuendium plurima loca occupaverat. Fuit autem & ea Ioannes comprehensus: unà cum Venetis, qui longam pacem cum Solimano Selimi patre coluerant: faciliori ad hæc reddito Selimo, tum Maximiliani muneribus ingentis pretij, tum verò maximè ob defectionem Arabum, quos ad officium reducere (sicuti & per Sinanem Bassam fecit, in animo habebat. Quæ uti se habuerint) prolixè prosequuntur auctores [m] Hungarici: breviter Natalis [n] & Leunclavius. Lubétque hîc pro coronide totius hujus expeditionis apponere, quod Bizarus observat: nobilem quemdam Hungarum, missum à Cæsare Byzantium; dum exercitus Solimani in Pannoniam progrederetur, in reditu retulisse, quatuor miracula se ibi vidisse; videlicet innumeras copias; ne unam quidem mulierem, nullam vini mentionem; & quòd vesperi omnes altà voce exclamato *Allâ* hoc est Deus, deinceps tantum servarent silentium ut nec in tentoriis, nisi submissâ voce quis loqueretur. Quantùm distat Christiana militia ab illâ: Et miramur si in tam ordinatâ disciplinâ prosperè res agantur? An enim expectamus, ut in immoderatissimis, incompositissimis, & effrenatissimis Christianorum castris, Deus, cujus nulla in eis ferè mentio nisi ad blasphemiam, quotidie miracula patraturus sit?

INDUCIÆ INTER SELIM. ET MAXIMI.

[m] Bizar. de Bel. Pannon. Isthuanff. lib. 14.
[n] Nat. lib. 19. Leuncla. in Supplem. Anal. Turc.

TURCORUM COMPOSITISSIMA CASTRA.

XV.

DE REBUS PERSICIS.

Solimanicæ expeditionis, post cladem Melitensem, famâ in Persidem delata, unus ex filiis Tammasi Regis in haud mediocrem spem deveniens recuperandæ inter hos motus Babyloniæ; collectis silentio duodecim millibus Georgianorum, & exulum, iísque in insidiis collocatis; ipse mercatoris habitu urbem ingressus, & diversis portis multi alij, dum per noctem occisis vigilibus eam occupare expectaret, re ab uno exulum detecta, regredi compulsus est: prælióque palàm conserto multitudine hostium superatus, novem millibus amissis, cum reliquis in tutum se recepit. Selimo verò imperium adepto, misit mox ad eum Tammasus legatos, tum ad gratulandum de Imperio, tum ad pacis & fœderis confirmationem postulandam; excusans, se inscio excursionem filij contigisse. Ejus verò legatis re infecta dimissis, cùm econtrà Selimus suos misisset, qui spolia Bajazetis fratris, quem vidimus olim Solimani precibus ibi extinctum, repeteret: oratori hujusmodi Tammasus, quòd arrogantiùs visus esset loqui, nasum & aures decidi jussit, sícque ad sua remitti. Qui miser ubi ad suos fines pervenisset, à præfecto Turcico, ne Turcis hæc ignominia pateret, capite truncatus est. Quæ describens Bizarus [o], subdit de hujus Tammasi vita; quòd cum initio præclaris rebus gestis magnam de se spem imminuendi Turcici Imperij dedisset, totus deinde ad pacis artes conversus, eam vel iniquissimis conditionibus à Solimano redemerit: ac sub ejus principatu Persæ, Assyriæ, Mesopotamiæ, aliarúmque nonnullarum provinciarum jacturam fecerint, interim dum ipse avaritiæ,

[o] Bizar. Rer. Pers. lib. 11.

& luxuriæ, ac geomantiæ vacaret. Cùm econtrà Minadoüs in historiâ atrocissimi Belli Turcopersici, anno 1577. sequenti ab obitu Tammasi, inter Mahometem Codabandam filium ejus, & Amuratem Selimi, cœpti, & pluribus annis continuati, scribat, Tammasum; post diuturnum bellum cum Solimano fortissimè ductum, & pacem inter eos secutam, ab eo tempore regnum sum diligentissimè administrâsse, & ad pristinum florem & nitorem restituisse. Ita fluctuat veritas rerum exterarum & loginquarum.

XVI. [p] Schard. de Reb. gest. sub Maxim. II.

Maximiliani de religione constitutio.

Maximilianus verò Cæsar Viennam reversus, cùm [p] Austriæ Comitia ad belli subsidia postulanda convocâsset; & qui convenerant respondere tergiversarentur, nisi priùs vsum Confessionis Augustanæ, quem summoperè expetebant, obtinuissent: primùm respondit Cæsar, non se eos ad negotium religionis tractandum convocâsse: deinde cùm subsidiis promissis, quasi in præmium pro concessione Confessionis instarent, responsum acceperunt libertatem impertire se cuicumque aliam religionem profiteri vellet quàm quæ ab eo colebatur, venditis bonis aliò commigrare, quâ ratione illorum postulatis silentium imposuit. Quod idem in Boëmiâ & Hungariâ similibus Comitiis præstitit [q]: singulos ad veterem fidem cohortans, cujus se cultorem & propagatorem palàm profitebatur.

[q] Bizar. de Bel. Pannon.

XVII. [r] Belc. lib. 30. Thuan. 39.

Moliniensis in Gall. conventus.

In Galliâ [r] mense Ianuario Moliniis Boiorum habitus est conventus procerum, ac præcipuorum regni ministrorum, nonnullorúmque Cardinalium & Episcoporum, ac denique accitorum ex omnibus regni Curiis Parlamentariis primariorum virorum. Coram quibus Rex declarans se totas ditiones suas, ut omnium querimonias audiret peragrâsse, jámque ut eis optimâ ratione prospiceret, celebrem eum cœtum convocâsse; hortatus est ut in eam rem summâ curâ incumberent, quò Deo pietas & religionis sanctitas tribueretur, jus suum unicuique redderetur, populus tot malis oppressus reficeretur, ipséque suo officio piè functus existimaretur: quæ fusiùs à Cancellario audituri essent; cui ut diceret innuit. Ipse verò prolixâ, ut solebat, oratione, multa de gravissimis reipublicæ malis præfatus, illa à pravâ justitiæ administratione postremò proficisci collegit; cui proinde idoneis remediis consulendum esset. Quamvis enim abundè esset legum in Galliâ, nihilominùs novis malis exorientibus, ad ea comprimenda novis remediis opus esse: Minuendum videri Judicum numerum, & ad primam institutionem reducendum: eósque potiùs biennales & triennales, quàm perpetuos constitui; utrùm verò & Senatus ambulatorij potius, ut olim, quàm statarij esse, & stipendia ejus majora de publico præberi, abolita eâ quæ fit a partibus honorariâ pecuniæ erogatione, expediret, deliberandum esse. De quibus, & aliis ejusmodi propositionibus, cum pluribus deliberationibus; sententiam qui aderant rogati dixissent; postremò Edictum conditum est mense Februario, à loco *Moliniense* vocatum, magnæ in regno auctoritatis & nominis, quod octoginta & sex capitibus absolvitur: quibus edictum ante biennium Lutetiæ factum, & posteà Russilioni firmatum, denuò confirmatur; & quædam alia ad judiciarij ordinis emendationem litium ambages resecandas & tranquillitatem publicam pertinentia, decernuntur. In quibus quod statuitur, ut Sodalitates prebeiorum; quas Confratrias vocat, tollerentur, juxta alia jam de iis facta decreta; non ita intelligendum est, ut eæ tollantur quoad religionem & devotionem, quarum causâ eæ institutæ sunt: sed tantum quoad monopolia, & corruptiones comessationum, convivicrum, chorearum, & aliarum lasciviarum, contra rectam earum institutionem sensim introductarum.

Edictum Moliniense.

XVIII. [s] Sup. an. 1563. XX.

Guisiorum et Colinorum reconciliatio.

Ibi quoque jussu Regis, reconciliati fuêre, saltem in speciem, Colinij cum Guisiis: quæ ferè precipua conventûs causa fuerat, ut satisfieret regio decreto [s] ante triennium de his lato: Admiralio se solemni sacramento purgante, neque cædis Ducis Guisij auctorem fuisse, neque umquam in eam consensisse. Quod tamen inter viduam Guisij, & fratrem ejus Cardinalem Lotaringium tantummodò; & Colinios factum fuit: non etiam cum Henrico filio, qui absens erat in expeditione Hungaricâ contra Turcos. Quibus manifesta fiat impostura quorumdam scriptorum hæreticorum, calumniantium hunc conventum non ad aliud factum fuisse, quàm ut ex secretis consiliis Baionæ initis Colinij & Condeus interciperentur, quod tunc ab iis publicè sparsum, fidem invenit apud Hadrianum [t] Florentinum, qui nimis incautè in historiâ suâ ad hunc scopulum impegit. Reversus verò Rex Lutetiam, supplicationi ab Ecclesiâ S. Genovefæ ad cathedralem S. Mariæ indictæ interfuit. Quo tempore horâ decimâ matutinâ, hoc est duabus horis ante meridiem, Stella [u] in cœlo apparuisse dicitur.

[t] Hadr. lib. 18.

[u] Belc. ibid. § 36. Bellef. lib. 6. c. 103.

XIX. Collatio inter Doctor. Cathol. et Ministr. pro Francisca Borbonia.

Cum autem doleret maximè Ludovico Borbonio Duci Monpenserio, stirpis regiæ Principi, & Catholicæ Religionis propugnatori acerrimo, Franciscam Borboniam filiam, Henrico Roberto Marciano Duci Bulioni nuptam, in hæresim prolapsam esse; ut utrumque ad fidem Catholicam retraheret, disputationem instituendam curavit inter duos Catholicos Doctores, Simonem Vigorium, & Claudium Sanctesium, illum posteà Archiepiscopum Narbonensem, hunc Episcopum Ebroicensem; quorum uterq; interfuit, & in pretio fuit, Concilio Tridentino, & duos Ministros Reginæ Navarræ, Ioannem Spinam, & Carolum Barbastum Bearnensem, illum apostatam Dominicanum, hunc Carmelitanum; hócque interesse non valente, aut non audente, suffectum in ejus locum Hugonem Sorellum Roserium, qui ad hoc è carcere eductus est, in quem conjectus fuerat ob pravum ac pestilentem quemdam libellum de potestate Magistratûs editum, quo [x] contendebat licitum cuique esse Regem Principemque contrariæ religionis occidere. (En qualia monstra aleret hæc religio; & ad tractandum de salute animarum produceret!) Collatio facta est Parisiis in ædibus Niverniantis mense. Iulij Editáque fuêre utrimque Colloquij Acta linguâ Galliâ: in quibus facilè sit deprehendere, quæ pars vicerit: nimirum

[x] Bellef. lib. 6 c. 103. Tortor. lib. 5. ad fin. Vid. sup. an. 1563. XVIII.

quæ veritate fidei Catholicæ nitebatur; cujus multa capita ijdem Theologi eruditissimè explicarunt: Ministris eò redactis, ut cum suo Bezâ maluerint omnipotentiam Dei negare, aut nonnisi circumscriptam agnoscere, quàm Corporis Christi præsentiam in sacrâ Eucharistiâ fateri. Quibus usque adeò malè disputatio cessit, ut in proximâ Ministrorum Synodo decretum fuerit, nullas deinceps cum Catholicis collationes esse habendas; ne ob frigida & manca suorum responsa, plurimùm sui Evangelij incrementis decederet: quemadmodùm Genebrardus [y] scribit, post Launeum qui Synodo interfuit, tunc Minister, posteà Catholicus. Hâcque disputatione, ut idem addit, perculsus Roserius, nec deinceps animo quietus, anno 1572. factus [yy] est Catholicus, & pro Catholicâ fide libellum Calvinistis exitiosum vulgavit. Sequenti autem propter minas insidiásque, in Germaniam evadens, Lutheranismum professus est; ut paulò pòst nec Catholicus nec Calvinista moreretur.

[y] Genebr. Chronol. lib. 4.

[yy] Vid. infr. an. 1572. XVI.

XX. Conspiratio in Regem detegitur.

[z] Bellefor. & Tort. ibid.

Ex cujus interim libelli, quem diximus, lectione, ut apparet, audacior factus [z] quidam Simon Maius insignis latro, seu propriâ sponte, seu ut asseruit ab aliis incitatus, decreverat Regem Reginámque occidere, qui captus, examinatusque, totius sceleris gerendi seriem aperuit, suasoresque nominavit. Verùm seu ob accusationis incertitudinem, seu ob eorum qui accusabantur dignitatem, (fuit enim à Maio delatus Admiralius, sicut & fuerat à Poltrotio) denique ne daretur occasio novorum tumultuum, re dissimulatâ, Maius latrocinij & homicidij convictus, rotæ supplicio affectus est.

XXI. Ludicra mimica Calvinianorum Belgii.

[a] Vid. an. supr. V.

In vicino Belgio rebus ab anno superiore [a] ad rebellionem paratis, præsentis mense Aprili, fœderis inter Religionarios ad S. Gertrudem haud longè ab Antuerpiâ, contra Inquisitionem Hispanicam, & pro libertate conscientiæ & patriæ initi, principes, Henricus Bredenrodius ex antiqua Comitum Hollandiæ gente prognatus, Ludovicus Nassovius Guillelmi Principis Arausici sive Aurangiæ frater, Florentius Pallas Culemburgi Comes, & Guillelmus Comes Bergensis, unà cum aliis nobilibus, circiter quadringenti Bruxellis Nonis Aprilis ex ædibus Culemburgi prodeuntes quaterni quinique, silentio & ordine, tamquam ludicrum celebraturi, ad Margaritam Regentem processerunt, vestibus cinericij coloris induti, lances sive scutellas ligneas pileis affixas, ac numisma bullæ instar de collo dependens, in cujus anticâ parte Regis Philippi facies, in posticâ duæ manus junctæ, extensæque per medium bisaccij, hoc est manticæ, seu peræ mendicantium, quæ humeris imposita à parte anteriori & posteriori dependet: cum hâc inscriptione *Fidi Regi usque ad bisa cium*: hoc symbolo, se ad extremam usque inopiam Regi datam fidem servaturos indicantes. Hoc verò habitu processerunt, quòd cùm primò ejusmodi homines, cum suis postulatis ad Margaritam Regentem accessissent, ipsáque aliquid ab eis timere videretur; Carolus Comes Barlaimontius, regij ærarij præfectus, ipsorum religioni vehementer infestus, contemptim Margaritæ dixisset, nihil esse cur ab ejusmodi Geusiis sibi metueret. Vocantur autem linguâ Valonicâ, eádemque Gallicâ, *Geusij*, mendici, & vagi nebulones. Unde factum, ut & ipsimet sibi hoc nomen libenter retinuerint; & apud alias etiam nationes obtinuerint, ut qui in Galliâ *Hugonoti*, in Belgio *Geusij* dicerentur. Hanc enim veram esse hujus eorum nuncupationis originem, Surius, [b] Schardius, Belcarius, Meteranus, & alij omnes tradunt. De quibus, & aliis quæ ad res Belgicas, quas attacturi sumus, qui abundè volet, habet præterea Natalem [c] Comitem in suis Historiis, Philippum Meyerum in Annalibus Flandriæ; ac præ ceteris Florentium Vanderhaërium Ultrajectinum canonicum Insulensem in Flandriâ, qui duobus libris non minùs eleganter quàm prudenter scriptis, ea potissimum tractavit quæ à morte Caroli Imp. usque ad Ducis Albani in Belgicam adventum, per annos novem in Belgio contigerunt.

Geusii dicti.

[b] Sur. in commentar. Schard. in Reb. gest. sub. Maximil. Belcar. lib. 30. Meter. lib. 2.

[c] Nat. lib. 17. & 18.

XXII. Geusiorum postulata.

Ceterùm prædicti Geusij ad Margaritam introducti, Bredenrodio perorante conquesti sunt, turbarum & seditionis se iniquè insimulari; proinde orare ut accusatores præsentes sisterentur, & causâ cognitâ de noxiis decerneretur. Tum oblato supplici libello, quem in sui fœderis comitiis composuerant, rogarunt eum in præsentiâ eorum quos ad consilium Margarita adhiberet, legi. Continebat autem in summâ, ut Inquisitionis jugum intolerabile removeretur; & qui ejus stabiliendæ causâ instituti essent novi Episcopi abolerentur: placitorum Caroli V. & Philippi de religione executio remitteretur, & libertas conscientiæ cuique permitteretur: si hæc negligerentur, uti à turbis ac seditionibus quæ proculdubiò suborituræ essent, ipsi innocentes haberentur. Lecto in consilio libello, variantibus sententiis, à Margaritâ demùm responsum datum est bonæ erga fœderatos voluntatis plenum: sed quòd in tanti momenti postulatis propriâ auctoritate nihil præstare posset, Regem super iis adeundum, quem precibus conciliare ipsis conatura esset; interim viderent nequid in veteri Religione Catholicâ innovaretur, aut detrimenti quies publica acciperet. Missi in Hispaniam qui hęc significarent, cùm diutiùs retinerentur; atque interim sermones à factiosis in plebe ferentur, Philippum arma in Geusios parare in Hispaniâ & Germaniâ, quæ ipsemet illaturus esset, secúmque ducturum Cardinalem Granvellanum, qui cùm nimiùm se ibi exosum cerneret, secesserat Vesontionem patriam suam: his accensa plebs, in contemptum regiæ auctoritatis, & Margaritæ Regentis, publicè ad conciones conveniendi audaciam sumpsit, ut eis numeri indies crescentis ostentatione metum incuteret; subinde inclamantes *Vivant Geusij*, & tamquam in aciem armis instructi incedentes: Demùm novis factis coïtionibus, & Gallis ejusdem factionis tacitè animos eorum accendentibus, nequicquàm Regente, & Catholicis proceribus, atque urbium magistratibus, quietem suadentibus, passim per singulas ferè urbes templa, sacella, monasteria, expilare ac diripere, sacras statuas & imagines diisjcere & con-

Eorum immania scelera.

ſringere: ſacerdotes, monachos, moniales, dehoneſtare; ſacratiſſimam Euchariſtiā proculcare, ſceleratiſſimè cœperunt: tantâ rabie atque furore, ut Regens & ſibi ipſi timens, & defectionem univerſam verita, de ſuorum cōſilio aſſenſerit, ut certis locis conciones haberentur; & Inquiſitio ceſſaret: eâ tamen lege, ut arma deponerent, & quietè poſthàc agerent: atque id locum haberet donec aliter ſtatutum eſſet. Paulatim igitur deferveſcente ſtolidi populi furore, rebúſque modeſtiorum procerum fœderatorum operâ in commodiorem ſtatum redactis; fuerunt etiam nonnulli ex ſeditioſioribus diverſis locis capti, ſupplicióque affecti; ac Regens ſecurior facta, copias collegit, & Valencianas Hannoniæ urbem amplam ac munitam, dicto non audientem, ſed audaciùs ferocientem, per Philippum Santalgondanum Noërcarmium provinciæ præfectum obſideri juſſit; ſatagens omni niſu, de regio mandato, ut religio Catholica in Belgio aſſereretur, rebelliónúmque ſemina evellerentur: interimdum Albanus Dux, quem Rex ad compeſcendos vi tumultus deſtinaverat, ex Hiſpaniâ veniret: de cujus adventu, & rebus geſtis dicetur anno ſequenti. De his autem Geuſiorum immanitatibus, præter actores quos diximus, (in quibus præcipuus ſemper Florentius Vanderhaër) eſt [d] etiam relatio pij cujuſdam & oculati teſtis, qui per ſingulos dies rès geſtas, ac præcipuè Antuerpiæ ubi ipſe erat, deſcripſit. Hæcque fuerunt initia calamitatum, quas florentiſſimæ illæ provinciæ deinceps paſſæ ſunt; & bellorum, quæ hinc orta, ad hæc uſque tempora ſeptuaginta ampliùs annis, dilucidis quibuſdam induciarum intermediis, exercentur.

d *Ap. Reſc. de Phalar. Evangel.*

XXIII. [e] *Lind. de fug. idol.* DIVINA ULTIO IN SACRILEGOS.

His autem phalariſmorum principiis non defuerunt omninò miracula divinæ vindictæ. Siquidem ſcribit Guillelmus Lindanus,[e] Ruremundenſem tunc regens Eccleſiam, ex actis publicis de re geſtâ confectis, Buſciducis quoſdam ex impiis illis iconoclaſtis, cùm ſacram S. Antonij Imaginem gladiis, aſciâ, & bipennibus, ut eam in viâ publicâ incendio diſperderent, concidiſſent, repentè ſacro igne per totum corpus inſtar granorū piperis ebullicnte correptos, poſtridie animam efflâſſe.

XXIV. DISSENTIUNT INTER SE.

Illúdque inſuper obſervatione dignum contigit Antuerpiæ, ubi majori omnium rabie plebs in templa, imagines, & ſacra quæque graſſata fuerat; (quod & ingenium hæreticorum, & concordiæ quam jactant vanitatem demonſtret) ut cùm res utcumque compoſitæ fuiſſent, jámque hæretici nihil à Catholicis timerent, inter ſe mox Sacramentarij & Lutherani, ſeu Zuingli-Calviniſtæ, & Confeſſioniſtæ Auguſtani, digladiari cœperint, & Auguſtani ex Germaniâ Illyricum, Spangenbergium, Hamelmānum, & alios ſuæ Confeſſionis miniſtros, ac ceteri ex Genevâ & Angliâ ſuos acciverint: ut videlicèt diſceptarent quorumnam religio rerum ibi potiri deberet; quibuſque ampliſſimam & opulentiſſimam civitatem, ac ſubinde totam provinciam, aſſerere ſibi ſatagentibus. Verùm prævaluit induſtria Calvinianorum; annitente maximè quodam Marco Pereſio inſtitore Hiſpano ditiſſimo, qui eis favebat: ita tamen ut utriuſque Confeſſionis publicus uſus, Guillemi Comitis Aurangij, qui urbi præerat, permiſſu admiſſus ſit, quod etiam in multis aliis urbibus obtinuit, quouſque ab Hiſpanis omnes pulſi ſunt.

XXV. [f] *Caten. in Vit. Pij V. Gabut. lib. 6. cap. 2.* CATHOLICORUM IMAGINES.

Quod autem diximus de numiſmatis à Geuſiis inter alia ipſorum ſigna confectis; contigit econtrà ut earum provinciarum Catholici [f] ut certo item religionis ſymbolo à Geuſiis dignoſcerentur, æreas vel argenteas & ipſi imagines de collo pendentes, quarum alterâ parte Chriſti Salvatoris caput, alterâ Deiparæ Virginis gremio filium tenentis effigies erat impreſſa, publicè circumferre cœperint. Quâ de re Pius Pontifex per Margaritam Regentem certior factus, Catholicorum pietatem commendavit; iis imaginibus benedictionem addixit, & qui eas ferrent ac certas preces recitarent, ſacras indulgentias conceſſit. Quæ religio proinde ſic increbuit, ut ferè omnes Catholicam fidem ubique gentium profitentes, iis muniri quæſierint. Ad quorum poſtulationes tam Pio ipſo quàm ejus ſucceſſoribus liberaliſſimos ſeſe exhibētibus; ne tamen ſpecie boni quid irreperet mali vel ſuperſtitioſi, Clemens VIII. pro ſingulari ſapientiâ ſuâ ejuſmodi indulgentias ampliſſimas, tam prædictis imaginibus, quàm etiam precariorum globulorum corollis, aliiſque id genus pietatis monumentis concedi ſolitas, certis legibus coërcendas, & temperandas edicto ſuper id decreto exiſtimavit.

XXVI. TURBÆ SCOTIÆ IN REGINAM.

In Scotiâ intereà haud incruentioribus tragœdiis initium datum eſt. Cùm poſt matrimonium à Reginâ Mariâ cum Henrico Darlæo contractum, factioſorum artibus (& ut creditum eſt, Eliſabethæ Reginæ Angliæ, ad quam pulſi rebelles confugerant, ejúſque operâ reſtituti fuerant, tacitis malignı́ſque inſtigationibus; ſibi à jure Mariæ, quod in regnum Angliæ habebat, timentis) odium inter eoſdem conjuges ſatum fuiſſet, quo elongatus Henricus à rerum adminiſtratione, etiam in ſuſpicionem inductus eſt violatæ à Mariâ conjugalis fidei; ob gratiam quâ apud illam valebat quidam David Riccius ſeu Rizius Taurinenſis Subalpinus, homo religione Catholicus; qui muſices peritus, paulatim inter aulica miniſteria ad munus Secretariatûs, & non mediocres opes pervenerat; denique ſive ob arrogantiam, ad quam facilè blandientis fortunæ homines delabuntur, ut adverſarij prætexebant; ſive, ut alij, quòd ut erat navus & induſtrius, altiùs quàm hæretici & factioſi voluiſſent in eorum contra Reginam conſilia penetraret; ſummo erat apud illos odio. Igitur capto cōſilio de Davide jam vetulo trucidando, ut id ſceleratiùs perpetraretur, ſimul & ad plura illis prodeſſet, Henrico incauto juveni, abſoluti imperij ſpe factâ, & juſti doloris ſpecie propoſita, perſuaſêre, ut coram ipſa Regina id fieret: cùm ipſi id ſpectarent, ut vel Regina, quæ tum temporis uterum geſtabat, præ atrocitate ſpectaculi abortivum fœtum emittendo unà cum prole extingueretur: ſícque abſque ullo obice ipſi rerum potirentur; vel ſaltem in Regem implacabile odium conciperet, indéque adulterij crimine in eam confictо, de eadem tollenda decerneretur. Factum eſt, ut delibera-

tum. Et quâdâ die sub vesperam cũ Regina in secretiori cubiculo cœnatura esset, præsente Comitissâ Argateliæ, & quibusdam aliis principibus feminis; irrumpentes unà cum Rege conjurati, Davidem ibi quoque existentem, multis vulneribus confoderunt, conatâ nequicquàm Reginâ scelus avertere: in quam & ipsam perfidi subditi, sclopeto in pectus intentato, infinita convicia evomuerunt; & atrociora minantes, custodiam apposuerunt nequis ad eam accederet, deliberaturi quid de illâ agendum esset. Cúmque de medio tollendam plerique censerent, Rex sceleris gravitate territus, ad Reginam, tamquam certa capita ab eâ approbanda propositurus, ingressus, ad pedes ejus prostratus petitâ præteritorum veniâ, totámque conspirationem detegens, facilè in gratiam receptus est; & clàm custodibus ambo ad castrum Dumbarum abierunt: ibíque collectis copiis, nefarios sicarios & seditiosos rursùm ad fugam in Angliam compulerunt: nonnullis etiam captis, & supplicio affectis. Sed qui in Angliam abierant mox instante Elisabethâ Reginâ reditum impetrarunt, & veniam: quorum præcipuus Iacobus nothus: qui majorum tumultuum occasiones mox præbuit, de quibus dicetur anno consequenti. Quæ autem modò diximus, uti magis certa, breviter collegimus ex prolixis diversísque longè inter sese auctorum [g] tam hæreticorum quàm Catholicorum scriptis.

[g] *Lib. de prodit. Scot. ap. Resc. in Phalar. Evang. Lib. de innoc. Reg. Scot. Buchan. lib. 17 Sc[...]ard. de reb. gest. sub Maximil. an. 1566. Natal. lib. 16. Thuan. lib. 40. Chytra. lib. 21 Genebr. Chronol. lib 4. Camden. in Elisab. Camer. Scot. de ort. & progress. hær. in Scot. Florim. de orig. hær. lib. 6.*

XXVII. PII V. OFFICIA ERGA REGINAM.

Ea porrò cùm Pius V. Pontifex audisset, condolens vehementer Reginæ angustiis, tum precibus apud Deum pro ejus ab iis liberatione agens, tum Regem Catholicum alióSque Christianos Principes ad ejus auxilium incitans; ipse quoque Vincentium Laureum Montis regalis in Subalpinis Episcopum Nuncium suum in Scotiam decrevit, qui apud eam resideret, & consiliis suis ac rarâ prudentiâ quâ præditus erat ei adesset; scriptis ad eam eo sensu literis propriâ manu 6. Iunij præsentis anni 1566. datísque insuper viginti millibus aureorum ad subveniendum Reginæ necessitatibus; plura cùm ferret occasio erogaturus. Antequàm autem Vincentius in Galliam pervenisset, inde in Scotiam transmissurus; cùm Regina in arce Edimburgensi filium peperisset, ægrè evicit ut ritu Catholico baptizaretur, susceptoribus per suos legatos, Carolo Rege Galliæ, Philiberto Duce Sabaudiæ, & Elizabethâ Reginâ Angliæ, Sterlini die decimooctavo Decembris. Cui nomen inditum *Carolus Iacobus*: quorum primo deinde omisso, ipse *Iacobum* retinuit: factúsque est mortuâ Elizabethâ Anglâ, jure hereditariæ successionis Rex Angliæ æquè ac Scotiæ; primúsque omnium quorum memoria usquam extet, universæ Insulæ Britanniæ solus dominus. Regina verò Maria acceptis quas diximus literis Pontificiis, rescribens ad Pium septimo Idus Octobris, humillimis actis gratiis de literis ejus consolatoriis, & liberalitate exhibitâ; pollicita est omnibus viribus connixuram se ad restituendam in regno suo propagandámque Catholicam religionem: auxilio potissimùm Nuncij ipsius, qui tunc adhuc in Galliâ subsistebat, quémque se brevì visurum sperabat. Nuncians deinde filij

PARIT REGINA FILIUM.

nativitatem, & elicitum non sine magnâ difficultate procerum suorum consensum de baptismo ei more Ecclesiæ Catholicæ publicitùs conferendo; sperare se ait, sacramentorum ecclesiæ usum jam diù per maximam gravissimámque religionis mutationem interceptum atque propemodùm exoletum; cœpturum in baptismate filij instaurari ac renovari. Denique mittere se ait familiarem suum Stephanum Wilsonem, qui literas ad Pontificem perferret, & suum ac regni statum pleniùs significaret. De quibus rursùm gratulatus est ei Pius per alias literas eidem Stephano ad ipsam datas die vigesimo secundo Ianuarij anni proximi; cùm adhuc Vincentius Apostolicus Nuncius in Galliâ esset. Qui post longam & inutilem ibi moram, cùm vidisset clausum sibi esse omninò per continuas Scotiæ turbas aditum ad eam; per literas sæpius Reginam ad patientiam & constantiam cohortatus, in Italiam remigravit. Regina autem à cœptâ spe melioris statûs decidens, in longè graviores afflictiones incidit; de quibus dicetur anno sequenti.

XXVIII. DISPUTATIO LONDIN. INTER CATHOL. ET HÆRET.

Interim verò hoc ipso anno in Angliâ Elisabetha Regina, dum ita Scotiam turbari curaret, tamquã valdè sollicita esset de religione, vel potiùs ut ludos faceret Catholicos, Disputationem [h] indixit *Lovdini*; ad quam non pauci convenerunt Antistites Catholici viri doctissimi. Sed ij partim circumstantium hæreticorum fremitu, partim nobilium quorumdam auctoritate interrupti ac perturbati, quietè audiri non potuerunt, nec vel pauca inchoata verba absolvere. Datâ tamen iis ad extremum agendi facultate, cùm ora loquentium iniquitatem obstruxissent, rejecti sunt à colloquio: & Calviniani solito candore libellum divulgârunt, quo acta Collationis longè aliter ac se habuissent referentes, sese victores proclamarunt. Quorum falsitatem Catholici è patriâ extorres, in Belgio publicè arguerunt. Unde etiam afflictam recreârunt patriã scriptis Anglicis & Latinis, Thomas Hardingus, Nicolaus Sanderus, Guillelmus Alanus, Thomas Stapletonus, Alanus Copus, & alij Theologiæ Doctores: quibus impij flammeis dumtaxat scriptis eorum decretis occurrere consueverunt.

[h] *Genebr. lib. 4. Resc. de conventic. hæret.*

XXIX. ALIA PETRICOVIÆ INTER IPSOS HÆRET.

Alia fuit hoc eodem anno *Petricoviæ* [i] in Poloniâ inter ipsos Ecclesiæ hostes concertatio de Christi divinitate; impiè à Trideistis seu Trinitariis, Arianis, qui præcipuo auctore Ioanne Valentino Gentili Consentino Italo, de quo aliàs, [ii] Poloniam, Transilvaniam, Lituaniam, ac vicinas provincias veneno suo infecerant, impugnatâ, & à Calvinistis propugnatâ quidem, sed levi brachio. Fuit autem disputatio publica, Sigismundi Augusti Regis, & Comitiorum quæ tunc Petricoviæ celebrabantur, auctoritate peracta: frustrà eam Cardinale Hosio ac ceteris regni Episcopis impedire conatis; quos malè habebat, in tam claro conventu, atque inter tales antagonistas, cum tanto periculo audientium, disputari num Christus esset Deus. Adeò ut Hosius, postquàm Regem jurisiurandi inauguratione præstiti, & Senatum universum officij pietatísque monuisset, è Comitiis discedere maluerit, quàm eo loco ampliùs morari, in

[i] *R[...]ind.*

[ii] *Supr. an. 1561. XXXIII.*

quo blasphemiis execrandis veneranda Trinitas audacissimè proscinderetur. Rei exitus fuit, ut cùm Ariani solo Verbo Dei se niti jactarent, & Calviniani ad Patrum etiam testimonia recurrerent, (sic enim boni viri, quandocumque contra ceteros agendum iis est, armis Ecclesiæ necesse uti habent; quæ tamen Ecclesiæ contra ipsos usui esse non patiuntur.) post aliquot dierum digladiationes, nullo alio operæpretio recesserint: Rex autem Sigismundus Augustus, tum hortationibus Hosij commotus, tum maximè horrore blasphemiarum compulsus, solemni edicto omnes advenas novorum dogmatum seminatores ac regni sui turbatores, omninò proscripserit, & regno exire præceperit.

XXX. ALIA VARADINI. [k] Resc. ibid.

Quo eodem propè tempore, Disputatio [k] alia similis facta reperitur *Varadini* in Transilvaniâ, coram Ioanne-Sigismundo ejus Principe, ex Calviniano facto Ariano, & litis judice constituto; inter Georgium Blandratam, & Franciscum Davidis Arianos, ejusdem Gentilitiæ sectæ sectatores, de quibus item dictum aliàs,[l] & Petrum Caroli, Petrum Melium, & nonnullos alios Lutheranos & Calvinianos simul junctos. Cujus fuit exitus, qui expectari poterat à colloquio, cujus Princeps loci, juvenis stolidus, Arianismo addictus, judex esset: nempè ut plerique Calvinianorum in gratiam Principis, cum Blandratâ sentire aut simulaverint, aut verè asseruerint: sicuti & non semel jam diximus, & frequentissimis exemplis comprobatum fuit, esse Calvinismum gradum ad Arianismum & Mahometismum. Reliqui autem sese causámque suam melioribus temporibus reservare maluerunt. Blandrata verò & Franciscus Davidis miros de Calvinistis triumphos egerunt; actáque Colloquij conscripserunt; duos libros contra sanctissimam Trinitatem ediderunt; juvenes electos in Italiam miserunt, & cum Iudæis consuetudinem habere, Venetiis præsertim & Patavij jusserunt, atque ab illis artè Christum omnibus blasphemiis proscindendi perdiscere: Iacobo Palæologo homini Græco, Bibliæ corrigendæ facultatem permiserunt: Ex Germaniâ Homerum quemdam loquacem & Græcæ linguæ peritum; Ex Poloniâ Matthiam in Hebræâ versatum evocârunt, ut virus suum omnes in Christum intorquerent.

[l] d. an. 1561.

GREGORIUS PAULI CORRUPTOR POLONIÆ.

Narrántque de *Gregorio Pauli*, qui primus extitit eo perversæ doctrinæ genere Poloniæ corruptor; pictas tabellas in lucem edidisse, templi effigiem repræsentantes; cujus tectum Lutherus dejiciebat, parietes Calvinus diruebat, ipse verò cum ligone fundamenta subruebat: hoc est, doctrinam de Sanctissimâ Trinitate evertebat. Non omnia revelata fuisse Luthero dicebat; plura Deum dedisse Zuinglio, plura adhuc Calvino, plura sibi: & sperare plura quotidie Dominum aliis revelaturum. Sed jam modò satis de hujusmodi blateronibus & impostoribus.

XXXI. ENERGUMENÆ LIBERATIO LAUDUNI.

Hoc anno in Galliâ apud Laudunum *Nicolaa Obry* ex oppido Vervinio energumena, porrectione sacrosanctæ Eucharistiæ ab Episcopo liberata est, circunstantibus decem hominum millibus, & notariis publicis acta omnia excipientibus; procurantibus id Calvinianis, qui rem supposititiam quoquo modo videri cupiebant. Fuit verò hæc mirabilis historia, totâ Galliâ celeberrimâ, posteà in lucem edita grandi volumine, circumstantias omnes diligenter exprimente. Describítque eam breviter, sed admodùm graphicè *Florimundus Ræmundus* Senator Burdegalensis in suis præclaris commentariis de Antichristo, & de Ortu [m] hæresis: qui interfuit, & tanti miraculi obstupefactione à faucibus hæresis liberatum se ait. Meminit ejusdem rei etiam Genebrardus; post longè suaviorem modum pellendi dæmones enarratum ex Faio in suo Energumeno: quo scilicèt, ut ait, anno superiore Mamejacus Minister Chalniensis dæmoniacum sibi oblatum culeo insutum in Isaræ amnis profunda, saxis aggravantibus demersit.

[m] Florim. lib. 2. cap. 11.

XXXII. [n] Natal. lib. 17. in fi. SELIMI EPISTOLA AD GARSIAM HISP.

Lepidius quod hoc eodem anno ponit Natalis [n] Comes contigisse Garsiæ Toletano Proregi Siciliæ, & maris Hispanici præfecto. Nempè; cùm Rex Iuliæ Cæsareæ, sive Algerij, Chasanes cum duodecim triremibus ad Zythum Africæ promontorium navigans obvium habuisset Garsiam cum viginti duobus triremibus, qui nihil negotij aut molestiæ ei facessit; Selimum Turcorum Imperatorem, vel humanitatem Garsiæ admiratum, vel subdolè deridentem illud factum, literas ad eum exarâsse hujus exempli: *Humano Garsiæ Christiano Hispano, summo duci classis Principis Hispaniæ. Hos Selimus Ottomanus maximus ac potentissimus Turcorum Imperator, tibi Garsiæ Christiano Hispano, & summo duci ejus Regis qui tot habet titulos, per hoc nostrum diploma significamus ad aures nostras pervenisse, quòd superioribus diebus non procul à Galate obvius factus duodecim nostrarum triremium, quæ amicum nostrum Iuliam Cæsaream convehebant cum viginti duabus è tuis invictis, eâ humanitate usus es ut sine contentione prætereieris. Id quoniam credere non possumus aliunde quàm ex quâdam erga nos, résque nostras observantiâ provenire, cùm vix fieri posse censeamus ut quicquam timidum aut sordidum cadat in animum tanti ducis; voluimus per hasce literas nostro aureo sigillo communitas, te certiorem facere, quòd tantæ humanitatis memoriam ad majorem opportunitatem tibi gratificandi reservabimus. Præterea nostris classibus te vel propinquum ut salutent imposterum mandavimus. Te commonefacimus, si tamen hoc non est supervacaneum, ut te serves à periculis. E nostra sublimi & excelsa Porta Byzantio anno benedictæ lunæ vigesimo primo, Imperij regnorum nostrorũ primo.* Quæ nisi conficta fuerint in ludibrium Garsiæ, qui in rebus obsidionis Melitensis, & recessu classis Turcicæ, segniùs, & ut plerique interpretabantur ignaviùs se gesserat, & non occultam infamiæ labem ipse sibi nomini̇́que suo inusserat: potuit fortè hæc ejus postrema socordia & ignavia cumulum afferre ad abdicationem à magistratu & administratione, quâ mulctatus est à suo Rege anno proximo, quamque plerique ejus negligentiæ in auxiliis Melitæ ferendis tribuunt: alíique etiam addunt subtractionem trecentorum millium aureorum, quæ Rex ad eadem auxilia subministrâsset.

XXXIII. ERUPTIO ÆTNEI IGNIS.

Habet pariter idem Natalis ingentem hoc anno Calendis Decembris, ac subsequentibus

bus diebus montis Ætnæ in Sicilia terræmotum, hiatúsque terribiles; cum fumis altissimis, & horribilibus ignis eruptionibus, ac fluminum igneorum mille passuum latitudinis in subjectam planitiem rapido decursu, & formidabili strepitu devolutione: quæ materia ubi constitit, cessavitque tempestas, cognita fuit esse petra ignita, quæ universum illum agrum omninò culturæ inutilem reddidit. De cujusmodi frequentibus Ætnæ eruptionibus, earúmque causis, dictum aliàs. °

° Supr. an. 1536. in fi.

XXXIV. FRANCISCI BELCARII HISTORIA.

Ad finem hujus anni suam Historiam Rerum Gallicarum perduxit. *Franciscus Belcarius Peguillio* Episcopus quondam Metensis, usque ab anno 1462. inchoatam: vir pius, doctúsque; qui non parùm etiam, ut vidimus, claruit in Concilio Tridentino, cui cum ceteris Gallis Episcopis interfuit. Ait autem, se finem scribendi fecisse anno Christi 1588. ætatis suæ septuagesimo quinto, cùm cœpisset postquàm 1568. Ludovico Cardinali Lotharingio cessisset Episcopatu Metensi: promittens, si vita suppeteret, posteriora quoque tempora prosequi. De quibus tamen nihil hactenùs apparuit; cùm & triginta libri qui extant, nonnisi quadraginta fermè annis postquàm compositi fuêre, in lucem dati sint. Anno verò ab hoc proximo 1567. lucubrationem edidit adversus impium Calvini & Calvinianorum dogma de Infantium in matris utero sanctificatione, mortuúsque dicitur anno Christi 1591. 14. Februarij.

XXXV.

Mortuus est hoc anno nugax ille toto orbe famosus *Michael Nostradamus*, qui futurorum euentuum præscium se & præsagum per astrorum influxum venditavit. Sub cujus deinceps nomine ingeniosi quivis homines suas ejusmodi excogitationes protrudere consueverunt. In quem valdè appositè lusit, qui dixit:

Nostra damus cùm falsa damus, nam fallere nostrum est:
Et cum falsa damus, nil nisi Nostra damus.

Obiit autem Saloni in Provinciâ patriâ suâ, die 2. Iulij, ætatis suæ anno 62. mens. 6. die 10. ut ex ejus epitaphio ibi posito constat.

IESV CHRISTI Annus 1567.

PII V. Ann. 2.

MAXIMILIANI II. Ann. 3.

I. SCOTIÆ TRAGŒDIÆ.

ANNO Christi millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Indictione decimâ, primùm nobis Scotia invisenda, quam postremò omni aliâ re, præterquàm infantis maximi Regis futuri nativitate, afflictissimam reliquimus; nunc autem efferatissimam, & super omnes omnium temporum tragœdias deploratissimam visuri sumus. Postquàm Iacobus Moraviæ Comes frater nothus Mariæ Reginæ, ex Angliâ, ut diximus, revertisset; Rex Henricus perspiciens nusquam Reginæ aut sibi vivente illo qui toties rebellaverat, regnum & vitam tutam fore, decrevit illum perimere: sed consilio cum Reginâ communicato, à mitissimâ feminâ ab eo demotus est. Cùm verò non posset ita animum dissimulare, quin astutus Iacobus aliquid ejus consilij suboleret; ille pro voluntate factum rependens, de Henrico tollendo seriò cogitavit; & communicato cum præcipuis hæreticorum negotio, Iacobum Heburnum Comitem Bothuelium, æquè hæreticum, virúmque acrem & ambitiosum, qui fidelem semper eatenùs operam & obsequium Reginæ præstiterat, ideóque satis ei acceptus erat, rei peragendæ idoneum statuit, spe factâ post necem Henrici de Reginâ in conjugem accipiendâ. Rebus igitur pro arbitrio dispositis, cùm Rex qui ægrotaverat liberioris aëris causâ in villulâ muris Edimburgi primariæ Scotiæ civitatis adjacente ageret; nocte quarti Idus Februarij, dum alto somno dormiret, tormentario pulvere in cellâ subterraneâ supposito, seu ut quidam volunt strangulato priùs Rege, domus subversa est, Rexque mortuus repertus: qui posteà jussu Reginæ in sepulchra Regum delatus est, & in eodem monumento quo pater ejus Iacobus V. Rex conditus erat, positus; Catholico quidem ritu, sed modicâ cæremoniâ, cùm unicum tantùm haberet miserrima femina sacerdotem qui officio fungeretur.

REX NECATVR.

II. EIUS INTERFECTOR DATUR MARITUS REGINÆ.

Communi omnium voce criminis reus factus Bothuelius, cùm judices essent qui cædis conscij, eorum sententiâ facilè absolutus est. Ipséque eos sollicitans, ut quoniam præmium sceleris spoponderant Reginæ matrimonium, sicut ipse quod pollicitus fuerat re executus esset, ita & illi promissum exolverent; id se conaturos ij tantâ impudentiâ sese obligârunt, ut etiam syngrapham à se subsignatam per notarium publicum eâ de re confectam ei exhibuerint: sic tartareo hoc genere hominum, verè Scoto & tenebroso, Reginam suam auctioni & licitationi facinorosissimorum quorumcumque sceleratorum subjiciente. Cœperunt igitur proditores perfidi desolatissimæ feminæ primùm suadere, necesse esse ad res continendas aut alium virum acciperet; tum ut subditum, rerum patriarum gnarum, promptum & acrem ad impetus seditiosorum retundendos; demùm ut Bothuelium, quo nemo aptior videretur. Aversante nuptias Reginâ, iísque nihilominùs vrgere non cessantibus; accidit ut cùm ea Sterlingo oppido Edimburgum rediret à visitatione filioli qui ibi nutriebatur, in itinere Bothuelius, omnis moræ impatiens, eam interceptam, dissipato comitatu, in castrum Dumbarum traxerit; ibíque exhibitâ rebellium procerum syngraphâ, additísque quas potuit illecebris, delinitionibus, subjectionibus, pollicitationibus, ad nuptiarum consensum perduxerit, satis alioqui, ut diximus, erga eum benevolam, ob beneficia & officia ab eo olim accepta. Quod ubi factum fuit, tartarei illi sectarij, obliti promissionum Bothuelio factarum, & syngraphæ datæ, populum in eum concitârunt; tamquam defuncti Regis peremptorem, & Reginæ raptorem; addita etiam specie conservationis infantuli regij ab ejus insidiis: armatique ad castrum Borthuicum, ubi cum Regina erat, procurrerunt, eósque obsederunt: qui clàm mutato habitu nocte Dumbarum arcem munitissimam se receperunt. Ibíque Regina, ut in tam præcipiti casu potuit,

SCELERA IN REGINAM COMMISSA.

nonnihil copiarum colligens, dum rebellibus occurreret, rursùm denunciantibus illis, non esse paratum in ipsam hoc bellum, sed in Bothuelium; quem si dimitteret, omne obsequium se ipsi præstaturos: amantissima illa pacis, Bothuelium dimisit, & rebelles obsequium simulantes recepit. Qui jam quod cupiebant tenentes, omni larvâ sublatâ, miseram in triumphi speciem Edimburgum deduxerunt, multis in itinere contumeliis affectam; prælatóque vexillo, in quo Henricus Darlæus ipsius olim vir attritus & mutilatus spectabatur, cum tenero regio infantulo, quasi vindictâ à Deo de matre ob patrem interfectū flagitante. Edimburgi in domo tribuni capitalis sub arctissimâ custodiâ positâ, post biduū, 18. Calend. Iulij vili reæ habitu, viliorique jumento, per medium populum traductam, in arcem Loklevin sive Levini in medio ingenti lacu constitutam custodiendam deportârunt

III. CONSULTATUR DE EIUS NECE.

Quid de illâ agendum esset consultantibus sectariis, qui meliores erant, restituendam censebant, modò Regis interfectores secundùm leges punirentur, divortium cum Bothuelio fieret, religio novissimè introducta confirmaretur. Alij pellendam in Galliam, vel Angliam, post resignatum filio regnum, commissósque ex nobilibus aliquos, qui Reipublicæ interim dum vir fieret curam gererent. Alij tamquam parricidij ream perpetuo carceri deputandam, datâ filio regiâ potestate. Alij denique ex sententiâ Knoxi Caliphæ Scotici, tollendam è vivis: nec poterat hic proditor mitiùs censere, quòd & Minister esset satanæ, & hæresis ejusmodi sententiarum & exemplorum fecundissimæ, atque Genevæ consuetudine vsus fuisset, ut aliàs vidimus, sanguinarij Calvini, & sicarij Bezæ. Hancque eamdem opinionem necis Reginæ inferendæ, infamissimus apostata Buchananus, (qui totam hujus tragœdiæ historiam, manifestissimo spiritu calumniæ & maledicentiæ in Reginam, cùm in Historiâ, tum in libello cui *Detectio*, titulum fecit, intermixtis putidissimis & insulsissimis, dixerímque anilibus vel puerilibus fabulis, conscripsit) confirmavit: sic etiam à prædicto Bezâ edoctus, vel potiùs ad id animatus, cùm ad eum scribens [a] Liberet vos Deus, (inquit) à Medeâ, sive Athaliâ vestrâ: nullum enim illius sceleribus satis idoneum nomen invenio. Hæc quidem tu solita tua solidaque impietatis tuæ doctrinâ, furcifer, necibus Principum assuete. Quam idem tuus assecla Buchananus egregiè imitatus, diabolico Dialogo de Iure Regni apud Scotos amplexus est; quo populo jus esse Reges creandi & abdicandi, cõtra Historiæ Scoticæ fidem astruitur: ausus impudentissimus nebulo illum Iacobo ipsi Regi post aliquot annos dicare; quasi ex doctrinâ, puerili ejus ætati à se instillatâ, (cùm à pessimis regni Gubernatoribus longè pejor datus fuisset ipse Regi puero præceptor) satanicam illam opinionem imbibisset: qui grandior factus, ut erat à naturâ omni virtutum generi deditus, adeò disciplinam abominabilis præceptoris exhorruit, ut seditiosissima & calumniosissima ejus scripta toto regno suo prohibuerit; & posteà Rex etiam Angliæ factus diligentissimè filio suo, ut etiam aliàs [b] diximus, iis interdixerit; & in suis ditionibus à quoquam haberi graviter prohibuerit. Quinimmò legimus apud Guillelmum Camdenum [c] Anglum, quamvis hæreticum, modestiùs tamen historiam tractantem; cùm Buchananus partium studio, & Moravij munificentiâ abreptus ita scripsisset, puduisse id adeò Ordines Scotiæ, ut libros ejus falsitatis damnârint: atque ipsūmet ingemiscentem coram Rege, cui fuerat pædagogus, subinde se reprehendisse quòd tam virulentum calamum in Reginam benè meritam strinxisset: morientémque optâsse ut tantisper superesset, donec maculas quas maledicentiâ falsò asperserat, revocatâ veritate vel sanguine elueret; nisi (quod ipse dixit) hoc vanum esset, cùm præ ætate delirare videretur. Egregiam scelestissimi nebulonis excusationem! ut in ipso transitu timuerit delirus videri, si veritatem apertè fateretur, quam totâ vitâ delirans contra propriam conscientiam impudentissimè falsâsset. Abeant ejusmodi homines in malam crucem. Aliorum verò scripta, quæ eodem tempore pro Reginæ Mariæ innocentiæ defensione prodierunt non solùm in Scotiâ, verùm etiam in Angliâ, in Moravij gratiam, & Reginæ odium suppressa, idem Camdenus æquè testatur; ut vel inde etiam videas, quo animo Elisabetha Angla, cum suis, in Mariam esset, cui adeò benè velle fingebat. Quid hæresi fallacius aut detestabilius?

[a] Bez. ep. ad Buchan.

BUCHANANI SUPREMA PERFIDIA.

[b] Supr. an. 1539. VII.

[c] Camden. in Elisab.

IV. NEX REGINÆ DIVINITUS IMPEDITUR.

Ceterùm consultatione impiorum, ad ipsorum principem Moravium in Galliam, quò ad devitandam rerum, quarum ipse auctor erat, infamiam navigaverat, missâ, eodémque in patriam ad rerum administrationem suscipiendam revocato; homo scilicet obedientissimus virulentissimi Knoxi Patriarchæ sententiæ facilè accedens, significavit Reginam properè è medio tollendam priusquam ipse in Scotiam appelleret. Ad quod cùm illi se accingerent, deliberantes laqueo gulam frangere, ut credi posset sibi ipsi manus violentas intulisse; rem dilatam voluit Dominus, diuturnioribus ærumnis ad meritum ejus augendum, & nobiliori martyrio eam reservans. Superveniens enim legatus ab Elisabetha Angliæ Regina nomine Throgmortonius specie consolationis; cum sectariis primùm communicans, ubi consilium Mariæ necandæ audivit, quibus potuit rationibus tam atrox facinus dissuadens, ad Mariam accedens, quid deliberatum esset aperuit: & velut condolens ejus calamitati, unam esse viam salutis significavit, si regium nomen deponeret, nihílque nocituram eam renunciationem, quæ per vim extorta foret. Ad quod demum infelix mulier adacta, regnum filio tum tredecim mensium puerulo renunciat; factâ priùs protestatione irriti consensûs, quem vis & metus expressissent. Iacobum verò Moraviæ Comitem fratrem suum nothum Rectorem regni decrevit, siquidem is domum reversus onus non detrectaret; vel ejus loco Iacobum Hamiltonium Castri Eraldi Ducem, Matthæum Stuartum Lenoxiæ, Iacobum Duglassium Mortonij, aliósque quatuor Comites. Quod octavo Calendas Augusti gestum est. Quinto verò pòst die, & qua-

COGITUR RENUNCIARE REGNUM FILIO.

IACOBUS ANNICULUS INAUGURATUR.

dragesimo quinto captivitatis Reginæ, quarto Calendas Augusti Sterlingi *Iacobum* Henrici & Mariæ filium in Regem inaugurârunt ejus nominis Sextum: cæremoniam ex præscriptâ formulâ operante (nullo alio reperto qui exequi vellet) Adamo Bodualo Episcopo Orcadum, à nonnullis accusato sortilegij & apostasiæ, cum aliquot Abbatibus propinquis Moravij; Missâ tamen exceptâ; cujus loco Knoxus concionem habuit, quâ in religionem Catholicam acerrimè invectus, generosa hæc præstantium sectariorum facinora mirùm extulit. Mortonius autem & Humeus pro Rege juramentum præstiterunt, se in timore Dei regnum, & pro viribus introductam de novo colendi Dei formam servaturum, & Papisticæ Ecclesiæ ritus ac doctrinam extirpaturum, & pro hostibus habiturum quicumque illam posthàc professi fuissent. Nesciebas certè regie infantule, quid nomine tuo ab istis facinorosis juraretur. Et quamvis ita depravârint illi infantiam tuam, ut te extra Ecclesiæ communionem pessima hæc educatio totâ viâ detinuerit; non tamen ita efferatis umquam fuisti moribus, vt ad quas juraverant crudelitates inducere potuerit. Meruissent sanè illi & religionis desertione, & rebellionis crimine, dirissimè plecti. Iustitia hæc fuisset, non sævitia. Quare & eodem conventu generosè Archiepiscopus Sancti Andreæ Ioannes Hamiltonius frater ducis Castri Eraldi, Dúxque ipse, Comites Huntleus, Argateliæ, aliíque, cum præcipuâ nobilitatis parte, legitimâ intercessione protestati sunt, conventiculum illud nullius esse virtutis, vtpotè conflatum ex seditiosis & rebellibus, nullâ legitimâ auctoritate convocatis.

V. TRUCULENTIA MORAVII IN REGINAM.

Reversus verò Iacobus nothus, scelerum horum omnium præcipuus fabricator, Reginam adiens; cùm ab eâ rogaretur ut regni ac filij curam susciperet, existimationique ac vitæ suæ consuleret; truculentus spurius pro tanto honore tam beneficè delato ingratissimum se præbens, non tam solari sororem, dominámque suam, captiuam, quàm calamitati ejus insultare cœpit; & pœnitentiam agere, ac Dei misericordiam implorare, quasi jamjam supplicio afficiendæ injunxit. Tum tabulis obsignatis fidem obligavit, nihil facturum se quod ad Reginæ libertatem spectaret, sine fœderatorum assensu. Throgmortonium, qui videbatur ejus afflictionibus commoveri, monuit, ne umquam pro eâ interpellaret. Et Nicolao Neovillo Villaregio primùm, deinde & Philiberto Voiero Lignerolio, à Rege Francorum Carolo, auditâ Reginæ calamitate, missis vt eam captivam inviserent, ijs denegavit, ut aliis, ad eam aditum.

VI. INNOCENTIA REGINÆ PROBATISSIMA.

Apprehensi quoque nonnulli ex famulitio Bothuelij, Henrici Regis parricidio interfuisse convicti, ultra modũ lancinati & torti fuêre, ut aliquid ex eorum cõfessione hauriri posset, quo Regina ejus sceleris conscia detegeretur. Qui tamen omnes vno ore & in tormentis & in supplicio innocentiam ejus constanter testati sunt, audivisse verò se à Bothuelio, Moravium & Mortonium ejus cædis auctores esse, unà cum Archimbaldo Duglassio Mortonij propinquo. Eamdémq; Reginæ innocentiam fassi quoque posteà fuerê iidem Mortonius cùm de eo suppliciũ sumptum est; & Archimbaldus literis ad eamdẽ ipsam Reginam scriptis: præter alia testimonia, & argumenta, quæ alij [d] collegerunt contra falsissimas assertiones nefádissimi Buchanani. Quẽ pariter damnans Camdenus Anglus, recitat insuper aliá Huntlei & Argathelij inter Scotiæ proceres facilè principum, ad Elisabetham Reginam missam protestationem, cujus authographum se vidisse testatur: quá illi contestantes, Moravium & alios, ad obvelandam rebellionem contra reginam, cujus auctoritatem sibi arrogabant, illam tamquam cædis mariti consciam apertè calumniari; post illorum narratas aliquas delusiones Reginæ factas, demùm ex interno conscientiæ testimonio (ut loquuntur) pro certissimo se habere asseruerunt, Morauium & Lidingtonium fuisse auctores, machinatores, & suasores hujus regicidij. Denique ipse Bothuelius, qui postquàm aliquamdiù in Scotiâ permanere permissus est absque diligentiori inquisitione, (quidquid enim in eum inclamaretur, nec sanè immeritò, obtentus tamen hic causæ erat, non vera causa, quæ in solam Reginam præcipuè collimabat) suorum supplicio territus, ad Orcadas primùm, indéque fugatus, in Daniam se recepit, agnitúsque in carcerem conjectus est post decennium diem obiens, coram Episcopo ac proceribus qui interfuerunt, reum sceleris se fassus, ac proditionis auctoribus nominatis, Reginam culpâ penitus immunem declaravit. Quod ejus testimonium ut aduersarij elevarent, cùm comminiscerentur eum in amentiam incidisse, econtrà Rex Daniæ ex mente sanâ processisse agnoscens, uti validum innocentiæ Reginæ testimoniũ, ad multos Principes, necnon ad ipsam Elisabetham Anglam transmisit. At de tragœdiâ Scoticâ hujus anni jam satis; cetera sequenti. Hîc tamen non omittentes, quod in sequentem non dilatum est, facinorosissimum Moravium, post regni administrationem, & Regis educationis curam susceptam; continuò omni sævitiâ Catholicorum reliquias prosequi cœpisse, carceribus, spoliis, exiliis.

[d] Lib. de Innoc. Reg. Scot. Florim. de Orig. hær. lib. 6. cap. 16.

VII. TRACTATUS IRRITUS MATRIMONII REGINÆ ANGLIÆ.

Quo eodem anno tractatum dicitur [e] matrimonium inter Carolum Archiducem Maximiliani Cæsar. fratrem & prędictam Elisabetham Angliæ Reginã. Ad quod missus à Cęsare in Angliam Stolbergensis Comes, summâ benevolentiæ significatione exceptus est: pariterque à Reginâ Suffexiæ Comes ad Cæsarem legatus cum periscelidis Georgianæ insignibus honorificè susceptus. Cùm autem de ceteris conditionibus non difficulter conveniret, in religionis negotio major intercessit difficultas, cùm Cæsar fratris sui nomine primò templum publicum sibi & suis, deinde saltem sacellum privatum, ad sacra ritu majorum celebranda concedi peteret: Angli in eo & Reginæ conscientiam lædi, & dignitatis ac salutis periculum versari dicerent. Ita ut res effectu caruerit: cùm reverà Elisabetha nec tunc nec umquam aliàs animum habuerit nubendi, ob rationes quas diximus superiùs: [f] sed quotiescumque vel à Principibus expetebatur, vel à suis (ac pręcipuè post natum Mariæ Scotæ filiũ, qui successurus erat in regno

[e] Camden. in Elisab. Thuan. lib. 41.

[f] Sup. an. 1559. V.

si Elisabetha absque prole decederet) rogabatur virum accipere; eorum importunas postulationes quibus poterat rationibus eludebat.

VIII. In Belgio Geusii comprimuntur.

In Belgio Valencianæ, quas post tot tumultuosa facinora obsessas reliquimus, post cæsa à Noërcarmio auxilia quæ à fœderatis Geusiis mittebantur, & impetuosam murorum quassationem; deditione in arbitrium ejus pervenêre. 9. Calendas Aprilis, qui urbem ingressus, præcipuos turbarum concitatores, cum duobus concionatoribus, gladio & suspendio sustulit. Cúmque interim Bredenrodius Geusiorum princeps literis mense Februario ad Regentem scriptis expostulâsset de prohibitis ubique concionibus, & fœderatis contra fidem datam passim malè habitis: Regens respondit, numquam se fidem pro religionis libertate concedere cogitâsse; ipsos verò petitionibus suis, concitandi populi contra Regem, sacrum Ordinem, ac rem denique publicam, causam præbuisse; rectéque facturos si domi quisque suæ contineret, atque imposterùm ita se gereret, ut Regi in Belgium venienti dicta factáque sua approbare posset: si aliter facerent, se remedium tempestivum adhibituram. Quo responso accepto, Bredenrodius & alij factiosorum principes militem ubique conscribere cœperunt: ventúmque est pluribus locis ad manus, cum non parvâ Geusiorum clade. Notandúmque, quòd Antuerpiæ ingenti excitatâ commotione, Lutherani Catholicis se junxerunt contra Calvinistas, qui tamen omnes, paciscente cum Regente magistratu de cessatione concionum, & templorum Catholicorum restauratione, tam Calviniani quàm Augustani concionatores dimissi sunt: factúmque idipsum multis aliis locis, cum sacrarum Imaginum restitutione, & templorum hæreticorum dirutione, seditiosiorum punitione, & præsidiorum à Regente missorum receptione. Quando & Princeps Aurangius, & Bredenrodius cernentes res Geusiorum ubique decidere, in Germaniam secesserunt: ubi paulò pòst Bredenrodius ex mœrore animi extinctus est, Aurangius ad ampliora peragenda servatus. Regens autem Antuerpiam petiit: & in gratiarum actionem Deo reddendam, supplicationes magnâ pompâ celebravit.

IX. De rebaptizatione infantium.

Quod verò qui hæc describunt, addunt etiam infantes ab hæreticis baptizatos, rebaptizatos fuisse à Catholicis: cùm certum sit, Ecclesiam non rejicere baptismum Lutheranorum & Calvinianorum, quoniam veram formam sacramenti adhibent dum baptizant; atque insuper non solùm à laïcis Christianis utriusque sexûs, verùm etiam ab Infidelibus formam servantibus collatum approbare; denique semper horruisse rebaptizationem infantium ritè baptizatorum: debuit id (si quidem factum est, & non in contumeliam religionis Catholicæ ab hæreticis objectum) à mulierculis peti; sicuti etiam Natalis tradit; scrupulo fortè ductis, quòd aut nôn forma adhibita fuisset, vel pro aquâ purâ, quæ materia est necessaria baptismi, adhibita rosacea, quemadmodùm scimus usu receptum fuisse alicubi, aut alio liquore mixta: (ex doctrinâ videlicèt tum aliorum hæreticorum, tum disertim Bezæ, g qui ad Thomam Tilium scribens, se, si deesset aqua, & tamen baptismus alicujus differri cum ædificatione non posset, quovis alio liquore non minùs ritè quàm aquâ baptizaturum scripsit) vel intelligi de cæremoniis circa baptismum ab Ecclesiâ ordinatis; quæ uti non necessariæ sunt ad essentiam baptismi, ita valdè utiles existunt; & solent à multis qui ab hæresi conversi sunt ad fidem, peti, nequid habeant minùs ab aliis Catholicis. Quod si fortè verè aliqui sacerdotes ritè collatum, iterùm absque conditione dubij prioris collationis, reiteraverint; certum est illos graviter peccâsse, & contra sensum Ecclesiæ fecisse.

g Bez. ep. 2.

X. Rex Hisp. decernit arma in Belgium.

Cùm autem Philippus Rex Hispaniæ hos Belgij motus ægrè ferens, de ratione illorum componendorum cum suis consultasset; licèt multis videretur, atque etiam ipsi Regis confessori, rem potiùs clementiâ quàm severitate egere; vicit tamen Ferdinandi Alvari Toletani Albæ Ducis feritas, quâ etiam Carolo Quinto Philippi parenti auctorem olim fuisse sævarum in Germanos sententiarum vidimus; censentis Belgarum impietatem ac rebellionem nullâ pœnitentiâ aut satisfactione expiabilem esse, nisi post delicti publicam declarationem se vitam ac fortunas Principi suo, ut de iis arbitrio suo statueret sine ullâ cõditione permitterent. Cui etiam accedente Granvellani Cardinalis auctoritate; nec nõ Sãctæ Inquisitionis Præsidis hortatione, qui novos populi motus coerceri, non solùm ad officium suum pertinere, sed in auctores ac conscios severâ ultione animadverti, existimationis suæ interesse dicebat: omninò Rex ita fieri decrevit. Et primò ipsemet Belgium petere deliberans, mutatâ deinde sententiâ, ipsummet Albanum delegit, quem cum exercitu & plenâ potestate mitteret; probè gnarus, præteritorum ejus gestorum memoriâ, neminem se posse mittere, qui fortiùs simul & truculentiùs rem ageret.

Dux Albanus ìò mittitur.

Qui sexto Idus Maij ex Hispaniâ solvens, Genuam primùm mari, deinde terrestri itinere per Insubres, Subalpinos, Allobroges, Sequanos, & Leucos, in Belgium delatus, cum exercitu Hispanorum & Italorum novem circiter millium peditum, & mille ducentorum equitum; Bruxellas ad Regentem pervenit undecimo Calendas Septembris. Quòd verò pacata omnia inveniret, distributis in præsidia præcipuarum quarumcumque urbium copiis, singularum provinciarum ordinibus per literas quid sibi à Rege mandatum esset indicavit, ipsum etiam diploma regium ad majorem fidem faciendam typis mandans: monuítque omnes se morigeros præbere, arma deponere, majorum sacra colere.

XI. In custodiam traditi nonnullos Comites.

Cúmque inter arcana ei à Rege commissa præcipuum illud esset, ut suspectos proceres in potestatem redigeret, quinto Idus Septembris, Lamoralum Egmundanum & Philippum Monmorantium Hornanum Comites, qui multùm pro sedandis Belgij motibus, & populis in obsequio Regis continendis laboraverant, in consilium, vel ut alij habent in convivium vocatos; in exitu, sicut olim Lantgravium, (clam Regente, cui sciebat hujusmodi perfi-

dias

dias ingratas esse; adeóque monuisse antea Regem; ne ferum hunc hominem in Belgium mitteret) sisti jussit, & in arcem Gandensem custodiendos transmisit; aliósque pariter incautos apprehensos, variis aliis carceribus inclusit. Missis item passim, qui in seditionum auctores inquirerent, tanto terrore universum Belgium perculit, ut multi, cùm nec suam innocentiam satis tutum esse perfugium adversus implacabilem hominis feritatem timerent, pars in Angliam & maritimas civitates, pars in Germaniam & Galliam diffugerint: quos ad numerum triginta millium ascendisse, eorúmque bona fisco addicta esse, Natalis [h] scribit causam apprehensionis Egmondani, tum in odium privatum inter illum & Albanum ex quâdam æmulatione & simultate olim natum referens; tum maximè in secreta Egmondani consilia, cum Carolo Principe Philippi Regis filio agitata contra eumdem Albanum, totámque ejus potentissimam familiam Toletanam, quam Carolus vehementer oderat; & ex consequenti contra ipsummet Regem, qui eam ferebat; atque in universæ Christianæ Reip. subversionem: multa immiscens ex aliorum, ut ait, sermonibus quæ nec ipse satis credidit, suntque ab omni similitudine veri aliena. Præter hæc autem instituto Senatu, seu Consilio aliquot virorum tam Hispanorum quàm etiam procerum Belgarum fideliorum, cujus ipse præses esset, plenam omnium rerum cognitionem, quæ tum ad rebellionem, tum ad religionem pertinerent, ei attribuit. Cujus auctoritate mox innumeri passim in carcerem conjecti, plurimíque ad supplicium rapti fuêre; tanto omnium odio ut Consilium illud Sanguinis fuerit appellatum. Stabilitâ porrò Albani potentiâ, Margarita Regens Ducissa Parmensis sorórque notha Regis, quæ prudentissimè Belgium in tot & tantis rerum ac populorum commotionibus pluribus annis administraverat, cùm jam nihil se ampliùs auctoritatis habere, quinimmò & despectui esse perspiceret, cum bonâ Regis veniâ in Italiam rediit. Belgæ verò plerique Albani imperia perosi, penitùs ad libertatem erecti, bellum apertè, Aurangio in Germaniâ auxilia diligenter conquirente, moliri cœpêre: de quo dicetur anno sequenti.

h Natal. lib. 18.

Consilium Sanguinis in Belgio.

XII.

Hugonoti in Gallia bellum decernunt.

In transitu Albani per fines regni Galliæ, Carolus Rex, ut mos est Principum, nequid fortè in regnum & oppida quædam controversa, intentaretur; sex millia Helvetiorum conscribi, & delectus per Campaniam & Picardiam haberi jusserat, qui per omnem illum tractum ad latera Albani incederent. Quæ in suam perniciem, instigatione ejusdem Albani, & ex condicto fœderis Baionensis, Condeus, Admiralius, & alij Hugonotorum principes, interpretati; hanc diù quæsitam arripuerunt occasionem arma exerendi; quæ adeò parata habebant, ut jactasse dicatur [i] Condeus, si contra Hispanos Rex agere vellet, sexaginta millia armatorum se in aciem ducturum. Consultatione [k] igitur factâ, bellum apertè gerendum decrevêre; paucas, sed magni momenti urbes occupandas; cùm primo bello experti essent, centum amplius quas cepissent, eâdem penè facilitate amissas esse quâ captæ fuerant, eò quòd idoneæ virès ad eas defendendas non suppeterent: Helvetios, priusquàm ad Regem pervenissent, inopinato aggressu cædendos: ac specie Cardinalem Lotharingium, quem suis consiliis infestissimum dicebant, pellendi aulâ, vel ut alij habent, supplicem libellum Regi offerendi contra injurias quas sibi passim fieri querebantur, ipsum Regem intercipiendum. Fuêréque ista adeò Regi ac Reginæ occulta, itáque longè ab eorum cogitatione & mente; ut quamvis frequentes nuncij eâ de re ad Reginam è longinquis maximè provinciis mitterentur, quibus certò significabatur destinatam diem Regi capiendo esse vigesimum nonum Septembris, quo celebratur festum Sancti Michaëlis Archangeli, celebraturúsque erat Rex solemnitatem Equitum Ordinis Gallici Sancti Michaëlis: non solùm Regina hujusmodi nuncios aspernaretur, verùm etiam iis qui eos mitterent succenseret: uti sibi etiam contigisse vigilantissimus Monlucius tunc Aquitaniæ præfectus, cui res patefacta fuerat, in suis commentariis [l] queritur.

i Schard. in Reb. gest. sub Maximil.

k Thuan. lib. 42.

l Monluc. lib. 6.

XIII. Coniuratio ad Regem intercipiendum.

Erat tunc Regina cum Rege Moncelli, non longè à Meldis civitate Briæ: & locum ad conveniendum condixerant suis Condeus & Admiralius, Rozeum ejusdem provinciæ oppidum. Quare ex loci proximitate re notiori factâ, frequentibus subinde nunciis perculsa Regina, Meldas Regem deduxit, quò tutior esset; ipsis quoque Helvetiis eodem propè tempore appulsis, celeritate suâ hostium consilia eludentibus. Coacto Meldis consilio, ad deliberandum quid facto opus esset cum Monmorantius Connestabilis multis allatis rationibus pro Regis existimatione censeret Meldis manendum, ubi tutus esset præsidio Helvetiorum; vicit nihilominus Ducis Nemorosij longè securior sententia, ut nocte ipsâ Rex Lutetiam, quæ nonnisi decem leucis Gallis inde distabat, proficisceretur; cum metus esset ne in oppido ignobili obsideretur, crescente in horas & momenta adversariorum numero: frustrà in contrarium vociferante Hospitalio Cancellario, sive quòd timeret, ut nonnulli excusant, ne Rex discrimini objiceretur; sive ut alij, quòd addictus esset factioni adversariorum. Unde & tantam in se invidiam concitavit, ut ei sustinendæ impar, proximo anno, ut dicetur, muneris sui functione abdicare se, & aulâ secedere postremò coactus sit.

XIV. Rex Lutetiam se recipit.

Capto igitur abeundi consilio, Rex post mediam noctem diei vigesimæ septimæ Septembris, viam ingressus cum Regina, totâque aulâ, in quâ aderant octingenti circiter nobiles ferè inermes; Helvetiis, qui vix quatuor dumtaxat horarum spatium ad quiescendum ab eorum adventu habuerant, ad latus ejus signis explicatis alacriter incedentibus: vix quatuor leucas confecerat, cum albescente jam die Condeus cum quadringentis nec multum amplius equitibus egregiè instructis adfuit, ac regios levibus certaminibus lacessere cœpit. Cum Helvetij summam animi præsentiam, & pugnandi voluntatem, osculo etiam ter-

ræ impresso, quod præliaturi solent, præferrent; Connestabilis veritus ne incalescentibus animis res sensim ad justum prælium cum alterius vel etiam utriusque partis discrimine deveniret: Regi ac Reginæ auctor fuit, ut diverso itinere cum delectâ equitum manu, quam Dux Aumalius in occursum Regis duxerat, Lutetiam rectâ tenderet: ipséque cum Helvetiis, ac reliquo comitatu, semper ordine incedens, & frontem instante hoste per vices vertens iter perfecit exiguo utrimque damno. Rex verò Lutetiam pervenit ante vesperam diei vigesimæ octavæ, cùm nihil totâ die gustâsset à discessu è Meldis: odio ex fugæ necessitate intùs concepto, quod nonnisi cum adversariorum pernicie deposuit. Interim tamen illud dissimulans, cùm ij Lutetiam arctè, cingere deliberantes, cuncta circùm loca occupâssent, ut præclusis aditibus urbs comeatu omni prohiberetur; pluresque velares moletrinas circa urbem incendissent, majore Parisiensium terrore quàm damno, sed gravi Regis injuriâ atque contemptu: ipse nihilominùs Rex pro rebus componendis ad eos mittens Hospitalium Cancellarium cum aliis nonnullis, nonnisi præfractissimas postulationes retulit; nimirum ut Helvetios quam primum à se dimitteret; in ipsorum calumniatores severè animadverteret; interpretationes ac declarationes edictorum in ipsorum gratiam factorum revocaret; libertatem conscientiæ concederet; dignitates & magistratus nullo religionis discrimine impertiret; populum tributis Italorum, & aliorum plus justo in aulâ potentium suggestione impositis levaret. Majoríque audaciâ Condei nomine programmata passim affixa sunt; quibus itidem declarabatur, (quod plerumque solent seditiosi atque rebelles) sumpta arma esse, ut tributis & vectigalibus Italorum artibus in Reipublicæ perniciem, & nullum Regis usum inventis, populus levaretur, libertásque pristina restitueretur.

Hugonotorum postulata.

XV. *Feciali regius ad eos mittitur.*

Quibus irritatâ vehementissimè Reginâ, quòd quæ de Italis dicerentur, in se Italam dicta satis intelligeret; non ampliùs colloquiis agendum censens, Regi suasit, ut nullo postulatis sectariorum facto responso, fecialem mitteret. Qui sagulo seu paludamento liliato armatus, ad eos apud Sandionysium oppidum, duabus tantummodò leucis Gallicis à Lutetiâ distans, ubi tunc erant, Nonis Octobris accedens, ritu solemni regio nomine obtestatus est; quandoquidem ad solum Regem imperij administratio, delectus militum, pecuniarum impositio spectaret; cúmque Princeps Condeus, tres Colinij fratres, Franciscus Comes Rupifocaldius, & alij plerique, cum armis injussu suo convenissent; ijdem coram Rege exarmati se sisterent obedientiam ei præstaturi; sin minus, extemplò declararent an quæ egissent tueri, atque cœptis insistere vellent, ut eâ declaratione ab eis factâ, ipse pro rei merito decerneret. Eo audito sectarij postulata mitigantes, ad unum illud reduxerunt, quo absolutam sibi religionis ac conscientiæ libertatem, nullo penitùs locorum aut personarum discrimine, sublatis omnibus interpretationibus aut circumscriptionibus, concedi petierunt. Ad quos rursùm Connestabilis missus, cùm numquam Regem illud ita absolutè concessurum affirmaret, ipsique nihil detractum, aut diminutum vellent; omnis concordiæ ratio abrupta est, & utrimque versa omnis ad bellum cogitatio. Súntque auctores,[m] qui asserant, Condeum apud Sandionysium Regem à suis coronatum esse: monetámque auream impressam, cum hâc inscriptione *Ludovicus XIII. Dei gratiâ Francorum Rex, primus Christianus.* Quorum assertioni cùm fidem adhibere pudeat, ob verecundiam Principis, & quòd à nullis nostrorum assertam reperimus, desistimus ab ejusmodi audaciæ exagitatione; quam sanè, si vera fuisset gravissimam mereretur.

[m] *Sur. in commentar. Natal. lib. 18. Isselt. &c.*

XVI.

Inter cetera oppida, Sectarij Aureliam etiam urbem ceperunt; & Lutetiam ad magnam rerum egestatem redegerunt: fremente plebe adversus Connestabilem, quasi ob affinitatem cum Condeo, & cum Coliniis cognationem, conniveret. Qui propterea receptis primum aliquot circùm munitionibus, quibus liberior ad comeatum via aperta est, etiam ad hostes Sandionysio & totâ regione pellendos animum adjiciens, copias eduxit in latam planitiem quæ Lutetiam & Sandionysium interjacet; quæ constitisse dicuntur tribus millibus equitum, & sedecim peditum: cum ob dispersas in varia loca hostium vires, Condeus & Admiralius non amplius mille quingentos equites, & mille ducentos pedites Sandionysij haberent. Qui nihilominus magno animo ad certamen accedentes, majori pugnârunt; adeò ut initio victoria ab iis stare videretur. Verum Franciscus Monmorantius major natu filius Connestabilis, cujus eo die virtus præcipua fuit, tanto impetu in hostes irruit, ut quoscumque obvios habuit; in fugam versos latè sternere cœperit: cum ex aliâ parte Connestabilis pater, in quem Condeus impressionem fecerat, diffugientibus undique suis miserabiliter desertus, cum nullum non solum primarij ducis, sed militis etiam in illâ ætate emeritus senex munus non implevisset, belli vim in proprium corpus recipiens; accepto in facie vulnere, & undique circumventus, cùm à Roberto Stuarto Scoto (qui propter conjurationem Ambosianam contra Franciscum II. fuerat olim in carcerem trusus) ut se dederet rogaretur, ipse validâ adhuc manu capulo gladij maxillam ejus tantâ vi cæcidit, ut ei tres dentes excusserit: qui impatiētiâ doloris exacerbatus, sive alius Scotus, brevis sclopeti ictu in tergum directo, lethali plagâ eum cōstravit. Supervenientibus Aumalio & Damvillâ certamine restituto, post acre rursùm certamen, quo Condeus equo lanceâ suffosso in magnum periculum incurrit, nox prælium diremit. Nec minus aliâ parte Admiralius periculum adiit, ab equo Turco duri oris habenis incisis cum fugientibus regiis, aliquanto tempore abreptus, sed non agnitus. Pugnatum est quarto Idus Novembris pridie festi Sancti Martini, à primâ horâ post meridiem usque ad noctem: victoriâ à regiis stante,[n] qui campo potiti sunt, & cadavera in potestate totam noctem habuerūt; pleniorem victoriam procul-dubiò reportaturis, nisi nox eâ illis invidisset.

Prælium Sandionysianum.

[n] *Hadrian. lib. 19. Bellefor. lib. 6. cap. 105. Thuan. lib. 42. & alij.*

Cæsi ex regiis fuêre ad quinquaginta equites, inter quos nonnulli duces extitêre pedites trecenti: ex hostibus plus quinquaginta ex ducibus ac præcipuâ nobilitate, trecenti alij equites, pedites longè plures.

XVII. CONNESTABILIS GLORIOSUS OBITUS.

Connestabilis sex vulneribus acceptis Lutetiam relatus postridie, seu ut alij habent tertio die, optimè meritam de regno Galliæ animam Deo reddidit paulò minor octogenario: qui quam præclarè duxerat vitam non poterat præclariùs profundere; nec de adversâ sæpè expertâ in bellis fortunâ, gloriosiùs triumphare; quàm cùm eâ ætate, pro religionis Catholicæ & avitæ, cujus semper observantissimum se præbuit, defensione; pro Regis sui & patriæ, quorum nominis & salutis numquam non studiosissimus fuit, tuitione, adversus affines, & cõsanguineos suos, religionis desertores, Regi rebelles, patriæ hostes; in oculis Regis & patriæ, victor clarissimè ac felicissimè oppetiit. Iusta ei regali ferè pompâ Lutetiæ persoluta sunt; deductâ in funere ipsius effigie, qui honos solis Regibus ac Regum filiis haberi consuevit: fuitque ipsius cor positum in monasterio Cælestinorum in sacello Aurelianensi juxta cor Henrici Secundi, sicuti olim Henricus vivens præceperat in signum arctæ suæ in ipsum benevolentiæ: corpus autem delatum fuit ad sepulchra majorum in ecclesiam oppidi Monmorantij; Atque intereà quasi in funere publico ab armis temperatum est: & dum de novo duce creando deliberaretur, intermissa victoriæ persecutio. Quâ occasione Condæus, ut famæ de clade acceptâ tam in regno quàm apud Germanos, quos pro auxiliis solicitaverat, consuleretur, voluit Andelotum Admiralij fratrem, qui cum novis copiis accurrerat, sese in armis ad urbem Lutetiam, quasi regios denuò ad certamen provocantem ostentare: qui nihilominùs tumidâ suâ ostentatione molitrinam quamdam velarem agrestis, quam Guerrius quidem strenuùs ordinum ductor tuendam susceperat, capere non valens, cum ignominiâ repulsus est.

XVIII. AUGENTUR UTRIMQUE EXERCITUS.

Posteà verò cùm metuerent, ne confluentibus quotidie ad Regem novis copiis, in Sandionysio obsiderentur; aut quominùs cum ceteris copiis quæ pariter toto regno ad signa concurrebant, & cum Germanis, qui duce Ioãne-Casimiro filio Friderici Electoris Palatini, in auxilium adventabant, conjungi possent, impedirentur; relicto loco, obviam Germanis processerunt in Lotaringiam. Quò etiam missus Aumalius à Rege fuerat, ut tria millia equitum itidem in Germaniâ à Ioanne-Guillelmo Duce Saxoniæ, & Carolo Marchione Badensi, Regis nomine solicitatione Lansaci conscriptorum adduceret; ac si posset adversa auxilia impediret; quæ 7500. equitum, 3000. peditum millibus constabant. Adduxit etiam pro Rege Ludovicus Gonzaga Dux Nivernensis ex Subalpinâ provinciâ copias, quas pecuniâ à Pio V. Pontifice rogatu Regis subministratâ conduxerat: qui in itinere Matiscone, quæ à sectariis detinebatur, captâ; ductísque in Campaniam copiis ad Henricum Ducum Andegavensem fratrem Regis Caroli; (qui ab eo creatus est legatus toto regno; sedecim tantummodò annos natus; ita ut penes eum nomen, penes duces ac proceres qui attributi sunt potentia imperandi esset:) dum Nivernium ad uxorem graviter ex puerperio ægrotantem cum sexaginta equitibus pergeret, juxta Donzium suæ ditionis oppidum in hostes incidens, post acre certamen illos fugavit; sed accepto in genu vulnere, quo perpetuò claudicavit. Venit item ad Regem missus ex Belgio ab Albano Duce Ioannes Lignius Barbansonus Arembergij Comes præcipui nominis dux cum 1500. equitibus optimè instructis, & delecto comitatu, ac duobus tribúsve peditum millibus. Quibus accessionibus non mediocriter aucto regio exercitu, haud tamen intermissum de pace negotium.

XIX. CARNOTUM OBSIDETUR A CONDEO: MIRUM DE IMAGINE B. VIRGINIS.

Quod dum in longum traheretur, Condeus auxiliis Gallicis Germanicísque potens, Carnotum in Belsiâ obsedit. In quâ obsidione illud mirabile accidit; quòd cùm milites hæretici in Imaginem Beatissimæ Virginis urbis patronæ, quæ extat supra portam Drocensem, sclopetos suos tamquam in scopum frequentissimè cominùs disploderent, numquam tamen eam tangere potuerint; licèt proximè accederent; quæ adhuc Imago ibidem visitur integra, cum signis circumquaque ictuum impressorum: vidimúsque nos ipsi sæpiùs. Et tantâ protectrice freti, quid timere habebant propugnatores? Qui & insuper cùm acriter se defenderent, præfectis Antonio Lignerio & Ioanne Burdelio; demùm post multos ultrò citróque itus & reditus, interventu legatorum Angliæ & Florentiæ, conclusa pax est, hostibus ad eam coactis rerum necessitate magis quàm voluntate, mense Martio anni proximi: *Carnotensis* dicta, quòd in ejus urbis obsidione facta sit; regio edicto promulgata Parisiis die 23. ejusdem mensis: nullo alio magno operæpretio hoc paucorum mensium bello edito, præter levia quædam variis locis certamina, & nonnullas à sectariis occupatas urbes.

PAX CARNOTENSIS.

Inter quas fuit *Rupella* in Santonibus ad mare sita, portûs commoditate, & maritimâ negotiatione dives, ac privilegiis & immunitatibus à Regibus concessis ferox: quæ proditione Trucharis Majoris urbis, in potestatem Condei venit: nec ab eo tempore ampliùs ad Reges rediit, sed liberæ Reipublicæ more sese gessit: quousque demùm sexagesimo pòst anno memorabili obsidione à Rege LUDOVICO IUSTO capta, & sub jugum redacta, facta est cunctis rebellibus in exemplum justæ vindictæ contemptæ regiæ auctoritatis.

RUPELLA A REGE DEFICIT.

XX. PACIS CONDITIONES.

Fuêre autem prædictæ pacis conditiones; ut edictum mense Martij anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertij factum pro libertate conscientiæ absque nullis declarationibus aut exceptionibus integrum maneret, additâ tamen in fine clausulâ, quousque aspirante Dei clementiâ omnes populi ditioni regiæ subditi ad eamdem religionis unitatem reducerentur: tumultuum nuper excitatorum memoria aboleretur; auxiliares hostium copiæ dimitterentur; urbes restituerentur. Quæ si sectarij ut polliciti fuerant præstitissent, aliquis ex concordiâ fructus expectari potuisset. Sed quoniam non nisi vi, ac rerum omnium

penuriâ coacti, eam acceptaverant, ut interim melius rebus suis providerent; fuit hoc dilucidum tantummodò intervallum sex circiter mensium: ac propterea dicta hæc *Pax parva*, seu *Brevis*, atque etiam *Ficta*: animis hinc inde alienatis permanentibus; Regis quidem ac Reginæ ob memoriam gravissimarum injuriarum nuper acceptarum; Condei verò, & præcipuè Admiralij, (cui ex doctrinâ suorum ministrorum; quibus nimis deferebat, sanguinem semper sitientium, discordiæ & cædes in deliciis erant) ob dolorem parvi rerum successûs, & desiderium ad destinatum consilium quocumque modo perveniendi.

XXI. Pertinet ad res Gallicas memorabile facinus cujusdam illius nationis hoc eodem anno susceptum; quod licèt non adeò ad res Ecclesiasticas aut religionis pertineat; in gratiam tamen nationis, & familiæ de Ecclesiâ & religione Catholicâ benè meritæ, non immeritò his Annalibus breviter inserendum visum est; quo & multi alij suas Historias illustrarunt. Vidimus superiùs [o] sævissimam crudelitatem, quâ usi essent Hispani in quosdam Gallos, qui nomine regio in Floridam appulerant, & munitionem ibi construxerant. Eâ re auditâ *Dominicus Gourguesius* Monte-Marsani in Novempopulaniâ ortus, sed Burdegalæ habitans unà cum fratre Augerio quæstorum Aquitaniæ præside, patre M. Antonij, qui fuit Senatûs Burdegalensis princeps: vir ingenio acer & manu promptus; qui cùm bello Italico ab Hispanis captus & contra belli leges indignè ad remum addictus, à Romegasio equite Ierosolymitano libertati restitutus fuisset, tantum erga Hispanos odium ex acceptâ injuriâ conceperat, ut nihil magis animo quàm vindictam agitaret. Accedente ad privatam publicâ illâ injuriâ Floridanâ, hanc arripiens occasionem Hispanis in longinquis regionibus nocendi, quam vix in proximis ob fœdus utriusque nationis reperire potuisset: armatis propriis sumptibus tribus navibus, expeditionem in Floridam suscepit cum ducentis selectis militibus, præter nautas; celato tamen consilio fingens in Brasiliam ire, quò iam aliàs navigaverat. Solvens igitur 11. Cal. Septemb. è portu Burdegalensi, in itinere consilium suum aperiens, cunctis propositum ejus comprobantibus, in Floridam appulit. Gratissimè à Regibus barbaris; qui olim cum Gallis amicitiam contraxerant, & ab Hispanis dirissimè se habitos querebantur, exceptus; renovato cum iis fœdere, adversus Hispanos conjunctim progressi sunt, qui præter Carolinam arcem Gallis ademptam, alias duas munitiones locis commodis, & duabus leucis ab invicem dissitas, construxerant, optiméque instructas præsidio quadringentorum delectorum Hispanorum custodiebant. Et quamvis pluvioso cælo, & locis aquosis non parùm retardati, omnia impedimenta fortiter superantes, fortiù Hispanos in suis munitionibus bidui spatio expugnarunt; cœptâ aggressione pridie Dominicæ Quasimodo anni proximi, quæ fuit 15. dies Aprilis. Fuêre Hispani ad unum omnes occisi; præter nonnullos, qui servati sunt ad supplicium; & post exprobratam iis à Gourguesio immanitatem & perfidiam, quâ in Gallos ante triennium usi fuerant, ad easdem arbores suspensi sunt, ad quas ipsi Gallos suspenderant: addito elogio, Non hæc illis fieri tamquam Hispanis, sed tamquam proditoribus, homicidis, & latronibus. Armis, tormentis & comeatu, in naves impositis, munitiones solo æquatæ sunt: & Gourguesius de ultione sumptâ, & assertâ ab Hispanorum jugo Floridâ triumphans, petitâ à regulis veniâ, quos ad fœdus cum Gallis servandum sedulò hortatus est, factâ etiam spe mittendarum à Rege novarum copiarum; quinto Nonas Maias Floridâ solvens, rarâ navigationis felicitate octavo Idus Iun. Rupellam incolumis eodem anno proximo appulit; amisso uno navigio cum octo hominibus; & aliquot nobilibus qui in oppugnationibus castrorum Hispanorum occubuerunt. De ejus facinore gravibus factis à Philippo Hispaniæ Rege apud Carolum Galliæ querimoniis; & quod etiam Philippus capiti ejus pretium dixisset; denique offensionis argumentum Rex præseferret, quòd injussu suo expeditionem suscepisset: idem tamquam quietis publicæ perturbator, ad tempus latere apud amicos compulsus est. Res verò gesta uberiùs singillatímque Latinè descripta habetur parte secundâ Americæ editionis Theodori de Bry, & in Historiis Iacobi-Augusti Thuani: Gallicè ex iis apud Marcum Lescarbotum in Historiâ Novæ Franciæ.

[o] *An. 1565. XXVI.*

GOURGUESII EXPEDITIO IN FLORIDAM.

HISPANORUM CÆDES.

IESU CHRISTI Annus 1568.

PII V. Ann. 3.

MAXIMILIANI II. Ann. 4.

ANNO Christi millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, Indictione undecimâ, pervenimus tandem ad ætatem nostram: qui hoc anno, die sextâ Ianuarij, Epiphaniæ Domini & trium Regum adorationi consecrata in mundum effusi sumus, Malleone [a] Solæ patre *Eneco de Spondo*, tunc à secretis Reginæ Navarræ, & matre *Saluatâ de Hostâ* Baionensi, filia Martini Pampilonensis: baptizatique fuimus in oppido Sanpelagio citerioris Navarræ, à Malleone tribus leucis distante; susceptore HENRICO Principe Ioannæ Reginæ filio, qui posteà fuit Henricus Magnus Rex Galliæ hujus nominis Quartus; qui patrem coëgit nos eò ad id deferre, inter arma civilia quibus ea regio conflictabatur religionis causa, data etiam cohorte militari ad securitatem itineris. Cùm igitur scribat Cicero, [b] Historiam esse gestam rem, ab ætatis nostræ memoria propter vetustatem remotam; satius videri posset (quod multis usurpatum simili occasione comperimus) manum de tabula tollere; eóque maximè quòd cùm quæ deinceps gesta fuêre non paucis adhuc superstitibus notissima sint, gravius nobis impendat periculum ab eorum censuris; qui ferè nonnisi ex auditu & aliorum relatu res prodere possimus. Verùm cùm multo plures existant, quibus nec per ætatem illas videre licuit, nec otium aut voluntas adsit uniuscujusque nationis

I. ÆTAS AUCTORIS HORUM ANNALIUM.

[a] *Vid. supr. an. 1549. VIII.*

[b] *Cic. lib. 1. de Invent.*

tionis commentarios evolvendi, unde certam earum cognitionem hauriant: maluimus & discrimen alicujus reprehensionis ab iis antiquioribus adire, & juniorum gratiam, (siqui fuerint quibus hoc operæpretij utile censeatur) singula, ut hactenùs fecimus, subministrando inire; quàm cœptis, dum vires adhuc miseratione divinâ in gravi ætate suppetunt, & cælestis aura aspirare videtur, præ socordiâ aut diffidentiâ absistere: licèt non fortè in omnibus tantâ sermonis amplitudine, & singulorum auctorum allegatione aut examine res gestas, quippe notiores, narraturi atque pensitaturi.

II. Historia carceris et mortis Caroli Infantis Hispan.

Cùm autem hoc ipso anno gravissimi ac lamentabiles per varia regna casus acciderint; Hispanicus tam suî insolentiâ, quàm temporis prioritate, ceteris omnibus locum præripiet: nempè Caroli, filij primogeniti atque unigeniti Philippi Hispaniarum Regis ex Mariâ Lusitanâ prima conjuge, à patre in custodiam tradito, & paulò pòst subsecuta mors. Rem multi describunt, paulóque diversè; nulli tamen absque aliquâ indignatione, simul & commiseratione. Habemúsque nos relationem tunc Madrito, ubi res contigit, scriptam Italica linguâ die 26. Ianuarij, cùm casus decimo octavo contigisset, ex qua, vel alia simili, Natalem [c] Comitem suam narrationem hausisse apparet, cùm eadem penè sit. Summáque ejus est: eâ die Regem primarios Principis cubicularios monuisse, darent operam ne nocte ostium cubiculi ejus clauderetur, ac variis sermonibus insomnem eum detinerent in lecto donec institutum esset. Horâ circiter undecimâ noctis Regem cum quatuor consiliariis statûs, & duobus suis famulis cubiculariis clavis & malleis instructis summo silentio sine lumine & armis ingressum esse; priúsque gladium & sicam Principis è pulvinari subduxisse, quàm is qui aversus colloquebatur cum suis, sentiret. Ubi verò animadvertit, turbatum petiisse an Rex ad ipsum interimendum accessisset: Negante illo, ac Principe quietè agere jusso, cubiculariis suis præcepisse fenestras clavis obstruere: Turbatiorem inde Principem è lecto exilientem, in ignem qui magnus in camino accensus erat sese conjicere voluisse, sed retentum esse: recurrisse ad candelabra, sed & illa; & cantherios focarios, aliáque omnia quæ occidere possent sublata fuisse: Tunc ad genua Regis projicientem sese, eum rogâsse ut se interficeret; at Regem perhumaniter monuisse ut in lectum rediret: & eductis è cubiculo ejus capsis & scriniis, custodiam ejus commisisse quatuor illis consiliariis quos secum duxerat; ac præcipuè Duci Feriæ qui præfectus erat custodiæ regiæ: Cùm dies illuxisset, convocatis regnorum suorum Consiliis, rationem singulis reddidisse rei gestæ, ad quam maximis de causis suo tempore detegendis compulsus fuisset: ac ministris à secretis injunxisse idem provinciis per literas significare: Ipsum quoque propriâ manu ad Pium Pontificem scripsisse; coactum se omninò fuisse id exequi, licèt dolentissimè, pro munere quo erga Dei obsequium, & regnorum suorum commodum obstringebatur; ac de iis quæ subsequi contingeret, cùm foret necessarium, certiorem eum redditurum: Post paucos dies mutatos esse custodes Principis; unicum ei cubiculum relictum, cui nomen Turri, (ex cujus nominis æquivoco Hadrianius [d] erroneè existimavit Principem inclusum fuisse Turri munitissimæ) sine camino, cum fenestris altis, parvis & clathratis. Ita in relatione quam dixi: quæ quoniam scripta fuit octo diebus post Principis capturam, non potuit de morte ejus loqui; quæ demùm contigit ad finem dumtaxat mensis Iulij.

[c] Natal. lib. 19.

[d] Hadr. lib. 20.

III. Causæ ejus carceris.

Causas autem tantæ deliberationis tributas fuisse ait, vel defectui mentis Principis, vel desperationi quòd nimis arctè à patre teneretur, qui jam vigesimum tertium ætatis annum ageret: visáque fuisse signa decretæ ex Hispaniâ fugæ, & ut quidam addebant, regnorum occupationis etiam cum patris morte: eâque de re fuisse patrem à Ioanne Austrio fratre suo naturali clàm monitum, cum quo classem regiam in Italiam ducturo Princeps de profectione suâ egisset. Ac de his quidem varia varij adeò ut sint etiam turpiores simul & maligniores, qui velint zelotypiam intercessisse patris de conversatione filij cum Reginâ. Constans autem plerorumque opinio est, juvenem turbidi atque efferati ingenij, & imperij cupidum, novas res molitum esse; atque aperti odij in Ducem Albanum professione, & excusationis seditionum Belgicarum manifestatione, suspicacem patrem vehementiùs in se concitâsse. Quod autem à quibusdam recentioribus vulgatum fuit, etiam suspectum fuisse de favore hæresis; id à nemine illius temporis assertum reperitur: quamvis sint qui scribant, sub idem tempus arcas nonnullas Calvinianis refertas Catechismis in Hispanicum idioma conversis, Lugduni ac Tolosæ deprehensas fuisse. Sed non deerant hæreticis, absque tali suasore aut protectore, consilia & artes ad eam pestem in Hispaniam invehendam. Quæcumque verò demùm fuerint causæ, haud dubium esse potest quin gravissimæ extiterint, quæ patrem ad unigenitum filium sic tractandum impellere potuerint. Qui quidem cùm impatientissimè detentionem suam ferret, indecoram regiæ fortunæ notam morte delere statuens, quod gladio non dabatur exequi, aliquando adamantem ex anulo quem gestabat extractum occultò voravit, (ut Maurocenus [e] in Historia Venetâ scribit) durissimo lapide incidere corporis nexus posse ratus: eóque non succedente, ac nihilominùs vitam obstinata mente pertæsus, aliquando inediâ ejus finem, rursúmque ciborum ingurgitatione, ac præcipuè continuâ aquæ frigidæ potatione quæsivit. Factúmque est demùm, ut resoluto inde stomacho dysenteriâ correptus, ad extrema pervenerit quæ seriò cogitans, ac de præteritis dolens, susceptis ritè ac piè Ecclesiæ sacramentis, mortem constanter placidéque obiit vigesimoquarto Iulij in vigiliâ S. Iacobi Apostoli Hispaniarum protectoris, annum ingressus ætatis vigesimum quartum. Ita namque plerique: præ quibus minimè audiendos existimamus, qui Philippum Regem volunt, re cum Inquisitionis officio communicatâ, mortem filio, quam tantoperè cupiebat, ne sibi ipsi inferret, veneno accelerâsse. Fuere

Quærit mori.

[e] Maurot. lib. 8.

Ejus obitus.

autem illi exequiæ factæ tanto Principe dignæ; sepulto cadavere Madriti in ecclesiâ S. Iacobi. Post quem mortua quoque est mense Octobri *Isabella* Regina uxor Philippi, soror Regis Galliæ, ex immaturo partu masculo, qui cum illâ periit. Cujus loco posteà Philippus Annam Maximiliani Cæs. maiorem filiam, ex sorore ipsius Philippi natam, olímque promissam Carolo Principi, cum dispensatione Apostolicâ quartis nuptiis uxorem duxit.

ET ISABELLÆ REGINÆ.

IV. REGINA SCOTIÆ ELABITUR È CARCERE SUORUM.

Eductis prædictis ex vitæ ergastulis, jam nobis liberanda est etiam Regina Scotiæ ab illo, quo à perfidis & sceleratis subditis detinebatur in arce lacûs Levini, atque in aliud propudiosius iniquæ propinquæ conjicienda; donec gloriosiori fine inde eximamus, quàm fœdiori initio introduxerimus. Dum igitur Moravius nothus, qui Proregem agebat, conventum ordinum regni apud Glascuam pro rebus suis contra Reginæ fautores stabiliendis pararet; Regina opera Georgij Douglassij, cujus fratri arcis domino ejus custodia commissa erat, clàm naviculâ elapsa ex sexto Nonas Maij: ac inventis in ulteriori ripâ equitibus qui eam exciperent, postridie ad castrum Hamiltonium pervenit, ubi rogatis atque auditis Roberti Melvini & aliorum testimoniis, magno procerum ac nobilium qui aderant consensu, cessio à Reginâ in carcere facta nulla & irrita declarata est, eò quòd vi ac metu extorta esset; publico instrumento inde confecto, quod Regina jurejurando confirmavit: confluentibúsque ad eam mox quamplurimis qui vicem ejus miserabantur, brevî non contemnendas copias habuit. Contra quas Moravius progressus, dum Regina ad Dombritonium iter haberet, eas aggressus atroci conserto certamine, Reginæ copias impetu magis quàm consilio pugnantes facilè profligavit; cæsis aut captis de nobilissimâ gente Hamiltoniâ, quæ præcipua inter reginas erat, déque ceterâ nobilitate quamplurimis. Regina cum ceteris qui superfuêre equitibus effusâ fugâ Angliam versùs tendens, emensa dicitur eo die sexaginta ferè milliaria. Ubi verò se extra periculum esse vidit; antequàm Angliam ingrederetur, deliberans cum suis quam melius esset viam tentare ex tam difficili negotio erumpendi; & aliis Hispaniam petendam censentibus, aliis Belgium ad Ducem Albanum, aliis Galliam quasi alterum natale solum, nonnullis etiam haud Scotiam derelinquendam ubi facilè vires reparari possent: ipsa omnibus pensitatis statuit non excedere ex insulâ, præsertim nullis paratis navibus aut comeatu; verumtamen nullo modo standum esse in Scotiâ, in quâ nec ullibi tutò mansura esset, nec prætereà posset suorum fusum sanguinem æquis oculis contueri: superesse sibi Angliam, in quâ vel tutum præsidium speraret promissum sibi frequenter ab Elisabethâ Reginâ, vel saltem liberum in Galliam transitum.

COPIÆ EIUS CÆDUNTUR A MORAVIO.

V. FUGIT IN ANGLIAM.

Quapropter præmissis ad Elisabetham literis, quibus deliberationem suam de Anglia adeundâ significabat, dissuadentibus nequicquàm suis; ac præcipuè Ioanne Hamiltonio Archiepiscopo Sancti Andreæ Primate regni; multæ prudentiæ & virtutis viro, infausta ab Elisabethâ, præteritarum delusionum ab antiquis Regibus Anglis in Scotos exercitarum exemplo, ominantè; minimè expectato Elisabethæ responso, decimoseptimo Maij cum paucis Widdringtonium in Cumberlandiâ pervenit: eodémque die secundas literas ad Elisabetham scripsit, quibus petebat accessum ad illam. Elisabetha autem misso Francisco Knolles regiæ cohortis duce, qui eam suo nomine in speciem consolaretur, negato ad se accessu, donec de causâ cognitum esset; quò nihilominùs tutior esset, ut præseferebat, Carleotum deduci jussit sub arctissimâ custodiâ. Qua de re cùm Maria Scota quereretur, & abeundi licentiam postularet; aliâ arte usa Elisabetha, tamquam de ejus causa cognitura, Moravium & alios Scotos Reginæ adversarios Eboraci adesse jussit; quo & ipsa Norfolcium Ducem & alios suos delegatos misit; & Maria item suos, factâ tamen protestatione se id agere, non quòd superiorem aliquem præter Deum in temporalibus agnosceret, sed ut innocentiam suam omnes intelligerent. Ibi jactata magnâ contentione Henrici olim Scotiæ Regis cæde, quam refundebat perfida factio in Mariam; eáque accusatione uti calumniosa à Norfolcio & sociis cognitoribus rejecta: Moravius Norfolcium apud Elisabetham accusans de matrimonio cum Scota ambito, de quo ipsemet, infami & spurio digna in utrumque proditione, sermonem ingesserat; effecit ut miser Norfolcius tandem, novis accedentibus suspicionibus aut veris aut fictis, post aliquod tempus capite truncatus fuerit. Maria verò post prædictum conventum Eboracensem; & aliam disputationem coram ipsamet Elisabetha inter Mariæ delegatos ejúsque accusatores eadem de re subinde habitam; cùm nihil eluceret cur in Anglia detineri deberet, nihilominùs quòd decretum esset Elisabethæ haud illam dimittere, ob periculum quod ab ea sibi imminebat, uti vera & legitima herede regni Angliæ, cujus & titulum olim suscepisse diximus: quæsito colore novarum suspicionum, & causæ ejus pronunciationis in aliud tempus differendæ; misera in Angliæ interiora Turburiam abducta est, & Salopiæ Comiti in arctiorem custodiam tradita, de cujus subsequentibus miseriis & calamitatibus dicetur pro ratione temporis.

ACCUSATUR APUD ELISABETHAM ANGL.

VI. BUCHANANI PERFIDIA.

In quibus tamen, ceterísque ejus rebus, nulla fides habenda impio illi & detestando *Georgio Buchanano*, qui adfuit in obsequio spurij Moravij; quippe quem & ipse Camdenus Anglus, quamvis pro Elisabetha agens, & à religione Catholica alienus, scribit tamen fuisse in Moravij verba juratissimum; ejúsque criminationum adversus Mariam compactarum libellum, parùm fidei tam apud cognitores Eboracenses, quàm apud Reginam ipsam Elisabetham invenisse, ut hominis partiarij, & fide promercali. Rémque ipse Camdenus longè sinceriùs describens, apertè Mariam à calumniis vindicat; & quomodò Elisabetham à culpa in eam liberet ægrè invenit. De Duce verò Norfolcio, qui princeps cognitorum Eboraci erat, ait, cùm Elisabetha causam inde ad se evocasset, ipsum ex animo lætatum esse, qui Reginæ Scotorum

in

in successione juri semper impensè faverat; & existimabat nihil aliud tunc agi, quàm ut æternæ infamiæ nota ei inureretur, indéque cum filiolo omni jure successionis in Angliâ ut indigna excluderetur; veritum, si contra eam pronunciâsset, ne conscientiæ vim inferret, eámque pessumdaret; sin pro illâ, ne implacabilem Elisabethæ indignationem, & omnium qui à Scotorum Reginâ religionis nomine, aut aliis de causis aversi erant, odium subiret quod tamen, ut diximus, haud potuit evitare, nec ipsam inde necem, tum malitiâ Moravij, tum Elisabethæ invidiâ, ut expressiùs suo loco explicabitur: cùm interim & Moravius in Scotiâ, & hæc in Angliâ nihil non egerint, quo res suas stabilirent, & religionem Catholicam pessumdarent.

VII. Proceres Belgæ citantur ab Albano.

Quibus modò omissis, in propinquum Belgium migrantes, invenimus ab Albano Duce ipso fermè anni initio, decimoquarto Calendas Februarij, publico programmate diem fuisse dictum Guillelmo Nassovio Principi Aurangio, Ludovico ejus fratri, Antonio Lalanio Hocstrati Comiti, aliísque eorum factionis sociis, ad rationem reddendam rebellionis in Regem, & sollicitationis populorum ad defectionem. Qui se sistere detrectantes, tum speciatim Aurangius & siqui alij ordine Velleris insigniti erant, de legitimæ jurisdictionis defectu exceperunt, cùm nonnisi coram ipso Rege conveniendi essent; tum omnium nomine prolixo scripto [f] dilutis accusationum singulis capitibus, in Hispanos malorum omnium culpam conjecerunt, quorum astu ac tyrannide hæc fierent ad Belgij libertatem religionis obtentu labefactandam; multis atque amaris verbis in Inquisitionem, cujus suasu & auctoritate ducerentur, necnon in novorum Episcoporum creationem, Concilij Tridentini promulgationem, & Cardinalis Granvellani ambitionem invecti: nihílque à se nisi patriæ libertatis & quietis publicæ causâ fieri contestati. Albanus autem interim in executionibus suis pergens, & validis præsidiis urbes suspectas firmans, Philippum quoque Comitem Buranum filium Aurangij, literis in Academiâ Lovaniensi operam dantem, Antuerpiam adduci jussit; & in Hispaniam instituendum misit, ubi longo tempore in libera custodia asservatus est. Audita verò quam diximus Philippi Regis in Carolum severitate, Belgæ apertæ seditionis sibi conscij, nullámque veniæ spem in eo collocantes, qui proprio filio non pepercisset; non magis quàm in Albano, cujus ferocitatem experti essent, ac quotidie experirentur qui vel minimùm, cujuscumque ordinis, dignitatis aut conditionis essent, & à quocumque tempore de hæresi aut seditione suspecti indicarentur, exiliis, bonorum publicationibus, suppliciis, mortibus, omnis generis diritatibus, adeò ut etiam innocentissimis quibúsque securis haud esse liceret: conjurationem in eum fecerunt; eâ spe quòd illo trucidato nullum adeò severum præfectum inveniri posse censerent, cautioresque fore ceteros ejus cæde deterritos; quam ei ad quoddam cœnobium religionis ergô profecturo, simúlque omnibus Hispanis inferre statuerant. At re ab uno ex conjuratis detectâ, de sceleris con-

Coniurant in eum.

[f] Rec. Schar. in Reb. gest. sub Maximil. II.

sciis qui haberi potuerunt dirum sumptum est supplicium, auctáque in ceteros acerbitas quà reliqui irritatiores facti, quod armis non poterant, criminosis & contumeliarum plenis editis libellis per urbes sparsis, populorum animos in eumdem Albanum & Hispanos concitare moliti sunt. Sed numerosiores & validiores erant Albani copiæ, ac vigilantior ejus sagacitas, quàm ut ejusmodi terriculamentis & secretis in eum odiis aliquid profici posset.

VIII. Clades mutuæ bellicæ.

Maior erat sollicitudinis occasio à fœderatorum Protestantium delectibus, quos in Germaniâ fieri audivit. Verùm & his periculis occurrens, cùm pars ad Mosam fluvium contenderet, missa suarum parte copiarum, haud magno negotio eam dissipavit ad Dalemum Gueldrensis ditionis oppidum, septimo Calendas Maij, non parvâ cæde; captis quibusque insignioribus, qui ad Albanum ducti capite luerunt. Operosior expeditio Ludovici Comitis Nassovij fratris Aurangij: qui cum majoribus copiis in Frisiam descendens, cum hâc in vexillis inscriptione, *Aut recuperare, aut mori*, captis nonnullis oppidis, occurrentem Comitem Arembergium, post acrem pugnam nono Calendas Iunij factam, quâ Adolphus frater junior Aurangij propriâ Arembergij manu peremptus est, profligavit, capto Arembergio, & posteà à quibusdam militibus in vindictam necis Adolphi occiso; plurimísque Hispanis odio gentis suspendio necatis.

IX. Albani feritas.

Quibus ab Albano auditis, hujus publicæ ignominiæ ultionem in privatorum pœnas derivans; simul ne cohortes Hispanicæ, quibus maximè fidebat, occuparentur diutiùs in custodiâ procerum ac nobilium Belgarum quos captivos detinebat; eos de medio tollere statuit; qui grandi numero Bruxellis supplicio affecti fuere ad principium Iunij. Quorum præcipui Egmondanus & Hornanus Comites, ob præstitum, ut generatim decreto damnationis asserebatur, fœderatis favorem, & dissimulationem in rebus fidei Catholicæ quantumvis uterque apprimè Catholicus esset; ipséque Egmondanus, splendore natalium & virtute militari suâ ætate peritissimus Sanquintino & Gravelinensi præliis omnium consensu victoriarum de Francis decus obtinuisset: adeóque innocentiâ sua in tumultibus bellicis confidisset, ut quamvis ab Aurangio secedente moneretur ne sese Hispanis crederet, qui nihil aliud quærebant quàm per magnatum extinctionem provinciæ libertatem opprimere; maluerit nihilominùs in Belgio remanere, quàm cum ceteris in Germaniam commigrare. Qui tandem veritatem prædictionis expertus, nequicquàm pro illo ac socio intercedente Maximiliano Cæsare ob tumultus qui inde generabantur inter Principes Germaniæ; sententia mortis accepta, de ejus severitate modestè questus, sumpto calamo ad Philippum Regem literas dedit; quibus se sibi conscium testabatur, nulla re fidem adversus eum violasse, aut quicquam in religionis Catholicæ perniciem molitum esse, nihílque fecisse quod non ad ipsius obsequium, publicam utilitatem & rerum status necessitatem pertinere existimasset;

proinde orare ut siquid in eo peccâsset, sibi ignosceret, & conjugis, innocentium liberorum, ac domestici famulitij pro innatâ clementia rationem habere dignaretur. Iis literis Episcopo Iprensi, qui ei ad consolationem datus erat, & ad confessionem peccatorum audiendam, obsignatis traditis, (qui ad Regem missurum se spopondit) ad curam animæ magnâ animi tranquillitate conversus, peccata sua prędicto Episcopo sacramentaliter ritéque confessus est, atque in Missâ summo manè celebratâ sacrâ Eucharistiâ refectus, unà cùm Hornano. Postridiéque, sexto Iunij, ductus primò Egmondanus in forum, ubi erectum fuerat tabulatum pannis nigris instratum, ibi Crucem exosculatus sibi ab Episcopo oblatam, ictum carnificis constantissimo animo suscepit anno ætatis quadragesimo sexto, ingenti omnium circumstantium lamento; necnon & ipsorum Hispanorum, quinimmò & immanissimi Albani, ut scribunt, doloris ostensione. Post quem æquè Hornanus capite plexus est anno ætatis circiter quinquagesimo; contestatus usque ad finem numquam se quid contra Regem egisse aut molitum esse. Cæsa capita columnis sunt exposita; ac post duas horas cum cadaveribus ad sepulturam concessa. Tantúmque fuit populi Bruxellensis erga Egmondanum studium, tanta omnis sexûs & ætatis benevolentia, ut magno concursu in templum Sanctæ Claræ ubi corpus ejus depositum fuit itantes, tumulum multis cum lacrymis complecterentur & oscularentur. Ejus minister à secretis paulò pòst in quatuor partes equis vivus distractus est: alij plurimi suspecti vivi combusti, & aliis atrocibus suppliciis sublati: unde nonnulli conscientiæ stimulis exagitati, multò plures suæ innocentiæ diffisi, ne in tam gravia discrimina per fraudes & insidias occultorum inimicorum aut invidorum conjicerentur, cogerentúrque per tormenta fateri quæ numquam excogitâssent, elegerunt patriam bonáque omnia deserere quàm ampliùs sub tali Busiride continuò periclitari. Factúmque demùm est, ut ex terrore tunc populis illis injecto tantum odium in Hispanos succreverit, ut ex desperatione ad defectionem pòst compulsi, jam ampliùs septuaginta totos annos eorum arma & opes magnâ parte consumant.

Egmondani et Hornani supplicium.

X. Albani victoria de hostibus.

Post hæc autem sic complanata, Albanus omni jam interiori sollicitudine liber, omnibus copiis in unum collectis adversus Ludovicum Nassovium progressus; eum jam à præmissis ducibus nonnullis levioribus cladibus affectum, apud Gemingam Emdensis Comitatûs pagum in æstuario Amisi situm assecutus est: cúmque aggeribus à Nassovianis excisis ad aquas in campum ubi regia castra erant infundendas, jam milites plerisque locis proximioribus umbilico tenùs mergerentur; nihilominùs magnâ virtute Nassovianis repulsis, canalibúsque obstructis, ventum est ad prælium die 21. Iulij, seu veriùs ad cædem; cùm regij in hostes irrumpentes tantam eorum stragem ediderunt, à meridie ad vesperam continuatâ occisione, & totâ nocte in diem usque sequentem productâ, ut septem ampliùs eorum millia desiderata sint; decem tantummodò viris ex castris regiis occisis, totidémque vulneratis, capta viginti signa, ceteris in flumen ab ipsis hostibus demersis: sexdecim machinæ bellicæ, unà cum omnibus impedimentis, in regiorum manus devenerunt: multi in captivitatem abducti: Nassovius vix natatu in ulteriorem ripam fluminis egressus, naviculâ conscensâ Emdam incolumis pervenit. Albanus de tantâ tamque felici victoriâ gratiis Deo actis, ejus nuncium ad Philippum Regem in Hispaniam, & ad omnes ubique ministros regios perferendum curavit: maximéque Romam ad Pium Pontificem; qui celebres supplicationes in gratiarum actionem peregit. Ab Emdensi verò oppugnatione Albanus abstinuit propter anni tempus jam provectum, & ne magis irritaret animos Germanorum ad accelerandos apparatus in subsidium fœderatorum. Delatus autem Amsterodamum Hollandiæ, qui nullo sanguine satiari poterat, ibi duces legionis Sardoæ, quorum culpâ clades Arembergensis quam diximus contigisse dicebatur, capite plexit.

XI. Hostes toto Belgio pellit.

Adveniens verò post hæc Guillelmus Nassovius Aurangius Princeps mense Septembri in Belgium cum magnis Germanorum copiis, hâcque in vexillis inscriptione (præter superiorem fratris ejus) *Pro Lege, Grege, & Rege*, acceptis insuper reliquiis fraterni exercitûs, ac Mosâ astu in oculis Albani transmissâ: parùm tamen profecit, Albano providè adversus eum agente; nec quid fortunæ discrimini exponere volente, quamvis etiam suppetiis Francorum à Rege Carolo sub ductu Marescalli Cossei missis, adjutus fuerit, prudentiâque id præstitit, ut Aurangius nonnullis acceptis levibus cladibus, illò redire unde venerat ad principium Decembris compulsus sit; cùm nihilominùs multis diebus utrisque castris in conspectu habitis, majora operæpretia utrimque expectarentur. Verùm longè dignior laude Albanus, qui prudentiâ suâ pulsis Belgio hostibus, integrum illud Regi suo conservavit. Cujus demùm operâ Concilio Tridentino in Belgio promulgato, & libris prohibitis penitùs interdictis; munitionibus constructis, firmatáque per alia varia decreta fide Catholicâ, & Belgij tranquillitate; regium diploma impetravit, publicaríque jussit; quo ferebatur, Regis benignitate, ex Pontificis consensu, & Albani consilio, universis præteritorum gratiam fieri, modò Catholicè deinceps viverent; nonnullis tamen adjunctis clausulis, quibus beneficium illud non mediocriter enervari videbatur. De quibus omnibus hactenùs ibi domi forísque sub Albano ac per eum gestis, est specialis tractatus Alfonsi Ulloæ, qui sub eo Tribunum militum agebat: ex quo, & ex Simone Schardio Iurisconsulto, eadem in Rebus gestis sub Maximiliano II. plenissimè tractante, plerique [g] desumpserunt; multa quoque alia singularia addentes: ac speciatim Hieronymus Conestaggius Genuensis in propriâ Historiâ horum bellorum, quam ad annum usque 1578. perduxit: & Cæsar Campana [h] Aquilanus in copiosissimâ Vitâ Philippi Hispaniarum Regis.

g Sur. in commentar. Natal. lib. 19. Thuan. l. 43. & alij. h Camp. par. 3. dec. 5. lib. 2.

XII. Munera Albano à Pontif. missa.

Virtutem Albani, & vindicatam ab eo religionem Catholicam admiratus Pius Pontifex; eidem tamquam de Ecclesiâ Dei optimè merito, pileum & ensem, Pontificiis de more

precibus

Pontif. missa.

precibus consecratos,& magnis principibus offerri consuetos,in Belgium transmisit:quod ipse munus exquisitâ ceremoniâ recipiens,publicâ etiam ludicrorum spectaculorum celebritate honestavit. Idémque ipse rei præclarè gestæ fastuosum monumentum sibi in arce à se Antuerpiæ ad urbis & provinciæ securitatem constructâ, erigens, ex tormentis æneis hostibus ereptis ingentem statuam conflavit; multis aliis minoribus signis & figuris, quæ Belgarum subactionem,& sacri ordinis ab eorum injuriis assertionem significarent, ornatam;cum literis hęc verba designantibus *Ferdinando Alvarez à Toleto Albæ Duci, Philippi II. Hispaniarum Regis apud Belgas præfecto, quod extincta seditione, rebellibus pulsis, Religione procuratâ, justitiâ culta, provinciis pacem firmavit, Regis optimi ministro fidissimo Positum.* Quæ tamen, uti nimis invidiosa, post quadriennium à Ludovico Requesenio,qui Albano è provinciâ decedenti suffectus est, Philippi Regis jussu amoveri jussa fuit.

Statuam sibi erigit.

XIII. [i] Thuan. lib. 43. Aurangii recessus.

Ceterùm in recessu è Belgio Aurangius,instigante [i] Ianlio & ducibus Gallis qui in castris ejus militabant, in Galliam, ubi iterùm bellum recruduerat, iter intendere statuens in auxilium Hugonotorum;cum jam Suessiones pervenisset monitionibus Gasparis Schonbergij à Rege Carolo missi, & seditione in militibus ejus stipendiorum defectu concitatâ, simul & rei difficultate deterritus Germaniam repetiit: & Argentinæ dimissis copiis,suppellectilis venditione,& bonorum oppigneratione, utcumque duces placavit;fraudatis interim Hugonotis spe conceptâ suppetiarum ejus.

XIV. [k] an. super. num. XIX. XX. Arma resumuntur in Gallia.

Qui quidem cito tædio affecti pacis mense Martij apud Carnotum pactæ (de quâ dictum anno [k] superiori) cùm nec præcipuas urbes captas restituerent, ut tenebantur, ac pro fastu suo nollent Regem copias ullas in præsidiis habere;quamvis nec id per conditiones pacis prohiberetur, nec secùs agi æquum esset,tum ad securitatem suam & regni,ne paterent insidorum fraudibus, tum quòd Princeps ipse Condeus & Colinius Admiralius nonnullas cohortes equitum & peditum veteranorum circa se retinebant; causati insuper sævè cum ipsorum persuasionis hominibus variis locis agi, & prædicationis libertatem impediri, denique querelâ sparsâ de conjuratione ad eosdem Condeum & Colinium intercipiendos suasore Cardinale Lotharingio factâ: His,& aliis ejusmodi quæsitis coloribus, cùm arma in suî ac religionis suæ defensionem sumere integrum sibi esse contenderent; Rex etiam sibi cavere ac providere coactus,imprimis Reginæ matris suasionibus Cancellarium Hospitalium, quem nihil non agere in eorum beneficium aiebat; & quominùs eorum doctrinam publicè profiteretur, tantùm magistratùs amplissimi ratione prohiberi, habens intereà uxorem,filiam, generum, nepotes, ac totam familiam ei addictam; sigillis sublatis (quæ primum Ioanni Morvillerio Aurelianensi Episcopo, deinde Renato Birago Cardinali commissa fuêre) secedere coëgit. Deinde pro auctoritatis suæ conservatione,ac regni & personæ securitate, jurisiurandi formulam,in quam omnes se adigerent ad provinciarum præsides misit, quâ jurarent se Regem Carolum IX. pro summo ac naturali Principe agnoscere,& paratos esse ei omnem honorem,obsequium ac submissionem exhibere; nec umquam arma nisi diserto ipsius mandato sumpturos,iisve qui adversus ipsum arma sumerent consilio aut pecuniâ aliáve re favituros,nec pecuniarum collationes injussu ipsius cujuscumque occasionis obtentu facturos; nullis se secretis consiliis aut fœderi obligaturos,aut in ea consensuros: si quid eorum ad ipsorum notitiam perveniret, de iis Regem aut ipsius pręfectos bonâ fide monituros: preces indsienenter ad Deum pro ipsius & matris ac fratrum salute & securitate facturos,omníque suppliciorum ac pœnarum rigori se ultrò subjicere, si culpâ suâ quid turbarum in locis ubi agerent contingeret.

Hospitalius Cancellarius pellitur.

Iusiurandum a Regi iussum.

XV. Condei scriptum publicum contra Cardin. Lotharing.

Quæ quidem ad dignoscendos fideles ab infidelibus condita, Condeus & Colinius adversum se decreta interpretati;re inter se communicatâ, non de sacramento pręstando, sed de bello apertè inchoando consilia ceperunt. Ipséque Condeus literis ad Regem è Nuceto (vulgò *Noyers*) in Eduis arce uxoris suæ 23. Septembris scriptis,omnem turbarum causam in Caroli Cardinalis Lotharingij inquietum ingenium rejiciens;libellum supplicem valdè prolixum addidit; quo querimonias antiquas repetens,multásque alias infarciens, in totam domum Lotharingiorum gravissimè invectus est,eorum carpens ambitionem;necnon audaciam, quâ illos qui perniciosis eorum conatibus sese opponerent,etiamsi Catholicam religionem profiterentur, calumniis impeterent, novo nec usitato nomine *Politicos* vocarent, (quod nomen tunc primùm in Galliâ, in frigidorum Catholicorum, reipublicæ obtento zelo religionem labefactare studentium, sugillationem usurpatum putatur.) Ac proinde suo, procerum ac nobilium suæ factionis nomine protestatus est, quò malis regno impendentibus in tempore occurreretur, unum se Cardinalem Lotharingium,quem contemptim ac penè scurriliter, presbyterum impurum, tygridem & tyrannum appellabat,ac succenturiatos ministros petere, eósque tamquam perjuros,grassatores, fideíque publicæ violatores,pacis ac quietis hostes, armis persequi decrevisse.

Politicorum appellationis origo.

XVI. Hæretici urbes regias occupant.

Egregiæ scilicèt verbales excusationes:quarum veritatem præclari illi reformatores ut operibus manifestarent, non sanè Lotharingios,aut eorum terras aggressi sunt;sed longè ab iis abeuntes regiásque urbes ac provincias invadentes,Rupellam primò,(quæ præfectum à Rege missum recipere pręfractè recusaverat) jam tum pręcipuam constitutam sedem arcémque hæresis in Galliâ,penetrârunt: eóque accedente pariter Ioannâ Reginâ Navarræ, cum liberis Henrico & Catharinâ, ac magnis copiis:& accurrentibus undique ad eos ceteris Hugonotis;totas penè Santonum, Pictonum, & Engolismensium provincias aut vi aut astu occupaverunt;Themistoclis sępè dictum usurpantes,periisse se nisi periissent. Sicque per ceteras quoque provincias Aquitaniæ,Septimaniæ, Delphinatûs magnis delectibus factis, & pluribus urbibus occupatis:atq; alia ex parte regiis ducibus ac præfectis(quorum omnium

caput fuit Henricus Dux Andegavensium frater Regis, cui Rex initio belli summam armorum curam attribuit) adversus eos strenuè agentibus; facta sunt hoc eodem anno multa pluribus locis certamina quà prospera, quà adversa: actúmque biennale acerrimum bellum, ingenti regni detrimento; quod Tertium in Galliâ de Religione numeratur: accitis etiam in auxilium utrimque Germanicis copiis & Hugonotis speciatim ab Angliæ Reginâ pecuniis adjutis; (interventu maximè Odeti pseudocardinalis Castillionei fratris Admiralij; qui periculum sibi ob hæresim imminens fugiens, transmisit in Angliam cum suâ pellice, & plurimùm auctoritate & gratia apud Reginam valuit:) ijsdémque, præter continuam bonorum ecclesiasticorum, ceterorúmque Catholicorum expilationem, ad alias item quocumque modo ab exteris in Causæ sumptus (ut vocabant) corrodendas, armatis Rupellæ navibus, piraticam exercentibus. Descriptum autem repetitur hoc bellum à multis Catholicis, hæreticis, & politicis pro singulorum sensu & affectu. Ex quibus nos suis locis certiora quæ ad rerum summam pertinuerint referemus; reliqua inter obliterata dimissuri.

Tertium bellum Hugonoticum.

XVII. Non tamen id modò, quod diversi auctores [l] tradunt, & notissimum est; Hugonotos, cùm solis suis viribus regiæ potentiæ non posse resistere cernerent, arma Turcica in Galliam ultrò excitanda duxisse. Missam itaque legationem Constantinopol. quæ Turcorum Imp. ad suæ religionis, quam profitebantur esse Turcicæ proximam patrocinium & defensionem, in Galliam invitaret: promitterétque insuper, ipsos in Germaniâ tumultus per suæ factionis principes excitari curaturos, ut suis eâ parte fines idem Turcorum Imp. faciliùs dilatare posset; Hispanúmque etiam Regem, quotiescumque Turci aliquam in eum expeditionem susciperent, vexaturos. Quod item confirmatur à Francisco Balduino [m] in dissertatione de componendis hisce motibus; cùm de Vasconibus & Provincialibus scribit eos durantibus turbis ob negotium religionis tractâsse de sese tributariis reddendis Turco, spe libertatis religionis. Ad quæ Turcus valdè contra eos commotus, prudenter respondit, Hugonotos tam esse abjectos, ut supremus terrarum orbis Imper. rem se indignam putaret & rebelles & impios fovere; quorum non posset sana fides censeri, qui suum ipsorum Regem oppugnarent: Turcos cum principibus ac Regibus negotiari solere, non cum subditis ac servis eorum.

l Sur. in commentar. hoc an. Natal. lib. 19.

Hugonoti implorant auxilium Turcor.

m Refert etiam Florim. de orig. hær. lib. 4. cap. 9 & Petit. Auct. lib. 10 pag. 82.

XVIII. Ipso autem belli initio cùm ad rebelles in officio continendos Rex per provincias rescriptum transmisisset; quò omnes sequioris religionis professores peræquè atque alios suæ ditionis populos in suam tutelam recipiebat, modò se domi pacatos continerent, facultate eis factâ de injuriis expostulandi: ubi deinceps animadvertit nihil se eo rescripto proficere, exeunte Septembri aliud severius promulgavit; quo omnibus cujuscumque conditionis per universum regnum, alium quàm Catholicæ Apost. Romanæ religionis, quam maiores sui semper coluissent, & ipse pariter coleret, usum, statutâ capitis fortunarúmque pœnâ interdixit. Tertiúmque rursùm addidit, quo jubebantur omnes hæresim profitentes dignitatibus, magistratibus ac muneribus publicis se abdicare. Fuerêque ea omnia summo studio in Senatu Paris. promulgata: addito etiam à Senatu, (quod numquam anteà factum fuerat) ut qui ad magistratus ac munera & officia publica deinceps nominarentur, antequàm admitterentur, jurarent in Religione Catholicâ Apostolicâ Romanâ se victuros ac morituros; & siquidem ab eâ deficerent, passuros ut dignitate omni ac magistratu tamquam indigni privarentur.

Edicta contra illos.

XIX. Quo etiam tempore cùm egens pecuniis Rex, à Pio Pontif. postulâsset ex ecclesiasticis regni sui proventibus aliquod sibi subsidium concedi; Pius (etsi ægrè, ac non paucis Cardinalibus reclamantibus, quòd anteà sacræ per similes modos collatæ pecuniæ, restituendæ Catholicæ religioni parùm profuissent, in alios usus insumptæ) de ceterorum Cardinalium consilio atque consensu, ad tuitionem Ecclesiæ & religionis Catholicæ, indulsit, ut ex iisdem bonis ecclesiasticis distrahere posset ad quinquaginta millia aureorum annui redditûs; commissa rei executione Carolis Cardinalibus Borbonio & Lotharingio, Michaëli Senetensi & Fabio Gaiacensi Episcopis Nunciis Apost. atque Nicolao Senonensi Archiepisc. cum hoc tamen ut venditiones & alienationes ejusmodi in personas hæreticorum nullo modo fierent; quódque ecclesiæ & beneficia non adeò inde gravarentur ut divinus cultus in eis peragi non valeret; & quòd pecuniæ nisi in Catholicæ religionis defensionem nequaquàm expenderentur; denique cùm facultate redimendi: prout intelligitur ex diplomate Pontificio dato Cal. Augusti præsentis anni; regiis literis 19. Septembris; & approbatione Senatûs Parisiensis 20. ejusdem mensis. Præter quæ petiit etiam Rex ab ipso Pontif. à Rep. Venetâ, & Ducibus Ferrariæ & Florentiæ, mutuas magnas alias pecuniarum summas.

Bonorum Eccles. distractio in bellum contra hæreticos.

XX. Gravissimi quoque motus in Sueciâ exorti, mutationem imperij intulerunt. Duxerat [n] Ericus ejus Rex multis annis vario marte bellum adversus Danos, Polonos, aliósque fœderatos, cujus olim [o] meminimus: & ut erat crudelitate infamis, etiam in suos eam diris modis exercuerat: adeò ut & fratrem suum Ioannem Finlandiæ Ducem ex falsâ aut levi suspicione quadriennium totum, unà cum ejus conjuge Regis Poloniæ sorore, in custodiâ detinuerit. Cùm autem anno superiori præcipuis regni consiliariis, conspirationis in se reis factis, innocentibus licèt interfici jussis, eâ cæde pudore & dolore animi agitatus, in aliquam satisfactionem eumdem fratrem suum libertati restituisset: præsenti contigit, ut quòd concubinam suam humili loco natam, ex quâ liberos duos susceperat, solemni ritu in templo apud Holmiam publicè in uxorem duxisset, ac velut Reginam coronâsset; eâ re, tamquam generi suo ignominiosâ indignati fratres ejus, prædictus Ioannes, aliúsque minor Carolus Sudermaniæ Dux; nobilitate ad defectionem solicitatâ, arma adversus Regem moventes, eum Stockolmiam ad deditionem compulsum, nec in tanto periculo immanita-

n Schard. de Reb. gest. sub Maximil. II. Chytræ. Saxon. lib. 22.

o Sup. an. 1562. XLIX.

Sueciæ rerum mutatio.

tis suæ oblivisci scientem quin Stenonem avunculum suum proditoriè necaret, captum & exauctoratum, in eamdem arcem quà Ioannes ab eo detentus fuerat, unà cum ejus conjuge detruserunt: ubi totum decennium egit usque ad obitum, qui contigit anno 1578. Ipséque *Ioannes* ejus loco Rex Sueciæ magno procerum & omnium ordinum consensu renunciatus est die ultimâ Septembris, ejus nominis Regum III. qui in facti excusationem apologiam publicavit. Et pacem cum Danis primò sancitam novâ occasione dissolvens, bellum biennio continuavit; quousque anno 1570. firmiùs inter se convenerunt æquis utrimque conditionibus.

IOANNES III. REGNAT.

XXI.

p Natal. lib. 19 Vvolf. to. 2. lect. memor. Issilt. in histor. sui tempor.

q Schard. ubi sup. n. 1571.

r Isai. 139.

TERRIBILE AVARI EXEMPLUM.

Quo eodem propè tempore [p] in eâdem Sueciâ (in Sueviâ nonnulli [q] ponunt, facili literulæ mutatione) cùm magna exorta esset annonæ penuria, vir quidam opulentus & dives, sed ingenio avaro & crudeli, memorabile exemplum posteris reliquit quòd faciat [r] Dominus judicium inopis & vindictam pauperum. Qui videlicèt cùm magnam haberet copiam frumenti, nec tamen nisi penuriâ ad extremum redactâ induci potuisset ad illud vendendum, túncque maximo pretio erogare cœpisset; à paupere cive multis liberis gravato, dimidio pretio præ manu oblato rogatus concedere frumentum, cum promissione reliquæ partis brevî solvendæ; audire omninò renuens, misso posteà aliâ occasione servo in horreum, accepit ab eo binos ibi boves nigros frumento vesci, statímque servus mortuus corruit: misso altero, qui etiam sues accessisse retulit, mortuúsque pariter est: demùm & ipse accurrens, visis multis varij generis animalibus pascentibus, ita furore correptus est, ut injicienda ei fuerint vincula.

XXII.

PORTENTA ALIA.

s Schard. ibid. hoc an.

t Natal. lib. 19.

Fuêre hoc item anno quædam alia prodigia, quorum fit apud auctores mentio. Quale est quod Cyprianus Leovitius [s] astrologiâ quàm religione peritior, ait se 5. Idus August. horâ octavâ pomeridianâ post Solis occasum, sed cœlo sereno, tres Lunas vidisse; quarum media vera erat nativo lumine fulgens, ceteræ in gyrum ductæ nonnihil rubicundæ, & quasi sanguine suffusæ, partim albescente circulo, partim cæruleo, & interiore cruento apparebant: sícque per tres horæ quadrantes mansisse. Quale & quod alij [t] observant; visos tres Soles in urbe Theodosiâ non procul à Bosphoro vel Cimmeriis angustiis, atque universâ eâ regione, horâ tertiâ diei cœlo sereno & claro cum arcu supra eos, qui ad tres horas perduravit; deinde alius ad orientem, alius ad occasum recessit, tertius solitum cursum peragens pervenit solito tempore ad occasum. Nec multos post dies eodem cœli loco horâ quartâ noctis visam esse Crucem, magnam quamdam stellam, & lunam præter omnem credulitatem eâdem claritate splendentes; quæ ad auroram usque perdurârunt. Quid verò hæc portenderent, idonea satis fuit materia rerum futurarum conjectoribus diligenter inquirendi.

XXIII.

CONVENTUS ALBEMBURGICUS

Cùm autem hæretici Calviniani variis regnis, ut diximus, armis contra Catholicos agerent, Lutherani in Germaniâ vehementioribus odiis Molles cum Rigidis, disputationibus & scriptis concertantes; (erant, ut aliàs explicavimus, Molles, quorum præcipui auctores Philippus Melancthon & Eberus, cum reliquâ Scholâ Wittembergicâ, & Lipsicâ, & Misnicâ; qui in doctrina scriptísque Lutheri nonnulla ad moderationem revocanda putabant: Rigidi, quorum principes Gallus, Flaccius, & alij cum Schola Ienensi & Thuringica, qui nihil penitùs in doctrina & scriptis Lutheri immutandum censebant,) opera Saxoniæ Ducum Ioannis-Vvillelmi, & Augusti Electoris; utriusque doctores sibi invicem adversantes, (quippe erant Electorales Molles, alij Rigidi:) *Aldemburgi* ad concordiam aliquam investigandam convenerunt 21. Octobris præsidente ipso Ioanne Vvillelmo ut tranquilliùs res peragerentur. A quo cum jussi essent de necessitate operum ad salutem, de libero arbitrio, & adiaphoris placidè conferre; colloquium de solo primo articulo in mensem Martium anni subsequentis extractum, nullo fructu dissolutum est; Mollibus aut causæ suæ diffidentibus, aut de concordia desperantibus, illud abrumpentibus, & ad sua se recipientibus, multò majori animorum exacerbatione quàm anteà fuerant, cùm inter utriusque partis doctores, tum inter ipsos Principes Electorem & Ioannem Vvilelmum, quorum ille Molles seu Misnicos, hic Thuringicos, hoc est Rigidos fovebat. Fueréque mox Acta utrimque edita, cum mutuis accusationibus & gravissimis invectivis. Cúmque in colloquio, ut discessionem suam à nonnullis Lutheri placitis excusarent Molles, profitentur sese quam proximè accedere ad Interim Carolinum: Rigidi verò quererentur ex ejusmodi Interimisticis actionibus vim inferri Verbo Dei, reprobata dogmata revocari, & abolitas restitui cæremonias, is demùm fuit ejus exitus, ut sese mutuò damnantes & anathematizantes, Molles in despectum Rigidorum interdixerint [u] ne in suis templis aut scholis Lutheri scripta quisquam allegare auderet; eò quòd Rigidi in Colloquio, ex libro Melancthonis quem inscripsit Corpus Doctrinæ, testimonia ulla citari non permisissent. Et quoniam adhuc Molles vestibus lineis, superpelliceis dictis, in sacris suis utebantur, Rigidi uti iis desierunt: & tabellas prætereà quasdàm pictas imprimi curaverunt, in quibus videbatur satanas superpelliceo indutus, cornuto capite, aduncis unguibus, & barba Eberiana, ad populum concionari: ac vicissim Eberiani seu Molles diro anathemate percusserunt Confessionem Melancthonis quæ fuit Carolo Imperatori oblata, & omnia Flaccianis seu Rigidis contraria & ingrata statuerunt. Hæc nimirùm erat concordia fratrum Lutheranorum; admodùm grata non Catholicis tantùm, quorum pax istorum nitebatur dissidio; verùm etiam Zuinglianis & Calvinianis, qui non parvum lucrum inde consequebantur.

LUTHERANORUM.

DISSIDIUM INTER EOS AUGETUR.

u Resc. de conventic. Evangelic.

XXIV.

CONVENTUS SANDOMIR. INTER LUTHER. ET CALV.

Qui cùm in Polonia pariter omnis generis sectarum asseclæ invicem altercarentur, hoc eodem anno *Sendomiriæ* convenientes, post multorum dierum acerbas contentiones, cùm secta sectam truderet, nec quicquam Calvinistæ Lutheristis, nec isti Trideistis, aut Anabaptistis concederent; pudore ad extremum perurgente, ut Catholicis viderentur formi-

dabiliores, & Syncretiſmum quemdam facere conati ſunt, & neſcio quam fidei Confeſſionem ediderunt, quam Cracoviæ typis mandatam Regi Sigiſmundo - Auguſto offerre non dubitarunt: ita conſarcinatam, ut quid de rebus controverſis ſtatuerent, neque umquam quiſquam intellexerit, neque ipſimet intelligerent. Quam Lutheriſtæ ad ſe reverſi publico ſcripto pro hæreticâ damnârunt, ipſe verò Rex [x] deteſtatus eſt. Quando & Miniſtri quidam non pauci in dominis [y] Gerau Grets & Schumburg in unum convenientes, Confeſſionem ſuarum Eccleſiarum conſcripſerunt: in quâ Auguſtanam, quòd ſub ejus titulo quaſi quodam pallio omnes hæreſes tegerentur, vocarunt cothurnum, ſive ocream Polonicam utrique pedi aptam. Nec defuerunt alij miniſtri ex Auſtriâ, qui à Lutheri ordinationibus recedentes, ſuas cuderunt; in quibus etiam Chriſtum Dominum in ordinem redegerunt, non plus illi tribuentes quàm apud Catholicos Sanctis tribuitur ut intercedant pro nobis: & quas orationes Catholici concludere ſolent, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, &c. ipſi nec Domini nec Filij nomen ei tribuentes, Per fidelem, aiebant, & juſtum ſervum tuum Chriſtum. Eámque nihilominùs Confeſſionem auſi ſunt Maximiliano Cæſari offerre, & ut approbaretur poſtulare, quod tamen non obtinuerunt: ſed contra eam ſcripſit vir doctus Eyſingrenius; dolenter querens Mahometiſmum in Auſtriam introduci, & viam Turcis aperiri, quâ poſſent etiam abſque vi & armis eâ potiri.

x Vid. an. ſeq. in fin.
y Reſc. ibid.

ALIJ ALIBI.

XXV. QUID CONCESSERIT MAXIMILIANUS HÆRETICIS.

Illud verò prædictus Cæſar Maximilianus hoc eodem anno menſe Auguſti proceribus & nobilitati Auſtriacæ conceſſiſſe [z] dicitur quod olim denegâſſe vidimus [a], liberum exercitium Confeſſionis Auguſtanæ in oppidis, arcibus, & pagis eorum; in præmium obtentæ ab Ordinibus Auſtriæ liberationis ingentis æris alieni quod ad bellum Turcium contraxerat: eâ tamen conditione, ut ſeni utrimque ab ipſo Cæſ. & ordinibus delecti, & in his duo ex vetuſtis Confeſſioniſtis è Saxoniâ evocati, de ſingulis doctrinæ articulis & Eccleſiaſticis ritibus inter ſe conferrent, ac convenirent. Unde conceſſionis effectus partim retardatus eſt, partim labefactatus. Quippe cùm audîſſet [b] Pius Pontifex Maximilianum in eo eſſe ut ejuſmodi conceſſionen elargiretur, confeſtim Cardinalem Commendonum ad eum legavit, ut ſi in tempore fieri poſſet id impediret, ſi verò jam factum eſſet, Apoſtolicâ auctoritate illi denunciaret, Pontificem omnibus execrationibus, Eccleſiaſticiſque pœnis in eum animadverſurum, ipſúmque Imperio privaturum, & alium in ejus locum eligi curandum, niſi ejuſmodi decretum illicò reſcidiſſet. Scribénſque itidem ad Regem Hiſpaniæ, hortatus eſt ut Maximilianum patruelem & ſororium ſuum ab eo facinore, adeò religioni Catholicæ detrimentoſo, & familiæ Auſtriacæ ignominioſo, deterreret. Quod & Rex pro ſuâ pietate præſtitit, ſcriptis eo argumento pluribus ad Maximilianum literis. Apud quem denique Legatus adeò ſuaſionibus, miníſque & terroribus egit, ut is haud ſe eam Confeſſionem vel permiſiſſe vel permiſſurum, profeſſus ſit: ac provinciales Auſtrios, qui ob eam rem frequētes convenerant, vacuos dimiſerit: promiſerítque ſe concionatores quoſdam hæreticos vicinis è villis expulſurum. Ita namque rem geſtam eſſe, narratur in Vitâ Pij: illúmque eâ de re humaniſſimis literis Cæſarem laudaſſe: cùm tamen Hadrianus [c] Cæſarem dumtaxat ſuſpendiſſe tradat: & Simon Schardius ac David Chytræus, dum eam conceſſam fuiſſe ſcribunt, (niſi uti ſolent hæretici in commodum ſuum mentiantur) diſertè aſſerant, delectos illos ſenes, & duos Confeſſioniſtas, (quorum unum fuiſſe eumdem Chytræum tradunt Roſtochio evocatum, alterum Ioachimum Camerarium Lipſiâ) convenientes in unum vertentis anni menſe Auguſto finem operi impoſuiſſe: librúmque de re propoſita rebúſque ſervandis compoſitum fuiſſe ab ipſomet Chytræo lingua Germanica. Cùm autem ut conſueverunt hæretici dilatare ſuos terminos, non ſolùm in ipſorum oppidis, arcibus ac pagis, verùm etiam in ipſa civitate Vienneſi, nec modò nobiles, ſed etiam plebeij, cœpiſſent, (ex conniventia magis quàm conceſſione Maximiliani) publicè Confeſſionem Auguſtanam profiteri & exercere, ut idem Chytræus narrat; mortuo Maximiliano, à Rudolpho ejus filio & in regno ſucceſſore coërciti fuêre, & ejuſmodi exercitium eâ civitate penitùs ſublatum: relicto eo in prædiorum nobilium templis & arcibus, pro ipſorum tantummodò & familiarum uſu, ceteris illo gravibus pœnis interdicto.

z Schard. in Reb. geſt. Maxim. II. Chytr. Saxon. lib. 22.
a Supr. an. 1566 XVI.
b Gabut. in Vit. Pij V. lib. 3. cap. 6. ex Caten.

PIJ V. ZELUS PRO FIDE CATHOL.

c Hadrian. lib. 20.

XXVI. PIJ PONTIF. CURA DE RELIGIONE IN GALLIA.

Erat adeò Pius tuendæ & amplificandæ religionis Catholicæ ardore ſuccenſus, ut nihil prætermitteret quo frementium luporum rabiem à Dominico grege vigilantiſſimus paſtor arceret. Quare non ſolùm pro Germaniâ ſolicitus, verùm etiam reliqua regna curans, imprimis ut in Galliâ veræ pietatis cultus reſtitueretur & conſervaretur, & hæreticorum ſecta ab Eccleſiâ & Rege ſuo deficientium deleretur, ab ipſo ſui Pontificatûs exordio ac deinceps continenter & conſiliis & pecuniis, quinimmò & armatorum ſubſidiis opportunè juvare non deſtitit: ipſóſque Epiſcopos ad officium ſuum ritè rectéque exequendum, curámque ſuarum Eccleſiarum diligentem habendam monere; ac Regem ut auxilio ei rei eſſet hortari. Qui verò jam Romæ hæreſis damnati fuerant, Uticenſis, Valentinus, Carnotenſis, Oloronenſis, & Laſcurrenſis, aliíque prætereà duo, (hi namque dumtaxat ab eo exagitati dicuntur [d]; cùm plures ſub Pio IV. ejus deceſſore de hæreſi inquiſitos fuiſſe viderimus [e]:) eorum damnationem in Galliâ promulgandam curavit. Et quòd Ioanna Regina Navarræ in judicium quoque vocata fuiſſet, ſed Regis interventu, & ſpe aliquâ factâ ipſius ab hæreſi converſionis, negotium extractum extitiſſet: animadverteret autem Pius, eam non ſolùm non de converſione cogitare, ſed contrà toto animo & conatu hæreſi patrocinari, eámque fovere & promovere, Reginam Catharinam Regis matrem hortatus eſt aliquando, ut vel ejus regnum ſibi vindicandi occaſionem caperet, vel pateretur ut ipſe Apoſtolicâ auctoritate ejus, aliquem è Valeſiâ domo Regem conſtitueret, alioquin eſſe ſibi in animo, eâ uti hæreticâ condemnatâ, & ſce-

d Caten. in Vit. Pij V. Gabut. lib. 2. cap. 4.
e An. 1563. XXI.

ptri jure spoliata, Hispaniarum Regem ad eam regni Navarræ partem quam Ioanna tenebat, quamprimùm fieri posset occupandam inducere. Quæ tamen comminationes magis fuêre quàm conatus; cùm nihil inde secutum fuerit.

XXVII. Controversia de bulla Coenæ Domini.

Cùm verò insuper idem Pius Pontifex ad rem Christianam & tuendam, & verò amplificandam semper intentus, Pontificiam constitutionem, quæ ex recepta consuetudine die Cœnæ Domini Romæ promulgari solebat, etiam per universum Christianum orbem publicari ab Episcopis & plebanis, & à cunctis servari hoc anno [f] edixisset; qua inter cetera cavebatur, ut Ecclesiæ ministri ubique à tributis, vectigalibus, aliísque oneribus quæ subditi Regibus ac Principibus pendunt, liberi essent; pœna excommunicationis proposita iis in quorum ditionibus illa exigerentur, cum prohibitione absolutionis: hoc severiùs quàm ut ferri deberet præscripto viso imprimis Philippo Hispaniæ Regi & Reip. Venetæ, eò quòd eorum æraria valdè inde imminuerentur; Philippus quidem ea re graviter indignatus, in suis Italiæ ditionibus & in Hispania constitutionem promulgari omninò vetuit, cum diceret nolle se regna sua opibus & auctoritate sub se minui: durúmque videri, ut cum Regi Francorum, qui regnum hæresi infectissimum habebat, nova quotidie subsidia ab Ecclesiæ ministris exigere concederetur, sibi qui sua regna ab eâ peste incontaminata servaret, interdici quominùs jura ab omni ævo à sacro ordine pendi solita accipere liceret. Nec item Veneti ab antiquo suo usu recedere volebant, causantes ærario imminuto labefactari imperium, cujus incolumitate salus etiam omnium virorum Ecclesiasticorum ac religiosorum contineatur. Quæ per plures menses ultrò citróque agitata fuêre; Ludovico Requesenio majore Castellæ præceptore, Regis Philippi apud Pontificem oratore, ejus nomine de his, & aliis prædictæ constitutionis capitibus, consuetudinibus in Regis ditionibus receptis contrariis, cum Pontifice acriter contendente. Cujus rationibus cùm satisfactum adeò fuisset Regi, ut suis per Italiam ministris juberet jura Ecclesiæ conservari: nihilominùs quoniam ejus jussa ipsi haud exequerentur, tradunt ejusdem Pij Vitæ scriptores, constitutum ei fuisse sacri interdicti legibus in eos agere; nisi ab amplissimis viris studiosis Regis eâ de sententiâ deductus fuisset; & gravissimum accessisset imminentis contra Turcos fœderis negotium.

[f] Caten. ibid. Gab. lib. 3. c. 2. Hadria. lib. 20.

XXVIII. Congregatio Somaschæ.

Hoc eodem anno idem Pontifex constitutionem [g] edidit die 6. Decembris, pro Congregatione, quam olim ab Hieronymo Æmiliano patritio Veneto institutam; & à Paulo Papâ III. approbatam vidimus [h]. Quæ cùm hactenùs nullis votis adstringeretur, concessit Pius ut tria solemnia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ emitterent, sub Regula S. Augustini & in habitu clericali victuri, nuncupatione *Clericorum Regularium Sanct. Maioli* (quæ Ecclesia fuerat Papiensis Ordinis Cluniacensis, dictis Clericis à Cardinale Borromæo attributa) sive *de Somascha*, qui alius erat locus Mediolanensis diœcesis, quem pariter obtinebant: eamdémque Congregationem multis privilegiis auxit.

[g] Bullar. to. 2. Pij V. const. 78.

[h] An. 1440. XV.

XXIX. S. Teresia restituit Ordinem Carmelitarum.

Hócque item anno fundatum est primum monasterium Fratrum *Carmelitarum Discalceatorum*, (ita dictorum quòd initio pedibus nudis incederent) operâ *S. Theresia de Iesu* nobilis Virginis Hispanæ; quæ restitutâ antiquâ Regulâ Ordinis ad priscum rigorem ac disciplinam, jam monasterium feminarum novi ejus instituti apud Abulam Castellæ urbem patriam suam instituerat. Primum autem istud hominum, in loco dicto *Durvello* prope eamdem urbem, seu verius tuguriolum dixeris, constitutum fuit primâ Dominicâ Adventûs, quæ incidit in diem S. Andreæ trigesimum Novembris. In quo primi omnium vitam illam reformatam duxerunt Fratres *Antonius Heredius*, dictus deinceps *de Iesu*, & *Ioannes de Yepes*, nuncupatus *de Cruce*, divinitus datus Teresiæ in auxilium promovendæ reformationis: qui ambo abdicatâ vitâ Ordinis per Eugenium IV. mitigatâ quam profitebantur, hanc austeriorem primæ regulæ amplexi sunt: (à quocumque tandem ea primum tradita fuerit, de quo video controverti: cum tamen de Ordinis antiquitate consentiant plerique omnes, qui rem diligentius scrutati sunt, originem eum sumpsisse ab Eliâ & Eliseo prophetis. De quo jam prodierunt multa scripta [i], proditurúsque est brevî copiosior commentarius, qui omnem dubitationem tollat:) hæcque post inde per universum Christianum orbem mirificè propagata est, tam virorum quàm feminarum feracissimis fœtibus. Rem narrant Acta Vitarum mirabilium S. Theresiæ & prædicti B. Ioannis. De confirmatione verò hujus Ordinis dicetur sub Gregorio [k] XIII.

[i] Vid. Ioan. à Ies. Mar. in Vit. S. Ter. Thom. Aqu. à S. Ioseph. in Differt. de Patr. Elia: Mira. in Orig. monast. lib. 3. c. 18. & alios.

[k] Infr. an. 1580 XXI.

XXX. Concilia Ravennensia.

Hoc pariter anno *Iulius Feltrius de Ruvere* Ducis Urbini filius, Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula, Archiepiscopus Ravennas, usum convocandi Concilia provincialia annorum 250. [l] spatio in eâ Ecclesiâ intermissum revocans; Clericorum abusus reformavit, mores populorum pia castigatione correxit; omnia ad sacri Concilij Tridentini decreta instituit.

[l] Petramel. de Pont. & Card.

Iesu Christi Annus 1569.

Pii V. Ann. 4.

Maximiliani II. Ann. 5.

I.

Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Indictione duodecimâ, perseverante in Galliâ atroci bello Religionis inter regios Catholicos & sectarios Hugonotos; ubi inter urbium occupationes & oppressiones, leviá que passim certamina, à quibus nec per asperrimæ hiemis rigorem unquam cessatum est, eo nonnihil mitigato exercitus educere licuit; regij ductore Henrico Andium Duce fratre Regis Caroli egregiæ virtutis adolescente, cui Guisius, Brissacus, Martigius, Bironus, & alij selecti duces aderant; sectariorum, Ludovico Principe Condeo; unà cum Colinio Admiralio, fratre ejus Andeloto, Lanovio, aliísque: factum est

CONDEUS OCCIDITUR PRÆLIO IARNAC.

tertio Idus Martij, inter Iarnacum & Castrumnovum, ad pagum Bassacum & fluvium Carentonum in Santonibus, acerrimum inter eos prælium ad decem horas indesinenter continuatum: quo Condeus, nullum non solùm ducis sed militis officium prætermittens, suffosso equo in manus quorumdam nobilium Catholicorum incidens, oblatis pro servandâ vitâ centum aureorum millibus, à Montesquio Andium Ducis stipatorum ductore sclopeto à tergo in cervicem adacto periit: princeps consilij properus & animi invictus, multísque virtutibus præditus; qui non tam sectæ studio, ut aliàs diximus, quàm Guisiorum odio, ut sectam præsidio haberet, fidem Catholicam exuerat. Cujus corpus asellæ ad ludibrium impositum, & Iarnacum delatum, petenti Henrico Bearnij principi redditum est, ac Vindocini in majorum monumento conditum. Periêre cum eo multi ex magnatibus; etiámque nonnulli ex regiis. Colinius & Andelotus fugâ S. Ioannis oppidum tenuerunt. Dux Andium, Deo redditis pro victoriâ gratiis, Regem tunc apud Metas ad avertendum Wolfangi Bavari Ducis Bipontini, qui cum magnis Germanorum copiis suppetias sectariis veniebat, ingressum, existentem, de eâ certiorem fecit, qui mediâ nocte nuncio accepto è lecto surgens, cum aulico comitatu ad majus urbis templum confestim perrexit, & sacrum canticum *Te Deum* cecinit, supplicationésque per universum regnum celebrari mandavit: Ibidémque Metis synagogam [a] hæreticorum solo æquavit; publicóque edicto vetuit nequa sua exercitia eâ urbe iisque locis haberent, subindéque equestria [b] signa duodecim ex iis quæ prælio capta fuerant, ad Pium Pontificem transmisit; per oratorem suum in publico Cardinalium consessu testatus, hanc se Deo victoriam Pij precibus intercedentibus acceptam referre; ob ídque vexilla ipsa, veluti grati piíque animi sui pignora, in basilicâ Sancti Petri suspendenda misisse. Quæ magnis Pius accipiens cæremoniis, adhibitis de more precibus supra basilicæ portam collocavit, unde per plurimos annos visa sunt pendere.

[a] *Sur. in commentar.*

[b] *Caten. in Vit. Pij V. Gabut. lib. 2. cap. 8.*

II.

ADMIRALIO DEFERTUR SUMMA RERUM.

Post fugam sectarij quid factu opus esset deliberantes, cùm numerosæ adhuc ac validæ essent eorum vires, quibus suas urbes munierunt, (unde non eos progressus datum est Andium Duci facere, qui ex tantâ victoriâ expectari poterant) nomine quidem & auspiciis Principum Henrici Bearnensis filij, Ioannæ Reginæ Navarræ, & alterius Henrici demortui Condei filij, adhuc adolescentulorum, rem administrandam esse censuerunt, auctoritatem verò & belli gestionem penes Admiralium fore: qui cùm ab ipso bellorum initio id percupiisset, minùs doluit Condei mortem, cujus præstantiâ veluti freno continebatur. Ejus porrò vigilantiâ atque experientiâ pars sectariorum, quæ hoc prælio concisa videbatur, non solùm substitit, verùm etiam restituta est: licèt non parùm damni acceperit ex fratris ejus Andeloti rei militaris peritissimi juxtà & hæresi addictissimi morte, quâ duobus circiter pòst mensibus in urbe Santonum ex febri ardenti & pestilenti sublatus est. Traditur hic tanto odio sacerdotes habuisse, ut de eorum auribus contextum torquem, quovis conchiliato nobiliorem à se existimatum, è collo pendentem ferret: qui quocúmque pedem inferret, Catholicos mactabat; aras priusquàm in templis everteret, sacerdotum sanguine imbuebat; Ecclesias omnibus ornamentis spoliatas inflammabat; asservatos maximâ religione Sanctorum ossa ac cineres in ignem mittebat, vel in auras spargebat. Hæc est pietas hæresis: hæc facinora monstrosorum ejus asseclarum.

ANDELOTI SACRILEGIA.

III.

GERMANORUM PROTESTANTIUM AUXILIA.

Ingressus quoque in regnum Bipontinus, cum 7600. armatis equitibus, & totidem fermè peditibus, præter Gallos & Belgas hæreticos, qui se ei grandi numero adjunxerunt, unà cum Aurangio Principe ac fratribus ejus; (Aumalio Duce, quem Rex ad eum impediendum reliquerat, longè viribus inferiore quàm ut tantas hostium prohibere posset; quas Alphonsus Ulloa fuisse in universum decem millium equitum, viginti peditum scribit:) cùm in eo esset ut Admiralij castris in Lemovicibus jungeretur; sive ex itineris fatigatione, cùm quartanâ diù laborâsset, ut quidam habet, sive ut nonnulli ex potûs excessu, mortuus est tertio Idus Iunij, Volrado Mansfeldio, qui ei legatus erat, summo armorum duce priùs renunciato. Cujus cadaver primò Engolismam delatum, posteà Rupellam, indéque mari in patriam relatum est in majorum tumulo condendum. Quatriduo pòst ambo exercitus convenêre: & post mutuas gratulationes fœdus inter eos renovatum est; cusâ aureâ monetâ, in cujus anticâ parte Ioannæ Reginæ Navarræ & Henrici filij ejus, qui nomen gerebat summi fœderati Gallici exercitûs ducis, expressa effigies erat cum elogio in posticâ, *Pax certa, victoria integra, mors honesta.* Quod tamen vaniùs quàm veriùs dictum esse, belli exitus comprobavit.

IV.

COPIÆ REGIÆ.

Erant quoque in exercitu regio quinque millia equitum Germanorum, præcipuo duce Philiberto Comite Badensi: & missæ à Pio V. Pontifice auxiliares copiæ quatuor millium & quingentorum peditum, equitum nongentorum, quibus præerat Sfortia Comes Sanctæfloræ vir strenuus: milléque pedites & ducenti equites, à Cosmo Florentiæ Duce eodem Pontifice auctore conducti. Quos parvî pendentes Admiralius & socij, tanquam si victoriam certam in potestate haberent; ut Regi insultarent, timorémque incuterent, decimoseptimo Calendas Iulij libellum supplicem Principum nomine ad eum mittendum decreverunt: quo repetitâ superiorum bellorum memoriâ, rejectâque eorum in Guisios & ceteros publicæ quietis hostes culpâ, arma se pro conscientiarum libertate, vitâ ac fortunis, quas ab illis peti aiebant, coactos sumpsisse testabantur: petebántque ut sibi liceret per universum regnum liberè convenire, bona & dignitates securè possidere, atque eo nomine sibi idoneè caveri; túncque se protinùs ab armis discessuros pollicebantur. Quibus responsum est; nonnisi ab inermibus, postquàm ad officium & obsequium rediissent, libellos Regem accepturum: iniquum esse ut perduelles armati pacisci cum suo Rege præsumerent. Dum autem regiæ copiæ ad reficiendum militem per præsidia ad aliquod tempus di-

ADMIRALIJ PROTERVIA.

stributæ feriarentur, hostes econtrà, tam ut otio tumultuantes Germanos labore bellico fatigatos in officio continerent, tum ut regiis cessantibus fortunæ beneficio uterentur, quaquaversùm discurrentes non pauca oppida, castella, cœnobia, ceperunt, diripuerunt, diruerunt, nihil non crudelitatis ubique exercuerunt. Gabriel Mongomerius Comes, famosâ excursione Aquitaniâ & Fuxo transitis, (Damvilâ & Molucio, ex occultis inter se invidiis & odiis nequaquàm sese, quod facile erat, opponentibus) Tarbensem amplam civitatem cepit ac diripuit; unóque impetu ditionem Bearnensem, quæ Reginæ Navarræ erat, quámque Io. Lomanius Terrida ab Andium Duce missus totam ferè in potestatem redegerat, recuperavit; Terridâ animo fracto turpiter se dedente; cum iterùm cessâsset Monlucius, qui proximus erat, ex æmulatione suppetias ei ferre, qui tamen, ne nihil egisse videretur, Montem Marsani ad Alyrum flumen ab hæreticis detentum cepit. Qui verò cum Terridâ capti fuêre complures nobiles, in quibus etiam erant nonnulli equestris regij ordinis, contra datam fidem fuêre post mensem à cœnâ ad necem jussu Ioannæ Reginæ inhumanissimè tracti, & crudeliùs trucidati. Cùm verò Admiralius urbem amplissimam Pictavium obsidione cinxisset, & vehementissimè quateret; ea nihilominùs tum Comitis Ludensis Pictonum præfecti, & aliorum ducum Catholicorum qui cum ipso erant, tum maximè Henrici Ducis Guisij, ejúsque fratris Caroli Marchionis Meduanæ, seu Mayeniæ, juvenum belli artibus insignium, & decoris cupidorum, qui ibidem sese incluserunt, virtute servata est: Admiralio post durissimam quinquaginta dierum obsidionem, honestam eam solvendi occasionem capiente, ex aliâ obsidione quam Dux Andium collectâ parte copiarum ad Castrum-Eraldi ab Hugonotis detentum posuerat: cujus solvendæ specie Admiralius Pictaviensem deserens, (in quâ duo hominum millia amisit, in quibus multi duces & nobiles, ex obsessis non plus quàm centum omnis conditionis desideratis) universum exercitum eò duxit. Cui cùm Dux par tunc non esset, jam id assecutus quod voluerat, nempè Admiralium è Pictavio avertere, omisso Castro-Eraldi in tutiora loca se recepit, donec omnes copias collegisset.

Mongomerii excursio in Bearnium.

Pictaviensis obsidio.

V. *Admiralius damnatur perduellionis.*

Quo eodem tempore, nempè Idibus Septembris, Parisiis in Senatu, Ægidio Burdino cognitore seu procuratore generali Regis postulante, in eumdem Gasparem Colinium Admiralium, tanquam perduellem & læsæ majestatis reum, omniúmque horum malorum succentorem & antesignanum, sententia lata est: quâ ille, post ablatos honores & dignitates, ac nobilitatis prærogativas, bonáque universa fisco addicta, ad mortem damnatus est; præmiúmque quinquaginta millium aureorum ei constitutum qui vivum stitisset, quod posteà quarto Calendas Octobris ad eum etiam extensum qui occidisset, sive is externus sive indigena esset. Eadémque decreta in Ioannem Ferrerium Carnutum Vicedominum, & Gabrielem Comitem Mongomerium quorum, ut & Colinij effigies ignominiosè in plaustro traductæ & publicè paribulo affixæ sunt. Senatusconsultum in Colinium factum, per totum regnum promulgatum, & ut ad exteros quosque ejus notitia perveniret, non solùm patriâ, sed etiam Latinâ, Italicâ, Hispanicâ, Anglicâ, Germanicâ linguâ evulgatum est.

VI. *Parantur copiæ ad prælium.*

Inter hæc verò Duce Andium collectis copiis, præ diuturnioris belli fastidio prælium appetente; & Admiralio, quamquam invito, ad id tamen coacto suorum murmurationibus, qui à longinquis provinciis cum summis incommodis aderant, & Germanorum seditionibus stipendia aut recessum postulantium: sic paratis utrimque animis, primùm ventum est inopinatò ad manus pridie Calendas Octobris ad vicum S. Clari in Pictonibus, grandi quidem certamine, sed non pleno; quo adversarij prostrati, nocte præcipitante ne penitùs delerentur servati sunt. Qui quarto pòst die, quinto Non. Octob. pleniori & ordinatiori consertâ pugnâ, duabus inde leucis apud Moncunturium dubiâ diù victoriâ ad internecionem cæsi sunt; divinâ imprimis providentiâ, quæ nullum grave prælium, nullámque alicujus momenti pugnam sectariis, Ecclesiæ & regnorum hostibus, processisse permisit: deinde Ducis Andium virtute, qui equo excussus vitæ periculum incurrit, & Ducis Guisij, qui vulnus in pede accepit; aliorúmque ducum Catholicorum: interfectis decem, circiter armatorum hæreticorum millibus, præter ingentem castrensem turbam; (adeò ut Hadrianius [c] septemdecim millia & quingentos numeret, sexcentósque equites armatos) à regiis tantùmmodò quingentis desideratis: in quibus nonnulli duces Galli, Itali, Hispani; cùm præter Italica Pontificis auxilia, adessent etiàm Hispanica è Belgio missa duce Comite Mansfeldio. E Germanis peditibus sectariorum vix ducenti superstites Gallorum victorum humanitate servati sunt; reliquis ab Helvetiis regiis, quamvis abjectis armis supplices in terram prociderent, tam hæresis odio quàm æmulatione quæ inter nationes intecedit jugulatis. Capta omnia tormenta, & peditatûs signa; multi à rusticis in fugâ cæsi: ceteri Partheneum, Niortium, Rupellam, aliò longiùs evaserunt. Adolescentuli Principes Navarrus & Condeus, qui post pugnam S. Clari vocati in castra ad intermortuam in militum animis alacritatem præsentia suâ restituendam; cùm prælio Moncunturiensi pars eorum inclinare visa est, sive etiam ut quidam habent antequàm pugna inciperet, in tutum deducti fuêre Partheneum: sequente eos Admiralio, seu ob vulnus faciei acceptum, seu ne in manus hostium incideret: cùm & Princeps Aurangius paucis ante pugnam diebus, veluti præsagus cladium futurarum quibus nollet interesse, in Germaniam se recepisset; relictis in castris duobus fratribus suis cum expedito comitatu, qui prælio interfuerunt. Duces post dispersionem in unum convenientes, oratores quamprimùm in Angliam, Scotiam, Daniam, & ad Helvetios misêre, qui tantam cladem acceptam quibus possent speciosis rationibus apud eos elevarent; ac nihilominùs conjunctione causæ demonstratâ, & communi periculo proposito, auxilia maturè summitti peterent, quod ante

Moncunturiensis victoria.

[c] *Hadrian. lib. 20.*

alios Odetus excardinalis Castilioneus cum Ioanne Ferrerio Carnutum Vicedomino apud Reginam Angliæ urserunt.

VII. GESTA UTRIMQUE POST VICTORIAM.

Victoriæ nuncius per Galliam sparsus, & inde in Italiam, aliáque regna Catholica perlatus; incredibili lætitiâ omnium animos implevit, quasi de hæreticis in Galliâ omninò debellatum esset. Quorum duces cùm Dux Andium, Réxque ipse Carolus qui propè accesserat, aliíque nonnulli, persequendos quocumque fugerent censerent, aliis, quòd illi distributo per præsidia peditatu, cum solo equitatu expediti sine impedimentis incederent, satius esse judicantibus ut loca ab iis occupata reciperentur: sequiori hoc consilio stabilito, pluribus illorum ejus tractûs urbibus deditione aut vi receptis, ad S. Ioannis Angeliaci firmissimi oppidi obsidionem castra locata sunt decimoseptimo Calendas Novembris: continuatáque illa est, præsente etiam Rege, virtute Pilij qui urbi præerat, usque ad quartum Nonas Decembris, quo Pilius vitam & vasa salva pactus urbem dedidit. Inter quas moras Principes Navarrus & Condeus, unà cum Admiralio, in Aquitaniam & Septimaniam remotiores provincias, ad tutiora loca quæ in iis occupabant transire statuentes, per varios circuitus Montalbanum pervenerunt; ibíque ac vicinis locis hiemârunt, recreati viribus Mongomerij victoris è Bearnio redeuntis: cùm non cessarint interim eorum sectatores rabidiores effecti per diversas regni provincias discurrendo, varia loca tentare, nonnulla intercipere, (inter quæ eminuit Nemausi, in Septimaniâ antiquæ & nobilis civitatis, callidissima simul & in Catholicos omnium crudelissima occupatio: quos miserè jugulatos, vel semineces, aut etiam vivos, acervatim in puteos conjecerunt: ubi insigne illud contigit, ut cùm & ipse urbis Episcopus Bernardus Delbenius vir probissimus natione Florentinus, in eo esset ut eamdem cum ceteris à truculentissimis illis carnificibus vicem experiretur, vicarius ejus eximio charitatis exemplo conditionem mortis oblatam pro illo acceperit, ac vitâ Episcopo concessâ in puteum cum aliis præcipitatus fuerit,) & sacra quæcumque ac profana diripere, destruere, disperdere: non paucis & ipsi cladibus à Catholicis affecti; & sub finem anni, in tentatâ per proditionem civitatis Bituricensis occupatione gravissimè mulctati. Rex autem post S. Ioannem receptum, per Pictones in Andes descendens, postremò Andegavum initio anni sequentis venit. Comes S. Floræ auxiliorum Pontificiorum ductor, qui strenuissimè se cum suis eo prælio aliísque pugnis gessit, post actas à Rege Pontifici & ipsi gratias, honorificis testimoniis cum ceteris ducibus decoratus, insuper septem & viginti signa hostibus à se ablata in Italiam retulit. Ipséque Pontifex ex felici illâ expeditione non solùm eximiam lætitiam animo concepit, ac solemnes per triduum supplicationes celebravit; sed & eam monumento insigni ad posteritatem testatam voluit, signis illis in basilicam S. Ioannis Lateranensis illatis, addito hoc elogio: *Pius V. Pont. Max. Signa de Caroli IX. Christianissimi Galliæ Regis perduellibus, iisdémque Ecclesiæ hostibus, a Sfortiâ Comite S. Floræ Pontificij auxiliarij exercitûs duce capta, relatáque, in principe Ecclesiarum basilicâ suspendit, & omnipotenti Deo tantæ victoriæ auctori dicavit Anno M. D. LXX.*

VIII. Pij Pont. CONATUS PRO ANGLIA.

Qui non minùs de Britanniæ insulæ religione quàm de Galliæ sollicitus, occasionem ei subveniendi sumpsit ex quadam exortâ dissensione inter Philippum Hispaniæ Regem & Elisabetham Angliæ Reginam. Cùm enim sub finem anni superioris quædam naves, quæ pecuniam deferebant ad stipendia exercitûs Ducis Albani, ex Hispaniâ in Belgium solvissent; & ut piratarum Gallorum ab Admiralio ablegatorum manus effugerent, ad quemdam Angliæ portum se subduxissent: Reginâ à bonis illis viris excardinale Castilioneo Admiralij fratre, & Vicedomino Carnotensi, qui apud illam agebant, & valebant, persuasa, pecuniam illam in terram exponi jussam retinuit, eo prætextu quasi non ad Philippum, sed ad privatos negotiatores Genuenses pertineret: id autem juris principibus esse, ut necessitate urgente, quali ipsa tunc urgebatur, pecuniâ mercatorum liberè uterentur, dummodò eis de restitutione cum usûs pensitatione caveretur: ac proinde decrevisse pecuniam, quam à prædonum violentiâ defendisset, in usus præsentes mutuo sumere: ídque evulgato programmate [d] septimo Idus Ianuarij præsentis anni palàm testata est. Quo cùm multa continerentur in oratoris Hispani apud Reginam existentis circa rem gestam accusationem; is confestim antigramma in suî defensionem opposuit, & culpam à se & Albano in ministros Elisabethæ derivavit. Hinc verò Albano in Belgio Anglorum bona detineri jubente, illinc Elisabethâ Belgarum in Angliâ; ac commercio utrimque interdicto, cùm res sic inter eas nationes turbatæ essent; Pius [e] Pontifex oblatam occasionem haud contemnendam ratus, egit cum Rege Philippo, ut Catholicorum Anglorum, qui ab ipsomet Pio per Robertum Rudolphum nobilem Florentinum mercaturæ specie ibi commorantem clàm sollicitati adversus Reginam pro pristinâ religione in eo regno restaurandâ fuerant, studia foveret. Ipséque præterea Nicolaum [f] Mortonum Anglum sanctæ Theologiæ Doctorem, unum ex iis presbyteris qui pœnitentiis indicendis Romæ præerant, in Angliam misit, ut nonnullis illustribus & Catholicis viris auctoritate Apostolicâ denunciaret Elisabetham hæreticam esse; ob eámque causam omni dominio & potestate quam in Catholicos usurpabat jure ipso excidisse, impunéque ab illis velut Ethnicam & publicanam haberi posse; nec illos ejus legibus aut mandatis deinceps obedire cogi.

[d] Vslon in Hist. de Bell. Belg.

[e] Caten. in Vit. Pij, Gabut lib. 3 cap. 9.

[f] Sander. de Visib. monarch. lib. 7. ad fin.

IX. TURBÆ ANGLICÆ.

Quâ denunciatione multi eorum commoti, collatis tacitè inter se consiliis, conjurationem in Reginam pro fidei restitutione inierunt; cui & nonnulli ex præcipuis segregibus adhæserunt, quà privatorum commodorum intuitu, quà rerum novarum desiderio. Cúmque inter primos, qui ceteris natalium splendore, & opibus atque affinitatibus, ac prudentiæ famâ anteibat, Thomas Havvardus Norfolciæ Dux, occasione nuptiarum cum Mariâ Scotiæ Regina captiva in Anglia detentâ ambitatum, quarum suasorem in utrius-

que

que perniciem perfidum spurium Moravium Scotum vidimus (in suspicionem concupiti regni Angliæ, quod legitimè ad Mariam spectabat, adductus, in carcerem ab Elisabethâ cõjectus fuisset: eâ re auditâ Thomas Parcius Northumbriæ, & Carolo Nevillus Westmerlandiæ Comites Catholici, cum aliis nonnullis proceribus, pro majorum religione restituendâ, ut profitebantur, copias conscripserunt. Verùm iis timidè, aut præproperè rem agentibus, ac propterea plerisque Catholicis haud se iis adjungentibus; vel fortè etiam magis aliquâ indignatione aut ambitione quàm studio religionis ad id delatis; brevi à regiis dissipatis, plerique capti capite luerunt, ceteri fugâ sibi consuluerunt. Inter quos Northumbrius in Scotiâ proditus, & diù in custodiâ detentus demùm Eboraci obtruncatus est anno 1572. ob fortem confessionem Catholicæ religionis inter Martyres ab Anglis connumeratus. Westmerlandius in Belgium profugus ibi consenuit. Infelix autem Maria Regina, licet omnium horum tumultuum innocens, pro restitutione tamen quam ei apud Scotos procurare Elisabetha simulabat, Coventriam munitum oppidum longiùs à limite transportata est: Moravio spurio nihil interim in Scotiâ, & cum ipsâ Elisabethâ, non agente ut de medio tolleretur. Grandem autem numerum eorum qui pro fidei Catholicæ defensione tunc necem passi sunt, aut exilium, ecclesiastici, laici, nobiles viri ac feminæ, recenset Nicolaus Sanderus [g] Anglus in suâ Visibili Monarchiâ. De ceteris verò dicetur annis consequentibus.

CÆDES CATHOLICORUM.

g Sand. ibid.

X. PIJ VARIA DECRETA.

h Bullar. to. 2. Pij V. const. 80.

Pontifex autem Pius cetera quoque religionem spectantia curans, hoc ipso anno constitutione [h] 4. Cal. Martij publicatâ, Iudæos, cùm ob eorum in religionem Christanam odium, & insidias in ejus cultores strui solitas; tum verò ob multa usurarum genera, quibus egentium substantiam usquequaque exinaniebant, & quòd furum ac latronum receptores atque participes essent, speciéque tractandæ rei proprio exercitio convenientis, honestarum mulierum domos ambientes, multas turpissimis lenociniis præcipitarent; quódque omnium perniciosissimum esset, sortilegiis incantationibus, magiisque superstitionibus & maleficiis, quamplurimos incautos inducerent ad credendum eventura prænunciari, furta, thesauros, res abditas revelari, multáque prætereà cognosci posse, quorum ne investigandorum quidem facultas ulli omninò mortalium esset permissa: his, aliísque gravissimis de causis, ab omnibus terris & locis ditionis temporalis Ecclesiæ Romanæ, ejúsque subditorum, intra trium mensium spatium penitùs excedere jussit; pœnâ amissionis omnium bonorum, & perpetuæ servitutis, iis qui elapso eo tẽpore alicubi reperirentur inflictâ: Urbe Româ & civitate Anconâ dumtaxat exceptis, ad memoriam passionis Dominicæ in fidelium animis eorum intuitu ampliùs excitandam; persequẽdásque cum oriẽtalibus negotiationes, ex quibus nonnulla cõmoda reipublicæ oriebantur: cum spe quoque fore ut illi ob proximitatem & noxæ metu à maleficiis tẽperarent, & Christianorum conversatione ad fidẽ converterentur. Eodémque anno [i] aliam severissimam con-

IUDÆI PELLUNTUR È STATU ECCLESIASTICO.

i Ibid. const. 81. & seqq.

stitutionem idem Pontifex contra quoscũque offendentes statum, res, & personas Officij Inquisitionis, eorúmque fautores conscios & complices, promulgavit. Pœnitentiariæ officium reformavit. Casus ac præsumptiones in causis confidentiæ beneficialis, contra quoscumque, etiámque Cadinales declaravit, aliáque plura ejusmodi valdè ut illa edixit, quæ videre est in ejus constitutionibus.

XI. COSMUM MAGNUM DUCEM ETRURIÆ CREAT.

Qui & insuper, sicut Principes Ecclesiæ hostes exagitare non formidabat, ita qui ejus dignitatem protegebant honoribus augere quærens; hoc ipso anno Cosmum Florentinæ Ducem, quem ad auxilia hominum armatorum pecuniarúmque Regi Galliæ adversus hæreticos subministranda induxisse vidimus, pro re benè gestâ, quodq; eum & Christianæ Reipublicæ tuendæ saluti & Apostolicæ Sedis obsequio intentum semper expertus fuisset, idémque Militiam S. Stephani ad sanctæ fidei exaltationem ac propagationẽ instituisset, aliáque egregia præstitisset, remunerare æquum existimans, simúlque perpendens ejus potentiam, & quòd tam ipse quàm filius ejus primogenitus Franciscus arctis affinitatis sanguinis & necessitudinis vinculis cum Maximiliano Cæs. & maximis Christiani nominis Regibus conjuncti essent: eundem *Cosmum*, ac successores ejus, Etruriæ ejus subjectæ, quę pro maximâ parte Cosmo tunc suberat *Magnos Duces* declarandos & creandos, de supremæ Apostolicæ potestatis plenitudine statuit; factâ inde constitutione [k] 6. Cal. Sept. hujus anni: quâ exemplo (ut ait) decessorum suorum Alexandri III. Innocentij pariter III. & Pauli IV. qui Portugalliæ, & Bulgarorum ac Blacorum, necnon Hiberniæ Reges, & ut tunc Boëmiæ Dux in suis literis Rex nominari posset, constituerunt & concesserunt, aliorúmque Romanorum Pontificum similes gratias erga diversos Principes conferentium: eumdem Cosmum regali coronâ donavit, quâ tam ipse quàm successores uti possent: hâc appositâ inscriptione, *Pius V. Pontif. Max. ob eximiam dilectionem ac Catholicæ religionis zelo præcipuúmque justitiæ studium.* Salvâ nihilominùs (ut addit in erectionis diplomate) in civitatibus & locis dictæ provinciæ Etruriæ ad Ecclesiã Romanã pertinentibus, ejusdẽ Ecclesiæ & Pontificum auctoritate, jurisdictione, & potestate necnon Imperatoris & Regum superioritate, jurisdictione, ac quibusvis juribus in locis mediatè vel immediatè eis subjectis; ac citra aliquod prejudicium civitatum, terrarũ, & locorum in eadem Etruriæ provinciâ consistentium quæ non essent ditionis dicti Cosmi. Quâ quidem erectione atque cõstitutione voluit tacitè Pius, gravem controversiã inter Duces Florentiæ & Ferrariæ à multo tempore de dignitatis prærogativâ ac præcedentiâ vertentem, quæ hoc tempore magnâ contentione agebatur; describitúrq; pleniùs ab Hadriano; causæ judiciũ inde Cæsare hinc Pontifice ad se trahente;) in favorem Cosmi decidere, cui adversus Alfonsum Ferrariensem in occulto favere existimabatur: quamvis esset Ferraria feudum Ecclesiæ, Florentiam Imperatores non liberam sed Imperio subditam esse contenderent. Sed erant tunc gravia inter eos dissidia de salis vectigalibus, déque

k Ibid. const. 88.

per Padum navigatione; adeò ut nî Alfonsus de sententia deflecteret, armis eum in ordinem redacturum Pius minaretur; Alphonsus ut jura sibi à majoribus relicta tueretur, hæreticos ad suî tutelam in Italiam, si ita res posceret, evocaturum affirmaret.

XII. INTERCESSIO CÆSARIS ET REGIS HISP.

Cosmi autem evectionem mirantibus multis, eóque maximè quòd nec cum ipsis Cardinalibus eam Pius cōtulisset, & Maximiliano Cæs. quasi Pontifex in alienam messem falcem immisisset; Philippóq; Hispaniæ Rege, cùm ejusdem Cæs. patruelis sui intuitu; tum respectu terrarū quas ipse in Etruria possideret, eandem rem injuriosam sibi esse conquerentibus: cùm Romam Cosmus ad inaugurationem solemni ritu accipiendam concessisset, 4. Nonas Martij qui dies peragendis cæremoniis dictus erat, Cæsaris [I] oratores ejus nomine intercessêre, protestatione facta. Sed illâ minimè admissa, peracta est inauguratio prædicta die, quæ erat Dominicâ Lætare; qua Pontifex propriis manibus capiti ejus coronā imposuit, sceptrúmq; in manus dedit, ac Rosam eo die consecrari solitam eidem contulit: cùm is priùs de more sese jurejurando obstrinxisset de fide & obedientia ipsi Pio, ejúsque successoribus, Ecclesiæque præstanda. Pergentibus verò nihilominùs in suis reclamationibus Cęsare & Philippo; è contrà Florentinis respondentibus suam Remp. sui juris esse, neque ad Imperium pertinere, ac Cosmo licuisse, uti sine Cæsaris concessione Ducis nomine se insignîsset, ita Magni Ducis dignitatem Pontificio beneficio accipere; ipsóq; Pio nihil se egisse contestāte, quod non legitimè, uti potestatem in terris gerens Christi Domini, pōtuisset; cum & longè majora à suis decessoribus facta fuissent in trāsferendis Imperiis & regnis; aliis instituendis; terris concedēdis, principatibus sub aliorum Regum jurisdictione constituendis: post multas longásq; ejusmodi disceptationes, & legationū missiones, quæ in aliquot annos prorogatæ sunt, demum placatis animis, consenserunt [II] iidem Reges in ejusmodi titulum.

I Vid. Hadr. lib. 21. Cateh. in Vit. Pij Gabut. lib. 3. cap. 16. Thuan. lib. 46.

II Vid. inf. an. 1574. XV.

XIII.

Dux autem Albanus in Belgio, præter impetum illum quo vidimus eum adversus Anglos, licet non sine causâ commotum, (unde non parum damni ex commercij cessatione Belgis emersit, adeò ut Angli relicta Antuerpia Hamburgum cōmercium suum transtulerint:) rei pecuniariæ expediendæ incumbens, decimam omnium mobilium quæ distraherentur, vigesimam rerum soli divenditarum, cētesimam justæ æstimationis omnium cujuscumque bonorum tam mobilium quàm soli semel persolvendam, in belli jam facti sumptus, & qui deinceps ad provinciarum securitatem faciendi essent, ab earum ordinibus petiit. Quod permolestum iis existēs, magnarum querimoniarum occasionem præstitit; maximè cum ex cervisia quoq; & pane decima exigi cœpit. Hoc tamen remissum fuit: in ceteris autem rebus metu injecto arcium in singulis civitatibus construendarum, & gravium præsidiorum extraneorum imponendorum, solutiones illæ à pluribus concessæ, ab aliis negatæ, à nonnullis præsenti pecunia redemptæ fuerunt. Tantaque hinc alienatio animorum facta est, ut novorum posteà motuum hæc præcipua fuerit causa, & ingentium illorum malorum quæ religionis penè eversionem & status mutationem induxerunt.

VECTIGAL AB ALBANO BELGIS IMPOSITUM.

XIV. MAURORUM IN HISPANIA REBELLIO.

Quod & in Hispania tentatum hoc eodem tempore à Mauris Granatensibus, occasione severitatis in eos à præfectis regiis exercitæ. Erant illi ex reliquiis belli Granatēsis, à Ferdinando & Isabellâ Regibus confecti, qui ne pellerentur Christianam fidem dissimulanter professi, permissi fuerant in Bætica permanere, De quorum salute *Petrus Guerrerius* Granatensis Archiepiscopus sollicitus, post Concilium Generale Trident. cui interfuit, suum *Provinciale* celebrans, atq; ad eos in fidē confirmandos multa salutaria unà cum suis coëpiscopis constituens; inter alia decrevit, Regem rogandum ut edicto publico aboleret ritus & quæ veteris sectæ adhuc vestigia servabāt; exemplo ex Cōciliis Africanis sumpto, in quibus idem contra infideles olim decretū fuit quibus Rex persuasus, edixit ut iidem vestem, linguam, vivēdi normam, ac cæremonias in sacris & profanis ex secta antiqua derivatas mutarent; quò sic Christianorū Hispanorum more in omnibus vivētes, unus cum iis populus & fide & conversatione censeretur. Id verò illi non parùm ægrè suscipientes, cùm severè admodùm ab Inquisitionis & regiis ministris in suspectos ageretur; cōspiratione anno superiori clàm factâ, spe auxiliorum ex Africâ, & à Selimo Turcorum Imperatore, tanquam in communi causâ; antiquam superstitionem rursum induentes, multa eorum millia montes occupârunt; & in campestribus etiam magno numero convenientes, Regem sibi elegerunt Ferdinandum quemdam Valorium à vico in quo habitabat cognomine dictum, juvenem vigintiquinque annorum, opibus ac nobilitate inter eos insignem, naturâ ferocem, neque tam moribus quàm audaciâ tantæ dignitati parem; quem *Aben-Humeiam* Granatæ & Cordubæ Regem dixerunt: sub cujus auspiciis multa loca tentata, nonnulla capta; multa certamina facta; ingentes direptiones, destructiones, crudelitates commissæ: adeò ut licèt Hispani præfecti non paucis nec parvis cladibus Mauros afficerent, ob mutuas tamen simultates & invidias, quas etiam in tanto periculo exercere non desinebant, & crescentem ubique militum licentiam, quæ nullo imperio, nullâ reverentiâ ducum, nullâ vi coërceri poterat, cuncta toto regno Granatensi tam in montibus quàm per urbes ac municipia ad defectionem spectarent.

NOVUS REX GRANATÆ.

XV. IOANNIS AUSTRIJ MILITIÆ PRIMORDIA.

Missus ultimò Ioannes Austrius frater nothus Philippi Regis adversus eos cum summâ potestate, veteranis ei ducibus attributis, quòd ipse adhuc bellicæ rei inexpertus esset: nihil tamen præterea egit, ob invalescentem rursùm æmulationem ducum, & licentiam militum: Aben-Humeiæ econtrà auctoritate, adventu nonnullorum Turcorum & Afrorum (qui tamen magis ad prædam quàm ad bellum accesserunt) accrescente, eadémque prosperis quibusdam certaminibus confirmatâ, nec stragibus acceptis fractâ. Quando commodè accidit, ut Aben-Humeia proditione cujusdam mulieris, quam spe nuptiarum corruptam concubinæ loco habebat, & cujusdam alterius viri quē ipsa efflictim deperibat, domi captus, & tyrannidis velut in judicio

reus

reus factus, strangulatus fuerit: cùm priùs de calumnia protestatus, coram omnibus declaràsset nunquam sibi in mentē venisse ut Maurorum sectam amplecteretur; tantū in regium nomen consensisse ut de injuriis sibi patriq́ue à Philippi Regis magistratibus factis ultionē sumeret; séque adeò in fide Christianâ mori decrevisse: qui & tantâ animi constantiâ mortem suscepit, ut eos qui fauces laqueo comprimebant cùm lentiùs adstringerent ipse adjuvârit. In cujus locum suffectus *Abdala habenhabus*, qui ad veteres Granatæ Reges genus referebat, & moderatione ac virtute inter suos excellebat, Rex Granatæ & Andalusiæ salutatus est. Qui cùm multis occupatis locis, & frequentibus certaminibus victor existens, rem in maximum majoris excidij periculum adduxisset; demùm Ioannis Austrij ad exercitum accessu fortunâ nonnihil immutatâ, cùm audirentur Maurorum voces facinus excusantium, & paratos se asserentium, dum sua sibi libertas & quæ injustè erepta fuissent bonâ fide restituerentur, ad mādata Regis exequenda: perspiciens Rex nullum rapinis modum fieri, nullóque militem respectu contineri, metuénsq; ne corruptæ domi disciplinæ paulatim exemplum ad externos exercitus transiret; nullas conditiones non æquas censuit, quibus perniciosi hi motus amicè componi possent, cùm res penè confecta, à Melico quodam facinoroso, dolos & insidias innocuæ multitudini per pacem strui vociferante, & regiorum recenti inter hæc crudelitate, turbata adeò fuit, ut denuò ad arma ventum sit: quousque Melici in quâdam pugnâ cæde, bello ultimus finis impositus est, Ducis Aracosij prudentia & fortitudine; quod à conjuratione extremo anno superiori palàm facta usque ad proximi exitum, integrum biennium duravit, sparsis per alias Hispaniæ provincias Mauris, vel in Africam pulsis.

ALIUS[a] REX MAURORUM.

BELLO FINIS IMPONITUR.

XVI. QUANTO PERICULO FUERIT TUNC HISPANIA.

In cujus gestione, vigentibus inter regios duces pravis æmulationibus, obtrectationibus, privatis odiis; in milite soluta disciplina, nulla fidei aut decoris cura, sævitiæ, libidinis, avaritiæ horrendis exemplis, manifestè apparuit, Hispanis, quorum virtus militaris & exacta extra fines patrios disciplina à ceteris orbis nationibus præcipuè prædicatur, nullū majus periculum impendere posse, quàm si bellum domi ex quacumque occasione habere cogantur. Existimántque prudentiores, res Philippi Regis nunquam in tanto discrimine fuisse, quippe si vilissimi, ac penè inermes, nec bello assueti Mauri propriis viribus, sine belli ducibus, sine milite externo, nullis urbibus, aut locis munitis defensi, tanto tempore adversus totius Hispaniç robur se tā vario eventu defenderūt, occisis circiter triginta Hispanorum millibus, cum multis eorum ducibus: quid futurum fuisset, si Selimus Turcorū Rex omissç Cypro, quæ illi sub manu erat; Asiæ & Africç vires quod facilè, erāt & suadebāt præcipui ejus purpurati ad tantā occasionem, in Hispaniam undique ferè mari cinctam, ad eos juvandos convertisset? Sed satis visum Deo omnium rerū moderatori, Hispaniæ majorem partem per 800. fermè annos sub jugo Saracenorum gemuisse, ut non modò universam Turcorum tyrannidi, in totius reliquæ Christianitatis perniciem, subjici permitteret. Totam autem rem gestam breviter complexus est Italicè Hadrianus[m]: prolixè Latinè Thuanus[n] ex monumentis Hispanicis.

m Hadr. lib. 20. & 21.
n Thuan. l. 48.

XVII.

Hoc anno in Comitiis[o] Lublinensibus Poloniæ Albertus-Fridericus Dux Prussiæ seu Borussiæ, filius alterius Alberti Brādeburgensis (de quo suprà[p]) nuper defuncti, feudum & insignia Ducatus Prussiæ à Sigismundo Augusto Poloniæ Rege solemni cæremonia accepit, jusjurandúmque fidelitatis & clientelæ præstitit intercedente[q] nihilominùs per suos publicè Pio Pontifice, ob jus dominij quod Sedes Apostolica ab antiquo in Prussiam habuerat. Cùm autem insuper gratiam illā Rex addito beneficio cumulans, Ducem ipsum & omnes illius subditos se in doctrina Confessionis Augustanæ, quam amplexi fuerant, conservaturum pro se ac successoribus suis dato diplomate promisisset: eo pius audito, cum ipso Rege & aliis Catholicis graviter adeò expostulavit ostendens quantùm Catholicæ veritati pestilēs esset id regiâ auctoritate decerni; ut decretum illud antiquatum fuerit & abrogatum. Ipséque Rex considerans quàm ardenti zelo, sinceróque studio, Pius in suam salutem & regni incolumitatem esset intentus; ut rectam suam in Deum fidem, atque in ipsum Pium observantiam testaretur, hæreticam omnem pravitatem in dies magis execratus, imprimis detestatus est hæreticorum confessionem[r] Sendomiriensem ipsi oblatam: tabulásque[s] inde confectas, & duorum testium fide firmatas, regióque signo munitas, ad Pium misit, quibus se in omni vita Catholicam religionem ex animo professurum, nec ullam ejus immutationem in regno suo permissurum spopondit.

o Neugeba- ver. Hist. Pol. l. 8 Chytra. Saxon. lib. 22.
p An. 1525.
q Caten. in Vit. Pij V. Gabut. lib. 3. cap. 10.

DE RELIGIONE PRUSSIÆ.

REGIS POLON. PIETAS.

r Supr. an. 1568 XXIV.
s Ex. ap. Caten. in fi.

IESU CHRISTI Annus 1570.

PII V. Ann. 5.

MAXIMILIANI II. Ann. 6.

I.

ANNO Christi millesimi quingentesimi septuagesimi, Indictionis decimætertiæ, narrationem rerum auspicabimur à toto penitùs divisis orbe Britannis. In quorum insulæ parte Septemtrionali, nimirum Scotiâ, cum Maria Regina pulsa, & in Anglia captiva immaniter detenta turbarum omnium auctor perfidus Spurius Moravius regnum, quod affectabat ad libitum non gubernaret, sed pessumdaret, in integram religionis Catholicæ destructionem, & amicorum Reginæ exterminationem; in eo esset ut efflagitanti Reginæ Angliæ Elisabethæ puerulum regium Iacobum Mariæ filium traderet, vicissimque ab ea Mariam in suam acciperet potestatem: contigit, ut completis jam ejusmodi Amorrhæi iniquitatibus; dum è Lithco oppido Edimburgum primariam Scotiæ civitatem pergeret, in medio stipatorum armatorum & ingentis asseclarum multitudinis, à Iacobo Hamiltonio (quam primariam regni familiam ipse, quòd Reginæ fida esset, acriter persequebatur) privati odij causa, (cum alioqui esset & ipse æquè ac Moravius Calvini hæresis asse-

MORAVIJ SCOTI CÆDES.

cla) glande plombeâ paulò infrà umbilicum transfixus; eodem die 10. Calendas Februarij infelicem animam exhalaverit; imprecationes & execrationes ac minas continuè ingeminans, ut qui ejus scelera abominati sunt Catholici tradunt; cùm infamis Buchananus, aliíque ejus sectæ homines, piissimè absque ulla indignatione, ac patientia mirabili mortuum prædicent, & in cœlum evehant. Percussor manus insequentium fugiens, Lutetiam concessit; ubi & factus est Catholicus.

II.

Ex Moravij verò morte auctis tumultibus; Elisabetha, quæ inde à suis consiliis deciderat Comitem Sussexiæ cum magnis Anglorum copiis in Scotiam immisit; quibus specie quarumdam Scotorum incursionum, & rebellium aliquorum Anglorum quærendorum, ad vindicandæ necis Moravianæ, diræ clades cæde, sanguine, incendio, Scotis Mariæ Reginæ faventibus, ac præcipuè Hamiltoniis illatæ sunt, dirutis cunctis ipsorum domibus. Cùm verò deinceps multa hinc inde tam in ipsa Britannia, quam etiam apud exteros Principes, ad Mariam à captivitate, qua in dies magis opprimebatur, eruendam tractari contingeret: Elisabetha ad id etiam se pronam simulans, conditiones proposuit longè ipso carcere duriores; quibus inter cetera petebat, ut Catholicam religionem abdicaret, Elisabetham superiorem agnosceret, omni alij fœderi præterquàm Anglico renunciaret, ac filium obsidem; unà cum præcipuis regni proceribus, & munitioribus oppidis traderet. Quibus à Mariâ generosè rejectis, propterea misera, novis superadditis in eam calumniis, indignissimè habita est atque in Scotiâ, Elisabethæ nutu omnia pro arbitrio gerentis; loco Moravij prorex creatus est Matthæus Stuartus Lenoxiæ Comes regij pueri avus, Anglorum studiosissimus, quem Elisabetha ad nutum futurum non dubitabat, cùm ejus uxorem in potestate haberet.

ELISABETHA REG. ANGL. ILLUD'T MARIÆ SCOTÆ.

III.

SENTENTIA PIJ IN ELISABETHAM.

Inter quæ cernens Pius Pontifex rem Catholicam in Angliâ & Scotiâ pessum ire operâ Elisabethæ, flagitiorum (ut vocabat) servæ; quæ regno Angliæ occupato, supremi Ecclesiæ capitis locum, auctoritatem & jurisdictionem monstruosè sibi usurpabat; Catholicæ fidei cultores opprimebat; sacrificio Missæ, ritibúsque Catholicis omnibus abolitis, impia mysteria & instituta Calvini à se suscepta, à subditis quoq; servari faciebat; Episcopos & sacerdotes in vincula conjiciebat, omnémque Clerum ac populum qui Romanam Ecclesiam agnoscerent, pœnis, carceribus, & suppliciis, dirísque mortium generibus conficiebat: His, aliísque pluribus ejusmodi ipsius facinoribus, apud omnes nationes notioribus existentibus quàm ut aliquis locus excusationis, defensionis, aut tergiversationis relinqueretur: cujus & animus ita obfirmatus atque induratus esset, ut non modò pias Catholicorum Principum de conversione preces monitionésque contemneret, sed ne Apostolicæ quidem Sedis ad eam hâc de causâ Nuncios in Angliam trajicere permitteret: Propterea ad arma justitiæ contra eam de necessitate recurrere coactus, de Apostolicę potestatis plenitudine, per constitutionem [a] quinto Calendas Martij hujus anni, ipsius Pontificatûs quinti conditam; prædictam Elisabetham hæreticam, & hæreticorum fautricem, eíque in prædictis adhærentes, anathematis sententiam incurrisse, esséque à corporis Christi unitate præcisos, quin etiam ipsam prętenso regni Angliæ jure, necnon omni alio quocumque dominio, dignitate, privilegióque privatam declaravit, ac proceres, subditósque omnes dicti regni, à quocumque juramento fidelitatis & obsequij debito absolvit; anathematis vinculo iis proposito quicumque deinceps ejus legibus & mandatis obedire auderent.

a Bullar. to. 2. Pij V. const. 101.

IV.

PUBLICATUR IN ANGLIA.

b Sander. de Visib. Monar. lib. 7. ad fi.

Cujus damnationis sententiæ Romæ typis mandatæ cùm aliquod exemplar in Angliam clanculò delatum, in manus incidisset Ioannis Feltoni, viri generis nobilitate satis clari, sed animi fortitudine longè clarioris: is [b] Catholicæ fidei zelo permotus, cùm patriæ suæ valetudinē nonnisi acerbissimâ aliquâ medicinâ restitui posse animadverteret, in ipso Corporis CHRISTI festo quod eo anno incidit in 25. Maij, illam in civitate Londinensi regni Angliæ primariâ ad fores Episcopi juxta summum templum publicè affixit, uno conscio amico: perstiterúntque literæ in loco publico sub clara luce penè usq; ad horam octavam sequentis diei; adeò ut à plurimis visæ, à multis lectæ, à nonnullis etiam transcriptæ fuerint. Qui à socio se subducente monitus fugâ sibi quoque consulere, renuit, contestatus quidquid ea de causâ ferendum esset libenter se laturum. Captúsque postinde ex cōjecturâ, rem fassus, & Pontificis Romani auctoritatem constanter professus, Reginali in sacris abnegatâ, 6. Idus Augusti supplicium forti animo passus est, summam Reginæ in Ecclesiâ præfecturam negantibus inferri solitum: quo scilicèt primùm de scalâ laqueo dejectus, pauloq; post præciso fune vivus adhuc in terra demissus; virilibus exectis & in ignem cōjectis, ventre aperto & visceribus erutis, ac corde effosso, capite truncatus est, membris in quatuor partes dissectis. Cujus quidem martyrium ad confirmandos Catholicos & confundendos hæreticos multùm, ad reducēdam verò Elisabetham ejúsque persuasionis proceres tantùm abest ut aliquid profuerit, ut contra crudelior ab iis exurrexerit in Catholicę religionis professores aut suspectos persecutio; cùm & cernerent Pij sententiam adeò parvi pendi à Catholicis Principibus atque provinciis, ut à nullis desitum sit assuetis cum eâ uti Reginâ commerciis ac mutuæ amicitiæ officiis communicare.

V.

c Sand. ibid. her. 230.

UNCTORUM ANGLOR. ERRORES.

Quo eodem tempore, [c] in Surriâ ejusdem Angliæ Comitatus apud Bastedium, orti sunt ex Calvinistarum sectâ sub Vvrito quodam duce homines qui se *Vnctos* appellabant: docentes, peccare neminem, nisi qui veritatem ab ipsis prædicatam non reciperet: Totum novum Testamentum rerum futurarum prædictionem esse; atque ita Christum, quem semel venisse non negabant, iterum ante diem judicij eodem modo rediturum: Cui semel remissa fuit peccata, eum non peccare iterùm: Doctis viris omnem prorsùs fidem abrogandam esse. Egregios ejusmodi fructus protulit Reformatio Anglicana. Sed ad alia.

VI.

SELIMUS

Invaserat animum Selimi Turcorum Imperatoris, jam ab eo tempore quo vivente Soli-

mano

Decernit expeditionem Cypriam.

mano patre Ciliciam, quâ nunc Caramaniam vocant obtineret, ingens cupido potiundi insulæ Cypri, Ciliciæ à Septentrione objectæ, & ab ea sexaginta circiter millibus passuum diremptæ, quæ sola in Asia Christianis parebat; & soli fertilitate, situs amœnitate, benigno cœlo opibus ac rerum omnium ad vitam necessariarum copia, vinóq; generosissimo, (cui erat Selimus mirum in modum, quamvis contra legis Mahometanæ præcepta, deditus) inter insigniores mediterranei maris insulas principatu gaudebat: quam & propterea antiqui Macariam, hoc est beatam nuncuparint, ac propter delicias & luxum Veneri cõsecrârint. Quibus accedebat, quod piratæ Christiani continuis excursionibus Asiæ & Syriæ littora infestantes, & Turcis religionis causâ Mecham & Mahometis sepulchrum adeuntibus periculosam navigationem reddẽtes, aut Cyprij essent, aut in ejus insulæ portus reciperẽtur. Denique innata iis Principibus consuetudo, ab ipsâ mox Imperij aditione aliquam ejus augendi propagandíque rationem excogitandi, à familiaribus ejus pro occasione diligenter proposita, à Mophti demùm sacrorum ipsorum supremo præside industriè contra Cyprum omninò versa est, cùm videlicèt à Selimo, qui statim primis principatus auspiciis xenodochium mole & operis magnificentia longè maximum Hadrianopoli extruendum susceperat, in itineris comitem ad opus visendum assumptus, industriè insinuavit, multísque verbis atque rationibus confirmavit, nequaquam fas esse, aut moris, sumptus ad ejusmodi xenodochia, rebus ad hospites ex quâcumque lege & natione excipiendos & alendos necessariis instructa, atque ædificia sarta tecta tuenda, ex veteribus aut jam constitutis Imperij vectigalibus aut ex ærario erogari, sed adventitios fructus provinciæ alicujus armis quæsitæ iis assignandos esse; nullámq; ad eam rem Cypro insulâ provinciam opportuniorẽ videri: ejus occupationem non minùs falicem quam piam & utilem fore indubitanter asserens. Cujus velut cælitùs immisso monitu cõfirmatus Selimus in proposito jam præcepto, decrevit fœdus cum Venetis, in quorum potestate ab annis circiter octoginta insula erat, à patre religiosè cultum, & ab ipsomet nõ ita pridem jureiurando confirmatum, abrumpere; dissuadente licèt Mahomete primo Visire, cui Imperium debebat, occulto Venetorũ amico; & ut magis bellum adversus Hispanos perpetuos Ottomanici nominis hostes, in auxilium Granatensium illud summoperè flagitantium converteret hortãte. Contra quẽ cùm Mustapha olim Damasci prætor, vir militari fastu ferox, qui multis nominibus gratiam à Selimo inierat, & Pialis ipsius Selimi gener, expeditionẽ Cypriam Granatẽsi longè faciliorẽ atq; rebus Turcicis cõmodiorem urgerent: horum rationibus Selimus toto animo accedens; spe itẽ prosperioris belli exitûs, ex ingẽti annonę penuriâ quâ tota Italia ipsáque speciatim Venetiarum urbs ejúsque ditiones afflictæ fuerant; atq; armamentarij toto orbe celeberrimi ex pulvere sulphureo seu fortuitò seu malitiosè incenso, immenso rerum, ædificiorum, atque hominum damno, conflagratione: omni cunctatione abjectâ statim expediri triremes, Græciæque peditatum & equitatum ad Chypsalam Thraciæ oppidum convenire jussit, ut copiis in ampla earum regionum latitudine collectis, in Phrygiam transfretaret; atque inde recto itinere in Ciliciam è regione Cypri contenderet.

VII. Venetorum ad defensionem præparatio.

Quibus à Senatu Veneto auditis, qui diù vix adduci potuerat ut crederet Selimũ, qui non ita pridem pacem sanciverat, nullâ causâ permotum turpiter fidem fracturum; confestim summo studio quæ ad maritimum tuendum imperiũ attinerẽt curare cœpit; insulas, oppida, urbésq; communire, navigia omnis generis instruere, delectus habere, præstantes ac claros bello duces adscribere. Quòd verò non tantùm Venetæ, sed totius Christianæ Reipublicæ causa ageretur, ad quã mali labes pervasura esset, si semel Veneti contererẽtur; visum quoq; fuit de his Christianos Principes certiores facere. Quorum primus Pius Pontifex, præ eximio religionis ardore, quamquam exhaustis ob gravissimas impẽsas Ecclesię facultatibus, omnem opẽ pollicitus, cum Philippo Hispaniæ Rege de fœdere icendo, déq; classe cum Venetâ conjungenda, per Ludovicum de Torres Clericum Cameræ Nuncium ad eum missum egit: eúmque pro ejus pietate ac zelo ad id facilè induxit, ut quinquaginta triremes suppetias Venetis mittere promiserit, interim dum de fœdere maturius consuleretur. (Cujus Ludovici extat inter Literas[d] Principum satis longa de suâ legatione epistola ad Cardinalẽ Alexandrinum Pontificis pronepotem.) Conatúsque est etiam Pontifex Lusitaniæ Regem Sebastianum, qui tunc in primo adolescentiæ flore nondum decimumseptimum annum excesserat, per eundem Nuncium ad id idem fœdus impellere: qui tamen neque triremes, ut rogabatur, ob pestilentiam quæ ren iges absumpserat, mittere, neque fœdus, ob bellũ quo in India orientali distinebatur; ubi etiam bono publico sibi cum Turcis bellum gerendum esset; aliásque copias in varia loca mittendas, & regnum ab invasione Seriphij Mauritaniæ, & grassationibus piratarum hæreticorum è Galliâ & Britanniâ excurrentium defendendum, inire posse, uti maximè optâsset, excusavit. Maximilianus Cæsar, cuius adjunctio maximum ad rem momentum allatura existimabatur ab eodem Pontifice ac Senatu Veneto ad bellum pro tot ac tantis injuriis à Turcis acceptis adversùs eos suspiendum incitatus, egregia laudum verba dedit; sed nihil ad rem contulit, quòd cum Turco in induciis esset, & Germania à Turco lacessendo maximè abhorreret; atque arma tantùm inferenti resistere parata esset. Poloniæ Rex Sigismundus Augustus, minoribus odiis ac minùs necessarij belli causis stimulantibus, haud promptior ad arma capienda. Et Tammasus Rex Persarum pariter solicitatus Turcorum ditiones invadere, certâ de iis victoriâ dum omnes eorum vires apud Cyprum essent, nonnisi cunctationis responsum dedit; expectaturum se quorsùm fœderatorum Principum conatus proveherentur, atque ex iis firmiora consilia capturum.

Pontifex pro iis sollicitat Principes.

[d] Litt. Princ. vol. 3.

VIII. Carolum quoque Regem Francorum cùm hortarentur[e] Veneti fœdus adversus communem Christianæ Reipublicæ hostẽ amplecti;

[e] Mauroc. Hist. Ven. lib. 9.

SOLLICITATUR ET REX GALLIÆ.

id enim Christianissimis quos gereret titulis convenire; majorum suorum præclaris meritis ab se deberi; Francorum virtutis proprium esse, qui immensis terrarum marísque spatiis peragratis CHRISTI Salvatoris vexilla in remotissimas regiones intulissent, ac de barbaris præferocibúsque gentibus triumphos egissent hísque Reipublicæ officiis vehementer Pontifex faveret, haud parum conducere ratus si maximum ac potentissimum Regem fœderi adjungeret; cujus vel solâ auctoritate, cùm alioqui ob innumeras quibus ejus regnum premebatur difficultates ac civiles tempestates, minora ab eo expectari subsidia possent, quamplurimùm roboris atque existimationis sociis accessurum esset: His omnibus respondit Rex, cur societatem cum reliquis inire nequiret, in comperto esse: sperare Rempublicam, quæ eximiam illius voluntatem perspectam haberet, justas excusationes probaturam: sed prospicientem in quot bellorum anfractus sese Respublica demitteret, vehementer cupere ne cum Turcis arma consereret eáque propter si quid pro pace confirmandâ posset, omnem operam cum Rege sibi amico adhibiturum, atque ad eam tractandam suos homines Byzantium missurum. Verùm cùm militaribus apparatibus cuncta constreperent, atque omne studium ad reliquos Principes inflammandos à Senatu impenderetur; alienum visum est, pertenui concordiæ spe tot magnarum rerum orsus interturbare; cum præsertim Pontificis auctoritatem omnes ferè Italiæ Principes sequerentur.

IX. RATIONES TURCORUM PRO INVASIONE CYPRI.

Dum hæc fierent, antequàm Turci aliquid apertæ hostilitatis aggrederentur, Mahometes Visir M. Antonio Barbaro Reipublicæ Venetæ Constantinopoli oratori significavit, Cyprum à Selimo postulari; causas prætendens quibus justum Reip. bellum inferri demonstraret, quòd piratæ Christiani in Cypro reciperentur, neque à magistratibus coercerentur, sed inde Turcorum navigia, negotiatorésque interciperent; piratæ Turci, qui post prælium initum vivi in potestatem Venetorum venirent crudeliter jugularentur, neque ex pacis præscripto Constantinopolim mitterentur; proinde Legis interpretes, ob fœdus à Republicâ violatum, Selimum jurejurando solutum affirmare, illiúsque conscientiæ religionem injicere, quòd Cyprum, quæ Musulmanorum fuerat, aliis parere, atque ubi eorum templa extitissent, nunc Christianorum Ecclesias inspici pateretur. Ad quæ Barbarus nullam inde in Venetos arma movendi Selimo justam causam esse, respondit; quandoquidem cunctis pateret, prædones qui in Cyprum ad aquationem faciendam aut commeatus capiendos accederent, ab equitatu qui à Republica alebatur semper ejectos: navigia verò, ac Selimi subjectos receptos, & quibus indiguissent ea liberaliter exhibita: piratas omni scelere cõtaminatos sæpiùs Constantinopolim missos, dumque meritas luere pœnas debuissent impunè dimissos: Cypriis autem numquam Turcos vel Musulmanos imperasse. Ita ille. Potuit autem Mahometes per Musulmanos intelligere Mammaluchos, quorum Sultano olim Rex Cypri Ioannes Lusinianus ab eo captus vectigalem se ad libertatem consequendam fecisset, & postea Iacobus nothus & regni usurpator, ut in eo confirmaretur, aliud item tributum promisisset; prout suis locis [f] vidimus. Vel etiam ipsos Turcos; quòd cùm Selimus I. ipsorum Imperator oppressis Sultanis Ægyptum occupâsset anno 1517. tributum quod anteà Cyprij iis pependerant, sibi ac successoribus retinuit; insulæque possessionem Venetis, jam tunc illum obtinentibus, (tanquam vassallis, ut Turci interpretabantur. Venetis non eam solutionem tributum, sed honorarium dumtaxat munus asserentibus,) tranquillam hactenus reliquerant. Cùm tamen haud ullo eorum modo Cyprum Musulmanorum fuisse Veneti consentirent, etiamsi pactum tributum sive donum hactenus persolvissent, & porrò persolvere offerrent.

[f] Supr. an. 1426. & 1459.

X. NUNCIUS MITTITUR A SELIMO VENETIAS.

Subdente autem Mahomete, Selimo nihilominùs Cypro omnino potiri constitutum esse: si sponte id Respublica permitteret, pacem in reliquis Venetorum finibus servaturum: Barbarus Venetus solerti vir ingenio, ad sistendos aliquantisper armorum motus, quò intereà Respublica ad tantum bellum suscipiendum accuratius se compararet, proposuit certum hominem è regiâ Venetias mitti debere, qui tanta de re Senatum certiorem faceret; cum indignum esset tanto Rege, eos improviso adoriri quibus jurejurando fidem præstitisset. Quo facilè Selimo per Mahometem, qui Venetis favebat, persuaso ea ratione quòd nondum necessaria ad Cyprum invadendum expedita essent; missus est Chausius (ita Turci vocant qui legationum munera obeunt) Cubates cubicularius Selimi; jussis ad ejus usque reditum armis conquiescere. Qui Venetias appulsus mense Aprilis, rectâque à navi ad curiam ductus, ac sibilis & conviciis à populo in via impetitus; exhibitis Selimi & Mahometis literis, eorumque mente explicata; responsum illicò jam anteà præconceptum accepit, paratam Rempublicam esse bellum quod Selimus nullis justis de causis Reipublicæ inferre statuisset, fortiter excipere: se legitimè Cyprum possidere, ac sperare Deum innoxiis auxilium & opem præstaturum, móxque ad suam navem remissus, paulò pòst literas quas Constantinopolim perferret recepit, demptis ex Senatus decreto titulis, qui Otomanorum Regum superbiæ ac potentiæ haud impares earum fronti præfigebantur; nempè *Serenissimo & excellentissimo Selin Sach, maximo & invictissimo Regi utriusque continentis Asiæ & Europæ, Arabum, Persarum, Syriæ, atque universæ Ægypti, &c.* Tunc enim eâ tantùm inscriptione *Serenissimo Selin Sach Turcorum Imperatori* insignitæ fuêre. Quâ de re ac de neglectu Chausij, non parùm indignatus Selimus, expeditionem vehementius ursit.

XI. MOCENICUS DUX VENET.

Cubate verò Venetiis dimisso, dũ de suscepto bello, déque Senatus responso Principes certiores facti, ad auxilia exhibenda fœdusque ineundum sollicitarentur contigit Petri Lauredani Venetiarum Ducis obitus 4. Nonas Maij in cujus locum 5. Idus Maij *Aloysius Mocenicus* eques & S. Marci procurator suffectus est, rerum domi forísque gestarum usu,

solidæque virtutis opinione, par tanto oneri sustinendo existimatus. Qui omnibus nervis in bellum incumbens, Hieronymo Zanio, sive Zeno, classis imperatori creato, (viro quidem bono, sed provectioris ætatis) in aureâ S. Marci basilicâ, divino sacrificio peracto, de more Reipublicæ vexillum tradidit. Isque per forum, Principe ac Senatu comitante deductus, Prætoriam conscendens, quadraginta circiter stipatus triremibus, in Illyricum, ut reliquis triremibus quæ Iaderæ substiterant, se conjungeret navigavit: jussus ibi expectare, donec quinquaginta quas subsidio Philippum Hispaniæ Regem missurum sperabant, vela in orientem dedissent. Ubi cùm ob varia impedimenta, & novorum mandatorum atque externarum virium expectationem, inutili otio tempus tereretur, multísque morbis & incommodis multitudo affligeretur; interim Turci in Illyricum impetu facto, nonnulla oppida ceperunt, agros populati sunt, multos captivos abduxerunt. Et Zanius reliquis oppidis novis præsidiis firmatis, Corcyram navigavit, ubi classem Hispanam esse audierat. Sed Io. Andrâ Auriâ Genuensi ejus præfecto negante habere se in mandatis ut suas Venetæ classi triremes consociaret; non parva inde turbatione, orta, Pius Pontifex ut suo exemplo alios alliceret, duodecim triremes à Venetis acceptas ære suo Anconæ armavit; quarum imperium M. Antonio Columnæ nobili Romano Paliani Duci, atque in Basilica S. Petri vexillum ex damasceno serico rubro confectum, in quo erat CHRISTI Domini de Cruce pendentis imago depicta, atque hinc inde effigies SS. Apostolorum Petri & Pauli, his verbis inscriptis, *In hoc signo vinces*, quæ olim divinitùs faustè ostensa fuerant Constantino Magno; propriâ manu tradidit; cum mandatis ut quantociùs sese Venetæ classi conjungeret, quod & ipse præstitit, unà cum Hispanicâ classe, quæ idem præceptum jam acceperat, perveneruntque simul in Cretam ad Zanium ibi eos expectantem: cui cùm à Senatu præceptum fuisset, Columnæ uti Pontificis præfecto loco cederet; Auriam si velle sibi sumere animadverteret, ne magnos rerum orsus levi ex causâ perverteret, anteferret; ceterùm quod ad consilia capienda spectaret, eorum sententiis perquisitis, quicquid è Republicâ videretur ipse decerneret: Columna ut Zanio præiret præ modestiâ vix adduci potuit; Auria ne tentavit quidem.

CLASSES CHRIST. IUNGUNTUR IN UNUM.

XII. TURCORUM CLASSIS.

Dum autem hæc fierent, meliore anni parte inutilibus cunctationibus insumpta, hostibus tantum temporis relictum est quantum ad res eorum componendas suffecit. Præfecit igitur Selimus terrestri expeditioni in Cyprum Mustapham cum totius belli imperio: maritimarum rerum curam Piali tribuit, qui secundum à Mustapha dignitatis locum obtinebat: Hali Ianizerorum præfecto ductandæ classis munus injunxit. Qui de Venetæ classis statu, Iaderæ inter morbos & otium marcescentis, & Hispanæ cunctatione, per speculatores edocti nihil ab iis timendum rati in Cyprum contenderunt. In eorum recensenda classe ducenta rostrata navigia adnumerabantur, in quibus biremes ac myoparones complures, ad hæc majores naves sex, maonæ appellatæ non absimili Venetarum quinqueremium formâ: magnus item onerariorũ navigiorum numerus: & quinquaginta ad equitatum transportandum hippagogæ. Hominum in terram expositorum (præter navales, qui idoneo ad pugnam cum Christianâ classe ineundam numero censebantur) quinquaginta peditum armatorum millia, atque in iis sex Ianizzerorum: duo millia & quingenti ad bellandum expediti equites; vectorij totidem: fossores ad tria millia: bellica tormenta triginta, quæ partim quinquaginta partim librarum centum pondus excuterent: duæ insuper ingentes machinæ, quæ mortaria vocantur: falcones quinquaginta.

XIII. EIUS APPULSUS CYPRUM.

Tot igitur copiis in Cyprum ineunte Iulio delatis, nullóque, ob præfectorum Venetorum desidiam, seu tarditatem, & insulanorum consternationem, obsistente expositis; post consultationem inter duces quænam ex duabus præcipuis insulæ urbibus, Lucosia, sive Nicosiâ, & Tamasso sive Famagusta, (quam & nonnulli antiquam Salaminam esse volunt,) primùm oppugnanda esset; à Nicosia regni capite in insulæ medio loco plano sitâ ordiri placuit, quòd debiliori præsidio teneretur, & nondum perfectis munitionibus citiùs capi posset quàm Famagusta ad mare situ & arte munitissima, in qua ducum & copiarum robur esse nunciabatur. Erant Nicosiæ in universum tam milites quàm incolæ ad quinquaginta millia; sed impares existimati ad urbem diutiùs tutandam. Ad quam 7. Cal. Augusti admotis castris, urbs vehementissimo nisu dies noctésque oppugnata fuit; nec non crebris literis, sagittis in eam ejaculatis, ad deditionem magnis & præmiis & terroribus invitata. Quæ omnia cùm frustrà fierent; nihilominus plurimis minutis certaminibus militum numero in dies imminuto, (non sine Turcorum gravissimo damno) cùm nec auxilia è Famagusta ac reliqua insula obtineri potuissent, nec ulla spe esset adventûs classis fœderatorum; adjecta præfectorum ab ipso initio diffidentium altercatione, & Nicolai Danduli summi præfecti desidia ac torpore; nulla licèt annonæ aut bellici apparatûs copia deficiente, tandem post quadraginta quinque dierum acerrimam oppugnationem, ea vi expugnata est 5. Idus Septembris ingenti cæde, qua viginti hominum millia omnis generis, conditionis, ætatis, & sexûs ea die gladio ceciderunt; Dandulo quoque, in extremis animosiorem se gerente quàm initio se diligentem præbuerat, cum aliis proceribus necato; necnon Francisco Contareno Paphi Episcopo, qui absente Nicosiæ Archiepiscopo, nullum officij genus, quod in summis periculis ab egregio Antistite, precibus ac supplicationibus ad Deum, adhortationibus & obtestationibus ad duces & milites, expectari posset, tota obsidione omisit. Nonnullis elapsis in vicinos montes, reliqui in miserrimam servitutem morte longè diriorem abrepti fuère. Auri, argenti, gemmarum, pretiosæ supellectilis ingens copia inventa, quamvis ad barbarorum cupidinem inferior. Hæcque postrema Nicosiæ Christianæ dies fuit: quæ nobilitate, opibus, viribus insignis, per multos annos extra

NICOSIÆ OBSIDIO.

ET EXPUGNATIO.

fortunæ aleam, nullis obnoxia cladibus aut calamitatibus, sub Regum ac Venetorum imperio floruerat.

XIV. INSIGNE FACINUS CUIUSDAM MATRONÆ.

Ut verò insigni aliquo partæ victoriæ fructu Selimus potiretur, pulcherrimis matronis, selectis virginibus, puerorum atque adolescentium flore, pretiosâ suppellectile, ex iis quæ à crudelitate, avaritiâ, & nefandâ militum libidine servari potuerunt, tria navigia referta Mustapha Constantinopolim mittere statuerat. Sed dum opportunus navigationi ventus expectabatur, ignis regentè in unâ navi oportus, in reliquasque duas proximas horribili fragore diffusus, momento viros, mulieres, ac prædam omnem absumpsit; navis magistro, ratiocinatore, ac sex Turcis tantùm exceptis, qui natando ad litus appulêre. Ex quibus cognitum est, Cypriam nobilem matronam infandæ servitutis jugum perosam, patriæ excidium, civium ac cognatorum ingentes calamitates lamentantem, generoso ausu in tormentarium pulverem igne conjecto, memorandum facinus edidisse, ac tyranno exuvias victoriæ eripuisse: cujus tamen nomen in omne ævum prædicandum interiit.

XV. FAMAGUSTA TENTATUR.

Eâdem quâ Nicosia cecidit die, Mustapha caput Danduli recisum Famagustam ad M. Ant. Bragadenum præfectum præclarâ fortitudine præditum deferri jussit; nisi se dederet eumdem illi exitum minatus. Qui respondit, sibi constitutum esse ad extremum usque spiritum urbem tutari: si periculum Mustapha faceret, propugnatorum robur experturum. Quare Mustapha præsidio Nicosiæ relicto, Famagustam versùs profectus est: atque in itinere Cerinio, universâque reliquâ insulâ præter Famagustam potitus, undecimo Calendas Octobris eò cum copiis pervenit. Sed cùm aliquot pugnis & aggressionibus rem sibi cum fortissimis viris, haud facilè ante ingruentem hiemem subigendis, esse comperisset; certiórque factus fuisset, classem Christianorum conjunctam Cyprum petere decrevisse: castra inde movit, ac classe Turcicâ impedimentis & ceterâ turbâ bello inutili exoneratâ triremes valido bellatorum numero firmavit; onerariisque ad Famagustam relictis, ad Limissum oppidum Christianam opperiri deliberavit, cum eâ prælium commissurus.

DISSIDIUM DUCUM CHRISTIANORUM.

Cujus interim duces in Cretâ de auxiliis in Cyprum solvendæ Nicosiæ obsidioni importandis dissentientes, Auria ab eâ profectione specie metûs procellarum anno jam provecto consuetarum, & Venetarum triremium milite per morbos imminutarum planè abhorrebat; & contrà Zanius & Columna eam urgebant. Quorum demùm suasu & ipso Auriâ licèt ægrè in eam sententiam certis conditionibus pertracto, classis socialis, quæ centum & octoginta triremibus, (quarum centum viginti tres Veneti, duodecim Pontifex, quadraginta quinque Philippus Rex contulerant) duodecim galeatiis, onerariis Venetis quatuordecim, præter minoris formæ navigia, quæ commeatu ac bellico apparatu referta subsequebantur, constabat; ac millia circiter quindecim militum ferebat, quorum mille in Pontificiis, quatuor in Hispanicis, reliqui in Venetis navibus censebantur; præter

CLASSIS CHRIST. QUALIS.

ingentem numerum eorum qui sponte in militiam nomina dederant quos vel gloriæ cupido, vel religionis ardor, vel in Remp. Venetam studium, ex Italiâ, atque omnibus penè Europæ regionibus, ad hoc bellum attraxerant. 17. Calendas Octobris è Creta solvens, ad Chelidonium promontorium è regione Ciliciæ pervenit.

XVI. RECEDIT AD HYBERNA.

Ibi audito Nicosiæ excidio, cùm inutili jam in Cyprum navigatione existimata, duces reditum in Occidentem decrevissent; ac nihilominùs plerique, ne annus tot bellicis apparatibus insignis, nullo conatu inglorius elaberetur, alicujus urbis aut oppidi in hostili solo oppugnationem instituendam esse censerent: hoc quoque consilium Auria reprobans, qui & communem cum ceteris reditum abnuens, quòd hæc contra sui Regis mentem esse diceret, à quo sibi omninò præscriptum fuisset maturè eo mari excedere, classem in tutum reducere; post acrem cum Columna habitam altercationem, in Occidentem contendit, salvúsque pervenit: ceteri diris maris tempestatibus agitati, multis triremibus amissis, Zanius in Corcyra substitit, mandata Senatûs expectaturus; amissis morbo & multiplici calamitate ab initio expeditionis circiter 40. millibus hominum, nullo operæ pretio, & immensa auri vi inani conatu profusa: unde non parùm suorum in se concitatum animum expertus est, ex eventu suscepta consilia, nulla habita ratione pestiferæ luis, ac cæli injuriarum; & morosæ cunctationis Auriæ, quibus non posset ipse mederi, metientium. Columna cum solis tribus triremibus, reliquis aut fluctibus mersis, aut igne consumptis, aut aliis modis diruptis, Anconam pervenit, indéque Romam pedestri itinere contendit, à Pio Pontifice sũma honoris significatione exceptus. Quorum omnium discessu cognito, classis quoque Turcica, paulùm eos insecuta, sed adversis ventis abrepta, Constantinopolim ad instaurandum apparatum se recepit, relictis in Cypro validis navium & militum præsidiis. Et hæc summa rerum à Christianis contra Turcos hoc anno gestarum.

XVII.

In quibus, si in aliis umquam, maximè compertum fuit, privatas rationes publicis officere; neque quicquam adeò in communi utile esse, quod non propriis commodis prævertatur. Væ illis, per quos scandala veniunt. Quid fœdera plerumque operantur, nisi diffidia, odia, distractiones, inimicitias? Historiam autem hujus gravissimi Belli, quod hunc & duos subsequentes annos tenuit, cùm multi variis linguis descripserint; Latinè eam vidimus Uberti Foliete Genuensis, & Petri Bizari Sentinatis, atque Antonij Mariæ Gratiani Episcopi Amerini, propriis de eo commentariis: Andreæ Mauroceni Senatoris Veneti in Historia suæ Reipublicæ; Iacobi Augusti Thuani in Senatu Parisiensi Præsidis in Historiis sui temporis; & Natalis Comitis Veneti in Historia item sui temporis. Italicè Io. Bapt. Hadrianij Florentini in Historia pariter sui temporis; Pauli Parutæ Senatoris Veneti in suæ Reip. Historia; Ioannis-Petri Contareni proprio commentario; & Iacobi Bosij in Ierosolymitana Hospitalariorum, (qui etiam hoc tempore cladem ab Uluzziale Turco, vulgò Uc-

SCRIPTORES BELLI CYPRII.

ciali dicto, non parvam amissione triremium suâ culpâ acceperunt, existente tunc eorum Magistro Petro de Monte Itàlo, successore magni illius Valetæ, qui Melitam à Solimano defenderat, defuncti 21. Aug. 1568. Hieronymi Catenæ in vitâ Pij V. & Cæsaris Campanæ Aquilani in Vita Philippi II. Regis Hispaniæ, & in Historiâ Mundi: atque auctoris incerti in fine Collectionis Sansovini de origine & bellis Turcorum. Gallicè Fr. Angeli Calepij Cyprij Ordinis prædicatorum qui Nicosiæ tunc interfuit; rémque descripsit rogatu Fr. Stephani Lusiniani ejusdem Ordinis professoris, ex antiquâ familiâ Regum insulæ: ac ceterorum qui Historias Turcorum vel conscripserunt, vel prædictas aliorum verterunt, præter plurimorum omnis linguæ tractatorum, breviores descriptiones ex prolixioribus desumptas. In quibus tamen omnibus cùm observare liceat (ut plerumque accidit in quibuscumque narrationibus) aliquam consiliorum discrepantiam, & in recensendis nonnullis gestis particularibus aut numeris copiarum tam terrestrium quàm maritimarum, aliísque ejusmodi, diversitatem; nos pro nostrâ consuetudine, privatos affectus quantum fas est vitantes, tam in iis quæ jam diximus, quàm quæ dicenda venerint, & pluribus & gravioribus standum duximus.

XVIII. Prodigia varia.

Fuisse porrò prænuncia harum & subsequentium calamitatum, summam annonæ penuriam, incendia horrenda, pestilentiam sævissimam, fulmina, terræmotus, chasmata, turbines, cometas, tenebras, inundationes prodigiosas, alia permulta portenta, quæ hoc anno passim pluribus regionibus contigerunt, apud auctores legere est. Unde præclarè juxtà & piè Aloysius Luisinus medicus Forojuliensis lugens cecinit.

Diluvium, terræmotus, contagia passim,
Bella, fames, mundi quid reliquum exitio est?
Ignis, & ipse prope est. Unde hæc? ex arce tonantis.
Tot mala quid mundo congerit? impietas.
Anne salutis adhuc spes ulla est? Unica, quisnam.
Porriget hanc? pietas, hæc ubi? nullus habet.
Quid stas munde? rue, ut pietas est nulla ruentem.
Iam video: auxilium numina læsa negant.

XIX. Pax fit in Gallia.

Tot calamitatibus cùm etiam maximè Gallia æstuaret, ac prætereà intestinis furoribus ex bello contra hæreticos suscepto se ipsam dilaniaret; quamvis iidem hæretici copiis Germanicis suffulti, hoc quoque anno nonnulllis levibus certaminibus superiores, & aliquot urbibus captis potentiores effecti viderentur: tamen quòd & aliis victi, valdè indies imminuerentur, & Germani auxiliarij ob defectum stipendiorum discessionem meditarentur; ex aliâ verò parte Regem tædium tot regni sui vulnerum cepisset, & pecuniæ ad continuandum bellum non suppeterent: Demùm post multas hinc inde consultationes; sexto Idus Augusti de pace & concordiâ conventum est; non parùm reclamante Philippi Hispaniæ Regis oratore, verito ne pace in Galliâ factâ belli moles in Belgium ab hæreticis transferretur. Fuêreque ejus conditiones [g] eædem penè quæ pacis Carnotensis ante biennium factæ: videlicèt ut præteritorum memoria obliteraretur; Catholica Religio in omnibus locis instauraretur; liberum Hugonotis esset publicè ritus suos celebrare absque impedimento, præterquàm in aulâ & Lutetia, aliísque locis & temporibus in edicto comprehensis: omnium publicorum munerum civilium capaces essent: quatuor urbes securitatis causâ iis attribuerentur, Rupella, Montalbanum, Cognacum, & Charitæum, quas Navarrus & Condeus Principes ac viginti ex eorum nobilibus se post biennium restituturos jurarent: liberi ac soluti essent ab omnibus actibus & tractatibus, conspirationibus, proditionibus, molitionibus, demolitionibus, direptionibus, &c. Circa quorum articulorum, aliorúmque edicto contentorum interpretationem, non parvæ fuerunt deinceps inter partes contentiones, unde & suspiciones ortæ, non fore pacem illam firmam aut diuturnam. Quæ etiam quamvis pro tempore Gallis acciderit gratissima, ceteris tamen qui Catholicam religionis integritatem cupiebant incontaminatam, regiámque auctoritatem in omnibus prævalere; non adeò accepta fuit: qui tamen si bellorum incommoda sensissent, si non piam, fortè necessariam judicâssent. Quòd autem censeret Rex illam à Pontifice pro ardenti ipsius religionis studio atque hæresis odio, haud probatum iri; legationem misit quæ illi consilia sua aperiret, & quibus ratio nibus ad eam delatus fuisset doceret. Qui etiam ut adstrictiori fœdere cum Maximiliano Cæsare (à quo & consilia pacis, Germaniæ exemplo, ut erat ipse quietis amans, acceperat) & Philippo Rege conjungeretur; post pacem initam, uxorem jam sibi anteà desponsam accepit ad finem anni, Elisabetham juniorem filiam Cæsaris, sedecim annorum virginem, vigesimum primum ipse agens, cujus major soror Anna paulò antè hoc ipso anno ducta fuerat à Philippo quartis nuptiis; non sine plurimorum indignatione, quòd nullâ necessitate urgente, nullo manifesto pacis bono, nulla propagandi imperij spe, sororis suæ filiam (quamquam non sine dispensatione Apostolicâ) in matrimonium acceperit; malo exemplo, à Rege ad nobilitatem, & ab hâc ad plebem sensim delabente.

Rex Carolus uxorem ducit.

XX. Avenio servatur ab invasione hæreticorum.

Quòd verò prædictâ pace Pontifex non fuisset comprehensus; Admiralius [h] Colinius præcipuus Hugonotorum coryphæus consilia agitâsse dicitur de Avenione Venaisinâque ditione Pontificiâ occupandâ, ratus id sibi licere citra ullam pacis conditionum injuriam: futuram autem illam sibi commodissimam, tum amplæ urbis & regionis opulentiâ & amænitate præstantis acquisitione, tum ut esset sibi adversus Regem, si minùs ille conventis stare voluisset, firmum propugnaculum: atque ita pro rei opportunitate Arausicensi proximâ ditione, quæ principis hæretici erat, facilè in potestatem redactâ, ad omnem Rhodani occupandam oram vires extenderet. Quibus de rebus Pius certior factus, Torquatum Comitem è primâ nobilitate Romanâ virum artis militaris peritum, eò cum imperio & validis copiis misit, cujus diligenti providentiâ urbs totáque ditio & ab Admiralij

consiliis,

[g] Ext. Lat. ap. Schard.

in Reb. gest. sub Maximil. II. & Natal. Hist. lib. 21. ex divers. traduct. è Gallico.

[h] Natal. lib. 21. Caten. in Vit. Pij V. Gabut. lib. 2. c. 5.

consiliis, & ab hæreticorum contagione servata est.

XXI. PII DECRETA DE NONNULLIS ORDINIBUS RELIG.

Idémque Pontifex inter externa sacra arma contra infideles & hæreticos exerta, minimè curam rerum internarum omittens; cùm ex visitatione monasteriorum Ordinis Cisterciensis in utrâque Siciliâ, ejus jussu à procuratore generali factâ, intellexisset illa aut debitis officiis destituta esse, aut monachis ob non præstitam alimoniam deserta, aut omninò collapsa, patentia, & ut profana habita, cùm ipsorum monachorum, tum maximè eorum qui ejusmodi monasteria in commendam tenerent culpâ: constitutionem [i] hoc anno edidit octavo Idus Martij, pro defectuum supradictorum toto Ordine emendatione atque reformatione, tam quoad statum monachorum & diuinum cultum, quàm restaurationem monasteriorum, præstationémque fructuum mensæ conventualis in locis commendatis. Cúmque jam antehàc Ordinem Servorum Beatæ Mariæ in duas familias divisum, antiquato Congregationis nomine quod altera sibi asciverat, in unum idémque corpus, ac in unam eamdémque familiam, uni dumtaxat capiti subjectam sub eâdem regulari disciplinâ reduxisset; aliâ constitutione [k] tertio Calendas Iunij editâ id firmavit, & incommoda quæ bonum religionum perverterent excidit.

i Bullar. to. 2. Pij V. const. 102.

k Ib. const. 103.

XXII. HUMILIATORUM ORDINIS DEPRAVATIO.

Qui verò non ad consolidandum [l] dumtaxat quod infirmum esset aut confractum alligandum, potestatem acceperat, sed etiam ad evellendas [m] plantationes spurias, excidendásque arbores quæ non facerent fructum bonum: cùm juxta Dominicam admonitionem, ex fructibus Religiosorum *Humiliatorum* dictorum cognovisset eos ex iis plantis & arboribus esse, sumptâ in manum securi [n], radicem eorum excidendam judicavit. Floruerat is Ordo aliquot sæculis, (ut de iis quæ de eo dicta sunt aliàs intelligitur) egregiâ pietatis laude in Italiâ; institutus primò Mediolani, & à Lucio Papâ III. confirmatus: dein neglectâ sensim disciplinâ declinaverat in magnam corruptionem. Cujus medelam cùm Pius Carolo Cardinali Borromæo constituto commisisset, ísque eos ad pristinam disciplinam revocare curaret: tantam apud eorum plerosque sibi conflavit invidiam, ut in ejus necem conspirantes [o], Donatum Farinam Ordinis apostatam pecuniâ corruptum ad id sceleris audendum induxerint: qui nactâ diù quæsitâ loci & temporis opportunitate, clàm palatium Cardinalis ingressus, in eum vesperi de more in sacello cum familiâ precantem, ut transverberaret, sclopum glande plumbeâ, & multis minoribus glandulis confertum exoneravit, eo temporis momento, quo à precantibus canebatur versus Evangelij [p] *Nolite timere, & non turbetur cor vestrum.* Unde & Carolus audito strepitu, præsenti animo ne precantes incœpto absisterent jussit. Glans plumbea, quamvis à quinque circiter cubitis displosa, haud tamen extimam ejus vestem lineam, seu rochettum trajecit; sed fœdo in câ vestigio relicto, atque in spinâ dorsi Cardinalis leviter contusâ signo cum tumore impresso, in pannum humi stratum decidit, glandulæ verò minores, pars inani ictu trajectis vestibus & ambustis, pars ad alias partes delatæ eo penitùs illæso ceciderunt. Quod cum factum esset 7. Cal. Novembris anni superioris 1569. Pius Pontifex ubi id rescivit, parricidam fugâ mox elapsum, diúque conquisitum, ac demùm repertum (nequicquàm rogante Cardinale ut ei ignosceretur) meritas pœnas persolvere curavit. Et quòd difficile admodùm fuit eum detegere, & ut imposterùm tam ipsi Carolo quàm ceteris Cardinalibus magis caveret, antiquam Bonifacij VIII. constitutionem contra offendentes S. R. E. Cardinales, novo decreto [q] ad principium hujus anni promulgato extendit adversus scientes & non revelantes. Denique tum in truculenti hujus sceleris detestationem, tum ob alias gravissimas ejusdem Ordinis corruptelas, ac desperatam plurimis modis tentatam monachorum emendationem; aliâ solemniori constitutione [r] datâ hoc eodem anno, septimo Idus Februarij, universum eum Ordinem Humiliatorum extinxit & abolevit: præposituras, beneficia, & vectigalia, partim Cardinalibus, partim religiosis locis addixit: monachos verò, qui non fuerunt plures centum septuaginta quatuor, ex ipsis distributis facultatibus victo monastico, donec viverent, sustentari voluit, & in religiosâ disciplinâ Ordinariorum curâ contineri.

l Ezech. 34.

m Ierem. 1. Sap. 4. Matth. 7.

n Math. 3. Lu. 3.

o Vit. S. Carol. Caten. & Gabut. in Vit. Pij V. Bullar. to. 2 cō. 119. MIRACULŪ IN S. CAROLO.

p Ioan. 6. & 14.

q Pij V. const. 93.

r Ibid. const. 119. & 120. ORDINIS EXTINCTIO.

XXIII. DECRETUM DE CONCEPTIONE VIRGINIS.

Idem quoque Pius, ob discrepantes Theologorum sæcularium ac regularium de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis sententias, & pertinaces contentiones, confirmans Sixti IV. & Concilij Tridentini de hâc quæstione decreta, edixit [s] hoc item anno pridie Calendas Decembris, ne partes dissentientes alterutram erroris insimularent; & ne in publicis prædicationibus de eâ disputarent, aut vulgari sermone scriberent vel dictarent: permissâ tamen in publicis disputationibus, dum absque scandalo fieret, de eâdem re dissertatione, quamdiù à Sede Apostolicâ altera pars definita non foret. Quæ licèt nondum hoc tempore plenè & absolutè definita fuérit, prohibuit [t] tamen post hæc Paulus V. ne in ullis actibus publicis asseratur B. Mariam conceptam fuisse in peccato originali: ampliavítque Gregorius XV. ut nec in sermonibus & scriptis privatis audeat quis id asserere.

s Ib. const. 114.

t Vid. infr. an. 1616. & 1622.

XXIV. SYNODUS MECHLINIENSIS.

In Belgio ad restaurandam disciplinam & confirmandam fidem in eo labantes, celebrata reperitur quarto Iulij *Mechliniensis* provincialis *Synodus*, cui præfuit *Martinus Rythovius* Episcopus Yprensis, tanquam senior comprovincialis, vir doctus, nomine & loco Antonij Perrenoti Cardinalis Granvellani & Archiepiscopi, qui Romæ tunc curabat negotia Philippi Hispaniæ Regis.

XXV. MARTYRIUM IESUITARUM.

Hoc eodem anno Olyssippone profectis ad sexaginta novem è Societate IESU in Brasiliam navigaturis cum Aloysio ejus provinciæ præfecto; contigit ut una ex classis navibus quæ ceteras præcesserat, in quâ erant triginta novem ex dictâ Societate, ad insulas Fortunatas inciderit in classem prædatoriam insignis piratæ Calviniani Galli Iacobi Soræ. A quo capta illa navi, *Ignatius Azevedius* Brasiliæ provincialis, manu tenens sacram Imaginem Beatissimæ Virginis, dum socios ac nautas ad officium & pietatem hortaretur, crudeliter cum

Miraculū de Imagine Deiparæ.

triginta octo sociis trucidatus est. In quo prodigium factum est, ut nullo umquam conatu Imago ei è manibus eripi potuerit: cum quâ in mare projectus fuit unà cum ceteris sociis, sacrísque aliis Imaginibus, & Sanctorum Reliquiis, globulis benedictis, aliáque ejusmodi religiosâ suppellectili. Reliqui triginta qui in classe Aloysij permanserant, pars tempestate disjecti sunt, pars unà cum ipso Aloysio in Io. Cadavilium alium piratum Gallum incidentes necati pariter fuêre: ex omnibus, duobus dumtaxat tum natandi peritiâ, tum divinâ providentiâ incolumibus evadentibus, ne deessent qui ad aliorum notitiam res gestas perferrent: quæ extant diversis locis excusæ, & à Surio compendiosè referuntur in ejus commentariis.

XXVI. De Sinarum Christianitate.

Sed quod idem & Natalis habent, de Rege Sinarum superioribus annis Iesuitarum operâ ad fidem converso, & hoc anno à subditis pulso, ac per Lusitanos restituto; centúmque millibus hominum post ejus reditum baptismum suscipientibus: nequaquàm de Rege Sinarum intelligi potest; cum ex Iesuitarum[u] historiâ Sinensi intelligatur, S. quidem Franciscum Xaverium eam expeditionem (quod & nos suo loco[x] vidimus) designâsse, verum morte interveniente non perfecisse; nec ullum alium ex eâ Societate aut alio Ordine pedem in regnum Sinarum intulisse ante annum millesimum quingentesimum octogesimum secundum; nec nisi post non parvum temporis spatium[y] quemquam ex Sinensibus baptismum suscepisse, nedum Regem. Ut omninò intelligendum id videatur de aliquo Rege Iaponiæ, ubi à multo tempore ejusdem Xaverij operâ receptum fuisse Evangelium vidimus: atque, ut putamus, speciatim de Bartholomæo Omuræ Principe; de quo aliâ occasione inferius[z]: Natalis autem & Surius Sinas & Iapones, qui non ita ab invicem dissiti sunt, in unum confuderint.

[u] Trigault. lib. 2. cap. 3.

[x] Supr. an. 1549. in fi.

[y] Trig. cap. 5.

[z] Infr. an. 1585. VIII. & seqq.

Iesu Christi Annus 1571.

Pii V. Ann. 6.

Maximiliani II. Ann. 7.

I. Venetorum sollicitudo de Cypro.

Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Indictione decimaquartâ, Veneti de Famagustâ conservandâ, & reliquâ Cypro insulâ vindicandâ vehementer solliciti; dum Famagusta annona & milite munitâ, fœdus anno superiori designatum magis quàm factum urgerent, habita Constantinopoli spe quadam pacis à Mahomete Visire, Iacobum Ragazzonum clam sociis ad eam tractandam misêre specie agendi de negotiatorum ac mercimoniorum utrimque libertate ac restitutione. Interímque de fœdere securi, cum & Turcus, nisi Cyprus in faucibus Otomanici Imperij sita sibi integra relinqueretur, concordiam fieri posse omninò negaret; & ipsi Veneti, nisi eam Selimus ipsis permitteret, (pro quâ tamen pensionem augere offerebant) quicquam statuere detrectarent: Ragazzono revocato, totis animis ac viribus ad bellum se accinxerunt, bellicos apparatus instruentes, novos duces classibus, insulis ac locis à se detentis constituentes, omnibus rebus necessariis providentes, variísque locis terra maríque hostes lacessentes: haud segnius Turcis sese adversus eos gerentibus.

II. Delegati pro foedere constituendo.

De fœdere autem icendo præ ceteris sollicitus Pius Pontifex, qui & se, si ita res posceret classem conscendere, suóque corpore in media pugna ac discriminum mole versari paratum asserebat; post multas admonitiones & exhortationes evicit, ut ad id sanciendum, ejúsque conditiones stabiliendas, commiserit Rex Philippus partes suas Cardinalibus Granvallano & Pacieco ac Ioanni Stunica suo apud Sedem Apostolicam Oratori, primo qui post contentionem[a] de præcedentia sub Pio IV. inter Reges Galliæ & Hispaniæ habitam, missus ad residendum in Curiâ fuerit) ac Respublica Veneta Michaëli Suriano & Ioanni Superantio; arbitro Pontifice constituto. Qui iidem unà cum sex Cardinalibus à Pontifice delegatis, videlicèt Ioanne Morono sacri collegij principe, Fr. Michaële Bonello Alexandrino Pontificis ex sorore nepote, Ioanne Aldobrandino Florentino, Carolo de Crassis Bononiensi, (in cujus demortui locum suffectus est Io. Paulus Ecclesia Terdonensis) Petro Donato Cæsio Romano, & Hieronymo Rusticuccio Fanensi convenientes; post plurimas variásque difficultates propositas, & controversias subortas de fœderis conditionibus; de summo rerum præfecto, ejúsque legato; de hostibus contra quos agendum esset; de numero navium & militum, deque illorum ac sumptuum belli ratâ cujusque parte; de tempore rem agendi; de anathematis vinculo pactis socialibus adjiciendo: (quod scilicèt Hispani petebant; Veneti excommunicationis pondus in se casurum verentes recusabant, datam fidem sufficere dictitantes: quippe non solum de his omnibus diffidebant inter se multis hinc inde rationibus, verum etiam fidem quisque alterius penitus suspectam habebat: demum summo labore & studio Pontificis, contentionibus omnibus superatis, Fœdus conclusum est decimo tertio Calendas Iunij; & quinto pòst die, nempè octavo Calendas, lectum in Consistorio publico, & solemnis jurisjurandi religione confirmatum: ac subinde in basilica S. Petri Missarum sacris ritu solemni celebratis, promulgatum ingenti omnium lætitia: & tum ad gratias Deo agendas, tum ad cælestem opem implorandam, publicas in Urbe Pius triduanas supplicationes, quibus ipse de more pedes interfuit, & amplissimum per universum orbem Iubileum indixit.

[a] Supr. an. 1564. XIV. & seqq.

Foedus conficitur.

III. Ejus conditiones.

Fuerunt autem potissimæ Fœderis conditiones[b]: ut esset perpetuum fœdus tam ad offensionem quàm defensionem inter Pium Pontificem, Philippum Hispaniæ Regem, & Venetam Rempublicam, adversus Turcum & omnes ejus ditiones: Bellicus apparatus esset triremium ducentarum, centum onerariarum; armatorum Italorum, Hispanorum, & Germanorum peditum quinquaginta millium; equitum levis armaturæ 4500. bellicis tormentis commeatu, ceterisque rebus necessariis instructorum: singulis annis mense Martio, vel ad summum Aprili, in promptu essent Hydrunti

[b] Ext. universi artic. ap. Caten. & Gabut. in Vit. Pij V. Natal. lib. 22. Mauroc. lib. 10. & ap. alios.

in orientali mari, ut iis pro rerum temporúmque opportunitate uti possent: ac fœderatorum Principum legati autumno Romæ constituerent, quæ in sequenti anno expeditio, quibúsve viribus suscipienda esset: Pontifex duodecim triremes, tria millia peditum, equites ducentos & septuaginta præberet: Impensarum dimidiam partem Rex erogaret; alterius dimidiæ tertiam partem Pontifex, binas Veneti conferrent; & sumptus quos facere Pontifex non posset, pro rationum suarum partium Rex & Resp. supplerent: Ioanni Austriaco fratri naturali Philippi Regis summa imperij concederetur; eóque absente, vel impedito M. Antonius Columna vicarius eâdem auctoritate succederet, imperatorísque Pontificij nomine uteretur: Si qua inter fœderatos Principes controversia suboriretur, ea Pontificis judicio atque arbitrio permitteretur: Necui eorum cum hoste, invitis atque insciis aliis, de pace agere liceret: Honorificus locus Cæsari, Galliæ, ac Lusitaniæ Regibus reservaretur, quandocumque fœderi subscribere parati essent: ad quod illos Pontifex pro suâ auctoritate paternè cohortaretur, &c. Quòd verò hujus Fœderis formulâ ea tantùm quæ sequenti anno ac deinceps præstari oporteret continerentur; scripto seorsim confecto, quæ præsenti conficienda essent, exarata sunt: ut scilicet toto Maio vertente triremes Hispanicæ octoginta, naves viginti, in quarum numero Pontificiæ, Sabaudicæ, ac Melitenses non censerentur, cum classe Venetâ Hydruntum venirent. Ad sumptuum verò partem sustinendam indulsit Pontifex Reip. Venetæ, ut in universâ ditione aureorum centena millia in annos quinque, durante fœdere, ab Ecclesiasticis per sacros ministros colligere posset. Ac Philippo Regi centum triremes, quæ ad maritima Italiæ tuanda præsidia Pij IV. concessu Ecclesiæ vectigalibus sustentabantur, confirmavit: quod ut priùs concederet adduci numquam potuerat, nullam ejusmodi causam subesse videns. Ipséque ex vendito Camerarij Sedis Apostolicæ magistratu, & ex aucto ejusdem Cameræ Clericorum, ut vocant, septenario numero usque ad duodenarium, qui suâpte naturâ venales erant, atque ex tributo ditioribus cœnobitarum Ordinibus imperato, & decimis super sacros fructus per Italiam impositis, non parvas pecuniarum summas collegit: ex quibus fœderis nomine Fidei Montem Romæ celebrem instituit.

INDULTA AD IMPENSAS.

IV.

Ante omnia autem summo id sibi studio faciendum existimans, quod legibus fœderis constitutum fuerat, ut nominatos in eo Principes ad illud invitaret; decimo tertio [c] Calendas Iulij Cardinalem Alexandrinum pronepotem suum ad Reges Galliæ & Lusitaniæ legavit Cardinalem Commendonum ad Cæsarem Poloniæque Regem. Qui quidem Alexandrinus, amplo excellentium virorum comitatu, (quorum sex posteà Cardinales, unúsque, nempè Hippolytus Aldobrandinus tunc Rotæ Auditor, Summus fuit Pontifex) primò ad Philippum Hispaniæ Regem pro confirmatione fœderis ab ejus ministris subscripti, & rei acceleratione accedens, atque ab eo honorificentissimè susceptus; præter rei feliciter gestæ gratulationem, & ad eam fortiter & constanter exequendam cohortationem, alia pariter quæ in mandatis habuerat tractare cœpit: inter cetera rogans curaret Rex ne in regno Siciliæ obtentu Monarchiæ auctoritas Sedis Apostolicæ enervaretur; & ut in Neapolitano Concilij Tridentini decretis obtemperaretur, ac constitutiones Romanorum Pontificum liberè executioni mandari sinerentur, denique in Mediolanensi Ecclesiâ jura amissa veterum Archiepiscoporum culpâ, qui diutiùs abfuerant, restituerentur. Ad quæ respondit Rex; de fœdere servando & exequendo curaturum se, & ad fratrem scripturum ut Pontifici morem gereret: Regni verò Neapolitani Siculique ditiones eo jure se tenere, quo à majoribus accepisset: ut aliena occupare non consuêsset, sic hereditarias possessiones tueri æquum esse: missurum tamen se Romam hominem rerum peritum, qui de iis controversiis disceptaret; de juribus autem Mediolanensis Ecclesiæ, in auctoritate se Summi Pontificis penitùs futurum.

c Caten. & Gabut. in Vit. Pij V.

CARDINALIS ALEXANDRINI LEGATIO.

V.

a Id. ibid.

CONTROVERSIÆ DE IURIBUS REGNOR. SICILIÆ.

Erat porrò controversia de prædictis Iuribus: Siciliæ quidem ac Neapolitani regni, quòd [d] misisset Pius primò Thomam Orsinum Episcopum Strongolensem in Calabriâ, visitatorem Ecclesiarum regni Neapolitani; quem regij magistratus injunctum officium exequi, nisi priùs licentiâ à se petitâ & acceptâ, noluerant: deinde Paulum Odescalcum Episcopum Pennensem, cum titulo Nuncij Apostolici regni Siculi citra & ultra Pharum; (hoc est tam Neapolitani quàm insulæ Siciliæ) & propugnatoris Ecclesiasticæ libertatis, quod iidem magistratus esse contra monarchiæ jura querebantur, quibus se Reges privilegio Apostolico legatos natos esse obtendebant: Pontifex autem privilegia hæc potiùs esse quàm privilegia respondens, negabat sibi aliquid de ejusmodi privilegiis compertum esse; videre se ea passim malè usurpari, indéque multa fieri contra jura sive humana sive divina: & quicumque niteretur aliquibus privilegiis, debere illa proferre; cùm præsertim Pontifex summus sit solus & legitimus privilegiorum ab aliis concessorum & interpres & judex; qui ubicumque errata & offensiones compererit, pro suo munere debeat absque aliquo censore & examinatore eis providere. Quæ tamen frustrà fuêre, sive Regibus, sive eorum ministris parvi ea pendentibus. De quibus dictum est aliàs [e] abundè.

e Epit. Baron. an. 1197.

VI.

MEDIOLAN. CONTROVERSIA.

f Id. ibid. Natal. lib. 24. sub an. 1573 Vit. S. Carol.

Quod verò rem Mediolanensem spectat, exarserat [f] inter S. Carolum Archiepiscopum ejus civitatis & regios magistratus, gravis ac multiplex de sacrâ jurisdictione controversia; ac speciatim de satellitum cohorte armata, quâ ad Ecclesiastici fori exercitium ab omni ævo Ecclesia illa uti consueverat, magistratus autem illam haud ferre poterat. Unde cùm contigisset, Ecclesiastici fori apparitorem primarium, cum armis comprehensum, eorumdem magistratuum jussu tortum, in exilium mitti; hujúsque facinoris auctores à Carolo Archiepiscopo ab Ecclesiæ communione sejungi: Pius Pontifex Senatûs Mediolanensis præsidi, duobúsque primariis senatoribus, censuram flocci facientibus, ad dicendam coram se causam diem dixerat; & post multas comperendinationes ac prorogationes rem

dijudi

dijudicare statuerat; cum ministri regij qui in Urbe erant, Regem jussa Pontificis facturum esse in se recipientes, judicium præverterunt. Pius verò per suos Nuncios cum Rege egit, ut auctoritatem suam Ecclesia Mediolanensis retinere atque exercere posset: se enim potestatem, quam à Deo acceperat, in id interpositurum, & in ejusmodi causis sanguinem & vitam profusurum. Quo factum est, ut manentibus semper illis in excommunicatione, cujus absolutionem numquam à Carolo vel à Pontifice, nisi priùs satisfecissent, obtinere potuissent; post multas demùm aliquot annorum contentiones, nonnulli è regiis ministris, quorum erat in eo gravior culpa, Mediolani solemni ritu publicè pro foribus Ecclesiæ maximæ, allatis ac restitutis quæ apparitori erepta fuerant armis, absolutionem ab Archiepiscopo in formâ Ecclesiæ suscipere compulsi fuerint, ac jurare se nihil deinceps adversus Ecclesiæ jura commissuros. Observatúmque est, haud multò pòst quicumque in eâ culpâ fuissent, eos variis immaturæ mortis generibus extinctos fuisse: relicto posteris exemplo, sed inutili ferè, propter obfirmatam ubique magistratuum in Ecclesiæ depressionem contumaciam) nequid temerè audeant in Sponsam Christi, ejusque ministros moliri. Et fuerant hæc quidem Mediolanensia jam anteà agitata. Quod verò nunc prætereà Alexandrinus à Rege Philippo petebat, erat ut electio Oeconomi Ecclesiæ Mediolanensis quam sibi regij ministri usurpaverant, summo Pontifici, ad quem ea jure spectaret, relinqueretur. Cui annuisse Regem pro suâ pietate vidimus.

VII. Alexandrini negotiatio cum Rege Gall.

A quo dimissus Alexandrinus, in Lusitaniam properans, easdem ferè excusationes, quas anno superiori à Sebastiano Rege allatas vidimus, accepit. Indéque in Galliam accedens, à Rege audivit, civilibus bellis contra hæreticos per annos multos sustinendis ærarium ipsius ita exhaustum, populos sic afflictos, ut præsentibus viribus ad tutandum regnum vix contentus esse posset: rebus suis cõstitutis, officio suo non defuturum, & quantum in se esset enixurum ut studiis suis & opibus in re Christianâ promovendâ & amplificandâ ceteros Reges ac Principes superaret. Quòd verò etiam jussus fuisset Legatus cum Rege conquiri de missione Constantinopolim Aquensis Episcopi, hominis, ut aiebat, Catholicæ fidei desertoris, ac dignitatis abrogatione notati; unde non parva oriretur suspicio, eum de pace aut induciis inter Turcum & Venetos tractaturum ut sociale fœdus disturbaretur; aut aliud noxium fœdus sanciretur: itémque de sponsalibus inter Margaritam ipsius Regis sororem & Henricum Navarræ Principem ad Ecclesiâ extorrem contractis: respondit Rex, Aquensem Episcopum de rebus ad Galliam valdè pertinentibus ad Turcum missum, nihil mali moliturum: optare se ut potiùs terra sibi dehisceret, quàm ut tam præclarum ac sanctum fœderis opus impediret. Quòd Margaritam Henrico despondisset, de consilio Principum prudentiúmque virorum factum fuisse, tum ob multa alia, tum ob summam spem cönceptam de ejus egregiâ indole ac futurâ conversione; tem-

Consilium Regis in nuptiis sororis cum Navarro.

púsque olim declaraturum quod esset in his suum consilium. Intérque hæc detracto è digito suo anulo cui adamas eximij pretij illigatus erat, in pignus obtulit Legato promissionis ac fidei suæ, quem tamen Legatus accipere recusavit, (quippe districtè prohibuerat Pius, nequid vel ipse vel qui eum comitabantur à quoquam acciperent) sibi omninò satis esse dicens tanti Regis testatam fidem omni pignore majorem. Mortuo autem Pio Rex Cardinali anulum Romam misit, in cujus palâ incisa erant hæc verba, *Non minus hac solida est pietas, ne pietas possit mea sanguine solvi.* Fuisse autem Regis consilium, quod Alexandrino tacitè insinuatum volebat; ut per ejusmodi nuptiarum occasionem sectarios Lutetiam attraheret, ac de illorum in se rebellionibus, & regni desolationibus ultionem sumeret, cùm nulla alia sibi via suppeteret; detexit longè post rem confectam, Clemens Papa Octavus, qui hâc legatione Auditoris ministerio apud Alexandrinum fungebatur, Arnaldo Cardinali Ossato, (ut ipse suis epistolis g tradit) cùm tractaret de dissolutione harum ipsarum nuptiarum. Earum tamen modò negotium in aliud tempus extractum fuit, quòd noluerit umquam Pius de cognatione quæ inter sponsos intercedebat dispensare. De quibus sub Gregorio Pij successore perfectis, dicetur suo loco. Et hæc quidem de legatione Cardinalis Alexandrini.

g Ossat. ep. 185.

VIII. Commendoni Legatio.

De Commendonianâ verò ad Cæsarem & Polonum ut etiam breviter agamus; is quidem Cæsari insinuans se ad eum in tanto Reipublicæ Christianæ discrimine, tanquam ad præcipuum ejus præsidium missum esse, cujus exemplum ceteri Principes, quibus ipse dignitate & loco anteibat, secuturi forent; fœderi subscribere hortatus quàm maximè est, terráque Turcum, sicut ceteri mari facturi essent, impetere, haud divisis bifariàm Christianorum copiis resistere valentem. Ad quæ Cæsar, fœderatorum consilium apprimè commendans, rem Christianam sibi curæ fore significavit; communicato verò priùs cum Germaniæ ordinibus consilio certiora se responsa daturum, cúmque in dies perplexiora verba redderet, offerretq; nihilominùs Legatus auxilia à Pio ac ceteris Principibus, quibus rem agere absque Germanis posset; demùm tamen & conscientiâ virium suarum, quæ admodum debiles essent, & præteritarum cladium memoriâ, & pactis cum Turcis induciis, quas violare nefas existimaret, à bellicis cogitationibus penitùs aversum se significavit. Dictísque facta minùs opportuna adjiciens, pactum cum Turco tributum Constatinopolim misit: ut nec post victoriam Lepantinam, de quâ paulò pòst, procliviorem se ad fœdus exhibuerit. Quemadmodùm & Rex Poloniæ, ad quem postinde Commendonus accessit, verbis quidem fœderi sese adjungere velle professus, re tamen nihil minùs in animo habere ostendit, (quòd perpetuam pacem cum Turco fecisset) cùm ejusmodi conditiones proposuit, quæ nimis duræ ac difficiles essent, & in detrimentum Imperij verterent.

IX.

Dum supradictis contentionibus in fœdere componendo Romæ, & legationibus cum

ceteris Principibus tempus absumeretur, Turci ingenti apparatu expeditionem Cypriam resumentes, ad Famagustam, quæ sola supererat in Christianorum potestate civitas, oppugnandam sese converterunt: ac pridie Idus Aprilis Halis Bassa maris præfectus cum triremibus centum eò appulit: qui militibus, tormentis, apparatúque bellico expositis, celerrimè in Ægeum contendit, ut cum reliquâ classe in Occidentem cursum dirigeret: suffecto à Selimo, Perthao in locum Pialis, cui vehementer indignatus fuerat quòd superiori anno cum Venetâ classe pugnam non conseruisset. Quod jam hi duces efficere quærentes, cùm totam non invenissent, multas nihilominùs naves ac triremes ceperunt, & circumductâ classe per Venetorum insulas, Cretam, Cytheram, Ægialiam, Zacynthum, Cephaleniam, Corcyram, & alias Mediterranei maris oras, Epirúmque & Dalmatiam, cuncta vastantes, diripientes, disperdentes, multas urbes occupârunt: altiúsque sese in Adriaticum inferentes tantum timorem urbi ipsi Venetiarum intulerunt, ut muniendorum quoque littorum quæ civitati objecta sunt solicitam curam Senatus susceperit, constructis arcibus, crassis catenis ad portûs fauces appositis, custodiis militum diversis locis adhibitis, tormentis dispositis, quibus undequaque aditus in civitatem intercluderetur: à quo periculo præservata est civitas recessu classis, veritæ ne classibus fœderatorum consociatis, in sinûs angustiis intercepta exitu prohiberentur.

Turcorum excursiones.

X.

Famagustæ obsidio.

Quod autem Famagustæ obsidionem attinet, cujusvis circa medium Maij cœpit, præfuítque eidem Mustapha qui Nicosianæ; fuisse initio Turcorum armatorum in eâ quinquaginta millia, fossorum quadraginta, tradunt qui de eâ egerunt; cùm de eorum numero qui posteà accesserunt non adeò constet: quorum tamen fuit ingens multitudo, eximiarum urbis divitiarum famâ pertracta. Intra civitatem verò ad munera militaria obeunda fuêre septem millia ac quadringenti; præter inutilem turbam, cujus pars maxima maturè exire côpulsa est: præerátque civitati M. Anton. Bragadenus patricius Venetus, consilio, virtute, fortitudine insignis. Quoniam verò hujus obsidionis historia fusè ab iis auctoribus quos anno superiori laudavimus descripta legitur; ne nos in singulis immoremur, quæ apud illos videre licet, satis fuerit dicere, eam inter præcipuas quæ vel hâc tempestate, vel superioribus ætatibus acciderint, non abs re censeri; sive urbis situm munitionémque spectes; sive numerum genúsque hostium, tormenta bellica, arma ab iis excogitata, oppugnandi propugnandíque artes, astus, consilia, intueâre; sive propugnatorum paucitatem, die noctúque exantlatos labores, famem, sitim, atque eorum quæ graviora mortalibus perrarò eveniunt usque ad extremum spiritum tolerantiam consideres; seu denique feminarum vel ex plebe vel ex nobilitate egregium operæpretium respicias, quæ in manipulos distributæ quotidie ad mœnia ventitabant; Monacho Græco præeunte, qui Crucifixi Imaginem manu gestans religionem ac pietatem in animis excitabat; atque iis locis quà tormentis verberatio fiebat à Turcis, operi inservientes, aquam, saxa, ligna importabant, neque discedebant quin vi lapidum in fossam jactâ hostes utcumque possent offenderent; nonnullis etiam arreptis armis, in hostes irruentibus, & virorum fortitudinem æquantibus, vel etiam superantibus. Amathi quoque ejusdem insulæ urbis Episcopus ex Ordine Prædicatorum, Græcus genere, in Deum pietate ac vitæ sanctitate insignis, assiduis sermonibus cunctos ad pugnam pro religione ac patriâ intrepidè obeundam incendebat; vexillóque Crucis munitus quà prælium atrociùs fervebat præsens suasor & impulsor aderat: qui dum in propinquo mœnibus horto orationi vacaret, glande ictus occubuit.

XI.

Ejus deditio.

Cùm autem quicquid vel humano ingenio, vel viribus in gravissimâ ac diuturnâ obsidione fieri poterat, id Christiani summo studio indefesso labore præstitissent; & quotidianis certaminibus ad magnam paucitatem redacti, munitionibus atque propugnaculis stratis atque eversis, tormentarij pulveris angustia, cunctorúmque ad vitam necessariorum indigentiâ laborarent, denique spes nulla subsidiorum esset: hostésque econtrà novis indies & copiarum & comeatuum incrementis augerentur: His omnibus, atque insuper urgentibus civium precibus, suorum incolumitati, feminarum pudori, æternæ filiorum saluti consuli supplicantium, plerique duces commoti, improbante licèt Bragadeno præfecto, deditionem fieri decreverunt; ad quam sæpiùs Mustapha amplis conditionibus obsessos literis, vocibus, omni suasionis genere hortatus fuerat. Fuêre porrò præcipuæ ejus leges; ut in Cretam Italici pedites cum armis, signis, impedimentis, Epirotæ quoque & Græci cum familiis ac bonis, Turcicis navigiis perducerentur: qui ex Græcis discedere nollent, iis vita, fortunę, filij, ac conjuges ab omnibus injuriis immunes, tutò in Christianâ religione permanere possent, bináque illis templa permitterentur: &c. Quibus utrimque per delegatos quarto Nonas Augusti firmatis, Mustaphas quoque jurejurando in sui Regis suúmque caput, atque Mahometis Alcoranum, more gentis, eisdem subscripsit, impressóque sigillo munivit.

XII.

Bragadini præfecti dira tormenta.

Conscensis à plerisque navibus, cùm Bragadenus unà cum aliis præcipuis ducibus, antequàm abirent, ad tentorium Mustaphæ eum salutaturi perrexissent, honorificè primùm excepti, post quædam familiaria colloquia, mox occasione quæsitâ irarum ex falso objecto commento de violatâ pactorum fide in nece quorumdam Turcorum, à Mustaphâ vinciri jussi; Bragadenus contumeliosè illusus ambabus auribus mutilatus est; cùm blasphemâ exprobratione, ubi esset Christus ejus, ut opem ei ferret: ac post aliquot dies frustrà sæpiùs sollicitatus de abjurandâ Christianâ religione, ad fossas urbis demissus, singulis locis quà mœnia verberata fuerant, oppletum humo cophinum ex imo ad summum & ex summo ad imum deferre, penésque Mustapham qui præsens erat transiens deosculari terram jussus est; móxque extra urbem ad tri-

remem deductus, in sellâ considens ac vinctus, triremis antennæ appensus, sublatúsque, spectaculo fuit universæ classi: inde pedibus à portâ maritimâ per latam semitam quâ rectâ ad forum ibatur, ex Prætorij umbone, cui tota ea via subjecta est, Mustaphâ inspectante, umbellâ purpureâ perductus, ibi vestibus exutus, manibus ac pedibus vinctus, facie in dimidiatam consceleratorum columnam obversus, Mustaphæ jussu, qui diræ crudelitatis spectator esse voluit, pelle vivus exutus est: acerrimos cruciatus incredibili constantiâ ferens, nullo gemitu edito, sed in continuâ nominis & opitulationis CHRISTI invocatione, cum exprobratione perfidiæ tyranni, perseverans, donec ad umbilicum tortore progresso, copiosiori inde erumpente sanguine in divinis laudibus invictam animam Deo reddidit. Cujus vivi tormentis haud exsatiatus Mustapha, in defunctum quoque sæviens, feris cadaver objecit, cutem paleâ infartam viventis instar vaccæ impositam per urbis semitas umbellâ in ludibrium tectam circumduci voluit mox triremis antennâ sublatam, Ciliciæ atque Syriæ littoribus ferali spectaculo exhibito Constantinopolim detulit. Quâ verò de causâ ad tantam in eum sævitiam impulsus fuerit, cùm plures afferantur, hæ probabiliores nobis visæ sunt: videlicet vel in vindictam immensi suorum numeri qui eâ obsidione perierunt; vel invidiâ superbioris ipsius ad se accessûs, quo veste purpureâ indutus, umbellâ tectus, armatisque militibus stipatus, specie potiùs victoris quàm victi ad tentorium suum processisset. Mustaphæ verò furor in ceteros quoque progressus, eodem perfidiæ exemplo, tam præfectos quàm milites variis mortis ac suppliciorum generibus sustulit, vel triremibus addixit. Quinimmò nec mortuis parcens, defunctorum cadavera quæ in majori ecclesiâ S. Nicolai sepulta erant, inde extrahi, coram ossa confringi, ac canibus exponi, Sanctorum imagines divelli, arásque dirui jussit; totá que superstitioso gentis ritu dealbatam Mahometis sui cultui dicavit.

XIII. NUMERUS OCCISORUM EX UTRAQUE PARTE.

Húncque finem celeberrima Famagustæ expugnatio, quæ Cypri totius possessionem Turcis contulit, consecuta est. In quâ è Christianis, præter insigniores præfectos, Italorum militum duo millia & octingenti, Græcorum tria millia periêre: ex Italis septingēti captivi in hostiū potestatem pervenêre; Græci octingenti in urbe mansêre. Hostilium tormentorum ictus supra centum & quinquaginta millia numerati feruntur, quod mirum videri non debet, siquis quinque & septuaginta dierum continuatam verberationem, initio sexaginta quinque, mox octoginta machinis fuisse intellexerit, ídque indubiæ rei adstipulatur, quòd tum ex ruinis ac ruderibus, tum ex fossis atque ædibus erutæ pilæ ferreæ supra centum ac quadraginta millia in forum illatæ sint. Hostium defunctorum numerus licèt certè iniri non potuerit, attamen supra sexaginta millia vel ex Turcis ipsis fuisse constat: nonnulli octoginta millia affirmant, quorum quarta pars morbis, lãguoribus, ac vigiliis interierit. Rebus autem insulæ ordinatis, & firmis præsidijs Nicosiæ & Famagustæ impositis, atque aliquot triremibus ad custodiam relictis; Mustapha cum reliquis prædâ onustus, nobilissimi regni victoria ovans Constantinopolim ad Selimum contendit.

XIV. IOANNES AUSTRIUS FOEDERATORUM PRINCEPS.

Convenerant jam cùm hæc apud Famagustam & insulas ac oras maritimas terrâ marique fierent, Messanæ in Siciliâ classes Pontificia & Veneta cum auxiliariis triremibus Ducis Sabaudiæ, Reipublicæ Genuensis, ac Religionis Hospitalariorum: sed deerant Hispanicæ, cum totius fœderis summo imperatore Ioanne Austrio; cujus cunctatione meliorem anni partem nihil agendo (neque enim potentissimæ Turcorum classi pares erant) consumi ceteri dolebant. Urgente verò rem vehementissimè Pio Pontifice, tandem Ioannes Barchinone solvens Genuam pervenit ad finem Iulij, & Neapolim sexto Idus Augusti. Ubi regiè acceptus, decimonono Calendas Septembris à Cardinale Granvellano prorege Neapolitano in ecclesiâ S. Claræ inter sacrorum solemnia suscepit sceptrum summi imperij insigne à Pio missum, unà cum vexillo cærulei coloris, ab eo Romæ consecrato, in quo Crucifixi Imago auro & argento adumbrata erat: sub quâ locata in medio Pontificis, à dexterâ Philippi Regis, à sinistrâ Senatûs Veneti, atque ex iis quibusdam annexa catenulis ipsius Ioannis pendebant insignia. Indéque digressûs Messanam decimo Calendas appulit, M. Antonio Columnâ Pontificiarum triremium, Sebastiano Venerio Venetarum imperatoribus obviam procedentibus, & ingenti honore & applausu eum excipientibus: juvenem ad magna natum, militaris laudis appetentem, quam etiam in Bello Granatensi retulisse vidimus; vigesimum tertium dumtaxat ætatis annum agentem, cui propterea Philippus usu præstantes atque rebus bellicis insignes viros dedit, quorum consilio rem gereret; ac præcipuè Ludovicum Requesenium majorem Commendatorem Castellæ, ejus legatum constitutum.

XV. DECRETUM DE PUGNA CUM TURCIS INEUNDA.

Cùm verò auditâ Famagustæ ac totius Cypri amissione, consultatio inter duces haberetur, num pugnandum contra hostes esset, an in Selimi ditiones impetus faciendus; hoc ultimum suadentibus Hispanis tamquam longè securius, quòd non facilè Christiana classis, in quâ salus publica versabatur, periculo committenda esset; aliis verò dedecus & sempiternæ ignominiæ notam opponentibus, si classe Turcicâ in propinquo existente, nec Christianæ æquali, certamen detrectaretur. Demùm vicit sententia pugnæ, quam maximè Pontificij & Veneti urgebant; hortationibus imprimis Io. Pauli Odescalci Pennensis Episcopi, qui missus ad hoc à Pontifice victoriam certam divino instinctu ei insinuatam pollicebatur: consentienbúsque demùm Hispanis, non tam pugnandi voluntate, (ut nonnulli scripserunt) quàm pudore, & spe conceptâ Turcos post tot prospera eo anno gesta jam inclinante tempestate & dimissâ classe prælij copiam minimè facturos. Decretâ igitur magno plurium plausu pugnâ, statim indicto tridui jejunio, pùblicæ supplicationes factæ sunt, omnésque sacramentali peccatorum confessione & sacræ Eucharistiæ sumptione sese munierunt, nacti amplissima

Apostolicæ indulgentiæ præmia à Pio singulis impertita: ac per singulas naves dati sacerdotes ex variis religiosis ordinibus delecti, qui piis cohortationibus atque aliis charitatis officiis milites in Christana disciplina cótinerent, & ad rem fortiter agendam animarent. Cunctis ritè peractis, classis milite & commeatu optimè instructa, Messanâ educta est; & eo ordine explicata quo pugnatura esset, ut antequàm certamen iniretur suo quique loco assueti instructiores forent. Constabat illa, ut qui minus habent referunt, triremibus 209. quarum Pontificiæ 12. Regiæ 81. Venetæ 108. Sabaudiæ Ducis duæ, Reip. Genuensis tres, Ierosolymitani Ordinis tres: præter sex majores Venetorum, quas galeatias vocant, viginti quatuor naves onerarias, celoces ferè septuaginta. Armatorum militum numerus erat ad viginti millia, Italorum, Hispanorum, Germanorum, præter remiges & operas: eorum verò qui ex Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Germaniâ, selecti duces, viri principes, insignes nobiles, egregij milites, promptissimâ voluntate huic sacræ militiæ, quâ Christianæ reip. salus agebatur, spontè nomen dederant, ad tria millia & amplius. Classi porrò nomine Pontificis impertitâ ab Odescalco Nuncio Apostolico benedictione, decimosexto Calendas Octobris solvens Orientem versùs tetendit; ac per varios casus & maris pericula septimo Calendas in Corcyram, ubi hostilem esse auditum fuerat, indéque in Vallis Alexandriæ portum insulæ Cephaleniæ pridie Nonas Octobris pervenit: ac mane Nonis exoriente Sole ad Echinadas scopulos deveniens hostilem classem in conspectu habuit.

Classis Christiana.

XVI. Dubitatur inter Turcos.

In eâ cùm auditum fuisset de Christianæ navigatione, haud minor solicitudo extitit de iis quæ agenda essent: nonnullis prudentioribus veteranis ducibus censentibus haud esse in summam belli aleam tot egregias eo anno partas victorias demittendas; posséque Christianos absque certamine & periculo debellari, qui non animorum nexu, sed metu Selimi dumtaxat continerentur; morâ tantùm eorum vires frangi posse: aliis verò ferocioribus, præcipuo duce Hali maris præfecto, ingenio feroci & fervore juventæ impotente pugnam conserendam adversus hostes quos toties vicissent suadentibus: quorum cùm longe major esset numerus, Perthaus quoque summus rerum terrestrium præfectus, vir ætate & prudentiâ gravis, quamvis à periculoso consilio abhorreret; memor tamen, Pialim, in cujus locum ipse suffectus fuerat, licèt Selimi generum, leviori errore, quòd classem Christianorum cedentem superiori anno persecutus non esset, à dignitate summotum esse; ad perniciosum consilium abreptus est, malle se dicens rem prælij iniqui aleæ committere, quàm malevolorum obtrectationibus caput objicere: eóque magis, quòd mandatum Selimi, quo pugnam omninò imperabat, dum altercarentur, palàm in concilio ab adversariis lectum fuisset, cui nemo repugnare auderet. Constabat autem eorum classis, ut multi ponunt, triremibus ducentis & octo, quadraginta septem biremibus, præter alia multa minora navigia; quamvis plures triremes ac biremes nonnulli enumerent, quidam etiam pauciores.

Eorum classis.

XVII. Descriptio Echinadum.

Echinades insulæ, ad quas concursum est, antiquis etiam cognitæ, (de quibus inter ceteros pulchrè Thucydides, [h] ubi de Acheloo flumine) sed ob victoriam à Christianis partam valdè deinceps nobilitatæ, exiguæ sunt; seu ferè scopuli, sic dicti vel quòd spinosi echini (tegminis quo servantur castaneæ) formam asperitate & sterilitate referebant: vel ab echino pisce, quem Plinius [i] scribit ex cancrorum esse genere, cui spinæ pro pedibus sunt, qui ibi copiosè à piscatoribus capitur. Quas Ovidius [k] à Naiadibus fluviorum nymphis factas ait, quòd ut idem Plinius [l] docet, ex arena & limo Acheloi fluminis Ætoliam ab Acarnaniâ dividentis impetu in ea loca convectis enatæ fuerint. Sunt autem in Sinu Corinthiaco, sive Naupacti, qui hodie Lepanticus. Qui cùm referat theatri speciem, in circuitu patens 250. millia passuum, oris ad viginti quinque millia inter se distantibus, quà in orientem spectat, ad medium sinûs, mille ferè passus à continenti, habet Echinadas, quæ hodie Curzolares dicuntur; ad quas factum est nobilissimum illud prælium: haud longè à famoso illo antiquo, 1600. antè annis inter Octavium Augustum & M. Antonium gesto ad Actium promontorium, quod ab Echinadibus non plus quinquaginta millibus passuum distat.

[h] Thucyd. lib. 2.
[i] Plin. lib. 9. cap. 31.
[k] Ovid. metamorph. 8.
[l] Plin. lib. 2. cap. 85.

XVIII. Victoria Lepantica.

De prælij porrò utrimque ordine & dispositione; acerrimáque ipsa pugna, facta Nonis Octobris, quæ dies in Dominicam incidebat; ac bellicis facinoribus hinc inde editis, quæ ubertim auctores tractant, (ac præter ceteros quos olim recensuimus, etiam Hieronymus [m] Diedus qui interfuit, Italicè scribens à Corcyra post victoriam ad M. Ant. Barbarum Bajulum Venetorum Constantinopoli) longúmque nimis esset hîc recensere, ut sileamus; illud non tacendum, affulsisse Christianis non obscurè præsentis auxilij divini indicia; cùm cœpto certamine hora circiter meridiana, ventus qui eò usque Christianis adversus fuerat, momento quievit penitùs: subindéque exurgens aura lenis ab occasu fumum tormétorum in Turcos detulit: jam quoque Sole, transmissa media cæli regione, radiis suis eorum offendente obtutum, qui priùs in Christianorum incurrebat oculos. Pugnatum est quatuor tantummodò horis: quarum spatio Christiani maximam omnium quæ in mari post conditum imperium Romanum extiterint victoriam divinitùs consecuti sunt, ad quam consequendam præcipuum momentum sex galeatiæ Venetæ, à quibus initium pugnæ factum est, attulêre, dum ingenti immanium tormentorum vi à fronte, à tergo, à latere, in hostem globos contorquerent. Ut etiam non omittamus quod à nonnullis [n] relatum reperimus, Turcos captivos testatos esse in ipso pugnæ conflictu visos à se fuisse Christum Dominum & SS. Apostolos *Petrum & Paulum* Angelorum agmine stipatos, strictis gladiis Turcis minitantes in sublimi aëre stare, quod etiam expressum cernitur in picturâ prælij delineatâ in aulâ regiâ palatij Vaticani. Denique sunt qui [o] scribant, visas eodem tempore fuisse Cruces Constantinopoli

Divina auxilia.

[m] Epist. Princip. vol. 3. ad fi.
[n] Caten. in Vit. Pij Gabut. lib. 5. cap. 7.
[o] Natal. lib. 23. Gabut. ibid.

nopoli super Turcorum templa in aëre; quibus significaretur, Deum Christianorum solum esse verum Deum exercituum & victoriarum, excelsámque suam sedem supra omnes alios collocasse.

XIX. Terribilis facies maris.

Post victoriam mare detruncatis brachiis, succisis cruribus, dissectis capitibus, cadaveribus, semivivis hominibus stratum, sanguine mixtum conspectum est: cujus facies, unà cum velis, malis, ramis, omnísque generis armis aquis innatantibus horribile juxtà ac jucundum spectaculum præbuêre: præter voces & lamenta pereuntium, & auxilium implorantium quæ non poterant, etiamsi hostium, non commiserationem excitare, maximè cùm non pauci inter eos Christiani jacerent, quos difficile erat à Turcis sejungere. In quam pugnam marísque faciem nonnemo [p] Neptunum sic commotum non illepidè descripsit.

[p] Ap. Natal. lib. 22.

Quis furor hic? ardétne fretum? tot fulmina cælo
Anne cadunt? dormit Iupiter, an vigilat?
An magis insanus movit temeraria bella
Æquoreo fratri, cæruleisque deis?
Sic Neptunus ait tumidâ emersurus ab undâ.
Sed non invenit quod fuit antè fretum.
Cærula navigiis velantur tergora ponti:
Et mare, cæruleum quod fuit ante, rubet.
Fragmina remorum, tabulas, mortalia membra
Huc illuc crebro fulmine pulsa videt.
Ambigit an vigilet, vel somniet. Arma ferocis
Vt novit Martis, quid tibi quæris, ait?
Quisve, homicida, tibi imperium concessit in undas?
Cui Mars; Europæ litus id, hoc Asiæ:
De utroque imperio pugnatur: præmia bello
Nimirùm magno grandia proposita.

XX. Cæsorum numerus.

Cæsorum verò hostiùm numerum triginta millium fuisse, multi, ceteri viginti quinque tantùm affirmant; captivorum trium millium & quingentorum, atque in iis insignes viri viginti quinque. Cuncti ferè duces certamine perierunt; imprimísque Halias Bassa præfectus maris. Perthaus, expugnatâ ejus navi, in lembum desiliens fugâ Naupactum tenuit. Uluzzalis apostata Calaber insignis pirata Algeriæ prosultanus, (quem Ucchialem vulgò nominant) post fortissimum certamen, quo & prætoriam Melitensium cepit, mox tamen à ceteris receptam, cùm in eo esset ut re penitùs prostratâ undique circumcingeretur, cum triginta navigiis per mediam fœderatorum classem impunè evasit; frustrà eum insequente Auriâ, cui parùm toto prælio fortuna arrisisse dicitur, adeò ut non multum abfuerit quin ejus culpâ res perdita sit. Captæ fuerunt hostium centum septemdecim triremes, biremes tredecim, quinquaginta circiter evaserunt; reliquæ cum navigiis partim litoribus illisæ, partim undis absorptæ, aut flammis absumptæ: Christianorum verò captivorum qui in classe Turcorum detinebantur, quindecim millia in libertatem vindicata. Qui verò in prælio desiderati sunt ex fœderatis, numerati fuêre septem mille ac sexcenti: quorum pars magna Veneti, atque in iis multi patricij; & qui ceteris eminebat classis legatus sub Venerio summo duce Augustinus Barbadicus, prudentiâ, fortitudine, ac ceteris animi & corporis dotibus imperatore dignis præstans.

XXI. Pio V. revelatur victoria.

Ipso [q] pugnæ die, noctéque præcedenti, Romæ Pius Pontifex cùm jam classes propè esse ut congrederentur existimaret, multò ardentiùs in preces ad implorandam Dei opem se dedit; idque ipsum per singula collegia ac cœnobia faciendum curavit. Cùm verò tempore pugnæ in cubiculo suo cum suis de quibusdam negotiis ageret, illis ex improviso relictis, fenestram aperuit, oculísque in cælum sublatis paulisper fixus ita perstitit; ac subinde fenestram claudens adstantibus significavit, non jam tempus negotiandi esse, sed gratias Deo agendi pro victoriâ à Christianis obtentâ. Ubi autem certum ejus nuncium accepit, gratiis solemnibus peractis, ut tantum divinæ clemẽtiæ beneficium Christianus populus perpetuò coleret, ad honorem Dei ejúsque sanctissimæ Genitricis Virginis Mariæ, cujus potissimùm auxilio tantam victoriam partam esse profitebatur, instituit ut deinceps in perpetuum Nonis Octobris *Commemoratio sanctæ Mariæ de Victoria* in Ecclesiâ Catholicâ piè recoleretur: Atque in Litaniis ejusdem Virginis inseri voluit, *Auxilium Christianorum ora pro nobis*: & ut die octavo ejusdem commemorationis celebraretur officium divinum pro omnibus iis qui prælio defuncti fuissent. Quibus & posteà Gregorius [r] XIII. ejus successor addidit, ut in ejusdem Victoriæ memoriam, in singulis ecclesiis vel capellis Rosarij, qualibet primâ Dominicâ mensis Octobris, quâ parta est victoria, celebretur solemnis festivitas sub nuncupatione *Rosarij Beatæ Virginis Mariæ* duplici majori officio. Senatus autem Venetus, [f] post grates pariter summo studio ac lætitiâ redditas, ut idem victoriæ dies, qui erat Iustinæ virgini sacer, solemnis imposterùm haberetur, atque ad ejus templum quotannis venerabundus Senatus accederet, decrevit: monetámque victoriæ testem cudi jussit, quâ se memorem Iustinæ virginis in perpetuum Respublica futuram testaretur, cunctísque quorumcumque gravissimorum criminum reis in carceribus detentis noxa remissa est, ac libertas data. Denique nemo fuit totâ urbe, qui ob amissos parentes, fratres, filios, propinquos, cognatos, ullum mœstitiæ signum publicè daret: non atratæ vestes, non detracta, ut in quotidianis funeribus consuevit, ædium ornamenta, non privatus luctus, ullâ in parte publicam lætitiam aspersit.

Festa in ejus memoriam instituta.

[q] Caten & Gabut. in Vit. Pij V.

[r] Bullar. to 2. Greg. XIII. const. 11.

[f] Maurec. lib. 11.

XXII. Christiani non instant victoriæ.

Ejus Victoriæ nuncius per universam Europam, aliásque regiones ac provincias delatus cunctorum animos ad ingentem maximarum rerum spem erexerat; quòd eâ Turcorum maritimæ vires attritæ conspicerentur, formidandúmque hostem debellari posse compertum esset. Nec deerant qui Constantinopolim regni sedem petendam contenderent, non parvâ spe felici fortunæ afflatu multa egregia confici posse. Paríque cupiditate fœderatorum ducum animi cõmoveri videbantur; cum derepentè immutata fuit rerum facies: tepentibus Hispanis, & militum imminutionem, commeatus defectum, anni tempus procellis ac tempestatibus obnoxium aliáque ejusmodi multa ulteriori expeditioni prætendentibus; ac propterea subduci classem satius esse censentibus, ut iis refectis ac sartis se-

quenti anno hostis tutò invaderetur. Adeò ut quamvis plura solidiora à Venetis contra hujusmodi quæsitas excusationes afferrentur, ut omni abjectâ morâ fugienti occasioni insisteretur; attamen Austrio suorum suasu in sententiâ perstante; neque M. Antonio Columnâ dissentiente; Venerio verò vel ægritudine corporis ex vulnere quod in prælio in crure acceperat, vel gravi ætate septuaginta sex annorum, aut gravioribus in administrandâ classe curis confecto, vel aliorum repugnantibus sententiis distracto æquè consentiente: post factam prædæ de hostibus partæ, hominum, navium, tormentorum, ac reliquarum manubiarum, inter socios pro legibus fœderis divisionem, (Ioanni Austrio summo expeditionis duci omnium rerum decimâ attributâ) Austrius Messanam, Columna Neapolim, cum suis classibus discesserunt. Venetáque parùm per se solam operari valente (quæ nihilominùs aliqua proxima loca cepit) tanta divinitùs concessa victoria, parùm fructuosa remansit, ob ducum invidiosas contentiones, & partium non tam ad Dei gloriam, & publicam Reipub. Christianæ utilitatem, si Pontificem excipias) quàm ad privatum ubique commodum, consilia sua referentium, cùm nihilominùs negari non possit fructuosissimã illam eo fuisse, quòd si Turci eam obtinuissent, facilè universam Italiam, ac vicinas insulas, reliquásque Christianorum maritimas oras inundâssent, ac fortè in tantâ clade atque omnium trepidatione occupassent: haud dubiè diligentiores futuri in prosequendâ victoriâ quàm Christiani fuerunt, qui ingentem occasionem numquam reversuram rem benè agendi socorditer elabi siverunt. Cùm certum sit, tantum intulisse terrorem hanc ipsorum victoriam Selimo, qui tunc Adrianopoli erat, ipsíque urbi Constantinopoli, & universæ Thraciæ, ac circumjacentibus insulis, Peloponeso ad rebellionem proclivi, ut ne per suam absentiam res in urbe mutarentur, confestim se eò citatis itineribus trãstulerit: in eas angustias rebus ejus redactis, ut solæ illæ triremes quas Uluzzalis virtus servaverat ex omni armamentario reliquæ essent; & amissis tot ducibus, non haberet alium quem Christianis successum urgere volentibus opponeret quàm eumdem Uluzzalem, quem & propterea, & quòd vexillum ac spolia prætoriæ Melitensium à se capta ad eum detulerit, benignè exceptum, amplissimo honore auxit, summâ imperij maritimi ad eum delatâ. Quòd verò in more ferè esset Principibus Turcorum, clades nullâ ducum culpâ acceptas, tãquam propria ipsorum crimina punire; eum in Perthao Selimus servare volens, vix ab amicis ejus exoratus est ne vitâ privaret; quem tamen præfecturâ spoliavit, eámque Piali genero suo restituit in annum sequentem. Traditur quoque, in acceptæ cladis consolationem dictum ei à suis fuisse, Christianos barbam ei dumtaxat abrasisse, quæ rursùm facilè cresceret; sed ipsum iis brachium unum præcidisse, (Cyprum scilicèt) quod numquam posset restitui. Nec illepidè Tammasus [t] Rex Persarum nuncio victoriæ accepto, cum à proceribus suis admoneretur arma contra Turcum palàm capienda, nõ prius se capturum respondit quàm vidisset utiliores Christianorum progressus: parvî namque referre ligneas scutulas demersisse, dum essent incolumes silvæ unde possent aliæ fieri.

INGENS TURCIS EX VICTORIA TERROR.

t Bizar. de Reb. Pers. lib. 11. Natal. lib. 22.

REGIS PERSAR. DICTUM DE VICTORIA.

XXIII. M. ANT. COLUMNÆ TRIUMPHUS.

Pio autem Pontifice Marcum Antonium Columnam triremium suarum imperatorem, Romam accedentem honorificè ob rem præclarè gestam recipi decernente; fuit is solemni pompâ, prisco triumphantium more, prædâ, atque exuviis hostium, nobiliúmque captivorum agmine (inter quos fuit minor filius Halis Bassæ; cum major unà captus præ dolore & impatientiâ captivitatis mortuus Neapoli fuisset (eximiâ lætitiâ atque totius populi cõcurrentis plausu urbem ingressus; comitantibus magistratibus atque proceribus Romanis, & aliquot armatorum millibus, erectis arcubus per loca quà trãsiturus esset, atque inscriptionibus appositis, in Capitolium deductus est: indéque ad Vaticanum procedens, à Pontifice cum sacro Cardinaliũ collegio eum operiẽte amãtissimè acceptus, est opimaque spolia ei obtulit, nobiles captivos: qui & ipsi humaniter excepti, honestæ custodiæ traditi fuêre. Sacro postinde pro gratiarum actione in Aracæli templo Populi Romani solemniter celebrato, (post quod Marcus Antonius Muretus, egregius illius temporis orator natione Lemovix Gallus, luculentam orationem de summâ Pontificis pietate ac virtute, de præstantiâ ducum ac militum, déque insigni parta victoria habuit (idem Columna argenteam columellam rostratarum navium figuris, & in summitate Christi Domini effigie ornatam, Beatæ Virgini ejusdem templi patronæ dicavit, cum inscriptione victoriam testificante. Et convivij loco fieri soliti, erogatæ sunt largæ eleemosynæ ad pauperes puellas maritandas, & egenos reficiendos.

XXIV. PII PP. LITERÆ AD EXTEROS REGES.

Ad prosequendam autem victoriam, & Turcum undique lacessendum, Pius omni studio intentus, non modò fœderatos atque alios Christiani nominis Principes; verùm etiam à fide alienos, etiámque longissimè dissitos, per literas & nuncios ad ejusmodi opus hortari decrevit. Vidimus ipsum jam anteà Cardinalem Alexandrinum in Hispaniam & Galliam, Commendonum in Germaniam & Poloniam ad id legasse. Parta autem victoria ad eosdem scribens, Regi quoque Lusitaniæ mense Novembri, quo tempore adhuc apud eum Alexandrinus erat, literas [u] misit ad Reges Mennam Æthiopiæ, Schac Tammasum Persidis, Seriphium Mutaharem Arabiæ Felicis, ejus quæ Ægypto & Syriæ propinqua est, Reges, aliósque Orientales Principes Turcis confines, per Sebastianum ad illos (quibuscum erat ei commercium) cum propriis suis ad eum effectum scribendis, per allegatos homines peritos transmittendas: quibus magnæ partæ victoriæ momenta, & Christianæ classis apparatus ad majora peragenda referens, eos tamquam perpetuos Turcici nominis hostes hortabatur, hac adeò opportuna occasione arreptâ, admotis suis quique partibus exercitibus, communem hostem jam penè protritum percellere, quò pluribus locis invasus faciliùs debellaretur, ipsíque & sua, ab eo occupata recuperare, & majora occupare possent. De eadem ve-

u Ext. ap. Caten. post Vit. Pij.

rò re cum Cæsare, Gallo, Polono, aliisque tractatâ, satis jam dictum superiùs; etiamsi nonnisi post victoriam ad nonnullos eorum legati pervenerint. De Lusitano tamen addimus, eum post literas victoriæ receptas promisisse (ut ex ipsius literis [x] ad Pium die vigesimo Decembris rescriptis apparet) fœderi nomen dare, ac per se ipsum expeditioni interesse, dummodò reliqui Principes id ipsum præstarent. Quod scilicèt erat multa polliceri, & nihil præstare, cùm certò scire posset, ceteros Reges haud rei interventuros. De Tammaso autem Persarum Rege jam vidimus eum nullis neque officiis neque legationibus ad bellum traduci potuisse; quinimmò Christianorum conatus, quos non dubitaret brevî pro modo fœderum remissuros, ludibrio habuisse. Quid verò apud alios Reges, ad quos Pius scripsit, tanto terrarum ac marium intervallo dissitos, momenti literæ habuerint, incompertum est.

[x] Ext. ibid.

XXV. Cum Mosco quid Pius.

Iussus quoque fuerat Vincentius Porticus, quem in Poloniam Pius miserat, (ubi & egregiam operam pro reformatione morum, & incremento religionis Catholicæ præstitisse reperitur) ad Basilium Russorum & Moscorum Imperatorem, qui maximè equitatu pollebat, & septemtrionalem plagam Turcico imperio in extremâ Europâ & Asiâ circumpositâ confinem latè tenet, ire, ut eum pariter ad bellum cum Turco communi hoste gerendum incitaret. At ubi Pius de barbaris & inhumanis ac plusquàm ferinis Mosci moribus planè cognovit, (quorum hoc ipso anno, sicut singulis, ac penè quotidie consuevit, teterrima, & supra fidem omnem crudelia exempla dedisse, adeò ut nec proprio fratri, nec fidissimis ministris pepercerit, quos immanissimis suppliciis de medio sustulit, in ejus Vitâ & apud alios auctores legitur) atque in animum revocavit quàm alienus à Romanâ Ecclesiâ esset, & quoties etiam missis legatis imminēte à Polonis periculo promissam fidem fregisset; rescripsit Portico nō esse cur ad eum proficisceretur. Cùm & alioqui essent hoc tempore Mosci aliis bellis cum vicinis satis occupati: quos & Tartari Præcopenses mense Maij ex improviso adorti, Moscoviam eorum imperij metropolim vastissimam urbem, sed ligneis ferè ædificiis constantem, occupârunt, atque inter prædandum igne totam ferè incenderunt, cúmque eos prædâ onustos abeuntes Mosci ardentiùs insequerentur, ab iis fugere creditis circumventi ad unum omes interfecti sunt. Sed iis omissis, iam ad alia.

XXVI. Agitur rursùs causa Mariæ Reginæ Scot.

Cùm inter hæc non cessasset Pontifex res Britannicas adversus Elisabetham Angliæ Reginam, & pro Mariâ Scotâ captivâ prosequi, parúmque nihilominùs eæ processissent: pergens Elisabetha in simulatione restitutionis Mariæ, cujus tamen innocentiam priùs probatam vellet; reverâ ejus detinendæ, vel etiam damnandæ speciosam aliquam rationem quærens, quam Principibus ejus liberationem prosequentibus obtendere posset: rursùm accusationes in eam à perfidis ipsius subditis prolatas examinandas decrevit, quarum veritate aut fallaciâ res dijudicaretur. Quapropter accitos ejus accusatores ex Scotiâ, jussit causas Mariam abdicandi clariùs explicare. Qui cum prolixum commentarium exhibuissent, quo insolenti libertate (ut Camdenus Elisabethæ historicus loquitur) populum Scoticum Regibus esse superiorem, exemplis obsoletis & novis undiquaque conquisitis; immò & ex Calvini auctoritate, populares ubique magistratus ad libidinem Regum moderandam constitutos esse, iísque licere malos Reges carceribus coërcere, & regno exuere, probare conati essent; (quas fuisse pestiferas argumentationes infamis apostatæ Buchanani, jam olim vidimus) aliáque multa à tumultuantibus ingeniis contra regiam majestatem petulantissimè prolata fuissent: damnans illa Elisabetha, rationes iniri injunxit, quibus discordia in Scotiâ extingueretur. Sed ut cetera, simulatè: quippe propositæ sunt ab ejus ministris, delegatis Mariæ ejusmodi conditiones quæ nullis non possent videri iniquissimæ; dum vellent cunctos regni proceres qui fideles Mariæ essent, & loca regni munitissima in manus Anglorum tradi: quò scilicèt Maria, si fortè in regnum vel turpibus hujuscemodi conditionibus remitteretur, exposita esset in prædam hostium furori. Quod cùm ejus delegati exponerent, retegens palàm Baconus magni sigilli custos, cum quo res agebatur, & suum & Elisabethæ animum, respondit, nec quidem universum Scotiæ regnum, Principem, (filium nempè Mariæ, de cujus traditione prolocutum fuerat) proceres, & munimenta, ad securitatem Reginæ Elisabethæ & Angliæ regno præstandam sufficere; & ideò Reginam Scotorum non dimittendam, ob quamcumque securitatem à Scotis proponendam. Ita namque rem gestam disertissimè Camdenus scribit: ac Mariæ famulos omnes præter decem, & unicum sacerdotem qui sacra faceret amotos esse: eáque propter cùm omnis ratio expediendæ salutis & libertatis, quæ, duce naturâ, honestissima, præclusa videretur, ipsam per Ridolfum Florentinum, de quo aliàs egimus, cum Pontifice & Hispaniæ Rege tacitè egisse de suâ liberatione, quod nihilominùs nec miseræ profuit. Sicuti nec tractatus nuptiarum cum Norfolcio; quem rursùm in medium in perniciem Elisabethæ allatum volunt; unde Norfolcius iterùm in carcerem, unà cum Io. Leslæo Episcopo Rossensi Scoto Mariæ apud Elisabetham oratore, aliísque pluribus, conjectus fuerit: cùm tamen omnia de conjuratione contra Elisabetham, Maria post supplicium Norfolcij (quod anno sequenti capite subiit, & ipse innocentem se ab omni conjuratione palàm in ipso transitu prædicans) interrogata constantissimè inficiata sit.

XXVII. Scotiæ miseria.

Quæ dum in Angliâ agerentur, ejusdem Mariæ affines & amici in Scotiâ à Prorege Lenoxio gravibus damnis affecti fuêre, multi supplicio sublati, plures cæsi. Atque inter ceteros Ioannes Hamiltonius Archiepisc. Santandreanus, ne in judicium quidem de calumniis ei impactis vocatus, sceleratissimè ad patibulum laqueo suspensus est. Post quæ inter turbas & factiones intestinas, quibus misera Scotia cōsumebatur, & ipse Prorex occisus est, æquè atque Moravius in cujus locum suffectus fuerat. Sicuti & qui Lenoxio successit ejusdem factionis Ioannes Areskinus Mariæ Comes,

non ita post repentina morte sublatus. Ut non immeritò vulgò jactaretur, nemini dubium relinqui, quin iniqua & illegitima esset ejusmodi Proregum dominatio, in quibus tam manifesta divinæ vltionis exempla quotidie cernerentur. Quod & in successore Areskini Iacobo Duglassio Comite Mortonio confirmatum est; cùm post diuturniorem administrationem dignitate exutus capitali supplicio affectus est: Viri ceteroqui egregij, nisi virtutes suas hæresi & rebellione fœdassent. Mortonius autem, vbi administrationem suscepit, severas admodùm contra Mariæ Reginæ fautores & alios Catholicos leges tulit, in gratiam Elisabethæ Anglæ, cujus nutu omnia in Scotiâ gerebantur. Ioannes Leslæus Episcopus Rossensis, qui summa fide & constantia, nec citrà vitæ periculum, Mariæ reginæ suæ operam navaverat, è carcere emissus, & Anglia exire jussus, in Galliam se recepit; qui posteà nullum apud Pontificem, Cæsarem, & Principes Germaniæ Catholicos, ac præcipue apud Regem Francorum, pro Maria officium prætermisit.

XXVIII. EDICTA ANGLICA CONTRA CATHOL.

In eadem Anglia, prætextu conjurationum, in Elisabetham, multa statuta fuere cōtra eos qui ei perniciem aut plagā aut bellum molirentur: vel qui affirmarent regnum alteri justiùs deberi, aut illam esse hæreticam, schismaticam, aut infidelem; & qui eâ superstite asserent quempiam esse aut esse debere heredem aut successorem ejus, *præter naturalem ex ipsius corpore sobolem.* In quam ultimam clausulam ioci [a] plures facti sunt, ex eo quòd Iurisperiti liberos extra nuptias quæsitos, quos sola natura non conjugij societas genuit, *Naturales* dicant, legitimos verò ex formulâ juris Anglici vocent *liberos ex corpore legitime procreatos*: Adeò ut assereretur, verbum illud à Roberto Dudleio Leicestriæ Comite (qui sūmâ gratiâ apud ipsam florebat, & aliquando in spem nuptiarum ejus venerat; de quorum etiam fœdis amoribus varia seu vera seu falsa disseminata fuêre) in eam legem fuisse eo consilio illatum, ut aliquem suum filium spurium pro Reginæ sobole naturali Anglis tandem aliquando obtruderet. Sancita quoque pœna majestatis in eos qui per rescripta Romanorum Pontificum aliquos Ecclesiæ Romanæ reconciliarent, itémque qui reconciliarentur. Et qui Agnos Dei, Grana, Crucifixos, aut alia à Romanis Pontificibus benedicta aut consecrata in Angliam importarent; pœnæ Premunire (ut vocabant, hoc est omnium bonorum amissioni, & perpetuo carceri) subjacerent. Quando & *Ioannes* [b] *Storæus* Anglus I.U.Doctor, & olim regius in Academiâ Oxoniensi professor, aliisque muneribus functus; qui turbatis posteà rebus in Belgium secedens, ibique domicilium figens, proditoriè à nautis Anglis in patriam revectus fuerat; accusatus de agitatis cum hostibus consiliis contra Reginam Elisabetham, cùm judicio & legibus Angliæ se submittere recusaret, eò quòd non Reginæ Angliæ, sed Regis Hispaniæ se subditum juratum esse diceret: tandem post biennalem carcerem, in solâ fori exceptione perseverans, absque ullâ criminum vel confessione vel approbatione, perduellionis supplicium in confessione fidei Catholicæ, & hortatione ad adstantes ad illam & Romani Pontificis auctoritatem agnoscendam, Calendis Iunij constanter pertulit, jam ætate provectus.

[a] *Camden. in Elisab.*

[b] *Sander de Visib. Monar. in fin.*

XXIX. PRODIGIA IN ANGLIA.

Tot autem varios totâ Britanniâ motus portendisse visus est prodigiosus [c] terræ tremor in orientali Herefordensis Comitatûs parte ad Kinnaston viculum; cùm duodecimo Calendas Martij præsentis anni horâ sextâ vespertinâ terra decessit; & mons proximus cum subjectâ caute ingenti mugitu & stridore dissiliens se in superiorem locum extulit, secum unà deferens arbores infixas, caulas, & cōclusos ovium greges. Quo loco discesserat, hiatum quadraginta pedes latum, octoginta ulnas longum reliquit: inter eundum, sacellum obvium evertit, taxum in cœmeterio sitam ab occidente in orientem transtulit. Eâdem vi publicas vias cum caulis, sepibus & arboribus insitis loco movit: terram ex cultâ pascuam, ex pascuâ cultam effecit: eminentiorem quæ occurrit vi majori actam, in montem celsiorem tamquam aggere facto redegit. Atque ita cùm à vespere diei sabbati usque ad meridiem lunæ totum illum tractum perambulâsset, tamquam ex itinere fessus, & mole suâ laborans substitit.

[c] *Camden. ibid.*

XXX. IOANNIS PRINCIP. TRANSILVANI OBITUS.

Hoc item anno [d] Ioannes-Sigismundus Princeps Transilvaniæ, sive Turcicæ Societatis, quæ utplurimùm noxia atque infida esse consuevit, pertæsus, sive rerum suarum securitati se prospecturum ratus; cum Maximiliano Cæs. pacis & amicitiæ fœdera renovare constituens, id per legatos hâc inter ceteras conditione peregit, ut ipse nomini regio & titulis, pro quibus & pater ejus & ipse per annos fermè quinquaginta funestis bellis acerrimè dimicassent, impòsterum cederet, & quodcumque aliud præter regnum usurparet: & econtrà Maximilianus eum ut Regibus ortum *Serenissimi Principis* titulo cohonestaret. Cum verò in eo esset ut etiam per affinitatis vinculum ductâ aliquâ ex propinquis Cæsaris fœdus confirmaret; post longos & acerbissimos intestinorum cruciatus, mortuus est Albæ postridie Iduum Martiarum, in perfidiâ Arianâ qum amplexus fuerat: adeò ut inter horribilia ejus tormenta, nulli etiam familiarissimo, præterquàm Blandratæ Ariano ejus medico, de quo aliàs, qui eum dementârat, & Chaquio detestabilibus ejusdem perfidiæ sectatoribus, ac paucis aliis similis farinæ hominibus, aditus pateret. Quippe sub eo sic corrupto, & alioqui neque ingenij indole, neque moribus ingenuo, eò flagitij deventum erat, ut primò quidem omne hæresis & impietatis genus in Transilvaniam sese simul effuderit; deinde verò postquàm ipse ex Catholico factus Lutheranus operâ Dionysij cujusdam Alexij, ex Lutherano suasu Blandratæ Arianismum induit, nemo nisi Arianus in pretio foret, nemini præfecturæ & magistratus nisi eâ peste infecto darentur. Etiamsi Calviniani ceteris hæreticis audaciores, & sagaciores, ægrè ferentes eorum dominationem, resistere satagerent, armis utentes Catholicorum adversus eos, quæ à Catholicis in ipsos exerta respuere consueverunt. Neque enim nisi argumentis Catholicæ religionis ulla hæresis ulláque impietas superari ac

[d] *Isthuanff. Hist. Hung. lib. 24.*

e Bellarm. lib. 1. de Christo: Resp. de Athei-sm. Evang. & aliis passim.

prosterni potest. Denique extant plures Disputationes sub Ioanne à Blandratâ, ejúsque commilitone Francisco Dâvidis editæ, habitæque inter Arianos & Calvinianos Albæ-Iuliæ: quæ solidiùs confutatæ fuêre Catholicis [e] tractatoribus.

XXXI. Tetra bius mors.

Periit autem *Ioannes* in primo flore juventæ, cùm alterum & trigesimum annum ætatis nondum explevisset; Christo Deo impium pestiferi dogmatis assertorem, divinæque suæ gloriæ nefarium obtrectatorem, immaturâ morte sublatum, ad æternas inferorum pœnas haud dubiè detrudente. Cujus cadaver Ariano funeris honore, hoc est tumultuario & enormi, nec ullâ in parte ad morem pristinum & Christianum, in templo compositum est marmoreo sepulchro. Ita namque ejus finem descripsit Nicolaus Isthuanffy [f] nobilis Pannonius in suâ de Rebus Hungar. Historiâ. Subditque, post varias de successore Ioanni eligendo, cùm prole careret, consultationes & disceptationes; publicis suffragiis, & Selimi commendatione, magnâque populorum acclamatione, suffectum esse *Stephanum Bathorium* Somlianum, formæ ac staturæ dignitate, rebúsque domi forísque gestis insignem, fide Catholicâ conspicuum: excluso Gaspare Beckessio æquè Ariano, provinciæ regulo, qui sub Ioanne potetissimus principatum ambiebat, Stephanus mox de suâ delectione Maximilianum simul & Selimum certiores reddens, ab iis confestim confirmationem electionis accepit: à Turco quidem sub conditione tributi cõsueti, & ne cum exteris principibus se inconsulto ullum fœdus iceret: à Cæsare verò sub secretis pactis cum Ioanne nuperrimè initis, ut qui ei successurus esset, ita Cæsari fide clientelæ obstringeretur, ut tamen ipse rerum omnium potestate fungeretur, quem posteà visuri sumus Regem Poloniæ.

f Isthuanff. lib. 24.

Steph. Princeps Transilvan.

XXXII. Varii hæreticorum conventus.

g Schard. de Reb. gest. sub Maxim. II

Quòd verò de hæreticorum in Transilvaniâ disputationibus diximus, impellit ut & aliàs nonnullas memoremus hoc eodem anno aliis locis inter alios sectarios habitas. Atque imprimis eam, cujus auctor [g] extitit Fridericus Elector Palatinus. Qui cùm cognovisset multiplicem Anabaptistarum sectam (plures enim esse hujusmodi fanaticorum sectas vidimus aliàs) in vicinis atque etiã in suæ ditionis urbibus latè grassari; colloquium in Valle Francolinâ inter Spiram & Vormatiam ad finem Maij publicâ fide interpositâ haberi curavit. Ibi capitibus contra Anabaptistarum doctrinam ad disputandum propositis, & à 28. Maij usque ad 19. Iunij disputatis, cùm neutri cederent, solutum est colloquium. Fridericus tamen Anabaptistarum pertinaciam detestans, gravissimâ pœnâ interdixit, ne deinceps ij in ditione suâ docerent. Nec magis inter se concordes Confessionistæ. Cùm enim Wirtembergenses Molles Lutherani catechismum [h] juxta doctrinam in Saxonicis & Misnicis synagogis receptam edidissent; eámque mox contrariis scriptis initio vellicantes Ienenses, eorúmque asseclæ Rigidi Lutherani, postremò damnassent tamquam cum Sacramentariis congruentem: hinc magis ac magis animis fratrum Cadmæorum exacerbatis, Synodo hoc ipso anno à Mollibus Dresdæ, quæ Ducis Electoris Saxoniæ sedes est, habita, ad

h Fabric. in Hist. Sacramẽt Schard. & Resc. ubi supr.

quam convenerunt omnes illius sectæ ministri, tum apologiam sui catechismi publicarunt; tum verò in adversarios Rigidos ita debacchati sunt, ut nec eos vel ad templa & cõciones suas, vel ad consuetudinem admittendos decreverint: quinimmò publicè anathema, maranata pronunciarint contra eos omnes qui cum illis sentirent, aqua & igni interdixerint, & se contra illos omnibus præsidiis, argumentis, rationibus, libellis, scriptísque tabellis munierint. Rigidis econtrà, quò durioribus, eò & acerbioribus spiculis Molles conterentibus. Ut verè scripserit Salomõ [i] initium jurgiorum esse veluti aquam, quæ rupto semel aggere cui incumbit, non potest ampliùs prohiberi quin ingentia damna inferat.

i Prover. 17.

XXXIII. Rupellensis conventus hæreticorum.

Cùm autem Rupellæ in Santonibus diutiùs commorarentur Regina Navarræ ac Principes cum Colinio & proceribus, qui sæviente bello ardẽtibus votis expetere præseferebant, ut domos, uxores, liberos, visere liceret; (unde quòd cùm id jam per pacem liceret, nihilominùs ipsi magnis sumptibus & incommoditatibus extra domos suas tanto tempore collecti permanerent, non parva oriebatur suspicio, quòd aliquid turbarum rursùm molirentur:) interim celebrata est ibi universalis sectæ ministrorum ex totâ Galliâ Synodus; ad quam evocatus Calipha sectæ Beza ut ei præesset adesse non potuit: quamquam sunt qui etiam ipsum interfuisse ac præfuisse scribant. Interfuisse quidem constat inter præcipuos Antonium Chandeum nobili genere natum, Nicolaum Galassium, & alios eruditione ceteris præcellentes. Ibíque repetita est, & confirmata ipsorum fidei confessio: actúmque (ut omittamus secreta consilia, quæ de Regis & Catholicorum oppressione ibi tractata esse, nonnulli scripserunt) de instaurandæ disciplinæ ex superiorum bellorum occasione collapsæ ratione: ac nova forma à Ioanne Morellio Parisiensi proposita, ampliùs discussa & impugnata. De doctrinæ etiam aliquot capitibus disceptatum, ac de cæremoniis in cœnæ administratione observandis, de quibus omnibus quædam decreta facta fuêre, quædam in proximam futuram Synodum rejecta, quæ anno sequenti mense Maio Nemausi magno ministrorum concursu habita, præside eodem Bezâ, quæ indecisa remanserant determinavit, & Morelianam formam omninò proscripsit. Est inter ejusdem Bezæ [k] epistolas una hujus Nemausensis Synodi nomine scripta 17. Maij 1572. ad Tigurinos pastores; excusatoria de *substantiæ* voce positâ à Synodo Rupellanâ in Confessione fidei Regi oblatâ, in dogmate de Cœnâ Domini. Quod Tigurini, qui illam non admittebant, quasi in suæ doctrinæ condemnationem factum acceperant. Ut igitur iis satisfieret, Nemausenses sic scriptum illud Rupellanæ Synodi emendatum voluêre, ut pro his verbis. *Synodus reiicit eorum opinionem, qui nomen Substantiæ nolunt recipere eo sensu quo in 36. Confessionis articulo continetur*, hæc substituerint, *Synodus sine ullo prorsus exterarum Ecclesiarum præjudicio, quæ certis de causis Substantiæ vocabulum non usurpant, vocabulum quidem Substantiæ retinet, sed eo demum sensu quo in 36. articulo continetur*. Quibus videas quàm bellè inter

Alius Nemausensis.

k Bez. epist. 65.

fratres

[l] 1. Tim. 1.

fratres conveniat: cùm videlicèt à [l] fide, & charitate, & conscientiâ bonâ aberrantes, volentésque esse legis doctores, non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

XXXIV. ADMIRALIUS SE CONFERT AD REGEM.

Ceterùm Admiralius Colinius, sæpiùs à Rege Carolo ad comitatum invitatus, & diù reluctatus, ut erat suspiciosissimus, tandem eò accessit: fuitque à Rege humanissimè receptus, & sanctiori consilio ceterísque priscis honoribus restitutus; atque etiam magnâ pecuniâ donatus, ad sarcienda privata damna bello accepta. Vocata etiam Regina Navarræ ad nuptias filij cum sorore Regis celebrandas, anno sequenti pariter viæ se dedit unà cum filio: de quibus tunc dicetur. Fuerat quidem priùs nonnihil à plebe Rotomagi actum; quod aliquam querelarum causam queribundis naturâ sectariis intulerat: verùm & fuerat continuò seditio sopita cum auctorum supplicio; ut nihil esset quo de rectâ mente Regis in fide publicâ datâ servandâ dubitari posset. Rotomagi [m] quippe ad principium Martij, recentibus adhuc partium odiis, cùm die quâdam sectarij ad suas preces urbe exirent; à portæ custodibus dicteriis & conviciis petiti, in reditu à nonnullis è fæce plebis, custodibus junctis, contumeliosiùs accepti fuêre, cum nece etiam aliquot ipsorum. Quâ re intellectâ Rex ultra modum commotus, confestim misit eò Franciscum Monmorantium Franciæ Marescallum, qui reos partim morte, partim exilio aut pecuniâ mulctavit.

[m] Bellef. lib. 6. cap. 114.

XXXV. TUMULTUS PARIS. OB CRUCEM SUBLATAM.

Tolerabilior causa tumultûs, qui paulò pòst Lutetiæ contigit, hâc occasione. Ante triennium Philippus quidam Gastineus mercator Parisiensis hæreticus Calvinianus, detectus in ædibus suis in vico Sandionysiano sitis contra edicta regia conventus habere, cùm cœnæ Calvinianæ celebratione; Senatûs judicio morte damnatus unà cum Ricardo fratre fuerat, ejúsque ædes solo æquatæ; atque in perpetuam rei memoriam ex publicatis ejus bonis Crux in earum areâ pyramidali formâ extructa, cui ære incisa erat sententia in eos lata. Cùm autem edicto nuper facto cautum esset ut judicia belli tempore religionis odio facta rescinderetur, & monumenta abolerentur: insistente Admiralio cum suis ut etiam Crux illa, vulgò Gastinea dicta, tolleretur; assensit quidem Rex: at ne seditio à plebe concitaretur, deliberatum est ut ea noctu in proximum S. Innocentij cœmeterium transferretur, inductâ æneâ damnationis tabulâ, & ejus loco alterâ in Crucis honorem inscriptione appositâ. Verùm res tanto silentio peragi nô potuit, quin coitione à pueris & vilibus hominum capitibus factâ, necatus faber fuerit qui Crucem disjecisse dicebatur, ejúsque domus incêsa, ac nonnullæ aliæ suspectorum de hæresi direptæ. Donec accurrente urbis præfecto, obvius aliquot seditiosorum cæsis, atque uno vilissimæ côditionis suspenso, ceteris dispersis & ad sua se recipiêtibus, seditio sopita fuit. Sed in his maximè notandum, quòd à nonnullis [n] observatum reperimus, eodem momento quo Crux dejiciebatur, cælum visum esse quasi flammis ardere, erupisse ventos impetuosissimos, visa pavenda fulgura, audita horrenda tonitrua, quâvis esset media hiems; grandinémque & imbrem densissimum decidisse; adeò ut putaretur urbs mox interitura.

[n] Bellef. ibid.

XXXVI. CLAUDII ESPENCÆI OBITUS.

Mortuus est ibidem hoc ipso anno 4. Octobris, *Claudius* [o] *Espencæus* Theologus nominatissimus: quem vidimus in Colloquio Poissiaco egregiam operam pro defensione fidei Catholicæ impendisse. Erat nobilibus parentibus natus, paterno genere clarâ Espencæorum familia in Campania, materno illustri Ursinorum in Italia, sed doctrina ac pietate illustrior. Fuisse dicitur aliquando in existimatione adipiscendi Cardinalatûs, sed obfuêre nonnullæ propositiones ab eo nô satis consideratè assertæ. Quinimmò extat inter Bezæ [b] epistolas una ad ipsum scripta: qua significat eum aliquando Genevam se contulisse, & in multis cum Calvinistis sensisse: cúmque acriter arguit, quòd non constans perstiterit in veritate cui semel adhæsisset. Quod si verum sit, dicendus est vir simplex ignoratione magis, aut indiscreto zelo, quàm malitia in aliquot opiniones erroneas impegisse: sed cognita hæreticorû fraudulenta nequitia, & impia vitilitigatione, ad cor mox rediisse, & ab eis recessisse. Quem sanè constat in communione Ecclesiæ, sumptis sacramentis piè decessisse, suæ instructissimæ Bibliothecæ heredibus relictis Cardinale Lotharingio & septem Doctoribus Sorbonicis; piis legatis relictis monachorum mendicantium ordinibus, ac domibus Sorbonæ & Navarræ; necnon ecclesiæ S. Cosmæ, in qua sepeliri voluit funere Christiano, hoc est convocatis omnium collegiorum & Ecclesiarum ordinibus, & accensis innumeris cereis. Qui & præter Apologiam & alia opera impressa, reliquit scripta posthuma, quibus se ab hæreticorum deliriis ac furiis alienissimum ostendit.

[o] Genebr. in Chronolog.

[b] Bez. ep. 43.

XXXVII. INSTITUTIO SODALITATUM DOCTRINÆ CHRIST.

Ne homines in ejusmodi errorum pericula inciderent, magísque in fide instruerentur, Pius Pontifex hoc eodem anno 6. Octobris constitutionem [q] edidit; quâ decrevit, institui ubique à locorum Ordinariis sodalitates Doctrinæ Christianæ, eísque viros idoneos præfici, qui pueros aliósque divinæ legis expertes, bonis moribus sanáque doctrina instruerent statis temporibus, quod jam ferè fuerat in Concilio [r] Tridentino vel indictum, vel insinuatum.

[q] Bull. to. 2. Pij V. côst. 137.

[r] Conc. Trid. Sess. 24. cap. 4.

XXXVIII. FRUMENTUM PLUIT.

Inter prodigia quæ hoc anno pluribus locis contigisse leguntur, illud admodùm utile fuit nonnullis Silesiæ locis, quòd [f] in sûma annonæ angustia raro præter naturam beneficio mense Iunij pisa, rapula, frumentum ac triticum pluit, ex quo panis esu optimus côfectus fuit. Cui simile olim sub Carolo V. Imp. in Carinthia commemoravimus. [t] Huic verò longè alia contraria, quæ item in Germania ad annonam pertinêtia accidisse dicuntur. Nempè, mêse Ianuario apud Salisburgum nobili quodam frumentum quo abundabat uni ex agricolis suis qui numerosam prolê habebat denegante; miserum agricolam non habentem unde familiam sustentaret, universam interfecisse; ac mox famis vehementia impellente denuò nobilem adiisse, ac rem narrasse: qui eius atrocitate motus, cùm saccos ad frumentum accipiendum afferri jussisset, aperto granario pro frumento serpentes ac venenata animalia reperisse. Fine verò Iunij Leoburgi ad

[f] Schard. in Reb. gest. sub Maxim. II.

[t] Supr. an. 1550. in fi.

Albim, quæ Saxoniæ inferioris Principum sedes est, duobus sordidis & inhumaniter avaris institoribus, frumentum à se emptum quò cariùs illud venderent, transferre volentibus, horrei foribus reseratis frumentum iis in oculos spontè sese obviàm intulisse, atque totum per fenestras evolâsse, ut ne granum quidem in tabulato remanserit: eo casu unum ex iis attonitum concidisse, & mox expirâsse: alterum ad fluvium se suffocaturum tendentem, ægrè retractum ac vinctum, paulò pòst à satanâ miserè vexatum extinctū esse. Cujus cadaver Princeps publicè cremari jussit, pœnâ capitis & bonorum omnium amissione in eos sancitâ; quicumque ex suis subditis in detrimentum pauperum frumentum præmercarentur, aut intervertent. Cujusmodi exemplum in Sueciâ vel Suevia, paucis antè annis vidimus [u]: Deo quidem ubique judicia sua exercente, sed nihilominùs hominibus in duritia sua persistentibus.

[u] Supr. an. 1568. XXI.

IESV CHRISTI Annus 1572.
PII V. Ann. 7.
GREGORII XIII. Annus 1.
MAXIMILIANI II. Ann. 8.

I. PORTENTA AQUARUM.

ANNO Christi millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Indictione decimaquintâ, Sexto Ianuarij aquæ [a] fluvij Vistulæ in Borussiâ prope Thornam in sanguinem per triduum, cum totius populi consternatione, conversæ fuêre. Deinde fluvio ad pristinum statum revertente, circa horam noctis nonam terræmotus cum maximo turbine & duarum nubium fractura factus est; ex cujus aquarum impetu dimidia muri pars abrepta, multæ domus abductæ, pons pene totus dirutus, trecenti homines submersi sunt: lapides ponderis decem librarum de cælo delapsi, multos necarunt: horreum civitatis fulmine ictum cum frumento igne consumptum est. Eodémque mense pluribus aliis Germaniæ locis, terra similiter cum maximo omnium terrore & damno movit. Quæ portenta motus fortè Belgicos præsignificarint; qui hoc anno ex cœpta populorum rebellione inchoati hactenùs perdurarunt, cum effusione ex utrâque parte copiosioris sanguinis, quàm ferè ullus ferat fluvius aquas.

[a] Schard. de Reb. gest. sub Maxim. II.

II. REBELLĀT BELGÆ ADVERSUS ALBANUM.

Quippe Albanus, qui fortitudine bellica populos Belgicos in subjectionem Philippi Regis legitimi eorum domini reduxerat; eosdem violentis exactionibus decimæ, & vigesimæ, & centesimæ, de quibus suprà, adeò à se & universo Hispano nomine alienavit, ut à triumphali sua gloria penitùs deciderit: facto à Geusiis repetiti libelli initio Calendas Aprilis ab occupatione Brielæ oppidi Hollandiæ, duce Vuillelmo Lumeo Comite Marchiano, ex Anglia prodeunte; qui quòd Aurangio superiori bello militasset, à Leodiensi Episcopo bonorum magna parte exutus fuerat. Brielæ occupationem secuta est deditio ultronea, vel etiam expugnatio; plerarumque urbium Hollandiæ & Zelandiæ munitissimarum provinciarum ad mare Oceanum aquis circumfluarum. Capta quoque à Ludovico Nassovio Aurangij fratre Mons Hannoniæ primaria, aliæque in ceteris provinciis: horrendis crudelitatis [b] exemplis in omne genus ecclesiasticorum tam secularium quàm diversorum Ordinum religiosorum: necnon & aliorum Catholicorum utriusque sexûs à præclaris illis reformatoribus pluribus locis editis. Quibus motibus valdè attonitus Albanus, haud tamen animum despondens, aliquas urbes recuperavit; & Montes præcipui momenti urbem, cui se Franciscus Lanovius Gallus rei militaris peritissimus, unà cum Ludovico Nassovio incluserat, obsidione cinxit: Ienlisium Gallum cum validis hæreticorum copiis ad suppetias Montibus ferendas accedentem cepit, copiis ejus ad internecionem deletis, sive in pugna à militibus, sive in fuga à rusticis; atque ex captis, nonnullis supplicio affectis, eò quòd absque auctoritate regia, quinimmò contra Regis prohibitionem eam expeditionem suscepissent: etiamsi Admiralius tam verbo quàm scripto Carolum Regem ad bellum Philippo Regi inferendum, ne tam præclaram ex rebellione Belgica rei benè gerendæ occasionem prætermitteret, sæpius post suum in aulam reditum impellere conatus fuisset; atque etiam persuasisse; nonnulli scripserint; argumento pacis cum Elisabetha Regina Angliæ initæ, quam Rex quoque Hispaniæ Philippus adversum se ictam suspicatus, de his per legatos suos cum Rege Carolo expostulavit; qui ægrè hanc menti ejus infixam dubitationem tollere potuit. Ceterùm Albanus Aurangium quoque, cum magnis copiis Germanorum & segregum Gallorum Montium obsidionem solvere molientem, non parva cæde repulit: urbémque demùm ad deditionem compulit; nonnullásque alias recuperavit, cum non parva in rebelles sævitia; quos & variis aliis cladibus affecit, non paucis & ipse ab iis affectus terra marìque. Hæcque toto anno gesta fuêre; cùm Albanus ejus initio in procinctu fuisset discessionis è Belgio; cui Philippus ante hos motus provincia pacata successorem designaverat Ioannem Cerdam Medinæ-cæli Ducem, qui cùm tardiùs in Belgium cœptis jam motibus, eorum inscius appulisset, ac præter spem res turbatas offendisset; cum Albano collocutus, à provinciæ administratione se excusavit, & se potiùs libenter sub eo militaturum recepit: sicuti & fecit in Montium obsidione, ac deinceps quousque ambo in Hispaniam revocati fuêre; ut videbitur anno sequenti. Quanto auro redemisset Albanus, priusquàm hæ turbæ cœpissent è provincia gloriosus abscessisse, & sua virtute pacatam successori reliquisse? Sed tulit justè suæ in Catholicos æquè ferè atque in hæreticos feritatis pœnam: cujus causâ & plurimi Catholici hæreticis adhærere jungíque maluêre, quàm sub odiosiori per ipsum reddito Hispano nomine, in bonis pariter atque in malis actibus de facultatibus & vitâ periclitari.

[b] Vid. Sur. in comment. Natal. lib. 23. Resc. de Phalar. Evang.

ALBANUS CLADIBUS EOS AFFICIT.

III.

Fuerat ab hujus anni initio inter fœderatos contra Turcos, de bello administrando, & pluribus subortientibus identidem inter homines diversarum nationum & consiliorum difficultatibus & controversiis disceptatum: ac

demùm decretum, ut bellum in Oriente administraretur, aucto triremium ac militum numero, cum novis aliquibus aliis fœderis conditionibus. Quando placuit Deo, harum rerum omnium motorem atque promotorem Pium Pontif. cùm maximè illius virtute atque animi constantiâ Christiana Respublica indigere videretur, ex hâc vitâ subducere. Qui antequàm diem obiret, ipsis Cal. Ianuarij constitutionem [c] edidit pro confirmatione & approbatione Congregationis *Fratrum Ioannis Dei*, ad regimen Hospitalium nuper in Hispaniâ institutæ pro curandis pauperibus infirmis, sub Ordinariorum correctione, & Regulâ D. Augustini, quam quidem idem Ioannes natione Lusitanus diœcesis Eborensis natus anno 1538. inchoaverat Granatæ, pauperes recipere incipiens, & Christianos ad eleemosynas erogandas publicè excitans per hæc verba, *Agite bene, fratres, dum tempus habetis*. Unde & cùm eadem Congregatio recepta est Romæ, simili hortatione utentes fratres Congregationis, nuncupati vulgò fuêre, ut etiam num dicuntur, *Fate ben fratelli*: qui propiùs ad rem in Galliâ ubi pariter recepti sunt, *De Charitate* nuncupantur. Reformavit autem illam posteà Clemens [d] VIII. Ac Paulus [e] V. Congregationem Italiæ, Hospitalia Germaniæ, Galliæ & Poloniæ comprehendentem, in veram religionem sub tribus votis substantialibus, & quarto de Iuvandis infirmis, ac sub Regulâ S. Augustini erexit.

c Bullar. to. 2. Pij V. const. 143.

ERECTIO CONGREGATIONIS IOANNIS DEI.

d Bull. tom. 3. Clem. const. 44.

e Ib. Paul. const. 100.

IV.

Scripsit [f] ejusdem mensis 15. die ad eumdem Pontif. Maximilianus Cæsar pro Boëmis Utriquistis. Quippe cùm I ius, in Boëmia communione sub utrâque specie illis populis olim concessâ perversè complures uti, atque inde finitimis gentibus erroris occasionem præberi, jampridem animadvertisset; atque ad hanc tollendam corruptelam, Pragensi Archiepiscopo ac ceteris gentis Episcopis interdixisset ne quemquam utriquistam sacris Ordinibus initiarent: Maximilianus ab hujusmodi hominibus suasus, spe facilioris eorum conversionis ad integram fidem Catholicam, ut interdictum illud laxaretur per literas à Pontifice contendit, qui tamen ad id flecti non potuit, fixus permanens ut nihil contra communem Ecclesiæ disciplinam indulgeret: cùm & alioqui certum esset, si hoc semel Pontifex indulsisset, continuò & alia eos petituros fuisse: sicuti & olim vidimus cùm de hâc quæstione tempore Concilij Basileensis uberiùs disputatum est.

f Ext. ap. Caten. in [illegible] Vit. Pij.

MAXIMILIANUS CÆSAR AGIT PRO UTRIQUISTIS.

V.

Intereà Pius per eumdem mensem Ianuarium dysuriâ, hoc est difficultate & suppressione urinæ, quâ laborabat interdum, graviùs incipiens ægrotare, contempsit nihilominùs morbum, nihil de labore ac solitâ victûs ratione remittens. Dein mense martio, cùm renum dolores intentiùs premerent, & putridam urinam egereret, relictis aliis medicorum remediis, lactis solius asinini familiari sibi medicamento usus est: cujus copiosiori sumptione ventriculo admodùm debilitato, in acutam febrem incidit; solitus in vehementibus renum doloribus, quos magnâ constantiâ ac patientiâ sustinebat, identidem hæc verba summissè ad Crucifixi imaginem offerre, *Domine adauge dolores, sed auge etiam patientiam*: neque tamen adduci potuit ut per sacros dies Quadragesimæ jejunium solveret. Cùm à publicis negotiis se subduxisset; pro mortuo publicè habitus, ipso nihilominus Dominicæ Resurrectionis die, cum meliusculè ipsi esset, in Vaticani podium, unde benedictio solet populo in subjacenti plateâ conglobato impertiri, Pontificali habitu pedes processit, ac læto vultu & voce sonorâ populum signavit. Voluit item iis diebus Agnos Dei, septimo nimirum vertente suæ sedis anno, juxta ritum solemnem consecrare: ac demum undecimo Calendas Maias septem Urbis Ecclesias, quasi Sanctis, quorum sacræ reliquiæ illic quiescunt, valedicturus, ferè majorem partem pedes religiosè lustravit. Dein abjectâ omni negotiorum curâ, ad transitum se piis orationibus & meditationibus parans; tandem quarto ante obitum die sumpto sacrosancto divinæ Eucharistiæ viatico, ultimâ die Aprilis Extremam Unctionem suscepit: & primâ Maij, manibus in modum Crucis formatis, intermortuis verbis hos versiculos Hymni Paschalis pronuncians, *Quæsumus Auctor omnium, In hoc Paschali gaudio Ab omni mortis impetu Tuum defende populum*, placidè in Domino quievit, anno ætatis sexagesimo octavo; Sedis, sexto, mense tertio, die vigesimo quarto. Fuêre in ejus vesicâ inventi tres calculi plani, ponderis singuli dimidiæ unciæ. Corpus delatum de more in basilicam Sancti Petri, expositúmque publicè luctui ac venerationi fuit omnibus; tametsi non defuerint liberioris vitæ homines, quibus ob severos ejus mores haud fuerit ejus obitus adeò ingratus. Gratissimus autem Selimo Turcorum Imperatori extitit, quòd ab ejus precibus, quibus cladem Lepantinam tribuebat, longè plus sibi timeret quàm à reliquorum fœderatorum armis: adeò ut per [g] tres continuos dies fuerint Constantinopoli publica exhibita lætitiæ, accensis facibus, & tormentorum displosione signa. Cujus obitum portendere multa visa sunt, intérque cetera, quòd decimo Februarij arcis S. Angeli arbor fulmine icta fuit, Angelíque marmorei una ala effracta, & arbor ita ignem concepit ut totâ nocte arserit, & sacra turris basilicæ S. Petri alio pariter fulmine percussa, magnam partem excisa est. In ejus funere M. Ant. Muretus Lemovix Gallus orator præstantissimus luculentam habuit orationem, quâ succinctè sanctissimi viri vitam descripsit. Sepultus fuit in sacello S. Andreæ parvulo tumulo lateritio ad tempus extructo; inde posteà deferendus, ut statuerat, ad monasterium Fratrum suorum Dominicanorum Bosci, patriæ suæ. Quod cum totis quindecim annis curatum non fuisset, Sixtus V. Pontifex Maximus in grati animi memoriam, quòd ab eo creatus fuisset Cardinalis, anno 1588. in splendidissimum monumétum marmoreum ei in basilicâ S. Mariæ Majoris in monte Exquilino ad sacellum Dominici Præsepis erectum, ingenti celebritate deferri curavit.

PII V. MORBUS

ET PIUS OBITUS.

g Caten. in Vit. Pij Gabut. lib. 5. cap. 13.

AC SEPULTURA.

VI.

Inter ejus virtutes, quæ multiplices fuerunt, illa eò excellentior quò rarior inter ejus dignitatis viros, quòd ab omni ditandorum suorum cogitatione maximè abhorruit; dicens se ad Summum Pontificatum à Deo vocatum fuisse, ut Ecclesiæ suæ, non ut consanguineorum

VIRTUTES EJUS.

aut

aut commodis inserviret aut cupiditati; quamquam non omninò egenos dimiserit; qui in exteros longè liberalissimum se exhibuit, & in erigendis templis ac domibus religiosis aut dotandis munificum; in extirpandarum verò hæresum, & Turcorum opprimendorum conatibus, adeò profusum sese ostendit, ut nullis sumptibus parceret quibus id assequi posse existimaret. Ad quod opus in ærario decies centena millia nummûm aureorum reliquit, ac quinquaginta pretereà millia in nominibus post tres inde menses exigenda. Tredecim verò millia in ejus cubiculo sunt inventa, quę tenebat ipse manu suâ in pauperes eroganda: ac centena millia in manibus habebat intimus ejus quæstor ærarius. Innocentiam porrò ejus & vitæ sanctitatem vel ipsi hæretici & infideles commendarunt: quæ & miraculis [h] ad ejus invocationem, & vestium tactum, & imagines, confirmatæ fuêre: cùm etiam vivens stolâ & benedictione dæmonem, à quo mulier quædam obsidebatur, eiecerit. Quibus factum est, ut commissâ ejus Vitæ ac virtutum & miraculorum inquisitione Auditoribus Rotæ, ad eorum relationem sacra Rituum Congregatio, ad quam rerum harum cognitio spectat anno 1615. censuerit, die anniversariâ depositionis ejus, sacrum non ampliùs pro requie animæ defuncti, sed de Sanctissima Trinitate in gratiarum actionem receptæ ejus animæ in consortium Beatorum, celebrandum: confirmante decretum Urbano Papâ VIII. tunc sedente.

[h] Vid. Gabut. in Vit. Pij lib. 6. cap. 17. & 18. Victorel. in Addit. ad Ciaccon. in Pio V.

Beatitudo ejusdem.

VII.

Commendaverat Pius paulò ante obitum Cardinali Alexandrino pronepoti suo sacri fœderis prosecutionem; & ut ad hoc, quantum in se esset, novi Pontificis electionem maturandam procuraret. Quod & ipse diligenter præstitit. Siquidem altero die à conclavis ingressu, nempè tertio Idus Maij, à quinquaginta duobus Cardinalibus, uno omnium consensu electus est *Hugo Boncompagnus* patriâ Bononiensis, patre Christophoro, matre Angelâ Marescalcâ, piis & honestis parentibus, licet non adeò sanguine illustribus, natus anno Christi millesimo quingentesimo secundo ad principium Ianuarij; ac proinde cùm electus est annum emensus ætatis septuagesimum. Iuris scientia insignis, illud apud suos Bononiæ publicè per octo annos magna sui nominis gloria interpretatus fuerat. Deinde Romam petens, variis magistratibus functus, à Paulo III. ad Concilium Tridentinum propter legalem sapientiam missus; subinde aliis curiæ Romanæ muneribus diligenter administratis, Episcopatum Vestanum à Paulo IV. acceperat: móxque sub Pio IV. ad Concilium Tridentinum secundò missus; Concilio absoluto in Urbem reversus, ab eodem Pio factus fuerat Cardinalis presbyter tituli Sancti Sixti: paulóque post legatus in Hispaniam pro causa Bartholomæi Carranzæ Archiepiscopi Toletani, acta feliciter legatione; Signaturam Brevium sub Pio V. administraverat: ac demùm successor ei in Pontificatu, ingenti virtutum expectatione electus est: qui nomen Gregorii ejus nuncupationis XIII. assumpsit, quoniam S. Gregorium magnum à prima ætate sibi patronum adsciverat, & die illi sacro Cardinalis creatus fuerat: symbolum autem elegit, *Confirma [i] hoc Deus quod operatus es in nobis*: & octavo Calendas Iunij, die Pentecostes, coronationis insignia suscepit: acri vir admodùm ac severo ingenio; qui quamvis non adeò magnis negotiis tractandis assuetus fuisset, optimæ tamen menti propensum ad res benè gerendas studium adjunxit. Extat ejus Vita manuscripta: ex quâ multa, nec non ex ejus Annalibus, exscripsit Victorellus in Additionibus ad Ciacconium, quæ nobis usui suis locis futura sunt.

Hugo Boncompagnus fit Pontifex.

Dictus Greg. XIII.

[i] Psal. 67.

VIII.

Statim porrò post suam electionem Gregorius cum oratoribus Hispano & Veneto de sacro fœdere continuando sermone habito, Nicolaum etiam Ormanetum in Hispaniam legavit, ut Regem Philippum ad id hortaretur: Antonium-Mariam Salviatum in Galliam, ut Carolum ad idem fœdus alliceret: ad Cæsarem aliósque Principes septemtrionales, alios viros graves, ad illos contra Turcos excitandos: Cardinalem Commendonum in Poloniæ legatione ad prosequenda quæ in mandatis à Pio habuerat confirmavit: Antonium Saulinum virum solertem, & maritimarum rerum peritum Neapolim misit, ubi multa ad sociale bellum pertinentia peragendæ erant: & Ionnem Odescalcum Pennensem Episcopum ad Ioannem Austrium Messanæ agentem legavit, ad ejus inde profectionem Corcyram versùs urgendam. Ad quod cùm etiam idem Ioannes vehementiùs à Venetis solicitaretur; ipse tamen quod prohibitus fuisset à fratre, tum prætextu molitionum Caroli Francorum Regis contra ipsum, de quibus dictum est, tum verò quòd arma in Africam verti concupisceret, Messanâ solvere absque novo mandato, haud persuaderi potuit ulteriùs progredi. Quod videntes Marcus Antonius Columna Pontificius, & Iacobus Fuscarenus Venetus imperator; atque interim Uluzzalim Turcicum maris præfectum reparatâ classe, cum ducentis circiter triremibus aut aptis ad pugnam navigiis, libero mari quacumque se inferre vellet prædas agere, atque in Christianorum oppida & regiones debacchari audirent: ne totus annus absque ullo operæpretio elaberetur, cujus jam magna pars exitialibus Hispanorum cunctationibus inutiliter transîsset; Corcyram navigarunt Idibus Iulij, unà cum parte quâpiam copiarum Hispanicarum; quam Philippus cum ceteris ire concesserat, nisi videretur fœdus omninò deserere, sub ducatu Ægidij Andradæ. Ad quos etiam, inter ceteros voluntarios, appulit militari flagrans gloria Carolus Meduanæ seu Mayeniæ Marchio è celeberrima Lotharingiæ familia frater Ducis Guisij, cum delecta nobilium Gallorum manu, æmulatione fratris, quem vidimus Pannonicæ expeditioni contra Turcos priùs interfuisse: in patriciorum censum à Senatu Veneto dum illac transiret allectus, (qui honor maximus apud illos habetur) & à classis eorum imperatore aliquot triremibus præfectus cum honore phanalis, quod dignitatis est signum: idémque ubicumque occasio se obtulit, ac præcipuè in nonnullis excensionibus magnum specimen virtutis præbuit: eadem fortitudine Alexandro quoque

Sollicitat bellum Turcicum.

Classis Christ. navigat Corcyram.

Parmensi Principe, qui hoc bello rudimenta futuræ virtutis hausit, dimicante.

IX. CUNCTATIONE RES PERIIT.

Dum autem decretum fuisset in hostes ducere, qui apud Chium & Eubœam erant, literæ ab Austrio venerunt, quibus datam sibi esse à Rege facultatem, sublato jam Gallorum metu, se ceteris conjungendi significabat, interímque monebat ab omni conatu abstinere. Unde novæ Venetorum querimoniæ; sic rem eludi, tempúsque rerum gerendarum eâ morâ eximi, cùm incertum esset quoúsque Austrius expectandus foret. Ne tamen eum contemnere viderentur, placuit media sententia, ut porrò quidem ire pergerent, sed nullas urbes aut provincias tentarent; tantùm consilia & conatus hostium ex propinquo explorarent, dum Austrius ad classem accederet, neque tamen occasione, si quæ darentur, rei benè gerendæ prætermitterentur. Et datæ quidem sunt illæ, primò ad Cytheram & Tænarium ante Austrij accessum, posteà verò ad Methonem & Oenusam, fœderatorum classe centum & nonaginta quatuor triremibus, quinqueremibus sive galeatiis octo, navibus quadraginta quinque constante, ac proinde Turcicâ & numero & virtute superiore. At Uluzzalis strenui & callidi ducis, modò fugientis modò aggredientis speciem præ se ferentis, astu & arte elusis fœderatis, levi tãtummodò tormentorum displosione, salutantium propemodum sese mutuò quàm offendentium in modum, minimo damno res confecta est; licet ingentibus animis Christiani insigni ad Echinadas victoriâ elati pugnam concupiscerent; Turcis præterita clade trepidis eam detrectantibus, sed tamen præ superbiâ haud desinentibus Ottomanorum Regum inexhausti penè roboris specimen pugnæ simulacris præbere. Quibus & accesserunt discordes in omnibus ferè Christianorum ducum sententiæ, & frequentes altercationes. Adeò ut cùm etiam Methonem ac Navarinum expositis in terram copiis aggredi constitutum fuisset, ut vel sic hostes terrâ marive ad certamen elicerentur, cœptâ Navarini obsidione, mox ea dimissa est; simul & à persequendis sese recipientibus hostibus cessatum, ob festinatum principio Octobris Austrij & Hispanorum recessum. Híque successus fœderatorum classium hoc anno fuêre; ut potiùs illi fortunæ quàm fortuna ipsis defuisse videri possit: tótque victoriæ præmia, tot omnium animis illapsæ spes, inani cunctatione, dissentientibus sententiis, in diversas re Christianâ divulsâ partes, regnandi artium studiis in sua quibusque non in commune incumbentibus, corruptæ fuêre: qui sunt plerumque fœderum exitus & fructus. Post discessum autem Christianæ classis, Uluzzalis, qui in fugâ tantùm spem posuisse videbatur, audacior factus, triumphantis specie Constantinopolim regressus est. Quæ omnia uti se habuerint, fusè prosequuntur scriptores [k] hujus belli.

[k] *Supr. an. 1570. XVII.*

X. IOANNÆ REGINÆ NAVAR. OBITUS.

Inter hæc in Galliâ *Ioanna* Regina Navarræ Idibus Maij Lutetiam appulsa, ut necessaria nuptiarum Henrici filij cum Margaritâ Caroli Regis sorore celebrationi pararet, hospitio sibi sumpto in ædibus Caroli Gillarij Carnutum Episcopi; qui jam Hugonotorum hæresim propalàm amplectebatur, & ob ejus rei suspicionem anteà Romæ cum aliis aliquot Episcopis proscriptus fuerat: cùm aliquot dies in urbe hæsisset, febre continuâ correpta, quinto post die, nimirùm decimo Iunij decessit, anno ætatis quadragesimo quarto: magni animi & ingenij heroina, sed hæresi addictissima, ad quam propagandam nullis laboribus aut sumptibus totâ vitâ pepercit. Condito testamento, eodem quo Rex Henricus Navarræ parens ejus loco in Bearnio sine ullâ pompâ sepeliri mandavit: & Carolum Cardinalem Borbonium liberorum suorum Henrici & Catharinæ patruum, atque Admiralium Colinium, testamenti executores nominavit. Fuêre qui veneno obiisse murmurarent, icto cerebro chirothecarum pestifero odore, quas illi unguentarius quidam Mediolanensis ad id subornatus vendidisset. Verùm corpore dissecto, abscessus in latere sinistro repertus est, ex nimiâ contentione & fatigatione contractus; quo eam periisse retulerunt medici.

XI. NUPTIÆ NAVARRI ET SORORIS REGIS.

Accedente post hæc Henrico Navarro ejus filio atque herede, cum Ludovico Condeo, in urbem ad nuptias; obtentâ per Cardinalem Lotaringiæ tunc Romæ existentem à Gregorio Pontifice dispensatione consanguinitatis inter partes; & disparitatis religionis, quam numquam Pius ut concederet induci potuerat: (sed videbat Gregorius rem eò progressam esse, ut haud desini absque magno scandalo posset; maluítque concedere quod non poterat impedire, quàm Reges irritare in damnum Ecclesiæ & regni:) fuerunt primò sponsalia celebrata die Dominicâ decimaseptimâ Augusti à Cardinale Borbonio in arce Luparâ; ac postridiè nuptiæ in majori ecclesiâ B. Virginis: Henrico tamen haud sacro præsente, sed peractis ad valvas ecclesiæ ab eodem Cardinale ritu convento cæremoniis, ductáque conjuge ad majus altare chori, unà cum Condeo, Admiralio, & Rupifucaldo, ac reliquis segregum nobilioribus; qui ex omnibus regni provinciis ad celebritatem convenerant, ab ecclesiâ exeunte in ædes Episcopales: ex quibus post sacrum peractum (cui unà cum nuptâ interfuerunt Rex, Regina parens, Andinus & Alenconius fratres, ceteri Catholici principes sanguinis, Guisij Marescalli Franciæ, ac ingens primariorum regni procerum turba) revocatus, rursùm in chorum venit, & osculum novæ nuptæ coram Rege ac ceteris omnibus libavit: indéque simul omnes ad easdem episcopales ædes, ubi prandium paratum erat, recesserunt. Post prandium verò in palatium itum est, ubi regali cœnâ excepti fuêre: atque inde, & subsequentibus aliquot diebus, choreis, ludis, spectaculis, & hastiludiis de more indultum.

XII. CONSILIA REGIS IN CÆDE SANBARTHOLOM.

Quæ verò post secuta sunt, variè pro singulorum affectu descripta fuêre: his quidem, à multo tempore ea cogitata[l] ac deliberata fuisse à Rege, in vindictam gravissimarum injuriarum sibi ab Hugonotis illatarum, & ad hoc tantùm nuptias illas paratas fuisse, asserentibus: illis autem à præsenti arrogantiâ Admiralij & sociorum ejus processisse affirmantibus; qui nec tum quidem à minacibus in Regem & Catholicos querelis & contumeliis abstinerent

[l] *Vid. supr. an. 1571. VII.*

nere scirent; atque eò maximè quòd Rex noluisset bellum indicere Philippo Hispano in auxilium Geusiorum Belg;nec adeò curâsset liberationem nobilium Hugonotorum, qui unà cum Ienligio capti fuerant ab Albano; unde cum argumentarentur eum in odio contra Hugonotos perseverare, decreverint periculum inde imminens prævertere, in perniciem Regis, totiúsque generis, ac Guisiorum, ceterorúmque præcipuorum Catholicorum: Regémque de his certiorem redditum, antevertisse. Potuit utrumque intercedere: nec existimandum, Regem sine urgente necessitate, & gravi rationum pondere, ad extrema & extraordinaria hujusmodi consilia delatum fuisse. A quorum curiosiori perquisitione abstinentes, illud tantùm cum Monlucio de his scribente dicemus, malum ac periculosum opus esse Principem suum offendere.

XIII. ADMIRALIUS FERITUR.

Post lætos igitur aliquot dies ductos, Veneris die vigesimo secundo Augusti, cùm Admiralius è palatio regio sub horam prandij domum se reciperet, & epistolam quamdam seu libellum fortè porrectum legendo lentiùs incederet; ex fenestra cujusdam domus præter quam transibat clatratâ linteóque lacero velatâ sclopeto in eum disploso duobus locis ictus est, sive unicâ glande, sive duabus, videlicèt manus dextræ indice, & brachio sinistro. Facto confestim ab Admiralij asseclis impetu in domum unde ictus emanaverat, repertus est quidem sclopetus; at non ejus displosor, qui per posticum equo conscenso velociter aufugerat. Volunt autem fuisse quemdam Morevellium, qui olim Arturum Moium unum ex præcipuis Hugonotorum ducibus interfecerat, unde in ejus factionis hominum odium internecinum incidens, sæpiúsque ab iis periclitatus, nuperrimè aliquam injuriam ab iis acceperat. Facinoris certior Rex factus, vehementi indignatione commotus, Admiralium invisit; cúmque consolatus, non tam ipsi quàm sibi injuriam factam contestatus est: idcóque fidem obstrinxit de diligenti percussoris & consciorum faciendâ perquisitione, ac severissimo sumendo supplicio. Cùm verò nec eo quidem statu, ab inquietis & turbulentis suis consiliis cessare potens, Regem ad bellum in Belgium contra Hispanos transferendum acriùs concitaret, alioqui se illud brevi domi suæ habiturum interminans; sed & commotiùs exprobraret neglectum nobilium cum Ienlisio captorum, & violationem multis locis pacificatorij edicti: Rex aliis sermonibus ejus verba eludens, rem sibi fore curæ respondit, & ne adeò contentè loqueretur monuit, quòd ea contentio vulneribus ejus officere posset. Navarro quoque ac Condeo, ceterísque proceribus de hoc facinore iracundè expostulantibus, pollicitatione vindictæ nonnihil pro tempore placatis; nihilominùs tum his Rex, tum maximè ex secretis apud Admiralium habitis consiliis, & aliis à decurionibus urbis & ab aliis acceptis monitis, non vanis ductus de proximo sibi atque urbi à tam grandi Hugonotorum qui Lutetiæ erant impendente periculo suspicionibus, ac penè certitudine; sibi, atque urbi, totique regno, quod ab irritatis hâc injuriâ segregibus in majus discrimen recasurum esset, quàm cùm nullâ datâ occasione ab eorum atroci crudelitate passum fuerat; cavere decernens; & tam injurias præteritas ulcisci, quàm imminentes prævertere jussis secretò Parisiensibus in armis esse, & ad sonum campanæ ecclesiæ sancti Germani, & tintinabuli horologij palatini, omnes quotquot haberi possent Hugonotos interimere: summo diluculo diei Dominicæ 24. Augusti Sancto Bartholomæo Apostolo sacræ, dato signo, cœpit res confici. Ac primò Admiralius in domo suâ, frustrà vitam deprecatus, gladiis confossus est, ac per fenestram præcipitatus, variísque modis fœdatus, in proximum stabulum abjectus est; ac postremò capite, pudendis, manibúsque truncatis, à pueris per vicos ad fluvium mergendus tractus; sed non mersus, inde retractus est ad furcas Monfalconias, sceleratis supplicio affectis destinatas, ibique pedibus ferreâ catenâ suspensus, igne cadaueri propendenti subjecto ustulatus, non tamen consumptus, ad aliquot dies spectantium libidini prostitit, infixo etiam ano manipulo stramineo: donec Francisci Monmorantij cognatione & necessitudine ei conjuncti opera, per homines fidos nocte è patibulo sublatus, translatúsque in castrum Cantiliam, ibi sepultus est. Tradunt, religiosum quemdam de sacrâ Sancti Francisci familiâ insignem prædicatorem, cùm ejus jussu ad furcam raperetur, ei præsago spiritu denunciâsse, fore ut aliquando de fenestrâ deturbaretur, pœnásque sexcentorum scelerum penderet. Quas & visus fuerat biennio ante præsagire ex parte quidam medicus [m] Catholicus, allusione ad ejus cognomen Colinij factâ; dum ita mordaciter in eum cecinerat:

ADMIRAL. OCCIDITUR.

Infausto quòd sim Collígni nomine dictus,
Haud dubiè dictum cælitùs esse puto,
Seu collum ligno, seu mavis junxeris igni,
Conveniet rectè nominis hoc etymon.
Iam pridem admisi quæ sunt dignissima flammis:
Admisi pariter crimina digna cruce.
Pendebo è ligno, posito pendebo sub igne,
Proque meo referam nomine supplicium.
Nam mihi supplicium juste debetur utrumque,
Vt prædoni crux, ignis ut hæretico.

[m] Ap. Beleafor. lib. 6. cap. 115.

XIV. ALII CÆDUNTUR.

Post Admiralium, Franciscus Comes Rupifucaldius, Telinius Admiralij gener, Renelij Marchio, Lavardinus, Guerchius, Pluvialius, Subisius, Bernius, Caumontius, Loverius, Montamarius, Pardalianus, Pilius, Sanmartinus, Francurius Navarri Cancellarius, Bellovarius ejusdem pueritiæ olim moderator, Grolotius Aureliani præfectus, alij quamplurimi ex primâ nobilitate & honesto ministerio, tam intra palatium regium, quàm extrà totâ urbe in domibus quorumcumque, vel ubicumque fugientes aut latentes reperti fuêre, eâdem sorte sublati sunt, cùm & odiis libertate datâ, non pauci etiam Catholici cæsi sunt, dum quisque inimicum & æmulum infestis animis persequi, plurimi prædæ desiderio in domos irrumpere, & ad cædes promiscuas ferri conspecti sunt. Multi verò fugâ elapsi sunt: inter quos Roanus Frontenæus, Caumontius, Mongomerius,

ALII SERVANTUR.

(qui Henricum II. in ludicro certamine lethali vulnere confecerat) Carnutum Vicedominus, Lasinius Bellovasius, Segurius, qui in suburbio Sangermani hospitabantur, rumore audito, priusquam ad ipsos pernicies pervenisset effugerunt. Multi etiam assumpto sibi signo, quo Catholici se munierant; hoc est Crucis albæ in pileo, incolumes evaserunt, Crucis beneficio quam tantoperè ex sectæ dogmate horrebant: multi ab amicis servati sunt: nonnullis gratia facta à Rege, puta Grammontano, Duracio, Gamachio, & Buchavanio; qui in ejus fide se fore promiserunt, nec fefellerunt. Fuêreque nonnulli, qui apud Ducem Guisium, in cujus caput tota hujus executionis invidia derivabatur, salutem repererint, quam alibi non inveniebant; intérque illos Vicecomes Lavedanus, Acierius, Benacus, & alij, quorum nonnulli vixêre posteà Catholici, alij ad vomitum reverterunt.

XV. PETRI RAMI CÆDES.

Inter litteratos eâdem fuligine tinctus *Petrus Ramus*, in Veromanduis natus, qui diu bonas literas, philosophiam, & mathematicas scientias docuerat, ac postremò erroneam in philosophicis doctrinam invexerat, Aristotelem voce & scriptis importunè oppugnans; nec à ceteris artibus ac disciplinis vellicandis sibi temperans; homo turbulentæ vitæ, cujus hoc præcipuum fuit studium, ut hæresim suis facultatibus juvaret, ac scholasticos non tam literis imbueret quàm inficeret hæresi: eo tamen commendatione dignus, quòd Mathematices professionem instituit, annuo stipendio quingentarum librarum Turonensium è propriis facultatibus attributo: Hic igitur invidiâ, ut quidam volunt, Iacobi Carpentarij Claromontani, professoris & medici regij, cui cum illo fuerant magnæ de cerebrosis ejus scientiarum opinionibus controversiæ; è cellâ in quâ latebat extractus, & per fenestram præcipitatus, effusis visceribus periit; quæ pueri furentes per vias sparserunt, & cadaver ipsum scuticis in hæresis opprobrium diverberantes contumeliosè raptaverunt. Extant binæ ad eum antehàc scriptæ epistolæ [n] Bezæ: altera pridie Calendas Octobris. 1569. quâ eum arguit de suis in Aristotelem animadversionibus, quas multi viri doctissimi & verbis & scriptis rejecissent. Altera Calendis Decembris 1570. quâ significavit nequaquàm posse fieri quod ipse Ramus optabat, ut in gymnasio Genevensi profiteri posset. Duo namque obstare: Unum quòd nullus tunc in scholâ esset vacuus locus, Genevensium verò tenues adeò ac penè nullæ essent facultates, ut nec augere possent professorum numerum, nec constitutis antea stipendiis, quæ perexigua essent, quicquam adjicere. Alterùm, quod ipsis certum ac constitutum esset, & in ipsis tradendis Logicis, & in ceteris explicandis disciplinis, ab Aristotelis sententiâ ne tantillum quidem deflectere. Ceterùm cùm Rami cædes ad *Dionysij Lambini* Monstroliensis, humaniorum literarum & utriusque linguæ regij professoris, multisque editis libris clari, aures pervenisset; is, ut ijdem tradunt, occultas pariter Carpentarij simultates, quamvis fide Catholicus, veritus, adeò consternatus est, ut perculsâ mente in morbum gravissimum inciderit, ex quo post mensem decessit. Denique circiter duo millia omnis conditionis ætatis & sexûs Lutetiæ eo die occisa dicuntur: quibus & nocte ac die insequenti non pauci additi fuêre, adeò ut tria millia in universum à nonnullis enumerentur: quamvis sint qui ad horrorem augendum, numerum in immensum amplificent.

[n] *Bez. ep. 34. & 36.*

DION. LAMBINI OBITUS.

CÆSORUM NUMERUS.

MIRUM DE OXYACANTHE.

Quo tempore casus accidit, quo mirum in modum plebs exhilarata est, tamquam in rei gestæ cælestem comprobationem edito: cùm scilicèt oxyacanthes, quod rubi genus vulgo albam spinam vocant, in cœmeterio, Sancti Innocentij penè arida, quæ nonnisi vere florere consuevit, tunc momento flores emittere visa est: ad quam rem miram visendam, non solùm populus omnis concurrit, sed etiam Rex ipse spectatum ivit.

XVI. NAVARRUS ET CONDEUS ABJURANT HÆRESIM.

Cum Navarro & Condeo Rex mitiùs agens uti cum sanguine & affinitate proximis, & qui non tam suâ sponte peccâssent in regno turbando, quàm Admiralij & sequacium ejus pravis consiliis & suasionibus; culpam omnem se illis libenter condonare dixit, dummodò ejeratâ hæresi ad majorum religionem, & Catholicæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam reverterentur: quippe unam velle se, quàm à majoribus acceperit, religionem in suo regno coli. Deprecantibus iis vim à conscientiâ; ac præcipuè Condeo ne præsenti quidem vitæ discrimine à suâ religione recedere ratum sibi esse affirmante: nihilominùs aliquantò pòst, operâ Hugonis Sorelli Roserij ministri Aurelianensis, qui [o] hæresi quam prædicabat desertâ Catholicam fidem amplexus fuerat, disputationibus, quibus veras Ecclesiæ notas in solâ Romanâ reperiri doctè & luculenter coram ipsis & Catharinâ Navarri sorore, ac socru & uxore Condei, probavit; omnes à Carolo Borbonio Cardinale, utriusque Principis patruo, auctoritate Apostolicâ ab hæresi, quam abjurarunt, absoluti; Ecclesiæ reconciliati sunt, & Missæ atque officiis Ecclesiasticis interfuerunt. Quinimmò & ad Pontificem literas separatim, uno tamen eodémque die tertio Octobris dederunt; quibus uterque princeps, magno suo cum dolore accidisse testabatur, quòd ab ineunte ætate falsâ doctrinâ imbutus à communione Ecclesiæ avulsus esset: quem errorem cùm jam ipsi Regis & aliorum operâ agnovissent, professionem suæ fidei apud Pontificium oratorem deposuisse, jámque ad benignitatem ejus, tanquam Christi in terris Vicarij, confugere, ac petere, ut ab eo in gremium Ecclesiæ reciperentur, & impedimentum quod matrimoniis à se nuper contractis obesse posset, utrique consanguinitatis factâ gratiâ removeret. Ad quas literas Pontifex Calendis Novembris perbénignè respondens laudatâ eorum pietate, ac fide probatâ, missis etiam ad utrumque dispensationis diplomatis, gratiam quam ad confirmanda jam contracta matrimonia petebant, fecit. Quibus de rebus literæ ultrò citróque datæ in publicum editæ fuêre; unà cum instructionibus Ioannis Durfortij Duracij; missi deinceps ad Pontificem ab Henrico Rege Navarræ ad reddendam ei obedientiam filialem pro suo regno (quæ à Pontifice accepta [p] est decimo Februarij

[o] *Vid. supr. an. 1566. XX.*

SCRIBUNT AD PONTIFICEM.

[p] *Vid. Ossat. ep. 92. ad Villareg.*

bruarij

bruarij anni proximi, sine cujusquam, ac præcipuè Regis Catholici, præjudicio. (Confirmatáque eadem fuêre diplomate ejusdem Regis ad suos Navarros & Bearnenses decimoseptimo Calendas Novembris directo, pro fide Catholicâ ab iis omnibus amplectendâ, bonísque ac juribus & prærogativis Ecclesiæ ejúsque ministris restituendis, æquè typis excuso.

XVII. Rex Carolus factum excusat.

Intereà Lutetiæ Rex Carolus, qui primò ad amoliendam à se facti invidiam, ac præcipuè apud exteros, publicis litteris significaverat, hanc Guisiorum fuisse conspirationem cum Parisiensibus, in odium Admiralij & Hugonotorum; deinde alio sumpto consilio, rem suo jussu gestam comprobaturus; simul & ex intimâ necessitate purgaturus, die Martis vigesimâ sextâ Augusti, unà cum fratribus, Rege Navarræ, & magno procerum comitatu in Curiam Parlamenti veniens, & in Iustitiæ lectisternio sedens; de injuriis gravissimis quas à Gaspare Colinio Admiralio, & consceleratis hominibus illius sectæ, à puero accepisset conquestus, se tamen eas publicæ tranquillitati conditis pacis edictis condonâsse dixit: Colinium verò, ne quid ad suum scelus reliqui faceret, etiam conjurationem de se, matre, fratribus, & Navarro ipso, quamvis eamdem religionem professo, delendis iniisse; ut Condeum adolescentem Regem crearet; quem & ipsum posteà interficere decrevisset, quò seipsum regiâ familiâ extinctâ Regem constitueret: Eam pestem, licèt invitum, tamen cùm aliter non posset, contrariâ extinxisse, & in extremis periculis extrema remedia adhibuisse, ut impuram illam contagionem ex regni visceribus extirparet. Ad quæ Christophorus Thuanus Senatus princeps, vir summæ integritatis, & apprimè Catholicus, historici pater, breviter respondens, prudentiam Regis laudavit, qui dissimulatis tot injuriis, conjurationi nefariæ & periculo ab ea impendenti maturè prævertisset. Rex verò Curiæ mandavit, ut de Colinij, consciorúmque conjuratione quæstionem incessanter haberet, & juxta juris ac legum formulam pro rei gravitate decerneret. Deinde publico præconio per omnia urbis compita edici jussit, ut à cædibus & rapinis omninò abstineretur. Ac biduò post, die vigesimâ octavâ Augusti, solemnes supplicationes celebratæ sunt, cui Rex, Reginæ, cunctíque principes Catholici ac proceres, unà cum frequentissimo populo interfuerunt, ad gratias Deo agendas pro perduellium evitatâ conjuratione. Eodémque die edictum publicè promulgatum fuit, quo Rex testatus quicquid hâc in re accidisset, suo mandato gestum esse; non tamen religionis eorum odio, aut ut suis pacificationis edictis derogaretur, quæ illæ etiamnum observari vellet, sed ut nefariæ Colinij & sociorum conjurationi obviam iret, factum esse asseruit: Itaque velle ac jubere, ut omnes ejus sectæ homines domi securè degerent; ac mandare, ut præfecti diligenter caverent, nequa illis in vitâ, bonis ac fortunis vis aut injuria fieret: additâ sanctione, ut qui secùs faceret, capitis & fortunarum amissionis pœnam sibi dictam intelligeret. Ex quo intellectum est, prohibitos fuisse sectariis

Edictum pro hæreticis.

omnes sive publicos sive privatos cœtus atque conventus; ac proinde conciones ab eorum ministris haberi solitas, quarum causâ magni motus & graves offensiones excitari consueverant.

XVIII. Cædes per provincias.

Quod tamen edictum haud tantâ velocitate in provincias deferri potuit, quin priùs executio Parisiensis ad eas pervenisset. Cujus exemplo à populis in sectariòs animatis ob mala ab iis tolerata, & odio eorum hæresis, pari cæde in eos multis locis animadversum est; putà Meldis, Aureliani, Rotomagi, Trecis, Andegavi, Biturigibus, Lugduni, Tolosæ, ubi inter ceteros periit *Ioannes Corasius* magni nominis Iurisconsultus Senatórque regius) & aliis per regnum urbibus, & pagis; non parvo numero interfectis: pluribus nihilominùs existentibus provinciarum præfectis, & magistratibus diversarum urbium qui severiùs populos cohibentes restiterint, ne ejusmodi cædes in suis præfecturis ac jurisdictionibus patrarentur. Ceteris Rupella, Sancerra, Montalbanum, Nemausus, Vivarienses & Cebennarum castella, aliáque loca à sectariis detenta, perfugium fuêre: plurimi latebris contecti sunt, quovsque advenit edictum regium de securitate: multi etiam extra regnum migrârunt in Angliam, Helvetiam, Germaniam, ac præcipuè Genevam hæresis cloacam: nec pauci fuêre, quibus vexatio dans intellectum, ad Catholicam religionis professionem perduxit; in eam rem Lutetiæ conscripta confessionis formulâ, juxta quam sectarij errorem suum ejerare tenebantur.

XIX. Senatusconsultum in Admiralium.

Quæstio autem in Colinium à Rege, ut diximus, Senatui Parisiensi injuncta, hunc tandem exitum habuit, ut Senatusconsultum pronunciatum fuerit sexto Calendas Novembris, quo ille tanquam majestatis reus, tranquillitatis publicę hostis, & initæ adversus Regem conspirationis auctor, damnatus est, bona omnia fisco addicta, memoria infamata, nomen in perpetuum abolitum: decretúmque, ut corpus, si haberi posset, sin minùs imago cratij imposita à carnifice per vias urbis raptaretur, & in ripensi foro ad patibulum suspenderetur, atque inde ad Monfalconias furcas editiore loco transferretur; insignia ad caudas equorum alligata in sempiternæ ignominæ testimonium per urbem pariter raptarentur; & ubicumque toto regno affixa comperirentur, aut ejus imagines vel statuæ, à carnifice publicè conscerperentur & confringerentur; ædes solo æquarentur, solum sale conspergeretur, & in mediâ areâ columna statueretur cum laminâ æreâ, cui hoc Senatusconsultum insciberetur: Liberi ignobiles & intestabiles, atque omnibus muneribus indigni pronunciati: ac denique statutum, ut quotannis vigesimo quarto Augusti, qui S. Bartholomæo dicatus est, publicæ supplicationes ad grates Deo agendas, & celebrandam illius diei memoriam haberentur. Eodémque die sexto Calendas Novembris, aliud Senatusconsultum pronunciatum contra Bricomotium jam septuagenarium, & Arnaldum Cavagnium Senatorem Tolosanum, quem Causæ Cancellarium vocabant, Catholico-

Supplicium quorumdam.

rum hostes infensissimos, qui capti in tumultu fuerant; & criminis majestatis convicti, damnati sunt suspendio; quo & affecti sunt, unà cum stramineâ effigie Colinij, quibus post mortem plebs etiam pudenda abscidit; meritâ præcipuè in Bricomotium vindictâ, quem ferunt solitum fuisse sacerdotes excidere, atque eorum testiculis contexto torque ad pompam uti. Et sic finem accepit tragœdia Parisiensis; cujus historiam nos breviter ex probatioribus auctoribus retulimus.

XX. Greg. Pont. gratias agit Deo de re Gall.

Ejus nuncius cùm primo Romam perlatus fuisset, Gregorius Pontifex actis publicè Deo gratiis de periculo à conjuratione Colinij evitato, & sumptâ de ipso & consciis Ecclesiæ & Regis hostibus vindictâ; Iubilæum toto Christiano orbe publicavit, tam ad ejusdem felicis successûs, quàm etiam victoriæ de Turcis reportatæ, & rei ab Albano benè in Belgio gestæ, gratiarum actionem; necnon ad concipiendas pro regno Polonico tunc vacante preces, ut is eligeretur Rex, qui Catholicæ religioni tuendæ & propagandæ seriò & ex animo studeret. Perrexítque ipsemet processionaliter cum ingenti solemnitate ad Ecclesiam Sancti Ludovici nationis Gallicanæ; in quâ sacrum magno apparatu à Carolo Cardinale Lotharingio celebratum est. Ad alios quoque Reges & Principes atque Respubl. Rex Carolus delegatos misit, qui rei gestæ seriem & necessitatem insinuarent: à quorum plurimis haud magno negotio illæ excusatæ fuêre, minimè ignorantibus quanti sit momenti Status pacatos habere, & turbas ac turbatores regnorum comprimere: etiamsi non defuerint ex Protestantibus Germaniæ, quibus res non adeò probata fuerit; & privati homines, qui contra eam libellos publicârint: (qui, si sectarij Catholicos trucidâssent, haud dubium gratulaturi fuissent:) confutati & ipsi à magni nominis viris Catholicis, contrariis scriptis: intérque illos à magnis illis Iacobo Cujacio Iurisconsultorum ejus temporis principe, & Vido Fabro Pibracio tunc fisci in Senatu Parisiensi patrono, viro ingenij dexteritate & literis excultissimo. Sed hæc jam oblivione sepulta, non putamus amplius in lucem revocanda.

Rex Carol. eam apud exteros excusat.

XXI.

Magis timendum videbatur, ne apud Poloniæ proceres impedimento facti fama esset in petitione illius regni pro Henrico Andium Duce Regis fratre. Verùm & ibi excusationem adeò habuit, ut prælatus is fuerit ceteris omnibus competitoribus, qui magno numero & magni nominis Principes illud ambiebant. Decessit enim hoc ipso anno Nonis Iulij Knissinij in Lituania *Sigismundus Augustus* Rex Poloniæ, anno ætatis quinquagesimo secundo, regni post patrem vigesimo quinto, sacramentis Ecclesiæ ritè procuratus: ultimus è Iagellonia familia, quæ ducentis ferè annis in Poloniâ regnaverat: nullísque relictis liberis ex tribus uxoribus quas successivè habuit: Princeps multis virtutibus politicis & bellicis, necnon linguarum, scientiarum, ac liberalium artium cognitione apprimè ornatus. In cujus funere luculentam habuit orationem Io. Demetrius Solicovius Archiepiscopus Leopoliensis, tunc ejusdem Regis secretarius. Ad ejus verò successionem cùm multi aspirarent, missus etiam est à Carolo Rege Ioannes Monlucius Episcopus Valentinus, qui illam fratri suo Henrico postularet: qui rationibus ac pensationibus suis, ut erat judicio in rebus politicis, (quem alioqui de religione suspectum vidimus) & sermone ac scripto ad persuadendum efficacibus præstans, id pervicit quod prosequebatur, ut videbitur anno sequenti.

Sigismundi Regis Polon. obitus.

XXII. Incipit quartum bellum Hugonoticum.

Cùm interim detrectantibus urbibus Rupellâ, Montalbano, Nemauso, Sancerrâ; aliísque vel jam anteà à sectariis detentis, vel post tumultum Parisiensem, seu, ut vocabant, Matutinas Parisienses, per varias provincias occupatis, (Catholicis nihil ejusmodi suspicantibus, sed nihilominùs cruentas dantibus suæ socordiæ pœnas) obsequium Regi præstare; quin & contra eum sese munientibus, hostiliaque exercentibus, ac per missos in Angliam delegatos, auxilia à Mongomerio Comite & Carnutum Vicedomino, qui eò confugerant, postulantibus: necesse fuit arma ad eas reducendas expedire: ac præcipuè adversus ceterarum omnium principem Rupellam, postquàm Rex omnibus artibus ac suasionibus eam ad pacis consilia perducere, tum per alios plurimos tentâsset, tum & maximè per Franciscum Lanovium, unum ex præcipuis atque studiosioribus ipsorum religionis sectatoribus: qui tempore tumultûs Parisiensis in propugnatione Montium Belgij existens, post urbis deditionem ad Regem se receperat. Missus autem Rupellam reductionis administer, cùm cives ab eâ alienos reperisset; ne frustrà negotiationem suscepisse videretur, egregius scilicèt pacificationis internuncius, urbis propugnationem contra vires regias suscepit, quarum dux constitutus fuit Armandus Gontaldus Bironius summus rei tormentariæ præfectus, quem Rex præfectum Rupellæ destinaverat, cœpítque urbs obsideri medio Decembri: de cujus continuatione dicetur anno sequenti: sicuti de obsidione eodem tempore facta Sancerræ per Claudium Castreum Biturigum provinciæ præfectum; cùm & illa suasionibus regiis auscultare detrectâsset, quæ fuerunt præcipua facinora Quarti belli de religione in Galliâ gesti.

XXIII. Conventus Bernensis et Nemausensis hæreticorum. q *An. sup. XXXIII.*

Quo item anno habitam ponit Alanus in Responsione ad persecutores Anglos, Synodum Bernæ in Helvetiis inter ipsos Sacramentarios; in quâ etsi invicem in doctrinâ de Cœna dissiderent, sicuti & aliâ Synodo, hoc item anno ante tumultum Parisiensem Nemausi celebratâ, comprobatum vidimus, cùm de illâ anno q superiori occasione Rupellanæ, cujus ea appendix fuit, egimus) in oppugnandâ tamen fide Catholicâ, & in opprimendâ legitimâ Principum ac Magistratuum potestate, egregiè consenserunt. Cùm enim obtulissent sectarij Galli Regi Carolo generalem suam Confessionem; & articulo 39. regiam ejus potestatem his cancellis circumscripsissent, ut affirmarent parendum esse legibus & statutis, solvenda tributa, & reliqua onera perferenda, subiectionis denique jugum voluntariè tolerandum, etiamsi fuerint

rint infideles Magistratus, *dummodo Dei summum imperium integrum & illibatum maneat*: Hanc ultimam clausulam, cui varij varias affingebant expositiones, in hac Synodo Bernensi ita accipi debere, apertè & rotundè demonstrârunt; ut tum demùm Dei imperium manere dicatur illibatum, si ipsorum Calvinistarum doctrina floreat; & Rex, exterminatâ religione Catholicâ, atque aliis quibuscumque hæresibus, Calvinianam & ipse, si velit salvari, amplectatur, & solam in regno suo toleret: aliàs & regni statum immutare, & naturalem Regem expellere, & civitates contra eum armare, & Regem quemvis externum in ejus locum subrogare, fas jusque eis esse, quam & fuisse vidimus doctrinam pestilentissimi Buchanani Genevâ advectam; & Admiralium cum suis in nuperâ conjuratione exequi voluisse, Rex publicè questus est. Denique qui alios viderit articulos eâdem pseudosynodo tractatos, patentissimè perspiciet, nihil aliud bellam hanc sectariorum Causam doctrinâ suâ moliri, quàm quod operibus ostendebant, nimirùm monarchiam ad meram democratiam reducere. Sed firmiori fundamento innixa est Monarchia, quàm ut à talibus demolitoribus convelli possit.

XXIV. RUDOLPHUS REX HUNGARIÆ.

Eodem anno *Rudolphus* filius primogenitus Maximiliani Cæsaris, Successor ejus in regno Hungariæ electus est Posonij; & vigesimo quinto Septembris] coronatus ingenti pompâ, præsente utroque parente, ac fratribus. Quam solemnitatem qui descripsit chronographus [r] Pannonius, historiam quoque narrat de quodam *Gregorio Carachondio* superioris Pannoniæ, cognomen *Nigri* ex re assecuti: qui cùm ad oppidum Debrecenium, quò cuncta tam utilia quàm fœda confluere solebant, paucis servilis conditionis hominibus, ac pauperibus agricolis comitatus venisset, per aliquod tempus miram vitæ sanctitatem, morúmque continentiam præsetulit: & quamquam esset damnatis variarum sectarum opinionibus depravatus, tamen se à Deo instar Moysis ac Gedeonis, ad liberandos è dirâ Turcorum servitute Hungaros, cælitùs demissum prædicabat: Haud quidem malè honores, divitias, voluptates, ceteráque quæ vulgus magnî facit; ærumnas & miserias appellans: atque animi fortitudinem ante omnia extollens, spem in Deo collocandam cunctis suadebat; aleam, cædes, furta, convicia, & cetera id genus mala seriò prohibens: Verùm in eo delirans, quòd sibi bonos genios à Deo missos, quotidie quæ gereret quævе caveret suggerere, victoriámque adversus Turcos cum exiguâ militum manu certam polliceri assereret: séque brevì re ipsâ id demonstraturum, Turcica præsidia solo terrore; nec admotis armis evertendo. Quibus pollicitis & sanctitatis famâ, adeo invaluit, ut ad quinque millia armatorum spontè ad ipsum confluentium collegerit; quos nec vallo, nec excubiis, aut aliis militaribus munimentis uti permittebat, quòd ipsos divinâ ope ab omnibus hostium insidiis tutos fore prædicaret. Erat autem ipse adeò robustus & lacertosus, ut soleam equi ferream in diversum distraheret, vomeremque novum & satis crassum sagittâ perforaret: quæ simplex & stolida plebs non ejus viribus, sed divinis fieri putabat. Cùm missi è suis nonnulli, Turcos aliquot in iis quibus prædixerat locis vagos palantésque reperissent ac concidissent; inde majus nomen consecutus, alios sexcentos electos misit ad quoddam Turcorum castrum, cum promissione fore ut ejus mœnia vel ultrò prosternerentur, vel delapso cælitùs igne cum omnibus Turcis conflagrarent: neutróque succedente, cùm econtrà ipsi à Turcis penè deleti fuissent, id accidisse ait ex eo quòd fuissent inter eos multi increduli ac dubiæ fidei, qui perversis animis prædæque spe, non asserendæ religionis causâ exîssent. Ex hoc nihilominùs tristi eventu ejus existimatione valdè imminutâ; cùm multi ab eo abirent, ipséque Debrecenium ad comeatum inde in castra perducendum, cum suâ peculiari cohorte tricenariâ (cujus milites divinas animas vocare solebat) concessisset; ortáque inter ipsum & prætorem urbis rixâ, juberet suis ipsum laqueo suspendere; dum in eo essent, insurgente in ipsummet populo, prætore periculo erepto, Niger captus, tortoríque traditus, in medio foro capitis supplicio pœnas luit suarum fallaciarum, simul & hæresum quas impius sectabatur.

[r] Isthuanff. lib. 24. & 25.

IMPOSTORIS CUJUSDAM HUNGARI HISTORIA.

IMPOSTOR PLECTITUR.

XXV.

A quo haud adeò alienum, quod alibi [s] legimus contigisse in agro Parmensi in Italiâ, de *Agarenis*, ut vocant, hoc est scelesto illo hominum genere, qui viventes è fraudibus, insidiis, latrociniis, nullam neque artem, neque terræ cultum exercentes, huc illuc cum totis spuriis atque adulterinis familiis vagari permittuntur, haud parvâ culpâ Principum & Magistratuum; de quibus jam aliàs dictum. Qui tamen hoc anno in dicto agro Parmensi detecti habere cavernas subterraneas, in quibus rapinas à colonis extortas occultabant; à Duce Parmensi immissis militibus omnes trucidati sunt; qui jam ad trecentos coaluerant, finitima hostiliter prædantes. Quo audito à Mediolanensibus, & ipsi eos qui apud se erant totâ regione expulerunt.

[s] Ap. Sur. in commentar. Nat. lib. 23.

AGARENORUM PUNITIO.

XXVI. S. MAURITIJ MILITIÆ INSTITUTIO.

Nobilior fuit, atque omni modo utilior erectio atque institutio à Gregorio Papâ XIII. hoc eodem anno facta [t] Ordinis ac *Militiæ S. Mauritij* martyris in Sabaudiâ, petitione Emmanuelis-Philiberti Ducis, ad propulsandos quosvis hæreticorum & infidelium impetus: ejusque Magnum Magistrum, eumdem Philibertum, ac successores ejus Sabaudiæ Duces in perpetuum esse jussit: Regulâ Cisterciensi eis præscriptâ, & professione continentiæ in statu conjugali, atque obedientiæ: additáque formulâ Fidei, quam Milites præstare in Ordinis ingressu deberent; eâdem scilicèt quam ex præscripto Sancti Concilij Tridentini Pius IV. condidit [u] pro iis qui ad beneficia Ecclesiastica, aut professiones lectionum in gymnasiis, admitti petunt. Hunc enim Ordinem tunc recèns à Gregorio erectum & institutum fuisse, disertè dicitur in ejus constitutione. Unde dicendum omninò videtur, vel institutionem illam, quam superiùs [x] factam diximus ab Amedeo primo Duce Sabaudiæ, penitùs obliteratam fuisse, ut nulla ejus ampliùs memoria extaret: vel potiùs, eam privatam fuisse quorumdam procerum ab Amedeo tunc admissorum, & pòst admit-

[t] Bull. to. 2. Greg. XIII. const. 6. & 7.

[u] Ib. Pij IV. const. 88. & 89.

[x] Supr. an. 1434. XIV.

tendorum, pro Sabaudia tantùm; non universalem ad omnes cujuscumque nationis per totum Christianum orbem nobiles, vel alios optimâ virtute cognitos, arbitrio eorumdem Magistrorum, sicuti fuit hæc Gregoriana. Univit autem paulò pòst idem Gregorius hanc Militiam cum Lazarinâ, de quâ itē superiùs [y]: statuítque ut imposterùm *Militia SS. Mauritij & Lazari* nuncuparetur; cujus iidem Duces Magistri essent: cum eo tamen onere, ut dicti Magistri duas triremes ejusmodi Militibus instructas, pro Sedis Apostolicæ defensione, contra infideles, hæreticos, piratas, & quoscumque alios ejus hostes continuè tenere deberent, relictâ eidem Philiberto libertate eligendi talem habitum pro iisdem Militibus quem vellet: qui statuit, ut Milites Crucem viridem, quæ tessera erat Lazarinorum, limbo candido conclûsam, in cujus medio altera S. Mauritij alba florigera supposita esset; in vestibus gererent.

[y] Supr. an. 1565. XVI. XVII.

XXVII. Hoc anno ad quartum Nonas Maij, Metrophanes [z] Patriarcha Constantinopolitanus Græcus spontè dignitate se abdicâsse dicitur [a]: & in ejus locum suffectus esse *Ieremias* ex civitate Anchialo ponto Euxino vicinâ, Archiepiscopus Larissenus, ætate juvenis, quippe qui vix tunc annum trigesimum sextum exegisset; sed vir admodùm apud suos laudatus de pietate & virtutum cultu, ac studio sacrarum literarum. A Selimo Turcorum Imperatore de more, soluto pescesio, confirmatus, ante omnia Synodo habitâ penitùs proscripsit infaustum illud simoniacum Embaticium; de cujus introductione dictum superiùs [b]: templum patriarchale restauravit, ac perpulchris sacris Imaginibus, aliísque egregiis ornamentis decoravit: thronum Patriarchalem magnificum erexit; vestes pretiosas Ecclesiæ contulit; palatiúmque ampliavit, ac nova ædificia construxit. Ita enim impensius ejus laudator Emmanuel Malaxus [c] in Patriarcharum Constantinopolitanorum historiâ; quæ ibi in hoc Ieremiâ desinit. Cùm nihilominùs in Additionibus ad eam appositis, ex literis Constantinopoli scriptis legatur, prædictum Metrophanem, nec non ejus decessorem Ioasaphum, à Michaële Cantacuzeno Græcorum potentissimo, familiâ Imperatoriâ oriundo, invitos [d] depositos fuisse: Et sicut Græci schismatici suum Patriarcham Constantinopoli habebant, ita Catholicos Latinos Galatæ, sive Peræ, è regione Constantinopoleos, generalem Antistitem totius Orientis habuisse, qui æquè titulum Patriarchæ assumebat. In Occidente verò adhuc tenebat ejusmodi titulum *Ribeba* sive patruus sive nepos, de quibus suprà [e]. Quo tempore ceteras Orientis Patriarchales Ecclesias rexisse reperimus, *Silvestrum* Alexandrinam, *Ioachimum* [f] Antiochenam, *Germanum* Ierosolymitanam. Quomodò verò idem Metrophanes Patriarchatum recuperaverit, Ieremiâ pulso, dicetur suo loco [g].

[z] Vid. Sup. an. 1565. XXIV. [a] Turcogr. lib. 2.

IEREMIAS PATRIARCHA CONSTANTINOP.

[b] d. an. 1565.

[c] Turcogr. lib. 2.

[d] Vid. inf. an. 1579. in fi.

[e] Sup. d. an. 1565. [f] Hunc Genebr. vocat Ignatium: [g] d. an. 1579. XXVIII.

Memorant omnes historici, & alij plerique hujus temporis scriptores, ac præcipuè astrologi & mathematici, mense Novembri novam Stellam sub Cassiopeæ asterismo conspectam fuisse: de cujus formâ multa scripserunt. & ad diversa pro arbitrio & captu atque affectu, applicârunt, quæ cùm immota diutiùs anno constitisset, æquans vel etiam superans Iovem fulgore & magnitudine; post octavum mensem paulatim extenuari visa est, donec initio anni millesimi quigentesimi septuagesimi quarti penitùs evanuit. In cœlesti verò, non elementari regione, extitisse affirmant: éique post Christum natum vix alid phænomenon comparandum illuxisse, sive sublimitas signi, sive raritas & diuturnitas spectetur.

IESU CHRISTI Annus 1573.

GREGORII XIII. Ann. 2.

MAXIMILIANI II. Ann. 9.

ANNO Christi millesimo quingentesimo setupagesimo tertio, Indictione primâ, Senatus Venetus pressam suam Rempublicam magnâ periculorum mole cernens, ingentes hostium vires ambigua sociorum auxilia, exhaustum ærarium, centies vicies centenis aureorum millibus jam assumptis, vires accisas ad pacem cum Turco ineundam animúm flectere cœpit: misítque tacitè, clamque sociis Constantinopolim, qui eam operâ Mahometis ipsorum amici tractarent; demùm interventu Francisci Noallij Episcopi Aquensis regij apud Selimum oratoris, ea conclusa est, non tam honestis quàm necessariis conditionibus: videlicet ut Cyprum armis occupatam, Antibarim & Ulcinium in Epiro; Soppotúmque à Venetis redditum, Turci retinerent, reliqua Epiri atque Illyrici oppida, cum agris ac finibus quos ante bellum obtinebant, in eorum qui tunc possidebant potestate permanerent: negotiatoribus bona quæ bello adempta fuerant utrimque redderentur: ac per triennium centum aureorum millia singulis annis ad Selimum transmitterentur. Re publicatâ, varióque affectu perculsis hominum mentibus, his rem excusantibus, illis damnantibus; Gregorius Pontifex ubi rem audivit, repulso cum indignatione Paulo Theupolo, quem Senatus ad eam significandam & excusandam legaverat, eo præcipuè quòd ea se inconsulto pacta fuisset; per missum subinde Nicolaum Pontium Senatorem gravissimum & octogenarium, rerum experientiâ insignem, & eloquentiâ admirabilem, placatus, factum probavit, quod forte faciendum improbâsset. Philippus Rex Hispaniæ ne minimùm quidem commotus, Ioannem Superantium ad se pariter missum benignè excipiens, quicquid à Senatu decretum fuisset, id à summâ ejus prudentiâ profectum arbitrari significavit, gravissimísque rationibus impulsum eò devenisse censere; atque in omni fortunâ perpetuam benevolentiam obtulit. I. VENETI PACEM QUÆRUNT A TURCO.

Sic igitur fœdere soluto, apparatus bellici à Philippo in eam rem facti, ne perirent, in Africam conversi fuêre, ad Tunetanum regnum, olim Caroli V. Imp. virtute partum; & munitione ad portûs fauces firmatum; sed quod occasione dissensionum inter Reges Mauros ortarum, ab Uluzzali & Turcis occu- II. TUNETANA EXPEDITIO IOANNIS AUSTRIJ.

patum

patum fuerat, sui juris omninò faciendum. Quod & feliciter præstitum est mense Octobri operâ Ioannis Austrij: qui eò ducens exercitum, Tunetum urbem, haud procul à vetere Carthagine, cujus adhuc ruinæ & aquæductus pristinam majestatem spirantes passim visuntur, situm, deserentibus eam Turcorum præfectis, & maximâ incolarum parte, absque ullo certamine occupavit: novámque arcem inter Guletam & urbem extrui jussit adversus Turcorum impetus; cujus curam Gabrieli Serbellono Mediolanensi, Regis Philippi Vicario in Africâ constituto, demandavit; regnóque sub fide Philippi regendo præfecit Machmetem, quem Muleassem juniorem nonnulli appellant, Muleassis senioris, quem plures Assanem dicunt (erit Muleasses, quasi Mule-Assan: quippe Mulei nomen est dignitatis, Regem vel dominum significans, Assan proprium hominis:) qui unius & viginti fratrum immaniter jugulatorum aut excæcatorum scelere regnum adeptus fuerat, filium: rejecto Amidâ, ejus fratre, jam propè octogenario, qui patrem suum Assanem regno spoliaverat, & oculis orbaverat, ideóque Tunetanis admodùm invisus erat: atque unà cum duobus liberis Neapolim transvecto, & in custodiam tradito. Capto Tuneto, Biserta quoque urbs finitima in potestatem Austrij eâdem facilitate venit, occisis à civibus Turcis qui in præsidio erant. Quibus felicissimè ac velocissimè gestis, rebúsque in Africâ constitutis, appetente jam hieme Austrius Neapolim rediit. Hanc autem ejus expeditionem uberiùs descripsit Vbertus Folieta Genuensis: tractántque eadem plurimi alij.

III. Harlemica obsidio, et expugnatio.

Inter cetera hujus anni bellica gesta, illustres admodùm fuère obsidiones Harlemi urbis Batavicæ à Friderico Toletano Albani filio; & Rupellæ, ac Sancerræ in Galliâ, à ducibus regiis; quas describunt earum gentium historici. Summa Harlemicæ est; ut initio Decembris anni superioris spe promptissimæ deditionis suscepta, virtute obsessorum in octavum usque mensem, nempè Iulium præsentis anni extracta fuerit: decies mille ducenti quinquaginta sex tormentorum ictus displosi: duæ ingentes oppugnationes magnâ vi factæ, majore depulsæ: quatuor alia maxima veluti prelia commissa, navale videlicèt unum, in quo centum navium Geusiorum classis suppetias veniens, à sexaginta Hispanicis magnâ clade affecta, & multis navibus amissis victa est: duo terrestria, auxiliarium pariter ab Hispanis deletorum; & quartum, quo Germani exercitûs Hispanici, ab obsessis cum signorum aliquot & tormentorum jacturâ superati sunt. Multi prætereà Hispani bello clari duces & alij in eâ occisi, & ex eorum exercitu ad quatuor millia bellatorum desiderati sunt. Ex obsessis, cùm initiò quater mille bellatores essent, postremò morbis, ictibus, ac durissimâ fame ad mille quingentos redacti sunt, ex quibus, & plebe, (factâ deditione, cùm ad summas angustias redacti essent, arbitrio victoris.) ad duo circiter millia gladio, laqueo, aut demersione extincti sunt: quorum plerique ex aliis urbibus ab Hispanis captis eâ conditione dimissi ut contra Regem non militarent, fidem fefellerant: alij præter fœdam rebellionem, fœdiorem etiam totâ obsidione exercuerant in sacras Reliquias & Imagines grassationem, & aliarum rerum Ecclesiasticarum publicam, etiámque ad ipsa mœnia ante oculos Catholicorum irrisionem, & aliquorum venerandorum Ecclesiasticorum utriusque sexûs turpem suspensionem. Illúdque insuper eâ obsidione ex antiquitate repetitum, ut columbæ nunciorum vicem præstiterint: cùm scilicèt obsessi columbas cicures caveis includentes, ad eas urbes transmittendas curârunt, unde cum literis subter alias affixis emissæ Harlemum revolarent, quod olim in Mutinæ, quam Dec. Brutus tenebat, obsidione factitatum meminerant. Denique & illud admodùm insolitum in deditionis conditionibus contigit, ut cives sese Albani arbitrio commiserint; ac nihilominùs urbis direptionem 240. florenorum millibus redemptam pepigerint: divitias scilicèt suas personarum suarum conservationi præferentes. Aliæ quoque urbes & arces, dum Harlemum obsideretur, ac post ejus deditionem, eâdem aliísque provinciis aut captæ, aut tentatæ sunt, pugnæque terrâ maríque factæ vario utrimque exitu: Donec Dux Albanus Belgij prorex à provinciâ discessit. Columbæ nunciæ.

IV. Albanus revocatur in Hispan.

Qui cùm rebus adhuc prosperis, non solùm in Belgio inter regiis partibus addictos, sed etiam in Hispaniâ malè audiret, quasi illarum provinciarum populos insolitis exactionibus nimiâ severitate exacerbatos, ex desperatione ad defectionem adegisset; proptereaque ignominiosæ missioni præv-rtendum ratus, successorem sib. dari petiisset; ac Rex Philippus misisset (ut vidimus) Ioannem Cerdam Medinæcæli Ducem, qui rebus turbatis inventis administrationem accipere noluit: Utérque exeunte anno revocatus fuit: & Ludovicus Zuniga Requesenes Magnus Castiliæ Ordinis S. Iacobi Commendator, Dux de Gesâ, vir summâ dignitate, qui bello Granatensi ante triennium, & nuper sociali in Turcos, Ioannis Austrij supremi utroque bello Imperatoris legatus fuerat, successor designatus, qui decimo quinto Calendas Decembris Bruxellas appellens, exeunte eodem mense traditos ab Albano exercitus accepit: & Albanus unà cum Friderico filio, obsidione Harlemicâ, & multis aliis præclaris gestis insigni, in Hispaniam perrexit; ubi longè disparem meritis suis gratiam apud Regem invenit. Potuit tamen cum Belgis mitiùs agere, tum maximè cùm non de religione (in quâ scimus omnem dissimulationem exitialem esse) agebatur. Datur enim famæ, decem & octo Belgarum millia carnificis manu ejus jussu sablata fuisse, in quibus plerique viri principes; præter exules, spoliatos, ac bello cæsos. Cerda quoque aliâ viâ domum se recepit. Quid verò Requesenes in Belgio præstiterit, dicetur anno sequenti.

V. Sancerrana obsidio.

In Galliâ res sectariorum ubique vario eventu nutabant; & quamvis non pauca loca occuparent, nihilominùs omnes eorum spes in Sancerræ Biturigum, & Rupellæ Santonum urbium munitissimarum, quæ uno eodémque tempore obsidebantur, fortunis vertebantur. Et Sancerrana quidem principio hujus anni à Claudio Castreo provinciæ

præsid-

præside cœpta, adeò obstinatè à præsidiariis & incolis tolerata est; ut cùm post acres murorum ac munitionum vi tormentorum verberationes, & frustrà tentatas oppugnationes, decrevisset Castreus obsessos fame ad deditionem compellere: ij talem sustinuerint, qualem vix Samaritana in sacris libris memorata, aut Ierosolymitana à Iosepho descripta, aut denique Numantina historiis Romanis celebrata, æquare possint; siquidem vera sint quæ de iis scripta fuêre, cùm scilicèt omni grano & carnibus quibuscumque, mulorum, equorum, canum, felium, murium, deficientibus, ad insolentiores cibos ventum est; videlicèt ad coria bubula, pelles quorumcumque animalium, ad capistra, ephippia, & alia equorum strata, cingula, ligulas, & quicquid coriaceum fuit; ad membranas & chartas pragmaticas, tympanorum & cribrorum pelles; ad ossa quorumcumque animalium, etiámque fimetis effossa, fimum equorum, ceterorúmque animalium, paleas minutatim concisas; denique ad cærulei lapidis, quem vulgò ardosiam vocant, tegulares laminas comminutas & tusas: & nequid ad extremæ necessitatis exemplum deesset, puella triennis ex fame mortua & jam elata, refossa ipsis parentibus cibo fuit, qui tamen re compertâ magistratûs sententiâ ad ignem damnati sunt. Quousque tandem, nullo, quod alicunde expectabant, accedente auxilio; octavo obsidionis mense, factâ jam apud Rupellam concordiâ, à quâ Sancerrani exclusi fuêre, plerisque fame enectis; qui reliqui fuerunt, à Castreo, ne ex desperatione ad facinus aliquod detestabilius delaberentur; in gratiosam deditionem accepti sunt, & in integrum sub mulctâ quâdam pecuniariâ restituti.

VI. Rupellana obsidio.

Potior erat Rupellæ causa, quòd eâ urbe in Regis potestatem redactâ debellatum omninò existimaretur. In quâ, post levia aliqua certamina interim inita, dum Henricus Dux Andium Regis frater adveniret; eo demùm ad medium Februarij appulso, unà cum juniore fratre Duce Alenconio, Rege Navarræ, Principe Condeo, Guisiis fratribus, aliísque pluribus principibus ac proceribus; renovatæ sunt sæpiùs suasiones resipiscentiæ civium, & colloquia de concordiâ: omnia tamen frustrà, ob Ministrorum hæresis, quorum ingens aderat numerus, post tumultum Parisiensem eò undique confluentium, repugnantiam; qui quòd sibi metuerent, & sit alioqui genus id hominum ad seditiones promptissimum, pacem quacumque conditione dissuadebant, & in pacis suasores continuè detonabant. Quando & Lanovius, quem ad eam persuadendam à Rege eò missum vidimus, cùm nihilominùs variis eruptionibus ipsummet exercitum regium, novâ ac mirâ ratione & propugnatoris ac pacificatoris personam agens, afflixisset; privati tandem atroci injuriâ ab uno turbatorum illorum ministrorum affectus, quâ ob æquas pacis conditiones ab Andino oblatas civibus suasas, perfidus proditor & transfuga ab eo audiit, & colaphum ore accepit; consilium urbem deserendi subiit, atque ad Andinum transiit. Deinceps igitur summâ vi res utrimque acta est, frequentibus ac vehementissimis oppugnationibus, eruptiobibus, cuniculis, tormentorum displosionibus, ignibus, omni conatuum genere, plurimorum cæde; ac præcipuè regiorum; in quibus & Claudius Lotharingius Dux Aumaliæ, & inter vulneratos ejusdem familię fratres Guisius & Mayenius, atque Dux Nivernensis. 12. Calend. Maias classis auxiliaris quinquaginta trium navium ex Angliâ Duce Mongomerio in regiæ conspectum se dedit: sed cum licèt navium numero major, eam optimè instructam animadvertisset, post aliquam tormentorum explosionem, nullo alio operæpretio, ad Bellam-insulam in Armoricâ se subduxit. De quâ expostulanti apud Elisabetham Angliæ Reginam per oratorem suum Regi Carolo responsum est, Anglos qui illâ portabantur (constabat Anglis, Belgis, & Gallis) prædones esse & exules; de quibus sicubi comprehendi possent, & ipsa supplicium sumi expeteret, quippe injussu suo profectis, & falsa insignia ferentibus. Adversùs quam navigante regiâ, Mongomerius illam in Angliam reduxit.

VII. Periculum Ducis Andium.

Interim opportunissimè Rupellanis, qui ferè ad extrema, absque ullâ probabili spe auxilij, redacti erant, contigit; ut perlatus fuerit ad finem Maij nuncius de Andium Duce in Regem Poloniæ electo. Unde occasione potiùs honestâ ab obsidione discedendi, quàm urbis per vim occupandæ quęsitâ, etiam si non continuo desierint oppugnationes, & eruptiones; repetita sunt tamen pacificationis consilia eadémque nihilominùs penè eversa, quòd quâ erant obsessi fide, dum res tractaretur, & Rex Poloniæ unà cum Alenconio fratre & Navarro singula loca explorando intra munitiones deambularet, ab oppositâ turriculâ duabus minoribus machinis in eos displosis, Rex exiguis quibus altera oppleta erat globulis, in cervice, lævâ manu, ac femore leviter perstrictus fuerit: & nisi Ioannes Garda Vinsius eidem Regi valdè charus, ad flammæ quæ ictum præcedere solet, conspectum se illicò medium opposuisset, majus vitæ periculum incurrisset: quod Vinsius suscepit alterâ machinâ penè lethaliter in præcordiis ictus, ut vix medicorum studio curatus convaluerit. Nec tamen quâ erat Rex benignitate, cessante propterea colloquio, demùm ineunte Iulio conditiones pactæ fuêre annuente Rege Carolo;

Pax sancitur.

ut Catholica religio ibi restitueretur; Rupellanis, Montalbanensibus, Nemausensibus, libera doctrinæ suæ professio permitteretur; nemo toto regno de conscientiâ inquireretur; nobilibus qui summam jurisdictionem haberent, conciones domi & sacramenta celebrare liceret. Sancerrani, qui nondum reducti erant, eâ gratiâ non comprehensi, nisi generali clausulâ de liberâ cujusvis conscientiâ: quibuscum nihilominùs mitiùs; ut diximus, actum est. Húncque exitum habuit bellum hoc civile: duarum illarum urbium oppugnatione peractum; necnon & tertiæ, sed minoris momenti; videlicèt Sommeriæ in Ocitaniâ, per Henricum Mommorantium Damvillam Marescallum eodem tempore confactâ.

VIII.

Quod electionem Regis Poloniæ attinet; jam anno superiori diximus, mortuo Sigismundo-Augusto ultimo Rege, missum in Poloniam

Competitores regni Polonici.

loniam fuisse à Rege Carolo Ioannem Monlucium Episcopum Valentinum ad regnum in favorem Henrici fratris sui Andium Ducis ambiendum. Cùm igitur plures alij essent ambitores; atque imprimis Maximilianus Cæsar pro Ernesto filio; Ioannes Rex Sueciæ pro filio Sigismundo nato ex sorore Sigismundi-Augusti; Ioannes Basilides Moscorum Princeps; Albertus Fridericus Dux Prussiæ sive Borussiæ; Piastus quidam (quæ vox nobilem conterraneum eorum linguâ significare dicitur) Polonus ex illustri gente Firleâ: singuli pro seipsis: celebratis Warsaviæ, loco majorum, comitiis regni de more in campis patētibus, (quibus & interfuit Pontificis nomine Cardinalis Commendonus, orationémque habuit pro Rege eligendo qui verè Catholicus esset: cúmque orta fuisset controversia de prærogativâ loquendi inter Gallum & Hispanum; admisso Gallo, ut post oratorem Cæsareum oraret, Hispanus abiit absque legationis suæ expositione:) ceteris omnibus, variis de causis postpositis; putà Ernesto, quòd usu & experientiâ nondum Reip. administrandæ idoneâ esset; Sigismundo ob minorem ætatem, qui vix tunc octennis erat; Mosco, propter inveteratum gentis odium, & religionis diversitatem, cùm esset ipse ritûs Græcanici, & maximè propter inauditam omnibus sæculis immanitatem; & quòd insuper tantâ fuit arrogantiâ, ut oratorem mittere dignatus non fuerit, sed tantùm literas scribere: Friderico, qui fiduciarius erat regni, & Piasto, qui indigena, ob æmulationes, & religionis ad regni factiones accedens dissidium, quippe erat uterque Calvinista: Electus est demum (nec quidem tantis difficultatibus, si Polonos [a] qui aderant audiamus, quantas Monlucius superandas à se significavit relatione de suâ legatione edita, quamvis non sit dubitandum, magnas extitisse in tantorum prensatione competitorum: adeò ut intervenire etiam necesse fuerit, ut plerique volunt, licèt planè neget Monlucius, Turci intercessionem; cujus in hâc electione rationem sibi habendam, ob fœdus à multo tempore cum ipso servatum, Poloni existimarint:) *Henricus* Dux Andium frater Caroli Regis, 7. Idus Maij in vigiliâ Pentecostes: adactis jurejurando oratoribus regiis, Monlucio, & qui pòst advenerant, Ægidio Noallio Abbate Insulæ, Francisci Aquensis Episcopi fratre, Vido Sangelasio Lansaci legatione Tridentina aliísque præclarè obitis clari filio, in duras satis conditiones, de ære alieno regni Poloniæ dissolvendo; bello Moscis indicto propriis sumptibus gerendo; omnibus proventibus quos in Gallia habebat erogandis in utilitatem Poloniæ, classe instruenda ad impedienda commercia Moscorum cum Germanis; alendis centum nobilibus Polonis in aula Regis Galliæ, aut in publicis gymnasiis; educendis viris doctis ad instaurationem Academiæ Cracoviensis: præter cetera, ad libertatum, immunitatum, legum, & jurium regni, magníque Ducatûs Lituanensis, conservationem spectantia.

[a] *Stanisl. Krakov. ep. ad Crom. & Panegyr. ad Henr.*

Eligitur Henricus Dux Andium.

IX. Secundum hæc confectum electionis decretum, missum est in Galliam ad Henricum illustrissima legatione Episcopi Posnaniensis, Palatini Siradiensis, quatuor Castellanorum, (quorum est insignis dignitas in Poloniâ) Marescalli Lituaniæ, aliquot Ducum, Comitum, & præfectorum, qui petitâ facultate per Germaniam transeundi, nec tamen impetrata, viæ se dantes, Lutetiam 14. Cal. Septemb. feliciter pervenerunt; splendidè à Regibus Carolo & Henrico suscepti. A quibus jurejurando confirmatis, quæ per legatos permissa in Poloniâ fuerant, Poloni decretum electionis summâ pompâ, atque insigni legatorum splendore Henrico coram Rege Carolo obtulerunt; eumdémque ut suum Regem honorificè salutaverunt, qui deinde fratris jussu urbem armatus ingenti magnificentiâ habitu Polonico ingressus est: multíque ludi jocique facti fuêre. Cum Poloni Protestantes, à sectariis Gallis sollicitati, multa in eorum gratiam flagitarent, quæ Monlucius & Lansacus, aliáque ad augmentum hæresis in Poloniâ pertinentia, nimis facilè post primum juramentum promiserant; reluctante penitus Abbate Insulæ, & reclamante Archiepiscopo Gnesnensi Iacobo Uchanski regni primate: unde non parum sinistrè Monlucius in aulâ audivit: quamquam id ipse excusare conatus sit ex fraude secretarij Poloni, qui quæ prius conventa fuerant, suo arbitrio mutâsset:) Reges Carolus & Henricus, re cum Episcopo Posnaniensi ac reliquis Catholicis legatis communicata; quæ Gallos spectabant, tanquam nihil ad Polonorum negotia pertinentia, ambiguis responsis eluserunt: quę verò Polonos tāgebant, in adventum Regis in regnum remiserunt. Quo etiam tempore Seraphinus Olivarius Razalius Rotæ Romanæ Auditor Lugdunensis Gallus, (posteà etiam Cardinalis à Clemente VIII. factus) à Gregorio Pontif. ad novum Regem salutandum missus. Lutetiam appulit; cum munere Rosæ aureæ à Pontif. benedictæ; (qui honor nonnisi Principibus de fide Catholicâ & Sede Apostolicâ benè meritis conferri consuevit) ac literis gratulatoriis magni Stanislai Hosij Cardinalis Varmiensis Poloni, qui Romæ erat.

Legatio Polonorum in Gall.

X. Post cuncta Lutetiæ à Polonis ad quæ venerant gesta, visum illis Ioannem Zborovium Odolanoviensem Præfectum, unum ex ipsis, in Poloniam quāprimum remittere, qui Senatum certiorem faceret de actis legationis, & tempore adventûs Regis in regnum. Missus etiam a Rege Carolo Nicolaus Angeneus Rambulietus, jam multis legationibus magnâ cum prudentiæ laude defunctus, qui ejus nomine gratias ageret; quòd commendatione suâ factum esset ut fratris sui electioni consensissent. Ac Paulus Foxius in Italiam pariter legatus, qui Summo Pontifici, Reipublicæ Venetæ, atque Italiæ Principibus qui gratulatum nouo Regi principatum oratores miserāt, Regis fratris vicissim nomine gratias ageret; & inde in Germaniam eodem officio defuncturus pertransiret; ac postremò ipsum Poloniæ Regem in suo regno adiret. Qui demùm, rebus omnibus ad iter comparatis, unà cum Polonis, quos Rex donis ac muneribus pretiosis cumulavit, 4. Cal. Octobris Lutetiâ discessit (ægro tamen animo, ob mutandam barbarie dulcissimam patriam, sed Rege fratre urgente) comitante ipso Rege, ac matre Alenconio fratre, & aliis. Cúmque Rex eum ad

Legationes gratulatoriæ.

Rex Poloniæ proficiscitur in regnum.

ad regni usque fines prosequi statuisset, morbo affligari incipiens, Vitriaci Catalaunorum substitit, & Lutetiam rediit: mater ac ceteri Nancium & Blamontium Lotharingiæ in finibus Germaniæ cum eo processerunt; atque inde ad sua recesserunt: Henricus cum suis, & magno procerum nobiliúmque Gallorum comitatu, atque Vincentio Laureo Episcopo Montis regalis Nuncio apud eum Apostolico, viro doctissimo, & multis aliis legationibus pro Summis Pontificibus præclarè obitis illustri, ac tandem Cardinale à Gregorio creato, iter per Germaniam, honorificè à Principibus per quos transeundum erat acceptus, prosequens; tandem in Poloniam pervenit ad finem Ianuarij anni proximi, quo de ejus ibi receptione, & rebus gestis dicetur.

XI. INSOLENTES HUGONOTORUM PETITIONES.

Inter hæc sectarij Galli adventu Polonorum ferociores facti, & fœdâ renovandorum armorum impetigine exesi, conditionibus nuperi apud Rupellam tractatus haud contenti, cùm Nemausi & Montalbani convenissent, libellum Regi offerendum conscripserunt; quo insolentissimè petere ausi sunt ut urbes quas tenerent, suorum præsidio, quibus Rex stipendium solveret, custodirentur; ac præterea duæ aliæ in singulis regni provinciis eâdem conditione concederentur: libera esset per universum regnum religionis professio; alendis suis ministris decimæ, quæ ex bonis ipsorum sectariorum percipiebantur, impenderentur: Senatus ex sectariis, qui jus inter eos diceretur, constituerentur: tumultûs Parisiensis auctores & administri punirentur: & alia ejusmodi, quæ nec Condeus nec Colinius armati petere ausi fuissent. Quo Rex vehementissimè irritatus, dissimulato tamen dolore rem ad Damvillam remisit; qui cùm non satis eis in omnibus faceret, exacerbatis animis arma expedire decreverunt. Intereáque

SEDITIOSA SCRIPTA AB IIS PUBLICATA.

seditiosissima scripta evulgârunt ad incendendos populorum adversus Regem animos: atque imprimis *Antheniticon* Stephano Boëthij Senatoris Burdegalensis, & *Francogalliam* Francisci Hotomani Iurisconsulti Bituricensis, Monarchiæ Gallicanæ hostium capitalissimorum; quam nobilitatis ac populi judicio & suffragiis ita submittunt, ut penes eos esse velint eligendorum & exauctorandorum Regûm arbitrium & auctoritatem. Itémque Dialogum *Politici* nomine de potestate, auctoritate, & officio Principum, ac populi libertate. Ac denique ad majorem invidiam concitandam, alium libellum de consilio, Ponceto quodam auctore, qui diù in portâ Othomanâ fuerat, ante biennium inito de Franciâ Turcici Imperij instar sub absolutam Regum potestatem redigendâ, quod tamen Poncetus contrario scripto omninò negavit, & merum impostorum sectariorum inventum esse demonstravit. Adeò ut nihil perditi illi homines omiserint, quò rursùm ad arma veniretur: urbes interim munientes, & excursiones quoque per varias provincias facientes; tacito maximè favore subnixi præcipuorum regni principum de quorum conjuratione dicetur anno sequenti, quo illa in publicum erupit.

XII.

Quo eodem tempore in Angliâ ipsorum socij Puritani, (de quorum origine jam dictum superiùs [b]) nihil nisi puritatem Evangelicam spirare jactantes, ceterùm omnis ordinis ac politiæ & disciplinæ hostes; eodem seditionis spiritu agitati, ipsi [c] quoque Reginæ Elisabethæ, quamquam religionis Catholicæ pro viribus exterminatrici, & hæresis solicitæ propagatrici, & toti ipsius Ordini Ecclesiastico, negotium facessere non cessabant, quà publicis concionibus, quà librorum editionibus, omnem Politiam ecclesiasticam in calumniam rapientes, sacra recepta adire recusantes, aliósque sibi ritus efformantes atque usurpantes. Adeò ut Elisabetha ipsos, tanquam homines inquieto & seditioso ingenio, novitatum avidos, & ad instituta quæcumque convellenda paratissimos refrenare habuerit ad schisma prævertendum, severitate legis *de uniformitate publicarum precum* ubique adhiberi jussâ, licèt id frustrà apud homines pertinacissimos & pervicacissimos, qui sæpiùs compressi, nunquam hactenùs cessârunt novas turbas ciere; mordacissimè sese cum Parlamentariis, seu ut vocant Anglopapistis, disputationibus & scriptis exercentibus; quia *non* [d] *est pax impiis, dicit Dominus.*

b *Supr. an.* 1565. XXII.

ANGLORUM SEDITIONES.

c *Camden. in Elisab.*

d *Isa.* 48. *in fin.*

XIII.

e *Camden. ibid.*

IMPIA DOCTRINA DE NECE ADVERSARIORUM.

Hócque eodem anno unus ex iis eâdem Calvinicæ ac Bezanæ doctrinæ vertigine arreptus, *Petrus* [e] *Burcettus*, asserens licitum esse Evangelicæ veritati adversantes occidere, celebrem quemdam virum in publico pugione confodit, quem prædictis novatoribus adversari audierat, qui in judicium propterea vocatus, affirmavit quod fecerat literis sacris consonum esse, ideóque licitum: qui, alio rursùm in carcere titione occiso, suspendio periit. Ac ne putes hanc ipsius solius vesaniam fuisse, sed totius Causæ; narrant [f] qui nuperam obsidionem Rupellanam descripsêre, ministros qui ingenti numero in urbe erant, cùm inter concionandum eos qui Catholicos in certaminibus spe pretij vivos caperent, quasi avaros & in Dei causâ prævaricantes damnarent; publicâ disputatione institutâ, hostibus parci in ejusmodi bello impium esse asseruisse, idque sacræ Scripturæ testimoniis & edito scripto confirmare ausos esse. Quinimmò prodiit Genevæ Christophori Goodmanni natione Angli, sed in perdendâ Scotiâ impiissimi & immanissimi Knoxi socij, qui ministrum Anglorum Genevæ aliquamdiù egit, liber titulo *Quemadmodum summo Magistratui obediendum sit*: quo disertis verbis traditur, quamdiù Princeps & Magistratus, etiam si coram Deo sint impij, scelesti & reprobi, exteriùs tamen curant Dei leges custodiri & observari ab aliis, tamdiù deberi eis obedientiam: sin verò & ipsi Dei leges transgrediantur, (hoc est, ut ab ipsismet interpretatum vidimus anno superiori in conventu Bernensi, Calvinismum non amplectantur) & aliis id ipsum præcipiant, tum perdidisse eum honorem & obedientiam quam aliàs subditi eis præstare tenebantur: neque deinceps habendos esse pro Magistratibus, sed puniendos tanquam privatos homines. Sed quòd hæc sit communis plerorumque hæreticorum, ac præcipuè Calvinistarum sententia, ab aliis probis & doctis viris confutata, abstinemus ab ulteriori ejus impietatis exagitatione.

f *Thuan. lib.* 56.

PESTILENS SENTENTIA DE OBEDIENTIA ERGA SUPERIORES.

XIV.

Melioribus auspiciis Gregorius Pontifex,

Collegium Germanorum Romæ.

pro eximio zelo propagandæ religionis Catholicæ, & propenso animi studio erga nationem Germanicam, hoc anno Romæ *Collegium Germanorum* nuncupatum, olim à Iulio Papâ III. erectum, sed pòst penè derelictum, quoniam nec redditus ullus, nec quicquam ferè certi attributum ei fuisset; illud [g] rursùs de integro erexit & instituit, ita ut deinceps non minùs quàm centum pueri ex universâ Germaniâ Septemptrionalibúsq; illi adjacétibus regionibus, in eo alerentur, & in linguis philosophiâ, aliísq; liberalibus disciplinis, & sacrâ demùm Theologiâ, ac piis & Christianis moribus instituerētur; quò deinde ad patriam remeantes, concionibus ac disputationibus populos instruere, & hæreses confutare, animarúmque curam gerere possent: attributo illi collegio censu annuo decem millium aureorum ex camerâ Apostolicâ numerandorum, quoad de paris redditûs summâ in bonis stabilibus eidem foret provisum: & curâ ejusdem presbyteris Societatis Iesu commissâ, quorum in educandorum instituendorúmque puerorum munere diligentia perspecta omnibus esset. De aliis verò viginti duobus post hæc ab eodem Pontif. pariter erectis atque dotatis collegiis & seminariis, tum in Urbe, tum diversis aliis locis Occidentalibus & Orientalibus, in quibus aut hæresis aut schisma vigeret, dicetur inferiùs suis locis.

g Bull. to. 2. Greg. XIII. const. 14.

XV. Michael. Hospitalij obitus.

His subdimus virorum aliquot nomine & doctrinâ illustrium obitus hujus anni. Quorum primus, qui auctoritate præcipuus, si non merito, *Michael Hospitalius* olim Franciæ Cancellarius, de quo sæpè superiùs; quémque ob propensiorem ad sectarios animum dignitate motum à Carolo Rege ante quinquennium [h] vidimus. Magnus certè doctrinâ ac multis virtutibus, sed quas fidei Catholicæ, posthabitione, ne dixerim desertione, penè totas offuscârit: cùm certum sit etiamsi non publicam fecerit Calvinismi professionem, tamen nepotes suos, quos multos ex filiâ habuit, in eâ educâsse & instituisse; ipsismet fatentibus, quos novimus, factos posteà, aliquo excepto, Catholicos. Vidimus ejus testamentum, paulò ante mortem conditum, magis ad vitæ suæ ab incunabulis descriptionem, rerúmque suarum usque ad ejectionem ab aulâ venditationem, quàm ad animæ suæ commendationem, cujus ne verbulum quidem toto testamento, quinimmò ad finem planè profanè; *Funus*, inquit, *sepulturam meam, & cetera ejusmodi quæ Christianis videntur inania, permitto uxori domesticisque meis.* Inania hæc Christianis? Ita sanè ejus generis, cujus ipse erat, non autem veris Christianis; quos sepulturam & funus ingenti semper pretio & desiderio habuisse, nec ejusmodi inanitatis voces, cùm haberi potuerunt, sicuti habere poterat Hospitalius, nisi impiis & atheis placuisse; abundè nos opere *De sacris Cœmeteriis* demonstravimus. Mortuus est autem in villâ suâ agri Stampensis tertio Idus Martij, ætatis anno circiter septuagesimo.

h Supr. an. 1568. XIV.

XVI. Itemque Andreæ Masij.

Sequitur *Andreas Masius*, septimo Idus Aprilis Zuenaræ in Clivensi ditione, ex hydrope haud ita senex defunctus; cùm Willelmo Principi suo diù fidam operam in præcipui consiliarij munere navâsset: vir doctrinâ & plurimarum linguarum peritiâ clarissimus, qui in adornandis Bibliis Antuerpiensibus, unà cum Benedicto Ariâ Montano diligenter laboravit: & in enarratione libri Iosue, sui nominis memoriam posteritati sempiternam consecravit. In quâ tamen (est difficile sublimibus ingeniis non in aliquo labi) inventâ sunt quædam paucula quæ librorum censores aliquâ emendatione egere existimârunt.

XVII. Et Francisci Balduini.

Franciscus Balduinus, cùm destinatus fuisset Cracoviensi Academiæ instaurandæ, (quod Polonos vidimus à suo Rege Henrico postulâsse) ne iret præpeditus continuâ febre, obiit Parisiis nono Calendas Novembris (tertio Idus, alij ponunt) ætatis anno quinquagesimo tertio. Fuit autem patriâ Atrebatensis; triúmque scientiarum arcana atque intima, & summos apices, Iuris Civilis, Theologiæ, & Historiæ complexus, illustris admodùm inde factus est; quem nihilominùs hæretici infamare conati sunt, quòd iis derelictis adhæserit Catholicis. Fuit enim aliquando Calvini familiaris. A quo discedens ob subhortam inter ipsos de religione discissionem, cùm [i] in Cardinalis Lotharingij amicitiam sese insinuâsset, atque Antonium Navarræ Regem ab Hugonotorum sectâ avertisse diceretur; & librum Georgij Cassandri [k] de officij pij viri in Religionis dissidio, in Gallias attulisset; omnium in se Calvinianorum odia facilè concitavit. Adeò autem Navarro acceptus fuit, ut dedicatum sibi ab eo librum, qui universæ Historiæ institutionem contineret, perhumaniter acceperit; filium nothum eidem tradiderit, oratorémque suum Tridentum ad Concilium pro se miserit. Inde post obitum Navarri reversus, Cardinali Borbonio cùm fratris Navarri in se studio, tum suis sese moribus facilè probavit. Scripsit autem multa omnibus iis scientiarum generibus, quibus eum excelluisse diximus, quæ doctorum hominum judicio probantur: cùm solus ipsius Constantinus Magnus, sive de Constantini Imper. Legibus Ecclesiasticis atque civilibus tractatus, censura notatus ab Indicis conditoribus reperiatur. Ille verò liber cunctis probatissimus extitit, quem contra Calvinum lacessitus edidit, propter prædictum Cassandri commentarium, quem Genevenses Balduini partum fuisse suspicabantur. Ferúntque Calvinum, nullius linguam, stylum, eruditionem magis horruisse, quàm ipsius Balduini. Fuit autem in obitu Sacramentis Ecclesiæ piè procuratus, cum protestatione, se in fide majorum, & communione Ecclesiæ Romanæ mori.

i Flor. Vanderhaër in init. Tumult. Belg.
k Supr. an. 1564. XXVII.

XVIII. Terminus Historiæ Laur. Surij.

Mortuus quoque non morte corporis, sed publicorum scriptorum *Laurentius Surius*: qui patriâ Lubecensis, professione Carthusianus, Historiam rerum suo tempore gestarum, semel anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto terminatam, deinde usque ad 1568. rursúmque ad finem præsentis 1573. continuatam, initio sequentis tandem finivit: productâ nihilominùs vitâ usque ad annum 1578. 23. Maij, quo ex hoc mundo migravit Coloniæ in cella suâ: vir admodùm pius, & candidâ simplicitate præstans: qui præter hæc; Vitarum Sanctorum, & Conciliorum la-

boriosâ editione, non parvum gloriæ nomen adeptus est: ut alia omittam, aut suâ industriâ scripta, antè vulgari aliorum sermone Latina facta. Cujus Historiæ Appendicem usque ad finem anni 1585. addidit *Michael ab Isselt* Amorfortius Belga.

XIX. Corpus hominis in salinis repertum.

In Historia Archiepiscoporum Salisburgensium legimus, hoc anno die vigesimosexto Novembris, ad oppidum Hallense supra Salisburgum in fodinis salis intra mõtis viscera 6300. pedes, ex solido salinario lapide excisum esse virum omni parte integrum, cum barbâ, superciliis, crinibus, unguibus, & vestibus quoque inconsumptis, capite nonnihil compresso, carne consolidatâ & exsiccatâ, staturâ novem spitamarum. Constitutum fuerat, eum deferri Salisburgum, ut ibi ad rei mirandæ perpetuam memoriam servaretur; sed cùm aliquot septimanis aëri expositus fuisset, diffluere ac corrumpi cœpit, quare terrâ conditus est, conjectatúmque fuit, eum olim inter fodiendum casu absorptum extitisse.

IESV CHRISTI Annus 1574.

GREGORII XIII. Ann. 3.

MAXIMILIANI II. Ann. 10.

I. Henrici Regis adventus in Poloniam.

ANNO Christi millesimo quingentesimo septuagesimoquarto, Indictione secundâ, Henricus Rex Poloniæ iter suum per Germaniam continuans, ubique honorificentissimè exceptus, octavo Calendas Februarij fines Poloniæ ad Miedzericum attigit: obviúmque ibi habuit Stanislaum Carncovium Episcopum Wladislaviensem, cum magno comitatu ad recipiendum Regem destinatum; qui gravi & eleganti oratione, quæ postea edita fuit, Senatus & equestris ordinis nomine adventum ei gratulatus est: cui pari elegantiâ Vidus Faber Pibracius, qui Regi adstabat, respondit. Posnaniam ubi pervenit, Albertum Gondium Florentinum, Retzi sive Radesiarum Comitem, Franciæ Marescallum, Cracoviam præmisit, qui nomine sus exequiis Sigismundi-Augusti ultimi Regis interesset: sic moribus apud Polonos constituto, ut nisi priùs ritè conditis decessoris manibus, Rex auspicatò inaugurari posse non credatur. Eâ pompâ magno apparatu celebratâ, Rex multò majori, die decimooctavo Februarij Cracoviam ingressus est: ac postridie gratiis in Senatu actis de suâ electione; altero die in Casimiriæ proximam rupeculam B. Stanislai Polonorum patroni ædem perrexit, ubi Deo sacra de more deosculatus supplicavit: quam ceremoniam Reges ante coronationẽ obire inter Polonos priscæ religionis instituto receptum est. Ubi inaugurationis dies venit, qui fuit S. Matthiæ Apostoli vigesimus quartus Februarij, facta illa est ab Archiepiscopo Gnesnẽsi grandi celebritate; non tamen sine aliquo Palatini Cracoviensis tumultu; qui cùm hæreticus esset, instabat ut quæ in Regis electione ab oratoribus Gallis in gratiam sectariorum Polonorum eorúmque religionis promissa fuerant, priùs ab eo confirmarentur: verùm cùm longè potentior esset pars Catholica, perfecta est magno applausu inauguratio: neque Rex aliud præstitit juramentum, quàm quod à superioribus Regibus præstari consueverat: strenuam in eo operam navante Vincentio Laureo Apostolico apud ipsum Nuncio.

Inauguratio.

II. Turbæ novæ in Gallia excitantur.

Intereà in Galliâ post Henrici discessum, ut diximus anno superiori, sectarij ad arma parati, plura passim loca per provincias occupârunt quâ occasione, Principum quoque nonnullorum & magnatum animi ad res novas erecti fuêre; seu potiùs sectarij, de ejusmodi consiliis inter Ducem Alenconium Regis fratrem, Regem Navarræ, Principem Condeum, Lanovium, & alios tempore obsidionis Rupellæ habitis certiores facti, inde audaciores redditi fuerint ad arma contra Regem exerenda. Caput factionis sese Alenconius exhibuit: qui olim Amiralio Colinio amicus, & sectariorum rebus æquior, faciles aures præbuit iis qui ejus vicem dolore simulabant, quòd à fratre non æquè rebus præficeretur, ac fuerat olim minori ætate Rex Poloniæ præfectus. Indéque specie sumptâ pravæ regni administrationis, factio illa *Politicorum* sibi nomen & *Malecontentorum* indidit: præcipuis incentoribus Mommorantiis: qui cùm timorem præseferrent indignationis in se Reginæ matris, quæ Guisiis, quibus Mommorantij invidebant, favebat; Alenconium in partes suas trahere satagentes, operâ potissimùm in eo usi sunt Guillelmi Mommorantij Thorei, & Henrici Turij Turenæ Vicecomitis Thorei sororis filij, jam tunc inquietum illud ingenium gerentis, quod deinceps perpetuò ad obitum usque servavit; qui assidui ad Alenconij aures excubantes, ejus animum novis subinde suspicionibus implerent: adhibitoq; in cõsilij secreti partẽ Iosepho Bonifacio Molâ, qui tunc maximè in Alenconij gratiâ florebat. Horum igitur suasionibus juvenili inconsiderantiâ ad res turbandas abreptus Alenconius, cùm ei duæ conditiones proponerentur, aut Politicorum & hæreticorum in regno patrocinium, aut belli Belgici præfectura, quæ summam conjunctionem inter se habebant, priori ut sibi tutiori adhæsit. Unde autem incipere deberet hæsitans, judicavit petendam esse à Rege præfecturam quam Rex Poloniæ habuerat, quæ si recusaretur, justam haberet causam motus excitandi.

III. Conjuratio in Regem.

Cùm verò contrà quàm speraverat, Rex æger corpore, tumultuum quos præsentiebat vitandorum causâ, eam promisisset: haud tamen minùs Alenconio conceptum semel animum turbas ciendi deponẽte, contigit ut cùm Rex apud Sanctum Germanum in Laiâ ageret, (ubi vigesimo secundo Ianuarij edicto [a] suo cõfirmâsse reperitur Articulos à Clero Gallicano in unum collecto recens conditos pro reformatione disciplinæ Ecclesiasticæ, ex occasione bellorum valdè labefactatæ:) Ioannes Calvimontius Guiterius hæreticus cum ducentis equitibus inopinatò apparuerit; sive ad Regem intercipiendum, ut communior fama fuit; sive, ut mitior aliorum, ad facilitatem Alenconio afferendam transfugij deliberati. Qui tamen minorem cernens esse numerum, quàm ut eo extrema consilia sequi valeret, abitum differens, in suspicionem nihilominùs adeò venit, unà cum Navarro & Condeo

a Ext. tom. 3. collect. negot. Cler. Gallic.

deo, apud Regem, ut ab iis, & molitionibus sectariorum sibi cavere existimaverit; & summâ diligentiâ Lutetiam, indéque paucis pòst diebus proximum castrum Vicennarum liberioris aëris gratiâ petierit, adductis secum iisdem Principibus. Nunciis verò motuum per universum regnum excitatorum perculsus, tres exercitus conscribendos curavit: quorum unum Iacobo Gobioni Matignono Normanniæ legato tribuit adversus Mongomerium, ex Angliâ in eam provinciam appulsum: alterum Ludovico Borbonio Monpenserio in Aquitaniam ducendum: tertium Francisco Principi Delfino ejus filio, in Delphinatum & Ocitaniam; cùm qui huic præerat Henricus Mommorantius Damvilla omninò suspectus factionis fraternæ esset, & urbes regias occuparet: qui & demùm fœdus cum hæreticis iniit.

IV. Conjurati capiuntur. Passim erebrescente motuum famâ, & conjurationis de Rege ad Sangermanum intercipiẽdo infamiâ; cùm Alenconius & Navarrus, ad invidiam sceleris à se amoliendam scripta de suâ Innocentiâ promulgâssent, petentes ut sibi liceret voluntatis ac consilij rationem omnibus patefacere: (Condeus tunc aberat, præfecturæ suæ Picardiæ invisendæ specie Ambianum profectus,) Rex summâ hactenùs patientiâ usus, tunc renudato Principum animo, de conjuratione summâ diligẽtiâ inquiri voluit, dato eo negotio Christophoro Thuano primario præsidi, viro summâ prudentiâ & integritate prædito, & Petro Hennequino Senatûs quoque præsidi. Multi comprehensi; atque inter eos Mola; qui omnia negans, accusatus tamen vehementer est ab Annibale Coconassio Comite Insubro, qui Alenconij & Navarri consiliorum de abitu ad hæreticos, Momorantio consentiẽte, particeps factus, ea palàm detexit. Thoreus ac Turrius, Lasinius, & nonnulli alij conscij, fugâ periculum evitârunt. Auditus Alenconius, ultrò confessus est consilia sua cum Navarro, Condeo, & aliis, de recessu ab aulâ sumpta, ad sumendum patrocinium regni indignè à pravis consiliariis laceratі. Deinde Navarrus auditus querimonias multas ingessit apud Reginam coram Concellario & delegatis, de suspicione falsò de se cõceptâ, de periculo sibi ab hostibus nominis Borbonij in aulâ imminente, illatísque injuriis: quarum causâ permotũ se fuisse dixit ad cogitationẽ discessûs ab aulâ, in quâ salvâ dignitate, & certâ salutis spe, manere non posset. Tandem commissi cum ceteris vinctis testes, iique postremò convicti conjurationi & sceleratis contra Regem initis consiliis participâsse, tamquam læsæ majestatis peracti rei ad mortẽ damnati sunt.

Et puniuntur. Interrogatus in tormẽtis Mola de imagunculâ cereâ, quam magicis præstigiis ab ipso confictam, & acu in corde ictam constabat; respõdit eam fecisse ut puellam quamdam in Provinciâ, quã efflictim deperibat, hâc arte ad mutuo se redamãdum accenderet; quam tamen in Regis Caroli perniciem effinxisse creditus est. Demùm securi percussus fuit: & corpore in quatuor partes secto, membra singulis urbis portis ad patibula suffixa sunt. Eamdémque sortem expertus est Coconassius; monito sæpiùs Rege, ut diligenter ab insidiis, nec unis, sibi caveret: Monmorantius & Cosseus Marescalli in Bastiliam arcem conjecti: Alenconius & Navarrus in liberâ custodiâ detenti. Condeus Ambiano dissimulato habitu in Germaniam profugiens Argentinę consedit. Mongomerius intra Danfronium Normanniæ oppidum à Matignono obsidione captus, nullâ incolumitate promissâ, Parisios ductus est; ibíque paulò post obitum Regis, Senatûs decreto tanquam perduellis capite truncatus.

V. Caroli Regis obitus. Obiit enim inter hęc, post longos & graves dolores, *Carolus* Rex ipso die Pentecostes qui incidit in trigesimum Maij: delatâ matri Catharinę, donec Rex Polonię legitimus successor in Galliam adveniret regni administratione, quam Senatus decreto suo confirmavit. Adstitère ei benè morienti *Iacobus Amiotus* Episcopus Altissiodorensis, & magnus Franciæ Eleemosynarius, vir doctissimus, ejus olim præceptor; & *Arnaldus Sorbinus* egregius Doctor, túncque regius prædicator, posteà etiam dignus Episcopus Nivernẽsis: qui etiam vitam ejus peculiari commentario scripsit, & in ejus funere elegantem orationem habuit: quemadmodùm & Romæ M. Ant. Muretus in exequiis eidem factis coram Pontifice & Cardinalibus. Vixit autem Carolus annos viginti quatuor, menses undecim: regnavit annos tredecim, menses quinque, dies viginti quinque. Princeps præclara indole & magnis virtutibus præditus; ingenio juxtà sagaci & acuto, mascula facundiâ, prudentiâ supra ætatem: ad iracundiam nihilominùs præceps, quæ violenta & assidua equitatione ac vigiliis alebatur, cùm venationi supra modum indulgeret: à venationibus verò cessans, saltationibus, pilæ exercitio, equis domandis, fabricandis armis, & ferro ac malleo versando desudabat,

Virtutes, et studia. eò minùs in Venerem mollis; ut qui unicam puellam Aurelianensem adamâsse toto vitæ tempore compertus sit; ex qua Carolum Arvernorum Comitem, posteà Ducem Engolismensem suscepit, laboris & inediæ patiens, ac ferè abstemius, somnique modici. Musica & poëtica summoperè delectabatur: Orlando Lasso è Norico paulò ante mortem evocato. Versúsque ipse scitè pangebat; quorum aliqui editi sunt: poëtasque in pretio habens, eos tamen instar equorum generosorum alendos non saginandos dicebat. In quibus *Petrus Ronsardus* nobilis Vindocinensis, eâ arte antiquis comparandus, *Auratus*, & *Baifius*. Scripsit & egregium de Venatione librum. Dignus omninò longiori vita, sive religionem spectes, sive commodum regni. Cui & propterea haud abs re fuère pro ænigmatico emblemate, sive tessera, duæ columnæ coronatæ & intersertæ, cum hoc lemmate seu argumento, *Pietate & Iustitia*: ad denotandum, nulla esse firmiora regnorum fundamenta quàm harum virtutum observationem. Fuitque ejusdem ea summæ erga suos charitatis index vox; gaudere se quòd ea ætate moriturus nullos liberos regni heredes relinqueret; (unicam enim suscepit ex uxore Elisabetha Austria filiolam) quippe qui proprio exemplo expertus esset, quàm misera Regum puerorum conditio existeret, quámque deplorandus regni status foret, cui pueri turbata republica præessent. Corpus defuncti, post solitum quadragesimale sacrum ad Sanctum Diony-

sium in monumentum majorum solemni pompâ delatum est. In cujus obitu *Franciscus Belleforestius* Convenas, Historiæ suæ Gallicæ, quam à gentis Francicæ incunabulis exquisitâ diligentiâ tractavit, finem imposuit: scriptâ quoque seorsim ejusdem Regis vitâ in commentario de novem Carolis Francorum Regibus: pluribúsque aliis scriptis in publicum editis illustris, sive quæ suo marte conscripsit, sive quæ ex aliis linguis in Gallicam vertit.

BELLEFORESTII HISTORIÆ TERMINUS.

VI. HENRICUS III. REX DELIBERAT DE POLONIA RELINQUENDA.

Missus confestim à Regina Chemeraldus ad Regem *Henricum*, jam morte fratris Regem Francorum ejus nominis Tertium; quatuordecim dierum itinere Cracoviam pervenit, Regémque inopinato nuncio perculit. Qui quamprimùm Iacobum Fajum Spessæum Senatorem Parisiensem in Galliam remittens, Reginæ parenti Regentis dignitatem & potestatem à Carolo attributam confirmavit. Deinde deliberatione cum suis habitâ, an tantisper in Poloniâ manendum ei esset dum res in regno ordinasset; tunc enim ipsum cum bona omnium gratia ad novum suscipiendum perrecturum, simúlque & Polonicum retenturum: an verò nullâ morâ interjectâ in Galliam properandum, cujus ea tunc conditio esset ob sectariorum rebelliones & magnatum factiones, ut non alio remedio quàm Regis præsentiâ curari posset: hâc postremò vincente sententiâ, Pomponius Bellevrius Caroli Regis apud fratrem orator, Caroli morte mandatum legationis expirâsse causatus, venia à Senatu petita, priùs se in viam dedit, necessaria in itinere paraturus. Ipséque Rex decimoquinto Iunij apud eumdem Senatum causis expositis cur sua in Gallia præsentia esset necessaria, nihil tamen se absque Ordinum consensu acturum significans, comitia in mensem Augustum indixit, in quibus eâ de re tractaretur. Triduo verò pòst, nempè decimooctavo Iunij, concubia nocte, ignaris, neque tamen non aliquid suspicantibus Polonis, Cracovia cum paucis egressus, postridie Plezinam Silesiæ oppidum extra limites Polonos summa celeritate pervenit: monito in ipso discessu Carolo Danzæo antiquo Regum Christianissimorum cliente, ut in Senatu suo nomine justas consilij præcipitati causas exponeret; rogarétque ex Senatorio ordine delectos ad se mitti, cum quibus de ipsorum republica ordinandâ decerneret, quâ etiam de re & ipse literas ad Senatum & regni ordines, nonnullósque privatos scripserat, post suum discessum reddendas.

VII. ITER EJUS LUGDUNUM USQUE.

Ingenti tumultu Cracoviæ inde concitato, concursum est undique ad Regem insequendum, hortandúmque ad reditum; & Galli, qui Cracoviæ remanserant, non in parvum vitæ periculum incurrerunt ab irritata plebe. Verùm antequàm persequentes Regem assequi potuissent; excesserat ipse fines regni, & Senatûs diligentiâ Galli à periculo liberati fuêre. Rex autem à Maximiliano Cæs. obviam eunte, Viennæ honorificè exceptus, & in recessu usque ad Caroli Archiducis ipsius fratris fines deductus: à ceterísque pariter magnificè, Venetiis verò omnium magnificentissimè exceptus ac dimissus; à Gregorio Pontifice per Philippum Boncompagnum Cardinalem ipsius fratris filium salutatus, & à cunctis Principibus Italiæ visitatus; Taurinum pervenit nono Calendas Septembris: ubi ab Emmanuele-Philiberto Sabaudiæ Duce adeo omni officiorum genere cultus est, ut re minùs considerata promiserit ei cedere Pinarolio & Savilliano oppidis; quæ post restitutam ab Henrico II. ultima cum Philippo pacificatione, Sabaudo omnem ferè ejus ditionem, Reges eatenùs pignoris loco retinuerant, dum controversiæ de aliis urbibus ac ditionibus, quas à Sabaudo occupatas restitui debere contendebant, ultimo judicio deciderentur. Quod autem promisit, re ipsa Lugduni adimplevit. In quam urbem, (receptus in finibus regni Duce Alenconio fratre suo, & sororio rege Navarræ, ac Reginâ ad Burgonium:) pervenit demùm postridie Nonarum Septembrium, magnâ pompâ receptus, & ingenti gaudio omnibus felicem reditum acclamantibus.

VIII. DELIBERATUR DE BELLO HÆRETICIS INFERENDO.

Ibi dum esset, consultatum fuit, utrùm de pace cum hæreticis agi placeret, (ad quam illum utili pro tempore consilio Maximilianus Cæsar & Senatûs Venetus in itinere hortati fuerant) an seriò armis geri ut in ordinem cogerentur; quod Reginæ in votis esse dicebatur. Réque in consilio secretiore agitatâ, mediâ servatâ viâ, decretum est bellum, ni sectarij obedientes se Regi præstarent, & urbes quas occupaverant restituerent: improvido tamen, ut plerique existimarunt, consilio, quòd in manu Regis videretur esse regnum pacatum habere. Sed hoc, aut in invidiam Regis dictum, aut in favorem hæreticorum & politicorum; quibus non aliter satisfieri poterat, quàm cessione regni, aut religionis expositione. Rex verò tum fidei ardore succensus, tum continuis hæreticorum fallaciis & insidiis meritò diffidens, (quorum etiam tanta fuit támque insolens temeritas, ut Monbrunus Delphinas partem supellectilis regiæ in itinere rapere non dubitaverit:) maluit causam Dei generosè propugnare, quàm ejus, regníque & regiæ auctoritatis hostibus capitalibus, eam, séque, regnúmque suum prodere, (tantum animi habuisset in exequendo, quantum in deliberando!) maximè postquàm iidem ad obsequium, amplis etiam conditionibus, ac præcipuè libertatis conscientiæ, quam ipsi solam ambire præseferebant, invitati, omni fidei divinæ & humanæ cura posthabita, omníque pacis & concordiæ consilio abjecto, armis ubique rem agere maluerunt: Damvilla quoque, frustrà & ipso admonito, iisdem adhærere quàm Regi eligenti; (ingenti utique religionis Catholicæ damno; cùm ea occasione in urbes Catholicorum Ocitaniæ cui ipse præerat, sese hæresis intrusit,) denique & Condeo in Germania ejerata religione Catholica, & resumpto Calvinismo, auxiliares copias parante: qui à Politicis simul & hæreticis dux belli designatus est, interim dum Alenconius & Navarrus plenam libertatem consequerentur. Rex autem Alenconio & Navarro in gratiam receptis, ac plenæ libertati restitutis, (qui referuntur [b] dum in die festo Omnium Sanctorum, ad sacram mensam unà cum Rege participa-

[b] Diar. Reg. Henr. III.

turi essent divinissimum Eucharistiæ sacramentum, solemni jurejurando fidelitatem suam ei obligâsse (ad hostium infringendos in proximâ Ocitaniâ conatus, Avenionem profectus est: ibique mansit usque ad principium anni consequentis: rebus interim tum in eâdem Ocitaniâ, tùm in ceteris provinciis varios successus sortientibus quorum præcipui fuêre, Liberonis urbis facta à Catholicis in conspectu Regis obsidio: & in Pictonibus captum à Monpenserio Duce Lusinianum, (unde nomen illustrissimæ genti, quæ tot Reges ac Principes Christiano orbi, & Ierosolymis, ac Cypro denique dedit) quod hęretici occupabant; ejúsque arx totâ Galliâ celeberrima & formosissima, funditùs diruta, unà cum turre Melusinæ poëtarum Gallorum fabulis famosissimâ.

Turris Melusinæ.

IX. Poloni deliberant de regni sui incolumitate.

Polonis autem post Regis discessum, quid facto opus esset consultantibus, ante omnia proposita fuit quæstio, ex quâ cetera penderent; Utrùm esset Interregnum, an non. Atque ut ordine & sine confusione res progrederetur, electi ex omnibus fuêre sex præstantes viri, quorum tres rationes Interregni proponerent, tres reliqui partes Regis Henrici propugnarent. Pro interregno allatæ fuêre duodecim Rationes: pro Rege totidem, cum adversariarum confutatione: quatuor superadditis, quibus omninò demonstraretur, nequaquàm expedire alium creari Regem, quin priùs omninò certum esset Henricum non ampliùs in Poloniam venturum. In quam partem factâ deliberatione, decreti fuêre legati ad illum. Hæc enim, auctoribus Polonicis intacta, ita gesta fuisse, scriptum reperimus, unà cum ipsismet rationibus tunc ab utrâque parte adductis, in Relatione Hieronymi Lippomani Veneti, oratoris Reipublicæ apud Henricum in Poloniâ, factâ pro consuetudine de statu Poloniæ, & rebus quæ suæ tempore legationis in eâ sub Henrico, & post ejus discessum obtigerunt. Missis igitur ad eum legatis, qui illum Veronæ repererunt; cùm illi nonnisi bona verba, & amplas futurorum spes retulissent, unàcum hortationibus & admonitionibus de fide sibi servandâ: rursùm in unum convenientes Senatores Varsaviæ, die 18. Septembris alias literas [c] scripserunt; quibus ingentia discrimina exponentes, quæ regno Polonico imminerent si diutiùs Rege viduum permaneret, rogârunt haud ægrè ferre si, ne longâ irritâve ejus adventûs expectatione ipsos suspensos redderet, & cunctatione suâ regnum majoribus periculis involveret, ei tempus in Poloniam veniendi assignarent, quo ex Galliâ commodè in Poloniam venire posset, diem duodecimam mensis Maij proximè venturi, qua comitia regni celebranda forent Stenziciæ: ipséque expectaretur ad subveniendum necessitatibus regni, & conditiones ab ejus legatis in ejus electione juramento firmatas explendas, ac re ipsa pręstandas: si verò ad diem non adesset, ipsos, quòd sine Rege & lege esse non possent, id facturos quod ad incolumitatem & salutem patriæ pertinere viderent; atque ab illo tempore obedientiam & fidem ipsi datam renunciare, cum firmissimo proposito procedendi ad alterius Regis electionem

[c] Ext. tom. 3. Rer. Polon.

Diem Regi assignant.

Hæc illi pluribus; & quidem verbis honorificis, cum magnâ animorum demissione, & propensionis in ipsum Henricum Regem demonstratione: quæ literæ ei cùm jam Lugdunum pervenisset, redditæ fuêre. Quibus ille respondens, dixit, se tumultibus Gallicis illaqueatum de reditûs sui tempore nihil habere quod certò affirmaret; sed missurum se qui suo nomine comitiis adessent, suámque absentiam in regni administratione prudentiâ suâ supplerent. Quid verò inde secutum fuerit, dicetur anno sequenti.

X. Bellica Belgii inter Hisp. et Geusios.

Eodem tempore res Philippi Regis Hispaniæ in Belgio nutabant sub Requesenio novo Gubernatore, quem vidimus anno superiori Albano datum successorem in eâ præfecturâ. Hispani Middelburgum in Zelandiâ ab Aurangio durissima obsidione pressum liberatum euntes, bis pugna navali victi repulsi sunt: úrbsque extremâ famis necessitate coacta, (quippe consumptis cunctis omnis generis animalibus; eorúmque pellibus, redactis militibus ad duas tantùm panis uncias diurnas, nihil jam à longo tempore præter pastillos è lini semine confectos ederent, neque plus quàm quatuor dierum exigui adeò demensi commeatus suppeteret) deditionem fecit: & Aurangius ingentem inde pecuniam collegit, totâ jam Zelandiâ & majori parte Hollandiæ in possessionem reductâ. At ex aliâ parte cùm Ludovicus & Henricus Nassovij fratres Aurangij, unà cum Christophoro Bajoaro Friderici Palatini Electoris filio, novas vires ex Germaniâ adduxissent; iidem post aliquot variis locis facta leviora certamina, ad Moukum Clivensis ditionis oppidum in Mosæ aggere situm, mense Aprili grandi clade, licèt longè numero superiores, cæsi sunt; tribus ijsdem ducibus necatis, unà cum multis aliis insignibus Germanorum necnon Gallorum, & Belgarum qui iis mixti erant, tribunis & centurionibus, atque ampliùs quatuor millibus armatorum desideratis, signísque triginta captis, cum omnibus impedimentis. Sed tantam hanc victoriam corruperunt ijdem ipsi victores Hispani: dum cùm plurium mensium stipendia per seditionem reposcentes, (quod illis post pugnam, ut Germanis ante pugnam solemne est; exitioso pariter exemplo & exitu, cùm & alteri rei benè gerendæ occasionem adimant, alteri rei benè gestę successum impediant:) Antuerpiam ingressi, ut ab urbis direptione abstinerent, decem mensium solutionem pęrsęti pecuniâ, pro quinque aliis pannos laneos, lineos, & sericos acceperunt. Quæ dum agerentur, triginta naves Hispanicæ ad bellum instructæ, quæ apud Antuerpiam erant, manus tumultuantium fugere satagentes, in hostium inciderunt; quarum quindecim captæ, quinque depressæ, tres flammis absumptæ fuêre. Post quæ Lugdunum Batavorum, quod Geusij tenebant, ab iisdem Hispanis arctissimè quadrimestri obsidione cinctum, cùm ad extrema redactum fuisset, multis jam millibus fame enectis; ad principium Octobris perforatis à Geusiis aggeribus, maris æstu juvante, validâ classe ei subventum est; obsidióque soluta. Ita ut non adeò prosperè res Hispanica hoc anno in Belgio processerit: etiamsi Philippus mense Martio

missò diplomate, quo venia cunctis concedebatur omnium delictorum ab anno 1566. admissorum, dummodò imposterùm Catholicè viverent, studuisset eos benignis invitationibus ad officium reducere. Illud namque diploma in Belgio promulgatum mense Iunio, irrisum à Geusiis fuit; qui æquè ac Franciæ Hugonoti, nonnisi ad diripiendum, prædandum, rapiendum, laniandum, pessumdandum, libertatem conscientiæ quærebant; quam quoad animam parùm curare, factis & operibus ubique demonstrabant.

XI. Clades Hispanorum in Africa.

Peior longè fuit Hispanorum in Africâ conditio. Vidimus anno superiori urbes Tunetum & Bisertam à Ioanne Austrio occupatas. Id Selimus Turcorum Imperator cùm impatientissimè tulisset, misit hoc anno potentissimam classem trecentarum circiter navium omnis generis quadraginta millibus armatorum instructarum; classi præfecto Vluzzali, terrestribus copiis ac summæ rerum Sinane Bassâ natione Acarnane, à Selimo ob eximiam virtutem bellicam in generum ascito. Non potuerat Serbellonus, quem vidimus ei regno præfectum, tam brevi temporis spatio res eo statu ponere, maximéque munitionem anno superiori institutam, ut oppugnationi tantæ multitudinis resistere valeret; sive ministrorum regiorum, gloriæ Austrij obtrectantium invidiâ, sive naturali segnitie; qui nihil ferè eorum quæ Serbellono promissa fuerant, præstitêre, aut adeò parcè subministravêre, ut in appulsu classis hostilis omnia adhuc imperfecta essent. Quare appulsâ classe ad finem Iulij, deserta primum est Biserta: deinde & Tunetum, Serbellono se in novam munitionem recipiente, móxque Guleta oppugnata, & post nonnullas impressiones, à Portocarrerâ Hispano ejus præfecto malè defensa, (adeò ut proditionis fuerit suspectus; quamquam posteà pessimè à Turcis habitus fuerit) expugnata, & posteà solo æquata: demúmque & munitio Serbelloni, qui magnam partem suorum præsidiariorum ad defensionem Guletæ immiserat, repulsis sæpè fortissimè Turcorum impressionibus, tandem Idibus Septembris vi capta unà cum ipso Serbellono: Austrij paratis in Italiâ auxiliis seriùs quàm oportuit sese prodentibus. Atque ita Hispani omni possessione Africæ dejecti sunt: amissâ per summam Portocarreræ ignaviam Guletâ; quam arcem Carolus V. Imper. optimo consilio olim construxerat, ut securitati Siciliæ, regni Neapolitani, totiúsque Italiæ & Hispaniæ consuleret. Nec obtrectatione ob eum successum apud Philippum caruisse dicitur Austrius, quòd intempestivâ anni superioris expeditione potentissimum hostem irritâsse diceretur, quam quidem ipse suscepisse putabatur, spe Tunetani regni beneficio fratris obtinendi, cum auxilio & interventu Pontificis. Sinanes his gestis Constantinopolim triumphans, cum Serbellono, & Portocarrerâ, aliísque captivis, & magnâ prædâ rediit: etiamsi non incruenta ei victoria fuerit, amissis eâ expeditione quatuor & viginti hominum millibus.

Hispani pelluntur tota Africa.

XII.

Hanc autem Christianorum Africanam cladem, alia Walachiæ hoc eodem anno cumulavit. Erat [d] à pluribus annis Bogdanus, Vaivoda seu princeps Walachiæ Moldavicæ, beneficio Imperatorum Turcorum, ut aliàs [e] ostendimus (Est enim duplex Vualachia, quæ olim Dacia; altera, quæ ad orientem & septemtrionem vergens, à flumine Moldavâ mediam intersecante, Moldavia dicta; altera, quæ ad meridiem, propriam Vualachiæ appellationem retinens, eadémque Transalpina nuncupata.) Cùm verò statim ac fuisset Bogdanus in principatu confirmatus, alieno se animo à Turcis esse ostendisset, & cum Polonis amicitias & affinitates contraxisset; mobiles ij populi imperio Turcorum assueti, Polonorum odio clàm inire consilia cœperunt de alio in locum ejus subvehendo: idoneúmque ad res suas nacti Ivoniam (sic Ioannem vocant) filium Stephani olim ipsorum principis ex concubinâ prognatum, qui religione Christianâ ejeratâ apud Selimum Turcorum Imperatorem agebat, atque à multo tempore eum principatum ambiebat; illum ad se evocarunt, & in principem susceperunt, Bogdano ejecto: qui amicorum viribus principatum recuperare conatus, post plura variáque certamina, rem deserere coactus, in Moscoviam se contulit, ibíque vitam finiit: Ivonia pacificè rerum potiente Turcorum beneficio quorum auxilio & principatum adeptus fuerat, & defenderat. Verùm cùm abjurato Turcismo Christianam religionem iterùm professus, (juxta tamen ritum Græcum, quem ij populi colunt) Turcis suspectus esse cœpisset; nec minùs suis invisus factus fuisset, ob exquisitas crudelitates quibus in plurimos eorum sæviebat: alterius Vualachiæ Transalpinæ Vaivoda Ivoniam Moldaviâ pellere, sicut ipse Bogdanum ejecerat, ut eam fratri suo Petro adipisceretur cogitans; præter criminationes in Ivoniam apud Selimum injectas, duplicaturum se tributum pollicitus est, si ejus principatus fratri conferretur; ut quod sexaginta millium aureorum erat, esset deinceps centum viginti millium. Quam oblationem libenti animo Selimus admittens, illam Ivoniæ significari curavit mense Februario hujus anni, (cetera namque narrata jam præcesserant) cum mandatis ut si duplam pensionem solvere recusaret, provinciâ sponte cederet, vi alioqui expellendus. Ivonia hâc novitate turbatus, nuncio modestè respondens, se de illâ cum Senatu provinciæ, ad quem ea præcipuè pertineret, acturum; eo convocato, cùm ipse, si quidem iis satis animi esset, ut se à flagitiosâ Turcorum servitute vindicarent, paratum se quoque ostendisset cum ipsis extrema quæque perpeti, potiùs quàm illam diutiùs sustinere; ceteri quoque magnis acclamationibus ei adstare, & in omnibus obsequi promiserunt, ac jurejurando confirmârunt.

[d] Descripsit hæc Io. Latic. & Leonar. Gorec. Poloni, to. 3. Rer. Polon. unde alij exscripserunt.

[e] Supr. an. 1561. in fi.

De rebus Moldavicis et Walachicis.

XIII. Præclara Ivoniæ facinora.

Quibus à Selimo auditis, Transalpino principi copias Turcorum auxiliares misit, cum mandatis ut suas adjungens ejecto Ivoniâ Petrum fratrem provinciæ principem imponeret. Sícque ad acerrimum bellum ventum est; quo Ivonia cum suis & bonâ Polonorum & Cosacorum manu, maximis cladibus hostes côntrivit, urbes nonnullas cepit; alterámque Vualachiam ingressus, eam

miserè

miserè depopulatus est, immensâ crudelitate ubique & in omnes tam viros quàm feminas & infantes, necnon in ædificia, & pecora, aliásque res quascumque sæviens: tanto prædæ contemptu, quam omnem sociis relinquebat, ut etiam cùm captus quidam Turcorum dux vir proceræ staturæ, sexies librati in staterâ corporis pondus, bis auro, ter argento, semel unionibus & margaritis, appensum polliceretur; his contemptis, eum membratim discerpendum præbuerit. Quousque tandem, velut lassatâ tot victoriis ejus fortunâ eum deserente, proditione unius ex suis ducibus, cui maximè fidebat, à Turcis auro corrupti, in locum insidiarum incautè perductus; dum cum triginta millibus contra quindecim tantummodò millia sibi prælium futurum existimaret, post fortissimam pugnam, à ducentis hostium millibus in castris suis circumdatus, dedere se compulsus fuit undecimo Iunij; his conditionibus, ad majorem fidem septies juratis, ut sui omnes incolumes evaderent, qui ad viginti millia superarant, ipséque pariter vivus & incolumis coram Selimo sisteretur. Cui nihilominùs dux Turcorum, occasione ex superbiori quodam ejus responso captâ, stricto gladio ventrem faciémque discidit; móxque prætoriani semivivo caput amputârunt; truncus pedibus duorum camelorum alligatus, belluis in diversum concitatis discerpendus objectus: caput conto affixum: cadaver in frusta minutissima concisum: cujus ex cruore certatim milites gladios perungebant, sanguinem etiam equis bibendum porrigentes; ac numini suo supplicantes, ut idem sibi esset, quod in hoste suspiciebant, animi robur. Vvalachi, qui cum ipso fuerant, contra juratam fidem omnes neci dati fuère: Poloni & Cosaci sese mutuò cohortati in densa Turcorum agmina magnis animis irruentes, interfecti sunt. Sícque Moldavia, atque adeò utraque Vvalachia rursùs juris Turcici facta est: Petrúsque ille Vvalachi frater, grandi illo tributo Moldaviæ præfectus: reddito Ivoniæ, justò Dei judicio, malo quod ipse iniquè Bogdano creaverat.

Et cædes.

XIV. *Selimi mors.*

His prosperè tam in Vvalachiâ quàm Africâ *Selimi* auspiciis gestis, idem ipse dum majora in sequentem annum meditaretur, ad finem præsentis, nempè decimotertio Decembris, (quidam nonum ejusdem mensis, alij etiam penultimum Novembris habent) subita apoplexiâ extinctus est, anno ætatis quinquagesimo, regni octavo mense tertio: patri quidem Solimano virtute & moribus longè impar, sed non minùs perfidiis suis nomini Christiano noxius. Successit ei grandior natu filius *Amurates* ejus nominis III. annum agens ætatis vigesimum septimum, qui regnum de more gentis barbaro, à quinque juniorum fratrum nece inchoans, ad minimi adhuc infantuli ipsi blandientis cædem illacrymavit; Deum testem appellans, se non livore aut odio ad hujusmodi parricidium, sed concordiæ in familiâ Othomanicâ conservandæ necessitate impelli. Fuit autem à voluptatibus, quibus se pater ejus mancipaverat, aversus, atque in legibus & institutis majorum servandis severus; acérque morum censor, quos in præposterâ venere, uxorum pluralitate, blasphemiis, monopoliis mercium & annonæ, & aliis ejusmodi reformavit, & in iis delinquentes gravissimè castigavit. De cujus publicis gestis ad rem nostram pertinentibus dicetur inferiùs suis locis; cùm initio nihil sibi regnandi adhuc imperito imprudenter innovandum aut suscipiendum censuerit: interveniente etiam impedimento sævissimæ pestilentiæ, quæ toto Oriente grassans hoc tempore, bellicos ejus conatus retardavit.

Amuratis III. successio.

XV. *Cosmi Florent. obitus.*

In Italiâ, quoque hoc eodem anno, undecimo Calendas Maias, mortuus est ex diuturno morbo *Cosmus*, Magnus Dux Etruriæ à Pio V. creatus; anno ætatis 55. principatûs 38. princeps raris naturæ & ingenij dotibus præditus: de quo sæpè superiùs. Literatos totâ Italiâ eximiè fovit, & celebrem Academiam Pisis instituit. Tres filios superstites reliquit: *Franciscum* principatûs heredem, Ioannæ Austriacæ Maximiliani Cæs. sororis matrimonio subnixum: (ex quâ Mariam suscepit Galliæ Reginam, conjugem Henrici Magni, & matrem Ludovici Iusti Regum.) In cujus matrimonij gratiam, Maximilianus post Cosmi obitum, anno sequenti, industriâ Ioannis Baptistæ Concini nobilis Florentini consensit demùm, ut Franciscus titulo Magni Ducis Etruriæ, à Pio V. Cosino, ut vidimus [f], tributo, gauderet; diplomate [ff] concesso, quod eatenùs recusaverat. Alij Cosmi filij superstites, fuerunt Ferdinandus Cardinalis, qui Francisco fratri absque liberis masculis defuncto posteà successit: & Petrus. In Cosmi verò obitu *Ioannes Baptista Hadrianius* nobilis Florentinus Historiam suam, de Rebus suo tempore gestis, non parvâ diligentiâ & judicio scriptam terminavit: vitâ tamen ad annum usque 1579. productâ, quo decessit quinto Calendas Iulij, ætatis anno sexagesimo octavo.

[f] Supr. an. 1569. XI. [ff] Ap. Natal. lib. 26.

Hadriani j historiæ terminus.

XVI. *Caroli Cardin. Lotharingij obitus.*

In Galliâ mortuus item est *Carolus* Cardinalis Lotharingius, vir multis animi & corporis dotibus præstãs; de quo multa superiùs tempore Concilij Tridentini & Colloquij Possiacensis, in quibus multa dedit excellẽtis ingenij, egregiæ doctrinæ, raræ eloquẽtiæ, & magni animi, piíque zeli specimina & exempla, pleráque etiam deinceps apud Reges Galliæ in defensione auctoritatis ipsorum & religionis Catholicæ: unde & summa in se concitavit politicorum & hęreticorum odia, ac calumniarum plaustra: quæ illi in benedictionem apud Deum & Ecclesiam piósque omnes extitère: ac nævos & culpas, quibus ut homo non caruit, operuère. Obiit autem Avenione, ubi cum Rege Henrico erat, die 26. Decemb. uti legitur in ejus epitaphio, anno ætatis quinquagesimo propemodùm expleto. Exequiæ magnâ celebritate ad Ecclesiam Carthusianorum factæ: unde paulò pòst corpus translatum fuit in Ecclesiam suam Remensem, cujus erat Archiepiscopus & Dux, primúsque Par Franciæ.

XVII. *Lutherani conantur subripere*

Hoc eodem anno Iacobus Andreæ, Schmidelinus ab arte fabrili quam initio exercuit dictus, posteáque inter præcipuos Lutheranorum ministros connumeratus, Tubingensísque academiæ Cancellarius; & Martinus

Consensum Patriarchæ Constantinopol.

Crusius Græcarum literarum ibidem professor; per Stephanum Gerlachium ejusdem hæresis Lutheranæ sectatorem, ac cōcionatorem Davidis Ungnadij Baronis & oratoris Cæsarei ad Selimum Turcorum Imperatorē obtulerunt Ieremiæ Græcorum Patriarchæ Constantinopolitano, Augustanam Confessionem Grece dudùm conversam à Paulo Dolscio, seu ab ipso Melancthone Dolscij nomine; ac cum eodem, de concordiâ cum nonullis ejus decessoribus frustrà tentatâ egerunt, tum in odium Romanæ Ecclesiæ, tum ut antiquam suæ sectæ successionem ostēdere possent. Quæ nundinatio cùm in aliquot sequentes annos protracta fuerit, plurimis scriptis ultrò citróque epistolis, multísque aliis ejusdem farinæ libris Constantinopolim ad id missis, atque inter ceteros Compendio Theologiæ Iacobi Heerbrandi Iuliacensis ab eodem Martino Crusio Græco reddito; Gerlachio id diligenter curante, ac post eum Salomone Schueigkero, successoris Ungnadij in eâ legatione Ioachimi à Sinzentdorff ecclesiaste: nihil tamen perfici potuit, Patriarchâ; quamquam valde honestè erga eos sese gerente, non solùm tamen renuente in religionis dogmatibus eis suffragari: verùm etiam apertè refragante, & Catholicorum omnia quæ Lutherani impugnabant confirmante, atque eorum erores detegente, uti videre est in trinis ipsius responsionibus; cùm illi non priori anni 1576. satis prolixâ contenti, iterùm atque iterùm rescribentes, & suam doctrinam defendere & Patriachæ argumenta convellere satagentes, alteram ac tertiam declarationem elicuerunt, haud primâ illâ sibi æquiores vel auspicatiores. Adeò ut in fine tertiæ tædio affectus importunæ illorum pervicaciæ, coactus fuerit, post exprobratam ipsorum discordiam à dogmatibus Ecclesiæ, & inter sese, demùm rogare eos, ne postinde molesti ipsi essent, neque ampliùs de iis scripta mitterent: quippe qui præsumentes plus vetere & novâ Româ sapere, verorum Theologorum scriptis relictis, sua ipsi meliora ducerent; sacros quidem antiquæ Ecclesiæ Theologos verbis honorantes, factis verò rejicientes; ex quorum nihilominùs interpretatione haurienda sit probato fidei veteris ac primitivæ Ecclesiæ. Primâ verò, eamdémque prolixiorem Patriarchæ responsionem, cùm ipsi eam apud se reconditam servarent, primus in publicum emisit, à quodam archimandritâ Græco acceptam, & in Latinam versam, Stanislaus Socolovius Stephani Regis Poloniæ Theologus, titulo *Censuræ Orientalis Ecclesiæ*. Quam deinde, cum ceteris, à Patriarchâ anno millesimo quingentesimò septuagesimonono, & 1581. redditis, ipsimet pudore suffusi Socolovianę editionis, quâ ipsorum ignominia detegebatur, suis additis ad singulas responsis, publicârunt Græcè & Latinè, cum præfatione. Adversus quam Ioan. Baptista Fiklerus Jurisconsultus *Spongiam* scripsit: & ipse Socolovius respondit, ac sententiam definitivam Patriarchæ adjecit, cum antidoto ultimæ responsionis Lutheranorum ad censuram Patriarchæ de articulis Confessionis Augustanæ.

Rejiciuntur ab eo.

Censura Orientalis Ecclesiæ.

XVIII. [g] Gerlachius

Pertinet ad hanc historiam, quod idem Gerlachius Lutheranus retulit [g], sibi tunc Constantinopoli contigisse: nimirùm ut cùm in Adamum Neuserum ministrum olim Heidelbergensem, qui ex Calvinismo in Arianismum, hincque in Turcismum prolapsus erat, incidisset, atque eum interrogâsset quomodò eò errorum devenisset; responderit ille, id sibi quòd Calvinista factus esset accidisse: neminem enim eo sæculo Arianum factum, qui non priùs fuisset Calvinista: quales extitissent Servetus, Blandrata, Alciatus, Franciscus Davidis, Gentilis, Gribaldus, Silvanus, & alij. Sicut autem hi omnes tandem infelici fine perierunt, ita hic Neuserus ibidem Constantinopoli paulò pòst miserè mortuus est in desperatione ex dysenteriâ, eodem propemodùm mortis genere quo Arius.

in Hist. Sacram. Luc. Osiand. in Epit. Hist. Eccl. Melch. Adam. in Vit. Germ. Theolog.

Calvinismus ducit ad Arianismum.

XIX. [h] *Fabric. & Osiand. ibid.*

Calvinistarum exagitatio per Lutheranos.

Pertinet item ad discissionem Lutheranorum inter se, quod Rigidi [h] Mollibus improperant; nempè Wirtembergenses Vuittembergensibus, (unius literulæ distinctione quanta dissidia comprehenduntur!) ipsos audaciores factos, hoc anno librum in publicum emisisse Lipsiæ, titulo Exegesis, in quo collegerint totum Calvinismum, quo ad articulos inter ipsos contreversos de Cœnâ Domini, & de Personâ Christi: Et contra ejusmodi pestiferum, ut vocant, scriptum, Vvigandum & Heshusium separatim refutationes analyticas promulgâsse. Hísque motum Augustum Electorem, ut Scholas suas à Calvinismo præservaret, Ordinum Saxonicorum suæ ditionis consilio, conventum doctorum suorum Torgæ instituisse; eísque articulos affirmativos & negativos proposuisse, ad quos candidè & categoricè responderent, etsi autem articuli illi viderentur ita conscripti, ut per omnia sacramentarios Calvinistas refutarent; tamen si quis penitiùs examinaret, inventurus in nonnullis esset aliquid præstigiarum Calvinisticarum: ut in suo illorum examine Lucas Osiander conatus est ostendere. Quòd tamen non in omnibus convenirent cum doctrinâ Melancthonis Mollium Lutheranorum principis, Vvittembergenses noluisse eos approbare; atque inde novas turbas inter ipsos exortas esse: quos proinde idem Osiander duriùs exagitat, hostis implacabilis Calvinistarum: quorum proprium esse ait, ut Calvinistas se esse negent, donec aut Calvinismi invincibiliter sint convicti, aut magistratum adipiscantur, qui ipsorum errores approbet & foveat: tunc verò Calvinismum plenis buccis prædicare, quem diù dissimulâssent & negâssent.

XX.

Portæ Sanctæ ad Iubileum reseratio.

Extremo hoc anno, nempè in vigiliâ Nativitatis Domini, à Gregorio Summo Pontifice solemni ritu reserata est Ianua Sancta Ecclesiæ Vaticanæ, ad consequendas toto anno sequenti Indulgentias Iubilei: cum indixisset illud ac publicâsset Românæ anteà bis Pontifex, videlicèt vigesimo Maij in Ascensione Domini, & decimonono Decembris Dominicâ quartâ Adventus. Apertáque fuisse dicitur Ianua tantâ hominum, qui ex diversis provinciis ad celebritatem concurrerant, frequentiâ, ut non minus trecentis millibus crediti sint: præter illos, qui eodem tempore ad ceteras tres Ecclesias visitationi designatas, S. Ioannis in Laterano, S. Pauli viâ Ostiensi, & S. Mariæ majoris in Esquilino, à

Cardinalibus ad id destinatis pariter reseratas convenerunt tantâ multitudine, ut qui in singulis erant existimare possent paucos in ceteris esse. Suspensæ quippe erant de more omnes Indulgentiæ plenariæ per reliquum universum orbem, quò frequentior fieret peregrinatio in Urbem: in cujus etiam ceteris Ecclesiis Indulgentias ordinarias in suo robore permanere Pontifex voluit. Quæ omnia pluribus tractata videre est apud nostrum Victorellum in nobili commentario Italico De Iubileis.

IESV CHRISTI Annus 1575.

GREGORII XIII. Ann. 4.

MAXIMILIANI II. Ann. 11.

I. IUBILEUM CELEBRATUR INGENTI FREQUENTIA.

ANNO Christi millesimo quingentesimo septuagesimoquinto, Indictione tertiâ, Roma occasione Iubilei, cujus initium posuimus in fine anni superioris, tantâ exterorum multitudine ex omnibus Europæ provinciis frequentata extitit, ut centena millia toto penè ejus tempore fuerint numerata: in quibus etiam multi Æthiopes, Arabes, Armeni, Græci, aliíque Orientales populi. Gregorius ipse Pontifex quatuor basilicas visitationi destinatas sæpiùs lustravit: Scalam sanctam de geniculis, ut moris est, conscendit, providit ut Urbs annonâ abundaret, ædes Pontificiæ exteris paterent, egentes largitionibus juvarentur. Carolus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis & Cardinalis ad Urbem Iubilei occasione accedens, multa singularis pietatis & puræ innocentiæ exempla publicitùs exhibuit: obtinuítque privatim illud pro suo populo in annum sequentem, cum specialibus gratiis & privilegiis; cùm & alioqui concessum illud fuerit eo anno per universum Christianum Orbem: præsenti verò Catholicis Anglis quibuscumque, dato diplomate die trigesimo Martij. Inter multos Principes qui ex Italiâ, Germaniâ, & aliunde ad Iubileum venerunt, fuit Carolus Fridericus Cliviæ, juvenis Christianis virtutibus ornatissimus: qui benignissimè à Pontifice exceptus, cùm Neapolim visendarum antiquitatum cupiditate excurrens, febre Romæ post reditum correptus, obiit; sepultus in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ, de Animâ sive Teutonicorum dictâ: cujus funus, mortémque, ac vitam, eleganter Stephanus Pighius descripsit opere Herculis Prodici titulo inscripto. Quæ verò prætereà circa Iubileum contigerint hoc anno in Urbe, descripsit sigillatim Victorellus in commentario quem omnium novissimè conscripsit de Iubileis, ubi etiam præclara religionis & hospitalitatis operà à plurimis magnatibus, & diversis Congregationibus exhibita reperiuntur: adeò ut in uno xenodochio Sanctissimæ Trinitatis, à die Natalis vigesimo quinto Decembris superioris anni ad Pentecosten præsentis 22. Maij, quinque mensium spatio excepti hospitio fuerint, & honestè aliquot diebus refecti, 96848. peregrini, præter reliquum anni tempus. Illúdque insuper notatione dignissimum contigit, ut quamvis per multas Italiæ civitates, totáque Siciliâ, sævissima pestilentia grassaretur, nec deessent qui ex iis in Urbem ad Iubileum accederent; nulla tamen ejus morbi infectio in Vrbe, divinâ providentiâ eam protegente, cognita fuerit.

II. IACOBI PALÆOLOGI VITA ET MORS.

Fuisse quoque non paucos hæreticos, qui occasione tantæ solemnitatis Romam peregrinantes, errores suos abjuraverint, idem auctor tradit: interque illos Abrahamum quemdam Rutenum literis excultissimum; & alium nobilem Græcum ex familiâ Palæologâ. Cujus nomen cùm non exprimat, aliunde [a] habetur, cum historiâ hujus hominis valdè memorabili. Fuit enim hic *Iacobus Palæologus*; qui ortum ducens ex Imperiali illâ domo, quæ rerum potiebatur quando Constantinopolis in manus Turcorum incidit; Romam veniens; habitum ibi suscepit Ordinis Dominicani; sed elati inquietíque ingenij homo, cùm non ita pòst detectus fuisset dubitare de præcipuis fidei Christianæ fundamentis, ad Inquisitionis tribunal tractus, inde aufugiens anno 1559. in Germaniam, ibi Lutheranis & Zuinglianis visitatis, ac dimissis, in Poloniam concessit: ubi quod quærebat inveniens, homines scilicèt Christi divinitatis hostes, iis acquievit; eamdémque impietatem prædicans multos seduxit: indéque in Moraviam transiens liberioris vitæ ergò, habitus ibi est pro sancto. Cùm tamen ob damnum quod Ecclesiæ auctoritate suâ inferebat, diligenter perquireretur; demùm à Maximiliano Cæsare interceptus missus est Romam ad Gregorium Pontificem: ubi per homines doctos provocatus ad rectam viam redire, cùm obstinatiorem sese præberet, damnatus est igni: cujus timore ductus, impietatem publicè solemni ritu abjuravit. Haud tamen dimissus ne iterùm vagaretur, cùm metu non animo abjurâsset, rursùm in suis blasphemiis sibi placens, frustrà de iis deserendis sollicitatus, tandem igne crematus est impœnitens. Nrn sic qudam senex Polonus [b] minister Lutheranus, qui ad Vrbem hoc Iubileo curiositate magis quàm devotione accedens, cùm vidisset insignia pietatis opera quæ ibi fiebant; & demissionem Cardinalium, ipsiúsque Summi Pontificis, tum in aliis charitatis & Christianæ humilitatis officiis, tum in pedum peregrinorum ablutione & abstersione; adeò his exterioribus commotus est interiùs, ut publicè in basilicâ Sancti Petri sese ad pedes Pontificis cum multis lacrymis & gemitibus offerens, hæresim detestatus sit, qui absolutione acceptâ, ac visitatis grandi compunctione Ecclesiis ad Iubilei consecutionem, post triduum ingenti animi consolatione decessit.

[a] *Vid. Florim. de orig. hær. lib 4. cap. 12.*

[b] *Ibid. c. 13.*

III. TRACTATUR DE CONCORDIA BELGIJ.

Dum hæc Romæ agerentur, intereà Maximilianus Cæsar mitis Princeps, pacísque studiosus, ad res in Belgio componendas Guntherum Comitem Schuartzemburgium misit: qui post rem cum Requesenio Protege communicatam, Dordracum appellens vigesimo Martij cum Aurangio & Geusiorum delegatis eodem accedentibus de eâ egit: decretúmque fuit, ut colloquium utriusque partis Bredæ institueretur sub sequenti mense Februario. Vbi cùm à Geusiis postularetur ut

Hispani

Hispani, quos exteros vocabant, è Belgio deducerentur,& convocatis omnium provinciarum delegatis, communi omnium consultatione tum de ceteris rebus,tum de religione deliberaretur: respondens Regis Philippi nomine Arnoldus Sasbutus, mirari Regem ait quòd Aurangius & sui Hispanos pro exteris haberét, qui non minùs quàm ipsi Belgæ suæ ditionis essent; potiúsque Gallos, Germanos Anglos, ac ceteros qui Aurangio militarent, exteros censeri debere: neque tamen Regis mentem esse, ut pace in Belgio constitutâ, diutiùs Hispanos ibi retinere vellet,nisi aliud necessitas suaderet: Neque item Regem consilia Ordinum respuere,verùm in causis dumtaxat quarum cognitio ab antiquo ad illos pertinere dignosceretur; atque ita ut non in illorum arbitrium conferretur, quod à regiâ potestate, aut ejus summo Belgij præfecto, & provinciali Senatu dependeret; Generalem autem omnium provinciarum conventum prolixioris esse moræ;nec perfectè fieri posse, nisi priùs Hollandia & Zelandia, ac ceterarum provinciarum fœderatæ eis civitates arma deponerent,ac se Regis obedientiæ subjicientes,cum reliquis se conjungerent. Secundùm hæc,proposita à Sasbuto concordiæ capita; ut sancitâ præteritorum oblivione, utrimque erepta quæ extarent restituerentur; privilegia, leges, ac jura omnia conservarentur; captivi sine pretio dimitterentur: ita tamen ut urbes, arces, munitiones, naves, machinæ bellicæ Regi bonâ fide traderentur; & religio Catholica Romana ubique & sola constitueretur, permisso iis qui eam profiteri nollent, bonis suis intra certum tempus divenditis, aliò migrare. Adhæc cùm Aurangius & sui scripto dato in prioribus suis petitionibus perstarent; & Hispanorum crudelitatem ac truculenta consilia exaggerantes, iis haud se fidere posse contestarentur, nisi sibi idoneè caveretur: denique regios legatos rogantes, num alia mandata haberent, & utrùm hæc esset absoluta Regis sententia;ubi audierunt non alia expectanda esse, ampliùs deliberandi spatium postulàrunt: ac soluto conventu, alio scripto publico de regiis questi sunt,quòd non bonâ fide secum egissent; & si alij æquiores ac non suspecti mitterentur, cum iis deinceps agere obtulerunt. Contra quos regij aliud scriptum in suî defensionem promulgârunt, quo omnem culpam in Geusios derivârunt.

IV. Geusij in arcium redacti.

Post quæ bello recrudescente, Geusij toto ferè continente pulsi fuêre, atque etiam in Zelandiæ insulis nonnulla oppida amiserunt; in eum denique statum redacti sunt, ut cùm legitimo domino subesse detrectarent, ad fovendam tamen suam rebellionem de patrocinio potentissimi alicujus Principis vicini implorando deliberaverint. Electa præ ceteris Elisab tha Angliæ Regina quæ initio Hispanorum inimicitias,Gallorum invidiam, & maximos bello gerendo sumptus causata, se excusans, postea tamen illud suscepit. Interea verò Aurangius, repudiatâ ob adulterium Annâ filiâ Mauritij Electoris Saxonici mense Iunio, (ex doctrinâ quidem Calvinianâ, sed contra Paulinam & divinam) vivente adhuc eâdem Annâ aliam superinduxit, Carlotam Borboniam Ducis Mompenserij filiam; superaddito etiam incestu, quòd hæc in monasterio Iovariensi religionem vovisset; & nullâ obtentâ dispensatione, aut declaratione minoris ætatis quam obtendit, illinc exîsset, ejerato & voto, ejeratâ & religione Catholicâ, & ad Fridericum Electorem Palatinum se contulerat. Nec id religione salubrius, quod idem Aurangius Ordinibus Bataviæ auctor fuit ut Academiam Lugduni Batavorum instituerent:quippe quòd etiamsi creverit illa ad eam amplitudinem, ut cum quàvis aliâ comparari possit literarum humaniorum eruditione; sit tamen ferè Calvinismi officina; ad id erecta ut in eo pueri illorum instruerentur, quemadmodùm & non ita pridem Philippus Rex Duacensem instituerat,ne Belgica juventus literarum causâ ad exteros proficisci cogeretur, atque hæreses imbiberet.

Aurangij incestus.

Academiæ Leidensis et Duacensis.

V. Henricus Rex inauguratur.

In Galliâ Rex Henricus Avenione mense Ianuario recedens,Remos ad inaugurationem de more perrexit: accepítque eam die Dominicâ decimatertiâ Februarij,à Ludovico Cardinale Guisio Episcopò Metensi,sede Remensi vacante per decessum Caroli fratris ejus nuper Avenione defuncti, cum nondum ipse Ludovicus nepos; ad eam à Rege nominatus, consecratus esset. Postridie uxorem duxit Aloisiam Nicolai Lotaringij Comitis Valdemontij filiam,præstanti formâ & virtute virginem. Lustratísque deinceps sacris locis,visitari à Regibus post inaugurationem consuetis, Lutetiam adivit, summâ pompâ populíque lætitiâ exceptus.

VI. Tractatur de satisfactione sectariorum.

Ibi paulò pòst audivit delegatos Principis Condei, Marescalli Damvillæ, & sectariorum regni, qui ipsius Regis permissu Basileam ad Condeum profecti fuerant, ad consultandum; sicuti præseferebant, de modis firmæ pacis constituendæ; sed, ut apparuit, ad stabilienda consilia sua de bello internecino patriæ inferendo,quippe qui sub specie libertatis conscientiæ, & publicæ tranquillitatis, ejusmodi conditiones proposuerunt, ut non posset eas Rex absque summa suâ ignominiâ, & nimiâ religionis Catholicæ depressione concedere. Veluti cùm peterent, liberum ac publicum sibi toto penitùs regno,& omnibus ac singulis Regis ditionibus, sine ullâ exceptione aut modificatione, exercitium religionis secundùm cunctos ipsorum ritus, necnon colloquium ac synodorum ad libitum celebrationes,concedi:item cameras bipertitas in omnibus Parlamentis; exemptionem à decimis de bonis ac fructibus suis Clero solvendis; receptionem indiscriminatim ac promiscuè cum Catholicis ad omnia & singula officia & munera publica; retentionem omnium urbium quas tunc occuparent, atque insuper binas alias pro suâ securitate arbitrio Condei;aliáque ejusmodi plurima. Quæ cùm iniquiora viderentur quàm ut concedi possent;post multas nihilominùs contentiones & altercationes, Rex, cui erat cordi regni tranquillitas, obtulit octo urbes in Ocitaniâ, sex in Aquitaniâ,duas in Allobrogibus, securitatis causâ, modo ceteras restituerent: augmentum Iudicum ex ipsorum numero, qui de eorum causis cognoscerent; libertatem conscientiæ toto regno, modò pacatè se con-

scientiæ

scientiæ toto regno, modò pacatè se continerent: facultatem conveniendi publicè ad sua sacra in omnibus locis quæ tenerent, exceptis quatuor urbibus Ocitaniæ; idémque juris nobilibus qui summum imperium in suis jurisdictionibus haberent; qui verò medium tantùm vel infimum, cum familiâ solâ convenire possent, modò id non in urbibus, aut decem à Lutetiâ, duabúsve ab aulâ leucis. Verùm cùm nec his satisfieret delegatis, solutum est tunc colloquium; cum spe illud redintegrandi, postquàm ipsi cum iis à quibus missi fuerant, rem contulissent; qui mox nullâ colloquiorum aut tractatûs pacis habitâ ratione, hostilia ubique exercentes, multa loca occupârunt quà vi, quà fraude.

VII. Alenconius Dux fit Princeps seditiosorum.

Quando & Franciscus Dux Alenconius Regis frater, quem nonnulli scribunt in vitam Regis machinatum esse, sibi ab eo timens, noctu clàm Lutetiâ aufugit decimosexto Septembris, & Drocum in Carnutibus ditionis suæ oppidum pervenit. Unde postridie de more tumultuantium, scriptum evulgavit de suâ egregiâ erga regnum, ejúsque universos ordines voluntate, ac desiderio omnia in antiquum splendorem restituendi, remotis à rerum clavo iis qui pacem publicam perturbarent: quem nihilominùs abscessisse demùm apparuit, ut publicæ quietis constituendæ colore res suas ageret, & opimiores conditiones firmandæ imposterùm in regno potentiæ suæ à fratre extorqueret. Ad Pictones cùm pervenisset, hæreticorum causæ pro tempore favere videri voluit, à quibus summi armorum pro regni tranquillitate susceptorum ducis titulo ornatus est. Ac nihilominùs ne id sibi fraudi in aliis negotiis imposterùm esset, apud Pontificem per missos & literas conjunctionem cum hæreticis & politicis, ex vitæ periculo & extremâ necessitate, necnon spe subsecuturæ hâc viâ tranquillitatis, excusavit: Reginâ autem matre ad ipsum reducendum eunte, post multa colloquia, interventu præcipuè Monmorantij Marescalli; quem in ejus gratiam libertati unà cum Cosseo restitutum Regina secum duxerat, cùm de pacis conditionibus conveniri non posset, in inducias consenserunt, à die 22. Novembris usque ad 25. Iunij sequentis anni, amplissimis tum ipsi Alenconio, tum hæreticis conditionibus; quibus nihilominùs spretis, Condeus magnas copias in Germaniâ ope Electoris Palatini collectas, in patriæ perniciem ducere non cessavit: ad quam etiam sanguinarius Beza Rupellenses ac socios literis suis animavit. Earum tamen præmissa pars sub Thoreo Monmorantij fratre, ad Theodorici castrum deleta est à Guisio: qui eâ pugnâ sclopeti ictu in malâ sinistrâ honorificum vulnus accepit. De ceteris eorum conatibus, & resumpto bello, dicetur posteà.

VIII. Poloni tractant de novo Rege eligendo.

In Poloniâ inter hæc convenientibus Stenziciæ regni ordinibus, sicut anno superiori deliberatum vidimus; cùm Rex Henricus ad diem ei significatum non adfuisset, & Pibracius ab eo ad jus suum sustinendum missus, variis impedimentis in itinere detentus, adesse tempori non potuisset; denique ipsi Poloni præmissis à Pibracio literis, parùm, ut potè ad Regis abdicationem proniores, moti fuissent: die decimoquinto Iulij decreto publico declaratum fuit, Henricum regno excidisse; jámque interregnum esse, non aliter quàm si is vitâ functus esset. Indictísque ad Calendas Decembris Varsaviæ comitiis novo Regi creando; rejectis ceteris competitoribus, qui multi erant (videlicèt Maximilianus Cæsar, Ioannes Rex Sueciæ, Alfonsus Dux Ferrariensis, Ioannes Basilij Magnus Moscorum Dux) à maximâ Senatorum parte *Maximilianus* electus fuit; & per Archiepiscopum Gnesnensem proclamatus decimoquinto Decembris. Sed huic proclamationi, ut loco & more non factæ, reclamantes multi præcipui proceres, cum maximâ parte nobilitatis, & Regem ex genere ac sanguine Polono deligendum censentes, nec tamen de certo ob æmulationes convenientes; mediâ initâ viâ, *Annam* Sigismundi-Augusti sororem virginem circiter quadragenariam, pietate, religione, aliísque virtutibus ornatam, Reginam constituerunt; eíque Stephanum Bathorium Transilvaniæ Principem (ab Amurate [c] Turcorum Imperatore, cum absolutâ ceterorum omnium exterorum exclusione, etiam commendatum) maritum destinârunt, ac proclamârunt. Misísque ab utrâque parte ad alterius electum, qui dehortarentur à regno alteri legitimè collato adeundo; paritérque legatis aliis ab unaquâque ad suum electum, ad ejus adventum accelerandum priusquàm adversarius adveniret, cùm in eo res esse videretur ut regnum primo occupanti cederet: dum Maximilianus cunctaretur conditiones electioni appositas confirmare, nováque consilia pro electione Ernesti filij proponeret; ac propterea multis hinc inde itationibus & scriptionibus tempore inutiliter protracto, *Stephanus* conditionibus omnibus facilè admissis, relictâ Transilvaniâ fratri suo Christophoro, ipse sese confestim itineri tradens, in Poloniam pervenit: & Annâ uxore ductâ, Cracoviæ Calendis Maij anni proximi Rex Poloniæ inauguratus est. Ad quam injuriam ulciscendam, suámque electionem tuendam Maximilianus, seriùs suæ tarditatis pœnitens, arma parare cœpit. Quem quidem ejus regni privatione dignum inde quis fortè existimaverit, quòd in ejus prensatione usus [d] maximè sit ministerio *Andreæ Dudithij*, hominis quidem rerum experientiâ insignis, atque ideò multis legationibus ab eo honestati, & ingenio ac morum elegantiâ Polonis accepti, sed à religione Catholicâ apostatæ: qui cum Episcopus esset Quinqueecclesiensis in Hungariâ, interfuissétque Concilio Tridentino; personæ dignitatísque suæ oblitus, aliquot antehàc annis, non sine summâ omnium admiratione, ac famæ nominísque sugillatione, sceleratis innixus consiliis, insano puellæ è gynæceo Reginæ Poloniæ amore inflammatus, à verâ religione ad damnatos errores desciscens, nuptias cum eâ peregit: nec semel insanire contentus, eâ mortuâ alteram duxit, ac liberos suscepit: donec tandem, nulli religioni addictus, sed vago Dei cultu vivens, Vratislaviæ Silesiæ repentinâ apoplexiâ correptus, infelicem animam exhalavit anno Domini 1589. ætatis quinquagesimo sexto.

[c] Ext. litt. ap. Natal. lib. 26.

Stephanus Bathorius fit Rex.

[d] Isthuanff. lib. 24. Florim. lib. 4. cap. 12.

Andreæ Dudithii apostasia.

Hoc

IX. RUDOLPHUS REX ROMAN.

Hoc eodem anno comitiis Imperij Ratisponæ creandi novi Regis Romanorum causâ celebratis, quibus interfuerunt Electores & frequentes alij principes, civitatúmque delegati; *Rudolphus* Maximiliani Cæsaris filius primogenitus, jam olim coronatus Rex Hungariæ anno 1572. ac nuper 22. Septembris Boëmiæ; in Regem Romanorum electus est 27. Octobris; coronatúsque Calendis Novembris, agens annum ætatis 24.

X. GENUENSES TURBÆ.

Iam diù valdè est cùm à rebus Genuensibus abstinuimus, quarum soliti eramus singulis fermè annis meminisse ob frequentissimas commotiones, quæ in tam mobili quàm nobili civitate oriebantur & grassabantur. Longæ tranquillitatis causa fuit, forma Reipublicæ anno 1528. ab Andreâ Auriâ, post libertatem patriæ partam, ut vidimus, constituta: vel potiùs summa ejus in Republicâ auctoritas, quâ factum est, ut quamvis non deessent querelarum occasiones, quamdiù tamen ipse vixit, qui ad decrepitum senium pervenit, quietiùs singuli agerent. Tantùm anno 1547. post conjurationem, cujus ibi meminimus, dissipatam, ex Auriæ consilio à sorte ad electionem magistratuum creandorum ratione traductâ, creati fuerant Octo-viri Reip. ordinandæ, quatuor ex Antiquis nobilibus, totidem ex Novis; ex cujusmodi duabus classibus composita fuerat forma illa anni 1528. Sicque res perseveraverat usque ad annum 1570. quo ob repulsam cujusdam ex Novis in alicujus muneris petitione, multorum annorum intermissæ Novorum querimoniæ, qui ab Antiquis contemptim haberi consueverant, renovatæ fuêre: ac subinde alia & alia inciderunt, quæ acerbatis semel animis penè exitiabiles in civitate motus excitârunt; infimâ quoque plebe, quæ per formam prædictam à Reip. muneribus & honoribus rejecta erat, ad honores & magistratus cum ceteris civibus admitti petente. Adeò ut non jam duæ, sicuti priùs, sed tres factiones fuerint, Antiquorum, Novorum, ac Plebeiorum: unde seditio orta est perniciosissima, quæ Rempublicam penè hoc anno evertit; actâ re primùm verbis & scriptis, deinde armis, etiamque externis accitis. Donec belli, & aliorum impendentium periculorum pertæsis omnium animis, interventu missorum à Gregorio Summo Pontifice, patre omnium communi, Maximiliano Cæsare Genuensem Remp. Imperij beneficiariam asserente, & Philippo Hispaniæ Rege ejus defensore ac protectore, ad concordiam ventum est mense Martio sequentis anni: quâ abrogatis factionum nominibus, decretum fuit ut cuncti in censu civitatis descripti in Reipublicæ administratione pares & æquales haberentur; & qui artes mechanicas exercerent, antequàm in eum ordinem cooptarentur, eas dimittere tenerentur: aliáque addita, quæ videre est in hujus dissidij descriptione prolixè à diversis [e] factâ.

[e] Vbert. Foliet. propr. comment. Natal. lib. 25. 26. 27. Campan. Hist. Mund. lib. 6. & 7.

XI. ORATORII CONGREGATIONIS INSTITUTIO.

Hoc anno Gregorius Pontifex precibus annuens PHILIPPI NERII presbyteri Florentini, ac præpositi nonnullorum presbyterorum & clericorum sæcularium in modum congregationis sub ejus directione viventium, concessit ei Ecclesiam parochialem Beatæ Mariæ Vallicellæ Regionis pontis seu parionis de Urbe, in quâ ab ipsis & cura animarum parochianorum exerceri, & peculiaria eorumdem presbyterorum & clericorum instituta celebrari possent. Simúlque eamdem Congregationem DE ORATORIO nuncupandam in eâdem Ecclesiâ erexit & instituit, cum facultate statuta & constitutiones pro salubri statu & directione Congregationis condendi, editâ eâ de re constitutione [f] Idibus Iulij præsentis anni. Conditasque constitutiones confirmavit posteà Paulus [g] V. anno 1612. Viguit admodùm Congregatio sub eodem Philippo ejus institutore, pietate & doctrinâ, viros producens utrâque eâ virtute, aliísque Christanis dotibus insignes. Inter quos eminentissimè præcelluit CÆSAR ille BARONIUS, cujus nomen per universum terrarum orbem in benedictione & laude existit: erátque jam tum in contubernio Philippi. De quo, & Philippo, plura hîc dicere supersedemus, quoniam notiora sunt quàm ut hîc repetantur. Quomodò verò Congregationis Oratorij institutio respondeat formæ conventûs à Paulo Apostolo Corinthiis [h] præscripti, dicente: *Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet: interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant: Sive linguâ quis loquitur secundùm duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur, &c.* idem Baronius de eâ epistolâ agens, per singulas partes in suis Annalibus [i] explicat.

[f] Bullar. to. 2. Gregor. XIII. const. 101.
[g] Bullar. to. 3. Paul. V. const. 92.
[h] 1. Cor. 14.
[i] Annal. to. 1. an. 57. n. 164.

IESU CHRISTI Annus 1576.
GREGORII XIII. Ann. 5.
MAXIMILIANI II. Ann. 12.

I. PESTIS SÆVISSIMA.

ANNO Christi millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, Indictione quartâ, cùm multa funesta tractanda sint, ordiemur à funestissimâ pestilentiâ, quæ præcedenti anno cœpta, præsenti & sequenti immaniter totâ Italiâ grassata est, cujus contagia à Tridenti urbe (ubi cuncti ferè incolæ ejus vi absumpti sunt) Veronam primùm illata, & posteà Venetias, ad septuaginta, vel etiam centum millia hominum ibi abstulisse memorant [a], ac per reliquam ditionem pari penè strage sævisse. Mediolani, Cremonæ, Papiæ, innumeri quoque perierunt; Carolo Borromæo, Nicolao Sfondrato, Hippolyto Rossio Cardinalibus earum urbium Episcopis nullam non diligentiam, nullum non pietatis & humanitatis officium adhibentibus, ut ægris solatio, & rebus contra tam sævum malum necessariis, in tempore subveniretur. Carolus imprimis ægros invisere; & quasi de contagione securus, seu veriùs ut bonus pastor vitam pro ovibus suis exponens, eos sedulò visitans paterno reficiebat affectu, & Ecclesiæ sacramenta propriis manibus administrabat; humillimísque interim precibus reconciliator accedens, publicâ supplicatione indictâ, fune sibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam offendi-

CAROLI BORROM. INSIGNIS CURA POPULI SUI.

[a] Vid. Natal. lib. 27. & Mauroc. lib. 12.

culo

culo cruentatis, crucem bajulans semetipsum pro peccatis populi hostiâ offerens, divinam indignationem avertere satagebat: præter totam supellectilem domesticam; ne relicto sibi lectulo, in eosdem alendos collatam, super nudâ imposterùm tabulâ ipso decumbente. Cujus egregius imitator Augustinus Valerius Veronæ Episcopus, posteà etiam Cardinalis, diligentem & ipse sui gregis curam gessit.

II. ALENCONIJ FRIVOLÆ EXCUSATIONES.

Ut verò his præmissis, ad alia funesta gesta accedamus; in Galliâ die 7. Ianuarij Dux Alenconius, quem vidimus adversus fratrem dominúmque suum insurrexisse, ut causam suam Senatui Parisiensi speciatim probaret, (quod priori scripto apud omnes generatim tentaverat, nullâ tamen ei fide ab ullo habitâ) literas ad eum scripsit, quibus de fide suâ & obsequio in Regem, charitate erga patriam, & regni tranquillitatis studio, multa præfatus, invitum se facere dixit, quòd externas copias in regnum introduceret, se cogi se ad perniciosa hostium regni consilia disturbanda: postremóque rogavit, auctoritatem suam apud Regem interponere ad belli necessitatem excusandam. Literæ cùm allatæ essent ad Christophorum Thuanum Senatûs principem, cum aliis privatim ad ipsum directis; eas ille, ut erant, obsignatæ ad Regem detulit: qui viri æquissimi, & summi regiæ majestatis cultoris prudentiam laudans, literas premi jussit: quarum nihilominùs exempla per hominum manus ab emissariis Alenconij sparsa passim Lutetiæ visa sunt.

III. GERMANORUM ADVENTITIÆ COPIÆ.

Externæ autem copiæ quas innuebat, illæ erant quas Condæus & Casimirus Electoris Palatini filius in Germaniâ collectas eodem mense Ianuarij in regnum adduxerũt: nequicquàm Rege multâ oblatâ pecuniâ earum ingressum remorari conato. Erat exercitus decem circiter millium equitum Germanorum & Gallorum, peditum duodecim Germanorum, Helvetiorum, Gallorum: apparatus bellicus quatuor majorum & sedecim minorum tormentorum. A quibus quanta mala & scelera commissa fuerint quaquaversum accesserunt, quantæ incensiones, profanationes, violationes, direptiones, dirutiones, interneciones; facilè possunt conjicere, qui nihil crudeliùs hæresi, nihil Calvinisticâ sævitiâ truculentius, nihil militari libertate, hominum præcipuè seditiosorum, & stipendiorum defectum continuè obtendentium, inhumanius esse sciunt. Post multos circuitus, ad Alenconium in Boiis pervenerunt 11. Martij, eíque summum copiarum omnium imperium detulerunt; quæ eis junctæ quas ipse adduxerat, amplius triginta bellatorum millia efficiebant. Quòd verò tot & tantis direptionibus ac prædis onusti licèt exteri, non tamen cessarent de non repræsentatis pecuniis promissis quiritari, nec essent Principes fœderati præ penuriâ iis solvendis; collatis apud Molinium in commune capitibus cum delegatis Hugonotorum, Damvillæ, ceterorumque Politicorum, necnon Regis Navarræ: (qui nuper & ipse inanibus ductus terroribus, quos ingerebant qui parùm benè ei volebant, exeunte Februario specie venationis ex aulâ discedens, ejeratâ religione Catholicâ, in Aquitaniam convolaverat) tandam rursùm pacem visum est, cum spe fore ut Rex, cujus tunc vires longè minores erant, petitionibus suis quantumlibet iniquis, facilè subscripturus esset.

IV. EDICTUM IN FAVOREM SEDITIOSORUM.

Quibus tamen durioribus repertis, quàm ut Rex eas concoquere posset; Reginâ matre ad castra Alenconij accedente cum Francisco Mommorantio Marescallo, post multas verborum concertationes, tandem in Belliloci cœnobio juxta Lochias in Turonibus conventum est mense Maij: edictúmque non minùs iniquum quàm coactum conditum, sexaginta duobus capitibus absolutum; quo præcipuè sancitâ omni præteritorum oblivione, libera religionis professio per universum regnum, dummodò per locorum dominos liceret, permittebatur; cum Synodorum etiam convocandarum facultate, modò iis unus ex Regiis præfectis interesset: de Sacerdotum & Monachorum conjugiis jam contractis omnis controversia prohibebatur, ac liberi ex iis suscepti legitimi declarati, cum facultate succedendi in bona mobilia & adventitia soli dumtaxat, ab omni aliâ successione exclusi: sectarij ad honores & magistratus & publica munia, perinde atque Catholici admittebantur: memoria eorum, qui quocumque supplicio affecti fuissent, in integrum, eorúmque heredes in bona restituebantur, in cunctis Parlamentis judices ex sectariis pari numero cum Catholicis creabantur ad jus inter eos dicendum: ad audiendas populorum querelas comitia regni libera intra sex menses Blesis indicebantur: octo urbes diversis provinciis securitatis causâ concedebantur. Multa quoque Casimiro promissa: Alenconio verò Bituriges, Turones, & Andes attributi, cum centum aureorum millium pensione annuâ, & nominatione beneficiorum in cunctis suæ ditionis provinciis. Hísque & aliis ejusmodi concessionibus, solutum est bellum; dimissæque copiæ, multis laboribus & sumptibus collectæ; nulli verò majori operæpretio adhibitæ, quam nonnullorum locorum debilium ad direptionem oppugnationibus, & campestrium rapinis ac dilapidationibus.

V. ALIENATIO BONORUM ECCLESIASTIC.

Ad quas e regno emittendas cùm multâ opus esset pecuniâ, exhaustúmque tot sumptibus esset ærarium regium; recurrendum fuit de more ad sacros Ecclesiæ Gallicanæ proventus: de quorum alienatione usque ad summam quinquaginta millium aureorum annui redditûs, obtinuit Rex à Gregorio Pontifice facultatem[b]; misso eâ de re diplomate decimoquinto Calendas Augusti ad Cardinales Carolum Borbonium, Ludovicum de Guisiâ, & Ludovicum Estensem tunc in Galliâ agentem, necnon ad Antonium-Mariam Episcopum S. Pauli Nuncium Apostolicum, Petrum Gondium Episcopum Parisiensem, (qui ad illud impetrandum missus fuerat à Rege Romam) Florentinum Regnard Carnotensem, & Bonum Broé sanctæ Capellæ regalis canonicos. Quod promulgatum fuit in Senatu Parisiensi septimo Septembris: absque tamen approbatione clausulæ diplomati insertæ, ut distractio bonorum fieret etiam invitis & contradicentibus possessoribus; & aliis quibusdam ad-

b *Ext. in collect. negot. Cleri Gallic. to. 2. par. 2.*

ditis conditionibus in favorem Cleri.

VI. FOEDERIS CATHOLICORUM INITIUM.

Iniquioribus verò existimatis passim conditionibus superiori edicto hæreticis concessis, qui etiam mox petulantiores iis facti cernebantur; propterea plurimi Catholici eas minimè ferendas, quippe quibus religio Catholica brevi subvertenda foret, crebris sermonibus dictitantes; novum Fœdus inter sese inire decreverunt, quo & se, & suos, & quæcumque sua, pro Religionis Catholicæ & Regis ac Regni defensione devoverét. Initium factum in Picardiâ: cujus provinciæ præfectura cùm destinata fuisset Condeo, & Perona munitissimum ejus oppidum pro domicilio, Picardi, qui præ ceteris ferè Gallis religionis Catholicæ sese semper solicitiores assectarores exhibuerunt, ab eo sibi timentes, quem recèns viderant potentissimum exercitum in regni & religionis perniciem introduxisse; non solùm recusârunt eum in urbem admittere; verùm etiam ut sibi & religioni caverent, auctore Iacobo Humerio ex primariâ provinciæ nobilitate, Peronæ, Montis-desiderij & Roiæ præfecto, & tam ceteræ nobilitati quàm populo acceptissimo; fœdus ejusmodi, Ecclesiastici; nobiles, oppidani, quod sacrum dixerunt, jurejurando interposito, inierunt. Eósque imitata est Pictonica nobilitas, duce Ludovico Tremolio ejus facilè principe, eadémque facilitate aliis quoque provinciis idem acceptum. Erant autem ejus conditiones; ut præmisso sanctæ & individuæ Trinitatis nomine, omnes sese obligarent ad restituendam in integrum Legem Dei, ejúsque cultum juxta ritum S.R. Ecclesiæ, abjuratis & rejectis omnibus erroribus ei adversantibus: ad tuendum Regem Henricum III. ejúsque successores Reges Christianissimos, in statu, splendore, auctoritate, obsequio, & reverentiâ, quæ illis à subditis debentur: ad asserenda singulis regni provinciis, earúmque ordinibus jura, prærogativas, immunitates, & antiquas libertates, quales erant tempore Clodovei primi Regis Christiani, atque etiam si fieri posset meliores. Additæ his leges pro conservatione fœderis, unione in eo servandâ, executione articulorum ejus, promptâ obedientiâ, & fideli obsequio, præstandis præfecto ejus generali qui crearetur, ac detestatione & punitione eorum qui ab eo recederent. Formula denique jurisjurandi apposita, ut tactis sanctis Evangeliis, & sub pœnâ anathematis & damnationis æternæ, jurarent se ingressos esse in eam sanctam societatem fideliter & sincerè, atque in eâ perseveraturos usque ad ultimum vitæ terminum.

VII. AN GUISIUS EJUS AUCTOR.

Hæcque volunt initia fuisse pestilentissimi illius Fœderis, quod plures post annos erupit contra ipsum Henricum Regem; incentore Henrico Duce Guisio, quem per innominatum præfectum in conditionibus fœderis hoc anno compacti designatum, intellectum multi existimant. Quod ut verum sit, haud tamen existimamus eum jam hoc tempore ad regni fastigium aspirasse, cùm adhuc videret Regem, ejúsque fratrem, juvenes, & aptos ad gignendos successores; sed tantùm ad imperium armorum regiorum, quod pater ejus exercuerat: postquàm autem & mortuum Alenconium, (qui deinceps Andinus dictus est, post obtentum à Rege nobiliorem ejus principatum) & Regem absque prolis spe esse, ac Principes sanguinis longè semotos vidit; tunc demùm id cogitâsse, quo sibi ipsi justo Dei judicio perniciem procuravit. Quod verò hæretici jactârunt, Gregorium Pontificem consensisse huic primo fœderi; & scriptum quoddam promulgârunt Davidis cujusdam Advocati Parisiensis nomine confectum, de tractatu super eo habito seu habendo cum Pontifice in gratiam Guisij, & restitutionem antiquę linę Carlovingiorum, è quâ se ortum Guisius profitebatur; merum fuit hoc otiosorum nugatorum & calumniatorum inventum, adeò ineptè concinnatum, ut vel solâ lectione manifestissimè impostura appareat. Et quod ad Pontificem attinet; etiamsi daremus, apud Davidem hominem (ut Thuanus [c] de his agens vocat) prostituti pudoris, ac fidei, ejusmodi argumenti scriptum, seu quod ipsemet conflâsset, seu ab aliis conflatum Romam detulisset, repertum fuisse; Gregorium tamen ei suffragatum esse, neque eo scripto proditum fuit, neque ullo alio argumento probari potest: quinimmò ne tunc quidem cùm Guisius apertè se detexit, ne dum hoc tempore, Pontificem fœderi favisse, sed semper patrem se amantissimum, & fidum Henrici Regis amicum exhibuisse; vel ipso teste Serrano, seu ejus Continuatore, utroque hæretico, ac proinde Pontificum hoste, apertè intelligitur; dum ad finem anni 1584. scribit, oblatum tunc fuisse Fœdus Gregorio ut illud approbaret, tamquam pro ornamento & propugnatione Ecclesiæ Romanæ conditum: verùm Gregorium annuisse quidem ut contra hæreticos ageretur: at nequaquàm motus illos populares comprobare voluisse, quibus cerneret involvi Regem Christianissimum & Catholicum; sícque nuncios inanes dimisisse. Ceterùm si Catholici hoc tempore fœdera inierunt pro defensione fidei Catholicæ, (quod tamen nullo modo inscio Rege fieri debuisse certum est, ideóque damnandos esse eorum auctores, quanrumvis illud solius dumtaxat religionis & regiæ auctoritatis intuitu, nullo alio admixto pravo consilio, præstitissent:) quâ fronte id eis hæretici objectare potuerunt, qui iis tot exempla præbuerunt coitionibus suis, & fœderibus non solùm intra regnum, sed maximè cum omni exterorum genere, tam contra Regem apertissimè, quàm contra religionem initis?

CALUMNIA IN GREGOR. PONTIF.

[c] Thuan. lib. 63.

VIII. REX SE FOEDERIS CAPUT DECLARAT.

Quòd tamen non immeritò ex his, sic à Catholicis parùm consideratè factis, graviores motus timerentur; ut jam non solùm sibi Rex ab hæreticis, qui conqueri cœperant conditiones edicto appositas nequaquam executioni mandari, sed pessimè secum plerisque locis agi, adeò ut non obscurè ad arma resumenda inclinarent; verùm etiam à Catholicis, qui ad hujusmodi fœdera obtentu iniquarum concessionum hæreticis factarum descendisse profitebantur; cavendum perspiceret; difficiléque nimis esse animadverteret horum fœdera dissolvere: majus periculū evitandum esse censens, Ioannis Morvillerij olim Aurelianensis Episcopi, viri prudentis, con-

silio

filio (non quidem tam honesto quàm necessario) non solùm ea probare statuit, verùm etiam se caput eorum ac principem declarare; quò sic omnem sibi auctoritatem vendicans, ceteros qui eam ambirent, intra obedientiæ & obsequij jurati terminos contineret. At non id continuò actum; sicuti nec horum fœderum cognitio; quæ clàm fiebant, tam citò in apertum erupit; sed tantùm cùm in comitiis ad finem anni celebratis res ampliùs manifestari cœpit.

IX. Comitia Blesensia.

Indixerat enim Rex, sicuti promiserat, Comitia Blæsis ad medium Novembrem. Quò tempore cùm omnes eò convenissent; post jejunia & publicas supplicationes indictas, & devotè celebratas, ut res benè ac feliciter verteret, 7. Decembris primùm convenerunt. Rex sublimi loco sub umbellâ sedebat: ad dextram infrà ipsum Regina parens, & paulò inferiùs Carolus Cardinalis Borbonius, Franciscus Marchio Contius, & Carolus Comes Suessionensis, Borbonij, fratres Principis Condei; Ludovicus Borbonius Dux Monpenserij; & Franciscus princeps Delphinus ipsius filius; Philippus Emanuel Lotaringius Dux Mercurij, frater Aloisiæ Reginæ; Carolus Lotaringius Mayeniæ Dux frater Henrici Guisij qui aberat; & à tergo eorum Iacobus Crussolius Uticensium Dux. Ad lævam sedebat Aloisia Regina conjux; & paulò infra Carolus Scarsius Lingonum, Gabriel Genensis Lauduni, Nicolaus Fumeus Bellovaci Episcopi & Franciæ Pares. In imo pegmate erat Renatus Biragus regni Cancellarius natione Italus: transtris infra dispositis, ad dextram sacri Ordinis delegati; ad lævam Nobilitas; retrò & à tergo plebeius ordo: in aliis ex tranverso, sanctioris Consilij Senatores. Quibus sic dispositis, Rex orationem habuit, quâ post expositum miserum florentissimi olim regni statum ex præteritis bellis, & boni Regis officium, testatus est nihil aliud sibi propositum, quàm salutem publicam & regni tranquillitatem, ac pacem inter alienatos ab invicem cives conciliandam: eáque propter rogare omnes per fidem & obsequium quo ipsi obstricti essent, ac per charitatem erga patriam, ut omni depositâ cupiditate, alieno affectu, & privatæ injuriæ sensu, in id omnes sincerâ animorum conjunctione incumberent, ut in remediis adinveniendis Principi suo mutuas operas præstarent; quibus pax æquè salutaris ac necessaria firmari, bellorum civilium ac dissensionum semina stirpitùs evelli, mores corrupti emendari, leges in pristinam integritatem ac dignitatem restitui possent. Post quæ Cancellarius de more rationes Regis oratione fulciens, cunctos ad navandam Regi in communi regni causâ operam hortatus est. Indéque à trium Ordinum delegatis actæ Regi gratiæ, & fidam quisque pro se operam pollicitus est.

X. Decretum de unica religione.

Agitato deinceps in comitiis capite de Religione, decretum est ut ad unitatem Catholicæ Apostolicæ Romanæ omnes regiæ ditioni subditi revocarentur: nonnullis quidem id ita intelligi volentibus, dum citra bellum & publicæ quietis perturbationem fieret; sed pluribus nullâ conditione appositâ, ut quâvis ratione fieret. Ex quo Rex bellum necessariò secuturum considerans, audiénsque jam sectarios omnis moræ impatientes, arma tractare, & in Santonibus ac Pictonibus multa oppida occupâsse; cùm ipse ad pacem & otium magis proclinaret, ut tantulam moram iis comitiorum consiliis interponeret, Ordinibus auctor fuit, ut ex eorum numero ad Navarrum, Condeum, & Damvillam, (qui nolentes Comitiis interesse, delegatos tantummodò miserant, magis ad explorandum quid iis decerneretur, & intercedendum decretis quæ ipsorum causæ incommodarent; quàm ad ipsa comitia approbanda, quæ iidem ipsi celebrari, liberéque in iis agi petierant: pro more sectariorum, qui cuncta fieri ad suum arbitrium appetentes, liberum sibi esse volunt velle & nolle, libertatémque aliis denegare, quam nihilominùs ab iis servari cupere præseferunt:) legati mitterentur, qui eos ad Comitia invitarent; rogarent consentire Regis & Comitiorum desiderio de unione omnium ad fidem Catholicam Romanam; & damna exponerent eventura si decretis Comitiorum non acquiescerent. Ex singulis igitur Ordinibus delagati fuêre ad singulos eorum missi: qui quod non nisi mense Ianuarij anni proximi in viam se dederint, in eum negotiationis eorum narrationem remittimus.

XI. Edictum de prærogativa Principum sanguinis regii.

Intereà verò Rex consilia fœderatorum Catholicorum suspectiora habere incipiens, ac præcipuè Guisiorum, quod illorum duces futuros non dubitabat, quò eorum potentiam nonnihil infringeret, edictum anno exeunte condidit, etiam alioqui æquissimum; quo sancivit, ut regij sanguinis Principes Pares Franciæ, ceteros omnes, quantumvis eâ dignitate anteriores, ubique, in Regum inaugurationibus, in supremis Curiis, in omnibus conventibus, locis ac ceremoniis publicis præcederent, quod edictum mox in Senatu Parisiensi octavo Ianuarij promulgatum fuit.

XII. Requesenis mors.

Res quoque in Belgio haud magis quieta; ex occasione præcipuè mortis Ludovici Requesenis Gubernatoris; quæ contigit ex improviso Bruxellis ex acuto & pestilenti morbo tertio Nonas Martij. Delectus is fuerat à Philippo Rege, vir summâ animi moderatione, ut contrariâ ab Albano ratione, provincias illas Albani inexorabili severitate alienatas, facilitate suâ reduceret. At contrà accidit, ut sub Requesene res longè in deteriùs abierint. Non enim adeò hæretici sunt dociles, ut æquitate aut benignitate ducantur: imperare ubique volunt in virgâ ferreâ; jugum ferre dominorum nesciunt nisi coacti. Eo mortuo Senatus in Belgio olim constitutus summum imperium continuò arripuit, donec de Regis voluntate constaret. Is verò periculum facere volens an eâ novâ administratione populi mitigari possent; Senatûs regimen confirmavit, (Patres suos eos appellans) donec aliter à se decretum esset. Verùm & id frustrà, quippe non jam solùm Geusij & antiqui sectarij liberiores nacti opportunitates, res suas valdè auxerunt; sed & illi quas eatenùs seu religio seu Principis reverentia tenuerat, moti se-

ditione Hispanorum ob non soluta stipendia tumultuantium, & passim grassantium, necnon præsidiorum intemperie ac tributorum exactione pressi, ad libertatem aspirantes, cum Aurangio & Geusiis conspirare cœperunt, sedulò ad id ab Aurangio ad omnem occasionem intentissimo solicitati.

Belgarum foedus contra Hispanos.

Factúmque demùm est, ut Ordines Belgij, Hispanis eorúmque fautoribus ac sectatoribus perduellibus publico diplomate declaratis, Fœdus inter se inierint, Consilij sui ac fœderis sede Bruxellis constitutâ. In quod etiam sacer Ordo valde improvidè nomen dedit; contra omne fas, alienæ à se religionis hominum conjunctionem Hispanorum legitimo, duro licèt dominatui præferens. Quo ad nihilum penè redactâ Senatûs auctoritate, & Hispanorum viribus admodùm debilitatis, nihilominùs haud se penitùs ij deserentes, decimoquinto Septembris propè Lovanium fœderatorum copias magnâ clade fuderunt; Trajectum vigesimo Octobris recuperârunt, ac diripuerunt; & Antuerpiam, totius ferè orbis opulentissimam urbem, à fœderatis contra arcis præsidiarios Hispanos firmatam, accurrentibus ceteris in eorum auxilium spe prædæ, longo ac duro certamine, grandíque cæde victam, crudeli immanitate diripuerunt, die quartâ Novembris.

XIII. Ioannes Austrius Gubernator Belgij.

Pridiè quàm urbs caperetur, jam Ioannes Austrius Philippi Regis nothus frater, ab eo post Requesenis mortem Belgicarum provinciarum summus præfectus destinatus, transitâ dispositis equis, & dissimulato habitu duobus tantummodò comitatus sociis, Galliâ, Lucemburgum advenerat; cùm audisset eum principatum in fœdus cum ceteris provinciis contra Hispanos consentire noluisse. Unde mox ad Senatum scribens, eo consilio se à Rege missum significavit, ut Belgium placaret, & compressâ externi militis licentiâ provinciis privilegia antiqua & immunitates confirmaret, atque Hispanis imperavit ut ab armis & vi imposterùm abstinerent. Nihilominùs proposito instantes Ordines, recenti Antuerpianæ direptionis casu exacerbati, nec tamen territi, ad Gandavensem arcem castra posuêre. Intra urbem verò coeuntes in unum Senatûs & Ordinum utriusque factionis, tam scilicèt Catholicorum quàm hæreticorum fœderatorum, necnon Aurangij & Hollandiæ ac Zelandiæ delegati, etiámque Prælati & Ecclesiastici viri; post multas disceptationes,

Conditiones foederis Gandensis.

in has præcipuè conditiones convenerunt octavo Novembris; ut præteritorum oblivione ante omnia sancitâ, deinceps inter Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Valencenarum, Insulæ, Duaci, Orchiarum, Tornaci, Namurci, Ultrajecti, Mechliniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ provincias firma & sincera pax & concordia esset, in id ut communibus consiliis & conjunctis viribus Hispanos Belgij hostes declaratos, & ceteros externos milites, Belgio ejicerent: iísque ejectis Ordines generales congregarentur, in quibus de rebus omnibus ad rempublic. pertinentibus, de religione, de armis ageretur, Albani placita de sectarij & aliorum criminum pœnis suspenderentur: Aurangius præfectus maris, & Hollandiæ ac Zelandiæ Regis Philippi nomine præses esset: donec post digressos Belgio Hispanos aliter ab Ordinibus decerneretur: atque interim religio Catholica Romana integra ubique, etiámque in Hollandiâ & Zelandiâ maneret. Quâ pacificatione, Gandensi dictâ, eodem die in castris Philippi Regis nomine, cui semper subesse velle præseferebant, promulgatâ, in arcis obsidionem incubitum est, quæ triduo pòst deditione in Ordinum potestatem venit: sicuti & Valencenæ, Teneramunda, Cameracum, Grœninga, & Frisia: Austrio interim tempus inutiliter in Lucemburgo terente, ac mutuis dumtaxat suspicionibus & diffidentiis cum Ordinibus certante.

XIV. Maximilianus agit pro jure suo in Poloniam.

In Germaniâ indictis à Maximiliano Cæs. Comitiis Ratisponæ, dum auxilia adversus Turcos quæreret, priùs pro regno Poloniæ sibi asserendo, (ad quod à magnâ procerum parte electum, sed à Stephano Battorio præventum, vidimus) cum principibus & Ordinibus agere cœpit: missis etiam in eam rem ad Daniæ & Sueciæ Reges legatis, qui arma adversus Stephanum Turcorum beneficiarium conjungi peterent. Obtulerat jam ea spontè Magnus Moscorum Dux Ioannes Basilides: sed non tam animo suppetias Maximiliano afferendi, quàm spe Livoniam à pluribus annis inter ipsum & Suecos ac Polonos controversam, dum bellum inter contendentes de Poloniâ ageretur, liberiùs invadendi, & sui juris faciendi. Cujus oblatione modestè remissâ, ob periculum à truculento & barbaro principe; idem Ioannes oblatam sibi à Stephano amicitiam non abnuit. Maximiliano autem etiam Gregorius Pontifex adeò favebat, ut actum [d] fuerit de fœdere inter ipsum, & Cæsarem, ac Catholicum Regem contra Stephanum sanciendo. Quando idem *Maximilianus* Cæsar his curis anxius, & dolori calculi ac cordis palpitatione debilitatus, ibidem Ratispouæ duodecimo Octobris animam Deo reddidit, cum præsente filio Rudolpho decreta conventûs in palatio Senatorio publicarentur, & nomina Principum qui subscripserant recitarentur: anno ætatis quadragesimo nono, mense secundo, die duodecimo: regni ab obitu patris anno duodecimo, mense secundo, die decimoseptimo. Princeps ab omnibus multùm laudatus, ac præcipuè de pacis & tranquillitatis studio: quo factum est ut minùs cautè multa Protestantibus pro firmitate ipsorum opinionum indulserit, quamvis semper ipsa à suscepto imperio constans in religione Catholicâ perstiterit. Cujus obitu evanuêre apparatus belli Polonici; & Stephanus in regno confirmatus fuit; atque à Pontifice susceptus. Adversus quem nihilominùs, cùm Romam oratorem misit ad præstandam de more Summo Pontifici obedientiam, Henrici [e] Francorum Regis orator intercessit ne admitteretur ob jura domini sui in regnum illud; (quippe & retinuit semper Henricus titulum Regis Poloniæ, unà cum Franciæ.)

[d] *Victorel. ex Annal. Gregor. PP.*

Eius obitus.

[e] *Natal. lib. 30.*

Quæ

Quæ intercessio adversus Stephanum regni possessorem cùm parùm Pontifici æqua videretur; ut tamen aliquâ ex parte Henrico satisfaceret, obedientiam Stephani suscepit *sine præjudicio Galli Regis.* Habenas autem Imperij post Maximiliani obitum suscepit, quem anno superiori vidimus in Regem Romanorum electum, ejus filius *Rudolphus* hujus nominis Secundus, annum agens ætatis vigesimum quintum.

Rudolphus II. Imperat.

XV. Mortuus quoque est hoc anno, ut Minadous [f] tradit, undecimo Maij, (cùm annum superiorem Bizarus [g] & Natalis ponant) *Thammasus*, seu Techmas, vel Thomas Rex Persarum, de quo sæpè superiùs; cùm regnasset annos quinquaginta, vixisset sexaginta octo; undecim post se relictis filiis. Quorum qui natu erat maximus Mahometes, (Hodabenda, seu Codabanda, ab oculorum infirmitate, ut Minadous scribit, cognominatus; quem & nonnulli omninò cæcum fuisse volunt, à fratre Ismaële, qui ante illum regnavit, lumine oculorum privatum: cùm Bizarus & Natalis [h] id nomen apud Persas Deodatum significare dicant; & alij, servum Dei, quod religiosæ vitæ addictus esset:) cùm vitæ tranquillæ regni curas & labores postponeret, arripuit illud primò *Haidar Mirizes* tertiogenitus: sed paucis pòst diebus insidiis sororis Periæ-Conconæ primogenitæ è medio sublatus, locum fecit *Ismaëli* secundogenito fratrum, quem pater Tammasus regno destinaverat, sed ob ferociam animi, & temerarias incursiones in Turcorum terras in quandam arcem relegaverat. Qui regnum more Turcico, Persis eatenùs insueto, ab octo fratrum juniorum parricidio inchoans, & abdicato Persarum religionis cultu ad Turcicum deficiens, iisque de causis in ceteros quoscumque sæviens; ejusdem Periæ-Conconæ sororis operâ, sexto regni mense, seu veneno, seu suffocatione oppressus est die vigesimoquarto Novembris. Post cujus necem evocatus à proceribus summis precibus, qui solus supererat *Mahometes Hodabenda*, eâ conditione regnum accepit, si priùs sibi caput Periæ-Conconæ pessimæ feminæ deferretur, quod & factum est. Ex quibus tumultibus, & frequentibus mutationibus, cùm regnum è pristino nitore ac dignitate multum perdidisset, variæque seditiones & motus civiles vigerent: hinc Amurates Turcorum Imperator in summam spem erectus ejus regni potiundi, bellum Hodabendæ inferre decrevit. De quo dicetur posteà.

f Minad. Bell. Turco-persf. lib. 1.
g Bizar. Rer. Pers. lib. 11.
Nat. lib. 27.

Tammasi Regis Persar. mors.

h Nat. lib. 28.

Filiorum dissidia.

Hodabenda regnat.

XVI. Intereà Gregorius Pontifex duodecimo Octobris Sodalitatem, seu Confraternitatem *Recommendatorum* Beatæ Mariæ Virginis *Confalonis* etiam nuncupatam, Romæ jam anno millesimo ducentesimo sexagesimoquarto, à nonnullis patritiis Romanis, ex revelatione, ut creditum fuit, ipsiusmet Virginis, institutam; (cui deinceps Sanctus Bonaventura, ad confratrum devotionis incrementum, facilem orandi formam præscripserat, Coronam nuncupatam; quâ scilicèt loco Horarum canonicarum, vigesies quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, cum versu Gloria Patri; necnon septies easdem orationem & salutationem, cum versu Requiẽ æternam, recitare tenerentur:) confirmans tam quoad ipsam Confraternitatem, quàm quoad Coronam, pluribus etiam indulgentiis insignivit: quæ constitutione [i] eâ de re editâ continentur. Eamdémque Confraternitatem posteà, die scilicèt vigesimosexto Aprilis 1579. in Archi-fraternitatem erexit cum facultate alias sibi Confraternitates aggregandi. Eidémque rursùm vigesimosexto Iulij 1583. curam assignavit redimendi captivos Sedi Apostolicæ subditos de manibus Infidelium, & eleemosynas ad id operis quærendi. Ad quod etiam posteà Sixtus [k] V. Gregorij successor annuos redditus elargitus est.

Sodalitatis Confalonis confirmatio.

i Bullar. to. 2. Greg. XIII. const. 38. & 79.

k Ibid. Six. V. const. 37.

XVII. Quo etiam anno Rex [l] Coccini Indiæ Orientalis, Lusitanorum amicus; licèt infidelis, auditâ Gregorij virtutum & pietatis ac beneficentiæ famâ, gratiam ejus sibi conciliare ambitiosè quæsivit, misso ad eum legato cum literis demissè scriptis. Legato morbo Olyssipone correpto, Gregorius literas suscepit: qui ex iis captâ occasione, Regem ad veritatem Evangelicam amplectendam, & ad veteres Christi fideles Sancti Thomæ, ac ceteros recens in Indiâ conversos tuendos; excitavit.

l Victor. in Annal. Greg.

Regis Coccini legatio Romam.

XVIII. Romæ hoc anno, vigesimo primo Septembris *Hieronymus Cardanus* Mediolanensis, insignis mathematicus & medicus, Iulij Cæsaris Scaligeri animadversionibus illustratus magis quàm depressus, obiit anno ætatis septuagesimo quinto, creditus à nonnullis mortem inediâ acceleràsse, ne falleret annum & diem quibus moriturum se prædixerat. Corpus primò ad Sancti Andreæ Ecclesiam depositum, inde Mediolanum translatum est, & in Sancti Marci cum majoribus suis conditum. Quâ in civitate vigilantissimus ejus pastor *Carolus Borromæus* Cardinalis & Archiepiscopus Quartam suam *Synodum* provincialem hoc eodem anno habuit, cum suis suffraganeis, qui undecim numero interfuerunt, cum trium absentium procuratoribus: In quâ plenissimè constituta sunt omnia & singula quæ ad divinum cultum, fidei rectitudinem, disciplinam & œconomiam Ecclesiasticam, ac morum perfectionem pertinent: quemadmodum & in aliis ab eo celebratis, de quibus olim [m] generatim dictum.

Hieron. Cardani obitus.

Synodus IV. Mediolan. sub S. Carolo.

m Supr. an. 1565. XX.

Iesu Christi Annus 1577.

Gregorii XIII. Ann. 6.

Rudolphi II. Ann. 1.

I. Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, Indictione quintâ, Idibus Ianuarij, Gregorius Summus Pontifex considerans, ut ait constitutione [a] eâ de re editâ, nationem Græcam, quæ diù olim literarum scientiarúmque eruditione & imperij floruerat sublimitate, postquàm Turcorum subjecta fuit tyrannidi, ad extremam redactam esse calamitatem;

a Greg. const. 42.

& in tantam scientiarum omnium ignorantiam, ut vix ullus in eâ reperiretur, qui illas profiteri, & alios docere posset; atque adeò omnes qui Episcoporum & aliorum Ecclesiasticorum ordinum gradum obtinerent, fœdissimis ignorantiæ tenebris obvolvi; sacræq; Theologiæ rudes, Catholicorum dogmatum ignaros, & ab Orthodoxorum religionis semitâ, & S.R.E. omnium matris & magistræ obedientiâ recedentes, in varios errores & schismata prolapsos esse, ac laicos in eamdem erroris foveam secum pertrahere: Idcircò cupiens celebrem nationem ab hujusmodi ignorantiæ & errorum caligine ad veritatis lucem, & salutis viam revocare, Collegiū Romæ erigēdum curavit, cum annuorum redditūum assignatione, in quo pueri & adolescentes Græci, ex ipsâ Græciâ, & aliis provinciis ac locis ubi commorarentur inquisiti, alerentur, & Grecis literis, liberalibus disciplinis ac scientiis, sacrâ præsertim Theologia ritibúsq; Ecclesiasticis, instituerentur; qui posteà ad sua loca redeuntes, tam monachos quàm Ecclesiasticos viros, & populos, ad rectam disciplinam & fidem Catholicam reducere possent. Quod & posteà divino favore pluribus locis factum est; exurgentibus ex hoc collegio & seminario multis egregiis viris, qui non solùm Græciam patriam suam, verùm etiam ipsam Italiam, aliásque Christiani orbis provincias pietate & doctrinâ illustrârunt.

Collegium Græcorum Romæ institutum.

II.

Idémque Pontifex ceterorum quoque rationem habens, & quæ religionis essent indesinenter curans, hoc eodem anno Neophytis, hoc est ex Hebraismo, vel atheismo, ad Christianam pietatem conversis, aliud Collegium ibidem Romæ erexit Nicolaum [b] Armeniæ minoris Archiepiscopum Ordinis Prædicatorum, qui Christianis Latinum ritum sequentibus, tredecim pagis contentis, præerat, Romam accedentem humaniter excepit; comeatu ad reditum adjuvit, & ornamentis Pontificiis donavit. Nehemen Iacobitarum Patriarcham, olim Catholicum, sed à Turcis longo carcere & minis ad fidei desertionem adactum, demúmque resipiscentem, & ad Urbem pro absolutione venientem; post criminis, & Dioscori errorum detestationem benignè habuit, & non exiguis beneficiis ornavit. Maronitarum oratores, Episcopum unum & alterum Archipresbyterum, Patriarchæ nomine dignitatis confirmationem postulantes audivit; atque unà cum illis Thomam Radium & Io. Bapt. Ælianum Soc. Iesu professores, ad montem Libanun Maronitas edocturos allegavit. Archiepiscopum Angamalæ Christianorum S. Thomæ in Indiâ, à Nestorianis erroribus per ejusdem Societatis concionatores ad Catholicam veritatem adductum, literísque obedientiam Apostolicæ Sedi præstantem; muneribus sacris honestavit. Regi Bungi fidei mysteriis nondum initiato, sed tamen iis faventi (cujus & filius primogenitus baptismum susceperat) epistoliam gratulatoriam, & hortatoriam scripsit: ac duodecim dicti Ordinis socios fidem propagaturos in Iaponiæ insulas destinavit, aliáque ejusmodi non pauca hoc eodem anno præstitit; quæ pluribus describuntur in ejus Annalibus.

[b] *Ex Annal. Greg.*

Cura Gregorij populorum Oriental.

III. *Orationes Ordinum Gall. ad Regem.*

Die decimaseptimâ Ianuarij Comitiorum regni Galliæ Blæsis convocatorum Ordines convenientes coram Rege, Petrus Spinacus Archiepiscopus Lugdunensis sacri Ordinis in comitiis præses pro suo Ordine vehementi eloquentiâ orationem habuit; pro Nobilitate Claudius Bellofremontius Baro Senesceus; pro plebeio Ordine Petrus Versorius celebris causarum in foro Parisiensi patronus Summa orationum fuit, ut Regem ad Religionem Catholicam Apostolicam Romanam, omni aliâ rejectâ & interdictâ, constituendam, rerum sacrarum dispensationem ordinandam, ærarium à rapinis vindicandum, jus æquabile inter subditos sibi populos dicendum, hortarentur. Ad quas Rex paucis respondit, sibi peragratum esse quod universi in iis quæ ad religionem & verum Dei cultum spectarent, tam pia consensione convenirent: de cetero se curaturum, ut ad postulata & querelas, re cum suo consilio communicatâ, abundè & juxta ipsorum votum satisfaceret.

IV. *Responsa Principum ad Comitia.*

Inter quæ legati ab Ordinibus ad finem anni superioris ad principes & capita hæreticorū & politicorum missi, eos inter arma quæ denuò sumpserant, multis locis ex improviso occupatis, convenientes; Regem quidem Navarræ benigniorem, & æquiorem invenerunt: qui literis ad Comitia scriptis, post laudatum erga pietatem & patriæ charitatem affectum, considerare monuit quàm difficile foret unam tantùm religionem in regno tolerari, quámque præstaret pacem servare. Quod verò peterent ut & ipsi religioni Catholicæ Romanæ nomen daret; se Deum semper orâsse, & nunc coram amplissimo conventu orare, si quidem ea quam tunc ipse profiteretur, vera esset sicuti ex animo crederet, ut in illa constanter perseverare sibi liceret: sin secùs, eam deponere, & meliorem non solùm amplecti, sed in eâ vivere & mori, se paratum esse; & exutis cunctis erroribus omni ope eniti, ut falsa ex regno toto, atque adeò ex universo terrarum orbe, si fieri posset, eliminaretur. Quæ ultima verba cùm delere præsumpsissent eius ministri, eadem Navarrus omninò restitui voluit: fuéréque in omen ipsius subsecutæ suo tempore conversionis. Condeus autem, qui totus pendebat à suis Ministris, austeriùs cum iis qui ad ipsum missi fuerant agens, eos admittere recusavit, nec literas ab iis allatas reserare voluit; Ordines non legitimè congregatos causatus, qui edicti abrogandi auctores Regi fuissent, à regni perturbatoribus in ejus perniciem subornati. Damvilla verò de vitiosâ pariter Comitiorum indictione jam anteà protestatus, per legatos ad Conventum Blæsensem (ut vocabat, ne Comitia approbare videretur) scribens, eorum se quoque in religione Catholicâ, in qua & ipse vivere & mori paratus esset, constituenda votum summoperè laudare significavit; sed vereri ne intempestivo remedio malum hæresis potiùs irritaretur quàm sanaretur: ideóque orare, ut eâ de re maturè in commune consulerent.

V. *Decretum Co-*

Cùm autem multa super his agitata fuissent, & sectarij objicerent non posse negotium religionis in Comitiis tractari, ubi potior

MITIORUM DE UNICA RELIGIONE.

tior pars laïcorum esset ; (quasi scilicèt & edicta in ipsorum favorem edita non à laïcis composita fuissent ; & ipsimet, qui nova in dies decreta de religione conderent, non essent meri laïci atque profani : idque sibi fas esse censentibus nefas existimandum esset, si laïci Catholici unà cum sacro Ordine Ecclesiastico, de suâ veteri religione conservandâ, & omni aliâ eliminandâ soliciti essent, sed nihil hæresi præsumptuosius ; nihil hæreticis insulsius) recénsque reversus Dux Monpenserius apprimè Catholicus à Navarro, pacem quam cum illo tractaverat, totis viribus suaderet ; & solicitatus à sectariis Casimirus Palatinus, specie pecunias per legatos petendi quæ ei in nuperâ pace promissæ fuerant, minaces etiam expostulationes pro pace servandâ addidisset : denique articulus de unicâ religione servandâ, iterùm ab ordine plebeio (non quidem in favorem hæresis, sed timore expensarum) in deliberationem revocatus fuisset : Post longas tam inter se, quàm cum ceteris Ordinibus Ecclesiasticorum & Nobilium, habitas disceptationes ; (rem præcipuè urgente *Ioanne Bodino* delegato Veromanduorum, homine quidem docto, sed liberioris fidei ; ut ex ejus scriptis apparet, quæ non immeritò inter prohibita relata fuêre :) res eò tandem majori suffragiorum numero adducta est, ut Regi supplicaretur, non aliud religionis exercitium toto regno permitteret quàm Catholicæ Apostolicæ Romanæ ; omnésque ad eam omni ratione reducere conaretur, sed citra bellum, quod omninò cavendum esset. Secundùm quam deliberationem Rex publico diplomate declaravit ; petitioni quidem Ordinum de unicâ religione in regno constituendâ, ut æquæ justæque acquievisse : sed tamen nequaquàm sibi consilium fuisse : (quod multi suspicati fuerant, atque etiam promulgaverant) ut propterea sectariorum bona sequestraret, aut in eorum personas severiùs animadverteret ; quinimmò semper in animo habuisse, eos in patrocinium suum recipere, & ab omni injuriâ perinde ac ceteros tueri, proinde mandare ac jubere, ut illi se quietos continerent, ac nequi domi securos aliquâ in re læderent, injuriâve afficerent ; pœnâ perduellionis in utrosque, qui edicto non paruissent, propositâ.

VI. SECTARIORUM FOEDERA CUM EXTRANEIS.

Sed non erant sectarij ad hujusmodi benignitatem docibiles. Armis jam rem agebant, & qui bellum cupiebant laxatis semel licentiæ habenis, ac regiâ auctoritate proculcatâ, non solùm in suis urbium ac locorum regionum usurpationibus perseverârunt ; verùm etiam Casimirum Palatinum rursùm in perniciem regni solicitârunt : atque insuper fœdus inierunt adversus Catholicos, cum Regibus Sueciæ, Daniæ, & Angliæ, Germanis Protestantibus, & Helvetiis Sacramentariis. A quo abhorrentes multi Catholici ex Malecontentis, ut vocabant, qui Regi Navarræ & Principi Condeo inhærebant ; recusantes ejusmodi fœderi, quod in destructionem religionis Catholicæ, quam ipsi profitebantur, fieri animadvertebant, nomen dare ; ad partes Regis reversi sunt. Intérque eos, ceteris eminentior Damvilla, qui fœderis inter Catholicos Malecontentos & Hugonotos præcipuus auctor fuerat; jam verò insolentiæ horum pertæsus, & conjugis suæ Renatæ Cosseæ lectissimæ feminæ adhortationibus inductus, nuncium fœderi remisit, & ad partes Regis transiit. Rex autem de sectariorum molitionibus certior factus, ne se desereret, regnúmque malevolorum injuriis exponeret, duos exercitus conscripsit : quorum alterum Francisco Duci Andino fratri suo, (qui cùm ex pauculo illo commercio cum iis olim habito mores eorum ac studia adeò nôsset, ut dicere postinde consuevisset, ad odio habendos Hugonotos satis esset ut cognoscerentur, libenter hoc munus accepit) Biturigas & Arvernos ducendum commisit ; cum quo Guisius, Nivernius, & Aumalius Duces profecti sunt; alterum Carolo Duci Mayenio fratri Guisij, in Pictones & Santones. Quorum fortitudine & diligentiâ rebus prosperè succedentibus Chariteo in Biturigibus, & Issoriaco in Arvernis, ab Andino expugnatis ; Broagio, Marano, & aliis oppidis, à Mayenio ; bisque Rupellensibus à Vido Sangelasio Lansaco pugnâ navali profligatis ; permultis ad Regem desciscentibus ; dissensionibus inter ceteros vigentibus : Demùm his consternatis omnium sectariorum animis, summo desiderio ad pacem anhelantes, eam apud Bergeracum in Petrocoriis per Ducem Mompenserium, Archiepiscopum Viennensem, Bironium, Richelium, Villaregium, & alios cum Rege Navarræ Septembri mense tractatam, & a Rege Pictavij existente, qui non minùs & ipse ad prævertendas exterorum grassationes eam concupiebat, comprobatam, juratámque quinto Octobris : (quam & ipse propriam suam ac peculiarem appellare consueverat :) tanta gratulatione, licèt non adeò iis compendiosam, acceperant ; ut & Condeus ipse, qui palam protestatus fuerat, numquam se arma depositurum, quin regnum in antiquum splendorem ac libertatem restituisset, populúmque à gravissimis oneribus Italorum, & infami servitute eorum qui magnitudinis suæ fundamenta dispendio verorum Principum struere conabantur, liberâsset : mox ubi eam Rupellæ, ubi tunc erat, sub noctem accepit, absque ullâ morâ ad faces per urbem publicari curaverit, ingenti oppidanorum lætitiâ.

PROGRESSUS ARMORUM REGIORUM.

PAX CONDITUR.

VII. EDICTI CLAUSULÆ.

Fuit autem hoc edictum velut quoddam temperamentum superiorum edictorum, in favorem Catholicorum : quo scilicèt imprimis statuebatur, ut Religionis Catholicæ exercitium restitueretur in omnibus regni urbibus & locis, unde eliminata ab hæreticis fuerat : Hugonoticæ exercitium permansurum esset in locis, quæ tenebant ; exceptis iis quæ hoc ultimo bello occupaverant : liberum tamen iis esset habitare ubicumque vellent, absque exercitio ; nec ad aliquid contra conscientiam cogerentur : ac nihilominùs observare tenerentur festa Catholicorum ; & in matrimoniis contrahendis, gradus consanguinitatis & affinitatis ab Ecclesiâ Catholicâ præscriptos ; de præteritis verò in gradibus prohibitis contractis, Rex auctoritatem suam interponere rogaretur : Cameræ bipartitæ revocarentur, & aliæ majori Catholicorum

numero erigerentur pro litibus Hugonotorum dijudicandis: Octo urbes iis in custodiam in diversis provinciis ad sex annos darentur. Aliáque plura addita, quæ præcedentibus edictis ferè continebantur. Fuit tamen non parva difficultas in hujusmodi pacis executione: adeò ut non semel sequentibus annis nonnullis locis ad manus ventum sit: at id levioribus motibus, quàm bellum publicum dici posset: de quibus agunt historici Gallici.

VIII. CONDITIONES OBLATÆ IO. AUSTRIO.

In proximo autem Belgio longè aliter quàm in Franciâ res acciderunt: ubi cùm annus à pace incœpisset, in bellum internecinum desiit, quod plurimos annos tenuit. Erat adhuc Austrius Lucemburgi: cùm ad eum missi ab Ordinibus legati, Lovanium & Mechliniam ei commoditatis & moræ causâ obtulerunt; cum facultate etiam stipatores habendi, sed in Belgio natos, ducémque eorum quem ipsi nominarent: sícque eum in Gubernatorem se recepturos, si Gandavensem pacificationem acceptaret; & alteri decreto concordiæ inter provinciarum Ordines initæ consentiret, quo salvâ Religionis Catholicæ Romanæ, & obedientiæ Regi debitæ auctoritate, fœdus contra Hispanos eorúmque fautores pro libertate patriæ constitutum fuerat. Quibus Austrius videns Ordines invalescere, séque viribus contra tantam molem imparem esse; comitate animos provincialium demereri satagens, eorum se consilio Rempublicam administraturum professus est. Nováque pacis formula condita est mense Februarij, Bruxellis & Antuerpiæ promulgata: quæ eadem ferè cum Gandensi extitit, paucis mutatis, quibusdam latiùs expositis: eíque nomen inditum *Perpetui Edicti*: quod à Rege quoque Philippo confirmatum fuit. Cujus articulo undecimo (erant omnes [c] numero decem & novem) cùm caveretur, ne alia quàm religio Romana locum haberet, Antuerpienses ut ei satisfacere pro parte suâ viderentur, omnes concionatores hæreticos ad se vocatos urbe excedere jusserunt: Ioanne quodam Saligero ex Ordinum numero indignante, & dira minitante, quasi hoc pacto verbi divini prædicatione indignos se redderent, irámque Dei in se provocarent. Aliâ verò parte arx Antuerpiensis in manus Ordinum tradita est, accipiente eam Philippo Croio Duce Arschotano, cum jurejurando eam se Regi Philippi nomine servaturum, neque ulli mortalium, nisi de expresso ipsius mandato traditurum. Redditæ pariter & aliæ. Hispaníque ex omnibus educti, in genti Ordinum exultatione, relicto Belgio in Italiam deducti sunt. Túncque demùm Austrius celebri pompâ ineunte Maio Bruxellis receptus est, ac summus Belgij Gubernator inauguratus.

c *Rec. Natal. lib.* 28.

HISPANI BELGIUM RELINQUUNT.

IX. DIVISIO RECRUDESCIT.

At verò res haud diù sic stetit; cùm hinc Aurangius Princeps, qui totam ferè Hollandiam & Zelandiam possidebat, & summâ auctoritate apud Ordines pollebat, Austrio invidens, res suas promovere satageret; illinc Austrius, qui se quasi privatum & captivum Bruxellis in potestate Ordinum esse conspiciebat, liberiores regiminis habenas exquireret. Quare suspicionibus & delationibus re agi cœptâ, paulatimque ad mutuas accusationes & scripturitiones deductâ, nonnullísque literarum interceptionibus in apertam diffidentiam protractâ; Austrius de insidiis sibi paratis à diversis commonitus, occasione transitûs Margaritæ Reginæ Navarræ, quæ ad Aquas Spadanas ibat, Namurcum petens, ejus urbis arcem securitatis suæ causâ arte occupavit: & Ordines Antuerpiensem tum arte tum vi invaserunt, ac diruerunt: idipsum de singulis aliis ubique facientibus. Datísque ad Regem Philippum literis culpam turbarum in Austrium rejecerunt: Austrius verò quo periculo essent Catholica religio & regia obedientia pariter Regi significans, bello non pace, servitute non clementiâ cum iis agendum esse insinuavit. Cúmque item Ordines ut Principibus Christianis justas belli gerendi causas ostenderent, Gallicam edidissent Apologiam, in quâ Austrium multis argumentis criminabantur, tanquam violatæ pacis auctorem: Austrius contrà ab objectis calumniis sese defendit acerbis verbis adversus Ordines expostulans, quòd rejectis omnibus pacis consiliis hostilia contra regiam majestatem exercerent, evocato etiam Aurangio harum turbarum auctore. Quibus de causis locum eorum furori dare decernens, Namurco relicto Lucemburgum repetiit, nova Regis mandata ibi expectaturus. Aurangius verò gubernator Brabantiæ delectus est; non parvam multorum procerum, huic ejus electioni intercedentium invidiam sibi inde conciens, quòd ad summam Belgij præfecturam his se aspirare demonstraret.

X. MATTHIAS ARCHIDUX VOCATUR IN BELGIUM.

Quocircà qui eo rerum potiente Catholicam religionem in summo periculo fore, quòd his hæreticus esset, animadvertebant, de Præside per Austrij absentiam deligendo, qui rempublicam juxta pacificationem Gandensem administraret, & refrenatâ Aurangij ambitione religionem sartam tectam tueretur, consultantes; Matthiam Rudolphi Cæsaris fratrem Viennâ Austriæ evocârunt, adolescentem viginti duntaxat annorum, qui facilè persuasus, re minimè cum fratre communicatâ, in viam se dedit, & Liram Brabantiæ pervenit: haud mediocriter commoto inde Aurangio, quòd in ordinem ab eo redigi extimesceret. Cujus proptereà molitione factum est, ut quòd Dux Arschotanus Flandriæ gubernator constitutus, præcipuus Matthiæ vocationis auctor fuisset; tam ipse quàm nonnulli alij proceres, duóque Episcopi Brugensis & Iprensis, Gandavi comprehensi fuerint, & in custodiam dati: Arschotano tamen brevì dimisso, quòd solus nihil posset. Matthiásque summum imperium Belgij penes Aurangium esse cernens, ad ejus partes transire coactus est: ac tertio Idus Novemb. Antuerpiam ingressus, ab eo & Ordinibus honorificè exceptus fuit: & Belgij præses fiduciariâ potestate ordinatus, donec Rex aliter ex generalium Ordinum consensu decerneret: Gandensíque pacificatione denuò sancitâ, sese deinceps invicem Catholici & Geusij ad mutuum patrocinium obligârunt. Ac ne pœnitentiæ locus relinqueretur, annitente Aurangio, Austrius tanquam violatâ pace hostis declaratus est; ejúsque socij ac sectatores ad dicendam causam intra

AURANGII SUMMA POTESTAS.

quindecim

quindecim dies citati: quo termino nisi comparerent, jam tum pariter tanquam patriæ hostes proscripti essent. Denique cum Reginâ Angliæ Elisabethâ icto fœdere mutui auxilij, (quod Angla apud Philippum excusare conata est ex Austrij adversum se molitionibus, & consiliis ab eo cum Pontifice initis de ipsâ regno pellendâ, & Mariâ Scotâ in conjugem accipiendâ: quæ Elisabetha ab Aurangio pro certis acceperat:) Aurangius jam Ordinum factus suâ sagacitate princeps, Matthiæ vicarius constitutus est. Neque enim Matthiam penitùs rejiciendum existimârunt; quoniam cùm tot provinciis turbatis, nec satis inter se consentientibus, ut in officio continerentur, gubernatore summo opus esse constaret; nulli meliùs ea dignitas conveni-re posse videretur quàm Matthiæ, qui & à proceribus Catholicis evocatus fuisset, & Cæsarem ac Regem tam arctâ proximitate attingeret. Ejus tamen potestas adeò coërcita fuit, ut nudum ipsi Præsidis nomen concederetur, imperium omne penes Ordines esset: à quibus id posteà Aurangius ad se omninò transtulit.

XI. PERSECUTIO SANGUINIS IN ANGLIA.

In eâdem Angliâ Regina quæ hactenùs ferè à sanguine Catholicorum abstinuerat, edictis severissimis, & mulctis pecuniariis eos compescere contenta; hoc anno sævitiæ crudeliori viam aperuit: quâ primus *Cuthbertus Maynus* sacerdos, ob negatam Reginæ supremam in Ecclesiam auctoritatem, & Pontificiam ei prælatam, ad oppidum Launstonij, sive Sancti Stephani, in Cornualiâ supplicio affectus martyrium obtinuit. Et *Trugionus* nobilis, qui eum hospitio acceperat, fortunis eversus perpetuo carceri adjudicatus est. Illud verò eodem anno mirum apud Oxonium accidit, ut cùm quidam bibliopola nomine *Rolandus Inckssius* quòd verba quædam in favorem Catholicæ Religionis protulisset, in judicium vocatus, damnatus fuisset præcisione aurium, vix sententiâ latâ pestilens morbus [d] repentinus tam Iudices quàm assertores, ac reliquos omnes qui aderant ita corripuerit, ut nonnulli statim, quidam paulò pòst, ceteri intra paucos dies ad unum omnes interierint circiter tercenti; nullis præterea totâ civitate eâ contagione tactis. Ad quod manifestissimum divinum judicium eluendum, hæretici seu pedori incarceratorum, seu etiam magicis artibus, rem tribuere maluerunt, quàm suorum iniquitatem confiteri.

d *De Schism. Angl. lib. 3. Camden. in Elisab.*

XII. NAVIGATIO FORBISHERI ANGLI.

e *Camden. an. 1576.*

Quo eodem anno *Martinus Forbisherus* itidem Anglus: qui jam anno superiori [e] suasione nonnullorum benè nummatorum, plura habendi cupiditate inflammatorum, ad detegendum si quod esset fretum in septemtrionali Americæ parte, quo ad opulentam Catajam navigaretur, & Orientis Occidentisque opes mutuo commercio conjungerentur, missus cum tribus aphractis; cùm ad principium Augusti vel sinum vel fretum invenisset (quod de ejus nomine deinceps nuncupatum est) sub latitudine 63. gradûs, ubi homines essent capillitio nigro, facie latâ, naso simo, colore subfusco, phocarum pellibus vestiti, mulieres circa oculos & per genas cæruleo colore depictæ: & quòd omnia glacie ita constricta essent, ut inceptum iter persequi non posset, in Angliam re infectâ reversus fuisset: Rursùm in ea littora navigans, investigatione diligentiori factâ, cùm excensionem fecisset, nullâque benevolentiæ significatione homines feros ac suspicaces ad colloquium adducere potuisset; simulato abitu post promontorium aliquamdiù latuit; dein à tergo imprudentibus incubuit, ac diffugientibus illis in proximos montes, feminam, quæ infantem in ulnis gestabat, ideóque tardiùs fugientes sequentem intercepit; quam & secum in Angliam abduxit: ac loco pervestigato, cùm tempestatibus, nivibus, ventísque, penitiùs sinum ingredi prohibitus fuisset; collectâ ingenti lapidum copiâ, quos minerales esse putabat, in Angliam rediit: feminam cum infante Reginæ dono dedit; quæ sive tædio, sive ob mutatam victûs rationem haud diù supervixit. Lapides, cùm ex iis nihil auri, nec argenti, nec cujusvis alterius metalli elici potuisset, ad vias muniendas projecti sunt. Qui fuêre fructus difficilium Forbisheri navigationum ad divitias indagandas susceptarum: prout intelligitur ex Anglo Camdeno sinceriori ejusmodi narrationum scriptore quàm qui multum aurum à Forbishero in Angliam portatum scripsêre.

XIII. COMETÆ APPARITIO.

Mense Novembris (ut plures ponunt; quod nonnulli mense superiori cœpisse scribunt) apparuisse memoratur ingens atque horrendus Cometes, longè latéque terribiliter accensus, non in sublunari sive elementari, sed in æthereâ regione positus; ampliùs triginta gradus, porrectâ Occidentem versùs caudâ, suo spatio complectens. Duravit autem per multos dies; & significâsse grandes clades & mutationes, quæ variis regionibus anno sequenti contigerunt, existimatur.

IESV CHRISTI Annus 1578.

GREGORII XIII. Ann. 7.

RUDOLPHI II. Ann. 2.

I. REPARATUR BELLUM IN BELGIO.

ANNO Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Indictione sextâ, res Belgij (quæ præcipuæ ferè erant, quoad religionem & rebellionem, totâ Europâ) variè admodùm agitatæ sunt; & aperto bello ductæ inter Ioannem Austrium & Ordines, de quorum scissurâ dictum est anno superiori. Ad Austrium ex Italiâ venerat Alexander Farnesius, Octavij Ducis Parmensis & Margaritæ Austrij sororis filius, cum Hispanorum & Italorum copiis, quas Austrius revocaverat. Carolus quoque Mansfeldius nonnullas Gallicas adduxerat. Adeò ut numeratis etiam Germanorum & Burgundionum delectibus, totus ejus exercitus sedecim peditum millibus, duobus equitum constaret. In cujus regio vexillo CRUX depicta fuisse dicitur, cum hâc tesserâ, *In hoc signo vici Turcos, in hoc signo vin-*

cam hæreticos Quod & feliciter ei contigit. Quippe post solutas per suos duces urbium Ruremundæ & Verdæ obsidiones, exercitum Ordinum Belgis, Anglis, Scotis, aliisque nationibus constantem, ad finem Ianuarij ad Gemblacum magno certamine postravit; quo cæsa dicuntur ab aliquibus octo, ab aliis etiam decem millia peditum; vix decem è militibus Austrij desideratis. Capti nonnulli hostium duces multique milites, in quibus sexcenti Belgæ, qui Namurcum ducti, extemplò suspendio affecti fuère, eò quòd ipsi paulò antè captis Austrij militibus nares, aures, ac digitos præcidissent, immaníque in eos crudelitate desævîssent. In manus quoque Austrij eodem prælio venerunt triginta peditum signa, & quatuor equitum: ac post victoriam, Gemblacum, Lovanium, Arschotum, & alia non pauca Brabantiæ oppida. Matthias verò Gubernator & Aurangius ejus vicarius, relictis Bruxellis metu obsidionis, Antuerpiam sese receperunt. Amstelrodamum autem urbs Bataviæ longè potentissima, quæ hactenùs in fide Regis constans prestiterat, demùm à Geusiis diversis modis tentata, atque tolerabilibus conditionibus decepta, eos admisit: móxque fraudem & sævitiam hæresis sensit, cùm Geusij Catholicos ex improviso adorti, eorum optimates cum magistratibus turpiter in naves conjectos procul abjecerunt: sacerdotes omnes ac monachos urbe expulerunt: tum effuso furore in reliqua monasteria, templa, loca omnia sacra cum impetu delati, altaria exciderunt, sacras imagines dejecerunt, fregerunt, exusserunt; sacram suppellectilem diripuerunt, sacramenta divina polluerunt: denique omnem cultum religionis Catholicæ extinxerunt; in Deum impij, in homines scelerati, in proprium juramentum & conscientiam perjuri: pro usu videlicet & placitis suæ detestabilis reformationis. Cujus etiam vi ex multis quoque aliis urbibus Catholici eliminati sunt: ac præcipuè qui Austrium hostem jurare nollent: quod speciatim Iesuitæ & Franciscani Antuerpiæ omninò recusârunt, eâ ratione quòd cùm Pontifici tenerentur obstricti, non possent illum hostem judicare cui Pontificem favere scirent ac propterea urbe exacti sunt.

Io. Austrii victoria.

Geusiorum immanitas in Catholicos, et res sacras.

II. *Andium Dux exercitum ducit in Belgium.*

Famâ verò de clade Gemblacensi sparsâ, Franciscus Dux Andium Henrici Francorum Regis frater, qui jam pridem Belgio inhiabat, protinùs ad Ordines misit, qui suam operam iis offerrent. Quæ accepta cùm fuisset, ac præcipuè à Catholicis qui ab Aurangij partibus alieni erant; & Matthiam à se vocatum ab eo præoccupatum dolebant; is octo millia peditum, & mille equites ex voluntariâ nobilitate in Belgij fines duxit; haud invito Rege, qui fratrem novitatum studiosum, & seductu facilem, quâvis conditione cum sequacibus suis extra regnum esse percupiebat. Id Austrium jam pleno gradu ad victoriam integram aspirantem aliquantùm retardavit: qui ut Gallorum cum Ordinibus arctiorem conjunctionem impediret, mandata à Philippo Rege accepta publicavit; quibus gratia præteritorum universis fiebat, modò arma deponerent, & Catholicâ fide probè stabilitâ in obsequio Regis perstarent; in ceteris suo jure viverent. Verùm his parùm apud obstinatos proficientibus, instigante Aurangio bellum acriùs renovari placuit. Acceptâque à Reginâ Angliæ pecuniâ, Ioannes Casimirus Ludovici Electoris Palatini frater, hæreticus Calvinianus, quem antehàc per Galliam in favorem hæresis grassantem vidimus, è Germaniâ cum magnis copiis evocatus est: qui & ipse, licèt Matthiæ & Ordinibus inhærere visus, suas tamen partes habuit, strictiùs Aurangio æquè Calviniano unitus. Adeò ut jam Ordinum nomine tres inter se diversi, specie asserendæ libertatis Belgij (quâ de re singuli declarationes suas publicè ediderunt) illud distraherent & pessumdarent: Matthias videlicèt, Andinus & Casimirus; omnes & singuli in Austrium & Hispanos fulmina sua vibrantes, magis tamen verbis quàm factis, præter quædam leviora haud magni momenti. Quando ob Aurangij præcipuam in his omnibus auctoritatem crescentes Geusij & numero & audaciâ, Matthiâ & Ordinum proceribus ipsorum factionis extorserunt edictum de libertate exercitij suæ religionis ubicumque eam civitates per totum Belgium acceptare vellent. Quo factum est, ut templa Catholicorum ferè ubique tam Calvinianis quàm Lutheranis assignata fuerint, & qui intercederent in carcerem trusi, nonnullíque etiam plexi: & graviori motu Gandavi conflato, ac subinde aliis Flandriæ oppidis accepto, faciléque in alias provincias propagato, nullo non contumeliæ ac truculentiæ genere in sacrum ordinem ac ceteros Catholicos sævitum est, Ecclesiasticis ac monachis pulsis & bonis injuriosè spoliatis, cœnobiis, templis, & ædificiis publicis privatísque expilatis, atque dirutis, sacris quibusque conculcatis, denique omni Religionis Catholicæ cultu penitùs abolito.

Tres Belgii liberatores infelices.

Religio Catholica pessumdatur.

III. *Tractatur frustra de concordia.*

Adeò ut cùm nec missi à Rudolpho Cæs. pro auctoritate, quâ in provincias Belgicas, uti membra Imperij, & Matthiam fratrem, valere debebat; & à Rege Galliæ atque Angliæ Reginâ, tanquam in excusationem erga Philippum Regem, ab illo quidem de expeditione fraternâ, ab istâ de militibus & pecuniâ Ordinibus commodatis; legati pro pace & concordiâ conciliandâ, quicquam efficere potuissent, eò quòd Austrius nullas conditiones admittere vellet nisi religioni Catholicæ ubique cautum esset, hæretica proscriberetur, Ordines arma deponerent, & Aurangius omnis concordiæ turbator, & dissensionum incentor, in Bataviam suam concederet: spe omni concordiæ sublatâ, (cujus nihilominùs negotium Austrius, cùm se ad incommodas conditiones à legatis Principum urgeri animadverteret, de Philippi consensu Cæsaris arbitrio commisit: Hannoniæ & Artesiæ proceres & nobilitatis indignatione moti, quòd aliarum provinciarum Ordines contra commune fœdus ubique Calvinianam aut Lutheranam factionem introducerent; ab iis recedentes novam factionem conflârunt, quæ *Malecontentorum* dicta est, eo quod nec pars Regis, nec ordinum ipsis satisfaceret: præcipuis ducibus Hesio &

Malecontentorum factio.

Capresso.

Capresso. Quibus placandis cùm Aurangius Gandenses hortaretur, Catholicis tria templa restituere, & captivos nobiles quos tenebant liberos dimittere; Gandenses id præstare recusârunt, nisi Hannones & Artesij Calvinismum quoque reciperent. Unde ij commotiores facti, & constantiores redditi, inter se fœdus renovârunt, ac de fide Catholicâ se non recessuros jurârunt: Scriptóque publico, Matthiæ & Ordinum decreto de libertate conveniendi & pace religionis intercedentes, iis improperârunt quòd cùm apud universos Principes literis essent protestati, sibi nihil antiquius esse, quàm Religionem Catholicam & obedientiam Regis sartam tectam servare, nec arma ob aliam causam quàm ad Hispanorum tyrannidem retundendam sumpsisse; nunc exutâ Regis obedientiâ, fidem cum perfidiâ, veram religionem cum hæresi permutâssent. Quâ labe ne & ipsi aspergerentur, palàm profitebantur se ejusmodi fœderibus renunciare, Catholicámque fidem perpetuò propugnare, & pro eâ non solùm fortunas & bona, verùm etiam vitam suam suorúmque charorum profundere decrevisse.

IV. Io. Austrii mors.

Quibus sic stantibus, importunè accidit ipsis Calendis Octobris, ut *Ioannes Austrius* in castris apud Namurcum lue pestilenti, ut vulgò jactatum fuit, extinctus sit; seu ut verius creditum, ex merâ phthysi, quam ex animi dolore contraxerat, quòd ob suspiciones de se à Philippo Rege à multo tempore conceptas, omni spe destitutus, hosti ad ludibrium penè exponeretur: cujus etiam phaleratis verbis magis Rex quàm fidelibus Austrij narrationibus credens, benignitate & clementiâ uti jubebat, cùm vi & armis opus esse Austrius inculcaret, si hostes in ordinem redigi deberent. Mortuus est anno ætatis suæ trigesimo secundo, eo ipso die quem ille ob Lepantinam & Tunetanam victorias festum agere consueverat. Cui exequiæ ingenti pompâ celebratæ fuêre: & corpus in maius Namurci templum deportatum; atque inde post sacra peracta in Hispaniam delatum, & juxta Caroli V. patris ejus monumentum in Scuriali monasterio posteà conditum. Ei in Belgij administratione suffectus sororis filius *Alexander Farnesius* Princeps Parmensis: qui cùm jam vivo illo secundas in exercitu obtineret, mox virtute suâ effecit, ut ingens Austrij desiderium suis relictum facilè lenitum fuerit. In quo non abs re nonnemo vaticinatus est implendum fore illud Isaiæ [f], *Ne læteris Philistæa tu, quòd comminuta sit virga percussoris tui:* (hoc est Austrij) *de radice enim colubri egredietur regulus, & semen ejus absorbens volucres:* qui singularis fortitudinis, ac virtutis laude priscis imperatoribus æquandus, bellum per multos annos iis in regionibus feliciter administravit.

Alex. Farnesius ei succedit.

f Isa. 14.

V. Belgij desolatio.

Austrij verò obitu Matthias, Andinus, & Casimirus, ipsíque Ordines admodùm lætati, omnes vires ad civitates ab Hispanis occupatas recuperandas, eorúmque copias Belgarum finibus ejiciendas converterunt: nonnulláque [*] loca debiliora receperunt, Matthiâ hinc cum Ordinum exercitu, illinc Casimiro cum suo, ex aliâ parte Andino, necnon ex suâ Malecontentis, res suas provehere satagentibus, & miserum Belgium, cujus libertas prætexebatur, sævissimâ servitute fatigantibus; in his omnibus Aurangio supremam suam Dictaturam exercente: præter legitimum gubernatorem Parmensem, qui nonnulla quoque oppida post Austrij obitum in potestatem suam redegit. Eóque demùm res hujus anni processerunt, ut tot partibus inter sese suspicionibus & dissensionibus laborantibus; Andinus questus sibi nihil eorum quæ promissa fuissent servari, suósque ubique indignis modis haberi, nec ob difficultates & incommoditates temporis ac rerum posse diutiùs exercitum suum retinere; paucis locis quæ tenebat in limite idoneo præsidio firmatis, ceteris copiis dimissis, quarum magna pars ad Malecontentos, haud inscio Andino, pars ad Ordines transiit; ipso in Galliam satis inglorius rediit, nihil vel suis natalibus, vel hominum opinione, vel famâ, quâ defensoris Belgicæ libertatis titulum assumpserat, dignum operatus, promisso tamen facto, si pax cum Philippo ante Calendas Maij anni proximi non conficeretur, in Belgium cum majoribus viribus redeundi. Quod enim, ut diximus, Rex Philippus Cæsari, quem Ordines hâc de re interpellârant, plenam pacis cum Ordinibus faciendæ potestatem tribuisset; rogatúsque pariter ab Ordinibus Gregorius Pontifex auctoritatem suam apud Regem interponere, destinâsset confestim Nuncium, qui conventui eâ de re Coloniæ habendo suo nomine interesset: inde pacis spes quædam affulgebat de cujus tractatione dicetur anno sequenti. Casimirus verò, cui benè cum Andino non conveniebat, ad Gandavenses transiens, inde ad principum anni sequentis in Angliam transmisit ad obtinenda stipendia pro suis Germanis. Quorum interim qui gladio & morbis supererant, adeò in arctum in Belgio redacti sunt, ut pro summo beneficio à Parmensi acceperint, in Germaniam huc illuc diversi posse redire, seminudi, fame enecti, omni miseriarum genere confecti. Ipséque Casimirus in Belgium remeans [*], mox inde indignabundus in Germaniam, Matthiâ & Ordinum proceribus insalutatis, contendit. Quæ summa est rerum præsenti anno in Belgio gestarum; quas inter ceteros descripsit Michaël Isseltius Amorfortius, qui præ oculis habebat; & anno sequenti exilium pro fide Catholicâ passus est.

Andinus recedit.

Itemque Casimirus.

VI. Scotiæ divisiones.

In proximâ Angliæ Scotiâ, cùm Mortonius Prorex prudentiæ & fortitudinis existimationem, quam apud suos & Anglos adeptus fuerat, turpibus manifestæ avaritiæ sordibus inquinaret; communi odio ita laboravit, ut Ordinum regni unanimi consensu, rerum administratio ab eo in Regem ipsum, licèt præ ætate minùs ei sustinendæ idoneum, quippe qui vix duodennis esset, translata fuerit: duodecim è primariis proceribus nominatis, qui terni singulis trimestribus alternatim Regi consilio adessent, inter quos & ipse Mortonius, ut hominem deducere, non dejicere viderentur. Regem tamen Elisabetha Regina Angliæ, obtentu patrocinij ejus infantiæ atque pueritiæ suscepti,

novo

novo fœdere ita constrinxit, ut præter mutuam regnorum & religionis in iis receptæ defensionem promissam, voluerit ne quamdiù in minori ætate esset, fœdus ullum cum quoquam faceret aut renovaret, matrimonium contraheret, aut è Scotiâ transmitteretur inconsultâ Reginâ: iisque de rebus Ordines Scotiæ Reginæ idoneè caverent. Secundùm quæ Mortonius, ingenij fiduciâ & numerosâ clienlâ fretus, dum nihil nisi quod ipse faceret, rectè factum putaret, & se non eum esse qui fuerat ferre non posset; neglectis collegis, & præscriptâ administrationis ratione posthabitâ, pristinam auctoritatem ad se retraxit: Regémque in potestate suâ in arce Sterlini detinuit, quos vellet pro arbitrio admittens vel excludens. Quo irritati proceres, Comitem Atholiæ sibi in ducem eligentes, Regis nomine edictum promulgârunt, quo jubebantur omnes armis per ætatem idonei, convenire ad liberandum Regem. Convenientibus plurimis, cùm Mortonius suos opponeret, in eóque essent ut cōfligerent; operâ Roberti Bovves Anglici oratoris æquis conditionibus cessatum est. Ac Mortonius statim, quasi rerum pertæsus, se domum subduxit: Atholiæ verò Comes, non sine veneni suspicione, mox fatis concessit. Quod incensi in Mortonium animi, inter alia in invidiam rapuerunt: nec persequi destiterunt, donec in exitium præcipitaverint, ut dicetur suo loco.

VII. DISSIDIA XERIPHIORUM IN AFRICA.

Longè gravior, & planè irreparabilis, clades regni Lusitaniæ, ex bello Africano hoc anno accepta. Fuerat aliquot antehàc annis ortum bellum in familiâ Xerifiorum de regno Mauritaniæ inter Muleum Melicum, quem alij Abdalam-Melicum, plures Abdelmelechum dicunt, quasi servum Dei dicas; & Muleum Mahametem ejus fratris filium, Nigrum cognominatum quòd ex Æthiope feminâ natus esset: ex eo quòd cùm Abdelmelechi pater Maroci & Fessæ Rex testamento statuisset ut quatuor filij sui secundùm ætatis ordinem sibi invicem succederent, exclusis propriis ipsorum filiis; Abdalas major natu, qui primus regnum tenuit, neglecto patris decreto filium suum Mahametem se vivente in regnum intrusisset, fratrum uno fugato, altero occiso, tertio in custodiam tradito. Post cujus obitum cùm idem Mahametes ejus filius regnum per scelus partum, per graviora scelera, & crudelissimam in subditos sævitiam administrare cœpisset: inde dupliciter exasperatus Abdelmelechus ejus patruus, qui manus Abdalæ fratris evaserat, cuíque post ejus mortem ex testamento patris regnum deferri debuerat; cum frustrà Philippi Hispaniæ Regis opem implorâsset, Constantinopolim recurrens diploma impetravit, quo mandabatur Algeriæ prosultano præstò ei esse contra Mahametem. Quibus auxiliis cum nepote prælio congressus, eum numero licèt longè superiorem in fugam vertit, & intra urbem Marocum compulit: ipséque Fessam tendens, magnâ civium lætitiâ exceptus est, ac Rex salutatus. Nec tamen propterea animum despondens Mahametes, quinimmò reparato exercitu ferociens, in tantam superbiam elatus est, ut etiam oblata sibi jam secundò à Sebastiano Lusitaniæ Rege, qui nonnulla oppida in Mauritaniâ possidebat, auxilia repudiârit: patruum verò aggressus, cùm longè viribus eo superior esset, quòd tamen ille rei militaris peritiâ præpolleret, iterùm ab eo magnâ cæde victus est, in proximos montes confugiens. Abdelmelechus autem Marocum petens, haud minore quàm Fessæ ab oppidanis lætitiâ & plausu exceptus est, atque in Regem inauguratus: princeps ob eximias animi dotes, & præstantem humanitatem populis valdè charus; qui & leges ac statum reipublicæ optimè reformavit.

VIII. SEBAST. Rex LUSITANIÆ EXPEDITIONEM AFRIC. PARAT.

Inde cùm ad coërcendas Mahametis excursiones, quibus Nomadum Arabum ad prædas discurrentium ope totam regionem infestabat, Abdelmelechus minorem fratrem suum Hametem cum expeditâ militum manu misisset; (qui deletis ejus copiis eum ad extremum miseriæ redegit:) cernens tandem ille, haud se propriis aut Arabum viribus tueri ampliùs posse, ad rejecta olim auxilia recurrens, Sebastianum per legatos rogavit sibi contra patruum adesse, amplis conditionibus ei propositis traditionis omnium oppidorum maritimorum, & prædicationis fidei Christianæ per totum suum regnum. Qui juvenili ardore (cùm esset tantùm annorum viginti-quatuor) gloriæ percupidus, & Christiani nominis propagandi desiderio flagrans; nequicquàm ab eo immoderato & intempestivo consilio dimovere conatis Catharinâ aviâ, Caroli V. Imp. sorore, & Henrico Cardinale propatruo, qui tutelam regni in ejus minore ætate gesserat; necnon Philippo Rege ipsius avunculo, cujus sorore Ioannâ natus erat, quinimmò & ipso Abdelmelecho, qui non tam ejus armorum metu, quàm nonnullo prævisæ futuræ cladis dolore, pacem amplis conditionibus, etiámque locorum quæ vellet oblatione petiit: denique amicis omnibus ac fidelibus quibusque consiliariis; ac denùm & ipso Mahamete belli incentore, qui licèt nunciis, literis, precibus Lusitanicarum copiarum adventum urgeret, affirmans quam primùm illæ in Africa comparerent, cunctas urbes ab Abdelmelecho ad se defecturas, & citra sanguinem plenam victoriam secuturam; nihilominùs addebat nequaquàm expedire ut Rex ipse veniret; quippe ejus præsentiâ Mauros territos non ita facilè ab Abdelmelecho defecturos, metu ne sub jugum alieni à suâ religione principis redigerentur: His omnibus, & quàm plurimis prudentibus à singulis dissuasoribus allatis rationibus quò vel omninò ab ejusmodi temerariâ nimis expeditione cessaret, vel saltem per legatos rem gereret, spretis; quas ipse invidiâ magis gloriæ suæ & occulto quorumdam livore, quàm ex vero amore proficisci interpretabatur; & contrariis rationibus ad preceps suum desiderium accommodatis magis magísque, nonnullorum assentatorum, ejus pietatem laudantium, & consilia ut tanto fastigio dignissima extollentium ac contrà abjectum animum eorum, qui ejus ad veram gloriam pleno gradu properanti difficultatibus

malignè

malignè objectis pedicas quasi injiciebant, carpentium, palpationibus firmatus, expeditionem per se ipsum ducendam omninò decrevit.

IX. SOLVIT E REGNO.

Igitur post multas profectionis dilationes, ad extremum Rex celebri supplicatione primarium urbis Olysipponæ templum adiit; & post solemni more consecratum prætorium vexillum, in manus Ludovici Menesæ majoris centurionis cōsignatum, cùm in regias ædes rediturus crederetur, ipse, ne fortè novis procrastinationibus distineretur, prætoriam nullâ interpositâ morâ conscendit die decimoseptimo Iunij: in eâ ad octo dies consistere coactus, dum ceteri ad profectionem semper anteà incertam se instruerent. Tandémque postridie festi Sancti Ioannis Baptistæ, vigesimo quinto ejusdem Iunij, non paucis contingentibus sinistræ expeditionis signis, adeò ut nullus visus fuerit qui non tristi silentio mœrorem denotaret; prosperum ventum nactus cum totâ classe solvit: quæ omninò constabat quinque triremibus, quinquaginta navibus armatis, & aliis minoribus, nec armatis, ad nongentas, quibus milites, bellici apparatus, & comeatus portabantur. Ij erant decem millia Lusitanorum, mille veterani Hispani, & ter mille Germani, & quingenti Itali; cum magno nobilitatis tam Lusitanicę, quàm quæ ex aliis regionibus ad famam hujus expeditionis advenerat, numero, quæ spontè ac suis sumptibus militabat: octingenti circiter equites cataphracti, quibus adjuncti sunt ducenti ex præsidiariis Africanis: ac præterea decem millia fossorum, cum duodecim tormentis. Ubi aliquamdiù ad Gades substitisset, tandem nonâ Iulij Tingin cum triremibus appulit; ubi Mahametem reperit cum octingentis dumtaxat sclopetariis, & cum eo ad reliquam classem regressus, ad Arzillam excensionem fecit. Cujus adventu ab Abdelmelecho audito; quamvis gravi morbo oppressus, adversus eum nihilominùs Maroco properans, junctis secum copiis, quas frater Hametes ex regno Fessæ adduxit, (quæ simul omnes triginta sex circiter millibus equitum aptorum ad pugnam, & quatuordecim peditum constabant) quo erat intrepido ad cuncta animo; & tum ex causæ justitiâ, tum ex summâ rerum & consiliorum cōfusione, ac militum licentiâ, quas in castris Sebastiani esse per exploratores cognovit, de victoriâ quasi certus; per suum exercitum edici jussit, ut qui minùs benè erga se affecti essent, iis liberum esset ad Mahemetem transire: non tamen id tam contemptu hostium faciens, quàm ne in pugnâ ipsâ deficientes victoriam sibi eriperent. Sed qui transire voluerint, perpauci fuêre; quantumvis à Mahamete, qui omnes transituros spoponderat, sollicitarentur. Cùm verò nec de itinere Laraciam versùs, olim Lisiam dictam, quò primò eundem decretum fuerat, terrâ vel mari faciendo, nec de modo procedendi, inter Sebastianum & Mahametem, nec item inter exercitûs duces conveniret: captáque ab iis longè periculosiori terrestri viâ Alcazarium versùs, eo quoque Abdelmelechus concessisset: demùm adeo propinquis exercitibus, necessitate ferè magis quàm voluntate ad prælium ventum est in

COPIARUM NUMERUS.

ABDELMELECHI COPIÆ.

campis Tonitensibus, die Lunæ, quarta Augusti. Ad quod disponendum, & animandos utrimque ad fortiter agendum milites magnâ diei parte consumptâ, Abdelmelechus ubi id majore animo & alacritate quàm viribus corporis, quæ præ ægritudine penè defecerant, præstitit, in lecticam conjectus est, edocto priùs Hamete fratre de modo pugnam agendi; nempè ut porrectis lateribus lunari specie Christianos undique clauderet, & densatis tandem ordinibus à tergo & à fronte incumbens circumfunderet.

X. PRÆLIUM CUM HOSTIBUS.

Principium pugnæ à repetitâ utrimque tormentorum displosione haud gravi cum damno fuit. Ubi ad manus ventum est, initio repulsis magnâ cæde Mauris Italorum & Hispanorum virtute; hi ad extremum, cùm novi semper hostes, qui numero multùm excedebant, certamen restituerent, vincendo à majori numero victi sunt, cunctíque ferè ad internecionem cæsi. Diversâ quoque parte ab equitatu Africano partium Sebastiani, quem Eduardus Meneses castrorum præfectus ducebat, magnum hostibus damnum initio illatum: verùm suos retrò cedere indignatus Abdelmelechus, lecticâ egressus in equum se subjecit, & irâ vires sufficiente in medios perrupturus perrexit, ut pudore præsentiâ suâ injecto fugam suorum sisteret. Qui precibus à suis vix revocatus, & præ irâ compresso penè spiritu ex equo titubans cecidit: indéque in lecticâ illatus, & adductis repagulis, ac priùs monitis qui circa eum erant, admoto ori digito, ut mortem suam celarent, animam efflavit: vir fortitudine, prudentiâ, æquitate, industriâ, ac liberalitate, & qui in Africanis ingeniis rarus est, candore insignis, nec Christianis infestus. Denique Christiani undique à Mauris circumventi, æstu, labore, & ictibus pereuntes promiscuè cæsi sunt. Tormenta capta: Gregorius Lancastrus Averi Dux cum plerisque aliis proceribus ac ducibus occisus; Antonius Crati Prior, Regis patruelis, qui posteà infeliciter de regno Lusitaniæ contendit, unà cum nonnullis captus: (qui tamen non agnitus vili pretio dimissus est:) militum laniena magna edita: & qui manus hostium evaserunt, ignari locorum dum vadum Mucazeni fluvij qui interfluebat quærerent, cuncti ferè aquis hausti sunt.

ABDELMELECHI MORS.

XI. SEBASTIANUS OCCIDITUR.

In dextro verò latere Rex Sebastianus, initio summi imperatoris partibus functus, tunc frustrà strenui militis munus obibat, in singulas acies excurrens, & plerumque inter medios hostes viam sibi ferro aperiens; stupentibus barbaris, & in magno Principe tātùm pugnandi robur mirantibus. Cùm jam tres equos inter certandum ictibus suffossos amisisset, & ad extremum à Mauris vitam salvam spondētibus, ut se dederet rogaretur; ille indignatus vicissim rogavit, ecquid salvum decus præstare possent. Túmque in medios cum solis tribus nobilibus qui ei adstabant prorupit, inauditâ virtute obvios quosq; cædens: quousque duobus suorū occisis, ipse quoque diuturnâ pugnâ deficiens, captus & exarmatus est: exortáque de tanto captivo inter Mauros rixâ, à superveniente centurione, ut finis rixæ imponeretur, in capite graviter sauciatus, repetitis ictibus in terrâ jacens confossus est;

præsente Nonio Mascaregnâ, qui solus supererat. Hícque extitit exitus infelicis *Sebastiani* Regis; eò lamentabilior, quòd cùm indole verè regiâ magnam de se omnium expectationem cócitâsset, nullis liberis relictis, nec uxore unquam ductâ, incertam regni successionem reliquerit; corpúsque ejus post mortem in hostium potestate remanserit. Vixit annos 24. menses 7. dies 15. Mahametes belli auctor, dum fugâ sibi consulere quæreret, in Mucazeni cœnoso vado submersus est. Et ita raro exemplo tres Reges uno prælio desiderati sũt; Abdelmelechus morbo; Sebastianus ferro; Mahametes aquâ. Eo престереà tota ferè Lusitaniæ nobilitas, aut interfecta est, aut captiva facta: cum quâ etiam periêre Arias Silva Portûs, & Manuel Meneses Conimbricæ Episcopi, unà cum Nuncio Pontific. qui Regem secuti erant. Atque ex militibus pauci admodùm elapsi sunt, octo millibus occisis, totidémque captis. Ex hostibus bis mille in primo cõflictu perierunt: & siquidem primum illum successum ceteri ursissent, & qui in mediâ acie erant primæ laboranti in tempore succurrissent; multorum opinio fuit, longè diversum pugnæ exitum secuturum fuisse.

TRES REGES EO PRÆLIO EXTINCTI.

XII. HAMETES REX ACCLAMATUR.

Hametes post victoriam, adhuc mortis Abdelmelechi fratris ignarus, protinùs ad lecticam ejus accurrit de victoriâ gratulaturus, cognitóque eum decessisse, lacrymis supra corpus ubertim profusis, ab omnibus in ejus locũ Rex Maroci & Fessæ lætis acclamationibus salutatus est. Ac postridie adductum Sebastiani corpus, & à proceribus captivis ritè agnitum, ipsi Hameti, insigne rerum humanarum inconstantiæ exemplum in eo reputanti lacrymas excivit: quod apud Alcazarium humari permissum, atque inde posteà Septam, quæ à Lusitanis tenebatur, deferri; ibi à præfecto urbis receptum fuit, publico eâ de re instrumento confecto: unde posteà in Lusitaniam relatũ videbimus. Cùm nihilominùs inventus sit posteà unus & alter, qui se diverso tempore eumdem ipsum Sebastianum esse dixerit, quòd diceretur elapsus esse è pugnâ, ut videbitur suis locis. Mahametis autem cadaveri jussu Hametis pellis detracta est; eáque salita & paleâ impleta per utramque Mauritaniam circumlata, ut mortuum eum omnes scirent, & à rebus novis ejus occasione concitandis averterentur.

CORPUS SEBASTIANI AGNITUM.

In Lusitaniâ, cùm certus de Sebastiani obitu nuncius eò pervenisset, *Henricus* Cardinalis presbyter tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, & Archiepisc. Eborensis, magnus ejus patruus, frater scilicèt Ioannis III. avi Sebastiani, & Emmanuelis filius, 28. Septembris solemni pompâ regni sceptrum suscepit. Quòd verò ejus orbitas, atque effæta ætas 67. annorum, & valetudo improspera brevi regnum vacaturum minarentur; qui illud ambiebant jam tum quasi candidati de suis juribus agere cœperunt: videlicèt *Philippus* Hispaniæ Rex, ex Isabellâ Henrici sorore & Emmanuelis majore natu filiâ natus, *Philibertus-Emmanuel* Dux Sabaudiæ, ex Beatrice alterâ Emmanuelis filia pariter natus: *Rainutius Farnesius* Dux Parmensis, ex Mariâ Eduardi itidem Henrici fratris grandiore filiâ prognatus? *Catharina* minor ejusdem Eduardi filia, quæ nupserat

HENRICUS CARDIN. FIT REX.

COMPETITORES REGNI LUSITAN.

Ioanni Bragantiæ in Lusitaniâ Duci; videbatúrque Rainutium, Mariâ ejus matre ante annum defunctâ, tanquam proximior, licèt natu minor, excludere, adeò ut restaret certamen inter Philippum & Catharinam, pari gradu Henricum contingentes, Catharinâ tanquam Eduardi masculi filiâ, qui Isabellam Philippi matrem proculdubiò exclusisset, Philippo præferri debere contendente; & contrà Philippo, Eduardi semel mortui rationem nullam habendam dicente, sed tantùm gradum inspiciendum, in quo masculus feminam excludebat. Quæ ita primùm proposita, deinde à celeberrimis Italiæ & Hispaniæ Iurisconsultis, etiam publicatis scriptis agitata sunt. Fuit verò etiam inter competitores *Antonius* Crati Prior, Ludovici Henrici fratris filius, sed illegitimus: qui quamvis Henrico summè invisus, populi tamen favore sublevabatur. Ac demùm accessit & *Catharina* Henrici Galliæ Regis parens, repetito altiùs jure suo; videlicèt ab Alfonso illo, quem ante 333. annos in locum Sanctij Capelli Regis, agendis rebus imparis, auctoritate Innocentij IV. Romani Pontificis suffectum vidimus [g]: qui cùm ex Mathilde Bononiensi, à quâ Catharina genus ducebat, Robertum[h] filium suscepisset: nihilominùs ut regnum firmaret, illâ in Galliâ relictâ, Beatricem Alfonsi X. Regis Castellæ filiam, alterâ adhuc vivâ superinduxerat, ac Dionysium atque alios ex eâ liberos susceperat, qui proinde illegitimi ab eo tempore usque ad Henricum jam Regem in regno successissent. Et quia temporis longinquitas obstabat, ac præscriptio meritò objici poterat; respondebant Catharinæ procuratores, in possessionibus violentis nullo tempore præscribi. Deniq; & *Gregorius* Pontifex suas partes in regni post obitum Henrici successione interponebat; tum jure beneficij quo Lusitaniæ regnum Ecclesiæ Romanæ obstrictum erat: unde Regis in eo constituendi jus sibi competeret; tum etiam spolij jure, quo bona Cardinalium ad Sedem Apostolicam spectant.

[g] Supr. an. 1245. XXX.
[h] Vid. infr. an. seq. XVIII.

XIV.

Quorum omnium petitiones qui circa Henricum erant ut eluderent, de ipso Henrico maritando sermonem injecerunt; petendâque à Pontifice dispensatione à sacris ordinibus, haud novo exemplo, ad regnum in familiâ conservandum, & publici boni causâ. Cui eorũ desiderio cùm minùs ipse eâ ætate & presbyter & Episcopus acquiesceret; Philippus cœpit cum eo per legatos de suo in regni illius successione jure agere: & quòd illum in Ioannem Bragantiæ Ducem propensiorem cognovisset, præter juris sui quam prætexebat prærogativam, exponere fecit, se infesto, Bragantiæ Ducem bello inde excitando imparem futurum, ac proinde regni subversionem secuturam: cùm & præterea idem Bragantiæ Dux per Philippi procuratores hinc minis territus, inde promissis inescatus, ferè jam manus daret; cùm suæ infirmitatis sibi conscius, in potentissimi Regis gratiâ plus præsidij quàm in dubiâ proprij juris prosecutione ponendum existimaret. Unde cùm Philippus quasi de eo certus, ac Olysipponenses de jure suo præmaturè scripsisset, ij vehementer ad hæc commoti, & ad Philippi ac Castellanorum dominatum, ob antiquas inter nationes si-

PHILIPPI REGIS HISPAN. SOLICITA IN HIS CURA.

multa

multates, cohorrescentes, nullo dato responso, apud Henricum instare cœperunt, ut ipse successorem indigenam secundùm regni leges nominaret; in eámque rem universas regni vires & facultates obtulerunt. Quibus sic præsenti anno gestis, (quæ accuratè fuséque & eleganter; præter historicos Hispanos, ac speciatim Antonium Herreram in Vitâ Philippi, necnon Ioannem Antonium Viperanum commentario de obtentâ Portugalliâ ad Albertum Cardinalem Austrium, & Cæsarem Campanam in Historiâ Mundi; descripsit Hieronymus Connestaggius nobilis Genuensis in commentario Italico de Unione Lusitaniæ cum Castellâ, decem libris distincto,) quid porrò secutum sit, dicetur anno sequenti.

XV. BELLI INTER TURCOS ET PERSAS INITIUM.

Eodem hoc anno infestissimum & maximè diuturnum bellum inter Amuratem Turcorum & Hodabendam Persarum Reges inchoatum est: seu quibusdam jam velitationibus anno superiori tentatum, præsenti in apertum erupit, sæviúsque exarsit: magno Christianitatis emolumento, quæ interim à continuis Turcorum, eo bello occupatorum, invasionibus ferè quievit. Qui autem fuerint Amurates & Hodabenda, & unde Amurati nata cupiditas bellum Hodabendæ inferendi, (præter antiquam inter eos Principes de imperio æmulationem, & diversæ legis suæ interpretationis odia, quæ nunquam ex quo primùm orta sunt hactenùs cessârunt) dictum superiùs [i]. Occasio verò proxima rumpendi fœderis, quod cum Tammaso patre Hodabendæ ictum servatúmque à Turcis fuerat; protectio fuit quorumdam præfectorum Turcicorum ab Amurate deficientium, suscepta primùm ab Ismaële Hodabendæ decessore, qui Turcis illos juxta fœderis pacta reposcentibus reddere detrectavit. Decreto igitur bello Amurates, qui credebatur exemplo prædecessorum, qui magna semper bella, cujusmodi hoc futurú erat, per se ipsos non per vicarios administrare consueverant, cum exercitu iturus; excusatâ variis de causis profectione, præfecit ei Mustapham, qui Cyprum subjugaverat, qui ingentibus copiis hinc inde collectis, ad fines Persarum pervenit: cùm intereà Hodabenda, in regni sui ex nuperis dissensionibus desolatione, allectis in societatem Georgianis, per quorum ditiones Turcis incedendum erat, (cùm alioqui essent illi beneficiarij Imperij Persici, sed initio regni Hodabendæ non parùm ab eo alienati) & magno Tartarorum Principe, alacriter se ad defensionem præparavit; non paucis tamen ex Georgianis principibus, sicuti & Tartaris, sese ad Turcos applicantibus. Multis autem certaminibus, excursionibus & impressionibus, urbium ac provinciarum occupationibus & recuperationibus, hoc primo tanti belli anno vario marte utrinque factis; Turcorum tam in prælijs, quàm & morbis & commeatus inopiâ, periisse supra septuaginta millia proditum est; Persarum verò viginti quinque.

[i] Supr. an. 1576. XV.

XVI. BELLI PROSECUTIO.

Sequenti anno, licèt viribus utrimque reparatis, rariores tamen conflictus contigerunt, iique Turcis ferè infausti; qui & longè graviora damna ex lue & fame acceperunt. Quare incusato apud Amuratem Mustaphâ, quòd infructuosis expeditionibus fatigato milite tempus, commeatum, ac pecuniam inutiliter consumsisset; essétque de cetero tam exercitui suo quàm ceteris cunctis gravis, & ob suì perbiam atq; avaritiam cum inauditâ immanitate conjunctam invisus admodùm esset: crebris delationibus motus Amurates, eum revocavit; suffecto in ejus locum ipsius æmulo Sinane, expugnatis ante paucos annos Guletâ & Tuneto in Africâ famoso duce; homine haud paulò mitioris ingenij aut moderatioris majore verò vanitate & arrogantiâ prædito; qui penetraturum se ad intimam usque Persici Imperij sedem, & Regem inde vivum Constantinopolim missurú jactabat. A quo tamen quantùm aberraverit, videbitur posteà. Bellum autem istud Turcopersicum Henricus Porsius, Thomas Minadous, & alij auctores descripserunt; quorum commentarij repeRiuntur in Collectione Rerum Persicarum: præter illa quæ de eodem habet Leunclavius in Supplemento suo Annalium Turcicorum: ex quibus plerique recentiores excerpserunt. Quod tamen quia minùs ad res Christianas, & historiam nostram Ecclesiasticam pertinet, nos levi manu attingemus. Multa pariter transilientes eorum quæ à nonnullis referútur de variis hujus temporis Turcorum in finitimas Christianorum provincias, & Moscorum in Livoniam, quam à multo tempore infestabát, excursionibus; de contentionibus inter fratres Vaivodas Mysiæ & Walachiæ, ad Turcos pro mutuâ ejectione recurrentes; déque aliis ejusmodi levioribus negotiis, cùm non nisi in gravioribus, aut quæ ad religionem & Christianam politiam speciatim spectant, immorari operæpretium existimemus.

XVII. CONCIL. V. MEDIOLAN.

Magis ad rem nostram celebratio *Concilij V. Mediolanensis à Carolo* Borromæo Cardinale & Archiepiscopo celebrati, cum quindecim suis suffraganeis Episcopis, mense Maio præsentis anni; ejusdem materiæ & excellentiæ, quâ cetera, de quibus superiùs. Itémque quod *Io. Sturmius* [k] è sectâ Lutheri, Argentorati conatus est novam sectam introducere, quam *Mediam Viam* appellabat, *absque offensione Catholicorum & Protestantium.* Ad quam firmandam cupiebat ex singulis decem Imperij Circulis septenos eligi, ex eorum numero qui sine alterius partis offensione scripserant, & in unum omnes convocari, ac concordiam statuere, admittendo ex Concilio Tridentino quæ omnibus placitura existimarent, ac cetera rejiciendo. Quid circuitu impij ambulatis? Non certè circulatores illi fabulis ejusmodi suis & præstigiis veros Christianos oblectare potuissent. Una est via concordiæ, quam non ullibi reperias, nisi in unitate Ecclesiæ Romanæ, orbis matris atque magistræ.

[k] *Genebr. in Chronol. lib. 4. sub Greg. XIII.*

STURMIJ MEDIA VIA.

XVIII. FRANC. DAVIDIS MORS.

Hoc item anno contigit detestanda mors *Francisci Davidis*, perditissimi illius nebulonis Ariani, de quo sæpe superiùs [l]. Cùm enim ipse; præter turbas in Transilvaniâ suis disputationibus & scriptis in religione concitatas, etiam in suspicionem machinationis in Reip. statum, eò quòd non ampliùs, sicuti sub Ioanne Scepusio Principe ipsius fautore, ita sub Batoriis modernis principibus professione Catholicis, blasphemias suas effutire permitteretur, incidisset: celebratis hoc anno

[l] *V. d. an. 1566. XXX. 1571. XXX. & alibi.*

[m] *Resc. de atheism. Evangelic.*

comitiis à Christophoro Batorio Stephani Poloniæ Regis fratre, ex eorum decreto [m] instituta est quædam per Transilvaniæ urbes visitatio; è quâ deprehensi & conscripti fuerunt propè centum errores detestandi,& horrendæ Francisci theses de Christo, Spiritu S. & reliquis Christianæ Fidei capitibus: quarùm causâ, unà cum pestilentissimæ doctrinæ damnatione, ejus quoque seminatores capitali supplicio digni pronunciati sunt. Unde in arcem quamdam ductus Franciscus, posteà plectendus, ex mœrore in insaniam incidens, inter assidua spectrorum terriculamenta infelicem animam emisit. Ut autem populi ab ejusmodi erroribus, aliisque hæresibus, quibus ea regio infectissima erat,revocarentur,& in rectâ fide erudirentur; Christophorus collegium Patrum Societatis Iesu, à fratre ejus Stephano antequàm in Poloniam migraret designatum, Claudiopoli erexit; aliudque posteà Albæ-Iuliæ: quorum opera quamplurimi ad fidem reverterunt, & qui in tot motibus vacillabant confirmati sunt.

IESU CHRISTI Annus 1579.
GREGORII XIII. Ann. 8.
RUDOLPHI II. Ann. 3.

I. ORDINIS SANCTI SPIRITÛS INSTITUTIO IN GALLIA.

ANNO Christi millesimo quingentesimo septuagesimonono, Indictione septimâ, ipsis Calendis Ianuarij, Henricus Rex Francorum novum Equitum Ordinem à se institutum solemni lustratione celebravit Lutetiæ, in Ecclesiâ Augustinianorum; cœptâ ceremoniâ à primis vesperis diei præcedentis, qui erat ultimus anni superioris. Nomen ei inditum SANCTI SPIRITÛS, eò quòd die Pentecostes, quo celebratur ab Ecclesiâ festum Sancti Spiritûs tertiæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis, ipse Henricus duorum regnorum, Polonici & Gallici sceptra suscepisset, ut ipsemet initio edicti ejus institutionis tradit, quibus & alij tertiam rationem ejus nuncupationis addunt, quòd scilicèt eodem S. Spiritûs die natus fuisset. Aliis verò rationibus ad novum Ordinem erigendum inductus existimatur: tum scilicèt quòd obsolevisset jam adeò conchyliatus ordo S.Michaëlis, à Ludovico XI. institutus,ob communicatum promiscuè omni hominum generi hunc præcipuum nobilitati & militaribus meritis honorem debitum; ut à principibus viris contemptui haberetur: tum etiam ut hujus dignitatis adipiscendæ illicio, & proceres Catholici firmiores in fide evaderent, observatione statutorum Ordinis, quæ ad multa & continua pietatis & religionis Catholicæ ac divini cultûs officia sodales obstringunt, & hæretici ad fidem Catholicam excitarentur, cujus solius professoribus ea dignitas voto solemni communicanda esset: tum denique ut strictiori vinculo admittendos ad Ordinem sibi peculiari obedientiæ & obsequij sacramento, quod præstare tenebantur, obligaret; contra nascentes factiosorum conspirationes,& clandestinas adversum se & statum regni coitiones.

II.

Definitum est autem universum sodalitium centenario numero, præter Regem Ordinis principem: in eo comprehensis quatuor Cardinalibus, quatuor aliis Antistitibus, Ordinis magno Eleemosynario, Cancellario, Præfecto Ceremoniarum, magno Thesaurario, Graphiario, seu tabulario, Feciali, Ostiario. Dictique Equites Commendatorum nomine, quòd ab initio constituisset Rex ex opimioribus cœnobiis detractis vectigalibus seu pensionibus, commendas ad Hispaniensium exemplū creare; quòd æquè esset hic Ordo ad religionis Catholicæ Apostolicæ Romanæ amplificationem,& sectarij veneni extirpationem institutus, idque præcipuum equitum jusjurandum esset. Quod cùm reclamante sacro ordine Rex impetrare à Summo Pontif. non potuisset, nomen nihilominùs mansit ut *S. Spiritûs Commendatores* appellentur. Ipseque Ordo à Pontif. approbatus est: assistente quoque ejus nomine Octavio Bandino Florentino Nuncio Apost. posteà Cardinale, primæ habitûs susceptioni: quæ post vespertinas preces postremi diei anni superioris ita facta est, ut Rex manu Episcopi ductus, ante majus altare in genua procumbens, accepto religionis ordine, pallium talare nigrum holosericum, liliorum floribus, flammis, aliisque ex auro & argento heroicis notis intertextum induerit; torquem aureum, ex liliis pariter flammarum congerie circumdatis elaboratum, cui Melitensis formæ Crux, Columbam, S.Spiritûs symbolum, pendentem habens adhæreret, sumpserit, eóque facto pronunciatus sit summus Ordinis Magister: præstitóque juramento de vitâ & regno pro fide Catholicâ quibusvis periculis exponendis, in throno consederit,& candidatos Ordinis singulatim ad se accedentes simili habitu ornârit, accepto jurejurando de Catholicæ fidei conservatione, Regis defensione, & statutorū observatione. Fuêruntq; tunc viginti sex tantummodò præsentes in Ordinem allecti: reliquis subinde, prout Magistro & Sodalibus visum foret allegendis. Quæ tamen eâ moderatione sunt à Rege instituta, ut nequaquâm propterea antiquum S. Michaëlis Ordinem extinctum voluerit; sed semper ita vigere, ut non tantùm nonnullis aliis ipse solus à Regibus conferatur, verùm etiam qui nobiliori S. Spiritûs honestantur, ipsum quoq; S.Michaëlis suscipere ex Henricianâ institutione teneantur. Ceterùm haud fuisse Henricum I. Ordinis nominis *S.Spiritûs* auctorem; sed ad antiquioris ejusdem nūcupationis olim à Ludovico Ierusalem & Siciliæ Rege circa annum Domini 1352. quòd pariter die Pentecostes coronam regnorum suorum accepisset, designati, exemplum, à Republicâ Venetâ ei cùm illàc transiret rediens è Poloniâ exhibitum, eum composuisse, sunt [a] qui tradant; exemplárque illud se vidisse testentur. Sed nec hoc quicquam officit dignitati Ordinis Henriciani, omnium qui umquam fuerunt toto orbe præstantissimi atque speciosissimi; nec ipsius Henrici pietati aut industriæ, quæ in multis aliis longè arduioribus & difficilioribus manifestò apparuit.

NUMERUS SODALIUM.

RITUS SUSCEPTIONIS.

EJUS NUNCUPATIO ANTIQUIOR.

[a] *Pleix in Henr. III.*

III. CONVENTUS CLERI GALLIC.

In eâdem Galliâ celebratus est hoc eodem anno Meloduni permissu Regis conventus sacri Ordinis Ecclesiastici. In quo cū crebræ de corrupto Ecclesiæ Gallicanæ statu querelæ à

diversis

diversis & variis de causis institutæ essent; consessûs suffragiis delectus est *Arnaldus Pontacus*, pietate & doctrinâ conspicuus Vasatensis in Aquitaniâ Episcopus, cum nonnullis aliis è Clero, qui de iis apud Regem publicâ actione expostularet. Quod ipse Lutetiam ad id profectus, tertio Iulij coram Rege liberâ juxtà ac prudenti oratione præstitit: duo præcipuè malis idonea remedia proponens, disciplinæ videlicèt collapsæ instaurationem, & idoneorum tanto muneri præsulum delectum: Non verò meliùs disciplinam restitui posse, quàm si ex Oecumenicæ Synodi Tridentinæ præscripto emendatio peteretur; cujus proinde in universo regno promulgationem totius Cleri nomine suppliciter postulavit. In Præsulum delectu adeò perniciosè peccari, cum ingenti regiæ conscientiæ periculo, ut essent tunc viginti & octo Archiepiscopatus & Episcopatus præsulibus destituti, patrimonio eorum ab hominibus profanis possesso, & cultu divino in iis omninò neglecto; cœnobia verò infinita, quæ ab ejusmodi hominibus tenerentur, & gravi publicâ offensione miserè dilapidarentur; quinimmò & passim non solùm inter privatas familias in commercium venire, verùm etiam in tribunalibus de iis velut de feudis domesticis litigari: denique eò rem progressam esse, ut etiam inde commendas laïcas in gratiam & beneficium Equitum fieri, à multis suaderetur: & ut abyssus abyssum invocat, annatæ quoque beneficiorum Regis nomine percipi cœpissent. Ex quibus cùm secutura penitùs foret universæ rei ecclesiasticæ & religionis eversio, quantâ posset demissione supplicare Clerum, ut his pestiferis malis remedium Rex impræsentiarum auctoritate suâ afferret; ac ne imposterùm in eadem recideretur, Electiones præsulum secundum jus commune & decreta sacra restituere dignaretur. Ad quæ Rex benignè respondit; de promulgatione Concilij Tridentini se maturè deliberaturum; curaturúmque ut ij præsules deligerentur, qui munus tantum ingenio & moribus implerent; & quæ offensionem vulgò parerent, tempestivâ emendatione corrigerentur.

EXPOSTULATIONES AD REGEM.

IV. ALIA CLERI VEHEMENS HORTATIO AD REGEM.

Fine verò conventui Melodunensi imposito, universi Præsules aliíque ecclesiastici viri qui ei interfuerant, Regem simul convenientes, per *Nicolaum Angelerium* Briocensem in Armoricâ Episcopum aliâ egregiâ oratione tertio Octobris habitâ, eadem novis & uberioribus auctoritatibus, exemplis, atque rationibus liberiùs urgentes, promulgationem Concilij, utpotè ad virus sectarium extirpandum, & hæresum venena extinguenda, atque collapsam disciplinam instaurandam, omninò necessariam; & Concordatorum, inter Leonem X. Pontificem & Franciscum I. Regem initorum; post quæ Ecclesia Gallicana decidit, hæreses introductæ fuêre, & status regni nihilò opulentior aut felicior factus est, abrogationem, atque Electionum restitutionem, postulârunt: præmissâ ipso ferè orationis initio, S. Remigij Francorum Apostoli prædictione, Clodoveo primo Regi Christiano in ipso ejus baptismo factâ, tamdiù regnum duraturum quamdiù Reges fidei & Ecclesiæ Catholicæ adhærerent: ex quarum conservatione & amplificatione idem Clodoveus titulum Christianissimi consecutus esset, & ad successores transmisisset; qui ejus vestigiis inhærentes, etiam nonnulli oblatam spontè nominationum facultatem respuissent, tanquam nimis periculosam & antiquis juribus contrariam. Ad quorum de Concilij publicatione postulata id ipsum respondens Rex quod priùs; ad Concordatorum abrogationem, & electionum restitutionem, commotiùs dixit, Reges nominationem ad præsulatus non primitùs habere à Concordatis, sed ab antiquiori usu: ipsósquemet qui tunc aderant, à Regibus nominationem accepisse, quorum non pauci, si penes collegia electionis jus extitisset, electi non fuissent: ac proinde eamdem gratiam aliis invidere non debere. Actum deinde de alio capite, cujus præcipuè causâ convocati fuerant; videlicèt de decimarum præstatione, & contractibus cum urbe Parisiensi olim annis 1561. Poissiaci, & 1567. Lutetiæ factis: quibus cùm se omninò satisfecisse ostenderent, atque adeò ad nihil ulterius obligari; nihilominùs post longas controversias, concesserunt adhuc in sexennium proximum decimarum præstationem, factâ inde transactione die vigesimo Februarij anni sequentis 1580. Quando & Rex ad Cleri cōmonitiones & expostulationes pro disciplinâ constituendâ, & vexationibus atque abusibus tollendis, gratè respondens, edictum [b] condidit; quo & multa ex iis quæ jam in Comitiis generalibus anni 1577. statuta fuerant, dilucidiùs, aut etiam favorabiliùs explicata atque decreta sunt.

[b] *Ext. tom. 3. Collect. negot. Cler. Gall.*

V. DE GENEVÆ PROTECTIONE.

Illud verò hoc eodem anno Regi non parvam invidiam apud ferventiores Catholicos concitavit, quòd urbis Genevæ in Allobrogibus, quæ sentina erat hæresis Calvinianæ, ac præcipuum omnium apostatarum & impiorum confugium, patrocinium suscepit: unde in eum conclamatio facta de hæresis protectione. Quæ quidem uti vana omninò fuit, cùm certissimum sit, Regem numquam à fidei Catholicæ sincerâ observatione nec foris nec intùs vel hilum toto vitæ suæ tempore recessisse; ita nihil dubitamus quin longè plus detrimenti hinc ei obuenerit, quàm commodi quod inde sperabat. Neque enim potest verbum Dei, quod hujusmodi societates adeò detestatur cum indubitatis malorum atque infortuniorum comminationibus, non esse semper & ubique verum. Nec fortè quis abs re suspicetur, hanc potissimam extitisse causam excidij optimi alioqui Principis, ac de fide & religione benè meriti. Sic plerumque fallunt; aut verò falluntur, Regum consiliarij ipsorum dispendio specie compendij. Quemadmodùm & hîc accidit, cùm Regi à fœderatis Helvetiis Bernatibus & Soloturnensibus persuasum fuit; ad pacem firmiori vinculo stabiliendam necessarium esse, ut Reges Franciæ fœderatas ob viciniam Helvetiis civitates, & ipsi fœderatas haberent: eóque in numero præcipuam esse censendam Genevam; quæ tanquam clavis & propugnaculum illius regionis esset, nec propriis viribus sese tueri posset; eâ verò à Duce Sabaudiæ aut Hispanis occupatâ, liberum Helvetiis auxiliaribus, in quibus Rex præcipuum præsidium rebus turbatis ponebat, in Galliam per Clusuras transitum impeditum

iri, ac fœdus tanto impendio utrimque toties renovatum, inutile fore. Reprehendit tamen illum inde, nec immeritò, Gregorius Pontifex.

VI.

[c] V. Borel. ex Annal. Greg. lib. 8.

Gregorius curat Orientalia.

Qui & Orientalia curans, hoc eodem anno [c] librum Gennadij Scholarij contra Græcorum errores, (de quo nos post Concilium Florentinum) facilémque Catechismum, Græcè cudendos, & in Orientem mittendos curavit. Ac Ioanni Regi Ceilan in Indiâ, Christianam fidem cum viginti millibus suorum, operâ & prædicatione Patrum Franciscanorum amplexo, & hâc de causâ regno spoliato auxilium tulit: aliósque rursùm Patres ejusdem Ordinis ad Indos mitti curavit. Idémque Seminarium Illyricorum Laureti, pòst Romam translatum, instituit. Ac florentissimum olim toto terrarum orbe Ordinem monachorum S. Basilij, temporum injuriâ pluribus provinciis penitùs collapsum, in aliis ita imminutum, ut disciplinâ regulari laxatâ, monachi dispersi sine capite errarent, pristinæ dignitati, regularíque observantiæ restituere in animo habens; & à monasteriis Italiæ & utriusque Siciliæ, atque Hispaniæ, inchoandum suscipiens; constitutione [d] hoc eodem anno Calendis Novembris editâ, earum provinciarum hujus Ordinis monasteria in unam Congregationem, juxta decreta Innocentij Papæ III. & Concilij Tridentini, redegit, & sub unius Abbatis regimine deinceps vivere constituit; præscriptis regulis, ac multis concessis privilegiis & gratiis pro dicti Ordinis reformatione.

S. Basilii ordinem restaurat.

[d] Bullar. to. 2. Greg. const. 58.

VII.

De rebus Belgicis.

In Belgio rebus ubique ut priùs turbatis, cùm Ordines intelligerent Malecontentos proceres, pro tuitione fidei Catholicæ, quæ sub Ordinibus ubique pessumdabatur, ad Hispanos inclinare; Aurangio auctore, specie religionis pacis magis firmandæ, Ultrajecti mense Ianuario novum unionis fœdus inierunt, priùs quidem præfati eo minimè pacificationi Gandensi derogatum se velle, sed tamen in articulo religionis haud parùm ei derogantes. Cùm verò etiam addidissent, ab hâc unione nequaquàm exclusas intelligi provincias & urbes quæ Catholicam tantùm religionem servarent, modò in ceteris articulis se morigeras præberent; ad eam amplectendam invitati per delegatos Malecontenti, responderunt paratos se esse unioni subscribere, quæ universos æquabili jure juxta Gandensem pacificationem complecteretur: cúmque Rex etiam nuperis literis cupere se testaretur, ut juxta Gandense fœdus pax in Belgio constitueretur, petere ne reconciliationis hanc oblatam occasionem negligerent, maximè cùm pace his conditionibus constitutâ, nulla justa belli gerendi causa subesset. Quod autem nihilominùs Ordines in suis antiquis cantilenis de violatione fœderis per regios præfectos factâ persisterent, ab omni concordiâ & obsequio penitùs alienos sese demonstrantes, Malecontenti, unà cum Motâ, qui jam anno superiori dimissis Ordinibus in partes Regis transierat, & Gravelingam occupaverat, & aliis qui à Rege stabant, mense Aprili fœdus inierunt pro religione Catholicâ servandâ, & obsequio Regi debito, ejúsque per Belgium Vicario præstando juxta pacificationis Gandensis leges. Secundùm quæ reconciliatio sancita est Regis ac Parmensis supremi Belgij præfecti nomine ex unâ parte, & Ordinum ac procerum provinciarum Gallobelgicarum, Artesiæ, Hannoniæ, Insularum, Duaci, & Orchiarum, ex alterâ: cui prætereà plures aliæ urbes, multíque proceres tam Ecclesiastici quàm laïci subscripserunt; eamdémque posteà Parmensis ratam habuit cùm interim in pluribus urbibus, quæ Ordinibus Belgij, & Matthiæ atque Aurangio adhærebant, putà Antuerpiæ & Mechliniæ, non parvi tumultus contra Catholicos excitati fuerint; aliáque hostilia variis locis in regios actitata.

Gallobelgici recedunt ab Ordinibus rebellibus.

VIII.

Trajectum expugnatur a Parmensi.

Quæ dum fierent, intereà Parmensis Trajectum ad Mosam expugnare statuens, quòd & ademptum Ordinibus aditum auxiliaribus è Germaniâ venientibus tolleret, & contrà res suas adversus Ordines non mediocriter firmaret; obsidione urbem cinxit ad medium Martium: quæ forti propugnatione præsidiariorum & civium, ad finem Iunij protracta est; expugnatâ demùm urbe magnâ cæde die festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli: viribus quoque Parmensis adeò inde debilitatis, ut nihil momenti post hæc eo anno aggredi potuerit: qui si in Geldros cum celeritate duxisset, urbium incolas supplices habiturus fuisse putatur. Sed tum exercitûs diminutio obstitit, tum Malecontentorum fœdus, quo cavebatur ut omnis miles externus ex Belgio educeretur; tum denique ipsius Parmensis morbus, in quem ex assiduis obsidionis laboribus incidit.

IX.

Conventus Coloniensis pro concordia Belgii.

Dum autem hæc in Belgio gererentur, convenientes Coloniæ delegati ad congressum anno superiori pro pacificatione illius provinciæ indictum; videlicèt à Gregorio Pontifice Ioannes Baptista Castaneus Archiepiscopus Rossanensis; à Rudolpho Cæsar. Coloniensis & Trevirensis Archiepiscopi, Electores, Episcopus Herbipolensis, & Comes Schuartzembergius; à Philippo Hispaniæ Rege Dux Terræ novæ, & alij; à Matthiâ & Ordinibus Dux Arschoti, Abbates S. Gertrudis & Marollius, cum aliis; quidámque ab Ordinibus Hollandiæ: Post multa utrimque à partibus dissidentibus agitata atque proposita, demùm Legati Cæsarei, quorum potissimùm auctoritati sua jura eædem partes submittere præseferebant, die decimooctavo Iulij pacificationis capita à se condita, & uti æqua ac justa, & utrique parti utilia judicata, Ordinum delegatis tradiderunt, & ut reciperentur summoperè hortati sunt. Fuêre illa posteà in publicum edita. Quorum præcipua erant; ut pacificatio Gandensis, eámque secuta unio Bruxellensis, & Edictum perpetuum, servarentur: Rex Belgas in gratiam reciperet, & jura, libertates, privilegia, immunitates antiquas singulis ac universis confirmaret: exteri omnes Hispani, Itali, alíique è Belgio confestim excederent: nova tributa & vectigalia abolerentur: cuncti suis bonis & dignitatibus restituerentur: nulli nisi indigenæ ad præfecturas, magistratus, & munera publica admitterentur: Matthiæ & Ordinum acta omnia, quæ non directè ad propriam Regis personam pertinerent, aut contra patriæ jura ac libertates decreta essent, tanquam legitima rata haberentur

Conditiones propositæ.

tur: suprema auctoritas & obedientia Regi deferretur; cum facultate quem vellet gubernatorem deligere, qui secundùm patriæ leges ac pacificationum articulos jus diceret; eíque omnes arces & munitiones traderentur. Quæ adeò ampla cùm nihilominùs Ordines, & qui eos ad nutum ducebat Aurangius, cui nihil minùs quàm pax & concordia in votis erat, inanibus quæsitis suspicionibus, & malitiosis interpretationibus labefactantes, admittere recusâssent; eorum pervicaciâ à Duce Arschotano & Abbatibus ab Ordinibus Coloniam missis perspectâ, Regi reconciliati sunt: quos & nonnulli alij proceres secuti sunt, ac civitates Mechlinia, Buscoducũ, & quædam aliæ, ipséque Parmensis, ubi à morbo convaluit, ut ceteras provincias ad conditiones Colonienses amplectendas alliceret, pacto cum provinciis Gallobelgicis inito, regio nomine promulgato mense Septembri; ejus ac Coloniensium decretorum vi, Hispanos aliósque externos milites, ex urbibus & arcibus deduxit, multósque eo facto ad regias partes pertraxit: ceteris in obstinatione persistentibus, & regios ubique incessentibus. Qui nihilominùs, cùm nec pecunia in militem, nec miles pecuniâ deficiente ad regiorum vim sustinendam suppeteret, & provinciis atque proceribus passim Ordines deserentibus, ulteriora metuerent; rursùm de potentis alicujus Principis patrocinio implorando cogitare cœperunt: de quo dicetur anno proximo: nunc ad cetera hujus anni.

Ordinum obstinatio.

X. Andinus ambit nuptias Elizabethæ Anglæ.

Cùm sæpiùs antehâc actum fuisset de matrimonio inter Franciscum Ducem Andegavensem fratrem Henrici Francorum Regis & Elisabetham Reginam contrahendo, fuissétque diversi ad hoc in Angliam tam à Duce quàm à Rege destinati; ac postremò Ioannes Simierus aulicus lectissimus, & ejusmodi illecebris exquisitè eruditus, à Duce missus, Reginam diù nuptias deprecantem ad earum consensum pellexisse existimaretur: demùm & ipse Dux hoc anno in Angliam parvo admodum comitatu ut à nemine cognosceretur, transmittens; in arcano aliquoties cum Reginâ collocutus, in Galliam rediit. Regina verò, quæ magis nuptias non respuere videri volebat, quàm quòd eas contrahere in animo haberet, ad quas ineptam existimatam fuisse aliàs vidimus; ut se his curis ac procis liberaret, aliquibus ex suis proceribus committens, ut pericula & commoda quæ ex his Andegavensibus emergere possent seriò perpenderent; facile fuit obtentu religionis Calvinianæ, & pacis Angliæ, quas inde diversis modis vehementer periclitari; Reginæque Scotiæ causam promoveri, (hujus enim infelicis mulieris nomen semper & in omnibus in ludum ab ejusmodi sycophantis adduci debuit:) retulerunt, omnes ejusmodi prensationes eludere.

XI. Collegia Anglicana à Greg. PP. erecta.

Quo tempore sollicitus Gregorius Pontifex de ope spirituali ejusdem regni incolis in tam acerbâ religionis pressurâ afferendâ; cernens multos juvenes Romæ existere, qui patriâ, parẽtibus & bonis relictis ad Catholicæ Religionis, in quâ nati erant, institutionem suscipiendam ad Urbem accesserant, eo animo ut salutem sibi primùm compararent, deinde ut post adeptam divinarum rerum scientiam, in Angliam ad alios qui à viâ veritatis declinabant erudiendos reverterentur: idem Pontifex ibidem Romæ *Collegium Anglicanum* nuncupandum erexit & instituit, cum amplâ necessariorum redditũum assignatione, & indultorum concessione: in quo non minùs quam quinquaginta scholastici, ex omni natione regni Angliæ, cum suis rectoribus & ministris necessariis alerentur, & philosophiæ ac Theologiæ, necnon Græcis Hebraicísque literis pro captu cujusque operam darent, séque prætereà in pietate & devotione, cantibus Ecclesiasticis, ceremoniis, & sacris officiis exercerent: editâ eâ de re constitutione [e] nono Calendas Maij præsentis anni. Qui cùm & aliud pro Anglis, qui in Galliam ad propiorem & tutiorem portum quotidie confugiebant, Rhemis constituisset; nec tamen, tum ob ingentem numerum eorum qui ad illud confluebant, tum quòd subveniendum ipsi esset multis aliis ejusmodi piis locis à se institutis, integros tantæ multitudini sumptus subministrare posset: hortationem publicam ad universos Christi fideles, ipsósque etiam Imperatorem & Reges ac Principes, emisit, quâ omnes & singulos exhortatus est & obsecravit, ut Anglis tam in eodem Rhemensi collegio existentibus, quam aliis per Galliæ, Italiæ, ac ceterarum provinciarum partes dispersis, subvenirent, ac pietatis & misericordiæ studia exercerent.

e Bull. to. 2. Greg. const. 53. & 72.

XII. Subsidia Hispanica in Hiberniam.

Cùm verò etiam Hibernis Catholicis, qui sæpè jugum hæresis excutere conati fuerant, opem denuò implorantibus succurrere in animo habens, eorum causam Philippo Regi commendâsset; urgentibus illam Nicolao Sandero Anglo, & Alano Hibernico sacerdotibus, misit Rex cum illis exiguam Hispanorum manum, qui Hibernis in provinciâ Momoniâ, (in quâ Archiepiscopus Cassiliensis, octo sub se suffraganeos Episcopos habet) duce Iacobo Fitzmoris è Comitibus Desmoniæ, qui non semel rem tentaverat, pro religione tumultuantibus adessent, qui vires eorum longè minores quàm sacerdotes illi retulerant comperientes, post nonnulla cum Anglis certamina, quibus Fitzmoris & Alanus occubuerunt, & ipsi ad quamdam munitionem ad unum necati sunt. Sicuti & qui anno subsequenti missi fuêre septingenti circiter Itali & Hispani, ad quoddam munimentum à se extructum obsidione pressi, post deditionem factam, servatis dumtaxat ductoribus, ad internecionem omnes crudelissimè cæsi sunt. Qui sunt frequentiores exitus ejusmodi consiliorum ac molitionum. Laudandus quidem omninò & commendandus zelus eorum, qui non solùm pro defensione, verùm etiam pro restitutione, aut propagatione fidei, & opes, & operam, vitámque ipsam impendunt: at profectò vix est ut per quæsitas populorum defectiones, & armorum violentiam; ubi semel aliquod qualecumque imperium stabilitum est, maximéque si persecutio non grassetur, aut suppetat commoditas in tutiora loca sese transferendi, res optatum successum consequatur: cùm econtrà sæpiùs accidere videamus, ut post irritos ejusmodi conatus longè sævior ingruat persecutio, nullâ Ecclesiæ uti-

litate: quemadmodùm & in Angliâ contigisse vidimus, & in hâc Momoniâ Hibernicâ contigit. Est autem in eâdem Hiberniâ provincia Ultonia, ceterarum quatuor (nam in quinque universa insula dividitur) amplissima ad Septemtrionem Scotiam versùs, quæ hæresi intacta ferè fuit: in quâ est sedes Archiepiscopalis Armacha, totius insulæ primaria, & B. Patricij Hibernorum Apostoli antrum diris & horrendis Inferorum spectaculis famosum: regio verò immensis stagnis interfusa, immanibus silvis umbrosa, atque ideò aditu difficilior, alicubi ferax, alicubi macra, viriditate tamen ad aspectum ubique jucunda, & pecoribus refertissima.

HIBERNIÆ DIVISIO.

XIII. MARTYRES HIBERNI.

Quod verò ad Hiberniam, præsentémque annum pertinet, legimus apud Rescium in Phalarismis Evangelicorum; *Patricium Ochelij* Ordinis Minorum, virum religiosæ vitæ observatione conspicuum, & multis virtutibus illustrem, à Gregorio Pontifice Ecclesiæ Maionensis in eâdem Hiberniâ Episcopum constitutum; cùm eò pervenisset, ac populum suæ curæ creditum prosperè regere speraret; in manus proregis hominis crudelissimi incidisse, & in turpissimum carcerem, unà cum socio Fr. *Connatio Ornarij* filio Principis Ardachadensis, ejusdem Ordinis professore, conjectum fuisse. Post quindecim dies, proregem tam minis quàm promissis hortatum illum esse jurare Reginam Angliæ esse caput Ecclesiæ; cúmque id renueret, ocreis amplissimis eum indui jussisse, easdémque calce, butyro, sale, & oleo impleri, túmque sic ocreatum aquæ ferventi immergi: quo teterrimo tormenti genere non solùm cutis, sed etiam nervi, musculi, venæ, & ferè tota caro tibiarum consumpta est, ossibus nudis remanentibus. Hortante rursùm prorege ut suæ petitioni acquiesceret, cum promissione restituendi eum in integram sanitatem per chirurgos & medicos; ridentem hæc, & constantissimum in confessione fidei Catholicæ, ac supremæ auctoritatis Pontificis in regimine Ecclesiæ perseverantem, tortoribus tradidisse, qui ossa tibiarum, brachiorum, crurum, & digitorum ejus, lapidibus confregerunt; ac deinde ad patibulum duxerunt. Ibi cùm suos adstantes ad constantiam fidei hortatus fuisset, ad proregem conversum, exprobratâ crudelitate & iniquitate, eum ad Dei tribunal intra decimumquintum diem citâsse, rationem redditurum impiorum suorum gestorum: sícque postremò unà cum socio suspensum esse, miraculísque subinde coruscâsse. Proregem autem, cùm citationem ipsius flocci faceret, nihilominùs ut fides martyris dicto constaret, post paucos dies incurabili morbo correptum, in medio suo exercitu (gerebatur enim tunc temporis bellum quod diximus) altâ & intelligibili voce clamantem se tormentis inferni cruciari, putri adeò morbo ut nemo ei auxilium præbere posset, die decimaquartâ à nece martyrum fœtidam animam exhalâsse. Exemplum horrendum judicij divini; at non rarum in ejusmodi tyrannis. Vocabatur autem hic prorex Guillelmus Drurius, bellicâ gloriâ inter suos clarus: quem quidem & historicus Anglus [f] hoc quoque anno, dum in armis esset, ex vehementissimo morbo periisse tradit; at nec causam nec morbi genus exprimit, seu rei ignoratione, seu pudore, quòd in opprobrium ipsius religionis esset.

PUNITIO TORTORIS.

[f] *Camden. in Elisab.*

XIV. BELLUM A POLONO INDICITUR MOSCO.

Hoc eodem anno bellum grave cœptum est inter Polonos & Moscos; quod Rex Poloniæ Stephanus legitimè Ioanni Basilij Magno Moscoviæ Duci indixit, his causis denunciatis; quòd sub ostentatione pacis Livoniam regni Polonici provinciam bello ac incendio vastâsset, magnámque ejus partem occupâsset; legatos suos contumeliosè habitos, ad extremum duplicibus induciarum literis elusisset, eodémque tempore novis in Livoniam copiis missis Vendam civitatem oppugnâsset; suáque legatione ad priores injurias novam contumeliam ac ludibrium adjunxisset. Quæ ut dilucidiùs breviter explicentur, jam olim vidimus, Moscum Livoniæ, quæ se primùm Regis Poloniæ adversus eumdem Moscum & alios hostes patrocinio, postmodúmque subjectioni crediderat, cupidine tentum, ejus occupationi toto animo intendisse. Is post magnam ejus partem subactam ut & illam faciliùs conservaret, ac reliquam consequeretur, Magnum Holsatiæ Ducem Friderici II. Daniæ Regis fratrem, qui proportione quæ ei in Holsatiâ competebat, à fratre Rege Episcopatus ac diœceses Osiliensem & Curionensem in Livoniâ, pecuniâ à se emptas (commercio scilicèt inter hæreticos, quales ipsi erant, frequentato) acceperat, & invenili levitate promissis Mosci adductus ad ejus partes transierat, Livoniæ Regem declaravit, sibi beneficiarium futurum, ita ut rerum administratio penes Magnum, majestas imperij penes Moscum esset, quâ re effectum est, ut plerique populares, sive externæ dominationis tædio, sive ejusdem linguæ ac nationis magistratûs desiderio, eumdem Magnum susceperint, & sacramento in ejus verba fidem obligârint. Occupato verò Stephano Rege in Gedanensium ejus jugum detrectantium bello, Ioannes occupandæ universæ Livoniæ tum maximè opportunitatem nactum se ratus, contra pacis tractatum quem simulaverat, eam cum potenti exercitu ingressus, viam illi Magno patefaciente, quo tamquam illice ad Germanos in Livoniæ oppidis & arcibus inescandos utebatur, universam, Rigâ & Revaliâ præcipuis urbibus, & paucis circa eas castris exceptis, in potestatem suam redegit: Magno nihilominùs, gravibus ab eo acceptis injuriis, & quòd rescivisset illum de ipso bonis omnibus exuto in Scythiam deportando cogitare, ab eo ad Polonum deficiente: à quo in fidem receptus est eâ conditione, ut quas teneret possessiones, eo quo alij Regis beneficiarij principes suas possiderent jure retineret, aut pro illis aliæ non deteriores pro amplitudine familiæ alicubi darentur.

MOSCUS LIVONIAM OCCUPAT.

XV. MOSCI FRAUDES.

Cùm ad sua Moscus revertisset, ac legati priùs à Stephano ad tractandas pacis conditiones missi ad ipsum pervenissent; fuêre illi ab eo tum suo ipsius ingenio feroci; tum ob rem in Livoniâ prosperè gestam multò etiam superbiore, contumeliis ludibrióque excepti, indignissiméque habiti: cúmque tandem de induciis triennalibus inter ipsos convenisset, etiam eâ in re hâc insigni fraude usus est, ut instrumentum quidem de iis confectum,

quod

quod legati obſignare debebant, ſine ullâ conditione purè perſcribi juſſerit; ſed ei quod legatis traditurus erat hanc conditionem ſubjecerit, ut universâ Livoniâ, unà cum urbibus quæ adhuc in poteſtate Regis Stephani erant, & quicquid ad fines uſque Pruſſiæ eſſet, Rex ipſi Moſco cederet: hocque ſolum prolatum jurejurando firmaverit, cautè in locum prioris clàm ſubtracti, ad quod legati juraverant, ſuppoſitum. Quâ fraude à Rege cognitâ, miſſo alio legato, Moſco ſignificavit, non aliter ſe iis induciis teneri velle, quàm ſi de Livoniâ conditionem, quam legati ignoraverant remitteret. Moſcus autem retento eo legato, tanquam nihil de eo reſciret ſuos ad Regem miſit, qui pacta induciarum cum prædictâ conditione confirmari peterent; atque ex aliâ parte validiorem exercitum ad obſidendam Vendam Livoniæ civitatem, quæ in Polonorum poteſtate erat, immiſit. Legati Cracoviam appulſi, faſtu inſolito negârunt verbum ſe ad Regem facturos, niſi priùs Rex aperto capite aſſurgens de valetudine & ſtatu principis ſui percontatus eſſet: quod à ceteris Principibus Moſcus exigere conſueverat. Id verò obſequij Rege denegante, illi re infectâ atque inauditi ad ſua ſe receperunt. Interímque Moſcorum exercitus ad Vendam à Polonis qui in præſidiis Livoniæ erant, Livonibus & Suecis in unum junctis deletus eſt. Atque hę ſunt cauſę indictionis belli quam diximus.

MOSCI CLADES.

Ad quod Rex, factis ab invocatione opis divinæ auſpiciis, profectus cum potēti exercitu ſubditorum regni, & auxiliariorum Germanorum & Hungarorum, rem à Polotiæ urbis ampliſſimæ & munitiſſimæ, in Livoniæ ingreſſu ad Dunam & Polottam fluvios ſitæ, quæ olim in fide Regem Polonorum magnorúmque Ducum Lituaniæ fuerat, obſidione exordiens; eam multo labore cum totâ Polotienſi provinciâ ſatis amplâ in poteſtatem ſuam redegit; ulteriùs inde in Moſcoviam ſequenti anno bellum promoturus: per literas interim Moſcum ipſius inſtituto, quo ille poſt Livoniam vaſtatam uſus fuerat, de ſucceſſu expeditionis certiorem faciens, quas tamen ita Rex temperavit, ut non tam ſucceſſu rerum ſecundarum efferri, quàm tot hominum innocentium clade ſe commoveri teſtaretur.

XVI.

DE BIBLIOTHECA MOSCORUM.

Erat in unâ arcium urbis Polotiæ ædes Sanctæ Sophiæ, vetuſtiſſimarum opum, argentearum ſtatuarum, ampliſſimorúmque Ruſſiæ Principum donariorum famâ celebratiſſima: præda tamen omnis militi conceſſa, minimè ſpei ejus ſatisfecit, quòd jam longè antè pretioſiora Moſcus in Moſcoviam ſecum avexiſſet. Nec minori ferè in pretio Bibliotheca ibidem inventa apud homines literatos habebatur. In quâ præter annalium libros, erant plerique Doctores Eccleſiaſtici Græci, ac in iis Dionyſij Areopagitæ de Hierarchiâ cæleſti & eccleſiaſticâ libri Slavicâ linguâ omnes; quorum pleroſq; à Methodio & Conſtantino in eam linguam à Græcâ traductos, ipſorum Annales tradunt. In Eccleſiaſticis enim inſtitutis (ut obſervat Reinoldus Heidenſtenius, qui bellum hoc Moſcoviticum nobili commentario ſex libris complexus eſt; unde multi alij deſcripſère) Moſci à ceteris ferè ejuſdem etiam ritûs gentibus hoc vel maximè differunt, quòd conciones apud populum, quibus eis erudiatur, à ſacerdotibus nullas haberi patiuntur; ſed quæ à veteribus Doctoribus Græcis tradita ſunt, in ſuam linguam hanc ob cauſam traducta, ſtudioſéque conquiſita, è ſcripto publicè pronunciant: ſeu quòd homines nullis literis erudîti ſuo ingenio minùs confidant; ſeu, quod propius vero videtur, ne pro curioſitate humani ingenij nova inveniendi ſtudio ab antiquitate & veritate recedatur. Quod & profectò ſatius eſſet à multis noſtrorum concionatorum obſervari; quàm ad ſolam vanitatem, ut faciunt, declamantes, effutire quæ nec ipſi intelligunt, nec proinde ab auditoribus intelligi poſſunt. Et tamen ita plerique compoſiti ſunt, ut hujuſmodi hominum inaniloquentiam ſolidæ Verbi Dei prædicationi præferant; parum de fructu animæ curantes, modò verba ad aures jucundiùs ſonent.

FORMÂ CONCIONUM AD POPULUM:

Ceterùm Stephanus Rex captâ Polotiâ ad res provinciæ ſtabiliendas intentus, à religione principium fecit: & templo in arce ſatis amplo, quod à Græci ritûs hominibus tenebatur, ne ſi cultu ſuo priventur Moſci efferatiores redderentur, ejuſdem profeſſionis Epiſcopo Ruſſo permiſſo, novum Romanæ Eccleſiæ profeſſoribus erexit, aſſignatis agris & poſſeſſionibus ampliſſimis; illúdque Societatis IESU ſacerdotibus attribuit, quorum & pietatem, & in reducendis populis ab erroribus & pravis moribus diligentiam & induſtriam in Tranſilvaniâ & Poloniâ expertus, valdè, nec immeritò, probabat.

XVII.

COMITIA LUSITANA DE REGNI SUCCESSIONE.

In Luſitaniâ, ac reliquâ Hiſpaniá, viciníſque provinciis, ſuſpenſis animis de ejus regni ſucceſſione, Comitia Ordinum illius ab Henrico Cardinale Rege ineunte Aprili Olyſippone ſunt eâ de re habita; præſente ipſo Cardinalis habitu, & ſceptrum manu geſtante. Ibi poſt varias à diverſis prolatas ſententias, Rex decrevit ut nihil tunc de ſucceſſione decerneretur; ſed qui in eâ jus ſibi competere contendebant, citati priùs audirentur, interímque Gubernatores crearentur: ac ſecundùm hæc ab Ordinibus nominati ſunt quindecim; ex quibus Rex quinque delegit, quorum nomina ſecreta in capſam conjecta ſunt, Olyſipponenſis magiſtratûs cuſtodiæ traditam: nominatíque rursùs viginti duo, ex quibus Rex undecim delegit, qui ſi Regem ante litem de ſucceſſione terminatam mori contingeret, cum plenâ poteſtate eam dijudicarent: Haud animadvertentes qui ita cenſuerunt, poteſtatem illam morte Regis expiraturam, cui non obligarentur qui regnum ſibi jure deberi contendebant: quinimmò hâc viâ portam ad turbas & factiones in regno apertam eſſe: conſultiúſque longè futurum, ſi Rex plenam de ſucceſſione cognitionem ſibi reſervâſſet, quam eam doctoribus & judicibus decidendam permitteret: ac nihilominùs omnes ordines ſacramento adacti fuere, Gubernatoribus à Rege creatis, & ei ſecundùm quem delecti Iudices pronunciaſſent, tanquam legitimo Regi ſe parituros. Actum & de Regis matrimonio, & gratiæ à Pontifice impetrandæ causâ miſſus Romam orator qui in regium periculum eſſet, ſi matrimonium ſequeretur.

suppotititij alicujus aut adulterini partûs, Philippus Rex Hispaniæ oratori suo Romæ existenti mandavit, ut ab ejus concessione omni ratione Pontificem dimoveret: ídque ipsum apud Henricum tentavit.

XVIII. g Vid. an. supr. XIII. COMPETITORUM COMPARITIO.

Dictâ die citatorum competitorum g oratores adfuerunt: pro Philippo Petrus Giro Dux Ossunæ: pro Philiberto Duce Sabaudiæ Carolus Roboreus; pro Rainutio Farnesio Ferdinandus Parmæ Episcopus. Et Sabaudus quidem de jure suo Philippo concedebat, quippe ex Isabelâ grandiore natu Emmanuelis Regis filiâ primogenito: tãtum petebat, ut si contingeret Philippum ante Henricum communem avunculum decedere, eo casu juris sui ratio haberetur: de cetero iisdem cum Philippo argumentis contra Catharinam Brágantiæ Ducis conjugem, & Rainutium, nitens; quippe sublato repræsentationis beneficio, quod multis item argumentis convellebant, tamquam gradu proximi, & masculi, ceteris præferri debere ambo contendebant. Repræsentationis autem beneficium urgebatur à Catharinâ & Rainutio: posteáq; Rainutius eamdem rationem contra Catharinam materteram reflectebat. In gratiam autem Bragantiæ Ducis, cui & in occulto favere Henricum Regem intelligebant, Conimbricæ academiæ Iurisconsulti scripserant; editáque consultatione multis argumentis Philippi & Sabaudi primùm, deinde Rainutij jus refutabant. Universi autem Antonium Crati Priorem, tanquam spurium, à successione rejiciebant. Cujus & testes de matrimonio Ludovici patris ejus cum matre falsi detecti fuêre, aut omninò suspecti: cùm & ipsemet pater extremis tabulis eum tanquam spurium nominâsset. Quem & præterea Henricus, cui valdè invisus erat, semel iterúmque prolatâ in eum sententiâ damnavit, & successionis omninò incapacem pronunciavit. Adfuit & pro Reginâ Catharinâ Henrici Francorum Regis parente, quamvis non citatâ, Urbanus Sangelasius Convenarum Episcopus: qui post multas difficultates tandem admissus est ad probandum jus Reginæ, quod ipsa, ut diximus, ad Robertum Alfonsi III. Regis Lusitaniæ ex Mathilde Boloniæ Comite filium referebat, indéque ceteros omnes qui in Lusitaniâ usque ad præsentem Henricum regnaverant, illegitimos fuisse contestabatur; ipsius quoque Henrici jus in dubium revocans, ac ceterorum omnium competitorum jura, quæ ex proximâ successione deducebantur, radicitùs evellens. Contra quam objiciebatur, jus illud longissimi temporis trecentorum ampliùs annorum præscriptione intermortuum, frustrà nunc suscitari; de quo tot Bononiensium Comitium, qui post Mathildem successerunt, nemo umquam controversiam movisset: & verò si penitiùs in rei veritatem inquireretur, constitutum Mathildem nullos ex Alfonso liberos suscepisse; Robertúmque illum non Mathilde, sed Alisâ Mathildis sorore prognatum esse. Verùm & contra hæc conscriptus fuit prolixus tractatus pro eodem legitimo jure Catharinæ Reginæ; cum responsionibus ad consultationes Doctorum Bononiensium, Patavinsium, & Perusinorum, pro Bragantinâ & Rainutio factas; ac Michaëlis ab Aquirrâ Doctoris Bononiensis, natione Hispani pro Philippo. Sicuti & cùm post concertationes prædictas apud Henricum peractas, nihil decerneretur, iidem Philippus, Sabaudus, Parmensis, & Bragantinus, singuli consultationes pro jure suo ad Pontificem & principes Christianos miserunt. Indéque occasione sumptâ regni Ordines, ac præcipuè Olysipponenses, quasi extinctâ masculâ prole, & incerto succedentium jure, rem ad electionem deductam, prout aliàs factum fuisset, contendebant: Replicantibus ceteris, electioni numquam locum esse, quamdiù legitimi heredes existant: & ut daretur hereditatem jacere propter incerta partium jura, non propterea sequi ut ipsi jus eligendi haberent, sed debere regnum Lusitaniæ Legionensi accrescere, à quo originem duxisset.

Quibus sic litigiosè ac leguleiè agitatis, (quæ omnia, uti & sequentia, accuratissimè ac copiosè tractata videre est in commentario Hieronymi Connestaggij de Unione Portugalliæ, & apud Antonium Herreram in Vita Philippi, ac Cæsarem Campanam in Historiâ Mundi) idem Philippus Rex, qui statuisset armis jus suum persequi, plúsque momenti in potentiâ quàm in jure suo & Iurisconsultorum sententiis poneret; jam satis famæ & hominum opinioni datum ratus, rem ipsam agere decernens, imprimis Henricum per suos oratores magnoperè hortatus est, ut quando de jure suo omnibus constare deberet, ad vitandum bellum, ipsum regni successorem designaret, & in ejus verba cunctos ordines jurare juberet: id enim magno non solùm Christiani nominis, verùm etiam privato Lusitaniæ bono cessurum, quæ cùm Hispaniarum pars esset, nulli meliùs quàm Hispaniarum regno conveniret. Eodémque tempore omnia ad bellum necessaria parans, copias ex Italiâ & Germaniâ, specie belli Turcis in Africâ inferendi, evocavit, ut paratas illas penes se ad omnem eventum haberet. At Henricus quid sibi Philippus vellet non ignorás, & Antonio ultra modum infestus, Bragantinam autem percaram sibi, sed imparem contra Philippi potentiam animadvertens, paulatim labare cœpit; ac demùm à Leone Henriquez ex Societate Iesu, qui ei à sacris cõfessionibus erat, potiùs quàm à legatis Philippi, ut creditur, persuasus manus dedit: & in arcano, plebis à Philippo alienissimæ tumultum veritus, cum Philippicis transegit certis conditionibus: atque ut majore cum ordinum approbatione declarationem evulgare posset; comitia regni Almerini (cùm gravissima lues Olysippone grassaretur) indixit: de quorum celebratione & exitu dicetur anno sequenti. — XIX. PHILIPPUS PARAT NECESSARIA AD PORTUGALLIÆ POSSESSIONEM.

Præsenti, Nonis Augusti *Stanislaus Hosius* S. R. E. Cardinalis natione Polonus & Episcopus Varmiensis, Majórque Pœnitentiarius, ex hâc vitâ decessit Romæ anno ætatis septuagesimosexto: sepultus in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ Transtiberinæ; vir, ut breviter veréque habet ejus epitaphium in marmore nigro ibi positum, vitæ sanctitatis, eruditionis, & eloquentiæ gloriâ celeberrimus, ac Catholicæ fidei acerrimus propugnator: qui antiquæ probitatis, & Episcopalis vigilātiæ præstantiam in humilitate, charitate, castitate, & beneficentiâ expressit: hæreticas sectas scri- — XX. HOSSI CARDIN. OBITUS.

ptis

ptis & consiliis sapientissimè & ferventer oppugnavit; multos ab erroribus revocavit; gravissimísque legationibus pro pace Ecclesiæ Dei, cùm apud Carolum V. & Ferdinandum Cæs. tum præcipuè in sacro Concilio Tridentino Pij IV. Pontificis nomine felicissimè perfunctus; Christianæ Reip. plurimùm profuit, omnium virtutum laudibus, & exemplis abundans. Quæ ne putes hyperbolicè dicta, si legas Vitam ejus à Stanislao Rescio editam, atque elogia Petramellarij & Victorelli, aliorúmque plurimorum: profectò reperies longè parciùs eo epitaphio cum ejus memoriâ actum esse, quàm dignitas & præstantia viri, ingentiáque merita postularent: maximéque si præclarissima ejus scriptorum monumenta perspexeris: quæ quantæ auctoritatis & utilitatis sint ex eo apparet, quòd ipso vivente bis & trigesies in diversis Orbis Christiani partibus impressa, & ex Latinâ in varias alias linguas traducta fuerint.

XXI. Monlucij Episcop. Valentini obitus.

Mortuus quoque hoc eodem anno *Ioannes Monlucius* Episcopus Valentinus Tolosæ: ubi sepultus est in Ecclesiâ metropolitanâ Sancti Stephani, deposito spiritu in manibus Patrum Societatis Iesu, unde eluta dici possit omnis suspicio hæresis, quâ gravissimè; ut suis locis vidimus, laboravit tum in Galliâ tum Romæ: ceterà vir doctrinâ, eloquio, & animo præstans, ac multis legationibus feliciter obitis illustris.

XXII. De Patriarchis Constantinopol.

Ad finem anni Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus Græcus, destitutus patrocinio Michaëlis Cantacuzeni Græcorum potentissimi, cujus operâ Patriarchatum, deposito [h] Metrophane, adeptus fuerat, (qui Michaël anno superiori accusatus de turbis in Walachiâ & Moldaviâ concitatis, Amuratis jussu [i] Anchiali in domo suâ laqueo suspensus fuit, ejus bonis publicatis:) eodem procurante Metrophane depositus ac relegatus est; ipséque *Metrophanes* restitutus. Sunt ex nostris multis qui scribant, Ieremiam arte Lutheranorum, quorum confessionem rejecerat [k], calumniis in eum apud Turcos in vindictam repulsæ congestis, sede deturbatum fuisse. Quod an verùm sit, certò asserere non possumus: cùm tamen non dubitemus, satis esse malitiæ hæreticis ad hæc & pejora patranda. Sanè in Actis [l] cum ipso ab iis habitis extat ipsorum ad illum depositum epistola die S. Io. Baptistæ anni sequentis scripta, quâ dolere se ejus vicem testantur. An verò illudentes potiùs quàm dolentes, Deus scit. Ipse verò epistolâ ad illos rescriptâ mense Maio Indictione nonâ, nempè anno 1581. tradit jam se eo tempore restitutum fuisse sedi suæ; quod contigisse ponitur vigesimo quarto Decembris anni proximi 1580. videlicèt post mortem Metrophanis, quæ accidit undecimo Augusti ejusdem anni. De successoribus dicetur subinde suis locis. De ipso verò Ieremiâ, inter alia laudabilia legimus; cùm Græcus quidam monachus, qui Ierosolymis venerat, ut pecuniam à plebe corraderet, mentiretur non longè à Ierosolymâ lapidem cælitùs cecidisse, cui inscriptum esset, Mundum post paucos dies interiturum: eique commento ut fidem faceret, literas monstraret, quas se ab Alexandro Patriarchâ habere aiebat; quibus promittebatur peccatorum indulgentia omnibus qui eas pecuniâ compararent: Ieremiam Patriarcham, ubi hæc audivit, monachum ad se evocatum, & in mendacio persistentem, publicè excommunicâsse, simul & eos qui deinceps tales ab eo indulgentias emerent: qui verò jam emerant, jussos à Patriarchâ fuisse eas proferre, quæ præsente monacho igni traditæ fuère; ipséque monachus pecuniam singulis restituere coactus, qui singulas ducato vendiderat: Tunc & ipsum imposturam amarè flentem, à Patriarchâ Ecclesiæ restitutum fuisse.

Impostor Græcus.

[h] Vid. supr. an. 1572. XXVII.
[i] Turcogr. lib. 1. in fin. Crus. ibid. & in fi. lib. 2. & lib. 3. par. 3. ep. 4.
[k] Supr. an. 1574. XVI.
[l] Ibid.

XXIII. Ætnæ igneæ eruptiones.

Hoc eodem anno [m] Ætna Siciliæ mons, perpetuo clarus incendio, eóque nomine celebratissimus, maximis horrendísque ignibus exarsit, cum magnis fremitibus ac motibus terræ: apertis videlicèt quinque hiatibus, unde vis maxima flammarum erupit, quæ ad decem ferè millia passuum fluminis instar magno locorum cultorum detrimento profluxit: adeóque altè eructabantur saxa ignita, ut quodvis acumen aspectûs superarent; quæ mox cum horribili fragore in terram recidebant.

[m] Natal. lib. 30.

Iesu Christi Annus 1580.

Gregorii XIII. Ann. 9.

Rudolphi II. Ann. 4.

I. Nova comitia Lusitan. de regni successione.

Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo, Indictione octava, die nonâ Ianuarij, celebrari cœpère comitia regni Lusitaniæ, à Rege Henrico anno superiori Amerini indicta ad tractandum de successore ipsi designando. Ubi cùm declarâsset; licet Rex Philippus sæpiùs eum interpellâsset ut ipsum regni successorem designaret, se nihilominùs semper rem distulisse donec de jure partium contendentium plenè edoceretur: id verò cùm sedulò fecisset, & maturè pensitatis & examinatis singularum rationibus, exploratísque peritorum sententiis, tandem comperisset, inter Philippum & Bragantinam controversiam remanere; hanc tamen sententiâ dirimere se varias ob causas periculosum censere; satiúsque videri ut amicè & pacatâ viâ tes transigeretur: ac proinde illos monere ut in commune consulerent, quò ex eorum deliberatione de re omni deinceps statueret. Hæc propositio cùm syndicorum civitatum animos mirum in modum perculisset, qui non alium Regem quàm Lusitanum cupiebant, ac rem ad electionem deducendam esse perstrepebant; nequaquàm de eâ amicè componendâ, aut ad paucorum judicium adducendâ audire sustinuerunt. Adeò ut Rex ita affectis animis pronunciare intempestivum existimans, eorum petitioni utcumque assenserit, concedens ut rationes ob quas ad electionem admitti deberent, allegare intra triduum licere. Lætis eâ gratiâ, quòd se Regem arbitrio suo creaturos confiderent, haud datum est diù gaudio frui; *Henrico* interim, qui jam cùm Amerinum se contulit ægrotabat, ultimâ die Ianuarij ex hâc vitâ sublato, sub mediam noctem horâ & momento à se prædictis; cùm eodem tempore Luna deliquium passa esset,

Henrici Regis obitus.

Rèxque in principio ejus deliquij mori cœpisset, & in fine expirâsset, manu candelam tenens: cùm eâdem horâ ante sexaginta octo annos in lucem editus fuisset. Regnavit menses septemdecim: fuítque postremus Regum Portugalliæ, ejusdémque nominis, cujus fuit primus ejus regni ante quingentos propemodùm annos Rex *Henricus* dictus, quod & in multis aliis observatum olim [a] vidimus. Fuit corpore gracili, staturâ parvâ, facie minutâ: castitate insignis, quã totâ vitâ servavit; fidei Catholicæ & religionis studiosissimus; aliísque virtutibus prædìtus: sed nec defectibus carens; sic cum virtutibus æquandis, ut virtutes hominis potiùs essent Ecclesiastici; defectus magis Principis. Corpus ibidem Amerini depositum, translatum inde est Evoram ad monumentum, quod sibi vivens in Ecclesiâ Collegij Societatis Iesu à se erectâ posuerat: sed posteà Philippo regnante & mandante, ad oppidum Bethlehem, & commune Lusitanorum Regum spulchrum translatum, in Ecclesiâ B. Mariæ Ordinis S. Hieronymi, nobilissimo funere, cui Philippus ipse adstitit, conditum fuit.

[a] Supr. an. 1453. XII.

II. Post ejus mortem apertis testamenti ante octo menses conditi tabulis, repertus est successionem ei deferre qui causâ in jure disceptatâ vinceret, nisi ipse ante mortem causâ plenè cognitâ jam eum nominâsset. Quinque verò Gubernatores, quos vidimus constitutos, qui curam regni gererent post Regis obitum, ejus administrationem susceperunt. Ad quos Philippus, simulque ad Ordinum conventus, & Cameram Olysipponensem scribens, petiit ut se juxta Henrici avunculi voluntatem ante obitum significatam, quandoquidem de jure suo cunctis abundè constaret, sine dilatione Regem declararent, quod si facerent, paratum se privilegia ac libertates eorum confirmare, & novas si opus esset addere; si recusarent, armis se jus suum persequi decrevisse. Ad quæ universi responderunt, vim deprecantes, monentésque tantisper sustinere dum legati ad eum missi auditi fuissent. Quando & Gregorius Pontifex pacis & concordiæ studiosus, qui jam vivente Henrico suam Philippo obtulerat auctoritatem in rebus inter ipsum & Henricum componendis, rursùm Henrico defuncto eamdem ad vitanda quæ parabantur arma obtulit. Philippus autem, ne res in longum traheretur, duos paratos habens potentes exercitus terrâ maríque, maritimi imperium commisit Alvaro Bassano S. Crucis Marchioni, Hispanicarnm triremium præfecto, & bello nuper contra Turcos multùm laudis adepto: terrestrem clarissimo & experientissimo totâ Hispaniâ atque Europâ belli Imperatori, Ferdinando Alvaro Albæ Duci, de quo sæpè superiùs, qui cùm sive ex occultâ invidiâ, sive ob fastum & nimiam arrogantiam, Regi invisus, prætextu cujusdam culpæ ipsius filij relegatus unà cum eo fuisset, jussus exercitum in Lusitaniam ducere, hoc onus libentissimè suscipiens, haud tamen valuit à severo Principe summæ gratiæ loco obtinere, ut sibi in itinere Madritum ad eum adire, & manum deosculari liceret: adeò ut diceret se vinculis compeditum mitti ad regnum in potestatem redigendum. Quem nihilominùs paulò pòst Rex apud Augustam Emeritam magnâ benevoli animi significatione excepit.

PHILIPPUS ARMIS REM AGERE DECERNIT.

III. His igitur potens Philippus exercitibus & ducibus, securúsque à Turcis per triennales inducias cum Amurate eorum Imperatore pactas redditus; cùm interim haud ignoraret, quàm sinistri rumores de se passim non solùm in Lusitaniâ, sed etiam per Italiam spargerentur, quasi vi alienum regnum invaderet calcatâ juris ratione, cui se infirmiores competitores subjecerant aliquid famæ dandum ratus, familiari sibi dissimulatione, totum negotium rursùs ad conscientiæ normam examinandum Theologis suis Complutensibus, Patribúsque Frâciscanis & Iesuitis, dum nihilominùs nullam bello inchoato moram interponeret, per otium discutiendum permisit, quærens ab iis, primò si cùm sibi de jure suo certò constaret, obligaretur alicui se tribunali submittere, quod ipsi regnum adjudicaret: deinde, si Lusitanis recusantibus eum admittere, antequàm lite cum aliis competitoribus disceptata judicio obtineret, posset propriâ auctoritate regni possessionem armis apprehendere, hoc posito quòd nullo scrupulo se teneri sentiret: tertiò, an jusjurandum, quo Lusitani sese obstrinxisse dicebant de non admittendo Rege, qui non in judicio declaratus esset, excusationi esset pro non recipiendo Rege legitimo. Ad quæ Theologi prorsùs voto Philippi congruentia respondentes, dixerunt nullo eum conscientiæ vinculo obligari ad subjiciendum se hâc in re jurisdictioni aut arbitrio alterius cujuscumque, cùm nullum agnosceret se superiorem; nec quidem & undecim illorum Iudicum, qui ab Henrico fuerant olim constituti; cùm certum esset, ipsos à se nullam habere auctoritatem, & quæ à Rege mandata fuerat ipsius morte expirâsse: vel denique ipsius Summi Pontificis, quòd res merè soli esset, neque quicquam admistum haberet cujus respectu sacri fori deberet intercedere auctoritas. Ac proinde nec Lusitanos ullâ jurisjurandi religione teneri, quandoquidem nemo esset vel auctoritate vel jure Philippo superior, qui de causâ posset cognoscere. Quæ Theologorum sententia posteà publicata est: ejúsque auctoritatem Philippus ad arma jam sumpta etiam accedere voluit: ac secundùm eam missis ad se Lusitanorum legatis responsum dedit; significans è duobus alterum eligendi necessitatem impositam eis esse, aut scilicèt bellum, aut ipsius in Regem receptionem cum privilegiorum & immunitatum confirmatione.

FICTÆ ejus CONSULTATIONES.

IV. Hoc responso rebus perturbatioribus redditis, & regni Gubernatoribus parùm inter se concordantibus, pluribúsque eorum ad Philippum inclinantibus; ut tamen munus suum exequi viderentur, in speciem cuncta ad defensionem parârunt, potiùs ut plebis insaniêtis furorem eâ diligentiâ placarent, quàm quòd ullum inde operæpretium sperarent: miserúntque in Galliam ad Regem, in Italiam ad Pontificem, in Germaniam ad Imperatorem, in Angliam ad Reginam, quaquaversùm ad ceteros Principes, pro auxiliis & hominum & pecuniarum: (quæ omnia frustrà fuerunt,) nihil interim Antonio Crati Priore non agête

TURBÆ REGNI.

ut in Regem assumeretur. Quem nihilominùs Philippus honorificis conditionibus sollicitans, causæ suæ diffidentem penè ad concordiam induxerat; nisi à familiæ Portugalliæ proceribus, innatâ nominis vanitate Castellensi nomini infestis, magno suo & totius Lusitaniæ malo mutâsset. Horum enim demùm opera idem *Antonius* apud Santaremum oppidum, per tumultum, absque ulla Gubernatorum aut Ordinum auctoritate, Rex proclamatus est die decimonono Iunij; regiáque insignia sumpsit: cùm tamen à prudentioribus amicis moneretur contentus esse nomine Defensoris regni; confestímque Olisipponam contendens, Ioannis Telli unius ex Gubernatoribus, cui cura data fuerat nequid in urbe motûs fieret, ignavia, & Petri Acuneæ urbis præfecti negligentia, admissus vigesimoquarto ejusdem Iunij, magno plebis lascivientis plausu in regno confirmatus est: qui Philippum hostem publico diplomate pronunciavit, & eos qui ei adhærerent tamquam perduelles proscripsit: raris tamen ad eum magistratibus; paucis ex nobilitate ad eum confluentibus; sed monachis plerísque & sacerdotibus adeò ei faventibus, ut etiam ad arma tractanda multi se contulerint, academiæ Conimbricensis professoribus faces admoventibus. Cùm autem cuncta ubique ingenti confusione incertísque consiliis agerentur, interim Albanus cum exercitu, Santacrucius cum classe Lusitaniam invadentes; permulta loca receperūt: Albano sævissimæ suæ crudelitatis oblivisci nesciente, cùm ad Cascaium deditione capto Didaco Menese illustri valdè viro, & magno inter suos nomine, cui Antonius armorum imperium contulerat; eò quòd ad primam jussionem deditionem non fecisset, cum capite plexit unà cum aliis præfectis, ad terrorem cæteris incutiendum.

Antonius Rex proclamatur a Lusitanis.

V. Gregorij PP. sollicitudo de rebus pacandis.

Inter quæ superveniens per dispositos equos Alexander Cardinalis Riarius, à Pontifice, antequàm nuncius Romam pervenisset de Antonij proclamatione, destinatus, qui Philippo suaderet arma deponere, & causam judicio Sedis Apostolicæ submittere; multò aliam quàm speraverat rerum faciem inveniens, nihil operari potuit; excusante Philippo, optâsse quidem se ab initio ut res citra vim componerētur; sed Antonio creato Rege, ac violata regni Ordinum per illam vitiosam creationem auctoritate, res ampliùs integras non esse, bellúmque inchoatum intermittere, perinde esse ac si victoriam hosti traderet. Qui nihilominùs diploma per Lusitaniam publicari mandavit, quo plenam præteritorum gratiam faciebat iis, qui ad obsequium sibi debitum rediissent, & Antonij partes desererent; excepto tamen à gratia Antonio, & iis qui circa ipsum erant, ac seditionibus causam dederant. Hæc cùm anxium de urbis Olisipponensis fide Antonium tenerent; ipséque homo pusilli animi minorísque sensûs, cerneret res suas in deteriùs quotidie collabi, quæsivit cum Philippo pacisci, rogans contentus esse vellet; ut ipse, quò honestiùs caderet, Ordinibus regni significaret, se imparem contra Philippi potentiam esse, ac proinde ipsis liberum esse rebus suis cōsulere. Verùm Philippus, qui jam maximam regni partem possidens, conditiones nullas vellet, Antonij nuncium ad Albanum remisit: qui variis ludificationibus miserum Regem postremò ad prælij aleam ex desperatione adegit. Initum autem est illud die 25. Augusti ad vicum Alcantaram, mille passus ab Olisipponâ distantem; Antonio longè copiarum numero, longissimè ducum ac militum experientiâ, Albano inferiore. Quare & nullâ ferè pugnâ in fugam versus est, (eodem tempore classe ipsius non longè inde in Tagi fluvij faucibus absque ullo penè certamine in potestatem Santacrucij concedente) & in fugâ hastâ in facie sauciatus parùm abfuit quin caperetur. Urbem Olisipponam per unam portam ingressus, ac per alteram subinde egressus, recta Santaremum concessit cum quadraginta circiter equitibus. Ubi non aliter acceptus quàm sub conditione aliò se quamprimùm conferendi; (insigni ac juxtà deplorando inconstantiæ rerum humanarum exemplo; ut quo loco ante duos menses tanto populi concursu ac favore ei tanquam Regi acclamatum fuerat, eidem vix privato tutus receptus esset,) inde Conimbricam, rursúmque ad alia varia loca divertens; cùm à parte exercitus ad eum insequendum immissâ ita urgeretur, ut nullibi tutò ei esse liceret; demùm suis valedicens mense Octobri, per domos nobilium, ac cœnobia, aliáque loca, diversoria subinde mutans, usq; ad Iunium insequentem latuit; tanta sive suorum caritate ac fide, sive Hispani nominis odio, ut nullius præmij spe proditus fuerit, (constituit enim Philippus pretium in caput ejus, tanquam perduellis & tranquillitatis publicæ perturbatoris, octoginta ducatorum millium, ei qui aut illum occidisset, aut vivum stitisset, exsolvendum:) & quamvis diligenter à discurrente huc illuc milite pervestigatus, nunquam reperiri potuerit, etiamsi non semel inter eosdem ipsos qui eum quærebant incognitus fuerit, & aliquando ipsam Olisipponem intraverit: qui postremò salvus in Galliam navigavit. Cùm interim non solùm Olisippone eodem prælij die in potestatem Albani, sed & subinde universum reliquum regnum ad obedientiam Philippi concesserit; universo bello intra quinquaginta octo dierum spatium confecto.

Prælio Antonius profligatur.

Lusitania universa in potestate Philippi.

VI. Remuneratio Ducis Brangantiæ.

Philippus inter hæc periculoso morbo conflictatus, ubi ex eo convaluit Lusitaniam ingressus est; honoris causâ venientem ad se Ioannem Bragantiæ Ducem, peramenter excepit, atque honorificè habuit; Equitúmque Magistri, sive Connestabilis regni dignitatem à majoribus acceptam, tanquam hæreditariam confirmavit; ac Velleris aurei torquem ei contulit. Quæ vani honoris insignia, plenioris remunerationis tantùm pignora initio credita, pro omni juris ad regnum prætensi satisfactione illi postremò cesserūt; cùm priùs amplas pro ejusdem juris cessione conditiones à Rege oblatas recusâsset. Post hæc indixit Rex Tomarū regni comitia ad decimumquintum diem Aprilis anni sequentis. Misit & in Indiam Orientalem, quæ à Regibus Lusitaniæ pendebat, ad proregem & ceteros præfectos: qui rerum exitu cognito, in fide ejus perstiterunt: sicuti & arces Africę, quæ in potestate Lusitanorum erant. Tardiùs cùm ad Azoras insulas missum esset, quæ Antonio fi-

dem jurarant; illæ Franciscanorum operâ adversus Philippum firmatæ sunt: (Sanmichaeliâ exceptâ, quæ à ceteris centum millium passuum Hispaniam versùs disjuncta, Episcopi auctoritate in obsequio Philippi conservata est:) adeò deceptis illis populis expectatione proximi adventus Sebastiani olim Regis, quem Franciscani adhuc superstitem prædicabant, ut etiam persuasum sibi habuerint, eum incognitum in insulam Tertiam (vulgò Terceram dictam) exscendisse, & ibi ad tempus latendum duxisset. Quæ ita præsenti anno gesta, quem demùm finem consecuta sint dicetur sequenti.

VII. HUGONOTI ARMA RESUMUNT IN GALL.

In Galliâ hæreticis haud quiescere scientibus, quorum animi ad turbas subinde concitandas perpetuò intendebant; quamvis anno superiori per collationem Reginæ-matris cum Henrico Rege Navarræ apud Neracum Aquitaniæ oppidum ditionis ejusdem Regis habitam, eorum querelis de inobservatione edictorum in eorum favorum conditorum, aliísque postulationibus, satisfactum fuisset: nihilominùs eodem ipso tempore de bello renovando cogitantes, omniáque tacitè ad id parantes, idem Navarrus ad principium Maij Cadurcum nobilem civitatem Episcopatu & Academiâ insignem, nihil tale cogitantem, aggressus; post longam acrémque civium defensionem cepit, ac crudeliter diripuit, secutæque mox sunt multorum aliorum locorum in eâdem Aquitaniâ, Pictonibus, Santonibus, Septimaniâ, & Delphinatu, occupationes, direptiones, ac cædes. Cùm verò eodem tempore Princeps Condeus in Angliam, Belgium, & Germaniam ad auxilia accersenda properâsset; Rex Henricus, de his omnibus sollicitus, tres exercitus simul conscripsit: quorum unum Armando Bironio Franciæ Marescallo in Aquitaniam, cui præfectus erat, adversus Navarrum ducendum tribuit: alterum Carolo Lotaringio Mayeniæ Duci in Delphinatum, cui Navarri nomine Diguierius præerat: tertium Iacobo Gobioni Matignono Marescallo, ad Feram Veromanduorum, quam Condeus occupaverat, obsidendam. Atque insuper ut hæreticorum conatus eluderet, eorumque vires ac consilia divideret, diplomate tertio Iunij promulgato edicta superiora in ipsorum gratiam facta confirmavit, sanctione addita, ut qui beneficio eorum uti vellent, domi pacatè ab omni injuriâ securi manere possent; quíque ns in aliquo nocerent, à magistratibus plecterentur. Unde factum est, ut multis in officio sese continentibus, Mayenius, capto gravi difficultate Muræ munito oppido, brevi tempore provinciam pacatam habuerit; confluente ad eum undique hæreticorum nobilitate: ita ut quod alij vix multis magnâ cum sanguinis jacturâ commissis præliis efficere potuissent, prudentiâ & animi moderatione confecisse, non solùm in provinciâ, sed in aulâ ipsâ jactaretur. Ut autē ipse in Delphinatu, sic Bironius in Aquitaniâ res adversariorum, atque adeò Regis Navarri in arctum redegit, multis locis receptis, atque inter ceteros Monte-Marsani præcipuo Navarri ditionis oppido. Denique & Matignonus (cum quo missi Annas Ioiosa Arcuensis, & Ioannes Ludovicus Nogaretus Valeta, qui

PLECTUNTUR UBIQUE.

tunc in flagranti gratiâ apud Regem erant) Feram, quamquam non sine multorum nobilium cæde, ad deditionem compulit.

VIII. PAX RESARCITUR.

Ita bello temerè suscepto, ubique infeliciter auctoribus ejus succedente, (cùm & interim Condeus vacuus omninò à suâ sollicitatione rediisset) Franciscus Dux Andegavensis Regis frater, cùm ab Ordinibus Belgij ad eorum defensionem evocaretur, ut vires è regno educere posset, partes suas ad pacē in eo componendam interponens, impetratâ à Rege facultate cum Navarro, cui illud in votis erat, agendi; in Petrocorios concedens, ad Flexiam domum Comitis Gursonij cum eo ad colloquium venit, cui & Regis nomine Dux Mompenserij & Pomponius Bellevrius interfuerunt. Ubi tandem post multas difficultates in certa capita transactum est die 26. Novembris: eáque de re conditum edictum Flexianæ collationis nomine; ratum à Rege habitum 26. Decembris Blesis, & à Senatu Parisiensi promulgatum 26. Ianuarij insequentis: quo & edictum ante triennium factum, & Collatio Neraciana confirmabatur, & alia quædam ad eorum amplificationem addebantur; Rege pacis in regno habendæ, etiam cum non parvo auctoritatis suæ detrimento, vehementer cupido. A quo tempore per quinquennium ferè toto regno alta quies fuit.

IX. ANDEGAVENSIS ELIGITUR PRINCEPS BELGIJ.

Quod autem diximus de Andegavensi ab Ordinibus evocato; id ita se habuit, ut cùm Aurangius supremus Ordinum motor, & commotor, obstitisset ne amplissimæ pacis conditiones anno superiori Colonię constitutæ reciperentur; ac proinde bellum continuari; eíque sustinendo patrocinium externum quæri necesse esset; proposuerit ipse, plurimísque rationibus confirmaverit, neminem Principum esse, qui sive potentia & opes non è longinquo petendæ, sive ingenium viri & status temporum spectaretur, Andegavensi anteferendus esset, quem & Regina Angliæ per suas literas & nuncios crebrò commendaret; adeóque ipsum in Principem, loco Hispanico, cū quo nulla spes esse posset concordiæ futuræ, recipiendum videri. Quâ de re postquàm diù deliberatum esset; atque intereà bellum toto Belgio, ut priùs, à regiis & Ordinibus multis hinc inde cladibus & devastationibus gereretur, (quo inter pręcipua contigit Curtracum & Groningam à regiis, Mechliniam ab Ordinibus recipi, & Franciscum Lanovium Gallum, strenuum admodùm ac consultum ducem, summúmque militiæ Ordinum imperatorem ad Manderam capi; qui multò tempore captivus detentus fuit:) demùm in Andegavensem à cunctis consensum est: Aurangio non solùm auctore, sed etiam ut diximus, maximè annitente, cùm ex veteri in Philippum & Hispanos hæresis suæ ac rebellionis ultores odio; tum verò maximè ex ejus proscriptione hoc anno Philippi jussu publicè factâ: cujus instrumentum Trajecti ad Mosam confectum est 15. Martij, & adjunctis Alexandri Fernesij Proregis apud Montes Hanno-niæ 15. Iunij ad præfectos & magistratus urbium literis, publicatum: quo post exprobrata beneficia à Carolo olim Imp. atque à Philippo accepta, & narrata quæ ille contra ipsum Regem machinatus fuisset, idem tanquam per-

AURANGIUS PROSCRIBITUR.

duellis, sectarius, hypocrita, & exulceratæ ac præfractæ conscientiæ alter Caïnus ac Iudas, orbis Christiani pestis, & generis humani hostis, diris devotus est, ejusque caput occisioni, bona prædæ exposita: præmiúmque insuper iis eorúmve heredibus, qui illum seu vivum sisterent, seu mortuum traderent, 25. aureorum millium propositum, & quòd ipsi ac familiæ eorum in nobilium album referrentur. Eâdémque sententiâ proscripti Aurangij sectatores, fautores, & receptores. Ad quòd programma ipse amplissimum scriptum apologiæ nomine rependit, & typis mandavit, virulentissimum in Regem & conviciosissimum, quod & Ordines, qui toti ejus erant, approbatione suâ firmârunt.

X. LEGATIO AD ANDEGAVENSEM.

De Andegavensi autem recipiendo, & transfendo in eum certis conditionibus provinciarum imperio; facto mense Iunij decreto, destinati sunt 12. Augusti, ex conventu Antuerpiæ ab Ordinibus Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Mechliniæ, Frisiæ, habito, legati in Galliam, cum plenis mandatis ut cum eo agerent. Qui ad Plessium propè urbem Turonum 29. Septemb. eum assecuti, dum ad colloquium Flexianum tenderet, cum eo transegerunt; rursúmque post colloquium, rem Burdegalæ confirmârunt: adeò sanè duris ac servilibus conditionibus, ut appareat eum valdè ambitiosum fuisse imperij, qui ejus umbram tanti emeret, nec adeò mirum videri debeat, si haud diù tam grave & turpe jugum sustinere potuerit. Bonus autem Matthias, quem Ordines priùs evocaverant, his conspectis, séq; ludibrio ab iis haberi, ac nihil sibi in Cæsare ac ceteris fratribus, reliquísque Imperij principibus opis & subsidij esse cernens; honestè è provinciâ discedere statuit, petens ab Ordinibus sumptuû à se factorum ac pensionis promissę rationé haberi. Cui illi gratias de ipsius administratione agentes, debita ab eo contracta in se receperunt; assignatis ei imposterùm pensionis nomine Episcopatus Ultrajectensis opimis proventibus. Enixíque sunt apud collegium Ecclesiæ Leodiensis, ut in locum Gerardi à Groesbek Episcopi & Cardinalis, sub finem anni defuncti, idem Matthias eligeretur, sed prævaluit Cæsaris ac Philippi Regis commédatio pro Ernesto Ducis Baioariæ fratre, qui jam Episcopatus Frisingensem & Hildesheimensem possidebat; & quasi non satis oneris homini lacertoso & latorum humerorum impositum iis fuisset, adjectus est etiam in auctarium Leodiensis; posteâq; etiam, ut videbimus, Coloniensis; ac demùm & Monasteriensis. Matthiæ autem è Belgio discessus in annum sequentem dilatus fuit: Andegavensis accessus in alterum, ut tunc dicetur.

MATTHIAS ABDICATUR.

XI TERRÆMOTUS IN ANGLIA. b Camden. in Elisab.

Interim majores auditi sunt ex Angliâ clamores de læsâ religione; quos non vanè putantur[b] præsignâsse terræmotus, qui variis locis in eâdem Angliâ, ubi admodùm raro accidunt, mensibus Aprilis & Maij contigerunt, tanto impetu ut lapides ex ædificiis dilaberentur, campanæ in sacris turribus sonitum darent, mare tunc placidissimum vehementiùs succuteretur. Quippe longè graviores motus subsecuti sunt per Angliam in Catholicos, ex edicto Reginæ Elisabethæ contra eos promulgato, occasione sacerdotum

ELISABETHÆ EDICTUM CONTRA CATHOLICOS.

Anglorum, qui ex collegiis seu seminariis ejus gentis, quæ Romæ, Remis, Duaci constituta erant, frequentes in patriam transmittebant ad consolandos secretò Catholicos, eísque sacramenta administranda. Quos cùm ministri hæretici falsò suggererent Reginæ, submitti à Pontifice ad subditos à fide & obsequio ejus abstrahendos, & Pij V. Pontificis sententiam [c] contra eam exequendam; viámque præmuniendam Pontifici & Hispano jam pridem Angliæ expugnationem cogitantibus: his suasionibus commota Elisabetha, 15. Iulij edictum promulgavit, ut quicumque liberos, pupillos, cognatos, aut alios quoscumque, quorum cura ad eos spectaret, in transmarinis partibus haberent, post decem dies eorum nomina Ordinariis exhiberent, & intra quatuor menses domum revocarent, reversósque statim iisdem Ordinariis repræsentarent: non revertentibus pecunias directè aut indirectè non suppeditarent: Sacerdotes ex seminariis emissos, & Iesuitas nemo hospitio exciperet, foveret, aut sublevaret: qui secùs fecissent, rebellium ac seditiosorum fautores haberentur, ac regni legibus tenerentur. Subauditum enim fuerat de *Roberti Personij* Somersettensis, & *Edmundi Campiani* Londinensis, Sacerdotum Societatis IESU, adventu in Angliam; qui ementito habitu, nunc militum, nunc nobilium, nunc alio, per rura, & Catholicorum ædes, urbésque, occultè perambulare cœperunt, strenuè verbis & scriptis peragẽtes: Personius quidem, ut erat natura ferocior, vehementiùs: Campianus autem suavior & politior moderatiùs: uterque autem adeò à subditis in Reginam commovendis alienus, ut etiam antequam in Angliam migrarent, à Pontifice petierint, obtinuerintque, Pij V. sententiam in Reginam latam eatenus temperari, nullum ut Catholicum Reginæ subditum in conscientiâ obligaret rebus sic stantibus, quò minùs ei tanquam legitimæ suæ Principi obediret civilibus in rebus. Quod tamen ipsum non desiverunt ministri regij, ubi resciverunt, in crimen vocare, quasi aliquod fuisset ab iis de his factum dubium. Adversus quorum exprobrationes, & pro omnibus Iesuitis, ac Seminariis Anglicanis, edidit Guillelmus Alanus Anglus, posteà Cardinalis, apologiam, quâ omnes adversariorum calumnias & fallacias potenter disjecit: additâ piissimâ admonitione, & consolatione Christianâ ad afflictos Catholicos Angliæ. Quid verò secutum de his sit, dicetur sequentibus annis.

c Vide sup. an. 1570. III.

XII NOVA SECTA FAMILIÆ AMORIS.

Periculosior longè, atque omninò tetra; quamvis non adeò bonis illis ministris suspecta, doctrina in eamdem Angliam hoc eodem anno ex Hollandiâ, feraci hæresûm atque hæreticorum provinciâ, illata ab hominibus, qui in imperitum vulgus singularis integritatis & sanctitatis specie sese insinuantes, pestiferas deinde impietates in animos instillârunt; portentoso loquendi genere, quod homines potiùs mirarentur quàm intelligerent. Siquidem è *Familiâ Amoris*, & *Domo Charitatis*, se nominabant: sectatoribus persuadentes, solos in illam familiam ad scitos electos esse & salvandos, reliquos omnes reprobos &

damnandos: illísque licitum esse negare jurejurando quicquid luberet, coram magistratu, aut quovis alio qui non esset ex eorum familiâ. Hujus fanaticæ vanitatis libellos è linguâ Belgicâ in Anglicam conversos, inter sectatores dispergebant titulo *Evangelium regni*; *Sententiæ Documentales*; *Prophetia Spiritus Amoris*; *Pacis supra terram publicatio*: *auctore H.N.* Nomen auctoris ut efferrent, induci non poterant: sed fuisse *Hermanum Nicolai* è Lugduno Batavorum, posteà compertum est; qui se Dei, Deúmque suæ humanitatis esse participem, blasphemo ore prædicabat. Cujus libri igni traditi fuêre; & magistratus ecclesiasticis Iudicibus adesse jussi.

XIII. [a] Lind. n. Prateol. Resc. HAMSTEDIUS HÆRET.

Qualis & *Hadrianus* [a] *Hamstedius* sectæ ejus nominis auctor: qui in Zelandiâ primùm, deinde in Angliam profugus, atque inde rursùm pulsus, ubique docebat, Liberum esse infantes sine baptismo servare ad aliquot annos; nec ullius consciẽtiam hàc in re adstringi ad certum tempus cujusvis auctoritate posse. Itémque credere Christum ex semine mulieris natum, atque humanæ carnis participem factum, non pertinere ad ipsum Religionis Catholicæ fundamentum, sed ad quamdam fundamenti circumstantiam: adeò ut quicumqne Christum ex mulieris semine natum negaret, non fidei fundamentum, sed unam ex fundamenti circumstantiis negaret. In aliis verò fidei articulis Hamstedius hic cum Anabaptistis sentiebat.

XIV. ANABAPTISTAR. REGES.

Quo eodem tempore fanaticus quidam ipsorum Anabaptistarum Rex pœnas dedit meritissimas scelerum & impietatum. De his abundè dictum superiùs suis locis; déque regno ac supplicio Ioannis Leidensis, Davidis Georgij, atque aliorum ejusdem impietatis principum. Suscepit inde sceptrum *Ioannes Cerdo*, sed & ille & vitam & regnum, Bruxellis in furcam actus, amisit. Sicuti & ejus successor *Cornelius Apelmanus*, ultimo supplicio Trajecti affectus. Nec erat qui post infaustos ejusmodi exitus, adeò periculoso diademate insigniri facilè vellet: donec inter eos insurrexit *Ioannes Vvillelmius* Ruremundensis, patre sacerdote natus, qui se ad Anabaptistarum doctrinam constituendam divinitus præconem designatum esse dicens, nullúmque legitimum magistratum existimandum, nisi qui eamdem amplecteretur, fore affirmabat ut brevi novæ Ierosolymæ regno constituto, populus à Deo illuminatus terras ab aliis non rectè de numine sentientibus possessas occuparet, sicuti olim Israëlitæ Chananæos possessionibus dejecerunt. Plures uxores habere, libro etiam de polygamiâ edito, concessit. Atque ut haberent & ipse ac sectatores quo se sustentarent, furta & latrocinia permisit, hoc colore, quod bona terræ Christi ac discipulorum ejus essent: quæ quia per leges humanas iniquissimè divisa cernerentur, velle Deum ut ipse æquus ea inter suos distribueret, divitibus quod nimium erat adempto, & egentibus collato. Gladium gerebat, quem Gladium Gedeonis appellabat: atq; adeò sui latrociniis grassantes, & nobilium castella atque alias opulentiorum domus diripientes, ac plerosque passim interficientes, in Gladio Dei & Gedeonis justitiam se divinam exercere jactabant. Ipséque Willelmius in suos, qui in magnum numerum facilè tantâ libertate creverunt, ita jurisdictionem exercebat, ut alios jejuniis & abstinentiâ coërceret, interdum & ferro in promeritos animadverteret: haud tamen palàm cognitus, sed à suis tantummodò. Qui post quinquennium occultæ administrationis suæ, in arce quâdam ditionis Iuliacensis detentus, ibi aliquot annis, licèt in vinculis, in summâ nihilominùs opulentiâ & opibus degit inter uxorum suarum reginarum greges; quas assiduè circa se habebat; conniventibus ad hæc custodibus, quibus corrumpendis neque pecuniæ neque blanditiæ deerant. Re demùm omni detectâ hoc anno, duæ præcipuæ ex ejus uxoribus impœnitentes capite plexæ sunt; reliquæ simpliciores ad pœnitentiam dimissæ. Ipse postremò productus, cùm obfirmato animo objecta præfractè negaret, ex confessionibus aliorum convictus, ad lenti ignis supplicium damnatus est, quod ille ad palum alligatus, pari pervicaciâ, nullo pœnitentiæ aut doloris signo pertulit. De quibus omnibus publicata tunc fuêre acta, quæ fusè hæc tractant; etiámque cum disputatione Elisabethæ unius è reginis capite plexis, quam habuit de religione ac fide suâ cum prædicante Weselensi antequàm plecteretur.

DELIRIA WILLELMIJ.

EJUSDEM SUPPLICIUM.

XV. PETRI ELCIJ MARTYRIUM IN AFRICA. [e] Isselt. in Contin. Sur.

Longè feliciore fine mense Ianuarij hujus ejusdem anni, in Africâ *Petrus* equidam *Elcius* Madriti in Hispaniâ natus, cùm Maroci Mahometanus apparens aliquandiù vixisset, Hametes ab incolis dictus; vitam illam pertæsus, clam fugiens, sed à fugâ retractus, & ad Regem ductus, atque de apostasiâ ab ipsorum religione accusatus; cùm ille numquam se eam amplexum fuisse, nec circumcisum contestaretur, sed semper Christianum permansisse: nihilominùs ad supplicium damnatus, & quod Christianos fidei desertores ad pœnitentiam, Mahometanos ad conversionem ardentissimè hortaretur, linguâ radicitùs præcisâ ne ampliùs loqui posset, portæ urbis clavis affixus est vivens, quando sic elevatus & confixus, grandi miraculo, tam expeditè loqui cœpit, in laudes Dei & adstantium exhortationem intentissimus; ac si linguam haberet; asserens se tormentis crudelissimis quibus afficiebatur nullum doloris sensum percipere, quin potiùs ingentem voluptatem & consolationen, sícque demùm animam Deo reddidit: cujus corpus Christiani clàm subduxerunt, & venerationi, uti insignis Christi martyris, deinceps habuerunt.

XVI. DE LIBRO CONCORDIÆ LUTHERANORUM. [f] Iob 15.

In Germaniâ editus fuit hoc anno in lucem liber, à multis retrò annis conceptus, ac præ gravitate molis & materiæ diù formatus, ad vix tandem eructatus; specioso titulo *Concordiæ*, quâ tamen nihil minùs præstitit. Concepit [f] namque dolorem, & peperit iniquitatem; uterus ejus præparabat dolos. Cùm enim essent Lutherani Confessionis Augustanæ professores adeò inter se divisi, ut quibus standum esset neque ipsi Principes in quorum ditionibus eæ sectæ vigebant, longéque minùs populi intelligerent; ac propterea tum ipsi eorum doctores diris concertationibus inter se digladiarentur, Principes sæpè mutarent, populi continuè nutarent: contenderant

sæpè nonnulli modum aliquem invenire, quo possent omnes in unâ eâdémque dictæ Confessionis doctrinâ convenire, nec potuerant hactenùs nancisci; quia non [g] est pax impiis, dicit Dominus, quinimmò quotiescumque ad id congregati fuerant, semper inimiciores ab invicem recesserant; ut vidimus superiùs diversis temporibus; quippe loquebantur [h] pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum: non aliud quærentes ejusmodi collationibus, quàm populis illudere, & tamen nihil adversariis concedere. Quare aliam viam tentare deliberantes, quod per collationem palàm obtinere non posse sciebant separatim ab unoquoque fraudulenter suffurari quæsierunt. Et in unum tacitè nonnulli rigidiorum convenientes primùm Stutgardiæ anno 1576. deinde Maulbronnæ 1578. scriptum quoddam concinnârunt, præcipuis consarcinatoribus Lucâ Osiandro & Balthasaro Bidembachio doctoribus Wirtembergensibus; compilatum ex Augustanâ Confessione, & ejusdem Apologiâ Catechismis Lutheri, & Articulis Schmalcaldicis, quo quidem tametsi interpretationes & modificationes Mollium Wittembergensium & Lipsiensium abdicarentur, eâ nihilominùs id arte fiebat, ut nisi quis attentè rem considera-ret, facilè ad speciem Concordiæ, quam illud scriptum præferebat, induceretur. Oblato verò illo ab iis Augusto Electori Saxoniæ Lutheranorum omnium Germaniæ principi, & quamvis Mollium patrono, pacis tamen cupidum sese demonstranti; is clam suis, quos sciebat aures ad omnem aliam doctrinam obturaturos, communicare primùm decrevit cum Iacobo Andræâ Schmidelino, Martino Chemnitio, Nicolao Selneccero, & quibusdam alis rigidioribus præcipui nominis: Qui doctrinam in eo comprehensam approbantes; quia tamen concisius tractata videbatur, longè copiosiorem fascem atque farraginem collegerunt, & volumen valdè spissum confecerunt, *Concordiæ* titulo: quæ eitam *Bergensis* dicta est ab alio loco, in quo interpolata resarcitáque fuit; iterùm scilicèt atque iterùm pluriésque variis locis à diversis lustrata & repastinata. Postquàm ad ipsorum sensum stabilitam, missa ea ejusdem Electoris ac Ducis Vuittembergici, aliorúmque aliquot Principum Confessionistarum ab ejus consarcinatoribus rogatorum operâ, quaquaversùm per Germaniam, à singulis ipsorum magistratibus, ministris, concionatoribus, ludimagistris, hypodidascalis, aliísque ejusdem generis hominibus, qui neque auctoritate: neque scientiâ ullâ pollerent, subscribenda; (ipsomet quoque etiam Schmidelino ad id circumcursante, & suasionibus, prensationibus, circumventionibus, dolis, omnis generis artificiis, & auctoritate Principum, ac suâ quâ multùm passim valebat, singulos impellente: (ita seu spontaneis, seu coactis illorum, unà cum eorumdem Principum, ac nónullorum procerum, & civitatum subsignationibus crevit, ut numerus ad octo millia & vltrà ascéderit, quasi scilicèt hoc esset concordare in unam eamdémque fidem privatim assensionem præstare scripto, quòd neque ferè examinare, nec repudiare liceret. Fuère itaque quamplurimi, qui illud penitùs rejecerint; ac multis etiam dicteriis & scurrilibus carminibus sugillaverint. Inter quæ fuit ad rem appositissimè hoc distichon:

In libro vitæ qui non potuere notari,
Nomen in hunc librum composuere suum.

Itémque, quòd vocatum sit illud volumen verbo Germanico *Pappenbuch*, allusione ad morem Germanorum, qui dum peregrinantur per exteras regiones, librum chartaceum deferre solent, cui illos quibuscum aliquam cótrahunt amicitiam aut consuetudinem, nomina sua, vel etiam insignia, aut aliquam sententiam in memoriam ipsorum adscribere rogant. Ac fatetur ingenuè ipsemet Osiander, unus ex fabricatoribus ejus, & acerrimis defensoribus, qui & Epitomen ejus suæ Historiæ Ecclesiasticæ adtexuit, multos tam ex Calvinistis, quàm etiam ex ipsismet Confessionistis, nec solùm mollioribus, sed etiam rigidioribus, adversus hujusmodi Concordiam scripsisse, nec paucos ab eâ resiliisse. Quod & ipsorum contrariis scriptis, & acerbis adversus eos conclamationibus, cunctis patet. Adeò ut facta sit nova odiosáque cunctis secta *Concordistarum.* Verùm ut hæreticos sinamus inter se digladiari; sunt ex nostris qui eam potentiùs impugnârint: putà Lindanus in commentario *Concordia discors*; & eminentissimè Bellarminus *Iudicio* de eâ tum edito; quo tam vanitatem tituli *Concordiæ*, quàm crassiores ejus errores, discordantes à Symbolo Apostolorum, aliisque articulis in ipsâmet receptis, aliáque quam plurima apertissima & inter se pugnantia mendacia detexit, ac confutavit: Apologiámque pòst subdidit adversus Vuittembergenses ipsius Iudicium infringere conatos, quæ consulere poterit qui pleniùs de his instrui cupierit. CONCORDISTARUM SECTA.

XVII. DOCTRINA GRÆCORUM IN PLERISQUE CONFORMIS ROMANÆ.

Concordiores fuisse hoc tempore Ecclesias Orientales tam inter se quàm cum Ecclesiâ Romanâ quoad doctrinam, ostendit alius Lutheranus David Chytræus oratione hoc anno Francofurti vulgatâ de Statu Ecclesiarum tunc in Græciâ, Asiâ, Africâ, Æthiopiâ, Perside, Armeniâ, &c. quâ videre est omnia Missarum plena; sacramenta septem dispensari; Ecclesiam per hierarchiam à Patriarchis in Archiepiscopos, Episcopos, &c. descendentem administrari; Sanctis invocationes, honores, imagines adhiberi; tria loca morientium discerni, ut tertius mediâ conditione inter beatos & damnatos collocetur; applicari sacrificium Missæ pro vivis & mortuis; & alia ejusmodi plura, quibus confundantur hæretici sive ab universali hâc doctrinæ consensione recedentes, sive de articulis fidei inter se contendentes.

XVIII. DISCORDIA INTER PONTIF. ET VENET.

Aliud fuit genus controversæ hoc eodem tempore inter Gregorium Summum Pontificem & Senatum Venetum; sed non tanto periculo agitatum, ac faciliùs compositum. Decreverat [i] Pontifex pro munere suæ universalis Ecclesiæ administrationis, ut totâ Italiâ Ecclesiastici ac religiosi viri, & monasteria, piáque loca visitarentur: ídque Mediolani à Carolo Borromæo, Bononiæ à Camillo Paleotto Cardinalibus, Florentiæ quoque fieri curaverat: ídque ipsum Venetiis fieri decrevit. Eâ de re Senatus (cujus tunc prin-

VANITAS CONCORDIÆ.

[g] Isa. 48. & 57.
[h] Psal. 27.
[i] Mauroc. lib. 11.

ceps erat Nicolaus Pontius qui à liberalium artium ac philosophiæ studiis, quæ publicè Venetiis per aliquot annos professus fuerat, ad Rempublicam transgressus, prudentiâ ac dicendi vi inter ceteros eminens, omnes honorum gradus emensus, ex Procuratore S. Marci ad principatûs dignitatem ante biennium evectus fuerat, in locum Sebastiani Venerij defuncti: (certior factus, à Ioanne Trivisano Patriarcha Veneto, ut id muneris obiret, petiit, tribus illi Senatoribus assignatis. Gregorius verò, quod non censeret æquum id proprio Antistiti committi, cùm sua res ageretur, rem Alberto Bologneto Legato ad Remp. misso imposuit, socios ei addens duos Venetos Episcopos, Augustinum Valerium Veronæ, & Hieronymum Ragazzonium Bergomi. Contra quæ objiciente Senatu, insuetum id esse, neque umquam apud se factum; hócque exemplo sacerdotum atque ecclesiarum privilegia imminui, piorum locorum, & collegiorum, quæ in laicorum tutelâ essent, proventus, visitationis censuræ exponi, periculosum esse; ac Virginum cœnobia, in quibus pleræque ex nobilitate feminæ vitam degerent, aliis quàm proprio Antistiti invisenda præberi, haud adeò honestum; his per aliquot menses utrimque satis acriter controversis, dum neque Pontifex cum dignitate de sententiâ decedere posse videretur, neque Senatûs decreta se immutaturum obtestaretur; tandem ne hujusmodi dissidium in apertas inimicitias erumperet, ea ratio inita fuit, quæ utrísque satisfacere visa est, ut Gregorius unum tantùm Venetum Antistitem, qui hanc visitandi provinciam obiret, deligeret; ísque nec laicorum collegiis sese immisceret, nec cœnobia virginum adiret. Delatúmque fuit id munus à Gregorio, prædicto Augustino Valerio natione Veneto, Veronensi Episcopo; qui magnâ prudentiâ & religione id executus est: vir existens ingenio, eloquentiâ, prudentiâ, atque humanarum divinarúmque literarum scientiâ eruditissimus, ac plurimis editis scriptis clarissimus: quem & propterea idem Gregorius fine anni 1583. in collegium Cardinalium meritissimè allegit.

VISITATIO VENETIARUM.

XIX. ALIA CONTROVERSIA DE QUODAM FEUDO. [k] Ibid.

Fuit [k] & alia inter Pontif. & Rempub. contentio, occasione controversiæ à Ioanne Grimano Patriarchâ Aquileiensi motæ de feudo Tageti in agro S. Viti sito, quod ipse suû esse, Respublica ad se pertinere asserebat. Quam causam cùm Patriarcha ad Pontificem detulisset; ísque suadere Senatui quæsîsset ut aliqua ratio concordiæ inter eos inveniretur; judiciúmque sibi deferretur, tanquam de negotio ecclesiastico; ac Senatus id non absque gravi jacturâ fieri posse diceret, tum ob rem quam se adeò inconcussè possidere dicebat, ut nullius judicio tamquam si esset jus incertum submitti deberet; tum quòd non de re ecclesiasticâ agi diceret, sed temporali: obfirmatis utrimque in hujusmodi deliberationibus animis, & multis hinc inde pro earum accommodatione consultationibus, & tractatibus, etiam cum interventione Cæsaris Regúmque Galliæ & Hispaniæ nequicquàm habitis res implicata mansit toto quinquennio usque ad Gregorij obitum: & sub Sixto ejus successore ita composita, ut Respublica feudum controversum dono Sedi Apostolicæ daret.

XX. VISITATIONES ALIARUM ECCLESIARUM.

Quod autem visitationem Ecclesiarum à Pontifice statutam spectat; non ea solùm per Italiam indicta fuit, verùm etiam per exteras nationes: quam & idem Augustinus præclarè exercuisse in Dalmatiâ noscitur; alíique in aliis regionibus. Adeò ut etiam Christianos Bosinenses Turcis subjectos, & Latinos Constantinopoli existentes, eodem beneficio affectos fuisse per Cedolinum visitatorem; ex ejusdem Gregorij Annalibus [l] manuscriptis intelligitur. Sicuti & missum fuisse iterùm Io. Bapt. Ælianum, unà cum Ioanne Bruno è Societate IESU, ad Maronitas Libanum incolentes; Catechismum Arabicè scriptum, libros alios sacros, sacrámque suppellectilem, & ornamenta ecclesiastica, atque amplam eleemosynam ibi distribuendam, secum deferentes; quæ omnia in Synodo Episcoporum & sacerdotum celebratâ, cum veneratione suscepta fuêre. Eorúmque tunc defuncto Patriarchâ, Episcopi: alíique viri Ecclesiastici, sæcularibus quoque assentientibus, ex ritu patriæ, defuncti fratrem, probitate & usu rerum præstantem, Patriarchali in sede collocârunt: qui statim professionem fidei emisit, & Visitatoribus suâ præsentiâ & operâ præstò fuit, ut illa natio in Christianarum virtutum studio progressus faceret. Quo item præsenti anno legatus Lovanium ab eodem Pontifice Franciscus Toletus ex eâdem Societate vir doctissimus, ut *Michaelem Bajum*, Concilij Tridentini olim Theologum, & Universitatis Lovaniensis Decanum, ad multas propositiones, quæ ejus scriptis in publicum editis continebantur, emendandas induceret; rem suaviter ex sententiâ confecit. Quænam autem, qualésve illæ fuerint, videre est in Constitutionibus adversus eas editis à Pio V. anno 1560. & à Gregorio 1579. quas refert Possevinus in suo Apparatu [m].

[l] Ap. Victor. in Addit. ad Ciaccon.

BAII PROPOSITIONES.

[m] Possevin. to. 2. in Mich. Bai.

XXI. PERMITTITUR CARMEL. DISCALCEAT. SUOS SIBI HABERE SUPERIORES.

Quo eodem anno idem Gregorius Papa, ad preces Philippi Hispaniarum Regis, & Religiosorum Discalceatorum Ordinis Carmelitarum (quorum reformatricem, ac veluti fundatricem vidimus superiùs [n] S. Teresiam virginem) in Hispaniis existentium, qui à Fratribus per Eugenium IV. in multis à rigore prioris Regulæ dispensatis, ac propterea Mitigatis dictis, sub quorum Superioribus dicti Discalceati adhuc vivebant, quamplures molestias & impedimenta, ipsorum pium institutum turbantia sustinere querebantur: haud æquum existimans, ut qui arctioris Regulæ observantiam sectarentur, Superioribus eorum qui in laxiori degebant subjacerent; imprimis institutum Discalceatorum tam virorum quàm feminarum laudans & approbans, eosdem unà cum domibus eorum & conventibus, à provinciis Mitigatorum in perpetuum sejunxit & separavit, atque ab omni eorumdem superioritate & jurisdictione exemit: cósque sibi provinciam separatam habere, & Superiores ex ipsis Discalceatis sibi eligere concessit; ita tamen ut Priori generali totius Ordinis, sicut ceteræ provinciæ subessent, qui per se ipsum tantùm, vel per unum ex Discalceatis, & juxta eorum institutû, ipsos visitare & corrigere posset, constitutione [o] de his editâ die vigesimo secundo Iunij. Quâ haud contenti posteriores,

[n] Supr. an. 1568. XXIX.

[o] Bull. to. 2. Greg. const. 64.

steriores, ut semper amat hoc genus hominum specie recti auctoritate crescere, & fimbrias dilatare; obtinuerunt à Clemente p VIII. omnimodam exemptionem à quâcumque superioritate Prioris & aliorum, ac proprium Generalem sibi habere indulsit, cúmque altera eorumdem Discalceatorum congregatio erecta post hæc esset in Italiâ, eamdem ab istâ Hispanicâ separavit; ut dicetur suo loco.

p Ibid. to. 3. Clem. const. 25. & 71.

XXII.

q Heidenst. de Bel. Mosc. lib. 3. Neugebauer. Rer. Pol. lib. 10. Natal. lib. 30. Chytræ. Sax. lib. 24 & alij.

CONTINUATIO BELLI MOSCOVITICI.

Stephanus q Rex Poloniæ repetitâ expeditione superiori anno in Moscos feliciter susceptâ, magnis copiis Livoniam ingressus, pari felicitate Velisium, Vielikolucum, Nevelam, Zavolociam, aliásque nonnullas præcipuas munitiones & urbes in potestatem suam redegit: frustrà Mosco per varias ludificatorias de pace literas & legationes, ejus conatus impedire, aut extrahere conato. Qui & demùm participationem obtulit regni Livoniæ; sed non solùm eam Stephanus, verùm etiam quascumque inducias, omnémque à bello cessationem recusavit, nisi omninò Moscus universâ Livoniâ cederet. Reversus est autem fine anni in Poloniam ad hibernâ, magno applausu à suis exceptus. Cum cujus reditu, & laudibus, *Natalis Comes* suæ universali Historiæ finem imposuit; diligens magis quàm gratus auctor: obscuritatem tamen scriptionis; & confusionem rerum, sententiis ac præceptis passim insertis temperans: in nominibus autem locorum ac populorum, dum illa ad antiquas appellationes seu veras seu creditas reducere sategit, usque adeò importunus, ut sæpè lectores à se absterreat.

NATALIS HISTORIÆ TERMINUS.

XXIII. CONTINUATIO BELLI TURCOPERSICI.

Fuit quoque hoc anno continuatum bellum Turcopersicum, ante biennium cœptum inter Amuratem Turcorum & Hodabendam Persarum Reges: sed alio Turcici exercitûs ductore; videlicèt Sinane, de quo ibi diximus, post revocatum Mustapham, qui Constantinopolim appulsus, & quodammodò Amurati reconciliatus, non ita pòst, sive ex mœrore prælati sibi in principatu aulæ, seu summo Viziriatu, æmuli sui Sinanis, post necem Mahemetis, (qui eam dignitatem magnâ cum prudentiæ & fidei laude, sub Solimano, Selimo, & Amurate ipso tenuerat; fuerátque nuper à milite quodam, quem ipse exauctoraverat, in injuriæ vindictam Dervisium, seu eremitam professo, dum eo habitu ab ipso eleemosynam peteret, acciperétque, pugione quem occultè gerebat confossus:) & obitum Ahmatis in locum ejus suffecti, qui paulò pòst decessit; sive ex pravè gestorum conscientia, imminentísque supplicij timore, sibi ipsi mortem conscivit, vel accersito sponte morbo ex nimio melopeponum esu, ut quidam habent, vel alio certo modo, dignus omninò qui sibi ipse carnifex esset, vel ob exercitam in Christianos Famagustæ r Cypri, ac præcipuè in M. Ant. Bragadinum plusquam belluinam immanitatem. Quod verò ad bellum spectat; longè turpiùs illud Sinan ducens, præter auxilium militum & annonæ in Tifflim Georgianæ oppidum à Turcis detentum introductum, nullâ aliâ re gestâ, homo vanissimus florentissimum exercitum ludicris pugnis occupans; & tamquam non ad dimicandum cum hostibus, sed ad longinquas regiones lustrandas venisset, huc & illuc inutiliter commeans; unâ & alte-

r Supr. an. 1571. XII.

râ haud parvâ clade acceptâ, ac quibusdam machinis amissis, in hiberna concessit: & Hodabendâ de mittendâ legatione pro pace sollicitato, promissóque de eâ accepto, percupiens Constantinopolim ad summam illam dignitatem exercendam redire; ac propterea magnas hujus belli difficultates causatus, de quarum remediis nonnisi coram ipso Amurate agi posset: adeò crebris literis & nunciis apud ipsum institit, ut tandem veniam reditus impetraverit: Constantinopolímque sequenti æstate pervenit, exquisitâ cum pompâ prodeuntibus obviam Portæ proceribus. Sicque totus annus proximus à bello ferè conquievit, nullâ re memorabili gestâ; tum ob expectationem tractatus pacis, cujus causâ Sinan legatos Persas secum duxit; tum quòd essent milites Turci ab hoc bello adeò alieni propter ingentia incommoda quæ pati eos necesse erat, tam ab hostibus, quàm ab extremâ in limitibus & castris inopiâ, ut quacumque ratione possent se subducerent.

XXIV. DRAKI ANGLI NAVIGATIO IN INDIAM.

Hunc annum Anglis memorabilem fecit felix reditus *Francisci Draki* è circumnavigatione universi Orbis. Qui humili loco in Comitatu Devoniæ natus, & nauticam artem in adolescentiâ professus, cùm ex piraticâ ad majora audenda inflammatus fuisset, exeunte anno 1577. è Plimuthâ cum quinque navibus solvens, navigationem ad Mare Australe suscepit: & prædando quæque obvia, varia maris fortuna quinto Aprilis anni sequentis in Brasiliam delatus: inde cum tribus navibus (duas namque minores, armamentis & viris in alias traslatis, jam undis reliquerat) ad Fretum Magellanicum pervenit vigesimo die Augusti: eóque superato, in apertum Mare Australe ingressus, horrida tempestate agitatus est: quâ abreptis navibus, altera per Fretum revecta, cui Ioannes Vvinterus præfectus, in Angliam rediit incolumis, primáque omnium per Fretum illud remeavit. Ipséque Drakus jam cum suâ solâ nave ad 55. grad. Australis latitudinis jactatus, indéque transitâ Monchâ insulâ littori vicina, deinceps in loca Hispanis referta incidens, & Limam usque procurrens; terra maríque ingentem prædam auri & argenti rudis & signati, aliarúmque pretiosissimarum mercium egit: nemine reperto qui obstaret, quòd summâ viverent ea ora securitate, nihil sibi à piratis mari incognito timentes, neque enim alius, post Magellanum, mare illud ante Drakum, præter Hispanos, navigaverat: qui nec ipsi mari eò ex Europa deferebantur, sed quotquot habebant in illo littore navigia, ibi construebant. Ditissima autem præda ad satietatem onustus, adeò ut navem argento puro saburrârit, de reditu cogitans, cùm is per Fretum Magellanum periculosus nimis videretur, tum ob tempestates creberrimas, & brevia incerta, tum ne Hispani illum redeuntem ibidem in insidiis præstolarentur; cursum in Septemtrionem tenuit: & ad 38. grad. descendens, commotam nactus stationem, ibi aliquandiù mansit; regionémque ipsam, incolis nudis ac lepidis cultam, uberíque gleba, damis, & cuniculis refertissimam, ad quam suspicari non poterat Hispanos eatenùs umquam pertigisse, *Novam Albionem*, ab antiqua Angliæ appellatione, & ob candentes

NOVA ALBI...

scopulos, nominare placuit, inscriptione posti infixa, quæ annum Domini, nomen Elisabethę Reginæ, suum appulsum, & spontaneam indigenarum obedientiam ipsi Drako factam notaret, nummo argenteo Elisabethæ subfixo. Inde ad Molucas delatus, & Iavam majorem; superato Bonæ Spei promontorio, demùm tertio Novembris præsentis anni 1580. ad portum Plimutham Angliæ, è quo solverat, rediit, Orbe terrarum tribus ferè annis circumnavigato. Cujus itineris plena narratio mox ab ipso in lucem prodiit. Quæque de illo Camdenus in Historiâ Elisabethæ habet, à proprio ejus ore hausisse ait.

UNIVERSUM ORBEM CIRCUMNAVIGAVIT.

XXV. CREATUR EQUES A REGINA.

Spectatus in patriâ magnâ omnium admiratione, à Reginâ quoque tantâ gratulatione exceptus fuit, ut navem ejus in monumentum subduci juxta Depfordiam ad Tamisim jusserit; (ubi ejus cadaver adhuc cernitur:) & in eâ insigni ceremoniâ memoriæ sacratâ, epulata, ipsum equestri dignitate ornaverit. In cujus etiam laudem die illo multi affixi fuêre malo navis laudum versiculi: atque hi inter ceteros:

Drake, pererrati quem novit terminus Orbis,
Quémque simul mudi vidit uterque Polus:
Si taceant homines, facient te sidera notum:
Sol nescit comitis non memor esse sui.

RESPUITUR A MULTIS AURUM EX PRÆDA PARTUM.

Illud tamen malè eum habuit, quòd primarij aliquot probíque in aulâ viri oblatum ab eo aurum respuerint, quasi scelere piratico partum. Regis autem Hispaniæ in Angliâ legatus rapta à Reginâ repetiit, tamquam in ditione sui Regis quæsita. Cui responsum est, Drakum semper præstò futurum, ut in jure responderet, siquid contra jus egisse certis indiciis ac testimoniis convinceretur: eóque consilio opes illas sepositas esse, ut Hispanis, si opus foret, satisfieret: quamvis Regina grandiorem pecuniam quam Drakus attulerit, contra rebelles, quos Hispanus in Hiberniâ & Angliâ contra fidem publicam excitaverat, profudisset. Nec videre se cur non ceteri Principes, æquè ac Hispanus, commercia exercere in Indiis possint, qui nullam Pontificis in eâ prohibitione auctoritatem agnoscerent; cùm maris & aëris usus omnibus sit communis. Ita quidem, & alia ejusmodi Reginæ Consiliarij. Sed profectò suum & ipsimet jugulum petebant, cùm liberum cuique commercium in Indiâ esse dicebant. Ut enim omittamus quæ sunt auctoritatis Pontificis; si eâdem ratione licuit Hispanis commercium in Indiâ exercere (ut certè omni jure licuit) quâ isti Anglis licere volebant, & ex eo sibi aurum & argentum aliásque merces comparare; quo jure eas Drakus ipsis tollere potuit? Non enim recèns à se detectas, atque ex visceribus terræ erutas ipse tulit in Angliam; sed eas solas quas Hispani jam possidebant, per vim eis ereptas. Ut profectò valdè laudandi fuerint primarij illi viri, qui ejusmodi iniquæ & injustæ alienorum bonorum prædæ participes esse renuerunt, & inexcusabiles illi, qui contra jus fásque eam excusare præsumpserunt. Quare & Regina non multò pòst Petro Seburæ Hispano, procuratorem institorum pro auro & argento à Drako rapto recuperando agenti, partem ejus restitui jussit.

XXVI. Sævit hoc tempore per universum penè Orbem morbi genus, vervecinus, sive hircinus ab Italis dictus, (*Castronius*) quod id animal haud absimili morbi genere vexetur: in Galliâ *Coquelucia*, nomine jam olim sub Ludovico XII. (ut vidimus[f]) pro specie ægritudinis usurpato, eò quòd, ut volunt, cùm incogniitus esset, qui primi eo correpti fuerant, cucullis amicti cernebantur, qui Gallicè *coqueluche* vocantur. Ab eo non sexus, non ætas, non conditio immunis fuit, quo Anna Philippi Regis uxor in Hispaniâ obiisse dicitur; & Gregorius Pontifex in Italiâ periculosè ægrotasse; Rexque Poloniæ Sigismundus in bello Moscovitico. Erat tamen non tam mortiferâ vi timendus, quamquam & ex eo quamplurimi perierint, quàm progressu & celeritate, quâ proxima quæque loca hominésque serpente contagione conplectebatur, adeò ut vix quatuor ex singulis centenis ab eo immunes evaserint. Meminimúsque nos, cùm pueri essemus in familiâ amplâ, unà cum ceteris omnibus domûs tam liberis quàm famulis utriusque sexûs, uno eodémque tempore jacuisse eo morbo correptos; præter solam matrem, quæ cum quâdam ancillâ immenso labore singulis succurrere insigni charitate satagebat; adeò ut nemo mortuus fuerit, plures parvo tempore ægrotaverint. Primò inferiorem dorsi spinam horror plerumque occupabat, dein sequebatur gravedo capitis, & languor membrorum, præcipiti catarrho in pectus delabente, cum febriculâ conjuncto. Multis tamen neglectus, moderatâ diætâ evanuit: lethalis verò fuit ferè iis qui medicamentis purgantibus, aut venæ sectione utebantur. Ortúsque dicebatur ex humidâ ac pluviosâ veris constitutione, & secutâ maximâ temporis intemperie æstus mixtim & frigoris.

MORBUS COQUELUCIA.

[f] An. 1510. XVIII.

IESU CHRISTI Annus 1581.

GREGORII XIII. Ann. 10.

RUDOLPHI II. Ann. 5.

I. MOSCI LEGATIO AD PONT. ET IMP.

ANNO Christi millesimo quingentesimo octogesimo primo, Indictione nonâ, Ioannes Basilij Magnus Dux Moscoviæ à Stephano Poloniæ Rege bello supra modum pressus, cùm suas artes apud eum pro belli cessatione inutiles esse conspiceret, alias adhibens, legatos ad Summum Pontificem & Cæsarem misit; quibus vires suas atq; potentiam adversus Turcos bello Persico occupatos offerret, si & ipsi suas contra communem hostem jungere vellent; efficeréque ut & Polonus cum ceteris conspiraret, à bello Livonico abstinens, cùm ad vitandam Christiani sanguinis effusionem, tum quò simul omnes uno animo rem agentes victoriam faciliùs de tyranno consequerentur. Quibus à Pontifice auditis, quamvis non dubitaret veteratoriè hæc à Mosco peragi, tamen ne officio suo pacem inter Principes Christianos conciliandi (erat enim & Moscus Christinus, licèt fidei & ritui Græcanicis addictissimus) deesse videretur cum legato Mosco *Antonium Possevinum* Theologum Societatis IESU, prudentiâ & fide spectatissimum, (ut eum Pontifex suis literis

ANT. POSSEVINI LEGATIO AD EUM.

teris insignit) magnísque Christianorum Principibus, apud quos ipse Pontifex ejus operâ multis maximísque in rebus ingenti cum fructu usus esset, probatissimum, atque adeò ad gravissima quæque Dei gloriæ & communis boni causâ tractanda aptissimum, ad utrumque Principem, super negotio pacificationis tantoperè à Mosco expetitæ transmisit; datis ipsi ad eos aliósque literis decimo quinto Martij præsentis anni: quæ extant in relatione ejusdem Possevini de sua negotiatione. Ex quâ etiam constat, ipsum priùs Pontificis nomine Ioannem Seciæ Regem Lutheranum quidem, sed ad Catholicam fidem valdè proclivem, convenisse; nec non ipsummet Basilidem; ac veluti pararium prædictæ Moscicæ legationis fuisse, quam idem ipse inde Romam duxit, ac rursùm in Moscoviam reduxit.

II. REGIS POLON. EXPEDITIO LIVON.

Interim verò dum is in itinere reditûs esset, tractatâ frustrà, ut aliàs, inter Polonum & Moscum pace, cùm econtrà illi inimiciores redditi literis acerbioribus sese mutuò incessissent; adeò Stephanus Moscum ad singulare certamen provocaverit; idem Stephanus cum ingentibus copiis tertiò Livoniam & Russiam ingressus captâ Ostroviâ munitâ in insulâ urbe, Lescoviam amplissimam Russiæ civitatem in tres partes flumine divisam, quarum singulæ suis muris clauduntur; mediámque arcem habentem, & ipsam æquè in tres partes divisam; obsidione cinxit; cùm esset urbs omni apparatûs bellici vi munita, haberétque equitum septem millia, peditum quinquaginta, præter urbanæ multitudinis totidem hominum capita: nec tamen propterea cessantibus aliis ducibus ejusdem Regis auspiciis multa alia minora loca occupare, & excursiones in hosticum facere, ac populationibus & incendiis Polonici nominis terrorem passim circumferre. Cùm autem obsidio Plescoviæ in longum protraheretur, interim Possevinus adeò per plures itus reditúsque ad utrumque Principem, per hortationes coràm, per literas absens, rem promovit, ut delecto loco ad conventum pro pacis tractatu agendum, utrimque legati eò missi sint ad finem anni. Cœptâque collatione in hospitio Possevini (ubi super conventus facti sunt) die 13. Decembris, eâque quotidie continuatâ usque ad decimum quintum Ianuarij insequentis;

PAX SANCITUR INTER POLON. ET MOSC.

post multas altercationes ac difficultates, operâ & industriâ Possevini superatas, demùm pax, sive induciæ; in decem annos sancitæ sunt, atque utrimque juratæ Possevino eas nomine Pontificis ratas esse jubente. Quarum hæ fuêre præcipuæ conditiones; ut Moscus quidquid in Livoniâ haberet, Polono traderet, Polonus à Plescoviæ obsidione abiret, atque arces à se captas (præter Velisium) quæ fuissent Mosci, restitueret: minimè eo tractatu comprehenso Ioanne Rege Seciæ, quòd nullum pro se misisset, ac nihilominùs nonnulla loca occuparet in Livoniâ & Russiâ unde novę inter ipsos controversiæ posteà ortæ. Quæ omnia uti se habuerint, plenissimè videre est in prædictâ relatione Possevini, agúntque de iisdem prolixè Reinoldus Heidenstenius in Bello Moscovitico; Paulus Oderbornius in Ioannis Basilij Magni Moscoviæ Ducis Vitâ; atque inde Salomon Neugebaverus in historiâ Polonicâ. Post quæ sic conclusa, Possevinus ut ea firmiùs stabilirentur, primò ad Moscum, deinde ad Polonum perrexit: atque uterque Princeps legatos suos ad Gregorium Pontificem pro gratiis agendis direxit. Ipséque Possevinus rebus ex animi sententiâ, ac pro dignitate Pontificis, feliciter gestis; convento in itinere Rudolpho Cæsare, in Italiam rediit ad Pontificem: à quo pro merito benignissimè & cum laude est receptus. Ac Gregorius utrique Principi per literas gratulatus, speciatim Moscum hortatus est ad fidem Ecclesiæ Romanæ amplectendam: ad quem etiam per eumdem Possevinum inter alia munera exemplar miserat Concilij Florentini Oecumenici, cui Græci subscripserant, ipséque etiam Isidorus Russiæ, cui Moscus imperabat, Metropolitanus egerátque sæpiùs eâ de re Possevinus cum eo; ac præcipuè post pacem confectam, tribus publicis disputationibus, seu colloquiis; cum ostensione & confutatione Græcorum & Ruthenorum errorum. Quæ omnia typis edita fuêre unà cum accuratiori descriptione statûs rerum Moscoviticarum, gentis ingenij, religionis, rituum, ac morum, & ratione legationis ad Ducem obeundæ; ac modo promovendæ iis partibus religionis Catholicæ.

RELIGIO CATHOL. RESTITUITUR IN LIVONIA.

Quam & Rex Stephanus in Livoniâ restituere satagit; multis utiliter in eâ constitutis: ac Rigæ, quam olim Livoniæ metropolim Confessionistæ, Archiepiscopatu suppresso, & in Ducatum converso, usurpaverant, Catholico cultu restituto, (ita tamen ut etiam Confessionistæ subsisterent) etiam Patres Societis IESU collocavit: Episcopatu tamen urbis Vvendam aliam Livoniæ urbem translato auctoritate Romani Pontificis, ut hæc, & alia ibi anno sequenti ad rectum Livoniæ spirituale ac temporale regimen pertinentia, apud prædictos auctores videre est.

III. MOSCI DETRIMENTA.

Sicut autem ex prædicti belli gestione ingens ipse apud omnes nomen meruit; ita Mosco multùm deperiit ab eo quo priùs valebat, cùm visus est illud longè minori animo gessisse quàm quo vel in prioribus quibusdam usus fuerat, vel id ipsum susceperat, pristináque ejus potentiæ fama requirebat, sive quòd provectior ætas mentis ejus animíque aciem hebetâsset, sive parum suis confideret, quos tot sævitiis & crudelitatibus à se abalienaverat. In summis autem detrimentis quæ tunc accepit, hoc non ultimum ponunt Poloni in ejus contumeliam, quòd portubus cunctis Balthici maris amissis, à Borysthenis autem navigatione jam antè Turcorum armis exclusus, a mari ferè omni, præterquàm glaciali importuosissimo, ac periculosissimo, atque aliarum ferè nationum occidentalium ac meridionalium commerciis in penitiorem Moscoviam tamquam relegatus, compedibus quò minùs liberè vagari posset constrictus videretur. Qui nihilominùs dicitur tantâ cum lætitiâ hanc pacem accepisse, ut magno metu magnóque periculo liberatus, nihil jam publicis & domesticis calamitatibus commoveretur.

IV. PROPRIUM FILIUM OCCIDIT.

Inter autem privatas calamitates maxima ac potissima fuit, filij ejus natu majoris, æquè Ioannis dicti, nex ab ipsomet proprio parente

hoc

hoc ipso anno illata. Cujus tamen causa variè à diversis recensetur. Et ab Heidenstenio quidem duplex: sive quòd filius patri opum suarum magnitudinem jactanti, virtutem ac fortitudinem potiorem thesauris esse respondisset, quâ qui præditus esset, (Stephanum Regem insinuans) etiamsi divitiis inferior, magnâ parte regni eum exuisset: sive quòd cùm obstinatiùs à patre exercitum, quo cum Polono dimicaret; efflagitaret, iratus pater scipionem in caput impegerit, cujus ictu post paucos dies obierit. Oderbornius non ab hâc ultimâ longè, sed multò uberiùs; ita scilicèt ut cùm Plescoviâ obsidione cinctâ, & totâ regione incursionibus vastatâ, Moscorum nonnulli populi tantis periculis & calamitatibus commoti, ad Principis sui cunctationem obstupescentes, ausi essent se ad propulsandum commune malum paratos ei offerre; & ad honestissimum illum ac necessarium conatum, filium ipsius Ioannem ducem postulare; Princeps his neglecti officij accusari se existimans, ac propterea fremere statim incipiens quasi sibi insidiæ struerentur; primùm in publicum sine satellitibus processerit, projectóque in vulgus diademate, dare illud alteri jusserit, qui aut imperare illis, aut cui ipsi parere scirent: (volebat enim omnibus persuasum esse, divinitùs se monitum ab his Polonici belli tumultibus retractum feriari: (deinde cùm populus pudore motus recipere eum regnum juberet, conversus ad filium qui aderat, eum vehementissimè objurgârit quòd hanc seditionem adversus patrem concitâsset: cúmque ille hujus rei innocens, supplex locum ad dicendam causam sibi dari postularet, in ipso orationis exordio pater adolescenti conturbato silentium imponens, tamquam ad eum à se removendum, scipione ferrato, quem manu gestabat, tempora ejus percusserit: Illéque cùm plagam præ consternatione & metu nondum sentiret, mox inter eundum toto corpore cruore madens, in conspectu patris in terram collapsus sit. Ad hunc casum addit auctor patrem ex furore in pœnitentiam versum, querelas flebiles edere cœpisse, nunc affari, nunc osculari, nunc solari jacentem, nũc sortem suam, nunc publicam fortunam deflere. Ingentem in populo strepitum excitum esse, magnam trepidationem, magis omnes Principes calamitatem, quàm suam miseriam luxisse. Patrem quasi mente commotum, humi tantùm consedisse, non cibum, non potum poposcisse, sed dies noctésq; lethalem filij casum deflésse: donec juvenis quinto pòst die expiravit. Possevinus autem, qui non longè tunc à loco aberat causam mortis adfert, quòd cùm Princeps aliquâ de causâ uxorem filij uterum ferentem primùm alapâ, deinde baculo percussisset, accurrens filius, ac patrem inde arguens, iram in se patris converterit, & ab illo eodem baculo in capite prope tempora gravissimè vulneratus, post quinque dies mortuus sit; universo omnium mœrore elatus, sequente patre funus. Addit verò Oderbornius; cùm pater illud facinus Deum assiduis cladibus gentis vindicaturum opinaretur, tum supra septuaginta septem aureorum nummûm millia in Græciam ad Patriarchas Constantinopolitanum & Alexandrinum, monachósque Sepulchri Dominici custodes transmisisse, ut illi precibus & sacrificiis animam defuncti orationibus suis expiarent; tum hâc propriâ calamitate alienas metientem, procliviorem ad pacem quærendam, & cum gravi rerum suarum detrimento amplectendam, factum esse: Eúmque posthàc sollicitis & acerbissimis cogitationibus vexatum, cùm à populis suis tacitè contemneretur, & ab hostibus irrideretur, morbo ex ægritudine animi contracto decessisse anno post finitum bellum secundo: haud pauca tamen interim sævitiæ & libidinis exempla de more antiquo edens; ac præcipuè in eos qui Pilociæ & in aliis arcibus deditionem fecerant. De cujus morte dicetur suo loco.

V. [a] Conestagg. Herrer. Campan. &c. COMITIA PORTUGALLIÆ A PHILIPPO CELEBRATA.

In Hispaniâ interim Rex Philippus [a] ad comitia novi sui regni Lusitaniæ apud Tomarum ad mensem Aprilis à se anno superiori indicta profectus; vultu sereno omnes ibi excipiens, antequàm conventus haberetur, jusjurandum solemni ritu tactâ Cruce præstitit, præsentibus Bracarensi Archiepiscopo, qui in Lusitaniâ Hispaniarum Primas habetur, Olisipponensi & Eborensi Archiepiscopis, Conimbricensi, Portalegrensi, & Leirensi Episcopis, ac regni proceribus. Tum Bragantinus Dux, & filius ejus, ac reliqui pròceres, civitatúmque syndici tactis Evangeliis in Philippi fidem addicti sunt. Ac deinde præteritorum gratia promulgata fuit: exceptis tamen ab eâ Antonio Priore, Francisco Portugallo Comite Vimiosi, Ioanne ejus fratre Episcopo Guardiæ, cum quinquaginta aliis factionis Antonianæ principibus, ac cunctis monachis: & quicumque eidem factioni adhæsissent, imposterùm publicorum munerum administratione indigni declarati. Quod cùm multos irritâsset, qui præteritorum memoriam penitùs sepultam speraverant; tamen post crebras repetitas deprecationes nihil impetrari potuit. Post hæc 19. Aprilis initio Comitiis facto, cùm nobilitas plenam in subditos jurisdictionem, censuram in magistratus, & ut administrationes publicæ solis nobilibus committerentur, aliaque ejusmodi peteret; illa prorsùs ut insolentia Rex negavit: sicuti & syndicis denegata fuêre quæ de separandis Lusitaniæ à Castellensi ditione rebus, monetâ peculiari in regno habendâ, vectigalibus minuendis, præsidiis tollendis postulârunt. Quod autem multi Philippei censebant, Academiam Conimbricensem abolendam esse, (quam Ioannes III. Lusitaniæ Rex erexerat) tum quòd qui in eâ erant Iurisconsulti, Bragantini causam adversus Philippum pertinaciter defenderant; tum etiam quòd immineret continuum periculum turbarum à quatuor millibus juvenum in eâ literis ac scientiis operam dantium: non solùm Rex hos non audivit, verùm etiam Academiæ privilegia & libertates servavit; atque illos qui contra ipsum scripserant præcipuo favore prosecutus est, auctis quoque stipendiis. Cùm verò à Pontifice obtinuisset, ut Georgius Taida olim Visei Episcopus de causis perduellium ecclesiasticorum, adempto provocationis beneficio, cognosceret; mox citati Antonius Crati Prior, & Ioannes Guardiæ Episcopus, cùm minimè comparerent, tamquam contumaces convicti dignitatibus

sacris

sacris privati sunt. Qui Antonius adhuc in Lusitaniâ latitans, ubique investigatus, nec usquam repertus, postremò nave Batavicâ ad portum Centobrigæ sexcentorum aureorum pretio mulieris cujusdam astu conductâ, cum paucis fidis Caletum versùs cursum tenuit mense Iunij: deinde in Angliam transmittens, ineunte pòst Octobri in Galliam ad Regem concessit: utrobique humanè exceptus; sed parùm præsidij & auxilij adeptus. Philippus autem post Comitia Tomari dimissa, Olisipponem summâ pompâ ingressus est die 29. ejusdem mensis Iunij die Festo SS. Petri & Pauli Apostolorum. Rebúsque pro tempore constitutis, ad Terceram insulam, adhuc pro Antonio stantem, copias quasdam misit: quæ tamen magnâ clade repulsæ fuêre; donec acriùs pro illâ dimicatum est anno consequenti, ut tunc dicetur.

Rex Olisipone recipitur.

VI. *Philippi expostulationes apud Regem Gall.*

Nec minùs solicitus Rex erat de Belgio; ubi res suas haud adeò prosperè geri intellexerat: eásque in pejus ruituras timebat, si semel Dux Andegavensis Regis Galliæ frater, quem vidimus superiori anno in Principem electum, cùm exercitu eò se conferret; maximéque si nuptias cum Elisabethâ Reginâ Angliæ, quas prensabat, contraheret. De quo, simul & de receptione Antonij, cùm Philippus per oratorem suum apud Regem expostularet; sic Rex se excusavit, ut quantum ad matrimonium, se ob religionis dissidentiam ab initio semper ei contradixisse; cùm verò impedire se non posse vidisset, postremò assensisse, & fratrem tanti regni subnixum opibus, amicum quàm hostem habere malle: Ne verò principatum aut patrocinium Belgij susciperet, præcipuè institisse, & crebris edictis prohibuisse ne delectus haberentur per regnum, néve nobilitas extra regnum suo injussu militaret, sed neque agere posse quin multi fratrem sequerentur; experimento autem rerum præteritarum comperisse, cogi se aut domi bellum habere, aut foris militandi suis potestatem, quamvis invitum facere: Antonij receptionem se matris suæ, cui nihil non deberet, desiderio dedisse: quæ cùm jus sibi competere in regno Portugalliæ contenderet; salvo fœdere, quod Gallis cum Hispanis intercedebat, jure suo se facere putaret, si cum iis qui jus in eo sibi tribuebant consilia conjungeret. Quibus rationibus, licèt veris ac valdè quibuscumque probabilibus, Philippi tamen potiùs expostulationibus responsum quàm satisfactum est, qui ex hâc Regis conniventiâ, putatur à nonnullis, de promovendis in regno turbis iis quæ illud posteà ad extremum penè excidium perduxerunt, consilia cepisse.

VII. *Bellica Belgij.*

Quod verò res Belgij spectat; lentiùs illæ hoc anno processerunt, ob virium utriusque partis debilitatem; cùm Parmensis Gubernator externis destitutus, haud posset magna suscipere; & Ordines penuriâ pressi in expectatione essent adventûs Andegavensis. Coëgerunt tamen Ordines Rennebergium ad finem Februarij obsidionem solvere Stenuikæ oppidi Frisiæ non parvi momenti, post quatuor mẽses fortis oppugnationis, sed fortioris propugnationis. Ac ne iidem solemne suum iniquum de privandis Catholicis libertate conscientiæ, & religionis suæ exercitio, quod sibi semper & ubique concedi volebant, omitterent, mensibus Maij & Iunij Bruxellis & Antuerpiæ pulsis sacerdotibus & prædicatoribus Catholicis, ecclesias & monasteria clauserunt, imagines vendiderunt, & omne ligionis exercitium sustulerunt. Aliâ parte Andegavensis mense Augusti exercitum ducens quatuor millium equitum, decem peditum, Cameracum, quod anno superiori obtinuerat, à Parmensis durâ obsidione liberavit; & hoste pulso triumphans ingressus est, adactis jurejurando in suam fidem civibus: nonnulláque alia proxima oppida in potestatem accepit. Ac ne Parmensis nihil ageret, etiam ipse Bredam hæreditariam Aurangij urbem, & Tornacum recepit. Gestaque sunt quædam alia bellica minoris momenti.

VIII. *Andegavensis in Belgio et Anglia conatus.*

Evulgaverat ante hæc Andegavensis scriptum de susceptâ à se necessario Belgij protectione contra intolerandum externorum jugum: ídque, adjunctis literis ad regni Curias Parlamentarias miserat. Sed literæ minimè à Parisiensi acceptæ, ad Regem non resignatæ missæ sunt, ex Christophor. Thuani Senatûs principis consilio; qui ex majorum instituto, à quoquam alio quàm à Rege, ejúsve Cancellario, literas in Senatu recitari nefas esse declaravit. Cùm autem post acceptum Cameracum, Andegavensis ab Aurangio rogaretur ulteriùs progredi: ille, quòd suus exercitus, qui ex voluntariis ferè constabat, sensim à signis dilaberetur, satius duxit in Angliam deflectere, tum ut fidem de nuptiis datam, quantùm in se esset impleret; tum ut cùm inde in Belgium veniret, majori subnixus auctoritate venire videretur. Præter enim repetitos sæpè de his nuptiis tractatus quos diximus, miserat nuper Rex Henricus mense Aprili insignem legationem in Angliam, cujus princeps Franciscus Borbonius Delphinus princeps, ad matrimonium illud concludendum: perscriptæque fuerant tabulæ, conditionibus utrimque in speciem acceptis. Sed cùm cautum etiam fuisset de fœdere offensionis & defensionis inter utrumque regnum seorsùm à matrimonialibus tabulis ineundo; ortâ inde nonnullâ dissensione, eò quòd Rex illud inire antequàm matrimonium consummatum fuisset recusaret, & contrà Regina priùs fœdus confici quàm matrimonium contenderet, suis quique in his nisi rationibus: post longas utrimque altercationes, & legatorum ultrò citróque missitationes, res infecta permansit. Et quamvis Andegavensis post solutam Cameraci obsidionem in Angliam transmittens; arctiori fide pacta jam conventa, 22. Novembris confirmaverit; datique fuerint pro tempore ab utrâque parte pignoris loco annuli: nihilominus quòd ad hæc nonnulli proceres Angli fremerent, religionis causam, Reginæ salutem, regni quietè sic prodi dictitantes; ac præterea virulentissimum editum fuisset ex seditiosissimorum Puritanorũ officinâ scriptum contra ejusmodi nuptias; quamquam detecti auctores aliquâ pœnâ mulctati fuerint, nihil tamen ulteriùs in matrimonij negotio peractũ fuit. Quod certum est, nunquam Reginam concupisse; sed tantùm, ut nonnullis prolem ab eâ (quam nihilominùs ut aliàs diximus,

Reginæ Angliæ ludificationes.

gignere

gignere non poterat) in regni successionem desiderantibus, aut aliàs id amplum matrimonium ambientibus, satisfaceret, hujusmodi ludificationibus, & puerilibus ludis, variis subinde suspicionibus ac difficultatibus propositis, simulasset. Andegavensis nihilominùs totos tres menses inter hastiludia & lætitiæ spectacula apud Reginam exegit, mitigato in speciem ob religionis contentiones utrimque odio. De cujus in Belgium transitu dicetur anno sequenti.

IX. ORDINES BELGIJ A SUO REGE DEFICIUNT.

Ubi intereà Hagæ-Comitis in Bataviâ conventu Ordinũ habito 26. Iul. ejeratio fidei & obedietię Philippo Regi debitę, à perfidis subditis, ritu solemni facta ac promulgata est; scripto eâ de re confecto, quod Belgice & Gallicè typis editũ fuit, & in Latinum quoq; versum: quo multa de crudelitate Hispanorum, & fidei Belgis datæ violatione conquesti, inauditâ temeritate, & insolentissimâ audaciâ declarârunt Philippum omni jure ac dominio provinciarum Belgicarum excidisse: prohibuerúntque ejus nomen deinceps ullis actis publicis usurpari: aut monetis inscribi: populósque à jurejurando fidei ipsi debitæ absolventes, liberum fuisse dixerunt alium Principem sibi diligere, qui provincias juxta privilegia & immunitates antiquas administraret. Itaque cùm is delectus fuisset Dux Andegavensis, reliquum esse ut per ejus absentiam res in Belgio constituerentur: ac placere, ut donec in provinciam veniret, omnia concilij provincialis nomine admininistrarentur: in Zelandiâ verò & Hollandiâ eò usque cuncta pariter acta publica sub nomine Aurãgij conficerentur: & magistratus ac præfecti novum sacramentum coram Ordinum delegatis dicerent, donec Andegavensis adveniret. Propudioso hoc decreto promulgato, ad quod & plerique ex ipsismet Giusiis exhorruerũt, nec parùm adversus Aurangium, illius præcipuum auctorem & concinnatorem, & califam in temporalibus ac spiritualibus agentem, murmurârunt. Matthias, qui hactenùs in Belgio, quamquam abdicatâ dignitate, remanserat, hãnc nefariam defectionem ferre non valens, Antuerpiâ discessit ad sua; turpiter delusus ab Ordinibus, & ingratissimam gratiam pro delatâ suâ operâ ab iis consecutus, quâ imprudenter æternum in se Philippi Regis odium haud immeritò concitavit.

MATTHIAS BELGIUM DESERIT.

X.

In Angliâ verò, post Andegavensis in eam adventum, Regina, specie tollendæ formidinis, quam multi præseferebant de religionis per ipsius nuptias mutatione, & Catholicorum toleratione; sive permisit, sive jussit, nonnullos sacerdotes Catholicos in judicium rapi, & morte plecti. Fuit inter eos insignior *Edmundus Campianus* Soc. IESU, de cujus in patriam adventu dictum anno superiori. Is cùm in primo statim regni ingressu adversarios ad disputationem de fide secum habendam lacessisset; hujúsque rei causas, partim scripto, seu epistola ad Reginæ Consiliarios directa, reddidisset; partim etiam copiosiùs in pereleganti illo libello quem *ad Academicos* Angliæ hoc anno misit, *Decem Rationes* complectente, quibus fretus certamen offerret, explicâsset: adeò hæreticorum prædicantes atque ministros, suam inde doctrinam & existimationem confossam sentientes, consternavit, ut quamvis centonem quemdam variis salibus jocísque intersertum adversus eum contexuerint; diffidentia tamen causæ suæ ducti, Consilium Reginæ concitaverint, ut statim quæstionis, qui in fidei ac religionis controversia versabatur, in ipsius Reginæ & regni negotium converteret; quò videlicèt id quod eruditione non possent, calumniis consequerentur. Hinc namque varij sparsi rumores, ictum Summo Pontifici cum Rege Catholico fœdus ad Angliam invadendam; Societatis IESU aliósque sacerdotes in Angliam submitti ad viam iis sternendam, concitandósque populos adversus Reginam & magistratus; & plura ejusmodi fictitia, quibus commoverentur animi adversus ejusmodi probos, viros ceterósque per Angliam Catholicos. Acciditque demùm ut post multas insidias, dolos, machinationes intentatas, idem Campianus proditione cujusdam Georgij Elioti die 17. Iulij captus fuerit in domo cujusdam nobilis Catholici; indéque Londinum ignominiosè perductus, cum nonnullis aliis sacerdotibus, & honestissimi generis hominibus. Ibi terroribus & minis ac diversis quęstiunculis & intertogationibus tentatus à regni Cancellario & Consiliariis, deinde equuleo tortus; dirísque aliis tormentis affectus, disputatione etiam de fide impetitus, calumniis oneratus, cùm ad omnia se egregium pugilem exhibuisset, & adversarios confudisset; demùm Calendis Decembris ad supplicium ductus; post contestationem innocentiæ suæ, hortationem ad circumstantes de amplectendâ fide Catholicâ, & preces pro Reginæ Elisabethæ salute; suspendio necatus est; cùm jam mortis sententiam accepisset vigesimo Novembris; eodem die quo olim Ecclesia Anglicana festum patroni sui S. Edmundi Angliæ Regis & martyris celebrare consueverat. Caput post mortem ei resectum, & corpus in quatuor partes divisum. Fuéreque eum illo eodem supplicio affecti *Radulphus Schervinus* & *Alexander Briantus*, itidem Angli sacerdotes, doctrinâ ac pietate conspicui. Quorum omnium vitæ ac martyrij historia continetur primâ parte Concertationis Ecclesiæ Catholicæ in Angliâ, unà cum nonnullorum aliorum Ecclesiasticorum & laicorum, qui hoc eodem anno aliis diebus ac locis pro eâdem fidei causâ supplicium pertulerunt: alilsque insuper nobilibus, atque honestis hominibus, ejusdem Campiani causâ variis modis afflictis. Rosæ sunt & flores, quæ patiuntur rei in Hispanicâ Inquisitione, quam tantoperè multi detestantur, præ Anglicanâ sub hâc Elisabethâ; cui nec ulla Gentilium comparari potest inquirendi sagacitate, ac temporis diuturnitate, nec ferè immani crudelitate.

EDMUNDI CAMPIANI IN ANGLIA CERTAMINA, EU MARTYRIUM.

ALIJ MARTYRES CUM CAMPIANO.

XI.

In vicinâ Scotia [b], quam & velut suam Elisabetha regere satagebat, cùm jam ante biennium Amatus Stuartus Albinius Iacobi Regis Scotiæ consanguineus, ad eum invinsendum è Galliâ venisset, (Erat enim Ioannis Stuarti, fratris Matthæi Comitis Lenoxiæ Regis avi, filius, dictus Albinius ab oppido in Biturigibus, quod Carolus VIII. Rex Francorum olim largitus fuerat Ioanni Stuarto è

[b] Camden. in Elisab. an. 1579. 80. 81.

ALBINIORUM REGIA FAMILIA. SCOTIÆ.

fami

familia Lenoxia, qui Anglos ad Baugium profligaverat: unde & ortus Albinius ille qui bello Neapolitano sub Carolo VIII. magnam fortitudinis laudem meruit.) eúmque Rex adolescentulus, singularibus ingenij & corporis dotibus insignis, præcipuâ benevolentiâ complexus, opimis prædiis donâsset Ducémque Lenoxiæ creâsset: hincque invidiâ in illum concitatâ, apud Elisabetham delatus fuisset tanquam à Guisiis submissus venisset ad mutandam religionem, (quomodò saltem hoc, cùm esset etiam ipsemet hæresi Calvini tunc penitus addictus?) Mariæ Reginæ captivæ libertatem procurandam, Scotos ab amicitiâ Anglorum dissociandos, ac Regem ad nuptias in Gallià vel alibi pelliciendum, quibus negotium Angliæ facesseret, regni Angliæ titulum, ut jam olim mater, sibi assumendo: His denique facilè aurem præbens Elisabetha, ut sunt qui malè regnant semper ad omnia suspicaces, nihil non egisset, quo Lenoxij gratiam & auctoritatem, quâ apud Regem valebat, infringeret, aut eum è Scotiâ exturbaret, missis ad hoc diversis hominibus, qui etiam apertè id postularent & conarentur, accusantes eum de pravis in Regem & regnum consiliis: Rex autem cùm non solùm eis non auscultâsset, verùm etiam Mortonium olim regni Gubernatorem, Anglis addictissimum, læsæ majestatis, & regicidij in Regis patrem accusatum, in carcerem conjecisset: Hæc inquam, omnia cùm jam antè præteriissent, hoc anno idem Mortonius, frustrà per suos missos Elisabethâ eum liberare, & Lenoxium submovere omni arte & sollicitatione, etiámque per seditionis in Scotiâ excitationem, conatâ; (tanta enim erat ejus consiliariorum mentis excæcatio, aut malitia, ut quod in Angliâ aut Hiberniâ nefas esse existimarent, ipsi in Scotiâ fas sibi esse præsumerent:) conscius prædicti regicidij convictus, obtruncatus est: respondente Rege, se pro suo munere non posse hominem majestatis postulatum non punire; nec debere ejus supplicium justè in offensionem apud Reginam incidere. Qui & calumnias in Lenoxium intentatas, eâdem animi fortitudine, & dignitatis suæ zelo neglexit.

Albinii Lenoxii causa turbæ ab Anglis concitantur in Scotia.

XII. *Concilium Rotomagense.*

Quo eodem anno *Carolus Borbonius* S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Chrysogoni, frater Antonij olim Regis Navarræ, Archiepiscopus Rotomagensis, Legatus Avenionensis, indictum à se ad festum omnium Sanctorum *Concilium* provinciale *Rotomagi* celebravit, pro moribus reformandis, & disciplinâ Ecclesiasticâ juxta decreta Universalis Tridentinæ Synodi. Cui unà cum ceteris provinciæ Episcopis interfuit *Claudius Sanctesius* Ordinis Augustiniani insignis Theologus, (quo nomine claruit in eâdem Synodo Tridentinâ, stetítque in Colloquio Possiacensi ut murus æreus contra hostes Ecclesiæ Episcopus Ebroicensis; universo notus Orbi Christiano; cùm multis aliis fecundi ingenij monumentis, tum verò maximè præclarissimo illo commentario de Eucharistiâ; qui etiam hoc Concilium descripsit; cujus Acta publicata fuerunt. Eorúmque exemplo ceteri Archiepiscopi ad alia celebranda excitati sunt; de quibus dicetur suis annis.

XIII. Longè alio spiritu celebrata Rupellæ hoc eodem anno mense Iulio à Calvinistis Synodus, cujus meminit Genebrardus,[c] & in eâ proscriptam ait historiam *Lanceloti Voisini Poplinerij* de rebus horum triginta annorum totâ Europâ gestis, quòd licèt & ipse ex eàdem sectâ, tamen quæ ipsorum erant, non ad decus Causæ, (ut factionem suam vocabant) sed secundùm rerum veritatem narraret. Quod & paulò antè in alio eorumdem conventu Montalbanensi præstitum fuisse tradit. Ita egregij Reformatores suis præscribentes, ut aut veritatem taceant, aut apertè mentiantur. Non sanè hoc intelligebat Cicero, [d] cùm scripsit, primam esse Historiæ legem ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat. Sed qui malè agit, ut Dominus [e] ait, odit lucē.

Conciliabulum Rupellense.

[c] *Genebr. in Chronol. sub Greg. XIII.*

[d] *Cic. de orat. lib. 2.*

[e] *Ioan. 3.*

XIV. *Coniuratio in Cassierium Magistrum Hospital.*

Erat hoc tempore Militiæ Ierosolymitanæ, seu Hospitalariorum Magister *Ioannes Episcopus Cassierius* natione Gallus patriâ Arvernus, meritis suis, & pietatis ac prudentiæ existimatione eam dignitatē extremâ penè ætate adeptus anno 1572. ætatis pariter 72. Factâ tamē in eum cōjuratione ad principium Iulij, quasi ob gravem ætatem octoginta penè annorum (quam nihilominùs vegetam ducebat) negligenter res Ordinis curaret, bona dilapidaret, denique & cum hostibus fidei occulta cōsilia agitaret: re verò autem (ut ex literis à Paulo Foxio Archiepiscopo Tolosano, & Regis Christianissimi tunc apud Pontificem oratore, de his ad Regē scriptis, & in publicum cum aliis legationis suæ editis intelligitur) tum ex ambitione antiquorum Militum ad eam dignitatem aspirantium, & quòd paulò severiùs in eos ceterósque Milites se gereret; tum ex juvenum offensione, ob præceptum quoddam Magistri super elongatione prostibulorum; tum denique ex invidiâ Italorum & Hispanorum contra Milites linguæ Arverniæ, quorum jura Magister contra ipsos defendebat: Res demùm eò processit, ut à Consilio Ordinis suspensus, & in custodiam in S. Angeli arcem traditus fuerit: factionis principe, ac præcipuo cōcitatore *Mauricio Scuto Romegassio*, itidem Gallo Vascone eximij toto Ordine & Orbe ob res præclarissimè gestas nominis Milite; qui suo ambitu Magisteriatum quærens, interim Ordinis ac Magisteriatûs legatus institutus est. Famâ audacis facinoris Romam delata, Gregorius Pontifex ejus indignatione motus, acceptis ab utrâque parte legatis, consilium cepit mittendi Melitam Gasparem Vicecomitem Mediolanensem Rotæ Auditorem, qui suo nomine Magistrum ac Romegassium ad Sedem Apostolicam iri juberet, ipséque interim Ordinem cum antiquiorum & saniorum consilio regeret, ac de causâ instrueretur per testium auditionem in futurum judicium Quo Melitam appulso, Magister carcere eductus confestim conscensis triremibus cum trecentis Militibus, Romam festinavit: magnóque honore ibi exceptus die 26. Octobris, divertit ad ædes magnificentissimi Cardinalis Aloisij Estensis regni Galliæ in Curiâ Romanâ Protectoris. Ab eo ad Pontificem die 28. ductus, (qui decem Cardinalibus stipatus eum opperiebatur) brevi oratione Gallicâ rationem reddidit accusationum sibi impactarum: & ab eo benignè receptus, atque verbis honorificis laudatus, sedere jussus est

Romegassii ambitio.

Causa Romam defertur.

post ultimum Cardinalium. Advenerat quoque paulò antè in Urbem Romegassius: sed cùm animadvertisset se ob id facinoris plerisque detestationi esse;& à Pontifice accepisset, non priùs in conspectum suum admissum iri, quàm Magistrum suum demissè adiisset, is inde tantâ animi ægritudine correptus est,ut paucis pòst diebus, nempè die 4. Novembris, ex hâc vitâ decesserit; delatus cum honore ad sepulturam in ecclesiam sanctissimæ Trinitatis nationis Gallicanæ in monte Pincio. Quem & Magister ipse altero mense secutus est,videlicèt 23. Decembris; à M. Ant. Mureto celebri oratore Gallo funebri elogio celebratus; & insigni funeris apparatu in ecclesiâ S. Ludovici Nationis Gallicanæ depositus, posteà Melitam deducendus ad mausolæum Magistrorum.

XV. ERROR IN EIUS REI HISTORIA DETEGITUR.

Sicque finis injuriosæ liti impositus, quam dici posset, Deum ipsam ad se evocare, nec quid de illâ in terra superesse voluisse, si verum foret quod in Gallicâ Historiâ Ordinis observatum legimus; Iudices delegatos, notarios, ac testes, unà cum universis actis Melitæ confectis, dum ad Urbem deferrentur, periisse naufragio. Quod tamen apertè falsum esse constat ex iisdem literis Foxij, hæc speciatim Regis nomine apud Pontificem tractantis, & de cunctis quæ fierent subinde Regem certiorem facientis: ex quibus habetur, postquàm novus Magister creatus fuit Melitæ, Vicecomitem rediisse Romam ineunte Aprili anni consequentis,cum omnibus actis inquisitionis à se factæ: ipsummet Pontificem voluisse ea per se videre, ac de singulis instrui, deinde judicium commisisse quinque Cardinalibus & Patriarchæ Ierosolymitano; qui re diligenter discussâ tandem mense Augusti censuerunt quæ contra Magistrum gesta fuerant irrita & iniqua esse, ipsiúsque Magistri memoriam illæsam ab omnibus eorum imputationibus declarandam: idque approbatum fuisse & publicatum pleno Consistorio à Pontifice die tertio Septembris, decreto addito, non pertinere ad Milites judicare de suo Magistro, sed tantùm ad Summum Pontificem. Quæ omnia paulò diligentiùs explicare voluimus, cùm ob rei dignitatem, tum ad confundendos aliorum errores qui secùs de his scripserunt. Ceterùm post mortem prædicti Magistri, ne novum schisma in successoris electione oriretur, Pontifex tres ex præcipuis Militibus Gallis nominavit: (æquum enim existimavit, ut quòd Gallus vi & injuriâ fuisset Magisteriatu depositus, alius Gallus in ejus locum substitueretur: è quibus magno omnium consensu electus est Melitæ duodecimo Ianuarij *Hugo Loventius Verdala* Vasco; qui optimè Ordinem administravit, & post sex annos etiam à Sixto V. factus est Cardinalis.

XVI. GUILLEL. POSTELLI DELIRIA

Mortuus quoque est hoc anno *Guillelmus Postellus*, Barentoni vico Normanniæ natus: qui philosophiæ & mathematicarum artium studia primùm professus, & inde longinquis peregrinationibus perfectam linguarum externarum, ac maximè orientalium cognitionem adeptus; innumera exotici gustûs scripta passim in Italiâ, Galliâ Germaniâ, edidit. Et cùm Venetiis esset, virginis vetulæ cujusdam familiaritate usus in errorem delirum incidit de feminei sexûs salutari reparatione nondum consummatâ, ac per eam faciendâ; quam Matrem Ioannam vocabat: ediditque eâ de re librum titulo *Virgo Veneta*. A quâ tamen opinione sunt [f] qui eum defendant; quòd nihil aliud voluerit quàm ejus virginis laudes celebrare, à quâ subsidiũ accepisset ad suas peregrinationes peragendas. Tam autem horrendas ex Rabbinorum & Talmudistarum, propriisque cerebri somniis, commentum esse blasphemias dicitur, ut Petrus Palladius in Catalogo hæreseon piis eas revelare indignum esse censuerit. Revelârunt tamen non pauci [g] non pauca: putà quæ anno 1550. scripsit de Trinitate mundi, corporis, & animarum; de Venetâ illâ Virgine; de Christo intoxicato; de matrice mundi: Itémque de salvandis universis omnis generis hominum sectis: de Clave absconditorum à sæculo, quæ nec Apostoli nec ipsa Ecclesia potuisset portare: de mysteriis sibi per Angelum Raziel revelatis: de Nativitate Mediatoris futurâ: & aliis ejusmodi, quæ fatuabatur sibi à Christo & Spiritu Sancto sensibiliter dictata esse. In Annalibus [h] porrò Patrum Societatis Iesu legimus; cùm initio non exigua pietatis documenta preberet, ad tyrocinium Societatis admissum fuisse ab Ignatio ejus fundatore; sed brvì deprehensum, non prophetico, ut opinabatur, afflatum spiritu, sed planè spiritu erroris inflatum, maturè dimissum fuisse, ejúsque omni usu & colloquio universos Socios interdictos. Lutetiæ ob stupendissimam omnium scientiarum cognitionem pro miraculo habitus; & dum in Scholis prælegeret, aut cum aliquibus sermonem de literis haberet, tot videntur ejus apophthegmata quot verba: subinde tamen ad sua deliria divertens, reverténsque, sæpiùs increpitus de iis à Theologis, & à magistratu, atque etiam non semel interdictus, demùm in monasterium Sanmartinianum relegatus est: ubi immensâ Dei misericordiâ erroribus cognitis, & abdicatis, verè Catholicus in pace Ecclesiæ decessit hoc anno die 7. Septembris, ætate circiter annorum centum; ad quam prosperâ semper valetudine pervenerat, ab impollutâ, ut profitebatur, ab omni actu venereo naturâ. Composuit & librum *De Orbis Concordiâ*, utilem ad confundendos omnes Hæreticos, Iudæos, Mahometanos, & Gentiles: ex quo Morneus Plessius, atque ex Vive & Savonarolâ, in libro de Veritate Religionis Christianæ pretiosiores suos liquores quibus eum rigaret, hausit.

[f] *Florim. de orig. her. lib. 2. cap. 15.*

[g] *Bindan. Dubit. dial. 2. & in Tab. analyt. Resp. in Atheism. de Trinit. Gaulter. in Chronol. sæc. 16. cap. 25. Ejus verò scripta enumerantur in Bibl. Gesner.*

[h] *Orland. lib. 5. num. 3.*

MORITUR IN FIDE ECCLESIÆ.

IESU CHRISTI Annus 1582.

GREGORII XIII. Ann. 11.

RUDOLPHI II. Ann. 6.

I. ANGLICANÆ LEGES CONTRA CATHOLICOS

ANNO Christi millesimo quingentesimo octogesimo secundo, Indictione decimâ mẽse Ianuario, Angliæ Ordines Westmonasterij convenientes, nihil tam in animo habentes, quàm omni crudelitatis genere religionem Catholicam eo regno exscindere, novas [a] & crudeliores leges in ejus professores procuderunt, quibus majestatis rei declarari fuerũt quicumque incolas à religione in Anglià

[a] *Camden. in Elisab.*

gliâ constitutâ dissuaderent, aut Romanæ Ecclesiæ reconciliarent; nec non qui ita dissuaderentur, aut reconciliarentur: Qui Missam celebrarent, ducentis marcis, & incarceratione per annum, & ampliùs donec persolverent, mulctarentur: qui celebrationi spontè interessent, centum marcis, & simili incarceratione; quíque templa Calvinistarum adire recusarent, (quos & proptereà communi nomine *Recusantes* appellare consueverunt) viginti libris Anglicis in singulos menses, hoc est ducentis libris Turonensibus. Facilis utique modus congerendi pecunias. Quæ cruenta & prædatoria decreta ut executioni mandarentur, immissi passim sunt in nobilium aliorúmque Catholicorum ædes; lictores & exploratores, qui sacerdotes, eorúmque hospites & receptores atque adjutores, in carceres raperent; magnáque proposita præmia, ac scelerum quorumcumque condonatio improbissimis quibusque concessa, qui ejusmodi Catholicos detegerent ac deferrent. Unde ingens secuta est persecutio, & quamplurimi tormentis sunt affecti, bonis spoliati, vitâ privati: quos longissimum esset recensere; horrétque ad hæc animus. Qui autem aliqua eorum, legésque ipsas tam pecuniarias quàm sanguinarias, hoc & aliis annis latas, proditiones turpissimas, & infames calumnias ad plurimos opprimendos adinventas, artes dolosas, ad alios variis captiosis quæstiunculis laqueis ipsis paratis involvendos; & alia ejusmodi ex antiquis Gentilium in Christianos persecutionibus hausta, & suâ atrociori barbarie aucta, noscere voluerit; habet multa Anglorum, vel ea patientium, vel conspicientium, vel certè condolentium scripta,[b] quibus ea continentur: unâ cum diversis apologiis pro ipsorum innocentiâ, & probationibus quòd solius religionis Catholicæ causâ, non ob ulla alia crimina, ac præcipuè seditionis in populis movendæ, aut conjurationis in Reginam intentandæ, ut calumniabantur adversarij, paterentur.

VEHEMENS PERSECUTIO.

[b] Concer. Eccl. Cathol. in Angl. par. 1. 2. 3. Sander. de Schism. lib. 3.

II. ANDEGAVENSIS RENUNCIATUR DUX BRABANTIÆ.

Ex eâdem Angliâ Franciscus Dux Andegavensis, cum honore & auxiliis hominum & pecuniarum à Reginâ dimissus, ineunte Februario multis comitatus proceribus Anglicis, solvit Belgium versùs. Ubi ab Aurangio apparatu triumphali cum ingenti lætitiæ & honoris demonstratione Ulissingæ Zelandiæ receptus, inde Antuerpiam delatus est die 19. ejusdem Februarij, & ab Ordinibus Brabantiæ nullâ non magnificentiæ & venerationis exhibitione exceptus, præstitóque ab eo juramento quod exigebatur, de optimo regimine, déque republicâ non ad arbitrium, sed juxta juris & libertatum formam administrandâ; chlamyde longâ ex holoserico purpureo, & pileo Ducali insignitus, Dux Brabantiæ proclamatus est; obedientiáque ei jurata: Aurangio hujus turpis & ludicræ fabulæ præcipuo auctore & actore. Calvinianis à novo Duce omnis protectio promissa est, & exercitij suæ hæresis facultas promissa. Catholicis vix templum unum per eum ab Ordinibus impetratum; eâque demùm lege, ut Regi Hispaniæ obsequium renunciarent, & obediẽtiam novo Duci atque urbi Antuerpiæ jurarent; nec ad conveniendi ritu Catholico gratiam admitterentur, nisi qui tribus ab inde annis Antuerpiæ larem fixissent. Quibus fœdis conditionibus cùm Catholici ad ecclesiam convenire recusarent; primùm pœna ducentorum florenorum, deinde auxilium prędictam renunciationem & obedientiam præstare recusantibus indictum est. Ipsíque Andegavensi, non Duci alios ducenti, sed tamquam cæco ab aliis ducto, pro singulari munere concessum est unicum templum Sancti Michaëlis, in quo ipse cum suis aulicis exercitiũ suæ Religionis habere posset; denegato ceteris omnibus ingressu sub gravi mulcta. Paulò verò pòst, nempè octavo Martij tanta [c] repentè exorta est tempestas ab horrido vento, ut per Hollandiam & Zelandiam ampliùs centũ & quinquaginta naves mercibus omnis generis onustæ, aut vadis illisæ, aut aquis absorptæ sint: Aggeres è regione urbis Antuerpiensis ingenti aquarum mole disjecti; multæ ædes submersæ, & in ipsis urbis penuariis magna mercimoniorum copia corrupta: Insignia Andegavensis imposita Philippi Regis insignibus in contemptum Hispani ad portam Wersæ, à vento in flumen abrupta fuêre, & à flumine absorpta: Turricula palatij Andegavensis editior dejecta est, ejúsque ruinâ subjectum cubiculum, in quo ipse dormiebat, impetitum, ingenti ipsius pavore. Eodémque tempore multa sub noctem spectacula horrenda super urbem in aëre visa. Quæ cuncta tristia fuêre omina novi principatûs.

QUAM FOEDE HUJUS AB ORDINIBUS.

[c] Isselt. contin. Sur. Chytræ. Saxon. lib 25.

PRODIGIA PAVENDA.

III. [d] An. 1580 IX. AURANGIUS PRODITORIE VULNERATUR.

Sed major omnium luctus, ex vulnere proditoriè Aurangio inflicto die Dominicâ 18. ejusdem Martij. Vidimus superiùs [d] Aurãgium à Rege Philippo ob rebellionem proscriptum fuisse, viginti quinque millium aureorum prę-mio in vitam ejus assignato. Erat Antuerpiæ mercator quidam Catholicus, natione Cantaber Hispanus, nomine Gaspar Anastrus, mensariam exercens, olímque prędives, sed his turbis rebus accisis ad extrema penè redactus. Hic seu prẽmij spe, seu ut Belgium ab Aurangij tyrannide liberaret, facinus adversus eum meditatus, quod licitum existimaret ob latam à supremo ac legitimo Principe in notorium reum damnationis sententiam; ad illud exequendũ, Ioannem Iaureguium ex Bilbao Cantabriæ oppido adolescentem viginti circiter annorum, qui ad mensariam inserviebat, multis suasionibus ac promissionib[9] impulit. Qui die conventâ, cum Antonio Timermanno Dominicano, qui in Anastri ædibus sacrum in arcano celebrare consueverat, re cõmunicatâ; minimè eo abnuẽte, modò non spe ullâ lucri, aut odio privato id faceret, sed omnia cõsilia sua ad solam Dei gloriam, Regísque & patriæ commune bonum referret; expiatione delictorum per sacramentalem confessionem, & sacræ Eucharistiæ participatione communitus, ad hospitium Aurangij parvum sclopetũ & pugionẽ occultos gerens, processit; ac turbæ sese immiscens, dum à prãdio Aurangius ex aulâ in cubiculum secederet, libellum supplicem ei offerre simulans, sclopetum clàm eductum in caput ejus displosit; cujus globulus sub mento in maxillam sinistram intrans, per palatum, inoffensis linguâ & dentibus, sub aurem dextram exivit; ignis verò barbam & faciem adussit, quo ictu collabescens, à circum-

stantibus ne caderet correptus, in cubiculum delatus est, adolescens verò cùm sclopeto disploso mox pugionem in cor ejus adigere conaretur à satellitibus multis vulneribus confossus interiit. Sparsâ per urbem rei famâ, ingentíque inde tumultu excitato, Dux Franciscus in suspicionem à Calvinianis adductus, quasi eo conscio id factum fuisset, festa Sanbartholomæana renovaturo, ut solus ipse totius Belgij imperio potiretur: (& incidebat fortè in eam diem natalis ejus, ad cujus celebrationem parata erant ludicra spectacula, & convivium solemne, cui Aurangius interesse debebat: eâ suspicione, quâ ingens periculum à concurrente ad ejus palatium plebe armatâ subiit, tum Aurangij culpam ab eo removentis precibus liberatus est, tum agnitione cadaveris adolescentis, & loci ex quo prodiisset. Quo detecto, concursu facto in domum Anastri ejus heri, cum ille jam elapsus fuisset, capti sunt nonnulli ex ejus familiâ, unà cum Timermanno Dominicano; omnésque supplicio affecti, ac post mortem in quatuor partes dissecti, & cum cadavere Iaureguij pro portis & turribus urbis suspensi; facinorísque historia publicata, non sine aliquarum calumniarum & fictionum, ut Catholici questi sunt, immixtione. Aurangius autem, curato ægrè ob continuum sanguinis fluxum vulnere, ut erat tamen robusto & optimo corporis habitu, die secundâ Maij sanus in publicum prodiit, ingenti suorum gaudio.

IV. RENOVATUR BELLUM.

Ad cujus mortis famam cùm subitò Parmēsis Gubernator ad Antuerpienses, Gandenses, Brugenses, Bruxellenses, Iprenses, & alias civitates, per feciales literas dedisset; quibus eas ad obsequium Regis, turbarum concitatore jam sublato, hortabatur, cum promissione clementiæ ac benevolentiæ Regis cunctæ nihilominùs, primò ob incertitudinem mortis Aurangij, deinde ob certitudinem vitæ, in officio se continuerunt: quinimmò & facti indignitate exacerbati ad bellum inflammatiores redditi sunt. Quare hostilia utrimque facta; & capta hinc inde nonnulla alicujus momenti oppida aut vi aut astu re magis insidiis, proditionibus, & strategematibus plerumque vanis, hoc anno, quàm gravibus certaminibus gestâ: donec Parmensis, qui hactenùs solis provinciarum Regi fidelium copiis, ex pacto cum iis inito, bellum duxerat; revocatis de earumdem consensu, existimantium bellum, cujus diuturnitatem, ac militum insolentiam impatienter ferebant, celeriorem cursum, aleámque feliciorem habiturum, Hispanis & Italis, quos dimiserat, alisque accitis externis copiis, longè graviora & suscepit & perfecit, ut videbitur posteà. Sicuti & Andegavensis ad finem anni Ducem Monpenserium & Marescallum Bironium cum novo exercitu è Galliâ venientes suscepit. Qui interim Antuerpiâ Brugas unà cum Aurangio medio Iulio progressus, & summâ cum magnificentiâ ibi exceptus, Flandriæ amplissimæ Belgij provinciæ possessionem adiit, Comes Flandriæ festis acclamationibus salutatus.

V CONIURATIO

Ibi dum esset, detecta est conjuratio longè Iaureguianâ tetrior & immanior; si vera essent quæ reus in tormentis aliquando propalavit. Fuit is *Nicolaus Salseda* Damvilerij dominus, filius Petri nobilis Hispani illustri familiâ, Mendozianæ cognatione conjunctâ, qui pœnam alicujus sceleris à se patrati fugiens, in Galliam se receperat; & Nicolaum ex nobili ductâ feminâ Lotharingicæ familiæ nonnihil affine susceperat, atque ob privatum odium interfectus fuerat in tumultu Sanbartholomæano Parisiensi, quamvis esset religione Catholicus. Hujus igitur filius Nicolaus haud probiori vitâ, (quem & volunt adulteratæ monetæ per contumaciam damnatum fuisse Rotomagi,) diabolico ductus spiritu; impulsúque, ut quidam asserunt, Guisiorum, ad coronam Franciæ per extinctionem regiæ familiæ aspirantium; sive ut alij, Alexandri Farnesij Principis Parmensis Gubernatoris Belgij, vel etiam Philippi ipsius Regis Hispaniæ, ob invasum ab Andegavensi, connivente Henrico Rege ejus fratre, Belgij statum: ad Ducem Andegavensem, specie conferendi ei operam suam ad id bellum veniens; paulò pòst in suspicionem adductus, ac retentus die vigesimo primo Iulij, interrogatúsque, quamplurimos principes, ac proceres, gubernatores provinciarum & urbium, aliósque Regis à consiliis & secretis, conspirationis in Regem, Andegavensem, universámque familiam regiam, pro regno transferendo in Regem Hispaniæ accusavit. Conspiràsse verò se in vitam Andegavensis, omninò negavit; sed tantùm venisse ut fidem tribunorum exercitûs sollicitaret, & aliquas urbes occuparet in favorem Hispanorum: quamquam constantior certiórque fuit fama, de ejus accessu ad Andegavensem aut ferro aut veneno de medio tollendũ; undecumque tandem fuerit ad scelus suscipiendum instigatus. Quod autem accusationes adversus alios spectat; quoniam quæ semel dixit, posteà negavit; & quos primùm accusavit, deinde absolvit; sæpiúsque mutavit, nunc addendo, nunc detrahendo, nunc negando nullum potuit certum fundamentum in ejus dictis constitui, aut fides eis adhiberi: & maximè quòd plurimi eorum qui ab eo accusati fuerunt, sciuntur constantissimi ac fidissimi perstitisse semper in obsequio Regis, contra Ligam, seu fœdus posteà contra ipsum exortum, ad quod hanc conspirationem tetendisse volunt. Quod verò & huic negotio ipsum quoque Gregorium Pontificem immiscuerint; id quàm sit calumniosum, non solùm inde patet quòd omnes consentiant, etiamque hæretici scriptores, eum alienissimum semper ab eo fœdere sese præbuisse; sed etiam quòd ex literis Pauli Foxij Archiepiscopi Tolosani, hoc tempore oratorem Regis apud eum agentis, ad eumdem Regem post Salsedæ adversus Andegavensem conspirationem eidem Pontifici ex parte Regis significatam scriptis, apprimè detur intelligi, Pontificem ad id scelus exhorruisse, & toto animo detestatum fuisse, quinimmò & Deum testem invocâsse, quòd singulis diebus oraret speciatim pro conseruatione & propagatione familiæ regiæ; quam servari & splendescere, maximè interesset Ecclesiæ Catholicæ & Sedis Apostolicæ.

SALSEDANA IN REGEM GALL.

VI. SALSE-

Quòd verò sceleris meditati suspicionem auxit, (neque enim ullum fuit aliud prolatum

de-

DÆ SOCIUS MANUS SIBI INFERT.

de eâ re testimonium à quocumque, vel etiam præsumptio ulla tunc ostensa, quàm solius Salsedæ ex levi suspicione interrogati confessio) fuit quòd Franciscus quidam Bassa Brixianus, qui unà cum Salsedâ captus fuerat, ei à Parmensi, ut dicebatur, in auxilium & consilium attributus, sive terrore conscientiæ, sive tormentorum timore, ferro se confecit. Qui in quatuor partes sectus, patibulo affixus est; addito elogio, quòd Andegavensem & Aurangium: nam & hunc conjuratione comprehensum volunt, postquàm manus Iaureguij effugerat) ferro aut veneno necare, expresso Principis Parmensis mandato machinatus esset. Ac nihilominus Salseda, ab Henrico Rege, literis fratris de omnibus certiore facto, Lutetiam duci jussus; cuncta quæ Brugis semel iterúmque interrogatus dixisset, falsa esse; & confessiones illas minis ac vi à se fuisse extortas, constanter coram Rege asseruit. Remissus tamen ad Senatum Parisiensem, sub finem Octobris sententiam ab eò accepit: quâ decretum fuit, ut tamquam majestatis regiæ convictus in quatuor partes ab equis discerperetur, & singula membra totidem patibulis affixa ad quatuor præcipuas urbis portas suspenderentur: caput Antuerpiam transferretur, loco à Magistratu illius urbis designando affigendum. Confessiones, literæ privatæ & declarationes in lite factæ, tãquam malignè & calumniosè ab ipsò contra decus quorumdam principum, procerum, & aliorum confectæ, igni abolerentur. Sic prudentissimo Senatu optimè ex allegatis & probatis distinguente inter reum & accusatos, ut ille pœnam meruerit propositi sceleris; (quam certè, vel ob falsas in innocentes accusationes, etiamsi alia defuissent, merebat) accusati ab omni culpâ illæsi remanserint: quos ille accusâsse putatur, spe prolongationis vitæ, dum de tot illustrium virorum crimine inquireretur. Cùm autem eâdem sententiâ decretum fuisset, ut antequàm supplicio afficeretur, quæstioni extraordinariæ subjiceretur; in eâ ipse quæ priùs Brugis confessus fuerat, vi tormentorum confirmavit, sed mox ab iis liber denuò recantavit, & ad mortem usque in eâ inficiatione perseveravit, omnes à se accusatos in ipso supplicij loco innocentes proclamans. Unde & Regi ea ferè insedit opinio, conjurationem illam à fratre & iis qui circa ipsum erant, malignè confictam fuisse; ut proceribus regni ac primariis ministris in suspicionem adductis, molestiam illis ac sibi facesseret, & amotis iis ab aulâ, fraternâ operâ utendi necessitatem imponeret.

SALSEDÆ SUPPLICIUM.

VII. INFAUSTA GALLORUM EXPEDITIO IN AZORAS.

Haud verò his solùm commota Gallia metu futuri, habuit insuper quod in præsens lugeret ex clade paulò antè apud Azoras insulas regni Lusitanici. Ad quas cum præmissi fuissent nonnulli duces Galli, parvo provectu, ob rerum in eis confusionem ab incolis & Lusitanis, & vanas ducum Antonianorum jactantias; solidiora deinceps auxilia Antonius extorris, post nescio quæ pacta cum Catharinâ Reginâ parente Henrici Regis, quæ & ipsa, ut vidimus, id sibi regnum deberi contendebat, inita, obtinuit: classem nempè sexaginta circiter navium omnis generis, quinque sexve millia bellatorum continentem; cui ab illâ præfectus Philippus Strozzius Florentinus cognatione ipsam tangens, vir strenuus, sed non adeò providus: eique legatus datus Carolus Cossæus Brissaci Comes, juvenis paterno & fraterno nomine clarus, & opibus potens: quos sequebantur alij præclari è nobilitate belli duces, multíque è juvenilis primariæ nobilitatis flore. Aderátque insuper, unà cum ipsomet Antonio, præcipuus navigationis incentor Vimiosi Comes; homo superbus; & pro gentis ingenio vanus, ac periculorum cõtemptor videri volens, qui falsa comminiscendo, nusquam comparituros cum class. Hispanos, & insulanos ad primũ Gallicæ classis conspectum actutùm in potestatem venturos; adeò securos Gallos reddiderat, ut quasi non ad pugnam, sed ad lustrandas insulas proficiscerentur, negligenter omnia administrarent cùm tamen viri comparituri Hispani ad easdem insulas navigationem intendissent, cùm duodecim triremibus & quinquaginta grandioribus navibus, & quinque minoribus, sex millia Hispanorum, & quingentos Germanos ferentibus, duce Marchione Sanctæ Crucis; cum quo, præter egregios legionum duces, plerique è nobilitate portabantur. Et Regina quidem, cujus auspiciis & auctoritate expeditio suscipiebatur, ne rumpi videretur fœdus quod Gallorum Regi cum Hispano erat, iis mãdatis Strozzio dederat, ut rectâ ad Insulas cursum dirigeret, neque cũ hoste fortè obvio confligeret. Verùm post excensionem in insulam S. Michaëlis, quæ ab Hispanis occupabatur, à Gallis factam; captámque post aliquod certamen, nondum appulso Santacrucio, præcipuam insulæ urbem Villam-francam, in quâ Antonius tamquam Rex ab omnibus salutatus est: cùm jam debellatum putaretur, ac proptereà omnia perturbatè fierent; adveniente Santacrucio, post quasdam inter classes per multos dies velitationes, tandem vigesimo sexto Iulij die festo Sanctæ Annæ matris Dei genitricis, pugna inita est, toto ferè Oceano, ut perhibent, [e] maximè omnium quarum memoria extaret famosâ: quippe quæ in littore Belgico ante hæc commissæ reperirentur, in æstuariis fluminum & canalibus tantùm factæ fuissent; non ut hæc medio mari procul omni continenti: eo quoque nobilior, quòd præmium victoriæ, opulentissimum esset regnum. Quare & acerrimè utrimque pugnatum est. Victoria verò penes Hispanos stetit, cum nece bis mille Gallorum, trecentorum captivitate; & octo navium amissione; Hispanis non plus ducentis desideratis. Strozzius dux classis, & Comes Vimiosus, multis vulneribus confossi vivi inciderunt in manus hostium, sed ille mox expiravit, alter post biduũ, in quorum cadavera sævitum esse, nonnulli scripserũt. Brissacus in ruinâ suæ navis scaphâ mirabiliter evasit. Antonius qui si regnum perderetur, nolebat tamen Regem perire, ne deesset futuræ perpetuæ suî apud homines sive commiserationi sive derisioni pridie quam pugna commissa est, cum nave expeditâ ad insulam Terceram quæ ab ipso stabat, se contulerat, jam tum mali præsagus.

PRÆLIO VINCUNT HISPANI.

e Vid. Conestag. Vnion. Portugal. lib. 9.

XIII SÆVA DAMNATIO CAPTIVORUM.

Post victoriam Santacrucius, fugientes non ulteriùs persecutus, ad Sancti Michaëlis insulam se contulit. Ubi Calendis Augusti per tubicinem captivis sisti jussis, ex numero pro-

centum viginti octo numerati sunt, ex ceterâ nobilitate quinquaginta duo: quos omnes unà cum gregariis ad mortem damnavit; publicato elogio, quòd pacem inter Christianissimum & Catholicum Reges juratam violâssent, uti piratas infames utriusque Regis bono plectendos esse. Ad quam sententiam frementibus Hispanis militibus, sive paria veritis, sive spem ex redemptionis pretio conceptam eripi mœrentibus, ideóque pro captivis Santacrucium interpellantibus; nihilominùs ipso excusante, hanc esse ipsiusmet Regis Christianissimi mentem; & quamquam ægrè id faceret, tamen necessitatem sibi impositam ut sententiam sine cunctatione exequeretur; omnes manu carnificis supplicium subierunt; immanitate, quæ non in aliam gentem, quantumvis supra omnem feritatem barbaram, cadere posset; ut scilicèt tot proceres, nobiles, milites, viri fortes, & religione ac fide pij & Catholici, (uti sese omnes exhibuerunt) ac plerique in adolescentiâ, aut primâ juventute constituti, bello, approbatione & auspiciis Reginæ, (si non & ipsius Regis, causam matris sustinentis) jus suum, saltem prætensum, armis vindicantis, quod judicio aut compositione non poterat adversus violentam ejus usurpationem, bello capti; post septem dierum crudelem custodiam, quâ & penè fame enecti sunt, & qui vulnerati erant sine ullâ curâ manserunt; carnificis gladio & furcâ puniti fuerint, contra omne ejus gentium, contra omnem usum Christianorum, contra fas omne religionis Catholicæ. In hoc certè nihil est hominis, nihil Christiani, nihil Catholici. Illud tamen non impium, quòd permiserit Santacrucius singulos peccata sua confiteri sacerdoti Gallo, quem ipsi secum ad sacra peragenda duxerant. At verò impiissimum hoc ac truculentissimum, (quod tacet cetera hæc describens Conestaggius) quòd eumdem ipsum sacerdotem ad idem supplicium postremò ex ecclesiâ & loco sacro, ubi inclusi fuerant, traxerit: ut disertè traditur in justâ expostulatione de hîc plusquàm ferinâ crudelitate, à Paulo Foxio Archiepiscopo Tolosano, oratorem tunc apud Pontificem agente, cum ipso Gregorio Pontifice factâ. Ad quam, ut ait, exhorrescens Pontifex, & facinus etiam cum suspiriis & animi angore detestatus; illius culpam in solum Santacrucium rejicere maluit, quàm Regem Philippum ejus criminis participem credere: uti bonus nimirum pater, qui haud propterea vellet bellum inter duos præcipuos filios suos excitari, cum gravissimo reipublicæ Christianæ & fidei Catholicæ damno: prout facile erat, si Henrici animum non aliæ regni sui graviores curæ avertissent à vindictâ injuriæ parenti suæ eo facto illatæ. Quin enim Philippus ejus auctor & jussor fuerit, nullus dubitare potest; nec item Santacrucium umquam illud cogitare ausum fuisse absque speciali & expresso mandato: cujus etiam executionis necessitatem sibi impositam fuisse ipsemet testatus est, nullámque ipsi inde culpam datam ab hominibus, sed Philippo ipsimet, Conestaggius scribit: quem frigidè eo excusat, quòd vix credere potuisset tot viros tali dignatione ejusmodi expeditioni

SUMMA IMPIETAS.

interfuturos. Putatúrque Philippus impulsus ad id fuisse à Syllano illo Ferdinando Albano Duce; qui insitâ animi feritate, terrorem potius quàm amorem Hispani nominis ubique spargi ad firmandam imperij magnitudinem, consultum existimabat. Qui si & hujus facinoris suasor fuit, potuit & ante obitum de ejus optato exitu gaudere, & cum majori satisfactione emori: qui pridie Idus Decembris ex hâc vitâ migravit; eo tamen longè felicior, quòd *Ludovicum Granatensem* Dominicanum, insignem illum, ac meritissimè apud omnes de ingenio & eloquentiâ verè ad pietatem natâ laudatum, assessorem in morbo & morte, ac consolatorem habuisse dicatur.

ALBANI DUCIS OBITUS.

IX. ANTONII TURPIA GESTA.

Quod Antonium attinet; is post hanc cladem, & Santacrucij in Hispaniam reditum; quo erat ingenio, haud est istâ adversâ fortunâ prudētior aut melior factus, in insulâ Tercerâ totum se ad rapinas & lasciviam convertens, jure vel injuriâ pecuniam, quâ maximè indigebat, undiquaque corrasit; virgines passim corrupit, matronarum pudorem sollicitavit, & cum sacris ac velatis virginibus familiariùs quàm honestiùs conversatus est. Demùm haud sibi tutum existimans ibi diutiùs manere, relictis ibi nonnullis Gallorum cohortibus cum gubernatore Emmanuele Silvâ Lusitano, ineunte Octobri in Galliam navigavit: ibíque rursùm benignè exceptus est, spe etiam factâ de mittendis anno insequenti suppetiis Terceræ præsidiariis. Philippus autem post receptum Olysippone summo honore Santacrucium, gratiam præteritorum olim Lusitanis Antonianis factam ampliavit, & quos eâ exceperat ad decem contraxit: monachis tamen & sacris personis semper exceptis, quas præ ceteris in se animatas ipse quoque severæ cuicumque animadversioni exposuit: [f] adeò ut confecto bello constiterit, ad bis [g] mille in insulis aut Lusitaniâ ferro aut aliâ peste ob belli hujus causam periisse. Posteà celebratæ fuerunt sumptuosissimè, ipsomet Rege præsente, Sebastiani & Henrici nuperorū Regum exequiæ; corpore Sebastiani ex Africâ recepto, Henrici ex Amerino adducto: quæ ad Bethlemiticum cœnobium in majorum sepulchrum transferri curavit: fecitque ex aliis regni partibus eodem deferri viginti alia corpora, seu eorum ossa & cineres, propinquorum suorum, filiorum vel nepotum Emmanuelis Regis, quò cuncti eodem monumento continerentur. Quid porrò ibi egerit, dicetur anno sequenti.

[f] Thuan. lib. 75.
[g] Vid. an. seq. II.

X. CONIURATIO SCOTICA IN REGEM.

Iam enim turbæ Scoticæ ad se nos avocant. Ubi [h] conjuratione Guillelmi Ruthueni, quem Rex Gouriæ Comitem creaverat, & ad summos honores & opes extulerat, atque loco cognati habebat; & quorumdam aliorum procerum, favore Elisabethæ Reginæ Angliæ, à quâ illi stabant, suffultâ, sub obtentu conservationis religionis, Regis securitatis, & amicitiæ cum Anglâ, factâ ut Dux Lenoxius & Comes Arranius Regi Iacobo fidi ab eo amoverentur; Rex ipse adolescentulus, dum fortè uterque eorum abesset; à conjuratis è Pertho oppido, ubi tunc erat, ad castrum Ruthuenum invitatus, ibi invitus detentus est, nec ullo modo expatiari permissus: fidissimus quisque ex administris amotus; &

[h] Camden. in Elisab.

Arranius, qui non longè aberat, (Lenoxius Edimburgum ad exercendam jurisdictionem amplissimi Camerarij regni officij abierat) in custodiam abreptus; Rexque adactus Lenoxium in Galliam remittere: qui homo ingenio placido, ut publicæ quieti consuleretur, in Galliam redire non abnuit; ubi & paulò pòst mortuus est. Nec his contenti perfidi illi proditores, Regem invitum compulerunt, hanc suî interceptionem literis ad Reginam Angliæ comprobare; & conventum Ordinum ab ipsis indictum justum esse decernere. Buchananum tamen, jam nonnihil ab illo qui olim [i] fuit pœnitentem, inducere non potuerunt, ut hoc eorum scelus, sicut cetera consueverat, vel scripto libello, vel persuasione per nuncium approbaret, qui paulò pòst hoc eodem anno 4. Calend. Octobris obiit, annum ætatis sextum & septuagesimum supergressus: vir quidem ingenij felicitate, & scribendi tam prosâ quàm carmine facultate excellens; sed apostasiâ à suo ordine, & à religione Catholicâ, virulentiâ in regium nomen, favore ac propugnatione proditionum & sceleratissimarum conjurationum ac defectionum, in æternum infamis.

[i] Vide sup. an. 1559. VII. & 1567 III.

Buchanani mors.

XI. Henrici Regis sollicitudo pro Scoto.

Cùm autem detentionem Regis Henricus Rex Galliæ certis nunciis comperisset, Mottafenellonum per Angliam, & Manninguillum per mare, cum iisdem documentis in Scotiam amandavit: scilicet ut rationes liberandi Regis quoquo modo expedirent; Regis animum in Gallorum amicitiam pellicerent; & gratulantes significarent, Reginam matrem ejus ex maternâ pietate regium titulum (quem olim [k] factiosè ei collatum vidimus) ei indulgere atque in regni societatem admittere; ad hoc scilicèt ut verus & legitimus Rex ab omnibus haberetur, & partium studia penitùs tollerentur. Ipsa verò infelix Regina mater ejus, tota suspenso & solicito animo, miseriis oppressa, & diuturni carceris calamitate sine ullâ libertatis spe intabescens, (ut eam quæ narrans historicus [l] Elisabethæ nobis depingit) grave suum fatum, afflictissimámque filij sui conditionem, longis literis Gallicè conscriptis, quas maternus amor & animi anxietas extorserunt, apud Elisabetham deplorans; primùm ait, cùm certò accepisset filium suum à rebellibus interceptum, sicut & ipsa fuerat ante aliquot annos; ex justo timore ne communem secum infelicitatis sortem subiret, non potuisse luctuosas suas querimonias non agere, & easdem in ipsius Elisabethæ, si fieri posset, conscientiâ insculpere ut sua apud posteros constarèt innocentia, & eorum ignominia, quorum iniquitate in has miserias indignissimè fuisset conjecta. Verùm cùm istorum artes & machinationes, quantumvis nefariæ, hactenùs plus apud Elisabetham valuissent, quàm querelæ suæ justissimæ, potentiæque ejus jus & æquum jam cederent, vísque æquitatem apud homines opprimeret, ad Deum immortalem provocaturam se, cujus solius in ipsas, pari jure & honore Principes, imperium agnosceret: eumdémque invocaturam (apud quem nec fuco, nec fraudi locus erit) ut novissimo die pro ipsarum inter se meritis retribueret. In ejus igitur nomine, & quasi pro ejus tribunali, se in memoriam ipsi revocare, quibus artibus quidam ipsius Elisabethæ nomine emissarij, Scotos sibi subditos in rebellionem contra se, dum in Scotiâ ageret, traxissent, & omnia mala quæ inde ibi acciderunt concitâssent. His sic præmissis, pergebat deinde narrare mala sua; ipsíque Elisabethæ modestè exprobrare opem rebellibus latam, suam depositionem procuratam, fidem sibi datam fractam, durum & asperum suæ detentionis statum, non ut captivæ, sed ut infimæ conditionis ancillæ; auditionem facilem accusatoribus suis præstitam, sibi autem facultatem purgationis denegatâ, quę & vilissimis reis concedi soleret; essetque nihilominùs ipsa Regina injuncta, Elisabethæ cognatione proxima, & regni Angliæ heres post eam legitima. Querebatur deinde, quòd ipsa mater prohiberetur non solùm filio oppresso consulere, sed etiam quo in statu esset intelligere. Per necessitudinem igitur inter ipsas conjunctissimam rogare, ut filij saluti seriò prospiceret; ut Scoticis rebus se inconsultâ, aut Rege Galliæ, non ampliùs se interponeret; eos qui filium in custodiâ detinerent non alio quàm proditorum loco haberet. Denique per Christi Redemptoris Crucem & Passionem obtestari, ut æquis conditionibus post tot annos libertati restituta, alicubi extra Angliam, tantillo vitæ tempore quod superesset, post diuturnum carceris squalorem, corpus extenuatum refocillaret, nec se ad alterius cujuspiam quàm proprium ipsius arbitratum remitteret. Quæcumque vel bona vel mala posthàc sibi obtingerent, ipsi uni accepta se relaturam. Sibi demùm restare efflagitandum, ut aliquis Sacerdos Catholicus concederetur; qui se in suâ religione ad animæ salutem dirigeret. Hoc supremum officium nec misellis infimæ conditionis denegandum: ipsámque Elisabetham exterorum Principum legatis suum religionis cultum permittere, séque suis subditis diversæ religionis ultrò permisisse. Si hoc sibi negarètur, sperare se apud Deum se excusatam iri, & timere adversarios non impunè laturos. Duas quoque famulas, quæ sibi in valetudinis imbecillitate qua erat, essent usui, ex necessitate petere; nec licere adversariis suam in se crudelitatem in tantillo humanitatis officio explere.

[k] Supr. an. 1567. IV.

[l] Camden. in Elisab.

Reginæ Scotiæ expostulationes ad Anglam.

Miserrima ejus conditio.

XII. Feritas Anglorum in eam.

Hæc & alia ejusmodi plura in summa animi amaritudine afflictissima Regina; quibus vel durissimæ cautes frangi & emolliri potuissent, considerata inhumanitate qua à tigribus illis ministris Elisabethæ, ipsâmet haud dubium vel jubente, vel consentiente, habebatur. Laudent Elisabetham quicumque & quantumcumque voluerint de quibuscumque virtutibus, & summo ingenio quo certum est præstitisse: mihi certè, & omnibus piis atque cordatis viris hac ex parte & Persephone & Tisiphone, & quidquid ex orco tertius feminei generis evomi potuit, habebitur in æternum cùm hac una impietate (quid verò cùm cumulum addidit necis carnificinæ?) quodcumque umquam boni, si quod aliquando præstitit, obliteraverit. At tu interim gaude Maria Regina his tuis angoribus & cruciatibus: & cogita Christum Dominum, qui longè duriora pro te passus, dixit [m], ea oportuisse se pati, & ita intrare in gloriam suam. Scripsit

[m] Luc. 24.

autem hanc epistolam ex custodia qua tunc Shefeldiæ detinebatur, (sæpiùs enim loco mutata est, tamquam in ludibrium circumduceretur:) die octava Novembris præsentis anni.

XIII. ELISABETHÆ IN EAM LUDI.

Ad quid ad illam mitissima illa & optima propinqua Elisabetha? Audi eumdem ipsum ejus chronographum anno sequenti. His literis, inquit, Elisabetha variè commota, ad Scotorum Reginam Robertum Bealum sacri Consilij ab epistolis, hominem vehementem & austerè acerbum misit, qui de querulis illis literis acriùs expostularet, junctímque cum Salopiæ Comite de illa liberanda ageret. Egregios sanè consolatores, & tanti operis administros! de quorum scilicèt malo in se animo Maria suis prædictis literis apud Elisabetham nominatim conquesta fuerat. Sed quid demùm? Deliberatæ fuerunt, inquit, in Angliæ consistorio leges liberationis Mariæ; sed nullo successu, cùm Scoti Anglicæ factionis eas prorsùs rejicerent; clamitantes, Scotos nonnullos Anglico nomini hostes infestissimos, Reginæ Scotorum consilio, è Gallia esse revocatos, & Holtum è Iesuitica Societate Anglum, ad ineundam rationem Angliam invadendi in Scotiam submissum. Hæc vetus cantilena. Et quàm hæ frigidæ excusationes! O propudium! Quid est ludere, si hoc non est? Quis enim non videat hæc ficta fuisse, in majus opprobrium & dirius cordolium miseræ captivæ? Sed fuerunt ejusmodi illusiones, & in eam tam seditiosorum Anglorum quàm etiam turbulentissimorum Ministrorum Scotorum, conspirationes, calumniæ, insidiæ, non solùm annuæ aut menstruæ, sed cótinuæ, diuturnæ nocturnæque, quousque tandem de medio sublata est. O Anglia, non tu certè Albion sub tuâ Elisabetha, sed Melæna nigerrima! Et tu Scotia eodem tempore verè Scotina obscurissima, feris tantùm & cacodæmonibus culta! Ut non mirum si frequentibus etiam prodigiis tunc insula fœcunda extiterit. Inter quæ & hoc ipso anno [m] mense Majo in 12. Geminorum gradu cometes horrendus apparuit radiante caudâ suprà & ultra Humerum dextrum Erichthonij projectâ: & dira in Norfolciâ provinciâ boreali tempestas crebro fulmine, tonitru, impetuoso ventorum furore, & impetuosâ grandine trium pollicum crassitudine, stellularum in calcaribus figurâ efferata; concitata. Sed ad hæc, & alia ejusmodi, quis habeat in capite vel oculos vel aures?

QUALES ANGLIA ET SCOTIA HOC TEMPORE.

m *Camden. ibid.*

PRODIGIA INEA.

XIV. DE ANNI CORRECTIONE GREGORIANA.

Præsenti anno facta est auctoritate Gregorij Pontificis, famosa illa correctio anni per resectionem decem dierum: quæ nec parùm difficultatis habuit antequàm certò statueretur, nec minùs contradictionis postquàm publicata est. Laboratum jam fuisse olim in Anni emendatione apud diversos populos à peritis singulorum temporum ejus scientiæ viris, ac præcipuè apud Romanos sommo conatu à Iulio Cæsare, ac post rem ab eo stabilitam pluries variéque in ejus observatione & reformatione peccatum; sciunt rerum antiquarum studiosi. Quid verò in Concilio Nicæno sub Constátino Magno, occasione controversiæ de die Paschatis, decretum fuerit, diximus [n] aliàs. Disputatum deinceps de his sæpiùs, cùm passim confusio, & prolapsio in gravem temporum perversionem, circa celebrationem commemorationis Conceptionis, Nativitatis, Mortis, & Resurrectionis Christi, aliorúmque mysteriorum Salutis nostræ, & festorum Ecclesiæ, animadverteretur: quæsitúmque solicitè remedium, & à magnis & doctis viris disputationibus plurimis: quæ in lucem diversis temporibus prodierunt, diligentissimè indagatum: ac diligentiùs etiam post indictionem Concilij Tridentini, quo eo verisimilius putabatur tractatum de hâc quæstione iri; sicuti in Nicæno fuerat, quo perturbatio manifestiùs apparebat. Cùm verò licèt in eo fuisset inter Patres emendatio nonnihil agitata cùm de Breviario Ecclesiastico emendando ageretur, nihil tamen conclusum extitisset, eò quòd Patres ad finem tendentes tempore exclusi essent; rem ad Romanum Pontificem remisisse visi sunt cùm Breviarij curam ei detulerunt.

n *Epit. an. 325. XXIX. & seq.*

XV. DE CYCLO LILIANO.

Cùm igitur duo præcipuè Breuiario contineantur, preces videlicèt ac laudes divinæ festis profestísque diebus persolvendæ; & Paschatis ac festorum ex eo pendentium recursus, Solis & Lunæ motu metiendi: jámque quod prius de precibus spectabat, Pius V. executus fuisset; posteriori longè difficiliori exequendo Gregorius XIII. ejus in Sede Pontificiâ successor, intentissimâ cogitatione incumbens; cùm librum accepisset ab Antonio Lilio artium & medicinę doctore olim ab ipsius fratre Aloysio compositum; in quo per novum quemdam Epactarum cyclum, ad certam Aurei numeri normam directum, atque ad quamcumque Anni solaris magnitudinem accommodatum, omnia quæ in Calendario collapsa essent, constanti ratione, & sæculis omnibus duraturâ, sic restitui posse ostendebat, ut Calendarium nulli unquam mutationi imposterùm expositum esse videretur: idem Gregorius, ut res quæ omnium communis esset, communi etiam omnium consilio perficeretur, eam restituendi Calendarij rationem ad Christianos Principes celebriorésque Universitates examinandam direxit. Cúmque illi concordes respondissent; eorum consensione adductus, viros ad Calendarij emendationem adhibuit in Urbe harum rerum peritissimos, quos longè antè ex primariis Orbis Christiani nationibus delegerat: à quibus, post multum temporis & diligentiæ ad eam lucubrationem adhibitum, cyclis tam veterum quàm recentiorum undique conquisitis, ac diligentissimè perpensis, & doctorum hominum qui de eâ re scripserunt judicio ponderato; Lilianus ille præ ceteris electus est Epactarum Cyclus: nonnullis nihilominùs adjectis; quæ ex accuratâ circumspectione viderentur ad Calendarij perfectionem maximè pertinere.

XVI. QUID IN HIS PRÆSTITERIT GREGORIUS.

His igitur magnâ solicitudine, & omni exactâ & diligenti perscrutatione peractis, intelligens Gregorius, ad rectam festi Paschalis celebrationem tria necessaria esse conjungenda & statuenda; primùm certum Verni æquinoctij sedem; deinde rectam positionem decimæ quartæ Lunæ primi mensis, quæ vel in ipsum æquinoctij diem incidit, vel ei proximè succedit; postremò primùm quemque

diem

diem Dominicum, qui eamdem 14. Lunam sequitur: curavit, non solùm æquinoctium Vernum in pristinam sedem, à quâ jam à Concilio Nicæno decem circiter diebus recesserat, restituendum, & 14. Paschalem suæ loco, à quo quatuor & eo ampliùs dies distabat, reponendam; sed viam quoque tradendam, quâ caveretur ut imposterùm æquinoctium & 14. Luna à propriis sedibus numquàm dimoverentur. Quapropter constitutione [a] hâc de re promulgatâ sexto Calendas Martij præsentis anni Domini 1582. præcepit & mandavit, ut quò Vernum æquinoctium, quod à Patribus Concilij Nicæni ad 12. Calend. Aprilis fuerat constitutum, ad eamdem sedem restitueretur, de mense Octobri subsequenti decem dies inclusivé à tertiâ Nonarum usque ad pridie Idus eximerentur. Deinde ne imposterùm à 12. Calendas Aprilis æquinoctium recedat, statuit Bissextum quarto quoque anno, uti jam fiebat, continuari, præterquàm in centesimis annis: qui quamvis Bissextiles anteà semper fuissent; qualem etiam voluit esse annum 1600. qui tamen deinceps consequentur, non omnes Bissextiles sint, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigantur, quartus verò quisque centesimus Bissextilis sit. Quò item 14. Paschalis rectè inveniatur, statuit ut amoto Aureo numero de Calendario, ejus loco substitueretur Cyclus Epactarum. Postremò, quoniam partim ob decem dies hoc dicto anno 1582. exemptes, partim ob ternos dies quolibet quadringentorum annorum spatio minimè intercalandos, necesse esset interrumpi Cyclum literarum Dominicalium 28. annorum in Ecclesiâ Romanâ usitatum; voluit in ejus locum poni Cyclum viginti sex annorum ab eodem Lilio statutum. Quarum immutationum rationes descriptæ reperiuntur fusiùs in ejus Calendarij explicatione. Sublato igitur veteri Calendario, hoc novum in omnibus Ecclesiis pro divinis officiis recitandis, & festis celebrandis, observari omnibus ac singulis earum Antistitibus; personísque ecclesiasticis, præcepit: ac Rudolphum Cæs. ceterósque Reges, Principes, ac Respub. hortatus est ac rogavit, ut quo studio ab ipso contenderant ut hoc tam præclarum opus perficeret, eodem, quinimmò & majore, ad conservandam in celebrandis festivitatibus inter Christianas nationes concordiam, & ipsi susciperent, & à cunctis sibi subjectis populis recipi & observari curarent.

[a] Bull. to. 2. Greg. XIII. const. 74.

XVII. Calendarium Gregorianum impugnatum, et defensum.

Adversus hanc tamen tanto labore, tótque rationibus & arguméntis fundatissimam emendationem, erupêre ex castris hæreticorum, tympanum illud Orbis Iosephus Scaliger commentariis de emendatione temporum, & Elencho anni Iuliani; ac Michaël Mæstlinus, Tubingensem mathematicum profitens, ventoso ingenio homo, in Examine Calédarij Gregoriani; quo in ipsâ inscriptione omnes provocat ad respondendum, nisi velint haberi impostores. Verùm utriusque inanes conatus, simúlque alias undiquaque allatas objectiones, plenissimè diluit ac confutavit celeberrimus è Societate Iesu earum scientiarum & Theologiæ professor Christophorus Clavius Germanus: pleniúsque etiam posteà eumdem Scaligerum exagitavit ejusdẽ Societatis professor, omnis literaturæ matheseos & historiæ peritissimus, Dionysius Petavius Aurelianensis. In eamdémque rem Hugolinus Martellus Episcopus Glandatensis Assertionem sacrorum temporum scripsit, & Clavem Calendarij Gregoriani etiam edidit. Qui verò huic Calẽdario contradixerunt hæretici, non id quidem præcipuè præstiterunt; quòd errorem in eo esse animadverterent, aut non antiquum correctione indigere scirent; sed vel ob invidiam, quòd ipsi universales omnium rerum atque scientiarum reformatores, non id quoque reformâssent; vel ne in ejus comprobatione viderentur auctoritatem agnoscere Romani Pontificis. Quo factum est ut in Comitiis à Rudolpho Cæs. mense Iulij Augustæ Vindelicorum celebratis, cùm nemo Principum aut civitatum Protestãtium illud admittere vellet, Cæsar. negotium differre habuerit. In regno autem Galliæ Christianissimo, regio edicto ad principium Novembris condito, & in Senatu Parisiensi promulgato, receptum fuit: sicuti & in Catholico Hispaniarum, & Polonico, aliísq; Catholicis ditionibus Principum, atque etiam non paucis hæreticis in ipsâ Germaniâ, & Belgio, & alibi. Adeò ut etiam in eâdem Germaniâ inter Protestantes Bartholomæus Scultetus Gorliciensi Senator & clarus Mathematicus, cùm primùm prodiisset; illud omninò approbans curaverit per universam Lusatiam recipi; scriptúmque ediderit contra ejus obtrectatores: quos in clarissimâ luce cæcutire ait, & stupidissimos ac prorsùs alienos à mente esse, qui non perciperent quantum hoc perfectius existeret antiquo. Et inter rationes quas adversarij objiciebant, & ipse confutat, primo loco eam ponit quâ dicerent non quid sed quis diceret spectandum esse: quasi scilicet, inquit, res ipsa per se optima ob malevolentiam jactam in personam, non sit procuranda; sed simul cum eâdem rejicienda.

XVIII. Græci quomodò se in eo gesserint.

Quomodò verò Græci schismatici in eo se gesserint, ex Possevino intelligitur; cùm in Refutatione cujusdam scripti de religione à Davide Chytræo Lutherano oblati Ioanni Sueciæ Regi, scribit; cùm Stephanus Rex Poloniæ (apud quem Possevinus multo tempore egit) in tantâ vastitate provinciarum, ac varietate nationum & rituum, nec non schismatum & hæresum, Calendarium Gregorianum ab omnibus accipi vellet, restitisse vehementer Ruthenos ipsi subjectos, qui ritum Græcorum servabant; quos concepti schismatis tumor, & altissima Theologiæ, ac bonarum disciplinarum, linguæque Græcæ ignoratio, mirificè suis consuetudinibus implicitos tenebat: Itaque misisse Constantinopolim: Ubi evocato Alexandrino Patriarchâ, Ieremias Constantinopolitanus Synodicam epistolam scripserit, quâ Ruthenis & Græcis interdicebat ne Gregorianam emendationem admitterent; hâc potissimùm ratione ductus, quòd sibi nondum Latinorum argumenta & rationes innotuisse diceret: Factum verò posteà esse, ut sive rationibus Ducis Ostroviæ Ruthenorum primarij ad Ieremiam missis, seu summi Pontificis diligentiâ; ut idem Ieremias veritate victus, non solùm ei assenserit, ve-

rùm etiam legationem ad Urbem miserit, quâ se id ipsum inter suos curaturum polliceretur. Quod in Annalibus [p] Gregorij distinctiùs explicatur, cùm dicitur, Gregorium ad Ieremiam misisse duos oratores cum literis & muneribus: hos illum à Gallo & Veneto oratoribus, in Portâ Amuratis residentibus ad se adductos cum honore excepisse; propensæque in Latinam Ecclesiam voluntatis specimen dedisse, rescriptis reverenti animo ad Pontificem literis, atque unà missis nonnullis pretiosis sacris Reliquiis: ac pollicitum esse, se post aliquod tempus illius Calendarium recepturum, Ruthenósque & alios Græcos ad idem faciendum hortaturum. Sed contigisse, ut non diù pòst scelesti cujusdam viri calumniis apud Turcos oppressus, (instigantibus fortè iisdem qui primam [q] ejus expulsionem operati fuerant) in carcerem cõjectus fuerit, ubi Gregorij Pontificis benignitatem expertus sit: cujus hortatione orator Gallicus magnis precibus effecit, ut pœna capitis in eum decreta in mitiorem deportationis verteretur: quem si potuisset vindicare Gregorius, inter Cardinales retulisset. Scelestum autem illum hominem ejus persecutorem, Cæsareæ fuisse Episcopum, *Macarium* nomine, qui datâ Turcis pecuniâ in ejus locum intrusus fuit; ex eodem Possevino intelligitur. Cùm tamen alibi [r] legamus, ex literis Constantinopoli scriptis relatum, non Macarium fuisse Ieremiæ accusatorem, sed Theophilum Hieromonachum & Pachomium: causásque iræ Turci in eum fuisse, quòd recipiendo Calendarium Gregorianum, cum Romano Pontifice conspirasse contra Turcos videretur; & quòd decretum Amuratis de quibusdam Græcis in deserta loca velut in coloniam deducendis improbâsset: unde catenis vinctus per urbem Constantinopolim ignominiosè vectus, in Rhodum insulam relegatus fuerit: *Pachomium*, additis supra usitatum canonem aliquot millibus ducatorum, Patriarchalem dignitatem adeptum esse: sed quòd homo rudis & illiteratus esset, ei statim sequenti anno emoto, suffectum esse *Theoleptum*, qui à Silvestro Alexandrino & Michaële Antiocheno, tum fortè Constantinopoli existentibus, inauguratus sit die decimâ Martij anno 1585. Possunt hæc omnia sic consistere, ob frequentes Patriarcharum mutationes; quæ posthàc obscuras nobis faciunt & incertas illorum successiones; dum continuis pulsionibus, restitutionibus, institutionibus, ac substitutionibus, sedem illam fœdârunt, prævalentibus iis qui fraude vel pecuniâ potiores fuerunt: adeò paulatim ad nihilum redacta est nobilissima illa dignitas, postquàm consortium & obedientiam supremæ Sedis Apostolicæ detrectantes, gestierunt res suas sibi habere.

[p] Ap. Victorel. in Greg. XIII.

[q] Sup. an. 1579. XXI.

[r] Ap. Chytra. Saxon. lib. 27.

DE PATRIARCHIS CONSTANTINOPOLITANIS.

XIX. CORRECTIO CALENDARIJ AD SOLUM PONTIF. PERTINEBAT.

Sed ut ad Calendarium redeamus; quod Protestantes Germaniæ, & nostri Calviniani, atque etiam Politici, hanc emendationem pertinuisse magis ad Imperatorem quàm Pontificem contendunt; & id quidem exemplis Iulij Cæsaris, qui primus anni reformationem confecit; & Constantini Magni, qui edictum de Nicænâ promulgavit: ne illi se rerum ignaros ostendunt. Non enim Iulius umquam Imperator fuit, nisi quomodò omnes exercituum duces Imperatores vocabantur, sed tantùm Dictator: & quamvis fuisset, non id ut talis, sed ut Pontifex maximus, qualis inter Romanos erat præstitisse dicendus est; ad quam dignitatem sciunt omnes antiquorum magistratuum ac dignitatum Romanarum periti, hujusmodi negotia pertinuisse. Constantinus interfuit quidem Synodo; sed non præfuit, ut ex Actis Synodi apertè intelligitur; nec decretum ullum de quâcumque re condidit, quod verò decretum de Paschatis celebratione edicto suo promulgavit; non id à suâ definitione egit, sed à Synodi decreto; quod ut faciliùs ab universis populis imperio suo subjectis reciperetur, necesse fuit ejus auctoritate fulciri, cùm plures essent qui antiquioribus decretis de eodem Paschate pertinacius obluctarentur. Sicut etiam videmus, novam istam Gregorij reformationẽ à singulis Principibus, qui nihil ei pręter consensum contulerant, propriis edictis injunctam fuisse suis populis. Quæ profectò à nullis recepta fuisset, si ab Imperatore Rudolpho emanâsset; cujus auctoritatem adeò nulli supremi Principes agnoscebant, (sicuti nec successorum agnoscunt) ut nec ipsi Germani, in quos unicos hodierna potestas Imperialis seu re, seu specie, extenditur, ei hanc reformationem suadẽti auscultare voluerint; iis exceptis qui Romani Pontificis, à quo ea processit; & cujus solius erat de rebus ecclesiasticis, & festorum ac mysteriorum Christiarum rectâ ordinatione statuere, supremam eâ in re agnoscebant auctoritatem. Apud quos omnes per universam Germaniam ut locum haberet, tenuit Cæsar anno sequenti; non parvis tamen tumultibus in pluribus civitatibus propterea exortis; sicuti & in aliis provinciis & urbibus, in quibus Protestantes mixti erant cum Catholicis.

XX. GEBHARDI ARCHIEPISCOP. COLON. APOSTASIA.

Fuit in eâdem Germaniâ unus hoc anno qui magnas turbas civit incontinentiâ suâ, *Gebhardus* scilicèt *Truchesius* Archiepiscopus & Elector Coloniensis, ex illustri Waldburgensium dynastarum in Sueviâ familiâ, & Othonis Cardinalis Augustani ex fratre nepos. Cujus tragœdiæ historiam, cum suis causis & circumstãtiis, diffusè Michaël Isseltius Amorfortius Belga, qui non longè aberat, peculiari opere prosecutus est: ex quo summaria capita recensebimus. Conjecerat is oculos in Agnetem Ioannis Georgij Mansfeldij Comitis filiam egregiâ formâ virginem, quæ fuerat in conventu monialium enutrita; eámque frequenti conversatione deperire adeò cœpit, ut demùm in uxorem Bonnæ oppido suæ diœcesis in arcano duxerit sub initium hujus anni. Cùm autem exiguis esset facultatibus, ut occasionem retinendi unà cum uxore Archiepiscopatûs haberet, ex Hermanni-Adolphi Solmensis & Adolphi Nuenarij Comitum, quibuscum illi arctissima necessitudo intercedebat, consilio, Protestantes suscitavit, qui liberam religionis Augustanæ in comitiis Imperij approbatæ, & plerisque aliis civitatibus permissæ, professionẽ Coloniæ concedi à Senatu urbis peterent. Qui tamen non solùm preces eorum rejecit, verùm etiam ut religioni Catholicæ tutiùs cautùm esset, publico edicto cavit, ut advenæ qui post annum 1566. ad eam urbem commigrâssent, & Catholicè vivere

nollent, intra mensem aliò se conferrent: & conciones hæreticas, quæ nihilominùs ab audacibus illis fieri cœpissent in vico Mecterensi ditionis Nuenarij in agro suburbano dissipavit; Capitulo quoque majoris Ecclesiæ auctoritatem suam interponente contra conniventiam Archiepiscopi. Missis ex hoc utrimque legatis ad Comitia Augustana, quæ tum à Cæsare habebantur; per suos conatus est tacitè Gebhardus obtinere, ut libertas religionis per diœcesim Coloniensem subditis, & matrimonium sibi cum retentione honoris Electoratûs & administrationis diœcesis concederetur. Sed licèt ei Protestantes patrocinarentur, nihil tamen impetratum est; præter literas ab eorum proceribus ad Senatum Coloniensem pro ipsorum religionis exercitio: qui nihilominùs solicitâ curâ unà cum Capitulo intendit, nequa religionis mutatio in republicâ suâ exoriretur. Unde sibi timens Gebhardus, copias colligere cœpit specie defendendi limitis à proximis Belgicis furoribus; & astu Bonnam oppidum occupavit: atque Archiepiscopū apertè exuens, & avitæ religionis Catholicæ persecutor factus, in vicinos pagos & monasteria præsidia disposuit; thesaurum diœceseos, qui in arce Bruelæ custodiebatur, diripuit; novos milites conscripsit; & subditos in Senatum Coloniensem concitare nisus est: qui nihilominùs fideles permanserunt: Ipséque Senatus diligentiùs sibi cavens, explosit etiam suasiones, nomine reliquorum Principum ac civitatum Protestantium, sibi per Ioannem Palatinum Ducem Bipontinum, cum nonnullis aliis ad hoc Coloniam accedentem factas: Gebhardo eò furiosiùs in suo proposito perseverante, nihilque pendente Moguntini & Treverensis Archiepiscoporum, aliorúmque Principum, quinimmò & ipsius Gregorij Pontificis monitiones. Hic enim cùm ejus lapsum audivit, graviter eo motus, noluit tamen primùm duriùs in eum agere; sed paternis ac benignis literis eum compellans, scriptis Nonis Decembris, post multa de claritudine generis ipsius, & Othonis Cardinalis ipsius patrui gloriosâ memoriâ præmissa, monuit ut famæ ac saluti suæ in tempore consuleret; & si fortassè longiùs quàm oportuisset progressus esset, pedem retrò ferret. Rogatúsque à Pontifice Rodulphus Cæsar, eodem officio per legatum defunctus est. Quæ ille omnia, in reprobum jam sensum apertè traditus, & à Principibus Lutheranis & Calvinistis, opes suas ad incendenda ejus turbida consilia pollicentibus, ampliùs dementatus, facilè contempsit, & in ipsum Pontificem inter pocula & saltationes debacchari cœpit. De quo quid porrò secutum sit, dicetur anno sequenti.

XXI. CONCILIUM TOLETANUM.

Hoc anno plura reperiuntur celebrata Concilia provincialia, putà in Hispaniâ *Toleti* septem Episcoporum & duorum Abbatum, præside *Gaspare Quirogâ* Cardinale & Archiepiscopo Toletano, ac supremo in Hispaniâ Inquisitore: cui & interfuit legatus à Rege Philippo Marchio Veladæ. Inter Ecclesiarum procuratores fuit *Garsia Loaisa*, multæ vir eruditionis, cujus diligentiæ debetur editio antiquorum Hispaniæ Conciliorum: quémque paulò pòst hæc Rex Philippus præceptorem & magistrum constituit filij sui. In Concilio verò actum de disciplinâ Ecclesiasticâ, & aliis provinciæ necessitatibus; quæ aliquando tempus in lucem proferet, ut ait qui [r] ejus meminit, cùm nondum fuerint ejus Acta promulgata. Aliud *Mediolani à Carolo Borromæo* Cardinale tituli S. Praxedis & Archiepiscopo, ordine Sextum, & ultimum eorum quæ ipse habuit; cui interfuerunt novem alij Episcopi, & procuratores quinque absentium. Fuit autem, ut & anteriora, (quorum omnium extant Acta in Tomis Conciliorum) de fide incorruptè servandâ; de disciplinâ & œconomiâ Ecclesiasticâ restituendâ ac ritè ordinandâ, déque moribus Cleri & populorum emendandis. Quibus in rebus adeò se perfectum ceterorum exemplar præbuit, ut post multas vigilias, curas, & labores in iis insumptos, meruerit post obitum in numerum Sanctorum paradisi solemni ritu referri, ut videbitur suo loco.

[r] *Marian. in Summar.*

MEDIOLAN. VI. SUB CARD. BORROMÆO.

XXII. CONCILIUM BURDEGALENSE.

Quo eodem zelo ductus quoque in Galliâ *Antonius Prevotius* Sansacus Archiepiscopus Burdegalensis, *Synodum* itidem suæ provinciæ *Burdegalæ* celebravit, de eâdem disciplinâ & moribus: cui interfuêre sex Episcopi, ac ceterorum provincialium procuratores; & cum eis *Arnaldus Pontacus* Episcopus Vasatensis, quamquam alterius provinciæ, tunc ibi existens, & virtute & doctrinâ conspicuus. Eamdemque reformationem ceteris quoque Clerus Gallicanus, conventu Parisiis habito mense Iulio, apud Regem prosecutus est; delegato ad hoc *Reginaldo Belnensi* Archiepiscopo & Patriarchâ Bituricensi, cum nonnullis aliis Episcopis: qui quâ erat facundiâ & doctrinâ præditus, gravissimam habuit orationem; quâ inter cetera, multis rationibus & argumentis, Concilij Tridentini ad constituendam in Ecclesiâ Gallicanâ disciplinam, publicationem & Electionum libertatem ursit. Ad quæ Rex, ut alias, de Concilio se maturè deliberaturum respondit; Electiones commmotiùs elusit.

CONVENTUS CLERI GALLICANI.

XXIII. CONCILIUM ÆGYPTIUM.

Denique & in Ægypto *Memphiticam*, sive Cairensem *Synodum* hoc eodem anno auctoritate Gregorij Pontificis in mensem Decembrem indictam reperimus [s]: quæ tres habuit Sessiones, in quibus de ablegandis antiquis Nestorij & Dioscori hæresibus jungendísque Cophtorum iis infectorum animis (de quibus dictum est aliàs [t]) cum Ecclesiâ Romanâ est actum; præsentibus cum Patriarchâ Alexandrino Cophtorum, & Episcopis, atque Abbatibus, & principibus viris, nonnullis Patribus Soc. IESU ad hoc à Pontifice illuc missis. Quorum labore ac disputationibus cùm factum fuisset, divinâ aspirante gratia, ut circumcisionis lege abrogatâ, de duabus quoque Christi naturis omnes in unam sententiam consensissent, peractâ re Calendis Februarij anni proximè consequentis: nihilominùs tamen quod ore professi fuerant, chirographo confirmare recusârunt: tum ob supervenientem Patriarchæ mortem; tum ejus vicario id procurante, homine pessimo, spe sic consequendi Patriarchatum. Quando & Patres Societatis in tetrum carcerem à

[s] *Ap. Poss. v. Appar. to. 2.*

[t] *Supr. an. 1561. XXXVI.*

Turcis conjecti fuêre, quasi Orientalem illum tractum, sive Summo Pontifici, sive Regi Catholico subjicere vellent. Adeò ut quamvis hæc calumnia paulò pòst diluta sit, nihilominùs quinque aureorum millia pro eorum liberatione persolvenda fuerint, quam Cophtis & mercatoribus numerantibus Gregorius Pontifex restituit.

XXIV. CHRISTOPHORI THUANI OBITUS.

Mortuus est Parisiis Calendis Novembris, vir suo genere incomparabilis *Christophorus Thuanus*, Senatûs princeps, seu ut vocant primus Præses, anno ætatis 75. Sacramentis Ecclesiæ (erat quippe fide Catholicâ præstans) piè procuratus: veris non solùm totius amplissimæ urbis, verùm etiam procerum & omnium regni Ordinum lachrymis defletus: laudatus de religione in Deum, fide in Regem, charitate in omnes, vitæ innocentiâ, æquitate, doctrinâ, judicio, aliísque virtutibus ad perfectum virum constituendum necessariis. Fuit autem pater *Iacobi Augusti Thuani*, qui tunc Advocatum regium agebat in eodem Senatu, posteà fuit etiam è præsidibus unus; qui Historiam sui temporis magnâ gravitate & facundiâ conscripsit: Utinam & tantâ moderatione, ac rerum & personarum circumspectione; quibus meruisset potiùs à singulis in omnibus laudari, quàm à supremis censoribus in plurimis argui. Suffectus est autem Christophoro à Rege, tantâ dignitate dignissimus, *Achilles Harlæus* ejusdem gener, jam anteà & ipse unus è præsidibus.

XXV. SANCTÆ TERESIÆ OBITUS. [u] Supr. an. 1568. XXIX.

Mortua quoque est hoc anno, ætatis suæ 68. die 4. Octobris, *Theresia* virgo Hispana, De IESU dicta, quam vidimus [u] Ordinem Carmelitarum Discalceatorum tam virorum quàm feminarum restituisse. Eam ob virtutes & merita, frequentiâque miracula, Gregorius Papa XV. cum aliis quatuor Beatis in SS. numerum solemni ritu retulit anno 1622. Vitam, mortem, ac miracula quinque libris complexus est Franciscus, de Riberâ ex Societate Iesu.

XXVI. CIRCUMCISIO MEHEMETIS TURCI.

Constantinopoli celebrata est magnificentissimo apparatu, ex præscripto legis Mahometicæ, circumcisio Mehemetis filij Amuratis Turcorum Imperatoris, adolescentis annorum plus minùs sedecim invitaverat antè ad illam universos Principes Amurates: interfuéruntque legati Rudolphi Cæs. Stephani Regis Poloniæ, Reipublicæ Venetæ, Regis Persarum, & Maroci ac Fessæ, Chami Tartari, Principum Transilvaniæ, Moldaviæ & Valachiæ. Aderat quoque Constantinopoli Henrici Regis Galliarum legatus Germinius Germolæus: non tamen spectaculo interfuit, quòd obtinere non potuisset ut legatus Stephani Poloni excluderetur, quem pro Rege non agnoscebat, cùm Henricus eum sibi titulum perpetuò retineret. Scribit Isthuanffius [x] Hungarus in patriæ suæ Historiâ, non solùm ob hanc de Polono controversiam Germinium Gallum abstinuisse; sed etiam quòd cùm Rudolphus plures legatos misisset, diceret Gallus, se quidem primario ejus legato cessurum, at non ceteris, qui non Cæsaris, sed Hungariæ Regis (qui erat idem Cæsar) nomine adessent, quibus ipse ob sui Regis dignitatem præferri deberet.

[x] Isthuanff. lib. 25.

CONTROVERSIA DE LOCO LEGATI GALLI.

Controversiâ ad Sinanem supremum Vezirem delatâ, ita ab eo diremptam esse, ut Henricum unius Galliæ regni Regem esse pronunciaret; verùm Hungariæ Regem, qui olim Dalmatiam, Croatiam, Sclavoniam, Bosnæque & Bulgariæ regna, cum utriusque Valachiæ & Transilvaniæ ditione tenuisset, jure præferri posse: nec Stephano Poloniæ Regi, cui Henrico Galliam repetente, regnum à Polonis legitimè delatum esset, dignum in theatro spectandi locum denegandum. Quæ si verè ita gesta fuêre, ne Sinan ille brutus homo in judicando pro Hungaro & bardus fuit, (ut verè etiam extra hoc negotium, in ceteris actibus rustico fuisse & barbaro ingenio, & omnis rerum cognitionis experte traditur; unde & fuit hoc ipso anno, ut dicetur, ab Amurate dignitate, cui non erat sustinendæ, depositus.) Ubi enim & quando umquam auditum, ut Rex Hungariæ, quamvis inclytus valdè, & multarum provinciarum dominus, Regi Christianissimo, non dico præferendus, nec item æquandus, sed nec nisi multum à longè locandus fuerit? unicum profero testimonium, sed omni exceptione majus, cui alia quæcumque cedere necesse sit, nec possit à quo quam in quæstionem vocari: Ordinem scilicèt Regum, jam olim à nobis [y] simili quâdam occasione relatum, quod apud Romanum Pontificem, ubi suum cuique jus reddi, ac singulariter in locorum ac graduum unicuique debitorum distributione ac dispositione, consuevit. In quo, testibus Magistris Ceremoniarum, quorum est ea disponere, ac potissimùm Paride de Grassis Bononiensi, qui eo munere functus est sub Iulio II. quando adhuc Hungaria suos Reges habebat, longè etiam potentiores, quàm esset nunc Rudolphus, qui partem ejus sub tributo Turcis pendendo veluti precariò possidebat; ita designatus est Regum ordo: *Imperator Cæsar*; (huic absque ullâ controversiâ toto orbe Christiano à quibuscumque Regibus, ob majestatem Romani Imperij quamquam ad nihilum penè redacti, cujus vel umbram retinet, primæ conceduntur:) *Rex Romanorum*, (cui nihilominùs reperiuntur aliquando Galliæ Reges de secundo loco quæstionem movisse; nec hodiéque putamus cessuros fore, si eo solo titulo quis sub Imperatore coronato insignitus esset: at non hoc modò agimus:) *Rex Franciæ*; (non certè Rex Hungariæ, qui longè retrò adhuc jacet) *Rex Hispaniæ*, *Rex Aragoniæ*, *Rex Portugalliæ*; (hæc tria regna jam in unum coaluerunt; nec tamen propterea aut ob multitudinem aliorum iis paulatim adjunctorum, qui ea possidet Rex potentissimus, Francico præit; cujus nobilitas nec parem habet inter Reges, uti apud ipsam Sedem Apostolicam judicatum vidimus [z];) *Rex Angliæ*, discors, ut ibidem dicitur, cum tribus illis Hispanis; *Rex Siciliæ*, discors cum Rege Portugalliæ; *Rex Scotiæ*, & *Rex Hungariæ*, inter se discordes: (invenit tandem locum Hungarus; sed quantum à Gallo procul? *Rex Navarræ*, *Rex Cypri*; *Rex Boemiæ*; *Rex Poloniæ*; *Rex Daniæ*; &c. Ab igitur bellua Sinanica, cum tuis fatuis Argumentationibus, quibus

[y] Supr. an. 1433. XIII.

[z] Supr. an. 1564. XIV. & seqq.

siquid deferri deberet, quantum etiam earum vigore præpollere deberet ceteris omnibus Rex Francorum, qui tot alia regna & imperia possedit? At ut diximus non in amplitudine, sed in nobilitate & antiquitate, quibus parem non habent Reges Galliæ Christianissimi; consistit prærogativa præcedentiæ.

XXVII. De loco Poloni

Quod ad contentionem Legati Galli cum Polono; non erat illa de præcedentiâ aut æqualitate, cùm nonnisi inter postremos Polonum, licèt & ipse potens, & longè latéque regnans, locum in Pontificio Consistorio adipisci potuisse videamus; sed de titulo regni: quê cùm semel Henricus legitimè consecutus fuisset, sempérque unà cum titulo jus etiam retineret, quamvis reipsâ regnum non possideret; injuriam æstimabat, alium eo insigniri. Unde etiam in Historiâ [z] Veneta legimus; cùm Stephanus Battorius regnum Poloniæ obtinens hoc eodem tempore, per Hieronymum Lipomanum Reip. apud Cæsarem legatum, suam amicitiam, opes, virésque Reipublicæ detulisset; cuperétque significâsse necessitudinis pignus ab Senatu ad se ordinarium oratorem mitti, ipsum quoque idem erga Rempublicam facturum: Patres considerantes ex ejusmodi conjunctione magnum utrorũque rebus præsidium in omni fortunâ accessurum, legationem in Poloniam decrevisse. Id verò cùm ad Henricum Regem allatum esset haud parùm molestiæ accessisse; quòd licèt Carolo fratre vitâ functo ex iis regionibus discedere coactus fuisset, adhuc tamen jus quod sibi vindicaverat; acriter retineret; ac Battorium non veri legitimíque Regis, sed suas veluti vices obeuntis loco haberet; Galliæ rebus compositis, animum ad Poloniam adjecturus, ac propterea non posse eam legationem à Senatu mitti absque gravi jurium atque existimationis ipsius detrimento. Hísque à Senatu pensatis, cùm ipse quoque Battoreus lentiùs in oratore petendo procederet, legationem antiquatam esse.

[z] Mauroc. lib. 12. in fi.

XXVIII. Ludi exhibiti.

In ipsis autem publicis spectaculis, exhibitis in Hippodromo pyramidibus admirandi operis distincto, pergulis utrimque dispositis dextrâ lævâque ad proceres Turcos & legatos veluti in distinctas casulas excipiendos; (ipso Amurate in medio cum filio, uxore, ac sorore tentorium habente, ex quo omnia spectare & à nemine spectari poterat) cœptísque ad finem Maij; & totos quinquaginta dies interdiù noctúque continuatis; epulum de publico innumeris hominibus qui aderant singillatim præbitum, missilia passim jactata, post mensas remotas etiam vasa aurea & argétea in populum sparsa: antemeridianis, pomeridianis, & vespertinis horis, diversi magnificentissimique ludi editi, hominũ miris artibus & gestibus stuporem spectantibus concitantium, machinarum insolitarum, ignium artificiosorum, funambulorum, pugilum, athletarum, aliorum admirandâ agilitate & incredibili robore non solùm admirationem sed etiam horrorem in suorum corporum concisionibus incutientium: variæ pugnarum & certaminum formæ, ac ferarum diversi generis exhibitiones. Introducti quoque pluribus diebus in theatrum cuncti urbis ordines & artifices, munera quisque sua pretiosa quàm maximè poterant & exquisita ad Amuratem afferentes. Itémque Mahometanæ sectæ sacerdotes longo ordine; & inter eos sacrorum princeps Mophtis camelo insidens, & in Alcorani foliis pervolutandis attentâ contemplatione defixus. Necnon Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus palliis sacris induti cum toto Clero, cum suis item muneribus, fausta omnia imperio Sultani precantes. Ad finem spectaculorum evocati pueri, qui circumcidendi ex variis locis venerant, singuli togam, tunicam, & centum aspros à Sultano acceperunt; tanto numero confluentes, ut vix triginta chirurgi continuatâ diei nocte operi faciendo sufficerent. Mehemetes autem Amuratis filius, non publicè ut alij, sed in cubiculo patris circumcisus fuit à Mahomete Bassâ, qui olim Solimani tonsor fuerat. Posteà celebratæ sororis Amuratis nuptiæ: quarum occasione prolati ludi, post paucos dies excitato inter prætorianos gravissimo tumultu cum nonnullorum cæde, penitùs cessârunt. Hæc autem omnia qui distinctiùs explicatâ videre voluerit, habet inter ceteros Georgium Lebescium Polonum, qui rei interfuit, & commentarium de eâ conscripsit. Refértque eadem breviter per singulos dies Blasius Viginerius in fine illustrationum Gallicarum historiæ Chalcondylis Græci.

XXIX. Narratio Mauroceni.

Unum tamen est quod hîc moneamus; Andream Maurocenum [a] nobilem historicum Venetum, relationem rei gestæ à Iacobo Superantio legato à Republicâ ad eam celebritatem Constantinopolim misso in Senatu post reditum factam, suæ historiæ inserentem, scribere; eum asseruisse, celebritatem illam neque magnificentiâ neque splendore cum plerisque in Italiâ spectaculis edi solitis conferendam; magísque ob barbaræ gentis ab Italicis alienos mores, quam vel apparatu vel à pompâ spectandam extitisse: In oratorum Principum sessione, à dextrâ Cæsaris, à lævâ Gallorum Regis, propè Cæsareum Venetum, propè Gallum Sarmatam (hoc est Polonum) consedisse; hancque rem uti Polono parùm gratam, ita Reipublicæ honori atque existimationi cessisse: In eâ celebritate Mehemetem in speciem esse circumcisum, cùm anteà jam Turcico ritu initiatus fuisset. Ita ibi, quæ omnia vides quàm diversa sint à ceterorum auctorum narratione. Ac ut speciatim id tangam quod oratores spectat; quid est quod alij habent de absentiâ Gallici, si dissertè Venetus qui adfuit dicat eum consedisse primo loco è regione Cæsarei? non enim ait assignatum tantummodò ei esse locum, sed verè consedisse, ac Polonum infra ipsum, nihilque item prorsùs de contentione Hungari. Quæ ceteri habent, ab auctore Polono excerpserunt: quæ Maurocenus, ab ore Veneti: seligat lector cui magis credere aut debeat, aut velit; rem nobis narrâsse sufficiat, cùm quod magis in his videamus sit, tam fortè Polonum quàm Venetum honori suæ nationis prospicere voluisse.

[a] Id. lib. 13.

XXX. Persicus legatus male habitus.

Habent item alij (nihil enim de eo Maurocenus) in medio spectaculorum nocte quidam figuras Germanorum, Italorum, ac præcipuè Persarum more indutas, ac nitroso pulvere repletas, propositas fuisse; & indito igne consumptas: in contumeliam potissimùm Persarum, ipso spectãte legato Persâ, quem vidimus

à Sinane ad pacem tractandam Constantinopolim ductum. Ubi cùm summâ pompâ primùm exceptus fuisset, & honoratissimo loco in prædictis spectaculis collocatus; dum ea celebrarentur, auditâ Constantinopoli magnâ clade interim à Persis illatâ Turcis, qui per inducias Mediam invaserant; non solùm contumeliam quam diximus accepit, sed etiam ejus statio diruta fuit, ipséque in arctum carcerem intrusus, pessiméque ibi habitus, causantibus Turcis eum non ut legatum sed veluti exploratorem venisse. Clade autem irritatus Amurates, cùm eam in Sinanem rejiceret, qui non benè rebus Persicis providisset, ísque protervè de his responderet: dignitate eum deposuit, & bonis fisco applicatis, vitâ ægrè relictâ, in Macedoniam relegavit: suffecto in ejus locum Siante, qui ipsius Amuratis sororem in uxorem duxerat, homine natione Pannonio, specie oris & comitate præstante; Christianisque favente, quos Sinan magnoperè oderat. Ferhati autem Bassæ homini maturâ ætate, sed fortitudine juvenili præstanti, animóque feroci, belli Persici curam commisit: qui eò profectus anno proximo, toto biennio haud alio magno operæpretio rem egit, quam quòd Teflisio subsidia intulit; & aliquas munitiones construxit: quarum unius custodiæ impositus Sinan, Cicalæ illius famosi adeò toto mediterraneo mari ducis filius; qui in primâ pueritiâ captus & in Selimi tunc regnantis conspectum perductus, oris ac totius corporis venustate, & virtutis innatæ indole, & quòd Christiani nominis hostis erat infensissimus, tantam apud eum gratiam meruit, ut vix juventutis annos egressus prætorianorum præfectus constitutus fuerit, indéque ad præfecturas urbium & bellica officia promotus. Ferhates autem superbiâ suâ, & inhumanâ pervicaciâ, eò desperationis milites adduxit, ut coactus recedere gerendæ meliùs rei occasionem amiserit. Quare revocatus ab Amurate, successorem accepit Osmanem, natalium splendore & propriâ virtute insignem; quem & in locum Siausis post biennium administrationis relegati Protovesirem creavit. De cujus rebus gestis dicetur posteà. Hæc autem omnia fusè Minadous [b] & Leunclavius, [c] quæ nobis sat est indicâsse, ut potè parùm ad institutum pertinentia.

Belli Persici continuatio.

[b] *Minad. Bell. Turco-pers. l. 5. & 6.* [c] *Leunclav. in Supplem. Annal. Turc.*

IESV CHRISTI Annus 1583.
GREGORII XIII. Ann. 12.
RUDOLPHI II. Ann. 7.

I. Andegavensis infaustus conatus in Belgio.

ANNO Christi millesimo quingentesimo octogesimotertio, Indictione undecimâ, Franciscus Dux Andegavensis Belgarum feroces & suspicaces animos in casu vulneris Aurangij anno superiori grandi suo ac suorum periculo expertus ac considerans sibi inanes Ducis titulos & umbram imperij collatam esse, summam autem rerum potestatem penes alios residere; accedentibus eorum qui circa se erant expostulationibus de miseriâ, egestate, & inediâ, quibus inter jurgia & contumelias affligebantur; timénsque ne deficientibus, ob defectum stipendiorum ac pensionum promissarum, auxiliis Gallicis, fastidio suî ducti idem Belgæ, sicuti cum Matthiâ Austrio fecerant, eum delusum ad sua remitterét: Utse his angustiis extricare, & effugium in tempore parare posset, nullum commodius remedium putavit, quàm si nonnulla præcipua loca sui juris faceret, & cum plena potestate armis teneret. Re igitur cum aliquibus è suis clàm, & incősideratissimè deliberatâ; datum est negotium tribunis qui in præsidiis erant, ut loca quibus imposita erant assignatâ die occuparent; ipso sibi urbis Antuerpiæ in quâ erat curam sumente. Sicque Dunkerka, Dismunda, Teneramunda, & alia quædam oppidula Flandriæ, ubi Galli numero vincebant occupata fuêre; conatu in pluribus irrito. Brugis periclitatum est; sed vicêre cives. Antuerpiæ, cùm Dux quasi exercitum adversus Parmensem ducendum lustraturus urbe egressus esset, immissæ subitò intra urbem copiæ, (consilium iniquum summoperè detestantibus, ubi id audierunt Monpenserio, Bironio, Lavallo, & Rupifucaldo, clam quibus id Dux sumpserat) cùm cædem edere cœpissent, civibus ad arma concurrentibus, & magno animo viris, feminis, pueris, pro libertate certantibus multâ cæde repulsæ sunt; extinctis ex Gallis mille ducentis, vel (ut habetur in rei gestæ historiâ à Senatu Antuerpiensi posteà publicatâ) quingentis totidémque ferè captis, in quibus & nonnulli proceres, multáque nobilitas, centum circiter desideratis. Quod contigit die decimoseptimo Ianuarij Dux extra portam eventum operiens, ubi suorum cladem percepit, & in se suósque tormenta explodi vidit, retrò in castra concessit; & in Berchemiâ arce pernoctavit, sine comeatu, & omni necessariâ suppellectile. Inde scribens ad Ordinum delegatos, de benevolentiâ suâ erga Belgij Ordines, déque operâ à se suísque tot aditis periculis pro ipsorum salute navatâ quædam præfatus; postremò subjecit, se indignis adeò modis habitum, ut id ei seditioni occasionem præbuerit, non sine ingenti animi sui dolore: petens sibi suppellectilem omnem suam ac procerum suorum, & chartas ac scrinia, cum aulico omni famulitio, restitui. Intereáque dum de eo deliberaretur ab Ordinibus, ipse inopiâ pressus, Teneramundam versùs iter cepit, ac post multas difficultates in itinere ab aquis undique ad illud impediendum laxatis, quibus multi ex ejus exercitu perierunt, superatas, tandem in tutum evasit.

II. Redintegratur concordia.

Re autem in Galliâ auditâ, Rex Henricus confestim Franciscum Pontium Mirambellum, cujus filius in strage desideratus fuerat, Calvinianæ hæresi addictum, ideóque gratiosiorem futurum, ad Ordines & Aurangium misit unà cum Matthæo Brulardo ab epistolis, fratris factum excusaturos, & reconciliationem suasuros: subindéque Pomponium Bellevrium, cum magnis promissis si annuerent, minis si renuerent. Secundum quæ & ipse Aurangius ab Ordinibus consultus censuit; quamvis prædicto facinore Dux omni jure excidisset, nihilominùs cùm è tribus conditionibus, ut scilicet Ordines aut cum Rege Hispaniæ, aut cum Duce reconciliarentur, aut verò propriis viribus rem gererent, unà om-

nino accipienda esset; duabus extremis multis rationibus & argumentis improbatis, mediam de reconciliatione cum Duce longè conducibiliorem esse. Quibus Ordines persuasi, cùm & metuerent ne Dux urbes quas tenebat in manus Parmensis traderet; convenerunt cum Duce, ut offensionibus utrimque condonatis prius fœdus servaretur, additis ex recentibus rebus, nonnullis aliis conditionibus, quarum vigore liberati sunt captivi, Arturus Cossæus Constantiensis in Normanniâ Galliæ Episcopus, magnus Ducis Eleemosynarius, Fervacius, Fargisius, Stampésis, alij magno numero. Cum autem subinde Parmensis nonulla loca Ordinibus auferret, atque ideò eorum res pessum irent; multáque invidiosa ab iis in Ducem & nomen Gallicum jactarentur; Dux spretas conditiones cernens, nec levibus adeò & rebellare consuetis populis fidendum statuens, invidiæ ad tempus cedere: & interim in Galliam se conferre decrevit, sperans per absentiam desiderium suî ex rerum necessitate excitare. Quemadmodum & Aurangius, qui facti invidiâ onerabatur quòd Gallis vltra modum favere videretur, in Zelandiam se recepit. Parmensis autem Dunkerkam, Neoportum, Dismundam, Alostum, & alia nonnulla Flandriæ oppida in potestatem suam redegit; & Hipram obsidione cinxit; receptis quoque quibusdam aliis Brabantiæ oppidis; adeò ut labefactatis ubique Ordinum rebus, multæ civitates sensim ad Hispanos inclinare cœperint: de quibus dicetur anno sequenti.

III. [a] Isselt. in Contin. Sur. IMPOSTORIS BATAVI SVPPLICIVM.

Sub quod tempus in Hollandiâ quidam [a] *Cornelius de Hooch*, videns Regem Hispaniarum à Belgis repudiari, & Andegavensem rejici, sese filium Caroli V. Imp. venditare cœpit, multas ac primâ fronte verisimiles eâ de re conjecturas adducens; eóque credibiliores, quòd certò cõstaret Carolum ex feminâ Germana suscepisse Ioannem Austrium. Multi eû, ac præcipuè ex Anabaptistis, sectati sunt. Promulgavítque passim hac de re libellos, quibus etiã pollicebatur se Belgas ab injustis exactionibus liberaturũ, novámque Reipublicæ formam compositurum. Habitabat autem Roterodami, ubi nobilis cujusdam filiã duxerat, & liberos ex eâ sustulerat. Vocatus tandem in judicium, cùm in suâ assertione constantissimè perseveraret agnitis nihilominùs ejus parentibus, mense Martio in Haga-Comitis capite plexus est, & in quatuor partes dissectus, quæ ad totidem portarum fastigia suspensæ fuêre. Cujusmodi exitum consequi meritissimè consueverunt ejusmodi moriones & fanatici impostores. At verò scriptores Hispanorum hostes, hæc illum attentâsse Philippi Regis suasu ad turbandas provincias volunt. Itémque ad Aurangium occidendum, Petrum quemdam Dordognium, natione Hispanum, qui se in Croatiâ natum asseverabat, & diversarum linguarum peritiâ facilè persuadebat: qui Antuerpiæ captus, eodem mense Martio in quatuor partes dissectus est. Ita horum judicio videntur omnes Philippi opes in unius hominis capite jacuisse.

IV. PHILIPPVS REX REPETIT.

At longè pinguiores Lusitanicæ. Quas dum prædicta ejus nomine in Belgio gererentur ipse per se curans, ad principium hujus anni convocatis Olisipponam ejus regni Ordinibus, die vigesimo sexto Ianuarij in Philippi filij sui verba eos jurare fecit; cùm Didacus sive Iacobus major natu, cui antea juraverant, fuisset anni superioris mense Novembri mortuus adhuc Novennis. Inde Rex, imposito cum summâ potestate Lusitaniæ regimini Alberto Cardinale Austrio, Mariæ Aug. sororis suæ filio, fratreque Rudolphi Cæsaris (quem & Pontifex Legatum in regno constituit) in Castellam rediit. Menséque Iulio Marchionem S. Crucis, eumdem ipsum qui superiori Gallos apud Azoras vicerat, illuc cũ majore classe ad eas sibi omninò asserendas remisit; cùm paulò antè ad Tertiam appulisset Æmarus Chateus præstans Miles Hospitalarius cum mille & ducentorum bellatorum manu. (Tepescebat quippe jam in Galliâ Antonij gratia, & subierat fastidium, ut non plures mitterentur: & alioqui satis hi esse videbantur cùm ceteris in insulâ Tercerâ existẽtibus, ad illam ab Hispanorum invasione tuendam.) Qui exscensione in insulam factâ; post aliquod certamen; fugientibus in montana Lusitanis, & Emmanuele Silvâ, qui proregem pro Antonio agebat, homine arrogante juxtà & improvido, ibidem sese abdente, Æmarum cum suis in deditionem recepit, unà cum armis & vexillis gladiis dumtaxat concessis, & navigiis ad reditum in Galliam commodatis. Silva, qui præ superbiâ noluerat cum Chateo compositioni includi, cùm navigia ad fugam parata ab insulanis jam ad Hispanos declinatis confracta reperisset, præclusa omni evadendi spe, dissimulato habitu per montana aliquot dies erravit: sed tandem à servâ Maurâ proditus, capite plexus est; qui insulanos imprudentiâ sua & stolidâ ferociâ in tot calamitates præcipitâsset, & multos privatim variis injuriis affecisset: à quibus omnibus veniam moriens petiit, magnâ contritionis demonstratione supplicium subiens. Quo eodem & alij sublati; plures laqueo suspensi, alij aliis pœnis affecti. Quinimmò & multi monachi ac sacerdotes, variâ peste in occulto absumpti dicuntur. Adeò ut asseratur; [b] post bellum confectum, Philippum Regem à Pontifice diploma per oratores suos impetrâsse, quo bis mille hominum sacræ ac religiosæ vitæ addictorum in Lusitaniâ sive insulis interfectorum gratia fiebat. Santacrucius ceteris quoque insulis Azoribus receptis, & in obedientiâ Philippi stabilitis; præmissis duodecim triremibus, quas in classe habuerat, (quod navium genus tam longè in Oceanum penetrâsse, numquam anteà fama fuerat) ipse pòst secutus, magnóque honore exceptus, inter proceres quos Grandes vocant, quibus jus est capite tecto coram Rege apparere, cooptatus est, ac summus maris Oceani præfectus creatus. Sicque regnum Portugalliæ, cum omnibus suis appendicibus, simúlque universa Hispania in potestatem Philippi venit; quæ numquam post Romanos integra sub unius dominatu fuerat.

CASTELLAM.

SANTACRVCIVS VNIVERSAS AZORES OCCVPAT.

[b] Ap. Thuan. lib. 78.

V. TRVCHSEIVS DECIDIT AB ARCHIEPISCOPATV.

Turbabat Germaniam incontinentia & apostasia Gebhardi Truchsesij, de quibus superiori anno. Is variis angustiis à Capitulo Coloniensi, armis in eum, duce eorũ uno, Friderico Saxone Duce Lovenburgico strenuo juvene, agere incipiẽte, & ab inopiâ pressus; cũ promissorũ sibi ab Andegavẽsi & Ordinibus Belgij

auxiliorum spe ob tumultus ibi excitatos decidisset, Principum Protestantium Germaniæ apud Cæsarem & Imperij Ordines protectionem quæsivit: qui tum apud Cæsarem, tum apud alios Electores Catholicos, tum etiam apud Capitulum, petito officio functi sunt: ipséque contemptis Cæsaris monitis, quibus eum per varios legatos in rectā viam reducere conatus est, publico edicto per diœcesim religionis libertatem promulgavit. Quibus motum Capitulum, ut remedium tāto malo quæreretur, comitia ordinum diœceseos ad finem Ianuarij evocavit; quibus interfuerunt multi Comites, aliíque nobiles, atque Cæsaris, Regis Hispaniarum, Ducis Clivensis, & Principum Imperij, oppidorúmque diœcesis legati. Ubi post aliquot dierum consultationem, auditis utriúsque partis oppositionibus & defensionibus, ac denique prolato decreto [c] pacis Augustanæ, quo cavebatur, ut si quis Archiepiscopus, Episcopus, Antistes, aut alius Ordinis Ecclesiastici à veteri religione deficeret, is continuò excideret ab Episcopatu, præfecturâ, beneficio, simúlq; omnibus fructibus quos inde perciperet, & collegio, sive iis ad quos ea res jure vel consuetudine pertineret, integrum esset, in ejus locum eligere, vel constituere alium: conclusum est; eò quòd Gebhardus veterem religionem abjurâsset, Ecclesiam malè administrâsset, multáque præstitisset contra leges Imperij & diœcesis; ipsum inutilem se suo muneri, eóque indignum exhibuisse, sedem vacare, & alium Archiepiscopum eligendum esse. Ad quod Parmensis Gubernator Belgij per Comitem Arembergium, & Rudolphus ipse Cæsar per suos legatos omnem operam suam polliciti sunt. Laudatóque hoc drecreto exercitus communibus Capituli & Senatûs Coloniensis suffragiis supradicto Friderico Saxoni tributus est, cum quo arces à Gebhardo occupatas reciperet. Ipse verò Gebhardus Bonnæ interim agens, his intellectis omnem honorem & pudorem exuens, archivum Bonnense, in quo omnia diplomata, literæ, atque instrumenta publica diœcesis servabantur, spoliavit; & qui occultas nuptias, ut vidimus, cum suā Agnete egerat, eas jam publicè per ministrum hæreticum celebravit, auditáque oppidi Cæsaris-insulæ, quod magni ad res gerendas momenti erat, occupatione à Friderico factā; relicto Carolo fratre Bonnæ cum præsidio, Dillenburgum ad Ioannem Nassovium Aurangij fratrem cum Bipontino profugit: indéque in Westphaliam se recipiens, novam religionis, sacramentorum administrationis, & Missæ à se fabricatæ formam introduxit.

[c] Ap. Sleid. lib. 26.

VI. TVRBÆ GERMANIÆ INDE ORTÆ.

Re verò in apertum bellum deductā, Parmensi hinc Coloniensibus, Casimiro Palatino illinc Gebhardo opem ferente; & scriptis de utrorumque juribus hinc inde publicatis, Cæsare quoque, quamvis Coloniensibus favente; nihilominùs partes suas ad res componendas interponente; Protestantibus Principibus & ciuitatibus pro Gebhardo satagentibus; rebus omnibus turbatis; ac multis hostilitatis actibus editis, locorúmque (quæ plurima sunt sub tanto Electorali Archiepiscopatu, cui & tota Westphalia & Arnsberga subest) expugnationibus & interceptionibus factis, Gregorius Pontifex intelligens nullam amplius de Gebhardi emendatione spem reliquam esse, publicò Cardinalium consistorio Calendis Aprilis latâ in eum excommunicationis sententiâ, tāquam membrum emortuum ab Ecclesiæ corpore resecuit, ac sede dejecit, omniáque ejus acta irrita declaravit; Capitulum & Archiepiscopi subditos sacramēto solvit, & alium idoneum in ejus locum eligi mandavit. Quam sententiam cùm Andreæ Cardinali Austrio, Ferdinandi Archiducis Austriæ filio, Ferdinandi Cæs. Caroli V. Imp. fratris nepoti, ac Rudophi patrueli, totius Germaniæ Legato constituto, exequendam, nî Gebhardum ad sanam mentem reducere posset, commisisset, hîcque omnia desperata reperisset, & à Casimiro impediretur ne Coloniam accedere posset: missus est Ioannes-Franciscus Vercellensis Episcopus, qui eam attulit, ac publicauit. Ejúsquevigore decretus est dies ad novam electionem faciendam: nihil non intereà agentibus ad eam impediendam Principibus Protestantibus apud Cæsarem, quasi Pontificis sententia, inscio Cæsare & inconsultis Electoribus contra Electorem lata, nullius esset momenti; & Gebhardo, Casimiro, & aliis, hortationibus & minis apud Capitulum & Senatum Coloniensem. At verò cùm esset Rudolphus tantâ erga Sedem Apostolicam observantiâ, ut responderit, ex quo ab eâ in Gebhardum excōmunicatio manaverat, nihil sibi ampliùs juris in id negotium, ex antiquis Concordatis esse: die cōdicto, qui fuit 23. Maij, post publicas ad Deum preces, & cetera ad rem parata, communi omniū cōsensu electus est in Archiepiscopum & Electorem, *Ernestus* Bavariæ Dux, jam Frinsingensis, Hildesheimēsis, & Leodiēsis Episcopus, seu (ut ad excusandam beneficiorum pluralitatem alioqui prohibitā vocant (administrator, cum hoc rerū statu principe opibus & affinitatibus potente opus esset; quæ in Ernesto concurrebant, hinc proprij generis totâ Germaniâ illustrissimi, inde materni Austriaci prærogativâ insigni. Móxque Vercellēsis Episcopus illustres aliquot canonicos de hæresi suspectos ad tribunal suum citans, cùm non comparerent ad diem, auctoritate Apostolicâ ex albo ecclesiasticorum expunxit, excommunicavit, & fructibus privavit.

TRVCHS. DAMNATVR A PONTIFICE.

ERNESTVS BAVARVS ELIGITVR EIVS LOCO.

VII. AGITVR FRVSTRA DE CONCORDIA.

Bello dehinc recrudescente, (quo inter cetera, insigne & antiquissimum monasteriū Tuitiense S. Hereberti, olim Divitense munimentum appellatum, urbi Coloniæ in ulteriori Rheni ripâ oppositum, post præsidiariorum qui in eo erant fortem propugnationem, expugnatum & incensum est, (& Gebhardo in Pontificem, uti erga se injurium, publicis scriptis debacchante; & abominationem in Urbe Româ, non Dei sed diaboli vicarium, latronē, & conscientiarum tyrannum vocante: atque ex aliâ parte Cæsare Casimirum, & alios Comites, ac belli duces ab armis quamprimùm discedere, proscriptionis pœnâ denunciatâ, nequicquàm per feciales jubente: (non enim hæretici legitimis dominis obedire adhuc didicerunt: nec tantis viribus erat Cæsar, ut & nolentes cogere posset:) conventu Electorum, aliorúmque Imperij Principum, auctoritate Cæsareâ Septembri mense Francofurti habito cui eorum legati interfuerunt, causâ iterùm utrimq; acriter agitatâ, & à partiū legatis ve-

hementiùs disputatâ, via media proposita est, ut Gebhardus dignitate Ernesto cederet, & pensionem honestam ex vectigalibus annuam acciperet. Hanc tamen viam Gebhardo respuente, & non aliter paci consentiente, quàm si Ernesto Archiepiscopi titulum retinente cum oppidis quæ tunc habebat, ipse Gebhardus Electoralem dignitatem & Westphaliam sibi haberet: hócque ejus responso à conventu rejecto, cùm jam Ernesto regalia essent à Cæsare missa, & mandatum Principibus ut pro legitimo successore agnosceretur: rursùm arma continuata sunt; sed magnâ Gebhardicorum extenuatione, postquàm Casimirus, sive rei nummariæ quam semper urgebat, sive militis penuriâ, nihil expectatione, quam magnam de se concitaverat, dignum gerens, suámque existimationem ut priùs in Galliâ & Belgio, sic & in patriâ vilescere dolens; oblatam opportunè occasionem mortis fratris sui Ludovici Electoris Palatini, qui 12. Octob. decessit, arripiens dimissis copiis confestim se domum recepit, obtentu exequiatum fratris, & tutelæ filij ejus Friderici adhuc novenis suscipiendæ. Quam & adeò obtinuit; ut non solùm universam status politici administrationē sumpserit; verùm etiam doctrinam Calvinianam quam sectabatur, proscriptâ Lutheranâ quam frater ejus tutatus fuerat, introduxerit, & subditos suscipere coëgerit: prout dictus ejus frater Ludovicus suam Lutheranam introducturus, Calvinianam, à patre suo Friderico, qui Lutheranam abdicaverat, intrusam abjecerat. Ita enim isti ludebant in religionis mutatione, & populos secum in præceps trahebant; more Germanico, quo subditi astringuntur Principis sui fidem amplecti, aut patriam deserere.

Casimirus mutat religionem in Palatinatu.

VIII.

Truchsesii infaustus finis.

Ceterùm haud Gebhardus à Casimiro desertus, propterea sese deserens, non parvam cladem Eberardianis apud oppidum Berkam per suos duces intulit. Donec tandem amissâ Bonnâ, in quâ omne fortunarum ejus robur collocatum erat, quam Carolo fratri custodiendam tradiderat, quæ Calendis Februarij anni subsequentis, post longam & arctissimam obsidionem Ernesto reddita est, & aliis subinde cladibus variis locis afflictus: demùm viribus & animo infractus: in Bataviam ad Principem Aurangiū cum suâ Agnete & thesauris profugit: & Hagæ aliquamdiù privatus atque inglorius omnium derisui expositus vixit: privatus etiā dignitate decani, quā in Argentinensi ecclesiâ obtinebat, alio in ejus locū electo, (unde non parvæ in eâ ecclesiâ turbæ concitatæ fuerunt) ac demum omnium rerum inops extinctus est. Ernestus autem receptis sine certamine ceteris locis suæ ditionis, solemni ritu per Archiepiscopum Trevirensem in Electorem consueto sacramento adactus est, quievítque eâ parte Germania à turbis per effrenatam Truchsesij libidinem concitatis.

IX.

Legatio Segurii ludicra.

Cujus causâ dum in Germania hoc anno & bello & scriptis & legationibus agitaretur, Henricus Borbonius Rex Navarræ mense Augusti Iacobum Segurium Pardalianum, nobilem Aquitanum, qui ei à consiliis erat; Calvinisticæ hæresi addictissimum, legatum ad Principes Protestantes in Germaniam, Daniam, Angliam, Belgium misit, acturum cum ipsis de confœderatione inter omnes pro mutuâ defensione contra Romanum Pontificem & Catholicos ipsos impetere volentes, ac speciatim pro vertente tunc negotio Truchsesij & de concordiâ controversorum inter ipsos religionis articulorum, ac præcipuè Cœnæ Domini, ineundâ; convocandâque ad hæc universali omnium totius Europæ ecclesiarum quæ ab Ecclesiâ Romanâ recessissent synodo, ad quam communi omnium consensu cunctæ & singulæ controversiæ judicandæ referrentur. Data de his ampla mandata à Rege Segurio. Sed majora quærebant, quàm vel ipsi intelligerent, vel executioni dari umquam posse à quoquam concipi valeret. Sciunt id qui res hæresum & hæreticorum illius hujúsque temporis norunt. Sed fuerat Rex ad hujusmodi legationem decernendam ab eodem ipso Segurio inductus; qui cùm ante aliquot annos in Belgio *à Iacobo Brocardo* Pedemontano, inepto & fatuo hariolo, (cujus & scripta inanium vaticinationum plena edita fuêre) accepisset, fore non ita multos post annos ut Romanus Pontifex à Principe quodam Calvinistarum de sede deturbaretur, ísque princeps caput Concordiæ Christianæ futurus esset; id etiam testimoniis sacræ Scripturæ firmans: (quales fuerunt singulis sæculis, qui ejusmodi sua deliria, apertissimis sibi; ut fingunt, sed occultissimis aliis, Scripturæ auctoritatibus fulcire non dubitârunt, & fuit non ita pridem vir apud nos probæ ac religiosæ vitæ, magníque apud eos qui ejus opera utebantur habitus, qui similibus fanaticis persuasionibus, ex Ioannis Apocalypsi somniatis, nobilem principem in grandes impensas vanâ spe cujusdam Imperij conjecit; qui tamen nec parvum suum statum defendere potuit, & ferè omnium rerum inops mortuus est.) credens ei quâ erat ingenij levitate; rem pari vanitate de Rege Navarræ hero suo interpretatus, eum ad hujusmodi legationem sibi credendam induxit. Quâ ipse Segurius primò in Angliam appellens, indéque in Belgium: ac subinde Germaniam peragrans, & in Daniam transmittens à cunctis humanè exceptus, sed in petitionibus suis penè derisus, tum quod detrectarent Lutherani coïti in fide cum Calvinianis, tum quòd nollent Principes tranquillitatem suam novis factionibus perturbare; & à Rudolpho Cæs. ob ejusmodi absque veniâ per Imperium discursationes, ac seditiosas solicitationes, comprehendi jussus apologiâ scriptâ, in Galliam anno sequenti revertit. De quâ omni legatione prodiit Ingolstadij libellus titulo *Calviniani Incendij*, ad certam religionis ac reipublicæ conturbationem à Navarri legatis procurati: quo litterarum Regis & mandatorum Segurio traditorum summa continebatur, cum responsione ad eam quâ præcipuè sugillabatur Aurangius tamquam hujus fabulæ auctor; quò cladem quam rebus suis pertimescebat, excitato in Galliâ & Germaniâ motu à se averteret; Colinij vestigiis in perniciosis contra patriam suam machinationibus insistens.

Iac. Brocardi deliria.

Interim in Galliâ Rex Henricus, cùm à bello vacaret, à gravioribus regni curis animum relaxans, pietatis exercitiis studiosiùs incubuit: Et mense Martij sodalitium Pœnitentium instituit, veste alba à nigris, venetianis, & leuco-

X. Henrici Regis Galliæ pia studia.

phæatis distinctorum; ejúsque statuta publicauit titulo Cógregationis Pœnitentium Annunciationis Beatiss. Virg. cui devotissimum se semper fuisse dicebat; singulos ad nomen ei dandum invitans; præeunte ad hæc Ioanne Baptistâ Castello Ariminensi Episcopo, qui tunc Nuncij Pontificij munere apud ipsum fungebatur; & die 25. ejusdem mensis, in festo dictæ Annunciationis, publicam sodalium supplicationem cui principes & proceres aulæ, ac primarij magistratus & cives, saccis albis induti & facie velatâ interfuerunt, Rege nihil à ceteris diverso, celebravit; Cardinale Guisio Crucem ferente; Duce Meduanio sive Mayenio ejus fratre ceremoniarum magistrum agente: Edmundo Augerio. Iesuitâ, & quodam Duperato Lugdunensi, qui pro ejus institutione intererat, ordinis curam gerentibus: eáque pompâ, pluvioso licèt maximè tempore, urbem lustrârunt. Quod, ut sunt plerique homines ad calumnias & prava judicia acclives, multi hypocrisi magis quàm veræ pietati attribuerunt. At non recens hæc Regi nata religio: sed jam ab eo tempore, cùm nondum ulla subesset causa vanæ ostentationis, & affectata pietatis opinione plebis sibi conciliandæ; tunc videlicet cùm è Poloniâ veniens viderat eam Avenione, quo ad res Ocitaniæ componendas excurrerat, piè ac devotè exerceri, à quo tempore, cùm esset re ipsa (quiquid garrirent distorti ac pravi morum censores) natura religiosus, ejus studio captus, jam antehàc Congregationem instituerat Confalonis Beatiss. Virg. de Vita sana, sive saltûs Vicenarum, Hieronymitanorum cærulæi seu veneti coloris, & frequenter se cum suis sodalibus principibus & proceribus aliísq; magni nominis viris, eximia pietatis demonstratione exercuerat. Quod vitæ genus licèt minus dignitati regiæ convenire videatur, idcóque Rex inde in non parvum conceptum suorum inciderit, atque ut volunt, animos fecerit in ipsum insurgendi iis qui posteà statum regni turbarunt: ex his tamen apertè liquet, quàm futilis fuerit accusatio in eum ab iis injecta quòd faveret hæresi Calvinistarum, qui hujusmodi religionis officia, in quibus ipse usque ad finem perseveravit, derident ac detestantur.

XI. CONCIONATORVM INSOLENTIA.

Id verò nihilominùs secùs ab ipso initio etiam Catholici concionatores interpretati, novum quoque hoc Pœnitentium institutum, quamvis à Romanis Pontificibus approbatum, & in ipsâ Româ frequentatum, iámque Parisiis à Nuncio Apostolico promotum, ejúsque sectatores passim apud populum admodùm imprudenter, ne dicam impudenter, carpentes; inter eos unus ceteris insolentior Mauritius [d] Poncetus Doctor Theologus Ordinis sancti Benedicti, scurrili dicacitate notus, postridie dictæ supplicationis concionem habens in ecclesiâ cathedrali, eò procacitatis erupit, ut sodalitium illud hypocrytarum & atheorum vocaverit, & asseruerit, non solùm eâ die, quæ erat Veneris, sodales illos sese carnibus ingurgitâsse, sed etiam (quod nefas erat cogitare, nedum proferre) eâdem nocte sese cum mulieribus coinquinâsse. Non certè hoc erat verbum Dei populo prædicare, sed cathedræ pestilétiæ insidere, ad populum in odium Regis, & seditionem concitandam. Quem Rex leviore castigatione quàm pro culpâ, in monasterium S. Petri Meloduni, ubi professus fuerat, ad tempus relegavit. Posteà verò nocte diei Cœnæ Domini, feriâ 5. majoris hebdomadæ, repetita est atque ad majorem venerationem cum facibus, supplicatio, in quâ nonnulli ex carissimis Regis sese virgis flagellârunt. Postridie verò Paschatis Rex unà cum Reginâ conjuge pedibus peregrinatus est Carnotum ad vota sua Beatiss. Virgini ibi summâ veneratione cultæ offerenda, pro obtinendâ à Deo ejus precibus & intercessione prole. Quæ sanè haud regiâ majestatem dedecent, cùm moderatè fiunt, nec aliâ superstitione commaculantur, aut nimiâ repetitione despectum inducunt: & apprimè insita pietatis & religionis semina manifestant. Quibus piis exemplis excitatâ populorum devotione, mensibus [e] sequentibus in multis regni provinciis supplicationes populosæ promiscuæ multitudinis, per decem, viginti, pluréſve leucas peractæ sunt; Clero Corpus Christi, vel sacras Reliquias efferente; laicis cujusque ætatis & sexûs cum puris lineísque vestibus, & Crucibus ligneis, litanias, aliásque sacras preces flebili cantu per tot terrarum spatia modulantibus.

[d] *Diar. Reg. Henr. III.*

[e] *Genebr. in Chronol. ad fi.*

XII.

LIBRI PRO LOTHARINGIA FAMILIA FALSÒ SCRIPTI.

Eodem autem tempore [f] res incidit, quæ malam mentem Guisiorum, adeóque Ducis Lotharingiæ aliis jam argumentis suspectam, evidentiùs manifestâsse credita est. Ediderat Lutetiæ ante biennium Franciscus Roserius Archidiaconus Tullensis, prædicti Ducis subditus, grande volumen titulo *Steminata Lotharingiæ ac Barri Ducum*, confusè & ineptè plerumque scriptum: in quo non solùm plura Lotharingiis contra historiæ fidem tribuebat, verùm etiam multâ dignitati regni pari vanitate detrahebat; & ad extremum quædam injuriosè in Regis contumeliam adjecerat, aiens, eum postquàm Remis inunctus est, & Lutetiam profectus, malè audîsse, quasi à publico rerum statu videretur alienior: domesticæ quippe privatæque curæ indulgere cœpisse, nutare, certóque duci persuasu; quæ singula generosum Regem emolliant & dejiciant. Quæ licèt ex vulgi opinione, & turbulentorum disseminatione, ab eo dicta verosimile sit: quod tamen suspicionem fecisset Lotharingiorum jussu seu consilio ea protulisse, Rex ubi rem cognovit, injuriam minimè negligendam censens, Roserium, comprehendi, & in carcerem duci jussit. Unde 26. Aprilis productus; coram Rege, in consilio sedente cum ipso Carolo Duce Lotharingiæ, qui Lutetiam venerat ad Regem placandum, & Guisiis fratribus, ac magnâ ceterorum procerum coronâ, in genua procumbens; multa se calumniosè præter historiæ veritatem contra regiæ majestatis dignitatem dixisse confessus, propter quæ gravissimâ se pœnâ dignum agnosceret; etiamsi imprudentia potiùs quàm certo animi consilio peccasset, veniam voce lamentabili petiit. Quem cum Philippus Huraldus Comes Chivernius procancellarius (qui ad finem anni in locum defuncti Cardinalis Biragi regni Cancellarij, eam summam dignitatem adeptus est) graviter increpitum ostendisset in crimen læsæ majestatis incurrisse; postulante tamen Reginamatre in gratiam Ducis Lotharingiæ, Rex

[f] *Diar. Henr. Reg. Thuan. lib. 78.*

pœnam ei remisit, lacerato dumtaxat in ejus præsentiâ libro. Qui etiam, cùm & anteà libelli in vulgus spargi cœpissent, quibus jus Lotharingiorum in regni successione asserebatur, & Hugonis Capeti genus, à quo Reges Francorum per sexcentorum ampliùs annorum spatium prognati regnant, ut obscurum malignè perstringebatur: (quod Lotharingij excusabant, quasi ij ab hæreticis, ut ipsos bene de regno ac religione meritos cum Rege committerent, de industriâ suppositi essent:) Rex Pontio Thiardo Bissio, (quem Cabilonensem Episcopum posteà nominavit) viro omni scientiarum genere præstanti, negotium dederat, ut contrario libello verum Capeti genus aperiret, & commenta Lotharingiorum, qui à Carolo ultimo Carlovingorum Duce Lotharingiæ originem repetunt, confutaret. Quod & ille fecit, tacito tamen suo nomine, quasi offensionem vereretur, & paternum Capeti genus à Witichindo Saxone, cum quo tot annorum bellum Carolus Magnus gessit, maternum ab eodem ipso Carolo Magno emanâsse ostendit; progeniem verò masculam prædicti Caroli Carlovingi jam in Othone ipsius filio, qui sine liberis masculis decessit, defecisse; ac post eum centum plus minùs annorum spatio Lotharingiam in quatuor diversis familiis fuisse. Sed de hâc re multa quoque alia ultrò citróque publicata sunt scripta, quibus & juris possidentium veritas ac certitudo, & præsumentium falsitas atque nugacitas, abundè demonstratæ fuêre.

XIII. SYNODI REMENSIS ET TURONENSIS. Hoc anno in eâdem Galliâ duæ celebratæ sunt *Synodi* provinciales. Altera mense Maio *Remis* à Ludovico Cardinale Guisio Archiepiscopo, (nondum pallio accepto, ex dispensatione Summi Pontificis) unà cum omnibus Episcopis suffraganeis, Silvanectensi excepto, qui vicarium misit. Altera eodem mense *Torone* inchoata, & Septembri *Andegavi*, absoluta, à *Simone Mailleo*, ex monacho Cisterciensi rarâ eruditione insigni, facto Archiepiscopo; cui interfuerunt octo Episcopi, & duorum absentium vicarij, atque unius vacantis à capitulo delegatus. Quarum decreta pro disciplinâ & œconomiâ Ecclesiasticâ condita, à Gregorio Pontifice confirmata fuêre, & in publicum edita.

XIV. [g] Camden. in Elisab. TURBÆ SCOTICÆ. In [g] Scotiâ Iacobus Rex, quem anno superiori reliquimus inter manum rebellium captivum, præsenti cùm iisdem, legatis Gallis, concionatorum hæreticorum, & partiariorum Anglorum obtrectationibus & insidiis, abire coactis, & auditâ Lenoxij morte, majores spiritus induissent; tempus nactus opportunum, iis nec opinantibus, se in libertatem vindicavit, & in castrum urbis S. Andreæ cum paucis selectis subduxit; & Arranium ad se revocavit. Ad quem misso à Reginâ Angliæ Francisco Vvalsinghamo secretario, qui superiora excusaret, & amnestiam suaderet, atque in Reginæ amicitiâ manere hortaretur; Rex hoc pollicitus, ut tamen se Regem ostenderet, cùm conjurati in conventu ipsorum auctoritate convocato, ipsius interceptionem justam esse decrevissent, & in acta publica retulissent; ille contrà eamdem proditoriam fuisse frequenti Ordinum regni conventu declaravit: etsi Ministri, omnis rebellionis incentores, & seditionum tubæ, quasi supremi in regno Iudices, Synodali habito conventiculo justissimam esse pronunciarent; & non approbantes excommunicandos censerent. Interceptoribus autem suis Rege veniale rescriptum proponente, si intra tempus præscriptum veniam exposcerent; tantum abest ut perfidi proditores exposcere voluerint; ut econtrà occulta rursùm consilia de Rege denuò intercipiendo inierint. Unde regno excedere jussi, qui plecti in eo ad propriam pœnam & ceterorum exemplum meruerant, plures in Hiberniam, nonnulli in Belgium & Galliam se contulerunt; uno excepto Gourio, qui in speciem sese submittens, ad hoc remansit ut nova parturiret. Cujus proditione freti qui in proximam Hiberniam transierant, sequenti vere in Scotiam latenter redeuntes, palàm professi sunt, solemni seditiosorum sermone, se nihil sibi proposuisse quàm Dei gloriam, religionis veritatem, Regis, regni, & amicitiæ cum Anglis securitatem contra illos qui Regem ætate nondum firmatâ malis artibus transversum agebant. Hísque præmissis Sterlinium munitissimum oppidum ex improviso occuparunt: mox tamen relinquere compulsi, cum Rex præsens in procinctu signa extulisset, & pauciores quàm Gourius promiserat convenissent. Quorum præcipui in Angliam per avia profugientes, Reginæ opem, cujus intuitu hæc egissent implorarunt. Rex verò eos sibi ex fœdere in manus tradi postulavit. Sed egregij illi Reginæ consiliarij, qui & ipsum unà cum Reginâ matre suâ perditum quomodocumque vellent, Elisabethæ persuaserunt, faciles aures ad omnia quæ contra Mariam & filium tendebant præstare consuetæ, homines esse Regi obsequentissimos, ejúsque salutis studiosissimos: legem autem de rebellibus reddendis jampridem inter Principes exolevisse. Gourius tamen interceptus, Pariúmque judicio ritè damnatus, capite obtruncatus est. Subindéque in Ordinum conventu anno sequenti celebrato, popularis Ministrorum æqualitas sublata, Episcopis (licèt hæreticis) suâ dignitas & jurisdictio restituta, quorum vocationem ut anti-Christianam iidem Ministri condemnaverant: & probrosa in Regem, ejúsque matrem, & consiliarios, scripta, nominatim verò Georgij Buchanani [h] Historia & Dialogus, De jure regni, interdicta. [h] Vid. supr. an. 1539. & 1567.

XV. [i] Camden. ibid. MINISTROMACHIA ANGLICANA. Hoc itidem anno in Angliâ furiosa extitit [i] ministromachia inter Calvinistas Parlamentarios & Puritanos, cùm videlicèt Ioannes Vvhitgiftus ex sede Vvigorniensi translatus in metropolitanam Cantuariensem, vir inter suos magnî ex probitate & doctrinâ habitus; mandato à Reginâ, pro supremo se capite Anglicanæ Ecclesiæ gerente, accepto, ut ante omnia disciplinam & uniformitatem in sacris auctoritate Parlamentariâ sancitum restauraret; quæ Præsulum conniventiâ, novatorum Puritanorum pervicaciâ, & nobilium quorumdam potentiâ laxata jacebat, dum quidam è Ministris regiam in Ecclesiasticis auctoritatem impugnarent, novos ritus circa sacramentorum administrationem pro arbitrio in privatis ædibus usurparent,

Episcoporum vocationem damnarent, ideóque templa adire recusarent, & planè schisma facerent: ad hæc tollenda, & unitatem reducendam, idem Whitgiftus hos articulos à Ministris subscribendos proposuit: nimirùm Reginam solam, supremam potestatem civilem & ecclesiasticam in omnes intra sua regna & dominia natos, cujuscumque essent conditionis, habere: Librum precum publicarum & administrationis Sacramentorum, & alterum de Episcopis & Sacerdotibus ordinandis, nihil verbo Dei contrarium continere, ac propterea debere ab omnibus observari: Articulos Synodi Londinensis 1562. regiâ auctoritate publicatos servandos esse. Ex quibus incredibile est quantū controversiarum & disputationum exortum fuerit; quantum convitiorum à Ministris factiosis Vvhitgiftus, & quantum molestiarum, immò & injuriarum, à nobilibus, qui promovendo minùs idoneos in Ecclesiâ, rem faciebant, aut in Ecclesiæ bona spem extenderant, pertulerit. Quando & Robertus Brovvnus Cantabrigensis in theologiâ tyro, (à quo novi sectarij *Brovvnistæ* dicti) & Richardus Harrisonus pædagogus, libris editis Ecclesiam Anglicanam quasi nullam damnârunt: eorum libris regiâ auctoritate prohibitis, unóque & altero è sectariis extremo supplicio affectis. Sic ludente inter sectarios dæmone, dum semel ab unitate Ecclesiæ Catholicæ divisi, in minutissimas partes sibi invicem contrarias dissecantur.

XVI.

Haud verò ibi potuit annus à sanguine innocenti Catholicorum immunis transire. Siquidem cùm Ioannes quidam Somervilus laïcus nobilis & Catholicus, iter [k] ad regiam arripiens, unum & alterum in viâ stricto gladio aggressus, & comprehensus dixisset se Reginam velle occidere: (quod si verè sic contigit, quis negabit fuisse eum mentis expertem & furiosum: uti etiam plures qui de eo scripserunt [l] tradunt: alioquin enim ut quid alios priùs aggressus; an verò etiam adeò facilis erat ad Reginam aditus; quam sciunt qui ejus aulam viderunt, in penetralibus regiæ penè solā consistere solitam, vix proceribus suis ac præcipuis ministris aliquando visendam:) hâc sive verâ, sive fictâ suspicione captus Somervili socer *Eduardus Ardernus*, vir antiquissimæ nobilitatis, quasi conscius equuleo sævissimè tortus, & innocentiam suam usque ad obitum constantissimè professus: nihilominùs nullâ aliâ culpâ quàm quòd Catholicus esset suspensus ad patibulum & membratim dissectus est. Somervilus autem in carcere strangulatus repertus est, an à se, vel ab aliis incertum. Quæ omnia invidiâ Ducis Lancastriæ Ardeni juratissimi hostis ipsi cōtigisse vulgò creditum fuit. Inter ceteros verò qui hoc eodem anno passi sunt pro fide eminuêre Eboraci inclyti sacerdotes *Guill. Hartus* & *Ricardus Trilkillus*; quorum agonem qui legerit in Concertatione Ecclesiæ Catholicæ in Angliâ, profectò, nisi Calvinista sit, à quo crudelissimo hominum genere damnati sunt, eos egregios Martyres prædicabit. Sed nullus præteriit annus, quin hujusmodi ex eâdem fidei causâ, licèt calumniis conjurationis in Elisabetham & regnum, ac liberationis miseræ Mariæ Scotæ obtentâ, suppliciis infamatus fuerit, quorum partem videre est per singulos annos in dictâ Concertatione. Ubi luculenta reperitur prolixa Responsio ad Persecutores Anglos, contra libellum paulò antehàc primùm Anglico idiomate in lucem editum sine nomine auctoris, titulo *Executio Iustitiæ in Angliâ*, sive, ut interpres Latinus vertit, *Iustitia Britannicæ*; qui mox est in varias alias linguas traductus cujus illud erat argumentum, ut Anglorum in persequendis Catholicis summam acerbitatem defenderet vel saltem excusaret; accusaret autem Catholicos perduellionis, quod quàm iniquè fieret, quámque falsò negarent se quemquam religionis causâ persequi, & quàm callidè laborarent exteris imponere, ne earum quæ inferrentur afflictionum causam, modum, & magnitudinem verè intelligerent, eâ Responsione abundè ostenditur; cum plurimis aliis rebus ad id argumenti pertinentibus.

k Camden. ibid.

l Vid. in Concert. Eccl. Angli.

MARTYRES ANGLI.

IUSTITIA BRITANNICA.

XVII.

CONJURATIO PARRIJ IN REGINAM.

Quibus tamen omninò eximimus eos, qui diabolico ductu reperti sunt verè in Reginæ vitam conspirâsse, quos nullo non supplicio dignos existimamus; fuerit quantumvis ea illegitimo matrimonio nata, fuerit hęretica, fuerit tyranna, & Sanctorum persecutrix. Qualiscumque fuit, à Deo data fuit, sive in justitiâ suâ in exercitium Catholicorum, sive in furore suo in confusionem ipsorummet hæreticorum. Optandos putamus Principes bonos; qualescumque ferendos. Nec nobis umquam opinio illa de necandis tyrannis animo hærere potuit: (de Principibus superioribus dicimus: aliud namque esse censemus, cùm superiores de suis rebellibus subditis vindictam sic sumunt, quos non aliomodo apprehendere possunt:) nisi fortè temperata venerit certâ & indubitatâ voluntate Dei; qui summus, nec umquam non justus Iudex retribuit quibusque pro merito quando & quomodocumque visum ipsi fuerit. Quæ dicimus occasione sceleratissimæ conjurationis, hoc ipso anno in eâdem Angliâ detectæ contra Reginam: quâ scilicèt *Guillelmus* quidam *Parrius* Anglus religione Catholicus, accusatus à propinquo ipsius Edmundo Nevillo, cui rem communicaverat, captúsque ac scelus confessus, proditorum supplicio punitus est. Edita tunc fuit rei historia; quam & multi [m] referunt: utrùm omninò ex vero, fides sit apud auctores. Parrius quidem non semel idipsum asseruit, & negavit: & à quibusdam Iesuitis suasum, ab aliis dissuasum dixit. Nec possunt literæ à Cardinali Comensi ex parte Gregorij Pontificis ad ipsum scriptæ, quæ in Actis produntur, in consensum necis Reginæ trahi, cùm de eâ nihil ibi; quinimmò & ipse Parrius moriens constanter asseruit, numquam se in animum induxisse eam occidere: sed quòd Parrius scripsisset Romam, sibi in animo esse Angliam petere (erat enim tunc in Galliâ) ad egregiam aliquam operam Deo & Ecclesiæ Catholicæ navandam; ad id verò Comensis ipsum hortatus est, & benedictionem à Pontifice impertivit. Ab his omnibus angustiis liberare se Regina potuisset, si Catholicos non tam dirè exagitasset; sivissétque eâ libertate religionis gaudere, quam locis Catholicorum suæ asseclis impendi volebat.

m Camden. in Elisab. an. 1585. Thua. lib. 79. an. 1584. quo reverâ contigit.

XVIII.

Fuerunt hæ clades aliquo modo in utilita-

Fides Christ. penetrat in Sinas.

tem Ecclesiæ compensatæ, lucro amplissimi regni Sinarum; ad cujus ad fidem Catholicam conversionem procurandam ostium eodem tempore, Dei benignitate, & industriâ Iesuitarum, quos maximè Angli persequebantur, & exosos habebant quia erant Deo amabiles, apertum est. Hoc etenim ipso anno tentata sæpiùs ab obitu S. Francisci Xaverij Societatis Iesu; qui eam percupido animo susceperat [a] penetratio in regnum *Sinarum* ad prædicationem fidei Christianæ; nec ab ejusdem tantùm instituti Patribus, verùm etiam ab aliorum Ordinum viris pietate & virtutibus insignibus, ac præcipuè Franciscanis & Dominicanis, solicitè quæsita; felix initium accepit per Patres Societatis. Qui cùm sedem in limine ejus regni, in civitate Amacaënsi, ad commoditatem commercij Lusitanorum in peninsulâ ædificatâ statuissent, ut inde quâcumque oblatâ occasione in ipsum regnum ingredi valerent, diù illâ frustrà expectatâ, sive ob rei difficultatem, quòd essent Sinenses naturâ suspiciosissimi, atque ideò ab omni exterorum commercio & consuetudine alienissimi, ab eo maximè tempore quo Tartaris ipsis confinibus servierant, sive quòd in expeditionem Iaponicam, quæ ingenti fructu procedebat, intenti, non omni conatu Sinicam procurarent. Cùm autem ante biennium Alexander Valignanus è Societate sacerdos Italus, Indiæ totius Visitator, in Amacaënsem portum delatus, ut inde in Iaponiam transmitteret, negotium Sinicum excitandum duxisset; imprimis jussit ex suis aliquos Sinensium sermoni curiali ediscendo, (qui toto regno idem est, cùm præter eum singulæ provinciæ suum proprium & peculiarem habeant, ut ceteræ orbis regiones idioma) & literis seu characteribus hieroglyphicis legendis & pingendis, (rei planè difficili, quòd non paucis alphabeti figuris, ut reliquus ferè orbis, suos conceptus scribendo exprimant, sed tot figuras pingant quot sunt voces, résque vocibus significatæ) operam dare. Qui verò primus id præstiterit, Michaël Ruggerius fuit, Italus è regno Neapolitano: qui occasione nundinarum, quibus quolibet anno Lusitani bis in provinciæ Cantoniensis in extremis regni finibus sitæ urbe Schiauquino negotiari permittebantur, commercij specie peregrinatus, aliquam necessitudinem cum nonnullis magistratibus contraxit: adhibitóque eidem operi Matthæo Ricio, frequentibus itionibus & muneribus, post quamplurimas sese subinde opponentes difficultates superatas; hoc demùm anno ad finem vergente obtentum est, ut Patribus liceret Schiauquini ædem construere habitationi perpetuæ, & cultui divino celebrando. Primúsque qui in eo regno Christi sacra suscepit, ex infimâ fuit fæce hominum: qui cùm insanabili morbo afflictus, in publico agro jaceret à parentibus ejectus, quòd vix seipsos sustinerent, à Patribus aditus, faciléque suasus eam amplecti legem quæ ejusmodi misericordiæ opera persuaderet, ab iisdem curatus instructus, & baptizatus, paucis pòst diebus ad cœlum evolavit. Post quæ Sinicæ missionis Superior P. Franciscus Capralis, domum illam Schiauquinensem visitans, primos omnium Sinensium neophytos duos baptismo solemni ceremoniâ in æde sacrâ abluit: alterum literatum, qui Sinenses libros Patribus domi prælegebat, cui nomen Paulo inditum: alterum juvenem ingeniosum, qui ab initio peculiarem amicitiam cum iis contraxerat, qui nomen accepit Ioannem. Quorum exemplum subinde secuti sunt alij complures: & excursiones in alias quoque Sinarum provincias factæ, inque illis domus extructæ; præcipuo administro supradicto P. *Matthæo Ricio* Italo Maceratensi in agro Piceno, cui præ ceteris qui cum eo impigrè adlaborârunt, expeditio Sinica in acceptis referri debet. Quantis verò laboribus & periculis, quantarum calumniarum, injuriarum, pulsionum, passione, id præstiterint; quibus artibus fidem propagaverint, quibus scientiis Sinenses imbuerint, & alia ad hæc pertinentia, diligentissimè tractavit idemipse Ricius commentario de iis Italicè confecto, sed inedito relicto; quem post ejus obitum *Nicolaus Trigautius* Belga ejusdem Societatis, qui totum regnum lustravit, Latinum fecit, & supplevit; apud quem multa videbis de rebus amplissimi regni aliter narrata, & ut est vero simile veriùs, quàm apud eos, qui de iisdem vel ex se ipsis, vel ex auditu nullo delectu habito scripserunt.

Primitiæ Christianitatis Sinensis.

Matthæi Ricij labores pro fide.

[a] Vid. sup. ann. 1552. ad fi.

XIX. *Concil. Peruanum.*

In civitate *Lima* Indiæ Peruanæ celebratum est hoc anno *Concilium* de disciplina & moribus: quod deinde confirmatum est a Sede Apostolicâ, & vulgatum anno 1614. Nec verò defuerunt etiam ibi hæreses. Si quidem scribit Iosephus [o] Acosta Societ. Iesu; in regno Peruano inventum esse (longè tamen ante hunc annum) insignem Theologiæ professorem, illic pro oraculo habitum; qui cùm feminæ cujusdam, diabolica extasi mundo illudentis, familiaritati sese addixisset, ab eâ dementatus in erronea ac fatua deliria inciderit. quibus inter alia asserebat, datum sibi à Deo Angelum, à quo quicquid vellet addisceret, quinimmò se immediatè cum Deo familiarissimè colloqui: Regem se futurum, ac Summum Pontificem, translatâ in eas regiones Sede Apostolicâ: Oblatam sibi fuisse à Deo unionem hypostaticam, sed eam se recusâsse: Se mundi redemptorem constitutum fuisse secundùm efficacitatem: cùm Christus tantùm fuerit secundùm sufficientiam: Statum universæ Ecclesiæ abrogatum iri: se verò alias leges claras & faciles conditurum; quibus clericorum cœlibatus tollendus esset, uxorum multitudo concedenda, & confitendi necessitas excludenda. Disputationibus ab eodem ipso Acostâ qui aderat, & ab Inquisitoribus confusus, ac nihilominùs obstinatus permanens, vivus combustus est.

[o] Acost. lib. 2. de Noviss. cap. 2.

Peruanus hæresiarcha.

IESV CHRISTI Annus 1584.

GREGORII XIII. Ann. 13.

RUDOLPHI II. Ann. 8.

I.

ANNO Christi millesimo quingentesimo octogesimo quarto, Indictione duodecimâ, ex quorumdam Principum mortibus

magna

Ducis Andegavensis obitus.

magnæ factę sunt in nonnullis provinciis Europæ mutationes. Nullibi verò majores, aut ponderosioris momenti, quàm in Galliâ ex obitu *Francisci* Ducis Andegavensis, fratris Henrici Regis. Is cùm post casum Antuerpiensem, de quo dictum est anno superiori, in Galliam rediens, Castrum-Theodorici ad Matronam, quod erat ejus ditionis oppidum concessissent; inde mense Februarij præsentis anni ad fratrem exiguo comitatu citatis equis veniens, reconciliatione cum eo firmatâ, decimo pòst die domum unde venerat revertit. Ubi receptis delegatis Ordinum Belgij, qui referrent paratos esse Ordines æquis conditionibus rursùm ejus se obsequio submittere; (spe scilicèt auxilij à Rege ei promissi accipiendi) quamvis eo nuncio valdè lætatus sit, quò minùs tamen lætitiâ plenâ frui poterit, morbo prohibitus fuit; quæ sanguine ex omnibus corporis meatibus erumpente Calendis Maij afflictari cœpit, quasi venis equitatione violentâ ruptis, accedente quoque veneno, ut suspicio fuit ex nonnullis ejus signis: & quadragesimo pòst die, nempè decimo Iunij, obiit magnâ constantiâ, & summâ pietatis significatione, susceptis Ecclesiæ sacramentis, anno ætatis trigesimo mense tertio. Fuit eloquens, comis magnanimus, ambitiosus, magnificus, inquietus. Regi verò fratri, ac successoribus ejus, reliquit ac donavit jus omne, quod sibi ob solemnes pactiones & contractus cum Belgis initos debebatur. Sepeliri autem cùm voluisset tamquam Brabantiæ Dux ac Belgij dominus, cum insignibus illarum provinciarum; regij Consiliarij nequaquàm consultum existimárunt, vanitate illâ Regem Hispaniæ offendere: satísque habuit Rex justa fratri Lutetiam delato, & inde ad San-Dionysium in sepulcra majorum deportato, summâ magnificentiâ persolvere, quem oratione funebri laudavit vir summa facundiâ & eruditione Reginaldus Belnensis Archiepiscopus Patriarcha Bituricensis olim ipsius Cancellarius.

II. Regis inde anxietas. [a] Supr. an. 1576. VI.

Fratris morte Rex duplici sollicitudine tactus; hinc de Hugonotis, quos rerum novarum occasionem inde capturos suspicabatur; illinc de Guisiis, quos fœdus, seu ligam ante aliquòt annos [a] factam acriùs prosecuturos timebat: cùm tamen sibi ab horum fautoribus persuaderetur, eos quamdiù se in officio Hugonoti continerent, nihil contra regiam auctoritatem aut publicam utilitatem molituros: in id præcipuum studium posuit, ut Regis Navarræ, ejúsque sequacium consilia & vitæ rationes observaret. Ac propterea factâ primùm eis facultate conveniendi, ac de rebus suis consultandi; (quod ipsi Montalbani fecerunt, interveniente tamen regio nomine Pomponio Bellevrio, ad consilia & detegenda, & mederanda:) deinde Ducem Espernonium, specie visendæ matris, quam à tempore ex quo ad tantam fortunam apud Regem evectus fuerat non viderat, profectionem suscipientem, Navarrum, in quem Espernonius propensior erat, adire jussit; eíque si posset persuadere ad fidem Catholicam reverti, & in aulam venire; quod non solùm ei utile, qui proximus jam ad regni successionem vocabatur, sed tranquillitati regni necessarium esset: quippe sic Guisiorum, ex religionis dissidio res in regno miscendi commoditatem captantium, consilia infringi, & omnem popularis auræ quâ præcipuè nitebantur, gratiam adimi contingeret. Postquàm autem Espernonius nihil à Navarro: colloquio cum ipso & ejus secretioribus consiliariis habito, obtinere potuit; eáque inter ipsos facta dissertatio, quam Rex occultam esse voluerat, nihilominùs à Philippo Mornæo Plessio ex iisdem consiliariis uno, literis mandata fuit, & ambitiosè inter Hugonotos publicata, ad demonstrandam sui capitis constantiam, & concordiam quæ inter universos erat: res apud Catholicos pessimè contra Regem audiit; ita eam interpretantes, ut Espernonij profectionem non pacis stabiliendæ ergò, aut Navarri ad fidem Catholicam reducendi, sed ut in Catholicorum perniciem occultum cum illo fœdus iceret, institutam fuisse. Unde & illud colligebant, quandoquidem Navarrus obfirmatus in hæresi perseveraret, fore, si Rex sine liberis decederet, & Navarrus in regnum succederet, ut religio Catholica funditùs everteretur: sicuti factum esset in vicinâ Angliâ, ubi præter omnem exercitij religionis Catholicæ privationem, continuæ cernerentur in Catholicos sacerdotes, monachos, nobiles, plebeios, carnificinæ; quæ ad majorem terrorem incutiendum, depictæ oculis omnium Parisiis exponebantur.

Colloquium Espernonij cum Navarro.

III. Quomodò Rex periculis imminentibus providerit.

Quæ omnia cùm per ceteras quoque urbes & agros à turbatorum consciis spargerentur; indéque plebs ac nobilitas Catholicæ fidei tenax fremere coitiones passim fieri, miles clàm legi cœpisset: hinc Rex in graviores curas adductus, spe tamen ipsi factâ hæc brevî evanitura cùm rei veritas innotesceret; satis initio habuit, omnes secretas fœderationes, societates, delectus prohibere, pœnâ in eos qui hæc facerent, aut alios ab eo sollicitarent, læsæ majestatis sancitâ. Petrum [b] verò quemdam Esguainum Bellavillam hæreticam Carnotensis agri nobilem septuagenarium, qui detectus fuit editâ Satyrâ ac libello famoso, Regem, ejúsque vitam privatam, & præcipuos consiliarios maledicentissimè perstrinxisse, comprehendi ac puniri jussit, qui convictus, & ad mortem damnatus, quasi nobilitatis prærogativam per criminis atrocitatem amisisset plaustro impositus, laqueo ad collum inserto, in plateâ majore Lutetiæ patibulo suspensus est; corpus cum libello famoso igne combustum. Superiorum temporum licentiâ disciplinam aulicam corruptam edicto reformavit; quo ante omnia dejerationes in Deum & Sanctos ac res sacras contumeliosæ prohibitæ fuêre Episcopatuum ac cœnobiorum nominationes reformatæ; reservationes, ut quæ mortis captandæ votum inducunt, revocatæ. Denique quòd esset pacis & tranquillitatis studiosissimus, statuerat ipse cum animo suo, hæreticos citra vim apertam labefactare, sedulò cavens ne dignitatum præfecturarum, magistratuum & officiorum, quæ à Regis voluntate penderent, ulli quàm Catholicę religionis professori gratiam faceret: ac procerum hæreticorum filios, qui ad frequentandam aulam de more nobilitatis ad-

[b] D'ar. Henr. III.

ven

ventarent, haud eâ benevolentiâ pesequeretur, quâ Catholicorum: ut sic illi ad Regis gratiam promerendam, fidem Catholicam amplecterentur, quæ viæ licèt essent longiores, tutiores tamen & minoris periculi videbantur.

IV. Conventus Ionvillensis Guisiorum.

Hanc verò Regis mentem Dux Guisius, quem præcipuum fœderis quod diximus caput omnes factiosi agnoscebant, veritus ne si ulteriùs ejusmodi Regis consilium procederet, vilesceret sua apud populum gratia, quæ non nisi obtentu hæresis nitebatur; occupare deliberans, (sic enim ejus consilia interpretati plerique sunt; cùm ipse nonnisi defensionem fidei Catholicę, quæ periclitabatur à Navarro, prætexeret) ultimâ die præsentis anni in suâ Ionvillæ arce congressum habuit cum Regis Hispaniæ delegatis, Io. Bapt. Taxi equite S. Iacobi, & Ioanne Moreo Rhodiensi; nec non Francisco Roncerolio Menevillâ, Caroli Borbonij Cardinalis, primi regij sanguinis principis, ac legitimi regni hæredis, (uti sese nuncupabat; excluso videlicèt Navarro, tum ob hæresim tum ob proximiorem gradum, ut præsumebat, quo patruus fratris filio præferri deberet; quâ de re scripti sunt hoc tẽpore ultrò citróque contrarij tractatus:) ceterorúmq; Principũ Galliæ Catholicorum procuratore; ipsis Guisij & Mayenię Ducibus ibidem pręsentibus, támq; suo quàm ceterorum ejusdem familiæ principum nomine agentibus. Quo congressu in has præcipuè conditiones convẽtum est; ut Cardinalis Borbonius, si Regem sine liberis masculis legitimis contingeret decedere, Rex declararetur, exclusis omnibus principibus hæreticis, sola Catholica religio in regno locum haberet; Concilium Trident. promulgaretur: curarent Principes pro viribus ut Cameracum & alia oppida à perduellibus vel sectariis occupata Philippo Regi restituerentur, & navigatio in Indias libera esset: ipséque Philippus quinquaginta aureorum millia in singulos mẽses principibus fœderis in bellum contra hæreticos in Galliâ gerẽdum suppeditaret. Hæ belli causæ, hæcque initia perhibentur, de quo dicetur anno sequenti.

V. Concil. Bituricense.

Hoc eodem anno, mense Septembri celebratum est ibidem in Galliâ provinciale *Concilium Bituricense* sub *Reginaldo Belnensi*, viro doctrinâ, rerum usu, facundiâ insigni, Archiepiscopo, Patriarchâ, & Aquitaniæ Primate, ut sese indigitat, cui cum ipso interfuerunt quatuor Episcopi, & quatuor aliorum vicarij, & duarum Ecclesiarum tunc vacantium Capitulorum delegati. Moniti ac vocati Burdegalensis, Narbonensis, Auxitanus, & Tolosanus Archiepiscopi, tamquam Bituricensi Patriarchali & Primatiali Ecclesiæ subjecti, exemptos se ab ejus jurisdictione causati, non comparuerunt. Sic enim ex antiquâ controversiâ de Primatu Aquitaniæ inter Bituricensem & Burdegalensem, ceteri illi utriusque jurisdictionem eluserunt. Fuit autem Concilium pro reformatione morum & disciplinâ Ecclesiasticâ; cujus decreta, post Sedis Apostolicæ approbationem, fuêre in lucem edita.

VI. Aurangij nex proditoria.

In Belgio dum bellum continuatur, inter alia Hipra Flandriæ civitas, post longam obsidionem, honestis conditionibus à Parmense recepta est octavo Aprilis: & vigesimo sexto Maij Brugæ eidem se dediderunt Decimo verò Iulij Guillelmus Princeps Aurangius Delfis in Batavis in monasterio S. Agathæ ubi habitabat, proditoriè occisus est à quodam Baltasaro Gerardo origine Burgundo, patre mercatore, matre Bisuntinâ, in pago Villaforensi prope Lugdunum nato, ætatis nunc annorum circiter viginti septem. Qui cùm à tempore proscriptionis Aurangij, ejus necem meditatus esset, filium se cujusdam Petri Guionij, qui olim ob hæresim mortem subierat, mentitus, ac se pariter acerrimum hæreticum simulans; adeò se in Aurangij notitiam & familiaritatem paulatim insinuaverat, ut etiam ille ipsius operâ in quibusdam negotiis usus esset. Mane autem dictæ diei commeatu ab Aurangio tanquam ad sua rediturus accepto, post prandium rursùs ad eum, quasi aliquid dicendum oblitus, reversus, exeuntem è cœnaculo sclopeto tribus glandibus illito veneno infectis onerato, feriit sub mamillâ sinistrâ: ex quo vulnere is corruens, & in idem cœnaculum à suis relatus, illicò solis labiis nonnihil palpitans vitæ finem imposuit. Balthasar inter ceterorum ploratus per posticum fugiens, dum in eo esset ut ex urbis mœnibus in fossam aquâ plenam sese conjiceret natatu eam transmissurus, à stipatoribus insequentibus captus; & coram magistratu examinatus, utrùm à Philippo Rege, vel alio quopiam, mercede vel promissis inductus ad facinus fuisset; chartam & calamum petens, seriem & causas facti sui complexus, respondit nec prece nec pretio mortalium cujusquam, sed solo suæ instinctu conscientiæ, causâ liberandæ à tam immani tyranno Reip. permotum; tam pium facinus designâsse, pro quo non dubitaret paratam sibi insignis in cœlo præmij remunerationem. Ita enim rem Isseltius narrat: cùm nihilominùs in vulgato à magistratibus Batavis processu contra eum confecto addatur, confessum illum eo scripto fuisse, se à nonnullis Iesuitis, & quodam Franciscano, posteáque ab ipso Parmensi, quibus hâc suam deliberationem communicâsset, confirmatum esse. Fuit autem acerbissimis atque dirissimis tormentis toto quatriduo excruciatus; quę ipse summâ animi obfirmatione sustinuit, imperterrito & immutato perpetuò vultu, nullo gemitu aut suspirio nullo trepidationis signo edito, nullâ corporis parte in tantis suppliciis retractâ aut commota, sed in oratione perstans, & singulis interrogationibus placidè ac modestè respondens.

Sicarij constantia.

Demùm tormentis totus quassatus, ad mortis supplicium in publicum tractus est: quo primùm manus dextra ei ferro candenti combusta est; deinde candentibus forcipibus partes corporis carnosæ laceratæ; posteà verenda amputata, venter & pectus in modum crucis lentè dissectum, intestina extracta, corde evulso facies diverberata; ipso cuncta eâdem constantiâ, eâdem immobilitate, eodem læto vultu ad extremum usque, cum adstantium omnium stupore ferente. Caput ultimò præcisum, & hastæ juxta urbis mœnia infixum: corpus in quatuor partes dissectum, quæ ad totidem urbis propugnacula ex patibulis suspensæ sunt.

VII.

Aurangij autem morte, quæ contigit anno ejus ætatis quinquagesimo secundo, Ordines Belgici, qui ejus consiliis regebantur, sum-

moperè indolentes, exequias ei penè regias fecerunt: & in ejus memoriam, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, Ultrajecti, quæ ferè provinciæ integræ à Geusiis obtinebantur, regimen Mauritio ejus filio, ex secundâ uxore Annâ Mauritij Electoris Saxonici filiâ suscepto, octodecim circiter annorum adolescenti contulerunt; eumdémque summum maris præfectum constituerunt: quas dignitates ipse posteà magnâ virtutis militaris gloriâ administravit. Aliâ verò parte Gandavenses, qui jam vivente Aurangio fluctuabant, eo jam mortuo, Parmensis successibus, qui recèns Teneramundam, Herentalam, & Vilvordam, in suam potestatem redegerat, infracti, & à munitionum vicinarum præsidiis continuis excursionibus infestati, sese eidem mense Septembri dediderunt æquis conditionibus: dolentibus plurimum Ordinibus, urbem potentissimam, nullis angustiis adhuc pressam, sed procul tantùm agminibus cinctam, ceterùm fossis, vallis, ac propugnaculis, ad stupendum terrorem egregiè munitam, in quâ nihil ad victum, nihil ad apparatum bellicum deerat, in potestatem Hispanorum; quos tanto odio priùs detestati fuerant, citra certamen devenisse. Sicque Parmensis totâ Flandriâ amplissimâ Belgij provinciâ potitus, (exceptis Ostendâ, Slusis, & Neusenâ munitione) animum ad obsidionem Antuerpiæ applicuit, & quæ necessaria erant ad tantum opus parare cœpit; tantâ sui consilij fiduciâ, ut cùm Antuerpienses exploratorem misissent, qui videret quæ ab ipso parabantur ad obstruendum fluvium Scaldim qui Antuerpiam alluit; eum in castris interceptum, per singula loca, ut ea diligenter inspiceret deduci, ac deinde suis renunciare jusserit, sibi constitutum esse, aut illic generosè oppetere, aut illinc ad certam victoriam sibi viam parare, qui nihilominùs capitis pœnâ prohibuerunt, ne quis pacis cum Hispanis ineundæ mentionem facere auderet.

Gandavum sese Parmensi dedit.

VIII. Interim verò scriptis ad eos literis, à suis dissidiis, & miseriis, quibus conflictabantur, ad Regis obedientiam revocare sategit. Quod ipsi, tum veteribus querimoniis de tyrannide anteriorum Gubernatorum, & asperitate inquisitionis in conscientias, eluserunt; tum excusatione deliberationis ab omnibus fœderatis provinciis factæ de se Regis Galliæ patrocinio subjiciendis, quem viderent summâ moderatione erga suos in causâ religionis uti: eâque de re jam cum illo egisse, nec propterea sibi integrum esse absque ejus veniâ, nec non ceterarum civitatum fœderatarum consensu & venia cum Parmési tractare. Erat enim tunc res Ordinum eo statu, ut cùm necessitate cogerentur patrocinium alicujus præpotétis Principis implorare; post longam deliberationem, quâ fluctuârunt sententiæ in Regem Galliæ & Reginam Angliæ, tandem omnibus rationibus quæ hinc inde pro singulis eorum proferebantur, diligenter discussis, iidem Ordines contra Anglorum spem, ac præter Regis expectationem decreverunt Belgium regno Galliæ submittere conditionibus quàm fieri posset commodissimis: ídque absolutè fieret, absque ullis in futurum pactionibus secretis. Decretáque ad Regem nobilis legatio

Ordines Belgici Regi Franc. sese submittere decernunt.

aliquorum ex singulis Belgij provinciis illustrium virorum; qui ineunte Ianuario anni subsequentis profecti, eodem mense incolumes in Galliam appulerunt. De quorum negotiatione dicetur cùm eò pervenerimus.

IX. Hoc eodem anno, die vigesimo octavo Martij, *Ioannes Basilides* Magnus Moscorum Dux, de cujus bellis & sævitiâ sæpè dictum superiùs, mortem obiit horrendam, putrescentibus intestinis & visceribus, corrosus ab animalibus quæ tabidis in corporibus nasci solent: digno prorsùs exitu hominis, qui si ejus Vitæ scriptoribus Alexandro Guagnino Veronensi equiti Polono, & Paulo Oderbornio Lituano credimus, omnes omnium temporum crudelissimos ac luxuriosissimos tyrannos immanitate & salacitate longè superavit. Cui & licèt funus amplissimum factum fuerit; ejus tamen corpus ipso statim die emortuali desideratum fuisse, nec deinceps à quoquam visum aut inventum, idem Oderbornius scribit ex relatione quorumdam captivorum tunc ibi detentorum, qui post ejus obitum libertatem consecuti sunt. Tradunt tamen alij [c], quamquam & ipsi tetram ejus tyrannidem agnoscentes, eum Russico more valdè pium fuisse, & tonsum ac monachorum veste indutum ex hâc vitâ migrasse; quinimmò & sunt qui existment, maximam partem atrocitatum falsò ei attributam fuisse ab auctoribus Polonis, ob bella & dissensiones cum eo habitas. Vixit autem annos sex & quinquaginta, cum septem mensibus: regnavit quinquaginta quinque. Successit ei in regnum, magnâ omnium gratulatione, Phædron, sive *Theodorus* ejus filius, annos natus duos & viginti, qui moderatione suâ, (quæ potiùs fuit animi imbecillitas) multa bona pollicebatur post tanta paterna mala. Eíque pater, quòd mentem ejus nôsset tantæ administrationis impotentem, moriturus quatuor præcipuos proceres summos consiliarios attribuit; monitos à bello abhorrere, & cum vicinis Principibus pacem & concordiam colere; certa tributa in decennium remittere; & captivis omnibus libertatem impertire, quod & Theodorus confestim præstitit.

Io. Basilidis Mosci mors.

c Chytræ. Saxon. lib. 27.

Theodorus regnat.

X. Hujus anni principio cœptæ sunt induciæ inter Rudolphum Cæs. & Amuratem Turcorum Imperatorem, prorogatæ superiori anno in novem subsequentes. Ad quam prorogationem firmandam cùm præsenti missus esset à Rudolpho ad Amuratem pro solito cum muneribus Henricus Baro Lichtensteinius; ivit in ejus comitatu *Ioannes Levunclavvius* Amelburnus, nobilis Angrivarius Westphalus, vir doctus; qui hàc occasione studiosiùs perquirens abscondita rerum Turciarum, earum historiam accuratâ diligentiâ illustratam posteà promulgavit.

Levunclavvij historia Turcica.

XI. Quo eodem anno Gregorius Pontifex de fidei propagatione sollicitus in gratiam Maronitarum montis Libani, (de quibus sæpiùs actum) ad Urbem adventare solitorum, & pro eorum instructione, collegium [d] in eâdem Urbe extruxit, & dotavit. Qualia & pro aliis nationibus orientalibus & septemtrionalibus tam Romæ, quàm in provinciis instituisse, de nonnullis vidimus superiùs; de ceteris, eorúmque singulis, diversis annis & tempori-

Collegia à Gregorio Pont. extructa.

d Bull. to. 2. Greg. XIII. const. 91.

bus

bus constructis, & annuis redditibus locupletatis, trium & viginti numero, agunt [e] alij. Qui etiam de sociali bello Turcis inferendo, hoc anno agens, Ioannem Baptistam Vecchietum Florentinum in Persidem, Ioannem Baptistam Britum in Æthiopiam ad Reges excitandos legavit. [f] Et Simoni Denzæ Chaldæo Patriarchæ Mozalen pallium misit. Constitutionémque [g] edidit de prædicatione Verbi Dei, semel in hebdomade faciendâ Hebræis, pro illorum ad fidem conversione & instructione, in locis in quibus habent synagogas: ad quam convenire debeat saltem tertia eorum pars à duodecim annis & suprà, legitimo impedimento cessante sub pœnâ interdicti commercij, & aliis arbitrariis. Atque ad pietatem Scholarium collegiorum Soc. Iesu excitandam & confovendam, Congregationem [h] instituit sub invocatione Annunciationis B. Mariæ, in quâ piis officiis & operibus exercendis vacare possint, cùm indulgentiarum elargitione, cujusmodi sodalitates jam anteà delineatas vidimus [i].

[e] *Cabrer. & Vghel in Addit. ad Ciaccon. in Greg. XIII.*
[f] *Annal. Greg. ibid. ap. Victorel.* 8. *Bull. const.* 92.

ALIÆ CONSTITVTIONES PIÆ.

[h] *Ibid. const.* 97.
[i] *Supr. ann.* 1563. *LXXV.*

XII. S. CAROLI BORROMÆI OBITVS.

Hoc eodem anno, die tertio Novembris, migravit ad Dominum *Carolus Borromæus* S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolanensis: ætatis anno quadragesimo sexto, ac mense uno exacto: de cujus pietate, vitæ sanctimoniâ, & sollicitâ Ecclesiæ suæ administratione, totiúsque universalis zelo, dictum sæpè superiùs: sepultus in ecclesiâ metropolitanâ, monumento quod anteà sibi sine ullo fastu constituerat. In cujus singularibus virtutibus Christianis, contemptûs rerum humanarum, desiderij divinarum, assidui cum Deo colloquij, charitatis admirandæ, summæ humilitatis, continuæ corporis castigationis, eximiæ constantiæ, & aliis enumerandis, ne prolixius immoremur, facit & rei difficultas, & opera a multis gravissimis viris in ejus vitâ describenda præclare collocata: putà ab Augustino Valerio Cardinale Veronensi ei familiarissimo, ac summo ipsius virtutum imitatore; & Carolo à Basilica Petri, Præposito generali Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli; Carolo Biscapo Præposito S. Barnabæ Mediolanensis; ac denique copiosiori narratione à Petro Iussano novem libris: præter Relationem in Consistorio factam coram Paulo V. Pontifice à Dominico Cardinale Pinello super actis canonizationis; ac singulorum Cardinalium & Episcoporum tunc in Vrbe existentium super eâdem suffragia; Literásque ejusdem Pauli, quibus illum ob probatissimas virtutes, & testatissima ejus miracula, anno Domini 1610. Sanctorum Confessorum numero ritu celebri, totiúsque Vrbis & Orbis congratulatione adscripsit. quæ omnia publicata fuêre diligentiâ Abrahami Bzovij in suo Pontifice Romano.

XIII. GENEBRARDI CHRONOLOGIÆ TERMINVS.

Ad hunc usque annum perduxit suam Chronologiam *Gilbertus Genebrardus*, Ricomagi in Arverniâ natus, professione monachus Benedictinus, ac Parisiensis Theologus, & linguarum peritiâ, Hebraicarúmque rerum cognitione conspicuus, earumdémque in Academiâ Parisiensi professor regius. Quem & spectata pietas & virtus ad Archiepiscopatum Aquensem provexit. De cujus obitu dicetur suo loco [k].

[k] *Infr. an.* 1597. *in fi.*

FINIS.

ANNALIUM ECCLESIASTICORUM CONTINUATIONIS

TOMUS III.

IESU CHRISTI Annus 1585.

SIXTI V. Ann. 1.

RUDOLPHI II. Ann. 9.

I. LEGATI ORDINŨ BELGIC. AD REGEM HENRICUM.

ANNO Christi millesimo quingentesimo octogesimo quinto, Indictione decimatertiâ, cùm legati Ordinum Belgii, quos anno superiori vidimus ad Henricum Regem Francorum destinatos, in Galliam pervenissent: Bernardinus Mendoza Regis Philippi apud eum orator acri oratione intercessit; obtestatúsque est, ne homines perduelles ac proscriptos, divinæ humanæque mejestatis reos, admitteret; aut conditiones ab eis offerendas, quarum potestatem nequaquàm habebant, acciperet, contra Philippi jura, qui ab annis viginti bello ardente Galliâ, non solùm occultis machinationibus aures clausisset, verùm etiam opibus suis Reges juvisset; quíque hanc injuriam inultam relinquere non posset, cujus verba minas spirantia haud Rex ferens, gravi responso eum excepit; se Ordinum legatos, non tanquam perduelles, sed de oppressione conquerentes audire decrevisse: eam semper Gallici nominis peculiarem gloriam fuisse, ut injuriis potentiorum affectos, benignè audierint, & ope consilióque juverint: hanc à majoribus per manus quasi traditam gloriam nolle regnante se perire: quinimmò percupere ut cuncti scirent Francogallorum Reges nullis minis aut periculis terreri posse, quominùs in priscâ benignitatis erga exules, hospites, & afflictos principes ac populos laude ad ultimum vitæ spiritum constanter perseverent.

II. REGIS RESPONSUM.

Auditis igitur legatis à Rege, cùm supplices petiissent ut Ordines ab eo in patrocinium tanquam subditi ac clientes reciperentur, quæcumque æqua & honesta postulanti sincerâ fide præstaturi; Rex gratias agens de tam bonâ ipsorum erga se voluntate, & propenso obsequio; quod ut ipsis subveniret, eosdémque in subditos conditionibus æquis reciperet, peterent, id majoris molis negotium esse dixit, quod exactam deliberationem requireret; proinde petere ut postulata sua scripto traderent, quò re cum suis consiliariis communicatâ; de eâ maturè decerneret. Quibus demùm hoc responsi dedit, se fœderatorum regni sui armis (de quibus mox dicetur) distractum, patrocinio eorum pro tempore vacare non posse; quæ posset libenter offerre, porrò majora præstaturum cùm res suas ad pristinam tranquillitatem reduxisset: & apud Angliæ Reginam institurum, ut eorum periculum minimè negligeret.

III.

Cœperant jam enim initio anni delectus ubique à fœderatis, ex deliberatione postremi diei anni superioris, fieri. Quos Rex, omnésque clandestinas coitiones edicto publico prohibens, nihilominùs ut sibi caveret, nonnullas copias in Germaniâ & Helvetiâ suo nomine conscribi curavit: misítque varios duces per regni provincias, qui primos fœderatorum motus comprimerent. Carolus autem Cardinalis Borbonius, post nova cum cæteris collata consilia, scriptum publicavit Peronæ Calendis Aprilis: quo questus 24. ab inde annis grassanti hæresi parùm idonea remedia adhibita esse; & Rege nullos ex se genitos regni hæredes habente, qui proximum jus in successione sibi arrogabant, à Catholicâ religione defecisse, séque proinde indignos eâ reddidisse; neque tamen propterea à secretis machinationibus tam intra regnum quàm extra cessare, qui

CARDINALIS BORBONII DECLARATIO PUBLICA.

tanti regni possessionem adepti, exemplo Reginæ Anglicanæ veram religionem abolerent: ea propter se primarium regii sanguinis principem, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Cardinalem, ad quem proinde religionis & regni jura proximè pertinerent, ex consilio aliorum regii sanguinis principum, Cardinalium, & aliorum principum, parium, antistitum, procerum, præfectorum provinciarum, nobilium, civitatum, ac collegiorum, qui omnes majorem & saniorem regni partem efficerent, obstrictâ conjunctim ab ipsis solemni jurejurandi fide, statuisse religionem antiquam instaurare, hæresim ab radice extirpare, nobilitati pristinam dignitatem restituere, populum tributis, quæ ab excessu Caroli Noni Regis imposita essent levare, regni curiis veterem auctoritatem, importunis aulicorum præsentationibus enervatam, reddere: His de causis tam justa arma sumpta esse, quæ plenè confectis iis rebus, nec aliter deponenda forent, quod Regem, quando religionis & publicæ salutis causâ fieret, pro suâ pietate boni consulturum speraret.

IV. REGIS RESPONSUM.

Misso hoc scripto ad Regem, ipse Rex confestim Declarationem promulgavit, quâ se ab objectis purgavit; armáque deponere hortans, à suâ clementiâ & prudentiâ expectare jussit, quod per bellum minimè consequi possent. Acriùs verò in Guisios, quorum instigatu Cardinalem id præstitisse nemo nesciebat, invecti alii scriptis eodem tempore publicatis, eorum ambitionem, totius familiæ facinora, perniciosa à multo tempore consilia, conjurationes, occulta cum Hispanis fœdera, fucatam religionem ad seditiones excitandas, & regiam familiam solio detrudendam, vehementi ac copiosâ oratione exagitârunt. Res autem in eo fuit, ut vellet Rex ab armis ante omnia discedi, factâ spe ut depositis armis fœderatorum petitionibus satisfaceret; & contra fœderati priùs vitam quàm arma deposituros se ostenderent, donec bellum irreconciliabile cum hæreticis decretum, in regni Curiis promulgatum, à Rege, principibus, ac proceribus solemni jurejurando approbatum esset. Qui interim Viroduno & Tullo civitatibus acceptis, à Metis, & aliâ parte à Massiliâ exciderunt: sed Lugduno, & aliis urbibus in partes suas allectis, jam toto regno ad arma ventum est. Nec parùm in Regem conclamatum, quòd ad Februarii finem ab Elisabethâ Angliæ Reginâ per Derbiæ Comitem insigne Periscelidis (ut mos est inter Principes fœderatos) suscepisset, quasi cum hæreticis nova fœdera in religionis perniciem iniret.

V. NAVARRI DECLARATIO.

Cùm verò passim voces audirentur de Henrico Navarræ Rege, tanquam hæretico relapso, Ecclesiæ & Catholicorum infesto hoste, ac publicæ quietis perturbatore; ipse scriptum Bergeraci in Petrocoriis mense Iunio edidit, misitque ad Regem: quo ad objectiones adversariorum respondens, negavit se hæreticum pertinacem esse, qui doceri & instrui cuperet; & se legitimi Concilii, in quo Protestantes audirentur, decretis nunc etiam submitteret, quódque post Sambartolomæam stragem mutâsse diceretur, ac missis Romam oratoribus hæresim priorem abjurâsse; id responsionem non mereri, quippe cùm id dum captivus esset, vi & metu factum omnibus constaret. Et post multa alia in suam defensionem circa cætera cuncta objectionum capita elocutus, atque injustis adversariorum calumniis confutatis, petiit, ut cum bonâ Regis veniâ, cui omne honorificum obsequium ac reverentiam deberet, liceret sibi palàm pronunciare, falsò & malignè mentiri illos, qui ejusmodi calumnias de se spargere auderent: & quò tot hominum innocentum sanguini parceretur, à vexationibus, direptionibus, incendiis, quæ bellum civile secum trahat, abstineretur, liceret sibi singulari certamine, aut duobus pluribúsve cum totidem compositis privatam hanc controversiam, loco à Rege in regno assignando, aut extra regnum alio ad quem tutus accessus esset, cùm ipsis dirimere: Id perhonorificum Guisio fore, ut ad duellum à præcellenti longè dignitate principe provocaretur: Deum autem pro suâ ineffabili providentiâ de utriusque partis jure decreturum: sic Regi quietem, regno populóque pacem parari, & impotenti Guisiorum adversus ipsum Navarrum odio circa publicam perniciem plenè satisfactum iri.

VI. REGIS CONCORDIA CUM FOEDERATIS.

At Rex à fœderatis armatis ultra modum specioso conservationis fidei Catholicæ obtentu pressus, cùm jam rem eò delatam videret, ut quæ primò à suis consiliariis extenuabatur, adulto iam malo adeò eam ipsimet extollerent, ut nisi desideriis fœderatorum confestim satisfieret, actum de suâ dignitate ac regno videretur; huic necessitati parere consultum ducens, & populos nimio otio & pacis beneficio exultantes mox tædio belli mutaturos sperans: interventu Reginæ matris iniit cum fœderatis concordiam; quâ in summâ decretum est, ut copiæ omnes eò usque utrimque coactæ in Hugonotos converterentur; ac civitates & arces quæ in fœderatorum Principum potestate essent, penes eos permanerent. Quare Rex edictum mense Iulio condidit: quo ex rebus præteritis cognitum se habere dicens, divisos religione populos in negotiis civilibus inter se convenire non posse, & juxta Dei verbum omne regnum in se divisum desolari; decrevit ut nullus deinceps esset alterius religionis quàm Catholicæ Apostolicæ Romanæ in suo regno usus; additâ capitis & bonorum proscriptionis pœnâ; ac revocatis superioribus edictis, quibus religionis libera professio hæreticis concessa fuerat: ministri & prædicantes intra mensem regno excederent; cæteri verò qui religionem Catholicam profiteri nollent, intra sex; omníque munere publico indigni censerentur, quæcumque à fœderatis per hos recentes motus tam in regno quàm extrà gesta essent, tanquam studio pietatis & religionis Catholicæ tuendæ causâ facta comprobavit: ac postremò ut omnes in verba edicti, quod perpetuum & irrevocabile futurum declaravit, solemni sacramento adigerentur, eáque de re publica instrumenta conficerentur, jussit. Hoc edictum summo plebis favore & plausu acceptum fuit. Rexque ipse 18. Iulii promulgationi ejus in Curiâ Parlamenti factæ interesse voluit.

EDICTUM REGIUM CONTRA HÆRETICOS.

VII. NAVARRI ALIA DECLARATIO.

Navarrus autem & Condeus, in quorum præcipuè capita hæ machinæ contorquebantur, cum Marescallo Monmorantio Septimaniæ præfecto, ad S. Paulum in Laureacensi agro congredientes scriptum publicârunt 10. Augusti trium illorum nomine: quo repetitâ conjurationum memoriâ, quas Principes Lotharingios à tempore Francisci II. iniisse dicebant, ad invadendam summam potentiam, turbandam regni quietem, & regii sanguinis Principes per calumnias & falsas criminationes de medio tollendos; multa addita fuêre in eorum invidiam, ad ostendendum quibus artibus eò pervenissent ut pacem à Rege tanto labore constitutam turbarent: communi consensu (quandoquidem ad ipsos præcipuè, & ratione natalium, & muneris necessitate, pertineret Regis regníque curam suscipere) de Lotharingiorum violentiâ protestari, eósque pro Regis, regiæ familiæ, regníque hostibus habere; quales anteà Rex eos declarâsset diplomate ad regni Curias misso, & in iis promulgato, cujus mandatis obtemperantes, statuissent eos tanquam perduelles armis persequi, & se contra injustam vim justis armis tueri. Rex verò honorificam legationem Philippi Lenoncurii posteà Cardinalis & aliorum ad Navarrum misit: ut cum tam salutis animæ consideratione, quàm regni quod ad eum, si ipse Rex sine liberis decederet, legitimo jure devolveretur, ad unionem Ecclesiæ, à quâ citra salutis perniciem discedere nemo posset, invitaret; consentirétque ut intra sex menses edicto comprehensos religionis Calvinianæ exercitium suspenderetur, tantisper dum rationes inirentur quibus utrique parti æquis conditionibus satisfieri posset: paritérque copiæ auxiliares sisterentur, donec Regina mater colloquium cum ipso habuisset. Ad quæ Navarrus Neraci tunc agens, gratiis actis de tam propensâ Regis erga se voluntate obsecrare se Regem dixit, ut pro prudentiâ suâ & æquitate videret, an justum esset, ab eâ religione in quâ educatus esset, vel metu vel spe temerè discedere: neque tamen recusare quin meliùs instructus mutaret. Exercitum autem auxiliarem neque se posse, neque debere sistere, ne amicorum tam paratis animis ad opem ferendam accurrentium morâ interjectâ alacritatem infringeret. Ita re infectâ dimissi legati ad finem Augusti.

SOLICITATUR A REGE DE RELIGIONE.

VIII. RECUSAT PONTIFEX NAVARRUM EXCOMMUNICARE.

Cùm autem ab ipso initio sumptionis armorum non cessâssent fœderati Romæ per suos emissarios, præcipuè verò per Nicolaum Cardinalem Pellevæum, ipsorum partibus, religionis ergò, ut videri volebat, obnoxium, apud Gregorium Pontificem instare, ut principes hæreticorum (Navarrus scilicèt & Condeus) proscriberentur: Gregorius naturâ cunctabundus, & pro sua prudentiâ considerans quanti res hæc esset momenti, deliberationem de die in diem ducens, adeò egit ut priùs è vitâ discesserit, quàm id ab eo obtineri potuerit.

IX. IAPONIORUM LEGATIO AD PONTIF.

Sub finem verò vitæ consolatus est illum Deus ingenti lætitiâ adventûs in Vrbem Principum Iaponiorum. De Iaponiis autem dictum à nobis aliàs [a]; deque B. Francisci Xaverii, aliorúmque Patrum in earum culturâ laboribus. Illuc cùm accessisset Alexander Valignanus Soc. Iesu Indiarum Visitator, & munera sacra ad Principes qui fidem Christi susceperant à Gregorio [b] Pontifice attulisset; (qui etiam anno sui Pontificatûs undecimo [c] quatuor in iis insulis ædificavit collegia Societatis) in reditu dictis Principibus suasit legationem Romam mittere, ad debitam Apostolicæ Sedi submissionem Christiano ritu præstandam. Quare legati ad id delecti, anno 1582. mense Februarii nave Lusitanâ à Iaponiâ solventes, primùm ad Sinarum portus, inde in auream Chersonesum, & tandem in Indiam venerunt: ac post longas variis locis moras, ex Indiâ navigantes, Africæque sinuosa littora legentes, in Europam appulerunt. Fuerunt autem illi adolescentes, Christianâ pietate modestiâque insignes, *Mancius Isus* Fiungiæ Regis nepos, & *Michaël Gingivus* Protasii Regis Arimæ frater patruelis; ille à Francisco Rege Bungi missus, qui caput legationis erat, annum ætatis 20. agens: hic ab eodem Protasio Rege Arimensi, & Bartholomæo Principe Omuræ, octodecim annorum: quos alii duo è præcipuâ nobilitate adolescentes ejusdem circiter ætatis, res novas visendi studio comitabantur, *Martinus Fara*, & *Iulianus Naçaura*, cum paucis famulis, dúxque primus fuit supradictus Pater Valignanus: quousque illo Goæ in Indiâ subsistere jusso, alii Patres Iaponicæ linguæ eruditi curam legationis susceperunt, cum quibus demùm 10. Augusti anni superioris 1584. Olysipponem appulerunt; ab Alberto Cardinale Austrio regni Lusitanici gubernatore honorificè excepti: indéque Madritum ad Regem Philippum terrestri itinere emissi: ubi à proceribus obviam euntibus magno honore ad Regem introducti exeunte Octobri, & usque ad vigesimum sextum Novembris lautè habiti: Tum in Italiam tendentes, post varios cursus, Liburnum in littore Tyrrheno appulerunt Calendis Martii præsentis anni, & à Francisco Magno Etruriæ Duce Florentiæ magnificè excepti fuêre: Indéque Romam iter intendentes, ubique lautissimè habiti, denique in Vrbem 22. Martii pervenerunt, post tres annos & unum mensem itineris: ac postridie solemni pompâ ad Gregorium Pontificem deducti sunt; qui eos publico consistorio in aulâ regiâ, Cardinalium, Principum, Antistitúmque coronâ cinctus, humanissimè ad solitam pedum osculationem excepit. Allatæ ab eis, oblatæque Pontifici literæ, ex Iaponico sermone in Latinum versæ publicè recitatæ fuêre. Ad quas Pontificem & multos Cardinales lacrymas lætitiæ continere non potuisse, narrat qui vidit & descripsit Franciscus Mucantius Magister Cæremoniarum, in suis [d] Diariis: simul & ipsas Literas, & orationem referens Gasparis Consalvi è Societate Iesu pro Iaponiis habitam, causas legationis, ac Regum legatorúmque pietatem & constantiam, ipsiúsque Pontificis laudes continentem: necnon responsionem Pontificis nomine factam ab Antonio Buccapadulio, quâ eis gratulatus est de lumine veritatis accepto; Deúmque rogavit ut & cæteri ad idem pervenirent. Quæ pariter omnia continentur Actis Itinerarii & legationis confestim in publicum editis.

X. LITERÆ

Quoniam verò Literæ ipsæ historicæ sunt de primis fundamentis religionis Christianæ in

[a] Supr. ann. 1549. in fin.

[b] Vid. ann. 1557. II.

[c] Addit. ad Ciaccon.

[d] Ap. Victor. in Addit. ad Ciaccon. in Greg. XIII.

REGIS BUNGI AD PONTIFICEM.

iis ultimis mundi finibus, & statu tunc illorum regnorum; ac breviores quàm ut tædium legentibus afferre posse videantur: visum nobis in memoriam longissimæ ac remotissimæ quæ unquam ad Sedem Apostolicam accesserunt Legationis, hîc verbatim ex Latinâ interpretatione inserere. Fuerunt igitur Regis Bungi hujusmodi: ac primùm inscriptio: *Adorando, & cæli Regis locum in terris obtinenti, magno, & sanctissimo Papæ*: Ipsæ verò literæ: *Summi Dei auxilio suppliciter implorato, magnâ cum humilitate ad Sanctitatem vestram scribere aggredior. Dominus rector cæli terræque, cujus imperium super solem, lunam, & stellas, ignoranti mihi, & profundis immerso tenebris, claritatis suæ lumen jussit splendescere; ac nostratibus præcipuè populis arcam reserans suæ misericordiæ atque gemmarum, dignatus est ante annos ampliùs quatuor & triginta destinare in hæc Iaponis regna Patres è Soc. Iesu: quorum è salutari ac divinâ semente nonnihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus. Quod tam insigne beneficium, aliáque multa, ô sanctissime totius Christiani populi parens, vestræ potissimùm precationi meritísque accepta equidem refero. Ac proinde nisi me bella, senium, & affecta valetudo impedirent, conferrem me ipse ad visenda ac veneranda sacratissima isthæc loca: ac simul obedientiam exhibens, pedes V. Sanctitatis, post pia ipsorum oscula, capiti meo superimponerem, & sanctissimâ vestra manu pectus meum signo Crucis muniendum curarem. Sed quoniam iis quas dixi causis impedior, sororis meæ filium D. Hieronymum Regis Fiungiæ filium cogitabam legare pro me. Verùm quando is in præsenti longe abest, & P. Visitatoris instat profectio*; (Alexandri scilicèt Valignani, de quo suprà) *D. Mancium ejus consobrinum, eodem nomine mittere visum est. A V. Sanctitate magni beneficii accipiam loco, si pro ea qua fungitur in terris Dei vice, méque & Christianum hunc gregem, uti facit, fovere atque adjuvare perrexerit. Reliquiarum thecam à V. Sanctitate mihi dono transmissam accepi libens, ac meo vertici venerabundus imposui: atque ob id V. Sanctitati gratias ago habeóque tantas, ut explicandis iis nullæ neque lingua, neque ora sufficiant. Non ero longior quippe tum de regni hujusce rebus, tum de me ipso coram ex P. Visitatore & ex D. Mancio plura cognoscet Sanctitas V. Quam ego verè & ex animo adorans, multo cum timore ac tremore hasce literas exaravi* IX. *die Ianuarii anno post Domini adventum M.D.LXXXII.* Subscriptio: *Sanctissimis pedibus Beatitudinis V. substratus Franciscus Bungi Rex.*

XI. ALIÆ REGIS ARIMENSIS.

Regis Arimensis Literarum inscriptio: *Reddatur Epistola Magno illi & sancto Domino, quem adoro Dei vices gerentem.* Epistola verò sic habebat: *Cum Dei gratia demissè & humiliter has literas offero Sanctitati V. Ante hoc biennium, qui fuit annus ab adventu Domini 1580. per Quadragesimam, quibus maximè diebus pretiosa Passio Domini N. Iesu Christi recolitur; in magnis belli tumultibus, magna mearum rerum familiæque meæ perturbatione, denique in profundo Gentilium tenebrarum jacenti mihi, dignatus est Pater misericordiarum lucem veritatis, & rectum ad salutem iter ostendere, per venerabilem Visitatorem, aliósque Verbi Dei prædicatores è Soc. Iesu, qui enixè me adjuverunt, pérque baptismi sacramentum super me meósque divinæ gratiæ rorem è cælo devocarunt. Pro quo tali ac tanto beneficio mirè lætus, infinitas Regi cælorum ago gratias. Cúmque Sanctitas V. Christianum gregem universum moderetur & pascat; valde mihi fuit optatum, istuc venire, corámque humi stratus magna cum summissione exhibere illi obedientiam; & post pedum oscula beatorum, eosmet meo capiti superimponere. Sed quoniam variis rebus impedito id mihi non licet, mitto cum eodem P. Visitatore, patruelem meum D. Michaëlem, uti pro me hoc munere pietatis officiique fungatur. Ex eo ipso mea vota, & alia cognoscet V. Sanctitas: ac proinde non ero fusior. Quam ego ex animo sincero & humili venerabundus adoro. Die* VIII. *Ianuarii, anno post Domini adventum M.D.LXXXII.* Subscriptio: *Sanctitatis V. substernitur calceis, D. Protasius.*

XII. OMURÆ PRINCIPIS AGONES PRO FIDE.

Bartholomæus Omuræ Princeps, primus fuerat Iaponiorum Principum qui fidem Christianam cum baptismo suscepisset; tanto animi fervore ut dejectis ubique idolorum simulacris, & omni falsi cultûs superstitione abolita, multa ob eam causam pericula [e] adierit; & toto ferè principatu pulsus, non solùm à religione susceptâ non discesserit, sed incredibili animi fortitudine, ac præsentissimo Dei numine recuperatâ ditione, multò etiam quàm anteà constantiùs in sententiâ perseveraverit. Literarum ejus ad Pontificem hæc inscriptio: *Sublatis manibus adorans offero hæc sanctissimo Domino Papæ Magni Dei vices gerenti.*

[e] *Vid. supr. ann.* 1570. *XXVI.*

LITERÆ EJUS AD PONTIFICEM.

Literarum series hæc: *Vereor ne crimen audaciæ subeam: attamen cum Regis cælorum gratia rudem hanc Epistolam offero Sanctitati Vestræ. Quæ cùm in terris locum obtineat Dei, ac simul ex ipsius doctrina & magisterio Christianus populus pendeat universus, æquum sane fuerat memet maria transmittere, ipsúmque ad V. Sanctitatem invisendam venire, sacrósque ejus pedes post pia illorum oscula super meum caput imponere. Sed quò minùs hoc fungar officio, multæ me hoc tempore prohibent causæ. Nuper ad hæc tam remota loca lustranda P. Visitator è Soc. Iesu contendit; multísque rebus pie ac laudabiliter institutis, jam nunc redit in patriam. Qua ego tam præclara occasione invitatus, deesse nolui, quin fratris mei filium D. Michaëlem cum eo mitterem isthuc: qui licet muneri tanto sit impar, tamen gratissimum fuerit mihi, si eum V. Sanctitas ad beatorum pedum oscula admiserit. Intereà V. Sanctitatē supplex oro, obtestórque, ut mei memoriam conservare, méque & Iaponios hosce Christianos fovere dignetur. Id unum in votis est mihi. Reliqua ex P. Visitatore, & ipso D. Michaële coram cognoscet Sanctitas Vestra, quam ex animo adorans, cum timore scripsi. Die* XXVIII. *Ianuarii anno post Domini adventum M.D.LXXXII.*

XIII. GREGORII PONTIF. OBITUS.

Cum autem prædicti legati à Pontifice & Cardinalibus, & à cunctis aliis benevolè atque officiosè haberentur; ipsíque antiquitatum vestigatione, sacrorum locorum visitatione, aliísque piis honestísque oblectamentis recrearentur; contigit *Gregorium* repentinâ infirmitate ex hâc vitâ migrare. Qui cùm die Aprilis octavâ Consistorium de more ha-

buisset, decimâ post meridiem pituitâ fauces obstruente extinctus est; haud quidem sacrâ sumptâ Eucharistiâ, sed extremâ Unctione ritè curatus: anno ætatis octogesimo tertio mense tertio, Sedis decimotertio minùs duobus & triginta diebus, quem defunctum Stephanus Tuccius è Societate Iesu oratione funebri laudavit. Fuisse porrò de Ecclesiâ & Republicâ Christianâ optimè, siquis unquam alias, meritum; quæ de illo toto ipsius Pontificatu dicta sunt, planè indicant, præter alia plurima nobis intacta, quæ alii referunt. Quibus appareat, talem sese exhibuisse, qualem exhibiturum pollicitus fuerat in ingressu Pontificatûs; cùm in primo colloquio ad Cardinales in Consistorio habito, promisit curas eò omnes se collaturum ut sancito adversus Christi hostes fœderi nunquam deesset; ut sanctæ Inquisitionis officio sua staret auctoritas; ut decreta Synodi Tridentinæ mandarentur executioni; morum præcipuè reformatio, & abusuum emendatio promoverentur; ut erga Romanam Ecclesiam Principes afficerentur; ut alii de ipsâ benè meriti, justâ remuneratione ornarentur; ut magistratus idoneis, & ab avaritiâ alienis traderentur; ut inutiles ac supervacanei sumptus tollerentur, ne tributis subditi immodicè premerentur; denique ut ubique Iustitia, Pax, & Abundantia florerent. Distribuisse quoque egenis H.S. octingenties, (hoc est, vicies centena aureorum millia) legitur in publicâ inscriptione ad ejus marmoream à S.P.Q.R. in Capitolio erectam statuam: præter alia decies centena millia; quæ pauperibus virginibus in matrimonium collocandis expendit: & immensos illos thesauros in Seminaria omnium penè nationum construenda & dotanda, aliáque publica ædificia & opera contulit. Corpus sepulturæ traditum in sacello basilicæ S.Petri, quod ipse construxit; ac de suo nomine, & in honorem S.Gregorii Nazianzeni, cujus sacra ossa solemni pompâ in illud transtulit, Gregorianum nuncupavit.

Ejus præclaræ res gestæ.

XIV. Ei sufficitur Cardin. Perretus.

Post novemdialia, cùm Patres ingredi debuerunt conclave, M. Ant. Muretus Gallus Lemovix orator clarissimus, gravem ad eos orationem habuit; quâ eos hortatus est cum Pontificem deligere, in quo nec Pii V. pietatem, nec Gregorii XIII. cum pietate conjunctam prudentiam Orbis Christianus desideraret. Ingressi autem conclave ipso die Paschatis, vigesimo primo Aprilis, duo & quadraginta Cardinales; tertio pòst die, nempè vigesimo quarto ejusdem mensis, creârunt communi consensu, *Felicem Perretum*, Italum Picentem, humillimo vico Cryptis, (vulgò Grotas vocant) qui Montisalti castro Ripanæ diœcesis subjectus est, natum anno Christi 1521. 13. Decembris, pauperrimis parentibus Perreto de Montealto, qui manuum labore agro serendo vitam ducebat, & Marianâ de Camerino. Quam ortûs humilitatem non solùm ipse nunquam posteà erubuit, verùm etiam de eâ frequenter gloriari solitus fuit. Qui anno ætatis 12. Asculi in Ordinem Fratrum Conventualium S. Francisci admissus, adeò in literis & disciplinis profecit, ut doctissimus, & Verbi Dei præco insignis habitus fuerit. Congregationi S. Inquisitionis Consultor adhibitus, atque unà cum Hugone Boncompagno Cardinale (qui posteà Gregorius fuit XIII.) in Hispaniam pro Bartholomæi Caranzæ Archiepiscopi Toletani causâ profectus, cùm Romam rediret, à Pio V. Vicarius generalis suæ Religionis constitutus est, deinde Agathensis Ecclesiæ Episcopus, & anno 1570. 16. Maii, Cardinalis presbyter tituli S. Hieronymi Illyricorum, & anno sequenti Archiepiscopus Firmanus. Renunciatus post Gregorium Pontifex, coronationis insignia accepit Calendis Maii, die Mercurii; qui veluti fatalis ei fuit, quippe eo die natus, professus, factus Vicarius, Cardinalis, & Pontifex. Cepit verò nomen Sixti V. in memoriam Sixti IV. qui ex eâdem familiâ Franciscanâ centum antè annis Sedem Apostolicam rexerat: & symbolum, *De [f] ventre matris meæ tu es Deus protector meus.*

Sixti V. nomen accipit.
[f] *Psal.* 70.

XV. Iaponiorum abitus.

Interfuerunt cum honore ejus coronationi, & consueto cum pompâ fieri ad Lateranensem Ecclesiam (quem subsequenti Dominicâ fecit) progressui, Iaponii Principes. Qui dein ejus manu creati Equites, & à Conservatoribus Romani Senatûs Patricii, cum multis privilegiis & immunitatibus; dimissis cum amplis muneribus ad Reges suos, tribusque aureorum millibus ad impensas itineris donati, per Vrbinum ac Picenum à Pontificis ministris deducti, mense Iunio Venetias accesserunt. Vbi pariter summâ benignitate exculti, testimonium [g] sui itineris scripto reliquerunt, in laudem urbis ac Reip. Venetæ. Inde Ferrariam, Mantuam, Mediolanum, magnis ubique honoribus suscepti, excurrentes; Demum Genuæ nave conscensâ in Hispaniam trajecerunt patriam eodem quo venerant itinere repetituri: ad quam & feliciter appulisse constat [h].

[g] *Ap. Maur. Hist. Venet. lib.* 13.

[h] *Vid. infr. an.* 1586. XIX.

XVI. Italiam facinorosis purgat.
[i] *Bullar. to.* 2. *Sixt. V. const.* 1.
[ii] *Ibid. const.* 6.

Sixtus autem Pontifex, publicato imprimis Iubileo [i] universali octavo Calendas Iunii, ad opem Dei pro rectâ ipsius Ecclesiæ Christianæ administratione implorandam; manum quamprimùm operi admovens, inter cætera cùm cerneret facilitate Gregorii sui decessoris provincias & urbes Statûs Ecclesiastici adeò expositas fuisse deprecationibus & licentiæ facinorosorum hominum, ut nullibi tutus esset ab iis locus; edictum [ii] promulgavit Calendis Iulii: quo invocatis omnibus constitutionibus à prioribus Romanis Pontificibus editis contra exules, proscriptos, homicidas, viarum grassatores, raptores, incendiarios, sicarios, publicæ quietis perturbatores, statum Ecclesiasticum hostiliter peragrantes, aliósque ejusmodi quoscumque facinorosos homines, eorúmque receptores & fautores; eos ubique toto Statu Ecclesiastico mediato vel immediato diligentissimè perquiri à singulis dominis, magistratibus, communitatibus, & officialibus quorumcumque locorum, & capi ac Romam mitti mandavit sub gravissimis pœnis in negligêtes, pro singularum personarum qualitatibus, statutis: in quibus tamen noluit excommunicationem contineri, ne, ut ait, animarum potiùs perniciem quàm salutem afferret. Principes verò, & alios quancumque dominationem & jurisdictionem temporalem extra Statum Ecclesiasticum obtinentes, rogavit, hortatusque est, ne posthàc eosdem facinorosos Statûs Ecclesiastici in dominiis & locis suis ullo modo recipe-

rent, vel tutarentur; sed potiùs eos apprehendi, & in manus magistratuum Statûs Ecclesiastici consignari juberent. In executionem verò edicti legavit per provincias aliquos ex præcipuis Cardinalibus; qui ei solicitè intenderent. Memoratúrque inter eos Antonii-Mariæ Salviati Romani, sed Florentiâ oriundi, magni animi & auctoritatis viri, summa in his adhibita diligentia Bononiæ, quæ præ cæteris ferè locis ejusmodi hominum turbis vexabatur. Qui cùm etiam Ioannem Comitem Pepulum è primâ urbis nobilitate, monitum exules dedere qui in quibusdam ejus ditionibus extra Statum ecclesiasticum sitis receptum habere dicebantur, renitentem, ac se privilegii Cæsarei, quo illas possidebat, proscriptione tuentem; captum noctu in domo suâ, tanquam perduellem strangulari jussisset: hoc summæ severitatis exemplo tantum terrorem cæteris intulit, ut aliorum quoque Legatorum aliis partibus ad idem opus invigilantium operâ, brevî tranquillitas restituta fuerit.

XVII. CENSURIS AGIT CŌTRA NAVARRUM ET CONDEUM.

Idémque Pontifex tempus opportunum nactus, quo Rex Francorum, fœderatis in gratiam receptis, hæreticos toto regno proscripserat, sollicitationibus, quæ apud Gregorium, mitioris ingenii virum, locum invenire non potuerant, patulas aures præbens; ut erat fervidiori zelo, & magni nominis appetens, Henrici Regis Navarræ, & alterius Henrici ipsius patruelis Principis Condei, Borboniorum, hæresis Calvinianæ coryphæorum, causâ examinari jussâ, eosdem edito diplomate quinto Idus Septembris, cui unà cum ipso subscripserunt viginti quinque Cardinales, anathemate perculit, eò quòd cùm errores in quibus enutriti fuissent, semel abjurâssent [k], missis eâ de re oratoribus ad Gregorium Papam, rursùm in eos relapsi essent; séque cæteris iisdem erroribus infectis duces præbuissent; arma contra Regem & religionem tulissent, & cultum antiquum ubique profligâssent, adeò ut eorum correctio desperata esset. Vnde & Navarrum omni jure quod in regno Navarræ sibi competere contenderet, & illâ parte ejus quam occuparet, simul & Bearni principatu; Condeum, & utriusque successores, omnis principatûs & dignitatis jure, in perpetuum excidisse, indignósque esse qui in ullum principatum, ac speciatim in regnum Franciæ succederent, pronunciavit; subditósque omni obsequii sacramento solvit. Regem verò Francorum hortatus est, ut memor jurisjurandi in inauguratione præstiti de omnibus hæresum atque sectarum seminibus extirpandis, hanc sententiam executioni demandari juberet: omnibúsque Archiepiscopis & Episcopis injunxit, ut eandem per regnum publicari curarent. Verùm exitus nullâ ex parte Pontificis sententiæ respondit: nisi fortè animus ei fuerit, ex fœderatorum suggestione, ut ea contra Regem ipsum procederet: quandoquidem concionatores jam liberiorem licentiam loquendi in Navarrum & Condeum, quasi Pontificis judicio damnatos, inde capientes, etiam in eorum fautores invehi cœperunt; quo nomine & Regem tacitè comprehendebant. Navarrus autem & Condeus, ubi rem audierunt, per suos amicos, quibus non poterant tanti Principes ubivis carere, in ipsâ

[k] Supr. an. 1572. XVI

NAVARRI INTERCESSIO ROMAM MISSA.

Vrbe Româ programma valdè contumeliosum celebrioribus locis affigi curârunt octavo Idus Novembris: quo prædictæ Sixti censuræ intercedentes, quantum ad crimen hæresis sibi per eam objectum, eam falsam esse contestati sunt, Sixtúmque, salvâ sanctitate suâ, malitiosè mentitum esse; ipsúmquemet hæreticum existere, probaturos se in Concilio libero & legitimo; id quod nisi consentiret, habituros se illum pro Antichristo & hæretico: eíque hoc nomine perpetuum & irreconciliabile bellum indicere; & alia ejusmodi plura. Quâ de re contra eundem Pontificem fuêre multa alia scripta à diversis publicata variis titulis: putà Italicè viri innominati *Declaratio ad pulchram Italiam:* Latinè, sed joculari stylo, *Brutum Fulmen* Francisci Hotmani Iurisconsulti: prolixiórque apologia Petri Belloii item Iurisconsulti, ob quam molesto ac periculoso carcere diù vexatus fuit.

XVIII. NOVA REGIS EDICTA CONTRA HÆRETICOS.

Cùm verò inter hæc Hugonoti in Galliâ multa oppida & arces variis provinciis occupare audirentur; Rex contra illos edictum novum condidit Lutetiæ septimo Octobris, quod decimosexto in Senatu Parisiensi promulgatum fuit: quo propter illorum inobedientiam atque proterviam, spatium, quod ex termino sex mensium concesso per edictum mensis Iulii ad fidem Catholicam profitendam, aut regnum deserendum, supererat, ad quindecim dies contraxit: (exceptis feminis, quas toto semestri gaudere voluit:) bonáque eorum qui in armis essent annotari, & mobilia sub hastâ vendi, immobilium fructus in ærarium ad supplendos belli sumptus inferri jussit: multáque alia in eos decrevit. Contra quod Navarrus aliud simile ultimo Novembris Bergeraci edidit, pro occupandis pariter atque vendendis bonis Catholicorum qui contra se arma ferrent. Iámque omnia passim in armis erant; cùm Princeps Condeus, qui post excursam Pictonum & Santonum partem, Iacopolim, vulgò Broagium, ad Santonum insulas in littore maris situm oppidum; quod à Francisco Spinæo Sanlucio valido præsidio tenebatur, obsidione terrâ maríque cinxerat, & in summas angustias redegerat; nuncio accepto de arce Andegavensi proditione à Rupimortio occupatâ, quam ei traditurus esset: hujus majoris prædæ spe, Broagii obsidionem deserens, (ad quam veluti perfunctoriè Sanmemmium cum modicis copiis reliquit) Andegavim accurrit ad finem Octobris cum quatuor millibus delectorum bellatorum egregiè instructorum, majorémque partem ex nobilitate bellis expertâ conflatorum. Sed cùm reperisset Rupimortium occisum, & arcem in obsequio Regis firmatam; ipséque se undique à concurrentibus in eum ex omni parte regiis tam militaribus ducibus quàm rusticis circumseptum cerneret: jussis omnibus suis sibi prout quisque meliùs posset consulere, ipse quidem concubiâ nocte cum paucis per Cenomanos, inferiorem Normanniam, & inde conscensâ navi in insulam Grenezeam Anglicæ ditionis trajecit, cæteri ferè singuli, dimissis omnibus impedimentis, huc illuc dilapsi incolumes plerique evaserunt, plurimis eorum à Catholicis ipsorum amicis in domos suas receptis; ut vix ex tantâ fugâ seu dissipatio-

CONDEI INCONSIDERATUM FACINUS.

ne quisquam magni nominis aut captus aut interfectus fuerit. Iis verò auditis, confestim Sanmemmius obsidionem Broagii solvit. Sícque Condeo contigit quod in canis fabulâ est; ut qui secus flumen carnem ferens, majorem illius umbram in aquâ videret, relictâ quam tenebat ut aliam caperet, utráque privatus sit, qui sub anni sequentis initium, ab Angliæ Reginâ navibus & pecuniâ adjutus, Rupellam rediit: cùm interim per omnes Aquitaniæ provincias, pérque Septimaniam, & Delphinatum, bellum atrox ingrueret ab hæreticis: & ex aliâ parte Rex præter arma quæ exerebat, etiam novis edictis in eos ageret, ac præcipuè qui Condei partes secuti erant, & posteà dissipato ejus exercitu in domos suas se receperant.

XIX. Antuerpia subjugatur a Parmensi.

Haud melior, quinimmò & longè deterior Geusiorum in Belgio fortuna. Qui cùm à Rege Henrico non recepti, dum in eo essent ut cum Elisabethâ Reginâ Angliæ paciscerentur, Parmensis Gubernator regius Noviomagum, Bruxellas, Mechliniam, aliásque nonnullas urbes receptas; tandem & ipsam Antuerpiam, in quâ tanquam totius Belgii munitissimâ arce omne belli momentum vertebatur, memorabili admodùm unius ferè anni obsidione, per multos labores & pugnas, variísque hostium conatibus & stratagematis terrâ fluminéque superatis, in extremam necessitatem adactam, ad deditionem compulit: æquis pactis conditionibus die 17. mensis Augusti: quas viginti septem capitibus comprehensas inter cæteros refert Michaël Isfelttius in suo brevi rerum in orbe gestarum commentario; cui finem cum iis imposuit. Quarum capite sexto; ne urbs incolis vacua relinqueretur, concessum est universis civibus ut toto quadriennio, ab omni conscientiarum inquisitione, & causâ religionis jurejurando liberi in eâ permanerent, modò pacificè & sine offendiculo viverent atque intereà deliberarent utrùm ad fidem Catholicam redire vellent: qui nollent, tempore exacto liberè provinciâ exirent; ac nihilominùs plenam omnium bonorum suorum possessionem retinerent, cum integrâ facultate de iis disponendi, vendendi, alienandi, aut secum transportandi, vel etiam per suos procuratores administrandi: & si extra provinciam intestati morerentur, hæredes proximi ex jure succederent. Fuerunt pacis conditiones, unà cum præteritorum omnium amnestiâ, summâ populi gratulatione promulgatæ in urbe die 21. ejusdem Augusti: Ipséque Parmensis vigesimo septimo eam triumphans magno plausu ingressus est: erectâ ei à Genuensibus suis sumptibus, præter cætera civium triumphalia opera, columnâ rostratâ ordinis Dorici, centum circiter pedes altâ, in quâ ejus effigies visebatur instar Alexandri vestitu antiquo Romano mirâ arte elaborata.

XX. Regina Angliæ suscipit patrocinium Ordinum Belgii.

Ordines autem insigni omnium provinciarum fœderatorum legatione Reginam Angliæ adeuntes, quod cum Rege Henrico præstiterant, idem & cum ipsâ de oblatione pleni imperii ac supremæ potestatis egerunt. Quibus illa benignè auditis, dominium quidem recusauit; (quod nec dare in Ordinum potestate erat: qui non populorum electione, sed jure hæreditario à majoribus per manus accepto, Philippo Regi legitimo jure subjecti erant: à cujus subjectione nequaquàm erat iis liberum pro arbitrio recedere, etiamsi fortè aliquid privilegiorum ab antiquis Principibus acceptorum violâsset) sed patrocinium suscepit, utpotè ejusdem religionis cultorum; & ut Angliæ, uti prætexebat, securitati consuleret ab insidiis Philippi, cui Belgium in ordinem redigi non posse, nisi Angliâ priùs expugnatâ persuasum esse dicebatur; adeóque ne bellum in Angliam traheretur, in Belgium transmittendum esse. Fuêre autem hæ præcipuæ fœderis conditiones; ut Regina mitteret fœderatis provinciis auxiliares copias quinque millium peditum & mille equitum sub gubernatore generali: & durante bello stipendia solveret, quæ Ordines pace restitutâ repensuri essent: atque interim in eorum cautionem Vlissinga urbs & arx Ramekana in Zelandiâ, & Briela insula cum urbe & duobus propugnaculis in Bataviâ, in Reginæ manus traderentur: naves ad communem defensionem pari numero, sumptu communi, sub imperio Admiralii Angliæ instruerentur: & alia, quæ typis excusa fuerunt. Ipsáque Regina scripto Anglicè Gallicéque publicato hujus rationes fœderis reddidit: societatem olim inter Reges Angliæ, & Belgii Principes atque urbes seorsim fuisse contractam de mutuâ fide & defensione præstandâ: efferatam Hispanorum in miseros Belgas crudelitatem hujusmodi auxilia ab ipsâ extorsisse; quibus nihil aliud propositum esset, quàm ut Belgæ pristinâ libertate, ipsa subditique securitate, & utraque natio pacatè commerciis gauderet. Vrbes autem illæ & propugnacula confestim in potestatem Reginæ tradita sunt: & summus rerum præfectus ab eâ constitutus Robertus Dudleius Comes Leicestrius; qui fine anni magno apparatu in Belgium transmisit.

XXI. Draki excursio in Americam.

Quibus magno animo femina potentissimo Hispaniarum Regi quasi bellum denunciare ausa, simul ut eidem aliâ quoque parte incommodaret, Franciscum Drakum rei navali, & Christophorum Carlilum terrestribus copiis præfectum, cum classe 21. navium ad Indiam Occidentalem misit. Qui decimoquarto Septembris solventes ex Angliâ, in insulam S. Iacobi propè Viride Promontorium mense Novembri delati, urbem diripuerunt: Calendis Ianuarii Hispaniolam appellentes, urbem amplam S. Dominici ceperunt: ac subinde in continentem Americæ navigantes, Cartagenam expugnârunt. Floridæ littora deinde legentes, in Angliam reverterunt ad finem Iulii anni proximi, haud tantâ prædâ quam animo conceperant, nec magno operæ pretio; desideratísque totâ piratica excursione septingentis quinquaginta hominibus, aut pugnis aut morbis. Cujus historia edita fuit in publicum ab uno qui interfuit. Eo verò itinere prætergressus Drakus Floridam incidit in *Virginiam* insulam, ab Anglis nuper repertam ductu Richardi Greinvilli equitis Angli, sícque in honorem Elisabethæ virginis denominatam; in quam Walterus Ralegus magnâ apud Elisabetham gratiâ florens, coloniam Anglorum miserat: quos tamen inde Drakus,

Virginiæ insulæ inventio.

quòd omni spe commeatûs ex Angliâ dejecti essent, numeróque valde accisi, in patriam reduxit. Est autem soli ubertate, ac cæli temperie nobilis: homines industrii, venatione viventes: Deos multos credunt, diversorum tamen generum & ordinum; unúmque solum, qui ab æterno fuerit, ac cæteros creaverit; &c. De quibus, ipsáque insulâ, qui plura nôsse voluerit, habet narrationem Thomæ Harioti Angli, editam Francofurti. Atque hæc quidem foris.

XXII. [l] Camden. in Elisabeth. an. 1584. & 1585. ASSOCIATIO ANGLICA CONTRA MARIAM SCOTAM.

Intùs verò antiquum jus suum servantes regni ordines in Parlamento congregati mense Martio, Associationem [l] anno superiori Leicestrio Comite auctore, specie securitatis Elisabethæ, ex omni hominum ordine per Angliam privatim factam, quâ se mutuis votis, subscriptionibus, & sigillis obstrinxerant, ad eos omnibus viribus ad mortem usque persequendos, qui in Reginam aliquid attentarent; publicè confirmârunt. Et in caput infelicissimæ Reginæ Mariæ Scotiæ (contra quam etiam fuerat ea instituta) retorquentes, sanxerunt ut viginti quatuor aut plures è sanctiori Consilio & proceribus regni constituerentur, qui in eos inquirerent qui regnum invasuri essent, rebellionem concitaturi, aut regiam personam lædere aut perdere attentaturi, pro quocumque, vel per quemcumque, qui jus ad Angliæ coronam vindicaret: qui hujusmodi attentatu Coronæ omninò incapax futurus esset, omníque omninò jure privatus, & ad mortem usque ab omnibus subditis exagitandus.

XXIII. [m] Id. ibid. [n] Ext. integrum in Concert. Eccl. Angl. in fi. EDICTUM CONTRA SACERDOTES, &c.

Quando & eodem obtentu conjurationem in Reginam, iisdem comitiis [m] Parlamentariis sævum admodùm conditum est edictum [n] contra Sacerdotes, ac præcipuè Societatis Iesu, & eos qui in ipsorum Seminariis instituerentur, alióſque quoscumque Catholicos. Videlicèt ut ii omnes, & quicumque juxta ritum Romanæ Ecclesiæ ordinati essent ab ipso initio regni Elisabethæ, intra quadraginta dies regno excedere deberent; & qui inde reperirentur, rei essent læsæ majestatis: qui verò receptarent, homicidarum pœnâ plecterentur: Iuvenes laici ditionis Anglicæ, qui extra regnum in ejusmodi Seminariis alerentur, intra sex menses redirent; & Reginæ se submitterent, sub pœnâ majestatis; qui verò iis extra regnum permanentibus pecuniam aut aliud subsidium mitterent, perpetuo exilio, & omnium bonorum amissione plecterentur. Denique qui liberos aut famulos extra regnum absque Reginæ licentiâ mitterent, pro singulis vicibus centum libris Anglicis (quæ mille Turonenses conficiunt) mulctarentur: & alia ejusmodi ad hæc pertinentia: A quarum tamen legum acerbitate liberi essent, qui quovis tempore in causâ religionis Reginæ, ac regni legibus se submittere vellent. Ex quâ ultimâ clausulâ, uti ex cæteris, si ad examen reducantur, apertè intelligitur, causam illam conspirationis in Reginam, positam in edicti præfatione, fucum fuisse ad decipiendos populos; verámque ac solam causam legis sanciendæ odium extitisse religionis Catholicæ.

XXIV. ARUNDELIÆ COMITIS CONDEMNATIO.

Harum porrò legum acerbitate admodùm perterritis Catholicis, inter eos *Philippus Havvardus* Arundeliæ Comes, Ducis Norfolciæ filius primogenitus, totius Angliæ nobilissimus, ne in eas committeret, solum vertere cogitavit, certúsque abeundi, litteras scripsit Reginæ reddendas; quibus potentium adversariorum invidiæ cedere se coactum aiens, patriam se, ut Deo vacaret, animæque saluti consuleret, deserere, at nequaquàm fidem in Reginam deserturum, dixit. Qui navigium secretò conscensurus, suorum perfidiâ, & naucleri indicio comprehensus, in arcem Londinensem conjectus fuit; atque unà cum ipso fratres ejus & universa familia. Vbi post annum in judicium vocatus, accusatúsque quòd Sacerdotes contra leges fovisset, litterarum commercium cum Iesuitis Reginæ hostibus habuisset, & regno sine licentiâ exire cogitasset: decem millibus librarum Anglicarum, hoc est centum millibus Turonensium, & carcere, quamdiù Reginæ visum, damnatus est. Post triennium deinde, nempè anno 1589. iterùm examinatus, de iisdem, ac prætereà de benevolentiâ in Hispanos, condemnatus est, & in eandem arcem funestâ securi adversâ prægestatâ reductus, vitæ tamen gratiam à Reginâ habuit: donec tandem anno 1595. ibidem in carcere piam animam vir innocentissimus, anno ætatis suæ vix quadragesimo Deo reddidit; cùm ex quo damnatus a judicibus fuisset, totus in meditationibus defixus, arctissimóque Catholicæ religionis instituto adstrictus, austero vitæ genere se macerâsset. Ita enim totam ejus historiam describit Elisabethæ historicus. [o]

[o] Camden. in Elisab.

XXV. ALII CÕFESSORES ET MARTYRES IN ANGLIA.

Erat in eâdem arce hoc eodem tempore Henricus Percius potentissimus Northumbriæ Comes, & ipse Catholicis favens; ideóque de proditione, & studio liberandæ Reginæ Scotiæ accusatus: qui mense Iulio mortuus repertus est in suo lectulo tribus sclopeti glandibus trajectus. In eum propterea ab infaustis judicibus, quasi sibi mortem conscientiâ culpæ conscivisset, sententia lata est: cùm nihilominus certum esset, atque ita [p] vulgò creditum fuerit, scelere inimicorum ejus id factum esse, qui virum innocentem, cùm criminum objectorum reum peragere non possent, veriti ne tempore calumniæ paterent, eum indignâ morte affecerint. Idque Leicestriæ Comiti, ejus capitali hosti, & religioni Catholicæ infensissimo inimico, potissimè imputatum extitit. Eodêmque anno, ut fuit perpetuò martyriis & confessionibus fecundi[ssi]ma Anglia, cùm essent omnes tam veteres quàm novi carceres confessoribus pleni, consilium boni illi Reginæ ministri inierunt de quibusdam quos in vinculis habebant in exilium mittendis, vel quia morte sacerdotum se nihil proficere senserant, vel ut fucatam clementiam adstruerent. Quare ex singulis Londinensibus carceribus viginti deligentes, eos mense Ianuarii navi impositos, dolentésque maximè & querentes quòd è patriâ insontes & indemnati pellerentur, Boloniam deduxerunt, unde illi Rhemos concesserunt ad commune seminarium communémque partem Guillelmum Alanum. Inter quos extitit *Eduardus* ille *Rishtonus* presbyter, qui schismatis Anglicani operi à Nicolao Sandero duobus libris usque ad finem Mariæ Reginæ comprehenso, tertium addidit de regno Elisabethæ, & in eâdem Turri Londinensi ob fidem detentus,

[p] Vid. Concert. Eccl. Angl. part. 2.

morteque damnatus, sententiâ in exilium mutatâ, unà cum cæteris illis pulsus in Galliam fuit: uti ipsemet in fine dicti sui libri tradit: habens pariter aliorum 22. sacerdotum ex Eboracensi & Hullensi carceribus, in exilium amandatorum memoriam; rursúmque aliorum 30. mense Septembri, nec ullus hujusmodi afflictionum finis.

XXVI. REX SCOTIÆ CAPITUR A PERDUELLIBUS.

Scotia quoque Reginæ Elisabethæ & consiliariorum ejus arte turbata est; cùm videlicet persuasa ab Arani æmulis, eum Iesuitas fovere, & ad Gallos propensum esse; permisit ut nobiles Regi rebelles, qui in Angliam velut in asylum confugerant, in Scotiam, minimè vocati, redirent, pecuniâ etiam iis subministratâ. Qui in Scotiam manu armatâ ingressi, verboso programmate conjurationem suam, consueto seditiosorum more, excusantes ex mala rerum administratione, & Regis in manibus pravorum hominum captivitate; omnibus Regis nomine injunxerunt opem conferre ad veritatem Evangelicam defendendam, Regem à pravis consiliariis liberandum, & amicitiam cum Anglis conservandam. Collectísque circiter decem millibus equitum, Regem Sterlini obsederunt: captóque oppido, eum in arce consistentem coegerunt se eorum potestati tradere: cunctísque rebus apud eum, & in regno, pro arbitrio mutatis, tam ipsius quàm omnium mutationum, præfecturarum, officiorum, cæterarúmque omnium rerum potentes facti sunt; acceptis etiam in potestatem adversariis suis: excepto Araniæ Comite, qui manus eorum effugiens, diù vagus cum summis incommoditatibus conflictatus, post aliquot annos interfectus est. Interímque fœdus Arctioris amicitiæ, ut vocàrunt, ictum inter Reginam & Iacobum Regem; convenientibus ad hoc, anno consequenti Berwici in finibus utriusque regni, utriusque Principis delegatis.

XXVII. [q] Epist. Turcic. lib. 12.

REGIS PERSAR. LITERÆ AD HISP.

Ad Philippum Hispaniæ Regem reperimus [q] hoc eodem anno mense Iulii scriptam ab Hodabende Persarum Rege epistolam, de mutuâ amicitiâ & fœdere contra Turcos. Cujus hæc inscriptio: *Schachus Muchemetus Hodabendes (Dei servus) magnus Rex Persiæ, Generalis Calipha sectæ Hali, Caput Chuselbasarum, Monarcha Persiæ, Mediæ, Assyriæ, & Armeniæ; Dilectus filius & sectator legis Prophetæ Mahometis, Domitor tyrannorum in Oriente, Princeps magnæ urbis Samaracandæ, Protector magnæ Insulæ Chienæ, Laudatus sectator divini Ismaelis, invictus Sophi, & Dominus maris ac terrarum in Oriente supremus: Salutem & victoriam optat Philippo Austriaco inter cæteros Reges orbis Christiani instar Solis illustrissimo & optimo, triumphanti in excelso throno Imperii potentissimo Christianorum, &c.* Narrbat autem; etsi religionis inter ipsos dissimilitudo esset, potentiâ tamen & communi odio adversus Othomanum tyrannum conjunctos & æquales esse. Eáque propter mandâsse se omnibus provinciis sibi subjectis, vel commercia cum iis exercentibus, in Indiâ & vicinis regionibus, omnem benevolentiam Hispanis, alisque in Indiâ Philippo subjectis præstare: ejúsque pariter intuitu omnes Christianos in suis regnis eodem statu, & honore quo cæteros suos subditos esse. Se jam totos septem annos potenter vanissimum & fastuosissimum Turcum hæreticum in angustias redegisse, & quinque ejus exercitus dissipâsse; nec desiturum, donec toto Oriente eum expulisset. Petere verò ut Philippus secum fœdere jungeretur; classémque suam armatam tormentis præcipuè æneis instructam in Arabiam mitteret; alterámque in Græciam; quibus Othomanus ex Arabiâ & Græciâ pelleretur: ut victo tyranno, ipsi duo totum terrarum orbem pacificè justéque gubernarent. Ita ille, & alia ejusmodi magnificè, si tam foret exequi facile quàm eloqui.

XXVIII. TAURISIUM OCCUPATUR A TURCIS.

Quod tamen ait de dissipatis à se Turcorum exercitibus, diximus nos de iis superiùs. Præsentis verò anno Osman ei bello præfectus ab Amurate, Taurisium, olim Ecbatanam, majoris Armeniæ urbem opulentissimam, præcipuámque Imperii Persici sedem, cùm potentissimo exercitu penetrans; eam nullis clausam muris, aut aggeribus munitam, sive magnis certaminibus cum incolis pro aris & focis acriter dimicantibus, ut Minadous [r] habet, sive spontaneâ deditione, ut Leunclavius [s], in potestatem suam redegit; & contra fidem datam sævissimæ direptioni exposuit. Excitataque ibi amplissimâ munitione, cui duodecim millia præsidiariorum imposuit, de reditu cogitare per seditionem militum Europæorum; opimæ prædæ in direptione Taurisii collectæ avehendæ cupidorum, coactus; cùm jam ex intestinorum gravissimis doloribus & dysenteriâ incurabili ægrotaret, in itinere mortuus est in mediis pugnis & cladibus, quibus Emir-Emia Hodabendis grandior natu filius princeps strenuissimus, cum lectissimo virorum fortium exercitu Turcos diversis diebus affecit; occisis octoginta quinque eorum millibus, in quibus erant veteranorum quadraginta millia, multíque præclari duces; & recuperatâ omni prædâ: atque urbe Taurisio receptâ, exceptâ tamen munitione recens extructâ, quæ in potestate Turcorum permansit. Donec anno sequenti, traditâ iterùm ab Amurate belli administratione Ferhati, quem vidimus ante Osmanem eam exercuisse, is feliciùs rem egit; eò quòd Emir-Emia, qui post tot secunda prælia, majora præstandi spem concepisset, atque etiam præstare cœpisset nonnullis cladibus hostibus illatis; domesticis insidiis à Turcis procuratis impetitus, non tam de hostibus debellandis, quàm de privatâ salute contra imperii proditores tuendâ solicitus esse habuit. Qui nihilominùs cùm minùs putaret, à domestico eunucho nocturnâ fraude interfectus est: ac cum eo virtutis Persicæ lumen; quod adeò splendori Othomanici imperii officiebat, extinctum est. In cujus nece Minadous accuratissimæ suæ hujus Turcopersici Belli Historiæ finem imposuit. Ex eâ porrò nece Emzæ parens Hodabendes ingentem dolorem concipiens, accendente rerum suarum tædio, non ita pòst diem obiit, relicto alio filio *Abâ Morize* imperii hærede, sub quo lentè aliquo tempore continuato bello, renovatum deinde est negotium pacis, pactæque anno 1589. induciæ decennales, quibus facta est Turcis facultas retinendi quatuor munitiones ab iis intra fines Persarum constructas, interim dum pax integra conciliaretur.

[r] *Minad. de Bell Turcopers. lib. 8.*
[s] *Leunclav. in supplem. Annal. Turc.*

VARIA ALEA BELLI PERSICI.

XXIX. [t] Minad. & Leunclav. ibidem. DRUSI POPULI SUPERANTUR A TURCIS.

Quo verò tempore [t] Osmanes in Perside rem agebat, Ibraim quoque Bassa Ægypti præfectus, Illyriâ ortus non longè ab Epidauro, Maronitas, & Drusos seu Truscos, populos Christianos inter se fœderatos, bellatorésque fortissimos, montem Libanum, proximúmque tractum incolentes, quos inter se concorcordes Selimus pater Amuratis frustrà tentaverat; discordes aggressus facilè superavit, ingentémque prædam retulit. De Maronitis dictum sæpè superiùs. Drusi verò, sive Trusci, ex reliquis se esse profitebantur illorum Christianorum qui Gothofridum Bulionensem in Terram Sanctam comitati fuerant; qui paulatim in varios de fide errores delapsi, penè Christianitatem exuerant: jámque in ordinem ab Ibraimo coacti, non tamen cessârunt post ejus recessum tumultuari; adeò ut jusserit Amurates Truscorum gentem omninò deleri, quod tamen majoris metu seditionis factum non est; sed potiùs lenitate in officio confirmati sunt.

XXX. [u] Isselt. in contin. Surii. FALSUS SEBAST. PLECTITUR.

Tradunt nonnulli [u] lapicidam quemdam; qui jampridem ex insulâ Tercerâ in Lusitaniam venerat, anachoretam se mentiens, etiam Sebastianum Regem Portugalliæ se tacitè dixisse, divinâ providentiâ ad salutem subditorum a Maurorum manu conservatum: præsenti verò palàm sese exerentem, multos Lusitanos, jugum Castellæ impatientissimè ferentes, sibi allexisse, iisque officia tam civilia quàm palatina distribuisse; collectis circiter septingentis armatis. Contra quem subitò Cardinalis Austriacus Prorex aliquot cohortes misit, quæ ejus copias fuderunt, ipsúmque cum præcipuis ejus ministris ceperunt, qui Olysippone tormentis subjectus, imposturámque fassus, dignam illâ mercedem tulit.

XXXI. CONCIL. AQUENSE.

Celebratum est hoc anno mense Augusti *Aquis Sextiis* in Provinciâ Galliæ, Concilium ab *Alexandro Canigiano* Archiepiscopo, cum Episcopis suffraganeis, de rebus Fidei, ritibus Ecclesiæ, ac morum reformatione. Quod approbatum à Sede Apostolicâ typis editum fuit Parisiis anno sequenti. Aliúdque in provinciâ *Mexicanâ* Indiarum Occidentalium, præsidente *Petro Moya* de Conteras Archiepiscopo Mexicano, atque etiam Gubernatore: confirmatum Romæ 1589. typísque editum 1622.

ALIUD MEXICANUM.

XXXII. CONSTITUTIO DE VISITANDIS LIMIN. APOSTOL.

Ad finem autem anni Sixtus Pontifex ad corroborandam unionem, quæ inter Summum Pontificem, ac cæteros Episcopos in partem solicitudinis Ecclesiæ constitutos, pro optimo ipsius regimine esse debet; revocans in usum antiquam consuetudinem, quâ Episcopi, Archiepiscopi, & Primates statis temporibus Romam ad Limina Apostolorum, tanquam ad totius sacerdotalis fontem, peregrinari soliti erant; vel suo nomine nuncios mittere, qui suarum Ecclesiarum statum Pontifici repræsentarent, & de earum necessitatibus cum eo conferrent; sícque sanctæ matris suæ Ecclesiæ Romanæ veluti complexu recreati; & paterno Summi Pontificis, cujus est confirmare fratres, colloquio roborati, alacriores & instructiores ad sua redirent: constitutionem [x] edidit 13. Calendas Ianuarii; quâ eandem peregrinationem ad Limina iisdem omninò injungens, modum etiam & temporum spatia pro locorum distantiâ expressit, quibus singuli eam adimplere tenerentur per se ipsos, aut alios idoneos: & rationem reddere de Ecclesiarum suarum statu, déque rebus ad Cleri & populi disciplinam, animarúmque salutem spectantibus, & vicissim mandata Apostolica recipere, videlicèt ex Italiâ & Italicis insulis, ac regionibus adjacentibus, tertium quemque annum ab ordinatione cujusque: ex Germaniâ, Galliâ, Hispaniâ, Hungariâ, Angliâ, & cæteris provinciis quæ in Europâ sunt citra mare Germanicum & Balticum, ac omnibus Insulis maris Mediterranei, quartum; ex remotioribus Europæ regionibus, & Africæ littoribus, atque Insulis maris Oceani Septemtrionalis & Occidentalis Europæ & Africæ citra continentem novi Orbis, quintum: ex Asiâ & cunctis novis terris, ac mundi partibus, decimum. Ad hæcque præstanda cunctos sese jurejurando obligare præcepit. Qui verò non præstarent, eos ab ingressu Ecclesiæ, ac etiam ab administratione tam spiritualium quàm temporalium, necnon à perceptione fructuum, suspensos esse decrevit, donec relaxationem à Sede Apostolicâ obtinuerint. Quod quidem decretum, utile sanè & commodum, ab omnibus juratur, & à paucis nihilominùs observatur: saltem in Galliâ, ubi Libertas Ecclesiæ præ cæteris regnis in pretio est. Ego certè, qui indignissimus Episcopus consecratus fui, præceptum, ut filius obedientiæ ad amussim hactenùs servavi, mittendo statum per idoneum sacerdotem: longè tutius existimans id promptè exequi, quàm utrùm ad exequendum obliger inquirere ac disputare. Quisque in suo sensu abundat; ego in hoc: cùm sciam dixisse Spiritum S. per Samuelem [y] Prophetam, *quasi peccatum ariolandi esse, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.*

[x] Bull. tom. 2. Sixt. V. const. 15.

[y] 1. Reg. 15.

XXXIII. CARDIN. ARMAN. ET SIRLETI OBITUS.

Mortui sunt hoc anno plures doctrinâ illustres viri, aut literarum patrocinio. Inter quos eminuit *Georgius* Cardinalis *Armaniacus*, de quo sæpè superiùs, ex antiquissimâ & illustrissimâ familiâ Comitum ejus nominis prognatus: qui Francisci I. Regis commendatione Cardinalis creatus à Paulo III. maximos in utrâque aulâ Pontificiâ & regiâ honores gessit: vir comitate, humanitate, & liberalitate insignis; ac licèt non ideò excellenti eruditione ipse præstans, literatorum tamen fautor eximius. Collega factus Cardinalis Borbonii in legatione Avenionensi, ibi senectutis suæ Domicilium fixit; iisque virtutibus quas dixi magis quàm armis, Pontificiam ditionem ab hostibus tutatus est. Mortuus est autem ibidem 5. Nonas Iunii, ætatis anno 85. in majori urbis templo sepultus. Romæ verò 8. Idus Octobris decessit *Guillelmus Sirletus* itidem Cardinalis, Squillacii in Calabriâ natus, rarâ linguæ Græcæ atque etiam Hebraïcæ peritiâ præditus, & à Pio IV. Caroli Borromæi Cardinalis commendatione in sacrum collegium allectus: factúsque Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, cùm Græcam Bibliorum editionem curaret, mortuus est anno ætatis 71. exacto. Cui in eo munere succedens *Antonius Carafa*, rarâ & is linguæ Græcæ cognitione imbutus, inchoatam editionem ad umbilicum perduxit.

XXXIV. M. ANT.

Romæ itidem pridie Nonas Iunij diem obiit *M. Antonius Muretus* anno suæ ætatis 60.

MURETI OBITUS.

Ratiasti in Lemovicibus natus, ingenio præstanti, utriusque linguæ peritiâ clarus, & orator insignis: qui literas humaniores variis Galliarum & Italiæ Academiis professus, postremò Romam ab Hippolyto Cardinale Estensi invitatus, in illius, & post ejus mortem in Aloisii item Cardinalis Estensis familiâ consenuit: sepultus in Ecclesiâ Sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio Patrum Minimorum. Quem defunctum laudavit Franciscus Bencius, tanto præceptore dignissimus discipulus.

ITEMQUE CAR. SIGONII.

Carolus idem *Sigonius* Mutinensis Italus, in patriâ decessit, annum supergressus sexagesimum; variis editis monumentis ad æternitatem victuris; quibus inter cætera antiquitatem Romanam, iisdem quibus Onuphrius Panvinius vestigiis insistens, & posteriora tempora unus post omnes eatenùs maximè illustravit.

ET IOAN. MOLANI:

Ioannes quoque *Molanus* Lovaniensis, Belga, & Theologiæ in celebri illâ Academiâ professor, & Historiæ Ecclesiasticæ, quam compluribus scriptis illustravit, admodùm gnarus, decimoquarto Calendas Octobris in patriâ naturæ debitum persolvit jam senex.

AC PETRI RÓSALDI.

Denique quinto Calendas Ianuarii *Petrus Ronsaldus* Gallus gente nobili in Vindociniis natus: qui tardiùs ad litteras animum appellens, præceptore usus *Ioanne Aurato* Lemovice Mureti tribule, insigni valdè poëtices professore, ex cujus schola prodierunt multa alia præclara hujus sæculi lumina; tantâ illas aviditate simul & felicitate percepit, ut præteritæ negligentiæ damnum brevi tempore resarcierit: in poëticâ verò tantum antiquorum imitatione atque adeò æmulatione profecerit, ut præstantissimos æquâsse, plerosque ex iis superâsse à multis censeatur. Qui acerbissimis arthritidis doloribus extremâ ætatate conflictatus, attenuato corpore, ad Sancti Cosmi cœnobium non longe ab urbe Turone animam Deo reddidit anno ejus creationis sexagesimo; eodem planè loco [z] ubi Berengarius olim obiit: ibidémque sepultus est, quem eleganti ac prolixâ funebri oratione laudavit *Iacobus Davy* Perronius, magni jam ingenii & eruditionis adolescens; qui plurimùm posteà & dignitate & famâ crevit, ut videbitur suis locis. Supervixit autem ei præceptor Auratus; qui vitam propagavit usque ad annum Christi 1568. ætatis suæ penè octogesimum.

[z] *Masson. in Elog. Ronsald. tom. 2.*

IESU CHRISTI Annus 1586.

SIXTI V. Ann. 2.

RUDOLPHI II. Ann. 10.

I. OBELISCI ROMÆ A SIXTO PONTIF. ERECTI.

ANno Christi millesimo quingentesimo octogesimo sexto, Indictione decimaquartâ, Sixtus Pontifex redditâ Italiæ quiete à grassantibus anteà impunè exulibus & latronibus, ad Vrbem etiam operibus publicis ornandam, in sempiternam nominis sui memoriam, animum convertens; inter cætera planè admiranda, obeliscum ex [a] marmore pyropœcilo, quasi dicas maculis igneis variegatum, solidum in Thebaide Ægypti olim excisum, Solique dicatum, & posteà Romam advectum, & Augusto ac Tiberio Imperatoribus consecratum; deinde verò à Totilâ Gothorum Rege dejectum, jámque in Vaticano loco obscuro ac sordido ruinis penè obrutum jacentem in aream S. Petri loco conspectiore transferri, quod frustrà nonnulli ejus decessores cogitaverant, curavit; operâ maximè *Dominici Fontana* Novocomensis, architectonices peritissimi; qui posteà librum de omni apparatu, instrumentis, & machinis tanto operi adhibitis, déque modo ejus levandi, transferendi, ac loco designato collocandi, edidit: in quo & pondus lapidis esse ait 956148. librarum, longitudinem 107. pedum, latitudinem parte infimâ 12. supra quâlibet parte 6. cum stylobatâ 150. palmorum cum tribus quadrantibus, quibus si addatur intervallum, quod à solo ad basim, & quod à lapide ad stylobatam mediis leonibus æreis interjacet, ac denique altitudinem Crucis aureæ deauratæ lapidi superimpositæ, altitudo 180. palmorum & quadrantis est. Fuit autem obeliscus S. CRUCI consecratus. Vnde non malè Fulvius Cardulus sic eum loquentem fecit:

Ægyptus Soli, binis me Roma dicavit
Augustis: sacras tu pie Sixte Cruci

[a] *Plin. lib. 6.*

ALIA EJUS ÆDIFICIA.

Post quod admirandum opus feliciter à Fontanâ confectum, Sixtus eodem auspice alios obeliscos, pariter ex Ægypto olim adductos, & variis locis jacentes, subinde subsequentibus annis erexit, & diversis Vrbis areis collocavit: ædificiáque multa publica, ornamento Vrbis futura construxit, quæ adhuc visuntur, súntque etiam peculiaribus libris Michaëlis Mercati, Bargæi, & aliorum, cum singulorum figuris & inscriptionibus edita, atque à plurimis aliis [b] memorata: in quibus non immoramur. Nec quidem in ipsâ BIBLIOTHECA VATICANA, toto orbe celeberrimâ, & omnium linguarum & scientiarum libris refertissimâ ac locupletissimâ, eò quòd, licet dignum hoc esset quam maximè Historiâ Ecclesiasticâ, id absolutissimè præstiterit Angelus Rocca Camers, religione Augustinianus, & Apostolici sacrarii præfectus, ac posteà Episcopus Tagastensis, amicus quondam noster, commentario de illâ edito, qui in omnium manibus est, quanquam non eam Sixtus hoc anno, sed tantùm 1588. extruxerit.

[b] *Vid. Cabrer. in Sixt. V. & Victorel. & Vghel. in Addit.*

II. ASTROLOGIÆ IUDICIARIÆ PROHIBITIO.

Quæ verò hoc anno prætereà præstitit, imprimis fuit damnatio Astrologiæ judiciariæ; præclarâ editâ constitutione [c] Nonis Ianuarii, quâ ejus impietatem simul & vanitatem multis Scripturæ auctoritatibus, aliisque rationibus ostendit: statuens ut contra astrologos, mathematicos, & alios quoscumque dictæ Iudiciariæ artem, (præterquàm circa agriculturam, & navigationem) & rem magicam imposterùm exercentes, aut facientes judicia & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus fortuitísque casibus aut actionibus ex humanâ voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audeberent, aut in iis se quomodocumque tam activè quàm passivè exercerent aut immiscerent; diligenter ac severè ab Ordinariis & Inquisitoribus procederetur: prohibénsque omnes & singulos libros, opera, & tractatus hujusmodi Iudiciariæ astrologiæ, Geoman-

[c] *Bull. tom. 2. Sixt. V. const. 17.*

tiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis magicæ; aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes ac superstitiones continentur: sub censuris & pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis. Quæ quidem piè Sixtus sanxit, sed quoniam hæc una ex illis artibus est, quæ semper & vetabuntur & nihilominùs retinebuntur, fuit illa deinceps, éstque adhuc modò ubique in usu frequentissimo: nullibíque, ut puto, frequentiori, quàm in ipsâ Italiâ, ipsissimâque Româ, (quamquam non palàm metu pœnæ) ubi acutiora sunt ingenia, & ad novitates & curiositates pronissima.

III. SOCIETAS MINISTRANTIUM INFIRMIS.

Congregationem etiam Clericorum Regularium *Ministrantium infirmis, à Camillo de Læliis* presbytero Theatinæ diœcesis nuper in Vrbe institutam, & cum sociis sibi allectis erga infirmos tam in hospitalibus quàm extrà piè & salubriter exercitam, hos ad patientiam exhortando, illos ad sacramentorum susceptionem commonendo, alios in articulo mortis constitutos consolando, & denique ad benè moriendum die noctúque hortando: editâ constitutione 18. Martij approbavit & confirmavit, sub eodem nomine Societatis Ministrantium infirmis; ac licentiâ Crucem ex crassiori panno fulvi coloris, qui vulgò *Tané* dicitur, ad distinctionem suam ab aliis Regularibus, super vestibus à latere dextro deferendi; & eleemosynas in suî sustentationem quærendi, eò quòd proprietate rerum temporalium carere deliberarent.

IV. CONGREGATIO FULIENSIUM.

Aliámque pariter Congregationem *B. Mariæ Fuliensis*, paucis antè annis institutam, auctore *Ioanne Barrerio* Abbate monasterii Fuliensis Ordinis Cisterciensis diœcesis olim Tolosanæ, posteà Rivensis, qui monachos ad primævum Sancti Benedicti & Sancti Bernardi institutum reduxit: idem Sixtus ab iisdem rogatus confirmavit [d] die quinto Maii, interdixítque Abbati Cisterciensi, cæterísque Ordinis Superioribus, ne ipsos, eorúmque successores, ad relaxandum & remittendum aliquâ ex parte rigorem istius ipsorum observantiæ, invitos cogere vel compellere, aut in suâ carnis & vini omni tempore abstinentiâ, jejuniis, macerationibus, & mortificationibus, aliísque pœnitentiæ operibus; molestare aut inquietare præsumerent, ita inhilominùs ut ij in reliquis eorum visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecti essent. Quam tamen postmodùm Clemens VIII. & Paulus V. suis constitutionibus abstulerunt, & suos sibi Superiores habere concesserunt. Quoniam verò præsens Sixti confirmatio nequaquàm extra monasterium Fuliense extendebatur, & plurimi ad instituti complecterentur, quibus recipiendis non esset monasterium sufficiens, idem Pontifex anno sequenti Idibus Novembris petitione Henrici Regis, concessit [e] ut Congregatio tam per universam Galliam, quàm etiam alia regna & Respublicas, mundique partes universas extendi, & tam virorum quàm mulierum monasteria fundare, erigere, & instituere, atque etiam per alios ejusdem Cisterciensis, vel alterius cujuscumque Ordinis fundata, & instituta, ex eorum ad quos spectaret concessione, accipere posset. Quæ brevî dilatata, rigorem austeritatis, vix humanis viribus tolerabilem, temperare coacta fuit auctoritate Apostolicâ. Deindéque ad tranquillitatem servandam, & nationum æmulationem, quæ in eam irripere incipiebat, vitandam, dissecta ea est eâdem auctoritate: pergens, nihilominùs & scriptis eruditis Ecclesiam illustrare, & sanctis prædicationibus populos instruere. Ipse autem Barrerius ejus fundator obiit Romæ anno millesimo sexcentesimo, ætatis suæ quinquagesimo sexto; non sine sanctitatis opinione sepultus apud S. Bernardum ad Thermas Diocletianas.

[d] Ibid. const. 32.

[e] Ibid. const. 70.

V. DE NUMERO ET QUALITATIBUS CARDINALIUM.

Aliâ verò constitutione [f] factâ tertio Nonas Decembris, idem Pontifex Cardinalium S. R. E. deinceps creandorum præstantiam, numerum, ordinem, ætatem, & conditiones ac qualitates definivit & præscripsit. Nimirùm ut qui apud Christi Vicarium in dirigendâ sanctâ Ecclesiâ, Apostolos, qui Christo humanæ salutis mysterium operanti ministrabant, repræsentent, síntque veri cardines, & clarissima Ecclesiæ lumina, firmamenta & columina Christianæ Reip. ex quorum denique corpore & collegio ipse Pontifex caput Ecclesiæ militantis assumi debeat; proinde eligendi sint qui eximiâ eruditione, innocentiâ, ac sanctitate, & omni virtutum genere fuerint illustrati. Atque ut veteris Synagogæ figura sanctæ Ecclesiæ veritati respondeat, sint omninò numero septuaginta, exemplo paris numeri de mandato Domini à Mose legislatore electi ad portandum secum onus populi: videlicèt Diaconi 14. Presbyteri 50. & Episcopi 6. ita ut nemo in Diaconum Cardinalem assumi possit, qui non saltem in vigesimo secundo ætatis anno constitutus fuerit, & intra annum ad sacrum eum ordinem promoveri valeat. Inter illos 70. præter egregios utriusque Iuris aut Decretorum Doctores, sint saltem quatuor in Theologiâ Magistri. Cardinalium promotiones fiant dumtaxat ex antiquo usu mense Decembri, in ipsis Temporibus seu diebus Iejuniorum. Illegitimorum natalium suspicione quovis modo laborantes, etiámque per subsequens inter partes matrimonium legitimati, aut super defectu natalium à Sede Apostolicâ dispensati, penitùs sint inhabiles ad tantam dignitatem adipiscendam: necnon qui liberos utriuslibet sexûs, etiam ex legitimo matrimonio susceptos, vel nepotes habuerint. Nec item duo fratres; nec patrueles aut consobrini, nec patrui vel avunculi cum nepotibus; denique qui primo aut secundo consanguinitatis gradu conjuncti fuerint, uno eodémque tempore simul Cardinales esse possint. Pariterque qui propter impedimenta quæcumque ad sacros ordines secundùm canones promoveri prohibentur; aut qui alicujus criminis aut infamiæ notâ respersi fuerint; ad hanc dignitatem non admittantur: Nec qui non anteà in quatuor minoribus ordinibus constituti per annum saltem habitum & tonsuram gestaverint clericalem: Nec item absentes à Romanâ Curiâ; nisi hâc adiectâ conditione ut intra annum ad eam veniant, & cùm acceperint biretum rubrum jurent id se præstaturos: si verò non præstiterint, excidant dignitate, ejusque juribus & præeminentiis.

[f] Ibid. const. 10.

minentiis. Hæc Sixtus fusè suâ constitutione; cui cum ipso subscripserunt triginta septem Cardinales. Sed quòd nimis scrupulosè & strictè in iis procedere voluerit, ideò irrita reddita est à subsequentibus Pontificibus contrario usu ejus constitutio in omnibus ejus capitibus; si duo excipias, numeri, & illegitimitatis cognitæ. Aliâ verò constitutione g præfinivit. Titulos Ecclesiarum, quæ singulis Cardinalibus commendari & assignari deberent.

g Const. 55.

VI.

Navarri literæ ad Ordines Regni.

Pugnabatur interim in Galliâ & Belgio cum hæreticis bello civili: sed non adeò magno operæpretio. Carolus Dux Mayeniæ exercitum in Aquitaniam duxit, & aliqua loca non tanti momenti cepit. Cepêre & hostes nonnulla alia. Rex Navarræ habitis suorum ex toto regno comitiis Montalbani, Literas publicas principio anni ad singulos regni Ordines scripsit. Ad Clerum quidem expostulatorias, quòd inimicorum ambitioni serviens omne sacrum patrimonium ad turbandam regni quietem prodigeret; & qui paci studere debebat, tot innocentum crudeliter per bella civilia interfectorum, aut bonis spoliatorum execrationes ultrò in se reciperet: multíque ex ejus corpore apud Pontificem institissent ut se inauditum condemnaret, ac proscriberet. Si ipse in religione dissideat ab iis, reductionem aut instructionem non armorum vi, sed amicâ disceptatione, & legitimâ Concilii celebratione quærendam esse, quòd si potiùs cruento certamine explicari placeret, sanguinem innocentem qui effunderetur, in ipsorum caput recasurum. Ad Nobilitatem; memores essent bellum nunc eorum instigatu, qui superiore anno à Rege tanquam perduelles proscripti fuerant, ac contra eos qui cum ipsis adversus regni perturbatores Regis jussu tunc vires conjunxerant, geri: tantæque mutationis haud aliam causam subesse, quàm quòd Rex tunc liber ac suæ spontis esset, nunc verò vi voluntati suæ allata detestandæ factioni morigerari cogeretur. Id sibi de Nobilitate dolere, quòd vitam contra se impenderent, quam servatam mallet, ut eam pro salute regni ad amplificandos patriæ fines & Gallici nominis decus propagandum exponeret. Se autem de innocentiâ suâ protestari, ne sanguis eorum qui hoc bello civili fundendus foret, à se olim reposceretur. Ad Plebem denique; ejus vicem se dolere, cujus sumptibus bellum alendum esset; quod ipse, tentatâ duelli aleâ cum inferioribus longè se, ut universorum periculum in se susciperet, evitare conatus fuisset. Postremò & speciatim ad civitatem Parisiensem; eam tanquam totius regni epitomen, ac cæterarum urbium ad consilia sua dirigenda exemplar appellans; fidéque ejus erga suos Reges laudatâ, hortabatur pacis rationes consectari: exemplóque suo aliis præire. Post quæ Rupellam petens (non sine gravi periculo ab insidiis Mayenii) nonnihil belli ibi egit: quemadmodùm & fiebat per diversas regni provincias vario Marte sub diversis ducibus. Et ad finem anni idem Navarrus cum Reginâ parente Regis colloquium antè condictum apud Sanbritium non longè à Cognaco provinciæ Engolismensis, de rebus pacificandis habuit: in quo tamen nihil agi potuit, quòd Navarrus nec à religione suâ, nec ab ejus sectatorum unione, quod ut faceret Regina petebat, recedere vellet.

VII. De subsidiis Cleri.

Quod verò Clero objecit, ipsum ad bellum prodigere sacrum patrimonium; respexit ad immensas pecuniarum summas, quas ab eo Reges frequentissimè exigere consueverant bellorum contra hæreticos susceptorum occasione. Ad quæ quidem, cùm fideliter geruntur, ut æquum est Clerum de suo subministrare, ita cùm pecuniæ ab illo emunctæ ad alios usus, ac plerumque vanos, convertuntur; aut cùm Ecclesiastici ultra facultatem beneficiorum quæ possident pendere coguntur; (ut omninò necesse est, cùm singulis annis nova subsidia prioribus superimponuntur, nec tamen reditus crescunt; qui facilis est modus non solùm reducendi Ecclesiam ad primævam rerum inopiam; verùm etiam ad divinum cultum ab Ecclesiis penitùs eliminandum, cùm non ampliùs superfuerit in altari, quo qui ei deservierint vivere possint:) hoc quidem non injustè querelas ingeminandi occasionem parit. Sed quis audiat? quis hujusmodi malis medeatur? cùm & ipsimet Ecclesiastici hæc promoveant, aut pro turpi lucro, aut pro inani favore. Et verò hoc anno Sixtus Pontifex Regi utiliter concessit tertio Calendas Februarii alienationem quinquaginta millium aureorum reditûs annui bonorum Cleri, ad partem oneris bellici sustinendam; commissâ executionis directione Carolo Cardinali Borbonio, Ludovico Cardinali Guisio, Hieronymo Bergomensi Episcopo Nuncio Pontificio, & Petro Episcopo Parisiensi, ac nonnullis aliis viris Ecclesiasticis. Quæ ejus concessio jussu Regis promulgata fuit in Senatu Parisiensi die vigesimo septimo Martii.

VIII. Protestantium legationes ad Regem.

Inter hæc cùm de exercitu auxiliari Navarro mittendo inter Principes Protestantes & Helvetios convenisset; illi antequàm eum mitterent officii sui esse ducentes Regem ad pacem hortari, ne potiùs bellum ultrò Regi indicere, quàm Navarro subvenire viderentur: seorsim Fridericus Daniæ Rex legatos suos, seorsim & Helvetii miserunt. Ad quorum postulata Rex graviter respondit, neminem se meliùs scire, quid è decore suo esset, quidve pro pietate suâ magis regno expediret: hæc sibi curæ fore; neque se commissurum ut fœderati Principes ac populi ullum suum in colendâ vicinorum amicitiâ, & procurandâ regni sui tranquillitate, officium meritò desiderare possent. Cùm verò & Principum Electorum ac cæterorum Protestantium, civitatúmque legati in itinere esse dicerentur; Rex ratus tantum moræ eorum consiliis se allaturum, quantum eos in Galliâ detinuisset, adventum eorum antevertens, mense Iulio in Boios ad balnea, indéque Lugdunum concessit, relictis qui legatos honorificè Lutetiæ exciperent. Reversúsque ad principium Octobris Lutetiam, eos audivit, de bello Hugonotis contra fidem datam indicto expostulantes; rogantésque pacem cum rectâ fidei servatæ conscientiâ ac suorum salute colere; & in violatores ejus animadvertere. Ad quæ Rex, se à Deo Regem constitutum,

& Christianissimi titulo ornatum, præcipuam semper Catholicæ Religionis curam habuisse dixit, idque re potiùs quàm verbis totâ vitâ suâ demonstrâsse; nullam se procurandæ inter suos pacis ac tranquillitatis occasionem prætermisisse; neminem verò se meliùs scire quid pro temporum varietate populo suo ac regno expediret: ad séque solum pertinere de Republicâ pro suâ prudentiâ statuere, leges ferre, interpretari, mutare, antiquare. Hócque responso legatos dimisit.

IX. LEICESTRIUS MALE ADMINISTRAT REM BELGICAM.

In Belgio procedentibus ubique ferè pro voto rebus Parmensis, qui non pauca nec parvi momenti oppida cepit; Leicestrius quoque Anglus ex alterâ parte, post pacta cum Reginâ ab Ordinibus firmata, plenam provinciarum ab iis detentarum administrationem accipiens, nonnihil promovit: sed majori fastu & rigore rem agens, quàm providentiâ & fortitudine, brevi in odium Ordinum incidit; qui de publicâ administratione graves contra eum querelas egerunt: exortæque sunt inter eos acres contentiones, quæ tamen hoc anno non adeò eruperunt, quoniam Leicestrio in Angliam redeundum fuit, ob motus in eâ exortos, quod mense Decembri præstitit.

X. BABINGTONI CONIURATIO IN REGINAM ANGLIÆ.

Hoc enim anno acta ibi est tragœdia decantatissima inter Anglos *Antonii Babingtoni* à Dethico in Comitatu Derbiensi, juvenis natalibus clari, & opulenti, ingenio splendido & supra ætatem erudito, necnon religione Catholici: quæ iniquissimo repercussu in caput innocentissimæ Mariæ Reginæ Scotiæ resiliit. Babingtoni autem consilium fuisse dicitur, ut occisâ Elisabethâ Angliæ Reginâ, eodem tempore Maria Scota carcere ab hominibus ad id dispositis educeretur, & ad exercitum è Catholicis ad partes Angliæ occidentales in occulto conflatum deduceretur, atque Angliæ Regina salutaretur; ac ne quod impedimentum ejus inaugurationi afferri posset, copiæ Gallorum & Hispanorum ex continenti sub id in Angliam transportatæ comparerent. Diceres profectò rem ad ludibrium aut ludicrum in scœnâ agitandum compositam. Quot & quantæ res in unum coalescere eodem tempore debuerunt! An tam gravis machinæ ducendæ capax juvenis ille, cum aliquot suis sociis adolescentibus ac juvenibus Catholicis ejusdem generis? Non negemus conjurationem factam: Sed sanè si eo modo ducta est, quem historicus [h] ipse Elisabethæ describit, valdè imprudentes fuisse necesse est & Mendozam oratorem Philippi, & Guisios ac cæteros Reginæ Mariæ devotos, qui eam ejusmodi inexpertis & inconsideratis, & vanis, atque ad rem ineptissimis executoribus, credidisse dicuntur. Re denique detectâ, captus Babingtonus cum suis mense Septembri, fassi sunt conjurationem se suscepisse ad Elisabetham de medio tollendam, & Mariam rei non ignaram liberandam: interceptæque literæ de his ultrò citróque, etiámque ipsius Mariæ nomine scriptæ. Quare fuêre illi numero quatuordecim proditorum supplicio affecti.

[h] *Camden. in Elisab.*

XI. MACHINATIO IN MARIAM SCOTAM.

Cùm autem hæc faba præcipuè in Mariam cuderetur, destinati sunt ineunte Octobri ad castrum Fadringayam in Comitatu Northamtoniæ ad Neni fluvii ripam, (ubi illa tunc detinebatur mutato sedecies carcere) 47. viri tam ex consilio Reginæ, quàm ex Parlamento quod eo tempore habebatur Londini, qui eam examinarent. Quæ aliquamdiù respondere detrectans, quòd se Reginam liberam natam, nec proinde ullius potestati ac jurisdictioni subjectam, sed soli Deo vitæ suæ rationem reddere teneri assereret: demùm tamen protestatione solemni more factâ, & in acta relatâ, ne comparitio sua sibi, aut filio suo, aliísve Regibus ac Principibus, aliquando ad præjudicium verteret; ad objecta respondens, & Deum aversum comprecata si minùs vera diceret, magnâ constantiâ asseveravit, nunquam se Reginæ Anglorum dilectæ sororis suæ vitæ insidiatam esse: ut libertatem recuperaret multa se fecisse ac scripsisse; & Catholicis à persecutione liberandis sedulam operam dedisse; sed omninò ita ut absque cæde & sanguine id fieret: se maluisse Estheram quàm Iuditham agere; intercedere apud Deum pro populo, quàm magistratum aut infimum de populo vitâ spoliare. Babingtonum se non novisse unquam, nec ullas ab eo accepisse aut ad ipsum scripsisse literas: si quæ ejusmodi reperirentur, omninò falsas esse, & si Babingtonus, aut alii affirmâssent aliquid de suo in Reginæ perniciem consensu, eos apertè mentitos esse; mendaciúmque item esse, se eas evadendi rationes quæ objiciebantur excogitâsse: non aliorum verbis aut scriptis se teneri, quæ facilè fingi aut supponi possunt, sed ex suo ipsius verbo aut scripto convincendam esse. Cúmque prætereà & de pluribus aliis argutè magis quàm solidè, atque etiam de suâ in fide Catholicâ constantiâ inquireretur, & omnia æquè diluisset; demùm conquesta est indignissimè secum agi, cujus honor & existimatio in quæstionem devocaretur coram forensibus causidicis, qui singulas circumstantias in consequentias contortis conclusiunculis traherent; cùm Principes inuncti & consecrati non iisdem legibus quibus privati subjiciantur. Prætereà cùm delegata esset illis auctoritas examinandi res ad læsionem regiæ personæ tendentes, nihilominùs causam ita agerent, & literas torquerent, ut & Religionem quam ipsa profiteretur, & immunitatem atque majestatem Principum exterorum, & privata inter Principes commercia, in quæstionem deducerent. Denique ad divinum numen, Principésque agnatos appellatione ab eorum iniquo agendi modo factâ, & protestatione iteratâ; petiit ut alter haberetur hâc de re conventus, útque sibi patronus ad causam agendam daretur, & Princeps cùm esset verbo Principis crederetur. Imprudentiæ enim extremæ esse, eorum judicio stare, quos præjudiciis planissimè armatos contra se cerneret.

GENEROSUM EJUS RESPONSUM.

XII. DAMNATUR AD MORTEM.

Horum tamen nullâ ratione habitâ, iniquissimi illi Iudices in feminam innocentissimam, omnia objecta constantissimè negantem, ac luculentissimè refellentem, cujus sanè unius verbo quisque homo cordatus, quinimmò intellectu quantulocumque aut judicio communi præditus, plus tribuendum

censuerit, quàm mille juratissimis contrariis testibus; hostibus implacabilibus Mariæ; aut literis per alios quoscumque; quin etiam per ipsos ejus amanuenses conscriptis; (quos non solùm pretio corruptos visos fuisse, sed nec unquam coràm in medium productos, ipsâ licèt Mariâ ut producerentur urgente, disertè Camdenus tradit) sententiam mortis, tanquam in ream convictam tulerunt. Quam Ordines regni in Parlamento congregati, pari animi intemperie approbantes & confirmantes; Elisabetham per Cancellarium obsecrârunt, ut ad conservandam veram religionem, regni tranquillitatem, Reginæ incolumitatem, ipsorum & posterorum salutem, illa publicaretur. Quod tamen illa semel iterúmque rogata negavit; seu verè ad tam atrox facinus, contra omne divinum humanúmque fas præsumptum, exhorresceret; seu potiùs sibi inde timeret, ut ipsamet ejusmodi oratoribus exposuit, cùm respondit judicium quidem ipsorum approbare se, ancipitem tamen cogitandi curam, quæ ipsam torqueret, excusatam haberent, si diceret se haud facturam quod peterent, dicturam forsan plus quàm cogitaret; sin facturam diceret, se, quam ipsi servatam vellent, in perniciem præcipitaturam. Editæ fuêre primùm Anglicè, deinde in Latinum & varias alias linguas translatæ, petitiones ejusmodi Elisabethæ oblatæ, & responsiones ejus. Quibus in Latinâ editione vidimus additas à Romoaldo Scoto succinctas quasdam animadversiones, & confutationes eorum quæ Mariæ objecta fuêre; unde manifestè appareat ejus innocentia, & tam consiliariorum Elisabethæ, quàm ipsiusmet Elisabethæ in ejus damnatione iniquitas. Quæ cùm se à timore quem diximus collegisset, permisit demùm sententiam contra eam latam publicari: quæ mense Decembri præconis voce magno apparatu per urbem Londinum, ac subinde per reliquum regnum promulgata est: ut creditum fuerit, priores negationes fictè ab Elisabethâ factas esse arte muliebri, quæ ad id quod percupiunt semper malint videri ægrè ferri.

Ad quod exhorrescit Elisabetha.

Et tamen sententiam publicari permittit.

XIII. *Vltimæ Mariæ petitiones ab Elisabetha.*

Hâc autem promulgatione Mariæ denunciatâ, tantùm abfuit ut animo caderet, ut contrà stabili vultu sublatis in cælum oculis & manibus, gratias Deo egerit: animóque etiam pertulerit æquissimo, quòd omnibus regiæ dignitatis ornamentis confestim fuerit à suo custode exuta, & in miseræ ex infimâ sorte mulierculæ statum redacta. A cujus ferocitate ægerrimè impetratâ scribendi facultate, literis [i] decimonono Decembris ad Elisabetham scriptis, omnem in illam hostilis animi malitiam amolita, déque illâ damnationis sententiâ Deo gratias actis, qui ærumnosæ in hâc vitâ peregrinationis finem instare voluerit: Elisabetham de tribus beneficiis rogavit, quæ non ab aliis adversariis, sed tantùm ab ipsâmet expectare posset. Primum, cùm adversarii innocenti sanguine forent saturati, ut corpus in aliquam sanctam terram sepeliendum à famulis deferretur; præsertim in Galliam, ubi mater ipsius in pace quiesceret: quandoquidem majorum cineribus in Scotiâ vis illata esset, templáque diruta aut profanata; nec in Angliâ inter priscos Reges communes utriusque majores sepulturam Catholico ritu sperare posset. Secundum, ne supplicio in occulto afficeretur, sed famulis & aliis spectantibus, qui verum de fide in Christum, obedientiâ erga Ecclesiam, & vitæ exitu testimonium perhiberent, contra falsos rumores quos adversarii comminisci possent. Tertium, ut famuli liberè & in pace, quò vellent, discederent, bonísque quæ testamento legaverat gauderent.

[i] *Camdem. in Elisab.*

XIV. *Reges Gall. et Scot. frustra intercedunt pro ea.*

Pro illâ autem misit Iacobus Rex Scotiæ ipsius filius ad Elisabetham legatos. Misit & Rex Galliæ Henricus Pomponium Bellievrium; qui luculentissimâ oratione [k] illam à tam duro & insolito atque extraordinario judicio, multis rationibus & exemplis, quæ apud alios quoscumque quantumvis feroces homines valere potuissent, avertere conatus est: propositis etiam rationibus, quibus libertati restitutâ Mariâ idoneè Elisabethæ caveretur. Sed omnia frustrà apud duras has silices & Marpesias cautes. Et Bellievrio quidem in summâ responsum, hujusmodi cautiones & fidejussiones nihil Elisabethæ profuturas, si semel ei aliquâ conjuratione vita sublata esset: ipsam nihil eorum quæ ad securitatem contra conjurationes constituendam pertinerent omissuram: simúlque curaturam nequid à juris normâ, & benignitate alienum in hoc negotio admitteretur. Nec major habita Regis Iacobi ratio: cùm Scoti factionibus essent inter se divisi, & plures Elisabethæ quàm Mariæ studerent: usque adeò ut nonnulli ex iis Elisabetham literis occultè sollicitarent ad supplicium maturandum: & Ministri à Rege jussi matris salutem precibus Deo per Ecclesias commendare; præ odio Religionis Catholicæ quam illa profitebatur, obstinatè recusârint. Miseræ tamen Reginæ supplicium in annum sequentem dilatum est; ubi de eo dicetur.

[k] *Edita illa fuit in publicum: cujus summarium Camdenus Historiæ suæ inseruit.*

Trucuлentia Ministrorum Scotiæ.

XV. *Stephani Polon. Regis obitus.*

Præsenti Rex Poloniæ *Stephanus* vehementi irâ in Rigenses Livoniæ commotus ob seditiones primùm occasione Calendarii Gregoriani in eam civitatem introducti concitatas; deinde & ad querelas de Iesuitis pariter admissis, & religionis statu immutato, & ad alia quædam innovata extensas; cædésque inde secutas, & urbanum magistratum in ordinem redactum; naturâ stomachosior existens, epilepticis paroxysmis correptus est: ex quibus Idibus Decembris decessit Grodnæ in Lituaniâ: nec [l] tamen tam atrocitate morbi, quàm Nicolai Bucellæ sive imperitiâ, sive malitiâ, Arianâ labe infecti hominis, quo medico utebatur: annum tunc ducens ætatis suæ quinquagesimum quartum, regni undecimum: Princeps domi forísque clarus, pietate, magnitudine animi, eruditione, ac virtute bellicâ præstans; & ad omnia magna capessenda natus, nisi in eo regno fuisset, quod non tam unius auctoritate quàm optimatum consilio regitur. In cujus obitu, & laudibus, *Salomon Neugebaverus* à Cadano Historiam suam Polonicam terminavit. Stephanum autem Regem defunctum laudavit oratione funebri Christophorus Varsevicius, quæ extat in Tomis Rerum Polonicarum. Cujus corpus Grodnæ tunc relictum, posteà solemniori pompâ Cracoviam delatum est ad sepulturam. Ejúsque mor-

[l] *Isthuanff. Rer. Hung. lib. 26.*

te re interregnum incidente, ex studiis partium in successore eligendo atrox bellum exarsit: de quo dicetur anno proximo.

XVI. NAVARRI, AUGUSTINI, ET VICTORII DOCTORUM OBITUS.

Extincta quoque sunt duo lucida Hispaniæ lumina, quorum claris operibus illustratus est universus Orbis: *Martinus ab Auspilcuetâ*, Doctor Navarrus dictus quod genus ex Navarrâ duceret, mortuus Romæ 11. Cal. Iulii annum trahens ætatis 96. ad S. Antonii de Paduâ in Campo Martio sepultus: & *Antonius Augustinus* patriâ Cæsaraugustanus, primùm Auditor Rotæ Romanæ, deinde Episcopus Alifanus, & posteà Ilerdensis, demúmque Archiepiscopus Tarraconensis: vitâ functus pridie Calendas Iunii major septuagenario, ad B. Theclæ in odeo à se parato Tarracone conditus. Eodémque anno octavo Decembris obiit Florentiæ in patriâ *Petrus Victorius* gente patritiâ ortus, ætatis anno octogesimo septimo, vir singulari & excellenti eruditione. Quos omnes nominâsse sufficiat, cùm quanti fuerint nemo ex præclarissimis eorum scriptis nesciat.

XVII. COLLOQUIUM MOMBELGARDENSE INTER BEZ. ET SCHMIDEL.

Cùm misisset Rex Navarræ ad acceleranda auxilia Germanica Claudium Antonium Viennensem Clervandum; egit ille ex occasione cum Friderico Comite Wirtembergico & Mombelgardensi, ut fieret congressus Iacobi Andreæ Schmidelini Lutherani Tubingensis Academiæ Cancellarii, Lutheranorum ferè ejus temporis principis, & Theodori Bezæ Galli Ministri Genevensis, & Calvinistarum Caliphæ; ad tentandum utrùm aliqua posset inveniri ratio concordiæ de articulis inter Confessionistas & Sacramentarios controversis: hoc etiam vehementer expetentibus exulibus Gallis, qui edicto regio pulsi magno numero Monbelgardum se receperant. Annuente Friderico, convenêre iidem Doctores *Monbelgardi* mense Martio; venitque cum Schmidelino Lucas Osiander concionator in aulâ Wirtembergensi; cum Bezâ Abrahamus Musculus Minister Bernensis, Antonius Faius Minister Genevensis, Petrus Huebnerus Græcæ linguæ in gymnasio Bernensis, & Claudius Alberius philosophiæ professor in academiâ Lausanensi, quibus erant utrimque adjuncti duo politici viri: Fridericus Comes actioni semper interfuit & præfuit: adfuerúntque magno numero exules illi Galli, aliíque. Modus autem disputationis fuit, ut Wirtembergici de singulis articulis controversis primùm theses suas adversæ parti traderent, & ab eâ responsum scriptum vicissim acciperent; deinde de iis Schmidelinus & Beza colloquerentur. Articuli verò de quibus agendum esset, constituti sunt; De Cœnâ Domini, De Personâ Christi, De Imaginibus, Templis, Organis, &c. De Baptismo; De Prædestinatione. Factum est initium collocutioni seu disputationi vigesimo primo Martii; eáque usque ad vigesimum nonum continuata est. Fuitque ejus, tantíque apparatûs idem finis, qui tot aliorum congressuum & colloquiorum inter Confessionistas & Sacramentarios sæpè anteà habitorum: nimirùm ut in nullo articulo convenire valentes, acerbiùs irritatæ partes, alieniores recesserint ab invicem quam priùs essent. Adeò ut cum in fine disputationis Fridericus Comes suos Wirtembergenses hortatus esset, ut donec aliquando pax constitueretur, Bezam ejúsque symmistas pro fratribus agnoscerent, & dexteras fraternitatis porrigerent; negaverit absolutè Schmidelinus, ob horribiles & teterrimas hæreses quibus infecti essent; dexteras tamen humanitatis porrecturos: & ad hæc Beza responderit, quandoquidem dexteras fraternitatis porrigere recusarent, se amicitiæ dexteras nolle. Ita enim Osiander ipse qui adfuit, in suâ Historiâ Ecclesiasticâ, ubi summatim recitat quæ eo Colloquio actitata fuêre: refértque omnes utriusque partis Theses de singulis articulis controversis propositas, cum Responsionibus utrimque pariter factis. Sed extant ipsa integra Acta à Schmidelino Tubingæ edita: quibus idem ipse Fridericus Comes præfationem suo nomine præfixit, in quâ rationes instituti à se Colloquii exposuit. Adversus quam editionem, quâ acerrimè Beza carpebatur, ipse contrarium scriptum publicavit, quod rursùm Wirtembergenses confutârunt.

XVIII. CONVENTUS POSNANIENSIS.

Quo eodem anno convenientibus pariter *Posnaniæ* in Poloniâ trecentis circiter ministris diversarum sectarum ex totâ Poloniâ, Russiâ, Lituaniâ, Samogitiâ, Confessionistarum, Boëmorum, & Sacramentariorum, quò unam aliquam fidiculam cudere contenderent, in quâ inter se convenirent, ne se ampliùs Catholicis deridendos ob perpetua dissidia propinarent; hortante eos ad id maximè Palatino Posnaniensi nihil tamen effici potuisse ait Ruscius [m] Polonus, perstantibus quibusque obstinatissimè in suis opinionibus: cùm nihilominùs edita [n] fuerit fucata quædam concordiæ forma.

[m] *Resp. in Conventic. hæret.*
[n] *Bucholcer. in Indic.*

XIX. PERSECUTIO IN IAPONIA.

In Iaponiâ res Christianorum regni Bungi pessimè se habuerunt, ab invasione Regis Sassumæ Gentilis, hostis Bungani quo ab illo in arctum adeò redacto, ut vix manus ejus effugere potuerit, ingens facta est à Sassumensi Christianorum strages, & Ecclesiarum demolitio: uti prolixè videre est in Literis Iesuitarum, qui ibi erant, & grandi difficultate cum Regis filio tanto periculo erepti sunt. Háncque persecutionem in sequentes quoque annos propagatam esse in universam Iaponiam à Quabacondano ejus Summo Imperatore, intelligitur ex literis à Rege Arimæ & Principe Omuræ (à quibus legationem ad Sedem Apostolicam missam vidimus [o]) ad Sixtum Pontificem scriptis 22. Septembris anno 1590. quibus & gratias egerunt de muneribus ad ipsos à Sixto per eosdem suos legatos missis; & de Quabacondani tyrannide questi sunt; ac de Patris Visitatoris Societ. Iesu ad eum legatione Proregis Indiæ nomine susceptâ spem tranquillioris statûs ingesserunt. Quod tamen frustrà fuisse, nisi aliquibus intervallis, intelligitur ex Relationibus Patrum Societatis; necnon aliorum Ordinum Religiosorum, è quibus multos his & subsequentibus annis martyrium pro fide passos esse legimus.

[o] *Supr. an. 1585. XI.*

IESU CHRISTI Annus 1587.

SIXTI. V. Annus 3.

RUDOLPHI II. Ann. 11.

I.

ANNO Christi millesimo quingentesimo octogesimo septimo, Indictione decimaquintâ, finem tandem accepit tragœdia vitæ *Mariæ* Reginæ Scotiæ. quem breviter ex ipsismet hæreticis [a] referam, ne Catholici veritati pepercisse videantur. Cùm igitur publicata fuisset per Angliam sententia mortis in Mariam lata; non tamen poterat illa executioni mandari, nisi accessisset Reginæ Elisabethæ subscriptio, quæ aliquamdiù illam differens, concessit tamen pridie Purificationis Calend. Februarii, & Davidsono alteri ex Secretariis litteras suâ manu signatas tradidit, ut sub magno Angliæ sigillo mandatum de supplicio sumendo conficeretur. Factum est confestim: & à regis Consiliariis, Reginâ insciâ, vel etiam invitâ, ut ipsa pòst videri voluit, Fadringayam missum ad Comites Mariæ custodes, ceterósque ei loco vicinos, ut rem protinùs exequerentur. Illi mandatum percupidè accipientes, Mariæ denunciárunt 17. Februarii. quæ id pridem jam expectâsse, seque paratam esse respondit, constitutóque die postero ad executionem, interim petiit ut cum suo Confessario conferre posset. At id penitùs ei denegatum, missúsque ad eam Decanus Petroburgensis hæreticus, qui eam consolaretur, quem illa rejecit. ad Confessarium autem literas scripsit, ut pro ipsâ ad Deum precibus intercederet; aliásque ad Regem Galliæ & ad Ducem Guisium, commendatitias pro famulis suis.

[a] *Camden. in Elisabeth. Alter quidam Calvin. in Concert. Eccl. Angl. par. 2. & ap. Romoald. in Sum. de mort. Mar.*

ELISABETHÆ REG. ANGLIÆ PLACITUM DE MORTE MARIÆ SCOTÆ.

II.

PRÆPARATIO MARIÆ AD MORTEM.

Fatali die 18. Februarii, qui fuit Mercurii, jam elucescente, comptiùs & ornatiùs, ut festis diebus assolet, se apparavit. Deinde tota in Deum defixa in Oratorio, suspiriis, gemitibus, & precibus, divinam gratiam supplex imploravit. Et cùm hora advenit, quæ fuit decima antemeridiana, prodiit illa ad locum supplicii in aulâ majori paratum, vultu hilari, majestate regiâ, capite sindone pertenui ad terram usque à tergo dependente redimito; Crucem auream ad collum, globulos precatorios ad cingulum, Crucifixum eburneum alterâ manu, libellum precum alterâ gestans. Excepta à Comitibus & equitibus qui aderant, Melvinum hospitii sui præfectum cernens, præcepit ei palàm filio suo renunciare se in Religione Catholicâ constantem, in fide erga Scotiam & Franciam firmam mori: rogaréque eum ut Deo serviret, Ecclesiam Catholicam protegeret, suum regnum in pace gubernaret, neque se cuivis alteri, quod ipsa fecerat, subjiceret: prudentiæ mundanæ ne confideret, sed spem suam in Deo poneret, cum Reginâ Angliæ amicitiam coleret. Quæ se fideliter Regi ejus filio relaturum, Melvinus in se recepit. Deinde rogans Maria, ut adessent è suis, qui testari possent Regi Franciæ & aliis se Catholicè defunctam esse, ægrè obtinuit ut quinque viri & duæ feminæ supplicio præsentes essent. Ingressa ad locum, ubi pegma erat unà cum cathedrâ, pulvino, & trunco, omnia pannis nigris velata, consedit; lectúmque est Elisabethæ mandatum: ac prædictus Decanus verbosam ad eam instituit orationem: quem illa semel atque iterùm interpellans, rogavit ne sibi facesseret negotium; protestans, se in antiquâ Catholicâ Romanâ Religione esse firmatam, & pro eâ vitam profundere. Comitibus dicentibùs se velle pro illâ precari; respondit se gratias eis habituram maximas, si vellent una cum ipsâ precari: cum ipsis verò, qui essent alterius professionis, precibus communicare, sibi peccatum fore & piaculum. Tunc Decanum precari jusserunt; quocum dum multitudo circumfusa (erant in universum circiter ducenti) comprecaretur, illa in genua procumbens, Latinè unà cum suis ex Officio B. Mariæ altiori voce precari cœpit: Tum Ecclesiâ Catholicâ, filio Iacobo, Elisabethâ Reginâ insulâque totâ Deo commendatis; iterúmque professa se in fide Ecclesiæ Romanæ perstare morîque; ac concessâ carnificibus veniâ quam petebant, necnon quibuscumque aliis qui hactenùs ejus sanguinem sitissent, sicut à Deo sibi sua peccata condonari cuperet: suos consolata, eisque dexterâ benedicens, psalmum *In te Domine speravi, &c.* recitavit: & ad extremum caput trunco apponens, iteránsque sæpiùs *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum,* geminato securis ictu truncata est: clamantibus circumstantibus, *Sic pereant Verbi Dei & Reginæ Elisabethæ hostes*; ac nihilominùs plerisque ingemiscentibus. Nihil vestimentorum & ornamentorum ejus relictum fuit carnificibus, sed precium ipsorum iis datum, quæcumque verò ejus sanguine quovis modo fuerunt aspersa tam in iisdem quàm in ceteris, sublata sunt & statim abluta, etiamque asseres pegmatis: pannus substratus, & reliqua cruenta illicò in ignem conjecta & exusta sunt, nequid eorum superesset pietati Catholicorum. Quo sanè non poterant clariùs sacrilegi illi necem ei pro fide Catholicâ illatam esse demonstrare, & Martyrium prædicare; imitatorésque sese antiquorum Gentilium exhibere, qui in suis adversus Christianos persecutionibus similiter contestabantur, se eadem in eos perpetrare, nequid reliquiarum venerationi relinqueretur.

CAPITE TRUNCATUR.

III.

Húncque lamentabilem, seu veriùs triumphalem dixerimus, finem habuit MARIA Scotorum Regina anno ætatis quadragesimo quinto, captivitatis decimonono: Princeps in fide Catholica constantissima, eximiâ in Deum pietate, invictâ animi magnitudine, prudentiâ supra sexum, formâque præstantissimâ. Cujus corpus unguentis delibutum, & ritè apparatum, posteà regio funere, retentâ ad hoc ejus familiâ, Petroburgi juxta Catharinam Hispanam primam Regis Henrici VIII. conjugem Catholicam inhumatum est. Ad cujus tumulum hoc affixum fuit, sed mox ablatum epitaphium [b] *Maria Scotorum Regina, Regis filia, Regis Gallorum vidua, Reginæ Angliæ agnata, & heres proxima, virtutibus regiis & animo regio ornata, Iure regio frustrà sæpiùs implorato, barbarâ & tyrannicâ crudelitate, ornamentum nostri sæculi, & lumen verè regium extinguitur: Eodémque nefario judicio, & Maria Scotorum Regina morte naturali, & omnes su-*

EPITAPHIUM EIUS MONUMENTO AFFIXUM.

[b] *Ext. ap. Camden.*

perstites Reges plebeij facti morte civili mulctantur. Novum & inauditum tumuli genus, in quo cum vivis mortui includuntur, hîc extat. Cum sacris enim Divæ Mariæ cineribus, omnium Regum atque Principum violatam atque prostratam Majestatem hic jacere scito. Et quia tacitum regale satis superque Reges sui officii monet, plura non addo Viator. Fuerunt & multa alia tam in ejus laudem, quam in vituperium Elisabethæ, ejúsque consiliariorum, tam versu quàm prosâ omnibus ferè linguis compositâ, solemnésque exequiæ summâ magnificentiâ ei à Rege Henrico Lutetiæ celebratæ, magnâ principum ac procerum ordinúmque frequentiâ; & Reginaldus Belnensis Archiepiscopus Bituricensis orationem funebrem habuit.

IV. ELISABETHA SIMULAT INDE DOLOREM.

Vbi autem Londini auditum est supplicium ejus, passim ignes in signum lætitiæ excitati sunt, & campanæ pulsatæ. Sola regina Elisabetha, seu reverâ aliquo tanti facinoris horrore tacta fuerit, obversante præcipuè ante mentis oculos summâ infamiâ quæ in ipsam apud omnes principes & populos inde exoritura & tunc erat, & apud posteros in perpetuum foret; seu veriùs in suis ludificationibus, quibus Mariam ejúsque amicos continuè traduxerat, perseverans; insigni dissimulatione contra præcipitatam sententiæ executionem clamitans, lugubria sumpsit; & Davidsonum violati mandati reum peregit: quasi scilicèt fuisset Davidsonus adeò pervicaci & stolido ingenio, ut rem tantam absque Reginæ vel expresso vel saltem tacito mandato aggredi ausus esset. Qui coram proceribus ac Iudicibus sistere se coactus, rem totam in Reginam rejicere apertè visus est; non quidem ut palàm eam sibi à Reginâ præscriptam fuisse fateri ausus sit, sed tamen ut omninò asseruerit minimè sibi prohibitam; nec quid se eâ in re fecisse, nisi quod Reginam voluisse sibi persuasisset. Quare & à plerisque omnibus Iudicibus magnoperè laudatus; ut tamen simulatio suaviùs procederet, & mulctâ pecuniaria & carcere damnatus est. In quos sanè magis culpam mortis Mariæ, quàm in ipsam Elisabetham conjecerim: qui odio Religionis Catholicæ, specie conservationis vitæ Elisabethæ, & tranquillitatis regni, turpissimi assentatores multa nefanda commenti sunt, quibus suas turpitudines contegerent. Qui etiam cùm animadverterent, tantæ invidiæ onus in se, sive ab ipsâ Reginâ Elisabethâ rejectum, sive à se ipsis impositum; sicut abyssus abyssum invocat, apologiâ mox editâ factum tueri novis calumniis, & exemplis mendacibus ab antiquitate petitis, rationibúsque futilibus, conari maluerunt, quàm summam suam iniquitatem universo orbi manifestissimam fateri, aut agnoscere.

IUDICES FACTUM LAUDANT.

V. ELISAB. SE APUD REGIN. SCOTIÆ EXCUSAT.

Regina verò confestim à nece Mariæ ad Iacobum Regem ejus filium excusatorias literas dolorem præ se ferentes scripsit. Qui nihilominùs justâ iracundiâ motus, legato suo in Anglia auctoritatem abrogavit, & vindictam spiravit: ordinibus Scotiæ profitentibus se ad matrem vindicandam, & jus ejus in Angliæ regnum tuendum, fortunas vitámque profundere paratissimos esse. Sed cùm non tantæ essent regni vires, ut bellum contra longè potentiorem Angliam suscipi posse videretur; essentque præcipui proceres Reginæ Elisabethæ addicti; adeóque ipse Rex haud tutò eis fidere posset; denique vix annum agens ætatis vigesimum tantæ moli versandæ satis idoneus, quamquam supra ætatem negotiorum capax minimè videretur: excusationes Elisabethæ, crimen à se amolientis, & instrumentum, Iudicum Angliæ chirographis subsignatum, quo testatum fiebat, sententiam contra matrem latam ejus in successione juri nihil officere aut præjudicare posse, mittentis, tandem admisit.

VI. DUCES ANGLI IN BELGIO SE DEDUNT PARMENSI.

Quo eodem tempore ardente Belgio, non solum bello Hispanico, sed etiam intestinis dissensionibus inter Ordines & Anglos quos in subsidium acciverant, ob truculentum Leicestrij imperandi modum; duo duces Angli, considerantes injuriam fieri legitimo domino Regi Philippo, alter Daventriam urbem munitam & opulentam, Zutphaniæ munitionem alter, quarum custodiæ fuerant à Leicestrio invitis Ordinibus impositi, in manus Parmensis regij Gubernatoris tradiderunt. Sicuti & quidam Scotus Geldriam, cùm ei Leicestrius interminatus esset alium se in ejus licentiosiùs agentis locum suffecturam. Quare cùm per Leicestrij absentiam, qui interim in Angliâ agebat, res vehementer turbarentur, Ordines resumptâ pristinâ potestate, quam illis ademisse sibi videbatur Leicestrius, Mauritio Nassovio Aurangii filio, tamquam Bataviæ, & Zelandiæ vicario, mandârunt ut summum imperium, quod illi juxta pacta per Leicestrij absentiam competebat, susciperet: eique omnes tribunos ac militum præfectos uti summo imperatori parere, & fidei sacramentum præstare, jusserunt; scriptúmque expostulationis plenum de his ad Leicestrium in Angliam miserunt. Cùm verò præterea Parmensis Slusas obsidione cinxisset, Leicestrius ex Angliâ hortatu Ordinum accurrens, frustrà conatus est opem ferre: captæque fuêre Slusæ, magno ipsius dedecore, & Ordinum detrimento unde re inter eos in apertum odium erumpente, (quod & contrariis publicis scriptis acriùs exarsit) demùm ne inde status Ordinum penitùs corrueret, revocatus à Reginâ Elisabethâ, imperio cessit, liberámque administrationem Ordinibus reliquit, quam deinceps Mauritius exercuit; alio quopiam Anglorum in Belgio copiis à Reginâ præfecto.

VII. BELLUM GALLICUM.

In Galliâ bello ubique perstrepente, Lutetiæ quoque occultis coitionibus factiosi contra Regem conspirârunt: quæ detectæ, ac parvo negotio dissipatæ fuêre. Bellica verò gesta præcipua extitêre prælium Cutracense; & copiarum auxiliarium à Germanâ cædes. Quod ad primum attinet; venerat Annas Dux Ioiosæ, qui florente gratiâ apud Regem erat, cum exercitu regio, & insigni nobilitatis comitatu, in Pictones adversus Navarrum: sed dum receptis aliquot oppidis in eo esset ut ulteriùs progrederetur, brevì cum pecuniæ inopiâ, lue in exercitu orta, insuperque monitus ab amicis, in aulâ gratiam ejus per absentiam refrigescere, & Espernonio æmulo præsenti accrescere; (averso namque inde Rex ab eo esse cœperat animo, quòd in partes Guisiorum, qui non cessabant Re-

gi insidiari, proclivem se, intuitu defensionis Religionis Catholicæ, quam ipsi prætexebant, ostendisset:) exercitûs curâ Ioanni Bellomanerio Lavardino castrorum præfecto commissâ, per dispositos equos Lutetiam ad Regem venit: & ex necessitate consilium accipiens petiit à Rege, ac facilè obtinuit, ut primâ quæ se in manus daret occasione, cum Navarro totis viribus aleam subire sibi liceret: sic apud se statuens, ut aut victus mortem generosam pro Fide oppeteret; aut victor, tum impediret ne Navarrus, quod decreverat, quódque ferè totius belli cardo erat, cum auxiliis Germanicis conjungeretur; tum egregio eo facinore conciliaret sibi tam Regis ipsius quàm sacri Ordinis & plebis animos. Congressu apud Cutracum ad Insulam amnem in finibus Petrocoriorum facto die vigesimo octobris; prælio Ioiosæ initio nonnihil prospero, exitu infausto, non solùm ipse victus est, sed etiam necatus (non tamen ipsâ pugnâ, ut plerique volunt, sed captus, inter manus detinentium ab aliquo sic jussu confossus) unà cum juniore fratre Claudio Sansalvatorio nuncupato, multísque aliis proceribus, & nobilitate copiosâ, quæ ad illum auditâ futuri prælii famâ concurrerat. Ferunt illum nimiâ debellandi cupiditate præcipitâsse prælium: qui cùm sciret Marescallum Matignonum Aquitaniæ præfectum in propinquo esse cum delectis copiis quas suis conjungeret, gloriæ socium veritus, eo non expectato cum pernicie suâ pugnam conseruerit. Vicit igitur gloriose Navarrus, numero quidem paulò inferior, sed ducum dignitate & virtute longè superior: quocum, præter veteranos multos bellis exercitatos (quibus ferè Ioiosa carebat) erant Princeps Condeus, & frater ejus Carolus Suessionensis Comes; qui paulò antè, licèt religione Catholicus, regni non religionis causam in hoc bello agi causatus ad Navarrum transierat, spe matrimonii cum Catharinâ sorore Navarri contrahendi. Ex regiis ad bis mille ceciderunt: multi proceres nobilésque capti: cùm ex Navarreis ad centum dumtaxat desiderati sint, nullúsque ferè alicujus nominis, captáque pariter signa, tormenta, impedimenta. Fuítque omninò hoc primum prælium ordinatum, quo hæretici Catholicos vicerunt, cùm cæteris omnibus anteà victi fuissent: ut multi vel inde conjecerint, hoc bellum non religionis, sed factionis fuisse, Ioiosarum corpora condita, & capsæ plumbeæ imposita, Lutetiam translata sunt; ubi Annæ magnificentissimis exequiis Regis jussu parentatum est. Successus autem victoriæ, nullus, aut valdè exiguus fuit; receptis dumtaxat paucis locis debilibus. Et Navarrus in Bearnium concessit: Condeus Rupellam, inde per Lemovices iter versus Ligeris fontes petiturus, ad excipienda Germanica auxilia, de quorum adventu fama percrebuerat: Suessionensis citò tædio affectus consortio allophylorum, Navarrum tamen in Bearnium, ad sororem ejus, spe futuri aliquando matrimonii salutandam, comitatus, paulò pòst ad Regem reversus est.

Pugna Cutracensis.

VIII. Germani autem in unum collecti, octo millia equitum erant, quos Reitros vocant, sex peditum Lantsknetorum, viginti Helvetiorum, (quorum tamen quatuor millia in Delfinatum missa, à Valetâ fratre majore Espernonii internecione deleta sunt.) Vniversis copiis præerat, auctoritate Ioannis Cazimiri Palatini, Fabianus à DonaW in Borussis nobilissimo loco natus. A Rege tamen Navarræ constitutus est totius exercitûs supremus imperator Guillelmus Robertus Bullionii Dux; qui cum nonnullis copiis Gallicis occurrit) sed cui tamen ad Donavii, sive ob ætatem, sive quòd præcipuum exercitûs robur in potestate habebat, voluntatem, imperia & consilia sua dirigere necesse fuit. Non insistimus speciali narrationi rerum inter eos Lutetiam petere decernentes, & Catholicos eis aditus intercludere studentes, tunc gestarum, multiplicibúsque pugnis ad hæc initis; quæ pluribus ac diversis commentariis in publicum editæ fuêre. Summa est; Guisii Ducem cum Mayenio fratre, & parte exercitûs regii, Ducísque Lotharingiæ copiis, & auxiliaribus Principis Parmensis, hostes ab ipso eorum in Lotharingiam ad finem Augusti ingressu continuis aggressionibus die noctúque vehementer infestâsse: Regem ipsum cum alio majori exercitu ad Ligeris vada tutanda, ac præcipuè oppidi Charitæi, per quod olim Bipontius simili expeditione copias transmiserat, jámque isti idem conabantur, incubuisse; adeò ut hostes inde pressi, hinc repulsi, in summam rerum inopiam redacti fuerint, conquerentes maximè se à Gallis qui eos conduxerant deceptos esse, qui spem de favore Regis in transitu concedendo fecerant, & aliquem è regiâ stirpe principem ad castra, simul ac Galliam ingressi essent venturum, ac pecuniam promissam repræsentatum iri receperant. Quorum tamen nihil fiebat; nisi quòd sub finem Franciscus Borbonius Princeps Contius, Condei frater, Catholicus licet, in castra apud Prunæum in Belsiâ venit, ex consilio cum fratre Suessionensi capto quando ille ad Navarrum accessit. Sed jam tum hostes ad extrema ferè redacti, cum Rege de recessu tractare cœperant: & quanquam ipse summâ ducum hilaritate exceptus fuerit, eidémque imperium ultiò è Bullionio delatum; quod tamen cum parvo admodùm comitatu venisset, nec quid aliud subsidii offerret, essétque insuper & impeditioris linguæ & surdioribus auribus; nihilo meliùs se ejus adventu res habuerunt. Quinimmò Helvetiis seorsùm à cæteris cum Rege, qui in Carnutibus erat, iter Germanis in Vindocinum agrum tendentibus impediturus, agere incipientibus: Guisius Donavium cum suis Alneti agentem, nocte diei 24. Novembris ex improviso per suos duces aggressus, ingenti clade cædéque contrivit, captis equis, impedimentis, & novem vexillis, quæ ad Regem missa fuêre. Post quæ reliqui Germani & Helvetii de receptu solliciti, frustrà eos Donavio ac ducibus Gallis retinere conantibus; Helvetii primùm cum Rege pecuniâ ad reditum acceptâ transegerunt: deinde & Germani ac Galli cùm interim & aliis cladibus afficerentur, ita convenerunt, ut Galli qui beneficiis edictorum frui vellent, signa ad Regem deferenda traderent; Germani sua secum auferrent, sed complicata; & ad limitem usque incolumes deducerentur, fide datâ nunquam injussu Regis in Galliâ milita-

Germanicorũ auxiliorum confusio.

Alnetensis eorum clades.

turos. Sicque formidabilis illius exercitûs reliquiæ ad nihilum penè reductæ, ad sua se receperunt, inermes, pauperes, ac debiles; quarum etiam magna pars in itinere interiit, pars in Sabaudiâ cæsa, pauci superfuêre. Bullionius Genevam ægrè concessit; ibique paulò pôst obiit. Donavius in Germaniam probris & maledictis oneratus abscessit. Rex verò post dissipatum hostilem exercitum Lutetiam contendit; eámque in armis triumphanti similis ingressus est biduo ante Domini Natale, magnâ omnium gratulatione, summáque magnificentiâ exceptus, haud tamen ita valens gloriosis suis gestis satisfacere factiosis, quin contumelias sub nomine Espernonii, qui de conventionibus cum hostibus, in invidiam Guisiorum, qui perditum eos ibant, pepigerat, de servatis eorum reliquiis, quas omninò delevisse præstitisset, acciperet.

DISSIPATI ABIERUNT.

IX. REGNI POLONICI COMPETITORES.

Magnis quoque turbis hoc anno agitata est Polonia, exscissis partium studiis in eligendo successore Stephano Regi anno superiori defuncto. Condictis Varsaviæ de more comitiis ad finem Iunii, interfuerunt competitorum legati, qui erant, primùm ex familiâ Austriacâ, *Ernestus, Matthias, & Maximilianus* fratres Rudolphi Imperatoris: quos ipsius Rudolphi, & Philippi Regis Hispaniæ gentilis, & Electorum Imperii legati commendabant; habebántque non paucos ex nobilitate Polonicâ sibi addictos. Nec dubium erat, quin & Annibal à Capuâ Archiepiscopus Neapolitanus Sixti Papæ Nuncius, ad hoc potissimùm missus ut omnem operam daret ne alius quàm religione Catholicus eligeretur, etiam Austriacis studeret. Alius competitor fuit *Sigismundus*, Ioannis III. Sueciæ Regis & Catharinæ Iagellonicæ Sigismundi II. Poloniæ Regis sororis filius: cui præter Annæ materteræ, Stephani ultimi Regis viduæ preces ad Polonos, antiqua Iagellonicæ familiæ in rempublicam Polonicam merita suffragabantur, & gratiam apud omnes regni ordines conciliabant, ut jure quodammodò regnum illis tribuendum videretur. Tertius erat *Theodorus* Magnus Moscoviæ Dux, qui universam ditionem suam à finibus Livoniæ ad mare Caspium usque pertinentem adjuncturum se regno Poloniæ promittebat: eámque conditionem Lituana nobilitas quæ Moscorum finitima maximè ab iis vexabatur, multique alii amplectendam censebant; quamvis plerique prudentiores seriò hæc à Mosco offerri vix sibi persuaderent. Quartò loco numerabantur qui *Piastum*, hoc est ex proceribus Polonicis aliquem virtute clarum eligendum volebant; quòd expedire dicerent ut is Rex designaretur qui linguam, mores, ac jura gentis perspecta haberet, potiùs quàm extraneus, qui ea ignoraret magno Reipublicæ detrimento. Denique & Amurates Turcorum Imperator per Vezirum suum Polonis significari mandavit, cupere se ut is Rex designaretur, qui amicitiam & cultum Turcico nomini exhiberi solitum tueretur: ac liberam quidem relinquens omninò electionem; unum tamen ex filiis fratris Stephani defuncti Regis, vel ipsum Transilvaniæ Principem commendavit.

X. DUO PROCLAMANTUR.

Auditis omnium legatis, scissa fuerunt in varias partes electorum studia: sed post multas demùm altercationes, & secessiones, duo prævaluerunt; *Maximilianus* videlicèt Austrius, quem electus Episcopus Kiovensis, cum nonnullis proceribus, è familiis præcipuè Sboroviorum & Radevilliorum, Regem proclamavit duodecimo Augusti: & *Sigismundus* Suecus, jam triduo antè, nempè nono ejusdem mensis Augusti, ab Archiepiscopo Gnesnensi, cæterisque omnibus Regni Episcopis, Zamoscio magno Cancellario & summo exercituum regni duce, Vicecancellario, Marescallo, Thesaurario, aliisque præcipuis regni ministris, ac Senatoribus & Palatinis, plurimáque nobilitate, renunciatus; cùm ob prærogativas quas superiùs diximus; tum quòd indoles in eos præclara eluceret, accederétque linguæ Polonicæ peritia; ac spes esset sic compositum iri multas controversias quæ inter Suecos & Polonos intercedebant. Propositis deinde singulis electis à suis electoribus certis conditionibus, ab iis subscribendis & jurandis; Maximilianus quidem oblatas sibi ratas habuit Olomuciæ decimoseptimo Septembris, & solemni jurejurando confirmavit. At Sigismundus, cæteris sibi propositis facilè admissis, unam nunquàm induci potuit ut reciperet, quâ cavebatur ut Livoniæ pars Sueciæ Regi eo tempore subjecta, ceteræ Livoniæ atque adeò Poloniæ coronæ restitueretur atque uniretur. Id enim neque Ioannes Sigismundi pater, qui tot ac tantis laboribus, curis, & sumptibus, tótque hominum sanguine, illam veluti è Moscorum faucibus eripuerat, audire sustinuit: & Sigismundus externo se & electitio regno carere malle apertè declaravit, quàm ut avito & hæreditario partem quantumvis exiguam detrahi pateretur. Quâ in re illud medium excogitatum est, ut totius negotii determinatio in id tempus differretur, cùm regnum Sueciæ legitimâ successione ad Sigismundum devolutum esset. Sicque ille repetitis literis evocatus, ad finem anni, videlicèt vigesimoseptimo Decembris, in festo sancti Ioannis Apostoli & Evangelistæ, solemni ritu coronatus est more majorum Cracoviæ ab Archiepiscopo Gnesnensi Poloniæ Primate, Rex *Sigismundi* nominis Tertius, anno ætatis suæ vigesimoprimo: cùm jam anteà Miximilianus, cui cum nonnullis copiis Cracoviam appropinquaverat, à Zamoscio magnâ clade repulsus fuisset. Post coronationem verò Sigismundi, cùm idem Maximilianus novas copias colligeret, ab eodem Zamoscio 22. Ianuarii sequentis ad Bitsinum vicinæ Silesiæ oppidum extra fines Poloniæ longè majori cæde prælio victus; postridie eodem oppido ad deditionem compulsus est, unà cum proceribus Polonis ejus partis. In quos omnes Zamoscius summâ moderatione ac clementiâ, sine ullâ insultatione aut verborum asperitate, usus est. Quemadmodùm & ipse Sigismundus tantæ victoriæ nuncio accepto, eandem moderationem servans, vetuit ne Maximilianus Cracoviam adduceretur; nè scilicèt potiùs in triumphum quàm in custodiam duci videretur, qui inde in arcem Russiæ Crasniltavam haud longè à Lublino extremo majoris Poloniæ oppido cum valido præsidio ablegatus est: ubi primùm, deinde Rodlone, honestissimâ custodiâ sesquianno detentus fuit. De cu-

SIGISMUNDUS III. CORONATUR.

jus liberatione dicetur suo loco. Quomodò verò hæc omnia se habuerint, accuratè descripsit Chytræus [c] in sua Saxoniâ, ea apprimè callens: ex quo alii exscripserunt.

[c] *Chytr. lib. 28.*

XI. Ioannis Regis Sueciæ fides.

Erat porrò Sigismundus religione Catholicus, in fide à matre enutritus & educatus; connivente patre Ioanne: qui quanquam regnum accepisset hæresi Lutheranâ depravatissimum, veræ tamen fidei lumine cælitùs illustratus, tenebras errorum dispellere paulatim & sine tumultu conatus est. Quamobrem Patrum consensum Episcopis regni objecit; templa à Lutheranis diruta instauravit, altaria excitavit: Ordinis S. Birgittæ sanctimonialium virginum cœnobium ab injuriis hæreticorum tutatus est: quæ adeò constantes in suo sacro proposito perstiterunt, ut neque per triginta totos annos fugatis Catholicis sacerdotibus, ne subtracto sæpè cibo, ut ad virginitatem desefendam compellerentur, nec objectis Lutheranis ministris (quorum blasphemias ne audirent, aures priùs cerâ lanâque opplebant) neque magnis pollicitationibus, nec earum Abbatissæ virgini sanctæ illatis flagris, nec denique ullis minarum pœnarúmque ac spoliationum injuriis, commoveri potuerint ut hæreticorum illecebris assentirent. In reliquis quoque Rex quæ Catholicorum erant approbans, Quadragesimam servabat; Sanctorum orationes admittebat: Purgatorium adeò credebat, ut conjugi Reginæ Catharinæ juxta Catholico more persolvi curaverit, ac pro illius animâ toto regno orari mandaverit: quæ in fide Catholicâ semper vixerat, & extremum diem clauserat. Denique Romano Pontifici & Ecclesiæ Catholicæ tantum detulit, ut & abjuraverit secretò hæresim in manibus Antonii Possevini Soc. Iesu, quem Gregorius XIII. Pontifex ab eo rogatus ad illius regnum bis miserat. A quo hæc, & alia plura de ejusdem Regis religione & pietate adnotantur [d], quibus & alii auctores testimonium veritatis perhibent [e], quantumvis certum sit, regem neminem ad mutandam religionem coëgisse, sed receptam sub patre ejus Augustanam Confessionem in regno toleràsse.

Cōstantia Virginum Birgittarum.

[d] *Possevin. in Refut. Respōs. Chytræi. c. 3. & Appar. to. 1. in Greg. XIII.*
[e] *Vid. Florim. de Orig. hær. lib. 4. c. 17.*

XII. Confirmatio Conventualium Reformatorū.

Hoc eodem anno Sixtus Pontifex Congregationem *Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum*, à pluribus annis à nonnullis S. Francisci Ordinem professis, strictiorem vivendi modum juxta puram ejusdem Sancti Regulam amplexis, institutam, & jam in multas provincias propagatam; editâ constitutione [f] Idibus Octobris confirmavit; habitúmque Fratrum designavit; regimen disposuit; & privilegia Conventualium iisdem impertiit. Bienniòque pòst, nempè vigesimo Decembris anno 1589. eidem Congregationi attribuit omnia loca, bona, & jura alterius instituti *Fratrum Scalceatorum*, quod *Fr. Ioannes Baptista de Pisauro* ejusdem Ordinis sancti Francisci, ex Hispaniâ in Italiam detulerat; & multos diversorum Ordinum Religiosos tam Mendicantium ac Capucinorum, quàm non Mendicantium, & alias sæculares personas, in nonnulla loca, seu domos Italiæ per eum receptas, ad habitum per Fratres Scalceatos hujusmodi gestari solitum suscipiendum, & professionem emittendam, Sede Apostolicâ omninò inconsultâ receperat: ipsúmque ejusmodi institutum in Italiâ extinxit, suppressit penitùs, & abolevit: concessâ eidem Ioanni Baptistæ ac sociis facultate, ut vel ad priores suas Religiones redire, vel ad dictos Fratres Conventuales Reformatos transire possent. Mirum profectò fuisse oportet, variúmque admodùm, Sanctum Franciscum & habitu & regulâ, si tot diversas inter se ejus Ordinis Congregationes & Societates, de vero ejus habitu, & Regulæ intellectu, rostris & unguibus sese invicem lacerantes atque dilaniantes audiamus; quásque sibi ipsissimum sancti Francisci, atque germanissimum adscribentes, & cæterorum omnium adulterinum jactantes. Vbi veritas? ubi charitas? Non sanè in his nec in aliis ejusmodi. Tange tu corda omnium, Domine; & da singulis pacem & concordiam internam & externam; per intercessionem beatissimi eorum Patriarchæ Francisci, qui sanè longè aliter vixit & docuit, quàm vivant & faciant permulti eorum qui ejus nomine gloriantur.

[f] *Bullar. to. 2. const. 92. & 99.*

Scalceatorum extinctio.

Mira diversitas Franciscanorū.

Iesu Christi Annus 1588.

Sixti V. Annus 4.

Rudolphi II. Annus 12.

I Annus mirabilis.

Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo octavo Indictionis primæ, quem Ioannes Regiomontanus nobilissimus à Ptolomæo suo tempore Astronomus, natione Germanus patriâ Franco, qui ante centum viginti fermè annos vixit, Romæque decessit, *Mirabilem* fore, idque postea confirmavit Ioan. Stoflerus Suevus, & alii, nonnullique *Mundi Climactericum* prædixerant; non pauca per orbem facta sunt, quæ prædictiones ejusmodi confirmârunt: quorum præcipua nos, uti ad cognitionem nostram pervenerunt, singulatim breviter pro more referemus. Et quia nullibi locorum adeò portentosè hæc apparuerunt, quàm in Galliæ florentissimo toto Christiano orbe regno, ex perniciosissimis fœderatorum consiliis, quibus illud ad ultimum ferè excidium delatum est; ceteræque provinciæ, ac regna, alia ex propinquo, aliá ex longinquo commota fuère: Vt inde rerum narrationem ordiamur; mense Ianuario Dux Lotaringiæ cum Guisio, ac præcipuis fœderatis, Nancei convenientes, ex communi consensu certa capitula perscripserunt, quæ Regi offerrent, & ut assentiretur rogarent. Videlicet, ut se apertiùs arctiúsque fœderatorum partibus jungeret: A negotiorum circa se administratione, locorum præfecturis, & muneribus publicis, suspectos removeret: sacrum Inquisitionis officium in primariis civitatibus constitueret: Concilium Tridentinum promulgandum curaret, suspensâ tamen ejus executione in iis quæ spectarent ad privilegia Ecclesiæ Gallicanæ: Ecclesiastico ordini bona alienata redimendi facultatem faceret; quinimmò iidem ipsi ad ea redimenda compellerentur: Quædam loca munita in fœderatorum ducum manus consignaret: In Lotaringiæ limite, ad externos impetus propulsandos, idoneus militum numerus imponere-

Capitula Regi proposita a Foederatis.

tur: ob idque in bonis hæreticorum distrahendis omnis diligentia adhiberetur, in sumptus belli contra ipsos gesti aut gerendi.

II. CONJURATIONES IN REGEM.

Has fœderatorum petitiones ad se allatas Rex gratanter, ut videri voluit, (ne scilicèt majores tumultus excitaret in populo, qui plerusque Guisium in oculis ferebat, Regémque suspectum de religione & favore hæreticorum habebat; inflammantibus eum ad hæc concionatoribus, qui sive hæresis odio, seu malignitate animi, operam suam fœderatis locaverant:) accipiens, dilatione tamen responsionis eludere constituit. Cùm autem novæ in eum quotidie conjurationes, etiámque in vitam fierent; ipséque de iis monitus, hinc accenderetur ad vindictam, illinc suaderetur vana omnia esse, (ut facilè in diversas partes flectebatur tum à matre, tum à suis consiliariis, prout aut sinceri erant, aut corrupti:) rebus tamen in pejus labentibus, cùm & ipse armatos in urbem evocâsset; indéque Parisienses sibi ab eo tam graviter offenso metuentes, Guisii Suessione tunc unà cum Cardinale Borbonio aliísque fœderatis principibus agentis, adventum in suî auxilium urgerent: increbescente hâc famâ, Rex Pomponium Bellievrium Suessionem misit, qui cum Guisio ageret ne ad urbem veniret, denunciarétque integra quidem ei omnia officia cum Rege constare, neque Regem delatis ad se de illo rumoribus hactenùs fidem habuisse; verumtamen experturum se hoc facto quid animo gereret: proinde adventum in aulam suum hoc rerum statu sustineret, neque committeret ut spreto Regis imperio extremæ ejus patientiæ periculum fecisse videretur. Ad quæ Guisius queri quòd de fide sua dubitaretur; merita extollere pro quibus indigna gratia rependeretur: sibi decoris ac famæ quàm vitæ potiorem curam esse, & impatientissimè ferre quòd in odium suum bonis Catholicis calumniosè periculum crearetur: ideóque petere, ut de securitate eorum idoneè caveretur. Cùm verò nihilominùs iidem Parisienses factiosi omnia sua consilia Regi à nonnullis detegi animadverterent, ac proinde non cessarent Guisium de adventu sollicitare, alioqui minantes coactos se fore aliter suis rebus providere: decrevit is demùm eò accedere; & ut plenam suî fiduciam testaretur, cum solis octo sociis die nonâ Maii in ædes Reginæ matris appulit. A quâ, subiratam de ejus præcipitato contra Regis prohibitiones adventu sese ostendente, ad Regem deductus, (inter eundum faustis acclamationibus à civibus exaltatus) cùm veniam sibi à Rege commotiore reperto petiisset, quòd calumnias, quas diutiùs ferre non potuisset, capitis periculo coràm refutaturus injussu ipsius venisset; deinde de suâ suorúmque innocentiâ longam & compositam orationem habuit, quam ut ei magis approbaret, & suspiciones purgaret, paratum se dixit arbitrio ipsius, & benè erga religionem animatorum procerum stare. Quo cùm sibi aliquo modo satisfactum Rex præ se ferret; Guisium à se dimisit; monitum ut si suspiciones purgatas cuperet, daret operam ut facta verbis responderent.

GUISIUS CONTRA REGIS PROHIBITIONEM LUTETIAM ACCEDIT.

III. TUMULTUS PARISIENSIS.

Cùm autem Guisii adventu inflati seditiosi novum metum Regi injecissent; ac propterea securitati suæ ipse providens, prætorianorum Helvetiorum & Gallorum cohortes in urbem introduxisset, ac per varia urbis loca disposuisset; urbanæque insuper nonnullæ militiæ sibi fidæ excubias frequentes haberent: re in apertum dissidium perductâ, cùm facile fuisset initio fœderatos ac seditiosos imparatos opprimere; prohibente tamen Rege ne injuria civibus inferretur, quos de infaustissimo matris in tanto rerum discrimine consilio, benignitate magis allicere conabatur; ad militum adventum conclamante præ pavore plebe, & accensâ ex alterâ parte seditiosorum licentia, tabernæ mercatoriæ claudi, catenæ per vias tendi, & doliaria septa ad obstruendos viarum ac platearum aditus confici, lapides & saxa in fenestras domorum comportari, omnis generis arma expediri ad regios opprimendos cœperunt, qui sic intra plateas, in quibus constituti fuerant, conclusi sunt, ut jam ampliùs elabi non possent: adeò ut haud dubium esset, quin à longè numerosiori multitudine opprimendi venirent, (à quâ etiam demùm exarmati fuère) nisi Guisius, qui interim domi se continuerat, incolumes excedere, armáque recipere jussisset; humanitatis inde simul ac potentiæ ostentandæ occasione non segniter captatâ. Sub vesperam crebris eorundem seditiosorum stationibus per compita ac plateas dispositis, cùm Regis nomine tessera à præfecto mercatorum, qui summus urbanus magistratus est, mitteretur; illa ab iis rejecta est, & missa à Guisio accepta: quæ prima apertæ defectionis nota fuit, cùm cætera aliquâ necessitatis ac propriæ defensionis specie excusari possent. Hícque exitus illius diei (qui fuit Iovis 12. Maii) cui à Doliaribus munimentis (*Barricadas* vulgò vocant) memorabile apud posteros nomen fuit; quo calcata nominis regii majestas, nunquam amplius à Rege recuperari potuit: sed jacuit illa ab eo tempore, donec invictâ Navarri virtute, cujus à regno repellendi specie hæc præcipuè suscepta fuerant, admirabili Dei providentiâ pristinum vigorem & antiquum decus recepit. Tradunt, Sixtum Pontificem, virum ut injuriæ impatientissimum, ita suæ dignitatis retinentissimum, ubi audivit de adventu Guisii in urbem, exclamâsse, O temerarium hominem, qui se tam imprudenter in manus irritati Principis consignaverit! deinde, ubi eum nihilominùs à Rege benignè acceptum & dimissum accepit, altiori voce inclamâsse; O ignavum Principem, qui hominem exitio suo natum è manibus sibi eripi passus sit! Quo sanè modo & pronum unicuique erat argumentari. Sed excusatur prædicta Guisii temeritas protectione Reginæ-matris, cujus erat summa apud Regem auctoritas; & favore Parisiensium, qui ad ejus defensionem aut vindictam paratissimi erant. Excusatur & Regis patientia, ex ignaviâ aut fraude eorum qui circa ipsum tunc erant, (aberat Espernonius, qui proculdubiò languidis & mollibus his consiliis non consensisset: qui Rotomagum petierat ad possessionem ineundam amplissimæ Normanniæ præfecturæ, quâ unà cum maris præfecturâ fuerat à Rege donatus post obitum Annæ Ioiosæ qui utramque possidebat:) qui Regi tranquillitatis studio injuriis ferendis assueto suaserunt, non tam eas regiâ au-

DIES BARRICADARUM.

CULPA REGIS.

ctoritate ulcisci, quàm consiliorum flexu, spe resipiscentiæ Parisiensium, quibus Rex benè volebat, eludere.

IV. Rex Lutetiam deserit.

Tetriora simul & turpiora fuêre quæ porrò secuta sunt. Cùm enim crebris nunciis allatum esset, totâ subsequente nocte coïtiones factas fuisse, arma etiam scholasticis tradita, ac seditiosos decrevisse Regem omni ratione in potestate habere, & arcem Luparam in quâ habitabat circumcingere ne posset elabi: Rex his intellectis, & facilè ob præcendentis diei commotiones creditis, fugam paravit; ignominiosissimam certè tanto principi, sed necessariam eâ personæ naturâ, eo rerum discrimine. Quare sub meridiem quasi deambulaturus pro more ad hortos Tuilerianos, seu Lateranos, qui extra urbem sunt, pergens; re matri & paucis aliis communicatâ, in viam se dedit propè solus, & Carnutum versùs iter dirigens, eâ nocte ad Trapas hospitium habuit; sequentibus fidissimis quibusque quà pedibus, quà equis ingenti confusione, ac postridie Carnutum pervenit, regiè ibi ut decebat exceptus. Quem quòd Guisius neque in Luparâ, neque apud Trapas aggressus fuerit, ut facile erat, id inde processisse volunt, quòd nunquam in animo habuerit ejus vitæ aut personæ vim inferre; sed tantùm auctoritatem suam vanè ostentare, quò Regem induceret ad postulata concedenda, ac præcipuè præfecturam armorum toto regno quam ambiebat. Qui post Regis abitum, cuncta pro arbitrio Lutetiæ gerens, ut res suas in eâ firmaret, Bastiliam & Castrum Vicennarum occupavit; præfectum mercatorum aliósque urbis magistratus mutavit; ac depositis qui à Rege fuerant constituti, factiosos sibi fidos substituit: parvî faciens Reginarum matris & uxoris Regis præsentiam, quæ in urbe substiterant ad res, si fieri posset, componendas.

V. Ejus ad provincias literæ.

Rex verò Carnuti literas ad provinciarum præfectos die decimaseptimâ Maii, de his quæ Parisiis contigerant scribens, conatus est magis dedecus suum excusare, quàm tantæ acceptæ injuriæ desiderium ultionis ostendere: mandans ut civitates suæ curæ commissas de re totâ certiores facerent, neque Parisiensis tumultûs exemplum ad eas serpere paterentur; & falsos rumores, qui de industriâ ad conturbandam quietem publicam passim à malevolis disseminabantur, pro prudentiâ & auctoritate suâ coërcerent. Additæ quoque ad civitates litteræ, de egregiâ ipsius Regis erga illas voluntate, ac studio ad Religionem Catholicam-Apostolicam-Romanam, extirpatâ per bellum hæresi, asserendam; spe etiam factâ de levamento vectigalium, quæ rerum necessitas imponere coëgerat. Guisius pariter eodem decimoseptimo die, quasi ex compacto, ad Regem, amicos, & civitates scribens, imprimis Regi exposuit, dolere sibi quòd mala sua fortuna ita tulisset, ut malevoli clausis ejus ad observationes suas per calumnias auribus, nullum gratiæ apud ipsum sibi locum reliquum fecissent. Deinde excusato Parisiensium ex necessitate defensionis contra externas introductas copias tumultu; suam in eo compescendo, & in servandis à plebis furore Helvetiis & prætorianis, operam jactans, fidem hæc apud omnes fecere dixit, quâ reverentiâ majestatem ejus coleret; quámque alienum à turbandâ urbis quiete animum haberet. Longè verò maximum dolorem sensisse ob repentinum ipsius discessum, quo effectum fuerit, ut fidem suam & innocentiam ipsi approbare non potuisset. Ad amicos verò eadem apertiùs ac paulò copiosiùs in suî defensionem exposuit, & quàm fuerit à Rege capiendo, quod malevoli calumniabantur, & urbe diripiendâ, ac lanienâ excitandâ, alienus, significavit; non solùm quòd nihil antiquius ex se ipso haberet quàm ut Regis gratiam adipisceretur, verùm etiam quòd sub id literas à Pontifice accepisset, ut Regi supremo suo domino fidem & obsequium servaret. Ad civitates denique eadem breviter inculcavit: laudatáque Regis clementiâ, vereri tamen se dixit, ne pravis aliorum consiliis impulsus, novum bellum cuderet: Cúmque ipse Guisius reperisset Parisienses egregiè animatos pro bono Religionis Catholicæ, obsequio Regis, & tranquillitate regni; hortari quoque cæteras civitates, ut salvâ per omnia Regis auctoritate, vires & consilia cum iis conjungerent, nec paterentur aliquid in civitatibus suis innovari, aut præsidia ad turbulentorum hominum libidinem iis imponi. His adjunctæ fuêre Parisiensium de iisdem ad reliquas civitates literæ: quibus illa Navarri, Espernonii, & Monmorantii, eorúmque asseclarum artibus attribuentes, hortati sunt eas, ut cùm viderent religionem, vitam, resque ipsorum his machinis peti, suæ saluti prospicerent, & ipsi urbi Parisiensi, sese tanquam membra capiti, ardentiore studiorum & voluntatum consensione sub Regis obsequio contra Navarrum conjungerent.

Guisii ad Regem, et provincias literæ.

VI. Quid Rex cum Senatu Paris.

Intereà Senatus Parisiensis, suadente Reginâ matre, delegatos è corpore suo ad Regem misit, qui motum recentem excusarent, & Senatum in potestate ejus futurum publicâ actione testarentur. Quos Rex benignè recipiens, respondit credere se ipsis quæ contigissent dolere, & si in potestate eorum fuisset, id omni ope impedituros fuisse: si errorem suum Parisienses agnoscerent, eos in gratiam recipere se paratum, quos ab ipso regni sui initio nunquam cessâsset omni benignitatis & gratiæ genere fovere. Ni verò quàm primùm facerent, & se longioribus protelationibus ludificarent, apertam se ad beneficia manum compressurum, ita ut tantæ injuriæ ad animum revocati sensûs vestigia & notas æternùm impressas relicturus esset. In hoc Senatui laborandum esse; quandoquidem in eo urbis & universorum civium, uxorum denique & liberorum salus verteretur: atque interim Senatus in fide & munere suo, sicuti antè fecisset, perseveraret. Id actum decimosexto Maii. Post aliquot verò dies significavit Rex Senatui, hanc ultimam suam voluntatem esse, ut dum cives ad officium redirent, præterita omnia oblivioni traderentur, emendationis publicæ ratio iniretur, ob idque regni comitia indicerentur; protestatione factâ ut quæ in iis decreta forent, religiosè & inviolabiliter servarentur: insuper de legitimo regni successore Catholico & è regio sanguine prognato consultaretur: ut verò Comitia legitima essent, velle se ut ante omnia

cuncti ab armis discederent, pœnâ perduellionis in non parentes sancitâ.

VII. Petitio Principum etc. a Rege.

Quo etiam tempore Guisius suæ partis hominibus persuasit, ad amoliendam invidiam, ut & ipsi legatos ad Regem mitterent; cum libello nomine Cardinalis Borbonii, & aliorum Principum, procerum, urbis Lutetiæ ac cæterarum regni pro defensione Religionis Catholicæ unitarum, perscripto, & ipsius Cardinalis, atq; Henrici Lotaringii (nempè ipsius Ducis Guisii) manu subscripto, quo protestati non aliam sibi mentem in sumendis armis unquam fuisse, aut nunc esse, quàm ut hæresis extirparetur, & pace regno partâ Regi obsequium debitum conservaretur; Regem ad bellum strenuè persequendum hortabantur, & in eo Guisii operâ uti vellet rogabant, posteà omnem querimoniarum vim in Espernonium & Valetam fratres conjicientes, ut meritò Catholicis suspectos, & apertos hæreticorū fautores, atque opum regni deprædatores, obsecrabant ut eos à latere suo removeret, & omni publicâ administratione, ac tot & tantis dignitatibus & præfecturis, quibus à Rege cumulati erant, exutos ad sua se recipere juberet. Bellum autem contra hæreticos ita persequeretur, ut Rex ipse exercitum in Aquitaniam destinatum duceret; Mayenius in Delphinatum, cujus nobilitati & populis erat acceptus, cum alio exercitu mitteretur; atque interim Regina-mater Lutetiæ maneret, quæ publica regni negotia, sicuti hactenùs prudentissimè fecisset, administraret. Quibus in genere pro publicâ causâ Catholicorum totius regni propositis, pro Parisiensibus speciatim addita excusatio tumultûs nuperi ex justo metu ob introductos inopinatò præsidiarios; cum humillimis precibus, ut Rex pro innatâ sibi mansuetudine culpam condonaret; atque ut imposterùm ipsorum securitati consuleretur, Franciscum Doum urbis gubernatorem præfecturâ deponeret, ob causas quas sileri magis quam propalari expediret; & libera creandis magistratibus urbanis comitia permitteret.

VIII. Regis responsum.

Cui libello respondit Rex die vigesimo nono Maii, scire ipsosmet quorum nomine is inscriptus esset, se egregium semper in Religionis Catholicæ-Apostolicæ-Romanæ causâ, & universorum regni ordinum salute, præcipuum studium impendisse; nihilque seu bello seu pace unquam prætermisisse quo hæreticos deleret: cursum victoriarum aliquamdiù malevolorum dissensionibus ac suspicionibus retardatum: se nihilominùs præterita, ac tumultum Parisiensem oblivioni tradere paratum, modò se cives, prout deberent, morigeros & obsequentes deinceps præberent. Intereà valdè exoptare ut universi Catholici in unionem secum coïrent, & conjunctas copias contra hæreticos verterent. Quantum ad querelas de publico rerum statu, & populi vexationibus, quas belli necessitas intulisset; quoniam malis publicis, publicis quoque remediis opus esset, se decrevisse generalia regni comitia ad medium Augusti Blæsis indicere, quæque in iis decreta forent, religiosè & inviolabiliter, salvâ semper Regis dignitate & auctoritate, servare. De fratribus Espernonio & Valetâ, quod justum & æquum foret se facturum. Ita Rex. Pro iisdem autem fratribus prodiit mox alicujus innominati defensio, quâ immunes à criminationibus impositis redderentur; eædémque acriter in eorum adversarios, Regis & regni apertos hostes, retorquerentur. Qui nihilominùs, ut invidiam vitarent, aulam deseruerunt: ipséque Espernonius, ejeratâ ultrò Normanniæ præfecturâ, (quæ Francisco Borbonio Mompenserio collata est) in Engolismensem & Santonensem, quas æquè obtinebat, cum amplâ à Rege auctoritate eas pro arbitrio sub regiâ potestate administrandi concessit. Rex verò, ut populos in officio contineret, & ab eorum animis pravas seditiosorum suasiones evelleret, per provincias delegatos mittendos censuit, qui ferè ex Magistris libellorum supplicum, & Senatoribus Parisiensibus, ac Magno Consilio delecti fuerunt: quorum unum se fuisse tradit Iacobus Augustus Thuanus Historiæ scriptor, tunc libellorum supplicum Magister, præmissus in Normanniam, quò Rex concedere statuerat.

Espernonius ab aula recedit.

IX. Edicta Regia de unione, et contra Hæreticos.

Post hæc multis habitis collocutionibus inter delegatos à Rege & Guisium, pro rerum accommodatione, & mutua conciliatione; cùm utilius tutiúsque existimaretur unionem inter Catholicos servare, ac proinde bellum cum hæreticis habere, quàm cum Catholicis pacem abrumpere; demùm post multas disputationes itúsque ac reditus, examinatis à Rege fœderatorum propositis sibi postulatis, quæ ferè eadem erant cum Nancianis quæ superiùs vidimus; edictum conditum est Rotomagi, ubi Rex erat, mense Iulii: quo Rex de præcipuo suo erga religionem Catholicam studio multa præfatus, ad Catholicorum unionem sanciendam ante omnia se ad optimam prædictæ religionis constitutionem, & hæresum à sacris Conciliis ac præcipuè Tridentino damnatorum extirpationem, bellíque contra hæreticos prosecutionem, sacramento obligavit; omnésque Principes, proceres, regni ordines, ac civitates, cunctos denique tam Ecclesiasticos quàm sæculares idem præstare decrevit, & qui jurare detrectarent pro perduellibus haberi: Iurare item, si contingeret Regem sine liberis masculis decedere, neminem qui non eandem religionem profiteretur, in Regem admissuros. Promittens insuper, nullos deinceps ad præfecturas, magistratus, ac munera publica admissum iri, nisi de ipsorum religione attestationibus Episcoporum, eorúmve vicariorum, aut parochorum, ac decem virorum minimè suspectorum subscriptis constaret. Decernénsque ut cuncti Catholici cum Rege uniti jurejurando sponderent debitam fidem Regi, ipsiúsque liberis nascituris servaturos; & ab omni fœderatione ac societate tam intra quàm extra regnum discessuros. Tum præteritorum, atque imprimis motûs Parisiensis, & expilatæ regiæ pecuniæ, pro bono pacis oblivionem sancivit, & mutuam inter Catholicos concordiam confirmatam voluit. Et hæc quidem publicè eo edicto, quod decimonono Iulii Rotomagi, vigesimo primo Lutetiæ in Senatu promulgatum fuit, magno Catholicorum fœderatorum applausu: & à Rege, cæterísque omnibus qui apud eum erant, ac reliquis per regnum, solemni jurejurando confirmatum. quod etiam ab Honorato Laurentio in Senatu Aquensi fisci patrono, Henotici titulo

singulari

singulari libro laudatum est, in quo multa de unâ religione luculenter disseruit, déque hæresi armis extirpanda. Gratiæque de illo Regi tum à Cardinale Borbonio & Guisio, per Petrem Espinacum Archiepiscopum Lugdunensem & Claudium Castreum præfectum Biturigum, ad eum missos peractæ; tum à Senatu Parisiensi, per Barnabam Brissonium præsidem & alios delegatos.

X. Aliæ secretæ conventiones.

Præter illud autem publicum edictum, fuêre nonnulla alia secretò conventa; de exercitibus adversus hæreticos mittendis, ac ducibus eorum constituendis; de Concilii Tridentini decretis promulgandis, salvis juribus ac libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ; de urbibus securitatis à fœderatis ad sexennium retinendis; de bonis hæreticorum in belli usus distrahendis; de electione magistratuum urbanorum civitatis Parisiensis; & nonnullis aliis ad ea pertinentibus. Concessáque insuper Guisio summa armorum toto regno præfectura per absentiam Regis, unà cum dignitate magni Domûs regiæ Magistri, quam jam obtinebat: cujus rei diploma in Senatu Parisiensi promulgatum fuit. Ipse verò Regem apud Carnutes, unà cum Reginis matre & conjuge, adiens, & cum summâ demissione sese ei offerens, ab eo benigno ac sereno vultu exceptus est. Sed mox renovatis suspicionibus, & odiis, aucta ea non parùm fuerunt ex literis Sixti Pontificis ad Cardinalem Borbonium & Ducem Guisium, die decimoquinto Iulii scriptis, quæ statim ab emissariis publicatæ fuêre: quibus Pontifex laudato utriusque in promovendo religionis negotio studio, subjecit nihil aliud pro tempore opportunius visum sibi esse, quàm ut Legatum-à-latere in Galliâ haberet, cujus operâ & auctoritate utriusque optimi conatus adjuvarentur: eúmque se creâsse Io. Franciscum Maurocenum Episcopum Brixiensem, creatum à se ad hoc Cardinalem, cum quo tutissimè sua consilia quæ ad Catholicam religionem pertinerent communicare possent. Guisium verò peculiari elogio Machabæis comparabat, qui pro patriâ, pro templo, pro lege Dei immortali cum laude decertârunt. Quæ in Regis contumeliam dicta, multi interpretabantur: quamvis certum sit, nunquàm Sixtum approbâsse fœderatorum contra Regem conjurationes. Rex autem ut in omnibus adimpleret ea quæ edicto suo promiserat, sicut Guisium eâ quam diximus dignitate ornavit, ita Cardinali Borbonio jura proximi Regis agnati, creandorum per singulas urbes opificum, & immunitatis domesticorum ejus, tribuit, facto diplomate decimoseptimo Augusti: quod Antonius Hotmannus Francisci Iurisconsulti frater Parisiensis causidicus in Senatum ad promulgationem allatum, ita laudavit, ut non solùm tanquam proximo Regis agnato id concessum dixerit, verùm etiam ad juris successionis regni prærogativam asserendam porrexerit, ejúsque rei rationes posteà peculiari libro, quem consultationi à Francisco fratre pro Navarro olim editæ opposuisse videri voluit, amplificaverit contra Navarrum; excluso repræsentationis jure, quo Navarrus filius Antonii fratris majoris natu Caroli Cardinalis, ipsum Carolum patruum vincebat; qui gradûs proximitate Navarro anteibat.

Literæ Pontificiæ ad Guisium.

Decreta in favorem Cardinalis Borbonii.

Quæ quidem licèt in privatorum causis obtinere forsan aliquando possint; in regnorum tamen successione per masculos deductâ, in quâ apud omnia quæcumque regna benè ordinata semper in infinitum repræsentationi locus fuit, nonnisi ad turbandum legitimæ successionis ordinem in disputationem vocari possunt, aut unquam potuerunt.

XI. Mors Principis Condei.

Interim verò dum tempus Comitiorum advenerit, narrari appetunt nonnulla quæ in partibus Navarri contigerunt. In quibus principem locum obtinet mox *Henrici Borbonii* Principis Condei; qui die 5. Martii inter acutissimos cruciatus decessit in oppido S. Ioannis Engeriaci Santonum anno ætatis 35. ex veneno, ut manifestè apparuit, ei propinato. Quâ de re captus Ioannes Ancelinus Brillaudius, qui curam domûs ejus agebat, & domesticis duobus, in quos suspicio recidebat, necessaria ad fugam subministrâsse dicebatur, à quatuor equis discerptus est. Carlota-Catharina Tremolia Condei uxor in suspicionem quoque adducta, & à judicibus à Navarro delegatis condemnata; quòd tamen gravida esset, decretum est ut in arctâ custodiâ usque in quadradragesimum à partu diem detineretur. Quæ Calendis Septembris filium peperit, cui pariter *Henrico* nomen impositum, quíque suo pòst tempore multa edidit virtutis & prudentiæ testimonia, religionísque Catholicæ, ac zeli expurgandæ Galliæ ab hæresi, quam pater avúsque sectati fuerant: vivítque adhuc egregiâ prole auctus. Antequàm verò sententia in matrem executioni mandaretur, rei cognitione per Senatum Parisiensem ad quem causæ Principum regii sanguinis, eorúmque uxorum, spectant, Iudicibus illis omninò interdictâ; quanquam ut tunc erant tempora, parere illi negligerent, nihilominùs suspensâ à Navarro executione, eorum judicia uti nullius momenti fuêre posteà rescissa, ipsâ interim ultra sexennium sub diligenti custodiâ asservatâ: quousque demùm anno 1595. libello supplici ab agnatis & cognatis Carlotæ, eidem Navarro, tunc Regi Henrico IV. pro judicii cognitione & decisione oblato, causáque ab eo ad Senatum Parisiensem remissâ; Carlota à criminibus objectis pura & innocens declarata est mense Iulio anni 1596. cunctáque acta contra ream facta suppressa & flammis consumpta, nequa calumniæ occasio malevolis imposterùm præberetur: atque ejus innocentiæ Senatusconsultum in cæteris quoque regni Curiis promulgatum, & in acta relatum.

Iudiciû de ejus conjuge.

XII. Navarri alia gesta.

Condei morte Navarrus ejus patruelis vehementer consternatus, & brachio se dextro orbatum subinde dicens; postquàm magnâ severitate de tanti sceleris consciis anquiri jussit, haud in cæteris se deserens, Maranum ac circompositas insulas & munitiones, quibus tanquam claustris Rupella ab eâ parte defenditur, per Lavardinum occupatas, paulò pòst magnâ virtute recuperavit: eóque facto non solùm res suas in Santonibus & Pictonibus firmavit, sed etiam magnam à Rupellanis, in quibus belli arcem posuerat, gratiam, restitutâ eis veluti libertate, inivit. In Delfinatu quoque & Provinciâ nonnihil actum à Nauarri sectatoribus. Vbi & Valeta frater Espernonii, qui Provinciæ præerat, postquàm audivit, edicto unionis

Valetæ et Espernonii fra-

TRUM CONSILIA.

confecto & promulgato, Ducem Mayenium brevì in Delphinatum cum exercitu concessurum; ab amicis quos in aulâ habebat, & ab Espernonio fratre monitus, pravum consilium iniit ut cum Diguiero hæretico, qui nomine Navarri in Delfinatu imperabat, fœdus pro defensione & offensione jungeret: hoc facto apprimè confirmare visus, quod ipsi fratríque objectum vidimus, eos licèt religione Catholicos, propensioribus tamen esse erga sectarios animis, etiamsi id ipsi aliis rationibus excusarent; nec quid unquam illos contra Regem molitos esse probari potuerit. Inde tamen Rex præfecturâ Valetam deposuit: & Espernonium Engolismæ agentem à magistratu urbis capi, & ad se deduci jussit: instigatione præcipuè, ut vulgò creditum fuit, Nicolai Neovilli Villaregii à secretis epistolis Regis, qui occultas cum eo simultates gerebat. A quâ conjuratione ingens vitæ periculum Espernonius decimo Augusti subiens, cùm quem vivum capere non potuissent, ei necem inferre manu armatâ conati sunt, magnum fortitudinis, raræque animi præsentiæ specimen in revincendâ illâ edidit. Rex verò pariter in suspicionem adductus de Cevernii Cancellarii, prædicti Villaregii, Pinarii, & Brulatri à secretis epistolis, atque etiam Bellievri, in se affectu, eos ab aulâ removit ad principium Septembris, aliis in eorum munera suffectis.

REX SUIS DIFFIDIT.

XIII. INITIUM COMITIORUM BLÆSENSIUM.

Iámque October inierat, & magna delegatorum pars Blæsas ad indicta Comitia convenerat; cùm Rex à Deo initium facturus, supplicationem solemnem magnâ pompâ celebravit primâ mensis Dominicâ, cum delatione sacratissimæ Eucharistiæ: secundâ verò cum Principibus ac proceribus aulæ & Ordinum delegatis conveniens in æde Franciscanorum, sumpto post Missam Eucharistiæ sacramento à manu Cardinalis Borbonii, sancitam postremo edicto Vnionem renovandam decrevit, ac in sequentem tertiam mensis Dominicam Comitiorum initium rejecit, interim dum cuncti provinciarum delegati advenirent, & unusquisque Ordo suos administros crearet. Igitur Comitiis factum initium dictâ Dominicâ tertiâ, quæ incidit in diem decimam sextam Octobris, in arcis Blæsensis aulâ. Sedebat Rex in solio; ad dextram Regina mater, ad lævam Regina uxor: post eas ordine Carolus Borbonius & alter Carolus Vindocinus Cardinales, Franciscus Contii Princeps, Carolus Suessionensis Comes, (qui relicto Rupellæ Navarro, ad Regem paulò antè redierat; & in gratiam ab eo receptus, etiam à Mauroceno Cardinale Legato auctoritate Pontificiâ absolutionem acceperat societatis cum hæreticis contractæ: cujus causâ in eum à multis conclamabatur, quo tamen remedio Contius, quem se auxiliari Germanorum exercitui imperatorem præstitisse vidimus, uti minimè quæsivit:) Franciscus Mompenserii Dux, omnes regii sanguinis principes è familiâ Borboniâ: Ludovicus Guisius, Philippus Lenoncurius, Petrus Gondius Cardinales: Carolus Sabaudus Nemorosii, Ludovicus Gonzaga Nivernii, Albertus Gondius Radesiarum Duces: alii proceres, & sacri Consistorii Senatores; Henricus Lotaringius Dux Guisii Magistri Domûs regiæ munere fungens infra Regem humili sellâ sedebat, manu gestans grandem baculum aureis liliorum floribus distinctum, insigne dignitatis.

XIV. REGIS ORATIO.

Tum Rex longâ & eleganti allocutione, ut erat facundissimus, ad astantes habitâ, ita se eâ gessit, ut quanquam injuriæ acceptæ sensum, & ultionis animum deposuisse se significaret, desiderium tamen recuperandæ auctoritatis, per tot turbas, fœderationes, ac populares tumultus imminutæ, ac penè abolitæ, altè in animo impressum residere palàm ostenderit: & calumnias ac falsas suspiciones, per narrationem rerum à se gestarum pro fidei Catholicæ defensione & hæresis extinctione, à se amoliens; Guisium quidem non nominavit, verùm ita delineavit, ut nemo non intelligeret eum horum omnium malorum auctorem designari. Detegens deinde cætera mala quibus status regni affligebatur, & remedia necessaria aperiens; cœtum hortatus est & obtestatus, secum ad ea adhibenda deposito omni alio affectu, ac procul ab omni simulatione & ambitione, conspirare, & in publicæ rei instaurationem incumbere: sin minùs, non solùm ipsos capita sua æterno dirarum piaculo obligaturos, verùm etiam indelebilem infamiæ notam memoriæ suæ inusturos; séque demùm ad tribunal Dei ipsos ad causam dicendam in jus vocaturum, ubi scenicæ dissimulandi arti locus non sit, ut dignas perfidiæ, ac simulatæ pietatis pœnas luerent. Sic vehementer Regem perorantem Franciscus Montholonus, cui in Senatu Parisiensi causidico, prisci moris & integritatis viro, Rex post Cevernii recessum sigillorum procurationem tribuerat, excepit de more: & multa de egregiâ Regis voluntate præfatus, qui inter tot curas ad justas populi querelas respexisset; tum auctoritate publicorum conventuum pro religionis & civilis administrationis instauratione celebratorum laudatâ, bonâ spe se esse dixit ut malis jam natis & exorientibus in tempore succurri & occurri posset, ad quod singulos ordines voluntates suas & officia cum Rege conjungere exhortatus est. Inde Reginaldus Belnensis Archiepiscopus Bituricensis luculentâ oratione sacri Ordinis nomine, Claudius Baufremontius Seneceus Nobilitatis, & Michaël Martellus Capella mercatorum Lutetiæ præfectus plebis item nomine, gratiis Regi actis de Comitiorum convocatione, & optimo ipsius ad religionis & reipublicæ instaurationem animo, operam suam ac consilia ad eum effectum prolixè obtulerunt. Quòd verò in Regis oratione non pauca essent, quæ contra factiosos acerbè prolata, Guisium ejúsque fautores, qui nimiumquàm multi in comitiis erant, non parùm acrimoniâ suâ offendissent; adeò ut multi minarentur, nisi ea verba ab oratione, quæ in publicum edi debebat, mitigarentur, discessuros se à comitiis, unde novæ turbæ oriri possent: Rex solitâ suâ facilitate & benignitate passus est nonnulla in oratione immutari. In quâ tamen quæ remanserunt, abundè fidem faciunt, quod diximus, Regem injuriæ edicto condonatæ haud immemorem extitisse.

XV. EDICTŪ VNIONIS JURATUR.

Biduo pòst eodem loco convenientibus omnibus, Rex quædã de edicto Vnionis prolocutus, illud pro lege fundamentali deinceps haberi, & in ejus verba cunctos adigi voluit, præ-

paratis per Archiepiscopum Bituricensem virum summè eloquentem eorum animis ad jusjurandum ritè & purè præstandum. Quâ in re ipse Rex cæteris exemplo suo præiens, deinde Ecclesiasticos manu ad pectus appositâ, reliquos sublatâ dextrâ eidem jurejurando adegit: subindéque universo cœtu ad Ecclesiam S. Salvatoris pergente, hymnus Te Deum laudamus, in gratiarum actionem decantatus est, cunctis Regi applaudentibus.

XVI. Dux Sabaudiæ occupat Salucias.

Sub id allato nuncio de Saluciarum principatu Gallicæ ditionis, à Carolo-Emmanuele Sabaudiæ Duce ineunte Novembri occupato: (in cujus munitiori oppido Carmaniolâ reperta sunt ampliùs quadringenta omnis generis tormenta, cum ingenti apparatu bellico, ad res in Italiâ, si opus foret, gerendas necessario ibi deposita, & ex aliis locis quæ Galli ante triginta annos in Italiâ tenebant illuc comportata,) qui auditâ Regis à Lutetiâ fugâ, sibi persuadens actum penitùs de eo esse, regnúmque in prædam expositum, in tantum ausum prorupit, ut hoc ejus membrum sibi rebúsque suis commodissimum, spe etiam ulterioris atque interioris usurpationis, occupare præsumpserit: hoc tamen excusans, tum publicâ religionis causâ, ne ex vicino Delfinatu hæresis in illum principatum, atque inde in reliquam Italiam serperet; tum proprio ac privato jure, quo eum ad Duces Sabaudiæ pertinere contendebat: cùm reliqui omnes non solùm immoderatæ ejus ambitioni, sed etiam Hispanorum, (cùm Catharinam minorem filiam Philippi Regis uxorem haberet) vel fœderatorum Galliæ instigationi tribuerent: Rege inde vehementer in eum commoto, & in comitiis nobilitate maximè instante, cui & reliqui duo ordines accesserunt; communi omnium consensu decretum est bellum in Sabaudum: & à Rege missus Ioannes Angeneus Poignius è Rambulietorum familiâ, qui principatum occupatum à Sabaudo reposceret; & si recusaret, bellum ei denunciaret. Datúmque insuper Ioanni Vivono Marchioni Pisanii apud Pontificem Regis oratori negotium, ut de injuriâ expostularet, ac belli contra Sabaudum decreti necessitatem excusaret; simúlque certissimum jus, quod Regibus in eum principatum, tanquam perpetuum Delfinatûs beneficiarium, competebat, declararet ac tueretur. Denique ipse Sabaudus scriptis propriâ manu ad Regem ac Reginam-matrem literis, haud ullâ juris, quod in eo sibi tribueret, ratione, sed tantùm ut provinciarum suarum securitati prospiceret, factum excusavit; & loca occupata se Regis nomine tunc & porrò possessurum ac defensurum, rursùm ei tradere paratum, professus est.

XVII. Navarri ad ordines protestatio.

Inter hæc Navarrus, non solùm bello intentus, quod prosperè nonnullorum locorum in Pictonibus occupatione gessit; verùm etiam æmulatione Comitiorum regni quæ Blæsis celebrabantur, suarum partium generalem conventum Rupellæ habuit mense Novembri; quo de calamitoso rerum statu præfatus, sanguinem vitámque pro religionis regníque causâ profundere se paratum declaravit, idémque ut cæteri strenuè facerent hortatus est. Inde decreta facta de disciplinâ Ecclesiasticâ & militari, religione, & moribus. Libellus deinde compactus, Regi in comitiis offerendus, & typis excusus, quo postulabatur religionis plena libertas; Concilii nationalis celebratio, quo ex utrâque parte delecti Theologi coram Rege de controversis religionis capitibus dissererent, ac deciderent; & ut bona occupata restituerentur: hísque assensus à comitiis præberi petebatur; alioqui se de comitiorum vitio protestari. Quæ ubi Blæsis visa fuêre, tum quod de Concilio petebatur iniquum judicatum est, ut scilicèt quæ toties fuissent pluribus Conciliis decisa, quotidie in controversiam revocarentur: tum aperta contradictio in eo ostensa, quod postulatis assensus à comitiis præberi peteretur, ac proinde ea uti legitima approbarentur, & nihilominùs de vitio protestatio fieret si assensum negarent. Quare adeò contra Navarrum à plerísque conclamatum est, ut & Rex rogatus fuerit de successore legitimo Catholico designando maturè cogitare, & Catholicos justo metu, quem ob religionis ab hæreticis periculum concepissent, solvere. Ad quæ Rege plenam potestatem Ordinibus faciente, ut religionis securitati quâvis ratione consulerent: imprimis Ecclesiasticus Ordo Navarrum ob hæresis crimen in quod relapsus esset, regni successione indignum pronunciavit; eíque decreto nobilitas & plebeius ordo subscripsêre; Regémque simul omnes rogavêre, ut id suâ auctoritate ac publico diplomate confirmaret. Qui non apertè contradicere sciens, excusavit tamen judicii in tanti momenti negotio præcipitationem; consultiúsque sibi videri dixit, ut novâ decretâ à comitiis ad illum legatione, denuò interpellaretur ad fidem Catholicam redire: idque si facere recusaret, denunciaretur ei juris viâ cum ipso actum iri. Interímque missus adversùs eum cum exercitu Dux Nivernii, aliquot oppida recepit.

XVIII. Rex cogitat de Guisio tollendo.

Cùm autem his omnibus non tam pax inter Catholicos confirmaretur, aut pristinus decor dignitati regiæ conciliaretur, (quod videbatur quæsitum ultimo edicto, & properatâ comitiorum celebratione) quàm econtrà mutuæ suspiciones sese efferre, & nova odia quotidie oriri conspicerentur; adeò ut ingentem Guisii potentiam, quâ comitiorum negotia pertractabat, disponebátque, labefactatum Regis imperium sustinere ampliùs non posse videretur: accedente intempestivâ de populi levamento interpellatione; necnon de quæstione in quæstores regni à judicibus minimè suspectis habendâ; graviorique contentione de Tridentinæ Synodi promulgatione, annitente Guisio ut harum rerum conficiendarum penes se gratia, non succedentium invidia in Regem recideret; sicuti & contigit: Vrgerent insuper factiosi, ut Guisius Ordinum decretò Connestabilis regni renunciaretur, quo summo imperio ad religionem constituendam & rempublicam ordinandam vel invito Rege uteretur; denique ab ipso Guisii fratre Mayenio Duce, tunc Lugduni existente, qui longè fratre moderatior erat, & à nonnullis aliis ejusdem familiæ, Guisii fortunam ipsi invidiosam, Regi formidabilem, sibi odiosam occulto livore prosequen-

tibus, secretò Rex moneretur, à temerariis Guisii consiliis sibi cavere: His, aliisque non paucis ejusmodi, veluti concursu facto incidentibus, Rex impendentis sibi periculi metu, ad ultimum consilium de nece Guisio inferendâ, tam propriâ sponte, quàm fidorum sibi quorundam stimulatione, impulsus est, quamvis non desint qui Regem velint non ad aliud comitia convocâsse, Principem summum dissimulandi artificem, quàm ut Guisium improvisum in paratas ipsi insidias protraheret. De modo executionis aliquamdiù disceptatum: nonnullis censentibus, ut Guisius comprehenderetur, & lege in eum tanquam læsæ majestatis, reum animadverteretur; aliis hoc non carere periculo in tantâ penè omnium erga Guisium propensione, multis rationibus demonstrantibus. Quapropter in id itum est, ut cùm in locum consistorii omnes de more manè convenissent, Guisius in interius Regis cubiculum evocaretur, tanquam ad consultationem de re gravi quæ in consistorio tractanda foret; & in ejus aditu à destinatis ad facinus patrandum gladiis confoderetur, quemadmodùm & factum est die 23. Decembris: cùm anteà à multis diversisque amicis seriò monitus ut sibi à Rege caveret, præ nimiâ fiduciâ & animi magnitudine eorum monita contempsisset. Dignus omninò, ob insignes animi & corporis dotes, ac præclara gesta, qui meliorem vitæ finem consequeretur; nisi vastâ ambitione abreptus, summâ gratiâ, quam apud plerosque sibi conciliaverat, ad altiora quàm pro conditione subditi erga suum principem molienda abusus fuisset.

GUISIUS NECATUR.

XIX. MULTI CAPIUNTUR.

Mox Cardinalis ipsius frater, & Archiepiscopus Lugdunensis comprehensi, sub custodiâ in superius conclave ducti sunt. Capti & Nemorosius & Ellebovius Duces, Carolus Ionvillæ princeps Guisii filius, aliique minoris nominis è plebe & factione Guisianâ: appositique etiam Cardinali Borbonio custodes: nonnulli Episcopi, ac nobiles quæsiti etiam, fugâ maturè sibi consuluerunt. Comprehenso vero etiam Ioanne Pericordo, Guisio à secretis epistolis; scriniisque diligenter perquisitis; ex his plenè facta dicitur fides consiliorum cum Hispaniæ Rege & Duce Sabaudiæ initorum, & acceptæ ingentis ab Hispano pecuniæ. Missus & Alfonsus Ornanus Corsus Lugdunum, qui Mayenium sisteret. Quamvis enim extra factionis causam Rex minimè suspectum haberet ejus ingenium, longè fraterno moderatius, & regiæ dignitatis observantius; eáque propter exercitus ei potiùs quàm fratri committere consuevisset: quòd tamen haud minor fama & virtus ejus, quinimmò & apud plerosque major fraternâ esset, eum Rex acerrimum necis fraternæ ultorem metuebat. Sed eum Ornanus reperit paucis antè horis de nece fratris certiorem factum, Divionem abscessisse, præcipuam Burgundiæ, cui ipse præerat, urbem. Cum autem intereà consultatum esset, quid de Cardinali fratre faciendum esset; de quo longè major erat difficultas, quòd vir Deo sacratus & Episcopus esset, ac propterea Ecclesiæ, ac Pontificis, ipsiúsque Dei offensio à Rege timeretur; vicit nihilominùs eorum sententia, qui virum superbum & audacem esse dicentes, neminem ex totâ familiâ Regi acriorem ultorem metuendum prædicabant, adeò ut nec in ipsâ custodiâ minis abstinere diceretur; de medio tolleretur. Quare postridie datum negotium uni ex prætorianorum legione cohortis ductori, ut fidis secum assumptis id conficeret. Qui Cardinalem è cubiculo, in quo cum Archiepiscopo Lugdunensi custodiebatur, & in quo eatenùs ambo precibus ad Deum, & mutuis hortationibus ad constantiam, atque etiam sacramentalibus confessionibus ad mortem, animum obfirmarunt, nomine Regis evocatum, & per obscura deductum, priùs monitum ut se Deo commendaret, ictibus hastarum confodi fecit. Cujus corpus, unà cum fraterno, calce vivâ consumptum fuit: ossa cremata, & cineres in ventos sparsi. Archiepiscopus Lugdunensis, cui gratia vitæ à Rege ad preces Malinii Luxii ex sorore nepotis facta est, interrogari per delegatos judices jussus, ut responderet nunquam induci potuit, non solùm coram sæcularibus, quantumvis contestantibus in crimine læsæ majestatis privilegium sacri ordinis cessare; sed nec coram Cardinale Gondio, quòd tanquam Episcopus Parisiensis jurisdictioni suæ subjaceret; aut coram Episcopo Bellovacensi item ad se misso, quòd nullum Episcopo in Archiepiscopum jus esset; denique se Galliarum Primatem non teneri respondere, nisi aut coram Pontifice, aut delegatis ab eo Iudicibus; si tamen Cardinali Mauroceno Legato, habitâ cum Præsulibus qui Blæsis tunc essent deliberatione, ita videretur, paratum se esse respondere; sed scirent qui ita censerent, se, non Archiepiscopum Lugdunensem, immunitatis Ecclesiasticæ violandæ auctores fore. Nec aliud unquam obtineri ab eo potuit. Maurocenus autem Legatus Regem adiens, in excommunicationis sententiam ob necem Cardinalis incidisse obnunciauit; Borbonium, Lugdunensémque dimitti petiit; & à Pontifice errati veniam petere admonuit, cui Rex supremis Principibus licere, cùm de gravissimis criminibus agitur, in omnes sibi subjectos animadvertere respondit.

CARDIN. GUISIUS NECATUR.

ARCHIEPISCOP. LUGDUNENSIS RECUSAT RESPONDERE.

XX. QUID REX POST NECEM FRATRŨ.

Cæterùm Rex post necem Guisii exultabundus, Regem se tunc demùm se esse sublato æmulo, tum apud principes & proceres, tum apud Reginam-matrem prædicans; illa jam ægrotans rei atrocitate exterrita, tantùm ab eo quæsivit, an qui motus inde secuturi essent satis animo providisset, & in omnes casus negotia sua disposuisset: cúmque ille, abundè sibi provisa omnia respondisset, illa Deum se precari dixit, ut cuncta ipsi in bonum verterent; vereri se tamen ne res eo statu essent quo ipse existimaret. Quam solertissimæ feminæ, cui notiora erant regni negotia, ob longam ac ferè absolutam ejus à tempore obitûs Henrici II. viri sui administrationem, quàm Regi ipsi, prædictionem nimium quàm probârunt eventa. Eóque ipso tempore è custodiâ evadens Nemorosius Dux, Guisiorum frater uterinus, corruptis sive delusis custodibus; Lutetiam profectus, magnâ lætitiâ seditiosos tumultuantes adventu suo complevit; cùm jam ab ipso Guisii cædis nuncio, consilio urbis convocato, Carolus

Lotaringius Aumaliæ Dux, qui aderat, constitutus fuisset præsens urbis ac summus rerum Præfectus: concionatoribus nihil non in Regis contumeliam, & maximè ob necem Cardinalis, detonantibus, & in principum Catholicorum commendationem effutientibus. Rex verò malum, quod sublatis factionis ducibus sopitum existimaverat, irritatum crescere cernens; ut Catholicis satisfaceret, bellum contra hæreticos, quod pro prætextu factiosis erat, vi majore quàm eatenùs factus esset persequendum statuit. Posteáque diploma in Comitiis, quæ porrò perseverabant, evulgavit; quo Unionem Catholicorum proximo edicto factam denuò sancivit; quódque actum esset, id ob violatas illius edicti leges factum dixit; ac pœnâ ad mali auctores contractâ, cæteros qui factioni participâssent, à metu amplioris inquisitionis securos esse jussit; eâ tamen conditione ut imposterùm ab omnibus coitionibus, secretis consiliis, & factionibus abstinerent; pœnâ priore illo edicto sancitâ in eos qui non parerent renovatâ. Id actum ultimâ die anni. Nec multum eo profectum, quòd id fœderati pro metûs confessione acceperint. De quorum longè tetrioribus conatibus, & deploratiori Henrici Regis fortunâ, dicetur anno subsequenti: cùm interim vel ex iis quæ præsenti gesta vidimus, abundè constet, quàm providè ratione Gallici regni antiquiores astrologi eum climactericum fore prænunciâssent.

XXI. De classe Invincibili Hispanorum.

An non & ratione Anglici? Ita sanè si periculum spectes in quod ab Hispanis incurrit; cujusmodi nullum anteà gravius. Sed longe magis ratione Hispanici: ob grandem cladem ab Anglis acceptam in classe suâ Invincibili, nullo fere negotio victâ. Parabat ab aliquot annis Philippus Rex Hispaniæ classem & numero & sumptu, ac ducum militúmque delectu, denique omni apparatu, cunctarúmque rerum necessariarum copiâ talem, qualem vix unquam Oceanus sustinuisset; ac propterea *Invincibilis* nomen ei inditum. Quæ cùm initio in incerto fuisset quo fine pararetur, posteà variâ famâ, demúmque unâ omnium assertione, réque ipsâ apparuit, contra Angliam instructam esse. Causa autem hujus suscipiendæ expeditionis (ut taceamus institutum provehendæ mente semel conceptæ monarchiæ) in Pontificio diplomate, quod simul ac exercitus in Angliam excensionem fecissent promulgari debebat, declaratur fuisse ipsius Pontificis hortatio: qui assiduis plurimorum monitis, & Anglorum supplicibus precibus incitatus, apud diversos Principes, ac præcipuè præpotentem Hispaniarum Regem diligenter egerit, auxiliúmque imploraverit, ut vires omnes in id conferret, quo religio Catholica in eo regno, cujus salus ad universam rem Christianam pertineret instauraretur; & Elisabetha asserta ejus Regina de gradu dejiceretur, quem multis nominibus contra omnia jura divina & humana usurparet, auctoritatémque & jurisdictionem in rebus sacris sibi sumeret, crebris injuriis innocentes homines vexaret, seditiones ac rebelliones inter vicinarum provinciarum populos contra legitimum magistratum & principem excitaret; indesinenter contra sanctos Dei Episcopos & sacerdotes sæviret; & inhumanè atque inique captivam detentam multo tempore Mariam Scotorum Reginam, demùm contra omne jus fasque insolenti more capite plexuisset: ob quæ & alia plura ejusmodi prava facinora causásque pleniùs in Pii V. & Gregorii XIII. diplomatis contra eam confectis expressâs, eam Sixtus denuò proscripsit, omníque regiâ dignitate privavit, subditos ab omni fidelitate absolvit: mandans cunctis, ut confestim ubi de classis adventu certiores fierent: Hispanorum exercitui vires suas jungerent, & Parmensi, qui summo cum imperio à Philippo Rege ei præpositus esset, ad omnia obedirent. Conventúmque in arcano dicitur, ut Philippus regnum ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam redactum, tanquam ejus beneficiarium juxta contractûs ab Inâ, Henrico II. & Ioanne Regibus initi & renovati leges, à Pontifice cum titulo Defensoris Fidei acciperet.

Regina Angliæ proscribitur a Pontifice.

XXII. Descriptio classis.

Descriptio autem classis per singulas cujusvis generis & capacitatis naves, duces, proceres, nobiles, stipendiarios ac voluntarios, milites, nautas, remiges, tormenta, arma omnis generis, instrumenta quæque, apparatûs & commeatûs diversa genera, minutissimè ad potentiam Regis ostentandam, & terrorem hostibus incutiendum, stuporem reliquo orbi inducendum, priusquàm classis solveret, ac subinde typis in Hispaniâ & Germaniâ, Neapoli, Mediolani, Venetiis, aliísque locis edita fuit variis linguis. Unde intelligitur, fuisse classem centum circiter ac quadraginta navium, ex diversis Hispaniæ, Italiæ, & Germaniæ provinciis, tantæ plerarumque molis & magnitudinis, ut speciem altissimarum arcium præferentes non facilè circumagi & converti possent; quæ non minima extitit earum cladis causa. Milites in eâ fuêre suprà viginti mille, præter nobiles ac spontaneos, cùm vix ulla alicujus nominis familia in Hispaniâ extiterit, quæ in eâ classe propinquum aut consanguineum non haberet. Nautarum numerus fuit plus octo millium: remiges catenati supra duo millia. Bombardæ æreæ mille sexcentæ, ferreæ mille quinquaginta. Tantæ classis delecti fuerant imperatores Antonius Columna Dux Paliani, & Alvarus Bassanus Marchio sanctæ Crucis, rei nauticæ bellicæque peritissimi: iis verò sub id obeuntibus, suffectus Ludovicus Peresius Gusmanus Dux Medinæ Sidoniæ, splendore natalium & opum amplitudine, quàm usu rerum & scientiâ militari major: eíque vicarius attributus. Io. Martinus Recaldus, in re nauticâ versatissimus: & summus castrorum præfectus Franciscus Bovadilla. Ac nequid ad opinionem religionis, cujus solius causâ susceptam expeditionem credi volebant, deesset, adfuit & Martinus Alarco sacro-sanctæ Inquisitionis Vicarius generalis, unà cum ducentis ferè omnium Ordinum religiosorum sacerdotibus. Et à Pontifice Guillelmus Alanus Lancastrensis Theologus, qui Duaci & Remis diù in Seminario Anglico professus erat, & nuper in Collegium Cardinalium cooptatus: jussus in Belgium procedere, & post Hispanorum appulsum in Angliam trajicere, ac Legati

Pontificii vice in rebus religionis instaurandis cum plenâ potestate fungi. Quibus accessurus erat Princeps Parmensis Belgii Gubernator, cum alio non minori exercitu equitum peditúmque in terram exponendo: qui ad id peragendum, & classem Hispanam excipiendam, exercitúmque suum transmittendum, omnia necessaria summâ industriâ & diligentiâ comparare studuit. Tantáque fuit felicis successûs apud plerosque omnes opinio, ut & tunc luserit quidam his versiculis in Elisabetham,

Tu quæ Romanas voluisti spernere leges,
Hispano disces subdere colla jugo.

XXIII. REGINÆ ANGLIÆ APPARATUS.

At non se illa in tanto periculo deseruit: sed audito apparatu Hispanico, ne incauta opprimeretur, classem quantùm posset maximam, & omnia ad bellum necessaria terrâ maríque comparavit; binis etiam terrestribus exercitibus instructis, quorum uni Leicestrius præfectus est ad fluvii Tamisis ostium, quòd Hispanis constitutum esset Londinum primùm aggredi, alteri Baro Hunsdonius ad Reginam stipandam: quæ & ipsa non rarò utrumque lustrabat militari paludamento amicta, & bacillum ducis insigne manu gestans. Classi universæ præfectus Carolus Hawardus Angliæ Thalassiarcha sive Admiralius: eíque vicarius adjunctus propter summam rei maritimæ peritiam Franciscus Drakus.

XXIV. CLASSIS HISPANÆ PROFECTIO.

Hispana vigesimo nono Maii è portu Olisipponensi solvens, Corunnæ portum in Galliciâ primùm tenuit: móxque horridâ tempestate dispersa, ubi se post multos dies collegit, è Corunnâ solvens vigesimo primo Iunii, fretum Anglicanum vigesimo nono ingressa est; inexpectata tunc ferè Anglis, quòd ob fœdam illam priorem classis dissipationem persuasum habuissent eam minimè hoc anno venturam. Cùm autem nihilominùs ad pugnam se paràssent; præternavigantes Hispanos (quòd in mandatis habuisset Sidonius ut omni alio consilio omisso se cum Parmensi quamprimùm conjungeret, eúmque sub protectione classis in Angliam deduceret) aggressi ultimo Iulii, non parvum damnum primo eo certamine intulerunt, cùm summâ agilitate naves suas circumagentes, Hispanas ob vastitatem longè ad flexus tardiores tormentorum displosionibus impeterent certis semper ictibus, & ferè ab Hispanorum ejaculationibus tuti, quòd ob nimiam navium eorum altitudinem supervolitarent.

AB ANGLIS INFESTATUR.

Nec visum Hawardo Admiralio, per harpagines aleam belli subire; quòd Hispani justum exercitum in classe haberent, ille nullum; eorum naves essent numero plures, mole majores, robore firmiores, structurâ altiores; ut à desuper propugnantibus è tabulatis, nihil nisi certum exitium inferiùs oppugnantibus immineret. Cùm autem aliis similiter diebus pugnatum esset pari eventu, Hispani prope Caletum anchoras jecerunt, à naucleris moniti, si ulteriùs progrederentur, verendum ne vi æstûs in Septemtrionalem Oceanum abriperentur: & juxta eos in anchoris substitit Admiralius cum suis intra majoris tormenti ictum. Dúmque Sidonius crebrioribus nunciis, ut sæpiùs anteà, Parmensem urgeret mari se cum suo exercitu committere; illéque quantâcumque usus fuisset diligentiâ, nondum ad id satis paratus esset; & alioqui non parùm à classe Zelandicâ adversus Hispanam eodem tempore instructâ præpediretur ejus navigatio: res contigit, quæ & diligentiam ejus, & spem Hispanorum prævertit: cùm scilicèt Hawardus, ex Draki consilio, naves octo ex vilioribus, igne Græco, pice resinâ illitas, ac sulfure varióque ignis fomite repletas, vento & æstu secundo in mediam classem Hispanicam, ope hominum ad id delectorum, nocte intempestâ diei septimi Augusti immisit. Quas ut propiùs adventantes Hispani conspexerunt, toto mari flammis collucente, rati illas præter ignis periculum, exitialibus etiam machinis instructas fuisse; ingenti clamore sublato, subitâ trepidatione rudentes anchorarum ac funes amputârunt, confusísque ordinibus, nec expectato Ducis aut singulorum præfectorum imperio, expansis velis aperto se mari commiserunt; ab Anglis insequentibus non parvâ clade affecti, aliquot navibus confractis, aliísque in terram variis locis illisis.

XXV. FUGIT IN HISPANIAM.

Demùm cùm omnia sibi contraria cernerent, spésque nulla esset melioris fortunæ, aut eductionis classis Parmensis, quæ interclusa tam ab Anglis quàm Zelandis tenebatur; consilio inter se inito, decreverunt in Hispaniam per Septemtrionalem Oceanum redire: quos Angli persecuti sunt, donec Scotiam prætervecti essent. Ipsi verò ab invicem divisi, cursum suum Hispaniam versùs intenderunt; & universam Britanniam per Scotiam, Orcadas, & Hiberniam circumvecti, tempestatibus in itinere, ac naufragiis, & miseriis omnibus gravissimè conflictati, plurimúmque accisi, domum inglorii redierunt: amissis, ut ipsi Hispani publicârunt, triginta duabus navibus omnis generis, & decem hominum millibus; in quibus multi proceres, quàmplurimíque nobiles, cum flore militiæ Hispanicæ; mille ampliùs captis, & in Angliam abductis: cùm & navium & hominum numerum Angli & Belgæ valdè augeant. Fueréque in rei memoriam signata numismata, cum classe passis velis fugiente, & inscriptione *Venit, Vidit, Fugit.* Ex Anglis dicuntur tantùm centum circiter desiderati, & una navicula amissa. Hispani reduces suam infelicitatem Parmensis incuriæ seu tarditati, & obsequiosæ suæ ipsorum prudentiæ imputârunt; cùm sibi, ut diximus, strictissimè imperatum à Philippo fuisset, nequid tentarent priusquàm Parmensis suas copias adjunxisset, cujusmodi severa ac restricta mandata rei navalis peritiores maximè improbabant; cùm maximè sit fortuitorum capax mare, & multa in eo concurrere possint à vento, cælo, tempore, loco, fluxu ac refluxu, nocte ac die, quorum necessitate mandata corrigi necesse sit, & ad præsentem usum pro re natâ accommodari, ne occasiones & rerum gerendarum momenta amittantur. Et quod ad Parmensem attinet; si classis ejus in tempore in mare immissa fuisset, proculdubiò futurum existimatum est, ut aut conatus exitu non caruisset, aut saltem Angli portubus suis sese continentes classem Hispanam jactatione quassatam non infestâssent; interea verò illa dum tempestas desævisset, in portus Flandriæ se tutò per otium subduxisset, rei tentandæ commoditatem operiens.

XXVI. PHILIPPUS REX QUOMODÒ HANC CLADEM ACCEPERIT.

Sed non est consilium contra Dominum: qui immodicis & fastuosis Principum, suis viribus & potentiæ nimis confidentium, conatibus, quantumvis pro rebus justis susceptis, sed nequaquam justè & secundum Deum administratis, illudere plerumque amat, ut quamplurimis omnium temporum, etiámque Principum alioqui probitate & æquitate insignium, exemplis abundè comprobatum est. Succensuit nihilominùs Philippus non parum Parmensi, ob ejus seu tarditatem, seu culpam; cum non essent qui incommoda, quibus impeditus est rem exequi, defenderent. Paritérque Sidonius, quanquam nulla ipsius culpa fuerit, ob damnum acceptum, à Philippi conspectu abstinere jussus, domum secessit: præter nonnullos alios duces, quos malè officiis suis functos Philippus in ordinem redegit: cum alioqui cladem composito animo tulerit; Deóque & Sanctis, quòd non major & tristior fuerit, gratias egerit, ac per Hispaniam agi præceperit; afflictísque militibus & nautis misericordiam adhibuerit singularem. Elisabetha verò, ob tantum discrimen tantâ felicitate insperatò devitatum, gratias quoque Deo per universam Angliam agi curavit: ipsáque Londini curru triumphali, ex quo vexilla & insignia devictorum hostium dependebant, vecta, & triumphalibus vestibus amicta, celeberrimo omnium Ordinum, & procerum munia aulica obeuntium comitatu, è palatio regio ad majus urbis templum S. Pauli procedens, Deo pariter gratias reddidit suo modo.

XXVII. REG. ANGLIÆ ATROCIÙS AGIT IN CATHOLICOS. [a] Camden. in Elisab. [b] Schism. Anglic. lib. 4.

Quæ nihilominùs, tanquàm fuissent hæc ipsi à Deo in confirmationem suæ de religione opinionis concessa; cùm [a] priùs à nonnullis suorum monita Hispanos nihil hostile in Angliam ausuros, nisi fiduciâ auxilii à Catholicis, ideóque non paucos eorum in palustrem quandam regionem in custodiam amandâsset: defuncta jam periculo à classe Hispanicâ, agi in Catholicos ex edicto [b] contra eos condito, sive jussit, sive permisit: unde multi eorum utriusque sexûs, atque inter eos nonnulli sacerdotes mortem, aliáque supplicia subierunt. Fuisse dicitur atrocis edicti auctor Robertus Dudleus Leicestriæ Comes, quem jam aliàs diximus extitisse sævissimum Catholicorum persecutorem At is cùm summâ gratiâ atque potentiâ apud Elisabetham polluisset, res ferè pro arbitrio toto regno administrans, hócque etiam anno generalem belli ducem contra Hispanos egisset; atque inde in novum honoris & potentiæ tumorem elatus, summum in Angliâ & Hiberniâ imperium variâ sub Reginâ potestate ambivisset, obtinuissétque diplomate jam confecto; nisi Cecilius Baro Burgleius regni Thesaurarius, & Hattonus Cancellarius intercessissent, & Regina ipsa periculum nimiæ in uno potentiæ tempestivè prævidisset: hic igitur cùm eâ spe decidisset, in morbum incidens mortuus est decimoquarto Septembris, anno ætatis quinquagesimo quinto; non parvo Catholicorum gaudio, singulari id divinæ providentiæ acceptum ferentium.

XXVIII. [c] Camden. ibid. DISSIDIŨ DE RELIGIONE INTER ANGLOS.

Inter quæ laboravit etiam interno [c] schismate ipsamet hæresis in eâdem Angliâ: cùm nonnulli ex iis qui Genevensem disciplinam unicè admirabantur, non aliam rationem constituendi eandem in Angliâ excogitari posse putantes, quàm Anglicam hierarchiam insectando, & Præsulibus invidiam apud populum conflando; in illam & istos probrosis editis libellis, quibus tituli erant *Martinus Præsulibus exitiosus*, vel *Præsulo-Mastix, Mineralia, Diotrephes, Demonstratio disciplinæ, &c.* convitiis virulentissimis adeò scurriliter debacchati sunt, ut auctores non pietatis cultores, sed è popinâ ganeones viderentur. Auctores tamen erant *Pincius* & *Vbaldus*, qui se Verbi Dei Ministros jactabant: & *Iobus Trochmortonus* vir facetè dicax: fautores nonnulli equites aurati, à Ministris circumventi: qui omnes crimen gravi mulctâ irrogatâ luissent nisi Ioannes Whitgiftus Archiepiscopus Cantuariensis Reginam, quæ institutæ semel à se, pro auctoritate capitis Ecclesiæ suæ Anglicanæ, administrationis Ecclesiasticæ retinentissima existens, hujusmodi novatores tolerare non poterat, ægrè exorâsset. Qui etiam, cùm contigisset ut quam isti Genevensem disciplinam præstruere satagebant, alii Ministri consilii participes per angulos exercere cœpissent, synodos atque classes certis locis habendo, eóque nomine in judicium vocati fuissent; præfervidi quidam eorum fautores ad eos è magistratuum manu eruendos conspirâssent: horum effrenatam petulantiam idem Archiepiscopus lenitate ac patientiâ fregit, quippe qui licet Calvini doctrinæ inhæreret cum aliis, disciplinam tamen reginalem profitebatur; quam illi alii, omnis ordinis & decoris osores abdicatam vellent.

XXIX. REGIS DANIÆ MORS.

Mortuus est hoc anno pridie Nonas Aprilis, *Fridericus II.* Rex Daniæ Lutheranus, in regiâ Seelandiæ arce Andersoviâ, anno ætatis quinquagesimo quarto, regni trigesimo ineunte, cui successit filius major natu *Christianus IV.* puer undecim annorum: adjunctis illi ex Senatu regni quatuor consiliariis præcipuis, donec adolesceret.

XXX. CONGREGATIONES A SIXTO PONTIF. INSTITUTÆ.

Sixtus autem Pontifex considerans gravissimum onus Pontificatûs, cui ferendo, ob immensam negotiorum multitudinem ac varietatem, quæ ad Sedem Apostolicam ex universo Christiano orbe deferuntur, non solus ipse esset; illud inter S. R. E. Cardinales, qui ex diversis nationibus selecti semper Pontifici assistunt, aptâ quâdam distributione partiri decernens; Congregationes Quindecim constituit; quarum singulis certa negotia assignavit in iis tractanda; ita tamen ut graviores difficilioresque consultationes ad Pontificem referrentur; quemadmodùm olim Moyses, de soceri sui consilio. Denique jussu, Senatum septuaginta seniorum conscripsit, qui cum eo onus populi sustinerent, ne solus ipse gravaretur, ac nihilominùs graviores causas ad eum deferrent. Fuit autem Congregatio Prima, pro *sancta Inquisitione hæreticæ pravitatis*, firmissimo Catholicæ Fidei propugnaculo, jam anteà, ut suo loco vidimus institutâ, ac denuò à Sixto confirmatâ; cui ob summam rei gravitatem ipse Romanus Pontifex præsidere solet. Secunda, pro *Signaturâ Gratiæ*; ut quæ gratiæ ex judicum ordinariâ facultate expediri nequeunt, in eâ examinentur, & si honestæ fuerint concedantur: cui pariter Romanus Pontifex præsidere consuevit. Tertia, pro *Ere-*

ctione novarum Ecclesiarum, unionibus, redditibus, ætate & qualitate promovendorum, & provisionibus in Consistorio proponendis. Quarta, pro *ubertate annona* Statûs Ecclesiastici. Quinta, pro sacris *Ritibus & Caremoniis* in Sacramentorum administratione, divinis Officiis, omníque Dei & Sanctorum veneratione, adhibendis. Sexta, pro *Classe* parandâ, & servandâ, ad Statûs Ecclesiastici defensionem. Septima, pro conficiendo *Indice librorum* prohibendorum, aut expurgandorum, quibus Fideles corrumpi possent. Octava, pro *executione & interpretatione* decretorum *Concilii Tridentini*, quoad mores & disciplinam; necnon examinatione decretorum Conciliorum provincialium singularum nationum: sibi tamen reservans quæ ad fidei dogmata pertinent. Nona, pro Statûs Ecclesiastici *Gravaminibus* vectigalium ac tributorum cognoscendis & componendis. Decima, pro Vniversitate *Studii Romani*; aliarúmque etiam necessitatibus. Vndecima, pro *Consultationibus Regularium* cujusvis Ordinis. Duodecima, pro *Consultationibus Episcoporum*, & aliorum Prælatorum non regularium, ac de Visitationibus Ecclesiarum. Decimatertia, pro *Viis, Pontibus, & Aquis* Statûs Ecclesiastici curandis. Decimaquarta, pro *Typographiâ Vaticanâ*, à se erectâ, edendis purè sacris Bibliis, Conciliis, Doctoribus Ecclesiæ, & constitutionibus Pontificum ac Decretalibus Epistolis. Decimaquinta, pro *Consultationibus negotiorum Statûs Ecclesiastici*. Quibus omnibus & singulis facultates proprias adjunxit; quæ videri possunt in ejus constitutione [d] super his confectâ undecimo Calendas Februarii. His verò Congregationibus aliæ quoque additæ sunt à subsequentibus Pontificibus, pro rerum & temporum necessitate.

[d] Bullar. to. 2. Sixt. V. const. 74.

XXXI. S. BONAVENTURA ADSCRIBITUR DOCTORIBUS ECCLES.

Idem verò Sixtus aliâ constitutione [e] editâ pridie Idus Martii, S. Bonaventuram Balneoregiensem ex Ordine Minorum, ob præstantissimam ejus eruditionem, & sacrarum literarum cognitionem, purámque interpretationem, inter Catholicæ Ecclesiæ Doctores adscripsit: & in Basilicâ SS. XII. Apostolorum Vrbis Romæ, quæ est Minorum Conventualium, S. Bonaventuræ nomine Collegium instituit, in quo ex ejus præcipuè operibus & commentariis sacra Theologia publicè explicaretur, statuítque ut illius festus dies quotannis duplicis officii ritu, ad instar cæterorum SS. IV. Ecclesiæ Doctorum, perpetuò celebraretur: exemplo Pii V. qui S. Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum eodem honore decoraverat. De utroque verò, & eximiâ illorum doctrinâ & sanctitate, dictum superiùs suis locis. Aliâ quoque constitutione [f] Calendis Iulii, Congregationem presbyterorum ac clericorum, à *Ioanne-Augustino Adorno* presbytero Ianuensi ac sociis, aliquot antè annis institutam, confirmavit sub tribus substantialibus religiosæ vitæ votis, ac victu communi, habitúque clericali, ac denominatione *Presbyterorum & Clericorum Regularium Minorum*, sub uno præfecto sibi subinde deligendo. Itémque aliâ [g] 8 Nonis Iulii *B. Didacum* Hispanum diœcesis Hispalensis, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ, qui ante centum & viginti quinque annos vixerat, & vivus ac mortuus miraculis claruerat, petente Philippo Hispaniæ Rege, in Sanctorum Confessorum numerum ritu solemni retulit; ejúsque festivitatis celebrationem die 12. Novembris, quâ ex hâc vitâ decessit anno 1463. instituit.

[e] Ibid. const. 76.

[f] Ibid. const. 81. CLERICORUM MINORŪ INSTITUTIO.

[g] Ibid. const. 82. S. DIDACI CANONIZATIO.

IESU CHRISTI Annus 1589.
SIXTI V. Ann. 5.
RUDOLPHI II. Ann. 13.

I. CATHARINÆ REGINÆ OBITUS.

ANnum Christi millesimum quingentesimum octogesimum nonum Indictionis secundæ, à rebus Gallicis tumultuosissimis ac luctuosissimis orsituris, ipso ingressu sese mors offert *Catharinæ* Mediceæ, Henrici Regis parentis: quæ cùm paulò ante necem Guisiorum in febriculam incidisset, insperato eo casu consternata, nec tam annis confecta, cùm ageret tantùm sexagesimum primum, quàm curis & molestiis fracta, Blæsis occubuit die quinto Ianuarii; nemine ad ejus obitum aut multùm lætari, aut valdè indolere viso. Femina fuit vasti animi; quæ; à decessu viri sui Henrici II. sub tribus subsequentibus Regibus filiis, per triginta totos annos clavum regni tenuerat, turbas & ciens & componens, ad explendam imperandi ambitionem: cùm tamen sub finem Henrico filio se suspectam sentiens, negligere se & rempublicam cœpisset, pompâ regali & externo cultu contenta, quibus semper Rex eam decoravit. Corpus ejus ibidem Blæsis in S. Salvatoris æde depositum, ut inde ad Regum sepulchra apud S. Dionysium deferretur, & cum Henrico II. marito conderetur; cui mausoleum novum exquisitâ magnificentiâ seorsùm ab aliis Regibus erigendum curaverat.

II. ORATIONES ORDINUM IN FINE COMITIORŪ BLÆSENSIUM.

Peracta postinde Comitia, quæ adhuc Blæsis substiterant: & cùm singulorum Ordinum postulata fuissent de more Regi oblata pridie quàm Regina parens obiisset; eodémque die solemni ritu rursùm edictum Vnionis in publico consessu jurejurando confirmatum, & pro lege fundamentali, ut priùs, sancitum: demùm finis comitiis impositus est, postquàm Archiepiscopus Bituricensis pro sacro ordine, Brissacus Comes pro Nobilitate, Bernardus Advocatus Divionensis pro plebe verba fecissent decimoquinto & decimosextò ejusdem mensis Ianuarii. Qui quidem Bituricensis malorum causam in scissuram religionis, & solutum charitatis per eam vinculum conferens, hæc remedia præcipua proposuit: ut Electiones Præsulum liberæ restituerentur: fœdæque nundinationes ex Ecclesiâ eliminarentur; sacrum patrimonium, ex quo sacerdotes altari servientes sustentantur, non alienaretur; tradita à Concilio Tridentino disciplina ab omnibus reciperetur; domorum hospitalium bona ritè administrarentur; scholarum disciplina, & puerorum ac juventutis institutio instauraretur. Quibus etiam addidit de levando populo à vexatione militari; restituendâ disciplinâ equitatûs Gallici toto orbe olim formidabilis; ærario Regis fraudibus quæstorum vindicando; vænalitate munerum publicorum

tollendâ; immodico judicum numero resecando. Post Bituricensem Brissacus, laudato Rege à pietate ac fortitudine bellicâ, in hæreticos acerbissimè invectus est, tum Nobilitatem Gallicam, devictis omni tempore Christianæ fidei hostibus claram, multis verbis commendans, ejus nomine petiit ut Rex ipsius jura, immunitates, & prærogativas inviolatas servaret, judiciarium ordinem resectis litium ambagibus instauraret, tributis populum levaret; ærarium à rapinis vindicaret, militarem ordinem ad antiquam disciplinam revocaret, Ecclesiæ hostes acerrimo bello persequeretur. Vltimóque Bernardus, cùm Regi pro edicto Vnionis denuò confirmato gratias egisset, hortatus est omnes regni civitates, atque ordines ad eandem unionem: tum vitia quamplurima regni, in rebus sacris, judiciariis, bellicis, aulicis, moribus, ac vivendi modis, aperiens, remedia iis adhiberi petiit. Quæ omnes orationes postmodùm editæ fuêre. Sic igitur finitis comitiis dicto die decimosexto dimissi sunt delegati, fide à singulis seorsim datâ curaturos se in suâ quemque provinciâ, ut cuncti se in officio continerent, quod tamen à paucis præstitum est: cùm & ipsimet Brissacus & Bernardus paulò pòst ad Fœderatos defecerint: multique alii sive spontè abrepti, sive ab aliis decepti, idem præstiterint: nec pauci inter tot tumultus & adversarios fidem servare non valuerint.

Comitiorum dimissio.

III. Sorbonæ decretum circa obedientiam Regi præstandam.

Intereà Parisiensibus à concionatoribus petulantissimis adversus Regem concitatis, quem impium tyrannum, hypocritam, & perfidum violatorem publicæ fidei ac libertatis comitiorum prædicabant, omniáque dira ei ejúsque familiæ, & verbis infamissimis & scriptis probrosissimis imprecabantur; & contrà Guisios necatos omni laudum genere extollentes, uti martyres etiam in cælum evehebant: cùm essent nihilominùs multi, qui ab obedientiâ Regi debitâ discedere salvâ conscientiâ se non posse crederent; hunc scrupulum ut removerent factiosi, operam collegii Sorbonæ Facultatis Theologiæ implorârunt, oblato libello præfecti mercatorum, ædilium, consulum, & Catholicorum civium nomine; quo quærebant, an populus regni Galliæ posset liberari & solvi à sacramento fidelitatis & obedientiæ Henrico III. præstito: & an tutâ conscientiâ posset idem populus armari, uniri, pecunias colligere ad defensionem & conservationem Religionis Catholicæ adversus ejusdem Henrici ejúsque fautorum nefaria consilia. Super quibus articulis, (ut sunt verba decreti, quod mox typis mandatum est) congregata die septimâ Ianuarii facultas Theologiæ apud collegium Sorbonæ, post publicam supplicationem omnium ordinum dictæ Facultatis, & Missam de Spiritu sancto celebratam, auditâ omnium & singulorum Magistrorum, qui ad septuaginta convenerunt, maturâ, accuratâ, & liberâ deliberatione, & multis ac variis rationibus, quæ magnâ ex parte ex sacris Scripturis, canonicis sanctionibus, & decretis Pontificum, in medium proditæ fuêre; conclusum est à D. Decano ejusdem Facultatis, nemine refragante, per modum consilii ad liberandas conscientias prædicti populi: primùm, populum solutum esse à sacramento fidelitatis & obedientiæ Henrico præstito: deinde, eum posse licitè & tutâ conscientiâ armari, uniri, & pecunias colligere, &c. Hancque conclusionem visum est eidem Facultati transmittendam esse ad Papam, ut eam Sanctæ Sedis auctoritate confirmare, & Ecclesiæ Gallicanæ gravissimè laboranti opem præstare dignaretur. Ita ibi, cùm tamen quod spectat ad communem consensum quem jactant, feratur, seniores Theologos qui aderant, ipsúmque adeò Decanum, qui tunc erat Ioannes Faber, conatos esse à tam præcipiti & temerario consilio juniores indiscreto zelo ferventes avertere, ac censuisse ut res integra ad Pontificem remitteretur quem, decretum illud uti temerarium nimis valdè improbâsse, testatus ipsemet est Episcopo Cenomano ad eum à Rege, ut paulò pòst videbitur, misso. Eadem nihilominùs Facultas ulteriùs postmodùm progressa, etiam antequàm Pontifex quicquam contra Regem statuisset, quinto Aprilis decrevit Regis nomen & preces pro eo in Missâ concipi solitas inducendas esse: pro quibus nonnullas alias orationes pro Principibus Catholicis substituerunt.

Improbatur à Pontif.

IV. Senatus Paris. in carcerem truditur.

Itaque factiosi cùm parùm actum putarent, nisi & Senatum in potestate haberent, vim adhibendam existimârunt: & die decimosexto Ianuarii missus in Curiam Ioannes Clericus Bussius Curiæ cognitor, seu procurator partium, cùm Senatores loco solito convenientes de legatione ad Regem mittendâ deliberarent, loricatus cum aliis armatis ingrediens, Achillem Harlæum Senatûs principem cum circiter quinquaginta aliis qui aderant, in custodiam ad arcem Bastiliæ quam ipse tenebat perduxit. Vnde tamen postridie complures, qui nequaquàm inter notatos nominati spontè cæteros secuti fuerant, dimissi sunt; & cum aliis qui supererant Senatum de more habuerunt, judiciáque exercuerunt; præside primario Barnabâ Brissonio, insigni Iurisconsulto, & literis excultissimo, qui infeliciter diræ illi Vnioni nomen suum dedit, sed infeliciùs pœnam suæ desertionis, ut pòst videbimus, luit: cùm interim ad aliquam excusationem, declarationem quandam scripto condidisset, ac per duos notarios publicos firmari privatim curâsset, quâ id coactè agere videri voluit. Harlæus ac cæteri non nisi post Henrici Regis necem liberati sunt, pretio sese redimentes: Turonésque petierunt, quò Rex Senatum transtulit, ut post dicetur. Die porrò penultimâ Ianuarii, quò omnis reconciliationis inter Regem & Parisienses, quod boni exoptabant, ratio præcideretur; proposita fuit in eodem Senatu jurisjurandi ab omnibus præsidibus, principibus, prælatis, consiliariis, aliisque cunctis Curiæ officialibus, præstandi formula; quâ fidem Deo, gloriosæ ejus Matri, Angelis, & Sanctis paradisi, obligabant, se in Catholicâ-Apostolicâ-Romanâ religione victuros & morituros, ac pro ejus conservatione sanguinem fusuros; urbis Parisiensis, & aliarum unitatum saluti, ac populi levamento consulturos; adversus quoscumque defensuros eos qui Vnioni nomen darent; privilegia & libertates trium regni Ordinum defensuros, vim eorum qui eas Blæsis in comitiis violâssent repulsuros, & tanti criminis auctores & fautores quà-

Iusjurandum pro defensione Vnionis.

cumque viâ ac ratione persecuturos; neque ab hâc societate unquam discessuros, aut ullum tractatum nisi de communi principum, prælatorum, ac civitatum unitarum consensu facturos. Quæ solemni ritu ab omnibus qui aderant jurata sunt; & postridie ab advocatis & procuratoribus partium. Hæcque acta sub Duce Aumalio urbis gubernatore, antequàm Dux Mayenius ad eam venisset.

V. Mayenius Lutetiam petit.

Qui post suum à Lugduno in Burgundiam abscessum, cùm à Rege literas accepisset, quibus de egregiâ erga ipsum voluntate significabat quódque Blæsis contigerat, tanquam vitæ à discrimine secundùm ipsius Mayenii monita afferendæ causâ factum excusabat; hanc Regis clementiam ipse pro ejus metûs confessione accipiens, & ab aliis seditiosis ad ultionem accensus; rebus in Burgundiâ, cujus præses erat, constitutis, Lutetiam versùs iter suscepit, in viâ Trecas, Aurelianum, Carnutum, aliásque nonnullas urbes, sibi & Vnioni asserens. Postquàm autem Lutetiam pervenit, ubi regio penè more receptus est, ante omnia Consilium Vnionis Catholicorum, qui de causæ communis negotiis decernerent, institutum est decimo octavo Februarii; in quod allecti quadraginta ex Ecclesiastico ordine, Nobilitate, & plebis magistratibus ac civibus Vnioni addictissimis. Quarto verò Martii Dux ipse Mayenius, illius Consilii decreto, donec generalia regni comitia convocarentur, quæ ad medium Iulium indicta fuêre, generalis Vicarius, & locumtenens Statûs regii & Coronæ Franciæ constitutus est, penes quem esset summa belli ac negotiorum potestas. Eóque decreto in Senatu promulgato, Mayenius ibi sacramento adactus est, Religionem Catholicam Apostolicam Romanam contra omnes defendere, Statum regium integrum, Curiarum supremarum auctoritatem, Ecclesiæ ac Nobilitatis privilegia tueri, ac curare ut populus à vexationibus liberaretur. Confractisque sigillis regiis, fuerunt duo alia nova constituta, cum insignibus Franciæ, & throno regio vacuo, atque inscriptione Sigillum regni Franciæ; alterum majus pro Consilio Statûs, minus alterum pro Curiis. Quòd autem Mayenius nonnisi Vicarius aut Locumtenens, nec nisi à Consilio Parisiensi declaratus fuisset, inde jam tum cœpit divisio Vnionis; quanquam non tam citò apparuerit, quippe cæteri Duces, Nemorosius, Aumalius, Mercurius, aliique, qui diversis provinciis sibi titulum quoque Locumtenentium attribuerunt, supremam etiam suis locis auctoritatem usurparunt.

Declaratur Locumtenens Coronæ Franc.

VI. Civitatum defectiones.

Intereà verò Parisiensium væsaniam imitatæ pleræque ceteræ præcipuæ totius regni civitates, à Rege deficientes, nihil non atrocium injuriarum, immanium scelerum, furentium intemperiarum, in Regis memoriam & effigies, in magistratuum ei obsequentium vitam & bona, in omnium regii nominis cultorum perniciem cōmiserunt, deficiente etiam plurimâ nobilitate à Rege; & quod pudendius fuit, nec ipso fidei zelo excusabile, etiam non paucis Episcopis, nedum innumeris sacerdotibus, & plerisque omnibus singulorum ordinum religiosorum monachis, pravo falsæ persuasionis spiritu correptis, & classicum in Regem canentibus: cùm esset tamen proculdubiò Rex, & eorum legitimus Princeps à Deo datus, & fidei Catholicæ tenacissimus, & ab hæresibus & hæreticis totâ mente aversus, necdum à Pontifice damnatus, unde ipsi aliquam excusationem assumerent. Quæ cùm abundè à multis tractata & publicata fuerint; nobísque sit non solùm pudor, sed etiam horror ea recensere, quæ magis oblivione sepulta, quàm recordatione rediviva esse decet; malumus cuncta sub generali ejusmodi designatione præterire, quàm speciatim aliqua in contumeliam quorumcumque recensere. Rex autem & edictis & armis in perduelles agere constituens, eodem mense Februario, Mayenium, & Aumalios fratres Ducem & Equitem Ierosolymitanum, aliósque eis adhærentes, nisi intra Calendas Martias ad obsequium redirent tanquam perduelles, & læsæ majestatis in primo capite ac proditæ patriæ reos proscripsit, & omnibus dignitatibus, honoribus, ac prærogativis excidisse pronunciavit: tantumdémque in urbes rebelles statuit, omnibus priuilegiis, immunitatibus & jurisdictione privatas declarans. Eodémque tempore Principibus, proceribus, ac primariis è nobilitate ducibus mandavit, ut cum suis equitum cataphractorum turmis ad signa comparerent; misitque in Helvetiam & Germaniam, qui delectus nomine suo ibi haberent.

Edicta regia contra rebelles.

VII. Rex apud Pontif. agit.

Sic autem turbatâ Galliâ, etiam Roma non parùm in Regem commota fuit. Scripserat ab initio Rex ad Marchionem Pisanii suum apud Pontificem oratorem, & ad Cardinalem Ioiosam tunc ibi existentem, ut Guisiorum necis maturatæ causas exponerent, & contrarios à seditiosis sparsos rumores anteverterent. Misítque rursùm Claudium Angeneum à familiâ Rambulietâ Cenomanorum Episcopum, virum sanctimoniâ vitæ, eruditione, & rerum peritiâ præstantem, cum amplissimis mandatis, ut justis rationibus expositis, quibus cōactus duorum fratrum mortem imperâsset, eum sibi conciliaret. Qui Romam appulsus ad finem Februarii, & unà cum Ioiosâ & Pisanio ad Pontificem admissus post multa de egregiâ Regis erga Fidem Catholicam voluntate, deque belli contra hæreticos prosequendi studio prolata; quæ Blæsis contigerant ex urgente necessitate excusans, quod Cardinalem Guisium spectaret, de cujus morte Regi scrupulus injectus fuisset, significavit de ejus dignitate minimè cogitâsse Regem cùm mortem imperavit, sed tantùm ad salutem propriam & regni tranquillitatem respexisse, sic nihilominùs conscientiæ consuluisse, ut petitâ à confessore absolutione se tutum existimaret, vi secreti diplomatis ab ipso Pontifice paucos ante menses sibi concessi, ut gravissimi cujuscumque facti sacerdoti confessi plenam gratiam consequeretur: rogare tamen, ut sibi Pontifex ad majorem satisfactionem, benedictionem suam impertire dignaretur. Quibus Pontifex benigno vultu auditis, necem tamen Cardinalis, & ob eximiam dignitatem, & ob sacrum Episcopatûs characterem, valdè exaggerans, Regem inde in censuras incidisse, ac proinde absolutione indigere dixit, cui secretum illud diploma non satis esset. Replicante Cenomano, licèt de Episcopis & sacris per-

Cenomani Episc. cum Pontif. negotiatio.

ſonis omnem cognitionem in iis quæ ad ipſorum functionem pertinent, ad Pontificem pertinere non ambigeretur, in cauſis tamen quæ temporalia & publicam tranquillitatem ſpectant, eos Principum juriſdictioni ſubeſſe; ac propterea haud per mandata ſua ſibi licere abſolutionem, ſed tantùm benedictionem petere: poſt multas ſuper his diſſertationes, Pontifice in eo fixo, Regem non aliter crimini ſatisfacere poſſe, quam ſolemni ritu petitâ & acceptâ abſolutione, & reſtitutis in libertatem Cardinale Borbonio & Archiepiſcopo Lugdunenſi, aut Romam miſſis à Pontifice judicandis: venêre interim literæ à Rege, quibus mandabatur ut abſolutio ſuo nomine peteretur. Quam cùm Cenomanus in præſentiâ Ioioſæ & Piſanii procumbens in genua Regis nomine petiiſſet; licèt eum benignè audire viſus ſit Pontifex, abſolutionem tamen impertire recuſavit, niſi etiam Borbonio & Lugdunenſi ſatisfieret.

VIII. Senatus Paris. transfertur Turones.

Inter hæc Rex Turones ad Ligerim, quæ urbs ne penitùs deficeret ejus præſentiam requirebat, commeans, locum aptum ad res bellicas gerendas, & vicinos populos continendos; edicto Blæſis ante profectionem facto menſe Februarii, Senatum Pariſienſem, & Rationalium Curiam eò tranſtulit; mandans præſidibus ac ſenatoribus ubicumque locorum eſſent, ut eò ad munera ſua exercenda quamprimùm ſe conferrent; partibúſque, ne apud alios judices agerent ſub pœnâ falſi. Captivi quoque Blæſis à Rege abducti, Cardinalis Borbonius Chinonium ad Vigennam amandatus eſt, & Franciſci Regii Chavinii ejus arcis præfecti cuſtodiæ commiſſus: Ellebovius Dux ad Lochias miſſus: Ionvillæ princeps in arce Turonenſi ſervatus: Archiepiſcopus Lugdunenſis, & nonnulli alii minoris momenti, relicti præfecto arcis Amboſianæ, ubi detinebantur, ut pretium redemptionis ab eis eliceret; ſicuti & pòſt fecit.

IX. Navarri declaratio pro reconciliatione cum Rege.

Navarrus autem quarto Martii ſcriptum evulgavit ad regni ordines: quo deploratâ publicâ calamitate, pacem ſecum ineundam, unicum ac certiſſimum tot malorum remedium eſſe inſinuavit; hortatúſque eſt eos qui circa Regem erant, ut illam ei perſuaderent; cùm ſibi nihil tam in optatis eſſet, quàm in gratiam ejus recipi, ídque ab eo quantâ poſſet demiſſione flagitare. Quâ animi ſui declaratione negotium reconciliationis promovit; quòd Rex in arctum tot urbium ac procerum defectionibus redactus cogitare, licèt invitus, cœperat, urgente maximè Sueſſionenſi Comite cum nonnullis aliis, qui imperii non religionis cauſam agi dictitabant: & contrà Nivernenſi Duce cum multis ab eo conſilio, quòd Catholicis in officio adhuc ſe continentibus occaſionem alienationis, Principibus vicinis Catholicis offenſionis, Summo Pontifici intonationis, præbiturum eſſet, abhorrente: qui & ideò, ut omnem occaſionem Regi alioqui ab hæreticis penitùs averſo cum Navarro conveniendi eriperet, longiùs à Ligeri eum regni ſedem deligere ſuaſerat. Nihilominùs tamen re variis artibus per diverſos clàm tractatâ, eò demùm illa deducta eſt, ut ineunte Aprili pactæ fuerint unius anni induciæ: conventúmque ut Navarrus copias ſuas ſeorſim à regiis contra Mayenium duceret: conceſſo ei Salmuri oppido ad Ligerim tranſmittendum. Quod initio ſecretum eſſe Rex volens, dum ſpes eſſet cum Mayenio tranſigendi operâ Cardinalis Mauroceni Legati; ubi pòſt vidit nihil Legatum operari potuiſſe, omni ſpe concordiæ abjectâ pactas inducias edicto publicavit die 26. Aprilis, quibus in Pontificis gratiam Avenionem & Veniſſenſem comitatum comprehendi voluit; diplomate in Senatu recitato die penultimâ ejuſdem menſis: cùm decimaoctavâ Navarrus Salmuri ſcriptum evulgâſſet, quo eos pro hoſtibus habere ſe profitebatur, qui conjurationem in Regem feciſſent, & omni divino humanóque jure calcato regnum ejus ferro flammáque vaſtarent; eóſque infeſtis armis ſe perſecuturum: & contrà eorum qui Regi reconciliati forent patrocinium ſe ſuſcepturum. Sextóque pòſt die, videlicèt vigeſimoquarto Aprilis, alio ſcripto ad ſuæ partis ſequaces præcipuè directo, pactas inducias ſignificavit; mandavítque univerſis, ut juxta earum leges ab omni maleficio contra fidos Regi ſubditos & Pontificios abſtinerent, & Religionis Catholicæ nullibi locorum libertatem turbarent.

Induciæ cum eo pactæ.

X. Mayenius instat apud Pontif.

Mayenius verò prudentiâ inſitâ futuri anxius, ad Pontificem recurrens, rogavit ut Catholicorum patrocinium contra Regem, nihil aliud quàm religionis ſubverſionem quærentem ſuſciperet; ſummúmque etiam armorum pro religionis defenſione ſumptorum imperium & arbitrium ſibi ſumeret, ita ut ipſius auſpiciis deinceps bellum adminiſtraretur; & ad hoc Legatum in Galliam mitteret opibúſque tam ſpiritualibus jubilei & cruciatæ, quàm temporalibus pecuniarum & militarium copiarum afflictis quamprimùm ſuccurreret. Cúmque audiſſet, Pontificem in hoc negotio nutare, & Cenomanorum Epiſcopo ſpem de gratiâ Regi impertiendâ feciſſe: mandata nova ſuis miſſis dedit, ut tam ſuo quàm cæterorum Principum ipſi adhærentium nomine, apud Pontificem intercederent ne abſolutio impertiretur; & ſi nihilominùs impertiretur, ipſi adverſus eam proteſtarentur. Inter quæ cùm Rex à Cenomano certior redditus de iis quæ cum Pontifice egiſſet, reſcripſiſſet Cardinalis Borbonii liberationem minimè fieri poſſe, quin majores motus excitarentur, quoniam perduelles eum in Regem creaturi forent: nec item in manus Legati conſignare, quòd is jam in itinere Romam verſùs eſſet: Archiepiſcopum autem Lugdunenſem non ampliùs in ſuâ, ſed in præfecti arcis Amboſianæ poteſtate exiſtere: hoc Regis reſponſo à Pontifice audito, ſimul & à Cardinalibus nonnullis monito de publicâ proteſtatione à Principibus futurâ ſiquid in gratiam Regis indulgeret, quæ non niſi gravi cum Eccleſiæ offenſione & rerum periculo fieri poſſet: idem Pontifex quinto Maii celebrato conſiſtorio decretum fecit, quod Monitorium vocant; quo poſt conſuetam in hujuſmodi rebus præfationem, narratâmque Cardinalis Guiſii necem, & Borbonii atque Lugdunenſis detentionem, quibus Rex quamvis ſæpè monitus ſatisfacere non curâſſet; pro paterno affectu quo eum ſemper proſecutus fuiſſet, denuò per viſcera miſericordiæ Dei hortabatur, & auctoritate

Monitorium Pontif. in Regem.

Apostolicâ primò, secundò, & tertiò monebat, præcipiebátque, ut dictos Borbonium & Lugdunensem intra terminum decem dierum à die publicationis monitorii numerandorum, pristinæ libertati restitueret, & triginta post restitutionem diebus id Sedi Apostolicæ idoneè significaret: nî faceret, eum, & quicumque iis in rebus consilium, auxilium, aut favorem præstarent, in Ecclesiasticas censuras incursuros, & ab Ecclesiæ corpore excisos fore, atque ejus communione privatos. Ac prætereà tam cæteros quàm ipsum Regem citabat, ut intra sexaginta dies à citatione, per se, vel procuratores idoneos Romæ in judicio se sisteret, rationem præteritorum redditurus; quorum sexaginta dierum, viginti pro primâ, totidémque pro secundâ, reliqui pro tertiâ admonitione canonicâ assignabantur. Declarans insuper, intereà nec Regem, nec cæteros, à quoquam quâcumque dignitate aut facultate prædito, nisi à solo Summo Pontifice, neque etiam in foro conscientiæ, excepto mortis articulo, nec tunc quidem, nisi præstitâ cautione de parendo Ecclesiæ in iis quæ essent illis injuncta, absolvi posse additâ ultimò derogatione omnibus indultis, facultatibus, aut privilegiis, seu Regi, seu ipsius majoribus quâcumque formâ modóque in contrarium concessis. Quod Monitorium, quamvis, ut diximus, deliberatum fuerit in consistorio die quinta Maii, haud tamen publicatum fuit ante vigesimam quartam; quâ, ut in eo cavebatur, affixum de more fuit ad valvas basilicæ sancti Petri, & Cancellariæ Apostolicæ, & in Campo Floræ. Cúmque in eo pariter mandaretur, quò illud Regi & universis in Galliâ innotesceret, ut ad valvas duarum vel trium Ecclesiarum cathedralium ex sex ibi nominatis promulgaretur; fuit id peractum vigesimo tertio Iunii Meldis & Carnuti. Facto verò decreto in consistorio, antequàm publicaretur, Cardinalis Ioiosa Venetias, Cenomanus & Pisanus in Galliam concesserunt.

XI. Rex accersit Navarrum.

Mayenio verò intereà cum valido exercitu Turones versùs, ubi Rex erat, iter assumente, captis in viâ nonnullis oppidis quæ à Rege stabant; Rex, cui non tantæ adhuc vires erant ut posset cum eo confligere; considerato Navarri propenso ad sua mandata obsequio, dissimulatione omni depositâ, decrevit eum ad se admittere: & assignato ei die ultimo Aprilis, & loco Plessiaci extra urbem, ipse eò illâ die à prandio cum aulico tantùm comitatu concedens, eundem Navarrum habitu militari pulverulentum & sordidatum, ut erat ab itinere, ad pedes ejus, quos etiam deosculatus est, sese prosternentem, (ut narrat Thuanus, qui aderat) humanissimè in pedes erectum, magnâ benevolentiæ significatione complexus est. Habito verò consilio de belli gerendi ratione, Rex in urbem rediit, Navarrus in ulteriorem ripam ad suburbium sancti Symphoriani divertit. Cui cùm à Rege vocato multi è suis suggessissent, ut memor Tumultûs Parisiensis, haud tam facilè Regi sese crederet; jam post hoc colloquium nihil doli subesse certus, die sequenti omnes pristinæ diffidentiæ reliquias omninò delevit, cùm summo mane per pontem cum solo puero nobili urbem ingressus, & in cubiculum Regis antequàm surrexisset admissus est. Inde verò ad copias suas rediit Chinonem. Cùm verò Mayenius septimo Maii impetum fecisset in prædictum suburbium S. Symphoriani; Rex, qui fortè tunc eâ parte obequitabat, non parùm eo periclitatus, in urbem se recepit, providens nequid tumultûs in eâ, uti Mayenius speraverat, oriretur: ipséque Mayenius, post acrem integri ferè bidui pugnam, & multam utrimque cædem, sed tamen majorem regiorum, timens sibi à recentibus copiis Navarri & Espernonii, qui mox evocati fuerant, ille Chinone, hic Blæsis, in sua se recepit.

Mayenii impetus retunditur.

XII. Rex auxilia externa quærit.

Rex autem re bellicâ Navarro relictâ, ipse negotiis intendens, legationem in Hispaniam ad Philippum Regem decrevit, eo fine ut specie nunciandæ, more inter Principes recepto, mortis Catharinæ matris & ipsius Philippi socrûs, ejus voluntatem periclitaretur, & à submittendis Mayenio auxiliis averteret. Legationem obiit Petrus Forgetus Fraxineus à secretis Regis Epistolis: qui ex colloquio cum Philippo habito satis intellexit, quanquam sibi dolere diceret de morte Reginæ & motibus regni, haud tamen ei animum ad rem Vnionis pro religione promovendam deesse. Missus quoque in Germaniam ad delectus habendos Gaspar Schonbergius Nantolii Comes; & Iacobus Aug. Thuanus ad Rudolphum Cæs. ut nuncio de morte Reginæ defungeretur, & rogaret prohibere ne perduellibus per Germaniam militem scribere liceret, & contrà quos ipse Rex habiturus esset delectus auctoritate suâ adjuvaret. Eidémque negotium datum singularum ad Principes Imperii legationum obeundarum: cùm intereà variis pugnis & certaminibus inter regios & rebelles ubique ageretur, iísque plerumque regiis prosperis; in quibus eminuêre clades, Aumalio à Duce Longavillæ apud Silvanectum, aliáque Savosio Picardo apud Bonnevallium in Carnutibus à Castellioneo mense Maio illatæ: præter multarum urbium receptionem quà vi, quà deditione. Comes verò Suessionensis, quem Rex in Britanniam Armoricam cum summo imperio miserat, dum cunctaretur ingredi Redonum civitatem; à Duce Mercurio interceptus est, & Nannetes captivus ductus: unde tamen paulò pòst astu in corbe cibariâ evasit.

XIII. Rex Lutetiam appropinquat.

Certior deinde Rex factus de proximo adventu Nicolai Harlæi Sancii cum auxiliari exercitu, quem in Helvetiâ & Germaniâ summâ diligentiâ atque solertiâ collegerat; unà cum Navarro, & validis copiis quas jam habebant, Lutetiam versùs progressus est animo eam obsidendi: Receptóque post acrem viginti dierum tormentorum verberationem, honorificâ deditione oppido Pontisarâ, ut quidam vocant, seu Ponte-Oesiæ, ut plures, (flumen est, à nonnullis Isara, à plerisque etiam antiquis Oesia dictum; ad quod oppidum situm, unde illi nomen, Lutetiâ distans septem leucis:) exercitum auxiliarem, qui pridie deditionis advenerat, in quo erant decem millia Helvetiorum, duo peditum Germanorum Lantsknetorum, & mille quin-

genti

genti equites Reitri; ingenti utrimque gratulatione lustravit: indéque ad S. Clodoaldi municipium ad Sequanam fluvium situm, duobúsque tantummodò leucis Lutetiâ distans, castra posuit: habens in exercitu triginta quinque millia peditum tam Gallorum quàm extraneorum, & quinque millia equitum, cum multis Principibus, Coronæ Franciæ administris, proceribus, ac strenuis ducibus.

XIV. DETESTANDUM SCELUS IAC. CLEMENTIS.

Quibus cùm certa spes fieret ut Rex brevì auctoritatem suam recuperaret, & Parisienses, eorúmque exemplo cæteri populi, ad obsequium redigerentur; erupit ex inferno sceleratissimus satanæ minister, qui abominabili facinore Regem per proditionem interficiendum, vel cum certo vitæ discrimine suscepit. Is fuit *Iacobus Clemens* Sorbonâ vico Senonum ortus, & in ordinem Fratrum Prædicatorum receptus, literarum rudis, hebetiorísque ingenii, natus tunc viginti tres circiter annos: qui sive furibundis concionatorum declamationibus, sive privatis nonnullorum suasionibus, seu etiam insito humore melancholico; specie liberandæ Reipublicæ à præsentissimo periculo, quod ab impio tyranno, ut vocabant, imminebat, aut innatâ malitiâ, spiritu denique diabolico agitatus; confictis literis ad Regem, tanquam ab Harlæo Senatûs principe qui in Bastiliâ detinebatur, quibus fides fiebat de mandatis secretis maximi momenti quæ Regi relaturus esset; ultimo Iulii ad S. Clodoäldum, ubi Rex erat, contendens cum syngrapho commeatûs à Comite Briennio Espernonii sororio, qui nuper bello captus in arce Luparæ custodiebatur; à militibus tentus, Iacobo Gueslæo generali regio in Senatu procuratori, qui tunc fortè obvius factus est, consignatus fuit. Et ab eo interrogatus, atque ad Regem postridie ipsis Calendis Augusti introductus manè dum Rex è lecto surgeret; cùm illum propiùs ad se Rex accedere jussisset, quò secreta illa mandata exponeret, & allatas ab eo litteras attentiùs legeret; scelestus ille è manicâ cultrum venenatum subitò educens, in imum Regis ventrem toto nisu immisit. Quo ictu inopinato Rex perculsus, exclamans, *Homo nequam, quid tibi feci ut me sic læderes?* cultrum in vulnere relictum propriâ manu eduxit, eóque percussorem supra oculum feriit quem mox qui adstabant multis vulneribus confossum interemerunt. Quæ sic gesta narravit posteà ipsemet Gueslæus epistolâ ad quemdam amicum scriptâ. Corpus verò sicarii crate tractum, & à quatuor equis discerptum, ac postremò igne consumptum fuit, cineribus in flumen projectis.

REX PRODITORIE FERITUR.

XV.

Regis autem vulnere à chirurgis haud tunc lethali existimato, datæ fuêre ad præfectos provinciarum regni, & ad Principes amicos literæ, de scelere patrato, & spe curationis. Qui nihilominùs ut se ad omnem eventum Christianè pararet, confessionem sacramentalem ritu Catholico Stephano Bolonio sacellano suo ordinario facere voluit. Postquam, cùm ille antequàm absolutionem impartiretur, significaret audîsse se, prodiisse monitorium à Summo Pontifice, quo prohibebantur omnes etiam in articulo mortis absolutionem ei impertire, nisi polliceretur stare judicio Ecclesiæ: tunc Rex piè, se esse respondit filium primogenitum Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ, ac velle uti talem mori, ac se religiosè Pontifici satisfacturum: eóque audito, sacellanus absolutionem impertivit. Dein sub noctem febre violentâ ac doloribus acribus & convulsionibus correptus, ut sensit sibi obeundum esse, vocato rursùm sacellano ad novam peccatorum confessionem; monitus ut inimicis suis omnes injurias acceptas remitteret, remittere se libentissimè dixit: iterúmque commonefactus ut & illis qui mortem suam procurâssent parceret, parcere se quoque respondit, Deúmque obsecrare ut omnia peccata iis dimitteret, sicut sibi sua dimitti cuperet, acceptáque iterùm absolutione, bísque se muniens signo Crucis, placidè expiravit circa horam quartam matutinam diei secundæ ejusdem mensis Augusti. De quibus omnibus pietatis & pœnitentiæ actibus, ad confundendas rebellium calumnias de Regis hypocrisi, & favore hæresis, confectum est 3. Augusti, & Cardinali Gondio Episcopo Parisiensi oblatum publicum instrumentum, à pluribus subscriptum, qui Regi ab accepto vulnere usque ad obitum adstiterunt: videlicèt Carolo Aurelianensi Franciæ Priori, Io. Ludovico Valetâ Duce Espernonii, Armando Birono Franciæ Marescallo, Rogerio Bellegardio magno Franciæ Hipparcho, Francisco Doo Lutetiæ & Insulæ Franciæ præfecto, Ioachimo Castriveteri primo stipatorum corporis præfecto, Carolo Balsaco Claromontio & Ioanne Manovio itidem stipatorum corporis præfectis, Martino Rucæo primo à secretis Epistolis Regis, Carolo Plessæo primo Hipparcho, Ludovico Paradâ eleemosynario, ac Stephano Bolonio sacellano ordinario qui absolutionem impertivit.

PIUS REGIS OBITUS.

XVI. Ejus CONDITIONES.

Vixit Rex annos triginta & octo, menses decem, dies tredecim; regnavit annos quindecim, menses duos: Princeps raris animi & corporis dotibus ornatus; quas tamen non ita semper in omnibus coluit: cæterùm adeò religionis Catholicæ tenax, ut hæreticos usque ad ultimum vitæ spiritum irreconciliabili odio prosecutus fuerit; nec Navarrum, nisi necessitate coactus ad se vocaverit, ejus operâ in bello usurus, ac posteà absque omni dubio, nisi fieret Catholicus, amandaturus. Fuit autem justitiæ acer vindex: necnon summâ prudentiâ & gravi facundiâ præditus: dignam imperio majestatem quam ore gerebat, singulari comitate & humanitate condiens: liberalitate autem tantâ, ut ad immodicam profusionem vergeret; nunquam alicujus dignitatis aut meriti viro quicquam donans, quin excusaret exiguitatem doni. Ejus corpus, quòd non posset ad sepulchra majorum Sandionysium à perduellibus occupatum deferri, Compendium deportatum fuit: cor & viscera in Ecclesiâ sancti Clodoaldi loco secreto reposita, ne post recessum inde exercitûs exposita remanerent furori perduellium. De cujus funere ac sepulturâ, didicimus ex literis Card. Ossati[a], posteà ad Henricum IV. ipsius successorem scriptis, fuisse illa dilata diutissimè, non tam ob Sandionysium à sectariis occupatum,

[a] Ossat. ep. 215.

Ejus se-

PULTURA CUR DILATA.

quandoquidem fuit illud non ita pòst ab eodem Henrico IV. captum; nec item ob tumultus bellicos, qui demùm sopiti fuêre longè antequàm Ossatus ea scriberet, nempè anno 1600. quàm quoniam obstiterant Pontifices, ne suprema illa religionis officia ei deferrentur, aut pro eo publicè suffragia ac preces pro defunctis fieri solitæ exhiberentur, quòd eum in excommunicatione mortuum fuisse persuasum haberent; ignorantes quæ in obitu de obedientiâ Ecclesiæ ac Sedi Apostolicæ præstandâ protestatus fuisset. De quibus agens idem Ossatus nomine Henrici IV. & Elisabethæ Reginæ viduæ Tertii, cum Clemente Pontif. rem dilucidè exposuit, & multas rationes protulit propter quas ea gratia non ampliùs differri deberet. Non tamen priùs sepulturæ traditum est corpus ejus, quàm cùm defuncto Henrico IV. anno 1610. pudor fuit eum efferre ad Sandionysium: quin antè factum funus fuisset Tertio: qui demùm eò translatus è Compendio fuit mense Iunio illius anni.

XVII. Mortem autem ejus omnes pacis studiosi doluerunt, quòd per eam res in summum discrimen adductas viderent, animis populorum haud facilè ad obedientiam Navarri ob religionis dissidium coalituris. E contrà verò Fœderati ultra modum de eâ lætati sunt. Eóque amentiæ provecti sunt concionatores, ut impium nefandissimi Clementis scelus sacro Iudithæ Holofernem perimentis facinori compararent; eúmque ut martyrem, non solùm verbis, sed etiam scriptis & imaginibus prædicarent. Contra quos, necnon adversùs oblectationis demonstrationem, quæ de morte Regis facta etiam dicitur Romæ, fuerunt à regiis varia acerba scripta publicata. Ex iis verò qui factum Iudithæ comparârunt, unus fuit Edmundus Burgonius tunc conventûs Prædicatorum, unde furia illa prodierat, Prior: qui posteà captus in suburbiorum invasione, de quâ inferiùs, ductúsque Turones, & quæstioni admotus; fassus quidem est se in suis concionibus exemplum Iudithæ & Holofernis atque Betuliæ in medium adduxisse, Deóque gratias pro liberatione urbis egisse; quod verò Regis cædem spectaret, constantissimè semper negavit, neque suasorem ejus, neque conscium fuisse, aut quid de eâ antequàm patrata fuisset scivisse: quinimmò eam se ex animo detestari & execrari, qui nihilominùs falsis testium accusationibus obrutus, à quatuor equis discerptus fuit, in piâ ad Deum oratione vitam finiens.

SICARIUS PRO MARTYRE HABITUS.

XVIII. VARIÆ SENTENTIÆ DE REGNI ADMINISTRATIONE.

Pôst Henrici III. mortem, (in quo desiit regnare *Valesiorum* familia) consultantibus in castris Principibus ac proceribus qui aderant quid facto opus esset; (absente Navarro, uti adhuc vocabatur, qui Meudonii hospitium habebat, & cum suis pariter de agendis deliberabat:) & aliis asserentibus nullam publicæ salutis spem superesse, nisi servato legitimæ successionis ordine Navarro obedientia præstaretur, quem Deus videretur veluti manu ad hanc occasionem duxisse, quemque Rex defunctus commendaverat & designaverat; acceptâ tamen priùs ab eo fide, ac jurejurando de religione Catholicâ tuendâ: aliis contrà, nunquam alium, à semel acceptâ fide Christianâ, quàm religione Catholicum in Galliâ regnâsse, atque à Navarro periculum imminere religionis, cujus semper potior causa esse debeat, objicientibus, proindéque negotium integrum de successione ad comitiorum regni convocandorum arbitrium rejiciendum censentibus: atque interim quique in provincias suas sese recipientes defensionem regni propugnarent, ulteriora divinæ providentiæ, quæ semper Ecclesiam dirigit, nec unquam deserit, committentes: aliis denique rem omnem comitiorum quidem auctoritati subjiciendam, at interim Navarro tanquam supremo exercitûs imperatori parendum, opinantibus: Post multas disputationes, tenuit tandem prima illa sententia, ut dicto Navarro tanquam legitimâ successione ad regnum vocato fidei jusjurandum præstaretur; accepto priùs ab eo jurejurando de Religione Catholicâ Apostolicâ Romanâ inviolatâ conservandâ, absque ullâ in illius disciplinâ mutatione aut innovatione; de Ecclesiasticorum personis & bonis, cæterorúmque omnium dignitatibus, & prærogativis illibatis custodiendis; de stando decretis Concilii quamprimùm convocandi; de nullius alterius, quàm Religionis Catholicæ Romanæ; toto regno publico usu futuro, nec aliis quàm ejus professoribus, imponendis magistratibus aut præfectis; nisi iis locis quæ tunc ab ejus partis hominibus tenerentur, in quibus etiam religio Catholica restitueretur: ídque locum haberet, donec aliter pacificatione generali in regno ab Ordinibus regni decretum foret.

Eâ verò cautione jurejurando datâ, vicissim Principes, Duces, ac proceres, primariíque Coronæ regiæ ministri, ac nobiles, qui aderant magno numero, HENRICUM IV. Franciæ & Navarræ Regem, secundùm leges regni, in Principem agnoverunt; eíque fidem obstrinxerunt die quartâ Augusti; è *Borboniâ* familiâ primum; qui Henricum III. nuper defunctum vigesimo secundo consanguinitatis gradu contingebat, numerando, ut fit in probatione propinquitatis collateralis, ab ipso IV. sursùm usque ad generis auctorem S. Ludovicum Regem, & inde deorsùm ad Henricum III. cui IV. uti legitimus hæres successit: cùm alioqui distaret ipse tantummodò à S. Ludovico decem, vel, ut quidam numerant, undecim gradibus. Vnde & quidam ex perduellibus exclusum etiam eo capite à successione argumentabantur, ex placitis legum civilium, quæ tot graduum successionem non admittunt, ac propterea regnum in electionem incidisse: cùm nihilominùs certum sit, etiamsi jus Romanum non suffragetur in successionibus privatorum, nihil hoc ad regna & principatus supremos pertinere; ac præcipuè regnum Franciæ: adeò ut etiam olim Baldus [b] præstantissimus Iurisconsultus in decisionibus scripserit, proximum domûs Borbonicæ (de hâc enim speciatim quasi præsagiens loquitur) debere ultimo Regi succedere jure perpetuæ consuetudinis regni, etiamsi mille gradus ab eo distaret.

XIX. HENRICUS IV. AGNOSCITUR REX.

[b] *Bald. in tit. de Feud. March.*

XX. INSTRUMENTUM DE EJUS RECEPTIONE.

De ejus porrò receptione & conditionibus, publicum confectum est instrumentum; cui inde Rex, inde Franciscus Borbonius princeps Contii, Franciscus Borbonius Mompenserii Dux: Henricus Aurelianensis Longavillæ, Franciscus Lucemburgius Pinei, Lu-

dovicus Roanus Monbasonii Duces; Armandus Bironus & Ioannes Aumontius Marescalli regni; Ioachimus Dintevilla Campaniæ proprofectus, Nicolaus & Ludovicus Angenii fratres Rambulieti; Ioachimus Castriveteris, Carolus Ballacus, Ioannes Dous Manovius stipatorum regiorum præfecti, Franciscus Plessius Richelius summus regii hospitii præfectus, & pluresalii sub scripserunt. Multis tamen aliis subscribere recusantibus: & in iis Espernonio, non tam eâ ratione quam quidam referunt, quòd tanquam Dux & Par Franciæ ante Marescallos subscribere debere contenderet, cùm illi contra, quòd in exercitu essent, se pro ratione muneris cæteris belli ducibus post principes familias præferendos esse dicerent, & obtinuerunt; quàm quod diserte significaverit Regi, se propter ejus religionem Catholicæ Legum Franciæ contrariam, nequaquàm posse eum in Regem agnoscere: promittens tamen haud se propterea fœderatis inhæsurum; sed ipsi omnem opem ad vindictam necis Regis defuncti allaturum. Præter quæ, alia etiam negotia causatus, cum suis copiis discessit, & Engolismam se contulit; non sine Regis offensione, quòd ejus exemplum multi imitarentur. Inter quos fuit etiam Dux Nivernensis, pari conscientiæ scrupulo ductus, qui dimisso exercitu ad sua se recepit, haud tamen multò pòst ad Regem reversus. Alii non pauci in partes fœderatorum transierunt: intérque eos Ludovicus Hospitalius Vitrius; qui post Regis conversionem primus ex omnibus urbium præfectis ad eum rediit. Cæteris verò qui Regem receperunt petentibus ut cum bonâ ejus gratiâ sibi liceret delegatos è suo numero Romam ad Pontificem mittere, qui eum de jurejurando ipsi præstito, & de causis quibus ad id inducti fuissent, pleniùs edocerent; annuit Rex: electúsque ad id fuit suprà dictus Pinei Dux: de cujus itinere dicetur posteà.

MULTI ABEUNT AB EO.

XXI. EJUS GESTA QUÆDAM.

Rex autem diminuto per multorum recessum magnopere exercitu, cæteris pro tempore ordinatis, Sanclodoaldo recedens, inde imprimis corpus defuncti Regis, ne pateret hostium injuriis, Compendium detulit, & in S. Cornelii æde deposuit. Deinde divisis copiis ipse cum majori parte, quæ mille tantùm equitibus, Helvetiorum duabus legionibus, tribus peditum Gallorum millibus constabat, in Normanniam deflectens, totam inferiorem in potestatem partim voluntariâ deditione, partim adhibita vi redegit, jam tunc de Rotomago provinciæ urbe principe obsidendâ cogitans: quod tamen in aliud tempus dilatum fuit. Intereà verò jurisjurandi mutui ad Sanclodoaldum præstiti acta & instrumenta Turone in Senatu 14. Augusti promulgata fuére, eorúmque exempla in omnes regni provincias missa, quæ tamen in nullâ aliâ regni supremâ Curiâ admissa sunt, quinimmo omnino rejecta, nec fuére ex iis quæ prædicto Regi inhæserint, exceptis Redone in Armoricis, & Burdegalâ in Aquitaniâ; quam, & Senatum ejus, Iacobus Gobio Matignonus Marescallus regni, qui Aquitaniæ præerat, prudentiâ suâ ita in officio continuit, ut tamen magis edicta Regis defuncti de religione ac publicâ quiete probarent, quàm de Henrici Borbonii successione mentionem tunc fieri paterentur.

HENRICI RECEPTIO A PAUCIS PROBATUR.

XXII. MAYENII HORTATORIÆ AD SUOS LITERÆ.

Mayenius autem post Regis mortem continuò ad civitates & præfectos scribens, quódque accidisset non cujusquam consilio aut impulsu, sed singulari Dei providentiâ factum dictitans; eò magis cunctos qui religioni & saluti regni consultum cuperent, eniti debere significavit, ut oblato tanto beneficio rectè uterentur: anteà cum occultis Dei hostibus rem fuisse, nunc apertè cum hæreticis bellum geri: nec dubium relinqui, quin Philippus Hispaniarum Rex, uti potentissimus Catholicæ Religionis defensor, piæ causæ patrocinium susciperet. (In quam etiam sententiam ad ipsum Philippum jam scripserat.) Tunc rejectis nonnullorum consiliis, qui suadebant ut ipsemet sibi nomen regium attribueret, præterito Cardinale Borbonio, qui & captivus & decrepitus esset, ideóque ei dignitati exercendæ ineptus; (neque enim eò vesaniæ Mayenius processerat, ut leges regni se posse invertere præsumeret) diploma tam suo tanquam regii Statûs Locumtenentis generalis, quàm Concilii Vnionis Lutetiæ instituti nomine promulgari in Senatu Parisiensi septimo Augusti curavit; quo cuncti principes, proceres, aliíque tam è sacro ordine quam è nobilitate monebantur obedientiam Regi suo Catholico (Cardinalis Borbonius intelligebatur, quamvis nondum nominaretur) tanquam legitimo ac naturali principi debitam, conjunctis cum ipso Mayenio viribus & consiliis præstare. In eandémque sententiam literæ ad præfectos provinciarum biduo pòst datæ. Quo cognito Rex eundem Cardinalem Borbonium, qui Chinone ad Vigennam detinebatur, longiùs amandare decrevit; misitque Fontenaium Pictonum, ibi à Carolo Escallardo Bollaio loci præfecto Calviniano custodiendum.

XXIII.

Post quæ cùm Rex prope Rotomagum existens, audîsset Mayenium cum longe numerosiori exercitu eò iter suscepisse ad liberandam urbem ab obsidione quam Rex moliri videbatur; Dieppam versùs, oppidum maritimum portu commodum, & ad auxilia quæ ex Angliâ & Bataviâ expectabantur excipienda opportunum, quod ejus nomine Æmarus Castus Eques Ierosolymitanus tenebat, sese recepit. Vbi apud Arquas, propinquum Dieppæ municipium, à Mayenio Septembri mense obsessus, grande periculum subiit tum à numero hostium, (quem triginta, seu quadraginta millium fuisse volunt ex Gallis, Lotharingis, Germanis, & auxiliaribus copiis Hispanicis à Parmensi acceptis, cùm Rex nec quartam partem haberet) tum à simulatâ deditione in medio conflictûs, Germanorum qui Mayenio militabant. Quod tamen Rex virtute suâ ac suorum dispulit, victórque multis certaminibus extitit, coacto Mayenio frequentibus suorum cædibus, & Anglorum auxiliarium proximi adventûs consideratione, ab obsidione discedere: jactatâ tamen ab ejus emissariis, ad pascendos plebis oculos & animos, victoriâ per exhibitionem signorum aliquot captorum in Germanorum proditione. Rex autem, post aliquam moram reficiendis militibus, & reci-

OBSIDET REGEM APUD ARQUAS.

piendis Anglorum quatuor millibus, aliísque suorum suppetiis, qui ad famam obsidionis Arquensis accurrebant, Dieppæ factam validis jam copiis potens, Lutetiamve versùs exercitum ducere constituit: & Calendis Novembris impetum in suburbia quæ sunt à parte Vniversitatis vallo circumdata fecit, eáque diripuit, & magnâ cæde propugnatores eorum affecit: tanto Parisiensium terrore, ut si maturiùs tormenta ad portas urbis, antequàm intùs munirentur, perfringendas advenissent, urbem eodem impetu capi potuisse existimatum sit. Adveniente verò postridie magnâ celeritate cum equitatu Mayenio ab ulteriori fluminis parte ad opem urbi ferendam, Rex instructo in aciem exercitu pugnam obtulit: cúmque nemo egrederetur, aliò duxit, cùm intereà aliis quoque partibus multa prælia certamináque, & urbium receptiones, conjurationes, proditiones, fraudes, & quæcumque ejusmodi in bellis, maximéque civilibus, patrari solent, fierent; omnia cædibus, ignibus, stragibus, suppliciis, ruinis plena essent; alternante fortunâ, rebúsque in ancipiti his initiis, ubique existentibus.

REX SUBURBIA PARIS. DIRIPIT.

XXIV. Quadrimestri verò ferè à morte Henrici III. exeunte, & bacchantibus immani lasciviâ ubique Fœderatis regio nomine calcato; (adeò etiam ut Henricus non solùm non Rex Franciæ, sed nec, nisi à quibusdam modestioribus, Navarræ, at solùm princeps Bearnii, aut simpliciter Bearnensis per contemptum vocitaretur:) cùm nihilominùs essent qui conquererentur, ex causâ religionis omnium rerum perturbationem induci, incertâ regni successione, & interregno affectato ut per illud omnia impunè licerent: hæc Mayenius intelligens, qui etsi interregnum malebat, & sciebat ita placere Pontifici, ut de Rege ipsius auctoritate constituendo, quasi nullus esset certus, res integra ad Legati in Galliam destinati adventum servaretur; tamen invidiam veritus, Senatusconsultum Lutetiæ condi curavit vigesimo primo Novembris, quo decretum est ut ab omnibus regni subditis *Carolo X.* (nempè Cardinali Borbonio) tanquam legitimo regni hæredi fides & obsequium deferretur; ejúsque nomen deinceps in omnibus Senatusconsultis & actis publicis, ac monetâ publicâ inscriberetur: ad quem è captivitate liberandum omnes vitam & opes impendere tenerentur; manente interim penes ipsum Mayenium Locumtenentis generalis titulo & auctoritate. Et octavo pòst die alio Senatusconsulto indicta sunt Comitia omnium Ordinum in Februarium sequentem Meloduni, ad consultandum de Rege liberando, religione Catholicâ conservandâ, aliísque rebus ad salutem publicam spectantibus: Id ipso agente eo etiam animo, ut Hispanorum factionem, quæ suggestionibus & promissionibus ministrorum Regis Philippi in dies crescebat, labefactaret; quippe qui eam minimè probaret; sicuti & eam apertè improbabant Cardinalis Gondius Parisiensis Episcopus, & Archiepiscopus Lugdunensis nuper redemptione pecuniæ è custodiâ liberatus, factúsque Custos sigillorum Fœderis; aliíque regni, ejúsque jurium & libertatis amatores.

CAROLUS CARDIN. BORBON. DECLARATUR REX A FOEDERATIS.

Quæ dum in Galliâ fierent, Sixtus Pontifex summâ instantiâ solicitatus de mittendo Legato, qui auctoritatem Fœderatorum armis Sedis Apostolicæ nomine afferret; Henricum Caietanum tituli S. Prudentianæ presbyterum Cardinalem, & Ecclesiæ Romanæ Camerarium, illustri ortum familiâ, & virtutibus atque eruditione clarum, ad tantum opus elegit. Qui in viam se dans exeunte Octobri, cum nobilissimo comitatu multorum Prælatorum, nobilium, atque virorum doctrinâ celebrium (inter quos Panigarolus, & Bellarminus, suis scriptis apud omnes notissimi) in Galliam pervenit Novembri, & Lutetiam Ianuario sequenti. Cui Pontifex decimoquinto Octobris Legationis mandata conferens, multáque magnificè de nobilissimo regno Franciæ, déque ejus nationis tum belli tum pacis artibus domi forísque claritate, & omnium disciplinarum atque scientiarum cultu, necnon de Regum Christianissimorum eximiis erga Deum, Fidem Catholicam, & Sedem Apostolicam meritis, quorum memoriam nulla unquam sit inobscuratura vetustas aut deletura oblivio; ac vicissim S. Sedis & Romanorum Pontificum in eosdem Reges uti speciales & dilectissimos S. R. E. filios plurimis beneficiis, paternæque charitatis & mutuæ benevolentiæ non obscuris significationibus, præfatus, deploratâ, valdéque exaggeratâ præsentis regni antè florentissimi calamitate, se decessorum suorum similibus occasionibus exemplo, tantis malis opem ferre deliberâsse ait: atque inter alia quæ censuisset adhibenda remedia, ipsum Henricum Cardinalem ad idem Franciæ regnum delegâsse, tanquam pacis angelum; ut gratiâ ipsi assistente divinâ evelleret, destrueret, disperderet, dissiparet, ædificaret, atque plantaret, prout ad Dei gloriam, salutémque animarum, salubriter expedire conspiceret; omníque dubio in cunctis & singulis regni partibus Catholicam fidem tueri & conservare, hæreticos vel ad unitatem & gremium sanctæ matris Ecclesiæ reducere & reconciliare, vel quoquo modo illos, ipsásque hæreses extirpare & exterminare satageret: denique curaret ut cuncti in eo regno Catholicæ religionis cultu ubique restituto, & publicâ pace & tranquillitate partâ, simul sub uno, eóque bono, & pio, ac verè Christianissimo Rege securam & tranquillam vitam degere, ac Deo omnipotenti gratias agere valerent. Postremò omnes regni Prælatos & Clerum universum, Principes ac proceres, & reliquos cunctos ordines, per viscera misericordiæ Dei hortatus est & obsecravit, ut memores veræ & Catholicæ majorum suorum pietatis & religionis, hæresum pestem, quam ab alienis provinciis sæpissimè anteà propulsâssent, nunc demùm à suis cervicibus omni studio depellerent; omnésque unanimi consilio depositis armis, veráque pace compositâ, uni verè Catholico & legitimo Regi parerent & obedirent: imprimísque ipsum Legatum quâ par esset reverentiâ suscipientes, ejus salubribus monitis & mandatis obtemperarent. Hæc pluribus Sixtus. Caietani autem legatio Gallis qui Regi favebant admodùm molesta fuit, quòd eum Philippo Regi ma-

XXV. CARDIN. CAIETANUS MITTITUR LEGATUS IN GALLIAM.

gnoperè obnoxium esse constaret, cùm ob familiæ perpetuam in eum observantiam, tum quòd alter ipsius frater Dux Sermonetæ Regi in Belgio militaret, alter annuâ ab eodem Rege pensione cohonestaretur; ut non ad Galliam pacandam, sed ad bellum importandum inductus fuisse videretur. De quo dicetur pleniùs anno sequenti.

XXVI. LUCEMBURGIUS LEGATUR IN ITALIAM.

Rogaverat per literas ex itinere scriptas Pontificem Franciscus Lucemburgius Pinei Dux, quem à Principibus & proceribus Catholicis qui Navarrum in Regem receperant ad eum delegatum superiùs insinuavimus, ne ante adventum suum ad Vrbem, Legatum in Galliam destinatum mitteret: ejúsque rei spem initio fecerat Pontifex, qui de statu rerum edoceri expetere præseferebat: sed instantibus missis à fœderatis, qui periculum in diuturniore morâ causabantur, Legatum quamprimùm itineri se dare compulerat. Lucemburgius autem per Helvetios ac Rætos facto itinere, seriùs in Italiam pervenit; & Venetias primùm, deinde Ferrariam, Mantuam, & Florentiam divertit, ut eos Principes Regis novi ac Principum & Procerum nomine, à quibus ad eos literas habebat, salutaret, & literas commendatitias ab iis ad Pontificem: aliósque, ad causam regni, cujus salus ad ipsos & universam Italiam pertinebat, adjuvandam obtineret. Venetias cùm appulisset ad principium Decembris, invenit jam Rempublicam decreto suo Henricum uti Regem Franciæ agnovisse, ac per oratorem suum qui in Galliâ erat regnum ei gratulatam esse, scriptis invicem literis amicitiæ testibus. Quâ de re cùm non parùm commotus Pontifex fuisset, multæ [c] fuerunt inter ipsum & Rempublicam concertationes; stimulos addentibus Philippi Regis oratoribus. Cùm verò post honorificam à Republica acceptionem, & gratam responsionem, Lucemburgius Romam iter intendens, per Mantuanos in Hetruriam pervenisset, Ferdinandum magnum Ducem (qui ante biennium ex Cardinali, post Francisci fratris obitum, ducatum susceperat, & uxorem duxerat, nullis anteà sacris ordinibus initiatus) convenit; qui Principum tantùm literas accepit, Regis verò renuit: uti & à Vincentio Duce Mantuano factum fuerat, eo consilio ut ambo à Pontifice gratiam inirent; quem per suos oratores quo pacto cum Lucemburgio egissent docuere: cùm alioqui in Regem proniores essent. Quid verò Lucemburgius Romæ cum Pontifice & Cardinalibus egerit, dicetur anno sequenti, cujus tantummodò initio eò pervenit.

[c] *Vid. Mau. Hist. Ven. lib. 13.*

XXVII.

DUCIS SABAUDIÆ PRÆSUMPTIO.

Helvetii quoque fœdus cum decessoribus Regibus contractum, etiam cum novo Rege renovari petierunt. Qui interim arma sua circumferens, multas urbes seu vi seu deditione in diversis provinciis recepit. Sabaudiæ verò Dux, cùm res ubique confusas cerneret, ut erat excelso animo, & ex affinitate Regis Hispaniæ spiritum altiùs se extollendi adeptus; ex gustu particulæ regni Franciæ, principatûs Salutiarum à se occupati, in appetitum totius regni adductus; scribens ad vicinum Senatum Delphinatûs, petiit ab eo ut in regni successione sui ratio haberetur, tanquam scilicèt Regis ultimi amitâ prognati, ac proinde iis qui proximiores consanguinitate censerentur, quòd aut hæretici essent, aut hæreticis adhærerent, à successione exclusis præferri digni. Ad quem Senatus rescribens, & ut ab invasione Delphinatûs eum averteret, spem faciens rei obtinendæ; quòd tamen ea ejusmodi esset ut à se separatim nihil super eâ decerni posset, sed pertineret omninò ad universa regni comitia, quæ brevî celebrari deberent; rogavit ut tanti momenti deliberatio in tempus illud differretur. Quod responsum ægrè ferens Sabaudus, sepositâ tamen ad tempus Delphinatûs causâ, bellum in Provinciam proximam, cui Regis nomine præerat Valeta frater Espernonii, transferre decrevit: cujus progressus summatim referentur anno proximo; cùm pauca præsenti, sicuti & in bello contra Genevenses redintegrato, præstiterit.

XXVIII.

Dum autem hæc in Galliâ gererentur, Angliæ Regina, misso Constantinopolim legato, fœdus cum Amurate Turcorum Imperatore contra Philippum Regem Hispaniæ, & pro restitutione Antonii asserti Regis Lusitaniæ, iniit: de quo extat [d] ejusdem Amuratis ad Reginam epistola data hoc anno. Quo eadem, ut virtutem suam non solùm in repellendâ injuriâ, quod superiore anno fecerat, sed etiam in inferendâ Hispanis ostentaret, expeditionem in Hispaniam decrevit, seu magis permisit, instigante potissimùm eodem Antonio notho & exule, qui se Regem Lusitaniæ venditabat, túncque in Angliâ erat, solitâ vanitate asserente, Lusitanos simul ac se cum classe ad littus suum appulsum intelligerent, mox in sua castra transituros, & Muleum Hametem Regem Maroci auxilia allaturum. Expeditionis duces fuêre Ioannes Norrisius & Franciscus Drakus, virtute militari clari equites: qui partim Reginæ, partim propriis impensis classe 166. navium paratâ, cui imposita sunt undecim circiter millia bellatorum, præter nautas, in Hispaniam navigârunt mense Aprili; secum Antonium, & Emmanuelem ejus filium ducentes. Vbi Corumnam Gallitiæ appulerunt, post leves aliquos utrimque assultus, inferius oppidum facilè ceperunt, sed à superiori cum damno repulsi sunt. Inde in Lusitaniam mense Maio cursum dirigentes, (quibus se tum Robertus Comes Essexiæ junxit, adhuc admodùm juvenis, qui in militaris gloriæ ardore, insciâ Reginâ, cui erat acceptus, & ægrè ferente; quòd neminem è primariâ nobilitate in hâc expeditione periclitari voluerat, ex Angliâ sese proripuerat) Penicham Lusitaniæ infirmum oppidulum nullo negotio occupârunt, árxque se Antonio dedidit. Olisipponem inde ducentes, in suburbio occiduo hospitium nemine inhibente sibi sumpsêre. Vbi cùm biduum hæsissent, & spes defectionis Lusitanorum planè nulla appareret, Rex Maroci promissa auxilia non submitteret, auxiliares Hispani magno numero in urbem ex orientali parte confluerent, morbus per Anglorum exercitum grassaretur, annona & pulvis tormentarius deficerent, decretum est de reditu; qui post aliquas deprædationes & direptiones factus est, nequicquàm obnitente Antonio, sub

[d] *Epist. Turc. lib. 12.*

ANGLORUM EXPEDITIO IN HISPANIAM.

finem Iunii, captis in reditu ad ostium Tagi plurimis Hansiaticarum civitatum navibus; (unde non parvæ fuerunt earundem civitatum ad Reginam querimoniæ & controversiæ:) & amissis eâ expeditione ampliùs sex millibus hominum. Cujus, licèt adeò infaustæ, historia mox, in laudem & præconium temerarii ausi Anglorum, in lucem prodiit. Ipse verò infelix *Antonius* miseram vitam post hæc ducens, mortuus est tandem Lutetiæ vigesimo sexto Augusti anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, ætatis suæ sexagesimo quarto: testamento condito, quo commendatis Regi duobus filiis quos reliquit, in sua inani vanitate perseverans, omnium licèt rerum omniúmque jurium inops, Regem nihilominùs hæredem instituit, & omnia jura quæ ipsi in regno Lusitaniæ vel successione vel electione quomodocumque competebant, in eundem transtulit.

ANTONII LUSITANI OBITUS.

XXIX. ARUNDELIÆ COMITIS CONFESSIO PRO FIDE.

Vt autem antiquum suum solemne sæviendi in Catholicos eadem Anglia servaret; hoc anno *Philippus Havvardus* Arundeliæ Comes, filius & hæres Thomæ Norfolciæ Ducis, quem olim [c] vidimus pro fide catholicâ mortem subiisse; totius Angliæ nobilissimus, qui jam triennio in carcere jacebat, in quem conjectus fuerat, quòd ob sævissimam persecutionem in Catholicos, qualis ipse erat, acriùs renovatam, regno exire ingens scilicet crimen) tentâsset; rursùs accusatus quòd cum Alano Cardinale Anglo arctiorem amicitiam contraxisset, eíque operam suam ad religionem Catholicam promovendam detulisset, peccata sua sacerdoti confessus fuisset, quòd denique in omnibus se verè Catholicum exhibuisset: id quidem ipse nullatenùs negavit; sed quod ex iis inferebatur ab accusatoribus & judicibus, ea nonnisi in Reginæ & regni perniciem agitâsse, id verò ipse magnâ fiduciâ & constantiâ pernegavit: necnon & quod ei objiciebatur, eum in carcere Missam celebrari curâsse, ac preces fudisse pro prospero Hispanicæ classis successu; quæ ipse egisse dixit ad lanienam quæ in Catholicos exercebatur amoliendam. Is nihilominùs à judicibus damnatus est majestatis. Quam sententiam cùm ipse magna animi tranquillitate, & cum Dei laude acciperet, parcitum ejus vitæ à Reginâ fuit; quæ (ut qui [f] rem narrat ait) satis habuit tanti viri, & apud Catholicos imprimis gratiosi potentiam labefactâsse, & aliis Catholicis terrorem incussisse. In arce tamen Londinensi detentus est usque ad obitum, qui ei contigit sexto pòst anno, cùm interim totus in meditationibus defixus, arctissimóque religionis instituto astrictus, austero vitæ genere se macerâsset. Non verò ita cum cæteris Catholicis per regnum actum. Inter quos hoc ipso anno *Georgius Nicolai* sacerdos, aliúsque ejus socius, ac duo nobiles, Oxonii capti, & Londinum adducti; ibíque damnati, atque Oxonium remissi; illustre ibi martyrium magnâ constantia subierunt [g].

[c] *Supr. ann. 1571 XXVI.*

[f] *Camden. in Elisab.*

ALII MARTYRES IN ANGLIA.

[g] *Ribaden. lib. 1. de Schism. Angl. c. 3.*

XXX. RES BELGICÆ.

In Belgio minimè quiescentibus utrimque partibus, haud tamen tanto operæpretio res gesta est: nisi quòd Gertrudberga oppidum ditionis Arausianensium principum, valdè opportunum reprimendis Batavorum excursionibus; à præsidiariis veteranis militibus ex variis nationibus conflatis, abdicato Ordinum obsequio, Parmensi deditum est mense Aprili: aliáque nonnulla loca pariter aut deditione aut obsidione ab eodem recepta fuêre, quædam etiam frustrà tentata: uti & ab hostibus actitatum; afflictioribus tamen ipsorum rebus, & aliquorum strenuorum militarium ducum interitu attritis.

XXXI. MAXIMILIANUS AUSTRIUS LIBERATUR A CUSTODIA POLONORUM.

Detinebatur adhuc in custodiâ Polonorum Maximilianus Rudolphi Cæs. frater, quem de regno Poloniæ cum Sigismundo Sueco decertantem sub principium superioris anni captum vidimus. Cùm Poloni non aliter eum dimissuri viderentur, nisi juri quod in regnum sibi arrogabat, expressè renunciaret; isque Sboroviorum procerum, qui ejus electionem faverant, vanis promissionibus malè persuasus, nullâ ratione ad id adduci hactenùs potuisset: demùm interventu Hippolyti Aldobrandini Cardinalis à Sixto Pontifice in Poloniam legati, viri ingenii moderatione & æquitate insignis, longóque usu rerum maximis quibusque negotiis paris, (qui posteà Clemens fuit Papa VIII.) & Philippi Vespasiani Gonzagæ Sabionetæ Ducis à Philippo Hispaniæ Rege missi, unà cum delegatis Rudolphi Cæsaris, & Hungariæ, Poloniæ, Boëmiæ, Austriæ; conventum [h] est, ut Maximilianus sine pretio liber mense Iulio ex Poloniâ dimitteretur, & titulo Regis Poloniæ deinceps abstineret; pacta antiqua & fœdera inter Poloniæ, Hungariæ, & Boëmiæ regna, atque adeò Domum Austriacam instaurarentur: Maximilianus postquàm ditiones Cæsaris attigisset, transactionem hanc jurejurando & instrumento confecto firmaret. Quæ conditiones in Comitiis Varsaviensibus Poloniæ mense Martio approbatæ, à Sigismundo Rege Lublini mense Maio, ac Iunio Pragæ à Rudolpho Cæs. jurejurando firmatæ sunt. Earúmque vigore Maximilianus dimissus. Qui tamen ubi ad fines Cæsareos pervenit, exceptus ibi à copioso equitatu Cæsareo, cùm de pactis firmandis, sicuti convenerat interpellaretur; causas se justas habere cur iis non subscriberet causatus, recusavit, ac minùs honestè se ex Polonorum manibus extricavit. Quæ res animis Polonorum non parvum suspicionis scrupulum injecit: sed ei non multò pòst Cæsar ita occurrit, ut interposito etiam propinquitatis vinculo omnis ea suspicio aut controversia tolleretur: facto scilicèt matrimonio inter eundem Sigismundum Regem, & Annam Caroli Archiducis filiam.

[h] *Isthuanff. lib. 26.*

XXXII. KOSAKKI POPULI.

Inter multa bellica quæ hoc anno gesta feruntur à Polonis & Cosacis contra Tartaros, (Cosaci [i], sive ut scribunt Kosakki, communi nomine tam pedites quàm equites vocantur diversi populi ad inferiorem Borysthenis fluvii partem rapto viventes; qui ad latrocinia in finibus exercenda, incursionibúsque hostiles ditiones vexandas, privato instituto, ac voluntariâ militiâ coëunt; hostem, ut ex quoque plurimum prædæ sperant, ducentes; barbaris tamen, ut majori inter eos Christianorum numero, ac Tartaris præsertim infestiores, magísque Poloniæ Regibus, in quorum limite sunt, operam navantes:) qui insignibus cladibus ab iis affecti fuêre; necnon à Persis contra Turcos; (inter quos icta demùm

[i] *Heidenstein. de Bel. Moscovit. lib. 1.*

est pax, seu induciæ decennales, sub finem hujus anni vel sequentis initium; parùm tamen fidæ ac durabiles, quæ subinde violatæ sunt, atque iterùm renovatæ:) reperimus etiam in Syriâ alios motus exortos à novæ sectæ inter Mahometanos devotis hominibus, qui non mediocriter Turcos turbârunt, malo jam totam Iudæam & Ægyptum pervagante. Contra quos Assan Ianizzarorum præfectus cum classe destinatus est. Sed grandi interim ad Portam Amuratis ortâ Constantinopoli legionariorum ex Perside reversorum, junctis sibi Ianizzaris, seditione, ob non solutum justo tempore justi valoris stipendium; (quâ & ipse Amurates periclitatus est, & Ibraim Græciæ prætor Amurati carissimus, & ob proterviam & rapinas cunctis odiosissimus, ad necem petitus, & securi percussus est; Iudæique pessimè mulctati, cum incendio aliquot millium domorum:) idem Assan majore seditiosorum parte classi impositâ, omissâ Syriâ in Africam navigavit adversus defectionem Maurorum Tripolitanorum; quam & volunt à novis illis devotis hominibus excitatam: multùmque vi & æstu laboravit, antequàm gentem turbidam ad solitam obedientiam posset inflectere.

TUMULTUS INTER TURCOS.

XXXIII. COLLOQUIUM BADENSE DE RELIGIONE.

Habitum est hujus anni mense Novembri Colloquium *Badenæ*, Inter Ioannem Pistorium Nidanum ex hæretico factum Catholicum, & Iacobum Andreæ (Schmidelinum, vel etiam Fabritium, ab arte patris, qui faber ferrarius fuerat, à plerisque nuncupatum) ac socios Doctores Tubingenses; petitione Iacobi Marchionis Badensis, Lutherani quidem, sed vacillantis, atque ideò hanc collocutionem postulantis ut quieti conscientiæ suæ consuleret. Interfuit etiam actioni à parte Tubingensium Fridericus Comes Mombelgardicus, quem ii sibi præsidem delegerant; sicuti & Pistorius ac cæteri Catholici Marchionem directorem. Cùm disputatio instituta esset de Ecclesiâ, ac veris ejus notis, syllogisticè ex solâ Scripturâ; & Pistorius argumentationibus suis dialecticis Schmidelinum eò perduxisset, ut fateretur etiam quoscumque hæreticos esse in fidelium Ecclesiâ; inde Schmidelinus extricare se nesciens, in artem Dialecticam debacchari cœpit, quam à S Paulo damnatam esse asserebat; adeóque se eâ ratione collocuturum negavit. Sicque abruptum est Colloquium; quod biduum tantùm duravit. Cujus fuerunt Acta utrimque publicata; Catholicorum quidem Coloniæ, sub nomine prædicti Iacobi Marchionis a Pistorio elaborata: in quibus graves & justæ causæ recensebantur, cur idem Iacobus abdicato Lutheranismo Catholicam fidem esset amplexus: (qui fuit fructus prædicti Colloquii; & summa Iacobi Marchionis felicitas, dum paulò pòst ex hoc mundo sublatus est, ne fortè iterùm malitia mutaret intellectum ejus, annos natus viginti & octo.) Tubingensium verò Tubingæ, plena omnia negationum, amphibologiarum, & malè cohærentium consequentiarum; ut ex eorum lectione liquidò intelligi potest. Adeò ut Schmidelinus, quòd res illi ex voto non successisset, mœrore confectus (sive annis & laboribus fractus, ut sui volunt) non ita pòst diem obierit.

IESU CHRISTI Annus 1590.
SIXTI V. An. 6.
URBANUS VII.
RUDOLPHI II. Annus 14.

I. LUCEMBURGII CUM PONTIF. ALLOQUIUM.

ANno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo, Indictione tertiâ, die octavâ Ianuarii, Franciscus Lucemburgius Pinei Dux, de cujus ad Pontificem legatione dictum anno superiori, Romam pervenit. Vbi ad colloquium à Pontifice admissus, causas legationis suæ, & quæ fuissent circa Navarri receptionem gesta exposuit: quæ etsi ægrè & summo cum dolore principes ac proceres fecissent; quòd & contrariæ religionis sectator esset, & non ita pridem diplomate Pontificio proscriptus; tamen præsenti rerum statu considerato, & pensitatis ex discordiâ non solùm in tranquillitatem publicam, sed in ipsam quoque Catholicam religionem redundaturis proculdubiò periculis, non potuisse eum non in Regem agnoscere, sub conditionibus ab ipso juratis; tum quòd successionis jure Regi defuncto proximus esset, tum quòd sic se in religionis causâ affectum ostenderet, ut de errore suo doceri potiùs, quàm in eo obstinatè perseverare velle videretur, proinde suam Sanctitatem humillimè ipsos orare, ut quod extremâ necessitate victi fecissent in bonam partem accipere dignaretur, eorúmque egregiam voluntatem adjuvare, & tanti Principis saluti omni meliori viâ & ratione consulere. Quibus aliisque rationibus pervicit demùm Lucemburgius, ut Pontifex, ex eventu rerum consilium capiens, post auditam Regis Ivriacensem victoriam, de quâ paulò pòst, ad Principum litteras rescripserit, laudans eos de studio restituendæ religionis, & publicæ regni tranquillitatis; hortánsque ad perseverantiam in pio eo proposito, & ut facta dictis responderent, ac denique promittens, se quæcumque ad salutem & commoditatem eorum pertinere arbitraretur, omni studio & officio præstiturum.

II. CARDIN. CAIETANI ADVENTUS LUTETIAM.

Intereà pervenit Lutetiam Cardinalis Caietanus, Legatus-à-latere in Galliam à Sixto missus. Ejusque missionis diploma vigesimo sexto Ianuarii publicatum est in Senatu Parisiensi: & sexto Februarii ejus Facultates (ut vocant; hoc est potestas & auctoritas jurisdictionis) ei à Pontifice concessæ; etiamsi non pauca in iis essent, quæ receptis juribus ac libertatibus regni adversarentur. Econtrà verò Senatus Turonensis, perorante cognitore seu procuratore regio contra Caietanum, tanquam Hispaniensi factioni addictum, qui non petitâ more recepto a Rege veniâ regnum ingressus esset, nec mandata sua exhibuisset; sed ad urbes tantùm à perduellibus fœderatis occupatas divertisset; enixe prohibuit vigesimo sexto Ianuarii nequis ex plebe, nobilitate, aut sacro ordine, cum dicto Cardinale colloqueretur, nec per se vel interpositas personas cum eo ageret, sine expresso Regis mandato, donec ille juxta leges & jura regni, libertatésque ac immunitates Ecclesiæ Gallicanæ, se Regi stitisset: qui se-

SENATUSCONSULTA DIVERSA DE EO DATA.

cùs facere, in perduellionis crimen incurrisse censeretur. De quo Senatusconsulto Parisienses certiores facti, decretum contrarium condiderunt vigesimo Februarii; quo Turonense revocantes, & tanquàm irritum pronunciantes, veluti à judicibus minimè potestatem legitimam habentibus factum, vetuerunt ne quis ei obtemperaret; cunctísque injunxerunt, ut sanctam Sedem colerent ac venerarentur, & Cardinali Caietano ejus Legato debitam reverentiam deferrent.

III. SORBONICUM DECRETUM CONTRA REGEM.

Sorbonici quoque Theologi, in publicis turbis ad rerum instantium statum vota sua accommodare coacti, rogatu fœderatorum, & Caietani impulsu; necnon Cardinalis Montalti, Sixti Pontificis ex Camillæ sororis ejus filiâ pronepotis, ipsiúsquemet Pontif. literis, ad fidem & religionem tuendam, & Vnionem confirmandam incitati; partes suas interponentes, decimo Februarii congregati sanxerunt, propositiones quæ passim à plurimis seminabantur; videlicèt Henricum Borbonium Regis titulo insigniri posse aut debere; tutâ conscientiâ ei adhærere, ac decimas & vectigalia persolvere licere; Regem sub conditione, modò sit Catholicus, haberi posse; hæreticum, nedum relapsum & extra Ecclesiæ communionem positum, in Galliâ jus regnandi habere posse; Pontificibus Romanis jus non esse Regem excommunicare; licere, immò necesse esse cum Bearnensi & hæreticis fœdus icere: has & hujusmodi enunciationes damnantes, vetuerunt nequis contra reverentiam Apostolicæ Sedi & Cardinali Legato, debitam loqueretur, aut sanctæ Vnioni detraheret: qui contrà facerent, eos ut Ecclesiæ Dei perniciosos, & tanquam contagiosa membra de corpore ejus resecandos censuerunt. Quæ à Legato probata, ab Episcopis & curionibus etiam juramento ac subscriptione confirmata fuêre, & publicata.

IV. CAIETANI IMPROVIDA AGENDI RATIO.

Secundùm hæc Caietanus Calendis Martii ad Archiepiscopos & Episcopos scripsit, perlatum ad se esse, aliquos ex ipsis, fortâsse etiam omnes ad Turonum civitatem invitatos, ut de Henrico Borbonio in orthodoxâ religione instruendo inter se agerent: Id etsi aliquam pietatis speciem haberet, tamen cum sacræ disciplinæ periculo conjunctum videri: Nam ab illis vocari, qui nullam haberent Episcopos convocandi auctoritatem, præsertim cùm adesset Legatus Pontificius, ad quem ejusmodi convocatio, si necessaria foret, pertineret; deinde ad urbem, qui ei subesset qui à Pontifice excommunicatus fuisset: postremò ad id negotium, quod aut sine ipsis perfici posset per quosvis doctores orthodoxos, aut non sine scelere ab ipsis Episcopis tractari; quoniam si exigeretur controversiarum inter Ecclesiam Catholicam & Calvinianam synagogam dijudicatio, hoc nihil aliud esse, quàm quæ à sacrâ Tridentinâ Synodo definita essent, iterùm retractare velle, ejúsque auctoritatem convellere. Proinde pro potestate sibi à Pontifice commissâ inhibere se cunctis Episcopis, ne in conventum ullum aut Synodum coïrent: si secùs fieret, jam nunc declarare acta ejusmodi conventiculi omnia irrita & inania, ac denunciare Episcopos qui ei interesse non dubitarent, cum excommunicationis & depositionis periculo id facturos. Hæc Caietanus, qui sanè minùs providè in his se gessisse videtur; dum qui angelus pacis in Galliam directus à Sixto fuerat, non aliter cum Catholicis alterius partis egit quàm cum hostibus, hoc enim certè non erat pacem procurare, sed bellum alere & excitare. Quâ de re succensuit etiam ei posteà Sixtus, quòd cùm ab eo mandatum accepisset agendi etiam cum Cardinalibus Vindocino & Lenoncurio qui à Rege stabant, iis ipse neglectis egerit solummodò cum fœderatis: quod erat omninò non paciarium se gerere, sed partiarium: quódque demùm nec ipsi hilum profuit, nec dignitati quam gerebat, nec causæ quam propugnabat. Cæterùm ad ea firmanda quæ tunc ipse edixerat, Senatus etiam Parisiensis quinto Martii decretum denuò condidit: quo jubebantur omnes cujuscumque dignitatis aut conditionis, Carolum X. pro Rege legitimo agnoscere, & Carolo Lotharingio Mayenæ Duci Statûs & Coronæ Franciæ Locumtenenti ad omnia obedire, atque vires & opes suas ad Regem suum è captivitate liberandum impendere, prohibebantúrque iidem, ne per se aut per alios cum Henrico Borbonio ejúsve ministris consilia communicarent privatim publicéve, vocéque vel scripto de pace aut fœdere cum eo agerent; pœnâ mortis & bonorum publicationis in secùs facientes constitutâ. Sextóque post die jusjurandum in eam sententiam præstitum est coram Legato in æde Augustinianorum post Missam solemniter ibi celebratam.

V. PHILIPPI HISPAN. REGIS PUBLICUM SCRIPTŪ DE REBUS GALL.

Denique supremus totius hujus machinationis auctor, & machinæ motor, Philippus Rex Hispaniæ octavo Martii diploma in publicum emisit: quo multa de egregiâ suâ in religionis negotio voluntate magnificè prolocutus, ob quam causam inter cætera se pacem cum Henrico II. Francorum Rege fecisse, & auxilia Carolo ejus filio sororio suo adversùs hæreticos summisisse aiebat; addidit, jam considerantem se florentissimum Francorum regnum eorundem hæreticorum malitiâ bellis civilibus atteri; pietate & charitate in illud motum, cunctos Principes Catholicos hortari, vires secum conjungere ad extirpandas hæreses, & liberandum è carcere Carolum X. ut repurgato ab eâ peste regno, vires & opes suas ad exterminandas per cætera regna hæreses, iisque sublatis ad Terræ sanctæ expeditionem concordi animorum voto incumbere possent. De cætero coram Deo & Angelis protestari, non alio fine se bellicos apparatus facere, quàm Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ amplificandæ, quietis ac securitatis verè Catholicorum sub legitimis eorum Principibus constituendæ, extirpandæ ubique hæresis, pacis & concordiæ Principum Christianorum firmandæ causâ: in quàm non solùm opes, sed & proprium sanguinem ac vitam effundere paratus esset. Hæc ita in publicum emittens, postridie Gaspari Quirogæ Archiepiscopo Toletano magno Cancellario, & supremo sanctæ Inquisitionis præsidi, scriptis literis mandavit, ut ad sumptus in illud bellum faciendos; Concilia provincialia convocari curaret, & collationem pecuniæ per singulas diœceses imperaret.

VI. [a] Mauroc. Hist. Ven. lib. 14. SIXTUM PONTIF. FRUSTRA CONATUR AD VOTA SUA TRAHERE.

Eodémque tempore [a] ejus apud Pontificem orator Comes Olivarius, quà suasionibus, quà minis intermixtis, Sixtum (qui in rebus Gallicis cunctando à rerum eventis pendebat, nullum consilium satis tutum aut expeditum ratus; si namque fœderi ad Henricum opprimendum accederet, verebatur ne exulcerati ejus aliorúmque Principum animi præcipiti desperatione collaberentur; si secùs faceret, ne aliquâ in parte religioni defuisse videretur:) urgere cœpit, ita fœderi adhærere, ut imposterùm ei neque res integra, neque libera voluntas esset: îdque ut assequeretur, Philippi nomine tria petiit; videlicèt ut Lucemburgium Româ dimitteret; in Cardinales, aliósque sacratos viros qui Henrici partes tuebantur, anathematis spiculum intorqueret; nullo unquam tempore ad regni successorem eundem Henricum admissurum sese obstringeret: nî faceret, publicè Philippi nomine obnunciaturum se. Ad quæ commotus Pontifex respondit, suum, non Regis esse, in causâ religionis statuere; cui si immiscere se Rex vellet, in hæresim lapsurum: non ejusmodi Philippi mentem esse, neque hæc ab eo proficisci, cujus pietatem perspectam haberet, arbitrari: si à se orator loqueretur, atque ita cum Pontifice ageret, id ingentis atque intolerandæ temeritatis esse. Haud tamen propterea à cœptis desistens orator, denuò ante pedes Pontificis advolutus, neque quamvis Sixto adnitente assurgere volens, humi abjectum mandata sui Regis exponere velle se dixit: quæ ad summam alia non erant à superiùs narratis; uno tantum addito, ut Henrici sectatores, fautorésque, cœtu fidelium submoveret; îdque nî faceret, Philippi nomine obnunciare se velle confirmavit. Commotiore ad hæc Sixto, & Philippum Ecclesiæ auctoritatem sibi usurpare, & Pontificem proculcare velle quiritante; re cum Cardinalibus communicatâ, inter diversas sententias pro affectibus partium prolatas, ei Sixtus accessit, quâ rem cunctatione extrahi, quousque de rerum in Galliâ statu à Caietano literæ haberentur, oportere censebatur; tunc enim certiùs de re propositâ decretum iri. Post quæ Suessanus Dux extra ordinem à Philippo legatus, unà cum Olivario oratore ordinario Pontificem adiens, sincerámque in his voluntatem Philippi extollens, parùm in tanti pro fide & religione momenti negotio fecisse Sixtum exposuit, nisi se palàm auctorem defensorémque fœderis profiteretur, & quodcumque posset virium & facultatum in id conferret. Pontifex verò laudatâ egregiâ Regis voluntate, pro religione unà cum illo omni studio se enixurum promisit: enim verò secum obnunciationibus agi, vel quemquam tantos sibi spiritus sumere, ut quem absolvere deberet, quem damnare, edoceret, non passurum: non enim hæc ad profanos Principes, sed ad Apostolicam tantùm Sedem spectare. Deinde verò cum Philippo fœdus adversùs Henricum, & pro Catholico in Galliâ Rege constituendo, percutere instantissimè sollicitatus; nunquam tamen ad id adduci potuit, etiamsi omnem operam suam Philippus polliceretur. Et ut denique se his extricaret, ac cunctationi causas prætexeret, sacro ordini, principibus ac nobilitati, civitatibúsque Galliæ scribere statuit, Regem Catholicâ religione imbutum eligerent; nî facerent, se electurum; haud exiguâ spe sublatus, voti compotem fieri absque Hispanico fœdere se posse. At nequid horum præstare potuerit, superveniens mors ejus intercessit, de quâ dicetur infrà.

VII. DE PRÆLIO IVRIACO.

Dum autem hæc Romæ agitarentur, contigit in Galliâ, ut cùm Rex Henricus Drocense oppidum obsidione cinxisset, & Mayenius Bruxellas usque in Belgium ad Parmensem excursione factâ ut auxilia à Philippo Rege jam antè promissa impetraret; iis obtentis sub imperio Philippi Comitis Egmondani, copioso exercitu munitus Drocas versùs iter intendisset: Rege obsidionem deserente, & exercitibus non longè dissitis, partes utrimque sese ad prælium ineundum paraverint. Pugnatum est igitur die decimaquartâ Martii in latâ planitie in pagum Ivriacum, magnâ Regis suorúmque alacritate, licèt copiis inferiorum, (erant illæ duorum circiter millium equitum, octo peditum: Fœderatorum verò, equitum quatuor millium, peditum tredecim) & contrà Mayenii suorum virtuti diffidentis cunctatione; qui non illibenter occasionem vitasset, si sibi per Egmondanum licuisset, juvenem ferocem & inexpertum, qui se solum cum suis, si Galli pugnam detrectarent, Navarro debellando parem jactitabat. Acriter ergo pugnatum, rem ingenti animo & virtute cum Rege, tum Mayenio gerente. Diúque ambigua fuit victoria: cedentibus etiam nonnunquam aliquâ parte regiis, Regéque ipso periclitante. Demùm tamen plenâ victoriâ potitus est, fugatis undique magnâ cæde hostibus, è quorum equitibus occisi sunt in prælio vel fugâ ad octingentos; Germani pedites ad unum deleti; Helvetii post cæterorum fugam ultrò deditionem fecêre; Gallicus peditatus armis relictis aufugit: capta cuncta ferè signa, universa tormenta, & impedimenta. Ex exteris præcipui nominis periêre, Egmondanus dans suæ temeritatis pœnas, & Ericus Brunsvicus nothus; ex Gallis Io. Vivonus Castaneus, & Arconatus. Capti Austfrisius Comes Germanorum equitum dux, Boscodelfinus, Ciconia, & alii plurimi è nobilitate Gallicâ. Nec incruenta victoria fuit, desideratis non paucis nobilibus, & pluribus sauciatis. Mayenius Meduntam fugiens, quæ ab ipso stabat, ægrè nihilominùs ab oppidanis, qui mox cum fortunâ mutaverant, admissus est. Quapropter minùs se tutum ibi existimans, statim discessit, & Pontemœsiæ, atque inde Sandionysium se contulit: ubi aliquot dies hæsit, occursum plebis Parisiensis, & contumeliosa verba post tantam cladem veritus. Rex autem Meduntâ receptâ, quindecim dies ibi ad reficiendum exercitum egit. Eodem verò die quo ipse ad Ivriacum pugnavit, vicitque; pariter in Arvernis apud Issoriacum ejus auspiciis parta est victoria à Francisco Chabanio Curtonii Marchione, de Ludovico Rupifulcaudio Randani Comite Fœderatorum duce; qui suppetias ibat arci Issoriacensi à regiis capta urbe obsessæ. Captus Randanus statim ex vulneribus acceptis mortuus: cæsi & ducenti ferè equites, trecentique pedites: ex regiis tres tan-

HENRICI VICTORIA.

ALIA ISSORIACA.

tum nobiles, & viginti gregarii milites. Fructúsque victoriæ fuit deditio arcis, aliorúmque non paucorum locorum; & firmata Regis pars in Arvernis, & vicinis provinciis.

VIII. MAYENII DESOLATIO.

Ad Mayenium, ubi ad Sandionysium venisset, solandum ierunt Legatus Caietanus, & Bernardinus Mendoza Philippi apud fœderatos orator, nova auxilia Regis sui nomine prolixè deferens. Ipse verò Mayenius literas inde ad Philippum dedit, quibus rei aleæ prælii commissæ, quod semper anteà vitaverat, rationes reddebat: non deesse tamen suis animos dicebat, & urbes, in quibus præcipuum robur, in fide manere: Lutetiam ante alias; à quâ tamen nisi pecuniâ quâ maximè laboraret, subveniretur, non mediocriter metueret. Scripsit & ad Pontificem, gravissimè expostulans quòd neque milite neque pecuniâ tam justam causam juvaret; purgánsque se à criminibus improperatis, quòd bellum aleret, & quòd ad privatam ambitionem administratione regni sibi concessâ abuteretur: denique ostendens, quanto cum religionis periculo conjunctum esset hoc consilium. Dum autem Rex Meduntæ esset, Bironus Marescallus à Cardinali Caietano ad colloquium sollicitatus, Nosiacum cum Regis permissu petiit; quò & Cardinalis unà cum Cardinale Gondio se contulit. Nihil verò præterea actum, quòd reperisset Caietanus obfirmatos regiorum animos ad causam regni contra communes hostes defendendam: experientiâ discens, longè aliter in Romanâ Curiâ quàm in regno de regni causâ existimari. Quod & rursùm magis expertus est, cùm misso paulò pòst Episcopo Cenetensi natione Veneto ad eundem Bironum Braium, ubi Rex erat, de induciis ad aliquot menses pangendis acturo, intra quas Romam & in Hispaniam utrimque mitterentur legati de pace conventuri; respondit Rex per Bironum, paratum quidem se de pace agere salvo suo jure & dignitate; at eam à Principibus exteris expectari, neque tutum neque sibi aut Gallico nomini honestum esse; ac propterea paratiorem se esse ad bellum pro salute regni contra veteres hostes susceptum absque morâ prosequi. Nec quidem Caietanus alio fine induciarum mentionem injecerat, quàm cùm videret Regem omnes pontes Sequanæ fluminis, aliorúmque quæ in illud influunt, usque ad portas urbis Lutetiæ, quam obsidione cingere deliberaverat, occupâsse, nequid in eam transvehi posset; aliquâ morâ interpositâ, tum importandi commeatûs spatium haberetur, absque quo urbem brevî in summas angustias redigi necesse esset; tum auxiliis è Belgio venturis tempus concederetur.

CAIETANI INUTILIA CONSILIA.

IX. QUÆSTIONES PARISIENSIŨ AD SORBONAM.

Dum autem interim cuncta Lutetiæ ad obsidionem sustinendam diligenter parabantur, (cui tum præerat Carolus Sabaudus Dux Nemorosii Mayenii frater uterinus, juvenis magnitudine animi præstans, & impiger) Sexdecim viri civium directores, ita à numero regionum urbis dicti, ad continendos tam ibi quàm in aliis regni urbibus exemplo Parisiensium plebis animos, Sorbonicum collegium; ut alias, porrecto libello, præfecti mercatorum, scabinorum seu urbis ædilium, & multorum civium melioris notæ nomine, consuluerunt ineunte Maio; An adveniente morte Regis Caroli X. aut eodem in favorem Henrici Borbonii cedente jure regni intereà dum injusto carcere detineretur, tenerentur Galli, aut possent tutâ conscientiâ dictum Henricum, aut alium Principem fautorem hæreseos in Regem admittere, etiam posito quòd à criminibus & censuris fuisset absolutus, cùm subesset evidens periculum perfidiæ ac subversionis religionis & regni. Item, An suspectus hæreseos, aut ejus fautor dici posset, qui pacem cum dicto Henrico fieri procuraret, aut permitteret cùm impedire posset. Et, An ista essent de jure divino, & an emitti possent à Catholicis sine peccato mortali & pœnâ damnationis: prædicto verò Henrico opponere se toto studio meritorium esset; & si ad sanguinem usque resisteretur, martyrium dici posset. Ad quæ capita à Collegio, plerumque ad statum temporis disposito, post multam deliberationem, tertiâ habitâ de iis congregatione generali, responsum est, nemine, ut aiunt, repugnante, septimâ die Maii, assertivè in omnibus: ita ut cùm Henricus Borbonius hæreticus, fautor hæreseos, hostis Ecclesiæ notorius, relapsus, & nominatim excommunicatus esset, & si fortè absolutionem in foro exteriore impetraret, manifestum, appareret simulationis ac perfidiæ atque eversionis Religionis periculum; eum regni aditu prohibere, & à pace cum eo faciendâ abhorrere Franci tenerentur; & qui ei faverent, de hæresi suspecti censeri deberent: sicuti econtrà qui ei ad sanguinem usque resisterent, martyrii palmam consecuturos judicari par esset. Quod decretum confestim Latinè & Gallicè typis editum; etiam ad alias civitates transmissum est, cum hortatione, ut ei vel cum vitæ & fortunarum periculo acquiescerent. Secutúmque est brevî Senatûs decretum, quo sub capitis pœnâ prohibitum fuit; nequis de pace cum Henrico agendâ sermonem injicere auderet.

SORBONIÆ RESPONSA.

Interímque ad commovendos magis plebis animos, supplicatio publica insolito planè more per urbem facta est: quâ scilicet Episcopus Silvanectensis alterâ Crucem, alterâ manu hastam tenens præibat, sequebantúrque ordine Capucini, Fulienses, Minimi, Franciscani, Dominicani, Carmelitæ, succincti omnes, & galeati ac loricati, gladiísque, hastis, & sclopetis armati. Quâ longè religiosior, quæ ipso Ascensionis die, qui incidit in ultimum Maii, ducta est ad majorem urbis Ecclesiam, cum sacris Reliquiis: cui Dux Nemorosius urbi præfectus, & Claudius Lotharingius Eques Ierosolymitanus Ducis Aumalii frater, qui peditatui præerat, cum cæteris belli ducibus interfuerunt; & supra majus altare tactis sacrosanctis Evangeliis, se pro causâ religionis mori paratos professi sunt, & urbem adversùs Navarrum defensuros. Nihílque Nemorosius omisit, quo id viriliter exequeretur, habens secum multos strenuos duces, & octo millia præsidiariorum, præter immensum civium numerum.

ECCLESIASTICORUM PROCESSIO ARMATA.

ALIA DUCUM MILITARIŨ SINE ARMIS.

X. CAROLI CARDIN. BORBONII OBITUS.

Anteà verò nonâ die Maii, mortuus est Fontenaii in Pictonibus, ubi custodiebatur, Cardinalis Borbonius, quem Regem suum *Carolum X.* fœderati nuncupabant, ex calculi doloribus, anno ætatis sexagesimo septimo cujus ingenio ad propriæ gentis Borboniæ, Gallici-

que nominis perniciem, diù abusum esse Guisium vidimus : ipséque ad mathematicorum prædictiones pronior, spem regni adeò certam sibi finxerat, ut ab eâ nunquam divelli potuerit : cujus demùm umbram per fictam illam fœderatorum proclamationem attigit. Corpus ad Sepulturam in Normanniam portatum est ad monasterium Carthusianorum Gallionense, ab ipso olim ædificatum. Ejus verò morte non parùm turbatæ fuêre Fœderatorum res, cùm incertum esset cujus supremi principis nominis edicta, decreta, ac judicia fierent, ac moneta cuderetur; (quæ omnia ejus quamvis inani, sed tamen specioso nomine fieri cœperant) & ministri Hispani, quasi per interregnum instantiùs sua consilia promovere satagerent. A quibus se ut Mayenius extricaret, nec tamen eos ab auxiliis conferendis alienaret; regni comitia Melodunum anteà indicta, Lutetiam quamprimùm celebranda transtulit, in quibus de Rege Catholico creando ageretur, & religionis ac regni saluti maturè prospiceretur : ipso intereà iisdem titulis, quos ante Carolum Regem promulgatum usurpabat, supremam potestatem sibi commissam gerente.

XI. Dira Parisiensium obsidio.

Rex autem pontibus omnibus occupatis, & oppidis ac locis circumstantibus in potestatem suam redactis, cinctam undique tenens Lutetiam; cùm ad extremam egestatem cives redegisset, obsidionem arctiùs urgens, omnia urbis vastissimæ suburbia uno impetu occupavit nocte diei vigesimæ quartæ Iunii festi S.Ioannis Baptistæ. Annitentes tamen ad urbis defensionem magnis animis ejus propugnatores, inenarrabilibus licèt miseriis ex annonæ penuriâ afflicti, duram obsidionem ampliùs tribus mensibus sustinuerunt; quibus duodecim hominum millia fame absumpta dicuntur, ac præter insolitarum quarumcumque, atque etiam immundissimarum rerum, turpissimorúmque animalium mortuorum esum, extusis cadaverum ossibus farina confecta fuisse, (quibus cibis complures pro vitâ mortem sunt assecuti) & aliquæ matres ad nefandam filiorum fame enectorum comestionem redactæ. Ad satisfaciendum verò militum pro stipendio expostulationibus, Legatus nonnullam pecuniam Pontificis nomine contulit; idémque ipse, aliique Prælati propriam supellectilem argenteam conflandam obtulerunt:& Cardinalis Gondius urbis Episcopus concessit, ut ex omnibus urbis Ecclesiis donaria omnia aurea & argentea conflarentur, cautione acceptâ post obsidionem pretium eorum restitutum iri. Quæ omnia cùm Regem non laterent, tanta securitas tam ipsum quam ejus principes ac duces invaserat, quasi jam urbem in potestate haberent, ut nihil toto eo tempore contra urbem sint moliti; quæ vel solâ oppugnationis ostentatione ad deditionem compelli potuisset; cùm tanta esset plerorumque in eâ animorum consternatio, & ob alimenti penuriam corporum debilitas, ut vix ferendis armis, nedum ad sustinendum integrorum impetum, præsidiarii aut cives pares essent.

XII. Tractatur simulate de pace.

Quare cùm à plebe conclamaretur pro pane aut pace, & aliqua fuisset excitata seditio, majorem motum veriti Legatus & Mendoza orator Hispanus, ut plebem aliquâ spe lactarent, & oppugnationis impediendæ occasionem quærerent, de pace inter Regem & Mayenium facienda (quod Fœderis principes & primores urbis, nullâ edictorum Senatûs habitâ in extremâ necessitate ratione, decernebant) mentionem fieri permiserunt : priùs tamen à Legato Panigarolæ, Bellarmini, & Tyrii Iesuitarum Collegii rectoris, sententiis exquisitis, an si fame cogente Parisienses hæretico sese Principi dederent, anathematis sententiam subirent; & an qui eum adirent ut ad priscam religionem converterent, & Ecclesiæ Catholicæ rationes tuerentur, Sixti diplomate comprehenderentur : qui uno consensu responderunt, fieri hæc omnia tutò posse, nullâ ex parte conscientiâ læsa. Auctoritate igitur Senatûs ad Regem destinati sunt Cardinalis Gondius & Archiepiscopus Lugdunensis, aliique è sacro ordine, cum mandatis ut cum Rege collocuti ad Mayenium contenderent. Qui cum Rege in cœnobio S.Antonii extra urbem congressi sexto Augusti, responsum ab eo acceperunt, cupere se quidem pacem, & paratum esse Parisienses in gratiam recipere; sed nolle ut hoc aliorum interventu fieret, aut alii quàm sibi tantum beneficium deberent, qui & plurimùm illis nocere, sed multò plus gratificari posset, & verò vellet. Permittere se tamen illis ut Mayenium intra octo dierum spatium consulerent, modo ante omnia de conditionibus dedendæ urbis convenirentur; quæ si intra illud tempus obsidio non solveretur, adimplerentur; sin solveretur, pro nullis haberentur.

XIII. Parmensis adventus in Galliam.

Quòd autem hæc à Fœderatis nonnisi ad tempus extrahendum donec Mayenius, quem obsessi urgentissimè sollicitabant, cum auxiliis Hispanicis, quæ continuè indies pollicebantur, adveniret, fierent; effectu etiam ea caruerunt, ob certum nuncium proximi ejus adventûs unà cum Parmensi : qui jussus a Philippo Rege Belgii periculum Lutetiæ auxilio posthabere, priùs Meldorum civitatem quæ decem tantùm leucis a Lutetiâ distat, pervenit 21. Augusti, quàm de ejus in regnum ingressu R. gi planè constitisset; non parvâ tam ejus quam ducum exercitus incuriæ culpâ. Venit autem Parmensis, ut qui minimùm ponunt, cum decem millibus peditum, & tribus equitum, ac viginti tormentis, & primariæ dignitatis principibus ac proceribus qui cum ipso in Belgio erant, quibus & Mayenius suas copias junxit, comitatus & ipse aliquot principibus familiæ Lotharingiæ, & aliis præcipuis belli ducibus. Quorum adventu cognito Rex animi anxius, in obsidione maneret urbe ad extremam inopiam redactâ, nec quatriduum, ut putabatur, ampliùs duraturâ; an solutâ obsidione cum toto exercitu contra hostes tenderet; an verò partem aliquam in suburbiis relinqueret ad prohibendam comeatûs importationem, & cum reliquo exercitu obviam venienti occurreret : demùm omnibus pensatis, de communi omnium ducum sententiâ consultius habuit totum exercitum secum ducere.

XIV. Obsidio Paris.

Igitur ultimâ die Augusti præsidia suburbiis deduxit; & Calas perrexit, municipium cœnobio sacrarum virginum nobile, duabus tantùm leucis ab urbe distans, quò jam meta-

tores hostilis exercitûs venerant, qui pulsi à regiis fuerunt. Munivit autem castra sua Parmensis apud Claiam inter paludes, adeò ut non posset invitus cogi ad prælium. Rex verò sua posuit ad Calas, in quibus habebat sedecim peditum Gallorum & Germanorum millia, quinque equitum magnam partem ex nobilitate; seu, ut nonnulli habent, viginti millia peditum, septem equitum, cùm ad rumorem prælii undique nobilitas ad Regem concurreret. In mutuo conspectu alteri alterorum octo continuis diebus steterunt, nullâ re memorabili gestâ, sed tantùm levibus certaminibus factis. Quo tempore fecialis à Rege ad Mayenium missus ut prælii copiam faceret, sed ab eo ad Parmensem, tanquam supremum exercitûs imperatorem remissus; hoc scitissimi responsi ab eo tulit, venisse se Philippi Regis sui jussu ut urbem ab obsidione quâ tutiore ac meliore ratione videretur, liberaret: id se brevì ope Dei confecturum sperare: prudentis non esse imperatoris fortunæ credere quod in potestate habeat; si verò Bearnensis tantus esset imperator quantus existimabatur, rationem iniret quâ se ad prælium cogeret; túncque quid vires & virtus utriusque possent, experimento egregio cunctis constiturum. Quæ eò majori fiduciâ à Parmensi dicebantur, quòd interim aperto per terram accessu in urbem, ex multis locis commeatum liberè in urbem importari certò sciret. Atque ut etiam per aquam idipsum fieret, Latiniacum oppidum ad fluvium Matronam situm obsedit; cepítque vi, in oculis Regis, qui his exacerbatus excursionem in Lutetiam fecit, ejus occupationem nocte à parte Sangermani tentaturus: quod tamen frustra fuit, quoniam breviores justo scalæ repertæ sunt. Post quæ, de suorum consilio, cùm omnis præcisa esset cum hoste conserendi prælii spes, copias dimisit in diversas provincias, vicinis locis ante omnia validis præsidiis firmatis; & exiguâ manu secum retentâ, cum quâ Silvanectum concessit, ad alia progressurus, non tamen sine multorum fremitu, constantiam majorem in eo requirentium, & probri hoc consilium insimulantium, quod Rex datis ad præfectos provinciarum literis excusare ex indulgentiâ in Parisienses conatus est.

Solvitur.

Scitum Parmensis responsum.

Henrici Reg. culpa.

XV. *Causæ irritæ obsidionis Lutiæ.*

Hícque fuit exitus Obsidionis urbis Parisiensis maximè memorabilis: cujus irritæ causæ, præter Regis cunctationem in ejus oppugnatione ne direptioni exponeretur, quam integram habere cupiebat; & plerorumque ducum in primarios obsessos humanitatem, quos pane, carnibus, aliísque bellariis crebrò summissis reficiebant: in Nemorosii Ducis virtutem ac solertiam supra ætatem admirandam; Legati Caietani præsentiam, qui Summi Pontificis auctoritatem in causâ religionis summâ prudentiâ dispensabat; Bernardini Mendozæ oratoris Hispani eleemosynas, quas totâ obsidione largâ manu elargiebatur; Concionatorum assiduas atque efficacis eloquentiæ plenas ad populum allocutiones; frequentes Mayenii de auxiliaribus verò citiùs venturis per literas asseverationes; rumores à viduâ Mompenseriâ Mayenii sorore artificiosè sparsos; & Patrum Soc. Iesu ad omnes casus sollicitam diligentiam; rejiciunt qui intimius Parisiensium in obsidione constantiam & patientiam speculati sunt. Parmensis autem dissoluto Regis exercitu, urbem privati habitu ingressus eam lustravit: cepítque deinde Corbolium oppidum ad Sequanam situm, quò & illâ commeatus in urbem importaretur: grandi ibi editâ obsessorum strage, qui se acriter per multos dies defenderunt, quod tamen paucis pòst diebus, priusquàm Parmensis regno excessisset, à regiis recuperatum est, unà cum Latiniaco: unde rursùs Lutetia in pristinas angustias redigebatur. Parmensis autem, qui jam in viam reditûs se dederat, nequicquàm à Parisiensibus rogatus exercitum reducere, imminutionem ejus, obsidionúmque difficultates hiberno tempore excusans, Belgium repetiit mense Novembri; à Rege continuis aggressionibus fatigatus; donec ineunte Decembri, re ob quam expeditionem susceperat feliciter confectâ triumphabundus in Belgium pervenit: ubi per suam absentiam res Philippi Regis valdè labefactatas reperit, plurimis passim locis ab Ordinibus occupatis. Adeò ut hic ferè annus ultimus Hispanis, primus Ordinibus ad res suas terrâ maríque ordinandas fuisse existimatus fuerit, quippe cùm anteà Ordines ægrè externis etiam auxiliis sese ab Hispanis defendere valerent, ultrò eos deinceps oppugnare cœperunt, ac vicinis tandem provinciis expulerunt.

Parmensis in Belgium regreditur.

Ordinũ Batavorum progressus.

XVI. *Hispani evocati in Armoricam.*

Quod reliqua Galliæ spectat; in aliis quoque regni partibus vario eventu pugnatum fuit. In Armoricam verò, quæ à Duce Mercurio pro unione, ab Henrico Dombarum Principe, Ducis Mompenserii filio, juvene magni animi pro Rege administrabatur, auxilia Hispanica, quinque sexve bellatorum millibus constantia, ineunte Octobri ad Blavetum oppidum, portu optimo & ad res gerendas commodo opportunum, appulerunt; à Mercurio tum ad causam Vnionis promovendam, tum ad eam provinciam sibi in divisione Galliæ asserendam, vel armorum, vel uxoris aliquo jure quo eam sibi deberi contendebat, evocata; & à Philippo Rege libentiùs missa, quòd jactaret Armoricam provinciam agnationis jure ad filiam spectare, ex Isabellâ Henrici II. grandiori filiâ prognatam, ac proinde legitimam hæredem filiorum Henrici sine prole extinctorum. Et Dux Sabaudiæ, cùm frustrà anno superiore Delphinates sollicitâsset, in Provinciam vires convertit: & quamvis à Valetâ eam pro Rege administrante, & à Diguiero Delphinatûs præfecto, variis cladibus diversis locis in ducibus suis affectus; nihilominùs ipse Foro-Iulii (vulgò *Freius*) antiquo, & Sede Episcopali insigni oppido, Draguiniano, & aliquot circumpositis castellis occupatis: à Senatu Provinciæ Aquis-Sextiis sedente rogatus est civitatis illius, atque adeò Provinciæ universæ patrocinium suscipere: eámque adiit die 14. Novembris, summâ pompâ ab omnibus ordinibus exceptus. De cujus reliquis rebus in Provinciâ gestis dicetur anno sequenti.

Dux Sabaudiæ recipitur in Provincia.

XVII. *Synodus Tolosana.*

Inter tot bellica, Ecclesiastica etiã curantibus Episcopis, *Franciscus de Ioiosâ* Card. Archiepiscopus Tolosanus, *Synodum* provinciæ suæ ibidem Tolosæ celebravit mense Maii, unà cum septem suis suffraganeis Episcopis: in quâ multa præclarè instituta sunt pro disciplinâ Ecclesiasticâ & moribus reformandis, ad normam decretorum sacrosancti Concilii Tridentini.

Dum

XVIII. Dum autem hæc & alia ejusmodi per Galliam, necnon & reliqua regna gererentur; in quorum nonnullis bellica etiam inter Principes de variis juribus & controversiis tractata reperiuntur; (putà inter Suecos & Moscos de Livoniæ parte; inter Polonos & Turcos ac Tartaros de finium vastationibus & grassationibus:) parùm ad rem nostram, cùm nequaquàm in iis de religione ageretur, sed de privatis injuriis hinc inde receptis, pertinentia: in Italiâ illud universam Ecclesiam respiciens contigit, ut *Sixtus* Summus Pontifex mortem obierit die vigesimâ septimâ Augusti, ætatis anno sexagesimo nono non solido, Pontificatûs quinto, mense quarto, die tertio. Cujus corpus in Basilicâ S. Petri lateritio tumulo ad tempus conditum, posteà translatum est celebri funere ad S.Mariæ Majoris, in splendidissimum sacellum, quod ipse in honorem sacratissimi Præsepis Domini nostri Iesu Christi extruxerat, sepulchrúmque sibi in eo paraverat. Ei viventi cùm Populi Romani decreto ad egregiam gestorum ejus memoriam posteris transmittendam, statua in Capitolio erecta fuisset; eam Romani nobiles aliquot, quos fortassè Sixti severitas attigerat, cum popularium manu quos tributis gravaverat, magno tumultu dejicere conati sunt; ni proceres quidam à collegio Cardinalium missi furentem multitudinem compescuissent. Eo tamen casu Populus Romanus permotus sanxit, ne imposterùm viventi Pontifici statuas excitare liceret; qui secus tentâssent, aut suasissent, variis pœnis plecterentur.

Sixti V. Pontif. obitus.

XIX. Ejus præclaræ actiones.

De Sixti verò constitutionibus ad disciplinam & œconomiam Ecclesiæ pertinentibus, aliísque nonnullis præcipuis ejus rebus gestis, cùm dictum sit superiùs suis locis; etiam in ædificiorum tam sacrorum ad cultum Dei & Sanctorum, ac pauperum alimoniam & commoditatem, quàm profanorum ad ornatum & necessitates Vrbis ac reliqui Statûs Ecclesiæ Romanæ constructione decessores omnes superavit. Vrbem præterea viis publicis; aquæductibus, statuis, obeliscorum & columnarum antiquarum erectionibus, aliísque ejusmodi plurimis admirandis operibus longè magnificentiorem reddidit. Bibliothecam Pontificiam locupletissimam, prope hortos Vaticanos, amplis ad id ædificiis, cubiculis, porticibus, aulis, à fundamentis exædificatis collocavit; ac locum variâ eruditáque picturarum venustate decoravit: Typographiámque elegantissimam addidit. Ac Burgum (ut vulgò vocant, hoc est suburbium in quo Vaticanum est, muris cinctum) decimamquartam Regionem esse voluit, tredecim antiquis additam. Immensámque auri insuper summam in censibus annuis constituendis ad virgines dotandas, ære alieno oppressos è carceribus eruendos, aliáque ejusmodi pia opera, insumpsit. Annonæ & abundantiæ tam Romæ quàm reliquo statu Ecclesiæ, præcipuam curam habuit. Aliáque præclara quamplurima præstitit; quæ à multis descripta referuntur. Quòd verò denique ex tenui Principis ærario gravia mala oriri possint, ipse ad ea avertenda, ad pacis securitatem, ac belli necessarii subsidium, auri argentíque acervos congessit, & in Hadriani mole successoribus Summis Pontificibus quasi fideicommisso reliquit, quos ad quinquagesies centena aureorum millia ascendisse constat, ex summâ ejus parsimoniâ, vectigalium augmento, & officiorum Curiæ venditione corrasos; eosdémque ad bellum pro regni Neapolitani, siquidem mors Philippi in ipsius Pontificatu incidisset, recuperatione suscipiendum congestos, fuit plurimorum, & maximè Hispanorum suspicio.

XX. Vrbani VII. electio.

Post ejus novemdialia de more celebrata, die septimâ septembris quinquaginta quatuor Cardinalibus tunc Romæ præsentibus conclave ingressis; post dies octo, nempe decimoquinto ejusdem mensis, uno omnium consensu electus est in Summum Pontificem *Io. Bapt. Castanea* Romanus, ex Cardinale Presbytero tituli sancti Marcelli, ætatis annum septuagesimum ingressus. Natus est enim Romæ pridie Nonas Augusti anni 1521. patre Cosmo nobili Genuensi, matre Constantiâ Ricciâ Romanâ, filiâ Iulii Riccii & Marciæ sororis Dominici Cardinalis Iacobatii: sub cujus disciplinâ Io.Baptista, & multò magis Hieronymi Cardinalis Veralli affinis sui, in Curiæ Romanæ negotiis multam contraxit experientiam, cùm priùs comparatâ legum scientiâ Doctoratûs lauream Bononiæ consecutus fuisset. Deinde per omnes Curiæ procurationum gradus magno moderationis & dexteritatis atque diligentiæ specimine percurrens, Archiepiscopus Rossanensis à Iulio III. creatus est: ab eoque, ac subsequentibus Pontificibus Paulo IV. & Pio IV. variis negotiis ac regiminibus præfectus; interfuit etiam Concilio Tridentino, & pòst ab eodem Pio Nuncius Apostolicus in Hispaniam missus est: itidémque sub Gregorio XIII. multis aliis legationibus functus, demùm mense Decembri anni 1583. in celeberrimâ novemdecim præclarissimorum Cardinalium creatione adnumeratus fuit; ex quâ solâ quatuor prodierunt Summi Pontifices, ipse videlicèt, & Gregorius XIV. Innocentius IX. ac Leo XI. Factus Pontifex nomen sumpsit Vrbani VII. Sed coronationis insignia de more suscipere non potuit, ob temporis brevitatem. Quippe cùm ingentem Populus Romanus ex ejus creatione lætitiam, quòd Romanus, esset, accepisset; cæterique cuncti bona omnia ab ejus administratione sperarent, cujus pietatem, prudentiam, vitæ integritatem, rerum usum, ingenii dexteritatem, moderationem, noverant, postridie electionis diei in morbum incidens, nullo ex suis ad altiorem gradum evecto, pauperibus verò largis eleemosynis distributis; ac confirmato veteri testamento, quo bona sua sodalitati Beatæ Virginis Annunciatæ in dotes calamitosarum virginum legaverat: Pontificatui tantummodò ostensus, Deóque gratias agens quòd se è vitâ eriperet antequàm aliquid in tam gravi & periculosâ administratione ageret, de quo rationem apud severum ipsius tribunal reddere deberet; decimotertio ab ejus susceptione die, qui fuit vigesimus septimus Septembris, sacramentis Ecclesiæ ritè perceptis, piè ac placidè obdormivit in Domino: ejúsque corpus in Basilicâ sancti Petri sepultum est; cùm erexisset olim in Ecclesiâ Augustinianorum sacellum, in quo se jusserat sepeliri.

Et obitus.

Mortis ejus historiam edidit Ioannes Rubeus è Soc. Iesu S. Petri Pœnitentiarius: funebrem orationem à se habitam Pompeius Vgonius Romanus.

XXI. DISSIDIŨ CONCLAVIS.

Non tam facilis successoris ejus electio. Quippe ingressis conclave octavo Idus Octobris quinquaginta duobus Cardinalibus præsentibus, quibus & paulò pòst Henricus Caietanus ex Gallicâ legatione redux, & Andreas Austriacus Advenientes juncti sunt; iis in plures ac varias partes, ut plerumque fit, distractis; prævalentibus Hispanicâ & Montaltinâ pronepotis Sixti V. acriter diúque inter eas certatum est; cùm satis esset utrique votorum ad excludendum quemcumque vellent, licèt non ad includendum, uti ipsi inter se loquuntur, binis ex tribus suffragiorum partibus ad creandum Pontificem necessariis, & tertiâ parte ad excludendum sufficiente. Donec tandem multis hortationibus & rationibus victus Montaltus, in unum ex septem Philippi Regis nomine propositis consensum præbuit: videlicèt in *Nicolaum Sfondratum* Mediolanensem, tituli Sanctæ Cæciliæ presbyterum Cardinalem, Cremonensem ab Ecclesiâ cui præerat, & quòd inde oriundus esset, vulgò dictum: qui die quintâ Decembris communi omnium consensu renunciatus est. Agebat is tunc annum ætatis quinquagesimum sextum: natus tertio Februarii anno 1535. immaturo partu septimo mense è mortuæ matris Annæ Vicecomitis visceribus extractus, patre Francisco Sfondrato nobili Cremonensi, & Iurisconsulto celebri; quem è Senatoriâ Mediolani dignitate, post uxoris obitum Paulus III. ad Cardinalatum promoverat. Nicolaus verò, è Senatoriâ item dignitate ad vitam Ecclesiasticam transiens, Abbas primùm, deinde Cremonensis factus Episcopus, egregium se in ejus Ecclesiæ administratione, Caroli Borromæi Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis, quocum erat ei pia necessitudo & familiaritas, imitatorem gessit, & decretorum sacri Concilii Tridentini, cui interfuit observatorem. Inde à Gregorio XIII. celebri illâ quam diximus Cardinalium creatione, in eorum numerum absens allectus; demùm in Pontificem assumptus est; coronatúsque in festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis octavo Decembris; nomine assumpto GREGORII XIV. & signo, seu symbolo, aut sententiâ; *Dextera* [b] *Domini exaltavit me*, ac die decimotertio ejusdem mensis festo sanctæ Luciæ à Palatio Vaticano ad Lateranensem Ecclesiam ritu pompáque solemni equitavit. De cujus præcipuis rebus in brevi decem tantùm mensium ac totidem dierum Pontificatu gestis dicetur anno sequenti.

GREGOR. XIV. ELIGITUR.

[b] *Psal.* 117.

XXII. CUJACII OBITUS.

Mortuus est hoc anno die tertiâ Octobris Biturigibus, ubi docebat, cujus fama nomenque nunquam intermoritura erunt, *Iacobus Cujacius* Tolosas, à summis Iuris conditoribus Interpres omnium doctissimus atque scientissimus, ut ex ejus scriptis quæ plurima reliquit apparet. Agebat autem annum ætatis sexagesimum octavum: publicóque funere nobiliorum discipulorum humeris elatus, in B. Petri æde ad pontem Avaronis conditus est. Ex allophylis mortuus quoque eodem anno 12. Februarii Basileæ *Franciscus Hotomanus* Parisiensis, ætatis anno 65. & ipse ex variis editis de Iure, & aliis ad antiquitatis & politioris literaturæ illustrationem operibus, non parvam laudem meritus; quam desertione avitæ fidei, & morte in hæresi, in quâ vixerat, obitâ corrupit. Cui *Guill. Salustrium Bartasium* adnectimus, nobili familiâ in Ausciis natum, & poëmate Gallico *Hebdomadis* toties recuso, atque ab aliis Latinè & Italicè certatim expresso, inter illustres sui sæculi poëtas Gallicos, quanquam vitio nationis haud adeò puritati Gallici sermonis respondentem, connumeratum, qui mense Iulio anno ætatis 46. extinctus est in hæresi, quam totâ vitâ sectatus fuerat.

ITEMQUE HOTOMANI.

BARTASII.

XXIII. FLAMIN. NOBILII.

In Italiâ verò extremo anno *Flaminius Nobilius* Lucensis familiâ patritiâ, philosophiæ cultioris peritissimus, & in Theologiâ versatus, post egregiam navatam in Latinorum Bibliorum sub Sixto Pontifice editione operam, cùm Româ in patriam rediisset, anno ætatis 58. ad meliorem patriam migravit, ad B. Mariæ sepultus. In Hispaniâ *Ambrosius Morales* Cordubensis, Antonii præstantissimi medici filius, in literis humanioribus & antiquitate patriâ indagandâ egregiè doctus, & historiâ illustrandâ diligens & accuratus, Compluti major sexagenario obiit, qui cùm ab initio Prædicatorum Ordini nomen dedisset, eo deinde motus est, quòd vesano impetu ad refrenandas libidines sibi virilia exemplo Origenis amputâsset. In Angliâ hostis Catholicorum acerrimus *Franciscus Vualsinghamus* Reginæ à secretis, & Ordinis Garteriani Cancellarius, fœdo ad testium tunicas morbo periit, qui amplis functus legationibus, apprimè industrius existimatus, in persequendis Catholicis admodùm subdolum & crudelem sese exhibuit; nihil sumptibus parcens, quo illos per fas & nefas detectos, & calumniis oneratos, de medio tolleret: adeò ut bonis suis absumptis, magno ære alieno oppressus, tenebris sine ullâ funebri celebritate humatus fuerit: gratias Deo agentibus universis Catholicis, quòd è manibus ejus liberâsset ipsos, cùm nihilominùs etiam hoc anno nonnullos sacerdotes martyrium Londini, alios dira & carceres passos esse, intelligatur ex iis qui de his ex professo scripserunt [c]; Walsinghami in Catholicos feritatem, & turpem ejus ac miseram mortem pluribus recensentes.

AMRBOS. MORALIS.

WALSINGHAMI.

[c] *Ribaden. lib. 4. Schism. Anglic. c. 4. & 5.*

XXIV. CAYMICI CUJUSDAM HISTORIA.

[d] *Mauroc. lib. 4.*

Anni initio res [d] accidit apud Venetos, quâ prudentia & sapientia multorum è Republicâ delusa est; sicut & aliàs eâdem in re non rarò contigit in diversis regnis Marcus etenim quidam Bragadenus, non ex familiâ patritiâ in Cypro insulâ ortus, qui primâ inventâ Fratrum Capuccinorum religioni se addixerat, atque arcana quædam sublimatoriæ ac chymicæ artis edoctus, monachi habitum exuerat; præcipuis viris ac Principibus persuadens, puriori auri parte, quam animam vocant, vi artis erutâ, ejus ope auri formam in mercurium, seu argentum vivum, inducere, fermentatúmque in immensum augere se posse: eâ ratione auri vi à viris insignibus emunctâ, per ditionem Venetam servorum stipatus haud exiguo numero, effusissimè pecuniam profundens spatiatus est: & Venetias fide publicâ accedens, ingentibus impensis ad se cunctorum oculos, atque

animos attraxit; artísque quam profitebatur periculum facere rogatus, id callidè adeò primùm in privatorum aliquot patritiorum ædibus, deinde coram Principe & consiliariis præstitit, ut verè aurum conficere, & metalla cuncta in id vertendi artem obtinere eum multi opinarentur. Cùm verò posteà fistulas quasdam auri ramentis infertas ita manicis adhibere detectus fuisset, ut ex iis quantum sibi videretur in vasculum conjecto, mercurio evanescente, exigua auri virgula emergeret: non ita pòst auro deficiente, atque adeò cessantibus impensis, Patavium sese recipere, ac demùm è Venetorum finibus egredi coactus est. Vnde in Baioariam profectus, iisdem artibus fallere, ac pecuniam corrogare aggressus; Ducis jussu in carcerem trusus; aureáque, ut vulgò relatum est, veste indutus, restéque suspensus, pœnas scelerum, anteactæque vitæ dedit. Cum quo & duo canes nigri sclopetorum ictibus confossi dicuntur, totidem malignos spiritus, quibus ille ad præstigias suas abutebatur, celare crediti.

Iesu Christi Annus 1591. Gregorii XIV. Innocentii IX. Rudolphi II. Annus 15.

I. Gregorii Pontif. literæ in Galliam.

Anno Christi 1591. Indictione quartâ, novus Pontifex Gregorius XIV. tum zelo fidei actus, tum à Philippi Hispaniæ Regis ministris pellectus, die vigesimâ Ianuarii literas dedit ad Philippum Segam Episcopum Placentinum, quem Cardinalis Caietanus in Italiam rediens Lutetiæ reliquerat; quibus significauit, ex quo ad Summi Apostolatûs fastigium evectus esset, nihil sibi magis in optatis fuisse, quàm ex nobilissimo Galliæ regno impios hæreticorum errores profligare, ac dissidentium animorum motus stabili pace componere; quod solùm Catholico pacificóque Rege constituto, nec aliter fieri posse constaret. Quòd verò nihil ad hæc perficienda magis conducere posse sentiret, quàm civitatem Parisiensem regni sedem & fidei Catholicæ propugnaculum, ab ingruentium hominum conatibus salvam tueri; ideò ad minas & insidias quæ ei adhuc parabantur propulsandas, & ad militum copias ad ejus defensionem necessarias commodiùs retinendas, summam aureorum quindecim millium quolibet mense; quamdiù expediens visum sibi foret, ex ærario Pontificio subministrandam duxisse; ut tam ipsa civitas quàm cæteri omnes intelligerent, nihil se hoc bello quàm solam Catholicæ fidei defensionem, & regni tranquillitatem prætendere, ac propterea proniores ipsi ad eam procurandam redderentur: eáque de re missurum se propediem literas ad generale Consilium sanctæ Vnionis, necnon ad proceres ac nobiles utriusque partis. Hujusmodi autem scriptam ad se epistolam Placentinus, ad erigendos populi propè consternati animos promulgans, suam etiam addidit vigesimo secundo Februarii ad omnes totius Galliæ Catholicos; quibus de tam læto nuncio magnificè gratulatus est, cum magno encomio paternæ sollicitudinis Pontificis. De literis verò quas propediem se missurum Pontifex dicebat, agetur paulò pòst.

II. Exercitum in Galliam designat.

Cùm autem hæc parva factioni Hispanicæ viderentur; superveniénsque Romam Carolus Cardinalis Lotharingiæ unà cum secretario Mayenii, rem pariter urgere cœpisset: Pontifex, qui parùm magnis tractandis rebus assuetus ex aliorum consiliis ducebatur, hinc impensarum gravitate, & atrociorum flammarum in Galliâ metu perterritus, illinc aliorum penè minacibus hortationibus impulsus; statuit demùm exercitum in Galliam mittere: cujus Herculem Sfondratum fratris filium, Ducem Montis-Marciani in Piceno creatum, imperatorem solemni ceremoniâ nuncupavit. Petenti verò Mayenio, ut ad sacri belli usum bona Ecclesiastica alienandi facultas sibi concederetur; idque ipsum oratori Hispano pro Philippo postulanti; utrique rem Pontifex denegavit. Dum interim in Galliâ Parisienses ineunte anno, duce Claudio Aumalio Equite Ierosolymitano, Sandionysium oppidum, quod cervicibus suis quasi arcem impositam impatienter ferebant, intercipere decernentes; cùm ad medium ferè oppidi pervenissent, à Dominico Vico, qui præsidio præerat, magnâ cæde repulsi sunt, interfecto ipsomet Aumalio. Aliáque parte & ipse Rex 20. Ianuarii astu tentatâ Lutetia sub specie farinas in urbem, quæ maximè penuriâ laborabat, intromittendi, ad portam Sancti Honorati detectus, irrito conatu recessit: indéque *Farinarum dies* apud Parisienses celebris factus. Ex eo verò urbis periculo suum facientes commodum factiosi, civibus persuaserunt ad tutelam accersere Hispanorum & Neapolitanorum veteranorum auxilia: quibus & firmata est Meldorum civitas, ex quâ commeatus copiosus in urbem importabatur; quasi jam omnis spes in Philippi opibus reposita esset. Rex autem, ut aliâ parte urbi incommodaret, annonam quam ex Belsiâ & Carnutibus accipiebat intercluderet, ipsam Carnutum urbem occupare statuit, quæ obsidione nono Februarii cingi cœpta, forti propugnatione Georgii Baboi Bordeserii qui urbi præerat, substitit usque ad decimumnonum Aprilis; quo honorificis conditionibus Regi dedita fuit. Cujus amissione cùm in summas annonæ angustias Lutetia conjecta videretur, expugnato à Fœderatis, sive dedito Theodorici castro, oppido ad Matronam supra Meldos posito, multùm recreata est; ac retardata quæ brevi dedendi se Parisiensibus necessitas imposita videbatur.

Aumalii Equitis cædes apud Sandionysium.

Lutetia Hispanorum præsidium recipit.

III. Tertianæ partis origo.

Dubio Carnotensis obsidionis eventu, quam propterea Rex aliquando deserere in animo habuit, cœpit inter regios secreta coitio eorum qui secto duabus factionibus regno subcesivam ex alterâ fecêre: quæ ob id Tertiana dicta est. Publicatúsque supplex libellus incerto auctore; quo Rex rogabatur, ut ad pacificandum regnum, quod religionis causâ turbabatur, hæresim maturè ejeraret, & Catholicam doctrinam amplecteretur: alioqui fore ut plerique qui ejus causam ut legitimi hæredis eâ spe eo usque omni ope fovissent, ab illius partibus proculdubiò discederent, & nova consilia caperent. Quod à Carolo Cardinale

Vindocinensi, jam Borbonio post obitum patrui ejusdem nominis, quem fœderati pro Rege habuerant, dicto prodiisse, ipsúmque de his apud Pontificem secretè egisse existimatum fuit: ut scilicèt, quandoquidem de Rege Catholico eligendo agebatur, si Henricus in hæresi perseverans à Catholicis ipsi adhærentibus desereretur, ipsius Cardinalis ratio haberetur, qui post Henricum legitimo ordine ad regnum vocabatur; Contio Principe ipsius majore fratre à naturâ excluso, quòd penè mutus esset ac surdus. Cujusmodi tamen consilia tunc clàm agitari inter Catholicos regios cœpta, nonnisi post biennium in apertum eruperunt, ut tunc dicetur. Cùm & interim inter Hispanos, Lotharingios, Guisios, Sabaudos, jus sibi quósque variis rationibus in regnum vindicantes, de modis illud adipiscendi varia consilia in particulari & colloquia in communi haberentur; legationésque ad Philippum mitterentur pro novis ac potentibus subsidiis contra crescentes indies vires Henrici; quas & majores expectabat ex auxiliis Anglorum, Germanorum, & Belgarum.

IV. ALIÆ GREGORII PP. LITERÆ IN GALLIAM.

Iam fama de Pontificiis copiis in Galliam destinatis percrebuerat. Quas præveniens Marsilius Landrianus Referendarius, Nuncius Apostolicus in Galliam destinatus, (per quem sunt qui tradant, pileum Cardinalitium delatum esse supradicto Philippo Episcopo Placentino, quem & deinceps semper Cardinalem Placentinum nuncupant; cùm tamen certò constet, eum non à Gregorio factum fuisse Cardinalem, sed tantùm ab ejus successore Innocentio IX. sub finem anni) binas literas attulit, datas Calendis Martiis, quas Pontifex se missurum præmonuerat; parùm tempori & rerum statui aptas, quippe à malè in regnum affectis optimo Pontifici suggestas: quarum alteris omnes Ecclesiastici cujuscumque conditionis monebantur, intra quindecim dies ab obedientiâ & comitatu Henrici Borbonii recedere, sub pœnâ excommunicationis & suspensionis; & si intra alios quindecim dies non eum deseruissent, depositionis ac privationis. Alteris principes, proceres, cæterique cuncti tam nobiles quàm plebeii, pariter monebantur Henricum similiter deserere; nî parerent, loco paternæ benignitatis sensuri justitiæ severitatem. Ipse verò Henricus utrisque uti hæreticus & relapsus, atque Ecclesiæ persecutor, excommunicatus declarabatur, privatúsque omnibus regnis & ditionibus. Atque ut hæc faciliùs executioni mandarentur, promittebantur auxilia militaria brevi in Galliam transmissura.

V. SENATUSCONSULTŪ ACRE CAMERÆ CATAL. IN EAS.

Quas cùm Landrianus Remis typis excudi, & ubique publicari curâsset, ingentes totâ Galliâ excitârunt fremitus & clamores. Primáque omnium, quæ proximior Remis erat, suprema Camera Catalaunensis, (quæ pars erat Senatûs Parisiensis, ibi ad majorem commoditatem illorum populorum constituta) nullâ expectatâ Regis jussione, præcipiti affectu, grandique animi amaritudine, decimo Iunii, requirente procuratore regio pronunciavit, dictas literas, uti Ecclesiæ Gallicanæ juribus atque libertatibus adversas, & ad seditiones spectantes, abusivas, nulliúsque roboris aut momenti esse: flammísque tradi in foro jussit. Landrianum earum latorem, sine Regis permissu in regnum ingressum, comprehendendum, atque in regios carceres trudendum, inde causam dicturum; si comprehendi nequiret, trinundino citandum, præmio decem millium librarum Turonensium statuto ei qui illum traderet; econtrà capitis pœnâ iis qui ipsum receptarent; Archiepiscopis, Episcopis, aliísque Ecclesiasticis viris, crimen læsæ majestatis intentatum, qui diplomata ab eo allata promulgarent, aut promulgari paterentur. Qui Cardinales, Prælati, aliíve, Romæ consilium dedissent, aut consensum in parricidium contra Regem Henricum III. omni jure beneficiorum ac sacerdotiorum in regno excidisse declarati. Denique prohibitum, ne deinceps aurum aut argentum pro sacerdotiorum diplomatibus Romam mitteretur, donec Rex aliter statuisset. Eodémque decreto, procuratori regio instrumentum appellationis, ab eo de Gregorii XIV. creatione ad futurum Concilium legitimè congregatum interpositæ, datum.

VI. REGIS DECLARATIO CONTRA EASDEM.

Quæ asperè à Catalaunensibus decreta, licèt Rex non improbaverit; suam tamen auctoritatem intercedere voluit. Itaque quarto Iulii Meduntæ edictum condidit Declarationis titulo: quo repetitis quæ priùs de animi sui propensione ad recipiendam instructionem de religione, déque Catholicæ in regno conservatione declaraverat, iisdémque confirmatis; de Gregorio querebatur, quòd contrà quàm Sixtus V. cognitâ adversariorum fraude, non solùm revocare quæ ipsorum instigatu aliquando fecisset, verùm etiam contra ipsos instigatores retorquere deliberâsset; ipse Gregorius nimis facilem se eorundem adversariorum imposturis, jactantium ipsum omnem instructionem penitùs aspernari, & multa in religione novâsse, præbens, Nuncium cum mandatis severis ad Principes, Antistites, Magistratus à se alienandos ablegâsset. Eum verò injussu suo ingressum esse, & ad perduellium partes, nullâ adventûs sui significatione factâ, transîsse. Quæ quia non solùm ad regni ipsiúsque injuriam pertinerent, sed etiam jura regni & libertates Ecclesiæ Gallicanæ, ac securitatem publicam respicerent; nolle in eâ re quippiam propriâ auctoritate statuere, sed negotium integrum relinquere regni Curiis, ut de eo secundùm regni leges decernerent. Insuper hortari Cardinales, aliósque præsules, ut quamprimùm conventum haberent, in quo de censurâ præter juris formam decretâ; quod justum æquúmque videretur, statuerent.

VI. REGIUM EDICTUM PRO HUGONOTIS.

Quo etiam tempore Rex aliud edictum condidit in gratiam Hugonotorum; quo revocatis quæ annis 1585. & 1588. instigatu fœderatorum contra eos publicata fuissent, quibus & ipse Rex Henricus III. in tot & tam graves casus incidisset, & ipse jam regnans jure regni excludebatur, & qui ei adhærerent perduelles declarabantur; illud confirmatum est quod idem Henricus III. anno 1577. ad regni dissidia componenda, turbásque sedandas promulgaverat, quódque ipse peculiariter suum vocare consueverat. Additâ tamen novo huic edicto clausulâ; ut illud locum haberet, quousque pace in regno constitutâ dissi-

dium religionis, sicut in regni ingressu Rex promiserat, ex communi omnium Ordinum consensu componi posset. Quod utrumque edictum tam pro Hugonotis, quàm contra Landriani diplomata, promulgatum fuit à Camerâ Catalaunensi die vigesimâ quartâ Iulii; à Senatu Burgundiæ translato Flaviniacum, vigesimo nono ejusdem Iulii; à Rotomagensi translato Cadomum decimotertio Augusti; à Turonensi quinto ejusdem Augusti; eadémque ferè in singulis contra Landrianum & Gregorium decreta, quæ Catalauni ampliúsque à Turonensi, ejúsque exemplo à Cadomensi decretum, ut diplomatum à Landriano latorum exempla à carnifice publicè lacerarentur, & igni consumerentur: ipséque Gregorius, se pro Pontifice gerens, (ut fert utriusque Curiæ decretum, vehementi exacerbatione conditum) hostis pacis, unionis Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ, Regis, ejúsque statûs declaratus est; necnon conjurationi Hispanicæ adhærens, fautor rebellium, reúsque immanissimi parricidii contra Henricum III. Christianissimum & Catholicissimum Regem patrati. Atque contrà Senatus Parisiensis Catalaunensia & Turonensia acta reprobans, tanquam hæretica & schismatica, & ab hominibus potestatem non habentibus gesta; ignéque pariter damnans; injunxit Pontificiis mandatis obedientiam & reverentiam præstare, ipsúmque Gregorium XIV. tanquam legitimum Dei Vicarium, & universalis Ecclesiæ caput venerari.

INTONATIO CONTRA GREGORIUM.

VIII. PRÆSULŨ GALLORUM DELIBERATIO.

Præsules verò qui in comitatu Regis erant, ejus hortatu convenientes in unum, primò Meduntæ, deinde Carnoti, vigesimo primo Septembris decretum fecerunt, ad omnes ordines, civitates, & Catholicos regni directum: quo significârunt, quandoquidem intellexissent Gregorium XIV. Romæ sedentem, malè de regni statu instructum, ac de ordine Ecclesiastico imprimis, astúque & technis hostium regni persuasum, mandata quædam monitoria, suspensiones, interdictiones, excommunicationes misisse non solùm contra Præsules, sed etiam principes, nobiles, & Franciæ populos, qui rebellium partes sequi noluissent; post maturam super iis consultationem, ex auctoritate sacræ Scripturæ, sanctorum decretorum, Conciliorum generalium, canonicarum constitutionum, perpensis sanctorum Patrum exemplis, juribúsque & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & quòd horum mandatorum executio innumeris periculosis eventibus in religionis perniciem vergentibus implicata esset: ea propter se interdictiones tam in formâ quàm in materiâ nullas, injustas, & suggestione hostium Franciæ factas declarare, neque iis se obligari posse, aliósve Francos Catholicos: ídque salvo cultu & honore qui Pontifici Romano debetur: Atque ut omnis scrupulus ex Catholicorum Regi fidorum conscientiis evelleretur, sibi integrum reservare, ad Summum Pontificem oratores mittere, quò eum de jure causæ pleniùs edocere, eíque in omnibus satisfacere valerent: à quo sibi idem responsum polliceri deberent, quod olim Alexander ad Archiepiscopum Ravennatem scribens his verbis dedisset: Patienter sustinebimus, si non feceris quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum. Interim admonere se Dei nomine verè Catholicos & Francici nominis studiosos, ac peculiariter sacris addictos, ut vota sua cum ipsis conjungerent ad impetrandum à divinâ bonitate, ut dignaretur Principis sui cor illuminare, eúmque ad unionem Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ adducere, sicuti spem fecisset ubi regnum suscepit. Ad extremum curionibus, eorúmque vicariis mandârunt, ut hujus declarationis exempla pro valvis templorum suorum affigi, & publicè inter sacra promulgari curarent. Decretíque archetypo subscripserunt Borbonius & Lenuncurius Cardinales, Archiepiscopus Bituricensis, Episcopi Nannetensis, Carnotensis, Bellovacensis, Malleacensis, Cenomanensis, & Catalaunensis, aliíque nonnulli Ecclesiastici viri qui conventui interfuerunt. Dum autem in eo essent ut legationem ad Pontificem mitterent, intercedente tunc Senatu, & superveniente Gregorii obitu res dilata est. Interímque multa hinc inde scripta pro diplomatum Gregorii defensione, & damnatione, in publicum edita fuêre, & pro singulorum captu & affectu accepta.

IX. COPIARUM HOSTIUM REGIS CLADES.

Nec verò propterea desinentibus rebus bellicis, multa ab utráque parte diversis regni provinciis tentata, factáque fuerunt; Regi ut plurimùm ejúsque ducibus in multarum urbium expugnationibus, aut receptionibus, & copiarum hostilium cædibus, prospera; tum adversus fœderatos Gallos; tum verò in Delfinatu & Provinciâ, ipsâque Sabaudiâ, contra ejus Ducem: qui cùm in Comitem & rectorem Provinciæ advocatus a fœderatis fuisset, & Aquis, Massiliæ, aliísque locis receptus, fuit tamen frequentibus & magnis cladibus a Valetâ Provinciæ & Diguerio Delfinatûs præfectis regiis, affectus, fugatúsque, amissâ ferè aut à se alienatâ Provinciâ. Pontificiæ verò copiæ longo terrestri itinere fatigatæ, & morbis atque incommoditatibus imminutæ, acceptâ quoque à Diguerio ad Charræ-pontem in Sabaudiâ non parvâ clade, per Segusianos facto itinere in Sequanos, inde per Lotharingiam Virdunum pervenerunt appetente autumno, sub imperio Ducis Montis-marciani; cujus animo stabat, antequàm quicquam tentaret, cum Parmensi vires conjungere. Ad quem magnâ gratulatione accessêre Virdunum Lotharingiæ Dux & Mayenius tantúmque ibi temporis in exercitu reficiendo insumptum est, ut priusquàm inde discederetur, de morte Pontificis allatum sit nuncium quo perculsis ducibus, ipsóque imprimis Imperatore, negligentiùs deinceps administrata sunt omnia: donec ad finem anni junctæ sunt copiæ exercitui Parmensis venientis in Galliam, ad solvendam obsidionem urbis Rotomagensis; quam Rex receptis auxiliis ex Germaniâ & Angliâ, magnis viribus potens, aggressus est die undecimâ Novembris festo sancti Martini: de cujus exitu dicetur anno sequenti.

X.

Hispanâ interim factione Lutetiæ per Sedecimviros ei devinctos invalescente, homines nequam & famelicos, qui se zelotas dici gaudentes nihil pace pejus habebant, aliósque pacis consilia sectantes tanquam politicos & hæreticorum fautores insectabantur: eò processum est, ut & ipsum Cardinalem

Gondium civitatis Episcopum, sibi à perniciosis eorum consiliis metuentem urbem deserere impulerint: & *Barnabam Brissonium* primarii præsidis munere in Sanatu fungentem, talem tantúmque virum, inter literatos spectatissimum, quòd ad quieta consilia inclinaret; eo colore quòd novo sacramento Vnioni sese obligare (quod pessimi illi homines ad turbas ciendas obtrudebant) minimè necessarium esse diceret; dum summo mane ad Senatum iret, in carcerem abreptum, & vix concesso tempore confitendi peccata sacerdoti, suspendio per carnificem decimosexto Novembris, unà cum Claudio Arcerio & Ioanne Tardivio consiliariis, viris bonis & vità innocentibus, affecerint. Quinimmò & ipsum Mayenii Ducem tunc absentem nefarii parricidæ, tanquam ad multa conniventem, in ordinem redigere conspirarunt, quò regni successionem in quem vellent transferre possent: hoc apud Regem Philippum satagentes, ut vel ipse regni clavum acciperet, vel per alium quemcumque quem filiæ suæ generum destinâsset, administraret: multùm ei commendantes Carolum Guisium Henrici Blæsis occisi filium; qui nuper, videlicèt decimoquinto Augusti, ex arce urbis Turonensis, ubi custodiebatur, pleno meridie delusis custodibus elapsus fuerat. (quod tantum abest ut rex Henricus doluerit, ut contrà sic prudentissimè judicaverit, orituram mox inter eum & Mayenium patruum æmulatione, fœderis factionem distractum iri, sicuti & contigit:) Quorum sceleratæ audaciæ, ubi rem audivit Mayenius, obviam ire statuens, mox in urbem advolans, quatuor ex iis comprehensos, in arce Luparâ patibulo gulâ fractâ affigi jussit tertio Decembris: qui dies postremus fuit tyrannidis Sedecim virorum, qui quàm anteà potentes ac formidabiles erant, tam invisi ac despicabiles exinde fuerunt; prohibitis eorum ac cæterorum secretis conciliabulis, pœnâ capitis impositâ.

BARNABÆ BRISSONII SCELESTŪ SUPPLICIUM.

XVI. VIRI IN ORDINEM REDIGUNTUR LUTETIÆ.

XI. GREGORII PP. OBITUS.

Quòd verò superiùs innuimus de obitu *Gregorii XIV.* Pontificis; contigit is die decimâquintâ Octobris, anno vitæ quinquagesimo septimo, Sedis mense decimo ac die decimo: ex calculi morbo, & alvi fluxu, cùm ab ipso Pontificatûs initio adversâ ferè semper valetudine usus fuisset. Quare & paucis ante obitum diebus accersitis ad se Cardinalibus, apud eos, si quid minùs convenienter in Pontificatu administrâsset, infestâ morbi afflictione modestè excusavit: hortatúsque est, ut omni sublatâ contentione & morâ, post suum obitum, optimum dignissimúmque eligerent. De cujus hoc postremo ad Cardinales sermone posteà Augustinus Cardinalis Veronensis commentariolum scripsit in ejus commendationem. In ejus vesicâ repertus est calculus duarum unciarum quadratus: cujus dolores intensissimos summâ patientiâ toleravit. Sepultus est autem in Basilicâ Vaticanâ in sacello Gregoriano: In cujus laudem luculentam habuit orationem Vincentius Blasius Garsias Valentinus Hispanus, sanctitudine vitæ, privatáque virtute inter optimos Pontifices adnumerandus: at rerum usu & constantiâ tot gravissimis rebus, difficillimis temporibus minùs par; ex quo multa ejus voluntati adversa, dum ex alienis consiliis pendere cogeretur, accidêre.

XII. Ejus Pontificatus præter cætera, notabilis fuit duplici clade Italiæ; fame scilicet ex incredibili annonæ penuriâ, (in quâ sublevandâ se Gregorius valdè munificum ac solicitum pro Ecclesiæ subditis præbuit, sicuti & alii principes pro suis:) & epidimico morbo: adeò ut in ipsâ solâ Vrbe Româ, quod vix credibile, sexaginta hominum millia periisse dicantur. De inquisitione promovendorum ad Ecclesias cathedrales, decrevit ut cùm extra Romanam Ecclesiam facienda esset, nemo sibi eam arrogare præsumeret, sed integrum hoc negotium iis qui à Concilio Tridentino designantur relinqueretur; videlicèt Apostolicæ Sedis Legatis, seu Nunciis provinciarum; aut Ordinario ejus de quo inquisitio facienda esset; eóque deficiente Ordinariis vicinioribus: nisi justis de causis Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum esse videretur: In Curiâ verò Romanâ hæc functio spectaret, vel ad Cardinales à Pontifice ad id electos, vel ad earum provinciarum protectores in quibus Ecclesiæ ipsæ consistunt. Instante Fratre Michaële Bonello Cardinale Alexandrino Dominicano, Pii V. ex sorore pronepote, Cardinales regulares, qui priùs nonnisi pileis ejusdem coloris, cujus erat habitus religionis quam professi fuerant, utebantur, rubris uti concessit; facto eâ de re decreto vigesimo sexto Aprilis. Et die Dominicâ nono Iunii festo Sanctissimæ Trinitatis, quo sacrum celebrandum erat in Ecclesiâ Sanctorum XII. Apostolorum, manu propriâ imposuit capitibus præsentium tunc in curiâ Cardinalium, videlicèt prædicti Alexandrini; Hieronymi Bernerii de Corrigio, Asculani, ejusdem Ordinis Dominicani; Constantii Sarnani, Ordinis Minorum Conventualium; & Gregorii Petrochini de Montelparo, Ordinis Eremitarum sancti Augustini.

INQUISITIO PROMOVENDORUM EPISCOP. A QUIBUS FIERI DEBEAT.

PILEUM RUBRUM CONCEDIT CARDINALIBUS RELIGIOSIS.

XIII. Sub eodem Alfonsus Dux Ferrariensis nobilissimo comitatu Vrbem ingressus 10. Augusti festo sancti Laurentii, lautissiméque acceptus à Pontifice; spe nihilominùs decidit obtinendi effectum sui itineris. Quippe cùm eum principatum, Ecclesiæ Romanæ beneficiarium, illustrissima familia Atestina, sive Estensis, à Pontificibus acceptum, continuâ hæredum serie multo tempore tenuisset; jámque accidisset ut Alfonsus liberis careret; ne tamen principatus à familiâ divelleretur, aliquem ex agnatis adoptare cupiebat, cui eum relinquere posset; quandoquidem in traditione novæ possessionis, quam investituram vocant, factâ à Paulo III. Herclui Alfonsi parenti, disertè cavebatur, quandocumque contingeret lineam directam masculinam legitimam deficere, tunc principatum ad Ecclesiam rediturum. Habebat autem Alfonsus in animo Cæsarem alterius Alfonsi patruelis sui filium ad imperium evehere: sed quòd illud illegitimo contubernio procreatus fuisset, noluit eum simul obtrudere, ne rem difficiliorem redderet, posteà id commodiùs acturus. Causæ autem adoptionis cognitione tredecim Cardinalibus, & Rotæ Auditoribus, à Gregorio Pontifice commissâ; concordibus omnium votis responsum est, Pii V. constitutione [a], de non alienandis & infeudandis ci-

DENEGATUR INVESTITURA FERRAR.

[a] Bullar. to. 2.

Pii V. const. 35. Gregor. XIII. const. 3. Sixt. V. const. 26. Gregor. XIV. const. 1.

vitatibus & locis Romanæ Ecclesiæ, quovis prætextu, etiámque evidentis utilitatis, (quod anteà frequenter fiebat à Pontificibus in favorem & commodum gentilium suorum ac propinquorum) quæ à successoribus Pontificibus Gregorio XIII. & Sixto V. ipsóquemet Gregorio XIV. confirmata fuerat, ejusmodi concessiones, non solùm de locis jam devolutis, de quibus minor erat quæstio, verùm etiam de devolvendis, qualis erat Ferrariensis petitio, omninò prohiberi; ac propterea nequaquam posse cum eo dispensari, nisi plenâ potestate ei constitutioni derogaretur. Ne verò derogaretur, (quod Gregorius in gratiam Ferrariensis decreverat) tantâ contestatione plerique Cardinales intercesserunt, ut res effectu caruerit. E quibus Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus eò processit, ut palàm in consistorio, dum ab omnibus conclamaretur, magno ardore dixerit, nunquam se consensurum etiam si membratim discerperetur: qui factus posteà Clemens Papa VIII. mortuo prædicto Alfonso Duce, Ferrariam ejúsque Ducatum Ecclesiæ vindicavit.

XIV. INNOCENTII IX. ELECTIO.

Celebratis de More Gregorii novemdialibus precibus, Cardinales quinquaginta sex conclave sexto Calendas Novembris ingressi; biduo pòst, nempè quarto Calendas Novembris, renunciârunt *Ioannem-Antonium Fachinetum* ex presbytero Cardinale tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, natione Italum, patriâ Bononiensem, ætatis ejus anno septuagesimo tertio: quippe natum decimotertio Calendas Augusti anni Christi millesimi quingentesimi decimi noni, honestis & religiosis parentibus Antonio Fachineto à Nuce & Franciscâ Titâ de Cinis. Qui Iuris utriusque lauream adeptus, Romam adiens, per varios gradus, administratáque cum laude diversa munera à Pio Quarto factus Episcopus Neocastrensis in Calabriâ, Concilio Tridentino interfuit: ac deinde à Gregorio Decimotertio factus Patriarcha Ierosolymitanus, demùm ab eodem celebri illâ novemdecim Cardinalium creatione anni millesimi quingentesimi octogesimi tertii, ad eam dignitatem promotus, post varia obita prudentissimè magni momenti negotia, in locum demortui Gregorii Decimiquarti, magnâ omnium consensione suffectus est Pontifex; assumpto nomine INNOCENTII IX. ac Dominicâ proximâ, tertio Nonas Novembris, coronationis insignia suscepit: & sexto Idus in octavâ omnium Sanctorum ad Lateranensem basilicam de more processit. Traduntur fuisse duo futuri ejus Pontificatûs indicia: unum, quòd cùm aliquando obedientiam Gregorio decessori, ut fit in publicis sacris, præstaret, mota è capite Gregorii infula in caput ejus deciderit: alterum, quòd in partitione cellarum conclavis, sorte ei illa obvenerit quæ eo loco quo Pontifices in consistoriis solium collocare solebant, extructa erat. Statim post electionem, renovato pristino more, ad Patriarchas, Primates, & Archiepiscopos, aliósque Antistites, literas dedit de suâ ad Pontificatum promotione, & pro precibus eorum ad rectam muneris sui administrationem implorandis; quas Augustinus Valerius Cardinalis Veronensis, ingenio & eloquentiâ insignis, ejus jussu conscripsit. Dum verò in eo esset, ut in rebus gerendis responderet grandi expectationi, quam universa Resp. Christiana ab ejus prudentiâ, rerum usu, pietate, providentiâ, cæterísque virtutibus, quarum nonnulla ipso initio variis in rebus specimina dedit, sumpserat; præclara ejus consilia mors intercepit: cùm post diem vigesimum primum Decembris, quo Septem visitaverat Ecclesias, dissimulatus anteà morbus apertiùs erupit febris fluxúsque; quibus vir corpore gracilis, & jejuniis confectus, tertio Calendas Ianuarii; duabus horis ante Solis ortum, eclipsim patiente Lunâ, ex hâc vitâ ad cælestem migravit; postquàm sedisset duos tantummodò menses: sepultúsque est in basilicâ Vaticanâ: In cujus funere Benedictus Iustinianus, præstans Societatis Iesu Theologus cultissimam habuit orationem. De eius verò successore dicetur anno sequenti.

ET OBITUS.

XV. ANTON. CARAFÆ OBITUS.

Obierat ibidem Romæ ineunte anno, (videlicèt pridie Idus Ianuarii) *Antonius Carafa* presbyter Cardinalis tituli SS. Ioannis & Pauli: qui nobilissimis parentibus Neapoli natus, & à teneris annis in studiis literarum educatus, assumpto ad Pontificatum ejus gentili Paulo IV, ab eo traditus est Guillielmo Sirleto Cardinali doctissimo in linguâ Græcâ instruendus, sub quo perfectam illius cognitionom adeptus est. Mortuo Paulo, particeps ærumnarum quas domus Carafa sub Pio IV. passa fuit, è curiâ recedens, à Pio V. revocatus, & Cardinalis creatus est anno ætatis trigesimo, eáque in dignitate constitutus, vir pietati & studiis totus deditus, Iuri canonico emendando, Epistolis Pontificum colligendis, & Bibliorum Græcorum ac Latinorum editioni sub Sixto V. præfuit; & post præceptorem Sirletum S.R.E. Bibliothecarius creatus est; cúmque in Conciliis Oecumenicis concinnandis laboraret, morte præventus anno ætatis quinquagesimo tertio, gloriam tanti operis Friderico Cardinali Borromæo transcripsit; magno suæ summæ religionis, pietatis, ac doctrinæ desiderio omnibus relicto, qui & Maronitarum Collegii à Gregorio XIII. erecti patrocinio suscepto, ei testamento suo mobilia omnia, supellectilem, aliáque legavit, atque ædem quæ extat ære suo construi jussit. Sepultus est autem in Ecclesiâ S. Silvestri in monte Quirinali: ac funus ejus, & gesta Franciscus Bentius Soc. Iesu eleganti oratione prosecutus est: laudârunt impensè meritóque Cæsar Baronius [b], (qui & fatetur Annales Ecclesiasticos à se editos ei deberi, quod eorum promotor & impulsor extiterit, ideóque eorum tomum primum, post Pontificem illi inscripsit) Thomas Bozius [c], Antonius [d] Aquisus, & alii [e] plurimi.

[b] Baron. Appar ad Annal. Eccles. Tom. 3. Annal. & in Notis ad Martyrol.
[c] Boz. de sign. Eccles. lib. 6. cap. 8.
[d] Aquis. ep. dedic. ad Epist. Pontif.
[e] Vid. Victoret. in Auctar. ad Ciacon. sub Pio V. Petramel. in contin. Onuf.

XVI. ANTONII PERESII HISPANI TRAGOEDIA.

In Hispaniâ multa hoc anno [f] perturbatio fuit, occasione *Antonii Peresii* Aragonensis, Philippo Regi olim à Secretis Epistolis, & non parvæ apud eum auctoritatis: qui quòd auctor, sive administer fuisset cædis Ioannis Escovedi, qui eodem munere apud Regem defunctus, ob suspicionem conspirationis cum Ioanne Austrio, cujus consilia in Belgio moderabatur, fuerat assentiente Rege in Hispaniâ interfectus; postulatus à viduâ &

[f] Marian. in Summar. in Relat. Ant. Peres.

liberis Escovedi, (immiscent etiam plerique æmulationem impotentis amoris Regis, ejusdémque Peresii, erga Annam Mendozam, feminam elegantissimam, & quamvis altero oculo captam insigni formâ præstantem: háncque potissimam odii Regis in Peresium caussam fuisse volunt:) his aliisque accusationibus in diversis judiciis obrutus, & non solùm mulctis pecuniariis, verùm etiam diris carceribus & quæstionum tormentis damnatus: demùm post duodecim annorum custodiam è carcere elapsus anno superiori in Aragoniam transfugerat, rationem apud Iustitiæ Aragoniæ supremum magistratum redditurus de criminibus sibi impactis. Vbi rursùs aliis accusationibus agitatus, & post elusa alia judicia Cæsaraugustæ à sanctæ Inquisitionis officio magiæ & fugæ ad Hollandos hæreticos præmeditatæ postulatus; cùm in eo esset ut à prorege manu armatâ è carcere Iustitiæ ad Inquisitionis transferretur; gravi inde orta plebis seditione pro conservatione sacrosanctæ Iustitiæ auctoritatis, fugatis Inquisitoribus unà cum prorege, plenæ libertati restitutus est. Quibus Philippus Rex commotus, cùm auctoritatem ac dignitatem suam in his verti existimaret, privilegiorum Aragonensium conterendorum, quibus jampridem Reges insidiabantur, commoditatem sibi oblatam avidè arripuit: & exercitum summâ celeritate conscriptum Alfonso Vargæ strenuo duci eò ducendum tribuit, qui dissipatis momento tumultuariis Aragonensium copiis, urbis Cæsaraugustæ potens factus, primarios proceres ac cives in carcerem trusit, nonnullos capite plexit; & in iis Ioannem Nuzam, qui tunc supremi Iustitiæ magistratûs munere fungebatur; quod exinde omne suum robur & potestatem amisit. Peresius manus Vargæ fugiens, in Bearnium sese ad Catharinam Regis Henrici sororem contulit: indéque pòst in Galliam & Angliam transiens, benignè ab iis Principibus exceptus, majori se vanitate quàm prudentiâ aut rerum usu præditum ubique ostendit: demúmque miser & egens periit.

XVII. BELLUM A TURCO DECERNITUR IN CHRISTIANOS.

Pace cum Persis ab Amurate Turcorum Imperatore factâ, eáque obsidibus stabilitâ; Amurates exercitum tot annorum laboribus & ærumnis fessum, quiete & otio recreare constituebat; nec deerant præcipui ex ejus proceribus, qui id imprimis necessarium esse arbitrarentur: cùm Sinanes primarius Vizir, qui sublato nuper è medio Ferhate æmulo ad clavum Imperii sedebat, bellum in Europam adversus Christianos, quos summo odio prosequebatur, transferendum suadere cœpit: quippe quos pacem concessam, ac præcipuè Hungaros & Germanos, frequentibus in Turcicam ditionem & dirissimis excursionibus identidem violare diceret: ac Cæsarem ad mittendum munus honorarium, jam à biennio intermissum, quanquam sæpiùs sollicitatum, adduci nondum potuisse. Variantibus super hæc sententiis visum Amurati fuit, ut priùs quàm de summâ consultationis deliberaret, Muphtis summi superstitionis Mahometanæ antistitis sententia exquireretur, quò salvis auspiciis & religione maturè omnia terminari possent. Qui cùm in consilium vocatus, auditis utriusque partis rationibus, omninò bellum dissuasisset, & ad pacem conservandam hortatus esset; quinimmò & minas ingessisset interdictionis à communione & commercio hominum in omnes illos quicumque contrarium suadere præsumerent: is à perfido Sinane honoris causâ convivio exceptus, venenum ab eo paratum hausit, quo post convivium protinùs expiravit; repentinæ ejus mortis causâ à Sinane nimiæ ingurgitationi & imbecillis senectæ vitio tributâ. Idémque mox Pannonici belli cupidine, quod præ aliis administrandum decreverat, per literas secretò Hasanem Bosnæ præfectum admonuit, ut eâ parte bello Cæsarianis illato, causas novarum rerum quæreret, sic ut posteà se ab iis contra inducias armis petitum conquereretur. Præstitit id confestim Hasanes: & factâ gravi excursione in Illyricum & Croatiam, tanquam ex composito cladem non parvam à Cæsarianis accepit; nonnullis etiam arcibus hinc inde captis. De quibus Amuratem per nuncios certiorem reddens, vera falsis miscendo, inducias à Cæsarianis violatas significavit, arcémque quandam à præfecto Illyrici Cæsariano, cum insigni apparatu bellico ac tormentis inusitatæ magnitudinis obsessam expugnatámque: Non enim alioqui per leges induciarum, eæ violatæ existimabantur per excursiones, & irruptiones, aut etiam oppidorum interceptiones, tormentorúmque currulium minoris formæ quæ binis equorum jugis traherentur applicationem) petiítque copias suas augeri, quibus & sua tueri, & injurias ulcisci valeret. Quo demùm anno sequenti ab Amurate, Sinane maximè hortante, concesso gravissimum postinde ac diuturnum gestum est bellum inter Turcos & Christianos; quod accuratè descripsit Nicolaus Isthuanffius nobilis Pannonius in suâ Historiâ Rerum Hungaricarum; qui interfuit, nec pars ejus minima extitit, cujus præcipua gesta attingentur à nobis subsequentibus annis pro ratione temporis.

SINANIS NEQUITIÆ.

XVIII. PRODIGIA CRUCUM IN ANGLIA.

Mira non pauca protulit hoc anno Anglia, prodigiorum feracissima ex quo portentosè in religione à rectâ viâ aberravit. Fuêre quædam è cælis, ad consolationem bonorum, & terrorem malorum; alia ex inferis, ad damnationem impiorum, & horrorem blasphemorum. Prioris generis sunt CRUCES, quæ dicuntur [g] palàm omnibus apparuisse in cælo, die vigesimotertio Aprilis, sacro S. Georgio Martyri Angliæ patrono, circa vesperam in Comitatu Norfolciensi, intersecantes magnum circulum splendidissimum, cum duobus minoribus, ac tribus in singulis Solibus in formam Crucis S. Andreæ. Super quâ apparitione varii multiplicésque discursus & interpretationes evulgatæ fuerunt. Ipséque adeò Fr. Alfonsus Chuaon ex Ordine Prædicatorum tractatum de iis edidit; necnon de aliis, quas mense Maio sequentis anni Lutetiæ, aliísque nonnullis Galliæ urbibus diversis diebus visas in templis, & vestibus ac linteaminibus sacris meminerunt multi adhuc viventes, qui eas propriis oculis viderunt. Quales etiam utriusque modi pluribus aliis locis magno inspicientium stupore conspectas esse retulimus [h] nos his nostris Annalibus, ac Baronianorũ Epitome. Putamúsque, his Anglicanis

[g] Ribaden. Schism. Angl. lib. 4. c. 6.

[h] Vid. in Indic. verb. Crux.

voluisse Deum Catholicos confirmare in religione quam profitebantur, & ad tormenta ac dira supplicia, quibus quotidie ab hæreticis afficiebantur, fortiter toleranda, exemplo ejus qui pro humano genere mortem in Cruce oppetere voluit, excitare.

XIX. Martyres in Anglia.

Nec defuit occasio; cùm hoc quoque anno, ut singulis fieri solemne erat, multi tam sacerdotes quàm alii pii viri variis locis ob fidem Catholicam ad martyrium tracti sunt; quod summâ constantiâ susceperunt: cæteris ad id ipsum paratissimis, quorum tantus erat numerus, ut ex literis [i] unius ex illis tunc scriptis intelligatur, in unâ urbe Londino sexaginta fuisse uno tempore sacerdotes, qui sacramenta administrarent, verbum Dei prædicarent, & quotidie aliquos sanctæ Ecclesiæ reconciliarent. Vnde & factum est, ut cùm sacerdotes Angli majore quàm anteà numero hâc tempestate clanculùm in Angliam è Seminariis Romæ, Galliæ, & Hispaniæ, (nam & Rex Philippus nuper Seminarium ad Vallem-olitanam Anglis posuerat) in dies subreperent; mense Octobri edictum [k] conditum fuerit, prioribus longè acerbius: quo scilicèt prætentâ causâ molitionum quæ à Rege Hispaniæ continuè in Angliam fierent, injunctum est severissimè omnibus cujuscumque conditionis, generis, sexûs, dignitatis, exactissimam inire rationem earum omnium personarum, quæ quatuordecim elapsis proximè mensibus domos suas frequentâssent, aut in eis habitâssent, versatæ fuissent, dormivissent, aut comedissent; vel tempore publicationis edicti aliquid horum facerent, aut impostерùm facturæ essent: nempè cujus nominis, conditionis, & qualitatis essent; in quâ parte Angliæ natæ; ubi anteà conversatæ per integrum saltem anni spatium antequàm in domum suam accessissent; quomodò & unde se sustentarent; quid facerent; quænam loca frequentare solerent; quibuscum versari; & si temporibus per leges Reginæ præscriptis Ecclesias suas adire & divinis officiis interesse solerent: siquis autem minùs libenter aut promptè ad hæc examina respondere perspectus fuisset, aut in responsis dubius appareret, statim comprehenderetur, & ad delegatos singularum provinciarum cum custodiâ transmitteretur puniendus: idque ipsum fieret adversus patresfamilias & domorum rectores, qui in ejusmodi examine faciendo negligentiores sese præberent. Solet vulgò Inquisitio Hispanica velut extremum crudelitatis proponi: sed quid ea ad hanc Anglicam? Fuit autem edictum factum die 18. Octobris, postridie obitûs Christophori Hattoni Cancellarii Angliæ, (quo superstite vix illud prodiisset in lucem; quippe qui in partes Catholicorum pronior, ac proinde cæteris Reginæ ministris erga illos moderatior, mitiùs cum iis agendum censebat:) promulgatum verò Londini 29. Novembris, præcipuo administro Guillelmo Cecilio Barone Burghleio summo Angliæ Thesaurario, Catholicis infensissimo. Cœpítque mox summâ diligentiâ per universum regnum executioni mandari; ejúsque vi quamplurimi tam sacerdotes quàm laici utriusque sexûs, etiámque pueri, ad supplicia raptari. Contra ipsum autem edictum varia edita sunt in publicum scripta, quibus præcipuè Burghleius perstringebatur: multáque nugacia in edicto observabantur, ac refellebantur: putà calumniæ in Regem Philippum; absurda & proterva contra Romanum Pontificem; mendacia & falsitates cùm in fingendis criminibus adversus Seminaria, & Seminaristas ac Iesuitas, tum in asserendo quòd nemo in Angliâ ob Religionem occideretur.

Edictum sævissimum in Catholicos.

[i] Rib. ibid. cap.7.

[k] Ibid. c.20. & 16. Camden. in Elisab.

XX. Deliri Prophetæ Angliæ.

Alterius generis portentum in eâdem Angliâ fuit, vesania quorumdam impurissimorum Puritanorum disciplinæ Genevensis. *Guillelmus* [l] *Hackettus* vir erat plebeius ex Oundaliâ in Comitatu Northamtoniensi, illiteratus, insolens & ferox: qui cùm rem ab uxore acceptam luxu prodegisset, admirandæ sanctitatis personam derepentè induit; tractúque temporis revelationes quasdam sibi cælitùs factas, vocationémque extraordinariam ementiendo insinuavit se quibusdam ministris, qui disciplinam Genevensem in Angliam inducere anhelabant. Familiarísque factus *Edmundo Copingero* ex Clarâ [m] Familiâ, qui etiam se extraordinariè à Deo ad Ecclesiæ bonum vocatum, & rationem sibi cælitùs patefactam perducendi Reginam & Consiliarios ad mentem meliorem dicebat: (scilicèt ad Disciplinam Genevensem admittendam) primùm sibi, & deinde *Arthingtono* Disciplinæ illius summo admiratori persuaserat Deum extraordinarios operarios in Ecclesiâ in dies excitare. Itaque Copingerus se Misericordiæ Prophetam jactitabat, Arthingtonus Iustitiæ & Vindictæ Prophetam, Hackettus Iesum Christum repræsentare: quem etiam summum supremúmque monarcham Europæ à Deo constitutum esse asserebant, cui omnes Reges quasi ejus beneficiarii subessent, unique illi obtemperandum esset, ac Reginam Angliæ, nisi Reformationem promoveret, abdicandam. Hæc cùm per plateas vociferarent, & pœnitentiam prædicarent, apprehensi regios Consiliarios & magistratus adeò contemptim habuerunt, ut se omnibus iis superiores esse dicerent. Hackettus, qui etiam Reginæ imaginem in tabulâ depictam pugione confoderat, læsæ majestatis damnatus, ingentibus blasphemiis auditores horrore perfudit. Ad patibulum monitus peccatum in Deum & Reginam agnoscere, contumeliosè Reginam insectatus, *Deus æterne*, inquit, *tu nôsti me verum esse Iehovam quem misisti: aliquod miraculum è nube ad convertendos hos infideles exhibe, & me ab inimicis eripe: sin minus cælos inflammabo, & te tuo throno his manibus deturbabo*; aliáque magis infanda. Laqueo innodatus, oculis in cælum sublatis, *Hoccine*, inquit frendens, *pro regno collato rependis? venio ulturus*. Demissus de patibulo adhuc vivus, exenteratus membratim dissectus est. Copingerus paulò pòst voluntariâ inediâ in carcere se confecit: Arthingtonus ad resipiscentiam reservatus, edito libello seriò pœnituit. En quò spiritus Calvinianus sectatores suos perducat!

[l] Camden. ibid. Ribad. cap.8.

[m] Vid. sup. ann. 1580. XII.

IESU CHRISTI Annus 1592.
CLEMENT. VIII. An. 1.
RUDOLPHI II. Annus 16.

I. HIPPOL. ALDOBRANDINUS ELIGITUR PONTIFEX.

ANno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Indictione quintâ, post novemdiales preces Innocentio IX. Pontifici de more persolutas; quarto Idus Ianuarii quinquaginta duo Cardinales tunc Romæ præsentes conclave ingressi sunt; & ut ferè consuevit in partes distracti; Hispanis & Montaltinis pro Iulio Sanctorio Sanseverino vehementissimo nisu prensantibus, ac tantùm non obtinentibus. Prævalente verò demùm intercedentium factione, is omninò exclusus est; ac post alios atque alios hinc inde propositos, & rejectos; derepentè tandem consensum ab omnibus est in *Hippolytum Aldobrandinum* presbyterum Cardinalem tituli S. Pancratii, Majorem Pœnitentiarium, & ipsum non solùm Montaltinæ factionis, putà Cardinalem à Sixto V. creatum, verùm etiam Philippo Regi non ingratum: cæterùm virum, qui omni ætate, ac variis quæ obivit muneribus, egregium prudentiæ, probitatis, justitiæque specimen dederat, adeóque singulari apud omnes existimatione præstantem. Qui nihilominùs ut erat vir summè pius, non priùs suæ electioni, quam nec cogitaverat quidem, assensum præbere voluit, quàm de geniculis ante altare Deum intentissimè precatus esset, ut nisi res ad ejus gloriam & rei Christianæ bonum futura esset, potiùs ipse linguâ faucibus adhærescente obmutesceret quàm in suam electionem consentiret. Fuit is origine Florentinus, sed Fani natus, quæ urbs est ditionis Ecclesiasticæ in littore Hadriatico, parentibus nobilibus ac piis, patre Silvestro insigni consistorialis aulæ Advocato, & tam rebus gestis quàm etiam nonnullis scriptis claro, matre Lesâ Detâ: fratrémque habuit Ioannem, primùm Romanæ Rotæ Auditorem, deinde Episcopum Forocorneliensem, seu Immolensem, posteáque Cardinalem à Pio V. creatum, & Majoris Pœnitentiarii munere per cessionem S. Caroli Cardinalis Borromæi vacante donatum. Ipse Hippolytus literarum tyrocinium, fovente ejus studia Alexandro Cardinale Farnesio, Romæ fecit: dein Ferrariæ, ac posteà Bononiæ juri civili operam dans, laureámque Doctoratûs consecutus, Ioanni fratri, cùm Cardinalis factus est, successit in Rotæ Auditoriatu: & Cardinalem Alexandrinum Pii V. pronepotem in legatione Hispanicâ & Gallicâ comitatus, postinde à Sixto V. anno 1585. promotus est ad Cardinalatum; ac sequenti in locum: Philippi Cardinalis Boncompagni defuncti factus Major Pœnitentiarius. Functúsque deinceps legatione Polonicâ, postremò in locum Innocentii IX. renunciatus est Pontifex 3. Calendas Februarii præsentis anni, ætatis suæ quinquagesimi sexti; & 4. Nonas ab Alfonso Gesualdo Cardinale Episcopo Ostiensi sacri collegii decano, pro ejus munere, Episcopus consecratus: octavóque pòst die coronationis insignia à Francisco Sfortiâ primo Diacono Cardinali suscepit; assumpto sibi nomine CLEMENTIS VIII. & symbolo *Protector*[a] *noster aspice Deus*: ac pridie Nonas Aprilis ad Lateranensem Basilicam, possessionem ex more initurus processit.

NOMEN SUMIT CLEMENTIS VIII.

[a] Psalm. 83.

II. VISITAT ECCLESIAS ET MONASTERIA VRBIS.

Manum autem confestim admovens administrationi Pontificatûs; inter alia, ex Apostolatûs sui sublimi speculâ considerans (ut[b] ait) quam Ecclesiis omnibus pastoralem sollicitudinem deberet, eam tantò impensiùs sanctæ Romanæ Ecclesiæ debere, quantò sibi propinquior, & pluribus charitatis vinculis esset conjuncta: Visitationem autem tantoperè à sacris canonibus, & præsertim à sanctâ Tridentinâ Synodo commendatam, veluti spiritualem quandam culturam esse populi Christiani, quâ divinarum rerum veneratio augetur, boni mores conservantur, pravi corriguntur, instaurantur Ecclesiæ, populus ad pietatem accenditur: ut omnis ex Vrbe auferretur iniquitas, & Clerus ac Populus Romanus vitæ innocentiâ, Ecclesiasticâ disciplinâ, omníque Christianæ pietatis exemplo cæteris prælucere; statuit hunc peculiarem agrum & gregem recognoscere, ac Romanæ Vrbis omnes tam Patriarchales quàm Collegiatas & parochiales Ecclesias, earúmque capitula & personas, itémque monasteria, conventus, & Ecclesias quorumcumque Ordinum tam virorum quàm mulierum, Hospitalia, Collegia, Confraternitates laicorum, Montem pietatis, & omnia quocumque nomine censerentur loca pia, per se ipsum visitare; adhibitis secum nonnullis Cardinalibus & Episcopis, quorum consilio tantò fructuosiùs in eo salutari officio versaretur. Indictáque publicè eâ visitatione, inchoandâ die Dominico decimoquarto Iunii, commemoratione S. Basilii Episcopi & Doctoris celebri, à primariâ Lateranensi basilicâ, omnes hortatus est ac monuit, verâ tam interiori quàm exteriori reformatione Visitationem suam prævenire: & ad cælestem opem implorandam, jussit in præcipuis Vrbis Ecclesiis orationem XL. Horarum celebrari. Vacavit autem huic operi diligentissimè, cum ingenti fructu; & morum emendatione, ac disciplinæ restitutione. Interímque aliâ in publicum editâ admonitione[c] vigesimo tertio Iunii, Rectores, præfectos, & alumnos Seminariorum Sedis Apostolicæ, ac quoscumque alios qui Regum, Principum, Episcoporum, aut aliorum ope & liberalitate alerentur, hortatus est animum ad ea consilia traducere, quorum præcipuè causâ Seminaria instituta essent; nimirùm ad nationum suarum benè & Catholicè vivendi rationes, ob hæresum pravitatem gravissimis anteà difficultatibus implicatas, promovendas, quippe non in eo dumtaxat officii ipsorum rationem consistere, ut ipsi in propriâ benè vivendi disciplinâ constanter persisterent; sed illud præterea ab iis exigi, ut singuli privatos tum in studiis, tum in omni virtutum genere progressus, ad publicam eorum quibus præfuturi essent utilitatem ac salutem, etiamsi maximi propterea cruciatus subeundi, ac certissima ipsiusmet vitæ pericula sustinenda essent, libenti animo conferrent. Et ad hæc faciliùs à Deo obtinenda, injunxit quædam jejunia; & indulgentias largitus est.

[b] Bull. to. 3. Clem. VIII. const. 8.

HORTATIO AD SEMINARIORUM ALUMNOS.

[c] Ibid. const. 9.

III. [d] Ibid. const. 11. DUELLORŪ DAMNATIO.

Aliâ quoque constitutione [d] decimosexto Calendas Septembris factâ, priores à nonnullis Pontificibus & Concilio Tridentino contra pugnantes singulari certamine, seu duello, decretas confirmans; declaravit insuper eas locum habere ubique gentium, inter quascumque personas etiam armatas, & in castris seu propugnaculis, etiamque justo bello militantes; scriptáque omnia quocumque modo ad duellum pertinentia, necnon & verba prolata damnans, cunctos illos qui aliquâ ratione iis scribendis, dictandis, mittendis, deferendis, divulgandis, auxilium, consilium, operam vel favorem præstiterint, vel quomodolibet se immiscuerint, etiamsi neque pugna facta fuerit, nec aperta provocatio, necnon qui aliquid eorum publicè vel privatim permiserint, excommunicavit, anathematizavit, maledixit; loca in quibus ea admissa fuerint, Ecclesiastico supposuit interdicto: hortatione intentissimâ ad Principes additâ pro horum executione, & delinquentium punitione. Idémque [e] Fratribus Ordinis Prædicatorum, in omnibus actibus & supplicationibus tam publicis quàm privatis, digniorem locum attribuit post canonicos & clericos sæculares, & antiquos monachorum ordines. Monachos [f] item S.Basilii in unam Congregationem, & sub regimen unius Abbatis redegit. Contemplánsque graves & diuturnas Christianæ Reipublicæ calamitates, sed præcipuè (ut inquit [ff]) cor suum & paterna viscera transfigente luctuoso statu nobilissimi & florentissimi Galliæ regni, quod tot jam annos summâ rerum perturbatione, & omnium malorum acerbitate conflictabatur, die vigesimâ quintâ Novembris decretum edidit, quo ad placandum Deum, ejúsque opem impetrandam, statuit perpetuam sine intermissione Orationem XL. Horarum publicè in Vrbe certis Ecclesiis, & præfinitis diebus celebrari; eâ servatâ Ecclesiarum & temporis distributione, ut die noctúque, quâvis horâ toto vertente anno, sine intermissione orationis incensum in conspectu Domini dirigeretur. Quod quidem orationis genus tunc eâ occasione feliciter institutum, perseverat hactenùs Romæ ad quascumque alias Ecclesiæ necessitates: transiítque pariter ejus usus ingenti fructu ad plures alias civitates non Italiæ solùm, sed & aliarum regionum, cùm alioqui jam antehâc [g] ejusmodi oratio XL. Horarum ad certa tempora instituta fuisset.

[e] Const. 3.

[f] Const. 14.

[ff] Const. 17. INSTITUTIO PRECUM CONTINUARŪ XL. HORARUM.

[g] Supr. ann. 1556. XI. & 1560. IV.

IV. DIPLOMA CLEMENTIS DE REGE GALLIÆ ELIGENDO.

Quod ad res Gallicas; fuit & idem Clemens initio Pontificatûs parùm de iis instructus, cùm nulli admitterentur qui possent èx utero referre; & non cessarent Fœderati & Hispani eas ita repræsentare, ut actum penitùs esse de religione sibi Pontifices persuaderent, nisi explosâ omni cogitatione conversionis Henrici Regis, eum maledictionibus ac censuris suis ab eâ deterrerent, & Catholicos ei addictos ab illâ procurandâ averterent, eosdémque unà cum ipso in infernum præcipitarent. Quare cùm Clemens totus tunc in eo esset ut eum à regni successione deturbaret, & alius qui verè esset Catholicus ejus loco constitueretur, scriptis ad Philippum Segam Cardinalem Placentinum, legatione Sedis Apostolicæ in Galliâ fungentem, literis decimoquinto Aprilis, mandavit Regis electionem procurare, qui pacis publicæ defensor, & Catholicæ fidei sincerus cultor esset, & crescentes hæreticorum conatus quamprimùm comprimeret. Isto quippe regno dignum esse non posse eum qui fidem orthodoxam destrueret, qui hæreticorum perfidiam foveret, qui Catholicorum dissidia componere non curaret, sed mutuas eorum discordias quotidie magis inflammaret. Vt verò in idipsum operam suam Catholici qui firmi in fide perstitissent, præstarent, hortatus est summoperè: nec destitit eos qui hæreticorum fautores extitissent, ad resipiscentiam invitare, & ut cæteris se pro Regis electione conjungerent admonere.

V. DE EO SENATUSCONSULTA CONTRARIA.

Quo Pontificis diplomate promulgato Lutetiæ mense Octobri, id ubi rescitum est Catalauni, Camera antiqui Senatûs Parisiensis ibi existens postulante procuratore regio ab eo appellante, solito suo præcipiti fervore die decimo-octavo Novembris decrevit, Cardinalem Placentinum citandum esse ad respondendum appellationi: admonuit omnes Præsules, principes, proceres, aliósque omnes cujuscumque conditionis essent, ut in obsequio Regis constanter perseverarent: inhibuit gravissimarum pœnarum interminatione, nequis diploma illud habere, aut ad locum electionis faciendæ se transferre, aut eò itantes hospitio recipere auderet; & ut locus ille seu urbs in quâ conventus ejusmodi fieret, funditùs everteretur. Hoc verò decretum Catalaunense Senatus Parisiensis ad finem anni abrogavit, & igni damnavit, converso ipso in cineres publice coram ipso Mayenio Duce: ex re tam seriâ facto penè utrimque lusu. Cùm jam ineunte anno longè audacius Senatus Rotomagensis eo ipso tempore quo urbs à Rege durâ obsidione premebatur, occasione cujusdam detectæ conjurationis de tradendâ unâ portâ regiis, septimo Ianuarii Senatusconsultum fecisset; quo suspendii pœnâ prohibuit omnibus cujuscumque conditionis & dignitatis, nemine excepto, nequis qualemcumque opem, aut favorem exhiberet Henrico Borbonio, aut ejus sectatoribus: procuratoríque regio injunxit contra ejusmodi singulos inquirere: addens insuper ut sacramentum Vnionis singulis mensibus renovaretur, & à cunctis observaretur sub pœnâ mortis absque ullâ veniæ spe quemadmodum & priùs adacti fuerant cives jurejurando de revelandis iis qui verbo vel facto eidem Henrico ac suis quomodocumque patrocinarentur.

VI. OBSIDIO ROTOMAGENSIS.

Processerat jam obsidio in tertium mensem, magnis animis eam sustinentibus civibus & præsidiariis, ac frequentibus eruptionibus castra regia infestantibus; (urbi præerat cum summo imperio Henricus Aguilionius Mayenii filius natu major; & quòd is junior esset quàm tantæ moli par esset, datus ei vicarius vir strenuus Andreas Brancatius Villarsius:) cùm Dux Parmensis è Belgio parvis itineribus advenit, receptis in viâ Ducibus Mayenio & Guisio cum copiis Gallicis; & Montemarciano cum Pontificiis, quæ ad unicam equitatûs turmam, & duo millia Helvetiorum redactæ erant. Quibus obviam ire Rex statuens, relicto ad obsidionem Birono Marescallo, ipse cum flore nobilitatis Auma-

lam usque processit: atque ubi in conspectum hostium venit, impressionem in eos faciens, coactus eorum virtute est retrò cedere turbatis ordinibus, nec parvâ clade; acceptóque etiam inter confusos levi vulnere, perstrictâ lumborum cute pilæ eminùs emissæ jam languente ictu, quinto Februarii. Cùm post hæc absente Rege, qui Dieppam excurrerat ad dissolvendam aliquam conspirationem, Villarsius celebri eruptione in castra regia impetum magnâ cæde fecisset; adeò ut Mayenium de re benè gesta certiorem faciens, jactaret non ampliùs se milite in auxilium, sed tantùm pecuniâ ad præsidiariorum stipendium indigere: Parmensi qui non longè aberat, occasione utendum esse dicente, & turbatis instare antequàm animos post tantam cladem collegissent, & Rex cum viribus integris adesse posset; contradixit Mayenius, se in hoc tantùm venisse asserens ut obsessis succurreretur: quòd cùm fortuna confectum dedisset, nihil aliud superesse, quàm ut integro exercitu ipsi se in tutum reciperent. Quæ studiorum discrepantia, (orta ex æmulatione inter duces, & suspicione Mayenii ne Parmensis eo obtentu Rotomagum occupare in animo haberet) saluti fuit castris regiis; cùm pro certo habitum fuerit, si Parmensis sententia tenuisset, in extremum periculum ea adducta fore, Rege absente, Birono vulnere in crure eâ irruptione accepto in lecto jacente, & animis recenti casu perculsis.

DIVISIO INTER PARMENSEM ET MAYENIUM.

VII.

Recedente igitur Parmensi Belgium versùs, cùm Rotomagenses se periculo defunctos existimarent, Rex ad obsidionem reversus, arctiùs eam premere cœpit: adeò ut Villarsius, multis è suis aliquot pugnis deperditis, rursùs opem implorare coactus, tantâ instantiâ id præstiterit, ut denunciaverit, nisi intra sextum diem à decimoquarto Aprilis putandum, auxilio juvaretur, fore ut cum Rege pacisceretur. Itaque Parmensis magnis itineribus eò iter resumens, habens in exercitu quinque millia equitum, & duodecim peditum; (cui in itinere Cardinalis Sega Legatus occurrit, & cum eo perrexit) Regem inopinatâ celeritate perculit, qui non tantis tunc viribus existens, ut obsidionem continuare, simúlque hosti obviam ire posset; revocatis properè suis, qui ad se reficiendum ex militiæ & hiemis incommoditatibus discesserant, interim vigesimo Aprilis obsidionem penitùs solvit. Cui recedenti Parmensis totis viribus insistendum censens, Mayenium rursùm obtinentem habuit, obtentu aleæ prælii sine ullâ necessitate tentandi; eóque utilius esse asserentem, Caudebecum oppidum infra urbem copioso commeatu instructum, & expugnatu facile, exercitum ducere, unde annona nullo negotio in urbem importari posset. Rotomago igitur ab ipsis ducibus visitato, ac nonnullis munitionibus à Rege extructis dirui jussis, Caudebecum itum est, Parmensis dum locum propiùs lustraret, sclopeti ictu in brachio infra cubitum sauciatus est: nec tamen quâ erat animi firmitudine, vultum mutare visus, aut sermonem cœptum propterea intermittere, sanguine licèt in manum exundante, donec à circumstantibus vix persuasus est se recipere ad curandum vulnus. Recepto deditione oppido, copiosa annona Rotomagum devecta est.

SOLVITUR OBSIDIO.

PARMENSIS VULNERATUR.

VIII.

Rex autem collectis copiis ad sex millia equitum & duodecim peditum, (augent quidam ad octo equitum tam Gallorum quàm Germanorum, & quindecim peditum) adversus hostes properans, castra ad Ivetoticum municipium ab hostibus occupatum locavit ultimo Aprilis. Indéque tot impressionibus, cladibúsque eos exagitavit, ut accedente grandi annonæ penuriâ, eos coëgerit stationem deserere, & exercitum trans Sequanam transferre, quod vigesimo secundo Maii fecerunt pontonibus tectis; re tardiùs à Rege animadversâ quàm ut impedire potuerit: qui si partem equitatûs, quo maximè abundabat, per Pontem-Arcuensem in alteram ripam immisisset, poterat facilè hostilem exercitum, cladibus debilitatum & imminutum, atque vigiliis & fame penè enectum, aut transitu prohibere, aut transeuntem ad internecionem delere. Adeò ut memorabili hoc receptu (quem nihilominùs plerique fugam interpretantur: sed est etiam non raró in fugâ virtus:) summam laudem Parmensis tam apud Philippum Regem, quàm omnes militares duces meruerit. Qui festinatis agminibus bidui itinere ad Sanclodoaldum duabus à Lutetiâ leucis pervenit: ibíque rursùm transito flumine, receptísque omnium urbis ordinum de re benè gesta gratulationibus, exercitum in Briam misit, ut ibi per otium ex labore & egestate reficeretur: ipséque Theodoricicastrum pergens, ibi moratus est donec pecunia ex Belgio inter milites distribuenda afferretur. Mayenius autem, salvo auxiliari exercitu, & Rotomagi obsidione solutâ gloriosus, Lutetiæ remansit.

GLORIOSUS PARMENSIS RECESSUS.

IX.

Parmensis autem in Belgium reversus, cùm tertiam in Galliam expeditionem pararet, quam per se inire velle proponebat, nec ut in prioribus à Mayenio pendere; accedente ad veterem ægritudinem recentis vulneris incommodo; & rem in Belgio à se restitutam, dum in alieno occuparetur, quotidie perire mœrens, Mauritio Nassovio Ordinum imperatore strenuè rem pro iis agente: ingravescente morbo oppressus est Atrebati secundo Decembris, animam ritè sacramentis Ecclesiæ procuratam Deo reddens anno ætatis quadragesimo septimo: Princeps omnibus imperatoriis virtutibus cumulatissimus, quibus amorem etiam & honorem apud hostes meritò consecutus est: tantâ speciatim ex Gallicanis expeditionibus, quibus Regem à Lutetiæ & Rotomagi obsidione avertit, de se famâ excitatâ, ut minora virtute ejus cuncta existimarentur. Magnâ pompâ ei parentatum; Episcopo Audomarensi funebrem orationem habente. Corpus Bruxellas deductum, & in regii palatii sacello collocatum: rursúmque inde in Italiam devectum, & Parmæ tenui funere ac Capucini habitu, uti testamento caverat, cum Mariæ Lusitanæ conjugis corpore reconditum. Eique, quòd Româ oriundus esset, S. P. Q. R. ob res magnas pro Republicâ Christianâ gestas in Ecclesiâ Franciscanorum Aracæli, tanquam civi optimo magnificis exequiis justa persolvit, & inscriptionem posuit, statuam verò marmoream in Capitolio; orationem

PARMENSIS OBITUS.

nem habente Gabriële Cæsarino quem & laudârunt plurimi alii vario scriptionis genere. Fuítque unus, qui non adeò inscitè sic in eum cicinit:

Francia quem metuit, Belgæ coluêre Fideles,
Martis honos, nullo conditur in tumulo.
Gloria, quæ toto se latè fundit in orbe,
Orbem pro tumulo, non locus arctus habet.
Tot domitis tumulos, victori Belga triumphos
Erige, nam vivit gloria, nec moritur.

Duos filios reliquit; Rainutium, qui ei in ditionibus successit; & Odoardum Cardinalem à Gregorio XIV. creatum. Ejus verò loco suffectus in administratione Belgii à Philippo Rege Ernestus Austrius Rudolphi Cæs. frater, ipsius Philippi consanguineus; atque interim dum adveniret, Petrus Ernestus Mansfeldius, Parmensis olim vicarius, rebus gerendis commissus.

X. Gerebantur quoque inter hæc, gestáque fuerunt toto reliquo anno, sicuti & præcedentibus, per universam ferè Galliam alia bella, prælia, pugnæ, urbium expugnationes, interceptiones, direptiones; cædes militum & ducum; omne cladium, miseriarum, & calamitatum genus; favente fortunâ belli nunc his, nunc illis. Inter præcipua fuit prælium regiis infaustum, ad oppidum Craonum in finibus Cenomanorum ad Odonem amnem situm, quod Princeps Contius & Dux Dombarensis è regiâ familiâ Borboniâ obsidione cinxerant, initum; quo iidem à superveniente Duce Mercurio Lotharingio profligati fuêre 24. Maii: majori tamen pudore quàm damno. Aliud econtrà Unioni valdè detrimentosum: quo *Antonius-Scipio* Ioiosa magnus Prior Tolosæ, fratérque Annæ olim Admiralii Franciæ, ad oppidum Villamurium in Cadurcis super Tarnim flumen, quod pariter obsederat, à Pontio Lauziero Theminio copiarum regiarum præfecto decimonono Octobris maximâ cæde fusus, rapiditate fluminis absorptus est in flore juventutis: ingenti non solùm fratrum ejus qui Tolosæ erant, Francisci Cardinalis Archiepiscopi Tolosani, & Henrici Buchagiæ Comitis, qui Catharinâ uxore, Espernonii sorore, defunctâ ante sexennium Capucinorum habitum induerat, mœstitiâ; verùm etiam omnium urbis ordinum: quorum, ac præcipuè nobilitatis instantissimâ hortatione, ex consensu fratris Cardinalis, & consilio impulsivo Theologorum, idem Henricus diù renitens dimissa monachali veste sæcularem induit, & armorum quæ olim tractaverat curam suscepit. Cæsus quoque ineunte Augusto, in lustratione oppidi Espernæi in Campaniâ ictu tormenti minoris, *Armandus Bironus* Franciæ Marescallus, rerum usu, fortitudine, vigilantiâ præstantissimus, ætatis anno sexagesimo septimo. Pariterque in Provinciâ *Valeta* major frater Espernonii undecimo Februarii in obsidione arcis Rupisbrunæ ictu majoris sclopeti; annum agens ætatis trigesimum septimum: vir summâ fortitudine præditus; multísque aliis virtutibus clarus. Cujus loco Espernonius Provinciam ingressus, nonnulla loca à Duce Sabaudiæ occupata recuperavit. Et Diguierus trans Alpes adversus eundem Ducem progressus mense Octobri, non parva damna ei intulit toto reliquo anno, ad cujus finem rediit in Delfinatum.

Præliū Craonense.

Præstantiū Ducum obitus.

XI. Haud verò inter bellicos furores desinentibus Episcopis qui à parte Regis erant, quæ religionem tangebant sollicitè curare; missus ab iis ad Regem cùm ad Rotomagum adhuc hæreret, Nicolaus Fumeus Episcopus Bellovacensis, ut ipsum eorum omnium nomine ad Catholicam fidem profitendam, cujus spem dederat, hortaretur; peterétque ex deliberatione inter ipsos anno superiori habitâ, facultatem sibi fieri ad Pontificem delegatos mittere, ad reddendam decreti à se contra diplomata Gregorii XIV. facti rationem: cum bonâ spe fore ut eâdem viâ meliùs de rebus Gallicis instructus Pontifex, æquiorem se judicem inter partes exhiberet: Simul de corruptâ disciplinâ prolixè conquestus, speciatim œconomos spirituales, inaudito eatenùs nomine, à Magno Consilio, ejúsque exemplo à cæteris Curiis institutos, qui Episcopatus & monasteria vacantia administrarent, & sacerdotia tam sæcularia quàm regularia quibus vellent conferrent; eandémque in resignationibus, dispensationibus, cæterísque omnibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, auctoritatem & jurisdictionem quam legitimi præsules, ipséque Summus Pontifex, exercerent; revocari & aboleri petiit. Quibus in Regis consistorio propositis, cùm & essent qui Patriarcham in regno loco Pontificis, utpotè hostis, constituendum esse censerent, huic sententiæ sese imprimis Cardinale Borbonio opponente, quòd sic futurum esset ut schisma magis firmaretur, & Pontifex tantâ injuriâ exacerbatus, quem posse flecti spes esset, à regiis partibus omninò alienaretur: eâ omninò explosâ, necnon revocatis prædictis œconomis spiritualibus; visum est, quamdiù scissura duraret, ut nominationibus à Rege factis accederet Archiepiscoporum & Episcoporum auctoritas, quæ vim eandem quam diplomata Pontificis haberent: ac singuli præsules in suis diœcesibus eâdem potestate in dispensationibus uterentur, quâ fieri Romæ jus erat.

Præsulū Gallorum petitiones a Rege.

Decreta de regimine ecclesiarum hoc tempore.

XII. Cùm autem contra Senatûs Turonensis intercessionem pervicissent Antistites ut legatio ad Pontificem mitteretur, electi ad eam fuêre Cardinalis Gondius, qui ad Regem accesserat, & Marchio Pisanius, qui oratoris munere diù Romæ magnâ cum laude defunctus fuerat. Mense Octobri in viam se dantes, ubi Ræticas Alpes superârunt, Pisanius Andesani ad Benacum ditionis Venetæ lacum amœnissimo loco substitit. Cardinalis iter persequens, in Etruriâ mandatum à Clemente Pontif. accepit, ne Statûs Ecclesiastici limitem ingrederetur; causis additis, quòd in motibus Gallicis se non solùm non pro bono Cardinale, sed ne quidem pro bono Christiano gessisset, Navarri licèt hæretici, relapsi, & à sanctâ Sede damnati rebus apertè favens. Ad quæ Gondius misso, ad se respondit, falsa esse omnia quæ objicerentur, præterquàm quòd cum Navarro collocutus esset: id verò necessitate coactum, & pro bono religionis & regni egisse. Videri autem durum, ut antequàm audiretur, & de regni statu coràm Pontificem edoceret, damnaretur: se paratum dicto & facto ostendere ac probare,

Cardin. Gondius et Marchio Pisanius legantur ad Pontif.

nihil se toto belli tempore indignum Episcopo Parisiensi & Cardinale fecisse; & advenire ut se à criminibus objectis purgare: si verò nocens reperiretur, dignâ admissis castigatione arbitrio Pontificis plecteretur: Sed nimirùm hæc artibus eorum fieri, qui odio & ambitione cæci impedire conabantur, ne Pontifex in calamitatibus Galliæ verum prævideret; sciretque, nihil minùs plerósque qui palàm pietatis causam obtenderent, quàm Sedis Apostolicæ dignitatem, aut Religionis amplificationem respicere. Quibus, & aliis ejusmodi per Gondium expositis, Clemens placatior factus, indulsit tandem ut ad Vrbem venire posset, dummodò hæreticis eorúmque fautoribus in occulto non faveret, & ante omnia de contempto Gregorii XIV. cujus rei causâ insimulatus fuerat, mandato satisfaceret.

XIII. [h] *Chytræ. Saxon. lib. 29.* DE REBUS RELIGIONIS IN GERMANIA.

In Germaniâ mortuo [h] Tabernis in Alsatiâ *Ioanne* Manderscheitio Episcopo Argentinensi mense Maio, scissóque factionibus collegio pro successoris electione; Protestantes ibidem Argentinæ elegerunt Ioan. Georgium Brandeburgicum Electoris nepotem; Catholici urbis aditu exclusi, Tabernis Carolum Lotharingium Cardinalem. Inter quos acre inde ortum bellum: donec Rudolphus Cæs. postquàm frustrà suas partes interposuisset, exeunte anno per fecialem Imperii insignibus ornatum arma utrímque deponi imperavit. Qui non tam ejus imperio ducti, quàm armorum tædio, controversiam arbitrio sex Principum permiserunt; à quibus anno sequenti præfecturæ diœcesis inter partes divisæ fuère; & prohibitâ omni innovatione, totius negotii decisio ad Cæsarem remissa. In Saxoniâ quoque tumultuatum est de religione contra Calvinianos, qui ab Augustanis severè exagitati sunt, & à scholis & omni administratione ejecti. Sicuti econtrà in Palatinatu, cùm mortuo Ioanne Casimiro, quem vidimus pulso Lutheranismo Calvinismum introduxisse, ageretur à nonnullis de restituendo Lutheranismo, pervicerunt Calvinistæ ne id fieret. Cujusmodi ludi passim quotidie toto ferè Septemtrione inter principes ac populos ab Ecclesiâ Catholicâ extorres conspiciebãtur.

IOANNIS REGIS SUECIÆ OBITUS. [i] *Supr. ann. 1587. ad fi.*

Quid verò in regno Sueciæ, mortuo hoc eodem anno mense Novembri *Ioanne III.* Rege, de cujus religione dictum est superiùs [i], ætatis anno quinquagesimo quinto; filius ejus ac regni successor *Sigismundus* Rex Poloniæ pro restitutione Catholicæ religionis præstiterit, dicetur alterò post anno.

IESU CHRISTI Ann. 1593.
CLEMENTIS VIII. Annus 2.
RUDOLPHI II. Ann. 17.

I. ANNUS GALLIÆ PERICULOSUS.

ANnus Christi millesimus quingentesimus nonagesimus tertius Indictionis sextæ, periculosissimus, ac veluti climactericus fuit Galliæ, ut penè eo subversa fuerit; nisi Dominus per misericordiam suam manum suppoluisset, ne ex barathro confusionis in profundum desolationis incideret. Res ut gestæ sunt quamplurimis scriptis & commentariis à multis descriptæ fuère: ex quibus nos præcipua quæque quambrevissimè fieri poterit pro consuetudine referemus; ita ut nihil quod sciri expedire putaverimus omittentes, haud tamen orationis prolixitate tædium lectoribus, quod plerique verbosiores solent, afferamus.

II. INDICTIO COMITIORUM PARIS.

Die quintâ Ianuarii promulgatum fuit Lutetiæ in Senatu & per urbem edictum, exeunte superiori anno à Duce Mayenio conditum pro convocatione Comitiorum regni: quam Philippus Rex Hispaniæ summoperè urgebat, spe futuræ in eâ electionis filiæ suæ; & Pontifex Clemens ab eo impulsus, per Legatum suum Cardinalem Placentinum sollicitè procurari mandaverat. Adeò ut quamvis certum esset, Mayenium nihil minùs quàm de Regis creatione cogitare, quippe qui dignitatem quam vix ipse consequi posset, in alium conferri nollet: tamen cùm eorundem Philippi & Pontificis opibus & auctoritate niteretur, temerè committere nolebat ut eorum voluntati apertè obniti videretur; sed rem magis comitiorum deliberationi committere censuit, ubi non ignorabat eam infinitis difficultatibus involutum iri. Ejus autem edicti summa erat: Franciæ florentissimum regnum in tantam magnitudinem excrevisse ob præcipuum religionis cultum; cujus & causâ Reges ejus Christianissimi & Ecclesiæ Primogeniti cognominati fuerint, dum alii frequenter longinquas expeditiones adversus Infideles Christianæ religionis hostes susceperunt, alii adversus eos qui novas sectas & errores contra receptam semel Catholicam fidem introducere conabantur, sæpissimè decertàrunt; generosè nobilitate in his omnibus fidam eis operam præstante: Ardens illud pietatis studium in iis perpetuò viguisse, usque ad hæc ultima tempora, quibus sensim hæresis ita in regnum se introduxit, ut etiam dissolutâ inter ipsosmet Catholicos omni unione, non solùm separati sint ipsi ab invicem, sed & ad mutuum internecinum bellum descenderint: astu nimirùm hæreticorum, qui bellum hoc non propter religionem, sed ad regnum occupandum aut dissipandum susceptum esse persuaserunt: quantumvis non aliud sibi ac suis propositum unquam fuerit, quàm religionis causa, & jurium ac consuetudinum antiquarum regni conservatio: Itaque Cardinalem Borbonium, quem Rex defunctus proximum in successionis jure declaraverat, Regem pronunciàsse, & si per ejus captivitatem licuisset, omne obsequium ei deferre statuisse: eundémque honorem Regi Navarræ delaturum fuisse, si prout debebat, naturalem patrui mortem expectare, intereàque instrui in religione, & Ecclesiæ reconciliari voluisset: Nunc cùm in eodem errore perseveret, minimè sibi licere eum ab Ecclesiâ excommunicatum, & jure regni privatum, in Regem suscipere; quòd id antiquis regni legibus & consuetudinibus, ac decretis sub defuncto Rege factis adversetur: Proinde orare se atque obtestari Catholicos, qui sub ejus auspiciis militarent, ut eo deserto secum consilia ac vires conjungant, quò remedia deploratis malis opportuna reperiantur, & finis bello internecino imponatur:

Ad quod ut maturiùs ex parte suâ procedatur, se regni comitia in diem 17. Ianuarii Lutetiæ indixisse. Quò si & ipsi delegatos suos mittere velint, tum idoneè ipsis cautum fore, tum justis eorum desideriis, quantum in se fuerit, satisfactum: Ni facerent, & necessitate cogente Fœderati præter votum ac voluntatem ad extraordinaria remedia confugerent; se coram Deo & hominibus protestari, id ipsis imputari debere, non sibi qui nihil omiserint quo eorum benevolentiam & amicitiam, eorumdémque consiliorum participationem consequi possent in communis causæ defensionem.

III. CARDIN. PLACENTINI HORTATIO.

Huic Mayenii scripto addidit Placentinus decimoquinto Ianuarii prolixam epistolam ad Catholicos itidem qui in regno Franciæ (ut titulus habebat) ab Hæretici partibus stabant: quâ suum in Legationis munere sibi à Pontifice commisso studium commendans, & calamitatem regni ab hæresi provenientem deplorans, falsò Pontifices in crimen vocari querebatur, quasi ad ejus dissipationem auxilium vel consensum præberent; unde & illæ omnibus notæ contumeliæ Turonensis & Catalaunensis conventiculorum in eorum diplomata & Nuncios ac Legatos, necnon quæ Ecclesiastici nonnulli Carnuti congregati decreverunt, processissent: cùm econtrà nihil non Pontifices egissent, quo salutem & tranquillitatem regni promoverent. Quòd verò de favore Hæretico præstito ii qui ei parerent inde se excusarent quòd sperarent fore ut ad meliorem se frugem reciperet, eúmque Pontifex vinculis pœnísque expediret; nunc cùm viderent obstinatum ac pertinacem illius animum, reliquum esse ut cum cæteris toto regno Catholicis pronunciarent, nihil sibi tam esse in animo quàm ut cum iis unanimes, Christiano veréque Catholico Regi communibus votis eligendo parerent: Ad hoc verò perficiendum nullam esse honestiorem æquiorémve rationem, quàm publicorum regni comitiorum convocationem; ad quam cùm Dux Mayenius eos invitasset, se quoque Pontificis nomine invitare, fidémque suam de ipsorum securitate obstringere.

IV. CATHOLICORUM DECLARATIO.

His publicis scriptis Carnoti, ubi tunc Rex erat, visis, variéque acceptis; consilium Gasparis Schombergii Nantolii Comitis, nationis Saxonis, sed affectu & charitate erga Galliam præcipui, fuit, ut occasione captatâ ex ultimâ Mayenici scripti clausulâ, quâ regios Catholicos ad comitia, & consilia ineunda de rebus ad religionem & regni salutem pertinentibus invitaret, (neque enim Mayenius scripto suo de Regis electione quicquam nominatim proposuerat, etiamsi is potissimus esset comitiorum celebrationis scopus:) colloquium publicum inter nonnullos utriusque partis delegatos fieret, quo reconciliatis inter ipsos animis, concordiæ faciendæ rationes inirentur. Idque ut fieret cùm idem Regi persuasisset, monenti tantummodò ut videret nequid in eo detrimenti auctoritas sua regia caperet; re deinde in consistorio regio agitatâ, visum fuit ut Principum, præsulum, ac procerum, aliorúmque Catholicorum qui circa Regem essent, nomine Mayenio, iisque qui Lutetiæ convenerant significaretur; quandoquidem ipse tam suo quàm sibi adhærentium nomine scripto promulgato professus esset conventum illum pro religionis & publicæ tranquillitatis bono indictum fuisse; se quoque unà cum ipso judicantes belli adeò funesti continuationem, secum ruinam regni trahentem, religionis pariter Catholicæ perniciem allaturam; de Regis licentiâ offerre, si delegatos è suo numero viros dignos loco inter urbem & Sandionysium commodo mitterent, ut de religione ac regni salute in communi consultaretur, fore ut & ipsi suos tempore condicto dirigerent, quod si facere recusarent, ac potiùs ducerent ad extrema descendere, & regnum Hispanorum prædæ ac libidini exponere; protestari se de innocentiâ suâ, ac culpam tot calamitatum in eos meritò rejicere, qui omni abjectâ ratione concordiæ, ambitionem suam & privata commoda honori Dei & regni saluti prætulissent. Hócque scriptum die 27. Ianuarii confectum, per tubicinem Lutetiam missum est.

V. ALIA IPSIUS REGIS.

Biduo pòst Rex ipse aliud publicavit, Declarationis titulo, ei quod Mayenius ediderat contrarium: quo de egregiâ suâ erga rempublicam voluntate quædam honorificè præfatus, dolere sibi dicebat quòd in ea tempora incidisset, quibus plerique Franci à pristinâ veterum erga Reges suos fidei gloriâ degenerantes, consilia sua ac vires ad regiam auctoritatem oppugnandam vertissent, quæsito religionis, quam falsò mentirentur, colore; cum potiùs tribus id aliis causis tribuendum esset; videlicèt improbitati ducum, regnum occupare & inter se partiri ambientium; interventioni veterum regni hostium, hanc idoneam occasionem in commodum suum trahentium; & invidiæ infimorum è plebe in secundioris fortunæ homines, opum parandarum desiderio, & impunitatis criminum spe: Mayenium probitatis specie nefaria sua consilia etiam in nupero scripto propalâsse, auctoritatem sibi regiam in usu sigilli regii & comitiorum convocatione usurpando; quæ verò addidisset de jure regni, & exclusione ipsius Henrici, manifestè esse contra antiqua jura legémque Salicam, cujus vi & auctoritate staret regni incolumitas, cuíque neque ab ipsis Regibus posset derogari: De religione haud se recusare, quod sæpiùs professus esset, si erroris coargueretur, quin saniora amplecterentur: Nihil verò minùs factiosis in optatis esse, quàm ut ipse id exequatur; quinimmò id summoperè reformidare ex eo apparere, quòd eam rem pro desperatâ haberi vellent, quam ne quidem unquam in medium proposuissent, & ne à Catholicis qui juri ipsius studerent Pontifici proponeretur omni ratione impedissent; Se nihilominùs erga Catholicos & sacrum ordinem eam æquitatem ac moderationem, quam regni auspiciis promisisset, religiosissimè servâsse, ac porrò servaturum, ex animi sententiâ denuò jurare, ac coram Deo testari & confirmare; atque unicè optare, ut quæ in se desiderentur, ea recto ordine & convenienti ratione impleantur: Interim verò de Consilii sententiâ, cui Principes regii sanguinis aliíque, præcipui Coronæ ministri, multi summâ prudentiâ & auctoritate

prædicti viri interfuerunt, edicere, comitia à Mayenio contra fas, rempublicam ac regni leges indicta fuisse; ac proinde quicquid in iis dictum, factum, statutum ac decretum foret, irritum nulliúsque momenti habendum: Interdiceréque omnibus ad illa proficisci, mittere, aut consilium & auxilium præstare: qui secùs fecissent, unà cum ipsorum convocatore, reos fore læsæ majestatis, nisi intra quindecim dies resipiscerent.

VI. Missa Lutetiam Catholicorum partis Regis denunciatio, variè Fœderatorum animos movit. Et Legatus quidem Placentinus primo aspectu perniciosam & impietatis plenam pronunciavit; atque à Collegio Sorbonico pronunciari curavit: quippe asserentem hæretico relapso, damnato & extra Ecclesiæ communionem posito, ad regnum Christianissimum jus competere, eíque obedientiam deberi. At Ordines, ad quos ea dirigebatur, re in deliberationem positâ, post eam diù agitatam, considerantes Mayenium scripto suo Catholicos regios invitâsse ad tractandum de religionis conservatione & pacis reductione, nec posse honestè colloquium detrectari; communi consensu decreverunt, cum Navarro quidem, aut alio hæretico, nullum directè vel indirectè, de re quæ ad ipsius auctoritatem ac dignitatem stabiliendam, aut de religione controversiam spectaret, colloquium instituendum esse: cum Catholicis autem ejus partibus addictis, de rebus ad religionem, regni salutem, & ipsorum ad communionem Catholicam reconciliationem pertinentibus capita conferre licere, consulto priùs Pontificis Legato; ita tamen ut rationes adducerentur, quibus probaretur, nec hæreticum, nec quempiam qui aliam quàm Catholicam Apostolicam Romanam religionem profiteretur, in Regem assumi posse. Quibus Legato significatis, & ab eo approbatis spe reconciliationis Catholicorum Regis; tandem die secundâ Martii facto responso, post excusata simul & confutata crimina de quibus accusabantur, ambitionis, & introductionis exterorum in regnum, & animorum suorum ac consiliorum sinceritatem contestatam; colloquii conditionem acceperunt, modò inter Catholicos tantùm, & de rebus ad religionem & regni salutem pertinentibus haberetur. Dicetur de eo inferiùs.

Decernitur colloquium inter Catholicos utriusque partis.

VII. Priùs verò quàm hæc decernerentur, appulsis Lutetiam delegatis provinciarum ad Comitia, ante omnia facta est de more solemnis supplicatio die vigesimâ quintâ Ianuarii cum sacris Sanctorum Reliquiis; tredecim Senatoribus in purpurâ feretrum sancti Ludovici Regis humeris gestantibus: interfuítque Cardinalis Legatus, cum tribus Archiepiscopis, & decem Episcopis, omnibúsque ordinibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus: Nicolaus Cardinalis Pelleveus Archiepiscopus Remensis sacrum celebravit in majori Ecclesiâ; & Ioannes Boucerus Doctor Sorbonicus, amarulentiâ dicendi scribendíque famosus orationem habuit. Postridie facto comitiorum initio in arce Luparæ, postquàm Mayenius quædam præmisisset, idem Pelleveus comitiorum præses orationem habuit, haud adeò (ut volunt) ad rem & decus, ita ut ex hoc initio, & cæterâ ejusmodi comitiorum colluvie, sumpta fuerit à quodam jucundi ingenii viro occasio componendi in eorum quæ ibi dicta gestáque fuêre derisum, & evulgandi, scriptum quoddam Satyræ Menippeæ nomine. Post primum autem illum congressum nihil ulteriùs peractum, ob Mayenii absentiam, qui ad exercitum auxiliarem è Belgio venientem excipiendum excurrerat, nec nisi exeunte Martio ad urbem redire potuit.

Solemnis supplicatio.

VIII. Eo reverso conventus rursùs magnâ frequentiâ celebratus fuit secundo Aprilis, cui cum Mayenio interfuerunt Legatus & Pelleveus Cardinales, Duces Guisii & Ellebovii, alii ordine Præsules & proceres. Ibi admissus Laurentius Suarez Figueroa Cordubensis Dux Feriæ, paulò antè à Rege Philippo unà cum Inico Mendozâ Iurisconsulto missus, orationem linguâ Latinâ habuit: quâ Regis sui, ab ipso hæresis in Galliæ regnum ingressu zelo pro conservatione in eo religionis Catholicæ copiosè laudato; & consiliorum datorum atque auxiliariorum militum & pecuniarum missorum usque ad id temporis, absque ullo suo commodo, exactâ dinumeratione factâ; se missum ab eo dixit ad hæc comitia, ipsius sollicitatione coacta, ut quid porrò ejus consilii in re tam arduâ esset explicaret: Sic verò eum existimare, in eo regni salutem repositam esse, ut quamprimùm Rex hujusmodi renunciaretur, qui ita zelo Catholicæ religionis duceretur, ut potens etiam esset rebus prospicere, regnúmque tueri & conservare ab hostibus & inimicis: Atque ut omnis dubitandi occasio præcideretur, Regem suum eandem opem, majorémque, si opus foret, quam eatenùs præstitisset, offerre. Tum literas Regis ad comitia scriptas Cardinali Pelleveo eorum præsidi obtulit, qui eas scribæ legendas tradidit: quibus post commemorata sua in regnum officia, hortabatur ne conventum dissolvi paterentur antequàm Rex Catholicus eligeretur, qui regnum in pristinum splendorem restitueret: in eóque rationem meritorum suorum haberi postulabat. Ad quæ Pelleveus, quamvis Philippo obnoxius, haud tamen ferens exprobrationes & jactantias Feriani, post gratulationes de literis Philippi, & aureâ Feriani oratione, hujusque laudum explicationem; pro dignitate nominis Francici, quantum per tempus licuit, multis exemplis ex historiâ petitis ostendit quantâ obligatione devincta Hispania Galliæ esset, pro fide Catholica ibi stabilitâ, sæpiúsque restitutâ, Regibúsque constitutis, & affinitatibus contractis: Philippum vicem rependentem labenti Galliæ regno, auxiliarem ac salutarem supposuisse manum Catholici nominis plurimis de causis dignissimum Principem: cui propter eâ gratiæ, non quantæ par esset, sed quantæ animis concipi possent, amplissimæ agerentur, omnéque studium & opera optimè de se merito deferretur.

Feriæ Ducis oratio ad Comitia.

Cardin. Pellevei responsio.

IX. Post hæc cùm ad rerum tractationem veniendum esset, die nonâ Aprilis factum initium est à Concilio Tridentino, quod Legatus urgebat suscipi sine ullâ conditione, & promulgari; absque hoc negans religionem, cujus causâ bellum gerebatur, posse consti-

Tractatur de receptione Cōcilii

Tridentini.

tui. Re verò in deliberationem deductâ, cùm multi jura & immunitates Ecclesiæ Gallicanæ & regni causarentur, ob quas promulgatio Concilii anteà toties proposita eatenùs dilata fuisset; negotium datum est Ioanni Magistro Senatûs præsidi, & aliis nonnullis, ut quæ in eo legibus & moribus Gallicis contraria essent adnotarent. Qui re confectâ, viginti sex ejusmodi articulos detulerunt, ob quos Concilium admitti non posset. Fuítque eorum diligentia magnâ gratulatione à nonnullis, à pluribus majori offensione accepta. Quòd tamen vereretur Legatus, ne contentione ob id excitatâ conventus turbaretur, opportuniorem occasionem operiens, negotium tunc urgere desiit.

X. Delegati ad Colloquium.

Appetente designato Colloquii inter Catholicos regios & fœderatos tempore, locus ei delectus est Surenæ pagus, duabus leucis Lutetiâ distans; quo à parte Regis contulerunt sese Reginaldus Belnensis Archiepiscopus ac Patriarcha Bituricensis, Franciscus Regius Chavinius dux veteranus, Pomponius Bellevrius, Nicolaus Angeneus Rambolietus, Gaspar Schombergius Comes Nantolii, & nonnulli alii; à parte fœderatorum Petrus Espinacus Archiepiscopus Lugdunensis, Franciscus Pericardus Abrincarum Episcopus, Godofridus Billius sancti Vincentii Laodunensis Abbas, Andreas Brancatius Villarsius ob egregiam præstitam operam in defensione Rotomagi creatus à Mayenio Franciæ Admiralius, & quidam alii: Quibus die vigesimo nono Aprilis in unum convenientibus, post aliquas de nonnullorum eorum admissione, & delegatorum potestate, difficultates, compositas, fides utrimque data est de securitate: posteráque die de armorum cessatione intra certos fines transactum.

XI. Bituricensis et Lugdun. Antistitũ disputatio.

Calendis Maii actioni initio facto, Bituricensis orationem habuit; quâ post gratias Deo actas, quòd animos utriusque partis inflexisset ad agendum de turbis componendis; cunctos ad mutuam erga patriam charitatem hortatus est. Ac post eum Lugdunensis magnificè protestatus, non aliam fœderatis fuisse armorum sumendorum causam, quàm justam religionis Catholicæ periclitantis, defensionem, subjecit paratos se esse, ubi idoneè securitati ejus prospectum esset, illa deponere, alioquin priùs vitam quàm tam laudabile propositum relicturos: cæterùm ad jacienda solidæ pacis fundamenta, non aliud solidius substerni posse; quàm firmam inter omnes Catholicos concordiam, & consiliorum ab hæreticorum consortio separationem. Ad quæ Bituricensis respondens, ante omnia constituendam esse dixit certam legitimi Principis auctoritatem, cui universi parerent, & quo tanquam vinculo divulsa membra constringerentur; nec aliter religioni consuli posse, quæ scisso factionibus regno ubique despecta jaceret: quippe Ecclesiam etsi dignitate præcellentem, tamen tanquam imperii partem republicâ contineri: Illum autem Principem non alium ex lege regni sumi posse, nisi qui ex gente regiâ proximior esset; cui secundùm Deum omnis obedientia deberetur: ideóque se in fide Regis Henrici, qui talis esset permansisse, sic existimantes, non posse salvâ conscientiâ ab ejus obsequio discedere. Rursùs Lugdunensis; Religionem in omni benè ordinatâ Republicâ principem locum tenere, & tanquam animam in corpore imperare; sícque intelligendum quod dicitur, Ecclesiam in Republicâ esse: proinde ipsos Principem sibi dari optare, sed re & nomine Christianissimum, & à pietate majorum minimè degenerantem: Qui infectus hæresi fuerit ejus obedientiæ refragari Ius divinum & humanum, sacros canones, Concilia œcumenica, usum Ecclesiæ omnium temporum, priscas regni ac fundamentales leges, quæ proximitate sanguinis & successionis jure potiores sint. His longâ ac vehementi oratione à Lugdunensi prolatis, quamplurimísque exemplis & auctoritatibus comprobatis; denuò Bituricensis de praxi antiquâ cultûs Principibus delati, in defensionem obedientiæ Henrico Regi, etsi extra Ecclesiæ communionem existenti, redditæ multa attulit: rursúmque Lugdunensis ejus dicta refutavit, suámque sententiam pluribus confirmavit: & additis hinc inde aliis atque aliis, aliquot dies has inter contestationes exacti fuêre, petitúmque fuit à regiis delegatis spatium, intra quod pleniùs de re omni ad eos à quibus missi fuerant referrent, & consultationes cum iis habitâ pleniùs fœderatis responderent: suspensióque armorum intra idem tempus prorogata.

XII. Rex parat se ad instructionem Fidei.

Missùs igitur Schombergius, quo statu res essent referens, multis rationibus apud Regem institit, ut ad hostium consilia confringenda, tamdiù expetitam animi sui in causâ religionis sententiam propalaret. Qui his motus, cùm jam anteà hâc maximè ratione ad hæresim abdicandam satis inclinaret, quòd interrogatis suis Ministris, utrùm Catholici in sua religione salvari possent, ii negare non auderent; & contrà à Catholicis asseverantissimè audiret, si in hæresi quam sectabatur moreretur, absque ullo dubio in æternum damnatum iri in inferno; ac proinde hanc inde necessariam conclusionem eliceret, longè sibi tutius esse eam religionem profiteri, in quâ salvari se posse utraque pars consentiret, quàm illam, quam altera dumtaxat probaret: Iam ne animam simul cum regno perderet, de utriusque salute intentiùs cogitans, consultatione cum primariis & intimis habitâ, constituit instructioni suæ diligenter vacare. Eíque rei cùm duo præcipuè obstare viderentur; alterum, quòd creditu facile foret, se timore electionis alterius Regis ad id impulsum fuisse; alterum, periculum ne hæretici videntes se ab eo deseri, proinde sibi timentes novas turbas cierent, alio sibi capite constituto: utrique huic obstaculo sic providit; priori quidem, declarationem die decimasextâ Maii Meduntæ faciens, quâ significabat, se paratum jamdiù ad promissa de suâ instructione adimplenda, si per adversariorum malevolentiam licuisset, haud modò ulteriùs eam differre statuisset, non quidem ratione colloquii Surenæ instituti, aut cujusvis alterius conditionis ab adversariis objectæ, sed solius animæ salutis & publicæ regni tranquillitatis, & ut omnem scrupulum & occasionem ignoranti-

bus ac malignis præcideret, calumniandi se de iis minùs solicitum esse: Ad hoc jam scripsisse ad Episcopos & Theologos, necnon ad principes & proceres absentes, atque ad regni Curias, ut delegatos mitterent ad conventum Meduntæ assignatum; ubi ab Episcopis & Theologis in fide & religione instrui, & cum omnibus salutaria de republicâ consilia capere posset: interímque dum de pacis conditionibus ageretur, inducias se offerre per universum regnum, ne per belli renovationem alienatis à pacis consiliis animis res exacerbarentur. Hanc tamen declarationem non priùs in publicum evulgari voluit, quàm delegatis Surenæ communicata fuisset. Alteri verò hæreticorum obstaculo sic provisum est, ut scripto iis caveretur, nihil in præjudicium edictorum à Regibus in eòrum favorem conditorum factum iri: cui ad majorem fidem subscripsêre Principes ac proceres qui tunc in comitatu Regis erant.

XIII. NOVA FOEDERATORŨ CŌSILIA.

Prædictâ declaratione per Schombergium Surenam ad cæteros delegatos allatâ: cùm omnes ex utrâque parte convenissent in unum, Bituricensis animum Regis, ejúsque declarationem pandens, mirum in modum Fœderatos hoc inopinato nuncio perculit, qui nihilominùs per os Lugdunensis lætari se testati sunt de laudabili Navarri consilio, modo quod moliretur ex animo puro & citra fucum faceret: spatiúmque petierunt rem ad Legatum Pontificium, Principes, oratores Hispanos, aliósque trium Ordinum delegatos referendi. Quo concesso, cùm Lugdunensis eam in consilio coram Mayenio, Legato, Pelleveo, & aliis explicâsset, ejúsque fama jam anteà sparsa fuisset; tum maximè commoti sunt factiosi, qui omnem rerum componendarum cum regiis spem præcisam cupiebant; & Hispani unà cum Legato Mayenium in his nutantem, proposito proprio ejus auctoritatis & dignitatis periculo, impulerunt ut de Rege creando in comitiis agi pateretur. Igitur delegatis sex ex omni delegatorum ad comitia numero, binis scilicèt ex unoquoque ordine, qui consiliis quæ cum Legato & Philippicis haberentur interessent; convenerunt ii in ædibus Legati vigesimo Maii, unà cum Mayenio, Aumalio, & Ellebovio Ducibus, Pelleveo Cardinale, Duce Feriæ, & aliis Hispanis oratoribus. Vbi Ferianus effusâ in Infantis Claræ-Eugeniæ-Elisabethæ virtutum laudes, & in Philippi ejus patris munificam pietatem erga regnum Galliæ, oratione; nullum expeditius remedium tot malis videri dixit, quàm si prædicta Infans, ex Isabellâ Henrici II. grandiore natu prognata, post omnes Henrici liberos sine prole extinctos superstes, cui proinde regni successio divino & humano jure deberetur, accedente Ordinum electione, Regina declararetur, quippe si id fieret, Philippum & potentes exercitus ad expugnandos penitùs hæreticos, & tantum pecuniarum quantum necesse esset ad eos alendos, subministraturum. Quæ eadem paucis pòst diebus longè uberiùs Inicus Mendoza Iurisconsultus Hispanus pari conventu explicavit; multis additis rationibus & argumentis, quibus ea confirmaret.

OBTRUDITUR AB HISPANIS FILIA REGIS.

XIV. NOVÆ FOEDERATORŨ ARTES.

Cùm verò antequàm quicquam inter eos concluderetur, delegati regii responsum urgerent scripti à se oblati de Regis instructione, & belli induciis; re in consultationem deductâ postridie Calendas Iunii, post varias altercationes vicit ea sententia, ut responderetur, quandoquidem ea Regis declaratio dissimulationis plena videretur, nec ejus ad fidem Catholicam accessio sincera existimari posset, quam nonnisi regni adipiscendi causâ fieri constaret; consultius videri ut negotium integrum ad Pontificis arbitrium remitteretur, tanquam ad certissimum judicem fidei & perfidiæ, qui in iis dignoscendis falli non posset. De induciis verò agi non posse, antequàm Pontifex de re fidei decrevisset. Super quibus cùm rursùm convenissent diversis diebus ac locis regii ac fœderatorum delegati, magnâ contentione de iis inter Bituricensem & Lugdunensem actum est; necnon de Summi Pontificis potestate, & utriusque potestatis discrimine in administrationibus publicis, de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, de auctoritate Episcoporum in absolutionibus ad cautelam ab excommunicationibus per Pontifices illatis, & aliis ejusmodi. Cúmque de induciis factâ Lutetiæ propositione, nobilitas & plebs ab iis starent, solúsque sacer ordo arma quàm pacem mallet: interveniente contra illas Legati auctoritate, earum deliberatio in aliud tempus dilata est, (tumultuante licèt plebe) dum interim de Regis electione, quam is summoperè urgebat, ageretur. Propositúsque est tunc ab Hispanis Ernestus Austrius frater Rudolphi Cæs. Belgii Gubernator à Philippo designatus, ut in Regem eligeretur, acceptâ in uxorem Infante. Sed ab eo se Ordines excusârunt, quòd obstarent leges & mores regni, ne Rex alterius linguæ ac nationis acciperetur. Tum Hispani petierunt ut Rex is eligeretur, quem Philippus ex regni Principibus, eo in numero Lotharingicis comprehensis, nominaret, Infantem in uxorem accepturum, ídque ipsum Legatus, ab iis, ut dixit, rogatus persuadere conatus est.

PROPONUNTUR VARII REGES AB HISPANIS.

XV. DECRETUM SENATÛS PARIS. CONTRA HISPANORUM PROPOSITIONES.

Dum autem sic luderent, & illuderent, ac veluti classicum inter Principes canerent; atque in incerto esset, quis tanto fortunæ beneficio dignus à Philippo judicandus esset; singulíque Lotharingii id sibi optarent, & verò diversis nominibus deberi præsumerent: in Curiâ Senatusconsultum factum est vigesimo octavo Iunii; quo delectus Ioannes Magister præses cum idoneo Senatorum numero, ad rogandum Mayenium coram reliquis principibus ac proceribus, nequi tractatus fierent ad transferendum regnum in externum Principem seu virum seu feminam; sed leges fundamentales regni servarentur, & decreta à Senatu facta pro Regis Catholici & Franci electione executioni demandarentur: decernente interim Senatu, omnia quæcumque vel facta jam essent, vel deinceps fierent pro constituendo externo principe seu viro seu feminâ, irrita ac nullius momenti esse ac fore, tanquam facta in Legis Salicæ præjudicium, & contra cæteras leges fundamentales regni. Id cùm Magister Mayenio additâ gravi in decreti confirmationem oratione significâsset; ex-

postulavit cum eo Mayenius, quò de re tanti momenti Senatus se inconsulto statuisset. Magister verò magnâ constantiâ & rem ipsam & Senatûs auctoritatem defendit: adeò ut cùm ferretur, Mayenium decretum rescindere deliberâsse, cuncti Senatores fidem obstrinxerint, vitam se potiùs deposituros, quàm passuros ut quicquam in eo mutaretur; idque ipsimet Mayenio significaverint.

XVI. HISPANI NOMINANT GUISIUM IN REGEM.

Dux igitur Feriæ cum suis in extremum astutiarum & delusionum redactus, à vaga & incertâ Principis Franci nominatione, quam cernebat à plerisque in malam partem accipi, ad singularem descendens, se de Guisio speciale mandatum à Philippo habere dixit. Quod etsi pariter fictè ab iis propositum fuisse innotuerit, tunc tamen Mayenio insperatâ re attonito, qui magis vel non omninò fieri, vel super se ipsum aut super filium sortem cadere optâsset; intercessit Bassompierus pro Carolo Lotharingiæ Duce, ne ipso inconsulto, qui caput ac princeps familiæ esset, electio perageretur: cúmque parùm hoc procederet, commentarium artificiosè conficiendum curavit, quo periculum ex Regis creandi nominatione, si ea à Philippo fieret, impendere, longâ & accuratâ narratione demonstrabatur. Et Mayenius, quanquam electionem comprobare simularet, ubi tamen mox se à cunctis penè, ad Guisium tanquam Regem brevi futurum concurrentibus, desertum animadvertit; (quamvis sui electionem Guisius parùm curare, sive seriò, sive fictè præ se ferret:) ne auctoritate quam acceperat caderet, nunc conditionum electionis difficultate propositâ, nunc imminentium inde defectionum periculis objectis, nunc aliis impedimentis adductis, ut electionem eluderet; Induciarum, quæ à nobilitate maximè probabantur, (Castræo præcipuè, qui inter nobiles delegatos principis loco fungebatur, & ab Hispanorum consiliis alienus erat, eas urgente) & à plebe, motâ etiam seditione postulabantur, necessitatem adhibuit: ac prætereà eâ quoque ratione electionem necessariò differendam Feriano significavit, quòd si fieret, priùs quàm auxilia militum & pecuniarum ex Hispaniâ advenissent, id religioni ac regno summè detrimentosum futurum esset; cùm nullas alias vires instructas fœderati haberent, quas hosti longè potentiori opponere possent. Quod licèt impatientissimè Ferianus ferret, tenuit tamen: adeò ut qui alios suis technis & artificiosis circuitionibus ludos facere consueverant, contrario astu ipsi ludificati spe omni creandi Regis, hoc est belli irreconciliabilis inter Gallos excitandi, prorsùs exciderint.

MAYENIUS ARTE REM IMPEDIT.

XVII. REGIS INSTRUCTIO.

Agebatur intereà seriò de Regis Henrici reconciliatione. Habitóque vigesimo primo Iulii apud Sandionysium conventu Antistitum & aliorum Ecclesiasticorum à Rege evocatorum; quamvis negaret Cardinalis Borbonius, cui & alii suffragabantur, eum nisi consulto Pontifice, & ex ejus auctoritate admitti in Ecclesiam posse; vicit tamen plurium sententia, ut ob gravissima pericula quæ in morâ essent, sive ab electione alterius Regis per Fœderatos; sive à Tertianâ parte Catholicorum qui Regi adstabant, ac novam scissionem meditabantur; sive à Regis ipsius bonæ voluntatis immutatione & in hæresi confirmatione; denique à perpetuâ, sicut in Angliâ accidisset, Galliæ, totus Ecclesiæ nobilissimi à Galliæ capite membri, separatione, quam certum esset inituros potiùs ultimò Gallos quàm jugum Hispanorum subituros; absque dilatione ei bene jam animato, pœnitenti ac supplici, absolutionis beneficium concederetur: eâ tamen lege ut quamprimùm a Pontifice, de rei necessitate instructo, confirmatio peteretur, tam ipsius Regis quàm Ecclesiæ Gallicanæ nomine, eâ demissione quâ fieri deceret ac deberet. Quare die vigesimâ tertiâ summo mane admissi ad Regem viri doctissimi, Reginaldus Belnensis Archiepiscopus Bituricensis, Philippus Becus Episcopus Nannetensis, Claudius Angeneus Cenomanensis, Iacobus Davy Peronius Ebroicensis designatus; ab eo auditi sunt patientissimè per sex fermè horarum spatium circa controversos articulos, de quibus ipse dubitabat, cùm jam de multis cum Catholicis consentiret. Qui & de aliis quoque abundè sibi satisfactum esse asserens, gratias se Deo & prædictis Antistitibus agere dixit, quòd quæ ignorabat didicisset.

XVIII. CARDIN. PLACENTINUS EAM IMPEDIRE CONATUR.

Contra quæ ex alterâ parte eodem ipso die Lutetiæ Cardinalis Legatus diploma edidit; quo testatus perlatum ad se esse, Henricum Borbonium Prælatos quosdam & alias personas Ecclesiasticas convocâsse, ut ipsum ab eo anathematis vinculo, quo ab Apostolicâ Sede esset nominatim ligatus, absolverent, sui muneris esse dixit, nequis ignorantiæ causam prætexere posset, omnes & singulos admonere, quòd cum Sixtus Papa V. ipsum Henricum hæreticum, relapsum, & impœnitentem, hæreticorúmque ducem, fautorem, & defensorem declarâsset, ad solum etiam Romanum Pontificem de eâdem re cognoscere & judicare omninò pertinere: ac propterea quicquid super eo negotio ab aliis cujuscumque conditionis & dignitatis ageretur, irritum, inane, ac nullius momenti fore: nec minùs qui post ejusmodi nullam absolutionem ei faverent, obnoxios futuros pœnis & censuris contra fautores hæreticorum promulgatis. Quamobrem Catholicos illos qui catenùs in fide Ecclesiæ Romanæ perstitissent, se hortari ne sibi in re tanti momenti illudi paterentur: eos verò qui Henrico favissent obtestari, ne erroribus errores superaddere pergerent. Iis denique Ecclesiasticis, qui è civitatibus Catholicorum ab eodem Henrico accersiti essent, auctoritate sibi à Sede Apostolicâ traditâ palam inhibere, ne ad ejusmodi conventum accederent; si secùs facerent, cum excommunicationis & privationis periculo id se facturos denunciavit. Ita Legatus: quæ ultima addidit ipse, quòd vocati à Rege S. Eustachii, S. Mederici, S. Gervasii, S. Sulpitii curiones Parisienses, ad ipsum accessissent. Fuitque adeò inutilis tum hæc prohibitio Legati, tum ipsius Mayenii gravissimis pœnis vetantis nequi ex urbe Sandionysium commearent; ut plures ex Parisiensibus quàm ex regiis celebritati reconciliationis Regis interfuerint.

XIX. SOLEMNITAS PERACTA.

Facta fuit illa die Dominicâ vigesimâ quintâ Iulii, festo sancti Iacobi Apostoli Hispanorum patroni; qui probare visus est suo calculo, quod sui clientes tantoperè exhorrebant. Sed

SIONIS FIDEI REGIS.

horam octavam matutinam Rex veste candidâ totus indutus, exceptis pallio & galero nigris, magno Principum, officialium Coronæ, aliorum procerum, ac nobilitatis, necnon delegatorum à Parlamentis, aliisque supremis Curiis, qui evocati ad solemnitatem fuerant, comitatu; stipatoribus Helvetiis, Scotis, Gallis egregiè instructis cinctus, duodecimque tubicinibus præeuntibus; ad sancti Dionysii Galliæ patroni Abbatialis Ecclesiæ, magnificè pretiosis aulæis stratæ, valvas processit. Intra quas sedens in cathedrâ stragulis candidis velatâ Archiepiscopus Bituricensis Pontificali habitu, adstante etiam Cardinale Borbonio, cum Episcopis Nannetensi, Sagiensi, Diniensi, Maleacensi, Carnotensi, Cenomanensi, Andegavensi, electis Baiocensi, & Ebroicensi, Decanis Parisiensi & Bellovacensi, nonnullis Abbatibus, Sanctorum Eustachii, Sulpicii, Gervasii, Mederici curionibus Parisiensibus, ac monachis cœnobii Sandionysiani, aliisque non paucis Doctoribus & Ecclesiasticis; Regem interrogavit quisnam esset; ipsóque respondente se Regem esse, rursùm interrogavit quid peteret; & ille, recipi in gremium Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ: iterúmque Archiepiscopo petente an id ex animo vellet, is velle se dixit, & optare: túncque in genua procumbens, *Protestor*, inquit, *ac juro coram Deo omnipotente, vivere me velle & mori in Religione Catholicâ Apostolicâ Romanâ, eámque protegere ac defendere adversus omnes periculo sanguinis & vitæ meæ: renuncians omnibus hæresibus contrariis doctrinæ sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ.* Simúlque eandem fidei professionem chartâ comprehensam, & à se subscriptam, porrexit Archiepiscopo: sacrúmque ejus anulum deosculatus, benedictionem ab eo & absolutionem ab hæresi suscepit. Tunc ductus in chorum Ecclesiæ, iterùm ad altare majus procumbens, idem sacramentum & protestationem repetivit; altare osculatus est; ac post illud factâ secretâ confessione eidem Bituricensi, absolutionem à peccatis accepit; symphoniacis interim hymnum *Te Deum* decantantibus, & populo confertissimo Vitam Regi comprecante. Adfuit deinde sacro solemni, quod ab Episcopo Nannetensi celebratum est: eóque peracto, & sparsis in vulgus missibilibus, in hospitium eâdem pompâ inter faustas omnium voces reductus, à prandio concioni, quæ â Bituricensi habita est, & vespertinis precibus interfuit. Indéque conscenso equo ad Montem-Martyrum perrexit, gratias in eâ Ecclesiâ Deo acturus, & sanctis Martyribus se & regnum commendaturus. Eodémque die vulgatis de re gestâ literis, cunctos monuit publicas ubique supplicationes in gratiarum actionem peragi: cùm interim Lutetiæ concionatores in eum, & conversionem ejus, ac rehabilitationem intonarent; magis ex invidiâ quàm ex charitate; atque etiam ideò vanis conatibus apud plebem, quæ gaudio exultabat pacis & melioris fortunæ spe.

XX. INDUCIÆ ARMORUM.

Aucta verò illa est ex promulgatione generalium toto regno induciarum inter Regem & Mayenium ad tres menses pactarum, à Calendis Augusti: quæ postea ad finem usque anni prorogatæ sunt. In quarum, contra Legati voluntatem, eas Fœderis dissolutionem post se tracturas providè animadvertendis, factarum aliquam satisfactionem Mayenius in Concilii Tridentini puram absque ullâ restrictione aut conditione publicationem consensit: quæ facta est octavo Augusti frequenti Fœderatorum conventu: simúlque Vnionis jusjurandum repetitum: & Ordinum comitia in Octobrem rejecta; quo rursùs delegati reverti tenerentur, ut de iis de quibus decerni non potuerat commodiùs ageretur: qui tamen, rerum facie interim mutatâ, nunquam ampliùs convenerunt.

XXI. LEGATI ROMAM MISSI.

Rex autem de mittendâ ad Pontificem legatione deliberans, Ludovicum Gonzagam Ducem Nivernensem, principali familiâ in Italiâ natum, & affinitatibus ac clientelis in eâ potentem, atque ingenii dotibus egregiè instructum, ad tantum opus delegit; adjunctis ei Claudio Angeneo Cenomanensi Episcopo, viro doctrinâ & pietate inter omnes Galliæ Episcopos præstante; & Ludovico Seguerio Ecclesiæ Parisiensi Decano, pio item ac prudente viro. Præmissúsque Isaias Brochardus Cliella cum literis decimooctavo Augusti scriptis, quibus Rex Pontificem de reconciliatione ad Ecclesiam certiorem faciebat, ac brevî ampliorem legationem missurum se significabat. Vicissímque à Mayenio cum amplissimis mandatis Romam missi Cardinalis Ioiosa & Baro Senesceus: ac præmissus pariter, qui summâ diligentiâ Pontificem ab audiendis regiis averteret: tanta erat pietas, & zelus animarum bonorum illorum fœderatorum!

XXII. SCRIPTA CONTRA CONVERSIONEM REGIS.

Ad adventum autem Cliellæ in Vrbem commotis variè animis; nihil non agentibus Hispanis, qui tot annorum consilia sua per reconciliationem Regis irrita cadere mœrebant; extitit etiam unus ex iis, Consalvus Pontius Legionensis, vir alioqui doctus & scriptis editis notus, qui auctoritatem Apostolicam intra arctos cancellos commodorum nationis recludere quærens, commentarium Scholasticæ assertionis pro disciplinâ Ecclesiasticâ titulo, Romæ hoc anno promulgavit, quo relapsum auctoritate Apostolicâ ad regnum dispensari non posse probare conabatur. Cui *Arnaldus Ossatus* Gallus, patriâ Armaniacus ex pago Cassaniaberâ, vir qui ad morum integritatem & summum animi candorem raram philosophiæ, mathematicarum artium & jurisprudentiæ cognitionem adjecerat, (qui & demùm ex longo rerum usu, ac fidâ Regibus in negotiis tractandis præstitâ variis locis, ac Romæ præsertim, operâ, meruit in numerum Cardinalium allegi) tunc in Italiâ agens, contrario scripto, non quidem tunc typis edito, sed tantùm privatim communicato, respondit;

ARN. OSSATUS PRO EA.

auctoritatibus divinæ Scripturæ atque Doctorum Ecclesiæ, & multiplicibus rationibus & argumentis docere intendens, non solùm posse Pontificem cum relapso pœnitente ad omnia dispensare, & errare summoperè qui aliter doceant, ac contra traditas Ecclesiæ à Christo claves disputare; verùm etiam Clementem tunc Pontificem debere cum Henrico Rege etiamsi relapso ad regnum Franciæ dispensare, ob maximas inde emergentes Ecclesiæ utilitates, quas enumerabat, & urgentem rerum necessitatem, ac gravissima mala

atque pericula, quæ ſi diſpenſatio negaretur exoritura eſſent.

XXIII. CONJURATIO IN VITAM REGIS.

Nec ſolùm ſcriptis agebatur in Regem à malevolis; ſed etiam gladiis tentata eſt ejus vita. Quippe inventus eſt quidam Petrus Barrerius, olim navicularius Aurelianenſis, poſteà militiam caſtrenſem ſectatus; qui præcipiti furore Regem antè quàm hæreſim abjuràſſet perimere decernens, & in facinore à nonnullis Eccleſiaſticis & religioſorum Ordinum viris, primùm Lugduni, deinde Pariſiis, etiam poſt reconciliationem Regis, quaſi ea ficta eſſet, confirmatus cum promiſſione gloriæ cæleſtis; indiciis cujuſdam viri nobilis, cui res communicata fuerat, captus vigeſimo ſeptimo Auguſti Meloduni, ubi tunc Rex erat, rem coram judicibus delegatis confeſſus eſt: ac verè ex animo pœnitere præſeferens, nihilominùs ob ſceleratum propoſitum, cujus exequendi opportunam occaſionem quærebat, rotæ ſupplicio damnatus eſt: monens ante ſupplicium, duos adhuc ſacerdotes ad id ſcelus Lugduno profectos eſſe, quos formâ deſignavit.

XXIV. NIVERNENSIS ADVENTUS ROMAM.

Vt jam de itinere Ducis Nivernenſis ad Vrbem agamus, pervenerat is ad Rhætos cum præſulibus ſibi attributis, cùm ad Poſclavum oppidum obvium habuit die decimatertiâ Octobris Antonium Poſſevinum Soc. Ieſu, virum multis legationibus, ac præſertim Moſcoviticâ ſub Gregorio XIII. conſpicuum, rerúmque gerendarum expertum, cum literis Clementis Pontificis & mandatis; quibus ſignificabatur, lætari quidem ipſum de reverſione Regis ad Eccleſiam, atque optare ut ea talis eſſet qualem deceret, minimè tamen poſſe ad colloquium admittere Nivernenſem ut legatum Regis, quem nondum talem agnoſceret, at ut privatum grato animo receptum iri. Quo nuncio non parùm perculſus Nivernenſis, ire nihilominùs perrexit: atque in itinere rursùm per literas Cardinalis S. Georgii nepotis ex ſorore Clementis ſcriptas vigeſimo quinto ejuſdem menſis, poſt reditum Romam Poſſevini, monitus ut cum exiguo comitatu veniret, decem tantùm dies in Vrbe moraturus: quanquam ægerrimè hæc audiens, ingreſſus tamen eſt per portam minùs frequentatam ſibi præſcriptam, die vigeſimâ primâ Novembris. Eodémque die ad pedum deoſculationem admiſſus, ante omnia decem dierum moræ brevitatem ad tanti negotii, cujus causâ venerat, diſcuſſionem, & interdictum Cardinalium colloquium, ad quos à Rege literas habebat, deprecatus eſt: rogavítque ut coram Philippi Regis oratore, & fœderatorum delegatis cauſam Regis ſibi agere liceret, palámque facere quantis impoſturis in hoc negotio illuderent. Cùm iis de rebus cum Cardinalibus ſe deliberaturum reſpondiſſet Clemens, biduo pòſt rursùs Nivernenſis ad colloquium admiſſus, eadem repetiit; ac longâ & vehementi oratione Galliæ ſtatum expoſuit, & potentiam Regis ac magnitudinem virium, contrà quàm Pontifici perſuaderetur, extollens, Fœderatorum debilitatem ac perverſa conſilia, pietatis ac religionis ſpecie velata, quibus & Legatus Placentinus contra fas ipſius Pontificis auctoritate abutens inhærerent, detexit: impoſſibiléque omninò eſſe ut alius Rex crearetur oſtendit: benedictionémque ei à Pontifice impertiri enixiſſimis precibus, ac flexis genibus, etiámque cum lacrymis rogavit: petens inſuper ut Epiſcopus Cenomanenſis & Seguierius Decanus ad pedum ejus deoſculationem admitterentur, quò reconciliationis Regis, cui interfuerant, rationem redderent. De quibus cùm ſe deliberaturum Pontifex dixiſſet, quarto pòſt die per Cameræ ſuæ Magiſtrum, rursúmque per Franciſcum Toletum Cardinalem è Societate Ieſu, Nivernenſi ſignificavit ut ad diſceſſum ſe compararet, qui non ut Regis legatus, ſed ut privatus admiſſus fuiſſet in Vrbem, ut non opus eſſet Cardinales viſitare: præſules verò non poſſe in conſpectum Pontificis admitti, quin priùs ſe coram Cardinale Sanſeverino ſacræ Inquiſitionis præſide & majori Pœnitentiario ſtitiſſent. Quod tamen Nivernenſis omninò negavit: nec quid præterea à Pontifice obtineri potuit: etiamſi pius Pontifex, per miſſos à Placetino & Mayenio, ejus fidei zelo abutentes perſuaſus, Nivernenſi permiſerit longè ultra decem præſcriptos dies morari; ne ſi ſtatim remitteretur, Rex de Pontificis conſilio certus, aliter ſuis rebus proſpiceret, priuſquàm fœderati ſibi ab ejus potentiâ providiſſent. Si tam ſincerâ mente fuiſſent cæteri quàm erat Pontifex, res proculdubiò planiori viâ proceſſiſſet: ſed ab iis continuè falſis relationibus imbutus, non potuit non durum ſe oſtendere, qui benigniſſimus naturâ erat; vel ne apud Fœderatos, qui pro religione arma induiſſent, ingrati animi notam ſubiret; vel ut de Regis voluntate certior factus, quo tandem res Galliæ inclinarent penitùs inſpiceret, neque præpropero conſilio uſus fuiſſe videretur. Qui denique non præfractè, quod adverſarii volebant, negavit abſolutionem; ſed tantùm diſtulit, donec illuſtriora pœnitentiæ & ſinceræ Regis converſionis ſigna reciperet. De Nivernenſis ab Vrbe diſceſſu dicetur anno ſequenti.

XXV. CLEMENTIS PÕT. CONSTITUTIONES CONTRA IUDAOS.

Inter cætera verò quæ præſenti idem Pontifex pro utilitate Eccleſiæ ſtatuit, conſtitutiones a Paulo IV. & Pio V. ad compreſſionem Iudæorum, qui uſuris ſuis & fœneratitiis pactis homines depauperabant, conditas confirmans [a] & augens, omnes illos utriuſque ſexûs à cunctis ditionis Eccleſiaſticæ locis perpetuò recedere & exulare juſſit, ſub pœnâ amiſſionis bonorum quorumcumque, & damnationis ad triremes: exceptis tamen (ne unde ejecti ad gentes quæ Chriſtum non nôſſent diverterent, atque à viâ ſalutis, cujus causâ permittebantur, longiùs recederent) Româ, Ancona, & Avenione, in quibus vivere poſſent ſub obſervatione ſtatutorum civitatum illarum, & conſtitutionum Pontificiarum. Aliáque conſtitutione plurimas deceſſorum ſuper damnatione & prohibitione Thalmudi, & aliorum ſimilium deteſtandorum ſcriptorum, quibus iidem Iudæi contra religionem Chriſtianam utebantur, renovans & confirmans, novas pœnas in eos qui illa tenerent aut legerent ſancivit. Et Congregationem Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, quam vidimus à S. Thereſiâ inſtitutam, à Fratribus Mitigatis dicti Ordinis, quod Gregorius XIII. inchoaverat, penitùs ſegregavit [b]. Quódque ſic gaudeant Religioſorum Congregationes res ſuas ſibi peculiares

[a] Burchar. to. 3. Clem. VIII. conſt. 19. & 20.

CARMELITÆ DISCALCEATI DIVIDUNTUR.

[b] Ibid. conſt. 25. & 71.

habere, necesse fuit eidem Pontifici post aliquot annos, Italos ejusdem Congregationis Discalceatorum ab Hispanis segregare, & duplicem Congregationem constituere: portâ hac apertâ ad singulas in singulis regnis & provinciis instituendas.

XXVI. IMMANIS LEX HISP. IN BELGIO.

Dum in Belgio Philippi Regis fortuna, ob virium ejus in Galliâ, occupationem, in dies inclinaret; Mansfeldius Comes rem interim dum adveniret Ernestus Austrius Gubernator decretus administrans, Comitis Fontani hominis truculenti, nuper à Philippo eò missi, suasione, principio anni edixit, ne deinceps bello capti pretio se redimere possent, aut cum aliis captivis permutari; & ne collationes pecuniarum, quæ ab agrestibus ad incendia & deprædationes vitandas utrinque pendebantur, itémque securitatis literæ, quæ ad domos & bona conservanda accipiebantur, ampliùs permitterentur, aut ullius essent roboris: quæ licèt utilia videri possent compellendis ad fortiùs pugnandum militibus, cùm necessitas in vestigio moriendi imponeretur, ne dedentes se ignominiosum supplicium subirent: nihilominùs cùm non solùm Ordines publicas de hujusmodi immani feritate querelas contra Hispanos promulgassent, sed etiam multi ex iis qui Philippo semper fidem servaverant, immanem ab Albano olim institutam belli gerendi rationem renovatam fremerent, postquam aliquo tempore utrimque ita res gesta est, ab eâ feritate temperatum est, & prior belli gerendi humanior ratio resumpta.

XXVII. BELLUM TURCICUM ET GERMAN. [c] Vid. supr. ann. 1591. XVII.

Cùm duobus proximis annis bellum [c] inter Christianos & Turcos magis excursionibus, & tanquam velitationibus, factum esset, hoc anno Hasane Bosnæ præfecto ad arcem Scissiam Croatiæ, in ipso Savis & Colapis fluminum confluente sitam, quam cum triginta millibus armatorum obsederat, vigesimo secundo Iunii gravissimâ clade à Christianis, quorum sex tantùm millia numerabantur, affecto, quâ tum ipsemet, tum Mehemetes sorore Amuratis Turcorum Regis natus, ac plerique duces exercitûs, cùm duodecim armatorum millibus, partim cæsis, partim aquis haustis perierunt, castris cum omnibus signis, impedimentis & tormentis captis, classe amissâ: Amurates tantâ suorum clade magnoperè perturbatus, bellum palàm & publicè Rudolpho Cæsari, qui ægrè ad illud ferebatur, & nihil non egit quo Amuratem placaret, ut ex pluribus ejus epistolis [d] Constantinopolim eâ de causâ scriptis intelligitur, magno fastu denunciavit. Móxque properans Sinanes primus Visir, bellíque incentor, cum longè majori exercitu in Hungariam advenit: & recedentibus ad ejus adventum Cæsarianis qui Petriniam obsederant, Scissiam occupavit, ac Vesprimium, & nonnullas alias arces. Post quæ cùm Budam maturè exercitum reduxisset ob morbos per castra grassantes, Cæsariani Albamregalem aggredientes, Turcos qui in auxilium accurrerant, magnâ cæde repulerunt, occisis sex peditum, quatuor equitum millibus: ac nihilominùs Albæ obtinendæ commodissimâ occasione omissâ, domum reverti maturarunt. Quo tempore in Pannoniâ quoque Superiori a Christianis variæ illatæ sunt clades Turcis, & multa loca erepta.

[d] Epist. Turcic. lib. 12. ad fin. & 13. in pr.

XXVIII. BAPTISMUS PRINCIPIS AFRICANI.

Muleius Xequus filius Mahometis Fessæ & Marrochi Regis, quem Sebastianus olim Rex Lusitaniæ voluerat regno restituere, datúsque ei à patre obses, ac posteà sub patrocinio Philippi Hispaniæ Regis in religione Christianâ educatus; tandem mense Novembri in monasterio sancti Laurentii, unà cum cognato & ministris aulicis baptizatus est, sumpto nomine Philippi ab Africâ. Fuerunt iisdem his temporibus turbæ & prælia in Mauritaniâ de imperio prædictorum regnorum; quæ alius filius Mahometis nomine Mulei Nazurus, tentavit occupare, sed improspero conatu. De quibus bellis sunt Hispanorum relationes, parùm ad res nostras facientes.

XXIX. DENS AUREUS.

Prodigia quædam naturæ hoc anno contigisse leguntur. Inter quæ illud stupendum nimis, quòd in pago Silesiæ Vegelsedorfio, Christophoro Mullero Ioannis fabri lignarii filio septenni, loco dentis qui ei ceciderat, enatus est unus maxillaris aureus in maxillâ inferiore, magnitudine eâdem quâ cæteri naturales, aut paulò majore, eadémque firmitate ac immobilitate, gingivâ molli ac rubricante circumdans; ad quem admotus lapis Lydius, probitatem auri Pannonici retulit. De cujus rei certitudine, & utrùm naturali ratione fieri possit, fuêre ultrò citróque scripta à Medicis Iacobo Horstio, Martino Rulando, & Ioanne Ingolstetero, in publicum edita.

XXX. [e] Bucholcer. in Indic. ORLANDI DE LASSO OBITUS.

E vivis ereptus est hoc anno [e] Monaci in Bavariâ decimo tertio Iunii, anno ætatis suæ septuagesimo tertio, *Orlandus de Lasso*, inter viros, quibus nomen æternum ex aliquâ artis peritiâ factum, propter Musices excellentiam quâ valuit, connumerandus: quippe cujus concentus musici, eorúmque ad sententiam textûs accommodatio, non modò hominum animos mirificè delectandi vim habeant, sed etiam aliquo modo corpora afficiendi atque movendi.

IESU CHRISTI Annus 1594.

CLEMENT. VIII. An. 3.

RUDOLPHI II. Annus 18.

I. NIVERNENSIS EXPOSTULATIONES AD PONTIFICEM.

ANno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Indictione septimâ, ineunte Ianuario, Dux Nivernensis rursùm ad colloquium Clementis Pontificis admissus, actionem à primordio repetens, intentiùs pro Rege egit, ac cùm Pontificem in suâ sententiâ perstare, nec scripto denegationem petitionis suæ concedere velle vidit; liberiùs de repulsâ conquestus, commotiùs etiam in Cardinalem Placentinum Legatum invectus est, quòd non se tanquam patris communis vicarium, sed veluti partium ducem gereret, & Hispanorum libidini serviliter ancillaretur. Denique commeatu accepto, totius suæ legationis acta diebus prolixè descriptæ ad eum misit; additâ sub finem expostulatione vehementi, quòd non pro merito personæ suæ, & Regis, cujus nomine venerat, acceptus fuisset, & quòd Pontifex Regis supplicationem rejecisset; adeóque severè in hâc causâ processum fuisset, ut & ipse Possevinus, qui principio ad ipsum

Nivernensem missus fuerat, quòd ipsi favere atque adeò Regis causæ diceretur, tanquam politicus Vrbe exulare jussus esset. Additítque demùm protestationem privato suo non Regis nomine, quâ Pontificem de calamitatibus repulsam indignam secuturis commonefaciebat; quæ nequaquàm pœnitentis culpæ imputandæ forent, quamlibet conditionem justam & æquam accipere parati. Quemadmodùm & Episcopus Cenomanensis, qui ad Pontificem admitti non potuerat, ut ipsi eorum quæ in Regis reconciliatione ab Episcopis facta fuerant, rationem redderet; ex Italiâ discedens Venetiis scriptum publicandum curavit, quo nihil in eâ actione nisi ritè & rectè, ac salvâ sanctæ Sedis auctoritate factum fuisse, multis rationibus, auctoritatibus, & argumentis ostendebat: adeòque absolutionem verissimis ac justissimis de causis impertitam fuisse, atque idcircò de ejus vi & efficaciâ dubitandum non esse.

ITEMQUE CENOMANENSIS.

II. LEGATIO ALEXANDRINA ROMAM.

Qui verò ita in Regis legatos, ob causas superiori anno expositas, severum se præbuit Clemens, Alexandrinos, in quibus eæ causæ cessabant, benigniùs excepit: duos nempè monachos Macarianos à Patriarchâ Gabriele & Ecclesiâ Alexandrinâ missos, unà cùm sancti Marci Archidiacono à Corepiscopo directo: qui mense Novembri superioris anni ex Ægypto profecti, ad finem præsentis Romam pervenerunt, cum literis, quibus Clementem uti caput & maximum Patriarcharum, & magistrum ac prædicatorem totius populi Dei agnoscebant; expetebántque ejus, ac Cathedræ Petri in quâ ipse sedebat fidem & communicationem: cùm priùs ipse Pontifex Hieronymum Vecchietum Florentinum cum literis & muneribus ad Patriarcham misisset. Fuerunt autem illi singulari benignitate à Clemente excepti, & quamdiù in urbe manserunt Pontificiâ magnificentiâ habiti. Qui die decimoquinto Ianuarii sequentis, sinceræ Fidei Romanæ professionem, ejúsque sacrorum dogmatum acceptionem, coram Pontifice & Cardinalibus publicè ediderunt, rejectis Nestorii, Eutychetis, & Dioscori impiis hæresibus, uti pleniùs videre est in sinceris actis hujus legationis, quæ reperiuntur in calce tomi sexti Annalium Baronii. Cúmque eandem professionem de mandato Pontificis iidem legati in Ægyptum misissent ad eam per Patriarcham & Corepiscopum confirmandam, ac promulgandam; hoc ab iis præstito, testimonióque ejus Romam misso; tunc ipsorum oratores obedientiam eorum nomine Pontifici præstiterunt vigesimo quinto Iunii anni millesimi quingentesimi nonagesimi septimi, ut de his certo certiùs constat auctoritate secretarii qui tunc erat Clementis Pontificis. Ex quibus eos omnes refellas qui Ecclesiæ Romanæ invidiâ hanc Alexandrinæ legationem in dubium revocare ausi sunt, ex eo quòd non tunc Gabriel ei Ecclesiæ præesset, sed Meletius valdè ab eâ fidei confessione alienus. Scimus Meletium fuisse circa hæc tempora Patriarcham Constantinopolitanum: an verò fuerit priùs Alexandrinus, & an hoc admondùm tempore, hoc quidem nescimus. Sed certè magis credimus & oratoribus Pontificis Alexandriam ad id, missis, & actis rerum diversis prædictis annis Romæ gestarum; quàm incertis hominum de religione malè sentientium, & Ecclesiæ Romanæ hostium assertionibus.

III. LIBRI HISPANICI.

Tam vera fuissent quæ hoc eodem tempore apparuisse dicuntur [a] Cæcilii & Sociorum nomine Concilia, Apostolorum jussu in Hispaniis habita, & linguâ Arabicâ characteribus Æthiopicis scripta; quasi inventa sunt in Hispaniâ in monte sancto Granatæ: unde ad Clementem Pont. allata sunt, contecta plumbo, & filo æneo colligata. Inter quæ fuisse dicitur unum Illiberitanum, aliud Ilepulitanum. Item Vita & Miracula S. Iacobi: De regno & domo Inferni: De summâ Providentiâ: De Misericordiâ: De Iustitiâ: De omnibus quæ fecit Deus creans Mundum: De creatione Angelorum. Liber item inscriptus, Miracula Fidei, ac de Anulo Regis Salomonis, dictatus à Beatâ Virgine Mariâ sancto Iacobo Zebedæi. Mera somnia stertentium nimio otio hominum; producta in regione fictionum ac fabularum feracissimâ, quibus nihilominùs credam ego absque ullâ dubitatione, cùm videro ea ab Ecclesiâ approbata.

[a] Vid. Possevin. Appar. tom. 1. verbo Cæcil. & to. 2. verbo Tres libri.

IV. S. HYACINTHI CANONIZATIO.

Hoc item anno idem Clemens inter Sanctos Confessores retulit *Beatum Hiacinthum* natione Polonum, nobili familiâ ante quadringentos fermè annos in diœcesi Vratislavienli ortum: qui à pueritiâ literis instructus, post datam jurisprudentiæ & sacris literis operam, inter Canonicos Cracovienses adscitus, deinde Romæ in Prædicatorum Ordinem ab ipso ejus institutore sancto Dominico adscriptus, perfectam vivendi rationem usque ad finem vitæ sanctissimè retinuit: remissúsque in patriam, plura ibi sui Ordinis monasteria extruxit, & tam verbi Dei prædicatione, quàm vitæ innocentiâ, & miraculis proficiens, post quadraginta propè annos à professione decessit in pace, Cracoviæ anno Domini 1257. 15. Augusti, ipsâ Assumptionis Beatissimæ Virginis festivitate, eundémque miraculis etiam post mortem illustrem, & magnâ apud suos veneratione habitum, Clemens Pontifex Sigismundi Regis & Ordinis Dominicani petitioni annuens, ritu solemni in canonem Sanctorum retulit [b] decimoquinto Calendas Maii: attributo ejus festivitati die decimo sexto Augusti, postero ab obitu. Qui idem Pontifex aliam quoque constitutionem edidit decimotertio Calendas Iulii de largitione munerum utriusque sexûs regularibus interdictâ. Aliámque quinto Idus Septembris de approbatione sodalitii *Beatæ Mariæ de Suffragio* nuper in Vrbe instituti, ad orandum pro liberatione animarum in Purgatorio existentium.

[b] Bullar. to. 3. Clem. const. 27. 28. 29.

V. EDICTUM REGIUM DE SUA CONVERSIONE.

Quod res Gallicas attinet: Rex induciis exeuntibus, quas cum adversariis anno superiori pepigerat, Meduntæ existens, cùm adhuc incertum esset, quid Nivernensis Romæ egisset, die 27. Decembris anni superioris edictū promulgaverat valdè prolixum: quo incredibile de suâ reconciliatione gaudium testatus, ejus causam divinæ gratiæ, & suorum enixis ad Deum precibus attribuit: tum probatâ ejus ratione, uti ex consilio Episcoporum ac Theologorum, & post idoneam instructionem factæ, Nivernensem se Romam misisse ait ad eam Pontifici insinuandam: Intereà nihil non egisse cum adversæ partis ducibus, ut pacis tanto-

perè necessariæ rationes inirentur: & cùm de eâ agere illi recusarent antequàm, ut aiebant, Pontificem consulerent, inducias cum iis pepigisset; easque semel prorogâsse, atque etiam ulteriùs prorogare voluisse, modò de pace interim seriò ageretur: quod cùm illi apertè recusarent, multis difficultatibus rem involventes dum externas copias reciperent; se quoque bello agere cum iis decrevisse, denunciatione priùs factâ iis qui ipsorum partes religionis causâ secuti essent, Principibus, præsulibus, nobilibus, civitatibus, aliisque omnibus cujuscumque ordinis & conditionis, ut eos intra mensem desererent, & sibi obedientiam quam deberent præstarent; consecuturi omnium rerum præteritarum indulgentiam, & restitutionem in suas dignitates, bona, & fortunas.

VI. VITRIUS CUM CIVITATE MELDENSI AD REGEM TRANSIT.

Nec mora; Ludovicus Hospitalius Vitrius civitatis Meldensis Lutetiæ vicinæ præfectus, qui solo religionis zelo, quam sub Principe à fide Catholicâ alieno periclitari animadvertebat, in Vnione permanserat; jam ipso eam professo, non ampliùs habere existimans quo diutiùs cum iis maneret, primus omnium ad partes Regis spontè transiit; & cum eo ipsa civitas Meldensis, 11. Ianuarii: publicatis postridie separatim consiliorum suorum rationibus. In quam civitatem Rex profectus, gratiam præteritorum civibus fecit, privilegia & immunitates confirmavit; multásque alias gratias indulsit; ac speciatim nullam aliam præter Catholicam Romanam religionem in urbe aut suburbiis admitti se passurum.

VII. PLACENTINI NOVA DECLARATIO CONTRA REGEM.

Hujus autem reductionis nuncio perculsus Cardinalis Legatus, simul & monitione à Senatu Parisiensi Duci Mayenio factâ de procurandâ pace, & removendo ab urbe Hispanorum præsidio, ac relinquendo in eâ præfecto Comite Belinio, cujus summam moderationem ac prudentiam Senatus & universi urbis ordines experti essent, quémque Mayenius, quòd ad Regem inclinare videretur, inde removere deliberaverat: his, inquam, & crebris plebis murmuribus belli necessitatem deprecantis, commotus; veritúsque ne & alii præfecti & urbes exemplum Vitrii & Meldarum sequerentur; scriptum edidit 27. Ianuarii ad universos regni Catholicos: quo referens ea quæ inter Pontif. & Nivernensem Romæ gesta essent, nec Pontificem adduci potuisse ut benedictionem Regi, cujus nulla adhuc signa veræ pœnitentiæ & satisfactionis retineret, impertiret; hinc satis constare significavit, quanto in errore versarentur ii, qui sibi licere putarent, Henricum uti Regem agnoscere, ex hoc uno quòd se Catholicum professus Ducem Nivernensem Romam misisset: quippe cùm ille iisdem adhuc quibus anteà excommunicationis vinculis obstrictus esset, id quoque consequi, ut qui eum ut Regem colerent, iisdem pœnis in quas priùs incurrerant obnoxii essent, atque imposterùm forent, donec is à Sede Apostolicâ receptus esset. Quocircà omnes hortabatur in fidei propugnatione constantes permanere, ne ab ea præcipites lapsi se Christi merito & præmio indignos, atque æterni maledicti vinculis illigatos præberent.

VIII.

Sed hæc inutili apud plerosque labore. Siquidem veluti consilio in commune collato, passim per universum regnum certatim agi cœpit de abdicandâ Vnione, abjiciendâ factione Hispanicâ, & obedientiâ Regi præstandâ. Aquis-Sextiis, quæ primaria est Provinciæ civitas, & in quâ Senatus ejus sedem habet, eodem mense Ianuario, Carsii Comitis ejus præfecti, qui filiam uxoris Mayenii conjugem habebat, impulsu, Senatus populúsque, tum ut se à lentâ obsidione Espernonii liberarent, tum Ducis Sabaudiæ dominationis, cui se supposuerant, & in quâ nihilominùs parùm præsidii repererant, pertæsi; cautione acceptâ de Provinciæ immunitatum & Religionis Catholicæ conservatione, Regi sese subjecerunt. AQUÆ-SEXTIÆ REGI DEDUNTUR. Lugduni, ubi paucis antè mensibus Dux Nemorosius Mayenii frater uterinus, juvenis impotentis animi, quòd urbem; quam regendam cum circumvicinis provinciis à Mayenio acceperat, arcibus locis idoneis constructis, supremâ dominatione in potestate habere quæreret; auctore Espinaco Archiepiscopo, quem ad eum comprimendum Mayenius eò miserat, captus per tumultum à civibus, & in custodiam traditus fuerat; eáque de causâ Marchio Sansorlinus ejus frater continuis incursionibus totum agrum Lugdunensem vastare non cessabat: cùm hâc arreptâ occasione Carolus Aragonius Terrænovæ Dux, qui Mediolanensi principatui pro Philippo Rege præerat, auxilia Lugdunensibus ad arcendas Sansorlini incursiones propediem se missurum significâsset: Hoc ejus consilium boni cives interpretati, quasi specie auxilii urbem factiosorum Hispanis faventium ope occupare vellet: occultis coïtionibus deliberantes urbem in libertatem asserere, evocato secretò Alfonso Ornano Corso, qui Regis nomine bellum in propinquo gerebat; antequàm is adveniret, concitatâ plebe, primo die; nempe septimo Februarii, libertas inclamata est, factâ aliquâ cum factiosis pugnâ; sequenti Regis nomen ubique ingeminatum; insignia Hispaniæ & Sabaudiæ ac Nemorosii per lasciviam exusta, unà cum Vnionis effigie strigis specie confectâ; Regis verò insignia in portis & locis publicis erecta. ITEMQUE LUGDUNUM. Admissóque Ornano, factiosi de perdendâ urbe suspecti urbe pulsi sunt: Nemorosius ut anteà diligenter asservatus: ut de eo Rex arbitrio suo statueret: Archiepiscopus qui ægrè ferebat citra suam auctoritatem res in urbe mutatas, cùm exire vellet, rogatus manere acquievit.

IX. AURELIA ET BITURIGES.

Sic & eodem mense Februarii Castreus Aureliæ & Biturigum præses, conditionibus amplis secreto cum Rege tractatu per fidos internuncios habito, has maximi momenti urbes Regi reconciliavit; confirmatus ipse in dignitate Marescallatûs quam à Mayenio acceperat, & in præfecturâ duarum illarum provinciarum. Quando & Villaregius per Alincurium filium de Ponte Oesiæ transegit: de Peronâ unitísque oppidis Michaël Estrumelius Sanlucii qui cum Rege erat sororius. Ac de ipsâ Lutetiâ Carolus Cosseus Brissaci Comes, ejus custodiæ in locum Belinii à Mayenio impositus, clàm cum Rege agere cœpit, ut eam citra sanguinem ac direptionis periculum in manus ejus traderet. Sed quòd antequàm

quàm id fieret, celebrata est Regis inauguratio, quæ ad omnem tollendam perfectæ conversionis suspicionem, & nequid objiceretur defectûs consuetorum regiorum rituum, etiamsi non omninò necessariorum, facienda visa est; de illâ priùs dicendum.

X. INAUGURATIO REGUM POTEST EXTRA REMOS FIERI.

Tria verò dubia circa eam agitata fuerant; videlicèt de loco ubi ageretur, de personâ cujus ministerio agi deberet, & de sacro oleo quod adhibendum esset. Sed omnia haud difficulter soluta; quia quod ad locum attinet, etiamsi certum esset plerasque Regum inaugurationes factas esse Remis, multæ tamen etiam aliis locis factæ reperirentur, æquè validæ ab omnibus existimatæ: de quibus est etiam antiqua Ivonis Carnotensis Episcopi epistola, pro defensione consecrationis Ludovici Crassi Aureliis à Senonensi Archiepiscopo factæ; nec aliquod proferri posset certum Ecclesiæ Remensis privilegium, quo id ei sedi annexum probaretur: & quanquam esset, id de jure ordinario intelligi deberet; nec obstaret, quin si per grave impedimentum adimpleri non posset, (quale jam intercedebat, Remorum civitate ab hostibus occupatâ) aut si competenti aliâ ratione Rex quemcumque alium locum ei actioni eligeret, non æquè ritè res fieret. Vnde & evanescit nonnullorum argumentum de articulo in comitiis Blæsensibus ante quinquennium inter leges fundamentales constituto, ut nemo Rex legitimus imposterùm haberetur, priusquàm Remis sacro oleo ibi asservato inunctus esset. Præterquàm enim hoc dici potest Fœderatorum suasione, qui eam urbem tenebant, statutum, ac propterea nullius esse momenti; proculdubiò nec ullo etiam alio jure valere potuit, quod manifestè apparebat esse contra rei ipsius naturam. Denique & ipsimet Fœderati post ejusmodi statutum, Carolum Cardinalem Borbonium ut verum Regem agnoverunt, etiamsi nec Remis fuerit, nec ob custodiam quâ detinebatur ire eò potuerit.

XI. ET AB ALIO QUAM ARCHIEPISCOPO REMENSI.

Ex prædictis autem facilior fuit solutio secundi dubii de personâ; quod etiam solverat olim Ivo: quippe si non fiat consecratio Remis, non potest etiam ejus Ecclesiæ Archiepiscopus in aliâ ubi non parem habeat potestatem, id munus exequi. Sicuti nec modò Archiepiscopus Bituricensis, qui quòd esset designatus Senonensis id sibi juris debere contendebat, ex eo quòd esset tunc Ecclesia Carnotensis sub metropoli Senonum, (à quâ fuit posteà divulsa, & Parisiensi in metropolim evectæ supposita) non solùm non potuit ejusmodi solius designationis vi eum honorem prætendere, sed neque si sedem plenè adeptus fuisset, (etiamsi id Carnotensis Episcopus non abnueret) quoniam contra disciplinam Ecclesiæ est, ut metropolitani in Ecclesiis suffraganeis ullis honorificis juribus potiantur. Quare & tenuit ut Nicolaus Thuanus Episcopus Ecclesiæ Carnotensis, in quâ inaugurationem fieri placuerat, eam perageret; nec id quidem ullo jure emendicato, sed proprio suo, quo absque insigni injuriâ non poterat privari.

ALIÔQUE ITEM SACRO OLEO.

Ad Oleum quod spectat; si non Ecclesiæ Remensis cancellis consecratio conclusa est, profectò nec sacri olei Ampullæ Remensis usus necessarius, cùm non illud intelligatur donatum nisi ad consecrationes quæ Remis fierent: Ideóque afferri placuit quod in Majori-Monasterio urbis Turonensis eâdem religione asservatur: quo scilicèt longè ante S. Remigii tempora, & acceptionem divini illius liquoris, sancto Martino Turonensi Archiepiscopo per scalas fortè prolapso ac graviter contuso, visus est Angelus Domini ejus vulnera eluere, ac perfectæ sanitati restituere; ut testes omni exceptione majores Sulpitius Severus, Venantius Fortunatus, Paulinus Nolanus, absque omni dubitatione asserunt. Allatum est autem Carnotum à quatuor religiosis monasterii, supplicationibus ac processionibus Turonibus & toto itinere celebratis; deducente eos Ægidio Souvreo provinciæ præside.

XII. SOLEMNITAS INAUGURATIONIS CARNOTI FACTA.

Rebus igitur omnibus paratis, facta est solemni ritu & pompâ ibidem Carnoti in Ecclesiâ Beatiss. Virginis Regis inauguratio die Dominicâ 27. Februarii, ab eodem Nicolao illius civitatis Episcopo; vicem 12. antiquorum Franciæ Parium gerentibus, trium quidem Ducum Ecclesiasticorum, hoc est, Remensis, Laudunensis, & Lingonensis, eodem Carnotensi, Nannetensi, & Diniensi; Comitum Bellovacensis, Catalaunensis, & Noviodunensis, Maleacensis, ipsomet Catalaunensi qui per se aderat, & Aurelianensi: Ducum verò sæcularium, Burgundi, Aquitani, & Normani, Principe Contii, Comite Suessionis, & Duce Mompenserii, Comitum Flandriæ, Campaniæ, & Tolosæ, Ducibus Pinei, Retzii, & Ventadurii; Marescallo Matignono Connestabilis officio fungente, Duce Longavillæ Majoris Domûs regiæ; Comite Sancti Pauli ipsius fratre Magni Camerarii: Cevernio Franciæ Cancellario post Connestabilem sedente purpureâ veste amicto, aliique suo ordine. Oleum sacrum è Majori-Monasterio allatum in S. Petri Basilicâ depositum fuerat. Summo verò mane missis quatuor Batonibus, ut vocabant, per totidem è nobilitate juvenes repræsentatis, cum vexillis, qui obsides sese de restituendâ post ceremonias peractas sacrâ Ampullâ, instrumento publico per urbis prætorem desuper confecto profiterentur; delata est illa in ædem Beatiss. Virg. solemni pompâ per vias aulæis velatas: ac post rem peractam similiter relata. Cantato in fine hymno *Te Deum laudamus*, Rex in ædes Episcopales concessit: Ibique celebratum est magno apparatu convivium, in quo sex Pares Ecclesiastici sederunt ad dexteram Regis cum Pontificiis ornamentis ac mitris; sæculares ad lævam cum iisdem itidem ornamentis quæ in templo habuerant, & circulis aureis in capite: ministrantibus mensæ cæteris Principibus, ac præcipuis proceribus. Post vespertinas preces decantatas, Rex insignia Ordinis sancti Spiritûs ab Henrico III. instituti cepit de manu Episcopi Carnotensis, jurejurando ex præscripto Ordinis præstari solito, ad majus Ecclesiæ altare de geniculis facto, Cancellario ejus formulam præferente. Quæ cuncta breviter à nobis relata, cæteráque omnia ad totum actum ritúsque consecrationis pertinentia, idem Episcopus Carnotensis edito libro complexus est.

XIII. TRACTATUS BRISSACI DE LUTETIA TRADENDA.

Pro loco verò sancti Marculphi in agro Remensi existente, ad quem Reges post consecrationem, cùm ibi sit, novennalem stationem exolvere consueverunt, elegit Rex Sanctum Clodoaldum, binis leucis Lutetia distantem, tum propter religionem loci & Sancti, tum ut vicinior urbi existens commodiùs ejus reductioni intenderet. De quâ cùm tractâsset secretò Brissacus ejus præfectus cum Rege, res nonnihil turbata est coïtionibus Sexdecim virorum seditiosorum, ad instaurandam labentem factionem repetitis; & petulantibus quorumdam concionatorum contra politicos, ut vocabant, invectivis. Sed repressis his per Senatusconsulta Curiæ, & Mayenio Duce, qui de Brissaci consiliis à propriâ matre monitus, rem ut inanem contempserat, urbem derelinquente ad acceleranda auxilia Belgica: Brissacus negotium urgens antequàm quicquam aliud novi accideret, illúdque cum præfecto mercatorum, duobus ædilibus, nonnullis tribunis ac centurionibus urbis, quos sciebat pacis cupidos, Regíque fidos, communicans; id effecit, ut quatuor circiter millia selectissimorum virorum introducta fuerint in urbem summo mane die 22. Martii per diversas portas, nullo rumore facto; præterquàm ad Novam, ubi aliquot Germani ad defensionem se parantes cæsi fuêre, aut in flumen præcipites acti. Rex per eandem portam ingressus, (eandem ipsam, quod non omninò mysterio caret, quâ Henricus tertius ejus decessor ultimò inde profugus exierat:) ad regiam arcem Luparæ perrexit: misśique confestim per universam urbem tubicines & feciales qui præteritorum omnium gratiam publicarent, ac metum cunctis tollerent: Duci Feriæ, aliísque ministris Philippi Regis incolumibus abire permissum, unà cum Hispanis, Neapolitanis, ac Belgis præsidiariis, explicatis signis, fune extincto, ad tympanorum pulsum cum armis & impedimentis, attributis qui eos securè ducerent. Missi & ad Cardinalem Placentinum Legatum, qui securum esse juberent. Túmque Rex ad majorem Ecclesiam Beatissimæ Virginis, armatus ut erat, cum nobilissimo comitatu æquè armato perrexit, ut gratias Deo ageret de urbe receptâ: ubi à sacro collegio, obviam Cruce prælatâ prodeunte, summâ reverentiâ exceptus, sacris solemnibus interfuit, ingenti populi concursu & applausu vitam ei comprecantis. Mirúmque illud accidit, & omnem fidem superans, ut tribus post Regis ingressum horis apertæ totâ urbe fuerint officinæ, commerciúmque commeantium hominum euntium ac venientium tantâ tranquillitate resumptum, ac si nihil omninò novi contigisset: ut appareret pulsis regni hostibus, & factionibus abolitis, Regem legitimum solio restitutum, magistratum urbi redditum, libertatem instauratam esse.

REX EAM INGREDITUR.

XIV. PLACENTINI CARDIN. ABITUS.

Placentino Cardinale in conspectum Regis, quanquam honorificè invitato, adire recusante, datum negotium Iacobo Davy Perronio Ebroicensi Episcopo designato, ut eum Montargirium usque prosequeretur: cujus gratissimâ conversatione, putà hominis omni doctrinæ genere excultissimi, & ingenii elegantissimi, adeò delectatus est, ut Romam reversus magnam ejus expectationem apud Pontificem excitaverit. Ægrotans verò tunc Cardinalis Pelleveus, cujus præcipuè industriæ Vnionis fabrica imputabatur, quíque aversissimo erat à Rege animo; ubi audivit eum urbe potiri, cùm vix ut crederet adduci posset, adeò perculsus est, ut versâ ad spondam lecti quo jacebat facie, nihil umquam deinceps usque ad mortem mox secutam loqui auditus fuerit. Conquisiti post hæc libelli injuriosi in Regem, ejúsque decessorem Henricum III. operâ librariorum, quicumque reperiri potuerunt aboliti sunt. Et Curiæ archiva diligenter excussa; & quicquid in iis itidem injuriosum, & ad memoriam perniciosum, per hæc bella decretum, scriptúmque in iis repertum est, conscerptum fuit.

ET PELLEVEI OBITUS.

XV. CUNCTA RITE STATUŪTUR LUTETIÆ.

Restitutus quoque Senatus qui in urbe remanserat; ob constantem ejus fortitudinem in conservandâ auctoritate regiâ & successionis jure contra factionem Hispanicam; minimè expectato qui Turone sederat, aut Catalauni: & confirmati qui à Mayenio constituti fuerant, acceptis novis à Rege diplomatibus: edicto eâ de re facto 28. Martii, à Cancellario in curiâ promulgato; (haud sine Turonensium invidiâ; qui paulò pòst in urbem redierunt, magno honore excepti:) unà cum alio in gratiam Parisiensium, juxta conditiones cum Brissaco anteà conventas; quo præter restitutionem in integrum, & antiquorum privilegiorum & immunitatum tam urbis, quàm magistratuum ejus, & Academiæ confirmationem, imprimis cautum fuit ut juxta edictum Henrici III. anni 1577. non alia quàm Catholicæ Apostolicæ Romanæ religionis professio decem ab urbe leucis foret. Brissacus in officio Marescalli, quod à Mayenio acceperat, & urbis præfecturâ confirmatus, pactam etiam pecuniæ summam accepit: alii qui ei coadjutores in redditione urbis fuerunt, honoribus & dignitatibus ac gratiis aucti: nonnulli seditiosiores tam ex clero quàm ex magistratibus politicis pulsi. Factúmque Senatusconsultum die 30. Martii; quo cuncta contra Reges Henricum III. & IV. decreta abolita fuêre; attributa olim Mayenio revocata; eíque ac cæteris Lotharingicæ familiæ principibus, cæterisque omnibus cujuscumque conditionis hominibus injunctum ut Regi obedientiam præstarent, sub gravissimis pœnis in personas & bona statutis; atque in memoriam receptæ & ad Regis obsequium redactæ urbis, solemnes supplicationes in perpetuum decretæ die 22. Martii, quibus Senatus in purpurâ interesse deberet.

XVI. REX IN OMNIBUS CATHOLICÈ SE GERIT.

Majori Hebdomadâ ante Pascha Rex feriâ quintâ Absolutioni publicæ, quæ post meridiem in Ecclesiâ Cathedrali Beatiss. Virg. fieri consuevit, interfuit: ac postridie Cœnam more Regum celebravit, pedes tredecim pueris lavans, ac cibum & eleemosynam manibus propriis impertiens: Ipsóque sacro Resurrectionis die, post sacram communionem, septingentis circiter strumosis, celebri Regum Francorum ritu & privilegio, manum imposuit. Die verò 22. Aprilis Iacobus Ambrosius tunc Rector Academiæ solemnem conventum celebravit in Scholâ Navarræâ, unà cum Quatuor Facultatum, Theologiæ, Decretorum, Medicinæ, & Artium Doctoribus: (in quibus fuerunt quinquaginta quatuor

Decretum Universitatis de obedientia ei reddenda.

Theologi tam sæculares quàm religiosi;) quo de communi omnium consensu decretum est, præstandam esse obedientiam Regi tanquam legitimo ac naturali regni successori; cujus ferventis erga sanctam Matrem Ecclesiam zeli ipsi testes essent; precésque publicas ac privatas pro eo fundendas esse, etiamsi regni hostes obstarent quominùs à sanctâ Sede admitti, prout ipse postulabat, nondum potuisset. Huic tamen decreto non tam citò, aut facilè, Carthusiani, minimi, Iesuitæ, & Capuccini, assensum præbuerunt: adeò ut contra Carthusianos multatione bonorum processum fuerit: contra Iesuitas, etiam postquàm assenserunt, renovata sit tot annos intermissa lis Academiæ; cum hoc etiam augmento, ut non solùm Academiâ, verùm etiam toto regno expellerentur quâ causâ acriter in Senatu agitatâ mense Iulio, Antonio Arnaldo pro Academiâ acerrimâ vehementiâ contra eos perorante, atque in unum colligente quæcumque eatenùs usquam iis objecta fuissent, nec pauca recentiora addente: Ludovico Doleo pro Curionibus prætereà petente, ut si non pellerentur, saltem sacramentorum administratione, omníque aliâ curionum functione omninò interdicerentur: pro iis verò Claudio Dureto agente: (quorum omnium orationes in publicum editæ fuêre;) ultimò Antonius Seguierius pro regio procuratore moderatiùs peroravit: factumque Senatusconsultum est, quo libelli Academiæ & Curionum nomine oblati, comperendinatæ olim ante triginta annos liti tanquam ejus appendices adjuncti sunt, ut eodem judicio de iis à Senatu pronunciaretur.

Iesuitæ rursùm exagitantur.

XVII. Plurimæ urbes se Regi dedunt.

Ad receptæ verò Lutetiæ famam, multæ aliæ civitates belli pertæsæ nutare cœperunt; ac præfectis auctoribus, aut ipsæ per se intra paucos menses in Regis potestatem concesserunt, hoc ferè ordine; Rotomagus cum multis Normaniæ urbibus; Abbatisvilla cum cæteris Picardiæ; Trecæ, Senones; Rigomagus in Arvernis; Aginnum in Vasconiâ; Pictavium, Remi, Ambianum, Bellovacum, Maclovium in Armoricâ, cùm aliis nonnullis ejusdem provinciæ: & in singularum gratiam condita edicta ejusdem ferè modi, cùm esset omnium una eadémque penè causa: solemnibus in omnibus conditionibus, de præteritorum abolitione, (præterquàm qui Regis defuncti parricidio participassent, aut præsentis vitæ insidiati fuissent) privilegiorum confirmatione, & Religionis Catholicæ Apostolicæ Romanæ conservatione, nec alterius intra urbes admittendæ. Rex intereà Laudunum obsidione cinxit ad finem Maii: quod quia magni ad res gerendas, Lutetiâ amissâ, momenti erat, Hispani ei subveniendum censuerunt; rem Mayenio apud Ernestum Austrium Belgii Gubernatorem, qui nuper eò advenerat, solicitè urgente. Ductíque à Carolo Mansfeldio septem millia peditum, cum octingentis selectis equitibus: qui irrito conatu, post gravem cladem à regiis ad Crepiacum acceptam, ad sua se receperunt: ac civitas deditione factâ, in manus Regis venit ineunte Augusto.

XVIII.

Dux Guisius mense Novembri reconciliatus est Regi, unà cùm fratribus suis, amplis conditionibus, tanquam proximâ conjunctione cum Rege conjuncti: eáque reconciliatione comprehensi ii omnes qui tam in regno quàm extra regnum in Hispaniâ & Italiâ ei operam navaverant. Ipsi verò attributa præfectura Provinciæ: in quâ interim Espernonius, qui violento suo imperio nobilitatem à se abalienaverat, multísque nominibus Regi suspectus redditus fuerat, tacito Regis jussu a Diguiero repressus est: cùm apertè eum impugnari, haud tempestivum id temporis, quo nondùm res suas plenè stabilitas haberet, Rex duceret. Ex aliâ verò parte Dux Sabaudiæ valido comparato exercitu, nequicquàm satagente in contrarium Diguiero, mense Novembri Briquerascum obsidione recepit, cùm jam anteà ad finem Iulii Nemorosius è carcere Lugdunensi, morbo simulato, mutatóque cum cubiculario habitu, deceptis custodibus evasisset, ac Viennam se recepisset; nonnullis aliis vicinis locis in potestatem redactis.

Guisius paciscitur cum Rege.

Dux Sabaudiæ adhuc arma movet.

XIX. De rebus Armoricis.

In Armoricâ Duce Mercurio constante in Vnione permanente, Aumontius Marescallus provinciæ præses à Rege constitutus, cum militiâ Gallicâ & auxiliari Anglicâ nonnulla oppida recepit: Crodunatum munitionem ab Hispanis loco commodissimo ad imperium maris inter Brestum & Conquestum extructam, post arcem obsidionem expugnavit mense Novembri; occisis quadringentis Hispanis lectissimis, qui eam fortissimè propugnabant: cùm in eo esset Ioannes Aquila copiarum Hispanicarum præfectus, ut eis suppetias ferret; nisi à Mercurio, cum quo parùm ei conveniebat, propositis difficultatibus retardatus fuisset. Quâ in expugnatione illud memoriâ dignum accidit; ut cùm Aumontius in vindictam cædis suorum, qui ampliùs quingenti amissi sunt, præter illos qui posteà ex vulneribus occubuerunt, edixisset ne cui Hispanorum à milite gratia fieret; Anglus quidam dum abdita scrutans, in latentem Hispanum incidisse, à quo olim contra paris severitatis edictum in Belgio servatus fuerat; agnitum servans, accusatus de eo apud Aumontium, & ad eum unà cum captivo adductus, vitam pro eo ponere, à quo olim recepisset, magno animo obtulerit. Cujus generositatem admiratus Aumontius, utrumque laudatum & muneribus donatum dimisit.

XX. Rex deliberat bellum Hispanis indicere.

Dum res igitur sic procederent per Galliam, Rex potissimæ & maximæ regni partis jam potens, cùm Hispanos pergere videret in suis adversus ipsum consiliis & conatibus; ac recèns Capellam munitum Picardiæ oppidum in limite Belgico à Mansfeldio vi fuisse occupatum; tum assiduis Henrici Turrii Turenii, qui mortuâ nuper conjuge suâ Bullioniâ, Elisabetham Nassoviam sororem Mauritii Ordinum Belgii præfecti duxerat, & cum eo consilium inierat, ut ille Ordines ad irreconciliabile bellum cum Hispanis animaret, ipse Regem ad id ipsum induceret; hortationibus impulsus, bellum Philippo Regi inferre decrevit; eâ specie quòd faciliùs Hispanos regno pulsurus esset, si eo foris aggrederetur; ac proinde reliquam regni partem in potestate continuò habiturus, cùm cernerent rebelles

se eo præsidio destitui, cùm tamen admodùm intempestivè id à Rege deliberatum extitisse, prudentiores existimaverint, eo rerum statu, quo nulla erat regni provincia, in quâ non vigeret adhuc bellum internum; & jam Philippus cogeretur omnes vires suas & honoris causâ & ad suî defensionem exercere, qui eatenùs non nisi parcè & lentè suppetias Fœderatis ferre consueverat: unde etiam non potuerit nisi funesta esse ejus gestio. Sed putatur Turenius, non tam intuitu publicæ utilitatis, quàm privatæ suæ suorúmque Hugonotorum, quorum ipse princeps & caput erat, ad id Regem impulisse; sive quòd jam tunc animo motus illos volveret, (ut erat homo inquietissimo ingenio, cujus deliciæ turbæ erant) quos post aliquot annos concitavit; seu quò eosdem Hugonotos Regi commendatiores, ac veluti necessarios redderet, qui à suâ conversione ab iis derelictus, non valdè eos curare videretur. Vnde & ipsi mense Maio hujus ipsius anni convenientes in oppido S. Fidis in Aquitaniâ, suísque rebus diligentiùs prospicientes, novum ordinem constituerunt quem in suis conventibus tam generalibus quàm particularibus, consiliis, urbibus, præsidiis, pecuniarum collectione & distributione, & aliis ejusmodi servarent: quo palàm fecerunt, non solùm velle se suam religionem sartam tectam contra omnes conservare, verùm etiam rempublicam in monarchiâ stabilire.

HUGONOTORUM CŌSILIA.

XXI. REGIS MONITA AD GALLO-BELGICOS.

Antequàm verò Rex ad belli denunciationem deveniret, die decimasextâ Decembris per tubicinem literas dedit ad Atrebatum & Hannoniæ Ordines Gallo-Belgicos: quibus significabat, cùm videret Philippum, malorum quæ Galliam à tanto tempore pessumdabant auctorem, adhuc eorum qui in rebellione perseverabant patrocinium suscipere, ac bellum alere, nec ullam pactorum cum decessoribus Regibus Francorum ad pacem tuendam initorum rationem habere; se omissâ omni dissimulatione, arma justa contra injustam vim opponere decrevisse: amicitiæ tamen quæ majoribus suis cum ipsis Ordinibus intercessisset memorem, cùm animo provideret ipsos licèt extra culpam positos, tamen primos ejus tam gravis belli ictus excepturos, noluisse publicè uti denunciatione, priusquàm eos amicè consilii sui commonefecisset: si verò à Rege Philippo impetrare possent, ut exercitus qui in limite conscribebatur, in interiora deduceretur, ac fidem interponerent Hispanos nihil hostile contra se regnúmque suum molituros, se denunciationi decretæ non instaturum. Ad has literas Atrebatum allatas, quæ minimè resignatæ Ernesto Gubernatori traditæ sunt, nihil responsum est: sed remisso tubicine qui attulerat, cuncta ad bellum utrimque comparari cœperunt. Inde tentatum, sed irrito conatu, Audomari fanum, & ipsum Atrebatum: Turenius belli incentor in agrum Lucemburgicum cum exercitu ad hiberna concessit.

XXII. REX CULTRO FERITUR.

Sub id cùm Rex vigesimoseptimo Decembris à Sangermano Lutetiam veniens, in cubiculum suum nocte introîsset; à scelestissimo quodam adolescente annorum undeviginti, Ioanne Castello Parisiensi, Petri pannorum mercatoris, qui ædes proximas palatio habebat, filio, qui se turbæ immiscuerat, cultro ictus, ingens vitæ periculum subiit. Sed divinâ providentiâ factum, ut cum parricida jugulum peteret, Rex se paululùm inclinans ad complexum cujusdam nobilis ad se salutandum accedentis, ictus dextrum labrum superius attigerit, dentémque excusserit, non ultrà penetrans. Cùm cultrum in terram projecisset, & in confertissimâ turbâ dubitaretur quis ictum intulisset; captus nihilominùs, scelus primò negans, mox confessus est, & in carcerem ductus. Vbi interrogatus, dixit se ex anteactæ abominandæ vitæ conscientiâ in desperationem actum, ad pœnam æternæ damnationis quam expectabat aliquâ parte levandam in vitam Regis conspirâsse; quem audiebat licitè occidi posse tanquam tyrannum, nondum à Pontifice pro Rege approbatum: Literis operam dedisse in collegio Soc. Iesu, ultimóque sub Patre Ioanne Guereto: præmeditatum scelus patri suo Petro communicâsse, sed ab eo dissuasum fuisse ne committeret. Quòd verò se discipulum aliquando Iesuitarum fuisse dixisset, missis qui scripta eorum in ædibus ipsorum & collegio scrutarentur, inter chartas Ioannis Guignardi sacerdotis Societatis Carnuto orti, reperti sunt libelli famosi contra Reges defunctum & præsentem, ad ejusmodi parricidia spectantes, & utrumque Regem coronâ Franciæ indignum, eámque in aliam familiam quàm Borboniorum transferri potuisse & debuisse, decernentes, quæ licèt Guignardus eo tempore quo maximè Fœderatorum furor vigebat scripsisset, tamen etiam post abolitam à Rege omnem præteritorum memoriam servaverat, contrà quàm decretum fuerat, ut omnes ejusmodi libelli comburerentur.

XXIII.

Iudicio maturè peracto, in Castellum parricidam, tanquam divinæ & humanæ majestatis reum, vigesimo nono Decembris sententia dicta; ut brachiis ac femoribus forcipe ardenti concerptis, & manu cultrum tenente amputatâ, à quatuor equis membratim discerperetur, flammis deinde aboleretur, cinerésque in ventum spargerentur. Additúmque eodem Senatusconsulto, ut collegii Societatis sacerdotes ac discipuli, & alii omnes qui eidem Societati nomen dedissent, tanquam juventutis corruptores, publicæ tranquillitatis perturbatores, Regis ac Status hostes, intra triduum à die denunciationis, Lutetiâ aliísque urbibus in quibus collegia haberent, & quindecim pòst diebus toto regno excederent: bona eorum tam mobilia quàm soli ad opera pia applicarentur: Interdictúmque pœnâ perduellionis cunctis Regis subditis, ne ad scholas Societatis extra regnum pueros studiorum causâ mitterent. Septimâ verò die Ianuarii proximi, Guignardus laqueo publicè strangulatus est: Gueretus priùs tortus, exilio perpetuo damnatus: Castellus pater ad novennium extra regnum relegatus, in perpetuum Lutetiâ & jurisdictione: domus ejus à fundamentis diruta; & in areâ columna erecta, in quâ Senatusconsultum inscriptum fuit: nonnulli alii ob easdem suspiciones æquè exilio multati. Contra pulsionem verò suam, tanquam sine causâ factam, ipsi Iesuitæ non pauca post hæc scripta pro suâ

SENATUSCONSULTŪ CONTRA IESUITAS.

defensione in lucem ediderunt. Fuerúntque iidem à Parlamentis Tolosæ & Burdegalæ in suis jurisdictionibus conservati: quamvis non semel apud Regem institerit procurator ejus generalis in Senatu Parisiensi, ut etiam in iis prædictum Senatusconsultum locum haberet. Qui & insuper post hæc obtinuit ab eodem Senatu decerni, ut nemo qui aliquando Societati nomen dedisset, etiamsi eam deseruisset, ad conciones, ullúmve sacerdotale ministerium, & puerorum in literis institutionem privatim vel publicè ullibi admitti posset: binis decretis de eo factis anno 1597. 21. August. & 16. Octobris.

XXIV. ERNESTUS FRUSTRA AGIT CUM BATAVIS.

Diximus superiùs, Ernestum Austrium fratrem Rudolphi Cæsaris in Belgium venisse, ad illud nomine Philippi Hispaniæ Regis gentilis sui administrandum. Is mense Maio literas ad Ordines fœderatores scripsit; quibus egregiam suam erga eas provincias voluntatem, cujus causâ fratres, ac patriam, & amplissimarum provinciarum administrationem reliquisset, contestatus; ob oculos ponebat à quo invidendæ felicitatis, quâ olim fruebantur, fastigio per hæc dissidia excidissent: hortabatúrque ut amotâ omni diffidentiâ in id seriò incumberent ut pacis constituendæ, ac per eam pristinæ felicitatis recuperandæ rationes inirent; sicque sibi persuaderent, æqua si peterent, ab æquissimo causæ suæ principe impetrari posse. Verùm ad hæc ab Ordinibus, qui ab omni pace alieni erant, scripto prolixo & acerbitatis pleno responsum est: qui post gratias more solemni actas, eo se consilio, aut potiùs extremâ necessitate victos, arma cepisse dixerunt, ut se ab Hispanorum tyrannide, vim conscientiis, corporibus, fortunis inferentium assererent, & pristinam libertatem, ac privilegia servarent: repositísque quæ à triginta annis inter Hispanos & Belgas bello & pace facta fuissent, addiderunt etiam quæ nuper iidem Hispani effrenatâ ambitione contra Galliam gessissent; in Scotiâ vanis promissis quosdam è proceribus ad defectionem sollicitâssent; in Angliâ contra Reginæ vitam conjurâssent; Regem Franciæ veneno interficere cogitâssent, & in Mauritii Nassovii necem sicarium subornâssent, adeò ut meritò sibi suspecti essent Hispani; nec videre cur tam sæve ab iis habiti, toties decepti, toties armis & insidiis appetiti, eorum imperio se subjicere deberent. Sicque Ernesti conatus effectu caruit. Mauritius autem hoc anno mense Iulio Groningham Frisiæ Occidentalis metropolim, urbem potentem, post acrem duorum mensium obsidionem, & violentam verberationem, ad deditionem compulit, extincto in eâ religionis Catholicæ exercitio, & hæresis introducto.

XXV. CONJURATIONES SCOTICÆ.

Sed quod scripto suo Ordines de machinationibus Scoticis & Anglicis dixerunt; ut de iis distinctiùs agamus (cætera namque de veneno Regi inserto florum porrigendo & sicario in Mauritium ab Ernesto immisso, incertiora fuêre:) ante aliquot jam annos fuerat turbatum [c] in Scotiâ, præcipuo auctore Francisco Comite Bothuelliæ, Ioannis Prioris Coldinghamiæ filii naturalis Iacobi V. Regis Scotorum filio, homine versatili & inquieto ingenio, sibi à Rege timente, quòd ab ariolo quodam accepisset, exitium sibi ab eo imminere. Cum quo & capita contulerunt Comites Huntleius, Arrolius, & Craroforius, religionis Catholicæ studiosi, desiderio eam promovendi, & factionem Anglicam, quâ Rex Scotiæ veluti possidebatur, dissolvendi. Verùm eorum conatibus brevi à Rege retusis, Bothuellius rursùm accusatus magos & sagas in Regis perniciem consuluisse, in carcerem conjectus est; indéque elapsus, Regem in suam potestatem redigere tentavit irrito nisu: unde & proditor ab Ordinibus Scotiæ declaratus est. Cúmque inter hæc nonnulli sacerdotes Catholici de religionis tuitione apud nobiles agere accusati fuissent, ministri hæresis legem rogârunt, ut qui religionem in Scotiâ constitutam (nempè Calvinianam) non profiterentur, excommunicatione innodarentur, & nisi post annum profiterentur, omnia eorum bona fisco addicerentur.

[c] Camden. in Elisab. ab ann. 1589. ad 1594.

XXVI. PERSECUTIO IN CATHOL. SCOTIÆ.

Quod verò quæ à Catholicis fiebant, eo fine ab iis tentari dicerentur ut Hispani in ejus regni & Angliæ possessionem introducerentur; Rex Scotiæ tum propriâ sponte, tum Elisabethæ Angliæ Reginæ impulsionibus inductus, severas leges in Catholicos eorúmque fautores sancivit; in nonnullos animadvertit; alios bonis privavit; & Comites Angusium, Huntleium, & Arrolium persecutus est: Ministris nihilominùs indignantibus, & Regi, quòd mitiùs quàm pro innato suo ipsorum furore cum Catholicis ageret, & eos ferro flammáque non persequeretur, negotium facessentibus; & ministrali audaciâ, minime expectatâ Regis auctoritate, Barones & burgenses convocantibus ad consultandum de rebus suis: adeò ut nec veriti sint, Regem, ut Catholicis æquiorem, & ipsis iniquiorem, queribundi assiduè apud Reginam Angliæ criminari. Vnde & factum est, ut cùm & ipsa non cessaret Regem adversus Catholicos concitare, Rex Ordines regni convocaverit, ad Catholicos Comites qui accusabantur Hispanos accersere voluisse, in gratiam Reginæ id postulantis proscribendos. Contra quos cùm reliqui proceres suffragia ferre recusarent, eò quòd nihil de ejusmodi eorum consilio, nisi ex præsumptionibus constare poterat: ii tamèn Ministrorum & burgensium (hoc est delegatorum plebis) suffragiis proscripti fuere, ac solum vertere coacti. Diræ quoque leges in Iesuitas & sacerdotes latæ; suprema in rebus Ecclesiasticis auctoritas Regi delata; & Associatio contra Catholicos constabilita.

XXVII. LIBER CONTRA REGEM SCOTIÆ.

Quo factum [d] est, ut cùm nulla ampliùs spes esse videretur Catholicis in Scotiâ vel Angliâ vivendi, aut religionem Catholicam restituendi; improvidè admodum emissus sit in lucem liber Dolmani sacerdotis nomine, sed ut asserebatur Personio Iesuitâ, Alano Cardinale, & Fr. Inglefeldio auctoribus, ad convellendum jus Regiæ Scotiæ in regnum Angliæ; dicatus Roberto Comiti Essexiæ Anglo, qui supplicia in causâ religionis nunquam probaverat, ac veluti regio genere prognatus, in aliquam spem regni adduci posse credebatur. Eo tamen libro, spreto natalium jure, & hæreditariâ successione convulsâ, electionem inducendam, neminémque nisi Catholicum in Regem admittendum esse dif-

[d] Id. hoc an.

ferebatur: ac plerísque omnibus Regibus Angliæ tanquam malæ fidei possessoribus, singulis è regio sanguine vél uti minùs legitimè natis, vel uti regni incapacibus traductis, jus Isabellæ Hispaniæ Infantis, Philippi Regis filiæ, quam & Franciæ Reginam Hispanos constituere quæsîsse vidimus, uti cæteris omnibus certius adstruebatur; putà genus ducentis à Constantiâ filia Guillelmi Conquestoris Regis Angliæ, & ab Eleonorâ primogenitâ Henrici II. nuptâ Alfonso IX. Regi Castellæ, & aliis ejusmodi antiquis & obsoletis genealogiis: sive id auctores libelli verè ita esse existimarent, (quod tamen Angli falsi arguerunt) sive, (ut posteà excusâsse dicuntur, sed futili excusatione) ex studio Regem Scotiæ ad fidem Catholicam, metu ejusmodi Hispanici juris in regnum Angliæ, quod alioqui Scoto indubitatum esse omnibus persuasum erat, perducendi. Præter quæ, fuisse etiam conspirationes in vitam Elisabethæ Reginæ Angliæ; ferro quidem per quemdam lanistam Hibernum à profugis immissum, veneno autem per medicum Reginæ ab Hispanis subornatum, deliberatas, sed detectas, & suppliciis punitas, iidem Angli asserunt. Verùm quoniam ejusmodi facinora Catholicis sæpè impingi ab iis consuevisse vidimus, fortè & fuerint hæc iisdem naturæ: qui nihilominùs si verè vel mente cogitata extiterint, non possumus non toto animo abominari, ac penitùs damnare.

XXVIII. [c] *Chytræ. Saxon. lib. 30.* Sigismundi Regis conatus pro restitutione Relig. Cathol. in Suetia.

Hoc anno [c] cùm Sigismundus Rex Poloniæ, qui superiore autumno ad capessendum Sueciæ regnum hæreditarium post obitum Ioannis patris in patriam appulerat, Epiphaniæ die coronam Vpsalæ regni metropoli accipere decrevisset; negotium ei de Religione, ac Ministro Coronationis facessitum est. Erat enim ipse religione Catholicus, ac percupiebat eam in regnum unde ab avo suo Gustavo fuerat eliminata, restituere; spéque faciliùs id obtinendi, desiderabat solemnia coronationis fieri à Nuncio Apostolico qui ipsum comitabatur, Francisco Malaspinâ Episcopo sancti Severini: sed repugnabant Ordines regni, tum ne eo facto ritus Catholici reducerentur, quos ipsi aversabantur, nolentes pati ut ulla alia fides præterquam Confessionis Augustanæ Lutheranorum in regnum admitteretur; petentésque ut antequàm Rex coronaretur, jurejurandum præstaret de eâ liberâ, solâque toto regno sine ullâ conditione relinquendâ & conservandâ: tum ne fraudi id esset Archiepiscopo Vpsalensi Sueciæ primati, ad quem instituto majorum honor consecrationis pertinebat. Erat verò tunc eâ dignitate decoratus Abrahamus Andreæ; qui Lutheranus existens, quòd defuncto Regi Ioanni religionem Catholicam restituere molienti, semper adversatus fuisset, ideóque exilium ab eo sustinuisset, fuerat anno superiori ad eam assumptus. Durante igitur multo tempore hâc altercatione, demùm Rex, cùm aliud non posset, utramque conditionem subiit, ut & sola Confessio Augustana in Sueciâ locum haberet, & ab Archiepiscopo Vpsalenti coronaretur, quod factum est ibidem Vpsalæ die decimonono Februarii. Secuta verò sunt Comitia regni Stocholmiæ primariâ regni civitate: in quibus de formâ administrationis regni per Regis absentiam leges constitutæ sunt: indéque Rex in Poloniam rediit.

XXIX. Hungarica bella.

Continuante bello Turcico in Pannoniâ, Matthias Rudolphi Cæsaris frater ei Præfectus, Noviogradum ad principium Martii obsidione cinxit, urbem valdè munitam ditionis olim Episcopi Vaciensis à Turcis possessam; ac brevî in deditionem compulit. Deinde Strigonium, urbem triplicem, clarissimámque Archiepiscopali dignitate olim insignem, ad dextram Danubii ripam positam, atque à Solimano pridem occupatam, itidem obsedit mense Maio cum exercitu quinquaginta millium armatorum; urbémque veterem proditione Thracum, sive ut quidam habent Rascianorum, qui in præsidio erant, arcémque sancti Thomæ in medio monte sitam expugnatione recepit. Ab oppugnatione verò urbis novæ repulsis suis, ipse quoque ad famam advenientis in auxilium Sinanis Viziris cum ingentibus Turcorum & Tartarorum Præcopensium copiis, terrore ferè panico captus, omissâ tertiæ urbis partis obsidione, cæterísque duabus pariter dimissis, contra Germanorum ducum sententiam, in loca tutiora se recepit; ipsis mirantibus obsessis, & subsannantibus, cùm interim in Illirico Maximilianus Austrius Matthiæ frater quædam loca anteà à Turcis occupata recepisset.

XXX. Iavarinum capitur a Turcis.

Sinanes verò, ubi advenit, longè lugubriorem plagam Christianis intulit, occupatione Iavarini totius Pannoniæ munitissimi oppidi, Austriæ Viennæque propugnaculi, in dexterâ Danubii ripâ siti; alio nomine Rabæ, à flumine cognomine quod illud à meridie alluit, ab indigenis dicti: quod post multam fortémque propugnationem, deditum est pusillanimitate præfecti, (seu etiam proditione; cujus insimulatus statim in custodiam datus fuit Viennæ, ac posteà securi percussus) & invidiâ Germanorum in Italos auxiliares qui in oppido erant. Quo Sinan potitus, rem suis gratissimam præstitit; cùm primo urbis ingressu, gratiis Deo actis, captivos [f] Turcos ad viginti, qui juxta deditionis pacta ibi erant relicti, vinculis solutos, quòd pro sacris Mahometanis crudeles carceris & compedum ærumnas ac vitæ pericula, forti & constanti animo pertulissent, collaudavit, pedésque eorum aquâ calefactâ, spectante exercitu suis manibus lavit; singulósque denis aureis nummis donatos, ut in iisdem sacris perpetuâ fide permanerent, cohortatus dimisit. Post quæ à Comaronii insulæ Danubii munitionis oppugnatione repulsus, Constantinopolim de Strigonii liberatione, & Iavarini expugnatione gloriabundus repetiit.

[f] *Isthuanff. Rer. Hung. lib. 28.*

XXXI. Militum grassationes.

Contra quem, cæterósque Turcorum duces, ne prosperos successus Christiani adipiscerentur, in causâ fuisse immania scelera Christianorum militum, quibus iram Dei in se concitabant, existimavit Nicolaus Isthuanffius harum historiarum pius scriptor, postquàm eorum vivendi modum descripsit: quos scilicèt ait tam in castris quàm per stationes adeò immani licentiâ, peccandíque impunitate grassari consuevisse, ut in militibus immanissimi latrones effecti, miserorum hospitum

pecora, quibus se & parvos liberos sustentare, variáque onera ad varias publicas privatásque necessitates obire solebant, non quotidianâ dumtaxat ingluvie mactata vorare & consumere, sed rapta & in longinquas terras abacta divendere consuevissent; & reconditas cellis penuariis fruges & vina, & quicquid esset ejus generis obsonii, è faucibus complorantium crudeliter extorquere: desectas verò tempore messis & in acervos compositas, in suas & equorum usus exponere non vererentur: & denique siqui facultatum suarum rapinis prohibendis paulò contentiosiùs restitissent, impias & crudeles manus inferrent: nec eâ quam obtinebant regione contenti, in remotas etiam partes sæviendo, & abditissima quæque loca perscrutando rapiendóque truculentissimè grassarentur: postremò segniter imperata facientibus, nisi notabilis tributi pecuniâ sese & pauculas substantiæ reliquias redemissent, omnem cædis & incendiorum cladem denunciare atque inferre non dubitarent: atque adeò uno ejusmodi grassantium prædonum agmine discedente, alii æquè crudeles & flagitiosi nullo miseriarum fine subinde succederent. Ita ille: quæ retulisse voluimus, tum in detestationem receptissimi ubique moris; tum in aliquam consolationem miserorum qui eum pati coguntur, cùm viderint non hoc solùm tempore, aut in uno regno vel regione, usurpari consuevisse. Quem nec spes sit tolli posse, nisi Dei benignitate aliqui gloriosi nominis & summæ pietatis Principes exoriantur in singulis regnis ac provinciis, qui revocatâ veteris & incorruptæ militiæ disciplinâ, & immanibus militum flagitiis coërcitis, miseram & innoxiam plebem immunem ab eorum injuriâ conservare studeant, quò tot aliis vectigalibus & oneribus, quibus ad belli subsidium à superioribus necessariò gravari solet, sufficere possit.

XXXII. Comitia Ratisponensia.

Dum autem exercitus Christianus Strigonio assideret, mense Maio Rudolphus Cæsar comitia Imperii Ratisponæ celebravit, quibus interfuerunt unà cum Electoribus multi alii Principes, & Pontificis nomine Ludovicus Madrucius Cardinalis Legatus, & Episcopi Tricarici & Cremonæ, atque oratores Regum Hispaniæ & Daniæ, Reipublicæ Venetæ, Magni Etruriæ Ducis, Ferrariæ, Mantuæ, & Parmæ Ducum, atque Reipublicæ Genuensis. In iis proposita à Cæsare capita, propter quæ conventus habebatur; nempè de certi ac stabilis exercitûs adversus Turcos, bellique gerendi, ac militaris disciplinæ constitutione; de Cameræ Spirensis instauratione; de tumultuum Belgicorum compositione; ac de Monetæ & Imperii Matriculâ. De quibus tamen omnibus nihil aliud statutum, quàm quòd octoginta mensium stipendia intra sexennium exolvenda promissa fuêre; haud summâ appositâ, ne arcanum Imperii evulgaretur. Reliqua de more in alios conventus posteà celebrandos rejecta. Totúmque ferè tempus Comitiorum, quod trium fuit mensium, conviviis, & hastiludiis, aliísque oblectamentis insumptum.

XXXIII. Sigism. Batho-rius recedit a Turcis.

Inter quæ Sigismundus Bathorius Transilvaniæ Princeps, filius illius Christophori, cui vidimus Stephanum fratrem, cum electus esset Rex Poloniæ, principatu Transilvaniæ cessisse; tum propriâ propensione, tum maximè Rudolphi Cæsaris hortationibus, & Sinanis Viziris iniquissimis postulationibus ac minis, à Turcicâ subjectione recedere, seséque in libertatem asserere, ac vires & arma cum Cæsare ac cæteris Christianæ religionis Principibus conjungere deliberans; renitentem sensit maximam procerum partem, qui Turcicis studiis inveterati, nequaquàm ab eorum consortio discedendum arbitrabantur, ne mox invictis eorum armis sub jugum pristinum redacti deteriorem & crudeliorem servitutem subire cogerentur, à quâ eos nec Germania omnis, neque alii Principes Christiani, utpotè procul dissiti, nec satis concordes, asserturi fore crederentur. Eóque res processit, ut quòd nihilominùs Sigismundus in proposito perseveraret, de illo abdicando, alióque in ejus locum subrogando, ab iisdem tractatum fuerit. Verùm huic consilio aliis intercedentibus, demùm Sigismundus, qui sibi ab adversariis cavens secesserat, de communi omnium sententiâ revocatus; complures proceres incautos custodiæ mancipavit, déque iis supplicium sumpsit: inter quos fuit etiam Balthasar Bathorius ipsius patruelis. Tum fœdus ad principium anni sequentis cum Cæsare ictum; quo inter cætera, Sigismundo Illustris Principis titulus, & Transilvania omnis cum eâ parte Hungariæ quam ei attiguam hactenùs possedisset, ac Moldavia & Transalpina Valachia, mero & absoluto jure concedebantur: sic tamen ut decedente eo absque hæredibus, eæ provinciæ rursùs ad Hungariæ regnum, cujus antiquitùs fuerant, redigerentur. Et ad hæc arctiùs confirmanda, data est eidem in uxorem Maria Christierna, Caroli Archiducis in Stiriâ imperitantis, qui Cæsaris patruus fuerat, filia, Reginæ Poloniæ soror, singulari elegantia ac formâ virgo, & Latinæ linguæ perita.

XXXIV. Guill. Alani Cardin. obitus.

Inter viros literis illustres; qui hoc anno diem obierunt, recensetur in primis qui dignitate aliis præstitit, *Guillelmus Alanus* Anglus Lancastrensis, & Cardinalis Angliæ nominatus; de cujus pro fidei Catholicæ in patriâ restitutione susceptis laboribus, & scriptis promulgatis, sæpè dictum superius. In eum congesserunt Angli à fide alieni, accusationum plaustra de machinationibus cum Pontificibus & Rege Hispaniæ ad Angliam expugnandam, atque eidem Regi subjiciendam: quem solo animarum zelo, non odio in patriam, aut exteri principis desiderio, in suis conatibus ductum fuisse, certum est. Laudandus planè in eà re, & suspiciendus; sicuti & laudatur & suspicitur ab omnibus Catholicis qui de eo egerunt [g], ejusque alias virtutes & scripta enumerârunt. Cujus & Vitam piè admodùm & Christianè ductam descripsit, & in publicum edidit Nic. Fizebertus: breviúsque complexus est Ioannes Pitseus itidem Anglus in libro de Illustribus Angliæ Scriptoribus. Obiit autem Romæ ex urinæ retentione decimoseptimo Calendarum Novembris, ætatis anno sexagesimo tertio: sepultus in Anglorum Ecclesiâ Sanctissimæ Trinitatis.

[g] *Vid. Vict. in Addit. ad Ciaccon. In Sixt. V. & qui ibi citantur.*

XXXV. Franc.

In Galliâ mense Februario ex hâc vitâ decessit Cadilliaci in arce suâ ad Garumnam

CANDALÆ OBITUS.

quinque leucis supra Burdegalam, *Franciscus Foxius Candala* Adurensis Episcopus, longè illustrissimâ familiâ in Aquitaniâ ortus, quæ tot Reges, principes, præsules, ac præstantes belli duces orbi Christiano dedit; sed eruditione ac moribus multò illustrior: qui præcipuè mathematicis artibus deditus, multa in iis ad veterum scripta addidit, publicavitque adeò etiam earum ad posteritatem sollicitus ut in earundem professionem Burdegalæ institutam, annuam pensionem legaverit: adeóque item erga genus humanum charitate flagrans, ut & in salutaris antidoti à se adinventi confectionem, quæ magno constat, pariter vectigal perpetuum legaverit, ut distribuatur gratis. Supergressus est autem ætate annum octogesimum quartum. Cui è Galliâ adnectimus *Claudium Puteanum* Senatorem Parisiensem: qui à puero sub optimis magistris Turnebo, Aurato, Lambino, literis instructus, inde Ius civile sub Cujacio didicit; & variis peregrinationibus doctissimorum toto orbe virorum familiaritate usus, Vrsini, Victorii, Manutii, Sigonii, Lipsii, ipsorum testimonio meruit ut primas inter literatos teneret, honorificè ubique in eorum scriptis appellatus: cùm tamen nihil ipse scripserit, sed tantùm judicio peracri, quo in censendis aliorum scriptis plurimùm valebat, potiùs alienæ gloriæ quàm propriæ servierit. Decessit Calendis Decembris propè quinquagenarius, Senatorio funere elatus; multis multorum carminibus, quæ à Christophoro, Augustino, Petro, dignissimis tanto patre filiis publicata sunt, deploratus.

ET CLAUDII PUTEANI.

XXXVI. ET GERARDI MERCATORIS.

Mortuus item hoc anno quarto nonas Decembris Duisburgi Cliviæ, ætatis anno octogesimo tertio, *Gerardus Mercator* insignis Chronographus, Rupelmondæ in Flandriâ natus: qui cùm Lovanii philosophicis ac mathematicis artibus se totum mancipâsset, etiam admodùm juvenis ad sculpendas tabulas, Gemmâ Frisio præceptore & auctore, animum applicuit. Deinde Claudii Ptolomæi tabulas restituit; ac elegantissimè descripsit: & Chronologiam ad Solis & Lunæ cursum diligenter putatam edidit. Denique jam inclinatâ ætate ad Theologica studia animum adjiciens, Harmoniam Evangelicam & alia in sacros libros conscripsit.

IESU CHRISTI Annus 1595.
CLEMENT. VIII. An. 4.
RUDOLPHI II. Annus 19.

I. CONSULTATIO SORBON. DE PRECIBUS PRO REGE OFFERENDIS.

ANno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, Indictione octavâ, Leutetiæ supplicationes per urbem magnâ frequentiâ habitæ, in gratiarum actionem valetudinis Regi à vulnere superioris anni fine accepto redditæ, quibus Rex ipse interfuit. Cùm verò nec propterea multi Religiosi Ordines adduci possent, ut pro ejus salute preces inter sacra Deo offerrent, quousque à Pontifice receptus fuisset; Petrus Cardinalis Gondius Episcopus urbis Theologos & curiones convocavit, & quid de his, deque parricidio in eum prætextu religionis tentato, commissóque olim in Henricum III. censendum interrògavit. Qui maturâ deliberatione habitâ, unanimi consensu responderunt, universos subditos debere omnem scrupulum deponere reddendæ plenæ obedientiæ Regi Henrico IV. & preces tam publicas quàm privatas pro ejus conservatione & prosperitate faciendi: Orare se nihilominùs ipsum Cardinalem Gondium, ut cum Rege nomine totius Cleri, ipsiusque Theologicæ Facultatis, ageret de mittendis quamprimùm ad Pontificem legatis; ad vitandum aliquod schisma, quod non posset non esse cum gravissimo scandalo & damno Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ, cujus judicio se Facultas semper submisisset, submitterétque. De cæteris verò quæsitis sic censere; nullo pacto cuiquam licere Henrico IV. Regi insidiari, aut consilium id faciendi dare, religionis, periculi fidei, aut cujuscumque alterius causæ prætextu: quinimmò rem fuisse & esse nefandam & detestandam. Henrici verò III. immanissimum parricidium tantum abesse ut nunquam Facultas probâsset, aut probaret, ut contrà exhorresceret ac detestaretur, unà cum aliis ejusmodi facinoribus, eorúmque auctoribus, consciis, & approbatoribus. Quæ sic in aulâ Cardinalis deliberata 16. Ianuarii, confirmata fuêre 21. in Sorbonicâ. De legatione verò, quam Facultas ad Pontificem mitti postulabat, dicetur, postquàm res quæ interim in Galliâ fieri contigerunt breviter attigerimus.

II. BELLUM A REGE DENUNCIATUR HISPANO.

Cùm igitur Rex post scriptas anno superiori literas ad Ordines Gallorum Belgicos de belli denunciatione Regi Hispaniæ faciendâ, tempus ad responsionem præscriptum, absque eâ, ob Ernesti Gubernatoris intercessionem, præteritum cerneret; denunciationem decimoseptimo Ianuarii promulgavit per tubicines in limite Belgico, & passim per regnum, cum causis & rationibus quibus ad eam moveretur. Ad quod scriptum respondens Philippus septimo Martii, (quo ejus responsio publicata est Bruxellis, mortuo jam vigesimo Februarii Ernesto ex dolore calculi) post enumerata subministrata à se pro defensione religionis Catholicæ auxilia, se porrò in eâdem benevolentiâ pro religione perseverare velle dixit; ac protestari, non propter ejusmodi sacrum bellum à pactis & pacificatione cum Christianissimis Regibus initis velle discedere, quinimmò mandare suis ne ullam Francis Catholicis injuriam inferrent, sed tantùm illis qui Hugonotorum & Henrici Bearnensis partibus adhærerent. Inde bellum acriùs exarsit; levésque pugnæ variis locis diverso marte factæ. Acrior quæ in Burgundiâ ad Fontemfrancicum, sic locum in limite dictum, post principium Iunii inita est: cùm audito adventu Ferdinandi Velasci Castellæ Connestabilis & Gubernatoris principatûs Mediolanensis, cum novo exercitu per Sabaudi ditionem in defensionem Sequanorum Comitatensium, periclitantium à Francis regiis: ac præcipuè à Birono, qui interim Belnam, Axonam, Augustodunum, in potestatem Regis reduxerat; ipsâque etiam Divione provinciæ primariâ urbe occupatâ arcem obsidione cingebat: cùm, inquam, his auditis Rex in Burgun-

PUGNA FONTISFRANCICI.

diam properans, ad Fontem-francicum cum Marchione Villario Mayenii privigno congressus periculosissimo conflictu; quo Bironus hinc, Villarius illinc sauciati fuêre; vicit quidem, sed tanto suî ac suorum discrimine, ut non longè fuerit ab ultimo exterminio; quod ei cum paucis copiis temerè potiùs quàm consilio pugnanti inevitabile fuisset, si Velascus integras suas Mayenio concedere voluisset: denique post pugnam scribens ipse Rex ad sororem Catharinam, parùm abfuisse dixerit quin eam hæredem reliquerit. Quare supplicationes Lutetiæ celebratæ & pro victoriâ & pro Regis conservatione fuerunt.

III. Fontani Comitis progressus contra Gallos.

Post quæ, arce Divionensi deditione acceptâ, & Velasco sese ad interiora Sequanorum recipiente; cùm prædis & excursionibus, & in pecuniâ ex municipiis & oppidis infirmis exigendâ, reliquus mensis Iunii ac sequens Iulius inutiliter, nec multo decore consumeretur, subindéque Rex Lugdunum concedens æquè inutilem moram ibi traheret: interim Petrus Gusmanus Comes Fontanus Hispanus, res in Belgio post Ernesti Austrii obitum administrans, consilio præcipuè & operâ usus Christiani Savignii Ronei Galli, qui præfecti castrorum munere in ejus exercitu fungebatur, primò Castellam Picardiæ oppidum in limite positum post longam obsidionem deditione cepit: deinde Dorlanium obsedit: & Comitem sancti Pauli provinciæ præsidem, unà cum Bullionio Marescallo, & Villarsio Admiralio, auxilio advenientem grandi cæde profligavit vigesimo quarto Iulii, Bullionio propere se recipiente, Villarsio obstinatiùs pugnante capto, & posteà interfecto: tum Dorlanium vi cepit, cum strage quingentorum nobilium ac reliquorum præsidiariorum; in vindictam ejus, quæ in occupatione Hanæ ejusdem provinciæ oppidi, quod magno præsidio Hispanorum tenebatur, facta nuper fuisset à Francis.

IV. Cameraci obsidio, et occupatio.

Post hæc Cameracum, urbem amplam, frequentem, & valdè munitam (quam Ioannes Monlucius Balagnius, Ioannis olim Episcopi Valentini nothus, ab Alenconio Duce, ut suo loco vidimus, regendam acceperat, modò verò Principis titulo possidebat, nuper à Rege in patrocinium receptus) respiciens, circumpositis regionibus in ejus obsidionem operam & pecuniam certatim conferentibus: & Ludovico Barlemontio ejus Archiepiscopo summa omnia faciente, ut in antiquam possessionem ejus imperii, à quâ per tot annos spoliatus fuerat, restitueretur: Atrebatibus centum florenorum millia, Hannonibus ducenta, Tornacensibus totidem, Archiepiscopo ex privato peculio quadraginta offerentibus: exercitum demùm ad eam admovit decimotertio Augusti: ac licèt immissus in ejus defensionem à Duce Nivernensi proprius filius Carolus Dux Retelensium, subindéque Dominicus Vicus dux bello clarissimus in urbem ingressus, in ejus propugnatione diligentiam omnem impenderent; nihilominùs divisis inter se civibus, (quorum maxima pars Balagnium, ob acerbissimas rapinas, & intolerabilem arrogantiam, summo odio prosequebantur; Ecclesiastici verò ob tyrannicam in ipsos & res sacras ac sacerdotia & monasteria grassationem execrabantur) & præsidiariorum parte ob stipendia non soluta secessionem faciente; primò urbem conventione cum civibus factâ in potestatem suam redegit: deinde etiam arcem, ad quam Balagnius unà cum Francis se receperat, quæ ab annonâ aliisque rebus omnibus ad defensionem necessariis negligentiâ Balagnii imparata reperta est; honorificâ deditione die nonâ Octobris recepit; propemodùm sine sanguine, quadringentis tantùm è suis desideratis, urbe longè munitissimâ potitus, cujus obsidionem nec fortè aggredi cogitâsset unquam, nec cœptam prosecutus fuisset, (quippe quam non semel deserere in animo habuerit) nisi ab eodem Roneo in certam spem ductus fuisset ejus potiundæ; tum ob sollicitatos anteà à se quorundam civium animos, à quibus promissionem accepisset movendæ seditionis quæ pòst secuta est; tum propter Regis absentiam, Lugduni tunc inutiliter tempus terentis. Deditionis conditionibus pactis, Balagnii uxor Renata Ambosia virilis animi femina, & ambitione amens, exprobratâ viro ignaviâ, quòd tantæ fortunæ superesse sustineret, inter suspiria & singultus, antequàm ex arce cum cæteris exiret, è vitâ demigravit. Postridie ab Archiepiscopo, in gratiarum actionem de tantâ victoriâ, magnâ pompâ celebratæ supplicationes, quibus Fontanus cum cæteris ducibus interfuit. Et aliquot pòst diebus ejusdem Archiepiscopi suggestione corpus Caroli Gauri Incii, qui urbem Alenconio tradiderat, jampridem in primaria urbis Ecclesiâ honorificè tumulatum, ignominiosè refossum est, atque extra urbem loco profano expositum. De ipsâ verò civitate ita conventum cum Rege Philippo fuit, ut Archiepiscopi salva jurisdictio & plenum dominium in eâ & totâ ditione maneret, patrocinium & arx penes Regem esset.

V. Feræ obsidio.

Rex interim Lutetiam reversus, & post deditum Cameracum in Picardiam progressus ad firmandum limitem, & animos provincialium tot cladibus trepidos corroborandos; ut aliquo operæpretio recepta damna sarciret, Feram ad Esiam, quam Parmensis olim, cùm auxilio Rotomagensibus iret, à Mayenio pro securitate acceperat, expugnandam suscepit ineunte Novembri, cujus obsidio protracta est usque ad mensem Maii anni sequentis: cùm interim per cæteras regni provincias pleræque urbes quæ adhuc in fide Vnionis permanserant, ad ejus obsequium seu spontè seu præfectorum armis reducerentur; maximéque post obtentam à Summo Pontifice desideratissimam absolutionem, de quâ modò acturi sumus.

VI. [a] Supr. ann. 1593. XXII. [b] Ossa. epist. 3.

Est inter Epistolas Arnaldi Cardinalis Ossati, de quo superiùs [a] actum, qui tunc privatus, simpléxque sacerdos, Romæ tacitè negotia Regis curabat, una [b] ad Regem scripta vigesimosecundo Decembris anni superioris; quâ significabat, sibi Clementem Pontificem (qui literas à Rege ad effectum absolutionis obtulerat) privato colloquio, optimam suam erga ipsum Regem & Franciæ regnum voluntatem abundè testatam fecisse; & quæ principio Pontificatûs severiùs in ipsum egisset, ex rerum & temporum necessitate excusâsse; quódque percuperet rem ad finem desideratum

PERRONIUS LEGATUR ROMAM PRO REGIS ABSOLUTIONE.

perduci, per Cardinalem Gondium Parisiensem Episcopum Regi significari curaturum, si novi delegati Romam ab eo mitterentur, pio ejus desiderio satisfactum iri. De quibus Rex certior factus, legationi obeundæ *Iacobum Davy Perronium* Ebroicensem Episcopum designatum destinavit; quem sciebat Pontifici totíque Curiæ Romanæ acceptissimum fore, ob eximiam ipsius doctrinam, quam jam Placentinus Cardinalis, cui perspecta fuerat, post reditum è Galliâ, Romæ prædicaverat. Cui Rex in mandatis dedit, ut re cum prædicto Ossato communicatâ, ambo eam communibus consiliis tractarent. Quid verò in tanti momenti negotio ab iis gestum fuerit, quóque modo, exponunt minutissimè Literæ ab ipsis ad Regem & ministros ejus interim scriptæ, atque in publicum editæ; unà cum instructione, ut vocant, & mandato procuratorio, à Rege datis Perronio decimo Maii, & actis rerum palam Romæ gestarum, quæ speciatim continentur apud Perronium. Estque hæc earum summa.

VII. LIBELLŨ SUPPLICEM UNA CUM OSSATO OFFERT PÕTIFICI.

Perronius Romam duodecimo Iulii appulsus, & ad pedum Pontificis oscula admissus, conjunctim cum Ossato libellum supplicem Pontifici obtulit: quo ambo tanquam regii procuratores, expositis quæ circa Regis instructionem, & conversionem ad fidem Catholicam, absolutionem ab hæresi ei impertitam, & legationes ab eo ad Pontificem pro ejus confirmatione missas, de quorum singulis dictum superiùs, facta fuissent; jam ad pedes ejus prostrati, per viscera misericordiæ Iesu Christi supplicabant, ut dilatam eatenùs benedictionem, & supremam à censuris in quas Rex incurrisset, absolutionem, ad majorem ipsius animi pacem, & regni tranquillitatem, & cum sanctâ Sede reconciliationem, impartiri dignaretur; spondentes pro eo, ipsum ejusdem sanctæ Sedis, & sanctæ Matris Ecclesiæ mandatis staturum. Libello accepto Pontifex ampliùs se deliberaturum respondens, die secundâ Augusti vocatis in consistorium Cardinalibus, (cui cuncti qui Romæ erant interfuerunt; præter Inicum Avalum Aragonium, & Octavium Paravicinum Romanum, morbum excusantes) quid in eo negotio, ex quo ipse Pontificatum adeptus esset, gestum fuisset, quantáque severitate cum Rege actum explicavit; eúmque nihilominùs in fide perstantem, etiamsi totum penè regnum jam in potestate haberet, legatum denuò misisse, qui præter literas ab eo allatas, etiam libellum supplicem porrexisset pro absolutione consequendâ: Nullum majus à multis sæculis apud sanctam Sedem negotium agitatum fuisse: proinde ipsos hortari, ut semotis omnibus privatis affectibus, solúmque Dei honorem, religionis augmentum, Ecclesiæ conservationem & amplificationem, atque Orbis Christiani tranquillitatem, præ oculis habentes, consilia sua conferrent. Post hæc accitis singulis seorsim Cardinalibus, eorum sententias rogavit. Atque interim ab ipso Perronii adventu supplicationes totâ Vrbe celebrari jussit: & Orationem Quadraginta Horarum in Ecclesiis speciatim statui ad implorandam in tantæ molis negotio divinam gratiam: Ipséque Pontifex duobus diversis diebus sub auroram cum familiâ suâ nudis pedibus ab ædibus Quirinalibus ad Ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris processit; post longam orationem, sacrum celebravit; & nudis ut ierat pedibus, demisso capite, flénsque, ac neminem respiciens, neque benedictionem occurrentibus, ut moris est, impertiens, domum remeavit.

CLEMENTIS PÕT. SANCTA IN HIS NAVATA OPERA.

VIII. DISCEPTATUR DE CONDITIONIBUS ABSOLUTIONIS.

Cùm agendum fuit de conditionibus absolutionis; à nonnullis Cardinalibus, ac præcipuè factionis Hispanicæ, quò res effectum non sortiretur, & hæc legatio, sicut priores, inutilis redderetur, (parùm ex Christianâ charitate, quamvis specie tuendæ & augendæ auctoritatis Sedis Apostolicæ) plures ejusmodi propositæ sunt, quæ aut impossibiles essent pro tempore, aut regiæ auctoritati & regno damnosæ & indecoræ, ac novorum bellorum & seditionum generatrices: putà ut à Rege edicta in gratiam Hugonotorum concessa omninò revocarentur, & nulla alia præter Catholicam-Apostolicam-Romanam religio toto regno permitteretur: renunciaret omnibus fœderibus Principum hæreticorum: omnes ordines & universitates fidem interponerent Regem in religione Catholicâ perseveraturum; ipséque Rex declararet, assentiri se, si relaberetur, ut omni regni jure excidisse intelligeretur: absolutio non Romæ à Pontifice, sed in regno per Legatum mittendum impertiretur, ipséque Rex denuò & publicè coram Legato errores ejuraret, denuò consecraretur, & insignia regni caperet. Quinimmò & fuerunt qui vellent procuratores Regis Coronam ad pedes Pontificis deponere, quam posteà Pontifex in eorum capite reponeret: quasi regnum hoc signo in manus ac potestatem Pontificis consignare ac subjicere deberent, illúdque precariò ex ipsius beneficentiâ recipere. Meminerant enim isti hoc factum olim fuisse à Petro Aragoniæ, & Ioanne Angliæ Regibus; uti suis locis vidimus: Sed quid hæc ad regnum Franciæ? Illi beneficiarii erant Ecclesiæ Romanæ: at Reges Franciæ nobiliores sunt quàm ut aliquam unquam superioritatem, præter divinam, in jurisdictione temporali agnoscere sustinuerint.

IX. QUÆ ILLÆ FUERINT.

Quare his, & aliis aut minus dignis, aut nimis executione difficilibus, à procuratoribus longiùs rejectis, post multas contentiones demùm in has conditiones numero sexdecim conventum est. 1. Vt procuratores jurarent Regis nomine, se sanctæ Sedis & mandatis Ecclesiæ parituros. 2. Coram Pontifice Calvinismum aliásque omnes hæreses ejuraturos, ac professionem fidei ei traditūros. 3. Rex in principatu Bearnensi religionem Catholicam restitueret; Catholicos Episcopos in eo nominaret; & quousque antiqua bona eis redderentur, de suo eis largiretur quo se pro dignitate sustentarent. 4. Vt intra annum Principem Condeum è manibus hæreticorum educeret, & in Catholicorum reponeret, à quibus in religione Catholicâ & Christianâ pietate educaretur. (Quòd enim Rex liberis careret, & quotidie sese cor bellicis discriminibus exponeret, periculum erat, ne si quid humanitus ei contingeret, regnum rursùs in graviora infortunia recideret, cùm ejus hæres adhuc infantulus in potestate hæreticorum foret.) 5. Concordata cum Sede Apostolicâ tam

in beneficiorum nominatione, quàm in omnibus aliis integrè servaret. 6. Concilium Tridentinum promulgandum curaret, & servandum in omnibus, iis exceptis quæ citra publicæ tranquillitatis perturbationem, aut similes considerationes, executioni demandari non possent. 7. Nullum hæreticum, aut de hæresi suspectum, ad Episcopatus, aut monasteria, & alia beneficia Ecclesiastica nominaret. 8. Præcipuo loco haberet & in patrocinium susciperet personas Ecclesiasticas; neque eas ab aliis opprimi aut vexari, eorúmve bona retineri pateretur. 9. Si quæ bona aut castra ditionis Ecclesiasticæ, beneficii profani titulo cuiquam sive Catholico sive hæretico data essent, revocarentur, & Ecclesiæ restituerentur. 10. Rex facto dictóque; ac præcipuè in dispensatione honorum & dignitatum, ostenderet Catholicos sibi præcipuo esse loco; omnésque intelligerent percupere ipsum solam Catholicam religionem in ipsius regno vigere. 11. Legitimo impedimento cessante, quotidie Coronam Beatissimæ Virginis, quartâ quâque feriâ Litanias, singulis Sabbatis Rosarium ejusdem Virginis, quam pro patronâ suâ in cælis assumet, recitaret: Iejunia, & cætera præcepta Ecclesiæ servaret: quotidie sacrum audiret, festis diebus Missæ solemni interesset. 12. In singulis regni sui provinciis, & in principatu Bearnensi, unum monasterium virorum vel feminarum religionis monasticæ, vel mendicantium ex reformatis ædificaret. 13. Saltem quater in anno peccata sua sacramentaliter confiteretur, & sacram Eucharistiam publicè sumeret. 14. Ratam haberet totam Legato aut Nuncio in Franciam mittendo, abjurationem hæresum, professionem fidei, & alia à procuratoribus promissa; & ratihabitionis instrumentum ad Pontificem mitteret. 15. Ad Principes Catholicos scriberet, gratulans de suâ reconciliatione cum Ecclesiâ Romanâ, ostendénsque se in eâ semper perseverare velle. 16. Iuberet per universum regnum gratias Deo agi pro tam insigni accepto ab eo beneficio.

IX. MODUS ABSOLUTIONIS REGIS.

Omnibus igitur constitutis; dubiisque sublatis, demùm die Dominicâ decimaseptimâ Septembris ventum est ad solemnia absolutionis: cujus integra acta à notariis publicis ibi præsentibus in publicum instrumentum redacta fuêre; extántque in Perronii Relationibus. Pontifice in porticu basilicæ S. Petri, clausis ejus janius, sedente in supremo throno suæ majestatis, assidentibus cunctis Cardinalibus qui in Vrbe erant, (præter Aragonium, Columnam, & Alexandrinum) multísque aliis adstantibus Antistitibus, & Pontificis ac Curiæ officialibus, Pœnitentiariis S. Petri, ac Magistris ceremoniarum, cum infinito aliorum hominum numero: comparuerunt prædicti Perronius & Ossatus procuratores regii, ac prostrati ante pedes Pontificis, illos deosculati sunt: Ac deinde idem Perronius altâ voce, Ossatus eodem tempore summissâ, ex scripto legerunt libellum supplicem nomine Regis de concedendâ ei benedictione, & supremâ absolutione à censuris, à quibus jam fuerat in Galliâ à quodam Prælato, de consilio & consensu quamplurium aliorum, absolutus: simúlque mandatum procurationis suæ exhibuerunt. Tum per Assessorem sanctæ Inquisitionis decretum Pontificis lectum est: quo irritâ declaratâ absolutione ejusdem Prælati Galli, ipsum tamen Regem ab omnibus censuris & sententiis quomodocumque ab eo incursis; & in eum latis, absolvendum esse decrevit, abjuratis primò per ejus procuratores omnibus hæresibus, & juramento præstito de stando & parendo mandatis Ecclesiæ. Eóque ab iis facto supra sancta Dei Evangelia; paritérque Fidei Catholicæ professione emissâ, & scripto traditâ; (eâdem videlicèt quæ ab Episcopis & aliis ad beneficiâ Ecclesiastica promotis præstari solet, ut habetur in Pontificali sed eâ cautione, ut ubi sub finem agitur de obedientiâ Romano Pontifici præstandâ, eam promiserint quam Regis decessores Catholici & Christianissimi Reges reddere consuevissent: & in fine omiserint quod habetur de eâdem fide Catholicâ ab omnibus subditis servandâ, ac promiserint dumtaxat Regem eam integram & inviolatam constantissime retenturum & confessurum:) lectísque subinde conditionibus supradictis, quas Pontifex Regi pro pœnitentiâ injungebat; iísque à procuratoribus acceptis, cum promissione eas adimplendi: rursùm iisdem ad pedes Pontificis humi procumbentibus, dum cantores psalmum *Miserere* canerent, Pontifex virgâ quam manu tenebat ad singulos versus psalmi singulorum humeros leviter tetigit, ex formulâ Pontificalis. Finitóque psalmo surrexit, & solemnes orationes ex eodem Pontificali recitavit: denuóque sedens, sententiam absolutionis altâ voce pronunciavit: ac portis basilicæ reserari jussis, Iulio-Antonio Cardinali S. Severinæ Majori Pœnitentiario injunxit, ut prædictos procuratores ritu in his usitato in eam introduceret. Vbi hymnus *Te Deum laudamus* magno omnium ordinum concursu decantatus est; atque in arce sancti Angeli tormenta displosa. Passímque eo die ac duobus sequentibus, in signum lætitiæ & honoris, ignes publicè accensi, & in fenestris lumina noctibus apposita: Effigies Regis atque imagines expositæ: numismata ad memoriam æternam cusa, quibus [c] Clemens tanquam supremo sui Pontificatûs opere, alterâ parte effigiatus cum hâc notâ *Clem. VIII. Pont. Max. ann. IV.* alterâ Henricus & *Henr. IV. D. Gr. Franc. & Navar. Rex Christianissimus.* Vltimò diploma absolutionis, quo totius rei gestæ series continetur, ad Regem missum.

[c] *Victorel. in Addit. ad Ciaccon. in Clem. VIII.*

XI. FRANC. TOLETI EGREGIA IN HIS NAVATA OPERA.

In his autem omnes *Franciscum Toletum*, natione Hispanum, patriâ Cordubensem, primum omnium è Societate Iesu Cardinalem, virum doctrinâ Theologicâ & Philosophicâ instructissimum, quas & præclaris scriptis illustravit; morum probitate, rerum prudentiâ, religione ac pietate insignem; magnum momentum ad rem omnem conficiendam attulisse, cùm esset Clementi à sacris concionibus & consiliis secretioribus, scripserunt ad Regem procuratores. Quinimmò scribunt Itali [d], hoc tantum bonum Ecclesiam Toleto potissimùm acceptum referri debere; eíque proptereà universam Rempublicam Christianam gratias habere immortales; qui enixè opportunam esse hanc Pontificis benedictionem probaverit, quinque præ cæteris rationibus,

[d] *Petramlar. de Sum. Pont. in Clement. & Tolet.*

ex Evangelico præcepto, ex Iure naturali, ex Iure Canonico, ex argumentis à Ratione sumptis, & ex argumentis Moralibus. Vnde non parvam Hispanorum invidiam consecutus dicitur. Nec parùm profuit *Cæsar Baronius*, tunc presbyter Congregationis Oratorii, & Clementi à sacris confessionibus, posteà etiam Cardinalis: qui tum rei æquitate ductus, tum à B. Philippo Nerio ejusdem Congregationis fundatore [e] monitus [f] omnem lapidem movere, ut Clemens Henricum absolutione donaret; id egregiè & utilitèr præstitit. Non enim ad tempus illud optatissimum adventûs Perronii in Vrbem pervenit *Philippus*, ut posset coadjutor existere tanti operis: qui die 26. Maii præsentis anni, annis & meritis gravis evolavit in cælum octogenarius, cujus Vitam, ac facta dictáque publicârunt Antonius Gallonius, & N. Bacius; ob quàm sanctè ductam, & miraculis illustratam, relatus [g] est etiam solemni ritu in Sanctorum Confessorum numerum à Gregorio Papâ XV.

ET CÆS. BARONII.

[e] Vid. supr. an. 1575. XI. [f] Victor. ibid.

S. PHILIPPI NERII OBITUS.

[g] Infr. ann. 1622. I.

XII. Nec poterat sanè tam sanctis suasoribus non moveri Clemens ad rem, ad quam propensior ab ipso initio fuerat. Sed hinc importunæ Hispanorum Romæ præpotentum prensationes, quibus & comminationes addebant, contingere posse ut dum Galliam Pontifex acquirere vellet, Hispaniam cum tot aliis regnis ei annexis amissurus esset; illinc prudens timor ipsius Clementis, nequid in re dubiâ & tanti momenti incautè & improvidè fieret; accedente ad hæc Romanæ Curiæ in ponderosis negotiis explicandis morositate; difficilem eam confectu reddiderant. Tantæ videlicèt molis erat, Gallicam Monarchiam, Regnúmque Christianissimum componere, & Ecclesiæ Regíque suo penitùs asserere, atque indissolubili nodo connectere! Qui magnitudinem beneficii agnoscens, non solùm gratias Deo toto regno agendas indixit; verùm etiam literis ad Clementem officii & reverentiæ plenis desiderium summum téstatus est, Romam advolandi, ut ad Pontificios pedes prostratus munus idem gratiarum actionis apud ipsum per se obiret, nisi gravissimis distentus fuisset impedimentis: cùm & priùs ipse Pontifex summâ amoris & benevolentiæ demonstratione obtulisset, (ut ex literis Ossati regiísque intelligitur) sese in Galliam transferre ad ipsum Regem regnúmque ejus spirituali solatio recreandum. Idémque Rex confestim, ut perfectæ reconciliationis cum Sede Apostolicâ signum daret, revocans prohibitionem quæ facta fuerat mittendi Romam pro beneficiis Ecclesiasticis, edicto publico dato apud Folembreum dum adhuc in obsidione Feræ hæreret, declaravit velle se ut Concordata Regni cum Sede Apostolicâ in omnibus servarentur; & ut omnes Romam, sicuti ante prohibitionem fieri consueverat, mittere possent.

GRATUS REGIS ANIMUS IN CLEMENTEM.

XIII. Quo verò tempore in id Romæ incumbebant procuratores regii, nequid in formulâ aut diplomate absolutionis insereretur, quod supremæ Regis in temporali jurisdictione auctoritati officere aliquo modo posset; in ipsâ Galliâ, atque adeò Lutetiâ urbe ejus primariâ, inventus est quidam *Florens Iacob* Theologico studio initiatus, quem bacalaureum vocant, qui propositis ad disputandum in scholâ Sorbonicâ thesibus, præside Thomâ Blanzio Theologo Parisiensi collegii Calviensis moderatore, in unâ earum asserere non dubitavit, minimè ambigendum esse, sanctæ Sedis legitimum successorem Clementem VIII. vices Dei in terris gerentem, supremam in omnes potestatem obtinere tam spiritualem quàm temporalem. Re à procuratore regio ad Senatum delatâ, quòd ea maximi ad auctoritatem regiam stabiliendam momenti esset, animis populi nondum benè ad obedientiam confirmatis; Senatus renovatâ Senatusconsulti olim contra Tanquerellum [h] facti memoriâ, Iacobo & Blanzio in carcerem trusis, & interrogatis, decretum fecit, quo theses illas, ad rebellionem & tranquillitatis publicæ perturbationem spectantes declaravit: Iacobum, quòd eas typis excudi curâsset, & tuendas suscepisset, damnavit, in aulâ Sorbonicâ coram decano, syndico, doctoribus, & bacalaureis, ad tintinnabuli pulsum convocatis, de geniculis, capite nudo, dicere, se temerè & inconsideratè eas proposuisse, séque de eo pœnitere, ac veniam petere; Blanzio præsente, & detecto capite: eóque facto, theses ibidem concerpi ac lacerari jussæ. Quod executioni mandatum fuit die 19. Iulii ab uno ex præsidibus Curiæ & quatuor senatoribus, ac cognitore regio, ad hoc à Senatu delegatis: ac nequid simile imposterùm committeretur, ac permitteretur, severissimè prohibitum.

THESES CUJUSDAM BACALAUREI PARIS. INCONSIDERATÆ.

[h] Supr. an. 1561. XXVII.

XIV. Præter autem summum gaudium, quo Clemens totáque Vrbs exultavit ob Regis Christianissimi benedictionem; affuit etiam non parva consolationis occasio, tum ex legatione Alexandrinâ, de cujus adventu dictum est anno superiori, & cujus nihilominùs præcipuus professionis fidei actus ad hujus initium, ut diximus, pertinet: tum ex adventu Livoniæ Archiepiscopi, qui ejectâ Lutheri hæresi, unà cum suo nepote Romam venit obsequium Pontifici juraturus: Et legatione Ecclesiæ Ruthenicæ, quæ mense Novembri in urbem appulit, missa à Michaële metropolitâ Kiovensi & totius Russiæ, atque aliis Episcopis Ruthenorum Græcum ritum in Poloniâ & Lituaniâ sectantibus; cupientibúsque ad eam cum Romanâ Ecclesiâ concordiam & conjunctionem accedere, quæ fuisset olim inter Occidentalem & Orientalem Ecclesiam; quæque Isidoro Ruthenorum & Bessarione Nicæno Archiepiscopis juvantibus, in Florentinâ Synodo renovata & constituta fuerat. Quâ de re fuerat quoque ab eis celebrata *Synodus Brestæ* in Lituaniâ sub initium Decembris anni superioris. Cui accessit auctoritas Stanislai Karnkovii Archiepiscopi Gnesnensis totius regni Polonici primatis. Interfuerúntque nomine Clementis Pontif. & Episcoporum Latinorum, Demetrius Solicovius Archiep. Leopoliensis; Bernardus Maczeiowski tunc Episcopus Luceoriensis, posteà Archiepiscopus Gnesnensis & Cardinalis; Stephanus Gomoslinkius Episcopus Chelmensis. Affueréque item pro Rege Poloniæ legati, qui curarent nequa vis aut tumultus ab hæreticis, & aliis factiosis hominibus Synodo intentaretur: quod maximè cupiebant, convenientes armati ut concordiam Latinorum & Ruthenorum impedirent. Functi verò sunt legatione quam diximus duo ex

VARIÆ LEGATIONES ECCLESIASTICÆ AD SEDEM APOSTOL.

SYNODUS BRESTANA RUTHENICA.

ipsis

ipſis Epiſcopis Ruthenis, qui vigeſimo tertio Novembris in Vaticanâ Conſtantini aulâ ad pedes Pontificis in throno ſedentis, & Cardinalium coronâ ſtipati, proſtrati poſt oblatas literas, eáſque Ruthenice primùm, deinde Latinè lectas, Fidei profeſſionem de ſcripto ab iis ſubſignato pronunciârunt, obedientiámque præſtiterunt, actis de eo publicis inſtrumentis; quæ apud Baronium videre eſt in fine tomi ſeptimi Annalium. Græcos tamen ritus, ab Eccleſiâ Romanâ non improbatos, retinere voluerunt in Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque cæremoniis Eccleſiæ Orientalis; eo modo quo tempore unionis iis uti conſuetum fuerat. In quibus quæ eſſent emendanda, paulò antè idem Clemens, videlicèt ultimo Auguſti, declaraverat [h] pro Epiſcopis Latinis, in quorum diœceſibus Græci vel Albanenſes Græco ritu viventes degebant.

[h] *Bull. tom. 3. Clem. VIII. conſt. 34.*

XV.

[i] *Ibid. conſt. 123.*

CONGREGATIONES CLERICORŨ.

Quo eodem hoc anno idem Pontifex die decimotertio Octobris approbavit [i], ac de novo inſtituit Congregationem *Clericorum Sæcularium*, ſub invocatione B. Mariæ, ab Alexandro Epiſcopo Lucano in ſuâ civitate ante aliquot annos erectam. Cui & anno 1604. 24. Iunii facultatem conceſſit alia ubique loca recipiendi, in iiſque divina officia celebrandi, & ſacramenta adminiſtrandi. Eandem verò poſteà Paulus [k] V. *Matris Dei* Congregationem nuncupari voluit; attribuens ei regimen Scholarum Piarum in Urbe ad pauperes gratis erudiendos à ſe erectarum. A quo tamen cum eadem Congregatio ſe deinceps excuſaſſet, idem Paulus ad opus illud pium, aliam Congregationem *Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum* inſtituit, quam poſtmodùm Gregorius [l] XV. in veram Religionem Clericorum Regularium, cum emiſſione trium votorum ſolemnium erexit.

[k] *Ibid. Paul. V. conſt. 81. & 101.*

[l] *Ibid. Greg. X V. conſt. 14. & 17.*

XVI.

[m] *Chytræ. in Saxon.*

PAX INTER SUECOS ET MOSCOS.

Hoc eodem ineunte anno [m] pax perpetua inter duo ampliſſima Suecorum & Moſcorum regna, poſt triginta ſeptem annorum bellum, brevibus induciis ſubinde interpolatum, per legatos Sigiſmundi Regis Sueciæ ac Poloniæ & Theodori Magni Ducis Moſcoviæ, intervenientibus quoque Cæſareis, tractari cœpit, & menſe Maii concluſa eſt; magnâ non ſolum Livoniæ inter eos controverſæ, ſed & aliorum vicinorum populorum lætitiâ. Poſt quæ idem Theodorus legatos ad Rudolphum Cæſ. cum muneribus miſit, pro fœdere & amicitiâ cum eo componendâ, & auxiliis omnibúſque officiis contra communem Chriſtiani nominis hoſtem Turcum offerendis; hortandóque ut Cæſar ad id ipſum cæteros Chriſtianos Principes educeret, legatóſque etiam ad Perſarum Regem mitteret. Sueci verò jugum Sigiſmundi ſui ac Polonorum Regis, quòd Catholicus eſſet, ipſi hæretici Lutherani excutere incipientes, facto Sudercopiæ conventu, Rege haud monito; ſpecie conſervandæ ſuæ religionis, & ne Catholicæ ullus locus relinqueretur, inſtituerunt Carolum Sudermaniæ Ducem Regis patruum ejuſdem hæreſis ſectatorem, Gubernatorem regni, qui abſente Rege omnem juriſdictionem regiam adminiſtraret: adeò ut nulla regni negotia in Poloniam ad Regem deferrentur, ſed coram Gubernatore & Senatoribus in Sueciâ tractarentur ac deciderentur: mandata Regis nec publicare, nec executioni dare per eos liceret, priuſquàm à Gubernatore & Senatoribus examinata, dictati & commodis Regis & regni convenire judicarentur. Ex quibus poſteà profluxit abſoluta rebellio regni, ut dicetur ſuo loco.

SUECIÆ DEFECTIONIS INITIUM.

XVII.

AMURATES III. MORITUR.

Conſtantinopoli *Amurates III.* Turcorum Imperator mortuus eſt decimooctavo Ianuarii ex graviſſimis calculi doloribus; ſeu, ut alii habent, ex paroxyſmis epilepticis; ætatis anno quadrageſimo octavo, regni vigeſimo primo inchoato: naturâ ſuâ à fundendo ſanguine alienus, & ad gratiam faciendam quàm ad ſeveritatem pronior. Qui cum minimè bellicoſus putaretur, tamen ut dignitatem imperii armis fundati tueretur, bellum per duces toto imperii tempore, magno ſucceſſu in Perſide & Pannoniâ geſſit: quippe quanquam gravibus hominum cladibus utrobique affectus, locorum tamen occupatione, aut munitionum in hoſtili ſolo conſtructione, imperium valdè protendit & firmavit. Lectione librorum, ac præcipuè hiſtoriarum delectabatur; quid ubique apud cunctos orbis Principes ageretur, ſcire cupidus. In quo tamen vitæ genere haud ad finem permanſit: ſed gulæ & luxuriæ deditus vitam breviavit. Cùm diù unicâ uxore contentus, à matre admonitus ad imperii ſecuritatem pertinere, ut pluribus filiis maribus ſubnixum illud derelinqueret, plurimas accepit, plurimóſque ex iis liberos. Cui mortuo ſuccedit *Mahometes* major natu filius, ejus nominis æquè III. triginta circiter annorum; cujus mirificam circumciſionem alias vidimus, qui mox octodecim, aut novemdecim, vel unum & viginti (ut diverſi ſcribunt, fortè nonnullos poſthumos in iis adnumerantes, qui mox nati in mare demerſi ſunt) fratres ex diverſis patris concubinis ſuſceptos, ſtrangulari fecit: non tam ex inſitâ crudelitate, (quantumvis eſſet naturâ crudeliſſimus, ideoque & patri adeò ſuſpectus, ut eum de medio tollendum pater naturâ mitior cogitaſſe dicatur, niſi matris monitu durum ac ferocem animum venereis voluptatibus emolliſſet:) quàm de more gentis, rem legitimam ad imperii conſervationem exiſtimantis, quam alii deteſtandæ immanitatis loco habent, ſorores autem viginti ſeptem vivere permiſit.

MAHOMETES III. SUCCEDIT, MAGNA FRATRŨ STRAGE.

XVIII.

COMITIA VARIIS REGNIS DE BELLO CONTRA TURCOS.

Comitia interim Poſonii in Pannoniâ ab Archiduce Matthiâ Rudolphi Cæſaris fratre, ab ipſo Cæſare Pragæ in Boemiâ, & à Sigiſmundo Poloniæ Rege Cracoviæ, menſe Februario celebrata ſunt: in quibus de belli contra Turcos gerendi rationibus actum. Et Poloni quidem decretum, ut nemo à pecuniâ ad id conferendâ immunis eſſet; qui autem conferre recuſaret, ſuis ſumptibus militare teneretur: præſcriptæque militares leges, de removendis meretricibus à caſtris, de commeatûs libertate, de domibus Eccleſiaſticorum ac nobilium à militum hoſpitiis eximendis. Pragæ Cæſar à Boëmiæ regni populis ſex millia equitum, decem peditum in hoc bellum obtinuit. Cracoviæ legatis Pontificiis ac Cæſareis urgentibus Polonorum ſocietatem adverſus Turcos, Zamoſcius Cancellarius & Magnus exercituum imperator cum pleriſque aliis proceribus apertè contradixerunt; fœdus à tanto tempore magno regni bono cum iis ſervatum, porrò ſervandum cenſentes, ob graviſſima incommoda

non solùm à Turcis, sed etiam à Tartaris & Cosaccis ex eo bello imminentia. Ne tamen rem prorsùs negare viderentur, id primùm agendum dixerunt, ut cæteri quique Summi Christiani Principes, Pontifex, Rex Hispaniæ, & alii, certo ac stabili adversus Turcum fœdere omnes jungerentur; útque hæc consilia cum Principibus Imperii primùm communicarentur, ut non cum Cæsare tantùm, sed toto Imperio fœdus sanciretur. Quibus excusationibus id denique actum est, quod ipsi cupiebant; hoc est, ut nihil de eo ageretur.

XIX. Cùm autem Cæsar [n] ad tantum bellum duce rei militaris admodùm perito & exercitato opus esse censeret, cujus penuriâ hactenus se haud parum laborâsse comperiebat; Carolum Comitem Mansfeldium, à primo ætatis flore in Belgicis ac Gallicis bellis exercitatum, multísque rebus præclare gestis insignem, ac disciplinæ militaris eximium observatorem, è Belgio, ubi Regi Philippo militabat, de ejus permissu evocavit. Qui mense Martio Pragam appellens, summo honore à Cæsare exceptus, & ut major ejus esset eo bello sub Matthiâ Archiduce auctoritas, Princeps Imperii solemni ritu creatus, inde Viennam concessit: Rebusque cum Matthiâ deliberatis, & copiis collectis ad sexaginta amplius pugnatorum millia ex Germaniâ, Hungariâ, & Italia, (adfuit enim Ioan. Medices frater Ferdinandi Magni Etruriæ Ducis cum tribus peditum millibus, & præclarissimè rem gessit, rei tormentariæ præfectus: advenítque etiam postmodum à Pontifice missus cum duobus equitum, octo peditum millibus Ioannes-Franciscus Aldobrandinus, gentilis ejus, qui neptem ex fratre in matrimonium habebat:) omnia hostium loca tantâ solertiâ perlustrans, ut eos anxios teneret in quam partem versurus esset, ac nihilominus Iavarinum magis cogitare videretur; dum ipsi eâ credulitate ex vicinis Strigonii, Vesprinii, aliorúmque oppidorum præsidiis eductam magnam militum partem eò immisissent; ipse mox, quod ab initio in mente habuerat, ad Strigonium Hungariæ metropolim Calendis Iulii castrametatus est, eámque arctâ obsidione cinxit: nec tamen ita potuit omnibus cavere quin aliquæ suppetiæ intromissæ ab hostibus fuerint, cum non parvo Christianorum occurrentium damno. Cum verò majores introducturi præfecti Turcorum cum triginta millibus armatorum advenissent; die quartâ Augusti facto prælio, à Christianis cæsi sunt magnâ clade, qua perempta aut capta quatuordecim hostium millia, signa & tormenta capta, castráque direpta cum ingenti prædâ. Hymno *Te Deum* posterâ die in gratiarum actionem decantato, *Mansfeldius* ex continuis laboribus, ac præcipuè eâ pugna sumptis, ægrotare incipiens, decimoquarto Augusti pridie Assumptionis Beatissimæ Virginis, ex dysenteriâ obiit; vir fortissimus, longiorique vitâ dignus, qui annum quinquagesimum secundum ætatis agebat: patrem superstitem relinquens Petrum-Ernestum Mansfeldium, & ipsum egregium bello ducem, Lucemburgensis provinciæ præsidem, octogenario majorem, sed vegetum senem.

[n] *Isthuanff. de reb. Hungar. lib. 29.*

MANSFELDIUS EGREGIUS BELLI DUX.

STRIGONIUM OBSIDETUR A' MANSFELDIO.

MANSFELDII OBITUS.

XX. Carolo mortuo Matthias Archidux in castra venit, & obsidionem eodem ordine quo Carolus instituerat prosequendam mandavit. Paulóque pòst Vincentius Gonzaga Mantuæ Dux, decoris avidus, quanquam nullum in exercitu imperium haberet, eódem appulit, ductis secum tam suæ ditionis quàm aliarum Italiæ provinciarum viris primariis & bellicæ rei expertis, cum quingentis circiter equitibus totidémque peditibus egregiè instructis. Denique post quædam alia dubia certamina, cùm obsessi omni spe aliorum auxiliorum decidissent, alíisque duræ necessitatis angustiis oppressi essent; deditionem fecêre die secundâ Septembris æquis conditionibus, & Budam sese recepêre; post quinquagesimum secundum annum quàm à Solimano urbs dedentibus Hispanis capta fuerat. Cujus receptæ fama non solùm Cæsari lætissima accidit; sed etiam Romæ, ac omnibus ferè Pontificiæ ditionis urbibus, solemnes Deo gratiæ actæ sunt, Clementis Pontificis jussu: qui & ipse è Vaticano ad Minervam pedibus profectus, ibi sacris operatus est. Capto subinde Winsegrado, ubi olim sacra Vngariæ Corona servabatur, creditum fuit, si Christiani totis viribus Budam aggressi fuissent, eâ quoque potiri haud magno labore potuisse; perterritis Turcis amissione illorum munitissimorum præsidiorum. Sed quia frigidior jam autumnus præ foribus erat, ac Italicæ cohortes confectis stipendiis in patriam reverti festinarent, nec Cæsar de Budæ obsidione quicquam ad id usque tempus deliberâsset; Matthias Viennam reversus est. De quibus omnibus, præter commentarios proprios in lucem editos, sunt etiam quamplurimæ epistolæ hinc inde à Christianis & Turcis scriptæ, in farragine Epistolarum [o] Turcicarum: multæque Nicolai [p] Gabelmani è castris datæ, quibus prælium cum Turcis, & quæ obsidionibus Strigonii & Wissegradi acta usque ad deditionem fuêre, per quàm accuratâ & gratâ narratione describuntur. Déque iisdem alia extat in Collectione Reusneri, diaria Synopsis Arnoldi Helii Flandri, qui Mansfeldio tunc temporis à secretis erat.

STRIGONIUM DEDITUR.

[o] *Epist. Turcor. lib. 14.*
[p] *Vid. ann. seq. VII.*

XXI. Quo autem tempore hæc ibi fiebant, aliis quoque Pannoniæ partibus pari successu res Christianorum procedebant: Et in Illyrico à Georgio Comite Zriniano nonnullæ haud pauci momenti munitiones recuperatæ sunt. In Transilvaniâ verò Sigismundus Bathorius, persuasis exemplo suo Aarone Moldavio, ac Michaële Valachiæ Transalpinæ principibus, Turci tributariis, ejus jugum excutere, ac secum unà Cæsari ad Christianam Rempublicam ab immanibus barbaris vindicandam præstò esse; Turcorum ditionem ingressus, unà cum prædicto Michaële (Aaron etenim proditionis, ac Turcicæ societatis suspectus à Sigismundo dignitate motus fuit, subrogato in ejus locum Stephano Resuano Moldavo) multa loca cepit: Sinanem Vizirem; Constantinopoli cum ingenti exercitu digressum animo Transilvaniæ & utriusque Valachiæ provinciis pristinum jugum imponendi, turpi fugâ Constantinopolim redire compulit; ad Girgionem, sive S. Georgium, partem ejus exercitus cæcidit, eámque præcipui nominis arcem, quæ à centum annis Turcico imperio paruerat expugnavit: & ineunte Novembri Albam-Iuliam regressus est. De quibus est egregia

SIGISM. BATHORII VICTORIÆ DE TURCIS.

narratio Ioannis Iacobini Claudiopolitani: & copiosior rerum à prædicto Michaële gestarum hoc & præcedentibus ac subsequentibus annis, Balthasaris Waltheri: præter cæteros qui de iisdem scripserunt.

XXII. DISSIDET A POLONIS.

Cùm autem rursùm Sigismundus adversus Zamoscium Polonum ducere decerneret, ad ulciscendam contumeliam ab eo sibi & Cæsari illatam occupatione Moldaviæ per absentiam Resuani, ipsiúsque pugnâ capti crudeli nece: (tanquam scilicèt esset Moldavia juris Polonici, non Pannonici; ac propterea non Panniæ Regis, sed Poloniæ esset Principem ibi constituere: cujus auctoritate ibi positus est Ieremias Mogila, Turco commendatus:) à Clemente Pontifice inhibitus fuit: non quòd Pontifex Zamoscii factum non improbaret, sed ne eæ controversiæ, ipsis inter se digladiantibus, cœptos feliciter bellorum adversus Turcos progressus corrumperent: offerens se earum rerum, & totius contentionis æquum arbitrum, qui daturus esset operam ut dissidentium jura in mutuam pacis concordiam reducta componerentur. Quâ de re cùm etiam scripsisset vehementi oratione ad Regem Poloniæ, & Cancellarium; frustrà tamen id fuit, quòd nollent ii juribus suis prætentis cedere: quæ & Zamoscius literis suis ad Pontificem rescriptis, aliáque apologia defendere conatus est, & quæ reperiuntur inter prædictas epistolas Turcicas. Tractántque pluribus eadem, qui de rebus Pannonicis & Polonicis egerunt: sed, ut fit, quique suis æquiores, ac proinde nonnihil diversè. Illud autem extra dubium est, Polonos, etsi rursùm à Cæsare, quinimmò & à Pontifice, misso ad hoc Cardinale Caietano, de fœdere contra Turcos opportunè & importunè rogati & sollicitati fuerint, nunquam ad illud flecti potuisse, sed variis dilationibus eorum postulata elusisse.

XXIII. [q] *Campan. in Vit. Philipp. II.* PATRARUM DIREPTIO.

Aliâ parte [q] cùm Amurates Raisius pirata multa damna Italiæ tam in supero quàm infero mari intulisset; Petrus Toletanus Neapolitanarum triremium præfectus, in Achaiam excursione factâ, Patras urbem maritimam, ubi Septembri mense nundinæ magno Iudæorum, Græcorum, & Turcorum concursu celebrabantur, inopinatò cepit, multâ illorum cæde, plurimorum captivitate, atque omnium facultatum ingenti direptione, ac denique urbis incensione: haud longè Cicadâ Bassâ cum classe Turcicâ, sed malè instructâ, ad Tænari promontorium hærente; qui vero majorem Christianorum (erat illa dumtaxat viginti duarum triremium) ratus, minimè se loco movit, ne ad Patrarum excidium toties classis jacturam adderet.

XXIV. ALBERTUS CARDIN. AUSTR. GUBERNATOR BELGII.

Post Ernesti Austrii Gubernatoris Belgii mortem, cùm in ejus locum Philippus Rex Albertum Ernesti & Rudolphi Cæsaris fratrem è quinque minimum, in Hispaniâ educatum, & à Philippo avunculo Lusitaniæ præfectum, ejusdémque operâ Cardinalem & Archiepiscopum Toletanum factum, subrogandum censuisset: is ex Hispaniâ solvens, secum duxit Philippum-Guillelmum, Guillelmi olim Principis Aurangii filium natu majorem, quem triginta penè ante hàc annis in Hispaniam abductum vidimus: ubi in religione Catholicâ educatus, jámque libertati ac bonis restitutus, & Velleris aurei torque donatus, comes Alberto datus est; quòd ejus interventu futurum speraretur, ut Mauritius ejus minor frater, & Ordines Belgii ad Pacis rationes inflecti possent. Vbi Genuam appulêre ineunte Septembri, Albertus Philippum Romam ad Pontificem ablegavit, excusaturum quòd non ipsemet id officii præstaret, ob mandatum sibi à Rege datum, ut quàm celerrimè posset in Belgium ab hostibus & seditiosis periclitans se conferret. Qui nihilominùs quod dum Philippi reditum expectaret, certior factus fuisset benedictionis Regi Henrico à Pontifice impertitæ; non accelerandum iter decernens priusquàm à Philippo, cujus bona pars mandatorum de Henrici rebus erat, novam super iis instructionem acciperet; reliquâ anni parte in Liguriâ, Sabaudiâ, & Burgundiâ Comitatensi consumptâ, nonnisi exeunte Ianuario anni sequentis Lucemburgum appulit, & undecimo Februarii Bruxellas, summâ pompâ ubique exceptus.

DUX AURANGIÆ CATHOLICUS.

XXV. [r] *Chytræ. in Saxon.* CONVENTUS TORUNENSIS HÆRETICORUM.

Toruniæ, sive Thuronii in Borussiâ ad finem Augusti convenientes [r] circiter quadraginta Ministri Evangelici, ut se vocabant; & cum iis regni Polonici Palatini duo, & quinque aliorum legati, ac plurimi nobiles ex variis Poloniæ & Lituaniæ provinciis; (nequicquam intercedentibus Sigismundo Rege, ad cujus regnum Torunia pertinet, & Cujaviensi Episcopo, in cujus diœcesi est:) ut de consensu doctrinæ inter se, ac de securitate suæ religionis contra adversariorum violentiam, deliberarent: quod ad primum, decreverunt, Sendomiriensem [s] consensum retinendum: cúmque diversas Confessiones anteà ministri in Poloniâ secuti fuissent, nempè alii Augustanam, alii Boemicam seu Fratrum, alii Helveticam; deinceps syncretismus inter eos contra adversarios esset: (concordiâ scilicèt planè discors; cum merâ illusione & suorum & aliorum,) ac nominatim de sacramento Eucharistiæ sancitum: ut juxta præscriptum Confessionis Augustanæ, non ejus quæ anno 1530. in Comitiis Imperii exhibita, sed quæ 1552. Concilio Tridentino exhibenda fuerat, de eo doceretur, nec posset aliter. De altero capite decretum, ut legati ad Regem & Cancellarium mitterentur pro pace & tranquillitate impetrandâ; quam ipse Rex jurejurando servandam promiserat.

[s] *Supr. ann. 1568. XXIV.*

XXVI. LÆVINI TORRENTII OBITUS.

Mortuus est hoc anno *Lævinus Torrentius* Gandavensis Flander, antiquitatis, poësis, Iuris, & Theologiæ valdè peritus; post multas legationes prudenter ex dextrè obitas, factus Antuerpiæ Episcopus secundus post primi Francisci Sonnii obitum: in ejúsque muneris sancto exercitio major septuagenario decessit 26. Aprilis. Quo etiam die ex hâc vitâ migravit Romæ ad S. Onufrii sepultus. *Torquatus Tassus* Etruscus, Bernardi, cujus & epistolæ & carmina vernacula extant, filius, annos natus circiter quadraginta quinque, qui continuo ferè in adolescentiâ furore, seu melancholico morbo correptus; nihilominùs sicut Aristoteles eos qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis præsagiens, atque divinum; ita & Tassus tanto judicio, gravitate, atque elegantiâ, tam solutâ quàm strictâ oratione scripsit, ut le-

ITEMQUE TORQUATI TASSI.

gentes non solùm in admirationem, sed etiam in stuporem rapiat, quem solùm nominâsse, constituisse est supra omnes qui ab antiquis sæculis poëticam facultatem tractârunt.

XXVII. Mõstrũ horrendum.

Hoc denique anno legimus natum esse, in pœnam ac supplicium cujusdam impii hominis, monstrum horrendum in pago Bacharach ad Rhenum, Moguntiam inter & Confluentiam, die decimoquarto Martii; parte superiori humanâ, inferiori serpentinâ cum caudâ trium cubitorum. Cujus pater cùm perversam ageret vitam uxorémque pessimè haberet, ob scortum cui adhærebat, atque adeò quâdam die uxorem eâ de re illum arguentem, magnâ iracundiâ repulisset, jubens ut abiret cum dæmone vivo quem utero gestabat: (erat namque gravida:) commota vehementer eo verbo mulier, ubi secessisset in cubiculum, mox doloribus partûs correpta, id monstri effudit. Ad quod patre vocato, irruit magno impetu monstrum in eum; & caudâ suâ arctè constringens, dentibus laniavit & occidit. Infelix mulier, præter extremos quos senserat ex partu cruciatus, horrendo spectaculo percita, illicò expiravit; deindéque & monstrum.

IESU CHRISTI Annus 1596.
CLEMENT. VIII. An. 5.
RUDOLPHI II. Annus 20.

I. Sigism. Bathorius convenit Cæsarem.

ANno Christi 1596. Indictione nonâ, Sigismundus Transilvaniæ Princeps, qui spe potissimùm subsidiorum à Rudolpho Cæs. subministrandorum bellum in Turcos moverat; ut de iis, déque Moldaviâ à Polonis occupatâ, aliísque rebus cum eo communicaret, Pragam se contulit: appulítque ad principium Februarii, perhonorificè ab aulæ proceribus exceptus. Vbi dum apud Cæsarem de iis rebus quarum causâ venerat verba faceret, inter loquendum importunâ ac gravi febre concuti & tremere cœpit, adeò ut interrupto sermone sese in hospitium recipere cogeretur paulóque pòst erumpentibus per ora vultúmque liventibus pustulis, quales pueris enasci solent, per aliquot dies cum periculo vitæ ægrotavit, sed nihilominus ministrorum quos adduxerat operâ, cum Cæsare de belli contra Turcos apparatu, subsidiísque tractavit, cui sustinendo à Cæsare milites, exercitus, tormenta, pecunia ad stipendia jure fœderis liberalius promissa sunt quàm promptiùs exhibita. Quibus cùm interesset etiam Nuncius Apostolicus Episcopus Casertanus, missus ad procurandum fœdus ad idem bellum inter Cæs. & Polonos; promisit & ipse Transilvano nomine Pontificis quadraginta millia aureorum in singulos menses. Qui recuperatâ valetudine, dimissus cum honore & muneribus, ad sua se recepit: & adventu suo tumultus qui per ipsius absentiam à suis concitati fuerant, pacavit.

II. [a] Isthuanff. lib. 30. Tractatus secreti cũ Cæsare.

Sunt [a] ex Cæsareis qui scribant, illum eodem tempore duo difficillima negotia Cæsari insinuâsse: unum de permutandâ cum ipso Transilvaniâ, cujus defensionem & conservationem adversus potentissimum hostem nimis ardui operis, nec suarum virium esse intelligeret: alterum de conjugis divortio; quòd quamvis illa moribus lectissimis, ac formâ & pudicitiâ maximè præstare diceretur, orta tamen ab ipso initio fuisset inter conjuges animorum alienatio, ob Sigismundi, sicuti passim jactatum fuit, impotentiam, per innodationis fascinationem factam. Sed Cæsarem, quòd utrumque longiori egeret consilio, in aliud tempus rejecisse, ita ut eum ab incœpto gravissimis verbis dehortaretur; simúlque ei promptum suum, ac omnium Christianorum Principum patrocinium, in omni qualiscumque fortunæ conditione, offerret: & tunc quidem spes illius hoc modo inchoatas, summóque tectas silentio, ad alias occasiones extrahendas existimâsse.

III. Infausta ejus expeditio.

Intereà re bellicâ variis Hungariæ locis crebris excursionibus & certaminibus longè majori Turcorum quàm Christianorum damno ductâ; Sigismundus ad Temesuarium castra posuit, urbem & arcem celeberrimam, à fluvio Temesso, qui ex Alpibus ad Severinum urbem haud procul ab Istro seu Danubio sitis profluit, urbémque præterlabitur, nominatam; quam veteres Pannoniæ Reges contra Bulgarorum, qui in Pannoniâ solo Istro dirimuntur, & Cumanorum crebriores incursus ædificaverant; quæque posteà à Turcis occupata, facta erat Bassæ sedes, & Hungariæ inter Transilvaniam & Danubium interjectæ munitio præcipua. Eam recenti excursione Lugensis præfecti labefactatam Sigismundus, post quarundam aliarum minorum arcium occupationem, oppugnandam ratus, jam magnam murorum partem diruerat; cùm post decimum obsidionis diem, vigesimo quinto Maii Tartari Turcorum socii per Ponti Euxini littus in Bulgariam se effundentes, pars Temesuarium profecti sunt. Quibus Sigismundus occurrens, acerrimo inito prælio, ambiguam diù victoriæ controversiam nox superveniens diremit. Major numerus ex majori hostium numero cæsus: desideratíque nihilominùs ex Christianis mille quingenti: ac Sigismundus diù pro mortuo habitus fuit. Qui cùm equitatu, quem Tartaris opponeret, satis copioso non instructus esset, quòd Germanorum & Hungarorum auxilia à Cæsare promissa nondum accepisset; atque interim præsidiarii Temesuarienses partes murorum dirutorum reparâssent, ac recentes copias ex vicinis oppidis recepissent: Sigismundus ne in eos & Tartaros graviùs periclitaretur, castra inde movit; & auxiliis Cæsarianis ad Lippam Croatiæ urbem, anno superiori à Transilvanis receptam, aliquamdiù expectatis, nec usquam comparentibus, in Transilvaniam se recepit, majores copias conquisiturus.

IV. Clissæ amissio, et recuperatio a Turcis.

Diversâ parte Clissa in Dalmatia & Liburniæ finibus, haud longè à Saloniæ ruinis ad littus Adriaticum in excelsa rupe munitissima urbs; (quam Diocletiani Imp. patriam fuisse, dictámque olim Diocletiam, nonnulli existimarunt) à Turcis possessa, per clandestinam fraudem à Segniensibus & Vscochis ad principium Aprilis occupata fuit: Venetis [b] adeò indignè id ferentibus, quod vererentur ne eo vel ad pacem, quam cum Turcis omninò servatam cupiebant, perturbandam aditus fieret, vel saltem Cæsarianorum & Turcorum concursu iis in locis belli sedes constitueretur; ut etiam ne Clementis Pontificis subsidia

[b] Mauroc. Hist. Ven. lib. 15.

eò inferrentur palam obstiterint. Quare & vix duobus mensibus illa à Christianis retineri potuit: cùm Turci ejus jacturam minimè ferendam rati, justo collecto exercitu, eam circumvallârunt: & quamvis semel, bis, térque à Christianâ ejus regionis militiâ tentatum fuerit obsessis succurrere, non parvâ utrimque clade; nihilominùs eam omni auxiliorum spe destitutam deditione receperunt incunte Iunio.

V. Maximiliani expeditio in Turcos.

Maximilianus quoque Rudolphi Cæsaris frater collectis copiis Viennâ egressus, mense Augusti Vaciam, olim urbem Episcopalem, modò à Turcis possessam, minimè munitam, sed opportuno loco sitam, deserentibus eam ad ipsius adventum Turcis, nullo labore occupavit. Indéque Hathuanam, munitionem, ac generosiùs defensam, post aliquas irritas oppugnationes, improvisò cepit. Vbi à Belgis & Germanis tantâ crudelitate sævitum est, ut nulli ætati aut sexui parcitum sit; vagientes in cunis pueri, & feminæ prægnantes crudeliter occisæ, ventres nonnullis dissecti ad scrutandum aurum, cutis aliis detracta. Cùm autem inter hæc audita esset appropinquatio Turcorum Imperatoris, nec fere reperiretur qui urbis præfecturam suscipere vellet; consultius visum est, haud tamen sine pudore, eam concremare: quam Turci rursùm reparârunt.

VI. Mahometis expeditio in Hungariam.

Iam enim Mahometes Belgradum pervenerat: qui tot suorum cladibus commotus, & regni sui initia ab egregio aliquo facto auspicaturus, cum ingentibus copiis in Pannoniam expeditionem ducere decreverat, matre licèt, Sultanísque contrà nitentibus: quarum gratiâ (Sinane Vizirum principe, post turpem anni superioris fugam, ignominiæ impotentiâ nuper defuncto majore octogenario) Ibraimus Bassa, cui soror Mahometis nupta erat, Viziratum eo potissimum nomine obtinuerat, quòd à consilio in Pannoniam ejusmodi, eum avertere pollicitus fuerat. Quod tamen frustrà fuit: adeò ut feratur occidisse propriâ manu quandam ex gratiosioribus suis concubinis, quæ importuniùs id urgebat. Quapropter 20. Iunii magno apparatu Constantinopoli egressus, Belgradum primò appulsus est; ac post aliquot dierum factam ibi ad reficiendum exercitum moram,

Agriam occupat.

Agriam munitissimam, maximíque momenti superioris Pannoniæ urbem, Solimano olim imperante sæpiùs irrito conatu tentatam, & Episcopali sede nobilem, Septembri mense obsidione cinxit: eandémque multis diebus egregiè à præsidiariis defensam, per eorundem posteà, gravissimis hostium impressionibus territorum, contra duces rebellionem, qui nihil non & minis & precibus egerunt, quo milites suppetias Maximiliani expectare suaderent; deditione recepit duodecimo Octobris; ducibus captivis retentis, & militibus cum impedimentis dimissis qui tamen haud diù suæ ignaviæ ac perfidiæ pœnam distulerunt; cùm paulùm progressi, ferè omnes, contra fidem datam, à Tartaris Turcísque in vindictam lanienæ Hathuaniensis, cæsi sunt: rem tamen ulciscente Mahomete in præfectum prætorianorum, cui hoc crimen imputabatur; qui militari supplicio in frusta concisus est. Captâ autem Agriâ, vicinas etiam arces, diffugientibus præsidiariis, Turci nullo negotio occupârunt.

VII.

Amissâ Agriâ Maximilianus, qui tardè incedens, ob gravem tormentorum & impedimentorum per corrupta imbribus itinera subvectionem, vix 14. diebus duodecim milliaria Hungarica emensus fuerat; viribus cum Sigismundo Transilvaniæ Principe, qui in auxilium accurrerat, & Tiffenbachio Superioris Hungariæ præfecto junctis;) quas ad 70. millia bellatorum, secundùm numerum qui conscriptus fuerat, æstimatas, non tamen triginta novem millia equitum peditúmque excessisse, nonnulli volunt; aliis ad quinquaginta, rursúmque aliis ad sexaginta amplificantibus) post multas de rebus gerendis consultationes, ut detrimentosa mora aliquo operæpretio emendaretur, decrevit cum hostibus, viribus licèt haud parùm superioribus, de summâ rerum decertare. Itaque ad Kerestium, sive Crestesium, locum sic dictum, promoto exercitu, medio inter duos exercitus amniculo, cujus vadum occupanti magna ad rem gerendam commoditas afferebatur; levioribus ibi certaminibus aliquot dies cum majori hostium damno depugnatum est. Die verò 26. Octobris totis viribus acerrimum prælium initum: quo cùm hostes grandi cæde in fugam versi fuissent, Mahomete cum paucis sese subducente; dum Germani diripiendis eorum castris quasi plenâ victoriâ instarent; Assanes Cicala Bassa natione Calaber & à fide apostata, qui ultimum agmen ducebat, confusos ordines cernens, incredibili ausu & fortitudine suos adhortatus, in Christianos irrupit, ac facilè eos fudit; ita ut victi victoriam egregiam de victoribus reportârint, cæsis eorum ampliùs duodecim millibus tam aperto in campo, quàm in hostium castris; inter quos non pauci præcipuæ dignitatis viri, clarique nominis præfecti, ac equitum magistri, tribuníque & centuriones.

Kerestinum Præliũ.

Quando item & periit casu aliquo *Nicolaus Gabelmanus*, quem anno superiori rerum tunc gestarum scriptorem laudavimus; vir Germanus, qui ut res in Pannoniâ adversus barbaros gestas literarum monumentis traderet, Rudolphi Cæsaris jussu in castra se contulerat, ut ea quæ scribenda forent, subjecta oculis fideliùs commemoraret: de quo post hanc cladem nihil auditum aut compertum est. Nec necesse erat ut ad id superviveret, ad quod destinatus fuerat; nisi Germanorum turpitudinem detegere voluisset.

Gabelmani obitus.

VIII. Turpis fuga Christianor.

Qui cladi superfuêre, non in castra, ad quæ tutus receptus erat; (Turcis vix se victores credentibus, minimè insequentibus:) sed ingenti terrore perculsi, nocte appetente alii aliò per tenebras longè à castris abierunt. Maximilianus, qui nihil non egit ut fugam suorum sisteret, eâ & ipse abreptus Cassoviam se recepit, indéque pòst Viennam. Sigismundus Tocaium proximiorem suæ ditionis urbem, ac deinde Albam-Iuliam. Tiffenbachius, nemine à quo fugaretur perspecto, castra repetiit: idque & quidam alii ex præcipuis ducibus fecerunt, nec pauci ex militibus: adeò ut cùm non minor in hostium castris ex primâ dissipatione, elapso jam Principe cum multis, conturbatio animadverteretur, creditum fuerit, si Christiani vires recollegissent, facilè eos rursùm in fugam conjicere potuisse. At duces illi cùm multa ad id præstandum deesse perspicerent, consultius

existimârunt, ut quique igne consumptis quæ asportari non possent, pretiosiora secum ferentes tacitâ fugâ sibi consulerent, relictis tentoriis nequid hostes de ipsorum discessu suspicarentur. Hícque fuit exitus memorabilis pugnæ Kerestianæ, à Turcis Agriensis appellatæ, quòd occasione Agriensis obsidionis & expugnationis, nec longè ab eâ urbe facta fuerit: quam multi descripserunt; atque inter cæteros M. Iansonius, ex relatione, ut profitetur, ipsiusmet Maximiliani ad Cæsarem: Arnoldus Helius commissarius bellicus, ut se indigitat, ac lustrationum magister, propriis commentariolis: Nicolaus Isthuanffius in rerum Pannonicarum historiâ, uberriméque ex cæterorum relationibus Cæsar Campana in Vitâ Philippi II. Hispaniarum Regis. De quâ Agriâque, non ineleganter aut absonè sic tunc lusisse aliquem reperimus.

INSECTATIO GERMANORŪ A GERMANO.

Cunctando potuit rem restaurare labentem
Maximus ille olim Romulidûm Fabius:
Ipse quoque Hetruscum properando Cocles in hostem
Roma tuo potuit consulere Imperio.
At nos, invitet licèt ipsa occasio, contrà
Rem male cunctando perdimus, & patriam.
Agria testis erit, quam nuper vidimus hosti
(Vah! pudeat) nostrâ succubuisse morâ.
Aut si fortè etiam in pugnam properamus, & arma,
Rem properando iterùm perdimus, & patriã,
Ac velut imbelles à cæso cædimur hoste,
Et damus infami terga inhonora fugæ.
Vis verbo causam? galeatos undique dicas
In bellum lepores currere, non homines.
Degeneres nec libertas, nec patria, nec diis
Grata queat pietas pugnæ animâsse animos.
Nescimus quid sit rerum experientia & usus,
Et belli leges, & modus, & ratio.

Expressit hæc pudor, dolórque Germano homini in suos Germanos, quorum culpâ has clades contigisse omnes auctores consentiunt. Ac nihilominùs ex iis quæ hoc anno gesta vidimus apertè datur intelligi, Turcorum potentiam & vires, quas plerique inexpugnabiles & insuperabiles prædicant, nequaquam esse tam formidabiles & immanes, ut Deo benè juvante reprimi ac contineri non possint, modò forti & intrepido animo invadantur, ac servatis ordinibus imperando ac benè agendo ad solius victoriæ consequendæ finem communibus votis respiciatur. Sed quando hoc fiet? Verbis feroces, re aut timidi, aut inconsultissimi sumus nos. Totâ autem hâc expeditione Mahometem ad sexaginta circiter suorum fortissimorum millia amisisse, Christianos viginti, auctores

CICALÆ SUBLIMATIO, ET DEPRESSIO.

tradunt. Qui quidem Mahometes, cùm tam salutem propriam quàm Imperii sui supradicto Cicalæ se debere profiteretur, eum ad supremam Viziris dignitatem, Ibraimo cognato deposito, statim extulit. Quem tamen ferunt rogâsse Mahometem, ne se celeri impetu in altum adeò tolleret, unde æmulorum insidiis circumventus citò deturbaretur. Id & eventu probatum. In reditu namque allatis ad Mahometem matris, cui multùm deferebat, literis, quibus sibi infensum hostem ad tantam dignitatem sublatum acerbè conquerebatur; Cicalâ pulso, Ibraimum restituit; ac mox petente matre Arzirumen in fines Persidis ablegavit: humanarum rerum lubricitatis, atque Principum inconstantiæ exemplum. Qui tamen post biennium restitutus, imperium maris suscepit. Mahometes autem ad finem anni Constantinopolim pervenit, regiis quidem honoribus, magnísque laudibus exceptus; sed tamen haud exiguam vultu mœstitiam de tot suorum millibus amissis præseferens.

IX.

In mediis hisce Hungaricis bellis, Gallia sua etiam agitabat: & internis Fœderatorum motibus adhuc inquieta, & externis Hispanorum armis vexata: Henrico Rege his & illis magno animo occurrente & obsistente. Ad reliquias verò Fœderis seu Vnionis extinguendas, præcipui momenti extitit reconciliatio Ducis Mayenii ejus coryphæi; quam ad ejus propugnationem non tam propriâ sponte quam aliorum suasionibus delatum, jámque ab omnibus penè derelictum, & ad extrema redactum, Rex satis amplis conditionibus in gratiam accepit: longissimè tamen minoribus, quàm cùm traditione Burgundiæ in possessionem ejus ac posterorum, eum sibi, cùm potentior erat, conciliare studuerat, quod amplissimum emolumentum corrupit tunc ejus pervicacia. Factum est igitur in ejus gratiam à Rege, dum adhuc in obsidione Feræ hæreret, edictum mense Ianuarii, triginta & uno capitibus constans. Quo Rex multa præfatus de calamitatibus publicis, & excusatâ eorum qui ob religionis causam ad ciendos animos validissimam, partes in regno fecerant, alienatione; præteritorum gratiam Mayenio, de regni dilaceratione impeditâ laudato fecit: eique Cabilonum, Seurrum, & Suessionem urbes, securitatis causâ, in sexennium attribuit; in quibus per id tempus nullum aliud esset religionis exercitium quàm Catholicæ Apostolicæ Romanæ, nec ad munera & officia publica admitterentur ulli qui non eam profiterentur: Omnia judicia, decreta, declarationes, contra ipsum, principésque, proceres, civitates, omnésque cujuscumque ordinis & conditionis, qui ejus partes secuti essent, latas revocavit; eósque sacerdotiis, dignitatibus, ac bonis restituit, dummodò intra quadraginta dies à promulgatione edicti in singulis curiis & præfecturis factâ, ad obedientiam redirent. A defuncti Regis parricidio tam ipsum quàm cæteros principes viros feminásque, quòd constitisset ab eo crimine innocentes esse, immunes declaravit: Scripta, literas, libellos, quâcumque de causâ publicatos, fraudi auctoribus non fore sancivit: Dignitates, magistratus, militias, à Mayenio concessas confirmavit: Mercurii & Aumaliæ Ducibus gratiam abolitionis promisit, si intra tempus ad officium redirent: ac proinde sententiæ in Aumalium à Senatu Parisiensi anno superiori, tanquam in læsæ majestatis in primo capite reum, latæ, quâ à quatuor equis discerpi damnatus, illam ignominiam effigie passus fuerat, filiique ejus ac posteri ignobiles, viles, infames, intestabiles declarati; ampliorem executionem ad id tempus inhibuit: Ad exolvendum æs alienum ab eodem Mayenio belli tempore contractum, 350. aureorum millia duobus annis pendenda, atque insuper 27. millia ad usuras luendas, donavit: Denique obligationes ob Helvetiorum, aliorúmque exterorum stipendia ab eo

MAYENII DUCIS RECONCILIATIO CUM REGE.

contractas, Rex in se, tanquam ipsius Regis ac Coronæ Franciæ causâ factas, suscepit, ab iisque Mayenium liberavit. Eundémque post hæc Suessione ad se cum delectis equitum peditúmque copiis venientem, ipsi ad Moncellum occurrens, benignissimè atque honorificè exceptis; ac post amicos amplexus, & habitum de re publicâ colloquium, in castra ad Feram secum abduxit.

X. NEMOROSII ET IOIOSÆ RECONCILIATIONES.

Transactum quoque eodem mense Ianuarii cum Ducibus Nemorosio, & Ioiosâ separatim; cum simili præteritorum omnium abolitione, ac novarum gratiarum concessione. Ac speciatim Nemorosio remissa Coronæ aureæ, quæ Caroli Calvi Regis & Imperatoris fuerat, ac summâ veneratione in thesauro Sandionysiano asservabatur, conflatio, aliorúmque donariorum in usus belli distractio; ac præsidiorum quæ in Arvernis, Segusianis, Velaunis habebat retentio concessa. Ioiosæ, qui Tolosam, aliásque non paucas urbes in Occitaniâ occupabat, Marescallatûs Franciæ dignitas tributa: & qui paulò antè à Pontifice, precibus fratris Cardinalis, ex Capucinorum sodalitio in Melitensem militiam translatus fuerat, tunc equestrem S. Spiritûs torquem, quem à Rege defuncto acceperat, resumpsit,

MASSILIA REGI ASSERITUR.

Massilia Provinciæ urbs, nominis claritudine, & portûs opportunitate insignis, quam Carolus Casalius tunc consul, seu potiùs tyrannus, qui merum imperium in eâ exercebat, ac cædibus complurium civium efferatus in partes Hispanorum deflexerat, atque immensis eorum promissionibus corruptus, eis qui à multo tempore illi imminebant; tanquam opportunissimæ ad imperium mediterranei maris & provinciarum adjacentum, tradere constituerat; adeò ut Carolus Auria jam cum aliquot triremibus in portum receptus esset: operâ Petri Libertati, Corsicâ oriundi, viri strenui, cujus majores lares & facultates Massiliam transtulerant, Casalio cæso, in manus Ducis Guisii, qui nuper Gubernatoris titulo in Provinciam venerat, & in eâ urbe Regi asserendâ summam diligentiam adhibuerat; tradita est decimo septimo Februarii, Auriâ fugâ se subducente, seditiosis compressis, totâ civitate regio nomini ac Guisiano acclamante; universâ Italia jubilante, ob periculum inde ei imminens si in manus Hispanorum incidisset.

XI. CALETŪ AB HISPANIS CAPITUR.

At tantis accessionibus Rex ad orientem & meridiem contra Hispanos auctus, non parùm in occidente & septemtrione detrimenti sensit ab iisdem, in occupatione Caleti, oppidi & portus celeberrimi, aliorúmque vicinorum locorum, mense Aprili. Cujus obsidionem suscipiens Albertus Cardinalis Austrius, quem in Belgium devectum vidimus anno superiori; non tam spe ejus obtinendi, quod toto illo tractu munitissimum atque adeò inexpugnabile propugnaculum credebatur, quam animo Regem à Feræ obsidione revocandi; id longè faciliùs quàm quivis credere potuisset; adeptus est: ductu præcipuè Ronei, summi castrorum præfecti, cujus & operâ vidimus reliquos Hispanorum anni superioris in Picardiâ progressus & susceptos fuisse & confectos; qui cùm locum jampridem diligenter exploràsset, auctor Alberto fuit eò animum applicandi, rem famâ majorem quàm confectu difficiliorem fore affirmans. Nec fefellit, siquidem nono Aprilis eò appulsus, per continuam tormentorum displosionem, ac frequentes gravissimas irruptiones, primùm portûs munitiones, tum urbs, ac denique arx expugnata est decimo sexto die obsidionis cœptæ; Bidossano præfecto cum plerisque præsidiariis occisis; ac frustrà Rege, Boloniam usque excurrente, (relicto ad Feræ obsidionem Henrico Mommorantio Connestabili) suppetias ferre conato; hostis impetu præpollente. Hama inde & Guina ad primam tubicinis denunciationem deditæ. Deinde Ardra tribus leucis Caleto distans; parva urbs, sed situ & arte munitissima, ab Anglis olim quamdiù Caletum tenuerant intacta, eodem Roneo impulsore, contra cæterorum ducum sententiam obsessa; quam Belinius Comes & Carolus Monlucius, Blasii olim Marescalli nepos, tuendam susceperant, unà cum ejus præfecto Bosco Anneburgo, sed occiso Monlucio, eadem à Belinio, reluctantibus licèt Anneburgo ac cæteris ducibus, ignavè dedita est vigesimotertio Maii, unde accusato apud Regem Belinio, ita tamen favore amicorum excusationes ejus receptæ sunt, ut mitiùs cum eo actum fuerit.

ITEMQUE ARDRA.

XII. CAUSÆ HARUM CLADIŪ.

Amissionis porrò horum locorum causam duplicem præthereà auctores afferunt: primam ac præcipuam, Ronei experientissimi ducis indignationem cum metu conjunctam. quem tradunt, cùm de reditu clàm tractâsset cum Rege, petitis tantummodò ad expediendum se è Bruxellis viginti millibus aureorum; dum hi promissi non comparerent, monitis interim aliunde Hispanis, de secretis ipsius consiliis, & in eum uti proditorem agere decernentibus; ut vitæ suæ consuleret, facilitatem prædictorum locorum occupandorum sibi notissimam aperuisse: & periculo suo Albertum ad ea tentanda impulisse. Quæ si vera sint, profectò Roneus ingenti impendio ultus est, aut tantillæ pecuniæ parsimoniam, aut non ad diem solutæ negligentiam. Alteram causam in Anglorum livorem simul ac importunam cupidinem conferunt, quippe cùm misisset Rex in Angliam qui promissa jam antea sibi a Reginâ auxilia sollicitarent, quæ in naves imposita in dies expectabantur, & si tempore advenissent, poterat facilè Caleto succurri; Comes Essexiæ eorum ductor non solùm seriùs advenerit, sed etiam excensionem ad locum sibi à Rege Boloniæ existente designatum facere recusaverit: quinimmò & eò audentiæ Regina ipsa processerit, ut non dubitaverit eo rerum statu à Rege petere ut Caletum sibi in securitatem auxiliorum traderet. Qui ejusmodi postulationem indignissimè ferens, præfractè respondit, male se ut hostes vi armorum, quàm arte amici illud occuparent: & passurum se æquiori animo, ab hostibus quam ab amicis spoliari: quòd arma tenenti quicquid accideret, omnes fortunæ, plerumque virtutis conatibus adversanti, imputaturos, quicquid verò cederet, ignaviæ assignaturos. Cæterùm cùm post captam Ardram Albertus in Belgium maturè se recepisset, ne cogeretur cum Rege congredi, cujus exercitus multùm creverat post deditionem Feræ, de quâ mox: ne victorem exercitum inutilem retineret; Hulstum obsedit oppidum Flandriæ munitis-

IMPORTUNA REGINÆ ANGLIÆ POSTULATIO.

ſimum; & poſt gravem ac cruentam aliquot hebdomadarum oppugnationem, & plurimorum præfectorum ab utráque parte internecionem, (inter quos Roneus fuit, cum vehementi dolore Alberti, ac totius exercitûs, cujus ipſe anima eſſe videbatur, ideóque regiis penè exequiis honeſtatus:) decimo octavo Auguſti deditione cepit.

XIII. FOEDUS A REGE CUM ANGLIS INITUM.

Rex autem capto ab hoſtibus Caleto, cùm videret Anglos non bonâ fide ſecum in eo negotio verſari; ac metueret, ſi animum difficili ejus recuperationi tunc intenderet, certam de Ferâ potiundâ ſpem amitteret: Caleto in præſens omiſſo, ad Feræ obſidionem revertit, quam tandem vigeſimo ſecundo Maii, dedente amplis conditionibus Alvaro Oſorio præſidii Hiſpani præfecto, recepit pridie quàm Ardram Albertus. Deinde per Mareſcallum Bullionium & Nicolaum Harlæum Sancium, in Angliam miſſos pro fœdere contra Hiſpanos icendo; poſt multas variáſque altercationes cum Reginæ delegatis habitas, & inſultationes ab Anglis in Gallos ob præſentem rerum ſtatum factas, prædictóſque legatos regios multiplicibus ludibriis tam à Reginæ delegatis quàm ab ipsâmet Reginâ jactatos; (uti videre eſt in Actis negotiationis à Guillelmo Vario tunc libellorum ſupplicum magiſtro, qui cum Bullionio in Angliam tranſmiſerat, confectis) tandem fœdus ictum 26. Maii, conditionibus parùm Regi uſui futuris: quas tamen ipſe, non tam ſpe alicujus utilitatis ab iis proventuræ approbavit, quàm reſpectu fœderis hujus famæ apud cæteros Principes valituræ: & duplicis alterius emolumenti inde ad Regem acceſſuri; videlicèt quòd ſic infringebatur propoſitus ab Hiſpanis pacis cum Anglis tractatus, ad quem Reginæ miniſtri totis animis propendebant; qui ſic proceſſiſſet, Gallia adhuc à priſtinis motibus agitata, & reliquiis factionum turbata, longè pejora quàm priùs ab Hiſpanis, qui ab omni alio metu ſecuri, totis viribus in eam incubituri eſſent, pati habuiſſet: & quò eodem fœdere Ordines Belgicos diſtinctè comprehendi legati Galli eviciſſent; reluctantibus diù Anglis, qui nonniſi ſub generali Reginæ fœdere, ſub cujus patrocinio ii agebant, includi volebant: unde non mediocriter conatus Hiſpanorum retardari apparebat, quippe qui viderent, non jam ſibi cum Gallis ſolis, ſed etiam cum Anglis & Belgis rem eſſe; atque adeò cum cæteris Principibus, qui odio Hiſpani nominis in fœderis ſocietatem venirent; ad quos ſollicitandos Rex miſſurus erat. Interímque cum Ordinibus fœdus proprium, & commodioribus conditionibus initum.

XIV. CLASSIS ANGLICA MITTITUR IN HISPANIAM.

Dum autem hæc cum Anglis & Ordinibus agerentur, cùm Reginæ Eliſabethæ non parva ſuppeteret occaſio regno ſuo ab Hiſpanis, poſt Caleti occupationem, unde breviſſimus eſt in Angliam trajectus, metuendi; accedentibus ab hoc Hibernicis de religione tumultibus, quos ab aliquot annis Hugo Comes Tirœniæ potentiſſimus totâ inſulâ Catholicus ſuſtinebat, & Hiſpanica auxilia expetebat: ipſa ut hujuſmodi tempeſtates amoliretur, conſultiſſimum rata hoſtem in ejus portubus opprimere, claſſem centum & quinquaginta navium inſtrui juſſit, è quibus ſeptemdecim regiæ, viginti duæ Ordinum Belgii, reliquæ actuariæ & annotinæ fuerunt. præfecítque ei Robertum Eſſexiæ Comitem & Carolum Howardum Angliæ Admiralium: ita tamen ut huic in mari, illi in terra auctoritatis prærogativa cederet. Qui ineunte Iulio ex Angliâ ſolventes, ad Gades appulſi, initis variis certaminibus, multas naves Hiſpanicas paratas ad navigationem in novum orbem, aut ceperunt, aut combuſſerunt; ſubindéque urbem invaſerunt, eámque cum totâ inſulâ expilârunt; ingenti prædâ ex his partâ: quâ onuſti, haud magno alio operæpretio facto, (reluctante Eſſexio magni animi juvene, & ad alta aſpirante, qui Gades conſervare, & majora tentare ſuadebat, minimè auditus ab iis qui prædam ſalvam vellent:) in Angliam Septembri menſe reverterunt, expeditionem ſuam magnis præconiis extollentes: quam etſi Hiſpani non abnuant proſperam iis extitiſſe, multùm tamen de ejus gloriâ minuerunt, ſcriptis hinc inde de eâ publicatis. In cujus vindictam contracta juſſu Philippi Regis alia claſſis menſe Octobri, ut in Angliam & Hiberniam navigaret, fœdiſſimâ tempeſtâte exortâ diſſipata eſt ac confracta, niſi quòd pauci in Hiberniam appulerunt, ſuppetias laturi Comiti Tirœnio, parvo utique fructu.

XV. CARDIN. FLORENTINI LEGATIO IN GALL.

Rex verò Henricus, poſt Feræ receptionem, auditâ Legati appropinquatione, quem Clemens Pontifex in Galliam deſtinaverat ad promiſſas à procuratoribus regis in ipſius benedictione conditiones coram exigendas; & reconciliationem Romæ factam in regno ſanciendam, quò omnis rebellionis prætextus factioſis qui adhuc in armis erant tolleretur; ad eum excipiendum feſtinavit. Erat is *Alexander Medices* Florentiæ Archiepiſcopus, Cardinalis presbyter tituli S. Praxedis, Florentinus à patriâ & Eccleſiâ dictus, è genere Magni Ducis Etruriæ; vir multo rerum uſu, & prudentiâ ac pietate præſtans, candidóque valdè ingenio, ætatis annorum ſexaginta, qui fuit poſteà Papa Leo XI. prædicto Clementi ſucceſſor datus. Summus ei toto regno, ex quo illud intravit juſſu Regis à provinciarum præſidibus ac magiſtratibus cultus exhibitus: deinde obviam ei miſſi à Rege Epiſcopi Metenſis, Cenomanenſis, & Ebroicenſis; tum Cardinalis Gondius: atque ubi ad Caſtrum oppidum, octo leucis Gallicis à Lutetiâ diſtans, pervenit, Rex ipſemet per veredarios equos occurrit, primariis quibuſdam principibus ac proceribus comitatus; inter quos eſſe Ducem Mayenium voluit, ut Legato manifeſtum faceret, quantâ fiduciâ & comitate cum iis quos infeſtiſſimos anteà expertus fuerat, poſt reconciliationem uteretur, qui mox regreſſus eſt in Picardiam. Poſtquam verò Legatus aliquot diebus Caſtri ſubſtitiſſet, dum pararentur quæ ad ſolemnem ejus in urbem ingreſſum neceſſaria erant; cùm eò appropinquaret, factus eſt ei obvius cum magno procerum comitatu, Henricus Borbonius Condeus, primarius regni ſanguinis princeps, puer adhuc octennis; quem Rex ſuperiore anno in aulam venire juſſerat, ut in Religione Catholicâ educaretur, uti fuerat inter conditiones abſolutionis Regis condictum; à Legato

magnâ cum lætitiâ exceptus. Qui deinde ad sancti Iacobi suburbium à Senatu, cæterorúmque omnium ordinum classibus de more salutatus, solemni ingressu est in urbem receptus. Ejúsque amplissimæ Facultates, ut vocant, hoc est mandata & concessiones, ei à Pontifice pro legationis suæ exercitio impertitæ, datæ Romæ 3. Nonas Aprilis, oblatæ pro consuetudine Senatui, cum regio diplomate tertiæ diei Iulii pro earum publicatione; fuerunt ab eo vigesimo sexto Iulii receptæ & publicatæ de Regis mandato absolutè absque ullâ restrictione, aut conditionum appositione, decreto tantùm in Curiæ Actis adscripto, ut juxta conditiones in similibus promulgationibus apponi solitas, locum eæ haberent citra læsionem jurium Regis & regni, ac libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Quod quidem Legatus toto biennio, quo in Galliâ substitit, illibatè servavit. Qui Calendis Augusti apud Sanctum Maurum extra Lutetiam primùm ad publicam audientiam à Rege admissus, accepit ab eo confirmationem omnium conditionum à Regiis procuratoribus Romæ in ejus reconciliatione promissarum.

XVI. Lucemburgii Legatio Romam pro obedientia.

Subindéque Rex Franciscum Lucemburgium Pinei Ducem destinavit suum Romam legatum, qui Pontifici more solenni obedientiam filialem præstaret, quod ipse tardiùs Romam appulsus, anno tantum sequenti mense Aprili præstitit, eâ pompâ quæ describitur in actis eâ de re publicatis; cum oratione Mauritii Bressii Sebusiani pro illo tunc habitâ, qui jam in illâ aulâ post obitum M. Ant. Mureti aliquoties eodem munere defunctus fuerat; & responso nomine Pontificis facto à Silvio Antoniano tunc Pontifici à secretis, postea etiam Cardinale. Quâ tamen in re notandum ex literis [c] Cardinalis Ossati, qui aderat; cùm difficultas esset de obedientiâ pro regno Navarræ præstandâ, & Pontifex negaret posse eam accipere, nisi cum clausulâ, sine præjudicio Regis Catholici, sicuti factum fuerat in receptione ejusmodi obedientiæ à Regibus Navarræ factæ annis 1560. & 1573. Ossatum suasisse, ut ad omnem cavillationis occasionem tollendam, quòd simul ea reddenda esset pro utroque regno Franciæ & Navarræ, primùm exprimeretur exceptionem illam fieri tantùm pro regno Navarræ; deinde adderetur, sicut id fieret pro regno Navarræ absque præjudicio Regis Catholici, ita & fieret sine præjudicio Regis Christianissimi ad idem regnum tam in possessorio quàm in petitorio. Quod & ita tunc factum fuit, dato etiam eâ de re speciali Brevi à Clemente; & observatum semper posteà in similibus præstandis obedientiis.

[c] Ossat. epist. 91. 92. & in fin. Epist.

XVII. Conventus Rotomagensis.

Cæterùm Rex pacato ferè regno, (ex Vnionis namque Principibus unus in armis superabat Dux Mercurii in Britanniâ Armoricâ; qui Hispanis viribus subnixus, alia atque alia subinde impedimenta causabatur, quò minùs cum Rege in gratiam rediret:) ut res ex consilio principum procerum, & regni ordinum componeret, eorum præcipuos tam ex Clero quàm ex sæculari nobilitate & curiis atque civitatum decurionibus Rotomagum vocavit. Vbi 4. Novembris initio conventui facto, cui & Legatus interfuit, Rex brevi oratione præsentes alloquens, non Oratoris nomen se ambire dixit, sed gloriosiora Liberatoris & Restauratoris regni: quæ ut adipisceretur, se eos convocâsse; non, ut decessores sui ad eliciendam ab eis suarum voluntatum comprobationem, sed ad submittendum se ipsum eorum consiliis, & quasi tutelæ. Cæterùm multa præclarè à singulis ordinibus salutariter deliberata, & à Rege postulata; sed exiguo fructu; ut ferè fit in ejusmodi conventibus. Postulavit speciatim sacer Ordo, ut electiones Antistitum restituerentur: quod si minùs Regi impræsentiarum placeret, interim dum eæ restituerentur, in nominationibus ab eo faciendis decretum comitiorum Blæsensium anni 1579. servaretur: adderetúrque ut probationes vitæ ac morum coram Archiepiscopis & Episcopis residentibus singularum provinciarum fierent, tribus ex vacantis Ecclesiæ collegio sodalibus adhibitis. Verùm nec hæc absolutè decreta, nec executioni mandata.

XVIII. Paris. conventus Cleri.

Permiserat Rex anno superiori sacro Clero, ut conventum de more recepto haberet Parisiis (qui primus fuit post necem Henrici III.) quo in commune de rebus suis, déque restitutione disciplinæ præteritis bellis labefactatissimæ, ac decimarum solvendarum ratione, consultarent. Ex quo delegatus Episcopus Cenomanensis cum nonnullis aliis ad Regem tunc in obsidione Feræ hærentem, egregiam ac prolixam habuit ad eum 24. Ianuarii præsentis anni orationem; quâ deploratis Ecclesiæ Gallicanæ ac regni miseriis, remediis indicatis, & à Rege petitis; inter alia verisimile esse dixit tot ac tanta mala magnâ parte ex denegatâ sacri Concilii Tridentini promulgatione processisse, cujus propintereà publicationem in singulis Ecclesiis fieri postulavit. De quo quidem nihil; sed ad nonnulla alia capita gravaminum cleri benignè responsum est à Rege, quemadmodùm videre est in Collectione Negotiorum cleri Gallicani: ubi etiam recensetur contractus cum eo factus de consueto pecuniarum subsidio.

XIX. Condei matris conversio ad Relig. Cathol.

Ibidem Rotomagi cùm esset Legatus, Carlota-Catharina Tremolia supradicti Principis Condei mater, abjuratâ hæresi Calvinianâ, quam professa fuerat, in gremium Ecclesiæ Catholicæ recepta est ab eodem Legato: non sine aliquâ Cardinalis Gondii, qui aderat, intercessione, qui tanquam Episcopus Parisiensis, Antistes diœcesanus Principum regii sanguinis, id ad se spectare contendebat. Id verò eatenùs Carlota, post ejus in aulam adventum, distulerat, quòd priùs se innocentem à nece viri sui declarari vellet; ne potiùs eo facto gratiam causæ suæ apud Senatum Parisiensem, ad quem à Rege remissa fuerat, quærere, quàm quod salutare sibi ad vitam æternam crederet, videretur.

XX. Impostoris Ramei supplicium.

Antequàm verò hæc agerentur, quasi non satis turbatum esset in eâdem Galliâ, aliæ quæsitæ sunt ab impostore quodam, qui se Caroli IX. Regis & Elisabethæ Austriæ ejus conjugis filium asseruit, sed à Catharinâ Regis parente expositum in gratiam Henrici III. quem illa sibi dilectissimum post Carolum regnare volebat. Vocabatur is *Franciscus Rameus*, cognomen mutuatus ab Ægidio Rameo nobili Pictone, in cujus domo educatus fuerat. Inde

in Veromanduos transiens, usúsque Ioannis Fosserii agricolæ contubernio, ad imposturam addebat fanaticas quasdam cælestes apparitiones; quas & ipse Fosserius interdum se videre jactabat: & utrique animos factos à quibusdam magnatibus, novas seditionum causas affectantibus, posteà compertum est. Rei famâ jam latè sparsâ, uterque diligentiâ magistratûs provinciæ comprehensus, ductúsque Remos; pseudo-Carolus ad mortem damnatus est, priùs imposturam palàm profiteri jussus: Fosserius eandem profiteri, & supplicio pseudo-Caroli interesse. Vtroque ad Senatum Parisiensem appellante, ibi sententia confirmata est octavo Martii, additúmque ut corpus pseudo-Caroli post supplicium flammis aboleretur.

XXI. Aquileiense Conc. I.

Celebrandum est hoc anno mense Octobris primum *Aquileiense Concilium* provinciale, in civitate *Vtini*, sub *Francisco Barbaro* Patriarchâ, de doctrinâ, disciplinâ, & moribus. Cujus extant Acta in Tomis Conciliorum; confirmata à Sede Apostolicâ. Clemens Pontifex Indicem librorum prohibitorum, suâ auctoritate multorum additione auctum confirmavit. Et Pontificale pro ritibus & cæremoniis Ecclesiasticis per Antistites observandis, curâ ipsius restitutum, itidem approbavit: abolitis cæteris, in quæ plurimi errores irrepserant. Et severiores pœnas à Sixto V. contra clericos malè promotos, & Episcopos in Ordinum collatione peccantes, constitutas, ad terminos sacrorum canonum, & dispositionem Concilii Tridentini reduxit [d]. Hieronymum [e] Dandinum & Fabium Brunum Soc. Iesu sacerdotes, ad Maronitas Libani montis incolas, cum Romanâ Ecclesiâ sentientes, recreandos ac juvandos ire præcepit; secúmque deferre ad eos pecuniam, argenteos calices, libros pios, sacras vestes; ac Patriarchæ eorum Pontificium ornatum.

[d] *Bull. to. 3. Clem. VIII. const.* 40.
[e] *Vid. Possevin. Appar. tom. 1 verb.* Maronitæ.

XXII. Mediol. controversia de oryzæ satione:

Fuit non parva controversia Mediolani inter Fridericum Cardinalem Borromeum Archiepiscopum, & Ferdinandum Velascum Castellæ Connestabilem Gubernatorem, de jurisdictione: quæ inde [f] processit, quòd cùm experimento compertum fuisset, ex nimiâ oryzæ in eâ provinciâ satione duplex oriri incommodum; alterum quòd inde aër nonnihil inficeretur, unde multi morbi orirentur: alterum quòd etiam agri qui tritico ferendo inservire deberent in commodum provinciæ, oryzâ occuparentur, ob majus lucrum ex ejus in longinquas provincias exportatione emergens: eáque propter, ut his incommodis mederetur, Connestabilis, exemplo priorum Gubernatorum, edicto sanxisset ne in terris aptis tritico aut secali ferendo, nec certo spatio prope urbes & itinera publica, oryza sereretur: Cardinalis quoque, haud censens hoc edictum, obligare agros Ecclesiasticorum, eorúmque cultores ac colonos, etiamsi laici essent, simile edictum de iis promulgaverit. Quo Gubernator offensus, cùm etiam accidisset ut nonnulli ex ejusmodi colonis & agrorum cultoribus temerè contra edictum oryzam seminâssent, jussit contra eos anquiri per regios magistratus. Cardinalis verò læsam immunitatem Ecclesiasticam conquestus, monitorium contra Gubernatorem, & excommunicationem contra nonnullos ex ministris regiis publicavit; asserens nullam ipsis, sibique totam in ejusmodi homines & bona jurisdictionem competere: cæteris ex adverso contendentibus, leges Principis pro bono publico & salute omnium latas, quæ nihil lædant immunitatem & libertatem Ecclesiasticam, debere etiam observari ab Ecclesiasticis in suis bonis temporalibus; soliúsque Principis esse eas condere; nec laicos obtentu culturæ aut conductûs ejusmodi bonorum eximi ab ejus jurisdictione. Fuitque eadem controversia mota subinde in cæteris urbibus Statûs Mediolanensis. Réque Romam delatâ, fuit de eâ multùm ibi disputatum: donec tandem anno sequenti Clemens Pontifex absolutionem excommunicatis impertiit, ad quam petendam adacti fuêre.

[f] *Ossat. ep.* 82.

XXIII. Franc. Toleti obitus.

Mortuus est hoc anno die decimaquartâ Septembris Romæ, anno ætatis suæ septuagesimo quarto, minùs diebus viginti, *Franciscus Toletus* Cordubensis Hispanus, primus è Societate Iesu ad sacram Cardinalatûs dignitatem à Clemente promotus; de quo dictum anno superiori. Præclaras autem ejus virtutes, sanctos mores, magnos atque utiles labores tam in Societate, quàm in aliis præcipui momenti negotiis ipsi à Pontificibus commendatis; egregia scripta Theologica, philosophica, moralia, ab eo edita; sublimes laudes, multi prosecuti sunt. Invisit eum ægrotantem, præter consuetudinem, Clemens, ut illi benedictionem quam postulaverat per se ipsum impertiret: & ad ejus lectulum uberes lacrymas fudit, ejúsque frontem abscedens osculatus est. Sepultus autem fuit in basilicâ S. Mariæ Majoris, quam bonorum suorum hæredem constituerat, presbyteris qui ad ejus altare Missas celebrarent censu perpetuo attributo: Bibliothecam collegio Romano legavit. Cui & Lutetiæ celebri officio parentatum est in majori Ecclesiâ Beatissimæ Virginis, Regis jussu, in animi grati testimonium de præstanti operâ ab eo pro suâ cum Ecclesiâ reconciliatione navatâ, cujus meminimus anno superiori.

XXIV. Cometa.

Mense quoque Iulii visus esse dicitur cometa; quem nonnulli luridum, alii radiis fulgentem faciunt; longâ autem caudâ, in orientem & meridiem conversâ. Quid verò eorum quæ hoc anno contigisse diximus, potissimùm portenderit, cùm non disertè auctores significaverint, nec nobis divinare, aut super singulis philosophari est animus.

XXV. Navigatio Septemtrionalis.

Inter quamplurimas Batavorum navigationes in Orientem susceptas, memorabilis est quam hoc anno per Septemtrionem susceperunt, descripta ab uno qui adfuit Gerardo Veero: ex quo pauca ista notabiliora delibavimus: Cùm in mare congelatum pervenissent, cum ursis albis immensæ magnitudinis, qui ad naves natatu appellebant, certamen acre sæpiùs fuisse: Anserum ingentem copiam reperisse, similium iis qui in Scotiâ apud Caledonios putantur ex foliis arborum in aquas cadentibus progigni; sumptâ opinione ex eo quòd ubi locorum incubarent minimè constaret: cùm autem ibi passim ova ejusmodi anserum reperta sint, commentum illud Scoticum fidem apud eos amisisse: Nave glacie

constrictâ, miseros Batavos à Septembri ad Iunium cum continuis nivibus, & intolerabilibus frigoribus, ac perpetuâ nocte conflictatos esse, deficiente penitùs sole ab initio Novembris usque ad finem propemodùm Ianuarii: Denique ex superstitum relatione, qui duodecim tantummodò fuerunt, tandem cognitum fuisse, desperatæ temeritatis esse per Septemtrionem in Orientem navigationem instituere. Quæ nihilominùs rursùm anno millesimo sexcentesimo duodecimo per Roëslinum item Batavum tentata fuit: sed pari infelicitate; dum partim longâ nocte, partim concreto glacie Oceano repulsus, post magnam suorum jacturam retrò cedere coactus est.

IESU CHRISTI Ann. 1597.

CLEMENTIS VIII. Annus 6.

RUDOLPHI II. Ann. 21.

I. Mauritii victoria de Alberti copiis.

ANno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, Indictione decimâ, mense Ianuario, Mauritius Ordinum Belgicorum imperator copias Alberti Cardinalis Gubernatoris Belgii ad Tornahutum in Brabantiâ magnâ strage cæcidit, ampliùs bis mille occisis, unà cum earum duce Comite Varasio; ducentis captis, cum triginta & octo signis peditum, duobus equitum, & omnibus ferè impedimentis, ac pecuniâ quæ exolvendo militi stipendio paulò antè missa fuerat.

II. Ambianum intercipitur ab Hispanis.

Quæ clades admodùm Alberto incommoda, paulò pòst magno beneficio, Galliæ valdè detrimentoso, compensata est: occupatione videlicèt Ambiani Picardiæ metropolis, urbis amplæ, munitæ, & potentis, quæ cùm magnis privilegiis & immunitatibus olim donata à Regibus, inter alia libera esset ab omni militum præsidio; capto Dorlanio, alisque in propinquo locis, à Rege decuriones, penes quos erat urbis custodia, moniti ut hoste adeò vicino existente, ad tempus Helvetiorum præsidium in suburbiis saltem acciperent, semper recusaverant, pares se custodiendæ urbi jactantes. Et erant quidem, si tantam interdiù adhibuissent in excubiis agendis diligentiam, quantam noctu, cùm numerarentur in urbe ampliùs quindecim armatorum millia. Quorùm ad portarum custodiam infrequentiâ atque incuriâ, à quodam exule Dumolino observatâ; sive is impunitatem sceleribus, sive rebus attritis suis subsidium quæreret, adito Ferdinando Tellio Portocarrero Dorlanii præfecto, facilitatem indicavit urbem intercipiendi, de quâ monitus per ipsum Albertus Cardinalis, permisit ut facinus tentaretur, datis ei tacitè tribus circiter equitum peditúmque millibus, cum quibus Portocarrerus, vir corpore exiguus, sed animo maximus, & rei militaris peritissimus, noctu propiùs accedens; locatis iis variis locis abditis, præmisit manè nonnullos constantiores, rusticorum habitu cum penulis oblongis quibus arma tegebant: quorum aliqui carrum onustum ducebant, qui sub rastro portæ hærere deberet, ne rastrum laxatum aditum obstrueret; alios saccos pomis & nucibus plenos ferebant, quos in aditu portæ effunderent ad occupandos in fructuum collectione stationarios. Rebus omnibus pro voto succedentibus, occupatâ portâ, cæterisque hostibus, ad signum displosi sclopeti accurrentibus, atque urbem servato ordine ingredientibus; dum maxima pars civium concionibus audiendis vacaret, (quippe tempore Quadragesimæ; erat enim ea dies undecima Martii) multi nondum è lecto surrexissent, cuncti ob casum inopinatum conturbatissimi essent, ac qui ad arma concurrerunt post aliquod certamen facilè dissipati fuissent; universa urbs occupata est, quinque dumtaxat ex hostibus amissis, ex civibus circiter octoginta occisis, ingenti prædâ partâ.

III. Obsidetur a Rege.

Ex hâc tam facili tantæ urbis occupatione cunctis attonitis, & maximè Parisiensibus; qui jam ad portas suas, cùm nihil impedimenti inter utramque urbem intercederet, hostes videre sibi persuadebant: Rex quoque, tunc Lutetiæ existens, haud parùm perculsus, quòd jam cerneret majorem ac potiorem Picardiæ partem in potestate Hispanorum esse; Britanniam Armoricam eorum potissimùm viribus à Mercurio detineri; reliquarum provinciarum reconciliatarum animos nondum benè confirmatos apparere; Hugonotorum factiones variis suis coitionibus ad novas turbas tendere: contra hæc omnia animum firmans, quòd in uno Ambiano omnis rerum summa verti videretur, utrùm in potestate Hispanorum maneret, an a Rege recuperaretur, quippe ex eo successu aut imperii dissolutio, aut regii fastigii instauratio secutura esset: omninò decrevit urbem astu amissam virtute recuperare. Itaque Corbiam confestim progressus, urbem septem leucis ab Ambiano distantem, statim Carolo Birono Marescallo Franciæ negotium dedit, ut cum iis quas penes se habebat in limite copiis, quæ erant tantummodò trium millium peditum & sexcentorum equitum, urbem ab eâ parte cingeret, quæ auxiliaribus ex hostico venientibus patebat, qui nihilominùs numero quingenti equites, Ioanne Gusmano ductore, ineunte Aprili, acri inito certamine, urbem ingressi sunt; Cardinale Alberto summa omnia faciente, ut postposito quod imminebat à Batavis periculo, (qui etiam temporis commoditate feliciter usi, multa oppida munita occuparunt) totas vires & opes in eâ urbe, quam fortuna dederat, virtute defendenda, expenderet.

IV. Obsidionis progressus.

Dum igitur obsidio procederet, & urbs vallo ac propugnaculis circumcingeretur, augerentúrque paulatim copiæ regiæ; quibus juncta sunt quatuor Anglorum millia à Reginâ ex fœdere missa: obsessi, & ipsi furtim subinde usque ad quinque millia aucti, cùm per frequentes eruptiones in castra factas, quanquam plerumque ipsis faustas, imminutus esset valdè, accedentibus etiam morbis, eorum numerus; ab eruptionibus cessantes, id solùm attenderunt, ut quocumque modo tempus eò usque extraherent, donec Albertus, qui spem auxilii in dies faciebat, contracto exercitu laborantibus subvenire posset. Quod dum expectarent, & interim regii fossâ potiti essent; contigit die tertiâ Septembris ut Portocarrerus singula lustrans, ictu sclopeti e fossa emisso per latus transfixus peremptus fuerit.

non parvâ obsessorum conturbatione, qui tumulatus est in majori urbis templo juxta altare, cum superbo elogio literis aureis inscripto: summáque imperii Hieronymo Carafæ Montisnigri Marchioni delata, qui primas ab eo tenebat, & equitatui præerat. Portocarreri verò mortem pensavit luctus non mediocris in castris regiis, biduo pòst excitatus ex morte Francisci Spinei Sanlucii, summi rei tormentariæ præfecti; qui dum muneri suo obeundo intentus in fossâ incautius discurreret, interfectus est; vir rei militaris apprimè peritus, elegantiâ ingenii non mediocribus literis exculti præstans, & in aulâ gratiosus.

V. ALBERTI CARDIN. ERROR IN SUBSIDIIS FERENDIS.

Tandem cum in eo res esset ut urbs, muris tormentorum impetu conquassatis, aut vi expugnaretur, aut conventione dederetur; Albertus Cardinalis exercitu peditum duodeviginti millium, equitum cataphractorum mille quingentorum, totidémque levis armaturæ, potens; Ambianum appropinquavit decimoquinto Septembris, habens secum Ducem Aumaliæ, Principem Aurangium, aliósque proceres & insignes duces; ac pulcherrimo militari ordine procedens, Regem, qui minimè sibi persuaserat eum venturum, aut tam citò; ideóque totus intentus rebus obsidionis, minus exteriora curaverat; adeò inopinato suo adventu perculit, ut quamvis se ad pugnam magno animo viribus licèt inferior paraverit; nihilominus pro certo habitum fuerit, si Albertus in castra regia, quæ immunita erant, & ob periculum conturbata, impetum fecisset, facilè illa occupaturum fuisse; & non solùm commeatum ac bellica auxilia in urbe eâ parte liberam immissurum, sed etiam exercitum regium omninò dissipaturum. At improvido metu aliquid temerè in facie tam strenui Regis aggrediendi, cursum inhibens pulcherrimam rei benè gerendæ occasionem sibi eripi passus est: cùm interim totâ nocte loco, quo transitus patebat, summâ Ducis Mayenii diligentiâ, ope fossorum adeò firmato, ut nulla ampliùs spes relinqueretur eum superandi; Albertus postridie re cognitâ, seróque errorem suum agnoscens, de suorum ducum consilio vasa conclamari jussit: instructóque in aciem exercitu, ordine eodem quo venerat se recepit. Cujus recessum obsessi conspicati, dixisse feruntur, eum venisse ut imperatorem, recessisse ut sacerdotem. Rei autem feliciter tunc gestæ præcipua gloria Mayenio debita fuit: cujus prudentibus consiliis, & magnanimâ fortitudine, certum est, Regem ignominiæ periculum effugisse, illúdque in hostes rejectum fuisse.

VI. AMBIANUM DEDITUR REGI.

Post Alberti recessum obsessi omni auxiliorum spe destituti, benignè à Rege de honestâ faciendâ deditione moniti; facultate sibi consulendi ab Alberto acceptâ, vigesimo quinto Septembris urbem dimiserunt; his conditionibus, ut monumenta tam Portocarrero quàm aliis belli ducibus in templis posita manerent integra, modò nihil in iis contra Franci nominis decus adscriptum esset; & quandocumque videretur, possent corpora inde transferri: militibus omnibus daretur exire signis explicatis, cum armis & omnibus impedimentis: liceretque civibus qui vellent, illinc cum præsidiariis migrare, suáque asportare: captivi utrimque sine pretio dimitterentur. Montenegrius honorificè ad Regem deductus, & ab eo exceptus, Dorlanum se recepit; amissis totâ obsidione aut cædibus aut morbis circiter bis mille. Rex deinde armatâ pompâ urbem ingressus, gratias Deo in majori Ecclesiâ, (quæ structurâ cum primis admirandâ præstat) de tanto accepto beneficio reddidit: urbíque ruinis fœdatæ, & à pestilentiâ desolatæ, Dominicum Vicum strenuum ducem cum valido præsidio imposuit: arcémque in eâ construi jussit, tum ad continendos cives, quorum superbiâ tanta clades contigerat, tum ad evitandas similes hostium interceptiones. Cujus longè gloriosior Regi extitit recuperatio, manifestatâ universo orbi Hispanorum infirmitate, quàm fuerat damnosa amissio.

VII. TRACTATUR DE PACE.

Vnde & illud maximi boni erupit, quòd facilior reddita fuerit tractatio pacis inter eos Principes: quam interim Bonaventura à Calatagironâ minister generalis Ordinis Franciscani natione Siculus, de mandato Cardinalis Florentini Legati ultrò citróque commeans, & auctoritatem Pontificis interponens, adeò promovit, ut inter Villaregium Regi à secretis, & præsidem Richardotum ab Alberto missum, in confiniis simul convenientes, constitutum fuerit, ut primo quoque tempore delegati ab utráque parte Vervinum in Veromanduis oppidum terræ Franciæ mitterentur, qui de pacis conditionibus seriò agerent. Erant namque jam omnes propensissimi ad eam: Rex quidem; quoniam plenus modò gloriâ & famæ celebritate, cùm & sibi satisfecisset, & populorum suorum expectationi, regnum splendori suo, post tot & tantas bellorum commotiones, pacis tranquillitate restituere desiderabat. Rex verò Philippus; tum quia per ætatem morti proximus, haud securum ducebat filium adolescentem bello cum tam strenuo Principe implicatum relinquere; tum ratione rerum Belgicarum, quæ ab initio hujus belli, occupatis in Galliâ universis penè viribus suis, multùm deciderant à pristino statu per continuas Ordinum excursiones, & plurium urbium occupationes: tum etiam, ut sui volunt, quod percuperet moriendo in pace orbem etiam Christianum pacatum ab intestinis dissidiis relinquere. Denique & Albertus; quòd cùm Isabellam Infantem uxorem ducere haberet cum dote provinciarum Belgicarum, haud utile existimabat tam potentem & bellicosum vicinum inimicum habere. Adeò verò erat illa cordi Philippo, ut etiam dum viderentur ejus res felici successu contra Henricum Regem procedere, diploma ad Albertum miserit, datum apud Sanctum Laurentium Escurialis die duodecimo Augusti, quo facultatem ei dabat illius conficiendæ. Quomodò verò facta fuerit, videbitur anno sequenti.

VIII. [a] An. 1595. XVI. CAROLUS SUECUS REBELLAT.

Dum autem ibi pax quærebatur, rebellans Suecia bellum parturiit. Vidimus superiùs [a] quæ Carolus Sudermaniæ Dux, patruus Sigismundi Regis Poloniæ & Sueciæ, religione Lutheranus contra nepotem Catholicum in conventu Sudercopiensi attentâsset. De iis cùm Sigismundus per legatos questus fuisset, nec quid profecisset; hoc anno idem Carolus, cùm Sueciæ proregis titulo hactenùs res admini

ministrâsset, graviora cogitans, consilium cepit ut regni præfecturam, quam à Sigismundo Rege accepisse videbatur, abdicaret, eandémque non ampliùs à Rege, sed à regni Ordinibus mox resumeret. Eâ igitur acceptâ, Arbogiæ mense Februarii conventum concordiæ & constantiæ, ut ferebat titulus, indixit. Ad quem cùm Rex nequis iret prohibuisset, majestatem suam his lædi protestatus; multi ad illum accedere recusârunt, & ex Senatorio ordine unus tantùm comparuit. Cæteri nihilominùs seditiosi, convocationem hujusmodi ex necessitate extremâ ad avertenda imminentia pericula excusantes, nihilque se in eâ, quòd Christi religioni, & suæ erga Regem fidei, vel patriæ commodis adversaretur, acturos professi; illam celebrantes, ad principium Martii decreverunt, ut unà tantùm Confessio Augustana in conventu Vpsalensi [b] ante triennium sancita ubique in Sueciâ locum haberet, omni aliâ cujuivis doctrinæ publicâ professione procul abjectâ, Sudercopienses constitutiones ab omnibus inviolatè servarentur: legati ad Regem mitterentur, rogaturi ut in regnum quàm primùm veniret, & præsentiâ suâ res confusas componeret: interim Carolus prorex agnosceretur, nullusque alius aut illo superior, aut potestate æqualis, administrationi publicæ committeretur: si ii qui comitiis non interfuissent, intra sex Hebdomadas non declararent se his consentire, Carolo jus esset in eos tanquam in turbulentos, animadvertendi, quorum nihilominùs pars maxima, alii aliò diffugere elegerunt quàm assentiri. Carolus jurejurando à nobilitate & provincialibus exacto, Stocholmiam regni caput occupavit; ac subinde universæ regni provinciæ in ejus verba adactæ fuêre. Hi nimirùm sunt fructus novi istius Evangelii, rebelliones & seditiones suadentis. Quid verò super iis Rex egerit dicetur anno sequenti.

[b] *Supr. ann.* 1594. XXVIII.

IX. ALFONSI DUCIS FERRARIÆ OBITUS.

Habuit Italia aliud quoque genus rebellionis, sed quod tandem feliciorem consecutum est exitum: ortum videlicèt ex obitu *Alphonsi* Ferrariæ Ducis, qui vigesimo septimo Octobris ex hâc vitâ decessit, annos natus sexaginta quatuor. Erat is ejus nominis II. Ducis Herculis II. & Renatæ Ludovico XII. & Annâ Britannâ prognatæ filius; princeps multis virtutibus pace & bello clarus: qui cùm liberis careret, Cæsarem agnatum suum, sed nothum, hæredem testamento constituit; etiamsi nunquam à Romanis Pontificibus, illius principatûs Romanæ Ecclesiæ beneficiarii, in aliquem ex agnatis translationem obtinere potuisset; uti pleniùs diximus [c] sub Gregorio XIV. Obtinuerat tamen à Maximiliano & Rudolpho Cæss. gratiam de Regio-Lepidi, Mutina, Carporam oppido, aliisque ad Imperialem jurisdictionem spectantibus ditionibus: præter quas, cùm eundem Cæsarem hæredem universalem scripsisset omnium bonorum mobilium, speraverat ipsum his opibus subnixum, Ferrariæ quoque principatum conservare potentem futurum. Ad quod ille se accingens, susceptis de consensu omnium ordinum gubernaculis, legatos quaquaversùm ad Principes misit, qui successionem significarent, & opem ad ejus conservationem necessa-

[c] *Supr. ann.* 1591. XIII.

INDE CONTROVERSIA DE SUCCESSIONE.

riam implorarent. Sanè enim multùm singulorum interesse videbatur, ne is principatus in potestatem Romanorum Pontificum caderet; qui non solùm auctoritate spirituali cunctis Principibus Christianis præpollentes, verùm etiam temporali jam satis potentes, ejus accretione formidabiles vicinis fierent. De quibus est egregia prudentissimi & sagacissimi Ossati [d] epistola ad Regem Henricum Romà scripta ad finem hujus anni; cum ab eo jussus significare quæ esset in hoc negotio Principum Italiæ proclivitas & sensus, quantíque uniuscujusque interesset; tam Regis Hispaniæ, ac Reipublicæ Venetæ, & magni Etruriæ Ducis, Ducumque Sabaudiæ & Mantuæ, quàm cæterorum omnium qui aliquo potentatu eminerent, studia erga vel contra Pontificem, ac causas quibus moveri singuli possent ad ægrè ferendam unionem illius principatus cum cæteris Ecclesiæ Romanæ bonis, singillatim explicat: Regem deinde adhortans, ut si jam à Pontifice de auxiliis rogaretur, eò ipse promptiùs illa ei impertiret, quod si videretur Romanæ Ecclesiæ asserere quod ejus decessores ei contulissent; cùm sit Ferraria pars Exarchatûs Ravennæ, quem illi Ecclesiæ Pipinum, ejusque filium Carolum Magnum, & nepotem Ludovicum Pium, gratuito donò tribuisse constaret. Cui & Rex libenter auscultans, tum ipsimet Clementi Romæ per Lucemburgium legatum omnem opem obtulit; tum in Galliâ Petro Vrsino Episcopo Aversano ad se à Clemente misso, operam suam pollicitus est. Vnde non solùm summam gratiam ipse apud Pontificem & collegium Cardinalium, magnamque laudem apud cæteros omnes consecutus est, quippe qui solus ex omnibus potentioribus id officii præstiterit; verùm etiam inde potissimùm factum est, ut cæteri minores Principes à ferendo Cæsari auxilio abstinuerint, atque ille longè faciliùs manus dederit quàm initio facturus videbatur.

[d] *Ossat. ep.* 114.

X. CLEMENS AGIT CÕTRA CÆSAREM ESTENSEM.

Quomodò autem se res habuerit ut paucis complectar; ubi Clemens Cæsarem Ferrariæ Ducem pronunciatum, inauguratumque cognovit; maximè commotus quòd propriâ auctoritate tantam rem ausus fuisset, eâ cum Cardinalibus communicatâ, certum sibi esse testatus est Ferrariam Ecclesiastico imperio, ad quod jure devoluta erat, adjungere, in ídque auctoritatem, vires, thesauros, etiámque usque ad ultimum sacrum calicem Ecclesiarum collaturum; quinimmò iturum se ipsum, & in fossâ illius urbis sacrosanctam Eucharistiam manu gestantem moriturum: uti ipsum tam Cardinalibus quàm Principum oratoribus, aliisque magnatibus, protestatum esse, idem Ossatus eâdem epistolâ refert. Nec id mirum, quandoquidem ipsum fuisse aliàs vidimus, qui contestatus sub Gregorio XIV. fuerat, nunquam se Ferrariæ infeudationi consensurum, etiamsi membratim discerpendus foret. Mittens autem ad Principes nuncios cum literis, quibus Ecclesiæ causâ expositâ, opem imploraret; aut si minus auxilia ferre vellent, Cæsari saltem minime faverent; interim sex majoribus militiæ præfectis à se delectis, copias ex suis ditionibus colligere præcepit, Petro Cardinale Aldobrandino nepote suo expeditionis principe dicto: ac monitorias literas adversus

Cæsarem quarto Novembris promulgavit, eásque in Ecclesiasticæ ditionis limitibus statutis locis præfigi imperavit; quibus ei anathematis pœnam, nisi statim Ferrariâ facesseret, indixit: quindecim dierum spatio judicio Romæ se sistere jussit; appositis minis, nisi obtemperaret, læsæ majestatis reum eum declaratum iri, sacrisque Ferrariæ, cunctisque Cæsaris ditionibus interdictum.

XI. CÆSARIS IN HIS ANIMUS.

Quas literas Cęsar conspicatus, cùm ingruentem impetum intrepidè excepturum præseferret, copiásque cogere satageret, atque extrema quæque pro Ferrariâ retinendâ subiturum jactaret, neque propterea de suâ pietate ac religione servandâ quicquam imminutum iri; postquàm nihilominùs vidit Clementem nec his moveri, nec amplas conditiones ab ipso Cæsare oblatas audire, nec item ut de causâ ac juribus ab ipso Cæsare prolatis, & in publicum editis, (quæ contrariis rationibus & scriptis subversa fuerunt) coràm aliis judicibus quàm ipsâ Sede Apostolicâ disceptaretur, assentiri velle: denique nec hortationibus Principum, ac præcipue Reip. Venetæ, (quam multam in his operam in favorem Cæsaris, cujus potiùs Ferrariam quàm Pontificis esse cupiisset, impendisset, Reipublicæ historici [e], universam totius negotii seriem enucleatè enarrantes, gloriantur:) nec minis Hispanorum de Cæsaris defensione suscipiendâ, vel minimùm de sententiâ amoveri; quin econtrà elapsis citationum terminis, cùm nec compareret Cæsar, nec Ferrariam, uti jussus fuerat, dimitteret; dirissimam in ipsum ipsiúsque fautores sententiam anathematis solemni ritu publicè die vigesimâ tertiâ Decembris fulminâsse, ejúsque exempla in omnes Christiani orbis partes perferri curâsse, huícque spirituali spiculo etiam arma temporalia junxisse, quæ Aldobrandinus magno apparatu & copioso exercitu Ferrariam versus ducebat: His, inquam, omnibus territus Cæsar, qui nec paratum se cerneret ad ingruentem impetum excipiendum; nec sibi ingentes illos thesauros adesse quos diuturnâ pace collegisse Alphonsus ferebatur; ac refrigescere erga se principum, populorum, ac militum voluntates: ferocem illum animum, quem initio ad terrorem Clementi incutiendum prætulerat, remittens, ad pacis & quietis consilia necessitate coactus descendit.

[e] Vid. Mauroc. lib. 15.

XII. CONCORDIÆ CONDITIONES.

Itaque Faventiæ, quò Aldobrandinus pervenerat, inter eundem Aldobrandinum & Lucretiam Urbini ducis uxorem, quæ soror fuerat Alphonsi nuper defuncti, sed à multo tempore à viro separata Ferrariæ agebat, nonnullosque alios à Cæsare delegatos, re agitatâ; die undecimo Ianuarii proximi sancita fuit concordia his præcipuis legibus, ut Cæsar Ferrariæ civitate & agro cederet; tormentorum dimidium asportaret; bona familiæ in eâ ditione aliisque locis sita (quæ allodialia vocantur) retineret; pro nonnullis locis quæ familiæ erant, aut pretium, aut aliorum in agro Bononiensi repositionem acciperet; anathematis vinculo una cum suis absolveretur; Mutinæ ac Regii Ducis titulos obtineret; Romæ eandem ordinis prærogativam, quam Alphonsus Dux olim habuisset, & ipse haberet. Quæ capita ad Pontificem Romam delata, ipse cum Cardinalium collegio rata habuit: Ac posteà Aldobrandinus Ferrariam ingressus est magnâ pompâ, faustísque acclamationibus exceptus. Isque Ferrariæ principatûs exitus fuit; pro quâ cum superioribus tempestatibus acerbæ contentiones difficillima bella exorta essent, modò, præter omnium opinionem ac desiderium, brevi temporis spatio, omnibus Principibus velut stupore defixis, in Pontificiam ditionem concessit. Quâ de re ingentia Romæ, atque in universis Pontificiis ditionibus publica lætitiæ signa edita fuêre, ipséquemet Clemens Pontifex ad cuncta ibi pleniùs ordinanda se transtulit, ut dicetur anno sequenti.

XIII. RES CUM TURCIS ACTÆ.

In Pannoniâ hoc anno minore mole res quàm superiore gesta. Cæsariani Tattam oppidum non ita pridem à Turcis occupatum astu receperunt mense Maio; & Pappam Augusti vi expugnârunt, arcem deditione acceperunt. Inde Maximilianus Archidux, qui exercitui præerat, Septembri Iavarinum obsidione cinxit: sed audito Turcici exercitûs adventu, cui sustinendo par non erat; eam solvit, ac Turci Tattâ rursum, postquàm præsidiarii per aliquot dies se egregiè tutati essent, deditione potiti sunt, & Budam se receperunt. Cur autem hoc anno Turci nihil majoris molis tentaverint, putatur fuisse ob discordias inter Bassas & præfectos, ac frequentes prætorianorum Iannizzerorum motus Constantinopoli. Qui tamen compensati sunt apud Mahometem eorum Imperatorem, illustri legatione à Rege Persarum ad eum adveniente pro pace & amicitiâ: quæ quòd ei pergrata extiterit, fuit etiam magnificè excepta, & cum honore remissa. Sigismundus verò Bathorius Transilvaniæ princeps, expectatis diù, frustráque, promissis sibi à Cæsare auxiliis, Septembri mense in Turcorum fines delectum militum immisit, qui pontem Savo ad Albam Græcam impositum destrueret. Ipse admotis rursùm ad Temesuarium castris obsidionem aggressus, ab eâ asperæ hiemis incommoditatibus victus discessit, receptis aliquot haud magni momenti in circuitu locis.

XIV.

Tradunt omnes auctores, eundem Sigismundum principio hujus anni splendido apparatu Pragam contendisse ut promissum sibi aurei Velleris torquem, mittente eum Philippo Rege Hispaniæ, à Cæsare acciperet, sicuti & fecit solitâ pompâ. Sed expressius habent Pannonici [f], Domûs Austriæ studiosissimi eum ad id quoque illud iter suscepisse, ut cœptum anno superiori, ut vidimus, tractatum de tradendâ Cæsari Transilvaniâ, aliquo fine terminaret: Cæsarem ab his indecoris, nec tutis consiliis, eum gravissimis rationibus dehortari tam per se ipsum conatum esse, quàm per Pontificium & Hispanicum legatos: at pertinacem adeo ipso in suo proposito permansisse, ut se vel dispari, etiam & iniquâ permutatione contentum fore; & si Cæsar nollet, vel cum Polonis, atque adeò cum ipso Turcorum principe, se transacturum affirmaret; dummodò gravissimâ & difficillimâ impacatæ provinciæ administratione excedere, vitamque privatam & tranquillam in otio & libertate transigere liceret,

[f] Isthuanff. lib. 30.

cui & propoſitum eſſe dicebatur, ut abdicatâ conjuge, Romam concederet, vitam ibi tranſacturus, & ſuſcepto ſacro habitu, ope & ſtudio Cæſaris in Cardinalium Collegium adoptaretur. Itaque cùm nullis rationibus expugnari poſſe videretur, Cæſarem, ne inſignis regni Hungariæ portio, in exterorum aut barbarorum poteſtatem deveniret, ad neceſſarias conditiones cum eo tranſigendas deſcendere coactum, in hunc modum cum eo conveniſſe; ut Cæſari ei principatum Oppolitanum in Sileſiâ traderet; ac quinquaginta aureorum millia ſuperadderet, duabus penſionibus Venetiis, aut Romæ, aut Genuæ quotannis ei exolvenda. Si verò animum ad ſacris initiandum applicaret, tantumdem ei redditnum ex bonis Eccleſiaſticis deſignaret, & apud Summum Pontificem pro conſequendâ purpuræ dignitate operam ſuam interponeret. De divortio matrimonii nihil tunc in publicum proditum: Cæſarem tamen ſummâ offenſi animi diſſimulatione, omnem ejus facti contumeliam patienter tuliſſe, ac conjugem ad matrem reducendam aſſenſiſſe; quòd jam pridem ab eo intactam, ac geniali thoro excluſam, ac in intimos Alpium receſſus, nullis ejus demeritis, Cuvarium relegatam comperiſſet: nec illa alienum à ſeperatione animum habere videretur. Ita eo tempore res acta traditur. Quomodò verò hæc poſtinde proceſſerint, dicetur inferiùs ſuis locis.

Sigismundi Bathorii conventa cum Cæsare.

XV. Classes Hisp. et Anglica.

Angli in Hiſpaniam, & Hiſpani in Angliam claſſes adverſas ducentes menſibus Septembri & Octobri, horrendis tempeſtatibus disjecti adeò fuerunt, ut vix Angli Hiſpanicam, aut Hiſpani Anglicam ſemel conſpexerint; divino numine bellorum arbitro, gentes in mutuam cædem ruentes dirimente. Anglicæ tamen claſſis pars in inſulas Azoras ſeu Terceras, delata, exſcenſione in aliquas earum factâ, prædæ nonnihil abſtulit: Indicam tamen claſſem, uti ſperaverat, intercipere non potuit; quæ ſalva in Hiſpaniam pervenit, fortunâ Anglis inter ſe diviſis illudere viſâ.

XVI. Gabr. Palæoti obitus.

Hoc anno mortuus eſt Romæ die vigeſimâ ſecundâ Iulii, ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo quinto, *Gabriel Palæotus* S.R.E. Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, patriâ verò Bononienſis, genere nobilis, virtutibus, moribus, ſcientiis ornatiſſimus: qui decennio in gymnaſio Bononienſi ius utrumque ſummâ cum laude profeſſus, inde Auditor Rotæ Romanæ à Paulo IV. factus, & à Pio IV. ad Concilium Tridentinum miſſus, talem operam in iis præſtitit, ut ab eodem Pio in Collegium Cardinalium allectus fuerit. A Pio V. collato ei Epiſcopatu Bononienſi, eam Eccleſiam optimè adminiſtravit: primúſque ejus extitit Archiepiſcopus cùm fuiſſet illa à Gregorio XIII. Bononienſi in metropolitanam evecta. Multa ſcripſit, quæ extant; quibus quantâ floruerit juſtitiâ, pietate, eruditione, & eloquentiâ, manifeſtum fit omnibus. Denique plenus dierum & meritorum, cùm ferè menſes tres magnâ patientiâ ægrotus jacuiſſet, tandem obdormivit in Domino Romæ: unde corpus ejus delatum fuit Bononiam, ad ſepulchrum, quod ſibi vivens in Eccleſiâ metropolitanâ paraverat. Cujus ſcripta, & pia opera, geſtáque præclara, multi [g] enumerarunt.

[g] Petramel. de Cardinal. Cabrer. in Pontiff. Victorel. in Addit. ad Ciaccon. in Pio IV.

XVII. Aldi Manutii obitus.

Ibidem Romæ exeunte Octobri deceſſit *Aldus Manutius*, haud multùm quinquagenario major, Pauli F. Aldi N. alterius Aldi abnepos; qui omnes tantum rei literariæ contulerunt, quantum ſuperiorum temporum barbaries illi abſtulerat. In Gallia verò Semurii in Heduis in vivis item eſſe deſiit ſexagenario major *Gilbertus Genebrardus*, de quo ſuperiùs, [h] qui quod per turbas Vnionis, non interveniente regiâ auctoritate, Aquenſem Archiepiſcopatum adeptus fuiſſet; meritiſſimus licèt ejus eſſet, fuit tamen eo poſteà ſpoliatus, & criminis læſæ majeſtatis poſtulatus; cujuſdam præcipuè ambitu, qui profectò non magis utilis ei Eccleſiæ extitit, quàm fuiſſet Genebrardus.

[h] Supr. an. 1584. in fi.

Et Genebrardi.

Iesu Christi Annus 1598.

Clement. VIII. An. 7.

Rudolphi II. Annus 22.

I. Clemens Ferrariam Sedi Apost. unit.

Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo, Indictione undecimâ, Clemens Pontifex auditâ, ut diximus anno ſuperiori, deditione Ferrariæ abſque cæde & ſanguine; Deo gratiis de tanto beneficio ejus ſolâ miſericordiâ accepto peractis, urbem cum universâ ejus ditione, Apoſtolicæ Sedi & Cameræ Apoſtolicæ, ad quam jure devoluta fuerat, univit & incorporavit; Deoque omnipotenti, Beatæque Mariæ Virgini, & Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, quorum ope id factum fuiſſet, perpetuò addixit & conſecravit; conſtitutione [a] eâ de re editâ die undecima Februarii. Tum præſentia ſua illius ſtatum confirmaturus, aliáſque Eccleſiaſticæ ditionis provincias luſtraturus; relicto Romæ Vicario cum ampliſſima poteſtate Inico Avalos de Aragonia Neopolitano Cardinale Epiſcopo Portuenſi, ipſe decimo tertio Aprilis ab Vrbe diſcedens, (præmiſſa pridie ejus diei cum nobili Antiſtitum, aliorúmque piorum virorum comitatu, & cuſtodia militari, auguſtiſſima Euchariſtia in capſa pretioſa, umbella aurea tecta, ab aſturcone inſigniter phalerato, manúque ducto, delata, cum accenſis luminibus intra laternas: de more ſcilicet veterum Pontificum, longum iter habentium, de quo alias [b]; quémque hoc Clementis itinere accuratius deſcripſit, qui pro munere comitabatur Angelus Rocca Apoſtolici Sacrarii præfectus, commentario à ſe conſcripto, & in publicum edito:) Lauretum petiit, locum peregrinantium ad Beatiſſimæ Virginis Domum concurſu toto orbe Chriſtiano celeberrimum; ibíque optima dona obtulit. Inde Anconam ad mare Adriaticum divertens, recto poſt terreſtri itinere die ſeptima Maii ad ſancti Georgii Olivetanæ familiæ cœnobium Ferrariæ proximum pervenit: octava verò, ingenti pompa, (cujus deſcriptio typis edita fuit) viginti ſeptem Cardinalibus comitantibus, Ferrariam ingreſſus eſt: ibique rebus ordinandis; Principibus & legationibus undique ad ejus pedes accedentibus excipiendis; multis pietatis, humanitatis, liberalitatis, omnium virtutum exemplis edendis; uſque ad finem Novembris ſubſtitit. Vbi illum ad id uſque temporis relinquen-

[a] Bullar. to. 3. Clem. conſt. 52.

Eam petit.

Deductio Eucharistiæ in itinere Pontificis.

[b] Vid. ſupr. ann. 137. III.

Clemens Ferrariam ingreditur.

tes, quæ interim cæteris locis digniora relatu gesta sint narrare pergimus.

II. CONVENTUS VERVINI PRO PACE.

Nihil verò celebrius, aut mundo utilius, pace inter potentissimos totius Christiani orbis Principes, Galliæ & Hispaniæ Reges sancitâ. Diximus anno superiori, operâ Calatagironæ Generalis Franciscanorum, inter Villaregium & Richardotum conventum fuisse, ut Vervini delegati ab utrâque parte de illâ acturi mense Ianuario se sisterent. Venerunt igitur ex parte Pontificis, Alexander Cardinalis Florentinus Legatus apud Regem Christianissimum, Franciscus Gonzaga Ordinis Minorum Episcopus Mantuanus Nunciúsque Pontificius, & Bonaventura Calatagirona: à Rege Pomponius Bellevrius ex sanctiori consilio jam multis legationibus defunctus, & Nicolaus Brulardus Sillerius Senatûs Parisiensis Præses: ab Alberto Archiduce Philippi Regis nomine, (à quo facultatem pacis conficiendæ accepisse vidimus) Ioannes Richardotus primarius Belgici consilii præses, Ioannes Baptista Taxis sancti Iacobi eques & Consilii Statûs ac belli Consiliarius, & Ludovicus Verrichenus primus secretarius & thesaurarius dicti Consilii. Prima de sedendi prærogativâ altercatio fuit; quam nunquam cum Galliæ Regibus ab Hispanis disputatam, aut in dubium alicubi vocatam, primus Philippus, ut aliàs vidimus, in controversiam vocare præsumpserat. Ne verò tam necessarii & ab omnibus expetiti colloquii solvendi hinc occasio præberetur; hæc inventa ratio est, (cum protestationibus hinc inde, ut fieret absque præjudicio jurium suarum nationum) ut Cardinali in medio conclavi sub umbellâ loco editiori sedente, ad dexteram ejus Gonzaga Nuncius Apostolicus, ac subinde delegati Hispanici, ad lævam Gallici sederent: ita ut Bellevrius Gonzagæ sessioni, Sillerius Richardoti responderet; & quantum dextræ prærogativâ Hispanis accedere videbatur, tantum, quinimmò & amplius reipsâ gradûs prioritate Gallis conferretur. Quod tamen ita posteà Hispani interpretati sunt, ut cessus fuerit honor Gallis, quòd non essent Belgæ à Rege Hispaniæ legati, sed tantùm ab Archiduce Alberto, qui se Regi Christianissimo adæquare nollet, at sanè tractatus nomine Regis Hispaniæ fiebat, non Archiducis. Calatagirona extra ordinem post omnes, itémque Gaspar à Genevâ Lullini marchio, qui Sabaudiæ Ducis nomine interveniebat, cùm in consessum admittebatur, sedebant. Colloquio totum quadrimestre insumptum est, antequàm partes de conditionibus convenire possent, quòd Reges non semel de iis consulendi fuerint.

III. REX BRITANNIAM RECIPIT.

Medio tempore Rex in Armoricam manu armatâ contra Mercurium procedens, post receptâ spontaneâ deditione à pluribus præfectis loca ab iis tenta, ipsum quoque Mercurium à cunctis ferè derelictum, seséque demissè subjicientem, in gratiam recepit; cum quo olim amplissimis conditionibus, ferè ut cum æquali, pacisci voluerat. Adeò ut & de eo dictum fuerit quod ipse de Mayenio dicere solebat, nescisse bellum facere, nec pacem. Sed ut benignius à Rege haberetur, fecit desiderium Regis, ut unica filiola Mercurii spon-deretur puerulo Cæsari filio naturali Regis ex Gabrielide Estræâ quam in deliciis habebat: sicuti & factum est, creato Cæsare Duce Vindocini cum Paris Franciæ titulo. Edictúmque in favorem Mercurii conditum mense Martio: cujus in prooemio is excusaretur quòd post Regis cum Apostolicâ Sede reconciliationem, & Cardinalis Legati in Galliam adventum, statim ad obsequium non rediisset: quippe id justis de causis fecisse, quæ Britanniæ provinciæ securitatem spectabant. Deinde præteritorum oblivio, & decretorum contra ipsum atque ejus sequaces abolitio sancita; aliáque addita tum quæ generatim in cæterorum Principum deditiorum abolitionibus apponi consueverant, tum quæ privatim res ab eo ac suis gestas contingebant. Túncque demùm finem omninò accepit factio Vnionis, cunctis ejus sectatoribus ad obedientiam Regis toto regno reductis. Ex quorum pravâ dominandi cupidine, quæ in plerisque magnatibus evidenter apparuit; & simplici atque excusabili zelo plebis, de fidei Catholicæ conservatione solicitæ, magnâ miráque Dei Opt. Max. benignitate, pro regno Christianissimo indesinenter invigilantis, illud boni successit; ut in rem judicatam transierit, nequaquàm sperare debere alium quàm fide Catholicum regnare quietum posse in Galliâ: Itémque ex irritis apud magnates ad plebem intentissimis conatibus Hispanorum, non esse cuiquam extraneo præsumendam vel sperandam unquam ejusdem regni aut benevolam aut coactam adeptionem. Quòd autem Rex Henricus bonam ejus partem pecuniâ numeratâ, ad subditorum sanguinis effusionem vitandam, à præfectis & civitatibus redemerit; maximam armis sibi asseruerit; qui ad universum regnum legitimâ successione vocatus fuerat: inde non abs re ab aliquo dictum, eum regnum tenere Iure Naturæ, Gentium, & Civili, cui jure meritissimo debiti fuêre tituli *Liberatoris* ac *Restauratoris Franciæ*, & *Patris populi*.

DUX MERCURIUS RECIPITUR A REGE IN GRATIAM.

FRUCTUS VNIONIS GALLICÆ.

IV. REX ANGLAM ET BATAVOS MONET DE TRACTATU PACIS.

Dum autem delegati Vervini de pacis conditionibus disceptarent, Rex Henricus ante omnia, ne contra fœdus nuper cum Reginâ Angliæ & Ordinibus Belgicis ictum quicquam facere videretur; quo cautum fuerat, ne ab eorum aliquo pax cum Philippo iniretur nisi priùs cæteris fœderatis monitis, & iis in pacis tractatu si vellent comprehensis: misit ad eos qui necessitates regni sui, aliásque rationes quibus ad pacem cum Philippo ineundam adigeretur, explicarent: offerréntque, si & ipsi eâ pace comprehendi vellent, curaturum se omni operâ & officio ut in ipsorum utilitatem fieret. Cùm verò id ipsi recusarent, & commodis suis intenti, parùm Gallica attenderent, atque ideò minùs constantem Regis in fœdere voluntatem arguerent; demùm ut viderunt obfirmatum ejus ad pacem animum, cum eo convenerunt ut ipse grande æs in summissa ab iis auxilia insumpta certis pensionibus exsolveret. Qui etiam continuis atque importunissimis Hugonotorum regni suis postulationibus, & minacibus expostulationibus pressus; ut & ardentem eorum ad res novas pruriginem pro tempore sedaret, atque ita toto regno pace

intùs & extrà partâ, ejus in pristinum statum & splendorem restitutioni incumbere posset, mense Aprili edictum in eorum favorem condidit, quod à loco Nannetense appellatum est. Cujus tamen promulgationem in tempus quo Legatus regno excessisset, differri voluit; ne is æquam inde occasionem offensionis acciperet, dum videret quo tempore ipse expetitum à Rege pacis cum exteris Catholicis beneficium grandi solicitudine procuraret, eodem Regem internis hæreticis amplissimas gratias in fidei Catholicæ dedecus conferre. Itaque nonnisi anno sequenti in Senatum ad publicationem delatum fuit; de quo dicetur ibi.

V. PAX VERVINI SANCITUR INTER REGES.

Quod verò spectat ad pacem cum Philippo Rege, fuit ea demùm Vervini post multas altercationes inter partes, ac multiplices legati Ducis Sabaudiæ, restitutionem principatûs Saluciarum abnuentis, ludificationes, prudentiâ Legati difficultatibus omnibus superatis, conclusa die secundâ Maii, & triginta octo articulis conscripta & evulgata. Cujus præcipuæ conditiones hæ fuerunt; ut Cameracensis pactionis anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono inter Henricum II. Galliæ & Philippum item II. Hispaniæ Reges initæ capita confirmarentur, nisi in iis in quibus expressè per hanc derogaretur: Pax firma & stabilis inter Reges & eorum subditos esset, cum libero cujuscumque commercii terrâ & aquâ, ac privilegiorum & libertatum hinc inde à Regibus olim concessarum usu: Subditi alterutram partem secuti in bonorum & honorum suorum possessionem restituerentur: Reges quæ alterutrius ditionis occuparent, bonâ fide restituerent; Henricus videlicèt Carolesium principatum, (tenendum tamen, ut priùs, sub fide & clientelâ Coronæ Franciæ) & si qua alia fuissent ab eodem anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono occupata; Philippus oppida omnia quæ in Picardiâ & Britanniâ occupâsset: Conditiones pactionis Cameracensis quæ nondum executioni mandatæ essent, explerentur: Bello capti utrimque expensis exsolutis sine pretio dimitterentur: Vtrique Regi, eorúmque hæredibus & actionem habentibus, salva manerent quæcumque jura in regna & ditiones, quibus nec per se nec per majores disertè renunciatum fuisset, ut de iis amicè absque armis experiri possent. Dux Sabaudiæ Berrense Provinciæ oppidum restitueret: de cæteris verò controversiis, res ad Clementis Pontificis arbitrium deferretur, qui intra annum sententiam interponeret. Pactis autem comprehensa utrimque longa series Regum, Principum, Rerumpublicarum, civitatum, ac dynastarum: cautúmque, ne Regum paciscentium alteruter eos vel per se vel per alios bello lacesseret, sed si quam contra eos actionem haberet, eam non armis sed judicio persequeretur.

VI. PAX PROMULGATUR.

Omnibus conclusis & constitutis, atque à delegatis subscriptis, cum promissione ratihabitionis Principum; ubi res publicè innotuit, per universum Belgium uno eodémque die septimo Iunii pax ingenti provincialium plausu promulgata fuit: Lutetiæ summâ item alacritate, & cum multis lætitiæ signis; duodecimo ejusdem mensis; ac subinde aliis ubique urbibus de Regis mandato. Octavo verò decimo advenerunt Lutetiam Carolus Croius Arascoti Dux, Franciscus Mendoza maris Aragonici præfectus, Carolus Ligneus Comes Arembergii, Ludovicus Velascus rei tormentariæ præfectus, unà cum supradictis Richardoto & Verrikeno qui Vervini convenerant, missi ut jurejurando de pacis confirmatione à Rege faciendo adessent: qui quadringentorum nobilium Belgarum, Hispanorum, Italorum comitatu incedentes, & honorificè ubique excepti atque deducti, postridie eorum Lutetiam adventûs Regem salutârunt, Richardoto verba faciente. Ac biduo pòst, nempè vigesimo primo Iunii, qui incidit in Dominicum, Rex insigni pompâ & majestate, cum multis principibus, proceribus, & nobilitate pretiose ornatâ, ad majorem urbis Ecclesiam progressus; post sacrum a Cardinale Legato celebratum, præsentibus delegatis, lectis a Villaregio pacis articulis, interposito tactis sacris Evangeliis in manibus Cardinalis Legati solemni jurejurando de eorum observatione, iis propriâ manu subscripsit. Inde sparsa in vulgus missilia, & inter festas populi acclamationes, ad proximas ædes Episcopales itum est: ubi lautissimo convivio delegati accepti, & prosperæ Philippi Regis valetudini bis a Rege honorificè propinatum fuit; totiésque à delegatis Philippi nomine satisdato responsatum. Posteà & in domo regiâ celebratæ choreæ, & repetitæ regales epulæ. Denique dimissi cum amplissimis muneribus delegati remanentibus tamen adhuc quatuor primis superiùs nominatis, tanquam obsidibus, ex conventione pacis, quousque restitutio omnium locorum occupatorum facta fuisset.

IURATUR A REGE.

Bironus mox, Dux & par Franciæ à Rege creatus, cum Bellevrio & Sillerio Bruxellas missi, ut eodem officio apud Cardinalem Archiducem defungerentur; pari honorificentiâ accepti vigesimo tertio Iunii, postridie interfuerunt juramento Archiducis: deinde visitatâ Antuerpiâ, & pretiosis muneribus ab Archiduce donati, in patriam redierunt.

ET AB ARCHIDUCE.

Rex quoque Philippus pactionibus subscripsit duodecimo Iunii: & Dux Sabaudiæ secundo Augusti.

ET REGE HISPANIÆ.

Rex verò ad majorem regni tranquillitatem, quarto Augusti edicto promiscuum sclopetorum, omniúmque igneorum instrumentorum usum itinerantibus quibusque prohibuit; exceptis satellitibus regiis, & nonnullis aliis edicto comprehensis. Ac post hæc omnia Legatus Pontificius rebus pro sua prudentia & æquanimitate feliciter gestis plenus meritis & laudibus in Italiam discessit.

VII. IESUITARUM CAUSA RETRACTATUR.

Senatus autem Parisiensis severiùs contra Iesuitas agere pergens; cum juxta antiquiora Senatusconsulta, Ludovico Iusto dynastæ Turnonio, mense Octobris anni superioris injunxisset ut illos Turnonio suo oppido, ubi collegium habebant, intra tempus præscriptum pelleret; fuissétque id ipsum in sanctiori consilio Novembri confirmatum, nec tamen Turnonius id præstitisset: eum Senatus Augusti decimo octavo præsentis anni in gravissimas pœnas ipsi indictas incurrisse pronunciavit; ac nequi pueros in ejus urbis collegium, aut alia Societatis mitterent, denuò inhibuit,

& qui in eis operam literis darent, omnibus juribus & prærogativis ac privilegiis aliarum academiarum indignos censuit. Quod ubi Senatui Tolosano, in cujus territorio Turnonium situm est, innotuit; vigesimo tertio Septembris contrarium decernens, prohibuit Turnonio aliisque cunctis magistratibus, & quicumque Senatûs jurisdictioni subjecti essent, aliquod incommodum aut impedimentum Iesuitis, & eorum discipulis, in suis muneribus & exercitiis inferre, pœnâ decem millium aureorum in eos qui contra facerent constitutâ. De quibus scribens Ossatus [c] ad Villaregium, post gravissimas expostulationes, luculentissimis rationibus ostendit, quantum renovata in Turnonium & Iesuitas decreta incommodarent negotiis ac famæ Regis, essentque minùs consultè tali tempore sancita. Quæ & nonnullis aliis epistolis itidem repetiit: déque eâ re Clementem Pontificem, cui hæc molestissima fuissent, missurum ad Regem Episcopum Atriensem significavit; ac Patres Societatis, è suo corpore Laurentium Magium Italum ditionis Venetæ sacerdotem, virum octo & sexaginta annorum; probum & modestum, cui liberi commeatûs diploma idem Ossatus postulavit, & obtinuit. Factúmque ex his est, ut non solùm executio decretorum Parisiensium suspensa fuerit; verùm & tandem cognitâ intimiùs à Rege Societatis innocentiâ; in quam universam, adeò toti Ecclesiæ utilem, non æquum videbatur ut unius vel alterius culpa redundaret; gloriosiùs ea fuerit in integrum toto regno restituta, quàm fuerat ignominiosè eliminata; uti videbitur suo loco.

[c] Ossat. ep. 119. 332. 152. 153.

VIII. CLERI MONITIONES AD REGEM.

Hoc eodem anno sacri Ordinis delegatis ex omnibus regni provinciis permissu Regis Lutetiæ convenientibus, omnium nomine Franciscus Gueslæus Archiepiscopus Turonensis vigesimo octavo Septembris orationem ad Regem habuit: quâ post amplam gratulationem de Pace regno redditâ, deplorans multis verbis rerum statum, & corruptos ubique, ob contemptam religionem, mores ac disciplinam; de Iustitiâ quæ Paci inseparabiliter cohærere debet, Regem interpellans, nonnulla ad restaurandum cultum divinum necessaria, quæ in potestate ejus erant, fieri postulavit: promulgationem scilicèt sacri Concilii Tridentini, ad conservandam unionem cum cæteris omnibus Principibus & Rebuspublicis Catholicis, à quibus receptum fuerat: (exceptis tamen, si qua essent quæ Ecclesiæ Gallicanæ libertates & immunitates lædere viderentur,) restitutionem Electionum ad beneficia Ecclesiastica, in exonerationem conscientiæ ipsius Regis, quæ nominationibus nimis gravata remanebat; aut saltem nominationem personarum idonearum: revocationem perniciosissimi abusûs de pensionibus laïcis super eadem beneficia Ecclesiastica constituendis: abolitionem omnium aliorum onerum, quàm quibus Ecclesiastici ad munus suum accuratè peragendum obligabantur: templorum & aliorum sacrorum locorum ab omni expilatione, & à profanis quibusque usibus præservationem: gratiarum in futurum vacantium beneficiorum, ne votum captandæ mortis per eas induceretur, concessarum revocationem: liberationem à continuis molestiis, quibus Clerus à ministris regiis contra tenorem contractuum cum Regibus factorum vexabatur. Quæ cùm Archiepiscopus magnâ gravitate, & cum divini judicii interminatione perorâsset; ad ea Rex brevi oratione respondens, promisit daturum se operam ut Ecclesia pristinum splendorem reciperet: Clerúmque hortatus est, exemplo proprio facere ut populus ad benefaciendum incitaretur; sic enim fore, ut si ipse regiam, illi sacram insisterent viam, publicum negotium brevì conficeretur: de cætero curaturum se, ut ad singularia eorum postulata, de consilii sui sententiâ singillatim responderetur.

IX. MORBUS REGIS.

Dum in his esset, contigit eum in periculosissimum morbum incidere, sicut per biduum nulla ferè spes vitæ superesset; ingenti omnium luctu, ad quos rei fama emanavit. Sed brevem luctum mox major ex recuperatâ sanitate lætitia secuta est; actæque toto regno Deo gratiæ. Erat enim hic BONUS ORBI NERVUS, (quod præclarum encomium refert anagrammaticè nomen ejus HENRICUS BORBONIUS) ac præcipuum ejus robur, in quo tot victoriam fructus, & pacis nuper factæ beneficium, potissimúmque ad restaurationem imperii Gallici, consistebat; quod absque dubio, rebus nondum plenè tranquillatis, nulláque Regis prole extante, per ejus obitum in longè graviores motus recasurum fuisset; quos vix superstites familiæ principes componere valuissent, fortè magis auxissent.

X. PHILIPPI II. OBITUS.

Non sic de *Philippo* Hispaniæ Regis; qui jam annis gravis, in pacatissimo regno hæredem filium relinquere poterat. Quare cùm eodem tempore & ipse in gravissimum morbum incidisset, Deus illum tanquam tunc minùs orbi necessarium hinc ad se retraxit. Mortuus est autem decimo tertio Septembris, ætatis anno septuagesimo primo, mense quarto; regni Castellæ à patris renunciatione quadragesimo secundò, mense nono: ídque in monasterio sancti Laurentii Escurialis, quod regio sumptu septem à Madrito leucis substruendum curaverat, & amplissimis vectigalibus locupletaverat, summóque religionis cultu prosequebatur, & in eo sepeliri volebat: ideóque se illò æger Madrito transferri præceperat; succollantibus famulis, exiguum id iter septem dierum spatio ob corporis ejus imbecillitatem conficientibus. Laborabat autem gravissimis doloribus chiragræ & podagræ; quibus additus hemitritæus, ac subinde abscessus in geniculo dextro, & pectore: quos apertos, pravo humore se per totum corpus diffundente, pediculorum, seu aliorum ejusmodi vermiculorum, tanta eluvio secuta est, ut vix à duobus hominibus per vices detergi posset, demùm post tertianam febre hecticâ semper eum conficiente, & accedentibus ad eam plagosis in manibus & pedibus ulceribus, dysenteriâ, tenasmo, ac hydropisi; tot tamen dolores intentissimos summâ constantiâ pertulit: lethóque adventante, à *Garsiâ Loaisâ*, qui Philippi Principis præceptor existens ex renunciatione Alberti Cardinalis Austrii factus fuerat Archiepiscopus Toletanus, (vir doctrinâ & pietate conspicuus, atque ex diligenti sacræ historiæ indagatione, & Conci-

liorum Hispaniæ collectione magnam laudem consecutus) sacramentis Ecclesiæ ritè procuratus; multis aliis veræ pietatis argumentis editis ac sanctis monitis filio traditis, denique die quam diximus, quæ erat Dominica, ad Dominum migravit: Inter summos illius ætatis Principes adnumerandus, in politicis rebus administrandis eximius, excelso spiritu & sagaci; constanti animo, in hanc vel illam partem inclinante fortunâ (quam admodùm variam expertum esse constat ex iis quæ de ipso suis locis dicta fuêre) immotus, ut nec clades nec victoriæ eum prorsùs tangere viderentur.

XI. Ejus imperium.

Ejus verò imperium tam longè latéque diffusum extitit, ut verè dicere posset, *Sol mihi semper lucet*, quod quidem ex paternis artibus aut præceptis tueri & augere potuit: sed tamen eò patre minor existimatus, quòd pater quæ successio & fortuna detulerant, si non habuisset, ea virtute & arte quæsiturus videbatur filius quæ successione & fortunâ habuit, si non habuisset, neque quæsiturus putaretur. Unde & tres Imperii Hispanici claves, (ut legimus alicubi [d] patrem dixisse, & ante omnia diligentissime custodiendas monuisse) videlicèt Guletta Africæ, Flessingha Belgii, & Gades Hispaniæ, neglectæ; unâ à Turcis, & alterâ ab Ordinibus Belgii ademptâ, tertiâ ab Anglis effractâ, magno tanti Principis damno, nec minori decore, quippe non ad arma propensus, aliorum operâ in bellis uteretur, plerique autem ejus duces aut nimiâ severitate, aut rei militaris imperitiâ, aut inter ipsos invidiâ, vanis bellorum susceptionibus, multa legitimè possessa amiserint, quæ conservari poterant; & ab aliis quæ justè occupare licuisset, invadendis exclusi fuerint. Nemo unquam absque motu plura movit: dum domi sedens, negotium cæteris per cunctas fermè orbis regiones facessivit. In eóque summè laudandus, quòd ab initio ad finem usque diligentissimè, omníque justâ severitate curaverit, ne hæresis, quæ alia regna pessumdedit, pedem in Hispaniâ figeret. Hæredem omnium regnorum atque bonorum reliquit *Philippum* filium ejus nominis Regem III. solum marem superstitem ex pluribus quos ex variis uxoribus susceperat, natum annos viginti: exceptis tamen provinciis Belgicis, quas in dotem Claræ-Eugeniæ-Isabellæ, charissimæ suæ filiæ, Alberto Cardinali Austrio maritandæ destinaverat, ut pòst dicetur.

[d] *Ap. Camden. in Elisab. hoc an.*

Philippus III. regnat.

XII. De regno Navarræ quid statuerit.

Inter alia verò, quæ post testamentum conditum codicillo statuit, de regno Navarræ dixit, ejus controversiæ causam fuisse fidei suæ à patre secreto codicillo commendatam, sed variis occupationibus distractum non potuisse illam diligenter discutere: proinde filio mandare, ut eam à peritis & probis hominibus examinandam curaret, & siquid in illius regni invasione præter jus & æquum factum reperiretur, damnum & jactura possessoribus antiquis, modo ac ratione quæ videretur æquior, sarciretur; ita ut ante omnia religionis & regnorum suorum tranquillitatis ratio haberetur. Egregia scilicet cautio; ut hinc videretur restitutionem suadere, illinc omninò dissuaderet speciosis pretextibus. An verò adeò occupatos fuisse dicemus magnos illos Reges, ut toto longissimi principatûs tempore non aliquas horas reperire potuerint, quibus rem tanti momenti, & quæ conscientiam adeò gravabat, discuterent; sed necesse fuerit ut pater Carolus Imp. exonerandæ suæ conscientiæ curam in filium Philippum II. rejecerit, & ille porrò in filium Philippum III. hícque in IV. semper dilato, nec unquam terminato negotio? Sed jam satis de his actum tempore [e] invasionis regni. Subdit verò pòst suo codicillo Philippus monita gravia & utilia ad filium, de modo regiminis ac de ratione agendi cum aliis Regibus, ac Principibus tam ecclesiasticis quàm secularibus, & populis. Denique postridie quàm decessit, funere modico in Sanlaurentiano templo juxta altare tumulatus est: cui regiæ exequiæ post factæ à filio Madriti; & oratio funebris habita à Terrone Aquilari, qui eum à magnitudine imperii successibus, prudentiâ, aliísque virtutibus, ac vitæ sanctitate præcipuè commendavit. Sicuti & Ferrariæ in officio funebri coram Pontifice pro ejus animâ facto decimo tertio Octobris, Alexander Burgius Burgi S. Sepulchri Episcopus illius laudes ornatè commemoravit.

[e] *Supr. an. 1512. XXIX*

XIII. Nuptiæ Austriacæ.

A funere ad nuptias transeuntes, duplices ex eâdem domo commemorabimus; Philippi videlicèt novi Regis cum Margaritâ Austriacâ Caroli defuncti Archiducis patruelis filiâ; & Isabellæ Philippi sororis cum Alberto Archiduce Belgii rectore, jam olim à Patre Philippo conciliatas. Ad quas celebrandas Albertus Bruxellis discedens Septembri mense, antequàm quicquam de morte Philippi senioris auditum fuisset; relicto, Isabellæ nomine (declaratæ anteà, & acceptæ solemni ritu, Belgii principis, ex donatione patris, & consensu fratris) Andreâ Cardinale Austrio, qui Belgium intereà dum ipse adveniret, regeret; primò ad Beatæ Mariæ Hallensis templum, devotis peregrinationibus iis locis celeberrimum, tribus tantùm milliaribus à Bruxellis distans, divertit: ibíque galero & purpurâ sacerdotali depositâ, remisso galero Cardinalitio ad Pontificem per Archiepiscopum Bisuntinum) sæcularem Principis habitum induit: & post vota nuncupata, in Germaniam iter habens ad excipiendam sponsam Philippi junioris, & in Hispaniam deducendam; cùm in Tirolensem Austriæ domus principatum descendisset, Oenipontem provinciæ caput prætervectus, Margaritam unà cum Mariâ matre viduâ, & nobili comitatu, obviam habuit, cum jam de Philippi morte esset cognitum, cunctique lugubria sumpsissent. Inde per Tridentum, Veronam, Mantuam, iter prosecuti, & sumptuosissimè ubique excepti; demum die Veneris decimâ tertiâ Novembris Ferrariam pervenerunt ad Clementem Pontificem; & occurrentibus extrà portam cunctis Cardinalibus, ingenti pompâ ingressi sunt urbem, & ad Pontificis pedis & manùs osculum admissi. Quam celebritatem cùm multi descripserint, meminit speciatim Ossatus [f] qui aderat, rei singularis cæteris intactæ: nempe Connestabilem Castellæ Ioannem Ferdinandum Velascum Gubernatorem principatûs Mediolanensis, in eo ingressu quæstionem movisse Cardinalibus de præcedentiâ, quódque rejecta esset tanta ejus audacia, abscessisse, secúm-

Reginæ Hisp. accessus Ferrariam.

[f] *Ossat. ep. 156. in fin.*

Connestabilis Castellæ audacia.

que abduxisse proceres qui cùm ipso erant, ne Reginam comitarentur. Sic hujusmodi homines dum illicita imprudenter præsumunt, & seipsos deridendos præbent, & protervæ arrogantiæ nomen suæ nationi acquirunt, cum detrimento etiam famæ suorum Principum.

XIV. Celebratio Matrimoniorum.

Dominicâ sequenti, quâ sponsalia fieri debebant, (cum dispensatione Pontificis super gradibus consanguinitatis, quibus se invicem attinebant) cùm omnes lugubria deposuissent, & vestes jucunditatis induissent; Clemens in majori urbis Ecclesiâ Pontificalia celebrans, post offertorium Missæ, lecto ab alio publicè procuratorio mandato Philippi Hispaniarum Regis dato ad hoc Alberto Archiduci, matrimonium inter eosdem Philippum absentem, per Albertum repræsentatum, & Margaritam præsentem celebravit: pariterque inter Claram-Eugeniam-Isabellam absentem, per Consalvum Ferdinandum Cardonam Suessæ Ducem Philippi apud Pontificem oratorem, cum simili Isabellæ mandato comparentem,& Albertum Archiducem præsentem. Quibus omnibus Pontifex post suam in Missa communionem, sacram Eucharistiam porrexit: & post rem divinam peractam, Reginæ Rosam solemni ritu benedictam donavit; quæ inter dona sacra, eodem loco apud principes feminei sexûs est,quo Ensis & Galerus pariter benedicti apud primarios orbis Christiani Principes ac regulos: de quibus aliàs dictum. Post triduum in festis ludicris & spectaculis transactum, die decimooctavo Novembris Ferrariâ discessum est, & ultimo mensis festo sancti Andreæ Apostoli Mediolanum perventum: ubi Regina inter spectacula & oblectamenta totum bimestre contrivit, cùm hiems desæviisset in Hispaniam Genuâ iter factura. Quod mense Februario anni sequentis præstitum: nuptiæque Valentiæ mense Aprilis à Pontificio Nuncio, præsentibus jam omnibus per semetipsos, confirmatæ, ac posteà inter partes consummatæ.

XV. Conditiones translationis Belgii.

Conditiones autem translationis provinciarum Belgicarum, Comitatûs Burgundiæ, & Carolesii in favorem Isabellæ, hæ præcipuæ fuêre; ut si nulli nascerentur ex eo matrimonio liberi, aut præmorerentur, aut quandocumque posteà contingeret prolem legitimam sive masculam sive femineam cessare, eæ rursùs provinciæ regno Hispaniæ adnecterentur: vir aut femina qui in eas succederet, non posset absque consensu Regis Hispaniæ matrimonium contrahere: quoties aliqua mutatio hæredis interveniret,formulâ conceptâ jusjurandum præstarent de fide Catholicâ Apostolicâ Romanâ constanter retinendâ; à quâ si quis recederet, ipso facto ab omni jure in eas provincias decideret; nullum commercium habere possent in Indiis sive Orientalibus,sive Occidentalibus: ut Magisteriatus Ordinis Velleris aurei, olim à Duce Burgundiæ instituti, penes Reges permaneret. Præter quæ, in articulis donationis Madriti factæ sexto Maii præsentis anni palàm contenta, Rex sibi insuper reservavit facultatem instituendi in arcibus Antuerpiensi, Gandensi, Cameracensi, aliisque nonnullis præsidia, quæ ab eo stipendia acciperent, & tam Regi quàm Principibus Belgii juramentum fidelitatis præstarent.

XVI. Clemens Romam repetit.

Post recessum Reginæ è Ferrariâ, Pontifex rebus ibi ordinatis, ac civitate multis gratiis & privilegiis ornatâ, Romam redire statuens, die vigesimo sexto Novembris in viam se dedit: eóque pervenit vigesimo Decembris, lætantissimè à Romanis exceptus: qui inter alia trophæa hanc ei inscriptionem apposuerunt, continentem penè cæteras omnes quæ variis locis eatenùs conditæ fuissent, ac præcipuas res ab eo gestas: *Clement. VIII. Pontif. opt. max. ob rem Christianam optimè gestam; Ægyptum, Æthiopiam, Russiam ad religionem receptas, Turcos expulsos, Pannoniam propagatam, Strigoniam devictam, Ferrariam adeptam; quodque Galliæ & Poloniæ Reges, Hispaniis Reginam, omnibus pacem dederit. S.P.Q.R.*

XVII. [g] Prover. 14. Immensa eluvio Tiberis Romæ.

Sed extrema gaudii, juxta dictum [g] Spiritûs sancti luctu occupante, tertio post Clementis in Vrbem adventum die, nempè vigesimo tertio Decembris, cœpit fluvius Tiberis, qui jam ex continuis ferè aliquot dierum pluviis aliquantùm intumuerat, ob violentiam ventorum meridionalium,ostium fluminis obstruentium ne in mare influeret, subitâ inundatione restagnare adeò, ut crescente totâ sequenti die, ac parte Natalis Domini, eluvione, tota penè Vrbs aquis cooperta fuerit; tantâ altitudine, ut omnes præcedentes, quarum memoria extaret, etiámque illam omnium maximam, quæ Octobri anno 1530. sub Clemente VII. contigerat, duobus palmis superaret, ita ut soli montes & aliqua editiora loca extarent. Perierunt in Vrbe & agro mille circiter ac quingenti homines, ingens pecorum armentorúmque numerus; quam plurima ædificia dejecta sunt,cætera labefactata; corrupta omnis ferè annona, maximáque cunctarum mercium pars; denique tanta omnium rerum ac bonorum strages edita, ut plus damni Vrbs inde acceperit quàm si fuisset ab hostibus direpta. In quâ calamitate eluxit maximè tum Clementis Pontificis solicitudo & charitas in sublevandis afflictis ministerio magistratuum, aliorúmque illustrium virorum; & mittendis in singulas Vrbis regiones cymbis & naviculis, transferendis iis qui in domibus suis periclitabantur, & subministrandis rebus necessariis: tum etiam Cardinalis Alobrandini nepotis ejus, & nonnullorum procerum, qui per Vrbem pariter discursantes, singulis quantum fieri poterat succurrebant: & postquàm diluvium cessavit, curârunt sedulò, ut quod obsessis repentinus casus abstulerat Christiana pietas suppleret.

XVIII. [h] Ext. Bullar. tom. 3. Clem. VIII. const. 55.

Quem casum non tam ex causis naturalibus quàm ex peccatis processisse Clemens interpretatus, hortationem [h] piissimam ad populum edidit, quâ abyssum peccatorum abyssum aquarum, & inundationem invocâsse agnoscens, eum ad lacrymas, ad preces, ad opera sanctiora, quibus divina mitigaretur ira, incitavit; cum elargitione indulgentiarum Iubilei, & supplicationum indictione; quibus & ipsemet interfuit, unà cum Cardinalibus. Ac sic voluisse Deum hâc clade gaudium ex felici accessione Ferrariæ ad ditionem Romanam temperare, non inscitè his versiculis expressum tunc extitit inscriptione ad locum muri exterioris arcis Sancti Angeli, quem Tiberis attigit, ubi & adhuc visitur,

nomine Ioannis Francisci Aldobrandini, illius arcis, & S.R.E. copiarum generalis præfecti.

Eridani imperio Clemens, & pace per orbem;
Aurea reddiderat sæcula, Roma tibi,
Cùm subitò Tiberis assurgens huc extulit undas,
Et te penè suis contumulavit aquis,
Scilicet extollant animos ne gaudia nostros.
Temperat adversis prospera quæque Deus.

XIX. IAVARINUM CAPITUR A CHRISTIANIS.

Dum sic se haberent res Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ; in Hungariâ felicissimo conatu Iavarinum, urbs munitissima, & maximi momenti, quam ante quadriennium vidimus turpi deditione occupatum à Turcis, nobili astu recuperata est vigesimo nono Martii Dominicâ in Albis ab Adolpho Barone Schwartzenbergio Coloniensis ditionis, Comari præfecto; cùm negligentiùs ejuscustodiam agerent Turci, nimiùm ejus firmitati confisi: admoto videlicèt ad portam petardo, instrumento Turcis incognito, per Vaubecurtium nobilem Gallum patriâ Campanum, rei militaris peritum, ac manu promptum; qui cùm bellis Gallicis Regi assiduam operam navâsset, pace factâ cum legione Gallorum otii pertæsorum in Hungariam profectus fuerat. Re pro voto succedente, fuit nihilominùs diù acritèrque cum Turcis certandum, victoria non parùm dubiâ, nec incruentâ, cùm ex Christianis ampliùs quingenti ceciderint. Cæsi ex Turcis ad mille sexcentos, capti trecenti cum filio Bassæ urbis præfecti, ipso Bassâ pugnacissimè certando occiso. Incredibile penè facinus multis est elogiis & carminibus certatim à Germanis oratoribus & poëtis celebratum. Nec in eo desistens Schwartzenbergius, multa alia subinde loca Turcis eripuit: Budámque ipsam, regni caput, mense Octobri adortus, urbem inferiorem non sine labore cepit, sed à superiore frigoribus autumnalibus, & pluviis continuis, ipsorúmque Turcorum virtute repulsus, exercitum inde reduxit; eodem ipso die, quo & Turci, qui Varadinum intereà in finibus superioris Pannoniæ propugnaculum obsederant, iisdem incommodis vexati, & fortitudine præsidiariorum repressi, ad tertium Nonas; sive, ut alii numerant, Idus Novembris, obsidionem solverunt.

XX. SIGISM. BATHORII IMPRUDENTES LEVITATES.

Antè verò quàm hæc fierent, cùm Rudolphus Cæsar legatos in Transilvaniam misisset, qui suo nomine ejus possessionem à Sigismundo Bathorio, ex conventionibus inter ipsos, ut vidimus, factis reciperent: quorum unus fuit Nicolaus Isthuanffius Historiæ Pannonicæ scriptor:) Sigismundus prompto animo rem exequens, convocatis sub principium Aprilis provinciæ ordinibus, quid inter se ac Cæsarem actum esset exposuit; eósque jurejurando quo sibi obstricti erant solvit, ac deinceps Cæsari, eive quem ille ipsis præesse vellet, parere jussit. Indéque exiguo comitatu in Silesiam iter suscepit, ad loca sibi in eâ à Cæsare assignata. Verùm infelix juvenis, ubi eò pervenit mense Iunii, & mox ad se conversus, à quanto imperio ad quantam solitudinem redactus fuisset considerare cœpit; eádem levitate quâ opus susceperat, ab eo resiliens, de repetendâ patriâ consilium cepit: & assumptis tantùm duobus itineris comitibus, dissimulatâ personâ, mense Augusti Silesiam deserens, Claudiopoli provinciæ metropoli de improviso comparuit; oppidanísque libentissimo animo fidem ei jurantibus, in omnes provinciæ partes nuncios misit, qui populos de adventu suo certiores facerent, & ad se redire suaderent. Ad Maximilianum autem Austrium Cæsaris fratrem, cui Cæsar Transilvaniam destinaverat, literas dedit; quibus significavit, quando Oppoliensem & Ratisporiensem Silesiæ principatus, pro relictarum à se provinciarum compensatione traditos, longè inferiores esse quàm promissum fuerat, coràm cognovisset, graves sibi ac magnas patriam repetendi causas fuisse, nec tamen minùs propterea à Cæsaris & universæ Austriæ familiæ ac sacri Imperii majestatem, culturum, eorúmque commodis pro virili consulturum. Qui paulò pòst nihilominùs parùm sibi constans, à nonnullis è suis in Cæsarem propensis, persuasus nec decorum sibi esse nec securum à pactis cum Cæsare initis omninò recedere; idque potiùs agendum, ut prioris transactionis iniquitate demonstratâ ampliores conditiones ab eo acciperet; nobilem legationem eâ de re ad Cæsarem misit Demetrii Episcopi Albani & Stephani Boscaii avunculi sui. Rursúmqne aliis, qui Transilvaniam Austriacæ familiæ subjici impatienter ferebant, è contrà hortantibus ut potiùs eam in gentilem suum ac patruelem Andream Cardinalem Bathorium transferret; evocavit eum ex ultima Borussia, ubi Episcopatum Varmiensem possidebat, ad quem se ipse receperat ob simultates quæ ei cum Sigismundo intercesserant; ob quas etiam Cardinalis frater Balthasar fuerat ante quinquennium [1] præcipitato supplicio de medio sublatus, qui jam ad Sigismundum reversus, fuit ab eo peramicè exceptus: ambóque simul de communi salute cogitare cœperunt, indictis ad hoc provinciæ comitiis in mensem Martium anni proximi; quo de rebus porrò secutis agetur.

[1] *Supr. ann.* 1594. XXXIII.

XXI. DE REBUS SUETICIS.

Aliâ parte Sigismundus Rex Poloniæ, qui missis in Sueciam regnum hæreditarium legatis ad Carolum patruum suum, (quem vidimus jura regia cum non parua Regis contumeliâ sibi arrogâsse) qui de multis ab eo contra fas patratis cum eo expostularent, hortarenturque ad debitam obedientiam; nonnisi vanas de more excusationes, & prava subterfugia receperat: cum modicis copiis, confisus benevolentia plurimorum, qui ab ipso in regno stabant, mense Maio eò navigavit, sed tum inutili mora, tum aliqua ducum imprudentia, tum præcipuè artibus patrui, qui dum pacis desiderium præseferret proterva & hæresi sua digna audacia longè copiosiorem exercitum hostiliter opposuit; post nonnullos conflictus, Rex terra marique adversam expertus fortunam, pudendo colloquio cum patruo habito, ejus insidias veritus, Dantiscum fugit magis quàm recessit; atque inde posteà in Poloniam revertit. Carolus verò universum regnum in potestatem suam redegit, ac non nonnullos proceres, qui partes Regis secuti fuerant, variis suppliciis crudelissimè affecit. Denique habitis mense Februarii anni sequentis omnium ordinum comitiis Ienocopiæ, præfinita ibi dies

Regi fuit; quâ in regnum venire deberet sine armis cum solo comitatu aulico, ad illud juxta leges patrias gubernandum; aut saltem filiolum Wladislaum mittere. Cúmque Rex nihil ad hæc respondisset, celebratis rursùm mense Iulio comitiis Stocholmiæ, Carolus strophis suis ac ludificationibus, ut populos ad præfractam rebellionem induceret, magnoperè sibi cavendum esse simulans, securitatem suæ vitæ (ut Chytræus ejusdem sectæ homo in suâ Saxoniâ tradit) insidiis Pontificiis, & aliorum apostatarum expositæ; (Sigismundus namque Rex fidem Catholicam colebat) & auxilium in gubernatione majus (non quidem auxilium hominum, quippe nolebat ipse socium, sed majoris auctoritatis) sibi præstari flagitavit, si diutiùs hanc molem curarum & laborum pro salute publicâ (hoc est, pro defensione hæresis, & extirpatione fidei Catholicæ) sustinere deberet. Cujus desiderio Ordines prolixè assentientes, publico decreto regnum Sigismundo abrogârunt, & fidem ac obedientiam omnem illi deinceps renunciârunt: Wladislaum tamen filium ejus, si intra sex menses in regnum Sueciæ veniret, ut in religione & legibus Suecorum educaretur, (erat tunc tantùm quinquennis) se non exclusuros profitentes. Rexit tamen Carolus aliquot adhuc annis regnum solo titulo Gubernatoris & Ducis Sudermanniæ; donec anno 1604. Regis nomen apertè sumpsit: ut tunc videbitur.

CAROLI REBELLIS SIMULATIONES.

XXII. MOSCORŨ TURBÆ PRO IMPERIO.

Haud minori vafritie hoc tempore occupatum fuit Imperium Moscorum, Suecis conterminum. Mortuo namque sub initium præsentis anni, ipso Epiphaniæ die, *Theodoro* Magno Moscoviæ Duce & Russorum Imperatore, ætatis anno *36*. Imperii decimo quarto, nullâ sobole relictâ; finem in eo accepit familia, quæ per tot annos in potentissimo Asiæ & Europæ principatu regnaverat. Reliquit autem moriens imperii administrationem dilectissimæ suæ conjugi Gerniæ, seu Germanæ, & Patriarchæ Russorum. Verùm quòd illa confestim post viri obitum monasterio se inclusisset, percuperet autem ut frater suus Borisius, qui astutâ & affectatâ comitate maximam sub Theodora auctoritatem habuerat, imperio potiretur; populum, qui instantissimis precibus eam ad præfecturam suscipiendam hortabatur, & Imperii Senatum remisit, qui pro suâ prudentiâ & in patriam charitate rempublicam administraturus esset: eo scilicèt consilio id agens, (uti creditum fuit) ut quoniam sciebat populum nequaquàm Senatui fidem suam addicturum, eum hâc arte fratri conciliaret. Sicuti & contigit; populo palàm Borisium in regem postulante, nec alium velle contestante. In quem pariter cùm demùm & cæteri omnes vota sua contulissent, post multas ejus simulationes, quibus indignum se suprema eâ dignitate, imparémque tanto oneri dictitabat, atque etiam secessionem in monasterium ostentatam, ultimò tanquam à sorore, & constanti Senatûs populique voluntate inductus, quod nunquam aliter facturum se videri voluit, idem *Borisius Phedorovvitz Godunovv* (uti vocabatur) regnum capessivit mense Maio; ac posteà per Patriarcham solemni ritu inauguratus est; munificum se ac beneficum in omnes cujuscumque conditionis exhibens, cui uxor erat Maria, filius Theodorus decem, filia Arcenica sedecim annorum. Fuerat nihilominùs Theodoro junior frater nomine *Demetrius*, qui aliquot antè annis fraude Borisii de medio sublatus fuerat, aut certè putatus, ne sibi aliquando impedimento foret ad regnum quod ambiebat. Verùm hunc non occisum, sed alium ejus loco, ipsum autem Borisii insidiis ereptum, multis existimatum fuit. Vnde & exiit post aliquot annos quidam, sive fuerit verus Demetrius, sive fictitius, qui eo nomine Borisio bellum intulit, atque imperium obtinuit: de quo suo [k] loco.

BORISIUS IMPERAT.

[k] *Infr. an. 1605.*

XXIII. VIRORŨ DOCTORŨ OBITUS.

E viris literatis mortuus est hoc anno *Benedictus Arias Montanus* Hispalensis, linguarum ac scientiarum peritiâ, pietatéque insignis; qui in Editione Bibliorum quadrilinguium Antuerpiensium egregiam admodùm operam navavit. Decessit autem in patriâ sexto Iulii, ætatis anno septuagesimo. *Thomas* item *Stapletonus* Anglus nobili genere Hemfeldâ oppido Comitatûs Sussexiæ ortus, sanctæ Theologiæ Doctor egregius; & controversiarum contra hæreticos tractator supra omnes ferè sui temporis præstantissimus, multorúmque aliorum scriptorum tam versu quam oratione solutâ compositor doctus juxtà ac pius. Qui fidei causâ exul è patria in Belgium secedens, Scripturarum & Theologiæ publicæ lectioni plurimos annos impendit, ac tandem è vita piè decessit Lovanii die duodecimo Octobris, anno ætatis sexagesimo tertio. Et *Abrahamus Ortelius* Antuerpiensis Cosmographus excellentissimus, ibidem Antuerpiæ die vigesimo nono Iunii, ætatis anno septuagesimo primo: cùm sæpè in morbo vocem istam usurpasset, *Nihil se in hâc vitâ relinquere, quo non posset ac vellet carere*: ac postremis vitæ annis loco symboli usus fuisset pictura globi terrestris, cum inscriptione in eandem sententiam recidente, *Contemno, & orno, mente, manu.*

IESU CHRISTI Ann. 1599.
CLEMENTIS VIII. Annus 8.
RUDOLPHI II. Ann. 23.

I. SIGISM. BATHORIUS PRINCIPATUM IN CARDINALEM PATRUELEM TRANSFERT.

ANno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo nono, Indictione duodecima, Sigismundus Transilvaniæ princeps, post suum è Silesia reditum variis consiliis agitatus; dum ex nonnullorum sententia de reconciliatione cum Cæsare per legatos ageret, ab aliis, qui indigenam principem cum pace & bona Sultani Turci gratia, sine qua pacem habere non poterant, quàm externum belli necessitatis adjuncta malebant, in contrarium pellectus; comitia provinciæ celebravit mense Martio: orationémque habuit, qua Bathoriorum repetitis in rempublicam Christianam meritis, atque etiam ad extremum de suis multa præfatus; quæ pericula Transilvaniam circumstarent, hinc à Germanis, illinc à Turcis, ei inhiantibus, aperuit; iisque dum undique respiciens remedium quæreret, non

aliud opportunius, & quasi domi natum se reperire dixit, quàm si Andreas Cardinalis patruelis suus vice suâ substitueretur, & onus quod diù ipse impar sustinuisset, cervicibus impositum viriliter subiret: quippe cui suppeteret animus, & firma valetudo, ac constarent integra omnia cum utriusque gentis Imperatore, ac præterea cum vicino Rege Poloniæ potentissimo arcta amicitia: unde futurum esset, ut sub eo Principe salva forent omnia in Transilvaniâ. Quibus prolixè explicatis, cunctos proceres in verba Cardinalis adegit. Ipseque uxore suâ ad matrem ire permissâ, celeriter è Transilvaniâ excedens, itinere per Moldaviam facto, ad Zamoscium Poloniæ Cancellarium & exercituum imperatorem, apud quem anteà soror ejus Griseldis in matrimonio fuerat, in Poloniam se subduxit.

II. CARDINALIS CLADES, ET MORS.

Cardinali autem haud diù datum potiri imperio. Quippe confestim Georgium Bastam superioris Pannoniæ rectorem, qui cum copiis Cæsareis jam anteà contra Sigismundum paratis propè erant; & Michaëlem Transalpinæ Valachiæ Vaivodam, quem spes præfecturæ Transilvaniæ sub Austriacis regendæ armaverat, adversarios sentiens: postquàm variis artibus has tempestates à se amovere, & Cæsaris gratiam adipisci, (sive hoc simulatè, cùm interim etiam cum Turcis ageret, sive ex animo, inductus hortationibus Malaspinæ Episcopi sanctæ Severinæ Nuncium Pontificium in Transilvaniâ agentis) frustra conatus est, ipseque Malaspina res conciliare nequicquam omni nisu studuit; tandem ad manus cum Vaivodâ, qui subdolis dominationibus rem diù egit, venire habuit. De quorum copiis cùm discordia sit inter earum rerum scriptores, ac quidam Vaivodæ triginta millium, Cardinalis viginti quinque constituant, Isthuanffius Pannonius, qui ferè præ oculis habebat, Cardinali nonnisi novem millia, Vaivodéque totidem aut paulò ampliùs tribuit: cúmque item cæteri tria millia ex Cardinalis exercitu periisse, præter vulneratos captósque, dicant, idem Isthuanffius tanquam ex numerato cæsos esse in acie ait 1118. captos haud pauciores. Pugnatum est autem in campis Cibiniensibus die vigesimo octavo Octobris festo Sanctorum Simonis & Iudæ Apostolorum; & Cardinalis acerrimum certamen in fugam versus. Quà cum ad radices montis Aitossii, Transilvaniam à Moldavia & Podolia dirimentis, quæ olim Sarmarticæ Alpes vocabantur, errando ac famem & sitim tolerando cum paucis pervenisset; ibi ab hostibus cum solicitè inquirentibus inventus, & trucidatus est tertio post adversam pugnam, ut idem auctor habet, die, non nono ut alii. Mortuo caput resectum, & ad Vaivodam allatum: qui illud unà cum corpore, eorundem operâ qui caput attulerant relato, magnificentissimo sepulturæ honore Albæ-Iuliæ curavit; comitante ipso Vaivodâ, & exercitu; non sine plurimorum commiseratione, qui illum vix triginta trium annorum juvenem tam sævo diræ calamitatis infortunio prorsus indignum judicabant. Cæterum Michael post victoriam ad Cæsarem scribens, pacatam Transilvaniam, & cunctos provinciæ ordines in verba ejus adactos significavit; & meritorum suorum rationem haberi petiit, præfecti per provinciam titulos ubique usurpans. Vnde in suspicionem adductus, quòd per præfecturam ad principatum aspiraret, instante præcipuè Bastâ, qui eam præfecturam ambiebat, cum à Cæsare missi essent qui eam à Michaële acciperent, ac regerent; abnuit ille eam deserere, delusum se clamitans, & ingratitudinem Cæsarianorum palàm detestans, unde novi motus orti; de quibus posteà.

III. CLEMENTIS PP. DE NECE CARDINALIS SOLLICITUDO.

Quòd verò sint qui querantur, prædicti Andreæ Cardinalis, quem mandato Austriacorum peremptum volunt, sicut nec olim Georgii Martinusii pariter Cardinalis Monachi dicti, jussu Ferdinandi Austrii Hungariæ Regis in eâdem Transilvaniâ interfecti, cædis haud magnam rationem Romæ habitam esse; ubi tamen nuper Sixto V. Pontifice tot tragœdiæ magno regni Gallici detrimento ac penè exitio, ob consimilem causam necati Cardinalis Guisii excitatæ fuissent: nequid scrupuli inde adversus Romanam Sedem in lectorum animis remaneat, (præterquàm quòd longè diversam rationem horum trium exemplorum esse, nemo qui eà attentius consideraverit dubitare possit;) ut de Martinusio satis sint quæ diximus [a] in ejus cæde, quod ad præsentem Andreæ spectat, non eam sine diligenti discussione Romæ præteritam fuisse, docet nos in suis epistolis *Arnaldus Ossatus*, [b] sæpius à nobis citatus; (qui hoc anno die tertio Martii, una cum aliis duodecim insignibus viris, inter quos eminentissimè excelluit *Robertus Bellarminus* Societatis Iesu, creatus est Regis Christianissimi commendatione atque egregiis & diuturnis meritis suis exigentibus, Cardinalis Presbyter tituli sancti Eusebii, collegam è Galliâ nactus *Franciscum Scobleum* Surdisium, sanguinis nobilitate & egregiâ indole clarum juvenem, Diaconum Cardinalem pari regiâ commendatione factum:) dum scribens Româ decimo tertio Ianuarii anni subsequentis ad Villaregium à secretis epistolis Regis Christianissimi, refert Clementem Pontificem primò per literas supradicti Malaspinæ certiorem factum fuisse cladis Cardinalis Bathorii, ac necis ei in fugâ illatæ a rusticis: deinde à Rudolpho Cæs. literas accepisse scriptas post cladem Cardinalis, sed antequàm ejus necem rescisset; quibus acriter in eum invehebatur, cum expostulatione de consiliis cum Turco communicatis; rogabatque Pontificem ut eum anathemate percelleret, ac dignitate Cardinalatûs privaret: Eodémque tempore literas habuisse à Nuncio Pontificio qui in Poloniâ erat, quibus significabat, necem Cardinalis ingentem dolorem attulisse universæ illius Regis aulæ, ac de eâ eundem Malaspinam accusari quasi fuisset in parte ejus causa, adeò ut admurmuraretur non esse ampliùs fidendum Nunciis Apostolicis: viderique sibi, debere Pontificem censuris ac pœnis Ecclesiasticis agere contra eos qui Cardinalem occidissent. Harum igitur litterarum Cæsaris & Nuncii Polonici ad diversa tendentium occasione, Pontificem duodecimo ejusdem Ianuarii convocâsse congregationem novemdecim Cardinalium, quorum unus ipse Ossatus erat, ac deliberandum proposuisse quid à se in eo negotio agendum esset. Varias ex-

[a] Supr. ann. 1551. VIII.

[b] Ossat. ep. 199.

titisse illorum sententias: plures tamen censuisse, non esse per censuras procedendum, neque acerbiorem animi offensionem de nece Cardinalis ostentandam, quoniam necatus fuisset in bello gerens arma, & omni alio habitu & cultu quàm Cardinalis: Haud sciri quis necâsset; & utrùm qui necâssent, scirent eum esse Cardinalem, aut essent religione Catholici, an verò hæretici, aut schismatici, (quales erant plerique iis partibus; & ipse Vaivoda cultor erat ritûs Græcanici) jurisdictionem Pontificis & Sedis Apostolicæ minimè agnoscentes: Præterea offensum iri graviter Cæsarem & Principem Valachiæ, propter odium quo Cardinalem prosecuti fuerant; cujus & propterea memoriam probris & infamiâ publicis scriptis aspersuri forent, quibus nec fortè Sedi Apostolicæ, nec ipsi Pontifici ac Cardinalibus parceretur: Expectandum igitur si quid certius de re gestâ cognosci posset, ut nova consilia inirentur. Hæc sunt quæ tunc agitata & deliberata fuisse, Ossatus narrat: quibus sanè nihil prudentius, aut rei aptius, à tanto consessu decerni potuisse, consentient, ut putamus, omnes qui maturo judicio, non præcipitato affectu res agi gaudent.

IV. DISCEPTATIO DE DISSOLUTIONE MATRIMONII SIG. BATHORII. [c] *Ossat. ep. 18c.*

Fuit & alia ad idem pertinens quæstio proposita; cujus pariter agitationem haud incongruum existimamus recensere, ut & hinc intelligant omnes, quàm iniquè de judiciis Romanæ Curiæ passim querelæ à malevolis spargantur: nempe de matrimonio supradictorum Sigismundi Transilvaniæ principis & Mariæ Austriæ, cujus dissolutio à Pontifice postulabatur. Ad quam examinandam, ut idem Ossatus [c] refert aliâ epistolâ, cùm idem Pontifex octo Cardinales, (quorum & ipse unus erat) quatuor Rotæ Romanæ Auditores, & duos Pœnitentiarios basilicæ S. Petri delegisset; imprimis fuit inter eos consultatum, num deberet procedi ad eam dissolutionem per viam justitiæ & declaratoriæ, ut vocant, hoc est declarando matrimonium nullum & irritum; an verò per viam gratiæ & dispensationis, restituendo partes in eam libertatem quâ erant antequàm contraherent matrimonium per verba de præsenti. Fuitque de primâ viâ decretum, nequaquàm in casu hujus matrimonii posse ab ipsis secundùm eam agi, quoniam ignorabant utrùm causa quæ matrimonii consummationem impedierat, esset naturalis impotentia Sigismundi, aut aliqua fascinatio; & an impedimentum præcessisset, aut subsecutum esset contractum matrimonii; sanabile esset, vel non; erga omnes mulieres esset, an tantùm, ut aliqui dicebant erga solas virgines: nec poterat probatio cohabitationis, aut alii modi ab Ecclesiâ in his casibus constituti, adhiberi, quia Sigismundus prorsùs alienus ab iis erat, & Maria jam ad matrem concesserat. In via dispensationis tres sese obtulerunt difficultates: prima ac potissima, an per scripta quæ prolata fuissent satis constaret matrimonium non fuisse consummatum: secunda, an si constaret non fuisse consummatum, posset Pontifex dispensare super matrimonio rato & valido, non tamen consummato: tertia, concesso quòd posset, an justæ & rationabiles causæ intercederent dispensandi in isto. Quod ad primam, aderant acta distincta Principis & conjugis, post renunciationem principatûs à Sigismundo factam confecta, quando ultimum sibi vale dixerunt, jusjurandi à singulis in præsenti Cardinalis Bathorii & aliorum testium præstiti de matrimonio nunquam inter ipsos consummato: ac prætereà attestationes ejusdem Cardinalis, & confessariorum eorundem principum, ac duarum præcipuarum cubiculariarum Mariæ, atque aliorum virorum fide dignorum, asserentium se ita certos esse de matrimonio nunquam consummato, ut nullo indicio humano possent illud in dubium revocare, adeò ut plures ex prædictis Cardinalibus & delegatis censerent satis esse probationum ad negandam consummationem, quanquam non deessent qui adhuc dubitarent, eò quòd testes illi non fuissent jurati. Cæteræ difficultates facilioris fuêre solutionis; consentientibus omnibus quoad secundam, quòd etsi non possit Pontifex dispensare in matrimonio rato & consummato, possit nihilominùs in rato non consummato: & quoad tertiam, superesse causas justas & legitimas dispensationis concedendæ. Quapropter fuit conclusum, committendum esse Nuncio Apostolico, vel alicui Episcopo earum partium, ut si ei per diligentem veritatis inquisitionem constaret matrimonium non fuisse consummatum, dispensaret super eo auctoritate Apostolicâ. Sicuti & factum est per Nuncium. Censuerant quidam, ut Maria visitaretur per obstetrices & matronas: sed non in eo statum est, quoniam auditum fuerat, eam haud facilè hoc passuram.

V. TRACTATIO PACIS CUM TURCIS, IRRITA.

Occupatis autem in rebus Transilvanicis, Cæsaris atque Hungaricis viribus; ac Turcis partim bello Persico, quod recrudit, intentis, ad quod gerendum missus est Cicala in Asiam: partim annonæ penuriâ, quæ magnâ fuit totâ Græciâ, retardatis; haud magnâ mole inter ipsos hoc anno res gesta fuit, quinimmò specie parcendi effusioni sanguinis humani, tractatu de pace à Turcis proposito; convenerunt ad hoc in unum præcipui aliquot utriusque partis, atque etiam Tartarorum principis Turco fœderati, viri delegati, in quâdam Danubii insulâ, Budam inter, quam Turci, & Strigonium quam Christiani tenebant, æquali ferè intervallo sitâ. Verùm cùm inter se concordare non potuissent, quòd à neutrâ parte tolerabiliores satis conditiones proponerentur; Turci & Tartari in varia agmina divisi, longè latéque Christianorum fines populati sunt, multis hominum millibus captivis abductis, præter majoris, minorísque pecoris vim ingentem, & pluribus oppidis ac pagis concrematis: Christianis interim, duce SchWarzenbergio intra castra sua improvidâ prudentiâ se se continentibus, & otiosos ferè tantarum calamitatum spectatores præbentibus; nisi quòd satiatis jam hostibus prædâ, direptione, & vastatione, aliquos eorum occiderunt, & nonnulla debilia castra receperunt: cùm & ante colloquium illud de pace, classem illorum Danubianam unà cum copioso commeatu diripuissent. Ita enim res gestas narrat Isthuanffius Pannonius, qui videbat, cùm sint qui majorem Turcorum quàm Christianorum

cladem, aut certò non minorem fuisse scribant.

VI. [d] Ap. Maur. Hist. Venet. lib. 15.

Et quod ad hæc pertinet; relatum reperimus [d] hoc anno, hominem Mahometanæ superstitionis ex Hispaniâ Bæticâ Constantinopolim pervenisse, qui, ut mos levissimæ ac crudelis gentis est, cùm ad suos à jugo Hispanorum eximendos auxilia à Turcis facilè impetrari posse sibi suasisset; ac Bassarum & aliorum Turcicæ gentis procerum animos ad id variis rationibus incitaret, atque imprimis quòd Mauri Christianis sacris per vim addicerentur; libenter initio auditus, mox vel rei difficultate, vel hominis levitate cognitâ, neglectus; crebris sermonibus summâ asseveratione jactare cœperit, nisi IESU CHRISTI Sepulchrum Christianis adimeretur, Franciscanæque religionis viri, quorum custodiæ concreditum erat, pellerentur, nunquam de Christianis Turcos victoriam relaturos: neque ob aliam causam Rudolphum Cæsarem vincere, nisi quòd crebra donaria ad eum locum deferri curaret, nuper argenteis candelabris summâ arte ex argento elaboratis eò transmissis. Id cùm Mahometi Turcorum Imperatori renunciatum fuisset, eum Christianorum dona inde asportari, & Franciscanos amoveri jussisse. At legatos Regis Francorum & Reip. Venetæ graviter conquestos, quòd alias ne in mentem quidem superiorum Imperatorum Turcorum venisset, nunc haud exiguâ cum Mahometis regnantis dignitatis jacturâ tentari, quod neque sine veteris Francorum ac Venetorum cum Ottomanis Imperatoribus amicitiæ detrimento fieri posset, nec sine gravissimâ cæterorum omnium Principum Christianorum, quibus summo semper honoris ac venerationis loco sacrum illud monumentum extitisset, offensione, qui in Ottomanos exarsuri essent: Hisque auditis, Mahometem ne quid innovaretur prohibuisse.

SEPULCHRUM DOMINICŪ STAT INTERCESSIONE GALLOR. ET VENETORUM.

VII. INFAUSTA NAVIGATIO BATAVORUM.

In Belgio dum inter hæc magnis animis bellum Hispanos inter & Ordines variis successibus gereretur, Andreâ Cardinale Austrio pro Alberto & Isabellâ illarum jam provinciarum Principibus administrante, Mauritio Nassovio pro Ordinibus; cùm & maritimum commercium Ordinibus interdictum esset, id illi graviter ferentes, grandi classe instructâ octoginta ferè navium, ingenti Oceani spatio emenso, in magnam Canariam, aliásque adjacentes insulas exscensione factâ, castella igne & direptione deformavêre, populos gravissimis cladibus affecêre: at dum reditum molirentur, pars marinis fluctibus, pars exitialibus morbis absumpti, pauci domum rediêre. Albertus verò & Isabella, post nuptias hoc anno, ut per anticipationem diximus superiori, Valentiæ celebratas, ex Hispaniâ mense Iunii solventes, felici navigatione Genuam appulsi, inde terrestri itinere Mediolanum petierunt; superatísque Alpibus, per Sequanum & Lucemburgum, ineunte Augusto in Brabantiam pervenerunt, ingenti pompâ ubique accepti: atque ante omnia, pro felici itinere confecto, Beatissimæ Virgini Hallensi, quo loco profecturum in Hispaniam Albertum preces solemnes concepisse vidimus, vota exsolverunt. Deinde ad salutandum Regem miserunt Philippum Nassovium Aurangii principem. Andreas verò Cardinalis mox ad sua se recipiens, dissimulato habitu, parvóque comitatu, per Galliam iter fecit; Rege nihilominùs Aureliæ salutato, qui eum amantissimè excepit. Principes autem Belgii Bruxellis Lovanium mense Novembri profecti, urbem Brabantiæ vetustissimam, more olim recepto inaugurati sunt die ejus mensis vigesimo quinto, S. Catharinæ virgini & martyri sacro: Iacobo Baio Theologo orationem ad eos habente; quâ & gentem Austriacam meritissimis laudibus de pietate, & religione Catholicâ ab hæresi assertâ, extulit. Ipsi verò, ut se literarum studiosos & fautores academiæ, quæ in eâ civitate celeberrima habetur approbarent, *Iustum Lypsium* virum eximiè literatum, Plinii panegyricum Traiano dictum publicè interpretantem audire voluerunt.

ALBERTI ET ISABELLÆ ADVENTUS IN BELGIUM.

VIII. NUPTIÆ CATHARINÆ SORORIS REGIS.

In Galliâ exeunte mense Ianuario, nuptiæ jam antè pactæ inter Henricum Lotharingium Barrensium Ducem, filium Caroli Ducis Lotharingiæ, & Catharinam Regis sororem, sed quæ ob multas subortas propter religionis disparitatem difficultates (cùm esset ipsa hæresi Calvinianæ addictissima) dilatæ fuerant; tandem celebratæ sunt, ministerio Caroli fratris naturalis Regis Archiepiscopi Rotomagensis, absque ullâ dispensatione Apostolicâ, sive ab hæresi, sive à tertio & quarto consanguinitatis gradibus quibus se invicem attinebant: quæ hactenùs obtineri non potuerat; quinimmo obstiterat omninò Pontifex literis ad Barrensem scriptis gravissimis monitis ne tantum scelus in Domum Lotharingicam inveheret; ac propterea consentiente nuptiis Lotharingio, magis ob tantæ sortis dignitatem, & ne Regem offenderet, quàm quòd eas ante dispensationem præcipitatas vellet, quarum nec posthàc ullam dispensationem obtinere potuit, nisi quando non fuit ampliùs necessaria: Deo ita viso per suam infinitam providentiam negotium temperare, ut in plenum ac consummatum exemplum trahi non posset. De quo dicetur anno sequenti.

IX. IOIOSA MARESCALLUS RESUMIT HABITŪ CAPUCINORUM.

Haud multò pòst *Henricus Ioiosa*, quem olim vidimus è Duce Capucinum, e Capucino Marescallum Franciæ factum; rursùs mundi curarum pertæsus, cilicium Lutetiæ mense Martio resumpsit, & munus concionatoris suscipiens, magnam suî admirationem concitavit: stupentibus plerisque, hominem in aulâ longè a libris educatum, (nisi quòd literarum humaniorum rudimenta puer in collegio Navarræ didicerat) tam citò & doctum & eloquentem Ecclesiastem evasisse. Quod quidem ei à Deo præstitum; qui rectam ejus voluntatem intuens, replevit eum donis Spiritûs sancti in suî consolationem, & aliorum ædificationem: dans ei sapientiam & intellectum ad cognoscendas mundi fallacias; consilium ad meliorum charismatum æmulationem; fortitudinem ad perrumpenda omnia obstacula, scientiam ad comprehendenda divina mysteria, & populis unà cum pietate explicanda; denique timorem Dei, quo in humilitate contineretur, ac cum metu & tremore salutem & suam & proximi operaretur. In quorum donorum cultu & exercitio, cum multo labore, grandique patientiâ,

usque ad obitum per plures annos desudavit. Paulóque pòst, ac pari pietatis instinctu, *Antonieta Aureliana*, Ludovici Ducis Longavillani & Mariæ Borboniæ filia, vidua Caroli Gondii Marchionis Bellinsulæ, præstanti ingenio ac forma fœmina, in Folientinarum cœnobium Tolosæ nuper institutum, clam Francisco fratre S. Pauli Comite ac sororibus concessit: unde post septem annos invita tracta est auctoritate Pauli V. Pontificis ad regimen celeberrimi monasterii Fontis Ebrardi. Successúque temporis facta est Institutrix Monialium Benedictinarum primæ Regulæ, sub nomine Congregationis *Beatæ Mariæ de Calvario & Sanctæ Scholasticæ*: quam inchoavit in monasterio Pictaviensi; ubi & sexto pòst mense piè decessit vigesimo quinto Aprilis anno Domini millesimo sexcentesimo decimooctavo.

ANTON. AURELIANÆ PIETAS.

X. EDICTI NANNETENSIS ANXIA PROMULGATIO.

Vrgebatur intereà promulgatio Edicti Nannetensis, in favorem Hugonotorum conditi, ut vidimus, anno superiori; quæ dilata fuerat ob reverentiam Cardinalis Florentini Legati Apostolici. Ab eâ cùm plurimi ex Senatoribus Parisiensibus penitùs aversos sese ostenderent, & Clerus ei intercederet; Rex qui pace foris partâ, ad constituendam intùs tranquillitatem, necessariam illam existimabat; post multas nequicquàm factas Senatui jussiones; demùm vocatis ad se præcipuis singularum Curiæ classium viris, gravi oratione promulgationem fieri omnino injunxit; insinuans edictum, quod tantoperè exagitabatur, non tam pacis Hugonotis dandæ causâ, quàm ne bellum in regno esset, conditum fuisse: omnémque dans operam, ut sacro ordini, cunctísque Catholicis persuaderet, id religionis bono aliquando versurum, modò liberam ejus executionem prudentiæ suæ relinquerent, neque difficultatibus injectis antiquas suspiciones renovarent. Quare post iteratas rursùm multas difficultates; eásque tandem paulò majori votorum numero ægrè superatas, factum est tandem ut promulgatum id fuerit die vigesimo quinto Februarii; continens unum & nonaginta capita publica, & sex ac quinquaginta secreta; quibus cuncta penè continebantur, quæ eatenùs fuissent hæreticis à superioribus Regibus concessa, & alia quædam pro tempore addita: quæ in publicum edita omnibus patent. Pro eorum verò omnium executione, bini delegati fuêre in singulas regni provincias, ex nobilium & judicum ordine singuli. Quantum autem molestiæ & doloris ejusmodi promulgatio attulerit Clementi Pontifici; intelligitur ex litteris à Cardinale Ossato [e] scriptis eâ de re vigesimo octavo Martii ad Regem: quibus & argumenta atque rationes inseruit, per quas ipse Pontificis animum placare, & rei Catholicæ damnum ex edicto emersurum extenuare conatus est. Quo saltem illud boni consecuti sunt Catholici, ut eorum religionis exercitium multis locis, in quibus à longo tempore intermissum fuerat, absque tumultu & sanguine restitutum fuerit.

[e] Ossat. ep. 169.

XI.

Vnde idem Pontifex occasione sumptâ, egregiam hortationem [f] pastoralem ad Ecclesiæ Gallicanæ Antistites scripsit die vigesimo Augusti; ut pace jam inter Reges compositâ, diligentiùs muneri suo obeundo, ad animarum salutem, fidei Catholicæ augmentum, disciplinæ Ecclesiasticæ observationem, vitiorum extirpationem, incumberent: ac præcipuè in iis regionibus, civitatibus ac locis, in quibus Catholicæ religionis usus restituebatur, & divini cultûs sacræ functiones renovabantur, clericos & sacerdotes probatissimos constituerent, qui non solùm doctrinâ & rerum Ecclesiasticarum usu, sed vitæ integritate & prudentiâ præstarent, esséntque zelo honoris Dei & salutis animarum incensi. Qui idem Pontifex cætera quoque curans, decreta [g] generalia pro reformatione Regularium tam monachorum quàm mendicantium cujuscumque ordinis & instituti condidit. Congregationem [h] Fratrum Reformatorum & Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, primitivam illius Ordinis Regulam ab Innocentio Papâ tertio conditam observare profitentium, instituit & erexit. (Quam posteà Paulus [i] quintus confirmavit, cum adjectione duorum votorum; videlicèt de non prætendendâ aliquâ prælatione aut officio intra Congregationem, neque item extrà.) Receptionem [k] & professionem Novitiorum, ad Congregationem Fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini nuper à se admissam & institutam, ordinavit. Corpus sanctæ Ciciliæ recèns repertum [l] solemni pompâ in Ecclesiam ejus nomine insignitam transtulit. Denique Iubileum indixit in annum proximum: de quo dicetur in fine præsentis; postquàm viderimus quæ interim cum ipso de rebus Gallicis tractata sint.

[f] Ext. Bullar. tom. 3.

Clem. VIII. const. 61.

CLEMENTIS HORTATIO AD GALLOR. ANTISTITES.

ALIA EJUS DECRETA.

[g] Ibid. const. 60.

[h] Ibid. const. 62.

[i] Bull. to. 3. Paul. V. const. 61.

[k] Clem. ibid. const. 65.

[l] Vid. Epit. Baron. ann. 821.

XII. DISCEPTATIO CORAM PONTIF. DE PRINCIPATU SALUTIARUM.

Pace inter Reges Galliæ & Hispaniæ factâ, restabat ut controversia de Salutiarum principatu inter Regem Galliæ & Ducem Sabaudiæ componeretur, de quâ uterque in Clementem Pontificem compromiserat. Missus ad hoc & alia negotia, Romam à Rege Nicolaus Brulardus Sillerius præses Senatûs Parisiensis, & à Duce Franciscus Arconatus Tuzanæ Comes, de eo disceptare cœperunt. Petebat Rex, ut possessioni quâ Henricus tertius dejectus à Duce fuerat, ante omnia restitueretur: tum si quid juris Dux in eo sibi vindicaret, se arbitrio Pontificis stare paratum ostendebat. Econtrà Dux aiebat, juris regulam, spoliatum ante omnia restitui debere, non ut in privatorum causis, sic inter Principes observari solere, qui possessionem juris partem præcipuam reputant. Cùm de hoc, déque jure ipso, quo Sillerius multis exemplis ostendebat Salutiarum marchionatum semper fuisse beneficiarium Delfinatûs, ac contrà illa Arconatus suis responsis infirmabat, multa esset altercatio; alia ratio in medium adducta est, ut scilicèt Principatus in Pontificis causæ arbitri manus deponeretur, dum causa finem acciperet: ad quod misso à Pontifice, ex Sillerii & Arconati consensu, ad Regem Bonaventurâ Calatagironâ Ordinis Minorum Ministro generali (nuper creato Patriarchâ Constantinopolitano, in locum Bonifacii Bevilaquæ Ferrariensis ad Cardinalatum promoti) quem vidimus egregiam operam in

negotio pacis navâsse; cùm Rex consensum præstitisset, Sabaudus inde in suspicionem adductus quasi Regi in occulto cum Pontifice conveniret, Arconato qui conditionem probaverat revocato, alios substituit, qui cum sumptâ occasione sparsi Romæ rumoris, quòd si Pontifex principatum Regi adjudicaret, Rex illum uni ex Pontificis nepotibus collaturus esset; eandem ipsam conditionem Ducis nomine Pontifici obtulissent: his suam integritatem & æquitatem in dubium revocari Clemens sentiens, & patientiam indignis modis tentari, omnem delati arbitrii auctoritatem à se abdicavit. Hicque exitus fuit ejus negotii in aulâ Romanâ agitati. De quo sunt plures Epistolæ [m] Cardinalis Ossati, quæ plenè edoceant quomodò res tractata fuerit; & quæ fuerint rationes hinc inde allatæ, quámque in omnibus sincerus Pontificis sensus. Vt verò Dux Sabaudiæ à pacis consiliis se non alienum ostenderet, proficisci ad Regem decrevit, ut coràm cum bonâ ejus gratiâ de omni controversiâ transigeret: obtentâque ab eo licentiâ, sub finem anni ad eum pervenit, perhonorificè ubique jussu illius exceptus. Quid autem ibi egerit, dicetur anno sequenti.

[m] *Ossat. ep.* 163. 164. 168. 173. 181.

XIII. De invaliditate matrimonii Regis cum Margarita Valesia.

Aliud legationis Sillerii ad Pontificem caput, ac præcipuum erat, de dissolutione matrimonii Regis cum Margaritâ sorore trium superiorum Regum ante viginti septem annos contracti, & alterius conciliatione. Erat quippe summum omnium ordinum votum, ut ab eo cui publicam securitatem post tantas turbas deberent, prolem etiam regnaturam haberent. In matrimonio autem ejus & Margaritæ, tertius consanguinitatis gradus arguebatur: quippe senior Margarita Francisci I. soror, & magna amita hujus Margaritæ junioris, mater fuerat Ioannæ parentis Regis. Cujus gradûs dispensationem cùm ante contractum matrimonium Rex tunc hæresi infectus, & clavium Ecclesiæ auctoritatem spernens, licèt à Carolo Rege obtentam, minimè curâsset: quamvis post matrimonium consummatum, tumultúmque Sambartholomæanum, hæresi ab eo ejeratâ, illam à Gregorio XIII. petiisset, atque etiam accepisset; fuisse tamen eam nullam constabat, tum quòd nec Margaritâ postulante, nec consentiente, quin immò penitùs ignarâ, data esset: tum etiam quòd eam Pontifex Regi, tanquam verè ad fidem converso concessisset, quem nihilominùs constaret, ut etiam ipsa post suum ab aulâ exitum publico scripto declaravit, nunquam hæresim ex animo deposuisse, sed continuè eam retinuisse, quantumvis metu, qui in constantem virum cadere poterat, eam abjurâsset; Margarita autem, uti sæpè contestata erat, non solùm contra suam voluntatem, à matre Catharinâ fratréque Carolo Rege coacta ei nupsisset; verùm etiam nunquam dispensatio significatâ fuisset. Cùm & prætereà ex Concilio Tridentino dispensationes gratiosè concessæ nullum sortiantur effectum, nisi priùs ab Ordinariis de iis cognoscatur; nulla autem in his nuptiis Episcopi parochive cognitio, ad dispensationem accessisset. Ex quibus omnibus intelligebatur, & nullas illas ab initio fuisse, neque ex postfacto convaluisse. Addebatur & cognatio spiritualis, quòd Henricus II. pater Margaritæ, Henricum de quo modò agebatur, de sacro fonte levâsset. Quamvis enim hoc impedimentum sublatum fuisset per Concilium Tridentinum, tamen quoniam Concilium nondum erat in Galliâ receptum, restabat adhuc eadem ratio cum scrupulo conscientiæ. Quibus denique accedebat consensus Margaritæ, quinimmò & supplicatio Pontifici facta, ut quoniam ipsa nunquam animo, sed tantùm verbo consensisset ejusmodi matrimonio, quod & propter cognationem invalidum erat, liberaretur ab eo jugo; quandoquidem nec expediens nec utile esset ut convalidaretur, eò quòd jam ipsa ad eam ætatem pervenisset, quâ de prole suscipiendâ, quod unicè non solùm à Rege, sed à cunctis regni ordinibus exoptabatur, nulla ampliùs spes esset.

XIV. Res committitur delegatis.

Quibus omnibus per Ossatum Cardinalem & Sillerium oratorem Clementi Pontifici expositis, iisdémque (in congregatione aliquot Cardinalium ad hoc delegatorum diligenter discussis; cùm ii propositas nullitatis matrimonii, ejúsque concedendæ dispensationis rationes probabiles censuissent; causámque in partibus committendam ad inquisitionem de earum veritate faciendam, rémque dijudicandam ac decidendam: post multam de delegatis disceptationem, constituti sunt à Pontifice Franciscus Cardinalis Ioiosa, Gaspar Episcopus Mutinensis Pontificis apud Regem Nuncius ordinarius, & Horatius Montanus patriâ Neapolitanus Archiepiscopus Arelatensis. De quibus sunt plures Ossati [n] ad Villaregium epistolæ, scriptæ mensibus Augusti & Septembris. Diplomate delegationis, vigesimo sexto Septembris confecto, in Galliam misso, delegati in ædibus Henrici Gondii Episcopi Parisiensis convenientes, quoniam in causæ cognitione res versabatur, eam per singula sua capita, adhibitis probationibus, & interrogationibus, diligentissimè examinârunt. Ac post omnia ritè peracta, matrimonium ob consanguinitatis gradum, hæresis vitium, cognationem spiritualem, alterius partis metum ac dissensum, ab initio nullum pronunciârunt, libertate utrique parti factâ conjugii cum aliâ parte contrahendi. Sententia mox Romam missa, ut à Pontifice, à quo judices dati erant, confirmaretur: quamvis id honoris potiùs quàm necessitatis causâ, cùm esset ipsa per se etiam absque ejusmodi confirmatione validissima, & processus super quo confecta fuisset accuratissimè compositus; ut ex aliis ejusdem Ossati [o] literis mensium Februarii & Martii anni proximi intelligitur. Rex verò ad gratias Pontifici agendas, Romam misit Alincurium filium Villaregii.

[n] *Ossat. epist.* 123. *& seqq.*

Matrimonium declaratur nullum.

[o] *Ossat. epist.* 202. 204. 208.

XV. Rex cogitat de nuptiis Gabrielæ.

Cùm autem initio cupiisset Rex, si dissolutio matrimonii fieret, in uxorem ducere Gabriëlam Estræam Belfortii Ducem, quæ sibi adeò benevolentiam Regis devinxerat, ut maleficio & fascino aliquo affectus videretur: essétque præter elegantissimam ejus formam, & leporem urbanissimum, alia valdè speciosa causa quæ ipsum ad id induceret, videlicèt proles ex eâ suscepta duorum puerorum, Cæsaris jam quinquennis, & Ale-

xandri anniculi; quos amoris impotentia magis quàm rationis judicium suadebat, per subsequens matrimonium legitimos ad regni successionem reddi posse, quamvis constante utriusque parentis cum aliis partibus matrimonio nati essent. Egerat de eo obiter Rex cum Cardinale Florentino post pacem factam, antequàm è Gallicâ suâ legatione discederet: sed exhorruerat ad rei mentionem prudentissimus senex, ut qui plus eo facto periculi, quàm bello per pacem composito sublatum esset, regno creari provideret: ac præter elusam Regis propositionem, primarios regni monuerat, curarent ut Rex consilium sibi pudendum, regno perniciosum omitteret. At verò antevertit Deus, cùm Gabrielam de medio sustulit Lutetiæ decimo Aprilis, mane Sabbati Sancti, novo partui proximam; adeò violentis ex apoplexiâ convulsionibus correptam, ut faciem retrò conversam haberet cum horribili deformitate, itaut protomedicus regius qui adstabat abstinere non potuerit quin exclamaret, ibi esse manum Domini. Quinimmò & Rex ipse, qui ad nuncium ægritudinis è Fontebliaudo, ubi tunc erat, Lutetiam properabat; cùm in itinere mortem audisset, in lacrymas & lamenta effusus, dixit tamen agnoscere se Deum diligere regnum Franciæ. Eâ verò mortuâ antequàm Sillerius, cui Rex ejusmodi negotii tractationem commiserat, Romam pervenisset, (quod non contigit nisi decimonono Aprilis) facilior fuit diplomatis Pontificii pro dissolutione matrimonii Regis cum Margaritâ impetratio; quam vix unquam Pontifex ut concederet adduci potuisset quamdiù durâsset periculum à Gabrielâ: sicuti nec Margarita consensum dissolutionis præstare voluit quamdiù ea vixit. His verò omnibus vinculis solutus Rex, de aliis nuptiis cogitare cœpit; de quibus anno sequenti.

SED ILLA MORITUR.

XVI. Interim Lutetiæ sumptum ponitur [p] supplicium de quodam Fratre Dominicano conventûs Gandavensis, cui Carolo Ridicovio, sive à matris familiâ Avenario nomen: qui convictus conspirâsse in necem Regis antequàm reconciliatus Ecclesiæ fuisset, nec adhuc à detestando proposito cessare, rotæ supplicio peremptus est. Cui adjectus ob eandem suspicionem Nicolaus Anglus ex servientium Capucinorum numero; qui lixæ habitu in aulam veniens, & ex indiciis captus, pari supplicio scelus luit.

[p] *Thuan. lib. 123.*

SUPPLICIA CONSPIRANTIUM IN VITAM REGIS.

XVII. Celebratum reperitur hoc [q] anno, menséque Iunii, in civitate *Diamper* Indiæ Orientalis prope urbem sancti Thomæ, ab *Alexio Menezeo* Archiepiscopo Goensi Ordinis S. Augustini *Concilium* de reformatione Ecclesiæ S. Thomæ, quæ à Nestorianis inficiebatur. Vbi Georgius eorundem Nestorianorum Archidiaconus, qui Patriarchæ Babylonis Nestoriano adhærebat, & quamplurimi alii presbyteri, atque delegati fidem Catholicam sunt professi: quos universus populus secutus est: cunctis libris eam doctrinam aliásque damnatas continentibus, aut correctis, aut in ignem conjectis.

[q] *Possevin. in Appar. sacro, verbo* Diamper. *&* Nestoriani.

CONCIL. DIAMPERIENSE.

XVIII. Vltimo die anni sub vesperam Clemens Pontifex Portam Sanctam basilicæ sancti Petri in Vaticano ingenti & consuetâ celebritate aperuit, ad consecutionem Indulgentiarum Iubilei singulis vicenis quinis annis celebrari soliti. Quod quia factum fuit ad primas vesperas festi Circumcisionis Domini, quod celebratur Calendis Ianuarii, inde plerique scriptores apertionem Portæ factam ponunt primâ die anni proximi. Consueverat illa in vigiliâ Natalis Domini aperiri, sed Clemente chiragrâ affecto, necesse fuit rem differri. Indixerat autem [r] jam illum publicè duodecimo Calendas Iunii, hortans omnes & invitans ad tanti thesauri adeptionem, per solitam visitationem quatuor basilicarum, S. Petri in Vaticano, sancti Pauli viâ Ostiensi, sancti Ioannis Lateranensis, & Beatæ Mariæ majoris, ac precum in iis ad Deum effusionem. Fueruntque eodem tempore quo Vaticana per Pontificem, cæterarum quoque trium portæ per Cardinales ad id delegatos iisdem ritibus & cæremoniis apertæ. Atque ut omnes & singuli ex toto orbe Christiano ad eas visitandas propensiùs inducerentur, suspendit Pontifex omnes ubique indulgentias per totum annum proximum, quo nullæ usquam præterquàm in dictis basilicis valere deberent. De cætero omnes Principes hortatus, ut erga peregrinos Romam processuros beneficentiam & liberalitatem exercerent, curaréntque ut tutis incederent itineribus, & nullis vexationibus perturbarentur.

IUBILEUS APERITUR ROMÆ.

[r] *Bullar. to. 3. Clement. VIII. const. 58.*

IESU CHRISTI Annus 1600.

CLEMENT. VIII. An. 9.

RUDOLPHI II. Annus 24.

I. Annus Christi millesimus sexcentesimus Indictionis decimætertiæ, insignis fuit celebratione sanctissimi Iubilei, de cujus publicatione & inchoatione dictum est in fine superioris anni. Scripsit de eo commentariolum Augustinus Valerius Venetus Cardinalis & Episcopus Veronensis, eximius vir doctrina & pietate. Ex quo & Petro Matthæo, aliisque, Victorellus Doctor Theologus, qui pleniùs de Iubileis agit, sua exscripsit; multa addens quæ ipsemet vidit. Summa est, innumerabilem peregrinorum numerum ex toto orbe Christiano Romam accessisse, qui quantus fuerit conjici possit ex notis ministrorum hospitalis Sanctissimæ Trinitatis, ad peregrinos exteros suscipiendos destinati, quibus recensiti fuêre utriusque sexûs ad quingenta millia: præter singularum nationum propria xenodochia, & ingentem illorum multitudinem, qui in diversis monasteriis, domibúsque privatis recepti fuêre, adeò ut in quâdam Vitâ Clementis recenseantur in universum tricies centena millia, qui toto anno accesserint; unicóque die Resurrectionis Dominicæ æstimatos fuisse ad ducenta millia. Exterarum autem nationum (Italia namque, uti proxima, & facilioris ac commodioris accessûs, longissimè superavit) Gallicam numerosiorem fuisse volunt, è qua ad trecenta millia adventarint: atque inde

IUBILEI CELEBRATIO ROMÆ.

Principes viri eò confluentes.

Clementem grandi consolatione, Italiam admiratione, hostes & invidos, pleramque Galliam hæreticam esse improperantes, confusione repletos esse. Venisse quoque Principes aliquos, & magnates, præcipuique nominis viros: Atque inter cæteros Ducem Bavariæ habitu peregrino incognitum in Sanctæ Trinitatis hospitatum esse: Duces quoque Barrensem (de quo posteà) & Parmensem: præter illos, qui aliorum etiam negotiorum causâ venerunt: putà Alincurium Regis Christianissimi legatum, de quo & posteà; & Comitem Lemosium proregem Neapolitanum, nobilissimo comitatu ad præstandam pro novo Rege Catholico Philippo tertio Pontifici obedientiam. Accessisse inter alios Cardinales, *Andream* Cardinalem Austrium, ac peregrino habitu incognitum Ecclesias visitâsse; sed à Pontifice quæri jussum, atque in palatium Pontificium receptum, mortuum paulò pòst ibi esse: assistente morienti Pontifice, & ad majorem ipsius consolationem Missam in ejus cubiculo celebrante, ac sacrum viaticum ei ministrante.

II. Hæretici conversi.

Advenisse quoque Turcos aliquos, tradunt, & baptismum suscepisse: plurimósque hæreticos, qui curiositate videndi ducti, (inter quos etiam fuisse dicitur Fridericus Dux Wirtembergicus) consideratis sanctis operibus quæ passim fiebant, ac præcipuè Clementis ipsius, qui pedes peregrinorum lavabat, tergebat, & osculabatur, egenos pecuniis sublevabat, accumbentibus ministrabat, confessiones audiebat, omnes consolabatur, singulis benefaciebat; assignatâ etiam domo omni supellectili instructâ, ad recipiendos & alendos Episcopos & sacerdotes peregrinos; Ecclesias frequentissimè visitabat, (quod sexagesies fecisse eo anno dicitur; cùm tamen peregrini non nisi ad quindecim dies, Romani ad triginta obligarentur; quamplurimis etiam minoris numeri gratia facta fuerit:) & Cardinales, aliósque Prælatos, ac principes & proceres Romanos ad eadem præstanda, verbo & exemplo egregiè invitabat; qui haud segniter id præstiterunt: His inquam consideratis, non pauci ex iisdem hæreticis à curiositate in admirationem rapti, depositâ omni ineptâ & iniquâ ministrorum suorum criminatione, quòd Pontifex sit Antichristus, & Roma Babylonia; ejeratâ hæresi, fidem Romanam amplexi sunt. Inter quos Stephanus Calvinus, pestilentissimi illius hæresiarchæ affinis: quem Pontifex paterno amore complexus, alendum suscepit liberaliter, & sacramento Confirmationis munivit, isque posteà Ordinem Carmelitarum Discalceatornm ingressus, multa in eo pietatis, & in ministeriis ei creditis prudentiæ opera exhibuit, ac demùm felici exitu vitam terminavit.

III. Dux Barrensis Romam petit pro dispensatione matrimonii.

Diximus adventâsse eò Barrensem, & Alincurium: de utroque nunc paulò diligentiùs agendum. Henricum Ducem Barrensem in uxorem duxisse Catharinam sororem Henrici Regis, hæresi Calvini addictam, ac præterea tertio & quarto consanguinitatis gradibus conjunctam, absque ullâ dispensatione Apostolicâ, vidimus superiori annô. In eo cùm jam per sesquiannum perseverasset, conscientiæ morsu continuè vexatus; jam occasione Iubilei sumptâ, qui absens dispensationem nunquam obtinere potuerat, tentaturus an præsens flectere Pontificem posset, Romam petiit, ac velut incognitus appulit decimoquinto Maii, hospitiúmque sumpsit apud Fratres Minimos Gallos in conventu Sanctissimæ Trinitatis de Monte. Potissima difficultas erat de diversitate religionis. Quamvis enim cognatio in gradibus prohibitis secundùm leges Ecclesiasticas irritaret per se matrimonium; facilis tamen est dispensatio cum causâ. At diversitas religionis, etiamsi ea sola inter Christianos baptizatos non irritet matrimonium contractum; impedit tamen ne contrahi possit absque gravissimo peccato partis Catholicæ, ob periculum seductionis ac perversionis, & pravæ institutionis liberorum, rixarúmque & odiorum quæ facilè inter conjugatos inde oriuntur: quæ causæ sunt, propter quas ejusmodi matrimonia prohibita sunt, & quarum ratione fixus in eo manebat Clemens, ut non dispensaret cum Barrensi, nisi priùs Catharina hæresim ejeraret; à quo illa alienissimam se præbebat, ac proinde nec dispensationem curabat, nec se illâ egere, aut Pontificem auctoritatem habere eam impertiendi, aut denique matrimonium sacramentum esse agnoscebat. Quibus addebat Pontifex, si semel dispensationem concessisset, tunc nec Catharinam, etiamsi jam præseferret instrui velle, ampliùs id curaturam, & principes Lotharingios segniores fore ad ejus conversionem procurandam. Ad quam & ipse suas partes adhibens, scripsit ad eam initio hujus anni epistolam gravissimis monitis refertam: offerens etiam ex animo ministris regiis qui de his apud ipsum agebant, Ossato Cardinali & Sillerio legato, iturum semetipsum in Lotharingiam, si qua spes esset conversionis Catharinæ.

IV. Absolvitur sub conditione.

Quod verò Barrensis absolutionem à præteritis petebat, ut posset consequi indulgentias Iubilæi; hæc alia erat gravissima difficultas, quoniam juxta placita sacræ Theologiæ & Casuum conscientiæ, quibus Ecclesia utitur, non datur absolutio præteritorum, nisi qui eam petit firmiter proponat ac promittat abstinere imposterùm a peccatis quorum veniam postulat. Cùm igitur his constrictus esset Barrensis, nec oratores regii, quinimmò nec ipsemet admissus ad pedes Pontificis, quicquam proficerent; eò demùm ipse anxietatis & stimuli conscientiæ redactus est, ut animæ suæ salutem omni honori mundano, & cujuscumque indignationi præferens, promiserit Catharinam publice dimittere, nec unquam ad eam redire, nisi Pontifex dispensaret. Quâ conditione permissus demùm est confessorem sibi secretò eligere, à quo de præterito absolveretur, ac sacrâ communione impertiretur; & Iubilæi indulgentias unicâ Ecclesiarum visitatione consequi. Non enim permissus est hæc publicè agere, quoniam ex regulis pœnitentiariæ, qui publicè peccavit, publicè & satisfacere debet; qui verò in occulto promittit satisfacere aliquando publicè, interim non debet nisi occultè sacramenta Ecclesiæ participare.

His verò adimpletis Barrensis Româ discedens, Florentiam concessit ad sororem, quæ nupta erat Ferdinando magno Etruriæ Duci. Sic enim res actas esse, intelligitur ex frequentibus literis de eo negotio à prædicto Cardinale Ossato [a] ad Regem & Villaregium scriptis: ex quibus emendes quæ alii secùs de his memoriæ mandarunt.

[a] Ossat. ep. 218.221.& seqq.

V. DISPENSATIO CONCEDITUR.

Vt autem uno contextu rem absolvamus, quæ ad tres adhuc annos continuata est, hinc Catharinâ in suâ hæresi obfirmatè perstante, hinc Pontifice in suo proposito de negandâ dispensatione priusquàm illa hæresim abjurâsset, persistente: perseverantibus Rege, Barrensi, ac patre ejus in suis prensationibus, ipsáque etiam demùm Catharinâ suppliciter id ipsum à Pontifice, spe factâ instructionis & conversionis, postulante, tunc rei cognitione à Pontifice congregationi novem selectorum Cardinalium & quatuor diversorum Ordinum Theologorum commissâ, post multas disputationes, & scriptiones, exempla quædam proposita, rationes quamplurimas, urgentissimas necessitates, in medium productas, deliberatum est, dispensationem & posse & debere à Pontifice concedi. Concessáque est ad finem Decembris anni millesimi sexcentesimi tertii: ejus executione delegatâ Erico à Lotharingiâ Episcopo Virdunensi, per literas scriptas atque subscriptas à prædictis novem Cardinalibus; cum facultate absolvendi Barrensem ab excommunicatione; aliísque censuris Ecclesiasticis in quas incurrisset ob incestum cum suâ consanguineâ, atque ab ipso incestu; & post salutarem impositam pœnitentiam, dispensandi cum ipso super gradibus consanguinitatis, ut posset matrimonium de novo contrahere cum Catharinâ, (scilicèt coram parocho & duobus testibus, si Concilium Tridentinum promulgatum fuisset in Lotharingiâ; sin minùs, per solum novum consensum) & in ipso licitè permanere: his tamen conditionibus, (ac nihilominùs absque dispensationis retardatione) ut Rex, Dux Lotharingiæ, ac Dux Barrensis promitterent singuli per propria diplomata, procuraturos se quantociùs instructionem Catharinæ, liberósque ex eo matrimonio nascituros, educaturos in religione Catholicâ Apostolicâ Romanâ. De quibus omnibus sunt plurimæ aliæ ejusdem Ossati epistolæ, qui unus erat ex novem prædictis Cardinalibus, scriptæ toto eodem anno 1603. Contigítque illud singulari & inscrutabili providentiâ divinâ, ut negotium tanto tempore, tantâ sollicitudine, à tantis viris indesinenter curatum & procuratum, ac demùm importunitate ferè magis quàm voluntate impetratum, irritum permanserit; cùm missus post longas Romanæ Curiæ temporis dilationes, qui literas delegationis deferret, invenit Catharinam mortuam esse: quæ decessit Nancei decimotertio Februarii anni 1604. in suâ hæresi.

VI. ALINCURII NEGOTIATIO CUM PONTIF.

Negotium, propter quod diximus Alincurium Villaregii filium Romam à Rege missum, duplex erat; & utrumque longè facilioris expeditionis: Vnum scilicèt ad agendas Pontifici gratias de solutione matrimonii cum Margaritâ Valesiâ olim contracti, de quâ diximus anno superiori. Alterum, ut cum Pontifice communicaret novas ipsi propositas nuptias cum Mariâ Mediceâ, Francisci olim magni Ducis Etruriæ filiâ, quæ sub Ferdinando patruo, Francisci successore, servabatur; & de iis consilium ab eo peteret. Qui cùm illud probâsset, protinùs Sillerius, qui oratorem regium ordinarium apud Pontif. agebat, Florentiam abiit mense Aprili, cum mandatis amplissimis ut conventionibus jam constitutis Regis nomine subscriberet. Deinde verò Rex Rogerium Bellogardium magnum Franciæ hipparchum, virum omni decore & venustate absolutum, misit qui suo item nomine sponsalia cum Mariâ contraheret. Quod magnâ pompâ præstitum est die quintâ Octobris, Cardinale Aldobrandino Clementis Pontificis nepote & Legato Apostolico sacra peragente, ac nuptiales cæremonias exequente. Post quæ ritè peracta, & aliquot dierum varia oblectamenta, Regina decimotertio Octobris Florentiâ discedens, deducentibus eam Christinâ Lotharingiâ patrui uxore, & Helionorâ sorore suâ majore conjuge Vincentii Gonzagæ Ducis Mantuæ, Virginio Vrsino Bracciani Duce, & Antonio Medice fratre naturali; Liburnum venit; indéque solvens decimoseptimo mensis, cum triremibus Pontificiis, Melitensibus, & Florentinis, adversis ventis multis diebus jactata; tandem appulit Massiliam tertio Novembris: ubi eam opperiebantur quatuor Cardinales Galli, Ioiosa, Gondius, Givrius, & Surdius, unà cum Connestabili, Cancellario Franciæ, Duce Guisio provinciæ præside, aliísque proceribus, & principibus atque illustribus feminis. A quibus regio honore excepta; decimosexto Novembris petito à Magni Ducis uxore & sorore, quæ classem in patriam redituræ conscenderant, commeatu, per Aquas Sextias, Avenionem, Valentiam, Viennam, ubique solemni pompâ recepta, Lugdunum pervenit secundo Decembris. Ibíque Regem expectans, qui interim bello Sabaudico occupatus erat, eum denique nono ejusdem mensis præsentem habuit: ad cujus conspectum in genua prostrata, & ab eo statim complexu & osculo sublevata est, ingenti utriusque desiderio ac voluptate. Consummato matrimonio, ad celebranda nihilominùs denuò externâ pompâ nuptiarum solemnia, quæ jam Florentiæ interveniente Cardinale Aldobrandino contractæ fuerant, invitatus idem ipse est, & è Camberio uti remanserat evocatus, cùm occasione dicti belli Sabaudici montes transcendisset, quo consuetis honoribus Lugduni excepto, celebrata fuêre solemnia nuptiarum: tantâ cælesti benedictione, ut intra novem menses exortus inde fuerit Delphinus, qui tunc feliciter regnum in Iustitiâ & potentiâ moderatur.

NUPTIÆ CUM MARIA FLORENTINA.

VII. SABAUDIÆ DUCIS TRACTATUS CUM REGE.

Iam ut de bello agamus, imprimis meminisse debemus, Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem sub finem anni superioris ad Regem Lutetiam accessisse, acturum de negotio marchionatûs Salutiarum. Ibi cùm per varia ac multiplicia oblectamenta cum Rege ac Principibus tempus traduceret, interim inter utriusque partis delegatos, Bonaventurâ Calatagironâ Patriarchâ Constantinopolitano Pontificis nomine interveniente, de re

controversâ actum est: ac post multas hinc inde propositiones, Ducisque tergiversationes, adulationes, promissiones, preces, cùm omnia frustrà fieri intellexisset, Rege nihil audire consentiente nisi priùs restituto marchionatu; in desperationem rerum suarum Dux incidens, cùm incessisset etiam illum metus post tot repulsas ne vi compelleretur restitutionem facere, parùm abfuit quin insalutato Rege per equos certis locis antè à suis dispositos è Galliâ excederet: Sed ab eo metu per Regem liberatus, qui significavit Francorum Reges non astu dolisve grassari, sed aperto bello jus suum persequi consuevisse; ac sicuti liberum ei fuit in Galliam venire, ita liberum patere discessuro exitum: interim licere ipsi optare, ut aut marchionatum restitueret, aut compensationis loco Sebusianorum principatum (Bressiæ vulgò dictum) cum suis appendicibus traderet; & ad deliberandum trimistre totum postquàm domum rediisset sumere. Hanc optionem cùm Dux accepisset, perscriptæ sunt leges quarto Calendas Martii, conventúmque ut optio fieret intra Calendas Iunii: ac triduo pòst Dux ad sua rediit. Quem & tradunt inter moras quas in aulâ fecit, Bironi Marescalli, viri ut de Rege & nomine Gallico optimè meriti, sic supra modum de se ac virtute sua sentientis, déque Regis ingratitudine frequenter conquerentis, animum per Iacobum Lafinium nobilem Heduensem tentasse; & cum eodem ipso collocutum, eum corrupisse spe nuptiarum filiæ suæ, atque ingentium aliorum promissorum ex parte Regis Hispaniæ factorum.

BIRONI FIDES TENTATUR.

VIII. BELLUM SABAUDICUM.

Cùm autem Dux domum reversus neque prædictis conditionibus stare vellet, neque novas ullas admitteret; & sive ambitione insita, sive à Comite Fontano Hispano Mediolani Gubernatore, homine inquieti ingenii, & novarum turbarum percupido, persuasus, neque tempore constituto optioni satisfaceret, neque aliis pariter mense Iulio perscriptis conditionibus staret, sed variis tergiversationibus & protelationibus Regi illuderet: Rex omnem ulteriorem de pace consultationem abrumpens, die undecimo Augusti edictum publicavit de necessitate quâ pro recuperatione Salutiarum à Sabaudo occupatarum arma sumere cogeretur. Móxque missis Birono & Diguierio, qui bello initium, ille in Bressiâ, hic in Sabaudiâ, facerent; ipse subsecutus est Camberium, ac brevi tempore universam Sabaudiam & Bressiam occupavit: Duce interim Taurini sedente quasi securo, auxiliorum spe suos frustrà implente, neque tamen se loco movente, unde valdè aucta suspicio de Birono; qui inter hæc cum Duce & Fontano, per Lafinium ultrò citróque commeantem, consilia de seditione in Galliâ excitandâ agitâsse dicitur. Clemens autem Pontifex de pace sollicitus, Petrum Aldobrandinum fratris filium Legatum pro eâ conciliandâ misit: qui post superatas infinitas difficultates, obtinuit tandem, ut conventum his præcipuis conditionibus fuerit; ut scilicèt Bressia & omnis intra Rhodoanum à Genevâ urbe tractus ipso fluvio comprehenso, ad ditionem Francicam cum omni jure supremi dominii deinceps pertineret, unà cum aliquot oppidis trans Rhodanum; ac Gexensi præfecturâ; Dux Salutiarum principatum cum omnibus oppidis, & territorio haberet; restituerentúrque quæcumque hoc bello in Sabaudicâ ditione occupata fuissent. Quæ conventio per delegatos Ducis subscripta mense Ianuarii anni proximi, nonnisi Martio confirmata fuit à Duce; nec nisi ægerrimè, Fontana frigidam suffundente: donec Rege Hispaniæ consulto, quam ferebant suppetias Duci venturum, coactus est ei subscribere. Cùm alioqui verè dici posse videatur, quamvis compensatio compendiosior Regi fuerit ac regno; Duci tamen honorificentiorem extitisse Salutiarum retentionem, pro cujus recuperatione Rex arma sumpsisset. De quibus sunt quamplurimæ Ossati Cardinalis, qui rem cum Pontifice tractabat, epistolæ hoc & sequenti anno scriptæ ad Regem & Villaregium; quibus Ducis & Hispanorum consilia aperiuntur, & quanti momenti res fuerit intelligitur: præter illa quæ de iisdem historicè à multis publicata fuêre. Cæterùm post hæc peracta, Rex & Regina Lutetiam concesêre, Aldobrandinus Romam: ubi Clemens immenso gaudio repletus, gratias publicè Deo de negotio feliciter confecto egit. Rex autem deinceps quievit ab omni bello, intentus solùm restitutioni & restaurationi regni, superioribus bellis dissipatissimi.

PERMUTATIO SALUTIARUM CUM BRESSIA.

IX. PROVOCATIO DISPUTATIONIS PERRONII EPISCOP. EBROIC. CŪ MORNÆO PLÆSSIO.

Antequàm verò bellum hoc Sabaudicum cœpisset, facta fuerat coram Regis acris alia pugna; sine sanguine quidem illa, sed non sine sanna: quæ sic se habuit. Ediderat *Philippus Mornæus Plessæus Marlius* nobilis Normannus, præfectus Salmuri, inter Gallos Calvinistas præcipui nominis, librum idiomate Gallico de Missæ abusibus, & antiquo sacræ Eucharistiæ usu, eleganti quidem stylo exaratum, sed infinitis falsitatibus, depravationibus, & corruptelis refertissimum; ut sunt plerique hæreticorum libri; & ut necesse est fieri, cum sanctorum Patrum auctoritate falsam doctrinam adstruere quærunt. Deceptúsque in eo Plessius à suis Ministris, qui ejus calamo abutentes, suggesserant ei loca Patrum, suo more falsata, corrupta, truncata, & contrario penitùs sensu allegata; eadem ipse pro fide quam eis habebat, absque ullâ aliâ discussione aut examinatione, suo operi intexuerat. In cujus librum cùm proinde à Catholicis Doctoribus passim conclamaretur, *Iacobus* quoque *Davy Perronius* Episcopus Ebroicensis, de quo sæpè superiùs, eo perlecto; ut erat in Patrum lectione, & controversiarum agitatione versatissimus ac solertissimus; quingenta amplius loca ex Patribus antiquis & Scholasticis Doctoribus eo libro falsò citata esse se demonstraturum recepit. Quod ubi Plessius audivit; scripto publico petiit, ut qui ipsius librum falsi insimularent, libello supplici quem Regi porrecturus esset subscriberent; quo petebat ut probitatis & doctrinæ perspectæ delegati à Rege nominarentur, qui loca impugnata diligenter examinarent, & verè an falsè citarentur dijudicarent. Accepit conditionem Episcopus: ambóque ut id coram ipso Rege, si interesse dignaretur, fieret postulârunt: qui facilè ac cupidè consensit. Intercessit tamen initio Episcopus Mutinensis Nuncius Pontificius, religionis controversias per disputationes in dubium revocari non debere asse-

rens, qui nihilominùs cùm intellexit, hanc concertationem non de fidei decisionibus fore; sed tantùm de falsis Plessii allegationibus cessavit ab intercessione. Locus ad Collationem delectus à Rege Fontanobliaudum, ubi ipse erat diætâ valetudinem curans. Delegati nominati pro Catholicorum parte Iacobus Augustus Thuanus Senatûs Parisiensis præses, Historiarum scriptor; Franciscus Pithœus in eodem Senatu causidicus vir apprimè doctus, & Nicolaus Faber præceptor Principis Gondæi, omni literarum genere excultissimus: pro Calvinistis Sofredus Caligno Navarræ Cancellarius, & Isaacus Casaubonus multiplicibus suis scriptis notus. Verùm quòd Faber adesse non potuit, ejus loco electus est Ioannes Martinus regius medicinæ professor, linguarum peritissimus: pro Calignone, qui morbo præpeditus venire nequivit: Philippus Canaius Fraxineus præses Cameræ bipertitæ Castrensis.

DELEGATI IUDICES.

X. ORDO CONSESSÛS.

De formâ collationis, déque locorum examinandorum designatione, cùm diù altercatum esset; Plessium adeò pœnitentiâ suæ confidentiæ subeunte, ut parùm abfuerit quin Rege insalutato recederet, vixque unquam à suis pudore ignominiosæ fugæ suffusis induci potuerit in aciem descendere: tandem post multas contentiones, ex 60. locis à Perronio pro primæ diei collatione propositis, 19. à Plessio selectis, die 4. Maii ad rem ventum est post meridiem. Fuitque Sessionis dispositio, ut in medio conclavis mensâ positâ, Rex ad caput ejus sederet, Perronius ad dexteram, Plessius ad sinistram, è regione sese invicem conspicientes; ad imum secretarii qui acta exciperent. Altiùs ad dextram Regis, Cancellarius cum delegatis: pone Regem Archiepisc. Lugdunensis cum Episcopis Nivernensi, Castrensi, & Bellovacensi: ad sinistram quatuor Secretarii Statûs: tum Principes, ac proceres, qui frequentes aderant, hinc inde sedentes: ac circumfusi spectatores utriusque religionis, in quibus & nonnulli Ministri; omnes in universum circiter ducenti.

XI. PRÆLOCUTIONES.

Cunctis dispositis, ante omnia Bellievrius Franciæ Cancellarius, qui actioni coram Rege præerat, præfatus, sicut non ibi de dogmatibus fidei ac doctrinæ Ecclesiæ inter Catholicos receptæ agendum esset, (quod nullatenùs Rex absque licentiâ Summi Pontificis fieri permissurus foret) ita nequaquàm intelligeret Regem ut ullum inde edictis in sectariorum gratiam factis præjudicium afferri posset: partésque ad moderationem utrimque servandam hortatus est: sic enim Regem velle ac jubere. Qui proprio ore id ipsum confirmans, nihil se dixit de suâ fide ac religione dubitare, neque velle ut aliquod ejus dogma in disputationem adduceretur, sed tantùm testimonia à Plessio allata examinarentur. Tum Perronius laudatâ Regis modestiâ, qui non thuribulum, ut ille Iudæorum Rex, qui leprâ percussus est, hoc est sacerdotalem auctoritatem, ac judicium de rebus sacris sibi assumeret, sed potiùs Constantini, Valentiniani, Theodosiorúmque Imperatorum exemplo illud Ecclesiæ pastoribus integrum relinqueret; contestatus est se nullo pravo in Plessium animo, quem potiùs honore affectum vellet, ad hanc actionem descendere, sed tantùm ut placidè ostenderet quàm iniquè egissent qui tot falsa ei suggessissent. Vltimò Plessius adesse se dixit ut librum suum defenderet; quem non ad ambitionem aut vanitatem, sed ut aliquid pro suâ parte reformationi Ecclesiæ conferret, scripsisse; Fieri vix posse ut inter quatuor ampliùs locorum citatorum millia, non aliqua reperirentur in quibus errâsset ut homo; verumtamen asseverare id posse, nullâ se malâ fide in his ductum fuisse.

XII. IUDICIUM DE LOCIS PROPOSITIS.

Libris post hæc in medium productis, cœpêre loca examinari: ac de duobus primis ex Scoto & Durando de re Eucharisticâ citatis, post aliquam inter partes contentionem, rogatis delegatorum sententiis, pronunciatum est à Cancellario, Plessium objectiones pro solutionibus sumpsisse. De 3° & 4° ex Chrysostomo, & 5° ex Hieronymo, de invocatione Sanctorum, Plessium omisisse quæ apponi debuerant. De 6° sub nomine Cyrilli de sanctæ Crucis adoratione; verba allegata nullibi apud Cyrillum inveniri. De 7° circa constitutionem Theodosii & Valentiniani Imp. de Cruce, quam Plessius ex Crinito produxerat; Plessium quidem verè citâsse Crinitum, sed animadvertere debuisse Crinitum in eâ falsum fuisse. De 8° ex duobus locis Bernardi de Beatiss. Virgine in unum consutis; ea debuisse separari ad distinctionem sententiarum. De 9° ex Theodoreto de Idolis, quod Plessius contra Imagines protulerat; locum de simulacris Gentilium, non de Imaginibus Christianorum intelligendum esse. Post quæ cùm advesperasceret, jamque per sex ferè horas actio durâsset; eâ solutâ Rex die sequenti continuandam indixit. At Plessio, tum vehementissimo lapsuum suorum dedecore confuso, tum ex vigiliâ præcedentis noctis viribus attrito, in gravissimum morbum cum vomitu & membrorum tremore incidente, finis collationi factus est: ac quique ad sua se recipere à Rege permissi sunt. Plessius quoque Lutetiam ad curandam valetudinem delatus, inde Rege & Cancellario, (qui & ipsi paulò post eò se contulerunt) contrà quàm promisisset, insalutatis, Salmurum se recepit: tantâ rerum suarum, pro more hæreticorum, fiduciâ, ut non dubitaverit (sive ipsemet auctor publici scripti, sive alius pro eo) quæ in tam celebri coronâ facta fuissent inficiari, aut eludere. Quem contrario scripto, cum actis Collationis regiâ auctoritate & comprobatione editis, confutavit Perronius. Ipséque Cancellarius, quem eo scripto Plessius accusare nimii in se rigoris ausus fuerat, ab eo se excusans, veritati testimonium perhibuit. Perronio verò tam ab ipso, quàm à cæteris omnibus qui Collationi interfuerunt, denique à cunctis aliis qui rei seriem audierunt, ingentes laudes meritissimò attributæ sunt: Adeò ut & Pontifex Clemens gratulatus ei per literas fuerit: & unus ex delegatis hæreticis, Canaius præstanti vir ingenio, rationum ejus pondere victus, hæresim abjuraverit. Id ipsum præstaturo Casaubono, nisi levitas animi vacillantem eum perpetuò tenuisset; cùm & his & illis placere cuperet, nec ullis satisfaceret: cujus posteà filius Catholicam fidem profitendo, suscepit etiam habitum Capucinorum. Rex autem prædictâ

PLESSII MORBUS, ET RECESSUS.

PERRONII LAUDES.

collatione in religione Romanâ plenissimè confirmatus, non cessavit deinceps singulos devios ad eam amplectendam adhortari, & rationes indagare, quibus absque novo bello effici posset, ut una tantùm in Christianissimo regno religio Catholica coleretur.

XIII.

In Belgio mutuæ clades Alberti et Mauritii.

In Belgio post adventum Alberti & Isabellæ, frustra ab iis; necnon à Rudolpho Cæs. in gratiam fratris sui Alberti, tentatâ variis modis & conditionibus, pace cum Ordinibus Batavicis, bello res gesta est: sed longè feliciori Mauritii Ordinum ducis successu, qui nonnulla loca munita in potestatem suam redegit; cùm Alberti conatus propter indigentiam, & frequentes militum ob non soluta stipendia secessiones, retardarentur. Haud tamen se deserens, copias collegit; & adversus Mauritium, qui cum classe bis mille octingentorum omnis generis navigiorum in Flandriam processerat mense Iunii, eo consilio ut urbes ad rebellionem impelleret, & Ostendæ, quam Albertum obsessurum sciebat, subveniret, progressus; (comitante ipsâ Isabellâ, quæ equo insidens ordines obibat, & militari oratione milites hortabatur) ad principium Iulii inter Neoportum & Ostendam subito impetu in cujusdam pontis transitu partem ejus copiarum delevit. Quo successu cùm prudentiores ipsius exercitûs duces, non ad novam pugnam tentandam, sed ad intercludendum Mauritio per terram in Ostendam aditum, utendum censerent, quo fieret ut brevi extremâ rerum omnium penuriâ premeretur; prævaluêre nihilominùs qui instandum victo & attonito hosti antequàm animos resumeret, opportunius existimabant. Quod tamen non eum exitum habuit quem hi sperabant. Quippe mutatâ, ut plerumque in bello solet, aleâ, cùm eodem ipso die hostem in desperationem penè actum aggressus esset; post acerrimam pugnam, quâ vicisse semel credebatur, reparato à Mauritio certamine, tandem majori clade victus est quàm priùs vicerat; fortiter licèt & ipse manu suâ pugnans, & ordines obeundo cunctos adhortans: donec vulnere circa auriculam accepto, precibus suorum magis quàm hosti cedens, à certamine abscessit: Mauritio recedentem potiùs quàm fugientem ne sui longiùs persequerentur inhibente, ne eodem quo Albertus errore peccaret. Periisse autem dicuntur ex Albertinis ad sex millia, (plura nonnulli ponunt) ex Mauritianis duo. Nec propterea multùm profecit in hostico Mauritius; quinimmò obsidionem, quam priùs ad Neoportum posuerat, soluere forti propugnatorum virtute coactus est; ejúsque inde discessu munitiones circa Ostendam ab Alberto structæ, quarum nonnullas ille ceperat, restauratæ, & novis præsidiis firmatæ fuêre. Facta verò sunt insuper eodem anno alia variis locis certamina terrâ marique; quæ non tanti momenti ad summam rerum extiterunt.

XIV.

Regis Scotiæ periculum a proditoribus.

In Scotiâ mense Augusti Rex Iacobus à Ruvenis fratribus Ioanne & Alexandro, Gauriæ Comitibus, quorum pater Guillelmus, quòd Henrici parentis Iacobi Regis cædi participâsse diceretur, olim Rege nondum adulto securi percussus fuerat, paternam necem in Regem optimè alioqui de ipsis meritum ulturis; specie indicandi thesauri reperti, ad Perthum oppidum in insidias ipsi paratas solus & inermis adductus; grande vitæ periculum iniit: divinitùs servatus, dum dejectione animi proditorum in ipso patrandi sceleris momento; tum Regis ipsius virtute animos ex primo pavore colligentis, & voce ac manu vim avertentis: qui accurrentibus ad tumultum aliquibus è suis, mortem effugit, quæ fratribus illata est. Cadavera eorum ignominiosè ad supplicium rapta, bona proscripta, domus solo æquata, & Ruvenorum antiquissimum nomen tanquam infame & detestandæ memoriæ omninò abolitum: decretúmque ut superstites duo fratres gentilésque omnes eo deposito maternum aut alterius familiæ adoptivæ, aliena item insignia avitis omissis sumerent. Quæ uti se habuerint, copiosè descriptum fuit, & passim vulgatum, sub nomine Gaurianæ conjurationis ab ipso Rege publicatæ: unde multi in suas Historias [b] transtulerunt.

[b] *Chytra. in Saxon. Thuan. lib. 124. & alii.*

XV.

Turbæ Hibernicæ.

In vicinâ Hiberniâ durabat [c] adhuc bellum ante aliquot annos pro religione susceptum, (rebellionem interpretabantur Angli) Hispanorum auxiliis subinde immissis, & frequentibus Pontificiis hortationibus sustentatum; præcipuo duce Hugone Tir-Oeniæ Comite religione Catholico; qui manu & astu rem feliciter gerens, magnam insulæ partem sibi propitiam habebat, profligatis non semel Proregibus Anglicis se impetentibus. Ad ejus conatus retundendos cùm anno superiori Robertus Essexiæ Comes, qui in flagrantissimâ Reginæ gratiâ fuerat, gloriæ quæ ex virtute nascitur appetentissimus, missus cum exercitu fuisset, nec tamen bellum ex voto Reginæ gessisset; inde ab eâ increpitus, in Angliam ad se purgandum à calumniis invidorum & inimicorum inopinatò & injussu rediens, custodiæ commissus est apud sigilli custodem: atque in ejus locum in Hiberniam legatus hoc anno Baro Montioius; qui rem paulò feliciùs egit.

[c] *Camden. in Elisab.*

Essexii Comitis supplicium.

Essexius autem post sex custodiæ menses auditus à judicibus delegatis, & variè perstrictus, cùm nihilominùs sui juris factus esset, rursùm quorundam suggestionibus turbida consilia agitare cœpit: ob quæ captus, & conjurationis in Reginam & regnum, seu verè seu calumniosè (multa enim sibi impacta diluit ac negavit) reus factus die 6. Martii anni proximi capite truncatus est in areâ Arcis Londinensis; gratiâ illi à Reginâ factâ ne publicè proditorum pœnâ mulctaretur. Periítque anno ætatis 33. vir omni genere virtutum, quæ nobilissimo dignæ sunt, instructus; si modum in iis servâsset, neque aulicæ gratiæ fumis & nimiis successibus corrupto ingenio, se per vastas spes in exitium præcipitâsset: ortus ex antiquâ Comitum Ebroicensium Normaniæ familiâ, regiúmque genus Angliæ à longè attingens. Cujus causâ nonnulli quoque alii plexi fuêre; ac tempestas inde cum timore expectata penitùs cessavit.

XVI.

Conventus pro pace inter Hispan. et Angl.

Hoc item anno, cùm de pace inter eandem Reginam Angliæ & Regem Hispaniæ atque Albertum & Isabellam Principes Belgii actum fuisset; rem urgente Henrico Francorum Rege pro communi omnium salute, ac cum spe fore ut hinc mitiùs cum Catholicis in Angliâ

deinceps ageretur: persuasa Regina paci intendere, Henrico reliquit ut colloquio tempus locúmque diceret: qui mensem Maium, & Boloniam maritimam ejus tractûs regni sui urbem dixit. Convenientibus ad diem condictum delegatis Reginæ, Philippi Regis, & Archiducum, ante omnia de præcedentiâ facta est quæstio; quòd Angli in mandatis haberent, ut locum honoratiorem Hispanis nullatenùs cederent, quinimmò modestè sibi vendicarent; quem & in libro Cæremoniarum Curiæ Romanæ sibi assignari, & in antiquis Conciliis tenuisse dicerent; ac prætereà esset regnum Angliæ Castellensi, cujus titulum Hispanus cæteris præponeret, longè antiquius, ungerentur Reges Angliæ, non Hispani; Iulius III. referente Volaterrano, pro Henrico VII. Anglo contra Ferdinandum Hispanum pronunciâsset; Regina & nascendi & regnandi tempore longè Hispano prior esset; (quo argumento in Concilio Basileensi contra Henricum VI. Anglum usi essent Hispani; cùm inter ipsos & oratores Henrici efferbuisset, ut aliàs sæpè inter eas nationes, hujusmodi de prioritate contentio:) denique Iurisprudentes uno ore pronunciarent, Præcedentiam, cujus origo hominum memoriam excesserit, jure constituti loco habendam esse. Tot enim argumentis sibi Anglos prioritatem vendicâsse, tradunt ipsorum historici [d] qui de hoc congressu egerunt. Quam si Hispani non cederent, Anglos in mandatis habuisse tradunt, aliquam mediam rationem proponere; putà alternam præcedendi vicissitudinem, cujus primordium sortibus permitteretur: Hispanos econtrà ad hoc exhorruisse, & non solùm non de prioritate Anglorum, verùm etiam ne de æqualitate audire voluisse: quam scilicèt si agnovissent, necesse videbant ut confiterentur Gallos superiores, quandoquidem in confesso esset Anglorum Reges Gallis semper primas detulisse. Itaque ne tractatus dissolveretur, Anglos proposuisse, ut per scripta & mutua cum Archiducum delegatis, cum quibus nulla esse posset de loco contentio, colloquia, vel per internuncios utrimque mittendos tractaretur: Hispanos verò, si convenire placeret in aliquo Hispanicæ ditionis loco, se Anglos eâ civilitatis ratione quâ quisque in suo tecto hospitem dignatur, accepturos. Sed & hæc frustrà fuisse: adeò ut post tres menses in hujusmodi disputationibus absque ullo alio operæpretio insumptos, recedentibus hinc inde delegatis, tractatus evanuerit. Ite miseri mortales, talium Principum subditi, & luite pœnam harum dolositatum, aut argutiarum! Non quin non sint jura regnorum ac principum omni ratione sustinenda ac defendenda: (hoc enim nemo sanus negaverit:) sed quòd & tractandi modus, & tractatûs exitus, manifestè docuerint convenire istos quæsisse magis ut sibi invicem insidiarentur, & pacis specie mundo illuderent, quàm ut reverâ & ex animo reconciliarentur.

DISPUTATIO INTER IPSOS DE PRÆCEDENTIA.

[d] Camden. ibid.

XVII. PAPPÆ PRODITIO A GALLIS.

In Pannoniâ mense Iunio scelus commissum est turpissimum à Gallis & Wallonibus seu Gallobelgicis militibus, quod meritissimis pœnis atque suppliciis luerunt. Pappam, præcipuum contra Turcos propugnaculum, 1200. præsidiarii prædictarum nationum tenebant, re ad Iavarinum superiore anno feliciter gestâ nobilitati, eóque insolentiores redditi. Ii, cùm stipendia in tempore non repræsentarentur, tumultuari cœperunt: & aliquoties spe proximæ repræsentationis placati, cùm verbis tantùm rem agi viderent, clàm cum Turcis vicinis Albæ-regalis consilia communicantes, urbis præfectum in vinculum conjecerunt; & electis sibi ducibus Fino & Mottâ è suo numero præfractæ nequitiæ hominibus, urbem diripuerunt; vexillum Cæsarianum, ut omnis reconciliationis spes tolleretur, Turcis tradiderunt; captivos Turcos qui in urbe detinebantur dimiserunt, & Christianos oppidanos cum liberis & conjugibus in servitutem eis prodiderunt; acceptâ ab eis parte stipendiorum, & reliquâ promissâ cùm arcem in potestatem recepissent. Cùm autem essent ex iis quamplurimi qui hæc detestarentur, ac proptereà ortâ inter ipsos divisione ad manus quoque ventum esset: de his, déque penuriâ commeatûs, aliarúmque rerum necessariarum quæ in urbe esset, certior factus Schwartzenbergius, dux ille fortissimus, quem vidimus præcipuâ eorum operâ Iavarinum Turcis ademisse; in majorem spem rem benè gerendi erectus, mense Iulio Pappam obsidione cinxit, antequàm in manus Turcorum tradita fuisset: (cunctantiùs enim & ipsi agebant, sive pecuniæ tenaces, sive Gallorum inconstantiæ diffisi) adeóque pressit, ut quamvis obsessorum eruptionibus non leviter fatigatus, in extremas tamen angustias eos redegerit. Quibus ii in desperationem acti, ultimo die Iulii eruptione noctu factâ, magnâ Germanorum editâ cæde, ipsum quoque Schwartzenbergium ad strepitum accurrentem glande trajecerunt, incredibili suî desiderio relicto. In cujus locum suffectus Melchior Rederus, qui pæstantem operam in Varadino à Turcis defendendo navaverat; & ipse paulò post in morbum incidens excessit è vivis. Eíque subrogatus Nadasdius, alius laude bellicâ dux clarissimus, meritam de sceleratis vindictam sumpsit. Quippe cùm illi post aliqua alia certamina, omni subsistendi spe dejecti, clandestinam fugam nocte noni Augusti per stagnum aquâ eductâ penè siccatum suscepissent; re cognitâ in itinere intercepti, majorem partem protriti sunt, ac crudeliter cæsi: & ex octingentis qui adhuc superabant, vix ducenti silvarum & montium, ac diversarum latebrarum beneficio evadere potuerunt: ac capti circiter nonaginta in castra retracti, qui communibus totius exercitûs sententiis, per diversa & exquisitissima suppliciorum genera lacerati & excarnificati sunt: & Pappa novo præsidio munita. Ita enim rem gestam esse, disertè scribit Isthuanffius [e]; cui præ cæteris in rebus Pannonicis deferre consuevimus, quòd Pannonius ipse esset, túncque viveret, ac penè quæ fiebant videret, essétque vir nobilis bello exercitatus: cum cæteri sub Redero rem confectam, ac longè plures ex Gallis captos, & pœnis subjectos velint: síntque etiam qui facinoris omnem culpam in Germanorum contra Gallos invidiam & ingratitudinem conferant.

[e] Isthuanff. lib. 32.

XVIII.

Sub id tempus quo hæc gerebantur, Hibraimus primus Vizir Mahometis Imperatoris Turcorum, cum exercitu Belgradum per-

venerat; cum iisdem anni superioris mandatis, ut prius pacem cum Rudolpho Cæs. facere conaretur; sin minus ut Strigonium omnibus quibus posset artibus & viribus expugnaret. Cùm autem scriptitando, & nuncios missitando, pax agitata coalescere non potuisset; castra promovere, & Strigonium versùs ducere constituens; querelis agricolarum vicina Canisæ in Stiriâ loca incolentium, de excursionibus ac direptionibus quas patiebantur ab Haidonibus grassatoribus, qui Canisæ in finibus Hungariæ & Stiriæ sitæ sua latibula habebant, eorúmque dominorum precibus commotus; acceptâ Constantinopoli invadendæ Canisæ loco Strigonii facultate, Belgrado movens exeunte Augusto, captâ in itinere Babociâ præfecti ac præsidiariorum ignaviâ, castra ad Canisam metatus est nono Septembris. Præerat oppido, & arci totâ Stiriâ munitissimæ, Georgius Paradisius è Carnis homo non magni animi, qui jam olim Clissiæ Turcis reddendæ auctor fuisset. Is nihilominùs rem initio strenuè agens, cùm subinde quodam incensi pulveris infortunio, & ducum ac militum amissione, sibi & arci timere cœpisset, (eam enim dumtaxat propugnandam susceperit, oppido, quòd simplici vallo circumdatum à paucis custodiri non posset, succenso) pro auxiliis misit.

Turci Canisam obsident.

XIX. *Ducis Mercurii irritus conatus pro ea liberanda.*

Parabantur illa sub Philippo-Emmanuele Lotharingio Duce Mercurio, Gallicis & Britannicis superiorum annorum bellis fecundissimam nominis famam apud Germanos adepto: qui post pacem cum Henrico Rege factam otii impatiens, ac Christianæ reipublicæ operam suam impendere egregio consilio deliberans, petito a Rege commeatu, & à Rudolpho Cæs. ad se invitatus; prompto animo ad eum convolavit, cum Henrico Comite Chalignio fratre suo, Ioanne Tillio Belgâ viro forti legato suo, aliisque nonnullis egregiis ducibus, & copiis selectis. Qui à Cæsare honorificè receptus, & bello Pannonico præfectus, convocatis cæteris Cæsareis ducibus ex Illyrico, copiisque omnibus in unum junctis; cum viginti quinque millibus armatorum equitum peditúmque sunt qui longè minorem copiarum summam fuisse tradant; sed Isthuanffius, ex quo hæc describimus, qui comes & socius expeditionis laborúmque fuit, eam quam diximus adstruit) medio Septembri iter Canisam versùs instituit. Cùm Semenium pervenisset, literæ ab Hibraimo allatæ sunt, quibus ad pacem æquis conditionibus animum se intenturum significabat, sed cùm rescriptum fuisset, si relictâ Canisæ obsidione locum tempúsque induciis daret, se quoque haud gravatis animis accessuros; illéque nihil ampliùs respondisset: Mercurius exercitum propiùs duxit, animo de summâ rerum cum hoste, longè licèt numerosiori, decernendi, eò quòd ob profundissimas cœni voragines, nulla vel auxiliorum vel commeatûs in arcem importandi facultas esset. Verùm hoste integram pugnam detrectante, ac tantùm per excursiones rem agente, quibus non leves nec raras clades à Christianis accepit, post multos dies iis impensos, inopiâ commeatûs in castris Christianorum sentiri incipiente, cujus comportatio per continuas Turcorum & Tartarorum excursiones impediebatur; consilium à ducibus iniri cœpit de receptu, ne cùm fame & inediâ simul & cum hoste conflictandum esset: & quanquàm ægerrimè consentiente Mercurio, quòd eo receptu Canisanos in extremam desperationem deventuros prævideret, tutâ potiùs quàm decorâ deliberatione, die decimatertiâ Octobris noctu ac silentio castra mota sunt: non sine ingenti ab hostibus periculo, qui re animadversâ Christianos difficillimo & cœnosissimo itinere laborantes insequi, & carptim invadere non cessârunt, donec in tutum pervenerunt cum omnibus tormentis & eorum apparatu; Mercurii diligentiâ ac fortitudine, qui omnium ducum judicio grandem peritiæ militaris gloriam consecutus est, cùm per tot difficillimarum rerum necessitates, ac impeditissimarum viarum anfractus, tot millibus infensissimorum hostium circumvolitantibus, incolumi exercitu, exiguo detrimento accepto, ad destinatum locum pervenit: qui si ordines severo disciplinæ præcepto servare, ac suis quà à fronte quà à tergo laborantibus subsidio accurrere, legiones & equitatum ubi opus esset in hostem vertere intermisisset, actum de toto exercitu fuisset. Paradisius autem, & qui Canisæ obsidebantur, postquàm exercitum, in quo omnem spem collocaverant, exiguo facto operæpretio, revertisse animadverterunt; rebus desperatis, quadragesimo quinto obsidionis, octavo autem post exercitûs discessum die, cum Hibraimo de deditione transigere decreverunt: arcéque tradita cum suis sarcinis omnibus incolumes dimissi sunt. Ad quod licèt Paradisius penè invitus pellectus fuisset, nihilominùs haud diù pòst nimis intempestivæ desperationis & deditionis reus convictus, capite pœnas persolvit, præcisa priùs manu. Mercurius autem, dilapsis mox Germanicis copiis, solus penè relictus, Viennam se transtulit: ibique Henricum fratrem ex morbo in castris contracto extinctum amisit.

Canisa occupatur a Turcis.

XX. *Ferdinandus Austrius hæreticos pellit a sua ditione.*

Contigit autem in eadem Stiria, ut Ferdinandus Archidux ejus princeps hoc anno quod ante biennium occœperat, perfecerit de pellendis toto Statu Confessionistis, aliisque cujuscumque sectæ hæreticis, pœna capitis tergiversantibus imposita, qui supplices libellos offerentes, in tantam impudentiam processerunt, ut minati sint, nisi Ferdinandus consilium mutaret, patientiam in furorem versum iri; populósque desperatione adactos, ad detrimentosa æquè sibi aliisque consilia respecturos, & Turcos in auxilium evocaturos. Quam expulsionem dum hæretici Iesuitarum suasionibus imputant, id faciunt, ut quod ipsi crimini vertunt, crescat eis ad meritum apud Deum, & gloriam apud veros Christianos. Quemadmodùm & cum Ferdinando divinitùs factum est, ut suo tempore ad Imperium pervenerit, & filium dignitatis successorem reliquerit.

XXI. *Sigism. Bathorii novi conatus.*

Hoc rursùm anno Sigismundus Bathorius Transilvaniæ princeps, quem superiori vidimus dimissum semel principatum resumpsisse, & resumptum iterùm dimisisse; à Transilvanis denuò quæsitus, & Ieremiæ Moldaviæ despotæ viribus suffultus, dum Transilvaniam peteret, à Michaële Vaivodâ Valachiæ qui

eam occupaverat, primùm, deinde ab eodem & Georgio Bastâ in speciem reconciliatis, Cæsaris nomine magnis cladibus hoc & subsequenti anno profligatus est: Moyses quoque Ciculo, strenuo admodùm duce, sed sectâ Arriano, & aliorum instar inquieto, qui & ipse eum principatum ambiebat, unà cum Sigismundo fugato. Post quæ iisdem Vaivodâ & Bastâ continuò in antiqua odia & æmulationes de Transilvaniâ, cujus Vaivoda proprietatem, Basta administrationem ambiebat, recidentibus; Vaivoda anno sequenti Bastæ jussu, quasi cum Turcis communicaret contra Cæsarem, proditoriè de medio sublatus est: ipséque Basta administrationem provinciæ nactus, eam duriùs & rapaciùs habuit, quàm à barbaro quovis hoste fieri potuisset. Narrantur hæc prolixè ab scriptoribus rerum ibi gestarum; sed satis perturbatè, ut erant ipsæ res perturbatissimæ. Ex quibus etiam intelligitur, Zamoscium Poloniæ Cancellarium & exercituum ductorem, Sigismundo proximâ affinitate junctum, è Poloniâ egressum, tum ut ei ferret opem, tum ut excursiones in ditionem Polonicam à Michaële dum hostes persequeretur factas ulcisceretur, Moldaviam ab eodem Michaële occupatam, ipsámque Valachiam, quæ olim imperii Polonici fuerant, in potestatem suam redegisse. Ex quibus omnibus quamplurima alia sunt deinceps orta & gesta bella. Sigismundus verò universâ provinciâ spoliatus, post biennium, novis conditionibus cum Cæsare pactis, eâ demùm seriò cessit, nunquam ampliùs eam repetiturus; arcéque Lobcoviciâ in Boëmiâ donatus, ab eo tempore in eâ provinciâ privato more assiduè constantérque usque ad obitum permansit: qui contigit ex apoplexiâ vigesimo septimo Martii anni millesimi sexcentesimi decimitertii Pragæ, fuítque honorificè sepultus in Ecclesiâ arcis sacello S. Sigismundi.

TANDEM OMNINÒ QUIESCIT.

XXII. LEGATIO PERSICA AD CÆSAREM.

Hoc eodem anno mense Novembri appulit Pragam ad Cæsarem legatio à Rege Persarum Abase: qui audiens quantâ contentione inter Cæsarem & Turcum de Hungariæ regno decertaretur, optimum duxit hâc occasione uti ad fœdus cum eo ac cæteris Principibus Christianis sanciendum contra Turcorum Imperatorem, quicum sibi bellum quoque tunc erat. Legationem igitur misit, creditam Antonio Sirleio Anglo, qui in Persidem peregrinatus auctor fuisse creditur ejus mittendæ, & Cuscinati Beg Persæ Regis consiliario. Quos Cæsar honorificè receptos, & promissis oneratos, nonnullísque muneribus donatos, ad cæteros quoque Principes ire hortatus est.

XXIII. INSTITUTIO MONIALIUM S. VRBANI.

Clemens autem Pontifex, inter illa magnæ molis negotia, quæ tum pro universarum animarum salute in celebratione Iubilei, tum pro peculiari aliquorum Principum utilitate in conciliandis omnium animis, tractâsse vidimus, alia quoque minora, aut specialiora curans; inter cætera quamplurima, suasione Cæsaris Cardinalis Baronii, tam suo quàm fundatorum Domûs ægenarum Puellarum per Vrbem vagantium, *Dispersarum* nuncupatarum, & Fulviæ de Comitibus Sfortiæ Domicellæ Romanæ, nomine exponentis multas inter eas reperiri quæ vota religionis edere vellent; monasterium instituit [f] nono Calendas Martii sanctimonialium Ordinis S. Claræ, *S. Vrbani* dictarum ab Ecclesiâ quæ eis attributa est, pro receptione dictarum Dispersarum dumtaxat, quod ejusdem Baronii & Vicarii Vrbis directioni supposuit. Quemadmodùm & quadriennio antè, nempè anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, vigesimo secundo Decembris, aliâ constitutione providerat egenis pueris itidem Dispersis vagantibus, quos Litteratus quidam nomine vir pauper sed pius, primùm colligere & in unum corpus redigere magnâ solicitudine curaverat; unde & vulgo *Litterati* dicti. Cujusmodi institutiones Dispersorum puerorum, Dispersarúmque puellarum, si per singulas urbes fierent, ut facillimum esset, non tot conspicerentur mendicabula, & nequitiarum pabula.

[f] *Bull. to. 3. Clem. VIII. const. 66.*

INSTITUTIO LITTERATORŨ PAUPERUM.

XXIV.

Idem quoque Pontifex, exemplo, ut ait, Cælestini, & Honorii, aliorúmque Pontificum, qui præcipuam nationis Scotiæ, quæ inter primas quæ fidem Christi susceperunt numeratur, jam autem hæresi labefactabatur, curam habuisse noscerentur; Nonis Decembris Collegium pro eâdem natione in Vrbe instituit [g], ac redditibus dotavit; in quo juvenes & adolescentes illius ad id idonei recipi, boníque moribus ornari, ac verâ pietate sanâque doctrinâ, & reliquis Christiano homine dignus virtutibus instrui deberent; quibus posteà in suâ patriâ collapsum fidei cultum, & avitam religionem restituere possent. Quod opus, aut certè conatus, adeò acceptus Deo esse visus est, ut præter fructus qui ex ejus collegii alumnis aut hactenùs collecti sunt, aut sperari possunt; Cardinales illi, quibus illius collegii protectio & directio commissa est, ad Summum Pontificatum evecti fuerint: videlicèt Camillus Burghesius, cui eâdem institutione Clemens eam commendavit, qui posteà Paulus fuit Papa V. & Maffeus Barberinus, qui eam à Paulo accepit, factus deinceps Pontifex Vrbanus VIII. atque hactenùs cùm hæc scribimus anno millesimo sexcentesimo quadragesimo Ecclesiam universalem regens, ut omittamus fuisse anteà & ipsum Clementem, dum Cardinalis esset, Scotorum gentis in Curiâ Romanâ patronum & protectorem.

[g] *Ibid. const. 73.*

CURA ECCLESIÆ SCOTICÆ QUAM UTILIS.

XXV.

Vrsit quoque idem Pontifex promulgationem Concilii Tridentini in Galliâ, à Rege in suâ absolutione promissam, & Religiosorum Societatis Iesu restitutionem; quæ duæ res ejus animum vehementer urebant; ut ex epistolis à Cardinale Ossato hoc anno ad Regem & Villaregium scriptis intelligitur. Ad quod utrumque cùm esset etiam Rex propensissimus; adeò ut diploma de Concilio jam subsignatum & sigillo firmatum fuisset, mittendum ad Senatum Parisiensem ut ibi promulgaretur; interruptum fuit negotium ob summas difficultates, quas superatu impossibiles in Senatu ex adversantium contradictionibus futuras nonnulli ex eorum numero Regi exposuerunt, tanquam esset Concilium regno ejúsque privilegiis & consuetudinibus perniciosissimum, cùm tamen non solùm frequentissimè Clerus Gallicanus ejus promulgationem uti prorsùs necessariam, à Regibus postulaverit; verùm etiam idem Ossatus, (quem, non magis quàm cæterum prædictum Clerum, nulli adversantium & amore in patriam, &

REX DEMOVETUR A PROMULGATIONE CONCILII TRIDENTINI.

zelo

zelo in Regis & regni bonum & commodum, ac rerum cognitione & intelligentiâ, denique & judicio cessisse quis dixerit, qui ipsius epistolas & res pro Galliâ dictas gestásque consideraverit,) de eodem Concilio ad Villaregium scribens, disertè asseruerit, nunquam se potuisse cognoscere, dictum Concilium præjudicium aliquod afferre ulli juri regio, sicut nonnulli existimabant: Regémque per ejus publicationem, alteram sibi coronam capiti impositurum: & quamvis alicui rei præjudicium afferret, posse illud promulgari cum exceptione jurium & prærogativarum Coronæ, auctoritatis regiæ, Libertatum ac privilegiorum Ecclesiæ Gallicanæ, Indultorum Curiæ, Edictorum pacificationis, aliarúmque omnium rerum quas exceptas vellent. Prævaluit tamen sententia eorum, qui Regem eâ coronâ privatum maluerunt, quàm ornatum: ut non hactenùs promulgari publicè auctoritate regiâ Concilium potuerit, etiamsi doctrina ejus & placita morum passim per universam Galliam, æquè ac in cæteris regnis serventur. Quod restitutionem Iesuitarum spectat; fuit ea quoque in aliquot annos dilata; sed ut cum majori eorum gloriâ fieret: de quo dicetur suo loco.

XXVI. Clemens permittit omnium Ordinum religiosis ad Indias Orientales navigare.

Cæterùm non tantùm quæ proxima erant curans Clemens Pontifex, sed etiam de remotissimis, pro universalis pastoris munere solicitus; cùm postquàm fides Christi annunciari Iaponibus cœpisset, Gregorius XIII. considerans id ministerio & operâ religiosorum Soc. IESU factum fuisse; hâc aliísque de causis motus sub gravibus pœnis prohibuisset, nequi cujuscumque gradûs, conditionis, ordinis, tam sæculares quàm regulares, ad provincias Iaponicas Evangelii prædicandi, vel doctrinam Christianam docendi, aut Sacramenta ministrandi, aliáve munia Ecclesiastica obeundi causâ, sine suâ & Sedis Apostolicæ expressâ licentiâ proficisci auderent: jam idem Clemens, (ut ipsemet prædicta exponens suâ constitutione narrat) à Philippo Portugalliæ & Algarbiæ Rege Catholico (his enim dumtaxat titulus indigitat, quòd ageretur de Indiis Portugalensibus) monitus, ad eas, aliásque vicinas regiones ac provincias amplissimas Indiæ Orientalis ad fidem traducendas, & spiritualibus alimentis fovendas, plures ministros necessarios esse quàm ex prædictâ solâ Societate haberi possent; omnibus & singulis Mendicantium Ordinum Superioribus generalibus concessit, ut cùm necessitas postularet, Ordinum suorum spectatæ vitæ & eruditionis religiosos, ac prædicta ministeria idoneos, per Lusitaniam dumtaxat, & susceptâ inde navigatione in Indias, & civitatem Goam, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere; & tam ipsi sic transmittendi, quàm alii in iisdem Indiarum partibus existentes, ad id electi, tam ad Iaponicas, quàm ad alias proximas & adjacentes, etiam Chinæ & finitimorum ac Terræ Firmæ Indiæ Orientalis insulas, regiones, & provincias accedere possent, monitis salutaribus additis, quibus ii in ejusmodi missionibus se gerere deberent: & cum absolutâ prohibitione, nequi ex insulis Philippinis, sive quâlibet aliâ Indiarum Occidentalium parte, ad prædictas Orientales ad ea præstanda transire auderent, ne scilicèt confunderentur partes regnorum Castellæ & Lusitaniæ: quæ licèt omnes æquè uni eidémque domino Regi Hispaniarum subsint, Lusitani tamen eas distinctas manere, in aliquod suæ servitutis solatium concupiscunt.

XXVII. Controversia de Sebastiano redivivo.

Affulserat eis hoc tempore spes ingens regni & Regis sui recuperandi; cùm jam ante biennium prodiisset quadam, qui se Sebastianum, qui dicebatur prælio cum Mauris in Africâ anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, conserto occubuisse, asserebat. Accesserat autem Venetias ad finem anni millesimi quingentesimi nonagesimi octavi, & cùm ex ætate, staturâ, effigie, corporis lineamentis & signis diversis, sermone, verum qui fuerat olim Sebastianum referre visus, multa etiam meminisset dicta, facta, gesta, privata & publica veri Sebastiani variásque negotiationes cum pluribus, ipsísque etiam Venetis, habitas, quæ vix ab aliquo suppositio sciri possent: fidem adeò apud multos invenerat, ut quidam Lusitani qui Venetiis erant, ac Sebastianum de facie novisse dicebant, nihil dubitarent quin ipsissimus esset ipsorum Rex. Quod cùm & passim vulgaretur, & à multis majoris notæ crederetur, orator Philippi Regis, ne obscura initia in majus aliquid erumperent, comprehendi hominem flagitavit. Qui carcere inclusus, & coram judicibus interrogatus, absque hæsitatione se Sebastianum Lusitaniæ Regem esse affirmavit: prælio Africano captum, miraculo è servitute ereptum fuisse; ac pudore illius expeditionis adeò leviter à se susceptæ, & infeliciter confectæ, reditum in regnum vitâsse; complures annos ignotum victitâsse, varias Africæ atque Asiæ regiones peragrâsse: inde vivido juventæ flore amisso, magnis incommodis ærumnísque confectum adultam faciem induisse, atque in Europam redire, Principibúsque sese patefacere, & Lusitaniæ regnum à Philippo repetere decrevisse. De quibus cum Senatus, ob multas probabiles rei conjecturas, & interposita rationum momenta, ambiguus hæreret; demùm post biennalem carcerem, exeunte hoc anno hominem dimisit, conditione adjectâ ut intra octiduum totâ Reip. ditione excederet. Qui cùm in Lusitaniam concedere vellet, ubi jam non parva commotio populorum erat, itinere per Etruriam delecto, jussu Ferdinandi magni Ducis retentus est principio anni subsequentis, & poscentibus Hispanis traditus: Ferdinando non parvam sibi inde concitante invidiam, quòd miserum hominem, cui Veneti pepercerant, prodidisset. A quibus Neapolim ductus, post diversas multi temporis interrogationes, militari judicio tanquam impostor per vicos asello impositus ignominiosè traductus est; tonsáque barbâ ac capillitio, remo in prætoriâ trireme mancipatus. Indéque pòst in Hispaniam delatus, & in arcem conclusus, sive accelerata, sive naturali morte, tragœdiis in regno Lusitaniæ quotidie ex eâ causâ exorientibus finem imposuit. Pro quo prodierunt à nonnullis Lusitanis scripta publica: quibus inutili labore & eximium suum in patriam ac Regum suorum memoriam amorem, & implacabile in Castel-

lenses odium confirmârunt, cùm alioqui ob quamplurima alia, quæ tot ejus assertionibus & indiciis opponebantur, pluribus persuasum fuerit, extitisse eum insignem impostorem, natione Calabrum à nonnullis Lusitanis ad hoc suscitatum, ac nihilominùs non parva subierit multos admiratio, quòd Hispani, quos non tantâ mansuetudine natura dotavit, non pro ingenio suo aut culpâ ejus, severiùs cum eo egerint, sed ludibriis tantummodò nonnullis affectum in custodiâ detinere satis habuerint; tanquam verum quidem agnoscerent Sebastianum, sed dimittere nollent quæ semel occupaverant; quod necesse fuisset, si eum liberum reliquissent.

XXVIII. Portæ Sanctæ clausura. Debuerat de more claudi Romæ Porta Sancta pro fine Iubilei universalis, post primas vesperas Natalis Domini; quo tempore & aperiri consueverat. Sed quoniam in hoc postremo, ob morbum Pontificis, ut vidimus, non potuerat illa aperiri nisi ultimo die anni; decreverat Clemens etiam in similem præsentis anni ultimum diem, ne quid anni Sancti integritati deesset, clausuram ejus differre. Verùm & tunc gravibus chiragræ doloribus correptus, nonnisi decimotertio Ianuarii proximi in octavâ Epiphaniæ, id perficere potuit; durante interim indulgentia Iubilæi quæ tunc finem accepit. Cui actioni & nos interfuimus, cùm ad finem Novembris præsentis anni, die festo S. Catharinæ Romam pervenissemus in comitatu Eminentissimi Cardinalis Surdisii; qui anno superiori in sacrum collegium allectus, ad Limina tunc primum venit. Concessit Clemens gratiam Iubilei in annum proximum nonnullis regnis ac provinciis ad certum tempus: sed parcè ne vilesceret, ac reliquus Orbis Vbi adæquaretur. Fuit in Galliâ primùm Aureliani, quò Rex cum Reginâ peregrinatus est; deinde Parisiis, incredibili utrobique è toto regno concursu.

XXIX. Finis Operis. In quo decretum nobis finem imponere huic nostro labori; quem ad gloriam Dei, ejúsque Ecclesiæ utilitatem, libenter suscepimus, & quamplurima spineta in hunc usque placationis ac propitiationis annum deduximus. De quo plura hîc non addimus, cùm satis sint quæ in præfatione operis prolusimus. Laus DEO Trino & Vni; qui quod dedit velle, dedit & perficere: ac Beatissimæ VIRGINI, cujus auspiciis res acta; & cujus patrocinio nosmetipsos toto corde & animo, ac nostra omnia commendavimus semper, & porrò commendare omni cum subjectione pergimus: venerantes ac deprecantes cum sanctâ Ecclesiâ, ut quæ reliqua nobis est, vitam præstet puram, iter paret tutum, ut videntes IESUM, semper in societate beatorum collætemur, ipsúmque collaudemus in æternum. Amen.

ADMONITIO AD SEQVENTIA.

QVAMQVAM dimisisse omninò lectores visi sumus in fine superioris anni sæcularis; ne tamen vacuos penitùs quoad reliqua quæ usque in annum millesimum sexcentesimum quadragesimum, quo hæc vulgamus, gesta per orbem fuêre, abire sinamus; summatim addere visum quæ Pontificum ac Principum successiones, regnorúmque mutationes ac rerum eo genere præcipuarum toto orbe gestarum seriem ob oculos ponant; sintque velut futuræ historiæ indices, sive illa fortè à nobis ipsis, sive à quovis alio pleniùs tractanda venerit: Si tamen priùs, ut nonnullis hoc scire cupientibus, atque ab aliis sciri pretium existimantibus, fiat satis, judicaverimus uno obtutu, quinam Principes regio titulo, aut parili auctoritate, Europæ eodem anno 1600. dominarentur, sic enim futurum ut successiones faciliùs mente & memoriâ comprehendantur. Qui autem Catholicam religionem profitebantur, hi præcipuè fuerunt.

PRINCIPES REGNANTES ANNO M. DC.

CLEMENS VIII. ROM. PONT.

SVMMUS *omnium Pastor ovium* CHRISTI, *ejúsque vices in directione fidei & morum universum per orbem gerens successor* PETRI *Apostolorum principis, & Ecclesiæ Catholicæ visibile Caput:* CLEMENS *eo nomine Octavus; quem vidimus in Cathedra Petri sedere cœpisse anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, tertio Calendas Februarii, ætatis suæ quinquagesimo sexto; unde facilè colligas, quot annos ætatis & Sedis hoc tempore haberet, cujus labores pro Ecclesia & pace susceptos, virtutes, merita, & laudes non sufficit oratio nostra repræsentare: sunt singuli anni qui delineent; finis coronabit, quem suo loco indicabimus. Dominatur etiam per se temporaliter antiquissimæ ac nobilissimæ totius orbis Vrbi* ROMÆ, *ac peculiari ditioni Ecclesiæ Romanæ, quæ latè per Italiam extenditur; præter alia quorundam regnorum ac provinciarum feuda, quæ beneficiario ac clientelari jure per nonnullos principes sub ejusdem Ecclesiæ auctoritate possidentur.*

RUDOLPHUS II. IMPER.

RUDOLPHUS *Cæsar eo nomine Secundus, titulo Romani Imperii magis quàm re gaudens; quippe quod adeo dilaceratū sit, ut umbra tantum ejus superare videatur: cujus nihilominùs majestate primas tenet inter omnes Principes Christianos, potentiores licèt ipso valdè, potens tamen & ipse regnis Hungariæ & Boëmiæ, alisque ditionibus hæreditariis pacis quàm belli studiosior nec tamen desinens Turcorum impressiones per suos fratres Matthiam & Maximilianum Archiduces, aliósque strenuos duces retundere, sedens interim ipse immobilis, ac penè delitescens Pragæ Boëmiæ. Cœpit regnare à morte Maximiliani II. patris, anno 1576. 4. Idus Octobris, ætatis anno vigesimo quinto.*

HENRICUS IV. REX FRANC.

HENRICUS *hujus nuncupationis Quartus Rex Francorum Christianissimus,* MAGNI *cognomen meritissimè adeptus virtute militari, & civili prudentia, atque admirabili benignitate, ingentibus denique rebus pace belloque, manu & consilio gestis, quarum bonam partem indicavimus superius magis quàm descripsimus; quæ fusiori fuissent digniorique stylo explicandæ: monstrorum domitor, regni restaurator, orbis terror & arbiter. Regnum suscepit à nece Henrici III. anno 1589. 4. Nonas Augusti, anno ætatis 36.*

PHILIPPUS III. REX HISPAN.

PHILIPPUS III. *Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus ac potentissimus; pietate & æquanimitate in adolescentiâ præstans magnamque de se expectationem concitans: atque interim amplissima sua regna & dominia per suos quà legibus quà armis summa auctoritate in officio continens. Patri Philippo II. successit anno 1598. Idibus Septembris, ætatis anno 20.*

SIGISMŪDUS III. REX POL.

SIGISMUNDUS III. *Poloniæ gloriosissima electione Rex, Sueciæ jure naturali & hæreditario; fortitudine & magnanimitate insignis: sed non adeò liber in Polonicis rebus dirigendis, quod regnum illud aristocraticum ferè sit magis quàm monarchicum, in quo Senatus auctoritas longè præpolleat: In Sueco autem infelix, ob proditionem patrui sui Caroli Sudermaniæ Ducis hæretici; & rebellionem Suecorum à fide Catholica pariter deviorum, cujus Sigismundus cultor eximius. De quibus dictum superius suis locis, dicetúrque deinceps Electus fuit à Polonis in locum defuncti Stephani Bathorei, anno 1587. mense Augusti: Ioanne III. patre in Suecia defuncto mense Novembri anni 1592. coronam accepit 1594. Februario: natus 20. Iunii 1566.*

MARINUS VENET. PRINCEPS.

Inclytæ Venetorum Reipublicæ, à potentia & forma regiminis toto orbe celeberrimæ, regiísque privilegiis gaudentis ob regna quæ olim possedit, possidétque hactenùs, Princeps hoc tempore erat MARINUS GRIMANUS: *quem vitæ innocentissimè acta fama, insita affabilitas, ingenua in sententiis cum eloquentia libertas, magistratus varii cùm domi tum foris præclarè gesti ad eam dignitatem extulerant; quæ ei communibus electorum suffragiis 5. Cal. Maii 1595. collata est, post obitum Paschalis Ciconiæ; tanta civitatis lætitia, ut insuetis acclamantium populorum vocibus, illius ac familiæ antiquissimæ undique nomen personaret; vir maturâ ætate; quali solent principes à prudentibus Senatoribus eligi, ut usu rerum edocti utilius rem publicam administrent.*

SIGISMI TRANSILVAN. PRINCEPS.

Transilvaniam, ac proximas provincias hæreditarias Regio titulo à decessoribus possessas, agitabat magis quàm regebat fluctuantissimus SIGISMUNDUS BATHORIUS, *filius Christophori, fratris Stephani Regis Poloniæ, qui cùm totam Europam ob insignes victorias de Turcis partas nominis sui splendore illustrasset, dein grandi sua inconsideratia, seu fuerit animi per sortilegia perversio, tam se, quàm patriam, universamque Hungariam, in maxima*

infortunia præcipitavit. Natus anno circiter 1572. patri defuncto successerat 1581. de cujus rebus satis superius.

Adnumeramus & inter regios, Sabaudiæ Ducem Principem Pedemontanum, non tam ob ditionis amplitudinem, quàm ob certum & indubium jus in antiquum Cypri regnum, cujus causa jam sibi isti principes Celsitudinis Regiæ *titulum attribuere gaudent: nec nos detrahere volumus, aut alii invidere debent. Erat autem hoc tempore princeps* CAROLUS EMMANUEL, *annum agens 40. & dominationis 20. quippe qui natus 1561. patri Emmanueli-Philiberto successit 1580. Ingentis planè animi princeps, sed supra vires ambitiosi; cujus animo si vires pares fuissent, vix suffecisset ei imperium Europæ. Sed in parte secundissimæ fortunæ esse debuit, quòd ausus unum Francorum Regem improvidè lacessere, ab altero justâ ultione domitus, salvus evadere permissus fuerit.*

CAROLUS EMMANUEL SABAUD. PRINCEPS.

Quis non & adnuat, ut in regiorum Principum numero constituamus Archiduces ALBERTUM & ISABELLAM, *florentissimis quondam Belgicis provinciis dominantes; illum fratrem Rudolphi Cæsaris, hanc sororem Philippi Regis Catholici? Nisi fortè Geusios excipias Protestantes hæreticos; qui sicuti à Deo & Ecclesiâ defecerunt, ita civile imperium, quod priùs legitimum agnoscebant, omnéque jugum superioritatis excusserunt. Obtinuerunt autem ipsi Archiduces Belgium cessione Regum Hispaniæ anno 1598. agens tunc ipse unum & quadraginta annos, ipsa triginta quatuor, pietate ambo & consilio præstantes: illéque etsi in rebus Ecclesiasticis educatus, regendis tamen populis adhibitus peritia quoque rei militaris excelluit; illa prudentia supra sexum prædita, patri in tanto administrando imperio adjutrix usque ad illius obitum extitit.*

ALBERTUS ET ISABEL. BELGII PRINCIPES.

In Tuscia Magni Ducis titulo (Regium etiam Pius V. tribuere in animo habuerat) imperabat FERDINANDUS, *olim Cardinalis, nullis sacris ordinibus initiatus, qui Francisco fratri sine maribus defuncto (feminas enim reliquit Eleonoram Ducissam Mantuæ, & Mariam Reginam Galliæ Henrici Magni conjugem) successit anno 1588. annum ætatis agens quinquagesimum secundum: Princeps multa prudentia & æquitate præstans.*

FERDIN. MAGNUS DUX ETRUR.

Illustrissimæ ac nobilissimæ, multorum Regum atque etiam Imperatorum progenitricis familiæ Lotharingicæ princeps fuit hoc tempore CAROLUS III. *antiquissimus principatu omnium totius orbis principum supremorum hodie imperantium; quippe qui penè in cunis patri Francisco successerit; agens jam annum ætatis quinquagesimum septimum: nec minùs prudentia, fortitudine, & consilio, quàm nobilitate sanguinis & forma corporis decorus.*

CAROLUS III. DUX LOTHAR.

Illustrissimi, & toto orbe cæterorum omnium longè celeberrimi, Hospitalariorum *Militum seu, ut vocant, Equitum* Melitensium *Ordinis, (qui & ipse jure merito regius dici potest, quòd ex cunctis Christiani orbis Regum familiis magni principes in eum admitti magno honori sibi ducant; sítque ob amplitudinem, qua universas Europæ provincias complectitur, omnibus Regibus singulari commendationi, simul & venerationi) princeps, seu Magnus Magister erat adhuc* MARTINUS GARCIAS *natione Aragonius; summa prudentiæ ac moderationis laude in provecta ætate ordinem à quinquennio regens. Cui ad principium anni sequentis defuncto suffectus est* Adolphus Vignacurtius *Gallus è Picardia vix quinquagenarius, excursionibus contra Turcos clarus.*

MARTINUS MELIT. MAGISTER.

Hinc ad Allophylos transeuntibus, prima sese offert & claritudine imperii, & ætatis prærogativa, Elisabetha *Angliæ & Hiberniæ Regina, nata Septembri 1533. & post obitum Mariæ sororis quæ contigit Novembri 1558. in regnum admissa: fœmina multis egregiis naturæ & proprii studii dotibus ornata, regiminísque peritissima, sed nimium quàm violenti & sanguinarii: quale ferè oportuit in vitio natalium quæcumque etiam tuta à legitimis hæredibus timente; & in sexu debili, contemni à suis metuente; necnon in damnata à Romanis Pontificibus ob persecutionem in Catholicos, ac propterea mala semper sibi inde suspicante; denique anxia à frequentibus in se conspirationibus internis & externis. Cujus & consiliariorum deliciæ fuisse videntur, adulatio, sævitia, accusationum & calumniarum admissio; indéque sanguinis nocentis juxtà & innocentis ferè indiscriminatim, nobilisque & ignobilis effusio, adeò ut quod id multoties, vel ex falsis, vel ex incertis suspicionibus fieri contigerit, non tam ad crimen aut infamiam, quàm ad innocentiam & claritudinem nominis, pleraque ejusmodi supplicia irrogari visa sint.*

ELISABETHA REGIN. ANGL.

IACOBUS VI. *Rex Scotiæ, filius illustrissimæ Martyris* Mariæ, *natus mense Iunio anni 1566. & in media hæresi ritu Catholico baptizatus opera matris, parva posteà educatione, dum mater captiva detineretur, à perfidissimis subditis in hæresim Calvinianam abreptus: ac variis factionibus agitatus, interceptus & conjurationibus impetitus, divina providentia servatus est. Fuit literis apprimè excultus: & regnum hinc à factiosis, illinc ab Anglis turbatissimum, utcumque composuit, & qua potuit industria administravit. Inauguratus in cullis in anno 1567. post coactam matris renunciationem, legitimè solus illud regere cœpit à martyrio matris, anno 1587.*

IACOBUS VI. REX SCOT.

CHRISTIANUS IV. *Rex Daniæ & Norvegiæ, Lutheranorum coryphæus, natus mense Aprili anno 1577. patri Friderico II. successit mense Aprilis 1588. adjunctis illi donec adolesceret quatuor præcipuis consiliariis, qui interim rempublicam administrarent: ideóque coronatus tantummodò Aug. 1596. anno ætatis 20. Vivit pacificè in regno suo; affinitate auctus prædicti Iacobi Regis Scotiæ qui sororem ipsius Annam conjugem duxit 1589.* Carolum *Sudermaniæ Ducem Lutheranum vel Calvinistam, aut utrumque, nisi malis, atheum, non licèt modo inter Reges connumerare: quippe qui nondum id nominis, anno sæculari usurpaverat: etiamsi jam tunc Sueciam regiè administraret, patruo suo Sigismundo Regi Poloniæ, legitimóque Suecia abrogata, ut vidimus superius, à perfidissimis subditis auctoritate. Fuit autem homo immodicæ ambitionis, præcipitis iracundiæ, sævæ crudelitatis, & & intemperantis linguæ ac vitæ.*

CHRISTIANUS IV. REX DAN.

CAROLUS SUEC. USURPATOR.

Moscorum & Russorum amplissimum Imperium fide, ac fraude Græca occupasse vidimus,

BORISIUS MOSC. PRINCEPS.

post Theodori obitum, Borosium Phedorowitz Godunow, anno 1598. jam ætate maturum. Qui timens sibi ab æmulis, Rodulphum Cæsarem, aliósque Principes, legationibus ac muneribus, specie fœderis contra Turcos, sibi conciliare conatus est: homo admodùm crudelis, ac versipellis; magis de regno quàm de religione, quam Græcanicam profitetur, solicitus.

CASIS TARTAR. PRINCEPS.

Ex Mahometanis primi occurrunt Moscis finitimi, Tartari Præcopenses. Quorum principem repetimus vocatum fuisse hoc tempore Casin. De gente nihil est quod dicamus, cùm satis notæ sint quibusvis ejus grassationes, excursiones, vagationes, denique tartareæ crudelitates. Militant plerumque Turcis. Estque adeo arctis fœdus inter ipsos, ut cujus alterutrius Imperii principum successionem deficere contigerit, ex altera suppleri debere dicatur.

MAHOMETES III. TURC. IMP.

MAHOMETES III. Turcorum Imper. & sectæ Mahometicæ primarius princeps, præter latissimum in Asia dominium, sedem Imperii Græcanici Constantinopolim, unà cum plurimis Europæ provinciis, magno Christianorum Principum dedecore possidens; post mortem patris sui Amuratis III. Ianuario 1595. ætatis suæ 31. regnare cœpit: sed ita ut qui prius animi ferocitate & armorum appetentia, suos magna triumphorum spe, Christianos & Persas non parvo futurarum cladium terrore impleverat, posteà in luxuriam, desidiam & ingluviem prolapsus, contemptus his & illis fuerit. Expeditionem duxit ipsemet in Hungariam, sed non magno successu, pergitque adhuc per suos Hungariam & Illyricum vexare, at ferè majori damno quàm lucro: manifestissimo exemplo, posse facilè tremendum hoc imperium conteri, si essent qui animis & viribus, junctis contere re vellent.

SCHA-ABAS REX PERS.

Clamabat id quidem hoc eodem tempore Scha-Abas Persarum Rex latè & ipse in Asia imperans, missâ legatione ad Christianos Principes, de cujus ad Cæsarem adventu dictum nuper. Apulit eadem posteà Romam, benignè à Pontifice excepta mense Aprili proximi 1601. cujus solemnem ingressum magno honore factum nos tunc ibi existentes conspeximus. Sed audi rem ludicram, qui mittebantur ad pacem inter Principes Christianos conciliandam, eosdémque cum Persa adversus Turcum colligandos; iidem ipsi, qui soli duo erant legationis duces, unus Anglus, alter Persa, tanto inter se consensu agebant, ut in ipsa Roma, in conspectu omnium, & cum equitandum fuit apparatè, & cùm adeunda domus ipsis instructa, sese mutuò pulsaverint, læserintque pro honoris prærogativa: quam quidem Anglus, utpotè sermone, & vafritie, atque agilitate potior, vi sibi usurpavit sed itaut & separatim à Pontifice audiri, & habitare habuerint. Abi igitur tu Rex Aba, cum tuis jactantiis & gloriationibus quibus per eosdem legatos significabas, te jam Siruanam provinciam recuperasse, & Georgianos, Mingrelios, Circassios populos, ac nonnullos provinciarum Asiaticarum præfectos Turcicos, in partes tuas traduxisse, ac de aliis spem haud exiguam concepisse, cùm nec duos tota potentia tua mittere potueris, qui concordes essent ad hac enarranda, multo minus persuadenda Principibus Christianis. Res tuas tibi habeto: & age quòd agis. Politiores sunt nostri Principes ac civiliores, quàm ut vestris barbaricis unionibus & colligationibus adhæreant. Nec remota nobis cordi, sed proxima, quæ ad res nostras quadrent, non quæ ad alienas. Sicut tu, etiamsi inter multa tua vitia non paucis virtutibus præditus dicaris ab iis qui de te scripserunt, non tamen Dei causa bellum geris contra Turcos, sed pro Imperii tui dilatatione aut defensione, & pro tuis commodis, aut demum odii ex æstuatione; ita & nos vix unquam de Deo in nostris dissensionibus ac divisionibus cogitantes, nisi nos Turcus aut alius quivis Christiani nominis hostis fustibus ceciderit, & pedibus conculcaverit, parum curabimus quid aliis ejusdem nobiscum fidei ac religionis professoribus fiat. Ambitio, avaritia, cupiditas, concupiscentia, odium, ira, impotentia animi, vani prætextus, insanabile imperandi cacoëthes, & alia ejusmodi symptomata, floralia nostra sunt & delectamenta, quibus recreamur, & vivimus. Vt non mirari habeas, si nunc quoque, sicut alias semper, tua ista legatio absque ullo fructu evanuerit.

RIDICULA DISCORDIA LEGATORUM EJUS AD PONTIF.

Quòd verò hujus legationis occasione, extra Europam excurreximus ad indicandum hujus temporis Regem Asiæ, qui cum Europeis frequenter agere consueverit: ne & Africam cum Christianis Europeis pariter communicantem intactam relinquamus, monebimus adhuc ibi regnasse Xeriphum Hametem; qui post partam anno 1578. famosam illam victoriam Alcazariensem, in qua tres Reges occubuerunt, quorum unus fuit Sebastianus Portugalliæ, successit fratri suo Abdelmelecho ibi quoque extincto, in regnis Maroci & Fessæ Mauritaniæ: quique hoc tempore reperitur literas accepisse à Mahomete Turcorum Imper. pro liberatione Francorum qui in ejus regnis captivi detinebantur, ac libertate commercii cum eis: & legationem in Angliam misisse ad amicitiam Reginæ ambiendam, latè imperans, & Mahometis superstitioni addictus; haud exiguas molestias à filiis Abdemelici regnum repetentibus passus.

HAMETES XERIPHUS REX MAROC.

Fecit regum sive Imperatorum Æthiopiæ, Preteianum dictorum, apostasia à fide Christiana, & obedientia Sedis Apostolicæ, de qua dictum sub anno 1555. ut ultimo loco memorentur; qui si in professa olim tanto fervore religione perseverassent, debuissent inter primos collocari. Ac nisi qui modo regnabat spem dedisset reductionis ad viam, penitùs à nobis prætermissus fuisset; utpote constitutus extra limites quos nobis præscripsimus. Erat autem is nominatus Seltanus Cogetus Sequeda, (ut ex Historia Æthiopica cognovimus) qui unà cum fratre Elâ Cerachristo, ope Patrum Soc. Iesu, decrevit errores abjicere, ac fidem recipere. Idque adeò præstitit, ut intra paucos annos ferè universum Abyssinorum Imperium ad viam veritatis reductum fuerit. Quod sub Vrb. VIII. præcipuè contigit: qui petitos à Patriarchâ Catholico typos libris Æthiopicè edendis transmisit.

COGETUS SEQ. ÆTHIOP. REX.

PROLVSIO AD SÆCVLVM XVII.

AN. M. DC. I.

I. His igitur anno Christi 1601. Indictione decimaquartâ præcipuas orbis partes regentibus, facta sunt quæ superiùs ex aliarum narrationum concatenatione præmisimus de clausurâ Portæ Sanctæ Iubilæi; pace inter Regem Francorum & Ducem Sabaudiæ; Essexii Angli supplicio; parte rerum Transilvanicarum; comprehensione asserti Sebastiani Regis Lusitaniæ per magnum Ducem Etruriæ, & traditione in manus Hispanorum; déque appulsu legatorum Persarum in Vrbem.

II. Exitus Legationis Persicæ. Cujus quidem legationis hic demùm exitus in Italiâ fuit, ut post emuncta per singulos oratores separatim à Pontifice non pauca aureorum millia, Anglus ludificatis aliquibus ex suis, quibus obæratus erat, rectâ Persidem repetere velle dixerit, aut finxerit: Persa, cùm semel in Galliam ire decrevisset, aut verò simulâsset, in Hispaniam perrexerit inutili uterque labore tanta itinera emensus, nisi quòd tres Persæ è comitatu Legati Romæ permanserunt; & instructi in fide, ab ipso Pontifice baptizati fuerunt.

III. S. Raimundi canonizatio. Præter hæc ibidem Romæ, inter alia plurima, 29. Apr. Dominicâ in Albis, *Raimundus Peniafortius* Barcinonensis Catalanus, ex Ordine S. Dominici, ante 325. annos mortuus, (de cujus pietate & sanctis operibus actum sæpè in nostris Annalibus) in vitâ & post obitum miraculis conspicuus, relatus est solemni ritu à Clemente Pontifice in Sanctorum catalogum, statuto ei festo die septimâ Ianuarii. Idemque Pontifex constitutiones edidit super receptione & educatione novitiorum Religiosorum. Ad gravissimos motus & asperas contentiones inter sacerdotes seculares & Patres Societ. Iesu in Angliâ, de obedientiâ Archipresbytero ibi operâ dictorum Patrum constituto reddendâ compescuit, moderata ejus auctoritate. *Clemens dissensiones Angl. cōpescit.* Cujusmodi hujus anni decretum, firmiùs sequenti stabilivit alio explicatiori. Mirúmque sanè, potuisse inter tot turbas, læsâ vehementissimè charitate fidem conservari illibatam. Earum nihilominùs occasione, quæ non potuerunt non manifestari, Regina novo edicto omnes proscripsit; non sine aliquorum sanguine.

IV. Colloq. Ratispon. inter Cathol. et Protest. Colloquium Ratisponæ ad finem Novembris cœptum, & aliquot dies continuatum, inter Doctores Catholicos Bavaricos Maximiliani Ducis, & Confessionistas Palatinos, Saxonicos, Brandeburgicos, & Wirtembergicos, à Principibus Protestantibus missos sub tutelâ Philippi-Ludovici Neoburgici Palatini agnati Maximiliani, qui cum eo interfuit. Disputatum de Normâ fidei & Iudice Controversiarum: ac post quatuordecim sessiones longásque altercationes, re tandem infectâ colloquium dissolutum fuit; publicatáque ab utráque parte ejus acta.

Albertus Archidux Belgii princeps, à Flandriæ Ordinibus jam pridem sollicitatus, consilium de Ostendâ obsidendâ, (oppido munitissimo in littore Flandrico ad occasum posito, & ab Ordinibus Batavicis detento) sæpiùs agitatum, & olim à Parmensi tanquam eventûs dubii rejectum, tentare statuit: castráque ad eam posuit ineunte Iulio. Quæ obsidio ad quartum usque annum continuata est, magnis utrimque laboribus ac detrimentis, quod obsessis commeatus & auxilia mari undique tutò ferè immitterentur continuè. Sunt autem obsidionis è multis sæculis longissimæ ac celeberrimæ Diaria, quæ singula doceant. V. Ostendana obsidio longissima.

Canisam quoque anno superiori à Turcis captam, præsenti Ferdinandus Archidux, cum auxiliis Pontificiis ac Principum Italorum, obsidione cinxit mense Septembri; sed post graves molestias, ac mortem plurimorum; pluviarum inundatione, & intentissimi frigoris vehementiâ, coactus est post duos menses, magnâ confusione, nec minori dedecore recedere; tormentis & impedimentis, unà cum ægrotis ac vulneratis ludibrio hostium dimissis. VI. Canisana obsidio irrita. Dux verò Mercurius Cæsari militans Albam regalem in Hungariâ eodem Septembri vi cepit; & advenientem numerosum Turcorum exercitum ad eam recuperandam, semel iterúmque profligavit. Albæ-regalis expugnatio.

Carolus Dux Sudermaniæ patruus Sigismundi Regis Poloniæ & Sueciæ, de cujus defectione diximus, Livoniam sibi asserere cupiens, magnis cladibus à Polonis affectus fuit: capto etiam ab eis Carolo ipsius filio notho. VII. Suecorū clades a Polonis.

Hispani Duce Ioanne d'Aquilâ in Hiberniam Septembri mense exscendentes, ad auxilium Tir-Oeniæ Comiti & Catholicis ferendum, non multum subsidii ab iis accipientes, profligati sunt ab Anglis; & qui superfuerunt deditione factâ ad sua remissi: Hibernis indignanter frementibus, quòd omnia castra & propugnacula in fidem accepta, Anglis ex pacto in manus tradiderint. VIII. Hispanorū in Hibernia irritus conatus. Vnde & factum est ut & ipse Tirœnius paulò post armorum vi se subjicere coactus fuerit, factâ ei à Reginâ præteritorum gratiâ. Missa quoque Augusto mense à Rege Hispaniæ classis septuaginta triremium duce Ioan. Andreâ Aureâ ad expeditionem Algerianam in Africâ, re infectâ, domum rediit.

Philippo Regi nata est in Hispaniâ vigesimo secundo Septembris die S. Mauritio sacro, primogenita filia, cui nomen *Annæ-Mariæ-Mauritiæ* inditum. IX. Natales dies liberorū Regū Gall. et Hisp. Et quinto pòst die, nempè vigesimoseptimo ejusdem mensis, festo Sanctorum Cosmæ & Damiani, Henrico Regi in Galliâ primogenitus Delphinus; quem in cæremoniis baptismi de sacro fonte levavit posteà Paulus Papa V. ministerio Cardinalis Ioiosæ, Legati à latere ad id specialiter constituti; Eleonorâ Vincentii Mantuæ Ducis conjuge, Reginæ sorore natu majore, matrinæ

munere defungente: cui *Ludovici* nomen inditum. Fertur, Henricum patrem ejuſdem recèns nati dexteræ gladii capulum inſeruiſſe; precatum ut ad Dei gloriam & regni commodum firmatâ ætate uteretur. Quod equidem ipſum abundè præſtitiſſe, ac porrò præſtare, ſuis locis viſuri ſumus: ſicuti & par iſtud Infantium regiorum quorum nativitate univerſa Europa Christiana exultavit, ſacro matrimonii vinculo junctum eſſe.

M. DC. II.

I. CONFESSIONIS PER LITERAS PROHIBITIO.

ANno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Indictione decimaquintâ, die vigeſimâ Iulii, prodiit declaratio Clementis Pontificis de Confeſſione ſacramentali, quam per literas ſeu internuncios confeſſariis abſentibus licitè fieri poſſe, à quibuſdam aſſerebatur. Eam verò aſſertionem ipſe, uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam, omninò damnavit ac prohibuit. Agitata quoque celebris illa quæſtio de Auxiliis Gratiæ divinæ ad Liberum hominis arbitrium: quæ inter Dominicanos & Ieſuitas controvertebatur magnis utrimque ſtudiis; ac diù nobiliſſima illa ingenia exercuit, factis diſputationibus coram ipſo Summo Pontifice & Cardinalibus ſacræ Inquiſitionis ac ſelectis ex omnibus Ordinibus Theologis.

QUÆSTIONIS DE AUXILIIS AGITATIO.

II. GRAVIÆ OCCUPATIO.

Dum Oſtendæ obſidio protraheretur ingenti partium contentione, Mauritius Batavicorum Ordinum præfectus Graviam munitiſſimam urbem ad Moſam poſitam, poſt duorum menſium oppugnationem, Septembri deditione accepit.

III. DUCIS MERCURII OBITUS.

Dux Mercurius, poſt proſperos anni ſuperioris ſucceſſus, ſummâ gratulatione à Rudolpho Cæſ. Pragæ exceptus; dum in Galliam iret novum delectum habiturus, Norimbergæ acutâ febre correptus, decimonono Februarii diem obiit, anno ætatis quadrageſimo tertio; non ſine veneni ſuſpicione, magno de ſe relicto deſiderio, ex virtutis & fortitudinis militaris gloriâ. Turci verò Albam-regalem, ab ipſo captam; vi & arte, dum de induciis inſcio præfecto à quibuſdam tractaretur, expugnatam, iterùm receperunt ad finem menſis Auguſti; grandi accolarum & præſidiariorum ſtrage; amiſſis tamen & Turcorum decem millibus. Chriſtianus exercitus vicem rependere volens, Budam tentavit; ſed Peſtum dumtaxat oppoſitum oppidum cepit menſe Octobri cum ingenti prædâ: ubi Carolus Gonzaga Dux Nivernenſis, qui eò appulerat, ſtrenuè rem agens, vulneratus fuit.

ALBA-REG. A TURCIS RECUPERATUR. PESTHUM A CHRISTIANIS CAPITUR.

IV. TURBÆ GALL. A BIRONO ET TURENIO.

In Galliâ cùm foris pacata eſſent omnia, Rex domi, ſeu præſentium tædio, ſeu futurorum metu, & quod verius otii impatientiâ, alienatis nonnullorum magnatum animis, periculo conflictari cœpit. Horum præcipui Carolus Gonraldus Bironus Dux & Par Franciæ, cujus eximiâ rei militaris peritiâ ac fortitudine Rex diutiùs feliciter uſus in hoſtes fuerat; & Henricus Turrius Turenæ & Bullionii dynaſta; ambo Mareſcalli Franciæ, ambo elatorum ſpirituum, & ingenii inquietiſſimi, ſed Bironus ferocioris & arrogantioris, Bullionius callidioris & turbulentioris; ille religione Catholicus, hic Calvinianus. Detectâ Bironi conjuratione per Laſinium, cujus operâ vidimus eum in eâ ſtruendâ uſum fuiſſe; captus is, interrogatus, convictus, damnatus, capite pœnas luit ultimo Iulii: cujus corpus unà cum capite ad S. Pauli ſepulturæ mandatum, immenſo populi concurſu. Bullionius periculum fugiens, & ſe ſiſtere coram Rege detrectans, errans diù, & vix tuto loco ullibi pedem ponens, Genevam reorum ſentinam & aſylum primò, deinde in Germaniam ad Palatinum migravit, Proteſtantium Principum patrocinium implorans: donec tandem anno 1606. reconciliatus eſt regi. Accuſatus quoque Carolus Valeſius Arvernorum Comes filius naturalis Caroli IX. ejuſdem conſpirationis, in carcerem conjectus eſt; paulóque pòſt dimiſſus, non tam, ut ferebatur, culpæ innocentiâ, quàm Regis benignitate: qui rurſùm poſt biennium ob nova in Regis perniciem conſilia, in arcem Baſtiliam conjectus, duodecim annis ibi detentus fuit.

ARVERNORUM COMITIS CULPA, ET POENA.

V. EDICTUM REGIS GALL. IN DUELLA.

Renovatum quoque eſt fœdus in Galliâ cum Helvetiis. Et Rex menſe Iunio ſeveriſſimum edictum promulgavit in Duella, quibus ingens nobilium numerus (quater namque mille fuiſſe minimùm ſæpiùs audivimus) damnabili honoris ſpecie, ob res plerumque leviſſimas, his temporibus in eâdem Galliâ periit. A quibus cùm nihilominùs non ceſſaretur, (ac ferè, ut conſtitit, ipſiuſmet Regis culpâ, qui quos ſciebat ſtrenuè ſe in iis gerere, ut erat ipſe animoſiſſimus, laudibus efferebat: qui verò ea fugiebant, aut vitabant, eos ut ignavos culpare conſueverat:) fuére rurſùm edictis ſeverioribus ab eodem prohibita anno 1609.

M. DC. III.

I. MARIÆ AUG. OBITUS.

ANno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo tertio, Indictione primâ, *Maria* Caroli V. Imp. filia, Philippi II. Regis Hiſpaniarum ſoror, Maximiliani II. Imp. conjux, Rudolphi II. & Matthiæ Impp. mater, ac multiplici aliâ ſobole feliciſſima, pietate verò & bonis moribus ditiſſima, anno ætatis ſeptuageſimo quinto finem vitæ fecit Madriti in Hiſpaniâ ſub finem Februarii.

II. ELISAB. REG. ANGL. MORS.

In Angliâ *Eliſabetha* Regina, longè diverſâ, ſicut vixerat vitâ, ita & morte mortua eſt quarto Aprilis, ætatis anno ſeptuageſimo, regni quadrageſimo quinto, cujus egregias naturæ propriique ſtudii dotes infauſta hæreſis, & Catholicorum atrox inſectatio, dira in ſuos ſævitia fœdavit. Obiit autem ex mœrore, contracto cùm ex improvido ſupplicio Comitis Eſſexii ſibi olim chariſſimi; tum quòd eâ ætate ab omnibus penè ſe deſertam videret, concurrentibus aut reſpicientibus ad ſucceſſorem.

III. IACOBUS REX MAGNÆ BRITANNIÆ.

Fuit tam jure ſanguinis, (de quo ſæpè dictum in Annalibus) quàm ex teſtamento & ultimâ Eliſabethæ declaratione, *Iacobus* ejus nominis Rex Scotiæ VI. Angliæ I. Quo poſt paucas ab obitu Eliſabethæ horas fauſtiſſimis procerum Anglorum reclamationibus Rege declarato, ſublata omnis ſpes fuit aliis regni ambitoribus de eo cogitandi: quos multiplices, variique generis, ac diverſis juribus &

prætextibus, quanquam plerisque vanis, nixos, extitisse constat. Dixit autem se deinceps Iacobus *Regem Majoris Britanniæ*, quòd totam Insulam, quâ Anglia & Scotia continetur, uno imperio possideret, quæ vix unquam anteà unicum dominum passa esset, quamvis hanc unionem ægrè patiantur utriusque regni populi, propter æmulationes & divisiones quibus inter se ab omni ævo concertârunt. Parentes habuit Catholicos, matrem etiam Martyrem: Vt planè mirum videri possit, postquàm semel lac Catholicum suxisset, quanquam in pueritiâ à pravis educatoribus in hæresi abreptum, elegisse ipsum cùm ad annos discretionis pervenit, & eandem hæresim sectari, & Catholicos insectari. Confestim verò, ut in Angliam è Scotiâ accessit, sæva pestilentia totam penè Angliam invasit, magnâ hominum mortalitate. Et in eum, ac universam ejus progeniem, detecta est mense Iunio parva conjuratio quorumdam procerum Anglorum suæ ipsius sectæ, tum regnum in Arbelam regio sanguine ortam transferre aventium, tum ægrè ferentium Scotos sibi in fori & militiæ præfecturis præferri, qui partim supplicio affecti, partim perpetuis carceribus damnati fuerunt.

Cõjuratio in ipsum.

IV. Forma Ecclesiæ Anglic. sub Iacobo Rege.

Ad finem verò anno vergente, à Ministris Anglicanis celebratus est Londini conventus ejusdem Regis auctoritate; qui in annum sequentem protractus est. Cujus editi sunt canones 141. de doctrina & disciplina regni: omniúmque primo confirmatus Regi Primatus in rebus Ecclesiasticis, uti Capitis Ecclesiæ Anglicanæ: aliis non paucis, Puritani ejusdem Angliæ & Scotiæ, ac Calviniani Galliæ exagitati: ac licèt Pontifice Romano tanquam antichristo traducto, & doctrinâ Catholicâ rejecta, retentæ tamen pleræque Ecclesiæ cæremoniæ, ritúsque sacri; ex dogmate Anglopapistico, à Reginâ suæ Angliæ Capitissâ in Angliâ instituto, & à novo Capite confirmato, qui etiam proprio ore in Collatione Hamptoncuriensi anno sequenti habitâ pronunciavit, inter omnes vulgares Bibliorum versiones se omnium pessimam judicare Genevensem, notásque ejus marginales se invenisse admodùm partiales, falsas, & seditiosas.

V. Vapinc. in Gall. cõvent. Calvinistarum.

In Galliâ pariter mense Octobri Vapinci in Delphinatu aliud celebratum est Ministrorum Calvinianorum ex omni regno conventiculum; cui etiam non pauci externi interfuerunt. Actum pariter in eo de disciplinâ & doctrinâ; altercatúmque de iis inter eos magno animorum æstu; & de concordiâ tractatum, quæ nulla in ejusmodi sectariis reperiri potest. Edita fuerunt conventiculi acta, ludicra plurima juxtà & impia continentia. Inter quæ est quòd egregii scilicèt Theologi statuerunt, Baptismum infantium à Proponentibus collatum (ita vocant Ministerii candidatos, qui in procinctu sunt ejus accipiendi) nullius esse valoris; ac proinde iterandum esse à Ministris; juxta alterius anterioris ipsorum conventus Pictaviensis decisionem. Quod verò iidem suæ Confessioni novum articulum inseruerunt, Romanum Pontificem esse ipsissimum Antichristum; tam illi profectò Christum norunt quam Antichristum; & utroque deflendi magis quam ridendi. Cæterùm quòd & alio Rupellensi conventiculo anno 1607. etiam illi saperdæ eandem crambem recoquerent; irritatus eorum effronti ac repetitâ impudentiâ Henricus Rex Christianissimus, severissimè prohibuit nequid ejusmodi suis scriptis impurissimi homines garrire auderent.

Anabaptismũ introducunt.

Dogma de Antichristo.

VI. Io. Piscatoris errores.

Orthodoxos autem agere etiam præseferentes, decreverunt *Ioannem Piscatorem*, Theologiæ Calvinianæ in Scholâ Herbornensi professorem, monendum esse, ne suarum opinionum diversitate ac novitate Ecclesias turbaret. Vnicum verò ejus errorem tangunt, quo negabat Iustitiam activam, & obedientiam perfectam, quâ Christus legem implevit, nobis imputari ad justitiam; sed tantùm obedientiam mortis, (quem eundem errorem impactum olim Carolo Molinæo vidimus.) Præter quem, numerantur & plures alii ejusdem Piscatoris errores circa Dei Voluntatem & Prædestinationem: quos Gaulterius in suâ Chronologiâ explicat.

VII. Daniel Chamerius Metaphorista.

Præfuit porrò prædicto Vapincensi conciliabulo *Daniel Camerius* Minister Montiliensis: quem *Metaphoristarum* novæ sectæ auctorem, aut certè acrem defensorem, fuisse reperimus: qui scilicèt Filium Dei non esse propriè Verbum, aut Imaginem Dei Patris, sed tantùm metaphoricè, asserebant. Qui etiam præfuisse pòst reperitur alio suorum conventui habito apud Privatium anno 1612. Quippe erat eloquio satis facundus, nec literis indoctus: idémque ambitiosissimus æquè ac seditiosissimus, qui nunquam non turbas civit ubicumque adesse contigit, bellum continuè ac cædes intonando. Cujus demùm is fuit exitus in obsidione Montalbanâ anno 1621. ut cùm quâdam die, post injuriosissimam in Regem Ludovicum invectivam concione publicâ habitam, iisdem furiis ad urbis muros & propugnacula deferretur, ad milites ibi ad custodiam positos in rebelli propugnatione firmandos; in ipso muro, ictu subito ac fortuito tormenti ænei è castris regiis emisso, fœtidissimam animas iras & flammas spirantem priùs exhalaverit, quàm se pinguissimi abdominis corpore læsum senserit.

VIII. Transilvan. turbæ.

In Hungariâ Turci à Christianorum exercitu magnâ clade profligati sunt ad finem Septembris; & Hathuanum receptum, oppidum ad multa Christianis opportunissimum Transilvaniam verò cùm Moses Ciculus sectâ Arianus Turcicis copiis occupâsset, & à Georgio Bastâ Rudolphi Cæsaris nomine provinciam regente profligatus fuisset; iterùm Transilvanis proceribus ad defectionem sollicitatis reparans exercitum, rursùm à Pastâ simul & Radulo Walachiæ Vaivodâ prostratus est, ac cum præcipuâ Transilvaniæ nobilitate occisus.

IX. Hametis Xeriphi obitus.

In Mauritaniâ *Hametes* Maroci & Fessæ Rex mortuus est, postquàm à prælio Alcazariensi totos viginti quinque annos regnâsset; non tamen sine molestiâ à filiis Abdelmelici ipsius fratris ibi extincti. Quinque reliquit filios; inter quos bellum fuit de successione. Bufferus secundus, quem jam pater vivens Maroci Regem constituerat, thesauris ei relictis, superior factus, Xequum fratrem primogenitum à patre ob mores in custodia relictũ, Fessa

regnare indulgenter permisit, sed Zidano tertiogenito turbas ciente, multa fuerunt postmodùm gesta inter eos, atque etiam eorum liberos, prælia, regnorum occupationes & recuperationes, aliaque ejusmodi inter mobilissimos Africanos fieri consueta.

X. MAHOMET. III. MORS.

Ad finem quoque anni, nempe vigesimo primo Decembris, *Mahometes III.* Turcorum Imp. peste mortuus est Constantinopoli, inter concubinarum & exoletorum greges, anno ætatis trigesimo nono, regni nono: sopitâ paulò ante Scribanii Bassæ Asiæ præfecti rebellione, ex indignatione fœdorum ejus morum ortâ; & Ianizarorum tumultuatione in ministros Mahometis, quòd Scribanii rebellioni non providerent, quæ sedari non potuit nisi supplicio aliquot illorum, in quos rejecta est culpa malè administratæ reipublicæ. Successit autem Mahometi minor filius *Achmetes* vix pubertatis annos ingressus: cùm paulò antè Mahometes majorem sibi dilectissimum in conspectu matris ejus strangulari, ipsam mari suffocari jussisset, ex eo quòd mater de filii fato anxiâ curiosè sciscitata fuisset, an non patri in Imperio successor foret: unde Mahometes in suspicionem incidens insidiarum sibi ab iis paratarum, subito impetu in crudelem ejusmodi sævitiam erupit. Fuit Achmeti minor frater: qui cùm ex lege Turcicâ occidi debuisset, custoditus tamen est, quousque Achmetes liberos suscepisset, ne si absque iis decederet, non esset ex familiâ Ottomanicâ qui succederet in Imperium. Quinimmò & fuisse alium Achmete majorem, nomine *Iucaiam*, sunt qui tradant: qui subreptus vivente patre à matre Christianâ, factus & ipse Christianus, visus est posteà vagari per Europam & Asiam, ut vires colligere posset, quibus Achmetem fratrem de solio sibi debito deturbare posset: irrito tamen conatu, sicuti, ut puto, suppositis gradu & conditione.

ACHMETES IMPERAT.

M. DC. IV.

I. SLUSA EXPUGNATUR A BATAVIS.

ANno Christi millesimo sexcentesimo quarto, Indictione secundâ, Mauritius in Belgio, dum Ostendæ obsidio adhuc produceretur, Sluiam oppidum Flandriæ maritimum obsidione ac deditione cepit mense Augusti: quo accipiendum Ostendæ amissione damnum, cum fœnore pensatum existimavit. Laborabat jam enim in extremis Ostenda, urgente obsidionem Ambrosio Spinolâ Genuensi, qui post Fridericum fratrem ibi necatum, rei summæ præfectus fuerat ab Alberto Archiduce. Factáque tandem est ejus deditio vigesimo primo Septembris: cùm vix superesset quod urbs aut oppidum dici posset, sed tantùm pulvis ex multiplicibus cuniculis, & quotidianâ tanti temporis quassatione. Duravit namque obsidio totos ferè triginta novem menses, incredibili & obsessorum in propugnatione, & obsidentium in oppugnatione pertinaciâ. Cui nulla unquam antiquiorum sæculorum, quantumvis tempore longior, comparari possit; si continua diversi generis certamina, novæ inventionis munitiones & machinas, innumeras tormentorum displosiones, (quas unico mense quinquagesies mil-

OSTENDA DEDITUR.

le fuisse volunt (& immensum cæsorum utrimque numerum, qui ad 150. fermè millia ascendisse perhibetur, quis consideret.

II. PAX HISPANORŨ PRINCIPUM CUM ANGLO.

Idem Albertus Archidux pacem constituit cum Iacobo novo Rege magnæ Britanniæ. Idque ipsum Philippus Rex Hispaniæ præstitit, per Ferdinandum Velascum Connestabilem Castellæ in Angliam missum mense Augusti. Commercii libertas utrobique instituta, absque ullâ religionis inquisitione: & Anglus ab auxiliis Batavis mittendis cessare promisit. Ad quorum à Rege Hispaniæ & Alberto Archiduce confirmationem, missi sunt anno sequenti ex Angliâ legati; in Hispaniam Carolus Hawardus Angliæ Admiralius; Bruxellas Eduardus Seimerus Herfordiæ Comes; ingenti pompa utrobique recepti.

III. IAC. REX ANGL. EXAGITAT CATHOLICOS.

Interim verò idem Rex Iacobus edicto publico mense Martio præsentis anni facto, sacerdotes omnes Catholicos totâ Britanniâ excedere jusserat, pœnâ capitis additâ: & qui carceribus attinebantur, navibus impositi, & alio migrare jussi. Idque severè admodùm peractum. Atque ex alia parte habitâ Hamptoncuriæ collatione inter ministros Anglocalvinistas, (quos ad finem superioris anni vidimus conventum Londini celebrasse, qui ad hunc prorogatus est) & Puritanos rigidos Calvinistas, cui Rex ipse præfuit, eorundem Puritanorum querelæ & oppositiones de rebus eo conventu contra ipsos statutis, penitùs rejectæ sunt; iidémque ipsi reprobati atque damnati.

ET PURITANOS.

IV. IESUITÆ RESTITUUNTUR A REGE HENR.

Econtrà verò in Gallia ineunte anno ab Henrico Rege Christianissimo Religiosi Societatis Iesu, qui post Ioannis Castelli parricidæ supplicium decem antehàc annis regno abire jussi fuerant, instante Laurentio Magio, quem ad hoc ex Italiâ venisse vidimus, quatuordecim urbibus restituti sunt: novúmque ac celebre Collegium Flexiæ in Andibus, ubi Rex conceptus fuerat, recens ab eo institutum, & magnis reditibus dotatum: frustra bis intercedente Senatu Parisiensi. Additæ tamen nonnullæ conditiones; ac potissimùm, ut non in aliis urbibus Scholas constituere, aut exteros socios, absque Regis permissu, admittere possent. Rex verò Patrem *Petrum Cotonum* ex eâdem Societate virum doctum, probum & eloquentem, sibi in confessarium & prædicatorem elegit. Annóque sequenti, iisdem plenissimè toto regno restitutis, etiam Pyramidem illam, quæ fuerat in eorum ignominiam ante palatium Senatûs in areâ dirutæ domûs patris Castelli erecta, dejici voluit: ingens à tanto Rege eorum innocentiæ & integritatis testimonium.

V. TURCI PRÆVALENT IN HUNGARIA.

Pesthum in Hungariâ ante biennium à Christianis captum, ac deinde egregie ab oppugnatione Turcorum defensum; nunc sub initium Septembris à præfecto & præsidiariis vano metu territis desertum fuit, & in Turcorum potestatem rediit. Idémque & de Hathuano, anno superiori à Christianis recepto, peractum. Sed Strigonium cùm Turci obsedissent, repulsi sunt, & re infectâ recesserunt.

VI. DE REBUS TRANSILVAN.

In Transilvaniâ Stephanus Bottkaius vir inter Hungaros primarius, arctâ cum Sigismundo Bathorio cognatione conjunctus, religione Zuinglianus seu Calvinista; consiliis cum Gabriele Bethlemo ejusdem sanctæ homine, qui

à clade Mosaicâ anni superioris supererat, & Transilvaniæ quoque principatum ambiebat, communicatis; specie religionis tuendæ à Bastæ insectatione, arma exeruit, & profligatis nonnullis Cæsaris ducibus, magnam Transilvaniæ partem occupavit; à Cæsare posteà publicè proscriptus.

VII. Carolus statuitur Rex Sueciæ.

In Sueciâ Carolus Sigismundi Regis patruus, quem vidimus ab eo defecisse, post varias simulationes, à Statibus regni Suecici Norcopiæ convocatis, perfidus à perfidis, hæreticus ab hæreticis, ad finem Martii Rex constitutus est; cum futurâ successione hæreditariâ ad posteros, qui tamen nonnisi post biennium inauguratus fuit.

VIII. Colonia ducitur in Canadam.

Repetita est hoc anno mense Aprilis navigatio è Galliâ in Novam Franciam, & Canadam, olim à Carterio, ut vidimus, lustratam, per Petrum Guam Montium nobilem Santonem, qui coloniam eò deduxit. Quem & pòst secuti sunt alii, atque alii: majori lucro animarum, quæ baptismum recipiunt, (quanquam nec hactenùs adeò magno) quàm opum regionis; quarum præcipuæ, pelles sunt castoreorum, lutrium & vulpium nigrarum.

IX. Annunciatarum Ordo.

Eodem anno cœpit Ordo Monialium *Annunciatarum* Genuensis civitatis, fundatrice *Mariâ Victoria* Genuensi: quæ primò matrimonio juncta, defuncto viro sanctæ conversationis habitum suscepit de manibus Archiepiscopi. Fuítque habitus vestis alba, & scapulare: cum pallio ætherei coloris. Et vocatæ sunt *Annunciatæ*, quòd præcipuâ devotione ad mysterium Annunciationis B. Mariæ afficerentur. Diversus autem est Ordo ab alio ejusdem nominis, quem instituisse vidimus in Annalibus, Beatam Ioannam filiam Ludovici XI. Francorum Regis.

X. Cometæ apparitio.

Initio Octobris apparuit nova Stella in 17. gradu Sagittarii: quam multi initio Venerem putârunt: sed motu & loco accuratiùs considerato, è Cometarum genere esse deprehenderunt, etiamsi caudam non traheret. Fulsit toto quadrimestri; Paulatim minor facta, donec disparuit. De quâ varia passim agitata judicia, pro cujusque captu aut arbitrio.

XI. Arnal. Ossati Card. obitus.

Pridie Idus Martii Romæ *Arnaldus Ossatus* Gallus Cardinalis tituli S. Eusebii, cujus honorifica mentio sæpè facta superiùs, mortuus est ex pleuritide: qui omnium per plurimos annos Gallicanorum in Vrbe negotiorum consiliorúmque particeps & administrator, rarissimæ in Reges suos fidei egregiorúmque meritorum testimonio, sacrâ purpurâ ornatus; amplissimi Ordinis dignitatem eâ sapientiæ & integritatis famâ, eâque in omnes officiorum propensione cumulavit, ut suî desiderium exteris quoque nationibus cum admiratione reliquerit. Vixit annos sexaginta septem, menses sex, dies viginti; ad Beati Ludovici sepultus: eúmque oratione funebri laudavit Tarquinius Gallucius Societatis Iesu; quæ in lucem emissa est.

XII. Iac. Peronius creatur Card.

Quintò verò Idus Iunii Clemens Pontifex octodecim Cardinales creavit ex omnibus nationibus viros illustres. In quibus è Gallis eminentissimè excelluit *Iacobus Davy Perronius* Episcopus Ebroicensis, vir usquequaque doctissimus, & controversiarum de fide & religione scientissimus: quem vidimus procuratorem fuisse regium, unà cum prædicto Ossato, ad absolutionem à Pontifice accipiendam; & Plessium Hugonotorum coryphæum disputatione prostravisse. Fuit hâc item creatione promotus ad eandem dignitatem *Fr. Anselmus Marzatus* Monopolitanus egregius Theologus, & Prædicator Pontificius, ex Ordine Capucinorum omnium primus.

Capucinus Card.

XIII. Cógreg. S. Vitoni Reform. Benedict.

Eodémque anno Clemens idem Pontifex Reformationem comprobans antiquissimi & nobilissimi Ordinis Benedictini, qui non parùm à primævâ Regulâ deflexerat, nuper inchoatam in monasterio S. Vitoni (vulgò *S. Venne*) urbis Virdunensis in Lotharingiæ finibus, operâ *Desiderii à Curia* prioris ejusdem monasterii, cum auxilio nonnullorum monachorum Montis Cassini à se ad id vocatorum: (cui alia proxima monasteria ejusdem regionis & Ordinis sese libenter adjunxerunt:) Congregationem instituit sub nomine *SS. Vitoni & Hydulphi* Episcoporum illius civitatis, quæ brevi dilatata est in alias provincias. Ejúsque exemplo erecta in Galliâ *Congregatio S. Mauri*; de quâ dicetur sub Paulo V.

M. DC. V.

I. Clem. PP. VIII. obitus.

Anno Christi millesimo sexcentesimo quinto, Indictione tertiâ, *Clemens VIII.* Romanus Pontifex, postquàm tredecim annis, & triginta tribus diebus, Ecclesiam sanctissimè gubernâsset; vixisset sexaginta novem; meritis quàm annis longè cumulatior, in cælum migravit quinto nonas Martii. Et Calendis Aprilis, à sexaginta Cardinalibus in conclavi præsentibus, electus in ejus locum *Alexander* presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Ioannis & Pauli, *Mediceus* à familiâ ex quâ ortus, & *Florentinus* ab Ecclesiâ cui præfuerat, seu etiam à natali loco dictus: ille ipse, quem Legatione fungentem pro Clemente in Galliâ, pacem inter Reges conciliâsset vidimus, qui nomen sibi assumpsit Leonis eâ nuncupatione Decimi, ut anno 1513. ostendimus, dicti tamen Vndecimi: ætatem tunc agens 70. annorum.

Leonis XI. electio.

II. Et mors. Paulus V. subrogatur.

Eodémque mortem obeunte die vigesimâ septimâ ejusdem Aprilis; suffectus est ei decimosexto Maii *Camillus Burghesius* Romæ natus, sed Senis oriundus; ex presbytero Cardinale tituli S. Chrysogoni, anno ætatis quinquagesimo tertio, Paulus V. nuncupatus: quem rerum agendarum magnus usus, zelus honoris Dei & Ecclesiasticæ libertatis, singularis morum comitas, placida in omnes beneficentia, mores incorruptissimi, egregiè commendabant.

III. Bostkaius fit Transilvaniæ Rex.

Transilvaniâ Bostkaius, quanquam nonnullis cladibus fractus, tamen ope Turcorum resurgens; rebus ex voto succedentibus, mense Aprili comitia ordinum habuit: ubi ei principatus, quem priùs invaserat, ab omnibus confirmatus fuit: & religionis professio libera cuilibet concessa; sic tamen ne quæ præter Catholicam, Lutheranam, & Calvinianam, seu Helveticam (quam ipse sectabatur) admitteretur. Eidémque à Turco, quicum fœdus subjectionis inierat, regium nomen mense Novembri tributum; & cum aliis augustalibus

ornamentis tradita Corona; quàm Ladislai olim Hungariæ Regis fuisse dicebant.

IV. De Rebus Turc. et Pers.

Strigonium à Turcis post triginta quinque dierum obsidionem, turpi Germanorum præsidiariorum, nequicquàm obnitente Comite Dampetrâ præfecto, deditione recuperatum est tertio Octobris, magno Hungariæ damno cujus deditionis auctores variis suppliciis posteà affecti fuêre. Aliâ verò parte Rex Persarum ingentes Turcorum strages repetito in Cicalam & Bassam trapezuntinum prælio edidit; recuperato etiam Adeno, emporio famosissimo in sinu Arabico, quod Solimanus olim per proditionem occupaverat. Cujus & nova legatio ad Rudolphum Cæsarem venit, hortatura ne cum Turcis concordaret, sed pergeret eos assiduis armis petere & fatigare.

V. Suecorũ clades a Polonis.

Carolus, qui se Regem Sueciæ dicebat; ad Rigam Livoniæ, quam obsederat, à Polonis longè numero inferioribus magnâ suorum cæde profligatus est.

VI. Demetrius occupat regnum Moscorum.

Nec inde longè *Demetrius* ille Moscus, de quo dictum anno 1598. sive fuerit ille verus qualem egregiè se gessit; sive fictitius, ut pluribus visum, qui eum ex monacho factum militem dixerunt, dictum proprio nomine Griskam sive Gregorium Strepium auxiliis instructus Polonorum, apud quos primum comparuit, quòd essent illi Moscorum hostes, in Moscoviam progressus; post obitum Borsii, qui in media expeditione subitâ apoplexiâ periit Imperium Moscorum occupavit: acceptâ in uxorem filia Palatini Sendomiriensis, cujus ductu rem egerat.

VII. Proditiones in Gallia.

In Galliâ detecta est mense Decembri proditio Merargi nobilis Provincialis, qui Massiliam Hispanis tradere cogitaverat. Hâc enim fide servatur pax inter vicinos æmulos. Captus Merargus capite pœnas luit: corpus in quatuor partes sectum, & totidem palis affixa membra: caput in majore Massiliæ portâ hastæ suffixum. Aliis verò de causis Arverniæ Comes & Antraguius perpetuo carceri mancipati: alii mortis supplicio affecti ex causâ Bullionii, de quâ anno 1602. quam Rex hoc anno armatâ manu prosequebatur.

VIII. Dira cõjuratio in Regem Angl.

Londini ad principium Novembris detecta est horrenda alia conjuratio; quâ Robertus Catesbius nobilis Anglus, unà cum Thomâ Percio Comitis Northumbriæ gentili, pluribúsque aliis consciis, magnam partem Catholicis, impatienter ferentibus Regem eorum preces de religione respuisse, pulvere tormentario sub æde ubi comitia regni celebrari debebant occultato, Regem cum uxore ac filiis, cæterisque omnibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus qui ad comitia convenissent, in aërem disjicere cogitaverant. Réque instante jam die patefactâ, Rex cum suis periculum divinitùs evasit; rei meritas pœnas subierunt. Captus inter cæteros *Henricus Garnetus* Anglus Soc. Iesu jam septuagenarius, proditorum pœnâ sublatus est; confessus se rem scivisse, sed tantummodò in confessione sacramentali, quâ eam omninò dissuaserat. Ex sanguinis ejus guttâ in spicam tritici decidente, formata est in illâ ejus effigies, cum coronâ & cruce: unde non parvâ ejus sanctitatis sparsâ famâ, habitus est pro martyre.

Mirum de Garneto Iesuita.

IX. Indi Regis Baptismus.

In Indiâ Orientali Rex Serreleænæ, ejúsque duo fratres ac quatuor liberi, baptizati fuêre a B. Balthazare Barreirâ Soc. Iesu.

X. Eclipses Solis et Lunæ.

Tres hoc anno Eclipses visæ memorabiles: duæ Lunæ, prior vigesimoquarto Martii post meridiem noctu; posterior decimoseptimo Septembris manè. Vna solis secundo Octobris horâ primâ pomeridianâ: cujus tanta fuit duabus horis luminis defectio, ut plerisque locis dies in noctem versus sit.

XI. Bezæ mors.

Theodorus Beza Calipha Calvinistarum, tot Gallicanarum cladium quas attulit hæresis præcipuus auctor existimatus, mortuus est Genevæ decimotertio Octobris, anno ætatis octogesimo sexto, mense quarto cùm à biennio debilitatâ mente, rerum præsentium memoriam amisisset.

M. DC. VI.

I. Disputationi de Auxiliis finis impositus.

Anno Christi millesimo sexcentesimosexto, Indict. quatâ, Paulus V. Pontif. Rom. disputationes de gravi illâ ac molestâ controversiâ de divinæ Gratiæ Auxiliis & Libero arbitrio, quam inter Religiosos Prædicatores & Soc. Iesu sub Clemente agitatam innuimus, quibus ipse Paulus cum cæteris Cardinalibus illius Congregationis semper interfuerat, conticescere jussit: sanxitque postmodùm, ut utrisque, dum aliud decerneretur, liberum esset suam sententiam in Scholis modestè tueri, sed sine damnatione alterius partis.

II. Paulus Põtifex contra Rempub. Venetam censuris agit.

Cum Republicá Veneta severiùs agens, ob leges a Senatu latas, quibus in Ordinem Ecclesiasticum sibi potestatem in puniendis quibusvis delictis arrogaret; ac fundos, prædiáque, & alia stabilia bona Ecclesiis addici, & donatione aut testamento relinqui, vel ab iis ullo titulo acquiri, sacrásque ullas ædes atque etiam xenodochia ædificari, absque Senatûs permissu vetâsset: postquàm sæpiùs monitus Senatus minimè satisfaceret, quinimmò licitè id à se fieri posse absque ullâ religionis aut immunitatis Ecclesiasticæ læsione contenderet: demùm 17. Aprilis diploma ad omnes Præsules ditionis Venetæ ab iis publicandum direxit; quo nisi intra 24. dies Senatus satisfaceret, Ducem & Senatum excommunicatos declarabat, totámque ditionem Venetam interdicto supponebat. Contra quod diploma, cùm Leonardus Donatus Dux Reipublicæ (qui nuper in locum Grimani defuncti suffectus fuerat) aliud ad eosdem Præsules 6. Maii publicâsset, quo ejusmodi Pontificiam sententiam promulgari prohiberet: fuêre nihilominùs ex Episcopis, & aliis prælatis, qui jussioni Pontificiæ detulerunt: & Ordines Religiosorum, qui post elapsum tempus præscriptum interdictum observantes in suis Ecclesiis, elegerunt e Venetâ ditione discedere quam in illud peccare: putà Iesuitæ, Capuccini, aliorúmque recentiorum Ordinum professores, antiquis, cum plerisque præsulibus, domi quietis remanentibus, & officiis suis ut priùs defungentibus. Sunt autem de hoc publico dissidio quamplurima hinc inde pro utriusque partis defensione exarata, promulgatáque scripta; armaque etiam parata: quodque fuit dissidium anno sequenti, ut videbimus, compositum.

III. Ritus sacri Anglici in Scotiam intrusi.

Rex Britanniæ Iacobus Scotos in ritibus Religionis & œconomiâ ac disciplinâ Ecclesiæ, conformes Anglis facere contendit; iisque Episcopos eâdem auctoritate præficere, perfecitque, resistentibus licèt acriter Ministris Scoticis, qui se in ordinem eo redactos videbant: quorum aliquos ob seditiones in exilium expulit, alios mulctavit; Andream Nelvinum cæterorum coryphæum in turri Londinensi diù detinuit.

IV. Iuramentum a Iacobo Rege Angl. suis propositum.

Idémque propter frequentes conjurationes, præter antiquam olim ab Elisabethâ Reginâ propositam, formulam jusjurandi aliam perscripsit: cujus summa erat, ut cuncti jurare tenerentur, se agnoscere ipsum Iacobum supremum & legitimum Regem Angliæ & aliarum suarum ditionum; nec Pontificem Romanum ullam habere auctoritatem ipsum deponendi, aut de ejus ditionibus quomodocumque disponendi, & subditos ab obedientiâ exonerandi, & non obstante quâcumque excommunicationis aut privationis sententiâ, se veram obedientiam ei ac successoribus præstaturos, & contra omnes conspirationes defensuros: Itémque ex animo detestari tanquam impiam & hæreticam, propositionem, quod Principes per Papam excommunicati vel privati, possint per suos subditos, vel alios quoscumque deponi, aut occidi: denique credere, neque Papam, neque alium quemcumque, potestatem habere ipsos ab hoc juramento absolvendi: quâcumque in contrarium æquivocatione, aut mentali evasione rejectâ. Quo Romæ audito, Paulus Pontifex multa ibi contineri fidei Catholicæ, & auctoritati Sedis Apostolicæ contraria interpretatus, literis ad Catholicos Anglos decimo Calendas Octobris scriptis, monuit ejusmodi juramentum tutâ conscientiâ præstari ab eis non posse. Cùm verò nihilominùs multi vexationum pertæsi, illud præstare non desinerent, quòd tantùm de civili obedientiâ in eo agi, prætenderent; atque ut eluderentur prædictæ Pontificis literæ, dicerent eas non ex animi ipsius sententiâ, sed aliorum intuitu & industriâ scriptas fuisse: idem aliis anno sequenti ad eosdem scriptis decimo Calendas Septembris, significavit fuisse illas verè à se post longam & gravem deliberationem scriptas, ac proinde debere in omnibus servari, nec juramentum ullo modo præstari. Quando & Robertus Cardinalis Bellarminus prolixiores eâdem de re ad Georgium Blackuellum Archiepresbyterum in Angliâ à Clemente constitutum dedit; qui Londini comprehensus, juramentum præstari posse existimaverat. Ad quam Bellarmini epistolam, & bina illa Pontificis brevia, ab ipso Rege Iacobo, suppresso tamen nomine, prodiit liber titulo *Triplici nodo triplex cuneus*, sive *Apologia pro Iuramento Fidelitatis*: qui alterius à Bellarmino eliciendi, supposito *Matthæi Torti* nomine, materiam præbuit. Qui & posteà copiosiori scripto, cui Apologiæ nomen fecit, se superioris auctorem professus, ad Cuneum triplicem respondit: simúlque Præfationem Monitoriam ejusdem Regis ad Imperatorem aliósque Principes quæ interim exierat, multâ argumentorum & auctoritatum mole oppugnavit. Quæ omnia hoc & sequenti anno ita cœpta, in sequentes protracta fuêre, & multorum aliorum doctorum virorum scriptis agitata.

Prohibetur a Paulo Pont.

Regis et Bellarmini de eo scripta.

V. Demetrii Mosci cædes a suis.

Demetrius superioris anni Moscorum ac Russorum Imperator, quòd Germano milite ad custodiam corporis uteretur, & Polonis nimis favere videretur; à Moscis, hæc de contemptu gentis interpretantibus, decimoseptimo Maii crudelissimè trucidatus est: ac per cœnam per forum tractus, aliquot dies spectaculo fuit, víxque permissus terræ profanæ mandari: ex quâ rursùm erutus publico judicio igni consumptus est, cineribus in aërem sparsis. Quæsitus inter alia plurima sceleri titulus, quòd falsò se Ioannis Basilidis filium dixisset; & consilia cum Pontifice ac Iesuitis iniisset de mutanda Moscoviticæ ac Russicæ gentis religione, patriáque Polonis subjiciendâ. Facta quoque Polonorum procerum, qui nuper ejus conjugem magnâ pompâ deduxerant, strages: omniúmque supellex direpta. Ac conventu habito, *Theodorus Suiskius* Romanus filius, à Boiarico genere vir primarius, totius conspirationis dux, in Principem electus est; qui se Basilium Ioannidem dixit. Finxerunt nihilominùs quidam per novum ludibrium, Demetrium denuò cædem vitâsse, aliúmque pro eo necatum, ipsum autem clàm in Hungariam evasisse: unde nova postmodùm orta bella.

Suiskius ei suffectus.

VI. Seditio in Polonia contra Regem.

In Poloniâ quidem è præcipuâ nobilitate, sed potissimùm hæretici, de Rege variis quæsitis prætextibus regno pellendo conspirârunt, nisi indignis quibusdam articulis subscriberet. Ventum est idcircò ad arma: & perduellibus fugatis, ac benignè à Rege habitis, seditio quievit.

VII.

Bostkaius Transilvaniæ, Walachiæ, & Moldaviæ occupator, morbo, & rerum Turcicarum inclinatione commotus, (Bassa namque Alepiensis Gambolatus rebellans adversus Cicalam summum imperium in Oriente gerentem, ac proinde contra Achmetem Turcorum Imperatorem; Tripoli & Damasco captis, atque exercitibus in se missis profligatis, Syriæ dominum se constituit: initóque cum Rege Persarum fœdere, sese ad majora parabat: sed tandem à Turcis fractus, atque à suis desertus, ab Achmete veniam petiit, & promissione militandi contra Persas obtinuit,) pacem cum Rudolpho Cæs. iniit mense Septembri; concessâ ipsi ac liberis masculis Transilvaniâ, cum eâ Hungariæ parte quam Sigismundus Bathorius obtinuerat. Secutáque est pariter, ejus maximè operâ, mense Novembri pax inter prædictos Rudolphum & Achmetem, seu dixeris inducias, in viginti annos. Post quæ mortuo *Bostkaio* vigesimo octavo Decembris, Transilvani *Sigismundum Ragotxium* virum primarum, & ab omni ambitione alienum, sed & ipsum hæreticum Calvinianum, in Principem evexerunt: conniventibus magis quàm approbantibus Austriacis, ad quos ex pactis ea provincia accedere debebat, quòd nullos Bostkaius liberos reliquisset.

Turbæ Turcicæ.

Bostkaii Mors.

VIII.

Spinola in Belgio inter cætera Grollam Augusto, & Rinberkam Octobri, firmissima oppida, obsidione ad deditionem coëgit: Mauritio parùm adversus adeò expertum ducem

valente.

LIPSII OBITUS.

valente. Lovanii *Iustus Lipsius*, moribus & eruditione insignis, scriptisque toto orbe notissimus, ad finem Martii, ætatis anno quinquagesimo nono ex hâc vitâ decessit.

M. DC. VII.

I. PROGRESSUS FIDEI IN INDIA.

ANno Christi millesimo sexcentesimo septimo, Indictione quintâ, Paulus Pontifex audito felici progressu Ecclesiæ S. Thomæ in Indiâ Orientali, per relationem Archiepiscopi Goënsis, de cujus in eâ expurganda ab erroribus Nestorianorum, & in fide Romanâ confirmandâ, sollicitudine dictum anno 1599. eum amplius promovere studens, in urbe Cangranor Sedem Archiepiscopalem constituit.

II. CONTROVERSIA VENETA COMPONITUR.

Controversia ejusdem cum Republicâ Venetâ, de quâ anno superiori, interventu & auctoritate Henrici Francorum Regis Christianissimi, & ministerio Francisci Cardinalis Ioiosæ ad hoc ab ipso ad partes legati, & Cardinalis Perronii tunc Romæ agentis ope apud Pontificem in his paulò duriorem: composita est ita, ut Veneti legibus controversis se non usuros promiserint, quousque inter partes de is convenisset; qui carcere ab iis detinebantur in manus delegati Pontificii traderentur; edicta contra interdicta facta revocarentur; cuncti qui aut sponte abierant, aut dimissi fuerant, restituerentur: vicissim Pontifex interdictum revocaret, & pacem cum Republicâ coleret. Quibus sic stabilitis, Ioiosa Venetiis, adducto secum oratore ordinario Regis ibi residente, vigesimo primo Aprilis, coram Duce & viginti quinque primariis Senatoribus, valvis clausis voce præconis interdictum auctoritate Apostolicâ revocavit; & Senatum universosque subditos & ordines, qui in censuras incurrerant, ab iis absolvit. Quod præsentibus testibus actum: & instrumentum eâ de re à Ioiosâ confectum, ad Pontificem Romam confestim missum. A beneficio tamen restitutionis exclusi fuêre Iesuitæ, quamvis eam Pontifex & Ioiosa omni contentione urgerent, sed ne propter eos negotium præcipuum intermitteretur, rem in aliud tempus, cùm suspiciones utrimque purgatæ essent, remitti placuit, quod quidem nondum factum, obfirmatis hactenùs Venetis in sententiâ de iis in ullam suæ ditionis partem non recipiendis.

IESUITÆ DITIONE VENETA EXCLUSI.

III. MECHL. SYNODUS.

Celebrata est *Mechlinia* in Belgio mense Iulio *Synodus II.* provincialis sub *Matthiâ Hovio* Archiepiscopo, de disciplinâ & moribus: quæ sequenti anno confirmata est à Sede Apostolicâ.

IV. REBELLIONES IN POLON. ET SUEC.

Exurgentes rursùm in Poloniâ rebelles & sectarii in Regem, iterùm atque iterùm ab eo profligati fuêre. Et Carolus Suecus ejusdem Regis patruus, Rex contra ipsum inauguratus variis tergiversationibus cum eo agere pergens Livoniam exercitu vastavit.

V. DONAVERDÆ OCCUPATIO.

Donaverda civitas Imperialis Sueviæ ad Danubium sita, atque hæresi infecta, ob male habitum Abbatem monasterii Sanctæ Crucis & sodales in processione Litaniarum Sancti Marci, proscripta est Cæsare: & à Maximiliano Bavariæ Duce mense Novembri, post multam civium reluctationem occupata, quæ olim Bavaricæ ditionis extitisse dicebatur. Cujus causâ quamplurimæ deinceps ingestæ fuerunt à Protestantibus querelæ.

VI. BATAVI LIBERI HABITI.

In Belgio jacta fundamenta pacificationis inter Albertum Archiducem & Ordines Batavos: atque ut de eâ posset agi, coactus est Albertus concedere ut cum Ordinibus tanquam cum Rep. liberâ, suique juris & potestatis ageretur: eâque conditione factæ sunt interim mense Aprilis induciæ octo mensium, in quibus de pace tractaretur. In cujus rei narratione fidem accepit *Iacobi Augusti Thuani* viri amplissimi Historia amplissima; Vtinam & censoribus Romanis in omnibus placere potuisset! Produxit autem ipse vitam usque ad annum Domini 1617. quo mortuus est Lutetiæ octavo Maii; & sepultus in Ecclesiâ suâ parochiali S. Andreæ.

THUANI HISTORIÆ FINIS.

VII. BARONII OBITUS.

CÆSAR BARONIUS S.R.E. Cardinalis Bibliothecarius, & Annalium Ecclesiasticarum scriptor eminentissimus, ex hâc vitâ abiit ad cælestem Romæ ultimo Iunii, ætatis nono sexagesimo anno, cujus Vitam nos descripsimus in principio nostræ eorundem Annalium Epitomes; merita universa novit sentitque Ecclesia, sentiétque uberrimo fructu in æternum. Quorum etiam intuitu Rex Francorum Henricus Magnus celebri officio funebri Lutetiæ ei parentari voluit.

M. DC. VIII.

I. REGIS CONGI LEGATIO ROMAM.

ANno Christi millesimo sexcentesimo octavo Indictionis sextæ ineunte, Romæ à Paulo Pontifice duplex suscepta est legatio. Altera à Rege Congi Africano; de cujus regni Christianitate dictum in Annalibus: quæ cum lapsu temporis ibi deperiisset, rursùm Hispanorum operâ restituta postliminio fuerat. Venítque à Rege legatus Antonius-Emmanuel Nigrita Marchio Funestæ, qui obsequium ejus nomine Pontifici deferret; regnúmque vectigale offerret, dummodò ipse per viros pios & eruditos populum pietatis studiis imbuendum curaret. Verùm legatus Romæ diem obiit, qui priusquàm legatione planè fungi potuisset, decumbens visitatus à Pontifice, & defunctus in sacello Sanctæ Mariæ majoris magnifico monumento conditus, effigie ejus insculptâ. Legationem posteà sub Vrbano consummavit Regis Congi nomine Ioan. Bapt. Vives, obedientiæ juramentum præstans.

II. ALIA A REGE HENRICO GALL.

Altera, longéque illustrior legatio fuit à Rege Christianissimo pro exhibendâ filiali de more obedientiâ: quâ functus est summâ pompâ Carolus Gonzaga Dux Nivernensis: exhibuítque eam de more solito ad finem Novembris, perorante Mauritio Bressio Delphinate oratore celebri.

III. ORDINIS S. M. DE MONTE CARM. ET S. LAZARI INSTITUTIO.

Idem Pontifex mense Februarii Ordinem *Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo*, ab eodem Henrico Rege fundatum, confirmavit, seu erexit: ut ejus constitutione eâ de re factâ traditur. Quem tamen non omninò novum, sed ex antiquo S. Lazari, quem Innocentius VIII. Ioannis Ierosolymitanis univerat, constitisse aliàs diximus, cùm de eo pleniùs tracta-

vimus anno 1565. Eum cùm Aimarus Castus nobilis Gallus & Miles Ierosolymitanus ejus Magister in Galliâ instaurare percuperet, in eo laudabili proposito decessit, in cujus consilia succedens Philibertus Nerestamgus nobilis item Gallus, Regis favore obtinuit à Pontifice, ut is Ordo Lazarinus deinceps indigitaretur *S. Mariæ de Monte Carmelo & S. Lazari*; qui Gallis tantummodò pateret: ad distinctionem scilicèt Ordinis S. Mauritii & S. Lazari, quem pro Sabaudis & Italis erectum olim vidimus. Constituit igitur Rex hoc anno mense Octobri eundem Philibertum Nerestamgum Magistrum illius Ordinis cum facultate cooptandi in eum centum alios nobiles Gallos. Qui primo Lutetiæ in suburbano monasterio S. Lazari solemni ritu aliquot ejusmodi equites creavit, quorum signum Crux fuit heteromalla, in cujus medio erat imago B. Mariæ opere plumario radiis aureis circumdata. Institutum autem, non magis quàm Mauritianorum, non arcet à nuptiis.

IV. CONGR. DOMINICAN. REFORMATORUM.

Idémque Pontifex Congregationem Fratrum Prædicatorum Reformatorum, aliquot antè annis à *Ioanne Michaele* inchoatam in Galliâ, & in plurimis monasteriis institutam, separavit à Provinciis antiquorum: eíque Augustinus Galaminius totius Ordinis minister Generalis primum Vicarium Generalem præfecit eundem Michaëlem.

V.

Ponitur etiam hoc anno à nonnullis confirmatio Ordinis equestris, in memoriam sacri *Sanguinis Christi* à Vicentio Duce Mantuano instituti.

S. FRANCISCÆ CANONIZATIO.

Quo item anno quarto Calendas Iunii *Francisca* nobilis Romana vidua, ex Oblatis Sororibus S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti, centum & septuaginta circiter antè annis defuncta, crebrisque miraculis tam viva, quàm defuncta illustris, in catalogum Sanctarum ritu solemni relata est.

VI. TRACTATUR DE PACE BELGII.

In Belgio totus hic ferè annus, prorogatis subinde induciis, consultationibus ac negotiationibus de pace impensus est: intervenientibus etiam, ac rem maximè promoventibus legatis Regum Galliæ & majoris Britanniæ, & quorumdam aliorum Principum amicorum, ad id speciatim missis. Ad quam cùm cætera satis facilia viderentur; de navigatione in Indiam, à quâ Rex Hispaniæ Ordines abstinere maximoperè volebat, conveniri non potuit.

VII. REGIS SIONIS LEGATIO AD BATAVOS.

Interim ex Indiâ Orientali à Rege Sionis legati cum muneribus ad Mauritium Ordinum imperatorem venerunt Septembris mense; ducti inde à Batavicæ classis præfecto, qui amicitiam ejus, quem Regem esse existimabant, expeterent. Rex ille potentissimus esse perhibetur, & in bellum trecenta bellatorum millia, bis mille elephantos ducere posse, ac quinque sexve alios Reges sibi subjectos habere, & amicitiam cum vicino Rege Chinæ colere.

VIII. MATTH. ARCHIDUX FIT REX HŨGARIÆ.

Discordiâ inter Rudolphum Cæs. & Matthiam Archiducem fratrem ejus ortâ, ob fœdus à Matthiâ cum Hungaris & Austriis ictû, & nonnulla in Comitiis Posonii celebratis decreta, quæ in diminutionem auctoritatis Cæsareæ facta Rudolphus interpretabatur: collecti sunt utrimque exercitus. Sed procurante Summo Pontifice concordiam, (misso ad hoc Ioanne Garziâ Cardinale Millino Romono) Rudolphus princeps quietis magis quàm laboris studiosus, Matthiæ elatiorum spirituum homini cessit Austriâ & Hungariâ; promissâ etiam Boëmiâ, si ipse absque prole Novembri Posonii Rex Hungariæ solemni ritu coronatus est.

IX. REX HISPAN. FILIUM REGEM CASTELLÆ RENUNCIAT.

Philippus III. Hispaniæ Rex Philippum-Dominicum-Victorem filium natu maximum, necdum trimulum, mense Ianuarii Madriti Castellæ Regem solemni ritu renunciat, ac regni proceres in ejus verba jurare adegit.

X. GABR. BATHOR. TRANSILVAN. PRINCEP.

Sigismundo Ragotziò, tranquillæ vitæ desiderio Transilvaniâ cedente, *Gabriel Bathorius* eam sibi vendicavit: & neglecto Rudolphi Cæs. dominio, Turcis se submisit, qui olim Catholicè à patruo educatus, ad hæresim posteà defecit.

XI. TIROENII HIBERNII RECESSUS ROMAM.

Tirœnius Comes Hibernus, quem vidimus acerrimum in eâ Insulâ religionis Catholicæ propugnatorem, unà cum filio Barone Dongannonio, & Comite Tirconello, atque universâ familiâ, profugiens in Belgium, ibi humanissimè exceptus est. Quorum recessum cùm Iacobus Rex audivit, eos publico famoso libello insectatus est, parùm digno regiâ majestate. Ipsi verò in Italiam concedentes, honorificè ubique recepti fuêre:& à Pontifice Romæ liberaliter habiti usque ad obitum.

XII. CAROLI DUCIS LOTHARING. OBITUS.

Carolus III. Dux Lotharingiæ, pietate, virtutibus, & annis plenus, (quippe natus anno 1543.) diem obiit mense Maio; relicto hærede *Henrico* filio, ejus nominis Ducum Lotharingiæ II. qui Catharinam sororem Henrici Magni olim duxerat.

M. DC. IX.

I. INDUCIÆ BELGICÆ.

Anno Christi millesimo sexcentesimo nono, Indictione septimâ, cùm non posset conveniri inter partes de pace Belgii, Induciæ factæ sunt in duodecim annos mense Aprili: quas & Rex Hispaniæ ratas habuit Iulio.

II.

Cùm non cessaret singulis ferè annis Scha-Abas Rex Persarum legationes ad Principes Christianos mittere, etiámque cum pretiosis muneribus, ut eos contra Turcos incitaret; hoc quoque anno venerunt ab eo Romam, qui Pontificis operam ad id implorarent, & obsequium ei deferrent: significaréntque Regem Christianos omnes tam Ecclesiasticos quàm sæculares humanissimè tractare, & templa quoque ac scholas ædificandi potestatem eis permittere. Quod & constitit testimonio Antonii Goveæ Augustiniani; cujus, aliorúmque ejus Ordinis sociorum ministerio,

FIDEI INTRODUCTIO IN PERSIDEM.

fidei semina ibi jacta fuêre, operâ ac vigilantiâ Alexii Menezei Archiepiscopi Goënsis æquè Augustiniani, Indiarum Orientalium primatis, qui in Ormusinâ insulâ sinûs Persici, Regis filium ad Christianam fidem conversum S. Augustini sodalitio adjunxit. Eâque in re egregiè adlaborârunt Carmelitani Discal-

creati; qui etiam his temporibus eò missi à superioribus, à Rege benignè accepti sunt, permissique monasterium extruere in urbe Hasphaniâ.

XIII. IESUITÆ INSTITUUNTUR CÔSTANTINOPOLI.

Missi & anno superiori Patres Soc. IESU Constantinopolim auctoritate Henrici Regis Christianissimi, præsenti suscepti fuerunt Peræ operâ Baronis Salignaci oratoris regii.

IV. REX POLON. SUECOS ET MOSCOS PROFLIGAT.

Sigismundus Rex Poloniæ Suecos rebelles per suos duces, Moscos injuriosos per se ipsum oppugnat. Victique sæpè anteà Sueci, etiam hoc anno profligati fuêre: Riga ab eorum obsidione liberata, & aliquot eorum arces captæ. Moscis inter se gravissimè divisis, ob quemdam pseudo-Demetrium, qui Suiskio litem de imperio manu armatâ movit: (de quibus dictum anno 1606.) idem Sigismundus à Demetrio per Suiskium fracto de auxilio rogatus, exercitum duxit, & Smolenskum urbem munitissimam, quam fuisse olim imperii Polonici contendebat, obsidione cinxit; non parùm à Suiskio fatigatus.

V. PROTESTANTIŨ CONATUS IN GERM.

Tumultuantibus Boëmis & Austriacis hæreticis de religione, (occasione præcipuè captâ ex discordiâ quam diximus Rudolphi Cæsaris & Matthiæ fratris) & his & illis concessa fuit suæ quibusque opinionis libertas, & exercitium suæ religionis; nequicquàm obnitentibus Nunciis Pontificiis, & Episcopis Catholicis: eò etiam insolentiæ progressis Protestantibus, ut per Principem Anhaltinum Cæsari renunciaverint, nisi aliam regendi Imperii formam servaret, se prouisuros. Fuerat enim ab iis Principibus & civitatibus Fœdus colligationis contra Cæsarem & Catholicos, & pro suæ partis amplificatione, sancitum, cujus princeps Palatinus, Vicarius Anhaltinus constitutus erat, qui *Correspondentes* vocati sunt. Sicuti ex aliâ parte Catholici, ut se, majestatémque Imperii tuerentur, arctius inter se Fœdus percusserint quod, *Ligam Catholicam* appellàrunt: patienter, hæc Rudolpho pro suâ facilitate ferente.

VI. TURBÆ DE HÆREDITATE IULIACEN.

Ioan-Guillelmus Dux Iuliacensis, Clivensis, & Bergensis, mortuus est mense Martii, ætatis anno quadragesimo septimo, nullis relictis liberis, unde magnæ ortæ dissensiones & bella de optimâ successione inter natos ex sororibus, Principes Brandeburgensem & Neoburgensem; aliósque tam Catholicos quàm Protestantes, hæreditatem ad se diversis juribus pertinere contendentes: accitis etiam auxiliis potentiorum Principum externorum: ac spretâ à protestantibus Rudolphi Cæs. sese his intermiscentis auctoritate, ad quem spectabat juris controversi judicium, quæ turbæ multo tempore duràrunt.

VII. FERDIN. DUC. ETRUR. OBITUS.

Ferdinandus quoque magnus Dux Etruriæ diem hoc anno obiit mense Februarii. Cui successit major filius *Cosmus II.* annum agens decimumnonum.

VIII. IOS. SCALIGERI MORS.

Iosephus item *Scaliger* Iulii Cæs. filius grammaticus & philologus hoc tempore nobilissimus, linguarúmque exoticarum ac scientiarum omnis generis cognitione apud viros doctos magno in pretio habitus; mortuus est duodecimo Calendas Februarii Lugduni Batavorum; quò ad literas publicè docendas, post Lipsii recessum vocatus ab Ordinibus Batavicis fuerat è Galliâ patriâ suâ. Mortuus est autem in hæresi Calvinianâ, anno ætatis sexagesimo octavo. De cujus rebus satis dictum alias.

IX. ARMINII SECTA IN BATAVIA, ALIÆQUE EJUS MODI PLURES.

Mortuus & hoc anno ibidem Lugduni Batavorum patriâ suâ mense Octobris *Iacobus Arminius* AldeWaterensis, Theologiam Calvinianam ibi publicè professus. Ex cujus tamen doctrinâ, à Calvino ac Symmistis in multis alienâ, ingentes inter ipsos exortæ sunt turbæ: accusatúsque est à cæteris Arminius de Pelagianismo, & Socinianismo, déque erroribus circa filii Dei processionem, Providentiam divinam, & Gratiam ac Liberum arbitrium. Præcipua autem fuit inter ipsos controversia de Prædestinatione, & Reprobatione: cùm Arminii de illâ sententiam vehementer impugnare incipiente Francisco Gomado Brugensi, (qui ante ipsum ibidem Lugduni docuerat) ejusdem & ipso Calvinianæ scholæ homine; indéque Worstio; (de quo posteà) res à verbis & stylo ad arma & pugnas progressa est; Principibus etiam & Magistratibus in partes secedentibus: dum Catholicum nomen horrentes, mallent audiri *Worstiani*, aut *Arminiani*: ut jam & *Cornartianos*, à Theodoro Cornartio Ordinum Batavorum Secretario; cujus præcipuus error, erat negatio peccati originalis) & *Socinianos*, ac *Gomaristas* taceam; aliásque ejusmodi hominum pestes, quæ easdem regiones infecerunt. Hæc nimirùm est pietas, hæc concordia Sectariorum. Possunt autem dici Arminiani, Molles Calvinistæ, respectu Gomaristarum, qui Rigidi, mordicùs opiniones Calvini sectantes: sicuti fuerunt, súntque hactenus inter Lutheranos, itidem Molles & rigidi.

M. DC. X.

I. MAURORUM EXPULSIO EX HISPANIA.

ANno Christi millesimo sexcentesimo decimo, Indictione octavâ, Mauri Hispanici, gens perfidiæ nata, cùm secreta consilia cum Africanis & Turcis inirent de excutiendo Hispanorum jugo, quod gravissimum sentire conquerebantur, (qui etiam Regem Henricum Francorum, & Iacobum majoris Britanniæ, de suâ suscipiendâ protectione sollicitâsse reperiuntur; spe factâ subversionis Hispaniæ totius ab ipsis Mauris per armorum sumptionem faciendæ: utroque tamen Rege eorum vana promissa rejiciente:) Philippus Rex, ut se penitùs, regnúmque suum à continuis ipsorum machinationibus liberaret; mense Ianuarii edictum de eorundem totâ Hispaniâ expulsione promulgavit. Quæ hoc anno fieri cœpta, consequentibus etiam tenuit: Expulsorúmque numerus fuisse dicitur novies circiter centenorum millium; è quibus innumeri in Africam transfretàrunt: plurimi variis aliis provinciis dispersi, spoliati, pessimè habiti, miserè ferè perierunt. Dicuntúrque nihilominùs non pauci mutatis sedibus ignoti mansisse in Hispaniâ.

II. REX HISPAN. LARACHIAM OBTINET.

Qui idem Philippus à Xequo Mauritaniæ Rege suppetias rogatus adversus fratrem Zidanum, (de quorum dissidiis dictum anno 1603.) in pignus fidei ejus, præmium auxiliorum, accepit ejusdem industriâ Larachiam firmissimum totius Africanæ oræ Oceanicæ

propugnaculum, ad Columnas Herculeas ex opposito Gadium; tam Hispanis quàm omnibus illàc navigantibus semper infestum.

III. HENRICI IV. REGIS FRANC. CÆDES A SICARIO.

HENRICUS IV. Francorum & Navarræ Rex Christianissimus, cùm specie suppetiarum de quibus in causâ Iuliacensi rogatus fuerat, sed omninò, ut putatur, aliis occultis consiliis, (quorum veram ac certam cognitionem aut nullus unquam, aut paucissimi habuerunt; multi per varias conjecturas divinârunt magis quàm scierunt, non pauci certiori verisimilitudine, apertis Hispanorum pacis Vervinensis infractionibus, & occultis eorundem in ejus personam & regnum insidiis repellendis & vindicandis, attribuerunt:) florentissimum, & omnibus rebus ad magnam expeditionem instructissimum exercitum comparâsset, quo universam Hispaniam, Germaniam, Italiam, suspensam de tanti apparatûs futuro impetu tenebat: in ipso fermè procinctu, postquàm die decimotertio Maii Mariam conjugem solemnibus sacris ritibus ingenti pompâ apud Sandionysium inaugurari & coronari, quò augustiùs regni procurationem per suam absentiam exerceret, curâsset; dum postridie, decimoquarto Maii, per urbem Lutetiam, contemplaturus magnificentissimum apparatum, quo Reginam de more urbem regiam ingredientem excepturus esset, rhedâ vectus obambularet cum aliquot proceribus, horâ circiter quartâ pomeridianâ; (neglectis diversis denuciationibus sibi factis de nece eo die imminente; ob quas à suis rogatus domo totâ die non exire, exivit tamen, ut erat periculi spretor, ne videretur ejusmodi fictis plerumque aut vanis vaticiniis fidem habere;) à perfidissimo sicario. jam ab aliquo tempore ei insidiante, dum in arcto quodam vico occursu carrorum oneratorum consistere cogeretur; intra ipsam rhedam, ictu cultri gemino sinistro lateri ad cordis auriculam & venam cavam illato, peremtus est, voce & vitâ illicò amissis cum copiosissimi sanguinis emissione, anno ætatis quinquagesimo septimo, regni vigesimo primo. Princeps fuit heroicis planè virrtutibus eximius, magnitudine & constantiâ animi, fortitudine, vigilantiâ, consilio, prudentiâ & sagacitate, atque benignitate; & quod summum est in imperiis, per se ipsum regnum administrans, non ejus habenas aliis concredens; indéque usu rerum peritissimus, præ quo cæteri sapientissimi quique infantes sese fateri necesse erat. Vnde & communi omnium populorum consensu inditum ei MAGNI, agnomen. Quæ præstantissima decora valdè dehonestavit luxuriæ vitium, quo supra modum infectus fuit: nec vacuus ab avaritiâ; quæ tamen excusari potuit ex rerum ac temporum necessitate; sicuti & quædam alia quæ notari in ejus vitâ possent. Cor ejus, ex ipsius olim decreto, consignatum est Patribus Societatis IESU, deferendum est Collegium Flexianum in Andibus, ab eo regiè fundatum. Corpus aromatibus conditum, post solita quadragenaria officia, solemnissimâ pompâ, delatum Sandionysium ad monumenta decessorum Regum: veris ipse cunctorum lacrymis lamentatissimus, cùm octiduo antè eò translatum fuisset, ut diximus anno 1589. corpus Henrici III. è Compendio, ubi eatenùs servatum fuerat.

MAGNI COGNOMEN ADIPISCITUR.

IV. SICARII NOMEN, ET SUPPLICIUM.

Sicario nomen fuit *Francisco Ravaillaco* patriâ Engolismensi, ætate triginta duorum annorum, professione magistro parvarum scholarum: qui sæpissimè interrogatus, ex ejus responsis visus magis fuit mente motus, aut hypochondriacus, quàm sanus: qui & multipliciter tortus, perstitit semper in asserendo, se ad id scelus à nemine inductum fuisse, sed certis revelationibus impulsum, in bonum & pacem Christianitatis sponte suscepisse & perpetrâsse. Damnatus fuit candentibus forcipibus lacerari, & in quatuor partes equis distrahi, nullo unquam pœnitentiæ aut doloris de facinore perpetrato signo dato. Pœna ejus memoriæ addita, ut injunctum sit universæ familiæ cognomen mutare, in æternæ oblivionis maledictionem.

V. LUDOVICI IUSTI SUCCESSIO.

Henrico successit hæreditario ac legitimo jure filiorum natu maximus LUDOVICUS dictus vulgò ejus nominis XIII. qui est XVI. secundùm ea quæ diximus in Ludovico VIII. patre S. Ludovici. Qui quòd necdum annum ætatis nonum implêsset, collata est regni procuratio Reginæ Mariæ ejus matri, donec ipse ad decimumquartum pervenisset. Idémque nihilominùs hoc ipso anno, uti verè Rex, mense Octobri inauguratus est Remis de more Regum Francorum, ministerio Francisci Cardinalis Ioiosæ; qui & ipsum baptizaverat, & Reginam pariter inauguraverat; dignissimus tantarum cæremoniarum Antistes. Regi verò Iustitiæ cultus, cujus ab ipso initio eximia exempla dedit, IUSTI agnomen conciliavit, quo non solùm apud suos, sed etiam apud exteros clarus existit.

VI. CONCLAMATUR CONTRA IESUITAS.

Prædicti autem parricidii occasione plurima adversus Iesuitas promulgata fuêre in Galliâ scripta, & accusationes propositæ, tanquam in auctores ac defensores detestandæ doctrinæ de cæde Regum ac Principum. A quibus tamen ipsi se defendere contrariis scriptis, séque innocentes profiteri, non desierunt. Quando & Schola Sorbonica, impellente Senatu Parisiensi, quarto Iunii solemni consessu confirmans decretum ab ipsâ olim factum anno 1413. & à Concilio Constantiensi probatum, declaravit nemini licitum esse quâcumque occasione, aut prætextu quæsito, Principum supremorum personis vim inferre. Móxque idem Senatus igni damnavit librum Ioannis Marianæ de Rege & Regis institutione, veluti continentem contrariam prædictæ declarationis doctrinam. Ac vigesimo sexto Novembris sub pœnâ læsæ majestatis interdixit tractatum Roberti Cardinalis Bellarmini de potestate Summi Pontificis in temporalibus. Sed hujus interdictionis promulgationem Rex, instante Nuncio Pontificio, decreto sanctioris Consilii emisso ultimâ die ejusdem mensis, suspensam voluit quoúsque aliter per ipsum decerneretur. Idémque Iesuitas Gallos crimine cædis paternæ liberavit: adeò ut nec scripta hâc occasione in ipsos exerta, nec orationes habitæ, nec denique lites intentatæ, quicquam adversus eos potuerint. Cùm ex aliâ parte & ipsimet libros, doctrinam perversam de prædictâ quæstione continentes, etiámque à suis intemperâtioribus editos reprobaverint. Quod de omnibus ejusmodi scriptis hactenùs,

aut deinceps à quibuscumque editis contra auctoritatem regiam putà à Iesuitis Santarello, Eudæmone-Ioanne, & aliis jure damnatis, satis sit semel dixisse.

IACOBI REGIS ANGL. EDICTUM CONTRA SACERDOTES.

Cæterùm Rex Iacobus majoris Britanniæ eodem necis regiæ prætextu, novo publicato edicto mense Iunii, non solùm omnes Iesuitas, verùm etiam cunctos alios cujuscumque Ordinis monachos & sacerdotes à regno suo in perpetuum proscripsit.

VII. POLONORUM VICTORIÆ DE MOSCIS.

Polonis hoc anno prosperrimè agentibus contra Moscos, interim dum Sigismundus Rex Poloniæ in Smolensko, & alius voluntariorum exercitus in oppugnandâ Moscoviæ metropoli, laborarent, præclaras alii una cum Lituanis reportârunt victorias, capto ipsomet Magno Duce Suiskio cum duobus ejus fratribus. Novogardia quoque obsequium Sigismundo obtulit. Et Tartarorum Astracanensium Chamus ad eum eâdem de causâ accessit. Ipséque pseudo Demetrius exeunte anno trucidatus est.

VIII. REX PERS. TURCOS PROFLIGAT.

Scha-Abas Rex Persarum ducta expeditione in provinciam Babylonicam mense Maio, Turcos profligavit cæsis eorum viginti millibus.

IX.

Paulus Pontifex, exemplo Clementis V. aliorúmque nonnullorum Pontificum, pro suo erga Infidelium conversionem zelo; ad eam faciliùs promovendam, constitutione pridie Calendas Augusti editâ statuit ut in Religiosorum Ordinum Studiis essent Hebraicæ, Arabicæ, Græcæ, ac Latinæ linguæ professores.

CAROLI BORROMÆI CANONIZATIO.

Et Calendis Novembris solemni celebritate in Sanctorum Confessorum Catalogum retulit *Carolum Borromæum* olim Cardinalem, & Archiepiscopum Mediolanensem; de cujus vitâ, & virtutibus ac laboribus pro Ecclesiæ reformatione susceptis, actum à nobis in Annalibus: miracula etiam toto orbe celebrantur.

X. AMBROS. BIBLIOTHECA.

Quo etiam tempore Fridericus Borromæus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis, egregius ejusdem Caroli patruelis sui imitator, locupletissimâ Bibliothecâ, magnis impensis conquisitis toto Christiano orbe libris, instructâ; Collegium etiam insignium doctrinâ virorum instituit, quod, *Ambrosianæ Bibliothecæ Collegium* nuncupari voluit; quo præclara ingenia excolantur ad Ecclesiam suis scriptis illustrandum: sicuti & hactenùs fecisse vidimus, tot eruditis diversorum rerum sacrarum commentariis in publicum editis.

XI. MONIAL. VISITATIONIS INSTITUTIO.

Hoc item anno cœpit in urbe Aniciensi diœcesis Genevensis, Ordo feminarum *Visitationis B. Mariæ*, institutore *Francisco de Sales* Episcopo Genevensi. Cui nomen primò *à Visitatione* factum, eò quòd primæ, quæ post ipsum Franciscum laborârunt in multiplicatione ejus, (quarum antesignana *Ioanna Francisca Fremiot* vidua Christophori de Rabutin Baronis Chantalii, soror Andreæ illustrissimi pietate & moribus Archiepiscopi Bituricensis) ob reverentiam tanti mysterii, infirmos, magísque egentes & derelictos visitabant, & consolabantur, eisque inserviebant. Posteà verò moniales Ordinis in varias provincias dilatatæ, perpetuam clausuram servant: & cùm jam non possint in domibus visitare infirmos, tenentur admittere puellas debiles & infirmas, atque ad alterius Ordinis ingressum inhabiles. Recitant verò quotidie officium B. Virginis.

XII. TURBÆ EX VVORSTIANA SECTA.

Mortuo anno superiori, ut diximus, Iacobo Arminio hæresiarchâ, Ordines Batavici ejus loco evocârunt Leidam ex Steinfurto, ubi primarium Ministrum agebat, *Conradum Vvorstium.* Vnde novæ dissensiones ortæ; dum quem sectâ licèt Calvinianum, plerique alii Calviniani ut schismaticum & hæreticum insectarentur, & ne ab Ordinibus reciperetur, monitis, precibus, ac minis obstare conati sunt; quidam alii obstinatissimè defenderunt; ipsíque Ordines tutati sunt ac promoverunt. Quod inter alios adeò molestè tulit Iacobus Rex Angliæ, ut post ejus scripta igni adjudicata, etiam Ordinibus graviter minatus sit, nisi eum à se pellerent, non modò se illos apostatarum fautores per universum terrarum orbem proclamaturum, verùm etiam suum cum iis fœdus immortalibus inimicitiis commutaturum. Quibus territi Ordines Worstium invitum inviti à se dimiserunt, qui rursùs aliis locis, ad quos divertit, uti Apostolus cultus est; & ingentium turbarum ansam præstitit: quæ diù iis partibus durârunt, vigétque hactenùs secta. Multa feruntur impia ejus dogmata contra divinas perfectiones, simplicitatem, individuam magnitudinem, infinitatem, immensitatem, immutabilitatem, æternitatem permanentem & indivisibilem. In quibus cùm non liceat in hac Prolusione diutiùs immorari; videre poterit qui plura de his cupierit Gretserum in Epimetro pro Opere de noxiis libris, cap. 6. & 8. & Gaulterium in Chronologiâ sæculo 17. cap. 6.

XIII. SCOTICA SYNODUS DE EPISC. AUCTORITATE.

Quo eodem jubente Rege Iacobo, celebratâ Glascuæ in Scotiâ suæ religionis asseclarum Synodo mense Iunio, confirmata est auctoritas Episcoporum in regimine & ordinatione ac jurisdictione suarum Ecclesiarum, contra Ministrorum anarchiam & petulantiam.

M. DC. XI.

I.

Anno Christi millesimo sexcentesimo undecimo, Indictione nonâ, mense Februario exercitus à Leopoldo Austriaco Episcopo Argentinensi in bellum Iuliacense anno superiori collectus, (quem scilicèt Rudolphus Cæsar ad Ducatum illum suo & Imperii nomine regendum, interim dum lis juridicè terminaretur, destinaverat) impressione subitâ ac cruentâ urbem minorem Pragæ Boëmiæ occupavit, ac diripuit: eáque occasione, à seditiosis civibus in personas etiam ac res sacras dirè sævitum est.

MATTH. ARCHIDUX FIT REX BOEMIÆ.

Licèt autem exercitu dimisso, evocatus tamen à Pragensibus in auxilium Matthias Rex Hungariæ frater Cæsaris, cum numeroso exercitu accurrens; ab iisdem Rex Boëmiæ proclamatus & ab Ordinibus regni coronatus est mense Maii: Rudolpho Cæsare sic in ordinem redacto; ac publicæ tranquillitatis specie, indecorè assensum præbente.

II. SMOLENSKUM A POLONIS CAPTUM.

Smolenskum Moscoviæ tandem à Sigismundo Rege Poloniæ, post biennalem obsidionem, expugnatum est mense Iulii. Quâ obsidione variis certaminibus periisse dicun-

tur ducenta Moscorum millia. Post quæ Sigismundus Poloniam repetiit, rediturus unà cum filio Wladislao, à Moscorum inter se dissentientium parte in Magnum Ducem accepto.

III. BORUSSIÆ INVESTITURA.

Idemque Sigismundus Ioanni-Sigismundo Electori Brandeburgico, ejusque fratribus, ac posteris masculis, feudi Ducatus Borussiæ seu Prussiæ investituram solemniter contulit: qui juramentum fidelitatis Regi præstiterunt Warsaviæ in Poloniâ mense Novembri.

IV.

Bello inter Suecos & Danos super navigatione Livonicâ, & juribus quibusdam Norvegiæ orto, Dani Colmariam mense Maio expugnant, Sueci Christianopolim. Cladium tamen impatientiâ, simul dolorum arthritidis acerbitate confectus *Carolus* Suecus, vitam finiit mense Novembri, perfidus invasor alienæ hæreditatis. Natâ contentione inter proceres de successione, cùm quidam Sigismundum Poloniæ Regem, legitimum ac naturalem suum dominum vocandum censerent; vicit pars sequior, *Gustavo* Caroli filio favens: qui coronatus est Rex Sueciæ ejus nominis Secundus, annum agens ætatis decimum-octavum.

GUSTAVUS REX SUECIÆ.

V.

Dum Gallia Reginæ-matris prudentiâ, & fideli præcipuorum consiliariorum concordiâ supra omnem expectationem pace & tranquillitate frueretur, (nec enim sunt auditi seditiosi quidam Calviniani, qui in conventu ipsorum sectæ præsenti anno Salmuri habito arma suadebant) ex hâc vitâ discessit mense Novembri Regis Ludovici frater secundògenitus Dux Aurelianensis quadrimus, eximiæ puer indolis, qui in illâ ætatulâ, dum morbo affligeretur, oculis continuè ad cælum elevatis, circumstantes pariter ad ejus contemplationem hortabatur; felicésque illos prædicabat qui ibi habitarent. Anteà verò ad principium Octobris obierat *Carolus* Dux Meduanius sive Mayenius, multæ prudentiæ & religionis princeps: qui post præstitam semel Regi Henrico IV. obedientiam, fidelissimum semper ei, atque utilissimum regno sese exhibuit: cujus mors non parùm Reginam turbavit, quæ sapientissimis ejus consiliis multum fidebat.

DUCIS AUREL. PIUS OBITUS.

ITEMQUE DUCIS MAYENII.

VI. INSTITUTIO VRSULINARUM.

Quo eodem anno surrexit Parisiis novus Ordo virginum & viduarum, sub nuncupatione *S.Vrsulæ*, & Regulâ S.Augustini, additis nonnullis singularibus statutis, sub auctoritate Ordinarii; sollicitudine & curâ nobilis viduæ Mariæ Lhuillier dominæ S. Bobæ; quarum institutum est ad bonos mores & pietate instruere puellas. Quod Paulus Pontifex confirmavit vigesimotertio Septembris præsentis anni 1611. Non tamen fuit tum primùm Sodalitas S. Vrsulæ instituta: quam jam anteà B.Angela Brixiana, approbante anno 1572. petitione S. Caroli Borromæi Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis, & Pauli Leonis Episcopi Ferrariensis. Gregorio XIII. instituerat, sub patrocinio S. Vrsulæ primiceriæ Vndecim millium Virginum. Sed Maria S.Bobæ eam Sodalitatem Lutetiæ instituit ad instructionem puellarum. Fuitque ea postmodùm ad multas alias urbes dilatata magno fructu. Cui alia plenè similis erecta Burdegalæ *Congregatio B. Mariæ* ad idem ferè institutum, paucis antè annis ab aliâ nobili viduâ N. de Lestonaco Sultanâ Landirassi: confirmata quoque ab eodem Pontifice Paulo, & valdè pariter propagata. Distincta verò ab aliâ ejusdem generis, item hoc eodem tempore institutâ sub eâdem nuncupatione *Congregationis B.Virginis* à Petro Forerio monachò Augustiniano, ac parocho Matencurii in Lotharingiâ.

CONGREGATIO DUPLEX B. MARIÆ.

M. DC. XII.

I. RUDOLPHI CÆS. OBITUS.

ANNO Christi millesimo sexcentesimo duodecimo, Indictione decimâ, *Rudolphus* Cæsar, postquam Imperium Germanicum tenuisset ab obitu Maximiliani patris, annos triginta quinque, menses tres; vixisset quinquaginta novem, menses quatuor; diem suum obiit Pragæ vigesimo Ianuarii; bellicis curis ac ferè civilibus, minùs & naturâ & valetudine aptus. In cujus locum Electores convenientes Francofurti, nominârunt decimotertio Iunii *Matthiam* ejus fratrem, jam anteà Regem Hungariæ & Boëmiæ; & vigesimo quarto coronârunt: qui sedem Cæsaream Pragâ, ubi eam tenuerat Rudolphus, Viennam Austriæ transtulit.

MATTH. SUFFICITUR.

II. MATRIMONIA PRINCIP. GALL. ET HISPAN.

Gallia & Hispania novo fœdere junctæ sunt, pactione gemini conjugii; nempè *Ludovici* Regis Christianissimi cum *Annâ Maria Mauritia* primogenitâ Philippi Regis Catholici, & *Philippi* Principes Hispaniarum cum *Elisabetha* sorore Christianissimi. Missi utrimque legati, & ludi jocique triumphales ubique peracti. Nuptiæ tamen dilatæ, ob immaturam partium ætatem. Et quòd eas minùs probarent nonnulli Principes Galli ac proceres, (quippe qui nullam inde commoditatem regno advenire, multas magnásque incommoditates provenire posse dicerent) fuerunt non parvæ turbæ in inde regno exortæ.

III. RICHERIANI LIBELLI DAMNATIO.

Celebrata est interim *Parisiis* mense Martii *Synodus*, sive Congregatio provincialis, *à Iacobo* Cardinale *Perronio* Archiepiscopo Senonensi, unà cum omnibus septem ejus suffraganeis, qui singuli per seipsos interfuerunt, causa fuit libellus *De Ecclesiastica & Politica potestate*; publicatus quidem absque nomine auctoris; sed qui seipsum mox pandidit esse *Edmundum Richerium* presbyterum Lingonunsem, Doctorem Theologum facultatis Parisiensis. Qui libellus eâdem Synodo damnatus est atque proscriptus die decimo tertio Martii: salvis tamen juribus tamen Regis quàm Ecclesiæ Gallicanæ. Idque ipsum præstitum in simili congregatione provinciæ Aquensis à Paulo Archiepiscopo & Episcopis suffraganeis vigesimo quarto Maii. Idémque Richerius auctoritate regiâ, & decreto facultatis depositus est à Syndicatu ejusdem facultatis, quem gerebat. Fuerunt etiam multi qui contra eundem libellum scripserunt: plenissimè confutavit *Andreas Duvallius* insignis Doctor Sorbonicus, & Regius Theologiæ Professor in Vniversitate Parisiensi primarius: haud tamen propterea cessante Richerio à suis molitionibus, quibus multos alios in suas partes allegit, cum vehementi suspicione schismatis, quem tamen post resipuisse videbimus.

IV. Poloni cæduntur a Moscis.

Vigebat adhuc bellum inter Danos & Suecos, variis utrimque cladibus. Et res Polonicæ improsperè in Moscoviâ successerunt; tum Moscorum fœderatorum desertione, qui ob non soluta stipendia bellum detrectabant; tum ab hostium impressione, qui novo Duce Michaële PhœdorWitz (cùm ab aliis Ladislaus filius Regis Poloniæ acceptus fuisset) strenuè rem egerunt, & urbem Moscham receperunt, profligatis prælio Polonis.

V. Turbæ Transilvan.

A Gabriele Bathorio Transilvano missus Constantinopolim Andreas Gietzius pro auxiliis adversus Hungaros; is res proprias curans, munitissima quædam propugnacula Achmeti promisit, si sibi Principatum traderet. Quare Achmetes Mahometi Bassæ mandavit ut Bathorio ejecto Gietzium introduceret. Id verò Bathorius animadvertens, in Matthiæ tutelam sese insinuavit, auxiliáque petiit: expostulante quidem de his Achmete apud Matthiam; sed ne bellum inferret, impeditâ rebellione Arabum. Is tamen Mahometes Bassa Moldaviam occupavit.

VI. Achmetis periculū.

Dum Achmetes visitaret aliquod delubrum extra urbem, à quodam Dervisio, seu monacho Turco grandi lapide appetitus, humero tantùm leviter ictus fuit: Dervisius capite scelus luit.

VII. Res Turc. et Pers.

Ordines Batavici cum eodem Achmete fœdus sanciverunt Constantinopoli mense Iulio. Cúmque legatus Regis Persæ ad pacem cum eodem pariter sanciendam missus, nimis suo Regi ignominiosam acceptâsset, ubi ad Regem reversus est, capite pœnas tulit; & nuncius Achmetis, qui cum eo ierat ad recipiendum Regis eâ juramentum, vacuus remissus est, bellumque redintegratum.

VIII. Xeriforum dissidia.

Pergentibus Xerifis in Mauritaniâ sese mutuis pulsionibus exercere, Abdala filius Xequi à Zidano fratre ejecti, arte virium impotentiam suppleturus, præstigiis & falsis vaticiniis multos ad se alliciens, exercitum Zidani patrui sui prostravit: sed ab eo rursùm pari vaticiniorum fraude, & majore virium robore prostratus occisúsque est. Inter quæ & Christiani pessimè habiti sunt apud Algerium & Tunetum: quorum nonnulli martyrium per multa tormenta feliciter consummârunt.

IX. Duces Venet.

Venetiis mense Iulii mortuo derepentè *Leonardo Donato* Duce ætatis anno septuagesimo sexto; electus est in ejus locum *Antonius Memmius* septuagenario major.

X. Turbæ Mantuanæ.

Ad finem anni mortuus est quoque ex insperato *Franciscus II.* Dux Mantuanus absque virili prole, relictâ unicâ filiolâ Mariâ ex Margaritâ primogenitâ Caroli-Emmanuelis Sabaudiæ Ducis. Francisco verò successit *Ferdinandus* frater ejus Cardinalis, pileo renuncians: qui & posteà dispensatione Pontificiâ, cùm non esset sacerdos, uxorem duxit. Hinc tamen ortæ turbæ inter Carolum & Ferdinandum; tum occasione Principatûs Montisferrati, quem non solùm à feminis, atque ipsâ filiâ suâ, teneri posse Sabaudus contendebat; verùm etiam ipse ex capite suo, & veteri de eo controversiâ, jus ad eum habere se dicebat: tum etiam propter dotes tam antiquiorum quam recentiorum matrimoniorum inter eas familias contractorum. Quibus dissidiis alii quoque majores Principes hinc inde sese immiscuerunt, cum non parvo tranquillitatis Italiæ detrimento, fuerúntque multa super his scripta utrimque vulgata, & arma mota, certamináque gesta; variis pacis & concordiæ intermixtis tractatibus.

XI. Paulus PP. benedicit Maronitis.

Paulus Pontifex mense Novembri Petro Patriarchæ Maronitarum Antiocheno, expetitam Apostolicam benedictionem scripto brevi impertiit; cum facultate eandem cæteris Antistitibus; universóque clero & populo Catholico Maronitarum impertiendi.

M. DC. XIII.

I. Carmelitarum seminaria.

Anno Christi millesimo sexcentesimo decimotertio, Indictione undecimâ, Paulus Pontifex constitutione septimo Martii conditâ, revocans institutionem à se anno 1608. factam congregationis S. Pauli ex Ordine Carmelitarum Reformatorum Italiæ & Hispaniæ, pro Christianæ Fidei propagatione, eò quòd repererit non expedire ut nonnulla quæ in eâ constituta erant effectum sortirentur; Seminarium Romæ dicti Ordinis Congregationis Italiæ erexit; in quo Fratres instruerentur studiis & linguis aptis ad eandem Fidei propagationem apud Infideles procurandam. Ex quorum Carmelitarum numero cùm jam antehàc nonnulli tum apud alios Infideles, tum apud Persas laborare cœpissent; ex hoc deinceps seminario plures prodierunt, qui id uberius, cum monasteriorum etiam constructione præstiterunt.

II. Oratorii Francici institutio.

Idemque Pontifex precibus Mariæ Reginæ-matris, & Henrici Episcopi Parisiensis motus, aliâ constitutione sexto Idus Maii editâ, instituit Congregationem priorum Sacerdotum, sub nuncupatione *Oratorii Iesu Christi Domini Nostri*, in regno Franciæ, jam antè ab eâdem Reginâ, de licentiâ Regis Ludovici ipsius filii, & consensu prædicti Episcopi, fundatam in eâ civitate, in honorem Orationum quas Christus in diebus carnis suæ fudit: cujus principale ac præcipuum institutum, esset, perfectioni statûs sacerdotalis totaliter incumbere, singulásque actiones ordini sacerdotali propriè & essentialiter convenientes, sibi ab ordinariis ubi stabiliti fuerint præscribendas, & non aliàs, amplecti. Ejúsque Congregationis ac presbyterorum Institutorem, Præpositum generalem constituit *Petrum de Berulle*, presbyterum Parisiensem, ex commendatione dictæ Reginæ. Inter eos verò sacerdotes qui primùm Parisiis nomen huic Congregationi dederunt, cùm essent nonnulli Doctores Sorbonici, contigit intercessionem fieri à Syndico facultatis & Rectore Vniversitatis, ne ii deinceps ad acta facultatis admitti, aut juribus ejus atque immunitatibus uti frui possent, unde non pauca altercatio fuit, quæ tamen tandem in ipsorum favorem terminata extitit. Dilatatáque est paulatim Congregatio per omnes penè, aut saltem præcipuas regni civitates, non exiguo populorum fructu. Estque omninò distincta ab antiquiori Congregatione Oratorii, quam vidimus à S. Philippo Nerio in Italiâ fundatam, & à Gregorio XIII. approbatam.

Pax inter Daniæ & Sueciæ Reges constitu-

PAX INTER DAN. ET SUEC. ta est; cùm Danus à prospero victoriarum cursu, ingruente in exercitum suum peste, retraheretur.

IV. BETHLEM GABOR OCCUPAT TRANSILVAN. Gabriel Bathorius, qui ut Transilvaniam retineret, diù in utramque partem claudicaverat, Imperatoris Germaniæ & Turci; tandem à Bethlemo Gabore, & ipso hæretico Calviniano, atque etiam schismatis Græcorum fautore, Turcorum ope profligatus; fuísque ob crudelitatem invisus, & ab omnibus penè derelictus, demùm ab iis quoque occisus est. Gabor autem ejus vestigia initio terens, ut Princeps constitueretur, & Matthiæ & Achmetis amicitiam ambivit: donec à Turco princeps declaratus, universam, Transilvaniam, tot jam malorum pertæsam, obtinuit, obstante nequicquàm Matthiâ.

V. PERSAR. VICTORIÆ. Scha-Abas Rex Persarum ingenti felicitate magnis cladibus affecit Arabas, Turcos, & Tartaros tam per se ipsum, quàm per Arcomatum strenuissimum Ducem Persam; multásque urbes cepit, atque imperium valde dilatavit. Quibus Achmetes abstinere coactus fuit ab invasione insulæ Melitæ, quam animo destinaverat, collecto ad id copiosissimo exercitu.

VI. TURC. CLADES A TRIREMIBUS CHRISTIAN. Triremes quoque Magni Ducis Etruriæ excursione in Minorem Asiam factâ, multa Turcis damna intulerunt; quædam oppida vi ceperunt, & expilarunt. Et tam ab iis quàm à Siculis Regis Hispaniæ, plures illorum triremes ac naves captæ sunt, captivi facti, & Christiani ab eorum servitute liberati.

VII. COSACOR. EXCURSIONES. Michaël Magnus Moscorum Dux Lituaniam incursavit. Cosaci in interioris Moscoviæ partes excurrentes, magnis thesauris potiti sunt. Indéque in Tartaros ducentes, eos magnis cladibus affecerunt. Atque alii in Ponto Euxino viginti quatuor triremes Turcicas in quodam portu incenderunt.

VIII. Rediit in Galliam à Brasilicâ navigatione Rasillius nobilis Gallus; relictis ibi ad barbarorum conversionem duobus Capucinis; & abductis in Galliam sex oræ ejus incolis, qui Christianam fidem sunt amplexi. Hócque item anno consignatur exitus expeditionis Canadensis, ab aliquot viris nobilibus & mercatoribus Gallis cum quibusdam Patribus Societ. Iesu, ante biennium in novam illam Franciam repetitæ. Vbi dum Patres illi signis & virtutibus darent operam convertendis iis populis, Angli è Virginiâ, quam Novam Angliam nuncupant, in Canadam excurrentes, & naves Francorum imparatas diripuerunt, & ædes extructas incenderunt.

DE STATU CANADÆ.

IX. DISCORDIA TILENI ET MOLINI CALVINIST. In Galliâ Daniel Tilenus Silesius Theologum Sedani agens, & Petrus Molinus Gallus minister Carentoni, ambo Calviniani, sed Tilenus ex mollibus Arminianis, Molinus ex rigidis Gomoristis, Parisiis agentes, atque hæreticorum more tractantes quæ non sua sunt, nec ipsi intelligunt; de reconditâ Incarnati Verbi unione hypostaticâ, Naturarum distinctione, proprietatibus, & officiis, pugnas verbo & scripto ediderunt: quas nec Rex Majoris Britanniæ suis literis, nec cæteri Ministri suis monitionibus consistorialibus componere valuerunt. Processítque usque ad hæc simultas, ut quòd Tilenus manifestè demonstraret Molinum & cæteros Calvinistas Gallos confundere proprietates duarum in Christo naturarum more Eutychetis; Dux Bulionius princeps Sedani, Ecclesiam suam & academiam Sedanensem ab Ecclesiis Gallicis separaverit; prohibuerítque suis Ministris, ne ulteriùs earum conventibus interessent.

M. DC. XIV.

I. PATRIARCHÆ, CHALD. LEGATIO ROMAM. ANno Christi millesimo sexcentesimo decimo quarto, Indictione duodecimâ, mensis Martii die vigesimoquinto festo Annunciationis Beatissimæ Virginis, Paulus Pontifex literas dedit ad Eliam Patriarcham Babylonis & Chaldæorum, unà cum Fidei Catholicæ professione contra blasphemias & errores Nestorianorum qui iis partibus maximè vigebant: occasione legationis ab eodem Patriarchâ Romam ad Pontificem missæ, cùm ad obedientiam ei præstandam, tum verò præcipuè ad collationem doctrinæ ipsorum cum Romanâ & Catholicâ faciendam, & suscipiendam instructionem rectæ ac sinceræ Fidei. Demandata autem fuerat legatio Adamo Archidiacono Cameræ Patriarchalis, & monachorum Chaldæorum Archimandritæ viro pio & prudenti. Qui Romam appulsus, ac benignè susceptus, postquàm de omnibus fuit plenè instructus, remissus est cum prædictâ Fidei professione, & muneribus sacris ad suum Patriarcham perferendis. De quibus extat accuratus tractatus Petri Strozæ Florentini, viri apprimè docti, tunc à secretis, epistolis Pauli Pontificis.

II. TURBÆ GALLICÆ. Gallia, quæ hactenùs à nece Henrici Magni arma continuerat, nunc demùm novos tumultus patitur: Principe Condeo, Ducibus Vindocinensi, Nivernensi, & Mayenio, Marescallo Bulionio, & nonnullis aliis principibus ac proceribus secessionem facientibus, prætextu rerum confusionis sub procuratione Reginæ matris, affinitatum Hispanicarum; ac nimiæ auctoritatis Concini Florentini in cæterorum præjudicium; (erat ejus uxor Leonora Galicaia collactanea Reginæ, eíque charissima; ipse verò eâ occasione præpotens in aulâ factus, fuerat etiam hoc tempore creatus Marescallus Franciæ:) publicatis eâ de re multis ad Reginam & alios literis, speciosísque, ut vocant, manifestis; responsis & apologiis, ut solet fieri in seditionibus; factique conventus & coitiones. Ventum demùm est ad arma, collectis utrimque exercitibus: sed mox secuta quædam concordia; nec tamen firma, nec diuturna, interim tamen Rex, cùm attigisset annum ætatis decimumquartum; sedens in senatu Parisiensi die secundâ Octobris, ex lege regiâ suscepit in se administrationem regni, quam mater eatenùs exercuerat.

III. COMITIA REGNI. Mox trium Ordinum Comitia, à prædictis Principibus expetita, celebrari cœperunt ibidem Parisiis ad auferendas belli occasiones, & regni res constituendas, quibus ex parte Cleri interfuerunt quinque Cardinales, septem Archiepiscopi, & quadraginta septem Episcopi, præter plurimos alios in dignitate ecclesiasticâ constitutos. Inter alia ibi tractata, ingesta est à Plebeii Ordinis delegatis propositio circa auctoritatem Summi Pontificis in

Reges: sed quòd ea novas dissensiones generare potuisset, minimè ab Ecclesiasticis & Nobilibus admissa est; (perorante ad hæc potentissimè ac profusissimè Cardinale Perronio) fuítque à sanctiori Regis Consilio penitùs sopita. Paulus autem Pontifex ubi audivit strenuam operam à Clero & Nobilitate in tam lubrico negotio, pro Ecclesiæ & Reipublicæ tranquillitate navatam, gratulatoria dedit brevia. Comitia verò posteriores hujus anni menses & sequentis priores occupârunt: sed nullo ferè effectu: ut etiam fuerant collecta, non tam ut aliquid in eis decerneretur, quàm ut satis fieret speciosis turbulentorum prætextibus.

IV. Stellæ novæ apparitio. Gratianopoli in Delphinatu die vigesimo sexto Martii, qùo tempore in Ecclesia S. Andreæ oratio XL. Horarum celebrabatur, apparuit Stella extraordinariè clara & micans supra eandem Ecclesiam firma & fixa consistens ab horâ primâ pomeridianâ usque ad noctem; cunctis videntibus & admirantibus.

V. Turbæ Iuliacenses. Novæ dissensiones ortæ sunt in Germaniâ inter possessores Ducatûs Iuliacensis, Duces Brandeburgensem Protestantem seu Calvinistam, & Neoburgensem ex Lutherano factum Catholicum post ductam in uxorem filiam Ducis Bavariæ; de nonnullis ejus oppidis, & religione in iis constituendâ. Indéque Brandeburgensi ab Statibus Batavicis per Mauritium, Neoburgensi ab Alberto Archiduce per Spinolam adjuto; universa provincia ab auxiliariis hinc inde occupata est; sed absque induciarum Belgicarum læsione. Idémque insuper Spinola Aquisgranum, à Matthiâ Cæsare proscriptum ob tumultus in Catholicos excitatos, ejusdem auctoritate occupavit.

VI. Turbæ Francofurd. Eodémque tempore exortâ Francofurti ad Mœnum inter cives gravi seditione, Senatores pristini exturbati sunt, aliis in eorum locum subrogatis: sed iidem rursùm post multas Cæsaris jussiones restituti, seditionis auctoribus castigatis. Fuêréque pariter Iudæi restituti; qui pulsi fuerant, bonis eorum direptis.

VII. Bellum Ital. inter Reg. Hispan. et Duc. Sabaud. In Italiâ accenditur bellum inter Hispaniæ Regem & Ducem Sabaudiæ, quòd nollet Dux acquiescere mandato Regis, ut omninò deponeret arma, & desisteret ab invasione Statûs Monferratensis, cujus Rex patrocinium susceperat. Ingresso itaque Ioanne Mendozâ Marchione Inojosæ Gubernatore Mediolanensi manu armatâ in ditionem Ducis, & Duce in Mediolanensem, factæ sunt quædam pugnæ & nonnulla loca capta.

VIII. Polon. et Cosacor. excursiones. In Poloniâ confœderato Moscovitico militi pecuniâ numeratâ fit satis. Eorum pars Smolenskum versùs contendit, & adversarios variis cladibus affecit: alia Neudam munitionem intercepit. Cúmque de damnis illatis à Cosacis Achmetes Turcus apud Sigismundum Poloniæ Regem expostularet; Cosaci fugam simulantes, cùm Thraciam ad conspectum usque Constantinopolis populati fuissent, Nagaiensium Tartarorum regionem diripuerunt; multáque alia damna ditionibus Turcicis, etiam transito Euxino, intulerunt.

IX. Rex Per-[sar. rebelles plectit.] Scha-Abas Rex Persarum Alquevinum nepotem suum sibi rebellantem bello impetiit, & captum capite minuit: ejúsque patruelem Cadum rebellionis participem alio prælio prostravit.

X. Iapon. persecutio. Persecutionem dirè urgebat in Christianos Iaponenses Rex Cubo pugnans, Anglorum præcipuè & Batavorum artibus: qui ut negotiationis faciliorem sibi viam aliis nationibus exclusis aperirent, mentiebantur omnia in Iaponiâ à Christianis agi ut Lusitanis & Hispanis aditus dominandi patefieret. Inclyta verò est Iaponia copioso martyrum sanguine.

XI. Mingreliæ missio. Hoc eodem anno profecti sunt Constantinopoli duo Patres Societatis Iesu in Colchidem, Mingreliam nunc dictam, ad inchoandam Mingreliæ missionem: ubi omnes quidem Christiani habentur, sed rudes ac barbari qui anno sequenti eò pervenerunt.

XII. Deliria cujusdam Thuringii. Ineunte hoc anno in Thuringiâ exurrexit juvenis quidam Lutheranus literatus, cui nomen *Ezechieli Medersi*; filius rectoris scholæ Laugensaltii: qui se esse magnum illum principem, seu Verbum Dei, jactabat; cui in somnis Spiritus S. doctrinam quam prædicabat revelare consuevisset: séque portare in corpore suo eandem carnem quam Christus sumpsisset in ipso esset personaliter & essentialiter: respuens de cætero Lutheranorum sacramenta, & se suósque (nam & socios ac discipulos habuit) immortales fore. Qui vocatus à Consistorio Desdrensi, Scripturæ testimoniis deliria sua defendere conabatur.

M. DC. XV.

I. Anno Christi millesimo sexcentesimo decimo quinto, Indictione decima tertiâ Romam delatæ sunt mense Ianuario literæ à Gabriele Gangrensi in Paphlagoniâ Antistite; quibus agnoscebat Primatum Romani Pontificis. Exeunte autem Octobri excepti ibidem è Iaponiâ legati fuêre, missi ab Idate Rege Voxu, ad obsequium Pontifici deferendum. Fuêre illi Faxicura Rotuyemon nobilis Iaponensis, (qui in baptismo in Hispaniâ recepto nominatus fuerat Philippus-Franciscus) & Fr. Ludovicus Sotellus Hispanus Franciscanus de Observantiâ, cujus operâ Idates fidem Christianam susceperat, quanquam nondum baptizatus esset. Eodémque mense ineunte, nomine Regis Francorum Ludovici Iusti, Alexander Vandomius frater ejus naturalis Eques Ierosolymitanus seu Melitensis magnus Prior Tolosæ, obedientiam filialem eidem Pontifici de more obtulit.

Iapon. legatio Romam.

Et Gallica.

II. Mut. Vitel. General. Soc. Iesu. Vltimâ Ianuarii mortuo ibidem Romæ *Claudio Aquavivâ* Societatis Iesu generali Præposito, sequente Novembri facta est generalis Patrum Congregatio; cui præter Europæos interfuerunt Mexicani, Peruani, Malabarici, Iaponici, & ex Goanâ Indiâ, ac regno Sinensi: Electúsque est in defuncti locum *Mutius Vitellescus* ex nobili familiâ Romanâ, oriundâ ex civitate Corneto Tusciæ, omnium ad tantum munus dignissimus jure merito à tantis Patribus æstimatus.

III. Valesiæ familiæ. Martii verò vigesimo septimo finem vitæ habuit Lutetiæ, anno suæ ætatis sexagesimo tertio, Regina *Margarita Valesia*, olim nupta

Reginæ extinctio.

Henrico Magno; quæ post matrimonii dissolutionem auctoritate Apostolica factam in aulam venerat: multis virtutibus prædita femina, nec tamen carens vitiis. In quâ *Valesiorum* stirps regia penitùs extincta est; quæ in Henrico III. regnare desierat anno 1589. cùm in Philippo Valesio cœpisset 1328.

IV. Cardin. Ioiosæ obitus.

Mortuúsque pariter est vigesimotertio Augusti Avenione *Franciscus* Cardinalis de Ioiosâ, sacri Collegii princeps, & regni atque Ecclesiæ Galliæ apud Sedem Apostolicam protector; pluribus legationibus, atque summi momenti rerum tractationibus, pro Ecclesiâ Catholicâ & Repub. Christianâ præclarè functus. Decessit autem anno ætatis quinquagesimo quarto; testamento condito: quo præter amplam ministrorum remunerationem, plus ducentis aureorum millibus in Ecclesiis, domos religiosas, pauperum seminaria, aliósque usus pios impendi; cor suum in Ecclesiâ collegii Societatis Iesu ibidem Avenione reponi; corpus ad residentiam Pontisaranam ejusdem Societatis à se fundatam afferri, jussit.

V. Duces Venet.

Mortuo item Antonio Memmio Venetiarum Principe, suffectus est in ejus locum mense Novembri *Ioannes Bembus* septuagenario major.

VI. Rursùm Gallia turbatur.

In Galliâ post soluta Comitia ad finem Februarii, iterùm venitur ad arma; secedente rursùm Condeo cum cæteris; & Hugonotis cum iis junctis, atque multa hostilia exercentibus. Nihilominùs Rex iter ingressus ad excipiendam sponsam Annam filiam Regis Hispaniæ, & deducendam sororem Elisabetham ad Philippum Principem; Septembri mense Burdegalam advenit. Vno porrò eodémque die ex condicto Dux Lermæus Regis Ludovici mandato Burgis in Castella cum Annâ, Dux Guisius Philippi Principis nomine Burdegalæ cum Elisabethâ, publicè in Ecclesiâ connubiales cæremonias ministerio sacrorum Antistitum adimplêrunt. Inde Guisius Elisabetham ad limites regni ducens, consignavit Hispanis nonâ die Novembris; & acceptam ab iis per manus Ducis Vssedæ Annam, (quam Rex ipse Philippus ejus parens unicè sibi dilectam, ad usque Fontarabiam in ipso limite sitam comitatus fuerat) Burdegalam ad Regem deduxit.

Matrimonia Gall. et Hispan.

VII. Concil. Tridentin. recipitur a Clero Gall.

Mense vero Iulii in generali Conventu Cleri Gallicani Lutetiæ habito, quod ille nunquam hactenùs à Regibus obtinere potuisset frequentissimis precibus, neque etiam in ultimis Comitiis, quamvis & Nobilitas vota sua inunxisset; videlicèt ut sacrum Concilium Tridentinum regiâ auctoritate promulgaretur in regno; præstitum à Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac cæteris qui aderant ex cunctis regni provinciis delegatis viris Ecclesiasticis, extitit quantum in ipsis fuit: dum scilicèt unanimi omnium consensu illud recipientes, suis se functionibus observaturos promiserunt ac jurârunt: satagente id imprimis ingenti fidei ac disciplinæ zelo, *Francisco* Cardinale *Rupifocaldo*, natalibus, pietate, doctrinâ, omníque virtutum genere, longè etiam supra dignitatem conspicuo.

VIII. Pax inter Hispan. et Sabaud.

Pax constituitur apud Astam mense Iunio inter Regem Hispaniæ & Ducem Sabaudiæ; interveniente auctoritate Regum Franciæ & Angliæ, ac Reipublicæ Venetæ: ægrè tamen consentiente Duce, qui spretis vanis Philippi minis, & Gubernatoris Mediolanensis conatibus, non solùm se ab eis viriliter defenderat; sed & non parvis illatis cladibus demonstraverat, non verbis ac multitudine, sed animi fortitudine & rei militaris peritiâ, bella geri.

IX. Achmet. pacem quærit.

Ab Achmete Turcorum Imperatore venit ad Matthiam Cæs. in Germaniam legatus mense Maio; & pacem aliquot antè annis cum Rudolpho Matthiæ decessore ictam, sed malè custoditam, instauravit ad viginti annos: quæ sequenti anno utrimque confirmata est, ac promulgata. Premebatur namque undique Achmetes à Persis, nonnullis provinciarum præfectis rebellibus, Cosacis, aliisque; ut quærenda ei pax cum aliquibus esset. Quam etiam cum Mingreliis, (Colchis antiquis) & Georgianis, Persarum fœderatis icisse hoc eodem anno dicitur.

M. DC. XVI.

I.

Anno Christi millesimo sexcentesimo decimo sexto, Indictione decima quartâ compositi sunt iterùm in Galliâ apud Lodunum in Pictonibus motus Principum sectariorum; amplissimo edicto mense Maii Blæsis in eorum gratiam condito: & Rege cum Reginis matre & conjuge Lutetiam redeunte, Condeus quoque ac reliqui omnes confœderati ad eum accesserunt. Vbi cùm novæ rursùm exortæ essent suspiciones, idem Condeus Calendis Septembris detentus fuit in palatio regio, & inde missus in arcem Bastiliæ: è quâ ad finem præteriti Iunii emissus in libertatem fuerat Carolus Comes Arverniæ filius naturalis Caroli IX. quem ob alias conspirationes ei inclusum fuisse sub Henrico Magno ante duodecim annos vidimus. Cujus posteà egregiâ virtute ac peritiâ Rex Ludovicus multis gravibus occasionibus feliciter usus est. Capto verò Condeo, qui ei anteâ adstiterant, denuò secessêre; & Rex bellum in eos decrevit.

Condeus in custodiam datur.

II. Bellum repetitur inter Hispan. et Sabaud.

Bellum quoque inter Regem Hispaniæ & Ducem Sabaudiæ recruduit, instigatione novi Gubernatoris Mediolanensis Petri Toletani Connestabilis Castellæ; & acriùs quàm anteà gestum est. Ad quod sedandum missus à Paulo Pontifice Alexander Lubovisius Archiepiscopus Bononiensis, & à Ludovico Rege Christianissimo Philippus Bethunius variis insignibus legationibus conspicuus, nihil prudentiæ ac solertiæ omiserunt, quo res amicè inter eos componerent.

III. Vscochorum grassationes.

Vscochis, (gente Croatiæ ferâ & latrociniis terrâ marique assuetâ,) quorum occasione multæ sæpè fuerant superioribus temporibus & Venetorum & Turcorum querelæ, ob commercii incommodum quod inde patiebantur, rursùm hoc tempore grassari pergentibus; Veneti de his questi apud Ferdinandum Archiducem Græciensem Stiriæ, ad cujus ditionem pertinebant, cùm malum non cessaret, Ferdinandi ditionem manu armatâ invaserunt, variásque clades intulerunt, ac vicissim acceperunt à ducibus Ferdinandi animosè eos excipientibus.

Ortâ Constantinopoli & Peræ magnâ com-

motione ex falſis quibuſdam ſuſpicionibus, omnes Chriſtiani in grave periculum vitæ inciderunt:& quidam Franciſcanus Vicarius Patriarchalis neci datus eſt juſſu Achmetis: ac ſex Ieſuitæ qui aderant (introducti olim auctoritate Henrici Magni) in carcerem conjecti ſunt, accuſati quòd Hiſpanorum eſſent exploratores, abſolutionem impertirent refugis a fide, Turcos baptizarent,ac ſervos fugitivos receptarent, & in regiones Chriſtianorum remitterent. Liberati deinde operâ N. Harlæi Sancii Regis Chriſtianiſſimi oratoris;rursúmque capti, ac pariter dimiſſi, quatuor nihilominùs ad ſua remeari juſſis, duo tantummodò permiſſi ſunt Peræ ut priùs habitare.

COMMOTIO TURCOR. IN CHRIST. PERENSES.

V. TURC. CLADES.

Interim Turci paſſim terrâ marique cæſi ſunt: mari Mediterraneo ab Hiſpanis ſeparatim, & Florentinis ac Melitenſibus unitim, palude Mæotide ac vicinis locis, & Coſacis; Aſiâ à Perſis.

VI. TURBÆ TRANSILVAN.

In Tranſilvaniâ diſſidium exortum eſt inter Bethlemum Gaborem & Humanoium, quòd Bethlemus Varadinum Turcis tradere vellet, in mercedem ſuæ ab iis protectionis, qui Lippam & alia quædam loca Tranſilvaniæ & Hungariæ eorum poteſtati ſubdidit.

VII. PAULI PONTIF. VARIA DECRETA.

Paulus V. Pontifex, conſiderans multa monachorum Ciſtercienſis Ordinis monaſteria, in regnis Aragoniæ, Valentiæ, Majoricarum, & Principatu Cataloniæ, atque etiam regno Navarræ conſtituta, rarò à ſuo Abbate Generali perſonaliter viſitari; indéque fieri ut in iis regularis minueretur obſervantia; menſe Aprilis eorundem regnorum Congregationem inſtituit, ab uno Vicario generali regendam; ſub perpetuâ tamen obedientiâ Abbatis & Capituli generalis Ciſtercii. Eodémque menſe Congregationem Clericorum ſæcularium *Doctrinæ Chriſtianæ*, primùm in civitate Avenione inſtitutam à Patre *Cæſare de Bus* viro eximiæ pietatis, cujus hoc tempore Antonius Vigerius præpoſitus erat, univit Congregationi Clericorum regularium Somaſchæ, aliàs S. Maioli Papienſis; ita ut in Galliâ deinceps vocari deberent *Patres Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis Somaſchæ, ſeu S. Maioli Papiæ:* victuri ſub obedientiâ Præpoſiti Generalis de Somaſchâ: ita tamen ut Provincialem, cæteróſque ſuos haberent Superiores Gallos. Menſéque Iulii Conſtitutiones à Sixto IV. & Pio V. editas *de Conceptione B. Mariæ* Virginis renovavit: majoréſque etiam pœnas in earum tranſgreſſores ſtatuit. Quibus anno ſequenti menſe Auguſti decretum addidit, prohibens omninò nequis in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis auderet aſſerere eam conceptam fuiſſe in peccato originali: etiamſi id privatim tenere non prohibuerit.

CŌGREG. DOCTR. CHRIST.

DECRETA DE CONCEPTIONE VIRGINIS.

VIII. SYNODUS MESOPOTAM. DE FIDE.

Celebrata eſt hoc anno menſe Martio in urbe *Amed* Meſopotamiæ *Synodus* ab *Eliâ* Patriarchâ Babylonis, occaſione profeſſionis Fidei à Paulo Pontifice acceptæ, de quâ diximus initio anni 1614. Ad quam unâ cum Antiſtitibus provinciæ, vocatus fuit etiam Fr. Thomas à Novariâ Ordinis Minorum, & Cuſtos monaſterii Alepi ejuſdem Ordinis, vir probus & doctus. In quâ diligenter examinatâ prædictâ Fidei profeſſione, eam cuncti amplexi ſunt: ac Synodi Acta ad Pontificem miſerunt, pro eorum confirmatione, vel ſi neceſſe eſſet correctione. Sicuti & contigit nonnulla in iis contineri, quæ ampliorem dilucidationem requirerent: de quibus eos monuit Pontifex anno ſequenti ſcriptis literis tertio Calendas Iulii. Vti hæc omnia pleniùs tractantur in commentario, quem Petrus Stroza de totâ legatione, ac dogmatibus Chaldæorum compoſuit.

IX. M. ANT. DE DOMINIS APOSTASIA A FIDE.

Hoc eodem anno menſe Novembri *M. Antonius de Dominis*, olim Societatis IESU, poſteà Epiſcopus Segnienſis, deinde Archiepiſcopus Spalatenſis Dalmatiæ & Croatiæ Primas; innatâ animi inquietudine,& œſtro amiſſæ litis de quâdam penſione annuâ, quâ prædictus Archiepiſcopatus erat oneratus, percitus, & quòd ſuis ſuffraganeis odio & contemptui ſe eſſe animadverteret; de patriâ & fide deſerendâ infauſtum conſilium cepit: pérque Helvetiam, ac Superiorem Germaniam, in Belgium; atque inde in Angliam trajecit: Vbi benignè à Rege exceptus, duo ingentia volumina rapſodiarum contra fidem Catholicam & œconomiam Eccleſiaſticam evulgavit titulo *De Republicâ Chriſtianâ*, quæ multi Catholici continuò variis locis confutârunt. Ipſéque brevî ejuſmodi vitam pertæſus, Romam rediit, & palinodiam cecinit; ut dicetur ſuo loco.

X. IESUITARŪ MARTYRIUM IN INDIA.

Octo Religioſi Soc. IESU occiſi ſunt in Indiâ Occidentali à Gentilibus, quorum converſioni & inſtructioni ipſi elaborabant: inſtigante maximè quodam pſeudoprophetâ, qui ſe Deum terræ nuncupabat, miſſum à Deo cælí; omnémque impunitatem, & protectionem contra Chriſtianos promittebat. Tribus, poſt menſibus corpora eorum, unà cum chartis & breviariis, quæ toto eo tempore ſub dio, uti trucidati fuerant, permanſerant, reperta fuêre omninò incorrupta.

M. DC. XXVII.

I. TURBÆ GALLICÆ.

ANno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo, Indictione decima quintâ, in Galliâ Rex, Principes ac proceres confœderatos, qui ab eo ſeceſſerant, proſcripſit, exercitibus in eos immiſſis. Sed cùm hinc Comes Arverniæ cum eo quem ducebat, poſt quædam loca capta, Sueſſiones præcipuam confugii urbem obſidione cingeret, in quâ erat Dux Mayenius; hinc Dux Guiſius cum alio, multis munitis locis vi ad obſequium Regis reductis, impigrè ad alia pergeret: interim Rex frequentibus in Concinum Florentinum Mareſcallum Franciæ (cujus ſummam potentiam confœderatis prætextui fuiſſe ſeceſſionis diximus) criminationibus inductus, juſſit illum in regiâ detineri cùm de more illuc accederet, qui tamen non captus, ſed quòd dum capiendus eſſet reſiſtere velle videretur, occiſus eſt in ipſo regiæ aditu à ſatellitibus regiis 24. Aprilis. Cujus corpus ſepulturâ in eccleſiâ S. Germani donatum, ſed à vili plebeculâ exhumatum, fœdè laceratum ac combuſtum eſt. Leonora Concini uxor, diverſorum & ipſa criminum accuſata, magis quàm convicta, capite plexa eſt, Chriſtianè & conſtan-

CONCINI CÆDES.

ter supplicium perferens: cadaver igne crematum. Ac Principes confœderati, auditâ morte Concini, continuò ad Regem accurrerunt, veniam sumptorum absque ipsius licentiâ armorum deprecantes: ejectisque novis ministris regiis, antiqui restituti sunt: atque universum regnum tranquillitatem recepit detento tamen adhuc Condeo in custodiâ ad Saltum Vincennarum, quò è Bastiliâ traductus fuerat.

II. Religio restituitur in Bearnia.

Cùm sub Henrico Magno exercitium Religionis Catholicæ in nonnullis tantummodò locis provinciæ Bearnensis hæresi contaminatissimæ restitutum fuisset; nunc Rex Ludovicus vigesimoquinto Iunii in sanctiori consilio decrevit, & mense Septembri edicto publico sanxit, ut omnibus & singulis locis ejusdem provinciæ cultus ejusdem Religionis Catholicæ liberè exerceretur; & bona Ecclesiasticis, ante quinquaginta fermè annos erepta, penitùs restituerentur. Quod cùm præfecti & magistratus provinciæ exequi recusâssent, inde rursùm bellum, & ex bello protestatio hæresis totâ Galliâ secuta est, ut pòst dicetur.

III. Collecta pro Terra Sancta.

Mense Augusti Rex Cardinali Rupisfocaldo, Duci Nivernensi, aliísque insignibus pietate & auctoritate viris, curam commisit subventionis Terræ Sanctæ: ad quam toto regno pecunias colligi jam olim Rex Henricus præceperat, hícque jam studiosus ursit, in restaurationem & ornamentum sacrorum locorum, quæ ne perirent Christianitatis intererat, & ut per Regem Christianissimum resarcirentur convenientius erat. Denique Rex Decembri mense Rotomagi magnum Conventum habuit præcipuorum ex Tribus Regni Ordinibus virorum, ad consultandum de optimâ regni administratione.

IV. De bello Italico.

In Italiâ dum bellum protraheretur inter Hispanos & Ducem Sabaudiæ, Gubernator Mediolanensis mense Iulii Vercellas deditione obtinuit post arctam duorum mensium obsidionem. Dux verò auctus copiis Gallis, aliquot oppida in ditione Mediolanensi expugnavit; variísque locis hostes profligavit.

V. De aliis Italiæ.

Veneti quoque & Archiducales Ferdinandi Græciensis, mutuis sese cladibus terrâ maríque, ac præcipuè apud Gradiscum, quod Veneti obsidebant, (sed ferè magis ipsi obsessi) affecerunt. Cùm & aliâ parte Dux Ossunæ Prorex Neapolitanus in mari Hadriatico classem instruens, ingentes iisdem Venetis turbas concitârit, damna intulerit, acceperítque ipse vicissim ab eis.

VI. Ferdin. adoptatur a Matth. Cæs.

Intereà verò idem Ferdinandus Archidux adoptatus à Matthiâ Cæs. in filium, qui ipsius patruelis erat, (filius videlicèt Caroli Archiducis fratris Maximiliani II. Cæs. patris Matthiæ) & suorum Statuum successorem, de consensu Maximiliani & Alberti Matthiæ fratrum, qui omnes liberis carebant; in Comitiis Boëmicis, præsentibus iisdem Matthiâ & Maximiliano, & rem promoventibus, electus est Rex successor Boëmiæ: eâ tamen lege, ut administrationi quamdiù Matthias viveret non se immisceret, nisi de ipsius & Ordinum consensu, coronatúsque est die vigesimo nono Iunii, festo SS. Petri & Pauli Apostolorum.

VII. Foedera adversus Reg. Polon.

Reges Daniæ & Succiæ in regnorum limitibus convenientes, fœdus defensivum inierunt adversus Regem Poloniæ legitimum Sueciæ dominum; hæretici in Catholicum. Idémque posteà Suecus etiam cum Michaële Mosco, quem electum vidimus adversus filium Poloni pacem composuit.

VIII. Achmetis Turci mors.

Achmetes Turcorum Imperator in medio multarum tribulationum, quibus Imperium ejus undique afficiebatur, mortuus est Constantinopoli decimoquinto Novembris, anno ætatis trigesimo, regni decimoquarto. Cujus cùm filius Osmanes vix dum attigisset annum ætatis duodecimum, & magnus Vizir abesset in expeditione Persicâ; *Mustapha* Achmetis fratri, annos vitæ viginti quinque agenti, qui reclusus quâdam cellâ vivebat orationibus vacans, Imperii administratio jussu morientis Achmetis delata est. Sed crudeliter in quoscumque agens, nec alioqui ingenio tantæ ducendæ moli valens; iterùm post duos circiter menses quà spontè quà coactè pristinum suæ cellæ incolatum repetit: & *Osmanes* sequenti Ianuario in throno collocatus est.

Osmanes Imperat.

IX. Rex Persarum Georgianos exagitat.

Scha-Abas Rex Persarum, cùm esset suæ superstitionis Mahometicæ studiosissimus, nonnullos Principes Georgianorum Christianorum, quos non posset ad eam inducere, fraudulenter necari curavit, cum multis eorum præcipuis proceribus: nonnullis Turco se subjicere eligentibus, qui liberam ipsis suam religionem conservaret. Inter eos qui morte plexi sunt, enituit *Catharinæ* Reginæ constantia: quæ cùm nullis suasionibus ad fidem deserendum adduci potuisset, roborata sanctis exhortationibus Patrum Augustinianorum qui eò penetraverant, per crudelissima tormenta ad cælum evolavit.

X. Terræ Australis inventio.

Multa dicta & scripta fuêre hoc tempore de *Terra Australi* recens per Hispanos adinventâ; quæ amplitudine, omniúmque rerum abundantiâ, (auro & argento excepto) longè Americam superet: quam Quintam Mundi partem nuncupant.

XI. Batavorum divisio in religione.

In Belgio inter Batavos graves extiterunt commotiones, civicæque seditiones occasione Gommaro-Calvinistarum & Arminianorum, (quos & *Remonstrantes* vocabant, sicut & illos alios *Contraremonstrantes*) de Prædestinatione inter se contendentium, de quibus suprà: Mauritio Comite apertè Gommaristis, qui antiquiores erant Calvinistæ, favente; multis ex Ordinibus Arminio accedentibus: unde non parvæ inter ipsos intercessêre simultates, civitatibus integris, quinimò & provinciis in partes divisis, & armis re agentibus: frustráque per legatos & literas Iacobo magnæ Britanniæ Rege eas in concordiam reducere satagente. Quæ dissidia in sequentes quoque annos protractæ fuêre.

XII. Cógreg. Fratr. Ioannis Dei.

Romæ Paulus Pontifex Congregationem *Fratrum Ioannis-Dei*, in Italiâ pridem institutam ad suscipiendos & fovendos pauperes infirmos, & Hospitalia Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ comprehendentem; in veram Religionem sub tribus votis substantialibus, & quarto de Iuvandis Infirmis, sub Regulâ S. Augustini erexit, constitutione eâ de re factâ 13. Februarii. Aliâque datâ 15. Aprilis ejus Constitutionem confirmavit. Ipsum verò *Ioannem-Dei* Vrbanus VIII. Beatorum

torum numero adscripsit anno 1630. 21. Septembris.

XIII. Iubileorum diversorũ Indictiones.

Paulus verò pridie Idus Iunii sacrum Iubileum per universum Christianum Orbem promulgavit, ad implorandam divinam misericordiam pro Ecclesiæ necessitatibus: quem ipsemet in Vrbe celebravit. Elector verò Saxoniæ Ioannes-Georgius Lutheranis in Germaniâ alium induxit, exeunte Octobri & duobus sequentibus diebus celebrandum, quòd centesimus hic esset annus à Lutheri apostasiâ: cusáque numismata aurea & argentea, cum inscriptione *Sæculum Lutheranum* 1617. Quem & Calvinistæ Palatini, aliique æquè celebrârunt, sed alio modo, quippe & doctrinâ & moribus ab iis diversi, & longè tempore iis posteriores: quo scilicèt disputationes tantummodò proposuerunt; iisdem diebus agitandas de causis eliminati à se Papatûs.

M. DC. XVIII.

I. Pax redditur Italiæ.

ANno Christi millesimo sexcentesimo decimo-octavo, Indictione primâ, ineunte Februario, pax confirmata est Neostadii in Austriâ inter Regem Ferdinandum & Venetos. Et postquam Petrus Toletanus Gubernator Mediolanensis distulit quamtumcumque potuit restitutionem Vercellarum Duci Sabaudiæ; demùm tamen urgente apud Philippum Hispaniæ Ludovico Franciæ Rege, & minas intentante, nisi staretur promissis, quorum ipse se vadem ac fidejussorem constituerat; mense Iunii restituta est civitas; ac ceteris omnibus pactis utrimque adimpletis, tranquillitatem Italia recepit.

II. Cardin. Kleselii iniqua detentio per Austriacos.

Idem Ferdinandus, procurante Matthiâ Cæs. in Comitiis Posoniensibus ineunte Iulio coronatus est etiam Rex Hungariæ; iisdem conditionibus quibus fuerat anteà Rex Boëmiæ declaratus. Huic coronationi cùm interfuisset unà cum aliis Melchior Kleselius Episcopus Viennensis in Austriâ, & S.R.E. Cardinalis, ac sanctioris Cæsaris Consilii præses; idémque paucis pòst diebus Posonio Viennam tendens, feliciter evitâsset paratas sibi à sclopetariis militibus insidias: vigesimo dicti mensis Iulii ibidem Viennæ in arce detentus est jussu Ferdinandi & Maximiliani; inscio penitùs Matthiâ, quem sciebant non permissurum: & jussus Cardinalis habitum deponere, ac nigrum vulgarem induere, abductus confestim est summâ celeritate per Comitem Tampirensem, seu Dampierensem, cum ducentis equitibus ad fines Stiriæ, indéque porrò in Tirolensem ditionem specie quod malè rem publicam administrâsset: & concordiam fratrum Austriacorum subvertere conatus esset. De cujus iniquâ capturâ & detentione, multa dicta & scripta: observatúmque est, ab eo tempore plura adversa, & tristia Austriacis in vindictam contigisse. Kleselius autẽ post aliquot annos, à Gregorio XIV. Romã adduci jussus, & arci Angelicæ inclusus donec de causâ detentionis cognitum fuisset; mortuo interim Gregorio, cum ceteris Cardinalibus ingressus est uti innocens conclave, & suffragium in electione Pontificis contulit: ac deinde ab Vrbano VIII. absolutus plenè planéque fuit à criminibus ipsi calumniosè impactis; bonáque ac facultates restitui ei jussæ sub pœnâ excommunicationis.

III. Persecutio Mauritii in Arminianos.

In Belgio quoque crescentibus apud Ordines Batavicos rixis de Gomoristis & Arminianis, vigesimoquarto Augusti Ioannes Barneveldius Hollandiæ Advocatus jam ætate provectus, cujus prudentiâ & consilio Ordines pleraque sua gesserant, (cui à multo tempore infensus Mauritius esse dicebatur, quòd non in omnibus ipsi assentiretur) in carcerem conjectus fuit, unà cum Romulo Hoogerbetsio Syndico Rotterodami, & Hugone Grotio Syndico Leidensi; obtentu cujusdam commotionis factæ Vltrajecti contra Mauritij & Ordinum conatus prò extirpatione Arminianorum, quibus isti favere dicebantur. Post quæ idem Mauritius (factus jam Princeps Aurangius morte Philippi fratris, qui decessit sine liberis mense Februarii hujus anni) manu armatâ Hollandiam & Westfrisiam percurrens, præcipuos Arminianos prædicantes expulit, Magistratus ipsis faventes mutavit, præsidia constituit.

IV. Schisma in Scotia de oeconomia Eccles.

In Scotia, de ecclesiasticâ & regiâ œconomiâ turbatâ, celebrata est ipsorum Synodus Perthensis: in quâ à pluribus admissi sunt quinque ceremoniarum Anglicanarum articuli, videlicèt genuflexionis in sacrâ Cœnâ, celebrationis aliquot dierum sacrorum præter Dominicos, baptismi privati, privatæ administrationis sacræ Cœnæ, & Confirmationis Anglicanæ. Quibus cum nonnulli, omnis ordinis & reverentiæ hostes, rigidiores Puritani sese opponerent, schisma inde inter ipsos ortum est, quod in hodiernum diem sopiri non potuit: & qui hunc Synodum, unà cum Episcoporum auctoritate jam priùs, ut vidimus, stabilitâ; approbare recusarent, variè exagitati fuerunt per Iudices Celsæ Commissionis, ut vocabant, à Rege constitutos politico-ecclesiasticos: fuitque eadem Synodus posteà auctoritate Parlamentaria regni confirmata.

V. Venet. Duces.

Venetiis mense Maii, ex quadam suspicione conjurationis in Rempublicam à Duce Ossunæ Prorege Neapolitano, qui Venetos hactenùs non parùm suis excursionibus maritimis turbaverat, multi tam Hispani quam Galli milites supplicio affecti sunt. Ibidemque defuncto *Ioanne Bembo* Duce, subrogatus est in locum ejus *Nicolaus Donatus* major octogenario: qui vix mensem superfuit: eique substitutus *Antonius Priolus*, unus ex Procuratoribus S. Marci, absens occupatus in dimittendo exercitu, cujus dux fuerat.

VI. Turbæ Pragenses contra Catholicos.

Eodem Majo Pragæ in Boëmiâ Comitiis habitis à Statibus hæreticis, specie conservandæ suæ religionis, cujus exercitium à Rudolpho Cæs. sibi olim cõcessum, à Matthiâ restringi conquerebantur; armati invadentes Consiliarios & Magistratus Cæsareos in arce congregatos, post multa iis improperata tres illorum qui præcipuè eorum postulationibus sese opponebant, per fenestras altas 40. cubitis præcipitarũt vigesimo tertio Maii: qui nihilominùs magno omnium stupore nihil læsi sunt, hæc maximè operante Comite Turrensi; qui cives Pragenses Directoribus regni mox institutis juramento obstrinxit; Patres Soc. Iesu urbe, ac posteà totâ Boëmiâ ejecit: provincias Moraviæ, Silesiæ, Lusatiæ, ad eam-

dem defectionem sollicitavit; & exercitum colligere cœpit. Quibus auditis Matthias Cæsar, postquam literis ac monitionibus nihil apud rebelles profecit, exercitum in Boëmiam immisit: & varia inita sunt prælia, capta utrimque oppida, prædæ actæ: Comitibus Bucquoio & Tampirio seu Dampiero strenuè rem pro Cæsare agentibus; Turrensi & Mansfeldio notho pro Directoribus; longè quidem numero militum undique ad eos accurrentium superioribus, sed tamen plerumque pugnâ inferioribus.

VII. GRISONICÆ TURBÆ

In Rhætiâ quoque (Grisones nunc vocant) excitatæ sunt turbæ: dum quidam specie avertendæ nonnullorum tyrannidis, qui statum democraticum abrogatum vellent in favorem Hispanorum, (quibuscum conventio quædam transacta fuerat anno superiori in civitate Curiensi, in communem utilitatem Mediolanensium & Grisonum; quam isti proditionis insimulabant) majorem ipsi sibi in populum suspicacem usurparunt: armatóque populo in patriæ ac Religionis Catholicæ perniciem, multos supplicio plexerunt: intérque ceteros, Archipresbyterum Sundrencem crudelissimâ tortura necârunt, atque Episcopum Curiensem perpetuo exilio damnârunt: cùm tamen conventibus aliquot habitis contestati fuissent, nullam se vim religioni illatam cupere.

VIII. PLURII ABSORPTIO E TERRÆMOTU.

In eorumdem Grisonum montanâ regione, quarto Septembris terræ motu facto, mons quidam imminens amplissimo oppido Plurio, eo concussus sub crepusculum vespertinum, oppidum momento obruit cum omnibus incolis, (quatuor exceptis, qui turbinis impetu longè abducti fuêre, tantâ clade ut ne vestigium quidem ullum conspiciendum reliquerit: ubi priùs 3600. incolæ numerabantur, visebantúrque duæ ecclesiæ parochiales, & sex alia monasteria, vel hospitalia.

IX. POST PRÆLIŨ PAX INTER TURC. ET PERS.

Ingenti inito prælio inter Turcos & Persas prope urbem Ardavillensem, quo octoginta fermè armatorum millia utrimque periisse dicuntur; quamvis longè major fuerit Turcorum cædes, obtulit tamen Persa pacem; quæ accepta est à Magno Visire Turcici exercitûs imperatore, pactáque.

X. CŌGREG. S. MAURI REFORM. BENEDICT.

Rex Christianissimus Ludovicus Iustus, cùm audisset de Reformatione Ordinis Benedictini inchoatâ Virduni, ut vidimus sub anno 1604. proclives passim per Galliam ejusdem Ordinis professores ad eam recipiendam; proclivior ipse pro suâ eximiâ pietate ad ejusmodi sanctum opus, auctor fuit erigendi aliam Congregationem; cujus superior deberet semper esse ex regno Franciæ; dato eâ de re diplomate mense Octobri præsentis anni. Quæ Congregatio dicta est S. *Mauri*, de nomine unius ex præcipuis S. Benedicti discipulis, qui primus institutum illud in Galliam & partes Occiduas attulit. Fuitque illa approbata posteà & confirmata per Pontificem Gregorium XV. anno 1621. cum amplâ facultate aggregandi ad eam & uniendi cuncta monasteria Galliæ ejusdem Ordinis Vrbanus autem VIII. Gregorii successor anno 1627. non solùm eam pariter confirmavit, verùm etiam multis privilegiis munivit, cum omnium aliorum, quorumcumque ordinum participatione. Impertivit autem tantam ei Deus benedictionem, ut præter antiquiores Congregationes exemptorum Britanniæ Armoricæ, & Casalis Benedicti, ac præcipua tota Galliâ monasteria, aliáque immenso numero, quæ prædictæ S. Mauri Congregationi aggregata fuêre; etiam ipse Ordo Cluniacensis, operâ Eminentissimi Cardinalis Richelii ejus Abbatis Generalis, junctus cum eâ fuerit anno 1634. in unum corpus sub ampliori & augustiori nomine *Congregationis S. Benedicti*, aliàs *Cluniacensis & S. Mauri*, & sub uno Superiori generali, ac formâ vivendi supradictæ Congregationis S. Mauri. Fuitque id roboratum diplomate regio mense Ianuarii anni sequentis 1635. cum approbatione Sedis Apostolicæ.

XI. MAUR. CARD. SAB. LEGATIO IN GALL.

Mense Novembri *Mauritius* Princeps Cardinalis Sabaudiæ, missus à patre Duce in Galliam, tum ad gratias Regi agendas de rerum suarum curâ adeò feliciter ab eo susceptâ; tum ad tractationem matrimonii Christianæ sororis Regis cum Principe Victore-Amedeo filio Ducis natu maximo; honorificè Parisiis susceptus est, ac summæ prudentiæ & pietatis laude legatione suâ ex optatis functus.

XII. LEGATIO TURC. IN GALLIAM PRO SATISFACTIONE INIURIÆ.

Quo eodem tempore advenit pariter Lutetiam legatus ab Osmane novo Turcorum Imperatore, ad confirmationem amicitiæ, & excusationem cujusdam injuriæ legato regio Constantinopoli sub iniquâ patrui sui Mustaphæ administratione illatæ: cui abundè Osmanes satisfecit.

XIII. MAXIM. AUSTR. MORS.

Eodem ineunte Novembri diem obiit Viennæ Austriæ *Maximilianus* Archidux Austriæ frater Matthiæ Cæsaris, anno ætatis sexagesimo; qui paulò antè præcipuus fuerat instigator detentionis Cardinalis Kleselii.

XIV. PERRONII CARD. OBITUS.

Anteà verò, nempè quinto Septembris, decesserat Lutetiæ anno ætatis suæ sexagesimo tertio *Iacobus Davy* Cardinalis *Perronius*, Archiepiscopus Senonensis, magnus Franciæ Eleemosynarius; de cujus præclarissimis gestis actum sæpè superiùs: Gallicanæ, quinimmò & Romanæ, atque adeò totius Catholicæ Ecclesiæ decus ingens & ornamentum: hæreticorum malleus, doctus & eloquens ad miraculum: quem si ampliùs laudare voluero, fucos faciam, cum sit major omni laude. Quantus vir fuerit, ostendunt ex parte gravissima ejus scripta, quæ reliquit; cùm esset nihilominus verbo & sermocinatione, atque disputatione incomparabiliter præstantior.

XV. COMETÆ APPARITIO.

Inter portenta hujus anni, quæ à diversis memorantur, mense Novembri apparuit Cometes aspectu horribili, prolixâ admodùm caudâ formidabilis: qui primùm gladii recurvi formâ apud Constantinopolim visus, postinde in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, Hispaniâ, alia omninò formâ; sive is idem fuerit, sive alius. De quibus multa fuerunt edita scripta. Quid autem portenderit, posteriora tempora demonstrârunt, si fortè ad id præcessit; cùm ab eo tempore continuis bellis magna pars Europæ gemat.

M. DC. XIX.

I. IUBILEI

ANno Christi millesimo sexcentesimo decimonono, Indictione secundâ, Pau-

Publicatio.

lus Pontifex audiens quàm gravibus procellis Ecclesiâ Dei in Germaniâ & vicinis provinciis agitaretur; ad implorandam opem divinam, tam pro illarum quàm cæterarum regionum necessitatibus, Iubileum universalem indixit Idibus Ianuarii: quem ipse Romæ celebravit.

II. Boemiæ rebellio.

Res autem Germaniæ ita se habebant, ut occasione rebellionis Boëmorum ageretur bellum acriter; aliquibus nonnunquam interpositis induciis, & colloquiis de concordiâ, quæ tamen frustrà fuerunt, cùm non jam Status de religione suâ afferendâ, sed de familiâ Austriacâ penitùs expellendâ, ac de Religione Catholicâ opprimendâ agerent. Quare & Matthias Cæsar Ernestum Comitem Mansfeldium, ob Plisnam Boëmiæ occupatam, aliáque in Imperium commissa, proscripsit edicto publico decimonono Februarii.

III. Matth. Cæsar. obitus.

Sequentis verò Martii vigesimo, idem *Matthias* obiit Viennæ anno ætatis sexagesimo secundo expleto, Imperii sexto, mense nono. Post cujus obitum Ferdinandus ejus patruelis, electus jam anteà Rex Boëmiæ & Hungariæ, in cæteras quoque provincias hæreditarias succedens, paternis monitionibus rebelles ad mentem revocare sategit. Sed hæreticis Austriacis, Hungaricis, Moravicis, Silesiis, atque Lusaticis, firmiori fœdere cum Boëmis quà sponte quà coacte unitis; crevit ubique rebellio, cum cæde, rapinâ, incendio, Catholicorum omnium vexatione, Ecclesiasticorum ac præcipuè Iesuitarum pulsione, ac Cardinalis Dietrichsteinii Olomucensis Moraviæ Episcopi detentione. Adeò ut Turrensis Comes ausus fuerit Viennam exercitum ducere; spe eam occupandi operâ hæreticorum, qui pariter in Austriâ Ferdinando rebellaverant: inde tamen brevî revocatus, ob gravem cladem interim à Mansfeldio notho acceptam ad Nadlitiam Boëmiæ à Bucquoio.

IV. Ferdin. II. eligitur Imp.

Convenientes autem Imperii Electores Francofurtum ad novum Imperatorem eligendum, tres Ecclesiastici cum trium sæcularium legatis, ac Ferdinando Rege Boëmiæ; frementibus contrà Boëmis, aliísque eorum asseclis, vigesimo octavo Augusti electus est in Imperatorem idem *Ferdinandus* eo nomine Secundus, ætatis anno quadragesimo primo; & coronatus nono Septembris.

V. Boemi Regem eligunt Palatinum.

Aliâ verò parte eodem tempore Status Boëmiæ unà cum provinciarum unitarum legatis, vigesimo nono Augusti decreverunt eundem Ferdinandum abdicandum regno Boëmiæ: illúdque quinto Septembris *Friderico* Electori Palatino detulerunt: miserúntque legatos qui eum accerserent. Qui summo gaudio nuncium accipiens, in Boëmiam se contulit; & coronatus est quarto Novembris, ac triduo post Elisabetha ejus conjux, filia Regis Angliæ; quam ambitione tituli Reginæ, maximè impulisse tradunt virum suum ad electionem aut procurandam aut acceptandam. Hísque peractis tam ipse quàm Boëmi publicis scriptis factum excusare, & rationem ejus reddere conati sunt: haud prævidente misero Palatino, animo pravâ ambitione excæcato, infortunium hinc ipsi exoriturum.

VI. Conventus Germanici.

Eodem mense Novembri habitus est conventus Norimbergæ protestantium omnium Principum ac civitatum Germaniæ, (qui communi nomine *Correspondentes* vocabantur) cui etiam novus Rex Boëmiæ interfuit: aliúsque Wirsburgi in Franconiâ Catholicorum: & utrobique actum de religione suâ sartâ tecta conservandâ, & cum alterius interitu provehendâ. Palatinus autem Pragæ, pulsis ab arce canonicis Catholicis, sacras etiam Imagines, Cruces, altaria, aliáque omnia religionis Catholicæ signa diruit.

VII. Bethlem Gabor invadit Hungariam.

Mense Septembri Bethlem Gabor Transilvaniæ Princeps, Turci cliens, & religione Græcus mixtim ac Calvinista, communicatis cum Boëmis consiliis, Hungariæ dominationi inhians; cum magno exercitu, contra pacta olim cum Rudolpho & Matthiâ Imperatoribus ac Regibus Hungariæ transacta, Superiorem ingressus Cassoviam, Felicum, Vacciam, Posonium, aliásque plurimas civitates vi aut deditione in potestatem suam redegit; omnes Catholicos, sed præcipuè Ecclesiasticos, dirissimè tractans; ac Principis Hungariæ titulum accepit, habens in potestate sacram Coronam Hungaricam, quæ Posonii religiosissimè asservari consuevit.

VIII. Conventus et disputationes contra Arminianos.

Dordraci in Belgio magnus Conventus habitus est (cœptus jam anno superiori mense Novembri, & continuatus usque ad Maium præsentis) Ministrorum ex Belgio, Germaniâ, Angliâ, aliísque provinciis, (Galliâ tamen exceptâ; ex quâ nec permittebat Rex Ministros ad extraneos conventus, nec ministros extraneos ad Gallicanos accedere; factâ jam olim hujusmodi prohibitione ab Henrico Magno:) contra Arminianos; præsente etiam Principe Mauritio, & aliis proceribus. Quo tamen nulla certa fieri potuit controversiæ de Prædestinatione definitio; Ministris inter se divisis; & Arminianis oppositiones suas formantibus, quòd non possent in suis defensionibus audiri, prævalente factione defensorum prædestinationis Gommaro-Calvinianæ. Adversus quod conventiculum Ioannes Malderus Episcopus Antuerpianus Antisynodica scripsit. Illud tamen approbatum fuit in Galliâ anno sequenti in aliâ pseudosynodo Aletensi: quam itidem ut impiam & calumniosam Tilenus Calvinianus damnavit. Fuit autem finis Dordracenæ, ut Ministri Arminiani pellerentur; & Barneveldius, anno superiori in custodiam datus, damnaretur, ut auctor seditionum Arminianorum: qui decimotertio Maii capite truncatus est Hagæ, ætatis anno septuagesimo tertio. Quem ut Martyrem Arminiani colere cœperunt. Fuerúntque hoc tempore Calviniani in Hollandiâ in sex præcipuas sectas divisi; Calvino-papistarum, Puritanorum, Brunistarum, Brochtuinstarum, Gomaristarum, & Arminianorum. Cùm &

Variæ Calvinistarum sectæ in Hollan. et Anglia.

eodem tempore in Angliâ multi antiquas hæreses Origenistarum, Ebionitarum, Sabellianorum, Anabaptistarum renovarent; alii prophetas agerent, aut nova dogmata, haud tamen à Calvinianâ doctrinâ aliena, docerent: quos apud Gaulterium videre est in postremâ suæ Chronologiæ editione. Nec finis unquam erit hujusmodi ardelionum, quousque redigant omnes intellectum suum in captivitatem in obsequium Christi, & ejus Ecclesiæ; quam dedit Deus in opus ministerii, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur

omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum in astutiâ ad circumventionem erroris.

IX. CONVENTUS LODUNENSIS HUGONOTORUM.

In Galliâ itidem ad finem Maii cœptus est, de Regis licentiâ, Loduni, conventus generalis ex tribus Ordinibus hæreticorum Calvinianorum. In quo magnâ insolentiâ multa constituta sunt; tum contra edictum regium anno 1617. conditum de restitutione bonorum ecclesiasticorum Bearnii; tum de negandâ admissione prædicatorum ex Ordinibus Religiosis, in locis ab iis detentis; tum denique de aliis ad dignitatem regiam spectantibus. In quibus adeò obstinati permanserunt, ut decreverint non priùs conventum dissolvere, quàm Rex in omnibus eis satisfecisset. De cujus exitu dicetur anno sequenti.

X. REGINA MATER RECONCILIATUR CUM REGE.

Ante hæc verò, mense Februario, Regina mater pertæsa diutinæ commorationis Blæsensis, (quam ipsa honoratum carcerem interpretabatur) ope Ducis Espernonii, inscio Rege, inde deducta est Engolismam. Quâ de re commotus Rex in Espernonium, exercitum collegit. Sed multis ultrò citróque missis nunciis & literis, tandem Septembri mense concordia renovata est. Tum Rex apud Turones matrem visitavit, ingenti utrimque lætitiâ. Indéque ipsa Andegavim petiit, ipsi à Rege concessam: Rex Carnutum concessit, ad reddendas Deo, ac Beatissimæ Virgini (cujus ibi vetustissima Imago, & templum antiquissimum, frequentissimo populorum concursu visitatur) gratias de felici rerum successu. Ac Condeum Principem ex diuturnâ custodiâ Saltûs Vicennarum pristinæ libertati restituit, & magnâ omnium lætitiâ ad se venientem excepit vigesimo Octobris.

XI. IUDICIA VARIA IN GALL. CONTRA IMPIOS.

Tolosæ mense Februario Italus quidam philosophus nomine Luciolus, deprehensus atheismum docere, præcisâ linguâ vivus combustus est. Martio Iudæa quædam Christianam simulans, apud S. Ioannem de Lucio diœcesis Baionensis in finibus Hispaniæ, detecta in communione publicâ sacram Eucharistiam ex ore in sudariolum abscondisse, capta & à plebe longioris inquisitionis impatiente, è custodiâ tracta, & in dolium inclusa, viva igne cremata est. Maio Lutetiæ poëtaster quidam Theophilus, repertus versus componere impios & impuros, toto regno pulsus est.

XII. FERDIN. CÆSAR. AUXILIA PETIT A REGE LUDOVICO.

Mense Decembri Lutetiam venit ad Regem Comes Furstembergius, legatus ab Imperatore Ferdinando ad petenda auxilia adversus Boëmos, Palatinum, & Gaborem: qui honorificè receptus, anno sequenti responsum accepit quod videbimus.

XIII. LUSITANI JURANT IN VERBA PRINCIPIS HISPANIÆ.

In Hispaniâ Rex Philippus Philippum filium in Lusitaniam duxit mense Iulii, unà cum Elisabethâ Franciæ ejus conjuge; atque ibi in publicis regni comitiis in eorum verba jurari fecit à Lusitanis.

XIV. ORDINIS DE MILITIA CHRIST. INSTITUTIO.

Novus Militaris *Ordo de sacra Militia Christiana*, sub protectione Beatissimæ Virginis, S. Michaëlis, & S. Francisci, qui jam anno superiori Olomutii in Moraviâ in monasterio Fratrum Capucinorum die decimasextâ Novembris institutus fuerat à *Carolo Gonzaga* Duce Nivernensi Gallo, *Adolpho* Comite *ab Althan* Germano, & *Ioan. Bapt. Petrignano* Sfortiâ Italo; præsenti anno die octavo Martii Viennæ Austriæ in stabilem formam redactus est: ad defensionem & liberationem Christianorum ab Infidelibus oppressorum, & Reip. Christianæ propagationem & concordiam. Quo die tum iidem Ordinis auctores; tum nonnulli alii principes ac proceres, putà Ratzivilius Polonus, Lavemburgius Saxo, Comites Bucheimius Tampirensis & Archensis, aliique, Crucem Ordinis sumpserunt, & jurejurando sese ejus regularum observationi obstrinxerunt: eidémque subinde multi alii Germani, Itali, Galli, Poloni nomen dederunt. Ejus autem origo inde processit, quòd cùm quinquennio antè tres fratres Petrignani nobiles Itali è Spello, Ordinem constituissent sub nomine *Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei*, & Regulâ sancti Francisci de Assisio, pro defensione Fidei Christianæ, & exaltatione sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ; ac speciatim ad compescendas Turcorum in mare mediterraneum excursiones; eúmque anni superioris mense Iulio Paulus Pontifex approbâsset: medio è tribus fratribus in Galliam & Germaniam profecto ad illius institutum evulgandum; re cum prædictis Nivernensi & Althano communicatâ, iidem inter se istum alium consarcinârunt; quem nobilioribus fundamentis subnixum, perenniorem quoque futurum existimârunt. Contigítque rursùm post hæc, ut in locum ejusdem Petrignani subintroierit longè major Princeps *Ferdinandus* Dux Mantuæ; & nonnihil mutatus sit Ordo, ut diceretur *Militia Christianæ* sub titulo *Gloriosæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ*, ac sub Regulâ S. Francisci, necnon sub protectione SS. Michaëlis Archangeli & Basilii. Quem sic sive confirmavit, sive erexit de novo Vrbanus Papa VIII. per suam constitutionem pridie Idus Februarii ann. 1623. cum facultate eligendi sibi Magnum Magistrum, Militiæ caput & Superiorem, ac sedem aptam conventibus celebrandis: subindéque ejus Statuta confirmavit; contulítque propriâ manu Duci Nivernensi habitum & Crucem Ordinis. Qui tamen tantorum moliminum conatus, nullum demùm effectum sortiti sunt, mortuâ cum Nivernensi, vanâ ipsius animo impressâ à nonnullis malè sanis spe Imperii Constantinopolitani; ex cujus olim Augustis gentem Palæologam radices fixisse in Monferratensi & Mantuano principatibus, unde Nivernensi ortus, vidimus aliàs.

MUTATUR IN MELIUS.

M. DC. XX.

I.

Anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo, Indictione tertiâ, mense Ianuario, inita est nova confœderatio Posonii inter Palatinum, Gaborem, Boëmos, Hungaros, Transilvanos, Austriacos, cæterásque provincias rebelles; sollicitato etiam in consortium Turcorum Imperatore. Februario autem Ferdinandus Cæsar edicto publico electionem & coronationem Palatini irritam ostendit, & declaravit: atque Aprili tum aliis literis monuit illum ab ejusmodi regni usurpatione desistere, tum omnes ei adhærentes ab eo recedere. Electores quoque, aliique Imperii

FRUSTRANEI CONATUS AD PALATINUM REDUCENDUM.

Principes tam Catholici, quàm etiam non pauci à Proteſtantibus qui à Ferdinando ſtabant, conventu habito Mulhuſii in Turingiâ, eundem Palatinum, cæteróſque, ſuis monitionibus conati ſunt ad officium reducere: & quòd fruſtrà omnia fierent, fœdus & ipſi inierunt contra illorum perfidiam. Boëmi verò Maio filium Palatini ſexennem declarârunt Regem ſucceſſorem patris. Nec intereà ceſſabatur ab armis; ſed variæ fiebant utrimque excurſiones, deprædationes, pugnæ, cædes, & locorum occupationes: miſſis in auxilium Cæſaris à Regibus Hiſpaniæ & Poloniæ, militum, à Pontifice Paulo pecuniarum ſubſidiis; & ex aliâ parte ex Angliâ & Bataviâ ſuppetiis Palatino allatis.

II. Nobilis legatio à Rege Christianissimo pro rebus Germ.

Rex verò Chriſtianiſſimus, poſt acceptam legationem ab Imperatore quam diximus, ſatius ducens de conſiliatione agere quàm diſſidia auxiliaribus copiis augere; celebrem miſit in Germaniam menſe Maio legationem Ducis Engoliſmenſis filii naturalis Caroli IX. cum Bethunio multis aliis graviſſimis legationibus proſperè obitis conſpicuo, & Albaſpineo è præcipuis ſanctioris Conſilii ſenatoribus; qui nomine ſuo quantum poſſent, tum obſtarent ne reliqui Principes & Status Imperii (quod timebatur) arma in ſe mutuò converterent, in evidentem perniciem univerſæ Germaniæ; tum inſiſterent ut diſſidentes in concordiam redirent. Qui primò in Conventu Vlmenſi Principum ac civitatum Proteſtantium Correſpondentium celebrato menſe Iunii legatione ſuâ expoſitâ; deinde Iulio Viennæ Imperatori Ferdinando; tum Octobri Hainburgi Gabori, (qui intereà Rex Hungariæ à ſuis proclamatus eſt) parùm profecerunt apud animos irritatos; nec tamen adeò inutiliter laborarent, quin rem penè deſperatam ad aliquam concordiæ viam adduxerint.

III. Catholici prævalent armis.

Sed validiora fuerunt arma quàm verba. Quippe inter hæc Maximilianus Dux Bavariæ, copiarum Catholicarum ductor, Status Proteſtantes Auſtriæ coëgit renunciare fœderi Boëmorum: Ioan. Georgius Elector Saxonicus, cui Cæſar, quamvis Proteſtanti, ſed non ex ſectâ Correſpondentium rebellium, executionem proſcriptionis Boëmicæ commiſerat, Luſitaniam provinciam Boëmiæ unitam occupavit: & Ambroſius Spinola cum exercitu collecto ex Belgis & Italis juſſu Regis Hiſpaniæ, in Palatinatum inferiorem valdè cæteris Hiſpanicis ditionibus opportunum ingreſſus, multas urbes cepit. Denique idem Bavarus junctus Comiti Bucquoio ductori exercitûs Cæſarei, ambo Boëmiam ingreſſi, poſt multas urbes captas; demùm octavâ die Novembris, celebritate Octavæ Omnium Sanctorum, quæ & tum erat Dominica vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten, quâ recitatur in Officio divino Evangelium *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris*, prope Pragam, eodem ipſo loco quo Status Boëmici anno ſuperiori acceſito ad regnum Palatino obviârant graviſſimo ac memorabili prælio, (hortante præcipuè *P. Dominico à Ieſu Maria* Hiſpano, inſigni pietate, & zelo Religioſo Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, qui attulerat Bavaro à Pontifice Enſem benedictum, & certam victoriam promittente:) quo pars Cæſariana non parùm fluctuavit, Palatinum fuderunt: qui Pragæ acceptâ uxore ac liberis, in Sileſiam aufugit. Duces verò Catholici poſtridie urbem triumphantes ingreſſi ſunt: & univerſa fermè Boëmia veſtigio ad obſequium Imperatoris certatim rediit. Tantique fuit hæc victoria momenti, ut conſtans omnium ſententia ſit, ejus virtute contigiſſe, ut Boëmia ſubjugata fuerit, Auſtria coercita, Moravia reducta, Sileſia repreſſa, Hungaria recuperata, univerſa Germania ſtabilita, Religio Catholica ex captivitate in libertatem aſſerta; ac præcipuè Pragæ: ubi non ſolùm reſtituta eſt poſt hæc religio, verùm etiam cuncti miniſtri hæreſis paulò pòſt inde pulſi, omnéque exercitium contrariæ religionis, quinimò & politicæ juriſdictionis hæreticis penitùs interdictum; frementibus licèt vehementer Proteſtantibus Germaniæ. Tributa eſt autem maximè victoria patrocinio Beatiſſimæ Virginis: cujus Imagunculam pictam cùm Pater Dominicus inter rudera cujuſdam domûs dirutæ caſu reperiſſet, cui hæretici oculos foderant; ejus factâ ab ipſo in procinctu prælii oſtenſione exercitui, adeò animati fuerint duces militéſque in ultionem injuriæ factæ Virgini, ut victoriam retulerint. Vnde & dicta eſt Imago *Virginis de Victoria*, quæ poſteà delata Romam à Patre cum precioſiſſimis donariis Imperatoris & Ducis Bavariæ; publicâ ſolenni ſupplicatione, magno triumpho in Eccleſiâ Paulinâ ipſorum Ordinis in monte Quirinali collocata fuit. Atque Imperator in ſimilem gratiarum actionem, eo loco quo pugnatum eſt magnificum templum ſub invocatione *S. Mariæ de Victoria* conſtruxit.

Insignis eorum victoria Pragensis.

IV.

Intereà in Walachiâ & Moldaviâ certatum eſt à Turcis & Tartaris Præcopenſibus adverſus Gratianum Vaivodam Chriſtianum Græcum, & Polonos: cùm accuſatus apud Oſmanem Gratianus, qui tributarius ejus erat, de conſpiratione cum Polonis: necato Campagio, quem Oſmanes ad ipſum occidendum miſerat, apertè deficiens Polonos in auxilium vocâſſet. Duplici itaque inito prælio, priori Turci inferiores, poſteriori ſuperiores fuêre: quo Gratianus extinctus eſt, cum ducibus Polonis, & maximâ nobilium multitudine. His verò exritatus Oſmanes, cùm jam ei pax eſſet cum Perſâ, ejecto cum ignominiâ legato Polono ex portâ ſuâ bellum Polonis denunciavit; qui ſe ad defenſionem magnis animis & viribus parârunt.

Osmanes bellum denunciat Polonis.

V. Rex Polon. periculum incurrit a sicario.

Dum verò Rex Poloniæ Sigiſmundus ad hæc Varſoviæ Comitia celebraret, decimoquinto Novembris in ipſo ingreſſu Eccleſiæ, à quodam nobili Polono ſecuri bis caput & humerum percuſſus, ſummum incurrit vitæ periculum. Curâ tamen eodem ipſo loco vulneribus adhibitâ, Rex egregio ſummæ pietatis exemplo noluit domum regredi, quin prius ad quod venerat ſacrum audiſſet. Percuſſor nihil unquam à Rege læſus, deteſtabili tamen malitiâ hoc ſolùm dolens quòd non eum occidiſſet, debitas luit ſceleris pœnas.

VI. Vallis Telina purgatur hæreticis.

In Valle Telinâ, ſitâ in confinibus Italiæ & Germaniæ, porrectâque in longum à lacu Comenſi ad Comitatum Tirolenſem, unitâ Rhætis, ſive Griſonibus; Catholici conſiliis clàm inter ſe initis, ob preſſuras

quas patiebantur ab hæreticis dominantibus, mense Iulio omnes Calvinistas tam incolas quàm exteros occiderunt; & favore atque auxilio Ducis Feriæ Gubernatoris Mediolanensis, (qui nuper in locum Petri Toletani inde revocati suffectus fuerant) universam Vallem occupâverunt; pulsis etiam posteà Grisonibus, qui confestim accurrentes multis armatorum millibus eam recuperare moliti sunt. Inde verò Dux Feriæ aliquot præcipuis locis propugnacula construxit, sive ad securitatem Catholicorum; sive eo prætextu ad Vallis occupationem, quæ opportunissima est recipiendis impediendísque auxiliis. Quare non parùm hinc commotis multorum animis: imprimis Veneti, quòd sic videretur in servitutem Italia redigi, clauso Helvetiis & Germanis ostio, tum alios ad vindicandam è manibus Hispanorum Vallem sollicitare cœperunt; tum maximè Regem Francorum: qui proptereà missâ ad Regem Hispaniæ legatione, promissionem accepit restitutionis, modò Catholicis Vallis cautum esset: Eáque de re multa sunt inita consilia à delegatis utriusque Regis cum Helvetiis & Rhetis; eadémque variis artibus ac difficultatibus interturbata; ægerrime Hispanis eam dimittere consentientibus.

Ex ejus occupatione fit commotio magna.

VII. Novi motus in Gallia.

Gallia quoque magnis rursùm motibus agitata est, cùm præcipuæ Luinei apud Regem auctoritatis invidiâ, (quem Rex ex inferiori nobilitate ad excelsum Ducis & Paris Franciæ gradum evexerat; collatâ etiam ei post hæc supremâ Conestabilis dignitate:) tum aliis privatis de causis, quo factum est ut multi principes ac proceres à Rege secesserint mense Iunio ad Reginam ejus matrem, specie eam tuendi adversus insidias malevolorum. Sed præveniens Rex mirâ celeritate atque animi præsentiâ eorum conatus, captâ Cadomo urbe Normanniæ munitissimâ, & ad Pontem Cæsaris prope Andegavim fusis hostium copiis; adeò in arctum principes ac civitates rebelles constrinxit, ut coacti omnes fuerint veniam petere. Decimotertio Augusti Reginam Brissaci amabilissimè excepit.

VIII. Bearniũ a Rege sub jugũ ducitur.

Indeque confestim in Aquitaniam properans, cùm nullis unquam hortationibus atque jussionibus, obstinatissima magistratuum ac ministrorum Bearnensium corda flectere potuisset ad exequendum jam anno 1617 promulgatum edictum de restitutione bonorum Ecclesiasticorum, illuc ipsemet cum modicis copiis pergens mense Octobris, Venit, Vidit, Vicit: quippe attonitis hæreticis ad incogitatum ejus adventum, quem omnibus artibus impedire conati fuerant; intra solos quinque dies rebus ita prospexit, ut præsidia ubique mutarit; præfecturas armorum (seu parsanos, ut vocabant, hoc est regiones, quibus duces hæretici Catholicos durâ servitute premebant) extinxerit; templa Catholicis, bona Ecclesiasticis, Ecclesiasticos pristinis honoribus restituerit; provinciam Bearnii, una cum Navarrâ inferiore, Coronæ Franciæ adnexuerit; & Senatum novis Consiliariis Catholicis auctum in Parlamentum erexerit. Hisque tot ac tantis pari fortitudine ac felicitate gestis, ad Reginas matrem & conjugem Lutetiam rediit septimo Novembris; quatuor omninò mensibus postquàm inde septimo Iulii exîsset ad componendos Principum ac Provinciarum motus. Reductione autem Bearnii vehementissimè afflicti hæretici, post multos privatos ac provinciales variis locis peractos conventus, ad modos quærendos, quibus incruentam hanc cladem eversione regni compensarent; nationalem ex omnibus Galliarum provinciis Rupellæ agentes, nec privatis Regis monitionibus, nec publicis edictis ac proscriptionibus, ad illum dissolvendum induci unquam passi sunt, de quorum exitu dicetur posteà.

IX. Turbæ Neapolitanæ de præfectura.

Turcorum classis mense Augusti mari Adriatico excursionem faciens in Apuliam, Manfredoniam urbem celebrem cepit, diripuit, & multos utriusque sexûs captivos abduxit; dum interim Dux Ossunæ prorex Neapolitanus de præfecturâ altercaretur cum Cardinale Borgiâ, à Rege Hispaniæ misso ad eum inde pellendum; cùm homo inquietissimi ingenii ita sese in administratione suâ gessisset, ut in suspicionem regni per tyrannidem ac rebellionem retinendi incidisset. Factúmque demùm est, ut à Clerico (sicut per contemptum Borgiam vocabat) compulsus fuerit in Hispaniam navigare. Ipséque Borgia quatuor pòst mensibus Cardinalem Zapatam successorem accipiens, Romam se recepit.

M. DC. XXI.

I. Pauli PP. V. obitus.

Anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo primo, Indictione quartâ, Ianuarii die vigesimâ octavâ, *Paulus V.* Pontifex Maximus Romæ obiit anno ætatis sexagesimo nono, sedis decimoquinto, mense nono. De cujus virtutibus breviter dictum in ejus creatione: demonstrârunt eas præclara ejus gesta, & sacra ædificia; quæ multi pluribus descripserunt. Suffectus ei est eodem ipso die ingressûs conclavis, nono Februarii, magno Cardinalium, qui illud ingressi sunt numero quinquaginta duo, consensu, *Alexander Ludovisius*, Pompeii, & Camillæ Blanchinæ filius, nobili familiâ Bononiensi, Archiepiscopus illius civitatis, & Cardinalis presbyter tituli S. Mariæ Transpontinæ: annum agens ætatis sexagesimum septimum: variis anteà magistratibus & legationibus pro Sede Apostolicâ feliciter functus: comis, beneficus, pius, & nulli non admodum gratus, qui nomen sumpsit GREGORII XV. signum seu symbolum ex Psalm. 16. *Perfice gressus meos in semitis tuis*, paulóque pòst Iubileum universalem indixit ad divinum auxilium pro salutari Ecclesiæ Catholicæ regimine implorandum. Ac mense Novembri constitutionem salutarem dedit de rectâ formâ Electionis Summi Pontificis.

Gregor. XV. subrogatio.

II. Cosmi Duc. Etrur. obitus.

Mense Februarii obiit *Cosmus II.* magnus Dux Etruriæ, diuturnâ invaletudine in juventute confectus; multis tamen liberis relictis. E quibus natu maximus *Ferdinandus II.* adhuc puer decem circiter annorum, successit in paternam ditionem sub tutelâ Catharinæ aviæ Lotharingicæ, Mariæ-Margaritæ matris Austriacæ, & Caroli patrui Cardinalis Medicei.

III. Philippi III. Reg. Hispan. obitus.

Vltimâ die Martii excessit quoque ex hâc vitâ *Philippus III.* Rex Hispaniarum, insigni pietate ac morum suavitate Princeps, anno ætatis quadragesimo tertio, regni vigesimo tertio. Cui successit filius natu maximus *Philippus* ejus nominis IV. annos natus sexdecim, magno animo & ingenio adolescens, ac supra ætatem prudentiâ: qui confestim ingentes rebus curialibus mutationes intulit; in intimum consilium adhibens Comitem Olivarium, qui præcipuam apud ipsum adeptus est auctoritatem: qualem sub defuncto Rege habuerat Dux Lermæus; quem jam dignitas Cardinalitia, obtenta ante ejus mortem, à periculo supplicii severioris exemit, non tamen à relegatione in domum suam.

IV. Ferdinandi Cæs. progressus contra hostes.

Ferdinandus Cæsar vigesimo secundo Ianuarii Palatinum ac Principes Correspondentes, publicis edictis proscripsit: cùm jam ad finem anni superioris in Bethlemum Gaborem, specie invasionis Hungariæ, traditionis aliquot ejus propugnaculorum in manus Turcorum, tituli regii usurpationis, aliud diploma promulgâsset insciis legatis Franciis, eodem tempore quo eorum operâ utebatur ad Gaborem reducendum. Post quæ Moravia per Bucquoium, Silesia per Saxonem ad obedientiam ejus reductæ sunt: & Hispani rursùm multa loca in Palatinatu occupârunt. Ac miser Palatinus ex potente Principe Electore, & factitio Rege Boëmiæ, nudus factus profugus, post longos circuitus, tandem pervenit cum uxore in Hollandiam; victum ibi à Statibus, & à socero Rege Angliæ (ab eo tamen accessu insulæ prohibitus) emendicare, & intercessionem tam ejusdem soceri, quàm Daniæ Regis, atque Isabellæ Hispaniæ principis Belgii, apud Cæsarem implorare coactus. Principes reliqui, ac civitates Correspondentes, dissoluto fœdere inter se contracto, Cæsari reconciliati sunt: operâ potissimùm Ioannis Suiccardi Archiepiscopi Electoris Moguntini, qui ab ipso horum motuum Germanicorum ortu egregiam navavit operam Religioni & Reipublicæ.

V. Concordia cum Gabore.

In Hungariâ, ab Bucquoii adventum mulcis civitatibus à Gabore recedentibus, Posonium quoque captum est; aliáque multa loca. Sed eo ad Newensolum in quodam conflictu cæso decimo Iulii, Gabor aliquot loca recepit, ab obsidione tamen Posonii magnâ clade repulsus, Donec exeunte anno concordia aliqua inita est inter ipsum & Cæsarem, quâ Coronam regni ab ipso raptam (quæ tantæ est apud Hungaros æstimationis, ut qui eam possideat uti Rex habeatur) restituere debuit, (quam & anno sequenti restituit) & Cæsaris nomine urbes quas in Hungariâ occuparet regere.

VI. Turci cæduntur a Polonis.

Poloni rursùm mense Ianuario à Turcis cladem acceperunt in Moldaviâ. Sed Martio adveniens Wladislaus siue Ladislaus Princeps cum quinquaginta millibus, atroci prælio eos vicit. Vnde Osmanes mirum in modum exacerbatus; juvenili ardore, contra suorum omnium sententiam, Constantinopoli exiens, cum numerosissimo exercitu Turcorum & Tartarorum Moldaviam petiit, ubi Ladislaus cum sexaginta circiter millibus Polonorum ac Germanorum limites regni tutabatur; interim dum pater Sigismundus reliquas copias colligeret, quæ futuræ existimabantur ampliùs ducentorum millium, Castris in conspectu positis, dum Osmanes frequentissimis insultibus Polonos aggrederetur, simúlque impedire conaretur ne quinquaginta millia Cosaccorum jungerentur Ladislao; utrimque magnis cladibus repulsus est, adeò ut desperans ulteriùs progredi, pacem obtulerit, æquis conditionibus: quæ magno gaudio, velut divinitùs missa accepta est à Polonis, cùm rebus omnibus consumptis vix jam haberent quo vel unum diem sustinerent. Cæsa dicuntur iis certaminibus duodecim millia Polonorum & Germanorum; multi aliis morbis consumpti: è Turcis ad centum circiter millia cæsa, totidem aliis casibus extincta. Quæ toto mense Septembris & parte Octobris contigerunt.

VII. Alberti Archid. obitus.

Expirante mense Aprilis Induciarum Belgicarum constituto duodecim annorum termino, invitatísque frustrà ab Archiducibus Alberto & Isabellâ, provinciarum unitarum Statibus ad agnitionem legitimi illorum dominii; rursùm ventum est ad arma, & colligi cœperunt utrimque exercitus. Die verò decimatertiâ Iulii ex hâc vitâ discessit *Albertus* anno ætatis sexagesimo secundo; magno suî desiderio Belgis relicto, tum ob ejus pietatem & mansuetudinem, tum verò maximè quòd post ejus obitum, cùm nullos reliquerit liberos, Belgium iterùm, ex legibus transactionis cessionis, rediturum esset sub imperium Regis Hispaniæ: remanente tamen interim ejus Rectrice *Isabella* ipsius conjuge; quæ statim à viri excessu posita comâ, sacrum velum, & tunicam cineream, religiosarum asseclarum S. Claræ virginum habitum sumpsit:)

Bellum resumitur in Belgio.

& Ambrosio Spinolâ supremo duce armorum, qui mense Septembri urbem Iuliacum obsidens, sequentis Februarii initio deditione recepit; nequicquàm Aurangio Principe ei succurrere conato.

VIII. Rex Ludovicus hæreticos comprimit.

In Galliâ Rex Ludovicus, rebellium hæreticorum multis locis turbas cientium insolentissimâ arrogantiâ, & Conventûs Rupellani obstinatissimo Regiæ Majestatis contemptu, ac novæ Reipublicæ, provinciarum præfectorum omnísque generis ministrorum, necnon peculiaris sigilli constitutione ibi factâ, commotus; nullis non tentatis modis, quibus eos saltem ad pristinam, quantumvis malè securam, obedientiæ speciem reduceret: tandem in rebelles movens mense Iunio, San-Ioannem Angeriacensem urbem Santonum amplam & munitissimam, post duram viginti trium dierum obsidionem, in deditionem accepit; mœnia ac propugnacula diruit, & in vicum redegit, superbè anteà clades jactantem à Catholicis olim apud eam acceptas. Et alias tam ipse quàm ejus auspiciis Præfecti provinciarum, ad sexaginta præsidiis hæreticorum munitas, ad obedientiam quà vi, quà minis redegerunt, magnâ variis certaminibus rebellum strage. Montalbanum posteà, cæterarum omnium munitissimam, ac ferè amplissimam eorum urbem, serò nimis Rex aggressus, supervenientibus morbis, & inundationibus hibernis, solvere obsidionem coactus est, quâ inter multos nobiles occisus est ictu sclopeti in aggere Henricus Dux Mayenius prorex Aquitaniæ, strenuissimus princeps.

IX.

In Angliâ mense Aprili Parlamentum Lon-

Præsumptio Parlamenti Anglici.

dini habitum, auctoritatem sibi sumens in ministros regios, Cancellarium regni carceri mancipavit, & indignum à dignitate declaravit; ac nonnullos alios haud infimæ notæ proceres in vincula conjecit: nec sine aliquo in Regem ipsum murmure; orto, ut multi crediderunt, ex tractatu matrimonii, qui agitabatur inter Principem Angliæ filium Regis, & unam ex sororibus Regis Hispaniæ; sive aliâ quâcumque de causâ.

X. Grisonũ clades ab Hispanis, et Germ.

Rhæti, sive Grisones, dum variis seu veris seu fictis difficultatibus protraheretur restitutio in integrum Vallis-telinæ; moræ impatientes, mense Septembri magno numero irruperunt in eam. Sed ingenti suo damno; non solùm quòd acceptâ clade repulsi fuerint; verùm maximè quòd eâ occasione hinc Dux Feriæ, illinc Archidux Leopoldus in ipsam Rhætiam ingressi, universam penè occupaverint, coactis Rhætis manus dare. In quorum tamen gratiam ad finem anni inita est aliqua concordia, quâ utrique parti aliquo modo satisfactum, & Religioni prospectum videretur: restituto interim Episcopo Curiensi in suam civitatem.

XI. Mauri repelluntur ab Hispanis.

In Africâ Rex Maroci propugnaculum ab Hispanis ad fluvium Mamoram prope Alarachiam ante aliquot annos constructum, terrâ marique obsidens, magnâ strage repulsus est, adveniente in auxilium classe Hispanicâ. Quæ etiam ad fretum Gaditanum triginta duas naves Batavicas benè instructas Venetiis redeuntes (elapsis jam induciis inter Hispanos & Batavos) aggressa, aliquod cepit, alias submersit, aut fugavit.

XII. Rob. Bellarmini obitus.

Septembris die decima septimâ ex hâc vitâ transiit ad cælestem *Robertus Bellarminus* Politianus, è Societ. Iesu Cardinalis, filius sororis Marcelli II. Summi Pontificis, anno ætatis 79. eruditione, pietate, ac virtutibus Christianis, etiam supra famam ornatus, ac meritis nunquam intermorituris plenus.

M. DC. XXII.

I. Multorũ Sanctorum canonizationes, et festorũ institutiones.

Anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, Indictione quartâ, Martii duodecimo, festo S. Gregorii Magni; ejus successor Gregorius XV. Romanus Pontifex ad majorem Dei gloriam, lætitiam Paradisi, bonum Ecclesiæ, fidelium utilitatem; ritu solemni, unâ eâdémque celebritate, retulit in numerum Sanctorum, sanctimoniæ vitæ, virtutum, ac miraculorum merito *Isidorum* agricolam Hispanum Madritensem, qui vixerat ante quadringentos quinquaginta & ampliùs annos; *Ignatium Loiolam* Institutorem Societatis Iesu; *Franciscum Xaverium* ex eâdem Societate Apostolum Indiarum; *Theresiam* virginem fundatricem Carmelitarum Discalceatorum; & *Philippum Nerium*, auctorem Congregationis Oratorii. Quorum omnium singulæ literæ cùm sub Gregorio expediri non potuissent, publicavit reliquas successor ejus Vrbanus VIII. Gregorius autem hoc eodem tempore, decimo octavo Aprilis, donec similis canonizatio fieri posset *Fr. Petri de Alcantara*, Ordinis Minorum strictioris Observantiæ Discalceatorum, provinciæ S. Iacobi in regno Castellæ fundatoris; intereà declaravit eum *Beatum* atque de eo à Religione Minorum observantium officium celebrari concessit: Idémque vigesimo tertio Aprilis constitutionem edidit pro observatione festi *S. Annæ* matris Dei genitricis, tanquam de præcepto. Ac denique secundo Decembris instituit festivitatem *S. Ioachimi*, dictæ S. Annæ viri, parentísque ejusdem Beatissimæ Virginis, sub duplici officio celebrandam 20. Martii.

II. Decreta de Conceptione Virginis.

Idémque 24. Maii Decretum Pauli V. ipsius decessoris *de Conceptione Beatissimæ Virginis*, cujus meminimus anno 1616. amplians, prohibuit sub gravissimis censuris, nequis (donec articulus iste à Sede Apostolicâ definitus fuisset, vel aliter ab eâ ordinatum) etiam in sermonibus, & scriptis privatis auderet asserere, Beatissimam Virginem conceptam esse cum peccato originali; nec de hâc opinione affirmativâ aliquo modo agere seu tractare: Atque insuper ut in festo Conceptionis nulli omninò, in Officio divino, ac sacro-sancto Missæ sacrificio celebrandis, tam publicè quàm privatim, alio quàm *Conceptionis* nomine uterentur. Qui tamen, quòd non propterea censuerit sententiam contrariam reprobare; vigesimo octavo Iulii, Religiosis Dominicanis, quorum plerique eandem contrariam sequuntur, concessit in privatis suis colloquiis inter se dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materiâ ejusdem Conceptionis disserere & tractare.

III. Congregationis de fide propag. institutio.

Propterea idem Gregorius, pro ratione sui nominis ad omnia invigilans, Iunii 22. constitutionem edidit de erectione Congregationis nonnullorum Cardinalium, aliorúmque Antistitum & Regularium virorum, *de Fide Catholica propaganda*. In cujus subventionem primum addixit emolumentum Annulorum Cardinalium, quod est quingentorum ducatorum, anteà Cameræ Apostolicæ solvi solitum. Cui deinceps plurima alia legata fuêre, postquàm cognitus est copiosus fructus, ex Missionibus ab ejusmodi congregatione in diversas mundi partes ad Infideles ad fidem convertendos factis, colligi solitus.

IV. Novorũ Cardin. creatio.

Lutetia fit metropol.

Denique quartùm Cardinales creans, 5. Septembris quatuor viros eximios in sacrum collegium allegit; *Cosmum de Torres* Romanum; *Armandum Ioannem Plessium Richelium* Gallum; *Octavium Rodulphium* Florentinum; & *Alfonsum de la Cueva* Hispanum. Et *Lutetiam*, urbem regni Galliæ primariam, à metropoli Senonensi, instante Ludovico Rege, ob urbis splendorem, distractam, in novam metropolim erexit: attributis ei Ecclesiis Carnotensi, Aurelianensi, & Meldensi, quæ priùs eidem Senonensi suberant. Fuítque primus ejus Archiepiscopus *Ioannes-Franciscus Gondius* vir nobilis, pius & industrius, adhuc in vivis existens; nepos ex fratre Petri Cardinalis Gondii, & frater Henrici Cardinalis Retzii, Episcoporum olim Parisiensium.

V. Victis rebellibus pax a Rege datur.

In eâdem Galliâ Rex Ludovicus hæreticos rebelles armis persequens, multa per se ac suos duces recepit loca, ab iis occupata temporis successu & injuriâ. Dux Rohanensis factiosorum princeps, majestatis reus declaratus est: paulóque etiam pòst ejus frater Subizius; qui contra jusjurandum Regi præstitum anno su-

periori apud Sanio amnem, collectis adversus eum copiis insulam Riensem Pictonum defendendam susceperat. In quam Rex, non sine gravi periculo, ingressus, eum in turpem fugam conjecit, internecioni datis ejus copiis. Posteà tamen Rohanensis, dum Rex in obsidione Mompellerii seu Montispessulani esset, obedientiam ei exibuit: gratiáque ei à Rege, aliisque sectariis, facta est mense Octobri; pace cum Rohanensi tractatâ à Diguierio, facto nuper Catholico, & Connestabili regni post Luinii obitum à Rege creato. Quando & Rupellenses, ægrè licèt obedientiæ nomen accipientes, qui in potentiâ suâ gloriabantur postquàm gravissimis pugnis navalibus à Duce Guisio Classis regiæ præfecto contriti fuerunt, qui terrâ premebantur à Comite Suessionensi, singulari & ipsi beneficio tribuerunt, in ejus participationem admitti.

VI. VARIA SIGNA IN AERE.

Mensibus Ianuario & Februario visa sunt diversis locis Germaniæ varia signa in aëre; cælum igneum; tres soles in iride; luna radiis circumdata, & in medio eorum Crux atri coloris non vulgaris magnitudinis, quæ speciatim supra Heidelbergam Palatinatûs urbem 18. Februarii apparuit. Qualia phænomena Catholicorum armis fuêre præsaga secundorum eventuum. Quippe non multò pòst obsessa Peidelberga à Tillio egregio copiarum Bavaricarum ductore, vi capta est Septembri mense. Asservabatur ibi celebris *Bibliotheca Palatina*; quam volunt confectam fuisse ex omnium bibliothecarum Ecclesiarum & monasteriorum antiquorum illius provinciæ expilatione. Cujus modò libri cùm promissi fuissent Paulo Pontifici in augmentum Vaticanæ, contigit meliores ferè à diversis diripi; partem deferri Romam, sed imperitiâ ejus cui hæc cura demandata fuerat, librorum numero longè quàm bonitate copiosiorem.

BIBL. PALATINA DEFERTUR ROMAM.

VII. PALATINORUM CÆDES, ET FUGÆ.

Facti quoque fuerunt varii militum delectus pro Palatino extorre restituendo, ab Ernesto notho Mansfeldio, à Christiano Brunsvicensi Episcopo Halberstatensi Protestante, à veteri Marchione Durlaco & Badensi. Ad quos Palatinus è Belgio per Galliam & Lotharingiam incomitatus & ficto habitu penetrans, multa cum iis molitus est: sed variis cladibus affecti, Germaniam deserere coacti sunt: & Palatinus primò Sedanum se recipiens, inde Hollandiam repetiit. Mansfeldius per Lotharingiam iter capiens in eo fuit ut Galliam ingrederetur, sollicitatione hæreticorum interim dum Rex occupatus esset in Occitaniâ, sed Duce Nivernensi Campaniæ præfecto copias contra eum colligente; maluit aleam subire prælii contra Gonzalem de Cordubâ ducem copiarum Hispanicarum, qui ejus vestigiis inhærebat, atque iter ei in Belgium præcludere deliberaverat. Inito gravissimo prælio apud S. Amandum & Floreacum in Comitatu Namurcensi 29. Augusti, Mansfeldius majorem partem copiarum amisit, cedente victoriâ Hispanis. Transiit tamen ipse incolumis; & cum reliquiis exercitûs trajecto Rheno in Westphaliam se recipit: infinitis ubique damnis & sacrilegiis patratis; qualia spurium decebant, & hæreticum.

VIII. OSMANES

Constantinopoli 19. Maii Ianizzari & Spachii (illi pedites, hi equites prætoriani sunt) seditione motâ in Osmanem ipsorum Imperatorem, ob suspicionem novæ militiæ ab ipso constituendæ, (quòd Ianizzarorum effeminatiorem & turbulentiorem sensisset in expeditione Polonicâ anni superioris) & sedis Imperii Damascum transferendæ; iterùm in thronum evexerunt *Mustapham* ejus patruum tenebricoso eductum ergastulo. Qui timens rursùm deponi, (matre ejus, sagacissimâ feminâ, rerum administrationem suscipiente) Osmanem priùs magnâ ductum cum ignominiâ ad Septem-turres, (capite primi Viziris Dilaver, qui auctor ei ejusmodi consiliorum asserebatur, perticæ imposito prælato) ibi eum strangulari fecit die sequenti, annum agentem ætatis 18. Imperii quintum, facinore eatenùs in Imperio Turcico intentato; ubi solebant Principes veluti summi dii honorari, & in omnibus absque illâ omninò repugnantiâ obediri. Reliquit duos fratres se minores, alterum tredecim, alterum septem annorum. Ad atrox autem hoc nuncium rebellantibus plerisque Asiæ provinciarum præfectis, tum ob facinoris indignitatem; tum ob Mustaphæ imbecille ingenium, quo fiebat ut mater ejus Imperium regeret; prætoriani, cùm se viderent propterea omnibus ubique odio & opprobrio esse, ad cor reversi, peremerunt auctores & executores necis Osmanicæ; curámque singularem susceperunt custodiæ fratrum ejus, quorum vitæ insidiæ struebantur.

TURCORUM IMP. STRANGULATUR.

TURBÆ INDE EXORTÆ.

IX. MARTYRES IAPONICI.

In Iaponicis insulis sæviente durâ in Christianos persecutione, multi hoc anno martyrio coronati sunt: atque inter cæteros *Petrus de Sunigâ* Ordinis Augustiniani flammis addictus, filius Marchionis Villamantici quondam Novæ Hispaniæ proregis *Ludovicus Flore* Dominicanus: *Petrus Davila* Franciscanus; *Carolus Spinola* Ligur Societ. IESU; & *Sebastianus Quimura* ejusem Societatis, qui primus Iaponum sacerdotali charactere insignitus fuerat. Nec tantùm sacerdotes ac religiosi, verùm etiam laïci & feminæ, infantésque duodecim unà capite plexi sunt, quorum natu maximus erat decem annorum: ut alios quamplurimos omittamus. Floruit enim his temporibus maximè Iaponia martyribus & confessoribus. Paritérque in Perside cœptâ persecutione, quinque Persæ ad fidem conversi & baptizati a Patribus Carmelitanis, qui in urbe Haspahanii monasterium de licentiâ Regis extruxerant, martyrium primi omnium consummârunt.

ET PERSICI.

X. M. ANT. DE DOMINIS REVERTITUR AD ECCLESIAM.

M. Antonius de Dominis, quem vidimus sexennio ante apostatâsse à fide Catholicâ, & in Angliam secessisse, pertæsus vitam allophylorum, & operâ oratoris Hispanici in Anglia commorantis securus à Pontifice redditus de veniâ, palinodiam canens, ac valedicens Angliæ, Romam pervenit ad finem Novembris: ibique abjuratâ hæresi, scriptum edidit, quo distinctim revocavit quæcumque adversus Ecclesiæ Catholicæ doctrinam evomuisset, eadémque confutavit. Sic vidimus eum apostatantem, vidimus recantantem; videbimus & deinceps relabentem: adeò erat vario & inconstante animo.

XI. MAGISTRI OR-

Quarto Septembris mortuus est *Adolfus Vignacurtius* Magnus Magister Ordinis Hospitalariorum, postquàm ab initio anni 1600.

DINIS MELITENS.

eum prudenter administrâsset. Eique suffectus est ab electoribus *Ludovicus Mendes* Lusitanus.

XII. FRANC. DE SALES OBITUS.

Ad finem quoque hujus anni ex hâc vitâ ad cælestem transiit *Franciscus de Sales* Episcopus ac Princeps Genevensis, anno ætatis 56. Episcopatûs vigesimo, Lugduni, die 28. Decembris, die Sanctorum Innocentium; vir ipse innocentissimæ vitæ, multarúmque virtutum Christianarum; quas ab adolescentiâ, cum omnium applausu & admiratione coluit: Ordinis feminarum Visitationis B. Mariæ institutor, (de quo suprà anno 1610.) & multorum piorum librorum ad mores & animas informandas, cum ingenti omnium lectorum fructu, scriptor. Corpus ejus sub initium anni subsequentis delatum fuit Anicium oppidum suæ diœcesis, sedémque Episcopalem constitutam interim dum Geneva in rebellione Dei & Ecclesiæ permanet. Ejus verò pietatis & virtutis, atque etiam miraculorum merito, factum est ut à Clero Gallicano petita sit à Sede Apostolicâ solennis ejus canonizatio: quæ brevì expectatur.

M. DC. XXIII.

I. CONJURATIO IN MAURITIUM DETECTA.

ANno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, Indictione sextâ ineunte Februario detectâ conjuratio quorundam Ministrorum Arminianorum Remonstrantium, ac filiorum Barneveldii anno 1618. capite plexi, in vitam Mauritii Principis Aurangii ac fratris ejus, supplicio aliquorum punita fuit.

II. VALLISTELINA CONSIGNATUR PONTIF.

Eodem Februario, inter varia consilia negotii Vallis-telinæ, de quâ anno 1620. quam Rex Hispaniæ sibi conservare, contra nonnulla pacta Madriti conventa; Rex Galliæ cum aliis Principibus, ac præcipuè Veneto & Sabaudo cum quibus fœdus propterea initum est, liberam permanere volebant; Gregorio Pontifice intercedente pro tuitione Religionis Catholicæ: concordatum est ut ejus propugnacula & munitiones consignarentur in depositum in manus Pontificis, quousque de jure discussum esset, qui Marchionem Bagnium præfectum ibi constituit.

III. ELECTORATUS PALAT. TRANSFERTUR IN DUCEM BAVAR.

In Comitiis Ratisponensibus Ferdinandus Cæs. post multas Principum Protestantium de juribus Imperii & Electorum oppositiones, & dubias Catholicorum sententias; dignitatem Electoralem Friderici Comitis Palatini & ex Regis Boëmici, ob ejus rebellionem, & delicta in contumeliam Imperii & Imperatorum, transtulit in Maximilianum Bavariæ Ducem apprimè Catholicum, qui fidelem operam in omnibus Imperatori præstiterat. Ita tamen in gratiam Regis Angliæ ac Principum Protestantium re temperatâ, ut Friderico quidem in perpetuum Electoratum privato, nullum nihilominùs ejus filiorum, fratrum, & agnatorum juribus inde præjudicium fieret; quin post mortem Maximiliani, ad Electoratum ex iis admitti is deberet, cui in conventu ad hoc faciendo adjudicaretur. Hisque conditionibus collatus est Electoratus solemni ritu Maximiliano, vigesimo quinto Februarii; eodem penè die, quo fuerat anno 1548. per Carolum Imperatorem Saxonicus à Ioanne Friderico bello capto translatus in Mauritium. Post quæ etiam Imperator Palatinatum Superiorem eidem Maximiliano contulit, pro superiore Austriâ, quam Maximilianus in pignus summarum sibi debitarum tenebat.

IV. HALBERSTATENSIS CLADES A TILLIO:

Cùm autem ob ejusmodi Electoratûs translationem magni motus à Protestantibus fierent, & Mansfeldius atque Halberstatensis, de quibus anno superiori, arma circumferrent: contigit ut Tillius copiarum Cæsarearum ductor cum Halberstatensi congressus sit sexto Augusti apud Statloum magno prælio; quo hostium sex millia cæsa sunt, quatuor millia sese dediderunt, cæteri magno numero captivi, læsi, ac fugati sunt: repertis inter captivos tribus Ducibus, quatuor Comitibus, sex tribunis, & centum militum ducibus, cum ducentis signiferis ac magni nominis ministris: ut expressum reperimus in quâdam relatione Episcopi Aversani, tunc Nuncium Apostolicum in Germaniâ agentis. Halberstatensis fugâ sibi consuluit; amissis insuper duodecim tormentis bellicis, totóque exercitûs apparatu. Reperta sunt in campo quædam armorum genera, in quibus duæ istæ literæ inscriptæ erant P.F. significantes, ut dicebant, Germanicè *Pfaffen Feindt*, hoc est, Sacerdotum hostis.

V. GABORIS FRAUDES.

Quo etiam tempore Bethlemus Gabor bellum redintegrans Turcorum auxilio, in Hungariâ aliqua oppida cepit. Tractavítque rursùm de pace cum Imperatore; sed more suo aut fraudulenter, aut immoderatioribus postulatis: factâque tantùm est armorum cessatio in aliquot menses.

VI. PRINCIPIS ANGLIÆ ITER IN HISPAN. PRO MATRIMONIO CONTRAHENDO.

Factâ antehâc aliquâ propositione matrimonii inter Carolum Iacobi Angliæ Regis filium unicum, & Mariam sororem juniorem Philippi Hispaniæ Regis: hoc anno ipsemet Carolus, de patris consensu, cum solis quatuor itineris sociis, Galliâ ignotus dispositis equis transitâ, decimoseptimo Martii Matritum pervenit. Vbi magnificentissimè habitus, & omni honore à Rege cultus, literas etiam recepit à Gregorio Papâ gratulatorias de consilio ejusmodi matrimonii ineundi, quo spes fieret & ipsiusmet conversionis ad Fidem, & melioris futuræ Catholicorum conditionis in Angliâ, quæ olim religione & obsequio erga Sedem Apostolicam florentissima, Reges pariter habuisset iisdem virtutibus præstatissimos. Quâ de re Princeps per suas literas summâ demissione exaratas, gratias amplissimas Pontifici egit. Pactis matrimonii constitutis, de consensu Pontificis; haud tamen ad ejus executionem perventum est, eo obstaculo publicè prolato, quòd consentiret quidem Rex Philippus sponsalia celebrari, sed vellet matrimonii consummationem & sororis in Angliam deductionem, in aliud tempus differri: Princeps autem vellet matrimonium protinùs consummari, & sponsam in Angliam duci. Inter quæ monitus Princeps à patre Iacobo, ad sua se ante hibernum tempus reciperet; Septembri mare ingressus apud S. Andream, ad patrem pervenit medio Octobri: præstitâ tamen, priusquàm à Rege discederet, mutuâ promissione de observatione conditionum matrimonii. Verùm refrigescentibus hinc inde voluntatibus etiam si adhuc an-

no sequenti nonnihil actum sit de matrimonio adimplendo, nihil tamen peractum; quæcumque demùm fuerint veriores ejus disturbationis causæ, quas ab Hispanis potissimùm processisse certum est: quorum in hoc consortio is dicitur fuisse scopus, ut divelleretur Anglus à fœdere Gallico, cui tamen Anglum haud facilè renunciaturum cognoverunt. Nisi satius sit, cum ipsis Hispanis existimare, noluisse Philippum priùs matrimonium celebrari, quàm vidisset res Catholicæ religionis in Angliâ in securo positas: quod vix sperare poterat aut denique cum aliis rem simulâsse Philippum, quousque Palatinatum inferiorem plenè sibi asseruisse. Anglus verò Rex eam dissolutionis causam prætexuit, quòd vellet priùs Palatinatum & Electoratum restitui Friderico genere suo: Hispanus autem, præhabitâ consultatione cum Imperatore, negaret id posse fieri, nisi certis conditionibus, quibus Fridericus renuit assentiri. Sicque rupto prorsùs tractatu illo matrimonii, Princeps Carolus postmodùm duxit Henricam-Mariam sororem Ludovici Regis Christianissimi & Maria Hispana nupsit Ferdinando Regi Hungariæ, filio Ferdinandi Imperatoris felici ab utráque parte mutatione.

Irritus redditur ejus tractatus.

VII. Illuminatorũ secta in Hisp.

Detecta fuit in eâdem Hispaniâ hoc anno, ac præcipuè in diœcesibus Hispalensi & Guaditanâ, secta *Illuminatorum*: qui obtentu Orationis mentalis, & contemplationis divinæ, atque unionis cum Deo, quibus se præditos jactabant, sacramenta Ecclesiæ, prædicationem Verbi Dei, aliáque pia exercitia floccifaciebant: eam adeò extollentes, ut etiam ad turpia commercia ejus vi absque peccato veniri posse affirmarent. Vidimus jam aliàs similes hæreticos: ut non tam fuerit hæc nova secta, quàm antiquorum renovatio, cum nonnullis additionibus. Quam 76. articulis distinctam damnavit modò Andreas Pachecus Episcopus & Generalis Hispaniarum Inquisitor edicto publicè promulgato. Fuerúntque septem ejus auctores, seu principes, igni traditi.

VIII. Secta Fraternitatis Rosæ Crucis.

Itémque in Galliâ hoc eodem tempore nonnulla scripta fuêre contra sectam quandam, dictam *Fraternitatem Rosæ Crucis*, quæ ab aliquot annis in Germaniâ orta fuerat, sed clanculùm coïbat: adeò ut & ejus sectatores se Invisibiles dicerent, & Incognitos; quantumvis ab aliquot sæculis originem duxisse jactarent. Putaretur autem esse surculus Lutheranismi; ac mixtio quædam Empirismi ad sanandos morbos, & magiæ ad invisibilitatem ostentandam. De quibus accuratè auctor Mercurii Gallici ex variis auctoribus qui de iis scripserunt, Gaulterio, Naudeo, Garassio, & aliis.

IX. B. M. de Verdeleio.

Feliciori conatu renovata est hoc eodem anno celebris peregrinatio ad sacellum B. Mariæ de Verdeleio in agro Burdegalensi prope ripam Garumnæ; ob ingentia miracula, quæ ibi quotidie fiunt, quod sacellum penè derelictum, ab Eminentiss. Cardinale Surdisio Archiepiscopo Burdegalensi restitutum fuit; & monachis Cælestinis attributum, qui nobile ibi monasterium condiderunt.

X. Concilia B. Caren-

Habita est mense Septembri Carentoni prope Lutetiam, ubi Calviniani convenire solent ad sua scrilegia sacra, Synodus (ut vocant) generalis totius Galliæ suorum Ministrorum. In quâ quo ad doctrinam, quatuor tractata fuêre capita; in eorúmque singulis, multi articuli contra Arminianos, molles Calvinianos seu Remonstrantes dictos, decreti. Primum caput fuit de Prædestinatione, Electione, ac Reprobatione, 2. de Morte Christi, ac Redemptione hominum per ipsam. 3. De Corruptione hominis, conversione ad Deum, & modo ejus. 4. De Perseverantiâ Sanctorum. Contra quæ ut determinata ibi fuerunt, scripsit tunc protinùs amicus noster Petrus Frizonius, succinctam censuram, quâ distinxit doctrinam Ecclesiæ Catholicæ à sensu diverso pravóque Gomaristarum rigidiorum Calvinianorum, & Arminianorum mollium, de iis inter se contendentium.

ton. de Arminianis.

XI. Greg. PP. obitus.

Mortuus est die octavo Iulii *Gregorius* Pontifex, ætatis anno septuagesimo, sedis secundo mense quinto. In cujus locum à quinquaginta quatuor Cardinalibus in conclavi existentibus, creatus est sexto Augusti, festo Transfigurationis Christi *Maphæus Barberinus*, nobili & antiquâ familiâ Florentinâ, Antonii & Camillæ Barbadoræ filius: qui eximiâ doctrinâ, ac plurium nobilium numerum prudente exercitio, atque illustrium legationum sagaci functione, viâ sibi ad Cardinalatum, quo à Paulo V. decoratus est, facta, Pontificatum pietatis in Deum, munificentiæ in pauperes, aliarúmque virtutum tanto munere dignarum solidâ existimatione adeptus est, anno vitæ quinquagesimo quinto: sumpto nomine Vrbani VIII. & symbolo ex Psalmo 25. *In Domino sperans, non infirmabor*, coronatus tantùm vigesimo nono Septembris die festo sancti Michaëlis, quòd interim ægrotâsset nonnihil.

Vrbanus VIII. subrogatur.

XII. Duces Venet.

Eodem Augusto *Antonius Priolus* Princeps Venetiarum diem obiit, ætatis anno septuagesimo quinto, quinquennio optimè administratâ Republicâ. Et in ejus locum suffectus est *Franciscus Contarenus*.

XIII. Prohibetur superstitio quædam.

Ibidem mortuo *Fr. Paulo* Veneto Servitarum Ordinis, anno vitæ septuagesimo primo, (qui fautor præcipuus existens dissensionis inter Paulum Pontificem & Rempublicam, excommunicatione ictus olim fuerat, quòd citatus Romam se sistere renuisset) cùm ad ejus sepulchrum tabellæ votivæ à plebe ei devotâ, ut fit Beatis ac Sanctis, appendi cœpisset: id audiens Vrbanus Papa, mandavit Zachiæ Faliscorum Episcopo suo apud Rempublicam Nuncio, Senatum moneret ejusmodi superstitionem vetare: qui monitus obedientem se præstitit.

XIV. Amurates IV. Turc. Imp.

Septembri Mustapha Turcorum Imp. ob imbecille ingenium, quo prorsùs ineptus erat ad tanti Imperii administrationem, rursum è throno depositus est: atque in eo positus *Amurates* ejus nominis IV. frater Osmanis superiori anno perempti, annum ætatis agens quintumdecimum; summâ omnium alacritate receptus, ob spem conceptam de ejus generositate. Sub quo nihilominùs rebelles Asiani adhuc sua arma continuárunt, semel cœpta specie vindictæ de Osmanis cæde sumendæ.

M. DC. XXIV.

I. Persecutio in Angl. et Hibern. contra Cathol.

ANno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Indictione septimâ, fine Ianuarii, Prorex & Senatus Hiberniæ, de Iacobi Regis mandato, edictum promulgavit Dublini; quo omnes cujuscumque generis & ordinis Ecclesiastici Catholici intra quadraginta dies eâ insulâ egredi jussi sunt; atque in eam unquam regredi prohibiti; sub pœnis ordinariis, etiam in fautores ac receptores extensis. Quod idem in Parlamento mense Iunii Londini habito, pro universâ Anglia statutum & publicatum fuit: cunctisque insuper Catholicis arma dempta fuerunt; cùm priùs omnem libertatem Catholicis Rex promisisset in favorem matrimonii Hispanici, de quo anno superiori.

II. M. Ant. de Dominis relabitur in hæresim.

Mense Aprili *M. Antonius de Dominis*, quem ante biennium vidimus ex eâdem Angliâ Romam reducem cum pristinarum hæresum ejuratione; ad vomitum reversus, cùm nova per literas de hæresi cum Anglis inire consilia detectus fuisset, in arcem Angelicam conjectus fuit. Vbi paulò pòst, ut erat senex, & pinguis ac ventrosus, gravi morbo correptus, Dei benignitate visus est ad cor redire, detestaríque errores: ac moriturus sacramentis Ecclesiæ curatus est, cum signis pœnitentiæ. Cujus nihilominùs corpus, ob relapsum unà cum impiis ejus scriptis, in exemplum, manu carnificis in Campo Floræ publicè combustum est mense Decembri, quo mortuus est.

Ejus corpus comburitur.

III. Pax inter Cæs. et Gaborem.

Maio pax facta est inter Ferdinandum Cæs. & Bethlemum Gaborem Transilvaniæ principem: quâ inter cætera Gabor cessit penitùs titulo Regis Hungariæ quem usurpaverat, & omni ejus regni administratione: cum facultate nihilominus retinendi ad vitam dumtaxat ipsius, nonnullas ditiones quas in eo obtinebat, cum titulo Principis Imperii: (in quibus tamen liberum esset religionis Catholicæ exercitium: erat enim ipse Calvinista:) & quasdam alias, quæ etiam ad hæredes transirent.

IV. Contentio de dignitate inter Sabaud. et Mantuan.

Dicitur idem Ferdinandus Cæsar Ferdinandum Ducem Mantuæ levirum suum (cujus scilicèt sororem, uxorem duxerat) suum per Italiam Vicarium generalem creâsse: quo non parùm irritatus fuit Dux Sabaudiæ, qui hactenùs id muneris obtinuerat. Sed præstitit id Cæsar, ut Mantuanum parem Sabaudo redderet; quòd in propositione ante biennium factâ Mediolani de controversiarum amborum conciliatione, gravis incidisset difficultas de titulis & conditionibus utriusque Domûs ac Familiæ, cùm nihilominùs nullum sit dubium, Sabaudum & antiquitate & dignitate longè præcelluisse Mantuano, sepositâ affinitate Palæologicâ.

V. Tartarorum clades a Polonis.

Poloni una cum Cosacis, mensibus Februarii & Iunii, Tartaros Podoliam & Russiam Polonicam incursantes, magnis cladibus affecerunt, occisis triginta circiter eorum millibus, aliquot captis cum uno ex præcipuis eorum ducibus.

VI. Breda capitur a Spinola.

Spinola verò Hispanici in Belgio dux exercitûs, mense Augusto Bredam, urbem Brabantiæ munitissimam ditionis Aurangii, arctâ obsidione cinxit: quæ protracta in Iunium anni sequentis, exitum tunc habuit, ut nequicquàm toto eo tempore sæpiùs conato Aurangio per seipsum & alios ei opitulari, coacta fuerit sese dedere, postquam ad ultimam omnium rerum necessitatem redacta fuisset.

VII. Coeuvrius Vallemtelinam occupat.

Vallis-telinæ negotium, diutiùs tractatum & repetitum, cùm finem non acciperet in tranquillitatem publicam, secundùm conventiones priùs inter Reges Galliæ & Hispaniæ conclusas Madriti; & Marchio Bagnius, qui eam nomine Pontificis in depositum tenebat, videretur in partes Hispani inclinare, seu potius ipse ab Hispanis ibi conclusus teneretur: post multas procrastinationes, demùm sub finem Novembris Marchio Cœuvrius, qui Legatus à Rege Gallo missus ad id fuerat ad Helvetios & Rhætos, eam nomine Regis, Reipublicæ Venetæ, ac Ducis Sabaudiæ, ad id operis fœdere conjunctorum, depositâ Legati personâ, & Ducis indutâ, manu armatâ ingressus, totam intra duos menses in potestatem suam redegit: non sine aliquâ Pontificis indignatione, cujus majestas læsa eo videbatur.

VIII. Iesuitæ prohibiti in Gall. concedere literas graduũ.

Fuit hoc anno non parva concertatio Vniversitatum Galliæ cum Religiosis Societ. Iesu occasione literarum à Rege per eos sub finem ann. 1622. impetratarum pro ipsorum collegio Turnonico; quibus concessum fuerat, Doctoratûs, Licentiatûs, Magisterii, ac Nominationum Graduatorum, & testimoniorum Studiorum diplomata Academiarum more scholasticis impertiri. Quæ causa vehementiùs utrimque agitata primùm anno 1623. mense Iulio in Senatu Tolosano, cui Turnonium subest; deinde in sanctiori Regis Consilio, hoc anno mense Septembri; ita decisa permansit, ut prohibitum sit Sociis titulum sibi indere Vniversitatis, & auctoritatem usurpare concedendi literas graduum quorumcumque in ullâ Facultate, aut nominationum ad beneficia: tractâ re particulari Collegii Turnonici, pro cujus jure multæ suppetebant rationes, ad generalem totius Galliæ. Cùm nihilominùs certum sit, in multis Regnis ac Provinciis, eos habere Vniversitatum administrationem, cum facultate conferendi quoscumque gradus iis qui operam studiis in iis dederunt.

IX. Antiperipatetici damnati Parisiis.

Eodem verò Septembri, à Senatu Parisiensi, instante Facultate Theologiæ, damnatæ sunt theses quorumdam novorum Philosophorum Antiperipateticorum, Ioan. Bitaudi, Antonii Villonii, & Stephani Clavesii Medicorum Chimistarum; propositæ contra doctrinam Aristotelis in Scholis receptam; ex quibus multa alia absurda, atque etiam hæreses consequebantur: prohibuitque ullo modo publicè disputari.

X. Concil. Burdegalense.

Eodem item Septembri celebratum est *Burdegalæ à Francisco* Escobleo Surdisio Archiepiscopo, & Cardinale tituli S. Praxedis, pietatis Christianæ cultu, & fidei Catholicæ zelo eminentissimo; *Concilium* provinciale, cui interfuerunt septem Episcopi suffraganei, & suorum absentium delegati. Actúmque in eo de disciplinâ & morum reformatione, ac jurisdictione Ecclesiasticâ. Fueruntque ejus acta in publicum edita.

XI. Henrici

Mortuus est hoc anno 20. Iulii, *Henricus* Dux Lotharingiæ, anno sui regiminis ab obitu

patris

Duc. Lothar. obitus.

patris decimoſexto; duabus dumtaxat relictis filiabus, quarum natu major *Nicolaa* ſucceſſit in principatum; nupta Carolo patrueli ſuo, filio Franciſci Comitis Valdemontii fratris prædicti Henrici defuncti.

XII. Batavorum in Indiam excursiones.

Claſſis Batavicâ duodecim navium in Indiam Orientalem delata, apud Limam Peruanæ provinciæ metropolim, Hiſpanicam triginta navibus conſtantem duro certamine ſuperavit, & magnam partem ſubmerſit. Alia verò novem navium in Braſiliam appulſa menſe Maii, Sinum omnium Sanctorum dictum occupavit: nobilem urbem S. Salvatoris ad eum ſitam, magníſque divitiis repletam, expugnavit, & expilavit: præfectum ipſum, qui & totius Braſiliæ prorex erat, unà cum filio, ac loci Epiſcopo, Ieſuitarum provinciali, aliíſque, cepit, in Hollandiam tranſmiſit: ac locum cum primis munitionibus firmo præſidio munivit. Quo audito à Rege Hiſpaniæ ſine morâ validiſſimam claſſem contrahi juſſit, cujus imperium Friderico Toletano contulit ad Hollandos inde diſturbandos. Sicuti ex aliâ parte Hollandi aliam triginta ſex navium, ſociis auxilium allaturam inſtruxerunt. Verùm prævertit Fridericus: & menſe Maii anni ſequentis Hollandos compulit civitatem dimittere, cùm non eam integro anno tenuiſſent, qui jactabant, nunquam ſe inde pelli poſſe.

XIII. Diſſenſio gravis Mexici inter Archiep. et Proregem.

In urbe verò Mexico, quæ caput eſt totius Indiæ Occidentalis, menſe Ianuario hujus ipſius anni, inter Proregem Silveſium & Archiepiſcopum ingens ortum eſſe diſſidium; occaſione cujuſdam equitis S. Iacobi, qui pœnam fugiens alicujus facinoris, monaſterio S. Dominici ſe concluſerat. Prorege è veſtigio jubente ut omnes aditus atque etiam feneſtræ ita occluderentur, ut is nullâ viâ elabi poſſet, poſitis cuſtodibus qui prohiberent; econtrà Archiepiſcopus cuſtodibus præcepit illinc recedere; ac in renuentes excommunicationem vibravit. Monente Prorege cum minis ut eam tolleret, detrectans ille juſſus ab eo eſt duci in quendam portum, inde in Hiſpaniam amandandus. Cúmque in itinere cunctaretur, audito Proregis mandâto ut compedibus ligaretur; proximum templum ingreſſus, Pontificalibus ſeſe induit, & in præſentiâ cuſtodum ſuorum ſacram Euchariſtiam ex altari ſublatam ſumpſit: cunctíſque Eccleſiaſticis Mexici ſignificavit, id ipſum per ſingulas Eccleſias præſtare, & ab omni ſacræ Euchariſtiæ adminiſtratione ceſſare. Populo inde vehementiſſimè commoto, cunctíſque viris, feminis, pueris, in palatium adverſus Proregem concurrentibus, parùm abfuit quin intùs combureretur; niſi clàm aufugiens ad Franciſcanos, periculum evitâſſet. Interimque reverſo Archiepiſcopo, qui fauſtis omnium acclamationibus exceptus eſt; Prorex in cuſtodiam traditus fuit, donec Rex Hiſpaniæ de eo decreviſſet. Archiepiſcopus, ne quid falſi Regi de ſe renunciaretur, Hiſpaniam petiit ad eum de cunctis certiorem faciendum. Depoſitóque poſt hæc prorege à præfecturâ, in ejus locum miſſus eſt Marchio Sarabellæ.

M. DC. XXV.

I. Iubilei celebratio Romæ.

ANno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, Indictione octavâ, celebratus eſt de more Romæ Iubileus univerſalis, anno ſuperiori menſe Maio ab Vrbano Pontifice indictus; cum ſuſpenſione ubique quarumcumque aliarum Iudulgentiarum toto anno. Et ob peſtis periculum in Siciliâ graſſantis, loco baſilicæ S. Pauli extra Vrbem, quæ una ſemper conſuevit eſſe quatuor viſitandarum, Eccleſiam S. Mariæ trans Tiberim, quæ intra Vrbem eſt, conſtituit, quamdiù periculum vigeret. Fecêre motus Italicis Vallis-telinæ & Pedemontis, ac Genuenſis regionis, præter peſtem quam diximus, ut non tantus extiterit hominum concurſus Romam, quantus multis aliis eſſe conſueviſſet.

Princi-pes viri eò peregrinati.

Verùm nec propterea deſitum eſt, quin etiam aliqui viri principes eò acceſſerint, ac præcipuè Wladiſlaus filius Regis Poloniæ: qui è patriâ egreſſus, ut multi exiſtimârunt, ad prenſandam Regis Hiſpaniæ affinitatem per matrimonium cum Mariâ ejus ſorore contrahendum; ab eâ demotus, ſive per tractatum cœptum cum Principe Anglo, ſeu potiùs per ejus deſtinationem Ferdinando Imperatoris filio, viſitatâ clam incognito habitu Galliâ; palàm autem in Belgium procurrens ad Infantam ſalutandam, & obſidionem Brædæ viſitandam: aperto Iubilei beneficio, in Vrbem peregrinatus eſt, ab Vrbano Pontifice, cæteriſque omnibus ſummo honore exceptus, cum ob dignitatem regii nominis, tum maxime ob res præclare adverſus Moſcos & Turcos geſtas, de quibus dictum ſuperiùs ſuis locis: ac munera a Pontifice accepit Enſem & Galerum, nocte Natalis Domini ſolemni ritu benedictos. Itidem menſe Decembri Leopoldus Archidux Auſtriæ, frater Ferdinandi Imperatoris Romam appulit; in Vaticanis ædibus magnifice à Pontifice habitus. Ac Iulio menſe Ferdinandus Dux Alcala, obedientiam Pontifici Regis ſui Philippi nomine præſtaturus: quod & ſummâ pompâ fecit.

II. Decretũ de Sanctor. veneratione.

Volens etiam Pontifex abuſus omnes & ſuperſtitiones, quæ irripere in cultum hominum piorum defunctorum facilè poſſunt, tollere; conſtitutione decimotertio Martii facta in ſacrâ Congregatione Inquiſitionis, ſtatuit ne quorumvis hominum cum ſanctitatis ſeu martyrii famâ defunctorum imagines, cum laureolis, aut radiis publicè proponantur, vel tabellæ aut luminaria ad eorum ſepulchra apponantur; nec item eorum prætenta miracula, aut beneficia tanquam eorum interceſſione obtenta, aut alia venerationem vel cultum præferentia, ſcribantur, & in publicum edantur, antequàm ab Apoſtolicâ Sede canonizati fuerint, aut Beati declarati. Idque ipſum poſteà anno 1634. aliâ conſtitutione confirmavit; ac nonnulla circa id dubia declaravit.

III. S. Annæ Avrenſis devotio.

Non fuit huic decreto obnoxia S. Annæ matris Dei-genitricis veneratio, quippe ab omni Chriſtiano ævo in Eccleſiâ & Orbe receptiſſima ac probatiſſima. Quæ & hoc ipſo anno novo miraculo manifeſtata legitur in Britanniâ Armoricâ in vico Ker-Annâ diœceſis Venetenſis. Vbi divinitùs revelata cuidam pio aratori nomine *Ivoni Nicolaſico* menſe Mar-

tio, vetus quædam sacra Imago prædictæ Beatæ Annæ, terræ profundè infossa; confestim cœpit innumeris & clarissimis juxtà ac stupendis splendore miraculis, quæ locum frequentatissimum populorum concursu reddiderunt: collocatâ Imagine in Ecclesiâ ex piis eleemosynis magnifice constructâ propè oppidum Aureum, auctoritate Sebastiani Rosmadeci Episcopi Venetensis loci Ordinarii; qui Miracula probatissima ad eam continuè fieri consueta decreto publico confirmavit, & promulgari permisit per Fr. Hugonem à S. Francisco Carmelitanum Reformatum provinciæ Armoricæ; cui Ordini Episcopus curam & administrationem prædictæ Ecclesiæ contulit: obtentis etiam ab Vrbano Pontifice Indulgentiis in eorum gratiam qui eam visitarêt.

IV. S. ELISABETHÆ CANONIZATIO.

Mense Maii die vigesimo quinto, festo Sanctissimæ Trinitatis & sancti Vrbani, idem Pontifex *Elisabetham* Reginam Portugalliæ solemni ritu in Sanctarum catalogum retulit: eámque tertium Ordinem sancti Francisci dum vixit expresè professam fuisse declaravit: atque ejus officium in Breviarium Romanum reponi concessit. Denique Beatos declaravit *Andream Avellinum* Congregationis Theatinorum, & *Felicem de Cantalicio* Ordinis Capucinorum; constitutionibus de prædictis editis, quæ continentur Bullario Constitutionum Romanorum Pontificum.

V. FRANC. BARBERINI CARD. LEGATIO IN GALLIAM.

Cardinalem *Franciscum Barberinum* suum ex fratre nepotem, juvenem eruditum, pium, prudentem, ac moribus præstantem, in Galliam misit Legatum à latere, adstringendam pacem inter Galliæ & Hispaniæ Reges, de Valle-telinâ, déque rebus Genuensium, de quibus mox, dissentientes. Qui mense Maio magnificè exceptus Lutetiæ, in promulgatione tamen Facultatum (ut vocant) ipsi à Pontifice tributarum, in Senatu de more faciendâ nonnihil difficultatis sensit, ex eo quòd in iis Regi non tribueretur titulus Regi Navarræ: adeò ut non aliter Senatus, auctoritatis regiæ retinentissimus, promulgare eas induci potuerit; nisi sub conditione, quòd Legatus intra sex septimanas breve Pontificium obtineret Senatui exhibendum, quo titulus ille per incogitantiam omissus diceretur, non ut inde aliquod præjudicium Regi in jus regni Navarræ fieret. Sicuti & olim sub Clemente VIII. & Paulo V. in obedientiis iis redditis vidimus brevia data fuisse, quibus jura ad illud Regibus integra in omnibus permanerent. Celebravit autem Legatus primam suam Missam apud Fontembliaudum in festo Assumptionis Beatissimæ Virginis: in quâ Rex & Regina, multíque principes ac proceres sacram Eucharistiam de ejus manu sumpserunt. Parùm autem quoad legationem proficiens, ob multas variásque difficultates, Romam honorificè dimissus revertit ad finem anni.

VI. GENUA PERICLITATUR A GALLIS ET SAB.

Ortum est ad Principium anni bellum Genuense, obtentu quorundam jurium per Ducem Sabaudiæ in eâ ditione prætentorum, & nonnullarum injuriarum à Genuensibus acceptarum. Cui suppetias venit Diguierius Franciæ Connestabilis, (eâ scilicèt dignitate auctus, ut vidimus, à Rege, postquàm ipse abjuratâ hæresi fidem Catholicam amplexus fuisset) tum ob prius fœdus cum Sabaudo à Rege initum; tum etiam specie veterum jurium Coronæ Franciæ in illam Rempublicam, & quòd cùm illa esset velut Ianua, quâ Rex Hispaniæ ad Imperium Italiæ tendebat, interesset omnium Italiæ Principum eum extra potestatem Hispani esse. Ingressi igitur Dux & Connestabilis ditionem Genuensem, facili negotio vires Reipublicæ fregerunt, & multa loca munita ceperunt: adeò ut & ipsa civitas brevî in potestatem ipsorum cessura videretur. Verùm cùm longè faciliùs sit Gallis acquirere quàm conservare; nec conspirarent duces in eadem consilia: Genuenses armis Hispanicis adjuti, brevî cuncta amissa recuperârunt.

VII. SUBIZII CLADES IN GALL.

In ipsâ Galliâ Subizius unà cum fratre Duce Rohanensi, uterque hæreticus & inquietissimus, populis ad rebellionem sollicitatis, multa mala intulerunt terrâ maríque. Sed Subizius præfidentior simul & præcipitantior, apud Ream insulam Rupellæ vicinam, navalibus terrestribúsque pugnis victus est à Monmorantio Franciæ Admiralio; coactúsque aufugere in Angliam. Et aliis variis locis iidem hæretici rebelles à regiis provinciarum præfectis contusi sunt. Adeò ut veniam petere, pacémque à Rege compulsi sint: quæ eis mense Februario anni sequentis concessa est. Nutabant jam vehementer res eorum: ita ut parvo conatu brevî pòst, ut videbitur, corruerint.

VIII. DISSIDIŨ DE REGIMINE FEMINARŨ CARMELIT. IN GALLIA.

Accedit in eâdem Galliâ, dum solitus conventus Præsulum & Ecclesiasticorum regni Lutetiæ haberetur pro audiendis rationibus quæstorum suorum; ut dissidium intercesserit de regimine religiosarum Carmelitarum Tertesianarum, inter Superiores Ordinis Carmelitarum, & Sacerdotes Oratorii; cùm essent ex feminis illis quæ nollent Sacerdotibus Oratorii subjici, quamvis eas Pontifices Petri Berulli eorum Superioris directioni commisissent. Cui negotio cùm sese immiscuisset Stephanus Luitreus Doctor Sorbonicus & Decanus Ecclesiæ Nannetensis, tanquam subdelegatus à Cardinalibus Rupifucaldio & Valetâ, quibus Pontifex rei cognitionem demandaverat, eò ferventioris impetûs processit, ut non solùm Ecclesiam Cathedralem Leonensem, & palatiũ Episcopale interdixerit, verùm etiam in ipsummet Episcopum sententiam pronuntiare ausus sit. Quâ de re questus Episcopus ad conventum Parisiensem, in quo erant Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi; processus Luitrei declaratus ab iis fuit nullus & abusivus; & adversus eum conclamatum est totâ Gallia. Re verò ad Sedem Apostolicam delatâ, ac diligentiùs examinatâ, post multas contentiones, optatum ea tandem successum in favorem Berulli habuit; ac Luitreus, post culpam apud Clerum humili satisfactione excusatam fuit in pristinam gratiam receptus. Quo eodem conventu iidem Præsules & Ecclesiastici decreta quædam constituerunt, de modis continendi Religiosos intra limites debitæ obedientiæ erga Ordinarios in administratione Sacramentorum, & aliarum functionum Ecclesiasticarum.

IX. IACOBI REGIS ANGL. OBITUS.

Quarto Aprilis *Iacobus* Rex Magnæ Britanniæ ex hâc vitâ discessit, anno ætatis quinquagesimo nono, regni Anglici vigesimo secundo: princeps pacificus, ac magis literis deditus quam armis, cui in universâ ejus ditione

ſucceſſit *Carolus* filius, ejus nominis primus, qui hoc ipſo anno duxit in uxorem Mariam-Henricam Ludovici Regis Chriſtianiſſimi ſororem, cum diſpenſatione Pontificiâ. Cui item Mariæ Pontifex per ſupradictum Legatum Barberinum Roſam auream de more benedictam dono miſit.

X. ITEMQUE MAURITII AURANGII.

Mortuus eſt etiam *Mauritius* Princeps Aurangius ſub initium Maii ex longâ febre. Cui in bonis (cùm nullos liberos haberet, uxore nunquàm ductâ) & adminiſtratione rerum apud Batavos, ſucceſſit Henricus ipſius frater.

XI. FERDIN. FILIUS CÆSARIS FIT REX HUNGAR.

Pax inter Ferdinandum Cæſarem, Amuratem Turcorum Imperatorem, Gaborem Tranſilvaniæ Principem menſe Maio renovata fuit. Subindéque Ferdinandus filium ſuum majorem natu itidem Ferdinandum dictum; curavit eligi in Regem Hungariæ: (neque enim niſi per electionem eum recipere Hungari conſenſerunt, non ceſſione, aut hæreditate:) qui ſolemni ritu conatus eſt Soponii octavo Decembris in feſto Conceptionis Beatiſſimæ Virginis; ætatis anno decimoſeptimo.

XII. REX DANIÆ BELLUM SUSCIPIT PRO PALATINO.

Chriſtianus Rex Daniæ, electus copiarum Proteſtantium Inferioris Saxoniæ dux pro reſtitutione Friderici Palatini in ſtatum ſuum & Electoratum; haud magna operæ pretia edidit, obſtantibus Tillio & Walſteinio ductoribus copiarum Imperialium & Catholicorum Principum. Grandéque vitæ periculum incurrit ex caſu equi ſui ex aggere caſtrorum in foſſam, dum illum circumiret.

XIII. MELITENSIUM INFAUSTA EXCURSIO.

Mulier Hoſpitalarii Melitenſes, menſe Maii ſuſceptâ expeditione cum quinque triremibus ad occupandam S. Mauram, urbem amplam Epiri ad mare Adriaticum Turcis ſubjectam; eam interceperunt, ſed non ſine ſuorum ſanguine: cúmque non eſſent ei cuſtodiendæ, poſt ejus direptionem, ignem immiſerunt, tormentáque obſtruxerunt. In reditu, obviàm habentes circa Syracuſam Siciliæ ſex triremes Biſertanas Africæ, eas aggreſſi, ignavè an ſtolidè re geſtâ, duas amiſerunt triremes, tres alias planè conquaſſatas vix Melitam reduxerunt, cæſis quamplurimis Equitibus, multis captivis abductis: ut longè lugubrior fuerit expeditio, quàm compendioſa.

XIV. CAROLUS NOVUS DUX SALICUS LOTHARINGIÆ.

Menſe Novembri Franciſcus Comes Valdemontius, pater Caroli, qui Nicolaam filiam majorem Henrici defuncti Ducis Lotharingiæ uxorem duxerat; eidem filio ſuo, tanquam ipſe hæres fratris; putà proximior maſculus, qui feminas excluderet, Ducatum Lotharingiæ feudum Imperii, & Barrenſem fiduciarium regni Galliæ ceſſit: conſtitutâ Lege Salicâ, tanquam ex teſtamento Renati Regis Siciliæ & Ducis Lotharingiæ anni milleſimi quingenteſimi ſexti; qui nihilominùs Renatus Lotharingiam poſſidebat à matre ſuâ Iolandâ Andegavenſi filiâ Renati primo, qui pariter Lotharingiam obtinuit ex matrimonio contracto cum Iſabellâ filiâ Caroli ſecundi Ducis Lotharingiæ. Ad quam ceſſionem confirmandam, & legem Salicam comprobandam, convocati ſunt Ordines Lotharingici menſe Martii anni conſequentis, ubi fuêre omnia magno applauſu accepta: extorto etiam conſenſu Nicolaæ: (qui tamen ejus ſoror Claudia omninò renuit aſſentiri:) ipſéque Carolus novus Dux Salicus ejus nominis Ducum Lotharingiæ IV. Calendis Martii ſolemniter Mancium ingreſſus, poſſeſſionem principatûs adiit, contra quam nihilominùs varia ſcripta edita fuêre.

M. DC. XXVI.

I.

ANno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, Indictione nonâ, celebratus eſt per orbem Iubileus, à Pontifice poſt finem Romani conceſſus multis provinciis ac regnis.

II. VRBINI DUCATUS REVERTITUR AD SEDEM APOST.

Ipſóque anni initio miſit Vrbanus Pontifex Berlingerium Gipſium Cardinalem ad ineundam poſſeſſionem Ducatûs Vrbinatis: cùm Dux Franciſcus-Maria à Rovere jam ferè octogenarius, defuncto unico filio, animadvertens omnem ſuam ditionem, quam fiduciario jure à Sede Apoſtolicâ tenebat, ad eam ſpectare, in poteſtatem Pontificis eam vivens tradere deliberâſſet ne vel Cæſar, vel quivis alius quocumque prætextu poſt ſuum obitum ei ſe immiſcere tentaret. Conſtituit itaque in ſingulis ejus urbibus & munitionibus Gipſius præſidia nomine Pontificis: numeratis Duci pro tormentis & armis quæ in iis inventa eſſent, centum aureorum millibus. Quá nobili additione ad cæteram ditionem Pontificiam, factum eſt, ut in eâ poſſit uno continenti iri per trecenta circiter milliaria longitudinis, a Terracinâ limite regni Neapolitani Loretum uſque primum Venetorum oppidum trans Ferrariæ Ducatum; & latitudine à mediterraneo mari ad Adriaticum, hoc eſt, ab Oſtiâ ad Anconam. Duxit autem vitam Dux adhuc in pace & quiete, cum præparatione ad piam mortem, uſque ad annum 1631. quo deceſſit ætatis ſuæ 82.

III. CARDIN. BARBER. IN HISPANIAM LEGATUR.

Cardinalis Barberinus à ſuâ Gallicâ legatione menſe Decembri anni ſuperioris Romam reverſus; denuò menſe Aprili miſſus eſt in Hiſpaniam, precibus Regis Philippi, Legatus-à-Latere ad ſuſcipiendum à ſacro fonte Pontificis nomine filiam; (cui nomen impoſitum Mariæ-Eugeniæ:) nec non ad eundem effectum legationis Gallicæ; videlicèt concordiam inter duos Reges de controverſiâ Vallistelinæ & Genuenſium.

IV. CONDITIONES PACIS DE REBUS ITAL.

Sed quod pacem ſpectat; jam antequàm Barberinus Româ diſcederet, fuerant ejus conditiones ſecretò apud Monzonem Aragoniæ oppidum, inter Comitem Fargium Rambolietum Legatum Regis Chriſtianiſſimi apud Catholicum, & Comitem Olivarium præcipuum Philippi miniſtrum, quinto Martii concluſæ: quibus inter cætera conſtitutum fuit, ut in Valle-telinâ ſola obſervaretur religio Catholica Romana: eligerent ſibi ſuos magiſtratus, confirmandos à Griſonibus: cenſum annuum iiſdem ſolverent: munitiones ab utroque Rege ibi tentæ conſignarentur in manus Pontificis qui eas confeſtim demoliretur. Procurarent Reges, inter Ducem Sabaudiæ & Rempublicam Genuenſem inducias fieri quatuor menſium; intra quos controverſiæ eorum terminarentur per arbitros: & niſi terminatæ forent, Reges ipſi judi-

cium earum sibi sumerent, cogeréntque partes ei stare.

V. CONSPIRATIO IN GALLIA CONTRA REGEM.

Quæ conditiones cùm Hispano magis quàm Gallo conducere visæ essent; ac propterea parùm gratæ existerent & Sabaudo & Grisonibus; ut tamen Gallus ad eas assensum præbuerit, fecit subodoratio novæ conspirationis Principum Galliæ adversus Regem ipsum; quæ & paulò pòst in apertum erupit. Propter quam duo Regis fratres naturales, Vendomius, & Prior Franciæ, Marescallus Ornanus, & alii, in custodiam traditi fuêre; Comes Suessionensis spontè aulam deseruit; nonnulli supplicio affecti sunt, multi relegati. Dux tamen Aurelianensis Regis frater Germanus, in cujus exaltationem conspiratio facta dicebatur, non solùm nullum incommodum à Rege sensit; sed contrà majoris affectûs testimonia, conquerente sæpius Rege quòd voluissent conjurati fratrem à se avertere, quem ipse ut unicum sic unicè diligeret: eidémque fundos amplos constituit, & nuptias Mariæ Borboniæ unicæ filiæ Ducis Mompenserii è regio sanguine, divitiis præpotentis, & formâ ac prudentiâ præstantissimæ, conciliavit: à quibus illum seditiosi per invidiam avertere conati fuerant, ut extraneam duceret in Regis injuriam, vanâ sublimioris auctoritatis specie magis quàm solidâ spe.

VI. CARDIN. RICHELIUS IMPETITUR.

Erat inter alios prætextus seditiosorum, nimia auctoritas *Armandi Plessii* Cardinalis *Richelii*, quam conquerebantur perniciosam esse regno; adeóque ipsum exturbare ac de medio tollere quærebant.

VII. NOVA CŌJURATIO IN GERM. CONTRA CÆSAR.

In Germaniâ adveniens à Bethlemo Gabore, semper sui simili, versipelle, & fœdifrago, legatus mense Martii ad Regem Daniæ, & Ordines Inferioris Saxoniæ; ejus nominis subsidia, præcipuè peditum, pecuniam & legationem nomine omnium ad Portam Ottomanicam postulavit, quibus insignem Cæsari cladem in hæreditariis ejus provinciis pollicebatur. Quæ cùm à Rege, cæterísque Principibus qui cum eo erant, & Ordinibus non parùm probarentur, legatum cum oratore ad Ordines Batavicos dimiserunt. Fuitque legationis exitus; ut certa summa fuerit Norimbergæ pro Bethlemo distinata: Mansfeldius rogatus cum Bethlemo consilia conferre: quæ verò Portæ Ottomanicæ essent, ea per ordinarios Angliæ & Batavorum ibi residentes explenda remissa.

VIII. MANSFELDII CLADES ET MORS.

Interim verò, vigesimo quinto Aprilis festo sancti Marci, Walsteinius Dux Frislandiæ copiarum Imperatoris ductor Mansfeldium exercitu viginti millium armatorum potentem, ad pontem Dessaviensem grandi clade prostravit, cæsis ad internecionem pedestribus copiis, equitatu turpiter cum ipso Mansfeldio fugam arripiente. Reparavit tamen exercitum, & per Germaniam pererrans, infinita intulit damna, & in Hungariam penetravit. Vbi relictis Gabori (qui interim cum Imperatore denuò concordaverat) copiarum suarum reliquiis, iter cum paucis suscipiens ad Venetos, mortuus est in Bosniâ: ac corpus ejus à Venetis Sparatum Dalmatiæ deduci jussum ad sepulturam: Attilæ comparatus ob excursiones & depopulationes multarum provinciarum ab eo factas.

IX. REGIS DANIÆ CLADES A TILLIO.

Rex quoque Daniæ, quem vidimus protectionem hostium Imperatoris suscepisse, conflictu memorando vigesimo septimo Augusti in campis Lutter pagi Brunsvicensis, à Tillio Catholicorum Germaniæ Principum copiarum ductore, victus est, cum cæde præcipuorum ipsius ducum, & captivitate plurium; amissis insuper 22. tormentis, & 66. signis, omnibúsque impedimentis.

X. RUSTICORUM REBELLANTIUM CLADES.

Septuaginta rusticorum millia in Austriâ Superiore arma sumpserunt mense Maio, prætextu tyrannidis à Gubernatoribus Bavaris in ipsos exercitæ, & privationis exercitii Lutheranismi: multáque oppida ceperunt; ac duces aliquos adversus eos progressos superârunt. Sed brevì dispersi, copiis provinciarum contra eos collectis, postremò à Pappenhemio ex Italico bello redeunte cum exercitu Cæsareo, in ordinem redacti fuêre, nonnullis præcipuis seditionis auctoribus plexis.

XI. ASANIS PIRATÆ CLADES A CHRISTIANIS.

Asan Calaffat Græcus apostata, maris Mediterranei insignis pirata, post captas multas naves Christianorum, dum Algerium cum immensâ prædâ repeteret, à quindecim triremibus in unum junctis, tribus scilicèt Pontificiis, octo Neapolitanis, & quatuor Florentinis, impetitus, longo duróque certamine superatus est, captis ejus navibus aut submersis: ipsóque etiam capto, multísque captivis Christianis liberatis, inter quos erant tres Capucini, quos Infanta Isabella Belgii domina in Terram Sanctam ad quoddam ipsius votum solvendum direxerat. Dicitur autem fuisse magus: & cùm dæmones consuluisset de exitu certaminis, responsum accepisse, ipsum nec in eo moriturum, nec navem suam capiendam, quod ita evenit; quia ipse captus est vivus, & navis ársa & submersa fuit. Sic enim ludunt dæmones cum iis, qui cum ipsis colludere appetunt. Fuit autem Christianorum victoria ex eo mœsta, quòd Iacobus Pimentellus præfectus triremium Neapolitanarum, in certamine tormento ictus occubuerit. Magnum vexillum Asanis coloris purpurei missum fuit ad Pontificem; qui jussit illud deponi in ecclesiâ Capucinorum.

XII. PERSECUTIO IAPONICA.

Idem Pontifex cùm literas accepisset à Christianis Iaponicis de crudeli persecutione, quæ in eos exercebatur à Regibus Infidelibus; mensibus Octobri & Decembri multiplices ad eos reddidit, quibus ad patientiam hortatus, præmia martyrii ob oculos posuit, unde animari deberent ad illud alacriter suscipiendum. Fuisse autem frequentissimum, ac penè continuum, in iis regnis martyrium, unde novi quoque exurgerent manipuli fidelium, cùm sit sanguis martyrum semen Christianorum, ex annuis Literis Patrum Soc. IESU inde scriptis intelligitur.

XIII. BELLUM INTER TURC. ET PERS. DE BABYLONE.

Continuabatur acerrimum bellum inter Turcos & Persas; ac præcipuè de Babylone, quam Scha-Abas Rex Persarum imperio suo restituerat, Turci diù occupatam recuperare satagebant à cujus tamen obsidione repulsi fuêre, tantâ Sultani indignatione ut magnum Vizirem qui eam susceperat deposuerit, alio in ejus locum substituto. Ba-

bylonem nunc vocant, quæ veriùs Bagadad Mesopotamiæ est; celebriori illius nomine in hanc translato, quòd antiquæ Babylonis nonnisi aliqua supersint rudera, Bagadad autem amplissima sit civitas, nec nisi unius diei itinere ab invicem distent: cùm sit alioqui magnum inter utramque discrimen, Babylone ad Euphratem sitâ, Bagadad ad Tigrim.

XIV. Gustavi Regis Sueciæ initium excursionum.

Gustavus-Adolfus Rex Sueciæ, initium faciens infaustarum suarum excursionum, quibus partes illas Septentrionales, universámque penè Germaniam truculentissimè pessumdedit; expeditionem in Prussiam-regalem, & territorium Gedanense, sive Dantiscanum, mense Iulii cum ducentis navibus, viginti sex millibus armatorum, & magno tormentorum apparatu duxit; multas urbes coronæ Poloniæ, & ditionis Dantiscanæ occupavit; summas pecuniarum immensas corrasit; ipsúmque Dantiscum valdè in arctum reduxit. Sed veniens Sigismundus Rex Poloniæ, (verúsque Sueciæ) urbem securam reddidit; aliqua certamina cum hostibus habuit; nec tamen adeò in rerum summâ profecit.

XV. Cobellutii Card. obitus.

Hoc denique anno Romæ obiit die sancti Petri, *Scipio Cobellutius* Viterbiensis, ex Secretario Brevium, & Canonico sancti Petri, factus à Paulo V. Cardinalis tituli sanctæ Susannæ; vir lectissimæ literaturæ, ac propterea creatus Bibliothecarius S. R. E. Cum quo ego per plurimos annos familiarissimè conversatus sum; ut erat ejus domus omnibus ac singulis literarum ac scientiarum cultoribus frequentissima. Qui cùm paucis ante obitum mensibus, quasi brevi futuri abitûs præsagus, Cassinum & Lauretum summâ pietate ac devotione peregrinationem suscepisset, affui ego utrique pro singulari benevolentiâ quâ me complectebatur: interfuíque demùm ejus piissimo transitui: honestatus ejus testamento eximio dono Crucis crystallinæ pulcherrimæ cælaturæ, sacris Reliquiis ornatæ.

XVI. Et Marquemontii.

Ei adnectendus *Dionysius Marquemontius* Parisiensis; post rectissimè administratum Auditoriatum Rotæ Romanæ & Archiepiscopatum Lugdunensem, nominatione Regis Christianissimi creatus ab Vrbano VIII. Cardinalis Presbyter tituli SS. Trinitatis in monte Pincio: pietate, doctrinâ, prudentiâ, longóque rerum usu præstans. Cujus ministerio fui ego Romæ consecratus Episcopus, mense uno priusquàm ex hâc vitâ decederet, adstititque pio ejus obitui, qui contigit die 16. Septembris præsentis anni, magno omnium desiderio.

M. DC. XXVII.

I. Turbæ Virdunicæ.

Anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Indictione decimâ, ineunte Ianuario, publicata à Francisco Lotharingio Episcopo Virdunensi excommunicatione in eos qui arcis constructionem loco sacro in eâ urbe, cujus ipse Dominus erat, jam anteà cœptam, jussione regiâ persequebantur, fuit illa primùm à regio urbis præside sublata è locis ubi affixa fuerat: ipsóque propterea pariter ab Episcopo excommunicato, superveniens præses provinciæ, Episcopo jam urbe desertâ Coloniam profecto) eandem excommunicationem, quòd in eâ nonnulla falsa & calumniosa dicerentur contineri ad excitandam in populis seditionem, damnavit laceratione & combustione per manum carnificis. Vnde factæ fuerunt quædam expostulationes apud Cæsarem, tanquam in eo læderetur Majestas Imperii, cujus juris urbs esset. Verùm quòd ea nihilominùs à nonnullis sæculis sub patrocinio Regum Francorum fuisse demonstraretur, ideóque deberet Rex eam munitam servare contra hostium insidias; cessârunt querelæ, & arx perfecta fuit.

II. Anton. Santarelli libri damnatio. Zelus Regis Ludov.

Eodem ineunte Ianuario audiens Rex novas turbas excitari in Scholâ Sorbonicâ super formâ damnationis libri *Antonii Santarelli*, qui jam ob perniciosam doctrinam in eo contra Regum ac Principum auctoritatem contentam, omnium judicio damnatus fuerat; misit Philippum, Cospeanum Nannetensem Episcopum, virum apprimè doctum & sincerum, ad eandem Theologorum Scholam, qui nomine regio significaret satis jam de his actum esse; quandoquidem quod præcipuum erat, damnatio libri facta fuisset; etiámque de consensu Summi Pontificis, qui illum Romæ distrahi vetuerat. Sic sunt composita certorum hominum ingenia, ut non existiment se doctos haberi posse, nisi inconsiderata dogmata suis scriptis immisceant, quibus turbas excitent, & nomen sibi inde concilient; parùm pensantes, ac minùs curantes, mala quæ inde exoriri possunt in detrimentum Reipublicæ Christianæ. Sic Herostratus templum Dianæ Ephesium suis manibus incendit ut eâ re nominis sibi immortalitatem compararet. Quàm meliùs iis esset, si nunquam literas scîssent! Cæterùm quoniam hæc Doctorum Sorbonicorum dissidia non aliunde procedebant quàm ex occultis schismatis seminibus, quæ à multis fovebantur; occasione inde sumptâ, Eminentissimus pietate & doctrinâ *Franciscus* Cardinalis *Rupifocaldius*, pro suo in conservationem unionis Ecclesiæ, quam isti discerpere studebant, zelo, libellum scripsit in Schismaticos, quem Regi dicavit, hortans ut tanto malo auctoritate suâ præverteret.

Pietas Card. Rupifocaldi.

III. Boutevillei duellantis supplicium.

Idem Rex pro titulo Iusti quem gerit, Iustitiæ testimonium amplissimum, & exemplum spectatissimum reddens, Franciscum Montmorantium Boutevilleum, illustrissimâ familiâ ortum, sed duellorum ac singularium certaminum, & plerumque absque ullâ præviâ occasione, vel causâ ab aliis præbitâ, animi tantùm gratiâ, ad ostendendam suam dexteritatem, voluntariis ac frequentissimis provocationibus, infamem magis quàm famosum; (qui & eò impietatis nuper processerat, ut alium nobilem ipso die Paschatis ad sacram mensam expectantem refici sanctissimo Eucharistiæ sacramento, inde violentâ provocatione ad certamen eduxisset:) & Franciscum Rôsmadecum Comitem Capellarum ejus propinquum, ob certamen in plateâ regiâ Lutetiæ, contra severissima & sæpiùs repetita edicta Regis, factum;

à fugâ, quam mox susceperant, retractos; nihil precibus & lacrymis principum utriusque sexûs propinquorum Boutevillei inflexus; capite plecti jussit: magno cæterorum terrore, qui ab eo detestando furore nonnihil sese cohibuerant; prout oderunt peccare mali formidine pœnæ.

IV. INITIUM DISSIDII INTER REGES GALL. ET ANGL.

Orta jam anno superiori alienatio disjunctióque voluntatum inter Reges Galliæ & Angliæ, à Gallo quidem ob dimissionem ab Anglo factam Episcopi ac cæterorum virorum ecclesiasticorum, qui ex pactis matrimonii cum sorore Regis conventis; apud eam pro religionis Catholicæ exercitio manere debebant, necnon plerorumque ejusdem familiarium Gallorum utriusque sexûs; & quod pòst Reginæ in Angliam adventum, severiùs cum Catholicis Anglis agi cœpisset contra eadem matrimonialia pacta; quibus Rex eo præcipuè fine consensum præbuerat, ut meliùs ejusmodi matrimonio Anglis Catholicis esset: ab Anglo verò, per Subizium & Rupellenses concitato, quasi promissa ei fuisset demolitio arcis Ludoviciæ prope Rupellam constructæ, quâ ipsorum effrenata libertas valdè compescebatur: Hæc, inquam, alienatio in apertum hoc anno erupit dissidium, adeò ut commercium inter regna interdictum fuerit. Vnde & audaciores redditi Rohanus & Subizius frater hæretici, turpiter abutentes veniâ sæpè iis à Rege nimiâ benignitate concessâ, denuò rebellantes, Angli patrocinium imploraverint: potentiâ ad hoc usi Georgii Ducis Buckinghamii Angliæ Admiralii, & Galliæ hostis infensissimi, qui omnia apud suum Regem poterat.

V. CLASSIS ANGLICA AD RÆAM.

Paratâ igitur in Angliâ numerosâ classe, duxit eam mense Iulii Buckinghamius in insulam Ræam Rupellæ proximam, spe, ut ferebatur, post eam acceptam, Rupellæ potiundæ, atque inde ad Aquitaniæ occupationem pro antiquo Anglorum jure progrediendi: ita erat vastâ cupiditate, & audentiâ: quanquam ipse palàm assereret, non se ad aliud venisse quàm in auxilium Rupellensium, ac cæterarum ipsorum Ecclesiarum. Sed in ipso limine retusi sunt ejus conatus, virtute *Iannis Sanboneti* Torasii nobilis Occitani, viri rei militaris peritissimi; qui arcem Martinianam ad litus maris in insulâ constructam, needum perfectam contra Anglorum & Gallorum rebellium vires & impressiones, tantâ fortitudine, consilio, prudentiâ, in magnâ hominum & commeatûs penuriâ defendit usque ad mensem Novembris, ut receptis demùm à Rege copiis auxiliaribus ductore Marescallo Schombergo, Angli totâ insulâ turpiter ejecti sint: amissis in obsidione aut fugâ ampliùs sex millibus armatorum, cum multis ducibus, signis, & tormentis. De quibus faustis successibus gratulatus est Pontifex Vrbanus non solùm Regi, verùm etiam privatis Brevibus Schombergo & Torasio.

TORASII VIRTUS IN EA DEFENDENDA.

VI. RUPELLA OBSIDETUR A REGE.

Quòd verò Rupellenses variam in obsidionem opem eis præstitissent hominum, armorum: commeatuum; multos eorum in urbem recepissent; Subizium belli facem in sua consilia continuè admisissent; præsidem justitiæ regium expulissent; multos alios actus rebellionis edidissent; decrevit omninò Rex urbem in suam potestatem redigere: quam propterea obsidione terrâ marique cinxit: Interim dum Rohanus in Septimaniâ bellum gerens, omnésque ad rebellionem concitans, ac plurimos trahens, etiam in Fuxum cum copiis venit, à Monmorantio Septimaniæ præfecto impeditus ne Montalbanum accederet. In aditu Fuxi certamine conserto, nonnullos ex suis amisit, itidémque Monmorantianorum occidit. Paucísque pòst diebus Appamias nostras per proditionem aliquorum civium ingressus est decimotertio Novembris: nobis singulari Dei providentiâ manus ejus per angustum muri foramen effugientibus; qui ne officio pastorali & obsequio regio deessemus, elegeramus ibi cum præsentissimo vitæ discrimine inter gentem infidam & exlegem permanere, quàm propterea festinatione, ut plerique suadebant, crimen gloriæ nostræ inferre.

ROHANI DUCIS CONATUS.

VII. CÆSAR ARMIS ET PIETATE PRÆVALET.

In Germaniâ duces Cæsarei Tullius, Walsteinius, aliíque, gnaviter contra Regem Daniæ, alíósque Imperii hostes agentes, Regem multis varíisque cladibus affectum totâ Saxoniâ expulerunt; in aliis provinciis multa recuperârunt; nonnullos principes ad obsequium Imperatoris reduxerunt. Dum interim ipse non solùm belli curam gerens, verùm etiam animarum saluti intendens, quæ religionis erant, per Boëmiam, Austriam, ac reliquas provincias hæreditarias, diligentissimè curavit, fidem Catholicam & disciplinam ubique stabiliens, concionatores hæreticos pellens, bonáque Ecclesiasticis totâ Germaniâ restituens: adjutus maximè Caroli Caraffæ Episcopi Aversani Nuncii Apostolici solicitudine, qui egregiam operam in his omnibus toto hoc bello adhibuit. Quando & translata sunt Pragam Boëmiæ, sacræ Reliquiæ *S. Norberti* Archiepiscopi olim Magdeburgensis, & Ordinis Præmonstratensis institutoris, è Magdeburgo, ubi ob civium hæresim vilipendebantur potiùs quàm colebantur: quæ mense Maio Pragæ, (jam planè Catholicæ, sub regimine Ernesti-Adalberti, ab Harach Archiepiscopi & Cardinalis) solemni supplicatione & pompâ receptæ fuêre, & in Ecclesiâ abbatiali Strohoffiensi ejusdem Ordinis ritè collocatæ.

S. NORBERTI TRANSLATIO PRAGAM.

VIII. CERTANT INTER SE POLONI ET SUECI

Inter Suecos & Polonos multis præliis & certaminibus res acta est hoc anno; Marte nunc his, nunc illis favente; primùm Suecis, dein ac validiùs Polonis: cùm mense Septembri utroque Rege pugnam strenuissimè ciente, Suecus vulnus brachio accepit ictu sclopeti, magnus regni Marescallus occisus, exercitus cæsus fusúsque, multa signa & tormenta capta; haud tamen incruenta Polonis victoriâ.

IX. CYRILLI PATRIARCHÆ CÔSTANTINOP. IMPIETAS.

Rursùm Turci Babylonem majori exercitu obsederunt, duce Calilo magno Vizire: rursúmque à Persis pulsi sunt. Cyrillus Patriarcha Constantinopolitanus Græcus, homo versipellis, omnísque decoris expers, fidei Græcæ, Turcicæ, & Calvinianæ mixturâ prodigiosus; aliquot adolescentes Græcos in Hollandiam misit, qui ibi patriâ doctrinâ instruerentur, quam deinde per Græciam spargerent. Prodiit anno sequenti ex officinâ Batavorum quædam Confessio ejusdem Cyrilli,

tanquam conformis Calvinianæ. Quæ tamen à pluribus ipsorummet irrisa fuit. Sed fuerit Cyrilli, non tamen Ecclesiæ Græcæ, aut Orientalis, quanquam id titulus ferret. Quæ sit illius Ecclesiæ fides, vidimus sub Ieremiâ Patriarchâ: quæ isti jam protulerunt, mera sunt mendacia, & figmenta hæreticorum.

X. Terræmotus Apuli.

Horrendus terræmotus multas urbes & castella concussit in Apuliâ subvertitque, trigesimo Iulii; plurima hominum millia extinxit, immensam bonorum ruinam intulit, quinque horarum spatio, incipiens à meridie. Major impetus in urbe Episcopali S. Severi, cunctis ferè ædificiis tam sacris quàm profanis subversis, incolis qui in urbe erant penè extinctis. N. Venturius ejus Episcopus natione Florentinus, vir probus & doctus in mediis ruinis singulari Dei providentiâ illæsus permansit. Fuit rei notabilissimæ historia in publicum edita, ejus gravitatem & horrorem enucleatè exponens.

M. DC. XXVIII.

I. Rupellensis famosa obsidio.

Anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimooctavo, Indictione undecimâ, opus actum est in Galliâ, cunctis omnium retrò sæculorum toto orbe gestis in suo genere illustrius: Rupellæ videlicet urbis munitissimæ, ac prædationibus & rebellionibus famosissimæ obsidio, & occupatio. Quæ anno superiori cingi cœpta, ob favorem Anglis hostibus contra Regem impensum, Ianuario præsentis palàm sese Caroli Regis Angliæ patrocinio, & absoluto obsequio, pactis publicis Londini transactis subjiciens, circumvallata undique terrâ fuit, aggeribus, fossis, munitionibus, ac propugnaculis, spatio trium leucarum: grandi quidem labore, & immensâ impensa; sed tamen haud adeò difficili operatu, quoniam non erant hostium vires, quæ rem impedire possent contra potentiorem Regis exercitum: quanquam non destiterint obsessi multis eruptionibus terrâ maríque totis nisibus id conari. Difficilius longè erat mare claudere quo alluitur, impediendo Anglis aditum, quorum Rex, (urgente rem maximè Buckinghamio, ad aliquam reparationem ignominiæ anno superiori ad insulam Ræam acceptæ) comitiorum publico decreto, totis regni sui viribus, Rupellensibus mari succurrere statuerat. Quamvis enim nec deesset Regi Ludovico classis numerosa, impossibile tamen erat, ut tantum maris intervallum, elemento adeò volubili, ventorum continuâ mutatione, ac frequenti exasperatione, ita custodiri posset, ut non die aut nocte, secundùm fluxus & refluxus Oceani, aut Angli auxilia hominum & commeatûs inferre, aut Rupellenses ad alia accersenda excurrere possent. Hoc opus igitur, hic labor. Agger lapideus constructus fuit in medio mari procelloso, & ventis latissimè exposito, ab unâ parte continentis ad aliam adversam; ingenti operæpretio ductus per medios fluxus ac refluxus aquarum, ad littus quod aquâ refluente vadosum relinquitur ante portûs ingressum, mille circiter ac quingentorum passuum longitudine, pedum viginti latitudine in imo & in tali speciem exurgens ad quindecim pedes, planúsque in summo: spatio tamen in medio relicto ad ingressum & regressum navium; sed ita munito hinc inde navibus, scaphis, tignis, lychnuchis, omnis generis instrumentis & machinis, ut impossibilis videretur aditus: ipso aggere, ac promontoriis, navibus, militibus, magnáque tormentorum copiâ munitis. Quare & contigit, ut bis ad vim inferendam advenientes Angli, eâ incassùm tentatâ, delusi recesserunt cum ignominiâ. Quorum prima classis mense Maii ductu Comitis Embicensis comparens, cùm nullâ re gestâ recessisset; decreverat Buckinghamus summus Angliæ Admiralius per semetipsum alteram expeditionem ducere. Verùm in ipso procinctu navigationis, eo in proprio cubiculo occiso à quodam Feltano nobili Scoto (erat enim plerisque omnibus valdè ob fastum & arrogantiam invisus) alius classem duxit 140. navium in quâ erant Subizius & Lavallus cum aliis Gallis extorribus ac rebellibus. Fuitque ineunte Octobri biduo cum regiâ pugnatum: sed cum Anglicæ dedecore, & turpi recessu.

Rex Angliæ deliberat ei succurrere.

Agger mirabilis.

Anglorvani conatus.

II. Vrbs deditur Regi.

Demùm cùm omnia frustrà fierent, miseri Rupellenses qui reliqui erant ab extremâ omnium rerum penuriâ, cujus violentia tredecim millia in urbe perierant, in deditionem à Regis benignitate recepti fuêre vigesimonono Octobris. Ipséque Rex urbem triumphans ingressus est Calendis Novembris; rectè ad Ecclesiam S. Margaritæ tendens: ubi cantato hymno *Te Deum laudamus*, gratias Deo reddidit de subactâ post quindecim mensium obstinatissimam civium propugnationem, ferocissimâ urbe, quæ universum regnum tanto tempore ferè continuo motu conturbaverat. Ac die sequenti solemni supplicatione, delato insigni pompâ sanctissimo sacræ Eucharistiæ Sacramento, idem magnâ reverentiâ præstitit. Gloria tanti operis, post Deum, Regi ipsi debita, qui indefesso labore (ex quo & morbum contraxit) omnibus adstitit, pleraque direxit: unde & contigit, ut toto eo tempore tanto ordine in exercitu victum sit, quanto potuisset in quâvis ordinatissimâ civitate. Nec fuit ex cæteris ducibus exercitûs, nec item ex nobilitate quæ undique accurrit, nec denique ex ipsis gregariis militibus, qui non alacriter operi cui adhibitus fuit, incubuerit. Clerus autem Gallicanus licèt frequentibus concessionibus ad bella contra hæreticos factis attritus, ne tamen huic nobilissimo operi & urgenti necessitati deesset, Regi tricies sexies centena millia librarum contulit.

III. Vrbani PP. gratulatio ad Regem.

Gratulatus est Vrbanus Pontifex literis vigesimo octavo Novembris scriptis, Regi victoriam; cujus (ut inquit) *trophæa constituentur in cælo, cujus gloriam generatio ventura nunquam tacitura esset.* Qui etiam ad implorandam opem divinam tam pro istâ quàm pro aliis Ecclesiæ necessitatibus, mense Aprili Iubileum universalem publicaverat. Accepto verò nuncio deditionis Rupellæ, iit cum Cardinalibus ad Ecclesiam S. Ludovici nationis Gallicanæ: ibíque gratias Deo egit, ac Missam celebravit. Regi verò per literas amplissimè gratulatus est. Atque ut est poëticâ insigniter præditus, hoc distichon in laudem ejus cecinisse dicitur:

Ergo LODOICE *evincis virtute rebelles: (Rupellam)*

FORTIS *cum* IUSTI *nomine nomen habe.*

IV. ELOGIUM VICTORIÆ REGIS.

Compositis quoque in laudem Regis quamplurimis aliis encomiis carmine & oratione quæ lucem viderunt; fuit etiam qui sequens elogium in modum epitaphii fecit: *Fusis terra marique Anglis: fractis sectariorum partibus: victa subditorum rebellantium pervicacia: vero veri Dei cultu restituto: Oceano compedibus vincto, Rupella in deditionem accepta (dubium majori clementia an fortitudinis exemplo: Regibus ac Principibus frustrà conjurantibus. Victor exercitus, Deo Opt. Max. & Ludovico XIII. Galliarum Navarræque Regi Invictissimo, Pio, Iusto Triumphatori, hoc Monimentum sacravit. Principi decus: Hostibus terror: Posteris exemplum.*

V. RUPELLÆ MULCTA.

In exemplum autem diuturnæ & obstinatissimæ rebellionis, fuit urbs Rupella muris & propugnaculis, in quibus fiduciam habebat, funditùs nudata: privilegiis omnibus ex immunitatibus, quibus fuerat à Regibus honestata penitùs privata; omni magistratu municipali, ac jurisdictione quâcumque spoliata; tributis communibus, quibus libera erat, supposita; cives omni armorum usu interdicti; exteri quicumque prohibiti absque licentiâ regiâ ad habitandum in eam admitti; & ex ipsis regni incolis vetiti pariter quilibet habitationis causâ deinceps ad eam accedere, nisi profiteri vellent fidem Catholicam Apostolicam Romanam: permissis tamen habitatoribus ibi tunc repertis in eâ permanere, & religionem suam colere, cum facultate construendi sibi novum templum extra urbem; pristino, quod in mediâ urbe olim erexerant, in usum Catholicorum converso.

VI.

Hæc paulò fusiùs commemorare voluimus, ob argumenti pondus, quo de excidio virium hæreticorum in Galliâ actum est. Quamvis enim & aliquid adhuc alibi movere conati sint; accepto tamen in capite vulnere hoc lethifero; debiliores fuerunt eorum ictus quàm ut aliquem, ut solebant, sternere potuerint.

ROHANI DEBILES CONATUS.

Interim verò dum prædicta obsidio ducebatur, Rohanus subsidii frater in Septimaniâ multùm agens parùm peregit: minimúmque abfuit, quin in tentatâ per proditionem interceptione Montispessulani, contrariâ proditione ipsemet interceptus fuerit, qui à Senatu Tolosano uti reus Majestatis damnatus est supplicio distractionis membrorum à quatuor equis, & posteà ignis, si vivus comprehendi posset; sin minùs, saltem effigie: quâ ignominiam illam publicè passus est: & raro in Galliâ exemplo, in ejus comprehensionem aut necem, à quocumque fieri posset, quinquaginta millia aureorum assignata. Princeps autem Condeus adversus eum à Rege missus, unà cum Ducibus Monmorantio & Vantadurio Provinciæ præfectis, eum ac cæteros hæreticos rebelles variis cladibus affecerunt: Appamias, Realmontium, aliásque urbes vi recuperârunt, multos rebelles in iis captos supplicio affecerunt. Quo in rabiem versus Rohanus, conventum suorum Andusii habuit; in quo decretum fuit, ut omnes Catholici urbium rebellium, & quicumque deinceps bello caperentur, suspendio necarentur, sicuti de quamplurimis factum ab eo fuit. Cujus impia atque nefanda facinora multi hæretici horrentes, maluerunt ab eo discedere; quinimmò & non pauci hæresim detestantes, quæ talia doceret, eam abjurare, & fidem Catholicam profiteri; quàm ulteriùs cum iis commorari: uti fecerunt uno impetu Albenaci Vivariensium 250. familiæ mense Ianuario; & apud S. Amandum Biturigum aliæ circiter 60. Aprili.

VII. TREMOLII DUCIS AD FID. CATHOLIC. CONVERSIO.

Quemadmodum & fecit Dux Tremolius, nobilissimæ & antiquissimæ in Pictonibus familiæ Princeps, in obsidione Rupellæ mense Iulio: ubi instructionibus Cardinalis Richelii, in enodandis controversiis fidei ac religionis versatissimi, plenè edoctus; ejeratâ hæresi, religionem Catholicam professus est, summo Regis & totius Aulæ applausu, ac singulari Cardinalis laude.

VIII. CARDIN. SURDISII OBITUS.

Mensis verò Februarii die octavo mortuus est *Franciscus* Cardinalis *Surdisius*, tituli S.Praxedis, Archiepiscopus Burdegalensis, & Primas Aquitaniæ; Præsul pius, & qui multis laboribus diœcesim suam è pessimo statu, quo eam repererat, in optimum reduxit; assiduus imitator vitæ ac disciplinæ S. Caroli Borromæi. Mortuus est autem Burdegalæ ætatis anno fermè quinquagesimotertio: sepultus in Ecclesiâ cœnobii Carthusianorum, ab ipso extructi atque fundati. Cui in Archiepiscopatu successit frater ejus *Henricus*, vir acris ingenii, & magnorum spirituum, anteà Episcopus Maleacensis.

IX. CAROLI REGIS ANGLIÆ EDICTA IN CATHOLIC.

Carolus Rex Angliæ inter injusta arma, quæ in favorem rebellium hæreticorum Gallorum foris exerebat, domi quoque Catholicos exagitans, edictum promulgavit mense Augusti; quo omnes Iesuitas, presbyteros, ac cæteros, qui ordines auctoritate Sedis Romanæ suscepissent, totis suis ditionibus comprehendi, & in carceres conjici jussit: cunctásque antè factas contra Catholicos constitutiones executioni mandari, & incrementum Papismi omnibus modis impediri mandavit.

X.

Fuit novum fœdus inter Reges Angliæ, Daniæ, Sueciæ, & Batavicos Ordines, pro restitutione Palatini contra Imperatorem ictum. Quo Danus, profligari solitus, nonnihil initio promovit. Sed prævalentibus hinc Tillio, hinc Walsteinio, pars Imperatoris longè superavit: intérque alia Danus à Walsteinio iterùm fugatus est apud Wolgastum sedem Ducum Pomeraniæ; Stada urbs, quam Angli propugnandam susceperant, & egregiè fecerunt, à Tillio ad deditionem compulsa: Rostochium, & alia oppida à Walsteinio occupata; Stralsunda Hanseaticarum civitatum una, sita ad mare Balthicum in Provinciâ Pomeraniæ, obsessa; multa ejusmodi ab iisdem, & Pappenhemio, & aliis præstita.

CÆSARIS HOSTES CÆDUNTUR.

XI. SUECI PRÆVALENT POLONIS.

Inter Suecos & Polonos digladiatum est diversis locis & vicibus, vario marte, sed nonnihil Suecis secundiore: à quibus etiam Dantiscani omni ferè terrâ marique exitu & accessu interdicti tenebantur.

XII. PROTESTANTIŨ

Pacem sancitam inter Ferdinandum Cæs. Amuratem Turcorum Imperat. & Gaborem Transilvaniæ Principem, ægrè ferentes hostes Domûs Austriacæ & Protestantes, quòd sic

VARII ET VANI CONATUS.

liberior foret Ferdinandus ad eos in Germaniâ conterendos, ut potenter faciebat; nihil non egerunt per Angliæ & Bataviæ residentes Constantinopoli, aliósque nuncios à se missos, quo apud Sultanum & Gaborem variis ingestis calumniis ejus ruptionem operarentur: quamvis id frustrà. Qui quidem Angli & Batavi, unà cum legato Veneto, id præstiterunt apud Caimakanum, ut pellendos juberet toto Statu Turcico Iesuitas; nisi legatus Regis Christianissimi Comes Cesius auctoritatem suam interposuisset apud Muphtim & Bassam pro eorum retentione.

XIII. EX OBITU DUCIS MANTUANI CONTENTIONES DE HÆREDITATE.

Vincentio Duce Mantuano mortuo sub finem anni superioris, *Carolus* Gonzaga Dux Nivernensis & jure agnationis, (ut potè natus Ludovico minori fratre Guillelmi avi trium posteriorum Ducum) & ultimâ Vincentii declaratione, qui etiam ad majorem successionis securitatem, antequàm moreretur, fecit ut Dux Retelius filius Nivernensis duceret in uxorem cum dispensatione Pontificiâ Mariam filiam Ducis Francisci fratris sui defuncti) in hæreditatem principatuum Mantuæ & Montisferrati successit; & Mantuæ receptus fuit magno applausu. Intercesserunt Dux Sabaudiæ, & Ferdinandus Gonzaga Dux Guastalli; hic pro totâ hæreditate, quam sibi deberi contendebat, putà nepoti alterius Ferdinandi fratris minoris Friderici Ducis, avi paterni Nivernensis: ille pro Monteferrato, in quod jus ab antiquo prætendebat. Accedente insuper pro eodem principatu Margaritâ Ducissa viduâ Lotharingiæ, sorore natu majore trium ultimorum Ducum, quasi essent feminæ ejus capaces. Et ad has dirimendas lites Imperator se vindicem clientelæ asserens, propterea Status eos in manus sibi tradi petebat, tradendos iis, ad quos de jure pertinere cognitum fuisset. Hispani verò timentes Mediolano à vicinitate Nivernensis, ob potentiam Regis Galliæ, cui aliunde subditus erat, omninò decreverunt ei sese opponere vi apertâ, ac fimbrias eâ parte dilatare, specie jurium Imperatoris, & executionis sententiarum ejus; necnon defensionis causæ Sabaudi: cum quo ita concordârunt, ut Statum Monferratensem inter se partiri deberent. Quare Gonzales Cordubensis Gubernator Mediolani collecto exercitu Casalem Montisferrati obsidione cinxit; & Sabaudus Albam & Trinum, aliáque loca occupavit: quantumvis Imperator (quem tradunt satis propensum fuisse ad concedendam Mantuano investituram, nî Hispani obstitissent) mandâsset ut à vi desisterent: Rege Galliæ, ob impedimenta quibus in regno distinebatur ad obsidionem Rupellæ, & bellum contra cæteros rebelles, suppetias quidem Nivernensi mittente ad defendendas præcipuas urbes; sed non tantas, quibus posset potentes adeò hostes propellere; sicuti factum est anno sequenti, ut ibi dicetur.

XIV. CONTROVERSIA DE NOMIN. AD PATRIARCHAT. AQUIL.

Vacante Patriarchatu Aquileiensi, cùm Vrbanus Pontifex eum cōtulisset Prælato cuidam Veneto, Ferdinandus Imp. ejus nominationem sui juris esse contendens, mense Augusti per Albertum Petlerum magistratū Rodolphsbergium cōsiliarium Imperialem Pontifici protestationem denunciavit contra omnia quæ in eâ causâ contra jus Imperatoris fieri possent.

XV. DECRETŪ DE CONFESS. REGULARIŪ.

Idem verò Pontifex perpendens abusus à regularibus committi solitos in confessionibus sæcularium, decretum edidit duodecimo Septembris, quo cunctis eorum ordinibus cæterisque locis piis, revocatis quibuscumque indultis ac privilegiis, interdixit nequi deinceps eas audire præsumant, nisi priùs ab Ordinariis examinati & approbati fuerint.

XVI. TARTARORUM DISSIDIA.

Fuit divisio gravis inter Tartaros. Quippe Cantemirus Laidera regno à fratre Mahemete Kirane ejectus, opem Amuratis Sultani imploravit: quâ fretus fratrem expulit: frater autem ope Kosaccorum Turcicam regionem devastavit: sed anno sequenti occisus est: versáque deinde alea adversus Polonos quibuscum varia exinde prælia gesta dicuntur: sed demùm is prævaluit, cui Turcus favebat haud tamen propterea cessantibus cæteris ad plures annos turbas ciere.

M. DC. XXIX.

I. REGIS LUDOVICI EXPEDITIO PRO DUCE MANTUÆ.

ANno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo nono, Indictione duodecimâ, Rex Ludovicus, ubi liber fuit ab obsidione Rupellensi, cujus impedimento Hispani & Dux Sabaudiæ abusi fuerant adversus Carolum novum Ducem Mantuanum, florentem exercitum in Subalpinam provinciam mense Ianuario ducens, Sabaudiæ Ducem transitum occludere præsumentem contrivit, subterfugia ejus fregit; Secusium, vulgò Susam, cepit; denique eò illum redegit ut summæ gratiæ duxerit ab eo non spoliari. Tum Hispani Casalis obsidionem deseruerunt, magis suo Statui timentes, quàm de extero occupando satagentes.

II. ALIA IN OCCITANIAM ADVERSUS HÆRETICOS REBELLES.

Inde Rex mense Martio in Occitaniam progressus, adversus Rohanum & hæreticos rebelles; qui adhuc in suâ pervicaciâ perseverabant, auxilia expectantes implorantésque ab Angliæ Rege, quasi quod mari non poterat terrâ conficere potentior esset: quinimò & ad Regem Hispaniæ recurrentes, quem sciebant nullam unquam occasionem, sive de religione ageretur, sive de rebellione, omissurum, pedem in Galliam ad suam idealem promovendam monarchiam inferendi; cum quo per Clauselum in Hispaniam missum Rohanus concordavit tertio Maii pro auxiliis pecuniarum: Hæc cuncta Rex præsentiâ suâ dissipans, eodem mense Maii Privasium Sevenarum oppidum munitissimum, & omnium seditionum flabellum, Alesium, aliáque ejusdem regionis cepit: ac post multas clades pœnitentiam profitentes hæreticos, ac veniam petentes, in gratiam recepit, Rohano tamen jusso regno excedere, ne novis turbis ansam præberet: Pacémque universæ Occitaniæ & Aquitaniæ, sese ejus benignitati subjicientibus concessit, cum obligatione demoliendi omnes omnium urbium munitiones & propugnacula, solis exceptis mœnibus quibus cingebantur, absque ullis fossis: promulgatâ eâ de re declaratione vigesimonono Iunii. Sequenti verò mense Nemausi amplius edictum condidit abolitionis præteritarum rebellionum; ac restitutionis religionis Catholicæ in

OMNIUM URBIUM HÆRET. DEMOLITIONES.

omnibus locis unde exulârat. In quarum victoriarum à Deo acceptarum, & profligatæ hæresis memoriam, templum Augustinianorum Discalceatorum conventûs Parisiensis erexit, Dei-paræque Virgini MARIÆ sub titulo *De Victoriis* dicavit, nono Decembris præsentis anni.

III. Mons-Albanus reducitur per Card. Richel.

Interim verò cùm Mons-Albanus, urbs Aquitaniæ ampla & opulenta, primáque tunc post Rupellæ casum, totius partis hæreticorum, superiori regio edicto obaudire nonnihil detrectaret, Rex Nemauso Lutetiam repetens, Cardinali Richelio, tradito exercitu, curam reliquit urbem illam ad obsequium redigendi. Quò cùm iret, (comitante Nuncio Apostolico, cæterisque oratoribus Principum, ac præcipuis regiis ministris) civium ad solius ejus nominis auditionem resipiscentium precibus fuit præventus.

IV. Pax sancitur inter Reges Gal. et Angl.

Dum esset Rex Secusii, solicitudine legatorum Venetorum 24. Aprilis conclusa est pax inter ipsum & legatum Regis Angliæ. Eadémque publicata in obsidione Privalii 20. Maii. Denique 16. Septembris jurata à Rege Fontanabliaudi solemni ritu in Ecclesiâ oppidi: eodémque tempore in Angliâ in castro Windezorio à Rege Galliæ in templo loci.

V.

Post varios tractatus inter delegatos Imperatoris & Regis Daniæ initos, pax inter eos sancita est fiue Maii. Et inter Polonos & Suecos, post varias pugnas, sexennales induciæ constitutæ, Gallico & Anglico legatis promoventibus. Batavi verò, duce principe Aurangio, Silvam-Ducis, vulgò Buscodocum, insignem urbem Episcopalem Brabantiæ, post arctissimam obsidionem cœptam Calendis Maii, (nequicquàm Hispanis conatis suppetias ei ferre, & Ecclesiasticis, qui magno numero intùs erant, pro aris & focis strenuè pugnantibus) in deditionem compulerunt decimotertio Septembris. Ac paulò anteà ad finem Augusti, Vesalia Ducatûs Cliviæ, magni urbs momenti, quàm Hispani tenebant cum præsidio duarum alarum equitum, & sedecim signorum peditum, ac sexaginta tormentorum, ab iisdem noctu intercepta est.

Batavorum progressus.

VI. Bellum Mantuanum suscipitur.

Cùm Imperator renuisset approbare pacta, Regis Christianissimi auctoritate facta pro rebus Mantuanis & Monferratensibus; irritatior factus in Nivernensem, quasi minùs se submisse erga ipsum gessisset; atque Statum Mediolanensem Imperio subjectum invasisset qui hactenùs monitionibus, citationibus, & actibus judiciariis contentus fuerat, ad arma conversus exercitum in Italiam immisit ductore Rambaldo Comite Collalto Forojuliensi, magni nominis & auctoritatis duce bellis Germanicis & Hungaricis exercitato. Qui collatis cum Ambrosio Spinolâ, nominatissimo illo duce, constituto à Rege Philippo in locum Gonzalis Cordubensis Gubernatore Mediolanensi, & armorum Hispanicorum in Italiâ directore, consiliis; ita rem partitus est cum eo, ut ipse cum exercitu Cæsareo, qui constabat 22. millibus peditum & quatuor ferè equitum, expeditionem Mantuanam, Spinola cum copiis Hispanicis, quæ erant 16. millium peditum & quatuor equitum, Monferratensem susciperet. Qui ingressi suam quique partem, pleramque occupârunt; & Collaltus Mantuam obsidione cinxit. Cui cùm frigidè lentéque Veneti succurrerent; Dúxque Sabaudiæ consuetâ suâ variorum consiliorum incertitudine dubiam de se opinionem suggereret; Rex Ludovicus fervidiùs atque solidiùs rem suscepit. Interímque Collaltus urgente hieme, & non parvis incommodis à Mantuano affectus, ab obsidione recessit.

VII. Urbani PP. pia opera pro Ecclesiæ salute.

Quas turbas, aliásque per orbem Christianum vigentes, considerans Urbanus Pontifex, nihil non per suos Legatos & Nuncios agens quo posset eas componere, cùm & insuper pestem & famem passim grassari perspiceret, opem præcipuè divinam invocandam censens, ad finem Novembris Iubileum publicavit. Atque ut numerum intercessorum cælestium apud Christianos augeret, decimo Maii *B. Andream Corsinum* nobilem Florentinum, Ordinis Carmelitarum olim professorem, & Fesulanum Episcopum, miraculis clarum, post annos obitûs 254. in numerum Sanctorum Confessorum retulit. Et septimo Octobris *Caietanus Thienæum* nobilem Vicentinum, Clericorum Regularium fundatorem, Beatum declaravit.

VIII. Cardin. Berulli obitus.

Mense Octobris die secundâ mortuus est Lutetiæ anno ætatis quinquagesimo quinto *Petrus Berullus*, institutor Congregationis Oratorii Domini nostri IESU Christi, quem Rex Ludovicus anno 1627. Cardinalem creari curaverat; virum pietate, doctrinâ, & eloquio insignem. Inter sacrificandum ante consecrationem animi deliquio correptus, sacrum perficere non potuit: sed in cubiculum delatus, priùs quàm moreretur, sanctissimâ Eucharistiâ, aliisque solitis sacramentis ritè procuratus fuit.

IX. Edmūdi Richer. retractatio.

Lutetiæ septimo Decembris *Edmundus Richerius*, de quo sub anno 1612. declarationem coram dignis testibus edidit, à se scriptam & obsignatam; quâ se libellúmque suum de Ecclesiasticâ & Politicâ potestate, ac quascumque ejus propositiones, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ & S. Sedis Apostolicæ judicio subjicere declaravit; eam matrem & Magistram omnium Ecclesiarum, & infallibilem veritatis Iudicem agnoscens: & quatenùs contrariæ illæ esset eidem Ecclesiæ Romanæ, improbavit & condemnavit. Hâncque declarationem consignavit Eminentissimo Cardinali Richelio, Provisori Domûs Sorbonæ.

X. Iuram. in decreta Sūmorum Pontificum.

Iisdémque temporibus decretum factum est publicum ab eâdem Sorbonâ, ut deinceps renovaretur mos antiquus & laudabilis, à quibusdam omitti cœptus, ut quicumque Baccalaureus in Theologiæ actibus respondens, juraret in Decreta Summorum Pontificum.

XI. Cōmercium cū Mosco.

Fœdus negotiationis & commercii factum est hoc anno mense Novembri inter Regem Ludovicum & Michaëlem Feodroitz Magnum Ducem Moscoviæ & Russiæ Imperatorem.

XII. Regis Persar. mors.

Mense verò Martio mortuus est *Scha-Abas* Rex Persarum potentissimus; de cujus victoriis ac rebus gestis sæpissimè superiùs; postquàm regnâsset quadraginta duobus annis. Qui filio uno propter suspicionem capite truncato, alio excæcato, ac propterea inepto imperio; filium primogeniti nepotem suum, adolescentem octodecim circiter annorum,

ante obitum Regem declaravit; cui nomen fuit *Scha Sephi*. Quo ab Amurate Turcorum Imperatore audito: sperans hâc mutatione rem secundiori fortunâ adversus Persas processuram, Coseronum primùm Vizirem ad repetendam obsidionem Babylonis, frustrà hactenùs à diversis factam, misit: qui interim dum eam pararet, severissimè agens cum Asiaticarum provinciarum præfectis rebellibus aut seditiosis, multos eorum de medio sustulit, alios deposuit, & Imperium eâ parte pacavit.

XIII. Mors Bethlemi Gaboris.

Mortuus est quoque mense Novembri *Bethlem Gabor* princeps Transilvaniæ, turbulentissimi homo ingenii, ex hydropisi. Post cujus mortem oppida quæ ipse occupabat in Hungariâ reversa sunt in potestatem Cæsaris. Ejus verò viduæ Catharinæ Brandeburgicæ (ex quâ nullos reliquit liberos) patrocinium Rex Turcorum suscepit. Quæ tamen, post non paucas inter diversos de principatu contentiones, consensit demùm ut *Georgius Ragotzius* cæteris potentior, qui usurpaverat, cum retineret, rem Turco comprobante anno 1631.

XIV. Æthiopiæ dissidia.

Dicitur fuisse magna publicæ rei mutatio in Æthiopiâ, à Susneo Iacobi Imperatoris fratre, qui religione Catholicus illum ab ea alienum, factâ ab aliquot annis ope Lusitanorum rebellione, hoc anno prælio occiderit. Cujus duo filii manus Susnei fugientes, alter in regnum Monomotapam ad Caput Bonæ Spei se receperit; alter dictus Zaga-Christi ætatis circiter quindecim annorum Ægypto & Arabiâ peragratis Ierosolymam pervenerit: indéque in Europam, & Italiam navigaverit. Vnde in Galliam deductus, ac primò honorificè susceptus, deinde contemptui habitus, seductâ quâdam feminâ conjugatâ, sive fuerit is verus princeps, sive fictitius, miserè periit Ruellii prope Lutetiam anno 1639.

M. DC. XXX.

I. Iesuitissarum extinctio.

ANno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo, Indictione decimâtertiâ, Idibus Ianuarii, Vrbanus Pontifex constitutione editâ suppressit atque extinxit Congregationem virginum ac mulierum, in nonnullis Italiæ & ultramontanis partibus, sub *Iesuitissarum* nomine, citra ullam Apostolicæ Sedis approbationem, erectam: quæ vitæ religiosæ ducendæ prætextu, peculiarem habitum usurpaverant; ædificia in collegiorum formam redegerant; domos Probationum erexerant, in eisque Superiorem, indito Præpositæ titulo constituerant; absque ullâ clausurâ pro libitu divagantes, specie salutis animarum promovendæ.

II. Bellum contra Ducem Sabaud.

Cardinalis Richelius cum regio exercitu ingressus Pedemontium, Ducem Sabaudiæ parùm propitium sensit, tum in aliis, tum in annonæ & commeatûs præbitione, ad quam ex pactis tenebatur; & in hospitiis, aliisque commoditatibus subministrandis. Adeò ut in apertum dissidium ventum sit: & Cardinalis Pinerolium occupaverit, cum nonnullis aliis vicinis oppidis. Ad quæ accurrentibus Spinolâ & Collalto in auxilium Ducis, (qui in suis astutiis ac dissimulationibus deceptus malum sibi undique accivit) affuit etiam Eminentissimus Cardinalis *Antonius Barberinus* Vrbani Pontificis ex fratre nepos, à patruo Legatus à Latere per universam Italiam constitutus: qui ad concordiam inter partes conciliandam, *Iulii Mazarini* posteà Cardinalis ministerio, & continuâ quaqua versùm missione, rem promovere diligenti solicitudine satagit. Sed cùm nondum matura ea esset, captis novis consiliis, Collaltus Mantuam versùs regressus est; Spinola Casalis obsidionem suscepit, in quâ erat Torasius, qui insulam Ræam ab Anglis defenderat: Richelius Regem, qui jam Gratianopolim accesserat, adiit, relicto exercitu Marescallis Fortio & Schombergio; Legatus Bononiam se recepit: his sic gestis mense Aprili; Maio verò & parte Iunii, intra viginti duorum dierum spatium Rex universam Sabaudiam, quam princeps Thomas minimus filiorum Ducis regebat, eo sese recipiente, occupavit, unicâ exceptâ arce Mommeliani. Misit verò Ducem Monmorantium cum subsidio copiarum in auxilium suorum ultra montes existentium: cui non semel, nec uno loco, fuit cum hostibus congrediendum: Salutiarum autem urbs capta fuit. Posteà verò Rex Lugdunum regressus, ibi mense Septembri penè ad mortem ægrotavit, susceptis ingenti pietate, & alacri decessûs expectatione, sacramentis Eucharistiæ & Extremæ-Vnctionis. Ac contra omnium spem sanitati restitutus, Lutetiam repetiit.

Morbus Regis.

III. Mantua occupatur a Cæsareis.

Interim verò Mantua, cum parcè à Venetis, quorum nihilominus maximè ejus conservatio intererat, subsidia subministrarentur, quinimò & copiæ quas ad hoc collegerant; à Germanis fuissent prælio cæsæ; ipsaque urbs peste, fame, aliisque incommodis afflicta, ac militum præsidiariorum imminutione valdè debilitata, langueret: fuit illa decimo octavo Iulii à Garmanis variis partibus eodem tempore oppugnata, ac portâ quâdam ferè incustoditâ per petardum expugnata. Dux cum liberis suis, & Marescallo Estræo qui aderat, in arcem confugit: & cùm auxilio omni destitutum se cerneret, tandem deditionem pactus, in ditionem Ferrariensem Pontifici Romano subjectam discessit, urbs autem opulentissima, eadémque munitissima, cujus nulla usquam extaret memoria quod in manus hostium aliquando incidisset, barbarorum, qui partem magnam Protestantes erant, crudelissimæ direptioni ac turpissimæ libidini exposita; támque locis sacris quàm profanis deprædatione ac grassatione exhaustis, penitùs exinanita.

IV. Ducis Sabaudi. obitus.

Cujus per Germanos occupatio, tam Italis cunctis odiosa existens, quàm ipsius etiam Hispanis qui eam procuraverant, quòd multùm omnium interesset, ne Imperium Germanicum tantum in Italiâ fundamentum jaceret; adeò *Caroli-Emanuelis* Ducis Sabaudiæ, qui ditiones suas aut penitùs jam amissas, aut prædæ potentiorum apertas cerneret, animum perculit, ut morbo ex mœstitiâ & angore contracto, intra triduum expiraverit vigesimo sexto Iulii; ætatis anno sexagesimo nono, imperii quinquagesimo. Princeps majori animo quàm viribus: quas si cupiditati pares habuisset, nec tota Europa ei fuisset exsatiandæ

cæterùm pietate in Deum, reverentiâ in Ecclesiam, & liberalitate in omnes admodùm insignis. Successit ei filius superstitum natu major *Victor-Amedeus*; qui & ipse initio aliquid contra Gallos molitus, brevî contritus est, & ad pacem inquirendam flexus.

V. Pacta diversa de rebus Ital.

Cœpto inter hæc Ratisponæ mense Iulio à Ferdinando Cæsare conventu Electorali, ad quem etiam accesserunt legati Regis Christianissimi, & aliorum Principum, tractatum ibi est de pace Germaniæ & Italiæ: conditíque articuli pro Italiâ, sub quibus Dux Sabaudus & Mantuanus sua reciperent, & investitura Mantuano concederetur. Qui antequàm in Italiam deferrentur, cùm pariter ibi agitatæ fuissent conditiones concordiæ, nec potuissent concludi; pactæ sunt induciæ inter Duces Gallos, Sabaudum, & Collaltum, ab ineunte Septembri usque ad medium Octobrem, in gratiam Casalis, quæ adeò arctè premebatur à Spinolâ ut penè ad extremum penuriæ militum & commeatûs redacta esset: quibus inter alia constitutum fuit, ut urbs & arx in manus Spinolæ traderentur, propugnaculo (quam citadellam vocant) Gallis reservato, cui Spinola toto eo tempore commeatum subministrare deberet: si intra eum diem pax concluderetur Ratisponæ, deberet ea observari: si non concluderetur, cessarent induciæ, permisśumque esset Gallis auxiliari citadellæ, & Hispanis id impedire: si intra trigesimum diem Octobris ei non succurreretur, cederet etiam Hispanis: si succurreretur, hi rursùs urbem & arcem Gallis restituerent. Quibus cùm Spinola, certus de indigentiâ obsessorum, consentire recusaret; tum his curis agitatus, tum quòd ei calumniis apud Regem Philippum onerato restricta fuisset potestas agendi incidit in corporis infirmitatem & mentis motionem, quibus ex hâc vitâ discessit vigesimo quinto Septembris, suffecto jam antè in locum Marchione sanctæ Crucis; qui inducias, quanquam ægrè acceptavit, & urbem atque arcem Casalis recepit.

VI. Pax sancitur.

Appropinquante fine induciarum, cùm nondum venisset conclusio Ratisponensis, Santacrucius alienus à laboribus bellicis, eas prorogari petiit. Sed Galli novis copiis instructi, ducibus Marescallis Schombergo, Fortio, & Marillaco; etiam post acceptos articulos Ratisponenses, omnino decernentes Casali succurrere, ducto exercitu jam in eo erant ut manus consererent cum Hispanis, numero licèt longè superioribus, & fossis ac vallis ad urbem apprimè munitis; cùm ultrò citróque commeans Mazarinus, effecit ut præcipui terdeni ex utráque parte ut erant cataphracti inter utraque castra in unum convenientes vigesimo sexto Octobris pacem firmârint; magnâ Gallorum gloriâ, nec parvâ Hispanorum ignomíniâ: ut pluribus narrat, rationibúsque demonstrat, qui has Italicas turbas magno judicio & prudentiâ descripsit Petrus-Ioannes Capriata Genuensis. Pacis autem executio tunc facta in recessu utrimque copiarum, (intervenientibus tamen adhuc nonnullis difficultatibus) ac restitutione Casalis & arcis, reliqua plenè perfecta fuit ad principium anni sequentis.

VII.

Quod autem diximus, tractatum quoque fuisse Ratisponæ de pace Germaniæ; multæ fuêre ibi de more controversiæ & dissensiones de religione & statu; sed præcipuum negotium extitit de armis Sueticis, quæ truculentus ille Gothus Gustavus Regem Sueciæ agens decessorum suorum Gothorum exemplo, circumferebat specie protectionis Strallundæ civitatis Pomeraniæ, & pristinæ eâ regione libertatis restitutionis, ac defensionis Protestantium in conservatione bonorum Ecclesiasticorum, quæ Imperator restitui jusserat cuncta vastans diripiénsque, multásque urbes occupans: cùm alioqui objiceretur ei, nihil ad ipsum de rebus Imperii pertinere, nec fuisse ipsum in aliquo læsum ab Imperatore aut Imperio; nisi quòd ei Imperator adversus Polonos, quos ipse insectabatur, adesse noluisset, & magis Polonis favere visus fuisset. Qui cùm nec literis Imperatoris, nec Electorum monitionibus à cœptis desistere vellet, sed magis multa, se iniquè passum à Cæsareis quereretur; quasi ea vindicaturus, incendium immisit teterrimum in Germaniam, quo penè tota conflagravit; quódque post tot annos necdum extinctum est.

Gustavi Sueci grassationes.

VIII. Eminentissimi titulus tribuitur Cardinalibus.

Hoc anno mense Iunii decretum Consistoriale factum est Romæ; quo ob communicatum passim titulum *Illustrissimi* (qui olim Principibus tantùm ac S.R.E. Cardinalibus tribuebatur) quibuscumque personis alicujus dignitatis; constitutum est, ut deinceps Cardinales, propter eminentiam quâ cæteris antecellunt, Eminentissimi dicerentur cum prohibitione, nequi alii Ecclesiastici cujuscumque dignitatis eo uterentur; præterquam Ecclesiastici Romani Imperii Electores, ac Magister Hospitalis Ierosolymitani: retento unà *Reverendissimi* titulo, quo pariter priùs insigniebantur, quíque etiam cæteris Ecclesiasticis communis est.

IX. Duces Venetiarum.

Mortuo Duce Venetiarum *Francisco Contareno*, suffectus est ei mense Ianuario ex eâdem familiâ *Nicolaus Contarenus*.

X. De rebus Indicis.

Batavi Olindam Fernambuci in Brasiliâ metropolim expugnârunt mense Martii; ac servandam munierunt. Vrbs autem Mexica novæ Hispaniæ amplissima atque opulentissimâ mense Octobri aquarum impetu, ruptis aggeribus, ita submersa fuisse dicitur, ut vix quid ex eâ superfuerit. Septembri insulâ S. Michaëlis una ex Azoribus, horribilibus ignis è terrâ sulphureâ eruptionibus, & ignei fluvii rapiditate gravissima damna accepit.

XI. Babylon frustra tentatur a Turcis.

Coseronus magnus Turcorum Vizir Babylonem denuò obsidione cinxit. Verùm & ipse, sicut cæteri qui priùs id ipsum susceperant, turpiter repulsus est à Persis multorum millium cæde; qui propterea de eâ recuperandâ desperans, Constantinopolim regressus est: ubi intereà Amurates eorum Rex otio marcescens, inter greges feminarum solatiabatur.

M. DC. XXXI.

I. Turbæ Gallicæ ob

Anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo primo, Indictione decimaquartâ, ingentes fuerunt in Galliâ turbæ; ortæ ex fastidio Reginæ matris Regis, sumpto de

Cardinale

MINISTRATIONEM CARDINALIS RICHELII.

Cardinale Richelio; qui priùs præcipuus in ejus conſiliis fuerat. Hic apud Regem & Regnum manſit cum eminentiſſimâ auctoritate. Illa in Belgium menſe Iulio ſeceſſit nunquam reditura; ibi ab Infantâ Archiduce ſummo honore excepta eſt. Cùm & prius Dux Aurelianenſis frater Regis tacitè receſſiſſet ad principium Martii: qui primum Aurelianum concedens, inde Burgundiam, poſtmodúmque Lotharingiam petiit: ac demùm Ianuario ſequenti Bruxellas ad matrem acceſſit, receptus & ipſe valdè honorificè ab Infantâ. Quibus temporibus multæ publicatæ fuêre ab ipſo, & Reginâ, querelæ contra Cardinalem, & excuſationes de ſuo receſſu: multáque è contra a Rege edicta de harum commotionum indignitate; aliáque ſcripta & facta in defenſionem Cardinalis, quæ ipſe ſuggeſſit.

II. PROTESTANTIŪ GERMAN. CONATUS.

In Germaniâ menſe Februarii conventus omnium Principum ac Civitatum Proteſtantium factus eſt Lipſiæ: in quo ſub ſpecie defenſionis ſuorum Statuum, & conſervationis libertatis Germanorum, novos delectus, mutuáque auxiliâ decreverunt. Quæ ut Imperator audivit, valdè de iis queſtus eſt (quòd ſic edicti Cæſarei de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum executio impediretur, & media auferrentur reſiſtendi inſultibus Regis Sueciæ, qui non aliam prætenderet cauſam armorum quàm intolerabilem Imperii afflictionem. Quare & delectus illos omninò prohibuit & bellum contra rebelles continuavit.

MAGDEBURGI CALAMITAS.

E quibus Magdeburgenſes, qui jam biennio bellum ſuſtinuerant, menſe Maii à Tillio & Pappenhemio expugnati, majorem cladem ab igne paſſi ſunt; cùm orto variis locis civitatis incendio, ſive ab hoſte, ſive ab ipſiſmet civibus,cooriente ſimul ingenti procellâ, flammâ per totam urbem ita ſævi, ut intra horas viginti quatuor univerſi penè celeberrima civitas miſerabili planè modò conſumpta in cineres redacta ſit, quàm nihilominùs prædicti duces valido præſidio munierunt.

III. GUSTAVI SUECI CLADES GERMANICÆ.

Quo audito Sueciæ Rex; qui ad ejus auxilium properabat, tanto dolore & indignatione affectus fuit, ut juraret ſe ita vindicaturum, ut toti mundo fabulam deinceps fore confideret. Ne fefellit truculentus Gothus, ac ferus Wandalus. Si quidem præter Pomeraniam & Ducatum Megalopolitanum, quibus jam potiebatur, multas alias urbes Brandeburgicas & Saxonicas occupavit auctúſque copiis Anglicis & Saxonicis, ſeptimo Septembris inclytam de Tillio & Pappenhemio retulit, unà cum Electore Saxonico qui adfuit, victoriam apud Lipſiam urbem, quam Tillius poſt conventum ſupradictum ibi celebratum occupaverat. Quo prælio cæſa dicuntur ex Cæſarianis novem millia, capta ſeptem: ex Scoticis ſeptingenti, ex Saxonibus bis mille: ſigna militaria centum capta, cum majoribus tormentis 26. ipſo Tillio duobus vulneribus acceptis fugâ ſibi conſulente. Suecus autem victoriam proſecutus, Erfordiam aliáſque urbes cepit: & in Franconiam movens, Herbipolim, Bambergam, Norimbergam, totam denique provinciam recepit; exercitu ejus uſque ad ſexaginta bellatorum millia aucto, quo deinceps Francofurtum ad Mœnum, multas in Palatinatu Superiori urbes, denique tranſmiſſo Rheno Moguntiam, & alia cepit; fulminis inſtar obvia quæque diruens, quaſſans, conſumens, aliâ verò parte Elector Saxonicus Boëmiam ingreſſus, poſt aliquot minora loca intercepta, Pragam ipſam in poteſtatem ſuam menſe Novembri redegit gemente ad hæc universâ Germaniâ Catholicâ, ob direptionem bonorum omnium, expilationem Eccleſiarum ac monaſteriorum, pulſionem ac cædem ſacerdotum & regularium, violationem monialium; omnis ſceleris, omnis ſacrilegii, omnis nefas perpetrationem. Quorum tamen ipſe malorum culpam in Domum Auſtriacam, & Hiſpano, quorum conſiliis eam regi querebatur rejiciebat. Doluit autem vehementer plurimis Catholicis rerum neſciis, quòd hujuſmodi homini Rex Chriſtianiſſimus ſocietatis dexteram dederit. Sed fecit hoc ipſe, poſtquàm tot ac tantos Sueci progreſſus animadvertit; tum ad divertenda per eum arma ab invidis hoſtibus in regnum ſuum parata: tum verò maxime in utilitatem Catholicorum; cùm & Dux Bavariæ, princeps Fœderis Catholicorum Germaniæ, etiam cum Rege ſocietatem hoc ipſo anno contraxerit; & Electores ipſi Eccleſiaſtici, aliique nonnulli Epiſcopi Germaniæ, ad eum pariter recurrerint, ut ejus opera manſuefieret Sueci barbaries, ſicuti & contigit, Rege ad hoc Metas ad confinia regni profecto adeò ut non ſemel in apertum ferè diſſidium ventum inter Reges fuerit: venturúmque omninò putamus, niſi ferum barbarum citiùs de medio divina providentia ſuſtuliſſet.

IV. ITALICARŪ TURBARUM COMPOSITIO.

In Italiâ fluctuantibus adhuc rebus ob varia partium conſilia, adeò ut ad novum bellum res propendere videretur; nihilominùs convenientibus apud Chieraſcum regionis Subalpinæ, ſingularum delegatis menſibus Aprili & Iunio, poſt multas contentiones, conſtituta eſt concordia; quâ urbs Mantua cum reliquis omnibus oppidis & locis illius principatûs & Montisferrati, reſtituta eſt Nivernenſi, eorúmque inveſtitura ei ab Imperatore conceſſa; exceptis nonnullis locis Montisferrati Sabaudo, & Mantuani principatûs Guaſtallenſi reſervatis & aſſignatis. Pariterque Sabaudo facta eſt reſtitutio Sabaudiæ, Pinerolii, & aliorum locorum à Gallis in Pedemontio occupatorum. Poſt quorum omnium reâpſe factam reſtitutionem, Rex Galliæ à Duce Sabaudiæ pecuniâ numeratâ obtinuit Pinerolium cum valle Peroſâ, ut tranſitum liberum in Italiam haberet quandocumque opus foret ad auxilia fœderatis ſuis & amicis deferenda. Decreta quoque eſt demolitio arcium & propugnaculorum in Valle-telinâ conſtructorum; ejúſque reſtitutio Griſonibus facienda. Subindéque tracta conciliatio Genuenſium & Sabaudi: quæ tamen nonniſi anno pòſt altero facta eſt, interventu Infantis Cardinalis poſt ejus Mediolanum acceſſum.

V. REDEMPTIO GALLOR. IN AFRICA CAPTIVORŪ.

Hoc eodem anno cùm miſiſſet Rex Ludovicus Commendatorem Razillium in Africam ad Regem Matroci Mulei Qualid, pro redemptione Gallorum qui in ejus regno captivi magno numero detinebantur, fuit etiam fœdus cum eo initum pro libero commercio & commeatu menſe Septembri.

VI. VESUVII MONTIS INGENTES ERUPTIONES.

Decembris decimoquinto, nocte, civitas Neapolitana horrendo terræmotu contremuit. Mons autem Vesuvius, Sommæ vulgò dictus haud procul dissitus, tonitrua horribilia edens terribilem flammam evomuit, multo mixtam cinere saxísque ingentibus adeò in altum ejaculatis, ut primam aëris regionem transcenderint. Cinis ventis delatus dicitur usque ad Archipelagum: saxa ad centum milliaria. Erupit ex montis faucibus immensa ardentis bituminis copia; quod rapidissimi instar torrentis in septem rivos divisum, influxit in mare, obvia quæque comburens secúmque trahens; ínque ipso mari ad diem duodecimum ardens. Ex opposita verò parte montis torrens ferventis aquæ erumpens, multa loca inundavit. Mare, sive ex terræmotu, sive ex aliâ occultâ causâ, recessit à littore; ac Neapoli naves non parvo tempore in sicco remansêre. Quæ clades renovata fuit mense Februarii anni sequentis, & adhuc aliquot diebus duravit. Cessavit autem penitùs post delatum publicâ supplicatione corpus S. Ianuarii patroni urbis Neapolitanæ; cujus protectione putatur civitas omninò exempta fuisse ab eâ peste: cùm aliis proximis locis incredibilia damna apparuerint locorum, personarum, brutorum, bonorum: multáque alia portentosa acciderint, quæ longum esset recensere, de quibus editi sunt diversi commentarii virorum doctorum, cum variis observationibus & considerationibus philosophicis & naturalibus.

M. DC. XXXII.

I. REX LUDOV. SUSCIPIT PATROCINIUM ARCHIEP. TREVER.

ANno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, Indictione decimaquintâ, Ludovicus Rex Christianissimus Metis existens, legationibus acceptis Principum Catholicorum fœderatorum & Electorum Imperii, pro avertendo à se Regis Sueciæ furore, suasit neutralitatem, uti commodius remedium malis jam emersis, ac deinceps emergendis. Quæ cùm non omnibus placeret, Philippus-Christophorus Archiepiscopus Treverensis & Elector sibi maximè timens ab eodem infortunio, in quod viderat vicinos suos Moguntinum & Herbipolensem incurrisse, patrocinio Regis sese subjecit: tráditóque in manus ejus Hermensteinio loco munitissimo ad Rhenum, voluit etiam ad majorem securitatem, urbem ipsam Treverim consignare; ni prævertisset Capitulum, quod maluit præsidium Hispanicum recipere, eò etiam procedens, ut ab obedientiâ Archiepiscopi, unà cum ipsâ civitate, recedere præsumpserit. Quare exercitu regio appellente Treverim in gratiam Archiepiscopi, fuit urbs obsessa, atque in deditionem compulsa: quam sub Archiepiscopi auctoritate, viri jam ætate provecti, tenuit cum præsidio dux quidam Gallus.

II. PROTESTATIO FACTA PŌTIFICI AB HISP.

Anxiè has omnes turbas ferens Vrbanus Pontifex, nihil non agebat, literis, hortationibus, legationibus, quo illæ componerentur & barbari Germaniâ pellerentur; pecuniis etiam subministratis; denique frequentibus Iubileis iram divinam placare, & opem ejus implorare tam per se quàm per Christianos populos satagens. Et tamen quasi hæc nihil essent, quòd non ipse patrimonium totum Sedis Apostolicæ venderet, quòd non pedum hastâ, non mitram galeâ, aut Crucem gladio commutaret; protestatio ei facta fuit octavo Martii à Cardinale Borgiâ nomine Philippi Hispaniæ Regis; quicquid detrimenti Catholica Religio pateretur, aut passura esset, non ipsi Philippo, sed Pontifici adscribendum fore. Quod mirum profectò videri possit, tum multis aliis de causis, tum verò maximè quòd qui potentissimus totius Orbis monarcha, cui resistendo non ferè sit omnis Europa, non Asia, non Africa, haberi appetat; jam tam flaccæ virtutis, tam virium debilium, etiam cum amplissimâ Domo Austriacâ, & toto Imperio Romano, se fateretur esse, ut unius prædonis Gothi, aut latronis Wandali (ut ab ipsis habebatur) impetum sustinere non posset, aut illum à Germaniâ pellere. Sanè vix est ut in prædictâ ad Pontificem importunâ denunciatione, non prudentiam quis desideret, aut invidiam arguat.

III.

Cæterùm quod non valuerunt illi, fecit suo tempore omnipotens Deus. Postquàm enim Gustavus Rex Sueciæ excursiones suas renovans, Alsatiam, Bavariam, Palatinatum, Sueviam, Westphaliam, alias provincias per se ac suos vastâsset: Tillium copiarum Catholicarum ducem, fluminis Lici transitum impedire conantem fugâsset; (qui ictu minoris tormenti graviter femore vulneratus, paulò pòst mortuus est Ingolstadii: vir pius, fortis, & strenuus; atque ideò suis magnoperè desideratus:) Walsteinio Frislandiæ Duce ab Imperatore rogato imperium armorum Cæsareorum resumere, quo abdicatus fuerat; ut erat rei militaris peritissimus, recuperatâ Pragâ, adversus Suecum movente: post aliqua gravia, sed non plena, inter ipsos inita certamina; tandem totis viribus pugnâ factâ propè Luzenam 16. Novembris, Rex *Gustavus* sub ejus initium duobus vulneribus lethalibus percussus interiit. Cui succenturiatus Bernardus Dux Wimariensis Saxonicus, strenuissimè pugnans, sive vicit, ut ipsi pluresque asserunt; sive ut cæteri, operatus est ne Sueci victi dici possent, cùm prælio nocte dirempto, utraque pars hinc inde recessit, Cæsarei Lipsiam, Sueci Naumburgum. Ingens fuit utrimque cædes, cunctis obstinatissimè pugnantibus, sed de numero, quem ad multa millia ascendisse omnes consentiunt, quâ parte major fuerit discrepat. Multi quoque præcipui duces perierunt: & inter Cæsareanos Pappenheimius Marescallus hæreditarius Imperii, qui multiplices de ejus hostibus victorias reportaverat. Cadaver Regis ita deformatum repertum est, multis ei inflictis post mortem ictibus, ut vix agnosci potuerit. Quod primùm Naumburgi conditum, inde Brandeburgum delatum est, ac demùm in Sueciam avectum. Mortuus est anno ætatis trigesimo octavo: unicâ relictâ filiâ *Christianâ* sexenni, minimâ trium quas ex Eleonorâ Brandeburgensi filiâ Electoris Ioannis Sigismundi susceperat, duabus majoribus præmortuis. Qui si sanctioribus pro

GUSTAVI REGIS SUECIÆ MORS.

fide expeditionibus animum & arma applicâsset, fuisset proculdubiò inter magnos hujus & anteriorum sæculorum Principes connumerandus.

IV. Friderici Palatin. mors.

Paulò pòst, videlicèt vigesimo nono Novembris, mortuus quoque est Moguntiæ ex morbo pestilenti, anno ætatis trigesimo septimo, *Fridericus* Palatinus Rheni ejus nominis V. olim Elector, & electus Rex Boëmiæ, cùm in eo esset, ut à Rege Sueciæ, quem paulò antè convenerat, in Statum suum restitueretur. Cujus præpropera ambitio causa extitit omnium Germanicarum turbarum: nec satis ei animi fuit ac consilii, ad conservanda quæ habuit, aut recuperanda quæ amisit.

V. Sigismundi III. Regis Poloniæ obitus.

Anteà verò Poloniæ Rex *Sigismundus III.* decesserat ex apoplexiâ Varsoviæ vigesimonono Aprilis, anno ætatis sexagesimo sexto, regni quadragesimoquinto, piè susceptis omnibus Ecclesiæ sacramentis: religione, benignitate, & fortitudine insignis. In cujus locum, ex cunctis competitoribus, electus fuit sub principium Octobris *Wladislaus* filius ejus natu maximus, ejus nominis Rex Quartus, agens annum ætatis trigesimum septimum: vir multis virtutibus, variarum linguarum peritiâ, & rei militaris scientiâ conspicuus, cujus coronatio remissa est in mensem Februarium proximum, de more gentis post funus decessoris Regis. Sumpsit etiam titulum Regis Sueciæ; cujus regni pater ejus legitimus hæres fuerat. Itémque Magni Ducis Moscoviæ, quòd olim fuisset in divisione Moscorum à potiori parte electus. Cujus in Regem Poloniæ electio gratissima tum aliis fuit, tum Vrbano Pontifici, qui ejus virtutum probè conscius erat, ejúsque fidei Catholicæ planè securus. Quo factum est, ut cùm posteà idem Wladislaus ad obedientiam præstandam splendidissimam legationem mittit, eam Pontifex magnâ sinceri in eum affectûs demonstratione susceperit.

VI. Trajecti occupatio a Batavis.

In Belgio haud melioribus auibus agentes Hispani, quàm Cæsarei in Germaniâ, Trajectum, vulgò Mastricum, insignem urbem ad Mosam amiserunt; captam trimestri obsidione à Principe Aurangio vigesimo tertio Augusti; tribus exercitibus, Marchionis S. Crucis, Gonzalis Cordubensis, & Papenheimii, tunc adhuc superstitis, nequicquàm conatis succurrere.

VII. Ducis Aurelianensis invasio Occitaniæ.

Dux Aurelianensis Regis Ludovici frater, in Galliam ingressus est manu armatâ mense Iunii copiis militaribus hinc inde corrasis; specie liberandi regnum à tyrannide Cardinalis Richelii, ut scripto in ipso ingressu publicato testatum omnibus esse voluit. Contulerat clàm priùs consilia sua per secretos administros cum Henrico Duce Monmorantio Occitaniæ præfecto: à quo in provinciam acceptus est. Sed Marescallo Schombergo jussu Regis Aurelianensem insequente, factum est ut post longas Aurelianensis circumcursationes quibus non paucas sibi urbes conciliavit, (pluribus tamen, ac præcipuis in debitâ Regis obedientiâ persistentibus) ventum sit ad manus apud Castrum-Arianorum Calendis Septembris; copiis Aurelianensis duplo regiis majoribus. Vbi Monmorantius decem vulneribus acceptis prostratus in terram, captus fuit: Comes Moretonius frater naturalis Regis, qui cum Aurelianensi erat, occisus, cum Comite Riusio, aliísque non paucis illustribus viris ac ducibus Aurelianensis cum majori parte sui exercitûs absque pugna recessit. Erat jam tunc Rex in itinere Occitaniam versùs: accepítque victoriæ nuncium Lugduni. At misericordiâ erga fratrem motus, misit ad eum qui veniam præteritorum suo nomine pollicerentur, modo posthàc quietiùs se gereret, factáque est conventio, ab Aurelianensi juramento firmata Calend. Octobris; ac deinde Turones se recepit. Rex autem Tolosam progressus, Monmorantium ob rebellionem capite plecti jussit die penultimâ Octobris: qui piè admodùm decessit; vir nobilissimæ & antiquissimæ totâ Galliâ familiæ princeps, multis egregiis animi & corporis dotibus conspicuus, atque præclaris facinoribus pro rege & religione patratis admodùm insignis: dignúsque omninò qui aliâ morte periret, nisi fœdo hoc facinore præteritam gloriosam vitam commaculâsset. Nullos reliquit liberos: mortuúsque est anno ætatis suæ trigesimo octavo, sepultúsque in Ecclesiâ S. Saturnini, intra quam ab omni memoriâ nullius hominis exuviæ, præterquàm Sanctorum, receptæ fuerant, unde colligi possit valdè probabile argumentum ejus receptionis in cælum, ad quod toto corde & ore in præparatione mortis anhelabat. Inde Rex Lutetiam repetiit. Quò antequàm pervenisset, Aurelianensis ipsius frater, audito Monmorantii supplicio, sumptâ inde novâ occasione offensionis, quartùm regno exiens, iterùm secessit in Belgium. Episcoporum vero Occitaniæ, qui ejus conatibus faverant, (acceptâ à Pontifice facultate de eorum reatu cognoscendi) unus fuit per sententiam judicum absens depositus, alius jussus Episcopatum dimittere, cæteri ad suas Ecclesias remissi.

Monmorantius capitur, et plectitur.

M. DC. XXXIII.

I. Germaniæ miser status.

Anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimotertio, Indictione primâ, Germania haud morte Regis Sueciæ à malo libera, ut speratum fuerat, potiùs in majora incidit damna, ducibus qui sub ipso militaverant, Bernardo Duce Wimariensi Saxonico, Gustavo Hornio castrorum præfecto, Ioanne Baniero peditatûs præfecto, aliis ducibus, circumquaque per varias provincias excurrentibus, fœdera cum Protestantibus percutientibus, urbes capientibus ac diripientibus, agros vastantibus: cuncta expilantibus, pugnas cientibus, victoribus victísque; omnium existente moderatore, ac præcipuo rerum Directore, Aretio Oxenstierno Sueciæ Cancellario, sub auctoritate Reginæ viduæ, *ac Christianæ* infantulæ, quæ à Suecis magno consensu in Reginam recepta est. Ex aliâ quoque parte Walsteinio, aliísque ducibus Cæs. ac Fœderis Catholicorum, strenuè rem agentibus, paritérque urbes occupantibus, certamina ineuntibus; nihil non præstantibus quo Germaniam per ejus perditionem ad pristinum obsequium reducerent, satius ducentibus eversam habere quàm

amissam: frustrà conatis Regibus Daniæ & Poloniæ pacem inter eos constituere. Longum esset singula enumerare; nec est id hujus Summarii, sed integræ Historiæ aliquando publicandæ.

II. Ducis Lotharingiæ infausta consilia.

Eodem tempore cùm Carolus Dux Lotharingiæ, qui varias antehàc occasiones indignationis Regi Ludovico suis levitatibus præbuerat, sempérque ab eo in gratiam, atque etiam in patrocinium à Suecorum insultibus receptus fuerat; rursùm contra pacta & promissa delectus habens, novas turbas cieret, quinimò & à Rege vocatus ad profitendam clientelam, seu faciendum homagium pro Ducatu Barensi, quem beneficio Coronæ Franciæ possidebat, negaret se ad id teneri: denique permisisset, contra fidem Regi datam, aut verò procurâsset, ut Dux Aurelianensis Regis frater, Margaritam ipsius Lotharingii sororem uxorem duceret, Rege invito, contra leges regni: His omnibus Rex commotus, exercitum adversus eum ducere constituens, in viam se dedit. Quo Dux territus, tam viribus debilis quàm consilio, fratrem suum Nicolaum-Franciscum Cardinalem obviam misit pro reconciliatione. Qui interim apud Pfaffenhovium non longè ab Hagenoâ in Alsatiâ, cum Suecis congressus, magnâ clade affectus est, Rex autem malâ ejus mente perspecta, primum curavit Ducatum Barensem Senatusconsulto sub manum regiam poni: deinde Lotharingiam ingressus, multa oppida in potestatem suam redegit: ipsámque Nanceiam urbem provinciæ metropolim, amplam, & totius ferè Christianitatis munitissimam, obsidione cinxit. Quando Dux omnis inops consilii, post multas tergiversationes, paciscens cum Cardinale Duce Richelio, cui totum negotium Rex commiserat, omni fœderi quod contrarium esset huic regio renunciavit, urbémque in potestatem Regis Septembri mense consignavit: quæ si fuisset à viris fortibus defensa credebatur potuisse longo tempore servari. Sed nullæ vires poterant obsistere regiis, tot victoriis illustrissimis. Promisit quoque Lotharingius Margaritam sororem tradere, quam tamen clàm evadere fecit habitu dissimulato: quæ in Belgium se recepit ad Aurelianensem.

III. Isabellæ Hisp. obitus in Belgio.

In Belgio tractatum est diù sérióque de induciis inter Hispanos & Batavos, sed nullo effectu: actúmque utrimque armis, sed modico profectu. Ingens verò fuit luctus ob mortem *Isabellæ Claræ Eugeniæ* Archiducis: quæ cum supplicationibus Adventûs interfuisset, in febrim incidens, decessit mense Decembri, ætatis anno sexagesimo octavo: Princeps prudentissima, piissima, generosissima. Post cujus obitum, constituti sunt ibi Gubernatores nomine Philippi Regis, usque ad adventum Ferdinandi Cardinalis Infantis fratris ejus, constituti Gubernatoris: quæ mense Maii hujus anni Mediolanum appulsus, sequentis Octobri pervenit in Belgium, cùm interim fratris Sabaudi, Isabellæ ex sorore nepotes, variis rationibus contenderent successionem ejus sibi deberi: de quo scriptum fuit in eorum favorem.

IV. Rex Mag. Brit. res Scotiæ ordinat.

Mense Maio Rex Carolus Magnæ Britanniæ Scotiam petens, ibi coronatus est magno apparatu vigesimoquinto Iunii, auctus vigesimo quarto Octobris filio Duce Eboracensi cui nomen in baptismo impositum Iacobo. Quando in publicis Ordinum regni comitiis, Regi concessa est auctoritas mandandi quem vellet habitum omnibus publico officio seu in republicâ seu in Ecclesiâ fungentibus: cùm priùs nefas esset inter omnis ordinis & disciplinæ illos hostes ab invicem ullâ exteriori notâ distingui, qui & proptereà non parùm de præscribendâ à Rege formâ, quâ quique pro dignitate aut officio comparere deberent etiam scripto questi sunt, eam ut antichristianam & abominandam damnantes.

V. Rex Polon. Moscos profligat.

Regi Poloniæ Wladislao multùm fuit desudandum hoc anno contra Moscos, qui Smolenskum obsederunt, & Lituaniam invaserunt; contráque Tartaros qui alias provincias incursârunt. Sed utrosque magnis cladibus per suos duces repellens, Smolenskum per se ipsum obsidione liberavit; ingenti prælio prostratis Moscis, non parvo suî & suorum discrimine.

VI.

Romæ die decimonono mensis Iunii Dux Crequius Franciæ Marescallus summâ pompâ Vrbem ingressus, Regis Ludovici nomine obedientiam filialem de more Pontifici præstitit. Ibidémque ejusdem mensis die vigesimo secundo per sententiam sacræ Congregationis S. Officii Inquisitionis, opinio Galilæi Florentini magni nominis mathematici, scripto, publicata, quæ fuerant ante à Copernici, quòd Sol sit centrum Orbis, & immobilis, Terra autem mobilis motu quotidiano circumducta; damnata fuit tanquam Scripturæ contraria, & in fide erronea. Ipséque, qui olim monitus, pollicitúsque ab eâ recedere, nihilominùs aliis scriptis defendere pergebat, tunc ibi præsens, annúmque ætatis agens septuagesimum, jussus eam damnare, (uti & fecit ore & calamo) in pœnam datæ fidei violationis, inclusus est ad tempus carcere Inquisitionis.

Galilæi damnatio.

VII. Burdegal. dissidium.

Incidit ad finem anni grave dissidium Burdegalæ, inter Archiepiscopum & provinciæ præfectum; levi quidem ex causâ ortum, sed quod nihilominùs ad minas, manuum aliquam injectionem, denique censurarum inflictionem prosiliit. Multæ hinc inde consultationes, accusationes, defensiones; variæ latæ sententiæ. Res ad Regem, atque ad Pontificem delata, post multas altercationes, demum eum exitum habuit, ut auctoritate Pontificiâ absoluti sint pœnitentes rei: Regiâ reconciliati alienati animi.

VIII. Bibliothecæ Cōstantinop. conflagratio.

Longè gravior clades urbis Constantinopolitanæ, quæ ingenii incendio deformata est mense Septembri, quo tertia pars ejus consumpta est: atque inter infinita damna quæ protulit, perierunt Bibliothecæ Muphti non jam pridem depositi, & ejus qui suffectus: quæ qualescumque fuerint, dicebantur esse instructissimæ ac copiosissimæ omnium totius Imperii Ottomanici. Non enim adeò scientiis & doctrinis barbari illi incumbunt, ut mediocres nostrates bibliothecas æquâsse dici possint; nisi fortè librorum Arabicorum collectione.

M. DC. XXXIV.

I. Ducis Lotharing. tortuosa consilia.

ANno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, Indictione secundâ, mense Ianuario, Carolus Dux Lontharingiæ impatienter ferens suam à Rege Ludovico spoliationem, cui ipse tortuosis & inquietis suis consiliis & actibus multiplicem occasionem præbuerat; colludens cum fratre Cardinale, quò hic jura familiæ conservaret, dum ille hostilia contra Regem ejúsque fœderatos ageret; eidem Cardinali cessit Ducatu suo Lotharingiæ, aliísque omnibus ditionibus; instrumento publico facto Mirecurti decimonono Ianuarii. Qui nihilominùs, quo erat ingenio, paulò pòst edixit nequis fratrem ut Ducem agnosceret. In Germaniam verò cùm modicis copiis concedens, & in interiora penetrare à Suecis prohibitus, Vesontionem divertit: indéque visitato Mediolani Cardinale Infante, in Germaniam tetendit ad accipiendam præfecturam generalem Fœderis Catholici. Cardinalis autem ejus frater dimisso galero, duxit in uxorem patruelem suam Claudiam sororem Nicolaæ Ducissæ uxoris Caroli, dispensatione Pontificiâ: & clàm unâ cum uxore, rustico habitu Lotharingiam deserens, Florentiam se recepit. Nicolaa verò Ducissa Lutetiam ducta est mense Maii; recepta à Rege magno honore, qui cuncta necessaria ad sustinendam dignitatem liberaliter attribuit. Ordines item Lotharingiæ in verba Regis jurârunt: qui ibi Consilium supremum suo nomine constituit: sicuti anno superiori Parlamentum Metis instituerat pro diœcesibus ac jurisdictionibus Metis, Tulli, & Virduni. Maxima quoque pars Alsatiæ, Episcopus Basileensis, Spira, & alia non pauca loca patrocinio Regis se submisêre. In cujus etiam potestatem venerunt non paucæ munitiones earum partium: ac speciatim Castrum-Philippi, seu Philipsburgum munitissimum propugnaculum Episcopatûs Spirensis ad Rhenum; quod à Suecis, qui illud occupaverant, recepit.

Rex Lotharingia potitur.

II. Res Belgicæ.

In Belgio magnis factis utrimque belli apparatibus, frustranei fuêre conatus eorum: nihilque aliud ferè gestum est, quàm quòd Hispani Trajectum obsidentes, & Batavi Bredam, utrique obsidione solutâ ad sua se receperunt.

III. Iubileus pro necessitatibus Germ.

At in Germaniâ majora geri contigit: plurimis hinc inde factis urbium occupationibus, certaminibus quà prosperis quà infaustis, omni genere hostilitatis, conjurationis, conspirationis. Quarum causâ necessitatum Vrbanus Pontifex pro auxilio divino Catholicis impetrando, vigesimo tertio Martii Iubileum universalem promulgavit.

IV. Walsteinii proditoria cædes.

Inter potissima ibi gesta fuit nex *Alberti* Ducis Frislandiæ, Comitis Walsteinii, exercituum Cæsareorum summi imperatoris, de cujus virtute militari sæpè superiùs, qui cùm hactenùs omni fide & officio Cæsari Domuíque Austriacæ inservire visus fuisset, in suspicionem adductus est clandestinorum cum hostibus consiliorum, aut etiam deliberatæ usurpationis regni Boëmiæ patriæ suæ. Quare sublata ei à Cæsare armorum præfectura, collata est Matthiæ Galasio, aliísque nonnullis ducibus. Vndè sibi Walsteinius timens, omnino constituit ad Cæsaris hostium partes transire; sollicitatis ad hoc nonnullis ipsorum ducibus Egram Boëmiæ ad se venire. Sed dum ii, haud adeò ejus dictis fidem habentes, lentè procederent; contigit interim ipsum in arce Egræ proditoriè occidi mense Februarii in proprio cubiculo, annum agentem ætatis quinquagesimum. Ad cujus necis nuncium, dicitur Cæsar Ferdinandus, qui illum charissimum habuerat, & ab infimâ nobilitatis fortunâ ad summas dignitates, & divitias evexerat, illacrymasse; quem fortè magis captivum, quàm mortuum cupiisset. Ejus verò causâ, tanquam ejusdem criminis rei, multi tum ibi tum aliis locis principes viri ducésque pariter cæsi, aut in custodiâ tenti fuêre.

V. Ratisponæ memorabilis expugnatio.

Inter urbium obsidiones & occupationes, memorabilior fuit Ratisponensis ad Danubium. Quæ à Ferdinando Hungariæ Rege, Ferdinandi Cæs. filio, & Maximiliano Bavariæ Duce conjunctis viribus mense Maio cincta, duobus mensibus obsidionem sustinuit tantâ virtute, ut quod impossibile videtur, dicantur obsessi quadringenties sexagesies quinquies erupisse, semptémque oppugnationes generales repulisse; nec adhuc deditionem facturi fuisse, nisi pulverem tormentarium sibi defecturum sensissent. Wimariensis & Hornius suppetias ferre conati, nunquam potuerunt; nec inde Regem aut Bavarum abducere per invasionem interim factam Bavariæ, ubi aliquot oppida ceperunt. Perierunt ex obsidentibus octo millia, ex obsessis bis millequingenti: qui demùm honestis conditionibus in deditionem recepti fuére vigesimo sexto Iulii.

VI. Regis Hungariæ gesta.

Inde Rex Hungariæ arma circumferens, non paucas alias urbes in potestatem suam redegit, intérque eas DonaWerdam: & ad reficiendum exercitum in ditionem Wirtembergensem movens, in itinere Nordlingam à Suecis magno fortíque præsidio munitam aggredi decrevit. Ad eam liberandam ab ejus impressione cùm Wimariensis & Hornius copias Suevicas undique accirent; contigit ut & Cardinalis Infans Mediolano profectus, per Germaniam itinere suscepto Belgium versùs, copias suas, quas satis validas ducebat, cum Hungaricis, à Rege rogatus conjunxerit: aderátque insuper cum Bavaricis Fœderis Catholicorum Carolus Dux Lotharingiæ earum ductor. Quibus sic junctis viribus cùm longè inferiores Sueci essent, temerario nihilominus consilio prælium inire constituerunt, quo initio sexto Septembris ampliùs decem horis, gloriosissimè Principes vicerunt, cæsis in pugnâ octo millibus hostium, novem in fugâ, & quatuor captis, cum octoginta tormentis, ducentis signis pedestribus & equestribus, & cunctis impedimentis: vix bis mille Catholicis cæsis aut vulneratis. Inter præcipui nominis captivos Hornius fuit. Cùm propè esset Rhingravius Otho, ut cum Suecis copias suas conjungeret, audito funesto prælii exitu, retrocedens, à Duce Lotharingio & tribuno Ioanne Werthio Bavaro, qui strenuissimè prælio sese gesserant, eum incessentibus, prope Argentinam debellatus est grandi cæde. Sicque prostratis Suecorum viribus, tum Nordlinga arbitrio

Prælium Nordlingense, quo Sueci prostrati.

victoris sese dedidit; tum Wirtembergica ditio, Suevia, Franconia, Bavariáque omnis, ad legitimos dominos redierunt; ut vix ampliùs haberent Sueci, ubi securis esse liceret.

VII. THOMÆ SABAUDI DEFECTIO.

Post prælium Nordlingense, & deditionem urbis, Cardinalis Infans iter suum Belgium versùs continuans, apud Iuliacum obvium habuit Thomam principem Sabaudiæ ipsius patruelem; qui Rege Ludovico Galliæ deserto, à quo fuerat multis honoribus & donis cumulatus, in Belgium profugerat, missâ Mediolanum conjuge, quæ soror erat Comitis Suessionensis è Regio Franciæ sanguine. Indéque Infans Calendis Novembris Lovanium Brabantiæ pervenit; & triduo pòst receptus fuit Bruxellis summâ magnificentiâ & splendore.

VIII. AUREL. DUCIS REDITUS AD REGEM.

Antequàm eò pervenisset, Dux Aurelianensis frater Ludovici Regis, ne cogeretur ei abjectè subesse; déque multis à ministris Hispanicis post obitum Isabellæ Archiducis contumeliis passis pudore simul ac dolore pressus; necnon aliquâ simultatis specie à Reginâ-matre divisus: horum omnium consideratione, maximéque officii quo erga Regem obstringebatur recordatione commotus; ad Regis pietatem recurrens, clàm cum eo egit de reditu in patriam: benignissiméque auditus, octavo die Octobris summo mane simulans ad venationem exire, cum solis sex secreti participibus, incitatis equis, quos binos habebant, uno tractu, nulla interpositâ quiete, impastíque, pervenerunt nocte Capellam proximum regni Galliæ oppidum, 25. lucis Bruxellis dissitum: ubi Dux cum suis, ostensâ præfecto præsidii tesserâ regiâ, receptus est. Indéque ad Regem accedens, amantissimè ab eo exceptus fuit.

IX. MATRIMONIUM EJUS CUM LOTHAR. DECLARATUM NULLUM.

Haud tamen propterea Rex fratris matrimonium cum Margaritâ Lotharingiæ Ducis sorore contractum approbavit: quinimò & declaratione in publicum editâ eodem mense Octobri pro abolitione præteritorum omnium tam prædicti fratris sui, quàm eorum qui eum comitati fuerant: disertè cavit minimè se illud matrimonium approbare. Quod etiam anteà curaverat in Senatu Parisiensi discuti. Vbi post omnia circa illud dicta gestáque plenè examinata atque discussa, fuit idem solemni Senatusconsulto pronunciato quinto Septembris, penitùs declaratum irritum, utpote vitiosè, contra leges regni, ac per raptum, & ab homine auctoritatem non habente, contractum, ac celebratum: & qui illud suasissent, aut conciliâssent, vel celebrare præsumpsissent, unà cum ipsâ Margaritâ, variis gravissimísque pœnis subjectis. Tamen post Cardinalis Richelii obitum, cum eâdem Margaritâ ex Belgio in Galliam reduce, idem Regis frater matrimonium contraxit, prolémque suscepit.

X. POSSESSIO VRSULINARUM LODUN.

Vigente ab anno 1632. apud Laudunum diœcesis Pictaviensis oppidum, famosâ totâ Galliâ possessione assertâ dæmoniacâ Religiosarum Vrsulinarum, quæ non ita pridem ibi collocatæ fuerant, procuratâ, ut tradunt, ab Vrbano Granderio Cenomanensi, parocho Lodunensis Ecclesiæ, magiæ dedito, ex invidiâ quòd noluissent eum in suum directorem assumere: hic de magia, multísque aliis sceleribus reus factus, demùm præsenti anno vivus combustus est decimooctavo Augusti. De hâc possessione multa dicta scriptáque fuêre: exorcismíque in cacodæmones exerti à nonnullis Episcopis, ac pluribus piis sacerdotibus sæcularibus & regularibus, cùm non modico fructu.

XI. PAX INTER POLON. ET MOSC.

Inter Polonos & Moscos pax facta est, his præcipuè conditionibus; ut Rex Poloniæ Wladislaus juribus in Moscoviæ Imperium prætentis Magno Duci Michaëli Federowits cederet, & à Magni Moscoviæ Ducis titulo imposterùm abstineret: Michaël autem Smolensko, Novogradio, Bialâ, aliísque arcibus earúmque territoriis (quæ ducenta milliaria longitudine: ampliùs sexaginta latitudine continere dicuntur) Regi Poloniæ ac Ducatui Lituaniæ cederet.

XII. DECRETŨ DE RESIDENTIA EPISCOP.

Ad finem anni, nempè duodecimo Decembris, Vrbanus Pontifex constitutione publicâ renovans decreta Synodi Tridentinæ, & Pontificum Romanorum subsequentium de residentiâ Episcoporum; præcepit sub gravissimis pœnis Episcopis, & Archiepiscopis, ac Patriarchis quibuscumque, etiámque S.R.E. Cardinalibus, se intra tempus constitutum ad Ecclesias suas conferre, atque ibidem residere; inde non discessuris, nisi de licentiâ Sedis Apostolicæ; exceptis casibus necessariis ibi expressis. Quod cùm aliàs sæpè jure meritóque constitutum fuerit, nunc potissimùm factum putatur ad removendos ab Vrbe & Italiâ nonnullos Cardinales & Præsules, qui publicorum motuum occasione ad prava consilia abuti videbantur.

M. DC. XXXV.

I. PHILIPSBURGUM CAPITUR A GALASIO.

ANno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, Indictione tertiâ, perseverante bello in Germaniâ, inter cætera Philipsburgum munitissimum & maximi momenti oppidum diœcesis Spirensis, Gallorum simul & Germanorum præsidio tentum, à Galasio Cæsareo duce vi captum fuit nocte vigesimi tertii Ianuarii, superatâ fossâ glacie constrictâ; præsidiariis nequicquàm multitudine hostium impetum per multam cædem repellere conantibus. Ineunte verò Februario Spira spontaneâ deditione occupata est: quæ tamen paucis pòst diebus vi coacta fuit sub jugum Gallorum redire.

II. TREVER. ARCHIEPISCOPI DETENTIO AB HISPANIS, CAUSA BELLI.

Longè gravior fuit urbis Treveris, quam item Galli tenebant pro Archiepiscopi defensione, quem se Regis patrocinio contra Suecorum & Protestantium arma, à quibus per Imperatorem aut Fœderatos Catholicos Germaniæ defendi non poterat, subjecisse vidimus, subdola occupatio sub auroram diei 26. Martii; cum omnium penè præsidiariorum cæde, & præfecti saucii captivitate, quippe fuit ibi quoque captus Archiepiscopus Imperii Elector; confestímque Lucemburgum ductus sub validâ custodiâ; indéque Namurcum, ac demùm in arcem Trevorensem juxta Bruxellas. Hinc enim ortum est gravissimum bellum, quod inter potentissima regna hactenùs durat ingenti utriusque populorum damno. Vivebat quietè Archiepiscopus domi suæ, nulli injuriam inferens; nec fuerat unquam proscriptus aut damnatus: adeò ut viderentur hæc

adverſus eum in contumeliam Regis Galliæ fieri, qui ejus patrocinium ſuſceperat. Quare cùm teneri videretur Rex ad ejus libertatem curandam, miſit ad Cardinalem Infantem Belgii Gubernatorem, qui eam poſtularent. Qui cùm reſpondiſſet, nihil ſe de eo deliberare poſſe antequàm ab Imperatore & Rege Hiſpaniæ, quibus Archiepiſcopi detentionem ſignificaverat, accepiſſet quomodò in his ſe gerere deberet: Rex hujuſmodi reſponſum petitionis denegationem interpretatus, facileque intelligens hanc in ſe fabam magis quàm in Archiepiſcopum cudi; repulſæ, omniſque injuriæ impatiens, poſt rem maturè conſultatam ac deliberatam, fecialem miſit qui ſolemni apparatu ritúque, Cardinali, ni protinùs Archiepiſcopum plenæ libertati reſtitueret, bellum indiceret. Qui Bruxellas appulſus decimoſexto Maii, cùm non potuiſſet in præſentiam Cardinalis admitti, ſcripto coram fecialibus Belgicis intra ipſam urbem conjecto, rem præſtitit; id ipſum reditu, ad palum juxta Eccleſiam primi vici Belgici fixum coram magiſtratu municipali exequens. Ipſeque Rex ſexto Iunii Declaratione publica cauſas alias multiplices ſeriatim enumerans, quibus ad hæc pro ſui nominis & honoris, regnique defenſione à conatibus & inſidiis Hiſpanorum, impelleretur; interdicto ſubditis ſuis omni cum Hiſpanis commercio, bellum iis terrâ marique denunciavit: cùm jam priùs, confeſtim ab indictione Infanti factâ, exercitu in hoſticum immiſſo ductoribus Caſtilioneo & Brezeo Mareſcallis, decimonono Maii apud Aveinum pagum prælio factum cum Principe Thomâ Sabaudiæ, copiarum Infantinarum, quæ tempore paratæ fuerant, ductore, fuiſſet is magnâ cæde fugatus; quâ quinque circiter eorum millia ceciderunt, mille trecenti capti ſunt, interque eos nonnulli duces primi nominis; Thomâ temporiùs ſeſe in tutum recipiente, tormenta quoque omnia, ſigna, & impedimenta in poteſtatem vincentium venerunt; è quibus dumtaxat ducenti circiter occiſi fuére.

REX BELLUM INDICIT HISPANIS.

PRÆLIŪ AVEINENSE.

III. PARVUS VICTORIÆ FRUCTUS.

Poterant inde proſpera omnia ſperari; atque eò maximè quòd Batavi, ex conditionibus fœderis magnum quoque exercitum inſtruxiſſent. Sed poſt conjunctas copias capto & direpto Tilemontio, aliiſque nonnullis haud magni pretii oppidis, & obſeſſo nullo effectu Lovanio; hinc Galli annonæ penuriâ ac morbis preſſi, illinc Batavi ob interceptam ab Hiſpanis munitionem Schéinckam ſummi apud eos momenti, illuc evocati; nihil aliud præſtitum eſt præter aliquas excurſiones, & debiliorum locorum occupationes ac direptiones.

IV. QUATUOR REGIS EXERCITUUM GESTA.

Inſtruxerat Rex quatuor alios exercitus, quos variis provinciis occupavit: unum in Lotharingiâ ſub Duce Engoliſmenſi & Mareſcallo Fortio: alterum in Germaniâ ſub Cardinale Valetâ, cui præfecturam Metenſem contulerat: tertium in Italiâ ſub Mareſcallo Crequio: quartum in Valletelinâ ſub Duce Rohanenſi. Primo res fuit cum Duce Carolo Lotharingiæ, Ioanne Werthio Bavaro, aliiſque tam Cæſareis, quàm Lotharingiis, qui Gallos inde pellere poſſe in animum induxerant: eáque ſpe ducti non pauci rebellaverant à Rege qui per ſe ipſum eò excurrens, aliquos reos punivit: reliqui duces poſt regreſſum Regis in Galliam, & receſſum Lotharingii, cætera recuperârunt, & quædam alia occupârunt. Valeta junctus Duci Wimarienſi, ulteriùs ambo progeſſi quàm ut facilis eſſet reditus, annonæ penuriâ inter medios hoſtes afflicti, ægrè receſſerunt, occluſis aditibus, nec niſi cum magnâ jacturâ. Et Galaſius ad Lotharingium accedens, multa ſuorum millia morbis & fame amiſit, & diſſentiens à Lotharingio in Germaniam rediit. Crequius unà cum Duce Sabaudiæ pro libertate Italiæ, Eduardum Parmæ Ducem Regis patrocinio ſe ſubmittentem contra Hiſpanorum injurias, ſocium expeditionis habuêre. Captis nonnullis arcibus, Valentiam ditionis Mediolanenſis obſederunt, & oppugnârunt irrito conatu. Rohanenſis denique nonnulla loca in Valletelinâ munivit; Germanos Mediolanum petentes grandi cæde proſtravit; & unà cum Griſonibus, Serbellonum cum Hiſpanis Vallem ingreſſum repulit.

V. INSULARUM PROVINCIÆ OCCUPATIO.

Præter hos quinque exercitus, fuit & inſtructa claſſis in Provinciâ contra Hiſpanorum conatus; qui menſe Septembri inſulas Lirinenſes S. Honorati & S. Margaritæ occupaverant: quæ non tam citò potuerunt recuperari.

VI. CÆSARIS VIRES CRESCŪT.

In Germaniâ ruentibus ſenſim Suecorum viribus, pleræque urbes & munitiones ad Imperatorem redierunt, Spira, Wormatia, Frankendalia, Vlma, Meminga, Francofurdia, Moguntia, aliæ plures, auctâ vehementer ejus potentiâ, & contra Suecorum imminuta, ex fœdere inter ipſum & Ioannem-Georgium Electorum Ducem Saxoniæ Lutheranum, potentiſſimum totius Germaniæ principem icto Pragæ 30. Maii hujus anni; qui mox arma quæ pro Suecis ſumpſerat, in eos convertit graviſſimo ipſorum detrimento; factus generalis exercituum Cæſareorum imperator, ſub generaliſſimo Rege Hungariæ.

VII. INDUCIÆ INTER POLON. ET SUEC.

Inter Wladiſlaum Poloniæ Regem, & Chriſtianam Sueciæ Reginam, interventu legatorum Regum Galliæ & Angliæ, Marchionis Brandeburgenſis Electoris Imperii, & Ordinum Batavicorum, in vico Standorfio, pactæ ſunt induciæ 29. Auguſti, in 26. annos; his præcipuis conditionibus, ut Pruſſia reſtitueretur Polono & Brandeburgenſi, ſingulis pro parte quæ ipſis competebat; Livonia in manibus Suecorum durantibus induciis permaneret.

VIII. REVANŪ CAPITUR A TURCO.

Amurates Turcorum Imperator ducto in Perſidem ingenti exercitu, Revanum maximi momenti civitatem cepit menſe Auguſti.

IX. DECRETUM CLERI DE MATRIMONIIS PRINCIPUM.

Celebrato Lutetiæ conſueto quinquennali conventu Cleri Gallicani, qui interfuerunt quamplurimi Archiepiſcopi & Epiſcopi, aliique ſecundi ordinis illuſtres Eccleſiaſtici viri, inter cætera fuit ibi propoſita ex parte Regis quæſtio, Vtrùm matrimonia Principum regii ſanguinis, qui poſſunt aſpirare ad ſucceſſionem Coronæ, ac ſpeciatim eorum qui proximiores ſunt & hæredes præſumpti, poſſint eſſe valida & legitima, ſi facta fuerint non ſolùm abſque conſenſu poſſeſſoris Coronæ, verùm etiam contra ipſius voluntatem & prohibitionem. Quâ diligenter examinatâ, præhabi-

tísque consultationibus, & sententiis Doctorum Sorbonicorum, ac Religiosorum Dominicanorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Franciscanorum, Iesuitarum, presbyterorum Oratorii, Capucinorum, Folientinorum, Minimorum; censuerunt, ac scripto testati sunt, ejusmodi Matrimonia esse illegitima, invalida, & nulla, ob defectum conditionis, sine quâ dicti Principes inhabiles sint ad legitimè & validè contrahendum; ex regni Galliæ consuetudine, quam esse rationabilem, antiquam, legitimâ præscriptione firmatam, & auctoritate Ecclesiæ comprobatam asseruerunt. Ejusmodique deliberationi subscripserunt septimo Iulii quinque Archiepiscopi, viginti tres Episcopi, multi Abbates, & alii in dignitate Ecclesiasticâ constituti; multis nihilominùs omnis generis hominibus adversùm hæc non parùm murmurantibus.

X. Móstroliensiũ in suum Episcopum audacissima insolentia.

Fuit posteà à Francisco Commartino Episcopo Ambianensi prædicto conventui facta expostulatio de gravissimâ injuriâ apud Monstrolium diœcesis suæ oppidum acceptâ in visitatione Ecclesiæ oppidi mense Iunii anni superioris; cùm rogatus ab incolis Ruæ ejusdem diœcesis oppidi, aliquam partem sacrarum Reliquiarum corporis S. Wlphlagii Confessoris, olim sui parochi, nunc autem patroni, quod apud Monstrolium tutioris custodiæ causâ depositum fuerat in monasterio S. Salvii, concedere: dum æquo & pio horum desiderio satisfacere cuperet, à Monstroliensibus seditione in ipsum tanquam Reliquiarum furtum attentantem concitatâ, multis contumeliis ac probris impetitus, pulsatus, percussus, prostratus fuit; dissipatis pariter, læsis, ac multis modis pessimè habitis Ecclesiasticis illis qui ei pro munere adstabant; adeò ut vix operâ præfecti præsidii, nec sine ipsiusmet præfecti magno vitæ periculo, servari potuerint. Quâ de causâ cùm oppidum Monstrolii interdicto justissimè supposuisset, auctores & socios execrandi facinoris excommunicatos denunciâsset: miseratione tamen in plebem suam commotus, post mensem interdictum suspendit usque ad Calendas Ianuarias præsentis anni, ut interim rei absolutionem censurarum à Summo Pontifice (quem de re totâ Episcopus certiorem reddidit) impetrarent: iisdémque nihilominùs impœnitentibus permanentibus, aliam suspensionem addidit ad sex menses; ac subinde alias atque alias, pœnitudinem & satisfactionem à duro illo ac feroci populo nimiùm quàm indulgenti patientiâ expectans. Donec causâ per Episcopum non solùm ad prædictum Cleri conventum, sed etiam ad Regem Ecclesiæ ac Cleri protectorem delata, eâdémque à Rege nonnullis delegatis commissâ, post diligentem inquisitionem, seditionis præcipui auctores morte, alii exilio, alii aliis pœnis damnati fuêre, quibus tamen Episcopus summâ benignitate & verè pastorali misericordiâ veniam petiit & impetravit:

Poenitentes absolvuntur.

exceptâ levi mulctâ pecuniariâ, tum ad alias quasdam Ecclesiasticas necessitates, tum ad monumentum posteritati in Ecclesiâ in tabulâ marmoreâ incisum relinquendum hujus regiæ & Episcopalis gratiæ ac remissionis. Delegatúsque à Rege & Clero Victor Bouthillerius Coadjutor & successor Archiepiscopi Turonensis, vir prudens & industrius, accipiendæ Ecclesiæ nomine satisfactioni & expiationi noxæ à Monstroliensibus admissæ; Monstrolium se conferens, sacras Reliquias ab Episcopo Ambianensi selectas, partim ad Ecclesiam Ruensem, partim ad Ambianensem, uti ab eo decretum fuerat, deferendas presbyteris ad id destinatis tradidit; & cives magnâ summissione veniam petentes gravi alloquio commonitos, à reatu absolvit, ingenti totius urbis exultatione, & sincerissimâ gratiarum actione, die 28. Septembris.

XI. Pet. Seguierius fit Cancellarius Franciæ.

Ad finem anni, mortuo 11. Decembris *Aligrio* Franciæ Cancellario, collata est à Rege suprema ea dignitas *Petro Seguierio*, illustri familiâ, dignitatibus Ecclesiasticis & sæcularibus, ac meritis erga Ecclesiam, Reges, regnúmque, & patriam cumulatissimâ orto: cui præsidi existenti Senatûs Parisiensis, jam ante triennium custodiam Sigillorum Rex crediderat; viro integerrimo, prudentissimo, fide erga Deum & Regem probatissimo, literatorum amantissimo, ipsíque literis excultissimo; qui copiâ bonorum omnis generis & scientiæ librorum, & quocumque pretio undique congestorum, nemini totâ Galliâ cedit; & si ut cœpit pergat, nulli universâ Europâ, ac proinde Orbe cessurus sit.

M. DC. XXXVI.

I. Ducis Parm. adventus Lutetiam.

ANno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, Indictione quartâ, mense Ianuario, Eduardus Dux Parmæ, qui ab Hispanis in suis Statibus fatigatus, patrocinium Regis imploraverat, & obtinuerat; Lutetiam venit, gratias ei acturus de tanto beneficio: qui honorificè receptus, & lautè habitus, ac muneribus donatus, mense Martio ad sua regressus est. Quo Bernardus Saxonicus Dux Wimariensis accessit quoque ad Regem.

II. Dola frustra obsidetur.

Exercitus in Sequanos seu Comitatum Burgundiæ, qui contra pacta neutralitatis hostibus Regis opem ferebat, missus mense Maii ductore Principe Condeo, nonnullis captis oppidis, Dolam inutili labore obsedit: solvere obsidionem jussus ob turbas Picardicas, quibus subveniendum erat.

III. Hispanorum excursio in Picardiam.

Quippe Cardinalis Infans factâ publicâ declaratione, Imperatoris & Regis Hispaniæ mentem non aliò tendere armorum sumptione, quàm ad firmam pacem Christianæ Reipublicæ obtinendam; recepturósque ipsos in suam protectionem Gallos omnes qui sibi in pio hoc conatu adhærere vellent, ac contra eos pessumdaturos qui recusarent; mense Iulio exercitum in Picardiam misit sub Principe Thomâ & Ioanne Werthio; qui Capellam, Castelletum, & vi simul ac proditione Corbiam, aliáque nonnulla oppida ceperunt. Ne verò ulteriùs progrederentur, diligentia Regis fecit; qui exercitu subitò collecto, ejus imperium fratri suo Duci Aurelianensi contulit; à quo, simul & Comite Suessionensi, aliquot loca fuêre recuperata: ipséque Rex eò advolans, ineunte Octobri Corbiam, quæ præcipua erat captarum urbium, cujúsque per hostes occupatio terrorem Lutetiam usque detu-

lerat,obſidione cinxit: factáque circumvallatione receſſit, curâ oppugnationis Sueſſionenſi relictâ; qui prudenter juxtà ac fortiter rem gerens, urbem deditione recepit decimoquarto Novembris. Aliâ parte Hiſpani in finibus regni & Aquitaniæ San-Ioannem de Lucio occupârunt, ac diripuerunt; locum vaſtum & immunitum, ſed maritimo commercio locupletem: quem direptum munire cœperunt: ſed poſt aliquod tempus ſpontè deſeruerunt.

IV. In Belgio Batavi propugnaculum Scheinkum, poſt longam obſidionem, & oppugnationem, dedentibus ſe Hiſpanis, receperunt: Magdeburgum in Germaniâ, Dux Saxoniæ Imperatori militans: Moguntiam, jam ſub finem anni ſuperioris deditionem pactam, 5. Ianuarii Comes Donaus. Alia quædam hinc inde à Cæſareis & Suecis in eâdem Germaniâ capta, diruta, tentata. In Inſubriâ fortiſſimus *Thoraſius* Franciæ Mareſcallus, dum propugnaculum aliquod ignobile ab Hiſpanis detentum luſtraret, plumbeâ inde miſsâ glande occiſus eſt; relicto Gallis & Italis magno ſuî deſiderio; Hiſpanis & Anglis,quos ſæpè proſtravit, non parvâ fortitudinis ſuæ admiratione.

Thoraſii obitus.

V. *Legatio Cardin. Ginnetti ad pacem.*

Vrbanus Pontifex tot cladibus, ruinis,afflictionibus,quibus Chriſtiani ſeſe invicem conficiebant, commotus; pro paſtoris univerſalis munere eos in concordiam reducere ſatagens, Legatum ad hoc in Germaniam miſit *Martium Ginnettum* Cardinalem, virum negotiorum exterorum cognitione non parùm inſtructum, & variarum linguarum peritum; qui Coloniæ cum legatis & oratoribus Regum ac Principum Catholicorum de pace tractaret. Cujus ejuſdem rei gratiâ delecta eſt Hamburgi civitas ad conventum Principum & Statuum Proteſtantium, eorúmque fœderatorum; cum deliberatione mutuæ inter utroſque conſiliorum communicationis. Pervenítque Ginnettus ſub finem menſis Octobris Coloniam, ubi ultra triennium deſes quievit, ob varias quotidie naſcentes, aut ſuppoſitas difficultates, quæ animis exaſperatis producere magis bellum quàm pacem accelerare ſuaderent.

VI. *Ferdin. Cæsar filium eligi curat in Regem Rom.*

Facto interim à Ferdinando Imperatore, alio conventu Electorum ac principum Imperii Ratiſponæ,quò ipſe menſe Auguſti ſe contulit; ibi cùm quædam propoſuiſſet de pace Germaniæ, ejúſque in priſtinum ſplendorem reſtitutione; his in alium conventum remiſſis, quod præcipuum erat hujus convocationis conſilium, id ſolummodò urſit; nempè ut filius ſuus *Ferdinandus Erneſtus* Rex Hungariæ, eligeretur in Regem Romanorum ſucceſſorem Imperii. Quod & facilè obtinuit, pleriſque Electoribus aut.per ſe ibi præſentibus, aut per legatos ſuffragia ſua in ejus electionem menſe Decembri conferentibus: qui mox vigeſimo octavo ejuſdem menſis coronatus eſt, anno ſuæ ætatis vigeſimo octavo menſe quinto; quippe natus anno 1608. vigeſimo Iulii. Cujus nihilominùs electionem multi nullam inde arguerunt, quòd non ad eam vocatus fuerit Elector Treverenſis; (qui ex Belgio in Auſtriam tranſlatus, adhuc in cuſtodiâ captivus detinebatur:) prout deceret fieri in omnibus electionibus, ut ſcilicèt quicumque jus ad eas habent, ritè vocentur: præcipuè cum Treverenſis nullius criminis damnatus fuiſſet ſed merâ violentia detineretur. Carpunt & Bavariæ Ducis ſubſtitutionem in locum Palatini, cujus fuiſſe Electoratum volunt, nec tamen ad electionem vocatus fuerit. Verum hujus cauſa diverſi eſt generis, quæ in rem judicatam tranſierat; comprobantibus eam in hujus electionis conſortio cæteris Electoribus, cùm nihilominùs quando translatio facta fuit, nonnulli reclamâſſent. Sed hæc longioris ſunt diſputationis.

M. DC. XXXVII.

I. *Ferdin. II. Cæs. obitus.*

ANno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione quintâ,menſe Ianuarii, *Ferdinandus II.* Imperator, anno ætatis 61. Imperii ſui decimonono currente, princeps probatiſſimæ vitæ,mortuus eſt Viennæ Auſtriæ, paucis diebus poſt reditum à Conventu Ratiſponenſi, in quo ad filium ſuum *Ferdinandum III.* Regem Romanorum ſucceſſorem Imperii eligendum curaverat: qui, ſi mors patris præceſſiſſet, vix in tantis Germaniæ turbis ad eam dignitatem evehi potuiſſe putatur; licèt alioqui eâ dignus. A quo ad finem Maii conventu Electorum Pragæ celebrato, ductus etiam eſt eò Archiepiſcopus Treverenſis, ratamque habuit electionem ejus; atque inſuper conſenſit ut Archidux Guillelmus frater Ferdinandi coadjutor ipſius fieret in Archiepiſcopatu Treverenſi: qui ſi ſuæ poteſtatis extitiſſet, nihil creditur horum facturus fuiſſe.

II. Menſibus Aprilis & Maii,Inſulæ S.Honorati & S. Margaritæ in Provinciâ ante biennium ab Hiſpanis occupatæ, & egregiè munitæ, fortiter oppugnatæ & expugnatæ fuêre virtute Comitis Harcuriæ fratris Ducis Ellebovii è domo Lotharingicâ, & prudentiâ Archiepiſcopi Burdegalenſis. In Occitaniâ Leucata ab Hiſp.cum magno exercitu,magnóque apparatu, à multo tempore præparato, duce Comite Serbellono obſeſſa, & à Barrio urbis præfecto fortiter defenſa; a Duce Halluino Schombergio provinciæ præfecto,ſolis Occitaniæ viribus liberata eſt 29. Septembris, memorabili valli & aggeris hoſtium longe viribus ſuperiorum aggreſſione, & poſt cruentam pugnam occupatione;hoſtiumque grandi occiſione,& turpi ſuperſtitum fuga;relictis omnibus tormentis,& magna victoribus prædâ:quorum tamen non fuit incruenta victoria. In cujus celeberrimi facinoris remunerationem, Rex Halluinum Mareſcallum Franciæ creavit.

Leucatæ famosa obsidio.

III. *Landrecii etc. occupatio.*

Aliâ parte Cardinalis Valeta, ejuſque frater Dux Candalæ menſe Iulii Landrecium in Atrebatibus munitiſſimum oppidum, Caſtrum Cameraci, Maubugium, & quædam alia loca ceperunt: ac Capellam anno ſuperiori ab Hiſpanis occupatam recuperarunt. Mareſcallus Caſtilioneus Ivoium in Lucemburgo ad Moſam cepit: quod tamen paulò pòſt civium proditione ab Hiſpanis recuperatum eſt cum cæde præſidii. Sed Damvillerium munitius oppidum ab eodem Caſtilioneo captum, majori curâ hactenùs cuſtoditur.

IV. Princeps Aurangius Bredam obſidione ac

Res Belgic. et Germ.

deditione recepit mense Octobri: Hispani Venloum & Ruremundam. Ac pariter in Germaniâ factæ sunt variis locis pugnæ; captáque oppida ab utráque parte Cæsareorum & Suecorum; sed majori Suecorum damno. Nec vacavit cladibus provincia Subalpina; Hispanis validioribus redditis fœdere Grisonum; quos impatientiâ dilationis quarundam petitionum, ingratè resilientes ab antiquo Gallico, in partes suas, multis promissis, quorum minimè sunt parci, attraxerunt: Valtelinâ eorum protestati relictâ.

V. Ducum Mant. et Sab. obitus.

Septembri mense mortuus est Mantuæ *Carolus Gonzaga* Dux Mantuanus & Nivernensis; relicto successore nepote suo ex filio, circiter octeni. Sepultus est, ut jusserat, absque pompâ, in habitu S. Francisci, in Monasterio illius Ordinis extra urbem Mense verò Octobri Taurini è vitâ migravit *Victor-Amedeus* Dux Sabaudiæ: relictis duobus filiis adhuc puerulis sub curâ & administratione uxoris, quæ soror est Ludovici Regis Christianissimi: quorum major *Ludovicus-Amedeus* circiter septennis, Dux declaratus est, víxque anno superfuit.

VI. Turbæ Scoticæ de oeconomia eccles.

In Scotiâ Episcopi auctoritate regiâ ad modum Anglorum functiones suas exercentes, Librum Liturgicum, seu communium precum composuerunt in usum Ecclesiarum regni, similem ferè ritibus Anglicanis: quem Rex ab omnibus recipi mandavit. Repugnantes his Ministri Puritani, quòd is totam suæ anarchiæ structuram everti animadverterent, non leves concitârunt in Episcopos, & proceres qui ab iis aut à Rege stabant, seditiones, vix Senatûs interventu à furentis plebis manibus erutos. Iidémque unanimi consilio statuerunt. Confessionem minorem Scoticam anni 1680. pro Fidei Catholicæ, omniúmque rituum Ecclesiasticorum, ac totius disciplinæ eliminatione factam, quam fœdus Nationale inter Deum & Ecclesiam Scoticam nuncupabant, (instar, ut dicebant, illius quod olim inter Deum & populum Israëliticum contractum fuerat) renovare: sacrosanctè pollicentes mutuum sibi invicem contra omnes, ipsúmque adeò Regem, auxilium præstare. Vocâruntque hoc novum suum fœdus *Convenant*; hoc est, Conventionem, seu mutuum consensum; aut potiùs conjurationem.

M. DC. XXXVIII.

I. Ducis Wismariénsis res gestæ.

Anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, Indictione sextâ, Bernardus Dux Wimariensis partium Suecicarum, post quædam oppida à se occupata, Rhinsfeldiam etiam in agro Basileensi obsidione cingere animum induxit; quò securiùs ibi locorum ageret, & transitum Rheni tutiorem redderet ad propositum sibi Brisacum Alsatiæ ad Rhenum, summi momenti ac munitissimum ferè totius Germaniæ propugnaculum. Eam igitur cùm obsedisset mense Februario, Cæsarei & Bavarici cognoscentes quantum in ejus conservatione situm esset, subsidia afferre deliberârunt; Dux scilicèt Sabellus, Ioannes Werthius, & alii. Accedentésque, inito gravi conflictu, superiores manserunt: sed repetito post quatriduum graviori, victi fuerunt; captis Sabello generali armorum præfecto, Werthio generali castrorum præfecturæ vicario, Enckenfordio generali Vigilium præfecto Speerreuttero vigiliarum magistro, Comite Fustenbergio, multis aliis ducibus & tribunis; quibusdam cæsis; præter gregariorum militum cædem & captivitatem: haud utrique incruentâ victoriâ. Dux Sabellus Lauffenburgum deductus, inde paulò pòst evasit. Verthius & Enckenfordius ad Regem in Galliam missi, positi sunt in castro Vicenarum, ubi hactenùs detinentur. Rhinsfeldia verò post tantùm prælium Wimariensi se dedidit: itémque Neoburgum, Friburgum Brisgoiæ, & alia nonnulla oppida: ac denique post varia certamina cum ducibus Cæsareis, occasione Brisaci ab ipso obsessi, inita, mense Decembri ipsum quoque Brisacum auxilio Gallorum in potestatem suam redegit; ubi reperta dicuntur ducenta majora tormenta ærea.

II. Ducum Rohani, et Crequii obitus.

Prælio Rhinsfeldiano *Henricus* Dux Rohanus, qui fortè tunc cum Wimariensi fuit, vulneratus, paulò pòst mortuus est. Et in Pedemontio eodem mense Martii *Crequius* Marescallus Franciæ, dum suppetias ferre Bremo oppido à Marchione Leganesio Gubernatore Mediolani obsesso moliretur, tormenti globo ictus occubuit: Bremúmque Leganesio deditum fuit: sicuti & mense Iulio Vercellæ.

III. Fontarabiæ infausta obsidio.

Princeps Condeus castra ad Fontarabiam ponens sub principium Iulii, post longam & acrem verberationem, dum oppido & præsidio ad extrema redactis, in eo esset ut levi impressione absque ullo dubio iis potiri posset; aut quorundam negligentiâ ducum, aut interventione alicujus inter ipsos, Principis jussiones exequi differentes, discordiæ elapsa est occasio benè agendi: cùm interim accedente terrestri exercitu Hispanico, (classis namque ad id parata, à Gallicâ submersa fuerat) obsidio, haud parvâ Gallorum clade, & majore ducum ignominiâ, soluta est septimo mensis Septembris. Cuius rei causâ fuerunt posteà nonnulli ex præcipuis ducibus non levi pœnâ mulctati. Marescallus quoque Castilioneus S. Audomarum obsidens, succurrentibus urbi Principe Thomâ, & Comite Piccolomineo Italo Senensi strenuo duce, licèt non parvis cladibus eos affecerit, obsidionem tamen operosam nimis solvere necesse habuit, qui in Artesiam exercitum ducens, Rantium & alia quædam oppida cepit. Recuperatúmque post hæc fuit etiam Casteletum in Picardiâ; quem unicum locum Hispani toto regno Galliæ occupabant.

IV. Res variis locis gestæ.

Princeps Palatinus, qui collecto exercitu in Germaniam penetraverat, mense Septembri ab Hasfeldio Cæsareo duce magnâ strage fugatus est; capto etiam ipsius fratre Roberto, qui ductus fuit Viennam Austriæ. Hanovia munitissimum oppidum, à Ramsaio Scoto strenuissimo à triennio contra continuos Cæsareorum conatus defensum, tandem ab eis clàm occupatum fuit mense Februario. Fuêréque & alia non pauca certamina per cæteram Germaniam, atque etiam Belgium terrâ maríque, necnon per Lotharingiam, Burgundiam, & alias provincias, quas infaustum hoc

bellum vexabat; itémque urbium ac locorum occupationes & infelices tentationes: quæ non sunt hujus rerum gestarum Breviarii.

V. Terræmotus Calabriæ.

Horrendo terræmotu concussa est Calabria vigesimoseptimo Martii: quo Consentia, Stilianum, Nicastrum, aliæque multæ urbes cum pluribus pagis & oppidulis, partim penitùs absorptæ, partim valde disruptæ sunt; pereuntibus unà plurimis hominum millibus: intérque illos, Duce Aquini cum uxore qui Nicastri erant: ubi solus Episcopus, cum vicario suo, & Guardaino Capucinorum cladem evasit.

VI. De Principibus Polonicis.

Wladislaus Rex Poloniæ, qui novum Ordinem militarem 72. fratrum instituere decreverat, qui boni publici causâ pro aris & focis decertaturi forent; in Comitiis Warsaviensibus mensis Maii contradicente ejusmodi institutioni principe Radzivilio cum nonnullis aliis, Palatinis, præseferentibus inanem metum ne publica libertas damnum aliquando inde pateretur; coactus est promittere se nullo unquam tempore quid ejusmodi sine expresso Statuum consensu introducturum. Cujus frater Cazimirus electus à Rege Hisp. in proregem Portugalliæ, dum eò pergeret, in Provinciam Galliæ trireme Genuæ acceptâ appulsus mense Maii, detectúsque visitare curiosius incognito habitu Tolonum & Massiliam, ac naves regias, apud Bucum extremum Provinciæ portum, jussu Comitis Alensis præfecti provinciæ detentus fuit, quòd contra communem omnium gentium morem vir tantæ dignitatis regnum alienum ingressus esset, partemque lustrâsset absque licentiâ Principis, aut præfecti. Post aliquod tempus Lutetiam ductus, honestâ custodiâ diù detentus est: donec Rex de ejus innocentiâ securus, acceptâ ab Wladislao Regis Cazimiri fratre magnificâ legatione pro ejus liberatione, honorificè ad mensam exceptum, cum muneribus dimisit.

VII. Rex Ludovic. regnum suũ protectioni B. Virgin. submittit.

Qui idem Rex Christianissimus pro religioso studio, & præclarè affectâ mente erga cultum divinum, & honorem Beatissimæ Virginis, cujus patrocinio tot prospera se accepisse fateretur; simul ut eam ad profusionem gratiarum largitionem veluti impelleret; pium valdè consilium cepit, seipsum, suumque regnum ac cunctum populum, ejusdem Beatissimæ Virginis Deiparæ protectioni submittendi. Eâque de re factâ publicâ declaratione, omnibus regni Episcopis significavit, ut quotannis decimo quinto Augusti festo Assumptionis ejusdem Virginis, fieri curarent in singulis Ecclesiis solemnes supplicationes, quæ ubique hoc ipso anno fieri cœpêre singulari omnium populorum exultatione.

VIII. Reg. Mater in Angl. se recipit.

Mense Augusti Maria Regina mater ejusdem Ludovici Regis, diuturnioris moræ in Brabantiâ tædio affecta; inde discedens, per Hollandiam & Zelandiam itinere facto, & magnificè ubique excepta, Septembri in Angliam transmisit ad filiam Reginam à quâ, & Rege viro ejus, amantissimè juxtà & honorificentissimè recepta fuit.

IX. Delphini Franciæ nativitas.

Quinto Septembris ingens lætitia & summa exultatio facta est universæ Galliæ, ex nativitate DELPHINI Franciæ, filii Ludovici Iusti & Annæ Piæ, divinitus dati post viginti tres annos initi inter ipsos conjugii: in regni consolationem & securitatem; in parentum solatium, & amoris confirmationem; in spem orbis, hostium terrorem, & oppressorum expectationem. Ideóque non solùm per universam Galliam, sed etiam per exteras regiones factæ sunt singularis gaudii demonstrationes publicæ: adeóque in ipsâ Vrbe Româ, à Summo Pontifice, Cardinalibus Eminétissimis, & S.P.Q.R. Ad quem etiam summus idem Pontifex Vrbanus VIII. infantiles Fascias splendidas & sumptuosas à se benedictas misit per illustrissimum N. Sfortiam Vicelegatum Avenionensem.

X. Põtifex recipit obedientiam Ferdinandi Cæs.

Mense Octobri princeps Eckembergius orator Ferdinandi electi eo modo quem diximus in Imperatorem, Romam ad obedientiam Summo Pontifici de more præstandam pervenit. Ad quam admissus est, post aliquas difficultates circa ejus formam ortas.

XI. Scoticæ turbæ de oeconomia Eccles.

Carolus Rex magnæ Britanniæ conatus per Marchionem Hamiltonium blandè suis Scotis persuadere ut renuntiarent fœderi anno superiori inter ipsos sancito; publicè contestatus, se quam maximè à Papismo abhorrere, & religionem Scoticam tueri vellet: nihil tamen apud pervicaces proficere potuit; asserentes minimè hanc causam se posse deserere, donec per liberum conventum Nationalem paci provideretur, quem scilicèt ideò urgebant, quòd scirent ibi se numero longissimè superiores quicquid vellent facilè obtenturos: cùm & comparuissent tunc Edimburgi, sive ad ostentationem, sive ad terroris incussionem, simul septingenti Ministri seu Prædicantes, præter ingentem numerum procerum, aliorumque nobilium, (qui & inde a Rege alieni erant, quòd revocâssent concessiones à patre suo Iacobo Rege ipsis factas bonorum Ecclesiasticorum, quæ in abdicatione Catholicæ Fidei annexa fuerant coronæ regiæ; & quòd non ampliùs provinciarum ac civitatum rectores hæreditarii constituerentur:) & infinitam populorum multitudinem, à Ministris suscitatorum pro defensione sui Convenantis, & rejectione libri Ritualis Episcoporum. Qui & eò audaciæ proruerunt, ut scriptum ederent, quo probatum vellent licere Ecclesiis in tali statu sibi prospicere; potestatemque indicendæ Synodi, si Magistratus hostis sit fidei, aut negligentior in Ecclesiæ bono procurando, penes ipsam Ecclesiam esse. Denique quamvis post hæc Rex pro pace conservandâ declarasset, abrogare se tribunal Celsæ Commissionis, quod pro defensione Episcoporum & rituum à se constitutorum observatione instituerat; liberam relinquere praxin quinque articulorum Perthensium anni 1618. Episcopos declarare obnoxios censuræ; atque approbare confessionem minorem anni 1580. indixissetque conventum Ecclesiasticum nationalem ad Calendas Decembris, & comitia ordinum ad 25. Maii sequentis: nihilominùs capitones isti audaciores facti ex remissione Regis, quasi lateret in tam amplis concessionibus aliqua fraus, non solùm recusârunt illa recipere, verùm etiam prolixo publicato scripto protestationem adversus ea ediderunt. Volebant quippe ut Episcoporum auctoritas omnis, ipsúmque nomen penitùs tolleretur; universi Ecclesiastici ritus eliminarentur; & Rex ipse nihil posset nisi quod ipsis liberet, qui est merus spiritus satano-Calvinicus.

XII. EARUM INCREMENTUM.

Vt rem contraham, celebratus est conventus Glascuensis: cui interfuerunt septem Comites, decem Barones, quadraginta alii nobiles, & quinquaginta unus ex civibus, omnes ex Convenante Scotico, qui jus suffragii æquè ac Ministri habuerunt. Fuêréque per ipsos Episcopi ab omni administratione depositi: frustrà intercedente Regis nomine, antequàm pronunciatio sententiæ fieret, Marchione Hamiltonio,& conventum nullum declarante, qui nihilominùs in suâ deliberatione perseverantes,tum illud virulentissimè,tum multa alia statuerunt contra deliberationes regias, & omnem legitimum ordinem ac disciplinam: adeò ut & nonnullos ex ipsis suis Ministris,quòd modestiores viderentur,nec ipsorum turbulentis decretis subscribere vellent, deposuerint. Denique ut nihil omitterent,quo palàm suam defectionem manifestarent, arcem Ediburgensem,quæ præsidio regio custodiebatur, ita observârunt, ut nihil in eam importari permitterent, atque Lithum oppidulum vicinum contra eam munierint. Adeò ut res ad arma utrimque inclinarit, de quibus dicetur posteà. Sunt autem de omnibus multa ultrò citróque promulgata scripta,quæ uberiùs singula explicant.

XIII. AMURATIS EXPEDITIO IN PERSIDEM.

Amurates Turcorum Imperator pudore ductus obsessæ toties suis & paternis auspiciis Babylonis à Persis possessæ, per diversos duces, absque alio effectu quàm repulsæ ignominiosæ; per se ipsum eandem aggressurus, exercitum trecentorum millium armatorum eò ducere constituit. In itinere rebellem sensit quendam Cheikum; qui pietatis specie collectâ magnâ populi multitudine,cùm se prophetam jactaret qui ante Antichristum venturus est, immissum adversum se exercitum prostravit. Promulgato ab Amurate edicto adversus eos qui eum sequerentur, cùm ipse iis diffidere incipiens, consilium cepisset semetipsum offerre Amurati spe veniæ, laqueo collo imposito, ut est moris iis qui se reos mortis fatentur; confestim ut se ei obtulit, eodem ipso laqueo strangulatus est mense Iunii.

XIV. DE PATRIARCHAR. CŌSTANTINOPOL.

Quo eodem *Cyrillus* Patriarcha Constantinopolitanus à præfecto urbis depositus fuit dignitate, ob quædam crimina ei impacta, & in turrim maris nigri conjectus, atque etiam, ut volunt, in mare præcipitatus; meritas dans pœnas hæresum & turbarum ab eo excitatarum. Restitutus verò est in Sedem alter *Cyrillus ab Iberiâ* ipsius hostis infensissimus,qui priùs eam tenuerat. Ita enim se invicem miseri detrudere quærebant, ut qui plus favore aut pecuniâ valeret, is quoque in adeptione dignitatis cæteris prævaleret.

XV. AMUR. BABYLONEM CAPIT.

Cæterùm Amurates iter suum prosecutus, Babylonem obsedit; & post acerrimam quadraginta dierum oppugnationem, vehementissimam tormentorum quassationem, & quatuor generales impressiones, eam vi cepit sub finem Decembris, cum cæde universi præsidii, populíque, ac propriâ clade quadraginta millium suorum: absente inter hæc Rege Persâ, occupato in bello Mogorico: qui cum Amurates post hæc pacem constituit, & Constantinopolim rediit triumphans.

M. DC. XXXIX.

I. LIBRORUM DE LIBERTATE ECCLES. GALL. EDITIO PROHIBITA.

ANno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo nono, Indictione septimâ, ipso initio, Lutetiæ visa sunt duo grandia volumina vulgari idiomate Gallico, sub specioso titulo *Iurium & Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ*; earúmque *Probationum*: Quæ, quòd absque auctoris aut typographi nomine, & edendi facultate, furtivè emissa essent in publicum; multáque continerent quæ magis ad servitutem Ecclesiæ tendere, & schismatis occasionem præbere viderentur; primùm à sacro Consistorio regio prohibita sunt distrahi & vendi: deinde Eminentiss. Cardinalium, cæterorúmque Illustrissimorum Antistitum, qui tunc Lutetiæ reperti sunt numero undeviginti, censurâ omninò proscripta atque damnata. Nescit enim Ecclesia Gallicana Libertates,quæ malum operentur:nescit Iura, quæ illam à Romanæ Matris suæ firmissimâ connexione, & filiali obedientiâ divellant ac separent. Quæ verò legitima sunt Privilegia, & sinceræ Libertates, tam ipsius Ecclesiæ, quàm Regis & Regni; eas ad sanguinem usque parata est defendere ac tueri.

II.

In Hispaniâ quoque, seu horum librorum æmulatione, seu sequiori consilio, prodiit eodem anno, sed non pari cautione, (quippe nomen auctoris & typographi præferens,munitum Doctorum attestationibus & approbationibus, ac privilegio Regis) grande item volumen *De Supplicatione ad Sanctissimum à Literis & Bullis Apostolicis importunè impetratis in perniciem Reip. Regni, aut Regis,aut juris tertii præjudicium, & de earum Retentione interim in Senatu*: Matriti apud Mariam de Quiñones, auctore *Francisco Salgado de Somosâ* Iuris utriusque professore, qui censurâ fuit donatus Romæ.

III.

De cætero hunc annum,sicut & superiores, bella & arma totum ferè occupârunt.Tangam ea breviter, cùm jam tot deplorandarum calamitatum narrationis tædio affectus, vix manum ei applicare valeam, à quâ toto corde & animo penitùs abhorreo.

IV.

Gallia bellum ab hostibus ferè non sensit: sed propriorum militum, absque ullo ordine & disciplinâ, grandi ducum culpâ, viventium grassationibus, expilationibus, incendiis, verberationibus, cædibus; ac gravi tributorum & vectigalium, omnísque generis onerum accremento (ferunt has calamitates secum bella, quibus vix possibile sit mederi) gravata, populorum seditiones variis locis passa ea: non tamen sine justâ ultione. Bellum autem foris à Rege factum est quinque exercitibus.

HESDINŪ CAPITUR.

Primus, duce Millereo Magno tormentariæ rei Magistro, Hesdinum munitissimum Atrebatum oppidum obsedit, oppugnavit, & ad deditionem compulit ultimâ Iunii: Rege præsente, qui in mediâ muri ruinâ, quâ victor ingrediebatur, eidem Millereo ob rem præclarè tum eâ, tum aliis expeditionibus gestam, clavam seu baculum, insigne Marescallatûs Franciæ, cum laudis præconio contulit.

VI. FEQUERII DESOLATIO.

Non parem exitum habuit alius exercitus, quem ducebat Fequierius versùs Lucemburgum: ubi cùm pararet obsidionem Theonis-

villæ ad fluvium Moſellam, à ſuperveniente Piccolomineo invaſus 5. Iunii, poſt longam ac cruentam pugnam, vulneratus ipſe captúſque eſt, ac reliquæ copiæ in fugam verſæ. Quando & victor Piccolomineus, miſſo Vicario cum parte copiarum ad invadendum Moſonum Gallicæ ditionis ad Moſam oppidum, factâ murorum quaſſatione, poſt binas impreſſiones fortiter repulſas, obſidionem ſolvere coactus eſt; timore advenientis in auxilium Mareſcalli Caſtillionei: qui alium exercitum ducens haud procul erat; & Ivoium cepit, ac funditùs diruit in pœnam proditionis alterius retrò anni.

VI. Salsulæ bis expugnantur.

Princeps Condeus cum alio potenti exercitu Septimanorum & Aquitanorum, Salſulas in agro Ruſcinonenſi Hiſpaniæ inexpugnabilem habitam munitionem, menſe Iulii expugnavit: captíſque nonnullis aliis vicinis propugnaculis, magnum metum Perpiniano haud longè diſſito intulit. Sed poſt receſſum exercitûs Gallici, Hiſpani Salſulas obſidentes, eas poſt aliquot menſium oppugnationem deditione receperunt; cum parvo decore Gal orum, in ſuorum auxilium recurrentium.

VII. Thomæ Sab. imprudentia.

In Italiam miſſus eſt Dux Longavillanus adverſus Principem Thomam Sabaudiæ; qui contra omne fas júſque ditionem nepotis ſui, quam protegere debuiſſet, invaſit impulſu & auxilio Hiſpanorum, cuncta vaſtans, multáque capiens: haud præ mentis cæcitate animadvertens, non res ſuas ſe agere, ſed patriam diſperdere in commodum aliorum; quorum parùm intereſt, utrùm eam peſſumdent, dum occupent. Occupavit quoque nonnullorum civium proditione Taurinum provinciæ metropolim; vix ut Duciſſa mater pueri Principis, ſorórque Ludovici Regis arcem tenere potuerit: unde in Sabaudiam ſecedens, Regem convenit Gratianopoli, quò ipſe ejus causâ ſe tranſtulit.

VIII. Card. Valetæ obitus.

Erat interim in Italiâ Cardinalis *Valeta*, qui pro defenſione pupilli rem fortiter agens, nonnulla oppida recepit, & alios Thomæ conatus repreſſit. Qui tamen paulò pòſt ibi ex morbo deceſſit menſe Septembri; pio admodùm obitu. In cujus locum ſuffectus ibi eſt Comes Harcurius, ſtrenuiſſimus princeps è domo Lotharingicâ; quem vidimus Inſulas Lerinenſes Hiſpanis vi extorſiſſe.

IV. Mors Ducis Wimariensis.

Longavillanus enim jam ante obitum Valetæ juſſus fuerat in Germaniam properare, ob mortem *Bernardi* Ducis Wimarienſis, fortiſſimi illius ac feliciſſimi principis: quæ interim contigit decimo-octavo Iulii ex morbo peſtilenti Neoburgi; unde cadaver ejus ductum eſt ad ſepulturam Briſacum. Cujus mors tam pro celebri victoriâ computari debuit apud Auſtriacos, quàm pro tetrâ clade apud ipſorum hoſtes. Solus ſuperabat alicujus nominis Banierius Suecarum reliquiarum ſuſtentator: qui Boëmiam ingreſſus, nonnulla oppida cepit, aliáque in Sileſiâ & Saxonia: haud tamen ſe Ducibus Cæſaris deferentibus, quin & ipſi pro occaſionibus impigrè rem gererent.

X. Palatini detentio.

Princeps Palatinus Rheni, qui in Angliâ apud Regem avunculum erat, cùm auditâ morte Wimarienſis, in ſpem vocatus à nonnullis fuiſſet obtinendi Briſaci; cujus deinde reſtitutione, de reſtitutione ipſe ſuâ in paterna bona cum Ferdinando Cæſ. tranſigeret; per mediam Galliam incognitus, abſque ullâ Regis licentiâ aut ſcientiâ contra Principum morem, tranſire ſatagens, Molini in Borboniâ retentus fuit à præfecto; reductúſque Lutetiam, Rege tunc in expeditione abſente, (quemadmodùm vidimus anno ſuperiori cum Principe Caſimiro Poloniæ factum.) Ibi aliquo tempore habitus in honeſtâ cuſtodiâ, poſteà liberaliter dimiſſus eſt, honorificè à Rege ad menſam acceptus.

XI. Regis Magnæ Brit. expeditio in Scotiam.

Carolus Rex Magnæ Britanniæ Scotorum defectionem ulciſci deliberans, exercitum terrâ ſub Comitibus Arundelio & Hollanto: ac claſſem mari per Marchionem Hamiltonium miſit: ipſéque etiam ad confinia regni pervenit; Scotis cum potenti exercitu contrà ſtantibus. Cùm res ad prælium tendere videretur, actum eſt de concordiâ: eáque concluſa octavo Iulii his præcipuis conditionibus; quòd Scoti confeſtim arma dimitterent, ac Regi munitiones omnes, & inſignia reſtituerent: eóque facto, Rex etiam copias ſuas terreſtres maritimáſque miſſas faceret: novus Conventus generalis menſe Auguſti, (quòd nollet ſcilicèt Rex Glaſcuenſem anni ſuperioris confirmare) ſubindéque Parlamentum Edimburgi celebraretur: & liber Precum, unà cum articulis Perthenſibus abrogarentur. Cujus tractatus ſpecie, quaſi nulla amplius ſupereſſe videretur occaſio belli, cum omnis nobilitas Anglicana properantiùs ad ſua ſe recepiſſet; Scotis ab omni jam metu liberis protervius ſe gerentibus, Rex quoque haud tutum exiſtimans eorum ferocitati ſeſe committere; delegato qui ſuo nomine conventui & Comitiis præeſſet, Comite Traquerio magno regni Quæſtore, ire ipſe Londinum verſus reſumpſit. Ac Scoti in conventu ſuo Eccleſiaſtico damnationem Epiſcoporum, & perpetuam abdicationem Glaſcuæ decretam, iterârunt; aliáque ſtatuerunt pro ſui ipſorum fœderis conſervatione atque provectione, & deliberationum regiarum eluſione: quæ poſtmodùm fuêre in Comitiis Ordinum confirmata, aliáque præſtiterunt circa regni adminiſtrationem, & juſtitiæ exercitium, ac ærarium publicum, contra Regis auctoritatem, quæ denuò Regem de expeditione ſeriò in eos faciendâ conſilium accipere impulerunt.

XII. De Patriarchis Cōstantinopol.

Conſtantinopoli Patriarcha *Cyrillus ab Iberiâ*, ob fœdiſſimas pecuniarum à ſubditis extorſiones, in tetrum carcerem conjectus, depoſitus fuit à ſede: & in ejus locum ſubrogatus *Parthenius* metropolita Adrianopolitanus, unanimi cæterorum omnium Antiſtitum, cleri, & populi conſenſu.

M. DC. XL.

I. Amur. IV. moritur.

ANNO Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, Indictione octava, quibus modò vivimus, primus ſe narrandus offert obitus *Amuratis IV.* Turcorum Imperatoris. Qui cùm poſt reditum ab expeditione Babylonicâ, jurejurando ſe obſtrinxiſſet in manibus ſui Muphti ſeu Pontificis, de abſtinentiâ

vini, (cui etiam per legem Musulmanicam obligatus erat) eò quòd persuasum haberet se ex ejus potu morbum arthriticum contraxisse: in celebri sectæ festo ad finem Ianuarii apud primum Visirem pransus, soluto voto tantum vini & aquæ vitæ hausit, ut in gravissimum morbum inciderit; quo paucis pòst diebus extinctus est octavo Februarii, anno ætatis trigesimo secundo, Imperii decimo septimo, nullis liberis relictis. Cui successit frater ejus minor *Ibraimus* annum agens ætatis vigesimum octavum: qui carcere detinebatur, brevî, ut ferebatur, morte à fratre plectendus. Quare cùm inde eductus est ad Imperium capessendum, existimans se ad mortem duci, tunc tantùm timorem posuit, cùm fratris cadaver conspexit.

IBRAIMUS SUCCEDIT.

II. REGIS PERS. OBITUS.

Quo eodem fermè tempore defunctus est pariter *Scha-Sephi* Rex Persarum, duobus relictis parvulis filiis; altero septenni dumtaxat, qui ei in regnum successit; altero quadrimo, cujus obitûs nuncius pervenit Constantinopolim decimo sexto Aprilis: quo valdè lætati sunt Turci, quòd se inde plenè securos viderent ob minorem filiorum ætatulam. Quamquam etiam audiamus parari in eos bellum à Turco, ob quædam propugnacula ab ipsorum patre ante obitum constructa aut restaurata, contra pacta cum Amurate constituta.

III. LIBRI OPTATI GALLI DAMNATIO.

Prodiit hoc anno mense Martio in Galliâ, ab ingenio quodam turbido, libellus *Paræneticus* ad Antistites regni, *Optati Galli* nomine *de cavendo schismate*, quod jam ad portas esse annunciabat. Qui à Francisco Archiepiscopo Parisiensi & suffraganeis Episcopis in unum collectis confestim examinatus; damnatus fuit tanquam scandalosus, contumeliosus, ac pacis publicæ perturbativus, Regíque & ejus ministris ac consiliariis odium concilians, atque Præsulibus injuriosus: ut fert eorum censura; cui subinde subscripserunt quotquot alii Episcopi tunc in urbe reperti sunt. Damnavitque Senatus eundem libellum igni. Et multi adversus eum scripserunt, pro defensione pacis & unionis Ecclesiæ Gallicanæ; cujus scissionis nulla videretur esse umbra: quamquam & fuerunt inter ejusdem libelli oppugnatores, qui limites rationis in grave libertatis Ecclesiasticæ præjudicium non parùm excesserint.

IV. CATALANORŨ COMMOTIO.

Majus periculum Hispaniæ à motibus Catalanicis, hominum immunitatum suarum ac consuetudinum antiquarum retinentissimorum: qui de more hodiernæ, ac ferè omnium temporum militiæ, (cùm nulla fuerit unquam fides pietásque viris qui castra sequuntur, ut sapiens ille Poëta Philosophus lugebat magis quam canebat) à militibus Hispanis, per vicos quibus hospitabantur, bonorum direptionem, conjugum violationem omnia ejusmodi scelerum consueta cæteris, insueta ferè sibi mala pati incipientes, supráque modum horrendis sacrilegiis incensarum Ecclesiarum, altarium dissipatorum, divinissimi denique Corporis Christi Sacramenti protritionis, combustionis, omnísque generis ludibrii; pro zelo quo ardent erga fidem Catholicam & Sacramenta Ecclesiæ, commoti; sanctâ conspiratione factâ magnam sacrilegorum stragem fecerunt; aliásque copias adversum se à Prorege immissas fugârunt. Ac denique pòst aliquas temporis inducias cùm novis injuriis lacesserentur, ipsemet Prorex Comes S. Columbæ, dum improvidè cautus fugam sine causâ capesseret, extra civitatem Barchinonensem, ipso die festi Sanctissimi Sacramenti, cujus injurias vindicare neglexerat, à concitatâ rusticâ plebe peremptus est; qui si audire elegisset Magistratum Barchinonensem, securum intra urbem consistere potuerat. Ei verò cùm Rex Ducem Cardonium, Catalanis, utpotè conterraneum, gratum suffecisset; paulò pòst eo morbo extincto, rursùm ad seditiones ventum, ad pugnas, ad urbium occupationes: nec putantur tanti motus facilè quieturi, cùm jam res exercitibus utrimque collectis agatur; & vicinorum timenda sit maximoperè Regi conjunctio: quam, universúmque periculum ipsi ex his emergens, initio benignitate redimere poterat.

V. MEMORABILIS SOLUTIO OBSIDIONIS CASALIS.

In Italiâ memorabilis fuit solutio obsidionis Casalis urbis Montisferrati, ad quam Marchio Leganesius Gubernator Mediolanensis castra posuerat, profundis aggeribus circumvallatam; adeò ut nihil dubitaret quin brevî eam in suam potestatem redigeret: Cùm Comes Harcurius vix dimidium armatorum habens, tanto impetu eum intra ipsum vallum aggressus est, ut bis licèt repulsus, tertiâ impressione vallum superaverit, grandi editâ hostium cæde: quorum tam intra vallum, quàm in præcipiti fugâ, occisi fuere ad quatuor millia, capti mille, & inter utrosque multi duces non parvi nominis: tormenta omnia capta, signa non pauca, præda multa. Quod contigit die 29. Aprilis; tertiâ infeliciter susceptâ ab Hispanis ejus urbis obsidione: quam supra modum ambire dicuntur, quòd veluti claves sit Italiæ, quâ aperiri sit iter ad reliquam faciliùs obtinendam.

VI. TAURINI OBSIDIO, CUM GRANDI HISPANORUM CLADE.

Post quam sic liberatam, Harcurius Taurinum obsidione cinxit à Principe Thomâ defensum. Leganesius verò restaurato exercitu ipsummet Harcurium intra vallum veluti obsidens, aditibus ita occupatis ut nihil posset comeatûs ad ipsum deferri; cùm audisset suppetias adventuras è Galliâ, priùs deliberans Harcurium aggredi quàm illæ advenissent, maximè quòd sibi persuasisset copias ejus fame adeò attritas existerent vix movendis armis essent: monito priùs Thomâ, die undecimâ Iulii in vallum Harcurii tribus partibus uno impetu impressionem faciens, duabus superavit; erumpente eodem tempore Thomâ è civitate cum ter mille peditibus, equitibus octingentis: ut parùm abfuerit quin castra occupata, cæsa, dissipata fuerint: ni Galli animo cum periculo aucti, tantâ vi in hostes insiliissent, ut pro miraculo habitum sit, non solùm quòd iis resistere potuerint, & etiam quòd tantâ strage repulerint, ut quatuor eorum millia cæsa reperta sint; castra liberata; & suppetiæ tam hominum, quàm comeatûs feliciter acceptæ. Quo factum est, ut etsi non destiterint etiam post hæc multa moliri aggressionibus & eruptionibus Thomas & Leganesius, sempérque cum magnâ ipsorum clade; nihilominùs fuerit demùm coactus Thomas séque urbemque dedere (Leganesio otioso rei inspecto-

DEDITUR HARCURIO.

re præ imbecillitate, qui tantâ ferociâ priùs inſultabat) die 24. Septembris: quo Harcurius urbem glorioſiſſimè triumphans ingreſſus eſt: dignus ob tot præclara geſta tam brevi tempore fortiter feliciterque confecta, omni laude, omni memoriâ.

VII. VRBIS ATREBAT. OBSIDIO, ET DEDITIO.

Aliâ parte numeroſior exercitus regius, ſub Mareſcallis Cauneo, Caſtillioneo, & Millereo, Atrebatum, urbem amplam & potentem, inexpectatâ obſidione cinxerunt 14. menſis Iunii; cùm ſimulatâ aliorum vicinorum propugnaculorum oppugnatione, præfectum urbis cum maximâ præſidii parte in eorum defenſionem elicuiſſent, qui circumcluſâ ſubitò civitate, ejus ingreſſu prohibitus eſt. Factâ ſummâ diligentiâ circumvallatione aggere & vallo, Cardinalis Infans collectis ingentibus ex Belgio & Germaniâ copiis, nihil non egit ut in urbem auxilia mitteret, aut ſaltem commeatûs in caſtra importationem impediret, quò penuriâ coacti Galli obſidionem ſolverent. Sed utrumque fruſtrà. Acceſſerat Rex Ambianum, quò è propinquo & obſidentibus animos faceret, & cuncta eis neceſſaria ſuppeditari curaret. Fecit porrò utrumque adeò, ut poſt multiplices hoſtium conatus ad impediendum comeatum, & aggeres invadendos, quibus non parvæ utrimque clades acceptæ fuêre; tandem compulſa ſit civitas ad deditionem, in conſpectu ampliùs triginta millium armatorum, quos Infans paratos habebat ad novum impetum in caſtrorum aggeres faciendum. Idque die decimo Auguſti, dicato honori S. Laurentii Martyris Hiſpani: qui in compenſationem prælii Sanquintinei ante 83. annos ſuo auxilio pari die Hiſpanis obtenti, hanc urbem Regi Iuſto, juſtè ſive reſtitui, ſive conferri, ſuo apud Deum favore obtinuit; majori Regis gloriâ, quàm Infantis ignominiâ; qui nihil induſtriæ aut diligentiæ omiſit, quo poſſet illam conſervare, ſi poſſibile id fuiſſet contra regiorum armorum juſtitiam.

BATAVORUM CLADES.

Feliciora fuerunt, ſicut & æquiora, ejuſdem Infantis arma, adverſus Batavos: qui primùm apud Hulſtum malè habiti, deinde à Geldriæ obſidione, jam tertio ab iis incaſsùm ſuſceptâ, repulſi fuêre.

SECUNDOGENITI FRANCIÆ NATIVITAS.

Rex autem Chriſtianiſſimus in cumulum felicitatis hujus anni, auctus eſt à Deo ſecundo filio, qui natus ei eſt ex Annâ conjuge nocte diei vigeſimæ primæ Septembris; fauſtiſſimi Francis menſis, quòd & eo nati ſint Rex ipſe Ludovicus, Annáque Regina, & deſideratiſſimi Delphinus, filiúſque hic alter Dux Andegavenſis.

VIII. GERMANICARŪ RERUM STATUS.

Res in Germaniâ lentè proceſſerunt, Banierio hinc Suecorum duce, hinc Picolomineo copiarum Cæſarearum Imperatore, caſtra in adverſum metantibus, ſeſeque mutuò ſpectantibus veluti ad pugnam conferendam; quam nihilominùs vitârunt, utriſque periculoſam, ſæpè loca mutantes, & levibus tantummodò velitationibus ſeſe perſtringentes. Celebratur à multo tempore Conventus Electorum ac Principum Imperii Ratiſponæ à Ferdinando, ſpecie procurandæ pacis Germaniæ: at necdum plenè innotuit quid potiſſimùm in eo vel actum, vel agendum ſit. Cúmque omnia fruſtrà fieri conſideraret Pontifex, ne ulteriùs ludibrio haberetur Martinus Ginnetus Cardinalis, quem ante triennium pro pace Coloniam miſſum vidimus; eum in Italiam revocavit: animo tamen remittendi quandocumque Principes negotio pacis ſeriò attendere deliberaverint.

IX. DE REBUS ANGLICIS ET SCOT.

Carolus Rex Magnæ Britanniæ de turbis Scoticis ſollicitus, cùm decreviſſet novam in eos expeditionem ducere, ſubſtitit tamen aliquamdiù; maximè poſtquàm convocato Parlamento Anglico, comperit majorem ferè partem Puritanorum eſſe, fautorum cauſæ Scotorum. Quare per delegatos ſatius agere ducens, miſit qui feroces eorum animos lenire curarent. Qui interim arcem Edimburgenſem regio præſidio cuſtoditam arctâ adeò obſidione ſtringebant, ut ampliùs centum tormentis circumſeſſam tenerent. Factúmque demùm eſt, ut & illam ad deditionem compulerint: & cum numeroſo exercitu Angliam ingreſſi, Caſtrum novum & Dunelmum occupaverint; Regem haud longè exiſtente, qui hujuſmodi injuriis laceſſitus, cum exercitu Anglorum Eboracum proceſſit. Vbi demùm conſilio cum Paribus regni atque proceribus habito, deliberatum eſt ut exercitibus interim ſubſiſtentibus ſumptu publico abſque ullâ hoſtilitate, Parlamentum celebretur, quo de rerum accommodatione diligenter tractetur, & pax univerſæ Britanniæ Monarchiæ reſtituatur. Ad quæ Rex Londinum reverſus eſt: ſed infelici progreſſu, ut pòſt videbitur.

X. LUSITANIÆ DEFECTIO.

Ad finem anni, Luſitanorum in Philippum Regem conjuratio ſubitò erupit Cal. Decembris; quam excuſârunt ex dura & intolerabili Caſtellanorum dominatione, & privilegiorum ſuorum violatione. Ortáque maximè, fertur ex malevolo in nobiles animo Michaëlis de Vaſconello à ſecretis Proreginæ, præcipui rerum adminiſtratoris: qui, quòd pater ejus declaratus fuiſſet ignobilis & infamis, vindictam hujus injuriæ in cæteros nobiles aſperè paſſim exercebat. Hinc igitur decreta tacitè inter nonnullos in eum conjuratio, longè etiam majora ſuaſit; excuſſionem videlicèt jugi Caſtellanici. Ita ut rebus ſecretò paratis, dictis Cal. Decembris excitato derepentè tumultu Vlyſſippone, ad palatium Proreginæ magnis clamoribus concurrentes, & nomen Regis Ducis Brigantiæ, ad concitandam plebem mutationis imperii ſitientiſſimam, proclamantes, Vaſconellum fruſtrà latebras quærentem interemerunt, fœdéque lacerârunt, & in flumen projecerunt. Proregina ad primum tumultum in conventum monialium confugit. Nomine Ioannis Ducis Bragantiæ fauſtiſſimis acclamationibus à cuncto populo recepto, nihil tamen mali Caſtellanis qui in urbe erant illatum fuit; tantùm nonnulli ex majoribus retenti fuêre in obſidium Luſitanorum qui reperiebantur in poteſtate Regis Philippi. Eáque in re id mirum accidit, ut cùm trecenti eſſent homines conjurationis ſex antè menſibus deliberatæ, adeò tamen ſecreta inter ipſos perſtiterit, ut à nemine fuerit revelata. Itémque quod mox tranquillitas ita reddita eſt populo ac ſi nihil novi contigiſſet: Arces continuò deditæ. Dux Bragantiæ, qui tunc abſens erat apud Regem Philippum, de his celerrimè certior factus Vlyſſipponem properavit: & acceptus ingenti gratulatione, coronatus fuit ſolemni ritu decimo quinto

Decembris in Regem Lusitaniæ *Joannem* ejus nominis Quartum; annum tunc ætatis agens trigesimum sextum. Móxque apologeticum publicavit; quo declaravit id regnum sibi competere ex jure aviæ suæ Catharinæ, filiæ Eduardi fratris unici Henrici Cardinalis Regis ultimi; post cujus obitum Philippus Rex II. regnū occupâsset, jure debitum Theodosio Catharinæ filio, ipsiúsque Ioannis parenti. Quâ de re dictum ad an. 1578. XIII. 1579. XVIII.

X. Auditæ quoque sunt sævissimæ excursiones hinc Tartarorum, hinc Moscorum, mutuæque inter ipsos clades, & singulorum in alias provincias proximas, quibus infinita damna intulerunt, & innumeram captivorum multitudinem abripuerunt. Nec defuerunt, desúntque aliis mundi regionibus similes calamitates & ruinæ. Vndique mala; undique clades; undique luctus; undique plurima mortis, non imago solùm, sed reipsâ constans veritas. Nec est qui recogitet. Vides tu Domine; nec tamen emendari homines, in quorum profectum Tu ea tum immittis, tum permittis. Quare veni Domine priusquàm pereat omninò de terrâ memoria Tuî. Veni citò, ad delendum de mundo peccatum, cujus tu reatum proprio sanguine sustulisti: ne peccent ampliùs homines, & abutantur gratiâ tuâ; sed tibi vivant, & trahantur post te vel inviti in cælum. Atque interim da Pacem in diebus nostris, quam nec mundus dare potest, nec ferè desiderare videtur; sed magis variis contentionibus miserorum hominum fortunas & vitam ludere. O Principes! si non Christum audire sustinetis, vel Senecam audire egregium Philosophum, qui lumine naturali, & experientiâ certâ, vobis refert, Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ cæde abstinere, tempus iræ dare orbi quietem, sæculo Pacem suo; hanc summam virtutem esse, peti hâc cœlum viâ: Pacem unam triumphis innumeris potiorem esse: Qui verò pacem contemnunt, & gloriam appetunt, pacem eos perdere & gloriam. Vos videritis. Ad me quod attinet, dicam cum Euripide: EXHORTATIO AD PRINCIPES CHRIST. PRO PACE.

O Pax opulenta, & beatos inter pulcherrima divos! PACIS INVOCATIO.
Desiderium me tuî habet; quàm tarda moraris!
Atqui metuo, ne prius laboriosa vincat senecta,
Quàm jucundum tui tempus inspexero.

Quippe quem, cùm hæc scribo ad finem anni Domini millesimi sexcentesimi quadragesimi, jam ætatis septuagesimum tertium penè exactum agentem, de beatâ morte deceat magis cogitare, quàm de infelicis, ut ita dicam, decrepitudinis protentione. Quâ de causâ ad salutarem Patronam conversus, invocabo eam verbis Ecclesiæ: *Ave Dei Mater alma, felix cæli Porta: solve vincla reis, profer lumen cæcis. Ad te clamamus exules filii Evæ: ad te suspiramus gementes & flentes in hâc lacrymarum valle. Eia ergo advocata nostra, illos Tuos misericordes oculos ad nos converte: & Jesum benedictum fructum ventris Tui, nobis post hoc exilium ostende; ô Clemens, ô Pia, ô Dulcis Virgo Maria!* AUCTORIS ÆTAS, ET VOTUM.

APPENDIX POSTHVMA AB AMICO AVCTORIS ADDITA.

M. DC. XLI.

I. LEGATIO LUSITANICA AD PAPAM. ANno Christi 1641. Indictione nonâ, Ioannes IV. Lusitanorum Rex novus Romam misit ad Vrbanum VIII. Summum Pontificem obedientiæ filialis præstandæ ergò, Michaëlem Portugallensem, è stirpe regiâ, Episcopum Lamecensem; ac astu, & stratagemate Hispanico impeditus rediit in Lusitaniam, re infectâ post longas moras Romæ transactas, qui nominatione Archiepiscopatûs Vlyssiponensis acceptâ à Rege, decessit è vitâ, mense Ianuario 1644.

II. CAROLUS LOTHARINGUS VENIAM PETIT. Carolus IV. Lotharingiæ Dux, mense Martio, Parisios venit veniam precaturus, & impetraturus à Ludovico Rege, pro iis quæ dixerat & egerat contra ipsum Regem; qui libens volens illi pepercit, acto instrumento publico, 29. die ejusdem mensis, fœderis etiam novi initi sponsione factâ sacrorum Evangeliorum tactu, in sacello regio San-Germani in Layâ. Sacramentum clientelare præstitit Dux Regi pro Barrensi Ducatu Regni Gallici feudo; Claromontanum Comitatum cessit coronæ Francorum, Astenaium ad Mosam, Iamesium, & Dunum, nunquam reversura. In Lotharingiam appulsus, statim posthabuit fidei Sacramentum.

In Sueviâ prælium Campidoniense, vulgò *Kempten*, hoc anno actum, victore Polemarcho Franciæ Comite Guebriano, nobili Armorico, altero Bertrando Guesselino ejusdem tribûs: in acie captivus remansit Lamboyus Dux exercitûs Confœderatorum. III. PRÆLIŪ CAMPIDONIENSE.

Gallici tumultus ad Sedanum urbem in Mosæ ripis sitam, ansâ arreptâ à ministerio Cardinalis Richelii primarii Galliæ, & rerum Ministri, in quibus periit Ludovicus Borbonius Comes Suessionensis glande plumbeâ oculum feriente. IV. GALLICI TUMULTUS.

Martius S. Angeli in foro piscium Cardinalis Ginettus à latere legatus, superioribus annis in Germaniam missus à Summo Pontifice ad pacem conciliandam inter Principes Christia- V. LEGATUS PONTIFICIUS PRO PACE.

nos, qui inter ſe digladiabantur abhinc multos annos : Coloniæ longas moras tranſegit præſtolans Principum Oratores ; ſed nullus fuit, qui recogitaret corde, & paci ſtuderet, quamobrem Romam ſe recipit magno Pont. mœrore dolentis miſeram Regum vicem.

VI. MONACHI PRINCIPATUS CONTRA HISPANUM.

Monachi rupes, principatus, & portus ad mare Gallicum & Ligurticum, dominium Grimaldæ familiæ inter Genuenſes nobiliſſimæ, excuſſo Hiſpanorum jugo, & præſidio confluit ad aſylum coronæ Francorum, receptis militibus præſidiariis ; cum titulo & annuo reditu Ducatûs Valentinenſis apud Delphinates, quem Rex cum aliis dominiis dono conceſſit Honorato Grimaldi Principi, ejus mutato velleris aurei ordine in torquatum divini Pneumatis, illo remiſſo Mediolanum ad Comitem Siruellæ Gubernatorem Mediolanenſium.

XII. ESTENSIS CREATUR CARD.

Vnius Cardinalis Raynaldi Eſtenſis fratris Ducis Mutinenſium & Regienſium promotio peracta Romæ, die 16. menſis Iulii.

VIII. INFANS HISPANIÆ CARDIN. MORITUR.

Ferdinandus Sereniſſimus Princeps, Hiſpaniarum Infans, Philippi IV. Regis unicus frater Germanus, Belgicarum provinciarum Gubernator, S.R.E. Diaconus Cardinalis, ſabbato die 9. menſis Novembris Bruxellæ, quæ Brabantinorum Principum eſt ſedes, vitam cum morte commutavit, cui ſuffectus in regimine Belgii Franciſcus de Melos, nobilis Luſitanus, Prorex Neapolitanus.

IX. CARDINALIUM CREATIO.

Penultima Patrum purpuratorum creatio, quæ prodiit ab Vrbano Summo Pontifice, die 16. Decembris in Vrbe, fuit Franciſci Mariæ tit. SS. Ioannis & Pauli Cardinalis Macchiavelli Epiſcopi Ferrarienſis, Florentini; Aſcanii tit. S. Mariæ de Arâ Cœli, Cardinalis Philomarini, Archiepiſcopi Neapolis, Neapolitani; Marci Antonii tit. SS. Nerei & Achillei Cardinalis Bragadini, Epiſcopi Vicentini, Veneti; Petri Donati tit. S. Marcelli Cardinalis Cæſii, Vmbriæ Legati, Romani; Hieronymi tit. S. Agnetis in agone Cardinalis Veroſpii Epiſcopi Auximani, Romani; Fratris Vincentii Maculani, ordinis Prædicatorum tit. S. Clementis, nuncupati de Florentiolâ Placentinæ diœceſis; Franciſci Peretti tit. S. Hieronymi Illyricorum Cardinalis Montalti nuncupati, Romani; Iulii S. Agathæ Cardinalis Gabriellii Epiſcopi Auſculani, Romani; Iulii Cardinalis Mazarini Romani.

X. VRBES DESIGNATÆ PRO PACE PROCURANDA.

Hamburgi apud Albis fluminis oſtia, in Holſatiæ & Saxoniæ confiniis convenerunt die 25. Decembris Legati Conradus Lutzanius miſſus à Cæſare Ferdinando & Philippo Hiſpaniarum Rege, Claudius Memmius Toparcha Avallius nomine Ludovici Regis Chriſtianiſſimi, & Ioannes Salvius pro Mariâ Eleonorâ Sueonum Reginâ interventu Chriſtiani IV. Danorum Regis ad concordiam inter Principes Chriſtianos ineundam, & pacem aliquam obtinendam, ſelegerúntque urbes mutuo ſenſu Monaſterienſem in Veſtphaliâ pro Catholicis, & Oſnabrugenſem ad Haſam fluvium in Saxoniâ pro Proteſtantibus : ubi pacis colloquia ab Oratoribus Plenipotentiariis haberentur.

M. DC. XLII.

I. EXCOMMUNICATIO DUCIS LOTHARINGIÆ.

ANNO Chriſti 1542. Indictione decimâ. Summus Chriſtianorum Pontifex excommunicationis majoris fulmine perculſit Carolum Ducem Lotharingiæ die 23. Aprilis, quod hic relictâ propriâ, & legitimâ uxore Nicolaâ Duciſsâ Lotharenorum ad ſecundas nuptias convolâſſet cum Beatrice à Cuſancâ, viduâ Eugenii Leopoldi Comitis à Cantacruce, prætextu non dati conſenſûs in primis nuptiis; licèt ipſe à ſede Apoſtolicâ obtinuerit diſpenſationem, ad primum illud matrimonium contrahendum ; in quo unà cum Nicolaâ uxore legitimâ palàm, & publicè convixit plurimorum annorum intervallo. Tandem ævo Innocentii X. Pontificis ad cor rediit, impetravitque Pontificiam abſolutionem dimiſsâ illâ Beatrice infelice, quam Duciſſam Lotharenam ſalutari à ſubditis curaverat.

II. BELLUM INTER SUM. PONTIFICEM, ET PARMENSEM.

Odoardus Farneſius Parmæ & Placentiæ Dux Eccleſiæ feudatarius bello impetitus à Summo Pontifice, ob Ducatum Caſtrenſem ad mare Hetruſcum. Farneſiano militi junguntur auxiliares copiæ Venetorum, Hetruſcorum, & Mutinenſium ; huc & illuc hoc anno, & ſequenti fiunt incurſiones ab utrâque belligerantium parte : Pontificius miles capit in Ducatu Caſtrenſi firmiora præſidia, & loca Caſtrum, Montem-altum, & Valentanum. Farneſianus in Ferrarienſi ditione occupat Bondenum, & Stellatam.

III. MARIA MEDICÆA REGINA MORITUR.

E vivis piiſſimè exceſſit Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum, anno ſuæ ætatis ſexageſimo octavo, quinto nonas Iulias, die Iovis, trium Regum parens (mirus & ſtupendus fortunæ humanæ luſus) Maria Medicæa Francorum Regina, poſt peragratas Flandriam, Hollandiam, Angliam, & Germaniam, conditis tabellis teſtamentariis, manúque propriâ ſubſignatis, quibus ſubſcripſerunt Apoſtolici Nuncii Ordinarius, & Extraordinarius Carolus Archiepiſcopus Tarſenſis, & Fabius Ghiſius Epiſcopus Neritonenſis apud Salentinos, qui morienti adfuêre ; conſtitutis hæredibus filiis Ludovico XIII. Gallorum Rege, & Gaſtone Borbonio Aurelianenſium Duce, iiſdémque teſtamenti executoribus unâ cum Archipræſule Colonienſi, & ſacri Imperii Electore pro mobilibus, quæ in Germaniâ habebantur. Corpus allatum in Gallias, menſe Auguſto, ad Mauſolæum regium Sandionyſianum, ſepeliendum eodem tumulo cum Henrico Magno, ſponſo.

IV. PERPINIANUM CAPITUR.

Perpinianum munitiſſimum in Hiſpaniâ Tarraconenſi oppidum, poſt quinque menſium obſidionem, fame deditur duobus Franciæ Polemarchis Schombergio, & Milleraio à Marchione de Flores d'Avila urbis & arcis Præfecto, die Martis nonâ Septembris. Ludovicus XIII. Rex illi obſidioni interfuit, ſed ob morbum contractum Pariſios rediit ante deditam urbem, & arcem in quâ centum tormenta muralia inventa.

V. SEDANŨ REDDITUR.

Eodem menſe, die 29. ſacro Michaëli Archangelo, Franciæ Patrono, Sedanum ad Moſam totius Campaniæ & Picardiæ propugnaculum fit juris coronæ Gallicæ, urbs munitiſſima inter Europæas. Iulius Cardinalis Mazari-

nus eam ingressus nomine regio, & clavibus acceptis, constituit milites præsidiarios in urbe & arce: quibus est Præfectus datus vir Catholicæ religionis Lambertus, qui eandem florere, explosâ Calvinianâ sectâ, procurat.

VI. CARD. RICHELIUS DECEDIT.

Armandus Plessius Cardinalis Dux Richelius, rebus gestis Europæ notissimus, post reparatam monasticam disciplinam, Clerum Gallicanum viris & scientiâ & pietate eximiis illustratum; hæresim & hostes ad extremum penè discrimen adductos, egregiâ Ludovico XIII. Regi suis consiliis per plures annos navatâ operâ, moritur Lutetiæ Parisiorum, die 4. Decembris, & in Sorbonâ, quam magnificentissimè construi curavit, sepulturæ mandatur.

VII. ETIAM GALILÆUS.

Galilæus Galilæi Florentinus Philosophus, & Mathematicus verè Lyncæus, naturæ Oedipus mirabilium inventorum, & perspicilliorum machinator anno suæ ætatis 78. inter vivos esse desiit.

M. DC. XLIII.

I. FRANCIÆ DELPHINUS BAPTIZATUR.

ANNO Christi 1643. Indictione 11. Baptismi cæremoniis inauguratur Franciæ Delphinus, adhuc vivo Parente, die 20. Aprilis à Dominico Seguierio Meldensium Antistite, primóque Regi ab eleemosynis. Nominavit Rex Patrinos Eminentissimum Cardinalem Iulium Mazarinum, primarium Comitem Consistorianum, & Carlottam Margaritam Monmorantiam Henrici Borbonii Condæi, primi Principis regiæ stirpis uxorem, dato ei nomine Ludovici.

II. LUDOV. XIII. REX MORTEM OBIT.

Christianissimâ morte è vitâ decessit post trium mensium ægritudinem Ludovicus XIII. cognomento Iustus, ob victorias nominandus Germanicus, Hispanicus, Italicus, Belgicus, 14. mensis Maii San. Germani in Layâ; die & mense quibus Magnus Henricus parens lucis usurâ frui desierat; cavit ne impensæ fierent in inferiis, dum corpus deferretur ad tumulum Regum Ecclesiæ Sandionysianæ, absque cæremoniarum pompis.

III. LUDOV. XIV. SUCCEDIT.

Successit in imperio Gallico Ludovic. XIV. Adeodatus annos quinos natus, & aliquot menses. Accepit regni Galliarum procurationem Anna Austriaca Regina mater, ut olim Blancha Castellana, adhuc adolescentulo S. Rege Ludovico hujus nominis nono: accepit inquam, postremâ, & supremâ mariti Regis voluntate, firmatâ Senatusconsulto Parisiensi ejusdem mensis duodevigesimâ die; ibidem primùm in Curiâ Ducum, & Parium novo Rege sedente, & Præside.

IV. PRÆLIŨ ROCROIACENSE.

Hispani, Flandríque capillatâ occasione arreptâ pueruli ad imperium Francicum, secundùm jura Salica promoti, Gallias invadunt mense Majo, obsidione Rocrojacensem urbem ad sylvam Arduennam pressuri, Duce exercitûs potentissimi Francisco de Melos Belgicarum provinciarum Gubernatore, Comite Fontano Comitatûs Flandrici generali præfecto, ac Comite Isamburgo. Vrbi obsessæ opem laturus derepente accessit Ludovicus Borbonius princeps regii stemmatis, Dúxque Anguyanus, Franciæ Polemarchus Hospitalius, & Gassio aciei Marescallus: congrediuntur exercitus die undevigesimâ Maii antelucanis horis primùm dubio marte, Hospitalius graviter in brachio cæsus plumbeâ glande, peditum Hispanorum copiis mira agentibus, quæ tandem sex repetitis vicibus à Gallicis Equitibus cataphractis fractæ, & internecioni datæ; inter quas Comes Fontanus, non satis memorandus occiditur: signis militaribus hostium acceptis centum & octoginta quatuor; nec fuit hic victoriæ obtinendæ finis.

V. THEODONISVILLA DEDITUR.

Theodonisvilla ad Mosellam sita Germanis Diedenhoven, primarium totius Luxemburgici Ducatûs munimentum, & provinciæ clipeus è vestigio obsidetur ab eodem exercitu Gallico eodémque Duce Anguyano mense Iulio: in eâ obsidione periit Marchio Gevrius lapide cuniculoso cervices impetente; civitas facit deditionem die Martis 10. Augusti.

VI. CREATIO CARDINALIUM

Albo Cardinalium fuêre 13. Iulii adscripti ultimâ creatione ab Vrbano, Ioannes Iacobus Cardinalis Panzirolus Romanus; Faustus tit. S. Chrysogoni Cardinalis Polus de Cassiâ, Spoletanæ diœcesis; Lælius tit. S. Mariæ de Populo, Cardinalis Falconierus, Florentinus; Gaspar tit. S. Pancratii Cardinalis Matthæius, Romanus; Cæsar tit. SS. quatuor Coronatorum Cardinalis Facchenettus, Episcopus Senogalliensis, Bononiensis; Hieronymus Cardinalis Grimaldus, Genuensis; Carolus Cardinalis Rossettus, Episcopus Foventinus, Ferrariensis; Ioannes Baptista tit. S. Mariæ super Minervam Cardinalis de Alteriis, Episcopus Tudertinus, Romanus; Marius tit. S. Alexii Cardinalis Theodolus, Romanus; Franciscus tit. S. Mariæ in Viâ, Cardinalis Rapacciolus Patrimonii Legatus, Romanus; Franciscus Adrianus de Marchionibus Cevæ, tit. S. Priscæ, Cardinalis Ceva; Angelus tit. SS. Quirici, & Iullitæ Cardinalis Ceva; Angelus tit. SS. Quirici, & Iullittæ Cardinalis Georius Camers; Vincentius S. Mariæ in porticu Cardinalis Costantus, Genuensis; Ioannes Stephanus S. Georgii Cardinalis Donghus, Genuensis; Paulus Æmilius S. Mariæ in Aquiro, Cardinalis Rondaninus, Romanus.

VII. ANGLIA BELLIS AGITATUR.

Anglia intestinis, & civilibus bellis vexatur; quorum scintilla excitata ante tres annos. Subditi ducibus Parlamentariis insurgunt in Carolum hujus nominis primum magnæ Britanniæ Regem, prætextu religionis Puritanorum, sive Calvinistarum introducendæ. Scoti junguntur Anglis contra regium exercitum; hinc inde pugnæ, urbium invasio, hominum multa cædes. Mittitur à Rege Christianissimo Londinum Henricus Lotharenus Comes Harcurianus, ad componenda ea dissidia; verùm nihil proficit obsistentibus duabus Parlamentariorum Cameris, quarum una, & superior, est Nobilium, altera, & inferior, est Plebeiorum, Rex Londino deserto, cùm tutò ibi vitam non ageret, Eboracum cogitur se recipere.

VIII. MIRUM OPUS TYPOGRAPHICUM.

Arduum opus, atque hactenus intentatum in Typographicis triginta septem grandiorum voluminum ad umbilicum hoc anno perductorum, insigni charactere, & perbellâ papyro editorum apud Typographiam regiam Parisiensem, complectentium omnia Concilia Oecumenica, Græca & Latina, Nationalia, & Provincialia.

IX.

Publicatio duorum Cardinalium scrutinio

DUO CARD. CREANTUR.

pectoris contentorum, Romæ acta sub finem Pontificatûs Vrbani, creatorum tamen die 13. Iulii, nimirùm Ioannis de Lugo Hispalensis Presbyteri, ac insignis Theologi è Societate IESU, & Achillis d'Estampes Valençay ab illustri & antiquâ prosapiâ Gallicâ oriundi, Equitis Melitensis; quòd ille calamo, hic ense causam Summi Pontificis contra Ducem Parmensem fuerint tutati.

M. DC. XLIV.

I. PAX INTER VRBANUM PONTIFICEM, ET PARMENSEM.

ANNO Christi 1644. Indictione 12. Pax inter Summum Pontificem Vrbanum, & Odoardum Ducem Parmensem Venetiis firmatur pridie Cal. Aprilis, interventu Regis Christianissimi, qui eo fine in Italiam misit Alexandrum tit. S. Sabinæ Cardinalem Bichium Episcopum Carpentoractensem in Galliâ Narbonensi antiquâ, acturum de pacis conditionibus cum Ioanne Stephano tit. S. Georgii Cardinale Dongio agente Ferrariæ nomine Pontificio; hinc inde restitutio urbium, de quibus actum 1642. levatum interdictum, & soluta excommunicationis vincula; maximæ sunt impensæ in eo bello factæ in detrimentum ærarii Sedis Apostolicæ.

II. VRBANUS PAPA MORITUR.

Vrbanus VIII. Papa post expletos in Pontificatu unum & viginti annos, novem diebus exceptis piè moritur Romæ die Veneris, sacrâ D. Marthæ 29. Iulii, ægritudine marcoris, quem Græci coma, & marasmum appellant; aliquot annis ante obitum, jam ætate 76. annorum gravis commisit se, & Pontificium regimen Nepotibus Francisco, & Antonio Barberinis S.R.E. Cardinalibus, qui bellum in Italiâ excitârunt non prævidentes exitus, nec mala in sua capita tandem refundenda.

III. INNOCENTIUS X. ELIGITUR.

Ioannes Baptista Pamphilius Cardinalis S. Eusebii, urbe Romanus, quondam Auditor Rotæ, & Nuncius Apostolicus in Hispaniâ, eligitur ad Summi Pontificatûs apicem die Iovis 15. Septembris, annos natus duos supra septuaginta, sumpto Innocentii X. nomine, coronatus die 29. ejusdem mensis dicatâ Michaëli Archangelo. Patruum habuit etiam Rotæ Auditorem, Hieronymum Pamphilium, collegio Cardinalium adscriptum à Clemente VIII. nomen Innocentii, & Pamphilii, ac ejus insignia, nimirùm columba ore ramum olivæ deferens cum candore liliorum, pacem Principum Christianorum bono omine nobis augurantur.

IV. ANGLIÆ REGINA FUGIT IN GALLIÂ.

Angliæ Regina Henrietta Borbonia mense Iulio deserit oras Magnæ Britanniæ, navigatura in Franciam, Parlamentariis Puritanismo, & Calvinismo infectis eam, utpotè Catholicam persequentibus, etiam in Oceano tormentis muralibus in eandem explosis; verùm divinâ aurâ favente, & flante appulit secundâ navigatione in portum Brestanum minoris Britanniæ, posteà asylum Parisiense aditura. Interim Regis Caroli rebus malè in bello succedentibus cum rebellium subditorum turmâ.

V. ILERDA DEDITUR.

Ilerda urbs citerioris Hispaniæ ad Cingam fluvium rapacem, ita Lucano Cordubensi dictum occupata à Gallis, posteà fame pressa deditur ab eisdem mense Augusto Ducibus exercitûs Philippi IV. Regis Hispaniarum.

VI. I. CARD. CREATIO.

Prima duorum Cardinalium inter Diaconos numerandorum electio, decreta à novo Pontifice in consistorio secreto, die 14. Novembris: hi fuêre Ioannes Carolus Medices germanus frater Ferdinandi, magni Hetruriæ Ducis, & Camillus Pamphilius S.D.N. Papæ ex fratre nepos, qui posteà muricatum galerum dimisit, approbante patruo, conjungendus matrimonio cum Principe Rossanâ.

VII. ELISABETHA HISPANIÆ REGINA DECEDIT.

Elisabetha Hispanorum cor, & Regina Mantuæ Carpentanorum extremum spiritum exhalavit, die 6. Octobris, quam multis sunt prosequuti lacrymis subditi, tumulo donatam in Escuriali, andrio Hierosolymitanorum Ascetarum, Mausolæo Regum Hispaniæ, Philippi II. Prudentis opere, quod D. Laurentio ex voto dicavit.

VIII. PHILISBURGUM CAPITUR.

Philisburgum Germaniæ propugnaculum ad Rhenum, ditionis Spirensis, hoc anno capitur à Duce Anguyano decem dierum obsidione, post conflictum Norlingensem cum Cæsareis, & Bavaris, quorum Ductor Mercius interimitur. Civitates Spira, Wormatia, Moguntia, Bingenum, aliæque nonnullæ coguntur milites præsidiarios è Gallico exercitu accipere.

M. DC. XLV.

I. ARCHIEPISCOP. CANTUARIÆ CAPITE PLECTITUR.

ANNO Christi 1645. Indictione 13. Mense Ianuario Guillelmus Archiepiscopus Cantuariensis, & Primas Angliæ extra Romanæ & Apostolicæ castra, post incarcerationem in turri Londinensi, spatio multorum mensium, capite plectitur Londini, jussu Parlamentariorum, ob defensa jura regia, & Carolo Regi data consilia contra Puritanos; Catholica Religio ei morienti defuit, quod dolendum.

II. RUPEFUCALDIUS CARD. MORITUR.

Franciscus Rupefucaldius Cardinalis S. Calixti Prior Presbyterorum, feliciori morte Lutetiæ cælum rapuit die 14. mensis Februarii, anno ætatis 87. die 14. mensis, plenus dierum, & meritorum; magnus re & nomine piarum eleemosynarum Franciæ diribitor; hospitalariæ domûs Incurabilium dotator, alter Ioannes Eleemosynarius.

III. II. CARD. PROMOTIO.

Secunda Cardinalium creatio sextâ mensis Martii primâ die Lunæ Quadragesimæ, Petri Ludovici Caraffæ Neapolitani, Episcopi Tricanensis; Horatii Iustiniani Presbyteri Oratorii, Episcopi Nucerini; Tiberii Cincii Romani, Episcopi Æsini in Vmbriâ; Nicolai Ludovisii Boloniensis, Archiepiscopi Boloniæ; Frederici Sforza Romani, Vice-legati Avenionensis; Dominici Cequini Romani, Datarii, Rotæ Auditoris; Ald. Cybo referendarii signaturæ; Benedicti Odescalchi Mediolanensis Clerici Cameræ; Francisci Mariæ Cardinalis Farnesii.

IV. TURCUS INVADIT CANDIÆ REGNUM.

Ibraimus hujus nominis primus, Turcorum Imperator, classem potentissimam instruxit hoc anno contra Christianos. Credidêre Paulus Lascaris magnus Magister Melitensium Equitum, & Religio S. Ioannis Hierosolymitani ea arma in suum, & Melitæ propugnaculi Christianitatis perniciem càusa, & parata; propterea fuêre convocati ex omni Europâ Equites Melitenses ad eam Insulam pro aris, &

focis defendendam, contra Mahometanos crucis Christi inimicos: verùm eventus alia docuit, nam ab eâ clade inopinato fuit impetitum Candiæ regnum, juris Veneti abhinc quadringentos & quinquaginta annos emptione, Antiquis Creta, quæ *medio jacet Insula ponto*. Ottomani excensum fecêre in amplissimum, & tutissimum Sudæ portum, quem vi & armis capere non valuerunt, Venetis eum propugnantibus, & naturâ loci obsistente; unde è triremibus & navibus onerariis egressi in Insulæ continentem, Caneam è tribus primariis civitatibus unam obsidione cinxerunt, quam post aliquot dies cepêre deditione, & articulis super eâ confectis, quibus perfidi Mahometani non steterunt; nam post multorum utriusque sexûs immanem cædem, sus déque in eâ urbe volventes omnia, gregem adolescentularum, & adolescentulorum congregantes, Bizantium ad Serralium deduxerunt, Episcopo Canensi ad pauperiem redacto Venetias aufugiente.

V. Legati in Germania pro pace.

E diversis Europæ partibus in urbes Germaniæ Monasteriensem, & Osnabrugensem (de quibus anno 1641.) confluunt Principum Legati Plenipotentiarii, nimirum Comes Transmausdorfius pro Cæsare; Henricus Dux Longavillæus, Claudius Memmius Comes Avalius, & Servientius Comes Consistorianus pro Rege Christianissimo; Dux Medinæ de las Torrez, Gaspardus à Gusmano Comes Pignerandæ, Iosephus Bergagnius ordinis Franciscani, Archiepiscopus Cameracensis, pro Rege Catholico; Ioannes Adles Salvius regni Suecici Cancellarius pro Mariâ Eleonorâ Sueonum Regina, aliique Catholici & Protestantes nomine aliorum Principum, & Rerumpublicarum.

VI. Bellum contra Cæsarem.

Transsilvaniæ Princeps Ragotzi ob confinia sui principatûs, & loca quædam in Hungariæ regno prætensa, bellum indixit Ferdinando Cæsari, auxiliarésque copias accepit à Turco, cui annua tributa solvit.

VII. Hiberniæ opē fert. Pontifex.

In Hiberniæ Regnum semper Catholicæ religionis studiosissimum appulit Nuncius Apostolicus, Archipræsul Firmanus, opem, operam, & opes nomine Innocentii Pontificis Catholicis laturus, in quos Parlamentarii Anglici arma moverant, jugo Puritanorum Hæreticorum subjicere volentes.

VIII. Matrimonium Regis Poloniæ.

Vladislaus V. Sarmatarum, & Suecorum Rex è Poloniâ celeberrimam misit hoc anno legationem Parisios, petiturus Ludovicam Mariam Gonzagam (natam Carolo Mantuanorum, & Nivernensium Duce) in matrimonium; primò Lutetiam pervenit eo nomine Legatus Comes d'Hesnost Pomeraniæ Palatinus, cujus industriâ articuli matrimoniales fuere rati die 27. Septembris cùm dote septingentorum millium aureorum; deinde advenerunt Episcopus Varmiensis, & Comes Brainus Posnaniæ Palatinus, mense Novembri cum lectissimâ Polonorum nobilitate ad conjungendos sponsum & sponsam procuratione datâ, Sacramento conjugii, & deducendam novam Reginam amplissimo Comitatu in Poloniæ regnum; quod contigit rigidæ hyemis tempestate.

M. DC. XLVI.

I. Candia vexatur a Turco.

ANNO Christi 1646. Indictione 14. Pergit Turcus Insulam Cretensem dominii Venetici infestare armis, & Retinum urbem ad mare capit: multa adversa patiuntur Veneti eâ Insulá, etiam in Dalmatiæ oris ad sinum Adriaticum, non valens sola Respublica Veneta suis opibus freta resistere tantæ tanti hostis potentiæ.

II. Casimirus fit Card.

Casimirus frater unicus Vladislai Regis Poloniæ ex Iesuitâ creatur Romæ mense Majo, Cardinalis tertiâ promotione; qui repulso Eminentissimi titulo à Cardinalibus oblato, voluit salutari Altitudinis regiæ nomine; relictâ Româ in Poloniam se recepit.

III. Barberini exagitantur a Pontifice.

Barberini duo FF. Cardinales, defuncti Vrbani Pontificis Nepotes, cum Tadæo altero fratre Vrbis Præfecto, clàm non modò Romam, verum etiam Italiam deserunt Gallias petituri, in quos diploma Pontificium fit publici juris, eos repetundarum reos judicans. Omnes summorum Pontificum Nepotes ævo viventium Patruorum felices, obitu eorundem infelices habiti, & persecutionem passi.

IV. Walliæ Princeps fugit in Galliā.

Carolus Princeps Waliæ primogenitus Regis Magnæ Britanniæ, spretâ coronâ à rebelibus Parlamentariis oblatâ, fugit in Gallias ad matrem Henriettam Mariam Lutetiæ agentem, fratre minore Eboracensium Duce retento Londini ab iisdem, cùm Rex Eboraco habitu ementito adit Neocastrum civitatem, fidei Scotorum se committens; qui eum Anglis enumeratâ pecuniâ tradiderunt, deducendum in castrum Hombiense; ô punicam fidem!

V. Dūkerka deditur.

Dunkerka olim à Balduino Arnaldi F. Comite Flandriæ extructa, in quâ propugnaculum munitissimum Caroli V. Imperatoris jussu, anno 1535. fuerat structum ad mare Flandricum, Piratarum celeberrimorum nidus, obsidione cingitur, & paucorum dierum intercapedine capitur ab invictissimo Ludovico Borbonio Duce Anguyano, illi urbi dato Gubernatore Rantzovio Franciæ Polemarcho, natione Dano, Catholicam religionem professo.

VI. Philippus Hispaniæ infans moritur.

Mense Octobri Balthasar, Carolus, Dominicus, Philippus, Victor, Lucas (his omnibus nominibus in Baptismate donatus) Princeps Hispaniæ adolescens duodeviginti annorum, filius unicus Philippi IV. Regis Catholici, & spes unica regni, maximo omnium Hispanorum mœrore mortem obiit, qui erat futurus hæres plurimorum regnorum in quatuor orbis partibus, relictâ unicâ sorore innuptâ, nomine Mariâ Hispaniarum Infante.

FINIS.

INDEX TOMI SECVNDI ET TERTII, CONTINVATIONIS ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.

In quo prior numerus notis recentioribus designatus Annum Christi; Posterior antiquioribus characteribus exaratus marginalem numerum cujusque anni denotat.

A

Index.

C

Index.

E

F

G

Index.

H

I

Index.

Index.

T

Index.

nis

FINIS INDICIS.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est authoritate Regis & Privilegio, ne quis, *Annales sacros à creatione Mundi ad ejusdem reparationem, Annales Ecclesiasticos ex XII. Tomis Cæsaris Baronij Cardinalis, in Epitomen redactos; & Annalium ejusdem Baronij Continuationem, Authore* HENRICO SPONDANO, *Mauleriolensi Appamiarum in Gallia Narbonensi Episcopo*, quovis charactere aut forma excudere, aut alibi excusa vendere, aliove quolibet modo distrahere possit intra viginti annos, præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Bibliopolam Parisiensem, sub pœnis originali diplomate expressis, &c. Datum Parisiis, &c.

Idem verò SEB. CRAMOISY transtulit prædictum Privilegium suum Bibliopolis Parisiensibus Societatis jussu Regis concesserat, qui cesserat idem Privilegium PETRO LE PETIT, Bibliopolæ Parisiensi.

Et PETRVS LE PETIT, idem Privilegium concessit IOANNI BAPTISTÆ BOVRLIER & LAVRENTIO AVBIN, Bibliopolis Lugdunensibus, juxta pactum inter ipsos initum. Parisiis die 26. Octobris 1673.

Tandem dicti IOANN. BAPT. BOVRLIER & LAVR. AVBIN cesserunt dictum Privilegium IOANNI & IACOBO ANISSON, & IOANNI POSVEL, Bibliopolis Lugdunensibus, sub quorum nomine prodit hæc prima Editio Lugdunensis.

ESPONDAN
CONTINUA
A. BARONIO

TOM II


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm